





SPICILEGIUM

SIVE

COLLECTIO

VETERUM ALIQUOT

SCRIPTORUM

QUI IN GALLIÆ BIBLIOTHECIS

DELITUERANT:

Olim editum Operâ ac ſtudio D. LUCÆ D'ACHERY, Preſbyteri ac Monachi Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis S. Mauri.

Nova editio priori accuratior, & infinitis propè mendis ad fidem MSS. Codicum, quorum varias lectiones V. C. STEPHANUS BALUZE, *ac R. P. D.* EDMUNDUS MARTENE *collegerunt, expurgata, per* LUDOVICUM-FRANCISCUM-JOSEPH DE LA BARRE, *Tornacenſem.*

TOMUS II.



PARISIIS,

Apud MONTALANT, ad Ripam PP. Auguſtinianorum, propè Pontem S. Michaëlis.

M. DCC. XXIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

ELENCHUS OPERUM IN II. VOLUMINE CONTENTORUM.

Ordo veteris Editionis.

Elenchus Operum in II. Volumine contentorum.

MONITUM



MONITUM.

VETUSTISSIMUM MARTYROLOGIUM, *S. Hieronymo attributum reperi quidem in Codice Monasterii Corbeiensis scripto abhinc circiter annos* 600. *(quod Hugo Menardus prælo inserendum paraverat) at nec ego tamquam germanum fœtum integrumve eidem Doctori nolim asserere, cum plures ipso recentiores Sanctos constet diversis temporibus tam à Clericis quàm à Monachis pro libitu fuisse adjectos, potissimè Patronos aliosque, qui anniversario cultu cujusque in Ecclesiis celebrantur. Similes passa sunt accessiones Bedæ, Usuardi, Adonis Martyrologia: quapropter cogerentur identidem eruditi viri his ipsis Martyrologiis fidem denegare, ni adjecta secernerent. Eo quoque ductus animo, complures (non tamen omnes) Hieronymo ætate posteriores, prout in mentem venère, mutato charactere notari curavi, quod & ante me præstiterat plerisque in locis Menardus noster. Prætermisi duas Epistolas, quæ, etsi præferunt nomina Heliodori & Hieronymi, falsi arguuntur. Legesis caput quintum Præfationis Baronii ad Martyrologium Romanum, ac duo sequentia capita, ubi Epistolæ illæ referuntur, confutantur: deque Martyrologio Hieronymi perperam nomini adscripto prolixius pertractatur. Quamquam non desunt Scriptores, iique viri graves & optimæ notæ, qui Hieronymum conscripsisse Martyrologium, aut interpretem fuisse Eusebii, fidem faciant. Venerabilis Beda in Retract. in Acta Apost. cap.* 1. *hæc ait:* Adstipulatur & liber Martyrologii qui Hieronymi nomine ac præfatione attitulatur; quamvis idem Hieronymus illius libri non auctor, sed interpres; Eusebius autem auctor extitisse narretur. *Idem Martyrologium laudat in cap.* 6. *Evangelii Marci.* W*alafridus Strabo in libri de rebus Eccles. cap.* 28. Hieronymus Martyrologium, sequutus Eusebium Cæsariensem, per anni circulum conscripsit, &c.

Verum enim verò delectat excerpere, & Præfationi meæ inserere, præcipua è Dissertatione V. C. Henrici Valesii De Martyrologio Romano, quod edidit Rosweydus, *testimonia, tùm propter singularem ejus doctrinam, diligentiamque, tùm propter amicitiæ usum, tùm præsertim quòd validis argumentis apertè demonstret nullum hactenùs Martyrologium nostro antiquius publicam prodiisse in lucem. Primùm itaque probat Ecclesiam Romanam olim proprium ac peculiare nushabuisse Martyrologium, quo universa uteretur Ecclesia, ante illud quod jussu Xysti V. Pontif. quam Maximi editum est; sed nobiliores Ecclesias suos semper fastos habuisse, in quibus & Episcoporum nomina & Martyrum, qui apud ipsos passi fuerant, natales dies erant perscripti. Deinde latiùs probat Martyrologium quod publici juris facimus, auctoritate potissimùm Gregorii Magni, omnium censeri debere vetustissimum, ac veluti fontem cæterorum.*" Locus Gregorii, " *ait Valesius*, ex Epistolâ ad Eulogium Alexand. Episcopum sic habet, *Nos pene omnium* " *Martyrum, distinctis per singulos dies passionibus, collecta in uno codice nomina habemus,* " *atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus, non tamen in eo-* " *dem volumine quis qualiter sit passus indicatur, sed tantummodo locus passionis ponitur: Unde* " *fit, ut multi ex diversis terris atque provinciis per dies (ut prædixi) singulos agnoscantur* " *martyrio coronati. Sed hæc habere vos beatissimos credimus.*" Nullum hîc verbum de Romano Martyrologio, &c. Quare Martyrologium illud cujus ibi meminit Gregorius, non fuit proprium Ecclesiæ Romanæ, sed commune cum reliquis Occidentalibus. Hoc autem non aliud fuit eo tempore, quàm Martyrologium B. Hieronymi. De hoc igitur intelligendus est Gregorii locus. Certè hoc B. Hieronymi Martyrologium in Italiâ atque in Occidentis partibus vulgo receptum fuisse docet Cassiodorus in libro de Divinis lectionibus cap. 32. Ex quo colligitur Martyrologium illud licet falsò nomen Hieronymi præferat, tamen vetustissimum esse, ac paulo post obitum ipsius Hieronymi à nescio quo evulgatum. Legimus illud nuper, à viro doctissimo religiosissimoque D. L. D. ex Bibliothecâ S. Germani nobis commodatum: simulque perspeximus, verba Gregorii Magni huic Martyrologio egregiè convenire. Quod enim ait Gregorius, locum dumtaxat & diem passionis in eo volumine positum fuisse, id in illo B. Hieronymi Martyrologio perspicuè deprehenditur. Deinde quod Gregorius addit, *per dies singulos*, notata illic fuisse multorum Martyrum nomina, id etiam cernere licet in illo quod dixi Martyrologio, in quo nullus dies est sine Martyrum turmâ, contrà quàm in Martyrologio Rosweydi. Quare locus Gregorii Magni nullo modo accipi potest de Martyrologio illo quod pro vetere edidit Rosweydus: cum in illo Rosweydi Martyrologio unius ferè Martyris nomen singulis diebus adscriptum sit. *Hucusque Valesius. Cætera quæ ad nostrum propositum*

nequaquam faciunt, ne sim prolixior, atque adeo Lectori tædium generem, prætermitto.

Ex his omnibus liquet evidentissimè, ut quidem sentio, illos haud leviter falli, qui autumant eo antiquiora esse Martyrologia, quo breviora; scilicet in quibus unius aut alterius Sancti nomen cuilibet diei assignatur. Id sanè indubitatum forsitan esset, si nunc Martyrologia primi vel secundi Christiani sæculi haberemus. At cum in confesso sit apud omnes ante Eusebii tempora ullos Fastos, ulla Calendaria, ulla denique Martyrologia nullibi gentium reperiri, fatendum est, ac certò tenendum, quod affirmat ex Gregorio Valesius, nempe illud vetustius censendum esse Martyrologium, in quo multorum simul Martyrum nomina per singulos anni dies descripta sint, addito passionis eorum loco.

Postremò ut mendis quibusdam expurgarem Martyrologium quod edo, subsidii nonnihil attulere folia in ære incisa, (multo licet pluribus nævis quàm noster codex aspergantur) quæ ad me comitate singulari misit Antuerpiâ vir industrius & clarus Baltazar Moretus, Hieronymiani Martyrologii maximam partem complectentia; videlicet ab initio ad XII. *Kal. Julias. Ea Saxonicos characteres, velut exstant in MS. unde desumpta sunt, referunt. Et hanc incidendi curam suscepisse parentem suum, ut bono publico consuleret, mihi asseruit Moretus, cum anno proximè elapso nostram Parisiis inviseret San Germanensem Bibliothecam.*

Præfationi finem imposueram, manumque è tabulâ sustuleram, cum menses Martyrologii, qui in præfatis foliis desiderantur à XII. *Kal. Julias ad finem usque, R. P. Joannes Bollandus S. I. Presbyter, vir antiquæ rei peritissimus, ac diligens indagator, è membranaceo codice exscriptos, uti ipsum litteris interpellaveram, transvehi ad me quantâ potuit diligentiâ curavit. Verùm quia Martyrologium propè totum jam typis erat impressum cum menses illos accepi, nonnisi perpaucas potui supplere lacunas.*





MARTYROLOGIUM VETUSTISSIMUM S. HIERONYMI PRESBYTERI NOMINE INSIGNITUM.

INCIPIUNT FESTA APOSTOLORUM.

PRIMA PARS.



TERTIO KAL. JULII. Romæ natalis Apostolorum Petri & Pauli.

II. KAL. DECEMBRIS. Natalis Andreæ Apostoli in civitate Patras provinciæ Achaiæ.

KAL. MAII. In civitate Hierapoli provinciæ Asiæ, depositio Philippi Apostoli. [a]

XII. KAL. JANUARII. Natalis Thomæ Apostoli, qui passus est in Indiâ.

VI. KAL. JANUARII. Ordinatio Episcopatûs S. Jacobi Apostoli fratris Domini, qui ab Apostolis primus ex Judæis Hierosolymæ est Episcopus ordinatus. Et Assumptio S. Joannis Evangelistæ apud Ephesum civitatem, cujus sepulcro manna scaturit.

VII. KAL. AUGUSTI. Natalis S. Jacobi Apostoli, fratris Joannis Evangelistæ.

IX. KAL. SEPT. Natalis S. Bartholomæi Apostoli, qui decollatus est in Indiâ citeriore pro Christo, jussu Regis Astriagis.

XI. KAL. OCTOB. Natalis S. Matthæi Apostoli, & Evangelistæ, qui pro Christi nomine passus est in Æthiopiâ, civitate Tharrium.

V. KAL. NOVEMB. Natalis Apostolorum Simonis Cananæi, & Judæ Zelotis, qui à templorum Pontificibus occisi sunt in Susiâ civitate magnâ apud Persidem. EXPLICIT.

INCIPIT MARTYROLOGIUM.

VIII. KAL. JANUARII. Bethlehem Nativitas Salvatoris Domini nostri JESU CHRISTI secundùm carnem. Romæ Juvini, Pastoris, Basilei, Victurianæ, Achillei, Euticeti, Sinfroniani, Saturnini, Timedi, Ignatii, Cyriaci, Gagi, Januariæ, Dativi. Et in cœmeterio Aproniani, viâ Latinâ, Romæ Passio sanctæ Eugeniæ Virginis, Syrmiæ, & Anastasiæ. Mediolani, Felicitatis. Et in Pergamo S. Saturnini. Constantinopoli, S. Anastasii.

VII. KAL. JANUARII. In urbe Hierosolymitana, villâ Kafargamalâ, Passio S. Stephani Diaconi, Martyris & Apostoli, qui lapidatus est à Judæis. Romæ, depositio S. Dionysii, Heliæ, Dorostoli. In Antiochiâ, Juliani, Martiani, Neandri, Januariæ.

VI. KAL. JANUARII. Assumptio S. Joannis Evangelistæ apud Ephesum. Et ordinatio Episcopatûs S. Jacobi fratris Domini, qui ab Apostolis primus ex Judæis Hierosolymis est Episcopus ordinatus, & tempore paschali martyrio coronatus.

V. KAL. JANUARII. Bethlehem, Natalis sanctorum Infantium & Lactentium, qui sub Herode pro Christo passi sunt. Ancyræ Galatiæ, Eutici Presbyteri, Domitiani Diaconi. Et in Africâ, Castori, Octavi, Victoris, Gatæ, Rogati, Eusebii, Probati, Januarii, Saturi, Catonis, Restitutæ, Saturnini. Et in Thraciâ, Gaiani, Domitiæ. Et in Edessâ, Translatio corporis S. Thomæ Apostoli.

IV. KAL. JANUARII. In Africâ, Domitii, Victuri, Crescenti, Primiani, Libosi Episcopi, Secundi, Saturnini, Honorati, Victuriæ, Saturi, Felicis. Romæ, Felicis, & Bonifacii Episcopi de ordinatione.

III. KAL. JANUARII. In Alexandriâ, Mansueti, Securi, Donati, Honorati, Policliti, Appiandi. Sereni, Pauli, Stephani, Papiani, Cleti, Clementis. *Turonis civitate, Perpetui Episcopi & Confessoris. Oiâ insulâ, S. Florentii.*

II. KAL. JAN. Carthagine, Donati, Cœlestini, Saturnini. Bononiæ, Gaï, Sereni. Romæ, Donati, Pauli, Rogatæ, Dominandæ, Hilarinæ. Et depositio S. Silvestri Episcopi & Confessoris. Retiâ, Hermetis Exorcistæ. In provincia Siciliâ, civitate Catanâ, Stephani, Potiani, Attali, Fabiani, Cornelii, Sexti, Floridi, Cottæ, Quintiani, Minervini, Symphoriani, Ammoni, Fortunati, sancti Sequentis, Amonis, Calendionis, Evelpisti, Exuperanti, Saturnini, Agnetis, Paulinæ, Donatæ, Nominandæ, Rogati. Senonas civitate, Passio S. Columbæ Virginis.

MENSIS JANUARIUS HABET DIES TRIGINTA.

Litera Indictionis.

KAL. JAN. Circumcisio Domini nostri JESU CHRISTI secundùm carnem. In Oriente, Stephani. Nicomediæ, Euphrosini Episcopi, Primiani,

a *Philippi Apostoli*] Aliter sanè Eusebius; Philippum enim, non Apostolum, sed unum è septem Diaconis, Hierapoli decessisse dicit.

& aliorum novem. In Retiâ, Eventii, Hermetis. Bononiæ, Gaï, Heraclii. In Africâ, Victoris, Felicis, Narcissi, Argiri, & aliorum quatuor; Papatis, Primiani, Saturnini. Item Saturnini, Victoris, Honorati, Leusi, Hermetis. Romæ viâ Appiâ, Coronæ militum triginta. Ravennæ, depositio sancti Severi Confessoris. *Augustiduno, depositio B. Agripini Episcopi. In civitate Ruspensi, depositio Beati Fulgentii Episcopi & Confessoris.*

IV. Non. Jan. Antiochiæ, Siridoni Episcopi ejusdem loci. Stratonici, Macarii Abbatis, Saturi, Possessoris, Firmi, Maximiani, Acutionis, Timothei, Heresii. Arthaxa, Vitalis, Acutæ, Tobiæ. Et in Æthiopiâ, Rutulæ, Claudiæ, Aurigæ, Vitalis. Hierosolymæ, Stephani.

III. Non. Jan. In Hellesponto, civitate Parethiâ, [b] Cyrici, Primi, Theugenis. Et civitate Tomis, Claudionis, Eugenii, Rodi, & trium fratrum Argei, Narcissi, & Marcellini pueri, Christianifili Episcopi, Eugenti, Rodonis. In Africâ, Lucidei, Martialis, Statuliani, Constanti, Possessoris, Hilarini, Pennicæ, Firmi, Candidi, Rogatiani, Eugeniæ, Acutæ. Item Candidi. *Parisius, S. Genovefæ Virginis. Viennæ, Beati Florentii Episcopi & Confessoris.*

II. Non. Jan. In Africâ, Aquilini, Gemini, Eugenti, Martiani, Quinti, Theodoti, Triphonis, in Oriente. Bononiâ ivitate, Hermetis, Agei, Gaï, Petri, Marci, Sereni, Senni, Anastasiæ.

Non. Jan. In Africâ, Felicis, Secundi, Honori, Luciani, Candidi, Januarii, Cœlesfori, Jocundi, Acuti, Petri, Marci, Sereni, Senni, Anastasiæ. Hierosolymæ, Simeonis Prophetæ, cum obtulit ei Jesum Christum Maria, & Joseph: & depositio ipsius Prophetæ. *Antiochiæ, depositio S. Simeonis Monachi, & Confessoris, qui in columnâ stetit.*

VIII. Idus Jan. Epiphania Domini nostri Jesu Christi. In Africâ, Fori, Jocundi, Petri, Marci, Acuti, Januariæ, Juli, Honori, Antonini. Item Fori. Apud Sirmium, Anastasiæ. Antiochiæ, passio Sanctorum Juliani & Basilissæ. In Indiâ, Celsi pueri, Juliani, Antonini. Et Passio sanctæ Faustæ. *In civitate Redonas, nativitas & ordinatio Episcopatûs, & transitus sancti Melani Episcopi & Confessoris, qui ibidem celebratur.*

VII. Idus Jan. In Nicomediâ, Luciani Presbyteri, qui in quatuor partes divisus est. In Militanâ civitate, Natalis S. Poliocti, Candidæ. In Heracleâ civitate, Felicis & Januariæ. In Græciâ, civitate Policostini, Palladii, Candidæ. Alio loco, Poliarti, Filoronis, Candidiani, Euthici.

VI. Idus Jan. In Græciâ, Rustici, Phisei, Timothei, Jocundi, Ratitis, Luci, Petri, Flori, Anastasiæ. Et alio loco, Sathei, Marci. In Galliâ, civitate Belloacus, passio Sanctorum Luciani, Mariani, & Juliani Marytum. *Augustiduno depositio B. Ægemonii Episcopi.*

V. Idus Jan. In Africâ, Epictati, Jocundi, Quinti, Secundi, Saturnini, Vitalis. Item Quinti, Felicis, Artaxis, Fortunati, Rustici, Silli, Quieti, & aliorum septem; Martialis, Saturi. In Smyrnâ, Revocati, Firmi, Silli, Possessoris, Januarii, Saturnini, Saturi.

IV. Idus Janu. In Africâ, Revocati, Firmi, Nirthi, Possessoris, & aliorum duorum. Romæ in cœmeterio Calisti, Viâ Appia, depositio Melciadis Episcopi. In Africâ, Saturi, Vitaliani, Felicitatis, Quinti, quorum gesta habet Artatius.

III. Idus Janu. In Alexandriâ, Petri, Severi, sancti Lucii Confessoris, & Assolami, Quinti. In Africâ, Philoromi, Ingenui, Quinti, Januarii, Saturnini, Vincentii. In Hispaniis, Augenti, Donati, Augustini, Salvii, Felicis. Item Felicis, Donati Presbyteri, Flori, Zemini, Pausalmi, Eugenti, Victoris, Stephani, & aliorum duodecim. Et depositio Hortensis Episcopi.

Pridie Idus Janu. In Achaïâ, Cyriaci, Mosceenti, Saturi. In Africâ, Zotici, Castuli, Quinti, Rogati, Modesti, Ebiciani, Carotici, Castolini. In Ægypto, Philoromi, Zotici, Castuli, Petri, Aventini.

Idus Janu. In Africâ, Ingenui, Vincentii, Sattii, Felicitatis, Modesti. In Campaniâ, Neapoli, Cyriaci, Cimini, Zotici, Erisi, Cleceri, Felicis, Januarii. Romæ, Secundæ, Rogati. Viâ Lavicanâ, Coronæ militum quadraginta. Et alibi, Eos, Quomo, Eononis. Pictavis, depositio S. Hilarii Episcopi & Confessoris. *Ambianis, Inventio S. Firmini Episcopi & Confessoris.*

XIX. Kal. Febr. In Antiochiâ, Cleri Diaconi de antiquis multis tormentis passi, & in mare mersi. In Africâ, Pauli, Successi, Victurini, Saturi, Messoris, Gerontii, Lucriti, Januarii, Floridæ, Teocosæ. Nolæ Campaniæ, sancti Felicis. Et alibi, depositio Euphrasii Episcopi.

XVIII. Kal. Febr. In Ægypto, Chrisconi, Tyrsi, Leuci, Gaïani, Genonis, Menelampi. Et in Oriente, Cornelii, Calesti, & cæterorum. Antiochiæ, Leceri Diaconi. Et alibi, depositio Abacuc Prophetæ. *Remis depositio S. Remigii Episcopi & Confessoris. Pictavis dedicatio Basilicæ sancti Amantii.*

XVII. Kal. Febr. Romæ viâ Salariâ, in cœmeterio Priscillæ, Depositio sancti Marcelli Episcopi & Confessoris. Viâ Appiâ, in cœmeterio Calesti, passio sanctæ Marthæ, Audeinæ Martyrum. Viâ Corneliâ in cœmeterio, Militum novem, & aliorum tredecim, quorum nomina in libro vitæ tenentur scripta. In Africâ, Saturnini, Faustini, Flaviniani, & aliorum sex. *Arelate, depositio sancti Honorati Episcopi & Confessoris.*

XVI. Kal. Febr. In Africâ, Micæ, Victoris, Mistriani, Salvii, Misiliani, Victurici, Thecosæ, Fortunatæ, Veneriæ, Satæ, Saturnini, Hostensiani, Leuci, Missuriani, Vincentii, Albæ, Mossei, Ingenulæ, Victuriæ. In Oriente, Natalis, Rubentiæ, & Marteri. In Ægypto, Thebaïde, depositio Antonii Monachi. Lingonis, passio Sanctorum germanorum Martyrum Speusippi, Helasippi, Melasippi, Leonellæ, Meonis, Junellæ. Et depositio sancti Marcelli Episcopi. *In Galliâ, civitate Bituricas, depositio sancti Sulpicii Episcopi & Confessoris.*

XV. Kal. Febr. Dedicatio cathedræ sancti Petri Apostoli, quâ primò Romæ sedit. In Ponto civitate Asiæ, Moysei, Amonis, Micæ, Asteri, Fortunati, Zenonis, Zosimi, Menelampi, Didali, Valentis. Et passio sancti Tyrsi cum sociis suis: Leuci, & Gallinici. In Africâ, Seonisi, Successi, Valentis, Feleriani, Pauli, Majuli, Luci, Victurini, Honorati, Saturnini, Floridæ, Lurici, & aliorum quatuordecim. Et passio S. Priscæ.

XIV. Kal. Febr. In Africâ, Quinti, Pauli, Geronti, Januarii, Saturnini, Successi, Germanæ, Tertuli, & aliorum multorum. Tibiritani, Majuli Victuriani, Honorati, Fortunati, Julii, Lucii, Marcusii, Publii, Felicis, Gaï, Vitalis, Cassiani, Victoris, Secundi, Primi, Hispani, Cacinari. Item Lucii, Saturninæ, Floridæ, Cœlesticæ, Molendionis. Hierosolymæ, Marthæ, & Mariæ sororum Lazari. Carthagine, Pigariæ, Piæ, & aliorum trigin-

[b] *civitate Parethiâ*] Hoc est, *in Insulâ Peparetho.*

ta octo. Zosimi, Menelampi, Tyberiani, Fortunati. *Lugduni, Ordinatio Episcopatûs sancti Nicetii.*

XIII. Kal. Febr. Romæ in cœmeterio, Fabiani Episcopi, & passio sancti Sebastiani Martyris. In cœmeterio, Marii & Marthæ uxoris ejus, Audifax, & Abacuc. Nicomediæ; Leontii, Biti, Cyriaci, Ursi, Cendei, Felicis. Cælidoniæ, Martiæ, Nicetii. Niveduni, Tyrsi, Quiriaci, Gallinici. *Lugduno Galliæ civitate, Clementis Presbyteri.*

XII. Kal. Febr. Romæ, passio sanctæ Agnetis Virginis. Et natalis Felicis, Fructuosi, Cellionis, Felogicæ, Cæcilianæ, Augurii, Martialis. Item Felicis, Viti, Candei, Floræ, Leontii, Cyriaci, Faustaci. Nicomediæ, Deustasi Confessoris. In Africâ, Solutoris, & Hermetis. In Hispaniâ civitate Tarracone, passio Sanctorum Fructuosi Episcopi, Augori, & Eologi Diaconi. Saturnini, Quinti, Marini, Dacii, Satyri, Gaddiani, Cæleniani, Zabulii, Mammas, Vincentii, Rogati, Victoris, Repositæ, Primi, Lucii, Majulini, Honorati, Marcusii, Secundi, Castini, Gagi, Cœlestini, Ermis Episcopi, & Publii. Item Leontii. *Trecas passio S. Patrocli Martyris. Arvernis depositio Beati Aviti Episcopi.*

XI. Kal. Febr. In Hispaniis, civitate Valentiâ, passio sancti Valerii Episcopi, Vincentii Diaconi & Martyris; Martyresque octodecim cum sociis eorum. Quintiliani, Cassiani, Matutini, Publii, Urbani, Martialis, Fausti, Pauli, Successi, Petri, Felicis, Januarii, Primitivi, Eboti, Optati, Cæciliani, Frontonis, Julii, Januarii, Luperci, Apodimi, Orionis, Mennonis, Hermetis, Januariæ. Et in Africâ, Quiri cum sociis suis; Gemelli, Saturi, Januarii, Felicis, Ticii, Flori, Orionis. Ad Gemellas, Clementis, Saturnini, Municipi.

X. Kal. Febr. In Mauritaniâ, civitate Neocæsariâ, passio sancti Severiani, & Aquilæ uxoris ejus. Belli, Munici, Castuli, Flori, Saturnini, Basillæ, Anastasii Martyris. Et alio loco, Cornelii Exorcistæ. In Ancyrâ Galatiæ, Donati, Castuli, Popicæ, Demati cum suis omnibus. Et alio loco, passio Sanctorum Eugenii, Emerentianæ, & Macarii, Pulvii Martyrum.

IX. Kal. Febr. In Antiochiâ, passio S. Babylæ Episcopi cum tribus parvulis. Et in civitate Neocæsariâ, Marduni, Musuni, Eugenii. In Africâ, Epicteti, Ruppi. Carthagine Geliei. Romæ, Felicissimi cum sociis suis.

VIII. Kal. Febr. Nicomediæ, Biti. Romæ, Translatio sancti Pauli Apostoli. Carthagine, Donati, Secundi, Papiæ. In Africâ, Epicteti, Publiani, Saturi. *Et Prajecti Martyris.*

VII. Kal. Febr. In Nicæâ Smyrnæ, Passio sancti Polycarpi Episcopi. In Campaniâ, Picteolis [c], Arthematis, & Armatæ, Donatæ. In Laodiceâ, Arthemii, Fabiani, Sabiani, Sidonis, Macarii. Ravennæ, Anthemasii, Savini, Leodocii, Theogenis, & triginta sex Martyrum. Bethlehem, Dormitio S. Paulæ.

VI. Kal. Febr. In Africâ, Donativi, Dativi, Missuriani, Publii, Victoris, Quintilli, Publiani, Festi, Felicis, Vosoni, Processi, Veneriæ, Marinæ, Fortunati, Theocosæ, Egoditis, Secundæ, Epictili, Vincentii, Rogati, Primi, Aurelii, Helarii, Perpetuæ, Julianæ, & aliorum quadraginta quatuor. Nicomediæ, Leaci. In Apolloniâ, Gallinici, Lucii, Honorati, Marusi, Secundi, Casti, Gaï, Cœlestini. *Sulpicii Episcopi & Confessoris. Et Dedicatio Basilicæ sancti Victoris.*

V. Kal. Febr. Romæ, sanctæ Agnetis, Juliani, Telliani, Reotri, Teliptæ, Vincentiæ, Victorini, Secundi, Papæcanti, Victoris, Æmiliani, & aliorum triginta quinque Martyrum.

IV. Kal. Febr. In Gabala civitate, sancti Pauli. In Africâ Perusiæ, Victoris, Honorati. In Tursiâ, Constanti, Hippolyti Episcopi de antiquis. Treveris, depositio beati Valerii Episcopi & Confessoris.

III. Kal. Febr. In Antiochiâ passio sancti Hippolyti Martyris. In Africâ, Pelliani, Cleri, Flelippiani, & aliorum centum viginti quatuor. *Calæ Monasterio, Depositio Badechildis Reginæ. Corbei Monasterio, Dedicatio Basilicæ sancti Joannis Evangelistæ.*

Pridie Kal. Febr. In Alexandriâ, Tarsici, Zotici, Ammonii, Commini, Cyriaci, Gemini, Gelasi, Hippolyti, Ursini, Tyrsi. Et passio Sanctorum Martyrum Gallinici, & aliorum quindecim Sacerdotum. In Africâ, Victoris, Publii, Saturnini, & Polycarpi, Gaï.

MENSIS FEBRUARIUS

HABET DIES XXVIII.

KAL. Febr. In Græciâ Sanctorum Polycarpi Episcopi, Pœnis, Dionysii. Item Dionysii: item Pœnis, & aliorum quindecim Martyrum. In Africâ, Publii, Saturnini, Mauriniani, Liboli, Vincentiæ, & aliorum viginti quatuor. In Ravennâ, Severi Episcopi, Victoris, Luciani, Apollinaris, Helarii, Amoni, Zotici, Cyriaci. Item Severi Confessoris. Et depositio Pieti Presbyteri: Et passio Sanctorum Vindemialis, & Eugenii. *In Scotiâ S. Brigidæ Virginis.*

IV. Non. Febr. *Purificatio Beatæ* MARIÆ, *quando repræsentatus est* JESUS *in Templo.* In Africâ, natalis Victoris, Marini, Honorati, Urbani, Hilari, Perpetuæ, Julianæ, Brivatulæ, & aliorum septuaginta quatuor Martyrum. Romæ, foro Sinfronii, Viâ Flaminiâ, milliario ab urbe centum septuaginta quatuor; Laurentii, Hippolyti. Et natalis S. Fortunati, Feliciani, Firmi, Candidi, Castuiæ, Secundæ, Cappæ, Rogatianæ, Gaï, Gregorii, Felicitatis, Placidi. Item Victoris, Martialis, Corneliani, Salustii, Marici, Urbici, Pubis, Secundiani, Ingenui, Mustulæ, Victuriæ, Honoriæ, Forosi, Pruni. Item Victoris, Natalis, Primi, Helarii, Rogatæ, Saturnini. *Aurelianis depositio sancti Fusculi Episcopi; & depositio Sichariæ Deo sacratæ, quæ ibidem obiit.*

III. Non. Febr. In Africâ, Felicis, Celerinæ, Felicitatis. *Vappingo, depositio Eporteredi, Remedii. Lugduni, depositio B. Lupicini Episcopi.*

Pridie Non. Febr. Foro Simphronii, natalis Gemini, Gelari, Magni, Donatæ, Aquilini, Gemini. Item Donatæ, Themophili Episcopi cum filiâ suâ.

Non. Febr. In Siciliâ, Catanâ civitate, passio sanctæ Agathæ Virginis, Saturi, Revocati, Gelasii, Felicis, Saturnini. In Oriente Patras civitate, ordinatio Episcopatûs S. Andreæ Episcopi & Martyris. *Viennæ, depositio Aviti Episcopi & Confessoris.*

VIII. Idus Febr. Romæ viâ Appiâ, in ejusdem cœmeterio, passio Soteris Virginis & Martyris. In Achaiâ Saturnini, Revocatæ, Victuriæ. In Cæsareâ Cappadociæ, passio Sanctorum Dorotheæ, &

c *in Campaniâ, Picteolis*] Hîc Sanctum quemdam, cujus nomen esset Picteoles, memorari arbitratus est Acherius; at legendum *Puteolis*, quæ urbs est Campaniæ.

Theophili Scholastici. Siracusiæ passio sanctæ Luciæ Virginis, Antoliani, Saturnini. *Elnone Monasterio, depositio S. Amandi Episcopi & Confessoris. Attrebatis depositio S. Vedasti Episcopi & Confessoris.*

VII. IDUS FEBR. In Brittaniis, civitate Augustâ, natalis Auguli Episcopi, Anatolii, Andreæ, Ammonis, Statiani, Nepotiani, Saturnini, Lucii, Saturnæ.

VI. IDUS FEBR. In Armeniâ minore, Natalis Dionysii, Æmiliani, Sebastiani. Romæ depositio sancti Pauli Episcopi. Et alibi, Lucii.

V. IDUS FEBR. Suevo apud Cyprum; natalis Alexandri, Ammonis Alexandriæ, Pauli, Dionysii. Et ad membras [d], Ammonis, Æmiliani, Lassæ, Poëmi, Didymi. Item Ammonis, & aliorum triginta quatuor. Et depositio Thomæ. In Ægypto, Juliani, Plesei, Tyrsi, Roni, Germani, Orsali, Miliguti, Oridion, Agathon, Recumbi, Bastami, Armatæ, Prothiorion, Coloti, Arati, Theoniæ, Yppullusi, Saturnillæ, Epitimi, Serapion, Liastimoni, Papiæ, Pampiri, Dioscori, Erudii, Potanion, Petecon, Decomini, Dioscodi, Zotici, Ciriaci, Papiæ. *In Parronâ Natalis Fursei Confessoris.*

IV. IDUS FEBR. In Alexandriâ, passio Apollonis, Prothei, Orionis, Plavi, & aliorum viginti. Romæ, Sotheris, Zotici, Jacincti, Hirenei, Dionysii. In Campaniâ, natalis Silvani Episcopi & Confessoris. Bethlehem, sub Herode passio Sanctorum Andreæ, Apori. *Sanctonas civitate, depositio Urbani Episcopi & Confessoris. Et Baldegundæ Abbatissæ.*

III. IDUS FEBR. In Apamiâ, Pœnis, Eofraxi, Armatæ. In Campaniâ, Basiliani, Amantii, Talici. In Africâ, Victoris, Felicis, Januarii, Vitalis, Zotici, Cyriaci, Ammonis, Pelionici, Basilii, Germani. Romæ, Sorotedis.

PRIDIE IDUS FEBR. In Africâ, passio S. Domiani, Victuriæ. Cathagine, Posinni, Modesti, Revocati. In Alexandriâ, Juliani, Victoris, Felicis, Secundi, Severiani, Carpori, Germi, Quiriaci, Ammonis, Pamphili, Dorotheæ, Theophili. Item Juliani. In Italiâ, Donati, Heraclii, Vincentii, Susannæ, Urbanæ, Donatæ, Eulaliæ. Et depositio sancti Simplicii Episcopi.

IDUS FEBR. In Nicodemiâ, passio S. Juliani. In Alexandriâ, Tulliani, Ammonis. Et alibi, natalis Dicenti, Simplicii. *Lugduno, depositio B. Stephani Episcopi.*

XVI. KAL. MARTII. In Tusciâ, Spoleto civitate, natalis Vitalis, Cyrion. Et Martiani, Vitalis. Interamne, viâ Flaminiâ ab urbe Roma milliario sexagesimo quarto, natalis S. Vincentii, Talici. In Lyciâ, natalis Sanctorum Martyrum Germani, Juliani. In Alexandriâ, natalis Sanctorum Basiani, Tonioni, Moseos, Basion, Dionysii, & Ermon, Arfasii. Item Dionysii Episcopi, Paulis, Leviorii, Orfasii, Plebii. Item Dionysii Episcopi, Amandei. In Militanâ civitate natalis S. Policti. In Heracleâ, natalis SS. Felicis, Januarii. In Græciâ, Palladii, Candidiani, Poliarcti, Fileronis. Passamonas, Jonas, Ammonius. Toppi, Proditi, Preconi, Moysei, Lectoris, Januarii. In civitate Spolisio, Vitalis, & militum nonaginta novem. In Africâ, natalis Valentini. Interamne, militum quinquaginta quatuor. Viâ Flaminiâ, Atheni, Martiani, Thioni, Celerini, Magni. In Siciliâ, Ægias, Juliani, Passio S. Sereni Martyris. In Alexandriâ, Saturnini, Præconi, Maximi.

XV. KAL. MART. In Antiochiâ, natalis Joseppi Diaconi, Zenonis, Apollonis, Phœbi, Romani, Zosimi, Baradi, Rufini, Zosii Presbyteri. Interamne, natalis sanctæ Agapæ Virginis, Saturnini, Castulæ, Magni, Lucii, Rogati, Joannis, & aliorum duodecim Martyrum Barcinone in Hispaniis, passio sanctæ Loquumfas. In Syriâ Aventi, Sixti, Pompini, Gemelli, Victoris, Generosi. Item Victoris, Gemelliani, Coturni, Castuli, Januarii, & depositio sancti Silvinii.

XIV. KAL. MART. In Britanniis, natalis Sanctorum Faustini, Joventiæ. Et alibi, Blesi, Donasi, Dionysii, Hierapi, Martialis, Nundinarii, Prosiani, Pauli, Gallonis, Honorii, Jocundi, Memmii, Vincentii, Fructuosi, Primi, Cicilii, Fabiani, Pauli, Maximi, Urbani. In Hispaniâ, Barcinone, passio S. Cucufatis. In Africâ, Maximi. Item Vincentii, Pauli, Honorati, Mari. Item Maximi. Item Pauli, Martialis, Terapi, Marci, Marpi. Nicomediæ, Passio S. Julianæ Virginis, & Martyris. Item Marci, Martialis, Marcelli, Donati, Secundi, Marcopi, Lucellæ. Item Secundi, Maximæ, Sauli, Stupuris; Mustaci, Præsentis, Secundæ, Junellæ, & cum eis centum quinquaginta quatuor. Fissinari, Pamphili, Valentis Diaconi, Seleuci, Profidi, Theophili, Juliani, cum Ægyptiis numero quinque millium. Et alibi, depositio Tetradii Episcopi.

XIII. KAL. MART. In Africâ, civitate Concordiæ, passio Sanctorum Donati, Secundiani, Pamphili. In Aquileiâ, Crisanciani, Eutici, Concordiæ, Justæ, Romoli, Saloni, Silvani, & aliorum octoginta quatuor, quorum nomina Deus scit. Et alibi, Januarii, Feliciani. Item Januarii, Donati, Casti. Item Donati, Victoris, Agapæ, Donatianæ, Guddinis, Dativi, Fortunionis, Marcellæ, Quintiani, Juliæ. Item Januarii, Crescenti, Cœlestini, Saturni, Gyptonis, Felicitatis, Donatiani, Victuriæ, Emiliæ, Bassulæ, Saturi, Ebasi, Secundi, Felicis, Octaviani, Faustini, Albinæ, Rogatianæ, Victuris, Marci, Cetulæ, Rutulæ, Silvani, Guovili.

XII. KAL. MART. In Africâ, natalis Sanctorum Rictuli, Sylvani, Clasici, Secundini, Fructuli, Damasi, Orion. Interrapis, Pauli, Maximi, Marcelli, Marcobi, Martialis, Gemini, Romuli, Silvinæ, Casici, Fructuli, Januarii.

XI. KAL. MART. In Africâ, natalis Sanctorum Publii, Juliani, Marubi. Item Juliani, Barechei, Marcelli, Tullii, Lampasi, Majuli, Julii, Saturnini.

X. Kal. MART. Apud Cyprum, natalis Potaminæ, Misis, Didymi, Jocundi, Flori. Romæ viâ Appiâ, in cœmeterio Calesti, depositio Gaï Episcopi. Et alibi, Victoris, Coronæ, & aliorum decem.

IX. KAL. MART. In Africâ, natalis Sanctorum Viruli, Secundini, Servuli, Scirici, Felicis, Jocundi, Saturnini, Fortunati, & aliorum septemdecim. Et alibi, Victurini, Mappalici, Pusitini, Thedræ, Crispini, Petri, Secundolæ, Diparis, Rustici, Titi, Tumuli, Malledi, Justi, Securi. Item Malledi, Gloriosi, Alciatoris. Item Justi, Amatoris, Secundæ, Syrici, Jocundi.

VIII. Kal. MART. Natalis Cathedræ S. Petri Apostoli, quâ sedit apud Antiochiam. Nicomediæ, natalis Teclæ Virginis discipulæ S. Pauli Apostoli. In Africâ, natalis Sanctorum Victurini, Nuceri, Palatini, Donati, Fortunæ, & aliorum viginti novem. Romæ viâ Tiburtinâ ad sanctum Laurentium, natalis sanctæ Concordiæ, Felicis. Syrmiâ, natalis S. Seneri, & aliorum septuaginta duo. Item Nicome-

d *ad membras*] Forte *ad mandras*, ait Acherius. Locum ejus nominis agnosco haud longè à Constantinopoli; an verò illic passi sint qui nunc memorantur Martyres, alii viderint.

dí [e], Euteri, Palatini, Victorinæ, Paulæ, Emeritæ, Antoninæ, Dativæ, Rogatiani, Antigæ, Urbanæ, Maximæ, Marinæ, Matronæ. Peregrinæ filiæ, Secundolæ, Justæ, Castulæ, Florenti, Victuriæ, Marcellini, Castæ, Donatulæ, Libosæ, Flaviani Mart. Item Donatæ, Fortunati, Luciani, Amię, Reginę, Cyriaci, Valerii, Gurgonii, Felicis.

VII. Kal. Mart. In Pannoniis, Seneroti, Antigoni, Rutuli, Libii, Rogatiani. In Asiâ, Polycarpi Episcopi, cum aliis duodecim Martyribus. Smyrnæ SS. Erotis, Carpori, Geronti. In Africâ, Grisgoni, Zenonis, Minandri, Catiniani, Arionis, Hippolyti, Diodori, Menelanti, Athroræ, Petri. Lambetis, Lucianæ, Felicis, & aliorum triginta sex. In Asiâ, Cosconi, Synorus, Heruli, Zononis, Menalippi, Sinertis, Syrici cum sociis.

VI. Kal. Mart. Natalis Matthiæ Apostoli. In Cæsareâ Cappadociæ, natalis Sanctorum Eruli, Lucii, Sergii. Romæ Absolonas in porto, Primitivæ. Nicomediæ, Editii, Palphetri, Luciani, Felicis, Urbani, Marthæ, Crescentiæ, Florentinæ, Rogatulæ, Donatulæ. Item Donatulæ, Marcellinæ, Rommodi, Felicianæ, Ninæ, Casti. Jafferis, Tulliani, Juliani, Juliæ, Innulæ, Gahis, Exuppi, Daciani, Flaviani, Januarii, Securis, Diddi, Sellaris, Subitanæ, Gemellianæ, Fortunatæ, Peregrinæ, Victurici, Maxentii, Gegoli, Juliæ. Item Luciani, Honorati, Flaviani, Felicis, Saturi, Felicissimi, Victoris, Mariæ, Januariæ, Rufiniani, Fortunati, Aurili, Rutili, Faustini. Nicomediæ, natalis Sanctorum Martyrum Oceani Presbyteri, Petri * Palatini, Ævitii. In Ægypto, natalis Sanctorum Victorini, Victoris, Nivitiæ, Nicophori, Claudiani, Dioscori, Serapionis.

V. Kal. Mart. In Africâ, natalis Sanctorum Donati, Justi, Rutili, Herenei, Pisionis, Aurili, Primosi, Ingenuæ, & aliorum quadraginta quinque. Et alibi, Ingonæ, Fortunatæ, Pussinni, Herenei. Item Justi, Crescenti, Rogati, Aniani, Januariæ, Luciosæ. Item Fortunati, Victorini. In Pamphiliâ, natalis Sanctorum Nestoris, & Castæ, Claudiani.

IV. Kal. Mart. Natalis Sanctorum Alexandri, Nestoris, Theonis, Epion, Justi, Donativi, Ampliati, Ingenui, Epion, Anti, Fortunati, & aliorum viginti septem. In Alexandriâ, Felicis cum sociis suis.

III. Kal. Mart. In Thessalonicâ, natalis Sanctorum Alexandri, Antigoni, Abundantii, Titiani, Magari, Severiani, Gaiani, Fortunionis, Januarii, Luciosæ, Rutuli. In Africâ, Dionysii & aliorum triginta quatuor. In civitate Smyrnâ Asiæ, natalis Sanctorum Serviliani, Datiani, Leandri, Menelampi.

Pridie Kal. Mart. Natalis Sanctorum Celeris, Pupilli, Gaï, Serapionis, Justi, Opoti, Claudiani, Theophili, Victurini, Saturnini, Euticiæ, Astutæ, Mustilæ, Alexandri, Victuri, Secundillæ, Nicofori, Diodori, Papiæ, Macariæ, Felicis, Eunuculi, Januarii, Quintiani, Mansueti, Hermetis, Gittei, Donati, Serviliæ, Veneriæ, Basillæ. Item Serviliæ. Item Veneriæ, Januariæ, Sterculæ, Silviani, Manirræ, Rufinæ, Leandri.



MENSIS MARTIUS
HABET DIES XXXI.

KAL. MARTII. Natalis Sanctorum Leonis, Donati, Abundantii, Adrusti, Carisii, Nicofori, Donatellæ, & aliorum novem Mart. In Africâ, Adriani, Victuri, Secundillæ. Massiliæ, Hermetis, Ghittei, Felicis, Eunuculi, Januarii cum aliis triginta quatuor. *Andegavis civitate, depositio sancti Albini Episcopi & Confessoris.*

VI. Non. Mart. Jorgi, Herculi, Absolomi, Ærenei, Lucii, Primitivi, Secundulæ, Januariæ, Luciosæ.

V. Non. Mart. Felicis, Luciolæ, Justi, Fortunati, Martiani, Martiæ, Hierotis, Antigoni, Januarii, Tutellæ, Gabiani, Quiri, Julii, Marini. Item Felicis, Floriani, Donati, Fortuni, Helbiani, Gagi Paulæ, Gajosæ, Gallolæ, Gallæ, Lupicini. In Africâ, Gajolæ, Felicis, depositio reliquorum. Emeritæ, Cellidoni. Item Felicis, Saviniani, Galogori. Item Emeriti. Item Felicis. Item Ecæledoni. Item Julii, Felicis, Marini, Donatæ, Nicefori, Carissimi, Claudiani, Papię, Luciolę, Sabinianæ, Junolæ, Asterii, Phocii, Georgii, Isici, Sisinnii, Casti, Basilisoli, Artilai, Antonii, Cyrici, Eutici, Gorgonii, Asclipii, Frunimii, Zosimi.

IV. Non. Mart. Natalis Martyrum nongentorum. Romæ depositio Julii Episcopi, Roti, & aliorum triginta novem; Archelai, Gaï * Palatini in mare mersi, Asterii, Vranii, Sisinnii, Pauli, Philippi, Herifeli, Basilii, Tepiceri, Gregorii, Eutici, Victuri, Victurini, Marii, Honorati, Asclepidiani, Sisinnii, Felicis, Lucii, Gajosæ, Fortunati. Item Lucii, Pelviani, Rustici, Floriani, Donati, Helariani. Item Fortunati. Item Gaii, Pylici Antonii, Fronimi, Asclipiadis, Fortunionis, Casti, Fortii, & aliorum novemdecim. Nicomedię, passio Sanctorum Adriani cum aliis triginta tribus.

III. Non. Mart. In Africâ, Adriani, Evoli, Eusebii, Juliani, Octavi. Antiochiæ, passio sanctæ Focæ, Rustici, Herebi, Maris * Palatini, & aliorum novem Mart. Antiochi, Victoris, Adriani, Pamphili, Palati, Marti. In Antiochiâ, Saturnini, Justi, Lucosæ, Siriæ, Saturnini, Martini, Petri, Cariathonis. Item, Saturnini, Martii, & aliorum duodecim Martyrum, & Barbalabiæ.

Pridie Non. Mart. Nicomediæ, Victoris, Victorini, & Neocepoli, Papiæ, Alexandri, Diodori, Claudiani, Carisii. Item Claudiani, Mercurii, Perpetuæ, Felicitatis, Jocundi, Saturi. Nicomediæ, Saturni, Cassii, Victoris cum aliis duobus Martyribus, Papiæ, Nicophori. In Italiâ, Filagoniæ, Victorini, Hianuli, Silvani, Permiæ. Item Saturi, Saturnini, Revocati, Plansagoni. Italiæ, Petronii, Diodori, Nigori, & Caristi, Donati, Vibiani.

Non. Mart. Africâ, Satiri, Revocati, Jocundi, Victurini, Saturnini, Servani, Rogati, Croci. In Antiochiâ, Leuci, Satiri, Taxis, Nestoris, Equini, Saturnini, Revocati, Secundili, Italici,

e *item Nicomedi*] Duplex hoc loco librarii σφάλμα, Acherium in duplicem errorem induxit; nam & *Nicomedum* agnovit, ubi legendum erat *Nicomediæ*, quâ in urbe passi erant qui nunc recensentur Martyres; & inter eos unum numeravit cui nomen esset Palatinus; cum illâ voce Martyrologii scriptor nos docere voluerit, Euterium unum fuisse ἐκ τῶν ἐν βασιλικοῖς οἰκετῶν, ut cum Eusebio Histor. Ecclesiast. lib. 8. cap. 1. loquar. Idem error variis locis occurrit; nam & sexto Kal. Mart. Petri Palatini mentio fit, & VI. Idus Gurgoni item Palatini; cum cubicularios Diocletiani numerentur ab Eusebio lib. laudato, cap. 6. conjicere non immeritò possumus, ubi cumque Palatini nomen hoc in Martyrologio legitur, indicari unum ex iis qui Imperatoribus ministrabant in Palatio; sive ejus nomen servetur ut Eutherii, Gaii, Maris, &c. sive illud interceperit oblivio.

Jocundi. In Mauritaniâ, civitate Turbitanorum, Passio Sanctarum Perpetuæ, & Felicitatis. In Thraciâ, Dandæ, Leununculę, Secundi, Nestoris, Artaxi, Quinti. Item Secundi, Serri, Occatis. Item Dandæ. In Africâ, Sauri, Silvani, Rogati, Manili.

VIII. IDUS MART. In Nicomediâ, Quintili Episcopi, Capitulini. In Africâ, Rogatiani, Felicis. Item Rogati, Beromę, Eremæ, Felicitatis, Urbani, Cyrilli Episcopi, Silvani, & Manili, Datiani.

VII. IDUS MART. In Armeniâ, Sebastiani, & quadraginta militum, Juliani, Ysici, Cyrilli. In Africa, Felicis, Philippi, Gede, Cedis, Cendei, Mariani, Rogati, Concessi, Juvenculæ.

VI. IDUS MART. In Nicæâ, Gurgonii * Palatini, Firmi. In Antiochiâ, Agapæ Virginis & Martyris, Mariani. Smyrnæ, Phionis. In Persidâ numero martyrum quadraginta septem. In Nicomediâ, Palatini, Rustici, Pionis. In Alexandriâ, Eraclii, Zosimi, Alexandri, & Gaïpe.

V. IDUS MART. In Carthagine, Heraclii, Zosimi, Alexandri, Philomi Episcopi, Candidi, Valerii, Quirilli, Petronii, Gaï, Martiani, Ysici, Piperionis, & aliorum quindecim, Rogati & Cendei. In Nicomediâ, Eunuculi, Euchi, & Gurgoini, Firmi, Pauli, Fortunati.

IV. IDUS MART. In Nicomediâ, Egdoni Presbyteri, & aliorum septem suffocatorum. In Alexandriâ, Zoni Episcopi, Alexandri Diaconi, Duni, & Neonas Diaconi, Juli. In Africâ, Joannis, & aliorum quadraginta quatuor. Et in Albuâ, Salviani, Andi, Minandi. Romæ, depositio sancti Innocentii, Rasi Episcopi, Juliani. In Nicomediâ, Migdoni, Euticii. Item Migdoni, Maximi, Domnæ Virginis, Rugini, Marii, Petri, Smaragdi. Et Vingelosini, Hilarii, Mariæ, Ner . . . . Eugini, Dorothei, Gurgoni, Matuli. In Alexandriâ, Orion Diaconi, Gaï. In Asiâ, Carpi, Petronii Episcopi, Firmi, Pauli, Agatoni, Macedoni, Patriciæ, Modesti Presbyteri, Domiciani Presbyteri, Zosimi Presbyteri, Eustasii Presbyteri, Basilissæ uxoris ejus, Felicionis, Juviniani, Helarii, Concessi. Smyrnæ, Pionis, Metrodi. *Romæ, depositio sancti Gregorii Papæ beatæ memoriæ.*

III. IDUS MART. In Nicomediâ, Macedonii Presbyteri, Matriciæ uxoris illius, & Modestæ filię. Cionis Presbyteri, Saturnini, Januarii, Salvii, Petronii, Modestini, Zosimi, Eustasii Presbyteri, & Basilissæ uxoris ejus, Eppepodi Diaconi cum aliis duobus. Geratilacus, Carpisti, Galatæ, Domisiani, Hyromei, Lucetellæ, Zeddonis Presbyteri, & Patriciæ uxoris ejus; Patyfrigiæ. Item Basilissæ, Claonis, Minervini. In Nicęâ civitate, Theusete, & Horis filii ejus, Theodori, Nympodoræ, Marci, Arabæ: hi omnes igne concremati. Julii Episcopi, Alexandri, Pionis, Mariæ cum aliis duobus, Dionis, Trabiæ, Quartæ, Misethei, Nymphadobæ, Ariabę, Pœnis, Partæ, Victuriæ, Victurini. In Thessalonicâ civitate, Alexandri, Dionysii. In Nicomediâ, Eufrasiæ, Domitiani, Macedoni, Patriciæ, Lucii, Duonii. Item Domitiani, Scallervæ, Pactæ, Pioni, Fronimi, Callidi. Item Dioni, Severini, Petroni pueri, Salviani, Juliani, Felicis, Hilarii, Concessi, Martialis.

PRIDIE IDUS MART. Eufrosii, Frunimi, Fortunionis. In Nicomediâ, Felicissimi, Dativæ, Frontini, Jocundi. In Africâ, Dionæ, Alexandri, Petri, Mammeri, & Naboris Martyrum, Frontonis, Mariæ. In Thessalonicâ, Eufrasii, Alexandri, Frunimi, Basilii. In Antiochiâ Nicomediæ, Pionis.

IDUS MARTIAS. In Cappadociâ S. Longini Martyris. In Cappadociâ Lucii Episcopi & Martyris, Faustæ, Silvii, Ingenuæ, Januarii. Carthagine, Pauli, Solutoris, & sancti Jacobi Apostoli fratris Domini, Alexandri, Theofili, Theodoli, Petronii, Manili. Hierosolyma, Jacobi Apostoli, Lucæ Evangelistæ. *Obiit Ratoldus Abbas bonæ memoriæ.*

XVII. KAL. APRILIS. In Aquileiâ, Hylarii, Tasiani, Datiani, Juliani Martyris. In Nicomediâ, Castorii, Dionysii, Nonni, Sereni, Quiriaci, Milisæ, Eugeniæ, Juliani, Asclippiodi, Pionis. In Græciâ, Cyriacæ, Pampini, Cassionis. *Natale sanctæ Gertrudis.*

XVI. KAL. APRIL. In Nicomediâ, Dionysi, Januarii, Nonnæ, Cyriacæ, Victorinę, Marię, Basil . . . In Aquileiâ, Largi, Hilarii, Titiani, Caton, Dativi, Jocundi. Romæ, Alexandri Episcopi, Teodoli Diaconi. *Depositio Patricii Episcopi & Confessoris.*

XV. KAL. APRIL. In Alexandriâ, Collegii Diaconi, Colloti Diaconi, Pampori, Minepti, Rogatiani, Quarti, Saturi, Quintasi, Marini, Jemsoli, Marti, Rogati, Samphoroni, Aurili, Capelledi, Dionysi, Januarii, Victoris, Vogonupti, Samphori cum aliis novem Martyribus, Mariæ cum sociis suis. In Nicomediâ, Aprilis, Servuli. In Campaniâ, Quinti, Rogati, Ingenuæ, Quartillæ, Rogatæ, Luciani, Aurili, Saturnini, Victoris & Mauri. In Mauritaniâ, Currenti, Timothei, & Saldę, Feliciani, Jocundi.

XIV. KAL. APRIL. In Cæsareâ Cappadociæ, Theodoli Presbyteri. In Africâ, Lucelli, Bassi, Fisciani, Pomeni, Joseri, Apolloni, Ammoni, Saturnini, Basiliæ, & aliorum novem, Theodori Episcopi, Gagi, Gadulini, & depositio sancti Leonti Episcopi, Sorenti, Quinti, Quintili, Quartillæ, Marci cum aliis novem, Florenti, & Vonocte.

XIII. KAL. APRIL. In Antiochiâ, sancti Josephi, Lucæ. In Syriâ, Pauli, Cyrilli, Eugenii, Serapionis, Tigrini, Claudii, Exuperi, Victurini, Victurici. Domni.

XII. KAL. APRIL. In Alexandriâ, Serapionis Monachi, Josephi, Volotiani, Philocali, Cotiani, Honis, Nonni, Lucii, Ammonii, Philocarpi, Amatoris. *Et depositio Beati Benedicti Abbatis.*

XI. KAL. APRIL. In Narbonâ civitate, natale sancti Pauli Confessoris. In Africâ, Saturnini, & aliorum novem. In Sebastiâ, Decroni, Orionis, Ammonii.

X. KAL. APRIL. In Africâ, natale S. Fidelis. In Antiochia, Theodori Presbyteri. In Provinciâ, Carmillæ, Pauli, Cæsarię, Juliani, Juli. In civitate Cæsariâ, Agatii, Alexandri. Item Fidelis, Tyomili, Dionysii. Item Dionysii, Rustici.

IX. KAL. APRIL. In Syriâ, Seleuci. In Africâ, Agapiti, Molai, Romuli, Physon, Alexandri, Diophy. In Africâ, Rogati, Catulæ, Uti, Victurini, Saturnini. Item Saturnini, Salitoris, Aprilis, Joseph.

VIII. KAL. APRIL. Hierosolyma, Dominus noster JESUS-CHRISTUS Crucifixus est. Et Annunciatio sanctæ MARIÆ per Angelum. Et passio S. Jacobi Apostoli, qui & frater Domini, sicut in Actibus Apostolorum continetur. In Nicomediâ, natale Dulæ, Victurini, Alexandri, Eufrasi, Castulæ, Nicostrati, Lucellæ, & quadringentorum Martyrum, sanctæ Theodolæ, & depositio Juvini Burgundionis.

VII. KAL. APRIL. Romæ, in cœmeterio ejusdem viâ Lavicanâ, Natale sanctæ Castulæ, Syr-

miæ. In Syrmiâ, Munati Presbyteri, Maximæ uxoris ejus, Jocundi. In Sabastiâ civitate, Petri Episcopi, Paulini. In Traciâ, Sarmatiniæ. In Heracleâ, Martiani Episcopi. In Celer.... Natale sancti Cassiani Episcopi. In Antiochiâ, Timothei, Diogenis, Madiariæ, Maximæ, Theodori Episcopi, Hirini Diaconi, Syrapionis, Ammoni Lectoris, Juliani. In Africâ, Pictoris, Saturnini, Solutoris & aliorum quatuordecim.

VI. Kal. April. Hierosolyma, Resurrectio Domini nostri Jesu-Christi. In Africâ, Romuli, Acuti, Marobi, Pinnari, Successi, Misiæ, Matutinæ, Donati, Saturnini.

V. Kal. April. In Cæsariâ, Rogati, Alexandri, Dorothei, Audactæ, Modesti. In Tarso Ciliciæ, Castorii, Menelampi. *Cavillonno, depositio Gundthramni Regis.*

IV. Kal. April. In Nicomediâ, Pastoris, Victorini, Saturnini, Julianæ, & aliorum quatuor Martyrum. In Antiochiâ, Theodori Presbyteri, Poentalis, Juliani, Achaci.

III. Kal. April. In Thessalonicâ civitate, Domnini. Philippopoli, Acaci * Palatini: & alibi Victoris: Marcellini, Satulli, Crusis, Agathoniæ, Aquilæ Virginis, Saturnini, Eulaliæ Virginis. Philippopoli, Dativi, Pastoris. In Africâ, Anesi, Felicis, Protidæ, Corneliæ, Valeriæ....

MENSIS APRILIS

HABET DIES XXX.

LITANIA INDICENDA.

KAL. April. In Armeniâ, natale Sanctorum Fortuni, Quintiani, Victoris, Secundi. In Heracleâ civitate, item Victoris, Chioniæ, Agapæ, Hærenei, Casti. In Thessalonicâ, natale Sanctorum Ingenuæ, Saturnini, Partini, Dionysii, Panteri, Alexandri. In Ægypto, passio Sanctorum Victoris, Stephani... *Iganau Monasterio, depositio Beati Vvalarici Confessoris.*

IV. Non. Apr. In Africâ Sanctorum Amphiani, Victoris, & aliorum quatuor Martyrum. Et alibi, Marcelli, Satulli, Marcellini, Saturnini, Quiriaci, Reginæ, Proculi, & aliorum quatuordecim. In Thessalonicâ Macedoniæ, Theodoli, Agatophi, Martis, Publii, Valeri cum aliis tribus, Urbani, Juliani, Proculi, Gagi, Agapiti, Dionysii, & aliorum, Gordonioni, Magni, Julii, Donati. *Lugduno Galliæ, depositio S. Niceti: & Luxovio Monasterio, depositio Eustasii Abbatis.*

III. Non. Apr. In Siciliâ, Natalis Sanctorum Thomæ, Evagri, Benignæ, Christi, Aristi, Sinnidiæ, Rufi, Patricii, Zosimi. Apud Taurominium in Siciliâ, natalis sancti Prancati. In Moesiâ, Agathæmeriti de antiquis. In Cæsariâ Palæstinæ, natalis Theodosiæ Virginis. In Nicomediâ, Donati, & passio Amphiani Martyris. In civitate Eumis, Evagri, Benigni.

II. Non. Apr. In Thessalonicâ, natalis Sanctorum Agathonis, Diaconi, Theodoli. Et alibi, Pauli, Matutini. Mediolano, Urbani, Saturnini, Quintiliani, Publii, Ingenui, Victoris, Successi, Juliani, & aliorum duorum, Palatini, Julii. *Mediolano, Depositio Beati Ambrosii Episcopi & Confessoris.*

Nonis Apr. In Nicomediâ, natalis sancti Claudiani. In Ægypto, natalis sanctorum Martianæ, Nicanoris, Apollonii. In Alexandriâ, natalis sanctorum Didymi Presbyteri. Et alibi, Quinti, Panchrati, Successi. In Siciliâ, natalis sancti Honorii magni. In Thessalonicâ, natalis sanctarum Virginum Chioniæ, Herenæ, & Agapæ. In Cæsariâ, Liciæ, & natalis sancti Anphiani. In Ciliciâ, natalis Sanctorum Taraci, Andronici, Probi. Et alibi Arulfi Episcopi & Confessoris.

VIII. Idus Apr. In Nicomediâ, Firmi, Henei Episcopi, Himnari, Solutoris, Quiriaci, Moysii, Romani, Donati, Syxti, Victoris, Gagi, Satiri. Et in Syrmiâ, Rufinæ, Moderatæ, Romanæ, Secundi cum aliis septem. Florentini, Geminiani, Saturi. In Africâ, natalis sanctorum Epiphanii Episcopi, Donati, Sixti, Rufini, Modestæ, & aliorum undecim. In Macedoniâ, Timothei, Diogenis. In Alexandriâ, natalis sancti Clusi Presbyteri. Pentapoli, Timothei, Macariæ, Martiæ, Maximæ. Libyæ superioris, natalis Superiæ, Theodori Episcopi, Herenei Diaconi, Serapionis, Ammoni Lectoris, Summistæ, Apricii, Victoris. Et alibi, natalis sanctæ Marinæ, & Teguliani, Urbani.

VII. Idus Apr. In Antiochiâ Syriæ, natalis sanctorum Timothei, Diogenis, Machariæ, Maximæ. Et alibi, Leusi Presbyteri. Libyâ superiore, Copricæ, Victoris, Donati. In Alexandriâ, natalis sancti Pelusii Presbyteri.

VI. Idus Apr. In Africâ, natalis sanctorum Timori, Mœchari, Conexi, Maximi. Et alibi, Concessi, Salutoris, Pinnari, Ammoni, Successi, Donatæ.

V. Idus Apr. In Syrmiâ, natalis quatuor Virginum, quarum nomina Deus scit. Et alibi, Demetri Diaconi, Hilarii, Concessi, Mari. Syrmium, Fortunati, Donati & aliorum sex. *Et natalis septem Virginum canonicarum. In Ravennâ, dedicatio oratorii sancti Policti.*

IV. Idus April. In Alexandriâ, Apollonis Presbyteri, Gaiani, Hilarii, Donati, Concessi, Saturnini, Saturi. In Traciâ, natalis Gaiani. In Africâ Martyrum septemdecim, quorum nomina Deus scit. Et alibi Pinnati, Successi, Marcelli. In Antiochiâ, natalis sancti Theodori Presbyteri.

III. Idus April. In Mauritaniâ, natalis Saloni, Maximi, Helarii, Concessi cum cæteris Sanctis, & Domnini Episcopi. In Salonâ Dalmatiæ, Domioni Episcopi, & militum novem, & Dalmatæ. In Africâ, Fortunati, Donati, & aliorum ducentorum quadraginta. In Nicomediâ, natalis Sanctorum Eustoi Presbyteri, Nestoris, Filoni, Cæremoniæ. Lugduno Galliæ, depositio Siagrii, & Patricii.

Pridie Idus April. In Asiâ, Pergamo, natalis Sanctorum Carpi Episcopi, Pauli, Isaach, Agathonis. Romæ in cœmeterio, Calepodii, Lupicini. Viâ Aureliâ, tertio milliario, depositio Julii Episcopi. Et alibi, Agapiti, Bassi, Juliani, Felicis, Pauli, Mauri, Herculæ, Verecundæ, & aliorum numero quadraginta duo; Quarti, Saturnini, Secundi, Decimi, Darii. Item Secundi. Item Saturnini, Quinti, Dextri, Victoris, Donati, Varici, Butti, Venusti, Titiani. Item Victoris, Syrillæ, Luci, Justi, Orbanæ. Item Orbanæ, Marti, Januarii, Cittini, Paterni, Pacini, Putti, Murici, Optati. Item Victori, Migone, Demetri, Marci, Flaviani, Vitalis, Dinaliæ, Clementiæ, Victuriæ, Feliciæ, Maximæ, Mustæ. Item Marci, Honorati, Laurenti, Arburi, Crispini, Tertii, Quintulæ, Restituti, Revocati, Paterni, Buttasi, Varici, Pauli, Optati, Speni, Valenti, Donati, Manili, Petri, Felicis, Proculi. Item Donati, Gemellæ, Evanti, Lazari, Venusti, Fluvini, Rufini, Crispini, Naburi, Victorini, Donatulæ, Victuris, Agutinæ, & Tertiæ, Mameri. In Capuâ, natalis sanctorum Cypriani, Musculæ, Donatæ, Novelli, Januarii, Silvani,

Plutiani, Saturi, Julii. Et alibi, Primi, Cari, Cyrilli, Machari, Stilari, Venusti. Item Venusti, Juliæ, Felicis, Verecundæ, cum aliis novem. Eocapi, Tertulæ, Antoniæ, Mustulæ, Migini. Item Donatæ. Et alibi, Euphimiæ, Maehari, Primi, & aliorum novem. *In Vapingo civitate depositio B. Constantini Episcopi.*

IDUS APRIL. In Calcedonâ, Natalis sanctæ Euphemiæ, & Evapiæ, Secutoris. Et alibi, Januarii, Pauli, Passæ, Caroli, Caritæ, Arobi, Azatonicæ, Decimi. Pergamo Asiæ, Polycarpi Episcopi, & Pauli Diaconi.

XVIII. KAL. MAII. Romæ, viâ Appiâ in cœmeterio Prætextati, natalis Sanctorum Tiburtii, Valeriani, Maximi, Quiriaci, Optati, Pati, Saturnini, Martiæ, Frontinæ, Corniliæ, Conditoris, Tituli. Interamne, Proculi, Valentini, Pruusduci, Laurini, Domninæ Virginis cum suis Virginibus simul coronatæ, & sancti Valeriani. Et alibi Optati, Saturnini, Archilai, Simphronii, Frontini, Maximi, Decimæ, Martiæ, Corniliæ. In Alexandriâ, Frontonis Monachi.

XVII. KAL. MAII. Piceno, in aureo monte, Maronis, Messoris, Proclinæ, Mositis, Jocundi. In Mesopotamiâ, Arcelai, Cypriani, Comati, Vironicæ, Acutæ, Diogenis Diaconi cum duobus fratribus. In Antiochiâ Syriæ, Prosduci, Veronicæ, & Dioninæ filiæ ejus. Octaviæ, Potamiæ, Prudenti, Foci, Syri. In Taudiâ Gallitiæ, Quoamali, Arcelai, Potami, Donatellæ. In Hispaniis, Cæsariæ, Passio sanctorum Luberci, Apomidi cum duobus fratribus, Martiani. Item Martiani, Felicis, Fausti, Fortunati, Silvani, Luciani, Gomali, Parcilai, Eonedis, Micæ, Gallieni, Faustini, Luciani..... Episcopi & Confessoris, ubi sunt conditæ reliquiæ sancti Joannis Evangelistæ. *Et dedicatio altaris sancti Juliani Martyris, qui Brivate passus est.*

XVI. KAL. MAII. In Achaiâ, Corintho civitate, natalis Sanctorum Calesti, Carissi, Leonidis, Lotæ, Tertiæ, Christianæ, Gallæ, Theodori, Carissi, omnium in mare mers. Caritonis, Cœlestæ cum aliis, Unicæ, Galliniæ, Moniciæ, Nigiæ. Et alibi, Martiani, Eniani, Felicis, Hermogenis, Vincentii, Tertii, Calesti. In Mauritaniâ, natalis Basiliæ. In Ponto, Insclacelli, Martialis, Felicis, Fortunati, Silvani, Luciani, Goamali, Parcilai, Leonedis, Micæ, Gallieni, Martiani, Faustini, & Luciani, Jocundi.

XV. KAL. MAII. In Antiochiâ, natalis sancti Petri Diaconi, & Hermogenis ministri, Petri, Fortunati, Martiani. In Africâ, Buruci, Quinti, Mappalici, Victurici, Donati, Januarii, Macori, Galli, Theodori, Juliani Presbyteri, & Meceoni, Migini, Diomedis, Filippiani.

XIV. KAL. MAII. In Salonâ civitate, natalis Sanctorum Septimi Diaconi, Victurici. Et alibi, Hermogenis, Dionysii. In Africâ, Victoris, Pamphili, Donati, Januarii, Micionis, Domni, Turemini, Syrici, Prisciani, Jocundi. Romæ, Sanctorum Eleutheri, & Anthiæ matris ejus, Parthenii, Coloceri, Febi, Proculi, Apollonis, Fortunati, Crispini, Expediti, Mappalici, Victurini, & Gagi. *Antissiodoro in Galliâ dedicatio altaris senioris Ecclesiæ.*

XIII. KAL. MAII. In Militanâ civitate Armeniæ, Hermogenis, Gaï, Rufi, Expediti, Aristonici, Galatæ unâ die coronatorum. Militinæ Armeniæ, Rufi, Hilari, Aristonici, Fortunati, Donati, Gagi, Majulini. In Africâ Sereciani, Donati, Heladii. Item Sereciani, & Hermogenis cum aliis duobus. Gaucoliberi, natalis S. Vincentii.

XII. KAL. MAII. In Africâ, natalis Sanctorum Serviani, Araiaci, Silvaniani, Fortunati, Joannis, Oratii, Donati, Martiæ, Gemæ, Comeliæ, Geminæ, Corniliæ, Fortunati, Vincentiæ. Romæ depositio sancti Victoris Episcopi, Felicis, Alexandri, Papiæ. Everduno, depositio sancti Marcellini Episcopi, & Confessoris, Silviani, Tiaraci, Donati, Quinti. Autisiodero civitate, depositio sancti Martini Presbyteri & Confessoris.

XI. KAL. MAII. In Alexandriâ natalis Sanctorum Fortunati, Aratoris Presbyteri, Felicis filii, Vitalis in carcere quiescentis. Romæ, in cœmeterio Calesti viâ Appiâ natalis Sanctorum Valeriani, Maximi, Tirburtii, Donati. Et in Terracinâ Campaniæ, natalis sancti Amphelici, Jocundi. Et alibi Victoris, Papiæ, Felicis. Et alibi depositio Aprunculi Episcopi.

X. KAL. MAII. In Africâ, Silviani. Civitate Hierapoli, natalis sancti Philippi Apostoli. Romæ in cœmeterio Calesti, viâ Appiâ, depositio Gaï Papæ, Primoli, Tierdiani. Lugduno Galliæ, passio sancti Eppolidi. Et alibi, Leonidis, Aratoris, Quiriaci, Basiliæ. *In Sennonis civitate, depositio Leonis Episcopi.*

IX. KAL. MAII. In Africâ, natalis Sanctorum Catulini Saturnini, Ghori, Felicis Theonæ, Theodori, Victorini, Venusti, Victuri, Nabori, Soluti, Pleni, Silvii, Felicis, Vitalis, Theodori, Faustini, Valerii, Ursi. Romæ, Naboris. Item Silvii. Item Vitalis. Item Felicis, Nonnæ. In Alexandriâ, Coronæ. Valentiâ civitate in Galliâ, natalis Felicis Presbyteri, Fortunati Diaconi, Achillei Diaconi, & commemoratio Georgii Martyris.

VIII. KAL. MAII. In Alexandriâ, natalis Sanctorum Coronæ Virginis, Victoris, Zoticiæ, Fortuni, Donati, Felicis, Saturnini, Secundi, Silviani. Item Silviani, Rufinæ, Liberalis, Meturi, Toniti, Firiani, Barachi, Nabori, Fusci, Naventi, Sarani, Fortuni. Item Donati, Floriani, Theoni Presbyteri. In Africâ, natalis Sanctorum Faustini, Victurini, Saluni, Theonæ, Valeriæ, Fortuni, Publi, Foriani, Memmeri, Fausti, Martiæ, Saubaciæ, Theudestiæ, Valeriani, Urbani, Herus, Luci, Victuris. Et in hoc die, Sydrach, Misach, Abdenago, iterato nomine, qui & Ananias, Azarias, & Misahel, in Babyloniâ ab igne ardenti liberati sunt; benedictus Deus. In Lugduno Galliæ, Passio sanctorum Alexandri cum aliis numero triginta quatuor: Et dedicatio cryptæ, ubi corpora eorum requiescunt.

VII. KAL. MAII. In Syracusâ civitate Siciliæ, natalis Sanctorum Evodii, Hermogenis: & passio S. Georgii, Calestæ. In Africâ, Nubilis, Marcæ, Hermenphi, Fortunati, Jocundi. *Lugduno, depositio Beati Rustici Episcopi. Letania major.*

VI. KAL. MAII. In Axiopoli, Aurelii. In Antiochiâ, Leonidis, Vendei, Marii. In Africâ, Julii, Victuri, Syrici, Honorati, Felicis, Pauli, Maximi, Victoris, Simplici, Pollionis, Viti. Calendini, Apolloni, Martianæ, Felicissimæ, & Herniæ, Martiani, Lictissimi, Fimiæ, Felicis, Germani, Feliciæ, Evasiæ, Gemellinæ cum sociis eorum, Silvani. *Centulo Monasterio in Galliâ, depositio sancti Richarii.*

V. KAL. MAII. In civitate Tarso Ciliciæ, natalis sancti Castori, Germani. In Nicomediâ, Anchimi Episcopi, Stephani Episcopi, Antonii Presbyterii. In Lydiâ, Genesi, Sodalis, Zotici, Marini, Zetoni, Helpidii, Euthicii, Lupicini. In Armeniâ, civitate Militanâ, Heremitis, Hilpidii, Eppei Presbyteri, Hermogenis. Et alibi, Mauri, & Capti Diaconi, Husandi, Priani, Cypri. In Ægypto, Nicomediæ, Victoris, Maximi, Martiani, Pauli, Germani cum aliis sex, Gemellinæ, Lactissimæ, Feliciæ, Germanæ, Felicis, Evantiæ, Victurini, Nicofori, Dioscori, Papiæ, Serapionis, Joannis, Julii. In Antiochiâ, Thimiæ, Mauri, Arri Diaconi, Genonsi, Sodalis.

IV. KAL. MAII. In Pannoniâ, Eusebi Episcopi, &

& Vitalis, Pollionis. In Alexandriâ, Victorini. In Tarso Ciliciæ, Malinæ cum aliis centum septuaginta, Afrosi, Carilippi Presbyteri, Agapi [f] Lectoris, Eusebi Eunuchi. In Africâ, Provinciæ Diomediæ *, natalis Sanctorum Manilii, Donati, Maurili, Luciani, Victorini, Niciæ Virginis, & aliorum ducentorum octoginta trium. In Betorive civitate, Depositio S. Euse Presbyteri.

III. Kal. Maii. In Alexandriâ, natalis S. Germani Presbyteri, Prosduci Diaconi. In Nicomediâ, Prudentii, Martialis, Sabatii, Eodomoni, Bareli. Item Germani, Filicosi, Budenti, Urbani, & Pigatæ, Silvani, Joci. In Africâ, Gracti, & aliorum sex martyrum. Et Perusio Tusciæ, Valentini, Martiani, Bononi, Vitalis, Augusti, Victurini, Manili, Metronæ Virginis, Maculi, Megini. In Alexandriâ, Pudenti, Martiani, Filocusæ, Theodosiæ Virginis, Padis cum aliis duobus.

Pridie Kal. Maii. In Alexandriâ, Dorothei Presbyteri, Rodociani Diaconi, Victoris, Terenti, Martini, Majoricæ. Item Victoris, Claudi, Silvani, Demetrii, Julii, Secundini Episcopi, Meriti, Honori. Item Silvani, Saturnini, Affrodi, Dugdi, Pastoris Episcopi, Secundiani, Concordiæ, Mariani, Jacobi, Floriani, Gabri, Gaiani, Postumi, Mommini, Quintiani, Cassi, Fasili, Florenti, Demetri, Gadudi, Crispini. Item Crispini, Donati, Zenonis, Pomodiani Diaconi cum aliis viginti quatuor, Secundiani Episcopi, Alexandri Diaconi, Bubati, Saturi, Diotri, Ropodiani, Nomensis. Romæ depositio Quirini, Secundini. In Afrodiris, Rodociani Diaconi, Terenti, Marini Presbyteri, Dagari, cum aliis duodecim, Meturi, Clementis, Lucini, Telesfori, Primosi, Saturnini, Emiliani, Majoricæ, Saturnini, depositio Polocronii Episcopi.

MENSIS MAIUS
HABET DIES XXXI.

Kal. Maii, initium Prædicationis Domini nostri Jesu Christi. In Asiâ Hierapoli, natalis Sanctorum Philippi Apostoli & Jacobi. Quintiani, Heleotheri, Gaï, Alexandri, Saturnini. Et alibi, Apollonii, Euphemii. Interamna, milliario sexagesimo quarto, Proculi, Pelesti, Agapiti, & militum triginta trium, & natalis Matthæi, & Jacobi Apostolorum. In Oriente, Quintini. In Hierosolyma, natalis S. Judæ, sive Quiriaci Episcopi. Emeritæ, natalis Sancti Saturnini. In Tolosâ natalis Orientii Episcopi. Autisiodero, depositio S. Amatoris Episcopi. Bigorrâ civitate, depositio S. Justini Episcopi magni, Isici, Phoci. Ambianis civitate, natalis Sanctorum Agii, & Acioli Martyrum. *Agauno, Passio Sigismundi Regis.*

VI. Non. Maii. Germani, Cœlestini, Felicis, Cetini, Urbani, Privati. In Alexandriâ, Saturnini cum Eopoli socio suo. In Armeniâ, civitate Militanâ, Helpidii & Hermogenis, Lupi. In Alexandria, Germani, Cœlestini, Sanctini. *Autisiodero, Translatio corporum sanctorum Confessorum Optati Episcopi, Memorii Presbyteri, Sanctini Presbyteri.*

V. Non. Maii. Hierosolymæ, Inventio sanctæ Crucis Domini nostri Jesu-Christi ab Helenâ Reginâ, post Passionem Domini anno ducentesimo trigesimo tertio, regnante Constantino Imperatore, illuminata civitas. Et natalis sancti Hermogenis. Romæ natalis sancti Eventii, Alexandri, Theodoli, Fortunati, natalis Arboni. In Africâ Mariani, Saturnini, Rufinæ, Fortunionis, Fortunati. *Autisiodero Translatio corporum sanctorum Confessorum Eusebii Presbyteri, Aviti Diaconi.*

IV. Non. Maii. In Nicomediâ, Antoniæ, Justi. In Africâ, natalis Cœlestini, Felicis, Urbani, Romani, Bellici, Martialis, Mittuni Presbyteri, Floriani, Petri. Et alibi Loguorgue. In Cæsariâ, natalis sancti Silvini, Vibiani. In Alexandriâ quadraginta Martyrum, Nestori, Mitton, Antonini. *Autisiodero, depositio & translatio corporis sancti Corcodemi Diaconi, & Confessoris in Basilicâ sancti Amatoris.*

III. Non. Maii. Eutimi Diaconi & Martyris. In Thessalonicâ, natalis sancti Herenei, Peregrini, & Herenæ. In Africâ, Gregorii, Arcelai, Felicissimæ, & passio sancti Trifonis. In Alexandriâ, Pctivi. Viennâ, depositio Nectarii, & Niceti Episcopi. Autisiodero passio sancti Juviniani lectoris. *Arelato, depositio sancti Hilarii Episcopi.*

Pridie Non. Maii. Natalis sancti Joannis Apostoli & Evangelistæ ante portam Latinam in ferventis olei dolium missi. In Persidâ natalis S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ. In Galatiâ civitate, natalis Beatissimi Gerontii Confessoris. In Africâ, natalis Sanctorum Secundiani Episcopi, Jacobi, Mariani, Concordiæ, & Marinæ, Heliodori, Saturnini, Silvani. Mediolano, Victoris, Felicis. Item Victoris, Caricæ, Aufidiæ, Judith, Emeriæ. Item Victoris, Acutæ, Faustini, Helarianæ, Victuriani, Saturnini, Gavini, Ædenti, Fortunati, Victuriæ, Primi, Gaiani, Valentinæ, Portumi, Justini, Majorici, Venusti, Massi, Processæ, Secundiani, Inportuni, Quintiani, Petri, Tassicassirici, Veneriæ, Bonifaciæ, Quinti, Florini; Victorini, Memoriæ, Gaudulæ. Item Victorini, Crispini, Possinnæ, Labori, Massilæ. Item Gaiani, Faseri, Maxenti, Ninæ, Virtuniæ, Valeriæ, Tironii, Matronæ, Citini cum sociis eorum, & reliquiis sanctis. Florione, Herenei, Fortunati, Faustini, Gavini, Herenti, Pappalici, Primi, Cassi, Secundi, Celerini, Hieremiæ, Flavi, Gaiani cum aliis viginti. Magropi, Marcellini, Maximi, Bafrofiti, Augustiani, Niciti, cum aliis septuaginta sex. Item Gaiani cum aliis septuaginta duobus Martyribus. Autisiodero, depositio sancti Valerii Episcopi.

Non. Maii. In Nicomediâ, natalis Sanctorum Flavii Episcopi, Agustini Episcopi. Item Agustini. Trium fratrum, Marcellini, Macrobii, Euthicii. In Africâ, Celerini, Maximi, Victuri Episcopi, Potentellæ, & aliorum multorum. Item Agustini, Gaiani, Victuri, Maximi, Celerini, Frontini, Quinti, Flaviæ, Martialis, Privatiani. Septiminæ, Dextri, Quintæ, Ornesi, Donati, Octaviani. Item Donati, Mariani, Navigi, Pulveri, Rogatæ, Victori, Secundi, Cecili, Donatæ, Saturnini. Item Donati, Juli, Navidæ, Felicis, Fortunati, Crescenti, Sapi, Rogatiani, Donati, Gallici, Justiani, Vitalici, Rogatiani, Donati, Gallici, Lucellæ, Honorati, Feliciæ, Savinæ, Salti, Simplici, Flaviæ, Alexi, Catulæ, Januariæ, Euticiæ, Victuriæ, Peculiaris, Germani, Ercolæ, Rogatæ, Marcellæ, Odemari, Avidæ, Saturninæ, Felicis, Victuri, Processi, Promoli, Donatæ, Castulæ, Secundiani, Donatæ, Martialis,

f *Agapi*] Etsi à nobis nemo exspectet, ut menda quibus Martyrologium hoc deformatur, tollamus omnia, vel saltem pleraque, tamen occasionem, ubi se offert, aliquid monendi, quod lectori prodesse queat, nullam prætermittere nolumus; quamobrem notamus hoc loco errasse Acherium, dum duos Sanctos effinxit, quorum alter Lectures, alter Eunuchus diceretur; nam ut Martyrologii scriptor Carilippum Presbyterum, ita Agapium Lectorem, & Eusebium Eunuchum fuisse notavit. Statim lege *Provinciæ Numidiæ.*

Rogatæ, Fortunati, Tunidi, Crescenti, Germani, Victuriæ, Palatini, Epaphroditi, Marcellini, Floridiani, Faustini Episcopi. Item Eutici cum aliis quadraginta quinque. In civitate Diospoli, passio sancti Georgii. *Augustiduno, depositio beati Placidi Presbyteri.*

VIII. Idus Maii. Mediolano, Victoris, Eutici, ... atiæ, Fortunati, Saturnini. Constantinopoli, Agati militis, Maximi Presbyteri, Antis Diaconi, Arestini, Marini, Tampi, Victuriæ, Stertiæ, Agatæ, Floridæ, Luci, Donati, Victuris, Flaviæ, Joannis, Ninæ, Casti, Gai, Fori, Maximi, Felicis, Martiani, Famosæ, Honestæ, Nigri, Baptizii, Rustici, Processi, Secundi, Militi, Feliciæ, Maximæ, Dativæ, Tunianæ, Secundolæ, Dativæ, Gundini, Tertuli, Cælestini, Faustini, Januarii. Item Victuris, Zetulæ, Scialæ, Fortuni, Rogati, Faustini, Canerii, Barachi, Siddini. Item Ninæ, Tidi, Mittuni, Syrici, Rogati, Donatæ, Bacci. Item Gadderi, Breuri, Donatæ, Spici, Rogati, Saturnini, Gaudiosæ, Vitalis, Cæciliæ, Gallæ, Januariæ, Seneri, Rogati, Matronicæ, Agusticiæ, Saturnini, Rufi, Faustini, Victoris, Cittini, Zaderi, Antiqui. Item Ninæ, Saturi. In Ægypto, Victoris, Stephani, Januarii. In Sanconico, depositio sancti Martini, Juliani. Autisiodero. depositio Heladii Episcopi. *Corbeiâ Monasterio, Translatio corporis Sancti Gentiani Martyris.*

VII. Idus Maii. In Axiopoli, Quirilli, Quindei, Zenoni. Tarso Ciliciæ, Afrodisi, Jocundi, Firmi. Mediolano, Apostolorum Joannis, Andreæ, & Thomæ in Basilicâ ad portam Romanam. In Persidâ, Martyrum trecentorum decem. Constantinopoli, natalis sancti Timothei. Romæ viâ Latinâ, Gordiani, Primuli, natalis sancti Beati Confessoris.

VI. Idus Maii. Romæ viâ Latinâ, in cœmeterio ejusdem, Natalis Gordiani, Julii. In cœmeterio Prætextati Romæ, natalis sancti Epimachi, & Majoris Confessoris, Quarti, & Quinti, & Probatæ, Mœcæ, Petri, Januarii, Fortunionis, Teclæ. Axiopoli g, Cyrilli, Cendis, Dionii, Accili, Crispionii, Zenonis, Afrodisi, Privati, Giddini, Petri, Saturnini, Dativi, Fortuni, Lucellæ, Maximæ, Matronæ, Mutaci, Cicili, Victuri. Januari, Sacusæ, Bonosæ, Victurinæ, Majuli, Constantiæ, Maximæ, Januarii, Gemini, Samini, Peregriæ, Eruli, Senteri, Marulli, Felicis, Indici, Reflenti, Tinni, Felloni. Tuinti, Seleuci, Zetulæ, Januariæ, Fortunati, Tedetiæ, Donati, Rogatæ, Paulinæ, Januari, Ninæ, Honori, Candediæ, Secundi, Saturnini, Donati, Salutoris, Felicis, Marci, Nappoli, Coddei, Dati, Naso, Mosi, Satuli, Victuris, Masuti, Malchi, Severi, Martiani, Fortuni, Saturi, Quintali, Fidelis, Severioli, Quinti, Fausti, Donati Excruati, Birici, Septimi, Lucini, Restituti, Dativi, Januariæ, Ninæ, Felicis, Saticæ, Marcellæ, Tulæ, Matronæ, Lucusæ, Victuriæ, Feliciæ, Jocundæ, Gloriosæ, Rogatinæ, Victurinæ, Juliæ, Primæ, Fortunati, Mariæ, Rogatæ, Monni, Jacobi, Septimiæ, Maurelli, Incidi, Tuni, Felicionis, Seleugi, Honorati Saturni, Lucini, Zeberiæ, Venusti, Saturnini, Quintulæ. Item Cyrilli, Dionisi. Et alibi depositio Juvenalis, & Job Prophetæ.

V. Idus Maii. In Sirmiâ, natalis sancti Montani. In Africâ, Majuli, Victorini, Fortunati, Septimi, Julii, Crispi; Januariæ, Primuli, Manili, Nerei. Item Manilis, Victuriæ, Fortunati, Januari, Jocundi, Syppiani, Æpimini. Viâ Salariâ, milliario vigesimo secundo, natalis sancti Anthimi. In Asiâ. natalis sanctorum Demetrii, Taddei, & depositio Nepotiani. *Viennæ, depositio Mamerti, & Mamertini Episcoporum.*

IV. Idus Maii. Romæ, natalis sanctorum Nerei, & Achillei fratrum. Et alibi, natalis sancti Pancratii, Gradi, & Soteris Virginis, Joannis, Achillis, Moisei, Afroditi, cum aliis numero quingentis quatuor, quorum nomina Deus scit, Alexandri, Moisitis, Julii. In Africâ, Prancati.

III. Idus Maii. In Alexandriâ, natalis sanctorum Afrodisii, Agrippæ, Savini, Grisi, Lucii, Cyrillæ, Cridulæ, cum aliis duobus, Juvini. *Trajecto porto in Galliâ, depositio sancti Servacii Episcopi & Confessoris.* In Palæstinâ, Taraci, Probi, & Andronici. In Polentiâ, passio sancti Victoris, & Saturnini. In Alexandriâ, Agrippæ, Veris, Cyrilli, Savini, Maximi, Credili, Gagi; & depositio Sebastiani Episcopi. *In civitate Antisiodero, depositio, & translatio sancti Marcelliani Episcopi.*

Pridie Idus Maii. In Syriâ, Victoris, & Coronæ, qui simul passi sunt. In Africâ, natalis sancti Secundiani, Quarti, Victoriani, Januarii, Medion, Alexandri, Afraniani, Maximini, Proculi, Audacti, Adeodati. In Asiâ, sancti Maximini. Mediolano, Victoris, Timoris, Felicis, Rustici, & sanctorum trecentorum quatuor Martyrum, qui cum sancto Cyriaco passi sunt. *Arvernis, dedicatio Ecclesiæ sancti Agriculæ.*

Idus Maii. In Syrmiâ, Timothei; & alibi septem Virginum, Alexandri, Digni, Chr . . . In Sardiniâ, Simplicii. In portu Romano, Præstabilis, Victoris, Cyrici, Januarii, Heruli, Pauli, Minervi, Aquilini, Eracli. Mediolano, Victoris. Lamsaco, Passio sanctorum Petri & Andreæ, Pauli, & Dionisii, Julii. *Augustiduno, Retici Episcopi.*

XVII. Kal. Junii. In Isauriâ sanctorum Aquilini, Victoriani., Heraclii, Paulini, Minermi. In civitate Piceno, Ausomi, Florentii, Diocletiani, Meminii, Justi. In civitate Ephesò, Mengenis, Gajoni, Juvini. In civitate Corthosa, Vincentii, Nideruni, Hereli, Pauli, Minerri, Aquili. Item Pauli, Monorgi, Gaï. In Autisiodero, vico Baiaco, passio sancti Peregrini Episcopi primi civitatis ipsius. *Tricassino, passio Sancti Fidoli Presbyteri, & Confessoris.*

XVI. Kal. Junii. In Alexandriâ, Victoris, Basiliæ, Silvani. In Româ, Parthinii, Gallicori, Eponi, Liberii Episcopi. Neveduno, Heraclii, Pauli, Minerii, Aguilini, Victoris, Arthemii, Calcori.

XV. Kal. Jun. In Alexandriâ, Potamonis Presbyteri, Hortasii, Serapionis, Panteri, Dioscori, Palmi, Pentecon Diaconi, Cenron, Dativi, Luci, Maximæ, Hermon Lectoris cum aliis quatuor Martyribus. In Ægypto, Dioscori Lectoris, qui multa passus est. Constantinopoli, Effuci, Serapionis, Bustasi Presbyteri, Patamon, Panteri, Peteclondi, Eran Lectoris Dativi, Martiani, Luciosi, Lucianæ, Eginæ. Et alibi natalis Sanctorum Cassi, Victoris, Juliani.

XIV. Kal. Jun. Romæ, natalis sanctorum Caloceri, Partenii eunuchorum, & uxorum eorum. Hi sub Decio Imperatore occisi, & requiescunt in cœmeterio juxtà viam Appiam. In cœmeterio Calesti, viâ Appiâ, Paterni, Galicori, Indici, Seleuci, Felicis, Elonici, Christi, Calonicæ, Juliæ. Item Urbani, Ingenuæ, Saturni. In Alexandriâ, natalis sancti Areni Diaconi. In Cæsariâ Cappado-

g *Axiopoli*] Ex urbe Mœsiæ Axiopoli Axiopolum Martyrem fecerat Acherius.

ciæ, natalis sancti Poliochi. In Africâ natalis sanctorum Quinti, Primuli, Salusti, Fortunati, duorum Donatorum, Primi, Indicæ, Lugustæ, Rogatæ, Urbanæ, Romanæ. In Getuliâ, natalis Sanctorum Emeli, Baseli, Prætextatæ, Basiliæ, Parthimi.

XIII. Kal. Jun. In Africâ, natalis Sanctorum Victoriæ, Marcellosæ, Salsæ. Romæ, viâ Salariâ, Basilissæ, Aurei, Nustiæ, Nemavi, Baudeli Martyris. Et alibi natalis Sanctorum germanorum, Gervasii, Protasii, & depositio Vellesi, & Fausti Episcoporum.

XII. Kal. Jun. In Mauritaniâ, Timothei, Poli, Eutici Diaconi. In Provinciâ Cæsariâ, Epoli, Eutci, Jocundi. In Africâ, natalis Sanctorum Maurellæ, Quinti, Primuli, Salusti, Fortunati, Nirillæ, Primi. In Cæsariâ Cappadociæ, Polieucti, Victuri, Donati, Quinti. In Britanniâ, natalis Timothei Diaconi. Et alibi Matthæi Apostoli. In civitate Autisiodero, depositio Beati Valis Presbyteri, & Confessoris.

XI. Kal. Jun. Romæ, natalis Sanctorum Faustini, Timothei, Venusti, Casti, Emili, Cotti, Rogati, Maxenti, Felicis, Januarii, Concessi, Albini, Rogatiani. Item Casti. Item Plassi. In Corsicâ insulâ, passio sanctæ Juliæ Virginis & Martyris. In Cæsariâ Cappadociæ, natalis sancti Polioecti.

X. Kal. Jun. Spanis natalis Sanctorum Epicititi, Aptonii, Basilii Episcopi. Item Aptonii, Jocundi. In Africâ, Quinti, Luci, & passio sancti Desiderii Episcopi, Juliani, Felicis, Montanæ, Januariæ, Emiliæ, Nonnæ, Alemeridi, Asti, Basilei Episcopi, Victuri, Firmi, Montani, Juliani, Victurici, Fideli, Donati, Niciæ, Fausti, Timothei, Silvani, Foci. *In civitate Autisiodero, depositio & Translatio S. Helenæ Virginis.*

IX. Kal. Jun. In Histriâ, natalis Sanctorum Zebelli, Servuli, Secundini. In Africâ, natalis sancti Saturnini, & aliorum VI. Martyrum. In portu Romano, natalis sancti Vincentii. In Syriâ, Zoeli, Saturi, Timini, Saturnini, Servili, Felicis, Silvani, Fortuni. Item Zoeli, Striæ, & Diocli, Maximini. In Galliâ, civitate Namnetis, natalis Sanctorum Rogatiani, Donatiani germanorum.

VIII. Kal. Jun. In solo Tusciæ, civitate Blerâ, natalis Sanctorum Sententiatæ, Vicentii & sanctæ Julianæ. Mediolano, depositio Dionysii Episcopi, Polegrati, & aliorum quatuor coronatorum, Vincentii, Joannis, Marii. In Oriente, Eusebii. Viâ Nomentanâ milliario nono, natalis Urbani Episcopi. In cœmeterio Prætextati, Dorostoli. In Africâ, Fabiani, Septimi, Julii. In Epheso, Joannis Apostoli, Saturnini, Tomuni, Victuri, Istiali, Victuriæ, Flavii, & depositio sancti Marcelli.

VII. Kal. Jun. Natalis sancti Æraclii, Pauli, Mindinæ, Jocundi. In Africâ, item Pauli, Anteon, Quadrati, Rufini, Valeriæ, Magni. In civitate Tusciâ, natalis Sanctorum Felicissimi, Eracli, Paulini, Menedinæ, Saturi, Victuri, Saturnini, Maurini. Item Saturi, Fortunati, Thomedi. In territorio Autisioderensi, loco Quotiaco, passio S. Prisci Martyris cum innumerâ multitudine.

VI. Kal. Jun. In Alexandriâ, natalis Sanctorum Aquili Presbyteri, Evangelii, & aliorum quatuordecim. In Tomis, Eliæ, Luciani, Zotici, Martialis, Victuri, & Maurinæ, Servuli. In Africâ, natalis Sanctorum Sacci, Julii, Daamæ, Carpiæ. In Sardiniâ, Salutiani, Eutrici, Crescentini, Titiani, Quinti, Stabuli.

V. Kal. Jun. Pamphiliâ, Zetuli, Primi, Nonni, Euresi, Julii. In Africâ, Portuni, Ariminie, Secundini. In Sardiniâ, Emili, Felicis, Primiani, Luciani, Jocundiani, Lucii. Romæ, viâ Nomentanâ milliario tertio decimo, natalis Sanctorum Epicati, Eustasi, Victiæ, Castulæ. Item Epicati, Octubri, Uroriæ, Vippiapili, Homini, Marcili, Ciconiæ, Maximi, Filomini, Aviciæ, Commleni, Martiani, Flumini, Mariani, Castulæ cum aliis novem. *In civitate Parisius, depositio S. Germani Episcopi & Confessoris.*

IV. Kal. Jun. In Ciballis, natalis S. Pollionis Lectoris & Martyris. In Nicomediâ, sancti Cyrili. In Africâ, natalis Sanctorum Primi, Aaccidiæ, Passimoni, & aliorum centum quinquaginta trium. Treveris, depositio Maximini Episcopi de antiquis. Romæ viâ Aureliâ, natalis sancti Restituti Martyris. Viâ Tiburtinâ, septem germanorum. In Hispaniis, natalis sancti Gentii. Antiochiæ, Sicimodi, Bassi, Venusti, Victuri, Pullieni. In Cæsariâ Cappadociæ, Carelli, Primuli, Finodi, Venusti, Tredentei, Jocundi. In Anauniâ Sanctorum Sisinnii, & Alexandri Martyris. Romæ, natalis sanctæ Petronillæ, Alexandri, Martyrii.

III. Kal. Jun. In Antiochiâ, natalis Sanctorum Sici, Palatini. Turribus Sardiniæ, natalis sanctorum Gabini, Crispoli. In Nicomediâ, natalis multorum Sanctorum.

Pridie Kal. Jun. In Aquileia, natalis Sanctorum Canti, Cantiani, Proti, Crisogoni, & Cantianillæ. Carthagine, Dacianæ. Turribus [h] Sardiniæ, Crescentiani, Memmii. In civitate Syrtâ, Daciani. Romæ viâ Aureliâ, natalis Sanctorum Processi, Martiniani, Firmini. Natalis Sanctorum Gaulieni, Germani, Victuri, Silvani, Thelesfori, Victurini, Donati, Istiali, Terti, Rogati. Item Germani. Item Silvani, Honori, Ciliciæ, Tertulæ, Lantæ, Victuriæ, Fortunati, Maximæ, Rogatæ, Pauliciæ, Agapiæ, Castulæ, Amellæ. Item Tertulæ, Lupi, Justi, Teclæ, Firmi. In Antiochiâ, Paulini & Ilici.

MENSIS JUNIUS

DIES HABET XXX.

LITANIA INDICENDA.

Kal. Junii. In Thessalonicâ, Octavi. In Antiochiâ, Zosimi, & Teclæ Virginis. In Africâ Crispini. Romæ Juvenci, Cyriaci, Nicomedis Martyris, Exuperanti, Eracliæ. In Thessalonicâ, Luciæ Virginis, & Auceiæ Regis Barbari, Rogati, Germani, Silvani, Bullodi, Ceciliæ, Tertuli, Lantæ, Victuriæ, Gaï, Fortunati, Maximi, Rogatæ, Paulinæ, Agapiæ, Castulæ, Coteusæ, Novellæ, Agapæ, Carræ, Urariæ, Bublasæ, Fortunati, Martini, Saturnini, Baiani, Rogatiani, Honorati. Item Martiani, Saturnini, Pontini, Pauli, Petronii, Rutiliæ, Quietiæ, Januariæ, Novelli. Item Januariæ Sosiæ, Fedosæ, Victurinæ, Matronæ, Castulæ, Rogatiani, Quinti, Marci, Geminæ. Item Pauli, Martialis, Mituni, Verici, Cassi. Item Saturnini, Felicis. Item Martiani. Item . . . . Rogati, Jannis. Item Fortunati, Martiani, Saulis, Casti. Item Januarii, Donati, Hortensi. Item, Saturnini, Martini, Malchi, Silvani, Quinti, Feliciæ, Sillesæ. Item Januariæ, Fortunatæ, Victuriæ, Mariæ, Primæ, Gemellinæ, Faustini. Item Novellæ, Donatellæ, Getuli, Barici, Urbani, Romani, Primiæ, Tertulæ. Item Ca-

h *turribus*] Lege *Calaribus*.

itæ, Maximæ. Item Orbani, Optatę, Matronę, elosæ, Metuni, Melosi, Secundi, Gemellinæ. Item Urbani, Saturnini, Juli, Surdidæ, Silvanæ, Rufinæ, Ninæ, Sepaci, Vincenti, Prisci, Hilari, Felicis Castulæ, Arabi, Publi, cum aliis centum viginti. Lupi cum aliis duodecim, Catulini, ... blosi, Martiani, Gaïani, Marcelliani, Fledi. Item Marcelliani, Casti, Marci, Majuri, Proculi, Pagati, Tertii, Silissę, Festulæ, Majosę, Timothei, Marcelinę, Rutili, Germani, Joannis cum aliis nonaginta. Viennâ, Claudii Episcopi.

IV. Non. Junias. Romæ Marcellini Presbyteri, & Petri Exorcistæ, & Marcellini Presbyteri, Tomati, Rogati cum aliis quadraginta duobus, Secundi, Maximæ, Martiani, Silvini, Flaviani, Pauli, Petri, Victurię, Matronæ, Faustę, Extricatę, Antoninę, Saturinæ, Donatę, Reductę, Maximæ. Item Saturnini, Pauli, Juliæ, Florentini, Fortunati, Maximæ, Urbanæ, Felicissimæ, Justę, Flaviæ, Matronæ, Martiæ, Valentinæ, Fortunati, Venustæ, Donatæ, Mariæ, Gallicę, Tertuli, Vatalicę, Evantii. Item Juliæ, Sammatę, Possinnæ. Item Saturninę, Concordiæ. Item Donatę, Felicis, Valentini, Januariæ, Mastillę, Luci. Item Martę, Marcellæ, Proci, Datulæ, Victuriæ, Joviani. Item Maximę, Felicis, Tertulæ, Castulinę, Gaudoli, Modiani, Justi, Saturi. Item Saturi, Felicis, Donatæ, Januari, Fortunati, Saturnini. Item Juliæ, Ninę, Honoriæ, Donatæ, Calponiæ, Extricatę, Felicis, Saturnini, Donatę, Cenoni, Primosi, Secundi, Januariæ, Rogatæ, Fausti, Fontei, Tertuli, Paulæ, Rogatę. Item Secundæ, Januariæ, Martialis, Felicis. Item Felicis, Fortunæ, Januariæ, Adjutori, Fortunati, Nomitiæ, Paulæ, Rogatę, Victuriæ, Donati, Mavori, Pussi, Primę, Urbani, Tuvini, Januarii, Sintionis, Juliæ, Martianæ, Nondinari, Casti, Dati, Florentinæ, Victuriæ, Piscinæ, Castulæ, Saturnini, Victuriani, Fortunati, Ninæ, Nundinæ, Saturninæ, Cæciliæ, Marinæ, Luciosæ, Feliciæ, Maximę, Primæ, Forminæ, Evasi, Seldini, Tertii, Fusci, Marcellinæ, Justæ, Evasiæ, Sarmiciæ, Rudiliæ, Mariæ, Salpurniæ, Castulæ, Castuli. Item Saturnini, cum aliis sexaginta septem, Juviniani, Saturnini, Oratii, Latinæ, Sabinæ, & depositio Macellini, Jocundi, Julii. In civitate Cæsariâ, Thamati, Honorati, Seleuci, Porfiri, Phamfili, Palestini, Rogatæ. In Campaniâ, Herasmi Episcopi, Lugduno Galliæ, quadraginta, & sex Martyrum, hoc est, Rogatiani Episcopi, Zachariæ Presbyteri, Vethi, Macharii, Asclipiaditi, Silvii, Primi, Ulpii, Vitalis, Commini, Octobris, Philomini, Gemini, Juliæ, Albinæ, Gratæ, Miliani, Potamiæ, Pompeiæ, Rodiani, Blissi, Quartæ, Maternæ, Hilpis Diaconi, Maturi, Atbi, Alexandri, Potici, Blandini, Justi: Hi sunt, qui in carcere spiritum reddiderunt: Aristei, Cornili, Zosimi, Titi, Julii, Zotici, Apolloni, Geminiani, Juliæ, Ausoniæ. Item Emeliæ, Jamnicæ, Pompeiæ, Domnæ, Amiliæ, Justæ, Tiophimæ, Antoniæ, Ninæ. Lugduno, Vincentii, Ninæ, Prisci, Sepace, Hilari, Felicis, Castulæ, Epagati, Ameliæ, Donati. Et alibi, depositio Barbaruni Presbyteri, Humati, Evasi, Honoratæ, Vincentiæ, Romæ, Martyrum quadraginta octo.

III. Non. Jun. In Africâ, Quirini, Abidiani, Gaï, Donati, Nepori, Papozinci, Januariæ, Demetriæ, & aliorum centum quadraginta septem, sanctæ Julianæ Virginis & Martyris. Apud Arecium civitatem Tusciæ, Laurentii. Natalis sancti Thomæ Apostoli. Romæ, Marcelli, Avidi, Gaï, Donati, Mesomi, Passemi, Saturni, Januari, Victuriæ, Viriani, Donati, Urbani, Felicis, Veneriæ, Rogatianę Fortunati, Extricati, Victurinę, Gorgoniæ, Togæ, Felicitatis, Valeriæ, Priscæ, Paulæ, Fortunati, Donati, Victuriæ, Senerei, Cassiani, Quinti, Zetulæ, Victurini, Silvani, Gagiæ, Rogatiani, Aurili, Aproni, Nabori, Quinti, Metuanæ, Libosi, Emeriti, Sexuti, Fructi, Severi, Secundi. Item Januarii, Flori, Tyturii, Donatæ, Januariæ, Severę, Honoratę, Saturnini, Victuriæ, Fortunatæ, Publi, Romani, Petri, Veriani, Apronii cum aliis octoginta quatuor. Emaritæ, Septimini, Saturnini, Amasii, Orasi, Luciani. *Aurelianis civitate, depositio sancti Leifardi Episcopi.*

Pridie Non. Jun. Neveduno civitate, Zotici, Attali, Eutici, Amasi, Quirini, Juliæ, Saturnini, Gadduni, Ninitæ, Fortunionis, & aliorum viginti octo, Cypriani Episcopi, Ebusti, Rustici, Silvii. In Sabariâ civitate, Quirini. Romæ natalis sancti Pieti, Arecii, Daciani. In Siciliâ, natalis Sanctorum Expergenti, Christæ, Italii, Philippi, Eustici, Rustici, Rustuli, Juliæ, Saturninę, Jejaconi, Mænę, Fortuni, Crescentiæ, Jocundiani. In Sabariâ civitate, Rustuli cum aliis duobus.

Non. Jun. In Ægypto, Martiani, Nigrandi, & Apollonii, Feliculæ, Joci. In Africâ, Evasi, Privati. Romæ miliario septimo, Filoculæ, Felicitatis, Pappiæ, Gregorii, Gaï, Rutiani, Saturnini, Rogatæ, Helari, Victuri, Mustuli, Ingeni, Secundi, Mauri, Urbici, Secundiani, Castulæ, Candidæ, Primæ, Felicianæ, Fortunatæ, Martiali, Juliani, Nicandri, Sacri. In Istriâ, Zoli, Saturi, Timini, Saturni, Servilii, Felicis, Silvani, Fortunati, Mammeri. *Corbeiâ, Translatio corporis sancti Præcordii Confessoris. Et depositio sancti Bonifacii Archiepiscopi.*

VIII. Idus Jun. Neveduno, Amantii, Lucii, Alexandri, Alexandriæ, Donatæ, Peregriæ. Passio Sanctorum Martyrum Vincentii Episcopi, & Benigni Diaconi. In Africâ, Zotici, Camasi, Philippi, Attali. Gratianopoli, depositio Cærati Episcopi. *Et alibi depositio beati Claudii Episcopi.*

VII. Idus. Jun. In Byzantio civitate, Pauli, Fortunati, Macri, Primosi, Achaci Monachi. In Africâ, Victuri, Evasi, Privati, Januarii, Donatæ, Spissinæ, Quirilli. In Cæsariâ Cappadociæ, Lucianis Martyris.

VI. Idus. Jun. In Ægypto, natalis Martiani, Jocundi. In Cæsariâ Palæstinæ, natalis Eristi. In civitate Dorostero, natalis sancti Marci, Lucii. In Nicomediâ, natalis Vitici, Nestori, Carolapidis, & Marinæ, Foci. In Sardiniâ, natalis sancti Salustiani, Silviani. In Cæsariâ, Dorostoli, Martiæ, Mutianæ, Helianæ, Luciani, Zotici. In Africâ, Januariæ, Donatæ, Spesinæ, Julii. In Nicomediâ, Eustili Episcopi. *In Galliâ, civitate Suessionis, depositio sancti Medardi Episcopi & Confessoris. Rotomago civitate, depositio sancti Geldardi Episcopi & Confessoris.*

V. Idus Jun. In Alexandriâ, Maximi Presbyteri, Diomedis, Amantii, Muciani, Alexandri, Januari. Romæ Militum tredecim, In Galliâ, Pompeiaco, passio S. Vincentii Martyris. Nomentanâ civitate, passio Sanctorum Primi, & Feliciani Martyrum.

IV. Idus Jun. Romæ, natalis Basilidis, Auris, Rogati, Januarii, Cassiani, Victuri, Martini, & aliorum. In Hispaniis Crispoli. In Nicomediâ, natalis sancti Zachariæ Martyris. *Autissiodoro, depositio Censuri Episcopi.*

III. Idus Jun. Romæ natalis sanctæ Basillæ, & Sanctorum Crispoli, Restituli. Et alibi, Translatio corporis Fortunati Episcopi. In Aquileiâ Emeritæ, Acreti, Victoriani, Victoris.

Pridie Idus Jun. Romæ, natalis Aurili,

Luci, militum quinque, Cirini, Naboris, & Nazarii, Tripoli, Tripoli, Macidaletis, Zaboni, Aurili, Donatellæ, Secundæ.

IDUS JUN. In Africâ, Luciani, Fortunati, Crescentiani, & Teclæ Virginis. In Persidâ, natalis sancti Bartholomæi Apostoli. Romæ miliario septimo, Feliculi, Januarii, Silvani.

XVIII. KAL. JULIAS. In Papiâ civitate, natalis sancti Antigoni, Afri. In Africâ, Quintiani, Theodoli, Festivæ, Cancianillæ, & Canciani. In Aquileiâ, natalis S. Proti, Jacincti. Suessionis civitate, passio Sanctorum Rufini & Valeri Martyrum. *In civitate Aurelianis, Translatio corporis sancti Aniani Episcopi.*

XVII. KAL. JUL. In Dorostoro, natatis sancti Ysici, Felicis, Lupi. In Aquileiâ, Cantiani, Proti, Clementis. In Constantinopoli, natalis Sanctorum Nuci, Migetiæ, Mingini. In civitate Barbariâ, Gaiani, Joviani, Philippi. In Lucaniâ, Viti, Candidi, Cantiani, Cantianillæ, Proti, Grisoni, Arteon, Quintiani, Theodoli, Jocundi, Silvii. In Lucaniâ, natalis Sanctorum Viti, Modesti, Crescentiæ.

XVI. KAL. JUL. In Africâ, natalis Sanctorum Diogenis, Micæ, Valeriæ, Martiæ. In Siciliâ civitate, Saturnini, Cendei. In Antiochiâ, Cyrici, Julitæ matris ejus, & cum eis quadringentorum Martyrum. *In civitate Namnetis, natalis S. Similiani.*

XV. KAL. JUL. Romæ, Quiriaci, Blasti, Nicandri. Enedorostoli, Isici, Aquilæ, Canti, Cantiani, Cantianellæ, Proti. Alexandriæ, Dioscori, & & Marini Martyrum. Romæ, ... ogeni, Aquileiâ, Cyriæ, Muscæ, Valeriani, Mariæ. *In Aurelianis civitate, Aviti Presbyteri.*

XIV. KAL. JUL. In Africâ, Martiæ, Emeli, Felicis. Romæ, Marci, Marcelliani, ... Pauli, Cyriaci. Ravennâ, natalis sanctorum Martheri, Felicis, Emeli, Crispini. In Alexandriâ, natalis sanctæ Marinæ, Theoni.

XIII. KAL. JUL. In Mediolano civitate, natalis Sanctorum Nazarii, Gervasii, Protasi, & Celsi pueri, Martyrum. Romæ Hippolyti, Honorii, Evodi, Petri, Valeriæ, Marcelli, Vitalis, Ursicini.

XII. KAL. JUL. In Tomis civitate, Pauli, Cyriaci, Paulæ, Feliciani, Thomæ, Felicis, Emeli, Vitalis, Crispini, Martyriæ.

XI. KAL. JUL. Saturnini, Quiriaci, Apollinaris, Belici, ... Crisini, Primi, Januariæ. In Siciliâ, Rufini, & Martiæ. In Cæsariâ Cappadociæ, depositio sancti Eusebii Episcopi, Hipericli, Saturninæ, Stutiæ, Ineriæ.

X. KAL. JUL. In Antiochiâ, Sanctorum Gandalici, Juliani, Grapi, & Sanctorum Martyrum nongentorum tredecim; quorum nomina habentur in libro vitæ. In Persidâ, natalis sancti Jacobi Alfæi Apostoli. In Alexandriâ, natalis sancti Rufi Martyris. In Britanniâ, Albani Martyris, cum aliis nongentis septuaginta & octo. *In Nolâ civitate, natalis sancti Paulini Episcopi, & Confessoris. Et alibi, depositio sanctæ memoriæ Niceti Episcopi.*

IX. KAL. JUL. In Nicomediâ, Aviti, Cinzami, Lectoris, Aritionis, Amirati, Alici, Capitonis, & aliorum ..... XXVIII.

VIII. KAL. JUL. In Provinciâ Palæstinâ, natalis sancti Joannis Baptistæ & Prophetæ. In Epheso, sancti Joannis Apostoli Evangelistæ. Romæ, Festi, Luceiæ cum aliis viginti duobus, *Augustiduno, depositio sancti Simplicii Episcopi.*

VII. KAL. JUL. Thessalonicâ, Lanitani, Thessaulonicæ, Bigati, germanorum, Luceiæ Virginis, & Auceiæ Regis. Eodem die, natalis Vigilii Martyris & sociorum ejus.

VI. KAL. JUL. Romæ, Joannis, & Pauli. In Africâ, Gaudentii, Felicis, Agapiti, Emeritæ. In Alexandriâ, Agathoni, ... iceiæ Virginis & Diogenis.

V. KAL. JUL. Romæ, miliario nono, Crispi, Crispiniani, Felicis, Spinellæ, & septem germanorum. In Hispaniâ, Crescentis, Juliani, ... inesi, Primitivi, Justini, Tacthei, Eugenii, Novatiani, Clementis, Marcellini, Zebdini, Felicis, Hinusti, Zoëni, Marcelli, Italicæ, Lelii, Capitonis, ... ini, Tuechii, Silvani. Eodem die, natalis Sanctorum Martyrum Justi, & Clementis atque Octaviani Pontificis. *Ambianis, Inventio sanctorum corporum Fusciani, Victorici, atque Gentiani Martyrum. Oiâ insulâ, Translatio corporis S. Florentii.*

IV. KAL. JUL. In Africâ, Sabiani, Felicis, Elaphi, Venusti, Eunuchi, Crescenti, Alexandri, Theoni, Arionis, Ploënis; Astefri, Apolloni, Amphimonii, Philosisi, Melvii, Dionysii, ... nnus, Pannus, Plebicus, Dioscori, Tribani, Capitulini, Nicæ, Gurdini. In Alexandriâ, Sanctorum Sereni, Theodori, Pastusi, Titiri, Donisiniæ, Passimi, Plesici, ... astæ, Ambeniari, Dioscori, Orion, Treban, Capitulini, Orion, Seneri, Plutarci, Herenei Episcopi, Heracli, Heroti, Potamini, Marcelli, Basilidi, Leonidi, Pamboni, Oriosi, Panuberi, Tilinæ, Nonnice, Sinidi, Memmii, Juli. Lugduno Galliæ, Herenei Episcopi, cum aliis sex, Leonidis, Plutarci, Sereni, Potaminæ, Marcelli. *Romæ, Leonis Papæ.*

III. KAL. JUL. Romæ, natalis Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum, & aliorum nongentorum octoginta & septem Martyrum. Et Dedicatio baptisterii antiqui.

PRIDIE KAL. JUL. Romæ, natalis Sanctorum Timothei, Italiæ, Gelati, Zoili, Italicæ, Cursici Presbyteri, Leonis Subdiaconi. In Agrippinâ, Asclivi, Pamphilii. Lemovicas, depositio sancti Martialis Episcopi.

MENSIS JULIUS

HABET DIES XXXI.

KAL. LITANIA INDICITUR. In Nicomediâ, Zoëli Martyris. Romæ, Gaii Papæ, & natalis Sanctorum Luceiæ Virginis, & Auceiæ Regi. cum aliis octo. In eâdem urbe Efici, Processi, Marinæ, Antoni, Sereni, Victoris. In Mesopotamiâ, Zoëli cum aliis sex: Orion cum aliis octo. Et aliorum ducentorum sexaginta octo. In Antiochiâ, Severiani, Zoëli, Epasi. In monte Or, depositio Aaron Pontificis. Et depositio Primi, Idoni cum aliis. Augustiduno, depositio beati Leontii Episcopi. In Persidâ, passio Sanctorum Apostolorum Simonis Cananæi, & Judæ Zelotis. *Egolismâ civitate, depositio beati Eparci Episcopi. Cinomannico Anisolâ Monasterio, depositio S. P. Karilesi Presbyteri, & Confessoris.*

VI. NONAS JULIAS. Romæ, Damasi, & militum duorum, Processi, Martiniani, Calesti. Et natale Eutici. Et depositio Meltiadis Papæ, Hinci, Amidæ, Amigradinæ, Arixi, Jocundianillæ. Turonis civitate, sanctæ Monegundæ.

V. NON. JUL. In Edessâ Mesopotamiæ, natalis & translatio corporis S. Thomæ Apostoli, qui passus est in Indiâ. In Alexandrinâ, Triphonis, Menelai, Cirionis, Cyrilli, ... forseris, Aprici, Juli. Christi, Juliani, Heracli, Eologi, Emerionis, Cyrionis, Horestis. In Tarso, Severi, Helionis, Stracei, Montani, Adriani, ... sici, Germani, Partheni, Pauli. Constantinopoli, Eufemiæ, Acaci, Ammonis, Thomæ, Tripon, Menelai, Cerialis, Baraclæ, Eologi,

Cioniæ, Juliani, Demetri, Horeſtis, Heliodori, Strategi, Aminidi, Jocundi, Martyri, Ammi, Suſtrati, Timothei, Chionii, Cyriani.

IV. Non. Jul. In Africâ, Jocundiani in altum miſſi, & Martyris. In Syrmiâ, Sabatiæ, Innocentii cum aliis xcx. *In Gallia, Turonis, Ordinatio Epiſcopatûs, & tranſlatio corporis ſancti Martini Epiſcopi, & Confeſſoris; & dedicatio baſilicæ ipſius. Beturino, natalis ſancti Lauriani Epiſcopi, & Confeſſoris.*

III. Non. Jul. In Siciliâ, Agathoni, Triphonis, Juſti. Et in Tomis, Stratonis, Theodoti, Meronæ, Rodeſiæ, Secundi, Thomi, Magrini. Item Theodoti. In Alexandriâ, natalis ſancti Arpotis Confeſſoris.

Pridie Non. Jul. In Alexandriâ, Artoti, Zeti, Pallati, Philippi, Severi, Juliani. In Syricâ, Neveduno, Zotici, Amandi, Artetis. Auguſtiduno, depoſitio Legontii Epiſcopi & Confeſſoris. *Depoſitio ſancti Goaris Preſbyteri, & Confeſſoris.* Et Octavæ Apoſtolorum Petri & Pauli.

Non. Jul. In Alexandriâ, Parthenii, Eraclei, Eudomoni, Helei, Apolloniæ, Novi, Publii cum aliis decem & novem. Et alibi Parthemi, Animaſi, Pyvidui cum aliis ſeptem. Et Alibi, Alexandri, Parthimi.

VIII. Idus Jul. In Nicæâ, Suſtrati, Speri, Eracli. In Syrmiâ, Sanctorum Perenti, Cæcyriæ. In Cæſariâ Cappadociæ, Procobi, Quarti, Felicis. In Siciliâ, Prancati. In Taurominio, Seperi, Corneliani cum aliis ſexaginta. In Nicæâ, Pladi, Emmi, Senatoris, Alphi, Severi, Honorati, Eucoli, Elenti, Straton, Arthemi, Eudomoni, Heliæ, Novaſi, Apolivi cum aliis octodecim. In Heracleâ, Joannis, Apri, Anteoloci, Gliteri, Perenti, Stratonis. Et alibi, Agreſti, Primoli.

VII. Idus. Mediolano, Mochi. In Tomis, Sanctorum Zenoni, Minæ, Vitalis, Rufinæ, Evangeli, Uriſi, Agnetis, Cyrilli Epiſcopi igni traditi. In Siciliâ, Feliciani. Romæ, natalis Virginum Florianæ, Fauſtinæ, Anatholiæ, & Fraterni Epiſcopi.

VI. Idus Jul. Romæ, Priſcillæ, & natalis Sanctorum ſeptem germanorum, id eſt, Felicis, Philippi, Vitalis, Martialis, Alexandri, Silani, Januarii; & militum quatuor. Rufinæ, Secundæ, Lucini. In Sabinis, Anatholiæ, Victuriæ. In civitate Tomis, Martiani, Domni, Tromedi, Joannis, Seſini, Aurilianidis, Emiliani, & aliorum triginta ſex. In Alexandriâ, Leontii, Mauricii, Melliti, Achillei, Daneli, Corioni, Attoni, Zeſoni, Euſtaſi, Octavi, Aniceti, Theodori, Chriſti, Candidi, Gorgonii, Arcelai, Cyrini, Eofrodiſi, Gelani, Autici, Azeli, Attenei, Gagi, Silionæ, Auxenti, Valentini, Droditi, Fauſtaſi, Aureli, Gorgodiani, Cyrion, Coroli, Noſtini, Siſinnæ, Caſtrici, Apolloni. In Antiochiâ, Maximi, Rodogi, Vironici, Domninæ, Maximæ, Diogenis, Machari, Timothei, Zorchei, Iſici, Moënis. In Africâ, Sanctorum Januarii, Marinæ, Naboris, & Felicis. Et alibi, militum duodecim. In Armeniâ, civitate Nicopoli, Milionis, Diomedis, Antonii, Anitici, Theodoli, Ceſſi, Gaiani, Clerici, Siſinnæ, Nigdoni, Theodoti, Cyrilli.

V. Idus Jul. In Africâ, Mariani, & Januarii, Juliani. In Armeniâ, civitate Nicopoli, Januarii, Pelagiæ. Romæ, Sanctorum Stephani, Leontii, Mauricii, Domni, Militonis, Achillei, Danilæ, Diomedis, Cyrici, Antoni, Jaſon, Joannis, Euſtaſi, Octavi, Emiliani, Siſinni, Anici, Theodoli, Ceſſi, Candidiani. Item Archelai, Gurgonii, Cyrini, Afrodiſi, Gaiani, Clerici, Antoni, Gagi, Auxenti, Valentini, Flavii, Nicaoni, Theodoti, Fauſtaſi, Aureli, Gordiani, Cyrioni, Cyrilli, Caſtri, Sancti, Eutichii, Majuli, Silvii. In Syrmiâ, ſancti Martiani. Antiochiâ, Prodixæ, Veronicæ, Speciosæ. In Mauritaniâ, Martiani. In Alexandriâ, Eutici. *Et beatæ memoriæ Benedicti Abbatis.*

IV. Idus Jul. In Aquileiâ Fortunati, Armageri. In Siciliâ, natalis Naboris, Felicis, Euſtaſi, Antonii. Mediolano, Naboris, Felicis, Primitivi, Julii. In Cæſariâ, ſancti Divi, Corninſi. *Lugduno Galliæ, depoſitio Viventioli Epiſcopi.*

III. Idus Jul. In Alexandriâ, Serapionis, Tropiimei, Melei, Evangelii, & Propoli, Attali, Gelonis, Menei Preſbyteri, Tropimiæ Virginis, Macrobii.

Pridie Idus Jul. In Africâ, Donati. In Alexandriâ, Anthioti, Marii. Dagionâ, Meneſidei, Namoris, Petrigumni. Et alibi ſancti Foci Epiſcopi, & Confeſſoris. Lugduno Galliæ, natalis S. Juſti Epiſcopi & Confeſſoris. Amici Epiſcopi & Confeſſoris.

Idus Jul. In Alexandriâ, natalis Sanctorum Philippi, Zenonis, Naſei, & decem infantium. In Syrmiâ, natalis Sanctorum Agrippini, Secundi; Maximi, Fortunati, Martialis: Jacobi Epiſcopi Niſibini, qui in corpore multa paſſus eſt, & multa ſigna fecit; & arcam Noe ſolus vidit in monte; nullus alius vidit, qui cum eo erant, nec permiſſum eſt videre. In portu Romano, hoc eſt, in Hiſclâ, natalis Sanctorum Eutropii, Zoſimi, & Bonoſæ ſororis ejus. In Africâ, civitate Carthagine, natalis Sanctorum, Catholini Diaconi, & reliquorum Martyrum, qui requieſcunt in Baſilicâ ſanctæ Fauſtæ: Januariæ, Florentii, Pullutanæ, Juliæ ſimul & Juſtæ. *Corbeiâ Monaſterio, exceptio Reliquiarum ſancti Dionyſii, & ſociorum ejus.*

XVII. Kal. Aug. In civitate Oſtiâ, natalis S. Hilarini. Mediolano, natalis ſancti Macharii. In Antiochiâ, natalis Sanctorum Theodoſæ, Euſtaſi, Dionyſi, Theodoti, Maximi. In Cæſariâ, natalis ſanctorum Pauli, & S. Mammetis, Floridæ. Et alibi, natalis Sanctorum Valentini, Theoni, Diocletis.

XVI. Kal. Aug. In Africâ, natalis Sanctorum Aquilini, Speratæ, Chindini, Bituri, Azardi, Menelampi, Zoſimi. Mediolano, natalis ſancti Marcelli, Juſtini, Nonni. Carthagine, natalis Sanctorum Generoſæ, Januariæ, & Scillitanorum. Et alibi, natalis ſanctæ Mammæ. In Aſiâ, Nazarii, Veturii, Januarii, Secundæ, Donatæ, Beſſiæ, Maximi, Pauli, Aquilini, Felicitatis, Cutatæ, Titianæ, Beſſæ, Syrianæ, Entati, Juſtini. *Autiſſodero, depoſitio Beati Theodoſii Epiſcopi.*

XV. Kal. Aug. Romæ, viâ Tiburtinâ, milliario nono, natalis S. Symphoroſæ matris ſeptem germanorum, quæ cum ipſis eſt paſſa; quorum nomina hæc ſunt, Petrus, Marcellianus, Januarius, Dionyſius, Simphronius, Clemens, Germanus: Hirenei, Magni. In Doroſtoro, natalis Sanctorum Emiliani, Baſſi, Maximi, Pauli, Secundæ, Donatæ, Marini, Juſti. In Africâ, natalis Sanctorum Aquilini, Sperati, Civini, Felicis, Creſcentiani, Lactati, Nazarii, Vetuſæ, Generoſæ. Item Januarii, Titiani, Heſſæ, & Ealvei Epiſcopi, Jocundi.

XIV. Kal. Aug. In Alexandriâ, natalis ſanctæ Siſinnæ. In Antiochiâ, Sanctorum Macharii, Lampadii, Luciani, Philippi, Petri, Torquati, Tinnini, Joci. Conſtantinopoli, natalis ſanctæ Dariæ. In Hiſpaniis, natalis ſanctæ Juſtæ. Lugduno Galliæ, natalis ſancti Ruſtici Preſbyteri & Confeſſoris.

XIII. KAL. AUG. In Africâ, natalis Sanctorum Sabini, Luciani, Petri, Amabilis, Nonnæ, Savoi, Agrippiani, Medatuli, Respectati cum aliis viginti tribus. In Thebaidâ, natalis Sancti Victoris, Silvani. In Damasco, natalis Sanctorum Sabini, . . . Maximi, Juliani, Magrobii, Cassii, Pauli cum aliis decem. In Corintho, natalis Sanctorum Cyriaci, Donati, tertii, Appiæ, Felicis, Nertiæ, Fructi, Celsi, Theodoli, Calori, Parthemi, Spectati, Victoris, Maximi, Pastori, Nestitæ, Pauli, Romani, Valeriani, Emili, Cassii, Magni. Romæ, Passeriæ, Macrinæ, Nestitæ, Saturi, Amirini, Emili. Et alibi, Secundi. *Corbeiâ Monasterio, dedicatio Basilicæ beati Stephani Protomartyris.*

XII. KAL. AUG. In Africâ, Sanctorum Victoris, Stercorii, Emiliani, Hugali, Suphi, Montani. In civitate Cesenâ, natalis Sanctorum Adriani, Heli, Victoris, Patrocli, Cæsarianæ, Adrianitis, Dimeli, Felicis, Auribi, Typogratis, Fausti, Theodoti, Juliani. In Galliâ, Massiliâ civitate, natalis Sanctorum Victoris, Alexandri, Deoteri, Feliciani, & Longini. Et natalis sanctæ Praxedis Virginis.

XI. AUG. Natalis Sanctorum Cyrilli, Andreæ, Tebelli, Auri, ... Sylvani, Donati. Et in Ancyrâ Galatiæ, natalis sancti Platonis, & Militanorum [i] Andreæ, Fliani, Aiobosi. *Depositio Vuandregisili Abbatis & Confessoris.*

X. KAL. AUG. Romæ, viâ Tiburtinâ, milliario nono decimo, Natalis sancti Vincentii Martyris. Ravennâ, natalis Sancti Apollinaris. In Laodiciâ Phrygiæ, natalis Sanctorum Minisei, Tisici. Viâ Acculâ, natalis sanctæ Privatæ, Alexandrini.

IX. KAL. AUG. In Amiterninâ civitate milliario octogesimo tertio ab urbe Roma, via Salariâ, natalis sancti Victorini Martyris. In Armenia civitate, natalis Sanctorum Sabbatiæ, Theozoni, Victoris, Militaris, Emeritæ cum fratribus duobus, Statiani, Capitonis, Silvani, Stercati, Athenoginæ, Caritonis. In Tyro civitate, natalis sanctæ Christinæ Virginis.

VIII. KAL. AUG. Natalis S. Jacobi Apostoli. In portu urbis Romæ, natalis S. Aconti, Nonni, Jacobi, Agathoni, Donativi, Suavii. Et alibi, natalis Stercorii, Clementis, Juliani, Cariathonis, Emeriti, Stercei, Suticiani. In Siciliâ, civitate Samon, Christofori, Martyris. In Hispaniâ, Barcillonâ civitate, passio sancti Cucufatis Martyris.

VII. KAL. AUG. In Laodiciâ Frigiæ, natalis Sanctorum Joviani, Juliani, Emili, Felicis, Martiani, Maximæ, Saturninæ, Gloriosæ, Emili. Et natalis Sanctorum Mutianę, Laudaiæ.

VI. KAL. AUG. In Nolâ civitate, natalis sancti Felicis de ordinatione Episcopatûs. In Nicomedia, natalis Sanctorum Juliæ, Jocundæ, Januariæ. In Sicilia, natalis sancti Simonis. *In Autisiodero civitate, depositio sancti Etherii Episcopi & Confessoris.*

V. KAL. AUG. In Laodicia civitate Frigiæ, natalis Sanctorum Theophili, Auxentii, Prudentii, Philippi, Alexandri, Zotici, Bissiæ, Secundæ, Macharii. Et alibi, natale sanctorum Septimiæ, Augustæ Virginis, Cellæ, Nazarii. In Nicomedia, natalis Sanctorum Juliæ, Secundæ, Januariæ. Et natalis Pantaleonis & Sansonis Episcopi, Silvani. Mediolano, natalis Sanctorum Gervasii, Protasii, Nazarii & Celsi pueri. *Corbeiâ Monasterio, dedicatio Basilicæ sancti Petri Apostoli.*

IV. KAL. AUG. Romæ, viâ Portuensi, natalis Sanctorum Abscodi, Rufi, Abdi, Pontiani, Niceti. Viâ Portuensi inibi, ejusdem milliario septimo, natalis Sanctorum Simplicii, Faustini, Beatricis, Magni, Donatæ. In Africâ, natalis Felicis, Niticæ, Postinianiæ, Philippi. Et alibi, natalis Sanctorum Anastasiæ, Philippi, Saturnini, Calesti, Patruinæ; Pelagiæ, Jocundini. *Aurelianis civitate, depositio beati Prosperi Episcopi. Trecas civitate, depositio sancti Lupi Episcopi & Confessoris.*

III. KAL. AUG. In cœmeterio Pontiani ad ursum pilatum, natalis Sanctorum Abdon & Sennis. In Africâ, natalis Sanctorum Maximæ, Secundæ, Donatellæ, Rufi, Prisci, Paternicæ, Septimiæ, Optionis, Amoni, Justi, Juliæ, Poatamiæ, Abdis, Acenci. Item, Maximæ, Hospis, Donatulæ, Silvani, Magnili. *Autisiodero civitate, depositio beati Ursi Episcopi.*

PRIDIE KAL. AUG. In Africâ, civitate Cinnada, natalis Sanctorum Democriti, Secundi, Dionysii, Tyrsi. *Autisiodero, sancti Germani Episcopi & Confessoris; Aunachori Episcopi, natalitium, ordinatio Episcopi. Augustiduno, dedicatio Ecclesiæ senioris: & translatio multorum Sanctorum Martyrum.*

MENSIS AUGUSTUS
HABET DIES XXXI.

KAL. AUG. LITANIA INDICENDA. In Antiochiâ, passio Sanctorum Machabæorum septem fratrum cum matre suâ, qui passi sunt sub Antiocho Rege. Romæ dedicatio primæ Ecclesiæ, & à beato Petro Apostolo constructæ, & consecratæ. In Arabiâ, civitate Philadelphiâ, Synodus Martyrum celebratur: & natalis Sanctorum Cyrilli, Aquilæ, Petri, Domitiani, Rufi, Minandri unâ die coronatorum. Romæ, milliario trigesimo ab urbe, natalis Sanctorum Secundinis, Donatulæ, Secundulæ, Maximæ, Justæ, Menandri, ... funi, Silvani, Donati. In Italiâ, Vercellis civitate, depositio sancti Eusebii Episcopi, & Confessoris. In Hispaniis, Gerundâ civitate, natalis sancti Felicis Martyris. In Galliâ, civitate Bituricas, Beati Arceladi Episcopi. In territorio Parisiacensi, in ipso loco qui dicitur Lupera, passio sancti Justini Martyris.

IV. NON. AUG. Romæ in cœmeterio Calisti, sancti Stephani Martyris. In Antiochiâ, natalis reliquiarum Stephani Protomartyris & Diaconi; qui Hierosolymis est translatus ex revelatione Luciani Presbyteri. In Cæsariâ Mauritaniæ, Theodotæ & septem filiorum ejus. Et in Italiâ, civitate Romana, natalis Sanctorum Felicis & sancti Niceti. Nicomediâ, natalis Martyrum numero septem cum sociis eorum.

III. NON. AUG. Sancti Metrophili Episcopi, & Hermeli Martyris. In Constantinopoli, natalis sancti Achillei, Justi. Et natalis sanctæ, ... ddenis Martyris. Romæ, natalis Sanctorum Drogenis & Stephani. Hierosolymis, inventio corporis beatissimi primi Martyris, & Sanctorum Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis. *In Augustiduno, depositio Eufronii Episcopi & Confessoris.*

PRIDIE NON. AUGUSTI. Romæ viâ Tiburtinâ, in cœmeterio, natalis sanctorum Martyrum Crescentianæ, & Justæ. Et natalis sancti Secincti. In Nicomediâ, natalis Sanctorum Segæ, & Bartholomæi Martyris. *Lugduno Galliæ, adventus corporis sancti Justi de eremo.*

i *& Militanorum*] Lege, *& Militanâ.*

Nonis Aug. Natalis Sanctorum Herenti, Heracli, Dassi, sive Bassi. Axiopoli, Hereni, Herocli, Dassi. Romæ, dedicatio Ecclesiæ sanctæ Mariæ. In civitate Augustâ, passio sanctæ Afræ. Augustiduno, natalis S. Cassiani Episcopi. Catalaunis civitate, natalis sancti Memmi Episcopi, & Confessoris. Et alibi, natalis Sanctorum Floriani, & Filistinæ Martyrum.

VIII. Idus Aug. Romæ, in cœmeterio Calesti, viâ Appiâ, natalis Sixti Episcopi, & Felicissimi, Agapiti, Donatiani, Fausti, Prætextati, Laurentii, Hippolyti, & militum centum sexaginta duorum. Et passio sanctæ Afræ.

VII. Idus Aug. In Antiochiâ, natalis Sanctorum Symphronii, Veneriæ, & aliorum septem germanorum. In Tusciâ, civitate Areciâ, natalis sancti Donati Episcopi & Confessoris. Mediolano, natalis S. Faustini Martyris. Romæ, passio Martyrum numero viginti quinque. In Provinciâ Retiâ, civitate Augustâ natalis Sanctorum Afri, & Veneriæ.

VI. Idus Aug. Romæ, natalis Sanctorum Secundini, Severiani, Carpofori, Victorini, & Albini. Et in viâ Salariâ, Ostensi, Crescentiani, Largi, Memmiæ, Julianæ, Cyriacitis, & Smaragdi, Secundini, Albini, Victuriani, Faustini, Donatæ, Felicis, Silvani. In Nicomediâ, natalis Sanctorum Nazari, Julianæ, Agapæ Virginum, Euticiani, Corintonis, Diomedis, Metrodoræ Virginis, Justæ. Philadelphiæ, natalis S. Leonidis, Agapiti.

V. Idus Aug. In Oriente, natalis Sanctorum Firmi, Rustici, Primi, Crescentiani, Largi, Tyberiani, Amii, Tiberiani, Theodoti, Nemediani, Laudaci, Juliani, Polycarpi, Primi, Xysti, Agatopi, & aliorum numero undecim, Felicissimi, Carpophori, Zemaragdi cum aliis decem & novem. In Alexandriâ, natalis Sanctorum Antonini, & Onion, Tiburtini, Valeriani, Dionysii, Felicis, Euticiani, Gagi, Melciadis, Stephani, Urbani, Luci, Mamon, Sactiri, Nimidi, Ladici, Juliani, Polycarpi, Magni, Silvani. Romæ in cœmeterio, depositio Dionysii Episcopi. Et in Coloniâ, natalis Sanctorum Viriani, Marcellini, Secundini, Xysti. Urbe Lemovicas, S. Martini Brivatensis.

IV. Idus Aug. Romæ, viâ Tiburtinâ, natalis sancti Laurentii Archidiaconi, & Martyris. In viâ Appiâ, Felicissimi. Et alibi Crescentiani, Nerei, Jacenti, Januarii, Exuperati, Cyrilli, Quinti, Germani. Gemini, Quiriaci, Eugenii. Item Eugenii, Pastori, Lucellæ, Pontiani, Crispinæ, Innocentii, Terentiæ, Eleucippi, Sidori, Agapæ, Cristi, Euticiæ, Cyriacæ. Item, Eleucippi cum aliis sex Innocentibus, qui unâ die coronati sunt. Sevi, Crescentiæ cum aliis triginta quorum nomina habentur in libro vitæ. In Epheso, natalis septem dormientium.

III. Idus Aug. Natalis S. Tiburtii, & natalis sanctæ Susannæ. In Nicopoli, passio multorum Martyrum, quorum nomina Deus scit: & passio S. Cassiani. Ebrocas, natalis S. Taurini Episcopi & Confessoris. *Cameraco civitate in Galliâ, natalis S. Gaugerici Episcopi & Confessoris.*

II. Idus Aug. In Siciliâ, civitate Cathenas, natalis Sanctorum Eupli, Vereciæ, Veneriæ. Et in Syriâ, vico Gamarato, sanctorum Macharii, Juliani. Romæ, natalis Sanctorum Chrysanthi & Dariæ, & qui cum eis passi sunt; Claudii, Elariæ, Jasonis, Mauri, & militum octoginta sex. Et in Istriâ, natalis S. Juliani cum sociis suis.

Idus Aug. Romæ, natalis Sanctorum Hippolyti Martyris, Pontiani Episcopi, Corneli i, Cassiani, Calesti cum sociis eorum. Synnada Phrygiæ, natalis S. Antonii Episcopi. Lugduno Galliæ, natalis sancti Anoci Episcopi. *Pictavis, depositio sanctæ Radegundæ Reginæ. Ebrocas civitate, natalis sancti Landulphi Episcopi & Confessoris.*

XIX. Kal. Sept. Gendarâ Syriæ, natalis S. Fortunati Martyris. In Africâ, natalis S. Demetrii. Et alibi Eutici, Pauli, Heracli, Possessori, Parmi, Dissei, Hermæ, Prospolmi, Prosalami, Bermiæ, Heracli cum tribus. In Aquileia, natalis Sanctorum Felicis, Fortunatæ, Vincentiæ, Vindirasiri [l], natalis Sanctorum Eusebii, Tituli, Conditoris, Prospolami, Casti, Candidi.

XVIII. Kal. Sept. In Nicomediâ, natalis Sanctorum Stratonis, Philippi, & Euticiani; *& Assumptio sanctæ Mariæ matris Domini nostri.*

XVII. Kal. Sept. In Alexandriâ, natalis Sanctorum Orionis, Emeli, Anati, Justini, Luci. In Persidâ, natalis S. Tyrsi cum sociis suis.

XVI. Kal. Sept. In Cæsariâ Cappadociæ, natalis S. Mammetis Monachi. In Nicomediâ Bithyniæ, natalis Sanctæ Euphemiæ Virginis, Macharii. In Alexandriâ, natalis S. Orionis. Item Mammetis, Emeldisei, Mammitæ cum sociis suis, Juliani.

XV. Kal. Sept. Prænestinâ civitate, milliario ab urbe trigesimo tertio, natalis sancti Agapiti. Et in Ponto Ameciâ [m] civitate, natalis Sanctorum Pontimi, Philantiæ, Helianæ Virginis, Martianæ Virginis, & Lancianæ. In Africâ, natalis Sanctorum Massæ, Candidæ, Dissei, Amaciæ, Potomi, Martyrii, Agapiti, Eziaci cum sociis suis.

XIV. Kal. Sept. Ponto in Amaciâ civitate, natalis Sanctorum Filionis, Rufini, Leonti, Theodoli, Cyrilli, Zelasi, Timothei, Gaddæ, Romoli, Silvii. In Alexandriâ, natalis S. Orionis cum sociis. Et in Hierosolymâ, apparitio sanctæ Crucis. In Bitorivo, vico Vellauno, depositio sancti Mariani Confessoris. Et natalis sancti Magni Martyris.

XIII. Kal. Sept. In Lucaniâ, natalis Sanctorum Valentiani, Leontii. In Alexandriâ, natalis sancti Dioscori. In Synnadâ civitate, Sanctorum Pistiarci, Diomadis, Agativi, Zeli, Pamphili, Coloni Confessoris. In Turonico, Cainone castro, depositio sancti Maximi Confessoris. *Et depositio sancti Filiberti.*

XII. Kal. Sept. In Hispaniis, natalis Sanctorum Julii, & Julianii, Vincentii, Auguri, Eulodi. In portu Romano, natalis sancti Hippolyti Martyris. In Sardiniâ, natalis sancti Luxurii, Trajani, Quadrati Episcopi, Primi. In Alexandriâ, natalis Sanctorum Pisti, Sevi. Item, Quadrati. Sindofagiæ, natalis Sanctorum Arthosii, Diomedis, Zotici, Azatangeli, Moysei. In Lucanâ Provinciâ, natalis Sanctorum Valentini, Leontii. In Caballitano, vico Mimmati, passio sancti Privati Martyris.

XI. Kal. Sept. Romæ, viâ Ostense, in cœmeterio ejusdem, natalis sancti Timothei discipuli Pauli Apostoli. Et in portu Romano, Peregrinorum Martyrum, & natalis Sanctorum Martialis, Aureli, Epicteti, Saturnini, Aprilis, & Felicis cum sociis eorum, Justi & Julii. In Ponto, Neocæsariâ, natalis Sanctorum Nectavi, Sevi. In Antiochiâ, natalis sancti Marini. Augustiduno civitate, natalis Sanctorum Minervi, & Emiliani cum filiis octo, &

l *Vindirasiri*] An ullus est sanctus ejus nominis? Ita quidem arbitratus est Acherius, qui Vindirasirum in Hieronymiano Indice memoravit; nos verò longè aliter existimamus; nam cum statim sequatur, *Natalis*, &c. perspicimus ab imperito quodam librario Vindirasirum effectum esse ex urbe quadam Syriæ quæ hîc Vindira, suprà Gendara appellatur.

m *Ameciâ*] Dicere voluit *Amisinâ*, cùm hîc, tùm etiam die sequenti.

sanct

sancti Symphoriani Martyris.

X. Kal. Sept. In Aquileiâ, natalis Sanctorum Fortunati, Hermogenis, Xysti, Martialis, Hermogerati, Justi, Gerati. Romæ, natalis Sanctorum Abundantii, Innocentii, Mirerendini, Magnili. In portu Urbis Romæ, natalis sancti Hippolyti, qui dicitur Nunnus, cum sociis suis. In Ostiâ, natalis Sanctorum Quiriaci, Archelai. In Provinciâ Ciliciæ, natalis Sanctorum Agiæ, Claudii, Asterii, Neonis, Domnini cum sociis eorum. Lugduno Galliæ, natalis Sanctorum Minervii, Eleazari cum filiis octo Martyribus. Remis civitate, natalis Sanctorum Timothei, & Apollinaris. Augustiduno, depositio Flaviani Episcopi. Arvernis, natalis sancti Sidonii cum sociis suis. *Augustiduno, depositio Flaviani Episcopi.*

IX. Kal. Sept. In Antiochiâ, natalis Sanctorum Zenobii, Capitolini, Emeritæ, Italicæ, Juviani, Julii. In Indiâ, natalis sancti Bartholomæi Apostoli. Romæ, natalis sancti Genesii Martyris. Neverno civitate, depositio Patricii Abbatis. *In Rothomago civitate, depositio sancti Audoeni Episcopi & Confessoris. In territorio ejusdem, vico Luperciaco, depositio sancti Gyldardi Presbyteri & Confessoris. Et in territorio ipsius civitatis, depositio sancti Eptati Presbyteri & Confessoris.*

VIII. Kal. Sept. In Provinciâ Syriæ, natalis sancti Juliani. In Capuâ civitate Campaniæ, natalis Sanctorum Rufini, Euthici cum sociis eorum. Arelato, natalis Sanctorum Genesii Martyris, Julii, Hermetis, Joviani. In Hispaniâ, natalis Sanctorum Martyrum Justi, & Pastoris germanorum.

VII. Kal. Sept. Civitate Salonâ, natalis sancti Anastasii Martyris, ... siâ civitate Sanctorum Foeclani, Mercurii Martyrum. Romæ in cœmeterio, natalis Sanctorum Basillæ, Maximiliani, Quinti Martyrum. Viâ Prænestinâ, militum viginti quinque. Arelato civitate, natalis Sanctorum Sevi, Victoris, Primi. Item Victoris. *Autisiodero civitate, depositio sancti Eleutheri Episcopi cum sociis suis Confessoribus.*

VI. Kal. Sept. In Antiochiâ, natalis Sanctorum Sabasti, Alexandri Abbatum, Emeritæ. In Lucaniâ, Polentia civitate, natalis Sanctorum Felicis, Aronti, Sabiniani, Honorati. Et in Capuâ, natalis Sanctorum Rufi, Magni. Romæ, natalis Sanctorum Hermetis, & Basillæ, Julii. Constantinopoli, natalis Sanctorum Olii, & Stephani Mart. In Tomis civitate, natalis Sanctorum Marcellini, Tribuni, & Mannis uxoris ejus, cum filiis ejus Joanne, & Serapione: Clerici, & Petri militis. Et alibi quadraginta Martyrum, qui de Græco in Latinum translati sunt. *Arelato civitate, depositio sancti Cæsarii Episcopi & Confessoris. Augustiduno, natalis sancti Syagrii Episcopi.*

V. Kal. Sept. Romæ, viâ Salariâ vetere, in cœmeterio, natalis Sanctorum Hermetis, Basillei, Heliæ, Stephani Diaconi, Pollionis. In Alexandriâ, natalis Sanctorum Polieni, Serapionis, Justillæ. Constantinopoli, depositio sancti Alexandri Episcopi, & Viviani Episcopi. In territorio Arvernis Urbis, vico Brivate, natalis sancti Juliani Martyris. Santonas civitate, depositio sancti Viviani Episcopi & Confessoris. *In Africâ, civitate Hippone Regio, depositio sancti Augustini & Confessoris.*

IV. Kal. Sept. Pausatio sancti Helisei Prophetæ, discipuli sancti Heliæ Prophetæ. In Syrmiâ, natalis sanctæ Basilissæ Virginis. In Antiochiâ Syriæ, natalis Sanctorum Niceæ, Pauli. Romæ, viâ Ostense, natalis Sanctorum Felicis, Candidæ Virginis, Foricize, Adauliæ, Gemellinæ cum sociis eorum. Passio sanctæ Sabinæ Martyris.

III. Kal. Sept. Romæ, natalis sanctæ Gaudentiæ Virginis cum reliquis tribus. In Provinciâ Palæstinæ, civitate Sabastiâ, passio sancti Joannis Baptistæ. Et alibi, natalis Sanctorum nongentorum Martyrum, qui eàdem die passi sunt.

Pridie Kal. Sept. Treveris, depositio sancti Pauli Episcopi & Confessoris: hic in exilio requievit. Ancyrâ Galatiæ, natalis Sanctorum Gaiani, Luciani, Rufini, Vincentii, Silvani Vitalicæ Antiquiræ, Emelini, Florentini, Justæ, Juliæ, Antinei, Maximi. Item, Vitalicæ. Et depositio sancti Elladii Episcopi, Syrgi, Florentini cum sanctis sociis eorum. *Autissiodero, depositio sancti Optati Episcopi & Confessoris.*

MENSIS SEPTEMBER

HABET DIES XXX.

Kal. Septembris. Litania Indicenda. In Capuâ Aquaria, natalis sancti Prisci Martyris, Magnilis. In Tudertanâ Tusciæ, natalis Sanctorum Terentiani Episcopi, Felicis, Donati, Silvani. In villâ Her, Donati. In Apuliâ, Syracusa, natalis Sanctorum Evoti, Hermogenis, Calestæ, Juliani. In Africâ, civitate Tonizâ natalis Sanctorum Tusciæ, Dubitati, Valentii, Donatæ. In Cartagine, natalis Sanctorum Fortunati, Donati, Felicis. Et alibi, natalis Sanctorum Martini Episcopi Silinni, Amavis. Cinomanis civitate, depositio sancti Victoris Episcopi. Ambianis civitate, depositio sancti Firmini Episcopi, & Confessoris. *Egidii Abbatis.*

IV. Non. Sept. In Nicomediâ natalis Sanctorum Zenonis, Gorgonii, Monolappi, Theodotæ cum filiis suis: & Cosconi. In partibus Apamiæ, natalis Sanctorum Antonii, & Antonini Mart. In Cartagine, natalis Sanctorum Dubitati, Tusciæ, Valentini. In Siciliâ, natalis Sanctorum Eupli, Josephi, Felicis, Secunduli, Julii. In Alexandriâ, natalis sancti Theodori Martyris. In Antiochiâ, natalis sancti Timothei Martyris. Lugduno Galliæ, depositio sancti Justi, & dedicatio Basilicæ ipsius sancti. *Stabulaus, sancti Remacli Episcopi & Confessoris. Corbeiâ Monasterio, dedicatio Basilicæ sancti Martini Pontificis.*

III. Non. Sept. In Alexandriâ, natalis sancti Aristonippi Episcopi. Et in regione Apamiæ, Provinciâ Syriæ, natalis sancti Antonii pueri, Aresti Episcopi. In Aquileiâ ingressio reliquiarum sanctorum Andreæ Apostoli, Lucæ, Joannis Evangelistarum. Et alibi, natalis Sanctorum Euphemiæ, Syrici, Aritoni cum sociis eorum.

Pridie Non. Sept. In Ancyrâ Galatiæ, natalis Sanctorum Rufini, Silvani, Marcelli Gaiani, Helpidi, Antonini, Eustici, Maximi, Eusebii. Item, Gaiani, Vitalicæ, Gaison, Magni, Casti, Saturnini, Donati, Eleusi cum sociis eorum. Romæ, in cœmeterio Maximi, viâ Salariâ, depositio Bonifacii Episcopi. Ad sanctam Felicitatem, natalis Sanctorum Magni, Casti, Saturnini, Firmini. In Galliâ, civitate Cabillone, natalis sancti Marcelli Martyris. Treveris, depositio sancti Paulini Episcopi.

Non. Sept. In portu Romano, natalis Sanctorum Taurini, Heroi, Heraliani, Aristosi. Et passio Sanctorum Thothahelis, & sororis ejus nomine Bebeæ. In Capuâ Campaniæ, natalis Sanctorum Quinti, Arconti, Donati, Magni, Januarii. In Alexandriâ, natalis Sanctorum Memfidi, Sturninæ. Depositio Beati Ingenui cum sociis suis, quorum nomina Deus scit. In Ægypto, natalis Sanctorum Taurini,

Nemoiati, Satuinini, Arapolloni. In Galliâ, vicitate Veſontione, natalis Sanctorum Ferreoli, & Fertucionis cum ſociis eorum.

VIII. Idus Sept. Romæ, viâ Salariâ, milliario ab urbe natalis ſancti Eleutherii Epiſcopi. In territorio Cappadociæ, civitate Readden, natalis ſancti Cottidi cum ſociis ſuis.

VII. Idus Sept. Benevento civitate, natalis Sanctorum Senoti, Januarii, Fiſti, Acuti, Deſiderii. Et paſſio ſancti Anaſtaſii cum ſociis ſuis. Arelato civitate, depoſitio ſancti Auguſtalis Epiſcopi. Aurelianis civitate, depoſitio ſancti Evortii Epiſcopi & Confeſſoris Auguſtiduno civitate, loco qui dicitur Aliſia, natalis ſanctæ Reginæ Martyris. *In territorio Pariſiorum, vico Noviento, depoſitio Beati Clodoaldi Regis, poſtea Preſbyteri & Confeſſoris.*

VI. Idus Sept. Nativitas ſanct Mariæ Matris Domini noſtri Jesu-Christi ſecundùm carnem. Et paſſio ſancti Adriani Martyris. In Alexandriâ, natalis Sanctorum Ammoini, Juſti, Serapionis, Pii. Item Pii, Theophili, Neoteri, & aliorum viginti duorum, Nemeſi, Arioni, Ammon. Paſſio ſancti Petri, Sabini, Demetrici cum aliis quadraginta; Didymi, Mitiſori, Paneti, Achilli, Iſidori, Serapionis, Migitæ, Oroſei, Silvani, Arepionis, & aliorum ſeptingentorum quatuor. Item Denetri, Severi cum aliis undecim. Item Severi cum aliis quadraginta. In eâ die collectio multorum Martyrum corporum. In Antiochiâ, natalis Sanctorum Timothei, Fauſtiniani.

V. Idus Sept. Romæ, viâ Lavicanâ, inter duas lauros, natalis ſancti Gorgonii. Et in Sabinis, milliario ab urbe, natalis Sanctorum Hiacynthi, Alexandri, Tiburtii, Juvini, Silvani. In Cæſariâ Cappadociæ, natalis Sanctorum Donati, Eleaſſi, Fortunati, Ammonii. In Parthis, natalis Sanctorum Marci, Libratis, Julii.

IV. Idus Sept. In Cæſariâ Cappadociæ, natalis Sanctorum Eupliæ, Alexandri, Ciroſici, Hiſici, Alapon, Silvani cum aliis quinque. In Alexandriâ, natalis Sanctorum Nemeſi, Ammonis, Orionis, Heroſi, & aliorum octingentorum ſex; Didymi, Mereſori, Panepſi, Achillei, Niceti. Item Ammonis, Oroſi, Silvani, Oripion, Nimi, Sini, & aliorum novem, Panemodi, Niceti, Silvini. Romæ, depoſitio Beati Hilari Papæ. In Africâ, natalis Sanctorum Martyrum Doletatuli, Tuſciæ, Magari, Valentini.

III. Idus Sept. Romæ, viâ Salariâ veteri, in cœmeterio Baſillæ, natalis Sanctorum Proti, & Jacincti, Didymi. In portu urbis Romæ, natalis Sanctorum Ingenui, & Hippolyti Martyrum. In Alexandriâ, natalis Sanctorum Syri, & Serapionis. In Apuliâ, natalis Sanctorum Felicis, & Donati, Julii. *Lugduno Galliæ, depoſitio ſancti Patientis Epiſcopi.*

Pridie Idus Sept. In Siciliâ, civitate Cathenas, natalis Sanctorum Eupli, & Serapionis Epiſcopi, Magni. Romæ, natalis Sanctorum Proti, Sanctini, Hippolyti. Nicomediæ, natalis Ammonis Lectoris. In Aſiâ, natalis ſancti Dioſoli, Matronæ, Teclæ Virginis, Heracliæ. Et alibi, depoſitio Euſebii Epiſcopi. *Lugduni Galliæ, depoſitio beati Sacerdotis Epiſcopi & Confeſſoris.* Auguſtiduno, depoſitio beati Evanti Epiſcopi & Confeſſoris.

Idus Sept. In Apuliâ, natalis Sanctorum Feliciſſimi, & Secundini, Juſtini. Conſtantinopoli, depoſitio ſancti Joannis Epiſcopi. In Alexandriâ, natalis ſancti Theodoli Epiſcopi. In Antiochiâ, natalis Sanctorum Timothei, Theodori. In Turonis civitate, depoſitio ſancti Lidorii Epiſcopi. Andegavis civitate, depoſitio Beati Maurilionis Epiſcopi. *Auguſtiduno, depoſitio beati Nectarii Epiſcopi.*

XVIII. Kal. Oct. Exaltatio ſanctæ Crucis. Romæ, viâ Appiâ, in cœmeterio Caleſti, natalis Sanctorum Cornelii Epiſcopi, Saturnini. Et depoſitio ſancti Dionyſii Epiſcopi & Confeſſoris. In Africâ, civitate Carthagine, natalis ſancti Cypriani Epiſcopi, & Felicis, Honori, Demetrii, Zeti. Et alibi, depoſitio Eparci Epiſcopi.

XVII. Kal. Oct. In Alexandriâ, natalis Sanctorum trium fratrum, Cyrini, Leontii, Serapionis, Croci. In Ancyrâ Galatiæ, natalis Sanctorum Seleuci, & Valerii. In Tomis civitate, natalis Sanctorum Stratorii, Valerii, Merobi, & Gordiani, & Nicomedis Martyris. In Nicomediâ, natalis Sanctorum Arcii, Archeon. Et in Nuceriâ Campaniæ, natalis S. Conſtantii. In Anquirâ, depoſitio Pauli Epiſcopi. Et in territorio Cabillonenſi, caſtro Ternocio, natalis ſancti Valeriani Martyris. Lugduno Galliæ, depoſitio Albini Epiſcopi. *Natalis S. Aicadri Abbatis.*

XVI. Kal. Oct. Calcedone, natalis ſanctæ Euphemiæ Virginis. Romæ, natalis Sanctorum Victoris, Felicis, Alexandri, Papiæ, Magni. In viâ Nomentanâ ad Cap. in cœmeterio Martæ, natalis ſancti Emerentiani. Et natalis Sanctorum Paſies, Felicis, Victoris, Sperati, Navini, Chorinti, Secundæ, Donati, Generoſæ. Item Secundæ, Lupati. In Nuceriâ, Priſciani, Maximi. Romæ, Paſſio ſanctæ Cæciliæ Virginis, Saluti, Tyrſi.

XV. Kal. Oct. In Neveduno, natalis Sanctorum Valeriani, Magrini, Gurdiani. In Nuceriâ, natalis Sanctorum Conſtantii Sunctini. Chalcedone Bithyniæ, natalis Sanctorum Euphemiæ, Saleoſi. Suiportio, depoſitio ſancti Pauli Epiſcopi, Macrobi, Gaudiani, Iſici Mart. *In Galliâ, vico qui dicitur Leodius, paſſio ſancti Landeberti Epiſcopi & Martyris.*

XIV. Kal. Oct. In Alexandriâ, natalis ſancti Trophimi. Et in Nicomediâ, natalis Sanctorum Oceani, Xyſti, Medaci. In Mediolano, depoſitio ſancti Euſtorgii Epiſcopi, Satyri.

XIII. Kal. Oct. In Alexandriâ, natalis Sanctorum Demetrii, Palei, Nilipaci, Madihelii, Caſtoris, Saturini, Ceti Epiſcopi, Caſti, Julii. In Neapoli, natalis Sanctorum Januarii & Aniceti. Et in Synnadâ Phrygiæ, natalis ſancti Trophi. Viennâ civitate, natalis ſancti Ferreoli; & dedicatio Baſilicæ ipſius, & tranſlatio multorum corporum cum capite ſancti Juliani Martyris de Brivate ſub altare poſito. In civitate Treviris, depoſitio Militi Epiſcopi. Et alibi, natalis Sanctorum Trogi Epiſcopi, & Pii Diaconi, Capilei, Nili, Paterni, Muſci cum aliis centum quinquaginta. In territorio Biturino, vico Vellauno, natalis ſancti Mariani. In Nuceriâ, Hermei, Beati Epiſcopi, Felicis, Conſtantiæ, Privati, Euphemiæ, Sygonæ. *In territorio Lingonis civitate, in Monaſterio Segeſtro, S. Sigonis* [n] *Preſbyteri & Confeſſoris.*

XII. Kal. Oct. Synnada Phrygiæ, natalis Sanctorum Dormidoni, Dorothei, Privati, Felicis, Conſtantiæ. Item Felicis. In Nuceriâ, natalis Sanctorum Felicis, & Conſtantiæ, qui paſſi ſunt ſub Nerone.

n *S. Sigonis*] Acherius monet legi oportere S. Sequani; quod mihi quidem non placet, nam cum ex vulgari *S. Seine* fieri potuerit ut imperiti ſcriptores, quales media ætas plurimos effudit, opinarentur in illo Monaſterio coli ſanctum quemdam qui nomen ſequanæ flumini dederit, mihi videtur Sigonis nomen omninò eſſe retinendum. Et quidem eo magis, quod non aliter ſcribitur in Martyrologiis Gellonenſi & Sancti Galli.

XI. Kal. Oct. In Persidâ, civitate Tarrium, natalis sancti Matthaei Evangelistae. Piralice civitate, natalis sancti Evangelistae Lucae. Mediolano, natalis sancti Victoris. *Corbeia Monasterio, dedicatio Basilicae Domni Albini, & Marcellini Episcoporum.*

X. Kal. Oct. Romae, via Salariâ vetere, in coemeterio ejusdem, natalis sanctae Basillae. Sidunis civitate in loco qui dicitur Agaunus, natalis Sanctorum Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis cum sociis sex millibus quingentis octoginta quinque. .... *Autisiodero, adventus & exceptio corporis sancti Germani Episcopi & Confessoris ab Italiâ.*

IX. Kal. Oct. In Seleuciâ, natalis sanctae Teclae Martyris. Et in Alexandriâ, natalis sancti Marci Evangelistae. Romae, depositio sancti Liberii Episcopi.

VIII. Kal. Oct. Machirontâ castello Conceptio sancti Joannis Baptistae. Et alibi, natalis Sanctorum Julii, Christophori, Laurentii, Martialis, Victoris, Gargili, Marci, Nobilis, Victoriae, Secundolae, Faustinae, Valeriae, Celerinae, Donatulae. In Augustiduno civitate, vico Sediloco, natalis Sanctorum Andocii, Tyrsi, Aprilis, & Felicis Martyrum: Lucrosae. Lugduno, depositio sancti Lupi Episcopi & Confessoris. Arvernis, depositio sancti Rustici Episcopi.

VII. Kal. Oct. In Asiâ, natalis Sanctorum Eucarpi, & Bardonis cum aliis viginti. In Galliâ, Ambianis civitate, passio S. Firmini Episcopi, & Martyris. Et alibi, depositio sancti Marci.

VI. Kal. Oct. Romae, viâ Appiâ. in coemeterio Calesti, depositio S. Eusebii Episcopi & Confessoris. Et in Albano, natalis S. Senatoris. Et alibi, natalis S. Migigni, Naboris, Faustini. Et in Sardiniâ, natalis sancti Luxuri Martyris. *Arvernis, depositio Apollinaris Episcopi & Confessoris.*

V. Kal. Oct. In Caesariâ Cappadociae, natalis sancti Eleutherii. In Tarso Ciliciae, natalis Sanctorum Taraci, Probi, & Andronici, Justini. Aduciâ civitate, natalis Sanctorum Cosmi & Damiani Martyrum. In Ephesso, natalis sancti Timothei, discipuli Pauli Apostoli. In territorio Augustiduno civitate, sancti Florentini, Silvani, Firmi.

IV. Kal. Oct. In Africâ, natalis Sanctorum Laurentii, Faustini, & Victuriae, Candidae, Valeriae, Donatae, Levae; Luciosae, Gagili, Placidi, & aliorum multorum; Longini, Victuriae, Prisciniani. Romae, natalis sancti Stactei. Genuâ civitate, depositio Salonii Episcopi & Confessoris. *Autisiodero, depositio sancti Alodi Episcopi & Confessoris.*

III. Kal. Oct. In Thraciâ, Eutici, Plauti, Planciti, Ambuti, Araclae, Traciae, Donatae. Romae, militum sexaginta octo. *Dedicatio Basilicae Archangeli Michaelis in monte qui dicitur Garganus.* Et alibi, Januarii, Sosii, Ampuni, Celedoni, Justini. Autisiodero, depositio Fraterni Episcopi & Confessoris.

Pridie Kal. Oct. In Placentiâ civitate, natalis sancti Antonini Martyris. In Mediolano, translatio corporis sancti Victoris Martyris. Bethlehem civitate, depositio S. Hieronymi Presbyteri.

MENSIS OCTOBER

HABET DIES XXXI.

KAL. OCTOB. LITANIA INDICENDA. Prisci, Faustini Mart. Alexandri, Eopropi, Saturnini, Spei, Primi, Donati. Item Dignae, Paffico, Prepi. In Tomis, Julii. *Autisiodero, depositio Germani Episcopi. Remis civitate, sancti Remigii. Treveris, sancti Niceti.*

VI. Non. Oct. In Nicomediâ, Eleutherii. In Antiochiâ, Primi, Quirilii, Pitini. Romae, natalis sancti Eusebii. Et alibi, Leonis, Gaiani, Secundi. Item Secundi, Platonis, Longi. *In Galliâ, passio sancti Leodegarii Episcopi & Martyris.*

V. Non. Oct. Antiochiâ, Theogeni. Africâ, Victoris, Urbani, Sapargi. Et alibi, Felicis, Amponi, Casti.

IV. Non. Oct. In Aegypto, Marci, & Martiani Martyrum. In Africâ, Marcusi, Restituti, Julii. Et alibi, sancti Dasii, alibique Marcelli Episcopi. Autisiodero, depositio sancti Marsi Presbyteri & Confessoris.

III. Non. Oct. In Siciliâ, Placiti, Eutici, & aliorum triginta. Et alibi, Barici, Victorini, Fausti, Pelagii. Valentiâ civitate, depositio Apollonaris Episcopi & Confessoris. Autisiodero, depositio Sanctorum germanorum Firmati Diaconi, & Flavianae Deo sacratae Virginis.

Pridie Non. Oct. Capuâ, natalis Sanctorum Marcelli, Casti, Emeli, Saturnini, Donatelli. Romae, Balbinae, & depositio sancti Marci Episcopi, Juliani. In Africâ, Rogati, Saturnini, Januarii, Faustini, Martialis. In Apuliâ, Casti, Emeli, Saturnini, Ammonii Presbyteri. Agenno civitate, natalis sanctae Fidis Virginis & Martyris. *In civitate Autisiodero, depositio sancti Romani Episcopi.*

IX. Idus Oct. Romae, viâ Appiâ, depositio Sanctorum Martyrum Apulei, & Marcelli Episcopi, & Marci Episcopi & Confessoris. In Capuâ Campaniae, Quarti & Marcellini. Et alibi, sanctae Juliae, Syrgi, Bacci, & natalis sancti Matthaei Evangelistae. Bituricas civitate, sancti Augusti Presbyteri & Confessoris.

VIII. Idus. Oct. In Antiochiâ, Dionysii Episcopi, Januarii, Faustini Mart. Martialis, Privati, Eraclii, Juliani, Pelagiae.

VII. Idus Oct. In civitate Laodiciâ Phrygiae, natalis sancti Theodoli. Et alibi, Attici, Ludduli, Septimi, Juli. Coloniâ Agrippinâ civitate, natalis sanctorum trecentorum septemdecim Martyrum. In provinciâ Cretâ, civitate Augustâ, natalis sanctae Afrae Martyris. In civitate Viennâ, multorum Martyrum. Parisius, natalis sanctorum Dionysii Episcopi, Rustici Presbyteri, Eleutherii Diaconi. *In Centulo Monasterio, translatio corporis beati Richarii Confessoris.* Romae, Marcelli, Genuini, Novii, Justi. Inter duas lauros, sanctae Primivae, Custi, Julii. In Ciliciâ, Taraci, Probi, & Andronici. *In Centulo Monasterio, depositio corporis B. Richarii Confessoris. Corbeiâ Monasterio, depositio Theofridi Abbatis.*

VI. Idus Oct. In Africâ, Aeraclii, Dionysii, Septimiae, Secundae, Salsae. Et alibi, Caiti, Quintasi, Septimi, Venusti, Beati, Secundi, Donati, Sereni, Crescenti, Taraci, Probi, Andronici, Niceti. Natalis Firmini, Heracli, Cassi, Eusebi, Florenti, Victoris. Agrippinae, Mallusii cum aliis trecentis triginta Martyribus. Eodem die, natalis sancti Cerbonii Confessoris in Populonio.

V. Idus Oct. In Acerno° Siciliae, sancti Athanasii Presbyteri, Ampodi, Placidi, Fausti, Januarii, Martialis, Marcelli, Juviniani. Antiochiâ, sancti Eraclii. Eodem die, sancti Nicasii, & aliorum Martyrum.

IV. Idus Oct. In provinciâ Syriae, sanctorum

° *in Acerno*] Editum erat *in acervo*.

Evagrii, Prosiriæ. In Ægypto, Eustasii Presbyteri. In Campaniâ, natalis sanctorum Eucaristi, Fortunati. In Ravennâ, viâ Laurentinâ, natalis sancti Edisti. Romæ, Calesti, Saturi. Bituricas, sancti Opionis.

III. Idus Oct. In Hispaniis, Cordubâ civitate, Fausti, Martiæ: In Calcedoniâ, natalis sancti Adriani. Item, Fausti, Januarii, Marcelli. In Alexandriâ, Athanasii Episcopi & Confessoris.

II. Idus Oct. Romæ, viâ Aureliâ, in cœmeterio Calapodii, Calesti Episcopi, Saturi. In Cappadociâ, Lupranpodi, Modesti, Luciani, Saturnini, Simplici, Saturi, Placidi. Cordobâ civitate, Lupi, Aureliæ, Maximi. *Lugduno Galliæ, translatio corporis sancti Justi Episcopi & Confessoris.*

Idus Oct. Coloniâ civitate, natalis sanctorum Maurorum de militibus. In Capuâ, Luplili. Viâ Aureliâ, in cæmeterio ejusdem, sanctæ Fortunatæ.

XVII. Kal. Novembris. In Baiis, sancti Sussi Martyris. In Africâ, Cecræ, & aliorum pariter passorum ducentorum septuaginta; Merii, Aufidi, Saturnini, Nerei.

XVI. Kal. Nov. Nicomediâ, Alexandri. In Mauritaniâ, Nini, Victuriæ, Nobilitani, Mauritani, Luci, Citini, Criscentiani, Rufiani, Donati, Defensoris, Rusticiani, Serviliani, Sacrati, Veneriæ, Januarii, Mustulæ, Quintasi, Memmæ, Primæ, Donatæ, Severæ, Victuriæ, Basillæ, Magnili.

XV. Kal. Nov. In Oriente, translatio corporis sancti Lucæ Evangelistæ. In Nicomediâ, Lucæ, Victurinæ, Justini. In Axiopoli, Hermetis, & Taxis, Julii. Et juxtà portum Romanum, passio S. Agnetis Virginis. In Campaniâ, civitate Puteolis, Januarii, Felicis. Et depositio Justi pueri. In Africâ, Lucii, Victoris, Dasi, Leuci, Victorici, Beresi Episcopi, Victricis, Faustini, Martialis. *Ebrocas civitate, natalis S. Aquilini Episcopi & Confessoris.*

XIV. Kal. Nov. In Ostiâ, Austerii Presbyteri. Neapoli, Sussi, Januarii, Festi, Desiderii. In cœmeterio Puteolis, Prosculi, Prosduci, & Nicæ matris ejus, Domnæ Virginis, Asti, Buiti. In Antiochiâ Syriæ, natalis sanctorum Pelagii, Beronici, Pelagiæ, & aliorum quadraginta octo Martyrum.

XIII. Kal. Nov. In Puteolis civitate, Dasii, Anosinimi, Januarii, Dorothei, Sutimii, Januariæ. In Nicomediâ, Eusticis, Promachi, Lucii, Marcellini, Berniaci. Item Susimi, Januarii, Julii. Agenno civitate, sancti Caprasii Martyris.

XII. Kal. Nov In Nicomediâ, Dasii, Zotici, Gai cum duodecim millibus Martyribus. In Africâ, Modesti, Eutici, Materi, Dissei. In Nicæâ Bithyniæ, Afrigis, Macharii, Dicei, Proculi. Neapoli, Modesti, & aliorum octoginta quatuor. Puteolis Campaniæ, Proculi, Euticis, Macharii, Donatellæ. Lugduno Galliæ, Viatoris pueri, discipuli sancti Justi Episcopi.

XI. Kal. Nov. In Adrianopoli Thraciæ, Philippi Episcopi, Eusebii & Hermetis, Severi. In Portu, sancti Valerii Martyris. In Thraciâ, item Severi. Et alibi, passio sancti Leugati.

X. Kal. Nov. In Adrianopoli, Severi, Dorothei. In Cæsariâ Cappadociæ, Seuresi, Magni, Justi. In Galliâ, depositio sancti Gratiani Martyris.

IX. Kal. Nov. In Nicomediâ, Severi, Vitalis, Felicis, Rogati, Paperi, Victuriæ, Flaviani, Victoris. Hierapoli Phrygiæ, Claudiani, Eutheri, Flavini, Justi, & Victoris.

VIII. Kal. Nov. Romæ, Maximi, & aliorum centum viginti militum, quorum nomina Deus scit. In Gavalis, depositio Beati Hilarii Episcopi & Confessoris. In Africâ Saturnini, Claudiani, Primivi, Flaviani, Zotici. In Sardiniâ, Savini, Saturi, Asteri, Chari. Suessionis civitate, natalis sanctorum Crispini & Crispiniani Martyrum; Claudiani, Rogati, Papari, Felicis, & Vitalis. *Sanctonas, translatio corporis S. Vibiani Confessoris & Episcopi.*

VII. Kal. Nov. In Nicomediâ, sanctorum Luciani, Mardiani, Florii, Eraclii, Tuti.

VI. Kal. Nov. In Africâ, Sanctorum Saturnini, Flavii. In Phrygiâ, Tarsi, Polycapi, Gai, Eumini, Nocomini, Longi, Diodori, Metrobi, Euminæ, Tuti. Romæ, Mariani, Lucii, Viveti. In Sardiniâ, Poti, Januarii, Tarrei, Comuinæ, & sancti Florentii.

V. Kal. Nov. In Antiochiâ Syriæ, Marandi, Marianæ, Arcelludi. In Cartagine, sancti Suffronisceni. Et alibi, sanctorum Apostolorum Simonis Cananæi, & Judæ Zelotis. Amaranti, Quinti, & Justi, Lucii.

IV. Kal. Nov. In Lucaniâ, Sacincti... Quinti, Felicianæ, & Lucaniæ Martyrum.

III. Kal. Nov. In Nicomediâ, Januarii, Calendionis, Martialis, Germani, Marci, Theophili, Eusebii. Et in Africâ, Passio sanctorum numero centum viginti, Martyrum. Item, Felicis, Quinti, Lucæ, Luciani, Victoris, Vitalis, Donati, Petri, Marii, Januarii, Firiæ, Hermetis, Urbani, Attiti. Et passio sancti Feliciani cum sociis suis. In Antiochiâ, Januarii, Martiani, Nazarii, Gervasii, Protasii, & Celsi pueri. *Tolosæ, translatio corporis sancti Saturnini, Episcopi & Martyris.*

Pridie Kal. Nov. In Africâ, Clacovii, Juliani, Fortunati, Silvani, Calendionis, Bonifaciæ, Castæ, ... Gallicæ, Agapi, Victuriæ, Felicis, Simoni, Donati, Rusticiani, Fortunati, Romani, Silvani, Mimmi, Angelasi, Nuncini, Felicissimi, & aliorum viginti novem; Valerii, Vincentii. In Hispaniâ, Januarii. In Macedoniâ Vitalis, Petri, Crescenti, Alterini, Victorini. Item Petri, Mar...., Mammari, Saturnini, Vigilantii, Nuncini, Magnili. In Nicomediâ, Philippi, & Calendionis. Augustâ Viromandorum in Galliâ, sancti Quintini.

MENSIS NOVEMBER

DIES HABET XXX.

Kal. Novemb. Litania Indicenda. *Festivitas omnium Sanctorum.* Petri, Mammeri, Saturnini, Magni. Et passio Eustachii Martyris cum uxore & filiis. In Macedoniâ, Basilis, Jacobi, & sancti Joannis Evangelistæ. In Terracinâ, natalis sanctorum Meldegasi, Juliani, Victoris, Felicis, Sati, Perseveranti, Octaviæ, Cessiæ, Eristei, Saturnini, Simplicii, Primi, Cesarii, Magni, Justi. In Cæsariâ, natalis sancti Macedonii. Et alibi, natalis sanctorum Januarii, Petri, Crescentis, Victurini, & aliorum Martyrum. Castro Divione, passio sancti Benigni Presbyteri & Martyris, & sancti Melanti. Augustiduno, depositio sancti Primi Episcopi. *Bajocas civitate, sancti Vigoris Episcopi & Confessoris. Sitio Monasterio, depositio sancti Audomari Episcopi & Confessoris. Pictavis civitate, Dedicatio Basilicæ S. Hilarii Episcopi & Confessoris.*

III. Non. Nov. Dedicatio Basilicæ sancti Andreæ Apostoli. In Cæsariâ Cappadociæ, natalis Sanctorum Germani, Theophili, Cæsarii, Egrili, Vitalis. Et alibi, passio sanctæ Agriculæ Virginis & Martyris. Item, Felicis, Crescenti.

Pridie Non. Novemb. In Africâ, natalis sanctorum Primi, Cæsarii, Gregorii, Porphyrii, Satu-

ri, Amanti, Publii, Secundæ, Victorinæ, Perpetuæ, Victoris, Quarti. In Nicæâ, natalis sancti Domnini. *Augustiduno, depositio Proculi Episcopi. Rotenis civitate, depositio sancti Amantii Episcopi, & Confessoris.* Bituricas, depositio sancti Lusoris pueri, & Confessoris.

Non. Novemb. In Cæsariâ Cappadociæ, natalis sanctorum Domnini, Cæsarii, Epiphanii, Gregorii, Appini, Saturnini, Amantii, Publii, Mart. in Campaniâ, natalis sanctorum Marciæ & Secundæ. Capuâ civitate, natalis sanctorum Evrasi, & Quarti, Joci, Ludi.

VIII. Idus Nov. In Nicomediâ, natalis Sanctorum Adriani, Juliæ, & Eusebiæ. In Africâ, natalis Sanctorum Donati, Pauli, Balsami, Domnini, Primæ, Duliæ, Fortunatæ, Januariæ, Quartæ. Et in Tonizâ Africæ, natalis sancti Felicis. Et in Phrygiâ, natalis Sanctorum Januarii, Attici, Barici, Mammari, Venericini, & Veneriæ. *Regidona, natalis sancti Melanii Episcopi & Confessoris.*

VII. Idus Nov. In Nicomediâ, natalis sancti Eusebii, Pobisi, Eustasii, Marii, Primi, Juliæ, Januariæ, Rogatianæ, Optati, Adriani. Et in Africâ, natalis Sanctorum Rogati, Donati, Primæ, Juliæ.

VI. Idus Novemb. Romæ, natalis Sanctorum Simplicii, Symphronii, Claudii, Custori, Nicostrati, & Sanctorum quatuor coronatorum, Severi, Severiani, Carpophori, Victorini. In Africâ, natalis Sanctorum Primi, Macharii, Justi, Amaranti, & aliorum nonaginta quatuor. Et in Nicomediâ, natalis Sanctorum Damiani, Eusebii, Calesti, Eustasii, & Marii, Magni.

V. Idus Nov. In Nicomediâ, natalis Sanctorum Damiani, Donati, Restituti, Victorini, Salutaris, Crescentis, Demetrii, Nemesii & Exuorgii, Eusebii. Romæ, natalis Sanctorum Clementis, Symphronii. In Hispaniis, natalis Sanctorum Fausti, Januarii, Martialis Mart.

IV. Idus Nov. In Antiochiâ, natalis Sanctorum Primi, Macharii, Diaconi, Eustasi, & sociorum ejus, Januarii, Candidiani. In Africâ, natalis Sanctorum Saturnini, Donati, Anniboniæ & aliorum septemdecim. Romæ, depositio sancti Leonis Episcopi. *In civitate Aurelianis, depositio Beati Monotoris Episcopi & Confessoris.*

III. Idus Nov. Ravennâ, natalis Sanctorum Valentini, Feliciani, Octavi, Felicis, Januarii, Eurundini, Victorini, Felicis, Nisei, Juliani, Vincenti, Januari, Giddini, Bonifaciæ Martyris, Minaci, Domni, Firmæ, Mariæ, Felicitatis, Feliciæ, Innocentiæ, Fortunati, Principiæ, Domnicellæ, Clementini, Januariæ, Victuriæ, Juliani. Alexandriâ Metropoli, natalis sancti Menæ Martyris. Turonis civitate, depositio sancti Martini Episcopi & Confessoris. *Lugduno Galliæ, depositio Verani Episcopi.*

Pridie Idus Nov. In Africâ, natalis Sanctorum Auruli, Publii, Vincentii. In Cæsariâ Cappadociæ, natalis Sanctorum Germani, Theophili, Cæsarii & sancti Eusebii.

Idus Nov. In Thraciâ, natalis Sanctorum Ædicti, Eutici, Felicis, Hermogeni, & Agiestis Martyrum. Et in Cæsariâ Cappadociæ, natalis Sanctorum Antonii, Gebennæ, Germani, Mannicæ, Adriani cum sociis suis. Ravennâ civitate, natalis Sanctorum Valentini, Solutoris, & Victoris. Et alibi, depositio sancti Jacobi Apostoli. *Rotenas civitate, depositio sancti Amantii Episcopi & Confessoris. Turonis civitate, depositio sancti Briccii Episcopi & Confessoris.*

XVIII. Kal. Decembris. In Eracleâ civitate Thraciæ, natalis Sanctorum Clementis, Clementini, Theodotæ, Philomini, & aliorum multorum. Et ipsâ die, natalis sancti Eraclii.

XVII. Kal. Dec. In Africâ, Sanctorum Secundi, Fidentiani, Varici, Martialis. Africâ civitate, natalis Sanctorum Siddini, Saturnini, Servi, Calendionis, Galani, Primi, Genui, Secundæ, Theodoti, Demetri, Parentis, Saturæ, Firmi. In Antiochiâ, natalis Sanctorum Donati, Restituti, Valerianæ, Fructuosi cum aliis duodecim. *Depositio sancti Machuti Episcopi.*

XVI. Kal. Dec. In Africâ, natalis Sanctorum Rufiani, Marci, Valerii, Victoris, Pauli, Honorati, Donati, Barici, Vitalis, Januarii, Justi. Et alibi, natalis Sanctorum Fidentiani, Martialis, Donati, Valeriani, Poëtiani. Et natalis Sanctorum Nerei, Pauli, Adriani, Secundiani, Martialis, Victoris, Victori, Anteconi, Auriliani, Marcelli, Marianæ, Secundi, Frontoni, Majulini. In Antiochiâ, Augustini, Justæ, Auricæ, Pontiæ, Fructuosæ, Matrondæ, Fructæ, Vincentiæ, Marci, Aruspici, Mariæ, Fistæ, Fortunatæ, Felicitatis, Silvani. Et in Capua, natalis Sanctorum Vitalis, Januarii, Justi, Augustiani, & Justæ. *Lugduno Galliæ, depositio sancti Eucherii Episcopi & Confessoris.*

XV. Kal. Decemb. In Capua civitate, natalis Sanctorum Augustini, Eusurii, Felicitatis. In Nicomediâ, natalis sancti Ammonii. In Asiâ, natalis Sanctorum Phileæ, Matronæ, Teclæ Virginis. In civitate Hierapoli, natalis Sanctorum Victoris & Alphei, Romulæ. Romæ trans Tiberim, natalis sancti Cæcilii: In Nicomediâ, natalis sancti Ammonii. In Asiâ, sanctorum Diobidis, & Didæ. Et in Heracleâ civitate, natalis Sanctorum Gregoriæ, Victoris, Gemini. In Cæsariâ, natalis Sanctorum Theodotæ, Alphæi, Zachæi, Romani. Cartagine Africæ, Dubitati, Tusci, Valentii, sancti Calendionis, Montani. *Aurelianis civitate, depositio Aniani Episcopi & Confessoris.*

XIV. Kal. Dec. In Antiochiâ civitate, Romani Monachi, Baralæ, & Hesychi Mart. In Hispaniâ, Corduba civitate, Acisclæ Martyris. In Cæsariâ, Bonuli, Victoris, Proximi, Luciani, Cartherii & Martiani. In Heracleâ, item Cartherii & aliorum quadraginta.

XIII. Kal. Dec. In Cæsariâ, Maximi, Mutiani, Neoferi, Tobis, Januarii, Vitalis, Carterii, Martiani, Dicenti, Zephori. In Heracleâ, sanctæ Mulieris cum sex suis quadraginta. Augustiduno, Simplicii Episcopi.

XII. Kal. Dec. In Heracleâ, Bassi, Dionysii, Orionis, & Dassi. In Cæsariâ, Agapiti. In civitate Missanâ, in Siciliâ, Ampheli, Caï. In Hispaniis, Maximi Presbyteri, Calendionis, Marci, Victoris, Felicis, & Milini, Fausti, Crispini. In Antiochiâ, Basilii & Dionysii, Rusticii. Taurinis civitate Octavi, Solutoris, Adventoris, & Agapæ Virginis; Basillei, Saturnini, Emeriti, Secundi.

XI. Kal. Dec. Antiochiâ, Basilei, & Auxilii, Saturnini, Zeppheri, & Matronæ, Basilicæ, Carali, Euthicis, Calendionis, Euelpisti. Romæ, natalis sancti Clementis Confessoris. In civitate Austis, Demetrii, Honorii, Maximi, Quintiani, Sisinnii, Stasi, Tuti, Stephani, Pion, Heraclii, Macedonii, Veri, Theodoli.

X. Kal. Dec. Romæ, Cæciliæ Virginis, Valeriani, Tiburtii, Maximi. Alexandriâ, Felicis, Demetrii, Zeti. Et in Africâ, Chrysogoni, Cleti, Verociani. Item, Demetrii. Item, Zeti. In Cappadociâ, Longini, Euthici, Leonti, & Faustiniani. *Augustiduno, Pragmati Episcopi.*

IX. Kal. Dec. Romæ, Maximi, natalis sancti

Clementis Episcopi & Martyris, Chrysogoni, sanctæ Felicitatis, Maximi. Et Cedecas, sancti Marci Episcopi. In Cæsaria Cappadociæ, Verociani, & Euticis. In Alexandriâ, natalis Sancti Episcopi. In Tusciâ, sanctæ Musculæ, Felicis, Vitalis, Martiani, Bonifatiani. Bituricas, sancti Fateri Presbyteri. *In Italiâ, Monasterio Bobio, depositio sancti Columbani Abbatis. In Galliâ, vico Sarcingo, depositio sancti Trudonis Presbyteri & Confessoris.*

VIII. Kal. Dec. In Aquileiâ civitate, sancti Chrysogoni, Eleutheri, & Maximi. Et in oppido ejusdem, Antiroditi Episcopi. In Africâ, Mammeri, Saturi, Rogati, Donati, & aliorum viginti. In Perusia Tusciæ, sancti Felicissimi.

VII. Kal. Dec. Luciani, Martiani, Claudiani, Cypriani, Martialis, Petri, Felicis, Vitalis, Juliani, Victoris, Januarii, Donati, Quiriaci.

VI. Kal. Dec. Romæ, sanctorum Siricii Episcopi, & Saturnini. In Aquileiâ, Valeriani Episcopi & Confessoris, Ammonii, Sereni, Romanæ. In Alexandriâ, Petri. In Africâ, Monæ, Melisi, Berinæ, Victorinæ, & Marcellini. Augustiduno, depositio sancti Amatoris Episcopi.

V. Kal. Dec. In Nicomediâ, Marcelli, Petri, Numeri, Sereni, Melisi, Victorini. In Galliâ, civitate Bononiâ, Agriculæ, & Vitalis, Magni, Julii. In Mediolano, Lucæ, Andreæ, Joannis, Severi, Euphemiæ. In civitate Regiensi, depositio sancti Maximi Episcopi.

IV. Kal. Dec. In Syriâ, Trophimi, Theodoli, Expeccasi, Eucherii, Eusebii, Julii.

III. Kal. Dec. Romæ, Arosonis, Saturnini, Chrysanthi, Dariæ, Mauri, & aliorum septuaginta duorum. In Galliâ, civitate Tolosa, natalis Saturnini Episcopi & Martyris.

Pridie Kal. Dec. In Provinciâ Achaiâ, civitate Patras, natalis sancti Andreæ Apostoli, & Martyris. In Nicomediâ sanctorum Carionis, Tirionis. Et in Antiochiâ, Domnini, Merolæ. In Mediolano, sancti Ambrosii Episcopi de perceptione baptismi. Romæ, sancti Castuli, & Euprepetis, Saturnini, Chrysanti, & Mauri, Centuli, Theodoli, & Januarii.

MENSIS DECEMBER
HABET DIES XXXI.

Kal. Decembris. Litania Indicenda. Romæ, sanctæ Candidæ, Amboni, Filati, Lucii, Matronæ, Justini. In Africâ, Victori, Rogati, Mammari, Alequatæ, Quintasiæ, & natalis sancti Cassiani, Klenpimini, Donati, Saturnini, Fortunati, Luciani, & Optati. *In Galliâ, civitate Noviomo, sancti Eligii Episcopi & Confessoris.*

IV. Non. Dec. Romæ, natalis sancti Primenti, Pontiani, Pimini, Juveniani. In Mauritaniâ, Severi, Secuti, Januarii, Victorini, Fortunati, Meggini, Debbuchi, Victurini, Clemeni, Pontiani, Candidæ, Mammariæ, Agnetis, Donatæ, Primæ, Victuriæ, Secundæ, Septimiæ, Maximæ, Donatæ, Saturninæ.

III. Non. Dec. In Oriente, Merobii, Claudici, Felicis. In Nicomediâ, Umbuci. Item, Felicis, Victorici, Julii. In Africâ, Crispini, Magnæ, Joannis, Stephani, Victoris, Martini, Saviniani. In Bononiâ, sanctæ Agriculæ; & Intingi, Cassiani, Crispini.

II. Non. Dec. Heracleâ, Christiani, Pudenti, Migini, Victuri. Et in Laodiciâ Metropoli, Feliεis, Merobii, Faladi, Umbuni.

Non. Dec. Natalis sancti Crispini. In Africâ, Humili, Felicis, Julii, Patomiæ. Item, Crispini, Heracli, Missæ, Victoris, Trophimi, Eucarpion, & aliorum novem; Sanctorum Candori, Nansamoni, Pauli, Marci, Jussi, Privati, Fulgentii, Matronæ, Feladi, sanctæ Mariæ, sancti Amantii Episcopi.

VIII. Idus Dec. In Africâ, Zeloti, Fortunati, Gaï, Hermogenis & Rogatiani.

VII. Idus Dec. Antiochiâ, Polycarpi, Theodori, & Sapici, Severini, Secundini, Victorini, Clementis, & Primæ. Passio sancti Savini Episcopi.

VI. Idus Dec. Eusebii Episcopi, Usanni Presbyteri, Successi Episcopi.

V. Idus Dec. In Africâ, Petri, Successi, Basini, Victoris, Tonini, Porphyrii, Urbani, Januariæ, Malani, Pascenti. Item Urbani, Bonifacii, & aliorum viginti trium. In Antiochiâ, Geronti, Polintiæ, Silvani, Valentiæ, Valentinæ, Mariæ, Donatæ, Victuriæ, Agnillæ, Juventiæ, Rogatæ, Hermogenis, Felicis, Luticiani, Flaviani.

IV. Idus Dec. Victori, Consenti, Adriani, Heraclii, Erumenti, Pudenti, Migini, Victuriani, Pauli, Urbani, Marci, Cirinici, Cæciliæ, Orbanellæ, Crispinæ, Polentiæ, Privatæ, Vibianellæ, Cyriaci, Julii. Romæ, depositio Damasi Papæ; Germani, Eludi, Evangeli, Thrasonis, Mauri. Et in civitate Arvernis, Agriculæ, & Vitalis Martyrum. In Hispaniâ, civitate Emeritâ, passio sanctæ Eulaliæ Virginis.

III. Idus Dec. Romæ, sanctæ Eulaliæ, Trasonis, Pontiani, Capitulini, & aliorum multorum sine numero. In Alexandriâ, Sammoni. Et Emeritæ, Urbani. In Hispaniis, Euticiani. In Antiochiâ, Secundiani, Secundi, Zosimi, Pauli, & Kyriaci, Justi. Ambianis civitate, natalis Victorici, Fusciani, & Gentiani Martyrum. Et alibi, natalis sanctæ Mariæ, & aliorum multorum.

Pridie Idus Dec. Hermogenis, Donatæ, & aliorum viginti duo.

Idus Dec. Ravennâ civitate, Ursionis, & Leocadii Confessoris, & Valentini Martyris. Syracusâ civitate Siciliæ, natalis sanctæ Luciæ Virginis; & sancti Sicensi, Saturnini, Casti, Pauli, Felicis, Quintiliani, Modesti, Victorini, Januarii, Getdini, Feliciani, Stercorii, Feliciæ, Donatæ, Valeriæ, Colonicæ, Saturnini, Urbanæ, Maritimi, Victuriæ, Simpliciæ, & Securi, Dativi.

XIX. Kal. Januarii. In Antiochiâ, Drusi & sociorum ejus numero trium; Zosimi, & sanctæ Luciæ Virginis. Lugduno Galliæ, sancti Victoris Episcopi & Confessoris. Viennâ, Lupicini Episcopi. Remis, natalis sancti Nicasii Episcopi; & Sacrepi, Aspediæ, Theodoli.

XVIII. Kal. Jan. In Africâ, Faustini, Lucii, Candidæ, Materi, Marci, Januarii, Victori, Cæciliani, Maximi, Marciæ, Machaoniæ, Victuriæ, Secundæ, Primæ, Saturninæ, Machrosæ Ninæ, Restitutæ, & aliorum undecim. In Ascalone, Heliæ, Candidi. *Aurelianis civitate, Maximi Presbyteri & Confessoris.*

XVII. Kal. Jan. Ravennâ, Valentini, Navalis, Agriculæ, Concordii, Justini. *Arelato, dedicatio Basilicæ & altaris sancti Genesii Martyris.*

XVI. Kal. Jan. In Africâ, Victoris, Victoriani, Adjutoris, Quarti, Honorati, Simplicii, Ampamovi, Felicis, Vincenti, & aliorum triginta novem simul. Et Octori, Quinti, Donati, Victoriæ, Dioscori, Justiniani.

XV. Kal. Jan. Laodiciâ civitate, Theotini, Basiliani. In Africâ, Quinti, Simplici, Pompini, Artifæ, Chresti, Digni Datuli, Urbani, Martyri, Honorati, Evasi, Victurini, Salvatoris, Terturini,

Victuriæ, Cæciliani, Septimi, Rustici, Bessæ, Viciciani, Honorati, Lucaniæ, Reductulæ, Victuriæ Privatulæ, Cæciliæ, Saturnini, Phamonis, Felicis, Vincenti, Aresti, Musci, Siddini, Adjutoris. Romæ, Luciæ Martyris, & Auceiæ Regis simul, & Antonini, Erenei, Papeusæ, Apolliniæ Apamiæ, Poenicis, Cussevarionis, Papissei, Saturii, Satarii. Passio sanctæ Afræ Virginis, Victuris, Basiliani, Honorati, cum aliis viginti duobus Martyribus.

XIV. Kal. Jan. In Nicæâ civitate Bithyniæ, Zosimi, Pauli, Secundi, Cyriaci. Et alibi, sanctorum Anastasii & Siddini Episcoporum, Chrysanthi, & Dariæ Martyrum. *Autisiodero, beati Gregorii Papæ.*

XIII. Kal. Jan. In Thraciâ, civitate Gildobâ, Julii, natalis Teclæ, & sancti Libertini, Zosimi.

XII. Kal. Jan. In Mesopotamiâ, natalis, & translatio sancti Thomæ Apostoli, qui translatus est ab Indiâ, cujus passio ibidem celebratur. In Heracleâ, sancti Passini. Romæ, depositio sancti Innocentii, & passio Sanctorum Focæ, Florii, Honorati Episcopi & Confessoris.

XI. Kal. Jan. In Antiochiâ, sancti Basilei, Serapionis. Romæ, viâ Lavicanâ, inter duas lauros natalis Sanctorum triginta Martyrum unâ die coronatorum. Et Ostiæ, natalis Sanctorum Demetrii, Honorati. Et alibi, natalis Sanctorum Felicis, Joannis. Romæ, viâ Salense, depositio Sancti Felicis, & passio sanctæ Theodosiæ Virginis, & Didymi Monachi.

X. Kal. Jan. Depositio sanctæ Victoriæ, Romæ, sub Decio, quæ cum esset desponsata viro pagano, & Rel.....

Cætera legi non potuerunt in MS. ut pote à tineis corrosa; scilicet ab hac die ad VIII. *Kal. Jan. à quo incipit hocce Martyrologium.*

MONITUM.

MARTYROLOGII à se scripti mentionem facit Beda ipse in fine Epitomes his verbis: Martyrologium de natalitiis Sanctorum diebus, in quo omnes quos invenire potui; non solùm quâ die, verùm etiam quo genere certaminis, vel sub quo judice mundum vicerint, diligenter adnotare studui. *Prosaicum intelligit, nullibi metrici meminit.*

Metricum verò hocce Martyrologium exscripsit noster Joannes Mabillon ex Cœnobii S. Remigii Remensis apographo exarato manu Bertigarii Monachi, Ebbone Archiepiscopo, præfertque Bedæ nomen ac titulum, uti nos exhibemus.

Istud Martyrologium non ab VIII. *Kal. Januarias incipit, sed ab ipsis Januarii Kalendis. Complures in eo Sancti, qui in Bedæ Martyrologio prosaico apud Bollandum restituto leguntur, omittuntur in metrico: ut in Januario* Anterus Papa, Salvius in Africâ, Hilarius Pictavorum Episcopus, Felix Presbyter Nolanus, Marcellus Papa: & Scholastica *in Februario, &c.* Mellitus *in Aprili, &c.* Augustinus *in Maio, &c.*

Auctorem porrò Anglum extitisse ex variis colligitur sanctis Anglicanis; & quidem Monachum Girvvensis Cœnobii conjicimus ex festo Dedicationis, quæ V. *Kalend. Maii ponitur, tametsi Girvvensis Ecclesiæ Dedicationem* VIII. *Kalend. Maii factam docet Monasticon Anglicanum.*

Nulli illo in Martyrologio Sancti indicantur Beda posteriores; non S. Bonifacius Maguntinus, aut alii quivis illustres Sancti, imò nullus ætate inferior S. Wilfrido juniore, memorato in Aprili, qui Wilfridus anno DCC. XXXII. *obiit, uno tantùm anno postquàm Beda suam absolvit historiam. Unde non mirum si metricum Martyrologium in indice Operum suorum non recenseat, cum tribus annis dumtaxat Wilfrido Juniori supervixerit.*

INCIPIT MARTYROLOGIUM, QUOD BEDA HEROICO CARMINE COMPOSUIT.

Hos quicumque versus legerit lector, nec minus & Martyrologium, quod & videtur sequens adesse, præcipuas anni totius festivitates absque ullo titubationis errore scire valebit.

BISSENA mensûm vertigine volvitur annus;
Septimanis decies quinis simul atque duabus,
Ter centenis bisque trigenis quinque diebus.
Qui ternis gaudet divisis stare columnis;
Scilicet Idibus & Nonis simul atque Kalendis.
Nam quadris constat, Nonis concurrere menses
Omnes, excepto Marte & Maio, sequitur quos
Julius, Octimber; senis soli hi moderantur.
Sexdenas patet hos pariter flagitare Kalendas.
At contra currunt bis Nonæ ritè quaternis,
Julius, Aprilis, September & ipse November.
Sedenis Februas citò solus ab omnibus errat.
Bissenis sic namque rotatur mensibus annus,
Per Nonas, Idus decurrens atque Kalendas;

Festaque quæ passim Sanctorum inscripta leguntur,
Sub certis quæ sint anni celebranda diebus.

JANUARIUS.

PRima dies Jani est quâ circumciditur AGNUS,
Octavas Idus colitur THEOPHANIA Christi.
Deserti quartas primus capit accola PAULUS.
Sedecimas ANTONIUS obtinet atque Kalendas.
Tredecimasque SEBASTIANUS tenuisse refertur.
Bissenas meritis mundo fulgentibus AGNES.
Martyrio undecimas & ANASTASIUS memorantur.
Octavas meritò gaudet CONVERSIO PAULI.

FEBRUARIUS.

PRima dies Februi est jam quâ patitur POLYCARPUS.
Et quartas Nonas CHRISTUS Templo offerebatur.
Nonarumque diem festum celebramus AGATHÆ.
Atque VALENTINI sedenis forte Kalendis.
Sic JULIANA & bisseptenas ornat honore.
Et CEPHAS meritò octavis tenuisse Cathedram,
Ac senas meriti MATHIAS virtute dicabat.

MARTIUS.

HInc Idus Martis quartas GREGORIUS ornat,
Doctor Apostolicus, Sanctorum lumen, & astrum.
PATRICIUS [a] Domini servus conscendit ad aulam.
CUTHBERTUS denas tenuit ternasque Kalendas.
Bissenas Sanctus post quem . . . . BENEDICTUS.
Octavas meritò gaudet CONCEPTIO Christi.

APRILIS.

ATque GEORGIUS hinc evectus ad astra volavit,
Carnifices nonis Maio vincente Kalendis.
EGBERTUS dignâ virtutum laude coruscus,
Altriferum octavis venerantur scandit Olympum.
Quoque die Præsul penetravit WLFRIDUS alma,
Angelico vectus cœtu trans culmina cœli:
Septenis major mundo LETANIA claret.
Ecclesiæ quintis DEDICATIO alma colenda,
Sanctis & Christo ciet æquam in sæcula laudem.
WLFRIDUS ternis superam penetravit in aulam,
Tempore posterior, non morum flore secundus.

MAIUS.

JAcobus Frater Domini pius, atque PHILIPPUS
Mirifico Maïas venerantur honore Kalendas.
Sanctus & Antistes Nonas volat alma JOHANNES.
Bis binis sequitur PANCRATIS Idibus insons.
Ter quinis MARCUS meruit pulsare Kalendis.

JUNIUS.

JUnius in mundo Nonis miratur adeptum
Et summi LANTBERTI animâ trans sydera verti.
In quosvis quadris BARNABAM Idibus æquat.
GERVASIUS denis patitur ternisque Kalendis,
PROTASIUS simul in Regnum perenne vocati:
Et JOHANNES bis quadris Baptista Kalendis
Natalis pulchrè festi plaudente coronâ.
Martyrio & PAULUS lenis ovat atque JOHANNES.
Doctores PETRUS simul & PAULUS ternis servantur,
Maxima quos palmâ clarat sibi lumina mundus.

JULIUS.

MARTINI in quartas Nonas Dedicatio fulget.
Julius in quadris bis gaudet ferre Kalendis
JACOBUM fratrem Johannis more colendum.
SAMSONEM quintas celebramus ab orbe Kalendas.
Sanctificant ABDO & SENNES ternas venerando.

AUGUSTUS.

MACHABEI Augusti coronantur mensis in ortu:
Sanctumque & XYSTUM octavis tenet Idibus almum.
Bis binis victor superat LAURENTIUS hostes.
Sancta Dei GENITRIX senas ter constat adire
Angelicos vecta inter cœtus virgo Kalendas.
Inde TIMOTHEUS undecimas tenet ordine digno,
Atque simul Martyr sortitur SYMPHORIANUS.
Octonas sanctus sortitur BARTHOLOMÆUS.
Bis binis passus colitur Baptista JOHANNES.

SEPTEMBER.

IDus Septembris senas dedicabat honore,
Quâ meruit nasci felix jam Virgo MARIA.
Octavas decimas CORNELIUS inde Kalendas
Consecrat, & CYPRIANUS simul ordine digno.
EUPHEMIA at senas decimas tenet intemerata.
Undecimas capit at MATTHÆUS Doctor amœnus.
MAURITIUS decimas Martyr cum millibus unà.
Quintas sortitur COSMAS sibi cum DAMIANO.
MICHAELIS ternas Templi dedicatio sacrat:
Atque bonus pridie micat interpres HIERONYMUS.

OCTOBER.

SExtas Octobris Nonis BOSA optat habere
Solemnes terris, summo qui gaudet Olympo.
Et gemini quinis EWALDI forte coluntur.
PAULINUS senas tenet Idus jure Magister,
Doctor ter quinis LUCAS succurre Kalendis.
SIMONIS quinis & JUDÆ vota feramus.

NOVEMBER.

MUltiplici rutilet gemmâ ceu in fronte November,
Cunctorum fulget SANCTORUM laude decoris.
MARTINUS ternis scandit super Idibus astra.
Quindenis vitam finivit TECLA Kalendis.
CECILIA meriti decimis cum laude migravit.
CLEMENTIS læti veneramur festa novenis.
Octavi CHRYSOGONUS ovat vitalibus arvis.
ANDREAS pridies justè veneratur ab orbe.

DECEMBER.

TErdecimas Daciani IGNATIUS æquè Kalendas.
Bissenis cœlum cœpit conscendere THOMAS.
Octavis natus DOMINUS de Virgine castâ.
Martyrio STEPHANUS septenis alma petivit.
Bis ternis Evangelicus Scriptor penetravit
Angelico vectus tutamine Virgo JOHANNES
Martyrio tenera prostrantur MILLIA quinis,
SILVESTRUM pridias celebramus ab orbe Kalendas.

[a] *Patricius*] Hic versum deesse rectè monet Acherius.



MONITUM.

MONITUM.

MARTYROLOGIUM Gellonense, sive Monasterii S. Guillelmi de Deserto, O. B. Diœcesis Lutevensis, pervetustum, ineunte scilicet sæculo nono, anno circirer 804. conscriptum exstat in fine libri Sacramentorum ex Gelasiano ac Gregoriano compositi ab Albino Alcuino, uti refert Hariulfus in Chronici Centulensis seu S. Richarii O. B. libro 3. Catalogum texens librorum qui tum visebantur eo in Monasterio, hisce verbis: Missalis Gregorianus & Gelasianus, modernis temporibus ab Albino mixtim & ordinatè compositi. *Librum istum à nobis ipsi communicatum discutiet atque elucidabit vir clarissimus N. de Voisin, qui multa ex eo excerpsit, atque in Opere suo insigni, quod prope diem editurus est, de Missæ traditione, inseruit; fortean librum aliquando integrum dabimus in lucem, atque idcircò plura de eo præfari supersedemus, ne præfationis limites prætergredi videamur.*

Porro Martyrologium Gellonense contulimus cum Martyrologio Hieronymiano, San-Remigiano MS. & aliis, ac variis lectionibus excerptis ex duobus manu exaratis Martyrologiis antiquis, uno Monasterii S. Galli Helveticâ, altero Anonymi, quæ V. Cl. Stephanus Baluzius manu sua descripsit, & nobis perhumaniter suo more concessit.

MARTYROLOGIUM GELLONENSE,

SIVE

SANCTI GUILLELMI DE DESERTO,

PERVETUSTUM.

In Christi nomine incipit Breviarium Apostolorum ex nomine vel locis ubi prædicaverunt, & ubi orti vel obiti sunt.

SIMON, qui interpretatur obediens, PETRUS agnoscens, filius Johannis, frater Andreæ, dicitur ortus vico Bethsaïda provinciâ Galileæ, qui propter Simonem Magum, licet Dei occulto nutu, Romam pervenit; ibique prædicans Evangelium xx. & v. annorum ejusdem urbis tenuit Pontificatum; sexto autem & tricissimo anno post Passionem Domini sub Nerone Cæsare, ut voluit, cruce suspensus est. Cujus natalitium III. Kal Jul. celebratur.

PAULUS, qui interpretatur Pius, ortus ex Tribu Benjamin, Apostolus Gentium: hic secundo post Ascensionem Domini anno baptizatus, & sub Nerone Romæ eodem die quo & Petrus, capite truncatus, ibique sepultus est.

ANDRÆAS, qui interpretatur virilis vel decorus, frater Petri: hic prædicavit Scythiam & Achaiam, ibique in civitate Patras cruce suspensus occubuit. Pridie Kal. Decemb. celebratur.

JACOBUS, qui interpretatur supplantator, filius Zebedæi, frater Johannis: hic Spaniæ & Occidentalia loca Prædicator, & sub Herode gladio cæsus occubuit, sepultusque est in Achaiâ Marmaricâ, VIII. Kalendas Augustas.

JOHANNES, qui interpretatur gratia Dei, Apostolus & Evangelista, filius Zebedæi, frater Jacobi dilectus Domini, Prædicator Asiæ & in Epheso, VI. Kal. Jan. Natal. ejus, alii dormitionem ejus VIII. Kal. Jul. dicunt, quando Nativitas sancti Johannis Baptistæ celebratur.

THOMAS, qui interpretatur abyssus, Didymus, hoc est, Christi similis: hic Parthis & Medis Prædicator, & distans Orientalem plagam, ibique Evangelium prædicavit, lanceâ enim ibi transfixus occubuit in Calaminicæ Indiæ civitate, ibi sepultus est XII. Kal. Jan.

PHILIPPUS, qui interpretatur os lampadis, à Bethsaïda civitate ortus, unde & Petrus, Gallis prædicavit Christum, deinde in Hierapoli Frigiæ Provinciæ crucifixus & lapidatus obiit, ibique cum filiabus suis quiescit. Cujus natalitium Kal. Maii celebratur.

JACOBUS frater Domini, Hierosolymorum primus Episcopus: hic dum Hierusalem Christum Dei Filium prædicaret, de templo à Judæis præcipitatur, lapidibusque opprimitur, ibique juxtà templum humatur. Ejus natalitia Kal. Maii, & ordinatio VI. Kal. Jan.

BARTHOLOMÆUS Apostolus, nomen ex Syrâ linguâ suscepit, interpretatur filius suspendentis aquas, Lycaoniam prædicavit, ad ultimum in Albano Majoris Armeniæ urbe vivens à barbaris decoriatur, atque per jussum Regis Astyagis decollatur, sicque terræ conditur IX. Kal. Septem.

MATHÆUS Apostolus & Evangelista, qui interpretatur donatus: hic etiam ex Tribu suâ Levi sumsit cognomen, ex publicano à Christo electus; primò quidem in Judæâ evangelizavit, postmodum in Macedoniâ; & passus in Persidâ: requiescit in montibus Portorum XI. Kal. Octobris.

SIMON Zelotes, qui interpretatur zelus: hic primus dictus est Cannanæus zelo Dei fervens, par in cognomento Petri; & similis in honore; hic accepit Ægypti principatum, & post Jacobum justum cathedram dicitur tenuisse Hierosolymorum, & post annos CXX. meruit sub Adriano per crucem susti-

tere martyrium passionis, jacet in Porto-Foro: ejus natalitium celebratur v. Kal. Novemb.

JUDAS, qui interpretatur confessor, frater Jacobi in Messopotamiâ, atque in interioribus Ponti prædicavit, sepultus est in Nerito Armeniæ urbe; cujus festivitas celebratur v. Kal. Novemb.

MATHIAS de septuaginta Discipulis unus, & pro Juda Scarioth duodecimus inter Apostolos subrogatur, electus sorte & solus sine cognomento, cui datur Evangelii prædicatio in Judæâ. vi. Kalendas Martias.

In nomine [a] *sanctæ Trinitatis incipit* MARTYROLOGIUM per circulum anni.

E VIII. KAL. Jan. Bethleem, Nativitas Salvatoris Domini nostri JESU-CHRISTI secundum carnem. Romæ, Jovini, & Passio Eugeniæ virginis. Et alibi, Anastasiæ virginis, Felicitatis & Saturnini.

F VII. Kal. Jan. Passio Stephani Martyris. Romæ Dionysii Confessoris, Heliæ, Dorostoli [b], Juliani, Neandri, & Passio sancti Marini.

G VI. Kal. Jan. Ordinatio Episcopatûs Jacobi Apostoli fratris Domini, & Assumptio sancti Johannis Evangelistæ.

H V. Kal. Jan. In Bethleem, Natalis Martyrum Infantium & lactantium. Et alibi, Domitiani [c], Eutici, Castori, Eusebii, Galani, Domiciæ. Translatio Thomæ Apostoli, & Octabas ipsius.

I IV. Kal. Jan. In Africâ Victoris, Libosi, Honorati [d], Saturi. Romæ Felicis, Domici, Criscenti, Primiani, Bonifacii Episcopi.

K III. Kal. Jan. Alexandriæ, Mansueti, Honori, Pauli, Poli, Stephani, Cleti. Romæ, Felicis Episcopi, Perpetuæ [e], Florenti Confess.

L Pridie Kal. Jan. Donati, Gai. Romæ Rogati, Silvestri Episcopi & Confess. Hermetis, Stephani. Sennonis, Passio Columbæ Virginis.

Mensis JANUARIUS *habet dies* XXXI.

A KAL. Jan. Circumcisio Domini nostri JESU CHRISTI secundum carnem. Stephani, Eufrosyni, Hermetis, Gagi, Victoris, Severi. Agustiduni, Agrippini Episcopi [f]. Romæ, Martinæ Martyris.

B IV. Nonas Jan. Antiochiæ, Isidori [g], Macharii, Abbat. Tobiæ Abbat. Arutulæ, Vitalis, Stephani.

C III. Nonas Jan. Cirici, Claudionis, Argei, Marcelli [h]. Parisis, Gienuvefæ Virginis. Viennæ, Florenti. Romæ, Anteri Papæ, Theugenis Martyris.

D Pridie Nonas Jan. Africæ, Aquilini [i], Augenti, Quinti, Trifinæ. Bononiâ, Hermites, Aggei, Gagi.

E Nonis Jan. In Africâ, Felicis, Luciani, Celeforii, Petri, Sereni. Hierosolyma, Simeonis Prophetæ. Item Simeonis Confessoris [l].

F VIII. Idus Jan. Epiphania Domini, Honori, Juli, Anastasiæ, Juliani, Basilissæ, Celsi. Redonis, Natal. & Translatio & Ordinatio Episcopi Melanii Confessoris [m].

G VII. Idus Jan. Nicomediæ Luciani, Liceri [n], Poliocti, Feliocti, Felicis, Paladi, Esidori Episcopi, Puliarci, Eucti. Eductio JESU de Ægypto.

H VI. Idus Jan. in Græciâ Rustici, Timothei, Luci, Flori, Satei. Agustoduni, Ægemoni Episcopi.

I V. Idus Jan. Epictiti [o], Saturni, Vitalis, Fortunati, Quieti, Revocati.

K IV. Idus Jan. Africæ, Revocati, Nirtæ. Alibi [p] Melciadis, Saturi, Felicitatis.

L III. Idus Jan. in Alexandriâ Petri, Lucii. Alibi [q] Filoromi, Augenti, Gregorii Episcopi Nazianzeni.

M Pridie Idus Jan. in Achaiâ, Cyriaci, Saturi. Alibi, Zotici, Bonitti [r], Castoli, Rogati, Filoromi, Petri, Aventini.

N Idibus Jan. [f] In Achaiâ, Ciriaci, Saturi. Alibi, Zotici, Cliceri, Secundi. Depositio Hilarii Episcopi.

O XIX. Kal. Februarii. Antiochiæ, Cliceri Martyris. Alibi, Pauli, Saturi, Geronti, Januarii, Felicis, Eufrasii [t] Confess.

P XVIII. Kal. Febr. In Ægypto, Crisconi, Menelampi. Alibi, Cornelii, Leuci [u], Abbacuc Prophetæ, Remedii [x].

Q XVII. Kal. Febr. Romæ, Marcelli [y] Papæ & Martyris, Marthæ Mart. Saturnini [z], Fausti. Arelatæ, Honorati Episcopi & Confessoris.

R XVI. Kal. Febr. Africâ, Mutii, Victrici, Leutii. In Ægypto, Thebaïde, Antonii Monachi. Lingonis, Speusipi & Meleosippi, Leoncllæ [a] Martyris cum sociis eorum. Deas civit. Marcelli Episc. Bituricis, Sulpicii Episc.

S XV. Kal. Febr. Cathedra sancti Petri Apostoli quâ primò Romæ sedit. Mosei, Ammoni, Tirsi, Luci, Lurici Mart. Prisci, Leopardi Confess.

T XIV. Kal. Febr. Africæ Pnuli [b], Germani, Julii, Gagi. Hierosolymis Marthæ & Mariæ [c], Alipiæ, Zozimi, Fortunati. Lugduni, Nicetii Confessoris.

---

a *In nomine*] Hic est titulus Cod. S. Galli: *In nomine sanctæ Trinitatis, incipit Breviarium de Martyrologio per circulum anni, transcriptum de libris civitatum Lugdunensis, Viennensis, Acustudunensis, & Gratianopolitanæ Urbis juxtà Hieronymum, & additis festis juxta Romanorum traditionem.*

b *Dorostoli*] In cod. S. G. *Dorostoli. Antiochia.*

c *Domitiani*] In eod. cod. *Dominiani*, mox *Gaiani*, & in fine *Matutina & Missa.*

d *Honorati*] Codex S. G. *Honori*, & statim *Dominici.* Idem, *in Africâ*, *Bonifacii.*

e *Perpetuæ*] Laudatus codex *Perpetui.* Idem die seq. *Romæ*, *Rogata.*

f *Agrippini Episcopi.*] Add. in cod. S. G. *Et Octava Domini nostri.*

g *Isidori*] Codex S. G. *Isideri*, & post *Abbat.* in eodem additur, *Et octava Stephani.*

h *Marcelli*] Idem codex, *Marcellini*, *Genovefa; & octava Johannis Evangelistæ; & Jacobi Apost. Mant. & Martyris.*

i *Aquilini*] Sæpè memoratus codex, *Aquillini*, *Agenti. . . . Trifona.* In fine, *Et Octava Infantium & lactentium, Mant. & Mart.*

l *Confessoris*] In laudato codice subjungitur, *Et vigilia Theophania.*

m *Melanii Confessoris*] Sequitur in codice S. G. *Et est obitus Victoris Episcopi.*

n *Liceri*,] Codex S. G. *Liceri. Alibi.*

o *Epictiti*] Idem codex, *Africâ*, *Epictiti.*

p *Nirta. Alibi*,] Idem, *Nirta*, *Melciadis*, &c.

q *Lucii. Alibi*,] Hîc idem accidit, quod superiori die, nam in codice S. Galli scriptum est consequenter *Lucii*, *Filoromi.* Porro ne eamdem cantilenam sæpiùs occinamus, lectorem monere juvat, varias lectiones quas deinceps exhibebimus, ex eodem S. G. codice esse desumptas.

r *Bonitti*] Add. *Confessoris.* Et in fine, *Et Vigilia Elarii.*

f *Idibus Jan.*] *Idibus Jan. Affricâ*, *Ingenui*, *Felicitatis. Alibi*, *Cyriaci*, *Zotici*, *Clicerii*, *Secundi. Helari*, *Pectavis Eerhardus obiit.*

t *Eufrasii*] *Rem. Eufrasii Martyris.*

u *Leuci*,] *Lirici.*

x *Remedii*] *Remis*, *Remedii Confessoris.*

y *Roma*, *Marcelli*] *Roma*, *Marcelli Confessoris*: quod notandum.

z *Saturnini*] *Alibi*, *Saturnini.*

a *Leonellæ*] *Leonelli.*

b *Pnuli*] *Peculi.*

c *& Mariæ*] *& Mariæ*, *Alibi*, *Alipiæ.*

V XIII. Kal. Febr. Romæ Fabiani[d], Sebastiani Mart. Marii, Adafax. Alibi Clementis, Leontii, Tirsi, vel aliorum.

A XII. Kal. Febr. Felicis, Eustasi Confess. Solutoris, Fructuosi[e] Mart. Elogi Mart. Patrueli Mart. Et Passio Agnetis Virginis[f], Aviti Confess.

B XI. Kal. Febr. In Hispaniâ, Valent. civitate, Passio sancti Valeri Episcopi, Vincentii Diaconi & Mart. Quintiliani, Pauli, Apodimi, Quiri, Clementis, Januarii. Romæ Vincentii & Anastasii Martyris[g].

C X. Kal. Febr. Severiani Martyris, Flori, Cornelii, Donati[h], Clementi, Eugenii, Macharii Mart. Romæ S. Emerentianæ Mart.

D IX. Kal. Febr. Antiochiæ, Babylæ[i] Martyris. Alibi Mardoni Martyris, Epicteti, Galei, Felicissimi, Vincentiæ, Eustasii Confess.

E VIII. Kal. Febr. B. Pauli[l] Apostoli Conversio in Damasco. Donati, Epicteti. Papiæ, Tirsi. Agapæ, Fabiani, Savini. Arvernis, Amarini, Præjecti Mart.

F VII. Kal. Febr. Policapi Episcopi, Armatæ, Arthemii, Fabiani, Sidonis, Leodotii, Theogenis, Sabiani, sanctæ Paulæ.

G VI. Kal. Febr. Africâ, Dativi, Reotri, Emiliani, Publii, Arthemii, Amati[m].

H V. Kal. Febr. Romæ Agnetis Virginis de Nativitate. Donati, Viti. In Africâ, Mesuriani, Juliani, Nicomedis, Leaci, Cælestini.

I IV. Kal. Febr. Pauli, Victoris, Hippolyti, Honorati, Constanti. Treveris, Valerii Episcopi.

K III. Kal. Febr. Antiochiæ, Hippolyti. Alibi Pelliani, Cleri[n], Filippiani.

L Pridie Kal. Febr. Alexandriæ, Tarsici, Gelasii, Hippolyti, Thirsi Mart. Galinici, Victoris.

Mensis FEBRUARIUS *habet dies* XXVIII.

M KAL. Febr. In Scotiâ, depositio Brigidæ Virginis. Alibi Polycarpi, Pœnis, Publii, Severi Confess. Vindimialis Martyris.

N IV. Nonas Febr. Solemnitas S. Mariæ, quando Dominum in Templo repræsentavit. In Africâ, Victoris, Privatulæ. Romæ, Laurentii, Fortunati, Aurelii, Flosculi[o] Confessoris & depositio Sichariæ Virginis.

O III. Non. Febr. Africâ, Felicis, Laurentii, Celerinæ, Hippolyti, Felicitatis Confess. Vappingo, Territi Confess. Lugdun. Lupicini Confess.

P Pridie Non. Febr. Gemini, Gelasi, Magni, Donati[p], Aquilini, Timoe.

Q Nonis Febr. Siciliæ, Passio Agathæ Virginis, Revocati, Saturi, Felicis, Saturnini[q]. Viennæ, Aviti Confess. Andreæ Apostoli ordinatio Episcopatûs.

R VIII. Idus Febr. Soteris Virginis. Alibi, Saturnini, Revocati, Dorotheæ, Theofili. Alibi, Passio Luciæ Virginis, Amandi Episcopi, Vedasti Episcopi.

S VII. Idus Febr. Aguli[r] Martyris, Anatholii, Ammonis, Statiani, Nepotiani, Lucii, Saturnini, Saturnæ, Andreæ.*

T VI. Idus Febr. Armeniâ, Dionysii, Emiliani, Thomæ, Juli, Germani, Agathon. Ciriaci.

V V. Idus Febr. Alexandriæ, Ammonis, Emiliani, Sebastiani. Romæ, Pauli Episcopi. Alibi, Luci.

A IV. Idus Febr. Apollonis Martyris, Protei, Grionis, Pausi[s] Mart. Silvani Confess. Andreæ, Trojani Confess. Romæ, Soteris, Zotici, Hirenei, Jacinthi, Amati Mart.

B III. Idus Febr. Eufraxi, Pasiliani, Amantii, Talici. Felicis, Sorothedis[t]. Lugduni Desiderii Episcopi. Pictavis Baldegundæ. Romæ Coloceri, Partemi Mart.

C Pridie Idus Febr. Damiani Martyris, Luciani[u], Donati, Eraclii, Susannæ, Eulaliæ, Orbani,* Simplicii Confess.

D Idibus Febr. Luciani Martyris, Juliani, Ciriaci, Ammonis, Decenti. Lugduni, Depositio Stephani Episcopi.

E XVI. Kal. Martii. Romæ, Valentini, Zenonis, Vitalis, Filiculæ Mart. Marciani, Vincentii, Germani, Barsiani Mart. Agatonis Mart. Jonas, Ægeas. Et diabolus retrò à Domino recessit.

F XV. Kal. Martii. Joseppi, Agapæ Virginis, Joannis, Adventi, Xysti, Victoris, Pomponi, Castoli.

G XIV. Kal. Martii. Faustiniani, Pisti, Ququfatis, Fabiani, Maximæ[x], Junellæ cum aliis quinquaginta quatuor, Juliani Mart. cum quinque milia. Depositio Tedradii Episcopi.

H XIII. Kal. Martii. Donati Martyris, Crisantiani[y], Romoli Mart. cum octoginta quatuor, Januarii, Octaviani, Govoli, Marci.

I XII. Kal. Martii. Rutuli, Classici, Damasi, Pauli, Marcialis, Maximi, Marcelli, Fructuli.

K XI. Kal. Martii. Publii, Juliani, Barechæi, Tulii, Lampasi, Majuli, Julii, Marcelli.

L X. Kal. Martii. Potanii,[z] Nemesei, Didimi, Gagi Conf. Victoris, Coronæ.

M IX. Kal. Martii. In Africâ, Viruli,[a] Sirici, Jocundi, Victurini, Petri, Justi, Secundi.*

N VIII. Kal. Martii. Cathedra[b] sancti Petri Apostoli, quâ sedit apud Antiochiam, Teclæ Virginis, Victurini, Concordiæ, Seneri. Et alibi LXI. Mart. Euteri, Castæ, Flaviæ, Gurgoni.

O VII. Kal. Martii. Seneroti, Policarpi Episcopi cum aliis duodecim.[c] Herotis, Crisconi,

d *Roma, Fabiani*] *Roma, Sebastiani unde Martyris*, (pro *Diaconi & Mart.*) *Fabiani Martyris.*

e *Fructuosi*] *Fructuosa.*

f *Agnetis Virginis*] *Agnetis Virginis Mart. & Martyris. Aviti Confessoris, & Vigilia Vincenti Martyris.*

g *Anastasii Mart.*] Add. *Et est obitus Notingi Episcopi.*

h *Donati*] *Demati.*

i *Babyla.*] *Basilla, Mardoni.*

l *B. Pauli*] In codice S. G. ex quo varias lectiones sumimus, legitur hoc die *Biti. Arvernis, Prajecti Martyris, Donati. Et est Conversio S. Pauli Apostoli, atque Translatio ipsius.* Ille porro codex mutilus est deinceps usque ad Idus Februarii.

m *Amati*] In codice Baluzii additur, *Gai, Epicteti.*

n *Cleri*] In eodem codice legitur *Clari.*

o *Aurelii, Flosculi*] Acherius emendat, *Aurelianis, Fusculi.*

p *Magni, Donati*] In codice Bal. *Maximi, Donata.*

q *Saturnini*] In eodem codice, *Saturni.*

r *Aguli*] Codex Baluzianus *Agabi.* Idem infrà, *Saturnini, Sarneandrea.*

s *Grionis, Pausi*] Laudatus codex, *Orientis, Plausi.*

t *Sorothedis*] Hic etiam Baluz. codex adjumento nobis erit; nam in eo legitur *Zotici, Zoteris. Lingonis, Desideris, &c.*

u *Luciani*] Idem codex *Juliani.* & mox *Urbani.*

x *Maxima*] In eodem Baluz. codice ita locus hic legitur; *Maximi, Vincella cum LIIII. Juliana, &c.*

y *Crisantiani*] Codex S. Galli *Criscentiana, Romuli.* Baluzianus, *Chrysantiana.*

z *Potanii*] Codex S. G. *Potami.*

a *Viruli*] Baluzianus codex *Viroli.* In fine, codex S. G. addit, *Et Vigilia Cathedra S. Petri.*

b *Cathedra*] Idem S. Galli codex, *Natal. Cathedra.*

c *cum aliis duodecim*] Laudatus codex, *cum aliis quindecim Erotis, Grisgonii, &c.* in fine *Vigilia S. Mathia Apostoli.* Ex eodem codice additus est dies VI. Kal. Martii, qui deerat in Codice Gellonensi.

Petri, Felicis cum aliis triginta sex, Sirici.

P vi. Kal. Martii. Herotis, Primitivæ, Rutili, Luciani, Victorini, Serapionis, Mathiæ Apostoli.

P v. Kal. Martii. Donati, Ingenui cum aliis quadraginta quinque, Justi, Castæ, Crescenti, [d] Rogatiani, Nestoris.

Q iv. Kal. Martii. Alexandri, Nestoris, Theonis, Donativi, Ingenui, Fortunati, Felicis cum aliis viginti quinque. [e]

R iii. Kal. Martii. Alexandri, Antigoni, Abundantii, Titiani, Dionysii, & aliorum viginti quatuor, Serviliani, Datiani, Leandri.

S Pridie Kal. Martii. Celeris, Pupilli, [f] Claudiani, Machari, Gaiæ, [g] Rufinæ, Justi.

Martius *habet dies* xxxi.

A Kalendis Martii. Passio Leonis Mart. Donati, Habundantii, Hermetis, Adriani, Victuri. Andegavis, sancti Albini Confessoris.

B vi. Nonas Martii. Heroli. Romæ, Lucii Episcopi, Pauli, Georgii, Januariæ, Absaloni, Primitivæ.

C v. Non. Martii. Felicis, Lucioli, Gagolæ, Emeterj, Julii, Casti, Justi, Soli.

D iv. Non. Mart. Romæ, Natalis sanctorum Martyrum octingentorum, Julii, Roti, Lucii, Gagi, Furtinionis, Gregorii. Adriani Romani Episcopi ordinatio.

E iii. Non. Mart. Africâ, Evoli, Petri, Focæ Mart. Victoris, Eusebii. Alibi, Saturnini, Marcii, Martini.

F Pridie Nonas Martii. Nicomediæ, Victoris. Alibi, Alexandri, Diodori, Perpetuæ, Felicitatis, Silvani.

G Nonis Mart. Africâ, Passio Perpetuæ & Felicitatis, Satyri. Alibi, Servani, Leuci, Italici, Dandæ, Rogati, Manili.

H viii. Idus Mart. Nicomediæ, Cyrilli. Alibi Rogati, Urbani, Cyrilli, Heromiæ, Eremæ, [h] Felicis.

I vii. Idus Martii. In Armeniâ, Militum sexaginta. In Africâ, Juliani, Isici, Philippi, Mariani, Concessi. Romæ, Martyrum quadraginta.

K vi. Idus Mart. Niciæ, Gorgoni. [i] Antiochiæ, Agapæ Virginis. Alibi, Palatini, Firmiani, & aliorum plurimorum.

L v. Idus Mart. Alexandriæ, Gagi, Philomi, Candidi, Valerii, Quirilli, Petronii, Eraclii, Zozimi, Marciani.

M iv. Idus Mart. Nicomediæ, [l] Egdomi Martyris. Et alibi Zoni, Neonis, Pioni. Romæ, Innocentii, Rasi Confessoris, Gregorii Papæ beatæ memoriæ.

N iii. Idus Mart. Nicomediæ, Macedonii, Epopodi Abbatis, Theuretæ Martyris, Eufraxiæ, Victurini, Marcialis, Julii.

O Pridie Idus Mart. Eufrosii, Alexandri, Petri Mart. Fronimi, Pionis, Innocentii, Felicissimi. Romæ, Leonis Episcopi & Mart.

P Idibus Mart. Longini, Lucii Mart. Faustæ, Pauli. Hierosolymis, Jacobi Apostoli, Lucæ Evangelistæ.

Q xvii. Kalendas Aprilis. Nicomediæ, [m] Castori, Sereni, Eugeniæ, Juliani Abbatis, Hilarii, Cassonis, Pampini.

R xvi. Kal. April. Theodoli. Hierosolymæ, Quiriaci Episc. Dionysii, Mariæ, Largi, Alexandri, Daciani. In Scotia, Patricii Episcopi.

S xv. Kal. April. Alexandriæ, [n] Collegii. Romæ, Pumenii Presbyteri, Quartini, Samfori. Alibi Selvoli * cum aliis viginti quatuor, Quinti, Saldæ, Rogati.

T xiv. Kal. April. Theodori, Bassi, Basiliæ, Leonti Conf. Sorenti, Marci, Florenti.

V. xiii. Kal. April. Joseph, Pauli, Cyrilli, Eugeni, [o] Serapionis, Claudii, Victurici, Domni, Valentini, Wlframni Confessoris.

A xii. Kal. April. Alexandriæ, Serapionis, Josippi, Volusiani, Policarpi, Amatoris, Ammonii, Benedicti Abbatis.

B. Kal. Aprilis. Narbonæ, Pauli Confessoris. In Africâ, Saturnini. In Sabastiâ, Deeroni, Arionis.

C x. Kal. Aprilis. In Africâ, Felicis Abbatis, Theodori, Juliani, Agatii, Piomoli, [p] Pauli, Dionysii.

D ix. Kal. April. Africâ, Agapiti, Romoli, Rogati, Saturnini, Abbæ, [q] Secunduli, Victurini, Seleuci. Romæ, Cirini Martyris.

E viii. Kal. April. Annuntiatio sanctæ Mariæ Matris Domini. Hierosolymis Dominus noster Jesus Christus crucifixus est. Et Passio sancti Jacobi Apostoli fratris Domini. Nicomediæ, Dulæ. Alibi, Lucellæ & nongentorum [r] Martyrum. Juvini, Teclæ Mart. Isaac, [s] sanctæ Theodolæ.

F vii. Kal. April. Romæ Castuli Abb. Monati [t] Mart. Petri, Marciani, Cassioni, Timothei, Theodori.

G vi. Kal. April. Resurrectio Domini nostri Jesu-Christi. In Africâ, Romoli, [u] Missiæ, Solutoris, Saturnini.

H v. Kal. April. Rogati, Audautæ, [x] Castorii, Alexandri, Dorothei. Cavalono, Guntramni Regis benè pausati.

I iv. Kal. April. Nicomed. [y] Pastoris, Victurini. Dolæ, Julianæ. [z] Antiochiæ, Theodori, Saturnini, Poentalis. Alibi, Achaicæ.*

K iii. Kal. April. Thessalonicæ, Domnini. Philippopoli, Acaci, Palatini. Alibi, Victoris, Eulaliæ Virginis, & Depositio Pastoris.

L Pridie Kal. April. Africâ, Anesi, Felicis, Diodoli, Porti, Abdæ, Cornelii, [a] Valeriæ.

d *Crescenti*] Idem codex, quem laudari, quoties codicis mentio non fit, lectorem scire volo, hoc loco habet *Criscenta*.

e *viginti quinque*] *viginti sex*.

f *Pupilli*] *Publii*.

g *Gaia*] *Gagi*.

h *Heromia, Ermia*] Codex Baluz. *Beronia, Erenia*.

i *Gorgoni*] In eodem codice additur, *Firmi*.

l *Nicomedia*] Idem codex habet *Nicia*. Die verò seq. sic incipit: *Niciâ, Epodi. Alibi, Tausate Martyris, &c.*

m *Nicomedia*] Hîc etiam Baluz. codex habet *Niciâ*.

n *Alexandria*] Codex S. Galli, *Alexandria, Collega, Quartini, Fori &c.* Statim ubi legitur *Selvoli*, codex Baluz. habet *Febioli*.

o *Eugeni*] Memoratus S. Galli codex *Eugenia, Joseppi, Volusiani, Policarpi, Amatoris, Ammoni. Depositio S. Benedicti Abbati plenius commemoratur*.

p *Piomoli*] *Alibi, Phiomoli*.

q *Abba*] *Alibi*.

r *& nongentorum*] *& cccc*.

s *Isaac*] Add. *immolatio*.

t *Abb. Monati*] *Alibi, Monati*.

u *Romoli*] Codex S. Galli habet deinde *Acuti*, cujus loco in codice Baluziano legitur *Agate*.

x *Audauta*] Codex Baluz. *Adaucti*

y *Nicomed.*] Idem codex, *Niciâ*.

z *Juliana*] Codex S. G. *Juliani, Antiotia*, & in fine, *Achaiaci*.

a *Cornelii*] Idem Codex, *Cornelia*. In illo autem codice desunt dies à V. Non. ad pridie Idus Martii; & in sequenti mense, hoc est Aprili, desiderantur ejus media pars, nimirum usque ad diem xv. Kal. Maii.

Mensis Aprilis *habet dies* xxx.

M Kalendis Aprilis. In Arminiâ, Parini, Quintiani. Alibi, Victoris, Agapæ, Herenei, Dionysii, Stephani, Secundi.

N iv. Nonas April. In Africâ, Camp.[b] Victoris. Alibi, Marcellini, Theodoli, Urbani, Niceti Confessoris.

O iii. Nonas Aprilis. In Nicomediâ,[c] Thomæ. Alibi, Prancati, Agathæ, Theodosiæ Virg. Donati *, Amphiani, Evagri, Xisti Martyris, Benigni.

P Pridie Nonas April. Theodoli, Agathonis, Pauli, Saturnini, Publii, Victoris, Successi, Matutini,[d] Urbani, Juliani. Mediolano, Depositio Ambrosii Confessoris.

Q Nonis Aprilis. Claudianæ, Marcianæ, Didimi, Quinti, Honorii, Agapæ, Ansiani, Nicanoris, Andronici.

R viii. Idus April. In Nicomediâ, Firmi, Herenei, Romani, Donati, Epiphani, Timothei, Clusi, Quiriaci, Martinæ.[e]

S vii. Idus April. In Antiochia, Timothei, Diogenis, Eleusi, Machariæ, Maximæ. Alibi, Copricæ,[f] Victoris, Pelusii.

T vi. Idus April. Africâ, Timori,[g] Conexi, Concessæ, Solutoris, Successi, Machari, Pinnari, Ammoni, Maximi.

V v. Idus April. Demetri, Hilari, Concessi, Mari, Fortunati, Donati & aliorum *, septem Virginum.

A iv. Idus April. In Alexandriâ, Apollonis,[h] Granii, Saturnini. Alexandriæ, Gagani, Hilarii, Donati, Pinnadi, Theodori.

B iii. Idus April. Leonis Papæ & Confessoris. Salonis, Domnini, Fortunati, Eustorgii, Nestoris, Maximi, Donati, Siagrii Confess. & aliorum[i] ducentorum quadraginta.

C Pridie Idus Aprilis. In Asiâ[l], Carpi. Alibi, Julii, Agapi, Pauli, Cypriani, Valerii, Constantini Confessoris, Isaac, Cari, Eufemiæ.

D Idibus April. Eufemiæ[m] Martyris, Eucapi, Secutoris, Catuli, Januarii, Policarpi, Pauli.

E xviii. Kal Maii. Romæ, Tiburtii, Valeriani, Maximi. Alibi, Proculi, Optati, Cornelii, Quiriaci[n], Frontonis Monachi.

F xvii. Kal. Maii. Picino Maronis[o], Messoris, Mositis. Alibi, Arcellai, Diogenis, Veronicæ, Prosduci, Luperci Martyris, Gorgii, Agatæ.

G xvi. Kal. Maii. In Achaiâ, Carissi Mart. Alibi, Basiliæ, Marcialis, Calisti Martyris, Felicis, Luciani, Faustini.

H xv. Kal. Maii. Antiochiæ, Petri, Ermogenis, Marciani. In Africâ, Baruci[p], Donati, Macedoni, Fortunati.

I xiv. Kal. Maii. Septimi, Victurici, Donati, Eleuteri Episcopi, Crispini *, Mappalici, Anthiæ, Victurinæ. *

K xiii. Kal. Maii. In Arminiâ, Hermogenis, Gagi, Rufi Mart. Fortunati[q], Seratiani, Donati. Alibi, Vincentii, Vitalis Mart.

L xii. Kal. Maii. Africâ[r], Serviani, Arajaci *, Johannis. Romæ, Victoris, Tiaraci, Salviani, Donati Mart. Autisiodori *, Mariani Confessoris.

M xi. Kal. Maii. Alexandriæ, Fortunati[s], Aratoris, Vitalis. Romæ, Valeriani, Aprunculi, Maximi Abb. Cesari. *

N x. Kal. Maii. Philippi. Romæ, Gaii Papæ. Lugduni, Epepodi. Alibi, Leonidis, Primoli, Turdiani. Senonis, Leonis Episcopi.

O ix. Kal. Maii. In Africâ, Catolini, Victoris[t], Ursi. Romæ, Georgii Martyris Naboris, Vitalis. Alibi, Felicis, Fortunati, Achillei, Pantalimoni *, Theodoræ, Faustini.

P viii. Kal. Maii. Victoris, Coronæ[u], Donati, Theonis, Faustini, Sidrac, Misac & Abdenago sic liberati sunt. * Alexandriâ, Georgii Mart. Lugduni, Passio sanctorum Alexandri cum aliis triginta tribus.

Q vii. Kal. Maii. Evodii, Fortunati[x]. Diospoli civitate, sancti Georgii Mart. Lugduno, Rustici Confess.

R vi. Kal. Maii. Aurelii, Leonis[y]. Africâ, Juli, Sirici, Vindei, Pauli, Cleti Mart. Maximi, Marciani, Simplici, Germani, Gemellini. *

S v. Kal. Maii. Antimii[z] Episcopi, Castori, Antimi, Hermetis, Victoris, Germani, Stephani, Antonini, Thimiæ, Sodalis.

T iv. Kal Maii. Eusebi[a]. Romæ, Vitalis, Victori, Malini cum aliis centum septuaginta. Afrosidi, Manilii. Niciæ, Luciani cum aliis quadringentis decem. Bituricæ, Eutici Confess. Egressio Noë de arcâ.

A iii. Kal. Maii. Alexandriæ[b], Germani. Alibi, Prosduci, Prudentii, Valentini, Urbani, Gradi, Pudentii, Manili, Metorinæ Virginis, Vitalis.

B Pridie Kal. Maii. Alexandr. Dorothei. Crispini. Alibi, Pomodiani. Romæ[c], Quirini Martyris, Rodimini, Polocronii Confess. Pastoris, Mariani *, Jacobi.



b *Camp.*] Codex Baluz. *Amphiani.*

c *In Nicomediâ*] Idem, *in Niciâ, Thomæ Apostoli.* & infrà, *Donata.*

d *Matutini*] Laudatus codex, *Maturini.*

e *Martinæ*] Hîc etiam variat Baluz. codex, & habet *Marinæ.*

f *Copricæ*] Idem, *Capuæ.*

g *Timori*] Idem, *Thimai.* Die seq. legitur in fine *& aliorum septem.* & vox *Virginum* abest.

h *Apollonis*] Laudatus codex, *Apolloni, Granii, Saturnini, Alexandri. . . . . Fadi.*

i *& aliorum*] Idem, *& alibi.*

l *In Asiâ*] Idem, *in Africâ.*

m *Eufemiæ*] Idem, *in Calcidoniâ, Eufemiæ.*

n *Cornelii, Quiriaci*] Idem, *Corneliæ, Cyriani.*

o *Maronis*] Idem, *Mortonis.*

p *Baruci*] Codex S. G. *Banuci.* Idem die seq. *Crispinæ* habet, & *Victurini*, ubi legis *Crispini*, & *Victurinæ.*

q *Fortunati*] Laudatus codex *Fortunatæ.*

r *Africâ*] Idem S. G. codex, *Natale Senesii Martyris & Abbatis, Africâ*, &c. Infrà, *Araci, Salviani*, & in fine, *Autisidori, Depositio Martini Confessoris.*

s *Alexandriæ, Fortunati*] Codex Baluz. habet *Alexandri*, codex S. Galli, *Fortunatæ.* In fine, idem S. G. codex ubi *Abb. Cesari*, habet *alibi, Cessari.*

t *Victoris*] Idem *Victuri.* Infrà ubi *Pantalimoni*, codex Baluz. habet *Panteleemonis*, emendatè.

u *Coronæ*] Baluz. codex *Carinæ.* Statim codex S. G. *Abdenago in Babyloniâ de camino ignis liberati sunt.* sequitur in codice Baluz. *Alexandri, Georgii*, &c.

x *Fortunati*] In codice S. G. additur, *Marci Evangelistæ Martyris.*

y *Leonis*] Idem codex *Leonidis* habet, & in fine, *Gemellinæ.* In codice Bal. post *Leonis* legitur, *Africa, Juri*, &c.

z *Antimii*] Codex S. G. *Anchimi*; statim codex Baluz. *Castori, Anessimi.*

a *Eusebi*] Hîc dies sic describitur in codice S. G. *Eusebi, Vitalis, Victuri, Malinæ, Afrodisi, Manili, Niciæ, cum aliis cccx.*

b *Alexandriæ*] Codex Baluz. *Alexandri.*

c *Romæ, Quirini*] In codice S. G. deest *Romæ*: in codice Baluz. *Quirici, Rodo..i*, &c. In fine codex S. G. *Mariani. Vigilia Philippi Apostoli. Plures commemorationes.*

MAIUS *habet dies* XXXI.

d C KALENDIS[d] Maii. In Asiâ Natalis Philippi & Jacobi Apostolorum. In Galliis, sancti Amatoris Confess. Sigismundi Regis. Tolosæ, Orientii Episcopi, Quiriaci.

e D VI. Nonas Maii. Germani, Saturnini, Helpidii, Cælestini, Privatæ[e], Felicis, Hermogenis, Cetini, Urbani, Becillici.

f E V. Nonas Maii. Inventio sanctæ Crucis[f]. Romæ, Hermogenis, Alexandri, Eventii, Theodoli, Juvinalis Confessoris, Orbani, Mariani, Fortunati.

g F IV. Nonas Maii. Antonini[g] Martyris, Cælestini, Felicis, Floriani Mart. Silvani, Nestoris, Corcodimi Conf. Romani, Fortunati. Ascensio Domini nostri Jesu Christi.

h G III. Nonas Maii. Eufimi, Gregorii[h], Petivi. Aralato, Hilarii. Viennâ, Felicissimi, Nectarii, Niceti. Autisiodoro, Juviniani* Martyris.

i H Pridie Nonas Maii. Persidâ[i], Matthæi Apostoli. Alibi, Hierontii, Secundiani, Mediolano, Victoris, Felicis. Autisiodoro, Valerii.*

I Nonis Maii. Agustini, Marcellini, Cellerini, Eutici, Georgii, Helari Confess. Agustoduno, Placidi, Marobi[l], Flavii.

l K VIII. Idus Maii. Victoris Martyris, Fortunati, Agati, Maximi, Stephani, Eutici, Saturnini. In Santonico, Martini. Autisiodoro, Pelladii.

m L VII. Idus Maii. Quirilli, Genoni[m], Timothei, Gurdianæ,* Primolæ, Quindei. Afrodisi, Beati Confess.*

n M. VI. Idus Maii. Romæ, Epimachi, Gordiani. Alibi, Probatæ, Cyrilli, Petri, Felicis, Faustæ[n], Mariæ, Job Prophetæ.

o N V. Idus Maii. Montanini[o], Septimi, Maroli, Epimini, Antimi, Demetrii.* Viennâ, Mamerti, Martini.

p O IV. Idus Maii. Romæ, Nerei, Achilei, Pancratii Mart. Sotheris[p] Virginis, Afroditi Martyris cum aliis quingentis quatuor.

q P. III. Idus Maii. Agrippæ, Lucæ[q], Sabini, Gagi, Sebastiani, Taraci, Probi, Andronici, Victoris, Saturnini, Marculliani*, Martini.

r Q Pridie Idus Maii. Victoris, Quarti[r], Secundiani, Proculi, Maximi, & quadringentorum quatuor, qui cum sancto Ciriaco* passi sunt. Romæ, Isidori, Bonifacii.

R Idibus Maii. Timothei, Præstabilis, Digni, Simplicii, Felicis, Cirici, Victoris, Petri, Andreæ, Dionisii, Tretici Episcopi.

f S XVII. Kal. Jun. Aquilini, Eraclii, Victoriani, Paulini, Diocletiani[f], Mengeni, Vincentii, Peregrini Mart. Fidoli Confessoris.

t T XVI. Kal. Jun. Victoris, Primi, Liberii, Eraclii, Aquilini, Martini, Galli, Cori[t], Pauli, Peregrini Mart.

V XV. Kal. Jun. Alexandriâ, Potamonis, Maximæ, Ermon. Alibi, Dioscori Martyris, Dativi, Hortasii, Victoris, Cassi, Luciosæ, Marci Evangelistæ.

u A XIV. Kal. Jun. Romæ, Caloceri, Potentianæ[u] Mart. Paterni Martyris, Calisti,* Polioci, Quinti, Emeli, Primoli, Partini.

x B XIII. Kal. Jun. Romæ,[x] Basillæ, Victoriæ, Basilissæ, Baudili Mart. Cellosæ, Salsæ, Gervasii, Protasii, Fausti, Austrighisili.

y C XII. Kal. Jun. Timothei, Poli, Eviti[y], Victuri, Donati, Matthæi Apostoli, Valis Confessoris.*

z D XI. Kal. Jun. Româ, Faustini, Venusti. In Corsicâ, Juliæ, Casti. Autisiodero, Helenæ Virginis. Alibi, Poliucti, Felicis[z].

E X. Kal. Jun. Epicteti, Basillei. Affricâ, Quinti, Luci. Viennâ, Desiderii Episcopi, Juliani, Firmi, Aptonii, Fausti.

F IX. Kal. Jun. Servuli, Saturnini, Zoeli, Vincentii. Namnetis, Regatiani, Donatiani Martyrum.

a G VIII. Kal. Jun. Sentiatæ[a], Dionysii, Eusebii, Macenti. Româ, Urbani Papæ, Desiderii Martyris. Africâ,* Johannis Apostoli. Tregas, Leonis Mon.

b H VII. Kal. Jun. Africâ, Eraclii, Agustini Episcopi, Felicissimi, Pauli, Victuri, Rufini, Saturi[b]. Autisiodero, Passio Prisci. Romæ Semetri cum aliis viginti tribus Martyribus.

c I VI. Kal. Jun. Aquili[c], Heliæ, Sacci, Julii, Saluciani, Eutrici, Quinti, Stabuli, Evangelii, Luciani. Româ, Restitutæ.

d K V. Kal. Jun. Zetuli, Primoli, Emili. Româ, Epicati[d], Marciani, Castuli. Parisius, Germani Confessoris.

e L IV. Kal. Jun. Pollionis, Crispoli, Cyrilli, Primi, Restituti, Venusti, Carelli, Maximini[e] Confessoris.

M III. Kal. Jun. Sici Palatini Mart. Gabini, Crispoli.

N Pridie Kal. Jun. Canti, Ptocati, Datianæ,

d *Kalendis*] In codice S. G. primum scribitur, *Letanias indicendas*: deinde, *Kalendis Maii. In Asia, natalis Philippi Apostoli. In Galilæâ initium prædicationis Domini nostri Jesu Christi. Amatoris Confessoris, Sigismundi Regis, Jacobi & Matthæi, Judæ Apostoli* In codice Baluz. post *Sigismundi Regis*, additur *Berthæ Abbatis*.

e *Privatæ*] Codex Baluz. *Privati*.

f *sanctæ Crucis*] In codice S. G. sequitur, *Matris & Martyris. Natale Hermogenis, Eventiundæ Martyris*.

g *Antonini*] Codex Baluz. *Antonina*.

h *Gregorii*] In codice S. G. additur deinde *Herenei*. In fine codex Baluz. habet *Viviani* ubi legitur *Juviniani*.

i *Persida*] In codice S. G. *In Perside, natale S. Matthæi Apostoli. Alibi, Gerontii Confessoris*. Ibidem codex Bal. habet *Gerorti*, & in fine addidit, *Natale Joannis ante Portam Latinam*.

l *Marobi*] Codex S. G. *Magrobi*.

m *Genoni*] Idem codex *Zenoni*. Infrà ubi *Gurdianæ*, in codice Bal. legitur *Gordiani*, & in fine additur *Pachomii Abbatis*.

n *Faustæ*] Codex S. G. *Fausti, Mariæ, Jacobi Prophetæ*.

o *Montanini*] Idem Codex *Montaniani*, & infrà *Timetri*, ubi legis *Demetrii*.

p *Sotheris*] Idem codex *Rotheris Virginis, Soteris Martyris cum* CCIV. Statim codex Bal. *Effoditi Martyris*, &c.

q *Lucæ*] Laudatus S. G. codex *Luci*, & in fine *Marcellini, Martini*.

r *Quarti*] In eodem codice legitur *Quinti*, & infrà cum *Sancto Ciryco*.

f *Diocletiani*] Codex S. G. *Diodecinni*; codex Bal. *Diudeciani, Megeti*.

t *Galli, Cori*] Codex S. G. *Galligori*.

u *Potentianæ*] Bal. codex *Pudentianæ*. Infrà codex S. G. *Calisti. Alibi, Pulioci*.

x *Romæ*] In codice S. Galli hic dies sic describitur: *Victuriæ. Romæ, Baselissæ, Bauduli, Marcellosæ, Gervasi*, &c. *Austriensili*.

y *Poli, Eviti*] Codex Bal. *Polyeucti*. Statim ubi legitur *Valis Confess.* codex S. G. habet, *Valentis Martyris & Episcopi*.

z *Felicis*] Codex Bal. addit, *Casti*.

a *Sentiatæ*] Idem codex *Sentianæ*, & infra *Innocenti*, ubi legitur *Macenti*. Eodem die in codice S. G. legitur *Epheso, Joannis*, &c. *Leoni Mon*.

b *Saturi*] Codex Bal. *Sauri*.

c *Aquili*] Codex S. Galli, *Aquilini*.

d *Epicati*] Idem codex *Epegapi*; Baluzianus verò *Apagathi*.

e *Maximini*] Codex S. G. *Maximi*.

Donatianæ[f], Processi. Româ, Petronillæ Virginis filiæ sancti Petri, Isici, Germanæ, Paulini.

Junius habet dies xxx.

O Kalendis Junii. Thessalonicâ, Octavi, Luciæ, Casti, Publii, Lupi, Crispini, Claudii, Maximæ. Alibi, Eladi, Zosimi, Joventi, Castulæ, Arabi, Romani. Viennâ, Eladi Episcopi[g].

P iv. Nonas Jun. Romæ; Marcellini, Petri Mart.[h] Zachariæ, Rogati, Saturnini. Alibi, Tamati. Lugduno, Rogatini, & quadraginta octo Martyrum, Maturi. Rogatiani, Vincentii.

Q iii. Nonas Jun. Africâ, Quirini, Abdiani, Nepori, Demetriæ[i], Julianæ Virginis Alibi, Thomæ Apostoli, Marcelli, Silvani, Laifardi Presbyteri.

R Pridie Nonas Jun. Zotici, Camasi, Julii, Saturnini, Italii, Datiani, Rustici, Quirini, Pieti, Expergentæ[l], Rustuli, Crescentiæ.

S Nonis Jun. In Ægypto, Marciani. Alibi, Evasi. Româ, Felicitatis, Gregorii, Nicandri[m], Apollonii, Gagi, Helari, Candidi. Alibi, Zoeli, Fortunati.

T viii Idus Jun. Nicomediâ, Amati[n], Lucii, Andreæ. Alibi, Italii, Philippi, Claudii. Grationol. Cerati Episcopi, Alexandri.

V vii. Idus Jun. Pauli, Fortunati, Macri, Primosii. Africâ, Victuri, Privatæ, Donatæ. Alibi, Luciani Mart.

A vi. Idus Jun. Marciani, Cresti, Marti, Vitici, Salustiani. Româ, Nazarii, Primi, Naboris, Feliciani. Alibi, Marciæ[o]. Suessioni, Medardi.

B v. Idus Jun. Maximi, Basilidis, Zachariæ, Censuri, Amantii. Romæ, Primi, Feliciani. In Galliis, Agenno, Vincentii Martyris.

C iv. Idus Jun. Romæ, Basillæ, Cassianæ.[p] Alibi, Crispoli, Restituti, Rogati, Zachariæ. Autisiodero, Censuri Episcopi.

D iii. Idus Jun. Romæ, Restituti. Alibi, Fortunati, Emeriti, Ereti, Victoriani, Victoris, Felicis[q].

E Pridie Idus Jun. Romæ, Basilidis[r]. Tripoli, Cirini, Naboris, Nazarii, Felicis, Magdaletis, Zabini, Aurelii, Donatellæ, Helidii Episcopi.

F Idibus Junii. Persidâ, Bartholomæi Apostoli, Feliculæ[ſ]. Africâ, Luciani, Fortunati, Teclæ, Crescentiani.

G. xviii. Kal Jul. Antonini[t]. Africâ, Quintiniani, Proti. Aurilian. Translatio Aniani. Suessione, Valeri, Rufini Mart. Ignatii Episcopi.

H xvii. Kal. Jul. Ilici, Cantiani, Nuci[u], Gajani, Candidæ. Roma Viti, Clementis, Joviniani, Philippi, Crisogoni, Quintiani.

I xvi. Kal. Jul. Diogenis, Saturnini. Antiochiâ, Cyrici, Viti Mart. Modesti, Criscentii, Julitæ Mart. & quadringentorum quatuor militum. Nannetis, Similini[x].

K xv. Kal. Jul. Quiriaci, Cantiani, Marini Mart. Romæ, Diogenis, Blasti, & aliorum Martyrum ducentorum sexaginta duorum, Alexandri, Dioscori. Alibi, Mariæ, Ciriæ. Aurilianis, Aviti.

L xiv. Kal. Jul. Romæ, Marci, Marcelliani, Emili, Felicis, Pauli, Martari[y]. Alibi, Crispinæ, Marinæ.

M xiii. Kal. Jul. Medionali[z], Nazarii, Gervasii, Protasii, Celsi Martyrum. Romæ, Hippolyti, Evoti, Honorii, Petri, Vitalis Ursicini.

N xii. Kal. Jul. In Tomis civitate, Pauli, Cyriaci, Feliciani[a], Thomæ, Felicis, Emeli, Vitalis, Crispini.

O xi. Kal. Jul. Bellici, Persei, Primi, Apollinaris, Rufini. In Cæsariâ, Eusebii Episcopi, Saturnini[b], Quiriaci.

P x. Kal. Jul. Antiochiâ, Gantalici[c], Juliani, Grapi Mart. Jacobi Alphei Apostoli, Rufi, Albini Mart. cum aliis octingentis octoginta octo, Paulini Conf. Nicæ Episcopi.

Q ix. Kal. Jul. Nicomediâ[d], Aviti, Cingami, Gapitonis, Aricionis, Emeriti, Alici cum septuaginta octo.

R viii. Kal. Jul. In Palestinâ, Natalis sancti Johannis Baptistæ[e], & Dormitionis sancti Johannis Apostoli. Romæ, Festi, Luciæ. Agustoduno, Simplicii.

S vii. Kal. Jul. Bigati, Lamtani[f], Aceiæ Regis, Luciæ Virginis. Rarbacis Monasterio, Dedicatio Ecclesiæ sancti Audoëni Episcopi.

T vi. Kal. Jul. Africâ, Gaudentii, Felicis. Româ, Johannis & Pauli Martyrum; Agapiti[g], Emeriti. Alexandriâ, Agatonis, Diogenis.

A v. Kal. Jul. Româ, Crispi, Spinellæ. Spaniâ, Crescentis, Crispiniani, Felicis, Justini, Juliani, Primitivi, Clementis. In Oïa, Florentii.

B iv. Kal. Jul. Africâ, Fabiani, Theoni, Gurdini[h]. Alexandriâ, Sereni, Seniadi, Venusti Eunuchi, Apolloni, Dionysii. Lugduno, Herenei, Marcellæ.

C iii. Kal. Jul. Româ, Natalis Apostolorum Petri & Pauli, Nevatiani cum nongentis septuaginta septem Martyribus. Persidâ, Nativitas Simonis,

---

f *Donatiana*] Idem *Donatiani*: in fine, *Isici*, *Germani*, *Pauli*. *Letania indic.*

g *Eladi Episcopi*] In codice S. G. additur: *Et in isto mense in hebdomada secunda sic est celebratio jejuniorum* iv. *&* vi. *feria vel Sabbato in* xii. *lectionibus.*

h *Petri Mart.*] Memoratus codex, *Petri Martyris unde mis.* Mox, *Rotiai*, xlviii. *Martyrum.*

i *Demetria*] Idem, *Demetiva.*

l *Expergenta*] Idem *Expergenti.*

m *Nicandri*] Idem, *Higrandri*, *Apcgagi.* Mox ubi *Candidi* legitur, codex Bal. habet, *Candida.* In fine codex S. G. addit, *Bonifacii Martyris.*

n *Nicocomedia*, *Amati*] Laudatus S. G. codex hîc habet, *Noveduno*, *Amanti*, & infrà ubi *Grationol*: in eodem legitur, *Gracinopoli.*

o *Marcia*] Hîc variat codex Bal. in eo enim scriptum est *Martha Sanctimonialis.* In fine codex S. G. addit, *Confessoris.*

p *Cassiana*] Idem S. G. codex, *Cassiani.*

q *Felicis*] Idem addit, *Furtunati*, *Barnaba Apostoli*, *unde mis.*

r *Basilidis*] In eodem codice adjectum est, *Martyris.*

ſ *Felicula*] Codex Baluz. *Feliculi*: codex S. G. *Alibi*, *Feliciani. In Africa*, &c.

t *Antioni*] Laudatus codex S. G. *Anteoni*, *Afra*, *Quintiani*; codex Baluz. nec *Africâ*, nec *Afra*, sed *Afri* exhibet, Statim codex S. G. *Saxionis*, pro, *Suessione.*

u *Nuci*] Codex S. G. *Nutii*, & infrà *Joviani.* In fine codex Baluz. *Quintini.*

x *Similini*] In codice S. G. legitur *sancti Similini.*

y *Pauli*, *Marthari*] Codex Bal. *Paulini*, *Authari.*

z *Mediolani*] Aliter codex S. G. nempe. *In Majulano.*

a *Feliciani*] Idem codex, *Feliciane.*

b *Saturnini*] Idem, *Saturnina*, *Quiriaci. In Magonziâ*, *beati Albani Martyris.*

c *Gantalici*] Codex Bal. *Cantolia.* Infrà *Pauli Conf.* legitur in codice S. G.

d *Nicomedia*] Loco trium nominum quæ sequuntur unum exstat in codice Bal. nempe *Argohapitonis.* Statim ubi *Avici*, &c. codex S. G. sic habet. *Alibi*, lxxviii. *& Vigilia Joannis Baptistæ. Plures commemorationes.*

e *Baptista*] Idem S. G. codex hoc loco exhibet, *Baptista unde Missa In Effeso*, *receptio Joannis*, &c. Codex Bal. cætera similis Gellonensi, habet tantum *Epheso*, *Dormitionis.*

f *Lamtani*] Codex Bal. *Lamentani.*

g *Agapiti*] Codex S. G. *Agapita.*

h *Gurdini*] Idem *Gurdiani*, infrà *Senidi*, & in fine addit, *Missa in Vigiliâ S. Petri & Pauli.*

Judæ Apostolorum.

D Pridie Kal. Jul. Româ; Timothei, Leonis, Pamphili. Lemoduno [i] Curfici, Marcialis Confeff. Andegavo Albini Confessoris.

Julius *habet dies* XXXI.

E Kalendis Julii. Româ, Gaii, Luciæ, Isici. Alibi, Orionis, Crilifi [l] Confessoris, Zoeli, Severiani. In monte Or, Depositio Aaron Sacerdotis. In Persidâ, Simonis & Judæ Apostoli. Agustoduno, Leonti. Ingolismâ; * Eparci Episcopi. *

F. VI. Nonas Jul. Romæ, Damasi, Cælesti, Eutici, Melciadis [m], Isici, Processi, Martiniani.* Turonis; Munegundæ.

G V. Nonas Julii. In Edissâ, Translatio & Natalis [n] Thomæ Apostoli. Alibi, Trifonis, Chionii, Aprici, Juliani, Severi, Eufemiæ, Giriani. *

H IV. Nonas Julii. Jucundiani; Innocentii. Turonis, Ordinatio Episcopatûs, & Translatio corporis sancti Martini Episcopi & Confessoris, & Dedicatio Basilicæ ipsius. Bitur. Lauriani Mart.

I III. Nonas Jul. Agathoni, Theodoni, Trifonis, Magrini, Arpotis, Stratonis, Theodoti, Metoni, Merini, Rodesiæ.

K Pridie Nonas Jul. Artoti, Paladi [o], Philippi, Severi, Zeti, Zotici. Agustuduno, Legontii Episcopi, & Octabas Apostolorum.

L Nonis Jul. Alexandriâ, Partemi, Eraclei, Apolloniæ, Publii. Alibi, Parteni, Pividii, Parmini, Helei, Publii.

M VIII. Idus Jul. Niciâ, Sustrati, Eracli. Alibi, Perenti, Proculi [p]; Seperi, Quarti, Prancati, Corniliani, Claudii*, Primoli.

N VII. Idus Jul. Mochi, Zenoni, Cyrilli Episcopi, Feliciani. Româ; Floriani, Procopi Mart. Faustini, Anatholii, Felicitatis. Alexandriâ [q], Fraterni.

O VI. Idus Jul. Româ, Natalis septem fratrum filiorum sanctæ Felicitatis, Felicis, Rufinæ, Secundæ, Anatholiæ, Marciani, Leontii, Philippi, Silvani, Prætexati, Maximi, Januarii, Cyrilli [r].

P Idus Jul. Africâ, Mariani [f], & Depositio Benedicti Abbatis. Alibi, Januarii, Stephani, Leontii, Marciani, Prodiciæ, Mauritii, Eutici. Pectavis, Sisini, Pii Mart.

Q IV. Idus Jul. Fortunati. Siciliâ, Agathæ [t] Virg. Mediolano, Naboris, Felicis. Alibi, Primitivi, Divi, Corninsii,* Viventioli Episcopi.

R III. Idus Jul. Alexandriæ [u], Serapionis, Melei, Trofimæ, Tropimei, Attali, Evangelii, Propili, Menei. * Mediolano, Naboris, Felicis.

S Pridie Idus Jul. Africâ, Donatæ. Alibi, Petri, Foci. Lugduno, Justi Confessoris, Amici Con. Marii, Anthioti [x].

T Idibus Jul. Alexandriâ, Philippi. Alibi, Agripini, Catulini [y], Bonosæ; Zosimi, Jacobi, Secundi, Maximi. Româ, Cirici Martyris.

V XVII. Kal. Agusti, Helarini, Migeciæ [z], Theodosi, Dionysii,* Mocharii, Mametis, Valenti, Theoni.

A XVI. Kal. Agusti. Africâ, Aquilini. Alibi, Marcelli, Generosi [a]. Bituricum, Nazarii. Autisiodero, Theodosii.*

B XV. Kal. Agusti. Româ, Simphorosi [b], Petri; Pauli, Hirenei. Alibi, Falbei Episcopi, * Emilianæ, Aquillii, Arnulfi Episcopi & Confessoris.

C XIV. Kal. Agusti. Alexandriâ, Sisinni. Alibi, Machadoræ, Dariæ, Justæ, Torquati, Lampadii [c], Petri. Lugduno, Rustici Confess.

D XIII. Kal. Agusti. Africâ; Sabini. Alibi, Victoris, Paulæ, Luciæ, Ciriaci, Maximi; Romani, Valeriani, Macridæ, Secundæ.

E XII. Kal. Agusti. Africâ, Victoris. Alibi, Adriani, Fausti. Masiliâ, Alexandri, Victoris, Deotherii, Feliciani Mart. Româ, Praxedis, Feliciani, Longini.

F XI. Kal. Agusti. Antiochiâ, Cyrilli Episcopi, Andreæ, Thebelli, Aurili; Stertei. Alibi, Platonis; Eliani, Aiobosi [d], Apollonaris Episcopi.

G X. Kal. Agusti. Româ, Vincentii. Ravenna, Apollinaris. Laodiciâ Frigiæ, Minisei, Tisici; Primitivi [e].

H IX. Kal. Agusti. Victorini, Statiani, Militaris, Silvani, Christianæ Virginis [f].

I. VIII. Kal. Agusti. Româ, Aconti, & Passio sancti Jacobi Apostoli fratris Johannis [g]. Alibi, Julianæ *, Clementis, Cristofori, Nonni. *

K VII. Kal. Agusti. Joviniani, Juliani, Emeli; Marciani, Adrianæ, Marcianæ, Mutianæ, Laudaciæ [h].

L VI. Kal. Agusti. Felicis, Juliæ, Symionis [i] Monachi, Jocundi, Genuari.* Autisiodero, Etherii Episcopi.

M V. Kal. Agusti. Auxentii, Septimiæ, Pantaleonis. Mediolano, Gervasii; Protasii, Nazarii, Celsi, Theopholi, Simplicii; Faustini, Victoris; Prudentii, Beatricis. Redonis, Riodomi Confess. Britan. Samsonis Confessoris.

N IV. Kal. Agusti. Româ, Felicis, Simplicii, Faustini, Beatricis, Abseodi, Anastasiæ. Tricas, Lupi Episcopi, Rufi, Pontiani. Aurilianis, Prosperi Episcopi.

O III. Kal. Agusti. Româ [l], Abdo & Senes,

i *Lemoduno*] Totum hoc sic legitur in codice S. G. *Lemodicas*, *Urficini*, *Martialis Confessoru. Andegavis*, &c.

l *Crilifi*] Laudatus codex S. G. *Arilezeli.* Idem infrà *in Englisma*, & in fine addit; *& est octaba Joannis Baptistæ.*

m *Melciadis*] Idem codex, *Meliciade*, *Hesici.* statim codex Bal. *Martiniana.* Quod sequitur *Turonis*, &c. habetur etiam in codice Bal. in quo præterea additur, *ancilla Dei*: at in codice S. G. legitur *Turnis*, *Monecunde Confessoris.*

n *& Natalis*] Hæ duæ voces desunt in codice S. Galli, qui in fine addit, *& Nativitas S. Martini. Plures commemorationes.*

o *Paladi*] Idem codex, *Pallati.*

p *Proculi*] Idem *Procobi.* Statim ubi *Prancati*, legitur in codice Baluz. *Prancori*, moxque Claudium non agnoscit codex S. G. & ejus loco reponit *Eladii.*

q *Alexandria*] Codex S. G. *Alexandri.*

r *Cyrilli*] Idem codex addit, *& Vigilia S. Benedicti Abbatis.*

f *Mariani*] Idem *Marciani.*

t *Agathæ*] Codex Bal. *Aglia* Infrà codex S. G. *Divicorcorninsis*, conjunctim.

u *Alexandria*] Codex Bal. *Alexandri*, idemque infrà *Propilemenei* conjunctim, quo loco in codice S. G. legitur *Propilimei.*

x *Anthioti*] Codex Bal. *Anthia.*

y *Catulini*] Codex S. G. *Catholini.*

z *Migecia*] Codex Bal. *Ingenua*, ac post *Dionysii*, addit *Pauli.* Codex S. G. statim habet *Machari.*

a *Generosi*] Hîc in codice S. G. legitur *Generosa*, & in fine *Theoduse.*

b *Simphorosi*] Codex Bal. *Symphorosa*, ac post *Falbei Episcopi*, addit, *Balperii Episcopi.* Sequitur *Emiliana*, cujus loco in codice S. G. legitur *Emeliani.*

c *Lampadii*] Codex S. G. *Lampati.*

d *Aiobosi*] Codex Bal. *Alabosi.*

e *Privitivi*] Codex S. G. *Primitiva.*

f *Virginis*] In eodem codice additur, *Et Vigilia S. Jacobi Apostoli.*

g *Joannis*] Idem codex addit, *Plures commemorationes*: mox in eo legitur *Juliani*, & in fine *Nonni Martyris.*

h *Laudatia*] Idem, *Ludaie.*

i *Symionis*] Idem, *Simonis*, mox *Januarii.*

l *Româ*] Hic dies sic describitur in laudato codice, *Româ, Abdonis Martyris, Maxima, Felicis, Fausti, Faustini, Viatricis, Justi, Sennis. Autisiodero*, &c.

Maximæ,

Maximæ, Fauſtini, Viatricis, Juſti. Autiſiodero, Urſi Epiſcopi, Paternicæ, Septimiæ.

P Pridie Kal. Aguſti. Democriti, Dionyſii. Autiſiod. Germani Confeſſ. Secundi, Tirſi, Aunomari Epiſcopi [m].

AGUSTUS *habet dies* XXXI.

KALENDIS Aguſti. Antiochiâ [n], Paſſio ſanctorum Machabæorum, Petri, Cyrilli Mart. Rufi.* Vercellis, Euſebii Confeſſ. Bituricas, Archadi Epiſcopi, Felicis Martyris. Româ, ad vincula catenas ſancti Petri oſculandas. Item Fauſti, Bonoſi, Mauri, Calumnioſi, Johannis, Exuperanti, Caſti, Cyrilli, Honorati, Theodoſi, Baſilii.*

R IV. Nonas Aguſti. Româ, Stephani Epiſcopi & Mart. Theodoti [o], Felicis Mart. Niceti.

S III. Non. Aguſti. Autiſiodero [p], Eufronii, Hermoli * Mart. Diogenis, Stephani. Alibi, Matrofili, Acellæ.

T Pridie Non. Aguſti. Româ, Laurentii, Criſcentiani, Jachincti, Juſti [q], Segæ, * Bartholomæi.

V Nonis Aguſti. Eraclii [r], Herenei, Daſſi, Afri. Aguſtoduno, Caſſiani. Catalaunum, ſancti Memmi Epiſcopi.

A VIII. Idus Aguſti. Romæ, Xyſti Martyris, Feliciſſimi & Agapiti; Donatiani Confeſſoris [ſ], Afræ Martyris, Fauſtini, Hippolyti cum centum ſexaginta quinque.

B. VII. Idus Aguſti. Fauſtini, Aurenti [t], Quiriaci, Simfroni, Veneriæ, * Donati Confeſſ. Afræ, Carpofori Mart.

C VI. Idus Aguſti. Româ, Secundini, Ciriaci, Nazari, Agapæ Virginis, Severiani, Victorini, Albani, Largi. Alibi, Metrotæ Virginis.

D V. Idus Aguſti. Firmi, Ruſtici, Dionyſii, Permoni, Gagi, Sixti, Sancti Martini [u] de Brivâ, Urbani, Luci.

E IV. Idus Aguſti. Româ, Laurentii Martyris Archidiaconi, Criſcentionis, Feliciſſimi. Alibi, Mariæ; Januarii, Cyrillæ.

F III. Idus Aguſti. Româ, Tiburtii [x], Valeriani,* Suſannæ, Ceciliæ Virg. Alibi, Caſſiani Mart. Radegundæ Reginæ, Gaugerici Epiſcopi & Confeſſ.

G Pridie Idus Aguſti. Româ, Eupli [y], Leuci, Jaſonis, Venerei, * Macharii, Dariæ, Criſſanti,* Juliani.

H Idus Aguſti. Româ, Ippoliti Mart. Luciani, Pontiani. Alibi, Antiochiâ [z], Cæleſti, Cornelii, Anoci, Radegundæ,* Eupli Levitæ & Martyris.

I XIX. Kal. Septembris. Fortunati, Vincentiæ, Tituli, Pauli, Tarmi, Eraclii, Demetrii, Felicis. Româ; Euſebii [a].

L XVIII. Kal. Septemb. Aſſumptio ſanctæ MARIÆ Matris Domini. Nicomediâ, Stratonis, Philippi, Euticiani.

L XVII. Kal. Sept. Emili [b], Orionis, Tirſi, Agniti. *

M XVI. Kal. Sept. In Cæſſariâ, Mammetis Monachi, Origenis [c], Eufemiæ, Eimilidiſſei, & Octabas ſancti Laurentii.

N XV. Kal. Sept. Agapiti, Candidi, Pontimi, Helianæ, Maſſæ, Marcianæ Virg. Eziaci [d].

O XIV. Kal. Sept. Filonis [e], Rufini, Leonti, Theodoli, Zelaſi, Magni Mart. Orionis. Bituricis, Marinæ * Martyris. Reverſio ſanctæ Crucis.*

P XIII. Kal. Sept. Valentiniani, Fiſti, Agatini, Coloni, Cainan [f], Maximi Conf. Leonti, Dioſcori. Pictavis, Ærio Inſulâ, Depoſitio Filiberti Abbatis & Confeſſ.

Q XII. Kal. Sept. Julii, Juliani, Vincentii, Hippolyti, Quadrati, Pivati Martyris [g].

R XI. Kal. Sept. Româ, Timothei, Marcialis. Alibi, Nectavi, Marini [h]. Aguſtoduno, Medardi, Emiliani, Simforiani Mart. *

S X. Kal. Sept. Fortunati, Habundi. Româ, Ciricæ [i], Egias. Lugduno, Minervii, Eleazari, Sixti, Dionyſii. Remis, Timothei, Sidonii,* Apollonaris. Aguſtiduno, Flaviani.*

T IX. Kal. Sept. In Indiâ, Bartholomæi Apoſtoli. Alibi, Zenobii [l]. Rodomago civitate, Audoïni Epiſcopi & Confeſſoris, Genari Mart. Niverno, Capitolini, Patrici Confeſſ. Geldaſi. * Eduâ civitate, Eptati.*

A VIII. Kal. Sept. Juliani, Rufini [m]. Româ, Geneſi * Martyris, Hermetis; Juſti, Paſtoris Mart.*

B VII. Kal. Sept. Hermetis, Anaſtaſii Mart. Heclano [n], Mercurii; Baſillæ, Maximilianæ; Baſillæ, * Primi, Eleutheri. Româ, Abundæ * & Herenei Mart. Rabaſc. monaſterio ſancti Quutualerdi Mart.

C VI. Kal. Sept. Sabaſti, Aronti; Rufi Mart. Felicis, Rufini, Olii, Hermetis, Marcellini. Aralato, Cæſarii Epiſcopi. Aguſtiduno, Siagri Epiſc.

D V. Kal. Sept. Româ, Hermetis [o], Stephani, Polieni. * In Ponte-regio, Depoſitio ſancti Aguſtini Epiſcopi. Brivatæ, Juliani Martyris. Santonis, Viviani Epiſc. *

m *Epiſcopi*] In memorato codice ſubjunctum eſt *Auguſtoduno, Dedicatio Eccleſiæ Senioris, & Tranſlatio, & Vigilia Sanctorum Machabæorum.*

n *Antiochiâ*] Ante in laudato codice legitur, *Romæ, Sancti Petri ad vincula ejus oſculanda.* Infrà in eodem non *Rufi* ſed *Rufini* habetur. In fine additur, *Et Octaba Jacobi Apoſtoli.*

o *Theodoti*] Idem codex *Theudote.*

p *Autiſiodero*] Idem, *in Aguſtiduno*, & mox *Hermeli.*

q *Juſti*] Idem, *Alibi, Juſti*, Statim pro *Sega*, codex Bal. habet *Faga.*

r *Eraclii*] Idem codex Bal. *Eradi.*

ſ *Confeſſoris*] Imò *Martyris*, ut habet codex S. G.

t *Aurenti*] Idem codex S. G. *Auſenti*, mox codex Bal. *Venerania*, pro *Veneria.*

u *Sancti Martini*] In codice S. G. haud paulo aliter legitur, nempe *In Brivennenſe, Martini, & Vigilia ſancti Laurent. Plures commemorationes.*

x *Tiburtii*] Codex memoratus S. G. *Tiburtii Martyris, Valeriane.*

y *Eupli*] Idem, *Eupoli.* Mox codex Bal. pro *Venerei*, & *Criſſanti* habet *Venecia*, & *Chryſanna.*

z *Antiochia*] Codex S. G. *Antioci* & mox *Radecundis Virginis.*

a *Euſebii*] Codex Bal. addit, *Sacerdotis.*

b *Emili*] Codex Bal. *Armili*, codex S. G. *Emeli.* Idem in fine addit, *Et dedicatio Eccleſiæ S Petri Apoſtoli.*

c *Origenis*] Imò *Orionis*, ſi ſequaris laudatum S. G. codicem.

d *Eziaci*] Idem codex, *Zoaci*, at codex Bal. *Iſaſi.*

e *Filonis*] Codex S. G. *Filionis.* Mox pro *Marinæ*, codex Bal. habet *Mariani.* In fine codex S. G. addit, *In Bobio, Pertolfi Abbatis.*

f *Cainan*] Codex S. G. *Cainone.*

g *Martyris*] In eodem codice additur, *Vigilia Sancti Sinforiani.*

h *Marini*] Codex Bal. *Martini.* In fine codex S. G. addit, *& octaba Sanctæ Mariæ.*

i *Cirica*] Laudatus codex S. G. *Quiriaci*: in eodem deeſt *Sidonii*, & in fine additur, *Et Vigilia Sancti Bartholomæi.*

l *Zenobii*] Idem codex addit, *Geneſi*, item *Geldaſi Confeſſoris*, item *Eptati Confeſſoris.*

m *Rufini*] Idem, *Rufina, Geneſi*, &c. & in fine addit, *Aredi Abbatis & Confeſſoris.*

n *Heclano*] Hîc codex Bal. habet, *Heclari*, at codex S. G. *Hedano.* Idem pro alterâ *Baſillâ* exhibet *Haſella.* Mox pro *Abunda* legitur *Abundi* in codice Bal.

o *Hermetis*] Codex S. G. *Hermis*, ac poſt *Polieni, Hippone Regio, Sancti Auguſtini Confeſſoris. Matutina & Miſſa. Brivata, Juliana Martyris. Santonis, Viviani Martyris. Et Vigilia Sancti Joannis Bapt.* Pro *Viviani*, codex Bal. habet *Urbiani.*

E IV. Kal. Sept. Helisei Prophetæ[p], Pauli, Niceæ, Felicis, Candidæ. Romæ, Sabiani* Martyris, & Passio sancti Joannis Baptistæ, Basillæ Virginis, & nongentorum Martyrum.

F III. Kal. Sept. Româ, Gaudentiæ Virginis, Felicis, Audacti Mart. Felix, Gemellinus, Candida Virgo. Rabascis Monasterio, Depositio Agili Abbatis.

G Pridie Kal. Sept. Paulini Episcopi & Confess. Gaïani, Eladii, Vitalis, Optati Confess. Juliani, Vincentii & aliorum[q].

SEPTEMBER *habet dies* XXX.

H KALENDIS Septembris. Prisci Martyris, Terentiani Episcopi, Evoti, Valentii, Donati[r]. Cenomanis, Victoris Confessoris, Felicis Confess. Senonis, Lupi Episcopi. Alexandriâ, Passio Petri Episcopi.

I IV. Nonas Sept. Zenonis, Antonii, Dobitati, Joseph, Theodori, Gorgoni, Thimotei. Lugduno, Justi Episcopi. Agustiduno, Siagrii Episcopi.

K III. Non. Sept. Aristonippi, Antonini, Eufemiæ, Syrici, Aresti, Joannis, Lucæ[s].

L Pridie Non. Sept. Rufini, Maximi, Bonifacii. Cavalonno, Marcelli Martyris, Sivani, Gaïani, Magni, Casti, Paulini.

M Nonis Sept. Taurini, Quinti, Ingenui, Herculiani, Arconti. Vesontione, Fereoli, Ferrutionis, & Octab. sancti Joannis Baptistæ.

N VIII. Idus Sept. Româ, Eleutherii. Capadociæ, Curti, Eugenii Episcopi[t].

O VII. Idus Sept. Senonis, Reginæ Mart. Arelato, Augustalis, Anastasii. Aurilianis, Evortii[u], Clodoaldi Confess.

P VI. Idus Sept. Timothei, Fausti. Alexandriâ[x], Ammoni, Pii, Demetri, Severi. Româ, Adriani Mart. Et Nativitas sanctæ MARIÆ Matris Domini.*

Q V. Idus Sep. Romæ, Gorgonii, Alexandri, Jacyinti, Donati, Fortunati, Tiburtii, Proti.

R IV. Idus Sept. Eupliæ, Herosi Papæ[y]. Alexandriâ Tusci, Silvani, nongentorum Martyrum, Valentini, Silvani.

S III. Idus Sept. Româ, Proti, Jyacincti, Eugeniæ, Basillæ, Ingenui. Alibi, Syri. Andegavo, Maurilionis Confess. Lugduno, Pacientis, Felicis[z] Mart. Regulæ.

T Pridie Idus Septemb. Lugduno, Sacerdotis. Agustoduno, Evanti, Siri, Serapionis. Alibi, Ammoni, Theclæ, Proti, Eusebii.

V Idibus Septemb. Agustiduno, Nectarii, Felicissimi. Turonis, Lidori[a]. Andegavis, Maurilionis Confessoris, Theodoli, Lidorii.

A XVIII. Kal. Octobris. Româ, Cornelii* & Cypriani Mart.[b] Dionysii, Saturi, Felicis, Honorii, Eparci Episcopi. Et salutatio sanctæ Crucis.

B XVII. Kal. Octobr. Româ[c], Nicomedis Martyris, Cyrini*, Stratorii, Leontii, Pauli, Constantii, Valeriani Mart. Albani.* Carnotis, Leobini Confess.* Tullo, Apri Episcopi & Confessoris.

C XVI. Kal. Octob. Luciæ[d], Eufemiæ, Geminiani, Victoris, Emerentianidis.* Ceciliæ, Felicis, Tirsi.

D XV. Kal. Octob. Gurdiani, Valeriani, Macrini, Sanctini, Constantii, Pauli, Isici Mart. Macrobi, Landberti Episcopi[e].

E XIV. Kal. Octob. Trophimi, Ociani, Sixti, Meditei, Eustorgi, Satyri.

F XIII. Kal. Octob. Demetrii, Niceci, Castoris Militis, Trogi, Januarii, Ferioli, Sigonis Confess.

G XII. Kal. Octob. Dormidioni[f], Dorothei, Privati, Constantiæ, Felicis. Româ, Januarii.*

H XI. Kal. Octob. Mediolano, Victoris Martyris. Persidâ, Matthæi Apostoli. Albi, Lucæ Evangelistæ. Româ, Pampili Martyris.

I X. Kal. Octob. Basillæ. Sidunis, Agauno, Maurici, Exuperi, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis cum aliis[g] quinque millibus quingentis octoginta quinque Martyribus.

K IX. Kal. Octob. Teclæ Virginis. Alexandriâ, Marci Evangelistæ. Româ, Liberii Episcopi, Lini Martyris.

L VIII. Kal. Octob. Conceptio sancti Joannis Baptistæ[h], Juliani. Agustiduno, Sedulo, Andoci,* Tirsi, Felicis Mart. Lugduno, Lupi. Arvernis, Rustici Episcopi.

M VII. Kal. Octob. In Asiâ, Eucarpi, Bardumiani. Alibi, Marci.

N VI. Kal. Octob. Româ, Eusebii Confessoris. Alibi, Senatoris, Luxori, Migni[i], Naborti, Fastini: Aurilianis, Apollonaris.

O V. Kal. Octob. Eleutherii, Andronici, Thimothei, Taraci, Prolii[l], Cosmæ, Damiani Mart.* Eduis, Florentini.

P IV. Kal. Octob. Martialis, Laurentii, Stactei[m], Emelici, Priani. Româ, Justini Presbyteri, Alodi, Sacloni.*

Q III. Kal. Octob. Plauti, Placiti[n], Eracliæ,

p *Propheta*] Codex S. G. addit, *receptio*: infrà pro *Sabiani* codex Bal. habet *Sabina*.

q *& aliorum*] In codice S G. adjectum est, *Et Octaba Bartholomei.* Statim initio Septembris in eodem legitur, *Letanias indicendas.*

r *Donati*] Laudatus codex, *Donata*. Infrà, *Senonis, Depositio Lupi Episcopi & Confessoris.*

s *Luca*] In codice Bal. additum est, *Tullo, Mansueti Confessoris.*

t *Episcopi*] In codice S. G. hæc sequuntur, *Claudi. Abdi Confessoris, Plenius comm. & Vigilia Sancti Chlodoaldi.*

u *Evortii*] In eodem codice additur, *Confessoris.*

x *Alexandriâ*] Codex Bal. *Alexandri, Ammoni, Pudemetis, Severi.* In fine codex S. G. addit, *secundum Romanos.*

y *Papa*] Sequentia sic habentur in codice S. G. *Helari .... Alexandri, Siliani &* Dcccc. *Martyrum. In Africâ, Tusci, Valentini.*

z *Felicis*, &c.] Hæc sic descripta sunt in codice toties memorato, *Et castro Thurigo, natale sancti Felicis, cum germanâ suâ sanctâ Regullâ.*

a *Lidori*] Idem codex addit *Secundini.*

b *& Cypriani Mart.*] Hæc desunt in laudato codice, in quo hæc dumtaxat post *Cornelii* leguntur: *Exaltatio Sancta Crucis. Mis. Alibi, Cibriani Martyris, Cornili, Saturi.*

c *Româ*] Idem Codex, *In Galliâ, Tullo civitate, Natale S. Apri Episcopi & Confessoris. Româ*, &c. idem pro *Cyrini* habet *Cyriani*, & ubi *Albani* editum est, in eo legitur, *Nicodimi, Albini*, & post *Leobini Confess.* habet, *& Octaba sancta Maria.*

d *Luciæ*] Hîc in Laudato codice S. G. legitur, *Luca*, & infrà, *Roma, Emerentiantis.* Codex Bal. ibidem habet, *Emerentiani.*

e *Landberti Episcopi*] In codice Bal. additum est, *Sidonii.*

f *Dormidioni*] Codex S. G. *Dormidoni*, & in fine addit, *Et Vigilia Matthæi Apostoli.*

g *cum aliis*, &c.] Idem codex, *cum VI. millia DCLXV. Mãt. & Mĩs. Et Vigilia sancti Andocii, Tirsi, Felicis.*

h *Joannis Baptista*] Idem addit, *Ple. com.* idem pro *Sedulo, Andoci*, habet *Sidoloco vico, Andacii.*

i *Migni*, &c.] Idem, *Magni, Nabosti, Faustini, Arvernis, Appolonaris.*

l *Prolii*] Hîc codex Bal. habet *Probi.* Post *Mart.* in codice S. G. legitur *Mãt. & Mĩs. In Eduâ, Florentine.*

m *Stactei*] Idem S. G. codex, *Statthei, Emeli, Cibriani, Justina*, & in fine, *Sadoni. Et Octava Matthei Apostoli, & Vigilia Archangeli Michaelis.*

n *Placiti*] Codex Bal. *Placidi*, & in fine addit, *in monte Gargano.* Quorum loco hoc tantùm legitur in codice S. G. *Mis.*

Traciæ. Autissiodero, Fraterni, Sosi, Januarii. Et Dedicatio Basilicæ Archangeli Michaëlis.

R Pridie Kal. Octob. Placentiâ, Antonini. Hierosolymis, Hieronymi Presbyteri [o].

October habet dies xxxi.

S KALENDIS Octobr. Prisci, Criscentiani, Evagrii, Fausti, Casti, Dignæ. Remis, Remedii Episcopi. Autissiodoro, Germani Episc.

T vi. Non. Oct. Eleutherii [p], Quirilli, Secundiani, Primi, Eusebii, Greciani, * Leonti.

V v. Non. Oct. Theogeni. Africâ, Victoris, Amponi, Sapargi, Urbani, Felicis, Casti. Pictabis, Leodegarii Episcopi Martyris.

A iv. Non. Oct. Marci, Adaucta [q], Dasii, Marciani, Marusi, Restituti, Marcelli. Autissiodero, Marci.

B iii. Non. Oct. Placiti. Valentiâ, Apollonaris, Eutici. Victorini. Autissiodero, Fausti, Pelagii, Firmati, Flaviæ [r] Virginis.

C Pridie Non. Oct. Rogati, Emeli, Ammonii, Marcelli, Casti, Albini, Marci. Agenno, Fidis Martyris. Autissiodero, Romani Episc.

D. Nonis Oct. Marcelli [s], Juliæ, Apollei, Matthæi Evangelistæ, Marci Episcopi. Bituricis, Agusti Confess. Alibi, Sirgi, Quarti.

E viii. Idus Oct. Antiochiâ, Dionysii, Januarii, Privati, Victoris, Marcialis, Eraclii, Juliani, Pelagiæ, Faustini Mart. Et Passio sanctæ Reparatæ. [t]

F vii. Idus Oct. Coloniâ, Gereon Martyris cum aliis trecentis septemdecim, Diodori Martyris, Septimi. Parisius, Dionysii Martyris [u], Eleutheri, Rustici. Alibi, Afræ, Priminæ. Româ, Marcellini & Genuini Mart.

G vi. Idus Oct. Africâ, Eusebii, Eraclii, Dionysii, Septimi, Venusti, Propii [x], Andronici. Alibi, Serenæ, * Paulini Episcopi, Probi, Malosi * cum aliis trecentis triginta.

H v. Idus Oct. Placidi, Fausti, Athanasii, Ampodi, Venanti, Januarii, Marcialis, Marcelli, Eraclii.

I iv. Idus Oct. Evagrii [y], Eustasi. Româ, Hedisti, Saturi, Eucaristi, Prisciani. Bituricis, * Opionis.

K iii. Idus Oct. Fausti, Marcelli, Hadriani, Marciæ, Januarii, Athanasii Episcopi.

L Pridie Idus Oct. Româ, Calisti Episcopi [z], Ampoti, Modesti, Saturi. Alibi, Lupi, Luciani, Justi.*

M Idibus Oct. In Capuâ, Lupilli; Fortunatæ [a].

N xvii. Kal. Novemb. Sussi. Africâ, Cecræ, Marei, Aufidi, Marianæ, Nerei. Alexandriâ [b], Victuriæ, Nubilitani.

O xvi. Kal. Novembr. Alexandriâ [c], Victurii & Lucæ Evangelistæ. ... qui obivit lxxvii. anno, sepultus in Betaniâ. In Mauritaniâ, Nini, Donati, Serviliani, Basillæ, Januarii. *

P xv. Kal. Novem. Lucæ, Victuriæ, Hermetis, Patioli, Justi Mart. Januarii, Agnetis Virginis, Triponiæ, Beresi, Euticis, Dasi, Leuci.

Q xiv. Kal. Novem. Austerii, Januarii, Proculi, Desiderii, Prosduci, Nicæ, Domnæ Virg. Pelagiæ, Festi.

R xiii. Kal. Novem. Dasii, Zozimi, Promaci, Januarii, Euticis, Lucii, Marcellinæ, Caprasii, Neonis Mart.

S xii. Kal. Novem. Gagi, Eutici, Dissei, Modesti cum aliis ducentis septuaginta duobus [d], Macharii, Festi. Lugduno, Justi, Viatoris.

T xi. Kal Novem. Philippi, Eusebii, Hermetis, Severi, Leucati.

A x. Kal. Novem. Severi, Dorothæi, Seuresi, Longini.

B ix. Kal. Novemb. Vitalis, Felicis, Rogati, Claudiani, Victoris, Paperi, Eutheri, Flaviani, Justi [e].

C viii. Kal. Novem. Româ, Natalis [f] Sanctorum quadraginta sex, seu millia centum viginti quatuor, Saturnini, Maximi, Bibiani * Confess. Alibi, Primi. Suessionis, Crispini, Crispiniani, Rogati, Felicis, Vitalis.

D vii. Kal. Novem. Nicomediâ, Luciani, Marciani, Florii, Eraclii, Tuti.

E vi. Kal. Novem. Polycarpi, Niconi, Eumini, Mariani, Tarsi, Gagi, Diodori, Metrobi, Poti, Florentii, Longi [g].

F v. Kal. Novem. Natalis Apostolorum Simonis & Judæ, Arcelladi, Amaranti, Mariani [h], Quinti, Lucii. Româ, sanctæ Cyrillæ.

G iv. Kal. Novem. In Lucaniâ, Sachieti [i], Sacinoti, Quinti, Felicianæ, Lucini. *

H iii. Kal. Novem. Nicomediâ, Januarii, Calendionis, Marci, Germani, Marcialis, Petri, Antici, Marciani, Saturnini.

I Pridie Kal. Novem. Africâ, Daconi, Juliani, Bonefaciæ, Agapi, Donati, Fortunati, Silvani, Vincentii, Vitalis, Vigilantii, Nundini, Philippi, Felicissimæ, Castæ, Perpetuæ. Passio sancti Quintini Romani, Criscentiani [k].

November habet dies xxx.

K KALENDIS Novembris. Mariæ, [l] Mar. Primi Episcopi, Genesi Episcopi. Alibi,

o *Presbyteri*] In codice S. G. additum est, *Matutina & Mis.* Idem initio mensis sequentis habet, *Letanias indicendas.*

p *Eleutherii*] Codex memoratus S. G. *Eleoderi*, in eodem infrà pro *Greciani* legitur, *Gaiani*, *Leonti. Et Passio Leodegarii Episcopi Augustitonensis.*

q *Adaucta*] Idem codex *Adaugti.*

r *Flavia*] Codex Bal. *Flavina.*

s *Marcelli*] Hoc loco sic legitur in codice S. G. *Marcelli Martyris*, *Julii*, *Apulla*, &c.

t *Reparata*] In eodem codice additur, *Et Vigilia sancti Dionisi Martyris cum sociis suis.*

u *Martyris*] Sequitur in eodem codice, *Plen. Cōm. Eluteri Presbyteri, Rustici Diaconi. Alibi, Afra, Rustici Confessoris, Primitive. Româ* &c.

x *Propii*] Idem, *Probi*, mox *Sereni*, nec longè *Maltusi*; in hoc variat etiam codex Bal. & habet, *Malasi.*

y *Evagrii*] In eodem codice sic legitur, *Evagrii*, *Eustasia*, *Disti*, *Saturi*, &c. in eodem deest, *Bituricis.*

z *Episcopi*] Deest in laudato codice, qui in fine addit, *Octava sancti Marci.*

a *Fortunata*] In eodem additum est, *Et Vigilia sancti Galli.*

b *Alexandriâ*] Idem codex, *Alexandrini*, *Victurie*, *Nobilitane. Et Depositio beati Galli Confessoris.*

c *Alexandriâ*] Idem, *Alexandri*, *Victuri*, &c. *Evangelista*, *obiit* lxvii. *anno ætatis suæ.* In fine, *Et dedicatio Basilica sancti Galli.*

d *duobus*] In laudato codice deest.

e *Justi*] Idem codex addit, *& Octaba Luc.a*, *Mit. & Mis.*

f *Natalis*] Hæc desunt in eodem codice S. G. & consequenter in eo legitur *Româ*, *Saturnini*, &c. in codice Bal. pro *Bibiani* habetur *Juliani.*

g *Longi*] In codice S. G. additur, *Et Vigilia Apostolorum Simonis Zelotis & Dadei.*

h *Mariani*] Idem codex, *Mariane.*

i *Sachieti*] Codex Bal. *Jacinti*, codex S. G. *Sachinei*: idem in fine pro *Lucini* habet *Luciani.*

k *Criscentiani*] Idem S. G. codex addit, *Et Vigilia Festivitatis omnium Sanctorum. Plenas Comme.* Idem initio mensis sequentis habet, *Letanias indicendas.*

l *Maria*] Laudatus codex, *Festivas omnium Sanctorum. Maria Martyris.* Codex S. Remigii, *Maria*, *Martha.* Infrà codex Bal. *Cæsaria*, *Severini.* Statim codex S. G. *Macedoniâ*, *Vitalis*, pro illis, *Alibi Macedoni.*

Meldegasi. Româ, Cæsarii, Severinæ. Alibi, Mecedoni. Bajocas, Vigoris Episcopi & Confessoris Divione Benigni Martyris. Agustiduno, Primi Episcopi, Vitalis.

L iv. Nonas Novembr. Africâ, Natalis Sanctorum Publiani, [m] Hermetis, Vitalis, Victoris, Justi.

M iii. Nonas Novembr. In Africâ, Capidociâ, Germani, Theofili, Egrili, Cæsarii, Vitalis, Agricolæ Mart. Et Depositio Perminii [n] Episcopi.

N Pridie Non. Novemb. Primi, [o] Gregorii. Agustiduno, Proculi Episcopi. Rodenus, Amantii * Episcopi. Bituricas, Lusorii Confessoris, Cæsarii, Domnini.*

O Nonis Novem. In Cæsariâ, Domnini, Pullili, Marciæ, [p] Gregorii, Quarti, Cæsarii, Eurasi, Antonini, Epiphanii.*

P viii. Idus Novemb. Nicomediâ, Adriani. Alibi, Donati, Felicis. Redonis, Translatio sancti Melanii Confessoris. Alibi, Julii, Eusebii, Januarii, Mammeri.

Q vii. Idus Novemb. Nicomediâ, Eusebii. [q] Alibi, Sinfroni, Rogatiani, Donati, Eustasii, Marii, Primi, Optati.*

R vi. Idus Novemb. Româ, Natalis sanctorum quatuor Coronatorum, Claudii, Nicostrati, Syphroniani, Castori, [r] & Simplicii Mart. Alibi, Primi, Macharii, Eusebii, Cælesti.*

S v. Idus Novemb. Nicomediâ, Amiani, [s] Donati, Clementis. Româ, Theodori, Ippoliti, Adriæ, Grisogoni, Sinfronii, Fausti, Marcialis Martyris, Januarii Martyris.

T iv. Idus Novemb. Antiochiâ, [t] Demetrii,* Saturnini, Anienesi, Eustasi. Româ, Leonis Episcopi. Aurilianis, Amatoris Episcopi.*

V iii. Idus Novemb. Ravennâ, Valentini, Feliciani, Bonifaciæ Mart. Lugduno, Verani Episcopi, Mariæ, Vincentii, Minatis. Româ, Menæ Martyris. Turonis, Depositio sancti Martini Episcopi & Confessoris.

A Pridie Idus Novemb. Africâ, Maurili, [u] Publii. In Cæssariâ, Germani, Cæsarii, Eusebii, Theofili.

B Idibus Novemb. In Traciâ, Edicti. Cæsariâ, Antonii, Germani. Rutenis, Amantii Confessoris. Turonis, Bricionis Confess. Româ, Felicis Presbyreri. Alibi, Jacobi, Solutoris, Valentini. [x]

C xviii. Kalendas Decembris. In Eracliâ, Clementini, Theodotæ, Filomini, Eraclii, & aliorum multorum, quorum nomina Deus scit. [y]

D xvii. Kalendas Decembris. Africâ, Secundi, Fidentiani, [z] Veraci & Mai rcalis, & sanctorum Siddini, Saturnini, Servi, Calendionis, Valeriani, Fructuosæ, cum aliis duodecim.*

E xvi. Kalendas Decembris. Africâ, [a] Rufiniani, Marci, Valerii, Victoris, Pauli. Capuæ, Natalis Januarii, Justi, Agustiani. Lugduno, Eucherii Episcopi.

F xv. Kal. Decemb. Capuâ [b] Campaniæ, Agustini. Alibi, Ammonii, Eusarii, Cecilii, Teclæ Virg.* Aurilianis, Aniani, Confessoris.

G xiv. Kal. Decemb. Anthiochiæ, Romani, Isici Mart. Alibi, Acisceli [c] Martyris, in ipsius festo in Cordubâ rosas collegunt, Victoris, Maximi, Luciani, Bonoli, Marciani, Carterii, Octav. sancti Martini.

H xiii. Kal. Decemb. In Cæsariâ, Maximi, Neoferi, Januarii, Mogioni, [d] Cartherii, Zefori. Agustiduno, Simplicii. Romæ, Maximi.

I xii. Kal. Decemb. In Eracleâ, Bassi, Dionisii. Alibi, Gagi, Maximi, Agapæ Virginis, Secundi, Octavi, Solutoris.

K xi. Kal. Decemb. Romæ, Gelasii Papæ. Antiochiæ, Basilei, Saturnini, Auxilii, Basiliscæ, Sisinnii. Alibi, Clementis, Quintiani, Stephani, Demetrii, Celsi. [e]

L x. Kalendas Decembris. Romæ, Cæciliæ Virginis, Celsi, Cleti, Zeti, Fausti, Longini, Leonti, Valeriani, Tiburtii, Maximi. Agustiduno, Priomaci.

M ix. Kal. Decemb. Romæ, Clementis, Felicitatis Mart. Maximi, Verocianæ, [f] Euticis, Marci, Sateri. Bobio, Columbani Abbatis.

N viii. Kal. Decemb. Romæ, Crisogoni, Eleutheri, Maximi, Felicissimæ, [g] Donati, Antirodi, Mammeri, Clementi Mart.

O vii. Kal. Decemb. Luciani, Marciani, Cypriani, Claudiani, Quiriaci, Marcialis, Petri, Donati.

P vi. Kal. Decemb. Cirici, [h] Saturnini. Alibi, Petri, Marcellini, Monnæ, Valeriani Confessoris. Agustiduno, Amatoris Episcopi.

Q v. Kal. Decemb. Nicomediæ, Marcelli, Petri, Seneri, [i] Memori, Joannis. Romæ, Optati Episcopi, Agriculæ, Severi, Eufemiæ, Lucæ.

R iv. Kal. Decemb. In Siriâ, Throfimi, Theodoli, Expicasi, Eucherii, Eusebii, Exilii.

S iii. Kal. Decemb. Romæ, Natalis sanctorum Saturnini, Crisanti, Mauri, [l] Dariæ, Marci. Nannetis, Saturnini, Eulaliæ.

T Pridie Kalendas Decembris. In Achaiâ, civitate Patras, Natalis Andreæ Apostoli. Mediolano, Ambrosii Episcopi & Confessoris. Romæ, Ca-

m *Publiani*] Codex sæpe laudatus S. Galli, *Popliani.*

n *Perminii*] Idem, *Pirminii, Amandi, Episcoporum & Confessorum.*

o *Primi*] Codex Bal. *Africâ, Primi.* Infrà codex S. G. *Remis, Amanti Episcopi. Biturio, Lusoris*, &c. & in fine addit, *Et Octaba Apostolorum Simonis Zelotis, & Juda Jacobi Fratris Domini. Matutina & Mis.*

p *Marcia*] Idem S. G. codex, *Et alibi, Marcia;* & in fine addit, *Et Vigilia sancti Melani. Plen.*

q *Eusebii*] Idem *Natale sancti Eubii*, & in fine pro *Optati*, habet *Ortati.*

r *Castori*] In eodem additur, *Davidi;* & in fine *Octaba Sancti Benigni.*

s *Amiani*] Idem, *Damiani. Et alibi, Donati.*

t *Antiochiâ*] Codex Bal. *Autisiodori.* Mox codex S. G. *Et alibi, Saturnini.* Idem in fine, *Aurilianis civitate, Monitoris Episcopi.*

u *Maurili*] Idem, *Mauruli.*

x *Valentini*] In eodem codice additum est, *Et Octaba Melani Confessoris.*

y *Deus scit*] Postea in laudato codice legitur, *Comm. Fratn*

z *Fidentiani*] Idem, *Et alibi, Fidentiani, Varici, Marcialis, Donati*, & quæ leguntur in fine, *cum aliis duodecim*, in eo desunt. Horum verò loco habetur, *Et Vigilia sancti Otmari Confessoris.*

a *Africâ*] Hic dies in laudato codice sic legitur, *In Africâ, Natale Rufiani. Et alibi, Felicis Martyris, Vincentia, Vitalis, Euceri, Justi, Marci, Valeri, Fidentiani, Neri, Pauli, Agustini, Victoris. Et est Depositio beati Otmari Abbatis.*

b *Capuâ*] Idem codex, *In Cappadociâ, natale Agustini.* Idem post *Tecla Virg.* sic habet, *Gregorie, Zachei, Aurelianis, Aniani. Plē. Comm.*

c *Aciscli*] Idem, *Acisele.*

d *Mogioni*] Idem, *Duciani.*

e *Celsi*] In codice Bal. additum est, *Vigilia sancta Cecilie.*

f *Verociana*] Idem codex, *Verociani.*

g *Felicissima*] Idem, *Felicissimi.*

h *Cirici*] Idem, *Roma, Cirici.*

i *Seneri*] Idem, *Sereni.*

l *Mauri*] Idem, *Maturi;* & in fine addit, *Vigilia sancti Andrea.*

ftoli, Saturnini, Euprepitis, Centuli, Januarii, Crisanti, Mauri.

DECEMBER *habet dies* XXXI.

V KALENDIS Decembris. Româ, Candidæ,[m] Lucii. Et alibi, Victuri Amboni, Filadi, Rogati, Cassiani, Matronæ, Primini.

A IV. Nonas Decemb. Romæ, Vivianæ, Printæ,[n] Pontiani, Pimini, Dafrosæ, Demetriæ, Veri, Agnetis, Securi.

B III. Nonas Decemb. In Oriente, Merobii, Claudici, Felicis, Victuri, Job. Alibi, Joannis, Stephani, Crispini, Agriculæ, Martini.[o]

C Pridie Nonas Decemb. Eracli, Victuri, Miggini, Filicis, Merobi, Christiani. Romæ, Barbaræ Virginis, Filadi Martyris, Umbini.[p] Monasterio Floriacensi, à partibus Romæ Adventus corporis sancti Benedicti Abbatis.

D Nonis Decemb. Crispini, Humili, Trofimi, Felicis, Victoris, Pauli, Marci, Amantii.

E VIII. Idus Decem. Zeloti,[q] Fortunati, Gati, Hermogenis, Rogati, Agathæ.

F VII. Idus Decemb. Antiochiæ, Policarpi, Theodori, Sapidici. Romæ, Eutaciani Episcopi, & Octab. sancti Andreæ[r].

G VI. Idus Decemb. Natalis sanctorum Eusebii, Ursani[f], Successi.

H V. Idus Decemb. In Africâ, Petri, Victoris, Urbani, Bonefacii, Successi, Basini[t], Toniti, Ancioti,* Geronti, Silvani,* Mariæ, Victoriæ, Rogatæ.

I IV. Idus Decemb. Romæ, Victori, Adriani, Pauli, Ceciliæ, Martanæ, Privatæ. Romæ, sancti Melciadæ Papæ, Damianæ, Valeriæ, Germani[u]. Arvernis, Agriculæ, Vitalis Mart. In Spaniâ,* Eulaliæ Virg. & Mart.

K III. Idus Decemb. Romæ[x], Damasi Papæ, Eulaliæ, Prætextati. Alibi, Trasonis, Pontiani,* Samoni, Eutici, Secundi. Ambianis, Victarici,* Fausciani, Mariæ, Zosimi & aliorum.

L Pridie Idus Decemb. In Spaniâ, Eulaliæ Virginis, Hermogenis[y], Donati, & aliorum viginti-duorum.

M Idibus Decemb. Ravennæ, Ursionis & Leocadi Confessoris, Valentini. In Siciliâ, Luciæ Virginis, Casti, Felicis, Modesti, Securi, Urbanæ & aliorum.

N XIX. Kal. Januarii. Dedicatio Basilicæ sancti Salvatoris in Gellone. Anthiochiæ[z], Drusi & sociorum ejus trium, Zosimi & Theodori, sanctæ Luciæ Virginis. Lugduno, sancti Victoris* Episcopi. Viennâ, Lupicini Episcopi. Remis, Nicasii Episcopi, & Sacrepi, Aspediæ & Theodoli,* vel aliorum.

O XVIII. Kal. Jan. In Africâ, Fausti, Lucii, Candidi[a], Materi, Marci, Januarii, Victori, Restitutæ & aliorum duodecim. Aurilianis, Maximini* Presbyteri & Confess. In Salonâ, Heliæ, Tromodi, Candidi.

P XVII. Kal. Jan. Ravennâ, Valentini, Navalis, Agrigolæ[b], Concordi. Arelato, Dedicatio Basilicæ & altaris sancti Gennesii Martyris.

Q XVI. Kal. Jan. Africâ, Victoriani[c], Adjutoris, Quarti, Honorati, Simplicii, Ampiamovi Felicis, Vincenti, & aliorum viginti quatuor, & Octori, Quinti, Donati, Victoriæ, Dioscori.

R XV. Kal. Jan. In Africâ, Quinti, Pauli, Digni, Ceciliani, Evasi, Basiliani, Simplici, Pompini, Vincenti. Romæ, Luciæ Virginis, Feliciani, Auceiæ, Antonini[d], Herenei. Alibi, Honorati, Afræ & aliorum plurimorum.

S XIV. Kal. Jan. In Bitiniâ[e], Zosimi, Ciriaci, Anastasii, Sidoni.* Autissiodero, Pauli, Gregorii, Dari, Crisanti.

T XIII. Kal. Jan. In Thraciâ, civitate Gildobâ, Julii. Romæ, Zeferini Episcopi. In Oriente, Natalis Teclæ & sancti Liberati[f].

A XII. Kal. Jan. In Messopotamiâ, civitate Edissa, Natale & Translatio corporis sancti Thomæ Apostoli, qui translatus est ab Indiâ, cujus passio ibidem celebratur. Romæ, Depositio Sancti Innocentii Episcopi, & Passio sanctorum Victuriæ, Bithaniæ, Secundi, Zosimi, Aurili & Seriaci & sanctorum Foci, Florii & Honorati Episcopi & Confessoris.

B XI. Kal. Jan. Basilei. Romæ[g], Natale triginta Martyrum qui omnes uno die coronati sunt; & in opido civitatis, Depositio Felicis Episcopi, & Passio Theodosiæ Virginis, & Didimi Monachi.

C X. Kal. Jan. In Nicomedia[h], Natale sanctorum Martyrum Simulsistis, Apolloni. Romæ, sanctorum Eugeni, Saturnini, Eufrosini, Castuli & aliorum octingentorum. . . . simul Calesti, Eutichiani & sociorum ejus, simul Petri, Apolloni, Telii, Xisti. Item Sixti, Salani, Evaristi, Libasi, Limi, Zephirini, Galiti, Cornili, Johannæ & Felicis.

D IX. Kal. Jan. Tripoli civitate, Natale sancti Luciani. Romæ, Metrobii & Pauli, Zenoti, Heutini[i], Timisti. Anthiochiæ Siriæ Natale sanctarum Virginum quadraginta & unius Canonicarum, simul & alii duo Drusi & Donati.

Explicit Martyrologium de Gellone.

m *Candida*] Idem, *Candidi*, & in fine addidit, *Dedicatio Basilica sancti Stephani Protomartyris in Hierosolyma.*

n *Printa*] Idem, *Primenti.*

o *Martini*] Hîc in codice S. Galli additum est, *Et Retiâ, Coriâ civitate, Depositio sancti Luci Confessoris. Matutina & Mis. Et Vigilia sancti Benedicti Abbatis.*

p *Umbini*] Idem codex S. G. *Umbone.*

q *Zeloti*] Idem, *In Africâ, Zeloti.*

r *Andreæ*] Idem codex addit, *Mis.*

f *Ursani*] Idem, *Urbani.*

t *Basini*] Idem, *Basinini*; mox ante *Geronti*, codex Bal. habet, *Autissiod.* cujus loco legitur *Antiocie*, in quo non *Silvani*, sed *Silvane* habetur.

u *Germani*] Codex S. G. *Germane*, & *In Spanis.*

x *Roma*] Idem codex, *Româ, Elalie, Pretextati, & aliorum sine numero.* Idem non *Pontiani*, habet, sed *Pontiane*, & post *Victarici*, in eo legitur, *Et alibi Fusciani Martyris.*

y *Hermogenis*] Idem, *Alibi, Hermogenis, Donata.*

z *Anthiochia*] Codex Bal. *Autissiodor.* Infrà, codex S. G. *Lugduno, sancti Viatoris*, & sub finem *Deudoli*, pro *Theodoli.*

a *Candidi*] Sequitur in laudato S. G. codice, *Cecili, Primi, Materi*, &c. Infrà in eodem *Maximi*, legitur pro *Maximini.*

b *Agrigola*] Idem, *Argigula.*

c *Victoriani*] In eodem sequitur, *Victoris, Adjutoris*, &c.

d *Antonini*] Idem, *Antoni.*

e *In Bitinia*] Codex Bal. *Bitur.* Infrà ubi *Sidoni* legitur, codex S. G. habet, *Alibi, Siddini.*

f *Liberati*] Hîc codex S. G. addit, *Et Vigilia Thoma Apostoli.*

g *Roma*] Codex Bal. *Autissiodor.* In codice S. G. hîc dies sic legitur, *In Antiochia, Basilei. Alibi, XXX Martyr. & Demetri, Flori, Aristoni, Honorati, Felicis, Didimi.*

h *In Nicomedia*] Hîc etiam variat codex S. G. *Nicomediâ XXXV. Mart. Sistis, Apolloni. Roma, Egeni, Urbani, Cornili, Trajani, Cliti, Anaueliti* (an pro *Anencleti?*) *Castula. Et alibi, DCCC. triginta, Petri, Sixti, Joannis.*

i *Heutini*] Idem codex, *Theutini.*

MONITUM.

EXSCRIPSERAT *sua manu* WANDALBERTI *Martyrologium doctissimus Bigotius, cum Bataviam inviseret, è codice scripto Isaaci Vossii, viri comitate singulari, ac politiori literaturâ, multarumque rerum scientiâ clarissimi. Adscripserant falsò Wandalberti Martyrologium Venerabili Bedæ Basileenses, illud ejus ephemeridibus accensentes ann.* 1563. *deinde Molanus in dies distributum Usuardi Martyrologio, cuso Coloniæ ann.* 1568. *(subductis versibus nonnullis) interseruit: nunc integrum suo Auctori ac nitori restitutum, unà cum Præfationibus solutà & strictâ oratione concinnatis, atque iis quæ Martyrologium subsequuntur (illa ipsemet Vossius descripsit misitque ad præfatum Bigotium cum Spicilegii Tomo V. finem imponerem) prodit in in lucem. De Wandalberto pauca hæc habet Sigibertus cap.* 128. *de Scriptoribus Eccles.* Wandalbertus scripsit Martyrologium metrico stilo. *Trithemius verò plura de viris illustr. Ordinis S. Benedicti cap.* 36. Wandalbertus Diaconus & Monachus Prumiensis Monasterii in Diœcesi Trevirensi, natione Teutonicus, vir in divinis Script. doctus, & in sæcularibus literis valde peritus, Rhetor & Poëta insignis, sermone clarus & nitidus, &c. Scripsit etiam metricè Martyrologion totius an. l. 1. & alia plura quæ ad meam notitiam non venerunt. Claruit sub Lothario Imperatore ann. Dom. 854. *Miræus verba repetit Trithemii de script. Eccles. cap.* 316. *ad ann.* DCCCXL.

Wandalbertus autem Commendatione *ad Cæsarem, ubi Lotharium dilaudat, non obscurè annum quo texuit Martyrologium exprimit, præcipuè versibus istis:*

Lustra per orbem
Quinque recurrunt,
Nomine postquàm
Clarus & armis,
Cæsariana
Jura retentas.

Ubi aut ab imperio Lotharii ducit initium Wandalbertus cum Ludovicus Pius an. DCCCXVII. *coronatum voluit filium Imperatorem, aut ab eo tempore quo Romæ an.* DCCCXXIII. *à Paschali Papa Lotharius fuit inauguratus. Si prius, addas quinque lustra, sive viginti quinque annos, tum* DCCCXLII. *salutis annum numerabis; si posterius,* DCCCXLVIII. *Suum verò Martyrologium ætatis annum agens trigesimum quintum se confecisse testatur in* Conclusione *pag.* 343.

Trinis ecce decenniis
Vitam dego miser; quintus & insuper
Ævi curriculis orbis adest atque meatibus.

Molanus in Præfatione ad Usuardi Martyrologium *c.* 5. *de Wandalberto, ingenuè fatetur ipsius Martyrologium è Bedæ ephemeridibus mutuatum esse; deinde subinfert:* In indice quodam variarum Bibliothecarum, qui ante an. 80. aut circiter conscriptus est, & Lovanii asservatur, quæsivi MS. Wandalberti exemplaria, sed unicum tantùm indicabatur in Bibliotheca Regularium Lovanii in valle S. Martini, ubi tamen nunc non est, quomodocumque id acciderit: & proinde æqui bonique consulas, candide Lector, quòd Wandalbertus non satis castigatus prodeat.

Denique Florus, quem mirè laudat Wandalbertus in Præfatione, non Martyrologus notatur, cujus meminère Usuardus, Ado, & alii, sed junior ipso, nimirum acerrimus ille, Carolo Calvo imperante, Ecclesiæ Lugdunensis pro gratiâ Christi & libero arbitrio propugnator. Legesis Miræum ubi suprà ad Sigiberti cap. 92.

Hactenùs Acherium exscripsimus doctè, ut solet, de Wandalberti Martyrologio disserentem: nunc ea monebimus de quibus lectorem certiorem fieri necesse est. Ac primùm quidem, à nobis adscriptum est Poëmation in Hexaëmeron, quod Wandalbertus ipse asserit se Martyrologio suo subjunxisse. Nam cum deesset in eo codice Bigotii quo Acherius usus erat, alterum codicem vir ille studiosus deinde comparavit, ex quo id descripsit R. P. D. Edmundus Martene, nobisque humanissimè communicavit.

Non hæc sola fuit Bigotiani codicis utilitas; imò fuit vel minima; ejus enim ope loca propè infinita, emendavimus, ac versus qui desiderabantur restituimus haud paucos, perinde atque è vetustissimo codice Regio, quicum priorem editionem contulerat Stephanus Baluzius anno, ut ipse monet, MDCLXXVI.

In hoc inter versus idem Baluzius reperit descripta nescio cujus operâ haud pauca sanctorum nomina, quæ edi oportere judicavimus, quòd cum ad alia utilis esse posset hæc diligentia nostra,

tùm ad intelligendum sæpe, nonnunquam ad emendandum Wandalbertum. Porrò inter illa sanctorum nomina, librarius notari maximè voluit S. Martialem, ac S. Leonardum; nam hujus nomen majusculis literis exaravit, illi etiam beatissimi titulum addidit, unde conjicio codicem è Lemovicensi Provinciâ in Urbem esse advectum.

WANDALBERTI DIACONI
MARTYROLOGIUM.
PRÆFATIO.

DOMINO OTRICO WANDALBERTUS SALUTEM DICIT. ANNO 842. a

Veteri & perantiquo præcepto monemur, ut parere majoribus, morem gerere æqualibus, consulere minoribus studeamus. Ego quia tibi [a], Carissime, ut minori, quod cogitatu ipso nefas judico, consulere nequeo; in te enim ipso tibi, ut reverâ sapientem decet, omnis opis consilium, totiusque prudentiæ copiam esse perpendo; morigerari verò sicut æquali, sensus & ingenii tarditate non valeo *; quod primum constat; ut majori parere & obsecundare viribus cunctis & omni facultate desidero: maximè quòd incessanti & infatigabili studio ac benevolentiâ me, postquàm longè à patriâ, rebusque domesticis, non tam exulare, quàm degere cœpi, tuâ ope, consilio, providentiâ & liberalitate fultum intelligo: nec leviter pecco, si cum morem gerere nequeo, parere pro ingenii paupertate refugio. Itaque quod inopinato studio ex me, & inevitabili, constantique auctoritate petiisti, ut per anni totius spatium occurrentes quot diebus Sanctorum festivitates, & solemnes undecumque Christianorum votorum celebritates, metro digererem; feci ut potui, non tam artis usu atque solertiâ, quàm tuâ devotione, & immerito ergà me Sanctorum ad id peragendum adjutus, ut confido, favore.

In quo Opere quia solemnium dierum certissima comprehensio non leviter nec facilè pro librorum varietate constabat, ope & subsidio præcipuè usus sum sancti & nominatissimi viri FLORI Lugdunensis Ecclesiæ Subdiaconi, qui ut nostro tempore reverâ singulari studio & assiduitate in divinæ Scripturæ scientiâ pollere, ita librorum autenthicorum non mediocri copiâ & varietate [b] cognoscitur abundare. Ab hoc ego sumptis veteribus emendatisque Codicibus, Martyrologicum librum à Kalendis Januariis ad finem anni, per dierum singulorum occurrentes festivitates metro edidi, præmissâ, ut congruè existimavi, Invocatione ad Deum, Alloquutione ad omnes qui fortè erunt lectores, Commendatione ad te Operis hortatorem, & ad Cæsarem benignissimum LOTHARIUM, argumentique sive propositionis diverso metro descriptione: & additâ post editum Martyrologium, conclusionis hymnique in omnes Sanctos editione; cui etiam Operi distinctionem * mensium singulorum, adjeci apertam brevemque secundum usus Gallici * dispositionem, & horarum diurnarum vulgarem in nostris regionibus dimensionem: quod utrumque à superiori Opere nequaquam discrepare putavi. In fine præterea totius Operis, de creatione mundi [c] per ordinem dierum sex, breve carmen addidi, & explanationem mystici sensus in homine accipiendi subjunxi, ut ea quæ de totius anni cursu descripseram, repetita ab initio mundanæ creationis explanatio commendaret.

Auctor Floro Lugdunensi æqualis. b

Opus de distinctione Mensium, & horarum edidit Auctor. c

Item de creatione mundi, & ordine dierum.

Hoc Opus quia diverso editum metro constat, necessarium existimavi genera ipsorum metrorum breviter explanare, ut non modo ipsum Opus, sed ea quibus digestum est metra, omnibus, qui id legendum dignabuntur sumere, manifestem. Itaque Invocatio, quam in principio totius Opusculi propterea posui, quod omnis scientia ex Deo manans, ab ipso sit meritò poscenda, (quamquam alii in Opere Poëtico, propositionem primam esse velint) metro Choriambico, Tetrametro, Acatalectico, Asclepiadeo decurrit. Asclepiadeum autem ab Æsculapio, qui græcè vocatur, Asclepios, medicinæ repertore, cujus laudes hoc metri genere frequentatæ sunt; vel ab aliquo ejusdem nominis Poëta est appellatum. Metrum enim frequenter ab inventoribus, nonnunquam à frequentatoribus, interdum & ab eis quorum memorias celebrant, appellantur. Acatalecticus verò versus est, cui nulla ad plenitudinem sui syllaba deest, sed legitimo numeri fine concluditur. Tetrametrum porrò carmen est, quod quatuor pedibus currit, quod in Choriambicis, Dactylicis, & Anapæsticis metris accipitur, in quibus Dimetrum, Trimetrum, Tetrametrum, Pentametrum, & Hexametrum per simplices pedes computamus: nam in Iambicis Throchæisq; metris, quia brevia sunt, supradictos numeros per duplices pedes accipimus. Choriambicum autem à Choriambo pede, quo propriè currit, vocatur. Constat enim primo pede Spondæo, secundo & tertio Choriambo, quarto Pyrrichio; & cum choriambus primam & ultimam longas, duas medias syllabas breves habeat, quæ simul sena tempora complent: si spondæum pyrrichio copulemus, totidem syllabas, totidemque tempora facimus; ac per hoc non tam pyrrichio & spondæo metrum hoc, quam propriè choriambo decurrit. Invocatio ergo, hoc metro composita, XLIV. versibus constat; qui quaterni coëuntes undenos majori complexione versus efficiunt.

1. Invocatio Martyrologio præfigitur.

Explicat diversa carminum genera.

Alloquutio autem, quæ lecturos commonens invitat, metro Dactylico, Tetrametro, Catalecticoque, à pede scilicet frequentiori, & numero pedum quaterno, atque unâ, quæ ad plenitudinem metrici numeri,

2. Deinde Alloquutio.

a *ego quia tibi*] Ultima vocula addita est è codice Bigot. Ex eodem editum *non valeo*, ubi olim legebatur, *non video.*

b *copiâ & varietate*] Sic maluimus, quàm in priori editione *copiâ & veritate.* Haud longè *& additâ post*, sic codex Big. in editis malè *& editâ post.* Statim nonnihil ex ingenio mutavimus in illis verbis *distinctionem . . . usûs Gallici:* antea enim legebatur *distinctione . . . usus Gallicos.*

c *de creatione mundi*] Hoc carmen quod in priori editione deerat, à R. P. D. Edm. Martene communicatum suo loco edemus.

deest syllabâ appellato decurrit: constat enim spondæo, dactylo, catalecto, itemque dactylo, & spondæo. Cumque hoc metrum dactylo propriè constet, si catalectum spondæo addas, erunt ratione syllabarum tres Dactyli & unus spondæus, atque à plenitudine dactylicarum syllabarum, una tantùm syllaba deesse videbitur; quamquam ratione temporum dactylus, qui unâ longâ, & duabus brevibus constat, spondæo, qui duas syllabas longas habet, par & æqualis existat. Itaque Alloquutio prædictis pedibus currens LXVIII. versiculos continet, qui similiter, ut priores, quaterno numero conjuncti XVII. majores versus efficiunt.

3. Commendatio.

Porrò Commendatio metro Phaleucio, Pentametro, Hendecasyllabo constat, quod à numero XI. syllabarum, græcè Hendecasyllabum, à numero pedum V. Pentametrum, ab inventore sive frequentatore Phaleucium appellatur: decurrit autem primo pede spondæo, secundo dactylo, tertio, quarto, quintoque trochæo; quamvis ultima syllaba indifferenter in omnibus metris accipiatur, & frequenter trochæus in spondæum, spondæus in trochæum, in pyrrichium iambus, iambusque in pyrrichium, per ultimas syllabas transeat. Igitur Commendatio priore sui parte, hoc metro composita, VI. & XXX. versibus impletur; qui item per quaternam complexionem IX. majores versus explere noscuntur. Posterior pars Commendationis ad Cæsarem edita, metro constat Dactylico, Dimetro, Acatalecto, quod dactylo tantùm currit atque spondæo, neque aliquâ syllabâ ad plenitudinem indiget. Hæc pars XL. duosque versiculos continet, qui seni simul coëuntes VII. majori conjunctione faciunt versus.

4. Martyrologium hoc quibus constet versibus.

Reliquum deinde Opus usque ad completum Martyrologium, Heroico carmine, quod à gestis virorum fortium frequentatis appellatur, & Hexametro numero pedum constat, excurrit: in quo metro præter ultimum, qui spondæum tantummodò sive trochæum recipit, & penultimum locum, qui dactylo solummodò impletur, reliqua loca licenter dactylum spondæumve recipiunt. Quod Opus ab initio propositionis usque ad completum Martyrologium, heroïcos versus DCCCC. & XL. continet.

Sequitur deinceps Conclusio ad complendum Martyrologium pertinens, quæ mixto choriambico, hoc est glyconio, asclepiadeo, alcaicoque contexitur: quæ metra ab auctoribus sive frequentatoribus nominata Glycone, Asclepio & Alcæo: Glyconium quidem spondæo, choriambo, pyrrichio: Asclepiadeum spondæo, duobus choriambis, pyrrichio: Alcaicum verò spondæo, tribus choriambis, pyrrichioque decurrunt. Eadem Conclusio XXIV. versiculos prædictâ conjunctione metrorum complexa VIII. majores versus ternis simul coëuntibus reddit. Huic hymnus in omnes Sanctos succedit, qui metro constat Dactylico, Pentametro Saphico, quod à muliere, quæ Sappho dicta, hoc genus metri reperit, appellatum; quinis pedibus, hoc est trochæo, spondæo, dactylo, duobus trochæis decurrit; eique post tres versus semper comma heroïcum additur, quod dactylo constat atque spondæo; ita efficiuntur in diversa tres versus pariles, & membrum heroïcum, quæ complexio in suprà dicto hymno VIII. majores, minores versus reddit XXIV. commata nihilominus addens VIII. hæc; ut suprà memoravi, ad finem complexionemque præcedentis Martyrologii pertinent.

5. Descriptio Mensium Martyrologio subjicitur.

Deinde sequitur Descriptio duodecim mensium, quæ nominum in singulis etymologias, signorum nomina & stellarum: in signis numeros ususque temporum ostendit. Huic descriptioni cohæret horarum per menses omnes dimensio. Quod Opus versibus heroïcis CCCVI. & I. completur.

6. In fine libellus de creatione mundi.

In fine totius Libelli superest de creatione mundi brevis & aperta descriptio, cum additione mystici sensûs in homine super creatione rerum accipiendi: quæ Descriptio metro Pherecratio constat, quod à Pherecrate inventore sive frequentatore nuncupatum spondæo, dactylo, spondæoque contexitur, quamvis pro ratione novissimæ syllabæ, ultimus spondæus frequenter in trochæum mutetur. In hac Descriptione ternis versibus in unum coëuntibus, minores CCLXXXV. majores XCVIII. efficiuntur. Ita in omni hoc Opere diversorum metrorum variarumque mensurarum versus sunt, ab Invocatione ad Deum usque ad mundanæ creationis Comprehensionem, mille DCCCCXIX. Hæc ita complexus sum, ut tibi, Carissime, cui totius Opusculi sicutcumque constiterit munus assignabitur, nihil hîc incognitum dubiumve remaneat. BENE VALE.

SEQUENTIS METRICI

OPERIS TEXTUS.

INVOCATIO.

d Metrum Choriambicum, Tetrametrum, Asclepiadeum.

CELSI cuncta parans [d], Conditor ætheris,
Orbis principium, luminis editor
Inventorque, boni fons sine termino,
Audi quod precor & supplico servulus,
Plebis tu caput & gloria candidæ,
Albis fulgida prætextaque vestibus
Agnum quæ sequitur; lotaque * sanguine
De cunctis placet empta & data Gentibus.
Hanc terris colit, & prædicat omnibus
Votis accumulans optima gaudia
Concors Ecclesia, & mox modulantium
Festivo sociat carmina cœtui.
Hæc nunc curriculis vota sub annuis,
Per quos emineant & redeant dies,
Exponam breviter credita carmine,
Comprendens acies bellaque fortium,
Quorum, Christe Deus, pro meritis mihi
Cunctorum veniam hîc annue criminum.
Servo confer opem, missaque desuper
Cæcum de tenebris jam revocet manus,
Rector; nempe tuo nulla renititur,
Nulla est imperio dura potentia:
Armis tu poteris vincere fortibus,
Fallens ne zabuli vincat iniquitas.
Tandem sit satis ad tartara per scelus
Cunctum perque nefas, perque probra omnia,
Casu flebiliter tendere pessimo;
Oblectetque tuis vivere legibus.
Felix cœlicolis permanet in quibus
Regem * præsidiis vita perennibus,
Summum quando piis tu resides bonum,
Explet quos jugiter te sitiens amor.
Spei nil superest [e] ad veniam mihi,

d *celsi cuncta parans*] Codex Big. *celsi cuncte parens*: quin legendum sit *celsi sancte parens*, non valde dubito. v. 7. *totaque sanguine* optima codicis Big. lectio; pessima contrà prioris editionis *totaque sanguine*.

e *Spei nil superest*] Sic codex Big. emendatè: prior editio *spei vis sup.* corruptè. Suprà *Regem præsidiis*, fortè legendum *regens*, ac ne sic quidem sententia satis constat.

Vitæ

Vitæ nec potior ſuppetiis, niſi
Preſſum tu releves, æger & anxius
Succumbenſque ruam mortis ad infima.
Munus nunc Operis permodici tamen
Sanctorum in numero de populo tibi,
Rector, quodque tuo profero nomini,
Gratum de ſterili ſit rogo carmine.
Hymnum perſonet hîc mens humilis tibi;
Devotuſque canat te modulans homo,
Unum cui jugiter cum Patre gloriam
Agmen prædicat in ſæcula lucidum.

ALLOQUUTIO.

Metrum Dactylicum, Tetrametrum: Catalecticũ.

CHRISTUM quiſque cupis cernere, & alto
Decernis animum figere cœlo,
Spei certa videns ſigna beatæ,
Magnorum ſequere hîc geſta parentum.
Illi ſæpè Deum cernere ſueti,
Præſtantes opibus, corpore fortes,
Condignæ ac ſobolis germine fulti,
Illuſtrant meritis ſæcula ſanctis:
Illi divitiis ſponte relictis,
Cunctis & viridi tempore rebus
Contemptis, Superûm regna videntes,
Monſtravere ſuis abdita ſignis.
Illi & vivifico famine pleni,
Viſis ac monitis cœlitùs acti,
Venturum Dominum, vocibus atque
Portentis variis edocuere.
Illos, factus homo eſt, perditoque & orbi
Salvando adveniens, ore manuque
Inſtructos, populum miſit in omnem,
Mundi ut perficeret ritè ſalutem.
Illos verus amor Regis ad aſtra
Vexit martyrii ſtemate claros,
Inſigneſque pii flore cruoris,
Quorum nunc radiat terra triumphis.
Illos quin etiam celſa venuſtat
Doctrinæ & meriti gloria magni,
Qui verbo Eccleſiam, qui prece, quique
Signis, quique libris inſtituêre.
Illis eſt proprius ſplendor honorque,
Qui Chriſti niveo tegmine fulti
Vicerunt ſtabili mente minantem,
Mulcentemque ſimul carnis amorem.
Illis eſt etiam fama perennis,
Quæ expertum viridis corporis ignem
Calcarunt penitùs cœlibe vita,
Præcinctæque Dei tegmine lumbos.
Illis nec modicum eſt culmen honoris,
Servatis thalamis, quæ pietate
Compſerunt ſocium ritè cubile;
Natos quæque Deo ſponte dicarunt.
Illorum ſuperat fama per ævum
Conſpectus hominum, cunctaque mundi
Temnentes, eremum qui coluêre,
Cœleſtem meriti ſumere panem.
Illorumque nitet nomen, in unam
f Quos egit [f] pariter lex ſacra mentem,
Patrum qui monitis colla manuſque
Summiſere, Dei lege jugati.
Illorum pietas nec minùs alto
Præfulget merito, qui ſua Chriſto
Largiti, egregiâ ſorte perennes
Nunc gazas retinent, regnaque cœli.

Sic nos multiplici præduce normâ
Chriſtus ſancta vocat; ſicque minorum
Prælucent oculis, lumina Patrum,
Sic multa eſt meriti cauſa beati:
Nec nos velle ſequi prava pudebit?
Quæ vult, quæque vetat, quæ jubet almi
Lex verbumque Patris noſſe valebit;
Doctrix quemque fides veraque purgat,
Finis qui fuerit; quæque beati hinc
Exceſsûs requies; quæve recurſus [g] g
Nunc anni memorent bella piorum,
Monſtrabit modico hic corpore codex:
Hunc ſi velle potes, Lector opime,
Fac velis animo noſſe benigno:
Nulli hîc namque ſubeſt mens pia culpæ,
Chriſto quod poterit ſponte dicavit.

COMMENDATIO.

h Metrum Phaleucium, Pentametrum, Hendecaſyllabum.

VEra ſume [h] librum fide ſacratum;
Sincerâ hunc reſerans * legenſque mente,
Scribendum tibi, quem pio rogatu
Hortatuque jubes, Amice dulcis.
Hoc nam gratificum libro videbis
Digeſtum breviter tibi ſciendi
Queſtum cum replicans volenſque munus,
De juſſo * inſpicies labore tandem.
Quondam HIERONYMUS ſacer quietum
Vitæ deſeruit ſtatum modumque,
Aggreſſus veteris novæque legis
Romano eloquio probare libros.
AUGUSTINE tuum perennis ævi
Nomen, fama gerit, Pater, per orbem,
Qui Chriſti Eccleſiam doces, & omne
Errorum perimis, fugaſque vulgus.
Sic Martyr quoque CYPRIANE Chriſtum
Doctrinâ, atque pio cruore clamas.
Ore & HILARIUS micat beato:
Scriptis AMBROSIUS manet, atque magnis
Pollet GREGORIUS, nitetque laude
Dictorum. Volitat JUVENCUS, illi
Conjunctis ſpatiis ARATOR hæret,
PRUDENTIque Deum canendo vivis.
Multos ſic memorans honor revolvit
Scriptis qui propriis manent libriſque,
Gaudens quos legit & frequentat Orbis,
Quamvis morte obitâ hinc abiſſe cernat.
Nobis exiguum ſubeſt loquendi, &
Scribendi ingenium; negat priorum
Nos æquare locum, vicemque Vatum
Exilis copiæ loquacis uſus.
Aggreſſi tamen hîc novum piumque
Carmen proferimus Deo, tibique
Hoc qui mente piâ rogas, Amice,
Tu noſtro petimus fave labori.

AD CÆSAREM.

TUque favendo
CÆSAR adeſto,
Sceptra parentum
Qui pietate,
Quique benignâ
Lege gubernas.
Te moderator
Nam Deus orbis

f *in unam quos egit*] In editis *in unum*, malè: in codice Big. *in unam*, benè.

g *quave recurſus*] Sic profectò legendum; nam quod erat in priori editione *quive recurſus*, intelligi non poteſt.

h *verâ ſume.*] Ita maluimus, quam quod legebatur *verâ ſumme*. Statim *hunc reſerans* è codice Bigot. ſcripſimus ubi erat *hunc reſonans*. Haud longè ejuſdem codicis lectio *de juſſo inſpicies*, magis idonea viſa eſt, quam illa prioris editionis *de juſto inſp.*

Juſſit habenas
Flectere avitas
Imperiique
Sceptra paterni.
Teque periclis
Ipſe paratis
Exuit olim,
Deque cruentâ
Cæde furentum
Sæpe reduxit.
Aurea celſo
Vertice Roma
Te decorando
Nomine ſanxit
Cæsaris, Orbi
Mox fore Regem:
Itala primùm
Te duce tellus
Eminuit; poſt
Francia, temet
Sceptra regentem
Mundus adorat.
Luſtra per orbem
Quinque recurrunt,
Nomine poſtquàm
Clarus & armis
Cæſariana
Jura retentas.
Tempora Chriſtus
Longa videntem
Te regat, omnis
Te veneretur
Teque tremeſcat
Purpura Regem.

PROPOSITIO.

Carmine qui vacuas captavi ſæpiùs auras,
Rumores vulgi quærendo ſtultus inanes;
Aggrediar tandem veram de carmine laudem
Quærere, & æternum mihi conciliare favorem,
Spectandos breviter ſignans actuſque, viroſque,
i Atque dies fixo reditu i volvente per orbem,
Ordine quæ luſtrent ſcribens ſolemnia quemque?
Hîc mihi nonnunquam Sanctorum nomina, leges
Carminis excedens, ſed non mutilanda vocandi
Eſt cenſura; bonos veniam pietate merebor.

COMPRENSIO TEMPORUM, Menſium, Dierum, atque Horarum.

Per varios orbem rerum natura meatus
Diſtinxit, moderante Deo, mortalibus ægris;
Alternis jugiter vicibus noctemque diemque;
Æſtatem atque hyemem, autumni, veriſque tepore;
Biſſeniſque ſimul diſcretum menſibus annum.
Primùm quæque ſuis horarum tempora punctis
Excreſcunt, tum bis duodenæ temporis horæ
Luce diem & tenebris complent ab origine furvis*,
Nuncque dies parili ſpatio, nocteſque feruntur:
l Nunc celerante die l fuſcis nox tenditur alis:
Nocte brevi rurſus curru lux incita fulvo,
Ad ſummos axes ſolarem provehit orbem.
Hebdomas hinc ſeptem complectitur integra ſoles;
Quatuor hebdomades vulgarem volvere menſem
Dicuntur; ſed quos ſoles ſtatuêre priores,
Ordine diverſo menſes numeroque feruntur:
Junius, Aprilis, September, & inde November,
Bis binâ hebdomadâ conſtant, geminiſque diebus.
Menſis tum Jani, Auguſtus ſimul atque December,
Martius, Octimber, Maïuſque & Julius aucti
Quatuor hebdomadis fulgent, terniſque diebus.
Solus quem Februo menſem Numa addidit auctor,
Bis denis tantùm patet octoniſque diebus.
Tempora ſolarem variantia quatuor annum,
Ver, æſtas, autumnus, hyems: flos, fructus, honorque
Menſibus alludunt ſpatiata ex ordine ternis.
Has leges natura dedit, quo tempore primùm
Conditor omnipotens mundum formavit, & orbis
Terrarumqne modis concrevit ſemina miris.
Has etiam docti priùs advertêre parentes,
Et liquêre ſuis, anni creſcente rotatu,
Hebdomadis pariter quinquagenis geminiſque
Ter centum ſexagenis quiniſque diebus.
Hinc Nonas, Idus, ſtatuerunt atque Kalendas:
Scilicet ut vario diſtinctus ordine menſis,
Humanos relevans mulceret ritè labores,
Feſtiva exciperent cum feſſas otia plebes,
Donaque ſolemnes populus proferret ad aras.
Hæc docuit populum Ægypti de morte redemptum,
Edita per Moyſen veteris conſcriptio legis,
Sabbata quæ ſanxit, Novilunia, Paſchaque ſanctum,
Jejuniique dies ſtatuit temporibus anni
Certis inflexâ ſervari lege per ævum,
Agni quæ typico ſignatam ſanguine plebem
Agno, azymo pane, & lactucâ pavit agreſti.
Omnia quæ noſtram ſignarunt feſta ſalutem,
Nos docuere Deum, Chriſti qui morte redempti,
Religione dies ſacramus præduce cunctos.
Ergo age quas teneant ſolemnia feſta Kalendas,
Martyria illuſtrentque dies quos clara per orbem,
Quos Confeſſorum laus ſancta & vita coronet,
Virgineis thalamis quæ ſint ſua vota dieſque,
Carmine promamus: mentem pie ſuffice Chriſte.

INCIPIT MARTYROLOGIUM WANDALBERTI.

JANUARIUS.

Dies Primum nunc Jani vocitatum nomine menſem,
Unde ſacratus eat, recolat quæ feſta canemus.
1 Quod veteres coluere Patres, umbramque futuri
Lex poſuit, ſanctâ Christi de Virgine nati
Circumciſa caro, Jani ſacrat ecce Kalendas.
Basiliusque ſacer meritorum ſplendet honore.
Eufrosina ſimul nitet, Almachiusque beatus.
2 Macharius quartum Nonarum dedicat aſtrum, m

i *fixo reditu*] Codex Big. *anni reditu.* Sequentem verſum ita lego, *ordine quo luſt. ſc. ſol. quæque.*

l *nunc celerante die.*] Hunc verſum qui antea ſic legebatur: *nunc celebrante die f. vox tend. al.* emendavimus ope codicis Big. in quo etiam reperimus vocem *furvu*, ubi editum erat *furvis.*

m *dedicat aſtrum*] Sic in uno codice quem Acherius viderat, & in Big. in editis *dedicat artem.* In ſeq. verſu ubi *Augenti*, Acherius conjecit legendum *Eugendi.*

Dies Qui tenuit docuitque eremi pius accola morem.
3 Tertia Nonarumque dies celebrat GENOVEFAM.
4 Tum pridie Nonis AUGENTI * festa recurrunt.
5 Hinc Nonas SIMEON Confessor possidet almus:
Papa TELESFORUS is ipsis pariterque coruscat.
6 Octavo ante Idus agitur THEOPHANIA sancta.
7 Septima ab Ægypto Christum celebratque relatum:
Antiochena suum recolit quoque plebs LUCIANUM.
8 Iduum post sexto, EUGENIANO vota feruntur:
9 Quinto, VITALI, FORTUNATO, & REVOCATO.
10 Quarto MELCIADES, PAULUSQUE eremita, beato
Sublati fine, ætherea lætantur in arce.
11 SALVIUS hinc ternas Carthagine consecrat Idus.
12 Plebs Itachia suum pridie recolit CIRIACUM.
13 Idibus HILARIO Pictavæ militat urbis
Plebs devota, suo Pastor quam fulsit honore.
14 Quam nonam & decimam constat Februi ante Kalendas
Esse diem, FELIX sacer & Confessor adornat.
15 Bisque novenam ABACUC simul & MICHÆAS honorant.
16 Septima post decimam MARCELLI Martyris, atque
Pontificis summi meritis & nomine fulget.
17 Sextaque cum decimâ ANIONI virtute dicatur:
Hæc etiam socio Geminorum pollet honore,
Lingona quos uno celebrat plebs marmore tectos.
[Tum quoque nubiferi penetrat sol sidus aquari]
18 Quinta & dena simul PRISCA pro Martyre gaudet
Et sancti VOLUSIANI *Confessoris.*
19 Bis septena NICETO HAUTMAROque coruscat.
MARIÆ *&* MARTHÆ.
20 Tertia post decimam FABIANO præsule [n] floret:
Cui parili SEBASTIANUS virtute cohæret,
Româ quem vectum SUESSIO læta frequentat.
21 Bissena est AGNE * quam Virgo & Martyr honorat.
Et sancti FRUCTUOSI *Episcopi.*
22 Undecimam Levita potens VINCENTIUS ornat
Huic & ANASTASIUM virtus conjungit opimum.
23 Post EMERENTIANÆ decimo laus emicat ampla.
24 Nono martyrium BABILÆ virtusque coruscat.
Et TIMOTHEI *Discipuli Pauli Apostoli.*
25 Octavo ex Saulo [o] conversum gloria PAULUM:
PROJECTUM que * suum celebrans Arvernus * adornat.
26 Septima moxque dies POLYCARPI sanguine fulget,
Smyrnæ quem vero celebrant pro rege crematum.
27 Punica terra suum sexto veneratur AVITUM: [p]
SULPICIUS, BATILDIS & ALDEGUNDIS quoque vernant
CÆLESTINI & VICTURIÆ.
28 Quintum progenies Romana AGNES dicat almæ
[Lux, decus orbis, amor patriæ, luctusque, dolorque,
Excelso Imperii caput exaltatus honore,
Tum KAROLUS migrans LHUDOVICO sceptra reliquit.]
29 Quarto martyrium PAPIÆ, MAURIque refulget:
Tum quoque VALERIO Treviri pro præsule gaudent.
30 Tertiaque HIPPOLYTUM Antiochenæ personat urbi.
31 SATURNINE tuum egregium, TIRCIque tropæum,
VICTORIS que simul Jani determinat orbem.
Gelasii & URSINI. *In Alexandriâ*, ZOTICI, AMMONI, CIRIACI, GEMINI, *& passio sanctorum* GALLICINI *& aliorum XV. sacerdotum. In Africâ*, VICTORIS *&* POLICARPI.

FEBRUARIUS.

Dies NUnc etiam Februi texemus carmine cursum,
Quæque ferat pariter festorum signa dierum.
1 BRIGIDA Virgo potens, Februas sibi prima Kalendas
Scotorum sancit miro celebrata favore.
In Græciâ, sanctorum POLICARPI, DIONISII. *In Scotiâ* BRIGIDÆ *Virginis, & sancti* SUR....
2 Quartum Nonarum templo illatus dicat AGNUS,
Quo lustrante Deo vivum plebs credula templum
Mente piâ locat, acceptum sternitque tribunal.
3 Ternis & Nonis LUPICINO festa sacrantur:
Hisque cruore pio CELERINUS cum CELERINA
Enitet, IGNATIUS, LAURENTINUSque beati.
4 Tum pridie Nonas AQUILINUS vindicat almus;
Antistesque nitet PHILEAS cum PHILOROMO.
Et natale sanctorum FOROSENPRONI, GEMINI, GELASI, MAGNI, DONATI, AQUILINI, *item* DONATI, TIMOTHEI.
5 Siccaniæ populos Nonis sibi subdit AGATHES
Virginis eximio virtus celebrata decore.
In Oriente, Patras civitate, ordinatio Episcopatûs sancti ANDREÆ *Apostoli.*
6 Idibus octonis Martyr DOROTHEA coruscat.
Siracusâ civitate, passio sanctæ LUCIÆ *Virginis. Roma, viâ Appiâ, sanctæ* So-

n *Fabiano Præsule*] Ita edere cum codd. Regio & Bigot. maluimus, quàm quod antea legebatur *preside*. Infrà ex iisdem codd. scriptum *Bissena est Agne*, ubi priùs erat *Bissexta est Agnes.*

o *octavo ex Saulo*] Optima utriusque codicis lectio; fallebat quod antea legebatur *ex sæclo.* Statim iidem codd. *Projectum*, habent, ubi prior editio *Prajectum*: in Regio etiam est *Arvernis.*

p *veneratur Avitum*] Non contemnendum quod in Regio cod. scriptum est *veneratur Adjutum*; cum auctor ipse monuerit se metricarum legum rationem ubique non habuisse. Cætera quæ leviora sunt, cur hîc exscribi debeant non video.

Dies THERIS *Virginis. Et depoſitio ſancti* AMANDI.

7 AUGULE ſeptenis [q] mundum vincendo triumphas.

[Tum quoque ver clarum primos erumpit in ortus] *

Et ſanctorum AMNIONIS, STACIONI, SATURNINI.

8 Senas DIONYSIUS ornat, & ÆMILIANUS.

Et ſanctorum PAULI *Epiſcopi &* TIRSI.

9 Quinis AMONEM [r] recolunt pia vota beatum.

Alexandria PAULI, DIONYSII *&* AMMONIS.

10 SOTHER, IRENÆUS, & SCOLASTICA Virgo quaternis,

Egregiâ pariter meritorum laude niteſcunt.

In Nivialâ monaſterio, ſanctæ GERETRUDIS *Virginis. Et ſancti* SILVANI *Epiſcopi.*

11 Ternis hinc DESIDERIUS Lugduna coronat

Mœnia, PARIEMIO & CALOCERO Roma refulget.

In Affricâ, VICTORIS, JANUARII, VITALIS, ZOTICI, CYRIACI.

12 EULALIÆ feſtum pridie, ſanguiſque coruſcat.

Urbs Barcilon * eximiâ quæ Martyre gaudet.

In Affricâ, DAMIANI, JULIANI, VICTORIS, FELICIS, SECUNDI. *Et* SIMPLICII *Epiſcopi.*

13 Idibus æthereum JULIANUS ſcandit honorem,

Sponſa beata * animum cœlo cui jungit ovantem.

In Alexandriâ, TULLIANI, AMMONI.

Lugduni, depoſitio ſancti STEPHANI.

14 Tum decimo ſextoque die præcunte Kalendas

Martyr VITALIS [s] nitet, & FELICULA Virgo,

Atque VALENTINUM memorant ſua geſta beatum.

FELICIS *&* ZENONIS, *& ſanctorum* GERMANI *&* JULIANI.

15 Hinc decimo & quinto meritum clareſcit AGAPES.

Hocque die cæſos pœnis veneratur acerbis *

Brixia FAUSTINUM celebrem, ſanctumque JOVITAM *

In Antiochiâ, natale JOSEPPI, APOLLONII, ROMANI, ZOSIMI, *&* AGAPE *Virginis.*

[Hoc etiam geminos ſcandit ſol ſidere piſces.]

16 Quartus cum decimo JULIANA Martyre lucet

ONESIMUMque colit Paulo Doctore beatum.

In Affricâ, MAXIMI, VINCENTII, PAULI.

Et depoſitio TETRADI *Epiſcopi.*

17 Tertius ac decimus POLICRONI feſta revolvit,

DONATIque, fides, ſanguis quos junxit & ara.

Et paſſio ſanctorum SECUNDIANI, JUSTÆ, ROMULÆ, SILVANI.

18 Biſſenumque diem MARTIALIS ſanctus honorat.

Dies *In Affricâ, natale ſanctorum* RUTULI, SILVANI, SECUNDI, DAMASI, PAULI, MARCELLI, GEMINI.

19 PUBLIUS undecimum ſimul & JULIANUS adornant.

Et natale ſanctorum MARCELLI, TULLII, *item* JULIANI, LAMPASI, MAJULI, *&* JULII.

20 Mox decimus laudem recolit famamque CORONÆ. [t]

Apud Cyprum natale POTAMIÆ. *Romæ, viâ Appiâ, depoſitio* GAGI *Epiſcopi. Et alibi*, VICTORIS, CORONÆ, *& aliorum decem.*

21 VICTORINE tuo nonus de nomine fulget.

In Affricâ, natale ſanctorum SECUNDINI, SERVULI, SIRICI, SATURNINI. *Et alibi*, CRISPINI, RUSTICI, JUSTICI, AMATORIS.

22 Octavoque PETRI cathedra & doctrina coruſcat,

Urbs læta Antiochi quo primùm præſule vernat.

Nicomediâ, natale ſanctæ TECLÆ *Virginis, & ſanctæ* CONCORDIÆ.

23 Septimus eximio POLYCARPI ſplendet honore,

Preſbyter ore fidem Chriſti qui juſſa ſequutus

Martyrio turbam potuit ſervare fidelem.

In Affricâ, ZENONIS, ARIONIS, YPOLITI, ZENONIS, ELIRULI.

24 Sextus Apoſtolicâ radiat virtute MATHIÆ,

Biſſextuſque loco hoc quartoque intexitur anno.

Occultumque diù caput hoc BAPTISTA retexit.

Et paſſio ſanctorum NICOTORI, CLAUDIANI, DIOSCORI, *&* SARAPIONIS.

25 Quinta dies CRESCENTI augetur laude beati.

In Affricâ, natale ſanctorum DONATI, JUSTI, HERENEI, AURELII, INGENUÆ. *In Pamphyliâ, natale ſanctorum* NESTORIS *&* CASTÆ.

26 NESTORE quartus [u] ovat, ſocio pariterque THEONE.

Et natale ſanctorum ALEXANDRI, ABUNDANTII...

27 Tertius Heſperiæ LEANDRO antiſtite floret.

28 MACHARIO pridie RUFINUS jungitur almus.

In Theſſalonicâ, natale ſanctorum ALEXANDRI, ABUNDANTI, SEVERIANI, JANUARI. *In civitate Smyrnæ Aſiæ, ſanctorum* SERVILIANI...

Hic finis Februi concludit lumina menſis.

Natale CELERIS *pupilli*, CLAUDIANI, QUINTI *&* MANSUETI.

MARTIUS.

Dies MARTIUS inſigni feriatus tempore, demum

Quorum præmineat [x] breviter dicemus ho-

* Baſiliſſa

q *Augule ſeptenis*] In codice Regio *Angule*: ejuſdem codicis authoritatem ſequuti, verſum hunc edidimus ante illum *Tum quoque*, qui in priori editione priorem locum obtinebat: ac ne id ſine ratione factum exiſtimes, ſcire te volumus in eodem codice poſt notam proſaicam diei VII. ſcriptum eſſe: SOL IN PISCIBUS.

r *quinis Amonem*] Sic cod. Reg. Prior edit. *Ammonem*. Ex eodem cod. infrà *Barcilon* ſcripſimus ubi legebatur *Barcinon*; nam ut hæc lectio melior eſt, ſic illa auctoris ætate uſitatior.

s *Martyr Vitalis*] In codice Reg. *partis Vit.* in Bigot. *Par his*, quam lectionem vulgatæ præfero. In utroque codice deſunt verſus *hocque die* &, *Brixia Fauſt.*

t *famamque Corona*] Sic emendavimus ex utroque codice, Reg. & Bigot. nam in priori editione corruptè *famamque coronat.*

u *Neſtore quartus*] In codice Bigot. *Meſtore.*

x *quorum præmineat*] Sic in codd. Reg. & Big. in editis *quorum præeminet.*

Dies nore.

1 Martis Donatus tenet, Albinusque Kalendas.

Kal. Martias, sancti Donati, Abundanti. *Et depositio* Albini *Episcopi.*

2 Senis mox Nonis Heraclus Paulusque coluntur.

In Cæsariâ Cappadociæ, Lucæ *Episcopi*, & Januarii.

3 Quinas Magra pio Nonas defendit amore:
y His & Emitherius, Chelidonius, y atque Marinus,
Asteriusque* micant effuso sanguine clari

Et sanctorum Felicis, Justi. Fortunati. *In Africâ*, Felicis, Emetri.

4 Lucius hinc Papa pretiosâ morte quaternis,
Martyrum & octingentorum turba optima fulget.

Nicomediâ, passio sanctorum Adriani *cum aliis numerum* xxxiii.

5 Ternas Martyr habet meritorum nomine Focas,
Sanguine qui mortem vicit, virtute draconem.

Antiochiâ, passio sanctæ Socæ. *In Africâ*, Petri, Eusebii, Justi, Siriæ, Saturnini, & Marci.

6 Victorinus ovat pridie, Victorque retrusi.
Carcere, qui celso penetrarunt astra volatu.

In Nicomediâ, Victoris, Claudiani, Perpetuæ, Felicitatis, Jocundi, & Revocati.

7 Nonis Felicitas micat & Perpetua, castam
Quæ Christo vitam felici morte dicarunt.

In Mauritaniâ civitate, passio sanctorum Perpetuæ & Felicitatis.

8 Idus octavas Martyrque Cyrillus, & unà
Consimili retinet venerandus honore Rogatus.

In Nicomediâ, Quintili *Episcopi.*

9 Septenis Quadrageno sub Milite festum
Armeniæ recolunt unum sacra festa Minoris.

In Armeniâ minori Sebastiani, & *millia* xl. *quorum gesta habentur. In Affricâ*, Philippi, Rogati.

10 Senis, Gaius, Alexanderque coluntur; eisdem
z Quadragena & bina cohæret turba cruore,
Quos pariter sævo celebramus Præside z cæsos.

In Alexandriâ, Eracli, Zosimi, Alexandri, & Agapæ *Virginis.*

11 Candidus hinc quinas sibi Valeriusque retentant.

In Carthagine, Candi, Valeri, Quirilli, Marciani. *In Nicomediâ*, Eunuchi, & Gurgoni.

12 Quartam mox Iduum finis tuus, alme Gregori
Consecrat, æternâ cœlum quo laude petisti.

Romæ, depositio sancti Innocenti *Episcopi. Et natale sancti* Felicis.

13 Presbyter & ternas Macedonius implet, honestâ
Conjuge Patricia, & natâ comitante Modesta.

In Thessalonicâ Domiciani, Lucæ, Severini, Silvani, Concessi, & Marcialis.

14 Eufrosius pridie. Petro cum Martyre
Dies fulget.

In Affricâ, Alexandri, Mammer Frontonis, & Naboris *Martyrum.*

15 Thessala plebs Idus Matrona Martyre servat.

In Cappadociâ, sancti Longini. *In Hierosolymis natale sancti* Jacobi *Apostoli, fratris Domini. Et* Lucæ *Evangelistæ.*

16 Septima post decimam Aprilis de more Kalendas
Præcedens, Cyriaci & Larci splendet honore,
Smaragdique simul pretioso sanguine vernat.

In Nicomediâ Castori, Dionysi, Sereni, Quiriacæ, Eugeniæ, & Juliani.

17 Bisque octona tuo, Patrici, nomine pollet,
Scottica gentilem miserate per oppida cultum.
Hac quoque Gertrudæ redduntur vota beatæ.

Alexandri *Episcopi*, & *sancti* Patricii.

18 Præsul Alexander ter quinam possidet: altam
Presbyter & Romam Pigmenus a sanguine lustrat. a
[Hac aries soli vernantia lumina pandit.
Conditor hac rerum lucem Deus condidit altus
Hancque diem primam formando protulit* orbi.]

In Campaniâ, Quinti, Rogati, Luciani, Saturnini, Victoris, & Mauri.

19 Bis septena Johanne eremi cultore coruscat.

In Cæsareâ, Theodori *Presbyteri. In Affricâ*, Ammoni, & *depositio sancti* Leonti *Episcopi & Confessoris.*

20 Tertia cum decimâ Cutberti laude nitentes
Anglorum ducit per mystica gaudia plebes.

In Antiochiâ, sancti Joseph. *In Syriâ*, Pauli, Claudi, Exsuperi, Victurici, Valentini.

21 Tum duodena fide Benedicti & nomine fulget,
Cœnobiale decus duce quo lætatur in orbe.
[Hæc spatiis æquat paribus noctemque diemque:
Hæc quoque sole novo lunam stellasque micare
Vidit in exortu sub luce quarta dierum]

In Alexandriâ, Serapionis *monachi*, Lucæ, Amatoris.

22 Undecimæ antistes tribuit pia lumina Paulus
Quo jure exultat proprio Narbona magistro.
[Hæc primum b celebrat perfecto lumine Pascha.] b

In Affricâ, Saturnini, & *aliorum novem.*

23 Felix hinc decimam, & Theodorus cum Juliano
Ornant, eximiâ virtutum laude ferendi.

In Provinciâ, Pauli, Juliani. *In Antiochiâ*, Theodori *Presbyteri.*

24 Romulus & nonam, pariterque Secundulus implet.

Hic concurrentes inveniuntur. In Affricâ, Agapiti, Rogati. *In Mauritaniâ*, Felicis & Saturnini.

y *Chelidonius*] In codice Reg. *Celedonius*, ac v. seq. *Austeriusque.*

z *Sævo celebramus Præside*] Ita legitur in codd. Reg. & Big. in priori editione *sæva celebramus Perside*, malè, & contrà historiæ fidem.

a *Romam Pigmenus*] In codice Reg. *Pignemus.* Haud longè ubi *protulit*, in eodem codice legitur *pratulit.*

b *Hæc primum*] Versum hunc, qui in vulgatis deerat, subministraverunt codices Reg. & Big. in illo additur Sedes Epactarum.

Dies Angelus octavâ venturum nuntiat AGNUM.
25 AGNUS & ipse cruci mundi pro morte levatur.
Hierosolymis, Dominus noster JESUS-CHRISTUS *crucifixus est. Et passio sancti* JACOBI *Apostoli. Et Annuntiatio sanctæ* MARIÆ.
[Hic Deus omnipotens [c] Adam de pulvere plasmat,
Nomina & apta ponit cunctis animantibus Adam.]
Et immolatus est Isaac.
26 Septima MONTANUM memorat cum conjuge sanctâ.
Atque simul quadrageno cum Martyre passum.
In Antiochiâ, TIMOTHEI, DIOGENIS, *&* MAXIMI. THEODORI *Episcopi. In Affricâ,* VICTORIS, SATURNINI. *In Sebaste civitate, natale sancti* PETRI *Episc. & Confessoris.*
27 AGNI surgentis resplendet sexta triumpho.
Resurrectio Domini nostri JESU-CHRISTI. *Et in Affricâ,* MAURILI, SUCCESSÆ, MATUTINÆ, DONATI. *Et in Cæsareâ, natale* MARIÆ.
28 Quintâ PRISCUS, ALEXANDER, MALCUSque coluntur: [d]
Hanc quoque GUNTRAMNUS migrans Rex optimus ornat.
In Cæsareâ, ROGATI, DOROTHEI; AUDACTÆ, ALEXANDRI. *In Tarso Ciliciæ,* CASTORIS. *Et depositio beati* IDILONI *Monachi.*
29 EUSTATHIUS* quartâ virtutis laude coruscat,
Abba COLUMBANO nituit qui ritè magistro.
In Nicomediâ, PASTORALIS, VICTURINI, SATURNINI, JULIANÆ, *& aliorum III. In Antiochiâ,* THEODORI *Presbyteri.*
30 Tertia DOMNINO [e] comite & VICTORE refulget.
In Thessalonicâ civitate, DOMNI, PALATINI, *& alibi,* VICTORIS, MARCELLINI, EULALIÆ *Virginis. Aurelianis depositio* PASTORIS.
31 DIODOLUS pridie emicat ANESUSque beati.
Sic Martis volvens determinat orbita mensem.
In Affricâ, natale sanctorum CORNELI *&* VALERIANI.

APRILIS.

Dies PUrpureo quem flore sibi ver sancit Aprilem
Dicemus quibus attollat sua gaudia festis.
1 Virgineo insignes AGAPE & CHIONIA [f] serto
Aprilis socio sacrant sibi jure Kalendas.
In Armeniâ Minori, natale SS. QUINTIANI VICTORIS, *&* SECUNDI.
2 Lugduni quartis Nonis sacer urbe NICETUS.
In Affricâ, natale Sanctorum QUIRIANI *&* REGINÆ. *Lugduni Gall.* NICETI *Episcopi.*
3 EVAGRIUS ternis splendet, Martyrque BENIGNUS,
Atque pari [g] fulget THEODOSIA Virgo nitore.
In Siciliâ, natale sancti PANCRATI. *In Cæsareâ Palæstinæ, natale sanctæ* THEODOSIÆ *Virginis, & passio sancti* EVAGRI *&* BENIGNÆ.
Dies AMBROSIUS pridie æthereum penetravit honorem. 4
Extrema incensio lunæ Paschalis. In Mediolano, depositio sancti AMBROSII *Episcopi. In Affricâ, natale sanctorum* URBANI, SATURNINI, *&* SUCCESSI.
5 Nonis Virgo pia de morte refulget HERENE
In Nicomediâ, natale sancti CLAUDIANI. *In Ægypto, natale sanctorum* MARIÆ, NICANORIS.
6 Idibus octavis SIXTUS Martyrque Sacerque
Præminet, Adriano mortem sub Cæsare passus.
In Macedoniâ, TIMOTHEI, DIOGENIS. *In Affricâ,* DONATI *&* EPIPHANI.
7 DIOGENES septenis ELEUSUSque feruntur.
In Antiochiâ Syriæ, natale sanctorum MACHARIÆ, MAXIMÆ. *In Alexandriâ, natale sancti* PELUSI *Presbyteri.*
8 MAXIMUS & senas Idus tenet atque SOLUTOR.
In Affricâ, natale sanctorum TIMORI, CONEXI. *Et alibi,* CONCISSI, AMMONI, *&* SUCCESSI.
9 Lampade septenâ quinis micat Idibus alto
Virgineus radians simul æthere flosque decorque.
In Sirmiâ, quinque Virginum quarum nomina Deus novit. Et alibi, DEMETRI.
10 EZECHIEL vates sancto dicat ore quaternas.
In Alexandriâ, DONATI, CONCESSI, SATURNINI.
11 Pontifice & summo ternæ irradiante LEONE
Splendent, ore, manu, Christi qui pavit ovile.
Natale sancti LEONIS *Papæ. In Mauritaniâ, natale* MAXIMI, HILARI. *In Nicomediâ, natale* EUSTORGI *Presbyteri.*
12 JULIUS antistes pridie Romana revisit
Mœnia, Catholico clarus pro dogmate Pastor.
In Affricâ, natale sanctorum CYPRIANI, DONATI. *In Pavingo civitate,* CONSTANTINI *Episcopi.*
13 Idibus ERMINGILDE patrem, rex alme, furentem
Persentis, verum referens de morte triumphum.
In Calcedoniâ, sanctæ EUFEMIÆ *Virginis. Pergamo Asiæ,* POLYCARPI *Episcopi.*
14 Octavâ & decimâ Maias superante Kalendas
VALERIANUS ovat, fraterque TIBURCIUS: [h] ipsos
MAXIMUS effuso comitatur sanguine miles.
15 Septima OLYMPIADAM decimæ conjuncta beatam
Monstrat, eamque simul defendit MAXIMUS alter.
In Mesopotamiâ ARCHELAI, CYPRIANI, DIOGENIS *Diaconi, cum duobus fratribus.*
16 Sextâ & denâ CHARISO [i], CALISTOque refulget.
Quos mare septenâ mersos cum plebe beavit.
In Achaiâ CORINTHI, CRYTIANI. *In Mauritaniâ* BASILIÆ, FAUSTINI *&* LUCIANI.
17 MAPPALICUS* quintâ decimâ HERMOGENESque PETRUSque

c *Hic Deus omnip.*] Duos hosce versus, qui deerant in priori editione, in codice Reg. reperit Baluzius: alter sic legebatur. *Nomina ponit pater cunctis amantibus Adam:* nos ita emendavimus, ut vides.
d *Malcusque coluntur*] In editis *locantur*; in utroque codice, Reg. & Big. sic, ut edidimus: in iisdem *Eustasius* scriptum est, ubi legitur *Eustathius*
e *Tertia Domnino*] In codice Reg. *Dominico.*
f *& Chionia*] Sic in codice Regio: in editis *Schionia.*
g *Atque pari fulget*] Hunc versum, qui deest in codice Big. in Regio Baluzius reperit descriptum die 2. Aprilis, post illum *Lugduni*, &c.
h *fraterque Tiburcius*] Sic codd. Reg. & Big. prior editio *Tiburtius.*
i *denâ Chariso*] In codice Reg. *Carisi*: & infrà *Mappilicus*. item ubi legitur *Martyr quoque sancta*, monet Acherius se in uno codice reperisse *mater.*

Dies Collucent, merito, virtute, & sanguine clari.
In Antiochiâ natale sanctorum PETRI *Diaconi,* & HERMOGENI.

18 Bis septenâ ELEUTHERIUS, Martyr quoque sancta
ANTHIA præcellunt, vitam moriendo sequuti.

19 GAIO, ARISTONICO, RUFO, HERMOGENE, atque GALATA
Tertia cum decima EXPEDITO & Martyre fulget.
In Laubace monasterio depositio sancti URSMARI *Episcopi & Confessoris.*

20 MARCELLINUS, DOMNINUS, VINCENTIUS, æque
Nomine bissenam radiant, festoque, fideque,
Festaque SYNESII [l] celebrantur Martyris almi
Pontificis tumulo, doctrinâ, & morte beati.
Romæ, VICTORIS *Episcopi. In Antisiodoro civitate, depositio sancti* MARTINI *Episcopi & Confessoris.*

21 Undecimâ GAIUS pariter SIMEONque coluntur.
In Terracinâ Campaniæ, passio sancti CÆSARII *Diaconi. Et alibi, depositio* APRUNCULI *Episcopi.*

22 Terni Presbyteri decimam, ternâque coronant
Palmâ, PARMENIUSque [m], ELIMENES, CRYSOTELUSque.
Hac quoque divino patuerunt prodita nutu
Corpora, Martyrio Ecclesiam lustrantia trino,
DIONYSII, RUSTICI, ELEUTHERIIque beati.
In Affricâ, civitate Gerapoli, natale sancti PHILIPPI *Apostoli. In Senonas civitate, depositio beati* LEONI *Episcopi & Confessoris;* & ANANIA, AZARIA, & MISAHEL.

23 FELICEMque sacrum gemino dignumque ministro
Nona docet, FORTUNATUMque, & ACHILLEA junctos.
Hac etiam invicto mundum qui sanguine temnis,
Infinita refers GEORGI sancte trophæa
In Valentiâ civitate, natale sancti FELICIS *Presbyteri,* & ACHILLEI *Diaconi.*

24 Martyr ALEXANDER triceno Martyre lætus
Ac terno, octavâ Lugduni mœnia sancit.
In Alexandriâ, natale sanctorum CORONÆ *Virginis,* VICTORIS, ZOTICÆ, & FAUSTINI.

25 Mox Evangelico MARCUS tonat ore beatus,
Septima quo capit eximium redimitâ morte nitorem.
[Extremâ hac Paschæ celebrant sua gaudia festum.]
In Letaniâ majore. Et in Laubace monasterio, sancti ERMINONI *Episcopi.*

26 Sextaque Pontificis recolit certamina CLETI,
RICARIOque nitet victæ cultore beatæ.
In Affricâ, HONORATI, PAULI, FELICIS.

27 Quintâ ANASTASIUM Papam celebramus; eidem
ANTIMUS Antistes dignâ virtute cohæret.
In civitate Tarso Ciliciæ, natale sancti CASTORI. *In Nicomediâ,* STEPHANI *Episcopi,* & ANTONI *Presbyteri.*

28 QuartaqueVITALEM Christi pro nomine cæsum
Commemorat, vitam meruit qui morte perennem.
Dies *In Pannoniâ,* EUSEBI *Episcopi. In Bituricâ, sancti* EUTICI, & *sancti* VITALIS.

29 Tertia Pontifices arâ, meritisque dicatos
AGAPIUM, pariterque SECUNDINUM veneratur.
Et sancti GERMANI *Episcopi. In Nicomediâ,* PRUDENTII, MARTIALIS, THEODORÆ *Virginis.*

30 Martyrii JACOBUS similem & MARIANUS honorem
Sortiti pridie, finem metantur Aprili.
Romæ, depositio QUIRINI *Episcopi,* CLEMENTIS, LUCIANI, & SATURNINI.

MAIUS.

Dies HInc Maium æstivo primum, sub sole calentem,
Quæ longisque ferat promemus vota diebus.

1 Maias prima sacrat CHRISTI Doctrina Kalendas,
Frater & his Domini JACOBUS micat, atque PHILIPPUS:
HIEREMIAsque simul vatum celebratur opimus:
Rexque SIGISMUNDUS fuso pro sanguine regnat.
ANDROCUSque die [n] Martyr veneratur eodem,
Alpia quem magnum Gallorum gentibus effert.

2 Sextis hunc Nonis ATHANASI magne refulges,
Arria quo primùm periit victore colubra
In Arminiâ civitate natale ERMOGENIS & GERMANI. *Dedicatio sancti Petri.*

3 Præsul ALEXANDER quinas & EVENTIUS ornant,
THEODOLUSque Dei pariter pro nomine cæsi:
His quoque celsa crucis radiant vexilla repertæ [o].
Et sancti JUVENALIS, ALEXANDRI, EVENTI, & THEODOLI.

4 SYLVANUS quartas, ANTONIA cum FLORIANO
Perpetuâ cingunt meritis virtute decori.
In Affricâ natale FELICIS, URBANI. *Et in Cæsareâ, natale sancti* SILVANI.

5 Stelliferum ternis CHRISTUS transcendit Olympum:
HILARIOque Arelas pollet; Vienna NICETO.

6 Præcelsum pridie celebrant Romana JOHANNEM
Templa Dei, qui pleno hausit de pectore verbum.

7 Morte piâ Nonas JUVENALIS sanctus honorat.
Augustiduno, depositio beati PLACIDI *presbyteri.*

8 Idibus octonis Mediolani urbe coruscat
Martyr præcipuo venerandus VICTOR amore.
Et natale STEPHANI & EUTICI.

9 Ter centum radiant septenis Idibus unà
Martyrio denique [p] simul decorante beato.
[Torrida tumque novis consurgit frugibus æstas.]
Romæ, viâ Latinâ, natale sancti BEATI *confessoris.*

10 Senis GORDIANUS & EPIMACHUS ob unam
Cæduntur Christi pariter laudemque fidemque:

l *festaque Synesii*] Hic versus abest à codd. Reg. & Big. sequens verò in iisdem ita incipit *Pontifices titulo.*

m *Palmâ, Parmeniusque*] Hunc versum & sequentem etsi desunt in codd. Reg. & Big. servari tamen oportere visum est.

n *Androcusque die*] Hunc versum & sequentem, qui in vulgatis deerant, & in codice Regio desunt, adscripsimus è codice Bigot.

o *vexilla reperta*] Ita in codd. Reg. & Big. & quidem haud paulo meliùs quàm ut in priori editione *recepta.*

p *Martyrio denique*] Hic versus è codice Reg. abest, nec sanè est necessarius admodum.

Dies Has quoque JOB patiendi exemplo sanctus honorat.
11 Quinas eximio antistes splendore MAMERTUS
Insignit, solemne Deo qui ferre litamen
Jejunii instituit ternis sub luce diei.
Et MARTINI *episcopi.*
12 Virgo tuos colimus comites DOMITILLA quaternis,
NEREA, PANCRATIUM, cum quis & ACHILLEA sanctum,
Primus Apostolico docuit tinxitque lavacro
Quos Petrus, egregiâ Romæ cum Virgine junctos.
13 SERVATIUM ternis veneramur in Idibus almum.
Et dedicatio ecclesiæ beatæ MARIÆ. *Et in Trajecto, depositio sancti* SERVATII *episcopi.*
14 PACHOMIUS pridie, VICTORque, simulque CORONA
Splendent, hic eremita potens, illique cruoris
Martyriique Deum sociâ virtute sequuti.
In Asiâ, sancti MAXIMI. *In Mediolano,* VICTORIS, FELICIS *&* RUSTICI.
15 Pontifices septem Hesperiam simul Idibus ornant.
In Sirmiâ, natale TIMOTHEI. *Augustiduno, natale sancti* PROJECTI *episcopi.*
16 Septima TIMOTHEI cum denâ nomine fulget,
Veridicâ Paulus docuit quem voce beatus.
In Eracliâ, natale sanctorum AQUILINI, HERACLI *&* PAULINI.
17 Sextaque cum denâ PEREGRINO Martyre vernat.
In Româ, PARTIMI, LIBERI *episcopi. In Alexandriâ,* SERAPIONIS.
18 Quintam cum decimâ Martyr DIOSCORUS implet.
[Hic Gemini æstivo jungunt sua sidera soli.]
19 Bis septena PUDENTIANA Virgine claret.
In Alexandriâ, natale sancti ARENI *Diaconi. In Cæsareâ Cappadociæ, natale sancti* PAULI.
20 Cum denâ ternam retinet fulcitque BASILLA,
BAUDELIUSque simul trabeatus sanguine vernat.
Et depositio FAUSTI *episcopi.*
21 Bis senâ POLIUS, EUTYCHIUS [q], atque TIMOTHEUS:
Præsul & hac Martyrque Deo VALENS venerandus,
Augia te lætis ducit per gaudia votis.
22 Undecimam CASTUS sacer, ÆMILIUSque dicarunt.
Et translatio corporis sanctæ HELENÆ *virginis.*
23 Lingonicam decimâ DESIDERIUS sacrat urbem,
Antistes, Martyrque Dei galeatus amore.
24 DONATIANUS Namnetes cum ROGATIANO
Fratre, pio exornat fidei certamine, nonâ.
In Porto Romano, natale sancti VINCENTII. *In Galliis civitate Namnetis, natale sanctorum* DONACIANI *&* ROGACIANI.
25 Octava URBANUS meritorum stemmate fulget,
Infula quem, doctrina simul, sanguisque beavit.
Mediolano, depositio DIONISII *episcopi.*
26 AUGUSTINE, tuum commendat septima nomen,
Dies Lactea quo retinent Anglorum millia verbi
Principe, quo Christum domiti sensere Britanni.
27 JULIUS hinc sextum miles martyrque venustat.
In Alexandriâ, natale sanctorum AQUILINI *presbyteri,* EVANGELII.
28 Quinto Parisii GERMANUM turba frequentat:
Tum quoque Pontificem celebrat sua Roma JOHANNEM.
29 MAXIMINE tibi quarto Trevir alta coruscat.
Et depositio sancti MAXIMI *episcopi.*
30 Tertius HUCBERTO, Papa & FELICE dicatur.
In Antiochiâ, natale sanctorum SICI, PALATINI, *qui multa tormenta passi sunt.*
31 Tum pridie PETRONILLA Petri de germine sancto
Fulgida Virgo micat, CHRISTI trabeaque [r] decora:
CANTIUS, & CANTIANUS cum CANTIANELLA
Collucent. Maium hæc claudunt solemnia mensem.
Romæ, viâ Aureliâ, natale sanctorum PROCESSI *&* MARTINIANI.

JUNIUS.

Dies JUnius imbrifugo [f] æstatis sub caumate fervens,
Templa quibus festâ velet de fronde canemus.
1 Junia origo tuum sustollit in astra nitorem
PAMPHILE, martyrio doctor venerande beato.
Martyris huncque diem festum NICOMEDIS adornat.*
Kal. Junii dedicatio sancti NICOMEDIS, *& sancti* CLAUDII.
Hac quoque [t] sanctus conscendit ad astra JOVINUS.
2 MARCELLINE sacer, PETRE & Exorcista quaternis
Nonis communem dignamque litatis ad aram:
Lugdunique pio BLANDINA vocatur honore,
Quadragenaque simul clara octonaque coruscum
Cum plebe devexit [u] flammisque undisque monile.
3 PERGENTIUS item LAURENTIUSque cruoris,
Et generis ternas gemino fulgore venustant.
Aureliana suum plebes recolitque LIFARDUM.
In Affricâ QUIRINI, GAGI, DONATI. *Romæ,* MARCÆ *&* SATURNINI.
4 Martyr & Antistes pridie sacra vota QUIRINUS
Accumulans, proprio Christum de sanguine placat.
Romæ, natale sanctorum EXPERGENTI, PHILIPPI.
5 Nonis antistes fulget BONIFACIUS, Anglis
Editus, ad Christum Oceani qui traxit alumnos,
Frisonum puro submittens colla lavaro.
In Ægypto MARCIAMI.
6 Octonas Idus CERATUS episcopus ornat,
Urbem qui fulcit Gratiano Principe dictam.
Nividuno civitate AMANTI, LUCI. *Et depositio beati* CLAUDI *episcopi.*
7 PAULUS Septenas præsul tuus, alta Byzanti.
8 Progenies meritumque pium quos junxit & ara,

q *Eutychius*] In codice Regio *Eutyhicus.* In eodem, & in Big. desunt versus duo qui proximè sequuntur.
r *Christi trabeaque*] Sic codd. Reg. & Bigot. prior editio *Christi trabeata decore*, nimirum Petronilla.
f *Junius imbrifugo*] In codice Regio *umbrifugo*, non ineptè. In eodem & in Bigot. deest versus *Martyris huncque*, &c.
t *hac quoque*] Hunc versum qui à priori editione abest, adscripsimus è codice Bigot
u *cum plebe devexit*] In Regio codice & in Bigot. *cum plebe nexit.*

Dies GILDARDUS senas pariterque MEDARDUS honorant.
In Cæsareâ Cappadociæ, LUCIANI *Martyris*.
9 Quinas PRIMUS habet, juncto sibi FELICIANO.
Passio sancti VINCENTI *Martyris*.
10 Quartæ BASILIDE, & bis deno Martyre vernant.
In Nicomediâ, natale sancti ZACHARIÆ.
In Autisiodoro depositio sancti CENSURI *episcopi*.
11 BARNABAS ternas exornat Apostolus Idus.
Romæ, natale sanctorum RESTITUII. . . .
Et alibi NABORIS *&* FELICIS.
12 CYRINUS pridie effulget, NAZARque, NABORque:
x His & BASILIDEM x festo sociamus eodem.
13 Idus illustrat FELICULA Virgo cruore,
Lac PETRONILLA tibi, verbum quam junxit *; & ætas.
In Africâ, LUCIANI, FORTUNATI, CRESCENTIANI.
14 Octavo Julii & deno ante exordia mensis
Vates ELISEUS simul ABDIASque refulgent:
Hic quoque VALERIO & RUFINO Martyre gaudet.
Aurelianis civitate, depositio sancti ANIANI *episcopi. Et* ELISEI *Prophetæ, &* FELICULÆ.
15 Septeno deno VITUS cum Virgine clarâ
MARGARITA, martyrii splendore nitescit.
y Hocque MODESTUS y, & alma nitet CRESCENTIA Virgo.
In Siciliâ natale, sanctorum MODESTI *&* CRESCENTI.
16 Sedecimo CYRICUS, JULITA cum genetrice
Clarescit verâ Christi pietate fideque.
Et aliorum sanctorum CCCC. Martyrum.
17 Quindecimus septem quinquagenisque ducentis
Martyribus jocundam mittit ad astra coronam.
[Ardentis penetrat quoque Phœbus sidera cancri.]
AVITI *presbyteri*.
18 Quartum cum deno pretioso sanguine fratres
MARCELLIANUS pariter MARCUSque sacrarunt:
Hunc quoque BALBINA lustrat meritumque decusque.
GERVASIUS ter denum PROTASIUSque coronant.
20 VITALISque pater natos sequitur duodeno.
[Centro hîc solstitium medio summoque coruscat.
Tum Cæsar HLUDOVICE cruento tempore functe,
In plures partes cessura sceptra relinquis.]
21 Martyr RUFINUSque undeno & MARCIA pollent.
22 ALBANUS decimo defendit laude Britannos:
PAULINUSque Nolam meritis & nomine lustrat.
Et octingenti septuaginta novem Martyres.
23 Anglorum nono EDILTRUD de germine fulget.
24 Octavo natus colitur Baptista JOHANNES.
z 25 Septeno Romam LUCEIA z exornat amore
Sancta pio,* bis deno & bino Martyre læta:
Rex quibus ACEIAS * socio collucet honore.
Et natale sancti AMANDI *confessoris*.

Dies Sextum Martyr habet PAULUS simul atque
26 JOHANNES,
Germine, amore, fide, virtute, & sanguine fratres:
Cum quibus augusto radiat CONSTANTIA serto.
Thessalonicâ civitate, LUCIÆ *Virginis, &* AVIETÆ *Regis. Et sancti* SALVII *Martyris*.
27 Hesperiam quinto antistes Martyrque ZOELUS
Martyribus cumulat junctus denisque novemque.
In Spaniis, CRISCENTIS, JULIANI, CLEMENTIS, *&* MARCELLINI.
28 Præsule quartus ovat, Verbi & doctore LEONE.
Et vigilia Apostolorum PETRI *&* PAULI.
29 Tertius auratam sustollit ad æthera Romam
Martyrio pariter PETRI PAULIque beato.
30 Lemovicum pridie a colitur MARTIALIS honore a
Junius his celsum festis determinat orbem.
In Africâ, natale sanctorum TIMOTHEI, ZOTICI.

JULIUS.

Dies JUlius hinc flavis humeros redimitus aristis
Quos supplex, aris veneransque colat memoremus.
1 Primus qui veteris populi legisque sacerdos
Exstitit, incensi primusque litavit ad aram,
AARON orditur Julii sacratque Kalendas.
Has quoque contemptor mundi CARILEFUS honorat:
SALVIUS & sanctus Scalditum littora visit.
Egolismâ civitate, depositio beati EPARCHII *confessoris. & sancti* GALLI.
2 PROCESSUS sextas retinet cum MARTINIANO
Nonas, Martyrii læto irradiante decore.
Et sancti AMATI *confessoris. Et sanctæ* MONEGUNDIS.
3 Pontifices quinas ANATOLIUS, EULOGIUSque.
In Edessâ civitate, translatio corporis sancti THOMÆ *Apostoli, qui passus est in Indiâ*.
4 LAURIANE, tenes meritorum nomine quartas:
Ossaque MARTINI tumulo mutata venustant.
5 DOMITIUS ternas dicat, & clarissima ZOE,
Auxit martyrio cœtum quæ jure beatum.
In Siciliâ, AGATHONIS. *Et in Tonis civitate, natale* SECUNDINI. *Et* ISAIÆ *Prophetæ, &* TRIPHONIS.
6 Eximius vatum pridie defectus in orbe
Martyrio ISAIAS, virtute, atque ore coruscat.
TRANQUILLINE simul duplici splendore refulges,
Sanctorum genitor, sanctos comitate b peremptos: b
Tumque GOAR Christi colitur famulusque sacerque.
Et octava Apostolorum PETRI *&* PAULI.
7 PANTÆNI Nonis splendet meritumque fidesque.
In Alexandriâ, APOLLONIS. *Et octava S.* MARCIALIS *Apostoli*.
8 Octono ante Idus CILIANUS, PROCOPIUSque
Excellent, Christum virtute & morte sequuti.
In Siciliâ PANCRATI. *In Eracleâ* Jo-

x *his & Basilidem*] In codice Reg. *His & Basiliden*, ac si feminæ hic mentio fiat, cui nomen fuerit Basilide. Infrà *quam junxit*, scripsimus ex eodem codice & è Bigot. ubi legebatur *conjunxit*.

y *hocque Modestus*] Hic versus nec in codice Regio exstat, nec in Bigot.

z *Romam Luceia*] Hunc versum ac sequentes duos ita edidimus ut descripti sunt in codd. Regio & Bigot. In priori editione *Lucena . . . . Scampio bis deno . . . . de quibus Accias*.

a *Lemovicum pridie*] In codice Reg. sic legitur hic versus, MARCIALIS *pridie Lemovicam Apostolus ornat*.

b *sanctos comitate*] Sic legendum esse arbitrati sumus, cum illud quod in priori editione legebatur, *comitante*, nullum idoneum sensum admitteret.

Dies HANNIS & PRIMOLI.
9 AUDAX septeno pariterque ANATOLIA claret:
Nec minùs & contemptor opum sacer eminet
EFFREM.
In Tonis civitate, natale sanctorum VITALIS *&* FRATERNI *episcopi.* THEODOSI *episcopi &* GENEROSI.
10 Sexto germanâ Christo pro sorte coronam
Progenies septena dicat, FELICITAS alma
Quam genuit, gratamque Deo præmisit ad
aram.
Romæ, PRISCILLÆ *& natale septem fratrum. Et sanctæ* PETROSÆ.
11 Martyrio quintum sancit JANUARIUS, atque
Consimili decorat PELAGIA sancta nitore.
Tum Beneventanis translata [è] montibus almi
Justa Patris [c] BENEDICTI, nunc Liger altus
honorat.
Et sancti ARNULFI *confessoris, &* RUSTICI *presbyteri, & sancti* SAVINI.
12 HERMAGORAM quarto supplex Aquileia frequentat,
Antistes precibus populum qui fulcit & urbem.
Et natale sanctorum FORTUNATI, *&* ARMIGERI, *& sancti patris* ARSENII.
13 Tertius Ægyptum præsentat SERAPIONI:
ATTALUS & Martyr cœlesti flore virescit [d].
In Alexandriâ SERAPIONIS, EVANGELII, ZENONIS. TROPHINÆ *Virginis. Et sanctæ* PRAXEDIS *Virginis.*
14 Antistes pridie & Martyr petit æthera FOCAS.
Lugduno Gall. natale JUSTI *episcopi. Sanctæ* MARIÆ MAGDALENÆ. *Et sanctæ* SYMPHOROSÆ *cum VII. filiis.*
15 Idibus effulgent CASIANUS, CYRICIUSque:
Et JACOBUS meritis celebratur episcopus amplis.
In Sirmiâ natale sanctorum AGRIPPINI, *&* SECUNDI.
14 Cum decimâ Augustum præsignans [e] septima
mensem
HILARINE tuo Martyr nitet optime festo.
In Cæsareâ, sancti PAULI. *Et sancti* MAMMETIS. *Et translatio sancti* JUSTINIANI.
17 Sedecimam votis Carthago spectat opimis;
Martyrii plebem duodenam læta frequentans,
Scillitana simul [f] capiti quos patria misit.
Mediolano, natale sancti MARCELLI. *Autisiodoro, depositio beati* THEODOSII *episcopi.*
18 Quindecimam genetrix septenâ prole dicavit,
SYMPHOROSA pio pariter cum germine cæsa.
[Fervidus ardentis petit hac sol signa leonis.]
19 ARSENIUS quartam denamque eremita venustat.
In Spaniis natale sancti JUSTI. *Lugduni Gall. natale sancti* RUSTICI *presbyteri.*
20 Etternam denam [g] PHILIBERTUS sactus adornat.
Et natale PETRI, AMABILIS.
21 PRAXEDIS duodena effulget Virginis, atque
Prophetæ DANIELIS nomine, fine, fideque.
22 Undecimam Christo felix miserante MARIA
Ornat, septeno caruit quæ dæmone, quamque
Magdala progenitam signat cognomine origo.
VANDREGISLE tibi hac Monachorum vota recurrunt.

Dies *Et natale sanctæ* MARIÆ MAGDALENÆ.
23 Hinc decimam præclarus APOLLINARIS honorat.
Romæ, viâ Tiburtinâ, natale sancti VINCENTII. *Viâ Aculâ, natale sancti* PRIMITIVI.
24 Mox nonam CHRISTINA, AQUILA, & NICETA
sacrarunt.
In Armeniâ civitate, natale sancti VICTORIS.
25 Octavam JACOBUS Zebedæi filius ornat,
Primus Apostolicum vero pro Rege cruorem
Qui dedit: hunc CUCUFAS, CHRISTOFORUSque
sequuntur.
26 Septimam ADRIANUS tenet, ÆMILIUSque beati;
MARCIANUS cum quîs simili virtute triumphat.
In Laudacie frige, natale sanctorum JULIANI, FELICIS, MAXIMI, & SATURNINI.
27 Presbyter HERMOLAUS [h] sextâ Martyrque coruscat.
In Syriâ, assumptio sancti SIMEONIS *monachi. Et depositio sancti* ÆTERI *episcopi.*
28 Quintam NAZARIUS cum CELSO possidet:
hancque
PANTALEON Martyr proprio sibi sancit honore:
Insignem meritis Petri, Paulique beatis
Præsul Romanus Stephanus tum consecrat aram,
Templo quæ Dionysii gemmata refulget,
Signis martyrii monitus, visisque fideque.
29 FELIX, SIMPLICIUS, FAUSTINUS & alma
BEATRIX,
Tricassique LUPUS quartam communiter
aurant.
Romæ viâ Puerinse natale sanctorum SIMPLICII, FAUSTINI, *&* BEATRICIS. *Et natale sancti* FELICIS.
30 ABDON, & SENNEM designat tertia sanctos,
Regni quos Romæ tribuit de germine Persis.
31 Martyrii pridie FABIUM pia gloria texit.
Julius hæc orbi excedens solemnia linquit.
In Affricâ civitate, natalem Sanctorum SECUNDI, DIONYSII. *Autisiodoro, depositio* GERMANI *Episcopi.*

AUGUSTUS.

Dies AUGUSTUS demum pleno jam farre refertus,
Quîs nova sacra ferat, monstremus carmine
sanctos.
1 Quos ferus in mortem Antiochus cum matre
subegit,
Venturo sanguen qui Christo sponte dicarunt,
Augustas retinent MACHABÆI jure Kalendas.
Carcere Roma PETRUM celebrat vinclisque
reductum:
EUSEBIUMque suum Vercelli rite frequentant.
In Bituricas civitate, beati ARCHADI *Episcopi.*
2 Nonarum STEPHANUS Martyrque & Papa
beatus
Quarto festivæ tribuit pia gaudia Romæ.
3 Terno mox colitur STEPHANI solemne reperti,
Primus qui mortem Christi est moriendo sequutus:

c *justa Patris*] In codice Reg. *busta Patris*, meo quidem judicio, minùs rectè.
d *flore virescit*] Sic Reg. codex, & Bigot. prior editio *flore nitescit*.
e *Augustum præsignans*] Hic codd. Reg. & Bigot. sequuti sumus: nam in editis legebatur *Augustam præsignat*.
f *Scillitana simul*] Sic codex Reg. emendatè: prior editio *Sullitana*, corruptè.
g *& ternam denam*] In ejus versûs locum hic descriptus est in codice Reg. SABINUS *ternum denumque petit* LUCIANUS: quem quidem suppostitium esse opinor.
h *presbyter Hermolaus*] In utroque codice *Hermelaus*.

Dies GAMALIEL, NICODEMUS, ABIBON pariterque
Inventi, voto fulgent & laude perenni.
4 JUSTINUS pridie proprio celebratur honore
Presbyter, innumeros sanctorum cæde peremptos
Crudeli exquirens tumulis qui condecoravit.
Dedicatio sancti JOHANNIS *Evangelistæ.*
5 Nonas CASIANUS, MEMMIUS, atque OSUALDUS
Rex pius Anglorũ, merito & virtute retentant.
In civitate Augustiduno, passio sanctæ AFRÆ. *Et sancti* CASSIANI *Episcopi. Et dedicatio sanctæ* MARIÆ.
6 Idibus octonis mortem passura crucemque
CHRISTI sancta caro æthercam dedit ante figuram:
Præsul & his SIXTUS Romæ Martyrque colendus;
Juxtà & FELICISSIMUS, AGAPITUSque triumphant.
[His quoque consurgunt autumni tempora læta]
Et natale sancti ANDROSII *Martyris.*
7 Septenas pariter DONATUS & AFRA bearunt.
In Tuscià, civitate Arecià, natale sancti DONATI *Episc. Et natale sancti* FAUSTINI.
8 Æthereum senis penetrat CYRIACUS honorem.
Et in Nicomedià natale sanctorum JULIANI, NAZARI.
9 ROMANUS quinis Martyr milesque refulget.
In jejunia sancti LAURENTI. *Romæ in cimiterio, depositio sancti* DIONISI *Episcopi. Et sancti* MARTINI *Brivensis.*
10 Quartis LAURENTI merito splendescis opimo,
Ignem qui passus tortorem vincis iniquum.
Et in viâ Appiâ FELICISSIMI *&* JANUARII.
11 Ternis flosque decusque pium petis astra TYBURTI;
Has & GAURICUS Confessor possidet almus.
RUSTICUS ac [i] FIRMUS Veronam sanguine lustrant.
12 Martyrii palmam pridie capis EUPLE perennem:
ANDRELOQUE suus [l] gaudet tunc Martyre Gallus;
Edidit hunc Smyrna, Rhodani sed littora servant.
Romæ natale sanctorum GRISANTI *&* DARIÆ.
13 Idibus HIPPOLYTUM comitem Laurentius astris
Pro Christo parili recipit certamine passum.
Reginam meritis, virtute fideque colendam
Tellus tum venerans RADEGUNDAM Aquitana frequentat.
14 Quæ decima & nona est Septẽbres ante Kalendas
EUSEBIUM Romæ sancit celebratque beatam.
In Affricà, natale sancti DEMETRI.
15 Octavâ & decimâ mundi lux flosque MARIA,
Angelico comitata choro petit æthera Virgo.
16 Septenam denamque tenes ARNULFE sacerdos.
In Alexandria, natale sanctorum ORIONIS *&* AGNATII.
17 Martyre sedecima effulget MAMMETE beato.
Et octava S. LAURENTII *Martyris.*
18 AGAPITUS quintam decimam certamine sancit.

Dies [Erigone hîc Phœbo sociat sua sidera Virgo]
19 MAGNUS & ANDREAS quartâ denâque coruscant,
Septem nonaginta & quingenti comitantur
Quos pariter sancti: simul hos bis mille sequuntur.
Et sancti MAGNI *Martyris. Apparitio sanctæ Crucis. Et natale* ALPINIANI *Confessoris.*
20 Et ternam denã [m] FILIBERTUS sanctus adornat.
Tertia post denam SAMUEL excellit, ab ipsis
Quem Domino cunisgenetrix devota sacravit.
In Alexandrià, natale sancti DIOSCORI. *Et in Toronico castro, sancti* MAXIMI *Confessoris.*
21 Martyris hinc duodena PRIVATI sanguine vernat.
In Lucanià Provincià, natale sanctorum VALENTINI, LEONTI.
22 Undecimam Romæ TIMOTHEUS passus honorat:
Eduatumque suum celebrat plebs SYMPHORIANUM,
Mater quem Christo pariter moritura dicavit.
23 LUCIUS & PTOLOMÆUS denam virtute coronant:
Ornantur Remis TIMOTHEUS, APOLLINARISque.
24 BARTHOLOMÆUS nonam exornat retinetque beatus,
India quo doctore Dei cognovit honorem,
Herculis & Bacchi insanis vix eruta sacris;
Nunc illum fama est variâ pro sorte sepulcri,
Æoliam Liparen, Beneventi & templa tenere.
Tum quoque GENESIO resplendet Martyre Roma:
AUDOËNUM tumque pium Rodomagus honorat.
Et sancti GENESII. *Et sancti* APPTATI *Presbyteri.*
25 Octavâ hinc Arelas celebrat te, sancte GENESI.
In Spanià, natale sanctorum JUSTI *&* PASTORIS.
26 Martyrio septenam IRENÆUS & ABUNDIUS ornant.
Romæ, in cœmeterio, natale sanctorũ BASILLÆ *&* MAXIMI. QUINTINI *Martyris.*
27 RUFE tuos recolens ostendit sexta triumphos.
In Campanià, Capuâ, natale sancti RUFI.
In Galliis, civitate Arelate, depositio sancti CÆSARII *Episcopi.*
28 HERMEN quinta probat felici morte beatum.
Ecclesiæ lumen, populis sacra norma fidelis,
Africa quo pastore, orbis doctore coruscat,
AUGUSTINE Pater, festo celebraris eodem;
Aurea quem servant Italis nunc templa sepultum.
Sanctonis alta sui VIBIANI hac fulget honoré.
Urbs Alemannorum [n] recolit Constantia sanctum
Hac quoque PELAGIUM fuso pro sanguine clarum.
Et natale sancti AUGUSTINI *Episcopi. In Affricâ,* FAUSTINI. *Romæ, natale sancti* ERMIS *Martyris. Averni,* JULIANI *Martyris.*

i *Rusticus ac*] Hunc versum addidimus è codice Bigot.

l *Andreloque suus*] Hunc etiam versum ac sequentem R. P. Martene exscripsit è codice Bigot. uterque cùm in editis non exstat, tùm etiam abest à codice Regio, & quin recentiores sint, haud multùm dubito: sanè Wandalbertum non sapiunt.

m *& ternam denam*] Hic versus, qui in editis non exstat, exscriptus est è codice Regio; eum verò in contextu non idcirco edidimus, quod Wandalberti esse videretur, sed quia nihil quod ejus esse cuiquam videri posset, in imum marginem ablegare voluimus.

n *urbs Alemannorum*] Hic versus & sequens, nec in codice Regio nec in Bigot. exstant.

Dies Præco Dei, Verbi vox & baptiſta Johannes,
29 Quem effera ſaltanti tribuerunt juſſa puellæ,
Inſignit quartam meritorum laude perenni.
Virgo Sabina ſimul Romæ ſua templa reviſit.
30 Tertia Felicis nitet Adauctique º cruore.
31 Paulinus pridie Treverorum mœnia luſtrat,
Exilio antiſtes vero pro dogmate clarus.
Et depoſitio ſancti Elaui *Epiſcopi.*
Auguſti his demum clauduntur limina feſtis.

SEPTEMBER.

Dies Miti September prægustans pocula Baccho,
Quos aris venerando colat memoretque canemus.
1 Pontifices Remis inſigni nomine fulgent
Sixtus, Sinicius, meritis, vitâque Nivardus.
Legifer heredem proprii quem liquit honoris:
Promiſſam populo terram qui ſorte per aſtra,
Per loca, per celſos montes diſtinxit & urbes,
Septembres Josue tenet orditurque Kalendas.
Priscus & has Martyr trabeatus ſanguine luſtrat.
Præſul & his Senonum Lupus æde coruſcat ab altâ.
Has & Verenæ p rutilant ſolemnia ſanctæ.
In Campaniâ, natale ſancti Prisci *Martyris. Et alibi, natale ſanctorum* Sisinni, & Victoris *Epiſcopi.*
2 Quartas hinc Nonas Lugdunum Justus honorat.
In Nicomediâ natale ſanctorum Zenonis, Gurgoni, Theodoræ.
3 Ternis Antonine puer Martyrque triumphas:
Tunc & Aristeus antiſtes de morte beatur.
4 Legis divinæ lator, ſuſceptor, & auctor,
Colloquio, viſuque Dei dignate frequenti,
Præcelſo pridie tumularis monte Moyses,
Nulli poſt licuit cujus cognoſcere buſtum.
Tunc etiam Cabilon q Marcelli ſanguine vernat.
Et natale Aresti *Epiſcopi.*
5 Nonis Ferreolus cum Ferrucione refulget;
Donatus Capuam, pariterque Arcontius ornant.
In Porto Romano natale ſanctorum Taurini, Aristosi.
6 Vates Zacharias octonas obtinet Idus.
Romæ viâ Salutariâ natale ſancti Eleutherii *Epiſcopi.*
7 Antiſtes ſeptenas ſervat Evortius, atque
Regali inſignis Clodoaldus ſtirpe ſacerdos.
Et natale ſanctæ Reginæ *Martyris, cujus geſta habentur.*
8 Quâ Deus humanam ſuſcepit Virgine formam
Illuſtrat ſenas ortus de luce Maria.
Martyr & Adrianus Romam tum ſanguine comit.
9 Gorgonius quinas famâ meritiſque retentat,
Romæ quem paſſum r venerans nunc Gallia poſcit.
10 Sosthenes & Victor quartis memorantur, eamdem
Chriſti pro regno ſortiti & laude coronam.
Romæ, depoſitio beati Hilarii *Papæ, per quem Victorius ordinem paſchalem compoſuit.*
11 Protus & hinc ternas fraterque Hyacinthus honorant,
Qui Eugeniam pariter legem docuere ſacratam.
Has ſimul & s Felix cum felici morte dicavit,
Martyrio Regulæ ſancto pariterque beatæ.*
12 Martyr mox pridie celſum petit æthera Syrus. t
Lugduno civitate, depoſitio beati Sacerdotis *Epiſcopi.*
13 Idibus abba nitet merito & cognomine Amatus.
Andegavis civitate, depoſitio ſancti Maurilionis *Epiſcopi. In Alexandriâ, Natale Sancti* Theodori, *Epiſcopi.*
14 Octono & decimo Octimbrem vocitante futurum,
Exaltata Crucis fulgent vexilla relatæ,
Perſide ab indigna victor quam vexit Heracleus:
Corneliusque ſuam virtute & ſanguine Romam
Antiſtes fulcit; Cypriano læta coruſcat
Carthago inſigni Doctore & Martyre, totum
Eccleſiæ ſcribunt cujus ſacra dicta per orbem:
Præſulis hîc etiam meritum celebratur Eparci.
15 Septenum denum Nicomedes preſbyter ornat,
Virgo, tuus, Petronilla, comes, Martyrque beatus.
Pontifices arâ, meritis, vitâque colendi
Carnutes Leobinus, Aper Leucoſque tuentur.
Et depoſitio Albini *Epiſcopi & ſancti* Nicomedis.
16 Hinc ſexto deno Martinus Papa beatur.
Eufemiamque pio ſanctam veneramur amore.
Lucius hoc ſimul excellet cum Geminiano;
Condecorat pariter paſſos quos laurea Chriſti.
Et natale ſanctorum Luciæ & Geminiani.
17 Lambertus quintum denum virtute coronat;
Factio quem cæſum ſemper tremebunda paveſcit.
Et ſancti Paulini *Epiſcopi.*
18 Ore, fide antiſtes, ſigniſque & ſanguine Martyr
Methodius quartum denum celebrandus honorat.
[Æquatura diem ſolitum mox libra cohæret.]
In Alexandriâ, natale ſancti Trophimi.
19 Virtutis ſpecimen patiendi, & forma decuſque
Martyrii Eustachius terno denoque triumphat.
In Galliis, civitate Viennâ, natale ſancti

o *Adauctique*] In utroque codice *Audactique.*
p *has & Verenæ*] Hic verſus abeſt à codice Bigot.
q *tunc etiam Cabilon*] In codice Regio *Cabalon*, ſcil. urbs quam gallicè vocamus *Cavaillon.*
r *Romæ quem paſſum*] Acherius monet hunc verſum ita etiam eſſe deſcriptum: *Romæ quem paſſum nunc Gallia poſcit adorans.*
s *has ſimul &*] Hic verſus deeſt in codice Bigot. ſequens in eodem, & in codice Regio.
t *æthera Syrus*] In codice Regio *Sinus.*

Dies FERIOLI *Martyris*
20 Virgoque biſſenum FAUSTA, atque EVILASIUS ornant.
u [Libra pares [u] lucis ſomnique hîc efficit horas]
Et vigilia MATHÆI *Apoſtoli.*
21 Deſeruit Chriſto mundi qui lucra vocante,
Undecimum MATHÆUS Evangelico ore ſacravit.
Paſſio ſancti MATHÆI *Apoſtoli.*
22 MAURICIUS denum ſociâ legione coronat,
Effuſo mortem pariter quæ ſanguine vicit.
Et ſanctorum Tebeorum MAURICII *& ſociorum ejus VI. Mil. DCLXVI.*
x EMMERAMUS [x] cum ſocio comitatur honore,
Quem gens inſignis Britannia voce repoſcit.
23 Nonum TECLA tenet roſeo perfuſa cruore;
LIBERIUSque * dicat Romanam Papa per urbem
Levita & SOSIUS merito ſplendeſcit honore.
TECLÆ *Virginis, &* JANUARII *Epiſcopi, &* SOSII *Diaconi.*
24 Octavum ſterili conceptus ventre JOHANNES,
ANDOCHIUSque ſacrat Martyrque & Preſbyter almus;
Quem TYRSUS. FELIXque pari comitantur amore.
25 Septeno LUPUS antiſtes Lugduna reviſit
Mœnia, devotæ paſtor memorabilis urbi.
Ambiana micat FIRMINO Martyre plebes.
In Aſiâ, ſancti EUCARPI. *Et alibi, depoſitio ſancti* MARCI.
26 Sexto Martyr ovat CYPRIANUS, Virgo beata
Quem JUSTINA Dei fecit cognoſcere regnum,
Artibus inſanis tandem furiiſque relictis.
Et depoſitio ſancti EUSEBII *Epiſcopi.*
27 Quinto cum fratre excellet COSMAS DAMIANO:
ANTIMUS hos ſequitur, LEONTIUS, EUPREPIUSque
y Quinum, Chriſte, [y] tibi ſertum qui morte dicarunt.
Et ſancti ELEUTHERI.
z 28 FAUSTUS, [z] MARTIALIS quartum & JANUARIUS ornant
Martyrii trabeâ ſimul & certamine clari.
29 Æthereâ virtute potens, princepſque ſupernæ
Militiæ MICHAEL terno ſibi templa ſacravit.
Depoſitio ſancti SALONI *Epiſcopi.*
30 Interpres legis veteriſque novæque probatus,
Instructor doctrinæ, hæreſis damnator iniquæ,
HIERONYMUS pridie Septembrem claudit ovantem.



OCTOBER.

Dies SPumanti muſto, pomiſque Octimber onuſtus,
Quîs pateras calathoſque ferat Sanctos memoremus.
1 Francos qui primus docuit, domuitque feroces
REMIGIUS, proprio Octimbrem præſignat honore:
GERMANUSque ſimul doctrinâ inſignis & actu,
Tum propriam munit meritis Autiſiodorum [a]; a
Qui Oceano fidei refugas, & dogma nefandum
Reppulit, & ſignis te Picta Britannia texit.
Hos virtute BAVO & ſancto comitatur honore.
& ſancti VEDASTI.
2 Mox ſextum Nonarum LEODEGARIUS ornat,
Seditione potens quem Dux populuſque peremit.
In Galliis, civitate Atraventinſe, paſſio ſancti LEODEGARII *Martyris.*
3 EUVALDI meritis, gente, & cognomine, & arâ,
Doctrinâque pares, quintum ſibi morte dicarunt.
& natale ſanctorum EUSEBII, PONTI, *&* LEONIS.
4 MARCUS, MARCIANUSque ſuo implent munere quartum,
Germine, martyrio, naturâ, & funere fratres.
5 Ternas tum Nonas APOLLINARIS honorat
Præſul, templa frequens cujus Ravenna coronat.
In Ægypto natale ſanctorum FORTI *Diaconi, &* FLAVIANÆ *Virginis.*
6 Virgo FIDES pridie hinc felici morte triumphat.
In Africâ ROGATÆ, SATURNINÆ, FAUSTINI, *& ſancti* PARDULFI *Confeſſoris.*
7 Pontifices Nonas LINUSque, MARCUSque retentant
Natale ſanctorum MARCELLI *&* APULEI, *& natale ſancti* MARCI *Epiſcopi.*
8 Octono ante Idus DEMETRI ſancte bearis,
Nomine pro Chriſti tortores paſſus iniquos.
9 Exemplum fidei, parendi & norma ſalubris,
Excelſi Patris primùm cognomine dictus,
Gentibus inde Pater cœleſti ſorte vocatus,
Septenas ABRAHAM ſancit retinetque beatus.
His quoque martyrio inſigni trinoque coruſcant
Orbem templa ſuo luſtrantia lumine cunctum
DIONYSIUS, æthereo qui ſplendet honore:
Gallia doctorem, Paulo inſtituente [b], beatum b
Quem meruit, gemino comptum junctumque miniſtro.
DOMNINOque Italiclaro cum Martyre fulgent.
10 Senas juſtitiæ titulis LOTH ſanctus adornat.
CASSIUS & GEREON, VICTOR, FLORENTIUS atque,

u *Libra pares*] Hunc verſum addidimus è codd. Regio & Bigot.

x *Emmeramus*] Hic verſus & ſequens abſunt à codd. Regio & Bigot. Infrà ubi *Liberiuſqne*, in codice Reg. legitur *Viberiuſque.*

y *quinum, Chriſte*] Sic in codice Reg. & in Bigot. rectè: in priori editione *unum*, malè.

z *Fauſtus*] In codice Regio *fauſtum*, ſic ut vox illa referatur ad vocem *quartum*, ſcil. diem, quæ ſequitur; atque unius ſancti nomen obliteretur.

a *Autiſiodorum*] Hic monere juvat in codice Regio nuſquam non ſcribi *Autiſioderum*.

b *Paulo inſtituente*] Hîc vulgarem opinionem ſequitur Wandalbertus, ſcil. primum Pariſiorum Apoſtolum haud diverſum fuiſſe ab illo Dionyſio, cujus mentio fit in Actis Apoſtolorum. Quam opinionem cum ex animis hominum evellere conarentur viri noſtrâ ætate doctiſſimi, Dionyſium noſtrum ſtatuerunt Decio Imperatori coætaneum fuiſſe. Atqui Dionyſium Areopagitam in Gallias nunquam veniſſe facilè credo; cum S. Dionyſius Corinthi Epiſcopus, Areopagitæ penè ſuppar, teſtetur eum fuiſſe primum Athenarum Epiſcopum, apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 4. Sed quod Fortunatus Pictavenſis, quod deinde anno DCCCXXII. Galliarum Epiſcopi ſcripſerunt, Dionyſium in Gallias à Clemente urbis Romæ Epiſcopo miſſum eſſe, ſolâ Gregorii Turonenſis auctoritate convelli non poſſe, mihi quidem videtur.

Dies Martyrii comites plebs tum conjuncta triumphat.
In Affricâ, EUSEBII, HERACLI, *& alibi*, SERENI, *&* CRESCENTI, *& translatio corporis beatissimi* MARTIALIS

11 Quinas mox TARACUS, PROBUS, ANDRONICUSque coronant,
Virtutis, mortisque pares quos gloria reddit.
In Acerno Siciliæ, natale sanctorum FAUSTI, JANUARII.

12 Idus tum quartas meritis EDISTIUS auget,
Urbs Ravenna suo celebri quo Martyre polllet.
In Campania civitate, natale sanctorum FORTUNATI *&* PRISCIANI.

13 Ternas MARCELLUS, FAUSTUS, JANUARIUS implent.
Tum quoque Petre tibi, DIONYSIque sacratum
Templum; & CHRYSANTHO, DARIÆque coruscat & ara,
Tulpia cum plano quo præminet æquore castrum.
In Spaniis, Cordubâ civitate, sanctorum FAUSTI *&* MARCIÆ. *Lemovicas dedicatio sancti* SALVATORIS, *& sancti* GERALDI *Confessoris.*

14 CALLISTUS pridie antistes Martyrque tropæo
Præcellens, multo & comitatus Martyre fulget.
Romæ, viâ Aureliâ, in civitate, natale sancti CALIXTI *Episcopi.*

15 Idibus inde tibi Maurorum turba vocatur,
Agrippinâ animis pariter quæ læta beatis
Militiam Christo virtute & morte dicavit.
In Capuâ, viâ Aureliâ, natale sancti FORTUNATI.

16 Septeno denoque Novembrem qui venientem
Præsignat, GALLUS colitur Confessor; & unà
Bis centum & decies septem memorantur, iniquus
Quos furor ob Christum simili mactavit honore.
In Affricâ, natale sanctorum NEREI *&* SATURNINI.

17 Sedecimum sacer antistes FLORENTIUS ornat.
In Mauritaniâ, natale sanctorum DONATI *&* DES...

18 LUCAS ter quinum festo officioque dicatum,
Monstrat, Paule, tuo Christum sermone loquutus.
Regni calcatrix juxtà & TRIPHONIA claret.
[Scorpius autumni hinc moderatur tempora læta.]
In Oriente, translatio corporis sancti LUCÆ *Evangelistæ.*

19 BERONICUS bis septeno atque PELAGIA fulget;
Quos pariter quadraginta atque novem comitantur.
In Antiochiâ Syriæ, natale sanctorum PELAGIÆ, *& aliorum* XLVIII.

20 Ternum cùm deno CAPRASI Martyr honoras.

21 Presbyter ASTERIUS duodeno luce coruscat
Egregiâ, multos docuit qui vincere Sanctos,
Undique bella piis duram minitantia mortem:
Hunc & HILARION eremi bonus accola comit.
Tunc numerosa simul Rheni per littora fulgent
Christo virgineis erecta tropæa maniplis
Agrippinæ urbi, quarum furor impius olim
Millia mactavit ductricibus inclita sanctis.

22 Undecimum festo PHILIPPUS Episcopus auget:
HERMES hoc ipso [c] nitet, EUSEBIUSque beatus

Dies *In Traciâ civitate, passio sancti* LEODEGALI. *& sancti* PHILIPPI *Episcopi.*

23 SEVERINE tuos decimo sacer inde colonos
Inspectas, primi radians de culmine templi.
In Trajanopoli SEVERI *&* DONATI.

24 Nono quadrageni effulgent sexque triumpho
Romæ, militiâ & sancto certamine clari.
MARTINUMque [d] suum celebrans Vertanus adornat.
In Nicomediâ sancti VITALIS, FELICIS, *&* VICTORIS.

25 Octavum CRISPINUS habet cum CRISPINIANO,
Flammas qui passi sævum vicere tyrannum.
Gemmas martyrii geminas veneramur eodem,
CHRYSANTUM, DARIAMque, novo quos munere Christi
Româ nunc vectos, tumulis Nova Cella venustat,
Quâ Rheni celsis succedunt æquora silvis.
HILARUS hîc etiam nitet amplo præsul honore.
Eodem die natale sancti FRONTONI *Episcopi & Confessoris.*

26 Pontifices famâ, signis, tumulisque coruscos
Septimus ostendit, vero de nomine AMANDUM,
VEDASTUMque, simul meritis & tempore junctos.
In Nicomediâ natale sanctorum LUCIANI, MARCIANI. *Translatio corporis sancti Amandi.*

27 Hinc sextum Martyr pugnans VINCENTIUS ornat:
CHRISTETE hoc pariter, SABINAque Virgo triumphat.
Et vigilia Apostolorum SIMONIS *&* JUDÆ.

28 SIMONIS & JUDÆ præcellet quintus honore,
Quos opulenta Deo Persis mittente receptos,
Fidos Martyrio & signis tumulare patronos
Promeruit, fidei cultrix si deinde fuisset.
Cæsare nata micat Decio hîc CYRILLA, beatis
Virgo animis, & cui Decius haud editor esset.
Hic etiam Matronæ colitur per littora FARO.

29 Presbyter hinc retinens quartum ZENOBIUS ornat.
In Lucianâ, natale sancti QUINTINI *&* FELICIANI.

30 Terno MARCELLUS Christi galeatus amore,
Centuriam cœlo dignam geminaque sacravit,
Martyribus bis centum & bis denis comitatus.
Et translatio corporis sancti SATURNINI *Episcopi.*

31 QUINTINUM pridie celebrant sua gesta beatum,
Qui insigni & vario ob Christum certamine victor,
Octimbrem clauso componit in orbe ruentem.
& sancti FOILNANI *Martyris.*

NOVEMBER.

Dies NUnc quoque quîs longâ vigilet sub nocte November,
Quos vigilando canat promemus carmine sanctos.

1 CÆSARIUS primâ designat fronte Novembrem,
Eximio cujus lætatur Roma triumpho.
Mensis & hic reliquos stellato vertice vincens,
Uno OMNES SANCTOS celebrans conjungit honore,
Regia quos cœli pariter retinetque fovetque.

c *Hermes hoc ipso*] In codice Reg. & in Bigot *Ermas.*
d *Martinumque*] Hunc versum adscripsimus è codice Regio.

Dies Quartis VICTORINE ſacer Martyrque bearis [e]
2 Nonis: his etiam fulgent JULIANUS, hiſque BENIGNUS
Preſbyteri fulgent virtute & ſanguine clari.
3 Ternis GERMANUS, VITALIS, CÆSARIUSque,
THEOPHILUSque pari collucent lumine feſti.
In Trajecto, depoſitio ſancti HUCCUBERTI *Epiſcopi.*
4 Præſul hinc pridie Rutenos AMANTIUS ornat.
In Affricâ, natale ſanctorum PRIMI, PERPETUÆ, *&* VICTORIS.
5 Nonis ZACHARIAS vates, Templique Sacerdos
Eminet, ablatam [f] nati qui munere vocem,
Vatis & officium priſco de more recepit.
Haſque ſacer FELIX, Monachuſque EUSEBIUS augent.
& ſanctæ MARIÆ *&* SECUNDÆ.
6 Idibus octonis Martyr FELIX celebratur.
In civitate Redonis Galliæ, depoſitio ſancti MELANI *Epiſcopi, & ſancti* LEONARDI *Confeſſoris.*
7 Septenas AMARANTE piâ de morte ſacraſti:
Has quoque WILLEBRORDUS habet, quo princeps plebis
Freſonum multi Chriſtum ſenſere vocantem.
In Nicomediâ, ROGATI, DONATI, PRIMI *&* JULIÆ..
8 Senas ornantes Idus merito atque cruore,
CLAUDI, CASTORI, SIMPLICI, SYMPHORIANE [g],
Et NICOSTRATE, pari fulgetis luce coronæ.
In Nicomediâ, natale ſanctorum EUSEBI *&* EUSTASII.
9 Quinæ mox Idus THEODORO Martyre vernant.
10 Quartis MODESTUS, FLORENTIA, TIBERIUSque
Trino martyrio trino pro nomine fulgent.
In Antiochiâ, natale ſanctorum DEMETRI *Epiſcopi. Romæ, depoſitio ſancti* LEONIS *Epiſcopi.*
11 MENAS ſanctus ovat ternis virtute fideque.
Confeſſor merito, officio, & ſermone Sacerdos,
Atque fide Martyr, lato famoſus in orbe
MARTINUS, votis, feſtoque vocatur eodem.
Exilium, flagella, minas, tormenta necemque
Pro Chriſto perpeſſa ſimul DOMITILLA triumphat.
In Galliis civitate, dormitio ſancti MARTINI *Epiſcopi. Et ſancti* MENNÆ.
12 Agrippina tuus pridie excellit CUNIBERTUS:
LEONIUM Sequanæ recolunt quoque littora ſanctum.
In Cæſareâ Cappadociæ, natale ſanctorum GERMANI *&* EUSEBII.
13 Idus tunc hæres tuus, ô Martine retentat
BRICIUS exilio, lacrymis, ſigniſque probatus.
& in Malbocl, tranſlatio corporis ſanctæ ALDEGUNDIS.
14 Octavam decimamque Decembres ante Kalendas
Dies CLEMENTINUS habet, THEODOTUS, PHILOMINUSque,
Hac pariter paſſi tortoris juſſa cruenti.
In Heracleâ civitate, natale ſanctorum CLEMENTINI, HERACLI. *Ipſo die paſſio ſancti* JUSTI.
15 Septenâ EUGENIUS Martyr denâque niteſcit.
In Affricâ civitate, natale ſanctorum SATURNINI *&* DEMETRI, *& ſancti* CÆSARII.
16 EUCHERIUS ſextam cum denâ, GREGORIUSque
Implent, Lugduni hic, Neocæſareæ ille Sacerdos.
In Capuâ, natale ſanctorum VITALIS *&* JANUARII.
17 Quindecimâ antiſtes Ligeris per littora, perque
Feſtivos populos [h], ANIANUS laude coruſcat
Æternâ, merito, ſignis, prece, conſilioque
Urbem qui propriam hoſtili de clade redemit.
[Arcitenens gelido hinc contriſtat ſidere cœlum.]
In civitate Hierapoli, natale ſanctorum VICTORIS, ALPHEI, *&* ROMOLÆ.
18 HESYCHIUS Martyr quartam denamque coronat,
ROMANUSque, urbs Antiochi quîs læta recurrit.
In Cæſareâ, VICTORIS, MAXIMI, *&* MARCIANI.
19 Tredecimam FELICIANUS cum SEVERINO
Cumque EXUPERIO, fidei certamine ſancit.
In Cæſareâ, JANUARII, VITALIS, MARCIANI. AUGUSTODUNO [i] SIMPLICI *Epiſcopi.*
20 PONTIANE tibi duodenam Roma dicato
Obſequio ſacrat, antiſtes Martyrque beate.
In Spaniis, natale ſancti MAXIMI *Preſbyteri.*
21 Abba COLUMBANUS undenam ſibi ſervat, ab ipſo
Oceano multis vitæ qui dogmata ſanctæ
Religione piâ ſparſit, ſermone, manuque
& vigilia ſanctæ CÆCILIÆ.
22 CÆCILIA illuſtrat denam mox ſancta nitore
Perpetuo, claris ſemper vulganda tropæis,
Virgo hinc cognato, ſanctoque hinc fulta marito.
Romæ, paſſio ſanctæ CÆCILIÆ *Virginis.*
23 Nonam Papa tenet CLEMENS certamine, & altis
Virtutum titulis, mortem qui paſſus in undis,
Repperit exſtructum divino munere [l] templum.
Tum quoque ſeptena genetrix cum prole, beato
Præcellens radiat FELICITAS alma triumpho.
Hîcque ſuos [m] TRUDON mundi contemptor adornat.
24 CHRYSOGONUS meritis octavam & funere ſancit.

e *Martyrque bearis*] In codice Regio *meritiſque beatus.*
f *emine: ablatam*] Sic emendavimus è codice Bigot. cum antea corruptè legeretur, *oblitam.*
g *Symphoriane*] In codice Regio & in Bigot. legitur *Semproniane.*
h *feſtivos populos*] Quin ignoratio vocabuli haud ita vulgaris locum hunc deformaverit, vix dubitare poſſum; nam cum voces illæ *feſtivos populos* hîc non ſatis conveniant, probabile eſt populi cujuſdam nomen ſub voce *feſtivos* latere. Id verò fuerit *Belſivorum*, aut certè *Belſinorum*, hoc eſt eorum qui *Belſiam*, vulgo *Beauce* incolunt; hujus enim Provinciæ nomen ante Wandalberti ætatem in ſcriptis Fortunati reperitur; quamobrem hîc libenter legero *Belſinos populos.*
i *Augustoduno* Hic nonnulla monebimus, quæ lectori nec ingrata fortaſſe, nec inutilia videbuntur. Primum in codice Regio nuſquam non ſcribi *Aguſtiduno*, eamque ſcribendi rationem, ut pravam eſſe, ita diu fuiſſe uſurpatam: quod cùm aliunde, tum etiam è nummis conſtat, in quibus Juſtinianus, Juſtinus, Tiberius plerumque quidem *Auguſti*, non raro tamen *Aguſti* dicuntur. Alterum in eodem codice ubi Autiſiodori mentio fit, eam urbem *Autiſioderum* ſemper vocari: quod eo minùs contemnendum eſt, quo magis conſtat, inde hodiernum nomen *Auxerre*, non ex Autiſiodoro, eſſe deſumptum. Poſtremum, ubi occurrunt *Eufemia* & *Foca* nomina, hæc in eodem codice ita eſſe deſcripta ut vides, non, ut mos eſt, *Euphemia* & *Phoca*; atque eam ſcribendi rationem à nobis quoque eſſe ſervatam, quòd vulgarem nummi ipſi, optimi antiquitatis teſtes, aſpernantur; ut videre eſt in opere cui titulus *Numiſmata Impp. Romm. à Trajano Decio,* &c.
l *divino munere*] Sequuti ſumus lectionem codicis Regii: in priori editione *divino numine.*
m *hicque ſuos*] Hic verſus abeſt cùm à codice Regio, tùm etiam à Bigot.

Dies *In Blaviâ, sancti* ROMANI.

25 Septenam PETRUS antistes Martyrque venustat,
Urbis Alexandri populus quo prædυce fultus
Errorum curvos spernit cæcosque meatus.

26 Sextam LINE sacras roseo de sanguine Papa
& SIRICII *&* CASSIANI.

27 Martyrio quintam AGRICOLA & VITALIS honorant.
SEVERI *&* BEATI *Episcopi.*

28 SILAS, Paule, tuus quartam comes auget & ornat.
THEOPHINI, *&* JULII.

29 Ternam SATURNINE tibi, MAUROque dicamus.
Item SATURNINI, *&* SISINNII, *&* CHRYSANTHI, *&* DARIÆ.

30 ANDREAS pridie præcellet Apostolus, amplis
Virtutum fulgens radiis, titulisque per orbem,
Qui indomitos verbo signisque subegit Achæos.
Brumalem hæc claudunt populorum vota Novembrem.

DECEMBER.

Dies ANni supremum dicemus tempore mensem,
Quorum festa colat brevibus referatque diebus.
ELIGIUS Noviome tibi sub luce Decembrem

1 Primâ designat condigno præsul honore.

2 VERI, SECURIque micat Nonarum sanguine quartus.
In Mauritaniâ, sancti SATURNINI, *&* FORTUNATI, *&* MAXIMI.

3 Affrica CASSIANO libat sub Martyre ternis.
In Affricâ, natale sancti JOHANNIS, STEPHANI, *&* VICTORIS.

4 Tum pridie cum VICTORIO præcellet HERACLEUS.
In Laodiceâ Metropoli, FELICIS *&* METROBI, *& Translatio sancti* BENEDICTI *Abbatis.*

5 DALMATIUS Martyr Nonas, CRISPINAque servant.
In Affricâ, natale sanctorum CANDORIS, PRIVATI, FULGENTI, *& sancti* AMANTI.

6 Octonas Idus NICOLAUS Episcopus ornat.
In Affricâ, natale sanctorum FORTUNATI, HERMOGENIS, *&* ROGATI.

7 Septenas retinet POLYCARPUS cum THEODORO.
Romæ, natale sancti EUTYCIANI *Episcopi. & octava sancti* ANDREÆ *Apostoli.*

8 EUTYCIANE nites senis felici Papa cruore:
Has quoque ZENON habet conjuncto Martyr honore.
EUSEBII *Episcopi,* URANI *Episcopi, &* SUCCESSI *Episcopi.*

9 SEBASTIANUM quinis celebramus ab Urbe
Translatum, proprio quo Gallica rura patrono
Exultant, ingens templum cui surgit & ara:
Antiquosque nitent æquantia culmina fastus.
Has quoque Virgo sibi meritis LEUCADIA sancit.
In Alexandriâ, natale sancti DONATI, VALENTINÆ.

10 EULALIAM sancto quartis veneramur amore,
Hispaniam Emeritam cujus cruor ossaque servant.

Dies *Et natale sancti* DAMASI *Papæ.*

11 Romulidæ DAMASI [n] ternis solemnia Papæ
Occurrunt, parilemque simul VICTORICUS, atque
FUSCIANUS [o] habent festi votique nitorem,
Ambiana virent quorum nunc rura cruore.
Romæ, natale sancti CAPITULINI, *&* PRÆTEXTATI. *In Spaniis, sancti* EUTICI.

12 HERMOGENES, DONATUS, bis denique coruscant
Tum pridie & bini, conjuncto sanguine, sancti.
In Spaniis civitate Almeritâ, natale sancti HERMOGENIS.

13 Idus Syracusa tibi LUCIA dicavit,
Paschasium Christi pro nomine passa tyrannum,
Spiritus immobilem quam sanctus fecit iniquis
Esse viris: JUDOCH pariter colerisque sacerdos
Egregie, oceani cedunt cui sæpe procellæ.

14 Nonum cum decimo Jani de more Kalendas
Qui vocat, antistes NICASIUS auget honore:
SPIRIDIONque die præsul celebratur eodem.
Lugduni Galliarum, sancti VIATORIS *episcopi.*

15 Octavum cum deno MAXIMINE retentas,
Aureliana ferax præbent cui rura lyæum.

16 Terni septeno & decimo pueri memorantur,
Impia qui Assyrii temserunt jussa tyranni,
Quorum nec crepitans valuit terrere fidelem
Constantemque animum fornacis flamma furentis.
Aurelianis civitate, sancti MAXIMI *Episcopi.*

17 IGNATIUS sanctus deno sextoque triumphat,
Antiochenæ urbis pastor, Martyrque, ferarum
Quem dentes panem vivum fecêre: sequuntur
Quem fuso ob Christum RUFUS, ZOSIMUSque cruore.
Et sancti VALENTINI.

18 Quindecimus demum [p] MOYSETIS sanguine vernat.
[Hinc Phœbum duplici Capricornus sidere gestat]
In Affricâ, natale sanctorum VICTORIS, HONORATI, *&* VINCENTI.

19 Quartum cum deno ZOSIMUS, DARIUSque [q] coronant.
In Niceâ civitate Bithyniæ, ZOSIMI, *&* PAULI.

20 Terno cum deno antistes ZEFERINE coruscas.
Natale sanctæ TECLÆ.

21 Translati THOMÆ celebrat duodenus honorem,
Aurea quo structore Dei cognoscere honorem
India promeruit; signis commota [r] tremendis.
[Solstitio hîc Phœbus celsos remeare per axes
Incipit, hinc gelidam primùm conversus ad arcton.]

22 Undecimum celebrat triceno Martyre Roma.
In Antiochiâ; natale sancti BASILEI.

23 VICTORIA Christi decimus de Virgine fulget.
Romæ, natale sanctorum URBANI, CORNELII, *&* VICTORIS.

24 Nono venturæ cumulantes munera luci,
Lumina, pervigilesque aras, & templa paramus:
Virginibus quadraginta hic splendet quoque, cœlo

n. *Romulidæ Damasi*] Sic codices duo Reg. & Big. prior editio *Roma litat Damasi.*

o *Fuscianus*] In codice Regio *Faustianus.*

p *quindecimus demum*] Cum in codice Regio in locum vocis *demum*, quæ hîc omnino est supervacua legatur *decimo*, versum sic emendari posse arbitror. *Quinus cum decimo*, vel *cum deno.* Sequentem verbum adscripsimus è codd. Regio & Bigot.

q *Dariusque*] In codice Regio *Clariusque.*

r *signis commota*] Sic codd. Regius & Bigot. benè: prior editio *comitata*, malè.

Quæ

Dies Quæ dignam vitam voto & virtute dicarunt.
25 Octavo servi dignatus sumere formam,
Errantemque hominem veniens revocare Creator,
Partu Virgineo mortales induit artus.
Eugeniam quoque tum memoramus, Anastasiamque.
In Bethleem, Nativitas Domini nostri Jesu-Christi.
Consimili Christum comitatus mente, fideque,
26 Septimus hinc Stephano levita, & Martyre Primo
Excellet, natum Regem passumque, beatâ
Qui vitâ Dominum, pugnâ est & morte sequutus.
27 Dilectus Domini, Verbi inspectorque divini [f],
Pectore de Christi fontem qui haurire perennem
Promeruit, sextum sancit lustratque Johannes.
In Epheso, assumptio sancti Johannis *Evangelistæ.*
28 Uberibus matrum rapuit quos dira cupido,
Regnandique sitis, Christum dum perdere natum
Herodes cupit, Infantes quinto veneramur.
29 Vates, Rexque pius, divinæ & stirpis origo,
Insignit quartum David sermone fideque:
Urbsque Arelas Trophimo gaudens pastore coruscat.
In Affricâ, natale sanctorum Saturnini, Honorati, *&* Felicis.
30 Mansuetus ternum simul & Florentius ornant [t]
Et natale Sereni.
31 Sylvester pridie Romanam Papa per urbem
Lætantes populos votis sibi subdit amicis,
Pontificum primus tranquillam cernere pacem
Qui meruit, dominosque orbis purgare lavacro.
Virgo Columba simul palmam virtute perennem
Percipis, effuso Christum comitata cruore:
Cumque Potentiano, Sabinianus eodem
Occurrit festo, æquales arâ atque triumpho;
Urbem qui Senonum primi docuere patroni.
Hæc tandem claudunt extremum festa Decembrem.

CONCLUSIO.

Metrum Choriambicum, Gliconium, Asclepiadeũ, Alcaicum.

HÆC nunc, Christe, tuo, Deus,
Conscripsi breviter munere carmina,
Constans expetiit quæ studio pervigili fides.
His digesta micant simul
Cœlestis patriæ & militiæ agmina,
Summo perpetui quæ radiant æthere luminis.
Quorum te veniam prece
Indignus rogitans obsecro criminum:
Multo supplicii namque premor perpetui metu.
Trinis ecce decenniis
Vitam dego miser; quintus & insuper
Ævi curriculis orbis adest atque meatibus.
Me nunc nil recolens boni
Egisse atque pii, concutior nimis;
Curæ nam stimulant horribiles mentis ad intima.
Lapsum jam releva, Pater,
Tandem & præteritis exue sordibus,
Squalet conscia quis mens, nimiisque angoribus tremit.
Sanctorum retuli canens
Hîc certamina, præclaraque Martyrum
Vexilla ante oculos constitui, signaque ovantium.
Horum glorificat, Pater,
Sanguis te, jugiter mors loquitur pia.
Vivunt namque tuo præsidio & luce perenniter.

HYMNUS
IN OMNES SANCTOS.

Metrum Dactylicum, Sapphicum, Pentametrũ.

CHRISTE, cœlorum modulans caterva
Quem canit, laudat sitiens, cupitque,
Consonas laudes, petimus clientum
Cerne favendo.
Te chori Regem celebrant superni,
Civium turmæ & recinunt piorum;
Celsa quos cœli retinens coruscat
Aula, fovetque.
Patriarcharum veneranda Teque
Turba collaudans jugiter beata,
Percipit vitæ sitiens perennis
Munera semper.
Te Prophetarum resonant loquentum
Spiritus; missi quoque te per orbem
Prædicant verbi pariter ministri
Voce manuque.
Martyrum sanguis simul & triumphans
Cum Sacerdotum tonat ore; casta
Virgines jungunt Viduæ & canoris
Tympana sistris.
Omnis ostendit Dominum docetque
Te poli summo radians in axe
Ordo, Te servi canimus fideli
Cordis honore.
Tu libens nostrum petimus reatum
Solve, tu castam famulis piamque
Mentis aspirans cumula benigno
Munere laudem.
Gloriam cœli tibi vox perennem
Reddat exultans, Pater, atque Nate,
Spiritus, regno quibus alme compar
Vivis eodem.

INCIPIT
DE MENSIUM DUODECIM
Nominibus, signis, culturis, aërisque qualitatibus.

NOMINIBUS Mensum quæ sit rationis origo,
Annum bis seno volvunt qui sidere magnum,
Quæ illustrent pariter duodenas signa Kalendas,
Quid connexa ferat mensum discretio terris,
Quos usus generet cultus, quos formet habendi,
Servato breviter referemus in ordine, Lector.

DE JANUARIO.

QUEM primum mensem servari Julius anni
Decrevit, Jani effertur cognomine Regis,
Saturni gentem Latio qui rexit, & urbem
Laurentum sceptris, populoque, & legibus auxit.
Huic gemino præsunt Capricorni sidera monstro,
Bis duodena uno pariter splendentia signo.

f *divini*] In utroque codice *superni.*

t *ornant*] Uterque codex *aurant.*

Tum tempus campis lepores luſtrare nivoſis ;
Artibus & variis pictas captare volucres ,
Per campos volitant colles quæ & flumina circum.
Tum capus , accipiterque placet , curiſque ſolutis
Per brumam genio vacat indulgere , domique
Diverſos uſus veri proferre futuro.
Nam neque tum cervos cervaſve agitare fugaces ,
Nec ſpumantis apri lato configere ferro
Armos , ex uſu eſt : borea cohibentur , & artus
Exeſos macies ſtringit tenuatque ferarum.
Semina nec cultis facile eſt committere terris ;
Urit cuncta gelu , & glacies riget horrida campis.
Robora tum ſylvis prodeſt & fiſſile lignum
Cædere ; tum domibus , claſſique aptare ſecures.

DE FEBRUARIO.

Anni quo numerum regnans Pompilius auxit ,
Quo ſacra dira urbem ſolitum luſtrare togatam ,
Inferni febru retinemus nomine dictum.
Bis ſex hunc ſtellis aſtrum præſignat Aquari :
Cum tamen auſtrali cœlo demittere nimbis
Cernitur , hæc fulget tricenis ignibus unda.
Hunc hyemis , veriſque tenent confinia menſem ;
Frigore nuncque riget , nunc vere mulcet amico.
Tum tempus tractis terram proſcindere aratris ,
Semina & hinc ſulcis prodeſt mandare ſecundis ;
Hordea tum campis ſerimus peregrina per agros ;
Poſtquam candet avis pietatis nomine præſtans :
Vitibus hinc cultum mos eſt adhibere putandis ,
Sarmentiſque novas gemmas proferre reciſis.
Incipiunt ſalices nodis caneſcere glaucis ;
Tum primùm & coryli nucibus frondere futuris.
Tunc canibus cervas ſpiculiſque agitare repertas ,
Ac valido aprorum præfigere corpora ferro ,
Informeſque canis urſos luſtrare ſub antris
u Venantum de more [u] placet : tunc piſcibus altas
Præſtruere aggeribus piſcoſo in flumine ſepes.

DE MARTIO.

Martius exortum ſtatuit cui Romulus anni ,
Marte tenet ductum bellorum Principe nomen :
Quem auctorem generis Remo cum fratre Quirinus
Credidit eſſe ſui ; duplicis cui ſidera Piſcis
x Præſunt , tricenis ſeniſque [x] micantia flammis.
Hunc menſem jucunda fovent exordia veris ;
Qui mare , qui terras ſpecie tranquillat amœnâ :
Æſtus Oceani hoc primùm conſurgere magnos ,
Navibus & pelagi diffundier * æquora pictis
Cernimus , atque novos conſcendere flumina piſces :
Garrula per ſudum volitans tum ſtridet hirundo ,
Aëreaſque grues campis reſidere , ſatiſque
Anſeris invitum decedere cernimus agmen.
Sepibus hinc hortos primum munire novandos .
y Immundoque fimo & raſtris [y] componere tempus ,
Diverſa & propriis committere ſemina ſulcis.
Tum cervas , capreas , lepores luſtrare voluptas
Imperat : hinc apibus ſedes ſtatione parandæ
Vere ſuo , cum jam ſtabulis exire reclutis
Invitat ſtimulans prolis melliſque cupido.
Deque locis ſteriles primis tum ferre radices
Arborum , & ignotis ſcrobibus deponere ſuetum.
Plantas * quin etiam fecundâ ex arbore lectas
Arboris alterius natus de germine cortex
Accipit , inque ſinu ferro patefactus ad unguem
Continet ; hoc læti ſurgunt de ſemine fructus.

DE APRILI.

Quem Veneri ſacrum & proprium dixêre priores
Menſem , hoc quòd vigeat demulcens cuncta voluptas ,
Nomine de Graïo ductum vocitamus Aprilem :
Vel mage quòd terras brumali frigore clauſas
In varios aperit fœtus , cogitque fovendo ,
Romano tantum excellet ſermone vocatus.
Stellis huic Aries ternis deniſque coruſcat ,
Signorum obliquo qui fulget in ordine primus.
Huic lætos crines jucundaque tempora Phœbus
Floribus ac viridi primùm de fronde venuſtat.
Hoc nam cuncta ſuos erumpunt germina partus ;
Hoc campi ſilvæque & prata recentia menſe ,
Gramine , fronde , ſatis , variis vernantque fruticis ,
Ad paſtumque greges mittunt præſepia cunctos.
Tum philomela ſuos exercitat impigra cantus ,
Arguta & tectis nidum ſuſpendit hirundo :
Tum ſturni , merulæ , turdi , ſilviſque volucres
Suetæ , multiſono permulcent aëra cantu.
Turtur tum gemitu pariter , raucæque palumbes ,
Rurali oblectant feſſos ſtudio atque labore ;
Venandi hoc eadem eſt Martis quæ menſe voluptas.
Interea agricolæ inſiſtunt , frugeſque futuras
Sepibus aut foſſis properant munire caratis , [z]
Prata * vel emiſſis celerant potare fluentis ;
Vitibus aut vallos addunt furcaſque bicornes ,
Corticibuſque ligant , ventos ut temnere flantes
Pendentes facilè , & poſſint portare racemos ,
Gratam neu ſpeciem vineta * jacentia turpent ,
Aut validum indigno mutent perdantque ſaporem.

DE MAIO.

Mercurii mater , falſo deluſa priorum
Ætas quam coluit , Maium , cognomine Maia
Inſignit ; vel majorum de nomine patrum
Dictus , pars populi quæ dignior urbe togatâ
Exſtitit : huic Taurus ter quino ſidere fulgens
Auricomum præfert æſtivâ lampade Phœbum ,
Inflexoque genu ſcandentis in æthera Tauri
Frontem Maïades ſeptenis ignibus aurant.
Hic veris claudens , æſtivos incipit orbes ,
Telluriſque novas fruges mortalibus ægris
Oſtendens , calathis primus ſua pocula miſcet ,
Fragaque de modicis prædulcia colligit herbis.
In ſpicas tum jam viridantia ſemina ſurgunt ,
Auritoſque tegunt lepores lactentia farra.
Hoc herbis durum prodeſt mollire lyæum ,
Præſumptiſque novercarum vitare venena
Potibus , in variam quos gignunt arva medelam.
Quin & mutato ſerpentes aëre morbos ,
Tum medicâ ex uſu facile eſt depellere curâ.

u *venantum de more*] Sic edidimus ut ſenſus poſtulabat : in priori editione *venatum*.

x *ſeniſque*] Antea legebatur *ſemiſque*. Infrà ex codice Bigot. edidimus *diffundier*, ubi erat *diffundis*, corruptè.

y *fimo & raſtris*] Sic codex Bigot. in editis *roſtris* : ex eodem codice ſcripſimus *plantas quin etiam*, ubi editum erat *plantis*, &c.

z *munire caratis*] In codice Bigot. *calatis*, malè. Caratum in media latinitate pro vallo, ſeu foſſa uſurpatum eſſe pauci ignorant. Statim *prata* edidimus, ubi legebatur *grata*, nullo ſenſu ; mox *vineta jacentia*, ubi erat *vincta jacentia* ; & favet codex Bigot.

Hoc etiam mense Autumno quæ ritè feruntur,
Agricolæ ductis invertunt terga juvencis.
Hoc, quibus armentis amor est & cultus habendi,
Fecundo pecori lectum de more maritum
Emittunt, gentem dominis qui servet equinam.
Hoc quoque delectum castris acieque probare
Tyronem vetus instituit doctrina, simulque
Turmis & legione hostis premere arma superbi:
Seu classem instructam ventis aptare secundis.
Tumque favis æstu croceis emissa juventus
Aëre sub nudo ludit, stabulisque relictis
Ignotas quærunt vagabunda examina sedes:
Alis sæpe etiam bellum stimulisque lacessunt,
In pulchramque ruunt animoso pectore mortem.

DE JUNIO.

A Jano sextum statuit quem Julius anni
Mensem, Junonis retinemus nomine dictum;
Aut populus junior patribus de more secundus,
Hoc mensi imposuit servato ex ordine nomen.
Huic Gemini æquatâ præsignant lampade Phœbum,
Sydere ter quino celsus quos signifer aurat.
Solstitio hic reliquos superat longisque diebus
Menses, ad summos cœli qui pervenit orbes.
Torrida & hoc æstas segetes fovet, arvaque primùm
Fluminis in speciem culmis undare refertis
Efficit: hoc hortos etiam sua cura revisit,
Atque olerum jam tunc prodest transponere plantas,
Dum teneræ in fructum possunt adolescere pinguem;
Mox violas, atque inde rosas, & lilia tempus
Carpere, & in calathis hyacinthi jungere florem.
Hinc mos lactucâ cœnas componere dulces,
Suavibus atque herbis validos relevare sapores.
Allia, cepe, suis tunc sunt gratissima succis,
Tum quoque menta placet, tumque est satureia salubris,
Cum necdum validas concrevit succus in herbas.
Tunc & dulcis aquæ salientem quærere venam
Jejunis placet, atque haustu vitare calores.
Hinc etiam cerasa arboribus decerpere tempus.
Puniceis cerasis succedunt cerea pruna.
Moxque pyris primis adduntur mitia mala,
Postquam defecto viduantur prata virore,
Agricolæ & clauso contemnunt frigora fœno.
Glandifera hinc florem per silvas induit arbos.
Ipsæ & vicino vites cum flore tumescunt.

DE JULIO.

Martis origo sibi quintum quem signat in anno,
Quintilemque suos jussit vocitare Quirinus,
Septimus à Jano medium nunc obtinet annum
Julius, à magnoque excellet Cæsare dictus.
Solstitio ardentis Cancri, cui sidera fulgent
Quatuor & denis pariter radiantia flammis,
Hunc paribus spatiis centri demissa per axem
Consociat sexto solis lux aurea mensi.
Fecundæ hoc segetes culmis flavescere summis
Incipiunt, & spem messis matura referre
Hordea sub primis Autumni jacta pruinis.
Hoc quoque quandoquidem justis fovet ignibus arva
Phœbus, triticeam præbent bona flamina messem.
Hinc etiam lini segetem manus apta requirit;
Nam sata quæ fuerit Martis sub mense, refertis
Folliculis reddit maturum Julius; atque
Per mensem [a] Veneris sulcis quæ * credita raris, a
Augusto messem campo dabit ipsa perusto.
Hoc quoque mense piris mensas ornare secudans,
Prædulcique licet decerpere persica gustu
Parva, per æstivos primùm matura calores
Quæ existunt, reliqua Autumno nam cedere certum est.
Farre etiam primo imbutas libare per aras
Tum vacat, ac lætos anni deposcere fructus,
Cum necdum plenam fundunt sua tempora messem
Frugibus, & cœli facies oranda sereni est.
Venantum hinc studio pingues agitare repertum
Cervos, hinc canibus silvis lustrare sub altis,
Corpora tunc maciem primùm vitantia longam,
Quam Venus & sterili pepererunt frigora pastu,
Flore novo certos postquam vineta racemos
Gignunt, hæc mensem hunc potior nam gratia comit.

DE AUGUSTO.

Sextum quem numero & sextilem Romulus auctor
Nomine decrevit, Cæsar post Julius anni
Censuit octavum, Augusti cognomine Roma
Mutans, Octaviano insignem principe dixit.
Æquali hic spatio Maio cùm mense rotatur,
Devexumque tibi moderans auctumque remittit
Antehac flammigeram volventem lampada solem;
Denis, octonisque micant cui signa Leonis
Ignibus, æstivos fundunt quæ extrema tepores,
Ac Cererem flavam maturas stringere aristas
Cogunt, agricola ad messem cum cingitur omnis,
Cunctaque sudantes producunt arva colonos.
Hoc tamen immensos æther licet aureus ignes
Interdum generet, valido cœlumque tremescat
Murmure, & effusi convellant aëra nimbi,
Æstatem autumni componunt tempora læti;
Unde viris summo & celeri curanda labore est
Messis, & in segetem cuncta exercenda juventus,
Maturas imber subitus ne prehendere fruges
Possit, & incautum deludat terra laborem.
Nec farris solùm stimulat tunc cura metendi
Agricolæ studium, parilem sed cuncta reposcunt
Arva simul, vario dudum quæ semine culta,
Post variam tribuunt diverso tempore messem.
Hic linum campus, lætum gerit ille legumen,
Huc invitat avena, vocant huc hordea falcem.
Nec tenuis viciæ fœtus lentisve minutæ
Temnitur, inque suos rediguntur singula acervos.
Hunc quoque per mensem maturos carpere ramis
Fructus, atque epulis fas est superaddere sumptis.
Ac dulci ficu, prunisque, pyrisque volemus, [b] b
Pluribus & nucleis gratos miscere sapores,
Sacrandosque aris modicos de vite racemos
Sumere, * & Autumni fecundum poscere Bacchum;
Mellita * atque epulis gustare absynthia sumptis,
Dulcibus atque favis latices juvat addere puros.

DE SEPTEMBRI.

Nonum nunc anni censemus in ordine mensem:
Septimus à Marte, primo, statuente Quirino,
Qui fuit, antiquo numerum de nomine priscum

a *per mensem*] Sic codex Bigot. antea legebatur *per mensis*: in eodem versu voculam *qua* addidimus.
b *pyrisque volemus*] Legebatur *volemis*, mallem *voluptas.* Infrà ex codice Bigot. scripsimus *sumere*, ubi editum erat *tumere*, & ex ingenio *mellita* ubi repereramus *melita*.

Nunc quoque, & Autumni pluvias cum tempore signans,
Virgo, cui denis simul octonisque coruscans
Stellis, flectentem præfert jam lumina Phœbum.
Hoc mense Augusto superat qui forte laborem
Agricolæ messis, clausis quoque frugibus implent.
Hoc quoque vinetis custodes ponere tempus,
Qui accessu fures valeant prohibere vagantes,
Ac laqueo & nodis vulpes prensare dolosas.
Tum fundâ, horrisono & crepitu terrere volucres
Sollicita uvarum [c] variam vindemia pestem,
Prædulces celso redolent dum colle racemi,
Dumque legens carpit maturas vinitor uvas,
Donec spumanti sudet vindemia musto,
Ac plenum fundat prælo torquente lyæum,
Quamvis sæpe per imbriferos tepefacta calores
Luce sub æquandâ messuram vinea falcem
Quærat, & abjecto nudet sua crura cothurno
Vinitor, aggestas pedibus qui conterat uvas.
Servanda hinc etiam brumæ sub frigore poma
Carpere, & apricis mos est componere tectis.
Hinc quoque farra suis prodest committere sulcis,
Pinguibus atque arvis [d] fruges mandare futuras.
Hinc cervos Venerem pingui fervore petentes
Per nemora & densas spiculis configere sylvas,
Cum canibus noto delapsa est aura favore,
Venandi Francos docuit studiosa voluptas.
Hunc mensem jam tunc Librâ moderante ruentem,
Æquato spatio junguntur noxque diesque,
Cursibus hincque diem superat nox horrida longis
Vernali sub sole pari conjuncta recursu,
Lux iterum donec tenebris potiora tenere
Incipiat spatia, & fugientem deprimat umbram.

DE OCTOBRI.

Anni nunc decimum Octimbrem rotat orbita mensem,
Octavum vetus instituit quem sphæra vocari.
Is quoque de numero priscum retinere vocamen
Noscitur, atque imbres pariter signare frequentes,
Libra cui pares cœlo cum fecerit horas,
Humentem volvit breviori tramite Phœbum,
Quatuor extendit retrahens quam brachia flammis
Scorpius ardentem, juxtà Erigonenque relinquit.
Hunc mensem plenis supplex vindemia labris,
Omnibus atque arvis mitis quæ pampinus ornat,
Undique conductis fervent vineta colonis:
Hi ferro mites cædunt de palmite fructus,
Congestos humeris hi gaudent ferre racemos,
Longiùs hi ductis exportant vitea plaustris
Munera, at hi validis prælum torquere lacertis
Instant, ac dulci distendunt robora musto.
Hi quoque vel veteres instaurant undique cupas,
Sufficiuntve novas solido de robore, cunctum
Provida quîs anni claudant cellaria vinum.
Idem amor accendit cunctos, eademque per omnes
It cura, & requiem fessis vix ipsa referre
Nox valet, exercetque omnes labor unus habendi.
Tunc etiam lento mustum congesta vapore
Flamma coquit, spumasque undanti effundit aheno,
Claraque prædulcem servant sic vina saporem,
Jejunis demum facilem præbentque medelam.
Tunc quoque contritum molâ vertente sinapi
Prodest uvarum primo miscere liquori,
Hinc epulas grati relevent ut deinde sapores.
Hoc & mense sues lucis inducere tempus,
Maturo hibernam frangant ut tempore glandem.

DE NOVEMBRI.

Undecimus magno nunc volvitur orbe November,
Anno quem nonum antiquo dixere parentes,
Ex numero atque imbri primum nomenque retentans.
Scorpius huic denis pariter micat atque novenis
Stellis, sed flammæ nunc Libram quatuor implent,
Astrorum cultrix Chelas quas repperit ætas,
Ter quinoque ardet nunc tantum Scorpius igne.
Hoc mense Autumnus hyemi decedere duræ
Incipit, & gelidis conflantur frigora ventis,
Aëre sed dubio diversam terra figuram
Concipit, in pluvias zephyro nunc flante soluta,
Nunc borea in rigidam speciem concreta furente.
Hinc cum fortè datis licet exercere sub auris
Terram, proscissis committere semina campis
Prodest, Autumno superant quæ fortè peracto,
Porcorùmque greges sylvis consuescere fœtis,
Dum pinguem vento tribuit quassante ruinam
Quercus, & effusâ sternuntur nemora glande.
Tunc & apro sylvis cura est quam maxima duros
Quærere, & ex luco canibus producere nigro,
Dum validos crebris prædurant ictibus armos,
Antiquâque fricant solidandas arbore costas,
Ceti nec lato metuunt venabula ferro.
Quod superest, curas genialis cura resolvens
Dulcibus ad requiem illecebris vocat, horrida postquam
Ruralem cohibent ventorum flabra laborem.
Tum dulces ludi, tumque est gratissimus ignis,
Atque novo oblectat somnum invitare lyæo.

DE DECEMBRI.

Extremum bissena regit nunc linea mensem,
Quem decimum auctore scripsit nova Roma Quirino,
Nomine qui numerum & nimbos designat eodem,
Nunc etiam Martis dictus de mense December;
Arcitenens Phœbum angustis cui cursibus effert,
Ternis ac denis præfulgens ignibus unà.
Hoc mense australem cœli demissus in axem,
Exiguoque orbem perlustrans tramite nostrum
Sol, iterum ad boream convertit lumina celsum.
Hoc etiam hiberno terras urente rigore,
Maxima nox modicæ causantes munera lucis
Agricolas fovet, oblitos tandemque laboris,
Ingratosque sibi blandus sopor irrigat artus.
Nec tamen imbrifero desunt sua munera mensi,
Nec gelidis cogit penitùs cessare sub auris
Tempus, & in faciem tellus contecta nivosam.
Tum quoque cum pluviis campus ventoque madescit,
Vomere gleba jacens sulcanda est, hordea demum
Quâ serere, aut lætum cupit exercere legumen
Agricola, immundumque fimum jactare per agros
Tum licet: at cum terra hebeti torpore rigescit,
Multa domi tamen & tectis properare sub ipsis,
Mox vacat, algentis relevent quæ frigora brumæ.
Retibus hinc varias pelagi prensare volucres,
Aut igni & sonitu per campos fallere, sive

c *sollicita uvarum*] Sic maluimus, quàm ut antea *sollicitet, quarum*: nec tamen affirmamus ita scripsisse Wandalbertum, ut conjecimus.

d *atque arvis*] Posteriorem vocem addidimus, nec ullum fore opinamur qui eam minùs necessariam esse judicet.

Lentandis usu pedicas aptare repertum.
Amnibus hinc etiam piscosis ponere crates
Vimineas, densosque ad littora figere fasces,
Qua vado rapidum tranquillant flumina cursum
In ventum, facilem capiant ut retia prædam.
Hoc sub mense sues pastâ jam glande madentes,
Distento & plenam monstrantes ventre saginam,
Cædere, & ad tepidum mos est suspendere fumum,
Terga priùs salis fuerint cum sparsa madore.
Bissenâ hos cultus renovant vertigine menses.
Huncque modum & morem sibi Gallica rura retentant,
Quem breviter signans digessi carmine, Lector,
WANDALBERTUS ego, hortatu compulsus amici,
Dulcia me Rheni quo tempore littora alebant,
Maxima Agrippinæ veteris quîs mœnia præsunt.

INCIPIT HOROLOGIUM

Per duodecim Mensium punctos.

QUos cursu solis jungunt sua tempora Menses,
Carmine nunc Lector paucis, adverte, docebo.
Janua nunc anni est Janus, finisque December.
Hos menses pariter solis rotat orbita punctis:
Quæ volvit Februum, undecimum regit ipsa Novembrem:
Martius Octimbrem spatio sibi nectit eodem:
Tum Septimbre tibi in sphæram concurrit Aprilis:
Augustum Maius centro prospectat ab ipso:
Junia Quintilem scandens trahit orbita mensem.
Quas horas sibi quæ jungunt in fronte videto
Lector, & in cunctis æquè observare memento.
Mense omni prima undecimæ conjungitur horæ:
Hinc umbris decimam nectit cursuque secunda;
Tertia mox nonam punctis complectitur hisdem;
Octavæ pariter præcedens quarta cohæret;
Quintam subsequitur numero post septima justo.
Sola suas tantùm mensuras sexta retentat.
Omnibus has, Lector, conjungens mensibus horas,
Quo superent spatio umbrarum, cedantve videto:
Hoc tamen in primis noscens retineto, quòd orbis
Diversæ partes varias forment quoque metas:
Nam quæ vicino torrentur sole sub Austrum,
Ut mage luce nitent, minimas sic gignere possunt
Umbras: quæ boreæ frigentque jacentque sub axe,
Nocte magis longâ, tenebrisque premuntur opacis.
Quæ mediis ab utroque absistunt partibus axe,
Inter utrumque etiam lucem moderantur & umbras.
Ergo age, si subjecta legentem pagina, Lector,
Te movet, hac illam regione probabis, ab ipso
Danubio Hesperiæ primos quæ vergit ad ortus,
Lugdunique urbe, & Rhodani distincta fluentis,
Respicit Oceani interclusos orbe Britannos,
Hoc quoque te justè horarum mensura monebit,
Umbrarum motus primis ne fortè Kalendis
Ponere & ad finem velis perducere mensis:
Nam pridie umbrarum fuerit quæ meta priorum
Sub noctem nequit in varios transire recursus:
A medio in medium sensim sed crescere mensem,
Diminuive umbras verâ ratione docemur,
A medio in medium signorum ut volvitur ortus.

HORARUM jam nunc texemus in ordine metas,
Humani ignaris monstrat quas corporis umbra.

DE JANUARIO ET DECEMBRI.

LINEA quæ Jani prima est pariterque Decembris,
Tricenis pedibus binisque exporrigit umbram,
Undenisque sequens pedibus mox umbra recisis
Tantùm bis denis unoque extensa patescit.
Linea tumque pedes concidens tertia binos,
Umbris ipsa decem figit simul atque novenos.
Rursus & hinc Geminis sole excrescente fugatis,
Septem quarta pedes retinet mensura decemque.
Hac etiam binis umbrâ fugiente recisis,
Ter quinis quintam pedibus sua linea tendit.
Centrum tumque brevem jam sole regente duobus
Abscisis, ternos denos sibi sexta retentat.
Cædendi hunc morem numeri servabis ubique.

DE FEBRUARIO ET NOVEMBRI.

QUÆ Februum natura tenet sociatque Novembrem,
Ter denis pedibus supremas colligit umbras,
Moxque novem constant pedibus denisque sequentes;
Linea tum septem atque decem sibi tertia tendit.
Quarta pedes pariter ter quinos colligit umbra,
Hinc pedibus ternis ac denis quinta patescit,
Scandentemque rotam undenis mox sexta coërcet.

DE MARTIO ET OCTOBRI.

CURSIBUS Octobrem sibimet quîs Martius æquat,
Octo pedes prima & bis denos linea figit,
Denos & septem complet statuitque secunda;
Tertia quindenis Phœbo ascendente tenetur,
Quarta decem excedens pedibus fugit agnita ternis,
Mox etiam quinta undenis spatiata recedit:
Sexta novem pedibus pandit sua lumina deinde.

DE APRILI ET SEPTEMBRI.

QUÆ tibi September florentem nectit Aprilem,
Bis denis umbram & senis docet orbita primam,
In pedibus sub quindenis figitque secundam,
Ternis ac denis cursum quoque tertia frænat,
Undenis crescens pedibus tum quarta recedit,
Quinta novem pedibus cursum clauditque patentem,
Septenisque suos componit sexta meatus.

DE MAIO ET AUGUSTO.

AUGUSTUM & Maium jungit quæ linea primum,
Bis denis umbræ pedibus meat atque quaternis,
Cum denis ternos excrescit moxque secunda;
Undenis clarum concludit tertia cursum:
Quarta patet pedibus cœlo tepefacta novenis:
Septem quinta tenet propriis finita sub umbris:
Sextaque tum quinis ferventi cessat in orbe.

DE JUNIO ET JULIO.

HORARUM sibi Quintilem quîs Junius æquat,
Bis denis prima in pedibus patet atque duobus,
Undenisque means ostenditur inde secunda,
Tertia moxque pedes explet comprensa novenos,
Æstivo septem mox tendit quarta calore,
Quintaque tum pedibus conscendit linea quinis,
Hinc centro torrens ternos sibi sexta retentat.

INCIPIT
DE CREATIONE MUNDI
per ordinem dierum sex.
DE UNO ET TRINO DEO.

Metrum Pherecraticum trimetrum.

Simplex, purus & unus,
Æterni Pater atque
Summæ fons bonitatis,
Existens sine fine
Ævi principioque,
Concrevit Deus orbem:
Verbo cuncta creante,
Rerum machina constat,
Volvens quam rotat axis:
Par Patri Genitoque,
Lustrans lumine cuncta,
Mundum Spiritus implet:
Una & trina potestas
Distincto moderatur,
Complexa omnia, nutu.

De die primo.

Prima hinc exstat origo,
Carnis libera nexu,
Cœli quæ tenet aulam,
Regem quæque videndo,
Legem verè beatam
Servat, militiamque.
Vero hæc lumine nobis
Lux è fonte perenni
Illustrata patescit:
Hanc quæ sponte reliquit
Pars, dum cæca superbit,
Nocte hæc horret & umbris:
Discernit sed utramque
Regnator Deus, inque
Dignos disparat ortus.
Hæc spernenda furoris
Virus nequitiæque
Cæcis mortalibus addit:
Vitæ ast illa beatæ,
Virtutisque benignæ
Sensim spargit amorem.
Mox cœlum Deus altum,
Informique creavit
Mersam pondere terram,
Quæ magnum per inane
Lucis munere primùm,
Undis tecta, careret.
His concreta fuerunt
Ignis semina puri,
Siccusque aëris humor.
Nempe his cuncta coactis
Sensu corpora nullo
Afflatore moventur.

De die secundo.

Cœli hinc proxima terris
Pars est condita, tetris
Sæpe obnoxia furnis.
Undæ namque supernæ
Telluremque tegentes,
Junctâ mole ruebant.
Has inter Deus auctor
Firmavit nebulosam
Sphæram, nubiferamque.
Hæc vis nempe liquentis
Undantisque elementi,
Cœli temperat ignes.

De die tertio.

Hoc ex ordine demum
Formosi sator orbis
Undis arva retexit;
Magnos inque meatus
Moles sparsa fluentis.
Fontes, flumina, rivi,
Stagna & maxima ripis
Mox distincta mearunt.
Tellus nuda repente
Formam læta virentem
Frondis comsit honore:
Arbor semina quæque,
Fœtus herba sativos,
Verbo urgente crearunt.

De die quarto.

Neve hæc cuncta carerent
Caro lucis honore,
Spirantique calore,
Solis conditor ignem,
Lunæ & lampada finxit,
Stellarumque nitores.
Sphæris astra sub amplis,
Hæc infixa manere,
Hæc sunt jussa moveri,
Quæ annis atque diebus,
Signis, prodigiisque
Præessent, temporibusque.
Phœbo sidera ab uno
Lumen cuncta capessunt,
Nox quîs horrida cedit.
Quin & luna meatu
Diverso, variante
Orbe incerta vagansque,
Solis lumine plena
Nunc crescit, radiatque,
Nunc obducta recedit.

De die quinto.

Postquam sidere pleno
Concors est radiata
Lex & fabrica rerum,
Viventis jubet ortum
Naturæ inde Creator
Spirantisque moveri:
Undis mira repente
Emersit specierum
Moles innumerarum:
Mox quæcumque natatu
Complent æquora, quæque
Scandunt aëra pennis,
Diversum genus, atque
Formæ corpora magnæ, &
Cete ingentia surgunt,
Mox grandes, modicique
Pisces, saltibus undas
Squamisque exuperantes;
Testis mox quoque clausa
Surgit turba, marisque
Vis immensa feracis.
Pictæ moxque volucres,
Silvis, rure, vel undis,
Sueto ex æquore manant.

De die sexto.

JAmque hinc inde sonoro
Mulcens æthera plausu,
Alis turba coibat,
Amnes pisce fluebant,
Naturisque elementa
Juncta ornaverat auctor:
Telluris superabat
Pars, quæ jussa animatas
Posset gignere formas:
Jussit hanc quoque munus
Auctor sumere vivæ &
Spirantis speciei.
Tum diversa per omnem
Surgunt corpora terram,
Limo educta repente.
Tum quæcumque jumentis
Forma est, quæ pecus agri
Distinguit variatque.
Quæ silvestria, motu
Quassat membra ferino,
Jussu concita currit:
Necnon bellua quæque
Immitisque, voraci
Fluxit turba fremore.
Cunctis quæ grege, quæque
Sola incedere gaudent
Tum venêre figuræ.

De creatione hominis.

JAmque impleta placebat
Mundi machina primi;
Dixit cum sator Orbis,
Facto nunc opus hîc est,
Nunc demum faciamus,
Cunctis qui super esse
Possit quæque creata
Constant, quemque superna
Jam commendet imago.
Mox limum sator ille
Compegit, stabilemque
Formavit Deus arcem,
Perfectumque opus ipse
Inspirans animavit,
Mens quæ æterna manebit.
Nempe hæc portio cœli est,
Divinæque figuræ
Hinc vertex micat altus.
Hanc vim nulla locali
Motu membra coërcent,
Quamvis sæpe retardent.
Distinguens moderator
Post formam facit, ut vir
Sit, nec fœmina desit.
Immissus sopor artus
Confestim irrigat: hinc fit
Sumpto ex osse virago.
Cunctis imperitare
Quos summus jubet auctor,
Naturâ variante,
Quæ undis, aëre, humique
Inceduntve, volantve,
Nunc repuntve creata.
Simplex inde jubetur
Esca insonsque parari,
Ramis quam daret arbor.
Latum nam paradisum,
Frondentemque creator
Mult oprovidus ante
Fructu impleverat, atque
Amnis fonte perennis,
Hac ut sede beatum
Jam tunc sede futurum,
Cultorem indigenamque
Lex æterna teneret.
Senis deinde diebus
Completo orbe peractis,
Naturæ optimus auctor
Postquam cuncta placere
Recto vidit in ortu,
Septeno requievit.

Mysticus de creatione mundi sensus in homine accipiendus.

CErnens nunc homo quàm te
Tantus diligat auctor,
Temet nosce videndo.
Nempe hæc omnia jussu
Sunt exorta volentis,
Rerum quîs meat ordo.
Te summus sapiensque
Æterusque repertor
Limo finxit, & artus
Formatos animando
Erexit, superantem
Cuncta ut mente videret
Omnis machina cœli.
Te propterque creatus
Mundus te docet omnis,
Alter tuque vocaris
Prisco nomine mundus,
Hæc cui fabrica cedit.
Te lux illa perennis
Primævo edita jussu
Lucis monstrat alumnum.
Lumen nam tibi mentis
Formans indidit auctor,
Quæ pars te alma bearet.
Hinc quæcumque per imos
Errat portio sensus,
Cæcis hæret in umbris:
Debet portio præstans
Partem efferre sed imam,
Torpentemque levare.
Hoc firmata per undas
Cœli sphæra docere,
Unda, & sparsa videtur.
Hoc torpentibus arvis
Tellus visa repente
Fœta & germine prompsit.
Namque hæc optima vita est,
Virtus, formaque nostra est,
Pigros quæ erigit artus,
Quæ torpentia novit
Corda accendere, cuique
Pars cedit vitiosa.
Tu magnas modicasve
Cum proferre patrando
Virtutes meditaris,
Fructus herba vel arbos
Mixto semine gignens,
Cultu frondet amœno.
Solis mox tibi lumen
Cœlestis radiare,
Splendorque incipit almus;
Tum proferre gerendo
Mens lustrata videbit
Cœli digna favore,
Tum discernere facta
Luci aptanda vel umbris,

* Hic nonnihil deest.

Tum frænare pudenda
Mox accensa, latentes
Cordis tegmine sensus *
Passim * mittit in auras.
Hi vel celsa capessunt
Mentis culmine recti,
Arcanoque volatu;
Curis hi revoluti,
Instantique labore
Mundi commoda quærunt.
Quin & corporis ipsa
Terreni gravis atque
Vergens pondere moles,
Aut mundos parit actus
Cum mente innocuosque,
Vitæ & munere dignos;
Impurosve creando,
Fœdos atque cruentos,
Celsum fœdat honorem.
Vero lumine mentis
Tunc demum ille vigebit,
Cœlestique homo sensu,
Motus qui reget omnes,
Obscœnosque premendo,
Castos exeret actus.
Æterni hunc paradisi
Flos fructusque perennis,
Vitæ fonsque fovebit.

MONITUM.

CODEX Corbeiensis, in quo antiqua Canonum collectio continebatur, vetus Kalendarium nobis suppeditavit; quod scriptum sive concinnatum fuisse anno DCCC. XXVI. *plusquam verisimile est. Etenim solent qui ejuscemodi tabulas Ecclesiasticas ordinant, illisque adfigunt annos, ad ipso initium ducere quo scribunt: mense autem Decembri, ubi annos indicat Auctor, octingentesimus vicesimus sextus priorem obtinet ordinem, ultimum verò annus* DCCCLIV. *Deinde è Sanctis in eo commemoratis nullus recensetur, qui post annum* DCCCXXXI. *migravit è vita.*

INCIPIT ORDO SOLARIS
ANNI CUM LITTERIS,
A Sancto Hieronymo superpositis, ad explorandam septimanæ diem, & Lunæ ætatem investigandam in uno quoque die per XIX. annos.

JANUARIUS.

A.	A.		KAl. Jan. Octabas Domini.
B.	B.	iv.	Non. Dedicatio Ecclesiæ beatæ MARIÆ in Atrabatis.
C.	C.	iij.	Non. Parisius, Natalis sanctæ Genovefæ.
D.	D.	ij.	Non.
E.	E.		Non. Jejunium & Missas horâ nonâ, & Natalis sancti Simeonis qui in columnâ stetit.
F.	F.	viij.	Id. Colitur Theophania Christi.
G.	G.	vij.	Id. In Nicomediâ, S. Luciani Presbyteri.
A.	H.	vj.	Id. Belvagus civitate, natalis sancti Luciani Episc. & Martyris.
B.	I.	v.	Id.
C.	K.	iv.	Id. Natalis Pauli primi Heremitæ.
D.	L.	iij.	Id. Passio sancti Juliani Martyris.
E.	M.	ij.	Id.
F.	N.		Idus, Octabas Epiphaniæ, & depositio sancti Clarii Episcopi. Remis, depositio S. Remigii Episc.
G.	O.	xix.	Kal. Feb. Natalis S. Felicis Martyris.
A.	P.	xviij.	K.
B.	Q.	xvi.	K. Natalis sancti Marcelli Papæ, & S. Furcæi Episcopi.
C.	R.	xvj.	K. Depositio Antonii Monachi.
D.	S.	xv.	K. Natalis sanctæ Priscæ.
E.	T.	xiv.	K. Natal. Mariæ & Marthæ.
F.	V.	xiij.	K. Natal. Sanctorum Martyrum Fabiani & Sebastiani.
G.	A.	xij.	K. Natal. sanctæ Agnetis Virginis.
A.	B.	xj.	K. Natal. S. Vincentii Martyris.
B.	C.	x.	K.
C.	D.	ix.	K. Conversio sancti Pauli.
D.	E.	viij.	K. Natal. sancti Præjecti Martyris.
E.	F.	vij.	K. Natal. sancti Marcelli Confess.
F.	G.	vj.	K.
G.	H.	v.	K. Octabas sanctæ Agnetis.
A.	I.	iv.	K. Natal. sanctæ Sabinæ Virginis.
B.	K.	iij.	Kal. Depositio sanctæ Aldegundis Virginis.
C.	L.	ij.	K. Nox horas xvj. dies horas viij.

FEBRUARIUS.

D.	M.		KAl. Feb. Depositio sanctæ Brigidæ Virginis, & sancti Ursi Episcopi & Confess.
E.	N.	iv.	Non. Purificatio Sanctæ MARIÆ Virg. Christi.
F.	O.	iij.	Non.
G.	P.	ij.	Non.
A.	Q.		Non. Natal. sanctæ Agathæ Virg.
B.	R.	viij.	Id. Depositio S. Vedasti Episc. & Confess. & Depositio S. Amandi Episcopi.
C.	S.	vij.	Id.
D.	T.	vj.	Id.

E.	V.	v.	Id.
F.	A.	iv.	Id. Natalis ſanctorum Zotici, Erenei, & Jacincti.
G.	B.	iij.	Id.
A.	C.	ij.	Id. Natal. Sancti Baſilii Monachi.
B.	D.		Id.
C.	E.	xvj.	K. Martii. Natalis ſancti Valentini Martyris, Vitalis & Feliculæ.
D.	F.	xv.	K.
E.	G.	xiv.	K. Natal. ſanctæ Julianæ Martyris.
F.	H.	xiij.	K.
G.	I.	xij.	K.
A.	K.	xj.	K.
B.	L.	x.	K.
C.	M.	ix.	K.
D.	N.	viij.	K. Cathedræ ſancti Petri.
E.	O.	vij.	K.
F.	P.	vj.	K. Natalis ſancti Matthiæ Apoſtoli: & locus biſſextilis.
G.	Q.	v.	K.
A.	R.	iv.	K.
B.	S.	iij.	K.
C.	T.	ij.	K. Nox horas xiv. dies x.

MARTIUS.

D.	A.		KAl. Martii. Denunciatio jejunii, & depoſitio ſancti Albini Epiſcopi.
E.	B.	vj.	Nonas.
F.	C.	v.	Non.
G.	D.	iv.	Non.
A.	E.	iij.	Non.
B.	F.	ij.	Non.
C.	G.		Non. Natalis ſanctæ Perpetuæ & Felicitatis Martyrum.
D.	H.	viij.	Id. Prima Incenſio lunæ Paſchalis.
E.	I.	vij.	Id.
F.	K.	vj.	Id.
G.	L.	v.	Id.
A.	M.	iv.	Id.
B.	N.	iij.	Id.
C.	O.	ij.	Id.
D.	P.		Id. Natalis ſancti Jacobi Apoſtoli, & Lucæ Evangeliſtæ.
E.	Q.	xvij.	K. Aprilis.
F.	R.	xvj.	K. Depoſitio S. Patricii Epiſcopi.
G.	S.	xv.	K. Dies primus ſæculi.
A.	T.	xiv.	K.
B.	V.	xiij.	K.
C.	A.	xij.	K. Natalis S. Benedicti. Æquinoctium.
D.	B.	xj.	K. Locus Epactarum.
E.	C.	x.	K.
F.	D.	ix.	K. Concurrentium locus.
G.	E.	viij.	K. Conceptio Chriſti, & Paſſio Domini.
A.	F.	vij.	K.
B.	G.	vj.	K. Reſurrectio Domini.
C.	H.	v.	K.
D.	I.	iv.	K.
E.	K.	iij.	K.
F.	L.	ij.	K. Nox horas xij. dies xij.

APRILIS.

G.	M.		KAl. April. Natalis S. Walarici Conf.
A.	N.	iv.	Nonas.
B.	O.	iij.	Non.
C.	P.	ij.	Non. Depoſitio S. Ambroſii Epiſcopi.
D.	Q.		Non.
E.	R.	viij.	Id.
F.	S.	vij.	Id.
G.	T.	vj.	Id.
A.	V.	v.	Id.
B.	A.	iv.	Id.
G.	B.	iij.	Id. Natalis ſancti Leonis Papæ.
D.	C.	ij.	Id.
E.	D.		Id. Natalis ſanctæ Euphemiæ Virginis.
F.	E.	xviij.	K. Mai. Natalis ſanctorum Tiburtii & Valeriani & Maximi.
G.	F.	xvij.	K.
A.	G.	xvj.	K.
B.	H.	xv.	K.
C.	I.	xiv.	K.
D.	K.	xiij.	K.
E.	L.	xij.	K.
F.	M.	xj.	K. Paſſio ſancti Cæſarii Diaconi.
G.	N.	x.	K.
A.	O.	ix.	K. Nat. Sancti Georgii Martyris.
B.	P.	viij.	K.
C.	Q.	vij.	K. Natalis ſancti Marci Evangeliſtæ.
D.	R.	vj.	K. Natalis ſancti Gregorii Papæ, & depoſitio ſancti Richarii.
E.	S.	v.	K. Advent. Calliſti Papæ, & S. Valeriani.
F.	T.	iv.	K. Natalis ſancti Vitalis.
G.	A.	iij.	K.
A.	B.	ij.	K. Nox horas x. dies xiv.

MAIUS.

B.	C.		KAl. Maii. Nat. S. Philippi & Jacobi.
C.	D.	vj.	Non.
D.	E.	v.	Non. Nat. Sanctorum Juvenalii, Alexandri, Eventi, & Theodoli, & Inventio S. Crucis.
E.	F.	iv.	Non.
F.	G.	iij.	Non.
G.	H.	ij.	Non.
A.	I.		Non.
B.	K.	viij.	Idus. Inventio ſancti Michaëlis Archangeli in Monte Gargano.
C.	L.	vij.	Id.
D.	M.	vj.	Id. Natalis S. Gurdiani, Cyrilli & Petri.
E.	N.	v.	Id.
F.	O.	iv.	Id. Natalis Sanctorum Nerei & Achilei, & S. Pancrati Martyrum.
G.	P.	iij.	Id. Dedicatio Baſilicæ ſanctæ Mariæ, & Natalis ſancti Martini Preſbyteri.
A.	Q.	ij.	Id.
B.	R.		Id.
C.	S.	xvij.	Kal. Julii.
D.	T.	xvj.	K.
E.	V.	xv.	K.
F.	A.	xiv.	K. Natalis ſanctæ Potentianæ Martyris.
G.	B.	xiij.	K.
A.	C.	xij.	K.
B.	D.	xj.	K.
C.	E.	x.	K.
D.	F.	ix.	K.
E.	G.	viij.	K. Natalis ſancti Urbani Epiſcopi.
F.	H.	vij.	K.
G.	I.	vj.	K.
A.	K.	v.	K. Pariſius, Depoſitio S. Germani Epiſcopi & Confeſſoris.

B. L. iv. K.
C. M. iij. K. Cœnobio Centulæ, SS. Confess. Cardoci, Adriani, Madelgisti.
D. N. ij. K. Natalis sanctæ Petronillæ Virg.
Nox horas viij. dies xvj.

JUNIUS.

E. O. KAl. Jun. Denunciatio Jejunii, & Dedicatio S. Nicomedis Martyris.
F. P. iv. Non. Nat. sanctorum Marcellini & Petri.
G. Q. iij. Non.
A. R. ij. Non.
B. S. Non. Nat. sanctæ Feliculæ Virginis.
C. T. viij. Id.
D. V. vij. Id.
E. A. vj. Id. Natal. sancti Medardi Episcopi.
F. B. v. Id. Nat. sanctorum Primi & Feliciani.
G. C. iv. Id.
A. D. iij. Id. Depositio Barnabæ Apostoli.
B. E. ij. Id. Nat. Sanctorum Basilidis, Cyrini, Naboris & Nazarii.
C. F. Id.
D. G. xviij. Kal. Jul. Translatio sancti Aniani Episcopi, Rufini & Valerii.
E. H. xvij. K.
F. I. xvj. K.
G. K. xv. K. Nat. SS. Aviti & Marcelliani Mart.
A. L. xiv. K. Nat. SS. Marci & Marcelliani.
B. M. xiij. K. Nat. SS. Gervasi & Protasii.
C. N. xij. K.
D. O. xj. K. Natalis sancti Eusebii Episcopi.
E. P. x. K.
F. Q. ix. K. Vigilia sancti Johannis Baptistæ.
G. R. viij. K. Natalis sancti Johannis.
A. S. vij. K.
B. T. vj. K. Nat. SS. Johannis & Pauli.
C. A. v. K.
D. B. iv. K. Vigilia SS. Petri & Pauli.
E. C. iij. K. Natalis sancti Petri.
F. D. ij. K. Natalis sancti Pauli.
Nox horas vj. dies xvij.

JULIUS.

G. E. KAl. Julii. Natalis SS. Processi & Martiniani.
A. F. vj. Non.
B. G. v. Non. Apud Edessam, sancti Thomæ Apostoli.
C. H. iv. Non. Translatio sancti Martini.
D. I. iij. Non.
E. K. ij. Non. Octabas Petri & Pauli.
F. L. Non.
G. M. viij. Id.
A. N. vij. Id.
B. O. vj. Id. Natalis SS. vij. Fratrum.
C. P. v. Id. Natalis sancti Benedicti Abbatis.
D. Q. iv. Id.
E. R. iij. Id.
F. S. ij. Id.
G. T. Id. Exceptio reliquiarum sancti Dionysii cum sociis suis.
A. V. xvij. Kal. Augusti, Adventus Beati Cassiani Episcopi.
B. A. xvj. K.
C. B. xv. K.
D. C. xiv. K.
E. D. xiij. K. Nat. sancti Wulmari Confessoris.
F. E. xij. K. Natalis sanctæ Praxedis.
G. F. xj. K.
A. G. x. K. Natalis sancti Apollonaris.
B. H. ix. K.
C. I. viij. K. Jacobi Zebedei Apostoli fratris Johannis, & sancti Christophori, & sancti Firmini Episcopi.
D. K. vij. K.
E. L. vj. K.
F. M. v. K.
G. N. iv. K. Natalis SS. Simplicii, Faustini, & Viatricis.
A. O. iij. K. Nat. SS. Abdonis & Senes.
B. P. ij. K. Nat. S. Germani Epis. & Conf.
Nox horas viij. dies xvj.

AUGUSTUS.

C. Q. KAl. Augusti, Passio SS. Machabæorum vij. fratrum cum matre suâ.
D. R. iv. Nonas, Natalis sancti Stephani.
E. S. iij. Non. Hierosolymis Inventio beati Protomartyris Stephani, Gamalielis, Nicodemi atque Abidæ.
F. T. ij. Non.
G. V. Non. Depositio S. Cassiani Episcopi & Confessoris.
A. A. viij Id. Natalis sancti Xisti & sancti Felicissimi & Agapiti.
B. B. vij. Id. Natalis sancti Donati.
C. C. vj. Id. Natalis sancti Cyriaci.
D. D. v. Id. Vigilia sancti Laurentii.
E. E. iv. Id. Natalis sancti Laurentii.
F. F. iij. Id. Natalis sancti Tyburtii, & sancti Gaugerici.
G. G. ij. Id.
A. H. Idus. Natalis sancti Hippolyti.
B. I. xix. Kal. Nat. sancti Eusebii Episcopi.
C. K. xviij. K. Assumptio sanctæ MARIÆ Matris Domini.
D. L. xvij. K.
E. M. xvj. K. Octabas sancti Laurentii.
F. N. xv. K. Natalis sancti Agapiti, & sancti Martini Papæ.
G. O. xiv. K.
A. P. xiij. K. Natalis sancti Fileberti.
B. Q. xij. K.
C. R. xj. K. Natalis sancti Timothei, & sancti Symphoriani.
D. S. x. K.
E. T. ix. K. Nat. sancti Bartholomæi Apostoli, & depositio Audoëni Epis.
F. A. viij. K. Natalis sanctæ Hunegundis.
G. B. vij. K.
A. C. vj. K. Natalis sancti Rufi.
B. D. v. K. Natalis sancti Hermetis.
C. E. iv. K. Natalis sanctæ Sabinæ, & sancti Johannis Baptistæ.
D. F. iij. K. Nat. SS. Felicissimi & Audacti.
E. G. ij. K. Nat. sancti Paulini Episcopi.
Nox horas x. & dies xiv.

SEPTEMBER.

F. H. KAl. Sept. Nat. sancti Prisci, & Translatio sancti Nazari.
G. I. iv. Non.
A. K. iij. Non.
B. L. ij. Non.
C. M. Non.

D.	N.	viij.	Idus.
E.	O.	vij.	Id.
F.	P.	vj.	Id. Natalis sancti Adriani, & Nativitas sanctæ MARIÆ.
G.	Q.	v.	Id. Nat. S. Gorgoni, & depositio S. Audomari Episcopi.
A.	R.	iv.	Id.
B.	S.	iij.	Id. Natalis SS. Proti & Hyacinti.
C.	T.	ij.	Id.
D.	V.		Id.
E.	A.	xviij.	Kal. Octob. Exaltatio S. Crucis, & Nat. SS. Cornelii & Cypriani.
F.	B.	xvij.	K. Nat. sancti Nicomedis.
G.	C.	xvj.	K. Natal. sanctæ Euphemiæ, & S. Lucii & Germiniani.
A.	D.	xv.	K. Nat. sancti Lantberti Episcopi.
B.	E.	xiv.	K.
C.	F.	xiij.	K.
D.	G.	xij.	K. Vigilia S. Matthei. Equinoctium.
E.	H.	xj.	K. Natalis sancti Matthei.
F.	I.	x.	K. Nat. S. Mauricii cum sociis suis.
G.	K.	ix.	K. Nat. sancti Lini Papæ, & Nat. sancti Marci Evangelistæ.
A.	L.	viij.	K.
B.	M.	vij.	K. Natalis S. Firmini Episcopi.
C.	N.	vj.	K. Depositio S. Eusebii Episcopi.
D.	O.	v.	K. Depositio SS. Cosmæ & Damiani.
E.	P.	iv.	K.
F.	Q.	iij.	K. Dedicatio Basilicæ S. Michaëlis Archangeli.
G.	R.	ij.	Nox horas xij. dies xij.

OCTOBER.

A.	S.		KAl. Octobris, Natalis sancti Remigii Episcopi, & Translatio S. Vedasti Episcopi, & Natalis S. Piatoris, & S. Germani Episcopi.
B.	T.	vj.	Non.
C.	V.	v.	Non. Passio S. Leodegarii Martyris.
D.	A.	iv.	Non.
E.	B.	iij.	Non. Natalis sanctæ Christæ.
F.	C.	ij.	Non.
G.	D.		Non. Nat. S. Marci, & Marcelli.
A.	E.	viij.	Idus.
B.	F.	vij.	Id. Passio sancti Dionysii Episc. Rustici Presbyteri, & Eleutherii Diaconi; & Translatio sancti Richarii.
C.	G.	vj.	Id.
D.	H.	v.	Id.
E.	I.	iv.	Id.
F.	K.	iij.	Id.
G.	L.	ij.	Id. Natal. sancti Calesti Episcopi.
A.	M.		Id.
B.	N.	xvij.	K. Novemb. Nat. sancti Lucii.
C.	O.	xvj.	K.
D.	P.	xv.	K. Nat. sancti Lucæ Evangelistæ.
E.	Q.	xiv.	K.
F.	R.	xiij.	K.
G.	S.	xij.	K.
A.	T.	xj.	K.
B.	A.	x.	K.
C.	B.	ix.	K.
D.	C.	viij.	K. Natalis sancti Crispini & Crispiniani.
E.	D.	vij.	K. Translatio sancti Amandi.
F.	E.	vj.	K. Natalis sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ.
G.	F.	v.	K. Natalis Apostolorũ Simonis Cananæi, & Simonis Zelotis.
A.	G.	iv.	K.
B.	H.	iij.	K. Depositio sancti Leonis Papæ.
C.	I.	ij.	K. Natalis sancti Quintini Martyris. Nox horas xiv. dies x.


NOVEMBER.

D.	K.		KAl. Novemb. Nat. sancti Cæsaris, & sancti Audomari Episcopi, sive Omnium Sanctorum.
E.	L.	iv.	Non.
F.	M.	iij.	Non. Translatio S. Hucberti Episcopi.
G.	N.	ij.	Non.
A.	O.		Non.
B.	P.	viij.	Idus.
C.	Q.	vij.	Id.
D.	R.	vj.	Id. Nat. SS. Quatuor Coronatorum.
E.	S.	v.	Id. Natalis sancti Theodori.
F.	T.	iv.	Id.
G.	V.	iij.	Id. Natalis sancti Menæ, & depositio sancti Martini Episcopi.
A.	A.	ij.	Id.
B.	B.		Id. Depositio sancti Bricii Episcopi.
C.	C.	xviij.	Kal. Decembris.
D.	D.	xvij.	K.
E.	E.	xvj.	K.
F.	F.	xv.	K. Depositio sancti Aniani Episcopi.
G.	G.	xiv.	K. Natalis sanctæ Eusebiæ Virginis.
A.	H.	xiij.	K.
B.	I.	xij.	K.
C.	K.	xj.	K.
D.	L.	x.	K. Natalis Sanctæ Ceciliæ Virginis.
E.	M.	ix.	K. Natalis sancti Clementis, & Felicitatis, & sancti Columbani.
F.	N.	viij.	K. Natalis sancti Chrysogoni Martyris.
G.	O.	vij.	K.
A.	P.	vj.	K.
B.	Q.	v.	K.
C.	R.	iv.	K.
D.	S.	iij.	K. Vigilia S. Andreæ, Natalis sancti Saturnini, & S. Chrysanti.
E.	T.	ij.	K. Natalis sancti Andreæ. Nox horas XVI. dies VIII.

DECEMBER.

F.	V.		KAl. Decemb. Denunciatio Jejunii, & Natalis sancti Eligii Episcopi.	
G.	A.	iv.	Nonas.	DCCCXXVI.
A.	B.	iij.	Non.	DCCCXXVII.
B.	C.	ij.	Non.	DCCCXXVIII.
C.	D.		Non. Natalis sanctæ Crispinæ Martyris.	DCCCXXIX.
D.	E.	viij.	Idus.	DCCCXXX.
E.	F.	xij.	Id. Octab. S. Andreæ.	DCCCXXXI.
F.	G.	vj.	Id. Nat. S. Sabini.	DCCCXXXII.
G.	H.	v.	Id.	DCCCXXXIII.
A.	I.	iv.	Id. N. S. Eulaliæ Virg.	DCCCXXXIV.
B.	K.	iij.	Id. Nat. S. Damasi.	DCCCXXXV.
C.	L.	ij.	Id. Nat. S. Walarici.	DCCCXXXVI.
D.	M.		Id. Nat. S. Luciæ Virg.	DCCCXXXVII.
E.	N.	xix.	Kal. Nat. S. Viatoris.	DCCCXXXVIII.
F.	O.	xviij.	K. Nat. S. Maximi Ep.	DCCCXXXIX.
G.	P.	xvij.	K. Nat. S. Valentini.	DCCCXL.
A.	Q.	xvj.	K.	DCCCXLI.
B.	R.	xv.	K.	DCCCXLII.

C.	S.	xiv.	K. Natalis sancti Gregorii Martyris.	DCCCXLIII.
D.	T.	xiij.	K. Natalis sancti Anastasii Martyris.	DCCCXLIV.
E.	A.	xij.	K. In Indiâ. Translatio sancti Thomæ Apostoli.	DCCCXLV.
F.	B.	xj.	K.	DCCCXLVI.
G.	C.	x.	K. Natalis sanctæ Eugeniæ Virginis.	DCCCXLVII.
A.	D.	ix.	K. Nat. S. Luciani.	DCCCXLVIII.
B.	E.	viij.	K. Nativitas Domini nostri JESU CHRISTI.	DCCCXLIX.
C.	F.	vij.	K. Natalis sancti Stephani Diaconi.	DCCCL.
D.	G.	vj.	K. Natalis sancti Johannis Evangelistæ.	DCCCLI.
E.	H.	v.	K. Innocentium.	DCCCLII.
F.	I.	iv.	K.	DCCCLIII.
G.	K.	iij.	K.	DCCCLIV.
A.	L.	ij.	K. Natalis sancti Silvestri. Nox horas xviij. dies vj.	



a

PASSIO [a]

Sancti FELICIS Tubzocensis Episcopi, & Martyris.

Eruit R. P. Petrus Franc. Chifflet S. J.

IN diebus illis DIOCLETIANO octies, & MAXIMIANO septies Consulibus Augustis, exivit edictum eorumdem Cæsarum vel Imperatorum super omnem faciem terræ: & propositum est per colonias & civitates Principibus & magistratibus, suo cuique loco, ut libros deificos extorquerent de manibus Episcoporum & Presbyterorum.

Tunc programma positum est in civitate Tubzocense die Nonarum Januariarum. Tunc MAGNELLIANUS Curator ipsius civitatis jussit ad se perduci Presbyteros, (quia FELIX Episcopus Carthaginem erat profectus) JANUARIUM Presbyterum, FORTUNATIUM & SEPTIMINUM Lectores: quibus Magnellianus Curator dixit; Episcopum habetis? Januarius Presbyter respondit, Habemus. Magnellianus Curator dixit; Ubi est? Januarius Presbyter respondit; Nescio. Magnellianus dixit; Libros deificos habetis? Januarius Presbyter respondit; Habemus. Magnellianus Curator dixit: [Date illos [b] igni aduri. Januarius Presbyter, Fortunatus & Septiminus lectores dixerunt: Episcopus noster apud se illos habet. Magnellianus Curator dixit:] Eritis ergo sub officio, donec ANOLINO Proconsuli rationem reddatis.

b

Posterâ autem die FELIX Episcopus à Carthagine venit Tubzuzam: cumque ejus adventum Magnellianus comperisset, statim eum sibi per officium præsentari constituit. Qui cum dicto citiùs advenisset, Magnellianus Curator dixit ad eum; Tu es Felix Episcopus hujus civitatis? Felix Episcopus dixit; Ego. Magnellianus Curator dixit; Da libros, vel membranas qualescumque penes te habes. Felix Episcopus dixit, Habeo: sed non trado legem Dei mei quem ego colo. Magnellianus dixit; Ergo major est Deus tuus diis nostris? Felix Episcopus dixit; Grandis & metuendus est Deus noster, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, nam dii vestri lapides sunt manu hominum facti, de quibus scriptum est; *Oculos habent & non videbunt; aures habent & non audient; os habent & non loquentur. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Magnellianus Curator dixit; Primum est quod Imperatores jusserunt, quia nihil est quod loqueris. Quapropter trade libros omnes quos habes, ut possint (sicut constitutum est) igni aduri. Felix Episcopus dixit; Melius est ut meum corpus tradam igni, quàm Scripturæ dominicæ per me videantur aduri: quia bonum est Deo obedire, perpetuo Regi & immortali, quàm Imperatoribus hujus sæculi iniqua jubentibus. Magnellianus dixit; Jam tibi dixi quia primum est quod Imperatores jusserunt, quàm ea quæ loqueris. Felix Episcopus dixit; Primum est, præceptum Dei custodire, quàm hominibus obedire. Magnellianus dixit; Interim inter hoc triduum recogita tecum: quia si in hac propriâ civitate, ea quæ præcepta sunt implere neglexeris, ad Proconsulem ibis, & ea quæ nunc loqueris apud ejus acta prosequeris.

Post diem autem tertium, Magnellianus Curator jussit sibi Sanctum Felicem Episcopum præsentari. Ad quem cum Felix Episcopus fuisset adductus, idem Magnellianus dixit; Deliberasti tecum quidnam melioris consilii videaris assequi? Felix Episcopus dixit; Sermo meus unus est: in quo cœpit, in hoc etiam Deo præsule finiet: quæ enim primò loquutus sum, hæc & nunc eadem loquor, & ante Proconsulem aliud penitus non sum dicturus. Magnellianus Curator dixit; Ibis ergo jam nunc ad Proconsulem, & ibi redditurus es in examinatione rationem. Tunc viros [c] suos his alloquutus est verbis; Quoniam Felix Episcopus juxtà Imperatorum decreta, ea quæ nobis mandare dignati sunt, facere nullo modo maturavit, vobis comitantibus Carthaginem perducatur. Felix Episcopus dixit; Deo gratias.

Tunc designatus est illi ductor VINCENTIUS nomine, Decurio civitatis Tubzocensis.

Profectus est autem FELIX Episcopus Carthaginem: ubi cum pervenisset, oblatus est Legato Proconsulis: cui idem Legatus dixit; Quare scripturas non tradis supervacuas? Felix Episcopus dixit; Habeo quidem, sed non do. Scripturæ quæ à nobis habentur, supervacuæ non sunt, nec ullo modo à nobis tradi possunt. Tunc jussit eum Legatus in ima carceris mitti. Ubi cum Felix Episcopus fuisset ingressus, Dominum Deum suum deprecatus est, dicens; Domine Deus omnium conditor & creator, Domine JESU CHRISTE ne me derelinquas, quia propter te & testamentum tuum hæc patior. Miserere mei, & recipe spiritum meum, & derelinque in hoc sæculo corpus mortale; ut à te [c] Domine, sicut nobis promittere dignatus es, tecum merear suscipere immortale. In te enim, Domine, semper vivens, nunquam adversùs me habebit mors potestatem.

c

a *Passio*] Hæc Acta Baluzius cum in veteri codice Bibliothecæ Colbertinæ reperisset, cum priori editione contulit, ac monuit titulum in illo codice iis ita esse præfixum: *Incipit Passio S. Felicis Episcopi Tubizacensis, qui propter legem Domini decollatus est XVIII. Kal. Februarii* Quo in titulo notes velim nomen urbis cui Felix præfuit: nam & hîc & in Actis Episcopus Tubizacensis nusquam non dicitur; & urbs ipsa Tubiza vocatur. Non contemnendum etiam quod notatur de die quo caput illi minutum est; nam in fine quidem Actorum habetur dies XIX. Kal. Februarii, sed Codex Colbertinus habet *die octavodecimo*, &c. Curatoris etiam nomen in eodem codice diversum est, quia Magnilianus semper dicatur.

b *date illos*] Quod intrà uncos inclusum est, addidimus ex codice Colbertino.

c *ut à te*] Laudatum codicem sequimur, nam prior editio vitiosa erat hoc loco; ita enim in illa legebatur. *Attende, Domine, ... ut tecum merear suscipere immortalitatem . . . . nunquam inimicus adversùs.*

Post dies autem sedecim, horâ noctis quartâ de carcere productus Felix Episcopus, Anolini Proconsulis illicò est præsentatus aspectibus. Cui Anolinus Proconsul dixit; Quod tibi nomen est? Felix Episcopus dixit; Christianus sum. Anolinus Proconsul dixit, Non te de vocabulo quæsivi professionis, sed percunctatus sum quo nomine nuncuperis. Felix Episcopus dixit; Sicut tibi jam dixi, hoc nunc & iterum dico, quia Christianus sum & Episcopus. Tunc iratus Anolinus Proconsul quòd ei suum nomen dicere noluisset, ait illi; Habes scripturas supervacuas. Felix Episcopus dixit; Habeo scripturas, sed non sunt, ut asseris, supervacuæ: quas cognosce à me nequaquam esse tradendas.

Tunc Anolinus Proconsul transmisit eum Romæ ad Præfectum Prætorii. Cumque Felix Episcopus ibidem advenisset, & eidem Præfecto oblatus fuisset, jussit eum in carcere recipi, & majoribus vinculis alligari. Post dies autem quatuordecim, [d] jussit eum Præfectus prætorii post Imperatores navigare. Tunc Felix Episcopus navem conscendit, catenarum duris nexibus colligatus: & fuit in *Subsanno* [e] navis quatuor diebus & quatuor noctibus jacens sub pedibus equorum, panem non comedens, nec aquæ quidpiam bibens. Jejunus autem venit Nolam. Tunc Cognitor ejusdem civitatis venientem Felicem Episcopum sibi præsentari constituit, vinculis gravioribus innodatum. Cui idem Cognitor sic ait; Felix, quomodo huc venisti? Felix Episcopus dixit; Quomodo Deus voluit. Cognitor dixit; Si in tuâ civitate propriâ, vel apud Carthaginem Scripturas deificas tradidisses, ad me huc usque minimè advenisses. Felix Episcopus dixit, Habeo quidem Scripturas divinas, sed sicut diversis inquirentibus me respondisse non nescis, hoc etiam tibi præsens modo certissimè manifesto, quia eas nullo modo trado. Cognitor dixit; Si scripturas deificas tradere nolueris, capite plecteris. Felix Episcopus dixit; Plus paratus sum plecti capite, quàm libros dominicos sacrilegio tradere.

Tunc memoratus Cognitor, ut sacra Imperatorum recitarentur jussit: cumque à Vincentio scriba quæ constituta fuerant legerentur, Cognitor dixit; Quoniam iste homo tantum in eâdem confessione duravit, ideòque secundùm præceptum Principum hunc eumdem Felicem Episcopum gladio animadverti constituo. Felix Episcopus elevans oculos ad cœlum, dixit; Deus, gratias tibi ago, qui per quinquaginta & sex annos in isto sæculo virginitatem meam in me custodire dignatus es. Domine Deus cœli & terræ, Jesu Christi Domini nostri Pater, propter te & propter tuam legem, & pro timore tuo hæc patior, & cervicem meam flecto ad victimam. Accipe spiritum meum de hoc mortali sæculo: solus enim es Deus vivens atque vivificans, & permanens gloriosus in sempiterna sæcula sæculorum, Amen. Completâ hac oratione ductus à militibus, ibidem decollatus est die XIX. Kalendas Februarii: ibique corpus ejus positum est. Et reliquiæ ejus ad almam Carthaginem per religiosos Dei servos & Matris Ecclesiæ filios perlatæ sunt, & positæ in viâ quæ dicitur Scilitanorum.

In eodem autem venerabili loco multa mirabilia fiunt, & languores universi curantur in nomine Domini nostri Jesu Christi, cui est cum Deo Patre honor, laus, & gloria in Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum, Amen.

MONITUM.

Vitam Sancti Medardi *Noviomensis Episcopi damus, omnium vetustissimam & optimam damus, Auctore Fortunato Presbytero, cum pura puta huc usque minimè prodierit, sed à sciolis quibusdam miserè interpolata & consarcinata, quod tùm ex Actibus sanctissimi illius Pontificis ab anonymo compositis, tùm ex vitâ quam edidit Radbonus Noviomensis itidem Episcopus* * *legenti & conferenti planum fiet. Unde ut id clarius innotescat, profuturum duximus Actus Medardi ab Anonymo Monacho conscriptos in medium producere: eâ enim viâ, Lector, quid manus aliena Fortunatianæ vitæ adjecerit, faciliùs agnosces, dubiique nihil in posterum remanebit de vero Fortunati Opere: ac proinde viris doctis, qui eamdem vitam diutissimè desiderarunt & inquisierunt, fiet satis; & ob ipsam suscitata inter nonnullos contentio, tandem ut spero dissolvetur sopieturque.*

* Exstat apud Surium.

Animadvertes præterea Joannem à Bosco præfatæ quam conscripsit Fortunatus vitæ fragmentum in Bibliotheca Floriac. retulisse p. 150. *Et MS. cod. Bibl. Thuaneæ vitæ S. Med. à Radbodo compositæ, quam in lucem Surius protulit, ac perperam Fortunato adscripsit, hanc epigraphen præferre:* Incipit vita Beatissimi Confessoris Christiani *, Episcopi Noviomensis, quam Domnus Radbodus Noviomensis & Tornacensis Episcopus sic dictavit. *Compendiensis autem codex tantùm hanc inscriptionem habet:* Vita S. Medardi, quam Domnus Radbodus Noviomensis sic dictavit.

* Christi,

Sancti porrò Medardi *vitam quam damus, Fortunati germanum esse fœtum suadent stilus ipsius ubique æqualis, periodi intercisæ, sententiarumque gravitas & momenta. Deinde Reges, quorum floruit temporibus Fortunatus, designantur. Denique in Actibus vitæ subjectis in MS. cod. Resbacensi verba inserit Anonymus, quæ ab ipsomet Fortunato mutuatus est. At enim Radbodi non Fortunati esse Surianam* B. Medardi *Vitam convincunt inter alia Drausio & Warimbertus Episcopi ibidem nominati, utpote qui centum & ampliùs annis post Fortunatum vixère. Bosciana quoque adulterata fuit. Nam ut omittam stili esse à Fortunati stilo longè diversi, relata ab Auctore cap.* 3. *&* 5. *bina miracula à Sancto Medardo adhuc puero patrata, Fortunatum prætermisisse docet vetus ille Scriptor Monachus Sancti Medardensis.*

d *quatuordecim*] Codex Colbert. *duodecim.*

e *subsanno*] Idem *subsanio.*

Ex MSS. S. Germani à Pratis & V. C. D. Claudii Joly Canon. Paris. & D. d'Herouval.

VITA SANCTI MEDARDI

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Auctore FORTUNATO Presbytero.

I. BEATISSIMI MEDARDI Antistitis vitam, quæ per universum orbem virtutum propalatur insignibus, nequivimus silentio præterire; quamvis non valeamus gestorum cuncta perstringere. Et quia solemnitatis ejus diem veneratione perspicuum omnium populorum catervas quotannis expetere depositionis suæ commemoratio principalis invitat; crescat universorum pectoribus pro fidei ardore devotio, dum Sanctorum suorum panditur magnitudo, ut si in hac rarus sit qui existat imitator operis, cunctos tamen faciat ejus intercessio potiores. Hujus ergo originem propterea primùm suggestio nostri sermonis insinuat, ut nullus forsitan desperationis obstaculo magis culpandus ostendat: quoniam Deum integro amore diligere non facit gentium divisa discretio, sed unita fidei plenitudo: ne divina gratia quæ volentibus cunctis generalis ostenditur, specialis esse judicio fallente credatur.

S. Medardi patria, parentes.

II. Pater igitur hujus nomine NECTARDUS de forti Francorum genere non fuit infimus libertate; mater verò Romana nomine PROTAGIA absolutis claruit servitute natalibus: quæ in Christi tabernaculis ut censemus pretioso fecunda partu plus placuit, quàm si integritate servatâ, nequaquam se vinculis virilibus tradidisset. Quorum in Viromandési territorio & habitatio fuisse dignoscitur & origo. In quâ urbe cum adolescens ad scholam recurreret, casulam quam ei sua genitrix fecerat, per ipsum ad artificem componendam direxit, quam in itinere cæco à se invento mox præbuit. Similiter quidquid ad escam accipere deberet dum suorum parentum gregem pasceret, si pauperem vidisset, cibos egeno porrigebat, ipse ferebat inopiam diei ducens jejunia. Nec illud est reticendum rei gestæ mysterium. Dum adhuc esset in scholis vir sanctus parvus & innocens, dicit ad Eleutherium quemdam parvulum comparem, quòd publicâ in actione Comitivam assumeret, & cum XXX. annorum vitæ spatium caperet, ipsum dixit futurum summi Dei Pontificem: qui in Tornaco civitate Pastor est datus Ecclesiæ. Ita Sanctus quòd prædixit quasi Propheta divino spiritu, jam probavit.

Pia in juventute exercitia.

Eleutherium prædicit futurum Episcopum.

III. Deinde cum crebriùs ad templorum Oracula fidei monitu promulgante discurreret, & teneros ætatis annos libratis patientiæ moribus temperaret, propriæ voluntatis arbitrio, dum mundi illecebras vitando despiceret, officium Sacerdotis excepit. Pariter & animo conversus & habitu, morum caritate præcellens confestim claruit apud urbis Pontificem conversatione præcipuus, apud cunctos mentis puritate sincerus. Nunquam se lætitiæ ubertate plùs extulit; nunquam mœroris acerbitate turbavit. Fuit semper tolerans in adversis, mitis in prosperis. Cunctos sibi obedientiæ sedulitate præferens, egentibus largâ miseratione succurrens, & ex omnibus calcato vitiorum fomite angusti callis tramitem sanctæ conversationis gressu surgente conscendens, quidquid adversum est horruit, quidquid pretiosum elegit. Quid plura? ut hospes cerneretur in sæculo, etiam possessor esset in cælo. Tunc crescentibus singulis [a] Sacerdotii honoribus interjectâ discretione temporum Ecclesiastici moris tenorem percurrens, Presbyterii officium electus excepit, probatus obtinuit, & ita se deinceps sanctis cœpit publicare virtutibus, ut Christi meritò putaretur alumnus.

Fit Sacerdos

Ejus virtutes & miracula describuntur.

IV. Contigit ergo ut autumni temporis fructus mitescente botri succo vindemiæ ubertas ostenderet, per quam latronis temeritas ejus gratiam publicaret. Intempestâ igitur nocte, cum potiùs in humanis corporibus curarum diversitate seclusâ, dominante silentio, blandi soporis onus incumbit, vineam suam cupidine fraudis impulsus latro capiendus expetiit, tenendus irrupit. Tunc prædam gladio secante corripiens, ipse magis prædatus, intrà patentia septa constringitur, & quod effringere violentus valuit, nequaquam evasit in posterum suo crimine captivatus: gustum habere furto non meruit, & redeundi aditum ebrius non invenit: nec amittere poterat quod præsumserat; nec auferre fas habuit quod ambiebat. Sed cum inibi primo diluculo rei præscius vineæ dominator occurreret, furem reperit, quem sua jam præda prævinxerat, & uterque alium mutato jure servabat. Tunc usque adeo Sancti ultio rei sævit in crimine, ut uvas propriâ manu discerpens, augmentum majus illi profusâ oblatione tribueret, & delictum objurgatione castigans, remeandi aditum indulgeret. Pari igitur meruit pœnâ percelli, vel perdurante insidiâ coërceri, qui vasa, ejus domum nocturnâ obreptione præveniens, distenta melle furatus fuerat. Custodes deceptione callidâ fallere potuit, pecus quod rapuerat temerarius non evasit. Castrorum habitacula sublatæ apes cum indignatione linquebant, ubique furem non casto ditantes opere, sed aculeorum sævitiâ persequentes, quousque latronis detecta confusio Sancto quod fraudaverat reddidit, & veniam prostratus invenit. Sed nec immeritò pia Sacerdotis indulgentia reum non damnabat ex crimine, quem ipsa ultrix præda torquebat.

V. Accidit etiam simile sub hac proditione mysterium. Dum viator quidam juxtà domum ejus agendi itineris copiâ præteriret, capiens illius callidâ fraude juvencum furti scelere, tintinnabulum collo praeripuit, atque hiatum ipsius impressi graminis fraude condemnans, nullius contemplatione deprehensus abscessit. Et cum jam se censuit vel criminis evasisse periculum, vel sortitum compendia fuisse per furtum, obstaculo nullo serata ipsa dedit præda tinnitum, cupiens domini redire præsidio. Quæ quamlibet abditis penetralibus studio diligenti locata claustrorum obseratione retrusa maneret, tinniente ambitu scelus nullo modulante vulgabat, hiatu ingenti monens, auctorem criminis querela geminante confudit. Tunc latro præteriti memorans confusâ mente pericli revexit domino territus quod abstulerat, quod etiam pietatis studio non servabat. Ita demum reddito jure naturæ cœpit species inanimata celare, nec sonitu sensibili pulsa detegere. Sanctus igitur athleta Christi absque reatu

a *crescentibus singulis*] Alius codex *crescentibus muniis singulos sacrificii honores interjectâ*.

proprio pro delicto confunditur alieno; atque ideo mercedem reo pro culpâ tribuit, ne inani abitione tristior remearet.

VI. Quâdam vice præcelsus CHLOTARIUS Rex in procinctu Francorum movens exercitum, cum transisset fluvium cujus vocabulum est Sumina, omnia quæ inveniebant loca prædantes & pecora, pervenientes inter Castellum quod fertur Noviomagum, & Isaram fluvium, quidquid fuit vehiculorum carra vel sagmata trahentium, pedes affligentes de loco nullatenùs moverunt per triduum. Ad villam S. Medardi, Sellentiacum quæ dicitur, occurrerunt viro Sanctissimo, & datâ oratione discarricantes quæ tulerant, laxati pergunt itinera. Nec illud omittendum est quod per miraculum factum est. Cùm porcarii sui in glandem porcos deducerent, & ab iniquis hominibus furto subducti fuissent, divinâ mox virtute soli de longâ regione, nullo homine sequente, ad Sanctum virum reducti sunt. Nec hoc inter reliqua miranda signa prætereo. Quidam Tosio nomine dæmonii graviter oppressus infestatione, curari meruit expresso viri Dei signaculo.

Consecratur Episcopus.

VII. Sed cum jam multimodis virtutum fulgeret studiis, famaque ejus per diversa orbis spatia gratiâ crescente præcelleret, defuncto Viromandensium urbis Pontifice, in ejus loco consecratur Episcopus. Ubi conversatione cœlesti ter quinis annorum curriculis sanctimoniâ ipsius officii Sacerdos exstitit pretiosus; & nisi quòd percussor corporis defuit, martyrium Confessor implevit. Sustinuit jugiter diabolo præliante calumniam, sed prævenit victor meritis ad coronam. Tunc Pontifex Beatissimus membrorum compage protentâ longævitate defessus, spiritum requiem deprecatus emisit, & convexa cœli Athleta triumphalis ascendit. Inter reliquos etiam asseverante ut vidit WILLACHARIO Presbytero, quando Sanctus Medardus accepit corporis transitum, ipsius horæ momento cœli protinùs aperti sunt, & ante Sancti corpusculum ferè per tres horas divina luminaria cunctis videntibus adstiterunt. Mox in terrâ grande defluxit diluvium, ita ut plueret multùm calida aqua de nubibus. Cujus corporis solemne pignus præcellentissimi Chlotarii Principis Francorum vel devotione, vel tempore Suessionensium urbs tanti muneris præmio ditari promeruit. Sed cum omnium populorum fides solemni ambitione sacratissima feretro tradenda sepulturæ membra conveherent, & unanimitate vel amore gestandi onus leve sentirent, tunc obviam abiit Sancto damnatis aurium dudum aditibus surdus quidam occurrens, pretiosi velaminis peplum osculans, psallentiumque illico stupens melos audivit, & fraudati sensûs usum recipere mundatus fide promeruit.

Obit S. Medardus.

Miracula post ejus obitum.

VIII. Postquàm igitur devotione fidelium maximo decore præfulta ejus tumuli urna exornata surrexit, prolixum est narrare quantis se virtutibus quantisque pro debilium clamor attollat emundatione trophæis, à quo quidquid fusis precibus expetitur, incunctanter effectibus obtinetur. Hujus igitur templi præ foribus paralyticus quidam depositus & ejectus, quem omnium membrorum debilitas diverso jure discretè damnaverat, pristinæ incolumitatis meruit augmenta suscipere, & salutis gloriam obtinere, ut singulis vigor artubus redditus, confestim suffragante remedio adstaret illæsus: & cujus priùs communis usum sermonis adnexa palato lingua confuderat, virtutem sancti Antistitis resolutâ oris compage laudabat. Protinùs scilicet sæpe palam triumphante mysterio; quos iniqua ferrei ponderis retentacula gressibus negatis adstrinxerant, ad templi oraculum summus Antistes veniendi præstitit facultatem, & robustam metalli naturam exsuperans, vasta compedum vincula confregit[b]. Multos igitur promiscui sexûs, quos membrorum debilitas miseranda contraxerat, usibus restitutis virtus medica indiscretè solvebat. Crebriùs etiam oculorum captis lumine, purgatis tenebris præsidium contemplationis indulsit, & redivivæ lucis compendia desertis habitaculis restauravit. Multa quoque & innumera virtutum suarum insignia quæ diebus singulis ex more concrescunt, relatio nostra præteriit, ut nec laterer silentio magnitudo operis, nec diei consumeret spatium tanta prolixitas dictionis. Hujus ergo piam majestatem fusis indesinenter precibus exoremus, ut clementissimi THEODEBERTI Regis nostri felicitatem crebris successibus dilatatam, vel in externis gentibus justo dominandi jure procul extensam pro suâ pietate longævet, & clementissimo SIGIBERTO quondam Regi sempiternam requiem præstare dignetur. Quatinùs qui templi ejus spatia devotus extendens ad excelsa fastigii tegmina sumptuoso decore perduxit, eodem intercedente, servato culmine Regii diadematis protendantur sceptra Regiæ potestatis, ac perinde medelam populis pacemque tribuat universis. Conferat etiam pro delictorum indulgentiâ cunctis generale præsidium, qui speciale solemnitatis suæ hodie mundo præstitit ornamentum. Cui est honor & gloria, laus & imperium per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ms. Codex V. C. D. d'Herouval sic desinit:
Explicit Vita S. MEDARDI Episcopi à FORTUNATO Presbytero composita.

Finis hujus vitæ ita habetur in Mss. Codicibus Corbeiensis & Resbacensis Monasteriorum.

Hujus ergo piam Majestatem fusis indesinenter precibus exoremus, ut conferat pro delictorum indulgentiâ cunctis generale præsidium, qui speciale solemnitatis suæ hodie mundo præstitit ornamentum. Quæ cuncta præconia sunt non modò ejus qui accepit ut dignus pro nobis suffragator adsistat; sed potiùs Sanctæ & inseparabilis Trinitatis, cui honor & potestas, virtus & imperium, laus & jubilatio in omni gente, loco & tempore, & per infinita sæculorum sæcula.

INCIPIUNT ACTUS MEDARDI, PRÆSULIS ALMI.

Ex Cod. MS. Resbacensis Monast.

Præfatio Auctoris.

I. FORTUNATUS natione Italus Presbyter Ravennensis, suo tempore eruditissimus, ex Ravennâ progrediens Galliarum fines peregrè adiens, Pictavensi rure commodam sibi delegit habere stationem. Eâ tempestate CHLOTHARIUS[a] CHLODOVEI magni quondam Francorum Principis filius, paternam monarchiam post mortem fratrum suæ ditioni subactam potenti moderamine regalique sceptro regebat. Per idem quoque tempus inter Gallicanos Præsules GREGORIUS Historicus sermone & actu Tu-

b *confregit*] Confirmat Gregorius cap. 19. l. 4 Hist. *Ad cujus* (Medardi) *sepulcrum vidimus vinctorum compedes ac catenas disruptas confractasque jacere, quæ usque hodie in testimonium virtutis ejus ad ipsum B. sepulcrum reservantur.*

a *Chlotarius*] Alii Fortunatum Sigeberto Rege in Galliam venisse volunt.

Fortunatus Gregorio Turonensi Episcopo familiaris.

Scripsit Vitam S. Medardi.

ronis habebatur insignis. Hic compertâ jam dicti famâ viri, affectuosè eum diligebat, germanæ caritatis obtentu. Erat enim summo ingenii acumine præditus. Conferebant denique frequentiùs seria quæque de scripturis, modò verbis, nunc scriptis, alternâ vicissitudine differentes. Denique rogatus ab eodem venerabili Pontifice, edidit perplura Opuscula, maximè metro ludens de vitâ & virtutibus Sanctorum. Inter quæ & vitam gloriosi, & cum omni reverentiâ nominandi domini nostri Medardi, succinctè quidem tam prosâ quàm versibus, sed tamen luculento stylo perstrinxit.

II. Hæc quorsum tali petita principio? Ut noverit quis non eum visa, sed tantùm audita, & hæc procul & in exterâ regione positum narrasse. Possent equidem de iis quæ à puero ipse gloriosus gessit, plura confici volumina, si quis curiosus ac solers hæc perscrutari & indagare hæc, & paginis mandare decrevisset. Omnium perspectâ serie temporum perspicuum est per idem tempus studia liberalia tepuisse, quia & rudis Christianæ legis cultus in his Galliarum partibus adhuc pubescebat, & idololatriæ vana superstitio necdum ex toto obsoleverat. Liquet itaque eatenùs collapsa fuisse litterarum studia, ut pretiosi admodum haberentur earum sectatores; quandoquidem exteræ nationis vir, tantâque regionum intercapedine semotus, ad ejus acta scribenda tam succinctus breviator se se admoverit. Fuere namque ea quæ per eùm vis divina operata est, magna valde & admiranda, quæ relatio prædicti Auctoris, ut ipse fatetur, præteriit. Feruntur hodieque multa de eo, quibus nec omnimodis derogandum est, nec sanæ fidei ejus repugnandum. Quibus omissis, ne fabulosa magis quàm vera scripsisse criminarer, duo tantùm quæ ab honestioribus viris fideliter narrata comperi, licet iners vili schedulâ vulgarique sermone mandare ausum duxi. Ea quoque quæ jam dictus historicus elegiaco intexuit metro, ut manifestoria legentibus, prosâ expressi.

Actus quidam S. Medardi.

Psal. 118. 13.

III. Igitur Beatus Medardus in lege Domini ab ipso tenero ungue meditabatur die ac nocte, hanc meditatione concipiens, linguâ revolvens, opere complens, juxtà illud Psalmistæ: *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.* Et quia nihil imbecillius eo qui à carne superatur, contendebat, ut bonus athleta, certare ut vinceret, ne vinceretur, carnis illecebras resecans, perfectum vitæ gradum subire certabat. Consentiebat in eo incessus, sermo, & habitus, humilem se in prosperis, mitem exhibens in adversis: obedientiæ bono cunctis imitabilis, frugalitate laudabilis, & universâ morum probitate habebatur insignis. Erat ei studium recreare pauperes, alere egentes, & quidquid ex paternâ substantiâ percipere poterat, eorum usibus sedulè impendebat. Operæ pretium duxi unum è pluribus pietatis ac misericordiæ opus quod puerulus gessit, narrare; ut qualis quantusve à puero in juventute adoleverit, dehinc ab adolescentiâ in senectutem quàm maturus excreverit, cognoscat qui imitari desiderat.

Miracula.

IV. Unâ dierum Nectardus vir gloriosissimus, genitor ejus ab itinere remeans, domû cum suis revertitur. Aberant tunc fortuitu famuli domûs, nec fuit in promptu qui equos defatigatos pastum minaret custodiendos. Injungit pater dilecto sibi filio eos ad pastum ducere, & ad horam custodire: quos ille suscipiens minavit quò jussus fuerat, omnem solerter adhibens diligentiam. Interea dum his intentus habebatur, contemplatur eminùs viatorem equestrem sellam, loraque in ea dependentia à tergo gestantem. Quem advocans sciscitatur quisnam esset, quò pergeret, cur taliter onustus abiret: at ille rei ordinem pandit. Profitetur se ignotum hominem, equum quo vehebatur leto periisse, quo sternebatur secum vehere, & longius iter habere. Tunc sanctissimus puer necessitudini ejus compassus, unum è pluribus equum capiens: Sume, inquit, & sterne tibi, quò libuerit pergens. Et ille: Non est, inquit, tui juris, nec datu tuo ejus liberè possum potiri servitio. Cui puer: Accipe securus, iter carpens tutum; & si quis te impetierit, me auctorem dati incunctanter habebis. Hæc viator audiens, jubenti libenter obtemperat, cornipedem sternit, & qui eatenùs pedester tristis advenerat, equester hinc & alacer cupito pergit itinere. Inter hæc convivium itinere fessis instruitur; jamque prandio imminente, ad accersendum venerabilem puerum it unus ex numero: ipse autem secesserat sub quâdam arbore, quia dies pluvius erat. Is itaque qui ad exhibendum eum fuerat directus, dum cum eo colloquitur, sursum intentus conspicit aquilam expansis alarum remigiis omnique distento corpore tam congruenti latebra puerum confovere, ut in nullo penitùs contingeretur ab imbre. Hoc diù miratus, commonet eum domum regredi, paternoque convivio interesse. Id ille recusans: Rogo, inquit, rediens domum habeto me excusatum. Reor, ob hoc remorari cupiens, quò jam dictus eques in hac morositate longiùs protraheretur, quatinùs si à quoquam insequutus fuisset, minimè reperiretur.

Equum donat pauperi.

Perlata sunt patri ab inquilino quæ viderat atque audierat à filio. Super quæ plurimum miratus, dilato prandio sumptis sociis ipse pergit ad locum horamatis [b] hujus ipse gestiens contemplari auspicium. At ubi illò ventum est, intuetur diligentiùs, & quod relatu didicerat, visu probat, prudenterque perlegit interiùs quod gerebatur exteriùs. Inter hæc collegæ recensent sonipedes, damnum reperiunt, unum deesse cognoscunt: denique blanditiis parvulum mulcent, quatenùs si facti esset conscius, fateretur: erat siquidem aliquantula de hac re in eo suspicio, quia jam latè patebat, pietatis eum affectu erga indigentes festinâ largitione munificum fore. Itaque prodit patri piè admissum facinus: & licet dispendium passus congratulatur tamen de felici provectu gratissimæ prolis.

b

Interea famuli curiosiùs iterum iterumque recensitis equis, eorum summam subitò redintegratam reperiunt, & damnum quod charitate cogente piâ admissum fuerat fraude, nihilominùs charitate largiente mirabiliter restauratum inveniunt. Magno itaque pater, cum omnibus attonitus gaudio, non tam de recuperatione damni, quàm de incremento beatarum virtutum in filio; & dans ei manum ducit ad domum. Amplexatur mater filium, convivantesque pariter jocundantur, admirantes gratiam Dei tam evidenti obumbrationis indicio in eo esse diffusam. Dehinc genitor postquàm affatim exhilaratus est; Care, inquit, nate, utere ut libet rebus à Deo nobis concessis: refove ex his indigentes, eâ æqualitate dumtaxat, ne cum alii refrigerantur, nobis sit tribulatio; sed ut nostra abundantia, aliorum sit supplementum. Devotum, ut cœpisti, Christo famulatum impendens, erige nobis in statione paradisiacæ amœnitatis tabernaculum, ubi tecum quiescamus sine fine mansuri.

Numerus equorum in pascuis reperitur, licet unum dederit.

V. Dum adhuc puerulus sub tutelâ parentum domi moraretur, contingit inter propinquos ejus de terminis cujusdam disceptatio. Cumque ex communi consensu statutâ die ad videnda agrorum existsent confinia, contigit affuisse cum eis & hunc de

Limitem terræ designat Medardus; unde lis mota sopitur.

b *horomatis*] Acherius ediderat *oromatis* : ὅραμα, visio.

quo

quo fabula est venerabilem puerum. Ubi verò ventum est ad locum de quo sermo habebatur, videt cominùs lapidem terræ fixum, uti fieri assolet in terminis agrorum, super quem pedem injiciens: Hic est, inquit, limes & confinium horum jugerum. Ad cujus levissimum tactum lapis ille ita subsedit, veluti cera à facie candentis ferri liquescit. Apparet equidem stigma plantæ pedis ejus in eâdem caute adeo subtiliter expressum, ut à nullo artificum expressiùs exsculpi aut signari possit. Ita contentione sedatâ, rerum omnium arbitrum Dominum, qui magna operatur in minimis, glorificantes redierunt in sua. Exstat usque in hodiernum diem lapis in Monasterio sancti Medardi, magnique penditur, ac venerationi habetur à multis. Hæc duo tantùm de ejus pueritiâ dixisse sufficiat: nunc ad ejus transitum stilum vertamus.

S. Medardi obitus.

VI. Tempore quo præcellentissimus CHLOTHARIUS Rex Francorum reversus est à Britanniâ, exusto filio suo CHRANNO cum uxore ac filiabus, gloriosus Confessor Domini MEDARDUS, evocante se Domini gratiâ, apud Noviomagum Castellum, caput jam lectulo deposuerat. Ad quem visendum cum introisset Rex, Optimatum sibi obsequentium fulcitus catervâ ultimum ei vale faciens, benedictionem devotissimè poscit & accipit. Cum itaque in hac Regiâ visitatione de loco sepulturæ ejus sermo haberetur, Sacerdos beatissimus suâ se Sede censuit cespiti commendandum. Econtrà Rex Suessionis eum deferendum, ibique tumulandum disposuit, asserens se super eum basilicam constructurum, Cœnobiumque ædificaturum. Cessit igitur dilectus Dei Regiæ voluntati, sicque plenus virtutibus, plenus & gratiâ migravit ad Dominum. » Ad cujus transitum, » sicut in libro de vitâ ejus à FORTUNATO inscribi- » tur, divina luminaria, cunctis præsentibus micue- » runt. « Fama volans tanti luctûs prænuntia, totius orbis populos ad ejus exequias advocat. Conditur aromatibus corpus sanctissimum, insignitur pretiosis vestibus, auro textis involvitur linteis, componitur feretro: cumulantur desuper margaritis crispantibus aurea pepla: fit luctus ingens populorum, gaudium evidens Angelorum: concurrunt hinc inde chori psallentium, augetur numerositas Clericorum: hi psalmodiam personant, illi lectiones congeminant. Vigiliis sacræ devotionis nox omnis expeditur, & inter luctus & gaudia venitur ad diei exordia. Episcopi & Primates qui tum fortuitu defuêre palatio, certatim conveniunt, concurrit catervatim numerositas populorum. Plangendi docta proruunt ex villis & viculis promiscua egenorum examina.

S. Medardi corpus transfertur ad Suessionum civitatem.

VII. Instructo itaque itinere procedit Rex ad Ecclesiam, in quâ cœlestis servabatur thesaurus, stipatus hinc inde stolatis Christicolis ac primoribus chlamydatis. Venitur ad Sancti corpus: aguntur quæ Dei sunt. Post hæc mitis Sicamber ulnas primus supponit, dehinc Episcopi, exin primi nobilium, quibuslibet fuit accessus. Sustollitur sursum per oscula cœlestibus gazis dignissimum nomisma. Sentiunt onus leve, inoffenso gradientes itinere. Fit clamor confusus, istis psallentibus, illis flentibus, & inter choros psallentium & agmina lugentium, voces tonant per nubila. Quid memorem? Diem hanc gaudii dixerim, an mœroris simul & gaudii? Unum sine altero fateri minùs oportet ad tanti diei qualitatem exaggerandam. Restat ergo ut dies ipsa, & gaudii dicatur & mœroris. Cui enim non erat mærendum de ejus absentiâ corporali, præsertim destitutis pastore ovibus, quibus post transitum nec gleba corporis celabatur[c]? Quibusque non erat gaudendum de ejus tam evidenti gloriâ, cui cœli patebant luminaria obsequebantur divina, & Regalis famulabatur potentia? Insistunt igitur cœpto operi regio gradientes itinere. Confluit undique palatina cohors, gestientes ferre pignus nobile. Interea cæcus quidam inter turmas properantium veniens, substratus loculo, fugatis mox tenebris, videndi recepit usum virtute sancti Antistitis. Hinc cumulantur gaudia, laudantur Sancti præconia.

VIII. Properant aggressum iter conficere, confluentibus passim populorum catervis, perveniuntque ad Tipiacum villam. Ibi Axona amne transmisso flectunt gressum ad urbem Suessonicam. Ruit obviam civitas omnis Suessio, duce prævio venerabili magnarumque virtutum viro BANDARIDO ejusdem tunc urbis Pontifice, cum crucibus, ceroferalibus, ac thymiamateriis. Stipat undique illud cœleste margaritum numerositas Sacerdotum, turba canora totius ordinis Clericorum, immensitas populorum, omnigenis vocibus unà Deo canentium. Mutuatis vicibus unus post alterum certatim se ingerentes, colla supponunt. Propulsatur alter ab altero, his recedentibus, illis succedere cupientibus. Magno se censu remuneratum credidit, cui etsi non gestandi, saltem vel tangendi loculum copia fuit. Excipit tandem solemniter tanti muneris nobilitata præmio urbs Suessionica sacratissimum pignus corporis beatissimi MEDARDI, amplectitur festivè patronum, extunc proprium habitura tutorem patriæ, universalis Ecclesiæ lumen inexstinguibile. Inter hæc obviam fit Sancto quidam multatis aurium aditibus, diutinâ surditate attonitus: qui ut peplum quo sacrum tegebatur corpus fide ignitus manu attigit osculatusque est; fraudati sensûs usum ilico recipere à sancti virtute promeruit. Gratulatur admodum Rex, congaudent Sacerdotes cum Primatibus, exsultant populi, fit gaudium in cœlis ob magni meritum Confessoris.

Retransmeant fluvium, properantque in prædium secùs litus jamdicti amnis, prope quod tumulandus erat, ubi hodieque est stips lapidea, habens desuper vexillum sanctæ Crucis sculptum, cum nomine Sacerdotis. Ibidem lecticam sacri funeris deponentes, moras paulisper nectunt fortuitu, vel quia Rex necdum venerat, vel quia in his quæ ad jus sepulcri congruebant, aliquid imperfectionis inerat, quod in hac morositate perficiendum foret. Erat autem illud rus quo hæc agebantur ex ditione regalis fisci, cui Croviacus vocabulum est, ex antiquo profano idolorum cultui mancipatum. Nam & usque hæc Danorum tempora bifrons lapideus magnæ latitudinis ante fores sacræ ædis in eodem loco perstitit. Eruderato itaque agro, & in planum redacto, construitur nobile mausoleum receptui tanti hospitis dignissimum. Encæniatur locus, in quo sacrum Christi ovium famosissimum toto orbe erat alveare futurum.

IX. Igitur adveniente Rege coadunantur cohortes nobilium; plebeïa multitudo populorum apponunt manus ad feretrum, laturi sanctum corpus ad tumulum, nituntur certatim attollere. Sed quod est dictu mirabile, adeo manet immobile, ut penitùs moveri posset à nemine. Succedunt alii post alios, frustra robur impendentes. Hæret Basileus eventu tantæ rei attonitus; stupor in commune possidet omnes. Tandem sagaci animo conjiciens quid res prætenderet, facta ex medietate jamdicti fisci traditione, accito Commentariense, jubet conscribi tomum annulo proprio roborandum. Exin spe meliori fidentiores, applicant iteratò ulnas ad loculum. Geminatur

c *celabatur*] Acherius vidit legendum esse, *cedebatur*.

virtus miraculi, panditur devotio Sancti. Attollitur sursum parte quidem ex unâ absque ullius gravedine ponderis; manet parte alterâ tantâ fixum immobilitate, ut putaretur plumbea immensæ molis species, non humani corporis esse materies. Tunc Rex liberalissimâ erga Sanctum affluens benignitate, reaccersito Commentariense, factaque more solemni donatione, fiscum cum omni integritate conscriptum, ac impressione proprii annuli signatum, delegavit Sancto perennibus unquam sæculis possidendum. Dehinc spe certissimâ subnixi, extollunt super ulnas beatissimi funeris sarcinam adeo levigatam, ut putares pro æris gravedine stipulæ accessisse levitatem. Fiunt populatim lacrymosa gaudia, psalmodiâque personante pergunt ad tumulum ditissimè refertum.

X. Dum hoc iter agitur, adest inter permiscuos properantium cuneos homo quidam vastis catenarum compedibus ferreis brachia surasque pervinctus, adeo ut ei in gradiendo difficilis esset libertas. Hic dum solatio sustentatus alieno ante Sanctum fuisset expositus, ilicò ut manu peplum tetegit, contrito chalybe, disruptisque catenarum repagulis ac solo tenùs delapsis, redditur virtute sancti Antistitis absolutus & liber, pergens cum reliquis fide subnixus ad munerarii sui tumulum lætus & alacer.

Itaque ubi ventum est ad locum, commendatur tumulo beatissimi Sacerdotis pretiosissima corporis gleba plena virtutis ac gloriæ, præclaris mox indiciis evidentissimè propalata. Nam cum ejus sacratissima membra tumulo clauderentur, cœlum apertum est, & duæ columbæ visæ sunt descendisse quasi nubes, & de ore ejus egressa est columba candida sicut nix. Post tanti officii inferias pronâ Regis munificentiâ festivè celebratas, erigitur super Sancti tumbam pro temporis oportunitate parvum tugurium exili vimine constructum, quousque, ut Regia decreverat dignitas, coacervatis in opus expensis aula famosissima perito fabricaretur studio. Hanc quidem ejus ardentissimam devotionem pedissequa protinùs est efficacia comitata.

XI. Deinde cumulatis abundè in opus sumptibus, qui non Regio solùm, sed & fidelium sunt quorúcumque munere promptâ devotione exhibiti, orditur venerabile Dei templum mira latomorum peritia, essetque in brevi manu celeri consummandum, si ejus conatui mors ex improviso non obstitisset. Nam Turonis pergens ad beatissimi Martini tumulum, diutissimè oravit, plurimaque ibi munera contulit. Per plurimas quoque Sanctorum basilicas multa dona largitus est. Inde regressus dum in Cotiæ saltu venatum exercet, validâ febre corripitur, & Compendio palatio rediens, ingravescente incommodo, lecto sternitur; sicque commune mortalibus debitum solvens, finem regno & vitæ dedit. Hinc mœror Gallias occupat, Francigena gens induitur luctu, lacrymis opprimitur, singultibus præpeditur. Inde Suessionis evectus, in ipsâ quam cœperat necdumque finierat, basilicâ, quamque & villarum reditibus plurimis ditavit, & muneribus maximis cumulavit, ante gloriosi Pontificis tumulum honestam meritò obtinuit sepulturam.

Moritur Rex Chlotarius.

XII. Postquàm filius ejus SIGEBERTUS non minori quàm pater erga Sanctum fervens devotione, opus quod morte patris interdiù dilatum fuerat, fine tenùs consummavit, intrinsecùs varietate diversarum specierum adornavit, extrinsecùs agrorum reditibus ampliavit. Nec multo post & ipse cum fratrem suum CHILPERICUM apud Tornacum civitatem obsidere disponeret, versutiis FREDEGUNDÆ uxoris suæ Victoriaco villâ à duobus Tarvennensibus latera gladiis transverberatus, mortem quam fratri suo paraverat, sibi ipse conscivit; luctum ingentem suis contulit. Hinc à fratre Lambris perlatus & sepultus, exinde postea Suessionis relatus, in ipsam quam operosè construxit basilicam lateri patris sui junctus, honorificè depositus ac sepultus est. Nemo sanè autumet hanc esse basilicam quæ olim à CHLUDOVICO Cæsare cœpta, nuper est à Marcomannis exusta. Verùm illa prior à SIGEBERTO Rege patrata, ob frequentiam populorum propter omnigenitûm virtutum insignia ad memoriam egregii Martyris Sebastiani confluentium, à RODOINO tunc Præposito ejusdem Cœnobii Augustâ præceptione, cooperante semper bonæ memoriæ HILDUINO Archicapellano Abbateque jamdicti Monasterii funditùs destructa, & in maximo ambitu augustiùs est restaurata. Hîc nostra intermittentes, quid GREGORIUS historicus de hujus sanctissimi Pontificis virtutibus referat, huic Opusculo innectendum ratum duximus.

In Monasterio nuper condito sepelitur ante tumulum S. Medardi.

Interficitur Sigibertus Rex, & in eodem Monasterio tumulatur.

XIII. MEDARDUS, inquiens, gloriosus Confessor juxtà urbem Suessionis quiescit, ad cujus sepulcrum sæpe compedes miserorum confractas aspeximus. Post scriptum de miraculis ejus librum, mulier manu debilis devotè expetiit beati præsidia Sacerdotis. Denique cum reliquis vigilias fide integra celebrat, confisa ab ejus virtute manus humore ligatas posse dissolvi, qui infelicium catenas potentiâ virtutis eximeret. Factum est autem, dum Missæ celebrarentur, resolutis nervorum arentibus ligaturis, gratias Confessori referens, ad sanctum accedens altare, gratiam benedictionis accepit incolumis. Et quia priusquàm templum ædificaretur, erat super sepulcrum Sancti cellula minutis contexta virgultis, & dedicato templo fuit amota, dignum est ut de ipsius ligni tenuitate magnum aliquid proferamus. Nam sæpe de eo hastulæ factæ parumper auctæ, dolori dentium remedia contulerunt. Hæc audiens CHARIMERUS qui tunc Referendarius CHILDEBERTI Regis habebatur, dum de hoc dolore laboraret, basilicam Sancti expetiit, ut sumpturus ex ligno, à virtute Sancti medicinam mereretur accipere. Sed veniens ostium reperit obseratum. Confisus ergo quia virtus beati ubique sit præsens, extracto cultro assulam extulit ab ostio; statimque ut dentes attigit, noxius dolor abscessit. Habetur apud nos & baculus ejus, de quo plerumque infirmi medicamina sunt experti.

Greg. Turon. de glor. Conf. c. 95. & histor. Franc. lib. 4. cap. 19.

Mulier manu debilis curatur meritis S. Medardi.

Dolores dentium mitigantur.

XIV. Hactenùs extrà propositum aliorsùm digressi, nostra quodam postliminio reposcentes, & quæ cœpimus exequamur. Homo quidam ligneis catenarum loris insolubiliter artatus, famosa toto orbe gloriosi Confessoris Christi expetiit suffragia, securæ libertati se reddi supplex expostulans. Ut ergo sacræ ædis limina fide afflatus attigit, repentino fragore uno eodemque momento & cœlum intonuit, & homo peroptatæ redditus libertati, stupore attonitus, solo prosternitur. De hinc timore posthabito, pergit levigatis jam artubus ante sacro-sanctum tumulum, laudes Domino, & gratias Confessori referens pro libertate receptâ. Fit cunctis admirationi tam cita & efficax divinæ virtutis operatio, quam Dominus in Sancto suo gloriosè triumphans, ob ejus meritum suis fidelibus dilucidandum, mirabili omnipotentiæ suæ instinctu mirabiliter patrare dignatus est.

Dissolvuntur catenæ.

XV. Muliercula quædam annosa supervivens d cadaverisve, cui nomen salutis spem ipse genuinæ

d Mulieris manus arida sanatur.

d *supervivens*] Acherius ita emendat, *supervivens cadaveri*; rectè meâ quidem sententiâ.

nativitatis exortus ademerat, inter præpeditos diversarum calamitatum incommodis promiscui sexûs cuneos, ad experta toto orbe beatissimi Sacerdotis præsidia se se raptim conferentes, magnæ fidei devotione subnixa se contulit. Erat enim ei à primis vagitibus manus arida, omni humoris valitudine exhausta, perplexis volæ digitis summo tenùs brachio res quasi aliena dependens. Hæc ut se ante memoriam beati Confessoris summissè exposuit, astitit protinùs per Sancti meritum divinitatis suffragium. Restauratur in eâ, quod vitio naturæ defraudatum fuerat ob peccatum, reparatur membrorum naturalis integritas, & quod minùs habuit ex utero, Sancti remisit è tumulo. Revirescit juvenilis manus in senili brachio; & quæ priùs stipem ostiatim quæritabat, quia impos laboris exstiterat, post docilis nendi facta, cœpit commodiùs suis jam stipendiis vivere. Itaque sospes effecta gaudet, lætatur, gloriatur, exsultat, sanctum magnificat sacerdotem, glorificat, veneratur, adorat, laudes debitas Domino, gratias votivas suo rependens munerario.

Miserè interiit Episcopus qui bona Monasterii diripiebat.

XVI. Processu temporum, cum jam locus ipse haberetur insignis, exstitit quidam WARINBERTUS nomine, aulâ Regiâ frequens, & inter Regis domesticos plurimùm valens. Hic post excessum AUBERTI venerabilis viri, qui idem Cœnobium strenuè rexerat, Regiâ præceptione successit; dignitate quidem, ut post patuit, non merito, quâ per aliquot potitur annos: decedente vitâ DRAUSIONE Suessionicæ urbis Episcopo, loco ejus substituitur. Denique nactus Cathedram Pontificalem, sategit maximâ summâ ne prioris dignitatis privaretur honore; quod licet difficulter, obtinuit tamen. Itaque voti sui compos effectus, cœpit commendatum sibi locum neglectui habere, quia erat plus justo tenax; cœcâque cupidine illectus, reditus atque fiscalia quæ qui ibidem Domino militabant, accipere soliti erant, suis suorumque usibus malè sibi providus delegabat; immemorque pastoralis officii, suimet curam gerens, creditum sibi gregem negligens, pascua dominicarum ovium lupino dente carpebat. Erat denique in pago Cenomannico rus nobile, tam magnitudine præstans quàm censu, quod SIGIBERTUS quondam Rex, cujus suprà meminimus, ob amorem beatissimi Medardi quem impensè dilexerat, Monasterio ipsius contulerat, cui ex duabus linguis, latinâ videlicet atque Britannicâ, quoniam eidem genti finitimum erat, nomen ex antiquo Mat-vallis inditum fuit.

Matvallis ergo, id est bona vallis fundus ipse vocatus est: quia, sicut fati sumus, & confinio lati cespitis erat præstans, & censu plurimo ampla marsupia complens. Sed quoniam difficile erat ipsius fundi annuales & uberes fructus devehi posse ad idem Cœnobium, distrahebantur annuatim, & in aliis speciebus quibus vehendi & deferendi facilior copia videbatur, eorum pretia expendebantur in melle ac sale, aliisque speciebus; & sic annis singulis plurima claustra onusta ad jamdictum deducebantur Monasterium. Sed ea jamdictus Episcopus ad suum diverti faciebat Episcopium suis usibus expendenda. Hoc compendio mercabatur præsentis vitæ letale mox futurum exitium, & æternæ gehennæ inevitabile detrimentum. Talibus eo instante fraudibus, Dei famuli tristabantur, insistendo precibus continuabant jejunia, illacrymantes ante sepulcrum Sancti profunda trahebant suspiria.

XVII. Igitur quâdam vice dum advenirent solito onerata carpenta, penum Episcopii repletura, contigit Episcopum casu fortuito defuisse. Itaque servi Dei nactâ occasione de ejus absentiâ, pergunt obviam, plaustra perducunt ad Sancti Basilicam, reponunt in suis promptuariis quæ fuerant allata in plaustris. Veniunt ad notitiam Episcopi quæ fuerant patrata à Clericis [c]. Ilico furore accenditur, ignescit irâ, perturbatur maniâ, minatur se adventurum, & de ipsis se vindicaturum. Interea milites Domini formidantes promissum sibi exitium, concurrunt ad aulam, per triduum Domini implorant clementiam, altaria discooperiunt, pharos exstinguunt, universa ostia obstruunt, & per illud triduum nec campanæ in eâ quatiuntur, nec divinæ in publico horæ canuntur. Regreditur ad urbem furibundus Episcopus, compertoque quæ agebantur, effervescit iteratâ insaniâ, reaccenditur irâ repetitâ, consurgensque maturè transit flumen, accelerat iter ad Monasterium quasi vindictam acturus ex Clero, ignarus properans ad sibi imminentem perniciem. Itaque cum pervenisset invectus furiâ ante Sancti Basilicam, & non solùm neminem se præstolantem inveniret, sed & omnia ostia munita cerneret, cœpêre sui irreverenter valvas sancti templi concutere, & conclamare ut aperirent. At hi qui intrò habebantur, attentiùs Sancti flagitabant auxilium. Iterum iterumque qui extrà erant, pulsant januas. Interius remorantes moras nectunt. Quid pluris immoror? Ipse non jam sacerdos sed hostis sævus, quo plus fervebat insaniâ, eo amplius concutit ostia. Tandem aperiuntur ab uno Æditno Regiæ: qui mox Ædem sacram ingressus, ut vidit Clericum qui ei ingredienti aditum præbuerat, stantem, baculo quem tunc manu gestabat, caput ejus allisit tam validè, ut totus cruentaretur sanguine. At ille ut erat mœrens, imprecatus est ex animo, quod mox patuit in facto. Pergit, heu miser! non jam Episcopus, sed vir sanguinarius cothurnoso gressu ante Sancti tumulum cruentis manibus oraturus, sed mox horribiliter moriturus. Nam ut genua ante Sancti tumulum flexit, extemplo per alvi secreta ejus proruperunt vitalia, cujus corpus in cœmeterio ejusdem Cœnobii honore sibi congruo depositum ac sepultum est.

XVIII. Vos, vos, inquam, qui dicimini Pastores, Abbates, Rectoresque Ecclesiarum, vos hæc fabula, non fabula, sed res veraciter gesta respicit, vos instruit, vos admonet. Videte ne abusivè, aut nomine tenùs tantùm horum nominum dignitatem sortiti sitis. Pascite fideliter commissum vobis gregem. Quid est fideliter? id est, sine fraude. Fraus namque dicitur fracta fides. Nam Anania ac Saphira quia fidem fregerunt, Deoque mentiti sunt, temporali morte plexi sunt. Cavete ne fraudem faciatis sponsæ Christi, id est Ecclesiæ ejus, ne mercenarii ejus, vel quod deformius est, lupi veraciùs vocemini, & mortem quam Pastores illi, & iste de quo sermo texitur, in corpore pertulerunt, vos in animâ patiamini. Expendite & considerate, si is de quo loquimur aliquos habuerit ante se simili mortis exitu consimiles. Intuemini Judam traditorem, & Arium hæresiarcham considerate, quorum unus humanitatem Christi, alter Divinitatem exstinguere nisi, ambo sicut sensu inanes vixerunt, ita quoque ventre vacui perierunt.

c *à Clericis*] In eum locum sic Acherius scripsit: Sic tum Monachos vocabant, ita passim Greg. Turon. Ut doctè observavit Hadrianus Valesius in lib. 17. Rerum Franc. pag. 556. Fuitè verò in cap. 6 Discept. de Basilic.

MONITUM.

SANCTI ELIGII Noviomensis Episcopi vitam, nullis immutatis sed primigeniâ phrasi servatâ, prout nimirum eam conscripsit S. Audoënus, si nonnulla, quæ ipsum Audoënum spectant, ab amanuensi addita exceperis, exoptarunt, meque ut eam emitterem frequenter & anxiè interpellarunt viri docti, iique amici benè multi. Tandem abhinc XII. *annis descriptam è vetusto codice Corbeiensis Bibliothecæ, & ad Conchensis Monasterii MS. collatam edidi. Eam duos in libros dispertitam voluit Auctor, alter quadraginta capita, octoginta alter complectitur.*

Hæc quidem Acherius, quem miramur ita indiligenter in lectione ejus Vitæ versatum esse, ut in eâ interpolatorum audaciam ac temeritatem non deprehenderet. Hæc enim eos tantùm latere potest, qui aut nihil ad examen reducunt, aut nihil vident. Nos ejus exempla indicavimus aliquot, cùm in cap. 32. *lib.* 1. *tùm etiam in postremâ notâ; quæ tamen sunt ejusmodi, ut cæteris fidem non derogent, quæ S. Audoëno scriptore videri nobis dignissima ultrò fatemur. In novâ hac editione usi sumus variis lectionibus quas subministravit R. P. D. Edm. Martene, ex codice MS. Monasterii S. Audoëni, annorum fermè quingentorum.*

VITA SANCTI ELIGII EPISCOPI.

INCIPIT PROLOGUS BEATI AUDOENI EPISCOPI ROTHOMAGENSIS

IN VITA S. CONFESSORIS CHRISTI ELIGII NOVIOMENSIS EPISCOPI.

CUM Gentiles Poëtæ studeant sua figmenta prolixis pompare stylis, & sæva nefandarum renovent contagia rerum, ac plurima Niliacis tradant mendacia biblis, eorumque vana tantum discurrat gloria, quâ veterum nectunt mendacia; cur nos Christiani salutiferi taceamus miracula Christi, cum possimus sermone vel tenui ædificationis historiam pandere plebi? Præsertim cum Ecclesiasticâ traditione & Apostolicâ admoneamur auctoritate, de Sanctorum gestis seu virtutibus nonnulla commemorare, ut scriptum est: *Memoria Sanctorum cum laudibus.* Et illud: *Laudemus viros gloriosos qui vicerunt regna mundi; ut sit memoria eorum in benedictione, & nomen illorum permaneat in æternum.* Quotiescumque ergo Sanctorum solemnia anniversario circulo celebramus, aliqua ex eorum gestis ad ædificationem Christianæ plebis convenientia in Christi laudibus recitare debemus: quoniam reverâ Christi muneris est, quidquid in Sanctis ejus laudabile est.

Prov. 10. 7. *Eccli* 44. 1. *Heb.* 11. 33. *Eccli.* 46. 15.

Quia igitur omnium penè miracula Confessorum, & multiplices victoriæ Martyrum, litterarum jam monimentis habentur indita, multique nobilium ex gestis eorum reliquêre molem voluminum, nos modo vel exiguum juxtà qualitatem ingenii aptare tentavimus librum, in quo de ortu, vitæque cursu, & glorioso obitu sancti & beatissimi Confessoris & Episcopi ELIGII, quem ad plenum experti sumus, adjuvante supernâ gratiâ, explicandum suscepimus. Id etiam ante nos jam factitatum ab aliquibus eruditissimis comperimus, sed quia illi curis obligati sæcularibus, ut & ipsi profitentur, cum festinatione finiêre sermonem, indignum duximus, ut tam larga bonitas, tamque eximia sanctitas arcto parcoque attenuaretur affatu. Quamvis ergo & nos tantæ rei narrationi minùs simus idonei, indignumque videatur tam laudatæ historiæ exiguum pusillumque fieri auctorem; tamen quoniam mihi olim voti est, & fratrum charitas eadem frequenter exposcit, si Dei juverit favor, quæ mihi comperta sunt, quæque ad memoriam Dominus reduxerit, quamquam imperito digeram stylo, non leporem sermonis inquirens, sed Sancti simplicem vitam simplici sermone, ipsius animatus precibus, enarrare tentabo, ejusque vitæ cursum, licet sermone inculto, ingenti tamen amoris obtentu, ferre conabor in publicum; ut cujus est vitæ cum Christo memoria, gloria relatu celebretur in mundo, breveque vitæ spatium æterna memoria compenset in sæculum, atque in hominum ore, dulci commemoratione vivat in terris, qui cum supremis beatè vivit in cœlis.

Et si quidem velit quis omnem ejus ordinem vitæ litterarum tradere monimentis, certum est quia tanta sunt quæ & volumen magnum requirant & otium. At ego cum sim, sicut sum professus, imperitus sermone, & cum excellentius sit virum sanctissimum mirari quàm loqui; cum etiam doctissimi quidquid de eo dicere potuissent, minus procul dubio sit quàm meretur; tamen ardore dilectionis plùs in illo quid velim, quam in me quid possim consideravi: nam cum sim debitor decem millium talentorum, vel exiguum meæ rusticitatis reddere debitum conatus sum; culpam scilicet metuens silentii incurrere, si agnita miracula ut piger servus silendo occulerem; ne vel unius talenti creditam quantitatem dum niterer cautiùs custodire, culpâ defossæ pecuniæ non carerem; idcircò optimum fore arbitratus sum, ut pecuniæ commercium quod ab Omnipotente accepi, in laudibus Omnipotentis expenderem, atque id quod ab eodem adeptus sum, indignus eidem conferrem subjectus: unde Lectorem obsecro, ut vilitatem nostri sermonis non usquequa-

que despiciat, quia etsi utcumque eloquenter possit oratio promi, ita stylum placet corrigere, ut nec simplicibus quibusque Grammaticorum sectando fumos displiceat, nec scholasticos etiam nimiâ contentos [a] rusticitate offendat, sed perpaucis operta, cunctis prorsùs retexat aperta. Nam & Ecclesiasticum dogma, etiamsi habeat eloquii venustatem, ita eam dissimulare debet ac fugere, ut non otiosis Philosophorum sectatoribus, sed universo loquatur hominum generi; nec enim opus est divinæ doctrinæ sophisticè aut eloquenter signare sermones, cum scriptum sit: *Qui sophisticè loquitur odibilis est: non enim est data illi à Domino gratia.* Eccli. 37. 23. Quid enim legentibus nobis diversa Grammaticorum argumenta proficiunt, cum videantur potiùs subvertere, quàm ædificare? Quid, inquam, Pythagoras, Socrates, Plato, & Aristoteles nobis philosophando consulunt? Quid sceleratorum næniæ Poëtarum, Homeri videlicet, Virgilii & Menandri, legentibus conferunt? Quid, inquam, Salustius, Herodotus, & Livius, Gentilium texendo historias, Christianæ prosunt familiæ? Quid Lysias, Gracchus, Demosthenes, & Tullius arti oratoriæ insistendo, Christi puris atque præclaris possunt comparari doctrinis? Quid Flacci, Solini, Varronis, Democriti, Plauti, & Ciceronis, aliorumque solertia, quos enumerare supervacaneum puto, nostras juvat utilitates?

His itaque omnibus cum suis vanis studiis omissis, ad simplicem propositæ properemus historiæ seriem. Adest ille Plasmator qui linguas infantium fecit disertas, cujus gratiam nobis adesse supplices optamus, ut ipso annuente Confessoris sui palmam gradatim narrare possimus. Quapropter lectores obsecramus, & per gloriosum Christi adventum obtestamur; ut si quis hæc legens amore captus exemplare voluerit, syllabarum detrimenta summopere observet, & dudum conscripta exemplaribus rursùs conferat corrigenda, ut quæque cum studio & sollicitudine scripta sunt, cum curâ & diligentiâ transcribantur. Hæc idcircò, quia plerumque videmus nonnulla volumina, & præcipuè Sanctorum gesta, ita scriptorum vitio depravata, ut studiosis quibusque non solùm lectitare, verùm etiam manibus sit contingere fastidium: at nostra hæc si placet oratio, per incolumem statum Catholicæ servetur Ecclesiæ; nam præmium laboris nostri ultima, confido, pensabit dies. Sed ne prolixa præfatio priùs fastidium generet, quàm lector supercilium historiæ inclinet, licet cum verecundiâ fratribus quidem obedientiam & illi impendo, de quo non dignè loquor, injuriam, sed tribuat veniam: confido enim quòd devotione non offendo. Nunc verò hæc primâ in fronte ex ejus vitâ propono.

CAPITULA LIBRI PRIMI.

Expliciunt Tituli Libri primi.

INCIPIUNT TITULI LIBRI II.

a *nimiâ contentos*] Forte *contentus*, ait Acherius; sed mihi magis placet *contextus*.

INCIPIT VITA S. ELIGII EPISCOPI NOVIOMENSIS.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. De prosapiâ S. Eligii, & loco nativitatis ejus.

IGITUR Eligius Lemovicas Galliarum urbe, quæ ab Oceano Britannico ferè ducentorum millium spatio sejungitur, in villâ Catalanense quæ à prædicta urbe sex circiter millibus ad Septemtrionalem plagam vergit, oriundus fuit. Est itaque præfata civitas partibus sita Armoricanis in ulteriore Galliâ, primâque Aquitaniâ, quæ ad plagam respicit Occidentalem, cui contigua est ab Oriente provincia Lugdunensis, Galliaque Belgica: habet etiam ab Euro [b] & Meridie provinciam Narbonensem: à Circio autem ambitur Oceano: porrò ab occasu habet Hispanias. In hac ergo regione parentibus ingenuis, atque ex longâ prosapiâ Christianis, Eligius natus atque altus est: cujus pater EUCHERIUS, mater verò TERRIGIA vocitata est. Ipse autem divinâ gratiâ præsciente congruum sibi ac veluti speculum mentis suæ Eligius nomen accepit. Ergo cum propositum sit de his quæ gessit, imò ea quæ Dominus per eum operari dignatus est, sicut gesta constant, narrare: tamen id quod priusquàm nasceretur ad indicium sanctitatis ejus ostensum est, quodque magnorum virorum testimonio didici, omittere non debeo.

CAP. II. Cum adhuc vir beatus matris esset alvo inditus,

b *ab Euro*] Sic codex S. Audoëni: prior editio *in Euro*.

De præſagio quod ſenſit mater de puero.

vidit genetrix ejus viſionem, quæ hujuſmodi habet ordinem. Videbat quaſi aquilam valde pulcram ſuprà ſuum volitantem ſtratum, ac ſe tertiò inclamantem, ſibique quid neſcio pollicentem: cumque ex reciprocâ voce evigilaſſet, perterrita nimis cœpit mirari quænam eſſet hæc viſio. Interea venit tempus pariendi, & præ magnitudine doloris cœpit mater periclitari: vocaverunt autem quemdam religioſum Preſbyterum boni teſtimonii virum, ut pro eadem orare deberet; qui cum veniſſet ad eam, quaſi prophetica mox uſurpans verba, ait ad illam: Noli inquiens, mater timere, quoniam benedictum partum tibi Dominus dignabitur largiri; erit enim vir ſanctus ac de gente ſuâ electus, vocabiturque magnus in Eccleſiâ Chriſti Sacerdos.

Cap. III. *De moribus quibus optimis accreſcebat.*

Igitur Eligius nutritus eſt in fide rectâ, atque imbutus à parentibus Chriſtianis religione Catholicâ: exinde igitur pueritiæ annos excedens, ævum adoleſcentiæ cum induſtriâ gerebat, & quidquid operis ſuæ ætati congruum arripuiſſet, mirâ agilitate perficiebat. Cum ergo videret pater ejus tantum filii ingenium, tradidit eum ad imbuendum honorabili viro, Abboni vocabulo, fabro aurifici probatiſſimo, qui eo tempore in urbe Lemovicinâ publicam fiſcalis monetæ officinam gerebat: à quo in brevi hujus officii uſu pleniſſimè doctus, cœpit inter vicinos & propinquos in Domino laudabiliter honorari: gerebat enim ſimplicitatem columbæ, ne cuiquam machinaretur dolos; habebat & ſerpentis aſtutiam, ne aliorum ſupplantaretur inſidiis; dignum quoque in cunctis habens ingenium, & facilè loquebatur & purè. Eccleſiarum etiam conventiculis frequenter intererat, quæcumque ibi ex divinis Scripturis recitabantur, aurem libenter accommodans, avidiſſimè hauriebat, atque ita in cordis ſui memoriam recondebat, ut etiam cum abſens eſſet, ea quæ didicerat meditatione intentiſſimâ ruminaret.

Cap. IV. *Relictâ patriâ Franciam petiit.*

Interea poſt aliquot annos exſtitit quædam cauſa, divinâ, credo, gubernante providentiâ, ut relictâ patriâ & parentibus Francorum adiret ſolum, ubi paucis degens diebus factus eſt notus cuidam Regis Theſaurario, Bobboni vocabulo, viro honeſto & manſueto, cujus ſe patrocinio committens, ſub ejus ditione degebat: ſtrenuè enim ad omne opus ſe aptabat, & omnes cum quibus colloqui potuiſſet, in ſuo amore annectebat.

Cap. V. *Quo ordine ad notitiam Regis pervenit.*

Poſt aliquod autem temporis intervallum pervenit ad notitiam Clotarii Francorum Regis hujuſmodi ex cauſâ. Volebat enim idem Rex ſellam urbanè auro gemmiſque fabricare, ſed non inveniebatur in ejus Palatio qui hujuſmodi opus, ſicut mente conceperat, poſſet opere perficere. Cum ſciret ergo præfatus Regis Theſaurarius Eligii induſtriam, cœpit eum explorare ſi quominus [c] opus optatum poſſet perficere, & cum facile id apud eum fieri intellexiſſet, ingreſſus ad Principem indicavit ei inveniſſe ſe artificem induſtrium, qui diſpoſitum ſine cunctamine aggrederetur ejus operis artificium.* Tunc Rex mente gratiſſimâ tradidit ei copioſam auri impenſam, ſed & ipſe nihilominùs tradidit Eligio: at ille acceptum opus cum celeritate inchoavit, atque cum diligentiâ celeriter conſummavit. Denique quod ad unius opificii acceperat uſum, ita ex eo duo compoſuit, ut incredibile foret omnia ex eodem pondere fieri potuiſſe: nam abſque ullâ fraude, vel unius etiam ſiliquæ imminutione commiſſum ſibi patravit opus, non cæterorum fraudulentiam ſectans, non mordacis limæ fragmina * culpans, non foci edacem flammam incuſans, ſed omnia fideliter complens, geminam feliciter meruit felix remunerationem. Opus ergo perfectum defert protinùs ad palatium, traditque Regi quam donaverat ſellam, alterâ penes ſe quam gratuito fecerat, reſervatâ. Cœpit tunc Princeps mirari ſimul & efferre tantam operis elegantiam, juſſitque illicò fabro tribuere mercedem laboris dignam. Tunc Eligius alterâ ex occulto in medio prolatâ; quod ſuperfuit, inquit, ex auro ne negligens perderem, huic operi aptavi. Confeſtim ſtupefactus Clotarius, & majori admiratione detentus, ſciſcitabatur opificem ſi cuncta ex eodem penſo facere potuiſſet, & cum conſequenter juxtà id quod fuerat ſciſcitatus reſponſum accepiſſet, ingenium ejus ſublimi favore attollens; ex hoc jam, inquit, etiam in maximis credi poteris. Porrò hoc fuit initium, necnon & teſtimonium in palatio Regis, honorandi credendique Eligium: ex hoc nempe ad altius conſurgens factus eſt aurifex peritiſſimus, atque in omni fabricandi arte doctiſſimus, invenitque gratiam in oculis Regis, & coram cunctis Optimatibus ejus, Dominoque juvante roborabatur in fide, & à Rege provocatus creſcebat quotidie in melius.

Cap. VI. *Eidem Rex juramentum extorquere niſus eſt.*

Me igitur præſente neſcio quam ob cauſam, niſi quod facilè datur intelligi fidelitatis obtentu, dum apud regem puerulus habitarem, quâdam die Rotoilo in agro accito Rex Eligio coram Reliquiis Sanctorum præcipiebat ei ut impoſitione manuum ſacris pignoribus donaret ſacramentum; ſed ille divinum intuitum verens, recuſare humiliter omni niſu tentabat: cumque inſtantiùs id facere compelleretur, anxius valde cœpit mox ubertim lacrymas profundere, metuens ſcilicet Regem offendere, ſeptuplumque pavens ſanctis pignoribus manus imponere. Intuens itaque Rex ejus timorem, ſimulque mirans tantam viri devotionem, deſiit eum ultrà cogere, ſed magis blandè leniterque demulcens lætiſſimo eum vultu dimiſit, pollicens ſe plus eum ex hoc jam crediturum, quàm ſi multimoda tunc dediſſet juramenta.

Cap. VII *Quo ordine pœnitentiam geſſerit.* d

Non poſt longum ſpatium cum jam Eligius virilem ageret ætatem, cupiens ſe vas Deo exhibere ſanctificatum, ac metuens ne aliqua ſuum delicta pectus fruſtrarent [d], omnia adoleſcentiæ ſuæ coram Sacerdote confeſſus eſt acta; ſicque ſibi auſteram imponens pœnitentiam, cœpit fortiter colluctationi carnis, ſpiritûs fervore reſiſtere, in laboribus ſcilicet ſecundùm Apoſtolum, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate, in patientiâ multâ, atque in charitate non fictâ: proponebat namque ſibi adversùs præſentes carnis ardores futuri ſupplicii ignes, ac memoria ardoris gehennæ ardorem excludebat luxuriæ. Orabat jugiter pro donis cœleſtibus, precabatur Deum diebus ac noctibus, illud ex libro Job crebriùs revolvens: *Ego, inquit, deprecabor Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum: Qui facit magna & inſcrutabilia & mirabilia abſque numero. Qui ponit humiles in ſublime, & mœrentes erigit ſoſpitate.* (*Job 5. 8. & ſeqq.*) Adimebat ſibi ſaturitatem panis, ut cœleſtem poſſet promereri panem. Ora quidem ejus jejuniis pallebant, corpus aridum marceſcebat, ſed mens acrius ſemper æternæ patriæ amore æſtuabat; & unde graviora recordabatur, inde patientiùs leviora portabat: ſemper enim præſentis vitæ terminum intuens, futuram Dei ſententiam ac metuenda judicia formidabat; ſciens ſcriptum: *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus.* (*Prov. 28. 14.*) Et illud Apoſtoli: *Cum timore & tre* (*1. Cor. 7. 15.*)

c *ſi quominus*] Malo, *ſi quomodo.* Infrà edidimus ex codice S. Aud. *operis artificium*, ubi, *opus* tantùm legebatur, &, *fragmina*, quo loco editum erat *fragmen.*

d *pectus fruſtrarent*] Hîc S. And. codex habet, *pectus fulcarent*, ex eodem ſtatim edidimus *adoleſcentiæ ſuæ*, ubi legebatur *ab adoleſcentiâ ſuâ.*

more vestram salutem operemini. Necnon & illud
Job 31. 23. Job dictum: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum.* Ad Domini sui pedes noctibus jacebat, manibus pectus tundens, genas lacrymis irrigans, moderatoque suspirio oculis ad cœlum levatis, illum semper respiciebat, quem fortasse delinquendo offendisse timebat; ac lacrymabili voce
Psal. 50. 5. hæc crebriùs verba geminabat: *Tibi soli peccavi: miserere mei secundùm magnam misericordiam tuam.*
Job 7. 7. Et illud beati Job: *Memento*, inquiens, *quia ventus est vita mea.* Et, *Parce mihi, nihil enim sunt*
Ibid. 16. *dies mei.* Et ex se quodammodo egrediens, illud ante
1. Cor. 2. 9. suam pingebat mentem, *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Idcircò ista jugiter meditando quanto plus proficiebat, tanto plus humiliabatur; ut quanto plus humiliatus fuisset, tanto amplius proficeret. Cujus quanta fuit mœstitia, tanta fuit & venia; & quantum se humiliter afflixerat, tantum clementer sublimari à Domino meruit. O profunda benignitas Dei! fit velocior venia, quàm offensa! O felix pœnitentia, quæ tam velociter ad se Christi traxit misericordiam! quæque non priùs assiduo fletu delictorum flammas exstinguendo, frequentique jejunio peccatorum virus excludendo destitit, quàm misericordiam quam poscebat à Domino impetraret. De talibus quippe per Malachiam
Malach. 2. 5. Prophetam Dominus dicit: *Dedi ei timorem, & timuit me; & à facie nominis mei pavebat.* Hinc item
Eccli. 1. 27. scriptum est: *Timor Domini expellit peccatum.* Et rursùs: *Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est spes ejus.*

CAP. VIII. Divinitùs remissionis indicium accepit.

Denique quodam tempore interpellans pleno pectore, fide exigebat, ut si esset accepta Deo ejus pœnitentia, quoquo ei modo dignaretur dare notitiam. Habebat itaque in cubiculo, ubi assiduè cubitare solitus erat, multorum pignora Sanctorum in supremis dependentia, sub quorum sacro velamine reclinato in cilicio capite orare consueverat nocte; quo nimirum in loco, cum ex more quâdam nocte in oratione prostratus super cilicium incumberet, somno ingruente oppressus veluti transeundo in momento obdormivit, visumque est ei adstitisse repente quemdam, atque dixisse; Ecce, Eligi, exauditæ sunt preces tuæ; indiciaque olim quæsita nunc tibi concessa. Mox ille excitatus odorem hausit gratissimum, sensit etiam ex gerulo Reliquiarum guttas suavissimas super suum lenissimè defluere caput; ex quo nimis attonitus surrexit velociter, & sollicitè conspiciens vidit quasi balsamum distillare de chrismario & pallio quo erat opertus: tanta quippe fragrantia odoris suavissimi totum illud repleverat cubiculum, ut ipse vix ibi subsistere quivisset. Tunc memor suæ petitionis, nimiumque largitatem bonitatis Dei miratus, altiùs ingemiscens fidelem retributorem ex imo corde benedicebat Christum, qui nunquam dereliquit sperantes in se. Hoc ergo fuit initium virtutum ejus, imò omnipotentis Dei, per quem omnes omnia possunt. Quod cum vir sanctus sodali suo AUDOENO nomine, cognomento DADONI, quem sicut animam suam diligebat, secretiùs enarrasset, vicissim ab eo exegit ne usquequo ipse in corpore maneret, eadem cuiquam indicaret. At ille hæc audiens cœpit continuò animo compungi, cœpitque secreta arcanorum ejus vis quædam interni amoris accendere: jamque ex hoc spretis sæculi blandimentis cupiebat ex studio Eligium æmulari ad bonum; accito etiam germano suo ADONE in consilio communi: erant enim viri inclyti Optimates aulæ, filii scilicet AUTHARII. Hi ergo habito communi consilio cœperunt imitari quæ ab Eligio gerebantur; eratque eis familiare consortium, & cor unum in Domino atque anima una.

CAP. IX. e De morte Clotharii; & quantâ familiaritate habitus sit apud Principes.

Invenit ergo Eligius gratiam coram Deo, & coram Regibus Francorum, & ferebatur ei [e] ab omnibus testimonium in tantum, ut copiosam molem argenti & auri vel gemmarum absque ullâ pensâ à Rege acciperet: crescebatque ei honor cum magno favore de die in diem, & omni ex parte probatus vernabat, in aulâ devotus. Mortuo interea CLOTARIO Rege Francorum, DAGOBERTUS filius ejus Monarchiam Regni solus obtinuit, à quo Eligius tantâ familiaritate habitus est, ut plurimorum ejus felicitas ingens gigneret odium. Siquidem oderant eum pravi quique, quoniam magnopere oderat ipse superbiam, diligebat veritatem, & cum esset strenuus jugis ei erat contrà eorum vesaniam pugna, perpetuumque certamen: sed planè illum boni omnes admirabantur & diligebant, quia noverant Catholicam hominis scientiam, ac patriæ cœlesti mentem jugiter intentam, semperque actibus bonis præparatam [f]. Sectabatur itaque jugiter charitatem, mansuetudinem, & longanimitatem, diligebat Deum ex toto corde, & ex totâ animâ, atque ex totâ virtute: erat quoque tranquillus moribus, & serenus aspectu, gerebat vultum planum, moderatam speciem, ornatum aspectum, quietum sensum, animum lætum, humilem sapientiam, semper opera bona factis ampliùs quàm verbis ostendebat. Corpus fame castigans, jejunium potiùs quàm epulas amans; dolentem consolans, spem suam Deo committens, orationi frequenter incumbens, nihilque amori Christi præponens, quod credebat docens, quod docebat imitans: semper enim ante oculos ejus dies ultimus versabatur, semperque mens ejus præcepta cœlestia meditabatur: orabat autem frequenter, quia didicerat quòd oportet sine cessatione Dominum rogare: satagebat magnopere ne secundus cuiquam in operibus bonis inveniretur. Erat etiam ergà famulos Dei valde humanus atque benignus: charitatem verò super omnia & ipse diligebat, & omnibus servare mandabat; existebat utique in cunctis casibus firmus, omniaque adversa patienter ferebat; pericula aliena in se pertimescebat, aliorumque casus suos esse laqueos judicabat. Finem quoque vitæ sollicitè semper considerabat, metuens ne se tamquam fur hora illa inermem comprehenderet. Cum opere etiam lectioni vacabat, sciens quòd lectione sensus augetur & intellectus tribuitur; & quòd lectio docet quid caveatur. Erat verò ergà omnes humilis nimiumque in humilitate fundatus; nulli se præponens, nulli superiorem se deputans; sciens & illud: Quia si quis perfectâ contentus fuerit humilitate, habebit ex illâ gloriam, & quanto quis humilior fuerit, tanto eum altitudo gloriæ sequetur.

Habebat enim temperamentum in prosperis, patientiam in adversis, mentemque nec gaudio nec mœrore à Christi unquam amore revocabat. Irascentem quoque patientiâ deliniebat, & blandimento iracundiam furentis temperabat, ac sic alienam miseriam tamquam suam lugebat; eratque ei in ingressu simplicitas, in motu puritas, in gestu gravitas, in incessu honestas, in jejunio hilaritas; animus enim ejus in modestissimo corporis habitu apparebat: erat etiam parcus in sermone, blandusque in

e *ferebatur ei*] Sic laudatus S. Aud. codex. Editi *ferebatur ejus.*

f *præparatam*] Quæ sequuntur cùm in hoc capite, tùm etiam in proximo usque ad illa verba, *Id etiam & in peregrinos*, &c. non leguntur in codice S. Audoëni.

eloquio;

eloquio, tristem imoque dolentem dulci consolabatur affectu. Hoc proferebat ex labiis quod mentem ædificaret audientis; fiebatque ejus sermo exspectationi Ecclesiæ utilis; nihil enim ex omnibus quæ egisset bonis, meritis suis tribuebat, nihilque in viribus suis unquam præsumebat, sed omne opus suum ad Deum semper conferens, in cunctis actibus ejus auxilium implorabat. Bonum quod didicerat docebat, verba tamen operibus præcedebat; sciens quoniam non est laude dignum quod docet quis, nisi dictis facta conjunxerit; sed potiùs si quod docet & facit, tunc gloriosus habebitur: unde & Apostolus: *Ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Hostem præterea invisibilem orationibus & precibus repellere jugiter contendebat, pugnans ore non gladio, orationibus non telo, precibus non ferro. Cunctis autem diebus, cunctis horis Dei flagitabat præsidium, ut dignus post mundi luem posset pervenire ad bravium. Res temporales tribuebat egenis, ut pro eisdem mercaretur Paradisi delicias. Devitabat quidem superbiam, amplectebatur humilitatem: Dei semper auxilium rogans, finem jugiter felicem postulans. Quis enim illo tempore humilitatem ejus cernens, non protinùs compungeretur? Aut quis amator pecuniæ, ejus humanitatem & parcimoniam, devotionem quoque & studium aspiciens, non confestim admirando obstupesceret? Nam quidquid bonorum in principio arripuit, usque ad finem vitæ nullis negotiis passus est implicari, sed integrum & sanctum propositum servans, in nullo cœptam regulam commutavit: sub habitu enim alterius semper alteri militavit, & quidquid habere potuit in mundo, Christo tradidit ex toto.

1. Cor. 9 27.

CAP. X. Quanto studio in Dei timore, & misericordiæ operibus profecerit.

Pollebat itaque magis ac magis in vigiliis, in jejuniis, atque in charitate: fabricabat in usum Regis utensilia quamplurima ex auro & gemmis: sedebat fabricans indefessò, & contrà eum THILLE vernaculus ejus, ex genere Saxonico, qui Magistri sequens vestigia, & ipse postmodum venerabilem vitam duxit. Sedens ergo ELIGIUS ad opus prædictum, codicem sibimet præ oculis præparabat apertum, ut quoquo genere laborans divinum perciperet mandatum: sic igitur duplum gerens officium, manus usibus hominum, mentem usui mancipabat divino. Fragrabat ejus ubique fama, in tantum, ut si qui ex Romanâ, vel Italicâ, aut Gothicâ, vel qualicumque provinciâ legationis fœdere, aut aliâ quâcumque ex causâ Palatium Regis Francorum adire pararent, non priùs Regi occurrerent, quàm Eligium aggrederentur, vel juvamen alimoniæ ab eo poscentes, vel certè consilium salubre quærentes; confluebantque ad eum undique viri religiosi, advenæ quoque & Monachi, & quidquid militare poterat aut eis in eleemosynam dabat, aut certè captivorum in pretia distrahebat; habebat enim maximum in hujusmodi opere studium. Sanè ubicumque venumdandum intellexisset mancipium, magnâ cum misericordiâ & festinatione occurrens, mox dato pretio liberabat captivum; interdum etiam usque ad viginti & triginta, seu & quinquaginta numero simul à captivitate redimebat; nonnunquam verò agmen integrum, & usque ad centum animas, cum navi egrederentur, utriusque sexûs, ex diversis gentibus venientes pariter liberabat, Romanorum scilicet, Gallorum, atque Britannorum, necnon & Maurorum, sed præcipuè ex genere Saxonorum, qui abundè eo tempore veluti greges à sedibus propriis evulsi in diversa distrahebantur: quòd si contigisset ut copiosus venditorum numerus mensuram pretii excederet, cunctis præter corpus proprium quæ habere poterat, usque ad cingulum & amphibalum, necnon & victum necessarium, sed & usque ad calceamenta se exspoliabat, tantummodo ut captivis subveniret.

Id etiam & in peregrinos Christi sæpissimè faciebat. O quoties debitor esse voluit, ut debitoribus subveniret? Quoties brachile aureum, pugam quoque auro gemmisque comptam sibi surripuit, tantùm ut miseris succurreret? Ut autem breviter comprehendam, tantam captivorum multitudinem per succedentia temporum spatia à duro dominorum absolvit jugo, tantasque eleemosynas diverso hominum generi utriusque sexûs, diversis Ecclesiis ac Monasteriis distribuit, ut nullus ea orator quamvis eloquens ad plenum narrare sufficiat: redemptos enim captivos protinùs coram Rege statuens, jactatis ante eum denariis chartas eis libertatis tribuebat; deinde trinam ipsis optionis proponebat electionem, id est, ut si qui vellent jam liberi ad propriam remeare patriam, ipse eis in quantum suppetebat, præberet subsidium; si qui autem cum ipso velint permanere, libens valde accommodabat assensum, ita dumtaxat non jam ut servi, sed potiùs ut fratres cum eodem degerent; porrò si quibus g suadere poterat ut venerabilem Monachorum vitam arripientes claustra Cœnobii expeterent, hos tamquam dominos insigniter honorans, vestimenta etiam & quæque erant necessaria tribuens, illicò Archisteriis cum exultatione destinans, cum grandi demùm solicitudine eorum gerebat curam. Habebat præterea secum plures vernaculos in suo contubernio degentes, sibique necessariò jugiter obtemperantes, de quibus erat BAUDERICUS ejusdem liber comprovincialis, qui in omnibus honestè valde ejus curam gerebat. Erat etiam TITUENUS genere Suevus, fidelis cubicularius laïcus, qui postea ad mercedis cumulum pervenit interemptus; necnon & BUCHINUS ex gentili conversus, qui & ipse postea venerabilis exstitit, ac Ferrariensi Cœnobio præfuit. ANDREAS quoque & MARTINUS atque JOANNIS, qui eo etiam procurante ad Clericatum pervenire meruerunt: sed & alii quamplures quos enumerare perlongum est, qui die noctuque in ejus camerâ cum omni studio solemniter canonicum adimplere studebant cursum.

CAP. XI. Quantum pauperibus & peregrinis præbuerit obsequium.

Multitudo præterea pauperum, sicut apes ad alvearium, undique quotidie ad eum confluebant, in tantum ut si quis ignotus aut peregrinus ELIGII inquirens domicilium, cum ex eo interrogaret quempiam, id ab eo reciperet responsum: Vade, inquiens, illam in plagam, & ubi pauperum cœtus conspexeris, illic utique & Eligium reperies: sicut enim, ut dictum est, apes circumdant favum, ita assiduè turbis pauperum constipatus incedebat ELIGIUS, quibus aut per se, aut per famulum alimoniam pariter & eleemosynam tribuens, benignissimè quotidie refovebat: habebat enim & loculos ubi aurum distribuendum secum jugiter portare consueverat, ne sicubi pauperem fortuitu obviasset, dilatio vel parva porrigendi intercederet: cui quot pauperes obviant, tot sportella vicibus pervulsa (ut simpliciter dixerim) trita, imòque polita de beato digito videbatur. Quid plura? Quidquid habuit, excepto tegumento & victu, totum egenis & Monasteriis dispersit; sciens Apostoli esse præceptum: *Habentes victum & vestimentum, his contenti simus*; Et, *Qui volunt divites fieri in hoc mundo incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia, & nociva, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* Nam cum vespertinis

1. Tim. 6. 8.
Ibid. 9.

g *si quibus*] Codex S. Aud. *si quos*.

horis sæpe post biduum, nonnunquam verò post triduum, paratum accederet sumere cibum, destinatis in diversa famulis, omnes quos invenire potuissent egenos, & peregrinos, seu mendicos, ac languidos, sibimet adduci præcipiebat: hoc etiam cunctis diebus (exceptis his quibus & ipse reficiebatur) faciebat; rarò enim aut certè nunquam contingebat, ut cum eo pauperes minimè convivarentur, quibus adductis ipse propriè famulorum intercipiens officium, eorum necessitatibus alacriter valde inserviebat, avellens ab humeris sarcinas, detersa [h] mantibulis levigans, aquam manibus fundens, merumque scypho refundens, ipse bibere porrigens, buccellam ipse præbens, omnes postremò in ordine faciens mensæ discumbere, ipse panem frangens, cibum iisdemque inferens; postremò his peractis omnium fame refectâ, sic ipse aut ante eos stans, aut certè ad cornu cartibulæ vili sellulâ utens, valde exiguum, atque ex comedentium sumebat fragmine cibum; plerumque enim egenis ad mensam juxtà morem vocatis, cum & ipsi esset congrua hora cibum sumere, mensâ allatâ necnon compositâ, manibus etiam lotis, ne unus quidem superesset qui illicò invitatis apponi debuisset panis, omnibus ut sæpè contingebat, eâdem die usque ad victum, aut in eleemosynis redactis, aut in pretia captivorum absumptis: sed cum quidam ex famulis circumstantibus hæc sæpiùs videntes irriderent, nonnulli etiam humiliter inopiam compaterentur, universos simul vir beatus coërcens, atque refovens, aiebat; Quid molesti estis modicæ fidei? numquid qui Heliam & Joannem in deserto pavit, nobis modo in medio cœtu suum fraudabit beneficium? Credo, inquit, in Creatorem meum, quoniam etsi nos non meremur, hi tamen pauperes Christi refocillati hodie ipsius dono ab hoc recedent tabernaculo. Nec mora, aliquando priusquàm verba compleret, pulsabant viri vestibulū domus, panes, cæteraque necessaria affluenter deferentes, quos aut Rex, ut sæpe consueverat, aut dives quidam, aut devota mittebat persona: omnes enim jam compertum habebant & quibus ELIGIUS indigeret, & quibus sui juris substantiam dispergeret: undecumque ergo veniret, Eligii tamen fides eum nunquam fefellit, quoniam veraciter dicit Scriptura: *Quia hilarem datorem diligit Deus.* Et hoc 1. Cor. 9. 7. sanè non transitoriè, aut ad momentum fecit, sed omni penè vitæ suæ tempore id agens, tale Galliæ exemplum reliquit. Sed dum vidi hominem, cur etiam non & formulam ejus depingam?

CAP. XII. Descriptio habitûs & formæ ejus: & jugitas orationis.

Erat enim staturâ prolixus, & facie rubicundus; gerebat cæsariem formosam, & crinem quoque circillatum, manus habebat honestas & digitos longos, Angelicum vultum, simplicem & prudentem visum: utebatur quidem in primordio auro & gemmis in habitu, habebat quoque zonas ex auro & gemmis comptas, necnon & bursas eleganter gemmatas; lineas verò metallo rutilas, orasque sarcarum auro opertas, cuncta quidem vestimenta pretiosissima, nonnulla etiam holoserica; sed his omnibus ad ostentationem fugiendam primo tempore utebatur in palam, intrinsecùs verò ad carnem cilicium gestabat ex consuetudine; postea verò, cum ad altius profecit, cuncta ornamenta in egentium necessitatibus consumsit. Videres plerumque ire funiculo cinctum, vilibus vestibus tectum, quem videbas dudum radiantis auri & gemmarum mole opertum; nonnunquam verò cum videret eum Rex ob devotionem amoremque Christi exspoliatum, surripiens sibi ipsi dabat ei proprium & indumentum & cingulum; dicebat enim non esse dignum hos qui sæculo militarent incedere inauratos [i], & hos qui ob Christum cuncta sibi auferrent esse inglorios.

Idemque apud regem habitans habebat mansionem assiduè subjunctam cum DADONE; sicut enim animam suam, ita diligebat illum, de cujus quidem exemplis multa sumsimus, quæ nec à longè utique narrare sufficimus. Habebat itaque in cubiculo suo multa Sanctorum dependentia pignora, necnon & sacros libros in gyro per axem plurimos, quos post psalmodiam & orationem revolvens, & quasi apis prudentissima diversos ex diversis flores legens, in alvearium sui pectoris optima quæque recondebat. Erat ei consuetudo in noctibus cilicium ante lectulum sternere, seque aut à primo crepusculo, aut post paululum quietis citissimè lectulo excutiens, super illud submisso capite prostratum orare, sicque plerumque noctem totam excubiis insistendo cum lacrymis ducere: grandis enim ei attributa erat gratia lacrymarum; nam diversis modis, in quantum humana permittere poterat natura, jugiter insistebat, ut omne noctis spatium in Dei consumeret servitium; cùm enim prolixè oraret, pro quodam levamine intermittens orationem, psalmos concinebat ex ordine, quibus longè cantatis ad lectionem illicò accedebat; dumque sacra verba percurreret, videres repente suppliciter oculos ad cœlum levare, suspiria suspiriis jungere, fletum lectioni miscere, singultibus pectus quatere, atque ora lacrymis uberrimè perfundere, & cum plerumque inter ipsa divina verba somno vehementer ingruente gravaretur, ex ipsis quodammodo lectionis verbis etiam per somnum meditabatur: cumque subitò excitus lectionem expleret, rursus se secundùm morem conferebat ad orationem, in quo opere tantum silentio studebat, nusquam caput reflectens, nihilque aliud intendens, ut vix halitum spiraminis ejus quisquam audire posset. Sanè frequenter diversis ex causis & noctu & maturiùs in Regis cameram vocatus nullatenùs pergebat, etiamsi missi assequerentur missos, priusquàm suum propositum in Christi compleret obsequium: egrediens enim domo, orationis & crucis muniebatur signo, regrediens verò domum, oratio occurrebat ei priusquàm sessio. Taliter nempè agebat cunctis diebus vitæ suæ, & his exercitiis ad æternam patriam jugiter anhelabat. Erat itaque omninò affabilis atque subtilis, corde pius, & animo etiam ad belligerandum fortis.

CAP. XIII. Britanniam adiens, pacem cum Principe fecit.

Denique aliquando rogatus à Rege legatione fungi partibus Britanniæ, nihil ille cunctatus perrexit tam ociùs, quàm Christi charitate securus. Quo cum pervenisset Britannorum Principem adiit, causas pacti indicavit, pacis obsidem recepit; & cum nonnulli jurgia eos vel bella mutuò sibi indicere æstimarent, tantâ præfatum Principem benignitate & mansuetudine ac lenitate attraxit, ut etiam secum eum adducere facilè suaderet. Commoratus ergo ibidem aliquamdiù, rediens demùm perduxit secum Regem cum multo exercitu generis sui, eumque Crioilo in villâ Regi Francorum præsentans, pacificè confœderavit; qui copiosa munera intulit, sed uberiùs muneratus ad propria rediit. Sed quis plenè sufficiat enarrare quantas in eodem itinere eleemosynas Eligius fecerit? nam præter aurum cæterasque opes quas distribuit, etiam suum cingulum aureum elegantissimè aptatum, pauperibus ac necessitatem patientibus dispersit; ut aptè ei Psalmistæ

h *detersa*] Acherius conjicit *dorsa mantilibus levians*, quod non displicet.

i *inauratos*] Sic emendavi ex conjecturâ, nam editum erat *inornatos*, & Acherius, cui hæc lectio displicebat non immeritò, addiderat in orâ libri, fortè *ornatos*.

Psal. III. 8. vox posset congruere : *Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Semper enim ubicumque pergeret, sententiam Apostoli meditabatur, dicentis : *1. Tim. 6. 8.* ***Habentes victum & vestitum, his contenti simus : Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli.*** Et hæc jugiter considerans faciebat sibi amicos de mammona iniquitatis, qui se reciperent in æterna tabernacula : atque ita satagebat, ut cum hæc omnia faceret, ostentationem penitùs fugeret, ne in hoc sæculo laudes humanas suo pro opere reciperet : nam nunquam pro excellentiâ suâ est elatus [l] in superbiam, nunquam servos suos obductâ fronte contemsit; sed cunctis ipse amabilis, Principes diligebat ut fratres, venerabatur ut dominos, eorum etiam ministros, ac universum Palatii ordinem, quo regalis frequentatur ambitio, concordissimo sibi charitatis conglutinaverat vinculo.

Cap. XIV. Apud Regem Dagobertum quidquid poposcisset, obtinebat.

Porrò Rex Dagobertus torrens, pulcher, & inclytus, ita ut nullus ei similis fuerit in cunctis retrò Francorum Regibus, in tantum diligebat eum, ut frequenter catervis Principum, Optimatum quoque, & Ducum atque Episcoporum se subtrahens, Eligii secreta peteret conciliabula : nam quidquid eidem Eligius postulasset, absque ullâ dilatione impetrabat, quidquid verò adipisci potuisset, in eleemosynas egentium, in pretia captivorum, in remedia debilium expendebat, unde & ipse Princeps libentissimè præstabat quod sciebat non uni sed pluribus prodesse.

Cap. XV. Quo ordine Monasterium Solemniacense ædificavit.

Denique inter cætera expetivit ab eo villam quamdam in rure Lemovicino cognominante Solemniaco, dicens : Hanc mihi, Domine mi Rex, Serenitas tua concedat, quo possim ibi & mihi & tibi scalam construere, per quam mereamur ad cœlestia regna uterque conscendere. Quam ejus petitionem libenter Rex sicut solebat annuit, & quod poposcerat sine morâ dato præcepto concessit. Erat enim tempus quo census publicus ex eodem pago Regis thesauro exigebatur inferendus, sed cum omnis census in unum collectus Regi pararetur ferendus, ac vellet Domesticus [m] simul & monetarius adhuc aurum ipsum fornacis coctione purgare, ut juxtà ritum, purissimum ac rutilum aulæ Regis præsentaretur metallum : (nesciebant enim prædium esse Eligio concessum) toto nisu atque conatu per triduum vel quatriduum labori insistentes, nullâ poterant, Deo id præpediente, arte proficere, usquequo ab Eligio præveniens nuncius, opus cœptum interciperet, idque ejus dominio revocaret. Mox ergo ut hoc nunciatum est, cunctis loci illius accolis exultantibus, & opus perfectum est, ejusque ditioni commissum. Quo in loco primum ac potissimum virorum Dei construxit Monasterium : ubi etiam Abbate constituto multos ex suis vernaculis mancipavit, plures quoque ex diversis provinciis, usque ad centenarium, quem quinquagenarius supergreditur numerus, Monachos congregavit, redditus etiam terræ qui affluenter sufficere possent, delegavit. Ipse verò tantâ se devotione, tantoque amore eodem loco diffudit, ut quidquid habere potuisset, ut quidquid Regi auferre, quidquid dignè comparare, quidquid etiam gratuitò ei à potentibus largitum esset, cuncta prædicto loco destinaret. Videres plaustra vehere onera copiosa, vascula utique usibus necessaria, ærea simul & lignea : vestimenta etiam lectuaria ac linteamina mensalia, necnon & volumina sacrarum Scripturarum quamplurima, sed & omnia quæ erant Monasterii usibus necessaria, in tantum ut pravi quique ingenti ex hoc succenderentur invidiâ : cogitabat enim & ipse demùm eodem se mancipare Monasterio, nisi cum alio in loco Dei obligasset dispensatio.

Cap. XVI. Quâ instantiâ regularem disciplinam in eodem Monasterio custodivit.

Quo in loco ipse quoque accessi, & tantam sacræ regulæ observantiam vidi, ut penè singularis sit vita eisdem Monachis præ cæteris Galliæ Monasteriis. Est autem Congregatio nunc magna diversis gratiarum floribus ornata : habentur ibi & artifices plurimi diversarum artium periti, qui Christi timore perfecti semper ad obedientiam sunt parati. Nullus ibi quidquam proprium vendicat, sed, ut in Actibus legitur Apostolorum, sunt omninò omnia omnibus communia. Qui locus tam fertilis, tamque jucundus existit, ut cum quis ibidem diverterit, inter pomorum nemora & hortorum amœnitate virentia in hæc ei libeat protinùs prorumpere verba : *Quàm bona domus tua Jacob, & quàm pulcra tabernacula tua Israël!* *Num. 24. 5.* tamquam nemora obumbrantia, & tamquam cedri juxtà aquas, & quasi paradisus super flumen : de talibus nempe per Salomonem dicitur : *Habitacula justorum benedicentur.* *Prov. 3. 33.* Est autem idem Cœnobium haud procul à Lemovicâ urbe situm, sex circiter millibus ad plagam distans meridianam : ambitur verò sphærico muro, non quidem lapideo; sed fossatum sepe [n] munitum, decem ferè stadiorum habens spatium in circuitu, ex uno quidem latere munitur optimo flumine, super quem mons excelsus sylvâ opertus, ac prærupta valde eminet rupes : omne autem spatium Monasterii arbusta diversi generis pomifera occupant : sicque illic segnis animus recreatur, ac si partem amœnitatis paradisi se occupasse gratuletur.

Cap. XVII. Quo ordine Parisius Ancillarum Dei construxit Monasterium.

Isto igitur Cœnobio in omni opere perfecto, omnique ex parte cum solertiâ stabilito, cogitabat Parisius in urbe fabricare xenodochium; sed excellentiore consilio, Deo inspirante, concepto, cœpit intrà domum suam, quam in eâdem urbe ex munere Regis perceperat, Virginum Christi ædificare domicilium : in quo opere diù multumque instantissimè desudans, dignum tandem sanctarum Virginum construxit Archisterium, ubi districtam Regulæ disciplinam constituens, usque ad trecentarum numerum puellarum ex diversis gentibus, tam ex ancillis suis, quàm ex nobilibus Franciæ matronis congregavit;

l *elatus*] Ita legitur in codice S. Aud. prior editio, *inflatus*.

m *Domesticus*] Qui regias pecunias in utrâquâque hujus regni provinciâ colligebat, & in regium thesaurum deferri curabat, Dagoberti ætate Domesticum esse dictum ex hoc loco apparet. Quod nomen Franci à Constantinopolitanis mutuati erant, ut ex Leonis Tacticis conjicere licet. Nam cum Imperator ille cæterorum officiorum publicorum in singulis Thematibus nomina & munia descripsisset : & à Protonotario res politicas administrari; Chartularium militibus describendis & inquirendis esse intentum; Prætorem litibus judicandis operam dare monuisset, quod fuerit Domestici munus siluit, ex quo mihi non improbabiliter concludi posse videtur, Domesticum fuisse eum qui publicum ærarium administrabat. Locum ipsum exscribere juvat, quod nec à Meursio sit intellectus, & eorum qui de Thematibus scripserunt, diligentiam fugerit. Ita igitur se habet §. 30. & 31. Ἐστι δὲ ἡ τοῦ Στρατηγοῦ περίληψις εἰς τινὰς ἄρχοντας διαμεμερισμένη, οἷον τόν τε Κόμητα τῆς Κόρτης αὐτοῦ, καὶ τὸν τοῦ θέματος δομέστικον, καὶ εἰς τοὺς λοιπούς.... Ὁ γὰρ πρωτονοτάριος τοῦ θέματος, καὶ ὁ χαρτουλάριος, πρὸς τούτοις δὲ καὶ ὁ πραίτωρ, ἤγουν ὁ τοῦ θέματος δικαστής· ὁ μὲν τῆς πολιτικῆς ἐπὶ διοικήσεως ἄρχει· ὁ δὲ πρὸς τὴν τοῦ στρατοῦ καταγραφήν τε καὶ ἀναζήτησιν· ὁ δὲ τὰς δίκας τῶν δικαζομένων διαλύει. Οὓς, &c. *Porrò in Præfecti Officio alii sunt Præfecti, velut Comes Cohortis ejus, & Domesticus Thematis, & cæteri.... Nam quod ad Protonotarium Thematis, & Chartularium, & Prætorem, sive Thematis Judicem pertinet, primus res politicas administrat : alter exercitui describendo & legendo militi operam navat, tertius lites privatorum audit. Quos*, &c.

n *fossatum sepe*] Ita codex S. Aud. Prior editio *fossato sepi.*

quibus & Abbatissam Deo dignam puellam, nomine AUREAM, filiam scilicet Maurini & Quiriæ, constituit: terræ etiam redditus copiosos delegavit, atque ex integro omne suum illuc studium convertit. Videres & illuc trahere undique veluti utilissimam apem cuncta Monasterio necessaria, vasa simul & vestimenta, necnon & sacra volumina, aliaque quamplurima ornamenta: nam quidquid huic sexui congruè necessarium foret, ut piissimus pater satis solerti in omnibus diligentiâ ac sollicitâ curâ providit. Cumque omnis opera, cunctæque domus necessariæ in præfato loco expletæ essent atque perfectæ, unum adhuc restabat, vile quidem sed necessarium ædificandum domicilium; & cum non haberet terræ copiam, omnia etiam essent domibus occupata; adjacebat ei ad opus necessarium area quædam fiscalis exigua: præcepit ergo metiri terram, ut sciret quantum esset, & confestim ad Principem perrexit, suggessit aream, & sine morâ obtinuit quod petierat. Cumque reversus locum adiisset, ac lineâ jactatâ amplitudinem habitaculi consideraret, invenit ampliùs quasi pedem in terræ amplitudinem quàm ipse nuntiaverat Regi: ex quo tristis effectus, quippe qui nulli volens mentiri, Regi esset mentitus, relicto protinùs opere ad aulam repedat mœstus, & mox ut Principem adiit, solo illicò corruit, mendacium indicavit, aut veniam aut mortem poposcit: sed cum Rex tam parvissimæ rei caussam agnovisset, magis in stuporem versus, ejus injuriæ condoluit, moxque ad circumstantium conversus multitudinem, infit: Ecce quàm præclara & venerabilis Christi fides! Duces mei & domestici spatiosas surripiunt villas, & Christi famulus propter fidem quam habet in Domino, non palmum quidem passus est celare de humo. Sic ergo clementer Eligio consolato duplicavit donum quod dudum tribuerat pusillum. Ex quo facto liquidò patet quantum vir sanctus mendacii culpam pertimuit, qui tam vilissimæ rei conscium sibi piaculum minimè reservavit. Talis eum fides ad cœlum evexit, hæc illum fidelitas & Deo carum, & hominibus fecit præclarum.

CAP. XVIII. BB. Pauli & Martialis fundavit Ecclesias: Et de carcere aperto.

Igitur cuncto opere Monasterii peracto, atque omnibus ædificiis Ancillarum Dei expletis, pro quibus mercedem laboris adeptus est, ædificavit postremò Basilicam in honore S. Pauli Apostoli ad Ancillarum Dei corpora sepelienda, cujus tecta sublimia operuit plumbo cum elegantiâ; quâ in Basilicâ beatus quoque Quintilianus jacet Abbas humatus. Ædificavit etiam, imoque renovavit Basilicam in honore S. Martialis Lemovicensium Pontificis & Confessoris, quâ utique urbanè stabilitâ, plumbo ejus cooperuit tecta, ubi cum ejusdem Reliquias satis devotus cum magno triumpho magnoque utriusque sexûs comitatu, cum melodiâ Psalmorum ac dulci modulamine antiphonarum, chorus deferret psallentium, miraculum Dominus declaravit memoriâ dignum: ob hoc enim & Eligius eamdem viam arripi fecerat cum pignoribus cum potuisset prorsùs aliunde pergere rectiùs. Erat igitur haud procul à tramite claustrum carceris tetri, ubi tenebantur septem viri sive innocui sive noxii, sub tertiâ custodiâ abditi; cum ergo Eligius veluti quondam David ante Arcam exultans atque tripudians, cum Reliquiis & præfato agmine in voce exultationis præteriret, mox ut contrà ergastulum esse cœperunt, repente gestator pignorum gravi pondere depressus solo restitit fixus; quem cum singuli compellerent gressum quantociùs movere, id se posse nullatenùs voce publicâ est confessus: dumque ita stantes singuli obstupescerent eventum rei, cœpit cunctis ° in carcere quasi leve tonitru * audiri, & statim vis quædam cum magno impetu adveniens totum validè nimis concussit carcerem ab imis. Confestim seris omnibus effractis, nexibusque dissipatis, ostia obserata patuerunt inclusis; illicò ergo vestigia depressa ferentes pignora levigarunt, & rei carcerem egressi Ecclesiam petierunt. Omnes igitur qui aderant in stuporem versi cœperunt attollere novitatem miraculi, ac merita duorum conjuncta simul Sanctorum, Martialis laudem, Eligii prædicare favorem; cuncti etiam hæc videntes Christo Domino uberes laudes, qui suis operatur in servis, vocibus efferebant continuis. o

CAP. XIX. De incendio urbis Parisiacæ.

Post aliqua temporis curricula cœperat urbs Parisiaca sævissimo cremari incendio; nam cum tota penè arderet civitas, usquequaque vis flammæ edacis ferebat glomerantes quàquà in parte favillas; tunc Eligius mœstus cum videret jam suprà suum Monasterium prædictamque Ecclesiam flante vento globos flammarum cum axibus & carbonibus ferri, graviter ingemuit; jam enim invalescente igne in promptu erat ut etiam tegumentum Basilicæ funderetur vi vallantis incendii. Attollens ergo Eligius vocem cum gemitu dixit: O sancte Martialis, cur domui tuæ modo non succurris; certè enim noveris quòd si te hodie non curante crematur, nunquam jam ab Eligio in ævum restaurabitur. Confestim igitur affuit Domini gratia, & aliam in partem vento flammas impellente, & Ecclesia, & totum ejus Monasterium remansit incolume.

CAP. XX. Quanto studio quotidie in melius vir sanctus profecerit.

His itaque transactis jugiter vir sanctus intentus manebat divinis officiis: erat enim in eleemosynis largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in charitate perfectus, in humilitate profusus, in doctrinâ præcipuus, in sermone paratus, in loquutione cautus, in conversatione sanctissimus, in nullo mundi compede catenatus, in obsequiis servorum Dei succinctus, in redemptione captivorum sollicitus, in egenorum largitione diffusus, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissimus, in hospitalitate latissimus; inter opprobria securus, inter odia beneficus, in prosperis etiam & in adversis cœlo semper intentus; non enim poterat in eo invenire humani generis inimicus nec quod fraus deciperet, nec quod simulatio fuscaret. Sinceritatem quidem mentis vultûs serenitate monstrabat, & pietatem clementissimi cordis ostendebat in lenitate sermonis; nihil quippe ejus animo clementius, nihil illius severitate jocundius, jocunditate nihil severius, nihil risu gravius, nihil prorsùs tristitiâ suavius: si pauperem vidisset, sustentabat, si divitem, ad benefaciendum cohortabatur, Deum testem invocans pro ejus se nomine cuncta hæc facere; nemo enim ab eo pauperum vacuus reversus est aliquando, istud jugiter mente replicans quod Dominus in Evangelio dicit: *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Necnon & illud: *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum.* Et illud: *Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Nam sicut de beato Job dicitur, januæ ejus omni advenienti patebant, ut & ipse cum Job posset voce liberâ proclamare: *Ostium meum viatori patuit.* Eratque pes claudorum, & oculus cæcorum, orphanorum pater, ac viduarum consolator; quique non carcere clausis, non ægritudine fatigatis, unquam suum, in quantum facultas sup-

Mat. 5. 7.

Eccli. 3. 33 Sed aliis verbis: iisdem tamen citatur à plerisque Patribus.

Luc. 11. 41.

Job 31. 32.

o *cœpit cunctis*] Hîc etiam codicem S. Aud. sequimur; nam Acherius ediderat *vinctis*: in eodem codice legitur *levu* | * *tonitrus*.

peditavit, negavit auxilium, sed omnibus misericorditer consulens, miseris semper præbuit adminiculum. Quem enim cœcum non suum vocavit hæredem, aut quem debilem non ejus sustentavit manus? fores quippe ejus jugiter à miseris obsessæ, expeditum ei ad bellum præparabant solatium: hoc jugiter comitatus incedebat exercitu, in his Christum conspiciens se amplecti gestiebat, atque his indumenta tribuens, Christi sub inopis veste se tegere membra credebat: hoc certè se reputabat perdere quidquid in eleemosynâ non absumeret, id se tutissimè congaudebat recondere, quod egentium sibimet dura necessitas auferret: valde quippe devotus in eorum usibus substantiæ exaggerabat pondus, ut quo pauperior sæculo esset, locupletior Deo fieret; considerabat quidem quia quotidie deesse non potest quod peccetur, ideo nec quotidianæ eleemosynæ non deessent, quibus piamina tergerentur; & ob hoc cum Domino suo pecuniam dividens, substantiam suam gaudebat sociare cum Christo, faciens eum sibi possessionum terrestrium participem ut & Christus faceret illum sibi regnorum cœlestium coheredem. Illi scilicet assignabat facultates, uti psi esset custos perpetuus, sciens quòd patrimonium Deo creditum nec Respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit; sciens etiam scriptum esse, quòd ea benè hereditas reconditur, quæ Deo custode servatur. Hujus namque apud suos monita nihil fuerunt aliud, quàm magisteria divina, fundamenta scilicet corroborandæ fidei, nutrimenta fovendæ animæ, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis: dignum ergo est, ut eum boni imitentur & diligant, plebs colat, noxii timeant, quem ita divina virtus illustravit, ut sub laïcali etiam habitu habuerit à Deo collata dona doctrinamque mellifluam, & Spiritu sancto conditam, de desiderio Christi salitam, de æternâ semper beatitudine sollicitam, quique sic religiosus exstitit ac timens Deum, ut sæculi oblitus dignitates, omne consortium cum egenis haberet & Monachis.

CAP. XXI. Quo ordine Cœnobia peragraverit.

Denique cum & frequenter ad eum Monachi religiosi quique confluerent, nec sic nimirum eorum satiabatur alloquio, sed aliquãdo etiam nimis sanctæ cõversationis æstuans desiderio, ipse quoque properabat ad Cœnobia, maximeque Luxoviũ p quod erat eo tempore cunctis eminentius atque districtius; neque enim tam crebra erant adhuc in Galliis Monasteria, & sicubi essent, non sub regulari quidem disciplinâ, sed erant prorsùs in malitia fermenti veteris sæcularia. Præter Luxovium ergo, quod solum, ut dictum est, districtionem regulæ solerter tenebat, Solemniacense Monasterium in partibus occiduis hujus religionis exstitit caput, ex quo demum multi sumserunt & initium & exemplum, adeo ut nunc quoque propitiâ divinitate innumera per omnem Franciam & Galliam habeantur sub regulari disciplinâ, alma utriusque sexûs Cœnobia. Itaque ut dicere cœperam, quis valeat enarrare cum quantâ Eligius devotione, quantâque humilitate prædictum Monasterium adiens, inter Fratres incederet? Videres eum cum januam ingrederetur Monasterii, dejecto in terram vultu, depressis luminibus, solo capite humi inclinato, toto etiam subtili corpore cum magnâ gravitate inter Fratres incedere, singulisque Monachis se penè terræ prosternere, atque ab omnibus devotissimè benedictiones haurire, quibus ipse copiosam tribuens eleemosynam, vilissimam panis tortam ab eis egrediens pro benedictione sibimet vendicabat, quam utique pro magno munere amplectens, diebus singulis quousque durare incorrupta potuisset, eulogias ex eâ veluti sacram communionem jejunus sumebat.

CAP. XXII. Quod pedestri labore ad loca sancta properavit: Et de curâ egenorum.

Nam & hanc habebat consuetudinem, ut ubicumque iter ageret, si sciret eâdem se nocte vel ad monasterium, vel ad qualemcumque Ecclesiam, sive etiam ad religiosum quempiam virum posse attingere, nullatenùs cibum sumeret, etiamsi biduanum vel triduanum jejunium expleret, priusquàm ad locum destinatum quamvis defessus pertingeret; sed & si nosset venerabilem ad quem pergebat locum esse, ejecto se concitè de equo per tria vel quatuor millia pedestri labore conficiebat iter usquequo ad sancta illa posset attingere limina; cumque ad mansionem ventum esset, priusquàm tabernaculum introiret, mittebat pueros fideles qui omnia latè vagantes scrutarentur loca mansionis, & sicubi possent mendicos, ægrotos, vel peregrinos invenire, omnes quos reperissent ad se aut adduci, aut certè deportari jubebat, quibus ipse occurrens, si morbidum videret, medebatur; si putridas habentem carnes, ipse saniem radebat, ut cum Job dicere posset: *Flebam quondam super eum qui afflictus erat; & compatiebatur anima mea pauperi.* Job 30. 25. Porrò si horrentia conspiceret ora, proprio palatum perfricans digito, dolorem leniter mulcebat morbidum; sic nimirum omnia cum curâ & diligentiâ perficiens, componebat cunctos suos sedere per ordines, & priusquàm ipse quidquam sumeret ex cibo, omnibus manu propriâ & escam præbebat & merum, postremò ipse gratias Deo actitans, unà cum eis sumebat cibum, sed plusquàm illi exiguum: denique cum ipsi carnibus uterentur ac vino, is pane pro cibo, & pauxillum aceti cum aquâ mixtum utebatur pro potu: siquidem octo aut decem fluxêre anni quibus nusquàm vinum hausit in poculo: de carnibus verò meliùs tacere puto quàm aliquid dicere, quandoquidem eas post propositum nec edere passus sit, nec attingere; & cum in prædicto annorum spatio unâ tantùm die eum meminerim propter hospitem charitate exigente de volatilibus modicum quid gustasse. Cæterum peractâ refectione, singulis quorum antea capita laverat & manus, demum abluens pedes deosculabatur extergens, ac prostremò stratis impositis & thoris ipse diligenter ad capita componebat pulvillos q; deinde seipsum spolians indumentis, collocare discubitum simulabat, sed cum cunctos cerneret alto sopore quiescere, adhibitis secum paucis fidissimis famulis, si esset civitas, castrum, vel vicus, omnia orationum loca profundâ jam nocte circuibat penè invisus; & si omnimodis occurrere potuisset ante lucem, ad proprium convertebatur defessus stratum: quod si Ecclesia in loco hospitii non haberetur, completo, ut dictum est, vespere omni officio simulabat se quiescere strato, sed mox ut ejus cubicularii obdormissent, ejectum se à lectulo totum prosternebat in pavimentum, ibique omni noctis spatio transacto cum aurora diei daret initium, iterùm se indebat thoro. r Hæc autem agebat ob ostentationem declinandam, illi soli cupiens palam fieri, qui dixit: *Ora Patrem tuum in abscondito; & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Sic quippe faciebat Eligius & in itinere & in propriâ domo; & hic ei perpetuus mos fuit cunctis diebus vitæ suæ. His igitur eum beatis actibus intentum, in tantum divina provexit cle-

p *Luxovium*] Sic perspicuè legitur in codice S. Aud. Acherius ipse sic legi oportere viderat, sed ediderat ex suo codice *Lussedium*.

q *pulvillos*] In codice S. Aud. legitur *pulvinaria*.
r *se indebat thoro*] Idem codex, *insidebat in thoro*.

mentia, ut adhuc in laïco habitu Domino largiente declararet miracula.[f]

CAP. XXIII. In natali S. Dionysii claudum sanavit.

Denique quodam tempore cum anniversaria Parisius sancti Dionysii Martyris celebraretur passio, dum vigilia à Clero caneretur in choro, egressus Eligius templo deambulabat in atrio, viditque eminùs virum cunctis membris contractum contrà Sancti sepulcrum jacere in pavimento. A Deo forte inspiratus, ægri mox adstitit lateri[t], blandeque eum compellans cœpit ab eo inquirere & tempora claudicationis, & causam suæ ægritudinis; sciscitans an haberet spem in Christo, si se crederet quandoque sanandum, an etiam crederet se post mortem resurrecturum, & præmia vel pœnas ob meritorum qualitatem recepturum: cumque ille ejus sequutus verba cuncta hæc se credere fateretur, rursùs Eligius infit: Si ergo hæc, ut adstruis, credis, cur hîc inaniter jaces? roga magis hunc Sanctum, ut intercedens apud Dominum reddat te protinùs sanum. Et cum ille ob id se illic excubare diceret, intuens eum Eligius ait: Et credis quòd possit hæc Sanctus iste apud Dominum obtinere? At ille cum eadem prosequeretur, dixit iterum Eligius: Si ergo hæc sicut polliceris, credis, promitte modò Deo te deinceps serviturum, & vide ne trepidet fides tua, & absque morâ sanabit te Domnus iste. Illo autem in omnibus fidem dante, fixit genua Eligius super terram, & prolixè oravit, deinde oculos pariter & palmas ad cœlum tendens, Dominum JESUM fide plenus promissionis suæ fideliter admonuit, quâ dicit: *Quidquid credentes petieritis, fiet vobis.* Et, *Si habueritis fidem, majora horum facietis.* (Marc. 11. 24. Matt. 21. 21.) Cumque hæc pleno pectore, fide, ac devotione deposceret, conversus ad ægrum, apprehensâque dexterâ ejus, ait: Si indubitanter credis sicut promittis, in nomine JESU-CHRISTI surge, & sta super pedes tuos. Hæc dicens attraxit eum ad se fortiter, & illicò nexibus artuum resolutis elevatus æger stetit, & mox consolidati sunt pedes ejus & membra, & sanatus est ex ipsâ horâ; cui comminans & contestans præcepit Eligius, ut si nollet rursùs talia pati, nullum aliud sanitatis verbum cuiquam ediceret, nisi quòd Dominus JESUS per sanctum Dionysium eum sanasset.

CAP. XXIV. Manum aridam jocabiliter sanavit.

Quodam iterum tempore cum prætereunte Eligio copiosa pauperum turba eminùs consideret, accedens ille ad eos, singulisque propinquans ut solebat, sanctis digitis eleemosynam singulis includebat in pugnis; cumque ad unum ventum esset qui contractam aridamque habebat manum, ipsam non valens extendere, alteram tendebat ad munera: Non hanc, inquit Eligius, sed alteram præbe quantociùs: quam cum arefactam ostensurus expelleret; apprehensam ille cœpit Christum corde rogare, dumque ulnam palparet à cubito, protinùs ut manum extraxit, illicò nervis remissis digitos curvos direxit; sicque oleo allato peruncta, confestim solida sanaque est facta sicut erat & altera; sed cum hæc videntes Eligii adscriberent favori, ille gratiâ humilitatis contentus, cautè satis tentat eadem occulere dicens: Ego putavi ideo illum fingere, ut à me faciliùs eleemosynam posset percipere.

CAP. XXV. Ex modico vini plures pauperes potavit.

Alio præterea tempore cum iter quoddam in proximo carperet, habuit obviam pauperum turbam suâ jam opinione collectam, quibus eleemosynâ sicut solebat datâ, voluit insuper siti fatigatis laborem temperare itineris. Cœpit ergo quærere in ministris quis haberet potum sub sellis, cumque singuli, sicut erat, maxime se habere dicerent, unus tandem reperitur qui parvum cum vino vasculum se habere profitetur; quod protinùs allatum vir sanctus benedixit, & ut pauperibus misceret illicò imperavit: sed quid erat tam exigua mensura, id est, quasi tria cotyla, inter tantam pauperum turbam? Cum ergo pincerna pauxillum mitteret in scyphum, ut pote cum nec mediis posset sufficere merum, mox increpatus ab Eligio vasculum miscere jussus est plenum, cui cum puer exiguitatem flasconis obtenderet, statim ille signum Crucis opponens: Eia, inquit, eïa, misce crateram plenam: quoniam larga & magna Domini est clementia. Sic ergo factum est, ut ex eâdem quantitate & universi largissimum[u] hauserint merum, & exiguitas non defecerit potûs, ita ut in illo vase quod vir sanctus signaverat, liquor vini non quidem augeretur, sed potiùs nasci crederetur.

CAP. XXVI. Contractum in Basilicâ S. Germani sanat.

Alio rursùs in tempore cum Parisius loca orationum circuiret, veniens ante Basilicam sancti GERMANI Confessoris vidit quemdam claudum carrucâ vectum[x], querulis se vocibus inclamare: ad quem accedens cum valde misertus ei vellet manus imponere, humilitatis pristinæ recordatus, protinùs se ab eo subtraxit, alteri potiùs quàm sibi favoris gloriam volens tribuere: præcepit tamen ministris ut auferentes ægrum à carrucâ in Ecclesiam deportarent, ac juxtà cancellos præfati sancti Germani projicerent: quod cum factum fuisset, ingressus ELIGIUS Basilicam prolixè oravit, monuitque claudum irrevocabiliter in fide persistere usquequo eum Dominus sanari juberet: nec mora, post hæc cœpit claudus vociferari, totoque corpore contremiscere; cumque omnes procul adstantes ad spectaculum concurrerent, confestim claudus resolutis nervorum vinculis liber à pavimento surrexit, & ita incolumis ab Ecclesiâ processit: fuerat enim annis novem claudicationis impedimento adstrictus. Tunc Eligius ex intimo corde Christo gratias referens, iter cœptum lætus jam peregit.

CAP. XXVII. Gamapio vico claudum erexit.

Alio quoque tempore sub laïcali adhuc habitu carpebat iter cum pueris suis de villâ regali, quæ vocatur Sterpiniacus: cumque pervenisset Gamapio vico, ingrediens illicò Basilicam invenit quemdam pauperem claudum pro foribus jacentem, qui viso Eligio cœpit clamare, alimoniam ab eo, vel aliquam postulans consolationem. Tunc Eligius sciens forte donum sancti Spiritûs, accessit ad eum dicens: Rogemus Deum pariter si forte te incolumem reddat: & mox introducens eum in Ecclesiam, præcepit enixè orationi insistere; ipse verò prosternens se in terram diutissimè oravit: deinde paululum se erigens, cum adhuc videret claudum jacere, rursùm orationi incubuit, & lacrymabiliter precem fundens tam prolixè oravit, tantasque lacrymas effudit, ut partem pavimenti ubertas lacrymarum humectaret, ac veluti rivulum de torrente in terram efficeret. Tandem roboratus fide erexit se, & cum magnâ fiduciâ ad ægrum accessit, ac manu ejus apprehensâ dixit: In nomine Domini nostri JESU CHRISTI filii Dei excelsi, surge & ambula: & confestim prosequuta est salus verbum hominis Dei, & convaluit[y] æger & surrexit: nam omnes qui aderant, audiebant cum magno stupore juncturas & nervos atque omnia ossa claudi illius crescire ac solidari. Sanus ergo factus est ex illâ hora, & ambulabat exiliens & bene-

f *declararet miracula*] Forte, *inclararet miraculis*, ait Acherius, non malè quidem; sed propius, *declararent miracula*.

t *adstitit lateri*] Codex S. Aud. *attigit latus*.

u *largissimum*] Sic sæpe laudatus S. Aud. codex. Editi, *largissimos . . . meros*.

x *vectum*] Idem codex S. Aud. sic habet: in priori editione legitur *vehementem*.

y *convaluit*] Hæc lectio codicis S. Aud. magis placuit, quàm illa prioris editionis, *invaluit*.

dicens Deum cum omni alacritate; fuerat enim ex multis jam annorum spatiis vinculis artuum adstrictus, atque ex hoc magis occupabat admiratio cunctos, quòd tam celeris fieri ejus potuisset curatio. Dedit ergo ei eleemosynam vir beatus, & dimisit eum in pace; & ille adorans & glorificans Deum, reversus est in locum suum. Tunc Eligius cœpit terribiliter conjurare pueros & cunctos comites suos, ne quousque ipse in corpore maneret rem gestam cuilibet homini indicarent, magnopere metuens ne in virtute facti mens ejus humanis laudibus gravaretur.

CAPUT XXVIII. De metallo auri in sinu reperto.

Quâdam verò die cum copiosa pauperum multitudo ad eum confluxisset, totum penè quidquid in auro habere poterat eisdem erogavit. Cumque his discedentibus alii adventassent, loculo auri sollicitè perscrutato atque excusso, nihil penitùs reperit quod eisdem tribuere deberet; deinde ab uno ex suis familiaribus auri quantitatem susceptam pauperibus dedit; quibus discedentibus, post aliquot horarum spatia ecce superveniunt & alii. Tunc Eligius anterioris horæ minimè recordans, aliàs forte mente intentus, protulit quam priùs scrutatus erat sportellam, & ubi ante nihil repererat, mox ut etiam aperuit, metallum auri inditum reperit, atque pauperibus illicò tribuit: sicque demùm prioris facti admirando recordans, nomen largitoris Christi cum ingenti exultatione glorificavit.

CAP. XXIX. De cœco Parisiis illuminato.

Quâdam iterum die cum Parisius commoraretur, ac necessariò quemdam locum adire pararet, explorantes egeni per quod iter transiret, paraverunt se cuncti juxtà morem in ponte: quo cum Eligius adventasset, singulisque ut solebat sigillatim manibus eleemosynam includeret, devenit inter cæteros ad quemdam cœcum querulis valde vocibus clamitantem; cui cum eleemosynam manu imponere vellet, subtrahens ille manum clamabat virtute quâ poterat: Domine, inquiens, Eligi, habe in me pietatem, oculis crucem imprime, quod magis desidero præbe. Tunc ille valde composite dissimulans ac subridens: Tu, inquit, amice non te nosti signare? Noverat enim vir sanctus jactantiam virtute fugere, in quo non poterat gratia concessa latere: sed cum is eadem ingeminans importunè clamitaret: Tu, inquiens, Domine, tu signa. Ille fidem hominis cernens, signum Crucis impressit, &, ô mira Christi potentia! statim signum sanguinis unda sequuta, diù clausas illicò reseravit sub fronte fenestras, atque ingrediente die fecit discedere noctem: sicque homo duplo munere recepto, adorans Christum discessit, laudans Eligium.

CAP. XXX. De Basilica vastata, & spoliis restitutis.

Alio rursùs tempore dum apud Parisius commoraretur, quâdam die mane confugit ad eum tremebundus custos Basilicæ S. Columbæ Virginis, provolutusque pedibus ejus nuntiavit eâdem se quiescente nocte vastatam omni ornatu fuisse Basilicam: quod Eligius audiens tristis admodùm effectus, citò tamen ad solita spei præsidia recurrens, clementer refovit custodem, deinde ad sanctæ Columbæ oratorium pergens, oratione præmissâ, hæc loquebatur verba Audi, inquit, sancta Columba quæ dico: Novit meus Redemptor, nisi citò ornamenta tabernaculi hujus furata reduxeris, equidem spinis allatis faciam hanc januam ita obserari, ut nunquàm tibi in hoc loco veneratio præbeatur ab hodie. Dixit hæc & discessit, & ecce sequenti die custos maturiùs surgens invenit omnia vela usque ad minimam pallam, sicut priùs fuerant, restituta. Tunc concito cursu quanto pridie truculentior, tanto nunc lætior nuntiavit Eligio; atque ille accedens, omniaque sicut dudum fuerant, suis in locis composita cernens, Martyrem quidem laudavit, sed Christi Domini nomen sicut & semper uberiùs cum hilaritate magnificavit.

CAP. XXXI. De homine seminece vitæ restituto.

Inter cætera autem infinita bonorum suorum opera, etiam hoc apud Regem obtinuerat, ut omnia humana corpora quæ vel Regis severitate, vel Judicum censurâ diversis ex causis per multimoda argumenta perimebantur, ubicumque invenire potuisset sive per civitates sive per villas licentiam haberet & de bargis, & ex rotis, & de laqueis sepelire deposita. Delegavit ergo ex comitibus suis vespelliones, Gallebodum scilicet atque Vincentium cum suis collegis, qui hujusmodi curæ insisterent: & ubicumque pergerent sive in proximas urbes, sive in longinquas, jugiter secum sarculos portarent, ut sicubi cadaver invenissent, continuò ipsum humo tegerent. Igitur cum quodam tempore in comitatu Regis Austriæ partes peragrarent, devenerunt ad urbem quamdam, quæ Stratoburgo vocatur; cumque haud procul ab urbe essent, conspicientes eminùs vident hominem ipsâ die vitâ laqueo extortâ dependere; ad quem protinùs accedentes laqueo deponunt, ut scilicet juxtà ritum sepulturæ traderent: sed vir venerabilis sentit forte operandum; & dum sepultura paratur, festinè appropians ipse corpori, cœpit eum à summis usque ad ima mulcendo palpare: nec mora, cum jam sentiret adesse animam, compositè valde à se virtutem facti repellens, dixit: O quàm grande scelus! nisi Dominus juvisset, nunc perpetrare poteramus ut corpus hoc humo tegeremus, cum anima ejus in ipso sit: hæc dicens, cunctis mirantibus jussit eum vestimentis operiri & paululum repausari[z]: deinde recreato spiritu vir ille surrexit è terrâ, ut pote nullam passus injuriam. Quod factum cum in urbem percrebuisset, mox currentes ejusdem insectatores importunè eum iterum rapere, ac morti tradere conabantur; quem Eligius vix eorum manibus ereptum Regi pro eo suggessit, chartamque ei securitariam apud Regem impetravit, atque ita eum defendit. Qui non post longum spatium ita se subtraxit ab ejus contubernio, Eligio fortassis conscio, ne res gesta ampliùs crebresceret in populo, & ut nusquàm ministrorum ejus ampliùs appareret conspectui. Sed de his ista sufficiant, Deo soli sufficit de his quæ in absconso, vel sub sæculari habitu, vel sub venerabili & Apostolicâ tonsione gesserit, non latere: nunc interim ad ea quæ opere manuum egerit accedam, eaque quantâ valeo brevitate percurram.

CAP. XXXII. Quod multas fabricavit tumbas.

Hic idem Vir beatus inter cætera bonorum operum insignia, multa Sanctorum auro argentoque & gemmis fabricavit sepulcra, id est, Germani, Severini, Piatonis, Quintini, Lucii[a], Genovefæ, Columbæ, Maximiani, & Loliani, ac Juliani, adhuc autem & aliorum multorum; sed præcipuè Beati Martini Turonis civitate, DAGOBERTO Rege impensas præbente, miro opificio ex auro & gemmis contexit sepulcrum, necnon & tumbam sancti Brictionis, & aliam ubi corpus B. Martini dudum jacuerat, urbanè composuit; magnum insuper beneficium eidem Ecclesiæ apud Regem obtinuit: namque pro reverentiâ sancti Confessoris Martini, Eligio rogante, omnem censum, qui Reipublicæ solvebatur, ad integrum DAGOBERTUS Rex eidem Ecclesiæ indulsit, atque per chartam confirmavit. Adeo autem omne sibi jus fiscalis censûs Ecclesia vendicat, ut usque hodie[b] in eâdem urbe per Pontifi-

z *repausari*] Codex S. Aud. *repauxare*.
a *Lucii*] Acherius conjicit legi oportere, *Luciani*.

b *ut usque hodie*] Sic codex S. Aud. Editi, *& usque hodie*. Mirum profectò, si hæc & quæ sunt in fine, *usque in*

cis literas Comes constituatur. Præterea Eligius fabricavit & mausoleum sancti Martyris Dionysii Parisius civitate, & tugurium super ipsum marmoreum miro opere de auro & gemmis: cristam quoque & species de fronte magnificè composuit, necnon & axes in circuitu throni altaris [c] auro operuit, & posuit in eis poma aurea rotundilia atque gemmata: operuit quoque & lectorium & ostia diligenter de metallo argenti; sed & tectum throni altaris axibus operuit argenteis; fecit quoque & repam in loco anterioris tumuli, & altare extrinsecùs ad pedes sancti Martyris fabricavit; tantumque illic, suppeditante Rege, suâ exercuit industriâ, atque ita suum diffudit specimen, ut penè singulare sit in Galliis ornamentum, & in magnâ omnium admiratione usque in hodiernum diem.

CAPUT XXXIII. De morte Dagoberti Regis: & Concilio apud urbem Roman. sub Papa Martino.

His operibus mirificè perfectis, atque omnibus circumquaque gentibus sedatis, ferocissimis etiam Vaceis ditioni propriæ hostili gladio subactis, mortuus est Rex magnus & inclytus DAGOBERTUS, & sepultus est in eâdem sancti Dionysii Basilicâ sub arcu in latere dextro: cui successit in regno filius ejus ætate juvenculus, vocabulo CLODOVEUS. Sub hujus regni principio nefanda hæresis partibus Orientis cœperat pullulare, CONSTANTINO tunc Romani Imperii apicem gubernante; cœperunt ergo præfati [d] hæresiarches nequiter Ecclesiasticam regulam violare, & peregrina quædam à veritate aliena * docere & prædicare, asserentes Dominum & Salvatorem nostrum JESUM CHRISTUM minimè habere secundum formam servi, & neque eum ex MARIA veram assumsisse carnem, prophanis vocibus garriebant; quæ res plurimos in Ecclesiâ conturbabat, & plerosque jam contagium hujus pestiferæ assertionis infecerat, non solùm in urbibus quibus morabantur, sed & urbem quæ est caput omnium Romam paulatim jam eorum pravitas penetrabat. Erat autem eo tempore Romæ Præsul Batissimus Papa MARTINUS, qui sollicitè ac viriliter pro hac causâ invigilans, imoque pugnans, multa probra & adversa ab hæreticis sustinebat; unde tandem permotus, cum & Imperatorem & plures cerneret eorum assertionibus obsecundare, intento satis animo congregavit Concilium Sacerdotum compescendi causâ, imò delendi hujus pravitatem dogmatis: in quo Concilio omnibus Orthodoxis consentientibus edidit contrà hæreticos fidem magnificè valde atque accuratè, quam etiam cum subjunctâ epistolâ Galliarum partibus destinavit, mandans & obtestans Regi Francorum, ut si essent ejus viri Catholicè eruditi, hos sibi adminiculum ob hæresim comprimendam faceret destinari: ubi tunc Eligius cum sodali libentissimè perrexisset, nisi ei quædam causa impedimenti fuisset.

CAPUT XXXIV. De multimodis Martini Papæ tormentis, ejusque vitâ per martyrium finitâ.

Sed interim dilatione intercedente inimicus humani generis acriùs incitatus, pulsabat fortiter contrà murum Ecclesiæ per homines perditos, ac turrim validissimam omni oppugnationis genere fatigabat, Martinum sibi, jugiter affligendo, inclinare cupiens Episcopum: sed quamquam impurus spiritus omni nisu pugnaret armatus, tamen resistebat Martinus Christi gratiâ & virtute repletus, ac veluti si saxum immobile [e] unda allideret, ita virili animo dicta respuebat garrientium. Jubebatur ei Imperiali decreto * fidem Patribus edere contrariam, sed ille cui sacra fides venerabilis erat, abnegabat se posse impia contrà Deum proferre verba, consultiùs fore judicans temporalem ponere vitam, tantùm ut ei conscientia fidei duraret illæsa. Novimus quemdam Fratrem à partibus Orientis venientem, qui ea quæ narro se coram posito gesta esse testabatur. Igitur cum nullo suasionis genere Martinus à Catholicâ reflecteretur fide, multiplicibus injuriis affectus, diuque coram populo flagellatus, demùm revinctis post tergum manibus velut electus aries, cunctâ urbe lamentante exilio truditur; sicque Constantinopolim perductus, ibique exilio relegatus, solâ illic oratione meruit cœco lumina reddere; ubi exulans ac delitescens, post multa tormenta claram valde & nobilem vitam optimo & venerabili fine conclusit. Simulent nunc hæretici quantum volunt, confundantur & erubescant à se Martyrem factum, quamvis eum pacificè animam exhalasse clamitent, quamvis non à se interemptum, sed propriâ fingant morte defectum [f], quasi non eum pœna consumserit, in quo pœna consumpta est. Qui si in præsenti nunc adessent, hæc à me pro Martyre verba audirent: Etsi, inquam, imminente carnifice * gladio mortuus non fuerit, in confessione tamen Catholicæ fidei exilio relegatus, post continuam & indefessam professionem gloriosum mortis exitum meruit, sicque ad Deum suum redeuntem cœlestis aula Martyrem suscepit: neque enim virtus ejus, aut honor minor est, quominùs beatis Martyribus aggregetur, quia quantum in ipso fuit, æquanimiter toleravit quidquid ei adversitatis oblatum est: nam sicut Scriptura testatur, Non est inferior gloria, sed potiùs excellentior sustinere martyrium pro eo, ne scindatur Ecclesia fallaciis hæreticorum, quàm est illa ne immoletur idolis impulsu Paganorum. In Paganorum namque persequutione unusquisque tantum pro suâ animâ, in hæreticorum verò pro universali patitur Ecclesiâ: & idcircò eum potiorem dixerim, quia proculdubio excellentior atque eximior comprobatur. Hæc pauca de tanti viri memoriâ, Eligii vita sibi contineat subnexa, loquatur & ubicumque pergit per sæcula, quanto Martinus claruerit fidei dogmate: quæ nos dilectionis gratiâ huc usque narrasse sufficiat, ut tam eximii viri memoria, qui utique collegis meis in urbe Romanâ multa impendit bona, quamvis * in Oriente frequentetur, non usquequaque in Occidente oblivioni tradatur.

CAPUT XXXV. De Concilio apud Aurelianis Galliæ urbem; & hæretico à finibus Galliæ expulso.

Per idem ferè tempus quo apud urbem Romam talia gesta sunt, unus hæreticorum pulsus à partibus transmarinis, Galliarum provinciam petiit; qui aggressus illicò civitatem quæ olim Edua, nunc autem Augustidunus vocatur, adiit; ibi quoque degens cœpit tam cautè quàm fraudulenter sua nefanda dogmata prodere: quod cum in palatio ad aures Eligii pervenisset, cœpit vigilanter, sicut semper pro hujusmodi causâ sollicitus erat, cum AUDOENO ac cæteris Catholicis viris tractare, quemadmodum hanc pestem palam omnibus manifestatam detege-

hodiernum diem, scripsit Audoënus, h. e. auctor Eligio ipsi coætaneus. Et alia sunt quæ scrupulum movent; nam quod capite 21. dicitur de Monasteriis in Galliis, quæ nulla propè erant ante Eligii ætatem, scriptoris verò sæculo plurima erant, & in quibus *nunc quoque* regularem disciplinam vigere testatur, ne ipsum quidem S. Audoëno tribui potest. Quòd si in his locis interpolatoris cujusdam audaciam ac temeritatem agnoscimus, eamdem aliis in locis grassatam esse non immeritò suspicabimur, velut in capp. 19. & 29. in quibus ea tribuuntur Eligio, quæ nec Eligium, nec Audoënum decebant.

c *throni altaris*] Prior vox addita est è codice S. Audoëni.

d *præfati*] Sic laudatus S. Aud. codex, ex quo etiam addidimus vocem *aliena*. Priùs editum erat *præfata*.

e *saxum immobile*] Codex S. Aud. *saxo immobili*. & infrà, *Jubebant ei Imperialia decreta*.

f *defectum*] Forte, *defunctum*, ait Acherius; mihi, nihi mutandum videtur. Haud ita multo post in codice S. Aud. legitur *carnificis gladio*. & infrà, *quantus in Oriente*.

g rent. Itaque non destitit Episcopos g commonendo & Optimates, quousque ex jussu Principis sacerdotale Concilium apud urbem Aurelianensem congregaretur; ubi præfato hæretico in medio deducto, conabantur eum docti quique diversis ex causis interpellare, sed nullo poterant genere concludere; tantâ quippe dicendi arte objectis quæstionibus occurrebat, ut ubi maximè putaretur adstrictus, ibi quasi anguis lubricus quibusdam foraminibus lapsus eorum se fronti opponeret. Cumque nullo genere à quoquam posset concludi aut superari, exstitit è nostris quidam per Dei providentiam doctissimus Episcopus, nomine SALVIUS, qui ita ei in omnibus obviavit, ut ingens pro hoc fieret nostris & gaudium & spectaculum: nam omnes versutias, cunctasque ejus artes, quas ille nunc occulere, nunc etiam dissimulare conabatur, frequenti disputatione palam funditùs detexit. Sic quoque adversùs eum omnium Episcoporum sententiâ prolatâ, ac per singulas civitates super ejus nomine decreto constituto, cum sibi merito dedecore eliminaverunt à finibus Galliæ.

CAPUT XXXVI. Quòd plures apostatas vir sanctus astutiâ suâ deprehendit atque notavit.

Sed & alium nihilominùs Apostatam cum comperisset Eligius evertere plebem Parisius, grandi afficiens dehonestate, exterminavit ab urbe: similiter & alium, qui Episcopum se simulans circuibat villas & plateas decipiendo populum, diù carcere maceratum ejecit à finibus regni Francorum: necnon alios atque alios diversis artibus populum subvertentes grandi semper auctoritate est persequutus; valde enim oderat omnia hæreticorum, vel schismaticorum, cunctorumque præter Catholicam doctrinam figmenta, & jugi instantiâ eorum insectabatur vesaniam; erat enim ipse affluentissimus quidem in eloquentiâ, in studio autem Scripturarum subtilissimus, & cum ipse sufficienter esset instructus, populum ubicumque pergeret Evangelicis cohortationibus edocebat in Christi fide irrevocabiliter persistere, atque ab hæreticorum contagiis sese solerti curâ observare.

h

CAPUT XXXVII. Quantam semper dilectionem erga pauperes habuerit.

Sed inter cætera, senibus ac h viduis atque pupillis consolator existebat; viduæ nimirum Sareptensis imitator, ipse plerumque esuriens, sui juris substantiam Christi visceribus erogabat. Si infirmum vidisset, clementer consolabatur; si in Dei quempiam amore ferventem, ad studium cohortabatur; si quispiam ad eum æger devenisset, ita ejus fovebatur ministerio, ut nec delicias urbium, nec matris desideraret affectum. Tantum itaque ad obsequia debilium se ex devotione diffuderat, ut multi pauperum sani languentibus inviderent: atque ita ob Christi amorem eorum assiduè curam gerebat, ut omnes pauperes eum quasi patrem se habere proprium lætarentur: sciebat enim quid in Lazaro aliquando dives purpuratus non fecerit, qualique superba mens retributione damnata sit; idcircò magis ac magis ergà omnes se misericordem ostendens, clementer miseris jugiter succurrebat; quo enim dolente non doluit? vel quo pereunte non gemuit? quem nudum vel Clericum non ejus vestimenta taxerunt? aut quod Cœnobium non ejus largitate sustentatum est? vel quas pro spe æternitatis non pertulit augustias? famem scilicet, sitim, vigilias, cunctasque carnis illecebras. In tali itaque proposito perseverans, præbuit se in futurum vas electionis & utile Deo ad omne opus bonum paratum.

CAPUT XXXVIII. Quâ bonitate peregrinos fovit: quantumque profecerit.

Nam cum se totum Dei servitio mancipasset, optima Principum jussa magnificè adimplebat, contraria verò magnificentiùs contemnebat, eratque liber ad eos arguendum, humilis ad obediendum, Regi pariter subjectus, & Christo devotus; rutilabat quidem specie, robustius erat in virtute, mentis utique argutæ, puræ, & probabilis vitæ; sic enim se exercebat quasi semper inciperet, sic se præparabat quasi quotidie moriturum; idcircò repugnantem carnem inediæ subjugabat, & ultricis gehennæ sæva tormenta præveniens, ipse sibi & persequutor existebat & tortor. Nam si contulisset sors temporis, cupiebat Martyr fieri pro nomine Conditoris; sed quamquam eum pugio non transfixit, quotidianum sibi libens ipse martyrium indixit, fuitque ei fames pro ungulâ, sitis pro flammâ, mundi calamitas pro bestiis, abstinentia pro craticulâ. Qui sub imagine martyrii veluti catenâ i rigentis ferri, sic durâ lege constrictus, semetipsum sibi abnegavit, ut Christum sequi posset, illum semper diligens, illum desiderans, illum ingenti aviditate sitiens, qui pro amore hominis homo factus est, ut nos ad cœlum traheret, de sinu Patris in terram descendit; eique omnem suum laborem, omnemque dilectionem infundens, bonam terram sui cordis jugi cultu & indesinentibus exercitiis excolebat, & veluti quis esuriens ac sitiens, sic ille aviditatem quamdam sustinens, illud crebriùs Psalmistæ dictum voce flebili conquerebatur: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Et illud: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Et illud Salomonis: *Post te in odorem unguentorum tuorum curremus.* Porrò sectabatur in omnibus mansuetudinem & fidem, necnon & charitatem perfectam, quæ spiritualis ædificationis est vinculum; studebat se vas sanctificatum exhibere, ut habitatorem Deum in mentis suæ hospitio posset recipere: salutaribus quoque actibus jugiter erat occupatus, ut quotiescumque tentator accederet, quoties hostis callidus aditum quæreret, clausum semper adversùm se pectoris ostium inveniret. Orabat frequenter secundùm Apostolum pro hominibus omnibus, pro Regibus, & his qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agant, in omni pietate & charitate; sciens secundùm eumdem Apostolum hoc bonum esse & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad imaginem l veritatis venire.

Psal. 54. 7.
Ibid. 41. 3.
Cant. 1. 3.
1. Tim. 2. 1. 2.
Ibid.

CAPUT XXXIX. Laus ejus prolixiùs habita.

Quid plura loquendo immorer? In omni conversatione suâ quasi Lucifer inter astra refulgens, instar magnæ lampadis micabat; semper enim perfectos æmulabatur ad bonum, semperque aliorum virtutes sibi proponebat ad exemplum. Tardus erat ad loquendum, secundùm Apostolum, & velox ad audiendum: eratque sermone subtilis, humilitate sublimis, eleemosynis dives, charitate longanimis, vigil ingenio, promptus eloquio, flagrans studio; utile nempe vas in Christi domo, ad miserorum obsequium non piger, ad orationem paratus, ad eleemosynam profusus, ad tribuendum largissimus, mansuetudinem colens, paupertate valde gaudens, bonitatem tenens, puritatem cordis semper amplectens, quique ita assiduè venerabiles animos m Ecclesiasticæ regulæ tradidit informandos, ut sub laïcali proposito constitutus, divino nutu Pontificis gratiam possideret uberiùs; sicque seipsum propriâ disciplinâ coercebat intonsus, quasi futuram spe-

Jacob. 1. 19.

g *episcopos*] Codex S. Aud. *episcopus commonendo optimates*, lectio non inepta.
h *senibus ac*] Codex S. Aud. *semper senetis paupe sine fine viduis* ex quo conjicere licet ità scriptum esse ab auctore *semper senibus, pauperibus, infirmis, viduis.*

i *veluti catenâ*] Prior vox addita est ex codice sæpiùs laudato S. Audoëni.
l *ad imaginem*] Imò *ad agnitionem*, quod Acherius legi oportere vidit.
m *animos*] Codex S. Aud. *annos.*

ciem indicans, ut irreprehensibilis in templo Christi præpararetur Sacerdos. O quàm perfectissimum laïcum, cujus imitatores ipsi esse desiderabant Sacerdotes! O mens omnibus prædicanda, cui non fuit aliud vivere, nisi Christum cum dilectione timere, & cum timore diligere! O verè felicem sæculi inimicum, cui mundus tantopere fuit crucifixus, & ipse mundo! qui ita sapientiâ exstitit pervigil, lenitate placabilis, ut & serpentis astutiam cum discretione gereret, & columbæ simplicis animum non amitteret: cujus quidem in mente, virtutum omnium decore, collocavit valde sobrium sapientia domicilium. Verè dignissimum in quo Dominus habitaret templum, jejuniis mundum, orationibus ornatum, puritate refertum, vigiliis exercitatum, nomine etiam meritoque electum; quique dum nominis sui dignitate pascitur, sic se quotidie exerit, ut nequeat amittere quod vocatur in CHRISTO JESU Domino nostro.

CAP. XL. Epilogus.

Sed longum nunc est per singula virtutum ejus vel gestorum insignia verbis exire, præsertim cum & Liber jam supra modum refertus, finem postulans, sermonem rejiciat, & ariditas nostri sermonis attenuata, veluti longo tramite penè defessa succumbat, non quòd omnia quæ de Eligio narranda erant expleverit; quippe qui nec ad centesimum ejus, ut ita dixerim, attingere potuit quanta in eo bonorum omnium ornamenta, quæ sunt vel pretiosa vel maxima supernæ remunerationis, contulerit prærogativa, sed quo velut quidam eminens in sublimi scopulus magnâ jam ex parte adultus, ipsâ sui prolixitate fronti se narrantis opponat. Nunc ergo interim illa solummodò quæ sub laïco habitu gessit, præsenti Libello transcurrere fecimus, cui etiam terminum jam libenter imponimus, ne sui prolixitate audientibus fastidium irrogemus: cæterum ea quæ adhuc restant, quæque in Episcopatu gesserit, quo ordine de hoc sæculo migraverit, quasque etiam post obitum virtutes operatus sit, si vita comes fuerit, & si facultatem Dominus tribuerit, intercessionibus sanctitatis ejus adjuti, alio Libello explere desideramus. Confidimus enim non nostris, sed ipsius meritis, opus cœptum feliciter atque fideliter ad finem usque perducere; si ipse dignetur pro nobis Christum Dominum interpellare in cœlis, qui ejus munere meruit tanta mirabilia operari in terris, per eumdem Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Explicit Liber primus.



INCIPIT PRÆFATIO LIBRI SECUNDI.

DOMINO propitiante vitam beati Confessoris ELIGII, quam pridem aliquâ ex parte ordiri cœperam, & penè defessus ac lassabundus medio in tramite stylum subtrahens, opus imperfectum reliqueram, nunc paululum viribus recreatis, cupiente voto, corde jocundo, calamoque venusto opus inchoatum adire tentabo, arduum sit licet iter ac profundum, sed liberè fateor, quo non possum pedibus viare, ardentissimo ducor amore; ibo ergo votis, quo accedere non possum verbis. Indignum profectò reor, tanti ac talis viri vitam ad posteritatis memoriam juxtà qualitatem ingenii non ad plenum monimentis tradere litterarum, cum nimirum opiner ex narratione rerum gestarum ædificationem plurimam legentibus fore: sed quoniam tanta ac talia ejus sunt opera, ut magnitudo quidem bonorum nihil me præterire patiatur, multitudo verò gestorum quamplurima cogat omittere, in incerto æstuat animus, dum deliberare non valet quid teneat, quid omittat. Profiteor namque si cuncta voluero annectere, & dies deficiet me narrante, & modum excedam voluminis: rursùs si pauca comprehendam, & irrisiones metuo hypocritarum dicentium, quoniam *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare:* (Luc. 14. 30.) & offensam potiùs pertimesco Antistitis, ne dum seriem exponere nitor, arctatus eloquii siccitate, magis ei injuriam videar irrogasse, quàm vitam exposuisse. His igitur ex utrâque parte discretis, articulum jam infigam membranis, & quæ primus hujus operis Liber veluti exundans rejicit, hic modò sequens velut nimium sitiens prosequatur; satisque sufficiat priori Libro ea tantùm exposuisse, quæ sub habitu sæculari gesserit, nunc verò de his quæ in Episcopatu egerit, hæc prima conveniant.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT I. De hæresi simoniacâ Gallias pervagante.

ELIGIUS itaque olim jam in Palatio militaverat sub sæculari habitu Regi æterno omniumque Principi Christo; fuerat quoque de temporibus LOTHARII mediani, mansueti Regis Francorum, & toto tempore DAGOBERTI inclyti Principis, necnon & CLODOVEI filii ejus, & usque ad initium regni junioris LOTHARII mansit in corpore; sed crudeliter in diebus illis simoniaca hæresis pullulabat in urbibus, & in cunctis finibus regni Francorum; maximeque de temporibus Brunichildæ infelicissimæ Reginæ, usque ad tempora Dagoberti Regis violabat hoc contagium Catholicam fidem. Sollicitè tamen pro hoc invigilabant sancti viri ELIGIUS & AUDOENUS, & communi cum cæteris viris catholicis habito Concilio, suggesserunt Principi, & Optimatibus ejus, ut hoc mortiferum virus citò deleretur de corpore Christi, quod est universalis Ecclesia; habuit itaque effectum eorum pia petitio, & libenter obtinuerunt quod devotè rogaverunt. Tunc ergo placuit omnibus uno in Spiritu sancto accepto consilio simul cum Regis imperio, ut nullus pretio dato ad sacerdotale officium admitteretur, neque eos qui ut lupi rapaces munera dando, mercanda censebant dona Spiritûs sancti, sed hos potiùs qui essent boni testimonii viri & irreprehensibilis vitæ, ad officium Pontificatûs eligerent.

CAP. II. De ordinatione Episcopatûs ejus.

Exinde igitur elegerunt ex merito sanctitatis cunctis bonis operibus præditum ad sacerdotale officium sanctum Eligium jam lumine radiatum, ut præesset Ecclesiæ Noviomagensi: decesserat enim in ipso anni circulo ACHARIUS præfatæ urbis Antistes. Elegerunt autem cum eo & AUDOENUM sodalem ejus qui vocabatur DADO, ut præesset Ecclesiæ Rotomagensi. Hoc ergo modo aurificem invitum detonsum constituerunt custodem urbium, seu municipiorum, his vocabulis, Vermandensi scilicet, quæ est Metropolis urbs, Tornacensi verò quæ quon-

dam regalis exstitit civitas, Noviomagensi quoque, & Flandrensi, Gandensi etiam, & Corturiacensi. Ob hoc itaque eum vel maximè in his locis dederunt Pastorem, quòd incolæ ejusdem regionis magnâ adhuc ex parte gentilitatis errore detinebantur, & vanis superstitionibus satis dediti erant, quique velut agrestes feræ, nulliuspiam salutare verbum recipere poterant; sed vir beatus cum se nullo modo ab officio disposito discutere posset, ne tamen in ullo Catholicæ regulæ deviare videretur, non se permisit priùs Sacerdotem consecrari, nisi sub normulâ Clericatûs aliqua temporis curricula exigeret. Tempore ergo dilationis transacto, atque Audoëno de partibus Transligeritanis[a] reducto, jamque eo Presbytero à domno DEODATO Matascensis urbis Episcopo ordinato, inito concilio pariter sub unius diei articulo apostolicam benedictionem meruerunt gratuitu: erat enim tempus quo apud Gallias Rogationes à cuncto populo celebrabantur. Convenientes igitur simul in civitatem Rotomagensem quartodecimo die mensis tertii, tertio anno Clodovei, juvenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias inter catervas populi, inter agmina Clericorum, inter choros psallentium consecrati sumus gratis ab Episcopis pariter Episcopi, ego Rodomo, ille Noviomo. Sic ergo Episcopatu suscepto ad Sedem remeans, qualem se demùm quantumque præstiterit quis dignè valeat explicare; aut quis tanta verborum copia instructus exitat; vel quæ oratio tantæ affluentiæ ubertate exundans, quæ cuncta ejus bona, ut decet, queat prosequi? Idem semper robustus ad virtutis instantiam se exerens, constantissimè in cœpto proposito perseverabat; eadem in corde humilitas, eadem in vultu gravitas erat, eamdem pauperibus curam, eamdem ut priùs sollicitudinem gerebat, eadem dilectio fraterna, eadem mentis constantia eidem permanebat, nisi quòd Episcopalis ambitio, quæ cæteris pompæ fomentum subministrare solet, ei plus studium abjectionis exhibuit, & unde alii ad tempus videntur extolli, inde his ampliùs studuit humiliari. Erat itaque Christo semper subjectus, & devotione armatus, doctrinâ præcipuus, pontificio dignus, humilis in honore recusando, subditus in suscipiendo, exul spontaneus, fide plenissimus, obediens in Dei præceptis, credulus in promissis, peregrè locuples, in industriâ solers, in opere docilis, in spe longanimis, in colloquio sapiens, in consilio prudens, in corrigendo vehemens, in diligendo ardens, in adversis patiens, in periculis fortis, in disciplinis mansuetus, in eleemosynis largus, in studiis assiduus, metu mortis sollicitus, in timore Dei eximius, in religione magnificus, in exequiis devotus, in misericordiâ gloriosus, in disciplinâ strenuus, excellenti ingenio præditus, justitiâ insignis, severitate terribilis, ad gratiam promptus, ad ignoscendum paratus, humilitate summus, hospitalitate præcipuus, nutritor gregis piissimus, Pastor Ecclesiæ providus, dispensator fidelis, moderator insignis, delictum proprium cavens, alienum ut suum lugens, plebi monita præbens, Christique præcepta docens, protervos non armis sed patientiâ vincens, superbos Christi jugo suavissimo subdens: semper enim in obsequiis pauperum, in diligentia peregrinorum infatigabiliter perdurabat, atque ita eis suum impendebat obsequium, ut nisi quis fundatam in Christo haberet mentem, proculdubio despectui duceret talia vel coæqualibus præbere, qualia is jugiter luridis ac feniis & despicabilibus exhibebat. Denique omni Episcopali pompâ postpositâ, populorum agmine contempto, Clericorum frequentiâ spretâ, famulantium obsequiis relictis, pauperum semper captivorumque delectabatur consortiis; habebat enim sequestratum statutum locum, in quo certis quibusque diebus egenos ac debiles intromittens, ipse ut dudum consueverat famulorum more satagens satis eis devotè serviebat, ipse squallentia capita lavans, incomptam ac deformem cæsariem manu propriâ radens, potumque singulis ac cibum post diligentiam præbens, omnes clementer refocillabat; deinde singulos muneratos, nudos etiam vestitos gratificè dimittebat, illisque ex unâ parte exeuntibus, alios si adessent, ex alterâ parte intromitti jubebat; quibus similiter cuncta explens benignissimè refovebat. Nonnunquam verò etiamsi plurima turba conflueret, similiter omnibus faciebat: singulis tamen diebus constitutum duodenarium numerum reficiebat, ipse plerumque cum eis horâ congruâ ad unam mensam pariter convivans, ita dumtaxat, ut priùs singulis aquam manibus funderet, merumque ac panem manu propriâ præberet. Sed quid hæc diutiùs narrando immoror? Ita fateor nunquam vidi studium fervere, nusquàm in Galliis hujusmodi opera taliter à quoquam audivi expleri: posset enim quis vel rarò arripere, sed vix aut difficilè perpetuò tenere; hic verò quòd semel proposuit, perpetuò retinuit; quod primum Deo vovit, nullis mundi negotiis obligavit; quod in principio arripuit, ad finem usque perduxit.

CAP. III. Quantâ instantiâ plebem commissam traxit ad viam salutis.

Præterea Pastoris curâ sollicitus, lustrabat urbes vel municipia circumquaque sibi commissa; sed Flandrenses atque Andoverpenses, Frisiones, & Suevi, & Barbari quique circà maris littora degentes; quos velut in extremis remotos nullus adhuc prædicationis vomer impresserat, primò eum hostili animo & aversâ mente susceperunt, postmodum verò cum paulatim per gratiam Christi his verbum Dei insinuare cœpisset, pars maxima trucis & barbari populi relictis idolis, conversa est ad verum Deum, Christoque subjecta; sicque demum factum est, ut quasi cœlitùs lumen ostensum, aut radius quidam solis erumpens, totam partis illius barbariem illustraret. Nam & ipsi qui eum primò velut ferocissimæ bestiæ discerpere cupierant, postmodum attendentes ejus bonitatem ac mansuetudinem; imitatores ejus fieri cupiebant. Quis enim esset ita obstinatus, qui ejus modestiam intuens non confestim admirando obstupesceret? aut quis arrogans, sobriam ejus vitam considerans, non illicò ad æquitatem semetipsum converteret? Crescebat nimirum in eo quotidie opinio famulatrix virtutum; seminabat in plebem verba veritatis fructu fidei redundantia, sufficienti sale condita, & velut aromaticis unguentis infusa: nec erat ejus fama contenta circumjectas tantùm Gallias illustrare, sed exteras utique provincias implebat, meritorum gratiâ præcurrente. Inter Barbarorum siquidem fremitus quasi signifer belligerator, corporeo timore nudus, sed fidei fervore vestitus se ingerebat, Christi charitate securus, adversantesque sibi fortiter superabat, non corporeâ loricâ amictus, sed fidei virtute indutus. O quoties ob veritatis assertionem paratam habuit mortem, fecissetque satis votis, si contulisset sors temporis! Sed licet ei ratio temporis non potuerit præstare martyrium, gloriam tamen Martyris non amisit, quia pro spe æternitatis jugiter laboravit; verùm si ei Neronianis Decianisque temporibus, in illâ quæ tunc exstitit dimicare congressione licuisset, securus dixerim, sponte equuleum ascendisset, & ultrò se pro Christo ignibus intulisset, libensque palmam sanguinis occupasset. Sed quamquam ista non tulerit, implevit tamen etiam sine cruore martyrium; dum

a *Transligeritanis*] Sic codex S. Aud. Editi *Ligeritanis*.

fortitudine roboratus, in vigiliis sedulus, in jejuniis assiduus, fidem servando, cursum consummando, repositam sibi à Christo justitiæ coronam quotidie exspectabat restitui. Tamquam speculator etenim à Domino constitutus, prædicabat verbum cum omni autoritate; instabat secundùm Apostolum opportunè, importunè, arguens, obsecrans, increpans in omni patientiâ & doctrina, suavem semper habens de his quæ Dei sunt vel alloquutionem plebis, vel collationes fraternæ familiaritatis, tenens semper in doctrinâ humanâ auctoritatem Apostolicam, per quam aggressus gentilium prælia, & gentis ferocissimæ pacem tenuit, & copiosum exercitum ad fidem Christi convertit, ac fidei Catholicæ intemerata consortia jugiter custodivit.

Cap. IV. De laude ejus prolixè descripta.

Sanè si quem vidisset peccatis noxiis vulneratum, & sagittis diaboli confixum, mox adhibebat dignas curationes sermonum, & verbi Dei salubre medicamentum, ostendens contrà vulnera incantatoris salutare malagma cōfessionis, indisciplinationes quoque & transgressiones suorum à regulâ honestâ vel rectâ, & arguebat clementer, & tolerabat patienter; eratque in eo mira in cunctis operibus discretio, & imitabilis ergà omnes dilectio. Erat ergo Eligius opere castus, fide Catholicus, charitate diffusus, in tentationibus cautus, in fide firmissimus, in operibus bonis promptus, in sermone verissimus, in judicio justus, in consilio providus, in bonitate conspicuus, in charitate præclarus, Deo sedulè serviens, errantes corrigens, correctos fovens, obstinatos spernens, humiles semper diligens: exuberabat quoque in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis, amor charitatis, atque ad æternam vitam doctrinæ suæ filios jugi studio incitans, quos erudiebat hortatu, præveniebat exemplo, quæ docebat agens, & quæ agebat docens, nec aliud ore promens, aliud corde volvens, sed quod ore docebat, opere corroborabat; & quale habebat verbum, talem & vitam, qualem etiam vitam, tale quoque & verbum. Summâ quippe bonitate subditos regebat; summâ severitate semetipsum damnabat, non satis erat terribilis in subjectis; nimiùm valde austerus in piaculis, in se servabat censuram, in alios præferebat justitiam, rigore utebatur in discussione justitiæ, misericordiâ in definitione sententiæ, districtiones verò censuræ semper temperabat misericordiâ, sciens scriptum: quia in eo quod judicat quis, judicandus est: Et quòd *Potentes potenter tormenta patientur:* Et quòd *Judicium erit durissimum his qui præsunt.* Hæc ergo sedulâ mente pertractans, in omni actione discretionem tenuit, nec in ullo penitùs intemperatè se gessit, sed omnia diligenter distinguens, & in disciplinâ, & in modestiâ modum semper ac temperamentum servavit.

Cap. V. De Cœnobio Noviomo constructo.

Præterea ædificavit in oppido Noviomagensi Ancillarum Christi Monasterium, ubi & congregationem magnam, & vitæ institutionem districtam indidit; terræ quoque redditus sufficienter delegavit, & omnia quæ essent Monasterio necessaria solerti satis curâ providit. Sed & alia multa Monasteria quæque ejus opere, quæque verò institutione à discipulis ejus constructa hodie intrà Gallias noscuntur: nam multi ex discipulis ejus Ecclesias condiderunt, multi Monasteria salubriter rexerunt, multi etiam in regimen Episcopale sublimati Ecclesiis præfuerunt.

Cap. VI. De multis ab eo Sanctorum prolatis corporibus; & de inventione S. Quintini.

Huic itaque viro sanctissimo inter cætera virtutum suarum miracula, id etiam à Domino concessum erat, ut sanctorum Martyrum corpora, quæ per tot sæcula abdita populis hactenùs habebantur, eo investigante ac nimio ardore fidei indagante patefacta proderentur: siquidem nonnulla venerabantur priùs à populo in locis quibus non erant, & tamen quo in loco certiùs humata tegerentur, prorsùs ignorabatur. Ex eo ergo tempore quo Eligius Pontifex consecratus, & Ecclesiæ Pastor est datus, ab eo nonnulla inventa populis sunt declarata; ex quibus primum ac summum sanctum Martyrem Quintinum in principio Episcopatùs sui grandi instantiâ quæsitum, olim quoque celatum, promovit palam in publicum. Denique priusquàm Eligius ejusdem loci datus esset Episcopus, exstitit quidam vir improbus, vocabulo Maurinus, ut videbatur populis habitu Religiosus, Cantor in Regis palatio laudatus, atque ex hoc, ut rei docuit exitus, mente tumidus, corde protervus, atque actione dissipatus, qui audaciâ præsumptionis suæ deceptus, cœpit verbis extollere à se corpus Martyris Quintini & inquiri posse & inveniri; sed ut & ejus proterviam illicò & Eligii merita demùm Dominus declararet, mox ut terram sarculo scabare cœpit, manubrium fossorii manibus ejus inhæsit, sicque miser opus præsumptum relinquens, sequenti quoque die in manibus suis vermibus ebullientibus miserabiliter exspiravit: ex quo facto tantus timor adolevit in populo, ut nullus deinceps quamvis probabilis vitæ præter Eligium hujusmodi negotium auderet appetere. Eligius ergo curâ Pastorali susceptâ, statim in exordio suæ ordinationis cœpit assiduare ergà locum illum: est enim haud procul ab urbe Vermandensi, in eo scilicet loco ubi quondam Martyr ex fluvio elevatus ab Eusebiâ in monte fuerat tumulatus. Eligius itaque divino nutu instigatus volvebat in animo, sed & liberè proclamabat populo, non illic haberi corpus quo eum loco venerabatur populus, sed esse potiùs in parte ulteriùs. Cumque diu hujusmodi conditio mentem ejus stimularet, cœpit tandem sagaci inquisitione per Basilicæ pavimentum huc illucque tentare sicubi sacratum tumulum posset deprehendere: sed cum nullatenùs indicium tumuli reperiret, cœpit à Fratribus destitui prosequentibus cum tremore interitum illius, qui dudum investigationem superbâ mente concipiens, lugubri morte vitam finisset; necnon & antiquitatem corporis longinquitate jam temporis consumpti, atque ad nihilum in pulverem redacti objicientes, conabantur eum à cœpto mentis proposito revocare.

Cumque ei istiusmodi impedimenta à Fratribus objicerentur, altiùs ille ingemiscens aiebat: Nolite, Fratres, quæso, nolite impedire devotionem meam; nam ego credo in Creatorem meum, quòd me non dignabitur tanto thesauro, tantumque mihi desiderato fraudare. Tunc ergo attentiùs persistens levavit triduanum jejunium, atque enixiùs Christi Domini divinitatem cum lacrymis exorans, vovit non se priùs quidquam alimoniæ accepturum, quàm mereretur desideratum percipere votum: tanta namque erat ei fides, tantaque constantia, ut plerumque sic facienda præveniret, tamquam jam facta crederet, atque nonnunquam ita cum Deo, quemadmodum cum terreno suo loqueretur domino, ac propositum quod ipse statueret, id Deum complere indubitanter crederet: unde etiam cum à multis dehortaretur, dicebat: Tu, inquit, Domine Jesu, qui omnia nosti priusquàm fiant, tu scis quòd nisi manifestatum ostenderis mihi corpus hujus Sancti tui testis, qui propter nomen sanctum tuum passus est, quamquam sim indignus, nunquam tamen plebis hujus Episcopatum geram, sed exul potiùs ab hac Provinciâ procul secedam, ubi ut dignum est inter bestias moriar. Quid multa? cœpto operi persistens, cum adjutores ejus per diversa Ecclesiæ loca tentando discurrerent, nullamque inveniendi spem caperent, leniter ille omnes compescens, u-

num eis locum, quo nulla esse suspicio poterat, in posteriore Ecclesiæ parte effodiendum designat. Tunc omnium labore ibi converso libenter jussis obtemperant, defossâque jam in altum ultrà pedes decem seu ampliùs terrâ, ab spe iterum inveniendi corporis destituuntur, & cum tertia jam nox media fluxisset, arrepto Eligius sarculo, rejectoque amphibalo, cœpit totis viribus cum cereis & cum lampadibus terram sanctis effodere manibus: cumque paululum ima fossæ declinans, in latus cavernæ scabare humum cœpisset, mox reperit cumbum sanè veterrimum, tegentem corpus sacratum. Tunc gaudio magno repletus, cum sarculo quem manu gestabat, avidissimè latus ferisset sepulcri, confestim forato tumulo, tanta odoris flagrantia cum immenso lumine ex eo manavit, ut etiam ipse sanctus Eligius fulgore luminis odoreque inenarrabili perculsus vix subsistere potuisset. Nam & globus splendoris, qui ex tumulo ad ictum ferientis processit, tantam vim suæ claritatis sparsit, ut cunctorum adstantium obtutibus oculorum retusis, partem maximam regionis illius in diei claritatem mutaret; unde omnes quos eâdem horâ vigilare contigerat, quique rei causam ignorabant, magnum quoddam datum cœlitùs signum æstimabant. Erat enim transacta media nox, & nox quidem obscura valde & caliginosa, sed procedente fulgore quasi lux diei ad tempus resplenduit, & in tempore claritas recessit. Tunc ergo sacrum inventum corpus Eligius cum gaudio lacrymabili exosculatur, ac de profundâ tellure elevato, Reliquias sibi undecumque concupivit, segregavit, dentes etiam pro languentium medelâ è maxillâ sanctâ abstulit, atque in radice dentis gutta sanguinis exivit. Clavos quoque miræ magnitudinis, quos tempore passionis ejus persequutores corpori infixerant, ex cerebro cæterisque artubus abstractos, sibi pro Reliquiis sequestravit. Capillos etiam pulcherrimos Reliquiis separatos delegavit. Deinde holoserico pretiosissimo obvolutum compositumque honestissimè corpus summâ cum diligentiâ citrà altare transposuit: tumbam denique ex auro argentoque & gemmis miro opere desuper fabricavit. Ecclesiam quoque, quæ exigua conventibus populi videbatur, eximio opificio ampliatam decoravit. Ipse demum ex Reliquiis, quas à sancto corpore sequestraverat, multa loca condivit, multimodamque medelam diversis ægritudinum incommodis easdem impartiendo præbuit.

Cap. VII. De inventione S. Piatonis, aliorumque Sanctorum.

Post hæc simili modo grandi labore atque instantiâ invenit in territorio Medenantense, vico Sacilinio, sanctum Martyrem Piatonem, cui similiter clavos prolixos ex corpore ablatos populis in argumentum monstravit. Corpus denique, sicut Martyrem decuit, eleganter composuit; atque mausoleum urbanè desuper fabricavit. Suessionis quoque civitate, sanctos Martyres & germanos Crispinum & Crispinianum ex quâdam cryptâ prolatos mirificè composuit, eorumque memoriam insigni ornamento decoravit. Necnon & Belvacus municipio, beatum Martyrem Lucianum [b], collegam quondam sancti Quintini inventum similiter fabricavit atque composuit: sed & alias quammultas memoriis Sanctorum impendit diligentias, quæ nunc non sufficit narrantis evolvere lingua.

Cap. VIII. Quanto labore apud barbaros desudavit.

Multum præterea in Flandris laboravit, jugi instantiâ Andoverpis pugnavit, multosque erroneos Suevos convertit; fana nonnulla Christi clypeo protectus cum Apostolicâ auctoritate destruxit; idololatriam quoque diversi generis ubicumque invenit, funditùs subruit. Inter hæc autem cum semper sobriam religiosis virtutibus teneret disciplinam, frequenter ab ingrato & perfido populo lacessitus, & penè usque ad contumeliam provocatus, nullatenùs à cœptâ doctrinâ arcebatur, sed magis ipse lenis, patiens, humilis, & mitis, pro eis Dominum deprecabatur: nam cum circumquaque rura lustraret, inenarrabili subtilitate blande atque compositè desides Barbarorum animos, & minus de spe futurâ sollicitos, solerti satis studio verbis blandis nitebatur stimulare, atque ad amorem supernæ patriæ accendere; prædicans infestis pacem, violentis quietem, ferocibus lenitatem; docens omnes in unum ad Ecclesiam coïre, Monasteria construere, atque in bonis actibus Deo sedulè servire. Ad cujus videlicet hortatum ita nonnulla permutata est barbaries, ut subitò in arido & squalenti campo videretur fecunda seges & uberrima messis surrexisse: videres complures ad pœnitentiam currere, opes pauperibus erogare, libertates familiæ dare, aliaque quamplurima bonorum operum præcepta sectari. O quanti Eligii industriâ ab errore gentilium retracti, venerabili Christi juncti sunt gregi! Quanti exemplum ejus sequuti, omnes sæculi illecebras respuentes, beatam Monachorum vitam sunt adepti! Quantæ puellæ eo suadente carnales nuptias spreverunt; ut in Matris Ecclesiæ receptæ gremio Christi sponsæ dignæ haberentur! Quàm copiosum etiam agmen utriusque sexûs annis singulis in Paschali solemnitate, quod per totum annum acquirere poterat, manibus propriis baptizans sacro fonte abluebat! Extrahebat enim tam dulciter quàm viriliter à faucibus inimici viros cum mulieribus, senes cum juvenibus, salubriaque monita assiduè tradens, innumeros convertebat ad viam salutis. Videres plerumque inter multas infantium turbas anus decrepitâ valde ætate, cuncta tremulas membra, canescente capite, rugatâ fronte, necnon viros ejusdem senectutis sub manibus ejus in fonte sacro renasci quodammodo, ac subitò albis indutos renovari. Videres & nonnullos ad confessionem piaminum concurrentes, & sagittis inimici saucios, ita ab Eligio veluti à peritissimo medico redire sanos, ut nulla jam in eis cicatricum vulnera remanerent, nullaque prioris culpæ eos delectatio comitaretur. Sed quid diutiùs immoror? manifestè enim & evidenter aderat ei divina gratia, quâ innumeros ad imitationem sui provocabat. Porrò resplendebant in eo virtutes eximiæ, modestia cum verecundiâ, sapientia cum simplicitate, severitas cum mansuetudine doctrina cum humilitate, humilitas cum rigore; & cum esset aliis misericors, sibi ipsi erat durissimus; cæteris quoque pius, sibi abstinendo severus; omnibus largus, sibi soli restrictus: inter cujus colloquia sacra semper resonabant verba; qui de pace sollicitus, de salute patriæ curiosus, die noctuque pro quiete Ecclesiarum quæ ubique sunt, ac pro pace Principum supplicabat; cuique ut vocabulum nominis, ita & virtus animi & cœlestium gratiarum magnificentia concordabat.

Cap. IX. Quâ doctrinâ in populo polleret; quibus præcipuè floreret virtutibus.

Nam quis ejus abundantiam rigantis ingenii contendat evolvere; aut quis ejus bona verbis valeat explicare? Quàm fuit in timore Dei fundatus, in dissertione providus, in consilio profundus, in causâ sæculi eloquens, in virtute humilitatis mirabilis, astutus juxtà Prophetam, & prudens, columbæ simplicitatem non amittens? O venerabilem Christi Sacerdotem! ô imitabilem virum pietate, misericordia, & charitate, quæ quotidie etiam in perfectis frigescit, in eo tamen usque ad finem aucta in dies perseveraverit! Quis namque ejus mansuetudinem,

b *Lucianum*] *Lucium* legitur in codice S. Audoëni.

quis puritatem, quis spiritûs fervorem, quis discretionem; quis benignitatem, quis postremò jugem meditationem die noctuque in præceptis divinis, verbis poterit explicare? Quis, inquam, eo in opere Dei promptior, in oratione ferventior, in lectione sollicitior, in sobrietate parcior, in lacrymamarum largitate profusior, in corpore honestior, in corde sincerior, in mansuetudine moderatior, in compunctione ferventior, in charitate jocundior potuit unquam inveniri?

Præcipuas denique virtutes quæ possent hominem ad culminis celsitudinem libenter sublevare, prudentiam scilicet, justitiam, fortitudinem, & temperantiam, ita in se connexas, sibique mutuò cohærentes excoluit, ut penè in singulis emineret: habuit nempe prudentiam in discernendo, justitiam in judicando, in arrepto proposito fortitudinem, in qualitate discretionis temperantiam. Quid enim eo prudentius, qui contemptâ mundi stultitiâ Christum sequutus est, Dei virtutem & Dei sapientiam? Quid justius, qui omni substantiâ pauperibus distributâ, docuit divitias ob Christi dilectionem penitùs esse contemnendas? Quid fortius, qui inter Francorum protervam gentem, barbarasque nationes, & arrogantium probrosas contumelias spiritum semper servavit invictum? Quid temperantius, qui nobilium felicitate spretâ, maluit in humilioribus tuto gressu pergere, quàm pendulo gradu in sublimibus fluctuare? Magnopere etenim concupivit inter homines esse inglorius, ut coram Deo appareret gloriosus; menteque in Christo fundatâ, cœlestia potiùs quàm terrena desiderans, humanam studiosè sprevit oblectationem, ut posset habere divinam in cœlestibus consolationem: inter hujusmodi itaque institutionis exercitia vir beatus ex dono sancti Spiritûs virtutum operabatur insignia.

Cap. X. In Provinciæ partes demoniacum liberavit.

Igitur quodam tempore causa exstitit ut regionem quæ propriè Provincia nuncupatur, adire debuisset. Cumque die quâdam cum nobili suo comitatu iter agens partes ejusdem Provinciæ peragraret, occurrit ei vir quidam immundo & nimis sævo repletus spiritu. Is cum vidisset sanctum virum, timore perculsus, & spumans ac pallens dixit ad eum: Quid hîc tu, Eligi? Ad quem conversus sanctus Eligius dixit: Et quid ad te, immundissime diabole? In nomine Jesu Christi obmutesce, & exi ab illo: & continuò vehementer discerpens hominem, exiit ab eo: (Quindecim verò annis obsederat & cruciaverat virum pessimus ille spiritus) statim ergo pristinæ sanitati restitutus homo surrexit incolumis, & sanus factus est ex illâ horâ.

Cap. XI. Quomodo in villa Ampucio dæmoniosam liberavit.

Profectus igitur Eligius devenit in villam quamdam, quæ vocatur Ampucius, quæ sita est super ripam fluminis Rodani, & pertinet ad prædium Erchenberti illustrissimi viri. Erat autem ibi fœmina quædam infestum diù dæmonem patiens, quo in loco Eligius orationis gratiâ Basilicam ingressus, cum oratione expletâ regrederetur, occurrens ei mulier cœpit nomen ejus crebriùs atque insolentiùs inclamare. Tunc Eligius respiciens eam, misertus ejus, fixis in terram genibus oravit, deinde conversus ad eam dixit: Adjuro te maligne spiritus per Deum Patrem Omnipotentem, & per Jesum Christum Filium ejus, & per Spiritum sanctum paraclitum, ut ipsius virtute fugatus discedas ab hoc vasculo quod obsides captivum: & confestim ad ejus verbum collisit spiritus mulierem in terram, & facta est velut mortua; sicque vim maximam patiens dæmon, & sanguinem per os mulieris ex internis visceribus egerens, confusus exivit ab eâ, & aufugit à facie hominis Dei. Tunc Sanctus Eligius jussit allevari mulierem, & benedicens aquam cum oleo dedit ei in potu, & cum gustasset, refocillata est anima ejus, & sana facta est ex eâ horâ.

Cap. XII. Ut cognitam in spiritu causam furti indicavit.

Neque illud prætereundum puto quamvis sit ignobile, quod eodem itinere vir beatus experimento cognoverat. Itaque cum sufficienter cuncta pro quibus advenerat explesset, omnibusque sibi amicis & Episcopis in Provinciæ partibus visitatis, necnon & domo Aspasii sobolis Juvini Christianissimi viri lustratâ, parat jam Eligius cum suis omnibus remeare ad propria. Postremò igitur omnium cum apud Aurelianum Uzecensem Episcopum convivio peracto, eidem vale dicere pararet, contigit ut inter satagentium utrorumque frequentiam ministrorum, unus ex famulis ejus canuam, cum quâ camelum onerarium secum semper ducere consueverat, subitò perderet, ob quod in diversa discurrens, prolixiùs arcebat iter. [c] Tunc Eligius accito ad se secretiùs famulo, indicat ei hominem sui conscium furti; jubet insuper dicens: Vade, inquit, in illam quæ juxtà cetimum sita est rupem, illic inter vepres reperies ligatum fundâ, & absconsum quod quæris; solutoque eo, accipe quod tuum est, & absque ullâ injuriâ, absque verbo etiam gravi redde homini tibi designato, ex quo ligatus tenetur fundibalum: quod cum ille fecisset, nimio fur pudore atque stupore perculsus, veniam facti sui precabatur, offerens insuper homini redemptionem piaculi.

Cap. XIII. Quâ demum institutione semetipsum excoluit.

Post hæc igitur Eligius ad urbem propriam regressus, institutionis suæ normam quotidie augmentabat in melius, diligens in primis Deum ex toto corde, ex totâ animâ, atque ex totâ virtute suâ; deinde proximum sicut semetipsum; in lege Domini sine lassitudine persistens, mores bonos nullâ noxiâ conversatione inquinabat; vitam temporalem pro exilio ducens, vitam æternam omni concupiscentiâ spiritali desiderabat; [actus vitæ suæ omni horâ custodiens, oculum mentis suæ ad Deum semper defixum habebat;] ab omnibus quæ lex vetat solerti curâ abstinens, à cogitatione quoque noxiâ animam revocabat, sciens hominem & de cogitationibus judicandum: nihil prætereà de se præsumens, nihilque boni sibi tribuens, bona à se facta, divino muneri adscribebat. Odientes etiam ad pacem invitans, discordes ad concordiam revocabat; consilium & opus suum semper ad Deum convertens, in omni conatu suo Christi auxilium flagitabat: pedes ejus semper directi ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona, sub specie honestâ, animo benigno incedebat; ac sicut fidelis servus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore necessario, sic populum sibi commissum omnimodis festinabat spiritali reficere cibo; clementer docens, optimè instruens, à consuetudine peccandi totâ omnes virtute retrahere nitens. Erat prætereà spiritu fervens, sollicitudine impiger, moribus clarus, operibus ornatus, omnique suavitate conspicuus: in oratione assiduus, in jejuniis strenuus, in eleemosynis largus, atque ita inter divites & pauperes medius, ut pauperes eum quasi patrem, divites quasi superiorem sibi aspicerent; ipse enim non ad personæ potentiam, sed potiùs ad morum elegantiam attendebat, & tanto unumquemque eminentiùs honorabat, quanto vivere sanctiùs didicerat. Erga egenos quoque & advenas ita se sollicitum exhibebat, ut verè Christum esse in ipsis fide integrâ crederet, & non tam illis quod conferebat, quàm ipsi Christo se eadem conferre gauderet. Ipsis quidem fœnerabat cibum, &

c *arcebat iter*] Sic codex S. Aud. Editi *arcebatur*. Ex eodem capite addidi quæ uncis inclusa vides capite sequenti.

oculis suspiciebat cœlum; ipsis alimenta præbebat, & Christum cum fiduciâ invocabat; ulnas tendebat in dando, mercedem procul dubiò exspectans ex alto: nam quantam molem substantiæ Eligius dispersérit amore Dei succensus, meum tantùm non est referre, norunt hæc atque senserunt omnes penè quatuor cœli plagæ. Quod enim Monasterium non ejus penetravit eleemosyna? aut quis Clericorum non ejus substantiâ refocillatus est? quis peregrinus non ejus est receptus hospitio? aut quibus advenis non suum impendit obsequium? Quos curiosissimè omnibus locis perquirens, damnum suum putabat, si quisquam debilis aut esuriens beneficio sustentaretur alterius: ardentissimâ quippe fide toto Salvatori animo conjunctus, reddebat ei quod ab ipso acceperat, ac per singulos ejus famulos Christum se videre credens, quidquid in illos conferret, contulisse se in Deum lætabatur, illud semper revolvens quod Dominus in Evangelio dicit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et illud: *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum.* Et illud: *Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula.* Et, *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Hujusmodi Eligius studiis exercitatus, divina eum gratia comitabatur uberiùs.

Matt. 5. 7. — *Eccli. 3. 33.* — *Luc 16. 9.* — *Ibid. 11. 41.*

CAP XIV. Ut patriam revisens Bituricas, reos carcere liberavit.

Denique quodam tempore, affectu pietatis & pastorali curâ sollicitus, venerat ei in animum solum proprium paternæ possessionis, civitatem Lemovicinam visitare. Audiens enim sanctam famam Monasteriorum suo jam exemplo in eâdem urbe constitutorum, desiderabat magnopere proprio eadem cernere intuitu, & præcipuè ob Monasterii sui venerabilem atque omnibus imitabilem institutionem, quam nimio desiderio æstuabat: comitatu cum Bituricas civitate appropinquaret, directis in viam cunctis comitibus suis, ipse cum paucis destinatus erat ad Memoriam Sulpicii Confessoris orare.[d] Quo cum pervenisset, oratione factâ, audit complures nuper mortis sententiâ damnatos teneri in carcere fiscali vinctos; interfecerant enim quemdam fiscalem judicem, & idcircò habebantur in vinculis. Eligius ergo memor verbi Domini dicentis: *In carcere eram & venistis ad me.* Et, *Quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis*, rogat se deduci ad eos; sed cum appropinquasset custodiæ carceris, mox milites consurgentes obstiterunt ei vehementer, nec permiserunt eum propiùs accedere: tunc ille mœstus admodum, indignatusque animo discessit, & cœptum iter peregit. Factum est autem cum pervenisset ad locum destinatum, commoratus est aliquamdiù apud urbem Lemovicas, & circuiens omnia Monasteria tam infrà urbem quàm in suburbanis sita, devotissimè omnium benedictiones hauriebat, visitatis etiam in suo Monasterio Fratribus, necnon & secundo eisdem Abbate constituto (prior enim ad Episcopatum captus habebatur) paternâ singulos sollicitudine commonebat, hortans omnes servire Deo in veritate, & simplicitate cordis, quotidieque in melius coalescere & acceptum propositum omni instantiâ ad finem usque perducere. Venit autem & ad prædium parentum suorum; nam & ibi jam habebatur Monasterium à germano ejus Alicio in ipso patris sui tabernaculo constructum; ibique similiter Fratribus conventis, atque clementer consolatis, parat postremùm reverti ad civitatem suam; & cum procul à Bituricis iter carperet, voluit iterum divertere ad civitatem; stimulabat enim animum ejus, quoniam reos, qui tenebantur in carcere, nihil priùs juvatus fuisset, nec quivisset liberare eos.

Matt. 25. 36. — *Ibid. v. 40.*

Ob hoc ergo iter agens, precabatur Dominum ut convento carcere non pateretur laborem suum frustrà consumere. Die igitur quâ ingressurus erat civitatem, cum valde diluculo elevasset oculos suos ad cœlum, facta est caligo & nebula tenebrosa nimis, ita ut habitatores civitatis nec ad spatium jacti lapidis procul contueri possent. Sic ergo Eligius urbem ingressus, cum appropinquasset januas carceris, confestim velut magno ferientis impulsu, divino nutu, confractæ sunt seræ, dissipati cardines, ostia carceris patefacta, omniaque vincula compeditorum soluta. Tunc Eligius concessam sibi virtutem quasi nihil ad se simulans pertinere, citò carcere discedit, dat tamen reis consilium ut mox egredientes ergastulum, Ecclesiæ peterent confugium; at illi egressi sine morâ, celeri cursu ad Basilicam beati Sulpicii properant; cumque essent omnia Ecclesiæ ostia obserata, & rei huc illucque circumspicientes nusquam invenirent introitum, fracta est subitò una ex vitreis maximis quæ erant in fronte Basilicæ, simulque ostium patefactum est unum ex latere Ecclesiæ, atque ita carcerati Basilicam ingressi, thronum altaris sunt expetiti. Deinde cum sanctus Eligius omnia orationum loca circumiens illuc quoque devenisset, invenit eos omnes circà altare, seu ante sepulcrum præfati Antistitis consistentes; & milites quidem cum invenissent carcerem dissipatum, statim persequuti sunt eos usque ad prædictum locum, & ingressi Basilicam, injecerunt eis manus, ac ferro vinctos foris trahere conabantur; quibus beatus Eligius blando alloquio dixit: Nolite quæso homines Dei, nolite hæc in loco sacro agere; cur perdere nitimini quos jam pius Dominus liberavit? Quare facitis tam impiè in domo Dei? Cur non pertimescitis tanti sceleris culpam? domus enim hæc, domus vitæ est non mortis; refugium est delinquentium, non damnatio confugientium; orationis est locus, non latronum specus. Sed cum nihil apud eos sermo ejus proficeret, iterum ait: Dominus Deus videat quod operamini. vos si quidem me audire renuistis, audiet credo ille qui nunquam derelinquit sperantes in se. Mox ergo ad solita præsidia convertens se, prostravit se in terram inter altare & Confessoris Memoriam, atque enixiùs Dominum supplicavit; & cum ab oratione caput elevasset, statim confractæ catenæ in terram ceciderunt, cunctaque quæ imposuerant ligamina omnibus adstantibus sunt magno impetu disrupta atque dissoluta: quod milites videntes, ingenti metu perculsi, confestimque ad pedes sancti Eligii pervoluti, veniam facti sui precabantur, dicentes: Peccavimus, Domine Pater, iniquè egimus, stultè gessimus in eo quod contrà te contendere præsumsimus: agnoscimus modò quod malè egimus, impietati nostræ ignoscere te rogamus. Tunc ille dixit ad eos: Et ego novi quod ignoranter fecistis; Dominus enim operatus est sicut voluit; ipse qui hos eripuit, ipse vobis, oro, indulgentiam tribuat, & à cunctis peccatis propitiatus absolvat: nam non ego ut vos putatis, sed sanctus Sulpicius ad se fugientes defendit reos. Hoc ergo modo Eligius, imò Dominus per Eligium, absolvit eos bis numero à diræ mortis periculo. Ille pius, ille misericors, qui sæviente Herode eripuit Petrum de obseratis militum custodiis, nunc operatus est cum Eligio famulo suo Bituricis: qui vinctum in carcere absolvit vas electionis Paulum, ipse nunc dissipato carcere humiliavit arrogantiam superborum: illi ergo laus, illi gloria, per quem servi ejus in mundo tanta possunt

d *orare*] Ita malui cum codice S. Aud. quàm ut in priori editione, *adorare*.

facere mirabilia. Sic ergo reis absolutis, qui penè nudi videbantur, Eligius elargitis indumentis & eleemosynis, mandat de cætero corrigere vitam; multamque & aliam, exceptis his eodem die diversis pauperibus, necnon & Monasteriis, distribuit pecuniam. Inde igitur digressus, cœpto tramite pergens pervenit tandem ad suos.

Diebus namque singulis plebem sibi commissam commonens, infatigabiliter salutaribus monitis exhortabatur, zelo nimirum veritatis accensus, volebat populis pandere quod ipse intemeratâ fide teneret [e], mandans omnibus servire Deo in veritate, & facere justitiam in omni tempore, & ut essent memores beneficiorum Christi, & benedicerent nomen ejus cunctis diebus vitæ suæ. Nam collectis undique ad Ecclesiam turbis multa quidem & magna breviter in sermone complexa, sed in ædificatione spiritaliter copiosa, cum propheticâ fiduciâ exaltans vocem, hujuscemodi ad eos proferebat monita.

Caput XV. Quibus monitis exhortans evangelizabat populo.

Rogo vos, Fratres carissimi, & cum grandi humilitate admoneo, ut intentis animis auscultare jubeatis quæ vobis pro salute vestrâ suggerere volo: Omnipotens enim scit Dominus quòd promptâ erga vos caritate ista vobis profero; quæ si non fecero, proculdubio reus debiti tenebor: vos ergo non pro meâ parvitate, sed pro vestrâ quæ dico salute libenter suscipite, ita dumtaxat ut quæ aure percipitis, opere compleatis, ut & ego de meo obsequio, & de vestro profectu merear vobiscum gaudere in cœlesti regno. Si cui fortè displiceo quod tam frequenter vobis prædicare contendo, rogo non mihi molestus existat, sed magis periculum meum consideret, & audiat Dominum per Prophetam terribiliter Sacerdoti comminantem: *Si non annuntiaveris*, inquit, *iniquo iniquitatem suam, ipse in iniquitate suâ morietur: sanguinem autem ejus de manu tuâ requiram. Quod si annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus à pravitate suâ, ipse quidem in iniquitate suâ morietur, tu autem animam tuam liberasti.* Et illud: *Clama, ne cesses, & annuntia populo meo peccata eorum.* Considerate ergo, Fratres, quia oportet me sine cessatione vestros animos ad tremendum Dei judicium, & ad desiderandum cœleste præmium excitare, ut vobiscum pariter merear in Angelorum consortio perpetuâ pace gaudere; ideoque rogo ut diem judicii semper pertimescatis, diem mortis suspectum quotidie ante oculos habeatis. Considerate quales eritis præsentandi conspectibus Angelorum, vel qualem pro meritis vicissitudinem recepturi, & si poteritis in illo die illibatum referre quod in baptismo promisistis. Mementote quia tunc pactum cum Deo fecistis, atque abrenuntiare vos diabolo, & omnibus operibus ejus, in ipso baptismi sacramento promisistis. Qui potuit, tunc ipse per se & pro se hæc respondit; qui verò non potuit, fidejussor pro eo ad ejus vicem ista Deo promisit, ille scilicet qui eum de sacro fonte suscepit. Considerate ergo quale pactum cum Deo fecistis, & requirite apud vos ipsos, si post ipsam promissionem opera maligni diaboli, cui renuntiavistis, sequuti estis; abrenuntiastis enim diabolo, & omnibus pompis & operibus ejus, id est, idolis, sortibus, auguriis, furtis, fraudibus, fornicationibus, ebrietatibus, & mendaciis; hæc sunt verò opera & pompæ ejus: promisistis è contrà credere vos in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum, conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria Virgine; passum sub Pontio Pilato; tertiâ die resurrexisse à mortuis; ascendisse in cœlos: promisistis deinde credere vos & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, remissionem peccatorum; carnis resurrectionem; & vitam æternam. Hæc proculdubio cautio & confessio vestra, quam tunc promisistis, semper apud Deum tenetur, quapropter vos, Carissimi, moneo ut ista confessio, vel promissio vestra semper in vestrâ teneatur memoriâ, & hoc quod Christiani vocamini, non ad judicium vobis sit, sed potiùs ad remedium. Nam ideo Christiani facti estis, ut semper opera Christi faciatis, id est; ut castitatem ametis, luxuriam & ebrietatem fugiatis; humilitatem teneatis, superbiam detestemini, quia Dominus Christus humilitatem & ostendit exemplis, & docuit verbis, dicens: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris.* Invidiam etiam respuatis, charitatem invicem habeatis, & semper de futuro sæculo & de æternâ beatitudine cogitetis, ac plus pro animâ quàm pro corpore laboretis, quia caro pauco tempore erit in hoc mundo, anima verò si benè agit sine fine regnabit in cœlo; at si malè egerit, sine misericordiâ ardebit in inferno: qui verò non cogitat nisi de istâ tantummodo vitâ, animalibus & bestiis similis factus est [f].

Non ergo vobis sufficit, Carissimi, quòd Christianum nomen accepistis, si opera Christiana non facitis: illi enim prodest quòd Christianus vocatur, qui semper Christi præcepta & mente retinet, & opere perficit, qui furtum scilicet non facit, qui falsum testimonium non dicit, qui nec mentitur, nec perjurat, qui adulterium non committit, qui nullum hominem odit, sed omnes sicut semetipsum diligit, qui inimicis suis malum non reddit, sed magis pro ipsis orat, qui lites non concitat, sed discordes ad concordiam revocat. Hæc enim præcepta ipse Dominus Christus per semetipsum dignatus est in Evangeliis tradere, dicens: *Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, non perjurabis, & fraudem non feceris. Honora patrem & matrem: & diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et, *Quodcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite eis.* Hæc est enim Lex & Prophetæ, & adhuc his majora, sed valde fortia atque fructifera his dedit mandata, dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Et, *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Ecce forte mandatum, & videtur hominibus durum, sed magnum quidem habet præmium: audite quale: *Ut sitis*, inquit, *filii patris vestri qui in cœlis est.* O quanta gratia! per nos servi digni non sumus, & per inimicorum dilectionem filii Dei efficimur. Ideo ergo, Fratres, & amicos diligite in Deum, & inimicos diligite propter Deum; *Qui enim diligit proximum*, sicut dicit Apostolus, *legem implevit.* Nam qui verus Christianus vult esse, hæc ei necesse est præcepta custodire; si enim non custodit, ipse se circumvenit. Ille itaque bonus Christianus est, qui nulla phylacteria, vel adinventiones diaboli credit, sed omnem spem suam in solo Christo ponit; qui peregrinos tamquam ipsum Christum cum gaudio suscipit; quia ipse dicet: *Hospes fui, & suscepistis me.* Et, *Quamdiù fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis.* Ille, inquam, bonus Christianus est, qui hospitibus pedes lavat, & tamquam parentes carissimos diligit; qui juxtà quod habet, pauperibus eleemosynam tribuit; qui ad Ecclesiam frequentiùs venit, & oblationem quæ in altari Deo offeratur, exhibet; qui de fructibus suis non gustat, nisi priùs Deo aliquid offerat; qui stateras dolosas, & mensuras duplices non habet; qui pecuniam suam non dedit ad usuram; qui & ipse castè vivit, &

Margin: Ezech. 33, 8 9. — Isai. 58. 1. — Quæ Christianorum in baptismo promissa. — Matt. 11. 29. — Ibid. 19. 18. & seqq. — Ibid. 7. 12. — Ibid. 5. 44. — Ibid. v. 45. — Rom. 13. 8. — Qui verè Christiani. — Matt. 25. 35. — Ibid. v. 40.

e *ipse .... teneret*] Codex S. Aud. *ipsi ... tenerent.*

f *factus est*] In codice S. Aud. non legitur *factus.*

filios vel vicinos docet, ut castè & cum timore Dei vivant; & quoties sanctæ solemnitates adveniunt, ante dies plures castitatem etiam cum propriâ uxore custodit, ut securâ conscientiâ ad Domini altare accedere possit: qui postremò symbolum vel orationem Dominicam memoriter tenet, & filios ac familiam eamdem [g] docet. Qui talis est, sine dubio verus Christianus est, sed & Christus in ipso habitat, qui dixit: *Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* (Joan. 14. 23.) Similiter & per Prophetam dicit: *Ego inhabitabo in eis, & inter illos ambulabo: & ero illorum Deus.* (Levit. 26. 12. 2. Cor. 6. 16.)

Ecce audistis, Fratres, quales sint Christiani boni, ideo quantum potestis cum Dei adjutorio laborate, ut nomen Christianum non sit falsum in vobis, sed ut veri Christiani esse possitis, semper præcepta Christi & cogitate in mente, & implete in operatione; redimite animas vestras de pœnâ, dum habetis in potestate remedia: eleemosynam juxtà vires facite, pacem & charitatem habete, discordes ad concordiam revocate, mendacium fugite, perjurium expavescite, falsum testimonium non dicite, furtum non facite, oblationes & decimas Ecclesiis offerte, luminaria sanctis locis juxtà quod habetis exhibete, symbolum & orationem Dominicam memoriâ retinete, & filiis vestris insinuate; filios etiam quos ex baptismo suscepistis docete & castigate, ut semper cum timore Dei vivant, scitote vos fidejussores pro ipsis apud Deum esse. Ad Ecclesiam quoque frequentiùs convenite, Sanctorum patrocinia humiliter expetite, diem Dominicum pro reverentiâ Resurrectionis Christi absque ullo servili opere colite, Sanctorum solemnitates pio affectu celebrate: proximos vestros sicut vos ipsos diligite: quod vobis vultis ab aliis fieri, hoc & vos aliis facite: quod vobis non vultis fieri, nulli facite: charitatem ante omnia habete, quia charitas operit multitudinem peccatorum: estote hospitales, humiles, omnem sollicitudinem vestram ponentes in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis. Infirmos visitate, carceratos requirite, peregrinos suscipite, esurientes pascite, nudos vestite. Ariolos & magos spernite: sit vobis æqualitas in pondere & in mensurâ, sit statera justa, justus modius, æquusque sextarius, nec plusquàm dedistis repetatis, neque usuras pro fœneratâ pecuniâ à quoquam exigatis. Quod si observaveritis, securi in die judicii ante tribunal æterni Judicis venientes dicetis: Da, Domine, quia dedimus; miserere quia misericordiam fecimus; nos implevimus quod jussisti, tu redde quod promisisti.

Ante omnia autem illud denuntio atque contestor, ut nullas [h] Paganorum sacrilegas consuetudines observetis, non caraïos, non divinos, non sortilegos, non præcantatores; nec pro ullâ causâ aut infirmitate eos consulere, vel interrogare præsumatis; quia qui facit hoc malum, statim perdit baptismi sacramentum. Similiter & auguria, vel sternutationes nolite observare, nec in itinere positi aliquas aviculas cantantes attendatis, sed sive iter, seu quodcumque operis arripitis, signate vos in nomine Christi, & symbolum, & orationem Dominicam cum fide & devotione dicite, & nihil vobis nocere poterit inimicus. Nullus Christianus observet quâ die domum exeat, vel quâ die revertatur, quia omnes dies Deus fecit: nullus ad inchoandum opus diem vel lunam attendat: nullus in Kalendis Januarii nefanda & ridiculosa, vetulas, aut cervulos, aut jotticos [i] faciat, neque mensas super noctem componat, neque strenas, aut bibitiones superfluas exerceat. Nullus Christianus in puras credat, neque in cantu sedeat, quia opera diabolica sunt: nullus in festivitate sancti Joannis, vel quibuslibet Sanctorum solemnitatibus, solstitia, aut vallationes, vel saltationes, aut caraulas [l], aut cantica diabolica exerceat: nullus nomina dæmonum, aut Neptunum, aut Orcum, aut Dianam, aut Minervam, aut Geniscum *, aut cæteras hujusmodi ineptias credere, aut invocare præsumat. Nullus diem Jovis absque festivitatibus sanctis, nec in Maio, nec ullo tempore in otio observet, neque dies tiniarum, vel murorum, aut vel unum omninò diem, nisi tantùm Dominicum. Nullus Christianus ad fana, vel ad petras, vel ad fontes, vel ad arbores, aut ad cellos, vel per trivia luminaria faciat, aut vota reddere præsumat: nullus ad colla vel hominis, vel cujuslibet animalis ligamina dependere præsumat; etiamsi à Clericis fiant, & si dicatur quòd res sancta sit, & lectiones divinas contineat, quia non est in eis remedium Christi, sed venenum diaboli. Nullus præsumat lustrationes facere, nec herbas incantare, neque pecora per cavam arborem, vel per terram foratam transire, quia per hæc videtur diabolo ea consecrare. Nulla mulier præsumat succinos ad collum dependere, nec in telâ vel in tincturâ, sive quolibet opere Minervam, vel infaustas cæteras personas nominare, sed in omni opere Christi gratiam adesse optare, & in virtute nominis ejus toto corde confidere. Nullus, si quando luna obscuratur, vociferare præsumat, quia Deo jubente certis temporibus obscuratur; nec lunâ novâ quisquam timeat aliquid operis arripere, quia Deus ad hoc lunam fecit, ut tempora designet, & noctium tenebras temperet, non ut alicujus opus impediat, aut dementem faciat hominem, sicut stulti putant, qui à dæmonibus invasos à lunâ pati arbitrantur. Nullus dominos solem aut lunam vocet, neque per eos juret; quia creatura Dei sunt, & necessitatibus hominum jussu Dei inserviunt: nullus sibi proponat fatum vel fortunam, aut genesim, quod vulgò nascentia dicitur, ut dicat, qualem nascentia attulit, taliter erit; quia Deus *omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, (1. Tim. 2. 4.) atque omnia in sapientiâ dispensat, sicut disposuit ante constitutionem mundi. Præterea quoties aliqua infirmitas supervenerit, non quærantur præcantatores, non divini, non sortilegi, non caragi, nec per fontes aut arbores, vel bivios diabolica phylacteria exerceantur; sed qui ægrotat, in solâ Dei misericordiâ confidat, & Eucharistiam Corporis & Sanguinis Christi cum fide ac devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesiâ petat, unde corpus suum in nomine Christi ungat, & secundùm Apostolum oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus; (Jacob. 5. 15.) & non solùm corporis, sed etiam animæ sanitatem recipiet, complebiturque in illo quod Dominus in Evangelio promisit, dicens: *Omnia enim quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* (Mat. 21. 22.)

Ante omnia ubicumque estis, sive in domo, sive in itinere, sive in convivio, verba turpia & luxuriosa nolite ex ore vestro proferre, quia sicut Dominus in Evangelio prænuntiat: *De omni verbo otioso quod loquuti fuerint homines super terram, reddent rationem in die judicii.* (Ibid. 12. 36.) Ludos etiam diabolicos, & vallationes [m], vel cantica gentilium fieri vetate; nul-

g *familiam eamdem*] Codex S. Aud. *filius eadem*.
h *ut nullas*] Idem S. Aud. codex, *ne ullas*.
i *jotticos*] Codex S. Aud. *ulerioticos*.
l *aut coraulas*] Deest in codice S. Aud. legendum *aut choraulas*. Infrà ubi editum est *aut Geniscum*, haud satis scio an reponendum sit, *aut Genium*.
m *vallationes*] Acherius rectè monet legi oportere *ballationes*, h. e. saltationes.

lus hæc Christianus exerceat, quia per hæc paganus efficitur; nec enim justum est ut ex ore Christiano, ubi sacramenta Christi mittuntur, & quod decet Deum semper laudare, cantica diabolica procedant: ideoque, Fratres, omnes adinventiones inimici toto corde respuite, & supradicta sacrilegia cum omni horrore fugite. Nulli creaturæ præter Deo & Sanctis ejus venerationem exhibeatis: fontes vel arbores, quos sacros vocant, succidite; pedum similitudines, quos per bivia ponunt, fieri vetate, & ubi inveneritis, igni cremate: per nullam aliam artem salvari vos credatis, nisi per invocationem & crucem Christi. Nam illud quale est, quòd si arbores illæ, ubi miseri homines vota reddunt, ceciderint, nec ex eis ligna ad focum sibi deferunt? Et videte quanta stultitia est hominum, si arbori insensibili & mortuæ honorem impendunt, & Dei omnipotentis præcepta contemnunt. Non ergo cœlum, non sydera, non terram, nec ullam omninò creaturam præter Deum ullus adorandam credat; quia omnia ipse solus condidit atque disposuit. Altum quidem est cœlum, ingens terra, immensum mare, pulcra sydera, sed immensior & pulcrior sit necesse est, qui hæc creavit: si enim hæc quæ videntur tam incomprehensibilia sunt, id est, varii terræ fructus, pulcritudo florum, diversitas pomorum, genera animalium, alia super terram, alia in aquis, alia in aëre, apum quoque prudentia, ventorum flatus, nubium rores, tonitruorum fragores, temporum vices, dierum noxiumque vicarius recursus, quæ omnia nullatenùs mens humana potest æstimatione comprehendere: si ergo hæc talia sunt, quæ videmus, & nullatenùs comprehendimus, qualia æstimanda sunt illa cœlestia, quæ nondum videmus? Vel qualis horum omnium opifex, cujus nutu cuncta creata sunt, cujus & arbitrio omnia gubernantur? Illum ergo, Fratres, super omnia timete, illum inter omnia adorate, illum ultrà omnia amate, ad illius vos misericordiam tenete, de ejus clementiâ nunquam desperate.

Quos bonos videtis, illos imitamini; quos malos conspicitis, castigate & corripite, ut duplicem mercedem habere possitis. Et qui hactenùs idoneus à supradictis malis vixisse cognoscitur, gaudeat quidem, & Deo gratias agat, ac de cætero observet, & perseverare in bonis operibus festinet: qui verò usque nunc mala opera exercuit, citò se corrigat, & ex toto corde pœnitentiam agat antequàm de hac luce discedat; quia si sine pœnitentiâ mortuus fuerit, non ibit in redemptionem [n], sed præcipitabitur in gehennam ignis, unde nunquam exiet in sæcula sæculorum. Quapropter omnes alloquor, viris pariter & fœminis dico, corrigat se unusquisque, & vitia sua dum potest emendet, mala opera quæ gessit pœnitendo expiet. Nullus se inebriet, nullus in convivio suo cogat alium plus bibere quàm oportet, quia vino multo deditos vehementer Apostolus redarguit dicens: *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* Nullus vel in quâlibet minimâ causâ diaboli sequatur adinventiones: nullus, sicut dictum est, observet egrediens aut ingrediens domum quid sibi occurrat, vel si aliqua vox reclamantis fiat, aut qualis avis cantus garriat, vel quid etiam portantem videat; quia qui hæc observat, ex parte paganus dignoscitur; qui verò hæc contemnit, sibi Prophetam gratuletur clamare: *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus; qui non respexit in vanitates & insanias falsas.* Hinc & Apostolus monet: *Omnes,* inquit, *quodcumque facitis, in nomine Domini nostri* Jesu-Christi *facite.* Prorsùs ergo recedendum est à cunctis hujuscemodi observationibus, Mathematici spernendi, auguria horrescenda, somnia contemnenda, quoniam, sicut Scriptura testatur, vana sunt. Unde & per Moysem præcipitur: *Non augurabimini,* inquit, *nec observabitis somnia, neque ad magos declinabitis.* Oportet igitur ut & vos hæc totâ mente observetis, & si quos cognoscitis vel occultè aliqua phylacteria exercere, expedit ut nec cibum cum eis sumatis, neque ullum consortium apud eos habeatis. Ista ergo omnia spernentes ad Dei vos auxilium conferte, de ejus misericordiâ nunquam desperate.

1. Cor. 6. 10. — Psal. 39. 5. — Coloss. 3. 17. — Levit. 19 26.

Omni die Dominico ad Ecclesiam convenite, & ibi non causas, non rixas, vel otiosas fabulas agatis, sed lectiones divinas cum silentio auscultate; & pro pace Ecclesiæ, vel pro peccatis vestris orate: qui enim in Ecclesiis fabulari non timet, & pro se, & pro [o] aliis redditurus est rationem; dum nec ipse verbum Dei audit, nec alios audire permittit: de talibus quippe Dominus in Evangelio dicit: *Væ vobis hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines: vos non introitis, nec introeuntes sinitis intrare.* Judices etiam qui præestis, justissimè judicate, nihil in judicio injustè agatis, nec munera super innocentes accipiatis; non ad personam attendatis, nec res alienas rapaciter [p] tollatis, quia de vestris quid vel suprà noctem agatur, nescitis. Pauperem etiam & advenam nullatenùs in judicio opprimatis, timentes illud quod Veritas in Evangelio dicit: *Quia in quo judicio judicaveritis, judicabimini. Et in quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Cavete semper ne de vobis Propheta dicat: *Væ vobis qui potentes estis in mundo: qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum. Labia vestra loquuntur mendacium, & manus vestræ plenæ sunt iniquitate. Facta est vobis veritas in oblivionem, & justitia fugit à vobis.* Hæc, Fratres, considerantes pariter & qui præestis, & quibus præestis, in Dei vos timore solidate; retinete quæ dicta sunt, facite quæ præcepta sunt, habete semper Christum in mente, signum ejus in fronte. Scitote quia multos habetis adversarios qui cursum vestrum impedire festinant; idcircò in omni loco, omni horâ, crucis signaculo vos armate, crucis vexillo vos munite: hoc enim solum timent, illud solum expavescunt; hoc & vobis datum est scutum in quo possitis omnes sagittas maligni ardentes exstinguere. Porrò magna res est signum Christi, & crux Christi, sed illis solis prodest qui faciunt mandata Christi; ut ergo vobis prosit, præcepta ejus totis viribus adimplere contendite, & sive sedetis, sive ambulatis, sive manducatis, sive lectum ascenditis, sive ab strato surgitis, jugiter signum Christi vestram muniat frontem, ut vos semper memoria Dei & vigilantes protegat, & in sopore custodiat; & quoties in nocte excitati fueritis, & somnus ex oculis evolaverit, mox labiis signum Crucis occurrat, mensque orationibus occupetur, ac Dei præcepta in corde volvantur, ne stupido pectori repente subrepat inimicus, vel per fatuam incuriam serpat in animam avidus adversarius: & cum in sensu vobis turpem suggesserit cogitationem, proponite futurum Dei judicium, inferni supplicium, gehennæ pœnas, tartari tenebras, quæ impii patiuntur. Si hæc feceritis, statim turpis cogitatio evanescit, nec vos deserit virtus Christi; quia verum est quod

Mat. 23. 13. — Ibid. 7. — Isai. 5. 22. — Ibid 20. — Ibid. 59. 3. — Ibid. 19.

n *in redemptionem*] Codex S. Aud. *in requiem*, quæ lectio nescio an non aptior sit.

o *& pro se & pro*] Sic codex S. Aud. Editi *& ipse pro aliis.*

p *rapaciter*] In codice S. Aud. legitur *rapaci fortiâ.*

Psal. 31. 10. Propheta canit : *Sperantes in Domino misericordia circumdabit.*

Sed cum hæc omnia, auxiliante Domino, impleveritis, scitote quia hoc molestè accepturus est diabolus, dum viderit vos à societate suâ discedere, & ob hoc fortasse aliquas nequitias aut infirmitates vobis immittet, nolite pro hoc desperare, quia ad vos probandos permittet hoc Deus fieri, ut cognoscat si ex toto corde vos ad ejus misericordiam tenetis, vel si veraciter in eum creditis; sed vos patienter cuncta sufferte, & Deum in omnibus benedicite, ut in vobis impleri possit quod scriptum est : *Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Consolatur vos & hoc quod Apostolus dicit : *Quia cum tribulamur, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur :* necnon & illud : *Flagellat Deus omnem filium quem recipit.* Et illud : *Quos amat Dominus arguit & castigat.* Quòd si semel vel bis nequitias quas immittit, viriliter atque fideliter pro Dei timore sustuleritis, ita ipsum postea à vestrâ infestatione Deus dignabitur repellere, ut ulteriùs vos nunquam possit nocere. Ita ergo vos, si veri non falsi Christiani estis, omnes diabolicas circumventiones fugite ac despicite, & totâ mente vos ad Deum tenete, ut quæcumque vobis adversa inimicus immiserit, patienter & fortiter toleretis; nam & si per sortilegos aut divinos aliqua prædixerit, & ita evenerit, nolite mirari, quia spiritus per aëra volantes facilè possunt prævidere aliqua futura. De hac re etiam Scriptura divina contestatur, dicens : *Etiamsi vera dixerint vobis; nolite credere eis. Tentat enim vos Dominus Deus vester utrum timeatis eum, an non.* Illud etiam scitote, quia nec vos nec aliquid quod ad vos pertinet lædere poterit inimicus, nisi quantum permiserit Deus; permittit autem hoc Deus, quia peccata hominum hæc exigunt; permittit, inquam, duabus ex causis; ut aut probet, si boni estis, aut castiget, si peccatores. Sed qui patienter dispensationem Domini sustinuerit, ita ut cum perdiderit aliquid, dicat : *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Pro istâ patientiâ aut coronam accipiet, si justus est, vel indulgentiam, si peccator: quòd si murmuraverit, vel desperaverit, rerum pariter atque animæ damnum incurret. Sed mihi credite, Fratres, quia si ex toto corde semper in Dei timore permanseritis, & præcepta ejus custodieritis, ita ut nulla ex gentili consuetudine observetis, nihil vobis jam inimicus nocere poterit, sed omnia vestra prosperabuntur: recto enim Christiano nec auguria, nec alia quælibet figmenta nocere possunt, quia ubi signum Crucis cum fide & timore Dei præcesserit, nihil ibi inimicus nocere poterit : tepidis verò & negligentibus ideo nocere possunt, quia relinquentes Dei præcepta per vitæ suæ negligentiam prava exercendo opera, ipsi se dæmonum potestati spontaneâ tradunt voluntate; qui si in Christi servitio perseverarent, & per ejus solum confiderent auxilium, nihil prorsùs mali paterentur.

Jacob. 1. 12.

1. Cor. 11. 32.

Heb. 12. 6.

ibidem.

Deut. 13. 3.

Job 1. 21.

Hoc ergo scientes, totis viribus vos ad Dei misericordiam tenete, opera bona semper agite, & de substantiâ vestrâ pauperibus erogate; qui plus habet, plus tribuat, qui verò minus, ex ipso largiatur beatus & hilaris; unusquisque quod prævalet tribuat : quia nimirum est unde gaudeat. Scilicet, qui dat parum, accipiet multum, sicut & Dominus promittit dicens : *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Dat, inquam, nummum, & comparat cœleste regnum; dat parvam pecuniam, & emit vitam æternam. Tenete ergo vos ad eleemosynam, quia sicut scriptum est : *Eleemosyna de morte liberat.* Et qui eam fecerit, non ibit in tenebras. Unusquisque quantum prævalet, tantum porrigat; qui habet aurum, det aurum; qui habet argentum, det argentum; qui verò non habet pecuniam cum bono animo det buccellam pauperibus; & si non habet integram, ex eo quod habet frangat, & partem egeno tribuat; sciat quia quamvis parum cum bono animo obtulerit, acceptabile Deo erit; Dominus enim non copiâ largitatis, sed benevolentiâ & devotione delectatur & pascitur largientis. Ut autem nullus pauper se ab eleemosynâ excusare possit, ipse Dominus pro calice aquæ frigidæ mercedem redditurum se esse promisit. Qui enim plures à Deo facultates accepit, majus judicii periculum sustinebit : potuit nempe Deus omnes homines divites facere, sed pauperes ideo in hoc mundo esse voluit, ut divites haberent quomodo peccata sua redimerent. Redimite ergo vos, Carissimi, dum habetis in potestate pretium; date eleemosynam de bono & de justo labore, & non de alterius rapinâ; audite modo ante fores vestras pauperes rogantes, ut ipsi pro vobis in die judicii rogent : Prophetam attendite clamantem : *Qui averterit*, inquit, *aurem suam à clamore pauperis, & ipse invocabit Dominum, & non exaudiet eum.* Date ergo de eo quod vobis dedit Deus, quia ipse accipit quod pauperibus datis; ipsi quidem datis, sed vobis in futurum transmittitis, non unde ventrem impleatis, sed unde flammas exstinguatis; quia *Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccata.* Hinc & Dominus per Prophetam dicit : *Dabunt singuli redemptionem animarum suarum, & non erit in eis morbus, neque casus.* Date ergo dum licet, redemptionem animarum vestrarum; redimite vos ipsi dum vivitis; quia post mortem nemo vos redimere potest. Unusquisque de quali ingenio vel artificio vivit, de ipso decimam Deo in pauperibus vel Ecclesiis donet : consideret, quia omnia Dei sunt per quæ vivit, sive terra, sive semina, sive flumina, vel omnia quæ sub cœlo vel suprà cœlos sunt; & si ipse non dedisset, nihil utique haberet; nam Deus noster, qui dignatur totum dare, decimam de suo dignatur à nobis repetere, non sibi penitus, sed nobis profuturam : sic enim per Prophetam ipse promisit, dicens : *Inferte*, inquit, *omnem decimam in horreis meis; & probate me in his, dicit Dominus. Si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis fructus terræ* q *usque ad abundantiam.* Reddite ergo libenter ex omnibus quæ possidetis super terram, quod cognoscitis Deo placere; nolite de cunctâ substantiâ vestrâ fraudare decimam, ne vobis novem partes auferantur, & sola decima remaneat. Convertimini ad hoc, dicit Dominus, ut aperiam vobis cataractas cœli, & effundam vobis benedictionem meam. Si igitur dederitis voluntariè, plus semper vobis Dominus dabit; si non dederitis, quanticumque pauperes in locis quibus habitatis fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum rei eritis. Insuper immittet vobis Dominus pestilentiam, & famem, & perdetis totum quod habetis; necnon adhuc & animas vestras. Ut autem hæc vobis non veniant, festinate cum bono animo dare, unde animas vestras possitis redimere, nec eligatis cui misericordiam faciatis, ne forte prætereatis eum qui meretur accipere, quia nescitis in quem Christus dignetur advenire. Scitote, quia quod pauperi vel peregrino in terrâ largimini, sedenti in cœlo datis, qui dixit : *Qui vos recipit, me recipit : & quamdiu uni ex*

Matt. 19. 29.

Tob. 12. 9.

Matt. 10. 42.

Prov. 21. 13.

Eccli. 3. 33.

Malach. 3.

Matt. 10. 40.

q *fructus terræ*] Al. *benedictionem.*

minimis meis fecistis, mihi fecistis.

Inter hæc autem omnia quæ Dominus exerceri præcepit bonitatis opera, nihil aliud à vobis quærit nisi salutem animarum vestrarum, & ut timeatis eum semper, & custodiatis mandata ejus: Quod si feceritis, dabit vobis, sicut per sanctum Moysem pollicitus est, pluvias congruenti tempore, & terra vestra gignet germen suum, erit abundantia fructuum, pomorum, vinearumque & segetum, & abundabitis omnibus bonis: & dabit vobis pacem per circuitum, & absque terrore eritis: ipseque habitabit inter vos. E contrà si non custodieritis præcepta ejus, venient in vobis plagæ ab eodem Moyse prædictæ: pestilentia scilicet, fames & gladius; eritque cœlum sicut ferrum, & terra quasi æramentum, nec proferet terra germen, & segetes omnes delebuntur; omnisque labor vester in cassum consumetur. Insuper consurgent in vos hostes vestri, & devorabit vos gladius, & erit terra vestra deserta & desolata: & tunc clamabitis præ angustiâ, & non exaudiet Dominus: sicut per Prophetam minatur dicens: *Loquutus sum, & non audierunt, & clamabunt, & non exaudiam dicit Dominus.* Et iterum Propheta clamat: *Non est abbreviata manus Domini, ut non possit salvare, aut exaudire, sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis ne exaudiat.* Ut ista verò vobis non contingant, custodite quæ præcepta sunt, implete Dei mandata, ut vivatis & benè sit vobis, nihilque calamitatis vobis eveniat: ipse enim per Prophetam consolatur, dicens: *Si egerint*, inquit, *pœnitentiam pro iniquitatibus suis; & ego pœnitentiam agam super malum quod loquutus sum ut facerem eis, & non faciam, dicit Dominus.* Hæc ergo, Fratres, semper in mente tenete, hæc verba filiis & vicinis vestris narrate, hæc rememoramini dum sedetis in domos vestras, & dum ambulatis, nec obliviscamini ea cum bene fuerit vobis, sed Deum semper timete, & ipsi soli servite, ne irascatur contrà vos furor ejus. Scitote, quia ipse custodit pactum & misericordiam diligentibus se, & custodientibus præcepta sua, omnesque ab eis tollet languores. Considerate quia, sicut beatus Joannes Apostolus prænuntiat, *Novissima hora est*: ideoque nolite jam mundum diligere, quia citò transit, & omnis concupiscentia ejus cum eo: vos autem facite voluntatem Dei, ut maneatis in æternum, & habeatis fiduciam cum apparuerit, nec confundamini in adventu ejus. Nemo vos seducat; qui facit justitiam justus est, & qui facit peccatum ex diabolo est. Et utique omne peccatum sive furtum, sive adulterium, sive mendacium, sine dæmonis operatione non fit. Considerate, quæso, quàm perniciosum est opera diaboli exercere, ejusque participem fieri, non in requie, sed in pœnâ gehennæ. Idcircò quotiescumque peccatis, nolite exspectare mortiferâ securitate, ut vulnera ipsa putrescant, nec alia insuper augeatis, sed continuò per pœnitentiæ confessionem remedium vobis adhibere festinate. In magnis etiam operibus vos jugiter dilatare contendite, ita ut qui fuit hactenùs superbus, jam sit humilis; qui erat adulter, sit castus; qui solebat furari, aut res alienas tollere, incipiat jam res proprias Ecclesiis & pauperibus erogare; qui fuit invidus, sit benignus; qui erat ebriosus, sit sobrius; qui fuit iracundus, sit patiens; qui fecit alteri injuriam, citò veniam petat; cui injuria facta est, sine morâ dimittat, ut & illi dimittatur; aut quare non dimittat fratri parum, ut illi Deus dignetur dimittere totum? Nam & hoc eleemosynæ genus est, ut dimittat aliquis ex toto corde ei à quo læsus exstiterit. Quòd si aliquis ita sit pauper, ut nullam rem habeat unde eleemosynam corporalem faciat, quia non potest fieri ut ab aliquibus non patiatur injuriam, si ex toto corde omnibus in se peccantibus indulgeat, & contrà nullum hominem odium in corde teneat, atque omnes sicut semetipsum diligat, hoc ei proculdubio pro maximâ eleemosynâ reputabitur. Ut autem peccantibus in nos liberiùs dimittamus, hortatur Dominus in Evangelio, dicens: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis peccata vestra: si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

Nemo ergo se circumveniat, nemo se seducat, quia qui unum hominem in hoc mundo in odium tenet, quidquid Deo in operibus bonis obtulerit totum perdet, quia non mentitur Apostolus terribiliter clamans: *Qui fratrem suum odit homicida est, & mendax est, & in tenebris ambulat.* Hoc loco fratrem omnem hominem oportet intelligi, quia omnes in Christo fratres sumus. Ergo, Fratres, idcircò vos ad inimicorum dilectionem commoneo, quia ad sananda peccatorum vulnera nullum fortius medicamentum esse cognosco. Licet grandis sit labor inimicos diligere in hoc sæculo, sed magnum erit præmium in futuro. Qui hîc dilexerit inimicos, erit Dei amicus; nec solùm amicus, sed etiam filius, sicut ipse hoc quod suprà jam præmisimus pollicetur, dicens: *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos. Et orate pro calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* Qui ergo diligit possidebit requiem; *Qui non diligit*, sicut Apostolus dicit, *manebit in morte.* Cum hæc ita sint, Carissimi, dilectionem veram, non falsam invicem habetote, actus vestros ad Deum semper dirigite, & quidquid potestis, pro amore vitæ æternæ laborate: currite dum lucem habetis, priusquàm tenebræ vos comprehendant. Cum laboratis pro carne, laborate & pro animâ: si curritis pro carne quam post modicum tempus vermes devoraturi sunt in sepulcro, plus currite pro animâ, ut ornata bonis operibus sine fine lætetur in cœlo. Ante omnia, quando jejunatis, quod prandere debetis pauperibus erogate; & sicut Dominus in Evangelio docet, *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes, ut videamini ab hominibus, sed illi soli qui videt in absconso.* Et iterum monet: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Plus ergo semper de cibo cordis, quàm de cibo corporis cogitate, & dum in mundo versamini, æternam vitam benè vivendo vobis emite. Lectiones divinas & in Ecclesiâ libenter audite, & quæ auditis jugiter in domibus vestris recolite, ut quomodo corpus pascitur cibo, sic reficiatur anima Dei verbo: certum est enim quia qualis est caro quæ post multos dies perceperit cibum, talis est & anima quæ rarò pascitur Dei verbo. Ergo, Carissimi, sive ambulatis, sive sedetis, sive operamini, vel omnia quæcumque agitis, semper quod ex divinâ lectione auditis ad mentem reducite, semperque Evangelica præcepta in corde ruminate.

Ante omnia luxuriam fugite, concupiscentiam malam vitate, timentes illud quod Dominus in Evangelio dicit: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Uxores legitimas absque ullâ simulatione diligite, sicut Apostolus præcepit, dicens: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Et secundùm eumdem Apostolum: *Mulieres viris suis subjectæ sint, & timeant sicut Deum.* Nec quisquam vir legitimam uxorem ex quâcumque occasione dimittere præsumat, quia secundùm senten-

Marginal references: Levit. 26. 3. — Zach. 7. 13. — Isai. 59. 1. — Jerem. 18. 8. — 1. Joan. 2. 18. — Matt. 6. 14. — 1. Joan. 3. 15. — Ibid. 4. 20. — Matt. 5. 44. — Luc. 6. 27. — 1. Joan. 3. 14. — Matt. 6 16 — Ibid. 1. — Ibid. 5. 28. — Ephes. 5. 25. — Ibid. 22.

Matt. 5. 32. tiam Domini: *Quicumque dimiserit uxorem suam exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari.* Concubinas etiam sive ante nuptias, sive post nuptias habere prohibemus; quia omninò illicitum est: nam qui uxorem legitimam ducere cogitat, dignum est ut virginitatem usque ad nuptias custodiat, & post nuptias, nullam alteram præter unam legitimam conjugem cognoscat, (Hebr. 13. 4.) sicut & Apostolus Paulus præcepit, ut ipse fidem servet, sicut & illam sibi servare vult; nec peccet cum aliâ, sicut nec suam vult cum alieno viro peccare, timens illud quod idem (Ibidem.) Apostolus terribiliter proclamat, dicens: *Fornicatores & adulteros judicabit Deus.* Quidquid enim de jure connubii mulieribus non licet, nec viris omninò licet: nam qui ante legitimas nuptias habere concubinam præsumit, pejus peccat [r] quàm qui adulterium committit; & ob hoc dignus est à Christianorum consortio separari: qui si non pœnituerit; æterna illum flamma sine remedio cruciabit. Quapropter, Christiane, fuge fornicationem, erubesce jam sub oculis Dei & Angelorum peccare. Capitalia crimina omni nisu detestare, quæ sunt sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia, iracundia, & ebrietas; hæc sunt enim crimina quæ mergunt homines in supplicium æternum: ex quibus quicumque in se vel unum habere cognoscit, si pœnitentiam non egerit, sine ullo remedio in gehennâ ignis ardebit. Et ideo, anima Christiana, vigila, ora, cave semper prædicta crimina, & quidquid boni prævales, age pro vitâ æternâ. Aperi pauperibus manum tuam, ut Christus tibi aperiat januam suam, & intres in gaudia paradisi: noli ipse te tradere in perditionem, quia Christus pro te effudit sanguinem, satis te carum habuit quem tam caro pretio comparavit. Terreat te gehennæ metus, quo vel sic possis abstinere à pravis operibus. Omni horâ mortem jadesse spera, & futura Dei judicia super te jugiter formida, ut tibi quod scriptum est (Prov. 28. 14.) possit aptari: *Beatus homo qui semper est pavidus.* Quod malè fecisti, dum potes emenda, dum est licentia pœnitentiæ; veniam non desperes si ad meliora converteris, quia desperatio pejor est omni peccato; nullatenùs ergo de Dei misericordiâ despercs, nec post centum peccata, nec post mille crimina, quia nulla est tam gravis culpa, quæ pœnitendo non habeat veniam. Quamvis ergo quisque te irritet, quamvis convitiet, quamvis injuriam tibi faciat, tu tace, patiens esto, nec rependas contumeliam, & melius tacendo vinces injuriam: cum maledicitur tibi, benedic tu, & magnam habebis gratiam, si non lædas à quo læsus es. Nullum despicias, non egenum, non servum, quia forsitan melior est apud Deum quàm tu; & quia (Gal. 3. 28.) *Omnes*, secundùm Apostolum, *unum sumus in* CHRISTO JESU. (Act. 10. 34. Ephes. 6. 8.) Et, *Quia non est personarum acceptor Deus*: sed sicut scriptum est: *Unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc accipiet à Domino, sive servus, sive liber.* Non detrahas fratri tuo, nec facias calumniam proximo tuo, neque per violentiam opprimas (Levit. 25. 39.) eum, sed sicut per Moysem dicitur: *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non affligas eum per potentiam more servorum, sed cum timore Dei age circà illum. Memento quoniam & tu servus es.* (Ibid. 19. 17.) *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ut non habeas super illo peccatum.* (Matt. 18. 15.) Hinc & Dominus in Evangelio dicit: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Et rursùs: *Si septies*, inquit, *in die peccaverit, & septies pœnituerit, dimitte illi.* Et iterum: (Ibid. 5. 23.) *Si offers*, inquit, *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare; & vade priùs reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.*

Hæc te, Christiane, præcepta revocent ad concordiam, hæc dulcia Christi medicamenta curent odii vulnera, quæ si contemseris, terribilem in te sententiam retorques, quâ dicitur: (Ibid. v. 22.) *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Vel qui dixerit fratri suo racha aut fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ecce audisti, Christiane, quid timeas, quid observes: habeto igitur charitatem, tene patientiam, fuge discordiam, impone frænos linguæ tuæ, ne trahat ad gehennam animam tuam; quia secundùm (Prov. 18.) Scripturam; *Mors & vita in manibus linguæ consistit.* (Psal. 139.) Et, *Vir linguosus non dirigetur super terram.* Hæc sollicitâ consideratione pensantes, Carissimi, verba simul moresque componite; sectamini semper justitiam, amate Christi præcepta. (Isai. 55.) *Derelinquat impius viam suam, & revertatur ad Dominum* (sicut Propheta clamat) & *miserebitur ejus; quia pius est ad ignoscendum.* Ipse enim admonet dicens: (Jerem. 3.) *Convertimini ad me, & sanabo aversiones vestras.* (Amos 5.) Et rursùs: *Quærite bonum & non malum, ut vivatis; & erit Dominus exercituum vobiscum.* Et iterum: (Ibidem.) *Odite malum, & diligite bonum, ut misereatur Dominus vestri.* Ecce hoc ipse Dominus per Prophetam clamat, & si me audire contemnitis, saltem vel ipsum audite. Ipse etiam in Evangelio peccatores consolatur, dicens: (Luc. 5.) *Non veni vocare justos sed peccatores in pœnitentiâ.* Ipse iterum monet (Matt. 6.) dicens: *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* (Luc. 11.) Et iterum: *Petite, & dabitur vobis; quærite & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Modo enim pro ineffabili pietate suâ Dominus non solum admonet, sed & rogat ut convertamur ad eum: audiamus ergo eum dum rogat, ne si non facimus, non audiat nos cum judicabit; audiamus & Scripturam clamantem: (Eccli. 30.) *Fili, miserere animæ tuæ placens Deo.* Quid ad hæc respondes humana fragilitas? Deus rogat ut tui miserearis, & non vis; quomodo te audiet in die necessitatis supplicantem, cum tu eum pro teipso non audis rogantem? Si modo hæc neglexeritis, Fratres, quid facietis in die judicii, vel ad cujus confugietis auxilium? Si, inquam, neglexeritis modo talia Dei exhortamenta, non effugietis tunc inferni tormenta, nec poterit vos aurum & argentum liberare, neque divitiæ, quæ nunc in angulis absconditis, & ex quibus arrogantes effecti salutem vestram obligati [ſ] estis: hinc namque Dominus dicit per Pro-

r *pejus peccat*] Hunc in locum sic scripsit Acherius: His consona docet S. Augustinus serm. 243. de temp. sub medium, acerrimè eos confutans qui perperam sibi persuaserant, concubinis frui licere: *Pro quâ re*, inquit, *iterum atque iterum clamo, quia qui ante legitimas nuptias concubinam sibi assumere præsumit, pejus peccatum facit, quàm qui adulterium committit: quia qui adulterat, adhuc tam grande malum secretè vult agere, in publico autem aut metuit, aut erubescit committere: ille verò qui publicè concubinam habere voluerit, fronte impudentissimâ rem execrabilem toto populo vidente licenter se putat admittere.* Audi'n causam cur pejus peccatum committat qui concubinæ adhæret palam, quàm qui adulterium secretò ac trepidè patrat, nempè erroneâ opinione, ac pravo alios exemplo in fornicationem inducens. Unde egregius doctor ibidem paulo antè dixerat: *Ideo à multis viris sine ullo timore Domini committuntur* (fornicationes) *quia ita à pluribus in consuetudinem missa sunt, & ita vilia vel levia, ut nec jam inter gravia crimina putentur.* Et post multa: *sed quod pejus est, faciunt hoc multi viri jure fori, non jure cœli, non justitia jubente, sed libidine dominante.* Ac proinde Eligius vel Augustinus haud quaquam adulterium simplici fornicatione levius censuere crimen, sicut Augustinus ipse toties alibi docuit; quod quidem in confesso est apud omnes.

ſ *obligati*] Profectò legendum *obliti*, ut conjecit Acherius.

Isai. 13. phetam : *Visitabo super vos mala, & quiescere faciam superbiam impiorum, & arrogantiam fortium* Ibid. 46. & 1. *humiliabo.* Et rursùs admonet, dicens : *Redite prævaricatores ad cor; quiescite agere perversè, discite benefacere; succurrite oppresso, defendite pauperem, & viduam, & pupillum, & advenam nolite calumniari.* Hæc ergo, Fratres in mente retinete, hæc magnopere custodire festinate, pugnate ut separati à diabolo, conjungamini Deo qui vos redemit : stupeant gentes de vestrâ conversatione, & si detrahant vobis, etiam & irrideant Christianitatis vos opera sectari, ne conturbemini ex hoc, reddent enim rationem Deo. Totam ergo spem vestram in Christi misericordiâ ponite, & non solùm ab actu impudico, sed etiam cogitationibus sordidis vestras animas custodite, quia Dominus Deus justus judex, & de cogitationibus malis judicat.

Et hoc moneo, Fratres, ut superbiam penitùs deponatis, per quam diabolus de cœlo corruit; quia, 1. Pet. 5. sicut Apostolus testatur : *Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam.* Unde & Dominus in Evan- Luc. 14. gelio dicit : *Omnis enim qui se exaltat humiliabtur;* Matt. 18. *& qui se humiliat exaltabitur.* Et iterum : *Nisi conversi fueritis, atque efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Jurandi etiam consuetudinem funditùs omittite, quia in hac parte Dei præceptis contraitis, Domino in Evangelio prohi- Ibid. 5. bente : *Dico*, inquit, *vobis non jurare omnino, neque per cœlum, neque per terram, neque per caput, neque per aliud quodcumque : sit autem sermo vester est est, non non.* Injuriantibus quoque vos Ibidem. Domini præcepta præferte, quibus dicitur : *Dico vobis non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexterâ maxillâ tuâ, præbe illi & alteram. Et qui vult tunicam tuam tollere, remittas ei & pallium.* Et iterum : *Qui petit à te, da ei; & qui tollit quæ tua sunt, ne repetas.* Orandi utique rationem illam necesse est teneatis, quam Dominus præ- Luc. 6. cepit, dicens : *Cum oratis non multiloquio, sed in secreto cordis orate; & Pater vester qui videt in absconso, reddet vobis. Scit*, inquit, *Pater vester quid opus sit vobis, antequàm petatis eum.* Hæc ergo, Carissimi, verba recolite, hæc jugiter præcepta reminiscamini; ubicumque estis, memoriam Matt. 18. Christi in colloquio miscete, quia ipse dicit : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Scandala etiam fugite, quia Dominus graviter notat eum qui lites concitat, dicendo : Ibidem. *Væ homini illi per quem scandalum venit.* In com- Luc. 3. 11. passionem verò proximi illam sententiam tenete, quâ in Evangelio dicitur : *Qui habet duas tunicas,* Ibid. 6. 38. *det non habenti : & qui habet escas, similiter faciat.* Et illud : *Date & dabitur vobis.* Dominicis semper Joan. 15. mementote verbis quibus dicitur : *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque petieritis fiet vobis.* Apostolum quoque clamantem 1. Cor. 7. audite : *Tempus breve est, reliquum est ut qui habent uxores tamquam non habentes sint : & qui flent, tamquam non flentes, & qui gaudent, tamquam non gaudentes; & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi.* Ut autem plus concupiscamus cœlestia quam Luc. 9. terrena, Deum audiamus dicentem : *Nihil enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Ut verò charitatem diligamus Evangelista Joannes hortatur, di- 1. Joan. 4. cens : *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis est.* Et iterum : *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Necnon & Paulus excellentiam cha- 1. Cor. 13. ritatis simili modo præfert, dicens : *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum ita ut ardeam; charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Hinc iterum monet, dicens : *Omnia vestra in charitate fiant.* Ibid. 16. Et iterum : *Alter alterius onera portate, & sic* Galat. 6. *adimplebitis legem Christi.* Ipse etiam pravos quosque ad tramitem perfectionis blandè coercens dicit : *Qui furabatur, jam non furetur.* Ephes. 4. Et illud : *Fugite fornicationem, quia omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est; qui autem fornicatur,* 1. Cor. 6. *in corpus suum peccat.* Et iterum : *Neque avari,* Ibidem. *neque fornicarii, neque adulteri, neque fures, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Item Apostolus cupiditatem coërcens, dixit : *Radix omnium malorum est cupiditas.* 1. Tim. 6. Ergo, Fratres, abjicite cupiditatem, sectamini charitatem, deponite impietatem, supportate invicem cum humilitate, illud omnimodis præcaventes, quod Apostolus ad Romanos scribens infert, *Revelabitur*, inquiens, *ira Dei de cœlo super omnem* Rom. 1. *impietatem & injustitiam hominum.* Necnon & illud quod voce Veritatis in Evangelio comminatur; Qui faciunt, inquit, iniquitatem, mittentur in caminum ignis, ubi erit fletus & stridor dentium. Considerate igitur quàm sævus, quamque timendus sit ignis ille, & qui modò nec unum quidem digitum suum suffert in ignem mittere, timeat ibi cum toto corpore in sæcula cruciari. Rogo ergo, ut si vultis ab illo igne, vel ab illa pœna liberari, desistatis jam ampliùs peccare. Dominum per Prophetam attendite clamantem : *Revertimini recedentes* Ezech. 18. *ab iniquitatibus vestris, & sanabo vos.* Et iterum : *Nolo*, inquit, *mortem impii, sed ut revertatur &* Ibid. 33. *vivat.* Et per Isaïam clamat, dicens : *Quando con-* Isai. 45. *versus ingemueris, tunc salvus eris.* Et iterum : *Revertimini ad me dicit Dominus, & salvi eritis;* Per Joël quoque similiter commonet, dicens : *Con-* Joel. 2. *vertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & lacrymis & planctu.*

Ecce quot testimonia ad conversionem vestram ex divinis oraculis prolata sunt. Vigilate ergo sollicitè, quia quanto proximum finem mundi diabolus conspicit, tanto crudeliùs contrà Christianos sævit, ut quia se citò damnandum cognoscit, plus sibi socios in pœnam multiplicet, cum quibus utique sine fine crucietur. Cavete ergo attentiùs, & jugiter cum Dei timore conversamini, scientes quia unusquisque vestrûm Angelum Dei habet qui observet jugiter quæ egerit, & si quidem benè agit, gaudium sancto Angelo sibi adhærenti gignit; si verò mala opera exercet, Angelum sanctum à se repellit, & malignum dæmonem sibi conjungit. Quapropter, Carissimi, hæc me loquente, introrsùs ad vos redite, conscientias vestras discutite, si dignas mentes Angelici consortii geritis prævidete, & si vos bonos ac dignos Deo conspicitis, de meritis vestris nunquam superbâ mente præsumatis, sed magis de cætero cum humilitate cavete. Si verò peccatis vos obnoxios cernitis, nullatenùs desperate, tantum facite in corde pactum cum Deo, ut jam ampliùs non peccetis; sed fiducialiter veniam sperate, quia Dominus sinum pietatis suæ assiduè patefacit, & omnes ad se recipere per pœnitentiam quærit : nam & si adulter quis, aut meretrix, aut fur, aut ebriosus, aut mendax, vel etiam filiorum necator fuerit, tantùm de cætero pœnitens caveat, & indulgebit illi Altissimus. Publicanum de Evangelio, & latronem, necnon & meretricem, sed & Paulum sumite ad exemplum, qui de semetipso dicit : *Priùs* Act. 9. *fui blasphemus, & persequutor, & contumeliosus; sed* 1. Tim. 1. *misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Et vos ergo si quid fortè ignoranter admisistis, reparate vos, quæso, dum licet per pœ-

nitentiam; confitemini Domino in totis præcordiis vestris, quoniam bonus est; doleat vos non egisse quod bonum est; & qui pœnitet, ita pœniteat, ut ulteriùs jam lugenda non committat: & qui pauperiores estis in sæculo, nolite ob hoc contristari, quia si benè agitis, ditiores eritis in cœlo.

Heb. 13. 1. Thess. 5. 1. Cor. 15. Denique cavete ne quis turpem sermonem ex ore proferat, & secundùm Apostolum, *Fabulis variis, & doctrinis nolite seduci: sed corripite inquietos, consolamini pusillanimes*, patientes estote ad omnes: & omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; timentes illud quod scriptum est: *Pervertunt mores bonos, colloquia mala.* Crapulam etiam & ebrietatem perhorrescite, quia Dominus hæc per semetipsum redarguit dicens: *Cavete ne graventur corda vestra in crapulâ & ebrietate*; & Apostolus prohibet dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Proculdubio enim qui plus manducat aut bibit quàm expedit, & peccatum incurrit, & servare saturitatem non valet; quia cum venter aut venæ nimiâ fuerint satietate repletæ, illicò necesse est ut libido in membris ejus generetur. Unde & aliàs scriptum est: *Vinum potatum multum, amaritudo est animæ & ruina, multiplicans imprudenti offensionem, minuens virtutem, & faciens vulnera.* Et hoc quidem dico non ut creaturam Dei malam asseram, aut judicem esse damnandam, sed ut vos sobriores cautioresque reddam; imò & admoneo, ut nullam Dei creaturam dicatis malam, quia Deus cuncta valde bona creavit. Nam quæcumque nobis mala esse videntur, aut nocent, nostro vitio, non suâ naturâ nobis mala existunt: ideoque, Fratres, solum diabolum, qui superbiendo factus est malus, detestantes, tantorum bonorum Creatorem Dominum glorificate.

Luc. 21. Ephes. 5. Eccli. 31. Gen. 1.

Cavete semper viam latam, quæ ducit ad interitum; apprehendite angustam, per quam reperietur æterna beatitudo. Pauperes & peregrinos ad convivium vocate, Dominumque de hac re præcipientem attendite: *Cum facis*, inquit, *prandium, noli vocare divites qui conviventur tecum, sed voca pauperes; debiles, claudos, cæcos; & beatus eris, quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.* Nec enim justum est ut in populo Christiano, qui uno pretio redempti sunt, & uni Domino serviunt, alii distentis epulis ventribus & ebrii incedant, alii famis periculo deficiant; prorsùs peccatum est, ut vestra superflua à tineis devorentur, & pauperes nec vetustissima quæque accipere mereantur: quare non consideratis quia pari conditione in hoc mundo venistis, unique Domino servi estis; simili etiam exitu de mundo migrabitis; & si benè agitis, ad unam beatitudinem venietis? Aut quare pauper vobiscum non accipiat cibum, qui vobiscum accepturus est consortium Angelorum? Quare non accipiat vel veterem tunicam, qui pariter accepturus est immortalitatis stolam? Hæc, Fratres, considerantes ita pauperum curam gerite, ut uberrimam pro his retributionem in cœlis capiatis. Mendacium semper fugite, quia non minimum crimen est, Scripturâ dicente: *Os quod mentitur, occidit animam: & testis falsus non erit impunitus.* Et David ad Dominum: *Perdes*, inquit, *omnes qui loquuntur mendacium.* Unde & Apost. *Deponentes*, ait, *mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum fratre suo.* In hac ergo vitâ positi ita agite, ut cum hinc migraveritis, & caro vestra à vermibus cœperit devorari in sepulcro anima ornata bonis operibus cum SS. omnibus lætetur in cœlo. Retrahat vos à malis operibus vel peccatorum interitus; eorum quos jam præmisistis attendite calamitates; considerate divitum sepulcra, vel eorum qui ante parvo tempore vobiscum erant, quid fuerunt, & quid sunt, vel quid eis divitiæ & cupiditas sæculi profuit: ecce nihil ex eis nisi soli cineres remanserunt, quia si loqui possent, hæc vobis proculdubio dicerent: Ut quid infelices tantum pro sæculi cupiditate discurritis? ut quid vos vitiis & criminibus repletis? considerate ossa nostra, & vel sic vobis horreat cupiditas vel miseria vestra; quod vos estis, nos fuimus; quod nos sumus, vos eritis. Ista omnia, Fratres, sollicitâ consideratione pensate, & hæc considerantes expavescite; diem mortis ante oculos semper ponite; ad emendationem quantum potestis festinate; nolite negligere quòd pius vos Dominus peccantes sustinet, quia quanto diutiùs exspectat ut emendetis, tanto graviùs vindicabit si neglexeritis. Si forte putatis quòd finis mundi tardiùs veniat, vel suum unusquisque consideret finem; ecce dum libenter ac jucundissimè moratur homo in mundo, multaque in longo tempore disponit agenda, repente rapitur in mortem, & ex improviso aufertur à corpore; sed ille beatus est qui antea semper horam illam habuerit ante oculos, & festinaverit in illâ horâ mortis paratus inveniri, ut possit tanti metûs terrorem evadere.

Luc. 14. Sap. Prov. 19. Psal. 5.

Quòd si vultis scire cum magno metu, Carissimi, magnisque doloribus separatur anima à corpore, veniunt enim Angeli eam assumere, ut perducant illam ante tribunal metuendi Judicis, & tunc illa memorans opera sua mala quæ die noctuque gessit, contremiscit, & quærit ea fugere, induciasque petere, dicens: Date mihi vel unius horæ spatium. Tunc quasi simul loquentia, omnia ejus opera dicunt: Tu nos egisti, tua opera sumus, nec te deseremus, sed tecum semper erimus, tecumque pergemus ad judicium. Hæc quidem peccatoris anima agit; quæ cum horrendo timore separatur à corpore, & pergit plena peccatis, & ingenti confusione depressa. Justi verò anima cum separatur à corpore, non timet, nec expavescit; sed magis cum gaudio egreditur, & cum exultatione pergit ad Deum, deducentibus se Angelis sanctis. Illam ergo horam modò, Fratres, timete, ne tunc timeatis illam; nunc præcavete, ut securi tunc esse possitis. Mementote jugiter quia in medio laqueorum diaboli ambulatis, & ideo semper parati estote, ut quando Domini præceptum missum fuerit, liberi ab omni labe peccati ad requiem transire possitis. Nec arbitramini vos diù in hoc mundo mansuros; quia nimirum proveniet, ut non concedatur post Dominicum præceptum missum, nec unius horæ momento in hac vitâ consistere. Cavete igitur ne de exitu vestro tristitiam faciatis Angelis, & gaudium inimicis: scitote verò quia anima cum corpore evellitur, statim aut in paradiso pro bonis meritis collocatur, aut certè pro peccatis in inferno continuò præcipitatur. Quapropter eligite modò quod vultis, & hoc jam in vitâ vestrâ hic disponite, aut perpetualiter gaudere cum Sanctis, aut sine fine cruciari cum impiis. Itaque vel pœnæ vos terreant, si præmia non invitant, & præsentem mundum si despicere non valetis, vel cum justitiâ possidete. Qui in juventute erravit, saltem jam vel in senectute resipiscat, & mala quæ peccando commisit, pœnitendo jam expurget. Ecce paulatim deficit mundus cuncta quæque videntur, velociter tamquam nebula, aut tamquam vespertina umbra transeunt. Ecce quod olim pronuntiabatur, præsenti tempore perspicuè cernitur: subtrahuntur omnia bona, & crescunt quotidie mala: nolite ergo, Fratres, mundum jam diligere, quem sic ad finem conspicitis declinare; præsertim cum Apostolus clamet, quòd amicitia hujus mundi inimica sit Dei. Vitam igitur æternam Jacob. 4.

ex omnibus præcordiis vestris amate, quam nunquam in sæcula finiatis; illic festinate, ubi semper vivatis, & ubi jam mori nunquam timeatis. Si enim sic amatis istam miseram fluidamque, vitam, ubi cum tanto labore vivitis, & ubi vix currendo, satagendo, sudando, suspirando, necessariis corporis satisfacitis; quanto magis amare debetis æternam vitam, ubi nullum unquam laborem sustinebitis, ubi summa semper est securitas, secura felicitas, felix libertas, libera beatitas; ubi implebitur illud quod Dominus in Evangelio dicit: *Erunt homines similes Angelis.* Similes utique non substantiâ, sed beatitudine. Et illud: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Qualis putas erit tunc splendor animarum, quando solis claritatem habebit lux corporum? Ibi jam non erit ulla tristitia, nullus labor, nullus dolor, nullus timor, nulla mors, sed perpetua semper sanitas perseverabit; nulla ibi consurget malitia, nulla carnis miseria, nulla ægritudo, nulla omninò necessitas, non erit ibi fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo jejunii, nec ulla tentatio inimici; nec jam peccandi voluntas, nec ulla delinquendi possibilitas; sed totum lætitia, totum exultatio possidebit, hominesque Angelis sociati sine ullâ carnis infirmitate vernabunt. Ibi ergo erit lætitia certa, ibi requies secura, ibi pax vera, ibi jocunditas infinita; ubi si locus obtinendi ullus fuerit, amittendi in sæcula nullus erit: in quâ beatitudine quod semel adipiscitur, semper tenetur. Nihil loco illo magnificentius, nihil gloriosius, nihil clarius, nihil pulcrius, nihil verius, nihil munificentius, nihil in bonitate sincerius, nihil illâ abundantiâ copiosius. Ibi semper pax & summa solemnitas; ibi vera & certa felicitas est; ibi jam non formidabitur ferocissimus hostis qui cupit jugiter animas jugulare, nec timebuntur ultrà ignita diaboli jacula, neque ulla inimici tentamenta. Non incutiet terrorem Barbarorum immanitas, nec ulla ulteriùs timebitur adversitas; non ibi formidabitur ferrum, non ignis, nec facies omninò truculenta tortoris: nemo in loco illo glorioso indiget vestimento; quia non est illic frigus, nec æstus, nec ulla aëris inæqualitas, nullus ibi esurit, nullus tristatur, nullus est peregrinus, sed omnes qui ibidem attingere meruerint, securi ut in propriâ patriâ vivent. Non ultrà jam adversabitur caro spiritui, nec ullum timebitur periculum, sed inenarrabilia cum Angelis ac sempiterna à Christo præmia tribuentur, & *Quod oculus non vidit*, sicut dicit Apostolus, *nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Ecce qualem beatitudinem perditurus erit qui modò se, dum licet, emendare noluerit: idcircò nos, Fratres, Domino auxiliante, dedignemur ultrà servire peccato, quibus tanta beatitudo præparatur in cœlo. Dum ergo tempus est, festinemus propitium nobis Deum facere; despiciamus quæ terrena sunt, ut adipiscamur cœlestia, cogitemus nos peregrinos esse in hoc sæculo, ut liberiùs festinemus ad cœlum: velociter enim transeunt, & citò tamquam umbra prætereunt cuncta quæ hîc videntur.

Matt. 22. — 1. Cor. 2.

Perpendamus quales erimus in die judicii Dei conspectibus & Angelorum præsentandi, quando opera nostra erunt nobis ante oculos ponenda, qualis illa erit confusio; cui contigerit pro peccatis suis in conspectu Dei omniumque hominum & Angelorum erubescere, qui hîc nec unum quidem hominem in se peccantem vult inspicere; vel quis pavor erit Deum tunc iratum videre, quem placatum non valet universitas comprehendere. Illum ergo diem semper timeamus, quem modò prævidere nullatenùs possumus; illum diem jugiter pavescamus, & vel sic actus nostros à malo revocemus. Consideremus quis terror in die illo erit, cum de cœlis Dominus ad judicandum sæculum venerit: quis metus erit Deum videre, ad cujus adventum universa elementa quatientur, ac cœlum cum terrâ contremiscet virtutesque cœlorum commovebuntur. Tunc nimirum præcinentibus Angelorum tubis, omnes gentes quæcumque sub cœlo fuerunt, & omnis homo tam viri quàm fœminæ, in eo sexu unusquisque quo natus fuit in mundo, boni simul & mali, sancti & peccatores, vel quicumque ab initio mundi nati & mortui fuerunt, sive à bestiis devorati, sive ab igne consumpti, sive etiam ab aquis absorpti, omnes simul in momento temporis, atque in ictu oculi resurgent, in ipsis sine dubio corporibus, atque in ipsâ carne quam hîc habuerunt, scilicet in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi in quâ & ipse Dominus resurrexit à mortuis; & omnes ante judicium Christi venient, pariterque eum & electi & reprobi suis oculis videbunt, sicut & ipse Dominus in Evangelio dicit: *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multâ & majestate, constipatum agminibus Angelorum; & congregabuntur ante eum omnes gentes, & plangent se omnes tribus terræ, & separabit eos ab invicem sicut pastor segregat oves ab hœdis: & statuet justos quidem à dextris suis, impios autem à sinistris. Tunc dicet ad eos qui à dextris erunt: Venite benedicti, possidete paratum vobis regnum a con[st]itutione mundi; esurivi enim & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & operuistis me; infirmus, & in carcere, & visitastis me. Hæc quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis.* Tunc omnibus aspicientibus ostendet livores fixurasque clavorum, in ipso sine dubio corpore quod pro nostris peccatis vulneratum est; & ita peccatores compellans dicet: Ego te, homo, de limo terræ manibus meis formavi, & intrà paradisi delicias, quod non merebaris, collocavi; sed tu me meaque jussa contemnens, deceptorem sequi maluisti, unde & justâ pœnâ damnatus, inferni suppliciis es deputatus; postea misertus tui carnem assumpsi, in terris inter peccatores habitavi, contumelias & verbera pro te sustinui; ut te eriperem, colaphos & sputa suscepi; ut tibi dulcedinem paradisi redderem, acetum cum felle bibi; propter te vepribus coronatus, cruci affixus, lanceâ vulneratus sum; propter te mortuus, & in sepulcro positus, ad inferna descendi; ut te ad paradisum reducerem, tartari claustra adii; ut tu in cœlo regnares, inferni profunda penetravi. Agnosce ergo quæ pro te, ô impietas humana! pertuli; ecce livores quos pro te excepi, ecce clavorum foramina quibus affixus in cruce pependi; suscepi dolores tuos, ut te possem sanare; suscepi pœnam, ut darem tibi gloriam; suscepi mortem, ut tu viveres sine fine; conditus jacui in sepulcro, ut tu regnares in cœlo: hæc omnia pro vobis sustinui, ampliora horum quid vobis debui facere, & non feci? Dicite nunc vel ostendite mihi quid passi estis propter me, aut quid boni egistis pro vobis: ego cum essem invisibilis, sponte propter vos incarnatus sum; cum essem impassibilis, propter vos pati dignatus sum; cum essem dives, propter vos quidem egenus factus sum; sed vos & humilitatem meam, & præcepta mea semper renuentes, seductorem magis quàm me sequuti estis: ecce modò non potest aliud justitia mea judicare, nisi quod merentur opera vestra recipere: ergo quod ipsi elegistis, tenete; contempsistis lucem, possidete tenebras; amastis mortem, ite in perditionem; sequuti estis diabolum, ite cum ipso in æternum ignem. Quis putas erit tunc mœror, quis luctus, quæ tristitia, quæ angustia, cum

Matt. 25.

hæc

hæc fuerit prolata adversùm impios sententia. Tunc enim erit malis dura separatio à dulci Sanctorum consortio, & traditi in potestate dæmonum ibunt in ipsis corporibus suis cum diabolo in supplicium æternum, & permanebunt semper in luctu & gemitu: procul quippe exiliati à beatâ paradisi patriâ, cruciabuntur in gehennâ, numquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi, nunquam pœnas finituri, nunquam requiem accepturi; sed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec unquam in sæcula liberandi: ubi nec qui torquet aliquando fatigatur, nec qui torquetur unquam moritur: sic enim ibi ignis consumit, ut semper reservet, sic tormenta aguntur, ut semper renoventur. Juxtà qualitatem verò culpæ, pœnam ibi unusquisque sustinet gehennæ, & similis culpæ rei suis similibus junguntur cruciandi: non ibi auditur aliud nisi fletus & planctus, & stridor dentium; non erit aliud consolamentum, quàm flammæ & terrores pœnarum, ardebuntque miseri sine fine in ignem æternum semper in sæcula sæculorum. Justi autem ibunt in vitam æternam, in ipsâ sine dubio carne quam hîc habuerunt, & sociabuntur Angelis sanctis in regno Dei, gaudiis deputati perpetuis: nunquam jam morituri, nunquam ultrà corruptionem visuri; sed semper lætitiâ ac dulcedine Christi satiati, fulgebunt sicut sol in claritate & gloriâ, quam præparavit Deus diligentibus se; & quanto ampliùs aliquis obediens Deo in hac vitâ fuit, tanto ampliorem illic mercedem accipiet: quantumque ampliùs hîc Deum amavit, tanto tunc propriùs eum videbit.

Ecce, Carissimi, prædixi vobis simpliciter, ut intelligere possitis quæ sunt unicuique ventura; nemo jam se de ignorantiâ excusare poterit, quoniam vita & mors vobis prænuntiata sunt; supplicia impiorum & gloria justorum vobis denuntiata sunt; jam verò in arbitrio vestro consistit eligere quod teneatis: unusquisque enim quod hîc concupiverit, & assequutus fuerit, hoc utique illic possidebit. Vitam ergo æternam toto nisu concupiscite, nec emendationem vestram diutiùs differatis, sed ad lucranda cœlestia regna ultrò ipsi relinquite, quod lucis istius fine perdendum est; surgat jam, quæso, quicumque peccati catenâ adstrictus tenetur, & expergefactus à somno suæ mortis evigilet: recurrat ad confessionem, & agat pœnitentiam; nec erubescat publicè pœnitere super immunditiis quas gessit; quia revera multo melius est hîc pauco tempore pœnitere, quàm per tot millia annorum inferni supplicia sustinere. Si ex corde ergo pœnituerit, citò succurret illi Redemptor, qui quatriduanum suscitavit jam fœtidum Lazarum; paratus est semper ille misericordiæ sinus, & clementer exspectat ut suscipiat pœnitentes, non est enim, sicut scriptum tenemus, de quamvis magnis criminibus remittendis Dei unquam misericordia desperanda, quia ipse quotidie clamat per Prophetam, dicens: *Quâcumque die conversus fuerit homo peccator ab immunditiâ suâ, omnes iniquitates ejus in oblivione erunt coram me.* Et rursùs per alium Prophetam dicit: *Ego sum Dominus Deus vester, qui deleo iniquitates vestras.* Et illud de Evangelio: *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm suprà nonaginta novem justos qui non indigent pœnitentiâ.* Et illud: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur ad me & vivat, dicit Dominus.* Considerate, Fratres, quàm larga est bonitas Dei nostri, quàm ineffabilis misericordia ejus: quotidie contemnitur, & quotidie nos ad pœnitentiam benignissimâ pietate invitat; fiduciam ejus pia largitio nobis præstat, ut nec desperemus de Christi misericordiâ, nec tamen nobis absque fructu pœnitentiæ veniam concessam præsumamus; Dominus

[Margin notes: *Joan.* 11. — *Ezech.* 33. — *Isai.* 43. — *Luc.* 15. — *Ezech.* 33.]

enim quantum patris pietate indulgens semper & misericors est, tanto judicis majestate severus & metuendus; potest quidem reis indulgentiam dare, potest ipse sententiam suam reflectere potest pœnitendi tempus gratis indulgere, non potest tamen nisi justissimè judicare, quoniam non est apud eum commutatio, nec vicissitudinis obumbratio; æquissimè enim judicat, atque æqualiter secundùm uniuscujusque facta repensat, bona scilicet bonis, & mala malis: & ideo, Carissimi, reminiscimini quæ egistis, & si vos deliquisse cognoscitis, sine aliquâ dilatione ad pœnitentiæ medicamenta confugite. Audite Prophetam admonentem: *Nolite*, inquit, *tardare ad Dominum converti, nec differatis de die in diem, quia nescitis quid crastinâ futurum sit.* Mementote semper quòd ante conspectum omnipotentis Dei conversamini, qui prospicit omnium hominum, non solùm facta, sed etiam cogitationes, sicut Apostolus Paulus dicit: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, sed omnia nuda & aperta sunt oculis ejus.*

[Margin notes: *Eccli* 5. — *Heb.* 5.]

Hæc jugiter cogitantes, intentissimâ sollicitudine vos custodite, ultimique diei vos adventui cum bonis operibus semper præparate. Ecce jam ut certissimè tenemus finis mundi in promptu est, jam finis sæculi instat, & quod lugendum est, tanta mala quotidie fiunt, tantæque tribulationes crebrescunt, ut per hæc etiam mundus finem suum quodammodo proclamare videatur. Ecce omnia quæ Prophetæ vaticinaverunt, quæque Apostoli prædixerunt, penè jam completa sunt, solusque dies sui judicii & horribilis antichristi adventûs adhuc restat. Ecce bellum super bellum, tribulatio super tribulationem, fames super famem, pestilentia super pestilentiam, & gens super gentem consurgit: omnia quæque dudum sunt prædicta, nos jam videmus impleta, quare ergo sumus lapidei & ferreum possidemus pectus, ut pro remedio animæ nostræ inter tot mala minimè cogitemus? Diù enim est quod vox divina minatur, sed nullatenùs hominum pertinacia mutatur: cœlestis enim intentatur olim ultio, & nulla hominum adhibetur satisfactio; Dei proximat ira, & tepidè agitur pœnitentia; venturum Prophetæ testantur supplicium, & rarò ab hominibus Dei implorantur auxilium. Quaproptet, Dilectissimi, moneo ut vel mundo jam finiente, humana finiatur malitia, soliusque Dei toto nisu quæratur misericordia; non nos jam divitiarum onera ad terram premant, quia citò omnia hîc relinquemus, nec pariter & Christum habere velimus & sæculum, sed sæculo spreto liberi festinemus ad cœlum.

Reminiscamur quàm gravia sunt scelera quæ commisimus, quamque dira inferni supplicia quæ timemus, & juxtà qualitatem culpæ medicamentum adhibeamus pœnitentiæ: cogitemus quia, secundùm Apostolum, *Nihil in hunc mundum intulimus*, nihilque ex eo morientes auferre poterimus. Nudi nati sumus, nudi utique morituri: quidquid autem hîc inventum est, hîc proculdubio relinquetur, opera tantummodo bona si hîc egerimus, ipsa nobiscum ad cœlum portabimus, imoque nos ipsa ad cœlum portabunt. Tamquam peregrini ergo solâ sufficientiâ contenti, illas nobis divitias hîc acquiramus, quas nobiscum ad patriam paradisi feramus. Deum suprà omnia diligamus, quia reverâ impium est hunc non diligi, cui vicem repensare non possumus etiam & cum diligimus: quid enim nos impii pio Domino retribuere poterimus pro omnibus quæ retribuit nobis? Qui nullis nostris præcedentibus meritis tanta nobis præstitit indignis; ut nos à jugo diræ damnationis redimeret, de sede paternæ majestatis ad nos descendit, injurias in terris pertulit,

[Margin notes: 1. *Tim.* 6. — *Job* 1.]

probra sustinuit, mortem indebitè subiit; & hæc quidem omnia patienter tulit, ut nobis humilitatis & patientiæ exempla monstraret; unde & sequentibus se Discipulis dicit: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* (Matt. 11.) Oportet igitur ut quemadmodum ille pro nobis, ita & nos cuncta adversa quæ nobis propter peccata nostra adveniunt, æquanimiter toleremus, ut patientiæ fructum in vitâ æternâ capere possimus. Urgeamus ergo, Fratres, cursum nostrum dum tempus habemus; odiamus hunc mundum quem diù possidere non possumus, nulla nos jam malorum operum contagia polluant, sed divinus nos respectus semper à peccatis arceat: si enim homines nostri similes peccatores, & ex eodem luto formatos, ne nos peccantes inspiciant erubescimus, quanto magis æternum, & solum sine peccato omnipotentem Dominum revereri ac timere debemus, qui non solùm facta, sed etiam secreta cordis considerat & videt? Hunc ergo quotidie timeamus, hujus reverentiam nobiscum semper feramus: sicque spes indulgentiæ erigat, ut metus gehennæ semper affligat. Ante omnia & super omnia charitatem habeamus, reminiscentes Dominicum præceptum, quo dicitur: *Habete in vobis sal.* (Marc. 9.) Et, *Pacem habete inter vos.* Et illud, inquit, *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis.* (Joan. 16.) Nam & alibi dicitur: *Habete charitatem, quod est vinculum unitatis.* (Coloss. 3. 14.) Et iterum: *Estote imitatores Dei tamquam filii carissimi; & ambulate in dilectione.* (Ephes. 4.) Et iterum: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio tollatur à vobis cum omni malitiâ.* (Ibidem.) Et, *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Nempe sicut nullum proficit in vulnere medicamentum, si sit interiùs ferrum; ita nihil proficit oratio illius, in cujus pectore mortiferum versatur odium. Habeamus ergo, Fratres, charitatem, quia si illam habuerimus, omnibus virtutibus replebimur; si verò charitatem non habuerimus, quidquid boni habere videmur, totum perdemus. Nec in arrepto benè agendi proposito penitùs lassescamus, præcipuè cum Dominus dicat nullum ponentem manum in aratro, & respicientem retrorsùm dignum esse regno cœlorum. Respicere autem retrorsùm nihil aliud est, quàm in eo quemquam pœnitere quo cœperit bono, & rursùm mundanis desideriis obligari. Denique ab spe veniæ nulla nos malorum quantitas revocet, quia quamvis sit gravis humana culpa, largior nihilominùs est misericordia divina: unde per Psalmistam dicitur: *Multa est apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* (Psal. 129.) Et iterum: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicit.* (Ibid. 50.) Hæc nos, Fratres, diebus ac noctibus memoria refoveat, hæc nos præcepta frequenter sollicitent: debitum vitæ finem jamjamque affuturum putemus, vicinumque speremus mortis diem, quem longinquum esse nescimus: modò emendemus quod delinquimus, ne tunc pœnitere incipiamus quando jam non valebimus: erit quidem & in inferno pœnitentia, sed omninò infructuosa; erit ibi pœnitentia dolorem habens, sed jam medicinam non habens; ibique nullatenùs poterit à Deo promereri quod petit, qui hîc noluerit audire quod Deus jussit. Ideoque, Carissimi, quantum possumus præceptis Dei in omnibus obtemperemus, ut ibi præmium muneris capiamus: ipsi dum licet hîc nos castigemus, ipsi nobiscum de actibus nostris rationem faciamus, ipsi nos Judici nostro accusemus, atque emendationem nostram non ad extremum vitæ differamus, sed quoties in peccatis labimur, per pœnitentiam resurgamus, ac totis viribus voluntates[t] pessimas carnisque illecebras vincentes, illud omnimodis præcaveamus, quoniam quotidie ad mortem properamus, & dum nescimus securique consistimus repente mors veniet. Ibi ergo festinemus, ubi mors jam non timebitur, & ubi nos sancti omnes suscipere vel videre desiderant; ubi nos Rex cœlestis Christus, & superni cives Angeli expansis charitatis brachiis exspectant: ibi, inquam, festinemus, ubi sine fine vivamus, & ubi Angelicis agminibus consortes esse possimus. Ita postremo in exilio mundi istius agamus, ut ad futurum judicium cum securâ conscientiâ bonis operibus ornati veniamus, ibique gratissimum Deo munus nostras animas offeramus, ut pro hoc ab eo commercio æternitatis beatitudinem accipere, & in sæculum sæculi gloriari possimus. Hæc nos, Carissimi, mandata hactenùs quasi lac vobis gustanda porreximus, & ecce modò sub testimonio Dei & sanctorum Angelorum, qui nos loquentes audiunt, absolvimus debitum nostrum, cœlestia vobis præcepta tradentes; amodo jam vestrum est cogitare, quatenùs & admonitio nostra effectum habeat salutis, & vos semper voluntatem Dei facientes, ab omni vos malo custodiatis, atque demùm liberi ab omni contagione peccati, ad regna cœlestia tripudiantes pervenire possitis, præstante Domino nostro Jesu-Christo, qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

Cap. XVI. Quà pulcrè exhortationem terminans, populo contestabatur.

Hæc summatim de tanti viri familiaribus monitis huc usque narrasse sufficiat: quæ ille etsi non sub unius diei articulo ex ordine ut digesta sunt, percurrebat, diversis tamen temporibus hujusmodi semper præcepta populis intimabat. Ad ultimum verò inferebat dicens: Hæc, Fratres, si custoditis, habebitis præmium, & si negligitis incurretis supplicium: nam ego quantum ad me attinet absolvo coram Deo conscientiam meam, testesque super hoc invoco cœlum & terram, quòd præbuerim vobis opportunum ministerium, atque annuntiaverim vitam & mortem. Cæterum in præsenti vobis innotesco, quòd si spreveritis verba mea, meque contemnentes audire nolueritis, equidem veniens coram Redemptore meo accusabo pertinaciam vestram, & palam faciam, vos præceptis semper maligni obedisse potiùs, quàm Christi; & tunc verè indignante Judice exactori traditi, supplicioque mancipati, persolvetis sine fine quadrantem. Hæc igitur sunt verba B. Eligii quæ cum summo studio plebi proferebat ex locupletissimo cordis sui thesauro; sed & alia nihilominùs multa his similia quotidie exhortans, evangelizabat populo. O pingue vas quod ita affluenter ministrabat plebi adipem frumenti Christi, & lætitiam olei, ac sobriam ebrietatem vini! O verè gloriosum virum, ineffabilem Dei amatorem, qui velut bonus pastor satagebat strenuè vagantes revocare, attritos alligare, errantesque ad paridisi caulas convertere! Cujus bona ac simplex doctrina olet proculdubio Prophetis, sapit Apostolis, comitatur Evangelistis; cujus denique sermo non aliud apud suos fuit, quàm de regno Dei, de paradisi deliciis, & de gehennæ suppliciis, de justitiâ quoque, & fide & charitate, ac mundi illecebras, cunctaque sæculi oblectamenta omnimodis relinquenda, & & soli Domino totis viribus serviendum. Proferebat verò illud, qnod beatus Apostolus ad Corinthios scribens, intulit: *Non quæro*, inquiens, *quæ vestra sunt, sed vos.* (2. Cor. 12.) Et quod rursùs scriptum est: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus verò Dei.* (1. Cor. 3.) Meminerat quoque eumdem Apostolum commonentem, & quosdam quidem de igne rapite, du-

[t] *voluntates*] An potiùs *voluptates*?

bios verò consolamini. Et Jacobum similiter dicentem: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & cooperiet multitudinem peccatorum.*

Jacob. 5.

CAP. XVII. De miraculo vini, ubi vas vacuum post repletum invenitur.

Erat autem vir quidam habitans in suburbio Parisiaco, haud procul à Basilicâ Beati Petri Apostolorum Principis commanens, quem Eligius pro fide & devotione suâ familiariter diligebat, ipseque ab eo pro reverentiâ sanctitatis unicè diligebatur. Accidit ergo quâdam die ut prædia Monasterii sui Eligius lustrata, & à Gentiliaco jam digressus, Parisius remearet; cumque non longè à domo ejus cum suo nobili, ut solebat, comitatu tramitem præteriret, fortuitu ille eminùs conspiciens cognovit illicò adesse Eligium. Tunc obviam accurrens, cœpit genua ejus lambere, dicens: Est mihi pauxillum salerni in cado, divertat quæso Dominus meus paulisper in domum servi sui, ut hi qui tecum sunt percipiant merum, & benedicat mihi Dominus ad introitum tuum: cumque ille recusare vellet, vix comitantium victus precibus tandem ad domum divertit. Erat autem præfato viro positum vias in cellario (quod vulgò tunna vocatur) duas ferè aut tres tantummodò in se metretas vini habens. Cum ergo illic ingressus obnixè rogaretur, ut vel parum quid pro benedictione perciperet, allatum sibi poculum benedicens, modicum ex eo pro satisfactione hausit; cuncti tamen comites ejus gratissimè ubertimque potati sunt. Deinde benedictâ domo, valedicens viro discessit, atque ad Monasterium suum, quod in eâdem urbe situm est ad manendum divertit. Post cujus videlicet abscessum repente cadum, quod ad usus famulorum ejus penè fuerat exhaustum, divinitatis gratiâ exuberante, vino usque ad summum est repletum. Facto autem die altero, fortuitu ingressus homo in penum invenit tunnam, quæ pridie vacua prope remanserat, usque ad os vini repletam: ex quo vehementer mox attonitus cœpit nimiùm eventum rei mirari, confestimque hospitis sui merita reducens ad memoriam properè ad eum perrexit, narrans quanta sibi Dominus ad adventum ejus præstiterit. Quod cum Eligius audiisset, agens Domino gratias dixit ad eum: Pax tibi, Frater, tecum sit hic sermo, nec patiaris unquam divulgari eum, sed vade, & cum gratiarum actione quod tibi pius Dominus largitus est, in usus necessarios expende. Tunc ille cœpit rogare eum ut dignaretur ipse iterum ad domum ejus usque fatigari, ac per semetipsum temetum illud benedicere, & utendum ex vase proferre, quod nisi faceret, testabatur se nullatenùs exinde unquam vel guttam foris præripere. At ille cernens devotionem hominis pariter ad domum perrexit, & ingressus domum postravit se in pavimento, ac diutissimè precem fudit; post orationem verò considerans apothecam plenam, jussit eam reserari, vinumque in vase proferre; & cum factum fuisset, & ipse quidem exinde modicum gustavit, & omnes qui simul aderant largissimos ex eo meros hauserunt. Sic demum oculis manibusque ad cœlum porrectis, gratias agens & glorificans nomen Domini, viâ quâ venerat rediit.

CAP. XVIII. Quanta severitas ejus verbum comitaretur; & de interitu infausti viri.

Sed neque illud silendum puto, ex quo lectores auditoresque ad studium humilitatis causâ hujus exempli incitare confido, ut ne aliquando improbi quique præsumant contrà sanctos viros verba procacia incautè proferre, dum simili metuunt exitio succumbere. Quidam itaque vir infaustus, nimiumque protervæ mentis ac segnis (ut pote ex Hebroïni familiaribus) conquerebatur multis diebus contrà Eligium, volens Ecclesiæ ejus sylvam quamdam valde optimam pertinaciter præripere, suæque ditioni mancipare: pro quâ causâ frequenter ad illum conveniens, penè eum ad injuriam verbis procacibus provocabat; unde etiam unâ dierum præfatus vir adiens Eligium, coram copiosâ multitudine cœpit vehementer eamdem ab eo repetere. Cui cum Eligius modestè leniterque responderet, ille, ut sese habet humana jactantia, ampliùs se extollens, audacter obtendebat, multis eum verbis lacessens: at Eligius patienter adhuc ferens, blandis eum verbis coërcere studebat, dicens: Amice, refræna cupiditatem tuam, cur non erubescis tam cœca mente res alienas appetere; si mea à me postulares, darem forsitan quod peteres; nunc verò quia non meum sed Ecclesiæ prædium à me repetis, non tibi do omninò quod pauperum est necessitatibus delegatum. Tunc ille acriùs incitatus vehementer eum verbis injuriabat, dicens: Si mihi id voluntariè non reddis, ego vi subripiam, velis nolis. Tandem ergo Eligius permotus, minaci vultu dixit ad eum: Novit meus Creator nisi citò desieris ad hac intentione, dignam meritis tuis recipies excommunicationem. Quod verbum ille audiens in tantâ cachinnatione prorupit, ut multa ei probra & convitia, irrisionesque procaciter jacularetur. Tunc Eligius videns eum nullo genere posse sedari, protensâ ad eum manu dextrâ jaculum excommunicationis in eum terribiliter congessit. Et, ô mira virtutis potentiâ! ita perculit virum, ut omni funditùs robore destitutus, & vigorem amitteret, & speciem vivi hominis perderet. Denique cum pariter Eligii verbo corruens in pavimentum sic divinitùs est percussus, ut palam omnibus astantibus videretur velut mortuus: nam cuncti hæc videntes stupore nimio perculsi in Eligii injuriam Dei ultricem mirabantur affuisse iram. Sic ergo miser ille in manibus inde sublatus, triste valde suum præstolabatur funus. Omnes præterea qui aderant communi prece Dei hominem deprecabantur, ut non considerans illius infausti vecordiam, pro eodem preces funderet, quo restitutus sanitati sponte super his quæ contrà eum gesserat pœniteret: quod utrum fecerit, hactenùs incertum habemus: hoc nimirum solum admirationi adscribimus, quantam vim sermo ejus ex divinâ largitione obtineret, qui absque ullo verbere solo potenti verbo superbum in terram dejecit, arrogantemque humiliavit; quamque carum hunc Deus haberet, cujus utique verbum tam celer in hominem ultio comitata est. Sed ne solam hanc verbis ejus putetis comitasse virtutem, audite quid & alibi gesserit.

CAP. XIX. De potentatu verbi: & de dæmoniacis liberatis.

Igitur quodam tempore cum dies natalitius beati Petri Apostoli in diœcesi quâdam haud procul à Noviomense oppido celebraretur, adiens Eligius vicum cum ingenti constantiâ, prædicabat, sicut semper consueverat, Dei verbum, abjiciendos dumtaxat abominandos esse cunctos dæmonum ludos, & nefandas saltationes, vel caranisas, omnesque inanes prorsùs relinquendas superstitiones. Quam ejus prædicationem præstantiores quique loci illius valde ægrè ferebant, scilicet quòd ferias eorum everteret, ac legitimas, ut putabant, consuetudines exinaniret. Tunc pravi quique inientes consilium (& præcipuè ex familiâ Herchenoaldi, qui erat eo tempore Præpositus Palatii æmulabatur Eligium, sed non ad bonum) decreverunt simul, ut si ulteriùs hujusmodi nugis eorum contraïret Eligius, illicò irruentes interficerent eum. Quod cum Eligius cognovisset, ingenti martyrii desiderio stimulatus surrexit concitè, & præcepit suis omnibus, ut nullus eum, præter duos Clericos, atque unum Diaconum, sequeretur. Venit ergo per medias populorum turbas, & stans in quodam eminenti loco ante Basilicam, cœpit instantiùs prædicare, vehementer objurgans populum eo quod monitis salutaribus terga paran-

tes, diabolicis phylacteriis tantopere essent intenti. Ad cujus exhortationem vehementer turbâ commotâ, probrosa ei verba cum ingenti protervia respondebant, interitum ei minitantes, atque dicentes: nunquam tu, Romane, quamvis hæc frequenter taxes, consuetudines nostras evellere poteris, sed solemnia nostra sicut hactenùs fecimus, perpetuò semperque frequentabimus, nec ullus hominum erit, qui priscos atque gratissimos possit nobis unquam prohibere ludos. Tunc ille cum nihil se proficere cerneret, magisque ludos coalescere videret, indignatione commotus, Dominum Jesum ex imo pectore interpellavit, dicens: Quæso, Domine, divinam clementiam tuam, ut hi qui cum tantâ audaciâ atque superbiâ tuis sanctis monitis contradicere audent, & magis dæmonum seductionibus, quàm tuis præceptis obtemperant, tuo permissu, ipsorum nunc ferocitate ad exemplum terroremque multorum impleantur, quo cognoscere possint quorum opera exercent, ut ab hominibus in te credentibus enixiùs glorificetur nomen sanctum tuum. Post cujus verba subitò plurimi, hi præcipuè qui erant ex parte Herchenoaldi, quique divina mandata despicientes manus in eum parabant injicere, immundo afflati spiritu cœperunt continuò modis diversis debacchari. Omnis autem multitudo, exceptis his qui aderant, ingenti pavore perterriti, vestigia hominis Dei lambebant, verentes ne similia paterentur, pollicentes singuli cuncta quæ mandaret sine aliquâ jam simulatione sese assequuturos. Ad quos vir beatus dixit: Nolite timere vos, sed magis justum Dei judicium glorificate, quoniam reverâ dignum est, ut hi qui ejus voluntati contraïre videntur, traditi eis ad tempus quos diligunt, sentiant præceptores suos quorum cultui inserviunt: vos autem si præceptis Christi libenter obtemperare velitis, nihil paveatis, quia innoxii ab his latrunculis semper eritis. Multis præterea rogantibus pro vexatis, noluit statim orationem pro eis assumere, sed ait: Sinite huc usque, sinite, sentiant, sentiant, debent scire demum quos perhorrescant, & quibus hactenùs obtemperantes obedierunt. Sic itaque anno transacto cum anniversaria rursùs præfata festivitas advenisset, jussit omnes vexatos illos palam adesse: cumque omnes adessent, oratione præmissâ, exorcizavit aquam, & dedit eis pro medelâ, confestimque liberavit eos ab obsidione diabolicâ. Erat autem numerus eorum ampliùs quàm quinquaginta. Sic ergo eis viâ salutis annuntiatâ, plurimumque correctos eos & castigatos dimisit abire sanos.

Cap. XX. Quòd in Basilicâ quâdam Cursum vel Oblationem interdicit celebrari.

Alio verò tempore cum diœceses suas, ut Episcopis mos est, visitaret, exstitit quædam certa causa ut in unâ Basilicâ interdiceret Cursum vel Oblationem, quousque ipse juberet celebrari. Erat autem illic Presbyter quidam malæ conscientiæ saucius cujus videlicet ob culpam excommunicatio processerat, qui Episcopi jussis minùs obtemperandum credens, verbaque ejus leviter valde ferens, cum longiùs eum à loco illo abiisse æstimaret, mox signum Ecclesiæ statutâ horâ sicut mos erat pulsare cœpit. Tunc ad confutandam humanam præsumptionem magis insensibilis quàm rationabilis creatura verbis Episcopi parens, veluti sibi interdicto silentio, nullum ad pulsantis nisum signum reddidit sonum; deinde Presbyter diutiùs funem terebrans, cum cerneret tinnulum omninò permanere mutum, egressus protinùs Basilicam, causam cunctis manifestat. Tunc autem Eligii reminiscentes excommunicationem, post eum nonnulli quantociùs properant, ac reconciliari ab eo Basilicam exorant: sed ille quamvis esset benignus, noluit tamen tam calidè, priusquàm satisfactio præcederet, sententiam suam reflectere. Sic ergo transactâ die unâ ac nocte cum sæpissime Presbyter quatere signum tentaret, nullum pulsanti præbuit sonitum. Transiit quoque & sequens nox cum die, & nec sic quidem sonum produxit; fluxit nihilominùs & tertia dies cum nocte, sed nec tandem sonum aliquem reddidit: postea verò crebris discurrentibus nuntiis cum Optimatum & Seniorum epistolis, tandem eorum precibus victus, necnon & pœnitentiæ satisfactione prælatâ, solo verbo Eligius reconciliavit locum, & mox signo tacto sonus pristinus rediit in tintinnabulum.

Cap. XXI. Arbuscula nucarii arefacta.

Unâ autem dierum iter necessarium carpens, devenit ad quemdam locum haud longè à Compendio Regali, optimum prædium, & fatigatus ex itinere divertit in agrum cujusdam coloni: erat autem illi arbor magna nucarii onusta fructu vescibili. Cumque Eligius in diversorio quiesceret, egressi quidam ex ministris ejus cœperunt ex præfatâ arbusculâ avellere nuces; erat enim tempus quo congruè vesci poterant: accurrens autem concitè dominus arbustæ causabatur procaciter nuces sibi subripere: quo Eligius comperto vocat ad se virum, & blandè ac leniter eum demulcens, ait: Noli amice ob hujusmodi causam molestus nobis existere, & si pauca pueri præsumserunt, plurima tibi adhuc supersunt; nam & hoc quod attigerunt ego datâ pecuniâ tibi gratificè satisfaciam. At ille tumidâ mente lenitatem ejus spernens, duris eum amaricabat verbis, eadem crebriùs taxans. Tunc Eligius animo immutatus, famulos quidem pro rei facto duriùs objurgavit, homini verò pro substantiæ damno tres aureos dari jussit; ad arbustam tamen conversus, nimirum Salvatoris ficulneæ imperantis exemplo usus, ait: Quoniam tantopere pro te lacessimur, nunquam ex te ex hoc jam fructus nascatur in æternum. Et, ô mira Domini potentia! cujus exemplum sequutus fuerat in verbo, ejusdem & virtus subsequitur in effectu: nam post non longum spatium arefacta arbusta, sicca demum permanet in ævum. Merito igitur in hoc opere Dominicum sequutus exemplum, arbustæ cum fiduciâ imperavit, qui fide plenissimâ Dominicam tenebat sententiam, quâ dicitur: Quia *qui credit in me, non solùm faciet ea quæ ego facio, sed & majora,* inquit, *faciet.* (Joan. 14.)

Cap. XXII. Dæmoniaci ad ejus imperium siluerunt.

Aliquo rursùs in tempore agebatur natalis Beati Martini Pontificis: cumque inter Missarum solemnia, evangelicâ juxtà morem lectione expletâ, divina Eligius populo prædicaret mandata, vehementer intercipiebant verba ejus plurimi debacchantes in Ecclesiâ. Tunc Eligius porrectâ contrà impatientes manu, præcepit in nomine Jesu Christi, ut quousque ipse prædicationem compleret, nullus eorum mutire præsumeret; quod & mox factum est: & non solùm ad jubentis verbum omnis illa turba conticuit (ampliùs enim erant quàm duodecim) verumetiam & dæmones non ferentes tantam verborum ejus virtutem, confestim ut ille manum contrà eos protendit, nonnullos ex eis relinquentes confusi fugerunt, ac vasa dudum obsessa sana illicò dimiserunt.

Cap. XXIII. Ut famulum à ficâ sanavit.

Alio quoque tempore quidam ex familiaribus ejus Ermelindus nomine, pessimâ laborabat ægritudine: denique dirâ atque intolerabili percussus ficâ, & morte jamjamque imminente, & jam à flatu spiraminis arcebatur. Erat autem tunc Eligius iter quoddam carpere dispositus; tum subitò postulat æger, motu potiùs quàm verbo, ut sese herus priusquàm spiritum exhalaret, dignaretur visitare: ad quem cum Eligius intrasset, cœpit eum duris verbis increpare, quòd scilicet corde cœcato pœnitentiam minimè pro negligentiis suis gesserit. Et cum ille nimis anxius penè jam ex hac vitâ pen-

deret, ac pro verbis lacrymis solummodo cum diro gemitu satisfaceret, misericordiâ motus est; pius enim erat Eligius circà subjectos suos, posuitque super eum quem manu gestabat bacterium, & præcepit ei, ut sine mora in nomine JESU CHRISTI sanus exurgeret, secumque illicò in itinere disposito pergeret. Confestim ergo ad ejus verbum omni à se dolore celeri velocitate fugiente, surrexit qui erat ægrotus, cunctis mirantibus, sanus atque ita exiliens præcessit eum quo pergebat itinere lætus.

CAP. XXIV. Levitam à lateris dolore sanavit.

Quidam autem Diaconus lateris dolore pessimè obseptus, graviter laborabat per dies plurimos, diù quoque morbo succrescente, toto penè corpore decumbebat tabidus: cui cum Eligius manu sanctâ latus & membra contrectasset, statim abscedente tabo, omnique mox malo depulso, sanavit corpus à lurido illo morbo.

CAP. XXV. De Presbytero ab eo sanato.

Fuit quidam Presbyter in quâdam diœcesi ejus, cui plurimi vicinorum inhonestum valde ferebant testimonium, quem Eligius frequenter verbis corripiens, nequibat eum à pristino revocare contagio: cumque latiùs infaustum ejus crebresceret vitium, non patiens ultrà Eligius tanta nefanda audire de illo, die quâdam accersitum ad se causam vulgati criminis percunctatur, hortans eum modestè ad emendationem, invitans leniter ad confessionem: at ille longè à se tale quid factum abnegans, audaciter culpam defendere nitebatur, plùs videlicet pertimescens hominem, quàm divinam metuens ultionem. Tunc Eligius cum nullâ eum ratione flectere posset ad confessionem, excommunicavit eum, ut interim qui pro admisso scelere publicè pœniteret, nullo modo altare adiens sacra mysteria celebrare præsumeret, comminans multum atque pollicens, quòd si id ultrà usurparet, sese nullatenùs posset latere, sed illicò se palam adesse, & severiùs in eo culpam vindicare. At ille à facie ejus egressus, pro nihilo ducens minas ipsius, dies suos in negligentiâ consummabat: transactis autem paucis diebus, excommunicationem hominis Dei veluti jam inveteratam negligenter obliterans, quâdam die altare, sacrificium oblaturus, aggreditur: cumque primam altaris partem intrepidus adiret, statim divinitùs percussus, ac vehementer in terram prostratus, expiravit. Ex quo facto cœpit indignatio Eligii cunctis terribilis videri, sermoque ejus jam apud omnes oraculum cœlitus computari. Ipse verò cum comperisset internecionem tam execrabilem illius miserandi, vehementer eum luxit, & multis demum malè viventibus ad exemplum corrigendæ vitæ eumdem in argumentis proposuit. Præterea Eligius in tantum mentis sinceritate profecerat, sedulè Deo in hymnis & orationibus serviens, atque ita cunctis animi virtutibus sublimatus florebat, ut nonnunquam ea quæ futura erant præscius longè ante prænuntiaret: ad quod declarandum necessarium reor vel pauca de plurimis enarrare.

CAP. XXVI. De gratiâ prophetiæ eidem collatâ: & de morte Erchenoaldi.

Quodam itaque tempore obnixè ab HERCHENOALDO Palatii Præposito, quamdam ob causam procul ab oppido secum pergere in comitatu rogabatur; at ille secum multa reputans renuebat prædictum iter eo tempore cum ipso arripere; cogebatur verò à Senioribus & Abbatibus civitatis suæ, ut quoquo modo satisfaceret voluntati ejus, ne pro excusatione itineris offendiculum vel inimicitiam tam præstantissimi incurreret viri. Tandem autem ab eis in propatulo respondere compulsus, ait: Quid necesse est, Fratres, quòd nobis tantam vexationem conamini ingerere; ego proculdubio novi quod vos omninò nescitis, quoniam si illuc properaverimus, magnam ibidem injuriam passuri sumus: hinc enim homo pergens vadit illuc, sed vivus exinde non revertetur, illic etenim morietur. Porrò post paucos dies completur sermo ejus, & cum vix acturi simul ad destinatum prædium pervenissent, ibique aliquot dies commorarentur, ita ut dudum prædixerat contigit. Denique quâdam nocte cum alto sopore omnes quiescerent, fortuitu Eligius egressus tabernaculum, dum foris ante vestibulum deambularet, ac de Psalmis nescio quid secum volveret, vidit subitò columnam ignis è cœlo descendere, cubiculumque Herchenoaldi vehementer penetrare, & tacitè secum eventum rei considerans, interitum bestiæ illius Diacono suo, qui forte solus cum eo inventus erat, indicat. Confestim verò Herchenoaldus ultione divinâ percussus, cum subitò in internis visceribus vasto cremaretur incendio, jussit protinùs ad se vocari Eligium; qui cum vocatus adfuisset, & videret eum vehementer angi, cœpit ei suadere, ut quia jam ei vivendi non aderat fiducia, vel hoc faceret moriturus quod non fecerat sponte vivus, scilicet ut sacculos copiosos metallo auri refertos, quos secum equi vehebant incomptos, pauperibus jam sine dilatione pro refrigerio suæ animæ tribueret; hoc ei solum adstruens prodesse: illa verò quæ in thesauris relinquebat, proculdubio animæ suæ obesse. Sed ille sicut semper rapidus, ita tenax & avarus, dum moras dilationis longiùs innectit, repente miser spiritum exhalavit: cujus corpus Eligius secum pro misericordiâ referens, sepulturæ tradidit; ac sic verba sua cunctis manifestè completa ostendit.

CAPUT XXVII. De morte Flavadi ab eo antè prædictâ.

Similiter dudum de morte quoque FLAVADI crudelissimi viri Fratribus prænuntiaverat: nam cum præfatus tyrannus WILLIBADUM christianissimum virum, Burgundiæ Patricium innoxie interfecisset, atque ejus mors Eligio nuntiata fuisset, ille ad hæc è contrario ista narrantibus respondit, dicens: Vos quidem asseveratis Willibadum mortuum, Flavadum verò vivum; ego autem illum quem dicitis interfectum novi pro eximiis meritis meliùs nunc vivere in cœlo; illum verò quem vos applauditis vivum, scitote celeri internecione malè fore moriturum. Cui cum causam hujus immutationis percunctarentur, apertiùs illicò prænuntians, ait: Hæc ideo dixi, quia vir ille verus Dei cultor mortuus ad tempus videtur, sed jam sine fine feliciter vivit; Flavadus verò, qui per prolixa tempora vivere putatur, infrà hos decem dies malè, ut dignus est morietur. Ita ergo factum est sicut ipse prædixit: nam septem diebus transactis fortuitu Flavadus percussus, juxtà sententiam viri Dei miserabiliter est defunctus.

CAPUT XXVIII. De Visione Episcopatûs Simplicii.

Alia etiam complura Episcopus factus mira prædixit: sed dum adhuc sub laïcali habitu esset, præsagus futura prænuntiavit; ex quibus nocte quâdam dum consuetas orationes explesset, paululum in discubitu requiescens, cœpit subitò in somniis vehementer satagere; quem mox Clericus excitum cum causam visionis illius interrogaret, hujusmodi ab eo responsum audivit. Nuper, inquit, SIMPLICIUS Lemovicinæ urbis Episcopus migravit de mundo, & ecce modò jam FELIX qui Sacerdotio sortitur, Missos ad nos destinavit, ut ejus parti solatium præbeamus; cum ipsis quidem nunc loquebar; solliciti ergo nunc estote, haud procul enim sunt. Dixit & conquievit, & ecce post ejus verba cum lux diei daret initium, cœperunt repente prædicti nuntii vestibulum domûs pulsare, qui illicò ingressi nuntiant Episcopi mortem, cunctaque ita esse gesta, sicut jam Eligius prædixerat. Tunc verò offerentes copiosam pecuniam à FELICE pro adminiculo Episcopatûs missam, nullatenùs suadere potuerunt ut quidpiam ex eâdem acciperet, sed protinùs ingressus ad Principem gratificè cuncta quæ petierant obtinuit,

& sic demùm eosdem ad propria remeare fecit.

Cap. XXIX. De visione dispersionis Cœnobii.

Accidit etiam ut quidam Abbas, vocabulo Domnolus, visitationis gratiâ ad eum quondam profectus, diutiùs apud eum commoraretur: cui Eligius nocte quâdam post quietem secretiùs evocato, dixit: Tu hîc securus consistis, sed Monasterium tibi commissum vehementer inimici impulsu quatitur, ac dæmonum procellis fortiter conquassatur; vidi enim in visione noctis flumen ingens multâ vi super eum irruere, & nonnulla ædificia funditùs ad solum usque diruere; quamobrem perge, quæso, nisi onerosum est, & vide utrum erga Fratres cuncta prosperè agantur. Tunc Abbas sollicitudine cumulatus, protinùs itinere arrepto regressus est ad Cœnobium, & priusquàm ingrederetur Monasterium, ei nuntiatum est duodecim ferè Fratres dæmonum instinctu proposito Monachi relicto clanculè de Monasterio fuisse egressos, & huc illucque vagari incertos, sæculique actibus esse jam deditos. Sic ergo præfatus Abbas Eligii verba non sine admiratione reminiscens, Domini in eo gratiam mirabatur diffusam. Interim verò de salute Fratrum sollicitus, ad eos investigandos properat quantociùs, & nonnullos ex eis repertos ad Cœnobium reduxit; aliquantos tamen longiùs profugatos nusquam comprehendere potuit.

Cap. XXX. Cuidam Dei famulo futura prædixit.

Alio verò tempore cum Eligius Monasterium suum in territorio Lemovicino visitasset, atque inde rediens Bituricas devenisset, voluit videre quemdam qui illic morabatur inclusum, nomine Ebrigisilum; cujus bona fama ab omnibus tunc Bituricæ urbis hominibus celebrabatur: qui videlicet inclusus indiscretè suæ institutionis rigorem servans, nec faciem quidem suam Eligio tunc præbuit videndam, sed solummodò per fenestram, & ipsam infecto vitro clausam, sicut cæteris consueverat, elogium reddidit: cui Eligius post aliquantulam colloqutionem, cum videre eum non quivisset, ultimo valefaciens ait: Hîc te, Frater, videre non potui modò, videbo proculdubio citò in aulâ Regis, Clipiaco: at ille cum id nunquam fore protestaretur: Eïa, inquit, Eligius, eïa, probabis hoc in die illâ, cum te illuc coram populis & Principibus visurus sum in palam. Verùm post breve tempus sequitur effectus ejus sermonem: nam talis quædam exstitit causa, ut eumdem inclusum cellulæ suæ claustris patefactis palatium Regis adire necessitas certa compelleret, ubi ab Eligio honorificè susceptus est. Contigerat enim ut ibi tunc adesset, & inter dulcia colloquia honestè valde & jocabiliter increpatus, demùm post transactam petitionem ad propria est regressus.

Cap. XXXI. Ortum Lotharii Regis olim prædixit; & alia plura.

Sunt & alia multa quæ familiariter loquens sæpe prophetando prædixit, sicut & de morte quondam Hariberti Regis, quam sicut prænuntiavit, ita post paululum evenit. Et de morte Dagoberti inclyti Principis: necnon & de nativitate Lotharii junioris; nam cum adhuc esset in utero inditus, & Regina magnopere ob id pavitaret, verens ne filiam ederet, & ob hoc regnum succumberet; veniens ad eam Eligius alacriter eam recreavit, atque coram omnibus puerperam vocitans, partum ejus masculum prænuntiavit, suumque filium ex mysterio regenerationis fore prædixit; nomen etiam puero adhuc in alvo imposuit: & ad hæc omnia certiùs tenenda, quoddam opificium, quod parvulo posset aptari, fieri rogavit, atque ad usus ejus, usque dum nasceretur, custodiri jussit. Hæc autem omnia sicut prædixit, ita demùm rei eventus probavit: nam & Regina filium protulit, & Eligius eum filiolum habuit, ac nomen Lotharius, quod dudum indiderat vocitavit. Post hunc quoque Deus sobolem ejus multiplicavit, & genuit adhuc filios duos; sed cùm tres jam procreati essent parvuli, & Rex ac Regina pacificè grateque consisterent, talem relationem de eis in diebus illis Eligius prædixit.

Aspiciebam, inquit, in visione nocturnâ ceu solem circà tertiam diei horam properantem, clareque prælucentem, subitò nusquam comparuisse, cumque adhuc informe prodigium solerter intenderem, conspexi illicò, & ecce quasi media aborta luna tres circumquaque vallata stellas eo teneri tramite visebatur, quo sol recurrens quotidie vertitur: itaque cum & hoc portentum attonitus exspectarem mox intrà mirantis obtutum stellis permanentibus, luna fortuitu exempta est; post hæc verò cum enixiùs tres illas considerarem stellas, ad horam penè meridianam accedere, ac vicissim suis radiis sese repercutere, ea quæ eximior ex tribus videbatur ex improviso sublata, duas tantùm reliquit in propatulo: deinde cum simul duæ illæ comitari viderentur, dicto citiùs unâ earum obscuratâ atque subtractâ, una tantummodo remansit in palam, quæ sola recto tramite solis cursum imitans, magno demum fulgore rutilabat, quantoque ampliùs ad Occidentem declinabat, tanto uberiùs claritas ejus latè propagabatur: at ubi ad ultimum occidui locum pervenit, tantam claritatem suarum lampadarum profudit, ut potissimam solis claritatem superare videretur. Hic est itaque ordo visionis. Post mortem Clodovei Regis (nam absque dubio citò defungetur) aliquanto tempore obtinebit hoc Francorum Regnum relicta ejus Regina cum tribus parvulis: postquàm verò & ipsa regno fuerit exempta, tribus filiis in regno relictis, unus demùm ex ipsis cadet; & post hoc haud longo spatio ex duobus quoque regno unus privabitur, tertius verò solus Monarchiam adeptus, dilatabitur super omnes affines suos, atque magnificabitur, & obtinebit sub ditione suâ tria hæc regna; & sic visio hæc consummabitur. Huc usque Eligius, sed nos minimè diffidere convenit, cum verba ejus consequantur effectum, præsertim cum hæc jam aliquâ ex parte completa cernamus, cætera verò quæ nondum impleta sunt, ex consideratione præcedentium impleri è proximo non dubitamus: nam secundùm ejus sententiam & Rex Clodoveus infrà paucum tempus, hoc est anticipans triginta dies in pace obiit, ejusque demum relicta Regina cum parvulis, paucis annis regnum obtinens, postmodum jure Regio exempta, filios in principatum reliquit, ac non post multos annos major natu ex ipsis, qui potissimum jus tenere videbatur, dum quietè tranquilleque regnaret, diem obiens, duos superstites fratres reliquit. De visis jam quid agatur, solius Dei judicio definiri convenit. Hæc igitur, sed & alia plura his similia, quæ prosequi longum est, plerumque Eligius prophetiæ gratiâ afflatus prænuntiavit.

Caput XXXII. Quantâ moderatione se vir sanctus dispensabat: & quòd populis exemplum dabat.

Et inter cætera bona sermo quoque ei sapientiæ, atque scientiæ, & consolationis affluenter collatus erat: humilitatem autem suprà modum & charitatem æqualiter possidebat. Non proponebat in honore locupletem pauperi, nec Principem vel nobilem subjecto & vili præferebat; sed his se austeriorem exhibens, illis modestiorem præstabat. Famulos quoque non ut servos dominorum more affligebat, sed benignè & modestè fraternâ caritate diligebat. Jam verò in barbaris tolerandis æquanimitas quanta, & quanta patientia erat! Instabat nimirum incredulos ad fidem suadendo flectere, obsequio ingratos lenire, contradicentibus leniter respondere, superbos humiliter supportare, existebatque ad omnem tolerantiam fortis, ad sustinendam injuriam mitis, ad faciendam misericordiam facilis; tribuebat egenis substantiam, committens Christo

pecuniam, ut ab ipso æterna perciperet præmia; dicebatque res suas non esse suas, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo agere videbatur: denique omnes opes in thesauris cœlestibus largiendo egenis condens, cunctam suppellectilem justâ operatione ad paradisum removebat; illic videlicet transferens, ubi fructus caperet possessionis æternæ; illic thesauros abscondens, ubi semper feliciter gloriosèque viveret sine fine. Erat præterea hic idem vir beatus in fide Christi firmus, in opere justus, in judicio providus, in humilitate perfectus, in devotione præcinctus, moribus suavissimus, sensu doctissimus, animo pacificus, corde piissimus. Tenebat jugiter in actibus sinceritatem, in corde puritatem, in opere virtutem, in moribus disciplinam: gerebat in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, in humilitate modestiam; in administratione diligentiam, in adjuvandis laborantibus vigilantiam, in fovendis pauperibus misericordiam, in defendendis dogmatibus constantiam: eratque sermo ejus semper cum charitate & lenitate conditus, quo mentes audientium tamquam luminare lucidissimum irradiabat. O verè imitabilem virum! ô semen Abrahæ benedictum! ô præferendum omnibus Eligii exemplum! Jure itaque Abrahæ filius nuncupatur, dum ordinem gloriæ paternæ dignitatis exequitur; merito, inquam, Abrahæ soboles adscribitur, fide scilicet non genere, imitatione non progenie, devotione non stirpe: nempe Abrahæ benedictio meruit filium, Eligius verò benedictus transfertur in numero filiorum: ille Domino obtulit filium; iste potiora donis omnibus obtulit semetipsum: & Abraham quidem tradidit hæredem, hic nihilominùs hæreditatem: ille sobolis innocentiam, hic omnem substantiam. Necesse ergo est ut similitudo officiorum similitudinem conferat meritorum. Postremò Abraham quod habuit pignus exhibuit; Eligius verò totum quod habere in mundo potuit, Domini juri arbitrioque commisit. Sed quia per alternas temporum vices discurrens oratio penè jam ad finem & felicem ejus transitum perduxit stylum, sufficiat interim huc usque seriem vitæ ejus descripsisse: jam enim, ut spero, etsi sensu rustico prolixum produximus sermonem, quamquam meritis ejus digna præconia nullatenùs narrare sufffecerimus: nunc ergo dignum puto ob audientium ædificationem quo ordine ex hac migraverit vitâ paucis explicare.

CAPUT XXXIII. Obitum suum dudum prædixit.

Factum est autem in diebus illis, postquam Eligius cuncta mundi hujus adversa, cunctosque labores æquanimiter toleravit; post vitæ temporariæ administrationem benè transactam, post multiplicia misericordiæ opera, post dulcia vitæ exempla, post innumera captivorum agmina liberata, post Monachorum Virginumque multitudinem copiosam Deo traditam, Cœnobiisque mancipatam, post immensam molem substantiæ eleemosynis distributam, post fidelissimæ dispensationis creditæ sibi pecuniæ undique merita cumulata, vergente jam in senio ætate, cum esset annorum ampliùs septuaginta, cunctis bonis operibus refertus, sentiens jam dissolutionē sui corporis imminere, cœpit quâdam die cum discipulis Noviomo in oppido deambulare, & fortuitu conspiciens eminùs vidit ex fronte Basilicæ S. Medardi parietem ex parte dissipatum, cripturamque [u] imminentem ac ruinam minitantem instare: jussit ergo continuò artificem vocari, & parietis infirmitatem illicò cum liniamentis * solidare. Cui cum discipuli dicerent: opportunum, Domine, tempus exspectetur, ut faciliùs ac solidiùs emendetur. Ille respondit: Sinite huc usque, filioli, quoniam si modò non emendatur, nec jam superstite in corpore non emendabitur. Ex quo verbo cuncti penè tabefacti, atque in angorem versi, cœperunt mutuò suspirantes dicere: Non contingat, Domine, famulis tuis hæc videre quæ loqueris, sed magis annis multis ad ornatum Ecclesiæ suæ Dominus, pauperumque præsidium, beatitudinem tuam hîc vernare permittat. Ad hæc ille, supplices cœlo aspectus dirigens, atque ex imo pectore longa suspiria trahens, ait: Non vestra ex hoc, sed potiùs Domini in me fiat voluntas; exigit enim naturæ conditio, ut post multiplicia vitæ hujus oblectamenta, tandem jam pergamus ad veniam; sed & vobis expedit, ut cum effectu nequeatis, vel solâ tamen voluntate Dei in hoc voluntati non discrepetis; quia proculdubio tempus jam præfinitum est. Porrò ad hæc verba cunctis in mœrorem conversis, ait: Nolite ob id, filioli, contristari, sed potiùs gaudete & congratulamini, quia olim hoc tempus desiderabam, olim hanc messionem post longam vitæ ærumnam percipere cupiebam. Illis itaque suspirantibus, atque in angorem conversis, nihilominùs & rei ambiguitate detentis, ab hujusmodi colloquio cessatum est.

Nec mora, post hæc & levissimâ febre corpori infusâ cœpit tædiari; tunc certiùs quid divina providentia de suâ morte decrevisset condiscens, jussit convocari omnes famulos & ministros suos, quos ipse longo jam tempore alens instituerat; & cœpit eis finem dierum suorum palam facere, ac sicut semper consueverat, inter cætera prædicare pacem semper habendam, pacem Fratribus custodiendam, & charitatem præcipuè tenendam, in quâ est unitatis & concordiæ vinculum. Deinde evocato BALDEREDO Ecclesiæ Tornacensis Abbate, dixit: Rem tibi, Frater, non celabo quam certissimè fore didici: ego quidem secundùm tenorem Patrum gradior viam meam; te verò moneo ne ulteriùs Tornacum redire appetas, sed esto hîc contentus cum Fratribus tuis, cum eisdem degens: nam si oblitus verba mea illuc deinceps accesseris, novi pro certo quòd vivus inde non redies. Itaque ut tunc prædixit, ita post ejus obitum contigit: nam præfatus Balderedus negligenter excedens verbum istud post mortem beati viri, ad prædictam urbem sine cunctamine properavit, & non post multos dies irruente super se turbâ vehementer cæsus, ad ultimum interemptus est. Igitur ut dicere cœperam, cum vir beatus ultimâ decumberet ægritudine, ejusque infirmitas per quinque vel sex dies protelaretur, ita duntaxat ut semper eamdem deambulando, baculoque regente infirmos artus sustentando, dissimularet, nec sic quidem à Dei opere cessabat, bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans, si ad finem usque perduceret, id quod per longa vitæ spatia jugi instantiâ tenuisset; pernox enim in orationibus & vigiliis membra fatiscentia spiritui servire cogebat, & mente quodammodo ad memoriam futuræ beatitudinis transiens, nimiùm lætus cupitum iter exspectabat. Interea cum jam propinquare profectionis salutarem diem sentiret, congregatis pridie Kalendarum Decembrium cunctis undique famulis & suis discipulis, quos jam etsi non spiritu, corpore tamen incipiebat relinquere orphanos, ita exorsus est ad eos: Ultimam, Dilectissimi, parvitatis meæ audientes sententiam, ultima amatoris vestri gratificè percipite verba, si me vicariâ dilectione amatis; divina jussa

u *cripturamque*] Acherio videtur legendum *rupturamque*, sed vox *criptura* legitur etiam cap. 47. Gal. *crevasse* à verbo crepo. Idem haud ita multo post emendat *lignamentis*, ubi habetur *liniamentis*.

adimplere contendite, JESUM semper suspirate, præcepta ejus vestris mentibus figite: si verè mei amatores estis, Christi nomen sicut & ego amate; incertæ conditionis vitam quotidie ancipitem retractate, Dei tremenda judicia jugiter formidate, quales eritis in die judicii præsentandi sollicitâ consideratione pensate: ego enim secundùm eloquia Scripturarum gradior jam viam universæ terræ; jam itaque amodo absque me in hoc mundo degetis, quia me Dominus jam evocare dignatur; sed & ego cupio dissolvi jam, & si domino placuerit, esse in requie. His dictis cum omnes flerent & ejularent, evocatis ille singulatim propriis vernaculis, constituit eis Monasteria inter cætera excellentissima, ad quæ post suum discessum singuli quique properare deberent; & dixit ad eos: Ecce hodie in manus vestras commendo salutem animarum vestrarum; mementote ergo admonitionum mearum, & cogitate jam singuli de vobismetipsis, hæc inter omnia quæ moneo assiduè agite, hæc sapite, hæc retexite, & memoriam meam vobiscum semper ubique portate: Eligius enim migrat, & jam non erit in hoc sæculo vobiscum. Cum hæc igitur dixisset, omnes qui aderant cum ingenti rugitu vocem levantes, vixque inter crebros singultus verba formantes, consonâ omnes voce deflebant, dicentes: Cur nos, Pater, deseris, vel cur tam citò à nobis recedere cupis? Cui alumnos tuos orbatos relinquis, aut cui, Pastor optime, gregem, quem ex gentibus congregasti, fovendum committis? Scimus quidem olim desiderare te Christum, sed salva tibi manent tua præmia, nec si diutiùs in mundo commoratus fueris, minuentur, sed aucta potiùs in dies incrementantur; ideo quæsumus, si fieri potest, differ exitum, ne abscessu tuo omnes patiamur exitium; senium te non compellit ut migres, quos deseris, potiùs nostri miserere; aut si mavis abire, vel socios nos tuæ mortis assume; melius profectò mori tecum ducimus, quàm te absente in mundo vivere; absentiam tuam ferre non possumus, quia tui similem nunquam habebimus. Doleat ergo tibi, Pastor bone, ne tam citò orbatam relinquas plebem, moveat pietatem tuam luctus iste, quo impetres apud Dominum superstes adhuc in corpore esse. Talia eos deflentes piissimus ille Pastor audiens, ubertim faciem lacrymis rigabat, quas magnitudo pietatis indices clementissimi cordis effuderat: gaudebat quippe de suâ vocatione, mœrebatque ad tempus mirè illis compatiens de eorum destitutione, & cum esset pius, essetque nimiùm requiem desiderabundus, nec hos ad momentum deserere, nec à Christo volebat diutiùs separari, illum scilicet insatiabiliter sitiens, illum inhianter desiderans, illumque oculis ac mente totâ semper complectens.

CAPUT XXXIV. Quo ordine à sæculo migravit.

Tandem ergo inter amaras lacrymas, dictaque mœrentia resumens verbum, ait: Nolite ex hoc usquequaque contristari, & me, quæso, ampliùs nolite fletu vexare de abscessu meo, & si verè sapitis, gaudere vos potiùs convenit, quàm lugere; quia equidem etsi præsentiâ corporis absens fuero, spiritu meliùs præsens ero; & quamquam ego nusquam sim, Deus semper est, illi vos commendo, ipsique vestri curam committo: ego verò si quid boni agere potui, vestris profectibus militavi, & cognoscetis hoc in illâ die, cum judicabit Dominus occulta hominum, & cum reddet unicuique secundùm opera sua. *Rom. 2. 16. & 6.* Scio quidem quia inutilis servus non feci ut debui, Dominus tamen novit quemadmodum huc usque volui. Vos ergo moneo, & per gloriosum Christi adventum obtestor, ut si qua vobis ergà me caritas est, si mihi vicarium rependitis dilectionis affectum, mandata & instituta mea servare curate; & in quo unusquisque vestrûm prævalet, de Monasteriolis meis, quæ Christo auspice ædificavi, mercedem & sollicitudinem habetote; & valete viscera mea. Post hæc verba, vergente jam die ad vesperam, procidit subitò in pavimento, & fixis genibus ante Dei vultum provolutus, orat suppliciter gemens, atque suspirans, ut suâ benignissimâ pietate provideat Pastorem, qui regat modestè suam plebem: Ne fiat, inquit, æterne Pastor, hæc plebs sicut oves quibus non est Pastor: commendo tibi oves, quas mihi credidisti, & familiam omnem, quam per ministerium officii mei tuo sancto servitio mancipasti; Tuo, quæso, Christe, semper protegantur auxilio, tuo gubernentur nutu, & tuo dirigantur imperio. O mira Eligii charitas & magnifica bonitas! recessurus jam de mundo, sui quodammodo curâ neglectâ, aliorum sicut semper consueverat, gerebat adminicula; sic enim eximi hac luce cupiebat, ut Domino jubente ad illa clara æternitatis habitacula transiret, ubi ei parabatur gaudium sempiternum nullâ unquam vetustate periturum; & nihilominùs illuc tendens, gregis sibi commissi familiæque adeptæ magnam ut consueverat, solicitudinem gerebat, commendans utique Domino cum fœnore quod ab ipso acceperat talenti munus.

CAP. XXXV. Maledictio & oratio ultima: & de miraculo egredientis animæ viso.

Jam verò in extremis positus, cum modicus calor teperet in pectore, nec præter sensum quidquam vivi hominis superesset, vocatis ad se discipulis & sodalibus, dum se in mutuos miscent amplexus, per singulos plorans, omnibus vale dicebat, dicens: Jam non ultrà loquar vobiscum, & faciem meam ampliùs jam non videbitis, ideoque valete in pace, & me jam de cætero finite quiescere, parentemque materiam permittite tandem redire ad terram. Hæc autem audientes qui circumstabant, nullo genere quiverunt temperari à fletu, complebantur enim cunctorum lacrymis ora, singultus etiam omnium occupabat vocem, hærentemque linguam viscera commota quatiebant, atque in medios conatus sermo gemitu interrumpebatur; vix tamen inter dira suspiria, & amaras lacrymas, hæc solummodo verba resonabant. Dolemus quidem impatientiùs nostri causâ, quòd nos solatio abscessûs tui destituis, sed tui causâ, Pater optime, consolamur, qui post mundi laborem ad perennem requiem vadis. Tunc ille supplices oculos ad cœlum elevans, diù tacitam precem fudit, deinde in vocem prorumpens, ait: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace: *Luc. 2. 28.* Recordare quæso, quòd sicut lutum feceris me; *Job 10.* & non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. *Psal. 142.* Et quibusdam interpositis adjecit, dicens: Memento mei qui solus sine peccato es, Christe Redemptor mundi, & educens me de corpore mortis hujus, salvum fac in regnum tuum cœleste, quia utrumque tuum est, & quando voluisti me in hunc mundum intrare, & quando jubes ex eo exire. Tu semper fuisti protector meus: in manus tuas commendo spiritum meum: scio me non mereri conspectum tuum, tamen tu scis quia semper spes mea in misericordiâ tuâ fuit, & fides mea in tuâ credulitate permansit; & nunc quoque sub confessione nominis tui ruens, extremum, Christe, halitum fundam: suscipe ergo me secundùm magnam misericordiam tuam, & non confundas me ab exspectatione meâ: aperi mihi properanti januam vitæ, & principes tenebrarum non occurrant mihi, non conturbent me potestates aeris hujus, sed clemens dextera tua protegat, & potentia tua defendat, ac manus tua deducat me in locum refrigerii, & vel in ultimum tabernaculum quod præparasti servis tuis & timentibus te. Et his dictis,

ctis, inter verba orationis flagitatum à Superis emisit spiritum. Statim verò cum esset hora prima noctis, visus est subitò velut pharus magnus ingenti claritate resplendens ex eâdem domo coruscando conscendere, atque inter mirantium obtutus sphæra ignea crucis in se similitudinem præferens, velocique cursu densitatem nubium præteriens, cœli altitudinem penetrare. Hoc ergo ordine sancta ejus anima sarcinâ carnis abjectâ, atque terrenis pressionibus liberata, ad suum læta revolavit auctorem, & in antiquam possessionem, diu hîc peregrinata, cœlo gaudente, terrâ plorante, Angelis etiam plaudentibus, tandem ovans conscendit. Itaque quantum haberet vir beatus in plebe amorem, confestim in ejus declaratum est morte: vix quidem spiritum exhalaverat, vix debitam Christo reddiderat animam, & jam luctus totius urbis in cœlo resonabat, omnesque plateas currente nuntio varius subitò rumor impleverat, & unius obitu quasi communi orbitatis vulnere tota simul civitas lamentabatur. Quid multa? compositum continuò ex more corpus, feretroque inditum, ad Ecclesiam deferunt, ibique excubias vicissim agentes, Clerus in hymnis, populus in lamentis noctem pervigilem ducunt.

CAPUT XXXVI. Sanguis ex naribus ejus fluxit: & corpus ejus magno pondere aggravatur.

Facto autem mane convenit ingens in oppidum utriusque sexûs multitudo; affuit etiam & Regina BATHILDIS cum filiis, & Optimatibus, exercituque copioso; quæ velociter oppidum ingressa, celerique cursu funeri accurrens, ingenti voce in fletum prorupit, plorans atque ejulans quòd eum vivum minimè reperisset: cumque diutissimè feretro incumbens lamenta geminaret, rogat interim præparari quemadmodum corpus beati viri ad Cala Monasterium suum transferret; sed cum voluisset eum levare, & non prævaluisset ex loco movere, tristis admodum effecta, indixit Ecclesiæ triduanum jejunium celebrare cum silentio. Quod cum fieret, ipsa quoque cum Optimatibus suis pariterque cum Clero inhianter persistens, indesinenter per illud triduum excubiæ celebratæ sunt. Dum hæc igitur agerentur, ipsa venerabilis Regina nimis intolerabiliter lugens, nullo genere à fletu cohibere se poterat; denique cum ex nimio dolore absentiam sancti viri ferre non posset, tandem ut desiderio suo satisfaceret, revelatâ ejus facie in lugubre osculum ruens, cœpit manus pectusque lambere, ac genas copioso lacrymarum imbre perfundere: & ecce repente dum sanctum corpus exosculans palparet, miraculum non silendum illicò contigit. Nam cum esset hyemis tempus, & corpus jamdudum mortuum decumberet gelidum, fortuitu unda sanguinis ex naribus jacentis profluens, cœpit ubertim genas Sancti rigare, quod videlicet conspicientes Episcopi & Regina Christianissima, confestim suppositis hinc inde billeis linteis [x] summâ cum diligentiâ quousque sponte decurrit, sanguinem collegerunt, ac pro magno munere servandum deinceps in pignoribus segregarunt.

Interea, ut prædictum est, jejunio expleto, satagebat omnimodis Regina ut quoquo modo corpus sancti viri in Cala Monasterium suum transferret; econtra alia pars conabatur eum Parisius civitatem deferre; utrisque tamen obsistebant cives Noviomagenses justissimam sibi hæreditatem membra sui Antistitis vendicantes. Hoc igitur modo erat inter eos altercatio, piâ vicissim devotione pro sanctâ rapinâ decertantes, quinam justiùs ejus mereretur reliquias ac sepulturam possidere: sed cum Episcopi & præstantiores quippe qui aderant, partibus Reginæ faverent, atque ad ejus eum Monasterium ferendum decernerent, orta est ingens vociferatio & tumultus magnus ab universâ plebe Noviomagense. Tunc Regina prudentiori consilio utens, & judicio Dei Omnipotentis causam committens, ait: Sepono nunc jam ambages verborum, & si est Domini voluntas aut Sancti hujus, ut illuc eat quo ego cupio sine ullâ jam dilatione levetur, sin verò aliàs, modò probabimus. Post hæc verba cum accessissent ad feretrum, & tentarent eum levare, tanto pondere depressum senserunt, ut nec movere quidem à loco illum possent; deinde alii atque alii vicissim sibi succedentes nihil uspiam prævalere potuerunt; postremò omnium Regina accedens, ipsaque per se probare volens, ulnis exertis ac rebrachiatis cœpit pulsare vel unum feretri cornu valeret movere, cumque totis viribus nitens inhianter pugnaret, & quasi montem inanem pulsaret, nihil prorsùs proficere potuit: tunc ergo conversa ad Optimates, ait: Ecce jam liquidè cognoscimus non esse voluntatis ejus, ut eum alibi feramus, concedamus igitur huic plebi vel inviti, quod hactenùs noluimus voluntarii. Placuit autem hoc consilium cunctis, & decreverunt eum omnes uno ore in eodem oppido sepeliri. Itaque post hanc definitionem cum rursùs feretrum sublevare tentarent, tantâ mox celeritate levigatum sublevatumque est, ut facilè jam à duobus portaretur, qui ante horam nec à pluribus movebatur: quod miraculum cives cum Reginâ cernentes, gloriam Domini magnificabant, dicentes: Magna & mirabilia opera tua, Domine virtutum. Et, Mirabilis es Deus in Sanctis tuis.

CAPUT XXXVII. Pompa funeris ejus, & laus beatitudinis.

Deinde jam cum deferretur corpus ad sepulcrum, tota penè civitas ruit in obsequio funeris cum luctu; nam & Regina devota, cum esset hyemis tempore palus immensa, nullatenùs suaderi potuit, ut vehiculo uteretur equi, sed pedestri & gravi labore sequens feretrum per paludem lamenta continua cum omni sociabat familiâ. O quantus luctus omnium, quantus præcipuè Monachorum fletus & pauperum, qui eo die ibi confluxerant, per plateas omnes perstrepebant! Chori siquidem psallentium lacrymosas reddebant voces, cantus & agmina flentium lugubres reboabant in aëre fletus; omnem populus urbem quatiebat gemitibus, celsumque culmen olympi implebatur plangoribus, accentus antiphonarum concrepabat in Choro, & luctus Noviomagensium resonabat in cœlo, funereos cantus omnes reddebant tramites, ululatus dirus cunctas compleverat ædes, ejulans populositas omnis se fuderat per orbitas, flebilibusque vagas implebant vocibus auras. Tali pompâ vallatus eminebat Pastor exstinctus; tali constipatum catervâ corpus ferebatur ad tumbam. Hinc præterea Chori præcedebant canentium, illinc agmina plebium continuabant ejulatum: patrem se & nutricium perdere omnes clamabant, & inter quatientes singultus vix hæc verba promebant: Cui, Pastor bone, servandam committis plebem, vel cui pro caulis gregis trâdis curam Pastoris? O Eligi, dulcedo tu pauperum, fortitudo debilium, tu protector & impar egentium consolator. Quis jam post te eleemosynam sicut tu dabit largam; vel quis nostri erit protector sicut tu, bone Pastor? Quis tecum pariter interire nobis tribuat hodie essetque mors dulcior quàm tuâ præsentiâ carere? Hujuscemodi ergo, cum properant ad sepulcrum, omnes simul confusas voces dabant ad cœlos, nec erat facile inter geminos tantarum vocum accentus cantum an fletum, Clerum psallentem, an plebem discernere ululantem. Quis enim in illo die quamvis

x *billeis linteis*] *Billeis*, ait Acherius; id est, sigillo aliquo impressis, aut damasceno opere signatis.

sine visceribus esset, cum pauperum lamenta audiret, non statim in fletus prorumperet? Aut quis ita immisericors plebem omnem vociferantem cerneret, & non illicò in rugitus se converteret? Quis autem ita ferreum possideret pectus vel stolidum, ut cum Reginam cum Principibus deflentem intueretur, non protinùs in lamenta se funderet? Quis verò etiam nunc siccis oculis recordari poterit, cum perventum est corpus ad locum sepulcri, quo ardoris desiderio, quo amoris affectu, quo doloris impulsu tenebatur? Arcebatur, retrahebatur feretrum à populo retrorsùm, ut vel uno momento adhuc superesset corpus in propatulo, quo vel sic utcumque suo satisfacerent desiderio: siquidem studiosè tardabant omnes, moras innectentes ne clauderetur sepultura, quia nimirum non poterant ejus ferre absentiam.

Post tandem ergo vix populis præreptus, atque, ut ita dixerim, fortiter à fortioribus raptus, ab Episcopis qui aderant sepulcro est mancipatus, ubi satis festinè saxo opertus sub magnis jam servatur honoribus, ibique vallatus tumbâ surrecturus jacet in gloriâ. Sic demùm venerabilis Regina cum plebe valde defessa humatis Præsulis membris adorans, revertitur ad propria jejuna, & prohibente luctu eam sumere cibum, sic triduanum in fletu explevit mœrens jejunium.

Comparetur itaque si placet hujus beati viri, non dicam funeri, sed potiùs triumpho, inanis gloria sæculi; conferatur si potest vivorum divitum pompa huic peregrino defuncto æquanda: illos enim viventes in miseriâ confusis plausibus populorum honorat insania: Eligium exutum mundi ærumnâ cum summis cœlicolæ laudibus ad desiderata perferunt regna; & illi post sæculi pompam in tartara dira traduntur: Eligius post mundi adversa sinu lætus Patriarcharum excipitur; illi divitiarum mole oppressi functi præcipitantur in gehennam: Eligius eleemosynis sublimatus cum Beatis resurget in gloriâ; illi pœnam mortis funestis pro meritis solvunt in inferis: Eligius pro beatis vernat meritis in sinu Abrahæ sine metu jam felix; illi postremò in profundum barathri lugent miseri cum damnatis: Eligius meus perpetim laureatus serto perenni exultat Elysiis in campis cum cunctis à sæculo Sanctis. Gratias tibi inter hæc & propter hæc, Deus noster fidelissime retributor, quoniam reddidisti ei magna pro parvis, & requiescere eum fecisti inter amœnitatem sempiternam, & virentis paradisi tui delicias, qui ad hoc forsitan raptus à nobis est; *Ne malitia mutaret intellectum ejus* (Sap. 4.) & sicut de perfecto quodam scriptum est; *Vivens inter peccatores translatus est; quia placita erat Deo anima illius.* De talibus quippe per Salomonem dicitur: *Justus de angustia liberatus est.* (Prov. 11.) Hinc & Hieremias ait: *Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus: & erit quasi lignum quod transplantatur super aquas.* (Jerem. 17.) Hinc Psalmista dicit: *In lege Domini fuit voluntas ejus: & erit quasi lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* (Psal. 1.) De hujusmodi viris per Malachiam Prophetam Dominus dicit: *In pace & in æquitate ambulavit mecum; & multos avertit ab iniquitate.* (Malac. 2.) Hinc per Isaiam loquitur dicens: *Ego vocavi eum, & benedixi ei, & directa est via ejus.* (Isai. 48.) Hinc eumdem Prophetam pollicetur dicens: *Ecce servi mei comedent; vos autem*, id est reprobi, *esurietis. Ecce servi mei bibent; vos autem sitietis: ecce servi mei lætabuntur; vos confundemini: ecce servi mei exultabunt in gaudio; vos autem clamabitis ob dolorem cordis, & propter contritionem spiritûs ululabitis.* (Ibid. 65. 13.) Hinc quoque in libro Ecclesiastico dicitur: *Timenti Deum bene erit in extremis, & in die defunctionis sua benedicetur.* (Eccli. 1. 13.) Hinc & aliàs scriptum est: *Bonorum laborum ejus gloriosus erit fructus, & in perpetuum coronatus triumphat.* (Sap. 3.) Hæc nos de obitu vel super obitum sancti viri narrasse sufficiat. Cæterùm ne legentibus ingererem fastidium, eo quod prolixè jam extenditur oratio, dignum fore judicaveram, ut ejus terminante vitâ, nôster quoque terminaretur sermo, nisi multimoda miracula, quæ ad sacratissimum corpus ejus assiduè Dominus operatur, me denuò ad loquendum impellerent: plurima ergo pro legentium opportunitate præteriens, pauca in calce suâ præsens Liber ostendat.

Caput XXXVIII. *De virtutibus quibus post obitum claruit.*

Postquàm vir beatus de sæculo migravit, cum corpus ejus delatum esset ad sepulturam, remansit fortuitu in loco quo jacuerat rachina caprina ex episcopio valde optima, quæ nimirum in basilio fuerat pridie supposita feretro, quam illicò cunctis discedentibus Diaconus quidam Uffo nomine, Suevus quoque natione, cupiditatis stimulis exagitatus clanculè rapuit, atque in lectum sibimet sub stramine abscondit. Igitur corpore ex more tradito sepulturæ, cum ministri exequiarum rediissent, atque ablata recognovissent, vehementer mox contriti cœperunt eamdem in diversa perquirere; cumque diù discurrentes, & huc illucque investigantes, nullum rei perditæ caperent indiciam, orta est inter ministros non modica ob hoc turbatio; sed cum nox jam instaret, somnique tempus advenisset, cunctis alto sopore quiescentibus ex more, apparet vir sanctus in visione Abbati cuidam, Sparvo nomine, eumque ut solebat blando compellans alloquio, indicat quo in loco furtum celaretur absconditum. Cum ergo lux die crastinâ terris esset jam reddita, adhibitis secum prædictus Sparvus duobus creditis Fratribus, ordinem visionis exponit eis, deinde ad locum designatum pariter eos pergere hortans, ipse pro proditore prior cunctis accedit: cumque diligenter scrutati essent locum, statim ut vir beatus indicaverat repererunt & furtum: mox autem accersito Diacono durissimis eum verbis increpaverunt, non tamen acerbiter verberibus vindicarunt, quia & hoc idem à sancto Eligio in mandatis acceperunt. Ex quo facto cœperunt omnes sanctum Antistitem ex ipso die obitûs ejus magnopere pertimescere, ac venerationem ei debitam de die in diem jugiter exhibere.

Caput XXXIX. *Ut cuidam cellano apparens miraculum declaravit.*

Post hæc autem erat quidam cellanus, homo Dei, simplex & rectus, nomine Dulciolenus, in loco quodam non longè ab urbe Parisiacâ commanens, quem Beatus Eligius dum superstes in corpore esset, cum se opportunitas præbuisset, frequenter visitare consueverat, eique magnam consolationem in quibuscumque indiguisset, parare solitus erat. Postquàm ergo vir beatus de mundo migravit, triginta ferè aut nec ampliùs fluxerant dies, cum subitò eidem in visione nocturnâ apparens, cœpit ab eo inquirere quemadmodum iisdem degeret, quove præsidio eo aleretur in tempore; at ille supplices manus indaganti prætendens; benè, inquit, hactenùs orationibus tuis consisto. Et putans eum visibiliter secum loqui, atque ex hoc amplius aliquid præsumens, ait: Est mihi modicum salerni in vase ex eâ quam per te Dominus dedit vineâ, si jubes, Domine mi, probemus ex hoc: cumque ei calicem visus esset offerre, porrectâ mox vir sanctus manu benedixit illicò poculum, jussitque statim eumdem refundere in eo quo exemptum fuerat, vasculo; quod cum factum fuisset, confestim & visio dicto citiùs ablata est. Expergefactus autem Presbyter, consternatusque demum surrexit diluculo, & ex visione sollicitus introivit mox cubiculum ubi parum pridie reliquerat bacchi: cumque vascula sua sigillatim sollicitè consideraret, reperit fortuitu tunnam ubi pauxillum

habuerat antea, usque ad os tunc vino exundante repletam: ex quo facto in admiratione conversus, facilè potuit advertere quantum benedictio valeret, quam Eligius sanctus per ænigmata etiam promeret.

CAP. XL. Ut cuidam in Palatio visus Reginam commonere præcepit.

Illud etiam annectendum credidi, quod nuperrimè post obitum suum apparuit vir beatus in visione noctis cuidam personæ in Aulâ Regis habitanti, cui in habitu præfulgido assistens præcepit, ut sine aliquo cunctamine adiens Reginam BATHILDEM, commonere eam deberet, quò insignia auri gemmarumq; ornamenta, quibus adhuc in cultu utebatur, ob Christi jam reverentiam deponere non gravaretur. Quod cum is cui jussum erat negligenter silendo præteriisset, apparuit nihilominùs & nocte secundâ, atque eadem quæ pridie eâdem serie commonuit: sed cum nec tunc quidem præsumsisset ex visione, Reginæ quidquam indicare, tertiâ nihilominùs vice cum magnâ apparens comminatione, eadem quæ priùs mandaverat ingeminando, subjunxit; cumque nec sic quidquam Reginæ auderet indicare, emissâ subitò corpori febre cœpit vehementer angi; quem cum Regina ægrotantem visitaret, causas ægritudinis sciscitari studuit. Tunc æger opportunitate inventâ, secreta cordis detexit, mandata Reginæ indicavit, atque omnem ei tenorem visionis exposuit. Nec mora, & post rerum narrationem discedente extemplo febre, sanitatem pristinam recepit. Regina verò non ambigua de Confessoris admonitione, omnia à se confestim ornamenta rejecit, nec præter brachiales aureos super se quidquam ornamentorum reservavit. Omnia itaque in eleemosynis dispertiens, potiora quæque in crucis opere aptavit; quam nimirum eleganter perficiens ad caput sancti Eligii stabiliri præcepit. Jussit præterea & crepam ex auro atque argento mirificè fabricare, quam suprà Confessoris membra deponere deberet: in quo opere copiosam molem argenti & auri ipsa præbuit, dicens: Hic Beatissimus multorum Sanctorum fabricavit sepulcra, & ego, ut dignum est, si quivero, fabricabo ejus memoriam. Factumque est ita, & cum stabilita in locum tumuli fuisset, tanta deinceps copia auri vel gemmarum in fibulis ac diversis speciebus à Potentibus eodem loco collata est, ut eam sermo narrantis vix sufficiat exponere.

CAP. XLI. De sepulcro ejus sudante.

His ita gestis, mos erat ut diebus Quadragesimæ propter fulgorem auri vel nitorem gemmarum operiretur tumba velamine linteo urbanè ornatu holoserico. Igitur ingrediente Quadragesimâ præcinxerunt crepam hujusmodi sindone, ut moles radiantis metalli velata tegeretur diebus pœnitentiæ. Et post aliquot dies fortuitu dum multi adstarent sepulcro, miraculum apparuit inauditum: cœpit namque subitò, linteum quo tumba cingebatur sudare, ac deinde paulatimque fumigans uberiùs rore infuso humectari; quod cum circumstantes conspicerent, in magno protinùs stupore conversi, magnalia Christi ibi fatebantur tunc fieri. Deinde cum distillare cernerent linteum, visum est senioribus consilium optimum, ut auferentes eum è tumulo, atque extorquentes in vasculo, aliqua ex eodem liquore procuraretur medicina fore; quod & factum est, & mox tollentes præcinctorium elicuerunt in vase æreo, atque ex hoc demum multis præbuerunt sanitatis antidotum: tanta quippe fuit sudoris illius ubertas, ut etiam holosericum urbanè tunc tinctum ex nimiâ roris infusione proprium amitteret colorem, linteumque sibi connexum colore inficeret suo. Itaque simile huic operi Gedeonis factum intueor; ibi etenim ros in vellere ex divinâ præstantiâ ad indicium rogantis infusus est; hîc nihilominùs infusio divinæ virtutis ad sanitatis remedium collata est; illic concha vellere expresso rore completur; hîc nimirum linteum in conchâ expressum, ad duorum ferè sextariorum mensuram liquor sanctus elicitur.

CAP. XLII. De medicinâ ex liquore provisâ.

Denique eo tempore vastabat morbus acerrimè nonnullas civitates Franciæ, unde divinitùs prædicti liquoris fomitem præstitum credimus esse, adeò ut si quis tunc ingruente morbo mortis pateretur periculum, si prædictam attingere potuisset medicinam, mox omni malo depulso, sanus redderetur à morbo. Erat autem eâ tempestate Comes quidam urbis Tiroandensis nomine INGOMARUS, prædives valde & potens homo, qui nimium metuens vastantem circumquaque pestem, necnon & audiens miraculum rei gestæ, totum se ex corde intimo ad sancti Eligii contulit præsidium; denique multâ ex fide postulat sibi ex præfato dari liquore, spondens atque devovens ut si isdem Antistes apud Dominum obtineret quòd ejus prædia discurrens morbus non penetraret, decimam rerum suarum ex die præsenti, villamque quam habebat majorem ejus Ecclesiæ delegaret. Adiens igitur prædia sua, omnes eorum habitatores cum voto & devotione fecit ex illo salutari liquore contingere; ac sic factum est, ut cum undique provinciam morbus vallaret, nullus eorum qui ad eum pertinebant pestis tunc incommodum senserit. Posthæc autem prædictus vir exultans valde de suorum sospitate subjectorum, decimam ex omnibus partem segregavit, atque Ecclesiæ sancti Eligii cum voto ut spoponderat gratulationis contulit: porrò tanta fuit copia decimæ, ut decima accolarum pars centum animæ ad partem beati Eligii sorte devenirent; insuper adhuc & pecora multa nimis.

CAP. XLIII. Quidam vinitor super ejus morte exultans percussus est.

Dum adhuc beatus Eligius superstes in corpore esset, quidam Ecclesiæ ejus cultor negligens vineæ, frequenter à sancto viro pro ignaviâ, vel segnitiâ suâ verbis corripiebatur; nam & multimodis emendare eum cupiens, minas ei verborum nonnunquam intentabat; sed cum vir beatus migrasset ad Dominum, ille ut pote insolens & stultus veniens die quâdam ad ejus tumbam, cum cachinno exprobrationis elato dixisse illicò fertur: Ecce qui minas mihi verborum pollicebaris, tu jam mortuus jaces; sed ego quidem adhuc consisto vivens. Post quæ verba visum ei fuit adstitisse repente sanctum Eligium manu virgam gestantem, & percussisse caput ejus, atque dixisse: Agnosce serve nequam, quoniam non sum mortuus ut tu gloriaris, sed veraciter nunc vivo ereptus è terris. His dictis continuò ex percutientis verbere cœpit caput hominis intumescere, cunctique artus ipsius vehementer aggravari; exinde jam dolore magis ingravescente cœpit utraque manu caput tenens turgens magnis per urbem vocibus inclamare, ac per omnes plateas civitatis ea quæ sibi contigerant lacrymabili voce proferre. Concurrebant autem plurimi cives ad hoc spectaculum stupentes, & nonnulli eidem mederi cupientes nihil penitùs præstare poterant juvaminis, sed è contrario quanto plus conabantur aliquid ei juvaminis præbere, tantò ampliùs dolor multiplicabatur in vulnere. Tandem ergo post immensos cruciatus ad memoriam Confessoris reductus, ibique à multis edoctus, culpæ suæ satisfaciens vix post longum spacium recuperare potuit salutem.

CAP. XLIV. Quòd vincti rei contra ejus Basilicam solvantur.

Sed quis sigillatim omnia mirabilia, quæ illic Dominus Christus operatur assiduè, verbis valeat explicare: si quis enim exigente causâ quamcumque fuerit ob culpam vinctus, vel catenatus, si contigerit ut per aggerem publicum, qui Basilicæ ejus proximus est, ducatur adstrictus, mox ut contrà eamdem Ecclesiam ventum fuerit, confestim disruptis omnibus vinculis solvitur reus, nec patitur ulteriùs teneri adstrictus. Ad quod declarandum

unum tantùm ex multis commemorabo.

Cap. XLV. De catena ante ejus sepulcrum rupta.

Itaque vir quidam sive ex causâ, sive absque culpâ, ferreis quondam nexibus constrictus, cum ad supplicium duceretur, clanculè de manibus persequentium elapsus, cursu concito ad Ecclesiam sancti Eligii confugit, quam ingressus cum ad tumbam ejus pervenisset, ibique trepidus adstaret, repente disrupta catena quâ premebatur, in partes utrimque cecidit: subsequuti autem illum mox proditores cum illic liberum adstare conspicerent, nimio furore succensi rursum acceptam catenam in collo ac manibus ejus injiciunt, conantes eum summopere foras Ecclesiam trahere. Tunc verò reus tremens ac pallens, atque ad sepulcrum supplices oculos prætendens, ait: O sancte Eligi, placet tibi quòd ad te confugientes non defendis? Ad hanc protinùs vocem cum magno impulsu effracta catena longiùs ab eo prosiluit, eumque rursùs liberum coram omnibus adstare fecit. Ex quo facto perterriti omnes qui virum impetierant, proruentes in terram, veniam audaciæ suæ cum ingenti metu precabantur. Deinde jam omnibus inde recedentibus, solâque catenâ dissipatâ in testimonium remanente, cum aliquod horarum fluxisset spatium, supervenit Episcopus ejusdem loci, & audiens de miraculo quod ibi tunc acciderat, visus est ad horam dubitasse, qui statim inde progrediens, cum ascendisset equum quo illic advectus fuerat mansuetissimum, mox ab eo in terram projectus, gravissimis livoribus est confectus. Et confestim culpam dubitatis Episcopus reminiscens, palam coram omnibus confiteri est compulsus: sicque inde sublevatus, & salutem post dies plurimos adeptus, cautus deinceps in talibus est redditus. Et quia se occasio præbuit, quòd de hujusmodi conditione loqui deberem, dicam & aliud huic rei simillimum.

Cap. XLVI. De equo Sancti.

Dum igitur adviveret vir beatus, habuerat equum unum inter cæteros mansuetissimum, cui cum necessitas poposcisset plerumque sedere consueverat; post cujus videlicet discessum ad ditionem Abbatis, qui eidem Basilicæ præerat, idem equus pervenerat; super quem vir Apostolus MUMMOLENUS ejusdem loci Episcopus inhianter sitiens, violenter eum prædicto Abbati subripuit, suique juris vindicavit. Abbas verò nihil ei obtendere audens, ad sanctum illicò perrexit Eligium, eique multa deplorans, causam hanc commendavit. Cum ergo prædictus equus ad ditionem Episcopi fuisset perductus, cœpit statim pedibus condolere, ac toto corpore marcescente tabescens decidere: tunc Episcopus adhibito mulomedico, jussit ei studium impendere, quo scilicet sanari potuisset: sed quamvis ei cura sedulè impenderetur, nihil prorsùs proficere poterat: insuper etiam cum ad eum aliquis accessisset, veluti fera agrestis in fremitus & calces prosiliens, laniare curatorem suum nitebatur. Cumque hæc per dies plurimos faceret, nullatenusque melioraretur, tandem verens Episcopus ne eum, si hoc in periculo permaneret, totum perderet, cuidam illum matronæ sibi dilectæ doni gratiâ obtulit, quem illa acceptum diligenti curâ studiari fecit. Cujus cum dorsum die quâdam iter arripiens insedisset, statim calcibus & stridoribus immensis actus graviter eam in terram collisit, in tantum graviter, ut per totum ferè annum eâdem conquassatione laborans ægra decumberet: quæ nimirum fœmina cum se sentiret vehementer aggravari, remisit Episcopo quem dederat equum, & cum eo pariter pro munere exacerbationem, ac pro gratiarum actione probra mandavit: quem Episcopus receptum rursùs diligere jussit, sed cuncta ejus diligentia in cassum consumebatur, & quantum plus cura adhibebatur, tantum semper idem in pejus delabebatur. Post hæc autem exstitit quidam Presbyter religiosus, qui daret Episcopo consilium, quatenùs videret, cum nihil apud se posset equus proficere, redderet illum eidem Abbati, cui dudum injustè ablatus fuisset; & cum secundùm ejus consilium factum esset, post paucos dies sanus factus equus, ac mansuetissimus redditus, sub jure ejusdem Abbatis permansit omni formâ decorus.

Cap. XLVII. De miraculis in transmigratione corporis ejus ostensis.

His ita gestis, cum corpus beati Eligii in latere altaris esset sepultum, visum est Episcopo & Reginæ consilium optimum, ut ædificatâ ultrà altare volutione, illic ei demùm condignam facerent translationem. Cumque hujusmodi consilium mente conceptum illic accersissent, & qualiter id fieri deberet disponerent, apparuit subitò in pariete circà vitream maximam veluti arcus in rotundo prærupta imminens criptura, ut liquidò cunctis patesceret Dei id nutu fieri quod disponerent, ac per eum locum maceriam debere evertere, quo nimirum viderent hoc opus cripturam præire. Hæc ergo cum magnâ admiratione universi cernentes, meritis Antistitis voluntatem ex hoc fatebantur Salvatoris: deinde jam hac confidentiâ acti, cum conarentur parietem eo in loco forare ut prædictum opus possent perficere, ita sese sponte absque eorum labore in directum maceria fudit, ut nec hominem ullum nec ipsam denique tumbam, quæ ei erat contigua, ullatenùs læderet corruentis ruina. Sic igitur cum Antistitis præsidio opus aggredientes optatum, dignum beato Confessori atque honorabile construxerunt mausoleum.

Interea appropinquante die depositionis ejus annuali, parabant equidem cives quemadmodum ei honorificam facerent Translationem. Præparabat etiam Regina vestimenta omnia holoserica nimiùm pretiosa, ut eum in die transmigrationis exueret illa quæ dudum cum eo miserat indumenta, & indueret ea quæ tunc præparabat nova. Igitur cum anno jam vertente dies depositionis ejus advenisset, convenit in oppidum copiosa populi multitudo, tunc cuncto Clero canore vocis celebrante melodiam, omnibusque Christianis insistentibus excubiis, ablata est cum diligentiâ tumba desuper Confessoris membra: deinde cum esset levatum tumuli opertorium, magnum circumstantibus visum est miraculum; nam ubi revelatum fuerat corpus sanctum, odor continuò fragravit gratissimus; quodque ita erat solidum & illibatum, absque ullius membrorum diminutione incorruptum, ut vivere adhuc putaretur in tumulo; & quod his adhuc est venerabilius, ita barba & capilli ejus, qui tempore obitûs sui juxtà morem fuerant abrasi, mirum in modum creverant in tumulo, ut cuncti hæc videntes novum inauditumque obstupescerent rei gestæ miraculum. Tunc Episcopi cum tremore magno levantes eum de tumulo, vestimenta ei pretiosissima quæ Regina paraverat, mutaverunt omnia, ea quoque quibus dudum obtectus fuerat eumdem exuentes, cum magnâ diligentiâ deposuerunt sub sigillis: ac sic demum concrepante hinc inde choro psallentium, cymbalisque spiritualibus perstrepentibus, canorâ organis suavique modulatione concinentibus, à loco quo jacuerat vir sanctus tunc coram cunctis submotus, cum summo & honorifico studio deponitur, atque in præparato sibi sepulcro urbanè ut decebat, componitur æternæ memoriæ servandus, ampliusque quotidie honorificandus. Sed quibus post hæc miraculorũ effulserit signis, nunc si aurem sollicitè accomodatis, opportuniùs audire potestis.

Caput XLVIII. De cœcis, & puellâ sanata

Duo namque cœci, unus juvenili ævo, alter jam provectæ ætatis, aliquot illic diebus excubantes, intercedente Confessore Christi illuminati, sanique ad

propria sunt reversi. Puella quædam in annis adhuc tenera, & contracta diù, ibi oleo quod superfunditur peruncta, orante Confessore Domini sana est facta. Alius itidem vir bino capitis luminari privatus, cum illic diù excubaret devotus, lumine tandem recepto, sanus demùm ad locum suum discessit. Sed ne dum aliis tantopere sermone succincto festinamus placere, alios pro ipsâ perplexitate rerum videamur offendere, aliquid interim latiùs propagandum est, ne videamus quidquam veritati subtrahere.

Cap. XLIX. De miraculo in cecindillo ostenso.

Inter cætera quoque quæ illic ex divinâ gratiâ inoperabantur miracula, cecindillus qui ad caput beati viri dependebat cum die quâdam penè constaret semivacuus; repente subitâ inundatione repletus, atque ex semetipso divinitùs lumine gignente accensus, plerumque deinceps & ardet & superfunditur. Denique audite quale Dominus per eumdem cecindillum pro meritis tanti viri ostenderit miraculum. Dum adhuc vir beatus in corpore degeret, quidam Comes Vermandensis, Garifredus nomine, habuit adversùs eum scrupulum quoddam, quod nimirum piaculum cum beatus Eligius migrasset de corpore, inultum adhuc remansit apud hominem: post longum verò intervallum negligenter oblitus piaculum, venit tandem adorare ad sancti sepulcrum: cumque tunc ex more ad Confessoris caput cecindillus arderet, illo ingrediente Ecclesiæ limen confestim exstinctum est candelabri lumen: quod cùm ille illicò animadvertisset, tremens pallensque oravit, post orationem verò cum egressus fuisset Ecclesiam, statim reddito divinitùs lumine cecindillus solitum profudit fulgorem. Itaque cum prædictus vir paratus esset jam equum ascendere, quidam ex famulis ejus, qui posterior Basilicam fuerat egressus, rem ex ordine narravit sicut gestam constabat: quod cum ille audiisset, tristis admodum effectus arcana suæ conscientiæ cœpit discutere, quod esset facinus pro quo istud portentum esset ostensum: & cum culpam suam deprehendisset, reminiscens quæ aliquando in sanctum virum admiserat, confestim revertens retrorsùm fores Basilicæ adiit, sed ubi primum gradum in pavimento impressit, mox lumine subtracto iterum cecindillus visus est dependere exstinctus. Tunc ille palam id cernens, jam nimio timore perterritus, prosternit se cum lamento & ingenti rugitu coram Sancti sepulcro; ac sic diutissimæ culpæ suæ satisfaciens, cœpit apertis fletibus se reum, se indignum, seque infelicem accusare, ob cujus videlicet noxam in loco sancto candelabrum exstinctum dependeret. Cumque diù flens atque ejulans eo in loco persisteret, seque illic mori, nisi lux missa rediret, voce publicâ proclamaret, tandem satisfactione ejus susceptâ lux candelabri ablata denuò rediit divinitùs amissa. Tunc ille quantulumcumque recreatus, jussit continuò famulum vas sibi pretiosum citò deferre argenteum, quod acceptum veluti pacis obsidem Christi Confessori obtulit, ac juxtà ejus tumbam deposuit, promittens insuper nonnulla ex suis facultatibus eidem Basilicæ consolaturum, tantùm ut culpa in sancto viro admissa haberet jamjamque terminum: sic demum adorans & glorificans potentiam Salvatoris, lumine cecindilli micante, ex eodem lætus loco discessit.

Cap. L. De puero contracto sanato,

Illud omninò prætereundum non est, quòd juvenis quidam ex transmarinis partibus adductus, genere Saxonico ortus, ita diabolicâ tyrannide fuerat cunctis membris adstrictus, ut ejus calcanea in partes natium tenerentur hæsita; qui cum Noviomo ad opinionem Sancti Eligii esset deportatus, atque ante ejus tumbam fuisset projectus, post breve intervallum Confessore Domini orante, & æternâ pietate largiente, reddidit soliditatem in universis membris Christus, quæ occasione inventâ damnaverat invidus inimicus: quique mox sanus effectus est, atque ita bases ejus & plantæ consolidatæ sunt, ut nullum deinceps vestigium claudicationis in cunctis ejus remaneret membris.

Cap. LI. De fœminâ mutâ & cæcâ sanatâ.

Mirandis rebus plus adhuc mirandæ succedunt. Quædam namque fœmina muta, & cœca ad sepulcrum Sancti Eligii fuit quondam oblata; quæ cum diù ibidem orbata & sine loquelâ de cœlo exspectaret medelam, sopore tandem depressa, somno sua concessit membra; & ecce repente dum quiesceret visum est adstitisse sanctum Eligium, atque oculos ejusdem mulcendo tetigisse, cultellum etiam vel forcipem in specie medici manu gestans compedes linguæ ejus leniter abscidisse; & ex hoc continuò expergefacta, oculis jam apertis, cœpit novam contueri lucem, ac per os excreare cruorem, quo affluenter egesto, protinùs elimatum formavit ejus lingua verbum: & post hoc jam sana facta, exurgens & adorans regressa est ad propriam villam.

Cap. LII. De aliâ puellâ similiter mutâ ab eo sanatâ.

Item alia puella ætate tenera & muta, delata est illic à matre propriâ; quam Ecclesiæ custodes ante sepulcrum Sancti statuentes, corde tantummodo postulare docuerunt præsidium Confessoris. Cumque diù ibidem excubaret muta, mater nimiùm anxia ita alloquitur in aurem filiæ: Observa, inquiens, istic, filia, quousque à Sancto miseratio adveniat; ego interim sollicita ad domum nostram regrediar. His dictis cum cœpisset mulier ostio proximare, videt subitò puella portentum quoddam per cecindillum ad se defluere, & nimiùm ex hoc consternata, confestim disruptis linguæ vinculis emisit vocem, & ait: Ecce tu mater vadis, & me hîc solam relinquis. Quo verbo mater ejus audito, velociter ad eam rediens cœpit flere præ gaudio; deinde avidiùs adhuc compellans filiam, ut pote quæ nimium desideraret sermonem ab eâ percipere, in omnibus quæ sciscitata est planum atque absolutissimum ab eâ responsum accepit. Super quo omnes qui aderant mirati sunt, ob tantam videlicet velocitatem sanitatis illius, & videntes puellam loqui, magnificabant potentiam Christi, & merita Confessoris Eligii. Inter cætera verò neque illud puto silendum quod tempore mortalitatis Parisius didici gestum.

Cap. LIII. De clade Parisius; & vocatione Aureæ Abbatissæ.

Factum est igitur cum nefanda clades depopularetur urbem Parisiacam, & nonnullæ jam Virgines ex Monasterio sancti viri, ubi Aurea nomine præerat Abbatissa, ad Dominum præcessissent, apparuit quâdam die Beatus Eligius cuidam adolescenti in Basilicâ puellarum veste candidâ amictus, togarum velamine comptus: cumque is qui aderat nimio pavore perterritus latibulum quæreret, blandè eum leniterque compellans vir beatus, præcepit ut iens citò diceret Matri Virginum quòd ad se quantociùs cum deputatis properaret Virginibus. Currens autem is qui audierat, & citiùs Auream præveniens: Surge, inquit, velociter, quia Dominus Eligius in Ecclesiam te vocat. Quod cum illa audisset, gaudio magno repleta sine morâ properavit; sed tamen cum venisset, visio beati viri jam abolita erat; Ecclesia verò ad firmitatis indicium quod illic esset visus nebulâ quâdam repleta monstrabatur, in tantùm ut candelabra quoque & vela subitâ roris inundantiâ distillare viderentur. Tunc ergo prædicta Aurea in sese reversa intellexit se ex hoc mundo vocari; & protinùs convocans omnes Sorores, cœpit valedicere singulis, sequestrans ex eis nonnullas, quæ eam comitarentur inter cæteras: deinde jam ipsâ migrante ad Dominum, & reliquæ nihilominùs subsequutæ sunt demum, adeo ut eâ tempestate ex eodem Monasterio usque ad numerum centum sexaginta Monachæ morerentur.

Cap. LIV De portento Garifredo præostenso.

Audite jam & aliud quod ad sacratissimum Eligii corpus gestum est miraculum: quidam etenim vir Illustris Garifredus Graffio, veniens ad Basilicam sancti Antistitis cum oratione factâ pro foribus adstaret, pauperum illic turbam clamantem audivit; cumque minimè ad præsens haberet unde eis eleemosynam tribuere posset, misericordiâ erga eos motus cœpit volvere mœstus: Numquid, ait, ô miseri, talem habetis consolatorem qualem hunc beatum habuistis Antistitem? ô qualis ei poterat causa obsistere, quæ eum à vestrâ miseratione unquam præpediret, quo vos obturatâ transiret aure, sicuti nunc multi faciunt, & ego miser: & cum hujusmodi adversùm se uteretur increpationibus, visum ei fuit veluti in ecstasi adstitisse sibi in momento sanctum virum; ex quâ visione consternatus, cum amens penè adstaret, subitò reperit in manu vel veste suâ aurum quod pauperibus erogari deberet, quod & protinùs factum est; & ille multa secum ex eo quod acciderat cogitans, exiit ab Ecclesia: & discessit.

Cap. LV. De puero Ebroini filio sanato.

Illud quoque non nos effugiat, quòd vir Illustris Ebroinus, Palatii Præpositus (quod vulgo dicitur Major-domûs) habebat filium adolescentem; vocabulo Bobonem, quem ipse ac conjux ejus unicè ac singulariter, ut pote cari parentes, diligebant. Quodam itaque tempore morbo medullitùs ingruente, cœpit isdem puer vesano ægrotare languore, pro quo parentes nimis solliciti, erant positi in angustiâ gravi; dehinc invalescente paulatim ægritudine, cœpit jam puer vehementer angi, & morte jamjamque imminente cum vivendi spes penitùs auferretur, nimis anxii parentes pro filio ad sanctum confugiunt Eligium, confidentesque de miraculis tanti Antistitis, puerum illicò devovent ei supplices, atque pro muneris gratiâ pueri nonnulla offerunt ornamenta balteumque ejus speciosissimum protinùs cum devotione sepulcro infigunt: quo facto confestim sine morâ intercedente Confessore ægritudo abscessit, & ad præsens convalescens puer sanitatem illicò recepit, ac deinceps incolumis mansit.

Cap. LVI De viro perjuro cujus viscera diffusa fuêre.

Solet etenim pertinax cervicositas populorum, ut aliqua sibi objecta crimina sacramentis expiari contendat: unde factum est, ut vir quidam facinore quodam admisso, cum arctiùs ob id perurgeretur, fallaci audaciâ præventus ad sepulcrum beati Eligii id se jurando spondet idoneum reddere. Cumque illuc adductus malè sibi conscius juramentum explesset, confestim justissimè divinâ ultione percussus, crepuit illicò venter ejus, & diffusa mox in terram viscera ejus; sic miserabilis ille ad terrorem multorum indignam vitam dignâ morte finivit.

Cap. LVII De interitu viri qui agrû Basilicæ invasit.

Quis verò possit & illud silentio præterire, quòd vir quidam agrum in loco nuncupato Calvomonte, ad Basilicam Sancti Eligii pertinentem, rapaci invadens cupiditate, divinâ sit interemptus ultione. Hic namque cum malo ordine prædictum prædium suæ niteretur ditioni vendicare, ei obsistebat vehementer Sparvus Abbas ejusdem Ecclesiæ; qui cum diù ab eo incursaretur, tandem causâ in Palatio Regis perlatâ, accepit à Principe judicium, ut si posset in sancto loco terram conjurare, ad partem utique Ecclesiæ vendicaret; sed ille maluit ut idem pertinax vir, qui eam invadere quærebat, jurejurando asseveraret suam. Et cum judicatum esset ut præfatus vir cum plurimis secundùm Francorum legem sacramentum persolveret & hoc ipsum indulgens Abbas: Novi, inquit, quòd malè eam invaserit, idcircò rogo ut cunctis juratoribus indultis ipse singularis, si Deo placet, jurando eam vendicet. Cumque hæc dixisset, placuit verbum istud cunctis Optimatibus Regis, & decreverunt omnes ita fieri. Post hæc ergo pergentes ad Ecclesiam beati Eligii, & ingressi ad locum sepulcri, præstolabantur omnes eventum rei. Tunc memoratus vir leve reputans negotium, cum importunâ audaciâ posuisset juraturus manum super sanctum locum, in medio ferè sacramenti verbo contremiscens, vehementer toto corpore declinavit retrorsùm super cervices caput, & mox divaricatis dentibus, reverberatisque oculis, cadente; ut dictum est, deorsùm capite, magnoque ex ore fumo procedente, hunc solùm proferre potuit sermonem: Abba, inquit, Sparve, recipe terram tuam. Hoc ergo modo divinitùs percussus, atque illicò in terram prostratus, mortem quam non timuit fortuitu præventus miser incurrit. Ex quo facto omnes ingenti metu perculsi, potentiam illic, sicut & ubique præsentem fatebantur adesse Christi.

Cap. LVIII. Item de alio perjurante mortuo.

Sed & de alio nihilominùs auditu solo comperimus, quòd cum ibidem perjurasset, atque demùm ad domum suam veluti victor rediret, priusquàm domûs suæ vestibulum introisset, in viâ mortuum fuisse: ex quo nimirum postmodum tantus pavor crevit in populo, ut nullus jam hodie etiam pro justissimâ causâ introrsùs ad sepulcrum persolvere audeat juramentum; sed quicumque habet sacramentum donare, foris ad circulum januæ idipsum cum magno tremore persolvit.

Cap. LIX. De homine rabioso sanato.

Sed neque illud silendum est, quòd inter plurimos languidos, qui illic undique confluunt, quidam vir afflatus pessimo dæmone adductus Noviomo ab urbe Ambianense. Hic nempe maligno sæviente spiritu infestissimam rabiem patiens, non catenam, non compedes, non claustra ostiorum integra patiebatur; cujus videlicet ferocitatem nullus sufferre poterat; nam & aliorum nasos, aliorum aures si contingere quivisset, mordicùs amputabat; egestiones etiam ruderum, necnon & canuam si comprehendisset avidissimè edebat: unde & jugiter nexibus miser ponderosis adstrictus sub custodiâ habebatur. Hunc ergo cum diù parentes ad memoriam sancti Eligii desiderarent perducere, non eis occurrebat ingenium, qualiter id facere possent, quoniam si cum catenâ permitterent, in ipsos utique qui eundem ducerent irruens, malè eosdem laniaret. Tandem igitur ingenio reperto, aptaverunt ex fustibus quoddam tolocium, eâ scilicet ratione ut si ad præcedentem se mittere tentaret, posterior eum retrorsùm attraheret; è contra si posteriorem appeteret, prior nihilominùs retrahens teneret. Cumque hujusmodi argumento catenis & tolociis oneratus à viris septem in diversis nitentibus quasi ferocissimus taurus ad Ecclesiam esset perductus, protinùs ad sepulcrum sancti Eligii est delatus; ubi vix stabilitus, demùm non post longum spatium Confessore orante, & Christi gratiâ largiente, meruit recipere sanitatem; quo etiam in loco valde jam devotus, Clericus postmodum factus, multo tempore deservivit.

Cap. LX. De muliere à pustulâ sanatâ.

Modolenus quidam Centenarius, oppidi Noviomagensis colonus, habebat uxorem bonam, honestam valde atque devotam, quæ quodam tempore dum quietam ageret vitam, nefandâ pustulâ nequiter est percussa, quo tabo increscente jacebat tumida toto corpore, & paulatim plagâ adolescente, sola jam sepultura maritum reddebat sollicitum. Uno itaque mane cum Abbas Basilicæ beati Eligii tenderet ad orationem, obvius ei factus flens & ejulans mulieris maritus, mortem conjugis suæ indicat, sepulturamque ei in Basilicam suppliciter postulat. Cumque ab eo utrum veraciter esset mortua interrogaretur: Unum, inquit, constat utrum sit factum an mox futurum, cum jam muta & toto

corpore decumbat præmortua. Tunc ille festinè valde ad Confessoris sepulcrum contendit, & sumens ex eo qui ibi funditur olei liquore, ad domum funeris citò accedit; dicebat enim hoc sibi in nocturnâ visione à sancto Eligio præceptum fuisse, ut allato olei liquore sanaret ab incommodo mulierem. Ingressus ergo domum, vidit corpus inter lamenta affinium jacere tumidum & gelidum, & ociùs accedens confidenter ex visione Sancti, perunxit oleo quod detulerat corpus, & ait: Hæc mandat sanctus Eligius, ut in virtute nominis Christi exurgas modò sana ab hac peste. Et confestim oleo sancto viscera ejus penetrante, cœpit palpebras oculorum commovere, ac veluti ex gratissimo somno evigilans suspirare: deinde mirâ celeritate detumescente corpore, nec ullo tumore remanente in cute, facie etiam decoratâ rubore, surrexit de lectulo, benedicens & glorificans Creatorem, qui se revocasset à morte. Sana ergo ex hoc effecta, cœpit eos compellere illic eo die cibum sumere, nec aliter destitit, neque permisit eos domum suam exire, nisi prandio apposito ipsa eis circà frequens & misceret & ministraret.

CAP. LXI. De interitu filii qui patrem criminabatur.

Post hos autem dies fuerat quoddam furtum in rure Noviomagense admissum: cumque persona admissi facinoris quæreretur, juvenis quidam per indicium eidem culpæ conscius compellabatur. Habebat autem idem juvenis eo tempore cum genitore suo quamdam contentionem, ob quam videlicet & insidias ei moliebatur intentare: tum ergo occasione repertâ, & satis accusare y repellens à se hujuscemodi opinionem, cœpit eadem super patrem velle deflectere. Ducuntur igitur in hujusmodi jurgium uterque in publicum, & conglobatis undique multis sistuntur in examine Episcopi & Comitis, ubi multa vicissim altercantes, satagebat filius magnopere in patre calumniam reflectere, è contra pater, ut res erat, innoxium se hujus facinoris esse defendebat; atque in hunc modum contendebant coram Duce atque Episcopo. Tunc itaque vidimus impleri quod Dominus in Evangelio olim prædixit: *Exurgent*, inquit, *filii in parentes, & odio eos afficient*. Quidam ergo circumstantium partibus filii favebant, alii verò rectius quid promulgantes, non esse rectum credi filium super patrem judicabant. Cumque diù hujuscemodi altercatio inter eos verteretur, nec facilè aut temerè à quoquam definiretur, tandem Episcopus cum Duce accepto consilio, cum nullatenus possent rei veritatem cognoscere, judicio eos committunt beatissimo Confessori: Quia, inquiunt, nescimus cui ex his potiùs credi decernamus, tibi, sancte Eligi, cum Dei sententiâ hoc supplices judicium committimus. Tunc statuentes utrumque coram Sancti sepulcro, exspectabant per sacramentum Dei fore judicium: & ecce repente dum juramentum cœpisset promere, arreptus juvenis à dæmone collisus in terram est graviter, sicque se vehementer decerpens volutabatur miser, tremens, & spumans atque pallescens. Ex quo facto cuncti adstantes attoniti, nimioque timore perterriti, Dei omnipotentis magnificabant judicium fieri. Sic ergo in publicum facinus manifestè prolatum ab Ecclesiâ est discessum. Post hæc autem acerrimè diuque juvene castigato, condolentes multi pro eodem misero conveniunt patrem, ut pro eo simul facerent orationem, & ita prostrati omnes Ecclesiæ Ministri beatum Confessorem rogabant innixè, ut quemadmodum eos audierat ad judicandum, sic iterum exaudiret ad miserandum. Cumque diutissimè in prece persisterent, tandem miserante gratiâ Christi effugatâ maligni infestatione, juvenis restitutus est sanitati.

Matt. 10.

CAP. LXII. De leproso mundato.

Erat præterea quidam leprosus ex longo jam tempore toto corpore tabidus, qui addiscens de multimodis beati Eligii miraculis, petiit se ex fide deduci ad ejus Basilicam; ubi cum delatus fuisset, exspectabat fore in se ex alto misericordiam. Cumque die unâ decumberet in terram omnibus penè dissolutis membris, vidit subitò à parte sepulcri quemdam splendoris radium micare, atque in sua tabida & gelida membra mirum in modum resplendere, & protinus pavore magno perculsus cœpit repente calefieri, atque ubertim sudare; deinde cum totum corpus infunderetur ex humore manante, confestim cum ipso sudore veluti quis ovum z depellit, exiens cuncta putredo lepræ nitidam ac mundissimam reliquit corporis cutem: & continuò exurgens qui fuerat æger, ita sanus atque illæsus ab Ecclesiâ processit, ut nec vestigium quidem cicatricum in eo remaneret.

CAP. LXIII. De claudo sanato.

Alius nihilominùs vir claudus effectus per plurimum tempus arcebatur omnimodis gressu, repens bacterio corpore curvo; quique & ipse audiens eximia quæ gererentur à sancto viro miracula, adhibito itineris adminiculo delatus est ad ejus Basilicam. Cumque tunc temporis instaret dies beati Eligii Natalis, deportatus ille ad sepulcrum cœpit flagitare remedium: & ecce superveniente nocte cum decumberet in pavimento æger, adveniens illicò Sanctus atque ad claudum inclinatus, cœpit ejus extendere artus, quo nimirum fortiùs poplitem extrahente, nervosque complicatos propagante, prorumpens in voce claudus omnibus qui aderant incussit terrorem; quo diutiùs vociferante, cucurrerunt custodes ad eumdem, multum ab eo sciscitantes quid sibi velint hujusmodi voces. Tunc ille interrumpens verba, manuque porrectâ surgens citò à pavimento cœpit ambulare libero gressu, collaudans & benedicens sanitatis suæ auctorem Dominum Christum.

CAP. LXIV. De fure in Basilicâ comprehenso.

Quâdam itaque die, vergente jam ad vesperam sole, cum Clerici consuetas explessent preces vespertinas, contigit ingruente negligentiâ ut omnes egrederentur Basilicâ, cunctisque in diversa occupatis, nullus ad horam ex Custodibus superesset introrsùm; cum subitò vir quidam conscientiâ saucius, cupiditate accensus, captato ut fur amico vesaniæ suæ secreto, velociter accurrit ad sepulcrum, & impellente nefandâ cupiditate sollicitè huc illucque circumspiciens, cum nullum adesse cerneret, non timuit miser ex pendentiis aureis, quæ illic pro ornatu sepulcri innumeræ dependebant, quædam clanculè præsumere: sed cum unam ex catenis aureis, in qua dependere videbatur id quod rapere volebat, violenter ad se tractam rupisset, tantus mox ad trahentis impulsum sonitus prosilivit, ut Custodes longè foris positi, sonitu ad se perlato magnum quemdam frigorem in Ecclesia crederent exortum, unde & confestim veloci cursu ad Ecclesiam properantes, inveniunt furem in ipso Basilicæ limine cum direptis divinitùs detineri, nec usquam prorsùs gradum posse movere. Quem protinùs circumvallantes, ipsum sonitum ad se delatum, vel quid illic ageret percunctantur; tunc verò miser furata in medium proferens, confiteri compulsus est se eisdem ablatis silenter voluisse aufugere, sed nullatenùs potuisse extrà limitem Basilicæ pedem proferre. Sic ergo furtum cum pudore restituens, ve-

y *satis accusare*] Legendum, *satis accuratè*.

z *quis ovum*] Acherius hoc loco monet forte legendum esse *qui sevum*; sed id cujusmodi sit, non intelligo, nec dubium mihi est quin optima sit codicum lectio; sic enim ait scriptor lepram abiecisse ab ægri corpore, ut ovi album ab eo separari solet quod flavum est.

niamque facinoris sui toto corde deposcens, & ex loco moveri potuit; & ab eisdem misericorditer dimissus, liber discessit.

Cap. LXV. Vir beatus cuidam nimis anxio, & auxilium à se poscenti apparuit.

Quodam verò tempore vir quidam sæcularis ex nobili genere, culpâ vel parvâ interveniente infensum omnimodo habebat Principem, pro quo nimirum ulciscendo offendiculo ducitur Principis jussu exequutus in Palatium; ubi dum sententia mortis ejus definiretur, traditur interim servandus Amalberto viro Illustri, Comiti scilicet Noviomagensi: cumque aliquot dies sub ejus custodiâ degeret, cœpit unâ die inter frequentiam famulorum vulgato sermone percipere, quòd die crastinâ prolatam adversùm se sententiam capitalem exciperet. At ille hæc audiens cum nimium formidaret mori, nec ullum jam perfugium speraret evadendi, unum solummodo sibi credidit suffragari, si permitteretur noctem eamdem apud sanctum Eligium pervigil ducere. Cumque rogasset & impetrasset, ardenter nimis accurrens ad mausoleum Confessoris, totam penè noctem in lacrymis & gemitibus duxit, sibi ut eum oportebat patrocinari in crastinum sanctum Antistitem innixè supplicans; & factum est postquàm matutinos hymnos ex more persolvit Clerus, nimiùm vir præfatus ex mœrore defessus subitò obdormivit innixus, & ecce repente sanctus ei adstitit Eligius, modestissimoque aspectu blandè eum recreans consolari cœpit, pollicens quòd crastinâ die ipse esset cum Principe, & isdem pro eâdem culpâ nullatenùs poneret vitam, sed magis indulgentiâ à Principe acceptâ, illicò absque pœnâ esset regressurus ad propria. Factumque ita, & posterâ die accitus prædictus vir in aulam à Principe, sicut prædixerat vir Sanctus, liber ab eo dimissus, ovans ad propria est reversus.

Cap. LXVI. De Monacho à pustulâ sanato.

Operæ-pretium est, ut non solùm eas quæ ad sacratissimum corpus ejus efficiuntur virtutes, sed & eas quoque quæ per Reliquias ejus procul aut propè ubicumque delatæ fuerint, declarantur, huic Operi vel pauca pro multis intexere. Itaque quæ narro in meo nuper gesta sunt Monasterio. Frater quidam ex Monachis nostris ulcere pessimo, quod vulgo pustula dicitur, percussus in faciem pessimè laborabat. Erat autem in eodem Monasterio Oratorium quoddam in quo Reliquiæ beati Eligii depositæ erant. Cum ergo prædictus Frater in lecto æger decumberet, & medicus coquendi ulceris congruum ferri opificium præpararet, formidolosè valde id Frater ferens, rogat mox relinquere igniti illius ferri operationem, & confidens de meritis Confessoris, rogat sibi deferri ex eo oleo quod medendi gratiâ ante pignora præfati Antistitis dependebat: quo mox allato faciem sibi & pustulam turgentemque perunxit cervicem; &, ô mira virtus! post illius liquoris infusionem ita cancer ille absque ullâ foci appositione radicitùs exsiccatus, atque extemplo deletus est, ut nec vestigium quidem cicatricum illius in faciem Monachi relinqueret. Adjiciam & illud quod solummodo auditu cognovi.

Cap. LXVII. De miraculo Reliquiarum Turonis ostenso.

Cum adhuc beatus Eligius sub sæculari habitu Turonis in urbe sancti Martini tumbam fabricaret, habebat hospitium in cujusdam matronæ domo foris muros in vico; quæ nimirum fœmina inspiciens sanctum virum jugiter eximiis operibus intentum, eo quod promptus esset in omni opere bono, frequens in oratione, necnon & largissimus in pauperum consolatione, verè ut erat, Dei famulum credidit: & die quâdam cum unus ex ministris ejus eum juxtà morem tonderet, illa linteum quod capillos decidentes exceperat rapiens, quæque ex capillis & barbâ colligere potuit linteo obvoluta in arcam sibi reposuit. Transierunt demùm plurimi anni, ita ut penitùs jam in oblivionem hæc eadem fœmina duceret. Post obitum verò sancti Eligii cum prædicta fœmina noctibus intrà secreta silentia quietè se ageret, audiebat plerumque in suo cubiculo dulci modulamine celebrari psallentium; & cum curiosè ad hoc intenderet, portentum conspiciebat per quædam foramina radiantia nimis micare luminaria: cumque crebrò eadem cerneret fieri, nimio pavore perterrita, non audiebat jam nocte in diversorio suo manere; nullatenùs tamen recordari poterat de hoc quod aliquando ex fide condiderat. Evocato interea Agerico Basilicæ sancti Martini Abbate, causam ei per ordinem exponit, deflens se non posse securam noctibus quiescere in domo suâ. Accedens autem prædictus Abbas ad domum in quâ fiebat portentum, cœpit inquirere à fœminâ, utrum ne aliquandò ibidem servorum Dei manserit quispiam; anne etiam ei oblatum esset aliquid à viris sanctis pro munere vel eulogiis: utrum vel ipsa non rapuerit aliquando aliquid minus ex Sanctorum pignoribus. Tunc verò illa veluti per somnum, ut pote ex longinquitate temporum, sancti Eligii capillorum reminiscens, pectusque illicò pugnis sæpiùs cædens, rei ordinem exponit, qualiter videlicet aliquando ibidem capillorum beati viri decisiones ex fide condiderat. Statim ergo perscrutantes loculum, repererunt easdem Reliquias veluti aromaticis unguentis odoriferas, ut ipsas quoque collegerat illibatas. Tunc nempe liquidò claruit, & meritum Antistitis quantum esset, & sæpe dictæ matronæ fides quantum Deo placuerit, ut post tot annorum curricula in eodem loco ex jussione divinâ ostenderentur miranda prodigia. Audivi enim quòd postmodùm in eodem domicilio elegans oraculum fuerit à Fidelibus constructum: simillimum quoque & Noviomo gestum est nuper miraculum.

Caput LXVIII. Simillimum Noviomo signum præmonstratum.

Anus itaque quædam in Monasterio, quod sanctus vir construxit Noviomo, quodam tempore decisiones similiter ex capillis ejus collegerat, atque panno obvolvens suprà suum discubitum in machinile collocaverat: sed postquàm vir beatus migravit de mundo, crebrò cum cœcæ noctis tenebræ cuncta operirent caligine, micabat ex eodem loco radius quidam splendoris, qui nonnunquam in domo illustrabat tenebras noctis; quod cum Sanctimoniales illic fœminæ plerumque fieri cernerent, convocantes prædictam sororem, studuerunt ab eâ percunctari quæ esset causa quod isdem splendor ab ejus lecto nocte micaret. Tunc illa pignorum sancti viri recordans, rem sicut gesta contabat, omnibus mirantibus exposuit: at illæ hæc audientes protinùs ad locum accedunt, easdemque Reliquias auferentes digno in loco mox condunt, glorificantes & laudantes Deum, qui est fidelis in verbis suis, & tantam gloriam præstat Sanctis suis.

Cap. LXIX. De Monacho per amphibalum sanato.

Sed neque illud silendum puto quod in Monasterio quodam Turonici ruris Fratri cuidam contigit remedium. Itaque quidam illic Monachus honorabilis inter suos, mihique familiariter notus, ingruente morbo sua in viscera gravissimè per dies plurimos laborabat, cumque nullatenùs invalescere recuperareque posset salutem, inspiratus tandem Dei miseratione, amphibalum sancti Eligii, quod illic cum magnâ reverentiâ servabatur, super se imposuit; quo nimirum ex fide amictus, & aniles artus cunctaque membra sævo languore defessa baculo regente sustentans, communionem Christi recepit; & postquàm hæc egit, ita sanus atque incolumis est redditus, ut plùs demùm convaluerit quàm fuerat ante vegetatus.

Cap. LXX. Item de alio à tertiano typo sanato.

Alius etiam Frater in Monasterio meo infuso corpori tabo à tertia notypo gravissimè vexabatur: qui cum

cum per dies multos morbo invalescente nimiùm attereretur, cunctaque ejus membra valitudo tremula quatiendo penè dissolveret, unus ex Diaconibus Monasterii habens apud se reconditum quoddam linteum, quod beatus Eligius aliquando habuerat in corporis usum, exploratâ tremoris illius horâ detulit, eumque super pectus ægri imposuit; quod postquàm tertiò fecit, satagens nimium æger cœpit sudare atque rubere, vehementi etiam singultu pectus quatiente omnem continuò abundantiam fellis evomuit, sicque demùm Christi gratiâ miserante convalescens, pristinam sanitatem recepit.

Cap. LXXI. Clericus quidam Sancti pignora venditans incendio circumvallatur.

Illud etiam magnopere adjiciendum putavi quod vir quidam, haud procul à confinio Remensis urbis habitans, desiderio religiosæ mentis concepit, ut Basilicam in honore sancti Eligii in prædio suo ædificaret: quam cum consummasset, pignoribus sacris ejusdem Confessoris decorari cupiens, ad municipium Noviomagense perrexit; quo cum pervenisset, Reliquias poposcit, exposcitasque impetravit: sed cum ab oppido properare vellet, conveniens quidam Clericus stimulis cupiditatis agitatus; cœpit eum violenter detinere, dicens non se permittere eum gratis cum Reliquiis exire, nisi sibi aliquod pro eisdem munus præberet. Tunc præfatus vir ut ex manibus ejus citiùs evaderet, munusculum quoddam quod ad præsens apud se habere potuit, non sine mœrore ei tribuit. At ille avidissimè oblata præripiens, sine aliquâ tarditate intrà gremium sibi abscondit. Nec mora, & immisso divinitùs igne cœpit subitò pectus cum vestimentis ejus vasto incendio conflagrare, ita ut protinùs compelleretur immensis vocibus clamare, dicens: Parce sancte Eligi, quia ego miser nunquam jam deinceps tale quid agere præsumam. Mox autem circumstantes properè ei vestimenta fumigantia auferunt, munusque acceptum viatori restituunt; ipsum etiam pœnitentem multaque deflentem ad Confessoris tumbam reducunt; ubi oleo delibutus, vix tandem sedato incendio à tormento est liberatus. Hoc autem idcircò evenisse non ambigo, ut per hæc faciliùs obtundatur, imòque confundatur rapacitas, cupiditasque similium, eorum dumtaxat qui non verentur importunè pecuniâ acceptâ Sanctorum pignora venumdare. Cesset ergo, quæso, jam hoc in omni loco contagium, ne contingat ea facientibus simile incurrere incendium.

Cap. LXXII. De cæco & claudo sanatis.

Adjiciam quoque & illud quod viro devoto Fredegisilo Presbytero narrante cognovi. Quidam enim, ut aiebat, Monachus Noviomo veniens Reliquias beati Eligii secum detulit, quas nimirum ut decebat cum magnâ reverentiâ Basilicæ indidit, atque post aliquot dies duo viri, unus cœcus, alter verò claudus, fideliter illic excubantes, solo Sancti interventu sanati sunt: nimirum cœcus lumen, claudus gressum recipiens: post adeptam medelam regressus est uterque ad loca propria. In aliâ nihilominùs Basilicâ quæ ad ejus honorificentiam in regione Aquitanicâ miro elegantique opere fuerat ædificata, similiter vir quidam pede claudicans medendi gratiâ advenerat: qui cum ex oleo quod ante venerandum altare consuevit ardere fuisset perunctus, nervorum vinculis resolutis & ipse sanatus est.

Caput LXXIII. De Levita sanato.

Inter hæc autem nec illud prætereundum est, quod quidam Diaconus propter vulnus pessimum in ore, in extremitate scilicet dentium, susceptum, graviter per dies plurimos laborabat; in tantum denique ulcus illud invaluerat, atque ita fauces ejus vehementia tumoris obstruxerat, ut per septimanam continuam neque panem edere, neque ullum cibum sumere prævaleret. Hic namque cum nullum prorsùs remedii genus adipisci posset, ad Sancti se patrocinia Eligii convertit, & adiens Basilicam, quam eo in loco veneranda ejus illustrabant pignora, præmissâ oratione cœpit ex fimbriis chrismalis quo tegebantur Reliquiæ fauces suas & guttur turgidum perfricare: post quam nimirum palpationem erumpens vulnus ex ore, omnem putrem saniem illius funditùs rejecit, atque ita digesto extemplò vulnere, sanus demùm Diaconus omni permansit in corpore.

Caput LXXIV. De Monacho a dolore pedis sanato.

Itemque Frater quidam ex Monachis beati Eligii, quodam tempore podagrico in pede humore percussus decumbebat in lecto, tumidus in tantum, ut nullatenùs sufferret pedem suum in terram ponere. Is namque post tandem confidens de meritis Confessoris, melotem beati Eligii, quam pro magno munere apud se servabat, devotissimè sibi imposuit, atque ex ejus orâ pedem tumidum & immobilem mulcendo utique contigit; post cujus videlicet attactum detumescente pede gressum pristinum recepit, & ita demùm à prædicto podagrico humore illæsus permansit, ac si nunquam antea expertus fuisset. Jam verò in calce Libri dignum putavi adjiciendum illud, quod ad ejus lectum declaratum fuit miraculum.

Cap. LXXV. De miraculis ad lectû ejus ostensis.

Cum vir beatus in Compendio villâ regali frequentiùs esset solitus adventare, providerat sibi hospitium ultrà fluvium Hisare in cujusdam viri domicilio vocabulo Waldoleni; quo videlicet in loco eundo plerumque vel redeundo, consueverat divertere ad manendum. Postquàm ergo migravit de mundo, prædictus hospes ejus minimè reverescens Pontificis stratum, destruxit per incuriam lectulum, parvipendens tanti viri discubitum, spondam etiam lectuli, quam sæpiùs triverant manus Sancti, suppedaneum limites [a] fecit, seque cum conjuge in eodem loco quo vir beatus pausaverat, sine ullo cunctamine collocavit: & ecce ipsâ nocte vehementi febre correptus, cœpit protinùs tædiare, tremere, sudare, ac pallescere; pedes quoque qui lectuli calcaverant spondam, cœperunt fortuitu condolere, nimioque fervoris ardore aggravari, ita ut à gressu penitùs compelleretur arceri. Cumque hujusmodi artuum torqueretur cruciatibus, visum est conjugi ejus in visu, ut amoveret se uterque quantociùs ab illo discubitu, spondam etiam, quam negligenter projecerant, in loco pristino restaurarent, atque omne stratum sicut fuerat, diligenti curâ componerent: sed illâ negligenter visionem obliviscente, vir ejus atrociùs cruciatur dolore; & sequenti nocte etiam ipse admonetur, quòd nisi se citò à lecto submoveret, severiùs jam ex hoc corriperetur. Tunc ille post transactam visionem moderatâ in se quantulumcumque febre, surrexit ut valuit festinus, & spondam lectuli illicò recollegit, quam diligenter lotam in eo loco unde exierat, restauravit, lectumque ut priùs fuerat, circumquaque composuit; sicque se deinceps à discubitu illo removens, prioris facti cum multâ satisfactione pœnitentiam gessit, atque ita demùm sanitatem recipere meruit. Deinde jam hoc miraculo latiùs crebrescente, undique cœperunt adventantes eo in loco munuscula inferre: cœperunt etiam illic virtutes crebriùs declarari, populique conventus frequens ibidem fieri: quod factum magnâ cum admiratione cernens homo, relictâ protinùs domo, in alio se juxtà contulit tabernaculo, suumque diversorium hospitium perpetuum in ævo

a *limites*] Forte *liminis*, ait Acherius; mihi & locus mendosus videtur, & emendatio satis placet.

concessit Eligio. Et ecce jam domo viri dirutâ, Basilicâ ibi constructâ, lecto mirificè exornato, condignum in æternum possidet Eligius hospitium: quem videlicet locum CLEMENS Pontifex Belvacensis sub suo habet regimine, & multa ibidem jugiter exercentur miracula, ex quibus nunc duo tantummodo brevitatis studio perproperè commemorabo.

CAPUT LXXVI. De correctione Regis Lotharii, & dolore ab eo sublato.

Die igitur quâdam duo Reges germani, LOTHARIUS scilicet & THEODORICUS, egressi penès Palatium gratiâ illic orationis divertunt; ubi oratione factâ, cum redirent ad Regiam, prævenientes eos quidam Optimatum, dabant salubre consilium ut aliquid eleemosynæ ob Sancti venerationem eidem loco tribuerent; sed Rex senior in promptu contemnens neglexit hoc verbum, junior verò majore foris prægresso, solidos illic posuit cum voto ex radianti metallo: deinde ab eo loco uterque properans cum ingressus fuisset Palatium, cœpit subitò idem Rex Lotharius infusâ corpori febre vehementer angi, & conglobato undique omni corporis ardore ac simul repente in capite defluente, cœpit ardentissimo dolore dentium illicò cruciari. Cumque noctem illam in maximis transegisset angustiis, facto mane negligentiam recordans hesternæ diei, ad præsidium sancti confugit Eligii, & ubi pridie fratre largiente sua, nihil obtulerat sponte, ibi jam coactus tamen ut mereretur medelam multos ex publicâ monetâ misit solidos per creditam personam; & protinus cum donum illic eleemosynæ illatum esset, confestim ab eo discedens dolor, sine ullâ morâ sanitatem recepit.

CAPUT LXXVII. Puella perjurans defungitur.

Sub eisdem fermè diebus puella quædam desponsata, instigante per carnis fragilitatem diabolo, à quodam mœcho fuerat fœdè corrupta, quam ejusdem sponsus causatus utcumque suspectamve addiscens, cœpit ab eâ extorquere, ut se per juramentum ab hac suspicione idoneam redderet; at illa ut pote adultera nihil trepidans, securam se istud sacramentum posse transire gestiebat. Constituit ergo eidem ejus sponsus, ut ad lectum beati Eligii hanc fidem sola persolveret; quod illa audiens facile id sibi fieri præsumit. Cumque illic uterque adventasset, illa proterva & insolens sine ullo metu ad Sancti lectum accurrens, cœpit absque terrore id quod exigebatur jurare; sed mox ut manum lecto imposuit, illicò tabescente corpore deorsùm ruens, quasi defectis pedibus in terram corruit: quam cum vellent circumstantes erigere, tremens illa & spumans inter manus eorum decidit, atque ita demùm lugubriter exspiravit: quod ejus pavidus cernens sponsus, consternatus, & ipse potentiam Christi & judicium Sancti magnificavit: & sic deinde ad domum propriam non sine metu discessit.

CAPUT LXXVIII. De miraculis similiter ad alium ejus lectum ostenso.

Multæ & aliæ ibidem, jubente Domino, ejus meritis operantur virtutes, inter quas etiam & cecindillus exundante ubertim oleo superfunditur, ex quo sancto liquore multi illic peruncti à diversis sanantur incommodis, & benedicitur ibi nomen Domini Salvatoris. Hæc omnia quidem in Compendio geruntur; sed & aliud nihilominùs ejus lectum, quod situm est in Monasterii sui prædio, loco nuncupante Victuriaco, virtutes similiter declarantur, & diversæ sanitates efficiuntur: quæ omnia ex ordine onerosum ducimus verbis prosequi, & idcircò ea his paucissimis syllabis complexi sumus, quia magnoperè jam à loquutione cessare festinamus.

CAPUT LXXIX. De multimodis miraculorum signis, quæ quotidie ad ejus ostenduntur memoriam.

Succurrunt hoc loco adhuc beati viri nonnulla miracula, & diversis quidem in locis, sed præcipuè ad ejus sacratissimum corpus declarata, quæ si sigillatim ut gesta constant, nunc enodare conati fuerimus, & modum voluminis excedimus, & pro ipsâ forsitan prolixitate fastidium legentibus irrogamus. Id circò ergo ea quæ hactenùs prosequuti sumus, ut pote sufficienter, contenti simus, pro illis verò quæ nos minùs enarravimùs, palam omnibus fidem præstant cernentibus illa multimoda compeditorum vincula, quæ hodie ad ejus tumbam in argumento rerum monstrantur appensa; ex quibus nos nimirum in hoc opere aut penè pauca, aut certè nulla commemoravimus, pro eo dumtaxat quòd in præsentiâ omnium exposita, sicut nos totum, ita & omnes nosse non ambigimu. Plurimæ namque catenæ, ut cunctis liquet disruptæ ac compedes illic monstrantur dissipati, cippi etiam fracti, & claudorum bacterii in argumento ostenduntur, Dæmonum verò expulsio, & cœcorum illuminatio, solo sanguinis indicio declarantur in pavimento: & hæc quidem tam multa infrà paucum tempus constant gesta; illa verò quæ deinceps per prolixa temporum spatia sunt gerenda, quanta fiant & qualia quis modo æstimatione comprehendat, cum nusquam à Præsulis tumbâ hodieque cessent fieri gesta? Nam ut in multis assolet, declarata jam miracula nunquam operari desistit, sed quotidie undique ægri veniunt, & ibi excubantes sanantur, ferro vincti confugiunt & solvuntur, claudi carrucis advecti consolidatis ibi gressibus ad propria revertuntur; perjuri veniunt, & aut moriuntur, aut dæmonio vexantur; dæmoniaci veniunt & liberantur, cœci veniunt & illuminantur; multæ etiam sanitates ex eo qui illic crescit, olei liquore perficiuntur, ita ut quacumque quis teneatur infirmitate, & cum ex eo perunctus fuerit, statim fugiente tabo incolumitatem pristinam, præstante Domino, recipere possit.

CAPUT LXXX. Apologeticum.

Sed quia largiente Domino digessimus utcumque opus optatum, nunc lectorem quæsumus, ut vilitatem nostri sermonis non usquequaque despiciat, quia & fortassis potuit eloquentiùs oratio promi, sed studiosè valdè ita stylum correximus, ut rem potiùs quàm verba legentibus commendaremus; & maximè hoc opus cothurno tumentis eloquii nullatenùs inflari debuit, quod de tanti Antistitis humilitate manavit; meque devotum potiùs quàm audacem fuisse præsens pagina ostendat, quia non præsumptione virium sarcinam tantæ molis arripui, cum scirem indignum esse tam luculentæ rei exiguum pusillumque fieri auctorem. Sed cum sim debitor decem millium talentorum, vel exiguum donum à quo accepi reddere festinavi, culpam scilicet silentii metuens incurrere, si agnita miracula ut piger servus tacendo occulerem, atque idipsum parvi fomitis nutrimentum quod in me potuit doni cœlestis olei reperiri nefas esse putavi, muti tenacitate silentii præterire; ne unius talenti traditam quantitatem dum studerem cautiùs custodire, culpâ defossæ pecuniæ non carerem. Idcircò ergo optimum fore putavi, ut ipsam talenti exiguitatem, quam ab Omnipotente accepi, in laude Sancti, ad gloriam Omnipotentis expenderem; utque id quod ab eodem indignus accepi, eidem subjectus impenderem. Quamvis etenim hunc beatum virum consultius mihi fuerit mirari, quàm loqui, tamen ardore dilectionis actus, plus in illo quid velim, quàm in me quid possim consideravi: unde nunc, quæso, nemo de vobis deroget quod laudem nominis ejus crebriùs ingeminaverim, cum scriptum sit: *Laudemus viros gloriosos*: & cum has easdem laudes flagrans amoris magnitudo exigeret, quia reverâ nec est jactantiæ deputandum, sed gratiæ quidquid non virtuti hominis adscribitur, sed de Dei munere prædicatur: Dei est, inquam, Dei omne quod per ejus famulos geritur, quoniam ex illo vitæ fonte trahitur quidquid impræsentiarum hauritur.

Porrò ne Lectorem styli latioris copiâ fatigarem, compendium facere volui, ut subnexis [b] capitulis quod nosse quis velit, mox sine tarditate inveniret: necnon & illud utile ac salubre prospexi consilium, ut quæque testimonia vir sanctus divinæ lectionis prædicans memorabat, quæque etiam equidem meminisse potui, velut pretiosas adjiciens gemmas, opus patratum solidarem atque exornarem. His itaque singulis ita dispositis hunc Librum contrà omnes æmulos tuæ, Christe, defensioni commendo, tibique devotionis meæ supplex dicta committo: tibi etiam inter hæc & per hæc omnia mea lingua pio ut valet affectu reddit præconium, qui contulisti præsidium, quo posset patrare opus optatum. Tibi ergo laus, tibi gloria, tibi honor, Creatori, & Recreatori hominum JESU CHRISTO Domino nostro, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas Deus per infinita sæcula sæculorum, Amen.


EPISTOLA AUDOENI AD ROBERTUM.

DOMINO sancto, & à nobis in charitatis vinculo jugiter amplectendo, RODOBERTO Papæ, DADO salutem. Vitam beati Eligii, quam nuper, Frater Carissime, descripsimus, per præsentem latorem strenuitati, argutiæque vestræ concertandam direximus. Quæsumus ergo ut sepositis paululum curis exterioribus, studium illic adhibeas quantociùs, & si quid forte aut meâ, aut Notariorum incuriâ in verbis, vel syllabis incompositum, aut minùs aptum deprehenderis, juxtà prudentiam tibi collatam studiosè emendes; nobisque demùm emendata restaures. Vale in Domino, & noli, Frater, differre quod quæso.

EPISTOLA RODOBERTI AD EUMDEM AUDOENUM.

DOMINO verè sancto, culmine Apostolico sublimato, mihique modis omnibus venerabiliter præferendo, Domino & Patri DADONI Papæ, RODOBERTUS peccator. Decreveram quidem gratificæ jussioni vestræ, Venerabilis Pater, obtemperare, nisi imperitiæ meæ prudentia vestra in dictandi studio tantopere obviasset. Totum itaque volumen, quo vita sancti continetur Eligii, à summis ad ima usque solerti, ut jusseras, curâ quidem percurrens, nihil omninò quod adjicere, emendareque deberem usquam potui reperire, sed magis potiùs quod admirarer, venerarer, præferrem & prædicarem. Et, ut verè fatear, pinxisse mihi illic videris sanctitatis tuæ, imòque beatissimi Antistitis ELIGII, integerrimam formam, ita ut nihil prorsùs defuerit ex cunctis Sancti virtutibus, quod non potentatu verborum per singula investigaveris, ventilaveris, celsoq; in sublime faro sustuleris. Unde equidem animo jam meo ex ejus ubertate refoto, exemplari etiam integerrimi voluminis Fratribus mihique confecto, totumque demùm volumen illibatum Sanctitati vestræ remissum. Orationum vestrarum supplex quæso suffragium Domne semper DADO.





SERMO S. THEODORI STUDITÆ DE S. BARTHOLOMÆO APOSTOLO.

Interprete Anastasio Bibliothecario.

Epistola ejusdem.

Sancto ac venerabili Aioni Antistiti Beneventino ANASTASIUS *sanctæ Sedis Apostolicæ Bibliothecarius, in Domino salutem.* Fervens sanctimonia tua circà Bartholomæum Apostolum multi amoris affectu me nuper hortata est, ut quia jam ejus penes se celebris habebatur memoria, si quid in laude ipsius saltem Græcè inveniretur, quod vel Latinè, vel Græcè sit interpretatum, sibi misissem. Verùm quamvis in laude ipsius multa inveniantur, quæ vel Latinè, vel Græcè descripta sunt, unus tamen sermo nuper editus est, qui utrum Latinè reperiatur nullo hactenùs declaratur indicio. Hunc ergo interpretari, & Paternitati tuæ destinare decrevi. Si autem quæris quis tanti Sermonis habeatur Expositor; libenter aperiam. Theodorus videlicet quidam Sacerdos apud Constantinopolitanam urbem temporibus fuit Adriani, & Leonis Romanorum Pontificum, vir valde mirabilis, qui non solùm fidei constantiâ, verùm etiam scientiæ gratiâ, & signorum polleret virtutibus; duorum Imperalium, insigniumque Cœnobiorum, Studii scilicet & Saccudiorum, constitutus est Abbas. Qui semper in Apostolicæ sedis communione persistens, hæreticorum nænias, & Imperatorum vesaniam fidei constantiâ, etiam tormentis affectus, mentis virtute repressit; necnon & sancti Spiritûs gratiâ plenus Opuscula nonnulla composuit, inter quæ & sermonem hunc de B. Bartholomæo satis utilem, obscuris dictionibus (quem interpretari tibi voluisti) Græco edidit famine, qui Græco vocabulo Ἐγκώμιον dicitur, quod Latinè præconium, sive laus exprimitur. Qui ad Latinitatis notitiam fideliter translatus, ut scrupulum omnem de nutantium pectoribus auferat, & improbas invidorum ac detrahentium linguas comprimat, atque ignorantiam instruat insciorum, consequenter legendus est. Et reverâ, quia Salomon ait: *Memoria justorum cum laudibus*: scio quosdam non scientes utriusque idiomata linguæ interpretationi meæ derogaturos, & me ea passurum quæ quondam ille cœlestis Bibliothecæ cultor à suis æmulis pertulit. Verùm quisquis ille fuit, ejus salubribus monitis eruditus non se ad detrahendum velut improbus ingerat, sed ad corrigendum quasi probus accedat; nec post dorsum fratris carnes invidentiæ dente decerpat, sed palam, si potest, quod à vero discrepat, affectu charitatis emendet. Non enim majorem gratiam consequutum invideo; sed grates auctori rependo, qui etsi non per me, per quoscumque tamen Latinos de die in diem donis replet, quibus se Græci ditatos esse magnopere gloriarentur. Tu tamen, obsecro, si hæc translatio parva placet, eam legendam Ecclesiæ trade, & pro me Deo hanc legenti saltem semel Kyrie eleison dicere jube. Salve Præsul ama-

b *ut subnexis*] Igitur quæ post præfationem leguntur capitula, S. Audoënus in calce ediderat: sed in re levissimi momenti prioris editionis ordinem mutare noluimus; hoc gravius est, quod scriptor subdit collecta à se in fine fuisse testimonia sacrarum scripturarum quæ Eligius inter docendum adhiberet; hæc enim satis constat eadem esse quæ nunc exstant cap. 15. libri 2. adeo ut nemini dubium esse queat, quin hæc Vita multis in locis interpolata sit.

te Deo, sine margine, salve & memor esto fratris tui Anastasii.

PRÆFATIUNCULA.

Beati BARTHOLOMÆI *Apostoli venerabile omniumque laudum solemni attollendum corpus praconio; qualiter de Armeniâ Indorum provinciâ post decessum Polimii Regis, atque Pontificis, aliquantis elabentibus annis per iniquorum atque infidelium perfidiam, imò divinæ dispensationis nutum, Lippareos mirabiliter sit evectum in Insulam, unde hodierna solemnitas celebratur, cujusdam Theodori Reverendissimi Sacerdotis veridica est relatione reseratum: habet enim sic hujusmodi narratio illius.*

SERMO S. THEODORI.

MAXIMUS quidem labor, &, ut addam, gloria est sanctorum laudes contexere, virtutes prædicare; sed majori devotione Martyr quisque debet attoli, in cujus beatificatione omnis sermo non sufficit. At verò & Apostolum irreprehensibiliter collaudare, quantæ, putas, esse poterit etiam insignium magistrorum industriæ, scilicet quem spiritus ad contemplationem laudibus & modulatis vocibus extulit? Cujus enim sonus in omnem terram exivit, ut verborum virtute fines ordinaret orbis, oportet utique ut & laus ejus ex æquo intelligatur, & fideliter proferatur: & ad hæc quis tam idoneus, quis sufficiens, quis robustus? Numquidnam quia nec Petrus, nec Joannes est divinus Bartholomæus, idcircò paucioribus est sermonibus prædicandus, & quasi non sit multi præconii, minùs aliquid efferendus? Apostolum Christi audis ex toto, & non pertimescis eum qui misit illum? Testem veritatis sensu capis, & non miraris eum qui est dignè canendus? Quin & si multorum unus erat, nulli tamen famulorum Dei minori laude comparandus: an quia est divini duodenarii numeri medius? Est enim & hic duodenarii in senario medietas, sicut in citharæ harmoniâ similis, æquum & ab utrâque parte sonum divinæ sermocinationis similem dans. At verò si volueris ut in Apostolico ordine, sicut in annuali circulo uniuscujuscumque mensis, ex æquo utilis omnimodis conferatur numerus, & propriâ alter alterius quantitate & qualitate suam habeat differentiam, non planè nobis is qui laudatur exiguus, sed & nimis sublimis virtute spiritûs apparebit, habens quid in ipsâ supputatione mysticum Dei verborum typum secundùm arithmeticam artem. Solus enim senarius numerus à primâ monade perfectus partibus suis complens ex his ipsis medietatem quidem suam quæ est tria, tertiam verò partem suam perficiens ex duobus, sextam autem ex monade consummans. In quò verò numero hic Apostolus si secundùm Evangelicum dinumeraverimus catalogum sextus reperitur. Porrò & si secundùm Actuum Apostolorum catalogum numeravimus, septimum ponemus Bartholomæum, eritque ipse iterum principium & vertex secundæ hexados? Ita ut hinc possimus argumentari eum ad Petrum habere comparationem, dum ex primâ quidem hexade principium reputatur in Petro, ex secundâ verò, quia summitas est eorum qui post ipsum sunt, dinumeratur, principium taxatur in Bartholomæo. Nota, dilectissime, Petrus docet nationes; sed & Bartholomæus consequenter paria investigat. Petri speciosi pedes bona Evangelizantis, sed & Bartholomæi æquè jocundi sublimia de Deo loquentis. Petrus operatur prodigia magna, sed & Bartholomæus facit miracula valida. Petrus deorsum capite crucifigitur, sed è diverso Bartholomæus pœnas pro Christo sustinens, postquàm vivens excoriatus est, capite plectitur. Quotquot igitur Petrus agit, totidem operatur & Bartholomæus. Ad quot valet Petrus mysteria capessenda, ad tot Bartholomæus sufficit penetranda, æqualiter exsequitur divini verbi rationem, æqualiter fundat Ecclesiam, æquâ lance habuit & cætera divina charismata.

(S. Bartholomæus comparatur B. Petro.)

Veni ergo placatus, esto ferax verbi, ô Beate, resera linguam meam mutam, da mihi materiam præconia tuæ magnitudinis enarrandi, non ut ipse proficias aliquid, habens intrinsecùs beatitudinum plenitudinem, sed ut quoquomodo declaretur amor circà te divinitùs prædestinatus, ut & ego paupertimus puer tuus paternis orationibus fruar in laude celebritatis tuæ. Non enim poterit sine participatione illuminationis permanere, qui ad splendorem radii solis accesserit, vel pupillas erexerit.

Alius igitur Apostolorum hîc, alius verò alibi percepit partem orbis in prædicatione cognitionis Dei, & omnes universitatem sibi dispertientes, prædicatores Regis Regum Christi constituti sunt: *Constitues* enim *eos principes super omnem terram*, scriptura pronuntiavit. Ei autem qui nunc celebri famâ laudatur sors & portio Armeniæ locus, qui est ab Evilath usque Gabaoth, & in multis gentibus & civitatibus est distributus. Iste ergo cum mitteretur mysticè verbum Dei annuntiare, hæc divinitùs audivit à Domino: Vade Discipule ad prædicandum, exi ad pugnam, capax esto periculorum: consule figmento meo, cujus misertus homo factus sum, & pro quo mortis dedecus elegi. Ego paternum opus consummavi; primus veritatis testis factus sum; vos quod necessarium est implete, & quæ post verba prædicationis meæ mundo desunt, ad similitudinem meam supplete. Imitare Magistrum tuum, æmulare Dominum tuum, æquâ passione sanguinem pro me pone, & carnem cruciatibus trade, patere quæque sustinui pro te passus. Ostende in teipso manifestas actiones characteris mei. Arma tibi sint benignitas in sudoribus, mansuetudo inter maledicos, patientia in his qui te peremerint. Ut ovis in medio luporum efficere, virtutibus armatus ad bella acuere. Non resultavit Apostolus; non dixit, quomodo lupos nancisci poterit agnus, unus decem millia? quomodo præcipiet peregrinus primis civium, exul ducibus, Regibus is qui unam possidet tunicam: sed ut famulus fidelis Dominico acquiescens præcepto, pergit gaudens, nihil deferens secum, nisi tantùm Christi pretiosum nomê pro omni armaturâ.

(*Psal.* 44. 17. — In Armeniâ prædicat Evangelium. — Bartholomæum alloquitur Christus.)

Itaque aggrediens verbo prædicationis provinciam sorte perceptam, quanta illic gesserit, quanta subiens pertulerit, sequens sermo depinget; quorum quidem sunt quædam secundùm traditionem antiquæ relationis acta, quædam verò secundùm rationem Evangelicarum doctrinarum gesta consistunt. Si enim lux mundi est juxtà quod veritas Discipulis, ait: *Vos estis lux mundi*; profectò ea quæ lucis sunt operatus est in his qui in tenebris & umbrâ mortis sedebant. Et si sal terræ est, manifestum est quia gentes irrationabiles veritatis ratione saliens emundavit. Et si operarius evangelicè nominatus est, consequenter & agriculturam spiritualem perfecit; quod enim à magistrâ veritate cômuniter omnibus dicitur, & per singulas personas rationabiliter accipiendum est. Itaque vide eum secundùm allegoriam aliquando quidem non terram arare bobus trahentibus ferrum, sed linguæ aratro rationabilia rura sulcantem, jugo videlicet comtemplationis & actionis, nec seminantem aliquid defluentium & corruptibilium, sed fidei verbum in profundum cordis recondentem: aliquando verò plantantem paradisos & vineas Do-

mini, illos scilicet qui jam receptione verbi ad meliora incrementum fecerunt, & ab ineunte ætate per singula tempora fructus multiplices ediderunt: aliquando autem medicinaliter exhibita singulis passionum remedia conferentem.

Verùm eumdem nosse velis cœcos oculos illuminantem, leprosos mundantem, febres expellentem, claudis vadere, surdis audire præbentem, atque reliquorum languorum multimodas expellendo species, duplici sanitate naturæ propriæ languidos restituentem, & certè pastoralem morem suscipientem, & semitas, Deo perficiente, deducentem, revocantem, pugnantem, propellentem bestias hæreseos, dæmonumque phalanges: imperfecta rigare manu, educare crescentes in ætate Christi, spinas intelligibiles evellere, vel sylvas impactas secare, sepes dogmaticas circumponere, & quidquid eorum deesse constiterit quæ opportunè sunt sequenda, facilè prævidere. Ipse autem ædificator & Architectus ædificii ac fabricationis non manufactæ, Templorum videlicet Domini, quæ per spiritum & veritatem construuntur, ac perficiuntur in populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Intuere mecum, ô homo, civitates & habitacula, quæ olim populus seductus infidelitate possedit, nequiter turrim ponens, in Dei cognitione, & adversariorum insidias facilè dimissas, campos florentes, vineas condensitate pullulantes, hortos odorem dantes, ægrotantes omni langore, & omni infirmitate sanitati pristinæ reformatos; quæ talia sunt, ut ita quis dicat, prima spolia & exuviæ. Tanti agonis labores & in fame, & in siti, in frigore & nuditate, in contumeliis & opprobriis, in carceribus & vinculis, in persequutionibus & adductionibus de loco in locum, de civitate in civitatem, de theatro in theatrum; in tormentis & verberibus; & ad extremum in occisione & gladio. Propter quæ namque oportuerat eos remunerare bonis Magistrum, Salvatorem & Medicum: pro his operantur atrocia, conviciantur, detrahunt, perecellunt, torquent, rodunt. Quid non discentes? quid non agentes? quid non excogitantes? quid non adinvenientes eorum quæ ad acriorem afflictionem, & tribulationis augmentum proficere crediderunt? Papæ, crudelitatem! O feralem insaniam! quales mercedes Creatori obtulerunt, qui visum, qui auditum receperant, pro honore inhonorantiam, pro benedictione maledictionem, pro requiescibili vita amarissimam mortem.

Albaniæ cute extracta crudele supplicium, passus est.

Legitur etiam in gestis ejus antiquioribus & emendatioribus, quòd Lycaoniæ verbum vitæ prædicavit. Dehinc Indiæ evangelizans, ad ultimum in Armenia majori, quæ ejusdem est provinciæ, in Albano ipsius Armeniæ urbe postquam multa & intolerabilia tormenta subiit, decoriatus ab impiis in modum follis, capite plexus est; sicque demum à fidelibus ibidem sepultus. Qui videlicet gloriosus fidelium patronus etiam post obitum apparuit magnus Dei prædicator. Non enim vel postquam migravit ex hoc mundo neglexit occisores; sed ut pastor bonus quantum temporis erat, invitabat miraculis perditos, & prodigiis admittebat aversos. Sed bestialem mentem, & inhumanum cor nil erat quod compesceret, nil quod retraheret usquequo in profunda malorum deciderent. Quid ergo de cætero faciunt? Insaniunt contra sacrum illud corpus; furunt contra diversas jugiter præstantem sanitates sacri corporis arcam. Respuunt remedium ægroti; orbi manum ducentem, cœci lucis datorem, naufragi gubernatorem, morte affecti vivificatorem. Et hoc quomodo? projiciunt in pelagus ipsam, quâ sacrum tegebatur corpus, lapideam arcam, ut in profundum penitus demersa ulterius non compareret tanquam eis tantus Apostolus nulla præstiterit beneficia. Invidorum etenim vitium hujusmodi est, ut voluntaria perditione sua nec aliarum fieri salutem patiantur. Sed is qui per David longè ante clamavit: *In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis; & vestigia tua non cognoscentur*: Et hic tumidum mare meabile & pervium lapideæ arcæ præbuit. Et Petrus magnus clamante ad eum Christo in mari ambulasse dignoscitur. Quod & divinus Bartholomæus similiter arcæ corpus suum gestanti gradiens contra fluctus exhibuit. O miraculum divinum! ô opus magnificum! Mota est enim impetu ipsa arca de regione Armeniæ, cum quatuor aliorum Martyrum arcis, quæ similiter dum signa operarentur cum ea in mare fuerant projectæ & per tantum spatium maris quatuor his ambulantibus & præcedentibus, & obsequium Apostolo quadammodo facientibus, venerunt in ulteriores partes Siciliæ in Insulam, quæ vocatur Lypparis, facta revelatione ad sanctissimum Agathonem qui illic erat Episcopus Hostensis. Quis audivit tantum prodigium? quis didicit tam magnificum opus? O miraculum in miraculo! Lypparis autem, id est, pinguis, quodammodo Insula Lypparis ferens ipsa sibi pinguedinis futuræ nomen. Ipsa forsitan hæc ineffabilibus vocibus clamabat: Veni ad me pauperculam thesaure ditissime sancti Spiritus. Veni ad me, quæ sum inhonorabilis, pretiosissima margarita. Veni ad me supplicem, qui à perfidis abjectus es iniquissimè; inhabita me, & multipliciter inhabitabor. Salva me, & populosa ero: nomine fungar & ubique personabo. Si alii te magnum cœli luminare contempserunt, & repulerunt, sed ego splendorem tuum desidero hactenus tristis & mœsta. Si alii mensa vivorum eloquiorum tuorum potiti sunt, sed ego reliquiarum tuarum ut catellus micas colligere gestio.

Psal. 76. 20.

Projectum in mare corpus ad Lipparam Insulam appulit.

Quatuor Martyribus una cum S. Bartholomæo Sicilia fuit ditata.

Post hæc quasi quosdam ministros suos, alium Martyrum hic, alium verò illic relinquens Apostolus retrorsum, Papinum quidem dimisit in Civitate Siciliæ quæ dicitur Mylas; Lucianum verò destinavit Mesinam; reliquos autem duos in Calabritidem terram direxit: Gregorium quidem in civitatem quæ dicitur Columna; Acatium autem in civitatem quæ vocatur Cale, quatinus unusquisque eorum in unaquaque civitate protector esset habitatorum, qui etiam usque hodie splendent suffragiis suis. Ipse præterea velut quis Rex domus propriæ requie potitus, profectus est ad civitatem ad quam cœlitus vocabatur, susceptus præclarè cum multis luminaribus, odoribus, atque hymnis; cunctis etiam, qui illic aderant, ei obviam in exultatione procedentibus.

De cætero dum perventum esset ad urbem, non progrediebatur arca; quidam enim summopere trahebant; illa autem erat immobilis. Et cùm esset populus in multa dementatione, resumsit tandem gaudium tristitia, quia obtinuit quod petierat à Domino: *prope est enim Dominus invocantibus eum.* Super duas itaque vitulas castas assumpta, reposita ubi sacrum ejus Templum protinus est locatum; facto etiam cum consummatione miraculo præcipuo. Denique cùm mons, qui Vulcanus vocatur, penè contiguus esset Insulæ, nocivus erat his qui circumquaque morabantur. Tunc recessu invisibili motus est quasi stadiis septem circa mare suspensus, ita ut usque hodie appareat videntibus quasi figuratio tractus fugientis ignis. Porrò quot & quanta deinceps mirabiliter operatus sit, aut mira faciens operetur hactenus circa eos qui à diversis langoribus & infirmitatibus obstricti ad ipsum fide confugiunt, nec necessarium est dicere ob prolixitatem tractatus, nec incredibile audienti, cùm pignus ex uno habeat ali-

Psal. 144. 18.


orum exhibitiones mirè gestorum. Sed ave, ô Beate Beatorum, terque quaterque Beate Bartholomæe. Ave qui es Dei amator & imitator, boni scilicet Magistri. Ave qui es divinæ lucis, splendor sanctæ Ecclesiæ: Ave qui es bene sonans organum spiritualis melodiæ: Ave artificiose rhetor veræ sapientiæ. Ave qui es peritæ capturæ piscator rationabilium piscium: Ave qui es multi chori, & dulcis fructus palmes, Christi vividæ & paternæ culturæ vitis: Ave digne meritis famule Domini universorum: Ave merito desiderabilis amice cœlestis sponsi: Ave qui es sapientiæ fluentis & multiplicis potationis ac lumen spiritualis paradisi: Ave qui es divina virtute vulnerator Diaboli, mundum suo latrocinio vulnerantis: Ave qui multipliciter appares mundo Lucifer Dei cognitionis. Gaudeas divinitùs illustrata & ignea columna Orthodoxiæ: Gaudeas sol orbis terræ, qui cuncta illuminas: Gaudeas os Dei sapientiæ linguam habens ignitam: Gaudeas jugiter emanans fons sanitatum: Gaudeas Dæmonum terribilis insequutor: Gaudeas qui es multipliciter optabilis formositas Armeniæ. Gaudeas qui ab oriente ad occidentem per mare ambulasti gloriosè: Gaudeas qui es Lyppareos salutabilis, & multimodis adorabilis gloriatio: Gaudeas qui mare sanctificasti meabilibus gressibus: Gaudeas qui terram purpuream fecisti rubore sanctissimi sanguinis tui: Gaudeas qui aërem suavitatis odoribus replesti sacris spiraminibus divinorum eloquiorum tuorum: Gaudeas qui ad cœlos commeasti, & medius in choro divinæ aciei tuæ refulges in gloriæ inaccessibilis splendore, in exultationis insatiabili jocunditate. Illinc nos, benignissime, intuearis; Illinc benedicas te beatificantes; Illinc glorifices te glorificantes; Illinc concordes orbem terræ pacatum. Sacerdotes justitiâ in sanctitate induantur; Reges bonis operibus in Orthodoxia contra Barbaros armentur; Monasticam vitam tenentes conversationem æqualem Angelorum ac sine dolo custodiant; Viri mulieribus, & rursum mulieres viris competentem legem conservent; patres cum filiis, prælatos cum subditis, dominos cum servis, mutuum dantes cum debitoribus, venundantes cum emptoribus; cæteraque omnia benevolentiæ tuæ effectu ad utilitatem Reipublicæ protege, & cuncta quæ secundum beneplacitum Dei dirigi debent, patrocinio tuo defende; & præcipuè alumnos decoratæ Lyppareos, Pastorem quoque ac gregem qui construxit sacrum Templum tuum, & eum qui te, licet breviter, ex se laudare præsumit in Christo Jesu Domino nostro, quem decet omnis gloria, honor & adoratio, cum omnipotente Patre, ac sanctissimo & vivifico Spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.

Hæc de Bartholomæi laudibus, ejusque mirabiliter advecto in Lypparim corpore Theodorus fama sanctitatis ac sacerdotii dignitate conspicuus, fido relatu explicuit. Quâ verò deinceps occasione, quove sit ordine de eadem Insula Lypparitana transvectum, cùm ibidem usque ad annum octingentesimum octavum ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi requiesceret corpus ejusdem Beati Apostoli de reliquo dicendum est.

Supervenientes itaque Sarraceni deprædati sunt & depopulaverunt prædictam Insulam, & rumpentes sepulcrum Apostoli dispertierunt ossa ejus per diversa. Mox illis discedentibus per visionem apparens iisdem Apostolus Dei cuidam Græco Monacho qui fuerat Ecclesiæ ipsius custos, ait illi: Surge, collige ossa mea quæ dispersa sunt. Cui ille respondit: Quare ossa tua colligere, aut aliquem tibi honorem impendere debeamus, cum tu permiseris nos & populum istum à Paganis deleri, & nobis nequaquam auxiliatus es? At ille dixit: Per longa annorum curricula pro hoc populo Dominum deprecatus sum, ac meis cum precibus unde nunc usque securi constiterunt, concessit omnipotens Deus; sed quia multiplicata sunt mala illius, crevitque iniquitas nimis, non jam obtinere prò eo valui, ut ampliùs salvus persisteret, idcircò periit. Tu surge tantùm & collige, ut dixi, ossa mea, eaque ut tibi præcepero diligenter reconde. Cui ille Monachus ait: Et quomodo ea invenire potero, qui nescio ubi dispersa sunt? Dicit ei Apostolus. Nocte vade ad colligendum ea, & quæ videris resplendere ut ignem, hæc leva, quia verè ipsa sunt ossa mea. Qui statim surgens perrexit ad locum, & invenit sicut Apostolus dixerat, & collegit ea indubitanter, & recondita in loculo diligenter abscondit, & abiit relicto ibi socio suo. Cumque pro exquirendis Sarracenis illuc Longobardorum irent navigia, nutu Dei inventum ibi Monachum & sancti Apostoli corpus tulerunt, & abierunt. Supervenientes autem Sarraceni circumdederunt navim illam in qua sanctum Apostoli corpus ducebatur, ita ut spes evadendi nequaquam esset. Tunc subito factæ sunt densissimæ tenebræ ante Sarracenorum naves, ita ut nescirent quò pergerent. Sicque liberata est navis illa. Quibus adhuc in mare commeantibus, unum ex nautis ejusdem navis à gravi valetudine obtentu ipsius Apostoli divina salvavit clementia. Exeuntes autem ad terram ingenti cum honore Beneventum duxerunt sanctum corpus Apostoli, atque in altario recondiderunt, Anno ab Incarnatione Domini octingentesimo nono, vigesimo quinto videlicet die mensis Octobris. Cujus prior quidem ex Indorum parte transvectio in Lypparitanam Insulam celebratur dicimatertia die mensis Junii: dormitionis verò ejus festiva celebritas colitur, ut præmissum est, Nono Kalendas Septembris; sicque ter in anno sacratissima dignè celebratur solemnitas ad laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Quomodo è Lyppara intutra translatum sit corpus B. Bartholomæi Beneventum. An. 809.

809.



HISTORIA TRANSLATIONIS

Corporum SS. RAGNOBERTI & ZENONIS Auctore JOSEPH Sacerdote, ex Cancellario Regis Aquitanorum, Præceptore Regis LUDOVICI.

Incipit de Translatione corporum Beatorum RAGNOBERTI *&* ZENONIS, *& de virtutibus quas Dominus per illos ostendere dignatus est.*

CAPUT PRIMUM.

De ammonitione sive Translatione corporis.

Anno 846. Ex MS. codice S. Benigni Divionensis.

ANNO Incarnationis Domini nostri JESU-CHRISTI DCCCXLVI. Indictione verò X. anno VII. regnante KAROLO Rege, scilicet filio HLUDUICI Imperatoris, SERGIO Romanam Ecclesiam gubernante (Apostolatûs honorem sortitus est anno primo, quo sub tempore capta est Ecclesia beati Petri Principis Apostolorum) BALTFRIDO Venerabili Episcopo Baiocensium Ecclesiam regente, apparuit beatissimus Baiocensium Ecclesiæ RAGNOBERTUS Pontifex in visu cuidam venerabili viro HERVEO nomine, blandisque eum alloquitur sermonibus: Surge vir Dei, vade ad Baiocas civitatem, & ascende locum qui vocatur Montem Ecclesiæ, ubi quondam Episcoporum ipsius civitatis corpora sepeliebantur: invenies ibi basilicam in honore beati EXSUPERII primi ejusdem sedis Episcopi fuisse constructam; sed jam à suis penè ornatibus avulsam, ut nil decoris habeat, nec etiam ullum ibidem divinum persolvatur officium; sed quassa atque derelicta solitaria, vel ruinam sui casûs prætendens; in quâ beatorum Confessorum RAGNOBERTI Pontificis, atque ministri sui ZENONIS corpora incultè requiescunt sine ullius dignitatis aut honoris reverentiâ: ideoque præcipio in nomine Domini nostri JESU-CHRISTI, ut inde eis cum summæ religionis reverentiâ effossis, perducere eos asportando facias ad propria tui honoris loca, custosque eorum omni tempore fias, atque prævideas ad eorum humanda corpora loca suis nitoribus apta; ubi honorificè permanere valeant. Quo dicto mox evanuerunt. Qui consurgens, reductâ quam viderat visione ad memoriam, consternatus animo incredibilem exhorruit visum. Nam credidit phantasmaticâ illusione se delusum, & ob id nulli indicavit, sed per omnia oblivioni tradidit. Consideravit autem ponderibus multorum criminum se illatum [a], ac sæculi scilicet laïcalibus negotiis implicatum, visionibus nullo modo se credens cœlestibus perfrui, nec Sanctorum corpora de eorum sepulcris sublevare, neque audere ad propria loca asportare.

Peracto itaque quodam spatio temporis, secundâ vice adfuit isdem venerabilis vir jacenti Herveo super latus sinistrum; visum est ei soporem noctis, ut dextro in latere pugno idem Sanctus percuteret eum, increpans durè, quare prætermitteret prioris visionis jussionem, quam Dominus per servos suos ei dignatus fuerat ostendere: qui ob hoc febre correptus, trium mensium cruciamento vexatus est; quæ secundi ordinis visio VIII. Kal. Julii illi ostensa est, quam velut priorem penitùs ob suæ fragilitatis considerationem incredibiliter siluit.

CAPUT II.

De aspectu terribilium, & de vestimentis beati Ragnoberti, quæ in Translatione ejus illæsa apparuerunt.

APpropinquante autem Nativitatis Domini nostri JESU-CHRISTI celebritate, eâdem solemnissimâ nocte post pullorum cantum venerunt ad præfatum HERVEUM duo viri visibiliter, quorum unus vestibus videbatur indutus esse Episcopalibus: planta [b] autem desuper quâ utebatur croceo rutilabat aspectu, quâ etiam eum in sui Translatione corporis vidimus obvolutum, hodieque in sepulcro cum ipso corpore permanere firmamus. Erat enim isdem venerabilis aspectu terribilis, staturâ sublimis, compta capitis cæsarie canities resplendebat, rubicundâ quidem facie ac nimio candore suffusâ: qui ante eum adstans ipsum terribilibus verbis alloquitur dicens: Ego sum RAGNOBERTUS pariter cum ZENONE meo socio, & sumus jussu omnipotentis Dei missi, quos misit JESUS-CHRISTUS ad te tertiò, & ostendit per nos secretum misericordiæ suæ tibi: sed tu inobediens, suis jussionibus parere nullo modo voluisti, contumax etiam præceptorum suorum jussa implere renuisti: & quia hæc quæ tertiò tibi nuntiavimus parvi pendens, non oblivioni tantùm tradidisti, non attendens cœlitùs tibi secretorum arcana revelari; sed quia hæc intrà te penetrare noluisti, spernens legationis nostræ imperium, ecce complebitur super te quod Prophetæ Dominus voce loquitur, dicens: *Qui noluit benedictionem, elongabitur ab eo, & induit maledictionem sicut vestimentum, &c.* (Psal. 108, 18. & 17.) Scias autem te, quoniam ab isto die præceptorum jussa perficere conatus non fueris, propter quod inobediens tanti temporis spatio exstitisti, languore plurimo tempore consumi, ac tale tui corporis luere detrimentum, ut præter servum Dei Job nullus hominum ad vitalia rediens dona fuisset, quantas sui corporis persolvisset pœnas. Ac per hoc castigatus, ne ampliùs, tanti divini muneris persuasionibus perfunctus, sic incredibilia arbitreris donorum secreta. Id est, si etiam adhuc contumacissimo elationis animo differre tentaveris, ac Dei omnipotentis jussa implere recusaveris, sit tibi morbo mori elephantino, atque toto leprâ interibis corpore percusso: sanies autem ulcerum scaturiet per munitissimas usque ad exterminationem tui corporis metas, ut vix quilibet carorum sufferre pessimè putentis corporis valeat cicatrices, ac tali perfunctus funere, damnabili in inferno eris sopitus. Ut enim hæc mente pertractans utrùm agendi concedatur tibi potestas à Do-

a *illatum*] Lege, *illigatum*.

b *planta*] Acherius emendat, *planeta*.

mino, aut ut accepisti perficaciter perficere possis, quindecim dierum spatium tibi attribuitur.

Sanctus autem ZENON, qui cum beato aderat RAGNOBERTO Confessore, (obtectus vestibus præalbis Diaconi videbatur, quæ in Translatione sui corporis nusquam, sicut beati Ragnoberti vestes, comparuerunt [c]) his dictis ab aspectu viri discesserunt. Age nunc vir Dei, recordare, & illatam cœlitùs tibi visionem mente pertracta: & quia duo tibi oblata videntur, quæ potiùs sunt sanitatis tuæ remedia, exsequenda ne negligas statuere, quoniam judicio divino aut pœnas præsentis vitæ persolves, aut futuras æternaliter.

At subitò perterritus evigilans de stratu quo jacebat surrexit, & quæ viderat ratione mentis cum terrore penetravit, & ad Ecclesiam ad quam vespere venit ob Nativitatem Domini nostri JESU-CHRISTI celebrandam, convolavit: ac peracto in Dei laudibus festivæ noctis officio, etiam diurno, sacratissimi diei ministerium audiendo persolvit.

Itaque eodem Nativitatis Domini nostri JESU-CHRISTI, quâ die eamdem civitatem territus perrexit, cupiens præfato BALTFRIDO proprio urbis Episcopo patefacere nominata. Sed cum nullomodo eum ibidem reperisset, Lindis [d] quam celerrimè civitate rediit; ibique FRECULFO ipsius civitatis venerabili Episcopo invento per omnia quæ viderat indicavit. Præsul autem hæc audiens, ad hæc eum perficiendum corroborari studuit, dicens: Si enim quæ asseris vera tibi nuntiata videntur, age vir Dei quantociùs, ut perficias quod tibi annuente Domino injunctum est. Dominus enim qui tibi hæc jussit nuntiare, erit in comitatu tuo, ipsumque habebis fortissimum tui operis adjutorem, & diriget pacis suæ Angelum tecum, qui te custodiat, & per viam salutis gressus incedere faciat tuos, ut juxtà imperium Domini omnia satagere queas. Sin autem illusione deceptus quâdam, more somniantis, phantasiarum caperis, hoc nisus & hoc conatus fueris temerarius agere, procul dubio præsentis vitæ periculum animæ, rerumque tuarum incurres, atque pœnâ plecteris æternâ.

Præterea instructus religiosissimi Præsulis FRECULFI consilio Herveus, assumptis duobus secum venerabilibus Presbyteris, GUINEMARUM necnon HARDUINUM, festinè Baiocas civitatem, ubi Sanctorum requiescebant corpora, perrexit: tamen clam eamdem civitatem propter Brittonum devastationem, qui eodem tempore eamdem terram occupaverant, & multâ clade regionem deprimebant, aggressus est.

CAPUT III.

De introitu Ecclesiæ quando monumenta eorum translata sunt, & de nebulâ quæ in crastino per universam illam regionem fuit.

INtroivit autem ejusdem civitatis Ecclesiam, & accensis luminaribus Domini auxilium ibidem deprecabatur. Advesperascente siquidem die ut signum ad completorii sonuit officium, intravit cum Dei Sacerdotibus Ecclesiam, in quâ erant Sanctorum corpora Confessorum. Cœperunt fodere sepulcrum beati Confessoris RAGNOBERTI, & inde devotè cum divini muneris protectione, gaudio magno repleti collegerunt præfati venerabiles Sacerdotes ossa beati Ragnoberti Pontificis, elevantesque de sepulcro cum totâ devotionis reverentiâ, adstrinxerunt eum pallio, & novo in vase posuerunt. Post hæc ad ZENONIS ejus quondam discipuli diverterunt sepulcrum; quo manus injicientes, tulerunt eum de tumulo quo jacebat, & in alio vase concluserunt. Illucescente denique die Sanctorum corpora cum hymnis & laudibus divinis deportantes, civitatem exierunt. Fuit autem eo die circà omnem regionem tam densa aëris nebula, ut vix alterutrum conspicere possent; quod ad viæ subsidium Domino annuente plurimum profuit.

Eodem tempore BALTFRIDUS ipsius civitatis præerat Episcopus, qui crimine fuerat nefando apud gloriosum Regem KAROLUM accusatus, & obiit, [e] quia ad sanctam synodum ab eo congregatam convolaverat, defuit civitati, in Synodo ad* officium quo corruerat, quia ab eo suspensus fuerat, recepit, etiam & donis adornatus plurimis. Interea pergentes præfati viri cum Sanctorum corporibus, vespertinâ factâ divertunt ad quietem in Villam quæ vocatur Nogerolas; ibidem nocte illâ quiescentes in divinis officiis noctem pervigilem duxerunt.

CAPUT IV.

De cœcâ à nativitate quæ lumen recepit; & de lumine quod ante illos ferebatur inexstinguibili.

MAne autem facto levantes humeris suis Sanctorum corpora, iter quod Domino favente inchoaverant, carpere cœperunt. Venit in occursum eorum plurima jam turba populi, ac circumquaque religiosi Sacerdotes Dei: & dum secundo die pergerent jam cum multâ populi turbâ, accidit ut pervenirent in locum ubi quidam sceleratorum hominem eâdem nocte interemerant. Ac dum sepulturæ corpus ejus darent, ob eleemosynam suam cœpit Herveus denuntiare populo, ut ejus pro animâ Domini misericordiam implorarent.

Factum est ut veniret ibidem cœca quædam à nativitate suâ, nomine Bedenigga, & lumen quo semper caruerat accepit, ubi Domino miserante ante Sanctorum exequias sanitatem promeruit. Quod v. Idus Jan. actum est. Eorum enim lumina (etsi solerant illo tempore dies nimiis imbribus ac pluviis abundare) nunquam defuerunt, sed continuò inexstinguibilia permanserunt. Levantes autem Sanctorum corpora de loco quo substiterant paululum, ubi & cœca à nativitate lumen receperat, pervenerunt ad basilicam in honore beati VIGORII consecratam, quæ in proprio genitricis videlicet ipsius Hervei est constructa: ibidem deposuerunt Sanctorum corpora super aram in eâdem basilicâ fabricatam. Aurorâ siquidem diei surgente, dum Confessorum fama in regione percrebuit, venit quidam homo manum habens aridam, quæ nullo usui erat apta, quam etiam ad os suum nullo modo ducere poterat, & sanitati restituta est.

CAPUT V.

De fœminâ quæ quatriduanis febribus vexabatur, liberatâ, & de aliorum multis, & de doloris dentium sanitate multorum.

OCtavo denique die quædam fœmina, Savenildis nomine, ad sepulcra Sanctorum Confesso-

c *comparuerunt*] Vel legendum *computruerunt*, vel addenda vox, *putrefacta*.

d *Lindis*] Id est, *Lexovium*, ait Acherius.

e *& obiit*] Fœdè quidem corrupta est pluribus in locis hæc narratio, sed ut non omnes, ita quotquot poterimus maculas eluere animus est, ut hoc loco quod ita, ut exstat intelligi non potest, at certissimâ quadam ratione restitui potest, nempe si legatur, *& ob id, quia....* *in Synodo autem officium*, &c.

rum

rum quatriduanis febribus vexata convolavit, & mox sanitatis gratiam promeruit, & à suo quo tenebatur languore liberata est. Multi verò his correpti febribus ex vicinis circumquaque regionibus ad præfatorum corpora beatorum cum devotionis suæ votis convenere, & effectum petitionis suæ meruerunt. Diversis necnon infirmitatibus variisque corporum languoribus excruciati, vota sua deferentes advenêre, qui Domino propitiante ab omnibus in eodem loco curati redierunt.

Neque enim silendum puto quæ Dominus miracula per servos suos operare dignatus est. Nam hæc audientes & infirmi reformantur ad fidem, atque sani corroborantur ad potiora: dum enim acta studiosi viri Sanctorum litteris alligantur, ut in memoriâ per tempora habeantur, ad magnum suæ devotionis certamen provocant audientes: quorum dum Sanctorum conspiciunt bona actionis studia; ubi se in meliora extendere debeant agnoscunt. Considerant autem se quasi in quodam visionis suæ speculo, & quid deforme visum fuerit, cum Dei nutu expurgare contendunt. Videt enim inibi quisque qualiter debeat Christum imitari in variis sui corporis afflictionibus, & præsentia mundi despicere, atque ad æternam felicitatem quantociùs festinare. Cum enim tormenta persequutionis, verbera & nimia jejunia Sanctorum recitantur, bonæ voluntatis viri compunguntur, divino munere illustrati ad pugnæ agonem, ut eamdem quam consequuti sunt gratiam sancti Spiritûs per certamen laboris, consequantur & ipsi per devotionis obsequium: eoque fit ut imitando per diversa passionum tormenta eos, palmam quam victores adepti sunt, & ipsi qui eos devotè imitantur in æternâ felicitate regnaturi percipiant. Præmium enim supernæ remunerationis in perseverantibus fit: atque ideo perseverantes mercedem laboris prosequuntur. Benè enim exspectat promissionem Dei, qui mandatum ejus exequitur, cujus judicium de nostro examine pendet. Quod serimus, metimus; quod damus, accipimus: dum enim videmus mala mundi diù tolerasse Sanctos, eorumque exempla ad memoriam reducimus, fortiores ad toleranda passionum genera reddimur, quoniam eos præcessisse vidimus jam cum Domino triumphantes. Et si in hisdem infatigabiles angustiis pro nomine Domini nostri Jesu Christi steterimus, & ipsi gloriam perpetuitatis vitæ consequi merebimur. Multum enim Sanctorum exempla prosunt, maximè imitantibus ea. Plurima Sanctorum bona sunt communia multis, atque ideo ea delectantes liberiùs animum in laboribus, in vigiliis & orationibus & jejuniis sublevant, & ad melioris vitæ certamina totâ intentione perficienda coguntur. Si cui autem aliquod hujusmodi virus in penetralia irrepserit, mentis inescatis medullis, habet medicamenta castissima quo currendum festinè est, ut antequàm ad cicatricis putredinem perducatur, vulnus curetur sanctorum precibus & exemplis.

Nolentes siquidem attingere Sanctorum vestigia, per abrupta viarum gradientes duplici teruntur constrictione, ac in futuro duplici teruntur damnatione: quia bona quæ agere poterant non egerunt, & mala quæ agere non debuerant fecerunt: quapropter acta Sanctorum & etiam miracula eorum quæ Dominus noster Jesus Christus per eos operari dignatur, ad profectûs nostri usum sunt trahenda, & memoriæ commendanda, & semper meditanda; quoniam qualiter Deo placuerunt & servierunt ibi pleniter invenitur. Sed quoniam paululum digressi sumus, ad superiora revertamur exequenda: stilum enim quasi ad alia movimus scribenda: tamen inibi permansimus, quia de eis asserimus.

Præterea sub eodem tempore cœcus quidam Cinnomanicæ regionis erat nomine Hildegarius, qui per soporem noctis admonitus est ut pergeret ad Sanctorum corpora ob luminis sui receptionem. Qui mox manibus cujusdam famuli sustentatus, perductus ab eo venit ad eorum monumenta, ubi gratiâ Domini luminis officium quod diù perdiderat recepit, & pristinam sanitatem promeruit.

CAPUT VI.

De paralyticâ curatâ, & de Ecclesiæ constructione admonitio.

NEc illud prætereundum est, quod paralytica quædam nomine Gislildis, per annos quinque corporis dissolutione jacebat, nec ullum membrum ad sui vigoris officium vel obsequium habere poterat: quæ dum manibus famulatricis suæ allata deportaretur, ante Sanctorum corpora prostrata requievit, cui beatissimus Ragnobertus Pontifex & Zenon ejus socius apparuerunt in excessu mentis, & dixerunt ei: Surgens vade ad Herveum, & dic ei ut construat Ecclesiam in honore sancti Salvatoris in loco mundo & incontaminato; quoniam nullò modo vult Deus ut in hoc loco quiescamus & ibi sepeliamur.

Sic est semper consuetudo Sanctorum ut munditiam mentis & corporis quærentes, mundum Deum videre merentur. Proculdubio quisquis Deum videre contendit, munditiam mentis ac corporis nitorem quærere studeat, quia nullis ab aliis cernitur Deus, nisi mundis corde, sicut ipse dicit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, & alibi quidam: Matt. 5. 8.

Qui cupis esse bonus & vitam quæris honestam,
Dilige munditiam corporis atque animæ,
Munda domus mundum Dominum retinere valebit.
Nam talis semper hospitis hospes eris.

Si enim locus corpori mundus ad sepeliendum quæritur, quanto magis puritas cum munditiæ nitore tenenda est? Nihil enim proficit mundum luto corpus tenere vestibus præclaris, animam inferiùs suis sordibus delictorum fœdatam habere, sed nihil officit corpus exteriùs quibusdam cicatricum vulneribus obvolvi, interiùs mentem sanitatis in vigore tenere.

Præfata fœmina dum monita audivit, ad hæc verba respondit: Quæ sum ego, ut hæc dum nuntiavero credi valeamus? Nam nullo modo creditura sum. Cui beatus Confessor Ragnobertus respondit: Fac sicut tibi impero, & faciam in te credulitatis signum, per quod omninò dictis credent tuis. Surge, ait, in nomine Domini nostri Jesu-Christi, & sis ab hac quâ teneris soluta infirmitate; accipiat caro sanitatem suam, ut per hoc quæcumque dixeris fide adstruas. Verùm est adhuc aliud indicium rei veritatis ordinem pandens: nam ab hac præsenti die usque translationem corporis nostri, nullum Dominus Jesus-Christus per nos servos ostendere dignabitur miraculi signum, quamdiù in hac Ecclesia erimus ubi corpora defunctorum tumulata jacent, quorum spiritus in inferno cruciatur; nullo modo enim huc accedere possumus. Quid nobis in cœlesti Hierusalem, in patriâ vitæ cum Domino, cum his qui claustris infernalibus obserati torquentur? Fuimus autem in hac peregrinatione quâ currit justus pariter & injustus: licet enim conversatio Sanctorum in hac vitâ semper sit in cœlis ob exhibitionem operum bonorum, tamen corporum conditione æquali sociantur viâ; post quam recedentes de hac flebili captivitate, dividuntur altrinsecùs, quoniam justi pergunt ad fe-

licitatis patriam, ubi solius Dei visione fruuntur cum Angelicis choris, impii & peccatores ducuntur ad sæva tartarorum tormenta, ubi cum diabolo & angelis ejus cruciantur. Et hæc est summæ infelicitatis miseria, in hoc mundo pariter conversari, & vitâ hac pariter frui, sed non æqualiter vivere: pro quo nos huc advenire jam non possumus, cum nostra revisimus corpora; ideo eligatur nobis novus ad humandum locus, quo corpora nostra quiescant, ubi etiam Angelorum gloriosus fiat concursus, & vota placabilia ibidem offerantur, cotidianæ laudes Domino cum divinis die noctuque officiis, quo etiam concurrentes veniam peccaminum impetrare valeant, & variis sanari languoribus, ad quam supernâ illustratione clementi vultu & sereno respiciat sempiternè Dominus. His dictis nusquam comparuerunt. Illa autem statim de stratu quo jacebat sana consurgens, nuntiavit Herveo quæ viderat & audierat, & quæ imperata fuerant.

CAPUT VII.

De dedicatione Ecclesiæ, & de virtutibus quas Dominus ipso die per suos servos ostendit.

HÆc religiosus vir Herveus audiens, cœpit mente tractare, quo loco, & unde, quibusque ex sumptibus Ecclesiam in honore sancti Salvatoris fundaret. Reperit siquidem Domino annuente locum Deo dignissimum ob præclara Sanctorum merita: & propriis de sumptibus, non ut voluerat atque optaverat, tamen ut potuit Ecclesiam in honore Domini nostri JESU-CHRISTI fundavit, & exiguæ paupertatis inopiâ culminibus erexit, atque variis adornavit speciebus, ut potuit: sicque totum ad perfectum, Domino gubernante, perduxit opus. Jamque advenerat ejusdem Ecclesiæ dedicationis tempus, & beatorum corporum translationis festiva dies, in quâ aderant venerabiles præclari meritorum Præsules, id est ejusdem regionis FRECULFUS Lixogensis [f] Episcopus, necnon BALTFRIDUS Baiocensis civitatis Præsul, atque Abrincatensis Ecclesiæ ANSEGAUDUS Pontifex: qui vocati ab Herveo x. Kalend. Aprilis Suiacum villam advenere, pariterque convenientes ad divini muneris laudes celebrandas populorum turbas monuerunt, ac totius noctis vigilias congruis officiis solemniter consummarunt. Et aurorâ die surgentes induunt se vestes sanctas cum multitudine ipsius ordinis Sacerdotum, ad Sanctorum transferenda corpora, & locum mundissimum in quo eos ponerent præparaverunt, in quo totius ferè provinciæ aderat ferè frequentia populi, laudes debitas Deo persolventes, & omnis venerabilium Sacerdotum ordo ad eum festivissimum diem confluxerat. Cum quo etiam innumerabilem populum vulgus unius Dei laudes ac vota exultabili lætitiâ referentes, exultabant omni gaudio repleti, exspectantes diei festivam solemnitatem.

Jamque ipsius diei quasi hora tertia compleverat, præfati Præsules Ecclesiam beati Victoris [g], ubi corpora beatorum Confessorum erant, intraverunt. Levantes autem beatorum Confessorum corpora cum hymnis & divinis laudibus ad novè ædificatam domum deportaverunt, in quas tres Dei omnipotentis arcæ * erant constructæ, quarum in medio præparatus ad Sanctorum corpora sepelienda cernebatur locus; quorum unus ad dexterum parietem sepelitur, id est sanctus Ragnobertus Pontifex, alius ad sinistrum humo conditur, ubi usque hodie venerantur sanctam inhabitantes domum. Antequàm à præfatis Præsulibus deportarentur, per sanctificationis gratiam consecratur domus Dei interiùs & exteriùs. Etenim tria ibidem altaria trium Præsulum consecrationibus sanctificantur; quorum primum in honore Domini nostri JESU-CHRISTI venerabilis FRECULFUS Lixogensis Episcopus consecravit, medium BALTFRIDUS Antistes Baiocensis Ecclesiæ in honore sancti Ragnoberti & omnium Sanctorum cum Zenonis sanctificavit, quod ad capita Confessorum videbatur esse fundatum: tertium enim Pontifex Abrincatensis urbis ANSEGAUDUS in veneratione sanctæ Dei Genitricis MARIÆ & sancti Joannis Baptistæ benedixit.

His ita ritè ex more compositis, tumulantur beatorum corpora Confessorum; unumquemque in suis locis cum laudibus & divinis honoribus, Domino gubernante, condiderunt. Fit gaudium totius urbis, ac exultationis intonant voce laudes, & usque hodie perpes inenarrabilis ibidem permanet lætitia. Quantus Monachorum aderat ordo, Canonicorum quàm plurima turba! Videlicet ex vicinis regionibus ferè ibidem confluxerat omnis populi multitudo: & quousque sepulturæ traditi sunt, prosequuntur cum hymnis & laudibus, sive quantislbet spiritalibus exultationibus. Quid autem eodem die gaudii actum est, silendum nullomodo videtur. Pluvia enim omnem illius regionis terram occupaverat, ad instar fluviorum cuncta irrigaverat; sed in eodem loco quo populus ad celebrandam festivitatis diem convenerat, nihil omninò pluit, miro modo aliunde venientibus eis aquosus humor defecerat, ibidem verò diem festum agentes eos nihil roris attigerat. Sicque Dei Sacerdotes qui vestes sacerdotales induti convenerant ad corporum exequias beatorum cum omni populo, absque pluviarum imbribus, quousque sepulturæ commendati sunt, etiam gaudentes ad propria pergere cœperunt.

Præterea quæ omnipotens Deus eodem translationis Ecclesiæque dedicationis die per servorum suorum merita agere dignatus est, futuris temporibus ad multorum profectum memoriæ commendandum est. Muta quælibet, Hildeburgis nomine, à nativitate, loquuta est. Quia enim novæ translationis novæque consecrationis Ecclesiæ dies illuxerat, novo miraculorum signo diem illustrare voluit Dominus suo, ostendens plurima illis temporibus fieri signa. Aliud verò vidimus eodem die miraculum quod nec reticendum est. Quædam fœmina Bertinda nomine, dæmonio vexata ibi eâdem die liberata est. Præterea cœca quædam ad Sanctorum corpora loco ubi priùs ante translationem requieverant residens, misericordiæ Domini postulans dona, ipso festivitatis die illuminata est. His enim tribus Domini signis dies ista cernitur illustrata. Et quoniam tria intùs ædificata sunt altaria, trium miraculorum ibidem effecta sunt signa. Siquidem celebratur hæc festivitas solemnissima die VIII. Kalendas Aprilis.

CAPUT VIII.

De cœco à nativitate illuminato.

QUidam etiam cœcus, Hermenricus nomine, ab ipso matris utero, adveniens visum quo semper caruit recepit, & in pristinam meruit reformari sanitatem: sicque luminis sui receptâ claritate ad propria gaudenter remeavit.

f *Lixogensis*] Acherius emendat, *Lexoviensis.*
g *Victoris*] Suprà cap. 4. legitur *Victorii.* Haud ita multo post pro *arcæ*, restituendum *aræ.*

CAPUT IX.

De elatione Sacerdotis & crure fracto.

DUm autem repletus gaudio viam quâ venerat ad suam reverteretur Deo gratias referens; obviavit cuidam Sacerdoti equo sedenti nomine Gulfuido, isque dixit ei: Unde venis & quo vadis: Nonne tu ille es qui dudum amisso lumine cum ductore per plana viarum incedebas? Cui cœcus respondit: Ego sum qui nunquam aspectum cœli videre præter hodie merui, sed semper aliorum manibus ductus, vias per quas ire cum ductore habui, perrexi. At, inquit Sacerdos, cujus tibi videtur meriti hoc factum esse, ut amissum acciperes lumen? Qui respondit, Sanctorum Confessorum virtutibus liberatus sum, & admodum sanus effectus. Tunc præfatus irridens sacerdos virgâ quam manu gestabat crus percutiens suum, inquit: Ita enim verò egit ut jactaris Dominus per hos servos hoc miraculum, veluti ego modo frangam hæc mea propria crura. Et dum percussit virgâ crura, talibus dictis continuò crure dolor prosequitur, & terram equo decidens, crus fractum apparuit. Quo indicio manifestatur, & cœcus liberatus est per Sanctorum merita, & Sacerdotis crus ob incredibilem Dei omnipotentis circà servos suos pietatem suam propriâ culpâ fractum. Pervenit autem sermo in omnem illam regionem, & nusquam erat locus quo nomen Domini non invocaretur, & Sanctorum Ragnoberti Confessoris necnon Zenonis ejus socii præclara merita non venerando memorarentur.

CAPUT X.

De muliere à fluxu sanguinis liberatâ favente Domino.

FUit autem ex Baliolâ villâ fœmina quædam orta, quæ fluxum sanguinis patiebatur multo tempore: quæ etiam ad Sanctorum corpora, sua vota detulit veniens, ab hac quidem liberata est ibi infirmitate, & sanitate perceptâ ad propria reversa est. Sed quia præcedunt plurima signorum miracula quæ Dominus per servorum suorum merita operare dignatus est, quique etiam ad hunc deferri locum eos præcepit, & multa subsequuntur in eodem loco facta; dignum judicamus ex plurimis pauca inserere. Quis enim enumerare valeat, quanti infirmi cotidie ibidem Domino annuente à variis languoribus curantur? Nullus æger causâ suæ ægritudinis devotè ad curandum veniens, ut ibi non mereatur exaudiri atque curari. Quo circà hinc inde diversis vexati veniunt infirmitatibus, semper Domino nostro Jesu Christo propitio sanari merentur. Unde manifestè colligitur dum exterius visibiliter sanantur, interiùs per omnipotentis Domini occultissimam pietatem à multis peccatorum nexibus solvuntur, sublevantur delicta, crimina abluuntur, & diversa peccaminum genera Spiritûs sancti gratiâ illustrati medentur. Quapropter cum diversis languentibus ad eumdem sanctum locum ob sanitatis remedia festinantibus,

CAPUT XI.

De lumine cœco restituto.

VEnit etiam cœcus quidam ex villâ præfatâ Baliolas, de quâ fœmina venerat quæ fluxum sanguinis patiebatur, nomine Odricus; & dum ad beatorum Confessorum corpora pervenit, factâ oratione luminis sui claritatem recipere meruit, & qui cœcus fuerat veniens, videns gaudio repletus reversus est.

CAPUT XII.

Item de filiâ cœcâ à nativitate quæ non habuit lumen, & lumen accepit.

CUjus etiam filia cœcitate sui carens quondam, quam habere non potuit, in die festivitatis ipsorum Domino miserante habere meruit, & velut pater receptosuæ claritatis visu, inde exultanter ad propria remeavit.

CAPUT XIII.

De claudâ sanatâ.

VEnit præterea quælibet clauda, Regnoara nomine, aliorum manibus deportata ad curatiotionis locum; ubi membrorum suorum debilium recepit sanitatem, & propriis gressibus absque cujuslibet suffragio, Domino gubernante, revertitur.

CAPUT XIV.

De obedientiâ Hervei, & de infirmitate illius.

ILlud inserere placuit, quòd beatus Confessor Herveo inobedienti suis monitis ventura prædixit. Tertio namque visionis suæ ordine objurgando prædixit, multa eum adversa passurum, eo quod suis monitis non crediderit, & jussa Domini incredulus non expleverit, sed oblivioni cuncta tradens, & Sanctorum præcepta non attendens: ideoque impletur Sanctorum sermo: licet sero venit super Herveum plaga dicta, intolerabilis tribulatio cordis, membrorum omnium dissolutio, in tantum ut per decem & octo menses continuos cordis & corporis sequeretur dolor. Jamque penè carne defectus, ut vix nisi Domino sustentante vivere in tantâ corporis debilitate quis valeat, admodum cruciamenta tolerare, & quæ dici nec possunt, nec etiam credi: denique refrigerium neque die, sed neque nocte corporis sensit. Cibus & potus tantummodo aqua fuit. Qui nec in partem alteram declinare poterat, nec manum ad os ducere: sicque talibus consumptus cruciamentis, per præfatum diutissimè tempus vexatus est. Sed cum jam tempus misericordiæ Domini immineret, ut ex tanto dolore quolibet modo reciperet suffragium, recordatus præconcessam sibimet licentiam à Domino nostro Jesu Christo Sanctorum meritis; ad Sanctorum igitur sepulcra delatus est, ibidem Domino favente sanitatis auxilium meruit, & incolumitatis suæ recepit salutem. O ineffabilis divina pietas, & misericordia clemens, quæ ideo in præsenti vitâ puniri facis peccatores, ut in futurâ vitâ puriores habeas; & negligentes tuâ miseratione castigas, ac quælibet diversaque irrogas flagella, ne teneantur vinculis peccatorum adstricti; resipiscentes pravorum actuum mala, operare studeant suæ conversationis bona, per quæ ad patriam vitæ valeant largiente Christo pervenire.

CAPUT XV.

De uxore illius à febribus liberatâ.

DEnique uxor illius Milesendis nomine, bonæ religionis fœmina, à febribus vexata triduanis, locum sanctum adiens curatur, atque à suâ vexatione medetur. Dæmoniaci quamplurimi ibidem adducti, per eorum merita cotidie curantur. Dentium autem à doloribus ad sancti Zenonis sepulcrum plurimi venientes, & vota persolventes

liberantur. Quibuſcumque enim variis excruciat tormentorum doloribus, ante beatorum Confeſſorum tumulos veniam poſtulantes, merentur accipere corporum ſanitates atque animarum.

CAPUT XVI.

De incautâ rapinarum præſumptione.

ENimverò ſcribere non pudet, quid de incautâ rapinarum præſumptione acciderit cuilibet infeliciſſimo; quantæque miſeriarum clades eum ſubſequutæ fuerint, & cum quo mortis ſuæ tormento vitam miſerabiliter amiſit, dignam ultionis ſuæ pœnam incurrens. Erat quidam miſerorum, crudelitatem rapinarum more beſtiarum exercens, unus tyrannorum ex ſociis cujuſlibet infeliciſſimi MARTINI, qui ſecundùm ſuæ voluntatis conſuetudinem ſanctum locum impudenter aggrediens, manipulos ſegetum quoſcumque ligamine adſtringens cœpit rapere, ac de eodem ſancto loco deferre. Quæ cum quidam ſervorum Dei GOTHARDUS nomine, Cellam egrediens ita agentem cerneret, blandis eum verbis alloquitur, dicens: Cur frater locum ſanctum tam irreverenter intraſti? & quare ſpicarum congeriem, de quibus hujus loci Fratres vivere debent, tecum niteris aſportare? Iſdem ad cumulandum malitiæ ſuæ votum plenus ſpiritu immundo inquit: Et ſi Ragnobertus ſpicarum foret manipulus, utique equo meo ad comedendum dediſſem. Hæc audiens frater Gothardus Cellulam feſtinus rediit, & clauſo oſtio Domini miſericordiam implorare cœpit, atque Sanctorum merita invocare. Tunc præfatus vir cum ſegetum garbis ad villam Promerendum nomine perrexit, ubi dum quamdam domum intraret, equo manipulos ad comedendum dedit, & homini cujus erat domus indicavit quo loco garbas invenerat, & qualiter vi acceperat, quodque cum famulo Dei fuerat loquutus indicavit. Cui homo inquit: Contrà animam tuam, miſer, feciſſe te pœniteat: vade revertens ad ſanctum locum, & reporta quæ præſumtivè hinc detuliſti, ac pœnitentiâ ductus humilia te in conſpectu Dei ac ſanctorum ſuorum, ne veniat ſuper te furor Domini & indignatio, & conſumptus à dæmonio intereas. At ille reſpondens aiebat: Nequaquam ita per ſalutem meam faciam, & ſi idem ſanctus garba eſſet, utique meo caballo ad comedendum tribuerem. Concidens autem cecidit equus, & mortuus eſt. Tunc arreptus à dæmonio miſer, miſit digitos in oculum ſuum, & evulſo priore ait; Accipe ſancte Ragnoberte oculum mihi ſublatum pro garbis tuis. Similiter ut evulſit alterum, iſque intulit: Accipe etiam iſtum in meæ crudelitatis miſeriam pro manipulis tuis. Rediit etiam ad linguam, & dentibus propriis inciſam manu ab ore ſuo partem linguæ quam inciderat cum ſanguine traxit; ſicque trium gaudiorum proprii corporis leges datas [h], etiam trium garbarum perſolvit vindictam: poſtremò miſerabiliter capillos capitis rumpendo, mox vitam finivit.

Quin nulli dubium eſt rodere eum infernalia tormenta, qui nec expavit dicere ſanctum velle dare ad comedendum equo. Sancti etenim cum reverentiâ ſunt tractandi, honorandi, & cunctis venerandi. Nam quantis tormentorum terrentur afflictionibus hi qui rapinarum inhiant prædis, cum etiam perplexis quatientur doloribus, & ad infernorum clauſtra torquendi perpetuò deſcendunt, ubi ſine ullo reſpectu & termino pœnaliter cruciantur, ubi vermis eorum non morietur, & ignis non exſtinguetur, ſed ſempiternâ corroſione quiſquis crematus luet pœnas æternas. Tu autem quicumque hæc legeris, legentem audieris, recole iſta, & ad memoriam ſedulâ meditatione reduce, ut in talibus cavenda attendas, ac ſi venenum fugias, ne talium imitator actuum ad eaſdem pervenias pœnas. Sufficiat tibi de propriis tuis vivere, aut ingenio bono aut arte victum quærere, ut ab his vitam perficias iſtam.

CAPUT XVII.

Item adhuc ſimile miraculum.

ADdendum præterea videtur adhuc ſimile miraculorum ſignum, videlicet cujuſdam ſceleratorum, qui ob ſuæ præſumptionis execrabilia acta dignum ultionis ſuæ adeptus meritum, & improbitatis probatur audacia, etiam eum damnationis ſubſequitur vindicta. Etenim quidam ſervorum nomine Modingus, ſervus tamen fratris Hervei, cui nomen Crelion: hic ſtimulatus à diabolo, acceſſit audacter ad quamdam domum ſegetibus plenam latrocinii causâ: & quia oſtii clavim non invenit, pede ter aut quater percuſſit, atque in tres partes oſtium domûs fregit. Exin trium modiorum marſupio pleno latenter fraude ſuſtulit, cui ipſi tertio die pœnæ vindicta mors ſubſequuta eſt. Nam corpus ejus in tribus partibus eſt diviſum; & quia oſtium domûs per tres partes diviſit, tres etiam annonæ modios furto aſportavit, trium partium ſectione corpus illius truncatum eſt: & ſic tali morte dignus vitam finivit. Pro quo quiſque auditor paveat, & terreat locum hunc ubi ſanctorum corpora Confeſſorum venerantur, accedere, niſi humiliter, converſari niſi reverenter, aut agere niſi quæ honeſta & pudica ſunt, & ad loci utilitatem proficit, aut loco ſanctæ religionis decenter congruit; quoniam ſi aliter fecerit, aut ibi circumquaque operatus fuerit quæ non expediunt, nullo modo permanebit: quia vindicta mox ſuæ damnationis eum ſequetur. Tu autem, homo, attende hujus ſanctiſſimæ religionis converſationem, & quæ ſequuntur pietatis bona amplectere.

CAPUT XVIII.

De dolore dentium Karoli Regis, & de dono quod Sanctis largitus fuit.

KAROLUS denique Rex Franciæ, Aquitaniæ, Niuſtriæ glorioſiſſimus, dolore dentium tactus, vota ad beatorum corpora Confeſſorum miſit, ſtatim remedium adeptus eſt: Cui nobiliſſima conjux HERMENTRUDIS venerabilis Regina ob munificentiæ ſuæ pietatis meritum petiit præfati magnificentiſſimi Karoli Regis magnificentiam, ut aliquid proprii largiri dignaretur ſanctis Confeſſoribus. Cujus petitioni favente Deo annuit, ac ſuæ pietatis donum ob ſuæ venerabiliſſimæ conjugis meritum eiſdem beatis Confeſſoribus largitus eſt, atque per auctoritatis ſuæ præceptum ibidem res cum omni integritate quas in juris beneficio habere viſus fuit, perpetuè habendum tenendumque confirmavit. Fuit autem iſdem magnificus Rex KAROLUS circà loca Divino cultui mancipata devotiſſimus, ut nullus prædeceſſorum ſuorum Imperatorum videlicet & parentum aut Regum fuerit, qui tantis munificiarum ſuarum rebus exornando Eccleſiis Dei contulerit veluti ipſe. Quapropter villam quæ vocatur Veteradomus veniens, venit ad eum ibi Brittonum HILISPOGIUS Princeps, cum filio præfati ſublimiſſimi Karoli Regis HLUDOVICO nomine, ibidemque Hiliſpogius conſilio cum Proceribus Francorum no-

h *leges datas*] Forte, *pœnis datis*, ait Acherius; mihi nihil hîc emendandum videtur.

bilibus, HLUDOVICO filio suo Regnum Niustriæ dedit, & in hac Regni parte eum regnandum constituit, & in eodem placito ob maximæ suæ conjugis nobilissimæ HERMENTRUDIS devotionisque petitionem beatis Confessoribus, veluti aliis plurimis Sanctorum locis, largitus est ad servorum Dei ibidem Deo famulantium stipendia. Unde largiente Deo cum aliis quibuslibet rebus, quas ibidem Deo timentes contulerunt, ejusdem Ecclesiæ Fratres vivere queant. Maxima autem Reginarum HERMENTRUDIS non solùm Regem ad hoc agendum provocavit, sed etiam pallium ad beatorum corpora Confessorum misit, dicens: Ex rebus impetratis meorum peccaminum veniam ad vitam æternam adipisci merear, & pallio misso pectoris mei infatigabilem dolorem sentire præsentialiter quæro. Quod ita fidei ipsius comperimus fuisse, qui nec jam in primo gloriosi Regis Hludovici anno, scilicet filii magni Regis Karoli & Hermentrudis nobilissimæ conjugis ejus gloriosæque Reginæ, pro amore Dei omnipotentis & beatorum Ragnoberti Confessoris atque Pontificis, sociique sui sancti Zenonis Confessoris veneratione contulerunt.

Ego JOSEPH peccator, Sacerdos omniumque servorum Christi ultimus, quondam autem Aquitanorum Regis Cancellarius, nunc incliti Regis HLUDOVICI liberalium litterarum etsi immeritus præceptor, atque ejusdem sacri palatii cancellariorum ministerio functus, olim studiis litterarum Turonis sub eruditione AMALRICI Turonensis Archiepiscopi cum PAULO Rotomagensi Archiepiscopo, cujus ego JOSEPH peccator Sacerdos indignus, quando ad hoc scribendum provocatus stilum admovi, utique hi prælibati Pontifices unoquoque quasi mente præsenti corpore vita, non ut debui hæc scribere curavi, cum nec idoneus vetustatis eloquentiæ fuerim, sed rusticitatis insipientiæ errore perfusus. Unde provolutus ad cunctorum fidelium pedes jacens humiliter postulo ne meis sermonibus indignemini.

a

INVENTIO [a] SANCTORUM A DOMNO DEODERICO PONTIFICE REPERTORUM.

ANNO 970. Inventa corpora Sanctorum

ANNO INCARNATIONIS DOMINICÆ DCCCC. LXX. magno & gloriosissimo Cæsare Augusto OTTONE, cum æquivoco suo admirabilis indolis adolescente filio æquè Augusto, simulque magnarum virtutum conjuge ADELHEIDE, quâ nihil unquam justius, mansuetius, prudentius, nec magis pium quidquam potuit esse, Italiæ sceptra pio justoque moderamine pacificè ac solidè usque in fines Calabriæ gubernantibus, Dominus & venerabilis sanctæ Mettis Episcopus DEODERICUS, ipsi magnifico Imperatori sanguine ac mirâ dilectione atque familiaritate conjunctus, cujusque consultu pro mirâ sapientiæ prærogativâ, cuncta Palatina agebantur negotia: in eâdem Italicâ expeditione constitutus, in quâ triennium ferè militavit; dum divino præcipuè cultu deditus, quæque ad honorem, decoremque seu munimentum suæ sanctæ sedis, certatim exquireret, & efficaciter votis ejus cuncta suppeterent, corporum Sanctorum maximam copiam ex diversis Italiæ locis, divinâ se gratiâ adjuvante, collectam, digno se cultu atque honore alibi præstantiùs veneranda, eidem suæ sanctæ sedi Mettensi invehere studuit. Horum primum sanctum & venerabilem Christi Confessorem ELPIDIUM ex Marsorum provinciâ sumsit, concedente ALBRICO, ipsius Marsiæ Episcopo, ex quâdam Ecclesiâ sedi Episcopali proximâ: quæ sedes super lacum Fucinum sita, quid olim fuerit, ruinæ urbis, & plurimarum circà Ecclesiarum ac Monasteriorum frequentia attestatur. Hunc nobis ipse Episcopus, cæterique incolæ retulerunt, fuisse ex Collegio quorumdam Servorum Dei, qui tempore antiquiore ex partibus Graciæ, numero LXX. in eamdem Marsorum provinciam adventantes, ac diversis circumquaque locis vel civitatibus universis mirabilium signorum lumine fulgentes, ubicumque in sanctâ conversatione finis vitæ advenerat, venerabili sepulturâ recondici, multâ vicinorum longe lateque reverentiâ, pro assiduâ miraculorum jucunditate coluntur. Horum tres, quorum hic tertius fuit, in eodem Cœmeterio quiescebant, CALISTRATUS, EUTICIUS, & hic ELPIDIUS. ELPIDII.

Porrò EUTICIUM Imperator sustulerat, & ne qua in accipiendo posset adhiberi fallacia, sepulcro intacto, satisque munito, nec à die repositionis ulla violationis signa monstrante, priusquàm ab aliquo incolentium præsciretur, Episcopo tantùm ALBRICO, & paucis ejus Clericis assistentibus, Presbyter noster TEUDO, cum Presbytero Imperatoris HERIWARDO, arcam sancti, quod nisi altari desuper effracto nequiverant, aperiunt; ipsique per sacra ossa miri candoris, nec minùs flagrantis odoris, omnia numero ac quantitate integra, excipiunt, scrinioque recondunt. (Hujus diem XVI. Kalendarum Octobrium celebrem habemus.) Veniens proximè abhinc in territorium Amiterninæ urbis, quæ & ipsa ruinas tantùm ostendit, ab eodem Albrico Episcopo de Monasterio suæ ditionis Reate subjecto, pretiosissimum Martyrem EUTICEM accepit, cujus beati socii VICTORINI jam anno superiore Reliquias emeruerat, simulque & partem sancti MARONIS pariter passi, quorum & loca passionis aspeximus, & ipsas aquas Cotilas, fœdo odore spirantes, in quibus verso capite suspensus fuerat Martyr. Passionem denique eorum scripta retinent sanctorum Nerei & Achillei: hunc ipse venerabilis Domnus Deodericus ibidem assistens, ex ipsâ arcâ marmore fortiter munitâ, mirâ cum exultatione ac veneratione excepit VIII. Kal. Octobris. Hos duos Adhelardus filius Gerardi in patriam asportavit. EUTYCHII. EUTYCHIS. MARONIS.

Fulinias, castrum non procul à Spoleto, FELICIANUS magno undecumque concursu hominum affluente corpore sacro tuebatur. Eum BENEDICTUS ejusdem Fuliniensis castri Episcopus multo cum fletu largitus, per BERTRAUM Diaconum, & HERIWARDUM Presbyterum IV. Nonas Octobris, ex intimo ipso antro sustollitur. Passio ejus descripta est. In saltu qui Collis dicitur, qui Perusiæ adjacet civitati, ubi tunc Imperator autumnali exercebatur venatu, Monasterium erat antiquissimum super fluvium Tiberim, qui ibi mediocri vado præterfluens, FELICIANI.

a *Inventio*] Hanc historiam ex MS. codice S. Symphoriani Metensis descriptam esse à V. C. Hadriano Valesio monet Acherius; sed cum ille codex in Bibliothecam Colbertinam translatus deinde esset, Baluzio libuit eum cum editis conferre; nec sanè inutilem operam in eâ re collocavit; nam primum quidem deprehendit, continuam esse in eo codice narrationem, & à Valesio excogitatam esse divisionem in quatuor capita, quam, quod nullius usus videretur, sustulimus: deinde maculas aliquot, quæ ejusmodi erant ut sensum omninò turbarent, abstersit. Quæ leguntur in margine, idcircò adjeci, ut faciliùs reperirentur nomina Sanctorum de quibus hic agitur.

sui exinde usque ad urbem Romam pelagi profunditate augetur. Hoc pulchro quondam opere marmoreoque ornatu, ut videri dabatur, exstructum, sed tunc vetustate collapsum, Martyris egregii ASCLEPIODOTI membra venerabiliter humata tenebat; cujus tumbam, forti nimis saxorum ac terræ congerie obclusam, dum cum magnâ tandem difficultate Theudo, Bertraus, Rothardus penetratam, marmore sancto corpori proximiore nudassent, inveniunt monumentum imo usque [b] profundo dimissum, & per medium à capite usque ad pedes, quodam limite, ex ipso naturaliter saxo quasi divisum, quod tamen diligentiùs inspectum, unum continuumque constabat; Beati verò corporis medium hinc, medium illinc, membris altrinsecùs unum contrà alterum oppositis *, excepto capite solo, quod in unam integram partem jacebat diligentissimè collatum. Hoc Æditus & reliqui dixerunt, indicio voluisse antiquitatem signare, quod & ipsi verè asseverabant, eumdem Martyrem crudeli genere passionis, medio corpore vivum exsectum, eique attestandæ ita in monumento dividuo positum. Hunc pariter digno, ut par fuerat, honore sublatum VII. Kal. Octobris venerabilis Pontifex suscepit. Diem Natalis ejus ab incolis IX. Kal. Novem. didicimus. Nam gesta ejus minimè ab Episcopo de Sisa *, ad quem locus pertinebat, quivimus extorquere.

ASCLEPIODOTI.

b

SERENÆ.

Sanctissima Virgo SERENA apud Spoletum in Monasterio sancti Martyris Savini, foris muros urbis, ubi & pluribus miraculis coruscabat, quieverat. Ad quam penè quotidie magnus populorum veniebat concursus, ita ut noctes quoque pervigiles turbæ cum lucernis cæterisque donariis ibi peragerent. Hanc quoque cum integris toto corpore ossibus, misso illuc Rothardo Diacono cum aliis sibi fidelibus viris, venerabilis Pontifex est adeptus. Reliquias quoque Beati Martyris GREGORII Spoletini ibidem obtinuit, cujus passio scripta est. Beatæ Serenæ præter quod in passione sancti Savini reperimus, eam ipsum beatum Martyrem tumulasse, nihil plus gestorum perquirere potuimus; quæ tamen tam assiduis se virtutum commendat insignibus, ut vivâ harum lectione oculis objectâ, gestorum attestatione quid fuerit in vitâ non egeat. Dies ejus X. Kalendarum Decembrium, eodem quo & sancti Savini Martyris, celebratur.

GREGORII.

Inter hæc Romam misso prædicto Diacono Rothardo, dono Domini Papæ JOHANNIS, qui tertius decimus in eo nomine erat, partem non modicam Catenæ beati Petri in Basilicâ, quæ dicitur ad Vincula, eamdem portionem exsecante, promeruit: cum eâ quoque privilegium Monasterii sancti Vincentii, cum dalmaticâ & sandaliis Abbati ejusdem loci Apostolicâ prærogativâ concessis, idem Domnus Papa direxit. Hæc omnia Adelbertus Clericus cum CONONE Comite transtulit. Beatum Martyrem magnum & Levitam VINCENTIUM in civitate quâdam antiquissimâ, quæ ad solum usque jam longo tempore diruta fuerat, nomine Corduno, quæ ab Arretio XII. millibus distat, ex Monasterio proximo satis pulchro ornatu, quod multâ itidem frequentiâ venerabatur, Bertraus Diaconus; comitante secum quodam Clerico Episcopi Arretini, (ei nomen Crisulfus) indice loci, cum magnâ licet difficultate, vitæ quoque non minimo periculo sustulit. Hunc ex Hispaniâ in Italiam deportatum, firmiter asseruerunt. Cujus modum Translationis postea Domno Præsule Beneventum veniente, dum Nurui Imperatoriæ à Græciâ venienti obviam missus esset, pleniùs cognovimus: juxtà Capuam siquidem Monasterium jam penè dirutum, nomine Sancti Vincentii reperimus, quod grandi & miro opere quondam à tribus fratribus nobilibus constructum, Veteratini qui ibi tunc pauci Monachi visebantur, dixerunt. Et corpus sancti Vincentii postea à duobus Monachis ex Hispaniâ ibi clam deportatum, atque multis deinceps temporibus maximâ veneratione habitum, donec à paganis eodem Monasterio vastato, corpus sanctum inde sublatum; & ad prædictam Cordunensem civitatem esset translatum.

VINCENTII.

Tunc etiam Episcopus Arretinus non modicam portionem sanguinis beatissimi Protomartyris Stephani in vase crystallino, optimè auro gemmisque composito, & de sanguine Innocentum in aliâ pyxide, capillis sancti Petri, breviculis per singula appositis, quamvis invitus, & summo in discrimine apud Imperatorem sui rerumque suarum positus dedit. Et quia redemptionis suæ facultas eum angustabat, precatorem sui nostrum venerabilem Præsulem per hoc, & per corpus S. Vincentii, paravit; atque sic in gratiam Imperatoris, eo interveniente, vix rediit. De hoc ipso beato Martyre plures Italorum Episcopi jam ante sæpe tentaverant, ut id acquirere possent; in quibus AMBROSIUS Bergamensis, pro eo quod sedes Episcopatûs sui in honore Sancti Vincentii esset, & ante breve tempus cum quibus potuerat, diem quo eum excepturus [c] esset statuerat: sed Domino ordinante, ut in crastinum ille condixerat, nocte præcedenti à nostris præoccupatum est. Hoc Clerici de Monte Romarici tulerunt. In Sabinis regione, non procul ab urbe Româ, milliario fere XL. sancti Martyres PROTUS & JACINTUS erant reconditi, aliquanto negligentiore custodiâ. Hos Abbas quidam de Monasterio Sanctæ MARIÆ, quod dicitur Farfara, venerabili Pontifici nostro, dum de causâ suâ eum apud Imperatorem sibi fieri intercessorem rogaret, quia nullo tantum munere eum cognoverat delectari, partem primò obtulit, sed postea mirâ instantiâ * Domni Præsulis, quidquid inde reperire potuit, adjecit. Ipse cum suis Monachis dans super sancta Evangelia sacramentum, verè ea ossa sanctorum PROTI & JACINTI existere. Hoc post natale Domini, dum Româ reverteremur, in vicinio Hortæ civitatis est actum.

c

PROTI. HYACINTHI.

Sed Romæ tunc nobis constitutis, munere Domni Papæ JOHANNIS, pignora sanctarum DIGNÆ & EMERITÆ, quarum corpora in porticu Ecclesiæ Beati Marcelli Martyris sunt recondita, quæ est ante Sanctos Apostolos; simul & alias singillatim repositas, cum propriis annotationibus, diversorum Sanctorum reliquias accepit, in quibus & scandalium Sancti Stephani: hæc omnia per Willardum Mona-

DIGNÆ. EMERITÆ.

b *imo usque*] Non ignoramus quidem, ubi nihil aliud nisi codicem ipsum quo Acherius usus est sequimur, inutilem à nobis insumi operam in iis repræsentandis quæ in melius immutata sunt; sed quòd ita fermè homines comparati sunt, ut dum æqui erga eos qui ex hac luce jam sublati sunt videri volunt, iis quos vident sint reverâ paulo iniquiores, nemo mihi vitio vertet, si ut aliàs, sic hoc loco demonstrem non id frustrà esse quod superiùs dixi, maculas aliquot abstersas esse ope Baluzii. Quamobrem lectorem scire volo, ita olim editum fuisse ab Acherio, *imò usque profundum dimissum. Et per medium* & infrà *beati verè corporis ..... alterum appositis*, & infrà etiam *Episcopo decisa*, ubi ita quidem edidimus, ut in codice reperit Baluzius, sed post eum monemus legendum *de Esisa*, cum urbs illa non sub *Assisii* solùm, sed etiam sub *Æsisii*, & *Esisii* nominibus agnoscatur à veteribus.

c *excepturus esset*] Posterior vox deerat in priori editione, in quâ haud ita multo post legebatur *mirâ præstantiâ*, ubi Baluzio, imò codice ipso monente restituimus *mirâ instantiâ*.

VINCENTII. chum Mauri Monasterii missa sunt. Alterum sanctum VINCENTIUM Episcopum ex Monasterio quodam in Comitatu Urbini, à Ravennâ milliario ferè L. juxtà Petram-pertusam, ab Abbate rebus necessariis nimis attrito, quia aliud quod daret pro relevatione loci non habuerat, partem primo offerente; sed Bertrao illuc misso, multâque arte strenuè agente, percepit. Hujus passionem descripsimus, hic per IMMONEM Comitem missus est.

LEONTII. Civitas Vincentia est non longè à Venetiâ, ad quam olim Langobardi, dum Italiam invaderent, primam urbium venisse dicuntur. In eâ Martyr LEONTIUS Monasterio celebri venerabatur. Hujus Episcopus loci Reliquias nostro Reverentissimo Præsuli, si pro causâ suâ Imperatoriam interpellasset Majestatem, repromisit. Mox misso illuc Rothardo Diacono, cum Episcopus nimiùm se fecisset difficilem in dando, præter quod dumtaxat promiserat, tandem continuâ exigentis victus instantiâ, præter pauca sibi pignora retenta, reliquum corporis totum largitus est. Hunc & Beatum CARPOFORUM Romæ passos, ab eâdem civitate non longa ante tempora translatos, incolæ asseverabant: ubi & nobile quondam Monasterium sancti Felicis visebatur, ubi & primò reconditi ferebantur, sed eo ab Ungris, qui penè locorum ipsorum vicini sunt, exusto, atque assiduâ incursione eorum reparationem prohibente, ad sedem Episcopalem infrà urbem sub altare depositi, unde & præfatus Rothardus Diaconus, CARPOFORI. sanctum quidem Leontium totum, sancti verò CARPOFORI reliquias non modicas ab ipso quo claudebantur sumsit altari, effracto sepulcro. Passionem eorum incendio deperisse dixerunt. Natalis eorum XIII. Kalendas Augusti celebratur. Teudo eos detulit magnâ & universali Ecclesiæ celebritate.

LUCIÆ. Memorabilis Virgo & Martyr LUCIA Syracusana, quo ordine ad Religiosissimi Præsulis nostri avidissimam devotionem pervenerit, WIGERICUS Presbyter noster tunc Cantoris, nunc Custodis beati Stephani officium gerens, qui ea sacra ossa manibus, ab ipsâ quâ non levi munimine artabatur extulit urnâ, quem satis tutæ fidei constat, quibit exponere. Ea in Corfinio, quæ vetus olim civitas fuerat, nunc totâ dirutâ, quiescebat: ad quem locum de Siciliâ eam fuisse translatam à FAROALDO quodam Duce Spoletino, verè nobis assertum est. Hanc ipsam Syracusanam esse, de quâ responsoria & antiphonæ generaliter cum Missâ ubique canuntur, ipseque Episcopus loci, manu sua sancto Evangelio appositâ, confirmavit. Cum jam Româ, regiis nuptiis ibi ingenti gloriâ peractis, reditum in patriam disponeremus, ultimo beneficio, eoque pluribus copiosiore, venerabilem Præsulem Domnus Papa de quatuor portionibus craticulæ sancti LAURENTII locupletissimè cumulavit. Eas Wigericus cum Joanne Monacho, ab ipsâ sacrâ crate extuderunt: hæc verò fuerunt capita virgarum quæ per transversum jacuerant costis exterioribus infixa; nam virgæ omnes, quæ sex in eâ fuerant, jam inde à diversis Apostolicis, à vetusto tempore quibusque Regibus erant dono collatæ; è quibus una, quæ adhuc ante paucos annos supererat, magno Imperatori Ottoni ab OCTAVIANO concessa est: hæ dum extuderentur costas propiùs intrinsecus, capita quæ infrà fortiter tenebantur, remanserant: quæ tamen ferro apposito manu percusso, licet laborioso conamine, sunt discussa.



VITA SIVE MARTYRIUM SANCTÆ ROMANÆ Virginis & Martyris. ANNO 1069.

Item Fundatio, & Dedicatio Ecclesiæ & Cœnobii sanctissimi QUINTINI *Martyris ad Bellovaci muros.*

CAPUT PRIMUM.

DEUS Bonus, Justus, Omnipotens, qui misericordiam suam humano generi nunquam negavit, omnesque in commune mortales ad cognitionem sui abundantissimis semper beneficiis erudivit voluntariam errantium cæcitatem, & proclivem in deteriora nequitiam secretiore consilio, & altiori pietate misertus est, mittendo Verbum suum, coæquale sibi atque coæternum: quod caro factum, divinam naturam naturæ contemperavit humanæ; ut illius ad infima inclinatio, nostra fieret ad summa provectio. Ut autem hujus inenarrabilis gratiæ per totum mundum diffunderetur effectus, cum duodecim Apostoli per Spiritum sanctum omnium edocti sermocinatione linguarum imbuendum Evangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus suscepissent, Beatissimus Petrus Apostolici ordinis Princeps, & Coapostolus ejus Paulus, Vas electionis, ad arcem Romani destinantur imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium Gentium revelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus diffunderet. Hæc autem duo præclara divini seminis germina in quantas segetes populorum pullulaverint, attestatur ad passionis tolerantiam eorum exemplo roborata ibidem occisorum innumerabilium copia Martyrum.

Romana igitur ab eis plantata Ecclesia, & à successoribus eorum irrigata, Domino præstante incrementa, ad exstirpandas antiqui hostis versutias, per diversas mundi partes direxit de fidei suæ fonte potatos divini prælii bellatores. Hujus intentionis devotione egressi sunt ex eâdem urbe duodecim Christi milites nobilissimi, & egregii prædicatores, qui Galliarum se ingerere non dubitarent atrocitati, idololatriæ eradicaturi falsitatem, & fidei seminaturi veritatem. Inter quos velut lucernæ super candelabra positæ, effulserunt Christi Martyres QUINTINUS, atque LUCIANUS: quorum alter Ambianensem, alter verò Belvacensem, quoadusque insigni martyrio coronarentur, adorsi sunt expugnare incredulitatem. SS. Quintinus & Lucianus.

CAPUT II.

ERant eodem tempore Romæ in sanctæ conversationis habitu duodecim virgines generosæ, invicem sibi unâ religiosæ fidei familiaritate conjunctæ: in quarum mentibus virtus sacræ opinionis procreaverat honorabile culmen gratissimæ honestatis. Eruditæ enim erant multimodis virtutum generibus, & sanctarum documentis Scripturarum formabantur omni opere pietatis, proficientes sanctæ devotionis gratiâ, divinâ eis propitiante clementiâ. Audientes itaque quorumdam relatione multimoda supradictorum Martyrum certamina, simili desiderio accensæ, concordante voto, neglectâque patriæ & parentum dulcedine, fines Gallorum, Domino ducente, feruntur advenisse. Præcordialiter enim scientes, quoniam quicumque plus laborat in Dei servi-

tio, majoris præmii remuneratione condignus habebitur in futuro, elegerunt temporales sustinere angustias, quibus retributiones nanciscerentur æternas. Nulla dolositas, nullus rancor invidiosæ fraudis obviaverat in itinere Sanctis, quoniam unitæ erant auxilio dexteræ cœlestis. Gratia autem divini Spiritûs admonente, ab invicem separari jussæ sunt; quò unaquæque earum suo ingenio fructum multipliciter acquireret Deo.

SS. Benedicta, Leoberia, & Romana.

Beata igitur nomine & merito BENEDICTA cum quâdam collectaneâ suâ LEOBERIA Laudunum venit. Et ROMANA Belvacum adiens, cœpit toto cordis affectu Domino famulari. Sociata enim quibusdam Christianis, quos Dominico ovili adjecerat prædicatio sancti Luciani, instabat jejuniis, & orationibus crebris, & despiciebat omnia pro amore patriæ cœlestis. Erat enim miræ patientiæ, sanctæ humilitatis, & cœlestium gratiarum exornata donis; mente tranquillâ, sermone nitida, & opere sancta. Sic antecedebat nobilitatem corporis nobilitas mentis.

CAPUT III.

CUm autem Princeps terreni Imperii à principe suo diabolo instigatus ad delendam Christianæ fidei religionem, & exaltandam idololatriæ superstitionem, per lata terrarum spatia iniquitatis decreta divulgasset, servos Dei & ancillas, ubicumque inventi fuissent, aut idolis immolare, aut per diversa tormentorum genera mortis periculo subjacere adigebat. Urbs in monte constituta, Beata videlicet Romana, suprà fundamentum, quod est Christus, posita, occultari non potuit. Accepto enim in vase oleo, accensam vigilans lampadem, quæ minimè exstingui posset, habuit, quæ ab amoris Christi flagrantiâ neque minis suppliciorum, neque deceptionibus blandimentorum aliquatenùs tepefieri potuit.

Romana gladio transverberata, martyrio coronatur.

Resistens igitur fortiter persequutoribus, acceptâ capitali sententiâ, maluit pro Christo mori, quàm diabolicæ servitutis spurcitiâ inquinari. Transverberata est itaque gladio piissima virgo. Cujus anima stolâ innocentiæ & virginitatis ornata, summi Regis conspectibus est præsentata, Agnum quocumque ierit cum his qui sine maculâ sunt, ante thronum Dei sequutura.

Corpus autem ejus à viris Christianis interim sepelitur: quod tamen exarescente idololatriæ insaniâ, & florescente Christianæ Religionis doctrinâ, translatum est in sancti Petri sacrario, & honorificè vallatum sepulturâ. Sed quoniam priscis qui fuere[a] temporibus artati persequutionis instantiâ, ordinem passionis ejus non scripserunt; & posteri de eâ, quæ non perspexerunt, ne adinventores innotarum rerum æstimarentur, asserere dubitaverunt; decreverunt majores nostri diem martyrii ejus se non solemniter celebrare, nec tamen memoriam ejus passi sunt omninò insolescere, scientes quòd martyrio coronata, Christi coheres regnat in gloriâ.

CAPUT IV.

NOstris verò temporibus cum Comes Flandriensis BALDUINUS puerum Philippum HENRICI Regis filium, ad regni proveheret solium, ipsumque pro eo disponeret regnum, civitas Belvacensis suo destituta est Antistite. Annuente igitur supernæ pietatis æquitate, GUIDO decanus, Custosque Ecclesiæ sancti Quintini Vermandensis, & Archidiaconus Laudunensis, constitutus est à præfato Principe Belvacensium Episcopus; ordinante

Guido Belvacens. Episcop. succedit Guilberto an. 1063.

cum cum cæteris ejusdem provinciæ Episcopis viro illustri GERVASIO Remensi Metropolitano. Vir quippe nobilis prudenter ascendens altiores gradus Ecclesiæ, adeptus est culmen Episcopale. Qui facilè non carere se ferens præsentiâ Martyris de cujus uberibus Ecclesiæ suxerat lac doctrinæ spiritualis, in honore & memoriâ ejus ædificavit Ecclesiam haud longè à mœnibus Belvacæ civitatis in amœnissimis locis. Circumdata enim pratorum, fluminisque jucunditate, & vinearum ubertate, alacriores efficit ibi conversantes, vernæ viriditatis continuâ recreatione, & purissimi aëris saluberrimâ delectatione. Quæ cum sit admirabilis specie suæ compositionis, admirabilior haberi potest ipsâ facilitate celerrimæ constructionis. Nulla enim tam brevi spatio tantum opus efficeret vis humana, nisi intercedente Martyre virtus auxiliaretur divina. Duobus quippe annis incepit, & perfecit eam in decore suo.

Idem Fundator Ecclesiæ S. Quint.

Inceptum est Ecclesiæ S. Quintin. Belvacens. ædificium an. 1067. & an. 1069 consummatú

Idem reverendus Guido Episcopus dealbatam undique & depictis insignitam laquearibus, honoratam pretiosis ad cooperienda altaria, sive parietes in gyrum ornamentis, cum sacerdotalibus reliquorumve ministrorum indumentis; ornatam auri & argenti copiâ, unde honorabiliter deforis decorata sunt multa sancti Evangelii volumina, perfecta sunt vasa ad conficienda Dominici corporis & sanguinis Sacramenta, & ad reliqua Ecclesiasticis utilitatibus congrua mysteria, additis redditibus quæ sufficere possint quàm plurium Canonicorum necessitatibus, patratis circùm multis ædificiis vitæ eorum maximè oportunis.

CAPUT V.

QUi inspiratione divinâ, sapienti usus consilio, cum grandi honore, comitantibus turbis psallentium Clericorum atque laïcorum, transtulit corpus præfatæ Virginis & Martyris ROMANÆ de Sacrario sancti Petri, ad eam quam construxerat Ecclesiam, uno antequàm dedicaretur die, eo videlicet quo ipsius recolebatur memoria, nullâ hominum providentia observante, sed solius Dei gratiâ, ad exaltandam suæ Martyris gloriam disponente. Constitutum est namque ut ab eodem tempore annis omnibus ejus festivitas honore illic congruo celebraretur. Aggregavit idem Episcopus undique collectas multorum Sanctorum Reliquias; quarum partem in altaribus, & in Sanctis Sanctorum collocaret, partem auro & lapidibus includens, sancto Altari ad ornandum templum anteponeret.

Dedicatio Basilicæ Quintinianæ; & Translatio corp. S. Romanæ.

Sed quoniam de ejus Dedicatione Ecclesiæ fecimus mentionem, non inconvenienter videtur aliqua de ipsâ differere: quoniam nec multo ante tempore, nec post dedicatam sancti Remigii Ecclesiam à Domno Leone Papa viro sanctissimo, audita est in aliquâ mundi parte tam gloriosa dedicatio. Ad hanc enim advenientes Ecclesiæ Sancti Quintini venerabiles personæ, triumphali honore advexerunt secum ipsum corpus egregii Martyris. Convenerunt etiam cum copioso Cleri militiæque comitatu multi Episcopi, GUIDO Ambianensis, RATHOLDUS Noviomensis, GUALTERUS Meldensis, HUGO Trecassinus, ODO Silvanectensis, MANASSES tunc nobilis Clericus, mox futurus Remensis Archiepiscopus. Convenit utriusque sexûs, diversarumque ætatum innumerabilis populus. Quâ alacritate, quo triumpho occurrit Episcopus Belvacensis advocato suo Martyri Quintino, & Coëpiscopis suis? quoties, & quanta obedientiâ obtemperantes ei in ipsâ die solemniter secum processerunt Belvacenses Canonici? Quæ lætitia, quod gaudium per vicos & plateas agitabatur?

Quàm celebris fuit dedicatio.

a *qui fuere*] Ita lego: prior editio *affuere*.

agitabatur? Non enim indigena erat, qui non amicum, propinquum, socium, hospitem advenisse cognosceret, lætusque amplexaretur, cum in eorum susceptione nemo gravaretur. Curia enim Episcopalis sufficienter omnibus omnia distribuebat necessaria.

Plura Sanctorum corpora ex diversis locis ad dedicationem allata.

Orta est interim Dominica dies: & ex præcepto Antistitis processit ad dedicandam Ecclesiam congregatio omnis Clericorum, atque Monachorum, cum Sanctorum corporum pignoribus, & reliquiis sacræ militiæ insignibus. Hîc ergo Sanctorum sociorum Quintini, & Luciani corpora sibi obviam facta sunt. Hîc sancti pueri & Martyris Justi, Sanctorumque Geremari, & Ebrulfi, atque Constantiani Confessorum, hîc Sanctarum Romanæ, atque Angadrismæ virginum corpora collecta sunt. Congregatâ multitudine infinitâ, Pater GUIDO cæterique Pontifices sacris accinguntur indumentis: qui antecedentibus se sanctis corporibus, circuitione debitâ exteriora Ecclesiæ purificant; ut quod illi agebant visibili mysterio, invisibili sanctificaret effectu. Quam deinde ingressi in dedicatione ejus, & in divinæ laudis sacrificio diem perduxerunt in vesperam. Quibus peractis omnes qui advenerant, sine alicujus exceptione personæ, non solùm illo, sed & subsequenti die suprascripti Patris solemne recepit convivium. Completâ itaque tantæ Dedicationis exultatione, idem Coëpiscopos suos recedentes amplissimis lætificavit muneribus. Competenti autem Virgini & Martyri veneratione, sanctam Romanam in præfatâ Ecclesiâ quiescentem annis pluribus honoravit. Illa verò quæ dubitantibus, & se non dignè venerantibus noluit aperire, credentibus, & honorantibus eam, quòd ab omnipotenti pietate quæ vellet obtineret, evidentibus documentis asseruit.

Guido in exilium pulsus à Rege.

Nam cum Rex PHILIPPUS adolescens, de procuratoris potestate egressus, regni sui gubernacula suscepisset, & juveniliter iracundia ejus exardescens in sæpe dictum Venerabilem virum Belvacensem Episcopum non rectè, non jure expulsum ab Episcopatu suo, ablatis omnibus anno integro exilii pœnâ fatigasset, tandem recuperatâ Regis benevolentia, desolatæ, & penè ad nihilum redactæ sedi suæ restituitur Episcopus.

CAPUT VI.

Reliquiæ S. Romanæ per diversas Galliæ provincias circumferuntur.

CUm verò major vastitas, vehementiorque desolatio, & ornamentorum alienatio Ecclesiæ quam construxerat incubuisset, Clerici condolentes eam, cui serviebant, diutiùs esse inornatam, simulque auctorem ipsius à redemptione eorum quæ ablata fuerant, allevare cupientes, circumtulerunt egregiam virginem Romanam per vicinas regiones, in redimendis Ecclesiæ ornamentis expensuri quidquid eis à fidelibus offerretur. Qui cum pago Vilcasino gradientes, apud Medantum pervenissent, extrà oppidum in quadam Parochiâ hospitium habere decreverunt. Erat in eodem oppido quidam languens Berengarius, qui per triennium infirmitate detentus à lecto non surrexit. Hic audiens Clericos cum sancto corpore advenisse, mandat eis suppliciter per affines suos, ut sibi unâ nocte ante sanctam Virginem permittant excubare. At sacri thesauri custodes primò cautæ observationis gratiâ omnem à se segregandum extraneum, nec hunc accipiendum dictitantes, mox Presbyterorum, & reliquorum non spernendi testimonii virorum, bonum esse illum hominem, sed languere referentium, precibus inflexi, petitioni ipsius acquiescunt. Allatus est itaque in lecto qui se movere non poterat. Qui quantam fidem habuerit, quantâque devotione supplices Deo preces sanctæque virgini obtulerit, sanitas reddita declaravit. Colloquutus namque post noctem mediam cum sacri corporis ministris, testatus est se sanctam Virginem Romanam visitasse, & omnem infirmitatem ab eo abstulisse. Quo audito læti, usque dum lucesceret in divinis laudibus permansêre. Venientibus autem mane ad Ecclesiam Presbyteris cum populo, gaudens referebat in publicum sanus factus, quantâ liberationis gratiâ, interveniente sancta Virgine, respersérit eum Dominus. Divulgata illicò res per oppidum ad venerationem virginis incitat universos. Quam cum hymnis & canticis suo oppido inferentes, in Ecclesiâ sanctæ MARIÆ semper Virginis hospitalitate honorificâ receperunt. Cumque die altero ministri sancti corporis cum eodem recederent, sanitati redditus pariter profectus est. Cumque admoneretur ut rediret, respondit se nullatenùs domum suam ingressurum, neque à sanctâ Virgine recessurum, donec unde egressa fuerat, ad sancti Martyris Quintini reportaretur Ecclesiam. Quod & fecit, & se sancto Quintino, & sanctæ Romanæ liberatrici suæ in servum perpetuum dedit.

Itinere verò quod cœperant pergentes, cum longitudine viæ fatigati Argentolio requiescerent, quantâ benedictionis suæ largitate famulos suos Beatissima Virgo paverit, referamus. Erat enim tempus Quadragesimale, in quo inundatio pluviarum exuberantiam fluviorum auxerat: ipsaque exuberantia capiendorum facultatem piscium excluserat. Cum autem alumnos sanctæ Virginis & extensum iter, & prolixius jejunium indulgere sibi largiore refectione admonerent, egressi ad vicini fluminis ripam piscatores, quos de naviculâ egredientes conspiciunt, ut sibi pisces pro amore sancti corporis, quod secum deferebant, tribuerent, aut venderent postulabant. Qui priùs sciscitantes unde, & cujus meriti esset sanctum illud corpus, & quo nomine diceretur, tandem responderunt se neque pisces habere, neque aliquos in transactis quindecim diebus proximis accipere potuisse, totumque diem illum in opere tali frustrà consumsisse, & tamen in nomine Domini, & honore sanctæ Virginis iterum in aquam ingressuros, & si quid acciperent, ei alacriter oblaturos. Res mira credibilis eorum qui videre, & affuere, assertionibus comprobatur. Mox enim ut ingressi flumen dimiserunt in eo rete, conclusa est piscium copiosa multitudo: de quibus, plurimis sibi retentis, obtulerunt sancto corpori nonaginta quinque.

His atque aliis virtutibus insignis, gloriosa Virgo cum apud Belvacum referretur, communi exultatione ab omni populo recipitur, & ad Ecclesiam sancti Quintini, unde asportata fuerat, lætis psallentium, veniamque postulantium vocibus deducitur, & inter Sanctorum Sancta reponitur. Ubi si quis fide certâ Dominum deprecaturus advenerit, sine dubio postulata amborum intercessionibus obtinebit: quod multarum infirmitatum curationes, & crebræ laborantium nobis insinuant consolationes.

Nos ergo festivitatem sanctæ Romanæ unanimiter, & cum gaudio celebremus, pretiosumque supradictum martyrem cum eâ imploremus, ut ipse pro fundatore & glorificatore Ecclesiæ suæ; & ipsa pro institutore, & amplificatore solemnitatis suæ Domno Guidone Episcopo, & devoto Clero, omnique populo intercedere dignentur apud eum, cui servierunt, cui placuerunt, in quem vivunt, per quem possunt quod possunt, qui est benedictus, & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in secula. Amen.

MONITUM.

LIETBERTI Camerac. Episcopi vitam eruit exscripsitque vir Religiosus æquè ac eruditus SIMON *Guillemot, insignis Abbatiæ S. Gisleni in Hannoniâ Supprior è Dominici Sepulcri Camerac. Monasterii libro MS. & ad nos transmisit. Auctor vitæ hujus anonymus sese ineunte sæculo* XII. *vixisse indicat his verbis secundi capitis, de Gerardo Lietberti prædecessore agens :* Quàm sanctè vixerit, quàm Canonicè Ecclesiam sibi commissam rexerit, testes sacræ Religionis homines, nostris adhuc temporibus superstites. *Illius vitæ sæpè meminit Colvenerius in Notis ad Chronici Cameracensis librum tertium. Cæterùm Baldericus Noviomensis Antistes eo in Chronico gesta præcipua S. Lietberti, quem penitùs & apprimè noverat, (quippe ejus à secretis exstitit) suo conscripsit stilo, ac posteritati commendavit.*

INCIPIT VITA DOMNI LIETBERTI EPISCOPI CAMERACENSIS.

CAPUT PRIMUM.

De Ottone & Henrico Imperatoribus.

ROMANI principatûs Imperiale solium brachio militari sustentabat OTTO Junior, Regumque veterum potentiam relegens, mobilitate juvenilis animi conabatur omnium fieri potentior. Ut autem meditata compleret, admittebat consiliis Imperialibus commercatricem Romanorum barbariem, donis & beneficiis saturare gestiens eorum ingluviem : sed Palatinis canibus, ut assolet, accedebat ex frequenti assiduitate contumax insolentia, & ex nimiâ familiaritate contemptus. Adeo efferbuit factionum insania, ut pelleretur ab urbe Imperator non sine morte suorum. Dum cogit ad vindicandas injurias militum castra, dum stipat Imperiales turmas, defungitur; atque cum luctu & mœrore suorum honore Regio in Ecclesiâ Aquisgrani sepelitur.

Eo de medio facto, HENRICUS Baioariorum Ducis Henrici filius nutu & providentiâ Dei ex consilio Lothariensium purpurâ vestitus Regiâ, armis insignitur Imperialibus; qui quàm prudenter, quàm fortiter, quàm pacificè, quàm Catholicè suum rexit Imperium, monstrat nominis ipsius intitulatio, per quam non modo Augustus & Imperator, sed insuper Orthodoxus atque pacificus attitulatur. Sedatis sine sanguine hostibus, suoque potens vixit Imperio, plùs paci & pietati studens, quàm militiæ, plùs Catholicæ & Apostolicæ religioni serviens, quàm furori Martio.

CAPUT II.

De Gerardo.

INter hæc ERLUINO Cameracensium Pontifice defuncto, ipse dominus Imperator suorum usus non segni consilio, GERARDO suo Capellano, Lothariensium atque Karlensium parentibus edito non infimis, assensum præbuit super electione de eo factâ Cameracensis Episcopi. Qui factus Pontifex, quàm sanctè vixerit, quàm Canonicè Ecclesiam sibi commissam rexerit, testes sacræ religionis homines nostris adhuc temporibus superstites, testes instauratio & restauratio domorum sanctæ matris Ecclesiæ, index est Florinarum nobile Cœnobium, in honore Dei & memoriâ Beati Joannis & indicis Christi, sumptibus ejus constructum, paternisque hereditatibus adhereditatum : monstrat Cameracensis sedes ope studioque ipsius nobiliter decorata; necnon in capite sedis ejusdem pontificaliter exaltata testatur Atrebatensis Ecclesia per eumdem Pontificem meliùs pulchriusque quàm fuerat restaurata post conflagrationem cœlestis incendii. Cujus rei ordinem, cæterorumque benè gestorum scire volentes, ad ejus vitæ textum dirigimus : nos in sumpto fasce desudabimus.

CAPUT III.

De ortu domni Lietberti, & de profectu ejus in studio litterarum.

TRipudiabat Christianus Orbis pacifici Regis sustentatus brachio : gaudebat mater Ecclesia Sanctorum concordi justitiâ, de virtute in virtutem gradientibus cunctis sub evidenti cœlestis sponsi cantico, *quàm pulchri sunt gressus tui in calciamentis, filia Principis?* Cant. 7. 1. In hoc ergo pacis tranquillitatisque solstitio, bene sibi consentientibus Regno cum Sacerdotio, præclari decoris jubar effulsit in Brachatensi provincia, nobilis infans nobili ortus prosapiâ consueto more Christianitatis traditur Ecclesiasticis sanctionibus, postque sanctum baptisma Chrismatis unguine delibutus, divino præsagio nomen accepit LIETBERTUS, & merito, quippe qui liberaturus erat plebem sibi committendam de hostis rabidi versutis hiatibus : tantum Reipublicæ studuit libertati, ut suis imaginibus *Lietbertus publica tranquillitas* adscribatur.

Ablactato puero, nullum fit discidium, pari consensu parentis utriusque elementis imprimitur litterarum : & quamquam generi repugnaret nobilitas, Militemque magis quàm Clericum quæreret maternarum paternarumque multiformis possessionum hereditas, forti supervenit fortior, qui potis est vasa fortis diripere; suoque corpori sanctissimo coaduna-

re discit, auditque puer docibilis, & docilem puerum vicinia cuncta reclamantes audiunt parentes & propinqui, & congratulantur ei. Ita rumore secundo insinuatur prænominato GERARDO Præsuli; carnis genere sibi propinquo: mox ad audita requisitus puer, transfertur educandus in aulâ pontificali, daturus tritici mensuram suo in tempore familiæ domini sui. Traditur pædagogis sub scholari magisterio, servaturus pastorali curâ greges tonsuram, quæ ascenderunt de lavacro. Ducitur sitibundo pectore currens ad fontem philosophiæ, & saporis tripertiti septem rivos ebibens, modo studet Logicæ, nunc insudat Physicæ, sic intendens vacat Ethicæ: mirantibus Magistris penetrat labyrinthos Scripturarum, & conferens cum collegis, dissoluta colligat, & complicata disserat. Fit Magister ex discipulo, & qui docendus venerat, docet doctore judicio; à Magistris recitatur Pontifici de adolescentis industriâ, de moribus, de scientiâ, de religione mundâ.

CAPUT IV.

Ubi scientiæ merito Archischolus efficitur.

DOmni Episcopi jussu, omniumque suorum fidelium assensu præficitur cunctis Scholaribus prudenti dispensatione, ut in hoc probaretur utrum perseveraret in devotis moribus. Suscepit Magisterii Scholaris dominatum: sed ne sollicititi laboris studiosum pondus abjicere videretur, contrà spem quorumdam columbinis oculis gaudet ex munere. Ingreditur Imperialis magistri benè pudorata gravitas Scholarum palatia, cujus ad aspectum pallentibus labiis cunctorum suspiciunt obtutus: exspectant intenti quid velit, quid innuat, quid vel cui subeat: fervet studium, præcipit quisque sibi locum: ingeruntur multiplices diversarum lectionum quæstiones: omnibus ad omnia prudentissimus Doctor responsa parat; quippe scientia cujus erat crater tornatilis nunquam indigens poculis. Ita multiplicem sensum peritissimi cordis temperans affabiliter, quos erudiendos susceperat, inservit diligenter; diligenter, inquam, introducendus in cubiculum Regis dormiebat tamquam potens crapulatus à vino, inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, cujus dorsi posteriora in viriditate auri: scilicet inter mysteria utriusque Testamenti; servante enim gentilium litterarum disciplinâ rutilanti eloquii præclarum leporem, retinebat intrà sacrum cordis docti armarium divinarum Scripturarum testimonio doctrinæ cœlestis aureum nitorem. Felix & prudens scientia quæ tunc assuescebat in Scholarium studiis, quæ post declamatura erat in populis; quodque dicatur planiùs, post peractum studii Scholaris magisterium commutatus est in honore Regio, sublimatus ad summi Sacerdotii cœleste ministerium. Intercurrentium nuntiorum relatione jucundâ replicatur Pontifici quid noster Archischolus agat, qualiter se habeat: prædicatur indicibilis scientia, prædicabilis doctrina, sollicitudo non pigra, religio munda & immaculata. Miratur Pontifex & exultat, Deique collaudans munificentiam, votis supplicibus auditis meliora precatur.

Psal. 77. 65.
Ibid. 67. 14.

CAPUT V.

Ubi Procurator domûs Episcopi constituitur.

SEd quoniam tanti senis ætas in dies ad decrepitum vergebat, præcavens quod assolet in eâ ætate, scilicet minùs providè sua disponere, deliberat prudenti consilio illum de cujus gloriabatur præconio, suis domesticis præficere. Deliberata complentur, Scholis abstrahitur, & inter Palatinos Proceres Pontificalis domûs procurator exaltatur. Felix Regia tanto sustentanda Procuratore: sed felicior familia tam prudenti gubernanda provisore. Doctor puerorum fit Consul populorum, quique concutiebat crepantes ferulas inter carmina Poëtarum, discernit super civiles multiplicium causarum querimonias judicare.... legum ordinaria jura. Benedictio perituri super eum veniebat, & cor viduæ consolabatur; & conterebat molas iniqui, & dentibus ejus rapiebat prædam: quodque magis stupeas, ab omni munere manus excutiebat.

CAPUT VI.

Ubi cum Præpositurâ honor ei Archidiaconatûs tribuitur.

TErtiam jam ætatem hominum vivebat; nec erat ei verendum, ne vera prædicans videretur insolens aut loquax, ex cujus ore dulcior melle fluebat oratio. Ad præclaram enim magnitudinem animi doctrina uberior accesserat, & illud omninò canorum in voce splendescebat. Liberalis Procuratoris tam liberalem libertatem percipiens sancta mater Ecclesia, filium quem sibi nutrierat substractum suspirat, vi eisque forensibus custodem positum conquesta, ut etiam suam vineam custodiat, ordinari sibi Archidiaconum deposcit quo carebat. Senio gravescente defessus jamdudum Pontifex veretur invidiam, profusisque lacrymis super hac re cœlestis oraculi recurrit ad arcam: tandem apparente nube Divini consilii suscipit responsum, non absurdè sanctam Ecclesiam suum reposcere filium. Fit discidium prædicabile, fit divortium memorabile; Aulici potentiâ militari suum retentant Præpositum; Clerus & populus jure Catholico sibi viriliter extorquent Archidiaconum. Diuque pensatis viri virtutibus, accepto consilio, Dei nutu judicatur dignus sublimari non solùm Præposituræ dominio, sed insuper insigniri Archidiaconatûs officio. Et quia eum Divina clementia & sapientiâ & virtutibus exaltaverat, commodum duxit Episcopus eum magnificare, conferens Archidiaconatum cum ministerio Præposituræ.

CAPUT VII.

Quàm sanctè & religiosè in his officiis se habuerit.

ACceptis honoribus ita utebatur, ut perfruendis majoribus dignior judicaretur. Recipit mater Ecclesia non prodigum filium, porcorum siliquas esurientem, sed Symonem nostrum columbæ septemplicis filium, post esum serpentum reptiliumque Cæsaream introeuntem; Cornelique domum, scilicet sanctam Ecclesiam verbi Dei pabulo satiantem. Videres in uno homine Mariam & Martham, nunc circà frequens ministerium satagentem, nunc ad pedes JESU cum lacrymis & attentis orationibus cor pectusque tundendo suppliciter procumbentem. Modò cum Jacob in agro contrariis aëris tempestatibus afficiebatur, modò rediens domum lactis coagulos mellisque favos pueris partiebatur; nunc in navi residens, diversarum tempestatum marinis fluctibus premebatur; nunc introductus in cellam vinariam, per dilectionem Dei extendens se in amorem proximi, sanctæ charitatis exercebat fructus. En noster Salomon veri David filius, templum Domini sapienter administrat in cujus structurâ, nec securis, nec malleus sonat. En verus Moyses satris undis servatur, & in domum Pharaonis constitutus, gladio spiritûs quod est verbum Dei. . . . transit de portâ in portam, ut de-

Act. 11. 6.

struat, evellat, & ædificet & plantet. Temporum labente curriculo GERARDO Pontifici vergentibus annis ad occasum quarta supererat senectuti causa, quæ maximè angere atque sollicitam habere eam ætatem videtur, appropinquatio scilicet mortis, quæ certè à senectute non potest longè abesse; sed LIETBERTUS Levita magnificus, curiæ Pontificalis provisor sollicitus, quem honoribus exaltaverat, in omnibus eum sapienter juvabat.

CAPUT VIII.

De WALTERO *Cameracensi Castellano, &* JOANNE *Attrebatensi Advocato.*

ERat tunc temporis WALTERUS Cameracensis Castellanus, qui ob nimiam sui factûs superbiam, suæque potentiæ indicibilem insolentiam ab inimicis suis interfectus interiit; unicumque filium cum uxore suâ superstites reliquit; quæ quidem uxor ERMENTRUDIS nomine ab insaniâ mariti sui non cessabat, sed pejora quæque operans mariti malitias superexcellebat: & quia ut desiderabat, id per se adimplere non potuit, filius enim ejus puer erat, tyrannum quemdam nomine JOANNEM Advocatum Attrebatensem in conjugium sibi copulavit, suumque & filii sui tutorem esse constituit. Filius autem ille mox mortem obiit, secundùm quod scriptum est, *Cognatio impiorum peribit.* (Prov. 10. 28.) JOANNES autem satagebat quocumque poterat post mortem privigni castellaturam sibi transducere; quod lex nulla permittebat: obstabat insuper Rector sapientissimus, cui subrepere nullus poterat dolus. Unde confictis causis JOANNES inimicitias ei insimulabat, quin etiam ei mortem collaturum plerisque revelabat; sed quoniam justus in Deo confidit, parvi pendebat signifer matris Ecclesiæ consilia malignitatis, implere studens opere quem gestabat nomine trophæum libertatis.

CAPUT IX.

Quàm strenuè & prudenter LIETBERTUS *Novum Castellum custodierit.*

INterea Præsul infirmabatur, & cum ætatis decrepitæ molestiâ febris acutæ valetudine angebatur, ita ut à domo suâ nisi alterius manibus asportatus exire nequiret, neque disponere quid, quod sibi vel Reipublicæ utile foret. Libertas autem patriæ LIETBERTUS cum eo assiduus esse non poterat, quoniam apud Novum Castellum ejus custodiæ deputatum manebat. Ibi miles Christi totius provinciæ propter incursantium latronum rapinas, opportunas vicinias tutabatur, de cujus defensionis auxilio tam sui quàm externi, tam vicini quàm longinqui gloriabantur. Si quomodo quilibet hostis incursans ipsius provinciæ fines positos intrasset, auditis viri virtutibus & nomine, statim retrogradus, tamquam viator viso serpente refugit, necnon intrà securas latebras accelerando sese recipit. Pacis erat subsidium, salus provinciæ, pes claudo, lumen cæcis, defensio pauperum, spes viduarum, protectio pupillorum, timor hostis & arma suorum. Nec enim incursione, nec eminùs hostis aut cominùs gladiis utebatur, sed ratione, consilio & scientiâ. Et quamvis ad cunctorum nutum penderet & arbitrium, præferebat tamen omnibus domni Pontificis imperium, quem sæpiùs revisebat, necnon amaritudinem dolorum & infirmitatum, conturbationesque causarum consolationum suarum mellitis refocillationibus dulcorabat. Ut enim adolescentibus bonâ indole præditis sapientes senes delectantur, leniorque est eorum senectus, qui à juventute coluntur & diliguntur; sic adolescentes senum præceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur.

CAPUT X.

De morte GERARDI, *& electione* LIETBERTI *Archidiaconi.*

SUperveniente suæ vocationis tempore Præsul GERARDUS defungitur; Joannes tamen remanet in civitate castellaturâ indonatus. Porrò sepulto Pontifice cum reverentiâ quâ decebat & honore, convenit in unum Cameracensis Ecclesia, pari consensu electura domnum LIETBERTUM provehi ad Pontificatûs honorem. Hunc itaque Clerus & populus totis nisibus expetunt Pastorem, quem pium senserant contrà hostes protectorem; sciunt eum rapacibus non cedere lupis, quem Gerardi [a] & Joannis cæterorumque tyrannorum non cessisse noverant armis. Igitur pari consensu, simili consilio, consonâ voce ordinari sibi deposcunt Episcopum, quem plenum pietate & misericordiâ hactenùs habuerant Archidiaconum: justum quippe fuerat, ut ubi devotè militaverat, ibidem promotionis culmen obtineat: sed eo contradicente, simul humanæ fragilitatis multimoda discrimina sapienter opponente, capitur, trahitur, Pontificali throno sublimis exaltatur. Victus liberalis Archidiaconus modò precibus, modò ratione, non sine lacrymis cessit precantum votis; fit gaudium celebre pariter consonantibus signis, divini respectûs misericordiam laudantibus cunctis. Neque parvipendebant se se adeptos quod petierant: meritò quippe gratulabantur; qui per Deum boni Pastoris electione gratulabantur. Non enim viri virtutes & justitiam populi noverant famâ, sed dicto crebriùs in suis necessitatibus senserant experientiâ: cum laudibus hymnisonis ad aulam ducitur Pontificum, protensisque manibus omnes ei spondent fidelitatem.

CAPUT XI.

Electus cum aliis personis Cæsarem adiit.

POsthæc Henricum Regem adeunt novus electus, scilicet domnus LIETBERTUS Præpositus & Archidiaconus, aliique Archidiaconi, cum casatis Cameracensis Ecclesiæ, nuntiantes destructionis suæ casum flebilem, & Episcopi sui depositionem. Illis quippe diebus apud Agrippinensem Coloniam excubans super observationis Quadragesimæ diem Resurrectionis Dominicæ præstolabatur Dominicum, consulturus ibidem nobile suorum Palatinorum consilium. Audiens obitum tanti viri, piè ei, eo quod omnibus amabilis erat, condoluit, cœpitque quærere diligenter quis in loco ejus stabiliri potuisset. Sed quoniam veneranda dies superveniebat ea quæ Parasceves denominativum accepit, suorum sententiam Procerum super hac re dominus Imperator consulere distulit: cui quidem in hac re sollicito suggestum est à Cameracensibus, quòd LIETBERTUS ejusdem Cameracenæ civitatis Præpositus, qui suus jamdudum Capellanus erat, quem fidelissimum sibi & civitati illi sæpe necessarium probaverat, ad regendam Cameracensem Ecclesiam electus esset ab omnibus: idipsum tamen ne Dominicæ passionis sacramenta, Christianæque religionis ob suorum recordationem præceptorum Dominicorumque venerationem, supplicum votiva silentia intercidere videretur, interim siluit, donec sacrosanctæ Resurrectionis illucesceret dies. *O altitudo divitiarum* (Rom. 11. 33.)

[a] *Gerardi*] Imò *Walteri*.

sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! ô præclara divinæ dispensationis scientia! ô venerandam Catholicæ fidei gratiam! ô quàm gaudiosum, quàm conveniens est, ut eodem die Regali, necnon Imperiali liberalitate Levita magnificus LIETBERTUS obtineret Pontificalis electionis Regalem prærogativam, quo Rex Regum Christus victor rediens ab inferis, triumphato diabolo suum liberavit plasma! ô præsagium prudens! ô diem celebrem, in quo Liberator animarum & salvator universorum Lietberto Levitæ liberalem Pontificatûs largitus est provectum! Jam sanctum mane fenestras intrabat,

Noctifugasque suo radios spargebat in orbe,
Propellens tenebras Hecates phœbeia lampas.

cum Rex sopore depulso cubicularios vocat, sibique Imperialem sessionem parari mandat. Convocatis itaque Cameracensis Ecclesiæ Legatis, suæ voluntatis sententiam Rex eis aperuit, Lietbertum scilicet Præpositum se simul cum eis eligere Cameracensis Ecclesiæ Episcopum. Audito viri nomine subrectis in cœlum luminibus omnes Deum Regemque laudaverunt, Regiæque voluntati lætantes assensi sunt.

CAPUT XII.

De GUONE *ejus adversario.*

HUic Imperiali consilio cunctis assentientibus, submurando cœpit obsistere unus legatorum, scilicet Archidiaconus Guo, qui sicut aversus vocabulo, sic discors & judicio: hoc tamen probatum est eum fecisse duabus ex causis, factione Joannis prænominati, vel quòd huic adspirabat honori. Sed quia probata virtus corripit insipientes, mox à domino requisitus Imperatore, palam confessus est majoris & sublimioris honoris dignissimum, quem huic submurmurabat non aptum. Nam dum palam privatimque sciscitaretur, quid in viro Dei contradictionis & calumniæ nosset, respondit sub sacramenro veritatis & fidei, neque nosse, neque novisse quod ei officere posset: insuper protestatur Diaconum sine reprehensione, judicem ornatum moribus, benè Catholicum, domui Dei provisorem sapientissimum, confirmabat totum sine macula, quem Deus perfuderat gratia, adstruebat magnopere viri virtutes egregias, animi constantiam, sollicitudinem non pigram, jejuniorum vigiliarumque assiduitatem, orationum lacrymarumque devotionem. Ad hoc dominus Imperator substitit paululum, regalesque vultus componens, sic demum ora resolvit:

Plurima sanctorum relegentes gesta virorum,
Scimus Martinum virtutis culmine dignum
Tunc & laudatum, dum credit eum reprobatum
Præsul Defensor, non sanus ad omnia censor.
Consimilis facti, similis sententia pacti;
Lex eadem fraudis, si non par gloria laudis.
Unde per has notas quas præsens contulit ætas,
Culmine Pontifico, testante quod est inimico,
Ni defraudetur, me judice dignus habetur.

It cœlo clamor Dei cuncta gubernantis laudantium gloriam, dominique Regis confirmantium sententiam.

CAPUT XIII.

Ubi electio Domni LIETBERTI *ab Augusto & cunctis Principibus confirmatur.*

ELectus est in die sancto Paschæ domnus noster LIETBERTUS ab Imperatore, cunctisque Palatinis Principibus, atque laudatus & testificatus à suis omnibus. Videres omne palatium gaudio & exultatione repletum, ipsum etiam Imperatorem incipientem *Te Deum laudamus*, prosequentibus cunctis ad Ecclesiam cum hujus hymni jubilatione. Solemnisabat Mater Ecclesia coronata Episcopi resurrectione & victoriâ, plaudebat domni LIETBERTI celebri electione, præsertim ad prærogativam electionis Imperatoris. Actum est Agrippinæ in Palatio Imperiali, confirmatum in Ecclesiâ S. Petri Principis Apostolorum & cœlestis Clavigeri. Ita annuente Guone cum cæteris omnibus; donavit civitatem Cameracensem cum suis appendiciis omnibus domno LIETBERTO Imperator Romanorum HENRICUS III. Sic accepta missione, & omnibus competentibus adimpletis, properabat ad suam civitatem reverti.

CAPUT XIV.

Ubi Joannes Ecclesiam S. MARIÆ *& aulam Episcopi invadit, & extrà portas urbis eum claudit.*

FAma præcurrente nuntiatur Joanni quod factum fuerat; quâ de causâ nimium perterritus, diuque reputat quid facto opus sit, postea suis in unum coactis animi sui secretum revelat, affirmans domno Lietberto nullum civitatis introitum præbere, nisi sibi Castellaturam quam ambiebat priùs voluerit dare. Tali consilio matrem Ecclesiam Dominæ nostræ sanctæ MARIÆ violenter invasit, & ejectis Clericis thesauros Ecclesiæ & quodcumque intrò reperit, suæ ditioni mancipavit, militesque suos armatos inibi posuit; aulam Pontificalem superbus intravit, uxorem suam in cameram Pontificis introducens, stratumque suum in lecto Pontificis fecit parari, sibique, & satellitibus suis de sumptibus Episcopi præcepit ministrari. Cum hæc agerentur, novus civitati appropinquat domnus, cui Joannes cum parato occurrens exercitu portas clausit, & longè repulit ab introitu. Itaque divertens ad Novum Castellum cum honore & lætitiâ recipitur à suis, ibique aliquamdiù mansit.

CAPUT XV.

Ubi Comes Flandriæ electum Episcopum à Castello usque ad urbem secum deducit.

REdiens Comes Flandriarum BALDUINUS à Rege Francorum, eum ibi invenit, & de dominio ejus lætus effectus, usque ad civitatem Cameracensem secum deduxit. Appropinquantibus eis nuntiatur Joanni, qui mox fugâ lapsus liberum introitum concessit domno venienti. Exhilaratus gaudet Princeps patriæ, mox sacrandus Episcopus tum pro adeptâ gratiâ Imperatoris, tum de rabidi Joannis superatâ superbiâ, civitatem Cameracum omnimodis exaltare satagebat. Cives itaque qui diutinæ seditionis oppressione paupertati redacti fuerant, pacis dulcedine vivificati, quasi de barathro mortis resurgebant. Sollicitudine quidem & studio Principis novi in civitate Cameracensi, & circumquaque in omnibus appendiciis misericordia & veritas sibi obviabant, & pacis oscula libabant; aperta & reserata sunt omnia, nec fur inventus, nec prædo, neque quilibet injurians, qui damna inferat alicui. Clerici in Ecclesiis opulentiâ referti laudes Deo referebant; laici cum omni pace victualia sua conquærebant, *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt*, imò beatiorem Domnum, per quem tanta pacis subsidia pullularunt. Sic rerum gubernatore Deo Domini ac Patroni nostri principatus primordia disponente, subsidio pacis & religionis exhilarata gaudebat plebs civilis atque suburbana. *Psal.* 143, 18.

CAPUT XVI.

Ubi à Metropolitano & comprovincialibus Episcopis ejus electio approbatur.

REmensi Metropoli præsidebat GUIDO Antistes, vir sanè conspicuus, interque suos compatriotas per omnia clarus, cui quoniam sui juris id erat, de prænominatâ per idoneas personas electione suggeritur, suæque corroborationis auctoritas suppliciter imploratur, Episcoporum comprovincialium subjungitur epistolaris assensus, electique Pontificis dies consecrationis requiritur ab omnibus. Auditâ Remensis Metropolitanus tam religiosâ, tamque celebri electione, consideratisque viri virtutibus, Dei munificentiam laudat & ipse. Deinde constituto die locoque dirigitur epistola quæ paternè commoneat LIETBERTUM Levitam non tantummodò probatum ascendere gradum, quin potiùs regiminis præsulatum. Parantur comites & impensæ, suscipitur labor itineris, ne vel Dei, vel Metropolitani videatur jussionibus contraire; peragunt augustam legationem, mansionemque primæ noctis metantur apud Laudunum: suscipit Levitam lætabunda Laudunus, & jure fovebat hospitii; moxque præcessura cum hymnis & laudibus, cultu & religione canonicâ repatrianti Pontifici.

Tithoni croceum linquens aurora cubile,
Noctem pellebat, lucem radiosque ferebat,

dum comitibus experrectis matutinum iter arripitur, Remensemque civitatem versùs dirigitur, quo postquàm ventum est; dominoque Metropolitano innuitur adesse cum suis Cameracensem Archidiaconum, admittuntur quantociùs, inclinatur ad genua, ad oscula erigitur; cunctis invicem resalutatis, causæ dicuntur adventûs, quæ mox auctoritate Metropolitana corroborantur, cæteris idem prosequentibus. Sed quia non poterat tanta negotia subire solus, agitur inter eos quis Archidiaconum provehat ad honorem.

CAPUT XVII.

Ubi ab Episcopo Catalaunensi probatur ordinatus.

APud Catalaunum familiæ Episcopii dispensabat pabulum vitæ Præsul ROGERUS, vir vitæ venerabilis, & morum dote magnificus. Huic transmittitur provehendus ad Presbyterii culmen, atque docendus offerre sacrosancti corporis & sanguinis Christi vivificum libamen. Die constituto Levita provehendus procedit ad Ecclesiam sancti Protomartyris & Levitæ Stephani pignoribus ac nomine sacram; ingressus omni supplex corpore Deum toto mentis orat affectu, quatenùs Deo dignè promoveatur sancti Martyris meritis & interventu. Procedit & Antistes Pontificalibus infulis redimitus, sanctorum comitibus ordinum decenter introductus; more canonico factis scrutiniis, ordinandorum personæ præsentantur & nomina, inter quos & præ quibus domnus LIETBERTUS Levita: suis locis & competentiis consecrantur cæteri, donec ventum est ad ordinem Presbyterii; cumque ad manûs impositionem Pontificalis inter ordinandum diceretur novo Presbytero: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis*; infremuit, habitumque mentis vultûs significatione monstravit, liberalis ejus facies puritate mentis incanduit, oculi familiaribus lacrymis profluentes insignia Sacerdotalium vestimentum, quibus vestitus erat, sancto rore perfundunt. *Joan. 20. 22.*

CAPUT XVIII.

Ubi Episcopus consecratur, & tale prognosticon reperitur:

Hic est filius meus, in quo, &c.

FUnctus officio Presbyterii, quo noverat iter relegit, repetensque dominum Archiepiscopum, præstolatur postero die summi Sacerdotii Pontificatum, vigilias & jejunium protelat novus Presbyter in crastinum.

Postera jam tenebris surgens aurora fugatis
Illustrabat eum, quem Phœbus circuit Orbem,

cum Dominus Metropolitanus matutinalium hymnorum decursâ melodiâ fieri consessum mandat, Episcopisque diœceseos accitis de consecratione Cameracensis Episcopi tractat. Cunctis idipsum sentientibus itur ad Ecclesiam, citantur Æditui, exponuntur utensilia, signis consonantibus fit frequens conventus: infulis redimitus procedit Metropolita, consequuntur Pontifices populorum stipante catervâ. Dum ventum est ad id divini officii, ut ab Incentore diceretur, *Accedite ad eum & illuminamini*, signo dato sacrandus introducitur Episcopus, sistitur Deo, præsentatur Pontifici, recitatur electio & testificatur à cunctis; fit concursus populorum, fit strepitus gaudiorum, omnes in cœlum protendentes manus precabantur: erat enim pia commixtæ multitudinis; & sacrandi Sacerdotis in oratione positi exspectatio; & hi quidem omnes ut hæc consecratio confirmaretur invocabant Dominum: Metropolita verò toto mentis affectu proferebat orationes precum. Huic consecrationi palam contestatur gratia. Nam dum sanctorum codex aperitur Evangeliorum, repertum est quod ait: *Hic est filius meus in quo mihi complacui.* Delibutus oleo lætitiæ & exultationis, infulatusque Pontificalibus indumentis, donatus insuper Episcopio Cameracensi, benedictione completâ novus Episcopus intrat celebrare sacrosancta Missarum solemnia. *Psal. 33. 6.* *Matt. 17. 5.*

CAPUT XIX.

Quòd in eodem conventu Regis Francorum uxor desponsata, & coronata fuit.

REgnum Francorum Rex regebat HENRICUS, vir armis strenuus, & Regno quod tenebat dignus, qui juvenili florens ætate nullius adhuc copulæ subierat connubium, sed Rusciorum gentis Regis filiam Francorum nobilitas ei parabat. Audiens Cameracensis Episcopi consecrationem futuram, quoniam videre virum diù peroptaverat, interfuit; acturus quoque sui negotii causam, petiit ut sponsa quæ sibi parabatur in eodem Conventu benediceretur, Regalique consecratione pariter insigniretur. Huic Regiæ consecrationi dominus noster LIETBERTUS Episcopus interfuit & præfuit.

CAPUT XX.

Comparatio sponsæ Regi Francorum conjunctæ, & Ecclesiæ Præsuli LIETBERTO commissæ.

REgi Francorum conjungitur carnalis sponsa, domno LIETBERTO Cameracensium Pontifici, Regio & Sacerdotali cubiculario, sancta committitur Ecclesia; sed hæc copula quanto sanctior, tanto melior; illa sobolem generat carnalem, ista adoptionis procreat sanctam progeniem; illa corruptionis, ista virginitatis: sic enim ait Apostolus: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*; illa in dolore parit filios, ista cantans ex aquâ & Spiritu sancto renasci facit: Regi Francorum *2. Cor. 11. 2.*

ducitur filia Regis terreni, domino nostro Lietberto Præsuli committitur sponsa Regis Regum Christi.

CAPUT XXI.

Ubi Laudunum veniens cum honore suscipitur.

OMnibus peractis, & suâ benedictione & Regiâ consecratione, repetit iter quo venerat, divertens apud Laudunum hospitii gratiâ: præcurrentibus nuntiis audiunt venientem, gaudent omnes, exultat civitas, coronatur Ecclesia, more Ecclesiastico procedunt omnes obviam: susceptum ducunt ad Ecclesiam, perfruuntur ejus benedictione, quam præferunt omni auro & lapidi pretioso, cum summâ devotione.

CAPUT XXII.

Ubi ab urbe propriâ cum lætitiâ & gloriâ suscipitur.

F*Ama volans celeri cursu, rumore secundo* nuntiat Cameracensibus cum gloriâ benedictionis Antistitem suum venire. Omnes exhilarantur, juvenes & virgines, senes cum junioribus, quantoque potest tripudiat gaudio omnis ætas, uterque sexus: adest illa dies omni die sanctior, in quâ Cameracum obtinere meruit sibi præesse Lietbertum Præsulem. Felix ille dies, in quo Cameracensis Ecclesia suscepit Episcopum, qui se se formam justitiæ & veritatis omnibus præbuit & exemplum! felix inquam dies, in quo Lietbertus libertas publica possidet Cameracum, liberaturus plebem sibi commissam de fastu superborum & rabie tyrannorum! ô felix festum, festique diei gaudium, in quo mortua nobilitas reviviscit, captivata libertas ad libertatem redit! hunc diem annum jubilæum dixerim, cum cuique jura sua restituuntur. Tunc possessor magnificus suam intrans civitatem, & susceptus cum honore & reverentiâ vadit ad Ecclesiam, suarum ovium magnâ stipante catervâ.

CAPUT XXIII.

Quòd eâdem die orans in Ecclesiâ omnes ad affectum devotionis commovit.

QUas ibi preces, quas fuderit lacrymas, quæ cordis puritate traxerit suspiria, testis est spiritus qui scrutatur omnia: orabat tantâ Dei gratiâ plenus, ut omnium oculos in se converteret, atque ad devotionis affectum compunctionisque gratiam corda moveret. Putares publicanum à longè stantem, pectusque percutientem, nec oculos in cœlum levantem. Diceres Petrum cum Joanne in portâ speciosâ claudi gressus erigentem, vel in Joppe Thabitam suscitantem. *Act. 3. 2.*

CAPUT XXIV.

Quòd post orationem verbum fecit ad populum.

COmpleta oratione conversus ad circumstantes pro tempore pauca loquutus est: » Hortor » vos homines & proximi mei, meque ipsum hortor vobiscum, ut ad id quo nos Deus per sapientiam hortatur, quantâ possumus celeritate curramus: non diligamus mundum, quoniam omnia sunt concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi: qui enim magis amant ire quàm redire, in longinquiora mittendi sunt; quoniam caro sunt & spes ambulans & non rediens: qui verò benè utitur vel ipsis quinque sensibus corporis ad credenda & prædicanda opera Dei, & nutriendam charitatem ipsius, vel actione vel cognitione ad pacificandam naturam suam, & cognoscendum Deum, intrat in gaudium Domini sui; propterea talentum, quod malè utenti aufertur, illi datur qui talentis quinque benè usus est; non quia transferri potest acumen intelligentiæ; sed ita significatum est posse hoc amittere negligentes & impios ingeniosos, & ad eam pervenire diligentes & pios, quamvis ingenio tardiores. Non enim datum est ei qui duo acceperat; habet enim ex hoc, quia jam actione & cognitione benè vivit, sed ei qui acceperat quinque; nondum enim habet ad æterna contemplanda, qui visibilibus tantum, id est temporalibus credit, sed habere potest qui horum omnium visibilium Deum artificem laudat, & quidem persuadet fide, exspectat spe, & quærit charitate. Qui verò malè utuntur tanto mentis bono, dabuntur eis exteriores tenebræ: & hoc significare arbitror quòd ligantur eis manus & pedes, id est facilitas omnis aufertur operandi. Hoc enim in eis perficietur post hanc vitam, quod in hac vitâ plùs diligunt. Sed si concordemus cum adversario, dum simus cum illo in viâ, liberabit nos de corpore mortis hujus gratia Dei per Jesum-Christum Dominum nostrum. « *1. Joan. 2. 16.*

Hac & simili sanctiorique recreatos admonitione, necnon sanctificatos pontificali benedictione dimittit ad propria.

Egregios mores exhinc carnisque labores
Dicemus promptè, Domino vitâque volente,

CAPUT XXV.

Qualem se in Episcopatu verbo & exemplo exhibuerit.

COnstitutus in sede Pontificali qualis quantusque vixerit scribere quidem non opis nostræ est, sed ejus qui dat affluenter, & cum dederit non improperat; de cujus gratuito munere fisi, quantum donaverit dicemus, quantumque majorum series perstrinxit in annalibus: recitabimus inquam, non ut decet, sed pro posse pontificis opera, partim cum suis familiaribus clam operata, quædam ut in odorem unguentorum ipsius currant adolescentulæ misericorditer effusa. Turrim pingimus David quæ ædificata est cum propugnaculis, de quâ pendent mille clypei, id est omnis armatura fortium adversùs principatus & potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contrà spiritalia nequitiæ in cœlestibus constituta in Libano, & respicit contrà Damascum, discernens inter bonum & malum, ut se ignorans ingrederetur & abiret post vestigia gregum, pascens hædos juxtà tabernacula pastorum. *Jacob. 1. 5.*

Studiosus divinæ legis Pontifex exemplum suis ita vivebat, ut ab immodesto corporis cultu & ornatu, ab inanibus negotiis ludorum, à torpore somni & pigritiæ, ab æmulatione, obtrectatione, invidiâ, ab ipsius etiam laudis immodicâ cupiditate se abstineret: amorem verò pecuniæ totius suæ spei certissimum credebat esse [b]. Nihil faciebat imprudenter, nihil audacter: in peccatis autem suorum vel pellebat omninò iram, vel ita frænabat ut esset pulsæ similis. Magnopere observabat cum vindicabat, ne nimium; cum ignoscebat, ne parum: nihil puniebat quod non valeret ad melius; nihil indulgebat quod verteretur in pejus. Quos putabat dominos [c],

b *credebat esse*] Hic vox quodam deest, puta *detrimentum*, aut alia quædam similis: quod Acherius vidit.

c *putabat dominos*] Sequebatur, *in quos potestas sibi dota fuerat*, quod ex alieno loco suum in locum transtulimus.

eis ita serviebat, ut eum dominari puderet; in quos potestas sibi data fuerat, ita dominabatur, ut eos servire delectaret. In alienorum peccatis molestus non erat invitis. Inimicitias vitabat cautissimè, ferebat æquissimè, finiebat citissimè: in omni contactu atque conversatione cum hominibus diligenter servabat illud vulgare proverbium: Nemini facias quod pati non vis. In omni loco, tempore, amicos aut habebat aut habere studebat, obsequebatur dignis etiam non hoc expetentibus, superbos minùs curabat, minimè erat. Aptè congruenterque vivebat, Deum colebat, cogitabat, quærebat fide, spe, charitate. Hac in virtute animi diligenter positus optabat tranquillitatem, atque certum cursum studii sui, omniumque conviventium, & sibi, quibusque poterat, mentem bonam, vitam pacatam.

Ita novus homo & interior & cœlestis, proportione, non annis, sed profectibus distinctas quasdam spirituales ætates suas ad summam & incommutabilem legem passibus rationis imitebatur, & emicans in virum perfectum atque aptum & idoneum omnibus mundi persequutionibus sustinendis atque frangendis, vivebat pacatus in opinionibus & abundantiâ ineffabilis sapientiæ, mutatus ad oblivionem vitæ temporalis, & transiens in perfectam formam quæ facta est ad imaginem & similitudinem Dei. His gradibus justitiæ temperanter scandens ad thronum prudentiæ, fortiter hærebat Deo, non ut ab eo aliquid boni extrà mereretur, sed cui nihil aliud quàm ipsum hærere Deo bonum fuerat. Hic vir quamdiù fuit in hac vitâ utebatur amicis ad rependendam gratiam, utebatur inimicis ad patientiam, utebatur quibus poterat ad beneficentiam, utebatur omnibus ad benevolentiam; & quamquam temporalia non diligeret, tamen rectè utebatur temporalibus, & pro eorum sorte consulebat hominibus, si æqualiter non poterat omnibus; quare si aliquem familiarium suorum promptiùs quàm quemlibet alloqueretur, non eum magis diligebat, sed ad eum majorem habebat fiduciam, & apertiorem temporis januam: tractabat enim tempori deditos tanto melius, quanto minùs ipse obligatus esset tempori: postremò in omnibus officiis laboribus, futuræ quietis certâ exspectatione, non frangebatur: & quoniam delectabat eum libertas, quam nomine & opere præferebat, ab amore mutabilium rerum liber esse appetebat.

CAPUT XXVI.

Quòd in operibus & passionibus Christi meditabatur.

Ideoque deponens omne pondus, & omne circumstans se peccatum, per patientiam currebat propositum sibi certamen, aspiciens in auctorem fidei & consummatorem CHRISTUM JESUM, qui ut sanctificaret per suum sanguinem populum extrà portam passus est. *Heb. 12. 2.* Considerabat quàm misericorditer humano generi consultum est, cum ipse Dei filius consubstantialis Patri hominem suscipere dignatus est, & habitavit in nobis; ita enim demonstravit carnalibus, & non valentibus intueri mente veritatem, corporisque sensibus deditis, quàm excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, quod etiam potuit & in aliquo æthereo corpore ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato, sed in hominibus in vero homine apparuit. Ipsa enim natura erat suscipienda, quæ & liberanda; & ne quis sexus à suo Creatore se contemptum putaret, suscepit natus ex fœminâ: nihil egit vi, sed omnia suadendo; monendo conciliavit nostram fidem Deo miraculis, qui erat homini passione similis: loquens ad turbas, doctrinâ Deus apparebat, ætatibus homo. Populi satellites voluptatum, divitias appetebant, pauper esse voluit; honoribus & imperiis inhiabant, Rex fieri noluit; contumelias horrebant, omne contumeliarum genus sustinuit; injurias esse intolerabiles arbitrabantur, quæ major injuria, justum innocentemque damnari? Dolores exsecrabantur corporis, flagellis & spinis cruciatus est; ignominiosum genus mortis crucem putabant, crucifixus est; mori metuebant, morte multatus est; omnia quæ evitare cupiebamus à studio veritatis deviantes, perpetiendo dejecit. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea quæ ipse contemsit, aut fugiuntur quæ ille sustinuit. Tota itaque vita ejus in terris per hominem quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit.

CAPUT XXVII.

Quòd his meditationibus compunctus, concipit desiderium pergendi Hierosolymam.

His cæterisque beneficiis benè compunctus Deo dignus Pontifex, ut obsequeretur Apostolo dicenti: *Exeamus ad eum extrà castra, improperium ejus portantes: non enim habemus hìc manentem civitatem, sed futuram inquirimus:* *Heb. 13. 13.* toto mentis affectu concepit desiderium pergendi Hierosolymam; sed neque gratiâ videndi lapides turrium, aut domorum culmina, sed amplectendi & osculandi vestigia pedibus JESU calcata. Beatum quippe fore credebat præsepis angustias videre, vagientem puerum mente cum pastoribus adorare; in Golgotanâ Ecclesiâ beatæ passionis, crucifixionis & mortis sacramenta celebrare; cum beatis mulieribus ad sepulcrum Christi mortem flere, prorsùs intrà septa sepulcri suas suorumque noxas fletibus diluere, in montem Oliveti super cœlos ascendentem Christum cum MARIA Matre JESU, beatisque Apostolis intimo cordis affectu sequi velle: sed ut prudenter id ageret, meditatur qualiter, vel civitatem vel Ecclesiam sibi commissam tranquillam pacatamque relinqueret, totique patriæ propugnatorem & defensorem idoneum provideret.

CAPUT XXVIII.

De HUGONE *puero, & custode illius* ANSELLO.

Eodem tempore lapso fugâ Joanne Atrebatensi Advocato, sicut dictum est, præcavens Pontifex in futurum, & timens ne vel ipse Joannes, vel quilibet tyrannus huic similis prædictam Castellaturam de quâ idem Joannes projectus fuerat, aut vi aut ingenio intraret, & postea justus heres eam repetens inde turbas faceret, HUGONEM Gualteri Castellani nepotem, qui proximus erat heres, adscivit, eique Castellaturam concessit: & quia iste Hugo adhuc puer erat, sed propinquum quemdam ANSELLUM nomine, moribus & armis egregium habebat, hujus custodiæ puerum deputat, quem Ansellus ille usque ad præfinitum tempus cum omni Castellaturâ fideliter & optimè rexit. Joannes Castellaturâ privatus, nec quidquam mali proinde adversùs Episcopum præsumens facere, (prohibitus enim fuerat à Comite Flandrensi Balduino, cujus antea Miles erat) ipsum reliquit; & ad Imperatorem HENRICUM se contulit. Erant tunc temporis maximæ simultates & inimicitiæ inter Imperatorem & prædictum Comitem, cujus rei seriem, quoniam in gestis pontificalibus legitur & pleniùs describitur, omittimus, & ad exequendum Pontificis iter stilum dirigimus.



CAPUT

CAPUT XXIX.

Ubi cognito Episcopi proposito dissuadent plurimi.

ITa Ansello procuratore & propugnatore Cameracensi patriæ constituto, Pontifex de ejus fidelitate confidens & diligentia, paulatim sua suorumque in rebus publicis intermittebat negotia, totoque mentis conamine concepti itineris procurabat impendia. Interim satagebat magnopere, quatenus id celatum esse posset. Sciebat quòd si resciretur proculdubio contradiceretur: sed, ut ait Scriptura, *Frequens meditatio carnis afflictio est*: Submissus aspectus, macilenta facies, assiduitas vigiliarum, frequens solitudo, propalabant quod celare volebat. Tandem conventus familiariter à suis, cordis aperit secretum, quærit consilium: mente consternantur omnes, dissuadent plurimi, proponuntur multimoda causarum discrimina, mortis intercessio, patriæ desolatio, simul Ecclesiæ sibi commissæ destitutio. Quibus mens sanior fuit, altiùs considerantes Pontificale propositum, verentur contradicere, metuentes ex hoc Dei, vel domini sui animadversionem subire. Domino Pontifice protestante, *Reddam Deo vota mea quæ distinxerunt labia mea*, non sine fletu pariter omnes assentiunt.

Eccles. 12. 12.

Psal. 60. 9.

CAPUT XXX.

Ubi confirmato consilio fœderantur via comites.

COnsilio confirmato fœderantur comites, inter quos & præ quibus hi, quorum nomina subtitulamus, domnus WALCHERUS Archidiaconus & Præpositus Curiæ, HUGO Capellanus, cujus sanctitatem, monstrant Claustra Canonicorum Ecclesiæ Matris, monstrat Monasterium Aquicincinctense, ERLEBOLDUS Judex & Procurator civitatis, & alter ERLEBOLDUS cognomento Rubeus, quem qualis fuerit, prædicat Ecclesia Sanctæ Crucis: sed hi duo, scilicet domnus Walcherus & Judex Erleboldus, quantæ sanctitatis fuerint, qualesque cooperatores & adjutores domni Pontificis, suo loco dicemus, si Deus voluerit.

CAPUT XXXI.

Ubi egrediens à Cameraco Hierosolymam pergit.

MIllesimo quinquagesimo-quarto Dominicæ Incarnationis anno, missione tam Cleri quàm populi vix impetratâ, libertas patriæ, Ecclesiæ decus, Deo dignus Pontifex LIETBERTUS egreditur à civitate suâ Cameraco tenens iter Hierosolymam versùs; prosequitur eum ferè ad tria millia non sine lacrymis & immensis gemitibus omnis ætas utriusque sexûs. Præterlegens civitates & oppida, civitatum regiones & provincias, montium discrimina, sylvarum pericula, cultu, moribus & lingua barbaram quam colunt Huni transmeat patriam: & ut prolixioris vitæ lucraretur compendium, transvadato Danubio penetrat Pannoniam, sancti Martini nativitate præclaram.

CAPUT XXXII.

Ubi à Rege Pannoniæ reverenter excipitur.

NUntiatur Regi ab exteris partibus habitu peregrino quosdam venisse homines, sui Regni fines transire volentes, qui mox accitos sibi præsentari jussit. Videns itaque Rex Pontificem, Dei nutu mutatâ mente pristinâ surgit citiùs à solio, necnon officiosissimè salutatum invitat in consistorio, quærit causas itineris, miratur auditis, miratur talem ac tantum virum tam difficilis pondus subiisse laboris: sed quoniam illis diebus vix quilibet aut penè nullus hoc iter arripiebat, cogitabat ne simularent id alterius negotii gratiâ, unde vocatis suis jubet eos evestigio diligenter observari, ne moliantur quidlibet sinistri. Exploratâ per aliquot dies religiosâ Pontificis sanctitate, simul auditâ in stipendiis pauperum liberalissimâ largitate, in vigiliis, orationibus, jejuniis, assiduitate, devotus Rex impendit obsequium, quodque petebat sibi suisque Pontifex, præstat libens auxilium. Jam quippe sub ejus contubernio tanta tamque multiplex copia populi coïerat, ut exercitus Domini diceretur; sic usque in extremos fines Regni sui, dato duce, Dei procurante misericordiâ securum concessit abire.

CAPUT XXXIII.

Ubi socios metu Barbarorum exterritos hortatur ne paveant.

PRætergressus Romanorum fines limitaneos, ingreditur solitudines saltuosas, quas deserta Bulgariæ nominant, quasque latrunculi Scythicæ gentis inhabitant. Hi degentes more ferarum nullis coërcentur legibus, nullis continentur urbibus, subdio manent, quas nox coëgerit sedes habent, prætereuntes obsident, obvios interficiunt, cæteros deprædantur, gregatim vadunt, omnia sua secum portantes cum totâ supellectile, parvulis & uxoribus: nullius hæresis nominatâ sectâ, nullius religionis divino cultu tenentur; tamen sicut ex eorum interfectis vidimus, more Saracenorum circumciduntur, barbari, crudeles, homicidæ, sine affectu, sine pietate.

Has mortiferas Præsul ingrediens cum illo suo comitatu solitudines, obvius fuit quibusdam refugientibus, suique refugii causam flebiliter intimantibus. Quamplures terrentur, pariterque retrocedere cum refugientibus meditantur. Narrabant se se latronum cuneos incurrisse, suorum plurimos oppetiisse, cæteros ad internecionem vulneratos ut videre erat, vix evasisse; conturbantur omnes, divinique respectûs misericordiam flebiliter implorant, quoniam quid facto opus sit ignorabant. Audita domnus Pontifex turbatæ multitudinis lamentatione, pedes enim subsequebatur solus ut attentiùs vacaret psalmis & orationibus, substitit, & cur lamentarentur inquirit: cognito casu signum sanctæ crucis indidit, erectâque dextrâ quâ iturus erat parte, signavit, post recolligens secum verba psalmi quibus orabat, invenit hunc versum: *Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salva me.* Sic miles Christi paulumum progreditur, cunctosque qui aderant breviter alloquitur. Psal. 58. 3.

« Commilitones mei, non vos deterreat adversarius vester diabolus; qui *tamquam leo circuit quæ-*
« *rens quem devoret*; *cui resistite fortes in fide*; quo- 1. Pet. 5. 8.
« niam *si Deus pro nobis, quis contrà nos?* Qua- Rom. 8. 31.
« propter *induite vos armaturam Dei ut possitis stare*; Ephes. 6. 11.
« *& in omnibus perfecti esse*: quia tentat vos Deus
« vester, ut sciat si diligatis eum; sed faciet cum
« tentatione proventum ut possitis sustinere. Prope-
« rantes iter quod arripuistis accelerate, quia nemo
« mittens manum suam ad aratrum, & respiciens
« retrò, aptus est regno Dei.

Ita miles Dei Christi cum suo familiari & domestico comitatu princeps graditur, exercitumque Dei ne paveat exhortatur. Decem & eo ampliùs diebus peragrant eas solitudines, per quas, ut dictum est, semper Saraceni sedibus incertis huc illucque vagantur.

CAPUT XXXIV.

Ubi optat aut ab eis occidi aut captivari pro Christo.

CUmque jam die septimo crederetur evasisse periculum, vident subitò sessores equorum camelorumque latrunculos inter condensa sylvarum cristatis vittatisque capitibus, ac seminudo corpore pallia trahentes & latas caligas: pendebant ex humeris pharetræ: laxos arcus, & hastilia longa ferebant: quibus visis terrentur cæteri, sed Domnus Pontifex fit hilarior, sperans comprehendere bravium, pro quo tanti cursûs subierat laborem. Hoc erat in votis, hoc toto mentis amore sedulus orabat, ut ab his intermeretur, vel captivus in exteras & barbaras nationes propter nomen Christi distrahendus duceretur. Proponebat sibi devotæ mentis affectu, felici commercio pro redemptione generis humani distractum Salvatorem, ut jura mortis destrueret vivificæ crucis subiisse passionem: unde peroptans existere martyrii & calicis Christi particeps, & communicare Christi passionibus, ut in revelatione ejus gauderet, dicebat; *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tibi.* Psal. 55 12. Sed qui regit orbem terrarum in æquitate, Cameracensis Ecclesiæ precibus attendens quibus ei suum deponebat diu noctuque Pontificem, in hoc tanto mortis discrimine cum suis omnibus eum conservavit incolumen. Videres in adventu Pontificis obrigescere miseros, inque suo conatu deficere, quodque magis stupeas, cedendo loco viam transeuntibus quodammodo demonstrare. Hoc modo dignus Deo Pontifex cum suis comitibus mortiferam regionem latronumque domicilia pertransiit indemnis.

CAPUT XXXV.

Ubi Ecclesiam Dominici sepulcri à Rege Babyloniæ obseratam audivit.

INgressus Dalmatiam, locisque peragratis in quibus olim Diocletianus thermas ædificando diversa mortis intulerat supplicia Christi Martyribus, cursum flectit. Isauriam versùs, quam præteriens devenit Chorinerum, illicque audiens Demetrii sancti inter Martyres præclari corpus quiescere, sepulcrum ejus expetiit, totoque mentis affectu meritis ipsius Divinum auxilium quærit: inde progressus Laodiciam Syriæ pervenit. Comperiens Ecclesiam Dominici sepulcri Christianis ejectis à Rege Babyloniorum violenter obseratam, viamque Paganorum metu per terram penitùs interclusam, per tres menses in eàdem civitate moras fecit; sed cæteris de profectione desperantibus, ac ubique locorum dispersis, ipse cum suo nobili familiarique comitatu perstitit: & quia terrâ non poterat ire, marino itineri se committit: litoribus prospectis, naviumque magistris diligenter inquisitis priorum numerus computatur, victualia conveuntur, ne signo dato mora fieret in eundo.

CAPUT XXXVI.

Ubi Fulcherum ægrotantem Deo & Matri ejus committens, iter cœptum exequitur.

DUm tempus navigandi aptum præstolatur, unus comitum videlicet domnus FULCHERUS decidit in lectum. Cumque languor in dies augmentaretur tempusque navigandi superveniret, domnus Pontifex magnis cogitationum quatiebatur fluctibus, angebatur utrum navigationem differret, anne comitis ægrotantis discrimen exspectaret. Crescente languore tempus navigationis effluebat, & mentem Pontificis metus cum desiderio torquebat: metus, ne comes fidelissimus eo absente defungeretur: desiderium, ne cœpti itineris tempus intercluderetur. In hoc mentis angore posito Pontifice, ægrotantis salus à medicis desperatur, tactuque venarum per indiculum pulsûs diutinæ passionis futura mors denuntiatur. Tempus aderat, navisque magister navigationis iter parabat, profectionis tempus & horam pronuntiabat, singuli citabantur, præripientium sibi destinatas stationes magnus erat tumultus. Quid ageret miles Christi? desereretne comitem, an differret navigationem? Non tulit ampliùs Omnipotens eum perturbari, quem sibi videbat devotè famulari, indidit consilium: qui Petro mergenti porrexit manum, reddidit ipsius memoriæ responsum, quod quondam dedit volenti sepelire patrem suum: *Relinque mortuos sepelire mortuos suos.* Matt. 8. 22. Hac voce Salvatoris corroboratus, vicit dilectione Dei necessitatem carnis, revisit ægrotum, & velut in corpore mortuo ultimum quodammodo trahentem spiritum, quem modò voce, modò nutibus compellans, quomodocumque poterat missionem petebat: sed æger quamvis sæculo jam traderetur alteri, voces atque singultus recognoscens Pontificis, resumpto spiritu oculos aperuit, eumque gravi difficultate verba loquentis intelligens, similiter petit & ipse missionem; tamquam qui recederet à sæculo; quem venerabilis Pontifex, cum maximis lamentis totoque mentis affectu Deo commendans, sancto committit Andreæ Apostolo, atque gloriosæ Reginæ MARIÆ Genitricis Dei precibus & meritis: nec mirum, quòd eum quem diligebat illis Sanctis deposuerit, quos præ cæteris omnibus attentus excolebat.

Post hæc velut ultimum vale dicentes & osculum pacis dantes invicem, domnus Episcopus ire perrexit, ægro remanente ibidem, qui quamquam desperatus à medicis, à comitibus derelictus, jam videretur defungi, tamen benedictione recreatus Pontificis, refocillatus lacrymis, quantulumcumque respiravit, mentisque vigore quomodocumque poterat vocis aërem traxit: de hinc apud se recolligens verba quibus domnus Pontifex ipsum sancto commiserat Apostolo Andreæ, quibusque imploraverat sanctam Dei Genitricem, per se intima trahens cordis suspiria lacrymis obortis ait, (ut ipse postmodum testatus est) O sancte Andrea, cujus me tutelæ dominus meus Lietbertus Episcopus commisit, cujusque memoriam in Cœnobio quod est apud Novum Castellum situm excolit, si tu verè ille es Andreas decorus, virilis Apostolus Christi, amicus Dei, quem Dominus dilexit in odorem suavitatis, succurrere festina, miserere, digitumque tuum intingens in oleo misericordiæ Genitricis Dei Dominæ nostræ Sanctæ MARIÆ, precibus tuis animam deficientem sustenta, laborantem adjuva, succurre amice Dei per secretum Christi magistri tui. Jam morior, & quod per me non possum, misericordiam posce pietatis, quatenùs mihi subsidietur; non meis meritis quibus pœna mortis debetur, sed ejus qui me vobis commisit lacrymis & precibus. Noctem illam Pontifex duxit insomnem; se suosque Deo commendans gemitibus solitis, votisque supplicibus morientis amici vitam.

CAPUT XXXVII.

Ubi FULCHERIUS moriens duos Dæmones sibi insistentes vidit.

JAmque propinquabat noctis quarta vigilia, cum cæteris qui in domo erant in quâ decumbebat lan-

guidus soporatis, visus est sibimet quasi semivigilans obdormivisse, & ecce videt binos Dæmonum spiritus contrà se stare, ferream tridentem flammivomamque velut de fornace ignis erutam ferentes, quam, sicut idem retulit, mortis aculeum nominabant: dicebant enim se ad hoc detulisse, ut eam cordi ejus affigerent, & sic animam ejicerent. Quis timor ille, Deus! quis dolor! quæ angustiæ! laborabat æger, laborabat & deficiebat, aspiciebat ictus ferire minantium, penitusque dissolvebatur, singultiens dissolvebatur, & inter singultus tantùm sonabat, *S. Virgo Virginum Mater* Jesu, *S. Andrea.*

CAPUT XXXVIII.

Ubi Virgo MARIA *cum Andrea Apostolo* FULCHERUM *visitans Dæmones increpat.*

IN hoc tanto tamque terribili tribulationis articulo, inter caligines & umbras mortis cœlitùs effulgurans irradiat locum suâ sanctissimâ potentiâ, Stella maris, Mater pietatis, & si dici fas est, pietas pietatis, cujus precatu pietas Dei parcit peccantum culpis; adest, inquam, spes miserorum, salus debilium, gaudium Christianorum, Dæmonum forte lamentum, ferens dexterâ quâ Christum pannis involutum reclinavit in præsepio, vivificæ crucis signum: sinistrorsùm acclinis super S. Andream Apostolum: Ecquid, inquit, nequissimi spiritus tantus terror furoris vestri? quo ruitis? quæ tanta superbia vobis est?

Tantane vos generis tenuit fiducia vestri,

ut eos qui nobis commissi sunt vindicare velitis? Quid vobis & ægro quem filius meus reddit sospitati hujus sancti Andreæ precibus? Abite hinc quantociùs, abite. Cujus ad imperium dicto citiùs evanescunt illi Dæmonum spiritus. Tunc Mater pietatis ægrum respexit vultu serenitatis, vultu quo plorantem deducebat Filium; vultu quo inter convivantes suggerebat deficere vinum: illo, inquam, vultu quo dolentem respexit Theophilum, vultu dulcedinis & gratiæ: eo, inquam, vultu languidum jam penè mortuum Dæmonum manibus erutum respexit, & ut surgeret, Pontificemque sequeretur imperando significavit: sicque recessit.

CAPUT XXXIX.

Ubi FULCHERUS *effectus sospes eàdem die Episcopum subsequitur.*

RECedente visione, qui sibi dormire videbatur æger oculos aperuit, & ita se sanum sospitemque reperit, ac si nihil mali pertulisset: mox clamato puero qui sibi ad hoc remanserat si moreretur, ne insepultus maneret, præcepit ut quantociùs vestimenta sibi deferret, viæque Pontificem subsequuturæ necessaria cuncta pararet. Illo eum amentem putante, protinùs surrexit, ipse dominum domûs vocavit, quantum pro impendiis sibi collatis debeatur quæsivit; computatis & redditis, equos suos quàm celeriter parari jubet, puerumque supellectilis suæ nihil oblivisci monet, quem non solùm paterfamilias in cujus hospitio manserat miratur incolumem, sed & omnis vicinia gaudet sospitem. Gaudet cuncta civitas & applaudit, quoniam quem præcepto Evangelico statuerant morientem serò sepelire, cernebant mane velocibus equum suum passibus emittere: ipse verò cunctis quærentibus lætus referebat quanta sibi per suam gloriosam Genitricem, sanctumque Andream Apostolum fecisset Deus; inde gradu citissimò suo comitatus cliente festinat consequi Pontificem, quem pietas & providentia Dei detinebat in littore. Sol exoriens oculis nautarum crinitos infuderat radios; quibus visis Magistro puppis futuram prænotabant tempestatem: consilio communi præstolabantur donec horâ diei mediâ captarent quid solis splendor portenderet. Inter hæc horâ diei tertiâ dum Pontifex in littore deambulando pensaret miserias vitæ præsentis, secumque ploraret casum derelicti fidelis, nuntiatur ei à prospicientibus domnum venire FULCHERUM: primò stupefactus, dehinc mentem recolligens inquirit qualiter id scirent; illis referentibus equos quos equitare solebat, sed & vestimenta ejus veraciter vidisse, suspirans respondisse fertur: Potest esse? non est Fulcherus, sed fortassis puer ipsius qui sepulto domno nos prosequitur: nam Fulcherum nisi solâ Dei clementiâ jam non spero videre, attamen non diffido de Christi misericordiâ, quæ sororibus reddidit Lazarum, viduæ filium unicum, quippe credulus quibus eum fidejussoribus deposueram. Dum hæc secum loqueretur, & intenti venientes prospicerent, adest FULCHERUS. O quàm fuerit gaudiosum gaudium, quàm læta lætitia, noverit mens humana. Quid qualiterve sibi contigisset non erat referre licitum, tantus erat tumultus, atque tanta frequentia se se complexibus ejus ingerentium.

CAPUT XL.

Ubi inopinatè recepto comite Episcopus navem ascendit.

ACcepto comite jussu nautarum domnus Pontifex navem conscendit cum suis. Nautæ remis insurgunt viribus totis,

Prosequitur surgens à puppi ventus euntes, *Virgil. Æneid. lib. 3.*

linquunt Laodiciæ portus, pelagoque volant, crebris legunt freta concita terris; vela pandunt & cavâ trabe vastum currunt æquor. Postquàm altum tenuit navis, nec jam ampliùs ullæ apparent terræ, cæruleus suprà caput adstitit imber, noctem hyememque ferens, & inhorruit unda tenebris. Continuò involvunt venti mare, nigraque surgunt æquora, periclitantes jactantur gurgite vasto: involvêre diem nimbi, & nox humida cœlum abstulit, ingeminant abruptis imbribus ignes, excutiuntur cursu, & cœcis errant in undis: ipsi peritissimi nautæ quodammodo marinorum fluctuum domestici, diem noctemque negant in undâ: tres adeo incertos soles errant pelago, totidem sine sydere noctes: quarto terra die primùm se attollere visa est, & aperire procul montes & volvere fumum; vela cadunt, insurgunt quantociùs nautæ, & adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.

CAPUT XLI.

Ubi per varia loca ductus Episcopus, & jam spe videndi sepulcrum Domini frustratus, tandem consilio Laodicensis Episcopi mœstus revertitur.

DUm Pontificem cum suis omnibus servatum ex undis litora Cypri accipiunt. Quem Princeps illius insulæ, quem Katapant, hoc est, secundum dominum vocant, timens ne in manus Paganorum incideret, à pridie Nonarum Julii usque ad pridie Kalendarum Augusti, detinuit, donec illâ die multo auro exitu vix impetrato, dum rursùm marino itinere se crederet proficisci, fraude nautarum declinantium insidias Paganorum Laodiciam relatus est; in quo loco dum rursùs moras innecteret, nec spes ulla perficiendi vota superesset, remeantibus cum Laudunensi Episcopo.... (quoniam & ipse illis diebus ierat Hierosolymam) quampluribus & itineris difficultatem referentibus, tandem consilio Laodicensis Episcopi redeundi iter mœstus arripuit.

CAPUT XLII.

Ubi Imperator & Rex Francorum componendæ pacis gratiâ conveniunt.

IN Regnis Lothariensium necnon Francorum simultationibus exortis quampluribus, Imperator HENRICUS, & Rex Francorum HENRICUS ut eas sedarent ad colloquium convenerunt; sed imperfectâ pace discesserunt. Nec multo post HENRICUS Imperator præsente Papa VICTORE, qui pro causis Papatûs per Romanos malè tractatus, apud ipsum conquesturus venerat, diem clausit extremum. Post ejus mortem cum filio ejus HENRICO & Reginâ domno Papa arbitro, sed & judicibus Episcopis & Principibus Regni, pro simultatibus quas contrà patrem habuerat reconciliati sunt uterque Comes BALDUINUS, pater scilicet & filius. Cui placito interfuit domnus Pontifex LIETBERTUS intonsus adhuc, sicut à peregrinatione rediens, ad suam civitatem nondum venerat, qui familiariter ipsum Comitem ab exordio sui Pontificatûs dilexerat.

CAPUT XLIII.

Ubi domnus LIETBERTUS *primò Novum-castellum, deinde Cameracum venit.*

ERat in animo ejus fixum non priùs intrare Cameracum, quam reviserit Novum-castellum sui principatûs fidele municipium, quod ob sancti Andreæ memoriam diligentiùs excolebat: quo perveniens domno comitatûs Fulchero, cum cæteris familiæ suæ comitibus officiosissimè suscipitur ab omnibus, susceptusque in templo sancti Andreæ ducitur ad orationem; prostratus solo non quæsivit in oratione lacrymas, quas semper familiarissimas habebat: dein surgens dedit benedictionem, quos potuit ex tempore exosculatus, processit palam, cunctisque refert quantes viæ pertulerit casus. Tunc domnus Fulcherus eo præsente procedit ad altare, narrat quæ quantave per suam benedictionem gloriosam sibi fecisset Dominus sancti Andreæ meritis & precibus, post capitis deditione videntibus cunctis se se sancto tradidit Andreæ, offerens super sanctum ejus altare duas uncias auri purissimi, utque in eodem loco ad honorem Dei, & memoriam sancti Andreæ pro se perpes servitus esset, filium suum suo de nomine nominatum Fulconem tradidit ibidem; quo Monacho facto, victualibus Fratrum magna donaria contulit, quæ privilegiorum jure Pontificis auctoritate firmavit. Omnibus ritè peractis venit domnus Pontifex Cameracum, & gaudiis quibus oportuit à suis excipitur.

CAPUT XLIV.

Ubi HUGONEM *Castellanum multa mala facientem excommunicavit.*

INterea HUGO Walteri Capellani nepos, quem prænotavimus Castellaturâ donatum, proficiebat ætate; tempus instabat proximum quo ANSELLUS regimine ejus carere, & ipse bonum suum recipere debebat. Porrò Ansello videbatur quia ad regendam Castellaturam juvenis ille nondum esset idoneus, ideoque protelare volebat suæ custodiæ officium, si sibi permitteret Episcopus; sed quamvis Pontifex de imperfectione Hugonis idipsum sentiret cum Ansello, nolebat tamen ipsum fraudari à præfiniti temporis spatio, putans juvenem per disciplinam suam ad veritatis viam posse revocari, si cœcitatis suæ ignorantiâ à recto deviaret. Sic Ansellus nullatenùs impetrare valuit prece vel pretio, quin Hugo Castellaturam suam reciperet in die suo. Adepto itaque Hugo honoris sui gubernaculo, palam continuò fecit omnibus quod claudebat in animo: antea enim quominùs cognosceres eum, cum prohiberent simul ætas & magister; modò verò suæ potestatis compos totius magisterii & disciplinæ contemptor, fasque nefasque confundens post pravitates cordis sui, & illicitas voluptates graditur sine respectu aliquo. Potestne respectum justitiæ tenere, qui in civitate domini sui meliores & ditiores contumeliis & injuriis afficiebat, alios indemnatos & injudicatos in cippo vilissimo includebat? Villicum & cubicularium ejus comprehensum alligavit catenis, prædam ejus, cæterorumque civium contradicente domino suo violenter abduxit. Pro his & aliis hujusmodi sæpe correptus ab Episcopo, & emendare nolens, sed in pejus corruens, excommunicatus ab eo. At ille & hoc etiam contemsit, nullamque misericordiam quærens, ad Comitem de Sancto Quintino abiit, ibique aliquamdiu versatus est; quidquid mali potuit, adversùs Episcopum & ejus Ecclesiam fecit.

CAPUT XLV.

Ubi viro Dei pro defunctis silenter oranti animæ defunctorum responderunt, Amen.

ERat domino Pontifici consuetudo nocturnis horis civitatis Ecclesias cum suis familiaribus Clericis nudis pedibus circumire, & Dei clementiam pro se suisque suppliciter exorare. Contigit nocte quâdam quæ præcedebat sanctam diem Parasceves, solitas excubias peragere, Ecclesias quoque & Oratoria circumire, & lustratis aliis cum venisset ad Oratoriolum quoddam intrà civitatem constructum, intransque cœmeterium Deo commendaret animas ibi quiescentium & omnium fidelium defunctorum, licet silenter, licet secum, sicut ea nox habebat, id diceret, mira res! spiritus ibi sepultorum clarâ voce qui aderant audientibus super ejus benedictionem responderunt, *Amen*. Stupentibus cunctis, & rei novitate perterritis, silentio tegi Pontifex petiit, quod pleniter impetrare non valuit.

CAPUT XLVI.

Quâ de causâ Ecclesia sancti sepulcri à GERARDO *Episcopo constructa fuerit.*

ILlud Oratoriolum quâ de causâ constructum fuerit, pleniùs exsequemur. Temporibus domni Gerardi sanctæ memoriæ Episcopi, hujus domni LIETBERTI prædecessoris, exorta fames Cameraci, sed & in regionibus circumquaque adjacentibus, adeo invaluit, ut morientium corpora capere non valerent cœmeteria Cameracensis urbis. Incidit igitur ipsi domno Gerardo rationabile consilium, ut extrà muros civitatis foedere faceret polyandrium, quod receptui foret tot corporibus condendorum pauperum: juxtà quem locum Ecclesiam postea in honore Dominici sepulcri constructam consecravit, ut propter reverentiam tanti nominis sepultura ibi esset pauperibus & peregrinis, quam temporum labente curriculo dum meliorare disponeret, diurno fessus senio defunctus est 14. Martii 1048.

CAPUT LXVII.

Quòd domnus LIETBERTUS *eâdem intactâ Ecclesiâ, ampliori schemate construxerit.*

IPse verò domnus LIETBERTUS prædecessoris ac magistri tali ac tanto animatus exemplo, devotas ipsius primitias laboraturus intravit; & quoniam parva erat Ecclesia, intactam reliquit, & juxtà eam

ampliori & meliori schemate Monasterium sicut in præsenti cernitur, ædificavit. Huic tanto operi exsequendo cooperatores & ministros cõstituit domnus Pontifex eos quos in peregrinatione Hierosolymitani itineris adnotavimus fuisse socios, domnum WALCHERUM Archidiaconum videlicet, & ERLEBOLDUM Judicem civitatis & ministrum.

CAPUT XLVIII.

Comparatio Moysis & Lietberti, & cooperatorum eorumdem.

O MOYSEN sanctum! ô Moysen super omnes homines qui habitant in terrâ, mitissimum! ô Moysen constitutum in foramine petræ per quod descendit sponsus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum! ô Moysen fidelissimum in totâ domo domini sui, non qui componat Tabernaculum quod circumferatur, sed qui ædificet domum suprà petram, quæ nullo turbine moveatur. Vocavit Dominus ad Moysen Beseleel & Ooliab eruditos in omni fabrorum & textricum scientiâ: dedit domno LIETBERTO Walcherum & Erleboldum plenos fide & industriâ. Vocati sunt illi qui componant tabernaculum arcæ fœderis ex tabulis lapideis: dati sunt isti qui ædificent templum Christo, & ejus Genitrici. Illi sculpebant subulis & acutis lapides inanimatos: isti componebant eleemosynarum largitate lapides vivos. Ibi detrahebant pelles hircorum aut vitulorum; hîc deponuntur lacrymis & compunctione cordis sordes peccatorum. Ibi adolebantur calidi panes propositionis; hîc Apostolorum & Martyrum redolet sanguis. Ibi remanentes carnes voratarum pecudum tradebantur igni, hîc inscrutabilia judicia Dei reservantur sancto Spiritui. Ibi manna servabatur in testimonium perfidiæ Judæorum: hîc sacrosanctum corpus Christi sumitur in salutem animæ & remissionem peccatorum. Cumque domnus Pontifex adscivisset sibi viros prædictos cooperatores & consiliarios operis insumpti, tradidit illis non solùm quæ habebat in domo & in civitate, sed & in omni possessione suâ ad faciendum opus. Isti quoniam dominus eorum magnis Pontificii causis erat implicitus, quotidie instabant operi, donec ipsorum sollicitudine, Deo qui verus est Opifex, concedente [opus completum est.]

Exod 31. 2.

CAPUT XLIX.

Quòd super dedicandâ sancti Sepulcri Ecclesiâ sphæra lucis ignea de cœlo visa sit pependisse tota nocte; & quòd XXII. Sanctorum corpora ibi sint allata.

QUòd congregatis totius diœcesis suæ sanctorum corporibus Martyrum, Confessorum, ac Virginum in nomine Domini JESU-CHRISTI & memoriâ sancti sepulcri ejus, & beatæ & gloriosæ semperque Virginis Genitricis ejusdem Domini nostri MARIÆ, & omnium Sanctorum Dei consecravit XXV. Octobris MLXIV. ædificatoque in Claustro cum cæteris officinis quasi mulieres ad sepulcrum excubantes, Abbatem & Monachos eidem loco assignavit, non tantùm mortuo, sed regnanti in cœlis Christo, mystica orationum unguenta exhibituros. Huic sanctæ consecrationi, ut se cœlestis potentia in virtute sanctificationis liquesceret adfuisse, visibiliter demonstravit. Per totum noctis spatium, quæ sanctæ benedictionis præcedebat diem, super ipsum Monasterium sphæra lucis in modum coronæ cœlitùs emissæ pependit; profectò jam significante Deo pro hoc laboris impendio Lietbertum Pontificem misericordiæ coronam accepturum. Hoc incredibile videbitur eis qui non credunt omnia possibilia credentibus: sed ne cui ad incredulitatem scrupulum moveat, testium veracium relatione deffendor; ipsa quoque veritas suis fidelibus promittit dicens: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*: unde credimus ibi non defuisse Patris honorem, ubi tot Sanctorum corpora conventa fuerant. Viginti & duo dicuntur adfuisse quorum nomina ne prolixitas fastidium generet, omittimus scribere, cæterùm scire volentes à se ipsis poterunt colligere. Actum & consecratum Dominicæ Incarnationis anno millesimo sexagesimo quarto, Indictione secundâ; anno quoque Pontificatûs domini nostri & Patroni LIETBERTI XIV. Romæ præsidente Papa ALEXANDRO.

Joan. 12. 26.

CAPUT L.

Quòd Cœnobium intrà urbem muro inclusum, & supradicta Ecclesia in honorem sancti Nicolai consecrata fuerit.

ET ne Monasterium extrà civitatis ambitum remaneret, studuerunt ampliare mœnia, circumdantes omne illud Monasterii ædificium vallo & fossâ cum civitate totâ, quod duabus ex causis eos fecisse constat: ut civitas amplioribus ædificiis & plurimis habitatoribus nobilitaretur, & circum manentes ipsi loco civitatis firmitate munirentur; Ecclesiam verò, quam diximus mansisse intactam, postea multorum labente temporum cursu WALTERUS Abbas ejusdem loci, quoniam nimiâ vetustate decidebat, ampliare meliorando studuit, additisque Sanctorum pignoribus memoriam sanctissimi Nicolai ibidem constituit.

CAPUT LI.

Ubi Filio Regis Francorum coronando adesse postulatur LIETBERTUS.

REMIS PHILIPPUS HENRICI Regis Francorum filius præsente Concilio Principum Regni fuerat in Regem benedicendus. Hanc benedictionem jure suo GERVASIUS Archiepiscopus Remensis XLIII. procurabat, vir omni bonitate conspicuus. Hic ut sui officii celebriùs commendaretur auctoritas, tam regalibus quàm suis quoque nuntiis domnum Pontificem studuit invitare, qui licet aliàs maximis causis occupatus teneretur, & maximè pro guerrarum tumultibus, quas prævidebat [d] insurgere, libenti tamen animo satis se se petentibus exhibuit ipso die Pentecostes XXIII. Maii M. LIX. Regiîque benedictioni sicut decebat interfuit: ipsum profectò prædictus Archiepiscopus omnimodis diligebat, & super omnes Metropolis suæ Episcopos venerabatur & colebat. d

CAPUT LII.

Ubi in Cœnâ Domini ab Archiepiscopo Divina mysteria celebrare supplicatur.

ACcidit in unâ quintâ feriâ majoris hebdomadæ, quæ sanctum Pascha præcedit, infulatus pontificalibus insigniis Archiepiscopus cum procederet sacrosancta Missarum solemnia celebrare, prospiciens vidit adstantem domnum nostrum LIETBERTUM Pontificem; quo viso substitit, retrorsumque rediens quibus erat infulatus insigniis exuitur, & quod celebraturus erat sacramentum supplicite, domnum Lietbertum rogat celebrare; quod vix im

d *prævidebat*] Sic restituit Baluzius: editum erat, *parvipendebat*.

petrare valuit: quæ res cunctis qui aderant in eum magnæ venerationis causa fuit.

CAPUT LIII.

Ubi Hugonis municipium Porgivallem subvertit.

HOc temporum curriculo prædictus HUGO Cameracensi pago non longiùs à civitate quàm decem milliaribus apud quemdam locum, Porgivallem dictum, municipium firmavit, in quod introiens cum satellitibus suis res vicinas devastabat Episcopi. Hoc Episcopus diù ferre non potuit, sed collectos equites & pedites illuc direxit: municipium assultu opprimitur, & igne succensum ad terram prosternitur: sicque locus ille à satellitibus emundatur. Hugo suorū speluncâ prædictâ [dirutâ] alibi divertit, prædasque & mala plurima in Episcopum repetivit. His & aliis pluribus infortuniis non frangebatur miles Christi, sed patienter omnia ferens, meditabatur qualiter ipsius insolentiam contunderet, quod & fecit.

CAPUT LIV.

Ubi Hugo absolvi non meretur, nisi priùs faciat ea quæ ab Episcopo decernuntur.

POst hæc Hugo quamdam puellam ADAM nomine, neptem videlicet RICHELDIS Comitissæ Montensis cœpit amare, eamque in conjugium sibi velle copulare; sed quia excommunicatus erat, quomodo, quâque ratione id perficeret, nesciebat. Quid faceret? absolutionem non curabat magnopere, quærit tamen eam à domino Episcopo per internuntios desiderio cupitæ puellæ. Porrò Episcopus fatigatus multis injuriis ejus, absolvere eum nolebat, nisi priùs dimissionem manu propriâ (quod & vulgo Werpire dicitur) faceret ex omni beneficio quod infrà ambitum Cameracenæ civitatis habebat. Hugo verò desiderio juvenculæ inflammatus, fecit Episcopo secundùm optionem ejus: Werpivit palam omnibus, præsente domino Episcopo suisque Militibus, præsente Comitissâ RICHELDE, suisque Principibus, quidquid habebat beneficii infrà civitatem ipsam Cameraci; sicque absolutus fidelitatem Episcopo fecit de reliquis Castellaturæ bonis, & inde obsides dedit. Hæc autem fidelitas non diù est ab ipso Hugone observata; quâ jurejurando promissâ in Natali sancti Andreæ, infregit eam secundâ feriâ post Palmas. In hac enim feriâ majoris hebdomadæ factam prædam super Cameracenses reddere noluit, sed in ipso absolutionis die qui est ante Parasceven, diffidentiam domino suo mandavit; postea Cameracum derelinquens, malum quod potuit sicut primitùs facere instituit. Commonitus crebrò sub nomine terræ & in fidelitate quam juraverat præsentibus Comparibus suis, ante conspectum domini sui tandem venit, de quibuscumque interpellatus est rectum facere nolens, injustior quàm venisset recessit. Unde Compares ejus, & alii quamplurimi Nobiles qui communi utriusque causâ placito interfuere, reum judicantes eum, terram quam de Episcopo tenebat ei abjudicavere.

CAPUT LV.

Ubi HUGO sanctum Episcopum apud Buricellum capit, & apud Osiacum in custodiâ claudit.

HUGO autem ad municipium quod apud Osiacum sibi paraverat rediit, & malum adversùs Episcopum facere non cessavit: Episcopus tamen patienter ferens hæc omnia, abjecto timore parochiam suam circuibat, & Ecclesias quæ sacrandæ erant benedicens, & cætera ministerii sui opera perficiens. Accidit ut dum hujus laboris exercitio ad quamdam villam Buricellum nomine deveniret, Ecclesiamque villæ consecrandam benediceret, & post consecrationem in chrismandis turbis fatigatus ibidem pernoctaret, præfatum Hugonem fama hujus rei non latuerit; qui acceptis secum complicibus suis ad domum illam pervenit, in quâ jam lecto receptus Episcopus lassata membra commendabat quieti, fractis domûs ostiis & quibusdam resistentibus interfectis, pervenit ad cameram in quâ Pontifex cubitabat cum WILBOLDO Præposito suo & Capellanis suis. Sentiens Wilboldus violentiam, ostio cameræ quasi pro obice se se opposuit, sed unus pluribus resistere non valens, fracto ostio ab ipso Hugone interemptus occubuit: denique Episcopum sicut in lecto jacebat cum camisiâ tantùm ille infamis homicida non timuit accipere, & ad municipium suum ita nudum asportare, clausumque in custodiâ retinere.

CAPUT LVI.

Ubi Arnulfus Episcopum cum honore ad urbem reduxit, & Episcopus destructo Osiaco municipio Hugonem ab omni patria expulit.

HAc igitur famâ ARNULFUS Comes Flandrensium & mater ejus RICHELDIS excitati, sumptis militibus suis, continuò ambo ad Osiacum venerunt, & requirentes Episcopum, cum summâ diligentiâ repertum reduxerunt Cameracum cum grandi gloriâ & honore, donaverunt insuper palliis & muneribus Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ, aliaque Monasteria civitatis Cameracenæ. His itaque dignè & laudabiliter perfectis, Flandrensium Comes cum matre suâ lætus in patriam suam rediit. Episcopus verò totis animi viribus Hugonem insequutus non contraxit manum, quoad usque destructo Osiaco municipio procul eum pelleret à Cameracensibus finibus. Expulsus taliter siluit adversùs Episcopum de omni clamore, & vita ipsius, terra quoque requievit à facie malignitatis ejus.

CAPUT LVII.

Quæ & quanta bona diversis Ecclesiis & civitati propriæ vir Dei fecerit.

SUperveniente senio cœpit Episcopus corpore languescere, sed de æternâ vita sollicitus animo convalescere, hereditatemque præclaram, quam ab antecessoribus possidebat ad mundi hujus gloriam, transferre studuit ad nanciscendam æternæ vitæ patriam. Tantum de hereditatibus & sui juris reditibus ad Ecclesiam sanctæ Dei Genitricis MARIÆ Cameracensis sedis per Chartarum instrumenta contulit, ut inde refectionem cibi & potûs habeant Canonici per omnes Dominicas totius anni; ita tamen ut in omnibus secundis feriis à congregatione generaliter Missa celebretur pro animâ ejus & pro fidelibus defunctis. In Ecclesiâ sancti Autberti Clericos regulares constituit, Abbatem eis præfecit quartâ Maii M.LXVI. ejectis priùs quibusdam Clericis ibidem negligenter nimis & inordinatè servientibus. Altaria valde bona & possessiones præclaras superaddidit; præbendas magnificè de suo proprio restauravit. ERLEBOLDUM qui Ecclesiam sanctæ Crucis ædificavit, & rebus & consilio multum juvit, & in eligendis & ponendis Canonicis nimirum & electionem adhibuit. Ecclesiam sancti Vedasti, quam restauravit idem ERLEBOLDUS, fecit consilio & auxilio ejus. Monasterio sancti Patris nostri Gaugerici Episcopi hujus civitatis decimas dedit, & rebus aliis valde bonis locum ditare studuit; Novum-castrum & Ab-

batiam sancti Andreæ Apostoli, & Cœnobium sancti Humberti semper fovit, semper meliorare studuit, semper exaltare non cessavit. Congregationi Beatæ MARIÆ Attrebatensis Debelrem tradidit. In Monasterio sancti Vindiciani apud montem sancti Eligii Clericos regulares constituit, & ejectis illis qui negligenter ibidem serviebant, multa de suis bonis ibi deservientibus superaddidit. Civitatem quam Episcopus factus pro guerrarum seditione desertam invenit, populosam & opulentam fecit. Nulli suorum civium nocuit, cum omnibus prodesse studuerit. Clericos suos, & omnem ordinem Ecclesiasticum diligebat, sicut gallina quæ congregans pullos suos, fovet eos sub alis suis.

CAPUT LVIII.

Ubi Arnulfo Comite apud Castellum interfecto, ROBERTUS Comes hanc patriam devastat.

EA tempestate audiens ROBERTUS mortem fratris sui BALDUINI Comitis, qui apud Hasnonium Ecclesiam destruxit, factione majoris Flandrensium partis super ARNULFUM Comitem & matrem ejus Flandrias irrupit, ad cujus violentiam refragandam prædicta RICHELDIS Comitissa cum Filio suo Arnulfo, cum quo sicut prædictum est domnum nostrum LIETBERTUM de captione Hugonis extraxerat, Regem Franciæ PHILIPPUM evocavit, ejusque auxilio apud Castellum bellare paravit: sed Flandrensibus, quorum dolo Robertus ille Flandrias intraverat, dolosè pugnantibus & terga vertentibus, ipse puer ARNULFUS occiditur; quo mortuo, fugatâque matre, totus Marchionatus cessit ROBERTO. Hoc eventu belli nimis efferatus, in tantam prorupit insaniam, ut dominatum Cameracenæ civitatis imperio præripere vellet Imperiali, & suæ submittere ditioni, unde collecto frequenti exercitu villas civitati proximas depopulans per cunctam viciniam bacchabatur. Quod dum non semel, sed bis annuatim faceret, totamque Cameracensem patriam penitùs in solitudinem redigeret, domnus Pontifex per internuntios eum sæpe commonebat, & ut ab incœpto desisteret, nunc prece, nunc pretio sæpiùs orabat: sed ne quidem audire volens, fastu superbiæ sæcularis inflatus minabatur non modò à devastatione regionis non cessare, sed ipsam quoque civitatem, nisi sibi eam redderet Episcopus, ad nihilum redigere.

CAPUT LIX.

Ubi bonus Pastor LIETBERTUS ægrotans in lecto gestatorio ad tentorium Comitis urbem obsidentis se deferri jussit, & eum omnemque exercitum ejus gladio anathematis percussit, & sic eadem die obsidionem solvit.

INter hos laboriosos vitæ mortalis sudores, inter præscripta sanctorum operum operta exercitia Deo dignus Pontifex fatigatus in infirmitatem decidit, quam per tres continuos annos mirâ patientiâ devicit, sustinuit; quem tyrannus ille audiens ægrotare, tamquam de Pastoris absentiâ gratulabundus rursùs infremit, rursùs in caulas Dominici gregis insanit, collecto maximo exercitu velut ex improviso ad civitatem advolat tamquam expugnaturus eam. Quod factum domnus Pontifex gravissimè tulit, & ultra quam dici potest indoluit; præcepit quantociùs ut in lecto gestatorio levaretur, & per medias acies bellatorum usque ad tentorium ipsius tyranni portaretur: tantis siquidem podagræ doloribus angebatur, ut nullo modo in pedes subsistere posset. Delatus ex sententiâ usque ad tentorium Comitis, postquàm vidit eum graviter infremuit, & cum magnâ severitate scelestos ausus præsumptionis ejus increpavit, utque de terrâ dominæ suæ MARIÆ discederet, auctoritate Pontificali commonuit, suus enim Parochianus erat in quantum Comitatus Atrebatensis sibi cedebat, quoniam Cameracensis & Atrebatensis Ecclesia tunc temporis uni Pontifici parebat. Illo non curante sed mente superbâ Pontificis objurgationes quasi quædam ludicra subsannante, Pontifex manibus se se sustentans resumptis viribus in lecto resedit, ut sibi virga pastoralis cum stolâ Sacerdotali porrigeretur imperavit, quibus acceptis impræsentiarum protinùs ipsum Comitem cum omni exercitu ejus usque ad satisfactionem excommunicavit. Videns Comes tantam in viro Dei mentis & justitiæ constantiam, reveritus ætatem & reveritus Pontificis auctoritatem, quodque veriùs est terrore divino percussus, cum esset hora diei nona movit castra; & licet infrendens, licet minas ingeminans, quantum dies concessit extrà terram quæ sibi contradicebatur secessit. Cæteri quorum mens sanior fuit, priusquàm recederent, prostrati solo coram Pontifice veniam petunt, & quod deinceps hoc malum super Cameracensem Ecclesiam non iterarent, tactis Sanctorum Reliquiis juraverunt. Ponentes itaque singuli damnum quod intulerant patriam depopulantes, absolutione susceptâ læti redeunt; quoniam qui venerant amati furore bellico, recedebant gratificati timore divino. Ita liberata civitas ab obsidionis terrore studio sui Pontificis, laudes refert Deo, suæque gloriosæ Genitrici.

CAPUT LX.

Ubi commendatur constantia beati Pontificis.

O Gloriosum Pontificem non armis, sed fide pugnantem. *Mercenarius qui non est pastor, videt lupum venientem & dimittit oves, & fugit. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Joan. 10. 11. Ecce libertatis præsidium, ecce Pontificis officium. Lietbertus ab hostilis invasionis oppressione liberat patriam: Pontifex post redargutionem scelerum confitentibus implorat veniam: libertate nobilis animi se se viriliter ingessit hostibus, auctoritate Pontificali redarguit tyrannorum rabiem, ne tam crudeliter ad animarum suarum periculum grassarentur in populorum deprædationibus, ascendit ex adverso opponens se murum pro domo Israël, hoc est pro Ecclesiâ sibi commissâ, ut posset stare in prælio in die Domini. Ex adverso ascendere, est quibuslibet potestatibus pravè agentibus liberâ rationis voce contraire; & in die Domini pro domo Israël in prælio stare, ac murum se opponere, est fideles innocentes contrà perversorum injustitiam ex justitiæ auctoritate vindicare; sed stare in periculum non potest, qui eo quod præest non oves diligit, sed lucrum terrenum quærit: animæ pereunt, & ipse de terrenis commodis lætatur: sed noster Pastor per Dei gratiam bonus & libertas patriæ, opponere se contrà periculum non trepidavit, ne hoc quod diligebat amitteret; nec timuit cuneos intrare bellatorum, ne gregis sibi commissi sustineat detrimentum. *Justus ut leo confidit:* Prov. 28. 1. verè confidit qui Comitis Flandriarum faciem non erubuit, qui inter gladios militum superbiam malignitatis ejus non siluit: postremò minas tyrannidis ejus non timuit: verè confidit qui Comitem Flandriarum Pontificialiter increpavit, & quia obedire nolebat, præsentem excommunicavit; perpetratâ victoriâ, fugatis hostibus, libertas patriæ quo advectus fuerat lecto reportatur ad domum, necnon intrà Pontificale relocatur cubiculum.

CAPUT LXI.

Narratio afflictionum ejus.

DEficientibus corporis viribus augmentabatur infirmitas, & de die in diem multis incommodis molestabatur senilis ætas; & quoniam diutino languore jacuerat, etsi putrescente carne penè membris omnibus deflueret humor, nusquam tamen cilicium quo à diebus suæ ordinationis semper usus est, mutare voluit, neque lecti duritiem à proposito religionis rigore molliri permisit. *Psal. 6. 7.* Laborabat in gemitu suo, lavabat per singulas noctes lectum suum, lacrymis stratum suum rigabat. Quoad vixit, panis ordeaceus victus ejus fuit assiduus, nec eum nisi dies solemnis levabat; quem sic sollicitè, sic honestè anteponi mandaverat inter epulas Pontificales, ut à nullo convivantium percipi posset: epulæ quidem carnium sufficienter apponebantur, sed panis & aqua disciplinaliter sumebantur; inter convivantes jejunus, inter jucundos sobrius erat: mensis ipsius pauperes nunquam deerant, quibus diurnam annonam sicut domesticis suis constituerat, inter quos si leprosus venisset, scyphus ei Pontificalis præbebatur, & tamquam calix Domini præclarus iterum Pontifici præsentabatur. Psalmos pœnitentiales diebus infirmatis suæ intuebatur & legebat, & ubertim ac jugiter dolebat, & ne intentio ejus à quoquam impediretur, Religiosis & Ecclesiasticis viris utebatur, quorum consolatione passiones carnis & animæ relevabat.

CAPUT LXII.

Ubi ægrotus lecto decubans ad requiem supernam anhelabat, & subjectis monita pariter & exempla salutis exhibebat.

O Irrecusabilis necessitas mortis! ô inevitabilis conditio quæ nulli parcit! noster siquidem Pontifex tam senectute quàm morbo confectus, diem suæ vocationis ultimum exspectabat, & sicut cervus sitiens ad fontes aquarum, ad spem æternæ quietis anhelabat: qui nimirum in lecto decubans, licet fractis viribus deliquescens, morbos tamen & annos mentis fortitudine vincens, sanctis monitis ad hæreditatem cælestis patriæ cunctos invitabat; imitator quippe fiebat magistri sui de quo dicitur: *Act. 1. 1.* *Cœpit* JESUS *facere, & docere.* Insinuabat mansuetudinem & misericordiam, largitatem in pauperes Christi quam semper exercuerat, docens quantam apud Deum confidentiam pro hac qui exercent consequerentur, ut eos in eo die periclitantes in æternum suum tabernaculum [reciperet.] Compleverat *Matt. 19. 21.* & ipse mandatum Evangelicum quod dicit: *Vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesauros in cœlo.* Vendidit sua, sed Deo; quoniam de cunctis quæ juris sui erant sponsam Christi Domini sui, sanctam videlicet Ecclesiam subarraverat, pluribusque locis, sicut suprà taxavimus, Christi pauperes alebat, & exoptans toto mentis affectu proficere de virtute in virtutem, cunctos sibi commissos hortabatur ut poterat præsentes postponere præsentis sæculi desideria, amare cœlestia.

CAPUT LXIII.

CUmque de imminenti ejus exitu conquerentes alterutrum lamentarentur, dicebat: Nolite arbitrari, mei carissimi filii, me velle quasi decurso spatio ad carceres à cellâ revocari: quid enim habet vita humana jucundi? quid non potiùs laboris? non libet enim mihi deplorare vitam quomodo multi & indocti faciunt, neque me vixisse pœnitet; quoniam ita vixi ut non frustrà me natum existimem; & ex vitâ discedo ita tamquam ex hospitio, non tamquam è domo. Commorandi naturæ auctor Deus nobis diversorium non habitandi dedit: moriendum certè est, & id incertum an eo ipso die. Omnia verò quæ secundùm naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid est autem tam secundùm naturam, quàm senibus emori? Horæ quidem cedunt & dies, & menses, & anni; nec præteritum tempus unquam revertitur, nec quid sequatur sciri potest. Quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus: tantùm remanet quod rectè factis & virtute consequutus sis, sed vivendi finis est optimus, cum integra mente certisque sensibus opus ipse suum qui coagmentavit, dissolvit. Et ædificium idem facillimè destruit, qui construxit; sic hominem eumdem optimè qui conglutinavit Deus, dissolvit. Mortem igitur omnibus horis impendentem meditemur, nam dum sumus in his compagibus corporis, quodam necessitatis, & gravi opere perfungimur: sed ipse Deus auctor immortalitatis ut finem imponeret necessitati, terminum vitæ carnali dedit, volens nos venire ad ipsum munus immortalitatis, unde ne censes lugendam mortem quam immortalitas consequitur? *Si enim credimus quòd* JESUS *mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per* JESUM *adducet cum eo.* *1. Thess. 4. 13.*

CAPUT LXIV.

Ubi percepto viatico corporis & sanguinis Domini spiritum tradidit.

INter hæc flante Austro lilium sensim in pallore migrabat, quia videlicet *omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos fœni:* *Isai. 40. 6.* quod animadvertentes qui aderant, sacrosancti Evangelii deferunt codicem, quatenùs recedenti de sæculo Dominicę passionis supplicia quæ pro nostrâ redemptione sustinuit, recitarentur, & Dæmonum spiritus tantæ lectionis ventilabro repellerentur. Cumque à circumstantibus interrogaretur, an intenderet his quæ legebantur, respondit recitari passionem Christi secundùm Evangelium Johannis. Postquàm ventum est ad id: *Cum ergo accepisset* JESUS *acetum, dixit, consummatum est:* *Joan. 19. 30.* percipiens & ipse Viaticum corporis & sanguinis Christi, inter manus plangentium Deo, cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius, suum tradidit spiritum vigesimo-sexto Ordinationis suæ anno felix Episcopus, senex emeritus, vetus hospes, plenus dierum, dans pacem filiis, & vale dicens ultimum, vinculis carnis absolutus feliciter decimo Kalendas Julii decedente sole migravit ad Christum.

CAPUT LXV.

De quibusdam miraculis in ejus obitu ostensis.

TEstati sunt qui interfuerunt, post emissum spiritum capillorum ipsius albedinem in pristinum rediisse colorem juventutis. Testatur etiam Religiosorum virorum contubernalis veritas, quòd per decennium priusquàm vitâ decederet, à tactu genitalium membrorum penitùs abstinuerit, sed si necessitas naturalis vel in equitando vel in procinctu quolibet alio tangere compulit, vel pallio, vel camisiâ manus obvolvit. Dum verò corpus ejus mortuum nudaretur ad lavandum, ut monstraret Deus quòd pudorem castitatis servaverat, ea membra, cancellatis manibus sibi texit, sicque donec reindueretur jacuit, lotus aquâ, vinoque perfusus, postquàm femoralibus reindutus complosas manus dissolvit, sicque quasi rursùs mortuæ reciderunt. Qui aderant glorificaverunt

glorificaverunt Deum qui facit res mirabiles; & funeris exequias explentes levaverunt corpus feretro, quod deferentes locaverunt in Ecclesiâ sanctæ Dei Genitricis & perpetuæ Virginis MARIÆ, vigiliasque noctis illius cum psalmis & orationibus, cum luctu & mœrore maximo peregerunt.

CAPUT LXVI.

Quòd in Ecclesiâ sancti Sepulcri, quam ipse ædificare & dedicare meruit, ante quinquennium sibi sepulcrum effodi fecerit, in quo & sepultus requiescit.

MAne facto detulerunt illud ad Monasterium sancti Sepulcri, quod à fundo sicut est ædificaverat, & ordinato Abbate & Monachis, locum possessionibus & rebus commodis sicut hactenùs cernitur, honoraverat. Ibi quoque ante quinquennium quàm vitâ decederet effodi sepulcrum sibi fecit, quod certis diebus revisens, & primò quidem desuper incumbens lacrymis & gemitibus fossam perfundebat, deinde pane vel carne, vel aliis cibariis implebat, quæ pauperibus erogari mox faciebat. Sepultus est autem cum gloriâ & honore Pontificali anno Pontificatûs sui vigesimo-sexto [e], nono Kalendas Julii, Dominicæ Incarnationis 1076. Temporibus Gregorii septimi Papæ, Regnante Domino nostro JESU-CHRISTO, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Decimo [f] *Kalendas Julii obiit domnus Lietbertus Episcopus Cameracensis atque Attrebatensis trigesimus primus anno Dominicæ Incarnationis 1076. Quarto Kalendas Octobris. Translatio ejus, anno Dominicæ Incarnationis 1211. Ab obitu usque ad translationem ejus 135. à Translatione prima usque ad secundam anni 61. quæ facta est Octavo Idus Junii.*

EPITAPHIUM
DOMINI LIETBERTI
CAMERACENSIS EPISCOPI,
Ecclesiæ Dominici Sepulcri fundatoris.

CLauderis hoc tumulo lapidum LIETBERTE *Sacerdos;*
Spes & amor Patriæ, Laus, Decus Ecclesiæ.
Hancque Domum Christi spe felix instituisti,
Rursùs ut octavâ luce fruaris eâ.
Clauditur incessu Cancri, solisque recessu
Orbi sexta dies; quæ tibi sit requies.

FINIS.



VITA
DOMINÆ HILDEBURGIS.

Ex Chartulario Abbatiæ S. Martini Pontisarensis, cap. 134.

Parentes Hildeburgis.

TEmpore quo Rex PHILIPPUS, Henrici Regis filius, Regni Francorum regebat habenas, fuit quædam femina, HILDEBURGIS nomine, de nobili prosapiâ in pago Carnotensi CastroGalardone exorta. Hujus pater exstitit HERVEUS Castri Galardonis dominus, potens divitiis & honoribus: genitrix verò illius BEATRIX vocata, & ipsa parentili generositate eximia. Quæ cum infantiæ pueritiæque transisset annos, jam adolescentili ætate subeunte, nobilis adolescentula legaliter & honorificè, ut dignum erat, à parentibus in matrimonium conjuncta est viro generoso, facultatibusque locupletato, ROBERTO Ibriensi. Succedenti deinde tempore congruo peperit tres filios, quorum primus ASCELINUS, cognominatus GOELLUS, secundus WILTINUS, utrique Milites insignes. Tertius ROBERTUS clericali ordine insignitus. Deinde venerabilis matrona conservans quod ait Apostolus, honorabile connubium omnibus, & thorus immaculatus, honorabiliter viro suo fidem conjugii custodivit, corpus suum integerrimè à corruptione adulterii, atque ab alienâ commixtione impollutum, Domino, cui omnis munditia & incorruptio placet, adjuvante, conservavit.

Maritus ejus Monachum induit in Beccensi cœnobio.

Porrò vir ejus memoratus ROBERTUS cum jam senescere inciperet, gratiâ Dei cor suum visitante, apud semetipsum pertractans cum Propheta David, quoniam adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem suam: &, quia mundus transit, & concupiscentia ejus, omnia hujus mundi oblectamenta, necnon fugitivos honores, omniaque vanitatum deliria, quæ humana corda à cœlesti desiderio subtrahunt, atque ad infernalia tormenta trahunt, deserere decrevit, sanctorumque Monachorum contuberniis aggregare perseveranti animo semetipsum instituit. Desiderii itaque sui procrastinationem non ferens, uxori suæ venerabili Hildeburgi, filiisque suis, atque familiaribus amicis votum suum patefacere curavit; quorum consilio licet propositum suum differre atque perturbare diutiùs conarentur, ordinatâ domo suâ, dispositisque rebus suis, Beccense cœnobium expetiit, ibique Monachus effectus, residuo vitæ suæ tempore religiosè humiliterque conversatus, vitam finivit, atque, ut credimus, Sanctorum Monachorum cœtibus sociatus, regnum Dei percepturus requiem sempiternam introivit.

Ut secundò matrimoniũ contrahat consulunt filii & amici.

Post obitum verò Roberti, cum deinceps venerabilis vidua Hildeburgis in viduitate suâ se castificare, atque à conjugio abstinere mallet, filii ejus, & amici, timentes ne, quia adhuc juvenis erat, à consortio viri se abstinere non valeret, suaserunt ei, quatenùs nimirum viro nuberet: quorum consilio diu multumque reluctans, cessit invita, timens ne si eis credere detrectaret, aliquod turpe sibi, filiisque suis, ac parentibus, de incontinentiâ suâ emergeret. Cum ergo quidam Miles nobilis, divitiis honoribusque fulgens ei nubere gestiret, constituto die venit cum multo militum comitatu, ut eam uxorem acciperet: Præparavit verò se venerabilis matrona, induitque se pretiosis vestibus multicoloribus. Verùm cum per gradum ligneum de domo egrederetur, repente gradus ligneus corruit, ipsaque ad terram corruens, graviter per totum corpus, maximèque circà coxas allisa est. Quapropter evidentibus indiciis à Domino hoc flagello percussam se esse animadvertens, seque ipsam miseram, meretricemque incusans, nullatenùs ampliùs alicui se nupturam protestata est.

Sed quasi miraculo impeditur.

Quomodo autem reliquo vitæ suæ tempore vixerit, qualiterque corpus suum mortificaverit, quibusque eleemosynis & abstinentiis, operibusque sanctis Domini misericordiam promeruerit, aliquantisper pro posse declarabimus. Monasteria Mona-

e *vigesimo-sexto,*] Imò *vigesimo-octavo*, ut vidit Acherius.

f *decimo*] Quæ sequuntur, ait Acherius, ab alio auctore scripta esse constare videtur ex capite 1. suprà.

Morabatur identidem propè Monasterium.

chorum Sanctorum, Monialiumque perlustrans, societates participationesque orationum, & beneficiorum expetebat, & accipiebat, eisque caritatem pro viribus expendebat: unde locum morandi apud sanctum Petrum Carnotensem, & apud sanctam MARIAM Columbensem, & apud sanctam MARIAM Beccensem, & apud sanctum Taurinum Ebroicensem, & apud sanctam MARIAM Ibriacensem, ab habitatoribus locorum istorum expetivit, & pro voluntate suâ accepit. Apud Ibriacum hospitalem domum receptui hospitum, peregrinorum, & pauperum ex proprietate suâ, filiique sui GOELLI, furnumque constituit; quibus pro posse impensas præparavit. Videns verò propter frequentes guerras, quas filii sui finitimis suis faciebant, se ibi quietè vivere non posse, à filio suo Goello res quas in confinio Gaudiaci villæ, quæ est juxtà Isaram, jure hereditario possidebat, poposcit sibi dari, quatenùs securè quieteque ibi vivere valeat, & ab ipso benignè accepit. Quo impetrato Pontisaram venit. Est autem ibi juxtà Pontisaram Monasterium in honore sancti Martini, quod tunc temporis regebat THEOBAUDUS, sanctæ memoriæ Abbas. Cognoscens quidem loci illius habitationem oportunam frequentare cœpit, notaque Abbati & fratribus facta est, participationemque beneficiorum loci expetens, pro voluntate suâ adepta est. Postmodum verò Xenodochium juxtà prædictum sancti Martini Monasterium fecit, pauperculamque domum ad suam habitationem, in quâ, quia erat monasterio contigua, quoad vixit, morata est. Adamavit itaque locum monasterii Pontisarensis super omnes domos quas viderat, & noverat; fecitque ex proprietate suâ intrà claustra monasterii domum infirmariam, ornavitque Ecclesiam multis ornamentis, quæ usque hodie in monasterio conservantur. Si quando victualia Monachis deerant, ipsa pro posse suo illorum indigentiam supplebat. Hæc & alia in laïcali adhuc habitu posita faciebat, & cum religionis habitu indueretur, facere non desistebat. Abbatem ex suo proprio ipsa vestiebat, multisque Fratribus vestimenta præbebat.

Præcipuè juxtà Monasterium S. Martini Pontisaræ.

Austerrimè vitam ducebat.

Quantum autem sibi parca fuerit, quàm larga aliis, non facilè valet edisseri. Domabat carnem suam multis cruciatibus, ne insolesceret, spiritumque subjugaret; secundùm Apostolum: *Spiritu ambulate*, Et, *Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis.* Quis verò audiat, & facilè credat, quantis vicibus & per æstatem, & per hyemem ad orationem procumbens, ventrem & genua nudabat, & sic terræ & pavimentis adhærebat. Hoc planè ideo faciebat quatenùs caro frigesceret, nec libidinis calorem sentiret. Tolerabat nimios algores, fame sitique arebat, ut tuam, Christe, consequeretur misericordiam. Et quia psalterium in juventute suâ didicerat, psalmos die ac nocte decantabat. His, aliisque operibus bonis religiosa Sanctimonialis insistebat.

Multa confert Monasterio Pontisarensi.

Volens denique Ecclesiam sancti Martini reditibus ampliare, expetivit filium suum GOELLUM, multisque eum precibus deprecata est, quatenùs pro salute animæ suæ, uxorisque suæ, filiorum, filiarumque suarum, omniumque antecessorum suorum animabus, daret Domino, & sancto Martino, Monachisque Pontisariensibus in eleemosynâ hereditatem suam, quam habebat apud Gaudiacum. Quod facere recusavit: verumtamen quoniam multis vicibus has postulationes repetivit, tandem hoc concessit, ut Monachi totâ vitâ matris suæ supradictam hereditatem haberent, atque post decessum ejus uno tantùm anno. Factum est autem cum uno anno post transitum religiosæ sanctimonialis Monachi tenuissent hanc eleemosynam, ut post finem anni GOELLUS eam in suam redigeret potestatem.

Post obitum in somniis admonet filium Goellum.

Quâdam autem nocte jacebat GOELLUS in lecto suo, videbatque se esse in Ecclesiâ sancti Martini Pontisariensis inter altare principale & matutinale, ubi mater ejus faciebat mandatum trium pauperum lavans eorum pedes, ipse verò tenebat bacinos cum aquâ, & manutergium, uti matri suæ serviret. Ipsa aspiciens in eum tamquam furibunda, loquebatur ad eum dicens: impie subreptor, quare subripuisti mihi eleemosynam, quam dederam servis Dei? & volebat eum percutere de cultello album manubrium habente, quem tenebat in manu suâ, dicens: Nisi reddideris mihi hereditatem meam, morte morieris. Evigilans narravit uxori suæ quæ viderat; statimque misit nuntium, qui faceret ad se venire bonum Abbatem THEOBALDUM. Cui venienti retulit GOELLUS quæ viderat, & audierat, & hereditatem omnem, quam habebat apud Gaudiacum, Abbati supradicto, Monachisque Pontisariensibus reddidit. Hæc omnia firmiter concesserunt uxor ejus ELISABETH, & filii ejus ROBERTUS & WILTINUS, coram adhibitis testibus.

Aliâ vice apparuit prædicto Goello mater sua manu tenens marsupium vacuum, & dicebat ei ut præstaret sibi quatuor libras Drocasensis monetæ. Quod & fecit, misitque per capellanum suum Wiltinum ad Ecclesiam sancti Martini ad faciendum anniversarium matris suæ: similiter fecit omnibus annis quibus supervixit. Dedit etiam decimam sterlinorum suorum de redditibus quos habebat in Angliâ omnibus diebus vitæ suæ. His modis religiosa Sanctimonialis terruit Goellum filium suum, & mansuefecit, & amicum fecit Ecclesiæ sancti Martini Pontisariensis, & Monachis ibi Domino servientibus.

Mortua est autem HILDEBURGIS Sanctimonialis in senectute bonâ, plena dierum & bonorum operum. Obiit autem tertio nonas Junii, & sepulta in Ecclesia beati Martini Pontisariensis. Ad cujus tumbam post mortem ejus miracula multa Domino faciente ostensa sunt, regnante Domino nostro JESU Christo.



VITA ET MIRACULA SANCTI PETRI DE CHAVANON,

Fundatoris ac primi Præpositi Ecclesiæ S. MARIÆ de Piperaco in Episcopatu S. Flori in Arverniâ, Ordin. Canonicorum Regular. Sancti Augustini.

A Stephano ejusdem Ecclesiæ Canonico Reg. ante annos 500. conscripta.

PRÆFATIO.

CARISSIMO suo Poncio, Dei gratiâ Piperacensis Ecclesiæ Abbati Stephanus servus Christi. Vitam & actus seu miracula quæ Dominus per Domnum Petrum primum Piperacensis cœnobii institutorem patravit, me scribere, Pater Carissime, salubriter ac sæpiùs admonuisti. Cui oneri me imparem judicans, hunc penè laborem omnino subterfugi. Verùm tuis orationibus fretus, quod in me animus erat, per te à me fieri posse confisus, nolui meam inertiam obtendere, imò pro posse tanti Patris præcepto parere. Religiosissimo enim studio commotus, ac nutu Dei, credo præmonitus, quem per te hoc mihi injungere perpendebam, noluisti diutiùs lumen Ecclesiæ Dei in tenebris latere, neque sub modio, sed super candelabrum omnibus qui in domo sunt lucere. Æquius tamen fuerat hæc alicui sancto viro scribenda mandare, cujus verba conjuncta virtutibus reflorerent; me verò veluti arborem infructuosam relinquere, qui in horto deliciarum sponsi nec manere, nec fructum aliquem offerre huc usque curavi. Non enim parvum fructum in se habet talis labor, talisque tractatus. At ego dum merita venerabilis viri styli officio conor evolvere, laudes ejus potiùs inclino, quàm digna factis depromam. Nam licet illa antiquorum facundiæ pompa mihi suppeditaretur, non arbitror tamen me in hoc posse sufficere. Multa igitur de pluribus præteriens, quæ relatione fidelium vera esse comprobavi, ac nondum intercepit oblivio, pauca de pluribus posterorum memoriæ tradere curabo. Et ne longior epistolaris schedula tædiosa fiat, propositum opus aggrediar.

CAPUT I. Petrus nobilis Arvernus.

EX illustrium igitur prosapiâ Arvernorum provinciæ, è territorio Langeacensi Domnus Petrus, vir venerabilis vitæ, ac summæ sanctitatis exstitit oriundus. Sagaci siquidem parentum religiosorum curâ educatus, ac liberalibus studiis ceu quodam divino præsagio, & Dei dispositione ab infantiâ mancipatus, pueriles annos simpliciter, & astutè transegit. De stirpe verò ejus plurimi exstitisse feruntur, quorum vitam Deus per miracula sæpissimè declaravit. Revera enim cum essent genere clari, & rebus locupletes, inter catervas nobilium tantâ honorificentiâ afficiebantur, quanto magis ad æternam, quàm transitoriam felicitatem aspirabant. Et quia generatio rectorum benedicetur, iste velut sidus clarissimum inter minora astra refulgens, lineam generis sui sanctitatis lampade mirabiliter decoravit. Ab ipso enim juventutis primordio mundi illecebras devitavit, lasciviam fugit, quam solet illa ætas amplecti: & in Ecclesiis nunc parentibus comitatus, nunc solus pernoctando in vigiliis, & obsecrationibus, seipsum hostiam vivam, Deo placentem offerens, quibus poterat impensis templum Spiritûs sancti ædificavit. Flagrabat ejus intentio cœlestis patriæ accensa desiderio, & jam cum Apostolo conversatio ejus in cœlis erat. Specie tenùs mundo deserviens, irreflexâ mente deserta cum Joanne Baptista petebat, cupiens carnis voluptates veluti pabula mortis evincere, & blandimenta mundi transitoria pro æternis deliciis mutare.

Virtutibus crescit.

Tempore igitur juventutis transacto, cum bona indoles hunc Dei virum ad majora virtutum opera provocaret, cœpit in eo virile robur excrescere, & animi virtutem amplecti, sæpiùs illud Evangelii evolvens secum: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et alibi: *Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.* Erat autem prudens in moribus, verax in verbo, in omni bonitate & sanctitate conspicuus. Ita ut cum in dicto oppido plurimis esset refertus virtutum insignibus, & Dominus etiam in præsenti sæculo iis, qui eum sequuntur, centuplum ut plurimùm retribuat, in futuro autem vitam æternam, ad Archisacerdotium maximo Clericorum, & laïcorum assensu sublimatus fuerit.

Luc. 14.

Matt. 19.

Fit Archipresbyter Langeacensis.

Hunc verò dignitatis apicem adeptus, quàm piè, quàm sobriè, quàm justè vixerit, suprà nos est dicere. Nam sanctimoniæ, ac castitatis ita diligens amator etiam antea fuerat, ut oculos suos commodè à vanitate averteret, ne mors per fenestras illas haberet ingressum. Pedes à lapsu, actiones ab omni casu, quantum gratiâ Dei opitulante poterat, custodire satagebat. Curam quoque subditorum sibi pastorali vigilantiâ gerebat; & tamquam spiritualis pater tam animæ, quàm corporis dape quosque reficiebat ad posse, non immemor verbi Domini ad Petrum. *Pasce oves meas.* Hic est, JESU bone, tuus non surdus auditor, qui cum temporalium flore posset lætari, maluit æternam jucunditatem momentaneis laboribus lucrari, quàm causam flendi in perpetuum sibi comparare. Quid dicam, quòd os ejus semper Deo colloquebatur in psalmis, etiam in terrâ Angelicam vitam degens: psallebat spiritu, psallebat & mente. Si enim quoquam iter habuisset, erat ei mos, quòd primus ambularet, ac neminem præstolaretur, ut psalmodiam

Prædicat verbum Dei.

Joan. 21.

Iter agendo psallebat.

nusquam interpolaret.

Quemadmodum autem mundum aspernaretur non solùm ex dictis, sed multo magis ex factis ejus assiduis datur scire, quibus perniciem mundi penitùs ostendebat: & omnes ad Christum trahere gliscens, longâ exhortatione creberrimè brevitatem hujus vitæ arguens, sic dicebat: » Vita nostra quamvis mille tendatur annis, ad extremum tamen ætatis diem venimus. Cum ergo hora ultima venerit, quid proderit continuatæ voluptatis fructus, quæ statim ut cessaverit, videbitur non fuisse? Quid diviti apud inferos ardenti quotidianæ deliciæ, byssus, & purpura prosunt? Omnis in hoc mundo fides est sicut arundo, quam vanæ gloriæ ventus jactat, & fluvius tribulationum labefactat. Sunt hîc plurima mala bonis mista impari mensurâ humanæ conditionis. Si fortè mundus iste usque in finem prospera dare vellet, mors tamen interveniens cuncta auferret. Cadaver nostrum in morte suscipiet humus: &, nisi caveritis, petet impia tartara funus. Erigamus mentes ad superna: & somno animæ excusso, cum Prophetarum maximo vigilanter canamus: *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Spernite, Carissimi, brevem vitam, & longam acquirite, & pro labore brevi ævi perpetis requiem præparate: bona enim quæ diligitis, diu retinere nequitis. Cur non diligitis, ubi in perpetuum vos fore beatos scitis? « His & ejusmodi assertionibus venerabilis Dei Sacerdos mundana, & superstitiosa relinquere populum excitabat.

Exhortationis sermo S. Patris.

Psal. 41.

Postquàm verò Dominus omnipotens mirificare voluit sanctum suum, miraculorum quoque insignibus vita ejus cœpit mundo manifestiùs declarari, tametsi eo nolente, ut qui omnes virtutes suas occulere mallet, quàm in lucem edere. Accidit autem ut Casense monasterium aliquamdiù sub ejus curâ fuerit: cujus loci Sanctimoniales, quæ tunc temporis ibidem satis religiosè commanebant, diligenter, & zelo Dei observabat, ut nusquam longiùs à monasterio prorepserent, absque suo fidelissimo comitatu. Dum igitur cum quibusdam illarum apud Daletum pro quodam urgenti negotio esset profectus, & Dominus famulum suum miraculorum gloriâ insignem mundo apertiùs voluisset manifestari, contigit ipsum ex more quotidiano Missam celebrare. Quo audito cæca mulier, quæ ibidem à multis annis lumen amiserat, quanto citiùs ad monasterium cucurrit, & à ministro altaris aquam de manibus illius sancti hominis post consecrationem Corporis & sanguinis JESU-CHRISTI defluentem sibi dari secretò, & quasi furtim, rogavit, quam ut accepit, & oculos inde lavit, statim lumen oculorum ac mentis recepit, & se recepisse exclamavit. Quod ubi vir sanctus comperit, etsi se ob hoc manifestari doluit, tamen quia Deus meritis, ut credimus, ipsius hoc effici voluit, non in gloriam est elatus mundi hujus, sed secum pauperi mulierculæ congratulabatur, dicens non suis meritis, sed Dei virtuti id esse tribuendum. Et ita Dominus, qui merita servorum suorum longè, lateque dignanter aperit, in hoc famulo suo jam adimplevit quod suis fidelibus promiserat, dicens: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet.* Hoc siquidem primum quod publicè gestum est de Beato viro miraculum nobis in notitiam venit: nam antea pro certo scimus Dominum plurima ipsius sanctitatis indicia secretò ostendisse. Verùm de illis scribere omitto, quæ latere ipse maluit: illa tantùm perstringam breviter, quæ certis multorum testimoniis occultari nequiverunt. Nam si tantarum ipsius virtutum signa aut ariditas nostri sermonis possit excolere, aut memoria retinere, priùs habere poterit terminum lux hodierna, quàm pagina.

Regit Monaster. Casense, Gallicè, *des Chases.*

Daletum, seu Aletum Monasterium à Casensi dependens.

Quotidie Missam celebrat.

Cæcam mulierem illuminat.

Joan. 14.

CAP. III.

A supradicto igitur monasterio quantociùs peracto negotio digressus, quasi ob verecundiam miraculi ad Casense tamquam fugitivus cum eisdem Sanctimonialibus contubernium repedavit. Contigit autem alio quodam tempore, quòd cum Abbatissa præfati monasterii, & cum quibusdam aliis more solito equitaret, ut trituram messium in quâdam earumdem sanctarum feminarum villa videret. Cumque ibidem nox imminens eos occupasset, ac remanere coëgisset, tandem dum omnes ire cubitum festinarent, vir Dei Petrus ut liberiùs orationi vacaret, & etiam nocuos noctis vermes devitaret, super plaustrum, quod casu prope ostium fœno oneratum erat, sibi cubile parari curavit, quod extemplò accuratè, & diligenter à cubiculariis apparatum est. Dum verò ibi lucubraret, & in psalmis meditaretur, ecce nequissimus spiritus, qui semper quieti bonorum invidet, quamdam mulierem de sociabus ipsius Sanctimonialis venerio furore stimulatam, in sanctum Dei excitavit, quæ ad lectum ejus furtim per tenebras accessit, & ut secum cubaret nocte illâ rogare cœpit. Cui ille: Recede à me femina nequam, fomes peccati, vade quietum, & signa cor tuum, quia diabolus hoc incipere, & loqui, imò facere te exhortatur. Cum itaque illa instaret, nec ullatenùs abscedere vellet, vir sanctus zelo Dei permotus, terribiliter cœpit ei minari nisi ab incœpto desisteret, se omnes homines ilicò qui propè jacebant inclamaturum; illa verò confusa pudore, & de turpi dolens repulsâ vix tandem discessit.

Impudicam mulierem strenuè à se expellit.

Sed aliquamdiu commorata, iterum eodem spiritu libidinis stimulata, imò ipse spiritus nequam per ipsam virum Dei secundò aggreditur, atque ad peccandum veluti serpens primos homines tentando hortatur, sed illorum, proh dolor! victor exstitit, unde genus nostrum perculsum est: hîc verò à secundo victus homine, gemebundus ad tartara detruditur. Vir quippe Domini Petrus sancto Spiritu roboratus, iterum atque iterum mulierem absterrebat, & altiores intonando voces attentiùs illi minabatur, ut saltem verecundiam hominum vereretur, quæ zelum Dei postposuerat. O quàm magnus, & immensus est Deus omnipotens! Ecce nempe alter Joseph in Ægypto hujus mundi positus, alter Putipharis ab uxore patitur insultus, in thalamo pallium relinquit, & cum amictu castitatis aufugit, ne vestem pudicitiæ perdat quantum potest obnititur. Secundò itaque femina impudica metu, ac pudore percellitur, & clam per tenebras ad proprium stratum regreditur, ubi iterum cœpit æstuare, & quid ageret anxia meditari. Occurrit illius animo sancti viri forinseca pulchritudo membrorum, decor vultûs, faciei hilaritas, eloquium dulce, valetudo, & cætera, quorum gratiam bonorum singulis Deus prout vult confert: quibus porrò non est abusus bonis, quin potiùs Creatoris obsequio se totum mancipavit. Sanctimonialis ergo illa femina, quæ potiùs dæmonialis dicenda est, tertiò tandem sanctum virum de incestu alloqui meditatur, & sagaciori artificio, verbisque excogitatis acerbissimos ei dat insultus: Quare, inquit illa, mihi non præbes assensum? Apparet certè corporis mei pulchritudinem, formæque nitorem, & carnis lenitatem te penitùs ignorare, & si perspexeris qualia, quamque jucunda sunt hæc, nullatenùs renues: valent siquidem quæ apparent, sed magis latentia. Cumque hæc & similia prosequeretur, vir sanctus ait ad Monacham: Postquàm video quòd aliter non desistes, nec resipisces, Deum omnipotentem imploro, ut manifestâ in hac nocte animadversione pro hoc scelere mulcte-

Petrus ob singularem castitatem Josepho comparatur.

ris. Me autem scias omni remoto ambiguo neque corpus, neque animam sorde luxuriæ usquequaque polluturum. Tum verò tertiò confusa, ac lacrymis furibunda discessit, & grabato quodam, ac si exanimis esset, & fessa vexatione diuturnæ stimulationis, prosternitur.

Impudica mulier punitur.

Ecce autem ex improviso quidam maximus bufo, quem vulgò rubetam dicunt; vel idem spiritus, qui eam interiùs veneno nequitiæ in virum Dei inflammaverat specie bufonis immanissimi, veluti crepidæ nocturnalis turgidi, ipsam ibi cubantem per tibiam arripuit, dentibusque acutissimis exteriùs turgidam repentissimè reddidit, & cum toxicatis luminibus dentes acutissimos per carnem, & nervos ad os usquè transfixit. Quod ei sine dubio contigit, ne oratio viri sancti quassaretur, ut sagaciùs intuenti liquidò claret. Dixerat enim: ut manifestâ in hac nocte animadversione pro hoc scelere mulcteris. Voluit nempe Dominus & votum sui servi perficere, & ne æterno plecteretur exterminio, temporali verbere eam punire. Tum verò dolore torquetur intolerabili, & ad cœlum horrendos intonat clamores. Accurrunt cubiculariæ, & famuli, festinat omnis familia, monstrum aspiciunt horribile, visoque conterriti fugiunt. Hærebat quippe vastissimo hiatu tibiæ, pedibus desuper calcitrabat, cute nigerrimâ turgebat, ardentibusque flammabatur oculis. Itur tandem ad Dominum Petrum, nuntiaturque quod Monacha talis tam terribilem patiatur pestem, ut illi citissimè subveniat; eamque ipsum de tali re attentiùs exorare. Porrò vir sanctus hoc perpendens Dei fore pro ejus flagitio manifestissimam vindictam, usque dum mane foret eam visere se nolle asseruit. Totâ igitur nocte insequuta nec bufo illam deseruit, nec aliquis eum inde removere potuit. Virus occupat artus, horrendo femina plectitur incendio. Et tandem facto mane amicus Dei Petrus ad eam accessit, quam per spiritum adhuc torqueri novit. Vidensque illam tam horribili puniri tormento, compassus est miserrimæ mulieri; & ut duo in illâ impleret pietatis opera, miseratus est salute egentem, & consolatus est miseram gravissimè languentem. Nam accedens signum Crucis super locum morbi imposuit, statimque virulentum reptile membrum reliquit, quo ablato tumor omnis ita abscessit, ut nulla turgiditatis indicia in ejus carne apparerent.

Signo Crucis mulierem à bufone correptam liberat.

O felix mercimonium charitatis, quo virus vipereum adimitur, salus animæ tribuitur, reatusque præteriti noxa diluitur! Jam etenim videmus quòd Paulus de quibusdam dixerat: *Ubi abundavit iniquitas, superabundavit & gratia.* Hoc viso terrentur qui aderant, Petri sanctitas innotescit, confunditur illa pudore, quòd sanctum hominem de tali interpellârat turpitudine, & de præterito pœnituit, cavitque de futuro.

Rom. 5.

CAP. IV.

Peracto itaque ad quod ierant negotio, ad Casense cœnobium illicò regressi sunt. Ubi vir Dei Petrus jejuniis, & obsecrationibus vacans, sæpe Dominum supplicat, ut, à quo procedit omne datum optimum, locum ostendat sibi aptissimum, ubi relicto actu sæcularium, divinum liber exequatur negotium. Votum hujus Patris & desiderium Deus cernens auditor humilium, cujus oculum nullum latet abditum, locum monstrat illi idoneum per Apostoli Petri spiritum, antiquitùs Dei Genitrici deditum, tunc temporis indigentissimum, Piperaci dicunt vocabulum, quem Sacerdos habens conjugium tenebat sed incultissimum. Petrus petræ fretus oraculo, lætificatus præsenti indicio, suo relicto Archipresbyterio, Præsulis Durani functus consilio, assumpto habitu Canonico, onereque mundi deposito Deo militaturus perpetuò, suffultus fratrum gemino solatio, Vigiliarum Natali Dominico Piperacum venit solemni gaudio, anno Domini millesimo supra sexagesimum secundo.

Piperacum, sibi divinitùs præmonstratum incolit, in Episcopatu S. Flori. Petrus fit Canonicus Regul. an. 1062.

Præfatus verò præsul Duranus, vir sanctissimus, audiens à vicinis Primatibus Petro, & sociis ejus gratis Ecclesias dari, easdem, & plures alias eis communi Claromontensium Canonicorum Capitulo liberalissimè concessit. Deus autem suorum fidelium messem augmentare volens, numerum supradictum visitans, in unum plures adunavit ei Regularium, qui sequantur victum Apostolicum, secundùm edictum Augustinicum, nihil habentes in hoc mundo proprium. Multorum fratrum conglobato cuneo, exiguo manens in tugurio, dum arctantur frigore niveo, ignis flagrans accensus plus nimio, domicilii hæret fastigio. Quem vir sanctus viso periculo suis exstinxit precibus ilicò. O quantum fidei beneficium; quæ tantum compressit incendium. Dum putat fratrum perdere collegium, deest oblatum ardendi auxilium. Quantum apud hunc premere incendia, qui cæcorum mox accendit lumina? Aut quid est depellere flammulas, qui dæmoniacas profugat insidias?

Vitam cum sociis instituit secundùm Regulam Beati Augustini.

Incendium exstinguit.

Sed addatur pagina, nec enim deerunt Sacerdotis miracula. Dum enim longè lateque languentium splendescerent signa, jam ex inopinatis partibus ad eum turbæ cœperunt concurrere, eumque immensa turba perurgere. Eximius autem vir Dei exultans de mirabilibus, quæ sedulè operabatur Dominus Jesus Christus, cœpit animo complere quod sibi fuerat divino revelatum oraculo. Parat enim templum Dei Genitricis titulo consecratum erigere officiosissimo studio, ubi pastor oves sibi commissas alat Domino, dæmoniaco ereptas excidio. Sicut ergo semper humani generis adversarius suam non desistit ostendere nocendi potentiam, tunc ex adverso saxum immanissimum de vicino monte ruptum repentissimè super novellum ædificium facit ruere, comminans paratum præcipitium, nisi vir Dei illi fuisset obstaculum. Videns siquidem sacerdos pius rupem contrà ædificium terrificè venientem, elevatâ manu munimentum Crucis Dominicæ illi opposuit, molesque illa statim terræ defixa ita parendo substitit, ut virtute divinâ videretur depressa. Proinde socii, affinesque videntes Dei mira opera, Christum, qui in Sanctis suis voluntatem suam mirificat, glorificaverunt: quippe qui sicut Petro Apostolo suo mare stravit, sic Petro Sacerdoti suo petram gravissimam immobilem reddidit.

Ecclesiam monasterii sui dicat Virgini Deiparæ.

Domum ab irruente in eam rupe servat.

Evoluto autem multorum dierum curriculo Guidonem, unum ex primitivis sociis suis, in loco, Villa supra Motam * nominato, quò eum miserat, gravissima paralysi in vitæ discrimen redactum esse admonetur. Haud mora, illum visitat, ut, si fieri possit, Piperacum deducat. At dum ei gressum parat, ita captus omni sensu est, ut vitâ penè privatus videretur. Compassus itaque Pater sanctissimus filio paralytico, multisque obstrictus lacrymis, eum, ut fertur, propriis detergendo manibus saluti exemplo restituit. Quo viso venerabilissimus Dei Sacerdos, non in humanum elatus est favorem, sed bonitatem Dei in suo opere esse intellexit. O virum per omnia sanctissimum! qui cum in mundo nihil habeat proprium, fulget tamen in omnibus dote virtutum.

* vulgò, *Saint Saturnin de la Motte.*

Sanat Guidonem paralyticum.

Sub eodem fere tempore accidit, eum in vicum, cui nomen Brivata, Beatissimi Juliani Martyris visendi studio proficisci. Cum autem vetulam Brivatam devenisset, undique ad eum cœpit populus affluere, & verbis ac lacrymis ab eo efflagitare, ut virtutem ejus, quam præscierant, agnoscerent in libe-

Brivatam venit ad sepulcrum S. Juliani.

Signo Crucis naufragantes ab imminentissimo periculo liberat.

ratione cujusdam navis, quam oneratam hominibus in proximo flumine jam mergi, jamque adverso flante vento periclitari videbant. Tunc vir piissimus fletibus, precibusque populi supplicantis victus terræ prosternitur, ubcres fundit lacrymas, geminat alta suspiria, Dominum supplicat humillimè pro naufragantibus; & tandem manu elevata, signoque Crucis facto super navim, verbi præcipit imperio, ut iniquus prædo, qui eam intùs vexabat, discederet, Christique famulos, quos impiè necare gliscebat, desereret. Ad viri sancti orationem, & imperium, invidorum invidissimus parens invitus aufugit, ut signum nimii fœtoris ab eo in navi excitati indicavit. Sicque naufragii periculo erepti, gratias egerunt Deo miraculo ostenso.

Curam gerit alendorum pauperum.

Obiit die festo Nativitatis beatiss. V. M.

Per idem verò tempus vir Dei per omnia insignis, omnibusque virtutibus adornatus, & in verbo Dei simplicitatem Apostolicam observans, verè sacerdos, & hostia Dei, cum se ubique sollicitum circà alendorum pauperum negotium semper ostendisset, etiam tunc temporis dudum susceptum opus explere contendebat. Cùm jam ætas ad perfectam senectutem procliva dependeret, ampliatis omnibus suis tam locis, quàm sociis, extremum diem sortitus est. Bonorum enim omnium perfectissimus remunerator Dominus, gloriosissimum famulum suum laboriosâ corporis mole diutiùs gravari non sustinuit. Et similiter ut merito meritum misericordiæ Mater, cui totâ mente famulatum ipse fideliter præbuerat, prout dignus erat, compensaret, Nativitatis suæ die non dicam mori, sed cœlis nasci voluit, relictis imis. Cumque ægritudine cogente corpus ejus super stramentum discipuli deponerent, ut ex jussu sancti viri terra proxima terræ poneretur, psalmodiam, hymnosque decantans, in Deique amore & laudibus perseverans, sexto Idus Septembris incontaminatum cœlo spiritum reddidit.

Ejus corpus cinere licet ac cilicio coopertum, miro splendore conspicuum apparet, suavissimumque spirat odorem.

Qui autem ad exequias ejus perficiendas venerant, videntes glorificati corporis gloriam, carnemque cinere, & cilicio semper antea obtectam, ita splendentem, & ad modum vitri purissimam, resurrectionis quoddam decus jam proferre crediderunt. Accedentesque vicini Sacerdotes, & Clerici, vulgusque permistum, odoremque ab eo procedentem super balsamum, & cinnamomum redolentem sentientes, jam virum Apostolicum, & Deo dignissimè associandum acclamabant. Occurrunt huic liberalissimæ animæ omnium cœlestium consortia agminum, Theotoco reverentissimæ consociata, concivemque suum paradiso reddunt, in sinu Abrahæ perenniter quiescentem; ubi gloriatur multipliciter laureatus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Miraculis post mortem claret.

Petrus post carnis obitum, ut præsens fit indicium, majora dat miracula per Domini suffragia. Ubi enim tanti Patroni excessum discipuli deflent, & de ejus migratione dolent, consolatione solitâ carentes, inter suspiria, gemitusque mœrentium Berlanus quidam à primo statu conversionis coquinæ deditus officio, destitutus viribus suis, arefactâque manu accedens, sic inter cæteros aiens lamentabatur: Quis, Pater sanctissime, gregem commissum consolabitur, quisve nobis sic caritativè verbi beneficia impendet? Inter hujus sæculi frementes sylvas, lupi subditos devorabunt. Et quis nos à morsibus eorum conservabit? Quis, inquam, amplius me pauperrimum viribus destitutum corriget, & fovebit? Tu ergo Pater Carissime, miserrimum consolare, dolentem aspice, ægrum consolida, lacrymantem suscipe, egentem misericordiâ tuâ adjuva; tibi supplicantem servum officio tuo, dum vita comes fuit, deditum in se, & nunquam à te discessurum solitâ pietate intuere. Hæc & alia multa dicens flebat, & anxius anhelabat, erigens manum super tumulum totaliter aridam, suffultusque super tantum Patronum lacrymis precibusque perseverabat. Haud mora, ita sanum se sentiit, ac si nullius ægritudinis languore fuisset detentus. Et sic orando, gemendoque tristis adveniens, lætus abscessit.

Berlani manus arida restituitur.

Tempore etiam quo Duranus Episcopus Arvernensis regebat Ecclesiam, Robertus Comes audiens famam, sanctitatemque perfectissimi viri, quemdam villicum suum Brivatensem, nomine Filiolum, febre diuturnâ vexatum, nullum ob nimiam ægritudinem percipientem cibum, cum cerâ quatuor solidis emptâ ad tumulum ejus in hæc verba misit: Excellentissimi Sacerdotis Petri festinanter adi Sarcophagum, rogans eum ut ob mei solitam amicitiam tibi sospitatis fructum impendat. Audito venerabilis Comitis jussu, servus parat iter arripere; tandemque per devexa, & concava fessus, & viribus destitutus ante Beati tumulum viri paululum quiescens, talibus eum alloquutus est verbis: Tibi, Pater sanctissime, me per omnia sibi subditum Consul Robertus peracto tempore, modernæque dilectioni obnixè copulatus, febre longinquâ maceratum, & nisi citissimè subvenias morti connexum mittit, ut sanctitate tuâ miseriæ meæ, oppressionique subvenias, recordatusque antiquæ dilectionis, nece fugatâ vel dilatâ, saluti restituas. Vix verba finierat, cum incolumitatem sentiit; domum sospes revertitur, familia congratulatur, Consul de impenso beneficio lætatur, multiplicisque populi per aures sanctitatis ejus fama ab eo usquequaque pronuntiatur. Hæc sunt illius opera, qui puerum pastorem Prophetam fecit egregium, qui cum virtutibus cujuslibet animum repleverit, ardentem, incendentemque per omnia facit.

Villicus febribus laborans curatur.

Aniciensis quidam Clericus Bertrandus, cognomine Bos, qui cum vir Dei præsenti vitâ frueretur, Ecclesiam beati Boniti tribuerat, quartanâ febre diutissime stimulatus, adeo ut nec corpus erigere, nec sustinere prævaleret, cognitâ multorum à polyandro ejus redeuntium sospitate, in grabato proprio manens, nuntium direxit Piperacum, ut qui præsentes aderant, exiguum de vino, quo Sacerdotis tumulus superfundebatur, mitterent. Ut autem à misso relatore vinum optatum accepit, & gustavit, sanitatem integerrimam illicò sentiit. Et sic virtus progressa de tumulo ubique magnificabatur à populo. Et licet hujus viri sanctissimi naturæ debito mors exstinxit corpusculum, fulgent tamen viventis membra polyandro.

Bertrandus Clericus quartanâ febre languens sanatur.

Inter tot miracula unum erat celebre, & continuum: quod ad sanctissimi corporis tumulum fons assidui redundans sudoris, in tantum continuatum sumeret augmentum, ut rivos utrimque circumfusâ aquæ abundantiâ madida quasi lacuna redderet. Ad hoc undique auditum prodigium copiosa defluens multitudo languentium, manibus suis sancto liquore madefactis tangentes, à quâcumque debilitate tenerentur, sospites repentissimè regrediuntur. Ibi enim virtus divina sic affluenter exuberat, ut nullus absque salutis auxilio redeat.

Mirabilis liquor à sepulcro S. Petri emanat.

Finis vitæ S. Petri.



QUÆ SEQUUNTUR EX TERRARIO

S. PETRI Piperacensis excerpta sunt.

Fol. 23. b.

QUoniam ad multorum audientiam congruum est pervenire, qualiter, & quibus Domnus noster Petrus in primo Piperacensium Ecclesiam habuerit, quibusque donis ipsam Ecclesiam Deus ob Genitricis suæ amorem, & sancti viri religionem postmodùm ditaverit; ne rei veritas posteros queat latere, litterarum monumentis mandare providâ deliberatione decrevimus.

Origo ac fundatio Ecclesiæ Piperacensis.

Noverit itaque præsens ætas, omniumque sequutura posteritas, quia Anno Domini millesimo sexagesimo secundo, cum præfatus Dei servus, divinâ virtute suffultus carnis illecebras devitaret, & Regulari Canonicorum jugo colla submitteret, ut divino cultui tantumdem vacaret, non Simoniacâ peste pollutus prælibatam accepit Ecclesiam ab ipso DURANTO venerabili Arvernorum Episcopo, & Augerio ejusdem Ecclesiæ Capellano, & etiam à quibusdam laïcis Principibus, qui in illis temporibus illam ipsam jure hereditario possidebant, videlicet AUDIGERIO de Taglac, & WILLELMO de Piperaco, & STEPHANO & DALMACIO fratribus ejus, & quidquid eorum fevales in posterum dare voluerint.

Præterea RAIMUNDUS de Digons, & PONCIUS Caslanus, & PETRUS Rainaldi, quidquid in eâdem Ecclesiâ tenebant, Deo, & sanctissimo viro penitùs dederunt. Quo in loco dum corpus jejuniis attenuaret, &, ut mos est talium, vigiliis pernoctaret, famâ sanctitatis ejus crebrescente, omnes illius loci incolæ ardenti animo dilexerunt, & suis honoribus ampliarunt. Prædictus namque Pontifex cum relatu multorum & discretissimorum eum Dominicæ vineæ non inertem acciperet cultorem, & sarmentorum sterilium verbi Dei gladio mirabilem intelligeret amputatorem, quàmplures Ecclesias communi Capitulo Claromontensium Canonicorum, & maximè in audientiâ Domini ANSELMI Decani, & WILLELMI Ergino, & Domni RORGUI, & GILI, & RADULPHI Caslani, imperio suo regendas nutu possessorum attribuit.

Ecclesiæ à Piperacensi Abbatiâ pendentes.

Hæc autem sunt nomina earum, Ecclesia sancti Vincentii, & Ecclesia sanctæ MARIÆ de Vetulâ Brivatâ; Ecclesia sancti Boniti; ambæ Ecclesiæ de Aurato; Ecclesia de Fraghaco; Ecclesia de Alteyraco; Ecclesia de Tauliaco; Ecclesia sancti Petri de Chasellis; Ecclesia sancti Sebastiani de Vallor-seyras; & Ecclesia sancti Marii. Cui largitioni ROBERTUS tunc temporis Comes Arvernensis assensum præbuit, suisque muneribus augmentavit; quia sanctum Dei virum, videlicet Petrum Piperacensis Ecclesiæ Præpositum medullitùs diligebat, & arcana sua præcipuè reserabat. Sententiam igitur Ecclesiarum, & donum earum, si ausu temerario quis improbare præsumserit, à Corpore Christi, & Ecclesiæ segregatus cum Dathan, & Abiron in locum inferiorem perpetuò demergatur.

MONITUM.

GESTA GUILLELMI *cognomento* MAJORIS (LE MAIRE) *Episcopi Andegavensis, in codice Majoris Ecclesiæ ejusdem civitatis, nobis subministravit V. C. Antonius Vionus D. d'Herouval. Porro gesta sua Guillelmus ipse conscripsit ac posteritati mandavit, nempe quidquid in munere Episcopali gessit, sapienter, & constanter jura Ecclesiæ propugnando, asserendove, accuratè ac minutatim narrat, adeo ut nihil omisisse, nec labori ac vigiliis pepercisse videatur, & (quod optimum scribendi genus est) epistolas ultrò citroque datas, & varia authentica instrumenta narrationi suæ inserit. Utinam tanti Præsulis, meritò Majoris nuncupati, successores Episcopi vestigia fuissent sequuti, ipsiusque exemplum nostrâ ætate qui Cathedris Episcopalibus insident, sedulò imitarentur: quam putas exinde Ecclesiasticæ historiæ Scriptores haurirent utilitatem? Sanè permaximam. Notissima sunt quæ dico viris eruditis, ac proinde diutiùs hic non immoror.*

GESTA GUILLELMI MAJORIS*

ANDEGAVENSIS EPISCOPI

Ab ipsomet relata.

* *Vulgò Le Maire.*

Ex MS. cod. Majoris Ecclesiæ Andegav. à D. d'Herouval concesso.

ANNO 1290.

Inclyta recordationis Domino NICOLAO GELLANT *Andegavensi Episcopo feliciter migrante ad Dominum, cujus anima in pace requiescat, scripta sunt hac ad perpetuam memoriam posterorum.*

Refert quæ in funere decess-

QUIA propter fragilitatem humanæ naturæ labente hominum memoriâ propter annorum curricula, ea quæ studiosè aguntur in Ecclesiis, & aliàs, in oblivionis labyrinthum quotidie delabuntur: propter hæc dum casus occurrunt, magnæ ambiguitates & difficultates quamplurimæ interdum posteris relinquuntur, dum per scripturas & registra non potest oblivionis fragilitas relevari, & super factis antiquis non valet posteritas pleniùs infor-

foris & sui electione in Episcopum Andegavens. acta sunt.

mari. Idcircò nos GUILLELMUS, dictus MAJOR, divinâ permissione Andegavensis Episcopus, ea quæ circà electionem, confirmationem, consecrationem, receptionemque nostram in Ecclesiâ Andegavis, & præmissa tangentia & dependentia ab eisdem acta fuerunt, ac etiam observata, cum difficultates & ambiguitates non modicæ, altercationesque & ambages quamplurimæ inciderint & occurrerint in præmissis, ad informationem posterorum scripto & memoriæ studuimus commendare.

CAPUT I. Igitur bonæ memoriæ Domino NICOLAO dicto GELLANT, prædecessore nostro immediato, in manerio de Esventart, quod manerium idem Reverendus Pater construxerat, qui Ecclesiam Andegavensem triginta annis, viginti diebus minùs, feliciter & pacificè rexerat, & qui annos octoginta & ampliùs exegerat gravi infirmitate laborante. Nos GUILLELMUS memoratus tunc ejusdem major Capellanus, perpetuusque Pœnitentiarius in Ecclesiâ Andegavensi, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, quarto Kal. Februarii, quâdam die lunæ circà crepusculum noctis ad dictum Manerium personaliter accessimus, ibidemque præsentibus Domino CLEMENTE Audemari tunc Officiali Andegavensi, & Decano Ecclesiæ Beati Petri Andegavensis, GUILLERMO Gellent pronepote dicti Reverendi Patris Archipresbytero Burguliensi, Magistro MATTHÆO Piquot Decano de Cerdonio, Canonicis Andegavensibus, MAURICIO de Martigne Lebrient Archipresbytero Andegavensi, GAUFRIDO dicto Rege Archipresbytero de Ludio, JOANNE Guillet Rectore Ecclesiæ de Cepiâ, & aliis quampluribus Clericis, & aliis assistentibus, eidem Reverendo Patri Unctionis extremæ contulimus sacramentum, qui nondum totaliter completo officio Deo reddidit spiritum, corpore remanente in terrâ. Quod corpus lavari, barbam radi, balsamo inungi, & postmodum omnibus vestimentis seu ornamentis Episcopalibus in quibus consecratus fuerat, indui assistentes fecerunt. Ita quod aurorâ diei Martis hæc omnia facta & adimpleta fuerunt.

1290.

Obitus Domini Guillelmi Gellant.

Et ab illâ horâ usque ad Primam dictæ diei Martis fuit corpus ejus in magnâ camerâ, in quâ exspiraverat, clausis ostiis custoditum: circà verò horam Primæ in Capellâ dicti Manerii fuit prædictum corpus deportatum, & ibidem officium mortuorum cum Missis pluribus solemniter celebratum. Et circà horam Tertiam dictæ diei Martis fuit mors ejus Capitulo & Ecclesiæ Andegavensi, & toti villæ Andegavensi publicè divulgata. Fuitque per Capitulum Andegavense mandatum & injunctum singulis Monasteriis & Ecclesiis Collegiatis villæ & suburbii Andegavensis, quòd ad primam pulsationem campanæ magnæ Ecclesiæ Andegavensis, pulsarent omnes classicum mortuorum in suis Monasteriis & Ecclesiis pro Reverendo Parte memorato, & ut omnes horâ nonâ dictæ diei Martis in Ecclesiâ Andegavensi processionaliter convenirent, ut processione Ecclesiæ Andegavensis usque ad Cœmeterium Sancti Samsonis prædicto corpori occurrerent. Qui verò prædicto mandato cum reverentiâ annuentes, finita majore Missâ in Ecclesiâ Andegavensi, auditoque sono majoris campanæ Ecclesiæ Andegavensis cœperunt in Monasteriis & Ecclesiis prædictas campanas solemniter pulsare, necnon & in minoribus Ecclesiis Parochialibus, quamvis eis non fuisset injunctum.

Adveniente verò horâ nonâ dictæ diei, viginti Capellanis Sacerdotibus Ecclesiæ Andegavensis robustis nominatim evocatis ad dictum Manerium de Esventart pro dicto corpore deferendo, corpus prædictum in feretro coopertum unâ culcitâ sericâ, & desuper culcitam duobus pannis sericis deauratis simul conjunctis, cum mitrâ & baculo pastorali & annulo Pontificali, induti gonnis suis alternatim cum venerabili comitivâ, & magno luminari cereorum, & torchiarum usque ad prædictum cœmeterium Sancti Samsonis deportantes pausaverunt ibidem; ubi processionibus Ecclesiæ Andegavensis, & aliis Monasteriorum & Ecclesiarum prædictarum congregatis, incepit Cantor Ecclesiæ Andegavensis, cæteris respondentibus & coadjuvantibus, *Subvenite* solemniter decantare: quo finito cœperunt iterum dictum corpus Capellani prædicti usque ad cœmeterium sancti Michaëlis de Tertro deportare, ibidemque parum pausantes, fuit decantatum aliud responsorium de defunctis.

Tunc verò Dignitates & Personatus in Ecclesiâ Andegavensi obtinentes, & robustiores Canonici ejusdem Ecclesiæ in gonnis suis nobili viro & Fideli Ecclesiæ Andegavensis, Domino GUIDONE de Camilliaco strenuo Milite, se delationi dicti corporis offerente, à dicto loco usque ad chorum Ecclesiæ Andegavensis turbâ Cleri & Populi innumerabilis lacrymabiliter comitante, honorificè detulerunt, & in Choro prædicto posuerunt, cantatis Vesperis & Completorio antequàm dictam Ecclesiam cum dicto corpore introirent.

Hìc Corpus Christi Andegavensis mortuum apportatum seu delatum ad Andegavensem Ecclesiam, ut suprà scribitur, positum est in Choro ejusdem Ecclesiæ. CAP. II.

COllocatis cereis circà corpus ardentibus, processionibus recedentibus, Chorus Andegavensis Ecclesiæ Vesperas & Vigilias mortuorum solemniter decantavit. Quibus finitis, remanserunt circà corpus usque mane trigintà tam Presbyteri quàm Clerici vicissim & alternatim vigilantes, & singulariter per totam noctem, Matutinis exceptis, psalmodiantes.

Vigilia, seu dies immediatè præcedens sepulturam dicti Domini Episcopi Andegavensis. CAP. III.

DIe autem Mercurii sequenti, mane parùm ante Primam convenerunt in Ecclesiâ Andegavensi omnes processiones prædictæ, necnon Fratres Minores, Prædicatores, Moniales Beatæ MARIÆ, saccim [a], Filiæ Dei, psallentes, qualibet processio sigillatim exsequias mortuorum, videlicet vesperas, vigilias & Missas: quibus finitis, & ad notam altâ voce cantatis, circà horam tertiam recesserunt, Choro Ecclesiæ Andegavensis unà cum aliis Missam de Defunctis solemniter celebrante. Quo facto, tertiam Missam & sextam diei dixit Chorus prædictus. Quibus completis, ad prandium iverunt, Clericis psalmodiantibus, & custodibus solemnibus interim circà corpus remanentibus. Horâ verò nonâ dictæ diei rediit Chorus ad Ecclesiam, & dictâ Nonâ inceperunt solemniter vesperas & vigilias mortuorum, & statim post Vesperas & Completorium de die dixerunt. Tunc remanserunt circà corpus custodes, & vigiles psalmodiantes, & Sacerdotes per totam noctem usque mane.

Dies sepulturæ dicti Episcopi Andegavensis facta, ut infra sequitur. CAP. IV.

DIe Jovis in mane sequenti parum ante Primam conveniunt iterum omnes processiones ad Ec-

a *saccim*] Acherius conjicit legendum, *sacciferi*.

clesiam

clesiam Andegavensem, Vesperas, Vigilias & Missas mortuorum, sicut die præcedenti, solemniter ad diversa altaria ipsius Ecclesiæ decantantes. Tunc erat luminare novum & recenter factum circà corpus circumquaque Chorum, & circà leterinum seu pulpitum, & circà majus altare, & cætera singula altaria, necnon viginti quatuor torchæ novæ accensæ circà corpus. Circà horam tertiam Reverendus Pater Dominus Henricus divinâ providentiâ Venetensis Episcopus magnam Missam celebravit, Cantore Andegavense cum quinque cappis totum officium cantûs faciente, per omnes tres dies prædictos Tractum psallentibus imò cantantibus obtinentibus Dignitates & Personatus in Ecclesiâ Andegavensi, qui Tractus incipit: *Commovisti Domine terram*. Missâ finitâ venerunt ad feretrum omnes Dignitates & Personatus in Ecclesiâ habentes, necnon quatuor simplices Canonici Sacerdotes, revestiti omnes in albis.

CAP. V.

Nota hîc modum sepeliendi Episcopum.

ET horâ debitâ prædicto Episcopo Venetensi officium faciente, corpus ad tumulum detulerunt, & posuerunt honorificè in sarcophago de *tufello* de diversis peciis constructo, cum mitrâ albâ in quâ fuerat consecratus, & crociâ de stanno seu cupro; & super pectus ejus calix & patena plumbei cum pane & vino, & retrò caput erat quidam alveolus in quo erat lampas cum oleo accensa, ita quòd sarcophago clauso, lumen ipsius lampadis accensæ intùs radiabat per foveam suprà corpus.

CAP. VI.

Hîc humatum seu sepultum est corpus dicti Episcopi.

COrpore verò solemniter inhumato, præsentibus Dominis de Credonio, de Camilliaco, & pluribus aliis Nobilibus & Militibus, & ISABELLA Dominâ de Credonio majore seu seniore, ac innumerâ multitudine Cleri & Populi abeuntibus omnibus, Capitulum convenit in Choro Ecclesiæ, & prostrati ad terram septem psalmos cum letaniâ dixerunt; quibus finitis, intraverunt Capitulum & tractaverunt de mittendo ad Regem Franciæ & ad Capitulum Turonense, Ecclesiâ Turonensi tunc vacante, pro petendâ licentiâ eligendi à dicto Rege Franciæ & à Capitulo Turonensi, vice Archiepiscopi vacante Turonensi Ecclesiâ in talibus fungente, sic & prout fuerat consuetum, & ordinaverunt quòd venerabiles viri JOANNES Scholasticus Andegavensis, & MATTHÆUS Decanus de Credonio Canonici Andegavenses irent ad dictum Regem Franciæ cum litteris sigillo Capituli Andegavensis ad causas sigillatis: quarum litterarum tenor sequitur in hæc verba.

A Rege & à Turonensi Capitulo, Andegavense Capitulum petit licentiam eligendi Episcopum.

CAP. VII.

Nota hîc formam litterarum directarum ex parte Capituli Andegavensis ad Regem Franciæ, pro petendâ licentiâ eligendi.

EXcellentissimo Principi Domino PHILIPPO Dei gratiâ Francorum Regi, sui devoti Capituli Andegavensis Ecclesiæ, Sede ejusdem Ecclesiæ vacante, Decanoque ipsius Ecclesiæ absente, & in remotis agente, salutem & cum beatitudine perenni successus prosperos & felices. Ad vestram Regiam Majestatem destinamus loco nostri viros venerabiles & discretos, dilectos nostros, Magistrum JOANNEM Scholasticum Andegavensem & MATTHÆUM Decanum de Credonio, Canonicos nostros, exhibitores præsentium & quemlibet eorum in solidum, ad denuntiandum Excellentiæ vestræ prædictæ mortem bonæ memoriæ Domini Nicolai quondam Episcopi Andegavensis, ad petendum nomine nostro à vestrâ Regiâ Majestate licentiam eligendi Episcopum & Pastorem in Ecclesiâ supradictâ, si peti fuerit consuetum, necnon ad supplicandum Excellentiæ vestræ, ut remedium adhibeatis oportunum super pluribus gravaminibus, nobis & Ecclesiæ Andegavensi post mortem præfati Episcopi in nostri & Ecclesiæ prædictæ præjudicium de novo illatis, & hoc significamus vestræ Dominationi Regiæ per præsentes litteras sigillo nostro sigillatas. Valeat in Christo vestra Regia Majestas per tempora longiora. Datum, &c.

Quibus litteris Domino Regi Franciæ per prædictos nuntios præsentatis apud Coronam juxtà Rotomagum, ubi dictum Regem invenerant, statim fuerunt expediti dicti nuntii simpliciter & benignè.

Et litterâ datâ per Regem de licentiâ eligendi petitâ simpliciter concessa, recesserunt à dicto Rege cum dictâ litterâ cujus tenor infrà scribitur:

PHILIPPUS Dei gratiâ Franciæ Rex, dilectis suis, Decano & Capitulo Ecclesiæ Andegavensis, salutem & dilectionem. Petitam à nobis ex parte vestrâ per viros venerabiles & discretos, dilectos Magistros JOANNEM Scholasticum Andegav. & MATTHÆUM Decanum de Credonio Concanonicos vestros præsentium relatores, licentiam eligendi Episcopum & Pastorem in prædictâ Ecclesiâ vestrâ nunc Pastoris regimine destitutâ per mortem bonæ memoriæ NICOLAI quondam Episcopi Andegav. vobis concedimus liberaliter & benignè, rogantes vos quatinùs talem personam in Episcopum & Pastorem eligere studeatis, qui regimini vestræ Ecclesiæ memoratæ in spiritualibus & temporalibus circumspectus existens, eidem Ecclesiæ vestræ fore debeat fructuosus. Actum apud Coronam prope Rotomagum die Sabbati ante Cathedram Sancti Petri, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo. 1290.

Reversis itaque prædictis nuntiis ad Capitulum Andegavense, relatione factâ per eos, missa fuit littera venerabili viro Magistro GIRARDO de Monterebelli Canonico Andegav. Archidiacono Transvigenensi in Ecclesiâ Turonensi ad denuntiandam mortem dicti Reverendi Patris, & ad petendam licentiam eligendi à Decano & Capitulo Turonensi, Sede Turonensi vacante, si ad hoc capitulum Andegavense teneretur; quæ littera missa dicto Archidiacono erat sigillata sigillo Capituli Andegavensis ad causas, cujus litteræ tenor sequitur infrà:

Viris venerabilibus & discretis Decano & Capitulo Ecclesiæ Turonensis, Sede vacante, Capitulum Andegavense, Decano ipsius Ecclesiæ absente & in remotis agente, salutem, & cum reverentiâ & honore paratam ad eorum beneplacita voluntatem. Ad vos destinamus & mittimus loco nostri virum venerabilem & discretum Magistrum GIRARDUM de Maugiâ Archidiaconum Transvigenensem in Ecclesiâ vestrâ, Concanonicum nostrum, exhibitorem præsentium, ad denuntiandum mortem bonæ memoriæ Domini NICOLAI quondam Episcopi Andegav. & ad petendum nomine nostro à vobis licentiam eligendi Episcopum & Pastorem in Ecclesiâ Andegav. supradictâ, si petere debeamus: & hæc vobis significamus per præsentes litteras sigillo nostro sigillatas. Valeat in Christo vestra discretio reverenda. Datum die lunæ post festum beati Mathiæ Apostoli, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo.

Et nota quòd si in Turonensi Ecclesiâ esset Archiepiscopus vel electus, ista denuntiatio non fieret Capitulo Turonensi, nec ab ipso Capitulo peteretur licentia eligendi, sed ab Archiepiscopo vel Electo: & quia Decanus & Capitulum Turon. reddebant se difficiles dicto Girardo, pro eo quod Capitulum An-

degavense petebat licentiam eligendi sub conditione, & ex eo quòd littera dicto Capitulo Turon. directa non erat majori sigillo Capituli Andegav. sigillata : ideo rescripsit idem Girardus Capitulo Andegavensi quòd mitterent alios Canonicos Turonis pro petendâ licentiâ prædictâ. Et tunc missi fuerunt Turonis die lunæ post festum beati Albini ex parte Capituli Andegav. dominus PHILIPPUS de Plesseiaco Decanus Ecclesiæ sancti Laudi Andegav. & MATTHÆUS Decanus de Credonio, Canonici Andegav. & post varios tractatus habitos in Capitulo Turonensi, præfatus magister Girardus petiit simpliciter & purè licentiam eligendi à Capitulo Turonensi, quamvis mandatum conditionale haberet, & fuit ordinatum in Capitulo Turonensi quòd littera illa de licentiâ petitâ majori sigillo Capituli Andegav. sigillaretur, quod fuit postmodum adimpletum : & ex parte Capituli Turonensis die Mercurii post festum beati Albini fuit licentia eligendi simpliciter concessa, & littera super hoc confecta, quam prædicti Decani ad Capitulum Andegav. die Veneris sequenti reportaverunt : cujus tenor infrà scribetur, priùs inserto hîc tenore cujusdam alterius litteræ super denuntiatione prædictâ ex parte dicti Magistri Girardi dicto Capitulo Turon. facta ; cujus tenor sequitur :

Universis præsentes litteras inspecturis Majoris Turonens. Transligerensis in Ecclesiâ Turon. Archidiaconorum, & Archipresbyteri Turon. Officiales Curiarum, salutem in Domino. Noveritis quòd anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, die Martis in capite jejuniorum, venerabilis vir magister GIRARDUS de Maugiâ Archidiaconus Transvigenensis in Ecclesiâ Turonensi, & Canonicus Andegavensis, Procurator venerabilium virorum Capituli Andegavensis, Decano eorum absente & in remotis agente, ut in litteris eorum sigillo sigillatis, quarum tenor talis est :

Viris venerabilibus, &c. ut suprà. Denuntiavit in præsentiâ nostrâ nobis, ad hæc specialiter evocatis venerab. viris & discretis Decano & Capitulo Turon. sede vacante in Capitulo Turonensi, Capitulo inibi congregato, mortem bonæ memoriæ quondam Nicolai Episcopi Andegav. vice & nomine dicti Capituli Andegav. & petiit nomine ejusdem ab ipsis Decano & Capitulo Turon. purè & simpliciter licentiam eligendi Episcopum & Pastorem in Ecclesiâ Andegav. prædictâ. In cujus rei testimonium sigilla dictarum curiarum ad petitionem dicti Procuratoris unà cum sigillo ejusdem præsentibus duximus apponenda. Actum præsentibus & assistentibus in prædicto Capitulo Turonensi Venerabilibus viris PHILIPPO de Plesseyaco & MATTHÆO dicto Picot, Canonicis Andegav. ad hæc etiam, ut dicebant, ex parte ejusdem Capituli Andegav. destinatis die Mercurii, & anno prædictis. JAQUETUS.

Sequitur tenor litteræ Capituli Turonensis, sede vacante, Capitulo Andegavensi directæ super licentiâ eligendi simpliciter concessâ ; qui tenor talis est :

G. Decanus & Capitulum. Turon. sede Turonensi vacante, viris venerabilibus & discretis ac in Christo nobis carissimis Capitulo Andegav. salutem, & sinceram in Domino caritatem. Denuntiata nobis ex parte vestrâ per Venerabiles viros Magistrum Girardum de Maugiâ Concanonicum vestrum, Procuratorem à vobis ad id destinatum, morte bonæ memoriæ Nicolai quondam Episcopi Andegav. & petitâ ab eodem Procuratore nomine vestro licentiâ eligendi, eamdem licentiam vobis auctoritate Metropolitanâ benigniter concedentes, dilectionem vestram affectuosè requirimus & hortamur in Domino, quatenùs solum Deum habentes præ oculis, providere salubriter studeatis magis Ecclesiæ quàm personæ. Datum die Mercurii in Capite jejuniorum, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo.

Acceptatio diei ad electionem faciendam. CAP. VII.

Dictâ die Veneris post Cineres pulsatâ campanâ ad Capitulum congregandum, & singulis Canonicis nominatim & specialiter evocatis, præsentibus in Capitulo Andegav. de consensu omnium & singulorum fuit dies Martis post Ramos Palmarum ad tractandum de electione futuri Pontificis & ad eligendum præfixa, cum sequentibus diebus quibus electionis negotium foret expeditum : & confectæ fuerunt litteræ citationum & vocationum ad vocandum absentes Canonicos, & missæ per Clericos juratos per Regnum Franciæ & non extrà : quarum litterarum duorum parium tantùm tenores causâ brevitatis inferiùs inseruntur.

Capitulum Andegavensis Ecclesiæ Decano ejusdem Ecclesiæ absente, & in remotis agente, Magistro MARTINO de Herva-curia-sicca Concanonico nostro salutem, & sinceræ dilectionis affectum. Bonæ memoriæ Domino NICOLAO nuper Andegav. Episcopo viam universæ carnis ingresso, corpore ejusdem tradito Ecclesiasticæ sepulturæ, adimpletis à nobis, quæ consueverunt hactenùs adimpleri ; volentes dictæ Ecclesiæ providere de Pastore, diem Martis ante Resurrectionem Domini proximam cum sequentibus, quousque dictum electionis negotium fuerit expeditum, ad procedendum ad electionem futuri Pontificis in ipsâ Ecclesiâ & eligendum eumdem concorditer duximus præfigendam. Inde est quòd vobis prædictam diem notificantes tenore præsentium, & nihilominùs per MICHAELEM de Ruello, & THOMAM dictum de Nogento, quibus & cuilibet eorum concedimus potestatem, vos vocamus & citamus, ut ad electionem prædictam dictâ die in mane horâ Capituli, & aliis diebus sequentibus, quo usque dictum electionis negotium fuerit expeditum, in Andegavensi Ecclesiâ, si vestrâ credideritis interesse, nobiscum intersitis ad dictam electionem processerus, & facturus nobiscum ulteriùs quod in tali negotio fuerit faciendum : & in testimonium vocationis & citationis hujus sigillum vestrum apponatis in secundâ causâ præsentium litterarum. Datum die Veneris post Cineres, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo. 1290.

Sequitur alia littera de Vocatione Canonicorum absentium ad electionem faciendam.

Reverendis in Christo Patribus Archiepiscopis & Episcopis, ac viris venerabilibus Archidiaconis, Officialibus, & aliis ordinariis judicibus Ecclesiasticis in Regno Franciæ constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, Capitulum Andegavensis Ecclesiæ, Decano ejusdem Ecclesiæ absente & in remotis agente, æternam in Domino salutem. Bonæ memoriæ Domino Nicolao Episcopo nostro viam universæ carnis ingresso, corpore ejusdem tradito Ecclesiasticæ sepulturæ, adimpletis à nobis quæ consueverunt hactenùs adimpleri, volentes dictæ Ecclesiæ providere de Pastore, diem Martis ante Resurrectionem Domini proximam cum sequentibus, quousque electionis negotium fuerit expeditum, ad procedendum ad electionem futuri Pontificis in ipsâ Ecclesiâ, & ad eligendum eumdem concorditer du-

ximus præfigendam. Inde est quòd vobis omnibus & singulis supplicamus, & in juris subsidium vos rogamus, ut ipsam diem cum sequentibus quousque dictum electionis negotium fuerit expeditum, domino REMUNDO de Castronovo Presbytero, & Magistro MARTINO ad Herva-curia-Sicca, Concanonicis nostris, & omnibus Concanonicis, quos lator præsentium vobis duxerit nominandos, prout vobis sunt subditi, vel propinqui, intrà tamen Regnum prædictum notificantes, ipsos ex parte nostrâ citetis vestri gratiâ, seu citari faciatis etiam publicè si necesse fuerit, ut ipsi si suâ crediderint interesse, dictâ die cum sequentibus, quousque dictum electionis negotium fuerit expeditum, in Andegavensi Ecclesiâ in mane horâ Capituli intersint nobiscum ad ipsam electionem processuri, & facturi nobiscum ulteriùs quod in tali negotio fuerit faciendum: & ad hoc faciendum vestri gratiâ alter alterum non exspectet, & de nominibus citatorum & quidquid super hoc feceritis, vel fieri feceritis, nobis per vestras patentes litteras rescribatis. Datum die Veneris post Cineres, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo.

CAP. VIII. Dictâ autem die Martis ante Resurrectionem Domini Canonicis in Choro Andegavensis Ecclesiæ convenientibus & congregatis, sermone facto per Decanum, litteris citationum & vocationum lectis, & excusationibus absentium. Item sigillis cujusdam litteræ super assignatione seu præfixione diei electionis factæ à Canonicis præsentibus recognitis, & quibusdam aliis negotium dictæ electionis tangentibus, cum deliberatione providâ adimpletis; facto etiam quodam compromisso, quòd nullum fuit sortitum effectum, concorditer fuit continuata ad diem Mercurii immediatè subsequentem ad tractandum de electione Pontificis in Ecclesiâ prædictâ.

Dictâ autem die Mercurii ante Resurrectionem Domini, anno quo suprà, continuatâ concorditer à die Martis prædictâ, Canonicis in choro Ecclesiæ congregatis placuit ad Electionem per viam procedere compromissi seu commissi, factis super dicto compromisso litteris, quarum tenor infrà scribitur:

Universis præsentes litteras inspecturis vel auditoris, ÆGIDIUS Decanus & Capitulum Andegavensis Ecclesiæ, salutem in Domino. Noveritis quòd vacante Ecclesiâ Andegavensi per mortem bonæ memoriæ Domini Nicolai quondam Episcopi Andegavensis, corpore ipsius tradito Ecclesiasticæ sepulturæ, adimpletis à nobis quæ debuerunt adimpleri, diem præfiximus concorditer ad eligendum Episcopum in Ecclesiâ nostrâ prædictâ, videlicet diem Martis ante Resurrectionem Domini cum diebus sequentibus, quo usque electionis ipsius negotium foret expeditum; vocatisque sufficienter omnibus qui debuerunt, voluerunt & potuerunt evocari, & præsentibus de illis omnibus qui voluerunt & potuerunt interesse, die Mercurii sequenti continuatâ à die Martis prædictâ proximè præcedente nobis congregatis in loco consueto, videlicet in nostræ Ecclesiæ Choro, pulsatâ Campanâ horâ Capituli, Spiritûs sancti gratiâ primitùs invocatâ, placuit nobis omnibus & singulis procedere per viam compromissi seu commissi, & damus & concedimus potestatem eligendi nobis & Ecclesiæ Andegavensi Episcopum & Pastorem & nobis providendi, viris venerabilibus & discretis: ÆGIDIO Decano, G. Thesaurario, JOANNI Cantori, GAUFRIDO Archidiacono Transligerensi, & ROBERTO Archidiacono Transmeduanensi, JOANNI Scholastico, GIRARDO Archidiacono Transvigenensi in Ecclesiâ Turonensi, PHILIPPO de Plesseyaco, JOANNI de Bosco, MATTHÆO

Nomina Compromissariorum.

dicto Picot, & JOANNI Agni Concanonicis nostris, de se ipsis vel de aliis, de gremio tamen Ecclesiæ nostræ prædictæ: promittentes nos concorditer illum recipere & habere in Episcopum & Pastorem, in quem omnes concorditer consenserint eligendum, & quem unus ex ipsis nomine suo & collegarum suorum prædictorum & nostro elegerit, & publicaverit in communi; ita quòd si quis ipsorum dissenserit, quod factum fuerit non habeat firmitatem; potestate à nobis ipsis datâ usque ad consumptionem cujusdam candelæ duraturâ, quam sibi tradidimus accensam, & tantumdem accensam retinuimus apud nos, quod omnibus significamus quorum interest per præsentes litteras sigillis nostris sigillatas. Datum die Mercurii prædictâ anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo. 1290.

Quibus factis, dictis compromissariis secedentibus in partem subtùs capsam in quâ corpus Beati Mauritii Confessoris in ipsâ Ecclesiâ requiescit, omnes compromissarii prædicti in virum venerabilem & discretum Magistrum GUILLELMUM dictum Majorem, Capellanum majorem & perpetuum Pœnitentiarium Episcopi Andegavensis, Concanonicum Andegavensem indilatè & unanimiter consenserunt. Quo facto publicata fuit electio de eo facta, ut sequitur:

Universis præsentes litteras inspecturis vel auditoris GUILLELMUS Thesaurarius Andegavensis salutem in Domino. Noveritis quòd ego nomine meo & Collegarum meorum, videlicet Ægidii Decani, Joannis Cantoris, Gaufridi Transligerensis, & Roberti Transmed. Archidiaconorum, Joannis Scholastici, Girardi Transvigenens. Archidiaconi in Ecclesiâ Turon. Philippi de Plesseyaco; Joannis de Bosco, Matthæi dicti Picot, & Joannis dicti Agni, Canonicorum Andegavens. compromissariorum seu commissariorum electorum, unà mecum concorditer ex parte venerabilium virorum Decani & Capituli Andegav. ad eligendum Episcopum in Ecclesiâ prædictâ Andegav. vacante Episcopo, & ad providendum & publicationem super hoc faciendam secundùm formam litterarum eorumdem Decani & Capituli super hoc confectarum, potestate mihi & eisdem Collegis meis datâ durante, venerabilem virum magistrum GUILLERMUM Majorem Concanonicum meum, ad hoc idoneum, & cui instituta Canonica suffragantur, nec in aliquo contradicunt, in quem tam ego quàm prædicti Collegæ mei consenseramus concorditer in eligendum eum in Episcopum prædictæ Ecclesiæ Andegav. de voluntate & mandato prædictorum collegarum meorum, mei & ipsorum & totius Capituli nomine, ex meâ & ipsorum potestate, & à Capitulo nobis datâ, & eâ durante ex communi & concordi assensu Andegav. Ecclesiæ de Episcopo & Pastore providens nomino & eligo in Episcopum hujusmodi Andegav. Ecclesiæ & Pastorem, & ipsos consensus concordes, & electionem publico in communi: Injungens vice meâ, & collegarum meorum, ut vos, Domine Decane, & Capitulum Andegav. ipsum recipiatis in electum, & quod per nos factum est in præmissis concorditer ratum habeatis & acceptum, & prædictos consensus concordes, & electionem ac publicationem communem facio & pronuntio sub formâ quæ sequitur in his scriptis:

In nomine Domini Amen: Ego GUILLERMUS Thesaurarius Andegav. de voluntate & mandato omnium Collegarum meorum, vice meâ, omnium compromissariorum meorum & totius Capituli, & potestate nostrâ & nobis datâ, & eâ durante ex communi & concordi assensu nomino & eligo vobis, & omnibus quorum interest, Dominum GUILLERMUM

Majorem Concanonicum nostrum in Episcopum nostrum & nostrum Pastorem Ecclesiæ, ac ipsum vobis præcipio in Episcopum habere, & ipsos consensus & electionem vobis publico in communi, & aliis quibus est faciendum, quod omnibus quorum interest significo per præsentes litteras sigillo meo sigillatas. Datum die Mercurii ante Resurrectionem Domini, continuatâ seu prorogatâ à die Martis proximè præcedentis, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo.

CAP. IX. *Deinde Decanus & Capitulum Andegav. per litteras constituerunt Procuratores infra scriptos, ad supplicandum Capitulo Turon. sede vacante, & confirmationem electionis petendum; quarum litterarum tenor sequitur in hac verba:*

UNiversis præsentes litteras inspecturis vel audituris, ÆGIDIUS Decanus & Capitulum Ecclesiæ Andegavensis salutem in Domino. Noveritis, quòd unanimi voluntate & consensu, dilectos nostros MATTHÆUM Decanum de Credonio Concanonicum nostrum, GUILLERMUM Quadrigarium Capellanum in Ecclesiâ nostrâ, & GUILLERMUM de Andart Rectorem Ecclesiæ de Reigne Andegavens. Diœcesis, ordinamus, facimus & constituimus Procuratores nostros, & quemlibet eorum in solidum, ita quòd non sit melior conditio occupantis, ad supplicandum & petendum à venerabilibus viris & discretis Decano & Capitulo Turonensi, sede Turon. vacante, & omnibus aliis quibus faciendum est, ut de meritis electionis in nostrâ Andeg. Ecclesiâ celebratæ de personâ venerabilis & discreti Domini G. Majoris, Pœnitentiarii & majoris Capellani Episcopi, in nostrum & Andegav. Ecclesiæ Pastorem & Episcopum unanimiter electi, ac de meritis eligentium & electi, & formâ electionis ipsius ritè & debitè cognoscentes, & moræ periculum evitantes, & electum confirmare dignum ducant, ac his factis consecrationis munus ipsi loco consueto Andegavis debitè & canonicè faciant impertiri, eo modo, & per quos fuerit faciendum: & ad supplicandum, petendum & faciendum omnia alia & singula quæ circà præmissa & ea tangentia necessaria fuerint, seu etiam oportuna; ratum & gratum habentes & habituri, quidquid per dictos Procuratores, & eorum quemlibet, in præmissis & præmissa tangentibus factum fuerit, seu etiam procuratum, quod præfatis venerabilibus viris Decano & Capitulo Turon. sede vacante, & omnibus aliis quorum interest, significamus, per præsentes litteras sigillis nostris sigillatas in testimonium veritatis. Datum & actum die Jovis ante Resurrectionem Domini, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo.

Quibus litteris Procuratorum Capitulo Turonensis præsentatis, dictâ suplicatione eidem Capitulo sede vacante, factâ, lecta fuit in Capitulo Turonensi quædam littera sigillis Decani & Capituli Andegavensis sigillata, continens decretum electionis prædictæ cujus litteræ tenor infrà scribitur:

In nomine Domini Amen. Nos Decanus & Capitulum Andegavensis omnibus præsentes litteras inspecturis. Notum facimus, quòd bonæ memoriæ Domino Nicolao quondam Andegavensi Episcopo die Lunæ ante Purificationem Beatæ Mariæ Virginis, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, viam universæ carnis ingresso, corporeque ipsius in vigiliâ festi ejusdem Purificationis, prout moris est, Ecclesiasticæ tradito sepulturæ: denuntiataque morte ejusdem illis quibus erat denuntianda de consuetudine Andegav. Ecclesiæ, & maximè venerabilibus viris Decano & Capitulo Turon. sede Turon. vacante, peritâque licentiâ eligendi ab eis modo quo fuerat fieri consuetum, & obtentâ, nos, Capitulum Andegav. Decano prædicto tunc absente, & in remotis agente, ad electionem nostri futuri Pontificis celebrandam, & alia quæ huic incumbunt negotio facienda, diem Martis ante Resurrectionem Domini proximi in mane, horâ Capituli, cum sequentibus diebus quo usque electionis & provisionis Ecclesiæ nostræ de Episcopo negotium foret expeditum, duximus præfigendum: citatis interim & legitimè vocatis omnibus qui de jure & consuetudine debuerunt evocari, dictâ die Martis advenientе pro congregando Capitulo, campanâ pulsatâ, in Capitulo nostro prout moris est convenimus, & demum illuc exeuntes Chori, campanâ pulsatâ Chorum Ecclesiæ nostræ intravimus; & inibi vocatis & præsentibus omnibus qui voluerunt, debuerunt, & potuerunt commodè interesse; Sancti Spiritûs gratiâ primitus invocatâ; visis, lectis & diligenter conspectis litteris & sigillis super vocationibus & citationibus, diligenti tractatu præhabito, aliquibusque factis processibus qui finalem efficaciam non fuerunt consequuti, diem Martis prædictam continuavimus & prorogavimus ad diem Mercurii immediatè sequentem, quâ die Mercurii prædictâ continuatâ & exspectatâ à die Martis prædictâ, pulsatâ campanâ prout moris est ad Capitulum congregandum, præsentibus omnibus qui electioni prædictæ celebrandæ debuerunt, voluerunt & potuerunt commodè interesse, in Choro Andeg. Ecclesiæ prout moris est convenimus; de electione futuri Pontificis tractaturi, & alia quæ huic incumbunt negotio facturi, sanctique Spiritûs gratia primitùs invocatâ, universis tractatibus inter nos habitis super his super quibus debuerunt haberi, nobis omnibus & singulis placuit per viam compromissi seu commissi procedere ad providendum nostræ viduatæ Ecclesiæ de Episcopo idoneo & Pastore, dedimusque unanimi consensu viris venerabilibus & discretis; ÆGIDIO Decano, GUILLERMO Thesaurario, JOANNI Cantori, GAUFRIDO Transligerensi, & ROBERTO Transmeduanensi Archidiaconis, JOANNI Scholastico, GIRARDO Archidiacono Transvigenensi in Ecclesiâ Turon. PHILIPPO de Plesseiaco, JOANNI de Bosco, MATTHÆO dicto Picot, & JOANNI Agni, Concanonicis nostris ad hoc electis, potestatem eligendi nobis & Ecclesiæ nostræ Andegavensi Episcopum & Pastorem de se ipsis vel de aliis, de gremio tamen Ecclesiæ supradictæ: promittentes nos concorditer illum recipere & habere in Episcopum & Pastorem, in quem ipsi omnes consentirent concorditer eligendum, & quem unus ex ipsis vice suâ, & collegarum prædictorum, & nostrâ eligeret, & cujus electionem publicaret, solemniter in communi, ita quòd si aliquis de prædictis dissentiret, quod factum esset, non haberet aliquam firmitatem: potestate eisdem à nobis datâ & limitatâ usque ad consumptionem cujusdam candelæ, quam sibi accensam tradidimus. & tantumdem apud nos accensam retinuimus, duraturâ. Qui postmodum secedentes in partem, super his ut debebant & poterant, processerunt; & postea ad nos revertentes durante adhuc eorum potestate, prout nobis retulerunt unanimiter consenserunt in virum Venerabilem & discretum Dominum GUILLERMUM Majorem Concanonicum nostrum, Pœnitentiarum Andegav. & Episcopi Majorem Capellanum, in Pastorem & Episcopum eligendum, virum utique de legitimo matrimonio natum, sufficientis litteraturæ, & ætatis legitimæ, vitæ, morum & conversationis honestate pollentem, jura Ecclesiæ Andegav. scientem, & potentem cum Dei adjutorio de-

fensare, in spiritalibus & temporalibus circumspectum, cui instituta canonica suffragantur, nec in aliquo contradicunt. Qui quidem compromissarii seu commissarii à nobis, ut præmittitur, electi in præsentiâ Capituli constituti, potestatem nobis insinuandi consensum prædictum, & dictum Dominum Guillermum eligendi vice suâ & omnium Collegarum prædictorum, & totius Capituli, & nobis ipsam electionem publicandi, dederant venerabili viro & discreto Magistro Guillermo, Thesaurario Andegav. prædicto, qui ex potestate sibi datâ, & eâ durante nominibus & vice quibus suprà, præfatum Dominum Guillermum Majorem nominavit, & elegit in Episcopum & Pastorem Ecclesiæ nostræ Andegav. in scriptis sub formâ quæ sequitur:

In nomine Domini. Amen. Ego Guillermus Thesaurarius, &c. *ut suprà.*

Nos verò dictam electionem, sic publicè & solemniter celebratam & publicatam, in communi ratam & gratam habentes recepimus & etiam approbavimus, & adhuc recipimus & approbamus, & prædictum dominum Guillermum, ut prætermititur, electum requisivimus cum instantiâ ut electioni de se factæ suum vellet præbere consensum, qui variis utens excusationibus, tandem precum nostrarum devictus instantiâ, non absque magnâ difficultate offerens se Deo sacrificium, dicens, VOLENS NOLO, NOLENS VOLO, prædictæ electioni suum assensum præbuit & consensum, quem nos, ut decebat, hymnum hujusmodi *Te Deum laudamus* solemniter decantantes, ad majus altare deportavimus, & campanis pulsatis, multitudini magnæ populi in dictâ Ecclesiâ existenti præsentavimus, & dictam electionem insinuavimus ut moris est.

Quare supplicamus humiliter & devotè viris venerabilibus & discretis Decano & Capitulo Turon. Sede Turon. vacante, & omnibus aliis quibus est faciendum, quatenùs prædictis cognoscentes, moræ periculum evitantes, electionem prædictam & electum confirmare dignum ducant, ac his factis consecrationis munus loco consueto Andegav. debitè & canonicè faciant impertiri eo modo, & per quos fuerit faciendum. Et nihilominùs ad supplicationes & petitiones super his faciendas, tam dictis Decano & Capitulo, quàm aliis quibus fuerint faciendæ, & ad omnia alia & singula quæ circà præmissa & ea tangentia necessaria fuerint, seu etiam oportuna, discretos viros Matthæum Decanum de Credonio Concanonicum nostrum, Guillermum Quadrigarium Capellanum in Ecclesiâ nostrâ, & Guillermum de Andart Rectorem Ecclesiæ de Reigne Andegavensis Diœcesis, ordinamus, facimus & constituimus procuratores nostros, & quemlibet eorum in solidum, ita quòd non sit melior conditio occupantis: ratum & gratum habentes & habituri quidquid per dictos procuratores, & eorum quemlibet, in præmissis & præmissa tangentibus factum fuerit, seu etiam procuratum. In cujus rei testimonium, Nos ÆGIDIUS Decanus & Capitulum sigilla nostra duximus apponenda: & nos nihilominùs, GUILLELMUS Thesaurarius, JOANNES Cantor, GAUFRIDUS Transligerensis, ROBERTUS Transmeduanensis Archidiaconi, JOANNES Scholasticus, HUGO Cortin, GUILLERMUS Baril, GUARINUS le Raale, ROBERTUS Forrean, ODO de Genis, PETRUS de Villa-mauri, GUILLERMUS Archypresbyter de Burgolio, GIRARDUS Archidiaconus Transvigenensis in Ecclesiâ Turonensi, GUILLERMUS Bili, ARMERICUS le Biacle, GUILLERMUS Decanus Sancti MARTINI, JOANNES de Bosco, JOANNES de Areolis, PHILIPPUS de Plesseiaco, JOANNES de Maura, MATTHÆUS Picot, JOANNES Agni, CLEMENS Ademari, ANDREAS de Hain, OLIVARIUS de Marolio, & GERVASIUS Homo-Dei Canonici Andegavenses, & singuli nostrûm, sigilla nostra propria præsentibus duximus apponenda, excepto dicto Oliverio qui tunc sigillum proprium, ut dicebat, non habebat, qui ad petitionem ipsius præsentes litteras sigillo Curiæ Andegav. pro se obtinuit sigillari. Actum die Jovis ante Resurrectionem Domini prædictam, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo. Nos autem Officialis Andegavensis ad petitionem dicti Oliverii sigillum Curiæ Andegavensis præsentibus litteris duximus apponendum, datum die Jovis prædictâ, anno ut suprà.

His sic factis, nobis Guillermo Episcopo prædicto in domo Decani Turon. postmodum examinato; & postea cognito de meritis electionis, & examinato diligenter processu electionis ejusdem in Capitulo Turon. per Decanum vice suâ & Capituli Turonensis, prædicta electio inventa canonica, extitit confirmata. Super quâ confirmatione confectæ sunt litteræ majori sigillo Capituli Turon. quarum tenor infra scribitur:

Universis præsentes litteras inspecturis G. Decanus & Capitulum Turon. Sede vacante, Salutem in Domino. Notum sit vobis omnibus, quòd nuper Ecclesiâ Andegav. post mortem recolendæ memoriæ Domini Nicolai quondam Episcopi Andegav. vacante, morte ejus nobis ex parte venerabilis Capituli Andegav. nuntiatâ petitâ ab eis & obtentâ à nobis licentiâ eligendi, & tandem electione factâ postmodum in ipsâ Andeg. Ecclesiâ de Venerabili viro & discreto Magistro GUILLERMO dicto Majore, Capellano Episcopi Andegav. nobis ex parte Venerabilium virorum Decani & Capituli Andegav. per procuratores eorum sufficienter instructos præsentatâ, & petito ut de electionis & electi prædictorum meritis cognoscentes, electionem tanquam canonicam auctoritate Metropolitanâ confirmaremus: eamdem nos de electionis & electi prædictorum meritis pleniùs cognito & discusso, & eis diligenter examinatis, electionem ipsam quam invenimus fore canonicam, & electum prædictum auctoritate Metropolitanâ confirmamus. Et hæc omnibus quibus significandum est significamus per præsentes litteras, sigillo nostro sigillatas. Actum palam & publicè in nostro Capitulo Turon. & datum die Martis post Festum Resurrectionis Domini, anno ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

Hoc facto Decanus & Capitulum Turon. destinaverunt per proprium eorum nuntium litteras sigillis eorum sigillatas, suffraganeis Episcopis provinciæ Turon. pro convocando ipsos suffraganeos ad consecrationem electi Andegavensis: quarum litterarum tenor infrà scribitur:

Venerabilibus in Christo Patribus Cenomanensi, Redonensi, Nannetensi, Maclovienſi, Briocensi, Venitensi, Corisopitensi, Trecorensi, & Leonensi, Dei gratiâ Episcopis, G. Decanus & Capitulum Turon. Sede vacante, Salutem in Domino. Cum discretus vir Magister GUILLERMUS dictus Major, Concanonicus, perpetuus Pœnitentiarius, & Major Capellanus Episcopi Andeg. Canonicè electus in Episcopum & Pastorem Ecclesiæ Andegav. per nos auctoritate Metropolitanâ ritè & canonicè fuerit confirmatus, vobis & vestrûm cuilibet auctoritate prædictâ mandamus, quatenus die Dominicâ proximâ ante instans Festum Pentecostes, quam ad consecrationem ejusdem electi præfigimus, Andevis in Monasterio Sancti Albini personaliter intersitis, vestrum in consecrationem ejusdem electi prout incumbit ministerium impensuri: in signum receptio-

1291. nis præsentium, sigilla vestra apponi præsentibus facientes. Datum Turon. & sigillo nostro sigillatum die Martis post Resurrectionem Domini, anno ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

Quæ litteræ subscriptæ missæ fuerunt ad suffraganeos Episcopos per Decanum & Capitulum Turon. propriis expensis ipsorum Decani & Capituli Turonensis. Deinde à venerabili viro Domino RAGINALDO, Turon. Ecclesiæ in concordiâ electo, litteras obtinuimus quæ sequuntur:

RAGINALDUS permissione divinâ Turon. Ecclesiæ in concordiâ Electus, venerabili viro Magistro GUILLERMO dicto Majori, Electo in concordiâ Ecclesiæ Andeg. confirmato, salutem & sinceram in Domino charitatem. Cum Venerabiles viri Decanus & Capitulum Ecclesiæ Turonensis vos ac electionem de vobis factam à Venerabilibus viris Decano & Capitulo Andegav. tunc sede Turon. vacante, auctoritate Metropolitanâ duxerint confirmandam, confirmationem electionis prædictæ quantum in nobis est, gratam habemus & ratam. Diei verò Dominicæ ante instans Festum Pentecostes à Venerabilibus memoratis præfixæ super consecratione vobis impendendâ nostrum benignè præbemus assensum: quidlibet super præmissis & ea contingentibus & dependentibus ab eisdem quantum ad nos attinet approbantes. In cujus rei testimonium sigillum no-
1291. strum præsentibus duximus apponendum. Datum apud Immotum die Dominicâ quâ cantatur *Cantate*. Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

Postmodum dictus RAGINALDUS Electus Turon. Ecclesiæ in concordiâ, Episcopo Redon. pro consecratione prædictâ direxit suas patentes litteras in hæc verba:

VENERABILI in Christo Patri Dei gratiâ Episcopo Redonensi, R. Cancellarius Turonensis in concordiâ Ecclesiæ Turon. Electus, Salutem & sinceram in Domino charitatem. Ad consecrationis munus, Venerabili viro Magistro GUILLERMO Majori Andegav. Ecclesiæ confirmato, hoc instanti die Dominicâ post Festum Ascensionis Domini in Monasterio S. Albini Andegav. per vos principaliter impendendum, cæteris suffraganeis Ecclesiæ Turon. qui præsentes fuerint, suum ad id ministerium vobiscum præstantibus auctoritate Metropolitanâ vobis licentiam tribuimus, & concedimus facultatem. Datum apud Larcarium, die Martis ante Festum Ascensionis prædictæ, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

Item dictus Electus Turonensis direxit litteras suas certis personis de Ecclesiâ Turon. ut vice dicti Electi Turon. accederent ad dictam consecrationem, facturi id quod in ipsis litteris continetur, quarum tenor sequitur in hæc verba:

RAGINALDUS Cancellarius Turonensis in concordiâ Turon. Electus, discretis viris Archidiacono Transvigenensi in Ecclesiâ Turon. Magistris GUILLERMO de Ruiso, CLEMENTI Ademari & PEIRO de Micariis Canonicis Turon. salutem in Domino. Cum consecratio Venerabilis viri Magistri GUILLERMI Majoris electi Ecclesiæ Andegav. confirmati, apud Monasterium Beati Albini Andegav. hac instanti die Dominicâ post Festum Ascensionis Domini, auctoritate Metropolitanâ immineat facienda, vobis tenore præsentium committimus; quatenùs hac vice vos omnes aut saltem duo vestrûm ad dictum Monasterium Sancti Albini vos personaliter transferentes, prædictæ consecrationi loco nostri assistatis: fidem, ac nobis & Ecclesiæ Turon. Successoribusque nostris qui pro tempore fuerint Archiepiscopi Turon. subjectionis, reverentiæ & obedientiæ, & aliàs debitum juramentum vice nostrâ ab eodem Electo Andegav. ut fieri assolet, recipiatis, vobis super præmissis & super his quæ circà ea fuerint oportuna, auctoritatem tribuentes ac etiam facultatem: & quod super præmissis factum fuerit, nobis per vestras patentes litteras fideliter rescribatis, harum seriem continentes. Datum apud Larcarium die Martis ante Festum Ascensionis prædictæ, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

Deinde littera Regis Franciæ super deliberatione Regalium Ecclesiæ Andegav. facta Electo Andegav. confirmato, missis ad Regem Nuntiis, sequitur in hæc verba:

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex Custodibus Regalium Andegav. Salutem. Cum nos procuratoribus seu nuntiis GUILLERMI Electi Andegav. Ecclesiæ & confirmati, prout per litteras Decani & Capituli Turon. Sede vacante apparebat, ad hæc specialiter destinatis, videlicet GAUFRIDO Archidiacono Transligerensi in Ecclesiâ Andegav. & MATTHÆO Decano de Credonio Canonico Andegav. reddiderimus Sabbato post Pascha ultimò præteritum circà horam Vesperarum Regalia Episcopatûs Andegav. Mandamus vobis, quatenùs dicta Regalia, & ea quæ ad ipsa pertinent, à die & horâ prædictis deliberetis Electo & Confirmato antedicto. Actum apud Abbatiam Monialium juxtà Meledunum dictâ die Sabbati, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

Sequitur littera Regis super juramento fidelitatis facto Regi per Electum Andegav. confirmatum, in hæc verba:

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex Universis præsentes litteras inspecturis, Salutem. Notum facimus quòd die Mercurii in octavis Translationis Sancti Nicolai, apud Vicenas ad nos accedens dilectus ac fidelis noster GUILLELMUS Andegav. Electus nobis præstitit juramentum fidelitatis, prout alii Episcopi Andegavenses prædecessores sui Regibus Franciæ prædecessoribus nostris, hujusmodi juramentum fidelitatis hactenùs præstiterunt. In cujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum die & loco prædictis, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, mense Maio.

Nunc restat de ministerio consecrationis tractare; priùs tamen quàm ad ipsius consecrationis tractatum & officium descendamus, quædam tractata superiùs sub brevi epilogo perstringemus, & quædam à nobis gesta à die Electionis & confirmationis nostræ usque ad consecrationis diem præsenti libello ad informationem posterorum duximus inserenda, quæ incipiunt sic: CAP. X.

ANno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, die Mercurii post Ramos Palmarum, videlicet tertiâ decimâ die exeunte Aprilis, Nos GUILLELMUS dictus Major Canonicus Andegavensis, Capellanusque & perpetuus Pœnitentiarius Episcopi Andegav. vacante Ecclesiâ Andegav. per mortem bonæ memoriæ Domini NICOLAI Gellent quondam Episcopi Andegav. fuimus electi in Ecclesiâ Andegav. per viam compromissi, undecim Compromissariis, videlicet Ægidio Rigant Decano, Magistro Guillermo Bouet Thesaurario, Joanne Cantore, Gaufrido de Haya Archidiacono Transligerensi, Roberto dicto Tectore Archidiacono Transmeduanensi, Joanne Marambert Scholastico, Girardo de Montrebelli Archidiacono Transvigenensi in Ecclesiâ Turonensi, Magistro Joanne de Bosco, Domino Philippo de Plesseiaco Decano Ecclesiæ Beati Laudi Andegav. 1290.

domino Joanne dicto Agno, Magistro Matthæo Picot Decano Credonensi, Canonicis Andegav. ad hoc electis & in nos unanimiter consentientibus, singulis postmodum totius Capituli concordantibus & consentientibus. Electione verò solemniter publicatâ deportati fuimus ad majus altare, *Te Deum* solemniter decantantibus, campanisque per totam civitatem ad classicum pulsantibus, nobisque prostratis existentibus ante dictum altare, quousque *Te Deum* exstitit præcantatum; quo finito, dictâque oratione cum versiculo *A Domino factum est istud* per Decanum, ab illo loco usque ad pulpitum, in quo Epistola & Evangelium in diebus solemnibus solent legi, deducti fuimus, Decano ex unâ parte & Thesaurario ex alterâ nos tenentibus & ducentibus, ibique ostensi fuimus populo & etiam præsentati, ipso Decano populum alloquente, qui populus auditâ pulsatione campanarum ibidem convenerat in multitudine copiosâ.

Psal. 117. 22.

Quo facto Capitulum intravimus cum dictis Decano & Thesaurario & aliis Canonicis, ibidemque quibusdam tractatis negotiis, exivimus ad domum nostram accedentes, omnibus personis & Canonicis nobis facientibus comitivam. Nobis autem ingressis dictam domum, dictis Personis & Canonicis nos salutantibus, ad domos proprias recesserunt, exceptis venerabilibus viris, Gaufrido Archidiacono Transligerensi, domino Andrea fratre ejus, & domino Philippo de Plesseiaco Decano sancti Laudi, Canonicis Andegavensibus, qui nobiscum ad cœnam remanserunt, nobisque in dictâ domo pernoctantibus, die crastinâ, scilicet die Jovis in mane ad Ecclesiam Andegav. accessimus, ibique liminibus sanctorum visitatis, Capitulum intravimus, licentiâque petitâ à Capitulo, nosque orationibus ipsorum recommendantes, villam Andegavensem exeuntes, & viam nostram versus Turonis dirigentes, ad *Pré Brion* accessimus, ibidemque in domo Rectoris comedimus & pernoctavimus: & sequenti die Parasceves dictis loco & domo remanentes & comedentes dormivimus.

Die autem Sabbati in vigiliâ Paschæ & in die Paschæ apud Burgulium festivantes, die Paschæ post prandium apud Langés accessimus & ibidem pernoctavimus. Die Lunæ sequenti Turonis devenimus, penes Magistrum GIRARDUM Archidiaconum Transvigenensem in Ecclesiâ Turonen. descendentes, comedentes & etiam pernoctantes. In quâ die Lunæ Decano & Capitulo Ecclesiæ Turon. sede vacante, præsentati fuimus in Capitulo Turon. ibidemque negotio nostræ Electionis per Thesaurarium Andegav. proposito, & decreto ejusdem electionis perlecto, diem Martis sequentem pro examinatione & confirmatione nostrâ faciendâ dicti Decanus & Capitulum præfixerunt. Dictâ verò die Martis nobis examinationem subeuntibus in domo prædicti Decani Turon. postea Capitulum Turon. intrantibus, dictus Decanus vice suâ & Capituli prædicti auctoritate Metropolitanâ munus nostræ confirmationis nobis contulit.

Tunc verò confirmatione collatâ, incipiente Cantore *Te Deum* per Decanum fuimus ad majus altare deducti, & *Te Deum* finito, ac oratione dictâ: nobisque ab oratione erectis, iterum Capitulum prædictum intravimus, in quo prædicti Decanus & Capitulum Turon. diem consecrationis nostræ assignaverunt seu etiam præfixerunt ad diem Dominicam post Ascensionem Domini; & de Episcopis suffraganeis per dictos Decanum & Capitulum auctoritate Metropolitanâ, sede vavante, convocandis cum illis fuimus ibidem colloquuti. Quibus factis & accordatis, dictum Capitulum & Ecclesiam exivimus, & ad domum prædicti Archidiaconi Transvigenensis remeavimus, ac ibidem comedimus & pernoctavimus. Dicti autem Decanus & Capitulum Turonense miserunt nuntium pro suffraganeis convocandis, pecuniâ per eosdem dicto nuntio ministratâ. Die verò Mercurii sequenti venerabiles viri Gaufridus Archidiaconus Transligeren. & Matthæus Picot Decanus Credonen. Canonici Andegav. Procuratores à nobis deputati pro quærendis nostris Regalibus, à dictâ civitate Turon. ad Regem Franciæ accesserunt: quæ quidem Regalia poteramus ex privilegio per nuntios procuratores requirere & habere.

Nobis dictam civitatem Turon. exeuntibus in mane, & apud Relleium redeuntibus & ibidem comedentibus & pernoctantibus dictâ die: die Jovis sequenti apud Mellineis videlicet ad Monasterium dicti loci venimus, ut ibidem reficeremus, quo usque Regalia nostra recepissemus, ad quæ petenda & requirenda venerabiles viros Gaufridum Archidiaconum Transligerensem, & Magistrum Matthæum Picot Decanum de Credonio Canonicos Andegav. ad Regem Franciæ à civitate Turon. ut suprà scribitur, destinaveramus, qui à dictâ Civitate Turon. pro dictis regalibus quærendis recesserunt die Mercurii præcedenti.

De Gervasio Capellano de Ludio. CAP. XI.

DIe Veneris in festo Inventionis sanctæ Crucis injunximus apud Mellineis Priori de Ludio, quòd ipse diceret ex parte nostrâ Gervasio Rectori de Ludio Ecclesiæ, ut ipse infrà Pentecosten Domini proximam quærat & habeat unum bonum & sufficientem Capellanum & Clericum idoneum, ad deserviendum & coadjuvandum eum in Ecclesiâ de Ludio prædicta, quæ ob defectum servitii & aliàs ob defectum Rectoris & Capellani multipliciter passa est & patitur quotidie detrimentum; alioquin eidem Rectori significaret ex parte nostrâ quòd ex tunc consilium apponemus ut justitia suadebit.

De Capellano de Basogiis.

ITem loquendum est cum Magistro Guillelmo Baril Rectore Ecclesiæ de Basogiis, super hoc quod ejus Capellanus de Basogiis, ut intelleximus, de novo exigit & extorquere nititur linteamina à Parochianis Ecclesiæ prædictæ, quando recipiunt extremam unctionem, nec non & cum aliis Rectoribus super simili facto est loquendum.

Redditio litteræ subtractæ per Fratres Leprosariarum de Fixâ. CAP. XII.

DIe Sabbati post Resurrectionem Domini apud Mellineis incepimus facere inquestam, seu nos informare contrà fratres Leprosariarum de Fixâ, super ablatione & substractione furtivâ quarumdam litterarum dictæ Leprosariæ impositâ quibusdam Fratribus dictæ domûs; pluresque testes dictâ die, & diebus Lunæ, Martis & Mercurii sequentibus super præmissis recepimus.

Liberatio Regalium. CAP. XIII.

DIe Veneris sequenti Thomas & Michaël Fratres dictæ Leprosariæ de Fixa dictas litteras nobis detulerunt & restituerunt, quas apud nos retinuimus. Dictâ die venerunt seu reversi sunt ad nos ibidem dicti Archidiaconus Transligeren. & Matthæus Decanus Credon. & nobis litteras Regis Franciæ super liberatione Regalium nostrorum præsentaverunt: quæ quidem Regalia fuerant liberata dictis

nuntiis nostris per dictum Regem, & restituta die Sabbati ante *Quasi modo* proximè præteritam circà horam vesperarum.

Littera Regis Franciæ super deliberatione Regalium Ecclesiæ Andegav. facta Electo Andegav. Confirmato, missis ad Regem nuntiis, sequitur in hæc verba:

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Custodibus Regalium Andegav. salutem. Cum nos procuratoribus seu nuntiis GUILLERMI Electi Ecclesiæ Andegav. Confirmati, prout per litteras Decani & Capituli Turon. Sede vacante apparebat, ad hoc specialiter destinatis, videlicet Gaufrido Archidiacono Transligeren. in Ecclesiâ Andegav. & Matthæo Decano de Credonio Canonico Andegav. reddiderimus Sabbato post Pascha ultimo præteritum circà horam Vesperarum Regalia Episcopatûs Andegavensis. Mandamus vobis quatinùs dicta Regalia, & ea quæ ad ipsa pertinent, à die & horâ prædictis deliberetis Electo & Confirmato ante dicto. Actum apud Abbatiam Monialium Beatæ Mariæ juxtà Meledunum dictâ die Sabbati, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

CAP. XIV. *Procuratio Fabricæ* B. MARIÆ *de Fixâ.*

1291. ANNO Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, die Veneris post *Quasi modo* deputavimus & constituimus JOANNEM Roncin procuratorem fabricæ Ecclesiæ B. MARIÆ de Fixâ, de consensu Prioris & quorumdam majorum Parochianorum dictæ Ecclesiæ, quoad recipiendum & exigendum redditus, obventiones & alia spectantia ad dictam fabricam, qui juravit se fideliter habiturum in præmissis & fidelem rationem nobis super præmissis reddituram, & Parochianis dicti loci quando fuerit requisitus, & tenentur Mauricius le Caorcin & ejus uxor eidem reddere decem libras, decem & octo solidos & sex denarios. Item sexaginta septem solidos quinque denarios & obolum. Item sexaginta quinque solidos. Et Thomas Carnifex viginti quinque solidos. Item Ægidius de Ponte & ejus uxor quadraginta septem solidos, quando super his ab eodem fuerint requisiti. Quas pecuniæ summas confessi fuerunt dicti debitores coram nobis nomine & ratione Fabricæ memoratæ, de quibus habet dictus procurator memoriale sigillo nostro sigillatum, actum die Veneris prædictâ. Dictus verò Roncin debebat dictæ Fabricæ sexdecim solidos, quos confessus fuit se recepisse nomine & ratione Fabricæ prædictæ.

Hæc est computatio facta per Audam uxorem Mauricii Caorcin coram nobis apud Mellin, de his quæ habuit & recepit de oblationibus, censibus, & redditibus, & aliis deputatis spectantibus ad Ecclesiam B. MARIÆ de Fixâ, à duodecim annis citrà: die Veneris post *Quasimodo* anno quo suprà assignata ad computandum & rationem reddendum super præmissis, per juramentum suum præstitum coram nobis die Mercurii præcedenti. Recepta facta per dictam Audam, expensis & misis conversis in utilitatem & reparationem Ecclesiæ prædictæ deductis, quas æstimat undecim libras, sex solidos, quinque denarios: & habet apud se de questis factis per eamdem contemplatione dictæ Ecclesiæ decem libras, decem octo solidos, sex denarios. Item de trunco & Reliquiis à Festo Annuntiationis Dominicæ quod fuit anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo, habet sexaginta septem solidos, quinque denarios obol. De partibus receptarum & misiarum alias non recolit. Item debentur de dictis questis sexaginta solidi, quos debet Thomas le Borrelier, quos eidem Thomæ dicta Auda mutuò tradidit: summa totius receptæ cum debito, decem septem libras, decem solidos, undecim denarios, obol. Guillermus de Curiâ dicta die computavit.

Die autem Sabbati sequenti destinavimus & misimus dictos Archidiaconum, & Decanum de Credonio, & JOANNEM Rectorem Ecclesiæ de Banneio fratrem nostrum, Andegavos, ut ipsi ex parte nostrâ litteras super liberatione & restitutione dictorum Regalium Decano & Capitulo Andegav. & Magistro Joanni de Montmartin deputato ex parte Regis Franciæ pro Regalibus custodiendis & recipiendis, præsentarent. Qui quidem Archidiaconus, Decanus & frater prædictus dictas litteras eisdem Capitulo Andegav. Decano absente, & dicto Magistro Joanni præsentaverunt. Dictus verò Magister litteris prædictis visis & receptis, Palatium nostrum Andegav. in quo tunc manebat, deliberavit eisdem nomine nostro, & mandavit per maneria & villas, Episcopatui Andegav. & nobis ratione & nomine Episcopatûs spectantia, in quibus erant Custodes nomine dicti Regis Franciæ ratione dictorum Regalium, ut dicti Custodes omnia nobis deliberarent, & restituerent omnia recepta & habita de dictis Regalibus, à dictâ horâ vesperarum diei Sabbati prædictæ, quâ nobis fuerunt dicta Regalia deliberata per dictum Regem Franciæ, ut suprà scribitur, & quod à dictis locis recederent: quæ ipsi fecerunt.

Item deliberavit idem Magister Joannes seu restituit nobis pissides nostras seu boestas quas Andegavis habemus, & omne emolumentum à dictâ horâ dictæ diei Sabbati receptum usque ad dictum tempus receptionis dictarum litterarum, & omnia alia ad dicta Regalia spectantia deliberavit & deliberari mandavit, visis litteris supradictis, exceptis lignis & arboribus scissis in nemoribus de Chalonuâ, videlicet de margerie, & explectamento eorum; & nemoribus quibusdam villæ Episcopi, in quibus dicebamus dictum Magistrum Joannem Ecclesiæ Andegav. magna damna intulisse & injustè, cum Regi ratione Regalium præmissa non competerent, cum dicta nemora non essent cædua, sed antiquissima, & usui Episcopi Andegav. deputata, de quibus Episcopi Andegav. vendere nullatenùs consueverant: dicto Magistro Joanne contrarium affirmante, retentâ etiam Regi exequutione super debitis eidem Regi ratione Regalium prædictorum de tempore retroacto. Robertus verò Archidiaconus Transmeduanensis in Capitulo Andegav. locum Decani & Capituli præsentis dictis litteris receptis sigilla Curiæ Andegav. dicto Fratri nostro, & etiam Archipresbytero Burguliensi procuratoribus ad hoc à nobis constitutis reddidit & restituit.

Prima visitatio per nos facta post confirmationem nostram, videlicet in Monasterio Mellinensi. CAP. XV.

DIE Dominicâ sequenti, qua cantatum fuit *Misericordia Domini*, Monasterium Mellinense visitavimus, & in Capitulo prædicavimus, & in Ecclesiâ dicti loci Missam solemniter celebravimus: nam illâ die Religiosi dicti loci habebant festum suum de Beato Joanne *Ante portam Latinam*; & ibidem convenerant multi Priores & Fratres ordinis dicti Monasterii. Ibidemque injunximus Abbati dicti Monasterii ut Monachos Monasterii sui quâlibet die certâ horâ competenti consuetâ & determinatâ insimul comedere faceret quâlibet die in Refectorio: & quòd inhiberet eisdem, & nosmet eis inhibuimus visitantes, ne ipsi in Cameris carnes comederent, ubi silentium non tenent, & multa illicita committunt:

tunt: maximè cum non sit eis prohibitum secundùm ordinem Beati Augustini, quem observare debent, comedere carnes in Refectorio prædicto.

Item injunximus visitantes Canonicis dicti Monasterii, ut ipsi aliis Canonicis ejusdem Ordinis Sancti Augustini se & habitum suum conformantes, de cætero tunicam albam & supertunicale nigrum, prout alii ejusdem Ordinis nostræ Diœcesis, induant & publicè deferant, & talibus vestibus utantur de cætero, seu etiam induantur. Qui Canonici præmissis gratanter acquieverunt. Post hæc verò ibidem populo publicè prædicavimus. Item dictâ die quædam alia ibidem fecimus, quæ suprà scripta sunt, & ipsâ die ibidem comedimus. Eâdemque die post comestionem ad Manerium nostrum de villâ Episcopi accessimus, in quo Manerio nostro de villâ Episcopi dictâ die pernoctavimus.

Item anno quo suprà, Dominicâ quâ cantatum fuit, *Misericordia Domini*, permisimus usque ad Pentecostes Domini Synodum Rectori Ecclesiæ de Diceio fratrem GUILLERMUM Canonicum Mellinensem de consensu Abbatis sui, ad serviendum in officio Capellani in Ecclesiâ prædictâ usque ad Synodum prædictam tantummodò, injungentes quod extunc alium quærat idoneum Capellanum.

CAP. XVI.

De Radulfo Tuebof quondam Capellano de Diceio.

ITem non est tradendum oblivioni de Radulfo dicto Tuebof quondam Capellano de Diceio, qui Julianam dictam la Torace ejus concubinam, quam ibidem diù tenuerat, transtulit apud Premium super Aution, & eam dicitur tenere ibidem.

Die Lunæ sequenti apud Brolium Monialium prope Andegav. accessimus à manerio nostro de Villa-Episcopi mane, & cum Magistro Joanne de Domno-Martino dictorum Regalium Custode super multis tractavimus, præsentibus Guillelmo Thesaurario, Gaufrido Archidiacono Transligerensi, domino Philippo de Plesseiaco, Guillermo Archipresbytero Burguliensi, Magistro Joanne de Areolis, Canonicis Andegav. & pluribus aliis: & inter cætera cum dicto Magistro Joanne, nuperdictorum Regalium Custode accordavimus, quòd de Clericis & viduis tailliandis apud Sanctum Alemandum inquireremus pro Rege & pro nobis veritatem, & si inveniremus eos non tailliandos fore, à tailliâ Regis remanerent immunes: pro quâ tailliâ si contrarium appareret, plegios posuerant dicti Clerici erga dictum Magistrum, & dictam tailliam se soluturos promiserant in illum eventum.

Iterum ibidem tractavimus de constituendo Officialem in curiâ nostrâ Andegav. videlicet de discreto viro Magistro STEPHANO de Burgulio Legum Professore, quem Magistrum Stephanum dictâ die ad dictum officium Curiæ Andeg. de consilio proborum retinuimus.

Post hæc verò à dicto Brolio recedentes, fecimus dari Monialibus dicti loci viginti solidos de eleemosynâ nostra, & apud Villam-Episcopi rediimus, ipsâ die comedentes & pernoctantes ibidem.

Dictâ verò die cum ROBERTO de Chaufurno accordavimus, quòd si jus habebat in manerio de Esventart ratione dominii vel proprietatis, quòd Guillelmus Thesaurarius Andegav. & Magister Gervasius Homo-Dei Canonicus Andegav. super hoc inquirerent, & super dicto jure si eidem Roberto competeret, satisfactionem decernerent: & istud accordavimus si Capitulo Andegav. placeret, sine cujus Capituli consensu nihil intenderamus facere in præmissis.

Die Martis sequenti in mane, DAVID de Suisdomibus, Ballivus Andegav. pergens Cenomanis venit per nos apud villam Episcopi, & super pluribus negotiis tractavit nobiscum: coram quo Ballivo constitutus dictus Robertus de Chaufor dixerit, quòd non opponebat se, quominùs possemus intrare & nancisci possessionem dicti manerii de Esventart; & hoc dixit similiter MAURICIUS dictus de Beuson. Quibus actis jussit dictus Ballivus cuidam servienti suo, quòd diceret ex parte dicti Ballivi quibusdam servientibus Comitis Andegavens. dictum manerium custodientibus ad procurationem dictorum Roberti & Mauricii, quòd ipsi dictum manerium exirent, & permitterent nos liberè intrare manerium prædictum, & nancisci possessionem ejusdem.

CAP. XVII.

Iter ad Regem Franciæ pro juramento fidelitatis.

DIe Mercurii sequenti à villâ Episcopi recessimus, iter nostrum dirigentes ad Regem Franciæ, ut eidem sacramentum fidelitatis faceremus; GUILLELMO Thesaurario Andegav. & MATTHÆO Decano Credon. ac Domino GERVASIO Homine-Dei Canonicis Andegav. nobiscum venientibus ad dictum Regem: & ipsâ die in manerio nostro de Morennâ descendimus, & comedimus pernoctantes ibidem. Die Jovis sequenti in mane à villâ Morennæ recessimus iter nostrum arripientes, & viginti quinque equitaturas in totâ viâ eundo & redeundo habuimus in societate nostrâ vel circà, unà cum summariis, & nobiscum quadringentas & quatuor viginti libras vel circà, pro viâ & necessariis quærendis detulimus; de quibus parum reportavimus. Die Mercurii post *Jubilate* Regem Franciæ apud boscum de Vicennes invenimus, & juramentum fidelitatis eidem fecimus, nihil Chambellano suo persolventes quamvis viginti quinque libras petiisset. Cujus juramenti fidelitatis per nos dicto Domino Regi facti forma inferiùs sequitur.

Forma juramenti fidelitatis facti Regi Franciæ.

ANno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, die Mercurii post Festum Beati Nicolai æstivale, fecimus nos GUILLELMUS Major Andegavensis Ecclesiæ Electus, & auctoritate Metropolitanâ confirmatus, Domino PHILIPPO Dei gratiâ Francorum Regi juramentum fidelitatis in hunc modum; videlicet quòd stolâ nobis ad collum positâ in modum crucis ante pectus & manu ad pectus missâ, libro Evangeliorum coram posito, dixit nobis de mandato Regis Dominus Petrus de Chamberri Miles: Vos juratis Domino Regi fidem & legalitatem, & filio ejus Regi Francorum post eum; & quòd servabitis eisdem corpora, membra & vitam, & jura sua & honorem suum temporalem; & si petat à vobis consilium bonum & fidele, sibi dabitis. Ita juratis? Et nos respondimus, ita juro.

Quibus factis, quibusdam gravaminibus Ecclesiæ Andegavensis Sede vacante illatis coram eo propositis, & requisitione factâ de renovando litteram continentem juramentum fidelitatis, quod Episcopi Andegav. debent Domino Regi Franciæ facere & sigillo suo sigillandum, serviens quidam ipsius Regis à nobis viginti quinque libras Parisienses ratione prædicti juramenti fidelitatis petiit, videlicet centum solidos pro Rege, & viginti libras pro Camerariis: cui & alii & hoc iterato petenti responsum datum

fuit, quòd littera nostra prædicta nos super hoc liberabat, in quâ inter cætera continebatur, quòd ratione prædicti juramenti fidelitatis nihil novi oneris Episcopo Andegav. poterat imponi, & hoc novum onus existeret, cum illud onus alii Andegav. Episcopi aliàs minimè præstitissent: & ita post hæc à dictâ petitione cessarunt.

Sequitur tenor litteræ renovatæ per Regem Franciæ, super juramento fidelitatis facto eidem Regi à D. Guillermo dicto Majore Andegav. Ecclesiæ Electo.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris, quòd nos litteras inclitæ recordationis præcarissimi Domini & progenitoris nostri Philippi Francorum Regis vidimus in hæc verba:

Philippus filius S. Ludovici. PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris, quòd nos litteras felicis memoriæ præcarissimi Domini & genitoris nostri Ludovici Francorum Regis vidimus in hæc verba: S. Ludovicus. LUDOVICUS Dei gratiâ Francorum Rex universis præsentes litteras inspecturis, salutem. Notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris, Nos inclytæ recordationis Regis Ludovici genitoris nostri inspexisse litteras in hæc verba:

Ludovicus Pater S. Ludovici. Is Guillelmus erat de Bello-Monte dictus. LUDOVICUS Dei gratiâ Francorum Rex universis litteras inspecturis, salutem. Noveritis quòd fidelis & dilectus noster GUILLERMUS Andegav. Episcopus præstitit nobis sacramentum fidelitatis, sicut alii Episcopi Regni nostri nobis faciunt, & nos recognovimus ei, quòd non tenetur ire in exercitum vel equitatum nostrum in propriâ personâ, vel aliquem mittere sumptibus suis; neque occasione hujusmodi juramenti ullum onus novum vel gravamen imponetur ei vel Ecclesiæ suæ, sed ipse & Ecclesia ejus manebunt in illis libertatibus quas habuerunt tempore bonæ memoriæ PHILIPPI quondam Regis Franciæ genitoris nostri, & HENRICI & RICHARDI quondam Regum Angliæ. Philippus Augustus Sancti Ludovici avus. Item recognovimus ei, quòd quando Electus Andegavensis Ecclesiæ erit confirmatus à Metropolitano, vel ab eo qui potestatem habebit confirmandi, nos reddemus ei Regalia sua per nuntios deferentes litteras patentes confirmationis ejus: ipse tamen Electus tenebitur bonâ fide nos adire si fuerimus in Regno infrà quadraginta dies post susceptionem Regalium, & nobis juramentum fidelitatis præstare, & si infrà quadraginta dies ad nos, sicut dictum est, non venerit, nos poterimus saisire Regalia sua, & ea tamdiù tenere, quousque nobis fecerit dictam juramenti fidelitatem. Sciendum est etiam, quòd si futuris temporibus Comitatus Andegav. separaretur à Regno, Episcopus Andegav. non teneretur facere Comiti Andegav. hujusmodi juramentum.

Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo tertio mense Novembri. Nos autem ea quæ superiùs continentur rata & accepta habentes, & à nostris successoribus ea volentes in posterum inviolabiliter observari, ad petitionem dilecti & fidelis nostri NICOLAI Andeg. Electi in hujus rei testimonium litteris præsentibus nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo mense Februario. Et nos prædicta quæ superiùs continentur rata & accepta habemus & à nostris successoribus ea volumus imposterum inviolabiliter observari. In cujus rei testimonium ad petitionem dilecti & fidelis nostri præfati NICOLAI Andegavensis Episcopi præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Lochas anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto mense Septembri.

In cujus rei testimonium nos ad petitionem dilecti & fidelis nostri GUILLERMI Andegav. Electi præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Vicennas anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, mense Maio.

Quibus actis, salutato à nobis Rege pro recessu, & nobis per eum licentiatis recessimus à nemore de Vicennis, in quo in domo Fratrum Grandimontensium in Ecclesia & Capellâ eorumdem præfata omnia facta fuerunt. Postmodum statim Parisius in nomine Domini revertentes, & ibidem tribus diebus manentes emimus mitram pulcram, & quamdam parvi pretii, pannos sericos duos vel tres, quædam necessaria pro Capellâ, ornamenta Episcopalia, & alios pannos pro nobis, pro octo valetis seu armigeris; item sellas, fræna & alia pro equis & summariis necessaria, & quædam alia. Quibus factis versùs patriam revertentes die Jovis post *Cantate*, per villam de Lerigneio transeuntes audivimus ibi Missam, & ibidem fecimus infra scripta. Ipsâ die Jovis apud villam Episcopi accessimus, ac ibi comedimus pernoctantes. CAP. XVIII.

Die Jovis ante Festum Beati Urbani transeuntes per villam de Lerigneio invenimus JOANNEM Rectorem Ecclesiæ dicti loci excommunicatum pro decimâ Ecclesiæ suæ non solutâ à Nativitate Domini ultimò præterita, cui injunximus quòd intrà diem Martis proximam faceret se absolvi, & nobis suam ostenderet absolutionem, quod facere promisit; quamque postmodum nobis ostendit.

Item ibidem ipsum correximus super frequentatione tabernarum, inhonestâ conversatione, incontinentiâ & aliis, qui promisit nobis se emendare super præmissis. Item injunximus & commisimus socio Prioris dicti loci, ut de Cura dictæ Ecclesiæ se intromitteret donec ipsum ad hoc prohiberemus; & hoc idem Priori dicti loci commisimus propter vitandum periculum animarum. Item injunximus dicto Priori, quòd ipse diligenter adverteret quomodo idem Rector de cætero se haberet, & ejus conversationem nobis significaret: ut contrà ipsum Rectorem si malè se habuerit, procedamus prout justitia suadebit.

Abjuratio Michaëlis Fornil. CAP. XIX.

ITem anno quo suprà die Sabbati, post *Cantate*, abjuravit apud villam Episcopi MICHAEL dictus Fornil, de Parochiâ sancti Petri de Præcigneio, AGATHAM filiam defuncti JOANNIS Medietarii absentem tunc, ejusdem Michaëlis consanguineam propinquam; cui injunximus tres processiones solemniter faciendas, unam in die Ascensionis Domini, secundam in Festo Pentecostes, tertiam in Festo Beatorum Apostolorum Petri & Pauli præter aliam pœnitentiam spiritalem; & ipsum ab hujusmodi incestu absolvimus. Item dictâ die Rectori Ecclesiæ Beati Petri de Præcigneio litteratoriè mandavimus ut ad nos venire faceret dictam Agatham, quamcitiùs de puerperio in quo jacebat surrexisset, mandatum nostrum audituram. Item de eadem Parochiâ sunt in incestu notorio COLINUS le Forestier, & CATHARINA consanguinea uxoris suæ defunctæ in secundo gradu. Sequenti die Dominicâ comedimus ad convivium cum PHILIPPO Rectore Ecclesiæ de villâ Episcopi.

Radulfus Capellanus de Corzeio correctus.

ITem die Lunæ post *Vocem jucunditatis* apud villam Episcopi correximus RADULFUM Capellanum

de Corzeio, de Biturià oriundum, ut dicebat, super fornicatione quam commiserat cum JOANNA filiâ Stephani Beraut: injungentes eidem Radulfo, quòd ultrà Pentecosten Domini proximam in Ecclesiâ de Corzeio in officio Capellani non serviret, nec ampliùs in Andegaviâ moraretur, quod facere promisit, maximè cum idem Radulfus dicat se habere in partibus Ecclesiam curatam.

Item dictâ die excommunicavimus dictum Morgenest, & dictam la Ligerote ejus consanguineam in secundo gradu, in incestu notorio manentes. Item dictam Catharinam excommunicavimus dictâ die propter defectus suos, quod ipsa citata non comparuit coram nobis.

Item die Martis sequenti apud villam Episcopi, dicta Joanna filia Stephani Beraut abjuravit coram nobis solemnitate quâ decuit, dictum Radulfum Capellanum de Corzeio.

Item anno quo suprà die Mercurii in vigiliâ Ascensionis Domini, abjuravit coram nobis Colinus Forestier de Parochiâ sancti Petri de Præcigneio Catharinam consanguineam defunctæ uxoris suæ in secundo gradu, pœnâ centum solidorum appositâ, committendâ & nobis persolvendâ, si de cætero ad eamdem redierit: cui injunximus sub pœnâ juramenti super hoc præstiti, quòd ipse die Pentecostes Domini proximâ publicè in Ecclesiâ Beati Petri de Præcigneio peram & baculum à Sacerdote dictæ Ecclesiæ, ut moris est, accipiat, inde iturus nudis pedibus ad Montem Beati Michaëlis in Monte Tumba: qui Sacerdos exponet ibidem populo causam quare dictus Colinus sic vadit in Montem Beati Michaëlis, & quod est ei ex parte nostrâ injunctum in pœnam dicti publici incestûs. Item injunximus eidem Colino, quòd ipse ultrà taxationem sibi impositam solvat infrà festum Beati Michaëlis quindecim solidos ad reparationem dictæ Ecclesiæ campanarum sancti Petri. Dicta autem Catharina non venit, sed ob contumaciam fuit excommunicata.

Anno quo suprà die Mercurii in vigiliâ Ascensionis Domini abjuraverunt se ad invicem MATTHÆUS Beloin & JOANNA filia HERBERTI de Bermicon, pœnâ unius marchæ argenti appositâ contrà eum committendâ, & nobis ad usus pauperum solvendâ, si de cætero ad invicem inter se carnaliter commisceantur.

CAP. XX.

Vigilia nostræ consecrationis.

DIe Sabbati post Ascensionem Domini, videlicet in Vigiliâ consecrationis nostræ, de villâ Episcopi benè mane surgentes versus Andegavis iter nostrum direximus: occurrentibusque nobis fratre JOANNE Abbate Monasterii beati Sergii Andegav. & aliis venerabilibus personis de Ecclesiâ Andegav. in via, ad Monasterium S. Sergii prædicti more prædecessorum nostrorum accessimus; ibidemque comedimus, & provisi fuimus expensis Abbatiæ, & ibidem à quampluribus Nobilibus, aliis personis Ecclesiasticis & sæcularibus fuimus visitati. Dictis autem per nos Vesperis & Completorio, dictâ die recepimus nos in camerâ nostrâ, quæ in Monasterio prædicto dicitur Camera Abbatis, ibidemque rasâ barbâ & coronâ, ablutoque capite ibidem dictâ die fuimus balneati. Quo facto nocte sequente circà ignitegium intravimus majorem Ecclesiam ipsius Monasterii, & ibidem ante altare Beatæ MARIÆ totum Psalterium perlegimus singulariter & submissè. Quo perlecto Matutinas incepimus & complevimus, sociis & Capellanis nostris nos juvantibus. Quibus actis circà mediam noctem ad nostram cameram redeuntes, lectum intravimus, & ibidem requievimus usque mane.

CAP. XXI. 1291.

Sequitur dies consecrationis nostræ factæ & celebratæ in Ecclesiâ Beati Albini Andegav. ut infrà scribitur. Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

DIe autem Dominicâ post Festum Ascensionis Domini summo mane ipsius diei Dominicæ surgentes, ad Monasterium Beati Albini Andegav. cœpimus dirigere iter nostrum; munus consecrationis nostræ recepturi ibidem.

Notâ officium D. de Briençon ad quod tenetur circà portas, & officium janitoris ratione dictorum feudorum.

Circà autem majorem portam ipsius Monasterii seu Abbatiæ, per quam ingressi fuimus eamdem Abbatiam adstitit nobis nobilis vir Dominus BRIENCIUS de Monte Joannis, Dominusque de Briençon, fidelis & vassallus noster pro terrâ de Briençon, iter faciens ante nos & arcens turbam ac multitudinem hominum, unà cum multis militibus & armigeris quos secum advexerat ad juvandum ipsum in servitio, in quo nobis dictâ die tenebatur ratione dicti feudi de Briençon & sancti Joannis de Malveretis; ratione cujus feudi dictâ die consecrationis Episcopi Andegav. apud Monasterium Beati Albini, & etiam apud Ecclesiam Beati Mauritii, & apud Palatium tenetur onus janitoris subire, portasque custodire, & in viâ à dicto Monasterio sancti Albini usque ad Ecclesiam Andegav. iter Episcopo Andegav. consecrato facere & turbas arcere: quæ omnia tam per se quàm per complices suos, quos ad hoc secum adduxerat, dictâ die nobis benè & fideliter exhibuit & implevit.

Postquàm ante magnam portam ipsius Abbatiæ priùs dictam ingressi fuimus (quam portam idem Miles nobis aperiri fecit per armigeros & servientes suos, qui eamdem portam intùs custodiebant.) Nobis de palefredo nostro descendentibus cui insidebamus, idem Dominus de Briençon ipsum palefredum capi fecit, quòd suus erat ratione obsequii & servitii, quod in die consecrationis nostræ nobis debebat & exhibere tenebatur, & quia exhibuit, ut est dictum, & ut sequitur.

Ab illo autem loco ubi descendimus pedes ivimus ad Ecclesiam Monasterii antedicti, dicto milite Domino de Briençon cum suis complicibus & adjutoribus nos præcedente, viam faciente, & turbam arcente cum baculis & aliis necessariis ad hujusmodi officium faciendum. Ipsam autem majorem dicti Monasterii Sancti Albini portam cum magnâ difficultate propter turbam & hominum multitudinem copiosam transeuntes, ante majus altare dictæ Ecclesiæ prostrati orationem fecimus, & exinde ad Capellam Abbatis ivimus, & postmodum in quâdam Camerâ ipsius Monasterii secessimus & ibidem aliquantulum pausavimus. Et tunc Decanus, Thesaurarius, Archidiaconus Transligerensis Scholasticus, & alii magni viri Ecclesiæ Andegav. cœperunt cum venerabilibus viris Magistro GIRARDO de Monte-rebelli Archidiacono Transvigenensi in Ecclesiâ Turonensi, Magistro PETRO de Micariis, & Domino CLEMENTE Ademari Legum Professore, Canonicis Turonensibus, Vicariis Reverendi Domini Domni RAGINALDI de Monte-Basonis tunc Electi Turon. in concordiâ, qui pro negotio dictæ consecrationis missi à dicto Electo venerant, & qui die præcedenti, scilicet dictâ die Sabbati, in ipso Monasterio Sancti Albini comederant, pernoctaverant, ac etiam provisi fuerant cum omni familiâ & equitaturis suis ad sumptus & expensas nostras, tractare cœperunt de professione à nobis Ecclesiæ & Archiepiscopo Turon. faciendâ. Et tandem post multas altercationes & disputationes super hoc habitas, in hanc formam concordaverunt quæ talis est:

Ego GUILLERMUS sanctæ Andegav. Ecclesiæ nunc ordinandus Episcopus, subjectionem & reverentiam & obedientiam à sanctis Patribus constitutam, secundùm præcepta Canonum, ut moris est, sanctæ Sedi Turonensis Ecclesiæ Dominoque RAGINALDO Electo concorditer Turon. ejusque successoribus Canonicè substituendis, perpetuò me exhibiturum promitto, & super sanctum Altare propriâ manu firmo & subscribo.

Nota hîc de AMAURICO filio primogenito Domini de Credonio & de Brioleto, se offerente nobis ad officium faciendum, ad quod pater suus tenetur ratione feudi de Brioleto, dicto patre tunc absente.

INterea autem ad nos in dictâ Camerâ accedens AMAURICUS, filius primogenitus & heres nobilis viri Domini MAURICII Domini de Credonio & de Brioleto, puer undecim annorum vel circà, Domino MATTHÆO Quatre-barbes Milite pro dicto puero verba faciente, obtulit se nobis ad faciendum servitium & officium, in quo pater suus nobis & Ecclesiæ Andegav. tenebatur ratione feudi, videlicet ad portandum nos una cum vassallis nostris, qui ad hoc tenentur post munus consecrationis nostræ, ab Ecclesiâ Sancti Albini usque ad majus altare Ecclesiæ Beati Mauritii Andegav. & ad serviendum nobis de cupâ in mensâ gerendo officium pincernæ, proponens & asserens se ad hoc admitti debere, cum pater suus in Angliâ esset absens etiam ante tempus electionis de nobis factæ, maximè ex causâ Legationis sibi impositæ à Rege Franciæ ad Regem Anglorum, ut dicebat: nobis reclamantibus & nos opponentibus in præmissis, asserentibusque illud officium & servitium adeo esse personale, quia non nisi per Dominum de Brioleto fieri & impleri poterat vel debebat; unde cum dictus puer nondum esset Dominus de Brioleto ac vassallus Ecclesiæ Andegav. ad illud servitium non debebat admitti, præcipuè cum adhuc esset idem puer tam teneræ & imbecillis ætatis, quòd per se dictum servitium & officium implere non posset.

His & aliis propositis hinc & inde nihil cum effectu super hoc accordato, ad Capellam ante dictam rediimus; in quâ tunc cœpimus nos ornamentis Episcopalibus de bougran, exceptis mitrâ, annulo, baculo pastorali, & chirothecis, ornare & parare, Reverendis Patribus Dominis THEOBALDO Dolensi, & ALANO Corisopitensi Episcopis nobis assistentibus & juvantibus ad ornandum & parandum.

Consecratur Episcopus.

Parati autem & revestiti, à dictâ Capellâ accessimus ad Majorem Ecclesiam ipsius Monasterii, & ante majus altare dictæ Ecclesiæ munus consecrationis nostræ recepimus à Reverendo Patre GUILLERMO Episcopo Redonensi, Reverendis in Christo Patribus Dolensi, Venetensi, Macloviensi, Corisopitensi & Leonensi Episcopis assistentibus & ministerium in dictâ consecratione præbentibus, cæteris suffraganeis Turonensis Provinciæ se excusantibus. Item professionem fecimus in formâ suprascriptâ super altare prædictum. Finito autem consecrationis & Missæ officio, benedictionem super populum effudimus ut est moris. Quibus omnibus sic peractis, in eodem Monasterio paratam habuimus cathedram duobus palliis sericis coopertam & paratam ad deportandum nos, ut superiùs continetur.



Nota hîc qui tenentur deportare Episcopum consecratum usque ad majus altare Beati Mauricii in Cathedrâ, scilicet Barones infrà scripti.

PRæsentibus & se ad hoc nobis offerentibus Baronibus & vassallis nostris, qui ad dictam deportationem tenentur, videlicet Domino GUIDONE de Camilliaco Milite, qui ratione terræ & feudi de Camilliaco tenebatur nos portare, & portavit ex parte anteriori ad sinistram. (Cum Dominus de Brioleto si præsens esset, teneretur ex parte anteriori ad dexteram ratione feudi de Brioleto.) Item Domino HUGONE de Baucey Domino de Blodio, tenebatur nos portare & portavit ex parte posteriori ad dextram. Item Domino JOANNE Bellomonte, Domino de Gratequesse, qui ratione feudi de Gratequesse tenebatur nos portare & portavit ex parte posteriori ad sinistram. Dicto AMAURICO filio Domini de Credonio & de Brioleto primogenito se præsentante, ac se cum instantiâ importunâ offerente & ingerente ad servitium pro patre suo faciendum, & ad nos portandum ex parte anteriori ad dextram. Nobis reclamantibus & nos opponentibus in præmissis ac protestantibus coram dictis Reverendis Patribus Dolensi & Redonensi Episcopis, quòd ejusdem Amaurici servitium non admittebamus, nisi de jure admittere teneremur, protestantes quòd per talem ingestionem & quasi violentiam non intendebamus Ecclesiæ aliquod præjudicium generari. Super quâ protestatione à dictis Reverendis Patribus Dolensi & Redonensi litteras obtinuimus in hæc verba:

Universis præsentes litteras inspecturis & auditutis, G. permissione divinâ Redonensis Episcopus salutem in Domino. Noveritis quòd anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, die Dominicâ post Ascensionem Domini, munere consecrationis à nobis Redonensi Episcopo, Reverendo in Christo GUILLERMO Dei gratiâ Andegav. Episcopo solemniter impertito, Reverendis in Christo Patribus G. Leonensi, R. Macloviensi, N. Corisopitensi, H. Venetensi, miseratione divinâ Episcopis, suffraganeis Ecclesiæ Turonensis, nobis ad hoc ministerium præbentibus in Monasterio beati Albini Andegav. missâque solemniter per dictum Reverendum Patrem Andegav. Episcopum in Ecclesiâ Andegav. celebratâ, nobisque omnibus cum dicto Reverendo Patre Andegav. Episcopo in suo Palatio ad mensam in convivio sedentibus, AMAURICUS filius Domini de Credonio & de Brioleto nomine patris sui, & pro eo obtulit se dicto Patri Reverendo, ad servitium faciendum de cupâ in dictâ mensâ, ad dandum sibi primum potum, ad quod servitium pater ejus personaliter, ut dicitur, tenebatur; dicto Reverendo Patre dicente & expressè protestante quòd servitium dicti filii admittere non volebat nomine patris sui, cum ad hoc servitium impendendum idem pater suus personaliter teneretur, ut dicebat. Quibus propositis non obstantibus dictus Amauricus nomine dicti patris sui, & pro eo unà cum pluribus sibi assistentibus accepit cupam, & fecit infundi vinum, & obtulit eidem Domino Episcopo potum nomine patris sui, ratione servitii antedicti: cui respondit idem Dominus Episcopus: fili mi, non recipimus à vobis dictum potum ratione servitii antedicti, seu nomine patris vestri. Episcopus accepit cupam & bibit, & postea dictus puer accepit cupam, & dixit quòd sibi debebatur ratione patris sui & servitii ante dicti: dicto Reverendo Patre dicente; Nos non admittimus servitium vestrum: & protestante expressè, ut dicebat, quòd dictam cupam contrà suam voluntatem idem Amauricus deportabat, ne-

que sibi debebatur quòd pater suus non impenderat servitium prædictum, ad quod ut dicebat personaliter tenebatur. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum ad supplicationem dicti Reverendi Patris. Datum die & anno quibus suprà.

Sequuntur litteræ Episcopi Dolensis super protestatione in hac verba:

UNiversis præsentes litteras inspecturis & audituris, THEOBALDUS miseratione divinâ Dolensis Episcopus salutem in Domino. Noveritis quòd anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, die Dominicâ post Ascensionem Domini nobis in Ecclesiâ beati Albini Andegav. unà cum Reverendis in Christo Patribus, Redonensi, Macloviensi, Corisopitensi, Leonensi, Venetensi Episcopis, ac venerabilibus viris Domino Girardo de Monte-Rebelli, Archidiacono Transvigen. & Magistro Petro de Micariis Canonicis in Ecclesiâ Turonensi Vicariis venerabilis viri Magistri Raginaldi de Monte-Basonis Electi in concordiâ in Ecclesiâ Turon. & dictæ Ecclesiæ Turon. congregatis nobis suffraganeis dictæ Ecclesiæ Turon. ad dictam diem specialiter convocatis pro munere Consecrationis impendendo Reverendo Patri Domino Guillelmo divinâ providentiâ Andegav. Episcopo, munere consecrationis dicto Reverendo Patri solemniter impertito à Domino Episcopo Redon. dictis Reverendis Patribus & nobis eidem ministerium præbentibus, omnibusque ritè peractis quæ in talibus debent & consueverunt observari. Cum dictus Reverendus Pater, ut moris est, ad Ecclesiam Andegav. per suos homines, vassallos & fideles suos & Ecclesiæ Andegav. deberet deportari, ut ibidem Missam solemniter celebraret, AMAURICUS filius Domini de Credonio & de Brioleto in nostrâ præsentiâ se exhibuit & se obtulit cum magnâ comitivâ Nobilium dicto Patri Reverendo, ad eumdem deferendum ad Ecclesiam Andegav. nomine patris sui & pro eo; volens dictus Amauricus & se offerens admitti ad servitium faciendum eidem Episcopo nomine patris sui & pro eo, ad quod idem pater suus dicto Reverendo Patri personaliter, ut dicitur, tenebatur, & eumdem Patrem Reverendum ad dictam Ecclesiam Andegav. nomine patris sui & pro eo deferre nitebatur, maximè cum dictus Dominus de Credonio pater suus absens esset in Angliâ, ut dicebat, ex causâ Legationis sibi impositæ ab Illustri Rege Franciæ; qui sibi imponere poterat dictam legationem, ut dicebat, cui obtemperare necessariò tenebatur: dicto Reverendo Patre Andegav. Episcopo ejusdem filii nomine quo suprà servitium expresse renuente, & asserente servitium dictâ die sibi debitum à dicto Domino de Brioleto adeo esse personale, quòd per alium quàm per ipsum dominum sibi impendi non poterat nec debebat; maximè cum de pluribus prædictis ex parte dicti Amaurici propositis non constaret; & cum dictum servitium sibi à Domino de Brioleto personaliter deberetur: & licet Amauricus ejusdem Domini esset filius; vivente tamen patre suo, ipso in ejusdem patris potestate existente, nullatenus Dominus de Brioleto est censendus: & quia idem Amauricus adeo juvenis & in minori ætate constitutus est, quòd non est habilis ad dictum servitium faciendum. Pluribus altercationibus habitis hinc & inde, dictus Amauricus unà cum magnâ comitivâ hominum, præsente maximè Ballivo Andegav. quorum potentiæ, ut dicebat, idem Episcopus resistere non valebat, se obtulit ad dictum Patrem Reverendum deportandum ad Ecclesiam antedictam contrà voluntatem dicti Reverendi Patris expresse reclamantis & protestantis, quod servitium ejusdem filii pro patre suo nullatenùs admittebat, nisi appareret quòd de jure teneretur; protestantis etiam quòd in quantum in se erat, & contradicere poterat & contradicere tenebatur, delationi & portationi dicti filii & suorum complicium contradicebat & etiam resistebat; maximè cum per eorum importunitatem promptam & imminentem posset divinum officium, quod ad diem sibi incumbebat, in Ecclesiâ Cathedrali impediri, & sibi & Ecclesiæ Andegavensi magnum præjudicium generari in futurum. Et hoc omnibus quorum interest & quibus significandum est significamus per præsentes litteras sigillo nostro sigillatas, ad supplicationem dicti Reverendi Patris sigillatas, in testimonium veritatis. Datum anno & die ut suprà.

Hîc Episcopus consecratus deportatur ad Ecclesiam Beati Mauricii Andegaven. per Barones homines & Vassallos suos & Ecclesiæ Andegaven. in cathedrâ. CAP. XXII.

HIs autem nonobstantibus idem puer Amauricus super humeros cujusdam armigeri equitans ex parte anteriori Cathedræ ad dextram, tangens dictam Cathedram sic dictum servitium conabatur implere, Domino THEOBALDO Domino de Matefelon ipsâ parte dextrâ Cathedræ loco ipsius pueri nos sustinente & portante, & sic egredientes habentes librum Evangeliorum ad pectus, omnibus ornamentis Pontificalibus etiam casulâ & mitrâ albis, videlicet de bougran revestiti, & etiam propter unctionem cucufati quâdam magnâ cucufâ subtus mitram: sic humeris dictorum Baronum & Vassallorum deferebamur per villam, signantes populum à dextris & à sinistris. Et per hunc modum populorum innumerâ multitudine circumstante ad portam Andegavinam devenimus sic delati; quam portam invenientes clausam per Capitulum & firmatam, ibidem traximus longam moram, & post hoc aperto guicheto dictæ portæ, Gaufridus Archidiaconus Transligeren. ex parte Capituli veniens pro se & Capitulo à nobis quoddam juramentum exigit.

Nota hîc juramentum quod facit Episcopus Andeg. consecratus Capitulo & Ecclesiæ Andegavensi ad portam civitatis, quæ dicitur Porta Andegavina, antequàm intret civitatem & Ecclesiam post ejus consecrationem.

AD nos verba dirigens idem Archidiaconus sub hac formâ, *Vis tu jurare te non infeudaturum de novo?* Ad quod respondimus: *Volo.* At ipse, *Jura*: & nos, *Juro.* Item idem Archidiaconus ad nos verba dirigens: *Vis tu jurare* jura & consuetudines antiquas Andegav. Ecclesiæ approbatas servare? At nos respondimus: *Volo.* Et ipse, *Jura.* Et nos, *Juro.* Quibus sic actis dictâ porta Andegavinâ reseratâ & apertâ per dictos Barones & Vassallos per modum supradictum, usque ad portas Andegav. Ecclesiæ fuimus deportati: & dum fuissemus in portâ Portalli, idem Archidiaconus ad nos verba dirigens talem interrogationem formavit: *Estne ingressus tuus pacificus?* Et nos: *Pacificus.*

Quo facto nobis sic deportatis, & ipsam Ecclesiam ingredientibus, occurrit nobis processio capis sericis ornata, & cœperunt cantare Responsorium quod incipit, *Beatus Mauricius*; & sic usque ad majus altare per eosdem Barones & Vassallos fuimus deportati; & dum descendissemus de Cathedrâ in quâ fueramus deportati, Thesaurarius Andegav. accepit duo pallia quibus erat dicta Cathedra coo-

perta; & ea retinuit quia sibi erant debita: & ante dictum altare in oratione prostrati fuimus, quousque dictum Responsorium fuit percantatum. Quo completo surgentes diximus illum versiculum; *Justorum animæ in manu Dei sunt*, cum oratione de Martyribus, *Deus qui nos concedis*.

Quibus actis inchoata fuit Missa de die, scilicet, *Exaudi Domine vocem meam*, sicut est. Dum autem ad oblationem ventum fuit, intravimus unam cuvam, ne pressurâ hominum in oblatione currentium gravaremur, & tunc nobis oblata fuerunt multa vasa argentea & deaurata, quæ in aliis scriptis nostris continentur. In totâ autem Missâ non amovimus cucufam neque mitram in quibus fuimus consecrati, nec etiam totâ ipsâ die, quousque intravimus lectum nostrum, quâ horâ solam mitram amovimus, cucufâ remanente. Post *Agnus* ante convivium more solito fecimus benedictionem solemnem de Festo Ascensionis, quæ competebat diei.

CAP. XXIII

Missâ celebratâ in die consecrationis, Episcopus intrat palatium ut sequitur.

FInito itaque Missæ officio, Palatium nostrum cum omnibus indumentis, in quibus Missam celebraveramus, propter effrenatam multitudinem & nimiam pressuram hominum cum difficultate intravimus, & sic cameram nostram ingressi, vestimenta omnia deposuimus in quibus Missam celebraveramus, & aliud rochetum novum accepimus, & supertunicale, & mantellum, habentes in capite mitram & cucufam memoratas, & sic parati ad prandium in Palatio ivimus.

Cum autem ipsum Palatium intrassemus, & manus vellemus abluere, præsentavit se nobis Dominus JOANNES de Bello-monte, Dominus de Gratequesse, vassallus noster ligius futurus ratione feudi de Gratequesse, qui fudit nobis aquam super manus ad lavandum in bacinis argenteis, quos fieri feceramus ex proposito ad istud officium, de pondere quatuor marcharum argenti, licet bacini prædecessoris nostri non fuissent nisi trium marcharum, ut in scriptis suis vidimus contineri: quâ ablutione factâ dictus Dominus Joannes de Bellomonte dictos bacinos habuit, & manutergia quibus tunc tersimus manus nostras, quæ sibi ratione dicti feudi & servitii nobis dictâ die ab ipso exhibiti debebantur. Quibus actis benedictionem fudimus super mensas, quâ benedictione factâ, sedimus in cathedrâ magni scamni palatii nostri, nobiscum sedentibus à dextris & à sinistris in mensâ Reverendis Patribus Redon. Maclov. Veneten. Corisopiten. & Leonens. Episcopis, & prædictis Vicariis Electi Turon. Nobis autem assistis, venit nobilis Miles Dominus GUIDO de Camilliaco in tunica, gerens mappam suprà collum, quam ante nos suprà mensam posuit, ministris suis eum coadjuvantibus; quâ positâ, manibus propriis duos panes coram nobis posuit, & alios panes in dictâ mensâ in quâ sedebamus, quod officium eidem incumbebat ratione feudi de Camilliaco quod tenet à nobis; unde dictâ die officium Panistarii subire tenebatur, quod per se & per suos dictâ die in prandio & in cœnâ decenter exercuit per totum palatium, & alia loca in quibus homines comedebant, videlicet in Ecclesiâ, Claustro & Refectorio: ratione cujus officii, finito prandio, omnes mappas dictorum locorum habuit, quia jus suum erat. In secundâ autem & tertiâ assisiâ & cœnâ eas cum magnâ difficultate commodavit. In sero autem de residuo panis quod de dicto festo remanserat contendit, asserens suum esse ratione officii sui prædicti, nostris hoc negantibus & se opponentibus in præmissis, & tandem illud residuum panis non habuit, sed nobis remansit. Item obtulit se ad dandum pauperibus fragmentum, quod tamen non fecit, sed fuit per nostros erogatum.

Nota hîc officium Domini de Blodio.

DUm sic autem sederemus in mensâ, pane & vino superpositis, venit Dominus HUGO de Bauceio Dominus de Blodio, homo noster ligius futurus ratione dicti feudi de Blodio, & primum ferculum in duabus scutellis argenteis unâ subtus, alterâ suprà attulit, & coram nobis suprà mensam posuit, cum sapore in aliis duabus scutellis minoribus unâ subtùs, alterâ suprà; & dictas quatuor scutellas argenteas, duas magnas & duas parvas habuit ratione dicti servitii, & de omnibus aliis ferculis post primum, de quo ipse servivit in propriâ personâ coram nobis, fecit per Dominum GUILLELMUM de Corcillon Militem coram nobis usque ad finem convivii deserviri. Ultrà autem quatuor scutellas argenteas, petebat à nostris potos & calderias coquinarias, sed de his nihil habuit, cum super hoc nos non potuerit informare.

His factis, ministrato nobis primo ferculo, dum bibere vellemus, supradictus puer AMAURICUS filius Domini de Credonio & de Brioleto se obtulit, offerens nobis cupam nostram deauratam cum vino, ad quod officium pater suus si præsens fuisset nobis tenebatur ratione feudi de Brioleto, cum in dicto festo consecrationis officio pincernæ fungi teneatur; quod tamen servitium de manu dicti pueri non duximus recipiendum rationibus ante dictis: & sic dictus puer dictam cupam suprà mensam posuit, & quidam de servientibus nostris illam nobis porrexit: & cum bibissemus, & dictam cupam posuissemus suprà mensam, dictus puer dictam cupam cepit, & eam asportavit; quod jus patris sui erat, si dictum servitium prout debebat explevisset; nobis nos opponentibus dicto puero & reclamantibus in præmissis, & de jure nostro & Ecclesiæ Andegav. protestantibus, sicut suprà: de quâ reclamatione & protestatione litteras dicti Episcopi Redon. obtinuimus, quarum tenor sequitur in hæc verba:

Universis præsentes litteras inspecturis & auditaris, GUILLERMUS miseratione divinâ Redon. Episcopus, &c. *ut suprà*.

Hîc finitur prandium in die Consecrationis.

FInito autem prandio, gratias egimus, & benedictionem super populum fudimus, & postea cameram nostram intravimus, & abluimus manus nostras. Prædicti autem Vicarii nobiscum, ut dictum est, in palatio comederunt, sed illis de familiâ suâ qui apud sanctum Albinum remanserant, & eisdem Vicariis pro cœnâ serotinâ, & toti familiæ, & equis eorum de nostro ministravimus omnes sumptus. HUGO de Bauceio Dominus de Blodio decem libras, quatuordecim solidos, & sex denarios, quia comedit in villâ & cum eo Dominus JOANNES de Bellomonte Dominus de Gratequesse, & cum eo multi Milites. Item pro expensis Domini prædicti de Gratequesse quatuor libras, quatuor solidos, & quatuor denarios. Item pro expensis Domini de Camilliaco octo libras septem solidos. Item pro Domino de Monte Joannis Domino de Brienconio VI. libr. VII. sold. & VIII. denar. pro expensis Domini de Credonio Dominique de Brioleto nihil, quia præsens non erat, ut dictum est. Expensæ Baronum.

CAP. XXIV. *Summa expensarum pro Baronibus viginti novem novem lib. tredecim solid. & ix. denar. Item nota hîc expensas Vicariorum Domini Rag. Electi Turon. quarum summa est centum septem quinque solidorum.*

Nota hîc diversionem Episcopi consecrati in die crastinâ suæ consecrationis à civitate Andegav. ut infrà sequitur.

ANno quo suprà, die Lunæ post Ascensionem Domini, videlicet in crastino consecrationis nostræ, recessimus à palatio nostro Andegav. summo mane, & eques ivimus ad chalondum subtus castrum Andegav. in quo chalondo fuimus deportati per aquam usque ad Chalonnam: ibi verò de chalondo descendimus ante Ecclesiam Beati Mauricii. Et eamdem Ecclesiam intravimus, & ibidem Missam celebravimus cum cucufâ & mitrâ consecrationis; & post dictam Missam celebratam, ad manerium nostrum dicti loci eques ivimus cum cucufâ & mitrâ prædictis, quas cucufam & mitram dictâ die ante prandium deposuimus, & caput nostrum lavari fecimus, quæ quidem cucufa & *le coton* fuerunt combusta. Postea verò dictâ die in dicto manerio nostro apud Chalonnam prandidimus & pernoctavimus, & in crastino similiter videlicet die Martis sequenti; quadie Martis assignavimus hominibus nostris dicti loci diem Jovis sequentem ad faciendum nobis homagium & juramentum, ad quæ faciendum nobis tenentur.

Postmodum verò, quibusdam visitationibus à nobis factis, & pluribus aliis, quæ in libro visitationum nostrarum continentur, ad præsens prætermissis.

CAP. XXV. *Nota hîc de visitationibus nostris quas fecimus Turonis in Ecclesiâ Beati Mauricii, & in Ecclesiâ Beati Martini, anno quo suprà*

DIe Sabbati in crastino Apostolorum Petri & Pauli anno quo suprà apud Langez comedimus & pernoctavimus, & maxima tonitrua ac coruscationes terribiles ibidem audivimus. Die dominicâ sequenti, videlicet in Octavis beati Joannis Baptistæ, nobis occurentibus quampluribus venerabilibus personis Ecclesiæ Turonen. ad civitatem Turonis devenimus causâ visitandi Ecclesiam Turonis, cum nos more majorum nostrorum teneremur infrà tres menses à tempore consecrationis nostræ prædictam Turonen. Ecclesiam visitare, & nos liminibus beatorum Mauricii & Gatiani præsentare; & in domo Archiepiscopi descendentes, postmodum ad fores ipsius Ecclesiæ honorificè processionaliter fuimus recepti, & ad majus altare dictâ processione comitante, & unum responsorium cantante deducti; orationeque dictâ, & benedictione per nos factâ, ad revestorium ivimus, & ibidem sandaliis & omnibus pontificalibus ornamentis fuimus revestiti, & pòst ad majus altare dictæ Ecclesiæ Missam celebravimus ad supplicationem Decani & Capituli, ac de licentiâ Vicariorum Domini RAGINALDI de Montebasonis Electi Turon. in concordiâ, acolythos per Decanum & Capitulum ac Vicarios nobis præsentatos ordinavimus, quorum nomina inter alios à nobis ordinatos continentur. Et fuit prædicta Ecclesia & chorus in dictâ receptione nostrâ palliis & pannis sericis ornata, ad quam ornaturam in receptione nostrâ tenebatur & tenetur dicta Ecclesia, ac in receptione Episcopi Cenoman. quamvis in receptionibus aliorum suffraganeorum Provinciæ Turon. ad id non teneatur, ut à pluribus dicebatur. Missa verò celebratâ, in dictâ domo Archiepiscopi Turon. fuimus recepti, ac in cibariis & aliis necessariis pro nobis & nostris procurati & provisi ad expensas Turon. Electi. Nobis in prandio assistentibus, & nos concomitantibus majoribus personis & in dignitatibus constitutis, necnon & Canonicis Ecclesiæ Turon. ad hoc ex parte dicti Electi specialiter invitatis, & aliis quamplurimis personis in dictâ domo comedentes, cœnantes & pernoctantes, unà cum sociis nostris, familiâ & equitaturis ad sumptus & expensas dicti Electi.

Die Lunæ sequenti in domo Archiepiscopi pluribus de civitate & Diœcesi Turon. tonsuras Clericales impendimus seu contulimus ad supplicationem dictorum Vicariorum. Et dictâ die comedimus & pernoctavimus invitati penes Magistrum GIRARDUM de Monte-rebelli Archidiaconum Transvigen. in Ecclesiâ Turon.

Dictâ die venit ad nos apud Rideriam manerium dicti Archidiaconi Religiosus vir Abbas Majoris Monasterii Turon. & cum eo tractavimus de negotio quod vertitur inter Dominum de Camilliaco ex unâ parte, & Priorem dicti loci ex alterâ; quod negotium nos & Ecclesiam Andegav. tangit. Et finaliter fuit accordatum, quod ipse Abbas pro dicto Priore mandaret, & super hoc cum eo tractaret, ac pleniùs inquireret veritatem.

Die Martis sequenti in mane ad præsentationem & supplicationem dictorum Vicariorum pluribus civitatis & Diœcesis Turon. tonsuras primas contulimus clericales, computatis & numeratis inter alios ad tonsuram promotos in Registro nostro contentos.

Item GAUFRIDO de Malliaco Rectori Ecclesiæ de Ulmis, ad preces venerabilium virorum Joannis Archidiaconi Transligeren. Girardi Archidiaconi Transvigenen. in Ecclesiâ Turon. Magistri JOANNIS Gedoin Canonici Turon. concessimus licentiam super residentiâ in ipsâ Ecclesiâ per ipsum Gaufridum non faciendâ usque ad finem unius anni; ita tamen quod diebus solemnibus in dictâ Ecclesiâ personaliter debeat interesse.

Post hoc ipsâ die apud Sanctum Cosmam de Insulâ comedimus & pernoctavimus ad sumptus nostros, exceptâ cœnâ, quâ die Fratres dicti loci, absente tunc Priore, honorificè nos receperunt, & nos ad cœnandum duxerunt ultrà aquam Ligeris ad sumptus Prioris in domo seu manerio Molendinorum.

Die Mercurii in festo Translationis Beati Martini æstivalis in mane, cum Abbate de Aqua-vivâ accordavimus, quòd nos cum Abbate Mellinensi & Fratribus de non mutando antiquo habitu tractaremus; cum idem Abbas de Aqua-viva quasdam rationes allegaret quare à dicto habitu non debeant resilire, quamvis in habitu cum Fratribus sui ordinis non concordent, Abbate Mellinensi & Fratribus supertunicale album & albam tunicam deferentibus, aliis tunicam albam & supertunicale nigrum; quamvis antea cum dicto Abbate & Fratribus de conformatione habitûs tractassemus.

Nota hîc adventum Episcopi Andegav. ad Ecclesiam Beati Martini Turon. post ejus consecrationem. CAP. XXVI.

POst hæc dictâ die Mercurii à Prioratu S. Cosmæ recessimus, & inde accedentes Turonis, pluribus venerabilibus personis & Canonicis Ecclesiæ Beati Martini Turonis nobis in viâ occurrentibus, ut nos usque ad dictam Ecclesiam comitarentur, ad quam Ecclesiam Beati Martini Turonensis accedebamus, ut inibi more & jure prædecessorum nostrorum reciperemur in Canonicum & in Fratrem; quia prædecessores nostri in primo eorum adventu ad dictam Ecclesiam post eorum consecrationem recepti fuerunt, & nos similiter recepti fuimus in ipsâ Ec-

ciesia in Canonicum & in Fratrem, & ut limina Beatissimi Martini visitaremus, in domo à Capitulo Beati Martini nobis deputatâ in Claustro Beati Martini descendimus, & post parvam moram à nobis ibidem factam, Ecclesiam Beati Martini prædictam intravimus, Capitulo ipsius Ecclesiæ processionaliter usque ad portas ipsius Ecclesiæ nobis occurrentibus & recipientibus solemniter in dictâ Ecclesiâ, & unum Responsorium cantando usque ad majus altare dictæ Ecclesiæ nos honorificè deduxerunt: oratione verò dictâ & benedictione à nobis datâ, in Capitulum ejusdem Ecclesiæ non mutato habitu nostro nos duxerunt, ibidemque Capitulo congregato, Decano absente, & Subdecano locum ejus tenente, primò Ecclesiæ & personis nos recommendavimus, asserentes nos debere recipi in Canonicum & in Fratrem: dictus verò Subdecanus respondit, quòd nos ratione Episcopatûs Andegav. Canonicus Ecclesiæ Beati Martini prædictæ eramus, adjiciens quòd si aliqua nobis necessitas immineret, ad ipsos in Claustro Beati Martini declinare possemus, in quo domum & alia necessaria sicut uni Canonico ministrarent, quamvis ab aliquibus diceretur, quòd in illo casu non sicut Canonico tantùm, imò sicut Episcopo ministrare tenerentur. Quibus actis idem Subdecanus exhibuit quemdam librum antiquum in quo forma juramenti sub litterâ antiquâ erat contenta, quòd juramentum ipsi Ecclesiæ facere tenebamur sicut alii Prælati Canonici ejusdem Ecclesiæ, videlicet Episcopus Pictav. Archiepiscopus Bituricensis, Archiepiscopus Senonensis. Quæ quidem forma juramenti talis est:

Nos (talis) juramus, quòd fideles erimus isti Ecclesiæ Beati Martini, & maximè de rebus existentibus in diœcesi nostrâ: & quòd ipsi Ecclesiæ & Capitulo fidele consilium præstabimus quod melius credemus, quotiescumque fuerimus requisiti; & quòd consilia Capituli non revelabimus, unde damnum vel dedecus possit ipsi Ecclesiæ vel Capitulo provenire. Sic nos Deus adjuvet & hæc sancta verba.

Quo quidem juramento à nobis exhibito, recepti fuimus in ipsâ Ecclesiâ in Canonicum & in Fratrem; indutisque nobis habitu competenti, in dextrâ parte chori fuimus installati. Quibus actis majorem Missam ad majus altare celebravimus: quâ celebratâ, ad domum prædictam rediimus, ibidem comedentes ferè cum totius Capituli Ecclesiæ Beati Martini prædictæ venerabili comitivâ; cœnantes postmodum ibidem ac pernoctantes ad sumptus dicti Capituli & expensas, ad quas nobis tenebantur in receptione hujusmodi, ut ipsimet confitebantur. Quâ die socius Magistri JOANNIS Bordean in Ecclesia de Noiento Andegav. diœcesis Rector, pro parte ipsius Ecclesiæ à nobis super residentiâ licentiam obtinuit usque ad Synodum S. Lucæ. Ita tamen quòd interim idoneum Sacerdotem habeat pro se in dictâ Ecclesiâ continuè residentem.

CAPUT XXVII.

Sequuntur quædam facta notabilia & memoriæ digna nostro tempore emergentia, quæ causâ memoriæ perpetuæ redigi fecimus in scripturam.

1291. ANNO Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, die Veneris ante Festum beati Lucæ Evangelistæ, Nobis GUILLERMO Episcopo Andegav. in Prioratu Sancti Melanii propè Brach. causâ visitandi pernoctantibus, ad nos pervenit, quòd cum Pons-Seii à villa nostra sancti Maurilii de Esmâ usque ad domum seu Prioratum Fontis-Ebraudi ibi prope existentis protensus, in quâdam parte sui reparatione indigens, speraretur in crastino propter indigentiam dictæ reparationis fieri inhabilis ad meandum, & quod Ægidius Castellanus de Ponte-Seii minabatur in fluvio Ligeris in ea parte se positurum chatreriam nomine Comitis Andegav. ad transvehendum homines per dictum flumen transvehi volentes una cum equis suis, ratione & occasione habendi & exigendi pontonagium seu emolumentum, ratione præmissorum consuetum reddi & solvi ab hominibus supradictis transvehi volentibus ibidem.

Nos attendentes Episcopos Andegav. qui pro tempore fuerint, nomine & ratione Episcopatûs Andegav. fuisse maximè ab antiquo, & adhuc esse in possessione, vel quasi, ita quòd nullum alium, habendi & ponendi charreriam & *chalondum* in fluvio Ligeris in dictâ parte ipsius fluvii, prout dictus pons protenditur à villâ prædictâ sancti Maurilii usque ad domum seu Prioratum prædictum, ad transvehendum & transportandum homines, jumenta, & alias res transvectione & transportatione indigentes, & habendi ac recipiendi pontonagium seu passagium, & quodcumque aliud emolumentum obveniens occasione præmissorum, eo videlicet tempore quo pontem prædictum propter rupturam, refectionem, reparationem seu aliàs fieri contigit inhabilem ad meandum: volentes futuris periculis obviare, super præmissis taliter duximus providendum: quòd nos die Sabbati bene mane sequenti Magistros GERVASIUM Hominem-Dei de la Martiniere socium nostrum, & MATTHÆUM Decanum de Credonio, Canonicos Andegav. MARSILIUM de Pratis Senescallum nostrum, PETRUM de Valciis Presbyterum familiares nostros, & alios quamplures, ad ponendum seu poni faciendum in dicto fluvio Ligeris charreriam ad transvehendum & transportandum homines, & res prædictas, & ad recipiendum pontonagium, passagium & aliud quodcumque emolumentum obveniens ratione præmissorum, & ad conservandum & defendendum nostram possessionem vel quasi prædictam, duximus destinandos; necnon & MAURICIO Archipresbytero Andegaven. per litteras nostras dedimus in mandatis ut ad locum prædictum accederet, & dicto Castellano inhiberet, ac eumdem moneret ex parte nostra sub formâ quæ sequitur:

GUILLELMUS permissione divinâ Andegav. Episcopus discreto viro MAURICIO Archipresbytero Andegav. salutem in Domino. Cum Episcopus Andegav. pro tempore, nomine & ratione Episcopatûs Andegav. fuerit maximè ab antiquo & adhuc sit nomine quo suprà in possessione vel quasi, ita quòd nullus alius, habendi & ponendi charreriam & chalondum in fluvio Ligeris ex parte villæ nostræ Sancti Maurilii de Esmâ effluente quando pons protensus seu extensus, à dictâ villâ Sancti Maurilii usque ad domum seu Prioratum Fontis-Ebraudi ibidem propè existentis, rumpitur, reficitur, vel aliàs redditur inhabilis ad meandum, ad transvehendum & transportandum homines, jumenta & alias res transvectione & transportatione indigentes, & habendi ac recipiendi pontonagium seu passagium, & quodcumque aliud emolumentum tunc temporis obveniens occasione præmissorum; quæ præmissa adeo sunt notoria quòd non possunt aliquâ tergiversatione celari in partibus illis; & dictus pons ad præsens refici & reparari dicatur adeo quòd inhabilis ad meandum existit; sicque casus se offert quo possumus & debemus uti possessione vel quasi præmissâ: & nos intellexerimus quòd ÆGIDIUS Castellanus de Ponte-Seii in prædictâ possessione vel quasi nos nomine quo suprà perturbare, molestare & impedire nititur & conatur in nostri & Episcopatûs prædicti præjudicium & gravamen: Vobis mandamus, quatinùs inhibeatis ex parte nostrâ dicto Ægidio

gidio sub pœnâ excommunicationis, & quibuscumque aliis personis impedimentum apponere nitentibus in præmissis, ne ipsi vel alter eorum nos nomine quo suprà in prædictâ possessione vel quasi impedire vel perturbare præsumant: & si ipsi vel alter eorum aliquod impedimentum apposuerint in præmissis, moneatis eosdem & ipsorum quemlibet super hoc culpabilem, ut prædictum impedimentum amoveant indilatè, & quòd nos nomine quo suprà permittant uti possessione vel quasi præmissâ pacificè & quietè. Quòd si inhibitioni & monitioni prædictis ipsi vel alteri eorum non obtemperaverint, seu parere noluerint, contrà præmissam possessionem nostram vel quasi aliquid temerè attentando, & vobis constiterit de præmissis, vel altero eorum quod sufficiat præmissorum, ipsos quos ob hoc ex tunc in scriptis excommunicamus, publicè denuntietis excommunicatos: quo facto litteras reddite sigillatas pro inhibitione prædictâ dicto Ægidio facta in secunda cauda, pro monitione eidem facta; in tertia pro excommunicatione, si eam incurrerit in quarta. De nominibus verò aliorum impedientium, si qui fuerint, nos certificare curetis, & nihilominùs quid super præmissis feceritis nobis fideliter rescribatis. Datum die Sabbati ante festum Beati Lucæ Evangelistæ, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

Quibus actis, ut præmittitur, prædicti ex parte nostrâ ad dictum locum destinati ad ipsum locum die Sabbati prædictâ bene mane accedentes personaliter cum magnâ multitudine hominum ponte prædicto inhabili ad meandum in fluvio Ligeris, in parte prædictâ charreriam quamdam nostro nomine posuerunt & poni fecerunt, & homines ibidem cum rebus suis transvehi volentes in dictâ charreriâ transvehi fecerunt; nec non pecuniam nomine passagii seu pontonagii ab hominibus sic transvectis nomine nostro receperunt & habuerunt, præsente, sciente & vidente Archipresbytero prædicto; qui quidem Archipresbyter dicto Castellano nitenti nos & allocatos nostros prædictos nomine nostro in dictâ possessione vel quasi turbare & impedire inhibuit dicto Castellano, ac ipsum Castellanum ex parte nostrâ monuit sub formâ prædictâ, super quibus monitionibus & inhibitionibus ac processibus per ipsum super præmissis factis nos certificavit, seu nobis rescripsit super præmissis in formâ quæ sequitur:

Reverendo Patri ac Domino G. Dei gratiâ Andegav. Episcopo Mauricius Archipresbyter Andegav. salutem cum omni reverentia & honore tamquam Patri ac Domino debitis & devotis, litteras vestras recepimus in hæc verba. Guillelmus permissione divinâ Andegav. Episcopus discreto viro Mauricio Archipresbytero Andegav. salutem in Domino, &c. *ut suprà*. Nos igitur volentes mandatum vestrum nobis directum, ut tenemur, exequutioni debitæ demandare, ad locum prædictum personaliter accedentes die Sabbati prædictâ præfato Ægidio Castellano secundùm formam & tenorem mandati vestri prædicti ore ad os inhibuimus, ne ipse vos in prædictâ possessione vel quasi ponendi & habendi charreriam & chalondum in fluvio Ligeris ex parte dictæ villæ Sancti Maurilii defluentis, ad transvehendum & transportandum homines, jumenta & alias res transvectione & transportatione indigentes, & habendi & recipiendi pontonagia seu passagia, & quodcumque aliud emolumentum quod obvenire poterat occasione præmissorum, perturbaret vel quomodolibet impediret. Verùm quia tam per rei evidentiam, quàm aliàs legitimè nobis constitit atque constat, Ponte-Seii prædicto tunc reparatione indigente & existente inhabili ad meandum: quòd idem Castellanus spretâ inhibitione prædictâ vos existentes in possessione vel quasi præmissorum, necnon pontonarios & alios homines allocatos vestros charreriam nomine vestro habentes, & prædictam aquam ducentes, & reducentes ad transvehendum & transportandum homines, jumenta & alias res, & transvehentes eosdem cum rebus suis, necnon recipientes nomine vestro pecuniam ratione pontonagii seu passagii ab hominibus sic transvectis, ac possessione prædictâ vel quasi nomine vestro utentes perturbavit & etiam impedivit, inhibendo ex parte Comitis Andegav. de facto, cum de jure non posset, hominibus dictam charreriam ducentibus & aliis ibidem nomine vestro existentibus, ne ipsi aliquam personam vel aliàs in dictâ charreriâ transveherent, ducerent vel transportarent, & eis multipliciter comminando, necnon & firmando portas Castri de Ponte-Seii, & per hoc impediendo quamplures ne ipsi per dictam charreriam transire volentes possent transvehi per eamdem, & quominùs vos & allocati vestri nomine vestro pontonagium seu passagium possent habere pacificè, & recipere ab hominibus transire volentibus per eamdem. Præfatum Ægidium Castellanum legitimè monuimus quòd ipse impedimenta prædicta amoveret, & ab eisdem desisteret & cessaret, permitteretque vos & allocatos vestros nomine vestro uti possessione præmissorum pacificè & quietè. Et quia Castellanus prædictus à nobis ut præmittitur inhibitus & monitus, prædictis inhibitioni & monitioni obtemperare noluit, in dictis perturbationibus & impedimentis contumaciter persistendo, ipsum Ægidium Castellanum ob hoc auctoritate vestrâ denuntiavimus publicè excommunicatum. Et hòc vobis & omnibus quorum interest significamus per præsentes litteras sigillo nostro sigillatas. Datum die Lunæ ante dictum festum Beati Lucæ Evangelistæ anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

Et quia idem Castellanus prædictæ inhibitioni non paruit, sed eâ spretâ nos & allocatos nostros impedire & perturbare præsumsit, prout in relatione Archipresbyteri prædicta seu suprà scripta continetur, dictus Archipresbyter ipsum Castellanum ob præmissa denuntiavit excommunicatum auctoritate nostrâ. Et licet idem Castellanus in dictâ perturbatione & impedimento quantum in se erat, persisteret; prædicti tamen allocati nostri nos in possessione prædictâ vel quasi conservarunt & defenderunt per totam ipsam diem Sabbati, quousque eâdem die Sabbati dictus pons circà horam nonam reparatus, factus fuit habilis ad meandum.

Demùm post multas altercationes & tractatus super præmissis & ratione præmissorum inter nos ex unâ parte, & David dictum de Suis-domibus, tunc temporis Ballivum Andegav. nomine Comitis Andegaviæ ex altera, habitos, die Martis post festum Omnium Sanctorum anno quo suprà in camerâ nostrâ in palatio nostro Andegav. super præmissis ordinatum extitit, & ipsa ordinatio in scriptis redacta in formâ quæ sequitur:

Accordé est entre Guillaume Evesque d'Angers & Davy de Ses-maisons Baillif d'Anjou, que Gillet Chatelein dou Pont de Seey vendra à certein jour avant que il seit allous au Pont de Seey sus le pont, & es autres leus où mist empêchement en la possession que les gens de l'Evesque d'Angers disoint que il aveient de metre & de aveir la charriere en Leire à passer les gens quand le pont fut depecié, le Samedy devant la Saint Lucas darrerement passée, & de receveir & aveir le pontonage & le moliment des gens & des chouses qui estient passées en la charriere. Et dira ledit Chatelein ileques en apert,

que ce que il fist d'empécher & de troubler la charriere audit Evesque, & de i mettre l'empeschement que il y mist, que il l'oste & le rapelle, veut estre pour nul dou commandement dou Baillif, ne ne veut ne n'entent que ledit empeschement face prejudice à la possession doudit Evesque esdites choses; ne cest rapel ne fera prejudice au Conte en son dreit se il y a.

Præsentibus ad hoc in camerâ nostrâ Andegav. palatio nobis GUILLERMO Episcopo Andegav. prædicto, DAVIDE Ballivo Andegav. Magistro GUILLERMO de Marcillo, & GUIDONE Clericis Comitis Andegav. GAUFRIDO Transligerensi, & ROBERTO Transmeduanensi in Ecclesia Andegav. Archidiaconis, Magistris GERVASIO Homine-Dei, & MATTHÆO Picot Canonico Andegav. GAUFRIDO Archipresbytero de Ludio, JOANNE de Mulceio Cantore Ecclesiæ Beati Maurilii Andegav. MAURICIO Archipresbytero Andegav. MARSILIO de Pratis Senescallo nostro, JOANNE dicto Guillet Rectore Ecclesiæ de Cepiâ.

Qui Castellanus Pontis-Seii dictam excommunicationis sententiam in ipsum à nobis ob præmissa latam sustinuit à dicto tempore ipsius excommunicationis latæ usque ad diem Martis post Festum Beati Nicolai hyemalis, anno quo suprà, & etiam pôst. Quâ die Martis post dictum Festum ad requisitionem Magistri ROBERTI de Dordan subballivi Andegav. & dicti Ægidii Castellani apud Pontem-Seii misimus loco nostri discretum virum Magistrum GERVASIUM Hominem-Dei Canonicum, socium nostrum commensalem, PETRUM de Valleiis Canonicum, socium nostrum commensalem, PETRUM de Valleiis Canonicum Ecclesiæ Beati Petri Andegav. & JOANNEM Guillet Rectorem Ecclesiæ de Cepia Capellanos nostros, pro videndo & audiendo loco nostri revocationem & amotionem impedimenti facti & appositi in dictâ charreriâ, ut suprà scribitur, fieri per ipsum Castellanum, publicè in locis in quibus dicta perturbatio & impedimentum facta & apposita fuerant per eumdem, eo modo videlicet quo continetur in cedulâ, cujus tenor in Gallico superiùs est insertus.

Quâ die præsentibus dictis Missis ex parte nostrâ, dictus Castellanus primò in capite Pontis-Seii, quod caput est contiguum villæ nostræ Sancti Maurilii de Ettnâ, ac deinde prope aliud caput dicti Pontis ex aliâ parte aquæ ante & juxtà Prioratum Fontis-Ebraudi Pontis-Seii, dictam perturbationem & impedimentum revocavit & amovit publicè & palam, RAGINALDO Clerico dicti Subballivi Andegav. ad hoc misso, ibidem ex parte dicti Subballivi in quolibet dictorum duorum locorum altâ voce in præsentiâ dicti Castellani, & de mandato ipsius, priùs tunc legente Gallicè contenta in cedulâ prædictâ. Quâ cedulâ sic perlectâ in quolibet dictorum duorum locorum, dictus Castellanus tunc statim dicebat alta voce & publicè: Ego revoco & amoveo perturbationem & impedimentum quæ apposui in charreriâ Domini Episcopi Andegav. ponendâ per dictum Episcopum & suos hîc in ista aquâ quando pons rumpitur vel aliàs efficitur inhabilis ad meandum; prout continetur in cedulâ hîc statim lectâ. & volo dictam perturbationem & dictum impedimentum haberi pro nullis secundùm tenorem dictæ cedulæ. Et hoc facio & dico de mandato Ballivi Andegav. & peto absolvi à sententiâ à Domino Episcopo Andegav. in me latâ ratione seu occasione dictæ perturbationis & impedimenti.

Qui Castellanus in quolibet dictorum duorum locorum repetiit & repetebat quampluries verba prædicta vel consimilia, ad dictam revocationem seu amotionem dictæ perturbationis & impedimenti facientia, ad instantiam & requisitionem dictorum Missorum ex parte nostra. Præsentibus ad præmissa dicto Castellano Ægidio, Raginaldo Clerico Subballivi Andegav. PETRO de Camone, PETRO Moysant Priore Pontis-Seii, GERVASIO Homine-Dei Canonico Andegav. PETRO de Valleiis, MATTHÆO de Lubleio, & JOANNE dicto Guillet Presbyteris, MATTHÆO Dynoie Clerico, PETRO dicto Fabro Clerico, JOANNE Burgundo, YVONE Britone, PETRO Picardo, JOANNE Polinet, ROGERIO Britone, THEOPHANIA Barbitontrice, RADULFO Sohier Marescallo, &c.

Sequitur absolutio Ægidii Castellani Pontis-Seii à sententiâ excommunicationis à nobis Guillermo Episcopo Andegavensi.

Die autem Lunæ in vigiliâ Nativitatis anno Domini anno quo suprà coram nobis comparens idem Castellanus in Camerâ nostrâ Andegav. petiit absolvi à prædictâ excommunicationis sententiâ: cui diximus, quòd juraret stare mandatis Ecclesiæ, qui aliquantulum renuens juravit, tactis sacrosanctis Evangeliis, stare Ecclesiæ mandatis. Quo juramento præstito ipsum absolvimus, & eidem injunximus in virtute præstiti juramenti, quòd jura Comitis Andegav. fideliter conservaret, & jura nostra ac possessiones & Andegav. Ecclesiæ non invaderet, aut aliàs perturbaret scienter: quibus idem Castellanus acquievit & hoc observare promisit.

Nota hîc de Concilio Provinciali à viris Venerabilibus Decano & Capitulo Turonensi, Domino Raginaldo eorum Electo confirmato adhuc in Curiâ Romanâ agente, Andegavis auctoritate Apostolica convocato. CAPUT XXVIII.

Anno quo suprà convocatum fuit Concilium Provinciale à Venerabilibus viris Decano & Capitulo Turonensi auctoritate Apostolicâ, pro negotio Terræ sanctæ Andegavos, die Dominicâ ante Purificationem Beatæ MARIÆ Virginis, in Festo videlicet Beati Juliani. In quo Concilio octo Episcopi convenerunt, videlicet, Redonensis, nos Andegav. Nannetensis, Dolensis, Maclovìensis, Venetensis, Corisopitensis, & Leonensis, & Petrus dictus le Royer Electus Cenoman. & auctoritate Metropolitanâ confirmatus; & quamplurimi Abbates, Priores, Decani, Archidiaconi, Archipresbyteri, aliique Ecclesiarum Prælati tam Regulares quàm sæculares ibidem affuerunt. Die autem Dominicâ prædictâ in navi Majoris Ecclesiæ dictum Concilium consedit innumerosâ multitudine populorum circumstante, quæ dictum Concilium non modicùm perturbavit, & propter hoc aliis die continuatis, videlicet diebus Lunæ, Martis, Mercurii, & Jovis, quibus duravit Concilium usque ad horam tertiam dictæ diei Jovis, dictum Concilium in Capitulo Andegav. convenit & consedit. Ipsâ autem die Dominica prædictâ Nos Andegav. sermonem fecimus proposito themate de Beato Juliano, sumpto in Ecclesiâ & Capitulo: *Quasi sol refulgens sic effulsit in templo Dei.* Eccli. 50. 7. Die autem Lunæ sequenti omnes supradicti Pontifices & Cenomanensis Electus, Decani Turonens. & Cenoman. multæque aliæ personæ honorabiles Provinciæ Turonens. & omnes ferè Abbates qui in dicto Concilio convenerunt, multique alii venerabiles viri tam sæculares quàm Religiosi nobiscum in nostro Palatio comederunt.

Concilium Provinciale Andegavis celebratum.

Sequitur tenor litterarum nobis à Decano & Capitulo Turonens. & ipsis à Sede Apostolicâ directarum super dicto negotio & Concilio convocando, in hæc verba :

VEnerabili in Christo Patri Dei gratiâ Episcopo Andegavensi, seu ejus locumtenentibus, G. Decanus & Capitulum Turon. salutem in Domino. Noveritis nos anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, die Mercurii ante Nativitatem Domini litteras sanctissimi Patris & domini D. NICOLAI divinâ providentiâ Papæ quarti, recepisse, formam quæ sequitur continentes.

NICOLAUS Episcopus servus servorum Dei Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Turonensi, & ejus suffraganeis, ac dilectis filiis Electis, & Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpositis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, Capitulis & Conventibus universis cujuscumque ordinis Turonensis provinciæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Diræ amaritudinis calicem nuper nobis de Syriæ partibus propinatum non sine lacrymarum profluvio degustantes, in amara nimis & tristia valde prorumpere cogimur, &c.

Cum igitur ad recuperationem celerem dictæ terræ, prout ejus urgentissima necessitas exigit, ferventibus studiis intendamus, vias & modos diversos & varios per nos & alios sollicitiùs exquirentes, ut juxtà desiderii nostri fervorem terra ipsa recuperari valeat, & recuperata in posterum conservari : Universitatem vestram monemus, rogamus & hortamur attentè, vobis per Apostolica scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandantes, quatenùs convocatis per te, Frater Archiepiscope, ac per eos quibus id commiseris; & si opus fuerit Ecclesiasticâ censurâ coactis ad provinciale Concilium provinciæ tuæ Prælatis tam regularibus quam sæcularibus, tam exemptis (quibus ex convocatione tuâ nullum volumus quoad libertates & immunitates eorum in posterum præjudicium generari, nullumque ipsis contrà convocationem & coactionem hujusmodi, quantum ad hunc spectat articulum, ex privilegiis vel adminiculis libertatum exemptionumve suarum excusationis seu exceptionis provenire præsidium) quàm etiam non exemptis : celeriter convenientes in unum, & diligenter considerantes, & solertiùs attendentes, quòd etsi hujusmodi negotium universis fidelibus debeat propensiùs esse cordi, Prælati tamen Ecclesiæ Dei teneantur & debent arctiùs & ab intimis affici circà illud, opem & operam impendendo sollicitam, ut optatum exitum sortiatur : deliberando sollicitè, providè, & attentè super toto negotio supradicto, & præcipuè qualiter & quomodo circà recuperationem eamdem celeriter auctore Domino proventuram, & continuationem subsidii dictæ terræ ac impugnationem suorum hostium faciendam, & etiam circà alia negotium ipsum tangentia, possit quantociùs & utiliter sicut expedit provideri : & quod super præmissis deliberatum fuerit in Concilio memorato, nobis per viros idoneos providos & discretos ac sufficienter instructos, & à vobis plenum mandatum habentes super præmissis, etiam faciendi quæ vos præsentes facere valeretis, ad Sedem Apostolicam usque ad festum Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis primò venturum studeatis quantociùs intimare, per quos nobis super omnibus supradictis vestræ circumspectionis voluntas & consilium innotescant, quorumque communicato consilio sedes ipsa providâ deliberatione statuat, discutiat, disponat & ordinet quod in tam arduo Christianitatis negotio publicæ salutis utilitas postulabit.

Nostræ præterea voluntatis existit, ut vos juxtà datam vobis ex alto prudentiam viros subditos ad pacem & concordiam sollicitè reducentes, ipsos ad devotionem ac reverentiam Salvatoris nostri continuam, & ad ejus injuriam ulciscendam, ac etiam ad ipsius subventionem negotii in tantæ necessitatis articulo excitare, inducere ac hortari sollicitè procuretis; illam in his diligentiam & efficaciam impensuri, ut à Domino cujus negotium agitur, æternæ beatitudinis consequi præmia non immeritò valeatis; vosque proinde vestræ devotionis promptitudine condignis laudibus attollamus.

Si verò te, Frater Archiepiscope, abesse, vel quod absit, deesse contingat; vos filii Turon. Capitulum auctoritate fretri Apostolicâ hæc omnia exsequi procuretis. Datum apud Urbem veterem xv. Kalend. Septembris, Pontificatûs nostri anno quarto.

Item alias litteras, quarum tenor talis est :

NICOLAUS Episcopus servus servorum Dei Venerabili fratri Archiepiscopo Turon. Salutem & Apostolicam benedictionem. Dura nimis & amara valde discrimina Terræ Sanctæ, quæ sibi prout dolentes referimus nuper intulit vis hostilis, præsentium tibi non duximus exprimenda relatibus, cum illa tuæ prudentiæ per alias nostras litteras seriosiùs referamus. Sanè ad recuperandam de manibus impii Terram ipsam ferventibus studiis prout ejus urgentissima necessitas exigit intendentes, & cupientes ut illa recuperata stabiliter conservetur, ad laudem Divini nominis & honorem, vias & modos varios & diversos exquirimus, per quos nostrum in hac parte desiderium valeat adimpleri. Unde cum fide dignorum pandat assertio, quin potiùs communis vox habeat, quòd dilectos filios Fratres Hospitalis Sancti Joannis & Militiæ templi Jerosolymitani ad unius ordinis unitatem, seu Religionis unionem auctoritate Apostolicâ reducamus, ut sinceriùs & uniformiùs in vinculo charitatis & pacis tendentes ad unum, efficaciùs possint prosequi negotium memoratum; super quorum unione hactenùs etiam tempore Lugdunensis Concilii specialis mentio & collatio facta fuit. Volumus & per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenùs cum suffraganeis tuis in provinciali Concilio, quod à te fieri volumus, prout tibi per alias litteras nostras injungimus, habito super hoc consilio diligenti, & exacta cum illis deliberatione sequutâ, nobis quod per te ac eosdem suffraganeos deliberatum fuerit in hac parte, plenè, fideliter, seriatim & expressè per tuas litteras harum seriem continentes, tuoque sigillo munitas procures quantociùs intimare. Datum apud Urbem veterem xv. Kal. Septembris, Pontificatûs nostri anno quarto.

Nos itaque volentes prædictum mandatum Apostolicum devotè exequi, ut tenemur, absente, & in Romanâ Curiâ agente venerabili viro & discreto Domino RAGINALDO Cancellario nostro Electo in concordiâ Ecclesiæ Turonens. confirmato, auctoritate Apostolicâ nobis in hac parte commissâ, in virtute obedientiæ vobis districtè præcipiendo mandamus, quatinùs vocatis exemptis omnibus, & non exemptis vestrarum civitatis & Diœcesis, qui secundùm formam mandati Apostolici prædicti fuerint evocandi, & si opus fuerit ad id per censuram Ecclesiasticam coactis, vos & ipsi instanti die Dominicâ ante festum Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis, cum diebus sequentibus donec tractatûs nostri, imò Apostolici deliberatio finem debitum sortiatur, Andegavis in majori Ecclesiâ, quem locum tanto negotio idoneum, & ad conveniendum facilem deliberatione habitâ duximus eligendum, compareatis,

& ibidem nobiscum conveniatis, super contentis in mandato Apostolico efficaciter processuri. Ita quòd nec vos nec nos possimus de remissu seu inobedientiâ in aliquo reprehendi de nominibus ante citatorum & vocatorum, necnon & de receptione præsentium, & quid inde feceritis nobis fideliter rescribatis cum vestrarum testimonio litterarum. Originalia autem litterarum Apostolicarum vobis propter viarum pericula non mittimus, sed formam & continentiam earumdem, & dictâ die Dominicâ in Concilio vobis præsentibus eas legi faciemus, & etiam si opus fuerit publicari. Datum dictis die Mercurii & anno.

Cap. XXIX. *De Venatione & fugâ ferarum nemoris de Boucheto.*

ANno quo suprà die Jovis post inventionem Beati Stephani, ad Castrum Andegav. accedentes super certis negotiis nostris & Ecclesiæ Andegav. cum Magistro LAURENTIO Vicini Capicerio Carnotensi, & Domino JOANNE de Denisi Milite Consiliariis Domini CAROLI Comitis Andegav. tractaturi, intuentes STEPHANUM Segrearium dicti Comitis, qui nuper nobis denuntiaverat, quòd si nos in bosco nostro de Boucheto juxtà villam Episcopi venaremur, ibidem venantes caperet. Inter cætera diximus eidem in præsentia dictorum Consiliariorum, quòd nos in dicto bosco nostro venaremur, quoniam videremus expedire, esto quòd Comes præsens esset, cum in dicto bosco dictus Comes nihil juris habeat, utpote cum de Regalibus illustrissimi Regis Franciæ existat, & ad ipsa Regalia spectare inter cætera dignoscatur. Qui quidem Consiliarii nobis responderunt, quòd si crederemus nobis jus competere in præmissis, audacter venaremur in bosco prælibato, præsentibus ad hoc GUILLERMO Thesaurario Andegav. DAVIDE Bellivo, RAG. Abbate Sancti Florentii, Domino GUILLERMO de Marcill. GAUFRIDO & ROBERTO Archidiacon. in Ecclesiâ Andegav. Subball. Andegav. GUILLERMO Archipresbytero Burgul. GAUFRIDO Archipresbytero de Ludio, JOANNE Rectore de Bauve, JOANNE Rectore de Cepiâ, dicto STEPHANO Segreario, GODEFREDO, JOANNE de Coceio allocatis Comitis, & pluribus aliis. Parum autem postea, videlicet die Mercurii ante Festum Assumptionis Beatæ MARIÆ Virginis, aliqui de nostris de mandato nostro ad dictum boscum accedentes, cum canibus, retibus, arcubus & sagittis, & aliis pro venatione necessariis, in eo palam & publicè & magnis clamoribus venati fuerunt, & duas cervas repererunt, quæ ruptis quibusdam retibus evaserunt. Dictæ venationi interfuerunt PETRUS de Rochâ Miles, PETRUS de Valleiis Presbyter, FORKERIUS de Villâ Episcopi, RAG. de Charnace Clerici, JOANNES de Pressâ.

Eodem autem anno dudum postea, parum ante Natale Domini cum aliqui de nostris palam & publicè in dicto bosco cum canibus, cornubus & retibus venarentur, ibidem Stephanus Segrearius Domini Comitis veniens, dictos venatores alloquens quæsivit ex parte cujus venabantur ibidem; qui responderunt, quòd ex parte Domini nemoris, videlicet Episcopi Andegav. Qui quidem Stephanus dixit ad illa verba: Et ego capio vos ex parte Domini Comitis. Et tunc quidam de dictis venatoribus ad illum Stephanum verba dirigens, quæsivit ab eo: Domine si inveniretis nos capientes vos, vel alios servientes Comitis in terrâ ipsius Comitis, vel aliàs sergentantes, quid nobis faceretis? Et respondit. Certè ego caperem vos. Et tunc alter: Nos igitur pari ratione capimus vos, quia nos capitis, & capere vultis, ac sergentatis in terrâ Domini Episcopi Andegav. in quâ feudum nec retrofeudum habet Comes. Et tunc præcepit eidem Stephano quòd redderet se in prisione Domini Episcopi Andegav. apud villam Episcopi: quod fecit idem Stephanus, & fuit ibidem in Castro per unum diem & unam noctem; & postea ad mandatum Domini Episcopi exivit & liberatus fuit. Ad hoc præsentes fuerunt MATTHÆUS de Lubleio Presbyter, RAG. de Charnace Clericus, PETRUS Ferrarius, STEPHANUS de la Roussiere, MATTHÆUS le Nigrous, & RAD. Badier, & quamplures alii.

Sequenti verò anno, videlicet anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio, die Sabbati post festum Beati Barnabæ Apostoli, aliqui de nostris cum quibusdam aliis sibi associatis ad dictum boscum de Boucheto venandi causâ circà primam diei horam palam & publicè cum canibus, cornubus, arcubus & retibus accedentes; dimissis abire & quærere feras in dicto bosco canibus venaticis, magnis clamoribus vocum & cornuum prædictorum canibus excitandis, & ad meliùs quærendum provocandis, dictum boscum quærentes & investigantes, protensis undique retibus feram aliquam non invenerunt ibidem, & inde recedentes ad boscum alium qui dicitur Laudinaye pervenerunt, ut ibidem feras quærerent, ibidemque retia sua pro feris capiendis tetenderunt, & dimissis abire canibus venaticis in dicto bosco, dicti canes dictum boscum quærentes unum magnum cervum & pinguem signatum de XIV. de dicto bosco levari fecerunt, quem cervum dicti venatores insequentes cum dictis canibus &. magnis clamoribus vocum & cornuum, eumdem cervum usque ad dicta retia perduxerunt, & eum captum & retentum ibidem in uno rete mactaverunt; & apud villam Episcopi in manerio nostro in quâdam quadrigâ palam & apertè per villam prædictam circà horam diei tertiam, audientibus & videntibus qui audire & videre volebant, liberè & absque contradictione & reclamatione cujusquam asportaverunt eumdem, habentem serta de rosis circà cornua, quia tempus rosarum erat: quem cervum GIRARDUS de Soucelle & PETRUS de Rochâ Milites & quidam alii in prædicto manerio deformaverunt seu dessirent, nobis GUILLERMO Andegav. Episcopo, GUILLERMO Thesaurario Andegav. & pluribus aliis præsentibus & videntibus: prædictæ autem venationi interfuerunt.... 1293.

De publicanis & pedagiorum exactionibus. Cap. XXX.

GUILLERMUS permissione divinâ Andegavensis Episcopus omnibus hoc visuris salutem in Domino sempiternam. Quantæ audaciæ, quantæque temeritatis sint publicanorum, id est, exactorum pedagiorum & vectigalium factiones, nemo est qui nesciat, quorum effrenata & sitibunda cupiditas pacis æmula, mater litium, materia jurgiorum, corrumpit jura, exterminat privilegia, immutat consuetudines, novitates inducit. Cum igitur sedes Apostolica excommunicationem summam in omnes nova constituentes pedagia olim duxerit promulgandam, ipsam annis singulis in certis festivitatibus solemniter innovando: & nonnulli iniquitatis filii propriæ cupiditatis vitium colorare nitentes, non nova ut asserebant constituentes pedagia, antiqua ad Clericos pedagia & ipsorum res, quas non ratione mercaturæ per terras vel aquas deferri faciebant, prorogabant, & etiam extendebant in elusionem memoratæ sententiæ, & præjudicium Ecclesiasticæ libertatis. Quorum fraudibus & exquisitis malitiis volens obviare Bituricense Concilium, jam elapsis multorum annorum curriculis in Andegav. ci-

vitate & Diœcesi per prædecessorem nostrum hactenùs solenniter publicatum, cupiensque tam præsumptæ calliditatis astutiam pœnâ debitâ castigare, statuit, ut nisi infrà duos menses à tempore solemnis publicationis dicti Concilii factæ in civitatibus & Diœcesibus in quibus ipsa consistunt pedagia, exactores ab ipsis illicitis pedagiorum exactionibus in totum desisterent, excommunicationis sententiæ ex tunc ipso facto auctoritate dicti Concilii subjacerent. Et nos quamplurimorum relatu acceperimus, quòd nonnulli Domini temporales civitatis & Diœcesis Andegav. & eorum allocati, qui & publicani dicuntur, eorum pedagia, vectigalia, monogia & coustumas colligentes, à Clericis & personis Ecclesiasticis, sæcularibus & Religiosis, pro rebus suis propriis, quas per illorum districtum non causâ negotiationis deferunt seu deferri faciunt vel transmittunt; & insuper de rebus quas in mercatibus & nundinis vel alibi dictæ personæ Ecclesiasticæ ad proprium usum comparant, contrà juris auctoritatem & antiquam consuetudinem pedagia, vectigalia, monogia & coustumas exigunt & extorquent, in præjudicium & enervationem Ecclesiasticæ libertatis; sic dicti Concilii sententiam damnabiliter incurrendo. Et quòd nonnulli viri Ecclesiastici, timidi ut lepores, fatui ut mutones, per insipientiam & vecordiam suam nervum Ecclesiasticæ disciplinæ rumpentes, præmissa potiùs eligunt persolvere, quàm contendendo suo privilegio se tueri; sic toti ordini Clericali ac Ecclesiasticæ libertati, præstando talia, derogando.

Et nos ad quos sollicitudine Pastoralis officii spectat, privilegia Ecclesiarum nostræ diœcesis & Ecclesiasticam libertatem defendere & tueri, licet dictis personis Ecclesiasticis super præmissis propter suam imprudentiam & negligentiam, ut est dictum, minimè conquerentibus, non possimus talia absque conscientiæ remorsu & scrupulo tolerare: volentesque in hac parte nostram animam liberare, vobis præcipiendo mandamus, quatenùs ad certum diem & locum, vel certos dies & loca Rectoribus Ecclesiarum, cæterisque personis Ecclesiasticis Archidiaconatûs vestri per vos vel per alios quibus injungendum duxeritis, convocatis, eisdem præmissa in personâ propriâ insinuare, exponere, & intimare curetis, eisdem personis districtè sub pœnâ suspensionis & excommunicationis inhibentes, ne pro rebus suis quas non negotiationis vel mercaturæ causa, quod eis non licet, per aquam vel terram deferri faciunt aut transmittunt, aut pro rebus quas in mercatibus & nundinis vel alibi ad proprium usum comparant, contrà privilegium toti Clero indultum vectigalia, pedagia, monogia aut coustumas persolvere, aut præstare præsumant. Quòd si sibi in res vel personas à Publicanis & præmissorum exactoribus ratione præmissorum aliqua violentia inferatur, Nobis aut Officiali nostro conquerendo insinuare procurent. Eisdem nihilominùs personis Ecclesiasticis injungentes, quatinùs dictos Publicanos & exactores prædicta vectigalia, pedagia, monogia & coustumas à prædictis personis Ecclesiasticis illicitè, ut prædicitur, exigentes, in Ecclesiis suis publicè excommunicatos denuntient auctoritate Concilii memorati; & si quos dictam sententiam incurrere aut incurrisse noverint, ad notitiam nostram vel Officialis nostri deferant indilatè.

Sanè quòd nonnullæ de prædictis personis Ecclesiasticis, maximè beneficiatæ, fumo fornacis magnæ cupiditatis & avaritiæ, quæ est omnium malorum radix & origo, ut verissimè testatur Apostolus, obscuratæ, pulvere terrenorum, fumo voluptatum, stercoribus hirundinum excæcatæ, non Deo sed Mammonæ, non Creatori qui est benedictus in sæcula, sed creaturæ potiùs servientes, Deum propter nummum, quo nihil est inferius, contemnentes, Laïcis prædicti fomentum erroris plerumque ministrare noscuntur, dum contrà juris divini & humani prohibitiones & præcepta Deum obliti, suæ salutis, & etiam subditorum quibus per suum malum exemplum injiciunt laqueum; immemores, negotiationes publicè exercentes, turpia lucra sectantes, & quod dolentes referimus, plerumque contractus fenebres ineuntes, nunc per aquas, nunc per terras, nunc per mercatus & nundinas lucris temporalibus inhiantes, omissis divinis ministeriis tamquam mercatores laïci discurrentes, emendo viliùs ut revendant cariùs res, sicut causâ negotiationis & mercimonii comparatas, per terras & aquas deferunt & transmittunt, à quibus prædicta vectigalia, pedagia, monogia & coustumæ meritò exiguntur: quia cum legem offendant, non sunt legis auctoritate tuendi; & justum est ut qui suos excedunt terminos, à non suis terminis excedantur. Et dicit decretalis Alexandri tertii: Dignum est quòd qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam. Et inde occasione sumptâ ad alios Clericos licitè contrahentes, & res suas in casu præmisso & licito transferentes, trahitur per abusum.

Quare vobis, ut suprà, præcipiendo mandamus, quatinùs dictis personis Ecclesiasticis sub eadem pœnâ suspensionis & excommunicationis districtè inhibeatis, ne negotiationes, mercimonia, emendo viliùs & revendendo cariùs; & super omnia ne contractus fenebres, quod etiam Laïcis est damnabile & prohibitum utriusque paginâ Testamenti inire de cætero aut exercere præsumant: per hæc enim & similia totus ordo Ecclesiasticus deturpatur, populus Laïcalis scandalizatur & damnatur, dum illi qui deberent esse lux mundi, oculi Ecclesiæ, speculum Laïcorum, duces populi Christiani, arietes gregis Dominici; tenebrescentes, & ut præmittitur amore temporalium excæcati, unà cum grege suo, cui ducatum præstare debent, in præcipitium barathri dilabuntur. Eisdem certissimè intimantes, quòd nisi à præmissis prohibitis & illicitis destiterint, si quem super præmissis convincere culpabilem poterimus, in ipsum intendimus canonicam infligere ultionem. Absit enim à nobis quòd talia in Dei Ecclesiâ tolerando, cum ipsis simus participes supplicii gehennalis. Præsentis schedulæ Decanis in vestro Archidiaconatu constitutis copiam faciatis, ut per ipsos fiat aliis Rectoribus & Prælatis.

Gravamina Domino Regi Franciæ exposita. CAP. XXXI

HÆc gravamina primò præfatione habitâ, & gravaminibus & oppressionibus, quæ inferuntur Ecclesiis his diebus generaliter propalatis, domino Regi specialiùs exponantur occasione inde sumptâ, quomodo Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ decimis & finantiis sint oppressæ, afflictæ, excoriatæ & depilatæ. Post primos exactores decimæ supervenerunt secundi & tertii superexactores, qui iterum & iterum reliquias decimæ perscrutantes, pauperes Sacerdotes & alias personas Ecclesiasticas miserabiliter depauperaverunt, interdum illum qui non debebat nisi quinque solidos, aut interdum nihil, damnificantes in viginti quinque vel triginta, capiendo potos & patellas, & culcitas, & alia utensilia viliora. Supervenerunt etiam alii acerrimi scrutatores legatorum indistinctè relictorum, & legatorum factorum subsidio terræ sanctæ, quæ legata licet domino Regi usque ad certum tempus dumtaxat fuissent concessa, quod tempus jamdiù est elapsum, tamen pro omni tempore dicta legata exige-

bant, & violenter non sine gravi scandalo rapiebant: super hæc tam Clericos quàm Laïcos molestando. Unde accidit quòd quidam Lombardus ad præmissa deputatus, ut dicebat, Andegavis veniens post multa alia mala quæ in partibus illis intulit, quæ de facili explicari non possent, ad Ecclesiam Andegav. accedens occasione cujusdam legati à quodam Capellano dictæ Ecclesiæ subsidio terræ sanctæ, ut dicebatur, facti, minatus fuit publicè in Ecclesiâ, quòd revestitorium dictæ Ecclesiæ & arcas ejusdem frangeret, & dictum legatum inde invito Sacrista asportaret.

Qualiter autem his diebus opprimatur & torqueatur Ecclesia, imò usque ad fundamentum exinaniatur occasione rerum noviter acquisitarum, non est nostræ facultatis evolvere; certè ad hoc non sufficeret Salomonis sapientia, aut Demosthenis facundia eloquentissimi oratoris. Licet enim personæ Ecclesiasticæ paratæ sint finare dulciter & benigniter juxtà statutum domini Regis super noviter acquisitis, tamen ministri tartarei, Ballivi, Servientes, & Senescalli omnia capiunt, nova & vetera, asserentes omnia esse nova, nisi personæ Ecclesiasticæ probent coram eis sua feuda antiqua, & possessiones suas quas à tempore cujus non exstat memoria possederunt nova à veteribus discernendo: quod certè impossibile existit, cum procul dubio labente hominum memoriâ, vergente etiam ad finem fragilitate humanâ, annorumque brevitate conclusâ, titulus decem annorum vix hodie valeat comprobari.

Insuper compellunt dicti Ballivi, Servientes, & Senescalli Ecclesias & personas Ecclesiasticas financiam præstare de rebus in suis feudis antiquissimis, & fundamentis acquisitis, etiam in quibus dominus Rex vel Comes nullum commodum pecuniarium habere noscuntur. Proh dolor! de decimis, quod cæteris est gravius, miserabilius & nefandius, compellunt dictas personas Ecclesiasticas finare. Quid enim spiritualius est decimâ? Quis sanæ mentis dubitat decimas tam de jure divino quàm humano, novo & veteri Testamento, ad Ecclesias & ministros Ecclesiæ pertinere: licet à quibusdam Laïcis in divini Testamenti injuriam detineantur cum gravi periculo animarum. Unde si Ecclesia maximè Parochialis ab aliquo Laïco suam decimam ad se trahat, non videtur aliquid noviter acquirere, sed ad se jus suum & Divinum revocare. Quare ergo de suo, & quod semper fuit suum, compelletur finare?

CAPUT XXXII.

Aliud gravamen.

DE Regaliatoribus seu Regalium custodibus vacantibus Ecclesiis non est prætermittendum. Quæ enim damna & usurpationes Ecclesiis viduatis (quas deberent defendere & tueri, unde & ratione gardæ debentur Regalia) irrogent, satis nuper patuit in Ecclesiis Turon. & Andegav. Pastorali solatio destitutis. Custos enim Regalium forestas permaximas, venditioni à tempore cujus non exstat memoria nunquam expositas, venditioni exposuit; carpentatores & scissores arborum undique perquirendo, ut ante electionem posset totum exstirpare, dando duas denariatas pro obolo. Imò certè firmiter credo quòd de forestâ Ecclesiæ Andegavensis, quam eâ vacante venditioni exposuit, nihil lucri reportavit, imò plus constitit ad scindendum & explectandum, quàm fuerit emolumentum quod inde habuit. Sic Ecclesiam graviter damnificando, & nullum lucrum aut modicum domino Regi afferendo. Quæ omnia præmissa etsi in præsenti sæculo punita non fuerint, in districto tamen examine non pertransibunt inulta.

Aliud.

ADdendum est aliud gravamen permaximum, super quo maximè dolet & tristatur Ecclesia. Cum enim tam de jure quàm de antiquâ consuetudine personæ Ecclesiasticæ malefactores suos & injuriatores, utpote raptores rerum Ecclesiasticarum, invasores & perturbatores consueverint coram judice quo maluerint, Ecclesiastico vel sæculari convenire, jus suæ Ecclesiæ prosequendo; hodie si persona Ecclesiastica contrà malefactores aut injuriatores suos, raptores, invasores, turbatores rerum Ecclesiasticarum, qui testante divinâ & humanâ scripturâ homicidæ & sacrilegi sunt censendi, in foro Ecclesiastico seu per forum Ecclesiasticum jus suum prosequatur, Potestates sæculares per captionem bonorum temporalium compellunt easdem personas Ecclesiasticas à prosequutione juris sui desistere, & etiam judicem, videlicet Episcopum vel Officialem qui procedit justitiam exhibendo, tales processus revocare, formâ juris minimè observatâ, alioquin bona Episcopi saisiuntur, quod est (si quis claro oculo intueatur) Ecclesiæ suum gladium spiritualem auferre, & potestatem clavium penitùs absorbere. Asserentibus dictis Potestatibus sæcularibus, quòd judex Ecclesiasticus suam temporalem jurisdictionem per jurisdictionem spiritualem perturbat: quod non est verum, imò Ecclesia sua jura & libertates juxtà jus & antiquam consuetudinem per suam spiritualem jurisdictionem nititur conservare. Ne autem res exemplis careat, proferuntur exempla in medium.

CAPUT XXXIII.

Exemplum.

PRimo anno creationis nostræ in Episcopum Andegav. ortâ quâdam contentione inter Capitulum & Ballivum Andegav. idem Ballivus portas civitatis Andegav. firmari fecit, adeo quòd ad dictam urbem non patebat aditus vel ingressus, nisi per quoddam parvum guichetum, per quod pedites vix transibant, equi autem & quadrigæ transire non poterant. Et hoc in injuriam Capituli memorati, sic includens Canonicos, Capellanos & Clericos Ecclesiæ memoratæ: unde accidit, quòd cum nos ad Andegav. Ecclesiam stationis causâ accederemus illis diebus, venientes ad portam quæ dicitur Andegavina, & eam clausam & firmatam invenientes, compulsi descendimus de equo, & per dictum guichetum intrantes ad domum nostram Episcopalem perreximus peditando. Unde cum dictus Ballivus super præmissis injuriis & inclusione Canonicorum, ad instantiam Capituli per Officialem Andegavensem fuisset monitus, dictus Ballivus procuravit erga Ballivum Turoniæ, omnia bona temporalia dicti Capituli per dictum Ballivum Turoniæ capi & saisiri, nostra & saisiri mandavit idem Ballivus Turoniæ, licet tunc saisita non fuerint & ex causa.

Exemplum aliud.

ITem cum Officialis noster Quadragesimâ ultimò præterita ad halas Andegav. alicujus negotii causâ accessisset tempore nundinarum, videns in dictis halis quemdam Clericum de homicidio suspectum, per quemdam apparitorem suum dictum Clericum capi fecit, ut eum ad prisionem suam mitteret, facturus de eo quod justitia suaderet. Quod videntes Servientes Domini Comitis, eumdem Clericum excusserunt, & eumdem apparitorem ceperunt, & eumdem carceri mancipantes, diutiùs eum captum detinuerunt sic carceri mancipatum: portas etiam halarum clauserunt, dictum Officialem ibidem in-

cludentes & diù inclusum detinentes. Cum itaque dictus Officialis ipsos Servientes fecisset ob præmissas injurias excommunicatos à Canone nuntiari; procurante Ballivo Andegaviæ Ballivus Turoniæ quemdam Servientem suum misit Andegavis ad capiendum & saisiendum omnia bona nostra occasione præmissâ. Hæc & similia mirabilia & importabilia gravamina usque ad hæc tempora fuerunt inaudita, & nulli jurisperito est dubium quin tales qui talia præcepta faciunt, & qui ea exsequuntur, excommunicationis sententiam incurrant auctoritate constitutionis editæ in Concilio Lugdunensi, quæ incipit, *Quicumque pro eo quod in Reges*.

Concil. Lugdun. 2. can. 31.

Item cum Servientes domini Comitis Andegaviæ multas molestias nobis inferant, in terras nostras ad Regalia spectantes, ibidem capiendo, saisiendo, fergentando, justitiando; & hoc contrà voluntatem domini Comitis & speciale mandatum, cum dictus Comes in dictis terris nostris non habeat dominium, aut feudum. Si aliquando contrà dictos Servientes facimus aliquem processum juxtà jus & antiquam consuetudinem Ecclesiæ Andegav. quæ contrà invasores & turbatores terræ suæ ad Regalia spectantis, à tempore cujus non exstat memoria, jurisdictione suà spirituali consuevit se tueri, Ballivus Turoniæ per captionem bonorum nostrorum temporalium nititur nos compellere ad processus hujusmodi revocandos: ex quo sequitur mirabilis absurditas, quòd ille qui deberet nos juvare ad defensionem Regalium, nos impugnat, non tantùm in præjudicium Ecclesiæ Andegav. sed etiam domini Regis, ad quem vacante Ecclesiâ dicta Regalia pertinere noscuntur. Si enim ex unâ parte à Servientibus domini Comitis, & ex aliâ parte à Ballivo Turoniæ in dictis nostris Regalibus impugnemur, sequetur necessariò quod dicta Regalia non tantùm in præjudicium Ecclesiæ, sed etiā in præjudicium juris Regalis penitùs amittantur.

CAPUT XXXIV.

Inductio.

His & similibus ineffabilibus oppressionibus, angariis, perangariis, decimis, financiis hodie personæ Ecclesiasticæ multifariè multisque modis affliguntur, angariantur & torquentur, quòd non datur eis die ac nocte alicujus requiei intervallum; unde deterioris conditionis videtur esse hodie sacerdotium orthodoxum, quàm sub Pharaone fuerit, qui legis Divinæ notitiam non habebat. Ille quidem omnibus aliis servituti subactis, sacerdotes & possessiones eorum in pristinâ libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministravit: sed hodie vice versâ, cæteris personis immunitate donatis, Ecclesia addicitur servituti. Deploret ergo Ecclesia videns adimpletum Jeremiæ vaticinium, *Domina gentium, Princeps provinciarum facta est sub tributo*. Heu! apud Christicolas deterioris & vilioris conditionis habentur Ministri Christi & cultores Ecclesiarum, quàm apud Gentiles qui colebant sculptilia, fuerint Ministri & sacerdotes Idolorum. Hodie enim Ministri Ecclesiarum qui deberent juxtà sacratissimas, Imperiales, Canonicas ac Theologicas sanctiones omnibus derelictis Omnipotentis Dei inhærere ministeriis, sic angariati, sic distorti & distracti, à debitis officiis avocati, Deo vacare non possunt, nec ejus Ecclesiæ deservire; sed modò per curias, modò per assisias, nunc per aquam, nunc per terras discurrere compelluntur propter angariationes & molestias prælibatas. A Ballivis, Senescallis & aliis Ministris tantareis ita excoriantur, exinaniuntur, depopulantur, quòd vix remanet eis unde possint vitam inopem, quæ esset potiùs mors dicenda, miserabiliter sustentare.

Thren. 1. 1.

An autem præmissa Regi & Regno expediant contempletur & ponderet subtilis & providus perscrutator: procul dubio imò præmissa in maximum Regis & Regni præjudicium ratione apertissimâ vergere dignoscuntur. Per hoc enim consuetis orationum suffragiis, in quibus sanctissimi Principes & maximè Christianissimi Francorum Reges retroactis temporibus magnam habebant fiduciam, defraudantur: insuper prædictæ personæ Ecclesiasticæ sic excoriatæ & depauperatæ non habebunt loco & tempore unde possint Regni necessitatibus subvenire. Expedit enim Reipublicæ subjectos locupletes habere, & thesaurus Regni & Regis est abundantia subditorum. Quantumcumque enim abundent Regis æraria, si subditi laborent inopiâ, Regnum pauper & inops procul dubio judicatur.

Si quæratur quomodo Regno maximè his temporibus consulatur; ego fidelis tamquam Regis & Regni, & qui per sacramentum Regi teneor dare bonum & fidele consilium juxtà posse, juxtà modicam discretionem à Deo mihi datam, respondeo quod occurrit ante omnia; expedit Regno & Regi habere pacem cum subditis, si velit de hostibus triumphare, eos mitiùs tractare, juga gravia & onera quasi importabilia eis per Ballivos, Senescallos & alios officiales Regis imposita alleviare, & sic animum subditorum sibi allicere; recogitans quod accidit Roboam filio Salomonis qui populo suo supplicanti & dicenti; *Levius fac jugum quod imposuit pater tuus super nos*; spreto consilio seniorum, sequens consilium juvenum stultè respondit dicens: *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei: & nunc pater meus posuit super vos jugum grave; ego autem addam super jugum vestrum. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus*. Quâ de causâ decem tribubus recedentibus ab eodem, duæ tantùm eidem adhæserunt; & ita scissum est Regnum ejus. Cesset & desistat à molestatione Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum quæ contrà morem suis temporibus gravissimè sunt oppressæ, excoriatæ & expilatæ. Det pacem Ecclesiis & Ecclesiæ Ministris, ut possint ipsum Regem & Regnum tam orationum suffragiis, quàm bonorum temporalium subsidiis adjuvare. Conservet Ecclesiis suas libertates & antiquas consuetudines, sicut sub Beato Ludovico avo suo, & præcedentibus eum Principibus Christianissimis Regibus Francorum fuerunt observatæ. Qui sacratissimi Principes dotabant Ecclesias, fundabant Monasteria, quæ proh dolor! modernis temporibus destruuntur, enervantur & confunduntur. Et quia dicti sacratissimi Principes fuerunt devoti & humiles Deo & Ecclesiæ, ipsorum temporibus Deus super omnia Regna exaltavit Regnum Francorum: postquàm autem cessavit ista devotio, & successit Ecclesiarum oppressio, qualiter Regno Francorum in omnibus suis agendis successerit, taceo: hoc enim omnibus per se patet.

3. Reg. 12. 9.

Ibid. 11.

Sit ergo dominus Rex more majorum devotus & humilis Deo & Ecclesiæ. Ista enim competunt Principi Christiano, videlicet quòd sit in eo humilis obedientia respectu Dei & Ecclesiæ ejus, Deum piè colendo, Ecclesiam & Ministros ejus devotè honorando. Accipiat humilitatis & devotionis ac liberalitatis in Ecclesiis, ac totius bonitatis exemplum à sanctissimis Romanis Principibus Constantino Magno ac Theodosio, Justiniano, Carolo Magno, de quorum mirâ devotione & liberalitate in Ecclesias tam in historiâ Ecclesiasticâ, quàm in historiâ Tripartitâ, quàm in Chronicis approbatis mirabilia referuntur: unde in his Principibus sacratissimis gloriosus Princeps Regum terræ, per quem cæteri Reges regnant, recompensavit etiam in vitâ præsenti, tribuens eis quasi arrham gloriæ. Nam

Auguſt. de Civit. Dei, lib. 5. cap. 25. & 26.

de felici proſperitate Conſtantini narrat Auguſtinus, quòd diù imperavit, univerſum orbem Romanum tenuit & defendit, in gerendis bellis victorioſiſſimus fuit, in Tyrannis opprimendis per omnia proſperatus, & grandævus ſenectute defunctus eſt; filios Imperatores reliquit, &c. De proſperitate verò Theodoſii ſibi collatâ à Rege Regum narrat idem Auguſtinus: qualiter ſcilicet ipſe devicit hoſtes, & qualiter tela hoſtium à vento in ipſos retorquebantur. De proſperitate Caroli Magni & ejus mirabilibus victoriis ac triumphis loqui non oportet, quia famâ celebri referente & ore vulgi celebrante adhuc ejus præclara facta toti mundo innoteſcunt. Humiles ergo Principes & devotos Deo & Eccleſiæ, ut eſt dictum, in præſenti elevat Deus, & in futuro glorificat: ſuperbos verò, & ſibi & Eccleſiæ rebelles humiliat & damnat, exemplum de Saule & de David; unde Sapiens: *Sedes Ducum ſuperborum deſtruxit Dominus, & ſedere fecit mites pro eis.*

Eccli. 10. 17.

Item caveat Dominus Rex ne injuſta bella indicat, maximè contrà Chriſtianos. Belli enim illati à Principe debet eſſe juſta neceſſitas; & debet eſſe ejuſdem juſtitiæ æquitas, debet eſſe etiam in exercendo intentionis ordinabilitas. In bello juſto reprehenduntur iſta: nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas debellandi, libido dominandi, & ſi qua ſunt ſimilia quæ in bellis reprehenduntur; de quibus ſatis loquitur Auguſtinus.

Item caveat dominus Rex, præcipuè in bellis, à Dei & Eccleſiæ ejus offensâ, & ante omnia eiſdem reconcilietur. Summè enim in bellis providere debent Principes & ſui, ut habeant Deum ſecum; quod erit, ſi obediant mandatis ejus & illa impleant, prout ait Achior alloquens Holofernem, qui cum recitaſſet beneficia Dei exhibita populo Iſraelitico, concluſit dicens; *Nunc ergo Domine mi, perquire ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum, & aſcendamus ad illos; quoniam tradens tradet illos tibi Deus eorum, & ſubjugati erunt ſub jugo potentiæ tuæ. Si autem non eſt offenſio populi hujus coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis: quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus opprobrium univerſæ terræ.* Sicut enim ait ille ſtrenuiſſimus miles Judas Machabæus: *Facile eſt concludi multos in manus paucorum; & non eſt differentia in conſpectu Dei cœli liberare in multis & in paucis; quia non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt.*

Judith 5. 24. & 5. 25.

1. Mach. 3. 18.

CAPUT XXXV.

Littera gratiæ domino Regi conceſſæ in Concilio Salmurienſi.

Concilii Salmurienſis epiſtola. 1294.

EXtollenda dignis laudum præconiis benedicti Regni Francorum mira devotio, ineffabiliſque Regum ejuſdem Regni benignitatis ac liberalitatis in Eccleſias munificentia, Clerum Regni memorati, ac omnem Eccleſiaſticum ordinem naturalis rationis inſtinctu provocat & indicit ipſum Regnum proſequi ſincero charitatis affectu, eidem curâ vigilantiori conſulere, ejuſdemque neceſſitatibus non tantùm orationum ſuffragiis, ſed etiam bonorum temporalium ſubſidiis, conditione temporis exigente, liberaliter ſubvenire: ipſum nempe Regnum, præ cæteris Regnis ubique terrarum longè lateque diffuſis, ſemper ſacræ Religionis extitit fundamentum, columna & ſcutum Eccleſiæ, tutamentum fidei, fons ſapientiæ irrigans totum Orbem fluentis pleniſſimis Scripturarum; cujus & Principes, videlicet Chriſtianiſſimi Francorum Reges, præ cunctis terræ Regibus puriori fidei lumine radiantes, fundaverunt Monaſteria, mirificè dotaverunt Eccleſias, eas multiplicibus immunitatum ac libertatum privilegiorumque inſigniis decorando. Et quia ſemper præ cunctis terræ Principibus Deo & Eccleſiæ devoti & humiles perſtiterunt, Deum piè colendo, Eccleſias & Eccleſiæ Miniſtros ſicut decet Principem Chriſtianum devotiùs honorando, glorioſus Princeps Regum terræ, per quem cæteri Reges regnant, eis recompenſavit etiam in hac vitâ, Regnum Francorum per feliciora ſucceſſivis temporibus incrementa ſuper omnia Regnorum climata ſublimando, eiſdem victoriam & triumphum de hoſtibus largiendo, terraſque ipſorum hoſtium in ipſos ſuâ irrefragabili potentiâ transferendo.

Cum itaque quidam iniquitatis filii, totius Chriſtianitatis ac fidei Catholicæ turbatores, quorum Rex Anglorum ore vulgi celebrante, ac famâ celebri referente, noſcitur eſſe caput, Regni memorati felicibus proſperitatis proventibus invidentes, ac venenum, quod diutiùs venenatis viſceribus latuit, modernis temporibus evomentes, ipſum Regnum multifariis conſpirationum & conjurationum factionibus adhibitis, impugnare & ſubvertere præſumptione damnabili moliuntur, jam in diverſa ipſius Regni loca inſanienti furiâ hoſtiliter irruentes; quorum perverſis ac viroſis machinationibus niſi maturiùs obvietur, eorum callidam ac ſubdolam dementiam armorum potentiâ repulſando, ipſi Regno & ejus habitatoribus non tantùm Laïcis, ſed etiam Clericis ac Eccleſiis univerſis poſſet grave periculum imminere. Quocircà nos neceſſitatem Regni ac Eccleſiarum ejuſdem pariter attendentes, Illuſtriſſimo Domino PHILIPPO Francorum Regi ob defenſionem dicti Regni & Eccleſiarum ejuſdem nimiis expenſarum oneribus prægravato, cui ad onera ſupportanda ſine Regnicolarum ac Eccleſiarum ſubſidio propriæ non ſufficerent facultates, de bonis noſtris mobilibus dignum duximus ſuccurrendum. Concedimus itaque dicto domino Regi hac vice communi conſenſu Cleri noſtri in noſtro Provinciali Concilio apud Salmurium nuperrimè celebrato, congregati ſuper hoc accidente, ob neceſſitatem dicti Regni, ut præmittitur, veriſimiliter imminentem, & propter defenſionem & tuitionem Regni, Eccleſiarum & perſonarum Eccleſiaſticarum, & bonorum earumdem, de bonis mobilibus noſtris & perſonarum Eccleſiaſticarum noſtrarum Diœceſum non exemptarum, uſque ad biennium dumtaxat, tantam pecuniæ ſummam quantam à nobis & aliis perſonis Eccleſiaſticis prædictis, nomine decimæ pro tempore quo decimam habebat, ex conceſſione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ deductis ſumptibus percipere conſuevit: ita tamen quòd per iſtam conceſſionem nullum præjudicium Eccleſiis, nobis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis generetur; nec aliqua ſervitus domino Regi in prædictis Eccleſiis acquiratur.

Et quòd ſi durante tempore conceſſionis prædictæ decimam ſeu majus onus aut ſimile in eodem Regno per ſedem Apoſtolicam concedi vel imponi contigerit, vel jam etiam ſit conceſſum, ſeu Domino inſpirante, cui non eſt difficile disjuncta conjungere, pax inter dictos Reges durante dicto biennio reformetur, ex tunc ceſſabitur à ſolutione conceſſionis ſupradictæ. Si verò dicto tempore treugam inter dictos Reges iniri contigerit, pro illo tempore quo treuga duraverit antedicta, hujus conceſſionis præſtatio ex tunc totaliter ſuſpendetur. Et ſi Duces, Comites aut Barones dictarum Diœceſum vellent durante dicto tempore aliquam ſubventionem vel ſubſidium non debitum ab Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis prædictis exigere vel habere, dominus Rex

facere

faceret ipsos cessare cum effectu.

Et colligetur dicta summa per illos quos nos prædicti Archiepiscopus & Episcopus quilibet in suâ Diœcesi ad hæc duxerimus deputandos, terminis infrascriptis, ita quòd medietatem in instanti Festo Resurrectionis Dominicæ, & aliam medietatem in Festo Omnium Sanctorum postea subsequente; & eisdem terminis anni immediatè sequentis, præfatis receptoribus quilibet & modo quo suprà, solvere teneatur: & si forte aliqui in prædictis terminis portionem ipsos contingentem solvere distulerint, ad id per censuram Ecclesiasticam & aliter compellentur; nec justitiarii sæculares Regales, vel alii, se de hoc ullatenùs intromittent, nisi à nobis vel à receptoribus super hoc à nobis deputandis specialiter fuerint requisiti. Iidemque receptores pecuniam quam inde exegerint & receperint nobis tradent, ut eam domino Regi possimus postmodum assignare.

Actum apud Salmurium durante prædicto Concilio Provinciali, die Martis post Festum Beati Michaëlis in Monte-Gargano, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto. Datum hujus litteræ die Sabbati & anno prædicto. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum.

CAPUT XXXVI.

Sequuntur litteræ per nos impetratæ à Rege.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex Ballivo Turon. salutem. Dilectus & fidelis noster Andeg. Episcopus nobis fecit exponi, quòd tu de die in diem ad captionem bonorum Andegav. Ecclesiæ pro tuæ voluntatis arbitrio nullâ causâ rationabili subsequente procedis: quod in gravem, ut asserit, frequenter ipsius redundat læsionem. Quocircà mandamus tibi, quatinus id facere de cætero non præsumas absque nostro speciali mandato, nisi casus tantam accelerationem requireret, quòd nos de facili non posses adire. Actum apud Pontisaram die
1294. Mercurii in Vigiliâ Beati Martini hyemalis, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto.

Sequitur alia Littera

PHILLIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Andeg. cæterisque Præpositis & Justitiariis Andeg. salutem. Ex conquestione dilecti & fidelis nostri Episcopi Andegav. accepimus, quòd vos terras ipsius, possessiones & jura, feuda seu retrofeuda ad Regalia jura nostra spectantia occupatis, usurpatis, ac in terris ipsius in quas omnimodam jurisdictionem se habere asserit, serjantare ac justitiare præsumitis, licet vobis nullum jus competat talia attentandi. Quocircà mandamus vobis, quatenùs à præmissis usurpationibus & indebitis novitatibus desistatis omninò, talia de cætero nullatenus præsumentes; alioquin Ballivo nostro Turonensi dabimus tenore præsentium in mandatis, ut quæ circà hoc invenerit indebitè esse facta, ad statum debitum faciat revocari, & coërceat, prout faciendum fuerit, contrarium præsumentes: visis præsentibus eas reddatis Latori. Actum apud Pontisaram die Mercurii in vigiliâ Beati Martini hyemalis. Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto.

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. salutem. Ex conquestione dilecti & fidelis nostri Andegav Episcopi accepimus, quod Servientes carissimi germani & fidelis nostri Comitis Andegavensis plures molestias eidem Episcopo inferunt in terrâ ipsius ad Regalia nostra spectante, serjantando & justitiando ibidem, licet nullam ibi jurisdictionem habere noscantur. Et si aliquando contrà tales fiant processus aliqui in foro Ecclesiastico, tu per captionem temporalium ipsius eumdem compellere niteris ad processus hujusmodi revocandos. Quocircà mandamus tibi, quatinus non permittas quòd gentes dicti Comitis justitient, vel aliquam cohibitionem faciant in terrâ Episcopi supradicti. Nec Episcopum ipsum impedias, nec permittas per gentes dicti Comitis impediri, quin jurisdictione suâ liberè possit uti, suasque ac Ecclesiæ suæ libertates atque franchisias sibi servari facias illibatas. Actum, &c. *ut suprà.*

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Senescallis, Ballivis, præpositis, cæterisque Justitiariis nostris, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Intellectis gravaminibus quæ dilecto & fideli nostro Andegav. Episcopo, ac suæ Andegav. Ecclesiæ aliisque Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis suæ Diœcesis asseruntur illata, & quæ de die in diem à gentibus nostris ut dicitur inferuntur injustè. Mandamus vobis, quatenùs ipsum Episcopum, Ecclesias & personas Ecclesiasticas sibi subditas in pace & quiete fovere & servare curetis, eos mitiùs & curialiùs pertractando, ab eorum indebitâ molestatione cessantes, & cessari prout ad vos pertinuerit facientes. Actum, &c.

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. salutem. Ex parte dilecti & fidelis nostri Andegav. Episcopi Nobis est intimatum, quòd Ballivus & gentes carissimi germani nostri KAROLI Andegav. Comitis, terras ipsius, possessiones & jura, feuda & retrofeoda ad Regalia nostra spectantia occupant & usurpant, ac in terris ipsius, in quas omnimodam jurisdictionem habere dicitur, serjantare ac justitiare præsumunt, licet ipsis nullum jus competat talia faciendi. Quocircà mandamus tibi quatinùs ipsos à præmissis usurpationibus, & indebitis novitatibus desistere facias & cessare; & si quid circà hæc inveneris indebitè esse factum, ad statum debitum reduci facias & reponi, & coërceas prout faciendum fuerit contrarium attentantes, &c.

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. salutem. Intelleximus quòd Receptores & Servientes deputati ad levandum decimam quondam nobis concessam & ejus reliquias, multa extorserunt & adhuc extorquent à pauperibus personis Ecclesiasticis Diœcesis Andegav. exigendo ultrà quàm debeant, & eorum bona minùs rationabiliter devastando. Quocircà mandamus tibi, quatenùs (si est ita) tales exactores punias secundùm quod ipsos inveneris in hujusmodi deliquisse, compellens ipsos de plano ad taliter extorta reddendum, & à talibus extortionibus desistendum. Actum apud Abbatiam beatæ MARIÆ juxtà Pontisaram, &c.

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. salutem. Mandamus tibi quatinùs non permittas quòd Lombardi & Servientes deputati ad colligendum pecuniam legatorum indistinctorum in

Diœcesi Andegav. intromittant se de cognitione hujusmodi legatorum, quæ sint & quæ non indistincta, sed illi ad quorum spectat officium de talibus cognoscant, & de legatis indistinctis, quæ durante quadriennio nobis concesso per negligentiam gentium nostrarum non fuerunt exacta, non permittas exequutores vel heredes defunctorum de cætero molestari; & super illis quæ per fugam & malitiam ipsorum exequutorum vel heredum non fuerunt levata, illi ad quorum officium id pertinet, jus nostrum prosequantur & conservent absque sacrorum violatione locorum. Actum apud Abbatiam beatæ MARIÆ juxtà Pontisaram, &c.

Sequitur alia littera

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. cæterisque Justitiariis nostris ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Mandamus vobis quatinùs dilectum & fidelem nostrum Episcopum Andegav. & ejus Officiales non impediatis, quominùs ipsi cognitione suâ Ecclesiasticâ, & spirituali gladio possint uti contrà raptores & invasores Ecclesiasticarum rerum, & incendiarios ac violatores Ecclesiarum, nec impediatis eos quominùs ipsi per se vel per Ministros suos possint capere flagitiosos Clericos in civitate & Diœcesi Andegav. ubique, maximè secundùm quod hactenùs extitit usitatum, &c.

CAPUT XXXVII. *Bona Littera contra malos Judices, Ballivos, & eorum satellites.*

SErpentina viperarum progenies Judicum iniquorum, & Satellitum pessimorum, corrosis matris Ecclesiæ visceribus sic hodie vi erumpit, quòd matrem Ecclesiam, quæ ipsos genuit, more pediculorum qui ex carne procreantur, & à matre procreati postmodum eam mordent, adeo excruciant & infestant, quòd ipsa dum servituti, morti civili comparatæ addicitur, perimitur & necatur. Horum enim sitibunda cupiditas ac insatiabilis suprà naturam ferarum edax voracitas, leonum rugientium & ursorum esurientium sævitiam superans, omnia devorat, omnia exterminat, decimas, bona, jura & res Ecclesiarum invadit, occupat, & usurpat, privilegia, immunitates & antiquas Ecclesiæ consuetudines violat, annihilat, destruit & immutat, astutâ ac sophisticâ machinatione, & callidâ calumniarum adinventione laqueum immittit ad illaqueandum & excoriandum, & devorandum populum pauperem sicut escam panis, iniquas leges statuendo, perversas consuetudines inducendo: sed juxtà Isaïæ sententiam; *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes* (Isai. 10. 1.) *injustitiam scripserunt ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.* Et væ, quia tales iniquissimi & improbissimi Religionis Christianæ, necnon totius Reipublicæ vastatores, summi Patris scilicet Dei persequutores, ac Matris Ecclesiæ impiissimi parricidæ eam servituti addicendo, ejus bona, ex quibus debent pauperes sustentari, rapiendo, auferendo, fraudando, occupando, invadendo, testante Divinâ & humanâ scripturâ, homicidæ, & sacrilegi sunt censendi; unde dicit Sapiens: *Panis egentium vita pauperis est: qui* (Eccli. 34. 25.) *defraudat illum, homo sanguinis est.* Et rursum: *qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.* Non sunt in sinu Matris Ecclesiæ retinendi, quia sicut mus in perâ, ignis in sinu, serpens in gremio, malè hospitem remunerant, sed potiùs eliminandi & expellendi, & tamquam membrum putridum à corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, gladio sanctæ Matris Ecclesiæ rescecandi, ne totum corpus eorum contagio corrumpatur. Ferro enim abscindenda sunt vulnera, quæ fomenta non sentiunt. Pastores enim necessitas habet, ne per plures serpant dura contagia, separare ab ovibus sanis ovem morbidam ab illo, cui nihil impossibile est, forsitan ipsâ separatione sanandam. *Tradendi sunt* (1. Cor. 5. 5.) itaque, juxta sententiam Apostoli, *hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus eorum in die Judicii salvus fiat*, &c.

Exclamet ergo cum vate Isaïa sancta Mater Ecclesia à filiis vipereis lacerata: *Audite cœli, & au-* (Isai. 1. 2.) *ribus percipe terra, quod Dominus loquutus est: filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Israël me non cognovit; populus meus non intellexit me. Væ ergo genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis.* Heu hodie Ministri Christi sic ineffabilibus oppressionibus, angariis, perangariis, decimis, financiis multifariè multisque modis, his periculosis temporibus affliguntur, angariantur & torquentur, quia non datur eis die ac nocte alicujus requiei intervallum: unde deterioris conditionis videtur esse hodie Sacerdotium orthodoxum, quàm sub Pharaone fuerit, qui Legis Divinæ notitiam non habebat. Ille quidem omnibus aliis servituti subactis, Sacerdotes & possessiones eorum in pristinâ libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministravit; sed hodie vice versâ cæteris personis immunitate donatis, Ecclesia addicitur servituti. Deploret ergo Mater Ecclesia lacrymis irremedialibus videns adimpletum Jeremiæ vaticinium: *Domina gentium, Princeps Provincia-* (Thren. 1. 1.) *rum facta est sub tributo.* Proh dolor! apud Christicolas deterioris ac vilioris conditionis habentur hodie Ministri Christi, quàm Christum persequentes & negantes Judæi, & Cultores Ecclesiarum, quàm apud Gentiles qui colebant sculptilia, fuerint Ministri & Sacerdotes Idolorum: his enim malis diebus Ministri Ecclesiarum qui deberent juxtà sacratissimas Imperiales & Canonicas, ac Theologicas sanctiones omnibus derelictis omnipotentis Dei inhærere ministeriis, sic angariati, sic distorti & distracti, à Divinis officiis avocati Deo vacare non possunt, nec ejus Ecclesiæ deservire, nec parvulis, id est, fidelibus populis petentibus panem sacræ doctrinæ, pabulum verbi Dei, maximè populo Christiano necessarium, queunt, prout incumbit eorum officio, ministrare: unde impletum est Amos Prophetæ testimonium, sic dicentis: *Ecce dies veniunt,* (Amos 8. 11.) *dicit Dominus, & mittam famem in terrâ: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Modò per curias, modò per assisias, nunc per aquam, nunc per terras discurrere compelluntur propter angariationes & molestias prælibatas à Ballivis, Senescallis & aliis Ministris tartareis, ita excoriantur, exinaniuntur, depopulantur, quòd vix remanet eis unde possint vitam inopem, quæ esset potiùs mors dicenda, miserabiliter sustentare.

Clamet ergo Ecclesia, quæ mamillis Regum primitivis temporibus lactabatur, ad filios suos, videlicet Principes Christianos: O filii dulcissimi, quos per fidem concepi, & in lavacro sancti Baptismatis parturivi, ac Sacramentis meis cœlestibus educavi, ac quotidie porrectis maternis uberibus alimentare non cesso; attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus: olim enim mei fideles filii, videlicet Principes sacratissimi, dotabant Ecclesias, fundabant Monasteria, quæ proh dolor! à filiis infidelibus & impiis modernis temporibus destruuntur, enervantur ac etiam confunduntur, & quia dicti sacratissi-

mi Principes fuerunt devoti & humiles Deo & Ecclesiæ, Rex Regum & Dominus Dominantium ipsos mirificè sublimavit, eisdem victoriam & triumphum de hostibus largiendo, terrasque ipsorum hostium in ipsos suâ irrefragabili potentiâ transferendo. Postquàm autem cessavit ista devotio, & successit Ecclesiarum oppressio, qualiter Principibus Christianis in omnibus suis agendis successerit, taceo, quia rem hujus facti evidentia manifestat. O filii carissimi sitis more majorum Deo & Ecclesiæ humiles & devoti, &c. *ut suprà.*

Cum itaque nos qui sumus quasi signum positi ad sagittam, & quibus ratione Pastoralis Officii incumbit jura ac libertates nostræ Andegav. ac cæterarum Ecclesiarum nostræ Diœcesis pro posse defendere ac tueri, à primordio nostræ creationis à DAVID de Suis-domibus Ballivo Andegav. cæterisque allocatis, Officialibus, & Consiliariis Magnifici Principis domini CAROLI, filii Regis Francorum, ac Comitis Andegaviæ, multifarias ineffabilesque injurias, molestias, oppressiones, ad quas explicandas Salomonis sapientia & Demosthenis facundia minùs sufficiens videretur, tam ratione nostræ Andegav. quàm cæterarum Ecclesiarum nostræ Diœcesis absque alicujus requiei intervallo incessanter perpessi fuerimus, & quotidie rupto pacis vinculo ac relegatâ justitiâ perferamus, dictis Ballivis, Officialibus & Consiliariis semper proficientibus in pejus, vulnera vulneribus nequiter infligendo, & novis gravaminibus veteribus accumulatis, semper de die in diem contrà nos & Ecclesiam aggravantibus manum suam. Nos tamen attendentes quamdam interrogationem in introitu nostro, dum in Andegav. Ecclesiâ in die nostræ consecrationis recepti fuimus nobis factam, talem videlicet: *Est ne ingressus tuus pacificus?* Et responsionem quam fecimus ad eamdem, hanc videlicet: *pacificus.* Pensantesque pacem esse legatum imò hereditatem Christianorum, testante Salvatore dicente: *Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis.* Et rursum: *Beati Pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Et si filii, igitur & heredes: unde & columba de arcâ Noe emissa ramum olivæ retulit ore suo, olivâ pacem insinuante, ad significandum quòd viri spirituales debent portare in ore pacem, & ad ea quæ pacis sunt cæteros admonere, nolentesque extracto furoris gladio ingredi terram nostram, præmissaque gravamina patienter ac humiliter multo tempore perferentes, credentes humili patientiâ adversarios superare, juxtà consilium Psalmistæ, pacem inquisivimus, eamque multis annis, multis locis, multis vicibus persequentes. (Non enim statim ad excommunicationum aut interdictorum fulminationes processimus.) Sed omnia præmissa gravamina humiliter, ut præmittitur, tolerantes, ipsum dominum Comitem primo nostræ consecrationis anno apud Chatillon in Bituriâ, non sine magnis sumptibus pro dictâ pace quærendâ adivimus: & postmodum pro eadem pace persequendâ Cenomannis bis personaliter profecti fuimus ad tractandum pacificè cum Consiliariis domini Comitis Andeg. Tandem demum in festo Omnium Sanctorum ultimo præterito apud Compendium ipsum dominum Comitem pro pace in Andegaviâ conservandâ inter ipsum & Officiales suos ex unâ parte, & Ecclesias & personas Ecclesiasticas ex aliâ, utriusque juribus conservatis, repetitis vicibus suppliciter studuimus exorare. Quantum autem nuper & quot diebus primò apud Salmurium, ubi dictus dominus Comes præsens erat, & postmodum eo veniente Andegavis eodem præsente in Castro suo pro dictâ pace habendâ institerimus, & quantis cordis affectibus & supplicationum interventibus eam obtulerimus, sciunt qui præsentes fuerunt, qui super hoc testimonium possunt perhibere; totius etiam vulgi opinionem super hoc credimus testem esse, ipso domino Comite semper dulciter & benigniter benè dicente, volente & jubente jus Ecclesiæ conservari illæsum, si dicti Ballivus cæterique Officiales & Consiliarii ipsius præbuissent assensum: qui ut serpentes acuentes linguas suas, virus mendaciorum in tantâ abundantiâ effuderunt, quòd veritas corruit in plateis, & æquitas non potuit ingredi, astutæ iniquitatis jaculis & acutis gladiis linguarum mendacium superata; sed speramus in Domino, qui *est via, veritas, & vita,* quòd veritati porrigens manum eamque à terra erigens, victoriam ei dabit, quia veritas semper vincet: unde scriptum est: *Veritas valet, & invalescit, in æternum vivit, & obtinet in sæcula sæculorum.*

Perpendentes igitur quòd nostra humilitas dictis Ballivis, Officialibus & Consiliariis dat occasionem superbiæ, & nostra patientia eisdem tribuit audaciam jura Ecclesiarum invadendi: paulatim enim serpendo totum usurpare contendunt, ut pro eis videatur esse dictum illud vetus proverbium: Frustatim comedit lupus agnum: considerantesque quòd absque remorsu conscientiæ nostræ & periculo animæ, ac subversione Ecclesiæ ac defectu justitiæ, præmissas injurias, molestias & gravamina non possumus ampliùs tolerare; admonitione divinæ Scripturæ sic dicente: *Usque ad mortem certa pro justitiâ, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Et rursum: *Beati qui persequutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum:* admodum roborati ad vos dirigimus præsens scriptum debitæ exequutioni tradendum.

Joan. 14. 27.

Joan. 14. 6.

3. Esdr. 4. 38.

Eccli. 4. 33

Matt. 5. 10.

Sequitur Littera domini Regis.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. salutem. Conquesti sunt nobis dilectus & fidelis noster Episcopus, ac Decanus & Capitulum Andegav. in nostrâ speciali gardâ existentes, quòd cum super revocandis gravaminibus, & indebitis novitatibus, quæ sibi per Ballivum, & alios Officiales & Ministros carissimi germani, & fidelis nostri KAROLI Comitis Andegav. in præjudicium gardæ nostræ inferri contingit, nostra eisdem Ballivo, Officialibus & Ministris mandata per te dirigantur, interdum tu ipsos ad revocationem gravaminum & novitatum hujusmodi compellere non curas, nisi per dictos Episcopum, Decanum & Capitulum, parte fundatâ super his in figurâ judicii procedatur. Ideoque mandamus tibi quatinùs ad revocationem gravaminum prædictorum non in formâ vel figurâ judicii, sed summariè & de plano procedas, cum in hoc casu ex vestro sit officio procedendum. Actum Parisius Sabbato ante festum sancti Nicolai, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo-quinto. 1295.

Sequitur alia Littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. salutem. Mandamus tibi & districtè præcipimus, sicut & aliàs mandasse meminimus, quatinùs Ministris & servientibus carissimi germani & fidelis nostri KAROLI Comitis Andegav. inhibeas, ne in locis & feodis, in quibus dilectus & fidelis noster Andegav. Episcopus omnimodam justitiam habere dignoscitur, cum Episcopus ipse in nostrâ speciali gardâ existat, sergentare aut justitiare præsumant; ipsos si secùs fecerint animadversione debitâ puniendo. Actum Parisius Sabbato

post octavam hyemalis Festi Sancti Martini, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo-quinto.

Sequitur alia Littera.

PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex Ballivo Turon. salutem. Exposuit nobis dilectus & fidelis noster Andegav. Episcopus, quòd tu ipsum & ejus Officiales indebitè impedis Jurisdictione suâ uti inter Curatum Ecclesiæ de Jarzeye JAMETUM de Rogeyo, & quosdam alios homines Parochiales Ecclesiæ prædictæ suæ Diœcesis, & justitiam facere inter ipsos super decimis non feodalibus, occasione quarumdam litterarum nostrarum ad dictorum Jameti & hominum Parochialium prædictorum . . . tibi directarum, continentium quòd compelleres ipsos Episcopum, Officiales & Curatum desistere per captionem bonorum suorum temporalium, attrahendo & molestando ipsos homines super decimis feodalibus coram ipso Episcopo & ejus Officialibus. Quare tibi mandamus, quatenùs occasione ipsarum litterarum dictum Episcopum, & ejus Officiales inter præfatas personas justitiam facere, & jurisdictione suâ uti super decimis non feodalibus impedire quomodolibet non præsumas. Actum Parisius in die Cinerum, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto.

Sequitur alia Littera.

PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex, universis præsentes litteras inspecturis salutem. Noveritis quòd cum dilectus & fidelis noster Episcopus, Decanus & Capitulum Andeg. & alii Dignitates in ipsâ Ecclesiâ habentes, pro necessitate urgente & eminente totius Regni nostri, ad defensionem Regni ipsius & incolarum ejusdem, consenserint, ut valorem partis centesimæ bonorum hominum suorum Laicorum, in feodis & retrofeodis suis existentium, haberemus levandam per manus eorumdem, dummodo ultrà decem libras ab aliquo non levaretur, nobis ad dictam causam seu mandato nostro assignandum: Nolumus quòd per hoc ipsis, eorum successoribus, dignitatibus, hominibus & Ecclesiæ aliquod præjudicium nunc vel in posterum generetur, nec nobis vel successoribus nostris jus novum contrà ipsos acquiratur. Actum Par. die Mercurii ante Brandones, Anno Domini millesimo ducentesimó nonagesimo quinto.

Sequitur alia Littera.

PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. cæterisque Justitiariis & Ministris nostris, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Sicut vobis aliàs injunxisse recolimus, iteratò districtè præcipiendo mandamus, quatinùs dilectum & fidelem nostrum Episcopum, nec non & Ecclesiam Andegav. in nostrâ speciali gardâ existentes manuteneatis in suis justis & antiquis possessionibus, ac libertatibus & immunitatibus conservetis, & defendatis ab injuriis & violentiis manifestis, & novitatibus indebitis, prout justum fuerit & ad vos noveritis pertinere. Ipsum Episcopum & gentem ejus in his quæ nobiscum habent vel pro tempore habuerint facere benigniùs audientes, curialiter pertractantes, & favorem impendentes eisdem quem poteritis absque justitiæ læsione. Datum apud Ferrar. die XIII. Februarii, anno Domini millesimo nonagesimo quinto.

Sequitur alia Littera.

PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. cæterisque Justitiariis nostris, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Mandamus vobis quatenùs in terrâ dilecti & fidelis nostri Episcopi Andeg. in quâ omnimodam habet altam & bassam Justitiam, aliquos Servientes nostros morari continuè nullatenùs permittatis, nec ad justitiandum in terram prædictam mittatis eosdem, nisi in casibus ressorti, vel aliis ad nos pertinentibus: & tunc cum patentibus litteris casum exprimentibus propter quem fuerint specialiter destinati. Actum apud Vicennas die VIII. Augusti, Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto. 1296.

Sequitur alia Littera.

PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. vel ejus locum tenenti, cæterisque Justitiariis & subditis nostris, ad quos litteræ præsentes pervenerint, salutem. Ex conquestione dilecti & fidelis nostri Episcopi Andeg. accepimus, quòd licet per alias nostras litteras vobis mandaverimus quòd Servientes vestros sergentare non permitteretis, aut morari in terrâ ipsius, ubi omnimodam altam & bassam habet justitiam, nisi in casibus ressorti vel superioritatis ad nos spectantibus cum litteris nostris continentibus specialiter illos casus: vos nihilominùs mandatum prædictum ad domania & feoda propria dicti Episcopi restringentes, ad retrofeoda verò ipsius, quamvis in eis omnimodam habeat justitiam & ressortum hujus, mandatum nostrum extendere denegatis injustè. Quare mandamus vobis, quatenùs si est ita, mandatum nostrum prædictum ad terram totam dicti Episcopi, & ab ipso moventem, in quâ omnimodam ut præmittitur habet justitiam & ressortum, faciatis extendi: non permittentes in dicti Episcopi præjudicium contrà hujus mandati nostri tenorem aliquid attentari, imò attentata si quæ sint, ad statum debitum revocantes. Datum Viennæ XII. die Aprilis, anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo. 1312.

Forma juramenti quod debet facere Episcopus Andegavensis Ecclesiæ sancti Laudi Andegav. in primo adventu dictæ Ecclesiæ. CAPUT XXXIX.

NOverint universi, quòd cum inter nos GUILLERMUM Divinâ permissione Episcopum Andegav. ex unâ parte, & venerabiles viros Decanum & Capitulum Ecclesiæ sancti Laudi Andegav. ex alterâ, quædam ambiguitas verteretur super quodam juramento, quod in primâ visitatione nostrâ Ecclesiæ sancti Laudi prædictæ juxtà morem prædecessorum nostrorum, ut dicti Decanus & Capitulum asserebant, facere tenebamur; Nobis respondentibus, quòd parati eramus dictæ Ecclesiæ facere juramentum, si & prout Prædecessor noster fecerat, super hoc sufficienter ex parte ipsorum informati fuissemus: tandem productis testibus ex parte dictorum Decani & Capituli coram examinatore Curiæ nostræ Andegav. de communi concordiâ plenè & sufficienter probatum exstitit, quòd Prædecessor noster in primâ suâ visitatione dictæ Ecclesiæ ante portas ipsius Ecclesiæ, antequàm ingrederetur eamdem, memoratæ Ecclesiæ quoddam præstiterat sacramentum, sed sub quâ formâ factum fuisset, ignorabant testes super hoc producti & examinati, ut prædicitur, & sic de juramento constitit, formâ ejusdem non probatâ & in dubio remanente. Super formâ

autem dicti juramenti à nobis dictæ Ecclesiæ faciendi diutiùs altercato, finaliter de voluntate & consensu Capituli nostri Andegav. & dicti Capituli sancti Laudi, in nostrâ primâ visitatione quam in eâdem Ecclesiâ sancti Laudi fecimus die Mercurii post
1296. Epiphaniam Domini, anno ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, ante fores ipsius Ecclesiæ sancti Laudi clausas antequàm ingrederemur eamdem, quoddam juramentum fecimus sub hac formâ.

Nos GUILLELMUS Episcopus Andegav. juramus nos præstituros bonum consilium & fidele pro posse nostro Ecclesiæ sancti Laudi Andegav. cum ex parte Decani & Capituli ejusdem Ecclesiæ fuerimus requisiti; præsentibus ad hoc ibidem venerabilibus viris ÆGIDIO Decano Ecclesiæ Andegav. JOANNE de Bosco Scholastico Andegav. GUILLERMO Archipresbytero de Burgulio, GERVASIO Homine Dei, STEPHANO de Burgulio Officiali Andegav. ANDREA de Haya, Magistro MATTHÆO Piquot Canonicis Andegav. HUGONE Odardi Archipresbytero de Salmuro socio nostro, Domino PHILIPPO de Plesseiaco Decano sæpè dictæ Ecclesiæ sancti Laudi, JOANNE Agni Canonico ejusdem Ecclesiæ, & HERBERTO Rectore Ecclesiæ de Chatelein Capellano nostro, multisque aliis ibidem congregatis.

CAP. XL. *Littera anathematis.*

UNiversis præsentes litteras inspecturis & audituris GUILLERMUS permissione Divinâ Andegav. Episcopus salutem, & sinceram in Domino charitatem. Prout sacrorum Canonum & sanctorum Patrum protestatur auctoritas, Pastoris necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam, ab illo cui nihil est impossibile, ipsâ forsitan separatione sanandam. Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri. Prælati præcipuè curam animarum habentes summam deberent habere curam de his qui pereunt; quatinùs eorum redargutione aut corrigantur à peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint, tamquam ovis scabiosa à caulis, & velut membrum putridum à corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, separentur, ne eorum contagione sive consortio grex fidelium corrumpatur: ferro enim excommunicationis abscindenda sunt vulnera, & putridæ carnes corporis resecandæ, quæ fomenta non sentiunt medicinæ. Cum itaque DAVID de Domibus-suis Ballivus Andegav. & DARIANUS dictus Bidoyn Subballivus Andegavis, eorum Matrem Andegav. Ecclesiam more prolis vipereæ crudeliter lacerantes, eamque tam spiritualitate, quàm temporalitate suâ exheredare conantes, eidemque inenarrabiles injurias, gravamina & molestias inferentes, tam ex parte nostrâ, quàm Officialis nostri pluries requisiti & moniti resipiscere noluerint à præmissis, sed tamquam incorrigibiles, & in suâ malitiâ perseverantes, & dictæ Ecclesiæ semper pejora prioribus inferre non cessantes, pluribus excommunicationum sententiis tam auctoritate Canonum, quàm Conciliorum Provincialium, quàm etiam Officialis nostri prædicti fuerint & adhuc sint innodati, & à corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, tamquam oves morbidæ & membra putrida segregati, pro eo maximè quòd nostram Jurisdictionem Ecclesiasticam impediendo & perturbando, JOANNEM dictum le Chapelier civem Andegav. occasione litis motæ ex parte ipsius coram Officiali nostro prædicto super his, de quibus ad nos tam de jure, quàm de antiquâ, & approbatâ consuetudine, Jurisdictio dignoscitur pertinere; ceperunt & capi fecerunt, & adhuc ipsum detinent carceri mancipatum.

Ac iterum dictus Ballivus pro eo quod in terris nostris de Villâ Episcopi, de Banneio in quibus omnimoda Jurisdictio tam temporalis, quàm spiritalis ad nos nomine Episcopatûs Andegav. pertinet pleno jure, MATTHÆUM de Vineis hominem nostrum, mansionarium & estagiarium in dictâ terrâ de Villâ Episcopi, & penes quosdam alios mansionarios & estagiarios nostros dictæ terræ, duos boves & quædam alia bona mobilia, ac MICHAELEM carnificem hominem nostrum mansionarium in dictâ terrâ de Banneio cepit & capi fecit, & adhuc captum detinet & detentum, nitendo de novo Jurisdictionem temporalem in dictis terris nostris usurpare, & easdem terras nostras de novo subjicere & supponere Jurisdictioni temporali domini Comitis Andegaviæ, in præjudicium & exheredationem Episcopatûs & Ecclesiæ prædictæ.

Ac insuper dictus Ballivus pro eo quod cum dictus Officialis noster occasione præmissorum contrà ipsum & contrà quosdam alios allocatos & servientes domini Comitis Andegaviæ prædicti super multis violentiis & injuriis nobis & Episcopatui Andegav. prædictis ab eisdem illatis, per nostram Jurisdictionem Ecclesiasticam procederet secundùm quod eidem Officiali incumbebat, & facere poterat, & debebat tam de jure, quàm de antiquâ consuetudine obtentâ & approbatâ à tempore cujus memoria non existit, temporalitatem nostram quam habemus nomine Episcopatûs prædicti apud Bustam, & in hallis Andegav. per manum Regiam capi & saisiri fecit & procuravit, & adhuc captam & saisitam facit & procurat detineri injustè.

Et iidem Ballivus & Subballivus dictas excommunicationis sententias diù damnabiliter sustinentes, cum solemnitate quâ decet, & quæ consuevit in Andegav. Diœcesi in talibus observari, fuerint aggravati; dictasque excommunicationis & aggravationis sententias diù sustinuerint, & adhuc sustineant cordibus & animis induratis, claves Sanctæ Matris Ecclesiæ vilipendentes in suis malitiis obstinati; offensionem Divinam incurrere, & in eâdem perseverare non verentes, imò pro suis nisibus accumulantes mala malis, Dei timore postposito, contrà nos & dictam Andegav. Ecclesiam occasione dictarum sententiarum manum Regiam, & suam de die in diem aggravent & procurent aggravari, maximè faciendo nos bonis nostris omnibus temporalibus, & quod gravius est spiritualibus scilicet decimis spoliari, & à maneriis nostris, ibidem custodibus ex parte domini Regis appositis ipsis procurantibus, relegari, adeoque extrà civitatem Andegav. non habemus ubi caput reclinare possimus.

Nos attendentes ipsos Ballivum & Subballivum in profundo malorum constitutos, & quòd invasores rerum Ecclesiasticarum, collatarum Ecclesiis pro remedio peccatorum, tamquam sacrilegi sunt anathemati usque ad satisfactionem congruam supponendi, ut quos timor Dei à malo non revocat, saltem coërcere debeat severitas Ecclesiasticæ disciplinæ: cum Capitulo nostro deliberatione præhabitâ diligenti, dolentes & cum cordis amaritudine cum istis duodecim probis viris & honestis Sacerdotibus indutis Sacerdotalibus ornamentis, lucernas in manibus ardentes tenentibus, assistentibus nobis in Pontificalibus constitutis in hac nostrâ præsenti Synodo, quam hodie in hac nostrâ Andegav. Ecclesiâ celebramus, præsente Clero & populo, eosdem Ballivum & Subballivum secundùm Sanctorum Patrum instituta, tamquam exsortes à Regno Dei, à limini- Synodus Andegavens. an. 1298.

bus sanctæ Matris Ecclesiæ, & consortio omnium fidelium, & totius cœlestis curiæ eliminantes & excludentes, ipsosque Satanæ tradentes in interitum carnis, ut eorum spiritus in die judicii salvi fiant, in his scriptis anathematizamus cum solemni pulsatione campanarum, ipsas candelas accensas in terram projicientes, ac pedibus conculcantes & exstinguentes, ac anathematizatos, & à communione Dei, & Sanctorum, Sanctæ Matris Ecclesiæ, & omnium fidelium separatos publicè nuntiamus, & in Ecclesiis civitatis & Diœcesis Andegav. præcipimus publicè & solemniter nuntiari. Præsentibus ad hoc Clero in dictâ Synodo congregato, & populo civitatis Andegav. voce præconiâ specialiter ad hoc evocato, & specialiter Religiosis viris JOANNE Sancti Sergii, MICHAELE omnium Sanctorum Andegav. GAUFRIDO de Rotâ, & MATTHÆO de Mellineys Monasteriorum Abbatibus, ac venerabilibus ÆGIDIO Decano, JOANNE Cantore, GAUFRIDO Transligeren. Archidiacono in Ecclesiâ Andegav. necnon STEPHANO de Ludio, HUGONE Salmuriensi, GAUFRIDO Burguliensi, MAURICIO Andegav. & JOANNE de Fixâ Archipresbyteris, MATTHÆO de Credonio, & PETRO de Intersartam & Meduanam Decanis, & aliorum virorum & mulierum multitudine copiosâ. In cujus rei testimonium ad perpetuam memoriam posterorum præsentem litteram sigillo nostro, unà cum pluribus sigillis dictorum Abbatum, & venerabilium virorum, & Archipresbyterorum, & Decanorum superiùs nominatim expressorum fecimus consignari. Datum & actum die Synodi prædictæ, quæ fuit die Jovis post festum Beati Lucæ Evangelistæ, anno Domini millesimo ducentesimo
1298. nonagesimo-octavo.

CAP. XLI. *Hic inseruntur gravamina Ecclesiis Provinciæ Turon. illata, per G. Majorem Episcopum Andegavensem, Domino* PHILIPPO *Regi Francorum Senonis exposita die Ramorum Palmarum anno* M. CCXCIX.

1299. HÆc sunt gravamina & præjudicia quæ Prælatis & Ecclesiis ac personis Ecclesiasticis Provinciæ Turon. tam in spiritualitate, quàm in temporalitate ab Officialibus domini Regis, & aliis Potestatibus sæcularibus inferuntur: dicto domino Regi, de cujus conscientiâ ut scimus talia non emanant, & ejus Consiliariis exponenda.

Et primo loco tangenda sunt gravamina, quæ in spiritualibus irrogantur; deinde illa quæ temporalitatem tangunt quàm breviùs fieri poterit, annectentu

Articulus spiritualitatis dividitur, quòd primò de præjudiciis & gravaminibus quæ Jurisdictionem contingunt Ecclesiasticam differetur, & postmodum de decimis & aliis spiritualibus subjungetur. Primò circà Jurisdictionem spiritualem Ecclesiasticam, de novo maximum & intolerabile gravamen infertur, super quo inter cætera maximè dolet & amaricatur Ecclesia. Cum enim tam de jure scripto, quàm de antiquâ consuetudine in eâdem Turon. Provinciâ usitata & approbatâ, à tempore cujus memoria non exstitit, personæ Ecclesiasticæ malefactores suos & injuriatores, utpote invasores, occupatores, raptores, & perturbatores rerum Ecclesiasticarum collatarum à Fidelibus Ecclesiis pro remedio peccatorum, qui testante Scripturâ sacrilegi sunt censendi, atque anathemati usque ad satisfactionem congruam supponendi, possint & consueverint coram quo maluerint judice, Ecclesiastico vel sæculari convenire, jus suæ Ecclesiæ prosequendo: hodie si eædem personæ Ecclesiasticæ contrà tales malefactores & invasores in foro Ecclesiastico jus suum prosequantur, Potestates sæculares per captionem bonorum temporalium, & quarumcumque etiam personarum compellunt easdem personas Ecclesiasticas à prosequutione juris sui desistere, & etiam Judicem, videlicet Episcopum vel Officialem qui procedit justitiam exhibendo, per similes captiones rerum & personarum tales processus revocare, formâ juris minimè observatâ: quod est, si quis claro oculo intueatur, sanctæ Matris Ecclesiæ suum gladium spiritualem auferre, & clavium suarum potestatem penitus absorbere. Utrum tales varias excommunicationis sententias evadere queant, Lector studiosus, maximè jurisperitus, diligenter advertat.

Et ne res exemplis careat, factum quod nuper in personâ Episcopi Andegav. accidit, in medium proponatur. Cum enim Officialis dicti Episcopi contrà quosdam servientes domini Comitis Andegav. qui res, jura, bona & homines ipsius Episcopi & Ecclesiæ suæ, quæ maximè ad gardam domini Regis, & ejus Regalia pertinent, capiebant, occupabant, invadebant & perturbabant, quosdam processus faceret per suam Jurisdictionem Ecclesiasticam procedendo super causis, quæstionibus & querelis, quæ ad eamdem Jurisdictionem Ecclesiasticam de jure & antiquâ consuetudine approbatâ & obtentâ à tempore cujus non exstat memoria, pertinere noscuntur, dictus Episcopus ad procurationem Ballivi Andegav. per quemdam servientem domini Regis, qui dicitur PETRUS de Bonnay, à Ballivo Turoniæ missum, ex abrupto & sine causæ cognitione suis bonis omnibus temporalibus exstitit desaisitus, & à suis domibus & maneriis relegatus ignominiosè & ejectus, quibusdam garcionibus malæ famæ, & deterioris vitæ per dictum Petrum custodibus appositis in eisdem, qui redditus & proventus totius temporalitatis suæ per decem & octo septimanas receperunt, & miseros homines dicti Episcopi ineffabiliter molestarunt, eosdem diversis exactionum generibus affligendo, ita quod non habebat dictus Episcopus domum propriam in quâ caput reclinare valeret: & quod est dictu miserabile & horrendum, dictus Petrus domum ipsius Episcopi Episcopalem, quam habet Andegavis, conjunctam & contiguam Ecclesiæ Andegav. ex quâ dictus Episcopus ipsam Ecclesiam ingreditur causâ audiendi Missas, Vesperas & Matutinas, & in quâ ipse consuevit Abbates confirmare, causas spirituales audire, & in quâ Officialis & Sigillator ipsius habitant & habitare consueverunt, in manu domini Regis saisivit, ibidem custodem apponendo, præcipiendo Officiali & Sigillatori dicti Episcopi in dictâ domo manentibus, ut inde exirent & domum eamdem vacuarent. Cum verò dictus Episcopus sic à propriis domibus relegatus, eo tempore causâ suam celebrandi Synodum Andegavis accedens, apud quemdam civem Andegav. tribus diebus aut quatuor secessisset, dictus civis jussus fuit per dictum servientem se reddere in castro Andegav. & ibi prisionem tenere: quod videns Episcopus memoratus, nolensque dictum civem occasione ipsius indebitè molestari, à dicto loco recessit.

Item dictus Petrus de Bonnay, & custodes in dictis domibus & maneriis appositi ab eodem, compulerunt dictum Episcopum domos suas & maneria bonis suis mobilibus vacuare, & garnimenta sua & utensilia, vina, blada, & hujusmodi ad alia loca transferre cum summariis & quadrigis magnis laboribus & expensis: & cum temporalitas prædicta eidem Episcopo postmodum deliberata fuisset, dictus Petrus retinuit de reditibus & proventibus temporalitatis prædictæ, per ipsum & ejus Ministros prædictos receptis, durante tempore supradicto, ferè

ducentas libras, & adhuc ipsas eidem Episcopo reddere contradicit. Majora gravamina & ultragia dicto Episcopo irrogari non possent, si fuisset proditor Regni, aut reus criminis læsæ Majestatis. Non ita agitur cum Baronibus & Militibus, quorum cum bona temporalia in manu domini Regis saisiuntur, ad castra sua & maneria accedere, & ibidem manere non prohibentur, nec bona sua inde transferre coguntur, nec in ipsis maneriis custodes & comestores apponuntur. Item bona sua omnia non nisi ex maximâ causâ capiuntur, sed aliqua villa vel prædium. Bona verò Prælatorum pro modicâ causâ, imò pro nullâ capiuntur omnia.

Secundò, Ecclesiastica Jurisdictio per easdem Potestates sæculares & Judices his diebus ferè totaliter enervatur. Nam ipsi Judices sæculares suis clam & palam inhibent subditis, ne quis eorum laïcum coram Ecclesiastico Judice conveniat. Trahentes verò multifariè multant, necnon carceri mancipant, & ubi in eos animadvertere non valent, modis quibus possunt amicos ipsorum carnales offendunt.

Tertiò, si aliquis laïcus ad justitiam laïci seu etiam personæ Ecclesiasticæ, quæ sub Jurisdictione Potestatis sæcularis aliqua temporalia possideat, excommunicatus fuerit, actor ad absolutionem excommunicati procurandam expensis propriis per suorum bonorum temporalium, & plerumque proprii corporis captionem compellitur; licet de antiquâ, approbatâ & hactenùs pacificè observatâ consuetudine judices Ecclesiastici inter laïcos consueverunt in civilibus personalibus actionibus cognoscere & judicare: qui Ecclesiastici judices ad suarum revocationem sententiarum plerumque supradictis modis coguntur.

Quarto, Judices sæculares omnem interpretantur actionem esse realem, in quâ de re quâcumque mentio habetur, & ad suum forum contendunt pertinere.

Quintò licet confessio facta à Clericis coram Judice sæculari non valeat; ipsi tamen sæculares judices propter confessiones, & litterarum suarum obligationes, à Clericis coram ipsis emissas ipsos Clericos ad solvendum compellunt, & in bonis mobilibus & immobilibus eorumdem exequutioni demandant.

Sextò si sint contrà aliquem duo judicata, unum factum in foro Ecclesiastico de priori tempore, aliud in foro sæculari de posteriori, tamen ipsi illud posterius judicatum priori in foro Ecclesiastico facto de facto præferunt, per hoc Jurisdictionem Ecclesiasticam, quantum in se est annullantes.

Septimò dicti Justitiarii sæculares sæpe nuntios deferentes litteras domini Papæ & Legatorum ejus, necnon & Ordinariorum, verberant, capiunt & incarcerant, litteras ab eis auferentes, & etiam ipsas litteras comedere quemcumque compellunt.

Octavò non nisi ad semiplenam probationem solùm coram se litteras Ordinariorum admittunt, quibus debet adhiberi plena fides de consuetudine & de jure, & ita fuit hactenùs semper observatum.

Nonò ubi coram eis excommunicationis exceptio ad repellendum agentem, vel ferentem testimonium opponitur, nihilominùs excommunicatum ad agendum, & testimonium ferendum admittunt.

Decimò excommunicatos qui hactenùs ad mandatum Ordinariorum, maximè in Turonensi, Cenoman. & Andegav. Diœcesibus, compelli consueverunt per Justitiarios sæculares pro suâ absolutione petendâ, non compellunt prout consueverunt; & si forsitan excommunicatorum bona asserunt se cepisse, frivolus aut nullus communiter sequitur effectus; cum plus verbo faciant, quàm re ipsâ: & sic de die in diem hæreses pullulare non cessant.

Sequuntur alia gravamina quæ per easdem Potestates sæculares in aliis spiritualibus Ecclesiæ inferuntur. Et primò de decimis est agendum. Compellunt enim personas Ecclesiasticas de decimis acquisitis financiam præstare, aut eas ponere extrà manum, quod est mirabile & horrendum; Quid enim spiritualius, &c. *ut suprà.*

Secundò si personæ Ecclesiasticæ in casu licito de manu decimas redimunt laïcorum, proximi illius laïci in genere dictas decimas nituntur retrahere, offerendo redemptionis pretium infrà annum juxtà consuetudinem patriæ in rebus temporalibus approbâtam; & ad hoc faciendum compelluntur dictæ personæ Ecclesiasticæ per potentiam justitiæ sæcularis.

Tertiò laïci decimas, quas cum animarum periculo detinent, in alios laïcos transferunt emptionis aut alio quovis titulo contrà Canonica instituta, & super tali abusu à sæculari justitiâ defenduntur.

Sequuntur gravamina quæ in temporalitate dictis personis Ecclesiasticis inferuntur. Primò cum Archiepiscopus Turon. & Suffraganei ipsius Provinciæ coram domino Rege Franciæ, aut coram ejus Consiliariis, Officialibus vel Ballivis in parlamentis ipsius domini Regis, vel alibi nunquam consueverint respondere; dicti Prælati sæpe citantur coram dicto domino Rege, aut coram Consiliariis, Senescallis, Officialibus vel Ballivis prædictis; & quia non respondent sicut nec facere consueverunt, nec possunt sine offensâ juris, & periculo sui status, bona eorum temporalia per eosdem Consiliarios, Ballivos & alios Officiales dicti domini Regis saisiuntur, capiuntur, à suis domibus & maneriis vilissimè expelluntur, custodibus ex parte domini Regis in eisdem, qui redditus & proventus ad eadem maneria pertinentes recipiunt, omnia dilapidant & consumunt, damna gravia & præjudicia, quæ de facili explicari non possent, eisdem Prælatis & suis Ecclesiis infligendo; & ista vel similia in personis Briocensis, Corisopitensis & Leonensis Episcoporum acciderunt: & sicut dictum est de majoribus Prælatis, ita contigit multoties de quibusdam Abbatibus & Prioribus, ac nonnullis aliis personis Ecclesiasticis dictæ Provinciæ, quæ coram Potestatibus sæcularibus nunquam litigando consueverunt respondere.

Secundò cum dictus Rex Francorum in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus dictæ Provinciæ vacantibus habeat Regalia, de excessu Regaliatorum est inserendum. Quæ enim damna, &c. *ut suprà.*

Tempore vacationis stagna piscium evacuant, & venditioni, imò perditioni exponunt: garennas cuniculorum dissipant & denudant: & breviter quidquid possunt, eo tempore destruunt & devastant. Qualiter per easdem Potestates sæculares gravatæ fuerint, & adhuc graventur Ecclesiæ super rebus à quinquaginta annis citrà ab eisdem acquisitis, non est facile explicare: aut enim cogebantur & coguntur res sic acquisitas ponere extrà manum, aut financiam præstare valorem rei, aut emptionis pretium excedentem.

Item si aliquis laïcus contrà personam quamcumque Ecclesiasticam coram Judicibus sæcularibus super aliquâ re, etiam Ecclesiastica, se applegiet, nisi ipsa persona Ecclesiastica se contraplegiaverit, illius rei possessione privatur, & in applegiantem transfertur, licet persona Ecclesiastica se applegiare non possit, alioquin excommunicationis sententiam incurreret ipso facto.

Item in casu in quo pro delicto unius laïci saisiendo unum ipsius prædium essent contenti, omnia

bona personæ Ecclesiasticæ saisiunt, & in earum plerumque ponunt maneriis comestores, & incomparabiliter in pecuniariis emendis laïcis plus gravantur.

Item ubi præcipitur per sæcularem Potestatem capi temporalitas alicujus Ecclesiæ, omnia tam spiritualia quàm temporalia quæ habet Ecclesia, saisiuntur, & omnia præmissa contineri sub temporalitatis appellatione decernunt.

Item sunt aliqui Barones, & alii Domini temporales, qui de fructibus beneficiorum personarum Ecclesiasticarum, quos per terras vel aquas deferri faciunt, de novo pedagia exigunt in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis.

Item si Laïcus nobilis res quascumque ab Ecclesiâ justè ab antiquo possessas, etiam decimas, à Rege vel comite se tenere advocat, in manu domini Regis vel Comitis saisitur statim, & possessio advocanti traditur, nî persona Ecclesiastica se applegiet, & in foro sæculari de hoc litigare velit, quod tamen non potest, ut superiùs continetur.

Item si aliquod delictum committatur in feudo Ecclesiæ, aut in loco ubi ipsa Ecclesia habeat omnem Jurisdictionem altam & bassam, si prætendatur, licet falsò, prædictum delictum fuisse factum in chemino Regis, quantumcumque patenter alibi factum fuerit, etiam in loco sacro, Regales cognitionem, punitionem, & justitiam sibi vindicant & usurpant; non cognito vel aliàs probato, quod in chemino factum fuit, quamquam notorium sit delictum alibi fuisse perpetratum, oblatâ probatione super hoc non admissâ. Et ista consuetudo à viginti annis citrà exstitit introducta.

Quàm gravia onera, tallias, angarias & perangarias hominibus Prælatorum & Ecclesiarum imponant, eosdem homines, qui ab eorum potestate consueverunt esse liberi & immunes, cæteris graviùs onerando & affligendo, non potest breviter explanari: adeo enim dictos miseros homines talliis & aliis variis exactionibus onerant & affligunt, quòd oportet eos à dominio Ecclesiarum recedere, & ad districtum Laïcorum se transferre. Quotidie enim capiuntur, distringuntur, carceri mancipantur, & ibi tamdiù detinentur, quo usque tallias & exactiones gravissimas & importabiles solverint; adeo quòd necesse habent possessiones suas & facultates ad qualecumque pretium alienare, & postea oportet eos mendicando per orbem panem ostiatim quæritare. Quot enim vidimus ante quadriennium divites & potentes, qui modo fame pereunt, panem per ostia mendicantes? unde dictæ Potestates sæculares his diebus Jurisdictionem & auctoritatem Prælatorum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum adeo evacuant & enervant, ut nihil potestatis videatur eis in suis terris & hominibus remansisse. Per terras enim Ecclesiarum discurrentes, in iisdem justitiant & sergentant, bona capiunt, omnia devorant & absorbent, dictas terras & homines earum servituti subigendo, & potestati suæ de novo submittendo.

Qualiter autem se habeant servientes domini Regis circà exactionem duarum decimarum, quas à personis Ecclesiasticis petunt, non esset absque profundis suspiriis referendum. Dicti enim servientes cum multitudine armatorum per Abbatias, domos Canonicorum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum discurrentes, frangunt domos & ostia, cellaria, arcas, & horrea; secum ferunt quod inveniunt, vendunt ad magnum forum, ut statim pecuniam habere possint, non servantes modum debiti petiti aut decimæ reddi aliàs consuetæ. Heu! heu! quis posset lacrymas continere, videns sarcinas & troussellos, ac involucra pannorum, vestimentorum, linteorum, coopertoriorum, & aliorum utensilium, quæ penes miseras personas Ecclesiasticas non habentes quid solvant, rapiunt, & per civitates & oppida deferri faciunt cum summariis, & quadrigis: equos dictarum personarum Ecclesiasticarum ubicumque inveniunt, capiunt, & secum ducunt, & eis utuntur, imò abutuntur eosdem equitando vel aliàs suis usibus applicando. Unde nuper accidit Andegavis, quòd quidam Archipresbyter, valens homo, Capellanus Andegav. Episcopi, & quidam Clericus suus ad domum ipsius Episcopi Episcopalem Andegav. pro suis negotiis venientes, de equis suis descenderant, quibus descensis, vix amotis pedibus de strepis, affuerunt quidam servientes domini Regis, ut dicebant, qui dictos equos statim ceperunt, & secum adduxerunt: quos dictus Archipresbyter sequenti die vix habere potuit sub pignoribus argenti ab eo datis, & pro gagis sive stipendiis dictorum servientium oportuit dictum Archipresbyterum solvere decem solidos præter expensas equorum. Quibus excessibus non contenti, post paucos dies ad domum ipsius Archipresbyteri accedentes, & ejus cameram violenter frangentes, libros suos inde asportaverunt: quæ omnia injuriosissimè facta sunt, cum dictus Archipresbyter ad nullam decimam teneretur, cum anno præcedenti, pro quo petuntur duæ decimæ, vacasset beneficium suum per mortem, & pro eo finasset cum collectoribus domini Regis super annalibus beneficiorum recipiendis deputatis, & pro dictâ finatione centum decem libras dictis collectoribus persolvisset.

Quid plura? Dicti Servientes non adeo sunt solliciti de dictis decimis colligendis, quàm de suis gagiis seu stipendiis exigendis, unde pro quâlibet vice quâ dicti Servientes veniunt ad domum miseri Sacerdotis, Prioris, vel alterius personæ Ecclesiasticæ pro decimâ requirendâ, ante omnia quinque solidos pro suis gagiis exigunt & extorquent; pro quatuor vicibus viginti solidos reportantes, & sic quinque gagia eorum adæquantur quantitati decimæ vel excedunt.

Insuper à multis personis Ecclesiasticis & etiam Laïcis donaria & exenia recipiunt, ut à petitione subventionum quas ab eisdem requirunt, in totum quandoque vel ad tempus supersedeant vel desistant. Præterea ad Ecclesias de quibus nunquam fuit soluta decima propter tenuitatem redditum, accedunt, ut saltem & si non decimam, tamen sua gagia valeant extorquere. Sic totum devorant Ministri detestabiles, & miserum populum deglutiunt sicut escam panis; unde qui nuper erant garciones pauperes & egeni, nunc equitant magnos equos, & induuntur vestibus pretiosis, replent spoliis pauperum domos suas, vasa argentea & deaurata faciunt fabricarii, ac de iniquitatis mammona thesaurisant: per hunc modum depauperatur Regnum, subditi Clerici & Laïci ad miserabilem & ineffabilem inopiam & paupertatis ergastulum demerguntur; quæ utrum Regi & Regno expediant ponderet sapiens indagator. Expedit enim Reipub. subditos locupletes habere, & thesaurus Regni est abundantia subditorum.

Supplicant ergo personæ Ecclesiasticæ dictæ Provinciæ Turon. Regiæ Majestati, quòd de benignitate solitâ super præmissis adhibeat & adhiberi faciat remedium oportunum.

Item quòd Ecclesiis & personis Ecclesiasticis dictæ Provinciæ observet & observari faciat suas franchisias & libertates, ac antiquas consuetudines sicut observatæ fuerunt temporibus Prædecessorum, & maximè diebus beatissimi Ludovici avi sui.

Item

Item quòd ipse mittat viros Deum timentes in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, ad partes dictæ Provinciæ Turon. ad inquirendum & corrigendum excessus Officialium suorum aliarum sæcularium Potestatum, & statum dictæ Provinciæ reformandum.

Item quòd velit per suas dare litteras in mandatis collectoribus annalium proventuum beneficiorum Ecclesiasticorum ex parte domini Regis, in dictâ Provinciâ constitutis, ut nihil exigant de annalibus beneficiorum vacantium aliter quàm per mortem, aut aliàs, contrà declarationem Domini summi Pontificis circà privilegium domino Regi super dictis annalibus concessum, nuper factum: & quòd si quid receperint, illud restituant eis quibus restituendum fuerit, juxtà dictæ declarationis tenorem.

Item supplicat Andegav. Episcopus quòd pecuniam receptam de redditibus & proventibus terræ suæ, quam Petrus de Bonay gerens se pro Serviente domini Regis, injustè saisivit & saisitam tenuit per decem & octo septimanas vel ampliùs in manu domini Regis, integrè faciat sibi reddi; & excessus & injurias dicto Episcopo & Ecclesiæ suæ per dictum Petrum & suos complices quos custodes maneriorum dicti Episcopi constituit, & suorum redditium receptores, irrogatas faciat emendari, & ea quæ per eos malè acta sunt in statum debitum reformari.

Cap. XLII. *Epistola per dictum Episcopum dicto domino Regi directa.*

Quia misericordia & veritas custodiunt Regem, & roboratur clementiâ domus ejus, prout ait ille Rex sapientissimus Salomon Proverb. xx. sic debet esse clemens Princeps, ut sit in eo æquitatis justitia, sine quâ nulla potest Respublica benè regi: remotâ enim justitiâ, quid sunt Regna nisi magna latrocinia, ait Augustinus iv. de civitate Dei cap. iv? Cum enim Princeps sit fundamentum populi, Pater patriæ, Caput Reipublicæ, prout dicunt sapientes Philosophi, à suâ justitiâ debet aliorum justitia emanare, & ab eo debet regi omnis alia justitia, & etiam gubernari. Rex enim *justus erigit terram, vir avarus destruet eam*: prout ait idem Salomon Proverb. xxx. Et rursum xxv. *Aufer impietatem de vultu Regis, & firmatur justitiâ thronus ejus.* Attendat Princeps sapiens qualiter differt Rex à Tyranno. Verus Princeps est, qui legitimè constitutus jure divino & humano principatur, & qui virtutibus præditus seipsum benè regit: Tyrannus verò est, qui contrariis modis se habet, sed numerus annorum incertus est tyrannidis ejus. Job xv. ibid. Gregor. Moral. xii. Tyrannus dicitur qui in communi Republicâ non jure principatur. Et in Politico Polycrato lib. iv. cap. i. quæ differentia est Tyranni & Principis? quia hic legi obtemperat, & ejus arbitrio populum regit, cujus se credit ministrum: Tyrannus verò, qui contrariis modis se habet. Unde omnis Princeps, licet sit legitimè institutus, cavere debet ab operibus tyrannicis, quæ sunt, injustis legibus populum subjectum opprimere, indebitis tributis & talliis aggravare, propriis rebus exspoliare, operibus non debitis angariare, ab aliis invadentibus non defendere, Præpositos & Ballivos injustos ad excoriandum populum præficere, & sic de aliis. Quia ut ait Augustinus i. de Civitate Dei, cap. xx. Rex cum est injustus, Tyrannus est. Et Sapiens in Ethicis ponens differentiam inter Regem & Tyrannum: Tyrannus est qui quod sibi conferens est, intendit: Rex, qui quod est utile subditorum. De principantibus modo Tyrannico dicitur Prov. xxviii. *Leo rugiens, & ursus esuriens, Princeps impius super populum pauperem. Dux indigens prudentiâ, multos opprimet calumniâ: qui autem oderit avaritiam, longi fient dies ejus.* De talibus conqueritur Dominus Isa. i. *Principes tui infideles, socii furum*, &c.

Prov. 29. 4.

Ibid. 25. 5.

Prov. 28. 15.

Isai. 1. 23.

Princeps ergo nobilis & justus caveat à prædictis, cogitans quia est pater patriæ, ut dictum est suprà. Ut enim ait Sapiens in Ethicis, similis est comparatio Regis ad subditos, & patris ad filios, & pastoris ad oves. Modo ergo paterno debet populum regere & clementer. Sit justus, justè & rectè judicando, leges justa præcipientes & contraria prohibentes sanciendo. *Per me* (inquit Divina Sapientia) *Reges regnant, & legum conditores justa decernunt, per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Prov. viii. Pauperes exaudiendo, eorum causas examinando, injurias propellendo, & ad satisfaciendum injuriatores compellendo: hoc enim debet eis facere exemplo egregii Imperatoris Trajani, nulli auferendo quod suum est, nec auferri permittendo; furta cohibendo, transgressores legum puniendo. Regum enim, ut dicit Hieronymus, proprium est facere judicium atque justitiam, & liberare de manu calumniantum vi oppressos: sophisticas machinationes, calumniosas adinventiones malorum Officialium & Curialium ad illaqueandum & excoriandum & spoliandum populum cohibendo; verbis eorum adulatoriis & mendacibus, suadentibus extortiones & rapinas fidem non adhibendo: quia Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes Ministros habebit impios. Prov. xxix. Respondere debet talibus bonus Princeps sicut de illo optimo Principe Tiberio Imperatore narratur in historiis: quod cum sibi suaderetur à malis Consiliariis tributa augenda esse Provinciis: Respondit boni pastoris non esse pecus deglutire, &c. *ut suprà.*

Prov. 8. 15.

Humiles ergo Principes & devotos Deo & Ecclesiæ, ut est dictum in præsenti, elevat Deus & in futuro glorificat. Superbos verò & sibi & Ecclesiæ rebelles humiliat & damnat; unde Sapiens: *Sedes Ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Quod autem præmium sit Principum justorum & benè regentium temporaliter, determinatur Deuter. xvii. ubi dicitur de Rege: *Non multiplicabit sibi equos, &c.* Et sequitur; *nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram sive sinistram, ut longo regnet tempore ipse & filius ejus super Israël.* Et Proverb. xxix. *Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.* Quale verò sit damnum tyrannicè regentium dicitur Eccli. x. *Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos*, prout patuit de Saule qui Regnum amisit, quòd Deo & mandatis ejus inobediens fuit. i. Reg. xv. unde Propheta Samuel ei dixit: *Pro eo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis Rex super Israël*: Et in Roboam filio Salomonis, qui spreto consilio seniorum, sequens consilium juvenum de aggravando jugo super populum, respondit populo dura, dicens: *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei, pater meus aggravavit jugum vestrum, ego addam jugo vestro, pater meus cecidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus*: propter quæ decem Tribubus recedentibus ab eodem, duabus dumtaxat sibi adhærentibus, scissum est Regnum ejus. Non credat ergo Rex sapiens & nobilis maximè, à sanctorum progenitorum prosapiâ derivatus, dantibus malum consilium de jugo super populum & Ecclesias aggravando, ne Deus, cui nihil

Eccli. 10. 17.

Deut. 17. 16. 20.

Prov. 29. 14.

Eccli. 10. 8.

1. Reg. 15. 23.

est impossibile, videns afflictionem & clamorem populi importabilibus oneribus oppressi, ad iracundiam provocatus transferat aut dividat Regnum ejus. Æterna verò merces benè regentium Principum est regnare cum Rege Regum in æternum, sicut fuit de David & de Rege sanctissimo Ludovico. Injustè verò principantium damnatio æterna; *Durissimum enim judicium in his qui præsunt fiet: & potentes potenter tormenta patientur.* Sap. VI.

Sap. 6. 6.

CAP. XLIII.

Sequuntur litteræ Regiæ impetratæ à dicto Episcopo super gravaminibus memoratis.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Turon. & Cenomanensi Ballivis, vel eorum loca tenentibus salutem. Ex dilectorum nostrorum Archiepiscopi Turon. ejusque suffraganeorum gravi querimoniâ ad nostrum pervenit auditum, quòd vos & alii Justitiarii, Ministri & Officiales nostri in nostris constituti Balliviis ipsos, Ecclesias, & personas Ecclesiasticas Provinciæ Turonensis, molestationibus & oppressionibus variis contrà immunitatem Ecclesiasticæ libertatis incessanter opprimitis, & diversis jugiter injuriis & gravaminibus molestatis. Nos autem qui in eorum quiete quiescimus, ipsos à prædictis gravaminibus præservari, & libertatem hujusmodi, regiminis nostri temporibus illibatam servari plenis desideriis affectantes, Mandamus vobis, quatenùs si temporalitas Prælati per Curiam nostram saisiri ex causâ mandetur, sitis à principio saisinâ unius manerii vel alterius paucæ partis contenti, nisi ad majorem forsitan partem successivè postmodù saisinam extendi indurata contumacia vel protervitas inobedientis exposcat. Non tamen ad saisiendum totam temporalitatem procedentes, nisi in nostris litteris de totâ contineatur expressè, vel nisi facti atrocitas hoc requirat. Quòd si Custodes in talibus saisinis poni contingat, uno sitis contenti à principio, nisi magna rebellio aliud requirat, vel de pluribus in litteris nostris expressa mentio habeatur.

Ab his & similibus processibus & gravaminibus abstineri, in sesinis temporalitatis aliarum personarum Ecclesiasticarum prædictæ Provinciæ, facientes: attentiùs provisuri, ut in saisinis hujus Servientes ponatis ita providos & fideles, ne de ipsorum administrationibus atque gestis à vobis ratio exigatur, vel super hoc aliàs possitis redargui vel puniri.

Subditis quoque nostris non inhibeatis, quin in casibus ad jurisdictionem Ecclesiæ de jure & consuetudine spectantibus, suos adversarios coram Ecclesiasticis Ordinariis locorum conveniant, nec aliquos per captiones corporum vel bonorum ad impetrandum pro adversariis suis absolutiones compellatis, nec compelli etiam permittatis: neque litteras Ecclesiasticorum judiciorum deferentes incarceretis, nec verberetis propter portationem ipsarum, nec litteras ipsas auferatis eisdem. Quòd si apertâ litterâ & indubitatâ Ordinariorum Ecclesiasticorum locorum judicium, majorem excommunicationem continens, vobis ostendatur præ manibus, & non fuerit appellatum, excommunicatos ad agendum vel patrocinandum non recipiatis, ubi consuetum est hoc servari, id est excommunicatos, siquidem obstinatos, ad petendum absolutionem ad requisitionem Ordinariorum compellatis, sicut ab antiquo fuerit consuetum.

Personas insuper Ecclesiasticas ad nova pedagia, vel inconsueta solvi à personis Ecclesiasticis de fructibus beneficiorum suorum Ecclesiasticorum, solvenda compelli minimè permittatis. Custodes autem Regalium per nos positos, vel ponendos, excessus vel usurpationes facere prohibemus. Hujusmodi ergo mandatum nostrum sic diligenter & fideliter exequi procuretis, quòd tam ipsi Prælati, quàm Ecclesiæ & Ecclesiasticæ personæ supradictæ, injuriarum & molestationum quarumlibet turbinibus relegatis, pacis auctori, cujus mancipantur obsequiis eo devotiùs, quo tranquilliùs debitum impendere valeant famulatum; Nosque ipsorum in hac parte cessantibus querimoniis & querelis, quarum reverâ iterata delatio nostrum turbaret acerbiùs & offenderet animum, obedientiam & sollicitudinem vestram proinde meritò commendare possimus, præsentes litteras prædictis Prælatis vel eorum mandato reddentes. Actum apud Angleur die Jovis post Festum Resurrectionis Dominicæ, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono. 1299.

Sequuntur litteræ exsecutoriæ ad præmissa.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Dilectis Magistro RADULFO Roussiloti Clerico nostro, & GAUFRIDO de Aniseyo Vicecomiti Bajocensi salutem & dilectionem. Ex dilectorum nostrorum Archiepiscopi Turonensis ejusque suffraganeorum gravi querimoniâ ad nostrum pervenit auditum, quòd Collectores decimæ & annalium Ecclesiasticorum beneficiorum nobis pro Regni nostri defensionis subsidio concessorum, & alii Officiales & Ministri nostri superintendentes negotio collectionis hujusmodi, & aliàs in ejusdem & aliarum subventionum impositarum diversis retroactis temporibus pro negotio defensionis prædictæ collectionis Officio, illudque contingentibus, in Turonensi Provinciâ deputati, plus illicitis quæstibus & propriis commodis inhiantes, quàm utilitati & exequutioni fideli negotiorum suæ fidei commissorum, & aliàs potestate sibi traditâ nequiter abutentes, Prælatos, Ecclesias & personas Ecclesiasticas Provinciæ Turonensis ac homines eorumdem sub umbrâ subventionum hujusmodi, indebitis exactionibus, extortionibus & rapinis diversimodè gravaverunt: quòdque tam prædicti quàm alii Officiales, Justitiarii & Servientes nostri Balliviarum ipsarum, Prælatos, personas Ecclesiasticas, & homines supradictos molestationibus & oppressionibus variis contrà immunitatem Ecclesiasticæ libertatis, & ordinationes nostras super his editas, opprimere, & diversis injuriis & gravaminibus afficere præsumserunt, & alios graves & enormes priscis temporibus commiserunt, & jugiter committere non verentur excessus.

Nos autem qui in eorum quiete quiescimus, prædicta gravamina eis, ut præmittitur, jam illata molestè ferentes, & cupientes ab his quæ inferri possent in posterum præservari; vobis de quorum industriâ & fidelitate plenam in Domino fiduciam gerimus, præsentium tenore committimus, & mandamus, quatinùs ad partes illas vos personaliter conferentes, de exactionibus, extortionibus, rapinis, gravaminibus, injuriis & excessibus antedictis inquiratis, vocatis evocandis, summariè & de plano, diligenter & sollicitè veritatem: quæ taliter inveneritis extorta, plenè restitui, damna restaurari, injurias emendari, & gravamina submoveri, prout justum fuerit facientes, & quos in præmissis constiterit deliquisse, castigatione debitâ, etiam per privationem ipsorum ab officiis vel servitiis suis perpetuò, vel ad tempus, & aliàs, prout expedire videritis, taliter punientes, quòd eorum pœna tam sibi, quàm aliis præsumptionis similis interdicat exempla. Illos etiam quos culpabiles inveneritis in hac parte, ad refundendum prædictis Prælatis & alias expensas, quas ipsos in hujus persequutione negotii fecisse

constiterit, ratione prævia compellatis.

Hujusmodi ergo mandatum nostrum sic diligenter & fideliter exsequi procuretis, quòd tam ipsi Prælati, quàm Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ supradictæ, injuriarum & molestationum quarumlibet turbinibus relegatis, pacis auctori cujus mancipantur obsequiis eo devotiùs, quo tranquilliùs debite impendere valeant famulatum: Nosque ipsorum in hac parte cessantibus querimoniis & querelis, quarum reverà iterata delatio nostrum turbaret acerbiùs & offenderet animum, obedientiam & sollicitudinem vestram proinde meritò commendare possimus. Damus autem fidelibus Justitiariis & subditis nostris tenore præsentium in mandatis, ut vobis in præmissis, & ea tangentibus diligenter & efficaciter pareant & intendant. Actum apud Angleur die Jovis post festum Resurrectionis Dominicæ, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono.

Sequuntur alia Littera domini Regis.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turonensi, vel ejus locum tenenti, salutem. Mandamus tibi, quatinùs PETRUM de Bonayo Servientem nostrum, ad reddendum de iis, quæ de terrâ dilecti & fidelis nostri Episcopi Andegav. quæ ad manum nostram ratione dissensionis inter ipsum & carissimum germanum, & fidelem nostrum K. Comitem Andegav. exortæ, saisita & aliquamdiu retenta exstitit, per eum & deputatos ab ipso levata & recepta fuerint, plenam, fidelem & integram rationem, & ad reddendum eidem Episcopo levata & recepta hujusmodi, deductis rationabiliter deducendis, summariè & de plano compellas. Actum apud Angleur die Jovis post Festum Resurrectionis Dominicæ, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono.

CAP. XLIV. *Quædam Responsio facta domino Regi à Prælatis Provinciæ Turonensis.*

UNiversis præsentes litteras inspecturis & audituris R. Dei gratiâ Archiepiscopus Turonens. R. Cenom. G. Andegav. H. Nanneten. B. Maclovien. N. Corisopiten. & G. Briocen. eâdem gratiâ Episcopi, salutem & sinceram in Domino charitatem. Noveritis quòd nos ab Excellentissimo Principe domino PHILIPPO Dei gratiâ Rege Francorum

1301. Illustri, anno Domini millesimo trecentesimo primo, Dominicâ in Passione Domini Parisius evocati super quibusdam negotiis ipsum Regem & statum Regni, ut dicebat, tangentibus nostra consilia præbituri, & super eisdem negotiis pro eodem, aliisque Prælatis, & ipsius Regni Proceribus tractaturi; expositisque dictâ die ex parte ipsius Regis negotiis super quibus fueramus, ut prædicitur, evocati, petitoque à nobis ex parte ipsius Regis præsentis, ut ipsum juvare ad defensionem jurium suorum, ac honoris & Regni sui, super expositis negotiis curaremus. Die Lunæ sequenti convenientes in unum, communicato consilio, ac deliberatione præhabitâ diligenti, protestato ante omnia à nobis, quòd per prædictum tractatum & responsionem nostram non intendebamus nos nec Ecclesias nostras in aliquo de novo subjicere vel submittere: ipsi Regi respondimus in hunc modum, videlicet quòd ipsum ad defensionem jurium, statûsque & honoris suorum & Regni, salvis juribus & libertatibus Ecclesiarum nostrarum, statibus nostris, animarumque salute, in quantum possemus commodè juvaremus. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Actum Parisius die Lunæ & anno prædictis.

Littera missa domino Bonifacio Papa VIII. à Prælatis Regni Franciæ.

SAnctissimo Patri ac domino suo carissimo domino BONIFACIO Divinâ providentiâ sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, sui humiles ac devoti, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores Conventuales, Decani, Præpositi, Capitula atque Collegia Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, Regularium & sæcularium totius Regni Franciæ Parisius congregati, devotissima pedum oscula beatorum. Non absque dolore cordium, & amaritudine lacrymarum beatitudini vestræ significare compellimur, quòd Serenissimus Princeps, dominus noster carissimus, PHILIPPUS Dei gratiâ Franc. Rex Illustris, auditis quæ per venerabilem virum Archid. Narbonensem, Notarium & Nuntium vestrum nuper sibi ex parte vestrâ relata fuerunt, ac inspectis Apostolicis litteris clausis ei per eumdem Archid. præsentatis, & quibusdam (licet paucis) de Baronibus suis tunc sibi assistentibus earum communicato tenore; ex his tam dominus Rex, quàm Barones ipsi, ingenti admiratione & vehementi turbatione commoti, statim idem dominus Rex de Baronum ipsorum consilio Barones cæteros tunc absentes, ac nos, videlicet Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Priores Conventuales, Decanos, Præpositos, Capitula, Conventus atque Collegia Ecclesiarum tam Cathedralium, quàm Collegiatarum, Regularium & sæcularium; necnon Universitates & Communitates Villarum Regni sui ad suam mandavit præsentiam evocari, ut Prælati, Barones, Decani, Præpositi, ac duo de Prioribus uniuscujusque Collegiatæ vel Cathedralis Ecclesiæ personaliter, cæteri verò per Oeconomos, Syndicos, ac Procuratores idoneos cum plenis & sufficientibus mandatis, statutis loco & termino curaremus. Porrò nobis cæterisque personis Ecclesiasticis supradictis, necnon & Baronibus, Oeconomis, Syndicis & Procuratoribus Communitatum & Villarum, & aliis, sic juxtà præmissæ vocationis formam ad mandatum Regium hac die Martis, decimâ præsentis mensis Aprilis, in Ecclesiâ Beatæ MARIÆ Parisius in præfati Regis præsentiâ constitutis, idem dominus Rex proponi fecit cunctis audientibus, palam & publicè, sibi ex parte vestrâ fuisse inter alia per prædictos Archidiaconum & litteras intimatum; quòd de Regno suo, quòd à solo Deo ipse & Prædecessores sui tenere hactenùs recognoscunt, temporaliter vobis subesse, illudque à vobis tenere deberet: nec contenti verbis hujusmodi sic mirabilibus, sicque novis & inauditis à sæculo apud incolas dicti Regni, sed ea perducere satagentes exsequutionis in actum, Prælatos dicti Regni, ac Magistros in Theologiâ, & Professores utriusque juris, oriundos de Regno prædicto, pro corrigendis excessibus, necnon & pro culpis, insolentiis, injuriis atque damnis, quæ Prælatis, Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis Regularibus & sæcularibus in Regno constitutis eodem, & alibi, per ipsum dominum Regem & Officiales, seu Ballivos suos, ac Paribus, Comitibus, Baronibus aliisque nobilibus, Universitatibus & populo dicti Regni inferri prætenditis, emendandis, ad vestram præsentiam evocastis, ut sic Regnum præfatum pretiosis jocalibus, incomparabilibusque thesauris, clypeis fortium præferendis, sapientiâ videlicet Prælatorum & sapientum etiam aliorum, quorum fidei maturitate consilii, ac providentiâ circumspectâ regi habet & dirigi Regnum ipsum, firmari fides, Sacramenta Ecclesiastica exhiberi, ministrari justitia, & per eos

facultatibus & divitiis vacuatum penitùs & exhaustum, dubii casûs eventibus, miserabilis ruinæ periculis, & desolationis extremæ dispendiis exponatur.

In quibus, & aliis diversis gravaminibus, quæ per vos & Romanam Ecclesiam sibi, Regno, & Ecclesiæ Gallicanæ tam in reservationibus & ordinationibus voluntariis Archiepiscopatuum & Episcopatuum, & collationibus beneficiorum insignium dicti Regni personis extraneis & ignotis, & nonnunquam suspectis, nullo tempore residentibus in Ecclesiis vel beneficiis supradictis; ex quibus divini cultûs diminutio sequitur, & fundantium seu donantium voluntates propulso pietatis officio defraudantur, pauperibus dicti Regni eleemosynarum largitio consueta subtrahitur, Regni depauperatio provenit, & Ecclesiæ jacturam deformationis incurrunt; dum stipendiorum perceptione subtractâ obsequiis destitutæ remanent servitorum, earum proventibus exterorum commoditatibus deputatis; & Prælati dum non habent quid pro meritis, imò retribuant nobilibus, quorum progenitores Ecclesias fundaverunt, & aliis litteratis personis, non inveniunt servitores; ac ex causis hujusmodi devotione tepescente fidelium, non est hodie qui ad Ecclesias manum liberalitatis extendat, & alias in præmissis perniciosum præbetur exemplum.

Necnon pensionibus novis & censibus Ecclesiis de novis impositis immoderatis, servitiis aliisque exactionibus & extortionibus variis; præjudicialibus siquidem & damnosis novitatibus, ex quibus generalis status Ecclesiæ immutatur, Prælatis superioribus dandi coadjutores suffraganeis Episcopis, & aliàs tam ipsis quàm suffraganeis ea quæ ad suum spectant officium exequendi facultas adimitur, ut pro eis ad Apostolicam sedem cum muneribus recurratur, aliisque diversis casibus, & nonnullis articulis à longè retrolapsis, & vestris præsertim temporibus illata fuisse, & continuè inferri conqueritur suam & successorum suorum & Regni exheredationem tam enormem & gravem, tamque manifestam, sui & Regni honoris dispendium & evidens detrimentum: nec intendens, sicut nec poterat, diutiùs tolerare, & se certum asserens, quòd superiorem in temporalibus, sicut nec sui progenitores habuerant, prout est toti mundo notorium, non habebat; ac fovere in præsenti negotio, sicut Doctorum in Theologiâ, Magistrorum in utroque jure de Regno suo oriundorum, & aliorum qui inter Doctores alios & peritos orbis peritiores & famosiores habentur, relatione concordi, habuerat justam causam. Nos universos & singulos tam Prælatos, quàm Barones, & alios instantiùs requisivit, præcepit ut Dominus, rogavit & precibus institit ut amicus, ut nobiscum ad conservationem libertatis antiquæ, honoris & status Regni prædicti, ac incolarum ipsius relevationem gravaminum prædictorum, reformationem Regni, Ecclesiæ Gallicanæ, de nostro & Baronum ipsorum consilio, ad laudem Divini nominis, exaltationem Catholicæ fidei, honorem universalis Ecclesiæ, & Divini cultûs augmentum, salutaria disponat inire consilia & efficacem operam adhibere, præsertim circà gravamina per Officiales suos & alios de Regno prædicto, Ecclesiis Ecclesiasticisque personis illata, super quibus debitæ correctionis remedium ante adventum præfati Archidiaconi ordinaverat adhibere; quod jam duxisset in exequutionis effectum, nisi quod id ex metu vel ad mandatum vestrum fecisse forsan aliquibus videretur, id quod nobis adscribere non possetis; & ad hoc non solùm omnia quæ in bonis forent ipsius, sed & personam & liberos si casus exigeret exponendo; similiter in his in quibus singulariter omnium & generaliter singulorum res agi dignoscitur, causa provehitur, & proprium uniuscujusque tangitur interesse, prout ex debito fidelitatis adstringimur, curaremus adesse consiliis & auxiliis oportunis, petens sibi statim super his ab universis & singulis præcisè ac finaliter responderi.

Barones verò cum syndicis & procuratoribus supradictis, secedentes in partem, ac demum deliberato consilio redeuntes, præfato domino Regi de hujusmodi suo laudabili proposito, & beneplacitâ voluntate, ad multa laudum præconia & gratiarum actiones exuberes assurgentes unanimiter responderunt, se ad ea paratos nedum exponere res, & bona quæ ex tunc ad hoc totaliter offerebant, sed & personas usque ad mortis supplicium, tormentorum quorumlibet genera non vitando. Adjicientes expressiùs unâ voce, quòd & si præfatus dominus Rex præmissa, quod absit, eligeret tolerare, vel sub dissimulatione transire, ea ipsi nullatenùs sustinerent.

Itaque subsequenter à nobis responsione petitâ, licet longiores inducias postulantes, ipsum dominum Regem & Majores ex Baronibus memoratis; quòd non eâ intentione ad eumdem dominum Regem Apostolicæ litteræ processissent, ut vestræ voluntatis existeret in Regni præfati libertatem impingere, vel quidquam honori Regio contrarium in hac parte, vel quomodolibet innovare: multâ lenitate verborum, persuasionibus studiosis, & multiplicatis excusationum præsidiis, nisi fuimus informare ipsum Regem ad servandum speciale vinculum unionis, quod inter sanctam Romanam Ecclesiam & prædecessores suos, & ipsum Regem usque ad hæc tempora viguisse dignoscitur; multipliciter inducendo: ulteriori dilatione negatâ, ac prædicto patenter & publicè universis, quòd si quis voluntatis contrariæ appareret, ex tunc pro inimico Regis & Regni notoriè habebatur, consultiùs attendentes, & conspicientes apertiùs, quòd nisi dominus Rex & Barones prædicti ex nostrâ forent responsione contenti, præter alia pericula & scandala gravia, quorum non esset numerus neque finis, tam Romanæ quàm Gallicanæ Ecclesiæ devotio & obedientia omnimoda Laïcorum, & totius populi ex tunc irrecuperabiliter tollebatur; non sine multæ prolixitatis angustiâ sic duximus respondendum, quòd ipsi domino Regi in conservatione personæ suæ suique terreni honoris, ac libertatis & jurium dicti Regni, prout quidam nostrûm, qui Ducatus, Comitatus, Baronias, feoda, & alia membra nobilia dicti Regni tenemus, ex formâ juramenti, & cæteri quasi omnes debito sumus fidelitatis adstricti, adessemus eidem consiliis debitis & auxiliis oportunis; eidem domino Regi humiliter supplicantes, ut cum Apostolicæ sanctitati ad obedientiam teneamur, ad beatitudinis vestræ pedes juxtà præmissæ vocationis vestræ tenorem permitteret nos conferre. Ex parte cujus & Baronum est sequuta responsio: Quòd nullo casu nos abire permitterent, Regnum sic periculosè, sic deformiter, sic irrecuperabiliter vacuari, quin potiùs exhauriri totaliter, nullatenùs sustinerent.

Considerantes igitur tam vehementem commotionem, & turbationem tam periculosam & gravem, imò gravissimam Regis, Baronum & aliorum Laïcorum Regni prædicti, & jam cognoscentes apertiùs, quòd antiqui hostis pacis æmuli zizaniæque satoris (qui à suæ principio ruinæ conatur ut Ecclesiæ unitatem pacis turbatione rescindat, charitatem vulneret, sanctorum dulcedinem operum invidiæ veneno fellis inficiat, humanumque genus evertat modis omnibus & perturbet) faciente nequitiâ, amabilis fœderis, unitatis & amicitiæ singu-

laris, quæ inter sæpedictam Romanam Ecclesiam ac præfatum dictum nostrum Regem ac prædecessores ipsius & Regnum, ad laudem Altissimi, ad fidei Christianæ profectum, & tam Ecclesiæ quàm Regis & Regni honoris & exaltationis incrementa felicia, hactenus viguerunt; dissolutioni & separationi flebili & lugubri, proh dolor! porta patet, ac undique insurgunt frementia scandala, excrescunt angustiæ Ecclesiis Ecclesiasticisque personis, expositionis ac rerum & bonorum direptionis pericula intentantur, cum jam abhorreant Laïci & prorsus effugiant consortia Clericorum, eos à suis omninò consiliis & actionibus abdicando, ac si contrà eos proditoriæ factionis conscii vel participes exstitissent, & ad contemnendum censuram Ecclesiasticam & processus si quàvis auctoritate fierent contra eos, jam se parant & muniunt in grave periculum animarum: & alia varia & diversa pericula, quæ nec lingua referre sufficeret, nec posset scriptura differere (sunt in promptu.) Ad sanctitatis vestræ providentiam circumspectam in hoc summæ necessitatis articulo providimus recurrendum, flebilibus vocibus, & lacrymosis singultibus paternam clementiam implorantes ac supplicantes humiliter, quatenùs salubre remedium in præmissis, per quod firmata fides tam longi decursu temporis inter sacram Ecclesiam, Regem & Regnum fructuosæ unionis, & mutuæ dilectionis integritas, in antiquæ charitatis dulcedine conservetur, status Ecclesiæ Gallicanæ in pulcritudine pacis & quietis optatæ remaneat, prospiciatur nobis nostrisque statibus circà vestræ prædictæ vocationis edictum, ac prædictis periculis & scandalis obvietur Apostolicæ providentiæ studio, ac paternæ pietatis officio dignemini providere. Conservet Altissimus Beatitudinem vestram Ecclesiæ suæ sanctæ per tempora longiora. Datum Parisius die Martis prædictâ.

CAP. XLVI. *Isti sunt articuli pro quibus dominus* BONIFACIUS *Papa* VIII. *misit dominum* JOANNEM *Monachum tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbyterum Cardinalem, ad dominum* PHILIPPUM *Regem Francorum, anno Domini millesimo trecentesimo secundo.*

1302.

INfra scripti sunt articuli super quibus mittitur dilectus noster JOANNES tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbyter Cardinalis.

Super revocatione Constitutionis, &c. *Quæ sequuntur exstant apud Raynaldum tom. 14. an. 1303 n. 34.*

Item quòd nos testamur, non tantùm ut privata persona, sed etiam Papaliter; & decernimus hujusmodi dicto nostro & testimonio esse standum, quòd civitas Lugdun. ejusque suburbia, & contingentia ædificia sive horti, non sunt infrà terminos, fines seu limites Regni Franciæ constituta; nec etiam Ecclesia & villa sancti Irenæi, & Ecclesia seu locus qui dicitur sanctus Justus suprà seu prope Lugdunum. Et quòd prædicta civitas, castra, terræ, possessiones ad dictam Lugdunensem Ecclesiam pertinentia, merum & mixtum imperium & jurisdictio in eisdem sunt juris & proprietatis præfatæ etiam Lugdun. & pertinent ad eamdem. Quodque Rex ipse, & quivis alii Reges Franciæ, non habent nec habere debent in ipsis vel eorum aliquo jus aliquod vel ressortum. Et quòd dictæ civitatis universitas, communitas sive cives singulares & speciales personæ ipsius, nec merum nec mixtum Imperium nec Jurisdictionem habent in civitate, suburbiis, hortis, vel ædificiis contingentibus, aut in castris, bonis, possessionibus prædictis; nec etiam in Ecclesiis seu villis vel locis sancti Irenæi vel sancti Justi præfatis. Et quòd per concessionem vel commissionem qualitercumque ipsis vel eorum alicui, à præfato Rege Francorum factam, sub quàvis formâ vel conceptione verborum, aut etiam faciendam, mero aut mixto imperio ac jurisdictione in prædictis civitate, suburbiis, ædificiis contingentibus, territorio seu districtu, castris, villis, possessionibus, terris, seu bonis, aut in ipsorum aliquo nullatenùs uti possunt, ipsosque universitatem, communitatem, cives singulares vel speciales per personas Lugdun. commissione vel concessione hujusmodi, vel quàvis aliâ, non posse ipsa vel ipsorum aliqua vel aliquid exercere. Quibus etiam omne jus omnemque potestatem condendi ordinationes, & statuta municipalia nos penitùs interdicimus, maximè cum speciales personæ civitatis ejusdem sint excommunicationis sententiâ innodatæ, & civitas ipsa Ecclesiastico supposita interdicto. Et quòd Archiepiscopo & Capitulo Lugdun. Clericis, & vassallis seu hominibus ipsorum, de damnis & injuriis eis illatis satisfactio plena fiat: nec impedimentum præstetur, quominùs auctoritate Lugdunensis Ecclesiæ merum & mixtum Imperium & Jurisdictio in dictis, civitate, suburbiis, villis castris, terris, possessionibus, bonis & locis valeat exerceri, &c. *Vide Raynaldum ubi suprà.*

Processus contrà Exactores & Levatores tributariæ functionis, quæ vulgariter dicitur adjutorium sive aide, *aut quartagium.* CAP. XLVII.

GUILLERMUS permissione Divinâ Andeg. Episcopus tali Decano, salutem. Cum tam humanarum quàm Divinarum auctoritate scripturarum, Ecclesiæ & pia loca, personæque & possessiones Ecclesiasticæ ab omnibus munerum sordidorum extraordinariis & superindictis talliis, collectis seu exactionibus, angariis, & perangariis, liberæ sint & immunes, adeo quod de juris censurâ illi qui Ecclesias, pia loca, personas, & possessiones Ecclesiasticas supradictas fæce vexaverunt munerum sordidorum, vel ab his extraordinarium vel superindictum flagitaverunt, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ in sacrilegos promenda est perpetuo debeant exilio deportari; & adeo quod Lateran. Concilium adversus Consules & Rectores civitatum, & alios qui Ecclesias & viros Ecclesiasticos talliis seu collectis, & exactionibus aliis aggravare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ providere, præsumptionem hujusmodi sub anathematis districtione prohibuit; transgressores & fautores eorum commonitos excommunicationi subjacere præcipiens, donec satisfactionem impenderint competentem. Et ad aures nostras devenerit ex plurium personarum Ecclesiasticarum, Religiosarum & sæcularium nostrarum civitatis & Diœcesis clamoribus & insinuationibus querulosis quòd nonnulli gerentes se pro Servientibus & allocatis domini Comitis Andegav. seu substitutis vel deputatis ab ipsis, ab Ecclesiis, piis locis, & personis Ecclesiasticis, Religiosis & sæcularibus nostrarum prædictarum civitatis & Diœcesis, quamdam impositionem seu exactionem, talliam vel collectam, quam *adjutorium* vel *aide* sive *quartagium* appellant, de bonis, rebus, possessionibus & proventibus suis Ecclesiasticis de novo exigere & extorquere conantur, & in quantum est eis possibile, exigunt & extorquent; hac occasione bona Ecclesiarum saisire & invadere præsumentes, nitentesque eos de novo subjicere servituti, quæ huc usque in civitate & Diœcesi Andegav. exstitit inaudita. Unde lamentum Jeremiæ modo vi-

Thren. 1. 1. detur esse completum: *Princeps Provinciarum facta est sub tributo.* Non attendentes quantum sit eis in Clericos Ecclesiasticasque personas & bona ipsorum interdicta potestas, contrà Canonicarum & Civilium sanctionum prohibitionem expressam temerè veniendo, in suarum pericula animarum, & in præjudicium & enervationem Ecclesiasticæ libertatis.

Nosque tam horrendum abusum non possumus sub dissimulatione transire, cùm nostro incumbat officio immunitates & libertates Ecclesiasticas in nostris civitate & Diœcesi defendere & tueri. Vobis & vestrûm cuilibet in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenùs alter alterum non exspectans inhibeatis ex parte nostrâ canonicè Ballivo Andegav. necnon Subballivis Andegav. de Salmurio, de Baugeio, ac Joanni de Coceio, & omnibus aliis Servientibus & allocatis domini Comitis Andegav. cæterisque Exactoribus, Levatoribus & Receptoribus impositionis, seu exactionis prædictæ, deputatis & deputandis in quibuscumque locis & parochiis vestri Decanatûs prædicti, sub pœnâ excommunicationis, ne ipsi aut alter ipsorum prædictam impositionem seu exactionem ab aliquâ personâ Ecclesiasticâ, sæculari, vel Religiosâ vestri Decanatûs, de rebus, bonis, possessionibus, & proventibus suis Ecclesiasticis exigere, recipere, seu levare præsumant. Monentes ipsos & eorum quemlibet nihilominùs ex parte nostrâ canonicè specialiter & nominatim, quòd ipsi & quilibet eorumdem super exactis, extortis, levatis & receptis per ipsos & eorum quemlibet à personis Ecclesiasticis supradictis, occasione impositionis seu exactionis prædictæ, sibi plenam satisfactionem impendant indilatè & cum effectu; alioquin ipsos quos culpabiles inveneritis in hac parte per rei evidentiam, confessionem ipsorum, vel aliàs legitimè quoquomodo, quos Canonicis inhibitione & monitione præmissis in scriptis ex nunc ut ex tunc excommunicamus, excommunicatos tam auctoritate juris quàm nostrâ nuntietis, & in locis de quibus expedire videbitis faciatis publicè nuntiari.

De nominibus autem inhibitorum & monitorum, eorumque qui excommunicationem incurrerint nos certificetis, & rescribatis quod fuerit rescribendum. Vobis verò & vestrum cuilibet in solidum, ita quòd non sit melior conditio occupantis, quoad præmissa & ea tangentia committimus vices nostras, donec eas ad nos duxerimus revocandas. Datum apud Eventart die Veneris post Festum æstivale Beati Martini, Anno Domini millesimo trecentesimo
1307. septimo.

Littera generalis de eodem.

GUILLERMUS permissione Divinâ Andeg. Episcopus Archipresbytero Andegav. & ejus vices gerenti, salutem in Domino. Cùm tam humanarum quàm, &c. *ut supra.*

CAPUT XLVIII. *De gardâ sive custodiâ Monasterii B. Mariæ Andeg. tempore vacationis ejusdem.*

OMnibus hæc visuris, Magistri HERVEUS de Henon, MATTHÆUS Picot, GUILLERMUS Odardi, PETRUS de Valleiis, Canonici Andeg. GUILLERMUS Mauhuyon Archipresbyter de Ludio, & JOANNES Pictaven. Decanus de Camilliaco, sa-
1304. lutem. Noveritis quòd anno millesimo trecentesimo quarto, die Sabbati post Festum Beati Dionysii, in præsentiâ Reverendi Patris domini GUILLERMI Divinâ providentiâ Andegav. Episcopi, & nostrâ constitutus Andegav. in camerâ dicti Reverendi Patris, GAUFRIDUS Sacrista Beatæ MARIÆ confessus est & recognovit, quòd jamdiù est vacante Monasterio Beatæ MARIÆ Andegav. Abbatissa per mortem defunctæ AANORDIS Abbatissæ Monasterii memorati, idem Reverendus Pater & nullus alius dicto Gaufrido tradiderat & commiserat custodiam & administrationem omnium bonorum & rerum, & maximè temporalium, ad dictum Monasterium spectantium: quòdque idem Gaufridus dictam custodiam & administrationem receperat à Reverendo Patre prædicto & nullo alio: ipsasque custodiam & administrationem dicto Gaufrido tradidit, & commisit adhuc ex abundanti idem Reverendus Pater, nobis ad hoc præsentibus dictâ die, præstito ab eodem Gaufrido solemniter juramento, quòd circà custodiam & administrationem prædictam fideliter se habebit, & quòd de receptis & recipiendis misiisque factis & faciendis per ipsum de bonis & rebus, maximè temporalibus dicti Monasterii, ac fructibus & exitibus eorumdem, eidem Reverendo Patri, vel deputando ab ipso, & nulli alii reddat fidelem, plenam, & integram rationem quoties super hoc interpellatus fuerit ex parte Reverendi Patris prædicti. Actum nobis & Magistris MATTHÆO Chevrous sancti Joannis & RADULFO de Fixa sancti Petri Andegav. Canonicis, HERBERTO Rotarii de villâ Episcopi, & GUILLERMO de Brenio Vadi Daniele, Rectoribus Ecclesiarum, & THOMA Gonissays nostro, & JOANNE de sancto Sulpicio Clericis præsentibus die & anno prædictis.

De eodem.

IN nomine Domini. Anno ab Incarnatione ejusdem millesimo trecentesimo quarto, Indictione tertiâ, die x. mensis Octobris, in præsentiâ mei Notarii & testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, constitutus GAUFRIDUS Sacrista Beatæ MARIÆ Andegav. confessus fuit se recepisse & habuisse administrationem Monasterii B. MARIÆ Andegav. & adhuc recipit à Reverendo in Christo Patre ac domino G. Dei gratiâ Andeg. Episcopo, qui dictâ die promisit reddere rationem dictorum bonorum quotiescumque ab eodem super hoc fuerit requisitus, & ad hoc etiam se adstrinxit proprio juramento. Hæc autem acta fuerunt Andegav. in Camerâ dicti Reverendi Patris Episcopi sub anno Domini, indictione, mense, die prædictis, præsentibus testibus domino Guillermo de Mauhuyon Legum Professore, Magistro Herveo de Castro novo, domino Petro de Vallibus, domino Matthæo Chevroul Sigillatore Curiæ Andegav. Magistro Radulfo de Fixa, Gaufrido de Petraria Clericis ad hoc vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Joannes de sancto Sulpicio Clericus Redonensis Diœcesis Imperiali auctoritate publicus Notarius, omnibus his & singulis præsens interfui unà cum dictis testibus, & ea propriâ manu fideliter scripsi, & in publicam formam redegi, signoque meo solito signavi rogatus.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Superintendentibus negotio decimalis subsidii proventuum Ecclesiasticorum à Sede Apostolicâ nobis concessi in civitate & Diœcesi Andegav. Collectoribus dicti subsidii, salutem. Quamquam à personis Ecclesiasticis civitatis & Diœcesis prædictarum, quarum quælibet habet beneficium Ecclesiasticum valoris septem libr. juxtà tenorem concessionis Apostolicæ super hoc nobis factæ pro nobis exigi valeat subsidium decimale, volumus tamen & vobis mandamus, q atinùs ab exigendo & levando subsidium decimale à personis prædictis, quarum quælibet non CAP. XLIX.

habet in proventibus Ecclesiasticis ultrà duodecim libr. Parisiens. supersedeatis quamdiù nostræ placuerit voluntati. Actum Parisius die IX. Januarii, anno Domini millesimo trecentesimo septimo.

1307. CAP. L. Universis præsentes litteras inspecturis. Miseratione Divinâ ROBERTUS Remen. ÆGIDIUS Bituricen. & RAGINARDUS Turon. Archiepiscopi salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos litteras sanctissimi Patris & domini nostri domini C. Divinâ providentiâ sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summi Pontificis sanas & integras, verâ bullâ plumbeâ & filo cannabis bullatas, ut primâ facie apparebat, vidisse, formam quæ sequitur de verbo ad verbum continentes: CLEMENS Episcopus servus servorum Dei Venerabilibus Fratribus universis Archiepiscopis & Episcopis per Regnum Franciæ constitutis, & dilectis filiis GUILLERMO & aliis Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in eodem Regno auctoritate Apostolicâ generaliter deputatis, salutem & Apostolicam benedictionem. Subit assiduè nostræ mentis arcanum sollicitudine plena, & anxietate non vacua consideratio illa terribilis, quâ nos ad illius domûs custodiam deputatos advertimus, cujus magnitudinem cum stupore Propheta miratur: O, inquiens, *Israël, quàm magna est domus Dei!* Cumque in ejusdem considerationis examine residentes opus nobis æstimamus injunctum, & nostrarum metimur virium quantitatem, attendimus cum stupore, quòd suprà vires nostras nobis est onus impositum, quod procul dubio sufficienter portare nequimus; sed superest nobis spes in solo auxilio Divino reposita, ad quod humiliter recurrentes devotiùs imploramus, ut ille qui nobis domum ipsam custodiendam credidit, & pascendum commisit nostræ vigilantiæ gregem suum, domum ipsam ab ascendentibus ex adverso sollicitè custodire concedat, ipsumque gregem sic salutaribus pascere pascuis, sic rectis gressibus per viam justificationum Domini, & suorum dirigere semitas mandatorum, quòd ipsum in dilecta Domini tabernacula potiturum sempiternis gaudiis introducere ad sui nominis laudem & gloriam valeamus.

Dudum siquidem Templariorum subitam captionem, quam ad nostri Apostolatûs & Fratrum nostrorum pertulit vulgatus rumor auditum, quia rationes & causæ, quæ carissimum in Christo Filium nostrum PHILIPPUM Regem Franciæ illustrem induxerant ad hujusmodi captionem, tibique Guillermo suggesserant Regem super hoc requirere memoratum, nostram & dictorum Fratrum latebant notitiam; non immeritò nos & Fratres ipsi dolentes suscepimus, cum per te Guillermum prædictum nobis, quibus quodammodo vicinus eras in janua, nihil intimatum fuisset, ac præcipiti festinatione processus per vos contrà ipsos habiti, & ut timebatur, habendi, super quo inaudita publica referebat assertio, grandis suspicionis materia in nostrâ & Fratrum ipsorum mentibus exstitit suscitata. Propter quod omnem quam habebatis in hoc negotio potestatem, de prædictorum Fratrum consilio suspendentes, ad nos negotium ipsum totaliter duximus revocandum.

Et licet postmodum Rex prædictus, ac vos Fratres Archiepiscopi & Episcopi, tuque Guillerme prædicte, ad captionem hujusmodi excusandam plures eorum nobis & Fratribus supradictis prætenderetis rationes; illam tamen specialiter proponere curavistis, quòd si, quod abit, per captionem hujusmodi dictorum Templariorum non fuisset præventa nequitia, causæ fidei orthodoxæ, ad cujus conculcationem perversis & dolosis conatibus nitebantur, adeo detraxissent, quòd fidei ejusdem negotio per suorum & aliorum fautorum suorum, qui multi numero fore noscuntur, per execranda facinora detrimentum irreparabile provenisset. Demum verò processibus per vos Archiepiscopos & Episcopos, & Guillermum prædictos, ante tempus suspensionis & revocationis prædictarum, vel saltem priusquàm ad vestram notitiam hujusmodi suspensio & evocatio pervenisset habitis contrà Templarios memoratos, exhibitis in nostrâ & Fratrum præsentia prædictorum, & diligenter inscriptis, multa per eosdem processus contrà ipsos apparent fuisse reperta; de quibus modicam habebamus verisimilem conjecturam, nec ad illa credenda nostræ mentis opinio poterat inclinari.

Postmodum autem nonnullis ex Templariis memoratis, qui ab olim non satis auctoritatis in eodem ordine habebantur, nobis per dictum Regem liberaliter redditis, ad nostram deductis præsentiam, ab eis de veritate dicendâ tam de se, quàm de aliis ipsius ordinis Fratribus, super omnibus impositis ipsis & Ordini eidem criminibus corporale recepimus juramentum, & deinde per nos diligenter examinatis eisdem nonnulli eorum se & multos alios dicti Ordinis Fratres, circà ingressum præfati Ordinis pollutis labiis abnegasse Christum Redemptorem nostrum, & alia execranda & nefandissima scelera commisisse sponte & liberè sunt confessi: & subsequenter ad majorem cautelam depositiones & confessiones eorum coram Venerabili Fratre PETRO Episcopo Prænestino, & dilectis Filiis nostris BERENGARIO sanctorum Nerei & Achillei, THOMA sanctæ Sabinæ, STEPHANO sancti Cyriaci in Terminis Tul. Presbyteris, & LANDULPHO sancti Angeli, ac PETRO de Columna Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconis Cardinalibus, repeti mandavimus per eosdem, & ipsis per Tabelliones publicos redactis in scriptis, & in eorum præsentiâ coram nobis & Fratribus eisdem prælectis, ipsas iidem Templarii approbarunt in illis firmiter persistentes. Et iterum interpositis diebus aliquibus, dicti Templarii coram nobis & dictis Fratribus constituti in confessionibus ipsis eis lictis, & in maternâ linguâ expositis diligenter firmiter perstiterunt, & sanctæ Matris Ecclesiæ satisfactione ad nostrum arbitrium oblatâ per eos, se reconciliari humiliter supplicarunt.

O quàm abominabilis amaritudinis haustum in auditu tam horribilis sceleris eadem gustavit Ecclesia! O quàm sævissimæ tortionis sensit in sui sacrario pectoris punctiones! Heu! quàm acerbi doloris aculei nos & eosdem Fratres pupugerunt in intimis! Heu! quàm tenebrosam obscuritatem nostris & ipsorum aspectibus dicti Templarii præsentarunt; quamvis per supplicationem reconciliationis ejusdem, per quam animarum suarum salutem recognoscere videbantur, ad quam nos ferventer intendimus, alicujus mitigationis senserimus lenitatem.

Cumque postmodum per Regem eumdem ac vos Archiepiscopos & Episcopos, & Guillermum prædictos ut in eodem negotio procedi posset liberiùs, ipsumque negotium ad debitum finem perduci, relaxari hujusmodi suspentionem fuisset nobis cum instantiâ supplicatum; Nos ipsius Regis ac vestris supplicationibus pro ejusdem securitate negotii, & libertate inquisitionis ipsius de Fratrum ipsorum consilio annuentes, & considerantes attentiùs quòd difficile, quin potiùs impossibile quasi fore dignoscitur, quòd per nostrum & Fratrum eorumdem ministerium curiosum quoad plenam ejusdem negotii habendam indaginem, propter Templariorum multitudinem eorumdem ac diversitatem locorum, per quæ in prædicto Franciæ & aliis Christianitatis Regnis & terris dispersi fore noscuntur, tractari va-

... ad debitum finem perduci, aliis personis ... is hujusmodi provideramus negotium committ... idum, aut vobis ex nostrâ permissione relinquere, ut in eodem negotio ea quæ jura permittunt, exequi & efficere studeretis. Verùm diligentiùs attendentes, quòd vos, qui estis in partem sollicitudinis advocati, in dicto negotio, tamquam viri sermone potentes & opere, virtuosi, prudentiæ vestræ acuetis ingenium, ac timoris & amoris Domini, cujus agitur in hac parte negotium, igne succensi zelum quem ad fidem eamdem vos habere confidimus, pro Divini nominis gloriâ, & exaltatione fidei memoratæ, in dicti exercebitis exequutione negotii per effectum laudabilium actionum; prædictam suspensionem hac adjectâ moderatione duximus relaxandam, videlicet quòd singuli vestrûm Archiepiscoporum & Episcoporum de singularibus dictorum Templariorum personis in vestris singulis civitatibus & Diœcesibus, ac vos Inquisitores & vestrûm quilibet, si cum eisdem Archiepiscopis & Episcopis interesse volueritis, sub formâ quam vobis per alias nostras litteras duximus concedendam, associatis vobis certis personis idoneis per Nos vobis in hujusmodi negotio designandis, quas ad hoc, si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam (super quo plenam vobis potestatem concedimus) compelletis, efficere curabitis quod requirunt Canonicæ Sanctiones. Prolatione tamen sententiæ contrà Templarios proferendæ prædictos, Conciliis Metropolitanorum nostrorum in singulis Provinciis reservatâ.

Præcaveatis tamen quòd de generali statu totius Ordinis memorati vos intromittere nullatenùs attentetis; cum super hoc per idoneas personas jam inquiri ordinaverimus veritatem. Nobis insuper & Apostolicæ Sedi ac nostro & ipsius Sedis examini causam quoad inquisitionem, ordinationem, & quemcumque processum contrà majorem Magistrum Templariorum ipsorum, necnon & Franciæ terræ ultramarinæ, Normanniæ, Pictaviæ ac Provinciæ majores Præceptores, faciendam & habendam totaliter, ut de ipsis, sine quibus instrui commodè sæpe dicti Ordinis causa non posset, simul vel divisim, necnon & de Ordine ipso, justum faciamus judicium, vel aliàs secundùm provisionem Apostolicam ordinemus, retinemus & etiam reservamus. Volentes & auctoritate Apostolicâ ordinantes, quòd prædictus Prænestinus Episcopus, cui Templariorum in Regno detentorum eodem, generaliter nobis per Regem redditorum eumdem, curam & custodiam commisimus, ipsos realiter recipiat, & de totâ eorum custodiâ nostro & Prælatorum nomine, necnon de exhibitione & præsentatione ipsorum nobis vel dicto Prænestino Episcopo, aut deputandis à nobis vel ab ipso Prænestino Episcopo loco nostri, & vobis faciat & ordinet prout fuerit faciendum.

Quare Fraternitatem vestram & discretionem monemus & hortamur attentiùs, vobis nihilominùs per Apostolica scripta mandantes, quatenùs mentis oculis erectis ad Deum sic in præmissis pro Divinâ, & Apostolicæ Sedis, & nostrâ reverentiâ, & exaltatione fidei memoratæ, vos promptos & paratos offerre curetis, sic attentos & sollicitos exhibere, quòd clementiam Regis æterni, cui ex fideli prosequutione dicti negotii gratum & acceptum impendetis obsequium, vobis sentiatis magis propitiam & benignam, & dictæ Sedis & nostram benedictionem & gratiam valeatis uberiùs promereri. Datum Pict. die 5. Julii Pontificatûs nostri anno tertio.

In cujus rei testimonium sigilla nostra duximus apponenda. Datum die Martis ante Cineres, anno Domini millesimo trecentesimo-octavo.

Universis præsentes litteras inspecturis, RAGINARDUS Dei gratiâ Archiepiscopus Turon. GUILLERMUS Andegav. DANIEL Nannetensis, ROBERTUS Maclovienfis, & ALANUS Corisopiten. ejusdem permissione Episcopi, salutem in auctore salutis. Noveritis nos vidisse, & cum debitâ reverentiâ recepisse litteras Sanctissimi Patris ac domini domini CLEMENTIS Divinâ providentiâ sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summi Pontificis, non cancellatas, non abolitas, nec in aliquâ parte sui viciatas, cum verâ bullâ & filo cannabis tenorem qui sequitur continentes. CLEMENS Episcopus servus servorum Dei venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Turon. & ejus Suffraganeis salutem & Apostolicam benedictionem. Faciens misericordiam cum servo suo Dei Filius Dominus JESUS-CHRISTUS ad hoc nos voluit in speculâ eminenti Apostolatûs assumi, ut gerentes licet immeriti vices ejus in terris, in cunctis nostris actibus, & processibus ipsius vestigia quantum patitur humana fragilitas, imitemur. Sanè dudum, &c. *ut apud Puteanum in histor. Templariorum pag. 115. apud Rubeum lib. 6. hist. Ravennat. p. 512. & Raynaldum in tom. 15. Annal. ad an. 1308. n. 4.*

Universis præsentes litteras inspecturis, miseratione Divinâ ROBERTUS Remen. ÆGIDIUS Bituricen. & RAGINARDUS Turon. Archiepiscopi, salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos litteras Sanctissimi Patris & domini nostri domini Divinâ providentiâ sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summi Pontificis, sanas & integras, verâ bullâ plumbeâ & filo cannabis bullatas, ut primâ facie apparebat vidisse, quæ sequuntur de verbo ad verbum continentes.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei venerabilibus Fratribus universis Archiepiscopis & Episcopis in Regno Franciæ constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum per nos ordinatum fuerit ut inquisitionibus, quas vos facietis contrà singulares personas militiæ Templi procederetis, associatis vobiscum aliquibus per nos vobis destinandis, tenore præsentium eosdem designamus, videlicet quod in ipsis inquisitionibus associetis vobiscum quilibet duos Canonicos suæ Ecclesiæ Cathedralis, duos Prædicatorum, & duos Minorum Ordinum Fratres, quos utiliores credideritis expeditioni debitæ negotii antedicti; super quo conscientias vestras volumus onerare. Necnon quòd in ipsis inquisitionibus ipsarumque processibus & contingentibus etiam extrà vestras civitates & Diœceses, ubi personæ ipsorum Templariorum custoditæ fuerint, procedere valeatis, si & prout expeditioni dicti negotii videritis expedire. Si verò aliqui articuli sint qui hæresim non sapiant, volumus quòd etiam in illis auctoritate nostrâ vos, & dicti associati procedatis & inquiratis, & secundùm sanctiones Canonicas puniatis. Datum Pictavis 13. die Julii, Pontificatûs nostri anno tertio.

Tenor verò aliarum litterarum sequitur in hæc verba.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei dilecto filio GUILLERMO Ordinis Prædicatorum, inquisitori hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ generaliter auctoritate Apostolicâ deputato, salutem & Apostolicam benedictionem. Licet indignationem nostram ex eo non immeritò incurrere debuisses, quòd nobis existens tam è vicino propinquus, contrà Fratres Militiæ Templi nobis irrequisitis præsumptuosè processisti; volentes tamen uti clementiâ quàm severitate erga te in hac parte, instantiâ carissimi in Christo Filii nostri PHILIPPI Regis Francorum illustris inducti, pluries repetita tibi, quòd contrà singulares personas Templariorum ipsorum simul

simul cum Prælatis Regni prædicti & aliis per nos associandis eisdem, & non aliter procedere valeas, de benignitate Apostolicâ duximus concedendum. Hoc idem aliis dicti Regni Inquisitoribus tenore præsentium concedentes. Datum Pictavis 5. die Julii, Pontificatûs nostri anno tertio.

In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Datum die Martis ante Cineres, anno Domini millesimo trecentesimo-octavo.

CAP. XLIX.

Res digna notâ.

HIc inserenda est res memoriæ digna, & Episcopis Andegav. futuris temporibus profutura: videlicet quòd cum Reverendus Pater dominus NICOLAUS tituli sancti Eusebii Presbyter Cardinalis, Nuntius Sedis Apostolicæ ad Regnum Franciæ pro subsidio terræ sanctæ, à sanctissimo Patre ac domino CLEMENTE Papa V. specialiter destinatus, à nobis GUILLERMO Majore Episcopo Andegav. peteret, seu peti faceret procurationem in pecuniâ per Collectores suos ad recipiendum, petendum & exigendum procurationes suas in civitate & Diœcesi Andegav. deputatos.

Et nos attendentes quòd nec nos nec prædecessores nostri unquam solvimus in pecuniâ procurationes Legatorum, seu Sedis Apostolicæ Nuntiorum, considerantesque quòd in privilegio dicti domini Cardinalis super dictis procurationibus exigendis continebatur, quòd posset exigere procurationes dumtaxat moderatas, solitas ac etiam consuetas. Et quòd si hac vice dictam procurationem solveremus, per hoc posset nobis & successoribus nostris in futurum magnum præjudicium generari, & Ecclesia Andegavensis novæ servituti idcircò subjici: ad dictum dominum Cardinalem litteras & Nuntium misimus, ad præmissa significandum eidem, & supplicandum, quòd Collectoribus suis prædictis mandare dignaretur, ut supersederetur à petitione & exactione procurationis prædictæ: & quòd non vellet Ecclesiæ prædictæ novam imponere servitutem.

Et licet idem dominus Cardinalis dictæ supplicationi aliquantulum restitisset, privilegium à Sede Apostolicâ sibi concessum super procurationibus exigendis fortiter allegando, tandem viro venerabili & discreto Magistro ROBERTO de Vernone Subdecano Ecclesiæ sancti Martini Turonens. principali Collectori seu Procuratori suo ad dictas procurationes exigendas deputato in totâ Provinciâ Turon. super dicto negotio, quasdam litteras clausas misit, quibus dicto Magistro Roberto ex parte nostrâ præsentatis, & ab eodem diligenter inspectis, à petitione & exactione procurationis prædictæ destitit & nobis concessit litteras, formam quæ sequitur continentes.

ROBERTUS de Vernone Subdecanus Ecclesiæ sancti Martini Turon. à Reverendo in Christo Patre ac domino domino N. tit. sancti Eusebii Presbytero Cardinali, Nuntio Sedis Apostolicæ ad Regnum Franciæ pro negotio terræ sanctæ ad recipiendum, petendum, & exigendum procurationes eidem Reverendo Patri domino Cardinali à domino Papa concessas, debitas in pecuniâ, & hactenùs solvi consuetas in provincia Turon. specialiter deputatus, discreto viro Magistro Sclate de Horto, Canonico Andegav. Commissario nostro, quoad dictas procurationes recipiendas loco nostri in civitate & Diœcesi Andegav. à nobis specialiter deputato salutem in Domino. Vobis mandamus quatinùs à Reverendo Patre in Christo domino G. Dei gratiâ Episcopo Andegav. quem de conscientiâ domini Cardinalis prædicti declaramus ad solutionem procurationis prædictæ in pecuniâ non teneri ratione procurationis hujusmodi, hac vice nihil penitùs exigatis. Et hoc vobis significamus tenore præsentium litterarum. Datum Andegav. die Martis post *Oculi mei*, teste sigillo nostro, anno Domini millesimo trecentesimo decimo-tertio.

De eodem.

IN nomine Domini, Amen. Anno ejusdem millesimo trecentesimo decimo-tertio, die Lunæ post *Oculi mei*, 11. mensis Martii, Indictione duodecimâ, Pontificatûs Sanctissimi Patris, ac domini domini CLEMENTIS Divinâ providentiâ Papæ V. anno nono, per præsens instrumentum publicum cunctis pateat evidenter, quòd in mei publici Notarii & testium subscriptorum præsentiâ venerabiles viri & discreti Magistri PETRUS Chopin Officialis Andeg. ÆGIDIUS Coopertoris legum Professores, ac MATTHÆUS Chevreus sigillator Curiæ Andegav. Nuntii destinati, ut dicebant, ex parte Reverendi in Christo Patris ac D. domini GUILLERMI Dei gratiâ Episcopi Andeg. quasdam litteras ex parte Reverendi in Christo Patris ac domini domini N. Titul. sancti Eusebii eâdem gratiâ Presbyteri Cardinalis, Nuntii ut dicitur in Regno Franciæ à Sede Apostolicâ destinati pro negotio terræ Sanctæ, Venerabili viro & discreto Magistro ROBERTO de Vernone Subdecano Ecclesiæ sancti Martini Turonens. Collectori, à dicto domino Cardinali deputato ad petendum, recipiendum & exigendum procuratores eidem domino Cardinali in Provinciâ Turonen. debitas, & solvi consuetas, ut dicitur, à Sede Apostolicâ concessas directas eidem Magistro Roberto præsentarunt; eidem supplicantes quòd eisdem litteris ab ipso Magistro visis & inspectis eisdem professoribus ac sigillatori, responderet quid videretur eidem expedire. Qui quidem Magister Robertus acceptis dictis litteris intrans Cameram quâ jacebat, visis eisdem litteris & inspectis vocavit & fecit vocari eosdem professores ac sigillatorem, tenens easdem in manu suâ, & asserens quòd viderat & legerat tenorem earumdem: Respondit quòd bene videbat conscientiam hujusmodi Cardinalis, & quòd nunquam levaverat nec exegerat procurationes à dicto domino Andegav. Episcopo, nec reciperet nec recipi faceret aut levari. Et quòd sibi constabat, quòd dominus Andeg. Episcopus non consueverat solvere procurationes prædictas; & expressè inhibuit domino Sclate de Horto Canonico Andegav. ibidem præsenti, à dicto Magistro Roberto quoad colligendum & recipiendum dictas procurationes in civitate & Diœcesi Andegav. ut dicitur deputato, ne idem Sclate à dicto domino Episcopo Andegav. ratione procurationis hujusmodi aliquid exigeret vel levaret. 1313.

Acta fuerunt hæc in Abbatiâ sancti Albini Andegav. sub anno, die & mense, Indictione & Pontificatûs prædicti; videlicet dicta præsentatio litterarum prædictarum & supplicatio in baleto, sito ante quamdam Cameram, vocatam, ut dicitur Cameram novam: & dicta Responsio in Camerâ, prædictis præsentibus ad hoc dictis Magistro ROBERTO Professore ac sigillatore, domino Sclate, GUILLERMO Hugueti, R. de Villa. . . . RADULFO de Sesina, DROCONE Damne, RADBERTO de Vaallero Cenoman. Diœcesis Clericis, & MATTHÆO Alben. Rectore Ecclesiæ de Charenceio, Presbytero.

Et ego GUILLERMUS dictus de Gravella Clericus Redon. Diœcesis publicus auctoritate Imperiali Andegav. Curiæ Notarius, præmissis omnibus & singulis unà cum dictis testibus præsens interfui, & præmissa manu propriâ scripsi, & in publicam for-

mam redegi, signoque meo signavi rogatus.

De homagio ligio Domini Bernardi Archidiaconi Transligerensis.

IN nomine Domini, Amen. Per præsens pateat instrumentum, quòd anno Domini MCCCXIII. Indictione duodecimâ, mensis Martii die tertiâ, Pontificatûs Domini CLEMENTIS Papæ V. anno nono, in mei Notarii infrà scripti, & testium subsignatorum præsentiâ constitutus dominus BERNARDUS de Bosco-Giraudi, Rector Ecclesiæ sanctæ Crucis Caturcensis diœcesis, ad docendum se esse Procuratorem viri venerabilis & discreti domini RAYMUNDI Bernardi de Duro-Forti, Archidiaconi Transligerensis in Ecclesiâ Andegavensi, ad ea quæ sequuntur, exhibuit coram Reverendo Patre ac Domino Domino GUILLELMO divinâ providentiâ Andegavensi Episcopo quoddam publicum instrumentum, subscriptione & signo RAYMUNDI de Ponte-Clerici Caturcensis diœcesis, publici auctoritate Apostolicâ Notarii munitum, ut primâ facie videbatur, cujus tenor sequitur in hæc verba:

In nomine Domini, Amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCXIII. Indictione undecimâ, mensis Octobris die vigesimâ sextâ Pontificatûs Domini CLEMENTIS Papæ V. anno octavo in mei Notarii & testium infrà scriptorum præsentiâ personaliter constitutus venerabilis & circonspectus vir dominus Raymundus Bernardi de Duro-Forti Archidiaconus Transligerensis in Ecclesiâ Andegavensi, fecit, constituit & ordinavit Procuratores suos speciales, discretum virum Magistrum ARNALDUM de Boycheto jurisperitum; dominos Bernardum de Bosco-Giraudi, sanctæ Crucis, ac GERALDUM Alacris, sancti Aviti Caturcensis diœcesis Ecclesiarum Rectores, & quemlibet eorum in solidum, ita quòd non sit melior conditio occupantis, ad præstandum in animam suam pro ipso & ejus nomine juramentum homagii ligii, & conservandi corpus & honorem Episcopi & Ecclesiæ Andegavensis, & quòd dabit ei bonum & sanum consilium pro posse, & quòd non revelabit secretum suum postquàm sibi revelaverit, & quòd servabit jura sua & Ecclesiæ prælibatæ. Dans & concedens dictus constituens dictis Procuratoribus suis, & eorum cuilibet in solidum plenam & liberam potestatem & mandatum speciale prædicta omnia & singula faciendi & exercendi eo modo quo ipse facere posset, si personaliter in præmissis præsens esset: promittens insuper se ratum, gratum, & firmum perpetuò habiturum quidquid per dictos Procuratores suos, vel ipsorum alterum actum fuerit in præmissis, vel aliquo prædictorum. Et insuper revocavit & revocat tenore hujus publici instrumenti quoscumque alios Procuratores suos, per ipsum constitutos quantum ad præsentandum seu conferendum Beneficia seu Capellanias ad ipsius præsentationem, seu collationem ratione dicti Archidiaconatûs sui seu Præbendæ, quos obtinet in antedicta Ecclesiâ Andegavensi pertinentia, seu etiam spectantia, vel alio jure quocumque; in aliis verò ipsos voluit in Procuratorum officio remanere, & hoc significari voluit per hoc publicum instrumentum omnibus quorum interest vel interesse poterit in futurum.

Actum apud Montilium Carpentoracensis diœcesis in Hospitio SUIRANNI Renardi, oppidani dicti loci, anno, Indictione, mense, die & Pontificatu prædictis: præsentibus religioso viro Fratre ARNOLDO de Savinhaco Monacho de Soliaco, Prioreque de Bozoliis, & RAYMUNDO de Varrato Cleico Caturcensis diœcesis, BERTRANDO de Giera de Cuhacé, & domino RAYMUNDO de Brolio, de Pavone & de Castaneda Occitanensis & Agennensis diœcesis Ecclesiarum Rectoribus, testibus vocatis & rogatis. Et ego Raymundus de Ponte Clericus Caturcensis diœcesis, publicus auctoritate Apostolicâ Notarius, præmissis dum agebantur, unà cum dictis testibus præsens interfui. Hoc instrumentum publicum inde feci, signumque meum solitum apposui rogatus.

Quo instrumento sic exhibito & perlecto, idem Bernardus de Bosco Giraudi nomine Procuratorio dicti Archidiaconi, & pro ipso supplicavit Reverendo Patri prædicto, quatinùs eumdem Procuratorem nomine Domini sui absentis, & in Curiâ Romanâ degentis, & pro ipso admittere dignaretur ad faciendum sibi homagium ligium, & præstandum juramenta in prædicto instrumento contenta, eidem Reverendo Patri ratione Episcopatûs Andegavensis, ab eodem Archidiacono debita, pro Archidiaconatu prædicto & pertinentiis ejusdem. Cujus Procuratoris supplicationi ob reverentiam dicti D. Archidiaconi, idem Reverendus Pater annuendum duxit de gratiâ speciali; protestatione imprimis ex parte dicti Reverendi Patris factâ, quòd per hoc Episcopatui & Ecclesiæ Andegavensi nullum præjudicium generetur ad hoc quod idem Episcopus, vel ejus successores aliàs teneantur recipere, nisi velint successores dicti Archidiaconi ad faciendum dictum homagium ligium & præstandum juramenta prædicta per Procuratores quantumcumque ad hoc specialiter constitutos, & quin idem Archidiaconus si & dum ad Ecclesiam Andegav. personaliter venerit, dictum homagium ligium in propriâ personâ faciat, & corporaliter præstet hujusmodi juramenta: quam protestationem idem procurator admittens incontinenti genibus flexis coram dicto Domino Episcopo, manibusque complosis & junctis inter manus dicti Domini Episcopi eidem fecit nomine procuratorio dicti Archidiaconi homagium ligium de Archidiaconatu prædicto & pertinentiis ejusdem. Et mox manu ad pectus proprium positâ, libro coram ipso aperto, juravit idem Procurator in animam domini sui Archidiaconi prædicti, & nomine ipsius & pro eo, quòd idem dominus Archidiaconus conservabit corpus & honorem dicti D. Episcopi & Ecclesiæ Andegavensis, & quòd idem Archidiaconus dabit eidem Episcopo bonum & sanum consilium pro posse, & quòd non revelabit secretum suum, postquàm idem Episcopus eidem Archidiacono illud revelaverit, & quòd servabit jura Episcopatûs Ecclesiæ prælibatæ.

Acta sunt hæc in Capellâ magnâ Manerii de Esventart Andegavensis Diœcesis, anno, Indictione, mense, die & Pontificatu prædictis: præsentibus ad præmissa discretis viris Magistro ÆGIDIO Coopertoris Legum Professore, GUILLELMO de Brennio Archipresbytero de Ludio, GUILLELMO de Souvigné Rectore de Brenno suprà Aution, MATTHÆO de Tomis Priore de Portu, GUILLELMO Grousse, & GUILLELMO de Piris, Clericis & pluribus aliis ad hoc specialiter testibus vocatis & rogatis.

Et ego ALEXANDER dictus Moucant Clericus Andegavensis diœcesis auctoritate Apostolicâ publicus Notarius, præmissis omnibus, unà cum testibus prædictis interfui, manuque propriâ scripsi, & in formam redegi, signoque meo consueto signavi rogatus.

De homagio ligio domini Gallardi Archidiaconi Transligerensis.

IN nomine Domini, Amen. Per præsens pateat instrumentum quòd anno Domini MCCCXIV. In-

Videtur hoc spatium fuisse destinatum scribendis titulis dignitatum Bernardi Constantii, &c.

indictione XII. mensis Junii die xxiv. Sede Apostolicâ nunc vacante. In mei Notarii infrà scripti & testium subscriptorum præsentiâ constitutus dominus Bernardus Constantii.

. . . .

ad docendum se esse Procuratorem viri venerabilis & discreti domini GALLARDI de Duroforti Canonici & Archidiaconi Transligerensis in Ecclesiâ Andegavensi ad ea quæ sequuntur, exhibuit coram Reverendo Patre ac D. D. G. Dei gratiâ Episcopo Andegavensi quoddam publicum instrumentum subscriptione & signo BERTRANDI de Orto Clerici, auctoritate Apostolicâ publici Notarii Claromontensis Diœcesis munitum, ut primâ facie videbatur. Cujus tenor sequitur in hæc verba.

In nomine Domini, Amen. Anno ejusdem MCCCXV. Indictione XII. Sede Apostolicâ nunc vacante, noverint universi & singuli præsens publicum instrumentum inspecturi & audituri, quòd venerabilis & discretus vir dominus Gallardus de Duro-Forti Canonicus & Archidiaconus Transligerensis Ecclesiæ Andegavensis in præsentiâ discreti & venerabilis viri domini Officialis Agennensis constitutus, dicto domino Officiali & in ejusdem & mei communis Notarii & testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum præsentiâ, supplicavit, quòd ad infrà scripta dominus Officialis prædictus suam interponeret auctoritatem judiciariam pariter & decretum. Ad cujus supplicationem idem Officialis per sui decreti interpositionem omnibus prædictis supplicatis & subsequentibus suam judiciariam præbuit auctoritatem, quâ concessâ & interpositâ in ipsius Officialis & mei nominandi Notarii & testium subscriptorum præsentiâ, venerabilis & discretus vir dominus Gallardus de Duro-Forti prædictus, suos veros legitimos speciales ac generales Procuratores & Nuntios fecit, constituit, ordinavit & deputavit, videlicet discretos viros dominos BERTRANDUM de Cursonio de Castro sancto, BERNARDUM Constantii de Vallebarre & de Ulmeriis, BERNARDUM de Bosco-Giraudi sanctæ Crucis, & GIRALDUM Alacris sancti Aviti Caturcensis & Agennensis diœcesis Ecclesiarum Rectores absentes tamquam præsentes exhibitores præsentis instrumenti, & eorum quemlibet in solidum, ita quòd non sit melior conditio occupantis, & quòd per ipsorum alterum inceptum attentatumve fuerit, per alium seu alios ipsorum perfici valeat & finiri, ad præstandum per quemlibet dictorum constitutorum in solidum, in animam ejusdem domini Gallardi, & pro eodem domino Gallardo solitum juramentum super obedientiâ & fidelitate observandâ, & homagio faciendo & promittendo ratione Archidiaconatûs sui Transligerensis prædicti, & omnia alia & singula suo nomine jurandi, obligandi & conveniendi pro ipso domino Gallardo, & in ejus animam & se supponendi, quæ tam ratione & ex causâ Archidiaconi Transligerensis & canonicatûs & præbendæ Andegavensis Ecclesiæ prædictorum, cum juribus & pertinentiis eorumdem, quam & jurisdictionis prædicti Archidiaconatûs sui Transligerensis, & eorum cuilibet idem dominus Gallardus jurare, promittere, & obligare & se supponere teneretur, sub eo modo & formâ, quibus sui Prædecessores ex consuetudine ipsius Ecclesiæ Andegavensis, nihilo addito nec remoto, jurare & promittere hactenùs consueverunt, Reverendo Patri in Christo domino Dei gratiâ Episcopo Andegavensi & Prædecessoribus suis, & tenebitur ejusdem domini Episcopi successoribus canonicè intrantibus promittere, jurare, seu aliàs obligare, ratificans, plenè ac perfectè approbans tenorem præsentis instrumenti, idem dominus Gallardus, & confirmans ea omnia & singula suprà jurata, promissa & aliàs obligata per dominum Bernardum Constantii prædictum Procuratorem suum, & nomine procuratoris ejusdem prædicto domino Andegavensi Episcopo, in & super præsentatione Litterarum Apostolicarum & processuum factorum & habitorum, gratiam specialem sibi factam per Sedem Apostolicam prædictam de Canonicatu & Præbendâ & Archidiaconatu Transligerensi Ecclesiæ Andegavensis prædictæ continente, coram prædicto domino Andegavensi Episcopo & alibi ubicumque.

Dans insuper & concedens idem constituens per præsentis instrumenti tenorem plenariam potestatem & mandatum speciale atque generale, cum clausulis ad hoc necessariis cuilibet Procuratorum prædictorum in solidum, computum, & rationem, ac responsionem, & satisfactionem petendi, audiendi, recipiendi, & per juramentum ipsorum constitutorum & constituendorum, & ab aliis Procuratoribus constitutis & constituendis ipsius domini Gallardi.

Præterea per dictum dominum Bernardum Constantii, præcipuè à prædictis dominis Bernardo de Bosco-Giraudi & Beraldo Alacris, & quolibet eorumdem per eumdem modum & formam quibus suprà computum requirendi, & recipiendi & insuper de habendo & recipiendo ab eisdem & ab aliis quibuscumque constitutis & constituendis, fidelitatis & diligentiæ adhibendæ erga ipsius D. Gallardi negotia, juramentum speciale & quod eo modo quo tutius est & commodiùs poterunt, & ad utilitatem pariter, & honorem & laudem divini cultûs & ejusdem domini Gallardi ipsorum constitutorum & constituendorum valeat expeditio redundare. Et quòd dicto domino Bernardo Constantii legitimè respondeant de fructibus & proventibus Canonicatûs, & Præbendæ & Archidiaconatûs Transligerensis Ecclesiæ Andegavensis, prædictorum & cujuslibet eorumdem per dictos dominos Bernardum de Bosco-Giraudi, & Berardum Alacris, seu alios de mandato eorum, vel alterius ipsorum perceptis, & habitis & factis, percipi & levari, ut dicitur, à tempore vacationis Canonicatûs, Præbendæ & Archidiaconatûs prædictorum citrà, & omnia alia & singula in præmissis & circà præmissa, & quodlibet præmissorum faciendum & exercendum, quæ idem D. Gallardus faceret, si in præmissis personaliter interesset, & quæ erunt erga præmissa necessaria, & de jure oportuna.

Ratum, gratum, firmum, stabile, & irrevocabile promittens, & obligans dictus D. Gallardus sub bonorum suorum omnium & singulorum obligatione & hypothecâ semper & in perpetuum se habiturum prædicto domino Officiali Agennensi, & mihi Notario nominando auctoritate mei publici Officii Notariæ, insimul stipulantibus & recipientibus pro illis omnibus & singulis quorum interest & intererit quoquo modo, quidquid per dictos Procuratores suos & eorum quemlibet in solidum juratum, promissum, obligatum, receptum, quitatum fuerit, vel alio modo quolibet ordinatum, sub eâdem obligatione quâ suprà promittens & efficaciter obligans idem D. Gallardus prædicto domino Officiali, & mihi Notario nominando, stipulantibus & recipientibus, pro illis quos tangit, seu tanget in futurum dictos Procuratores suos, & eorum quemlibet in solidum relevare ab omni onere satisdandi, & desisti judicio & judicato solvendo.

Quæ omnia & singula significat idem constituens D. Episcopo & Capitulo Andegavensi, & quibus pertinere poterit quoquo modo. Prædictus quidem

D. Officialis Agennensis in prædictis omnibus & singulis supradictis, ad supplicationem prædicti D. Gallardi auctoritatem suam judiciariam pariter interposuit & decretum. De quibus omnibus & singulis de mandato prædicti D. Officialis Agennensis idem D. Gallardus sibi petiit fieri præsens publicum instrumentum per manum mei Notarii infrà scripti.

Acta, concessa & ordinata fuerunt hæc omnia, & singula in Castro vocato Curtis-Agennensis, prædictæ diœcesis, septimo Kal. Junii sub anno & Indictione quibus suprà, & vacante Sede Apostolicâ suprà dictâ. Præsentibus Reverendo Patre in Christo D. Dei gratiâ Petragoricensi Episcopo, & discretis viris dominis Guillelmo de Favolis Anicien. Petro de Savinaco Caturicensis, Bartholomæo de Curte Lectorensis, Ecclesiarum Canonicis, testibus ad præsentia vocatis.

Et ego Bertrandus de Orto, Clericus Claromontensis diœcesis auctoritate Apostolicâ publicus Notarius, qui in præmissis una cùm prænominatis testibus interfui, & de prædictis omnibus & singulis præsens publicum instrumentum scripsi de præcepto D. Officialis prædicti, & requisitione dicti D. Gallardi, & signo meo solito, quo utor in talibus, signavi unà cum decreto prædicto, in fidem & testimonium præmissorum vocatus & rogatus.

Quo instrumento sic exhibito & perlecto, idem Bernardus Constantii nomine procuratorio dicti Archidiaconi & pro ipso supplicavit Reverendo Patri prædicto, quatenùs eumdem procuratorem nomine Domini sui absentis & pro ipso, admittere dignaretur ad faciendum sibi homagium ligium, & præstandum juramenta prædicto instrumento contenta eidem Reverendo Patri, ratione Episcopatûs Andegavensis, ab eodem Archidiacono debita pro Archidiaconatu prædicto & pertinentiis ejusdem. Cujus Procuratoris supplicationi ob reverentiam dicti Archidiaconi idem Reverendus Pater annuendum duxit de gratiâ speciali, protestatione imprimis ex parte dicti Reverendi Patris factâ, quòd per hoc Episcopatui & Ecclesiæ Andegavensi nullum præjudicium generetur, ad hoc quod idem Episcopus, vel ejus successores aliàs teneantur recipere nisi velint, successores dicti Archidiaconi, ad faciendum dictum homagium ligium, & præstandum juramenta prædicta per Procuratores, quantumcumque ad hoc specialiter constitutos, & quin idem Archidiaconus si & dum ad Ecclesiam Andegavensem personaliter venerit, dictum homagium ligium in propriâ personâ faciat, & corporaliter præstet hujusmodi juramenta. Quam protestationem idem Procurator admittens in continenti genibus flexis coram dicto D. Episcopo, manibusque complosis & junctis inter manus dicti D. Episcopi eidem fecit nomine procuratorio dicti Archidiaconi homagium ligium de Archidiaconatu prædicto & pertinentiis ejusdem. Et mox manu ad pectus proprium positâ, libro coram ipso aperto juravit idem Procurator in animam D. sui Archidiaconi prædicti & nomine ipsius, & pro eo quod idem Archidiaconus conservabit corpus & honorem dicti D. Episcopi & Ecclesiæ Andegavensis, & quòd idem Archidiaconus dabit eidem Episcopo bonum & sanum consilium pro posse, & quòd non revelabit secretum suum, postquàm idem Episcopus eidem Archidiacono illud revelaverit, & quod servabit jura Episcopatûs Ecclesiæ prælibatæ.

Acta sunt hæc apud villam Episcopi Andegavensis diœcesis in Manerio dicti D. Episcopi anno, Indictione, mense, die quibus suprà, prædictâ sede vacante. Præsentibus ad præmissa discretis Magistris Petro Chopin Officiali Andegavensi, Ægidio Copertoris Legum Professore, Guillelmo de Pinno Archipresbytero de Ludio, Huberto Rectore Ecclesiæ de villâ Episcopi prædictâ, Guillelmo Grousse, Clericis, & pluribus aliis testibus.

Et ego Alexander dictus Moncaut, Clericus Andegavensis Diœcesis, auctoritate Apostolicâ publicus Notarius, præmissis unà cùm testibus prædictis interfui, manuque propriâ scripsi, & in formam publicam redegi, signóque meo consueto signavi rogatus.

De suspensis latronibus apud Eventart.

Notandum est, quòd anno Domini M. CCCXIV. circà festum natalem beati Joannis Baptistæ, Guillermus Dardenne, & Guillotus le Chartier ejus famulus, in prisione justitiæ temporalis Abbatis & Conventûs Monasterii sancti Sergii Andegavensis tenerentur carceri mancipati, pro eo quod sex scyphos argenteos in quâdam domo, quæ vocatur Rucha sancti Sergii in feodo dicti Monasterii sita, furati fuerant, dictique Guillelmus Dardenne, & Guillotus ejus famulus per prædictam justitiam dictorum Religiosorum interrogati & examinati tam super dicto furto, quàm super aliis ab eisdem commissis, inter alia confessi fuissent quòd nedum solum furtum prædictum commiserant, quin etiam anteriori tempore quâdam nocte muros manerii Episcopi Andegavensis, quod vocatur Esventart, transcendentes, ad cameram portarii dicti loci venerunt, & fractâ seu disruptâ firmaturâ ostii dictæ cameræ subintrantes eamdem, quoddam forterium ferratum quod invenerunt ibidem, ceperunt & secum asportaverunt; ipsoque effracto plures res ibidem existentes, videlicet bursas sericas, caligas & pecuniam, & alias res ibidem existentes, dimisso forterio in quodam dumo nemoris dicti manerii secum furtivè tulerunt. Quâ confessione ad notitiam justitiæ sæcularis Episcopi Andegavensis prælibati, Matthæus le Vignerons jurisdictionem temporalem dicti Episcopi in dicto Manerio de Esventart & pertinentiis ejusdem exercens justitiarios dicti Monasterii cum instantiâ requisivit, quòd ipsi prædictos Guillelmum & Guillotum sibi nomine & ratione Episcopatûs Andegavensis redderent, pro furto & fractione prædictis in dicto manerio de Esventart eisdem commissis justitiandos. Cujus requisitioni dicti justitiarii Religiosorum prædictorum annuentes, prædictos Guillelmum & Guillotum die Veneris ante festum beatæ Mariæ Magdalenæ anno quo suprà, primò per ipsos justitiarios dictorum Abbatis & Conventus pro furto dictorum scyphorum in feodo dicti Monasterii commisso justitiatos, & abscissione auricularum dextrarum punitos, prædicto Matthæo le Vignerons exercenti justitiam temporalem dicti Episcopi in dicto manerio de Esventart, & pertinentiis ejusdem, præsentibus prædicto Matthæo le Vignerons, Joanne & Matthæo ejusdem filiis, Joanne Villico Seneschallo tunc temporis dictorum Abbatis & Conventûs, Guillelmo Barbitonsore de porta Andegavensi; Joanne de Mauni, dicto Pinaut, Præposito & protoserviente nostro in villâ sancti Maurilli de Esmâ, protoserviente nostro apud sanctum Alemandum dicto Malapertisore, Matthæo Gauveing, & Thoma Præcone de Chalonne, & pluribus aliis, reddiderunt per justitiam dicti Episcopi temporalem pro dictis furto & fracturâ in dicto Manerio de Esventart, ut prædictum, commissis justitiandos, & secundùm consuetudinem puniendos. Quâ die Veneris prædictâ dicti Guillelmus & Guillotus per gentes dicti Episcopi ad manerium prædictum adducti, & ibi de prædicto furto & fracturâ quæ confessi fuerant, per dictum

Matthæum le Vignerons, vice & auctoritate justitiæ temporalis dicti Episcopi judicati, furcâ patenti erectâ retro dictum manerium in feodo dicti Episcopi, secundùm consuetudinem patenter suspensi fuerunt, præsentibus ad præmissa dicto Matthæo le Vignerons, & prædictis Matthæo & Joanne ejusdem filiis prædictis, Matthæo Gauveing, Luca de Lorifrac, Juliotâ de Eleemosynario, & aliis suprà dictis.

Littera compositionis pro Procurationibus habendis in Prioratibus Majoris Monasterii Turonensis.

UNiversis præsentes litteras inspecturis GUILLELMUS permissione divinâ Andegavensis Episcopus, FULCO Archidiaconus Transmeduanensis, & GAUFRIDUS Burgoliensis, ac JOANNES de Fixa Archipresbyter, necnon PETRUS de Candeyo, JOANNES de Camilliaco, & GUITO de Magiâ Decani, ac Fratres, JOANNES humilis Abbas permissione eâdem Majoris Monasterii Turonensis, totusque ejusdem loci Conventus, Salutem in domino. Noveritis quod cum inter nos Guillelmum Episcopum Andegavensem, nosque prædictos Archidiaconum, Archipresbyteros & Decanos ex unâ parte, ac nos Abbatem & Conventum prædictos, & Priores Prioratuum ad nostrum Monasterium spectantium, sitorum & existentium in civitate & diœcesi Andegavensi ex parte aliâ, verteretur materia quæstionis super Procurationibus, quas nos Episcopus, nosque Archidiac. Archipresbyteri & Decani dicebamus, nobis scilicet Episcopo in diœcesi, & nobis Archidiacono, Archipresbyteris & Decanis in Archidiaconatu, Archipresbyteratibus & Decanatibus nostris, in jam dictis Prioratibus & à Prioribus eorumdem spectantium antedictum Monasterium, tam de jure & de antiquâ & approbatâ consuetudine observatâ à tempore à quo memoria non existit, quàm per plurimas alias rationes deberi, dum nos Episcopum in propriâ personâ, vel per alium ex privilegio Sedis Apostolicæ, scilicet in diœcesi Andegavensi, & nos Archidiaconum, Archipresbyteros & Decanos in nostris territoriis Ecclesias parochiales, infrà quarum fines situantur & existunt dicti Prioratus, visitare continget causâ faciendi ibidem quæ noscuntur ad nostrum cujuslibet officium pertinere; & maximè quia nos in Ecclesiâ Andegavensi Archidiaconatuque, Archipresbyteratibus & Decanatibus prædictis à tanto tempore, à quo memoria non existit, per Prædecessores nostros fueramus, & eramus, & adhuc sumus in quasi possessione juris habendi & percipiendi in Prioratibus antedictis, & à Prioribus eorumdem Procurationes sibi & nobis debitas à Prioribus & Prioratibus antedictis ratione visitationis dictarum Ecclesiarum Parochialium, infrà quarum fines dicti Prioratus situantur, impensarum, per ipsos Prædecessores nostros prout ad quemlibet ipsorum ratione sui officii spectabat.

Nobis Abbate & Conventu prædictis & memoratis Prioribus nostris è contrario dicentibus, & asserentibus, nos & Prioratus nostros ac eorumdem Priores eisdem Episcopo, Archidiacono, Archipresbyteris & Decanis ad procurationem non teneri quoquo modo, & nos ac dictos Prioratus Prioresque nostros & eorum quemlibet per privilegia Romanorum Pontificum fore penitus immunes à præstatione Procurationum ipsarum, & nos specialiter esse in quasi possessione libertatis & immunitatis dictas Procurationes non præstandi, multisque allegationibus inter nos super hoc habitis, & quamplurimis tractatibus proloquutis.

Tandem attendentes quòd bonorum hominum est, & præcipuè personarum Ecclesiasticarum lites execrari, volentes obviare periculis, & damnis, incommoditatibus variis, quæ ex hujusmodi contentionibus & controversiis in futurum possent nasci, ac nostram & Ecclesiarum successorumque nostrorum pacem acquirere cupientes, præcipuè cum inter Ecclesias nostras & personas earumdem retroactis temporibus usque ad tempora contentionis, seu controversiæ prælibatæ, pax & dilectio ac vera charitas viguerint. Nos Episcopus, Archidiaconus, Archipresbyteri & Decani prædicti, cum Reverendo Patre Domino GAUFRIDO Dei gratiâ Archiepiscopo Turonensi, Metropolitano nostro, & cum Capitulo Andegavensi: Nosque Abbas & Conventus prædicti, cum prædictis Prioribus & cum nostris Sociis & Fratribus, & aliis nostris Consiliariis, in nostro Capitulo Generali habitis super hoc deliberationibus diligentibus, de proborum virorum consilio ad pacem & concordiam super præmissis contentionibus & controversiis, unanimiter ad invicem devenimus in hunc modum: videlicet quod cum nos Episcopum & successores nostros, quibus pro tempore in propriis personis, vel per alium ex privilegio Sedis Apostolicæ Ecclesias, infrà quarum fines Prioratus hujusmodi situantur, in quibus non sunt ab antiquo certæ summæ pro procuratione taxatæ, debitis temporibus visitare continget, quilibet Priorum Prioratuum prædictorum, qui aliàs procurationes integras solvere consuevit, visitatione parochialis Ecclesiæ completâ, statim, vel saltem eâdem die septem libras bonæ monetæ, videlicet illius monetæ, in quâ domini temporales recipient communiter suos reditus, sive census, nobis & nostris successoribus pro tempore, si personaliter, vel Commissario nostro, seu successorum nostrorum pro tempore visitanti, si ex privilegio Sedis Apostolicæ per alios visitemus, aut visitent nostri successores pro tempore, pro expensis nostris dictæ diei, dictorum Successorum nostrorum cujuslibet pro tempore solvere tenebitur: ita tamen quòd nos & successores nostri in dicto Episcopatu taliter tempore nostrarum visitationum in Diœcesi Andegavensi moderemus, quòd iidem Priores anno quolibet nisi unam procurationem solvere non teneantur.

Prior verò de Carbec quoniam ab antiquo tantam summam taxatam ex compositione jamdudum habitâ, scilicet viginti solidos solvere consuevit, eamdem summam in prædictâ monetâ solvere tenebitur eâdem die, quâ fiet visitatio in parochiali Ecclesiâ dicti loci, nobis & successoribus nostris cuilibet pro tempore, si personaliter, vel commissario nostro & successorum nostrorum cujuslibet, pro tempore visitandi, si per alium, ut nos & prædecessores nostri consuevimus, visitemus, aut visitent successores prædicti.

Prior verò de Veru qui taxatam procurationem integram solvere non consuevit, sed unà cum Rectore de Veru ad procurationem integram, pro duabus partibus conferre & solvere consueverunt; dum nos Episcopum prædictum, vel successores nostros personaliter, vel per alium, ex privilegio Sedis Apostolicæ prædictam Ecclesiam de Veru visitare continget; duas partes dictæ procurationis, prout est superiùs taxata, & accordata, videlicet quatuor libras, tresdecim solidos, & quatuor denarios pro ratâ suâ in dictâ monetâ solvere tenebitur dictâ die, quâ fiet in dictâ Ecclesiâ de Veru visitatio suprà dicta.

Dum verò nos, Archidiaconum, Archipresbyteros & Decanos, successoresque nostros in nostris Archidiaconatu, Archipresbyteratibus & Decanatibus, in propriis personis, vel per alios ex privilegio Sedis Apostolicæ visitare continget; Priores Prio-

ratuum sitorum infrà fines parochiarum prædictarum, quoties per nos & successores nostros personaliter, vel per alium ex privilegio Sedis Apostolicæ continget visitare, qui aliàs consueverunt procurationes integras solvere, nobis Archidiacono & successoribus nostris triginta solidos monetæ prædictæ, & nobis Archipresbyteris & Decanis, qui Canonici ejusdem Andegavensis Ecclesiæ non sumus ad præsens, & successoribus nostris Canonicis Andegavensibus non existentibus, quilibet pro tempore decem solidos ejusdem monetæ. Illis verò nostrûm Archipresbyterorum & Decanorum prædictorum, & successoribus nostris, qui Canonici Andegavenses fuerint, quamdiù Canonicatum & Præbendam prædictos cum Archipresbyteratibus vel Decanatibus supradictis tenebunt, ob reverentiam & honorem Ecclesiæ Cathedralis, cujus membra existunt, quindecim solidos monetæ prædictæ, ratione cujuslibet visitationis parochialis Ecclesiæ eâdem die quâ fiet visitatio, ibidem vel saltem Andegavis, quantum ad illos qui erunt Canonici, ut præfertur, vel in Ecclesiis Archipresbyterorum & Decanorum non Canonicorum, qui per se, vel per alios, ut prædicitur, visitarint, infrà octo dies à tempore visitationis hujusmodi solvere tenebuntur pro omnibus expensis nostris dictæ diei & successorum nostrorum, qui pro tempore fuerint: ita tamen quòd nos Archidiaconus, Archipresbyteri, & Decani & successores nostri in dictis Archidiaconatu, Archipresbyteratibus & Decanatibus taliter tempora visitationum nostrarum moderemus, quòd iidem Priores anno quolibet nisi unam procurationem solvere non teneantur. Qui verò non integras taxatas nobis solvere consueverant, easdem in monetâ prædictâ persolvant prout est hactenùs consuetum: ita tamen quòd nos Episcopus, Archidiaconus, Archipresbyteri & Decani, successoresque nostri, summis prædictis pro omnibus expensis, quas ratione visitationis dictæ Ecclesiæ, & procurationis debitæ, tam ratione dictæ Ecclesiæ, quàm Prioratûs infrà fines dictæ Parochiæ consistentis, possemus & possent exigere à dictis Prioribus & habere, contenti erimus & erunt, nec plus pro dictâ causâ exigere poterimus, aut poterunt ab eisdem Religiosis, vel ab aliquo eorumdem, salvis tamen procurationibus nobis, Archidiacono, Archipresbyteris & Decanis à Rectoribus dictarum Ecclesiarum debitis ab antiquo, nec invitis, retinentibus seu expressè contradicentibus Prioribus, seu Custodibus dictorum Prioratuum, domos ipsorum Prioratuum, grangias, seu bona propria ipsorum poterimus, nec poterunt intrare, accipere seu etiam occupare. Et ut prædicti Priores de prædictis summis, dum prædictas Ecclesias per nos Episcopum & successores nostros personaliter, vel per alium ex privilegio Sedis Apostolicæ visitare continget, sibi valeant providere, & nobis promtiùs satisfacere de eisdem:

Nos prædictus Episcopus & successores nostri pro tempore, dum seu quando nostram voluerimus diœcesim visitare, hoc ipsum denuntiare tenebimur Priori S. Ægidii de Vigulto Andegavis, qui est, & pro tempore fuerit, si sit præsens, & sui copiam faciat: alioquin in Prioratu prædicto vel ante portas ejusdem, si de facili ingressus non pateat ad eumdem, vocatis ad hoc aliquibus fide dignis: quâ denuntiatione sic factâ, Ecclesias infrà quarum fines Prioratus hujusmodi situantur, quantum ad effectum percipiendi summas prædictas, non poterimus, nisi demùm tribus hebdomadis elapsis à tempore denuntiationis hujusmodi visitare, & eodem modo successores nostri Andegavenses Episcopi facere tenebuntur.

Nos autem prædictus Abbas, qui ex totâ animi nostri intentione in pace & concordâ vivere cupimus, & in tranquillâ devotione domino famulari, ad hoc quòd dicta compositio in futurum valeat firmiùs observari, promittimus bonâ fide, quòd in nostro proximo Capitulo generali; omnes prædictos Priores nostros & nostri Monasterii in civitate & diœcesi Andegavensi constitutos monebimus unâ monitione pro omnibus, ut ipsi & eorum quilibet, prædictas summas pecuniarum prædictis Episcopo, Archidiacono, Archipresbyteris, & Decanis indilatè persolvant, eo modo quo superiùs continetur, & prædictam compositionem firmiter teneant & observent. Promittimus etiam nos Abbas prædictus, quòd in dictos Priores non observantes compositionem prædictam, seu non satisfacientes modo & formâ prædictis, suspensionis sententiam ex tunc, ut ex tempore quo satisfacere tenebuntur, proferemus. Quam suspensionis sententiam si quis ipsorum per octo dies sustinuerit, in ipsum ex tempore dictorum octo dierum transactorum, excommunicationis sententiam proferemus: quam excommunicationis sententiam si quis per mensem sustinuerit, ipsum sic excommunicatum à suâ administratione suspendemus, & ad claustrum revocabimus, vel alibi mittemus eumdem sic suspensum ab administratione dicti Prioratûs, ubi videbimus expedire, donec prædictis Prælatis de summis antedictis, modo quo suprà, fuerit satisfactum. Sed ut taliter excommunicato & à suâ administratione suspenso, de suæ absolutionis beneficio valeat provideri; volumus & consentimus, & in prædicto nostro generali Capitulo statuere & pronuntiare promittimus, quòd si contingat nos dictum sic excommunicatum à suâ administratione absolvere, aliquâ de causâ, & alii administrationem dicti Prioratûs committere, subrogandus in dictâ administratione sive Prioratu, nisi infrà mensem à tempore provisionis sive commissionis sibi factæ, de administratione sive Prioratu hujusmodi, de prædicta summâ satisfaciat, in pœnas supradictas incidat ipso facto.

Et eodem modo quilibet Abbas successor noster in primo Capitulo generali post institutionem suam, similes monitiones, summas & processus per intervalla prædicta facere & pronuntiare tenebitur in futurum.

Promittimus insuper nos Abbas & Conventus prædicti, quòd si dicti Episcopus, Archidiaconus, Archipresbyteri & Decani super præsenti compositione confirmationem à Sede Apostolicâ voluerint impetrare, quòd nos ad hoc consentiemus & ex nunc in quantum in nobis est, tenore præsentium consentimus, & constituimus nos Abbas & Conventus prædicti Procuratorem specialem ad consentiendum pro nobis in Romanâ Curiâ confirmationi compositionis prædictæ, salvo quòd ad impetrationem confirmationis compositionis hujusmodi nihil conferemus, nisi expensas nostri Procuratoris prædicti.

Insuper ut prædicta compositio firmior & validior habeatur, nos Abbas & Conventus prædicti omnia bona dictorum Prioratuum nostrorum ad solutionem hujusmodi faciendam, & ad tenendum & firmiter adimplendum & observandum omnia & singula supradicta, & ad non veniendum contrà in futurum aliquâ ratione.

Nosque Episcopus, Archidiaconus, Archipresbyteri & Decani prædicti, ad prædicta tenenda & observanda, bona dictorum Episcopatûs, Archidiatûs, Archipresbyteratuum & Decanatuum nostrorum specialiter obligamus. Præterea nos Episcopus prædictus, Archidiaconus, Archipresbyteri & Decani, & nos Abbas & Conventus prædicti Procuratores

speciales constituere promittimus, qui prædictam compositionem in animas nostras jurabunt observare, & contrà non venire in futurum aliquâ ratione. Et eodem modo successores nostrûm Episcopi, Archidiaconi, Archipresbyterorum & Decanorum; necnon nostri Abbatis prædicti in primo Capitulo generali, post institutionem suam simile juramentum per Procuratorem facere tenebuntur. Acto inter nos quòd per præsentem compositionem exemptioni, sive privilegiis & libertatibus dictorum Abbatis & Conventûs, & Priorum Prioratuum prædictorum in aliis non fiat præjudicium, nec fieri valeat in futurum.

In cujus rei testimonium nos Episcopus, Archidiaconus, Archipresbyteri & Decani, Abbasque & Conventus prædicti sigilla nostra unà cum sigillo Capituli Andegavensis his præsentibus litteris duximus apponenda. Nos verò Capitulum Andegavense, Decano nostro absente, huic præsenti compositioni de nostris voluntate & assensu, in quantum in nobis est, ratificamus, laudamus, & etiam approbamus, sigillum nostrum apponi fecimus in testimonium præmissorum.

Datum anno Domini M. CCC. XV. mense Aprilis apud Andegavis, & apud Majus-Monasterium in Capitulo generali.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, frater Joannes, permissione divina Majoris-Monasterii Turonensis Minister humilis, salutem in Domino. Noveritis nos monitiones & processus qui sequuntur, fecisse in modum qui sequitur & in formam.

Nos Joannes divina permissione præsentis Majoris-Monasterii Minister humilis. Compositionem factam inter Reverendos Patres Dominum G. Archiepiscopum Turonensem, Dominos P. Cenomanensem & G. Andegavensem Episcopos, Archidiaconos, & Archipresbyteros ac Decanos Turonensis, Cenomanensis, Andegavensis Ecclesiarum, ex unâ parte, & nos & Conventum præsentis Majoris-Monasterii & Priores Prioratuum ad dictum Monasterium spectantium in Turonensi, Cenomanensi, & Andegavensi Diœcesi existentium & constitutorum, ex alterâ, super modo & forma habendi & percipiendi per dictos Archiepiscopum, Episcopos, Archidiaconos, Archipresbyteros & Decanos certas summas pecuniæ à Prioribus dictorum Prioratuum, vobis omnibus in præsenti Capitulo generali publicamus, vosque omnes & singulos Priores dictorum Prioratuum monemus unâ monitione pro omnibus, vestrosque successores in dictis Prioratibus, prædictâ monitione ligari volumus, ut vos omnes tam præsentes quàm futuri prædictam compositionem fideliter & firmiter observetis, dictasque summas pecuniæ, prout taxatæ sunt & declaratæ in dictâ compositione, integraliter solvatis modo & formâ in dictâ compositione contentis; alioquin in omnes non solventes, modo quo suprà dictum est, quo in dictâ compositione continetur, sententias suspensionis, excommunicationis, administrationum amotionis, & ad claustrum revocationis proferimus in his scriptis, prout ex tenore dictæ compositionis tenemur, & apparet nos teneri secundùm formam ejusdem, cui præsentes nostræ litteræ sunt annexæ. In cujus rei testimonium & munimen sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum.

Datum die Veneris post Dominicam, qua cantatur *Cantate*, in nostro generali Capitulo anno Domini M. CCC. XVI.

ANNO Domini M. CCC. XVI. die Veneris post festum beati Michaëlis in monte Gregano, in Capellâ Monasterii de Esventart, frater PETRUS Abbas de Buxeriâ Cisterciensis Ordinis fecit nobis professionem obedientiæ in modum qui sequitur:

Ego Petrus Abbas de Buxeriâ Cisterciensis Ordinis, subjectionem & reverentiam à sanctis Patribus constitutam, secundùm præceptum sancti Benedicti, tibi, Pater GUILLELME, tuisque successoribus & sanctæ Sedi Andegavensis Ecclesiæ, salvo Ordine nostro, perpetuò me exhibiturum promitto.

MONITUM.

HISTORIAM TREVIRENSEM nobis subministravit codex ingens MS. Abbatiæ nostræ S. Cornelii Compendiensis, in cujus initio folium unum dilaceratum est, unum itidem in fine. Codex ipse historias complectebatur primò Francorum incerti auctoris: deinde Romanorum à Paulo Diacono: postremò historiam Trevirensem, quam nunc damus in lucem. Quis fuerit auctor Historiæ hujus Trevirensis, non facile est dijudicare: meas nihilominùs apponam conjectiones ex Trithemio & Brouvero. Duos veteres Auctores, qui historiam Trevirensium litteris mandarunt, Trithemius memorat initio Chronici Hirsaugiensis: Theodericus, *ait,* Monachus in historiâ Trevirorum; Golscherus Monachus in gestis eorumdem, &c. *Duos itidem laudat Brouverus in Proparasceve ad Annales Trevirenses, scilicet Golscherum Monachum S. Mathiæ apud Treviros, & Anonymum (forsan Theodericum) qui Annales Trevirenses Cunoni Archiepiscopo dedicavit. Idem Trithemius in catalogo virorum illustrium Germaniæ, agit de Theoderico Monacho S. Mathiæ prope Treverim, Ordinis S. Benedicti: sed inter ejus opera non numerat Annales Trevirenses. Proximè post Theodericum duobus tantùm interpositis auctoribus, laudatur Golscherus, ejusdem Cœnobii Monachus, qui* gesta Treverorum *libro uno scripsisse perhibetur. Quos hic edimus Annales, non videntur esse hujus auctoris, qui opus suum Cunoni Archiepiscopo dedicavit, quandoquidem in cod. MS. quo usi sumus, nulla Præfatio ad Cunonem Archiepiscopum legitur, & Annales nostri desinunt in anno* MCXXII. *multo post mortem Cunonis, qui anno* MLXVI. *cæsus est: forsitan ergo hujus historiæ auctor est Golscherus, cujus ætatem non indicat Trithemius, nec nomen apographum Compendiense ex quo hanc historiam eruimus.*

HISTORIA TREVIRENSIS.

IGitur anno Imperii OCTAVIANI Augusti quadragesimo secundo, quo firmissimam verissimamque pacem Dei ordinatione idem Cæsar composuerat, natus est Christus, cujus adventui pax ista famulata est, in cujus ortu audientibus hominibus exultantes Angeli cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Luc. 2. 14.

An. Chr. 30.

Augusto defuncto TIBERIUS successit, cujus Imperii anno quintodecimo Christus jam triginta annorum à Joanne baptizatus est: deinde duodecim Apostolos elegit, & in eorum solatium septuaginta duos discipulos postea designavit. Postquàm verò Dominus noster JESUS-CHRISTUS passus, mortuus & sepultus à mortuis resurrexit & in cœlum ascendit, beatissimus Petrus Apostolus Antiochenam Ecclesiam primâ confessione Christiani nominis suprà solidissimam petram fundavit, ac Pontum & Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam verbo prædicationis illustravit.

An. 47.

Anno Dominicæ Incarnationis quadragesimo septimo, Regni autem Claudii Cæsaris anno quarto, supernâ provisione ordinante Romam ingressus salutarem cunctis credentibus fidem constantissimâ assertione prædicavit, eamdemque signis potentissimis atque virtutibus comprobavit, & ejusdem urbis Pontificatum viginti quinque annis strenuissimè rexit. Fundatâ atque ædificatâ Romanæ Urbis Ecclesiâ super firmissimam petram, qui est Christus, fidelis nomine Petri, & cum jam per totam Italiam germina vitæ pullularent, tandem Spiritûs sancti præmonitus inspiratione Galliæ atque Germaniæ verbum salutis inferre ordinavit. Ad hoc denique opus dirigitur ex suis discipulis vir magnarum existens virtutum EUCHARIUS, qui in ordinatione LXXII. discipulorum Domini fuit tertius; VALERIUS quoque & MATERNUS, quorum statim Eucharium Episcopum ordinavit, Valerium Diaconum, Maternum Subdiaconum consecravit, quos statim in opus prædicationis direxit, aliosque cum eis idoneos viros CLEMENTEM, MANSUETUM, MEMMIUM aliosque plurimos, qui acceptâ benedictione magistri ad Gallias properaverunt, & multos ad soliditatem sacræ fidei signorum virtute perduxerunt.

Cumque in Elegiam Alsatiæ pervenissent, ibique populo verbum veritatis prædicarent, unus eorum nomine Maternus graviter ægrotare cœpit, & crescente eâdem infirmitatis molestiâ post non multos dies vitam finivit, cujus corpus cum gemitu & luctu terræ commendans sanctus Eucharius, assumpto secum Valerio Romam rediit, & cuncta quæ sibi in viâ acciderant, flebiliter magistro per ordinem narravit. Quem ille clementer consolatus baculum suum eidem tradidit, præcipiens eumdem super corpus defuncti baculum poni, & in nomine JESU-CHRISTI ex suo præcepto resuscitari. Ille verò veloci cursu Elegiam quadragesimo die mortis ejus pervenit, & corpus fratris effodiens baculum superposuit, dumque verba Apostoli impleret, statim Maternus vivus & incolumis coram populo de tumulo surrexit. In quo loco Christiani populi Ecclesiam construxerunt, & ex eo quod acciderat nomen resurrectionis ei imposuerunt.

Sanctus verò EUCHARIUS postquàm in Elegiâ multos ad fidem Christi imbuit, jam ad alia loca migrare disponens vale dixit in Elegiâ fratribus, & cum Valerio & Materno profectus est, tandemque perfecto itinere Treberim pervenit, anno Dominicæ Incarnationis quinquagesimo quarto, Imperii autem CLAUDII Cæsaris nono decimo, Episcopatûs verò B. Petri Apostoli in urbe Româ octavo; Sanctus Eucharius in ordine LXXII. discipulorum tertius cum sociis suis Valerio & Materno ad prædicandum Gallicis Gentibus demùm Treberim devenit; cujus infidelitatis aciem devincens, veræ Religionis arcem obtinuit, & ejusdem Pontificatum tredecim annis tenuit. An. 54.

Sepultus est in Ecclesiâ sancti JOANNIS Evangelistæ, quam ipse ante mediam construxerat portam, & in circuitu ejus cœmeterium benedixerat; post cujus obitum Beatus VALERIUS in ministerium Sacerdotale successit, illudque per quindecim annos sanctè vivendo & verbum vitæ prædicando beatissimè rexit; cujus prædicationis tanta fuit instantia, ut jam tunc per Galliam & Germaniam Christiani paganos & numero superarent & Religione. Sepultus est & ipse in eâdem Ecclesiâ juxtà corpus sancti Eucharii; post cujus decessum Beatus MATERNUS Pontificalem suscipiens apicem, quadraginta annis creditum sibi talentum fideliter multiplicavit. Hic Tungrenses & Colonienses ad fidem Christi convertit, & tribus civitatibus Pontificali jure præsedit, in quibus singulis fertur die Pentecostes celebrasse divinum officium.

In hoc tempore fecerunt Treberi subterraneum vini ductum, à Treberi usque ad Coloniam per pagum Pedonis, per quem magnam vini copiam Coloniensibus amicitiæ causa misêre. Hisdem diebus venit Treberim sanctus Nazarius prædicans Christum, sed à civitatis infelicissimo Principe CORNELIO, DOMITIANO Imperatori delatus est. Igitur sanctus Maternus apud Urbem Coloniam obiit senex, anno Dominicæ Incarnationis centesimo vicesimo octavo: cujus obitu Treberi comperto, mox Coloniam profecti sunt Pastorem suum repetentes, aderant & Tungrenses qui simul è Coloniensibus eum retentare satagebant. An. 128.

Certatum est diù ab utrisque. Interim venerandus quidam senex in urbe apparuit, monens cives ut à lite desistentes suis parerent consiliis, & corpus Pontificis in navi ponentes, deinde à littore fluctibus impellentes quo Deus velit abire sinant: mira res! mox ut Angelus consuluerat, factum est, navis sacro onusta corpore, nullo se regente nauclero, Angelico remigio contrà fluctus dirigitur, & parvo horæ spatio, milliario confecto in loco, qui ex tristitiâ Coloniensium Rouveza tunc vocatus est, littori applicatur. Tunc Treberi corpus sui Pontificis à Deo sibi destinatum cum debitâ sibi gratiarum actione suscipientes Treberim revexerunt, & in Ecclesiâ non longè à corporibus sanctorum Eucharii & Valerii honorabiliter sepulturæ tradiderunt, deinde Auspicius quidam regimen tenuit, dein insignes per legitimas successiones sanctitate & gratiâ pollentes extiterunt Felix, Mansuetus, Clemens, [a] Moyses, Martinus, Anastasius, Andreas, Rusticus, Auctor, Mauricius, Fortunatus, Cassia-

a *Clemens*] Hujus historiæ in iis quidem initiis futilitatem nemo erit qui non intelligat. Clementem, ut notavit Acherius, & Auctorem Metenses sibi vindicant, at Mansuetum sibi præfuisse asseverant Tullenses.

nus,

nus, Marcus, Avitus, Marcellus, Metropolus, Severinus, Florentius, Martinus, Maximinus, Valentinus, quorum octo ultimi etiam Tungrensi Ecclesiæ præfuisse noscuntur, qui omnes diversis temporibus non solùm in propriâ provinciâ, sed in extimis & ultimis industrii & illustres, non solùm confessione, sed etiam martyrio existentes, regna etiam tyrannorum vicerunt: qui videlicet Episcopi omnes in Ecclesiâ S. Eucharii sepulti creduntur esse.

Quorum autem Imperatorum vel Consulum claruerint temporibus, quosque vita eorum habuerit exitus, quotque singuli annis administraverint officium Pontificatûs, seu quantum quisque ampliaverit Ecclesiæ suæ reditus, quia totius Galliæ ab Hunis & Normannis facta abolevit eversio, nec à nobis lectoris cujusquam requirat exactio, cum & antea diris decem persequutionibus sub quibus vixere, eorum memoriam fama scriptorum studio minùs potuerit divulgando perpetuare. Primus etenim Christianos persequutus est Nero, secundus Domitianus, tertius Trajanus, quartus Marcus Antoninus, quintus Severus Pertinax, sextus Maximinus, septimus Decius, octavus Valerianus, nonus Aurelianus, decimus Diocletianus cum Maximiano. Harum itaque persequutionum temporibus prædicti viri Treberorum Præsulatum nequaquam manifestè, sed, sicut ait Apostolus, *In solitudinibus & in montibus, in speluncis & cavernis terræ* peregisse probantur, ut eorum meritò vita, tam fervente tunc ubique persequutione, quàm postea exterminatâ sæpius Treberorum civitate, oblivioni tradita fuisse credatur. Auxit hoc infortunium humani generis adversarius. Postquàm denique insuperabiles tres Evangelii sui operarios perpetim remunerandos, scilicet Eucharium, Valerium & Maternum Deus vocavit ad Superos, Treberi rectæ fidei credulitatem amiserunt, & ad pristinum paganismum ex maximâ parte redierunt.

Heb. xi. 38.

An. 291. Igitur anno Dominicæ Incarnationis ducentesimo nonagesimo primo MAXIMIANUS Imperator Herculius propter Gallorum frequentes tumultus Thebæos milites ab Oriente in auxilium accersivit. Hi Thebæi ab Antistite Jerosolymitano fuerant baptizati, deinde à Beato MARCELLINO Papa Romano qualiter sub armis Romanæ libertatis Christianam innocentiam custodire deberent, instructi. Prælati sunt autem huic legioni duces duo, quorum unus TYRSUS, alter SECUNDUS vocabatur, & MAURICIUS ejusdem legionis primipilarius: pilam in signo constituisse fertur Augustus propter nationes sibi in cuncto Orbe subjectas, ut in aliis figuram orbis ostenderet, & inde dicitur primipilarius, quasi primus ferens pilam. Quorum ordine & nomine Secundus apud Vintimilium Italiæ castrum martyrio finivit vitam. Mauricius verò apud Agaunum oppidum cum sociis suis victimatus occubuit. Tyrsus autem cum suis plurimis sociis & militibus in Treberim devenit, ibique in campo Martio castra posuit, ubi ab ejusdem civitatis Christianissimis Principibus Christianitatis & pacis signa in ipsis cognoscentibus Christianè & amicè hospitaliter & honestè, summâ quæ in Deo est ordinante hoc charitate, recepti sunt. His ergo Principibus, dum caussam suæ ab Oriente profectionis suæque ad hunc locum perventionis flebiliter retulissent, eorumque consilium simul & auxilium humiliter postulassent, flagrante sancti Spiritûs ardore adeo corda omnium & civium & hospitum in Dei amore succensa sunt, ut ad mortis magis pro Christi amore susceptionem, quàm ad Idolorum venerationem vel Christianorum oppugnationem, se animas præbere invicem exhortarentur. Vixdum igitur sanctæ exhortationis armis se invicem munierant, cum ecce RICTIOVARUS à Maximiano Imperatore Treberorum præfecturâ donatus, eamdem urbem maximo militum agmine stipatus intravit. Qui vocans ad se in primis quorum caussâ præcipuè venerat Thebææ legionis Christianos interrogavit, utrum vellent Romanorum Deos adorare, eorumque detrectatores armis subjugare; cui cum dux legionis Tyrsus responderet, se suosque omnes & socios & milites pro Christi amore malle mori quàm hujuscemodi sacrilegio pollui; Rictiovarus diffusis per totum campum militibus omnes præcepit interfici, & corpora eorum feris & avibus devoranda relinqui. Ex his innumeris tanta multitudo ad littus Mosellæ juxtà Capitolium martyrizata est, ut sanguis defluentis rivuli in Mosellam aquis permisti eas in suum colorem converteret, ut naturali claritate remotâ peregrino magis quàm proprio colore ruberent. Inhumatis etiam tunc Sanctorum corporibus unda præbebat tumulum, quo redeunte compage gratâ membrorum, futuro eam repræsentaret judicio. Hoc idem Capitolium postea in honorem Dei Genitricis semperque Virginis MARIÆ est dedicatum, & ipse locus ob memoriam Martyrum littus ad Martyres nomen accepit: hanc cædem Rictiovarus exercuit, videlicet Tyrsi ac sociorum ejus die quarto Nonas Octobris. Sequenti autem die PALMATIUM Consulem & Patricium civitatis cum undecim Principibus ejus occidit, quorum nomina hæc sunt Maxentius, Constantius, Crescentius, Justinus, Leander, Alexander, Soter, Hormisda, Papirius, Constans, Jovinianus. Tertio nihilominùs die Rictiovarus cædem exercuit in plebem utriusque sexûs & ætatis, totamque urbem occisis innumerabilibus Christianis implevit. Pauci Christiani qui hujus cædis procellas declinaverunt, horum Martyrum corpora partim sepulturæ tradiderunt, & quemdam ingentis capacitatis puteum vetustate neglectum & aquis exhaustum eorumdem Sanctorum ossibus impleverunt. Quærit aliquis quomodo Rictiovarus tantam multitudinem peregrinorum trucidare potuerit, vel quare Thebæi sive Treberi illi resistere non valuerunt? Sed notandum quòd hæc legio Thebæa primùm juravit in sacramenta divina, deinde in sacramenta regia, hæc duo sacramenta se observasse demonstrat; primum quòd Idolis immolare contemsit; secundò quod innocentiam suam dum benè potuit, armis defendere noluit: alioquin si Thebæi juncti Treberensibus se defendere voluissent, non solùm Rictiovari, sed etiam Maximiani potentiæ resistere quivissent, sed servavit sacramentum suum patienter moriendo, & cives urbis potentissimè secum ad contemptum mortis fideliter invitavit.

Post Rictiovari cruentissimum imperium vel dominatum vel tandem civile bellum, nobis Constantii primò Cæsaris, dehinc Augusti reparatur Imperium. Hic multâ clementiâ erga homines, erga Deum verò Religione maximâ utebatur, neque piorum sanguine regnum suum maculavit, neque orationis domos destruxit, sed Dei cultores venerationi habuit & honori. Hic non modo amabilis, sed etiam venerabilis Treberibus fuit, præcipuè quòd DIOCLETIANI suspectam prudentiam, & Maximiani Rictiovarique sanguinariam temeritatem imperio ejusdem evaserant. Hic Alemannos, qui jam à temporibus Valeriani Imperatoris Treberorum confinia devastabant, in ipsis finibus Treberorum aggressus magnâ strage delevit. Circà Lingonas die unâ adversam & secundam fortunam expertus est. Nam cum repente barbaris ingruentibus intrà civitatem esset coactus, tam præcipiti necessitate ut clausis portis in murum funibus tolleretur, XIV. horâ diei adventante exercitu sexaginta millia Alemannorum

ecidit, captis eorum regibus, quos etiam bestiis ...um magnificum spectaculum muneris pavisset, objecit: anno sexto Imperii sui obiit in Britanniâ Eboraci, & inde Treberim relatus, in campo Martio honorificè sepelitur cum epitaphio hujusmodi: ÆLIUS[b] CONSTANTIUS VIR CONSULARIS, COMES ET MAGISTER UTRIUSQUE MILITIÆ ATQUE PATRICIUS ET SECUNDO CONSUL ORDINARIUS. Hic ex Helenâ Treberorum nobilissimâ Constantinum filium procreavit, Imperatoremque Galliarum reliquit, qui etiam totius Regni monarchiam per maxima bella obtinuit. Beatissima verò mater ejus Helena cum magno exercitu Jerosolymam perrexit, ibique cum Dei adjutorio lignum sanctæ Crucis invenit. Quâ inventione celebratâ Papam Silvestrum adiit, magnis precibus deposcens ut sibi secundùm carnem consanguineæ Trebericæ civitati misereatur, & ejus infidelitatis tenebras aliquo idoneo prædicatore illustrare dignetur. Magnâ ergo habitâ Doctoris inquisitione, omnium fidelium consilio sanctus Agretius Antiochenæ Præsul civitatis evocatur, & ad Treberim cum pretiosissimis Reliquiis, quas inferiùs notabimus, à Papa & Reginâ destinatur, cum privilegio quod idem Papa Silvester ad honorem Treberensis Ecclesiæ hoc modo noscitur conscripsisse. Sicut in gentilitate propriâ virtute, sortire & nunc Trebir primum super Gallos & Germanos Prioratum, quem tibi præ omnibus harum gentium Episcopis in primitivis Christianæ Religionis Doctoribus, scilicet Euchario, Valerio, Materno, ac per baculum caput Ecclesiæ Petrus signavit habendum, suam quodammodo minuens dignitatem, ut te participem faceret, quam ego Silvester servus ejus successioneque indignus per Patriarcham Antiochenum Agritium renovans ad honorem patriæ dominæ Helenæ Augustæ Metropolis ejusdem indigenæ, quam ipse felix per Apostolum Matthiam de Judæa translatum cum tunicâ & clavo Domini, & dente sancti Petri, & sandaliis sancti Andreæ Apostoli, & capite sancti Cornelii Papæ, cæterisque reliquiis magnificavit, specialiterque provexit, hujus privilegii conscii nocui æmuli communione dirimantur, quoniam anathemate maculantur.

An. 368. Anno Dominicæ Incarnationis trecentesimo sexagesimo octavo, sanctus AGRITIUS Treberorum Præsul efficitur; hic populum ab errore antiquo Idololatriæ velut alter Eucharius eripuit, & domum sanctæ Helenæ exclusis ab eâ cunctis paganismi spurcitiis, in honorem sancti Petri dedicavit, & caput Treberensis Ecclesiæ ut esset instituit. Eo tempore Treberis jussu Beatæ Helenæ Ecclesia maximi ornatûs, & structuræ in honorem sanctæ Crucis est ædificata, etiam in modum Crucis. Ipso etiam tempore apud Confluentiam in castro Monasterium in honorem sanctæ Mariæ Virginis constructum est à nepte Beatæ Helenæ Mathilda nomine: ossa Mathiæ Apostoli juxtà corpora sanctorum Eucharii sociorumque ejus collata sunt. Sanctus autem Agritius officio sui pontificatûs expleto migravit ad Dominum, sepultusque est juxtà corpus sancti Eucharii, cui successit Beatus MAXIMINUS discipulus ipsius, qui Effratem Coloniensem hæreticum deposuit, & Severinum in loco ejus subrogavit, Athanasium Alexandrinum Episcopum persequutionem Constantii Imperatoris fugientem honorificè suscepit & intrepidus. Nam antea toto Orbe profugus vagabatur, nec ullus ei ad latendum supererat locus, Tribuni, Præpositi, Comites, exercitusque ad investigandum eum Edictis Imperialibus moniti totius Regni viribus concertabant, si quis vivum maximè, in minus certè caput ejus detulisset. Verùm Treberis sex annis ita latuit in lacu cisternæ supradictæ non habentis aquam, & plenæ ossibus mortuorum, ut solem nunquam viderit, & ibi fidem Catholicam, id est, *Quicumque vult salvus esse, &c.* composuit, sed cum per mulierem quæ ei lanternam præbere videbatur proditus fuisset, tamquam Spiritu Dei admonente, nocte ipsâ quâ ad eum comprehendendum cum indicibus veniebatur post annos sex emigravit ad alium locum. Igitur Beatus Maximinus ad suos revisendos perrexit in Aquitaniam, ibique D. se vocante quievit in pace.

Successit in Episcopatum PAULINUS, qui corpus Magistri sui beatum LUBENTIUM & populum Treberorum ex Aquitaniâ revexit, & in cœmeterio sancti Eucharii sepelivit. Beatus verò Lubentius per revelationem Domini venit in Germaniam, ibique super fluvium, qui Longana dicitur, Ecclesiam ædificavit in quâ & requiescit. Præsul verò & Martyr Christi Paulinus à Constantino Imperatore veræ fidei causâ in Phrygiam exul destinatur, ibique pro nomine Christi decollatur ac sepelitur. Dum enim veram fidem instantiùs prædicaret gentibus, accensis in iram paganis cæsus est.

Post quem BONOSIUS, deinde BRITONIUS, de quo in tripartitâ Historiâ legitur, Britonium Romæ fuisse cum DAMASO Papa, qui ipse Mars gentiliter appellatur, in nostro sermone sonat Virginem dulcem. Horum temporibus Græci cum magnâ manu Treberim invasere, & cædibus & rapinis & incendiis graviter attrivere.

Anno Dominicæ Incarnationis CCCCVI. MAXIMUS strenuus quidem & Augusto dignus, nisi contrà sacramenti fidem per Tyrannidem emersisset, ab exercitu in Britanniâ invitus Imperator creatus, Treberim sedem Regni constituit. Eodem tempore Priscillianistarum hæresis exorta est à Priscilliano Abulæ civitatis Episcopo, qui mox apud Burdegalensem Synodum condemnatus, Treberim ad Maximum Imperatorem confugit, ubi errore suo propalato jussu Maximi ab Evodio Præfecto Prætorii gladio addictus est, cum Eucherotiâ Delphidii Rhetoris conjuge, & Latroniano, Felicissimo & Juliano, multisque aliis erroris sui consortibus. Ad hanc hæresim damnandam Concilium Episcoporum famosum jussu Maximi Treberis congregatum est, inter quos erant Martinus Turonensis & Ambrosius Mediolanensis: Ambrosius ergo cum venisset, postridie ad palatium accessit. Postea cum videret Maximus eum ab Episcopis abstinere qui communicabant ei, & qui alios devios licet à fide, id est Priscillianistas hæreticos ad necem petebant, ubi & Martinus deliquit, commotus eis, jussit Ambrosium sine morâ ingredi. Ipse verò libenter, etsi eum plurimi insidias evasurum non crederent, ingressus est, hoc solo dolore percussus, quòd Wineum Episcopum senem in exilium duci comperit. Maximus Imperator cum nollet flecti à sententiâ suâ, mox percussores his pro quibus Martinus rogaverat, ad Hispanias direxit. Quod ubi Martinus comperit, nocte Palatium irrupit, communicaturum se spondet si Tribuni ad Hispanias missi revocentur, nec mora intercessit; Maximus indulget omnia. Postridie FELICIS Episcopi Treberorum post BRITONIUM ordinatio parabatur, sanctissimi sanè viri & planè digni, qui meliori tempore Sacerdos fieret. An. 406.

b *Ælius*] Hæc inscriptio, non enim Epitaphium est, in Constantium Cæsarem unum convenit, qui magnum sibi nomen peperit in bellis Honorii ætate, quique Gallam Placidiam Augustam uxorem duxit. Quod de victoriâ apud Lingonas à Val. Constantio reportatâ legitur hoc loco, omninò notandum est.

Hujus dici communionem Martinus iniit, satius æstimans ad horam cedere, quàm perituris non consulere. Sic itaque apud Treberos eo tempore & hoc ordine Episcopatum sanctus Felix suscepit.

Erant etiam apud Treberos multi nobiles & Ecclesiastici viri, ille videlicet Presbyter Hieronymus de Bethleem, & Ausonius Burdegalensis, aliique quamplurimi, quorum Hieronymus prolixum valde de Synodis librum sancti Hilarii ibidem conscripsit; Ausonius verò libellum qui dicitur Mosella metricè composuit ad honorem hujus patriæ: quod qui scire voluerit, in Burdegala reperire poterit. Quâdam die Maximus Imperator ad spectandos ludos Circenses ad amphitheatrum egressus est. Hunc quidam ex militantibus palatio nomine Pontianus cum aliis tribus contubernalibus suis exivit deambulatum in hortos muro contiguos: illic fortè uno eorum subsistente, alii duo venerunt ad cellam sancti Eucharii, ubi habitabant servi Dei pauperes, qualium est Regnum cœlorum, & invenerunt codicem in quo scripta erat vita Antonii, quam unus eorum cœpit legere & mirari, & repletus Spiritu sancto mox elevatis oculis ad socium suum ait illi: Dic, quæso, si non videtur tibi esse melius huic Deo servire qui talem habet famulum, quàm Regi mortali inaniter militare. Dixit & hoc turbidus parturitione novæ vitæ, reddit & oculos paginæ, & legebat & mutabatur intùs, & exuebatur mundo mens ejus. Nam dum legeret infremuit, & ait amico suo; Ego jam abrupi me ab illâ spe nostrâ & Deo servire statui, & hac horâ hoc aggredior, te si piget imitari, noli adversari. Tunc ille respondit, adhærebo & ego tibi, nec ultrà te in tali militiâ deseram. Tunc Pontianus & qui cum eo erant perambulabant horti partes, quærentes eos, devenerunţque in eumdem locum, & admonebant eos ut redirent, eo quòd declinasset jam dies. At illi narraverunt qualis eis orta esset voluntas atque fortuna, & petierunt ne eis molesti essent. Tunc cœperunt flere, & piè illis congratulati sunt, & commendaverunt se orationibus eorum, & reversi sunt ad palatiū. Illi autem manserunt in eodem loco: habebant autem ambo sponsas, quæ postea quam hoc audierunt etiam ipsæ virginitatem suam Deo dicarunt. Maximus Imperator de Treberi cum maximo exercitu se movens, Victorem suum filium infantili ætate Imperatorem constituit, eique tutores Quintinum & Manneum Principes Treberorum reliquit. Ipse deinde à Theodosio in Italiâ peremptus est, filius quoque ejus gladio in gratiam Theodosii occisus est.

Jam nunc aliquid de sancto Felice dicamus: hic fecit Basilicam grandem in honorem Dei Genitricis in campo Martio, trecentorum decem pedum longitudinis, centum viginti latitudinis, in quâ corpora Martyrum à Rictiovaro passorum usque ad sua tempora disjecta & incomposita honorificè tumulavit. Corpus quoque sancti Paulini, quod suo tempore Treberorum populus cum copiis ex toto Regno adunatis de Phrygiâ detulerat, factâ cryptâ in eodem Monasterio medio cryptæ cum ferreis catenis suspendit. Ipse post duodecim annos Sacerdotii sui in cornu dextro ejusdem Ecclesiæ sepultus est.

Eodem tempore sub Theodosio majore Franci cum Ducibus suis Sonnone & Gundebaudo in Germaniam prorumpentes, pagos depopulantes, etiam Coloniæ metum incussere. Quod cum Treberis perlatum fuisset, Mammeus & Quintinus, quos suprà diximus, quibus infantiam filii & defensionem Galliarum Maximus commiserat; collecto exercitu Francos de Germaniâ ejecerunt, & apud Carbonariam sylvam magnâ eos strage vicerunt. Hinc ortum est odium Francorum contrà Treberos, & ex hoc deinceps Rheno transmisso in terrâ Treberorum hyemare non præsumserunt.

Post hæc igitur temporibus Honorii Imperatoris, Crocus Rex Wandalorum cum Suevis & Alemannis egressus est de sedibus suis, Gallias appetens, consilio matris nequissimo utens dum ei dixisset, si novam rem vis facere & nomen acquirere, quæ alii ædificaverunt cuncta destrue, & populum interfice quem superas. Nam nec ædificia meliora ac pretiosiora facere potes, neque plus rem magnam per quam nomen tuum eleves: qui Rhenum apud Maguntiam ponte ingenioso transiens, primùm ipsam civitatem cum populo ejus delevit, deinde cunctas civitates Germaniæ vallans, Metis pervenit, ubi muro civitatis nutu divino ruente capta est civitas à Wandalis. Deinde urbem Treberorum vix à persequutione Græcorum respirantem, pari obsidione vallatam, cepit, & magna ex parte ad solum dejecit. Civium pars aliquanta in arenâ civitatis, id est in amphitheatro, quam muniérant liberata est. Post hæc cunctas civitates Galliarum Crocus pervagans Arelatum obsedit, ubi à quodam milite Mario captus, & in vinculis constrictus per cunctas civitates Galliarum quas vastaverat ductus, impiam vitam dignâ morte finivit. Paulo post imperante Theodosio minore Attila Hunnorum Rex civitatem Treberorum bello obtinuit, eamque graviter depopulatus est. Post mortem autem Valentiniani, qui post Theodosium cum Marciano imperavit, Avitus suscepit Imperium, sub quo civitas Treberorum patuit ludibrio Francorum. Erat in urbe Senator nomine Lucius qui habuit uxorem pulcherrimam, in quam deperiit Avitus amore turpi. Simulans igitur infirmitatem, præcepit ut omnes senatrices urbis eum visitarent: venit inter alias uxor Lucii, & ab eo stuprata, silenter domum revisit mariti: in crastino surgens Avitus dixit ad Lucium, pulcras habes thermas, sed frigido lavas. Hinc Lucius indignatus, urbem Francis prodidit à quibus direpta est, multisque necatis & incensâ Treberi, captam etiam Coloniam Franci diripuere. Sic finitum est nomen & Regnum Gallorum & Germanorum, & ortum est Francorum.

Post obitum sancti Felicis ut ad id redeamus unde paululum recessimus, MAURICIUS Treberorum Præsul efficitur, post quem sanctus LEGUNTIUS; deinde AUCTOR, post quem SEVERUS. Hic Apostolicis viris per omnia coæquandus, Germaniæ verbum Dei prædicavit, & cum GERMANO Autissiodori Episcopo & LUPO Trecassino in Britanniâ Pelagianam hæresim destruxit, cui successit Beatus CYRILLUS. Hic cellam S. Eucharii incensam & desertam reparavit, Monasteriumque non longè à priore loco constituit, & illuc corpora sanctorum Eucharii successorumque ejus transtulit, juxtà quos & ipse requievit. Cyrillum LAMNERIUS, Lamnerium EMERIUS est subsequutus, qui MAURUM post se constituit, qui Monasterium S. Paulini à Barbaris cum prædictis vastatoribus urbis desolatum reparavit, ubi & ipse sepultus quiescit; cui successit VOLUSIANUS. Hic privilegium dudum à Papa Silvestro huic urbi per Beatum Agritium delegatum, sed suo jam tempore Romæ deletum, à Romano Pontifice rescribi fecit, & honorem priscum suæ civitati renovavit. Post hunc HILDOLFUS, deinde SEVERINUS, post quem MILETUS Ecclesiam rexit; post MODESTUS, deinde MAXIMIANUS; post quem SIBITIUS cui successit APRUNCULUS, deinde RUSTICUS. Hic primò reprehensibilis, sed postea per Beatum Goarem correctus, in Ecclesiâ Beatæ Mariæ, quæ vocatur litus ad Martyres, septem annis reclusus pœnitentiam gessit, quo decedente APONOCULUS successit.

Defuncto verò Aponoculo Episcopo congregati Treberici Clerici ad *Theodericum*[c] Regem sanctum GALLUM petebant Episcopum, quibus ille ait: Ite & alium requirite, Gallum enim Diaconum alibi habeo destinatum. Tunc eligentes sanctum NICETIUM Episcopum statuerunt, Abbatem urbis Lemovicinæ, cui successit MAGNERICUS discipulus ejusdem Nicetii: cujus temporibus in Parochiâ Treberorum magnæ sanctitatis viri claruerunt, videlicet Paulus super montem Cebennam, qui ejus nomine hactenùs mons Pauli vocatur, Ingobertus, Disibotus, Wandelinus, Carilelfus, & quidam Langobardus nomine Wolfilaïcus, & Presbyter BANTUS, ejusque germanus nomine & opere BEATUS, aliique quamplurimi eremiticam vitam ducebant. Hic Magnericus Episcopus antiqua Dei templa in priscum renovavit honorem, & in honorem beati Martini Ecclesiam construxit unam in monte in pago Vabrensi, alteram in villâ quæ Cara-domus dicitur, tertiam in ipsâ urbe, in quâ & ipse post expletum vitæ suæ cursum tumulatus est, cui successit GAUGIRICUS discipulus ejus, qui in castro Treberorum fuerat educatus.

Hoc quoque mortuo SABAUDUS Pontificatum subiit: post quem SEVERICUS Ecclesiam rexit, deinde MODOALDUS Episcopatum suscepit tempore DAGOBERTI Regis, qui videlicet Dagobertus plurima beneficia Treberensi Ecclesiæ contulit & beato Modoaldo: idem enim Pontifex in palatio Dagoberti quod vocatur horreum, Ecclesiam construxit in honore Beatæ MARIÆ, ubi & congregationem virginum instituit, quarum matres fuerunt, IRMINA & MODESTA filiæ Dagoberti. Itemque aliam in palatio antiquo, in suburbio sito congregationem virginum instituit, quibus matrem BASILISSAM præfecit, & Ecclesiam sancti Martini in pago Megine. Item construxit Ecclesiam sancti Symphoriani ad littus Mosellæ, ibique Congregationem virginum instituit, quarum matrem sororem suam SEVERAM nomine constituit. Hujus temporibus Paulus inclusus supradictus migravit ad Theologium, quod præfatus Rex Dagobertus in suo proprio construxerat, ibique aliquantulum mansit, postea verò Virdunensis Ecclesiæ curam suscepit, ibique quievit: sanctus quoque Modoaldus postquam sororem suam beatam Severam cœlesti sponso eam vocante obeuntem in Ecclesiâ sancti Symphoriani tradidit sepulturæ, paulo post & ipse migravit ad Dominum, & in eâdem Ecclesiâ juxtà eam sepultus est.

Huic successit NUVERIANUS, cui BAINUS, post quem LUTUVINUS Basini ex sorore nepos. Hic primùm Belgicæ Galliæ Dux, omnia Monasteria hujus urbis largissimis honoravit donariis, & prædiis auxit: postea super fluvium Saroan in suo proprio Congregationem instituit, ubi & ipse Monasticæ vitæ habitum suscepit. Defuncto avunculo suo Basino Episcopo, successit BASINUS Electus. Hic etiam Remensibus & Laudunensibus præfuit. In quibus duobus uno die Deo præstante sacrorum Ordinum consecrationem celebravit. Remis obiit, & à Milone filio & Treberensibus relatus, divino dato indicio ad Mediolacum sepultus est; post quem MILO filius ejus Sacerdotali functus est officio apud Treberos & Remos, primò quidem imitator Patris, deinde tyrannus effectus est, nihilque in eo de Clericali honore vel vitâ nisi sola tonsura enituit. Eo enim tempore bella graviora & intestina parricidialia in hac Provinciâ orta sunt, quando CAROLUS tyrannus Laïcis Episcopatus dedit, & Episcopos nullam potestatem habere permisit. Cum hoc Carolo Milo supradictus ad bellum profectus est, solâ jam tonsurâ Clericus, habitu & moribus irreligiosus, & post victoriam Episcopatibus Treberorum & Remorum ab eodem Carolo donatus est, cujus infelici tempore his de Ecclesiis multa sunt ablata, & res ab Episcopiis divisæ, domus Religiosorum destructæ, Ecclesiastica disciplina disperdita, adeo ut Clerici, Sacerdotes, Monachi, Moniales sine lege Ecclesiasticâ viverent & refugia indebita haberent. Patet hujus calamitatis indicium in pluribus Treberensis Parochiæ Ecclesiis, in quibus singulis singulæ olim fuerunt Congregationes, quæ tam à præfato Milone quàm ab aliis tyrannis, ne dicam Episcopis, rebus spoliatæ, vix unum Presbyterum sustentare possunt. Sicut & Ecclesia sancti Medardi, quæ sita est prope Cellam sancti Eucharii super Soroam quæ dicitur Travena, Ecclesia sancti Symphoriani à beato Modoaldo constructa, Ecclesia in honorem sanctæ Crucis jussu beatæ Helenæ condita, Ecclesia sancti Remigii ad litus Mosellæ, Ecclesia ad palatium, Ecclesia super montem sancti Beati Confessoris in Confluentia, Ecclesia sancti Stephani extrà castrum Andernachi, forum quoque quod erat ante portam mediam constitutum, & frequentiâ comprovincialium satis celebre & famosum, ortâ inter cives & negociatores gravi simultate, ex eo loco in Wagasatiam translatum est. Et de his hactenùs.

ZACHARIAS Papa beatum BONIFACIUM doctrinâ & operatione clarum Treberensi & Remensi Ecclesiæ Visitatorem, & spiritualium negotiorum Provisorem constituit, cum MILO tyrannus res utrarumque teneret. Interea Carolus Ecclesiarum destructor moritur, de quo nocte quâdam revelatum est sancto EUCHERIO Aurelianensi Episcopo quia esset in inferno inferiori; qui accito Domno Bonifacio Romanæ Sedis Vicario, aliisque boni testimonii viris, Caroli sepulcrum aperuit: sublato autem lapide serpens miræ magnitudinis exivit de sarcofago, corpus autem Caroli non est ibi inventum. In his diebus Domnus Zacharias Papa audiens fidem & doctrinam Domni BONIFACII, constituit eum Archiepiscopum Moguntinæ Ecclesiæ. Nam antea Moguntini Episcopi, & Colonienses Suffraganei erant Wormacensium Episcoporum. Milo igitur tyrannus his ita peractis venationi inserviens, ab apro percussus moritur in villâ quæ dicitur *Irane* primo à Treberi milliario, ubi & sepultus est, post quadraginta annos suæ tyrannicæ invasionis. PIPINUS verò Rex suggestione Cleri & plebis Trebericæ HILDOLFUM claro Nerviorum genere ortum, in *Regensburch* autem enutritum Trebericæ civitati constituit Episcopum; hic construxit Ecclesiam in honorem sancti Joannis Evangelistæ juxtà cellam sancti Hilarii in campo Martio, in quâ corpus beati Maximini de Cellâ sancti Eucharii transtulit cum aliis trecentis Martyrum corporibus à Rictiovaro passorum, quem locum & suâ supellectile & fundis ditatum, & Cœnobitis repletum, centenum numerum Monachorum constituit, quæ videlicet cella in fundo sancti Petri constructa Episcoporum Treberensium multo tempore juri subjacuit, donec unus eorum adulatione damnabili cuidam Reginæ ad nuptias eamdem cellam cum castello quod dicitur Sericum, dedit dono, & sic deinceps à Regibus detenta est. Hic denique post aliquot annos Episcopatum suum relin-

c *Theodericum*] In hunc locum sic scripsit Acherius; Theodoricus iste Chlodovei Magni filius regnavit usque ad an. 534. at Rusticus & Aponoculus Trevirens. Episcopi erant sub Sigiberto II. Dagoberti filio, circà an. 640. Idem Acherius in Indicibus suis Nicetium Rustici & Aponoculi successorem, anno 563. floruisse testatus est.

quens, in saltu Vosagi cellam sibi construxit, in quâ & requiescit, cui successit WIEMADUS. Hic cellam sancti Goaris ad jus sancti Petri transferre conatus est, sed violentiâ Pipini conatus ejus impeditus est. Præceptum tamen regiæ auctoritatis ab eodem Pipino super cellam sancti Maximini, & aliis rebus Ecclesiæ Treberensis obtinuit, à CAROLO quoque magno Pipini filio, quod qui scire voluerit, invenire poterit.

Eo mortuo RICHBODUS ordinatur Episcopus, deinde WIZO, post quem AMALARIUS Fortunatus Cardinalis Romanus, qui librum Officiorum composuit. Hic missus est à Carolo magno Constantinopolim propter pacem cum Imperatore Michaële firmandam, qui Carolus multum marmor & museum plurimum de Treberis ad palatium Aquis vexit, & beato Petro ad vicissitudinem munera dedit. Post Fortunatum Treberis præfuit HETTI Abbas Mediolanensis: hic admonitus in visu à sancto Materno, in vigesimo tertio anno Ludovici Imperatoris asportavit corpus sancti Castoris de loco qui dicitur Cardena ad Confluentiam, ad Monasterium quod ipse construxerat, & secundo Idus Decembris consecravit in honore sancti Castoris & omnium Confessorum, & post consecrationem sanctum Corpus in Ecclesiâ recondidit, ibique Ludovicus Imperator multa dona præsentavit. Dicunt eum quidam, res Ecclesiarum sancti Eucharii & sancti Luttuini Principibus suis in beneficium tradidisse: post triginta annos sui Sacerdotii obiit, & sepultus est in Monasterio sancti Eucharii ante altare sancti Joannis Baptistæ in abside aquilonari, ad cujus dexteram in altera abside requiescit magni germinis nobilitate clarus vir nomine Rotgarus. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLI. Cathedram Hetti TIETGAUDUS obtinuit. Hic simplex, seductus est à LOTHARIO Rege adultero, & Gunthero Coloniensi Archiepiscopo, & consensit in dejectione Tietbergæ uxoris ejusdem Lotharii, falsò accusatæ, imò diffinivit in Synodo, quòd scilicet ipsa fuisset confessa semetipsam germani fratris incestuoso pollutam fuisse concubitu: hanc enim falsam infamiam Lotharius cum his Episcopis composuerat, cupiens hoc modo Reginam abjicere, & Waldradam in Regnum assumere, quam ipse adolescens concubinam habuerat; quod cum judicio Episcoporum adeptus fuisset, Tietgaudus & Guntherus à Papa Nicolao pro his causis Romam evocati sunt, ibique omni Ecclesiasticâ dignitate privati, depositi sunt. Cumque iterum & tertiò Sedem Apostolicam restitutionis gratiâ adiissent, & non profecissent; novissimè Nicolao defuncto Adrianus successit, cujus liberalitate Tietgaudus in Monasterio sancti Gregorii mansionem suscepit. Cui sanctus Gregorius apparens in somnis, monuit semel & iterum ut recederet, & mansionem Sancti non perturbaret: quod quàm illicitum esset, ipse Gregorius exposuit ut desineret: & cum hoc facere Tietgaudus dissimularet, tertiò est correptus de inobedientiâ & de fatigatione Apostolicâ. Apparuerat enim huic ductu dextræ manûs Petrus, præeunte cum lumine beato Andrea Apostolo, & responsum accepit, quòd à momentaneâ morte liberaretur, sed patriâ cum suis omnibus privaretur: quòd cum omnibus quibus potuit revelaret, & aliud hospitium à Pontifice impetrare non potuisset, apud Sabinos concedens, eodem anno cum Gunthero & suis omnibus vitâ privatus est. Lotharius quoque Rex apud Placentiam divinitùs percussus moritur, cum quo pariter totum Regnum, quod ex ejus nomine Lotharingium appellatur, corruit: Castellum etiam Lotharii non longè à Treberis super Saroam, ex illo tempore desertum est. Anno sexto Tietgaudi Treberis visus est canis super Cathedram ejus sedere.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXVIII. BERTOLFUS Abbas Mediolacensis fit Episcopus Treberis, consanguineus Adventii tunc temporis Metensis Episcopi; qui Adventius cum Lotharium Regem Placentiæ mortuum cognovisset, CAROLUM fratrem ejus [d] qui in Provinciâ regnabat, Metis advocatum, adjuncto sibi cum aliis Episcopis Hincmaro Remensi Archiepiscopo, Regem Lotharingiæ & Provinciæ consecravit, cognatoque suo Bertolfo, ut daret Archiepiscopatum obtinuit. Hic villam, quæ *Martia* dicitur, de manu regiâ comparavit. Anno quinto Bertolfi moritur Adventius Metensis Episcopus: Walo ei substituitur, cui ordinationis suæ anno secundo transmissum est pallium à Joanne Papa cum litteris docentibus quibus hoc festis foret usurus. Bertolfus verò Metropolitanus audiens Walonem in secundo die Paschæ cum pallio procedere, missis litteris evocatum Treberis, percunctatus est, quando vel quomodo, vel à quo procedere cum pallio fuerit ei concessum. Walo lecto in omnibus auribus qui aderant, quòd sibi à Papa transmissum fuerat de usu pallii privilegium, asseruit non se primum sed quintum fuisse, quem Apostolica Sedes hoc honore dignata sit sublimare, salvâ tamen in omnibus Metropolitani subjectione. Primum Urbicium, secundum Pipini Regis ex sorore nepotem Crodegangum, tertium Angelrannum, quartum Drugonem, Caroli Imperatoris filium. Bertolfus his assertionibus non flexus, Capitulo Canonum lecto quo asseritur, nulli suffraganeorum novum, & quod non ab omnibus in Ecclesiâ suâ prædecessoribus habebatur, absque Metropolitani sui consilio & licentiâ præsumendum; interdicit ei per sanctam quam in omnibus Ecclesiasticis negotiis sibi deberet obedientiam, ne ulteriùs nisi ab eo petitâ, & concessâ licentiâ pallio uteretur. Cumque Walo Apostolicam auctoritatem prætenderet, & Archiepiscopus Metropolitanorum jura defenderet, grandes utrimque conflatæ sunt inimicitiæ. Hincmarus igitur Reverentissimus, Remorum Archiepiscopus, & eloquentiâ clarus, audiens dissidentiam, Epistolam Waloni transmisit, sapientiæ ac sani consilii sale conditam, per quam eum ad Metropolitani sui instruxit obedientiam, & sic restituit concordiam. Fuit iste Bertolfus multum acer, & impatiens in talibus suffraganeorum suorum præsumptionibus, & suæ Ecclesiæ privilegium non passus est in aliquo temerari. Nam litteras Romani Pontificis pro eâdem Walonis præsumptione, vel Episcopi Virdunensis contrà suam voluntatem sibi transmissas, suscipere noluit.

Anno Episcopatûs ejus duodecimo cœlestis vindicta venit super Lotharingiam, Regnum Lotharii supradicti Regis adulteri & excommunicati. Denique Normanni qui ante complures annos exierant, & civitatem Namnetis succenderant, Episcopum ejus Sabbato sanctæ Paschæ dum fontes benediceret, cum Clero suo trucidaverant, Andegavis, Turonis, Pictavis, Leodium, Trajectum, Tungrum, Coloniam, Bunnam, Tulpiacum, Juliacum, Nussiam, Aquis, Indam, Stabulaus, Malmundarium, Prumiam, Neomagum Regum castrum, igne & ferro annihilaverunt. Treberici ergo inito consilio cum sapientibus, quidquid in civitate Ecclesiastici censûs vel ornatûs fuerat, in subterraneis occulunt specubus, Sarcofaga etiam Sanctorum altiùs terræ

An. 868.

d *Fratrem*] In hunc locum optimè notavit Acherius: Imò patruum ejus Carolum Calvum. Carolus Rex Provinciæ, Lotharii Regis frater ante ipsum Lotharium obierat.

immergunt, ne reliquiæ Sanctorum ludibrio essent vesaniæ barbarorum. Erat itaque in Monasterio sancti Paulini crypta, ubi circà ipsius sancti Sarcofagum ferreis catenis suspensum in aqua jacebant duodecim corpora Martyrum, quorum nomina aureis litteris in ejusdem cryptæ parietibus erant descripta. Religiosi igitur qui tunc erant Christiani, timentes ne per hujus scripturæ indicium ludibrio, ut dictum est, nota fierent hostibus Sarcofaga, vel ipsa ossa Martyrum, salubre iniere consilium, ut scilicet ablatis de parietibus & litteris, nomina eorum Martyrum, insuper qui fuerunt, unde venerunt, quomodo, quando, à quo occisi sunt, in plumbea scriberetur tabulâ, ubi quandoque possent inveniri, & horum omnium translationis causa, & Martyrum nomina & merita: taliter autem scripserunt in plumbeâ tabulâ: in hac cryptâ jacent corpora Sanctorum, quorum nomina hæc sunt, Palmatius, Maxentius, Constantinus, Crescentius, Justinus, Leander, Alexander, Soter, Hormisda, Papirius, Constans, Jovianus; corpus quoque sancti Eucharii & reliquorum ibidem sepultorum altiùs terræ infoderunt. Idem fecerunt de aliis circà urbem sepultis.

An. 880. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXX. defuncto Ludovico Imperatore [c], Normanni auditâ ejus morte, cum omnibus viribus exeuntes, urbem Treberorum Nonas Aprilis die sacratissimâ Cœnæ Domini occupaverunt, Bertolfo Episcopo cum quibusdam civibus fuga lapso. In quâ usque ad diem sanctum Paschæ fessa ab itinere corpora recreantes, omne territorium urbis circumquàque usque ad solum demoliti sunt, omnesque quos intrà & extrà urbem repererunt, gladio occiderunt, ipsamque urbem & Monasteria omnia igne succenderunt. Cumque Monasterio etiam sancti Paulini ignem multoties injecissent, sed divinitùs extingueretur, catenas ferreas quibus sarcofagus ejus pendebat, confregerût, sed tamen sarcofagus catenis confractis nequaquam altiùs terræ insedit, sed in aëre pendens remansit, donec post multos annos à quibusdam infidelibus depressus subsedit, non sine vindictâ in eos transfusa: quicumque enim huic sacrilegio manibus deservierunt, singulas infirmitatum plagas susceperunt.

Igitur Normanni civitate omni exustâ & desolatâ, Metim properare disponunt. Quod cum comperisset ejus urbis Antistes Walo, adjuncto sibi Bertolfo Episcopo Treberis & Adalardo Comite ad Remiche ultrò illis obviam ad pugnam procedunt. Inito certamine Normanni vicerunt, Walo Episcopus ibi cecidit, Bertolfus cum cæteris fugit.

Eodem anno Bertolfus Archiepiscopus migravit ad Dominum, cui succedit RATHODO de Mediolacu venerabilis Abbas; & eodem anno Robertum Metis Episcopum consecravit. Hic acquisivit Abbatiam sancti Servatii quæ dicitur *Masetrech* ab ARNULFO Imperatore, deinde à LUDOVICO Imperatore hæc castella obtinuit, Sericum & *Orceshinvelt*, cum villis sibi adjacentibus. Deinde ROBERTUS exstitit, qui corpus sancti Severi, de quo legitur in libro dialogorum, de Italiâ transtulit, quod per Mosellæ fluminis alveum divino famulante Nauclero transvectum, in loco qui Hattonis portus dicitur appulit, ubi à fratribus de Monasterio sancti Martini de pago nomine Megine susceptus, & in eodem Monasterio honorificè conditus est. Post Robertum HENRICUS Ecclesiæ præfuit, qui regulares officinas, & claustrum circà majorem Ecclesiam construxit, & rigorem regularis conversationis ibidem decrevit exerceri; forum in loco quo nunc esse videtur, instituit. Affuit Romæ cum OTTONE in damnando magum non Papam Joannem. Idem Otto Abbatiam supradictam potestate de hac Ecclesiâ tulit, & aliam quæ dicitur Horrea quasi suæ essent pro Masethrec huic Ecclesiæ delegavit, cum ad eum nihil pertinuerit. Henricus Episcopus in Italiâ obiit.

Cui THEODERICUS successit, qui corpus decessoris sui Treverim relatum in cœmeterio majoris Ecclesiæ sepelivit, privilegium Ecclesiæ suæ renovavit & auxit, Romæ cellam quatuor Coronatorum cum omnibus appendiciis suis sibi suisque successoribus acquisivit in perpetuum. Sub eo Regulares Canonici in Ecclesia sancti Petri esse desierunt, sepultus est in cœmeterio S. Eucharii; cui successit EKETBERTUS æternæ memoriæ, nobilitate & virtute insignis; hic Ecclesiam suam paganorum & Christianorum rapinis exinanitam largissimâ liberalitate ditavit, aureis & argenteis crucibus, planetis, casulis, dalmaticis, tunicis, palliis, cappis, velis, cortinis, & possessionibus auxit, Monasteria urbis rapinâ comprovincialium prædiis exhausta, recollectis ubique manu potestativâ possessionibus reparavit, Abbatiam sancti Servatii dono sancti [f] Ottonis recepit. Jejunium in suâ Parochiâ tertiâ post Pascha Hebdomadâ fieri præcepit. Corpus S. Celsi Confessoris in cœmeterio sancti Eucharii reperit. Adveniente quondam festo sancti Eucharii, ipse pro celebrando ibidem divino officio ad ejus Monasterium perrexit. Cumque post expleta Missarum solemnia à fratribus obnixè peteretur cibi potúsque caritatem sumere, ne eis onerosum fortasse existeret, si tantâ comitatus ambitione ibidem reficeretur, cœpit à Fratribus omnino caritatem refutare, & reditum suum in urbem maturare. Cumque venisset ad fluvium Oleviam, cœpit infirmitate gravi deficere, nec mora ad suam sedem veniens, diem clausit extremum; sepultus est ibidem in parvâ Ecclesiâ quam ipse construxerat in honore sancti Andreæ Apostoli.

Huic successit LIUDOLFUS. Eo pontificante præfuit in Ecclesiâ sancti Paulini Præpositus nomine ADELBERO de *Lucelemburch* ortus, vir potens & dives, habens castra hæc, *Sarenburch*, *Berencastelle*, *Rutiche*, qui inito cum Episcopo Liudulfo pravo consilio Ecclesiam sancti Symphoriani, quæ Abbatibus sancti Martini subjacebat, partim vi, partim dono vindicavit, Episcopo, proh dolor! sibi consentiente, & deinceps eam obtinuit. Liudolfo autem defuncto, eâ fiduciâ quòd soror sua Henrico Imperatori nupta fuerat, Episcopatum invasit, milites in sua sacramenta jurare præcepit, palatium quod situm est in eadem urbe occupavit, pontem quoque Mosellæ turribus munivit. Henricus autem Imperator Episcopatum MANGAUDO Præposito Ecclesiæ Maguntinæ dedit. Qui cum pararet potentiæ Adelberonis resistere, octoginta mansos de rebus sancti Martini de Madelberg, Adelberto de Stale in beneficium dedit, nec tamen prævaluit. Tunc Imperator Henricus cum exercitu Treverim venit, & palatium obsedit à Dominicâ post Albas usque ad Kalendas Septembris, quâ obsidione non solùm regio in circuitu urbis undique vastata est, sed & ipsa civitas, quæ post vastationem Normannicam ædibus exornata & aliquatenùs fuerat inhabitata, in pristinam solitudinem est redacta; non solùm undique obsessores, sed & ipsi Palatini obsessi, frequen-

c *Imperatore*] Imò Rege Germaniæ, qui quidem non anno 880. sed biennio post obiit.

f *sancti*] An potiùs, *secundi*.

tibus eruptionibus ipsos obsessores & finitima palatii populabantur. Unâ die de vertice Jurani montis multitudo boum & ovium ad servitium Imperatoris adducta cum præsidio militum descendit, quod palatini ex arce prospicientes, subito factâ eruptione boves & oves fugato præsidio ante se in palatium compulerunt; quos Cæsariani milites persequuti, apertis portis simul cum ipsis palatium irruperant, nec mora palatini ex abdito portas clauserunt, omnesque qui irruperant missis ab arce lapidibus alios occiderunt, alios graviter sauciaverunt, reliquos ceperunt. Tunc Imperator ex materiâ domorum urbanarum machinas circà palatium usque ad arces præcepit erigi, quò faciliùs posset palatinos ex ipsâ machinarum æquâ palatio altitudine angustare; hæ quoque palatinis fortiter repugnantibus igne succensæ immisso, vel domitæ sunt.

Cæsar ergo cum nequaquam proficeret in ejus expugnatione ad Kalendas Septembris profectus, pontem dejici jussit, quem custodiæ Adelberonis obtinuerant, & Meingaudo Episcopatum confirmavit, qui usque ad finem vitæ suæ in castello Confluentiâ Episcopatum administravit, Adelberone supradicto invasore maximam Episcopi familiam retinente. Tandem circà finem gravi infirmitate deprehensus, omnia Meingaudo reddidit, sed palatium retinuit. Obeunte Meingaudo Henricus Imperator POPPONEM in *Rabenberg* educatum, ad offensam Adelberonis Præsulem instituit, ita dicens: Talem virum debeo dirigere, qui tuæ vesaniæ valeat resistere. Igitur Adelbero tandem serâ pœnitentiâ tactus, nec valens vires Popponis sufferre, supplex eidem factus, palatium & sua castella & omnia sua contradidit, & deinde in Monasterio sancti Paulini usque in finem vitæ suæ permansit. Henricus verò Imperator ob ea incommoda quæ civitati patravit, tabulam ex auro & argento & lapidibus pretiosis æqualem secundùm Altaris sancti Petri magnitudinem, ad satisfaciendum sancto Petro direxit.

An. 1015. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinto decimo POPPO Treberorum Archiepiscopus ordinatur. Hic sæpiùs occupatus in expeditione & procinctu militum, quædam de sancto Paulino tulit, de palatio etiam sexaginta Monialium præbendas in beneficium distribuit. *Berencastel* quondam Adelberonis à prædonibus defensum destruxit, aliud quoque castellum Adelberti cujusdam tyranni qui dicebatur Sivra, ad terram dejecit, qui videlicet Adelbertus castellum Treveris quondam in honorem sanctæ Crucis constructum possidebat, unde frequenter cum multitudine militum erumpens ad curiam Episcopi, quidquid ibi ad ejus obsequium parabatur violenter auferens, abducebat: cujus rei ignominiâ confusus Episcopus, videlicet qui hostem quotidianum sibi tam proximum ob munitionem castelli non posset debellare, multis ad amicos suos habitis querimoniis ad hujusmodi infamiam depellendam consilium & auxilium cœpit inquirere.

Erat in ejus exercitu vir potens divitiis, & fortis viribus, nomine SIKO, qui promisit se tentaturum si quo modo invenire posset hujus mali medicamentum; Episcopo sibi satis congratulante, egreditur ille cupiens quæ spoponderat attentare. Quadam die pergit ad portam castelli, pulsansque fores rogat sibi ab Adelberto ad refocillandum poculum mitti; quòd cum celeriter allatum fuisset & ebibisset, nuntium alloquitur: Domino tuo, inquit, ex meâ parte magnas gratias nuntiato, pariter & hæc verba narrare curato, quòd vitâ sospite hoc sibi poculum gratâ voluntate rependere studebo, & his dictis abiit. Capto deinde consilio oportuno triginta hamas præparat, in quibus singulis singulos milites electos loricatos, galeatos, ensibusque præcinctos collocat, deinde sexaginta viros nihilominùs electos & plebeiâ veste amictos, ensibus eorum in hamis reconditis gestatores constituit, nullosque hominum hujus fraudis præter prædictos viros conscios fecit. Ipse SIKO cum his & aliis paucis militibus vallatus ad castellum tetendit, foresque pulsavit. Servo sciscitante, quid sit & quid velit, dic, ait, Domino tuo me sibi vinum magnæ dilectionis gratiâ olim promissum deferre, quando ipsum non piguit mihi sitienti poculum dirigere. Servo renuntiante Adalbertus jussit viros intromitti: quibus ingressis & hamas coram Adalberto in terram simul ponentibus, post eos Siko subintrat, jubet auferri linteorum velamina, rogat Adalbertum suscipere dilectionis munera; portitores sicut erant docti, uno momento pariter omnia hamarum velamina dejiciunt, gladios arripiunt, insidiæ de hamis prosiliunt, gladios stringunt, fortiter undique feriunt; ipsumque Adalbertum obtruncant, cæteros æditoos crudeliter mactant, castellum in solitudinem redigunt. Siko à Poppone pro victoriâ beneficiis est illustratus.

Hic Poppo Ecclesiam sancti Petri jam collapsam reparavit, & in honore sancti Martini translatis in eâ partim reliquiis ejus, dedicavit, turrimque ibidem construxit; sancto Euchario quædam bona delegavit, quædam ablata restituit. Sanctus Simeon solitarius suprà nigram portam Treveris claruit, ubi & requiescit. Poppo Archiepiscopus ibi congregationem instituit, ubi & ipse ad pedes sancti Simeonis postmodum requievit. Cui EBERARDUS successit. Hic privilegia Ecclesiæ suæ apud Papam renovavit, ipsum Treveris cum honore suscepit, multa prædia acquisivit, pro quibus remediis amplius quàm mille talenta de sacrario tulit. Hic aliquando dum diœceses circuiret, à Conrado Comite de *Luzelemburch* captus est, vestimenta Sacerdotalia à militibus direpta, pallium discissum, Corpus Dominicum violatum & in terram projectum, chrisma unctionis effusum est, Episcopus *in Luzelemburch* ad custodiam delatus. Treberi nihil eorum quæ ad divinum officium pertinent celebrare voluerunt, donec Romanum Pontificem de hac re per internuntios interpellarent.

Interim Comes Conradus compulsus à plurimis, Episcopum dimisit. Romanus Pontifex Conradum excommunicavit, & Eberardo absolvendum commisit, qui tandem pœnitens Treberim venit, & humiliter à Pontifice absolutionem petiit & impetravit, & ad satisfactionem quædam bona sancto Petro contradidit. Eo tempore Henricus Imperator corpus sancti Valerii de Treberis transtulit ad Goslar, & è contra curtim Vilmar sancto Euchario tradidit. Eberardus turrim à Poppone inceptam perficit. Sabbato sancto Paschæ post expletum divinum officium in sacrario sicut erat paratus, obiit. Sepultus est in Monasterio sancti Paulini; quo defuncto Anno Coloniensis Episcopus, quem provisorem Regni & tutorem filii Henrici Henricus Imperator moriens reliquerat, spreto Treberorum consilio & electione adhibitâ Regis adhuc pueri, investiturâ & confirmatione, nepotem suum CONONEM cum magnâ ambitione & manu militari (si sic necesse foret) versus Treberim misit. Quæ inconsiderata provectio sicut illi beato martyrii occasio fuit, sic Treberensibus exercendæ crudelitatis audaciam & materiam dedit. Nam sine morâ præsidem suum Theodericum cum aliis principibus suis evocatum, ad ulciscendam tanti contemptus injuriam clamosis instigant vocibus, si Colonienses hac molitione prævaleant,

actum hoc omnium successorum suorum ad dedecus & ad infamiam. Quid multa? Coacto exercitu frondes arborum ne arma viderentur præferentes, nocte clarà obviam pergunt, eosque in pago Bedonico quiescentes, nihilque tale suspicantes subitò circumveniunt: qui conturbati advenientis sonitu multitudinis, postquàm hostes adesse senserunt, fugam in pedum celeritate saltuumque densitate prout quisque potuit, sibi elegit. Sic eos discurrentes hostes invaserunt, multisque captis, compluribus sauciatis, omnibus eorum rebus ingenti prædà potiti sunt. Ipse dominus Cono incidit in manus hominum impiorum, qui eum nequioribus custodiendum donec viderent quò res vergeret, commiserunt, qui eum paulo post ne Regis adhuc juvenis temerarium prævaleret arbitrium, de rupe præcipitantes, in Kalend. Junii miserabili morte peremerunt.

Quâ de causâ Rege valde commoto, civitatemque Trebericam se desolaturum comminante, tandem Deo donante, à sapientibus ejus furore sedato, electione Cleri & populi UDO inthronizatur Episcopus. Hic ex Alemannorum prosapiâ oriundus patre EBERHARDO Comite, matre IDA, eisdemque Monasterii quod dicitur *Scafuse* fundatoribus, vir valde venerabilis fuit, facie venustus, ore facundus, staturâ procerus, cujus merito humeris sustentari posset moles regiminis; hic opera à prædecessoribus suis incepta, scilicet Monasterii sancti Petri amplificationem fecit, comprovincialium Militum audaciam compescuit: in expeditione Regis, in obsidione castri Alemannorum, quod Tungia dicitur, obiit, relatusque à Treberensibus in Monasterio sancti Petri sepultus est.

Cui EGILBERTUS successit. De cujus electionis occasione libet altiùs parumper edicere. Tempore illo cum GREGORIUS, qui & *Hildebrant* Romani Pontificis jura disponeret, hoc decretum antiquitùs quidem promulgatum nunc autem innovatum est, ut videlicet omnes in sacris ordinibus constituti, Presbyteri scilicet & Diaconi à cohabitationibus feminarum se, ut decet, abstinerent, aut officio vacarent: similiter etiam ne quis cujuscumque ordinis Laïcus videlicet, sive Clericus Episcopatus, Abbatias, seu alias quaslibet spiritualium donorum dignitates vel per se vel per interpositam personam emere, vel vendere præsumeret: quod si quis infringeret, honorem quemcumque haberet, amitteret. Ubi hoc verbum palam factum est, in cordibus eorum, qui non secundùm Deum incedebant, magnam suscitavit invidiam; propterea inter Regnum & Sacerdotium partes exortæ sunt, & hinc inde permaximæ invidiæ succreverunt, & eo usque dissensionis hujus & inimicitiarum in invicem fomes invaluit, ut si cui Cæsarianorum occurrisset quispiam Ecclesiasticorum, qui forsitan pro amore patriæ cœlestis sæculum reliquisset, carnem macerasset, quemque aliqua corporis molestia attenuasset, sive qui, ut tunc moris erat, barbam quasi in signum Religionis enutrisset, quasi regii honoris proditores contumeliis afficiebant insultantes, eos Ecclesiasticos appellantes. Nullus enim tunc in subrogandis Pontificibus vel aliis Ecclesiasticis dignitatibus Canonicæ sanctionis ordo servabatur, sed qui tantùm Regis vel principis manum implevisset, seu aliud qualecumque obsequium sibi placitum impendisset, regiâ præficiebatur violentia ubi voluisset.

At verò ubi Rex ejusque consentanei Principes non eo minùs omittebant, sed vetitam venditionem magis ac magis instituebant: præfatus Papa non veritus sententiâ anathematis omnes concludit, & quicumque voluisset in Catholicorum consortio numerari, faciebat sibi hujusmodi verba conscribi: *Anathematizo omnem hæresim Henrici dicti Regis, & complicium ejus, & omnes qui eum regio nomine & honore venerantur, Henricum inquam nominis hujus Regem quartum.* Quam excommunicationem ubi fama ad aures detulit Imperatoris, ægrè admodum ferens, & peccatum peccato superadjiciens, convocato suæ partis Episcoporum, Abbatum, & aliorum grandium Concilio, statuit, ut nulli eorum Gregorius deinceps Apostolicus esset, nec decreta quisquam ejus reciperet; & hoc facto ipse sub omni celeritate Italiam adiit, Wicbertum quemdam Ravennæ civitatis Episcopum in unâ civitatum Italiæ pro Gregorio Papam fecit, quem & Clementem nominavit. Porrò si quando Gregorius causâ cujuslibet rei agendæ Roma fuisset egressus, iste subintrabat, illo revertente iste fugiebat, illi Ecclesiastica major videlicet pars, isti vero Cæsariana prædio erat. Sed quid ad nos ista pertinent? Potiùs in sua loca abeant, nos autem propositi nostri seriem prosequamur. Per idem tempus fuit in civitate Bataviâ de Optimatibus Bajoariæ ex Clero quidam Præpositus majoris Ecclesiæ & Scholasticus, nomine EGILBERTUS, qui vice quâdam cum Episcopus loci illius sicut & aliarum civitatum Episcopi, ex præcepto Romani Pontificis suprà memoratum decretum in Ecclesiâ suâ recitaret, ausu temerario illi in faciem restitit, palam dans cunctis intelligere, quoniam & ipse cum Henricianis vinculo teneretur anathematis. Constat enim testimonium perhibente Apostolo de malefactoribus, quia facientes & consentientes unà sunt sententia plectendi. Ille verò consentit, qui etsi renuere non valeat, favendo tamen quantum in ipso est malefacientis operibus communicat. Dicebat autem Imperatori licere, nec idcirco consortium Ecclesiæ amittere, si non spiritualia, sed regalia sua gratis, pretiové cui voluerit impendat: quæ utique non sua, sed juxtà Romanam consuetudinem regalia Beati Petri, vel Ecclesiæ potiori jure possunt appellari. Sed utinam qui ad Ecclesiasticæ dignitatis honorem venire desiderant, non ambitiosè, quod minimè decet, se ingerant, neque artificiosi colore commenti Simoniacæ hæreseos sibi machinamenta confingant, asserentes se non spiritualia, sed terrena terrenis acquirere, cum sicut tempore, sic & in eorum mente primum sit animale, deinde quod spirituale, & non tam appetant curam pastoralem, quàm honorem temporalem.

Multis itaque sermonibus pro hujusmodi ad invicem collatis, cum videret eum Episcopus incorrigibiliter Simoniacæ parti & nil penitùs Ecclesiasticæ assentire, jussit eum à communione Ecclesiæ alienum existere usque dum universali Papæ præsentatus, unitati Ecclesiæ per ipsum meruerit sociari. Proinde cum diutiùs intrà se hæsitaret, demum ei voluntas Romam proficiscendi incidit. Verumtamen Rege inconsulto ire illò noluit, à quo Rege acceptâ ad eum quem superpositum Papæ diximus mandata detulit, & ab universali penitùs declinavit, & factum est, dum rediret, adimpletis negotiis pro quibus à Rege missus fuerat, in redeundo audivit UDONEM fideli dignum memoriâ Treberensium Archiepiscopum vita decessisse, & ob id Regem Treverim advenisse, ut alium in locum ejus debuisset substituere, & hac famâ compertâ, quamplurimum iter acceleravit, intrà se cogitans si fortè eò maturiùs potuisset pervenire, pro impensâ sæpius Regi servitute hunc & honorem posse subsistere, quod & factum est; sed qualiter ad id ventum fuerit ignaros docebimus. Porrò cùm Imperator jussisset, ut quem

quem sibi placere cognoscerent, hunc Episcopum eligerent, & Clerus unum post unum ex ipso eorum consortio hoc utique honore dignissimos exhiberent, Rex autem quotquot nominassent nullum eorum sibi placere dixisset, nullus enim benivolentiam ejus dignâ taxatione prævenerat. Jam in eligendo tribus diebus exactis, & quarto nihilominùs die ad idem congregatis omnibus, tamquam à Deo missus (si tamen dici potest à Deo dirigi via hominis, qui culpâ suâ meruit ab Ecclesiæ communione suspendi) venit, & factâ oratione loquutus est Regi de his quæ habebat in mandatis, quibus finitis, dixit Rex: Quoniam diù in eligendo Episcopo concordare non possumus, saltem in hunc conveniamus, & consensit ei ex Episcopis qui causâ electionis advenerant, solus THEODORICUS Virdunensis Episcopus, qui cognomento Magnus vocabatur, & pars aliqua populi Treberensis. Rex verò nil moratus investivit eum, dans ei annulum & baculum, sub die octavo Idus Januarii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo octavo. An. 1078.

Pontifices verò HERIMANNUS Metensis & BIBO Tullensis, & residuus Clerus & populus quantum in ipsis erat, non assenserunt, quoniam ipsi tam idoneas personas exhibuerunt; resistere tamen Regis voluntati non potuerunt. Verumtamen Clerus & populus multum molestè ferentes tantam sibi irrogari violentiam, deprecabantur eos qui præsto erant Episcopos, & cum interminatione auctoritatis Apostolicæ interdixerunt ne ipsum consecrarent Antistitem, commonentes eos Canonici illius decreti, quo præcipitur ut nullùs in Episcopum nisi Canonicè electus consecretur. Quocircà Episcopis in sua redeuntibus, Egilbertus benedictione non perceptâ remansit, & erat cupiens consecrari, nec potuit ab aliquo Episcoporum Catholicorum qui ingressum ejus audissent, diebus quamplurimis impetrare. Tribus igitur annis ferè transactis cum res Regi innotuisset, qui sub ipso tempore Româ rediens, multâ ibi cæde patratâ, & Papa Gregorio fugato, (quo certè diebus illis nihil celebriori famâ omnium ora adimplebat) secus Alpes moram faciebat, directis Episcopis ad supradictum Virdunensem Episcopum qui ei summâ familiaritate adhærebat, petiit quòd Treberensem Metropolitanum quantocius consecrare studeret, quarum Epistolarum exemplar hîc inserere non ab re videtur, quæ habent hunc modum.

» Rex H. Dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus T. Episcopo dilectionem nulli majorem. » In primis te scire volumus, quia nulli meliùs quàm » tibi confidimus, nec Episcopum Trajectensem fidei monitorem, sed ad honorem Regni tractandum tibi misisse cooperatorem: deinde ad singula » quæ mandasti negotia, singula damus responsa, » sed brevissima, quia infinita tibi reservamus ore » ad os dicenda: si quidem hoc quod in margine » Epistolæ tuæ de Romano negotio nobis mandasti, » in primis dicimus tibi, Romam in die sancti Benedicti intravimus, qualiter autem à Romanis re» cepti simus, qualiter cum Romanis steterimus, » qualiter à Romanis recesserimus, ab aliis multis » te audisse credimus: tum etiam litteris nostris tibi » indicavimus, quas te nondum vidisse credimus, » sed & mallemus alio quàm nostro ore te rescisse » quæ nobis fecit Dominus. Incredibile enim vide» tur, quod verissimum probatur, quod factum est » Romæ; ut ita dicam, cum decem hominibus in » nobis operatus est Dominus, quod antecessores » nostri si fecissent cum decem millibus, miraculum » esset omnibus. Nam cum in Teutonicas partes » de acquirendâ Româ desperantes redire vellemus; ecce Romani missis legatis ut Romam intraremus « rogaverunt, se quoque in omnibus nobis obedituros promiserunt, quod & fecerunt. Summo « namque gaudio nos intrantes susceperunt, summo studio secum manentes adjuverunt, summo « triumpho & fide ab eis recedentes prosequuti sunt, « in tantum ut in Domino fiducialiter dicamus, quia « tota Roma in manu nostrâ excepto illo castello « in quo reclusus habitat *Hildebrant*, scilicet in domo Crescentii; quem Hildebrandum legali omnium Cardinalium ac totius populi Romani judicio scias abjectum, & electum nostrum Papam « Clementem in sede Apostolicâ sublimatum omnium Romanorum acclamatione, nosque à Papa « Clemente ordinatum, & consensu omnium Romanorum consecratum in die sancto Paschæ in « Imperatorem totius populi Romani exultatione. « His ita factis, cum benedictione Dei & sancti Petri omnium gaudio à Româ recessimus, & quantò citiùs possumus ad has partes properamus, & « in viâ reditûs invenit nos tuus nuntius. Gaudeant « qui velint, doleant qui velint, nos Deo propitio « assumus, Dominus ille quid agat, scire non curamus. Sed (quod tu monuisti) libenter ne damnum nobis faciat, providebimus. De Saxonibus « verò, de Salzburgense Archiepiscopo, de Comite « Adalberto, & de aliis ad nos redire volentibus, tibi id respondemus, quia consiliis tuis libenter acquiescimus, ut tantummodo pax fiat in nostris « temporibus, videlicet ut fideles sint cum ad nos « redierint. Tu autem si non gravaris facere quod « volumus, Augustam ad nos venire post festum « Petri & Pauli te rogamus, quia Deo favente in « festo eorum Radisponæ erimus. Studeas ergo ad « nos venire, ut tuo nos adventu possis lætificare. « Insuper tibi mandat Apostolicus Clemens, & Henricus Imperator, ut sicut nos diligis, ita Archiepiscopum Treverensem velociter consecrare festines, Vale. «

Has igitur litteras cum præfatus THEODERICUS acceptas legisset, voluit quidem quod petebatur libenter adimplere, sed attonitus rerum magnitudine, non potuit in corde suo credere ita se omnia habere, sicut scripturâ referente cognoverat: sed & recordatus quòd à Clero Treverensi ne id faceret Apostolicâ auctoritate sibi interdictum fuisset, ne fortè adversus eum exinde potuissent quandoque idoneæ accusationes consurgere, congruum duxit super hoc litteras mittere Romano Pontifici, in quibus & meminit depulsionis ab Episcopatu Herimanni supradicti Metensis, ac sibi injunctæ reconciliationis, ut videlicet ipsius interventione Herimannus loco suo restitueretur: quod licet satis laboraverit, non tamen tunc sed postea obtinuit. Litterarum autem quas mittebat hic erat modus.

Gregorio summo Pontifici, carissimo Domino, « Reverendissimo Patri, Theodericus Virdunensis « Episcopus qualiscumque, tamen suus, dilectionem quam Patri filius, subjectionem quam Præ- « lato subditus, servitutem quam domino servus. « Posse tibi obedire maxima mihi est jocunditas, « posse servire non parva hilaritas. In quo enim ve- « nerabor te, in eo Beatum Petrum; in quo obe- « diendo, serviendo te, mihi conciliabo, in eo Beatum Apostolum. Monitus à te suscepi confratrem « meum Metensem ut te ipsum, attendens illud Do- « minicum, *Qui vos recipit, me recipit*, causam « ejus meam feci, negotium ejus meum existimavi, « eadem nobis prosperitas, eadem fuit adversitas. « Ad hoc me invitavit mutua fraternitas, debita « charitas, sed præcipuè jussio tua, benivolentia tua « & habita in me fiducia. Præterea Treverensis Ec- « *Matt. 10. 40.*

» clesia cum gravi dolore pedibus vestris provolvi» tur, filia dominum pulsat in consolatione sui, de» trimentum his temporibus me mediante deplorat, » vidua ferè biennio, quanta passa est & patitur, » quantum afflicta est & affligitur, foris pugnæ, in» tùs timores: elegit virum de plebe, dignum Sacer» dotem, idoneum Patrem communi assensu, teste » conscientiâ meâ coram Deò & coram te, quòd » nihil Simoniacum contra jus Ecclesiasticum inter» currerit, quòd nihil Simoniacum etiam petitione » remotâ intervenerit. Consecrationem ejus mira» mur differri, dilationem tam gravem miramur » potuisse tibi inculcari; illud maximè quod pateris, » hac desolatione nos adeò gravari, gravissimum » onus est mihi solum esse in medio nationis pravæ » atque perversæ, solum Patre R. fratre illo expul» so, alio non consecrato. Si Ecclesiam, si statum » Christianitatis cures, locum nostrum respicias, & » curâ patris in omnibus spectatâ ordinationem me» reatur, Metense & me tuo exaudito nullius detra» ctione, ulteriùs remoretur. Persolvit tibi quod » patri filius, quod Prælato subditus «. Deinde qui» busdam interpositis in fine ita concludit. » Quo» modo Rex sit tecum & tu cum Rege, mihi rescri» bas oro.

Denique his quæ decursa sunt Romam directis, appropinquante termino quo se Rex venturum per Epistolam supra scriptam ipsi mandaverat, sicut jussus fuerat, venire ei obviam parabat, veniensque Maguntiam ibi fortè complures Episcoporum in occursum Regis euntium reperit, ad quos factâ oratione quoniam confratres sui, suffraganei videlicet Ecclesiæ reverensis, suprà nominati Episcopi Herimannus & Bibo Tullensis ob invidiam Regis Metropolitani sui consecrationi noluissent interesse, petivit ab ipsis causâ caritatis sibi eos cooperatores fieri, & obtinuit. Itaque assumptis secum his qui plus cæteris erga ipsum benigni esse videbantur, convenit ejusdem sedis Archipræsulem, & Egilbertum consecravit Episcopum. Porrò cum fuisset ordinatus, paucis interjectis diebus Treverim venit, & cœpit cum his qui, ut ita dicam, ipsum regnare noluerunt super se, tyrannico more agere, ut deinceps ab ejus impugnatione desisterent, majoribus quibus plus nocere non potuit ex Rege timorem incutere, invalidæ verò plebis quæ se adversus ipsum defendere non potuit, bona quâcumque occasione diripere. Tunc hi qui plus cæteris ausi sunt ei resistere, dixerunt: » Quoniam ad hunc Pontificatûs ordinem & » tunc & nunc ingratis nobis accessisti, sed & quia ab » homine excommunicato & laico Episcopalia susce» pisti, Episcopalia inquam annulum & baculum, » præsertim cum in canonibus & decretis, laïcis » quantumvis religiosis de Ecclesiasticis rebus ali» quid disponendi nulla sit tributa facultas, idcircò » non poteris Episcopari, nec nos tibi communica» re. At verò si insuper debes in gradu suscepti ho» noris persistere, oportet te Gregorio Catholicæ Ec» clesiæ summo Pontifici obsequi & obedire, & hæ» retico nunquam, juxtà illud quod Beatus Gelasius » Papa & Martyr in Epistolâ quâdam universis Orien» talibus Episcopis directâ, de hujusmodi superposi» tis scribens ait: Quid ergo facimus de tot tantis» que civitatibus, ex quibus Catholici Pontifices re» jecti sunt, si Catholici sunt subrogati, cur Catho» lici sunt rejecti; sed evidenter apparet, quia cum » Catholici sunt rejecti, non Catholici fuerunt, qui » subrogati sunt. Item: Quis non videat illos esse » Catholicos & ab omni hæreticâ peste prorsus alie» nos, qui à propriis urbibus extruti, & in exiliis » sunt redacti, & eos qui superstitibus Catholicis » successores fieri ausi sunt, Catholicos omninò non esse? Restat igitur quòd non sint Catholici, sed « hæretici quicumque successerunt, his adde & il- « los qui se priùs talium communioni junxerunt. « Quo contra Egilbertus respondit, velle se priùs vitam dare, quàm illi qui eum ad hunc honorem provexisset, infidelis existere: nunquam velle Gregorio obedire, quamdiù ipse nollet se in amicitiam Regis præire.

Interea dum hæc & iis similia inter se contendentes tractarent, appropinquabat jejunium quatuor Temporum, quo consuetudo est Ecclesiæ promoveri eos in ordinem Clericatûs qui sunt promovendi, & hoc iste omni nisu affectabat facere non amore justitiæ, sed ut potuisset majorum quempiam sibi advincire, ut videlicet ab ipso consecrati, postea ipsi essent obnoxii, & quomodo suam ab ordine suspensionem, ita pertimescerent ejus ab Episcopatu depositionem; cujus intentionem cum rescissent, dixerunt: Quia pallium quod à Romanâ Ecclesiâ Metropoli nostræ debetur, nondum es adeptus, impositionem manûs à te suscipere nolumus, maximè cum in Canonibus decretum sit: Si quis Metropolitanus sine pallio consecrare præsumserit, & consecrator & consecratus gravi ordinis sui periculo subjacebit. Quod utique si debes acquirere, erga Papam quem adeo despicis Gregorium te convenit humiliare ut merearis accipere. Expositis ei idoneis causis pro quibus non debuerit ordines facere, abstinuit, & paucis diebus interpositis, quemdam consentaneum suum nomine Theodericum arte necromantiacum, professione Monachum, scientiâ litterarum valde præditum, misit quæsitum suum Clementem Apostolicum, ut inventum sibi transmittere expeteret pallium. At ille Clemens gavisus, quòd aliquid ipsum pro accipiendâ benedictione respiceret, quod petebat transmisit, cum litteris docentibus, quibus temporibus hoc foret usurus, quas quia auctoritas non roborat, magis verò infirmat, (hæreticorum enim & excommunicatorum decreta fidelis quisque non recipit) idcircò memoriæ commendare non curavimus. Hic autem quem jam nominavimus Theodericus, de sæpedicto Gregorio Papa libros duos edidit, in quibus multis mendaciis compilatis (quæ non ipso meliùs concinnare quis novit) Gregorium infamem fecit, Regis verò & sui Papæ innocentiam & sanctitatem commendavit; pro quibus editis iste, de quo loquimur, Egilbertus Abbatiam sancti Martini super littus Mosellæ defuncto beatæ memoriæ SIGEBERTO Abbate eodem die illi retributionem dedit, quo utique malo si majus non fecisset, ad perpetuam sibi damnationem sufficere potuisset. Nam ipsa Abbatia priùs quidem erat admodum in rebus sufficiens; at nunc ab hoc est adeo annihilata, ut Monachi quoque qui divinis ibidem mancipati erant servitiis, nisi aliunde conquirerent, nec necessaria vitæ haberent.

Est & aliud quoddam gestorum ejusdem Egilberti, quod pro facti similitudine isthic libet inserere. In Monasterio puellarum Horrei, defunctâ IMIZA, summæ strenuitatis ancillâ Dei, matre Cœnobii, renitentibus omnibus ibi Deo famulantibus, quamdam neptem suam præposuit, fratris sui filiam nomine LUITGARDAM. (Quod cum pace, salvo honore professionis sanctimoniæ dixerim. Deus scit quia non mentior) arte magam, veneficam, incantatricem, blasphemam, de quâ cum Episcopus modis omnibus niteretur ut ibi eam præficeret Sanctimonialibus, omnibus pusillis cum majoribus sine cessatione, tam die quàm nocte Deum & sanctam Genitricem ejus cui serviunt, ne hoc fieret orantibus, cuidam ex earum collegio, quæ cæteris frequentior orationi incumbebat, inter verba orationis ut divi-

næ erat voluntatis obdormienti talis ostensa est visio. Vidit sanctam Dei Genitricem MARIAM in medio Angelorum stantem, & beatas Virgines Irminam, Modestam, Anastasiam, quæ in diebus suis ipsi loco præfuerant, coram ei consistentes, & vultus quasi mœstos exhibentes, sanctam Dei Matrem ita se alloquentem: Ausculta filia, inquit, cum illuxerit dies, horâ matutinâ indica sororibus tuis ex me, quia peccatis vestris exigentibus decrevit Deus ut ipsa de quâ petitis absolvi, flagelli vobis loco proveniat, & tamdiù maneat, quo usque pro afflictionibus vobis ab eâ irrogandis vitæ ipsius vos pigeat. Verumtamen noveritis eam ex prælatione iram Dei in se provocare, vobis verò non plus officere nisi super destitutione hujus loci nostri videbimini sufferendo laborare. Itaque cum fuisset inthronizata, cœpit de bonis Ecclesiæ juxtà illud libri Machabæorum diabolicum magnum exercere, & ut verum fatear, licet impudenter loquar, alia concubitoribus suis distribuere, alia vendere, postremò ut breviter concludam paucis Ecclesiæ derelictis, omnia in usus suos convertere, ut posses liquidò perpendere veridicam Dei Genetricis supradictam existere sententiam, ipsam ex prælatione iram Dei in se provocare.

Denique aliquantis transactis annis, Egilbertus cœpit se satis admodum officio dignum exhibere, nisi solùm quòd ab excommunicatorum Regis videlicet & Clementis se noluit communione sequestrare, propter quod & BRUNO, qui ei in Episcopatu proximus loco successit, omnes quos ille ordinavit, iste ab officio suspendit, nec remotos ad pristinum gradum admisit, nisi qui se legitimo Romanæ Ecclesiæ Pontifici obediturum super Evangelium fidem fecit. Complura memoriâ digna de hujus Egilberti probis actibus quæ per ipsum vel sub ipsius temporibus gesta sunt, seniorum relatione ad nostram notitiam pervenerunt, quorum aliqua (si quidem vel aliquam ejus memoriam cum Ecclesiæ pace fieri liceat in benedictione) curabimus insinuare.

Quædam Matrona præpotens Comitissa de Castello quod *Aralune* dicitur, mater videlicet Comitum Waleranni & Fulconis, marito suo defuncto adstipulantibus filiis suis & filiabus, bona proprietatis suæ in Ecclesiâ Treverensi Beato Petro tradidit, & amplius recepit sub conditione quam precariam nominant, ita videlicet ut cum ipsa de hac luce migraret, utraque simul data & accepta in Beati Petri & Episcopi jus liberè transirent, & quod Episcopo ex his facere placuisset, liberam potestatem haberet. Hujus Comitissæ neptem, filii filiam, Henricus quidam Dux, cujus ditionis erat castellum quod vulgò vocatur *Lemburch*, duxit in matrimonium, qui decurso aliquanti temporis spatio eadem bona Ecclesiæ studuit tollere, & in suos usus convertere; propter quod cum fuisset sæpius ab Episcopo ad satisfactionem vocatus, & nollet desistere, sequestratus est à communione Ecclesiæ. Cumque nec ideo manus suas ab inceptâ malitiâ contineret, imò magis & alia Episcopatûs bona devastaret, Episcopus maledixit ei anathemate maranatha: cui nec sic quidem ab impugnatione desistenti, sed adversus ipsam civitatem Treverim cum magnâ armatorum manu venienti, Episcopus convocatâ ad se liberorum & ministerialium Ecclesiæ multitudine gravi, statuto die occurrit, & adjutorio Dei ac Beati Petri partis istius admodum parvo, illius verò permaximo detrimento & confusione eum ad propria redire coëgit. Post multum verò temporis cum idem Dux inflictum sibi anathema parvi penderet, & in malis supradictis & similibus perseveraret, accidit ut quidam de militibus ejus die quâdam in domum ejus advenisset, & factâ horâ prandii, appositâ mensâ coram ipso, panem comedere debuisset, & Dux illi illudens, surge ait, & foras egredere; coram me comesturus non es, excommunicatus enim es, & ille ubi, inquit, & quis me præter eum qui & te excommunicavit? Cui Dux ait: Ecce nunc vide, jam parebit, si ita sumus excommunicati ut aliquid nobis exinde molestiæ possit accidere, si hic canis qui fortè illis edentibus aderat, bucellam quam illi dedero comederit, non pertimesco. Sin autem, timenda est nobis excommunicatio, & petenda reconciliatio, & hoc dicto misit bucellam, quam canis ut naribus adhibuit, ultrà contingere non curavit: & ne quis hoc saturitati canis posset imputare, cum alius illi buccellam mitteret, festinus arripuit. Unde omnes qui aderant summâ admiratione ducti, unâ voce dixerunt, oportere eos ad satisfactionem venire, & ita fecerunt. *Sit ergo nomen Domini benedictum in sæcula*, qui Sacerdotum licet peccatorum tamen in multitudine clementiæ suæ preces exaudit, & quod nostra parvitas in terris ligat, apud ipsum quoque ligatum esse confirmat, juxtà quod Beato Petro, & per ipsum universæ Ecclesiæ promisit dicens: *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* *Psal. 112. 2.* *Matt. 16. 19.*

Eâ tempestate populus multus utriusque sexûs ex omni terrâ & natione Jerusalem ire intenderunt, & totis desideriis anhelabant pro Dei & fidei amore aut ipsi mortem suscipere, aut incredulorum colla fidei subjugare; & hac mentis intentione incitati decreverunt primum Judæos in civitatibus & castellis ubicumque habitarent, persequi, & cogere illos ad Dominum JESUM CHRISTUM Deum credere, aut sub ipsâ horâ mortis periculo subjacere; cumque eodem fervore incitati, civitati Treberorum appropinquarent, Judæi qui ibi habitabant, similia sibi arbitrantes fieri, quidam ex eis accipientes parvulos suos, defixerunt cultros in ventribus eorum, dicentes, ne forte Christianorum vesaniæ ludibrio fierent, debere eos in sinum Abrahæ transmittere: quædam autem ex mulieribus eorum ascendentes super ripam fluminis, & adimpletis sinibus suis & manicis lapidibus, præcipitaverunt se in profundum: reliqui verò quibus adhuc vivere cordi erat, assumptis secum rebus suis & liberis in palatium, quod est asylum Treverorum, ubi ipsâ horâ Egilbertus manebat, confugerunt, & cœperunt lacrymis flagitare suffragium. Ille verò nactâ oportunitate super conversione eos admonens, ita exorsus est: Miseri, nunc venerunt super vos peccata vestra, quæ operati estis, Filium Dei blasphemando & sanctissimæ Genitrici ejus detrahendo, ipsum quidem in carne venisse negando, matri verò ejus superfluitate verborum vestrorum derogando. Ecce jam hujus rei causâ ad summam vitæ vestræ desperationem devenistis: & ego vobis dico si in hac infidelitate vestrâ perseveraveritis, corpore simul & animâ peribitis. Vos prosimilitudine patrum vestrorum, qui ante Christi adventû ipsum in carne venturû crediderunt, vobismetipsis blandientes promittitis: profectò [nisi] ipsum jam venisse, & quæ ad redemptionem humani generis ipsum acturum referunt scripturæ, adimpleta esse cognoscitis, ipsi vos fallitis. Quæ vos stultitia vel magis duritia coartat, ut cum prophetica scripta legatis, non retractetis vobiscum cogitantes, quàm brevis temporis spatium adventûs ejus in carne Daniel commemorat, & quot exinde anni fluxerunt: *Septuaginta*, inquit, *hebdomadæ abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, impleatur visio Prophetæ, &* *Dan. 9. 24.*

ungatur Sanctus Sanctorum. Nonne scientiam litterarum vestrarum bonam habetis, utique vobis magnum posset existere gaudium & fidei incitamentum de assumptione generis vestri in Deum? Hoc autem ideo dixit, quia ut quidam Sanctorum dicit: Infidelibus est blandiendum ut ad fidem convertantur, & ipsi Judæi de generis sui nobilitate gloriantur. Et adjunxit: Nunc itaque acquiescite petitionibus meis & consiliis, & convertimini & baptizamini, & ego restituam vos cum pace & salute possessionibus vestris, & deinceps ab adversantibus tuebor vos.

Cum hæc & iis similia ad illos diceret, unus ex illis legis doctor Michæas nomine cœpit dicere: Verè sicut dixistis necessarium nobis Christianorum fidei nos jungere, potiùs quàm de die in diem taliter vitæ & possessionum periculis subjacere. Age ergo quomodo credere debeamus edissere, & adjuva quatenùs liberemur de manibus eorum qui foris sunt, quærentium nos. Et ait Episcopus: Hæc est fides Catholica, sine quâ nemo salvari potest, ut credatis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem omnium creaturarum, & in JESUM CHRISTUM Filium ejus, qui cum Patre unius est substantiæ, quem Deus Pater ante omnia tempora genuit, nativitate illâ ineffabili, de quâ dicit Isaias Propheta: *Generationem ejus quis enarrabit?* qui quidem cum homines per multimoda vitia incedentes, ad tantam devenissent insipientiam, ut neglecto Creatore suo debitum Deo Idolis manufactis honorem impenderent, sicut est infinitæ misericordiæ, condoluit perditioni eorum & ut eos ab errore & perditione, quæ de hac vitâ discedentes excipiebat, liberaret, manens quod erat, suscepit quod non erat; ex voluntate Patris cooperante sancto Spiritu homo verus per immaculatæ Virginis uterum sine viri semine natus est, quem quia Filium Dei se esse dicebat, Patres vestri crucifixerunt, & vos suo maledicto devinxerunt, dicentes: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Verumtamen vos hoc maledictum evadere potestis, si in ipsum firmo corde credideritis, & de peccatis vestris ipsum vobis fieri propitium postulaveritis. Qui post passionem suam effracto inferno, & his qui in adventu ejus crediderunt inde erutis, die tertia verus Deus & verus homo resurgens à mortuis, abhinc die quadragesimâ videntibus his qui digni erant ascendit ad cœlos, ubi sedet in dexteram Dei Patris sui, æqualis ei & coæternus in Divinitate, inde venturus ad judicandum in novissimo dierum, Deus verus & homo, reddere unicuique prout gessit in corpore sive bonum sive malum. Nec minùs credendum est in Spiritum sanctum, qui ex Patre & Filio procedens universa condita vivificat, æqualis & consubstantialis per omnia Divinitate Deo Patri & Filio: propter hoc fides Christianorum trium unam Deitatem personarum, eamdem prædicat essentiam, æqualem Majestatem. Hanc fidem Catholicam sancta per orbem confitetur Ecclesia, in quâ unum datur Baptisma in remissionem peccatorum credentibus, in quâ justè & piè viventes, post hujus vitæ decursum, corporibus nostris hisdem quibus nunc paremus immortalitate vestitis, speramus communionem Sanctorum percipere, & fruituros nos æternâ beatitudine, male verò operantes non confessos & inemendatos in æterno arsuros incendio.

Isai. 53. 8.

Matt. 27. 25.

Tunc Michæas, is videlicet quo hortante hanc fidei editionem Episcopus exorsus est, ait: Testificor tibi per Deum, quia quæ loquutus es credo, & ecce jam Judaïsmo abrenuntio, & quæ nunc mihi non satis plenè sunt intellecta, cum nobis tempus pacis & tranquillitatis advenerit, perquirere curabo, tantum accelera nos baptizare ut possimus manus quærentium nos evadere. Similiter & alii omnes dixerunt. Tunc Episcopus baptizavit eum, nomen suum imponens ei, alios autem Presbyteri qui aderant, baptizabant: sed ut de cætero de his taceam, aliis omnibus in sequenti anno apostatantibus, iste adhærens Episcopo in fide permansit. Non ergo audebo nunc dicere, quòd istius animæ conversio sit convertentis salvatio, cum scriptum sit, *quia qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte?* Ejus, inquam, id est suam & conversi, cum ad Ezechielem Dominus dixerit, quòd si annuntiaverit impio viam suam malam, & ille conversus non fuerit, ipse tamen mercedem non amiserit, sic enim dicit: *Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus à viâ malâ, ipse quidem in iniquitate suâ morietur, tu autem animam tuam liberasti.*

Jacob. 5. 20.

Ezech. 3. 19.

Præterea multa alia bona operatus est quæ enumerare longum est. Hoc autem sciendum, quòd eleemosynas pauperibus largas faciebat, & Ecclesiis bona plurima conferebat, sed & ab antecessoribus suis ablata aliquibus restituebat, quorum testamenta in ejus memoriam in Bibliothecis usque hodie sunt reposita. Quæ omnia ego pusillus qui hæc scribo ad redemptionem animæ ejus profutura sperarem, sed sententiæ beati Augustini non audeo præjudicare; dicit enim: Omni homini qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet unitatem, neque Baptismus, neque eleemosyna, quamlibet copiosa, neque mors pro Christi nomine suscepta proficere poterit ad salutem, quando in eo vel hæretica vel schismatica pravitas perseverat, quæ ducit ad mortem. Mortuus est autem anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo primo, die Nonarum Septembrium, & sepultus est in Ecclesiâ Majori, domo videlicet sancti Petri Apostoli. Sedit in Episcopatu annis viginti duobus, menses octo, dies tres, & vacavit Episcopatus ferè menses quatuor. An. 1101.

In diebus illis fuerunt ex copioso Trevericæ civitatis Clero quamplures hac Sacerdotii successione dignissimi, inter quos erat quidam BRUNO nomine, Francus natione, insignis nobilitate, utpote quem pater ARNOLDUS Comes ex nobilissimâ matre ADELEIDA genuerat, formâ præstantissimus, litteris satis eruditus, consilio cautus, plusquàm dici potest magnificus, quibus rebus ita erga se Principes devinxerat, ut non solùm Præposituris majorum Ecclesiarum in Treveri & Spirâ, verùm etiam beati Florentii in Confluentiâ & sub Archidiaconatûs eum honore sublimassent. De hoc suggestum est Imperatori, ut eum Trevericæ præficeret Ecclesiæ. Eo si quidem anno HENRICUS, Rex quartus, Imperator tertius, habitâ curiâ Natalem Domini celebravit in Maguntiâ, ubi eum adeuntes cives Treverici petierunt sibi Episcopum dari, quibus mox petentibus Principibus, & consentientibus civibus Brunonem consecrari jussit. Denique ibidem ordinatus est Idus Januarii ab EDALBERONE Metensis Ecclesiæ Episcopo, oleum sacræ benedictionis imponente Joanne Spirensi, Richero Virdunensi: cooperantibus & assistentibus Archiepiscopis Ruthardo Maguntiensi, & Frederico Coloniensi, & aliis quamplurimis Episcopis. Ita ordinatus venit Treverim die Purificationis sanctæ Dei Genitricis, & cum magno populi gaudio susceptus est. Anno autem ordinationis suæ tertio, mense Martio, Romam profectus Apostolorum gratiâ & percipiendæ benedictionis Magistri causa, invenit dominum PASCHALEM Papam universali Synodo præsidentem, Papatûs sui jam annum octavum agentem, à quo honorificè susceptus est, utpote Belgicæ Galliæ primæ

Metropolis Præsul magnificus, ad cujus Præsulatum ex permissione beati Petri Apostoli suorumque successorum Apostolorum, quos enumerare longum est, inviolabilium testamentorum roboratione totius Galliæ atque Germaniæ pertinet Primatus. Ita enim sanctus Silvester beato Agritio quarto Episcoporum Treverensium, quorum nomina cognita habemus, scripsit inter cætera:

Sume Prioratum post Alpes Trebir ubique,
Quem tibi lege nova Roma dat & veteri.

Honorificè inquam susceptus, sed quoniam Episcopalia, annulum videlicet & baculum per manum laïcam suscepisset, atque quia Ecclesias dedicasset, & Clericos necdum pallium consequutus promovisset, multum asperè correptus est, & decernente Episcoporum ibi congregatorum Concilio Pontificatûs officium deposuit; quod tamen ipsis intervenientibus, quia discretio ejus & prudentia officio & tempori congruens erat, post triduum non sine admissorum pœnitentia recuperavit. Injuncta ei pœnitentia est, ut quoties in spatio trium annorum proximorum Missarum solemnia celebraret, Dalmaticâ non uteretur, quod ipse humiliter implevit Deinde acceptâ tam Apostolici quàm totius Synodi benedictione, pallii honore donatus atque de regulâ fidei firmiter observandâ instructus, sive de instructione gregis sibi commissi diligenter admonitus, in sua cum gaudio remeavit. Tum verò juxtà Magistri institutionem magis quàm ante operibus justitiæ cœpit insistere, & verbum sacræ exhortationis quasi Evangelici mensuram tritici Dominicæ familiæ fideliter & prudenter erogare, & quod prædicavit ore, studuit operum exequutione confirmare: attentiùs illud beati Gregorii mente pertractans, *cujus vita despicitur, restat ut & prædicatio contemnatur.* Fuit enim constans in oratione, devotus in eleemosynarum largitione, pius in viduarum & pupillorum defensione. Excidia domorum Dei nullâ sumptuum motus magnitudine reparabat, & si quispiam Deo famulantibus aliquid intulisset injuriæ, impune prælerire non sinebat. Verùm ut breviter concludam, talem se omnimodis exhibebat, ut in administrandis quoque Regni negotiis, ex omnibus Principibus consiliis & sapientiâ & auctoritate nullus eo sublimior haberetur, adeo ut Imperator patrem suum cum vocaverit, & majorem cæteris honorem ei impenderit. Sed & ab omnibus Episcopis quàcumque se conventui eorum ingessisset, ut par quidem diligebatur, sed ut major venerabatur.

Igitur quoniam in rebus commissis sibi strenuissimus erat, defuncto Imperatore, communi consilio Principum Curiæ regiæ Vicedominus effectus est, & Regnum Regnique heres, Henricus videlicet hujus nominis quintus Rex, adhuc adolescens circà annos viginti ei committitur, ut & regnum suâ providentiâ disponeret, & heredem Regni morum suorum honestate, & disciplinâ quâ ipse præ omnibus pollebat, informaret, quousque in virum perfectum ætate & sapientiâ educatus succrevisset: quem susceptum tamdiù educavit, usque dum Adelberti tunc Cancellarii, postea verò Maguntiensis Episcopi detractionibus exasperatus, Regni & heredis providentiam Proceribus reconsignavit. Quantæ autem pietatis exstiterit, exinde colligere poterit qui noverit, quòd quantumlibet quispiam ei molestiæ irrogasset, si revertens veniam postulavit, facillimè ad misericordiam motus indulsit. Unde factum est, ut cum idem Adelbertus, cujus ante memini, Maguntiensium jam novus electus ob illatas Regi molestias à Rege captus & in carcerem retrusus esset, non inde priùs exire potuisset, quàm iste Bruno fidem faciendo nunquam illi Regi nociturum, pro ipso se obsidem Regiæ custodiæ dedit. Quid multis moror? Denique cum tantâ solertiâ ac sapientiâ ab ipso res acta est, ut cum in diebus illis de venalitate sanctæ Ecclesiæ, scilicet de contradictione venditionis Episcopatuum, Abbatiarum & aliarum quarumcumque Ecclesiasticarum dignitatum, inter Regnum & Sacerdotium sicut superiori sermone decursum est ageretur, ita Catholicorum amplexus sit consortium, ut Imperatori debitum non denegaret obsequium, neque ita se Cæsarianorum communione contaminaverit, ut Catholicorum offensas incurrerit: propter quod contigit, ut suâ prudenti mediatione Imperator Apostolico obtemperaret, & deinceps desinerent esse discordes; quod ut facere non omitteret, quoniam omnibus supereminebat auctoritate, multorum Episcoporum exhortatione ad ipsum directæ sunt epistolæ. Nunc autem superest ut gestorum ejus quoddam memorabile cui me contigit interfuisse, debeam declarare.

Ivodii quod Trevericæ diœcesis appenditium est, fuerunt eo tempore hæretici, qui substantiam panis & vini, quæ in altari per Sacerdotes benedicitur, in Corpus Christi & Sanguinem veraciter transmutari negabant, nec baptismi Sacramentum parvulis ad salvationem proficere dicebant, & alia perplura profitebantur erronea, quæ memoriæ tradere nefas duxi. De his quatuor oblati sunt ei, quorum duo Presbyteri, reliqui verò duo erant laïci. Presbyterorum unus Fredericus, alter duobus vocabatur nominibus Dominicus Willelmus; Laïcorum verò alter Durandus, alter dicebatur Halmericus. Quos dum discuteret, & reguiâ Christiani dogmatis imbueret, Halmericus fugâ lapsus est; Durandus verò hactenùs quidem se sceleris hujus assentatorem esse ultrò confessus est; sed deinceps in eâ assentatione nolle persistere, adhibitis sibi Sanctorum reliquiis juramento verbis fidem fecit. Vocatus autem alter Presbyterorum Fredericus ad audientiam, non solùm non negavit, verùm etiam benè & rectè se credere id profitendo asseruit. Cui Bruno Episcopus ait: Oportebat ut tu, qui Doctor fidelium esse debuisti, sanam doctrinam cunctis evangelizares, omitteres infidelitatis assertiones, in quibus mentiri te cunctis fidelibus luce clariùs patet, cum beatus Augustinus dicat: Quoniam Christum non est fas vorari dentibus, voluit ipse Christus hunc panem & hoc vinum in mysterio, carnem verè suam & Sanguinem consecratione Spiritûs sancti potentialiter creari, & quotidie pro mundi vitâ mysticè immolari, ut sicut de Virgine per Spiritum sanctum vera caro sine coïtu creabatur, ita per eumdem ex substantiâ panis & vini mysticè idem Christi Corpus consecratur. In Epistolâ quoque de fide Catholicâ item beatus Augustinus dicit: Firmissimè tene & nullatenùs dubites, parvulos qui nec propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato quod originaliter trahunt agere possunt, Sacramentum fidei & pœnitentiæ quod est sanctum Baptisma, quamdiù rationis eorum ætas capax esse non potest, sufficere ad salutem; in capitulo epistolæ vicesimæ septimæ.

His atque aliis hujusmodi Scripturæ sacræ elogiis in medium prolatis, cum ab adstantibus fidelibus nunc singulariter, nunc communiter increpatus atque ad Christianam veritatem incitatus, nollet acquiescere, sed magis in infidelitate destinasset obstinatâ mente persistere, acclamabatur ab omnibus Dominicæ vocis sententia, quoniam *Ecclesiam non audit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Adjecerunt que; Gradu amoveatur, atque damnetur: quod ut fieret omnibus acclamantibus ille nactâ fu- *Matt. 18, 17.*

giendi opportunitate se inter adstantes subduxit, sicque evasit. Proinde cum requisitus non esset reinventus, juxtà Canonum Sanctiones; qui noluerit ad audientientiam venire vocatus, eadem patiatur absens: ut breviter comprehendam, damnatus est. Inquisitus autem & alter, ille videlicet, qui ob hujus nequitiæ infamiam obumbrandam duobus vocabatur nominibus, an & ipse publicatæ hæresis assertor existeret, testificatus est nunquam se eam professum esse, vel profiteri velle; delatoribus è contra affirmantibus & dicentibus, se quâdam vice insperatò conventiculis eorumdem hæreticorum supervenisse, ipsumque illis communicantem invenisse; quo contrà ille timens ne Presbyterii privaretur honore, respondit ob hujus suspicionis notam abolendam libenter velle summæ examinationis subire sententiam: quod dictum cum placuisset omnibus, jussus est Missam celebrare, & sacrum Canonem, qui secreta vel actio dicitur, sicut cætera excelsâ voce decantare, ut qui mysterio pretiosi Corporis & Sanguinis Christi præsumsisset detrahere, ipsius probaretur virtute. Missâ itaque decursâ, ubi ad communicandum perventum est, Episcopus verba imprecationis hujusmodi intulit dicens: Si vivificum hoc salutis nostræ Sacramentum quod manibus tenes, non verè Corpus Christi & Sanguinem esse ausus es impio ore garrire, cum ipsius mysterii contestatione interdico quoquo modo præsumas accipere: si verò non ita sed Catholicè profiteris, accipe: & accepit. Verumtamen qualiter idem redemptionis munus ad damnationem sui in os ejus intraverit, referre supervacuum non judicavi. Cum enim esset in examinationis anxietate constitutus, Omnipotenti Deo de admissis pœnitentiam, de futuris custodiam pollicens, corde contrito supplicavit & obtinuit ab instanti confusione liberari. Inde ubi in sua rediit, pollicita fallere non expavit, & abdicatam hæresim majori quàm antea pertinaciâ roboravit, non recolens quòd cum sit *Deus Judex, justus, fortis & patiens*, tanto delinquentium culpas districtiùs judicat, quanto æquanimiùs portat. Contigit ergo ut de vitio in vitium corrueret, sicut scriptum est: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*, & spiritu fornicationis seductus, non multo post in adulterio deprehensus est, & dignâ iniquitatis suæ morte peremptus.

Psal. 7. 12.

Apoc. 22. 11.

Sæpedictus etiam Pontifex crebris infirmitatibus, nunc pedum dolore quod podagram Græci vocant, nunc ventris fluxu quod coiliacam nuncupant, vexabatur: propter quod exquisitissimos semper secum habere solitus erat medicos: habebat autem inter eos Judæum quemdam Josue nomine, physicæ artis eruditissimum, & totius artis compotistam peroptimum, hebraïcarum litterarum & totius Judaïsmi scientiâ perfectissimum, quem circumdabat militaris habitus: hunc majori præ cæteris familiaritate & dilectione BRUNO idem sibi annectebat, satagens ut quomodo ille ipsum carnaliter medicaretur, ita ipse illi salutem animæ operaretur. Cum hoc sæpissimè de Divinis disputabat voluminibus, semper illum ad conversionem deprecans & exhortans, in quo tandem Domino largiente optatum tenuit effectum. Nam consiliis ejus acquievit, & ab ipso baptizatus est, cui Bruno nomen suum imposuit, & in cunctis bonis adjuvit, cunctis fidelibus suis eum commendans, & petens, quia genus illud hominum multum est in fide instabile, semperque desiderat in vitæ necessariis abundare, quatinùs ille ubicumque ipsis manentibus superveniret, providerent ei necessaria cum charitate.

Nunc iterum ad ordinem unde digressus sum, orationis verba convertam. Cum igitur, unde dictum est, Bruno omni probitatis actu duodecim annis serenus exstitisset, auctoris omnium prævaricationum diaboli, qui videlicet felicibus actibus ejus invidebat, instigatione retro conversus, religiosi itineris limitem excessit, & incentivis vitiorum avaritiæ scilicet & cenodoxiæ plus justo inhiavit. Ut enim multum interminatæ habendi cupidini muneribus & beneficiis potuisset satisfacere, non solùm Clericorum & Laïcorum bona diripiebat, verùm etiam Ecclesiarum villas & curtes Deo & Sanctis ejus vespere, mane & meridie famulantium victui deputatas, sed ornamenta & vasa concupiscibilia tam aurea quàm argentea in suos usus redigebat, & exinde expensas faciens humanos in se favores concitabat. Nihil enim laude in vitâ fuit ei dulcius. Inde est, quòd villæ duæ, una Dei Genitrici loci qui Orgium dicitur, nuncupata Machara, distans à Treveri versus Aquilonem circiter tria millaria, altera beato Paulino dicata dicta Le ura, & aliæ quamplures quas omnes enumerare propter multitudinem distuli, à prioribus quoque Pontificibus ad tempus quidem sublatæ, sed frequenter ab omnibus reconsignatæ, nunc autem ab hoc subtractæ, nec restitutæ, Episcopalibus sunt addictæ redditibus, quarum priorem Dagobertus Rex Francorum inter cætera quæ Ecclesiis Dei legitur beneficia contulisse, sanctæ Dei Genitrici ob amorem sanctissimæ Virginis Irminæ filiæ suæ tunc ibi degentis, nunc verò quiescentis cum aliis quampluribus, contulit, alteram verò quam diximus Lesuram beato Paulino Ludolfus Treverorum Archiepiscopus donavit, & sacerdotii sui auctoritate obsignavit, imprecatus, ut si quis Lesuram in succedentibus annis usui Fratrum in B. Paulini basilicâ ministrantium tollere conaretur, disperderet eum Dominus de terrâ viventium: ubi verò in hunc ejusdem Episcopatûs auctoritas collata est, iniquorum seductus consilio, ut diximus, eam cum aliis aliquibus in suos usus redigebat, dicens non licere cuiquam Episcoporum, quidquam Episcopalium redditaum alicui Sanctorum loco assignare; & quoniam prænominatus Ludolfus id fecerit, ratum non esse: quod utrum ne illi licuerit, vos decernite. Æstimo namque, quod Episcoporum est summam Deo famulantibus diligentiam adhibere necessaria ministrando, ne dum pro necessariis conquirendis negotiantur, à sancto proposito discedere compellantur. Ad hoc enim deputati sunt Ecclesiastici redditus, ut ex eis subveniatur Christi pauperibus, quod ille exequens melius usui ministrorum Dei assignaverit, quàm iste in usum superbæ gloriationis assumserit.

Huc accedit, quòd cum Egilbertus, proximus hujus Brunonis antecessor, adhuc viveret, inito consilio cum Optimatibus suis, quorum iste Bruno unus erat, hujusmodi verbis eos compellabat: Obsecro vos per misericordiam Dei, dilectissimi filii & fratres, quidquid ego & antecessores mei Episcopi Sanctorum locis injuriæ violentiâ magis quàm ratione irrogavimus, vos me commonefacite, & ego restituam, ut & meam & eorum animas ab inferis redimam. Quod cum placuisset omnibus, discretis cuique loco redditibus banni constrictione firmavit, ut qui deinceps inde subtraheret, Deum præsumptionis suæ vindicem sentiret, & responderunt omnes, Amen. Ubi verò Egilbertus spiritum reddidit, & Bruno ei in Episcopatu successit, universa quæ ille resignavit, iste resumsit, dicens nihil exinde ratum esse quod infirmus & jam fuimet impotens in novissimâ vitæ suæ horâ fecerit; cum Beatus Gregorius dicat, ultimam pœnitentiam nulli negandum, beatus verò Augustinus dicat, se non diffinire, quòd qui seram tantùm egerit pœnitentiam,

liberetur per eam. Ego equidem puto si audeam dicere, quòd qui utrum temporaneâ sive serotinâ pœnitentia malè tantum parta restituerit, etsi propterea non liberabitur; qui ea postmodum in indebitos usus usurpaverit, non minùs judicium sustinebit. Anno igitur ordinationis suæ decimo nono placuit Romam tendere, ut renovaret privilegia Sedis suæ, indignatus super protervià præfati Adelberti Maguntiensis Episcopi, de legatione Romanæ Sedis sibi concessâ superbè se efferentis, maximè cum ex concessione priorum Apostolicorum Episcopus Treverorum nulli nisi soli Apostolico, vel à latere ejus Misso ad præsens debeat obedire, sicut Hincmarus Remorum Archiepiscopus in epistolâ suâ Nicolao Papæ directâ commemorat dicens: Remensis Ecclesia nunquam excepto Romano Pontifice Primatem habuit, nisi quandiù abjecto ab eo sine ullo crimine suo Pontifice per Tyranni violentiam Milonis tempore Caroli Principis, pastore vacans sub Bonifacio Apostolicæ Sedis Legato aliquamdiù sicut & Treverensis fuit; sed & in tempore illo præfuit Ecclesiæ Metensi quidam Stephanus Calixti Papæ ex sorore nepos, cui jam dictus avunculus ejus concesserat in celebrationibus Missarum pallio indutum incedere, integrâ Trevericæ Metropolis potestate. Qui de pallii honore exhilaratus, velut confidens gratiæ consanguinitatis suprà memoratæ, ultra quàm oportuit se extulit, omnimodis nitens si quomodo potuisset ut Trevericam Ecclesiam deprimeret, suam autem anteferret & Metropolim faceret, sperans quòd quidcumque inchoasset Calixtus assentiret. Quod exinde perpendimus, ut quotiescumque à Metropolitano vocatus fuisset, ut sicut consuetudo est suffraganeis Episcopis Metropoli obedientiam & subjectionem subscriberet, venire contemsit, dicens suos quoque antecessores quandoque fuisse Archiepiscopos, quod nullarum scripturarum auctoritas firmat & pronuntiat. Solummodo quippe Metensium Episcoporum quinque numero pallio usi referuntur, quibus iste sextus adscribitur, servatâ tamen in omnibus Metropolitano subjectione; sed non omnes qui pallio utuntur, Archiepiscopi sunt, nisi quorum sedes Metropolis subjectis sibi aliis civitatibus & Episcopis principatur. Cum igitur propter causas supra memoratas sæpedictus Bruno versus Romam iter faceret, & Augustidunum usque processisset, Calixtus Papa ibi ei occurrit, & eum amicè suscepit, & cum eo in eodem loco Natalem Domini celebravit. Transactis autem diebus solemnibus, pariter iter Cluniacum dirigunt, ubi Bruno causas adventûs sui aperuit, prolatisque coram Sedis suæ privilegiis, eadem sibi & Ecclesiæ suæ Apostolicæ subscriptionis firmamento stabiliri postulavit, & obtinuit. Nam factâ ei peccatorum suorum indulgentiâ, remisit eum ad propria, dans ei chirographum hunc modum continens.

» Calixtus Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri Brunoni Treverensi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Consuetudo Sedis Apostolicæ persuadet, & ipse rationis ordo exposcit, ut sapientes religiosasque personas, & in Romanæ Ecclesiæ obedientiâ devotas existentes honorare ampliùs ac diligere debeamus. Proinde, Frater dulcissime, postulationi tuæ clementer annuimus, & personam tuam dilectionis brachiis amplectimur, & eam à cujuslibet Legati potestate absolvimus, nisi fortè à nostro latere dirigatur. Confidimus enim in Domino, quia de sapientiâ ac religione tuâ & Deo & Ecclesiæ honor magnus, utilitasque proveniat. Data Cluniaci tertiò Nonas Januarii. «

Denique non multo post tempore viribus corporis ejus senio simul & infirmitate ad occasum vergentibus, in omni ferè circà regione cœperunt viri nequam consurgere, & res Ecclesiæ quæ ipsorum defensioni, & ut ita dicam advocatiæ commissæ fuerunt, barbarico more depopulari, quodam Comite Willelmo filio Conradi Comitis suprà memorati de Castello quod vocatur *Luzelenburch*, ducatum illis præbente; quos cum sæpiùs ad correctionem invitasset & non profecisset, tandem cum non haberet qui illorum vesaniam armata manu posset reprimere (ipsi enim, si barbari provinciam hanc impeterent, illis resistere debuissent) usus est in eos anathematis ultione, die quâdam Dominicâ octavo Idus Decembris, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vicesimo secundo, Pontificatûs sui anno vicesimo primo. Cujus anathematis series hunc habet modum. An. 1122.

» Propter continuas oppressiones, quas Ecclesia nostra patitur, decernimus & Sancti Spiritûs judicio, & auctoritate nobis commissâ confirmamus, ut quicumque sive in rapinis rerum Ecclesiasticarum, sive in combustione alicujus Ecclesiæ, sive in captione alicujus Clerici, vel in quâcumque indebitâ exactione, sive in generalis vel specialis pacis violatione hactenùs nos conturbavit, ad satisfactionem canonicè vocetur, passurus sententiam secundùm merita; obediens, judicium cum misericordiâ; rebellis, judicium sine misericordiâ. Ab hac autem die ulteriùs quicumque supradictorum violatorum inventus fuerit hodiernâ excommunicatione prædamnamus, & præcipimus ut ab omnibus ut sacrilegus devitetur, suspenso ejus nomine in Ecclesiâ ad indicium excommunicationis jam super eo factæ, & singulis diebus Dominicis repetendæ, ita ut, qui cum eo communicaverit, si laicus, eodem anathemate feriatur, & si Clericus, ab ordine deponatur; spolia quoque emens vel dono accipiens, ei cui & spoliator, damnationi subjaceat. Congregationibus autem licentiam damus, ut quicumque eos in bonis stipendiorum suorum læserit, eum quotidianâ excommunicatione prosequantur. Porrò Archidiaconis concedo, ut ubi aliis negotiis impeditus adesse non potero, pœnitentes Ecclesiæ reconcilient, servato ordine in compositionibus & cæteris Ecclesiasticis consuetudinibus. «

Multa quidem & alia probitatis fecit insignia, quæ & ego ipse vidi, & aliorum certâ relatione cognovi, quæ enumerare per singula gratiâ vitandæ prolixitatis omisi. Hoc tantum scire sufficiat, quòd appropinquantem vitæ ejus terminum laudabilibus admodum operibus antecessit. Etenim per nocturnam quietem solitus erat Sanctorum memorias silenter circuire, & ibique in oratione diutiùs persistere, & Dei propitiationem eorum intercessione profusis lacrymis exorare.



MONITUM.

EPISCOPORUM METTENSIUM CHRONICON MS. V. Cl. Raimundo Formentino Domûs Sorbonicæ Socio pereruditio acceptum ferimus. Id ex fuliginoso ac mendoso purgatissimum purumque diligentiâ quâ potuimus maximâ publico bono edendum curavimus, ope potissimùm Catalogi Episcoporum Mettensiûm perantiqui, quem in calce Operis sui, Familia Ansberti rediviva *inscripti, Marcus Antonius Dominici attexuit. Adjumento mihi quoque fuerunt correctiones à viro Clariss. Hadriano Valesio adhibitæ, qui Chronicon illud antequàm in manus meas incidisset, jam legerat. Tres autem Chronici hujus scriptores observavimus. Prior quæ retulit, ab historiæ Mettensium Episcoporum auctore Paulo Diacono Aquileiensi magnâ ex parte mutuatus est, & ad Poponem Episcopum pervenit: posterior stilum duxit ad usque Bertrannum: tertius denique finem fecit in Jacobo* LIX. *Episcopo, anno videlicet* MCCLX. *Duabus Appendicibus hosce posteriores à nobis distinctos noveris.*

CHRONICON
EPISCOPORUM METENSIUM.

METIS est civitas antiqua in Galliarum provinciâ primæ Belgicæ sita, jucunditate fluminum satis amœna, vinearum ac nemorum uberrima; montibus cum piscalibus vicinarum venis salinarum illustrior urbibus cæteris, salubris aëre, sub ipso littore statuta Mosellæ: de qua Fortunatus inquit:

Urbs munita nimis, quam cingit murus & amnis.

Hæc pro situ & diversis causis multis nominatur vocabulis. Dividunum [a] itaque nuncupata est, quasi Divûm, id est Deorum nomen, eo quod è regione advenientibus eminere cernitur turribus & ædificiis. Mediomatricus quoque vocatur à circum positarum urbium situ: habet namque Treviros metropolim ab aquilone; Tullum à meridie; Virdunum ab occidente; inter quas floret quasi media mater. Metis etiam à quodam victore suo, METIO nomine appellatur secundùm illud,

Suffectus dederat nomen cui Metius urbi.

Et juxtà illud distichum, quod in defossis terrâ lapidibus sculptum, nuper fuit inventum:

Tempore quo Cæsar sua Gallis intulit arma,
Tunc Mediomatricam devicit Metius urbem.

Romana siquidem victoria urbibus sibi à se subjectis nomina suorum majorum imponebat, ut per hoc eis quasi mansuram construeret memoriam. Denique à Remo fratre Romuli Remis, à Tullo Hostilio Tullum, ab Agrippa Colonia civitas est Agrippina dicta. Ad prædictam igitur urbem Metim B. Petrus Apostolorum Princeps venerabilem virum CLEMENTEM, pridem Consulem ac Patricium Romanorum, omnium virtutum decore ornatum, ab urbe Româ direxit, utque Pontificali dignitate præesset quos Christo subjugaret, ordinavit.

I. Episcopus S. Clemens. Advenit itaque Metim B. Clemens v. Claudii anno, sedit in Episcopatu viginti quinque annis & mensibus quatuor; hoc est sub Claudio novem, & sub Nerone XIV. Obiit tempore Vespasiani post passionem B. Petri & mortem Neronis, B. Clemente ipsius fratruele Romanis fidelibus post Petrum Apostolum præsidente. Hanc ideo supputationem annotavi, quia nisi tempora Pontificatûs Lini atque Cleti sub spatio Præsulatûs Beati Petri comprehenderis, non sibi consonè respondebunt anni Pontificum Romanorum annis Imperatorum. Pro certo enim scitur, quia Beatus Apostolus non baptizandis, sed convertendis ministerii officium magis impendebat, sicut liber Actus Apostolorum testatur, quod post adventum sancti Spiritûs in Cornelium & suos, jusserit eos baptizari, & hoc propter schisma vitandum, ne baptizati ab Apostolo digniores se cæteris putarent. Quocircà & Paulus Corinthiis in primâ Epistolâ scribit: *Gratias Deo, quòd neminem vestrûm baptizavi, nisi Crispum & Gaium, ne fortè dicatis, quòd in nomine Pauli baptizati estis.* Nam qui ab Apostolis ordinabantur Presbyteri, cæteris præeminebant ut Episcopi. Scrupulus autem supputationis partim negligentiâ Scriptorum, partim pressurâ persequutorum, ut arbitror, in Ecclesiâ inolevit.

II. Episcopus S. Cœlestis. Beato Clemente ad cœlestia migrante S. CŒLESTIS illi successit in officio Episcopali; sedit quoque annis quindecim, sub Vespasiano VII. sub Tito II. sub Domitiano reliquis: obiit tempore ipsius persequutoris sub Anacleto Papa; sepultus est ante fores cryptæ S. Clementis: sed post curricula temporum à Drogone Archiepiscopo Metense translatus est in Elisatiam apud Mauri Monasterium, ubi condignè veneratur, ubi & de illo tale refertur insignium. Pignera ejus cum pro necessitate communi quodam tempore deferrentur cum Reliquiis S. Auctoris, dicitur sanctus Auctor qui quasi famosior præferebatur, restitisse, donec sanctus præcederet Cœlestis. Cætera ejus gesta quamvis credantur magna, tamen nihil ad nos transmiserunt scripta priorum.

III. Episcop. S. Felix. Post beatum Cœlestem S. FELIX præfuit Metensibus annis quadraginta duobus, sub Apostolicis Evaristo & Alexandro & Sixto, temporibus Domitiani, Nervæ & Trajani: obiit tempore Hadriani sub Telesphoro Papa. Hic Felix sepelitur juxtà S. Cœlestem: sed longo post tempore transfertur in Saxoniam ab Imperatore Henrico Babenbergense.

a *Dividunum*] Acherius emendat *Divodurum*, quod ut agnosco verum esse urbis nomen, ita ab auctore scriptum esse nego; nec enim ex Divoduro efficias *Divûm nomen.*

Felici

IV. Episcop. S. Patiens.

Felici successit S. PATIENS quartus Metensis Episcopus. Hic fuit genere Græcus, Evangelistæ Joannis discipulus. Hic dicitur revelatione divina Metim transmissus, ut sicut in omnibus Evangelista Joannes Petro associabatur virtutibus secundùm Apostolorum Actus; ita & ex disciplinâ ejus veluti & de B. Petri disciplinis insigniretur Ecclesia Metensis. Hic Ecclesiam S. Joanni Evangelistæ ad australem plagam ipsius urbis construxit, marmoreis subnixam columnis, quæ post combusta est ab Hunis. In hac Ecclesiâ & dentem ipsius sui magistri posuit cum duodecim aliis Reliquiis Apostolorum; ubi & ipse postmodum requievit sepultus, sicut suo loco dicemus. Hic sedit in Episcopatu annos XIV. partim sub Adriano, & reliquos sub Antonino Pio. Obiit tempore ipsius, Romanæ etiam Ecclesiæ Hygino & Pio præsidentibus.

V. Episcopus Victor.

Sancto Patienti successit VICTOR Metensium Præsul quintus, qui sedit per annos IX. Obiit X. Kal. Octobris sub Pio Papa jamdicto & Antonino Pio; & sepultus in Ecclesiâ B. Clementis.

VI. Episcop. Victor II.

Post hunc alius VICTOR assequutus est Cathedram Episcopalem sextus, sedens in eâ tribus annis sub Antonino Pio & Aniceto Papa. Obiit temporibus eorumdem horum duorum Pontificum: sicut de translatione, sic & de actuum relatione siletur, nisi quòd in Ecclesiâ beati Clementis similiter sunt sepulti.

VII. Episcop. S. Symeon.

Hunc sanctus SYMEON septimus est Episcopus consequutus; qui præfuit Metensibus annis XXX. ultimo tempore Antonini Pii, temporibus etiam Marci, Veri, Lucii Commodi Imperatorum; tempore Aniceti, Soteris, & Eleutheri. Obiit sub Eleuthero, Commodo Imperatore. Similiter & ipse sepelitur in Ecclesia S. Clementis, sed postea transfertur ad Monasterium Senonense [b].

VIII. Episc. Sambatius.

Post hunc præfuit octavus Præsul Metensi Ecclesiæ SAMBATIUS, hic sedit XVIII. annis sub Apostolicis Eleuthero, Victore & Zephyrino; temporibus Lucii Commodi, Helvii Pertinacis, & Severi, cujus etiam tempore obiit, & Zephyrini Papæ. Sepultus est in Ecclesiâ S. Clementis.

IX. Episcop. Rufus.

Nonus post Sambatium RUFUS Metensium fuit Episcopus, qui XXIX. sedit annis in Episcopatu, tempore Severini & Antonini Caracallæ, Macrini, Aurelii Antonini, & Aurelii Alexandri; temporibus Callisti, Urbani & Anteri Apostolicorum: sepultusque est in Ecclesiâ S. Clementis.

X. Episcopus Adelphus.

Decimus Metensium Episcopus præfuit ADELPHUS, qui sedit XVII. annis sub Aurelio Alexandro, Maximino, Gordiano, & Philippo Christiano cum filio Philippo, sub Episcopis Romanis Pontiano, Antero, & Fabiano. Hic etiam sepultus est in Ecclesiâ sancti Clementis.

XI. Episcop. Firminus.

Huic successit FIRMINUS undecimus Metensium Episcopus, qui sedit annis XLV. id est sub Decio, Gallo & Volusiano, Valeriano, & Gallieno, Claudio, Aureliano, Tacito, Floriano, Probo, Caro, Carino, Numeriano, Diocletiano; sub Præsulibus Romanis Cornelio, Lucio, Stephano, Sixto tertio, Dionysio, Felice, Eutychiano, Gaio, Marcellino, Marcello, horum ultimo tempore obiit prædictorum. Corpora Sanctorum Rufi & Adelphi, & aliorum, dum secùs cryptam S. Clementis ad Aquilonem fuissent humata, vir quidam religiosus Sanctorum Basilicas nocturnis frequentabat horis, ut Paulus Italicus in serie istorum annotavit Pontificum. Hic ut ad Basilicam B. Clementis pervenit, quia licentia non dabatur interiùs intrandi, è regione ubi prædictorum corpora quiescebant Sanctorum, accessit, seque in orationem devotè prostravit. Terminato precis modulo surrexit, & in memoriâ Sanctorum, ad quorum sepulcrum oraverat, versum psalmigraphi, quod est *Exultabunt sancti in gloria*, pronuntiavit. Illicò ab intus vocem audivit subjungentem, *Lætabuntur in cubilibus suis.*

XII. Episcop. Leguncius, *alias* Legontius.

LEGUNCIUS duodecimus Metensium Episcopus Firmino successit, & annis XXXIV. præsedit sub Episcopis Eusebio, Miltiade, Silvestro & Marco; imperante CONSTANTINO Christianissimo; obiit ultimo tempore ipsius, & in Ecclesia B. Clementis tumulatur: hoc etiam tempore gloriosus Confessor Nicolaus clarebat.

XIII. Episc. Auctor. [c]

Successit ei sanctus AUCTOR, & præfuit XLIX. annis [c] sub Præsulibus Julio, Liberio, Felice, Damaso; Constantino, Juliano, Joviano, Valentiniano & Valente Impp. Sub eodem tempore dicitur fuisse Martinus Turonensis & Maximinus Treverensis: cum quibus apud Coloniam urbem damnavit Euphratam hæreticum. Hic B. Auctor eâdem tempestate quando non solùm Gallia, sed etiam penè occidens universus Barbarorum sævitiam est perpessus, ad Ecclesiæ gubernacula est adscitus. De quo Præsule insignia hæc duo memoriæ posterorum traduxit relatio priscorum. Igitur, ut diximus, dum grandine Barbarorum seges Dominica premeretur, Attila Rex Hungarorum sumpto Domini gladio ad resecandam Gallorum lasciviæ abundantiam, Gondegario Rege Allobrogum [d] protrito, habenas suæ crudelitatis in omnem Galliam relaxat. [d]

Sub hoc turbine beatus Servatius Præsul Tungrorum Romam proficiscitur ad Apostolorum limina, Domini remedium imploraturus per merita ipsorum sublimia. Ubi cum quasi victimam Deo se offerret pro irâ Domini à populo suspendendâ, Princeps beatus Apostolorum in visu ei dixit: Noveris carissime, divino diffinitum judicio, totam ferè Galliam tradi Barbarorum incendio præter Oratorium Protomartyris, quod Metis constructum est. Sanctus accepto Servatius oraculo, veloci regreditur gradu: sed Gallias jam Hungari compleverant, Metim urbem cinxerant obsidione, sed pro murorum robore frustrati ad tempus expugnatione, recedebant.

Sub illorum discessione S. Servatius Metim venit: B. Auctori revelationem præfatam revelat, ad sedemque suam Tungrensem remeat. Quo abeunte, muri Metensium corruunt: B. Auctor cernens hoc, cives advocat, confiteri peccata hortatur, pœnitentiam injungit, & infantes baptizari præcepit; erat enim Sabbatum Paschæ. Barbari fama celeri revocati, urbem invadunt, omnes trucidant, cuncta diripiunt; quid plura? Ecclesias cruore innocentium replent, Sacerdotes jugulant; soli servantur qui ludibrio deputarentur. Oratorium sancti Protomartyris furentes circumdant, aditum tentant. Sed quod cœleste protegebat auxilium, irrumpere non valebat impetus furentium. Tandem velut Sodomitæ quondam erga domum Loth suo delusi conamine, incensâ urbe ipsum Episcopum cum reliquis abducunt. Jam procul ab urbe recesserant ad locum qui Decem pagos dicitur: & ecce, Barbari cæcitate multantur, quasi olim Ægyptii, nusquam abire valent. In tali ergo anxietate sciscitant à Christianis quos abducebant, quo præstigio eis hoc accidisset. Quibus illi: Non hoc suspicamini maleficium, sed credite iram Dei vobis imminere, qui sanctum Auctorem Episcopum Metensem abducitis impie. Mox itaque sanctus Auctor inquiritur, invenitur, rogatur:

b *Senonense*] Imò *Senoniensi*.
c *XLIX. ann.*] Alii dicunt, *annis XIX.* minus rectè.

d *Allobrogum*] Hoc est Burgundionum, qui illâ ætate apud Allobrogas sedes fixerant.

offertur ut quidquid vellet sumeret, tantùm ut beneficium lucis non substraheret eis. Ait ille, nihil rapinarum se velle, sed tantùm in beneficio sibi captivos dixit reddi. Conceditur, captivos reddunt: sicque tenebras evadunt. Sicque factum est ut captivato Pastore, grex captivorum libertate potiretur.

Refertur & aliud de hoc B. Auctore factum. Fortè trabes vetustate dissoluta, subitò sub altare B. Stephani lapsa, marmor ipsius altaris consecratum in mille diminuit partes. Adest B. Auctor, & (dictu mirabile) singulas marmoris fracti minutias adunans & componens, orationem fudit, cruce consignavit, sicque statim divinâ virtute illud marmor dissolutum solidatur, ut apparentibus fragmentorum cicatricibus nil solidius videatur. Obiit autem B. Auctor IV. Idus Augusti, sub Siricio Papa; Imperatoribus Gratiano & Valentiniano.

XIV. Episc. Eplecius, *alii* Æpletius. Sancto Auctori EPLECIUS successit decimus quartus Præsul Metensium. Sedit sexdecim annis sub Theodosio Imperatore; & Episcopis Siricio & Anastasio. Obiit sub eisdem, sepultus est apud S. Clementem.

XV. Episcop. Urbicius. URBICIUS post Eplecium XV. successit in Metensi Episcopatu. Hic primus omnium ipsius urbis Archiepiscopus nominatur: præfuit viginti novem annis sub Imperatoribus Arcadio & Honorio; præsulibus Romanis Innocentio & Zosimo. Hic sepultus est in Ecclesiâ S. Maximiani ultrà Saliam.

XVI. Episc. Bonolus, *vel potius* Bonosus. Successit Urbicio BONOLUS XVI. Metensium Episcopus. Sedit annis tribus. Obiit octavo Idus Octobris, sub Bonifatio Papa; Imperatoribus Honorio & Theodosio.

XVII. Episc. Terentius. TERENTIUS successit huic XVII. Sedit annis viginti. Obiit quarto Kalendas Novembris, sub Cœlestino & Sixto Papis; regnantibus Honorio & Theodosio juniore. Quorum temporibus inventum est corpus B. Protomartyris Stephani cum Gamaliele & Abibon atque Nicodemo. Hinc probatur, quòd reliquiæ B. Stephani, quibus Ecclesia Metensis suffragantibus irruptionem Hunorum evasit, ab Apostolis beato Clementi sunt transmissæ, ut in secundo vitæ ipsius libello annotavimus.

XVIII. Episc. Gonsolinus. c Octavus decimus GONSOLINUS successit Terentio in sacerdotali officio. Sedit annis XVIII. [c] Obiit secundo Kal. Augusti, sub primo Leone Papa; imperantibus Marciano & Valentiniano, & Leone Augustis.

XIX. Episc. Romanus. ROMANUS successit Gonsolino Metensium Episcopus XIX. Sedit annis XXXVI. sub Hilaro, Simplicio, & Felice Papis; regnantibus Augustis Zenone & Anastasio. Obiit Idibus Aprilis.

XX. Episcop. Phronimius. PHRONIMIUS successit Romano XX. Metensium Episcopus: sedit annis octo sub Felice, Gelasio, & Anastasio Papis. Obiit VI. Kal. Augusti, imperante Anastasio.

XXI. Episc. Grammatius. f Successit in Episcopatu Metensi GRAMMATIUS XXI. sedit annis XXV. [f] sub Joanne, Symmacho & Hormisda Episcopis Romanis; sub imperio Anastasii & Justini senioris, obiit VI. Kal. Maii.

XXII. Episc. Agatimber. Successit Grammatio AGATIMBER XXII. sedit annis XII. sub Apostolicis Felice, Bonifatio, Mercurio, Agapeto, Silverio; imperante Justiniano. Obiit IV. Idus Maii. Tres Episcopi superiores Metensium, creduntur fuisse de origine Græcorum propter etymologiam vocabulorum.

XXIII. Episc. Sperus. Istis successit SPERUS XXIII. præfuit Metensi Ecclesiæ annis XVII. sub Vigilio Papa; sub imperio Justiniani. Obiit X. Kal. Decembris.

Successit VILLICUS XXIV. Episcopus Metensis. Sedit annis viginti quinque sub Apostolicis Pelagio primo, Joanne IV. Benedicto I. imperante Justino, & Tiberio Constantino. Obiit X. Kal. 8 Maii. XXIV. Episc. Villicus. g

Villico successit PETRUS Episcopus Metensis XXV. sedit annis X. Obiit V. Kalend. Octobris sub Papa Pelagio secundo; regnante Tiberio Constantino. XXV. Episc. Petrus.

AIGULFUS XXVI. Episcopus successit Petro: sedit annis XII. [h] sub Papa Gregorio I. imperante Mauricio. Obiit X. Kalend. Decembris. Hic Aigulfus ex filiâ Clodovei Francorum Regis ortus est, & Episcopatum Metensem tam ex suis quàm ex domesticorum prædiis ampliavit. Nam & Arisidium vicum à fratre suo Deothario suscipiens, per manum Theodeberti Regis partibus B. Protomartyris Stephani mancipavit, prædictumque fratrem suum Dominum Deotharium ibidem consecravit Episcopum. Huic etiam Aigulfo magnus Doctor Gregorius litteras dirigit. XXVI. Episc. Aigulfus. h

ARNOALDUS successit eidem Aigulfo in Episcopatu Metensi XXVII. nepos ipsius, sedit annis octo sub Sabiniano, Bonifacio tertio Episcopis, regnante Phoca, sub quo obiit VII. Idus Octobris. XXVII. Episcopus Arnoaldus.

PAPPOLUS successit Arnoaldo XXVIII. sedit annis XXIV. [i] sub Apostolicis Deus-dedit, Bonifacio V. Honorio, & Severino; sub imperio Heraclii. Obiit XI. Kal. Octob. * Hic Pappolus Ecclesiam in honorem S. Symphoriani Martyris ad australem Metensis urbis plagam construxit, ibique quiescit. XXVIII. Episcopus Pappolus. i

Sequutusque est hunc in Episcopatu beatus ARNULFUS XXIX. Episcopus Metensium; vir per omnia lumine sanctitatis & splendore generis clarus. Hic ita profuit Ecclesiæ doctrinâ, ut & Regalis ejus consilio moderaretur Aula. Hujus habentur gesta, quæ docent eum magnis claruisse miraculis & post mortem, & in vitâ. XXIX. Episc. Arnulfus.

Hujus quadrinepos CAROLUS Magnus exstitit, quem Ecclesia sibi Romana elegit in Advocatum. Hic etiam Carolus præ cunctis Francorum Regibus Ecclesiarum religionem ampliavit, aurum cum argento, quibus antiqui Reges simulacra decorabant, in cultum Christi consecravit. Hic etiam S. Arnulfi vitam perscrutans, miraculum quod de annulo ipsius adhuc fama recens celebrabat, miratus est se in eâ scriptum non invenisse: unde accersiens notarium quemdam nomine PAULUM [l], præcepitque Metensium inquiri gesta Præsulum: sed quasi nulla inveniens (quippe à Barbaris olim irrumpentibus cum ipsâ urbe succensa erant) præcepit ut vel ipsa quæ ab antiquis defluxerant per famam ad posteros scriberentur, & ab ipso Pontifice B. Clemente inciperetur, in quibus & ipsum annotatum invenitur miraculum, cujus hæc est summa. l

Fuerat isdem B. ARNULFUS Comes Palatinus sub CLOTARIO, sex provincias suo regens arbitrio, multaque confecerat prælia, justitiamque etiam de suis propinquis exercuerat. Unde quia bonorum est etiam in his quæ licent timere pœnitentiam, ut David in contritione cordis in conspectu Dei agebat. Sub hac contritione mentis dum transiret apud Treviros per pontem Mosellæ fluminis, annulum, quem secum habebat aquis injecit, dicens; *Tunc me solutum nexibus criminum sciam, quando hunc quem projicio annulum recepero.* Posthac verò ad Episcopatum Metensem violentiâ populi sublimatus, sicut isdem

c *annis XVIII.*] Alii dicunt *annis XIX.*
f *annis XXV.*] vel *XV.* ut alii volunt.
g *X. Kal.*] Hic etiam variant codices, nam alii habent *XV. Kal.*
h *annis XII.*] aut *XX.* quod aliis placet.
i *annis XXIV.*] Alii *XXVII.* & infrà pro *Octobris* habent *Decembris.*
l *nomine Paulum*] Scil. Diaconum Aquileiensem, qui librum de Episcopis Metensibus scripsit.

David pro effusione sanguinis ab ædificatione Templi jussu Dei se suspendit, sic & iste Dei recepto annulo à piscatore apud Vosagum, qui fuerat inventus in extis piscis, Episcopatum & omnem gloriam sæculi reliquit, eremumque petiit, ibique in pace quievit. Præfuit Ecclesiæ Metensi xv. annis, sub Apostolicis Joanne, Theodoro, Martino & Eugenio; Imperatoribus Heraclio, Heracleone cum matre, & Constantino ejus filio. Obiit xvii. Kalend. Decembris.

XXX. Episc. Goericus, sive Abbo. m

Goericus sanctus, qui & Abbo dictus est, huic sancto XXX. Episcopus Metensis successit. Hic primò Rex [m] Aquitanorum fuerat, postque Pontifex factus, opibus plurimis ditavit Ecclesiam, Basilicam S. Petro construxit, prædecessorisque sui corpus ab eremo revexit, & in Apostolorum Basilicâ dignè sepelivit. Præfuit Ecclesiæ xvii.* annis, sub Apostolicis Vitaliano & Adeodato; imperante Constantino filio Constantini superioris Regis. Obiit octavo decimo * Kal. Octobris, & sepultus est in Ecclesiâ sancti Symphoriani Martyris: & post translata sunt ossa ejus ad castrum Spinal dictum.

XXXI. Episc. Godo.

Godo XXXI. successit post hunc Metensibus, & Episcopalis officii curam suscepit. Sedit annis x. & duobus mensibus sub Apostolicis Dono, Agathone, Leone, Benedicto, Joanne, Cunone, Sergio; sub Imperatore præfato Constantino. Obiit octavo Idus Maii. Sepultus in Ecclesiâ S. Symphoriani.

XXXII. Episcopus Clodulfus. n

S. Clodulfus, inclyta B. Arnulfi proles, XXXII. pro paternæ sanctitatis gloriâ Episcopus Metensis consecratur. Hic possessionibus ampliavit Ecclesiam B. Stephani. Sedit annis xlii. [n] diebus xxv. sub Romanis Pontificibus Sergio, Joanne VI. Joanne VII. Sisinnio, Constantino, Gregorio II. sub Imperatoribus præfato Constantino, Justiniano minore, Leontio, Tiberio, item Justiniano qui suprà, Philippico, Anastasio. Obiit sexto Idus Junii; sepelitur in Ecclesiâ Apostolorum ubi genitor ipsius.

XXXIII. Episcopus. Abbo.

Post hunc fidelem moderaturus populum Metensem Abbo XXXIII. adscitus est, qui sedit annis decem sub Apostolico Gregorio III. imperantibus Theodosio & Leone. Obiit xvii. Kal. Maii.

XXXIV. Episcopus Aptadius. o

Tricesimus quartus successit Aptadius [o]: sedit annis xiii. sub Apostolico Zacharia; imperante Constantino quinto. Obiit xii. Kal. Februarii. Sepultus in Ecclesiâ S. Symphoriani.

XXXV. Episcopus Felix.

Tricesimus quintus Episcopus Metensis præsedit Felix novem mensibus, sub Apostolico præfato Zacharia. Obiit xi. Kal Januarii; imperante præfato Constantino. Sepultus in sancto Symphoriano.

XXXVI. Episcopus Sigibaldus.

Sigibaldus XXXVI. Metensi Ecclesiæ præfuit xxv. annis, sub Apostolicis Stephano & Paulo; sub imperio præfati Constantini & Leonis iv. Hic beatus Sigibaldus ortus generosis natalibus exstitit, religionem fidelium ampliavit, per omnia utilitatibus Ecclesiæ sanctæ Dei deditus. Duo Monasteria construxit, Hilariacum, & Novum Villare. Hunc dirus podagræ dolor affligebat, sed quamvis exterior pateretur homo, interior tamen proficiebat de virtute in virtutem, ruinas Ecclesiarum restaurando. Et (quod majus miraculorum corporalium virtutibus) animas diversis vexatas vitiis sanabat, prædicationis & exempli medicamine, resuscitabatque à spirituali morte. Et cui talia dantur, si præsentium fides indigeret, putasne corporalium sanitas morborum defuisset? Obiit septimo Kalendas Novembris. Sepelitur in Ecclesiâ Beati Martyris Symphoriani in suburbio Metensi.

XXXVII. Episcopus Grodegandus, sive Chrodegandus.

Post hunc vir egregius, & omnibus præconiis efferendus, Grodegandus Antistes eligitur, ex pago Hasbaniensi oriundus, patre Sigrano, matre Landradâ Francorum ex genere primæ nobilitatis progenitus. Hic in palatio majoris Caroli ab ipso enutritus, ejusdemque Referendarius exstitit: ac demum temporibus Pippini, quem Zacharias Papa suprà memoratus in Regem Francis consecravit Childerico abjecto, Pontificale decus Metensis Ecclesiæ XXXVII. promeruit. Fuit autem omninò clarissimus, omnique nobilitate coruscus, formâ decorus, eloquio facundissimus, tam patrio quàm latino sermone imbutus: servorum Dei nutritor, orphanorum, viduarumque non solùm altor, sed & clementissimus tutor. Cumque esset in omnibus locuples, à Pippino Rege omnique Francorum cœtu singulariter electus, Romam directus est, Stephanumque venerabilem Papam ut cunctorum vota anhelabant, ad Gallias evocavit. Hic Stephanus tertius nomine in Papatûs ordine, duos filios Pippini, Karolum Magnum, & fratrem ipsius Karlomannum, in Reges benedixit Francorum cum Pippino ipsorum Patre.

Hic supradictus Grodegandus Clerum adunavit, & ad instar Cœnobii intrà Claustrorum septa conversari fecit, normamque eis instituit, qualiter in Ecclesiâ militare deberent: quibus annonas vitæque subsidia sufficienter largitus est, ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis solummodò officiis excubarent: ipsumque Clerum abundanter lege divinâ Romanâque imbutum cantilenâ, morem atque ordinem Romanæ Ecclesiæ servare præcepit: quod usque ad id tempus in Metensi Ecclesiâ factum minimè fuit. Hic fabricare jussit unà cum adjutorio Pippini Regis rebam S. Stephani Proto-Martyris, & altare ipsius atque cancellos, presbyterium arcusque per gyrum. Similiter & in Ecclesiâ B. Petri majore presbyterium fieri jussit. Construxit etiam ambonem auro argentoque decoratum, & arcus per gyrum throni onte ipsum altare.

Ædificavit prætereà Monasterium in parochiâ B. Stephani in pago Mosellensi in honore beatissimi Petri Apostoli, & ditavit illud opibus magnis, Monachosque ibi constituit, atque sub Regulâ S. Patris Benedicti in unâ charitate conjunxit. Construxit etiam alterum Monasterium, quod Gorzia vocatur, ubi pari modo non modicam multitudinem adunavit Monachorum. Expetiit denique à Paulo Romano Pontifice tria corpora sanctorum Martyrum, id est Gorgonii, quod in Gorziâ requiescit, Beati Naboris, quod in Hilariaco Monasterio conditum est; & B. Nazarii, quod ultrà fluvium Rhenum in Monasterio quod vocatur Lorsam, ædificatâ in honorem ipsius Martyris miri decoris Basilicâ, collocavit. Hoc siquidem prædium Chiliswindis quondam religiosa femina, & Cangro ejus filius eidem Godegrando Antistiti ad partem B. Stephani tradiderunt. Fuit siquidem beatus iste vir in eleemosynis largus, in charitate purissimus, susceptor hospitum atque peregrinorum. Sed quoniam longum est bona quæ gessit ex ordine retexere, satis sit hæc pauca prælibasse de plurimis.

Hic consecravit Episcopos quamplurimos per diversas civitates, Presbyteros nihilominùs ac Diaconos, cæterosque Ecclesiasticos Ordines, sicut mo-

m *Rex Aquitanorum*] Hoc est Rector: alii pro *XVII. annis* habent *XVIII.* nec *octavo-decimo*, sed *XIII. Kal. Octobris* obiisse dicitur.

n *annis XLII.*] Si alios sequaris, scribes *annis XL. diebus XX.* ac Clodulfum obiisse dices *VIII. Idus Maii.*

o *Aptadius*] Hujus nomen variat, aliis enim *Heptadius*, aliis *Aptatus* dicitur; idem dicitur sedisse *annis VII. mensibus II.*

ris est Romanæ Ecclesiæ, in diebus Sabbatorum quaternis temporibus anni. Rexit Ecclesiam Metensem viginti tribus annis [p]. Obiit II. Nonas Martii, in diebus Pippini genitoris Karoli Magni, & Karlomanni fratris ejus. Hic Gorziæ quiescit in Monasterio, quod à fundamentis post beatum Clementem Præsulem Metensium ex parvo magnum ædificavit.

XXXVIII. Episcopus Angerannus *al* Angilramnus.

Viro huic prælato successit Dominus ANGERANNUS in ordine XXXVIII. Hic Archicapellanus palatii exstitit Caroli Magni. Hujus tempore facta est Imperatorum translatio Græcorum ad Reges Francorum, hoc ut fertur modo: Leonem Papam III. Romani zelo furoris completi corripientes, oculis privare voluerunt, sed lumen ejus penitùs extinguere non potuerunt. Qui ad Karolum confugiens, honorificè ab eo susceptus est, & cum potentiâ exercitûs Romam reductus, suæ Sedi est restitutus. Unde ab eodem Papa Karolus Magnus in Ecclesiâ B. Petri die natalis Domini unctus est in Imperatorem, anno ab Incarnatione Domini 801.

Præfatus Angerannus inter cætera benè gesta Novæ-Cellæ Monasterium construxit, in quo & quiescit. Rexit Præsulatum annis XXIII. sub Apostolicis Hadriano, Leone præscripto, & Stephano III. Obiit octavo Kal. [q] Decemb.

XXXIX. Episcopus Gundulfus.

Sublimatur post hunc GUNDULFUS trigesimus nonus Metensis Episcopus, conversatione ac fide venerandus: sedit VI. annis, tempore Ludovici Pii, sub Apostolicis Paschale & Eugenio. Obiit VII. Idus Septembris.

XL. Episcop. Drogo.

Post hunc XL. ascendit ad apicem Sacerdotii Metensis Ecclesiæ DROGO filius Karoli Magni Imperatoris: sedit annis XXXII. sub Apostolicis Valentino, Gregorio IV. Sergio. Hic Archiepiscopatûs honore sublimatus est, & sacri Palatii moderator existit. Hic levavit corpus sanctæ Glodesindis Virginis ab humo. Plurima egit magnifica, sicut qui vicem Apostolicam gerebat cis Alpes per totam Galliam. Obiit in Burgundiâ VI. Idus Novem. [r] Corpus ejus inde relatum sepelitur in Ecclesiâ S. Joannis Evangelistæ Metensi, ubi & LUDOVICUS Pius Imperator frater ejus quiescit feliciter cum matre suâ Hildegardâ Reginâ.

XLI. Episcop. Adventius.

Successit eidem in præsulatu ADVENTIUS XLI. ex Metensibus liberiori genere natus: in ornamentis & thesauris Ecclesiam B. Stephani ampliavit. Hujus temporibus HINCMARUS Remorum Archiepiscopus fuit, qui cum eodem Adventio Meti Carolum coronaverunt fratre [s] ipsius Lothario divino judicio interempto. Hic Adventus sedit annis XVII. sub Apostolicis Leone IV. Benedicto, Nicolao qui Thiegaudum Trevirensem & Guntherum Coloniensem Archiepiscopos damnavit, fautores adulterii Regis Lotharii, Conciliumque quod Metis tenuerant cassavit. Præfatus Adventius Meti in Capellâ S. Galli sepultus est, & II. Kal. Octob. [t] obiit in villâ Salto dictâ, sub Hadriano Papa secundo

XLII. Episc. Walo.

Post hunc WALO XLII. Præsul est electus, sedit annis VI. diebus XV. sub Apostolico Joanne VII. à quo & pallium obtinuit. Hic Walo, dum cum suis contrà Normannos qui tunc Gallias incursabant impari manu pugnat, obtruncatur III. Nonas [u] Aprilis, Metimque relatus, in Ecclesiâ Salvatoris, quam ipse construxerat, sepelitur.

XLIII. Episc. Robertus.

Domnus ROBERTUS reformator Cœnobiorum & murorum urbis XLIII. huic successit. Sedit annis XXXIV. [x] sub Apostolicis Joanne IX. & Leone V. temporibus Regum juniorum Carlomanni & Lodoici & Caroli. Hic Robertus genere fuit insigni Alamannorum, pallium à Papa Romano promeruit: ornamenta Cœnobiorum multa vel mutavit, vel renovavit cum muris senio collapsis. Obiit IV. Non. Jan. sepultus est in Ecclesiâ S. Galli.

XLIV. Episc. Wigericus.

WIGERICUS XLIV. successit Roberto. Sedit annis X. diebus XXX. Obiit Metis XI. Kal. Martii. His temporibus Hungari secundò Gallias vastantes, multas urbes ac Ecclesias in cineres redegerunt, & plurium SS. Reliquiæ de loco ad locum translatæ sunt. Tum regnabat Arnulphus.

XLV. Episc. Adelbero, *vel* Adalbero.

Quadragesimus quintus dignæ memoriæ Domnus ADELBERO successit Wigerico. Inter multa Gorziense Cœnobium pœnè collapsum fundis & ædificiis restruxit, muro circumdedit: simili modo & S. Arnulphi Ecclesiæ in Metim multa commoda providit. Sedit annis XXX [y]. mensibus IX. diebus XXV. Obiit VI. Kalendas Maii. Gorziæ sustinet resurrectionis diem.

XLVI. Episc. Theodericus, *alias* Deodericus.

Successit ejus infulæ Pontificatûs THEODERICUS XLVI. qui Monasterium S. Vincentii Martyris in suburbio Metensi ædificavit honorabiliter, multisque pignoribus Sanctorum insignivit, ab Italiâ secum devectis [z]. Hujus gesta habentur. Floruit sub Imperatore primo OTTONE filio Henrici Regis Lotharingiorum [a]. Præfato Ottone imperante, famosum bellum factum est in Calabriâ inter ipsum & Saracenos, in quo innumerabilis multitudo Christianorum obeundo vicit XVII. Kal. Augusti. Revelata est siquidem beato de Baioariâ ODELRICO Præsuli talis divinitùs visio.

Videbatur sibi videre justum Dominum judicem in schemate JESU-CHRISTI sublimi solio residere, omnemque cœli ordinem circumstare. Examinatio stateræ parata est, quæstio ventilata, cui cederet victoria, Ethnico an Christum professis. Iniquitas & peccatum Christianorum excreverat eo usque, quò judicarentur subjici gladio Saracenorum. Sanctus evigilans Sacerdos visionem manifestat exercitui. Orationibus igitur & jejuniis simul instant, spem suæ salutis in purâ confessione ponentes. Interea multitudo vulgi fame ac inopiâ profligati, substrahentes exercitui se se, cum Saracenis disponunt confligere, malentes gladio quàm fame perire. Pietas itaque divina semper consulens animarum saluti, permisit eos inpræsentiarum interimi, quibus providit dari gloriam æternæ requiei.

Hac lacrymabili cæde peractâ vulgi, militiâ ignorante regali; denuò beatus Præsul ODELRICUS in visum rapitur, & rursum (sicut primitùs) cernit in throno Redemptorem nostrum & judicem, cui gloriosa ipsius Genitrix MARIA cum omnium Cœlestium ordine supplicabat, ne confitentium sibi offensas pateretur plecti triumpho gentili. Statera secundò statuitur, & æqualitas utrorumque, fidelium ac infidelium consideratur. Pœnitentia fidelium procedens ex gemitu mentis, præponderat naturalis justitiæ legis. Ecce adest & Martyr LAURENTIUS, cujus imminebat dies festivus. Hic repræsentans cru-

p *tribus annis*] Addunt *mensibus quinque, diebus quinque.* In hoc Prætorie desinit Paulus Diaconus.

q *octavo Kal.*] Alii, *VII.* aut *IV.* aut *V. Kal. Novembris.*

r *Novembris*] aut *Decembris.*

s *fratre*] Imo *fratruele*, hoc est, fratris filio: quod Acherius notavit

t *II. Kal. Octobris*] Aliàs, *pridie Kal. Septembris.*

u *III. Nonas*] Aliis *IV. Idus Aprilis anni* 883.

x *annis XXXIV.*] aut *XXXIII.*

y *annis XXX.*] Alii volunt *XXXV.*

z *devectis*] Illius translationis historia tomo 3. Spicilegii edetur.

a *Lotharingiorum*] Addere debuit, *& Ottone II.* nam ejus ætate obiit anno 984. ut narrat Sigibertus.

delitatem tormentorum in se consummatorum, & compassionem sui fidelium populorum, victoriam impetrat cum cœlesti cœtu populo fideli. Sacerdos itaque festivus mittit nuntium Imperatori, hostique ut congrediatur imperat. Factâ congressione sub invocatione Christi & ejus Martyris Laurentii, hostes terga vertunt, fidelitas confortatur, impietas enervatur. Et ex illâ tempestate festum S. Laurentii celebrius habetur.

XLVII. Episc. Adelbero II. frater Deoderici Ducis Mosellanorú. Successit & huic consanguineus ejus ADELBERO Metensium Præsul XLVII. de quo multa leguntur honestè descripta. Hic renovavit Cœnobium S. Martyris Symphoriani præcipuè, tum & alia à suis prædecessoribus inchoata tantùm Monasteria ipse ad summum deduxit. Ejus gesta qui vult dignoscere, dignetur quæ de eo scripta sunt legere. Sedit annis XXVIII. Obiit XVIII. Kal. Januarii: sepultus est in Ecclesiâ S. Symphoriani, ubi & Sancti Æpletius, Pappolus, Goëricus, Godo, Aptatus & Felix Pontifices meritis insignes quiescun.

XLVIII. Episcopus Theodericus II. vel Deodericus. b. Quadragesimus octavus post hunc ascendit ad Episcopatum THEODIRICUS secundus; qui Monasterium urbis principale S. Stephano Proto-martyri construxit, adepto ipsius brachio à Bisonticâ b civitate. Inter ipsum autem & Henricum Imperatorem dissentione non modicâ ortâ, prædia multa Ecclesiastica pro auxilio distribuit per decennium, sicut refert successio modernorum. Rexit cum potentiâ Cathedram annis XXX. Obiit secundo Kal. Maii: sepultus in Ecclesiâ S. Stephani. Et hujus tempore GUARINUS Abbas sancto construxit Basilicam Arnulfo, quam sanctus Leo nonus dedicavit, privilegioque suo sublimavit. *An. 1047. Sigib.*

XLIX. Episc. Adelbero III. fratruelis Deoderici II. Huic sanctitate ac religione venerabilis ADELBERO XLIX. successit, pacis amator & Cœnobiorum reparator. Hujus sub temporibus Ecclesiæ præfuerunt Romanæ sanctus Leo nonus, primo Leucorum Episcopus, Stephanus qui & Fridericus filius Gothelonis Ducis, &, Alexander cui Hildebrandus, qui septimus dicitur Gregorius. Hic Adelbero prædiis suis Ecclesiam S. Salvatoris infrà urbem ampliavit, in quâ quiescit. Obiit Idus Novembris, regnante Henrico secundo post Conradum.

L. Episcop. Herimannus. Hinc ab Ecclesiâ Leodiensi adscitus domnus HERIMANNUS, ordinatus est Metensium Præsul quinquagesimus. Hoc tempore maximum schisma exortum est inter regnum & sacerdotium. Imponebatur itaque Rex super Regem, Papa super Papam; & hoc diutiùs perseveravit, ex quo disciplina discubuit à suâ vivacitate.

Hic Herimannus Præsul admonitus visione, santum levavit ab humo Clementem, primum Doctorem Metensium, & tertio die obiit: qui beatus Clemens ad matrem delatus Ecclesiam, maximis lætificavit populos miraculis triduum. Defuncto Episcopo nihil signorum ostendit per biduum. Unde admirati cives, redduntur tristes; sed mox redditur lætitia, & aperitur causa. Revelatum est cuidam namque Religioso nomine LUBRICO, fundatori Ecclesiæ S. Petri de Monte Brianci, quòd intra dilationem illam signorum, Beatus Clemens ante tribunal Christi pro animâ prædicti Præsulis cum diabolo acerrimè decertavit. Objiciebatur enim ei ab inimico, quòd metu mortis inconstanter egisset inter dissentionem Regni & Sacerdotii, malens fugâ persequutiones & suæ pervasiones Ecclesiæ, violato sacramento (quod egitur more imperiali) prævenire. At beatus Clemens Pastor, sui suscipiens causam vicarii, pro singulis judici pussimo preces fundebat genu flexo. Quid plura? Divina sui flexa Sacerdotis supplicatione censura veniam indulsit, & maledicto silentium accusatori imperavit. Quamvis vero divinæ nulla sit mora efficaciæ, tamen quia Trinitatis essentia in humanitatis Christi personâ judicat omnia, ex dispositionis ordine dicuntur fieri moræ.

Hic Herimannus Episcopus ex Ecclesiâ Leodiensi assumptus, in Ecclesiâ S. Petri Metis est sepultus, præsidente universali Ecclesiæ Gregorio VII. vacillante Imperio. Obiit IV. Nonas Maii. Et cessavit Episcopatus multis annis.

Cum itaque mare seculi velut Africo & Aquilone fluctuaret, Catholici Metenses terrorem postponentes imperialem, ex Ecclesiâ Treverensi domnum POPPONEM personam nobilem Catholicis consentientem elegerunt Pontificem, celebratâ consecratione ipsius à Legato Apostolicæ Sedis. Potestas Imperialis alium (scilicet Adalberonem) subinducere nitens; Metenses fide firmâ restiterunt. Et sicut pridem duos BRUNONEM ac GUALONEM expulerunt, sic & tertium Adelberonem non sine multo labore ac periculo suarum rerum excommunicatum deposuerunt. Huic certamini velut signifer imperterritus & in omni conflictu intrepidus domnus ADELBERO, post Treverensium Archiepiscopus gloriosus de gradu in gradum promotus, ab ipsa (ut ita dicam) pueritiâ pro fide Catholicâ in castris Ecclesiæ militavit, donec ex schismate trophæum pacis invexit Ecclesiæ. LI. Episcop. Poppo.

Defuncto autem Domno Poppone, qui provisor pius exstitit Clericis pro tempore, magnificum & nobilem virum, ex Viennensi Archiepiscopatu assumtum, Dominum STEPHANUM, Apostolicâ consecratum benedictione in urbe Romanâ pallíique dignitate honoratum suæ vitæ curriculo, (Ecclesiæ Treverensis salvo privilegio) in Episcopum suscipiunt. Qui quoniam adhuc vita floret & ætate viget, tentatio noceat elationis orta ex peste adultionis, & preces fundantur Deo pro continuo ipsius studio.

CHRONICI METENSIS
APPENDIX PRIOR,
Ab anno MCXX. ad MCC. circiter.

DOmno POPONI, tam Burgundiorum quàm Lotharingorum excellenti genere clarus, sed virtute & animi nobilitate clarior domnus STEPHANUS anno Domini MCXX. videlicet anno CALLISTI Papæ secundi successit. Hic CALLISTI ex sorore nepos, cum Regaliam nundum ad Henrico V. qui tunc temporis arcem tenebat Imperii, recepisset, schismate inter Regnum & Sacerdotium adhuc durante, in urbe Romanâ ab eodem Pontifice Summo consecratus est, & tam pallii dignitate quàm Cardinalis titulo honoratus. Hic à civitate Metensi biennio & eo amplius (quia præmemorati Principis gratiam necdum habebat) excelsus, primos Ordines in loco qui Sancti Quintini-Mons dicitur, celebravit: & omnes curtes Episcopatûs à tyrannis, solo Rumuliaco excepto, occupatas, fratris sui Comitis Barrensis aliorumque cognatorum & amicorum suorum fretus celeritate mirâ recuperavit. LII. Episcop. Stephanus.

Idem in ipsâ promotionis suæ recentiâ castrum Terli, quod viatoribus per illas transeuntibus partes valde erat perniciosum, castrumque Ducis apud Vicum, & munitionem inter Vicum & Marsellam in loco palustri sitam, simulque castrum Comitis

b *Byzonticâ*] *Byzantio*. Vide Sigibertum ad an. 1004. & 1009.

de Hœmborc, quod Marsello adhærens, toti villæ onerosum damnosumque diù exstiterat, in manu validâ destruxit & complanavit.

Processu temporis gratiâ imperiali sibi conciliatâ, de virtute in virtutem sine intermissione conscendens, castrum quod Ramberti-villare dicitur firmavit; castrumque nobile Lucerborc, quod ad ipsum jure hereditario descenderat, beato contulit Stephano: & castrum Hoëmborc jure ab ipso feodali descendens, post decessum Comitis HUGONIS à Duce Lotharingiæ occupatum, Domini FRIDERICI patris auxilio sibi & posteris suis acquisivit, liberè omni ævo tenendum. Acquisivit etiam sibi & suæ perpetuò Ecclesiæ castrum Viviers, & partem Ducis de Lemburc in castro Rucey cum universis appendiciis. Castrum quoque Mirabel, & Falconismontem. Rebelliones Danubrii & Asperimontis, firmatis ante ipsa castra munitionibus, viriliter perdomuit. Apud Spinal turrim quæ Moronis dicitur, à Duce occupatam virtute recepit potenti; & multo pòst tempore castrum superius propter insolentiam & immoderatos excessus Advocati, juvante ipsum Duce Matthæo, obsidione clausit & cepit. Et tunc Dux recompensationem servitii hujus, jure feodi ab eo Advocatiam recepit Spinalensem. Et ipse Dux versâ vice alodium, quod apud Vicum habebat, B. Stephano Metensi contulit liberè & quietè & omni ævo tenendum.

Idem Pontifex venerandus castrum quod Petra pertusata dicitur cum anno integro & eo ampliùs, tribus munitionibus (quarum usque hodie vestigia apparent) in circuitu firmatis, obsidione clausisset, tandem compulit ad deditionem. Cum per castrum Deulewart graves ei injuriæ illatæ sæpiùs fuissent, tamdem expugnavit illud, & in favillam cineremque redegit: nihilominùs etiam turrim apud Thiecurt firmatam; & castrum in loco qui Walteri-Mons dicitur situm, quæ Episcopatum graviter infestabant, diruit ac subvertit. Nec inter eximia gesta ejus reticendum, quòd ipse tempore quodam Duce ei werram inferente, castrum ipsius Prigney magnanimiter obsedit, illudque muris jam perforatis indubitanter cepisset, nisi victoriam jam paratam jamque imminentem impedisset frater suus Comes Barensis. Cujus gesta inclita & annalibus digna enumerare, & literis explicare si vellem, antè quidem membrana deficeret quàm materia.

Cum annis XLIII. sub Apostolicis Callisto, Honorio, Innocentio, Cælestino, Lucio, Eugenio, Anastasio, Hadriano, sub Principibus Romanis, Henrico V. Lothario, Conrado, Friderico, sedisset, IV. Kalendas Januarii annis & meritis plenus, & in schismate Alexandri & Victoris, quod inchoatum jam fuerat, Catholicus migravit ad Dominum, & juxtà chori introïtum in dexterâ ipsius parte meruit sepeliri.

LIII. Episcop. Thedericus. Huic an. D. MCLXIV. successit dominus THEDERICUS fratris sui Comitis Barrensis filius, verè ei tam moribus quàm sanguine propinquus. Illi sollicitudo summa & cura specialis hæc fuit, ut sub ipso metu justitiæ tam prædonum quàm latronum coërceretur audacia, tutaque esset inter improbos innocentia, & ubi malitia dominari consueverat, refrænaretur malignandi facultas. Hic paci & tranquillitati Ecclesiarum, omniumque sibi creditorum commoditatibus eâ providit diligentiâ, ut eum Miles, Clerus & populus vererentur ut dominum, & ut patrem diligerent. Hic malis nocumentis quæ per castrum Habundanges, si alius quis homo potens adeptus illud fuisset, Episcopatui quotidie possent inferri, providè & solerter occurrens, sibi ac suis ipsum acquisivit successoribus, domumque ibi ædificavit egregiam.

Acquisivit nihilominus sibi & posteris suis Wermnesperc, & Radonis-villam. Castrum Conflans de firmo reddidit firmius, ipsumque palatio nobili decoravit. Idem Cardinalibus Octaviani hæresiarchæ civitatem Metensem cum nuntio Imperatoris satis pomposo ingressi, & Clerum universum ad sacramentum obedientiæ idolo suo præstandum cogere volentibus, viriliter in facie restitit, ipsoque, infecto prorsus propter quod venerant negotio, cum pudore & confusione omnimodâ fecit recedere. Ex quo ejus facto quamplures Imperii civitates æmulandæ virtutis, eosque similiter comtemnendi & exemplum sumserunt & audaciam.

Sedit annis IX. & VII. mensibus, sub Pontifice Summo Alexandro III. imperante Friderico. Et propter pericula quæ ex schismate adhuc imminebant, ad Sacerdotii gradum & consecrationem Pontificalem conscendere veritus, Electus tantùm & Levita tertio Idus Augusti inter tot illius magni schismatis turbines & procellas scuto armatus fidei, Catholicus decessit. Cujus sarcophagum à domni Stephani prædecessoris sui & patrui sepulturâ chori tantùm dividit introitus, ut quos amor & sanguis in vitâ conjunxerat, modica & in morte separet locorum distantia.

LIV. Episcop. Fridericus. Hic communi Clericorum electione, & tam militum quàm civium applausu successorem habuit nobilem virum, & perpetuâ dignum memoriâ domnum FRIDERICUM de Plujosâ. Hic B. Stephano Anerey acquisivit: cui tam ætate decrepitâ quàm incurabili ægritudine laboranti, sed nunquam virilem animum, nunquam liberalitatem, nunquam curialitatem cui à cunabulis deservierat, deponenti optimè divina in hoc providit miseratio, quòd ipse suas & Ecclesiarum sibi commissarum petestates ita conservavit indemnes, ut nullam sub regimine ejus diminutionem, nullumque prorsùs detrimentum sentirent. Hic cum sub præmemorato Pontifice Summo Alexandro, Friderico imperante, Electus tantùm & Levita propter præfata schismatis pericula duobus annis & totidem mensibus sedisset, V. Kalen. Octobris Catholicus migravit ad Dominum: sepultus est autem in Oratorio quod S. Galli dicitur, ante altare (sicut ipse in extremis agens expetierat) beati Joannis Evangelistæ.

LV. Episcop. Theodericus. Successit huic filius Ducis Lotharingiæ THEODERICUS. LV. Cujus pater Dux Matthæus statim post filii inthronizationem castrum suum SURKES, quod jure allodii tenebat, B. Stephano Metensi, factâ solemniter super altare donatione contulit, & Spinalensem Advocatiam, quam ei dominus Stephanus contulerat, in ejusdem filii manum deposuit & penitus werpivit. Hic turrim in medio castri Lucemburc sitam, quam tunc temporis Comes de Salverna tenebat, sibi suisque successoribus, ipso Comite capto, recuperavit. Sedit annis VI. & paulo ampliùs sub Papa Alexandro; Friderico imperante avunculo suo: qui & alia armis digna gessisset, nisi ejusdem Alexandri III. manum sensisset validam, suâ ob hoc electione cassatâ ab illo, quia infrà Ordines fuerat celebrata.

LVI. Episcop. Bertrannus. 1180. Hic, cum Episcopatus per annum ferè post ipsum vacasset, anno Domini MCLXXX. successorem habuit dominum BERTRANNUM de Saxoniæ partibus oriundum, clarum quidem genere, & vitæ ac morum honestate omnimodis commendabilem, & tam divinæ quàm humanæ legis egregiè peritum. Senserat & ipse cum Bremensis esset Electus Alexandri III. severitatem, ejus quoque electione sub causæ hujus prætextu cassatâ ab illo, quia fuerat infrà Ordines celebrata. Quod magis in odium Friderici Imperato-

ris, cui ipse carus admodum & familiaris erat, quàm amore justitiæ factum publicè fama prædicabat. Sed felix ruina, quæ reparatur in melius. Cecidit ibi, ut fortior resurgeret. Divina nimirum huc eum transferri voluit ordinatio, ut hîc proficeret ampliùs, & fructum faceret uberiorem.

Ejus itaque apud nos rudimenta & opera prima hæc fuerunt. Vineas suas ferè omnes creditoribus à suo prædecessore expositas, citiùs quidem & faciliùs quàm credi aut sperari posset, ad manum & mensam suam revocavit, & curtim Archansiacum pro DCC. libris ab eodem prædecessore suo Comiti de Dasburc oppigneratam, per justitiam Imperialem & Principum sententiam prudenter ac viriliter recuperavit. Consequenter apud Vicum nobilem ædificavit domum, & castrum Bascurt sibi & posteris suis acquisivit. Nec est silentio prætereundum, quòd ipse processu temporis castrum quoddam à Waltranno homine Comitis de Bascurt non procul à Saleburc firmatum, Episcopatui in partibus illis valde nocivum, in manu potenti & validâ destruxit.

His ita se habentibus, & ipso quæ pacis, quæ religionis, & quæ justitiæ sunt, studiosâ tractante diligentiâ, ecce tamquam in fornace probari eum Dominus volens, & inter sæculi hujus turbines & procellas virtutem clarescere, insperatâ ipsum persequutione ad tempus flagellari permisit. Cum enim dominum Folmarum Trevirensem Electum, à summo Pontifice Urbano III. contrà voluntatem Friderici Imperatoris consecratum, de ipsius Summi Præsulis mandato, cui nec debuit nec ausus fuit contraire, recepisset; & quæ Cæsaris Cæsari, & quæ Dei sunt Deo reddere cupiens, debitam exhibuisset reverentiam; ad iram & indignationem Princeps incitatus, bona ejus universa confiscari fecit, totumque Episcopatum Metensem per ministeriales suos in facti hujus vindictam saisiri, quasi enorme & detestandum esset piaculum Summo obedire Pontifici, & plùs Deum vereri quàm hominem. His ille auditis, personæ suæ saluti præsidio fugæ ut alter Athanasius consulens, migravit Coloniam, & in Ecclesiâ S. Gereonis, ubi priùs Canonicus exstiterat, spei suæ anchoram figens, ibi asylum, ibi pro exilio patriam invenit. Ubi non solùm à Fratribus & Concanonicis suis, verùm etiam ab universo Coloniensi Clero, & præcipuè à Metropolitano illustri Philippo tanta personæ & meritis ejus veneratio præstita, tantæ dejectioni ejus exhibitæ compassiones, totque necessitatibus suis à liberalitate eorum collata subsidia, ut eum ferè patriæ & reditûs in exilio facerent oblivisci. Cui cum exacto biennio gratiæ Imperialis serenitas opitulatione divinâ, multisque tam Principum quàm aliorum supplicationibus reddita fuisset, rediit tandem ad Ecclesiam suam diù desideratus Job noster: sed minimè ad duplicia restitutus. Qui enim vinum in Cellariis, frumentum in horreis, aliaque abundanter bona discedens reliquerat, ita in reditu suo evacuata omnia & penitùs exhausta invenit, ut rursùs eum redivivis vacare curis & laboribus oporteret, & ad omnium quæ humanis necessaria sunt usibus acquisitionem quasi de novo accingi. Cujus annis & meritis felix divina miseratio incrementum præstare dignetur, nec desit qui loco & in tempore sequentia ejus gesta tradat annalibus, & ad cognitionem transire faciat posterorum.



APPENDIX POSTERIOR,

Ad annum MCCLX. deducta.

POST Dominum Bertrannum felicis memoriæ, sublimatus est in Episcopum Metensem Dominus CONRADUS, vir quidem strenuus ex Teutonicorum progenie ortum ducens, clarus sanguine, sed nobilior moribus & virtute, & inter Principes imperii venustate personali & corporis elegantiâ decoratus. Hic etiam Spirensis Episcopus, & Imperialis aulæ Cancellarius, negotia imperii tamquam prudens & fidelis dispensator, discretione animi fidelitatem ipsius comitante adeo procuravit, quòd in talento sibi credito pigrè non dormiens sed sollicitè vigilans, Domino suo plenam de eo potuit reddere rationem, in requiem Domini sui cum gaudio ingressurus. LVII. Episc. Conradus.

Ipse equidem decorem domûs Domini, & locum habitationis ejus diligens, Metensem Ecclesiam exquisitis ornamentis decoravit: in villâ de Vico, quòd tunc firmata munimine aliquo minimè claudebatur, castrum nobile murorum & turrium altitudine firmavit. Et licet ad negotia Imperii sibi commissa pro maximâ parte temporis traheretur, nec posset in Metensi Diœcesi, nisi rarò & modicè suam præsentiam exhibere, tamen in ejus absentiâ famâ probitatis, providentiæ & virtutis ejus militante, terram Episcopatûs Metensis contrà fortes & potentes viriliter protexit & defendit tamquam præsens, & rebellium violentiam cùm armis tùm prudentiâ sagaciter refrænavit. Anno igitur Pontificatûs sui XII. vitam feliciter finivit, & in Choro Spirensis Ecclesiæ sepelitur.

Huic successit frater Domini Asperimontis Dominus JOANNES, quem clari sanguinis generositas decorabat exteriùs, & morum gravitas interiùs illustrabat. Qui cum esset in flore juventutis suæ constitutus citrà annos, qui in electionibus Episcoporum requiruntur, immaculatâ ejus vitâ defectum ætatis in eo pleniùs supplente, Cleri concordiâ & lætitiâ populi pariter accedente, assumptus est in Episcopum Virdunensem. Ubi de die in diem de bono in bonum proficiens, sic continuavit & auxit suæ famam bonitatis, quòd ex merito suæ bonitatis atque actionis in Metensem Episcopum unanimiter est translatus. O virum ineffabilem! qui loricâ justitiæ indutus, clypeo continentiæ munitus, galeâ patientiæ protectus, & armis virtutum circumdatus, vultus sui gratiâ pascebat se videntes, mellitâ verborum suorum modestiâ recreabat audientes, humilibus aderat simplicitate columbinâ, majoribus serpentinâ astutiâ assistebat, & tyrannis feritate leoninâ resistebat. Cum autem in negotiis Metensis Ecclesiæ assiduè vigilaret, illustris Comes de Dauborc viam universæ carnis est ingressus. Cujus filia, quæ heres unica in hereditate paterna successerat, ab ipso Episcopo instanter postulavit, ut feodum sibi redderet, quod pater suus de Metensi Episcopo tenuerat, quod Episcopus ipsi reddidit non sine multorum nobilium supplicatione & rogatu, eâ tamen conditione adjectâ, quòd si ipsam sine herede proprii corporis mori contingeret, feodum ipsum ad Metensem Ecclesiam pleno jure rediret: conditione eâdem sigillis authenticis communitâ, & fide testium pariter roborata. Sed cum eadem Comitissa sine herede proprii corporis occulto quodam Dei judicio decessisset, Dominus Walterus Dux de Lemborc, Comes Lucelburgensis, & multi alii no- LVIII. Episc. Joannes.

biles & potentiores de Imperio, consanguinei ejus & fautores, castra quæ erant de feodo prædicto cum eorum pertinentiis nequiter saisierunt, ea suæ ditioni usurpare & retinere in perpetuum contrà debitum conditionis prædictæ molientes. Quibus Episcopus, qui virilem & fortem gerebat animum, qui nec extollebatur in prosperis, nec deprimebatur in adversis prudentiâ suam concomitante potentiam potenter resistens & patenter, in longo guerrarum discrimine, in armorum strepitu, labyrintho expensarum tamdiù indefesse insudavit, quòd divina providentia quæ in sui dispositione non fallitur, rei exitum prosperavit. Nam idem Episcopus Comitatum Metensem, & quatuor castra nobilia, Saraborc videlicet, Albam, Truquestein, & Arestein, quæ erant de feodo prædicto, cum suis appendiciis acquisivit, & Metensi Ecclesiæ perpetuò contulit possidenda. In quorum acquisitione (ut de castrorum fortitudine & amœnitate locorum taceatur) proventus Episcopatûs sui duplicavit: & insuper Advocatiam de Marsal, in quâ multo plus habet Advocatus quàm dominus, pro quibusdam vineis quæ erant modici valoris in respectu permutavit; in quo etiam conditionem Ecclesiæ suæ fecit admodùm meliorem.

Cum verò hæc sibi prosperè successissent, & jam locus esset tranquillitatis & pacis, inimicus homo seminavit zizaniam, ac inter ipsum & cives suos Metenses pestem discordiæ suscitavit. Cives quidem prædicti, de quorum adipe processit iniquitas, elevati superbiâ villam Episcopi, quæ Chates dicitur, ante Metim combusserunt, Clericum unum excæcaverunt, & multas alias irrogarunt injurias quas longum esset literarum memoriæ commendare. Quod cum Episcopus dissimulare non posset, competenti monitione præmissâ, cives excommunicavit, & manum in eos aggravando, civitatem Ecclesiastico supposuit interdicto; & demùm civitatem exiens, in monte castri dicti *Saint Germain*, quod ante Metim firmaverat, se recepit; sed & post ipsum laudabilis & robusta de Porta-salis parentela expulsa fuit à civitate, propter civile odium quod latebat inter cives, & maximè quia ipsa parentela ipsi Episcopo in jure suo fideliter aderat, & ei laudabiliter adhærebat; ita quòd in civitate nec unus quidem de parentelâ illâ & sibi adhærentibus remansit, sed omnes inde exierunt & se in dicto castro receperunt, domibus eorum funditùs dirutis, & bonis omnibus suis quæ in civitate reliquerant, confiscatis.

Cum verò idem Episcopus dictorum civium malitiam per spiritualem gladium refrenare non posset, invocavit auxilium brachii sæcularis, Ducem videlicet Lotharingiæ & Comitem Barrensem fideles suos quos jure fidelitatis, quâ sibi tenebantur, in auxilium suum contrà cives Metenses confœderationis vinculo, & interpositione juramenti, qui funiculus difficilè rumpitur, colligavit. Sed quoniam nusquam tuta fides, fratrum quoque gratia rara est, dicti Nobiles corrupti etiam pecuniâ, quæ ipsos videntes sæpiùs excæcat, non solùm Episcopum quem fovere debebant, non sine notâ proditionis reliquerunt, verùm etiam eidem se opponere præsumserunt, & durante inter eos per triennium guerrarum discrimine, dicti nobiles & commune Metense cum eis parentelam prædictam in castro prædicto ex improviso obsederunt. Quo audito Episcopus constante constantior, fide firmus cum Abraham, sapientiâ Salomonis non intectus, patientiæ Job non expers, spe Symeonis suffultus, quem quidam de fidelibus suis Clericis & Laïcis reliquerant: cum idem Episcopus fratrem suum secum non haberet, qui in Franciam se transtulerat, ut cum armatorum potentiâ rediturus fratri suo subveniret, & Episcopus Virdunensis, consanguineus suus, qui sibi libenter in manu potenti affuisset, ad ipsum pervenire non posset; cum fortunâ in tantum sibi novercante potuisset alius in eclypsim desperationis incidisse, ita ut de resurrectione ipsius nulla spes haberetur, vir idem resumens vires animi, in Teutoniam ad gentes extraneas se convertit, ubi illustrium virorum de Eurestein & de Daborc Comitum, & aliorum multorum nobilium, qui in habendâ militiâ potentes erant, auxilium imploravit. Qui sibi cum prece tum pretio unanimiter adhærentes, collecto magno exercitu ipsum sunt sequuti, & in tantum processerunt, quòd se super Mosellæ fluvium receperunt.

Quibusdam igitur de suis laudantibus ut illâ nocte fluvium non transirent, nec permitteret Episcopus longo itinere fatigatos laborare ulteriùs transeundo illâ nocte, sed procrastinaret transitum, & daret requiem hominibus & jumentis: idem qui plus suo quàm aliorum sensu & ingenio regebatur, plus sibimetipsi credens quàm aliis (licet adversarii sui pro certo tenerent quòd Mosellam de cætero non transiret) Mosellæ fluvium, qui tunc plenis erat alveis, cum exercitu copioso in admirationem multorum transvadavit, ita quòd nec unus quidem remansit qui fluvium non transiret. Mira res! si enim illâ nocte non transissent, sic excrevit fluvius nocte ipsâ, quòd in mane nullo modo transire potuissent. Et sic illi, qui in castro obsessi erant, quorum sanguinem concives sui sæviter sitiebant, cum plusquàm per octo dies succursum exspectare non possent, & mortis periculo subderentur: sed Salvator, qui omnes homines vult salvos fieri, & neminem vult perire, dedit Episcopo voluntatem transeundi, & transiit, terrasque dictorum Nobilium ingressus, ponens in Domino anchoram suæ spei, elegit potiùs se & suos committere Martis discrimini, quàm jus Ecclesiæ suæ relinquere indefensum, & amicos suos obsessos mortis periculo subjacere.

Et cum in medio terrarum Ducis & Comitis, quibus etiam commune civium Metensium aderat, paratus esset confligere cum eisdem; & cum jam starent hinc inde castrorum acies terribiliter ordinatæ, processit in medio Venerabilis Episcopus Tullensis, genu flexo supplicans & orans, & suadens Metensi Episcopo, ut reciperet verba pacis. Idem igitur Episcopus illi parentelæ compatiens, tamquam fidelitatis illorum, quam erga Dominos suos studio devotionis ab antiquo exercuerant nec immemor nec ingratus, pietate ipsorum ductus, ut eos posset sine periculo corporum & rerum liberare, quibus redemptio seu liberatio aliàs quàm ipso mediante non patebat, & quia dubii sunt eventus bellorum, elegit in eorum liberationem certitudinem compositionis & pacis. Et sic ipse; quem suorum movebat pietas, & adversarii sui in quos timor tremorque repente irruerant, pestem guerræ gravissimæ pace lætâ & laudabili concordiâ, mediante Tullensi Episcopo, profusis multorum lacrymis, confuso humani generis inimico, terminarunt: idemque Episcopus, & fidelis, robusta & constans de Porta-salis parentela cum gaudio ad propria redierunt.

Quinto decimo autem Episcopatûs sui anno, præsidente domino Innocentio Papa quarto, ac domino Friderico filio domini Henrici Imperatoris regnante, vitam feliciter consummavit. Et sepultus est in choro majoris Ecclesiæ Metensis.

Hujus enim fuerat quod habent hoc tempore rarò,
Mitis vita, manus munda, pudica caro.

Post hunc in vineâ Domini Metensis Ecclesiæ concorditer enituit fecunda plantatio, propagatus indigena, LIX. Episc. Jacobus.

ind gena, Reverendus Pater JACOBUS Metensis Episcopus de Regali prosapiâ, frater nobilis viri quondam MAHEU Ducis Lotharingiæ, ex patre FERRICO quondam Duce Lotheringiæ de sorore Comitis Barrensis procreatus. Qui Episcopus de nobili progenie, præclarior virtutibus & moribus præfulgebat: in quo quidquid virtutes desiderant confluebat, videlicet pacis amicitia, pudicitiæ cupiditas, in potentiâ strenuitas, in strenuitate claritas, benignitas, sapientiâ, prudentiâque temperata, ac in eodem justitia, forma boni livore carens, elementa conjunxit, virtusque inserta resplenduit, pacis robore discordias suffocando, imperturbatus perstiterat inter prospera & adversa, morum ornamentis undique circumseptus.

Cujus decorem virtutum sol & luna mirabantur: cui regnanti concordia patriæ totius applaudebat, quam in præsenti ipso semoto plaga pestilentiæ non reliquit, cum non sit qui sanet vulnera patriæ conturbatæ, aut qui jacenti concussoque dextram porrigat miserantis. Metensis diœcesis, quæ sub ejus umbra fuerat patriæ robur fortitudinis, facta est per ejus eclipsim viribus imbecillis, ac procellis intumescentibus non modicè conquassatur, grexque Dominicus jam ferè apparet pastorali regimine destitutus: qui suo tempore flectens habenas circumadjacentium rerum, cuncta sub juris regulâ limitabat, & conatus cupiditatis infringens, ejus morsus illicitos refrænabat, dum ædificia quæque suæ diœcesis diruta vetustate, sumptu mirabili visus est undique reparare, villas, castra & castella debilia roborando, novaque construendo: eamdemque diœcesim quamplurimis acquisitis de novo possessionibus decorando. Nam in oppido Saleborc, quod tempore prædecessoris sui ardenti desiderio fuerat inchoatum, munitionibus insignibus, turribus & fossatis, & murorum propugnaculis fortissimis consummavit, & de Alba, de Herrestein, & de Druchetein turres & muros in melius reparavit, novas cisternas profundando: villas quoque de Vico & de Marsello adeò firmavit, quòd ab hostilibus insultibus non valeant expugnari: ac circà villam de Rambervilleir, quæ sepibus erat circumdata, clausurâ murorum fortissimorum, & viginti quatuor altarum turrium decore circumfulsit, castrumque Spinalense & oppidum magnis firmitatibus reparavit; & castrum de Conflans, quod ferè corruerat vetustate consumptum, munitionibus turrium & murorum decoravit, fossatisque profundis præmunivit.

Insuper juxtà veterem Homborc, speculam totius mundi castrum de novo construxit in cacumine cujusdam montis deserti, quod Homborc adhuc nominatur, opere nimiùm sumptuoso & inæstimabilibus expensis, ad totius Episcopatûs tuitionem, ubi militum, civium, incolarum, & Episcopi castra præfulgent ab invicem separata, murorum altitudine & turrium fortitudine, ac ædificiorum decore insignita; ubi de redditibus mensæ Episcopalis sæculares Canonicos instituit cum sufficientibus reditibus ad cultum divini numinis deputatos: ipsumque stagnorum & molendinorum ædificatione adornavit. Item in Abbatiis Belli-prati & Sallivallis aliisque locis erexit innumerabilia ædificia operibus sumptuosis. Insuper acquisivit feodum de Albo-monte reddibile cum suis appendiciis omnibus ab Episcopo Metensi perpetuò possidendis.

Præterea cum Ecclesia direxisset aciem contra Dominum CONRALDUM filium FRIDERICI Imperatoris, post sententiam depositionis latam in eumdem, idem Dominus Jacobus cum manu potenti & brachio excelso veniens in adjutorium Ecclesiæ; per virtutis suæ ac militiæ fortitudinem & industriam dictum Conradum mirificè fugavit & devicit, impensis innumerabilibus non parcendo. Item feodum de Maurimont cum appendiciis suis reddibile; & de Ruckesvignes reddibile cum appendiciis suis; & feodum de Habondanges cum appendiciis suis, Episcopatui reddibile ab illustri viro TH. Comite dicto Soiberto, in perpetuum acquisivit. Item ab illustri viro Domino Henrico de Salmis feodum de Pierepersie cum appendiciis suis, & reddibile cum homagiis acquisivit. Item à Domino TH. de Creincort acquisivit domos cum appendiciis suis. Et à Domino Werico dicto le Vogien partem suæ advocatiæ de Valle de Faus. Item à Domino Petro filio Domini Petri quondam Militis de Novo-castro, advocatiam de castris ante Metim. Item acquisivit ab Advocato Advocatiam Metensem. Item cum discordia inter ipsum & F. Ducem Lotharingiæ nepotem suum [orta esset], super eo quod ipse petebat ab ipso Duce partem suæ hereditatis, ex parte patris & matris sibi provenientem: tandem per pacem obtinuit, retinuit & habuit quidquid idem Dux habebat apud Marsellum, & apud Vicum, & apud Remereville, & apud Corbesal, & apud Sellacort, & apud Rembervilleir, & apud Sorneville, & apud Villeinnes, & apud Bissoncort, sicut in literis super hoc confectis pleniùs continetur: quæ omnia per prædictam pacem acquisita, idem Episcopus contulit Episcopatui Metensi, sicut pleniùs in literis suis continetur. Qui tam in temporalibus quàm in spiritualibus viginti duorum annorum curriculis circumspectè gubernans Diœcesim, post hæc feliciter triumphans in Domino, cum Patribus obdormivit.

Actum anno millesimo ducentesimo sexagesimo, mense Septembri Alexandro Papa IV. in summo Pontificatu præsidente. 1260.

MONITUM.

B*ERTHARII PRESBYTERI brevem historiam Episcoporum Virdunensium, sicut & aliorum Auctorum subsequentium de iisdem Episcopis, debeo amicitiæ ac diligentiæ doctissimi Monachi Benedictini è Congregatione S. Vitoni, D. Bartholomæi Senocq, qui tum Fratribus suis Theologiam prælegebat, nunc (anno 1675.) Prior est in S. Agerici Monasterio Virdunensi, qui cum plures codd. MSS. Abbatiæ S. Vitoni evolvisset, ea quæ ad Præsules Virdunenses attinent, aut descripsit, aut describi curavit & ad me transmisit. Vivebat Bertharius, an. circiter 887. Ante enim quàm de Attone Antistite ageret, hæc præmisit:* Deinceps quod oculis vidi, liberiùs valeo litteris exsequi. *Et in Berhardo:* Canonicos suos canonice vivere fecit, &c. pueros (inter quos ego Bertharius unus fui) in humanis & divinis libris per se &

per alios cum summâ charitate instruxit. *Bertharii meminit cum laude Laurentius de Leodio in epist. ad Alberonem his verbis* : Laudanda est Berthari pia industria, qui de ipsis cineribus & ruinis incensæ urbis & Ecclesiæ omnia prout potuit, prædecessorum saltem Præsulum, vel nuda nomina eruit, vel quædam gestorum nobis scintillavit. Nam ipsam tantillam de nostris Præsulibus notitiam ab ipso accepimus. *Hugo ex Monacho S. Vitoni Abbas Flaviniacensis quanti Bertharium fecerit, in chronico Virdunensi* (*quod in lucem protulit Philipp. Labbe in novæ Bibliothecæ tom.* 1. *p.* 113.) *significat:* Attestatur, *inquit*, huic nostræ adstipulationi domini Berthari memorialis antiquitas, qui sanctorum Episcoporum acta replicans, Basilicæ quoque hujus meminit in hæc verba : Basilica inquiens in qua, &c. (*quæ infra leguntur in Laurentiana hist.*) *Et post multa idem Hugo:* Bertharius Presbyter, ne Sanctorum Patrum Virdunens. Pontificum sacrosancta memoria & venerabile studium, & operatio sancta penitùs oblivioni traderetur, quæ de sanctis eorum actibus legerat, breviato sermone comprehendit, præsentibus gratum, posterioribus utile. *Desinit Bertharius in Dadone XXXI. Episcopo.*

Seriem Episcoporum Virdunens. à Berthario ordinatam, continuavit Anonymus Monachus S. Vitoni, nempe à Barnoino XXXII. Episcopo ad usque Theodericum XL. cujus tempore scribebat hic Auctor, ut ipse profitetur, ubi Richardum memorat his verbis: Pontifex ipse Richardus, translatus à Domino Theoderico successore feliciter regnante Episcopo, &c.

LAURENTIUS *de Leodio priùs in S. Laurentii Leodiensi Asceterio vitam Monasticam professus, postmodum ad S. Vitonum Virdunens. à Rodolfo Priore ipsius Cœnobii deductus, inibi Historiam non modo Ecclesiasticam, sed & sæcularem conscripsit. Quid porrò causæ illum ad eam conscribendam moverit, aperit in fine epistolæ ad Alberonem :* Ista quæ Bertharius in Pontificalibus gestis omiserat, ut hîc unum breviter colligerem, & pro commendatione transcriberem vobis, amantissimus vir, venerabilis Hugo, Monachus noster, nimiâ instantiâ me invitum compulit. Et quoniam quæ ab hinc sequuntur usque ad tempus Theodorici Pontif. à quodam digesta inveniuntur, prædictus commonitor noster ut ab ipso Theoderico usque in præsens tempus omnia quæ evenerant compilarem, oppidò insistens exegit. *Nonnulla in eamdem sententiam leguntur in ipsâ Historiâ : ubi advertet Lector, Hugonem Monachum, cujus hic facta mentio est, haud esse Hugonem Flaviniacensis Monasterii Abbatem, & Chronici Virdunensis Auctorem, quem superiùs laudavi, sed dumtaxat Monachum S. Vitoni, qui Alberoni Episcopo notissimus ac familiaris exstitit; Flaviniacensis autem annum* 1102. *minimè prætergressus, paulo post obiisse videtur; at Hugo ille in vivis erat ann.* 1140.

LAURENTII *Historiam Virdunensem prosequutus est Monachus itidem S. Vitoni, qui unus idemque scriptor fuisse videtur ac Laurentius, dum in exordii initio dicit :* Pii & venerabilis Patris nostri Segardi præconiis, à quo non longè digressi sumus, eximendum vereor, &c. *Verùm clarè insinuat ipsemet Laurentius se colophonem addidisse historiæ suæ. Continuator autem ille multis interjectis, seriei Episcoporum Virdunens. ducit initium ab Alberone, in quo desierat Laurentius, & finem imponit actis Episcopi Guidonis de Melloto.*

BERCARII PRESBYTERI

HISTORIA BREVIS

EPISCOPORUM VIRDUNENSIUM.

REverendissimo & sanctissimo Seniori meo domino DODONI Virdunensis Ecclesiæ inclyto Episcopo, BERCARIUS vester Presbyter devote pro vobis orando felicitatem æternam in Christo. Quoniam nostro tempore per triginta & sex annos vestro bono studio & inclytâ famâ nobis multa venerunt prospera, nunc autem peccatis nostris exigentibus principalis Ecclesia nostra igne succensa, libri & memoriæ sanctorum Patrum vestrorum ex magnâ parte eidem flammæ sunt traditæ; ne autem penitùs oblivioni traderetur antecessorum vestrorum sacrosancta memoria, venerabile studium & operatio sancta, licet infirmitate & tristitiâ attritus, quæ de sanctis intercessoribus vestris legi, & à fidelibus audivi breviato sermone comprehendere commodum duxi, vobis quidem gratum, posteris autem utile.

1. Legimus in istâ Ecclesiâ, quæ est in honore sanctæ Dei genitricis constructa, jam præcessisse triginta Episcopos, quorum primus Sanctus SANCTINUS vocatur, de quo quod sentimus notare hîc studuimus. Nam legimus quòd sanctus Dionysius Sanctinum Meldensis Ecclesiæ Episcopum & Antonium Presbyterum mitteret cum gestis passionis suæ Romam ad sanctum Clementem, & iter illorum fuisset per istam civitatem, & in eundo ac redeundo hîc primi prædicassent verbum Dei. Et ferunt quòd idcirco in ordine Episcoporum istius Ecclesiæ primus ponatur. Legitur verò in vitâ sancti Servati Episcopi, ubi de Agrippinensis Ecclesiæ Archiepiscopi

1. Episcop. Virdun. S. Sanctinus.

depositione res agitur, quod intertuisset Sanctinus urbis Clavorum Episcopus. Ubi tamen ejus corpus sepultum sit nusquam reperimus nisi Meldis.

2. S. Maurus. 3. S. Salvinus. 4. S. Arator. 2. Post hunc legimus fuisse sanctum MAURUM & sanctum SALVINUM, & sanctum ARATOREM, quorum merita ad sepulcra illorum ostendunt frequentia miracula: siquidem sancto Agerico divinitus ostensa sunt eorum monumenta, & ab eodem honorabiliter & sanctissimè ordinata. De istis enim quæ nostris oculis vidimus quamplurima referre possumus. Tempore etenim Lotharii junioris Regis, & domini Attonis nostræ civitatis Episcopi de istis sanctissimis viris Reliquiæ sunt sumptæ, & ad Theologium Monasterium, quod isti Ecclesiæ est subjectum, nostris temporibus sunt delatæ. Deus testis est conscientiæ meæ; quia non possum ad memoriam reducerere quæ à pueritiâ usque ad perfectam ætatem meritis Sanctorum istorum ad sepulcra illorum divinâ clementiâ operari vidi. Quot cæci illuminati, quot surdi sanati, quot claudi erecti, quot dæmoniaci liberati, quot ægroti à variis langoribus liberati, nullatenùs stylo comprehendere queo, aliqua tamen sub compendio colligam.

Miracula. Duo contracti causâ orationum Ecclesiam ipsorum ingressi, protinùs meritis Sanctorum istorum sunt erecti. Quædam femina nomine Emma multis diebus lumine præsentis sæculi privata, in meâ præsentiâ ibidem est illuminata. Similiter & altera femina quæ erat muta, post peractas Matutinas me audiente cœpit loqui. Quidam etiam homo per XI. annos contractus, & per multos annos in porticu sancti Stephani Metensis Ecclesiæ jacens, curriculo evectus ad istorum sepulcra delatus fuerat. Primâ verò parte noctis cæpit voces emittere, & usque ad Matutinas easdem emittens voces sospitatem meruit obtinere, ad quod mirandum cum domino Attone Episcopo eâdem die venimus, simulque cum illo vidimus coxam ejus cum crure usque ad nates excoriatam, quasi nihil aliud habuisset nisi ossa, & qui vix in vehiculo venerat jam senex & plenus dierum, pedes & sanus reversus est ad propria.

5. Pulchronius *sive* Polychronius. 6. Possessor. 7. Firminus. 3. Post hos exstiterunt sancti PULCHRONIUS, POSSESSOR & FIRMINUS: de quorum memoria nihil aliud scimus, nisi quòd à primis temporibus eorum merita Domino fuerint grata, & inter cives Sanctorum sint annumerati. Legitur etiam in vitâ sancti Lupi Trecassini Episcopi, PULCHRONIUM admirandæ sanctitatis virum Virdunensis Ecclesiæ Episcopum præfulsisse tantâ gratiâ curationum, ut religatis post tergum manibus dæmoniacis imperaret, & dicto citius priùs sensum reciperent, quàm in collisione suorum corporum cernui laberentur. Certè quando Reliquiæ de prædictis Sanctis fuerunt acceptæ tempore domini ATTONIS Episcopi, tunc etiam monumenta istorum honorabiliter ac venerabiliter sicut decet Sanctos, sub monumento sancti Vitoni reperta sunt: pars autem corporum illorum ab aliquibus visa satis ostendit, quòd animæ eorum in beatâ felicitate gaudio fruuntur æterno.

4. Tempore igitur Beati Firmini habitatores istius civitatis rebellaverunt contrà CLODOVEUM Regem Francorum, à beato Remigio baptizatum, qui cum ab eo obsiderentur, defuncto interim eodem sanctissimo Pontifice, beatus EUSPICIUS Presbyter istius Ecclesiæ egressus, obtinuit apud Regem pacem & salutem civium suorum. Postea cum Rex præfatus

8. Episcopus S. Vitonus. creari vellet cum istius civitatis Episcopum, & ille omnimodis abnegaret, Beatissimus Pater VITONUS nepos illius hîc ordinatus est Episcopus; sanctus verò EUSPICIUS cum altero nepote suo beato videlicet MAXIMINO, qui sanctissimo Patri Vitono germanitatis propinquitate jungebatur, petitione ejusdem Regis cum ipso Aurelianis perrexit, & ibidem Monasticam vitam ducens obiit in pace. Sanctus verò Maximinus Aurelianis postea factus Abbas, S. Maximinus Aurelianis Abbas. multâ miraculorum copiâ refulget. Vitam autem Beatissimi Vitoni à multis audivi se vidisse descriptam, sed hactenùs à nobis est invisa; Basilica siquidem ubi prædicti requiescunt Sancti, in honore sancti Petri Apostoli est antiquitùs constructa, quæ etiam pro antiquâ dignitate habet multa corporum sepulcra, & propterea à fidelibus cunctis multum est veneranda.

5. Post hunc exstitit DESIDERATUS Episcopus, 9. Desideratus. cujus tempore sicut in gestis Francorum legimus, ingravescente fame, cives istius civitatis erant in afflictione maximâ; qui cum abiisset ad Theodoricum [a] Regem, & de thesauro illius quingentos aureos mutuasset, distribuit eos civibus suis, sub tali tenore, ut de eis negotiarentur per diversa loca, & de acquisitu illorum viverent, transactâque necessitate prædictam summam regiis thesauris restituerent. Quo facto & de penuriâ famis sunt erepti, & divites effecti. Cumque Episcopus prædictos aureos Regi reddere vellet, Rex Domino gratias agens quòd sui cives ex Regis thesauro ex tam flebili miseriâ erepti essent, prædictos aureos reddere ei jussit, quorum incremento usque hodie negotiatores effecti sunt.

6. Post hujus excessum de istis civibus ordinatus 10. Agericus. est in istâ Ecclesiâ sanctus AGERICUS Episcopus; cujus tempore cum vellet CHILDEBERTUS Rex placitum habere in istâ civitate, pro amore illius tenuit eum Metis, ubi depositus est ÆGIDIUS Remensis Archiepiscopus. Quidam autem vir valde nobilis cum pro suis sceleribus à Rege vitâ debuisset privari, petitione præfati Antistitis salvatus est; & ob hoc dedit ille vir Fratribus, quod ad Arcus & ad Mantuam habemus. Rursus Rex prælibatus cùm per Virdunum iter habuisset, & prædictus sanctus Antistes nonnisi parum vini in uno vasculo habuisset, & omnipotens Dominus ipsius meritis sic illud dilatasset, ut Rex cum suis omnibus de ipso omnem sufficientiam habuisset, plus inveniretur vini in ipso vasculo in fine quàm in initio: Rex tanto perterritus miraculo audivit, quòd ista Ecclesia non habuisset locum unde colligeret vinum; idcircò ergo dedit isti Ecclesiæ duos amandos super Mozellam & Modinum, & quidquid intrà Luceïum & Bavam est, & omne quod subtus Treviris habemus. Addidit etiam Marceium & Sampiniacum, & Commenias & Mercast-villam, & Hairici-villam, & contiguas villas isti civitati, Carmacum & Novamvillam, multaque alia loca, quæ sunt oneri hîc enumerare, quæ pro reverentiâ tanti viri Rex & sui fideles isti Ecclesiæ ad habendum tradiderunt.

Cujus venerationis tunc temporis vir iste fuerit, ostendit sanctus Fortunatus in versibus, quos in laude ipsius composuit, & quos hîc subinferre commodum duximus. Nam cum idem Fortunatus esset in Italiâ, & nimium dolorem oculorum suorum pateretur, venit ad quoddam Monasterium in honore sancti Martini constructum, & visum est illi ut de oleo, quod erat in lampade ante altare sub nomine sancti Martini, oculos liniret; quod ut fecit, protinùs sanitatem meritis sancti Martini suscepit; qui postea flagrans desiderio ut inviseret se-

[a] *Theodericum*] Imò Theodebertum, si Gregorium Turon. sequaris l. 3. cap. 34. & quidem non quingentos aureos, sed septem millia aureorum à Theodeberto donata idem auctor est.

pulcrum sancti Martini de Italiâ venit in Galliam, & fuit iter illius per Virdunum, & susceptus à sancto Agerico benignè & cum caritate, quod in eo vidit, sacris expressit litteris.

VERSUS FORTUNATI.

Urbs Virduna brevi quamvis claudaris in orbe,
Pontificis meritis amplificata places.
Ad nova templa avidè concurrunt undique plebes.
Et tribuis populis plus in amore Deum:
Te solamen inops meruit, te nudus amictum;
Et solus cunctis potus & esca manes.
Felix qui meritis æternæ lucis amator,
Tempore tam modico non moritura paras.
Phœbus ut elatum suspendit in æthera currum,
Purus & igniferum spargit ubique jubar.
Effusis radiis totum sibi vindicat orbem,
Montes, plana replens, ima vel alta tenet.
Sic Præsul splendore animi cum Sole coruscas:
Ille suis radiis fulget, & ipse tuis.
AGERICE sacer, cujus sermone colente,
Ecclesiæ segetes fertilitate placent.
Terrenis sterilis rebus, fecunde supernis:
Humana spernens, dives iture polis.
Illecebris mundi mundus lasciva repellens,
Nil cui subripuit carnis amarus amor.
Lubrica culpa perit; neque mors de crimine gaudet,
Cum tua delictis libera membra vides.
In templis habitando piis, sic purus haberis,
Ut tua corda, Pater, sint pia templa Dei.
Eligit in tali Christus se vase recondi;
Quam sibi purgavit possidet ipse domum;
Non dolus in labiis, nec sunt fera nubila mentis.
Sinceris animis vernat in ore dies.
Doctiloquum flumen salienti fonte refundis,
Et sensus steriles voce rigante foves.
Ardua cœlorum pandis mysteria terris,
Per quem plus Dominum scit, timet, orat, amat.
Dogmate divino, Præsul facunde, triumphas,
Dans Pastor mentis ne premat error oves.
Deliciis reficis, quas cœlum, arva, unda ministrat:
Et satiat populos hinc cibus, inde fides.
Sumit pauper opem, tristis spem, nudus amictum,
Omnia quidquid habes, omnibus esse facis.
Hic tibi longa salus maneat, lux inde futura,
Atque diu pastor, pro grege vota feras.

11. Carametus, Charimeres *Greg. Turon. l. 9. cap. 23.*

7. Post sanctum Agericum Buciovraldus quidam Abbas Episcopatum ambivit, sed quia esset superbus nihil obtinuit. CARAMERUM Referendarium cum consensu civium reguli decrevit auctoritas fieri Episcopum.

12. Hermenfredus.

7. Post Caramerum HERMENFRIDUS fuit: de quibus nullam aliam habemus memoriam, nisi quòd in ordine Episcopi sunt reperti.

13. S. Paulus. b

8. Post Ermenfridum tractus est de Monasterio Theologio sanctus PAULUS, qui fuit frater [b] sancti Germani Parisiensis Episcopi, & in istâ Ecclesiâ Episcopus consecratus; cujus memoria æterna est: nam nepos Dagoberti Regis GRIMO Diaconus, qui & Adelgisus dicitur, cum fuisset à sancto Paulo ab infantiâ reverenter educatus, pro amore istius Antistitis suam proprietatem, id est Theologium Monasterium sanctæ MARIÆ in Virduno, suo pariter & multorum fidelium scripto in sempiterno habendum tradidit, roboravit & omni auctoritate firmavit. Frasindum-villam idem Grimo pro suâ pietate victui Fratrum nostrorum delegavit. Sanctus verò Paulus Basonis-villare de suis redditibus comparavit. Privilegium etenim nostris Canonicis de antiquioribus villis fecit, & suis manibus aliorumque Episcoporum ipsum sub divinâ attestatione roboravit.

De virtutibus autem sancti Patris nostri istud mirabile audivimus, cum adhuc Monasticam vitam ducens in pistrinum Fratrum obedientiam habuisset, & timeret ne horâ statutâ Fratres panem habere potuissent, ejecto igne de clibano ipse intùs ingressus cum cucullâ suâ clibanum purgavit, & panem illic ad coquendum ordinavit, sanusque foras egressus panem sanctum Fratribus in refectorio tempore statuto distribuit. Legi, & picta vidi multa miracula, quæ juvenis [&] in Episcopatu egit, & post excessum positus in Basilicâ sancti Saturnini Domino cooperante fecit; cæcos namque illuminavit, surdis auditum dedit, claudis gressum præbuit, ægrotos à variis infirmitatibus curavit, & quid plura? Istam Ecclesiam rebus temporalibus dilatavit, & Deus omnipotens animam illius cum omnibus Sanctis in æternâ gloriâ sine fine gaudere facit.

c

9. Post hunc [c] exstitit GISLOALDUS Episcopus, GEREBERTUS, ARMONIUS, AGREBERTUS: Episcopi hujus tempore sanctus Grodingus Warlogium Monasterium construxit, & sub ditione nostræ Ecclesiæ posuit. 14. Gisloaldus. 15. Gerebertus. 16. Armonius. 17. Agrebertus.

10. Post hunc BERTALAMIUS Episcopus. Hujus studio & industriâ Mactigisilus & uxor ejus Hechia Tilliacum fiscum, & stagnum, & casam Petriam nostræ Ecclesiæ, Frumisiacam villam Fratribus nostris, & alia quamplurima pro remedio animæ suæ dedit. 18. Bertalamius, *sive* Bertolomius.

11. Post hunc ABBO Episcopus; & deinde PEPPO: hujus tempore exstitit seditio non modica inter CAROLUM primum, qui dicitur Carolus Martellus, & Rainfridum Francorum Principem, & quia Peppo partibus Caroli tempore seditionis favit, obtinuit pretio cum Carolo & quodam nobili vassallo ejus Calmontem villam cum omnibus appendiciis suis. Postquàm verò Carolo Deus solidavit Francorum regnum, dedit etiam Ecclesiæ nostræ pontem Petrium, & suo scripto nobis eum solidavit: Merlam verò & Casam Petriam, quia eas sui satellites invaserant, retinuit, & adhuc Casa Petria retenta est. 19. Abbo. 20. Peppo, *vel* Poppo.

12. Post hunc exstitit VOSCHISUS Episcopus, & AGROINUS Episcopus, & post istum fuit multis diebus Episcopatus vacuus. Deinde exstitit domnus MAGDELVEUS Episcopus, qui fuit de familia hujus Ecclesiæ, & exstitit vir sanctus & justus, cujus industriâ & studio fertur per precariam obtinuisse eum Wasnaum & Warnunci curtem, & Ramisbatium, & alia plurima, sicut egomet in cartis ejus manibus roboratis legi. Cujus etiam tempore domus istius Ecclesiæ peccatis exigentibus fuit succensa; & ob hoc per Galliam, & Italiam, & sic per Græciam & Joppen cum magnâ viarum angustiâ Hierosolymam pervenit, & à Patriarcha ipsius loci multorum Sanctorum Reliquias obtinuit, & eas cum calice crystallino, opere mirifico sculpto Virdunum apportavit, & in principali Ecclesiâ nostrâ venerabiliter eas collocavit. Reliquias verò, quæ fuerunt in antiquiori Ecclesiâ in dexterâ parte altaris sanctæ MARIÆ, in cryptâ subterraneâ reposuit. Fuit enim tempore PIPINI Regis usque ad tempus CAROLI Magni, & obiit in proximâ villâ quæ dicitur Nova- 21. Voschisus. 22. Agroinus. 23. Magdelveus.

b *fuit frater*] Negat Acherius hoc uno argumento, quòd tredecim annos ante Agericum obierat S. Germanus.

c *Post hunc*] Atqui post Paulum Godonem scripsêre Galliæ Christianæ eruditi auctores.

villa. Cum verò inde portaretur ad sanctum Petrum sive ad sanctum Vitonum, fertur quòd super crucem videntibus cunctis duæ columbæ candidæ sicut nix venerint, & in eâdem usque dum corpus ejus sepulturæ traditum fuisset, sederunt. Multa siquidem bona in istâ Ecclesiâ constituit. Nam & Ecclesias in istâ civitate valde benè construxit, & Clerum & populum istius Ecclesiæ venerabiliter ordinavit, & evidens Pater & Episcopus istius Ecclesiæ exstitit. Res etiam quæ sunt in Aquitaniâ antiquitùs isti Ecclesiæ subjectæ, id est Abbatia sancti Amantii in Rodenia sita, & Marderniacum & Puliniacum frequenter visitabat, & gesta prædictorum Episcoporum nostrorum secum ferebat, ut per illorum merita illas res longiùs sitas liberiùs possidere quivisset; & pro hac occasione dicunt, quòd miracula sancti Agerici in Massiliâ descripta habentur, & vita sancti Vitoni & sancti Pauli per contigua loca ultrà Ligerim reperiri feruntur, cujus corpus dictu mirabile! post quadraginta annos integrum repertum est, & ubi nunc jacet venerabiliter reconditum est.

14. Amalbertus Corepiscopus. 13. Post hunc Episcopatus istius Ecclesiæ per duodecim annos vacuus exstitit; sed quidam servus Dei Amalbertus nomine, juxtà morem illius temporis Chorepiscopus factus ipsam regebat Ecclesiam, & in quodam oratorio sub honore omnium Apostolorum quasi solitariam vitam ducebat, & tunc perdidit ista Ecclesia Waslogium, & Tilliacum, & Stagnum, & Merlam & Casam Petriam, & alia quamplurima. Fuit enim hoc sub tempore Caroli Magni.

15. Petrus. 14. Post hunc exstitit Petrus, vir Italicus. Nam cum esset exercitus Francorum circà Papiam & obsideret eam, ab isto, ut fertur, tradita est, & ob hoc à Carolo Magno de isto Episcopatu honoratus est. Fuit enim in Episcopatu per viginti quinque annos, & passus est in eo multa adversa. Certè etiam infidelitatem Imperatoris objecerunt illi, & ob hoc per duodecim annos Imperatorem videre non est ausus; sed à filiis istius coram Principe rectè purgatus est. Postea illius ad præsentiam multas precarias inutiles fecit, & in diebus illius multæ res ab istâ Ecclesiâ substractæ sunt.

16. Austrannus. 15. Post mortem verò illius elegerunt sibi Episcopum de Regis palatio Austrannum Cantorem ipsius, virum strenuum, cujus industriâ Bracenses negotiatores isti Ecclesiæ redacti sunt. Superfuit quinque annis.

17. Herilandus. 16. Deinde Herilandus suscepit istum locum, vir multum simplex & ultrà modum infirmus: cujus etiam tempore multa mala perpessa est ista Ecclesia. Post viginti quatuor annos sui Episcopatûs obiit Aquis, & est sepultus juxtà Austrannum in Basilicâ sancti Vitoni.

18. Hildinus, al. Hilduinus. 17. Defuncto autem isto, abiit pars Cleri & plebis ad Ludovicum Imperatorem, & petierunt sibi dari Hildinum de Alemanniâ virum bonum & sanctum, qui construxit multas Ecclesias in isto Episcopatu, & multa bona operatus est. Post bellum in Fontanido actum, à Lothario Imperatore magno habitus est odio: in istâ civitate, Octavis Epiphaniæ cum magnâ tristitiâ & dolore obiit in Christo; vir plenus omni bonitate & charitate. Fuit autem in Episcopatu per viginti quatuor annos.

Ætas Bercarii Auctoris hic notatur. Deinceps quod oculis vidi liberiùs valeo litteris exequi.

19. Atto. 18. Domnus Atto post istum in istâ Ecclesiâ ordinatus est Episcopus, & pro prædicto Imperatoris odio invenit tunicam sanctæ Mariæ per multa scissam & disruptam, id est, res istius Ecclesiæ nimium subtractas & alienatas, pro quarum alienatione & suorum afflictione toto nisu erexit se contrà inimicos istius Ecclesiæ, donec miserante Domino tunicam sanctæ Mariæ redintegratam habuit, & ad proprium statum reduxit. Insuper etiam obtinuit apud Regem Lotharium juniorem Marcelliacum fiscum, & Arborei-villam & Maureium ad opus Fratrum, & Mercuringas, & Brasaidam, & Walacras, & per precarias Metgavisvillam, & Commenarias & Cangiacum, & intentio ejus & labor ejus nimius in hoc exstitit, ut ista Ecclesia exaltaretur, & pace frueretur, quod & fecit diebus vitæ Lotharii junioris. Illo verò mortuo in mense Augusto, iste etiam obiit Kalendis Januarii, & sepultus est in Basilicâ sancti Vitoni in cryptâ juxtà corpus Hildini Episcopi. Fuit autem in Episcopatu per annos viginti & tres, ipse etiam inchoavit nostram novam Ecclesiam, & ex magnâ parte construxit.

19. Post cujus excessum dominus & sanctissimus Pater noster Berhardus Episcopus factus est; qui acclamatione Cleri & plebis suscepit sub suo regimine istam Ecclesiam, cujus intentio & studium sanctissimum fuit, Basilicam inceptam ad perfectionem usque perducere, quod Domino miserante & fecit. Signa grandia & honorabilia, & minora valde bona in illâ Basilicâ suo opere ibidem esse constituit. Pontificalia vestimenta, & Evangelium auro gemmisque paratum, thuribulum aureum & aliud argenteum valde bonum, & feretrum ubi sunt nunc Reliquiæ Sanctorum, honestissimo decore composuit, & alia quamplurima Ecclesiastica ornamenta isti Ecclesiæ suæ tribuit. Canonicos suos canonicè vivere fecit, & villanis Presbyteris viam justitiæ viriliter ostendit; & pueros (inter quos ego Bertharius [d] unus fui) in humanis & in divinis libris per se & per alios cum summâ caritate instruxit. Obiit autem in Theologio Monasterio, ubi & corpus ejus conditum est, pridie Kalendas Januarii. 30. Berhardus. Auctor de se loquitur. d

20. Christo miserante habemus nunc Seniorem nostrum Dadonem venerabilem Episcopum, qui suscepit istum temporibus Ludovici Germanici Regis; cum quo etiam anno secundo suæ ordinationis obtinuit Meinrodum fiscum per Præceptum, ad opus sibi commissæ Ecclesiæ. 31. Dado.

Post Ludovicum accepit germanus suus Carolus Monarchiam totius Imperii, apud quem adeptus est suo Altari Tilliacum fiscum, qui fuerat antea de istâ Ecclesiâ. Post Carolum accepit Arnulfus nepos illius Regnum.

CONTINUATIO
Historiæ Episcoporum Virdunensium per Monachum Abbatiæ Sancti Vitoni.

1. Post hunc exstitit Barnoinus Episcopus, cujus vitæ prioris desidiâ solo nomine posteris manet memoria. 32. Barnoinus.

2. Deinde domnus Berengarius primi Ottonis Imperatoris consanguineus, vir nobilis & Saxonicus, factus est hujus civitatis Episcopus. Hic Basilicam Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, in quâ requiescit corpus beati Vitoni cum multis decessoribus successoribusque suis, in meliorem reddidit statum, auxit & ornavit, Clericosque in ea degentes & multis vilibus negotiis deservientes ab- 33. Berengarius.

d *Bertharius*] Suprà *Bercarius*.

jecit, Monachosque inibi Domino servituros constituit, quibus Abbatem præfecit nomine HUMBERTUM, olim ejusdem Ecclesiæ Clericum, sed tunc temporis divini amoris instinctu apud sanctum Aprum Tullo Monachum, ipsique loco jam à Domino patrem factum: quorum victui delegavit Scantiam-villam cum banno: Abbatiam quoque sancti Amantii in Aquitaniâ, cum multis Ecclesiis hujus Episcopii.

Fuit autem temporibus prædicti Ottonis Regis Germaniæ, de quo dictum est, quòd ad triumphum Ecclesiæ cœpit Otto crescere & ad perfectum venire. Huic successit secundus OTTO ad Imperium, ut floreret sæculum. Hic Romæ defunctus nescientibus Romanis à suis est ablatus, & Aquis quiescit sepultus. Vixit autem in ipso Episcopatu iidem bonæ memoriæ BERENGARIUS multis diebus, & sepultus est in Basilicâ sancti Petri in sinistrâ parte chori, super quem positum est altare usque in præsens. Hujus ego casulam quâ indutus erat in sepulcro positus, vidi, quæ postea ab ejus corpore evulsa fuit. Multis autem referentibus audivi, quòd ejus pes ante mortem factus est aridus; nam quadam die descendente eo ad Ecclesiam Beatæ MARIÆ, invenit Clericum quemdam solo prostratum Beatæ MARIÆ memoriam celebrantem; hunc percussit pede ut surgeret, mox ille surrexit, & viso eo patienter tulit; sequenti autem nocte lectulo jacentis, & necdum dormientis Episcopi, cum beatâ Theclâ adstitit Virgo MARIA: Percute, inquit, istius pedem Thecla, & Clerici mei injuriæ ultrix existe. Hac percussione ab eâdem horâ cœpit ardere pes ejus, & in jamdicto loco Monachus factus est. Iidem præfatus Episcopus Fratribus sanctæ MARIÆ Bellam-villam dedit. Hujus etiam temporibus in prædictâ Beati Vitoni Ecclesiâ revelatum est, & inventum corpus sancti Firmini per devotissimam feminam EUGENIAM, & pro tuitione civium suarumque amplificandâ opinione virtutum, petitione prædicti Abbatis HUMBERTI in villam Flaviniacum regalem quondam fiscum honorificè translatum est.

34. Vicfridus. 3. Post cujus excessum exstitit dominus VICFRIDUS Episcopus de Bauvariorum partibus, vir Teutonicus. Iste diligentissimè antecessorum suorum acta requirebat, & vitam eorum amplectendo, quibus poterat modis imitari cupiebat. Cum autem de eorum virtute & bonâ opinione multa legeret, & de statu Ecclesiæ istius à quibus ditata fuerat, satis exquireret, invenit PAULUM Episcopum inter alios præcipuè eam rebus collatis exaltasse, & ex inope divitem fecisse. Erat enim extrà muros urbis in honore S. Saturnini Ecclesia, ubi corpus ejus conditum erat, suprà fluvium posita, in quâ multa beneficia præstabat Dominus per meritum & intercessionem sui Confessoris. Nam ex tumbâ ejus oleum reverâ defluebat, cujus tactu plures infirmi sospites efficiebantur, & ab incolis dicebatur ejus sepulcrum plorare, eo quòd incultum videretur esse. Hanc ergo studiosè, & sicut erat pius voto, in honore tanti Præsulis magnificare devovit, quam à fundamentis erexit, & Domino volente peregit, & ad petitionem civium non immemor sui voti Monachos ibi posuit, qui die noctuque servirent Domino, & sancto suo Confessori Paulo, & in honore sancti Pauli Apostoli majus altare consecravit. Corpus autem sancti Pauli ex sepulcro sublatum V. Kalendas Septemb. decenter in feretro argenteo reposuit, ornamentis & signis optimis Templum ornavit, & de rebus istius Ecclesiæ victum Monachis præparavit, villarumque suarum meliores Ecclesias eis contulit. Wasnaum fiscum optimum stipendiis eorum delegavit, & alia multa quæ posuit, delegavit. Tabulam auream ante altare sanctæ MARIÆ fecit, & ornamentis atque coronis Ecclesiæ faciem ornavit. Fuit autem tempore OTTONIS tertii, qui à cunabulis sumsit sceptrum Romanorum, & traditus est liberalibus studiis, sub cujus regimine salus fuit mundo & gloria. Evolutis autem multis quibus vixit in isto Episcopatu annis, quievit in pace II. Kalendas Septembris, & sepultus est in Monasterio quod ipse in honore sancti Pauli construxerat, juxtà altare in dextrâ parte.

4. Nec silendum putavi quod ab Abbate ejusdem loci audivi. Quâdam die de civitate istâ causâ poscente egrediens domus Episcopus, venit in villam Fratrum, quæ dicitur Wandersalis, ubi nocte irruente cum detineretur, & sui omnes membra sopori dedissent, protinùs à Comite SIGIBERTO insequutus est, & sicut major casus nescientibus ingeritur, à militibus ejus circumseptus capitur. Suis autem ad arma convolantibus, illicò nepos ejus Richerus interficitur, & Episcopus in captionem ducitur. Qui mox excommunicatus ab omnibus Episcopis, tandem pœnitentia motus misericordiam exposcens, primum dolorem corporis tulit, deinde summam pecuniæ ad diem denominatum domno Episcopo revadiavit, ex quâ metalli copiâ Templum sanctæ.... præter alia gesta, ita coronis ornavit, ut si manu primam tangeres, usque ad novissimam omnes moverentur.

Tali denique pastore subtracto, evenerunt huic civitati multa adversa & tribulationes in populo. Nam LOTHARIUS Rex Francorum (quoniam erat respublica minus defensabilis sub præfato Principe Romanorum juvene OTTONE) obsedit civitatem istam, sed Domino volente minimè cepit; attamen omnia quæ circà urbem erant, vastavit: contrà quem cum nostri egressi ad bella venirent, ab ejus exercitu superati, plures capti sunt & abducti; pro quorum liberatione Gobertus quidam Miles potentissimus claves civitatis Regi detulit.

4. Factum est autem post hæc, ut HUGO quidam Clericus susciperet Episcopatum. Hic itaque ingressus civitatem, vocatis ad se ministris, unde viveret exquisivit, quibus respondentibus se penitùs carere expensis quæ fuerant Pontificis, & designantibus exterminationem villarum quarum reditibus vivere solebat, ascenso mox equo reversus est.

Quo egresso susceperunt cives nostri sine regio dono ADALBERONEM filium BEATRICIS nobilissimæ Ductricis, matris THEODORICI Ducis; qui cum aliquantisper Episcopatum tenuisset, defuncto Metense Episcopo, ad eamdem se contulit civitatem, Episcopatu isto relicto: ad quem cum venissent nostri, susceptis eis cum honore baculum reddidit. 35. Episcopus Adalbero I.

Huic successit domnus ADALBERO filius Comitis Godefridi Ducis, qui postea acceptâ uxore Principis Bonifacii, factus est Marchio Italorum: hic verò honestus fuit atque humillimus, sed valde infirmus, tantamque corporis sui passus est imbecillitatem, ut ipso eodem anno benedictionis suæ Salerniam causâ salutis exposceret, nostris secum comitatis; qui cum ibi moraretur, & à medicis curari non posset, reversus est Italiam, ibique ingruente morte vocatis omnibus suis tradidit Abbatiam sancti Germani cuidam Rodulfo nepoti suo, qui vixit usque ad tempora domini Richardi Episcopi plenus dierum, aliaque multa suis distribuens, mortuus est; cujus corpus ab Italiâ delatum à fratre suo Comite Frederico positum est in Ecclesiâ suâ in Choro sanctæ MARIÆ ante gradus, & veneratur ibi summo honore & reverentia usque in præsentem diem. Vixit autem in Episcopatu tribus semiannis. 36. Adalbero II.

Horum ergo Pontificum nostrorum temporibus

Abbates S. Vitoni Virdunensis, vulgo *S. Vannes.*

defuncto domno HUMBERTO primo Abbate Ecclesiæ sancti Vitoni, gubernata est eadem Ecclesia per annos fermè quadraginta cum omni honorificentiâ à viris illustribus & singulari industriâ pollentibus, Adelmaro, Adelardo, Ermenrico, Rohardo, Lamberto & Fingenio Abbatibus, donec temporibus domni Episcopi Heimonis suscepit ipsam Ecclesiam gubernandam, ut post dicemus, domnus & venerabilis Pater Richardus noviter in eâ Monachus factus, qui fuit de primoribus Ecclesiæ sanctæ MARIÆ Remensis Canonicus, & vir valdè religiosus.

Ecclesiâ verò Virdunensis tantis prælibatis pastoribus viduata, pastorem à quo verè pascenda foret, & patrem à quo benignè nutrienda & diligenda esset, tum genere, tum moribus nobilissimum HEIMONEM, de quo paulo ante diximus, meruit à Teutonicâ; qui loco sibi commisso non parum profuit, cum Ecclesiam perbrevem magnâ ex parte amplificaverit, decoraverit, extulerit, cum præbendæ Fratrum Superiacum, & alia plura data vel præstans acquisierit; cum etiam suæ & successorum suorum mensæ ab Henrico pacifico Rege fideliter obsequendo, strenueque se habendo Jupeliam impetratam addiderit. O quanta viri hujus erga Ecclesias sollicitudo: cum Ecclesiam Beati Joannis Baptistæ mutaverit, mutatam ampliaverit, & Congregationi necessaria ex rebus Majoris Ecclesiæ providerit. Diligebat iste Ecclesias, diligebant & sui, operibus piis instabat, instabant & sui; nam ejus exemplo ejusque desiderio Amicus Præpositus Ecclesiam sanctæ Crucis ædificavit, Canonicos duodecim locavit, quibus necessaria ex prædiis suis & ex aliunde acquisitis providit. Ad ultimum petitione Episcopi locum illum sancto Mauro subdere non recusavit. Dudo etiam Præpositus apud castellum Destauvareth Ecclesiam in honore sancti Laurentii constituit, Canonicos ordinavit, ordinatis necessaria disposuit, magnisque operibus cum magno labore, & cum miro decore castrum illud ad effectum usque perduxit. Post hæc à pio Pontifice paternè exceptus est, aliunde adveniens Pater ERMENFRIDUS & benignè retentus, adjutusque ædificavit Ecclesiam sanctæ Mariæ Magdalenæ, Canonicisque ordinatis cum summo laboris ardore necessaria providit, utpote qui patrimoniis carebat Regibus obsequendo, Principibus adhærendo, omnibus se submittendo, & cum mira sollicitudine Dominum præcipuè invocando multa acquisivit. Huic plura contulit vita quàm pecunia, plus pia apud Dominum & homines devotio, quàm aliqua possessio, plus profuit meritum, quàm prodesse potuisset aliquod patrimonium.

37. Episcop. Heimo, al. Haimo.

Sub eodem tempore venerabilis Pater RICHARDUS, qui fuit, ut prædiximus, de Primoribus Remensis Ecclesiæ, vir maximæ religionis sæculo renuntians Fingenii Abbatis hujus Ecclesiæ successor factus est, quam Ecclesiam unà cum Imperatore Henrico Magno in honore Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Sancti Vitoni ædificavit, & ad effectum usque perduxit. Vita hujus spectabilis, vitam multorum reddidit spectabilem. Religio hujus non habentibus inculcavit, habentibus augmentavit Religionem, imò quidquid iste fuit, non tantùm sibi subditis, sed etiam extraneis non mediocriter profuit: saluti aliorum ut suæ invigilabat, correctioni aliorum ut suæ applaudebat. Si aliquis converteretur, sua erat conversio, si bene operaretur, sua erat operatio; talis vita, talis inquam fama, complures admonuit vivere in Christo, cum disponeret mori sæculo. Nobiles se reputabant ignobiles, fortes existimabant se debiles, & ut tantæ vitæ conformarentur, quidquid erant non esse omninò nitebantur hujus exemplo, hujus inquam desiderio. Progenies Ducis GODFRIDI præcipuè abrenuntiavit sæculo. FREDERICUS etenim Comes venerabilis huic Patri se filium commendavit, huic domino se servum subdidit; prædiis Ecclesiam auxit; cui non solùm sua, sed & seipsum ultro contulit. Et quia occasio se præbuit de Comite Frederico, placet exempli gratiâ paulo latiùs conversionem beati Patris replicare, maximè quia multis credimus gratum fore.

Hi igitur præclarissimi viri, videlicet venerabilis Pater RICHARDUS, & inclytus Comes Fredericus initium conversionis in hac Ecclesiâ Domino donante pariter disposuerunt habere. Erat tunc ipsa Ecclesia rebus inops, ædificiis angusta, parum laudabili conversatione religiosa, quam nonnisi septem Schoti Monachi sub Abbate suo, tamen magnæ sanctitatis viro nomine FINGENIO incolebant. Ergo cum Religionis propositum ad quod piè fervebat, novella plantatio minimè se invenire tristaretur, insedit animo ut id quod desiderabant, Cluniaco apud Sanctum Patrem Odilonem ardenti corde perquirerent. Quò cum pervenissent, & propositum animi tanto Patri exposuissent, vir sagax & industrius respondit citò ibi eos habitare non oportere, ubi nulla superarant quæ eorum exemplo corrigerentur quin potiùs redirent ad propria, ut per eos illic fructificaret seges Domino placitura. Qui cum ejus suasionibus deliniti rediissent, nec cohabitatores suos ad votum corrigi in dies corde tenus dolerent, iterum migrandi aliàs consilium habuere; sed Dominus omnipotens, cujus dispositioni nullus valet contraire, aliter id quàm voluerunt, ordinavit.

Erat namque tunc temporis quædam religiosa femina in reclusione vitam solitariam ducens apud Ecclesiam Beatæ MARIÆ, die & nocte orationibus, jejuniis & vigiliis studiosè insistens: huic nocte ipsâ quâ consilium migrandi fuerat, divinitùs imperatum est, ut ab ergastulo illo, quo se plures annos obstruserat, egrederetur, & Abbati nuntiaret quatinùs prædictos viros, quod solùm restabat monachali professione sine morâ devinciret, ne eos Ecclesia funditùs amitteret; quæ jussis obtemperans, omni mirante populo egreditur è cellulâ ut visa vel audita Abbati nuntiet, qui illicò eos convocans, secundùm Regulæ præceptum stabilitate firmari compulit. Post tres autem menses forte ultimâ urgente FINGENIUS Abbas defunctus est & in Ecclesiâ sancti Felicis extrà muros Metensium civitatis honorabiliter sepultus. Quo sepulto, hic venerabilis Pater Domini ordinatione Abbas substituitur; cujus temporibus, quantis Ecclesia ista honoribus augmentata sit, quantâ religione emicuerit, qualibus ædificiis excreverit palam cernentibus est. MATHILDIS Saxoniæ Comitissa non parvâ erga hunc Patrem, & pro Patre erga hunc locum exarsit benevolentiâ, ornamenta plura contulit, crucibus & tabulis aureis & textu cum filio Comite HERIMANNO altare decoravit, multa & redemptionis & salutis suæ mutua negotia, quibus adhuc honoratur, quibusque valde commendatur, Ecclesiæ præbuit. Hæc Comitissa Comiti GODEFRIDO copulata, quinque filios ex ipso genuit, videlicet ADALBERONEM nostræ civitatis post Vuicfridum Episcopum, & prædictos FREDERICUM & HERIMANNUM Comites, duos quoque Ducatûs prosapiâ pollentes GODEFRIDUM atque GOZELONEM. Prædictus Herimannus tradidit Beato Vitono Rogeri-curtem & Fellicam cum Bovo, quod vocatur Hasluch in Comitatu Brabanteno, atque Munau cum dimidio Mosomensi mercatu: in Harma quoque triginta mansos cum familiâ magnâ, in Graviâ duas Ecclesias cum Capellâ indominicatâ, & alia multa. Pater verò eorum tradidit Borracum atque Forbacum. Godefridus etiam Dux Fontagiam-

villam ob Fratrum suorum memoriam sæpedicto contulit Sancto. Supradictus quoque Comes Fredericus dum esset adhuc in laicali habitu, præbendæ Fratrum Sanctæ MARIÆ omnes centenas eorum potestatum, quibus multùm inquietabantur, ob remedium animæ suæ Hierosolymam pergens reddidit. Turres lapideas Ecclesiæ Sancti Vitoni de proprio suo fecit, & multa alia bona eidem loco contulit, ubi & cum duobus fratribus suis sepultus requiescit. Lietardus quoque Imperatoris Conradi nepos & consanguineus, Bailodium tradens sub eodem reverendo Patre in eodem loco factus est Monachus.

Pius autem Pater RICHARDUS vixit usque ad tempora domni Episcopi Richardi, quem de sacro fonte suscepit, rexitque Monasterium per XLII. annos vitâ venerabilis, honestate vitæ omnibus amabilis. Mirabilis erat in religionis proposito Patris hujus instantia, cui adspirare, cui adhærere nitebatur omnis Ecclesia, cujus institutionibus tota gaudet Francia, & dum Religionis habet vestigia, triumphat Lotharicnsis patria. Quid plura? urbi nostræ quanto major vita hujus commoditas, mors ejus fuit non dicam incommoditas, sed tanto amplior evenit infelicitas. Hujus non tantùm in nostrâ Ecclesiâ, verùm per totam Franciam seu Lotharingiam manet dulcis memoria. Hi Patres, qui tot bona Ecclesiæ contulerunt, sub domno Haymone Episcopo fuerunt, qui vixit in Episcopatu XXXVI. annis.

18. Episcop. Rainbertus.

Tam pio Præsuli successit Præsul RAIMBERTUS, bona Ecclesiæ, & si non posset ampliare, defendere sollicitus, omnibus suis non parum commodus, Religionis, & eorum qui sui ordinis erant, amicus. Ad Ecclesiam etiam sanctissimo Agerico Præsuli Hoverte ædificandam ardentissimus; vix autem desideratum opus incœperat, vix Monachos locaverat, vix necessaria providerat, desiderio sancti Sepulcri peregrinationem est aggressus, in quâ mortuus, & in viâ Bellagradâ sepultus; tandem à Canonicis suis videlicet Bernero Constantii filio, & Bernardo miro ardore relatus, & à civibus suis desideranter exceptus, sub tempore piissimi Episcopi Richardi & Baldrici Abbatis in Ecclesiâ Sancti Martini & Sancti Agerici à se incœptâ honorificè est sepultus. Hic Sanctæ MARIÆ duas cappas optimas & duo ventilabra, aliaque honorifica ornamenta cum magnâ devotione contulit. Vixit autem in Episcopatu feliciter XIV. annis.

9. Richardus.

Dolorem verò totius urbis ex morte tanti Præsulis mitigavit canonicè facta successio venerandi RICHARDI Pontificis, cujus benignitas, cujus inquam strenuitas spes erat honorandæ urbis, spes retinendæ Religionis, spes conservandi Ecclesiastici ordinis; suscepit ut Dux patriam, ut Pastor Ecclesiam, providus erga utrumque; attamen singulari pacis sollicitudine suscepit Episcopatum tempore HENRICI Regis Augusti Conradi filii, onus reputans non honorem, laborem non quietem, erga sibi commissos singulare studium, non remissionem vel otium; quod Episcopi erat strenuè gerebat, parietes Ecclesiæ decorans, interiores vitâ, merito, moribus, exteriores ornamentis decentibus, in quorum apparatu, in quorum sumptu singulariter æstuabat, quibus etiam omne votum omnemque curam postponebat. Hic autem Sanctæ MARIÆ Ecclesiæ cui præerat, cum magno studio contulit cruces duas de auro & lapidibus pretiosis factas, candelabra sex argentea, thuribulum auri trium librarum, quod Henricus nondum Romani sceptri Monarchiam tenens, pro nimio amore quem erga illum habebat, honestissimo opere fieri jussit. Tradidit Ecclesiæ Sancti Vitoni isdem venerabilis Pontifex alodium suum, videlicet Baronis curtem, & quod habebat ad Domnam Mariam pro amore sui nutritoris domni Richardi Abbatis eximii. Prædictus etiam HENRICUS optimam acerram eidem Episcopo cum gemmâ pretiosâ dedit, casulas Pontificales duas auro honorificè compositas, & alias septem sine auro dedit; stolas autem auro decoratas, & alias sine auro, albasque septem cum amictis aurifrisio paratas isdem Episcopus acquisivit. Cappas multas dedit, auro tamen aptavit duas à Raimberto Episcopo datas. Pallia multa dedit; dorsalia autem XII. optima cum cortinâ unâ valdè pretiosâ contulit; redemit pallium unum cum aurifrisio, quod antea Ecclesiæ fuerat, vexilla duo, calicem unum de onychino, & alium crystallinum, quem omninò auro & lapidibus parari fecit. Aliud thuribulum argenteum auro coopertum, duo minora argentea, & tria manutergia, unum aureum, & duos urceos crystallinos.

Hujus tempore vir religiosus Decanus WARMUNDUS cappam unam, quam sibi Rex dederat, huic Ecclesiæ contulit. Hic autem alodium de Wo-Sophia cum omnibus appendiciis suis, à quâdam viduâ nobili Raincardi præstariâ suâ & magnâ pecuniâ acquisivit, & Fratribus Sanctæ MARIÆ eo tenore tribuit, ut in die Annuntiationis ejusdem Virginis servitium ex eo haberent, & eam solemniter celebrarent. Fuit enim suis diebus magna dissensio inter HENRICUM Regem & Ducem GODEFRIDUM, qui cum Rege pacem aliter habere non potuit, donec Centenam de Wandelini curte, & alia jura, quæ tunc temporis potestativè in hac civitate tenebat, eidem Episcopo & Ecclesiæ reddidit.

Fuit enim pax & veritas in hoc Episcopatu in diebus ejus, interiùsque & exteriùs omnes pace fruebantur. O quantum polleret & gauderet civitas, si habuisset hunc continuum Pontificem! quantum triumpharet Ecclesia, si meruisset hunc superstitem! cujus vita non solùm sibi, sed & aliis omnimodo proficiens, quantum amplius contulit gaudium, mors acerbè & infeliciter septimo anno superveniens, tanto ampliorem molestiam, & post mortem venerabilis Abbatis Richardi ipso anno secundum grave adduxit infortunium; qui venerabilis Episcopus quàm desideranter mortem sustinuerit, testantur omnes qui exequiis sæpedicti Abbatis interfuerunt. Nam cum extremâ infirmitate urgeretur idem venerabilis Pater, domnus Episcopus quotidie eum visitabat flens & dolens se superstitem relinqui. Tandem ultimâ die summo mane adveniens, & videns eum jam extremum spiritum trahentem, ejus nutu ad altare sancti Laurentii accessit, Missam pro ejus resolutione celebraturus, quâ prædictâ ad Patrem rediit, & ultimum valefaciens ejus in oscula lacrymando ruit; tunc animâ tanti amici Domino commendatâ ejus corpus per se lavit, & de suo proprio eum honorificentissimè induit. Tertiâ verò vigiliarum ipsius peractâ die, dum post Missarum celebrationem in mausoleum eum venerabilis Pontifex deponeret, exosculans pectus illius oravit quatinùs pro eo intercederet, ne per annum ei superstes relinqueretur, quod eum impetrasse veris indiciis approbatur, dum venerabilis Abbas XVII. Kalendas Julii migraverit, & ipse venerandus Pontifex infrà spatium medii anni VII. scilicet Idus Novembris subsequutus sit. Anima hujus requiescat in pace; & memoria ejus viventibus sit continua, & posteris in sæcula sæculorum, Amen.

Obiit autem beatæ memoriæ RICARDUS Episcopus in istâ civitate Virdunensi, & sepultus fuit in sinistrâ parte majoris Ecclesiæ Sanctæ MARIÆ juxtà Chorum, ad cujus pedes erat altare in honore sancti Nicolai atque Germani consecratum, in quo ante incendium aliud ipsemet consecraverat in honore

sancti

sancti Nicolai & omnium Confessorum. Isti & omnes Sancti intercedant pro peccatis ejus ad Dominum Deum nostrum, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum.

Ætas Auctoris. Nunc autem in medio Monasterio S. MARIÆ requiescit in Christo Pontifex ipse RICHARDUS venerabilis, translatus à domino THEODERICO successore ejus feliciter regnante Episcopo, cum omni veneratione celebriter repetitis exequiis ac si in ipsâ die de hac vitâ migraverit. Hic suprà dictus RICHARDUS ante assequutam Episcopatûs sui consecrationem, quasi peccatis suis exigentibus urbi contigisse miserabilem paternè doluit infelicitatem, palatia esse incensa, ædificia antecessorum omnimodè diruta, & quidquid ad gloriam, hoc redactum ad ruinam, quidquid erat in suum & Coëpiscoporum honorem, hoc destinatum in miseram destructionem. Quantum autem doluerit, testata est maturè satisfacta reædificatio. O quantum providus erga suam salutem, quantum sollicitus erga suorum redemptionem, cum pro animâ patris sui Comitis HILDRADI, qui cognominatus est HECELINUS, viri militaris, viri in sæculo strenui, Theoniscurtem cum appendiciis omnibus Sancto Petro Sanctoque Vitono jure hereditario tradiderit.

40. Theodericus. Huic successit domnus THEODERICUS vir Teutonicus, Ecclesiæ Basiliensis Canonicus; cujus temporibus multa adversa passa fuit ista Ecclesia: secundo enim Episcopatûs sui anno civitas Virdunensis combusta est à Duce GODEFRIDO & Comite BALDUINO, unà cum Monasterio Beatæ Dei Genitricis MARIÆ, quâ combustione civitas ista magnum dispendium passa est. Hujus temporibus post transitum venerabilis Patris Richardi Abbatis Cœnobium istud suscepit regendum domnus WALERAMNUS.



HISTORIA EPISCOPORUM Virdunensium, Auctore *LAURENTIO de Leodio.

Epistola LAURENTII Monachi ad Dominum ALBERONEM Episcopum.*

* Ordin. S. Benedicti.

VEnerabili ALBERONI gratiâ Dei Virdunensium Præsuli & omni ejus Ecclesiæ, Frater LAURENTIUS de Leodiensi Cœnobio B. Laurentii, secundùm utrumque hominem feliciter in CHRISTO vivere.

Ante hunc annum ad urbem vestri regiminis adductus, maximè in eâ deprehendi illud Ecclesiastis, quia omnia sub sole tendunt ad interitum, & priorum quorum non est memoria involvit omnia mortalitas; & fortissimorum Regum & Tyrannorum, quodque magis doleamus, sanctissimorum quoque Martyrum & Confessorum non solùm gesta, sed etiam ipsa tollit ab hominibus, & sepelit cum ossibus nomina. Ecce sancti prædecessores vestri Sanctinus, Maurus, Salvinus, Arator, Pulcronius, Possessor, Firminus, Vitonus & multi alii, quo tempore vixerint, quæ mira, quæ gesta vivi effecerint hodie nescimus, & indignam pro nefas! Patronorum nostrorum patimur ignorantiam, quorum meritis illustramur.

De ipso etiam nomine B. VITONI lis penè in ambiguo est, antiqua monumenta eum VIDENNUM appellant, cui vocabulo vulgaris lingua magis consonat: si quæ inveniuntur de his, omnia incerta, & quasi per nebulam narrantur, ut vix digna fide reputentur. Et quidem primum istorum B. Sanctinum aliqui de 72. Discipulis Salvatoris fuisse ferunt. Verùm BERTARIUS qui eorum Catalogum prout novit, digessit, duas de ipso opiniones ponit: primam, quæ valentior est, quòd in multis legitur fuisse S. Dionysii Parisiacensis discipulus & Meldensium Episcopus, indeque verbo prædicationis, huic Virdunensium urbi Angelicâ visitatione illuxisse. Alteram, quòd in vitâ Sancti SERVATII legitur Sanctinum urbis Clavorum Episcopum Concilio Agrippinensi, ubi agitur de Hæresiarchæ EFFRATHÆ depositione, & B. SEVERINI subrogatione, interfuisse.

Cui de his duabus opinionibus magis fidem adhibeam vix invenio, nisi quòd aliqui ut hoc utrumque constat, duos Sanctinos diversis temporibus Virdunensi Cathedræ præsedisse autumant, quorum primum, vel Salvatoris de 72. discipulum, vel illum Meldensem Episcopum Martyrem fuisse volunt. Fratres THEOLOGII Monasterii dicunt de suo Cœnobio sex Monachos vel Abbates vestræ Ecclesiæ Episcopos datos. Laudanda est tamen Berthari pia industria, qui de ipsis cineribus & ruinis incensæ urbis & Ecclesiæ omnia prout potuit, prædecessorum saltem Præsulum, vel nuda nomina eruit, vel quædam gestorum nobis scintillavit. Nam ipsam tantillam de nostris Præsulibus notitiam ab ipso accepimus; non enim pro parvo duxerim, quòd insignia gesta, magnorum beneficio scriptorum eripiuntur ab interitu oblivionis. Refert Hieron. in prologo super vita S. Hilarionis, quòd Alexander Magnus Macedo, quem vel arietem, vel pardum vel hircum caprarum Daniel vocat, cum ad Achillis tumulum venisset, *Felicem te*; ait, *ô Juvenis, qui magno frueris præcone meritorum*; (Homerum videlicet significans.)

Hæc hactenùs dicta sunt, ut ab omnibus nostris quaqua versum gesta Patrum exquirantur, & memoriæ posterorum transmittantur, ut de proximo habeant quos maximè imitentur. Nam quæque civitas magis suorum amplexatur exempla; proinde & de istius civitatis antiquo statu, quæ diversis litteris comprehensa invenimus, hîc in unum breviter collecta, vobis transcribimus.

Antoninus socius Cæsaris in suo itinerario, ubi urbes, oppida, & municipia, per quæ viarum publicarum tractus ferebatur, dinumerat, hoc oppidum Verodunum vocari innuit. Vocabatur & urbs CLAVORUM, quòd vel murus ejus clavatus fuisse, vel quòd quædam hostilis obsidio clavis ferreis à civibus extra projectis impedita fuisse, & ita soluta discessisse ab urbe à quibusdam narretur. Quamvis incolas loci CLABOS, urbemque Claboniam, vel *Clabiam* gentiliter fuisse vocatam vulgaris opinio sit. Sed ut cætera bellorum monumenta, quæ huic oppido incubuisse scimus, narremus: sub MARCIANO Imperatore, ab Attila Rege Hunnorum, qui omnes Gallias ut singularis aper de silvâ devastavit, ista urbs & Ecclesia excisa & eversa creditur. Quo tempore S. Episcopum PULCRONIUM fuisse volunt. Tempore quoque MAGDELVEI ipsam Ecclesiam fuisse combustam, vita ejus narrat. Sub HILDINO quoque dignæ memoriæ Episcopo, quando Rex Carolus Abbatiam Theologiam cum rebus aliis Virdunensi Ecclesiæ ablatam cuidam ADELELMO dedit, quanta quoque Episcopus inde mala pro recuperatione sustinuerit, testis est ejusdem Hildini scripta lamentatio, & Nicolai Papæ pro ipso Adelelmo epistola.

Anno quoque DADONIS Episcopi 37. ignis civitatem & totam Ecclesiam consumsit. Libri, & memoriæ Sanctorum Patrum, & monumenta rerum Ecclesiæ combusta sunt.


Narrant quædam litteræ, quòd Boso GUNTRAN-

nus vir tyrannicus, & iste Dado Episcopus mutuis cædibus, prædis & incendiis sese devastaverunt. Exstat & charta Dadonis Præsulis de Hattone & Berthaldo Episcopis, & de se super Ecclesiastico statu multa insignia narrantis, & confirmantis. Sub istis Episcopis incursio Nortmannorum intrà Gallias facta est, & cum aliis hoc Episcopium vehementer afflixit: quosdam etiam Canonicos S. Vitoni Sanctique Germani incensis Ecclesiis martyrisaverunt; ut invenimus etiam in epitaphio, cujus hoc extremum est.

Haimo tuus germanus obit cum cæde piorum,
Pro Domino moritur, & tibi junctus adest:
Et quartodeno Martis hunc ante Kalendas
Normanni jugulant; æthere Martyr ovat.

Bethaldus Episcopus in destructâ Sancti Vitoni Basilicâ octo Canonicos collocavit, & res suas ipsi Ecclesiæ reconsignavit.

Anno quoque primo Bernuini Præsulis crudelissima gens Hungarorum istud Episcopium irrupit omnia penè incendit, homines aut necavit, aut abduxit. Refert vita S. Basoli eos divinitùs fuisse repulsos à Cœnobio Belli loci, quod est in honore S. Mauricii. De istis infortuniis exstat epistola Virdunensis Cleri. Ista quæ Bertharius in Pontificalibus gestis omiserat, ut hîc in unum breviter colligerem, & pro commendatione transcriberem vobis amantissimus, vir venerabilis Hugo Monachus noster nimiâ instantiâ, me invitum compulit. Et quoniam quæ ab hinc sequuntur usque ad tempus Theoderici Pontificis à quodam digesta inveniuntur, prædictus commonitor noster ut ab ipso Theoderico, usque in præsens tempus omnia quæ evenerant compilarem oppidò insistens, exegit. Ubi quæ de bonis sunt narrata, quoniam omnibus bonis placitura scio, si quorum delicta quæ historiam tenens non potui tacere, annotata sunt, oro ut nemo mihi indignetur, cum ego nullius crimen verbis exaggeraverim, & historiam necessariâ veritate sequi oportuerit.



DE GESTIS VIRDUNENSIUM Episcoporum à Theoderico XL. Episcopo usque ad XIV. annum Alberonis XLVI. ejusdem urbis Episcopi.

Prologus sequentis operis.

Scribimus ad laudem & gloriam benedictæ Dei Genitricis Mariæ semper Virginis, quæ in hoc ejus Virdunensium Episcopatu gesta sunt, pace vel bello memorabilia & digna relatu. Et quoniam priorum Pontificum hujus urbis gesta prout potuerint colligi litteris continentur, usque ad tempora Theoderici Episcopi, ab ipso Theoderico sumimus relationis principium, dicturi usque in hodiernum diem, quod Opusculum D. Alberoni Episcopo utpote ac ejus prædecessoribus scriptum & in ipso finitum, meritò dedicamus.

De Theoderico XL. Episc. Virdunensi.

Igitur anno Dominicæ Incarnationis secundùm Dionysium 1048. post venerabilem Richardum Theodericus hujus Virdunensium Urbis sedit Episcopus, à B. Sanctino primo, ut referunt, nostro Præsule XL. vir genere, moribus & sapientiâ præditus. Hic naturâ Teutonicus, & Basiliensis Ecclesiæ fuerat Canonicus, patre nobilissimo quodam Guezelone natus. Eodem anno Walerannus post Abbatem sanctæ memoriæ Richardum constitutus est Abbas in hoc Cœnobio Sancti Vitoni, jam pridem Monachus ejusdem, ex Comite Francorum Bretuliensi. Nam in bello quod apud Barrum Dux Goselo, & Godefridus filius ejus contrà Odonem militem [a], totis Franciæ viribus Lothariam invadentem, nobiliter confecit, ubi & ipse Odo occubuit: idem Walerannus sub prædicto Odone militavit, & succiso calcaneo graviter vulneratus, dum vitæ diffideret, ab Abbate Richardo susceptus, jam tum decimum annum agebat in palæstrâ Monastici ordinis. Hic per quindecim annos huic Cœnobio præfuit, cum quo etiam Abbatiam Aremarensem ex dono Tibaldi Comitis filii memorati Odonis regendam suscepit, ubi & nunc tumulatus requiescit.

Illis diebus contrà Imperatorem Henricum secundum rebellaverat Dux & Marchio Godefridus, dictus Gibbosus, Gozelonis Ducis filius, pro sublato sibi Mosellano Ducatu, quem cum patre Duce tenuerat loco Patroni, post obitum Theodorici Ducis Barrensis, qui filius nobilissimi Ducis Frederici, & Beatricis Hugonis Capitonis Francorum Regis sororis. Filius hujus Theodorici fuit junior Fredericus, qui mortuus est ante patrem suum in primo flore juventutis. Cujus Frederici duæ filiæ post obitum ejus nobiliter educatæ, Beatrix data est à Rege uxor Bonifacio Italiæ Marchioni, & Sophia Ludovico de *Monxian* Comiti.

Ducatus autem patris earum, quia neutri istorum cessit, sed datus est à Rege Girardo Castiniensi Comiti, ideo hic Godefridus, qui Patronus eis datus erat, justa in Imperatorem arma movere visus est sibi. Hunc idem Imperator inter multa alia Comitatum hujus urbis, quem à prædecessoribus suis tenebat, jam in Curiâ suâ exheredaverat, ipsumque Comitatum Richardo urbis Episcopo manu dederat, ut alteri quem idoneum judicasset, illum traderet. Pro quo ipsi Pontifici idem Dux dicitur exstitisse infensus. Sed etiam antea sub tempore Ramberti Episcopi, nobilissimum Comitem Chisneiensem Ludovicum, filium Ottonis Comitis, & patrem alterius Ludovici Domini Pontificis nostri Alberonis avi I. Bullionenses milites partis ejusdem Ducis intrà urbem oppressum exstinxerant, eo quod illum Episcopalis auctoritas prædicto urbis Comitatui præfecisset. Eadem Ducis infensio Theodericum Episcopum infestabat, quia & ipse nominati Comitatûs Principatum ei non recognoverat. Secundo anno Episcopatûs ejus, ipse Dux & Balduinus Comes Flandrorum cum manu validâ hanc urbem irruperunt, & in odio Cæsaris succenderunt multimodâ strage commissâ. Volebat autem Dux Monasteria urbis illæsa ab igne servare, sed subitò majorem Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis victrix flamma comprehendit, & Duce turmâque militari frustrà obnitente penitùs absumsit. Plurimus thesaurus, & litteralia monimenta rerum Ecclesiæ ibi combusta sunt. Tantum ipsa civitas, tantum ipsa Ecclesia tunc rerum dispendium pertulit, ut multi cives, multi Clerici locum istum fugerint, aliàs dispersi.

Fama est, viginti quatuor Canonicos de ipsâ concrematâ Ecclesiâ tunc Hungariam præ inopia profectos, quos constat nunquam fuisse reversos. Proinde Dux iram Dei metuens, pacem cum Episcopo fecit, centenas potestatum Ecclesiæ & prædia quæ invaserat reddidit, publicæ pœnitentiæ se addixit. Nam penè nudus & discalceatus, genuumque & brachiorum poplitibus flexis, rependo se per

[a] militem] Aliàs *Comitem*.

terram trahens, ita ex summo urbis usque ante majus altare Ecclesiæ quam incenderat, processit. Ibique multis verberibus, ut dicitur, se submisit, villas quoque sui juris Pusvillare & Arcum cum portu & piscaturâ & plurima alia donaria in opus reædificandæ Ecclesiæ contulit, satis tamen minora malis illatis. Ipsum urbis Comitatum quasi legitimam à Patribus hereditatem sibi vindicavit. Cumque Imperatori infestissimus, Neomagnum palatium miri artificii ei irreparabiliter, nobilissimum ALBERTUM de Longincastro, quem super se ille Ducem statuerat, bello exemerit, omnem Lothariam cædibus, incendiis rapinisque vexaverit: tamen per viginti duos annos, quibus postea vixit, benignus satis Virdunensibus fuit, & per venerabilem ERMENFRIDUM Virdunensis Ecclesiæ Archidiaconum Regi reconciliari meruit; qui postea Italiam pergens, nobile obsequium Bonifacio Marchioni præstitit, eoque mortuo Beatricem ejus uxorem duxit, filiamque ipsorum unicam Mathildem filio suo Godefrido desponsavit; exinde ambo Marchiones Italiæ & Duces Lothariæ fuerunt. Hujus Beatricis hortatu idem Dux celebrato intra hanc urbem Comitum & Principum generali Concilio, multa urbi & Ecclesiæ utilia disposuit, quod etiam in Ecclesiasticis annotatum est privilegiis; moriens quoque, in ipsa Ecclesia quam concremaverat, se sepeliri mandavit. Godefridus quoque filius, & successor ejus per octo annos, quibus Dux præfuit, nunquam molestus sed bonus nostris exstitit, & moriens Gemmatium prædium sui juris Virdunensi Ecclesiæ, in qua requiescit, contulit.

Porro in reædificandâ à fundamento Ecclesiâ, vel mœnibus incensæ urbis, magnus labor, magna sollicitudo, & industria Theoderici Episcopi claruit: unde & est ei in posteros memoria benedictionis.

In hoc opus reædificationis WASO venerabilis Leodiensium Episcopus quinquaginta libras argenti dedit: FREDERICUS quoque Comes Tullensis usuarium Argunnæ sui nemoris, tam ad reædificandam quàm ad retinendam Ecclesiam contradidit. Tunc etiam Ermenfridus Archidiaconus, sapientiæ, morum, & sanctitatis gratiâ præditus ex donariis Principum & fidelium, quæ ei pro suis meritis & obsequiis largè impenderant, Ecclesiam Sanctæ MARIÆ MAGDALENÆ à se jam fundatam consummavit, & in usus Deo ibi servientium pro posse ditavit. Sanè juvit eum præ omnibus ad hoc opus venerandus vir nobilis & urbis Advocatus, qui cum BERTRADA uxore devotâ liberalitate ipsum super quo fundata est Ecclesia, & multa alia alodia obtulit, & non modicum famulorum gregem superadjecit, in quâ etiam requiescit, scripto super eum condigno epitaphio. Postea ipse Ermenfridus famâ suæ religiositatis, hortatuque & familiaritate multos Clericorum de terris remotis post se traxit, & huic suæ Ecclesiæ itemque Sanctæ Dei Genitricis inseruit, per quorum industriam utraque Ecclesia in omni augmento rerum & religionis effloruit.

Unum istorum MARTINUM Scholasticum non præterierim, qui mortis in agoniâ constitutus, cum jam biduo loqui non potuisset, subitò cunctis mirantibus matutinas laudes Dei Genitricis solemniter incepit, & inoffensè percecinit; indeque Missale Officium ingressus, post decantatam celebriter concionem *Illumina faciem tuam super servum tuum*, inter sacra verba, confectum bonis operibus spiritum exhalavit.

His diebus Papa Romanus LEO IX. primùm Tullensis Episcopus, Gallias veniens Remis Synodum celebravit, ubi & ossa B. REMIGII, dedicatâ ejus Ecclesiâ transtulit. Inde cum precatu ipsius Ermenfridi ad consecrandam prædictam Ecclesiam Theodericus Episcopus honorificè ad hanc urbem adduxit, & ab ipso Sancto Papa assistentibus tribus Archiepiscopis EVERARDO Treverorum, ALINARDO Lugdunensium, HUGONE Chrysopolitanorum, plurimis quoque Episcopis dedicata est ipsa Ecclesia anno tertio Episcopatûs Domni Theoderici.

Ipse Papa miseratus ruinas incensæ urbis, & Ecclesiæ, Clerumque & populum sibi mox venienti prostratum, Ecclesiæ B. Dei Genitricis, pro omnibus monimentis incensis, rerum quas tenebat privilegium fecit; itemque Ecclesiæ, quam consecrarat, & Cœnobio B. VITONI; veniensque Leodium, Fredericum fratrem Ducis Godefridi, Archidiaconum S. LAMBERTI inde secum duxit, & Monachum, indeque Abbatem Cassini montis, ac postea septimum sui Levitam instituit: qui etiam tertius ab eo Papa post VICTOREM in Cathedrâ Beati Petri sedit, STEPHANUS vocatus à Romanis, succedentibus ei BENEDICTO & NICOLAO, qui nobis quædam privilegia fecit, indeque ALEXANDRO & GREGORIO VII.

Item Papa tunc in Synodo Remis Lingonensem Episcopum HUGONEM, fratrem WALERANNI Abbatis deposuerat pro quibusdam criminalibus causis. At Hugo Papam usque Romam sequutus, ut misericordiam ejus experiretur, plenam Synodum, cui ille præsidebat, nudus & discalceatus intravit, virgas quibus cæderetur manu tremulâ deferens, & ore lacrymali hanc Antiphonam canens: *Dedit Pater pœnitenti filio stolam primam pariter & annulum: nam & calciamenta illi tribuens, celebravit magnum convivium. Habemus stolam primam in lavacro, & annulum fidei signaculum.* Cum ita videntes omnes, in singultus proruperunt, lacrymas fuderunt, questibus Synodum repleverunt. Ipse Papa præ cæteris condoluit, & cunctis supplici reo suffragia ferentibus eum absolvit, utque pius pater pœnitenti filio stolam primam & annulum amissi Pontificatûs induit, & sandalia pacis recalciari edixit, dum solummodo Ecclesia sua quam læserat, vel quælibet eum alia recipere dignaretur Episcopum; ita ille à cunctis absolvi meruit, repatriare cœpit, languorem itinerando incidit, habitum Monachi sub nomine nostri Cœnobii, cui præsidebat frater suus, à Comitibus suis Cluniacensibus Monachis quæsivit, accepit, fideliter excessit, & inter obitus nostrorum adscriptus est.

At Theodericus Præsul plurimas deinceps molestias à militibus pertulit. Nam cum urbem & Episcopatum quos illi ante affligebant, in libertate sibi ab eis vindicaret, Comes Rodulfus de Crispeio vitricus PHILIPPI Francorum Regis istam urbem iterum incendit, eo quod Episcopus denegabat ei viginti annuas libras, quas à prædecessoribus suis accipiebat, ne regionem istam impugnaret.

Item ALO de Dunocastro vir ingenuus, dum Episcopus præsidium ejus in Rourovico, quem ille ex Episcopio violenter invaserat, obsidens expugnaret, istam urbem conflagravit, absentiam Episcopi & militantium aucupatus: uterque tamen per industriam Episcopi armis repressus ac repulsus est, & res Episcopi suæ libertati vindicata est. Ita sub hoc Episcopo urbs ista tertiò succensa est.

Præterea idem Præsul Manassem Comitem de castro Retexto armis suorum coërcuit ab invasione Ecclesiasticæ rei. Adversus castrum Sanctæ MANCHILDIS sibi infestissimum armatam expeditionem movit. Quo metu castrenses perterriti ei in medio itineris claves castri miserunt, suppliciter pacem petierunt, obsidionem precibus evaserunt. Sed Episcopus, ne nihil ad Ecclesiam reportaret triumphi,

eamdem expeditionem in Castrum Saptiminium æquè sibi infensum convertit, illud obsedit, cepit, & diruit. Hoc utrumque castrum erat prædicti Comitis Manassæ. Odonem virum ingenuum, fratresque ejus filios HUMBERTI sibi insurgentes similiter domuit, & munitione ante Clarummontem firmatâ ipsum castrum super ipsos cepit.

Duce quoque Godefrido Gibboso in Frisiâ sicariè mortuo, & in hac urbe à Duce Godefrido tertio, quem ex sorore nepotem sui Ducatûs heredem ille moriens designaverat juxtà patrem honorificè sepulto, nisus est ipse Episcopus auferre ipsum urbis Comitatum de sub jugo Bullionensis Principatûs, qui nimis urbem oppressisse videbatur. Unde ipsi Godefrido Boloniensi, qui Bullionico castro possesso in Ducatum avunculo successit, illum abstulit. Ratus oportunum tempus, quia illi, ut minùs legitimo Duci Rex & multi Regni Primates armis insurrexerunt, & nobilissimo ALBERTO Namurcensi Comiti, qui unus erat ejus hostium eumdem Comitatum beneficiavit. Cum etiam idem Albertus Bullionem castrum quasi magis hereditarium super prædictum Godefridum obsedisset, ei cum omnibus sui Episcopii viribus suppetias venit. Sed Dux inclusis suis bellicosissimus citò adfuit, & contracto exercitu obsidionem hostium solvit, multis nobilium interfectis. Subinde plurimùm offensus Episcopo, Comitem de Grandi Prato Henricum primò sibi graviter rebellantem, cum armis cepisset, solvit à vinculis, & Virdunico hostem territorio misit. Qui jussa ejus non segniter exequutus plura hostilia, ferro, flammâ, prædisque in nostros commisit. Ipse quoque Dux in Satanaco sui juris oppido castrum firmavit prominens in finibus Episcopii, per quod in nostros graves inimicitias exercebat: unde extemplò illud obsedit contractis undique auxiliariis, & prædicto Alberto cum omnibus suis, cum ecce in auxilium sui adest Dux iterum accinctus validâ manu bellatorum: acerrimè pugnatum est, cruentissimè concursum est, donec fessus uterque exercitus, jussu ductorum à cæde revocatus est. Actum anno Episcopatûs ejusdem Theoderici quadragesimo; ubi & multi nobiles occubuerunt: neutræ parti victoria cessit, sed Episcopus non solutâ obsidione suos tentoriis, Dux autem suos castro recepit, missisque inde cursoribus velocissimis, à totâ Germaniâ & Franciâ per fratres suos Eustachium & Balduinum cogebat exercitum sibi in auxilium. Quos ubi Pontifex super se irruere certissimò accepit, expavit, sanguine judicium facere extimuit, obsidionem solvit, eodem nuntio hoc ipsum agente, hortante & movente. Ipse erat HENRICUS venerabilis Leodiensium Præsul, cujus frater Fredericus Comes Tullensis, fratrisque filii Rainaldus, & Petrus, post in Hierosolymitanâ expeditione insignes habendi, tunc ibi sub Theoderico Præsule militabant, eratque ipse, & nostro Pontifici & Duci Godefrido carus & fidelis. Episcopo quidem, quia sub eo in Virdunensi Ecclesiâ, prima scholarum tirocinia transegerat, & ab eo Archidiaconatum susceperat. Duci autem, quia operâ ejus ante illud septennium ex Virdunensi Archidiacono in Leodiensem Episcopum assumptus fuerat. HENRICO enim tertio Imperatori expeditionem agenti contrà RODULFUM Ducem, qui assumpto diademate ex obedientiâ Romanæ Ecclesiæ Regnum susceperat, & jam Saxoniam occupaverat, idem Dux Godefridus reconciliatus, cum multo milite in auxilium venerat, cum ecce interfecto Rodulfo, dum celebratur victoria, nobiles Legati Leodiensis Ecclesiæ venerunt, quærentes sibi ex dono & sententiâ Cæsaris Episcopum. Tunc agente eodem Duce, in gratiâ ejus Imperatoria Majestas donum delati Pontificii ejusdem nuntiis, Henrico Archidiacono in hac urbe transmisit, quem & ipse Dux ut dulcem consanguineum ab hinc usque Leodium comitatus, illi urbi Pontificem assignavit, ubi ille inter prædecessores Præsules omni merito effulsit.

Theodericus igitur verus libertatis defensor, ita ut retulimus etiam suprà vires pro patriâ pugnabat. Tempore hujus Episcopi Kalendis Augusti horâ matutinali fulmen de cœlo irrumpens Ecclesiam, in medio psallentis Cleri ruit, & DOMINICUM Presbyterum qui collectam canebat, & ALGERUM Subdiaconum qui Choro præsidebat, percussos exanimavit, cæteris consternatis.

Dicamus aliquid de liberalitate ac devotione ejus: semel Hierosolymam ad sepulcrum Domini, multoties autem Romam ivit, ad Sanctos Apostolos oraturus, vel apud Apostolicam Sedem causas sibi creditæ Ecclesiæ acturus. Ipsius euntis liberalitas ipsi Græcorum Imperatori, itemque Papæ Romano visa est mirabilis & prædicabilis, GERVASIO quoque Remorum Archiepiscopo, qui magnâ Francigenarum comitatus frequentiâ eum usque Virdunum visitatum venerat, festum suæ curialitatis recompensavit, quum non minori comitatu Lothariorum ad eum revisendum usque Remorum muros accedit, Gervasius super portas Remorum clausas per duos Cantores & in occursum ei occinit: *Commovisti terram & conturbasti eam*; cui ille itidem duobus Cantoribus respondit, *Sana contritiones ejus, quia commota est*, & inde apud Sanctum Remigium Missam celebravit, in memoriam sui Capellam suam magni pretii ibidem repatrians [donavit.] Ecclesiæ suæ Duram prædium cum omnibus appendiciis magno pretio ab Imperatore Henrico tertio, Mirohat quoque castrum cum foreste, & Abbatiam Juveniaci à MATHILDE Marchisâ acquisivit. Ut de aliis Ecclesiis taceam, nostro beati Vitoni Cœnobio omnia altaria Ecclesiarum quæ nobis prædecessores ejus contulerant, Bannum quoque montis Sancti Vitoni dedit & confirmavit; & quia sub GRIMOLDO Abbate, qui Waleranno mortuo huic loco per sexdecim annos præsedit, religio per quorumdam insolentiam deperibat, quia per illum non poterat corrigi, eum amovit, & venerabilem Rodulfum sancti Agerici Monachum religione, scientiâ & moribus insignitum substituit, qui per se aliasque probabiles personas à suâ sancti Agerici Ecclesiâ expostulatas summam ordinis, & plurima bona huic loco induxit. Nam & bonus odor Religionis ipsorum etiam de remotis terris plures industrios huic Ecclesiæ tunc attraxit & associavit, quorum probitate usque modo locus iste nobilitari & magnificari promeruit. Tunc Ecclesia beati Agerici de qua hic Abbas assumptus est, ita florebat viris Religiosis, ut illâ contemporalitate de filiis ejus duodecim Abbates per diversas Ecclesias ordinati sint, omnes magnorum gestorum viri.

Psal. 59. 2.

Veniamus ad locum gravissimum, in quo, quod graviter dolemus, periculosa tempora plurimum laudibus digni Episcopi detraxerunt. Causa talis est. Anno Episcopatûs ejus XXXVI. inter Regnum & Ecclesiam illa digladiabilis seditio jam surrexerat, quæ totum Romanum Imperium involvit: Romanorum enim Papa GREGORIUS VII. Imperatorem HENRICUM Tertium pro suis criminibus, quæ plurima ferebantur, excommunicaverat, videlicet pro conjuge Reginâ PRAXEDE, quam ignominiosè servorum stupris & opprobriis submiserat, pro variis injustitiis & Ecclesiarum oppressionibus, & præcipuè quia investituras Ecclesiarum per baculum & annulum dare ex consuetudine priorum contrà antiquos sacros Canones, cum ab eo sub anathemate esset in-

hibitus, non omittebat. At Henricus super hoc infensus Romam bello petit, ipsum Papam Missarum solemnia celebrantem sacrilegè cepit & in vincula conjecit, indeque à Duce Apuliæ ereptum, Româ eum exturbavit, & geminatâ injustitiâ quemdam WITBERTUM Ravennatem Pseudo-Præsulem, qui per septem annos Apostolicæ Sedi inobediens rebellis & anathematisatus fuerat, Cathedræ ejus intrusit. Tunc omne Regnum in se divisum est, tunc omnis civitas in duas partes separata est, aliis causam Cæsarianæ Curiæ, aliis Sanctæ Sedis Apostolicæ defendentibus, & adversam partem insequentibus. Sedes siquidem Apostolica hostes suos anathemate omnes percutiens, à sacris mysteriis arcebat; Imperialis autem curia sibi infensos captivans & exsulans, honoribus privabat: demum ferro, cæde & igne pars utraque suos inimicos persequebatur. In hac quoque urbe duæ partes factæ sunt. Episcopus si quidem malè à suis inductus, & vel amore vel timore Principis nimis depressus, declinavit post partes Cæsaris; venerabilis verò RODULFUS cum suis fratribus Apostolicæ Sedi studiosus adhæsit. Hinc inter suos soluta est vetus illa amicitia, adeo ut Episcopus Abbatem cum suis plurimis injuriis affectos ab Ecclesiâ hac perturbaverit: sed pulsis pro justitiâ ipsa, contraria in bonum mox cessere: nam fratres Burgundiam ducti, à venerando Abbate Divionensis Ecclesiæ GERONTIONE per septennium quo idem Præsul supervixit, velut Angeli Dei recepti sunt, & benè in omnibus usi, eâque occasione nostræ & illi Ecclesiæ germana affinitas intervenit, dignior & firmior, ut credimus, quam illa inter Sabinos & Romanos olim; Rodulfo autem Abbati Apostolicum privilegium dedit, omnes ab Henriciano schismate resipiscentes reconciliandi in tribus Episcopatibus Virdunensium, Metensium & Tullensium. His diebus FULCRADUS Abbas Sancti PAULI consensu prædicti Pontificis hanc Abbatiam cum quibusdam suorum invasit. Sub eo ista Ecclesia amisit tria pretiosa pallia, duas magni pretii cappas, duo candelabra argentea sex marcarum, foratagia vini civitatis & pugillum, Ecclesias etiam de Marleio & de Metione, multaque alia. Hunc Fulcradum, & RICHERUM Decanum ipsis diebus cum idem Præsul Legatos misisset ad sigillandum altare Sancti MICHAELIS, pro eo quod illa Ecclesia se à Virdunensi ad Tullensem Episcopatum transferri vellet, & ad audientiam vocata Virdunum venire nollet, familia ejusdem Ecclesiæ invasos eos, scilicet Fulcradum & Richerum ab Ecclesiâ pertraxit, & vinctos apud Barrum incarceravit, quam ob rem ipsam villam & Ecclesiam ab hostico Episcopali contigit concremari; sed ipsum Richerum Sanctæ memoriæ Decanum, itemque de Clero ENGELBERTUM, HENRICUM, GESONEM & BOSONEM dignos omni laude fidei fervoris & Religionis dixerim, quorum instantiâ ita Ecclesiasticus ordo tunc invaluerat, ut omnis Clerus sub eis ductoribus insimul lectionem, cibum, dormitorium, & chorum nullo excusato frequentarent, volentes autem etiam ut nobiliores districtiùs regerentur. Sed Episcopum tandem senectute & nimiâ gravedine fessum, dum extremus dies urgeret, nec adesset qui Apostolicæ Sedi eum reconciliaret, Abbas RODULFUS ad eum reconciliandum duos de suis Monachis direxit, GERARDUM quondam Archidiaconum, & GERBERTUM postea Sancti Mauricii Abbatem, quos ille lecto suo assistentes, nutibus, quia loqui non poterat, mox salutavit, reconciliari petiit & meruit; eis enim offensas ejus in Apostolicam Sedem per capitula proponentibus, ipse ad singula supplicibus oculis, manibus, & tunsione pectoris similis pœnitenti culpam fateri & veniam petere videbatur; at ubi præposuerunt ei, confiteris, Pater, culpam de Monachis Sancti Vitoni, quos expulisti, tunc verò duobus pugnis crebriùs pectora tutudit, altiùs ingemuit, profundiùs suspiravit, ita ut omnes videntes prorumperent in lacrymas: hinc ab eis absolutus, post paululum spiritum reddidit. Illi sanè hanc ejus satisfactionem retulerunt ad venerabilem Rodulfum, Rodulfus autem ad Synodum, cui præsidebat Legatus Apostolicæ Sedis Hugo quondam Præsul Diensis, tunc Lugdunensis Episcopus, approbataque est ejus satisfactio ab omnibus. Sedit in Episcopatu annis XLIII. vir in multis idoneus & laudabilis, nisi hæc macula esset in extremis ejus.

De Richero quadragesimo primo Virdunensi Episcopo.

ANno Dominicæ Incarnationnis millesimo octuagesimo octavo post Theodericum electus est Decanus Metensis Ecclesiæ RICHERUS, vir pius & honestus, qui quoniam alia via non patebat, ductus est ad Curiam, contrà vetitum Apostolicæ Sedis à Cæsare Pontificalem baculum suscepit, fratres suos ALBERTUM, BEZELINUM, & JOANNEM viros nobilissimos dedit ei obsides quòd à fidelitate & communione ejus nunquam recederet, rediens honorificè recepi meruit; sed quia Romanæ Ecclesiæ offensam incurrerat, septem annis sine Episcopali benedictione permansit, donec Abbas Rodulfus, quem cum omnibus suis Monachis mox electus honorificè revocarat, dato consilio Lugdunum Burgundiæ duxit, ubi eum prædictus Hugo Archipræsul post abjurationem Henricianæ partis in Sancto Paschali Sabbato in Presbyterum consecravit, in die autem festo in Antistitem promovit; inde cum gratiâ & honore Apostolicæ Sedis reversus, à Coëpiscopis suis POPPONE Metensi & PIBONE Tullensi agente ipso Rodulfo decentissimè à totâ urbe susceptus est in misericordias Domini; ipse ut nuntius pacis & sidus salutare mox cuncta serenavit, bellis Episcopii consopitis. Solus HENRICUS de *Grandi prato* antiquas inimicitias adhuc exercebat, qui quoniam latrocinanti similis, clanculo deprædatus quæcumque posset, mox refugiebat, facile opprimi non poterat: quod cum ei Catalaunis fortè convento exprobrasset Petrus Comes, filius FREDERICI Tullensis, unus de Baronibus Episcopii, ille ferociter respondit, die illo ante Virdunum veniam, occurre mihi si audes, & comparemus nos in campo, quod cum PETRUS hilariter excepisset, uterque fide interpositâ juraverunt sibi quod non dimitterent. Venit dies constitutus, & Petrus cum Baronibus Episcopii promissum hostem Virduni exspectabat armatus: Henricus per quosdam ex urbe sibi intimos & familiares, quibus deferentibus omnia nostrorum molimina addiscebat, quæ fiebant agnovit, & adventum suum distulit. Eadem nostri eum facere arbitrantes, quasi desperarent eum venturum, urbe exeunt, reditum ad sua simulant; at Henricus ex solitis nuntiis eos ad sua lapsos audiens, mox cum suis ante Virdunum advolat, ex proximis vicis prædam agitat, iterque solito recursat: sed nostri qui arte reditum simulaverant, transverso tramite viam redituri hostis jam tenebant, cives etiam armati prædones è vestigio sequebantur; ita à fronte & à tergo hostes invasi, valideque pugnâ commissâ, multi interfecti, plures sauciati & capti sunt: reliqui cum ipso Comite vitabundi fugerunt: cæsi militantium quidem usque ad sexies vicenos, equorum & armorum tanta referta copia, capta castra, ut penè nostri inde ditescerent. 1088.

Henricus tamen ab impugnatione Virdunensis Ecclesiæ non distulit, donec judicium horrendæ mortis incurrit: auditis enim à Duce Godefrido & clarissimis commilitonibus ejus rebus præ Hierosolymis bene gestis, secundam expeditionem post eos animo intendit, Virdunum venit, crucem iturus accepit, sed Dei irâ præoccupatus & amentiâ captus, re infectâ ibidem miserè exspiravit. DUDO de Claromonte qui res Episcopii profligaverat, cum mansuetudinem Episcopi non curans, hospitatus esset Virduni, à Clericis est ibi captus & ergastulo inclusus, quod à tali hominum genere commissum cum Primates & Barones indignarentur, Clerici pro satisfactione ei post unum stadium scholarem librum detulerunt.

Anno consecrationis Richeri in Episcopum URBANUS Papa apud Clarummontem Arverniæ Synodum celebravit, ubi dona & Legatos suos Richerus ei transmisit; in eâ Synodo inter alia plurima prædictus Papa vocem per omnem Occidentis Ecclesiam misit, ut militares suas bellicas vires devoventes moverent expeditionem ad liberanda sacra loca Hierosolymæ, quæ deficiente brachio Constantinopolitani Imperii Saracena profanitas invaserat: ad quam vocem omnes nationes motæ sunt, & abjuratis civilibus armis quibus gravabantur Regna Occidentis & Septentrionis, multi nobilium arma voverunt in Turcas pro sacris locis; inter hos de nostro territorio eminebant duo fratres, Dux Godefridus, & Comes Balduinus .... de *Retexto* Castro nepos Manassæ Comitis suprà memorati, qui omnes tres sanctæ civitatis armis receptæ alter post alterum magnanimi Reges fuerunt. Ipse Godefridus sanctum iter meditans, arma quæ in nos moverat abjuravit, pacem cum Episcopo Richero composuit, Mosacum & Stanacum castrum quod in nos firmaverat, cum omnibus appenditiis Sanctæ MARIÆ in perpetuum tradidit; unde Episcopus auri & argenti plurima quæ de Episcopii Ecclesiis collegerat, ei in sumptum expeditionis sacræ contulit, & prædicta alodia Sanctæ Dei Genitricis confirmans, stantibus in stolâ de toto Episcopio Presbyteris anathematizavit, si quis ea deinceps auferret mensis Virdunensis Cleri. Cumque ipsa alodia MATHILDIS Marchisia relicta Ducis Godefridi Gibbosi, ut sibi à patribus hereditaria reclamaret; iterum Præsul eadem ab ipsâ matronâ multo pretio, primò à Lestatensi Synodo per Legato GERBERIUM Abbatem & AZELINUM Cantorem redemit, & ab omni extractionis nodo libera PASCHALIS Papa in eadem Synodo sub anathemate, itemque Richerus Pontifex in suâ Sede iteratâ simili excommunicatione in eum quicumque auferre tentaret, ea Virdunensi Ecclesiæ in perpetuum confirmavit, Comitatumque urbis, de quo toties discordia processerat, ab eodem Duce receptum, in gratiâ ipsius BALDUINO fratri ejus dedit, quem idem Balduinus sanctum iter cum fratre duce aggressus, mox post modicum reddidit, & Episcopus receptum Theodorico Barrensi Comiti, donis & obsequiis ejus delinitus ex consilio suorum tradidit, ut quia multum pro loco & viribus prodesse & nocere videbatur, totus nostræ utilitati intenderet. Idem Dux castrum Falconis montis quod in Episcopio firmaverat, ne in posterum noceret, abiens fecit everti, castrum quoque Bullionum cum omnibus appenditiis Sancto Lamberto Leodii contulit, accipiens ab Episcopo loci Alberto trecentas marcas argenti & libram auri in opus sacri itineris; ita insignis ille Bullionensium Principatus primum à Comite Godefrido, patre Adelberonis nostri Præsulis & duorum Ducum Godefridi & Gozelonis (duorum quoque Comitum Hermanni & Frederici, qui omnes cum suâ numerosâ progenie vel fortitudine in bello, vel Religione in Ecclesiâ præ cæteris claruerunt, istum quoque locum cum matre suâ Matilde præ cunctis mortalibus ditaverunt, feliciter cœptus; in ipso Godefrido feliciùs & sanctiùs est finitus, & per multos est divisus. Nam Ducatus ejus Cæsareâ manu primùm Lemburgensi, postea datus est Lovaniensi Comiti; Briacensem quoque potestatem Albertus frater Episcopi sub fine Marchisiæ Mathildis, relictæ Godefridi Gibbosi, sibi vindicavit. Item Albertus à fratre Richero Episcopo ut in rebus agendis ei adesset, Rourum vicum Episcopii tantùm in vitâ suâ in usufructuario accepit; quem nunc injustè sibi vindicant ejus posteri. Porro Dux Godefridus cum suis gloriosis commilitonibus transmisso Hellesponto, Nicæam, Bithyniam, Asiam, Pamphyliam, Phrygiam, & maximam urbem Antiochiam innumeris pugnæ obsidionis famisque laboribus cepit, & Gentiles ejecit; Syriam quoque & Judæam aggressus, sacra loca & sanctam urbem armis recepit anno ab Incarnatione vitæ Principis millesimo undecentesimo, & pro Lothariorum Ducatu Regnum Sanctæ Urbis à Deo promeruit, quamvis ipse se nunquam Regem, sed Advocatum ejus passus sit appellari. Eodem anno felici obitu excesserunt Urbanus Papa qui VICTORI successerat, Ecclesiastici privilegii adversùs Cæsaream violentiam ardentissimus defensor, & venerabilis Rodulfus Abbas Apostolicæ Sedis tenacissimus suffragator, eorumque Sedis & fervoris successores facti sunt PASCHALIS Papa & LAURENTIUS Abbas.

Interea Rex Henricus, quia Richerus Episcopus, ipso abjurato ad Apostolicam Sedem se contulisset, audivit, indignatus obsides datos repetiit, unum eorum JOANNEM in vincula conjecit, alii fratrem Episcopum convenerunt, ut ab obsidiatu suo eos liberaret, jure gentium; ille undique constrictus, similisque beato Martino qui sub MAXIMO nefariam Episcoporum communionem Treviris invitus inivit, Curiam adiit, satisfactionem Cæsari obtulit, & communicavit, de cætero firmam fidelitatem repromisit, & ita obsides absolvit; rediens à divino Officio tamquam reus Apostolicæ Sedis se per triennium suspendit, in quo spatio hæc nostra Ecclesia ei non communicavit, quod à quibusdam dum ei invidiosè suggereretur, ille repellens eos dicebat, sinite servos Dei, sinite: meliores enim sunt me: tantæ humilitatis & patientiæ fuit, nulli unquam molestiam per se inferens, demum Laurentium Abbatem & VIDONEM Archidiaconum Legatos pro se Romam misit, communionem & gratiam Apostolicæ Sedis expetiit. Ipsos Legatos Paschalis Papa primùm de commmunione sui Episcopi absolvit, deinde litteras pro absolvendo Episcopo ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum eis dedit. Richerus Lugdunum venit, ab illo suo consecratore veniam petiit, absolutionem meruit, rediens Virdunum non priùs intravit quàm omnes Canonici & Monachi apud Sanctum Vitonum convenerunt, ille pariter omnes pro communione quam secum in excommunicatione habuerant, absolvit, & fidem Apostolicæ Sedi servandam jurare compulit. Cætera sub Richero Præsule prospera fuerunt. Ipse anno Episcopatûs sui XVIII. die festo Apostolorum PETRI & PAULI in nostro Cœnobio Missarum solemnia celebravit, ipsis Apostolis & Vitono super Altare alodium Pauli-Crucis & bannum Marculfi-curtis ex privilegio tradidit, animam & corpus suum ipsis commendavit, sepulturam suam in hoc ipsorum Cœnobio delegavit. Inde *Vosagum* ad Valdentiam alodium Ecclesiæ ivit, in ægritudinem incidit, navigio per Mosellam relatus est Treviris, à BRUNONE

urbis Archiepiscopo inunctus, viaticoque munitus in pace obiit, corpus ejus lotum idem Bruno munificentissimè suis propriis indumentis Pontificalibus induit, & vehiculo illud GUIDO Archidiaconus revexit, ipsumque RICARDUS Albanensis Episcopus Romanæ Sedis Legatus apud Sanctum Vitonum sicut ille disposuerat, licet nolente Clero, honorificè
1107. sepelivit ante altare B. Laurentii anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septimo.

Is Richardus quondam Metensis Canonicus pro fide Apostolicæ Sedis cum HERIMANNO Episcopo suo à Rege in Wibertinis expulsus fuerat, & ideo Romana Ecclesia ita eum extulerat: hujus frater ARNULFUS sub Laurentio Abbate tunc erat noster Conversus, qui & post obiit Monachus, qui & ipse eum adhuc esset miles, tantâ fide Apostolicæ Sedi adhæserat, ut Lauzoni Abbati Sancti Vincentii Metensis, qui & ipse cum Herimanno Præside erat ejectus, quemdam Cononem à Wibertinis subinthronizatum Divionem Burgundiæ captum & vinctum direxerit. Iste cellam apud Bucconis villam alodium sui juris ædificavit, & B. Vitono cum omnibus tradidit.

De RICHARDO quadragesimo secundo Episcopo Virdunensi.

ANte illos dies Remorum Archiepiscopus Manasses vitâ decesserat & illa Ecclesia RICHARDUM Virdunensem Archidiaconum in pastorem sibi elegerat, qui fratre HENRICO Comite jam mortuo, & altero fratre BALDUINO, qui post illum alteram expeditionem pro Jerosolymis moverat, à Turcis martyrizato, Comitatum *Grandis prati* tunc regebat; proinde Paschalis Papa per litteras & Legatum suum prædictum Albanensem Episcopum eidem Archidiacono mandavit, ut ab ipso Albanorum Præsule in Diaconum ordinaretur, erat enim adhuc Subdiaconus, & sic consecraretur Remorum Archiepiscopus; sed Richardus nihil in his obedivit, & irritus Legatus recessit. Interim enim Richero Præsule mortuo, Clerus Virdunensis eumdem Richardum in Pontificem sibi elegit, quam electionem ille priori postpositâ pluris duxit, Metasque ductus de manu Regis baculum Pontificii suscepit, & rediens cum Treverorum Archiepiscopo susceptus est cum laudibus. Ipse quoque Rex cum Imperiali Curiâ subsequutus, eodem die susceptus est cum totius urbis applausu: die tertio ipsius Richardi suggestu idem Rex castrum Clarimontis obsedit & ad deditionem compulit, quia Guido de ipso castro vexabat res Episcopii; ipse Rex Henricus IV. primum annum tunc agebat in regno post patris obitum, quem patrem Sanctæ Ecclesiæ graviter insurgentem, quamvis ipse filius custodiæ mancipaverit, Regni insignibus spoliaverit & usque ad mortem persequutus sit, tamen ejusdem patris mortui imitator Ecclesiam impugnando exstitit. Interim Paschalis Papa Trecas Franciæ Synodum tenuit, ubi inter alia cum ageret de Guibertinis, fertur dixisse: Richardum Virdunensem, qui se tradidit Regiæ Curiæ, & nos tradimus eum Satanæ; inde Archiepiscopo Treverorum aliisque denuntiavit eum excommunicatum. In sequenti quadragesimâ cum penè omnes Religiosi communionem Richardi & Cleri sui vitarent, iter ad Papam intendens, mandavit suis, ut ab Archiepiscopo de sui communione facerent se absolvi, Romam ivit, absolutionem à Papa petiit, & multis sermonibus ultro citroque auditis; hoc ultimum à Papa audivit, nisi priùs investituræ Episcopatûs, quam de manu Laïci, id est Regis suscepisti, abrenuntiaveris, & nisi te non ampliùs de eodem nisi de permissione nostrâ te immisturum affirmaveris, omninò à nobis absolvi non poteris. Super hoc responso Richardus se velle consilium quærere dixit, ab aspectu Papæ exiit, nunquam redit, sed comminatus suis, si ampliùs eum pro excommunicato haberent, quòd eos & omnia eorum in exterminium daret, Româ exiit & coactis suis repatriavit. Papa post illum has litteras misit. » Paschalis Episcopus servus servorum Dei dilecto filio « LAURENTIO Abbati Sancti Vitoni, salutem & A- « postolicam benedictionem; Richardus Virdunen- « sis ad nos veniens nullam reatûs sui satisfactionem « Ecclesiæ fecit, unde nec à nobis in communionem « susceptus, nec à vinculo excommunicationis est « absolutus: quapropter dilectioni tuæ mandamus « ut illius consortium omninò evites, & tam eum « quàm omnes fautores ejus, & omnes qui ei scien- « ter communicant, à nobis excommunicatos esse « denunties. « Clerus Virdunensis qui ab initio profectionis Richardi ad Romam ab Archiepiscopo erat absolutus, reverso Richardo ipsam absolutionem irritam fecit, quia gratiâ vel timore ejus oppressus ei excommunicato communicavit; quòd si quis renuisset, factione illius opprimebatur donec cederet. At LAURENTIUS Abbas respectu Dei plenus, per omnia Apostolicæ Sedi obediebat, & omnes ei commissi: proinde quotidie conflabatur & ingravescebat in dies discordia inter duas Ecclesias, Sanctæ Dei Genitricis & Sancti Vitoni: quia filii eorum non communicabant alterutris, & quando Clerus ex more stationem apud Sanctum Vitonum faciebat, collectis Clericorum Monachi ut antea solebant, non intererant, sed post discessum eorum omnia quæ illi contigerant, aquâ lustrationis expiabant.

Interea GUIDO Archidiaconus, qui cum Richardo Romam ierat, & dum acutis febribus infirmaretur ab eo repatriante dimissus Bononiæ æger remanserat, ab Italia rediit, Clerum Virdunensem Richardo communicare audivit, sibi si Virdunum reverteretur perinde timuit, aliàs divertit. Dum enim in Italiâ ægrotans, vitæ diffidens, quæsisset qui sibi viaticum & necessaria animæ ministraret, invenit neminem, quia omnes eum ut excommunicatum vitabant, & nisi de communione Richardi & Cleri Virdunensis culpam fateretur, eum post mortem in sterquilinio sepeliendum minabantur; tandem ut reconciliaretur, vovit Deo sub periculo mortis, quia Richardo & fautoribus ejus nunquam communicaret nisi ille à Papa absolutus esset, hoc ei injungentibus tribus Mutinensis Ecclesiæ Canonicis tunc ægroto; Pio Parmensi Episcopo qui vices Papæ agebat, idem imponente tunc sano: vitans ergo communionem Richardi & Cleri Virdunensis, ut absque eorum communione inter eos bonis suis uti posset per amicos rogavit, sed Richardus & Clerus gravissimè hoc acceperunt, & missis litteris ut usque ad quadraginta dies veniret, satisfacturus quòd consortium eorum vitasset, ei Metis posito mandaverunt. Interim Richardus omnia ejus bona quæ Virduni reperit, invasit, dissipavit, eumque capere ubicumque inveniretur suis mandavit. Guido eum per affines & amicos, deinde per Abbates & Episcopos, maximè per suum Archiepiscopum convenit; at ubi nihil per eos profecit, sumptis eorum in sui suffragium litteris Romam redit; ultrà Cluniacum veniens, Richardum Albanensem Episcopum obvium habuit: ei sciscitanti causam sui itineris aperuit; ille eum secum omisso itinere retinuit. Virdunum ad Richardum pro eo & pro Abbate Laurentio, quem rebus & Ecclesiâ suâ privaverat, monitorias & precatorias litteras misit:

sed tandem post repulsam litterarum & precum suarum reverso nuntio, eum ad Papam cum suis litteris transmisit. Guidonem Papa excepit, consolatus est, decem septimanis secum retinuit, demùm cum his duabus epistolis remisit.

» Paschalis Episcopus servus servorum Dei Abbatibus & cæteris Clericis, RAINALDO de Monzione Comiti, RAINALDO Tullensi, & cæteris Clericis de Archidiaconatu Guidonis salutem & Apostolicam benedictionem. Pro Catholicæ unitatis dilectione Guidonem Archidiaconum vestrum à Richardo Virdunensis Ecclesiæ invasore bonis suis exspoliatum audivimus, qaamobrem charitati vestræ nostris præsentibus eum litteris commendamus; præcipimus enim ut ipsi de Ecclesiis ad Monasteria pertinentibus consueta justitia, & à Clericis seu laïcis obedientia debita sicut Archidiacono impendatur; alioquin donec obediant divinis officiis careant, & decimas suæ plebis amittant; vos autem filii quibus Deus sæcularem potestatem dedit, & qui armis justitiam contuemini, pro B. Petri reverentia ejus adjutores existite, & ejus adversarios viriliter cohibete: id ipsum de venerabili viro Abbate Sancti Vitoni tam vobis quàm reliquis Virdunensium partium præcipimus, qui propter eamdem Catholicæ unitatis dilectionem loco suo rebusque suis privatus est, præfatum autem Guidonem noveritis apud nos Diaconum ordinatum. «

Hanc epistolam quibus transmittebatur GUIDO dedit. Item alia epistola.

„ Paschalis Episcopus servus servorum Dei, fratribus Virdunensis Ecclesiæ Catholicis salutem & Apostolicam Benedictionem. Richardum vestræ occupatorem Ecclesiæ à Sanctâ Romanâ Ecclesiâ pro suis meritis excommunicatum etsi hactenùs non legistis, certiùs tamen & audisse & scire credimus; nunc autem vobis scripto nuntiamus ut eum excommunicatum scientes, communionem ejus omnimodis caveatis. Sane Abbatem Sancti Vitoni & Archidiaconum Guidonem pro Catholicæ unitatis dilectione & dignitatibus, & rebus suis privatos audivimus: præcipimus ergo si qua penes vos B. Petri & nostri obedientia est, ut locis suis bonisque restituantur. Si autem præsentibus litteris obedire contemnitis, nos Ecclesiam vestram à divinis Officiis interdicimus; qui verò ab hujus erroris macula resipuerint, cum fratris nostri Treverensis Archiepiscopi, seu supradicti Abbatis consilio Catholicæ unitati reconcilientur; præfatum autem Guidonem noveritis apud nos Diaconum esse ordinatum. Data Lateranis decimo quinto Kalendas Aprilis.

Has litteras Guido deferens Virdunum venit, apud Sanctum Vitonum aliquot diebus occultè se continuit, ratione nitens animos Cleri sibi conciliare: postquàm id frustra esse & pertinaciam augeri sensit, quâdam mentis constantiâ se armavit, reverentiâ Romanæ Sedis se tutum fore saltem apud Clerum credidit, matutinis horis (de die enim militiam Richardi timebat) Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis introivit; collecto ibi toto Clero in festo Sancti JACOBI altari adstans Epistolam Papæ superposuit, & voce patriâ dixit; si quis Catholicus est, ecce litteras Domini Apostolici accipiat, legat, & obediat. Mox Clerici qui de eo reverso certi majorem in eum iram conceperant, tumultuariè in eum irruunt altari inhærentem, & pignora Sanctorum amplexantem: eis eversis, usque ad medium Chori per capillos abstrahunt, pugnis & calcibus in eum sæviunt; at ille extorquens se manibus eorum fugit in atrium Sanctæ Mariæ Magdalenæ: venerabatur enim ab omnibus, maximè pro consecratione Sancti Leonis noni; illis à tergo insequentibus & inconditè per civitatem tamquam ad latronem clamorem in eum excitantibus; ibi quoque ubi tutiorem se pro sanctitate loci crediderat, capitur, verberatur, ligatur, Richardo deductus præsentatur, à quo post convicia & minas ad castrum Grandis prati destinatur, arctissimo specu immergitur, fame, nuditate, vinculis premitur, nullo amicorum ad consolationem ejus admisso; sed tantùm his qui atrocia nuntiarent, qui terrorem incuterent: à quibus omnia mala intentantibus oppressus, coactus & invitus Richardo & Clero pro libitu eorum se satisfacturum promisit, fidem eis fecit, osculum dedit, ad horam communicavit: ita carcerem evasit; mox libertati redditus, Albanensem Episcopum RICHARDUM adiit, omnia retulit, de coactâ communione Richardi absolvi petiit. His auditis Richardus & Clerus Virdunensis infremuerunt; minaces nuntios alios atque subinde alios cum litteris ut reverteretur, miserunt, ille manibus eorum se jam meritò non credens, & in omni loco nullam audientiam vel justitiam cum eis subterfugiens, ab eis conductum pro salute sui corporis quæsivit, pollicitantibus quos vellet conductores denominavit, quibus non datis totum hoc negotium infectum remansit, & præbendam & honorem Guidonis in Virdunensi Ecclesiâ Richardus aliis dedit. Clerus in Guidonem criminosas litteras compilavit, quas ille validis argumentis irritas fecit. Apologeticum de se scripsit, in quo longâ oratione hanc omnem tragœdiam depinxit. Romana Ecclesia Guidonem sibi emeritum suscepit & coluit, Albanensemque Episcopatum post mortem venerabilis Richardi ei delegavit: sed ante consecrationem ipse ut dicitur, obiit. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo XI. Henricus quartus Rex, per vestigia perfidi patris incedens, cum investituras Ecclesiarum violenter sibi vindicaret, & Papa sub anathemate hoc ei interdiceret, Romam ivit specie quasi Papæ satisfacturus, sed post tertium fidei sacramentum subitò in Ecclesiâ S. Petri, aliis hoc nefas fugientibus, ipse manu suâ Paschalem Papam cum Cardinalibus cepit, suis Pontificalibus exuit; loco immundo alios Cardinales immisit, maceravit ad libitum sui, pœnis & minis flexit, illicita Sacramenta & sacrilega privilegia, ut Rex ex more investituras Ecclesiarum teneret, & per baculum & annulum daret, neque pro aliquo eum commisso unquam Papa excommunicaret, violenter ab eis per scriptum extorsit, & per omne Regnum omnibus suis misit ac transcribi & teneri jussit: quod Richardus mox adeptus scripsit, ad Sanctum Vitonum detulit, accersitis fratribus legit, & exprobrans: ecce, inquit, ecce quò tribulationes vestræ, quò exilia vestra quæ per annos triginta plus minus passi estis, ecce omnia in cœnum devoluta sunt. Quid referam quosdam comites ejus os suum in cœlum elevasse, grandia de Rege disputasse, eum Regem pariter & summum Sacerdotem, quod nec apud ullos hæreticos dictum invenitur, prædicasse, ejus juris esse ut Præsules faciat vel deponat dialecticasse? Fratrum Conventus (nec enim Laurentius venerabilis aderat) audiens, erubuit, ingemuit, & quia turris Romanæ fidei ceciderat, nullus eorum fuit qui aperiret os & gànniret, tantùm intendebant quem eventum tanta ruina inveniret. Interea qui erant principes in exercitu domini, Richardus Albanensis & Guido pro Papa tunc Archiepiscopus Viennensis, aliæque similes columnæ Ecclesiæ Transalpinæ contra hanc Cæsaris iniquitatem simul collecti conclamaverunt, ad erigendam & fulciendam

An. 1111.

ciendam Romanæ Ecclesiæ turrim ut viri fortitudinis se mutuò adhortati applicuerunt, violatores Romanæ Ecclesiæ anathematizaverunt, data privilegia pravilegia rectiùs vocantes damnaverunt, ipsum Papam qui violentiam passus dederat in suam sententiam cogentes, ea damnare & anathematizare compulerunt.

Ita inde Regno, inde Ecclesiâ suas partes tota vi fulcientibus, cum Richardus & Clerus Virdunensis regias partes plus justo defensarent, ecce tota tempestas eodem anno suprà Abbatem Laurentium & ejus Ecclesiam incubuit, qui soli inter eos audebant Romanæ Ecclesiæ obedire, & eis non communicare; istis Richardus & Clerus Virdunensis post Guidonem elapsum omnes scandalum intentantes, laïcos devotionis causâ ad eos venientes publicè cædebant, & ne ultrà venirent jubendo denuntiabant, confratres autem Clericos si ob devotionem ab eis communicati fuissent, eorum fraternitatem negare cogebant, & communioni datæ ab eis iterum suam superponebant. Hairico denique piæ memoriæ Canonico, qui devotissimus eorum confrater pluribus donariis eos foverat, in extremis agenti viaticum, itemque sepulturam ab eis petenti, Richardus interminans mandavit, quia si hoc fecisset eum mortuum non alicubi nisi intrà domum suam tumulari faceret; idem aliis Clericis hoc faciebant, Monachos ab illis communicandis domibus seratis arcebant, à sepeliendis cum injuriâ repellebant. Interea festivitas S. Vitoni venerat, in quâ ad primas Vesperas & Missam collecta Cleri ex more pulsatis signis venire solet; in hac quoniam deprehenderant ante suum adventum Monachos suam collectam explere, ne collectis eorum interessent; eis vespertinam horam cantantibus improvisi supervenerunt, cum necdum signa pulsata, necdum certa esset hora; ostiolum chori, quia necdum exspectabantur, clausum offenderunt, indignati pulsaverunt, tumultuariè clamaverunt, nec sic tamen aperiebatur, ne quod intendebant, se immiscendo turbarent fratrum collectam; tandem à suis reserato ostio quidam eorum unum de fratribus Conversum qui ne eis aperiretur obstiterat, impellunt, distrahunt, barbam & capillos ei vellicant, corpus contundunt, Monachis aspicientibus, dolentibus, subvenire non audentibus: inde non celebratis vesperis redeunt, unum scholarem sanguine infectum Richardo statuunt, à Converso prædicto adstruentes hoc ei factum, illum ad vindictam pro suâ & ipsorum irâ mox accensum secum adducunt, totâ civitate commotâ & ad idem spectaculum confluente. Illâ vespera & die alterâ in medio Claustri fratrum ordine expulso, Richardus cum suis concionabatur contrà venerabilem Laurentium, & multis dictis & auditis divinum officium abusivo ordine ei interdixit, & in fine imposuit pro crimine quòd Imperatori & sibi esset rebellis, nec servaret fidem, sed insuper sperneret communionem eorum, ideo dignum esse ut omnia temporalia quæ de Imperatore & per eum de se tenebat, reus utriusque amitteret; ita rebus & potestate Abbatiæ intùs & extùs violenter eum privavit; claves ærarii & librarii rusticis Ecclesiæ, custodiam verò Claustri Clericis commisit; insuper mercatum & vias Episcopi publicas Laurentio & suis interdixit, adeo ut quidam in illis deprehensi injuriis sint submissi. Tantæ violentiæ venerabilis Abbas cessit, locum ad tempus mutavit, quosdam sibi commissorum secum duxit, reliquis ut sequerentur mandavit qui non segniter jussum exequuti, quotidiana fugâ dilabebantur custodiam Clericorum frustrati; Clerici residuos eorum (quia tantùm juvenes remanserant) ut sibi communicarent omnimodis agebant, & oblatâ Treverorum Archiepiscopi epistolâ Clericalis Communionis commonitoriâ; & Abbate S. Huberti Roberto multisque aliis ad hanc pacem impellentibus, eos in suam communionem transire fecerunt. Laurentius factum audivit, doluit, litteris missis ut spretâ communione omnes sibi obedientes egrederentur, imperavit. Nocte sequenti quidam Hugo fervidæ & dignæ indolis, cui reliqui penè innitebantur, qui etiam de secundâ fugâ jam ante retractus & vinctus fuerat, tertiâ fugâ dilapsus, cum socio quodam Riozoni evasit; destituti alii qui remanserant, versantes consilium effugiendi, die alterâ prælatâ cruce cum processione Monasterio exeunt, & per medium civitatem transeunt, ad Pauli Crucem suam cellam evadunt, totâ urbe post eos lamentante & damnationem Richardi detestante, ipso quoque Richardo graviter dolente; nam traditur, quia à quibusdam Clericorum vel Monachorum etiam nolens impellebatur in eos, inter quos maximè notatur Theodericus Primicerius, de quo quid memorem, qualiter Clericis fugatis, domibus eorum confractis, Primiceriatum invaserit, ut illum Canonicâ censurâ bis amiserit, & Cæsareâ violentiâ reinvaserit, quomodo avunculo suo Episcopo Theoderico in extremis agenti ne Catholicæ unitati reconciliaretur, coram Herimanno Metensium Episcopo interdixerit, qualia Cæsari inde scripserit.

Laurentius Abbas fratres dispersos colligens, oportunis cellis Seniores collocavit, juniores verò Burgundiam misit, ubi à venerando Abbate Divionensis Ecclesiæ Gerontone affectuosiùs quàm dici possit propter fraternitatem priùs initam sunt recepti, & per triennium quo Richardus supervixit sunt ibidem commorati, ipsa Ecclesia se in omnibus per eos profecisse & testatur & lætatur.

Tanta commotio sub Richardo in Virdunensi Ecclesiâ surrexerat, sed nec minor ipsi territorio inerat. Causa bellorum ab initio Principatûs ejus talis erat. Homines ejus de Castro Desuardo civem Metensem ceperant: quem dum vinctum tenerent, indignati Metenses ipsum castrum obsiderant, & captum diruerant. Quod postquàm reædificavit Richardus, Comitem Urbis Rainaldum filium Theoderici, quod castro Episcopii non succurrisset criminatus, in jus vocavit: qui cum ad audientiam non venisset, Richardus collecto nobilium conventu ei Comitatum urbis abjudicavit; & Guilhermo Luxemburgensium Comiti, quia fortior aliis videbatur eum tradidit, cui etiam in pretium bellici stipendii pro ducentis libris Mosacum & Stanacum oppigneravit, parvi pendens excommunicationem à Præsule Richero super illis prolatam: ita sub eo Virdunensis Ecclesia Mosacum & Stanacum usque nunc amisit. Subinde Rainaldo Comitatum Urbis sibi armis defensante, & Guillermo cum ope Richardi sibi vindicante, cædibus, incendiis, rapinis omnia miscebantur; Rainaldus tamen graviùs solus à duobus urgebatur: qui primo impetu belli amisit vicum S. Michaëlis, & castrum incensum & eversum, deinde quotidiano armorum impulsu totus ejus patrius Comitatus cedit in ruinâ, præter castella, & rara loca naturâ & arte virisque munita: ad hæc quoque expugnanda Imperatorem Richardus vocavit, qui moto exercitu Rainaldum intrà Barrum obsedit, & castro diruto eum captum abduxit. Demum intervenientibus pro eo de toto regno nobilissimis consanguineis, custodiâ solvit, cum omnibus suis ut sibi cognatum ad propria remisit, tantummodo hominium sibi ab eo suscepit. Richardus autem videns omnia sibi contraria, Romanam Ecclesiam infensam, Cæsarem infidum, quippe qui gravissimum sibi hostem carcere solvisset, ipsum Rainaldum contrà se

nova moliri, se jam per septem annos sine benedictione Episcopali esse, & sub anathemate Sedis Apostolicæ degere; animo excidit, versabatque consilium ut se eriperet de tot malis, & collectâ multâ pecuniâ Hierosolymitanum iter vovit, & imprimis Laurentium Abbatem in pleno nobilium conventu ad Apostolicam audientiam tamquam in se reum invitavit, invitationemque ejus, quòd ab eo exspoliatus sumptum eundi non haberet, renuenti necessaria ei itineris repromisit, quæ tamen ituro omnia mox denegavit. Ipse autem subinde à Laurentio, ut Legato & Monacho suo vice suâ responderet ante Apostolicum invitatus, cum ingenti pompâ comitatus Hugonem Trecacensium Comitem, tunc in Hierosolymam movit; Italiam veniens Tiburiam ubi Papam esse audierat, ut ab eo veniam peteret divertit; & cunctis sociis de more peregrinorum admissis, ipse solus in medio lutulentæ plateæ ante conspectum Apostolici per fenestras palatii aspicientis stratus in terram pronus corruit, flebiliter exclamavit: Miserere mei, Miserere mei pie Pater. Paschalis jam de viâ ejus per Guidonem Archidiaconum & Rodulfum Monachum Laurentii Abbatis nuntium certum acceperat; ita eum videns indoluit, & flexus ad pietatem dixit: Gratiâ tui Romam revertar; veni mecum, & in Romanâ Cardinalium Curiâ faciam in te misericordiam Domini ex consilio eorum; Reddo, ait, tibi baculum Pontificii, tu tantùm hic absolve me; neque compellas Romam ire, quia omninò non possum hunc comitatum meum in Jerosolymam dimittere. Quid plura? ubi abnuit Papa nisi Romæ eum absolvere, ille à facie ejus dolens discessit, cum suis ivit; langore in quem inciderat ingravescente lecticâ vectitari cœpit, cum ecce ita eunti Richardus Albanensis obviavit, & admirans quisnam es tu, inquit? at ille cum suspiriis ait, ego sum miser & exul Richardus Virdunensis; audiens ille obstupuit; & quidnam cum Domino Papa egisti dic? heu heu nihil, inquit, nullam misericordiam inveni, & ecce morior in peccatis meis, nisi citò succurreris; & narratis quæ facta sunt, succurram tibi ut potero, inquit, exspecta me hîc, ut postquam loquutus fuero pro te Papæ & Romanis, impetratam reconciliationem deferam tibi: dixit, & illo gratias agente pertransivit; Romam acceleravit, veniam illi impetratam deferens, iter ad eum velox retorsit, cum ecce peregrini ei occurrunt nuntiantes Richardum jam mortuum, jamque sepultum. Obierat autem apud Cassinum montem anno septimo quo Virdunensis Ecclesiæ erat electus, necdum tamen consecratus Episcopus, & vacavit Episcopatus annis tribus & semis.

Illis diebus Abbas Laurentius ad sua unde expulsus erat, rediit, suos revocavit, thesaurum quem Ecclesiæ suæ subtractum invenit, ut sibi redderetur per Archiepiscopum effecit. Clerus quoque certus de morte Richardi, absolvi se ab eodem Metropolitano expetivit; Guillermus quoque Comes cum Rainaldo in pace convenit, reddito ei Comitatu urbis nolentibus ipsis urbanis: unde ipsi duo ad expugnandum Virdunum conduxere validas copias pugnatorũ; sed Virdunenses primò inducias petierunt, eisque datis, cum hostes recederent, eis incurrunt, & grave utrisque à partibus bellum commissum est, inde Rainaldus saucius reportatur.

De HENRICO, *tertio supra quadragesimum Virdunensi Episcopo.*

INterea quidam HENRICUS, & mundana sapientiâ præditus, & Guintoniensis Angliæ Archidiaconus, qui inde venerat cum filiâ Regis Anglorum Mathilde, quam duxerat Rex Romanorum, in obsequiis ejus positus, per eam ab ipso Rege donum Episcopatûs Virdunensium accepit, & præmissis Virdunum Legatis, donis & promissis animos habitatorum urbis pro se inclinavit, ita ut ipse Legatos subsequutus, cum honore susceptus sit ab eis; cui cum mox communicassent, Laurentius Abbas cum suis ab eorum communione refugit: BRUNO quoque Metropolitanus electionem ejus improbavit. GUIDO etiam Viennensis, Legatus Apostolicæ Sedis eum excommunicavit; ipse demùm Henricus, post annum consultus à venerabili Laurentio ut se redderet in manu Apostolici, iter ad Romam movit, à Cæsarianis in viâ captus, & elapsus Mediolanum usque pervenit, JOANNI Cremensi qui Cardinalis Presbyter erat, ibi invento, quônam iret petivit; Joannes in ipso itinere Cæsarianos versari dicens, eum vice Papæ suscepit, absolvit, in Episcopum consecrari fecit, ad suos remisit. Eum revertentem jam prævenerant Legati Regis, ut sibi mitteretur Virdunensibus mandantis: veniens clausas urbis portas & animos eorum infensos invenit, ad Hadonis castrum secessit, inde arma intentabat & minabatur urbi, quamobrem urbs & Clerus ad deponendum eum consurrexit, ad Archiepiscopos Apostolicæ Sedis Legatos, ad ipsum quoque Papam accusans eum malæ intrusionis.

Interea defuncto Papa Paschali, Romanorum Ecclesia Joannem GAITANUM Apocrisarium in Papam statuit, & *Gelasium* cognominavit; cum Rex Romam accelerans, omnibus eis jam esset timori, à cujus etiam facie fugâ sunt dilapsi; at Rex veniens electum eorum improbavit, & Mauricium Burdinum, Bracarensem Hispaniæ quondam Episcopum, tunc depositum Romanæ Cathedræ intrusit: cujus violentiâ Gelasius in Gallias aufugit, & post annum Cluniaci obiit, Guidone Viennensi, qui est Callistus secundus substituto à Romanis: qui partes Ecclesiasticas corroborans, Synodum Remis celebravit, ubi inter plurima ne investituræ Ecclesiarum per baculum & annulum à Laïcis fierent, sub anathemate interdixit, & sanctæ memoriæ FREDERICUM, quem Deus tot signis clarificavit, in Episcopum Leodiensem consecravit. In eâ Synodo Henricus per Cardinales sibi conciliatos contrà suorũ accusationem prævaluit, & confirmationem Episcopii accepit; rediens tamen non est receptus à suis, nisi ab Abbate Laurentio, qui & ipse non ei favens, commendatorias pro eo litteras Papæ susceperat. Tunc Henricus causam Rainaldo Comiti qui ipse à Virdunensibus non recipiebatur, communicans, eum in suos accendit. Ambo cum magnis copiis Virdunum accedunt, & resistentibus civibus pugnâ valide commissâ intromissi ignem immittunt, quo Ecclesiæ Salvatoris, Sancti Petri, Sanctique Agerici combustæ sunt cum maximâ circumadjacente urbis parte, cædis & prædæ neque modus neque numerus fuit: die altero urbs reddita & confirmata est in manu Rainaldi, & Henricus in Cathedrâ Episcopii sedit, & in tanto tumultu captâ urbe, à Clero coacto non canente sed lamentante, *sustinuimus pacem & non venit, Domine, quesivimus bona & ecce turbaito*, receptus, mox ad Missarum solemnia accedit adhuc fumante holocausto, & sub tam recenti vulnere urbis, & suarum ovium ruinis ductu & causâ sui perpetratis. Sequenti luce cives malè de Rainaldo confisi, ad Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis tamquam ad asylum misericordiæ confugiunt: ubi ab illo obsessi, capti & rebus sunt exspoliati. Jerem. 14. 19.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vigesimo secundo Callistus Papa missis ad Im- An. 1122.

peratorem (erat enim sibi genere proximus) Cardinalibus, sedavit illam maximam discordiam quæ à tempore Gregorii VII. Regnum & Ecclesiam turbaverat, Investituras Ecclesiarum & Regalia beati Petri Cæsare exfestucante & reconciliationem suscipiente: & ita Regnum & Ecclesia ab ipsa peste quievit.

Eodem tempore, quia Virdunenses secretis nuntiis ad aures Imperatoris deploraverant quanta mala passi pro eo essent; Henrico de Grandi prato Imperator Comitatum urbis commiserat; ut gratiâ sui civibus subveniret, mandaverat. Ille civibus loquutus, & quid faceret docens & doctus, cum equitatu Virdunum matutinis horis accedit, & adulterinis clavibus intromittitur: in tali tumultu discurrentibus militibus, Episcopus somno excutitur, & re agnitâ se turpi fugâ penè nudus proripiens, Mosam enatat & ad Rainaldum cursitat, qui civium & Henrici Comitis cognito pridem molimine ad sua conservanda recesserat, commissâ Episcopo Urbis custodiâ. Rainaldus tristibus auditis mox contrahit hosticum, accedit Virdunum, & convolantibus ad arma Henrico & civibus pugnat & vincit, non tamen urbem recipere potuit. At Comes Henricus ne viribus esset inferior, quosque fortissimos à Flandriâ & aliàs stipendio contrahit, & hostem duo latera urbis iterum assilientem fortissimè repellit, plures ex eo capit, Comitatum ejus ubique superior infestat, cædibus, flammis & prædis vexat; eum publico certamine secus Oscaram villam superat; Rainaldus ad artes se conferens, in Castrum Clarimontis milites stipendiarios collocat, qui quotidiano incursu hostem infestent; Henricus ut artem hostis eluderet, aliquâ arte suos stipendiarios instruit, & monet ut illos de Claromonte ad congressionem eliciant diùque fatigent, ipse subito hostes jam lassos cum manu validâ fortiter invadit, in Castrum compellit, subsequutus ignem immittit, & omnes illos cum castro redditos turpissimè ut latrones per gulam captos abducit. Rainaldus jam damnatis armis pacem meditatur, & mediante Frederico Tullensi Comite apud Caladiam ipse & Henricus de pace tractant; Henricus Comitatum urbis ei reddidit, illo paciscente quòd fautores ejus cives non sit læsurus, & promittente ei quos ceperat exspoliare; ita sub Rainaldo Comite & Henrico Pontifice civitas demùm requiescit. Ipse, ipse Pontifex Rainaldo dedit Dunum castrum, & quatuor villas Episcopii, id est, Rouretum & Malaudimontem, & montem Sanctæ Luciæ & curticellas de *Armincourt*, & de Domno Remigio, pro pignore triginta librarum; Petro verò de *Mirvart* dedit quidquid habebat ad Ronneivillam & ad utramque Aitennam, exceptis quatuor familiis pro adjutorio sibi impenso. Ipse deinceps securum se existimans, bellis suis, itemque Regni & Ecclesiæ consopitis, voluptate resolvitur contrà decus Episcopi, proinde suscitavit contrà eum Deus animos vulgi seditionibus multis ei incurrentis; Cleri quoque missis legatis usque ad aures Papæ eum accusantis de incontinentiâ, de simoniâ, de dilapidatione rerum Ecclesiæ. Præponderabat causa venerabilis Laurentii, qui ad aures Lotharii dignissimi Cæsaris, & Legatorum Apostolicæ Sedis, ipsiusque Apostolici querimoniam adversus eum agebat, quòd quædam suæ Ecclesiæ tempore discordiæ inter Regnum & Ecclesiam à prædecessoribus ejus sublata sibi multoties conventus non restitueret. Henricus obstinato animo ad audientiam vocatus Callisti Papæ, non venit, neque ablata Laurentio, ut jubebatur, restituit.

Callisto defuncto HONORIUS successit, apud quem Clerus accusationem, & Laurentius proclamationem suam iteravit; Honorius eum missis litteris evocat, & ut ablata restituat Abbati, mandat, suspendens interim eum à divino Officio: ille suspensus quidem exstitit, sed neutrum mandatum complevit. Papâ eum secundò jam graviùs evocante, ille sibi timuit, fultus muneribus & excusationibus Romam venit, Cardinales sibi concilians, ante Papam in jus stetit: in quem cum accusatores præsentes capitula criminalia etiam scripto protulissent, excusatores Episcopi ut eos repellerent quasi indignos audientiâ, impingebant eis quædam crimina: cumque utræque partes in contumeliosa verba prorumperent, & lis in infinitum protenderetur, Honorius à venerabili Laurentio qui & ipse præsens aderat, requisivit: Tu Pater quid dicis de criminibus Episcopo illatis? & ille: Domine ait, ego non vidi, sed populus clamat. Rapuit Papa verbum ex ore ejus, & quia faventibus Episcopo Cardinalibus, & lite nihil certi sinente, nullam poterat determinare sententiam, causam ipsam discutiendam MATHÆO Albanensi Episcopo, Legato suo in Galliis posito mandavit. Matthæus ipsum Episcopum & accusatores Catalaunum ad sui præsentiam evocavit, ubi tam ipse quàm Episcopus & accusatores Remensem multosque alios Episcopos, Abbates quoque ac sapientes & religiosos viros ad suffragia suæ causæ adsciverunt. Henricus primò capit consilium à BERNARDO sanctæ memoriæ Abbate Clarevallensi, cujus consiliis Regna & Ecclesiæ Galliarum hodieque innituntur. Ille consulit gravissimum esse invitis violenter præesse, ideoque priusquàm ignominiosa in eum accusatio ad publicam tantorum virorum audientiam veniat, solus omnibus cedat, Episcopatui abrenuntiet, ne publicam contumeliam incurreret. Credidit se consilio ejus ille, & eo prolocutore adstans Concilio dicit, quoniam Clerus & populus suus communibus odiis ei insurrexissent, & maximè hi quos exaltasset, & Ecclesiasticis honoribus accumulasset, in opprobrium & depositionem ejus conspirassent, se nolle eis invitis præesse, sed ne ampliùs Ecclesiæ scandalo esset, longos contentionis funes jam se solvere: inde baculum reddidit & abrenuntiavit Episcopatui, ac recedit anno XIII. ex quo susceperat eum de manu Cæsaris. Qui ne tristis abiret, prædictus Abbas satis Curialem pro eo à Majoribus Concilii collationem decem marcarum exegit, quibus & vadimonia ejus in eâdem urbe redemit: exstant multæ litteræ tam Papæ quàm Virdunensis Ecclesiæ super ejus accusatione vel depositione.

De URSIONE, *quarto post quadragesimum Virdunensi Episcopo.*

VIrdunensis Ecclesia ab ipso Concilio commonefacta, ut præteritis malis instructa personam religione fultam præficeret, sibi URSIONEM Abbatem Sancti Dionysii Remensis in Episcopum elegit: qui Virdunum ductus, Pontificalia negotia & terræ juridicia & si maximè vellet curare, nec poterat, nec noverat, sed apud Sanctum Vitonum se continens, secretam ut consueverat vitam agebat. Ejus lenitudo mox tyrannis facta est despectui, & Episcopio fuit pluribus incommodis; ierat siquidem ad Curiam Regis gratiâ suæ confirmationis, & ecce Rainaldus Comes qui dominium sibi urbis meditabatur, inopinatè Virdunum venit, magnas copias militantium, latomorum, fossorum & diversi generis artificum secum, & cum non modico apparatu adduxit, pomœrium Pontificalis domûs succidit & exstirpavit: & quia locus ille aptissimus erat

urbi, ibi turrim sumptuosissimam, firmissimam & amplissimam exstruxit, in eâ præsidio sibi fidelissimos collocavit; per eam toti urbi totique Episcopio imperare cœpit. Quid referam domos Clericorum fractas resque distractas, ipsum Clerum fugatum ac proturbatum, populum urbis in his omnibus nec mutire ausum. Ipsum Episcopum redeuntem à Curia idem hostis insidiis circumvenit, comitantes eum & Clericos cepit & clientes. Episcopus fugâ lapsus quasi Virdunum perdidisset, non rediit, ne videret quod non poterat, audiret quod non valebat ullo pacto cohibere: proinde ipsa Ecclesia se ipsam à divino officio suspenderat. Ita populus libertatem, Clerus Pontificem, Ecclesia divini psallentii vocem insimul amiserat, & tota Virdunensium gloria videbatur esse translata: cum ecce Beata Dei Genitrix rebus suorum desperatis evidentissimè alluxit, Ecclesiamque suam cujus per dictam turbulentorum armorum tempestatem tecta erant diruta, cujus testudo fœtebat luto plena & imbribus pervia, cujus oratorium incultum, altaria stabant neglecta, & luminaria exstincta, splendore cœlestium miraculorum irradiavit, serenavit, clarificavit, & in cunctis celebrem reddidit. Ipsa miracula quanta inclaruerint, ordo quidem hîc inserere postulat, sed parvum nostri ingenium non sustinet has grandes laudum materias, præcipuè cum Venerabilis Decanus Guillelmus vir limatioris ingenii & sapientiæ ea digniori stylo, ut audivit, descripserit. Sed quoniam tanti meriti non sumus, ut pro merito Dei Genitricem in suis miraculis laudemus, laudemus saltem eum qui de bono thesauro cordis præconia miraculorum ejus laudans extulit: est enim vir multa laude non tantùm in hoc sed etiam in aliis dignus, nec enim parva laus est inter bonos esse meliorem; quis non solummodo suorum, sed etiam aliorum eo est studiosior in divinam paginam legendo, optimos de quibuscumque locis libros exquirendo, in eos transcribendo? Jam illam nominabilem Bibliothecam Ptolemæi Philadelphi, vel Eusebii Pamphili sibi congerere videtur; damnans avaritiam quæ Clerum nostri temporis occupavit. Quis suorum eo est devotior Dei servitium die ac nocte frequentando, quis eo ferventior in hospitalitatem exhibendo? domus ejus videtur esse hodie Xenodochium servorum Dei. Ex fructu agnoscitur arbor & ex studiis suis homo, & de isto pro talibus dicimus, verè bonus homo, verè bona arbor, nam & radix ejus & terra de quâ pullulavit, bona apparuit ipso experimento: pater enim ejus Guezelo fertili devotione obtulit nostro Cœnobio quidquid habebat apud Baronis-curtem in campis, in sylvis, in molendinis & pratis, corpus quoque & animam suam superaddicere volens, quia Monachum profiteri in eodem Cœnobio deliberaverat; sed Abbas Laurentius vir sine avaritiâ pium ejus votum pio consilio à se ad Gorziense Cœnobium S. Gorgonii divertit, ut quia idem Guelelo advocatus illius Ecclesiæ fuerat, ei se ipsum impenderet, cui dum sæculo deserviret obnoxius in quibusdam fuisset; mater quoque ejusdem Decani Heluildis super hæc omnia dona mariti calicem argenteum insignem Beato Vitono dedit.

1126. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vigesimo sexto Lotharius Imperator qui post Henricum regnavit, Leodii in mediâ Quadragesimâ maximum nobilium conventum pro disponendis Regni & Ecclesiæ negotiis celebravit, ubi & Romanorum Papa Innocentius secundus, quem Petrus Leo ei subinthronizatus Roma exturbaverat, occurrit, suffragiumque imploravit & meruit. Eo & Ursio Virdunensis electus advenit; & quia pœnitebat eum suscepti Pontificatûs, & Virdunenses ipsius electionis; ad aures ipsius Augusti & Apostolici causam suæ impossibilitatis ipse peroravit, se absolvi postulavit, Episcopalia reddidit.

De Alberone XLV. Virdunensi Episcopo.

At ii qui capita Virdunensis Ecclesiæ & populi, qui in Conventu Leodii celebrato reperti sunt, ab Imperatore jussi ut de tanto conventu quem meliorem nossent eligerent & præsentarent sibi; illi versato diù consilio domnum Alberonem Ecclesiæ suæ Archidiaconum, filium Arnulfi Comitis Chisneiensium in Præsulem elegerunt; electionem ejus Curia laudavit, Principum qui noverant cœtus acclamavit, Imperatoria Majestas confirmavit, datis ei per scriptum temporalibus Episcopii: Apostolicus & ipse approbavit, utque omnia canonicè procederent, electam personam ad Virdunensem Ecclesiam mox remisit, ut cum ipsius Ecclesiæ, & potissimùm Abbatis Laurentii assensu & testimonio, sibi Parisius occurreret imperavit, ut eidem ibi visâ eorum publicâ electione confirmaret spiritualia Pontificii Virdunensis. Civitas & Ecclesia audito nomine electi sui exultavit, spem recuperandæ libertatis per eum jam quodam præsagio concepit, venientem cum gaudio suscepit, cum testimonio publici assensûs ad Papam Parisiis Franciæ transmisit, à quo in sancto Paschali Sabbato in Presbyterum, die autem festo in Episcopum est consecratus, & mox cum honore & gratiâ Apostolicæ Sedis dimissus. Redeunti ferè octo Comites sub specie peregrinorum se in itinere adjunxerunt: quorum qui major erat, quòd esset Henricus gener Imperatoris & Dux Bavariæ, unus ex his qui circà Episcopum erant, ex vultu sed dubiè recognovit, & Episcopo secretè nuntiavit. Idem Henricus ab Episcopo requisitus, secretè quòd & ipse esset patefecit, se sub specie peregrini loca Sanctorum & ritus Tyrannorum & populorum invisisse, ac nunc inde redire retulit, & inde conductui Præsulis se usque Treverim quò tunc Imperator erat, commisit. Episcopus eum rebus silentio suppressis secum Virdunum duxit, & post celebratam sui à cunctis susceptionem eum usque Treverim comitatus, Imperatori lætissimo & gratias agenti incolumem assignavit; ipse quoque Dux Episcopo vicem beneficii reddidit, singulis clientibus eum comitatis singulos enses quos meliores à Principibus Regiis exegerat, præbuit, Petrum Clericum ejus, cujus contubernio plurimum usus erat, ad se venire Bavariam rogavit, venienti quædam Ecclesiastica insignia contradidit.

Interea qui continebantur præsidio Virdunicæ turris, erant in laqueum magnum & diabolicum malum toti urbi. Longum est referre prætereuntia vehicula, rhedas & omnia onera victualium vulgi, Cleri ac adventantium vel redeuntium mercimoniorum quoties illi disturbaverint, quoties turri intraxerint, pro libitu alia sibi vendicaverint, alia redimi fecerint; adeo ut publicus patriæ commeatus qui per mediam urbem tendebat, tunc sit distortus, & emporio nostro antea celebri, hodieque perseveret inde inflictum dispendium: prætereuntes etiam peregrini Beatæ Dei Genitricis, eo ad suffragium ejus propter audita miracula undique confluentes, ab illis desuper saxis & sagittis appetebantur. Proinde institit domnus Episcopus apud Comitem Rainaldum, ut illam turrim removeret, vel quia nec in hoc acquiescebat, ut à tantis illicitis compesceret.

Quid narrem quoties eum super hoc convenerit, monuerit & rogaverit? quanta promissa, quanta pacta proposuerit, quomodo intrà Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis eum adjuraverit. Omnibus Sanctorum feretris de totâ urbe coram allatis, & omnibus Monachis, & Clericis & populis ante eum prostratis apud Desluardum castrum in præsentiâ Domni Matthæi Albanensis Episcopi & Romanæ Sedis Legati, & multorum Præsulum atque Nobilium ad pedes ipsius Comitis se ipsum prostravit; cum ille semper pertinax repugnaret, & omnia petita negaret, Episcopus quia cor ejus clausum invenit, ad divina præsidia se contulit, CHRISTO & ejus Genitrici totam causam commisit, & res in omnibus prosperè cessit. Siquidem Comes securus & nihil ausuros burgenses, quia reverâ desperaverant, existimans, custodiam turris commiserat paucis, quorum etiam aliqui erant extranei, ac ideo minimè fidi: horum unus à Primicerio Ecclesiæ ALBERTO, deinde ab Episcopo secretè conventus, & quibusdam pactis illectus, tradendam eis turrim repromisit statuto die, id est Pentecostes, & apertis signis datis, ipso sancto die, post prandium socios extrà turrim ad ædetas antemurales vocavit, lusu aleæ ibidem eos tenuit, eis demum maximè ludo intentis, ipse iratâ facie quasi ludus non bene sibi ab eis duceretur, surrexit, ab eis in turrim se proripuit, & eis exclusis & pro ludo omnia ducentibus (nec enim suspicio erat) ostium turris firmissimo obice firmavit, & per summum turris signum proditionis Episcopo designatum protulit, id est lineum amictum capitis circumtulit. Episcopus videns (exspectans enim aspiciebat) irruente in se spiritu Domini, accensis animis totus exiliit, & animam & corpus pro libertate patriæ & ovium suarum dare paratus, signum belli ab Ecclesiâ insonare fecit, & cum Clericis ac omnibus urbanis, quos ante horam negotio celatò in arma paratos esse jusserat, accurrit scutariis simul delatis, totâ virtute turris ab eis assilitur; custodes exclusi, lapidibus, armis & omni genere nocendi ab omnibus impetuntur, fortiter resistentes igne immisso in turris materialibus, victi demum cedunt & Episcopo se reddunt. Turrim captam cum suis Episcopus intrat, & victricia pignora Virginum Virginis in summo ejus pro triumpho exaltantur, & summo jubilorum præconio concelebrantur etiam à peregrinis, quorum multitudinem miracula tunc eò frequenter evenientia catervatim undique attrahebant; nam ipsis diebus cœlestium signorum splendor solito crebrior inclaruerat, ipsam victoriam & turris ruinam etiam vulgo interprete, pueris vaticinantibus præsagiens. Fama rei mox totam patriam replevit, & Rainaldi animum plusquàm credi possit consternavit, eo magis quòd ejus custodes in suæ turris ergastulo custodiebantur immersi. Secundâ die Pentecostes ante Virdunum advolat, ad congressiones provocat: sed Episcopus suos ne in arma furiis accensi hostis involent, revocat, & intrà muros continet, hostis ut urbem tribus lateribus infestaret, tribus castellis præsidia imponit, id est ipse apud *Amblivium*, filius ejus HUGO apud *Guentonis villam*; HELIAS primarius ejus apud *Resetum* collectis armatorum copiis prosident, continuis excursionibus urbem infestant, Episcopium vastant, de villis redemptionem exacervant. Episcopus armatorum copias necessariò conducit, libertatem suorum vendicat, armis Heliæ apud Rosetum, qui graviùs urbi ingruebat, subitò insurgit, ignem castro immittit, ipsum hostem cum totâ pube suorum capit, abducit, ergastulo Virdunicæ turris, quam ipse faciendam mentus fuerat intrudit, impellentibus eum cunctis. Rainaldus par pari referre nitens, Mosellanum Ducem SIMONEM, multos Comites & Barones conducit: cum his ab Amblivio egressus Virdunum intendit; cum ecce procul visa est eis summitas templi gloriosæ Virginis, divino aspectu animus in eis excidit, inhorruit: aliis ac subinde aliis captatis consiliis, palam Dux & alii Principes eum compellunt ne Christo & ejus Genitrici bellum inferant: in aliis bellis socias vires promittunt, in isto se non audere proclamant, ita rebus infectis iter ad sua retorquent: & Rainaldus adhuc spirans minarum, alios exercitus colligebat. Præterea ab initio captæ Virdunicæ turris Rainaldus exquirebat per Alberonem Metropolitanum ab Episcopo, ut suam turrim sibi redderet: quod quia ille recusaverat, iterum per fratrem suum STEPHANUM Metensium Præsulem mille promissis & pactis expetebat ab eo, ut eam ex Episcopali dono sibi tenendam concederet, & quia id quoque negaverat, per multos mediatores orabat ut saltem Chisneiensi Comiti Alberto idem ex Episcopali dono annueret: qui quoniam fratre Episcopi OTTONE Comite natus erat, & gener ejusdem Rainaldi fidus utrisque haberetur, insuper magna pars Cleri & populi eidem Episcopo suggerebant, urgebant & omnimodis instabant propter gravem sibi tumultum & timorem pejorum. Verùm dignissimus Pontifex reputans in animo, quia ipsa turris reddita fieret tyrannis imposterum ad destructionem omni urbi & Ecclesiæ, omnium petitioni abnuit, contestans se malle mori, vel longâ terrarum fugâ exulari, quàm tantum hostem & scandalum reimmittere libertati ovium suarum; sed licet illæ oves malo timore suscipere vellent lupum venientem ad se in vestimento ovium, se tamen certaturum ut auferret ab eis hostem immanissimum; inde ipsam turrim evertit, refugientibus hoc Clero & populo pro terrore gravissimi hostis, & inde urbem muro cingere cœpit, ratus id quod erat, quia dirutâ turri jam cessaret hostis, sublato fructu & causâ pugnandi.

At Rainaldus eversâ turri, hominibus suis captis, insuper causam belli ejus refugientibus & detestantibus Primatibus & amicis, æger anxiabatur, irâque & dolore extrà se rapiebatur: cùm ecce subitò fortissimum langorem incurrit, se divinitùs percussum extimuit, infectis minis pacem meditans, fratrem suum STEPHANUM Episcopum ad colloquium ALBERONIS Episcopi ut pro pace tractandâ treugas peteret, direxit: ille veniens mandata perfecit, deinde inter fratrem suum & Episcopum nostrum factus est mediator firmissimæ pacis. Ita per industriam dignissimi Alberonis Pontificis ablatus est gravissimus hostis à cervicibus nostris, & urbs nostra pacem, Ecclesia divini psallentii vocem, utraque autem plenissimam libertatem receperunt, quam amiserant per triennium regnantibus malis.

Post hæc Episcopus cum validâ manu ad Amblivium castellum, quod Episcopio nimis infestum fuerat, & adhuc quidam maligni contrà eum retinebant, accedit. Cumque in itinere paulum gustans remoratur, præcurrentes pedites idem castellum aggressi irrumpunt, invadunt, & incendunt; & militantibus cum Episcopo mox ad hæc visa subsequutis, castellum exterminatur, præda & omnes de intus capti & vincti abducuntur, laus triumphalis deinde Christo, & ejus matri celebratur.

Nihilominus & vigor Monastici ordinis in quibusdam per industriam ejusdem Præsulis refloruit. Nam Ecclesia beati Pauli intrà urbem tum sorduerat, divulsa, dilacerata & dissipata; cujus diripuerant filii *Belial* eam habitantes, terram & omnia bona ejus. Horreo enim dicere quantis illecebris inservierint, quàm nefariè servitio Domini nocte dieque detra-

herent, quomodo Monachum professi non se fortissimos Cœnobitas, sed teterrimos Sarabaïtas & gyrovagos in dedecus sancti Ordinis nostri exhiberent. Quid memorem quoties Abbates eorum, aliique Monachicæ disciplinæ ferventiores ab aliis Ecclesiis per Episcopum ad eorum correctionem destinati, consortia pestilentium refugerint, ab eis vel cæsi vel ad omnem amaritudinem provocati? quoties duces nequitiæ ipsorum commoniti, correpti, & etiam ergastulati, post omnem emendationis promissionem ad majores abominationes mox proruperint, & omnem sociorum gregem post se traxerint? Inde Episcopus ut fidelis agricola, Ecclesiasticæ vineæ hanc plantationem degenerem & aridam post non tres annos, sed post multa triennia, post multiplices fossiones correctionum, post multimodos stercorum cophinos & foventium adhortationum, quia nullam spem referebat fructificandi, ne amplius terram possessam occuparet, ferro abscissionis exstirpavit, & novellam Clericorum Monastici Ordinis, quæ nunc germinat ut paradisus Dei in terrâ, ibi inseruit, quos Norbertus Magdeburgensis Archi-Præsul, vir magnus in Ecclesiâ, de professoribus sui Ordinis delegaverat ei. Pace tamen omnium dixerim, quod ut de aliis taceam, plurimum graver de factâ inibi abjectione Monachicæ professionis, nisi quòd scio nullam viam dignissimo Præsuli patuisse ad correctionem prædicti Cœnobii, quia & Abbas Laurentius, & omnes Religiosi nostræ professionis refugerant curam ejusdem loci suscipere de manu Episcopi. Unde necessariò vigilantiam solertis Pontificis in hoc quoque laudaverim, quia & illi & omnes fideles unum sumus in Christo, maximè quia & Imperatoria Majestas & Sedes Apostolica ita fieri jusserit pro correptione malorum, & Abbates ipsius Clericalis Ordinis primus Rogerus, & secundus qui nunc præsidet Theodericus, Ecclesiam illam in omnibus melioraverint, & omnia ab illis dilapidata magnis curis recuperaverint, adeo ut unde vix tunc contenti erant viginti Sarabaïtæ, non Monachi; inde nunc ferè treceenti servorum Dei honestè victitent, quod totum proficit laudibus industrii Pontificis.

Epistola ALBERONIS *ad* INNOCENTIUM *Papam.*

» Reverendissimo Patri & Domino suo Innocentio Universalis Ecclesiæ Dei gratiâ summo Pontifici, Albero Virdunensis Ecclesiæ Minister indignus sinceram cum humili obedientiâ dilectionem: Gratia Dei & vestra per electionem Ecclesiæ vestræ cum indignum merita mea me prædicarent, in Episcopum consecravit, & post & priùs quomodo in officio me militare deberem edocuit, inter quæ maximè in Ordinatione Ecclesiarum mihi commissarum invigilare persuasit. Ordinationi igitur illi, quia satis hîc apud nos necessaria est, pro parvitate meâ invigilans, reperi quamdam Ecclesiam hîc juxtà civitatem nostram sitam, quæ per incuriam & irreligionem paucorum Monachorum ibi degentium ad tantam infamiam redacta fuerat, ut jam non domus Dei, sed diceretur esse quoddam prostibulum: de quâ quid egerim quàm certissimè potero paucis dicam. In Ecclesiâ illâ in honore Beati Pauli Apostoli consecratâ, à primâ positione per tempora decem & novem Episcoporum fuerunt priùs Clerici, sed per irreligiositatem & negligentiam illorum devenit ad tantam inopiam, ut quod priùs multis satis erat, vix victui unius Sacerdotis sufficere posset. Quidam autem prædecessor meus « Wilfridus nomine, amator Religionis, Clericis « illis ex hac expulsis religiosos Monachos in eâ po- « suit, qui longo tempore in fervore Religionis per- « severantes, & bona Ecclesiæ dissipata restitue- « runt, & insuper plurima acquisierunt: succeden- « tes denique alii pedetentim ab illa Religione de- « clinare cœperunt, & sic declinando, bona Eccle- « siæ luxuriosè destruendo usque ad tempora nostra « perseveraverunt. Ego dolens nimiam destructio- « nem illius Ecclesiæ, quia magni nominis à pris- « cis temporibus exstiterat, Abbatem illius loci priùs « solum solus, postea cum cæteris Abbatibus & « Religiosis conveni, multa capitula, coram digni- « tate vestra nec nominanda, quæ de eo verè præ- « dicabantur, ei proposui; & ut de his se & Mo- « nachos suos corriperet, & in Ecclesia sua anti- « quam Religionem reformaret paternè admonui; « promisit se facturum quidquid vellem causâ Dei « & nostrâ, *sed quia quo semel est imbuta recens, « servabit odorem testa diù*; cum debuisset corrige- « re quod deliquerat, infamiam suam quotidie aug- « mentabat: tandem post frequentes admonitiones « vanas & inutiles, personæ Ecclesiæ nostræ & Re- « ligiosi Abbates in præsentiâ nostrâ convenerunt, « Monachos illos dedecus esse sui ordinis acclama- « verunt, & ut illos expellerem & alios Religiosos « substituerem expetierunt; compulsus precibus il- « lorum assiduis, convocatis in Capitulo Religiosis « viris Abbatibus & Clericis, illum incorrigibilem « Abbatem ad causam vocavi, & cum eo multa de « suâ malâ conversatione causatus, confessus est « quæ manifesta negare non potuit, scilicet se & « Regulæ suæ formam contemsisse, & multa illici- « ta commisisse. Communicato itaque consilio Re- « ligiosorum monui eum per obedientiam, ut ad « Ecclesiam Sancti Vitoni causâ faciendæ pœniten- « tiæ inter Religiosos transiret, & quia fructum in « Ecclesiâ cui præerat facere non poterat, fructifi- « cantes intrare permitteret; consensit, sed statim « ipsâ die ad vomitum rediens, quod promiserat « facere recusavit. Hæc ut audivimus, in crastinum « cum Clericis & Abbatibus & duobus etiam Ab- « batibus de Ordine Clarevallensi, Abbate Trium « Fontium & de Caladiâ ad Ecclesiam illam veni- « mus, & quærentibus cur susceptam obedientiam « non implevisset, respondit, quòd Claustrum suum « non exiret nisi per judicium. Tunc Abbates & « Clerici admirantes tantam impudentiam illius, « quòd post susceptam obedientiam judicium quæ- « reret, quidam illorum, Abbas scilicet Sancti Vi- « toni sententiam B. Gregorii de prævaricatoribus « Abbatibus protulit in medium; quâ lectâ, dictum « est mihi ab omnibus, ut etiam si nollet in Eccle- « siâ recluderem, & Ecclesiæ diù desolatæ consule- « rem; quo recluso sic, paucisque Monachis qui « secum malè vivebant inter religiosos collocatis, « Monachos qui statum pristinum Ecclesiæ reforma- « rent, non tantùm à nostris vel vicinis, verùm « etiam à Cluniacensi Ecclesiâ per nostras, per do- « mini Archiepiscopi Trevirensis, verùm etiam per « domini Regis litteras requisivi studiosè, quos cum « habere non possem, pauperes Christi Ecclesiæ « Præmonstratæ secundùm Regulam B. Augustini « laudabiliter viventes in eâ posui. Inde commoti « Monachi non religiosi, sed qui in simili re timent « parti suæ contrarios, fremunt quotidie, non tam « de expulsione prædicti Abbatis, cujus vitam pla- « nè & ipsi detestantur, quàm de mutatione tituli « conquerentes. In hoc autem male dicunt; hoc « enim titulum non mutamus, sed in formâ primæ « positionis reposuimus. Insuper accedit ad hoc, «

» quòd Abbas loci illius Vicarius est Episcopi, quod
» officium magis convenit ordini Clericorum quàm
» Monachorum. Supplici igitur devotione Majestatem vestram deposcimus, ut factum nostrum quod
» ab universis, exceptis hujusmodi Monachis, laudatur, manus vestræ auctoritatis confirmare dignetur. Valeat vita vestra ad honorem sanctæ Ecclesiæ longo tempore.

Sed sicut violatores Ordinis Beati BENEDICTI in istis evulsit & destruxit, ita idem Episcopus conservatores ejusdem professionis in suis ædificare & plantare paratus, piâ liberalitate Rectoribus Cisterciensis religionis, à quibus Regula Beati Benedicti districtiùs tenetur, forestam Maginiensem offerens, ut ibi Abbatiam construerent monebat. Sed cum Caladienses fratres in suâ Abbatiâ fabricandâ occupati, ad istam moliendam non sufficerent, venerabilis RANULFUS Abbas Claustraensis Cœnobii ipsum locum in Abbatiam promovendum ex dono devoti Præsulis suscepit, fratres quoque suos ad præparandum locum direxit, à quibus ante hoc biennium qui fuit annus Dominicæ Incarnationis
1142. 1142. res incepta, in futuri spe adeo jam pubescit, ut Cisterciensium venerabile Concilium ibi Abbatiam jam fore sanxerit. Salvâ pace omnium dictum sit, quòd ut hæc omnia hujus loci ita procederent, domnus HUGO Monachus noster vir ferventissimi zeli, cujus hortatu & relatu hoc totum opusculum confecimus, apud omnes & super omnes institerit, monuerit & rogaverit, & nunc domnum Episcopum nostro scripto piè commonitum esse velit ut ipsi loco specialiter prospiciat, juvet, & ad summum perducat, quia propria ejus est eleemosyna, per quam recipiatur in æterna cœlorum habitacula, ut sicut notatus est à quibusdam nostri ordinis dicentibus, quòd ordinem beati Benedicti ab Ecclesiâ Pauli expulisset, ita probetur ab iisdem, quòd dignè professionem sancti Benedicti servantibus consulere, auxiliari, & sua largiri in omnibus paratus sit. Sed quid hæc tantilla de liberalitate ejus refero, quasi non plura fuerint? quid ingentem laudis materiam silentio supprimo, ut Deus laudem Ecclesiæ suæ hoc tempore non tacuerit, ut in hoc dignus Episcopi consilio, hortatu & ope suâ Dei adjutor fuerit? Etenim Ecclesiastici & Monastici ordinis, ut lamentaverat JEREMIAS, jam ex
Thren. 4. 1. antiquioribus *aurum mutatum erat, color optimus perierat, lapides Sanctuarii dispersi, in capite omnium platearum jacebant:* mundana namque gloria, opes & divitiæ animos utriusque Ordinis quasi veneni tabes infecerat, & ventosa ambitio & æstuans avaritia hos duos Ordines Latinæ Ecclesiæ rebus divitis, sed virtutibus pauperis duplici modo vexabat, cum ecce juxtà EZECHIELEM in isto vento vanæ ambitionis & igne excandescentis avaritiæ, ac cæcâ nube infidelitatis venientibus à frigido Aquilone & omnia involventibus, splendor divinæ pietatis de medio illuxit, & illa quatuor cœlestis Numinis animalia de medio splendoris emicuerunt, ac pedibus rectis incedentia lubricantes pedes Ecclesiastici status correxerunt. Primùm enim Sancta Romana Ecclesia per suos Apostolicos Gregorium VII. Urbanum, & Paschalem Simoniacam avaritiam gladio Petri contrà arma Cæsaris ab Ecclesiâ sanctâ ut profanam eliminavit, concîdit, diù obluctantem demùm magnis viribus exanimavit, ut in hoc appareat, juxtà Apocalypsim JOANNIS, animal primum simile Leoni. Deinde Carthusiensis illa Religio, mundo hactenùs inaudita, de sanctissimâ scholâ Reverendissimi BRUNONIS processit, qui in carne extrà carnem insolito mortalibus more vivendo, Angelos in terra, Paulum Apostolum in Paradiso, Joannem Baptistam & Paulum Eremitam in deserto, nobis hodie repræsentat, ut meritò hanc Religionem florem mundi nomines, ut hanc esse animal simile Aquilæ in cœlum volanti jure pronunties. Et ut habeamus animal vituli laborantis & offerentis in sacrificio Dei; itemque hominis prudenter divina & humana rationantis; subsequuta sunt deinde illa duo Cherubim expandentia alas suas in medio Ecclesiæ, & versis vultibus in propitiatorium se mutuò respicientia, id est, duo præclarissimi Ordines devotione suâ Ecclesiam protegentes, & conversis ad Deum cordibus se mutuâ charitate æmulantes, quorum unus Cisterciensis; duce BERNARDO sanctissimi nominis Abbate, Monasticum ordinem jam penè lapsum ad primam Apostolicæ vitæ normam reparavit; alter merito & nomine à Deo Præmonstratus, duce NORBERTO Parthenopolitano Archipræsule inceptus, Ecclesiasticum ordinem de luto mundanæ vanitatis excussit. Credas hos duos Ordines de libro Apocalypsis duos Prophetas circà finem mundi à Deo missos, & sacco pœnitentiæ amictos, duas olivas clementiæ cœlestis, divinæque duo candelabra gratiæ. Ita se in omnibus cruciant, ita verbo fidei mundum irrigant, ita meritorum luce illuminant. Isti duo Deo cooperante & piis omnibus juvantibus adeo jam profecerunt, ut Cisterciensis quidem per istud temporis triennium jam in ducentas circiter Abbatias magni nominis, meriti & numeri accreverit, & usque in barbaros Sarmatas & extremos Scythas jam diffundi cœperit: Præmonstratus autem per hos viginti annos in Abbatias penè LXX. adoleverit. Noster Episcopus hos ambos Ordines in suis recepit, instruit & fovit, adeo ut Rectoribus Præmonstrati Ordinis terram ad tres Abbatias fabricandas liberaliter tradiderit, quarum duas ædificavit PHILIPPUS Venerabilis Abbas, primam quæ BELLAVALLIS dicitur in saltu Duellii, alteram secùs Hadonis castrum loco qui latinè Piscina, sed vulgo dicatur *Stanchia*: tertiam HERBERTUS Eremita juxtà *Arcusvillam* in valle Genesii exstruxit, EUSTACHIUS quoque vir Reverendissimus Monasterii in *Argunna*, itemque Castriloci duorum Cœnobiorum ædificator & Pater, Abbatiam ex dono Præsulis fundavit in insulâ supra Agram fluvium, in alodio Episcopali reddito ab ULRICO fratre Guidonis Archidiaconi, de quo multa retuli; ubi nunc electus Abbas de Ordine S. Augustini cum octo Canonicis locum ad majora provehit. Hæ omnes adhuc sub fabrefacturâ positæ, quotidie rebus & numero servorum Dei accrescunt. A militibus quoque Hierosolymitani Templi Xenodochium quoddam juxtà Hadonis castrum constructum est, & adhuc quædam alia fiunt.

Idem Episcopus Sancto BENEDICTO meliora quæque tribuit, quod Cœnobium Cisterciensis Ordinis ADERARDUS filius Hugonis Comitis de *Risnello* in confinio Episcopii de suis construendum tradidit. Non valeo, ut dignum est, memorare quanta ipse Venerabilis Episcopus istis, & aliis undecumque omnibus servis Dei etiam præter memorata dederit; quanta per ipsum omnis reverendus ejus Clerus, qui factus est ei cooperator in his omnibus, liberalissimâ devotione superaddiderit; quanta omnis populus ejus de totâ urbe vel Episcopio in omnibus superadjecerit vel adjuverit: piâ fide dicere præsumo, quòd hi omnes istis Dei servis adhuc plura daturi sint. Nam videas quotidie ipsos Dei servos eos frequentare, eis piâ sedulitate assistere, ut putes simplices columbas in petrâ nidificaturas, vel argumentosas apes cerea mella confecturas circà flores volitare; hos illi ut gallina pullos suos sub alis recipiunt, amplectuntur, confovent, lætos post impetrata mu-

nera ad sua remittunt: de suâ etiam Ecclesiâ, id est, Sanctæ Dei Genitricis dignum ejusdem Præsulis præconium non silebimus, quomodo scilicet ejus Presbyterium & omnem pene statum.... duabus turribus & ingenti ædificio omnibus peregrinorum oblationibus ibi attitulatis, & de suo etiam multis additis, quod opus cæteris hujus temporis incomparabile, adhuc crescit inter manus artificum, quibus præsidet GARINUS cæteris doctior, ut sub Salomone ille Hyram de Tyro. Nec præterierim CONSTANTIUM optimum Ecclesiæ custodem & famulum, qui corpore permodicus, sed animo & fide magnus, de nudo paupere magnas opes consequutus, omnes in opus cœlestis eleemosynæ expendit. Ut enim taceam quantos lazaros cæteris adhorrendos cum suâ conjuge OFFICIA Deo verè officiosâ domi abluerit, cooperuerit & foverit, pontem in loco Arenari iter inundantibus aquis destructum, bis ligno & semel saxo super Mosam extendit, viam publicam ipsius pontis multo aggere constravit: Xenodochia pauperum addictis redditibus ædificavit, ad ultimum hoc Ecclesiæ opus cæteros adhortatus, magno sumptu primus ipse incepit, ita urbi & Ecclesiæ fidelis, & bonum exemplum relinquens posteris, omnes thesauros suos in gazophylacium cœli sacra eleemosynâ evehente collocavit.

Nec illud de laude Episcopi prætereundum est, quòd per quindecim annos quibus Præsul sedet, plebiculæ suæ ita pepercerit, ut percussuram proprii numismatis depravatam mox post primum annum deposuerit, & Catalaunensem monetam inducens nunquam deinceps nummi percussuram, ne pauperes inde gravarentur mutari fecit. Ecclesia quoque Caladiensis ab hoc Pontifice consecrata, & in hoc Episcopio fundata, in Abbatiam sancti Cistercienfis Ordinis profecit: ubi nunc sub Abbate sanctæ memoriæ GUNTERO militant Regno cœlorum ferè trecenti servorum Dei. Cœpit autem sub HONORICO Præsule, quando ibi Robertus venerabilis nostri Cœnobii Monachus cum duobus socii primùm eremitavit, Ecclesiolâ & quibusdam mansiunculis fabricatis, sed eo ad Ecclesiam Belli-loci assumpto, cum locus vacuus remansisset, à viro nobili VALTERO nepote cujus erat, datus est venerabili Guidoni Abbati de Tribus-fontibus, HENRICO Pontifice annuente & monente, & maximè HERVEO viro nobili hoc totum innitente & hortante; qui Herveus, ubi idem locus merito rebus & numero servorum Dei accrevit, se cœtibus eorum associavit exemplo mirabili; nam uxori, unico filio, mundoque & omnibus ejus renuntians vir optimus unum servorum suorum ad hoc compulit, ut sibi domino suo laqueum in gulâ nodaret, & ita se tamquam latronem ad locum beati Sulpicii à domo suâ per duo milliaria protraheret, cunctis mirantibus, lacrymantibus & Deum in hoc laudantibus.

Anno nono Episcopatûs domni ALBERONIS venerabilis Laurentius post quadraginta annos & tres menses ex quo Abbas feliciter huic Cœnobio præfuerat, beato excessu obiit. Hic & genere linguâque Teutonicus, & magnæ scientiæ & industriæ gratiâ præditus, à primâ indole apud sanctum Agericum in palæstrâ Monachicæ professionis exercitatus claruit, inde cum Rodulfo Abbate Cœnobio nostro infulsit, & tempore nostrorum sub eodem Rodulfo exilii, in Divionensi Burgundiæ Cœnobio Prior sub Abbate sanctæ memoriæ GERONTONE multa superfluæ traditionis ibi inventa delevit vel mutavit, alia inseruit honestiora: inde cum nostris reversus, & post mortem prædicti Rodulfi ex Priore in Abbatem promotus, in omnibus sanctè, piè & justè præfuit, & ideo plurimum profuit tam in augmento rei quàm Religionis. Sub eo multi nobiles multa Ecclesiæ nostræ contulerunt, inter quos THEODERICUS & WIDERICUS fratres Comitis Frederici, *Novillarem* Cellam cum omnibus appendiciis contulerunt. Comes etiam RAINALDUS, vitricus eorum, *Alzeicurtis* Cellam & *Nerlii* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tradens, ut ex dono ejus teneret istam Ecclesiam sub annuo censu duodecim denariorum effecit. Factis inde à Papa Paschali, itemque ab Innocentio privilegiis quatinùs quoniam bis ista domus pro fide Apostolicæ Sedis causâ passa est persequutionem, si ei iterum persequutio ingrueret certum refugium sub velamento Romanæ Ecclesiæ ibi inveniret. Nobilissima etiam CUNEGUNDUS uxor MANFRIDI multa prædia sui juris beato Vitono obtulit. Longum est referre de aliis quanta prædia & dona dederint, quantis aliæ cellæ rebus & fratribus auctæ fuerint.

LAURENTIO mortuo, æquè venerabilis SEGARDUS, consanguineus ejus & Monachus, successor Sedis, pietatis & Religionis fuit. Iste Prior cœmeterium Fratrum muro cinxit, claustrumque melioravit: Abbas autem insigne, ingens & pulcrum magni pretii scrinium ad recollocanda ossa Patroni sui beati Vitoni multo sumptu fabrefecit, majoraque meditabatur, cum ecce Deus nobis eum abstulit; nam post duos annos beati sui regiminis in Domino requievit. Sub istis Rectoribus nomen hujus loci ubique floruit, res propagata crevit, Religio viguit: hanc sanè pro me querimoniam super eis meritò fuderim, quòd nec eos videre nec eorum bonitate perfrui meruerim; post eorum decessum huc adductus à Priore Rodulfo viro venerabili. De isto Rodulfo & ipso Segardo dignissimè retulerim, quòd ambo consanguinei, compatriotæ & coævi, ambo unâ die in Cœnobium ingressi, & unâ die simul Monachum professi, ambo itidem uno die ab Episcopo Abbates simul fuerint consecrati, iste Sancti Vitoni, ille Sancti Agerici; & Segardus quidem quia obedientibus & disciplinatis præfuit, in cunctis benè & prosperè egit, Rodulfus verò quia rebellibus & contumacibus præcedit, in cunctis quidem benè, non tamen prosperè egit; nam quæque pietatis & Religionis erant sibi indicta, illi abominabiliter calcabant, res necessarias ab eo solertiùs procuratas prodigè dilapidabant, personas Religionis ab eo ibidem adductas per molestias & simultates eliminabant, demùm eum solum sibi relictum perniciosè impetebant, ad nimiam amaritudinem cor ejus die nocteque provocabant, & in omnibus ex adverso ei incedebant. Tales ille exemplo B. BENEDICTI refugit, & dilectissimo Segardo qui post eum mœrens ibat, quia omne exilium atque mortem libentiùs subiret, quàm talibus præsideret intimavit, & cum ille eum secum Virdunum revocaret, se nunquam rediturum nisi priùs à talium Abbatiâ absolveretur, protestari cœpit. Et Segardus quidem eum absolvi ab invito Episcopo fecit, & Priorem Cœnobii sui factum in omnibus honoravit. Illa autem domus desolata remanet usque nunc, sicut umbraculum in vineâ, & sicut tugurium in cucumerario, donec dignissimus Præsul eidem ut Ecclesiæ sancti Pauli prospiciat. Planè si salva charitate verum licet dicere, ipsum genus hominum alienum à bono notaverim, qui ne talem quidem virum, ut ego expertus sum dulcem, rationabilem & justum passi sint, nisi quòd jactitant, quia quodam fato ita damnati sint, ut ex quo locus fundatus est, nullus ex omnibus Abbatibus eorum inter eos, sed aliàs ab eis pulsus exul obierit, quorum hodie tres vivunt ita pulsi.

Auctor de se loquitur.

Requieverat Episcopium à præliis septem annis; cum

cum ecce iterum bellorum turbo intonuit: RAINERUS enim de Balneio cum pro fide Episcopii novum castellum firmavit, per illud tam ipse quàm dominus ejus Comes de Grandi-prato Henricus omnia mala inferebant rebus Ecclesiasticis. Prætereà idem Henricus in conductu domini sui Comitis Rainaldi infrà Episcopium viantes negotiatores Hoyenses violenter opibus magnis spoliavit, quem proinde tam Episcopus quàm Rainaldus iteratò in jus vocabant, ut responderet tam pro se quàm pro homine suo Rainero: at ille jus & audientiam despiciens ad arma se contulit per Episcopium, propè usque Virdunum prædâ & flammis degrassans, primum & secundum excursum fecit, sed in armis receptus utrobique victoriam Ecclesiasticæ parti invitus reliquit, utque excursus ejus interciperetur, prædium apud *Bettinicurtem* ipse Præsul firmatâ munitione posuit: itemque quia non hoc suffecerat, ipsum castrum Balneium obsedit. Quotidie gravissimè ab utrisque pugnabatur, quotidie militares Henrici extrà aquam in tuto positi insidias nostris moliebantur: at HUGO filius Comitis Rainaldi cum ducentis ferè militibus unà dierum à suis digressus, iter ad Viennam castrum intendit ut Henrici partes infestaret, cum ecce in medio viæ positus, à nuntiis & ipsis pedum vestigiis hostiles cuneos versùs suos transisse comperit, eosque ex vestigiis tractis insequutus inopinatis eis malè in tuto positis & securis incurrit, & quater vicenos circiter ex eis cepit, equis cum omni præda retentis, pauci fugâ lapsi ad Viennam refugiunt, Henrico in infirmitate jacenti, qui nuper equo lapsus motâ de loco spatulâ graviter læsus erat, tristes suorum eventus referunt, hostes mox eo venturos ex timore superadjiciunt, eum dolentem multa inde exportantes ad tutiora confugiunt, ita ut mox Vienna à nostris & vacua capi potuisset, si insequuti fuissent. Henricus omnibus diffidens, & à suis nobilioribus quos penè omnes Episcopalis militia ceperat coactus, pacem petiit, & mox ut convaluit Virdunum venit, de omnibus impetitis in jus stetit, & omnia subjectus & obediens correxit, primo autem omnium castellum ab Episcopo obsessum jusserat reddi, quod & Episcopus evertit, facto communiter interdicto ne quis unquam ruinas ejus ressuscitare ausit.

Anno Episcopatûs sui decimo quarto Episcopus iter Jerosolymitanum vovit, cujus votum diutinâ devotione conceptum ita suis celaverat timens impediri, ut crucem eundi de more bajulare eum Ecclesia sua ante videret quàm iturum audisset. Non immeritò tunc timuerimus ne reddita per eum libertas nobis iterum eo absente à tyrannis auferretur, sed adfuit Dei misericordia, cujus nutu CÆLESTINUS Papa, qui Innocentio tunc successerat, & tota Romana Ecclesia pium Episcopi votum piè impedivit, & ne ultrà Romam procederet inhibuit, & dignum Pastorem ad oves destitutas quas lupi jam invadere meditabantur, remisit. Interim maximus turbo ventorum inhorruit, & inauditas silvarum, turrium & domorum strages in his Galliarum partibus dedit: continuum venti flatum, & inundationem pluviæ sequuta est frugis sterilitas, vini autem multo maxima. At Episcopus lætante Ecclesiâ reversus, mox duos lupos ovibus suis insurgentes unum cepit, alterum compescuit. ALBERTUS enim de castro Sanctæ MANECHILDIS, qui innumeras ab Episcopo prædas contraxerat, cum iterum prædis insisteret, & in publica contrà Episcopum arma aspiraret, cum paucis & penè inermibus insequuta præda retenta est, ipseque captus & abductus est, & prædata reddere coactus, pro sui dubiâ deliberatione nunc totus pendet in Episcopi manibus; ROBERTUS quoque de castro Confluentiæ qui rebus Ecclesiæ armatus inhiabat, multis repulsionibus compressus, perdomitus & ad pacem petendam est coactus. Planè non modicæ Dei Genitricis gratiæ adscripserim, quòd honorabilis Episcopus alios quatuor tyrannos quasi quatuor cœli ventos ROBERTUM ab Oriente, ALBERTUM ab Occidente, RAINALDUM à meridie, & HENRICUM à Septentrione tam feliciter ne gravi flatu suis ingruerent, compresserit & compescuerit. Cooperatores quoque digni Præsulis in omnibus istis tam in repellendis malis quàm in bonis inserendis, suâ laude nequaquam privaverim: horum de Clero primi occurrunt, ALBERTUS Primicerius & Archidiaconus, vir prudens & in Curiâ duorum Imperatorum LOTHARII & CONRADI pro magno habitus; GUILLERMUS venerandæ memoriæ Decanus, RICHARDUS elegantis indolis & bonæ spei Archidiaconus, referens nomen propinqui matris suæ & Episcopi nostri sanctæ memoriæ Richardi, & avunculi sui alterius Richardi Virdunensium electi; ANDREAS Archidiaconus filius Petri de *Miroalt*, qui præ cunctis nobilibus sui temporis Virdunensi fidelis extitit, JOANNES item Archidiaconus, cujus hortatu fratres ejus Rainerus & Odardus Ecclesiæ nostræ dederunt alodia *Chemeium* cum Ecclesia *Duncherium*, *Bruncurt* & Villare; Petrus Cantor; HUGO Thesaurarius; & EMELIUS scholasticus, omnes tres insignia sapientiæ & magnanimitatis, totusque reliquus Clerus omni industriâ & honestate morum præditus. Hîc finem habemus materiei & temporis: qui est annus 1144. Verbi Dei Incarnati, septimus Conradi regnantis, primus Lucii Papantis, decimus quartus Alberonis nobis Episcopantis: cui adesse usque in finem divinam imploramus clementiam, utque eum ad vindicandam sanctæ Ecclesiæ libertatem provexit, ut in omnibus hactenùs direxit, ipsa eidem inspiret & adsit in omnibus, ut bona totius sibi commissæ Ecclesiæ quæ ablata sunt recuperare quæ diminuta sunt reintegrare, quæ integra permanent conservare, aliaque super acquirere velit, instet, possit, & perficiat, quatenùs Ecclesiæ, cui factus est nobilis defensor, fiat ejusdem insignis propagator, proinde duplicem palmam recepturus à Christo. Porrò petimus ut de hoc opusculo nemo nobis calumniam struat, quia cum sola vera nos scripsisse credamus, quicumque veriùs insinuaverit, meliorem sententiam sequi in omnibus parati sumus, & bona quidem ad exemplum, mala autem ad quorumdam cautelam posteris retulimus, utque eadem ipsi suis posteris faciant mandamus; nam sicut nunc incuriæ Patres nostros notamus pro non scriptis sui temporis gestis quæ ignomus; ita & ipsi justè à posteris suis si non scripserint culpentur; multum enim valet præteritorum memoria, & ad excitandos bonos, & ad reprimendos malos. 1144.

CONTINUATIO HISTORIÆ LAURENTII Leodiensis.

Auctore Monacho anonymo sancti Vitoni Virdunensis.

PII & Venerabilis patris nostri LEGARDI præconiis, à quo non longè superiùs digressi sumus, eximendum vereor, quòd ei gratiâ meritorum interveniente, & effectu bonorum operum subsequente, meruit cumulari; propterea ad ipsum iteratò convertamus stylum. Is igitur Abbas omni studio dare

cœpit operam Ecclesiæ utilitatibus, & tam per se quàm per cohærentes sibi fratres intùs & exteriùs invigilare. Denique de venerandi patris nostri Vitoni sacro-sancti corporis honorificentiâ cœpit in dies animum sollicitare, coacervatisque, prout potuit, auri & argenti impensis, decrevit omnimodis illud decore multo sublimare, sed proh dolor! in brevi ultimâ sorte pulsatus, post triennium suscepti officii, defuncto aurifice qui opus illud inchoaverat, & ipse venerabilis Pater anno Domini millesimo centesimo quadragesimo tertio, haud multo post defungitur, & in Capitulo hujus Monasterii sepelitur. Cui venerabilis Pater CONO in regimine subrogatur, qui ordinatus, multo animi ardore impulsus, toto nisu cœptum opus quod venerabilis prædecessor suus inchoaverat, deliberavit perficere, & Deo prosperante ut deliberaverat, ungue tenus studuit illud honorificentiùs complere. Explicito igitur tandem tam operoso opere, à multis quàm sæpissime deliberatum fuerat, quatenùs tam per Dominum Pontificem quàm per religiosos Abbates seu boni testimonii viros corpus beatissimum in tam honesto loculo transponeretur certo anni tempore, quo hujusmodi transpositionis celebritas annuatim solemnis de cætero haberetur. Verùm ut liquidò claret, & ex facti fine colligi potest, nec cooperatio divina affuit, nec ipsius Sancti voluntas votis eorum tunc intercessit.

1147. Procedente verò tempore, anno scilicet Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo quadragesimo

b septimo [b], quo expeditio Christianorum contrà Paganos à toto Romano Imperio processit, quam prægnaverat jam visa antea stella spargens lucifluas in regna propinqua jubar.

Quod planè signum signabat velle supernum.
Gentes profanas pessumdare regna Romana,
Quò nunc devotè properat gens Christicolarum,
Ultrici dextrâ cupiens hos jure ferire,
Qui Christi matrem studuerunt exhonorare.

Dominus Papa EUGENIUS in Franciam venit, & ad consecrandam B. Virginis principalem Ecclesiam à domino Præsule Virdunensi ALBERONE nomine multâ prece evocatus; Nonis Novembris tripudiante totâ hac civitate urbem ingreditur, qui auditâ hujus Sancti opinione, & quòd ipsius sacræ depositionis solemnitas quinto Idus ejusdem mensis celebranda erat, ad Cœnobium istud cum suis Cardinalibus & domno Pontifice venit, & condignâ reverentiâ seu laudum præconiis susceptus, videns loculum satis honorificentissimè præparatum, laudavit, benedixit, & in illud corpus venerandum ipse cum Domno Pontifice, adstante innumero plebium multitudine transposuit: & mox iste venerabilis Pontifex adorsus divina celebrare, post lectionem Evangelii ambonem cum prædicto Pontifice & quibusdam aliis ascendens, inter cætera sua sancta prædicationis verba plurimùm Sancti hujus honorificentiam extulit, ad ultimum verò ejus festivitatem tam ipse quàm Episcopus toti Episcopatui celeberrimè singulis annis solemnisare indixit. O quàm innumerabilis turba huic sacræ interfuit solemnitati, virorum scilicet ac mulierum, quæ ad deosculandum caput sanctissimum certatim devotèque irruens, odorem mirificum se ab eo haurire gaudenter testabatur, & testando mirabatur, & quamplurimi illacrymabantur.

Hinc perpendendum quanto sit honore colendus,
Quem sic disposito Christus provexit honore.
Quòd vir Apostolicus togatâ gente relictâ,
Venit ad hos fines, & nos hac dote beavit.
Dum Sanctum coluit, manibusque suis relocavit,
Et post tale decus celebrem per sæcula sanxit.
Istud consilium divinitùs esse statutum
Nemo quis dubitet, sed cuncta regens sapienter
Ut placuit vel disposuit, sic Sanctum mirificavit.

ALBERO verò Episcopus vir generosus & approbati meriti labore affectus & tædio, ætate fractus & senio, Episcopatui resignavit, & tumultus ac frequentias populorum declinans, ad Claustrum Sancti Pauli Virdunensis Præmonstratensis Ordinis requietionis gratiâ divertit. Biennio verò ibi feliciter expleto in lectionum & orationum jugi frequentiâ, plenus dierum anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo octavo in pace quievit, 1158.
qui in majore Ecclesiâ Beatæ MARIÆ mandatur sepulturæ.

Alberoni successit in Episcopatûs regimine ALBERTUS de *Marceyo*, vir excellentis ingenii, litteraturæ vernans studio, qui solerti sagacitate ovium suarum curam gessit, & pro humanæ possibilitatis modulo causas erroris exstirpavit, jactantiæ nescius, & pauperum adjutor indefessus. Is vergens in senium ætatis provectæ, gloriæ fallacis & seductricis refugus, deliberavit se iturum Claramvallem, ut sumpto ibi habitu, mundanæ conversationis illecebras & omnes sæculi pompas abrumperet, & pauper Christum pauperem sequens divitias æternitatis acquireret. Verùm præparatis ad meandum & vectionibus cæteris sibi necessariis, relictis omnibus iter aggreditur, cum evehitur urbem populis salutatis egreditur, ante portam Beatorum Petri & Vitoni venitur, cum subitò repentino modo, miro res miranda miraculo dignoscitur evenisse; nam currus quo vir venerandus residebat, disjunctis compagibus & axibus confractis dissolvitur, ita ut non passum itineris ulteriùs progredi valuisset. Vir verò sapiens & industrius, & fide plenus, re inspecta & diligenter attentâ, divinâ gestam esse providentiâ æstimavit, nec propterea animo in contraria relapso à proposito resiliendum cogitavit, sed omine in meliora commutato Monasterium beatorum Petri & Vitoni ingreditur, conjiciens dissolutionem plaustri aliquid ominis habuisse, quod itineris progressum potuit impedire, & revolvens animo illud Evangelistæ Marci, qui cum à beato Petro missus evangelizandi causâ Alexandriam navigio navem egrederetur, calceum rupit, quod attendens & gratias agens Deo iter suum expeditum esse perhibuit, quod simili modo idem venerandus Episcopus noster Albertus sibi evenisse assignavit; qui continuò petito habitu ab Abbate Conone & obtento, Deum sibi adstitisse evidenti beneficio comprobavit. Quid votorum ibi conceperit, quantum affectionis impenderit, quàm purè se suprà terram mactaverit, Deo constitit & constat soli, qui eum sibi fuisse gratissimum monimentis prætaxatis declaravit. Hic tantillo tempore quo supervixit cœpit lectioni vacare, & orationi incumbere, sicque postmodum modico dilapso tempore post habitûs susceptionem votivas Deo reddens gratias, depositâ carnis sarcinâ anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo secundo spiritum exhalavit, ac coram altari B. Laurentii in nostro Monasterio sepelitur. Huic successit RICHARDUS Electus vir nobilis, cognomento *Infans*, qui devotionis gratiâ transmarinum iter arripuit. Richardo verò successit ARNULFUS Episcopus. 1162.

Item venerabilis Patris nostri CONONIS Abbatis

b *septimo*] Hîc etiam Acherius: In MS. antiquiore ubi iisdem verbis Relatio Translationis corporis S. Vitoni habetur an. 1146. uti & super feretrum ejudem Sancti; quod feretrum in Sacrario Monasterii visitur.

gesta memoriâ dignissima breviter replicanda censuimus dignum, qui præ multis prædecessoribus suis in hujus Cœnobii innovatione & restauratione providus valde & sollicitus exstitit, diversisque operibus auri & argenti palliorum, tapetium, librorum aliorumque ornamentorum Ecclesiam istam admodû melioravit, honestavit & decoravit. Altaria Flaviniaci & Novivillaris ab Episcopo Tullensi huic Ecclesiæ dari obtinuit. Item altare de *Valmey* ab Episcopo & Archidiacono Catalaunensi obtinere promeruit; alodiumque ad usus Ecclesiæ in vico Sancti Amantii acquisivit: &, ut bonorum est semper in melius proficere, turres lapideas post opus librarii à fundo erexit, quarum opus usque ad consummationem perduxit, & in die etiam anniversarii sui x. solidos apud *Niceville* fratribus assignavit.

Nec silendum arbitror, quantum honoris Domnus Papa ei impenderit, quantumque gratiæ ipsi accreverit, quia cum idem Domnus Papa Concilii gratiâ de more celebrandi Remos advenisset, & omnes tam Abbates quàm Episcopi in suis sedibus & subselliis resedissent, contigit tandem venerabilem Patrem nostrum Abbatem Cononem illò tardiùs adventare, qui cum indutus sacris vestibus Concilium introisset, nec haberet sedem in quâ potuisset residere, humi resedit. Ad quem cum Domnus PP. oculos inclinasset: » Hic est, inquit, qui gratiæ majoris honorem, & reverentiæ potioris favorem Gallicanis omnibus ex quo cisalpinavi, nobis exhibuit: & è vestigio misit ei in argumentum dilectionis curulem, in quâ solitus erat residere, quâ ille humiliter & cum gratiarum actione receptâ, desuper resedit. Post hoc clarere potest successoribus suis, quàm excellentis gloriæ exstiterit, quem summus Pontifex præ omnibus & coram omnibus sic honorare voluerit.

Is igitur ut erat multâ excellens præstantiâ sub rigoris regularis disciplinâ, quàm plures personas præconiis dignas imitatores sui & heredes, ac optimorum locupletes stipendiis meritorum educavit, & sanctis moribus & honestis in Dei laudibus informavit, videlicet JACOBUM dictum de *Bras*, qui fuit Abbas Sancti Agerici, domnum BERNARDUM Priorem Claustralem, domnum WARINUM Priorem de *Flavigny*, domnum GOZUINUM Priorem de *Calida Fontana*, domnum GERBODONEM Priorem, domnum SEGARDUM, D. GODEFRIDUM, D. HEYMONEM, & multos alios, quorum nomina in libro vitæ adscripta per Dei misericordiam credimus. Obiit autem venerabilis Pater noster Cono anno Domini millesimo centesimo septuagesimo octavo, & sepultus est in Ecclesiâ. 1178.

Sortito igitur ARNULFUS, vir insignis litteraturâ & moribus, Pontificatûs regimine, cœpit curâ solerti negotia sui officii tractare, & jura tueri. Erat enim argutus in consiliis, & eloquio facundus. In illis diebus surrexit quidam miles ALBERIUS nomine cognomento *Pichot*, dominus de S. MANCHILDE, vir spurius & totius malitiæ præsumptor: iste furcifer & filius iræ cœpit Episcopatum Virdunensem & Catalaunensem infestare, bona ipsorum diripere, villas deprædari, domos conflagrare. Arnulfus ergo Episcopus Virdunensis calamitati suorum condolens, confœderatis undecumque principibus, deliberavit ut Castrum quo ille minister Satanæ divertebat, obsideret. Congregato quippe exercitu & agminibus ordinatis, cum armorum apparatu & cæteris ad usus bellicos necessariis illò diverterunt, castra locaverunt, & excubitores posuerunt. Provolutis itaque aliquot diebus cum jam gravioribus pugnis desudassent, à quodam sagittario è murorum propugnaculis idem Episcopus capite sagittâ percussus interiit. Exercitus verò turbatus & ex desolatione sui Principis confusus, & ob hoc diffusus, & Principes quique ad sua non sine mœstitiâ repedarunt; Episcopi quoque cadaver Virdunum detulerunt, quod in majori Ecclesiâ B. MARIÆ semper Virginis sepulturæ mandarunt, anno Domini millesimo centesimo octuagesimo primo, cui successit HENRICUS de *Castres*. 1181.

Defuncto venerabili Patre nostro Conone, RICHERUS homo miræ simplicitatis, concordi voluntate totius Capituli eligitur in Abbatem: qui ferè per annum benedictione suspensâ, à venerabili Episcopo Arnulfo convenitur & hortatur, ut benedictionis sacramenta de more susciperet, & pastoralia negotia curâ pervigili exerceret. At ille impatiens oneris pastoralis & laboris, Abbatiæ incontinenti renuntiavit. Post Richerum eligitur PETRUS de *Briei*: qui cum more Electi duceretur in Ecclesiam in Sede Pastorali inthronisandus, Arnulfus Episcopus timens ne si idem Abbatisaret, sibi scandalorum spinas suscitaret, ipsi Petro violentâ manu occurrit, dicens eum esse de dominio Comitis Barrensis, & ob hoc honore prælaturæ privatus est; qui tamen non multo post tempore apud Sancti Petri Montem in Abbatem eligitur; post multum verò temporis, resignatâ curâ apud sanctum Vitonum repedavit.

Isti successit ALESTANNUS junior, vir admodum religiosus, & ipso anno hominem exuit, & sepultus est infrà Ecclesiam, juxtà ostium capellæ sancti Christophori. Cui successit ALESTANNUS senior, non minoris religionis quàm suus prædecessor, qui quinquennio in sollicitudine Pastorali peracto, administrationi Abbatiæ spontaneus renuntiavit, & residuo vitæ suæ tempore apud *Bolencle* degens, lectioni divinæ vacans, & orationi insistens, vitam felicem feliciore morte terminavit, & in Monasterio ejusdem loci coram altari sepultus est. Alestanno verò seniori THOMAS Abbas Maurimontis subrogatur, vir naturâ & moribus generosus. Hic cappam nigram aurifrigiatam comparavit, ruinas veteris refectorii Fratrum decenter resarcivit, tectum & celaturam renovavit.

Porrò præpositus S. Vitoni HUGO loco Thomæ in Abbatem Maurimontis erigitur, qui invidiæ stimulis agitatus, & amore cupiditatis succensus, potenti objurgatione verborum cœpit Thomam Abbatem S. Vitoni lacessere, & contrà ipsum simultates concitare, personas Virdunenses donis & adulationibus allicere, quatenùs ipsum valeret ab officii Prælaturâ amovere, ut istius Sede fungeretur. Abbas igitur fraudis expers, artisque fucatæ nescius, simultatum & seditionum impatiens, curâ pastorali cessit, ne re occasione sui vergente in deterius, fomentum facinoris esse videretur, & Monasterium cui præerat rerum suarum & honorum dispendium pateretur; qui tandem in Novâ-villetâ vel Brevibene vivens, aliquanto tempore, vita privatus est.

Hugo verò Abbas Maurimontis, qui & Præpositus hujus Ecclesiæ fuerat, Thomæ successit, qui cum Abbatisaret apud Maurimontem, cancellum Ecclesiæ cum cryptâ sumptuoso opere ac decenti fabricavit. Factus autem Abbas hujus Ecclesiæ, altare de *Bullamville* ab Episcopo Alberto acquisivit, vineam verò majorem quæ dicitur Nova juxtà Scantiam plantari & excoli fecit; qui postmodum seditione ortâ ab eisdem à quibus erectus fuerat in Abbatem, divino in se retorto judicio acriter cœpit infestari, ut qui excitatis contentionibus prædecessorem suum contumeliaverat, & ipse modo non dispari, pari ludibrio subjaceret, sicque contentioni-

bus in publicum agitatis quia non valuit nec debuit resistere, decimo anno ab ordinatione suâ cessit Prælatura.

Post hunc Stephanus Prior de sancta Margarita & de Domna Maria, Monachus Cluniacensis, eligitur & in Abbatem erigitur, ad rogatum & hortatum generosæ Matronæ Agnetis Comitissæ Barrensis, sororis Ludovici illustris Regis Francorum: qui cum regimen istius Monasterii esset adeptus, & quâdam die in præsentiâ dictæ Comitissæ adstitisset, interrogatus ab eâdem qualiter tantorum rudera debitorum quibus sua tenebatur obligata Ecclesia, valeret exstirpare; at ille ore irreverenti & infrunito præsumptuosè respondit, se fiduciam permaximam habere in rubeâ tunicâ B. Vitoni: quo dicto, continuò pœna sequitur meritum, & ecce in conspectu Matronarum & Baronum & omnium qui aderant, ob contumeliam Sancto irrisoriè illatam acerrimâ percussus paralysi cecidit, spumare cœpit, & se ipsum unguibus discerpere, sicque ultione castigatus debitâ, elinguis perpetuò permansit, ut cæteris terror incuteretur, & daretur exemplum Sanctis deferendi. Hoc viso, Comitissa jussit eum tolli, & in grabatum deferri, qui postea reductus ad istam Ecclesiam, modico post tempore resignans Abbatiæ, ad Domnam Mariam reversus, aliquamdiu ibi commoratus exspiravit. Effusâ igitur contentione super Principes, cum errarent in invio & non in viâ, suscitatum est schisma inter Regnum & Sacerdotium, & ecce cum talis inter Principes orbis terræ agitaretur contentio, Henricus de Castres Arnulfo subrogatur, qui favens consilio, auxilio, fide & affectu parti Imperatoris, excommunicatione publicâ percellitur. Interea Folmarus Trevirensis Archiepiscopus pro negotiis Sanctæ Ecclesiæ & suis aliquamdiu Romæ commoratus, regreditur. Et quia fervente guerrarum nebuloso turbine Trevirim nequibat repedare, Remis Concilium super rebus Ecclesiasticis ordinandis & excessibus corrigendis constituit celebrare. Sicque convocato Clero Virdunensi, Henricus qui Sacerdotio resistebat, judicio Cleri compellitur Episcopatui resignare. Quo facto Leodium revertitur, qui recuperato personatu & præbendâ, quibus jam dudum insignitus fuerat, ibi per aliquod tempus remoratus, morte præventus ultimum clausit diem.

Henrico verò successit Albertus, vir admodum strenuus; altercatione tamen ortâ in majore Capitulo inter partes super electione Pontificis, eo quod una pars Albertum Thesaurarium, altera verò pars Robertum de Grandi-prato sibi vellet Episcopari, Albertus in Curiâ Imperatoris obtinuit, qui tandem obortâ seditione inter cives & forenses, lanceâ à quodam milite pro defensione civitatis perforatus, occubuit. Cui successit Robertus Primicerius.

1197. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo septimo venerabilis Pater Ludovicus, vir gratiâ & moribus præditus, & in lege Domini quàm plurimùm sollicitus, Stephano subrogatur, & nostro Monasterio Abbas præficitur, venerabili suo fratre Alberto Episcopante, qui Ecclesiam suam invenit multitudine debitorum obligatam, & bonis temporalibus destitutam in tantum, ut ære gravaretur alieno, & maxima pars fructuum Ecclesiæ in solutionem cederet usurarum. Ne igitur ista Ecclesia majori possessionum suarum parte in posterum cogeretur exheredari, curtim de Bollai cum ejus pertinentiis omnibus, exceptâ villâ de *Leimerfelt*, & quidquid Ecclesia nostra habebat apud *Cimenges*, viro nobili domino Thomæ de *Bollaï* vendere compellitur. Hic cum ætate juvenis Ecclesiæ curam suscepisset, paupertatem in se sustinuit, superflua quæque vitavit, paulatim bonis operibus proficere cœpit, & non post multum tempus Ecclesiam per dissolutionem & contentionem præcedentium religione & honestate ad nihilum ferè redactam, ad bonum statum Divino cooperante adjutorio reduxit. Prædictus autem Pater noster apud Principes & Magnates gratiosus & famosus existens, altaria montis Sancti Martini, Villaris, Bailodii, & Ecclesiam de Reboris à Trevirensibus acquirens: ab Episcopis autem Virdunensibus altaria de Rahericuria & de Nova-villa cum appendiciis huic Ecclesiæ donari obtinuit; &, ut bonorum est Pontificum semper in melius proficere, reditus competentes ad usus infirmorum & debilium Infirmariæ assignavit. Eleemosynariamque novam integraliter cum capellâ construxit. Advocatiam quoque de Calidofonte cum laborioso sumptu acquirens, istum Prioratum qui ad victum unius Monachi vix sufficere poterat, divitiis & reditibus ampliavit.

Quia verò longum est enarrare per singula in quibus Ecclesiam melioravit, Prioratus emendavit, loca nostra remota & proxima ad bonum statum revocavit, multis omissis, Advocatiam montis Sancti Vitoni à viro Nobili Gobirto de Aspero monte quingentis libris emit. Ecclesiam quoque nostram supellectilibus auri & argenti decoravit, tabulam argenteam ante majus altare decenter fieri fecit, Claustrum à fundamentis erexit, & ferè omnes officinas reparavit, & in ultimo vitæ suæ termino opus novum decorum & sumptuosum in Monasterio incepit: in cujus parte loci Monasterii, in Capellâ scilicet B. Virginis se constituit sepeliri. In die etiam anniversarii sui quadraginta solidos super domum unam in macello fratribus assignavit, quorum medietatem in anniversario piæ recordationis Abbatis Richardi jussit expendi.

Hujus temporibus floruerunt venerabiles & honestæ personæ, per quas jus, ratio, discretio, religio & honestas viguit & floruit in istâ Ecclesiâ: ex quibus tres apud S. Agericum abbatisaverunt successivè, Martinus videlicet bonus & honestus, post Martinum Jacobus vir admodum religiosus & scientiâ litterarum imbutus, post Jacobum Nicolaus hujus loci Thesaurarius, qui Abbatiam S. Agerici muro forti circumdedit. Nicolaus item de Chastel. qui in Valciodorensi & Harteriensi Monasteriis in Abbatem est assumptus. Præterea floruerunt in hac Ecclesiâ viri Religiosi Stephanus dictus *Tyecans*, Renardus frater ejus, Vernerus dictus Paganus, *Hugo* dictus de Belloloco, *Reynaldus*, item *Hugo* dictus Faber, qui humeris oneri viriliter suppositis Ludovicum venerabilem Patrem nostrum in melioratione Ecclesiæ strenuè consiliis & auxiliis, fide & affectu adjuverunt.

Roberto viro strenuo in Pontificatûs culmine sublimato, viriliter & discretè negotia Pontificatûs procuranti, opposuerunt se duo nobiles viri Herbertus *Dyvous* Decanus Remensis & Canonicus Virdunensis, & Theodoricus Decanus Virdunensis, dicentes eum esse neophytum & illiteratum, nec dignum Pontificatûs honore, & in tantum eum vexaverunt ut personaliter ire Romam urgeretur. Hic designato eidem à summo Pontifice termino, Pontificatu cedere compulsus est, qui cum Virduni reversus esset, intra terminum sibi præfixum luteâ mole depositâ, in majore Ecclesiâ mandatur sepulturæ.

Hoc defuncto successit Joannes de Asperomonte, gloriâ dignus & honore, qui devotionis fervente spiritu Monasterium quod dicitur in Prato à fundamentis cum quibusdam officinis ibi erexit,

Canonicos introduxit, redditibus ampliavit, qui septennio Virduni feliciter peracto, ad Episcopatum translatus est Metensem.

Huic successit Radulfus Cantor Laudunensis, vir mitis & mansuetus, qui dedit nobis altare de *Rarecourt*, qui viginti & uno anno in Pontificatûs regimine peracto, homine deposito in majore Ecclesiâ sepelitur.

Radulfo verò defuncto, Guido de *Trianel* Pontificatûs sortitur honorem: qui dum Virdunum adventaret in sede Pontificali inthronisandus, Baronis castro adveniens, febre correptus validâ, defunctus est, & sic gaudio in mœrorem commutato, Virdunum advectus est ac sepultus in Ecclesiâ majore.

Isti successit Guido de Melloto eodem anno: qui cum viginti Juratos civitatis qui sibi dominium & justitiam urbis usurpaverant, vellet dejicere, urbem obsedit, omnem Clerum ex eâdem priùs compellens exire, & interdicto supponens civitatem; quâ durante discordiâ, multa damna Ecclesiis & Monasteriis tam in mobilibus quàm in ædificiis intùs cives, exteriùs Episcopus & prædones irrogarunt. Inter quæ turrim Sancti Pauli cum campanis cives funditùs dejecerunt. Qui inquam Guido Episcopus obsidionem exterritus diù sustinere non valens, demùm urbem tribus locis Carniaco, Deia, Ventrovilla, munitionibus militum circumdedit & vallavit, infrà quod tempus cives urbem quâdam die, videlicet feriâ secundâ post festum Sancti Bartholomæi, cum manu forti & armatâ exeuntes, numero tredecim millia ad bella expediti, eos qui interiùs in munitionibus erant supradictis aggrediuntur viriliter invadentes, cum vix essent numero trecenti, eos tamen devicerunt, ex eis captos duxerunt ferè trecentos: in quo conflictu ceciderunt centum viri vel ampliùs; quo facto cives valde perterriti & attriti, demùm pacem Episcopo offerentes, pro civibus quos captos tenebat dantes decem millia libras, omnem ei suam justitiam quittaverunt, & præfati viginti jurati ceciderunt, & sic pace inter Clerum & Cives redditâ, ipso anno circà Purificationem B. Mariæ Virginis translatus est de Virduno ad Episcopatum Autisiodorensem idem Episcopus, pace nondum benè confirmatâ.

Cum Venerabilis Abbas Ludovicus senio fessus resignasset, præsentibus viris Reverendis Patribus, scilicet Joanne Metensi, Rogero Tullensi, Radulfo Virdunensi, Willermus Abbas Sancti Mansueti eligitur, qui cum Monachus hujus loci factus fuisset Prior Flaviniacensis, invenit dictum Prioratum cum Ecclesiâ & omnibus officinis omnimodè dirutum, & ad nihilum redactum: hic appendens in staterâ considerationis sibi ad dedecus cedere si deses existeret, & ad meritum, si strenuus emendationi loci insisteret, Deum cui familiare est etiam non rogantibus multa præstare, sibi in adjutorium invocavit, & tanto operi tantoque oneri humeros apposuit, qui divino se brachio sustentante primo anno tigna, laquearia, tecta & cælaturam Ecclesiæ cum turri, veteribus operturis putrefactis abjectis, usque ad summum restauravit; Capitulum quoque cum Dormitorio, refectorium cum granariis satis competenter & honestè resarcivit, horreum etiam quod sepibus circumseptum erat & clausum, sumptuoso opere & forti de novo construxit, grangias circumjacentes melioravit, decimas *D'ynnas* & de *Chamont*, quæ per XL. annos Prioratui Flaviniacensi sublatæ fuerant à Comite Lunaris-villæ, per industriam suam & laborem, & per Ducem Lotharingiæ Matthæum ad locum suum revocavit, & ferè medietatem villæ de Flavinæi quam Dux Lotharingiæ Matthæus saisiverat & suo dominio mancipaverat, cum multis aliis rebus reacquisivit. Quàm commodus huic loco exstiterit, istis rerum & ædificiorum monimentis declaratur. Igitur pro hujuscemodi & aliis bonis ad Abbatiam Sancti Mansueti invitus tractus est, qui illò transvectus, invenit Ecclesiam tam bonis spiritualibus quàm temporalibus dissipatam, & gravibus debitis oneratam, omnes ferè redditus Ecclesiæ profundissimo debitorum diluvio submersos reperit, & calices, textus, cruces, casulas, quin & meliores cappas invadiatas invenit, ita quòd sortis dilatio usuras parturiret ampliores. Tectum Ecclesiæ, cælaturam, clausuram quoque curiæ reparavit, alias etiam officinas melioravit, usuras leviavit, industriâ suâ & labore debita minoravit, universa quæ oppignerata erant redemit, reditus ampliavit, Ecclesiam de Clateigneis à Comite Tullensi cum appendiciis suis; Altare verò ab Episcopo Tullensi Rogero acquisivit, altare etiam de *Germai* & de *Bures* ab eodem Episcopo cum appendiciis suis obtinuit, & multa alia, ex quibus emolumentum ad annuam valentiam centum librarum possit provenire, Ecclesiæ B. Mansueti acquisivit infrà spatium octo annorum & dimidium quibus præfuit Ecclesiæ illi: qui, inquam, Willermus Abbas Ecclesiam dictam cui præerat, non spiritualibus solummodo, verùm etiam temporalibus copiosissimè extulit incrementis. Hic de Priore suo Jacobo dicto de *Vignuoles*, cujus vitam & mores satis compositos & honestos noverat, de assensu Radulfi Virdunensis Episcopi Abbatem S. Agerici creavit. Hic pius & mansuetus quamvis brevi abbatisaverit tempore, nomen bonum loco illi acquisivit, suis enim valde gratiosus, & multa bona in loco illo operatus est.

Igitur venerabili Patre nostro Willermo Abbatisante seditio, de quâ suprà mentionem fecimus, quæ inter Episcopum Guidonem de Melloto ex unâ parte & cives Virdunenses ex alterâ versabatur, in tantum invaluit, ut Episcopus prædictus quæcumque potuit, res, reditus & bona nostra manu violentâ subripuerit. Comes verò Barrensis hinc, dominus quoque de *Aspremont* inde. Bonis ergo nostris datis undecumque in direptionem, compulsi sumus necessitate urgente locum nostrum inviti deserere. Dispersi igitur per nostros Prioratus & per alia loca, tamdiu irrequieto ibi mansimus animo, quo usque lis utrimque sedaretur.

Interea cives Virdunenses timentes ne Episcopus castra locaret & excubitores poneret in turribus nostris, quibus arceret introïtum & exitum civibus, proposuerunt turres dejicere ne eis essent impedimento. Lapicidis ergo generali edicto congregatis, cœperunt turres instrumentis suis ferreis effodere, ut eas valerent faciliùs dejicere, cujus rei memoria monimentis patentibus in posteros perpetuò poterit derivari. Hoc viso Venerabilis Pater noster Willermus animo graviter consternatus, cives cœpit multimodis rogatibus pulsare, ne tantum facinus perpetrarent: qui nullatenùs rogatui ipsius voluerunt acquiescere, nisi sub tali conditionis pactione, quòd si Episcopus occasione turrium ipsis aliquod gravamen inferret, prædictus Abbas cum Capitulo teneretur eis in duobus millibus libris fortium obligatus. Obsidibus ergo datis & pactione confirmatâ, turres in statu suo permanserunt; Cives verò clausuram Curiæ, domum portariam & lapides Ecclesiæ sculptos multis sumptibus, & solitos ad valentiam ferè trecentarum librarum ad clausuram suorum mœnium & propugnaculorum deduci fecerunt. Episcopus igitur his & consimilibus in iram concitatus, videns se nihil posse inferre gravaminis civitati & civibus, omnem Scantiam & totum suburbium superius usque ad Sanctum Amantium, ut

saltem vel sic furori suo satisfaceret, igni fecit concremari.

Hujus temporibus cum FREDERICUS Imperator in superbiâ & in abusione in Ecclesiam Dei rabie desævirer efferatâ, & fraude hæreticâ serpentino lapsu universum penè orbem inquinaret; summus Pontifex INNOCENTIUS quartus reluctandi gratiâ Lugduno Galliæ appulit, non ut hostiles conflictus timidus declinaret, sed ut potiùs & securiùs reluctari valeret. Fidei igitur armatus clypeo, adjutorio fretus divino, ei se viriliter opposuit, ne veritatem falsitas obumbraret, ne æquitati iniquitas prævaleret, ne fidem perfidia debellaret. Exerto igitur potentissimè Petri gladio, in ipsum excommunicationis dictavit sententiam: post hæc communicato totius Cleri consilio, universalis Ecclesiæ judicio prædictus FREDERICUS sceptro Imperialis honoris privatur: cujus sede Landegravius sublimatur, ut Catholicæ fidei materiali gladio ferret auxilium, ut ab altero alterius insufficientia suppleretur, cum hi duo gladii mutuum à se mendicent auxilium, atque ad invicem debeant sibi vires alternas impertiri: qui brevi supervivens tempore, hanc morte suâ intulit mœstitiam & dolorem.

Isto sublato de medio erectus est in Regem vir nobilis WILLERMUS, Miles acerrimus, filius Comitis *de Hollande*, qui multis commissis præliis contrà Regem CONRADUM filium prædicti Frederici apostatæ, & aliquibus captis munitionibus & castellis innumeras perpessus est insidias & dolores.

INNOCENTIUS verò summus Pontifex pro tuitione Ecclesiæ libertatis, se ad omne discrimen objiciens, Ecclesiæque Dei persequutionibus commoriens, exactionibus inauditis & importunis cœpit omnem Ecclesiam & Monasteria enormiter exhaurire, ita quòd vicenariam, deinde denariam partem omnium redituum & decimarum in donativis militiæ sibi dari ab omni Ecclesiâ & Monasteriis compelleret, eos verò qui negarent, excommunicationis sententiâ percelleret. Cardinales verò hinc, summus Pontifex inde, tam in vicenario quàm in denario, tam in pensionibus quàm in procurationibus & subventionibus in mille libras Ecclesiam nostram gravaverunt.

Cum igitur *mirabiles essent elationes maris, & mirabilis in altis Dominus*, *statuit procellam ejus in auram*; & ille qui imperat ventis & mari, imperio suo imperavit Imperatori ne imperaret, humiliavit enim eum is qui est ante sæcula, qui humiliat omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei. Præterea ille Fredericus, qui vehementi schismate turbaverat urbes & Regna concusserat, corruit cum *Dagon*, sortem habiturus cum *Chore*, *Dathan* & *Abiron*, quorum imitatorem se fecit, Ecclesias in Christi contumeliam conculcando, & ipsorum bona depopulando: quo defuncto Domnus Papa Mediolanum repedavit. *Psal. 92. 6.*

MONITUM.

CHRONICON FONTINELLENSIS, nunc S. Vandregesili, Abbatiæ in Normania sitæ, Diœcesis Rotomagensis, ad vetustissimum ejusdem Monasterii apographum ante annos sexcentos exaratum contuli; at verò quod initio est procemii loco assutum, scilicet Commemoratio Genealogiæ Arnulfi, &c. *Chronologi hujus minimè esse arbitror; sed eo juniorem quempiam edidisse conjicio: quippe quæ ad annum Verbi Incarnati DCCC. LXXXV. progreditur; Chronici verò parens in Ansigisi gestis desinit, quem Ludovico Pio imperante Abbatiæ pedum gestasse constat. Insuper, si utriusque unus idemque conscriptor fuerit, ut quid amabo proximè post in ipso primi capitis limine S. Vandregesili genealogiæ seriem retexeret? censendus foret memoriæ labilis quammaximè. Atat Auctor ipse, opinor, non obscurè suam prodit ætatem in Wandone Abbate qui obiit ann. 756. his verbis:* Testantur plurimi qui illum viderunt, ideo non necesse æstimo omnia de eo inserere, &c. *item:* Nam Bortgaudus Monachus, qui eum (*Wandonem*) sepulturæ tradidit, referre erat solitus, dum eum in sarcophago posuisset, &c. *cap.* 14. Hæc de eo (*Austrulpho Abbate*) narrare erat solitus bonæ recordationis Hardoinus Cellæ S. Saturnini Mart. Presbyter, qui sub ejus tempore hoc in Cœnobio clericatûs suscepit habitum &c. *cap. denique* 17. Interea defuncto Magno Carolo Imperatore Augusto divæ memoriæ, Ludovicus ejus filius in Imperium elevatur. *Duo verba*, divæ memoriæ, *subindicant Auctorem eâ scripsisse tempestate. In summâ, arbitror illum, quàm Ansigisus ab humanis esset exemptus paulo post vitâ functum, hoc est, anno plùs minùs DCCC XXXIV. quo finem suo imposuit Operi: siquidem Appendicis primæ Scriptor nonnihil actuum Fulconis Abbatis attingens, anno DCCC XXXV. regimen eum suscepisse Monasterii Fontanellæ asserit proximè post Josephum Ansegisi successorem, qui Abbatia per menses tantummodo septem potitus est. Hactenùs de Auctoris ætate.*

Præterea observandum moneo illo in Chronico prætermissa quorumdam Abbatum gesta, vel quòd exciderint, vel quòd nihil dignum memoriâ ab his actum, seu aliis motus Auctor rationibus ea silentio premenda putaverit. Fragmentum equidem gestorum Lamberti Archimandritæ, post Lugdunensis Archiepiscopi sanctitate conspicui, in calce codicis præfati Fontinellensis reperi, sed mutilum, ut pote folium unum aut alterum è codice fuit avulsum, exesumve à blattis. Procemium illud, cujus titulus, Commemoratio genealogiæ Arnulfi &c. *necnon,* Constitutionem Ansegisi Abbatis *in fine Chronici subjectam haud quaquam complectitur vetus MS. Fontinellæ, Chronicon dumtaxat habet unà cum vitis Vandregesili, ac præcipuorum illius Asceterii Archi-*

mandritarum fide & moribus sanctissimorum. Proœmii suppetias ivit Duchesnii apographum, atque libellus manu antiquâ exaratus Fontinellensis Cœnobii, vitam continens B. Vandregesili, ac partem Miraculorum S. Wlfranni. Forent & alia, fateor, animadvertenda, verùm cum non nesciam è nostris quemdam elucidando, quo de agimus, Chronico, atque eruendis Fontinellæ monumentis multum diùque à sexennio insudasse, ut ad hæc usque tempora ejusce Monasterii historiam perducat concinnetque, ne messem in alienam inferre falcem videar, manum continere & calamum interim judicavi. Verbo dicam, parachronismos, nævosque si quando, Lector, offenderis, ubi præsertim Regum Francorum anni cum Reparatæ Salutis comparantur, non ignobile Opus ideò abjiciendum, imò verò tum ob antiquitatem, tum etiam ob styli gravitatem, tum maximè præclaras ob res posteritati conscriptas, plurimi abs te faciendum censeo.

Subjectam, quam vides, duplicem Appendicem præstitit Fontinellæ MS. alteram perbrevem, sed eisdem quibus & Chronicon characteribus, atque à synchrono vel suppari Monacho scriptam: prolixiorem alteram: videlicet pericope est è libro excisa Miraculorum in translatione corporis S. Wlfranni divinitùs patratorum, quæ haud inelegananter retulit testis oculatus, antequàm Normanni Duce Guillelmo Insulas Britannicas armis quærerent, ac subjugarent, nempe annum circiter MXL. Vitam protraxisse ad annum MLIII. ipsemet indigitat evidentissimè, dum Gradulfi Abbatis excessum è vitâ mortali edisserit: Obiit autem, *inquit*, anno ab Incarnatione Domini MXLVII. Huic successit frater illius pro carnis origine, nomine Robertus, anno fermè XII. Willelmi Comitis &c. atque nunc usque sub cœlestis Regis imperio Monarchiam regni pro arbitrio potenter disponit, &c.

Idcircò autem pericopen hanc erui, quòd Abbates aliquot Fontanellenses, & quæ patriam dilucidant historiam notatu digna recenseat.

Postremò, ut sincerè dicam quod sentio, Asceterium Fontanellense seminarium fuit sanctissimorum Episcoporum. Vidit sibi præsidentem, ac mira perpetrantem non semel Rotomagensis Ecclesia, vidit Remensis, Senonensis, Lugdunensis, vidit Apostolum Frisia, vidit demùm insulis suis redimitum diversis in civitatibus Gallicana Ecclesia Monachum Fontanellensem: notiora sunt quæ refero, quàm in illis sigillatim ut immorer recensendis: nihil etenim frequentius Martyrologia uti Fontanellæ nomen, nihil augustius commemorant. Hæc Acherius, quem non adeo diligenter usum esse codice Fontanellensi discet lector è variis lectionibus quas D. Edm. Martene nobis communicavit, quasque representamus cum fide.

CHRONICON FONTANELLENSE.

Commemoratio Genealogiæ ARNULPHI *Episcopi, &* WANDREGESILI *Nepotis ejus.*

ANSBERTUS, qui fuit ex genere Senatorum, vir nobilis, & multis divitiis pollens, accepit filiam *Lotharii* Regis Francorum nomine *Blithild*,[a] & habuit ex eâ tres filios, & unam filiam. Primogenitus ejus *Arnoldus*, secundus *Feriolus*, tertius *Modericus*, quarta puella *Tarsicia*. E quibus Feriolus Episcopus in Utceciâ ordinatus est, ibique martyrio coronatus requiescit in pace; ubi multa per eum miracula fiunt. Modericus frater ejus similiter Episcopus in Arisido ordinatus est, atque ibi quiescit in pace. *Tharsicia* virgo Dei in virginitate perseverans, Rodonis[b] quiescit: quæ etiam fertur mortua mortuum suscitasse. Porrò Arnoldus genuit *Arnulfum* Episcopum: Arnulfus genuit *Flodulfum*, *Walchisum*, & *Anchisum*, fratres ejus: Walchisus quoque genuit *Wandregesilum* Confessorem Domini. *Flodulfus* genuit *Martinum*, quem interfecit Ebroinus Erteriaco[c] Palatio. Anchisus Dux genuit *Pipinum* Seniorem & Ducem. Pipinus Senior & Dux genuit *Karolum* Seniorem & Ducem. Iterum Karolus Senior & Dux genuit *Pipinum*, quem Stephanus Papa consecravit & benedixit[d] in Regem. Pipinus Rex genuit [Domnum] *Karolum* gloriosum Cæsarem, quem Leo Romanus Pontifex consecravit & unxit in Imperatorem in Ecclesiâ B. Petri Apostoli die Natalis Domini [nostri] JESU Christi. Karolus Imperator genuit *Ludovicum* piissimum Augustum. Iterum Ludovicus piissimus Augustus genuit tres filios ex *Irmegardâ* Reginâ, id est *Lotharium*, *Pipinum*, & *Ludovicum*: ex *Judith* verò Imperatrice genuit *Karolum* gloriosum Regem. Post mortem verò Ludovici piissimi Imperatoris *Lotharius* (ante obitum patris decem & octo annis unctus ad Imperatorem) contrà fratres suos, id est Ludovicum Regem Bajoariorum, & Karolum, exercitum duxit, adjuncto sibi Pipino cum Aquitanorum populo, in pago Autisiodorensi, in loco qui vocatur Fontanetum. In quo [loco] Franci cum omnibus nationibus sibi subjectis mutuâ se cæde prosternentes, ad ultimum Ludovicus & Karolus Lothario fugato triumphum adepti sunt. Post cruentissimum verò prælium pace inter eos factâ, diviserunt inter se Francorum Imperium. Et Lotharius quidem accepit regnum Romanorum, & totam Ita-

a *Blithild*] Codex Fontan. hoc loco habet *Balthild*.
b *Rodonis*] Idem Codex, *Redonis*.
c *Erteriaco*] In eodem legitur *Ercriano*.
d *& benedixit.*] Idem codex, *& unxit*.

liam, & partem Franciæ Orientalem, totamque Provinciam. Ludovicus verò præter Noricam quam habebat, tenuit regna quæ pater suus illi dederat, id est, Alemanniam, Thuringiam, Austrasiam, Saxoniam, & Avarorum, id est Hunorum, regnum. Karolus verò medietatem Franciæ ab occidente, & totam Neustriam, Britanniam, & maximam partem Burgundiæ, Gotiam, Wasconiam, Aquitaniam, submoto inde *Pipino* filio Pipini, & in Monasterio S. Medardi attonso. Qui postea inde per fugam elapsus, Aquitaniam regressus, multo tempore fugiendo ibi latuit, iterumque à Ranulfo Præfecto per fidem deceptus comprehensus est, & ad Karolum adductus apud Silvanectum perpetuo est exilio detrusus.

Lotharius verò ex *Irmegardâ* filiâ Hugonis tres filios habuit, id est *Ludovicum*, cui regnum Romanorum & Italiam tradidit: alterum autem *Lotharium*, cui sedem Imperialem [e] reliquit: tertium verò *Karolum*, cui Provinciam gubernandam dimisit. Decessit quoque Lotharius anno Incarnationis Domini nostri JESU Christi octingentesimo quinquagesimo quinto, Imperii sive Regni sui XXXIII. Post cujus obitum Karolus filius ejus, qui Provinciam gubernabat, anno octavo moritur. Deinde Ludovicus Imperator Romanorum, & Lotharius fratres Regnum ejus, hoc est Provinciam, inter se dispertiunt. Ludovicus autem Rex Noricorum, id est Bajoariorum, Ludovici Imperatoris filius, anno Incarnationis Domini JESU DCCCLXV. [f] post festivitatem Paschalem Regnum suum inter filios [suos] divisit [&] *Karolomanno* quidem dedit Noricam, id est Bajoariam, & Marcas contrà Sclavos, & Longobardos: *Ludovico* verò Turingiam, Austrasios, Francos, & Saxoniam dimisit. *Karolo* quoque Alemanniam & Curvallam, id est Comitatum Cornugalliæ reliquit. Ipse tamen Ludovicus super filios suos feliciter nunc principatum tenet anno Incarnationis Domini DCCCLXIX. [g] Et post hæc obiit Ludovicus Rex anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXVI. cum regnasset annis LIV.

Karolus autem Rex Occidentalium Francorum anno XXXVI. regni [sui] in Italiam pergens, orandi causâ ad limina Apostolorum pervenit, ibique à cuncto populo Romano Imperator eligitur, & à Joanne Papa in Imperatorem consecratus VIII. Kal. Januar. anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXV. inde in Galliam prosperè reversus est. Anno quoque Regni sui XXXVIII. [h] & Imperii tertio inchoante, in Italiam iterum perrexit, & colloquio Joannis Papæ usus, in Galliam revertens, transcensoCiniso monte, præsentis luminis caruit visu III. Nonas Octob. Indictione X. anno Domini nostri DCCCLXXVII. Cui successit in Regno filius ejus *Ludovicus*. Deinde anno regni sui secundo necdum expleto, isdem Ludovicus obiit Compendio Palatio V. Idus Aprilis, Indictione XII. anno Domini DCCCLXXIX. Deinde filii ejus *Ludovicus* & *Karolomannus* Regnum ejus inter se dispertiunt. Prædictus verò Rex Ludovicus in pago Wimniaco [i] cum Normannis bellum gerens, triumphum adeptus est, & non multo post obiit pridie Nonas * Augusti, anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXI. Indictione XV. Regnavit annos duos, menses tres, dies XXIV. Cui successit in regno frater eju sCarolomannus. [Regnavit * annis tribus, & diebus sex. Deinde in Ewelinâ saltu in Monte-Aërico à ferâ singulari percussus est.] Obiit anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXIV. Indictione secundâ, VIII. Idus Decembris. Deinde Karolus Rex Suavorum, filius Ludovici Regis Noricorum, Monarchiam totius Imperii Francorum & Romanorum assumit anno Verbi incarnati DCCCLXXXV. Indictione III.

INCIPIUNT GESTA SANCTORUM PATRUM FONTANELLENSIS COENOBII.

CAPUT PRIMUM.

1. IGITUR ab almificæ memoriæ Patre nostro, ac omni honorificentiâ nominando, egregio Christi Domini Sacerdote *Wandregisilo*, qui & *Wando*, priscorumque Patrum titulis non mediocriter coæquando, ut imperata postulant, initium orationis incipiam, videlicet ut à quo exordium nostri cœpit Cœnobii, ab ipso etiam nostræ orationis sermo sumat initium. Omissis videlicet conversationum ac magnarum virtutum operibus, quæ in prolixioribus de eo gestis olim memoriæ mandata sunt, nunc brevi oratiunculâ, ne legentium fiant oculis onerosa, ea tantùm quæ de ejusdem clarâ origine, seu moribus honestis, ac conversatione Angelicâ comperta habemus, aut qualiter hoc *Fontanellense* Cœnobium ædificaverit, quotque in eo annis fuerit, quo etiam tempore, vel sub quibus Principibus agone expleto gloriosissimam victoriam potentissimo Christi sub auxilio reportarit, huic operi inserenda fore credimus.

2. Hic nempe vir Domini, ut breviter nonnulla perstringam, ex nobilissimis Francorum ac ditissimis natalibus oriundus, territorio Verduni castri, nobiliorem se splendidæ vitæ moribus, ac castæ conversationis exemplis insignem exhibuit. Hujus genitor *Walchisus* nuncupatus nomine, ut veracium didicimus traditione Seniorum, patruus gloriosissimi *Pipini* Ducis Francorum filii *Anschisi* exstitit. Denique idem vir Domini adolescentiæ dum polleret ætatis in annis atque in aulâ gloriosissimi Regis *Dagoberti* nobilissimè militaribus negociis, ac aulicis disciplinis educaretur, ab eodem Rege Comes Palatii constitutus; ac deinde Ducatûs Officio mancipatur. Deinde parentum hortatu, licet invitus uxorem duxit. Quâ post paululum unanimi castitatis [l] voto relictâ, comâque capitis depositâ Clericus effectus, spretisque omnibus, angustum ingressus est callem brevi tempore finiendum.

3. Igitur ad locum qui vocatur Monsfalconis secedit, cuidam magnarum virtutum viro, cujus nomen modo memoriæ non occurrit, adhærens, plurimumque temporis cum eo conversatus, innocentis vitæ admirabilis cultor comprobatur. Inde à Rege præfato accersitus, atque ad Regiam domum properare jussus, pro habitûs mutatione increpatus primò, sed post honorificè prosequutus: sicque cum Regiâ auctoritate reversus, quodam in loco Cellulam suæ vocationi condignam ædificat, aliquan-

e *sedem Imperialem*] Eam nimirum in quâ sitâ erat urbs Aquisgranum, quæ Carolo Mag. & Ludovico Pio regnantibus sedes Imperii fuerat.

f *DCCCLXV.*] Codex jam laudatus, *octingentesimo quinquagesimo quinto.*

g *DCCCLXIX.*] Idem, *octingentesimo quinquagesimo-nono.*

h *XXXVIII.*] Imò *XXXVIIII.* si laudatum codicem sequaris.

i *Wimniaco*] Codex Fontan. *Viminaco*: idem pro *III. Nonas*, habet *pridie Nonas.* Quod sequitur uncis inclusum, in laudato codice non legitur.

l *castitatis*] aut *castæ voluntatis*, ut in cod. Fontan. legitur.

tum

tum temporis in eâ degens. Ibi namque actibus, ac sacræ doctrinæ verbis exornatus ceu lampas refulgebat accensa. Exinde ob gratiam vitæ contemplativæ egrediens, ac visitatione locorum Sanctorum summum habens desiderium, veluti apis prudentissima flosculos diversi generis carpere satagebat, ut dulcia post caperet mella. Denique Alpium juga transcendens, lætusque peregrinationem aggressus, cum tribus pueris & asello Italiam ingreditur, atque ad Bobiense Cœnobium sicuti revelatione didicerat, accedit. Quod beatus Pater *Columbanus* Scotici generis olim à Theodorico [m] Rege Galliâ expulsus, atque ab Agilulpho Longobardorum Rege Italiâ honorificè susceptus, ejus permissu ædificaverat.

4. Hoc ergo Cœnobium beatus pater *Wandregisilus* adiens, quòd à discipulis præfati Patris Columbani (tunc) incolebatur, causâ hospitalitatis ad vitæ arctioris explorandam [n] semitam, aliquamdiù ibidem commoratur. Ex eo loco exemplis innocentis vitæ instructus egrediens, Galliarum terras repetit, atque Monasterium quoddam, cujus vocabulum est Romanis citrà saltum Jurensem constructum adit, ibique sub institutione regulari multum temporis nobilissimè Domino militavit. Eo deinde loco deserto, cognitâ vitâ atque famâ magni Præsulis Audoëni, qui tum temporis sedem urbis Rotomagensis adeptus, verbum immortalitatis suis civibus administrabat, fideique Catholicæ fautor, pariterque præceptor, barbaricas ac indomabiles eorum mentes nectare Evangelicæ doctrinæ debriabat, atque gnaram benè credere gentem docebat, sedulisque exhortationibus Christum Dominum Deum esse colendum monstrabat: ipsum adiit, summâque cum reverentiâ à præfato venerabili Antistite susceptus est, secumque aliquamdiù in urbe tenuit. At verò ipse egregius Domini cultor districtiorem desiderans vitam eremi secretis ducere, mundanosque fugiens semper honores, ut cum Rege Christo cœlestes posset habere gazas, licet renuens, ab antefato coangelico [o] Episcopo Presbyteratûs est ordine consecratus. Deinde hortatu præfati Præsulis, ac possessionem terræ largiente *Erchinwaldo* [p] Præfecto domûs Regiæ *Clodovei* [q] junioris Regis filii *Dagoberti* gloriosissimæ memoriæ, hoc *Fontanellense* Cœnobium, unà cum venerando nepote suo *Godone* novo opere construxit.

Condit Cœnobium Fontanellense.

5. Erat autem præfatus *Erchinoaldus* Major-domûs Regiæ, insignis bonitate, ac eleemosynarum largissimus: qui post transitum bonæ recordationis scilicet præfati Dagoberti Regis, præfecturæ ordinem, ac curam maximam Regni Francorum etiam cum filio suo *Clodoveo* [r] & *Batile* Reginâ nobiliter administravit. Sub hujus *Clodovei* Regis tempore præfatus Patricius possessionem, quæ vocatur Botmarias, * quam nuper à quodam homine nomine Rotmaro per venditionis titulum emerat, locumque ad construendum Cœnobium situm propè civitatem Rotomagensem quindecim millia, in valle amœnissimâ, saltu, cujus vocabulum est *Gemmeticus*, undique circumdatam (in ipso saltu ædificatum est Cœnobium à B. Philiberto, quod vocatur *Gemmeticum*) per venditionis titulum *Godoni* contradidit. Quo etiam tempore fundamenta ejusdem exordium ædificationis sumsisse probantur. Sed quia ista de exordio illius prælibavimus, nunc de situ ipsius pauca videamus.

6. Situs quippe ejusdem Cœnobii hujusmodi fertur esse. A tribus enim plagis, id est à septemtrionali, Occiduâ, atque Australi, montibus arduis ac frugiferis, Bacchique fertilissimis, silvisque est obsitum condensis. Ab Oriente item habet fontem uberrimum, qui ab ortu suæ emanationis per spatia [s] passuum plus minusve mille trecentorum manat: sicque cursu suo expleto, in alveum Sequanam influit ad meridianam ejusdem Cœnobii plagam. Ab Occidente item ibi fluvius est mirabilis in Aquilonari ejusdem Cœnobii plagâ ab imo progrediens, atque in meridiana Geon prædicti alvei profunda se demergens. Inter hæc duo mirabilia flumina prata ejusdem Cœnobii sunt amœna atque irrigua. Quæ admirabilis *Wandregisili* atque venerandi Patroni nostri solertiâ inutilia quæque ablata vireta, militumque Christi ejusdem Fontinellensis Cœnobii degentium sudore solo coæquata, eorumdem necessitatibus aptissima sunt reddita. Ab Austro item maximus fluviorum Geon, qui & Sequana, commerciis navium gloriosus, abundantia piscium præstantissimus, distans ab eodem Cœnobio passus octingentos. [t] In quo scilicet fluvio ex infinito Oceano sive mari Britannico bini æstus diurno nocturnove tempore sibimet invicem compugnantes occurrunt: ut versâ vice alveus potiùs retrorsum converti, quàm ad ima videatur fluere. Talique cum impetu tempore Malineæ accedunt, ut super millia quinque aut eo ampliùs & sonitus murmuris ejus humanas repercutiat aures, & aspectibus intuentium ceu Farus altissimè lympham ejusdem penetret alvei. Talique impetu per meatus prædictorum duorum fluminum, perque prata illis contigua ceu Nilus Ægyptiacus per spatia passuum plus minusve octingentorum ad murum ejusdem accedunt Cœnobii, finitoque conflictu in Oceanum infusi, * unde venerant revertuntur. Locus autem ipsius Cœnobii tam fertilis tamque jucundus existit, ut cum quis illuc advenerit, inter pomorum nemora & hortorum amænitate virentia, in hæc protinùs ei liceat prorumpere verba: *Quàm pulcra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israël!* Ut valles nemorosæ, ut horti juxtà fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus quasi cedri propè aquas. Erat namque iisdem locus, in quo ipsum Fontinellense Cœnobium noscitur ædificatum, veprium asperitate, ac spinarum densitate, virctorumque inutilium ac paludum immensitate inaccessibilis. In quo magis latibula latronum ac lustra ferarum, quàm habitatio videbatur hominum. Hunc locum pretiosissimus Wandregisilus, ac antefatus ipsius nepos Venerabilis Godo, à prædicto Patricio sibi indultum statuerunt [u], cum aliis nonnullis militibus Christi primò precibus orationibusque à pristinâ flagitiorum sorde purgare, ac inutilia quæque evellendo projicere, demumque fundamenta Cœnobii jacere, ut juxtà prophetiam Esaiæ; *In cubilibus, in quibus priùs habitabant dracones, oriretur viror calami ac junci:* id est, fructus bonorum operum ibi nascerentur, ubi priùs vel bestiæ commorari, vel homines bestialiter vivere consueverant. Cœptum est autem hoc

Descriptio loci ubi Cœnobium constructum est.

m *à Theodorico*] Idem codex; *à Theoderico.*
n *ad . . . explorandam*] Idem, *ac . . . explorandi.*
o *coangelico*] Sic maluimus cum laudato codice, quàm cum priori editione, *evangelico.*
p *Erchinwaldo*] Idem codex, *Erchinoaldo*, quæ scriptura in priori editione habetur aliquot lineis inferiùs.
q *Clodovei*] Idem codex cùm hîc; tùm etiam aliis locis *Hlodoveum* habet, nusquam *Clodoveum.*

r *suo Clodoveo*] Idem, *ejus Hlodoveo & Balthilde.* Infrà in eodem pro *Botmarias* legitur *Bothmariacas.*
s *per spatia*] Hic legebatur *per millia spatia*; sed mediam vocem sustulimus laudatum codicem secuti.
t *passus octingentos*] Idem codex, *passus DCCCV.* diligentiùs in speciem. Infrà in eodem pro *infusi* habetur *refusi.*
u *statuerunt*] Laudatus codex, *studuerunt.*

Cœnobium Fontan. fundatum an. 645.

opus ab anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo quadragesimo quinto, sub die Calend. Martiarum, Indictione III. [x] qui erat annus *Clodovei* juvenculi præfati Regis undenus, Pontificante sedem Romanæ Ecclesiæ anno VII. Summo Præsule Beatissimo Papa Martino porrò Constantino tertio Romani Imperii apicem gubernante anno IV. [y] Quod tam solerti studio summâque industriâ perfectum est, ut penè illo tempore Galliæ Belgicæ seu Neustriæ terris singulare esset.

7. Ædificavit ergo, præfatus admirabilis [Pater] in eodem loco Basilicam in nomine beatissimi Principis Apostolorum Petri, quadrifido opere ducentos nonaginta pedes habentem in longitudine, porrò in latitudine triginta septem. Alteram denique in honore Doctoris Gentium beatissimi Vasis electionis Pauli, mirandi operis. Tertiam verò in veneratione clari Martyris Christi Laurentii. Misit autem isdem venerandus Pater, dum huic operi insisteret, antefatum carissimum nepotem suum *Godonem* ad urbem Romuleam propter pignora beatissimorum Apostolorum & Martyrum Christi, ut ædificatis Basilicis in promptu haberet reliquias quas imponeret. Qui votis pii Patris libentissimè parens, Alpium jugis transcensis Romam adiit, *Vitaliano* Papa eodem tempore pontificante sedem ejusdem Ecclesiæ: atque acceptam maximam reliquiarum copiam Apostolorum ac Martyrum Christi, quas etiam dinumerare laboriosum est, rediens secum detulit, necnon & volumina sacrarum scripturarum diversa veteris ac novi Testamenti, maximeque ingenii Beatissimi atque Apostolici Papæ Gregorii. Quæ omnia isdem venerandus, ac cum omni honorificentiâ nominandus beatissimus Pater ac Christi famulus *Wandregisilus* venerabiliter suscepit accersito etiam magno Præsule Rotomagensis Ecclesiæ *Dadone*, præfatas Ecclesias quas ædificaverat ut consecraret, simulque pignora, quæ antefatus *Godo* cum ejus auctoritate Romæ petierat, Christi imponeret aris, supplex exorat. Quod ita à præfato Præsule ut petierat, impletum est. Diligebat enim illum isdem Pontifex dilectionis fervore eminentissimo, ita ut frequenter ab urbe egrediens eum inviseret, ac dulcia colloquia cum eo haberet, dignaque Deo consulta uterque susciperet: Pontifex videlicet clarus ab egregio Presbytero ac agonista perspicuo, isdemque Christi miles à gloriosissimo Præsule. Monstrantur usque hodie lecta eorumdem Christi militum, ac pretiosi Philiberti Gemmeticensis Cœnobii Patris, in destinâ quâdam juxtà Basilicam almi Confessoris Christi Amantii, Ruthenæ [z] quondam civitatis Præsulis, in quibus sancta membra post almificam collationem, quieti dare consueverant; necnon & humillimæ sellæ, quibus considere inter sacra colloquutionis verba soliti erant. Quorum denique oratio non alia erat, quàm de regno Dei, de Paradisi deliciis, & de gehennæ suppliciis, de justitiâ quoque, fide, & charitate, ac patriæ salute, simulque pace omnibus prædicandâ, mundique illecebris respuendis. Est autem hæc sacra ædicula haud procul à præfato Fontinellæ Cœnobio sita, mille circiter sexcentorum passuum ad plagam distans meridianam. Hanc isdem clarissimus Pater quodam Diacono suo atque Monacho nomine Sindardo, pignora præfati Confessoris Christi Amantii de Ruthena * urbe, in quâ ipse venerabiliter quiescit humatus, perferente, ædificavit.

Quis loci Fontanel. antiquitus possessor fuerit.

8. Sed quia de situ loci, & adventu viri sancti aliqua tetigimus, oportunum videtur, ut qualis fuerit antiquitùs locus, cujusve ante accessum illuc servorum Christi possessio, pleniùs intimemus. Erat nempe possessio cujusdam hominis nomine *Rothmari*, quæ largitione clari Regis Dagoberti sibi indulta fuerat. Cujus auctoritas largitionis adhuc in scriniis Privilegiorum nostri Cœnobii conservata tenetur. Acta fuerat anno decimo quinto prædicti Principis, IV. Non. Martiarum die, Compendio Palatio Regio. In ipsâ namque largitione continetur, quòd præfatus Rothmarus locum Botmariacensem, saltum præscindendo, indultu Regis habitabilem reddiderit. Molendinum quoque super fluvio Fontinellâ priscorum accolarum neglectu in ruinâ positum, novo opere reædificaverit. Defuncto autem Dagoberto Rege post annos decem & novem idem Rothmarus Clodoveum juvenculum Regem filium supradicti Principis adiit, uti suam juberet patrari [donationem], & patris sui confirmaret auctoritatem de locis prædictis sibi concessis: quod ita ut petierat impletum fuisse constat. Statim denique à *Radone* Scriptore Regalium Privilegiorum, Geruloque annuli Regii, edita est jussu ejusdem [a] Regis & matris suæ *Nanthildæ*, quæ cum eo Regnum tenebat, auctoritas confirmationis; ut veluti patris sui tempore, ita in postmodum ex suâ indulgentiâ perenniter valeret possidere. Edita est hæc confirmatio pridie Nonas Februarias anno primo præfati Regis, Nantoilo Palatio, & directa *Teutgiso* Domestico & Custodi saltuum villarumque Regalium, necnon & *Radulpho* Comiti Rotomagensi, ut licitum foret ipsi Rothmaro easdem res quieto ordine possidere: nam & ipsa auctoritas in hoc Cœnobio adhuc servatur. Acta est prima largitio à Dagoberto Rege ipsi Rothmaro anno circiter trigesimo ante adventum beati Patris *Wandregisili* in hanc regionem. Defuncto autem Rothmaro, remansit filius ejus Airamnus Amantius * in pueritiæ vel adolescentiæ annis. Quo tempore *Erchinoaldus* Major-domûs Regiæ à prædicto Airamno commutavit supradicta locella, data eidem in territorio Veliocassino alia pro ipsis, unde pater ejus Rothmarus carnis originem duxerat, quorum nunc nomina memoriæ non occurrunt. Sequenti quoque tempore *B. Wandregisilus*, & nepos ejus venerabilis vir *Godo*, prædicto Patricio sub titulo pretii eadem eis locella largiente, & Domino cooperante, adepti sunt, sub anno undecimo prædicti Regis, die Calendarum Martiarum, Indictione . . . . Acta erat in Compendio Palatio. Dehinc anno subsequenti & petita & acta est confirmatio præfati Regis super eisdem locellis, porrectaque à *Radone* Scriptore auctoritatum Regiarum, Geruloque annuli Regii, prædictis patribus strenuis. Edita fuit anno duodecimo sæpefati Regis Compendio Palatio Regio, Kalendarum Martiarum die, congregatis Francorum populis in Campo Mar-

x *Indictione III.*] In eodem cod. additur *Ævo III.*

y *anno IV.*] Sic in laudato cod. primâ manu: sed recentior emendavit *anno X.*

z *Ruthenæ*] Idem codex *Rotenensis*: & infrà, *de Rotenâ urbe.*

a *jussu ejusdem*] In cod. Fontan. totum hoc caput ad finem usque sic descriptum est: *jussu Regis & Reginæ, ut ex suâ indulgentiâ jugiter teneret.* (Vides additum esse à recentiori quodam, quod de Nantilde in editis legitur.) *Edita est hæc confirmatio pridie Nonas Februarii, nam & ipsa auctoritas in hoc Cœnobio servatur. Defuncto autem Rothmaro, remansit filius ejus Airamnus in pueritiæ annis. Quo tempore Erchinoaldus Major-domûs Regiæ à prædicto Airamno commutavit supradicta locella, data eidem in territorio Veliocassino alia pro ipsis, unde pater ejus Rothmarus originem duxit. B. quoque Wandregisilus à prædicto Patricio sub titulo pretii eadem locella adeptus est. Edita fuit anno XII. sæpefati Regis Compendio Palatio Regio die Kal. Mart. congregatis Francorum populis in Campo Martio, ubi omnibus annis conveniebant, veluti omnibus notum est.*

tii, ubi omnibus annis convenire soliti erant, veluti omnibus notum est.

Gesta BAINI *Episcopi Tarvanensis, & Rectoris Fontanellensis Cœnobii.*

CAPUT II.

BAINUS Episcopus de civitate Tyroandâ quintus ab almifico ac cum omni honorificentiâ nominando protectore nostro clarissimo Sacerdote *Wandregisilo* regimen assumit Cœnobii, ab anno videlicet septimo *Hiliberti* gentis Francorum Regis, & XIII. *Sergii* Papæ [b] usque ad decimum quintum ejusdem Regis annum, & *Joannis* Apostolici secundum, qui fuit octogesimus octavus à Petro Apostolo, Exarchatûs autem *Pipini* filii Ansegisili XXI. Dominicæ autem Incarnationis DCCVI. Indictione IV. per annos novem. Sub hujus denique tempore præfatus Pipinus gloriosissimus Dux *Floriacum* Cœnobium unà cum nobili conjuge suâ *Plectrude* ædificat, quod situm est in pago Veliocassino, anno nono *Hiliberti*, qui erat Exarchatûs sui annus vigesimus tertius, Dominicæ autem Incarnationis septingentesimus octavus. Ipsumque Bainum Rectorem ibi præfecit, plurimamque turbam Monachorum adunavit. Ipsum autem Monasterium huic Cœnobio contradidit. Occasioni autem ædificationis præfato Cœnobio idcircò fuit, quoniam isdem Princeps per invidorum consulta admirabilem Ansbertum de sede Rotomagensis Ecclesiæ expulerat, atque ad exilium direxerat; in quo isdem agonista divinus ad æternam migraverat requiem. Cumque præfatus Princeps multas sanitatum virtutes audiret ab eo fieri, reminiscens culparum suarum, ob ejusdem militis Christi amorem ac reverentiam, simulque ut indulgentiam mereretur accipere, hoc Cœnobium ædificavit, unaque cum omnibus rebus suis huic Cœnobio Fontinellæ perpetualiter tradidit possidendum. Sed de hoc Monasteriolo qualiter in potestatem ipsius gloriosissimi Ducis Pipini redactum fuerit, declarabo.

2. Hic namque locus possessio fuerat antea cujusdam illustris viri, cui nomen erat *Fraericus*, qui ipsum Floriacum licet modico opere in suo proprio à fundamentis construxit in honorem S. Annæ, S. Petri, & S. Aniani, & Xenodochium decem pauperum ibi constituit, ubi largitus est duas partes de ipso Floriaco; Similiter de villâ aliâ quæ dicitur Salcidus, & Garnapium qui dicitur Fuscinocurte; & de Fontanido tertiam partem, necnon & alia prædia. Quod actum esse constat sub anno quinto regnante *Theoderico* Rege. Sequenti quoque tempore dum Pipinus Princeps singularem Francorum Principatum obtinuisset, superato Theoderico Rege, & Berthario Majore-domûs, sæpedictus Fraericus prædictum Floriacum eidem contradidit, eà videlicet ratione, ut in majori elegantiâ ipsum locum sublimaret, ac Monachorum Congregationem ibidem constitueret: quod ita & factum est. Denique evocatum ipsum venerabilem Patrem idem Princeps hoc Cœnobium ædificare jussit, Rectoremque constituit, sicut in largitione quam de ipso locello huic monasterio edidit, scriptum fore constat. Sic enim inter cætera insertum illic reperitur: *Ubi constituimus virum strenuum & Dei cultorem Domnum Bainum ipsum Rectorem Monasterii Fontinellensis, eà videlicet conditione, ut ex præfato Monasterio Fontinellâ post recessum ejusdem Baini, ipsi Monachi in ipso Floriaco Cœnobio consistentes omni tempore Rectores & Gubernatores habeant, & sub eorum ditione nostris & futuris temporibus permaneant, & sub nostrâ ac hæredum nostrorum defensione ipsa loca perenniter tuenda consistant. Actum est anno duodecimo, regnante Hildeberto Rege.* In quo Conventu interfuit idem gloriosissimus Princeps, & nobilis conjunx ejus *Plectrudis*, filiique eorum *Drogo*, & *Grimoldus*, *Grippo* & alii plurimi nobiles viri. Largitus est autem anno Hildeberti Regis nono ibidem villam, cujus est vocabulum Taricinus, quæ sita est in pago Belloacensi, ipso die tertio Nonarum Martii, Indictione secundâ.

Anno verò undecimo præfati Regis, Walmonem villam, quæ sita est in pago Belloacensi; & Luciniacum in territorio Vilcasinensi, eidem delegavit Cœnobio sub die decimo Kalendarum Novembrium.

Anno decimo tertio præfati Regis contulit ipsi Cœnobio idem inclytus Dux villam cujus est vocabulum Mala, sitam in pago Madriacensi, die decimo quinto Kalendarum Augusti, feriâ quintâ, Indictione sexta.

Eodem anno præfatus gloriosissimus Dux Gamapium villam quæ sita est in pago Vilcasino, contradidit ipso die Idus Aprilis, feria quinta, Indictione sextâ.

Anno undecimo jam suprà scripto præfatus Exarchus dedit eidem Monasterio villam, cujus vocabulum est Ecclesiola, sitam in pago Ebroicino, Kalend. Martiarum die, Indictione IV. feriâ quartâ. Bannagam insulam anno decimo regni sui idem Hildebertus Rex præfato Præsuli Baino, & eidem Cœnobio contradidit.

Anno duodecimo ejusdem Regis præfatus Princeps Pipinus Fontanidum villam ipsi Cœnobio largitus est. Huic admirabili [c] Præsuli largitus est præfatus Hildebertus Rex villam quæ vocatur Adpiecum, quæ sita est in pago Pinciacensi super alveum Sequanam, unà cum adjacentiis suis, Novitianus, Curbania, [d] Albachahan, Nido, Terrælido, [e] cum illis præstariis * quinque, anno decimo regni sui, qui erat Dominicæ Incarnationis septingentesimus & quartus, Indictione secundâ, decimo tertio Kal. Novembris, feriâ secundâ.

Anno sexto [f] ejusdem Regis quidam homo Leutbrandus portionem aliquam de villâ, quæ vocatur Pansas, * largitus est in pago Ebroicino.

Anno septimo Erchenulphus similiter de villâ quæ dicitur Ulmosus.

Anno duodecimo præfati Regis Gressus villam in pago Tellau Jordanis contulit.

Anno undecimo Sicbaldus Taunacum villam in [pago] Tellau.

Obiit idem Episcopus *Bainus* duodecimo Kalendarum Julii.

Hic namque *Bainus* Episcopus inter innumera bonitatis suæ opera quæ gessit, etiam corpora Sanctorum *Wandregisili*, *Ansberti*, atque *Wlfranni* in Ecclesiam Beati Principis Apostolorum Petri de Basilicâ S. Pauli Apostoli transtulit. Et posuit quidem beati patris Wandregisili in medium, magni verò Præsulis Ansberti ad lævam; & gloriosi Pontificis Wlfranni ad dexteram partem in absidâ ejusdem Basilicæ ad Orientalem plagam. Facta est autem hæc sancta translatio anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo quarto.

Translatio corporum SS. Wandregisili, Ansberti, & Wlfranni, 704.

b *Sergii Papæ*] Quæ sequuntur, in Fontanellensi codice non leguntur usque ad illum locum, *Huic admirabili præsuli*

c *huic admirabili*] Hæc quidem habentur in cod. Fontan. sed in fine capitis: statim enim post *Sergii Papæ*, sequitur *Hic namque Bainus*, & cætera usque ad finem.

d *Curbania*] Laudatus codex, *Curbaria*.

e *Terrælido*] Idem, *Trœnlido*, & mox *forestariis*, ubi legitur *præstariis*.

f *anno sexto*] Idem codex, *anno XI* & statim, *Pausas*.

tingentesimo quarto, Indictione secundâ, pridie Kalend. Aprilis, feriâ secundâ. Nam solemnitas sancti Paschæ tertio Kalend. Aprilis tunc exstitit, qui erat annus decimus gloriosi Regis Hildeberti: porrò Joannis Papæ, qui octogesimus [quintus] à beato Petro Romanam rexit Ecclesiam, annus primus; *Baini* denique Patris prædicti annus quintus, ex quo regiminis assumserat curam istius Cœnobii. Eodem verò in loco, quo B. Wandregisilus in prædictâ S. Pauli Apostoli requieverat Basilicâ, B. Erenbertum Episcopum posuit, qui antea in inferiori loco ejusdem Ecclesiæ subter arcubus tumulatus, annis plus minusve triginta tribus requieverat, die trigesimo primo post translationem prædictam, condiditque super eum repam argento decoratam. Requievit igitur B. Wandregisilus in eâdem S. Pauli Basilicâ annis circiter quadraginta: inclytus autem Præsul Ansbertus annis novem g; Sanctus verò Archiepiscopus Wlfrannus annis undecim. * Qui ita inventi sunt cum vestibus suis à corruptione illæsi, quasi eâdem die fuissent sepulturæ traditi. Nam sicuti ministrare sanctis altaribus consueverant, ita etiam tumulati fuerant.

Gesta BENIGNI *Diaconi, Abbatis* [*Patris*] *Fontanellensis & Flaviacensis.*

CAPUT III.

BENIGNUS [igitur] Diaconus & Monachus à patre nomine Maurino editus, matreque Ingâ, ordinatione divinâ assumit Cœnobii curam ab anno decimo sexto Hildeberti Regis, qui erat annus tertius Joannis Papæ suprà jam taxati, Dominicæ verò Incarnationis septingentesimus septimus; Indictione quintâ. Tenuit hujus Monasterii curam pastoralem per quatuordecim curricula annorum. Anno autem ab Incarnatione Domini nostri JESU Christi septingentesimo & decimo sexto jussu Ragenfredi Majoris-domûs, sive potiùs, quod verius est, Tyranni, de regimine Monasterii projicitur, & *Wando* Monachus filius Baldrici ejus in loco subrogatur per annos tres.

Eodem denique anno venit Radbodus Dux Frisonum navali ordine usque Coloniam urbem. Contrà quem Carolus sagacissimus Exarchus bellum instauravit. Sequenti quoque anno, id est, Dominicæ Incarnationis septingentesimo decimo septimo, Indictione decimâ quintâ, actum est bellum plus quàm civile inter Carolum Exarchum & Ragenfridum in Tartam in die Dominico in loco nuncupante Vinciaco, duodecimo Kal. Aprilis, dies xv. ante solemnitatem sancti Paschæ, qui erat primus annus Gregorii secundi Papæ, qui nonagesimus primus à B. Petro Apostolatum ejusdem tenuit urbis. Nam in præfato prælio Wando cum Ragenfrido & Hilperico Rege interfuit. Benignus verò Diaconus partibus Caroli favebat. Cumque post actam cædem Ragenfridus cum Hilperico fugam arripuisset, tandem post multiplicem fugæ lapsum ad Noviomum hujus nostræ Ecclesiæ villam perveniens, Wandonis equum, quem ibi in pasto constitutum reperit, extemplo assumsit, atque cursu rapido ad portum, qui vocatur Devenna, penetravit. Illic namque transmisso Sequana ad Andegavis urbem aufugit: insequebatur enim à Caroli satellitibus. Cum verò comperisset Carolus à sibi dicentibus, quòd scilicet Ragenfridus per equum Wandonis aufugisset; jussit eum illico de Cœnobii hujus regimine projici, & in Trajecto castro exilio trudi, quod antiquo gentium illarum vocabulo Viltaburg, id est oppidum Wiltorum vocabatur, nunc verò linguâ Gallicâ Trajectum nuncupatur. BENIGNUS denique rursùm regiminis hujus Cœnobii sortitur gradum per annos quatuor, id est, usque ad annum Theodorici junioris Regis tertium, qui erat Dominicæ Incarnationis septingentesimus vigesimus tertius. Hujus BENIGNI Abbatis propinquus S. Gennardus Vicedominus Ecclesiæ Rotomagensis, & Abbas Cœnobii Flaviacensis exstitit. Qui post recessum ipsius Gennardi Flaviacensis Cœnobii factus est Rector.

De MILONE *Recluso*,

CAPUT IV.

SUb hujus denique administratione quidam paterfamilias nomine Rothmundus ob gratiam vitæ contemplativæ mundani fugiens culmen honoris, ad conversionem venit cum filio suo nomine Milonis: amboque comam capitis sibi deponentes, effecti sunt milites Christi. Sed postea Milo licentiam expetiit à prædicto Patre Benigno, ut licitum sibi foret Anachoritarum more solitariam vitam ducere. Deinde verò ad locum accedens, qui hodieque Milonis crypta per metonymiam dicitur, in rupe altissimâ super ripam alvei Sequanæ, rupem eamdem excidens, mansiunculam sui voti condignam sibi constituit, quæ viginti ferè homines capere videretur: ibique aëreas dæmonum turmas fortissimo Christi umbone repellens, infatigabiliterque agonizans, feliciter Domino militavit. Mater verò ejus nomine Wisla, Mater Logensis Cœnobii in sancto proposito effecta, quæ præcipua fuerant in eodem Monasterio ornamenta ipsa tribuit, necnon & prædia plurima acquisivit. Præfatus verò Rothmundus, ac religiosus famulus Christi Milo tempore conversionis suæ largiti sunt huic Cœnobio patrimonia duo, id est Olliniacas & Bettonis-curtem, sita in pago Tellau, anno videlicet tertio Dagoberti junioris Regis, qui erat Pipini senioris Ducis vigesimus sextus Incarnationis autem Domini Salvatoris nostri JESU Christi septingentesimus tertius decimus. Erat autem præfatus miles Domini Milo Presbyteratûs ordine, quem bonis clarisque actibus adornabat, decoratus. Habebat namque sub rupe [illâ] Ecclesiolam constructam, in quâ hostiam victimæ salutaris Domino immolabat. Usque hodie verò cernuntur vestigia ejusdem ædificii, in quo Basilica illa constructa fuit. Monstrantur nunc usque arbusta in latere montis ejusdem rupis, ac vitiferæ arbores, quas ipse propriâ manu terræ inseruit, necnon & plantæ seu vites vineæ, quam ipse etiam plantavit, ac dum ibi philosopharet excoluit. Secundùm dictum namque Psalmistæ, laboribus manuum suarum vivere satagebat, ut ei benè esset, ac finito mundi cursu videret bona in Hierusalem. Idcircò autem de eo ista tentavi memoriæ mandare, quoniam de eo multiplex opinio bonæ vitæ per plurimos ad me perlata est. Audivi nempe narrantem quemdam venerabilem senem, qui ab eo didicit, qui ipsum Milonem multo tempore vidit, quòd fuisset staturâ procerus, vultuque angelicus, calvitiem habens capitis venerandam. In ipsâ namque cryptâ bonis operibus insistens, ac retruso ordine vitam irreprehensibilem ducens, mentem ad cœlestia desideria semper intendens, pauperie valde gaudens, ibidemque præsentis

Ætas Auctoris innuitur.

g *annis novem*] In annis Ansberti & Wlfranni variat Codex sæpius laudatus; nam illi annos undecim, huic novem tribuit.

vitæ debitum complens, spiritum Deo reddidit felicitati perenni conjungendum. Cujus corpus in Ecclesiam B. Apostoli Pauli advectum, sicque sepulturæ est traditum. Ferunt namque nonnulli, quòd ante portam Logensis Cœnobii se jussisset tumulari, atque ibidem humatus teneatur: sed ut ego à veracibus senioribus didici, commodius fore arbitror, ut ubi Monachus exstitit, illic etiam sepultus teneatur. Credo tamen, quòd ubicumque ossa requiescant, [h] anima fruatur gaudiis sempiternis. Hæc quidem veluti auditu didici, ac in scriniis Privilegiorum nostri Cœnobii reperi, de Milone Reclauso seu Anachorita dicta sufficiant.

De BAGGA *Monacho ac Presbytero.*

CAPUT V.

OPportunum præterea videtur, ut hoc in loco quæ à pluribus venerabilibus viris de bonæ recordationis BAGGA hujus Cœnobii Monacho ac Presbytero didici, quoniam sub hujus Patris [i] regimine ad Dominum migravit, inserere non omittam. Hic etenim sanctæ conversationis vir ex Brittanniâ Oceani insulâ Saxonicô ex genere ortus, hoc advenit Cœnobium, ad plurimum temporis regulari ordine vitam irreprehensibilem gessit. Ita namque in omnibus mandatis divinis se exercere satagit, ut cunctis Christi famulis hoc in Cœnobio consistentibus imitandus appareret. Hic itaque explicitis dierum suorum curriculis, quo jam in aulâ cœlesti dignus reciperetur heres, parvâ correptus ægritudine decubuit; nec multo post corpore solutâ animâ, perenni particeps factus est felicitati. Contigerat denique, ut in eâ horâ, quâ ipse Christi famulus rebus excessit humanis, prædictum egregium Patrem Benignum in Ecclesiâ [orationi [l] secretiùs insistere. Tunc unus ex ministris concito gradu eumdem Patrem adiit, fundentemque Domino preces solo prostratum in Ecclesiâ reperit:] cumque diutiùs in precibus persisteret, isdem minister propiùs accessit, extemploque prædictus Pater indicare sibi aliquid velle persensit; surgensque ab oratione sciscitatur quid quæreret. At ille: frater, inquit, Bagga consortiis subtrahitur humanis. At venerabilis Pater longa ex imo pectoris trahens suspiria, talia infit: O signifer fortissimè Christi militiæ Bagga, nunc mercedem laborum lætus accipis tuorum: deprecare ipsum benignum Dominum, ut unà tecum mereamur gaudere consortiis justorum per ævum. Unde haud dubium est eidem Patri divinitùs cum in oratione consisteret revelatum fuisse, ut & spiritum illius cœlos penetrantem aliquâ ex parte mereretur aspicere, qui ita auxilium ipsius flagitabat in prece. Denique more mortuorum compositus, digno in loco sepulturæ mancipatus est, magna enim copia in hujus Patris administratione nobilium virorum hoc in Cœnobio exstitit.

De ARLAUNO *Sylvâ.*

CAPUT VI.

HUic Benigno Abbati largitus est Dagobertus Rex junior quartam partem de Arlauno foreste, anno quinto regni sui, suggerente Theobaldo [m] Majori-domûs Regiæ, per loca designata, id est per Quincionem montem, deinde per Petrosam vallem, & exinde per profundam vallem, necnon etiam per Mortuam-vaccam. Aliæ verò terminationis fines sunt, à termino Itcinse * de Valle Tabellis per illum lacum * qui vadit ad locum, qui nuncupatur Caput-caballinum, inde ad illam salsosam cisternam quæ dicitur Sarconos, * indeque ad Tenebricam valliculam ad dexteram manum per verticem montis usque ad profundam vallem, quæ dicitur Mortua-vacca. Deinde per Casalis usque ad fines Bovaricenses in dexterâ per summum illius pigatum exsartum usque ad fines Glaccolinses. Deinde per illum mansionilem qui vocatur Pomaritus infrà ipsam forestem Arlaunum, & est per loca designata, hoc est de uno latere Bracus, sive vallis quæ dicitur Dirginis, usque ad eum locum qui dicitur Petraficta, & ipsum mansionilem ad pratum faciendum. Deinde ad Petramfictam secùs primam viam publicam quæ dicitur ad duospontes [n], & ad Bracum, quæ dicitur Bricilione. * Deinde etiam secùs illum Bracum qui dicitur Ad Castellum Luporum, qui est super illum bracum anteriorem Dirginis. Hæc quidem largitio licet ab isto Rege sit firmior edita, ab antecessore tamen suo glorioso Rege Hildeberto maxima pars concessa jam fuerat decessori istius Benigni Abbatis, almæ recordationis Bainô Episcopo. Edita est autem hæc Donatio sive Confirmatio à præfato Rege Dagoberto anno Incarnationis Dominicæ septingentesimo quinto decimo, Indictione decimâ tertia, quinto Iduum Juniarum die Dominicâ. Eodem anno ipse Dagobertus Rex mortuus est. Quo tempore terra Hattuariorum à Saxonibus depopulata est: sed ipsi non multo post dignas suæ perfidiæ pœnas à Francorum populis perpessi sunt, eorumque terra usque Wiseram fluvium incendiis, rapinis, interfectionibus attrita est.

De muneribus ac rebus BENIGNI *Abbatis.*

CAPUT VII.

HIc [denique Benignus] dimisit in Ecclesiâ B. Petri calicem aureum, qui pensavit libras quinque, & patenam ejus pensantem libram unam. De rebus verò Cœnobii [nostri] nil minuit, imò augmentare studuit. Denique ex propriâ hereditate contradidit huic Cœnobio Sennan [o] & Maronis * cisternam, possessiones sitas in pago Calentinse * Similiter Bisagum, qui est in pago Rothomagensi. Sivagum * etiam & Limitium, quæ sunt in pago Veliocassino: Maris, & Waldeberti * willare: patrimonia quæ sunt sita in pago Aurelianensi: Onadonem & Caraciagum prædia posita in territorio Andegavo. Condatum etiam patrimonium, quod est in pago Oximo. Crisciacum, Salaciagum, Saviniacum, Captialonnum, & Magalonnum, quæ sunt in pago Sanctonico: Agannagum, Bonelum, [p] Andiagum, Vodertam, Aguintum,* Ambariago, Riveram, prædia quæ sunt sita in pago Engolismensi. Sunt possessiones viginti duæ, pagi septem. De quibus tertiam partem largitus est, id est de unaquâque. Edita est largitio à prædicto Benigno, quarto anno regnante Hildeberto Rege, die decimâ tertiâ Kalend. Februar.

---

h *requiescant*] Sic codex Fontan. prior edito, *teneantur sepulta.*

i *hujus Patris*] Nempe Benigni.

l *orationi*] Quod uncis inclusum est, noverit lector ex codice Font. esse descriptum; ac pro iis hæc duo tantum verba in priori editione repræsentata esse, *minister reperorit.*

m *Theobaldo*] Laudatus codex, *Theodaldo.* Infrà ex codem scripsimus *Itcense* & *lacum*, ubi erat *Iecinse* & *locum*. Illic quoque pro *Sarconos* legitur *Sarcosos.*

n *duos pontes*] Sic codex quem semper laudamus, & *Bricilione.* Prior editio, *Vospontes*, & *Bricilone.*

o *Sennan*] Codex Font. *Sennau*, & *Mauronis* .... *in pago Caletense* ;... *Suiagum* .... *Waldoberti.*

p *Bonelum* ... *Aguintum*] Idem cod. *Bonolum*..; *Agintum.*

Hic Benignus Abbas evindicavit contrà Bertharium Comitem villam quæ vocatur Montecellus, quæ est sita in pago Oximensi, coram Carolo Majore-domus, mediante Advocato suo nomine Roberto. In quo Conventu interfuerunt hi Episcopi; Ebbo, Baldoinus, [q] & Milo, seu alii ilustres viri & Comites, Teudericus, Rotgarius, Anginulfus, & Haregarius. Celebrata est hæc evindicatio anno tertio, regnante Theoderico juniore Rege, XIV. Kal. Augusti, Tulpiaco * castro.

Anno quinto regnante Dagoberto juniore Rege, quidam Presbyter, nomine Leutbertus, vir valde dives, contradidit eidem venerabili Patri prædium, quod vocatur Bodardi villa, situm in pago Wimnau, in quo ipse Leutbertus Ecclesias ædificavit, necnon & locella alia, id est, Taunaco, Luneraco, Frolinas, [r] seu Gressus etiam & Duno, & Archarium villam in pago Veliocassino. Unde statim Privilegium confirmationis à prædicto Rege editum accipere curavit, quod adhuc in Scriniis nostri Cœnobii reconditum retinetur.

Eodem anno quidam homines nominibus hiis, Gunthardus, Almedius, Aiga femina, largiti sunt possessiones has in pago Ebroicino, Agmaro, & Norma, & Maceriolas, & Spanga, & Haretone, cum omnibus adjacentiis suis, sitas super fluvium Ittonem: huic Benigno Abbati largitus est Benignus item Monachus, Senior frater Gennardi, mansum in Magaciaco villâ, quæ est in pago Veliocassino, cum vineis & mancipiis, quem ei dederat Ragenfridus Major-domûs quondam. Item quidam homo nomine Gislehardus Montecellus villam cum adiacentiis suis Meriliaco, Nervimaco, [s] Ciriliaco, sitam in pago Oximensi in centenâ Noviacense, anno secundo Dagoberti Regis.

Anno decimo sexto Hildeberti Regis, quidam paterfamilias Litor * nomine Primiaco decimo die mensis Julii in pago Madriacensi largitus est. Eodem anno Ermingus Clericus, partem contulit de Brinniaco octavo Kal. Julii. In quo Conventu interfuit vir Deo dilectus Bagga Presbyter Saxonici generis.

Anno decimo septimo ejusdem Regis Ebrinus partem de Gentiaco, ac Fontanas contradidit. Nam & fratrem suum nomine Eodonem istinc Clericum habebat.

Anno primo Dagoberti juvenculi Regis Ermoaldus Summacianna [t], decimo Kal. Martii. Anno secundo Erinnulfus Roccolinilutum, sive Betlinicurtem, * & Mancicum. Anno tertio Gaugia femina [Miltus] Saciacum sive Dignum [u] super fluvio Audurâ: item Landas [largita est.] Anno quarto partem de Tertiaco & Arbrandovillari * Erimfridus [contulit.] Item Monticellus in centenâ Nantsanninte, Erchemfridus. Anno quinto Aganulfus in partem Fransariis viciniis Gressus, & quidam Waddo in Colnicio. [Obiit [x] autem isdem venerabilis pater Benignus] decimo tertio Kalend. Aprilis.



Gesta HUGONIS *Archiepiscopi, & Rectoris Cœnobiorum Fontanellensis, & Gemeticensis.*

CAPUT VIII.

HUGO filius Drogonis vir venerabilis à matre nomine Adaltrude [y] primogenitus, nepos Karoli sagacissimi Principis, Archiepiscopus Rotomagensis Ecclesiæ, post præfatum BENIGNUM regimen hujus Cœnobii suscepit ab anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo vigesimo tertio, Indictione VI. qui erat annus Principatûs Karoli nonus, Gregorii verò secundi Papæ, qui loco nonagesimo à S. Petro Romanæ præfuit Ecclesiæ, annus septimus instabat. Rexitque istud Cœnobium per annos novem, menses duos, & dies tredecim, id est usque ad annum decimum sextum Principatûs antefati Caroli; Gregorii verò præfati Papæ decimum septimum, Dominicæ quoque Incarnationis septingentesimum trigesimum, Indictione decimâ tertiâ. Hic etiam Præsulatum Ecclesiæ Parisiacæ, simulque Bajocassinæ, cum Rotomagensi tenuit, factione scilicet patrui sui Caroli Principis, extrà Decreta tamen Canonum. Cœnobia verò nobiliora, Fontinellam, & Gemmeticum: Prædia verò Regia, quæ ejus insederunt animo: non enim causâ perversæ cupiditatis, aut aliquo sæculari fastu à patruo suo Carolo Principe, sive à Regibus Francorum, qui ejus tempore sceptra Regni hujus tenuerunt; id est Hildeberto, Dagoberto, Hilperico, Hlotario, necnon & Theoderico ea impetrabat, sed ut statim Ecclesiis Christi contraderet. Sciens scriptum, quòd ea hereditas benè reconditur, quæ Deo custode servatur. Mater denique ejus Adeltrudis, ut prædiximus nomine, filia fuerat Warattonis nobilissimi Majoris domûs Regiæ, atque Ansfledis, conjugis ejus. qui plurima huic Monasterio largiti sunt prædia. Denique prædicta religiosa & strenua matrona Ansfledis avia sua derelicta Warattonis, ad nutriendum susceperat ipsum Hugonem, Patrem demùm gloriosissimum.

Hæc igitur prudentiæ & providæ industriæ spiritu plena, animum pueri fertur quotidianis admonitionibus corroborasse, ut sese cum omnibus quæ habebat Dei servitio manciparet. Unde factum est ut sacrarum literarum studio imbutus, coævos suos sapientiâ & religione anteiret: secundumque sanctam suggestionem præclaræ nutricis ac aviæ suæ Ansfledis cœpit terrena cuncta despicere, & ad regna cœlestia viriliter anhelare, simulque patrimonia plurima Ecclesiis Christi contradere. Quæ cuncta si qui pleniùs scire cupiunt, scrinia civitatum Rotomagensis, Parisiacæ, & Bajocassinæ, & hujus Cœnobii Fontinellensis, simulque Gemmeticensis revolvant; illicque invenient quantam sollicitudinem ac pervigilem curam de constructione, propagatione, & administratione, ac exaltatione Ecclesiarum habuerit. Hujus pater Drogo, filius prædicti Pipini Ducis Francorum, frater Grimoaldi & Caroli nobilissimorum Principum, defunctus est anno ab Incarnatione Domini septingentesimo septimo, Indictione quintâ, tempore Veris. Succedit enim isdem vir venerabilis Hugo in sede Rotomagensis [Ecclesiæ] vigesimus [z] à Mellone primo Pontifice ejusdem

q *Baldoinus*] Aut *Halduinus*, ut habetur in sæpiùs memorato codice, in quo etiam legitur infrà, *Tulbiaco.*

r *Frolinas*] Idem codex, *Fiolinas.*

s *Nervimaco*] Idem, *Ctiliaco*, *Nerviniaco.* Idem infrà pro *Litor*, habet *Ictor.*

t *Summacianna*] Idem, *Summacranna*, & infrà *Bertilinum*, ubi editum est *Betlinicurtem.*

u *Dignum*] Aut *Dingum*: ita enim legitur in laudato codice, & infrà, *de Tritiaco*, *ac Brandovillari.*

x *Obiit*] Pro iis quæ nunc uncis inclusa leguntur ex codice Font. editum erat antea, *decessit.*

y *Adaltrude* Idem codex, *Adeltrude progenitus.*

z *vigesimus*] Idem codex addit, *tertius.*

urbis: Rector quoque sive Procurator urbis Parisiacæ trigesimus quintus à B. Dionysio constituitur; porrò in regimine hujus Cœnobii Fontinellensis à B. Wandregisilo septimus in loco: similiter à S. Philiberto in regimine Cœnobii Gemmeticensis. Hic namque vir venerandus Hugo dum adhuc laïcus foret, largitus est Benigno Abbati Vierlaicum [a] villam, quæ sita est in pago Tellau, super fluvio Eora, quæ ipsi de jure prædictorum parentum suorum legitimè obvenerat. Facta est hæc largitio ab anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo decimo tertio, Indictione undecima, qui fuerat annus Dagoberti junioris Regis III. Pipini autem Ducis XXVI. undecimo Kalend. Juliarum die, feriâ IV. [Factus verò Præsul contulit possessionem suam quæ vocatur Molinuscoqus, huic cœnobio, sitam in pago Belloacensi super fluvium Masso, continentem mansos octoginta & quatuor.] Inter reliqua autem prædia ab eo contradita, etiam Witflanam [b] villam largitus est Wandoni Abbati anno primo Hlotharii Regis, quem Carolus post fugam Hilperici ac Ragenfridi Regem sibi statuerat, & possessa est ab hoc Cœnobio usque ad regimen Witlaici Abbatis per annos quadraginta tres. Huic glorioso Præsuli largitus est quidam illustris nomine Bertus, portionem aliquam de villa Digmaniaco [c], quæ sita est in pago Osismensi, in centenâ Alancionensi, & illam rem quæ vocatur Vanda in centenâ Saginse. Similiter in territorio Cenomannico rem illam quæ dicitur Veringo *, seu Metiago, quæ appellatur Avancurte. * Edita est hæc largitio anno undecimo Theoderici Regis patris Hilderici demum Regis novissimi ex genere Merovingorum. De patrimoniis enim à prædicto glorioso Præsule huic loco largitis, sive à fidelibus Christianis impetratis ac susceptis, qui nosse cupit, Testamenta ab ipso edita revolvat, & tunc probabit nihil me de eo sinistrum aut dixisse, aut scripsisse. Mensatas [hoc in Cœnobio constituit, deputatis scilicet villis quæ per] unumquemque mensem sufficientem præberent alimoniam, idcircò memoria illius in benedictione manet. Expletis namque laudabilis cursûs sui annis migravit ad Dominum sexto Idus Aprilis, qui erat annus Dominicæ Incarnationis septingentesimus trigesimus, Indictione decimâ tertiâ. Corpus ejus Gemmetico Cœnobio, quo etiam vitæ decessit, in Ecclesiâ Sanctæ matris ac perpetuæ Virginis MARIÆ venerabiliter sepulturæ est traditum. Conditaque est à Fratribus illinc habitantibus suprà tumbam illius repa diversis metallis decorata; ob amorem videlicet, sanctitatem, ac reverentiam illius. Nullus enim ante eum, ejusdem Cœnobii Rector, nec post eum, tot prædia ac possessiones in jure ipsius venerabilis loci contulit ac impetravit, sicut ipse facere curavit, veluti Testamenta ipsius Cœnobii cunctis legentibus liquidò patet. Hic dimisit in hoc Cœnobio Fontinellensi calicem aureum & patenam auream pensantes libras quatuor, uncias duas. Turriculam [d] auream pensantem libras sex. Capsam auro & gemmis decoratam continentem pignora diversorum Sanctorum. Plurima enim bonitatis gessit opera, quæ dinumerare laboriosissimum est. Nobilis enim extitit genere, sed non inferior religione. Hæc quidem de venerando Patre ac Domino Hugone dicta sufficiant.

Obiit an. 730.



Gesta LANDONIS *Archiepiscopi Remensis, & Rectoris Cœnobii Fontanellensis.*

CAPUT IX.

LANDO Episcopus de urbe Remensi successit Hugoni Præsuli in regimine Cœnobii hujus ab anno duodecimo Regis Theoderici novissimi, qui erat Exarchatûs Caroli annus septimus decimus, Incarnationis autem Dominicæ septingentesimus trigesimus primus, Indictione decimâ quarta. Qui etiam Cellam S. Sidonii, quæ est in Waxinnâ [e], simul cum istâ jure beneficii aliquamdiù tenuit. Anno namque regiminis istius primo Gregorius junior Papa migravit ad Dominum. Cui successit alius Gregorius miræ sanctitatis vir, qui claves ex confessione S. Petri Apostolorum Principis accipiens, Carolo Principi direxit, ut Romanam Rempublicam ab oppressione Longobardorum liberaret. Eodem anno Carolus perrexit Wasconiam contrà Eudonem Principem, qui tyrannidem assumserat: & Ragenfridus in Tartâ post annos tyrannidis quatuordecim mortuus est. Venerabilis Presbyter Beda Historiam Ecclesiasticam, quam de gente suâ, id est Anglorum, composuerat, usque in hunc annum mirabili opere perduxit, & non multo post ad cœlestia regna perrexit, VII. Kal. Junii.

Hic Lando impetravit à præfato Carolo Principe Privilegium immunitatis perennis, in quo continetur, quòd Cœnobium istud sub suâ defensione ac tuitione idem Princeps specialiùs receptum haberet, & hoc ipsum Francorum populo, sive Episcopis, seu Cœnobiorum Patribus, necnon Comitibus, omnibusque exactoribus Reipublicæ gentis Francorum notum esse voluit, quatenùs res istius Cœnobii, universaque sua salva esse valerent, nec à quoquam diripi, aut contaminari, vel in aliquo lædi quocumque possent ingenio. Editum est hoc Privilegium in isto Cœnobio, suggerente eodem Episcopo, ac fratribus omnibus intercedentibus.

Hujus anno secundo, id est Dominicæ Incarnationis septingentesimo trigesimo secundo, Eudo Dux Aquitanorum cernens se superatum, & ad defendendam patriam suam contrà Carolum se viribus esse destitutum, gentem perfidam Sarracenorum ad auxiliandum sibi invitat: qui cum Rege suo Abdirama nomine Garomnam fluvium transeût, Burdegalim urbem pervenerunt, ibiq; Ecclesiis Dei igne concrematis, pluribusque Christianis interfectis, usque ad Pictavem urbem [profecti sunt], Basilicamque S. Hilarii igne concremarunt, & ad beatissimi Materni [f] Ecclesiam subvertendam summo conamine proficisci contendunt. Contrà quos Carolus Princeps juxtà urbem Pictavem aciem construxit, & super eos invocato Christi auxilio intrepidus irruit, & eos cum Rege eorum usque ad internecionem delevit. Acceptisque spoliis eorum, nomen Domini glorificans, totâ jam Aquitania subactâ, cum triumpho ad propria revertitur. Rexit autem Cœnobium istud idem Episcopus Lando per annos tres, lapsisque cursûs sui annis, ingressus est viam patrum: sicque sepulturæ traditus in Ecclesiâ B. Petri Apostolorum Principis, in Ecclesiâ Cœnobii Fontinellensis. Obiit XVII. Calend. Februarias.

a *Vierlaicum*] Idem *Virtlaicum*.
b *Witflanam*] Idem *Wintlanam*.
c *Digmaniaco*] Hic quoque variat laud. cod. nam *Dogmaniaco habet*: idem mox *Vernico*, ubi est *Veringo*, & *Avana curte*, ubi *Avancurte*.

d *turriculam*] In quâ scil. Corpus Domini servaretur, ut discimus ex brevi expositione antiquæ Liturgiæ Gallicanæ, editâ tom. 5. Thes. Novi Anecdot. pag. 95.
e *Waxinna*] Codex Font. *Warinna*.
f *Materni*] Idem, *Martini*.

Gesta TEUTSINDI *Abbatis Cœnobii S. Martini Turonensis, & Fontanellensis.*

CAPUT X.

TEUTSINDUS Pater Cœnobii S. Martini Turonensis Ecclesiæ, sortitur locum regiminis anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo & trigesimo quarto, Indictione secundâ: qui erat annus præfati Regis Theoderici decimus quintus. Hic quidem Teutsindus quàm fuerit amator Dei ac Sanctorum, Ecclesiarumque ejus fautor ac defensor, opera quæ gessit hoc in Cœnobio, vel qualiter in diebus ejus res istius monasterii augmentum vel detrimentum sumserint, testimonium perhibent. In diebus namque tyrannidis, non regiminis ejus, hoc nobilissimum Cœnobium ignobile est redditum. Ab isto enim tempore, quo lugendus iste regiminis suscepit locum, status vitæ innocentis, quem in eodem Cœnobio secundùm eximii Patris BENEDICTI normam excolendum fore beatus Pater Wandregisilus instituerat, ob inopias plurimas fluctuare cœpit, nec usque ad hanc diem in pristinum statum revocari valuit. Denique tempore B. Lantberti Archiepiscopi, sancti etiam Ansberti summi Pontificis, Hiltberti quoque venerabilis Presbyteri, Baini denique gloriosi Præsulis, Benigni preciosi Patris, Hugonis quoque magni Præsulis, felicia atque lætissima isti Cœnobio fuêre tempora. Quippe dum prædiis plurimisque possessionibus à Regibus magnis ac sinceris Christianæ Religionis cultoribus istinc largitis, omni egestate exclusâ, multitudinis Domino militantium erat cor unum & anima una, erantque eis omnia communia, nihilque proprium aut suum quisque dicebat; sed juxtà exemplum primitivæ Ecclesiæ feliciter ac securè Domino militabant: omnia namque necessaria à Patre Monasterii accipienda fore noverant. In diebus prædictorum Patrum trecenti semper fuêre numero istinc habitantes servi Dei. Adeptus namque iste locum regiminis, & non regiminis, sed potiùs tyrannidis, mox rebus [nobilioribus] ablatis in maximam paupertatem hoc quondam gloriosum Cœnobium redegit. Nam penè tertiam facultatum partem abstulit, suisque propinquis ac Regiis hominibus ad possidendum contradidit, quæ usque nunc de isto Cœnobio permanent ablatæ, sicuti omnibus Privilegia ac largitiones, quæ in scriniis nostri Cœnobii retinentur, revolventibus in promptu est: quæ nimis longum est narrare per singula. Sed unum è plurimis ad medium deducam precarium, quod cuidam Comiti nomine Rathario edidit, ob memoriam æternam qualiter ipsæ res de hoc Cœnobio sint ablatæ, per ordinem describere ratum duxi. Eidem namque Rathario Comiti contradidit Ulmirum & Warinnam [fiscos duos qui sunt in pago Tellau juxtà fluvios Tellas & Warinna] cum adjacentiis eorum, id est, Critiaco, Seda, Magneroto, & item Magneroto, necnon & Toscarias, simulque terram super littus maris, & areas salinarum piscationumque quæ ibidem institutæ erant. Vineas etiam in Warnaco super fluvio Sequanæ sitas in pago Veliocassino, quæ impetraverat sanctissimæ recordationis Lantbertus Abbas à Rege glorioso Hilderico, suadente Reginâ suâ Blitilde, necnon & aliis illustribus viris, quorum hæc sunt nomina: Leodegarii Episcopi demumque Martyris egregii, Vinonis g, & Ernomii, Fulcoaldi, g Amalrici, Wlfoaldi Majoris-Domûs Regiæ, Bavonis, Waningi, Adalberti, Gerini, sicut in gestis præfati Patris Lantberti eximii fore scriptum constat. Similiter alia patrimonia in eisdem pagis sita, id est, Somardum h pontem, Malcham, Hosdinium, Balliolum in pago Vimnau, cum adjacentiis eorum, ad se pertinentes; necnon & medietatem de Edremau, qui fuit Gesonis, Moriacum, ac Braciacum, quæ sunt super fluvio Sedanna; Balciduum* in pagó Vimnau, quæ fuerat Ambremari & Bertoaldi, & Bociliacas, Ruboridum, Rosbacium, Gammapium villam pulcherrimam item super fluvio Sedanna; Victriacum super fluvio Duno sita in monte Aionecorte, Gammapiolum, Rumguarias, Muriacum qui dicitur vallis Cuniculi al.... i in pago Vimnau Bettonecorte super fluvio Eura: sunt villæ viginti novem, exceptis adjacentiis aliquarum, quæ ponuntur in duobus pagis, Tellau scilicet & Vimnau. Hæc namque patrimonia idem Comes Ratharius à prædicto Teutsindo jure precarii accepit; unde censum levavit omni anno ad festivitatem sancti Patris nostri Wandregisili in luminaribus Ecclesiæ solidorum sexaginta persolvendum. Factum est hoc precarium in isto Cœnobio hoc anno, qui est ab Incarnatione Domini nostri JESU CHRISTI septingentesimus trigesimus quartus, Indictione II. sub die tertio Nonarum Maiarum, quod evenit feriâ quartâ, qui erat annus [Principatûs] Caroli Principis vigesimus. Censum autem quem idem Comes professus est transsolvere, usque ad Vitlaici Abbatis tempora omni anno Patribus istius Cœnobii absque ullâ retractatione persolvebatur; de Ulmiro videlicet ac Warinna, quo S. Ricbertus corpore quiescit.

Lantberti Abbatis gesta desunt. h

i

Hinc perpendant Rectores ac Prælati Cœnobiorum quàm nequiter ac infeliciter contrà salutem animæ suæ agant, qui prædia ac res à bonis ac Deum timentibus hominibus Cœnobiis suis collata jure Ecclesiarum ac Cœnobiorum ablato contradunt dominationi potentium ac dominicorum hominum, qui de proprio nil quidem tribuunt, sed hæc ipsa quæ largita à justis fuerant, gratum sibi ac temporalem acquirentes honorem, gregem sibi commissum in præcipitium mittunt: pro quorum casibus districtam in die novissimo exolvent pœnam: nempe melius esset eâ die, quando præfatæ res de isto Cœnobio fuerunt sublatæ, ut ignis ibi accenderetur, qui universa ædificia funditùs consumsisset, quoniam decies antea quivisset reædificari, quàm tales res acquirere. Nam unde milites Christi alimoniam consequebantur, inde nunc pastus exhibetur canibus; & unde lumen ante aram Christi in Ecclesiâ lucere solebat, inde armillæ, balthei, & calcares fabricantur, necnon sellæ equinæ auro argentoque decorantur. In die enim unâ iste infelix operatus est malum hoc; sed in tot annorum curricula emendationem non recepit. Qualiter enim de suo eleemosynam valet facere, qui alienas res tollit, cum Zachæus ille staturâ pusillus dicat ad Dominum: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si aliquid injustè alicui abstuli, reddo quadruplum.* Et si de hominibus qui res aliorum tollunt, aut pecuniam hominum invadunt, ut in quadruplum reddant juxtà exemplum ipsius Zachæi, Evangelium pronuntiat, & tunc eleemosynam proximis impendant: quid dicendum est de his qui res Ecclesiarum & ipsius Dei æterni auferunt, & iterum sæculo contradunt? Veniet enim illis quod Dominus per Prophetam

g *Vinonis*] In codice Font. legitur, *Vivonis & Ernonis.*

h *Somardum*] Hîc quoque variat laud. codex, & habet *Sonnardum*. Item infrà, *Balcinium*, ubi legitur *Balciduum*.

i *cuniculi al....*] Idem codex, *Cucunionioli.*

phetam impiis comminatur, dicens: *Visitabo super vos mala, & quiescere faciam superbiam impiorum, & arrogantiam fortium humiliabo.* Nec enim poterit eos aurum aut argentum liberare, neque divitiæ, quas nunc in angulis abscondunt, & ex quibus arrogantes effecti salutem suam obliviscuntur. Tales quippe Rectores nequiores sunt paganis, quoniam si pagani locum igne cremaverint, terram tamen secum non tollunt. [Talem vitam finientes excipiuntur ab his qui Græco eloquio vocantur θεοι-ἀποχό-νοι.]

Hujus anno quarto, qui est Incarnationis DCCXXXVII. nuntiatum est invicto CAROLO Principi, quòd sæva gens Sarracenorum, obtentâ Septimaniâ & Gociâ, in partes jam Provinciæ irruissent, castrumque munitissimum Avinionem per fraudem quorumdam Provincialium comitatum primum obtinuissent. Quapropter exercitum congregans illuc iter dirigebat; præmissisque quibusdam exercitûs sui Principibus, qui castrum obsiderent; ipse prosequutus est, prædictamque urbem obsidione circumdat, machinisque compositis urbem munitissimam diruit, ipsamque cum habitatoribus suis igne & gladio consumit. Rodanum dehinc fluvium transiit, Gottorum fines penetravit; Narbonam urbem celeberrimam castris circumcinxit, Regem Sarracenorum nomine Acluma [l] cum Satellitibus suis ibidem reclusit. Hæc audientes majores natu Sarracenorum, qui morabantur in regione Hispaniæ, collecto exercitu cum alio Rege nomine Amormacha adversùs Carolum arma corripiunt. Contrà quos invictus Princeps Carolus civitate Narbonâ sub custodiâ derelictâ, in loco qui vocatur Birra, septimo ab urbe milliario occurrit intrepidus, ubi divinâ misericordiâ succurrente pugna acerrima commissa est. Carolus Princeps victor exstitit, Regem præfatum Sarracenorum interemit, exercitumque ejus penitùs usque ad internecionem delevit: spoliis innumerabilibus ditatus, cunctâ depopulatâ Gothiâ, diruptisque civitatibus, & devictis universis hostibus, præter eos quos in Narbonâ incluserat, urbe eâdem sub custodiâ derelictâ, cum magno triumpho remeavit in Franciam.

Sub hujus denique tempore Erinhardus Præpositus ejus ædificavit Basilicam beatissimi Archangeli Michaëlis, licet modico; pulcherrimo tamen opere, allatis videlicet petris politis de Juliobonâ castro quondam nobilissimo ac firmissimo, ad construendos arcus seu frontispicium ejusdem Templi. Hæc namque civitas fertur ædificata fuisse à Gaio Julio Imperatore Romanorũ ante adventum Domini, dum Gallias vastando circumiret. Ipsum namque castrum, Caletus antea vocabatur, quod destructum, & in majori elegantiâ reparatum ex suo nomine Juliobona vocare placuit. Denique constructâ idem Præpositus hac Basilicâ campanam in turriculâ ejusdem collocandam, ut moris est Ecclesiarum, opifici in hac arte erudito facere præcepit: qui dum injunctum sibi opus perficere contenderet, suadente inimico humani generis, de sufficiente [m] metallo, unde patrandum erat signum, copiâ ejusdem imminutâ, partim abstulit, partim in cacabo liquefiendum composuit. Projectâque eâdem copiâ metalli in formâ qua futurum sperabatur signum, ex parte aliquâ deforme deficiente copia metalli, quæ antequàm liquefacta foret sublata fuerat, minùsque est redditum, sic tamen turriculæ impositum. Denique quâcumque hora diei pulsatum sonitum dabat, prædictus artifex, qui illud metallum furto sustulerat, in amentiam vertebatur, verbaque inepta ac latratus canum more dabat. Erat namque idem Erinharius, secundùm carnis originem de Apuliaco villâ, fautor tamen & amator Regulæ, castæque religionis. Dicere verò solitus erat præfatus Teutsindus Fratribus Turonicæ Ecclesiæ: Nisi vestram correxeritis vitam ac mores, Erinharium meum Præpositum ex Fontinellâ huc adducam; qui aratra vestra rectum doceat sulcare. Expletis autem idem Erinharius circulis dierum suorum, defunctus, ac in Basilicâ S. Petri Apostolorum Principis in introitu ejusdem Basilicæ ante ostium Aquilonare terræ conditus est, sub nobili videlicet ejusdem Ecclesiæ pavimento; scriptùmque est in coopertorio sepulcri sui ita: *Hic requiescit Erinharius Præpositus.*

Gesta WIDONIS *Abbatis Cœnobiorum S. Vedasti, & Fontinellensis.*

CAPUT XI.

WIdo sortitur locum regiminis ab anno Dominicæ Incarnationis DCCXXXVIII. qui erat annus primus Hilderici novissimi Regis, CAROLI autem principis vigesimus sextus, per annum unum. Hic namque propinquus Caroli Principis fuit; qui etiam Monasterium S. Vedasti, quod est in Atrebatensi civitate, [n] jure regiminis tenuit anno uno, sicut & istud. Erat autem de sæcularibus Clericis, gladioque quem semispiatium * vocant semper accinctus, sagoque pro cappâ utebatur, parumque Ecclesiasticæ disciplinæ imperiis parebat. Nam copiam canum multiplicem semper habebat, cum quâ venationi quotidie insistebat, sagittatorque præcipuus in arcubus ligneis ad aves feriendas [erat,] hisque operibus magis quàm Ecclesiasticæ disciplinæ studiis se exercebat. Accusatus vero apud Principem Carolum, quòd conspirationem adversùs ipsum cum aliis meditatus esset, jussu ejusdem Exarchi ad Regiam domum compellitur migrare. Qui dum pergeret cum Satellitibus regiis, venientes in territorium Viromandiæ, capitis præcisione damnatur; ibidemque digno in loco sepulturæ est traditus. Hæc ex relatione cujusdam Patris, qui ipsum videre potuerat, didici, quòd ita vitâ decesserit. Qui etiam Wido Cœnobium S. Vedasti, quod est situm in Atrebatensi territorio, ut suprà declaratum est, unà cum isto annum ferè unum post Gogislenum jure Rectoris dicitur tenuisse. Cui successit Romanus in ipso Cœnobio per annos tres. Huic Widoni largitus est quidam paterfamilias nomine Ragihfridus portionem aliquam de villâ quæ dicitur Laxtra; anno primo ejusdem Regis Hilderici; quæ sita est in pago Constantino.

Gesta RAGINFRIDI *Archiepiscopi Rotomagensis, & Rectoris Cœnobii Fontanellensis.*

CAPUT XII.

RAginfrindus Præsul Ecclesiæ Rotomagensis accepit regendi locum sub anno Dominicæ Incarnationis DCCXXXIX. qui erat annus Exarchatûs Caroli XXVII. Hilderici verò Regis Merovingi annus II. Gregorii Apostolici annus IX. Eodem anno

l *Acluma*] Laudatus codex, *Adibima.* Idem infrà *Erinharius.*
m *de sufficiente*] Sic sensus postulat, & ita scriptum est in codice Font. prior editio *deficienti.*
n *civitate*] Laudatus codex *territorio*: & mox pro *semispiacium*, habet *semispatium.*

Carolus commoto exercitu universali partibus Provinciæ iter dirigit, Avinionemque iterum cepit; totaque Provinciâ usque ad littus maris peragratâ, ad Massiliam pervenit; fugatoque Duce Moronto, qui quondam Sarracenos in suæ perfidiæ præsidium asciverat, nullo jam relicto adversario totam illam regionem Francorum imperio subiugavit. & cunctis strenuè dispositis ab proprias sedes reversus est. Hic Ragemfridus de nobili Francorum prosapiâ oriundus exstitit, licet opera nefanda generositatem fœdarent illius. Compater etiam spiritualis regenerationis Pipini Magni Regis, qui de sæculari quidem habitu commutatus Grimoni Archiepiscopo succedens, Præsul efficitur Ecclesiæ Rotomagensis, Rectorque hujus Cœnobii Fontinellensis, parumque dignè hoc administravit. Erat namque ignarus literarum, sicuti prædecessores sui Grimo & Wido, ideoque minùs dignum se exhibebat tantæ rei negocio. Qui cum regiminis hujus Cœnobii post præfatum Widonem suscepisset curam, nihil ad consulta Fratrum agere volebat, imò alimenta corporis ac tegumenta eis subtrahens, propriis usibus retorquebat. Unde commota omnis caterva Monachorum, ne status almæ Regulæ vacillando fluctuaret, quæ agenda sint deliberant, JESUM benignum adeunt, clementiam illius implorant, ut ipse virtutum Dominus respiceret de cœlo vineam suam, ne periret quod plantaverat fortissimâ dexterâ suâ. Post celebratam denique obsecrationem, iidem milites Christi sanæ mentis consilio inito tres ex semetipsis Fratres eligunt, qui Pipino Principi suggererent, ut memor propinqui sui B. Wandregesili, ac genitoris sui invicti Caroli, qui locum hunc Privilegiis suæ auctoritatis decoraverat, ac defensione fortissimâ roboraverat, à dominatu tanti prædonis ac tyranni misericorditer eos liberaret. Nec mora, quæ petierant adipiscuntur. Extemplo namque auctoritate Regiâ idem Raginfridus de ordine regiminis hujus Cœnobii depositus est, reservato sibi Episcopatu Ecclesiæ Rotomagensis. Nomina autem Fratrum illorum, qui Regem pro eâdem re adierunt, hæc sunt: Wldebertus de Meldico pago ortus, Laurentius ex Benevento Campaniæ carnis originem trahens, Austrulphus quondam Præpositus, demumque hujus Monasterii Pater. Cumque à præfato Rege, quem sibi Rectorem præficere vellent, percontati fuissent, WANDONEM sibi præesse velle responderunt. Erat autem in exilio adhuc idem Wando in Trajecto castro, in Monasterio videlicet B. Servatii Confessoris Christi. Quem accersitum Dominus Pipinus curam illi Cœnobii istius commisit. Sicque iidem Fratres una cum Regiis Satellitibus ad illud Cœnobium Fontinellense cum lætitiâ & exultatione cordis perducunt. Facta est verò illi obvia omnis turba Monachorum cum crucibus & vexiliis, laudes Deo resonans, vocesque ad sydera dans clarissimas. Quorum alii flebant præ gaudio, alii harmoniæ dulces sonos promebant in excelso. Introducentes denique in Ecclesiam Beatissimi Principis Apostolorum Petri, immensam Christi clementiam consonâ voce collaudarunt, qui talem eis præstiterat opem contrà crudelissimum tyrannum, ita ut cum Psalmista possent dicere: *Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæcula.* Deposito autem prædicto Raginfrido de regimine, & substituto eodem Wandone, in summa pace ac tranquillitate hoc Monasterium exstitit.

Hujus Raginfridi anno tertio regiminis necdum expleto, Carolus legationem B. Papæ Gregorii bis eodem anno suscepit, virosque religiosos, Grimonem videlicet Corbiensis Monasterii Patrem, & Sigebertum Reclausum Basilicæ S. Dionysii Martyris, ad limina Beatissimi Principis Apostolorum Petri cum magnis muneribus direxit. Eodem anno dum ægrotare se cerneret, filiis suis Principatum suum æquâ lance divisit: primogenito suo Carolomanno Austrasiam, Alemaniam, Turingiamque subjecit: filio verò juniori Pipino Neustriam, Burgundiam, Provinciamque concessit. Correptus autem febre in Carisiacâ villa, quæ est super fluvio Isera, in pace obiit. Rexit autem populum Francorum annis XXVI. & mensibus VI. Transiit autem XI. Kalend. Novembris, sepultusque est haud longè à Parisiacâ civitate in Basilicâ S. Dionysii Martyris. Prænominatus autem Raginfridus pro insolentiâ morum ac pravitatibus suis, etiam à Clericis Rotomagensibus apud Pipinum Regem accusatur, anno videlicet XIII. postquàm regimen istius Cœnobii Fontanellensis amiserat. Quo ejecto de Episcopatu ejusdem Ecclesiæ, datus est Remigio fratri ejusdem gloriosi Regis Pipini hoc anno, qui est ab Incarnatione nostri JESU CHRISTI septingentesimus quinquagesimus quintus. Cui tamen Ragenfrido causâ misericordiæ aliquæ villæ de eodem Rotomagensi Episcopio attributæ fuerunt. De quibus una erat Clovialus super alveo Sequanæ constituta, in quâ etiam post aliquod tempus ejectionis suæ morbo correptus vitam finivit. Cujus corpus Rotomagum delatum est, sepulturæque traditum. Tenuit autem nomen Præsulis ejusdem civitatis annis XV. hujus verò Cœnobii regimen annis duobus & dimidio.

Gesta WANDONIS *Abbatis Cœnobii Fontanellensis.*

CAPUT XIII.

WANDO Presbyter à patre Baldrico nomine progenitus, territorio Tellau ortus, regimen assumsit Cœnobii ab anno Dominicæ Incarnationis DCCXLII. qui est annus primus Principatûs Carolomanni & Pipini, præsidente Romanæ Ecclesiæ anno primo Zacharia Apostolico. Igitur idem vir religiosus Wando, dum de Trajecto castro, ubi ad exilium ductus fuerat, cum permissu ac jussione gloriosissimi Principis Pipini reverteretur, pignora reliquiarum B. Servatii Confessoris assumens secum detulit: veniensque in hunc locum, ædificavit Basilicam in honore ipsius Confessoris Christi juxtà Ecclesiam B. Principis Apostolorum Petri ad meridianam ejusdem Ecclesiæ plagam. In quâ solarium condidit, ita ut gradus sursum ascenderetur: collocavitque ibi altare unum, in quo de reliquiis prædicti Confessoris posuit. Quo in loco ob meritum ejusdem almifici Confessoris Christi plurimæ à Domino patratæ constant fore virtutes. Nam ut è plurimis unum proferam, lampas quæ coram arâ hujus Basilicæ dependebat, postquàm in eâ semel positum fuit, sponte liquorem olei in usu lucernæ nullo quidpiam adjiciente per plurimos manavit annos, donec quidam latomus, sicut relatione cujusdam venerabilis senis didici, qui tunc temporis in hoc degebat Monasterio, furtim inde abstulit, sicque deinceps ob piaculi hujus facinus manare desiit.

Aliud quoque memorabile miraculum huic Operi inserere commodum duxi. Quodam denique tempore, id est anno Dominicæ Incarnationis DCCXLVI. qui erat Pipini Regis annus quintus, Ecclesia B. Petri per culpam incuriæ, igne cremata est: hæc autem B. Servatii Confessoris Basilica contigua erat illi: cumque furentium flammarum globi alta peterent, aliqui ex Fratribus ad ipsum virum religiosum Wandonem, qui in eâdem sanctissimi Servatii Basilicâ residebat, accedunt, monebantque ut egrederetur

tur, metuentes, quia adhærebat ei quæ incendium patiebatur, ne similiter igne concremaretur. Tunc idem vir Domini respondisse fertur: Si potuerit me quidem S. Servatius ac Basilicam istam, quam devoto pectore ædificavi, ab his ignibus defendi, faciat; sin verò, sponte cum ipsâ temporale subire non recuso incendium. In eadem denique Basilicâ, sicuti dixerat, orationi insistens remansit; exustâque sancti Petri Basilicâ, hæc illæsa permansit obtentu B. Servatii Præsulis. Erat namque idem Wando amator Ecclesiarum, semperque de lege Domini meditationem agere volebat.

Anno igitur Hildeberti Regis secundo ad conversionem veniens sub Hildeberto Abbate ex propriâ hereditate contulit jure possidendi huic Cœnobio in pago Vimnau, super fluvio Vimina in loco qui vocatur quatuor Molas, tertiam partem de Cora, de Haismedis villâ tertiam similiter partem, de Buxido nihilominùs tertiam partem: de Pyro, similiter, de Baliolo in pago Tellau tertiam similiter partem; necnon & de illis vineis quæ sunt in pago Tellau super fluvio Visrona, huic venerabili Patri dedit Ragenfridus in Tartâ fiscum qui vocatur Wintlana anno secundo Hilperici Regis, qui erat Dominicæ Incarnationis DCCXVII. Indictione XV. sub die quinto Kalend. Octobrium feriâ secundâ[o]. Plurimæ namque res Ecclesiæ nostræ in hujus administratione accreverunt. Dimisit autem in Ecclesiâ S. Petri Offertorium argenteum cum patenâ, capsam auro decoratam [unam,] & alia ornamenta diversa: Codicum etiam copiam non minimam, quos dinumerare oneri esse videtur. Sed aliquos ob memoriam illius inserere placuit; id est, Codicem unum Romanâ literâ scriptum, in quo continetur expositio brevis trium Evangelistarum, id est, Joannis, Matthæi & Lucæ: Arnobii Episcopi & Rhetoris sermo de Adam qui perierat. Ruffini ex Historiâ Ecclesiasticâ, de Spiridione Episcopo: ejusdem de muliere captivâ, ex eâdem Chronicâ ab eodem translatum, quæ Hiberorum gentem ad Christi fidem convertit. Fides Nicæni Concilii. Exhortatio S. Macharii ad Monachos. Item Rufini sermo de Jejunio & Oratione. Vita & Passio S. Felicis Nolanæ urbis Episcopi. Epistola S. Leonis Episc. Nolensis ad Marcellum Presb. ejusdem Ecclesiæ. Regula SS. Patrum Serapionis & Macharii, & alterius Macharii, & Pafnutii. Regula S. Augustini Episcopi. Epistola B. Augustini ad Felicem & Hilarium. Epistola S. Hieronymi de Castitate. Item Epistola B. Hieronymi ad Nepotianum. Item Epistola ejusdem ad Evangelium Presbyterum, de Melchisedech. Item ejusdem ad Rusticum [Presbyterum.] Epistola S. Clementis Papæ ad B. Jacobum Apostolum [fratrem Domini.] Item codicem B. Augustini, in quo continetur de Pœnitentiâ. Item Historiam Apollonii Regis Tyri in codice uno. Historiam Jordani Episcopi Ravennatis Ecclesiæ, de origine Getarum. Item Codicem, in quo continetur Regula S. Benedicti & S. Columbani, & Martyrologium. Item codicem, in quo continentur Capitula nonaginta novem de Evangeliis Matthæi & Lucæ exposita ab Aurelio Augustino. Item sermo ejusdem de Incarnatione Domini. Item in eodem Libro differentiarum spiritualium & carnalium Isidori junioris Hispalensis Episcopi, in quo sunt Capitula quadraginta duo. Item in eodem definitio Dogmatum Ecclesiasticorum Gennadii Presbyteri Massiliensis. Item in eodem expositio fidei Catholicæ S. Hieronymi Presbyteri. Item S. Anastasii Alexandrinæ urbis Episcopi de eâdem re. Item in eodem libri quatuor Evangeliorum expositionem continentes editam à Sedulio viro Scholasticissimo ad Macedonium Presbyterum. Item in eodem Capitula tredecim ex libro sententiarum Isidori [Episcopi.] Item in ipso Homiliæ tres B. Papæ Gregorii super Ezechielem Prophetam. Item in eodem Epistola S. Leonis Papæ ad Flavianum Constantinopolitanæ urbis Episcopum adversùs hæresim Eutychetis Presbyteri.

Laborabat autem idem egregius Pater frequenter podagrico dolore: in infirmitate tamen positus, sicut & semper facere consueverat, Dominum attentissimè collaudabat, sciens scriptum esse: *Flagellat Dominus omnem filium quem recipit.* Et illud: *Quem amat Dominus, castigat.* Translactis autem septem circiter post suscepti regiminis curam annis, luminibus oculorum præ nimio ætatis senio privatur. Tunc unà cum consensu ac generali Fratrum voluntate eligit pro se venerabilem virum nomine *Austrulphum*, qui erat Præpositus hujus Cœnobii, regiminis loco subrogandum. Quo facto, missâ petitione ad Pipinum Principem, obsecrat uti suam & Fratrum electionem comprobans, suâ ex auctoritate idem Austrulphus Cœnobio huic præficeretur. Quod ita & factum est. Ipse verò venerabilis Pater Wando bonis operibus insistens, in Ecclesiâ B. Petri sedulò residens, agonem suum triumphatori Christo, jejunando, orando, vigilando commendabat. Quantum verò fervens in præceptis Domini adimplendis exstiterit, quotque virtutum speciebus adornatus fuerit, imbecillitati meæ prosequi ponderosum foret. Testantur plurimi qui illum viderunt, ideo non necesse æstimo universa de eo inserere, ne legentibus nauseam fecisse videar. Victimam quoque hostiæ salutaris, quamdiù capitis habuit lumina, immolabat quotidie.

Anno denique Hildeberti Regis secundo, ut suprà taxavimus, ad conversionis gratiam venit, fecitque in Monachico voto annos fermè sexaginta; quibus expletis, decrepitæ jam ætatis senio confectus, præsentis vitæ debitum complens ad æternam migravit requiem anno ab Incarnatione Dominicâ circiter DCCXLVI. qui erat Pipini Regis annus quintus, [Widonis[p] laici verò Abbatis annus primus.] Sepultusque est in Ecclesiâ B. Petri juxtà beatos Christi Confessores, in absidâ ejusdem Basilicæ ad meridianam plagam. Nam Bertgaudus Monachus, qui eum sepulturæ tradidit, referre erat solitus, quoniam dum eum posuisset in sarcophago more mortuorum, subitò conversum fuisse, seque dextero in latere collocavisse, sicuti moris est vivorum in stratu agere, viventisque effinxisse speciem. Rexit istud Cœnobium primò annis quinque; secundo, id est post reditum suum de exilio, annis fermè septem; transiit XV. Kal. Maii.

Gesta AUSTRULPHI *Abbatis Cœnobii Fontanellensis.*

CAPUT XIV.

AUSTRULPHUS vir venerabilis à patre Sindulpho matreque Wilbertâ vocabulo, ortus territorio Curtriacensi, Abbas constituitur, sicut suprà annotatum est, unà cum consensu ac electione Fratrum, annuente ordinationi eorum pio Principe Pipino. Quod factum esse constat sub anno Dominicæ Incarnationis DCCXLVII. Hic egregius Pater amator hujus Cœnobii, ac fortissimus Rector exstitit, curamque maximam de statu Regulæ, & observa-

o *feriâ secundâ*] Codex Font. *feriâ tertiâ*.
p *Widonis*] Quæ uncis inclusa sunt, in codice Font. non leguntur.

tione legis Dei habuit. Denique tempore prædicti Patris Wandonis Præpositurae ordinem cum magnâ gessit moderatione ac cautelâ, Fratribusque suis sufficientem alimoniam semper impartiri studuit, verbique divini pabulum sedulè ministravit, suisque in actibus imitandus omnibus apparuit: unde factum est ut pro hujusmodi meritis sinceræque conversationis exemplis Abbatis promeritus sit honorem: quo in culmine constitutus, ita se omnibus exhibuit irreprehensibilem, ut castos hujus actus omnes imitari vellent: nam quicumque illum docentem videbat, aliter operantem non redarguebat.

Sub hujus ergo tempore, ut videri potest, magnum miraculum Conditor mundi omnipotens Deus, ac preciosum thesaurum populis illis in pago Coriovallensi residentibus ostendere dignatus est. Nam Comitatum ejusdem pagi tenente Richwino Comite, vas quoddam ad instar parvi fari in medio maris juxtà locum qui vocatur Portus Ballii, super aquam ferri visum est, sicque paulatim appropinquando in ipso emporio constitit. Quod cernentes vicani q, more vulgi mirari cœperunt, quidnam hoc fore vellet. Deinde ad Comitem accedunt, rem novam pandunt; sicque unà cum Comite religiosos quosque viros, ac Sacerdotii dignitate fulgentes, ad hoc inauditum spectaculum invitant. Qui propiùs accedentes cum grandi pavore, fide tamen majori inspiciunt in latere ejusdem turriculæ ostiolum cerâ firmatum. Quod reseratum introspicientes, repererunt Codicem pulcherrimum quatuor Evangelia continentem, Romanâ litterâ optimè scriptum, membranis mundissimis honestâque formâ confectum. Juxtà quem inveniunt & capsam, quam aperientes repererunt partem ex preciosissimâ maxillâ B. Georgii Martyris, cum aliis plurimis pignoribus diversorum Sanctorum, insuper & salutiferi ligni Crucis Dominicæ, quod in eâdem capsâ literis sigillatim declaratum erat. Deinde indicto jejunio quid agendum sit deliberant. Expleto namque ipso jejunio plaustrum præparant, cui prædictum farum imponerent, ut quò Domini decrevisset voluntas, perferretur. Duabus quoque vaccis eidem plaustro applicitis, summi arbitri præstolabantur nutum. Nec mora; eædem vaccæ concito gradu cum ipso plaustro populis exspectantibus atque prosequentibus, sine ductore, ac ullius bubulci administratione, ad eum locum qui usque nunc Brucius vocatur, pervenerunt. Erat autem possessio cujusdam illustris viri. Ibi namque, ut Ecclesia construeretur in honore B. Georgii Martyris, omnibus placuit: Comes tamen prædictus primus in hoc negotio erat, qui unà cum populis sibi subditis, condidit in eodem loco Basilicam in honore B. Georgii Martyris: duæque aliæ Ecclesiæ, id est, una in honore Beatissimæ matris ac perpetuæ virginis MARIÆ, altera in Sanctæ Crucis est fabricata honore; ubi divinâ præstante clementiâ, obtentu Sanctorum, quorum pignora sacratissima cum particula preciosi capitis S. Georgii Martyris Christi servantur, tanta fiunt usque ad præsens miracula, ut nisi à fidelibus qui noverunt Dominum plurimas in Sanctis suis operari virtutes, fidem excedant. Est autem idem vicus in ardui montis planicie situs, cui ab Australi plagâ fluvius adjacet, qui vocatur Undua, distans ab eo loco plus minus millia duo. Turriculæ autem illius formam, in quâ eædem reliquiæ conditæ erant, quia vidi, etiam descripsi. Est autem formæ quadratæ, ex quatuor videlicet angulis ab imo assurgens, & ita opus omne paulatim minuendo in latitudine, in summo angustum redditur, ut pyramidem in altitudine reddat, uniusque mali parvi conclusione solidetur. Habet quoque in medio sui solariolum, in quo Codex ille Evangelicus cum capsâ illâ servabatur, cui desuper aptum est laquear. Eminet in altitudine pedum circiter octo, in latitudine plus minusque trium. De quâ verò parte aut loco, aut qualiter in ipsum pagum pervenerit, ab universis incolis ejusdem loci usque ad præsens habetur incertum.

Invenitur autem in gestis B. Zachariæ Papæ, qui nonagesimus tertius à B. Petro Apostolo Romanam rexit Ecclesiam, ita per ordinem scriptum: Hujus temporibus magnum thesaurum Dominus « Deus noster in hac Romanâ urbe per eumdem al- « mificum Pontificem propalare dignatus est. In ve- « nerabili itaque Patriarchio Sacratissimum B. Geor- « gii Martyris isdem sanctissimus Papa reconditum « in capsâ reperit caput. In quâ & pitacium pariter « invenit literis exaratum Græcis, ipsum esse signifi- « cantibus. Qui sanctissimus Papa omninò satisfa- « ctus, illicò aggregato hujus Romanæ urbis popu- « lo, cum hymnis & canticis spiritualibus in vene- « rabili Diaconiâ ejus nomine sitâ in hac Romanâ « civitate, regione secundâ ad Velum aureum, illud « deduci fecit. Ubi immensa miracula & beneficia « omnipotens Deus ad laudem nominis sui per eum- « dem sacratissimum martyrem operari dignatur. « Unde remur aliquos venerabiles viros, aut de Brittanniâ, id est gente Anglorum, qui maximè familiares Apostolicæ Sedi semper existunt, aut de Germaniâ, vel de quâcumque provinciâ, ad quam intrandam mare transeundum est, tunc temporis in Romanâ affuisse urbe, præfatasque reliquias ab ipso Pontifice acceptas, dum domum redire vellent, in mari correptos naufragio, aut qualicumque discrimine, sicque ipsa pignora amisisse; nutuque Dei in ipsum territorium advecta fore, ubi usque nunc à fidelibus populis summâ excoluntur veneratione. Consequenti quoque tempore quidam paterfamilias nomine Bernehardus, quia possessio ejus erat, in quâ ipsa Basilica prædicti Martyris sita videtur, huic Cœnobio eam contradidit, sicque in ditionem hujus loci pervenit. Hæc de advectione reliquiarum B. Georgii Martyris, prout auditu didici, vel in scriptis ejusdem Pontificis inveni, aut etiam ipse vidi, quia tempora convenientia inveni, memoriæ mandare curavi. Nam eodem quo advectæ sunt tempore, & Zacharias Apostolicus, & Pipinus Princeps, & Richwinus Comes exstiterat, ideo nulla de hoc est dubitatio. Nam & Codicem illum Evangelicum, ut scriptura ejusdem insinuat, in Romuleâ urbe scriptum constat.

Huic egregio Patri Austrulpho edidit gloriosus Rex Pipinus Privilegium quoddam sacræ suæ auctoritatis, in quo præcepit ut nullus Judex neque exactor Reipublicæ gentis Francorum ad causas audiendas, ac freda exigenda, nec fidejussores accipiendos, nec ad ullam exacturam gerendam, potestatem hujus Cœnobii ingredi audeat, sed sub perenni suâ defensione ac protectione secura in æternum ab omni querimoniâ valeret permanere. Quod Privilegium in scriniis hujus nostri Cœnobii pro munere sacro adhuc conservatur. Editum est anno Dominicæ Incarnationis DCCL. die VIII. Iduum Juniarum, Vermeriâ Palatio Regio. Quo anno idem gloriosus Princeps Pipinus ex consultu B. Zachariæ Papæ urbis Romæ à Bonifacio Archiepiscopo unctus, Rex constituitur Francorum, ablato Principis nomine. Unde rumor potentiæ ejus & timor virtutis in universas transiit terras. Et Hildericus Rex Merovingorum ex

q *vicani*] Sic codex Font. prior editio, *vicini*.

genere ortus depositus, tonsusque, ac in Monasterio S. Audomari, quod dicitur Sithiu trusus est. Cujus filius nomine Theodericus, in hoc Monasterio anno sequenti Clericus effectus collocatus est. Hic namque venerabilis Pater post suscepti regiminis annum sextum, accensus igne divini amoris, partibus Romuleæ urbis ad limina Beatorum Apostolorum Petri & Pauli iter disposuit. Convocatisque Fratribus, devotionem quam animo conceperat liquidò promit. Tunc omnes unius vocis clamore hæc contradicunt, dicentes se nunquam eum deserturos. E contra ille causâ suæ salutis & illorum, corpore humi prostratus, profecturum se velle proclamabat. Quid multa? videns universa caterva Fratrum flebilibus ejus precibus se obviare non posse, conticuit, piique Patris petitionibus cessit. Demùm benedictione perceptâ, omnibus Fratribus pacis osculum dedit, sicque iter suum direxit, deducentibus eum plurimis lacrymarum imbre perfusis. Perveniens autem Romanæ urbis ad arces tempore Stephani Papæ, vota sua omnipotenti Deo ac Beatis Apostolis ejus reddidit: ac sic à mœnibus ejusdem urbis iter convertens, patriam ac locum suæ nativitatis repetere satagebat. Perveniens autem ad Monasterium S. Mauricii Martyris & sociorum ejus in Agaunum, ibidem à febre quam diù protraxerat ingravatus, consortiis humanis subtractus obiit in Christo XVIII. Kalend. Octobrium; ibique digno in loco honorabiliter sepulturæ traditus est. Hæc de eo narrare erat solitus bonæ recordationis Hardoinus Cellæ Sancti Martyris Saturnini Presbyter, qui sub ejus tempore hoc in Cœnobio Clericatûs suscepit habitum. Tenuit autem hujus Cœnobii regimen annis ferè sex.

Gesta WIDONIS *Abbatis Fontanellensis Cœnobii.*

CAPUT XV.

WIDO laïcus ex pago Oximensi, patre Irmino nomine, matre Witboldâ, Camerarius Teutsindi quondam Abbatis, ejusque sub curâ educatus est. Hic matriculam B. Martini Turonensis in beneficii jure, Teutsindo hæc eadem largiente, aliquamdiù post obitum illius tenuit. Defuncto verò Austrulpho Patre Monasterii Fontinellensis, statim iste ad Palatium ire deliberavit, plurima donaria auri argentique secum deferens, quæ Pipino Regi ac suis Satellitibus collatâ, ut optaverat, Abbas constituitur, anno secundo postquàm idem Pipinus Regale adeptus fuerat fastigium, qui est annus Domini DCCLIII. Indictione VI. Hoc anno Papa Stephanus venit ab urbe Româ in Franciam, & Carlomannus frater Pipini post illum, & filii prædicti Carlomanni attonsi sunt, & Grippo Frater Pipini occisus est. Sub hujus tempore, id est anno quarto regiminis sui, & Pipini Regis quinto, Ecclesia B. Petri igne succensa est, quam ipse cum adjutorio Regali in majori elegantiâ reparavit, sublimiorique fabricâ decoravit.

Sub hujus etiam temporibus plurimæ res Ecclesiæ perierunt, quas ipse Regiis hominibus ad possidendum contradidit, miserabile sibi faciens memoriale: quæ usque hodie de ejusdem Cœnobii ditionibus permanent ablatæ. Pro quâ etiam occasione status sanctæ Regulæ periclitari cœpit, ob inopiam videlicet compescendarum indigentiarum, quas beatus Pater Benedictus in eâdem lege Monachis porrigendas præcepit. Hic etiam ditionibus Ecclesiæ dimisit capsam Evangeliorum paratam, quam ipse fabricari jusserat, cum auro, argento, ac gemmis, id est, calicem argenteum deauratum unum: Urceos Alexandrinos cum aquamanilibus duos: cornu fabricatum unum: pulvillos sericos sub Evangelium ponendos tres: pallas corporalium quinque: thuribula argentea duo: hanapos argenteos deauratos duos: dalmaticam unam: casulas sericas quinque: tabulas fabricatas ante altaria octo: pallia tria: Antiphonarium Turonense unum: libellum de miraculis B. Andreæ Apostoli unum. Erat quippe ferè gnarus litterarum: Qui depositus est Petreo-ponte villâ publicâ sub anno Domini DCC. LXXXVII. Indictione X. decimo octavo Kalend. Octobr. qui est annus vicesimus gloriosissimi Caroli Regis Francorum, & decimus quintus Adriani Apostolici. Sepultus est autem in Ecclesiâ Beati Apostoli Petri subter arcum introitûs absidæ. Rexit ipsum Monasterium annis triginta quinque, & mensibus octo, diebus tredecim.

Hæc verò est summa de rebus ejusdem Cœnobii, quæ præcepto invictissimi Caroli Regis annumerata est à Landrico Abbate Gemmetico, ac à Richardo Comite, anno vigesimo regni sui, qui est obitus prædicti Patris. Primitùs etenim de his, quæ ad usus proprios Fratrumque stipendia pertinere videntur, sunt mansi integri reperti numero MCCCXXIII. medii CCXXXVIII. manoperarii XVIII. qui fiunt simul MDLXIX: Absi CLVIII. molendina XXXIX. In beneficiis verò relaxati sunt mansi integri numero MMCXX. medii XL. manoperarii CCXXXV. qui simul juncti fiunt MMCCCXCV. Absi CLVI. habent ipsi molendina XXIV. Summa namque universitatis præsentium rerum inter integros, medios, atque manoperarios, reperti sunt mansi MMMM. CC. LXIV. exceptis villis quas Wido laïcus aut Regiis hominibus contradidit, aut etiam sub usufructuario aliis concessit, quod omnimodè facere non debuerat. Duos etiam annos accepit regimen Cœnobii Wido laïcus, antequàm Remigius Cathedram Episcopalem Rotomagensis urbis subiret. Erant namque ipse Præsul atque præfatus Pater amicitiæ jure conjuncti. Hujus denique administratione Cœnobii, dum gloriosissimus Pipinus Rex ad sepulcrum almifici Patris nostri Wandregisili accessisset orationis gratiâ, illam inanem postulationem Fratres nostri eidem suggesserunt, quæ omnibus est notissima. Quamquam ipse prædium quoddam eis largiri dispositum haberet.

Gesta GERVOLDI *Abbatis Cœnobii Fontanellensis.*

CAPUT XVI.

GERVOLDUS ex patre Walgario, matre verò nomine Walda, rexit ipsum Cœnobium annis ferè XVIII. Hic ex nobilibus parentibus ortus, dein Clericus effectus, atque ad Palatium perductus, Bertradæ Reginæ Cappellanus efficitur. Cujus obtentu Ebroicinæ civitatis sedes, defuncto ejusdem urbis Præsule, à Domno Rege Carolo eidem attributa est. Sed & rebus humanis exempto præfato Widone laïco, idem Gervoldus suggestione suâ à Domno ac invictissimo Rege Carolo præfatum Cœnobium Episcopatu deserto impetravit, anno videlicet jam tertio postquàm Bertrada Regina obierat. Sæpefato namque Widoni laïco erat nepos, id est, sororis suæ filius nomine Witboldus, gloriosissimi Regis Caroli tunc Capellanus; cui præfatum Monasterium post avunculi sui decessum ad regendum promissum fuerat: sed dum is ad Constantinum Imperatorem Græcorum ac Irenem à Domno Rege Carolo cum alio Legatario nomine Joanne causâ legationis directus fuisset, ac per annum & sex mensium spatia in redeundo moram faceret, prædicto Gervol-

do sæpefatum Cœnobium collatum est. Causa autem Legationis erat super Ruatrude filiâ Magni Caroli, quam isdem Imperator Constantinus ad conjugium petebat. Sed illo hac legatione pro quâ directus fuerat strenuè functo ac reverso, Monasterium S. Sergii, quod in territorio Andegavæ urbis situm est, à domno ac invictissimo Rege eidem noscitur attributum, quod postea per plurimos feliciter rexit annos. Gervoldus verò, ut præfati sumus, hujus Fontanellensis Cœnobii constituitur Rector, anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXXVII. qui erat annus vigesimus primus Caroli Regis.

Eodem anno invictissimus Rex Carolus Conventu celebrato in Ingelhaim, partibus Bajoariæ properare cum immenso exercitu disponit. Ipsoque tempore sine bello ac ullâ exercitûs sui molestiâ tradidit fortis præliator Deus regnum Bajoariæ in manus invictissimi Regis Caroli: & TASSILO Dux gentis ejusdem tonsus est, atque in Gemmetico Cœnobio trusus. Hic nempe Gervoldus super regni negocia Procurator constituitur per multos annos, per diversos portus ac civitates exigens tributa atque vectigalia, maximè in Quintawich. Unde OFFÆ Regi Anglorum sive Merciorum potentissimo in amicitiis valde cognoscitur adjunctus. Exstant adhuc Epistolæ ab eo ad illum, id est Gervoldum, directæ, quibus se amicum ac familiarem illius carissimum fore pronuntiat. Nam multis vicibus ipse per se jussione invictissimi Regis Caroli ad præfatum Regem Offam legationibus functus est: novissimè verò propter filiam ejusdem Regis, quam in conjugium expostulabat Carolus junior: sed illo hoc non acquiescente, nisi BERTA filia CAROLI MAGNI ejus filio nuptui traderetur, aliquantulum Rex potentissimus commotus præcepit ut nemo de Brittanniâ Insulâ ac gente Anglorum mercimonii causâ littus Oceani maris attingeret in Galliâ. Sed hoc ne fieret, admonitione ac supplicatione venerandi prædicti Patris Gervoldi inhibitum est. Hic nempe de rebus Ecclesiæ nostræ injustè ablatis, aut etiam spontaneâ Patrum Cœnobii voluntate Regiis hominibus contradictis, suggestionem suam magno Imperatori Carolo patefecit, ejusque ex sacrâ auctoritate Privilegium accepit, ut quidquid injustè ablatum erat, in jure ac potestate ejusdem Ecclesiæ reciperet. Hic dedit in Ecclesiâ B. Petri cruciculam auream unam, inaures sex, fibulam unam, annulum aureum unum, bismonem unum, cruciculam cum auro & argento unam, calices argenteos tres cum patenis eorum: offertoria duo cum patenis eorum: thuribulum argenteum unum: buticulam argenteam unam: fialas argenteas duas: cochlearia argentea duo: situlam de aurichalco unam: planetas casulas quatuordecim: dalmaticas majores duas, minorem unam: palita diversa duodecim: sagiam unam: fanones duos: albas viginti octo, amictus viginti: lintea quadraginta: villosa duodecim: de libris verò Pentatheucum Moysi codicem unum: Minorum Prophetarum codicem unum: Expositio B. Augustini in Evangelium Joannis codices duos: librum Enchiridion S. Augustini codicem unum: Homiliare diversorum Auctorum volumen unum: De ædificiis verò, Basilicam S. Apostoli Petri plumbo cooperuit: similiter S. Michaëlis Archangeli: caminatam fratrum à fundamentis ædificavit: domum etiam infirmantium Fratrum emendare studuit: coquinam Fratrum jam penè dirutam in majori elegantiâ reparavit: sacrarium Ecclesiæ à fundamentis ædificavit. Scholam in eodem Cœnobio esse instituit, quoniam omnes penè ignaros literarum invenit: ac de diversis locis plurimum Christi gregem aggregavit, optimisque cantilenæ sonis, quantum temporis ordo sinebat, edocuit. Erat enim præfatus Gervoldus quamquam aliarum literarum non nimium gnarus, cantilenæ tamen artis peritus, vocisque suavitate ac excellentiâ non egenus.

Sub hujus tempore bonæ recordationis Presbyter egregius nomine HARDUINUS florebat, qui in Cellâ clari Martyris Saturnini, quam B. Wandregisilus ædificaverat, ob gratiam vitæ contemplativæ remotior degens, quæ sita in latere montis plagæ Aquilonaris præfatum Cœnobium spectat, plurimos Arithmeticæ artis disciplinâ alumnos imbuit, ac arte scriptoriâ erudivit: erat enim in hac arte non mediocriter doctus. Unde plurima Ecclesiæ nostræ proprio sudore conscripta reliquit volumina: id est, volumen quatuor Evangeliorum Romanâ literâ scriptum: Epistolarum Beati Pauli Apostoli volumen unum. Sacramentaria volumina tria: Lectionarium volumen unum: item lectionum Evangelii volumen unum: Homiliarum quadraginta Gregorii Papæ volumen unum: librum de Arithmeticâ cum Epistolis de ratione Paschali volumen unum: librum B. Augustini de Civitate Dei ab undecimo usque ad decimum octavum, volumen unum: librum venerabilis Bedæ de naturis rerum ac temporibus, volumen unum: Psalterium cum Canticis ac Hymnis Ambrosianis, & terminis Paschalibus, volumen unum: librum vitarum Sanctorum Wandregisili, Ansberti, & Wlfranni Confessorum Christi, volumen unum: Quæstionum S. Ansberti ad Siwinum Reclausum volumen unum: Antiphonarium Romanæ Ecclesiæ volumen unum. Dedit etiam calicem argenteum cum patenâ, thuribulum argenteum unum in ministerio Ecclesiæ, quæ ipse ad sacrificium Deo offerendum secum habuit, quamdiù remotiorem vitam duxit. Hic etiam Religiosus vir Romam, præsidente in sede ejusdem Ecclesiæ ADRIANO Apostolico, ad limina Apostolorum orationis ac visitationis gratiâ, locorum etiam Sanctorum, profectus est: prosperèque Domino comitante reversus. Qui depositus est senex & plenus dierum sub anno Imperii Magni Imperatoris Caroli undecimo, Regni autem ejus, quod per quadraginta septem annos tenuit, quadragesimo quarto, qui erat Dominicæ Incarnationis octingentesimus undecimus, Indictione quartâ, tenente regiminis locum in Fontinellâ Cœnobio anno quinto Trasaro Abbate.

Hic GERVOLDUS Abbas in ægritudine positus, de quâ & vitam finivit, contulit huic Cœnobio res proprietatis suæ quas acquisierat in pago Ebroicino: hoc est illam Ecclesiam S. Paterni cum omnibus adjacentiis suis super fluvio Ittone: similiter in Villarcello & Maigoldivalle, atque in curte Anclaunâ, & in Framsarias, & in Rumbaudecurte. Edita est hæc largitio Petreoponte villâ hujus nostri Cœnobii VII. Idus Januarii. Et post septem dies idem Gervoldus vitæ terminum dedit XVIII. Kalendas Julii anno Incarnationis Domini JESU CHRISTI DCCCVI. [Indictione VII.] qui erat annus Regni Magni Caroli XXXVIII. Imperii verò sextus. Rexit istud Cœnobium annis octodecim, menses quinque, dies tredecim.

Gesta ANSIGISI *Abbatis Fontanellensis Cœnobii.*

CAPUT XVII.

ANSIGISUS vir gloriosus ac tranquillus, omnique scientiâ, divinæ scilicet atque humanæ Philosophiæ, sufficienter instructus, à patre Anastasio nomine, matreque vocabulo Himilradâ procreatus, divinâ ordinante clementiâ, regimen acce-

pit loci hujus anno Dominicæ Incarnationis DCCCXXIII. qui erat annus LUDOVICI gloriosissimi Augusti decimus, porrò PASCHALIS Apostolici circiter septimus, sub die quarto Nonarum Aprilium, Indictione I. De cujus clarâ origine, vitâ, conversatione, moribus, & actibus, placet præsenti operi ea tantùm inserere quæ Lectoris animum non offendant. Nam juxtà sæculi hujus dignitatem ex nobili Francorum prosapiâ claram duxit originem, quam nobiliorem operum splendidiorum reddidit exemplis. Duæ verò clarissimæ virtutes in eo maximè refulgebant: quarum prima illi fuit, benè vivere; secunda, rectè docere. Denique tenente locum regiminis hujus Cœnobii Girowaldo [r] Abbate propinquo suo, hoc accessit Monasterium, tonsuramque capitis ab eo suscepit. Deinde non multo post ad Palatium eum perducens, in manus gloriosissimi Regis Caroli commendare studuit. Defuncto verò Geroaldo, TRASARIUS hoc adeptus est Cœnobium, ac non post multum temporis præfatus domnus ANSIGISUS Flaviacum Monasterium quod Sanctus Geremarus fundavit, ac corpore requiescit, quod est situm in pago Bellovacensi, à domno Rege Carolo in precarium accepit, anno videlicet Incarnationis Domini JESU CHRISTI DCCCVII. qui erat annus Magni Caroli, ex quo Rex Francorum constitutus est, XXXVIII. ex quo verò Imperator & Augustus appellatus est, annus VII. Quod ferè ædificiis destitutum, ac in egestate redactum atque relictum invenit: sed intra pauci temporis spacium nobili suâ industriâ recuperare studuit. Omnia namque ædificia & publica & privata ipse ibidem, eliminatis atque projectis iis quæ vetustate consumpta fuerant, à fundamentis construi, atque in majori elegantiâ restaurari fecit, veluti cunctis illò advenientibus palam est. Nam in præceptis rei rusticæ sagacissimus erat: unde factum est ut diversarum frugum maxima illi copia nunquam deesset, quam semper largâ manu cunctis indigentibus erogare noverat. Erat namque eleemosynarius valde pauperumque refector, profluus ditator ac defensor Ecclesiarum, Clericorum nutritor, Monachorum verissimus Pater, peregrinorum lætissimus susceptor, viduarum ac pupillorum maximus adjutor. Denique ante Flaviacense Cœnobium duo alia ad regendum ab invictissimo Rege Carolo ei commissa fuerant Cœnobia; unum quod est situm prope muros urbis Remensis, & in honore S. Sixti primi ejusdem urbis Præsulis constructum, & est in ditione ejusdem civitatis: alterum in territorio Catalaunici castri, quo sanctus Episcopus Memmius corpore quiescit humatus. Quibus desertis, Flaviacensis Rector constituitur anno suprà scripto. Præterea dum prædictum Flaviacense Cœnobium jure precarii ac beneficii teneret, etiam Exactor operum Regalium in Aquisgrani Palatio Regio sub HEINHARDO Abbate viro undecumque doctissimo à Domino Rege constitutus est. Quod nobilissimè administravit, atque in cunctis operibus suis prudenter se agebat. Plurimis verò ejusdem Regis jussu legationibus strenuissimè functus est.

Interea defuncto Magno Carolo Imperatore Augusto divæ memoriæ, LUDOVICUS ejus filius in Imperium elevatur. A quo idem Domnus Ansigisus magnificè honorari meruit. Anno denique imperii sui IV. Luxovium famosum Galliis Cœnobium ad regendum beneficii jure eidem contulit. Quo anno Stephanus Papa tertio mense postquàm Romam remeaverat reversus de Francis, VIII. Calendas Febr. vitâ decessit: in cujus sede Paschalis successor efficitur. Luna eclipsim passa est Non. Febr. die horâ noctis secundâ. Abdiraman Rex Sarracenorum Legatos pro pace Compendium ad Imperatorem misit, qui Compendio auditi, & Aquisgrani iterum perrexerunt, tresque menses detenti, Regi suo remissi sunt. Hoc etiam anno BERNARDUS Rex Italiæ in deditionem apud Cavillonem Imperatori se tradidit. Sed his omissis ad cœpta revertamur. Anno igitur Imperii Domni Ludovici Augusti tertio TRASARUS Rector hujus Cœnobii cum licentiâ ejusdem Imperatoris ad locum suæ nativitatis repedavit, ac Beneventum in Campaniâ regrediens, à SIGONE Duce, quem ex lavacro sanctæ regenerationis susceperat, honorificè susceptus est. Post quem Einhardus hoc Cœnobium per septem fermè tenuit annos. Quod demùm ultrò derelictum, divinâ ut credi fas est jussione, ac gloriosissimi Imperatoris Ludovici largitione domnus Ansegisus ad gubernandum suscepit anno jam suprà taxato. Quod tam solerti studio summâque industriâ nobilitavit, ut novus Wandregisilus credi posset, aut etiam magnus Præsul Ansbertus redivivam ad lucem regressus fore putaretur. Verùm sicut illi in exordio sui ædificiis nobilitaverunt, Clerum auxerunt, disciplinis Ecclesiasticis imbuerunt, ita iste diruta emendare studuit, ac vetustate consumpta in majori elegantiâ reparavit: Clerum nobilissimè auxit, ac regulari ordine secundùm egregii Patris Benedicti normam ut vitam degerent multipliciter decertavit. Nam ex desidiâ priorum Patrum, qui gregis sibi commissi curam minùs devotè gesserunt, status almæ Regulæ prædicti Patris Benedicti jam quasi casurus videbatur, licet illi qui Domino militabant, Canonico ordine irreprehensibiliter conversarentur. Contigerat enim ob incuriam, ut jam dixi, Prælatorum, qui ea quæ Regulæ auctoritas sacræ dare mandabat, parvipendendo impertiri distulerant: sed prædictus reverendissimus Pater Ansegisus hoc modis omnibus sategit ut in pristinum statum ac legem recuperaret, juxtà quod voluntatem Domni Imperatoris super hoc noverat, & quæ regulæ auctoritas dare mandabat, largiri modis omnibus non negligeret. Denique ex Luxovio Cœnobio, quo in Galliarum terris in religione ac regulari disciplinâ non inferius usque ad præsens videtur, Monachos Deum timentes, virosque Religiosos secum huc adduxit, qui & legem istinc Monachorum docerent, & exempla salubria ostenderent: licet olim à viro justo Benedicto Fossatensis Cœnobii Abbate eruditi in hac Philosophiâ fore viderentur: qui plurimis diebus in hoc Monasterio conversantes, nonnulla exempla doctrinæ & bonitatis suæ istic reliquerunt. Nam, ut verè fatear, non inferius Franciæ seu Galliæ Monasteriis istud in omni religione comparabatur Cœnobium. Nec mirum, si tempore Ducis optimi milites Christi per viam Regiam incederent, licet nunc Christi charitas non sit refrigerata, cum utique signifer sanctissimæ disciplinæ idem existeret, qui omnibus imitandus apparebat. Quicumque enim illum audiebat præcipientem, non redarguebat aliter operantem. Testimonium veritati, non amicitiæ reddebat. Sermones ejus utiles magis quàm faceti esse noverant: à verbis quoque turpibus omnimodis abstinebat, sciens quia licentia eorum impudentiam nutrit. Quatuor quoque virtutes, quibus omnis homo præcipuè inniti debet, in eo refulgebant: prudentia videlicet, fortitudo, temperantia, atque justitia: sermo nempe ejus nusquam inanis exstitit, imò subditis sibi aliisque aut suasit bona agere, aut monuit docere recta, aut consolatus est dolentes, aut præcepit fidem Deo æterno & immortali, Regi-

r *Girowaldo*] Codex Font. *Geroaldo*.

que terreno inviolatam servare, quæ etiam in suis actibus primus adimplere curavit. Quæcumque verò ex rebus transitoriis possedit, nihil magni æstimavit, sed potiùs caducum esse credidit: ideo gazas suas Monasteriis ac egenis distribuere satagebat, thesaurizans sibi thesauros in cœlo, quò fur non appropiaret, neque tinea devoraret. Vitiorum per omnia fugax extitit: aliorum verò neque acerbus reprehensor, neque curiosus scrutator. Cunctis denique benignus, in adversis firmus, in prosperis cautus & humilis. Justitiæ postremò virtutem quàm magnificè tenuerit, testantur legationes, quibus jussu Augustorum frequenter functus est: maximè ea quæ tempore Domni Ludovici magni Imperatoris, jussu ejusdem partibus Marcæ Hispanicæ celebrata est adversùs Gautselinum custodem limitis illius. Erat enim in sermone verissimus, in fide firmissimus, in bonis operibus promptus, in judicio justus, in consilio providus, in bonitate conspicuus, in charitate præclarus, fide catholicus, eleemosynis dives, vigil ingenio, promptus eloquio, flagrans studio. Utile nempe vas in domo Domini, Deo sedulè serviens, errantes corrigens, correctos fovens, obstinatos spernens, humiles semper diligens, Regi terreno subjectus, Christo dominatori omnium devotus.

Quantùm verò in Ecclesiasticis curis intentus fuerit, testantur munera in Cœnobiis ejus curæ subditis ab ipso collata. In Luxoviensi itaque Cœnobio hæc dona obtulit: crucem auream mirificè factam, gemmis preciosissimis decoratam, habentem baculum argento coopertum, quem secum solitus erat in itinere bajulare: offertorium aureum cum patenâ suâ aureâ opere mirabili: calices argenteos tres deauratos anaglyfico opere patratos: hanappum argenteum optimo opere factum, habentem limaces aureos quatuor in fundo exteriùs sibi annexos: aquamanile & urceum argenteum mirabili opere: altare in honore perpetuæ Virginis Mariæ decoravit tabulâ ligneâ, quam imaginibus argenteis diversis cooperuit. De vestimentis verò, dirodimum optimum unum, planetas casulas quinque: cindados duodecim coloris diversi: dalmaticas tres: pallia fundata sex: tapeta optima octo. Ecclesiam S. Petri altiorem in fabricâ suâ, muros exaltans, reddidit, ac cum clavis ferreis eam cooperuit. Porticum præterea, quæ vadit de Ecclesiâ B. Petri ad S. Martinum de novo fecit, & eam cooperiens, scindulas ejus ferreis clavis affixit.

In hoc igitur Fontinellensi Cœnobio hæc munera contulit. Portionem magnam ligni salutiferæ crucis Dominicæ inclusam auro, quod rotundo scemate formatum erat, ejusque in medio crystallum positum, ita ut figura ligni sanctæ crucis intuentibus intùs appareret. Quod postea præpedientibus peccatis, sive alio quolibet casu de frontispicio lecti protectoris nostri B. Vandregesili fures sustulerunt, perforatâ maceriâ Basilicæ S. Petri; quod factum est pridie Nonas Decembris, Dominicâ, expletis post obitum ejusdem gloriosi Patris mensibus tribus, & diebus sexdecim. Calicem aureum mirificè factum duas hinc inde habentem ansulas, gemmis preciosissimis decoratum, qui pensat libram: alterum argenteum anaglyfico opere factum operis mirandi, cum patenâ suâ argenteâ: offertorium argenteum ejusdem Calicis, habens effigiem mirifici operis: alia offertoria argentea cum patenis argenteis earumdem: coronam majorem argenteam cum lampadâ suâ argenteâ, optimam unam. Item lampadam argenteam unam: thuribulum argenteum optimum unum: candelabra argentea tria habentia solidos nonaginta; id est, unumquodque triginta: sigilla aurea mirifica cum preciosis lapidibus, numero duo: urceum argenteum cum aquamanili optimum unum: cuppas vitreas auro ornatas duas, eburneam unam mirificè factam: pixidas eburneas duas: hanapum vitreum optimum unum. Quatuor Evangelia in membrano purpureo ex auro scribere jussit Romanâ literâ; ex quibus Matthæi, Joannis, & Lucæ complevit, sed interveniente morte ejusdem reliquum imperfectum remansit: lectionarium etiam in membrano purpureo similiter scribere jussit; decoratum tabulis eburneis: antiphonarium similiter in membrano purpureo argenteis scriptum literis, ornatumque tabulis eburneis. De vestimentis verò Ecclesiasticis largitus est pallia, quæ dicuntur fundata, tria: stauracia duo; stragulum Hispanicum unum: tapetia quatuor; dalmaticas ministrorum ministerio aptas sex: roccum subdiaconalem unum: coccum unum: tunicam Sacerdotalem Indici coloris cum vestimento integro, unam: planetas casulas quatuor, casulas item ex cindato Indici coloris tres, viridis coloris ex cindato item tres: item rubei sive sanguinei coloris ex cindato unum: blatteam item casulam unam: cappas Romanas duas, unam videlicet ex rubeo cindato & fimbriis viridibus in circuitu ornatam; alteram ex cane pontico, quem vulgus Bevurum nuncupat, similiter fimbriis sui coloris decoratam in orbe: linteum optimum unum: facistergium optimum unum: fanones optimos duos, unum auro decoratum, alterum stauratio: item de cindato duos: pulvinaria serica Evangelicis officiis apta; majora duo; minus unum: cingula Romano opere facta auro decorata duo: mappulas duas, stolas duas.

De libris autem hanc dedit copiam, Bibliothecam optimam, continentem vetus & novum Testamentum cum Præfationibus ac initiis librorum aureis literis decoratis; libros Expositionum Divi Augustini in Genesim ad literam volumen unum. Item Enchiridion ejusdem, volumen unum: ejusdem Explanationum in omnes Psalmos volumina tria: ejusdem contrà Julianum hæreticum volumen unum: item librum Epistolarum ejusdem ad diversos, volumen unum: item ejusdem librum qui dicitur, Unde malum, volumen unum. Item librum ejusdem qui prætitulatur, de Doctrina Christiana, vol. I. librum decem Chordarum ejusdem: ejusdem super Epistolam Joannis [vol. I.]: item adversus Epistolam Fundamenti vol. I. homiliare ejusdem vol. I. Expositionem B. Ambrosii in Lucæ Evangelium, volumen unum: Epistolarum ejusdem ad diversos, volumen unum; item ejusdem librum qui dicitur de bono mortis, volumen unum: item ejusdem de Joseph ac duodecim Patriarchis vol. I. Epistolarum B. Hieronymi volumen unum. Epistolarum S. Sixti Episcopi volumen unum. Historiarum Josephi volumen unum. Tagii Sententiarum, volumen unum. Excerptionum Paterii de veteri ac novo Testamento ex Opusculis beati Gregorii Papæ volumen unum: Evipi ex Opusculis B. Augustini similiter volumen unum; Gregorii in parte mediâ Job. vol. I. librum Fulgentii Episcopi Carthaginensis vol. I. librum Ferandi Diaconi Ecclesiæ Carthaginensis vol. I. Bedæ in Genesim expositio vol. I. ejusdem de computo ac ratione temporum, vol. I. Collectaneos duos super anni circulo, Pauli Diaconi volumina duo: libros Glossarum duos [volumina duo:] librum Canonum diversorum Conciliorum, volumen unum.

Ædificia autem publica ac privata ab ipso cœpta & consummata hæc sunt: In primis dormitorium Fratrum nobilissimum construi fecit, longitudinis pedum ducentorum octo, latitudinis verò viginti septem: porrò omnis ejus fabrica porrigitur in altitudine

tudine pedum sexaginta quatuor; cujus muri de calce fortissimâ ac viscosâ, arenâque rufâ & fossili, lapideque tofoso ac probato constructi sunt. Habet quoque solarium in medio sui pavimento optimo decoratum, cui desuper est laquear nobilissimis picturis ornatum. Continentur in ipsâ domo desuper fenestræ vitreæ, cunctaque ejus fabrica, exceptâ maceriâ, de materiâ quercuum durabilium condita est: tegulæque ipsius universæ clavis ferreis desuper affixæ; habet sursum trabes & deorsum. Post quod ædificavit aliam domum quæ vocatur Refectorium, quam ita per medium maceriâ ad hoc constructâ dividere fecit, ut una pars Refectorii, altera foret Cellarii: de eâdem videlicet materiâ similique mensurâ sicut & Dormitorium, quam variis picturis decorari in maceriâ & in laqueari fecit à Madalulfo egregio Pictore Cameracensis Ecclesiæ. Tertiam nempe fecit domum egregiam construi, quam majorem vocant, quæ ad Orientem versa ab unâ fronte contingit Dormitorium, ab alterâ adhæret Refectorio: ubi cameram & caminatam, necnon & alia plurima ædificari mandavit; sed adveniente morte ejusdem, hoc opus ex parte imperfectum remansit. hæc tria egregia tecta ita constituta sunt: Dormitorium videlicet ab unâ fronte versum est plagæ Septentrionali, ab alterâ Australi, & adhæret ab eâ Basilicæ S. Petri. Refectorium similiter versum est eisdem plagis: & est ferè contiguum à parte Meridianâ absidæ Basilicæ S. Petri. Porrò illa major domus, sicut suprà diximus, constituta est. Ecclesia autem S. Petri à parte Meridianâ sita est, versa tamen ad Orientem. Ipsa etiam à parte Occidentali triginta pedum in longitudine, ac totidem in latitudine accrevit, constructo desuper Cœnaculo, quam in honore Domini Dei Salvatoris nostri JESU-CHRISTI dedicandam fore præoptabat. Sed & ipsum opus propter mortem ejus tam citam imperfectum remansit. In eàdem autem Basilicâ S. Petri pyramidem quadrangulam altitudinis triginta quinque pedum de ligno tornatili compositam, in culmine turris ejusdem Ecclesiæ collocari jussit; quam plumbo, stanno, ac cupro deaurato cooperiri jussit, triaque ibidem signa posuit: nam antea nimis humile hoc opus erat. Ipsam namque turrim, simulque absidam tegulis plumbeis à novo cooperiri jussit. Jussit præterea aliam condere domum juxtà absidam Basilicæ S. Petri ad plagam Septentrionalem, quam Conventus, sive Curiæ, quæ Græcè Bouleuterion dicitur, appellari placuit; propter quod consilium in eâ de quâlibet re perquirentes convenire Fratres soliti sint. Ibi namque in pulpito lectio quotidie divina recitatur, ibi quidquid regularis auctoritas agendum suadet, deliberatur. In quâ etiam monumentum nominis sui collocari jussit, ut dum vitæ præsentis terminum daret, illic à suis deponeretur. [f] Item ante Dormitorium, Refectorium, & domum illam quam majorem nominavimus, porticus honesta cum diversis pogiis ædificari jussit, quibus trabes imposuit, ac juxtà mensuram eorumdem tectorum in longum extendit. In medio autem porticûs, quæ ante Dormitorium sita videtur, domum Cartarum constituit. Domum verò, quâ librorum copia conservaretur, quæ Græcè Pyrgiscos dicitur, ante Refectorium collocavit, cujus tegulas clavis ferreis configi fecit.

In Flaviacensi quoque Cœnobio quæ obtulerit dona, hoc in loco declarandum censuimus. Ibi namque gratuitâ benignitate largitus est calices argenteos diversos decem: aquamanile argenteum cum urceo suo argenteo: candelabra argentea numero septem: pallia diversa plus minusve quadraginta: casulas planetas, ac cindatos diversos triginta, quarum colores oneri videtur describere: fanones ac lintea non occurrunt memoriæ quot fuerint numero. In honore verò Sanctæ Trinitatis Basilicam ædificavit, ante cujus aram Tabulam argenteis imaginibus decoratam collocavit, ipsique aræ crucem argenteam imposuit, universamque Basilicam variis picturis decorari jussit. Nomina autem Librorum, quos ipsi contulit loco, hæc sunt: Pandectem à B. Hieronymo ex Hebræo vel Græco eloquio translatum: ejusdem expositionem in duodecim Prophetas, & sunt Tomi viginti in volumine uno: ejusdem in Isaia Propheta libri octodecim, volumen unum: ejusdem Librum Epistolarum, volumina duo: in Proverbiis Salominis ejusdem volumen unum: in Danielem Prophetam ejusdem: in Evangelio Matthæi ejusdem, continens in eodem decreta Gelasii Papæ de libris recipiendis & non recipiendis: & excerptio aliqua de Libris Exameron S. Ambrosii Episcopi, codex unus. Libros S. Augustini, qui prætitulantur, de Civitate Dei, numero triginta duo [t] in codice uno: ejusdem expositionem in Evangelio S. Joannis, volumen unum: Homiliare ejusdem continens Sermones CXLVII. volumen unũ: libros ejusdem XV. de S. Trinitate, volumen unum: Concordiam Evangeliorum ejusdem, codicem unum: ejusdem de Doctrinâ Christianâ, cod. unum. Expositionem Symboli ejusdem, cod. unum: Quæstiones ejusdem octoginta, cod. unum: de Baptismo parvulorum ejusdem ad Marcellum lib. tres: de sermone Domini in monte lib. duos: de providentiâ Dei Serm. I. De Natali proprio Serm. I. [de Cruce Serm. I.] Ad Flactianum Epistol. [I.] vol. I. Ejusdem Academicorum lib. tres: Soliloquiorum lib. duos: de immortalitate librum unum: de quantitate animæ lib. unum: de Magistro librum unum: de ordine lib. II. de videndo Deo librum I. vol. I. libros Confes. ejusdem cod. unum: librum qui dicitur Enchiridion, cod. unum: in Psalmis expositionem ejusdem, codicem unum. Expositionem S. Ambrosii in Epistolas Pauli, vol. unum. Hisychii Presbyteri in Leviticum lib. 7. cod. I. Expositionem S. Joannis Constantinopolitani Episcopi in Matthæum. Apocalypsim sancti Joannis, continentem etiam librum S. Isidori Differentiarum, cod. unum. S. Hilarii Episcopi contrà Hæreticos cod. I. Homiliarum B. Gregorii Papæ in novissimâ parte Ezechielis Prophetæ in cod. uno: Epistolarum ejusdem cod. unum. Expositionem Bedæ Presbyteri in actibus Apostolorum, cod. unum. In septem Epistolas Canonicas & Apocalypsim Joannis cod. unum: ejusdem in Marci Evangelium cod. unum: ejusdem in Lucam Evangelistam cod. I. librum Testimoniorum Isidori de Christo & Ecclesiâ, cod. unum: ejusdem Etymologiarum cod. unum: ejusdem Rotarum ad Sisebutum Regem, cod. I. Prosperi de vitâ activâ & contemplativâ in cod. I. Prognosticon futuri sæculi cod. I. Disputationem fidei inter Arium hæreticum ac Athanasium Catholicum in cod. I. Epistolarum S. Cypriani Martyris cod. I. Alcuini de Trinitate librum in cod. I. Regulam B. Basilii Episcopi. Regulam B. Benedicti in cod. I. Historiam Ecclesiasticam Eusebii Cæsariensis Episcopi in cod. uno: Chronicam ejusdem in cod. uno. Historiam item Ecclesiasticam trium virorum, id est, Sozomeni, Theodoriti, & Socratis, in cod. uno. Canones diversorum Patrum in Codice uno. Sacramentoria volumina duo. Cassio-

f *deponeretur*] Quod sequitur ad eum locum: *Domum verò, quâ librorum*, in codice Font. non legitur.

t *triginta duo*] Laudatus codex, *viginti duo*.

doti de Arithmeticâ, vol. unum : ejusdem in Psalmos expositionem vol. unum. Homiliarum Origenis in veteri Testamento volumina duo : ejusdem in Psalmos expositionem, volumina duo. Vitas Beatorum Confessorum Hieronymi, Augustini, Gregorii. Item passionem B. Columbæ Virginis in cod. uno. Institutio ac collectio cujusdam de vitâ Canonicâ, vol. I. Gesta Francorum in cod. uno. Et alios plurimos, quorum nunc nomina non occurrunt memoriæ.

In eleemosynarum verò largitionibus quantum sollicitus exstiterit, ipsa ejus opera testimonium perhibent. Nam quodam tempore, id est, anno regiminis sui decimo octavo, in passionem incidit illam, quam Medici paralysim vocant : moxque vocatis domesticis ac fidelibus seu intimis suis, hanc rerum suarum distributionem gratuito animo facere curavit. Quæ elargitio seu distributio, ipsius jussu ac supplicatione edita est à venerabili viro Hildemanno Bellovacensis urbis Episcopo, adjuncto Berteningo & Gerlone laïcis simulque Landone Monacho. Cujus textus talis est : In hoc Fontinellensi Cœnobio largitus est Fratribus libras nonaginta; nam omnibus annis triginta in censu dare consueverat : famulis laïcis libras decem : senibus in illo Xenodochio, & cæteris mansionibus pauperum solidos decem. Universæ familiæ hujus Cœnobii libras quadraginta. Cæterorum Monasteriorum nomina, ad quæ eadem largitio eleemosynæ pervenerit, sigillatim exprimam. Ad Gemmeticum Cœnobium libras v. direxit : ad Logium libram unam : ad Fiscannum libram unam : ad Villare libram unam: ad Longogilum libram unam : ad sanctum Walericum libram unam : ad B. Richarium libras duas & semis : ad sanctum Audomarum libras duas & semis : ad S. Audoënum in Rotomago libras quinque: ad sanctam Mariam in domo ejusdem Ecclesiæ libras duas : ad S. Martinum in eâdem urbe, & cæteris Cellis, solidos viginti quinque : Ragnoardo ejusdem urbis Archiepiscopo libras decem ; videlicet ut quinque Presbyteris, & alias quinque pauperibus erogaret. Ad Penthale Monasterium solidos quindecim : ad Penante solidos quindecim : ad Pratellos similiter : ad Ebroïcas civitatem libram unam : ad illam Crucem S. Audoëni libras duas : ad Lixovium urbem libram unam : ad Fontanas Cœnobium solidos duodecim : ad Baiocas civitatem libras duas : ad duorum Gemellorum Monasterium libras duas : ad S. Martinum Turonensem libras quinque, illis Canonicis in domo libram unam : ad S. Anianum Aurelianensem libram unam, illis Canonicis in domo libram unam. Ad S. Benedictum in Floriaco libram unam : ad Ferrarias libras duas : ad S. Carilefum libram unam & semis : ad Curbionem Monasterium libram unam : ad sanctam Columbam in Senonis, illis Monachis libras duas; illis Canonicis in eâdem civitate libras duas. Item ad S. Petrum illis Monachis in eâdem urbe libram unam : in Autisiodoro urbe illis Canonicis libram unam : ad S. Remigium illis Monachis similiter : ad S. Heracleum in eâdem urbe similiter : Item in Autisiodoro ad S. Germanum, illis Monachis libram unam. In Trecas illis Monachis ad S. Petrum libram unam : ad sanctam Crucem Meldis, illis Monachis similiter : ad Fossatos Monasterium, illis Monachis libras duas : ad S. Genovefam Parisius libras duas: Ad S. Germanum Parisius libras tres : In eâdem urbe illis Canonicis libram unam : ad S. Dionysium libras quinque : ad Calam Monasterium libras duas: ad S. Lucianum illis Monachis libras duas : Belloaci, illis Canonicis libram unam : ad Flaviacum illis Canonicis libras quindecim : ad opus famulorum eorum libras decem : Hildemanno Episcopo ad Presbyteros & pauperes libras decem: Ad Oratorium Monasterium solidos quindecim : ad Fontanidum Monasterium solidos decem : ad Insulam Monasterium solidos decem : ad Andelagum Monasterium solidos duodecim : ad Malardum-vallem solidos decem : ad Resbace Monasterium libram unam & semis : ad S. Salvium in Brago solidos decem : ad Malam Monasterium libram unam : ad S. Vedastum in Atrebato libras duas : ad Cameracum libras duas : ad S. Gaugericum libram unam : ad Corbeiam libras quinque : ad sanctum Eligium in Noviomo civitate libram unam ; item ad eamdem urbem Canonicis libram unam. Item ad Suessionis civitatem Canonicis libram unam : ad S. Crispinum solidos quindecim : ad S. Medardum Monachis libram unam : illis Sanctimonialibus libras tres. Ad Remis illis Canonicis libram unam : ad S. Remigium in eâdem urbe Monachis libram unam. Ad S. Memmium in Catalauno libram unam : ad eamdem urbem solidos quindecim ad Altum montem Monasterium quo S. Ansbertus quondam exilio fuit intrusus, atque consortiis inde ereptus humanis, solidos quindecim : ad Malbodium Cœnobium libram unam : ad Castrilocum Monasterium similiter : ad Laubias Monasterium libram unam : ad Indam Cœnobium libras duas. Ad Lingonas illis Canonicis libram unam : ad Luxovium libras vigintiquinque, id est, in ipso Monasterio libras decem : ad Fontanas Cellam ejusdem Cœnobii libram unam & semis : ad Cusantiam similiter : ad Anagrates lib. duas ad Romarici montem librarum unam : ad Balmam similiter libram unam & semis. Ad Morbach Cœnobium libram unam : ad S. Gregorium libram unam : ad Monasterium Mauri libram unam : ad Melundas libram unam : ad S. Reginberbum, ubi primò elementa didicerat literarum, per manus quoque matris suæ in usus egenorum viginti libras expendit. Simili modo per manus Berteningi libras viginti ; sibi verò in domo suâ famulantibus libras quadraginta largiri fecit. Tribus vicibus omnes opes suas egenis ac pauperibus erogari fecit, nil sibi reservans ; quæ qualiter gesta sint, ne nauseam aut fastidium ingessisse videar, transcendendo omittam. Eleemosynis enim sibi viam præparavit, quoniam noverat externum omnem hominem esse sive ad pœnam sive ad gloriam : ideo eleemosynis ac orationibus servorum Dei se roborabat, ut & cursum hujus vitæ pacificè transigeret, atque feliciter in perpetuum viveret. Rexit autem hoc Cœnobium idem gloriosus vir per annos decem, menses quinque, dies XVIII. Ipso tempore recessit Domnus Ansigisus Dominicâ illucescente, die XIII. Kal. Augusti ; eodem die cum fletu maximo tumulatus extrà Basilicam S. Petri ad aquilonalem plagam, in porticu in quâ Fratres conventum celebrare soliti sunt, ac consultis Deo dignis aures accommodare : & cessavit regiminis locus triginta & octo diebus.

Constitutio ANSEGISI *Abbatis.*

CONstitutionem verò, quam servis Dei isto in Cœnobio degentibus de victu ac vestitu instituit, commodum arbitratus sum huic Operi inserere. Cujus talis est textus.

Memoratorium qualiter domnus ac venerabilis ANSEGISUS *Abbas disposuit vestimenta & calciamenta, atque alimoniam Fratribus in Monasterio Fontanella morantibus ; unà cum consensu eorum ordinabiliter : ut absque ullius occasionis querelâ, omni egestate exclusâ, vota sua Deo reddere, at-*

que sponsionis suæ negocium ad effectum omni tempore perducere possent.

De pago namque Bononensi & Tarvanensi vestitus integros LX. censuit porrigendos. Drappos albos xx. de quibus camisiæ xx. fieri possent. Coria boum ad soleas v. composita. Fabarum modios xx. Caseor. pensas XXI. per libras LXXV. Ova mille. Ceræ ad illam Ecclesiam libras cc. Ad opus fratrum c. Sevo libras cc. De Corialinse calcibus XXIIII. Bragal. LX. ad saccos autem faciendos drappos albos II. de quibus fieri possint stamineæ x. Toaculas II. Coria bovina composita v. fabar. modios x. Pisor. modios xx. Caseor. pensas xv. per libras LXXII. Salis modios xxv. in mense Septembrio ova mille. De illâ gregariâ pagens. LX. De Irtio & Idtio mapp. III. longitudinis ulnarum x. latitudinis II. De Apuliaco mappa una ejusdem mensuræ. Lintea ad manus tergendas vellosa III. unumquodque de ulnis quinque in longitudine, in latitudine III. De Gerâ camsiles III. ad mappulas faciendas longitudinis ulnarum XIII. latitudinis trium. De Clariaco mappam unam habentem in longitudine ulnas x. in latitudine III. Item de Hirtio camsilem de ulnis XII. III. latitudinis ad pedes tergendum. De Camponis toaculam I. De Rosontio similiter. De Floriaco similiter. De prædictâ gregariâ caseor. pensas xxx. per libras LXXII. Filtra ad soccos faciendum XII. Ad lecta quantum necessitas poposcit. Porcos saginatos ad adipem & lardum cum unctis LX. & insuper quantum necesse fuerit. De ministerio Rosontione fabar. modios tres, Pisor. modios v. Ad Nativitatem Domini aucipastas tres, pullipastas xx. pullos LX. Ova CCL. Et in Pascha similiter. Ceræ libras III. mellis sextarios tres. Et in mense Novembrio ova D. ligna carra LX. Inter illam Crucem Paldriaco & Bladriciagas fabar. III. pisor. modios v. Ad Nativitatem Domini aucipastas IV. pullipastas XII. pullos LX. Ova CCL. Et in Pascha similiter ceræ libras III. mellis sextarios III. In mense Decembrio ova D. ligna carra LX. De Campanis fabar. mod. III. pisor. modios VIII. Ad Nativitatem Domini aucipastas IV. pullipastas VII. pullos LXX. ova CCL. Et in Pascha similiter, mellis sextarium unum, ceræ libras I. In mense Januario ova D. ligna carra IX. De Sadanma & bubulo captiva fabar. mod. II. pisor. modios IV. Ad Nativitatem Domini aucipastas II. pullipastas x. pullos xxx. ova c. Et in Pascha similiter, mellis sextarios II. Ceræ libras II. In mense Februario ova D. ligna carra XII. De Gariciagas, Duno, & Gera, fabar. mod. III. pisorum mod. IV. Ad Nativitatem Domini aucipastas tres, pullipastas XII. pullos XI. ova CCL. Et in Pascha similiter mellis sextarium I. Ceræ libram I. Et in mense Martio ova L. ligna carra XII. De Petreoponte & Wirtlaico toaculas II. fabar. mod. v. salis mod. xv. Ad Nativitatem Domini aucipastas II. pullipastas XXVI. pullos cv. ova D. Et in Pascha similiter mellis sextarios II. Et in mense Aprili ova D. De Idcio fabar. modium I. pisor. mod. I. Ad Nativitatem Domini aucipastam unam, pullipastas IV. pullos XXV. ova L. Et in Pascha similiter mellis sextarium I. ceræ lib. I. Et in mense Maio ova L. ligna carra xv. De Irtio fabar. mod. I. pisor. mod. I. Ad Nativitatem Domini aucipastam unam, pullipastas IV. pullos XXV. ova L. Et in Pascha similiter mellis sextarium I. ceræ lib. I. Et in mense Junio ova D. Item de Rosontione in mense Augusto ova CLXVI. De illâ Cruce & Campanis ova CLXVIII. De Revereis curte vini modios XLVIII. ova CCL. vinum de Alpiaco modios CCCL. De Riparensi curte mod. CL. De Abriaco mod. L. De Burgundiâ mod. L. sunt modii DC. Adumaticum mod. XXXII. Sicera Humolone quantum necessitas exposcit. Ceræ ad illam Ecclesiam libras cc. olei libras CXXX. Adipem mod. VIII. Ad opus Fratrum ceræ lib. c. olei lib. c. Ad pelles hircinas sexaginta compositas lib. III. Ad cordebisos XL. comparandum lib. III. Ad coria bovina xx. lib. I. Capellos nigros VIII. de solid. XXXII. alios quatuor, unumquemque de solidis III. qui fiunt solidi II. tres qui remanent de solidis septem, qui fiunt simul lib. II. & semis. Ad Stamineas xxx. optimas comparandum lib. III. ad femoralia paria xxx. lib. I. Ad infirmorum curam mel & pigmenta lib. I. Ad saccos quindecim comparandum griseos siccisćos, unde cappæ fiant, lib x. id est talis ordo, unumquodque de solidis x. Et duos optimos capellos de solidis xxx. quinque qui supersunt de solidis XXXVI. novem verò de solidis LIV. id est unumquodque de solidis sex. Ad roccos faciendum, qui sunt rocci XVIII. colligunt super totum libras x. Ad sagos xv. in lecta mittendum lib. II. & semis. Ad pelles berbicinas, unde pellicea fiant, solidos x. Ad ubantos [u] lib. I. ad fasciolas lib. I. Sunt in summâ lib. XXXI. Ad infirmorum curam mansionilem qui dicitur Bothmeregus, & quantumcumque decet sauram, id est, de porcis, mutones, berbices, pullos, ova, omnem decimam nostram ad ipsam domum infirmorum concessimus. De nutrimentis nostris & de vasallis nostris ad portam Monasterii dedimus villam Noviomum, & illos mansioniles qui dicuntur Germachas, Strotella, sanctum Stephanum, Luviccinas, Bantana, Cisternas, Lenticulosa ad illorum infirmitates & necessitates ex caritate, & caseos, & butyrum, nec non ad illorum famulos nutriendum, &c. quæ necessaria sunt concessimus.

APPENDIX I.

Ad Chronicon Fontanellense.

FULGO Venerabis Presbyter succedit ab anno Incarnationis Dominicæ DCCCXXXV. qui est annus bonæ memoriæ HLUDOVICI Imperatoris vicesimus primus: nam antea JOSEPH Episcopus in divortio illud tenuerat menses VII. dies XII. id est, à sexto Kalend. Septembris usque ad quarto Idus Martii. Septimo decimo Kalend. Aprilis fuit tunc datum domno Fulconi prædictum Cœnobium, & tenuit annis undecim & menses v. dies XXVII. id est à Septimo Kalend. Aprilis usque sexto Idus Octobris.

HERIMBERTUS Diaconus annis IV. & menses undecim, id est, à quinto idus Octobris, quando regimen sumsit, usque III. Idus Septembris quando ad Dominum migravit.

APPENDIX ALTERA.

PROLOGUS.

In miraculis S. Wlfranni Pontificis, cujus corpus sacratissimum in magnâ gloriâ apud Deum & homines Fontinellæ requiescit.

QUia Deo omnipotenti placuit temporibus nostris gloriosa sancti sui Wlfranni quæ hactenùs

u *ad ubantos*] Lege, *ad wantos*, gants.

latuerant, merita mundo declarare, ac multis ea recentium miraculorum insigniis declarare; Fratrum me piè ad ea scribendum adhortantium desideriis humiliter deliberavi satisfacere; & quæ vidimus divinæ virtutis opera ad futurorum notitiam literarum apicibus transmittere; quatinùs expensâ fideliter tanti Patris interiori virtute per exhibita exteriùs miracula, erga ipsius venerationem propensioris queant & ipsi devotionis incrementa concipere. Nemo autem in his pretiosorum requirat verborum supellectilem, quin potiùs Dei in sancto suo gloriam miretur & honorem, suæque salutis captet ædificationem: neque enim steriles sententiolas floribus proposui rhetoricis, horum expers, adumbrare; sed rerum divinitùs gestarum veritatem simpliciter & oportunâ brevitate aliquid prælibare; ne videlicet succedentium oblivione temporum penitùs obliteretur, & pereat quod sub oculis nostris diatim divina dignatur operari clementia: quia nimirum vehementer indignum & incompetens approbatur, si tot miraculorum gloria inerti silentio supprimatur: quo circà mali, fateor, imperitæ rusticitatis, quàm infructuosi silentii redargui, ac per hoc quorumdam fastidio displicere, quàm plurium devotioni seu utilitati non inservire. Verùm quia jam quæ proposuimus libet adoriri, paulo altiori principio, ut res gratior fiat, ratum videtur ea exordiri.

De Inventione & miraculis ejus.

CAPUT PRIMUM.

EST itaque antiquissima in Galliis civitas Senones nuncupata, cujus potentiam ipsa postmodum orbis terrarum caput Roma quondam in suo excidio graviter est experta: adeo namque invaluit ut eam obsidione cingeret, manu armisque fatigatam caperet, & nisi arcis, quam Capitolium auspicatò dici placuit, munimen obstitisset, penitùs subrutam delevisset. In hac igitur S. Wlfrannus meritorum prærogativâ Præsulatûs apicem favente Deo promeruit; verbo, virtutibusque satis dignè aliquantisper administravit, sed acceptâ postmodum divinâ jussione, ad prædicandum vitæ verbum Fresionum genti animum intendit: quapropter insignem ac magnificæ sanctitatis virum nomine Ansbertum, Abbatem videlicet Fontinellensis Cœnobii, qui meritorum gratiâ atque ordine sancto jam successerat Audoëno Præsuli in Pontificium urbis Rotomagensis, festinus adiit, divinum quod acceperat oraculum, atque suam super hoc voluntatem illi patenter innotuit, auxilium in quibus res ea flagitabat poposcit, & sufficienter accepit: sicque demùm Sequanam ingressus, prospero Fresiam navigio petiit: illi populo in tenebris ignorantiæ eatenùs sedenti lumen divinæ cognitionis, ac mysterium Dominicæ Incarnationis instanter evangelizavit. Cumque Apostolicis signis suam prædicationem efficaciter adstrueret, morum tranquillitate coruscaret & sanctitate vitæ, quosque rebelles & incredulos perdomuit, atque ad percipiendam baptismi gratiam convolare fecit. Interea imminente beatæ remunerationis horâ, quàm divinâ revelatione didicerat, post innumerabilium ad Christum conversorum salutem, post multorum mirabilium exhibitionem, tandem Fontinellam ubi monachicum pridem fecerat votum, rediit, nec multo post dignus præmiis cœlestibus decessit. Sepultus verò secùs sancti Patris Wandregesili tumulum, per novem annorum curricula requievit, unde postmodum à S. Baino Tarvennæ urbis Præsule, ejusdem Cœnobii Rectore, quinto videlicet sui regiminis anno, translatus est in Basilicam S. Petri Apostolorum Principis cum pretiosis SS. Wandregesili atque Ansberti corporibus, quorum prior quidem quadraginta, alter verò annis undecim in Ecclesiâ S. Pauli jacuerat.

S. Wlfrannus Frisiam petit, ac Verbum Dei dissemi- nat, claretq; miraculis.

Obiit Fonti- ce.iæ.

Corpus ejus in Ecclesiam

S. Petri transfertur una cũ SS. Wandregesili & Ansberti.

CAPUT II.

EVoluto autem non parvo tempore, sub XXIV. videlicet ejusdem Cœnobii Rectoribus, per annos fermè ducentos octoginta unum sibi succedentibus, cum permittente Deo, & flagitiis humanæ perversitatis exigentibus, Danica gens suis emota sedibus per universum maris Oceani littus piraticâ crudelitate desæviret, ferro ac flammis cuncta vastaret, maximeque regiones & loca flumini magno Sequanæ ultrà citraque adjacentia infestaret, miserâ clade exterminaret, urbem undecumque fecundissimam quæ à conditore Isio Parisius dicitur, incendio & rapinis tandem occupavit: celeberrimam etiam Metropolim, quam antiquitas Rotomagum vocari instituit, perempto Præsule, prostrato populo & milite, succensis mœnibus, muris solo tenùs eversis, funestâ crudelitate cepit: Gemmeticum verò flammis voracibus Cœnobium combussit.

Normanni Galliam intrant vastantque.

Cumque nulli mortalium latibulum, vel tutus jam effugii locus uspiam pateret, Monachi qui sub ingenti metu ac maximâ tribulatione in præfato Fontinellæ Monasterio eâ adhuc tempestate in ambiguo potiùs pendere quàm vitam videbantur agere: nam secundò dato Paganis pretio se locumque redemerant; at verò deficiente jam pecunia, & invalescente persequutionis immanitate, fugæ præsidium deliberarunt ad postremum arripere: proinde effossis SS. Wandregesili atque Ansberti tumulis, sacratissima eorum dumtaxat ossa anno Dominicæ Incarnationis circiter octingentesimo sexagesimo secundo cum ingenti reverentiâ & honore extulerunt, gestatoriisque condita loculis cum omni suppellectili quæ sibi restiterat, celeri fugâ, ne repentino hostium occuparentur adventu, inde discesserunt, atque sacratissimum B. Wlfranni corpus, ut postea repertum est, intactum ibidem reliquerunt. Unde liquidò prudentibus conjici datur, quia dispensatione divinâ procurante aut incorruptum ut in priori translatione eum reperientes veriti sunt removere, aut sanè aliquid humanius cogitantes atque in futurum prospicientes, sublatis aliis hunc quasi ad solatium loci ne penitùs destitueretur, ad futurorum patrocinium decreverunt relinquere.

Aufugiunt Monachi Fontanellenses, ac secum asportant corpora SS. Wandregesili & Ansberti.

Nec multo post truculentus barbarorum exercitus aquis egressus hunc ad locum accessit, vacuumque hominibus & omnibus nudatum rebus deprehendens, injecto igne cuncta illius ædificia, cum ipso Sanctuario concremavit, subvertit, & recessit. Deinde universam longè lateque regionem pervagans occupavit, rapinis & incendio cuncta devastavit: diruuntur urbes, castra subvertuntur, Ecclesiæ, ac nobilia Cœnobia quibus illa pulcherrima ac frequens regio præ universis regnis ut Ægyptus quondam florebat, solo coæquantur: fit interea promiscua cædes hominum, stragesque diversi generis animalium; electi juvenes ludibriis aguntur, virgines & puellæ paganorum libidini prostituuntur, cæteraque vulgi manus imbellis in extera regna distrahenda Ethnicis captiva abducitur. Cumque tanta lues per continuos ferè decem & octo annos crebris irruptionibus sub variis tamen Ducibus nullatenùs desisteret, Occidentalis Galliarum plaga largiori sinu maris Britannici recepta, in desertum est atque solitudinem tandem redacta.

Destruuntur Ecclesiæ ac Monasteria.

CAPUT III.

Rollo Normanniæ Dux Christo nomen dedit.

INterea *Rollo* novissimus quidem Nortmannorum Dux, sed cæteris potentior militari manu, æquitate modestior, prudentior consiliis, patriis laribus pulsus littori Sequanæ appulit, singula loca & civitates quas solitudo tenebat invasit, paucisque quos invenerat inde fugatis, aut jugo potentiæ suæ subactis, auspicio sortium inter comites & commilitones suos distribuit. Is primus marchas inter se & finitimas nationes certis pro arbitrio limitibus præscripsit: optima denique jura, legesque æquissimas domi militiæque prudenter instituit, quibus omnis generis diversarumque artium homines brevi tempore sibi conciliavit, atque unum ex diversis gentibus populum effecit; quiita confestim coaluit, ut numerosior fortiorque vicinis fieret nationibus & regnis. Cumque succedenti tempore lavacrum Christi salutare suscepisset, regno optimè disposito obiit; filiumque successorem *Willelmum* nomine, juvenili florentem indole dereliquit. Hujus tempore fides Christiana passim florere cœpit, Ecclesiæ ac Monasteria olim destructa reædificari; inter quæ Gemmeticense Cœnobium, quod in honore S. Petri Apostolorum Principis, parvo quidem sed miro opere construxit, ubi & monachicum habitum spreto sæculi naufragio assumere deliberabat; nisi mors cita ejus obstitisset votis. Sed hoc citiùs fraude cujusdam Herluini exempto, *Richardus* puer & admodum tener in regno successit, atque inter multa discriminum adversa adolevit, invaluit, regnum paternum, quod avus ejus armis & virtute sibi paraverat, divino per cuncta fretus præsidio potenter retinuit, probis institutionis decoravit, divitiis & gloriâ Romano quondam Imperio penè exæquavit.

Guillelmus Gemmetic. Cœnobium instaurat.

Richardus feliciter gubernat.

Hujus itaque cum jam fama potentiæ longè lateque pervolaret, Nortmannorumque tellus altâ pace exultaret, Gandensis Cœnobii Abbas *Girardus* nomine sumpto Wandregesili pretioso corpore usque in pagum Belvacensem venire maturavit, atque in villam quæ Reveriscors dicitur ad hospitandum divertit, quod Theoderico nobili & valde potenti per ejusdem prædii Majorem mandare curavit; quia, licet injustè, illius possessionis dominabatur tunc temporis, quæ pridem fuerat de ditione Fontinellensis Cœnobii. Quod ubi superbus ille & arrogans comperit, Legatum baculo quem forte tenebat percussit, & cum ingenti injuriâ è conspectu suo exire coëgit. Rediit ergo ille qui nuntiaverat, Abbati Girardo cum gravi dolore intimavit quæ pertulerat: quibus auditis, fit ingens omnium gemitus, confestimque coram lecticâ Sancti prosternuntur, atque inter fluentes lacrymas, & amara cordis suspiria adversùs sanctum prædictus Abbas multa probrosè inculcando flebiliter conqueritur. Sed inter hæc decedente sole noctis silentium advenit, Theodoricus verò dormiturus se in lectulo composuit; cui derepente terribilis persona sub habitu monachili apparuit, cumque pro contumeliâ quam sibi hesterno intulerat vehementer redarguens, pastorali baculo quem ferebat graviter percussit; qui statim somno interrupto experrectus graviter ingemuit, seque à quodam cano Abbate cæsum, altis & perturbatis vocibus inclamavit: deinde subitâ internorum correptus torturâ secessum naturæ petiit, ubi fœdâ egestione omnia profundens viscera vitam miserabiliter abrupit, ut viventibus liquidò daretur animadverti, cujus meriti apud Deum sanctus Pater Wandregisilus fuerit, qui sic viventem inimicum, & atrocis injuriæ reum mortis supplicio condemnare potuerit. Res ergo hæc in regione illâ omnibus statim innotuit, Abbatem Girardum cum comitibus suis non mediocriter exhilaravit. Qui deinde participato cum suis consilio, omnem cum sanctis pigneribus comitatum ad custodiam dereliquit; sicque ascensis equis Rotomagum ad urbem cum paucis properavit, admissusque Richardo Comiti causas adventûs sui diligenter & opportunè intimavit, seque in promptu S. Wandregisili corpus habere retulit, quod suo restitueret loco si terræ sibi redderentur, quas chartarum posset approbare privilegiis: at ille suorum usus consilio Principum, chartas exhiberi præcepit, & coram omnibus recitatas exponi. Quo facto murmur & contradictio fieri cœpit ab omnibus, qui se dicebant nequaquam posse carere propriis honoribus, quos sibi armis & sanguine prædecessorum suorum pepererat bellicosa virtus, sive quos sibi ipsi diuturno acquisierant servitio, multisque sudoribus. Sic igitur factâ difficultate rei quam prædictus Abbas quærebat Girardus, nullâ deinceps potuit pollicitatione retineri, sed ad suos illicò per emensum iter remeavit, atque S. Wandregisilum consumpto nequicquam tanto labore, ad locum unde eum extulerat, festinus revexit, ubi apud Deum & homines in magnâ gloriâ & honore nunc usque requiescit.

Girardus Abbas Gandavensis offert Richardo se redditurum corpus sancti Wandregesili.

Repulsam passus refert illud.

De Mainardo Abbate.

CAPUT IV.

VErumtamen cum de his quæ acta fuerant postea crebriùs Gandenses Fratres vicissim loquerentur, eorum quidam nomine *Mainardus* alto parentum sanguine oriundus, divinâ, ut credendum est, inspiratione in amore & desiderio Fontinellensis Cœnobii accensus, cujus magnificentiâ ac dignitate literis, quas antiquorum industria procuraverat, erat edoctus, expetitâ licentiâ & obtentâ Richardum Marchionem celeriter adiit, præfatumque locum sibi ad reædificandum dari petiit & impetravit, qui jam divinis demonstratus erat indiciis: quod quia veterum relatione nobis est compertum, ad posterorum notitiam literis censuimus transmittendum. Quidam namque vir nobilis & potens, nomine *Torstingus*, qui ob magnificentiam amplissimi honoris dives dicebatur, in saltum Gemmeticensem processit de more venaturus, & motum subitò cervum perniciter insequi cœpit cum rapidis canibus: at verò cervus ille ociùs fugiens, & crebris anfractibus mortem imminentem differens, post multa diverticula in vallem descendit Fontinellensem; sicque Angelico ductu ad locum in quo illud quondam nobile steterat templum accessit, intraque maceriarum ruinas quantociùs se immersit; deinde ad sacrum altare quod tantùm cortice tegebatur, approximavit, illic reflexo ad tergum capite quasi jam securus substitit; canes quoque vestigia fugientis partim noto odore, partim visu subsequuti in easdem quidem parietinas subintrarunt, sed factâ divinitùs difficultate ulteriùs progrediendi, in suis repente vestigiis hæserunt, bestiamque, quam cernebant nec valebant contingere, latratibus territabant. Interea adest eques Torstingus perstrepens altis vocibus, qui inde sine cunctatione cum equo quo vectabatur locum ingressus, tùm securitatem cervi, tùm suorum immutabilitatem canum attentiùs mirabatur, erat namque mirum videre spectaculum; volebant canes ad cervum accedere, ut ex ipsis eorum nutibus prodebatur, nec poterant, quos invisibilis virtus velut obice quodam retentabat. Quod ubi acer venator divinitùs actitari non irrationabiliter expendit, equo proti-

Torstingus cervum venando insequens, divinitùs remoratur.

nùs desiluit, & ad terram in oratione humiliter se prostavit; ut verò satis oratum est surrexit, canes foras secum celeriùs eduxit, sicque cervo relicto plenus facti admiratione, & satis expensâ loci illius sanctitate recessit, qui nimirum cum Jacob exclamare potuit: *Quàm terribilis est locus iste; non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli.* Inventâ post hæc Torstingus oportunitate, prædicto Principi & Proceribus ejus hoc idem studuit intimare.

Ideo dirutum Fontanellens. Cœnobium tribuit Mainardo, quod & ipse restaurat.

Quâ de causâ actum est quatenùs eumdem locum, ut diximus, suprà memoratus Mainardus facilè impetraret. Ad quem cum accessisset, ac dumis & vepribus occupari cuncta vidisset, adhibito diligenti studio, factoque repurgio ædificare eum cœpit. Sicque divino fretus juvamine, templum ut quondam Zorobabel in monte Sion, in parvo tempore nobiliter consummavit; sed & dormitorium & refectorium ex lapidibus & cæmento non parvo sumptu construxit. Quibus pro tempore satis strenuè expletis, illic Monachos prout res patiebatur in Dei servitio constituit; libros quoque & chartas, & quædam ornamenta, sed & phylacteria cum pretiosis Sanctorum pigneribus ab Abbate suo & Fratribus sibi indulta illuc convexit. Sicque exinde cœpit sacer locus ille paulatim diversis rerum speciebus succrescere; terris ac vineis in diversis regionibus & pagis augmentando proficere.

CAPUT V.

Corpora SS. Maximi & Venerandi ex revelatione inventa, retinentur in Monasterio Fontinel.

EA denique tempestate vir quidam ex transmarinis partibus frequenti commonitus visione in Gallias venit, & ad locum qui super Auturam fluvium Acineja dicitur intempestæ noctis silentio accessit, Sanctorumque corpora *Maximi* & *Venerandi* Martyrum, quæ ut ex relatione didicerat, invenit, secumque secretiùs tulit & ad portum Logiensem festinus descendit, ubi dato naulo cuidam viro nomine Amalberto naviculam ingredi voluit; at divinâ retentus virtute velut ebrius labare cœpit, iterque quod disposuerat explere nullatenùs valebat, quod cum nauta ille cerneret, & novitate rei attonitus paulo diutiùs aspectaret, tandem hominem percunctatus quid sub involucro ferret, ad Fontinellæ Monesterium quod juxtà erat secum venire compulit, Abbatique & Fratribus illum offerens, quod actum fuerat expedivit: at ille deprehensum se intuentes, spemque oneris deferendi penitùs non habens, sancta ossa diligenter involuta retexit, nomina & visionem cunctis palam exposuit; sicque amisso quem per tot pericula quæsierat, cœlesti thesauro, tristis mœstùsque vehementer recessit. Quæ res cum Principi Nortmannorum innotuisset, & Fratres humiliter illi suggererent, ut quid inde agere deberent decerneret; vigilanter hoc decrevit, ut quo divino imperio & suâ Sancti pervenerant electione, ibidem deinceps permanerent suâ quoque auctoritate: unde hactenùs apud nos iidem sancti Martyres cum debitâ habentur reverentiâ.

CAPUT VI.

Mainardus Canonicis eliminatis apud S. Michaëlem Abbas Monachis præficitur.

CUm verò præcipua, ut dictum est, Abbatis Mainardi industria in omnibus clarescceret, Nortmannorum Duci & Primatibus ejus satis comperta placuisset, inde eum abstrahere, & majori decreverunt honore sublimare: denique ad Montem S. Michaëlis Archangeli compulerunt migrare; quatenùs Canonicis eliminatis Monachos quibus præesset in regulari disciplinâ, deberet undecumque aggregare. Verùm hic illius honor & amplitudinis incrementum lamentabilis fuit Fontinellæ dejectio, & irreparabile detrimentum: nam post ejus recessum sub tribus Rectoribus, de quibus silere decrevimus, per aliquot annos nullo rerum genere crevit, quin potiùs in multis detrimenta sua indoluit: sed quia Dei omnipotentis judicia nemo valet comprehendere, sæpe dictus Fontinellæ locus, qui ex cineribus suis aliquo modo cœperat, ut de Jerusalem in Propheta legitur, excutere, & in brevi tempore velut ex infirmitate videbatur aliquantulum convaluisse, miserâ postmodum desidiâ suorum procuratorum velut æger recidivo languore in deterius cœpit proruere, usque ad illud videlicet tempus, quo potestas secundi Richardi velut aurora diluculi in toto Latinitatis orbe serena reluxit. Qui cum patri defuncto successisset, postque nonnulla pericula in auram liberæ potestatis Deo juvante emersisset, Deum valde cœpit diligere, sanctosque ejus donis & muneribus maximis honorare, atque religiosas utriusque ordinis personas benignè suscipere, & honestè tractare: quamobrem factum est ut ad eum undique catervatim confluerent Pontifices & Clerici, Abbates & Monachi, quos mirâ semper liberalitate studebat munerari. Hujus rei testes idonei Græci sunt atque Armeni, quos eo tempore fama tanti viri suis à sedibus eduxit, quosque sola illius liberalitas relictis suis Græcis ad intuendum patriam Nortmannorum invitavit: nam & à Monte Sina Legatos frequenter habuit, per quos Sanctis cœlestem illic degentibus vitam plurima in auro & argento munera direxit.

Imma Richardi filia Adelredo Regi Anglorum nupsit.

Hujus sororem *Immam* nomine Anglorum Rex *Adhelret* in conjugio sortitus, duos genuit filios, quos patriâ linguâ Eguvarth & Aluret placuit nuncupari: quorum Eguvardus, qui prior natu erat, tener admodum & in puerilibus adhuc annis constitutus Rex, jubente patre & favente populo terræ unctus est & consecratus: nec multo post præfato genitore suo à præsentibus exempto, *Canutus* Danorum Rex, filius videlicet *Sueni* Regis, Anglorum regnum navali exercitu fretus violenter invasit, & quoad vixit potenti virtute pro arbitrio suo disposuit. Unde factum est ut præfati infantuli transito mare ad patruum confugerent Richardum; à quo gratissimè excepti, & liberaliter ac si filii educati sunt, & dum vixit in terrâ Nortmannorum cum maximo honore retenti. Interea Canutus Rex acer ingenio, & armis strenuus, in Regno quo arripuerat confortatus, Reginam Immam prædicti Regis Adelredi relictam fratre Richardo consulto favente legaliter in uxorem accepit, ex quâ filium *Hardecanutum*, filiam quoque *Grumith* nomine genuit, quæ posteaquàm ad nubiles annos pervenit, Romanorum atque Saxonum Imperatori *Henrico* nobiliter, ut sobolem Regiam decuit, in magnâ sæculi gloriâ nupsit, cui filiam solummodo, quia in brevi defuncta est, edidit, quæ ut adolevit carnale commercium Sponsi cœlestis amore respuit, sumptoque sacro velamine virginitatem suam Regi omnium Deo dicavit.

Quo mortuo iterum Canuto, qui Regnum invaserat.

Eduardus regnum paternum tandem est adeptus.

Exacto verò non modico tempore sub tribus Regibus, Canuto videlicet, & Haroldo filio ejus quem de concubinâ Aluevia, sed & Hardecanuto naturali ejus filio, Eguvardus gloriosi Principis Richardi nepos, in regnum paternum adnitentibus sibi Nortmannis rediit, & in solio Regiæ dignitatis post multa, quæ inserere longum est, demùm resedit. Uxorem quoque filiam Hotuvini magni illius terræ Principis, qui fratrem suum Alureth jam pridem cum multis crudeliter atque dolo peremerat, accepit; eosque quos secum de Nortmannis duxerat

utriusque ordinis amplis honoribus extulit, auro & argento ditavit. Sed his omissis ad rem redeamus.

De Gerardo Abbate.

CAPUT VII.

Gerardus probatis moribus ex Monacho Latiniacensi I. Abbas. Crespeien.

Erat tunc temporis, florente Northmannorum patriâ, & multis affluente divitiis sub præfato Marchione Richardo, quidam Monachus de Cœnobio Latiniacensi, cui præerat vir industrius, & in omni divinâ atque humanâ philosophia inter Francos nulli inferior, nomine *Herbertus*; cui prædictus Monachus nomine Gerardus in regulari se subdiderat disciplinâ devotus: qui cum processu temporis vitæ merito diatim succresceret, posteriora oblitus ad ea quæ ante sunt se ingenti desiderio extenderet, Monasticæ vitæ tenorem neque ad dexteram neque ad lævam declinando enixiùs sequens cæteris præstaret, in castro Crespeio sub Comite Walterio Abbatis meruit ordinatione sublimari, primusque eumdem locum fundavit, & regulari institutione excellenter excoluit. Hic itaque compertâ tanti Principis bonitate, ad eumdem ut cæteri accedere curavit, qui eum satis honorificè suscepit, necessaria dapsiliter indulsit, ac post multa, quæ enarrare perlongum est, superiùs memoratum Fontinellæ Cœnobium tandem ut dignaretur suscipere poposcit, in cujus reædificatione multa se largiturum repromitit. Quid multa? quia res à Deo præordinata erat, Gerardus Abbas petenti gratanter assensit, & ad regendum sanctum illum locum suscipere tandem non distulit. Unde admodum gavisus Princeps inclytus, illicò virum strenuum ex officio Cubiculariorum nomine Roscelinum destinavit, ut Fontinellæ Monasterium illius dederet potestati. Quo ita suscepto, Gerardus Abbas non multo post eum quem priùs tenuerat locum quibusdam ex causis sibi displicentibus, sed magis ut post patuit, nutu & dispensatione Dei deseruit: verumtamen ex Monachis & famulis quos educaverat probiores quosque, quique ultro sequuti sunt eum, secum adduxit, & in suscepto nuper loco constituit. Sed ne prolixa oratio fastidium legentibus ingerat, prætermissis multis quæ de tanti viri bonitate & prudentiâ, studio & constantiâ, districtione in regulari disciplinâ, sagacitate in rerum temporalium procuratione providentissimâ, castitate corporis & operis munditiâ, jejuniorum, orationum, lacrymarum, & in pauperes eleemosynarum, cæterarumque virtutum quibus sedulò vacabat, gratiâ dici poterant, ad ea quæ proposuimus, quia res ita exigit, accedendum videtur narratione succinctâ.

Deinde Fontanellensis.

Effossis tribus sepulcris in uno corpus S. Wlfranni reperitur, in aliis cineres SS. Wand. & Ansberti.

Cum igitur idem Pater de elegantiori reparatione loci quem susceperat cum Fratribus sæpe tractaret, placuit tandem & res eis digna visa est, ut infrà ambitum templi S. Petri quod eatenùs humile valde erat, statutis columnis fornicibusque per eas orditis, cryptæ deberent erigi. Sed cum adhibitis operariis molirentur opus dispositum, & paulo altiùs quia res ita poscebat effoderent humum, IX. sepulcra seriatim disposita ex optimo lapide patrata repererunt: quibus singillatim apertis, in duobus quidem quæ in medio cæterorum altrinsecùs positorum locata erant, & ex nominibus S. Wandregisili atque Ansberti videbantur titulata, nihil præter pauculas pulverum reliquias, in quibus resoluta Sanctorum corporum caro defluxerat, invenerunt. Cum verò tertium quod ad dexteram S. Wandregili situm erat, & S. Wlfranni esse tam positione ipsâ quæ in gestis ejus describitur, quàm apertissimâ tituli designatione luce clariùs constabat, admotis manibus resignarent, integerrimum corpus repererunt: ex cujus etiam sacerdotali veste, cum quâ ut legitur sepultus fuerat, auri sescunciam collegerunt, quod postmodum in opificio argenteæ tabulæ in usum sacri altaris paratæ probatur expensum. Unde nimirum desipere, imò insanire credendi sunt quicumque se S. Wlfranni corpus contendunt habere, vel alibi arbitrantur jacere; cum nullâ nixi auctoritate valeant quæ opinentur approbatum ire. Accedant ergo quicumque sunt illi, & inspiciant sepulcrum Sancti, audiantque scriptum quod ad dexteram S. Patris Wandregisili positum fuerit, mirentur quoque & dicant cujusnam ossa alterius in eo inventa sint. Certè post delationem & fugam Sanctorum, si aliquis eum qui relictus erat quæsiturus latenter & cum diligenti cautelâ propter timorem paganorum, qui cuncta latè tenebant, ad locum sepulturæ ejus accessit, & eum egestâ humo & reserato busto subripuit., quisnam, quæso, alium in loco ejus deposuit? vel ubi quem ibi posituris erat quæsivit? aut quare eo sublato restituere alium tam sollicitè curavit? numquidnam verebatur, quod falsum est, si locus ille desertus erat, sepulcro vacuo reperto reus teneri? si verò inhabitatus, ut quid tantas quæ furibus contrariæ sunt moras, alium effodiendo, & ibidem reponendo innexuit? Sed indulgendum planè est talium devotioni, non tamen acquiescendum undecumque exorto errori; quia reverà si non habent corporalem illius præsentiam, possunt tamen, si fides adsit, devota mereri intercessionum suffragia: nos autem, quibus à Deo indultus atque reservatus est talis tantusque thesaurus, pervigiles excubias, & competens dignæ servitutis obsequium dependamus, divinis cum laudibus & sincerâ cordium devotione prosequamur, quatenùs de cujus præsentiâ non immeritò gratulamur; præsidium ejus oportuno tempore experiri mereamur: mutemus mores, vitam corrigamus, sancti habitûs reverentiam teneamus; sicque divinum altare congruis votorum donariis cumulemus, ut & ipsi sanctuarium Dei, ara, odoratumque sacrificium ipso sancto opitulante & pro nobis orante mereamur inveniri. Jam verò quod sublatis sanctorum Wandregisili atque Ansberti corporibus Gentilium metu is relictus sit, liquidò constat, neque ullâ valet ratione refelli. Nam & in illâ historiâ, antiquorum diligentiâ, literis procuratâ, in quâ Sanctorum nomina & miracula, scilicet Wandregisili & Ansberti continentur scripta, hujus sancti nomen vel mentio nusquam reperitur vel semel inserta, quod proculdubio nullatenùs posset fieri, nisi sacratissima illius ossa translatores aliorum se ibidem meminissent reliquisse gratiâ certæ rationis. Sed quia quorumdam temeritas eo vanitatis processit, ut libellum de translatione & miraculis sanctorum infalsare præsumserint, non mirum videtur tale quid hos perpetrasse, cum divinæ auctoritatis libros corrupisse quosdam noverimus. Legant qui velint gloriosum illud miraculum, quod in libello de virtutibus sanctæ Berthæ continetur, quomodo curatus sit quidam longo tempore mutus per merita sanctorum Wandregisili atque Ansberti, cum apud Blanziacum ubi eadem sancta Bertha requiescit, exularent eâdem tempestate, imponentibus videlicet singulis, id est, sancto Wandregisilo, Ansberto, & sanctâ Berthâ, manus singulas super singula infirmitatis illius loca; ubi protectò de hoc sancto & glorioso Præsule Wlfranno omnimodis reticetur, ut pote qui in illâ translatione paganorum metu perpetratâ illic non interfuit: neque enim à loco suo, quo sepultus fuerat, cum cæteris translatus erat alibi, sed ut dictum est, & manifestis approbatur indiciis,

Fontinellæ fovebat solum pretiosis cinerum suorum patrociniis.

Inventum igitur, ut præmissum est, sancti Præsulis Wlfranni pretiosum corpus, & in ligneo locello pro tempore aptato, quia nimirum tanta erat adhuc loci pauperies, ut unde decentiùs fieri deberet, pretiosi metalli species deesset, cum reverentiâ & honore reconditum, super sacrum altare repositum est, & deinceps dignâ veneratione celebratum, ubi usque hodie, si fides petentium exigit, maximâque pollet gloriâ virtutum, multaque præstat petentibus se beneficia sanitatum; ex quibus ea duntaxat, quæ nostris inspeximus oculis, hinc narrare aggrediemur, paucis tamen priùs explicitis quæ series historiæ præterire nos dehortatur. Non multò post namque ortâ, die quâdam, repentinâ tempestate, collectoque in nubibus aëre subitus increpuit tonitrus, & inundantis pluviæ imber erupit vehementissimus, coruscationesque resplenduerunt crebris luminibus: & ecce fulmen per aëra devolutum cum fragore terribili impegit Fontinellensis Ecclesiæ inclangorium, cujus tantùm crucem violenter, ac si gladio truncatam, ad terram dejecit, turriculamque, cui superimminebat, usque in inferiorem arcum ac si vetus indumentum scidit, quæ postmodum eo casu contrita ex eâ parte cecidit. Quapropter Gerardus Abbas tres quæ restiterant partes everti fecit, & aliam ambitu latiori turrem cum suis absidis in crucis modum dextrâ lævâque fundari præcepit; in cujus ædificio, quoad vixit, ingenti studio insudavit, & per viginti fermè annos (tamen in vita suâ) ad effectum perduxit.

Interea erat quædam matrona nobilis, opibus magnis & divitiis pollens, nomine Herlevis, quæ difficultate partûs aliquando cœpit vehementer periclitari. Cumque diebus octo eo dolore satageret, atque ita, ut morti proxima videretur, deperiret, nulloque remediorum genere, neque votis ad multorum nomina sanctorum promissis quidquam proficeret, tandem prosperiori usa consilio, sancto Patri Wlfranno, de cujus meritis pleniùs edocta fuerat, decem libras denariorum deferri præcepit; & majora, si se de præsenti liberaret internorum torturâ, munera repromisit. Nec mora, eunte qui missus fuerat cum votis & munere, illa puellam enixa est, talique extemplo exempta periculo, mortis imminentis evasit discrimen: unde actum est ut ex illâ die sanctum Wfrannum ut ereptorem suum nimio cordis affectu coleret; locum hunc, quem antea vehementer aversabatur, in multis honoraret: & circumpositorum saltuum largiorem nobis nostrisque hominibus copiam tam in pascuis pecorum, quàm in cæteris lignorum usibus indulgeret. Nam & dormitorium ad æternam sui memoriam propriis expensis, quale nunc cernitur, ædificari fecit: ubi expleto vitæ præsentis cursu & sepulturam promeruit.

Miraculum per merita S. Wlfranni patratum.

Eâdem quoque tempestate alia quædam illustris fœmina nomine Imma, quæ mutato habitu ad hunc accesserat locum, & prædia sua, id est, Cruciolam & Tetgis villam, sed & Broilum ex integro contulerat, post alia innumera beneficia, refectorium illi dormitorio à plagâ orientali contiguum proprio sumptu construi fecit. Verumenimverò prædicta matrona ut suum amorem, quem erga sanctum habebat Wlfrannum operibus approbaret, reconditorium illi argenteum, quod antea ligneum erat, componi jussit; in opificio probati argenti medium talentum cum auri pondo expendit. Factumque est tale opus, quale nusquam eo tempore in totâ Nortmannorum patriâ poterat reperiri. Sed cum constituta dies, quâ in illo debebat loculo reponi, advenisset, Abbas Gerardus corpus sancti ad Ecclesiolam Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ præcedentis vesperâ die fecit deferri. Mane verò facto adhibitis secum duobus Fratribus illuc perrexit, cum quibus sacratissima ejus ossa optimo vino lota primò in sindone novâ, deinde pretiosissimo ex purpurâ involuta pallio, quod nobilissimus Rotomagensium Archiepiscopus *Rotbertus* ad hoc direxerat, honorificè contexit, sicque in præparato jamdudum scriniolo deposuit, quod accito Aurifice diligenter claudi, clavisque fortiter, ne deinceps aperiri posset, configi coram se fecit. Sanctorum nihilominùs Confessorum *Heremberti* Tolosani Pontificis, & Eremitæ *Condedi* corpora in uno pariter loculo, beatorum quoque Martyrum *Maximi* & *Venerandi* decenter reposuit in alio. Interea Gradulfus tunc Decanus, cæterique Fratres eo evocati decenterque ornati, cum crucibus ac cereis una processerunt, quos prædicta matrona cum plurimâ suorum cohorte ac populo ad hoc undique congregato subsequuta est. Cumque illuc ventum esset, cum maximâ omnium lætitiâ Sancti corpus in humeris levatum, inde effertur. Sicque psallendo usque ad Basilicam S. Wandregisili delatum, super sacrum altare deponitur, & idcircò dies illa cum tripudio spiritualis gaudii & epularum apparatu largiori exacta, de cætero festiva per annos singulos ibidem recolitur. Facta est autem hæc translatio anno Dominicæ incarnationis millesimo vigesimo septimo, Cal. Junii; Henrico Rege Francorum regnum præter matris suæ voluntatem invasum tenente; Principatum verò Normanniæ tertio *Richardo* legali modestiâ disponente: nam is defuncto patri Richardo secundo, de quo suprà meminimus, in regno successerat.

Imma fœmina mutato habitu Fontinellæ mansit.

Corpus S. Wlfran. in capsâ argenteâ reponitur.

Richardus III. Dux Norman.

Huic autem tres tantummodo fratres erant, *Villelmus* videlicet qui postea Arcas castrum in pago Tellau primus statuit; atque *Malgerius* qui postmodum in urbe Rotomagensi paucis annis Archiepiscopatum tenuit. Hos autem *Papia* matrimonio Richardi potita secundi edidit, cujus fratres *Ansfredus* & *Osbernus* istic Monachum professi sunt. Robertus verò ex aliâ matre scilicet *Juditâ* oriundus, ei utpote major natu in brevi defuncto successit, nam neque annum in principatu immaturâ præventus morte peregit. Hic autem Rotbertus acer animo & prudens, priores suos virtute quidem & potentiâ exæquavit, sed pravorum consultui, utpote in primævo juventutis flore constitutus, æquo ampliùs attendens, Regnum quod florens susceperat in multis debilitavit. Verùm non multo post cœlesti respectus gratiâ, & bonâ, quæ inerat illi, naturâ & consilio intùs resipuit: & eos quorum pravitate à recto deviaverat, à suo consilio atque familiaritate sequestravit, suæque jugo potentiæ versâ vice fortiter oppressit, ac sic in libertatem, quæ se decebat, vendicavit; atque ita propter præteritorum ignorantiam profectus Jerosolymam profundè pœnituit; sed in redeundo malignorum perpessus insidias, qui ejus æquum, quod jam experti erant, verebantur imperium, veneficio, ut didicimus, apud urbem Nicæam occubuit, ibique intrà sanctam civitatis illius Basilicam, quod nulli alii mortalium concessum est, honorificâ donari sepulturâ promeruit. Verùm vir tantus non pravorum tantùm malignitate, quàm divino, ut credi fas est, judicio decessit, qui jam unus eorum effectus erat, quibus, ut Apostolus conqueritur, dignus non erat mundus. Idcircò enim nobis est ablatus, quia jam placens Deo pœnitudine, factusque dilectus virtutis amore, eo dignus noster non erat mundus, refertus dolo & iniquitate, sed ille mons Dei sanctus in quo habitabit quisquis justitiam operatur; ac per hoc hinc raptus, ubi jam refrigescente charitate abundat

Fratres ejus.

dat iniquitas, translatus est quò justitia suos mittit thesauros, ubi æterna est charitas. Sed de tanto Principe multa memoriæ digna poterant dici, quæ præterire necesse est gratiâ suscepti negotii.

Gerardus Abbas occiditur. Sub hujus itaque tempore Gerardus Abbas ætate maturus, regularis ordinis observantiâ præcipuus, anno videlicet ducaminis illius quarto, nocte subsequentis sabbati in suo lecto peremptus, martyrio, ut credimus, coronatus est, quia pro veritate occubuit. Nam quidam non Monachus, sed potiùs dæmoniacus, & antea in sæculo homicida cruentus, quiescentibus cæteris Fratribus atque gravi sopore sepultis, latenter surrexit, & prædictum Patrem post laborem diei, quem in jejunio & orationibus ex more suo expenderat, tandem quiescentem invadere præsumsit, atque securim, quam pertendie propterea involverat, in dextrum illius tempus toto annisu libravit, sicque celeriùs fugâ lapsus inter noctis tenebras, & ingentis pluviæ undas quæ solito densiores influebant delituit, spiritumque malignum quem in hujusmodi scelere habuit suasorem, in fugiendo sequutus est detestandi itineris ductorem. Reverâ enim qui in ipso mundi recentis exordio truculentum Cain in necem justi fratris Abel armavit, Judæque perfido in fine sæculi traditionis audaciam adversùs pium Magistrum inspiravit, ille idem procul dubio huic etiam misero paria nequitiæ arma ministravit, & execrandæ præsumptionis temeritatem suggessit; quatenùs innocentem virum, charitate fratrem, magistrum officio, crudelis fratricida, & funestus parricida addiceret supplicio mortis. Facta sunt autem hæc anno Incarnationis Dominicæ millesimo trigesimo primo, tertio Kalendas Decembris. Exstitit autem religiosus idem pater origine carnis ingenuus ex pago Medantissæ, & patrimonio Jelia oriundus, cujus pater Fulbertus, mater verò Ailendis dicti sunt. Gerardus Abbas condiscipulus fuit Fulberti Carnot. Carnoti tempore Fulberti Præsulis undecumque doctissimi literas adolescens didicit, ubi Herbertus ex Judæis ortus, sed à puero Christianus in omni litterarum peritiâ tunc temporis, & cantandi arte vocisque excellentiâ inter cæteros maximè florebat. Erat enim Regis Francorum Rotberti & prædicti Fulberti condiscipulus, auditor verò Girberti Philosophi, qui postmodum ex Monacho, urbis Remensis tenuit Pontificatum, unde per invidiam quorumdam ejectus, ad apicem dignitatis Apostolicæ merito incomparabilis scientiæ demùm in urbe Romuleâ est provectus. Herbertus doctiss. ex Judæo Monachus Ord. S. Bened. Hujus, ut præmissum est, Herbertus doctrinis liberaliter institutus, non multo post S. Benedicti disciplinis in Monasterio Latiniacensi se submisit regularibus: quem præfatus juvenis Girardus ad bonum æmulatus, animo & corpore illuc pariter est subsequutus, atque ad summum religionis Monasticæ, cœlesti præventus gratiâ, tenorem pervenire promeruit. Cui cœlestis favor in ipso etiam vultu & habitu non deerat: nam decoram illius faciem canities gratificabat honesta, staturâ procerus, ore suavis erat & facundus, nihil indecens in eo vel incompositum deprehendebatur.

De Gradulfo Abbate.

CAPUT VIII.

HUic tam egregio Patri Gradulfus ab eodem in disciplinâ regulari pridem educatus, sub ipso autem tunc Decanus, sed in monte S. Trinitatis ad ædificandum eum constitutus, exigentibus bonæ vitæ meritis quibus abunde pollebat, multisque benè innotuerat, in regimine successit jussu Rotberti Principis, cujus suprà nos meminisse non excidit, atque per annos sexdecim, quibus supervixit, sagaciter susceptum Officium modestè disposuit, locumque sibi commissum in omnibus augmentare curavit. Hic etiam anno suæ ordinationis secundo Ecclesiam principalem, quam Pater Girardus ædificaverat, dedicari in magnâ gloriâ & honore ingenti fecit, in honore scilicet S. Petri, & omnium Apostolorum, sanctique Wandregisili, & omnium sanctorum à magnifico viro secundi Richardi fratre *Rotberto* nomine, Rotomagensis videlicet urbis Pontifice, sed & *Herberto* Lixacensis civitatis doctissimo Præsule, necnon & *Rotberto* nobilissimo Antistite Constantiæ urbis. Majorem Ecclesiam solemni ritu dedicat Rotbertus Archiep. Rotom. Interfuerunt quoque nobiles nonnulli sapientiâque pollentes Clerici, sed & Abbates vicinorum Cœnobiorum cum pluribus Monachis, populorum etiam multitudo innumerabilis. In ipsa autem die inter sacra Missarum solemnia vir optimus, & in omni liberalium disciplinarum experientiâ probatissimus Isembertus Abbatis est benedictionem consequutus, cujus postmodum urbs Rotomagensis scientiâ ac bonitate frui meruit, sed pauciori tempore quàm expedierat sibi. Porro ea dies in divinis laudibus reverenter expensa, annuo recursu facta est de cætero celebris, & populo terræ piâ devotione II. Idus Septembris solemnis.

Hunfredus Monasterium Pratellense ædificat. Per idem ferè tempus quidam vir quantum ad sæculi gloriam genere spectabilis, opibus dives, & amplissimo pollens honore *Hunfredus* nomine, Cœnobium in proprio fundo qui Pratellis nuncupatur ædificare disposuit, quem & antiquitatis auctoritas, & situs loci tali negotio oportunus commendabat. Qui accersito Gradulfo Abbate, nam ei valde familiaris erat, ejus consilio qualiter Monasterium, ubi officinæ ædificarentur Monachorum, præcepit metiri, & omnia ut prædictus Pater dictaverat, ordiri fecit, atque in parvo tempore (ut pote cui cuncta suppeditabant, quæ hujusmodi operis flagitabat expensa) ad effectum perduxit; sicque demùm eumdem locum ad regendum illi contradidit, ubi ille acceptâ potestate Monachos ex suis constituit; ac post multa quæ narrationis brevitas refugit, Abbatem *Ansfredum* nomine secundùm S. Benedicti regulam sibi professum ordinari fecit: Abbas Ansfrdus. sub quo prædictus vir non multo post sanctæ religionis habitum, abruptis mundi impedimentis, humiliter suscipiens, vitam honestam laudabili fine conclusit. Hunfredus Monachum induit.

Sed cum Fontinellæ locus diatim sub tanto Rectore proficeret, atque illius fama bonitatis multis spectabilis foret, Episcopalis autem honor sanctæ sedis Rotomagensis paulùlum multis ex causis declinaret, visum est Pontifici Malgerio præfatæ Metropolis (quod & omni clero plebique non mediocriter placuit) ut eumdem Gradulfum Abbatem sibi substitueret, & Vicarium sub se benedictione Episcopali insigniret, ut res quibus se minùs sufficere perpendebat, ille suâ vice suppleret. Malgerius Episcopum proponit Gradulphum constituere, ut Vicarii vices ageret. Cum autem dies desiderata instaret ut super hoc negotio Principi suggestio fieri deberet, ipse ad Monasterium (nam Rotomagi erat) de hoc apud se deliberaturus reversus est. Tertiâ verò die corporis subitò tactus infirmitate, ad extrema pervenit, acceptâque corporis Dominici & sanguinis communione decessit, Fratresque, quos sua destituebat præsentiâ desiderabili, nimio confectos dolore reliquit. Obiit autem anno ab incarnatione Domini Millesimo quadragesimo septimo II. nonas Martii.

Robertus Dux Norman. Huic successit frater illius pro carnis origine nomine *Rotbertus* anno fermè XII. Principatûs Willelmi Comitis, quem genuerat Rotbertus Comes inclytus, de quo superiùs satis pauca diximus. Hic autem à patre valde tener & parvulus in regno relictus, multa incommoda & adversa pertulit, sed

juvante se gratiâ divinâ, cum ipsâ pueritiâ omnia discrimina quibus opprimebatur exuit, suorumque ultor acerrimus inimicorum, qui sibi fideliter obsequuti fuerant honoribus extulit, potentiâ sublimavit, finesque sui regni crebris munitionibus adversùs finitimas gentes, ne earum paterent incursibus, vehementer firmatas cinxit, atque nunc usque sub cœlestis Regis imperio Monarchiam regni pro arbitrio potenter disponit, cunctis per circuitum regnis & nationibus aut fœderatis sibi oportunus, aut infensis formidolosus.

CAPUT IX.

Causa reliquiarum S. Wlfranni exponendarum.

Sub hujus statim initio regni gravissima fames in universâ terrâ facta est, qualem nemo mortalium se vidisse vel audisse meminit, quæ per septem annos continuos orbem oppressit, frequentes urbes & castra multâ populorum constipatione pridem referta, sive villas & burgos ita depopulata est, ut ædificiis passim dirutis rarus incola inveniretur. Fuerunt etiam nonnulli quos victualium egestas ad vescendum humanas carnes, quod dictu quoque grave est, contrà fas impulit, & homicidio miseram vitam crudeliter exigere instigavit. Præterea clades & pœstilentiæ cœlitùs super mortalium genus tot talesque exstiterunt, quales nullus retrò actorum temporum relator ante hac exstitisse literarum indiculo dereliquit. Nam & ignis iræ cœlestis ultor, & humanorum vindex scelerum humana corpora ita depastus est, totque erant greges eâ peste pereuntes, ut terrori esset & maximò horrori; viæque & compita fœtore complerentur ingenti, & maximè cœmeteria sacrorum locorum peribola, ad quæ miserorum turbæ causâ consequendæ medelæ per sanctorum patrocinia instantissimè confluebant. Eo tempore periit cithara & lyra, & omne genus musicorum interiit: sublatum est enim gaudium; vox lætitiæ nusquam audiebatur; nemo de ludis & voluptatibus, de secundorum successu nullus disputabat: ubique tristia, dolor, & metus malorum ingens erat, luctus & vastitas cuncta latè tenebat. Præterea discordia Principum inter se conflictantium propter prædicti Principis pueritiam; Normannorum patriam vehementer atterebat: ferro, rapinis, & flammis urentibus cuncta longè lateque incursabat, & in ultimam vastitatem optima quæque & electa uberrimi & speciosi quondam regni loca redigebat. At verò Pater misericordiarum & Deus totius consolationis ubi populum suum dignanter ab alto respexit, & parumper respirare à tot tantisque indignationis suæ flagellis piâ miseratione voluit, elementorum suorum temperiem serenâ dignatione, non nostri merito, in meliùs ordinavit, influentes ampliùs quam expediebat pluvias coërcuit, imminentes supernè pestes suspendit, benignitatem suam propitius indulsit, & terra nostra fructum suum solito uberiùs protulit. Pacis aliquantulam requiem jam adulto Principe, seque sibi in libertatem vendicante miseratus concessit; seditiones, incendia, & rapinas domesticas inhibuit, non tamen manum vindicem usquaque sustinuit, sed reliquas scelerum populi sui clementiùs paterno flagello corrigere non destitit. Procurato etiam cœlesti remedio, & in lucem conspicuæ cognitionis prolato dignanter medicare ea disposuit: nam gloriosa sanctissimi Patris Wlfranni merita tali dignatus est occasione mortalibus declarare, & ad patronicium fidelium cunctis revelare, quæ paucis eatenùs ad notitiam noscuntur pervenisse, adeo ut crebra miracula, quæ apud ejus sacratissima ossa fieri videbantur, ne illi quidem imputarentur.

Ann. 1053. Rotomagum defertur corpus S. Wlfranni.

Anno siquidem Incarnationis Dominicæ millesimo quinquagesimo tertio, diuturnâ siccitate tellus exaruit; mortalitatis lues cis Sequanam graviter desæviens, Caletensem pagum occupavit, ita ut viri & mulieres diversæ ætatis pariter occumberent, villæ sive domus, totâ simul obeunte familiâ vacuæ remanerent. Quo terrore universus populus ad implorandum pietatem divinam toto corde conversus, letanias & processiones cœpit frequenter agere, jejunia certis diebus observare; atque de vicinis locis & villis ad sacratiora quæque loca vel urbes ad impetrandum sanctorum suffragia devotè convolare. Unde factum est ut & ipsi nos idem agere statueremus, & ad urbem Rotomagensem cum pretiosis sanctorum reliquiis populo undecumque ad hoc convocato unà pergere deliberaremus; non tamen eâ quâ alii necessitate, quippe cum nullus apud nos sive in toto circà nos miliario (Deo nos suorum meritis sanctorum protegente) mortalitati succumberet: sed potiùs ut nostro plebs incitata exemplo, promptiùs incœpto supplicandi officio persisteret, & impendentem divinæ animadversionis gladium precibus avertere instaret. Constitutâ ergo die, videlicet octavo Kal Junii undique coacto populo, pretiosum S. Wlfranni corpus electi quindecim Fratres præcipiente Abbate suscipientes, dispositum iter tandem arripuimus, & mansionem in villâ quæ Escetot vocatur, in Ecclesiâ S. Petri nocte illâ fecimus. Cumque die sequenti imminente aurorâ inde processissemus, & sylvam quæ interjacet festinanter transissemus, tamque pretiosum thesaurum comitante turbâ ingenti alacres gestaremus, præmissis Legatis nos adventare civitatis Archidiacono, sanctoque Clero innotescere curavimus. At illi comperto tali nuntio confestim se præparaverunt, plebemque fidelem noto signo ad occurrendum nobis excitare studuerunt. Diende sumpto sancti Romani Pontificis glorioso corpore, occurrentibusque sibi undique civitatis Canonicis cum suorum quoque sanctorum corporibus & Ecclesiastico apparatu, obviam nobis in multâ gloriâ processerunt; atque in ipso suburbii introitu cum ingenti nos lætitiâ & honore præcipuo exceperunt. Sicque elatis in altum vocibus, divinasque laudes nobis atque illis alternatim concinentibus, cives qui convenerant Rotomagenses sancti Patris Wlfranni loculum suis reverenter humeris susceperunt, & usque in sanctam Dei genitricis Mariæ Ecclesiam nobis comitantibus ovantes detulerunt.



MONITUM.

CHRONICON CENTULENSE cum in priori editione variis mendis deformatum, & aliquot non commatibus solùm, sed etiam capitibus mutilum publici juris factum fuisset, nunc integrum edimus, ex humanitate R. P. D. Ursini Durant, qui Centulensis Abbatiæ Codicem cum editis accuratissimè contulit, & capita quæ deerant, omnia restituit.

Omnia, inquam; nam quod in libro I. *deesse caput* XIV. *suspicatus est Acherius, ideoque* XV *dixit illud, cui nos* CAP. XIV. *præfiximus in eo errasse mihi videtur; in indice enim capitum huic libro præfixo* XXVI. *numerantur, verùm quid in decimo quarto contineretur librarius subticuit. Adeo ut appareat idem hoc loco accidisse, quod libro secundo, ubi decem ac septem capita numerantur in indice, cum septem dumtaxat in libro ipso reperiantur, quòd ex secundo capite quinque capita quidam fecerint, scil.* de Domni Angilberti nobilitate c. 3. . . . . . c. 4. Berthâ filiâ Regis ei conjugio copulatâ, c. 5. Quòd sæculum reliquerit, ac monachus effectus sit, c. 6. *& caput sextum in plura etiam capita partiti sunt, quibus ne titulum quidem præfigere potuerunt.*

Porrò in Codice Centulensi præter hosce quatuor libros, præterque illa quæ in Appendice tomi v. *Annalium Benedictinorum edita sunt, reperit idem D. Ursinus Durant Vitam S. Magdelgisili ab Hariulfo conscriptam; Vitam S. Angilberti Abbate scriptam, Libellum Miraculorum ejusdem Sancti, eodem auctore, Radulfo Remorum Archiepisco dicatum anno* 1110.

In II. *vol. veterum scriptorum Hist. Franc. ab Andreâ Duchesnio editorum apparet in ære incisa effigies Ecclesiarum ab Angilberto apud Centulam anno* 809. *constructarum.*

CHRONICON HARIULFI MONACHI S. RICHARII CENTULENSIS.

PRÆFATIO HARIULFI

In descriptione gestorum Centulensis Ecclesiæ.

POSTQUAM genus humanum primi hominis delicto à Paradisi felicitate dejectum, divinæ miserationis obtentu corrigi, & ut patriam unde ceciderat rectè vivendo appeteret, divinitùs cœpit admoneri; nihil utilius, salvâ dumtaxat Dei & proximi dilectione, atque divinorum præceptorum exequutione, in hominum studiis inveniri posse credimus, quàm quòd ea quæ justi ac fideles recta fecerunt, vel dixerunt, ad notitiam posterorum scribendo transmiserunt. Sic enim benè gestorum quædam imago, & velut præsentia rationabilium hominum mentibus, qua se informent, prætenditur: ut cum modo narratur qualiter justus vixerit, quâve mercede donatus sit, modo impius, & bonum fastidiens, quantis malis sit gravatus edicitur; humanus animus justi mercede salubriter illiciatur ut benè agat, impii interitu terreatur, ne malum faciat. Hac utique ratione non solùm Legalem & Propheticam, verùm etiam Evangelicam remur esse factam scripturam, ut homo Deo carus, de cujus creatione tamquam consilium iniens dixerat conditor Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: homo, inquam, tantæ excellentiæ, tanti pretii, patulè videat quid studiosè repudiet, quid potissimùm apprehendat; & cum tantis . . . . . Deum pro se sollicitum attenderit, ipse homo tandem pro se discat sollicitari. Omnia ergo quibus instruimur divinæ bonitatis signa vel monita, scripturarum antiquarum paginis reperiuntur inserta. Quo negotio confortatus ego HARIULFUS sancti Richarii Monachus, hortatu quoque honorabilium Fratrum accensus, decrevi ea quæ de antiquitate & nobilitate Ecclesiæ Centulensis sparsim collegeram in unum conformare, & ne dispersa funditùs deperirent, unius corporis retenta præsidio, ad posterorum notitiam propensiùs reservare. Summæ nunc Majestati linguam offerimus, ut quæ deformi asinæ formata concessit verba edere, dignetur & mihi infundere spiritum gratiæ suæ, quo valeam propositum ad effectum perducere.

Finit Præfatio.

O Quicumque vales meditari spirituales,
En tibi propono quos CRISTI [a] *gratia dono*
Vita donavit, virtutibus accumulavit;
Centula quos Patres, quos cæli concio Fratres,
Quos sibi consortes sanctas augendo cohortes,
Illi congaudent æternum qui benè plaudent.

a *Christi*] Ita emendavimus, codicem Centulensem sequuti; nam antea editum erat, *tibi*.

Inclytus istorum primus princepsque virorum
Hic satis expresse RICHARI *nosceris esse:*
Namque Deo carus, per quem tibi mundus amarus
Exstitit, aethereis arrides ritè choreis.
Hinc quoque Sanctorum descripta cohors seniorum
Irradiat mentes per devia non gradientes.


NOMINA EORUMDEM ABBATUM.

1. SANCTUS RICHARIUS Abbas & fundator primus.
2. Ocioaldus Abbas.
3. Coschinus Abbas.
4. S. Guitmarus Abbas.
5. Aldricus Abbas.
6. Symphorianus Abbas.
7. S. Anghilbertus Abbas & reaedificator.
8. Nithardus Abbas & Comes.
9. Hericus Abbas.
10. Helizachar Abbas.
11. Ribbodo Abbas.
12. Hludogvicus Abbas.
13. Hruodulfus Abbas & Comes.
14. Helgaudus Abbas & Comes.
15. Guelfo Abbas.
16. Karlomannus Abbas.
17. Hertbertus Abbas.
18. Hedenoldus Abbas.
19. Girbertus Clericus Abbas.
20. Fulchericus Abbas.
21. Ingelardus Abbas.
22. Angelrannus Abbas.
23. Geruinus Abbas.
24. Geruinus Abbas.

Qui sequuntur alia manu erant exarati in cod. MS.

25. Anscherus Abbas.
26. Joannes Abbas.
27. Gelduinus Abbas.
28. Petrus Abbas.
29. Guifredus Abbas.
30. Richerus Abbas.
31. Laurentius Abbas.
32. Ursus Abbas.
33. Richerus Abbas.

O quot Sanctorum tegit urnas discipulorum,
Aula patens patrio Principe Richario.



In nomine sanctae & individuae Trinitatis.

INCIPIT TEXTUS GESTORUM ECCLESIAE CENTULENSIS.

LIBRI PRIMI.

CAPUT PRIMUM.

De gestis Francorum.

ACTORE Deo gesta Centulensis Ecclesiae describturus, dignissimum censeo, quoniam haec eadem Ecclesia largitionibus Regum Francorum multoties aucta est, ut de eorum factis aliqua hîc exprimam; quia reverâ justum est, ut illius provectum regni commemorem, quo matri Ecclesiae nihil demptum, sed multum collatum est. Cum igitur ut ex priscorum docemur historiis, Troiae cives expugnantibus Graecis locum patrium deserentes partim Italiam perrexissent, partim etiam finitima Panoniae loca inhabitare coepissent, ibique ejusdem gentis pars, duodecim scilicet millia, in immanem populum excrevisset, ut naturali semper feritate viguerunt, non se passi sunt promiscuo cum aliis nationibus nomine annotari, sed ex semet caput sibi statuentes urbem condiderunt, quam Sicambriam vocaverunt, à quâ scilicet & ipsi Sicambri nuncupati sunt. Tantae quippe idem populus semper fuit, imò est efficaciae, ut quaquaversum veniens plus dominantis speciem, quàm captivati praetendat miseriam. Verùm cum Deus omnipotens, cujus velle posse est, praescius hanc gentem suae deitatis agnitionem devotissimè quandoque suscepturam, regni eam nomine & honore sublimari permisisset, primum Regem traduntur habuisse Meroveum, ob cujus potentia facta, & mirificos triumphos intermisso Sicambrorum vocabulo, Merovingi dicti sunt, sicuti & ab Romanis, quorum jugum de suis excusserant cervicibus, linguâ Atticâ Franci, id est feroces, vocati sunt.

Meroveus igitur de medio factus, successorem reliquit filium Childericum nomine, qui de Basinâ Turingorum Reginâ genuit Hludogvicum. Hic Hludogvicus Rex post patrem cum belligerator acerrimus, & alicui parcere nescius, regni fastigio potiretur, praeeunte Dei largâ bonitate à B. Remigio Remorum Archipraesule divinae legis jura suscepit, & ab eodem baptizatus Pontifice, adorare quod incenderat, & incendere quod adoraverat salubriter est institutus. At cum ipse Rex devotè audiens haec devotiùs observasset, tantus eum divinae potestatis deinceps favor consequutus est, ut qui ante aliquoties victor exstiterat, nunc victoriosissimus redderetur, & suscepti regni terminos magnificè dilataret, cum divinae pietati non sufficeret ejus gladio infideles tradere, sed etiam suae majestatis miracula adversùs illius inimicos placeret exercere. Denique cum ipse Rex, superato penes Pictavum civitatem Alarico Rege Gothorum, deliberasset in revertendo illas urbes capere, quae sibi contrariae persistebant; Equolisimae muri civitatis, quam oppugnare volebat, in conspectu ejus divinitùs corruerunt. Sed cum omnibus hostibus praestantior Dei dono haberetur, xxx. annis regno perfunctus obiit apud Parisium urbem Regiam, ibidemque sepultus est. Quo, ut creditur superis sociato, filiorum ejus major natu Clotharius quinquaginta fermè & uno annis caeteris obeuntibus, regnum fortissimè rexit.

CAPUT II.

De tempore quo sanctus Richarius ortus est: & de Regibus.

HUjus itaque tempore Regis beatus, & à Deo electus Pastor noster RICHARIUS nobilissimis ex inclytâ Provinciâ Pontivâ parentibus progenitus, mundo salutis scientiâ indigenti felicia sui exortus gaudia infudit. CLOTHARIO autem Francorum Rege mortuo, Regnum ejus aequâ lance quatuor illius filii diviserunt. Primus ARIPERTUS sedem sibi Parisius statuit; secundus GUNTRANNUS Aurelianis; tertius HILPERICUS Suessionis; quartus SIGIBERTUS Mediomatricum, quae & Mettis. Horum itaque fratrum junior Sigibertus BRUNICHILDEM ab Hispaniis deductam in matrimonium sibi copulavit, quae ei HILDEBERTUM filium peperit. Quibus regnantibus aliquantos verbi divini ministros Hiberniâ insulâ natos Franciae solum contigit invisere, quorum duo,

ut poſtmodum narrabimus, B. Richario jam adoleſcenti Dominicæ ſervitutis [b] initiatores fuerunt. HILDEBERTUS verò adhuc puerulus regnum cum matre gubernandum ſuſcepit, interfecto patre eventu prælii. Si quidem ipſe Sigibertus apud Victuriacum villam, quæ in ſuburbano Atrabatenſis urbis ſita eſt, Hilperici fratris ſui, qui apud Tornacum oppidum tunc erat, quemque ipſe Sigibertus uſque ad internecionem perſequebatur, fraude interfectus eſt. Sed & Hildeberto mortuo, qui ut fertur, intrà adoleſcentiæ annos cum uxore propriâ vi veneni peremptus eſt, regnaverunt duo filii ejus TEODERICUS & THEODEBERTUS, adjuvante eos aviâ Brunichilde. Regnavit autem Hildebertus annis XXII. Gontrannus autem, patruus Hildeberti, Rex Aurelianorum terminum vitæ ſuſcipiens, regnum quod tenebat Brunichildi reliquit, quoſt poſtea in ſortem Theodeberti devenit. Regnum igitur Burgundiorum Teodericus, Auſtraſiorum verò Theodebertus ſuſcepit; Hilpericus quoque, qui Sigibertum occiderat, genuit filium nomine CLOTHARIUM virum ſolertiſſimum atque ſapientem, qui partem regni quam pater tenuerat, retinebat. Hic cum Neuſtriæ moraretur, lis inter Teodericum & Theodebertum exorta eſt, & diſceptantibus illis de regni termino, uterque ad Clotharium legatos dirigit, uterque adverſùs parem auxilium poſtulat; quod ille abnuit, prohibente id fieri ſanctiſſimo viro COLUMBANO, qui malitiâ Brunichildis atque Teoderici de Cœnobio Luxovii fuerat deturbatus: quique ipſi Clothario divinitùs præſignabat, intrà triennii tempus omne regnum in ejus ditione convertendum. Teodericus igitur germanum ſuum Theodebertum ad bellum provocans, & juxtà urbem Leucorum crudeliter cum eo dimicans, fugavit illum de prælio.

CAPUT III.

Qualiter deletis impiis Regibus CLOTHARIUS *omnem obtinuit Franciam.*

HIs ita alterutrum confligentibus, beatus Confeſſor Domini RICHARIUS jam majoris ætatis retinens metam, divinis operibus inſiſtebat, & ea maximè illi inerat cura, ut vaſa diaboli, animas ſcilicet peccatorum præripiens, ſuo cœleſti Domino aſſignaret: quod quàm piè & quàm inſtanter peregerit, non noſtris ſed Domini Albini dictis paulo poſt docebitur. Ad Regum hiſtoriam redeamus. THEODEBERTUS dolens ſe à fratre de bello fugatum, collecto exercitus robore ipſi TEODERICO fraternum ſanguinem ſitienti occurrit, ad Tulbiacum caſtrum pugnaturus: ſed proditione ſuorum captus à Teoderico aviæ BRUNICHILDI dirigitur. Quem cum illa recepiſſet, quia Teoderico magis favebat, furens Theodebertum fieri Clericum juſſit, ac poſt impiè perimi fecit. Hac itaque infelici victoriâ Teodericus nimium elatus, Metenſium urbem rediit, ibique divinitùs percuſſus inter flagrantis ignis incendia interiit. Brunichildis autem SIGIBERTUM filium Teoderici ſuffecit in regnum. At CLOTHARIUS memor Prophetiæ B. COLUMBANI, fines regni qui ſuæ debebantur ditioni, cum validâ manu captat recipere. Adverſùs quem cum hoſtilibus cuneis procedens Sigibertus captus eſt & interemptus; fratreſque ejus quinque cum proaviâ Brunichilde capti ſunt. Pueri ſeparatim necati ſunt; illa verò ut altera Jeſabel primùm camelo impoſita omni exercitui gyrando monſtratur; poſt indomitorum caudis equorum alligata, miſerabiliter, ut dignum erat, vita privatur. His ita geſtis, Clotharius nemine obſtante ſolus trium regnorum obtinuit Monarchiam: qui elaboratâ à Majoribus dignitate potitus, cum plurima ſtrenuè geſſerit, quàm præcipuè illud memorabile ſuæ potentiæ poſteris reliquit exemplum, quòd rebellantibus adverſùm ſe Saxonibus, ita eos armis edomuit, ut omnes virilis ſexûs ejuſdem terræ incolas, qui gladii, quem tunc fortè gerebat, longitudinem exceſſiſſent, peremerit; quippe ut junioribus tumoris auſum recordatio [illius] vitalis ſeu mortiferi gladii amputaret. Huic fuit ex BERTETRUDE Reginâ filius, nomine DAGOBERTUS, qui patri ſuccederet induſtriâ dignus & moribus. Hic denique in annis puerilibus poſitus, traditus eſt à genitore Venerabili Arnulfo, poſtea Metenſium Epiſcopo, ut eum ſecundùm ſuam ſapientiam enutriret, eique tramitem Chriſtianæ religionis oſtenderet, ac ejus cuſtos & bajulus eſſet. Clotharius igitur juſtâ ſucceſſione à Hludogvico quartus, vivens & incolumis filio ſuo Dagoberto regnum Auſtraſiorum [c] tradidit. Mortuo autem Clothario DAGOBERTUS totum patris ſui regnum ſagaciter accepit, & pacificè gubernavit, alterum quodammodo repræſentans Salomonem.

CAPUT IV.

Verba Domni ALBINI *de vitâ* S. RICHARII.

TEmporibus igitur glorioſiſſimi Regis Francorum Dagoberti, qui & ſæculari poteſtate præclarus, & Chriſtianâ religione nobilis effulſit (nam & Optimates ſuos dignitatibus exaltavit, & ſervos Dei honoribus excoluit) plurima Monaſteria à ſanctis Patribus cœperunt conſtrui; nec non & multi ex laïco habitu viri religioſi inventi ſunt; ex quibus RICHARIUS quidam natus in villâ Centulâ Provinciæ Pontivæ, velut Lucifer inter umbras oriens emicuit. Non tam nobilibus juxtà ſæculum parentibus ortus, quàm moribus honeſtus, & omni probitate devotiſſimus, ita ut in laïcâ vitâ quædam præſagia futuræ ſanctitatis gereret.

CAPUT V.

Explanatio de eiſdem.

QUod in præfatione monuimus, & nunc itidem commonemus, ut nemo ferat indignè, ſi hæc Domni Albini verba de vitâ ſanctiſſimi Confeſſoris rhetoricè & perplexè dicta causâ intelligentiæ maniſeſtioris enucleare tentamus. Ecce enim videtur dixiſſe quòd Dagoberti temporibus ſanctus ille ortus ſit: cum profectò fieri non potuerit, ut ſub tempore unius Regis pauculo ſpatio regnantis homo naſceretur, adoleſceret, educaretur, & ad perfectæ ſanctitatis [d] faſtigium, vel decrepitæ ætatis perveniret ſenium. Quid ergo, inquis, contradicis auctori vitæ ejus? Non contradico, nec aliud adſtruo, ſed id ipſum quod diſertiſſimus vir paucis & connexis eloquutus eſt verbis, elucidare cupio. Denique audi: dicit Dagoberti temporibus plurima Monaſteria cœpiſſe conſtrui, & multos ex laïco habitu viros religioſos inventos fuiſſe. Ac deinde ſubjungit: Ex quibus Richarius quidam. Animadverte quia non dicit Dagoberti tempore eſſe natos, ſed religioſos inventos, quos utique olim ortos, & grandævæ tunc æta-

b *ſervitutis*] Sic codex Centul. prior editio, *ſalutis*.
c *Auſtraſiorum*] Ita codex Centul. ex fide hiſtoriæ: antea legebatur, *regnum ſuum*, malè.

d *ſanctitatis*] Hîc etiam codicem Centul. ſequimur; nam quod Acherius ediderat *ſenectutis*, non placet.

tis necesse est intelligas; & ac si diceres: Ecce honeste vir dixisti multos viros religiosos inventos fuisse, & ago Deo gratias quia merui ex illis patronum. Sed cum sanctitatis ejus bonum inchoas prædicare, vellem ut & quo loco natus sit manifestares. Protinùs egregius vir consilio tuo acquiescens, & ad superiora recurrens, rhetoricè intulit, & nimis parcè: Natus in Villâ Centulâ Provinciæ Pontivæ. Ac demùm velut adhuc inquirenti, an ipsa ejus nativitas humiliori parentum prosapiâ exstiterit: absurdè interroganti cum exaggeratione indignationis intonat dicens: Velut Lucifer inter umbras oriens emicuit. Tum verò tamquam adhuc insistenti, ne fortè illa splendidissima nativitas, & generis claritudo sancti viri virtutibus obsuerit, ut quasi minùs se humiliaverit qui tantum de sæculo præsumere potuisset: doctor modestus ab hac te removens cogitatione, salubriter infert: non tam nobilibus juxtà sæculum parentibus ortus, quàm moribus honestus, & omni probitate devotissimus, tamquam dicens; adeo in illo viguit excellens nobilitas, ut qualis inter umbras Lucifer, talis & ipse splendore generis inter patriotas haberetur. At ne putes quòd tantâ sanguinis natus altitudine, cœlestis militiæ difficiliùs arma corripuerit, scito illum contempto generis supercilio, tam humiliter ac summisse divinis paruisse mandatis, ut nobilitatis magnitudinem vicerit religionis magnitudo, & servatâ in omnibus dulcedine, totum vendicaret honestas, nihil possideret arrogantia.

His ita existentibus, aliquid de ipsis vitæ ejus temporibus recenseamus; videtur enim absonum, ut Dagoberti temporibus æstimetur esse ortus, cum ille gestorum ejus textus postquàm dicit quomodo prædicatione servorum Dei conversus sit, & post conversionem qualiter conversatus sit, ac post abstinentissimam conversationem quo fervore verbum Dei annuntiaverit; utque sanctam commatrem suam RICHTRUDIM visitans, filium ejus, sanctum scilicet MAURONTUM benedixerit, atque ad postremum tentantem se hostem postraverit; evidenter doceat ipsum Regem Dagobertum sancti famâ excitatum, eumdem Dei virum visitasse, & benedictionis seu orationis gratiam flagitasse. Denique ipse, cujus modo mentio incidit, B. Maurontus in aulâ ejusdem Regis militavit, & ut nobilis Regiæ bullæ, vel sigilli bajulus [fuit], quem videlicet Christi Sacerdos Richarius dudum infantulum baptismate regeneraverat. Omninò igitur hæc gestorum tenenda est discretio, ut juvenem hunc sanctâ prædicatione converterit CHAYDOCUS, sed Dei Sacerdotem jam penè decrepitum invisit Rex Dagobertus. Quæ omnia sic esse, ipsorum gestorum evidens ratio manifestat, si tamen industria legentium sagaci discutiat intellectu. Hæc anticipando præmisimus, ut commendatâ temporum ratione cætera jam fidentiùs exequamur: quæ tamen nos post venerabilis Albini facunda eloquia dicere præsumsisse fraterna caritas benignè indulgeat.

B. Maurontus Regiæ bullæ bajulus.

Regio igitur hæc, quæ beati Patroni protulit genituram, aquarum concursu hinc inde circumlita, nemoribus consita, pascuis pecorum habillima, triticei graminis & cæterorum seminum fertilitate uberrima, mercium & vectigalium commeatibus quæstuosa, aëris temperie sanissima, omni commoditati corporeæ jocunditatis satis apta, viris præterea militiâ inclytis bellicosa valde & importuna, civitatibus licet careat, munitionum castris exceptis, oppida instar urbium retinet opulenta. Hujus ergo patriæ B. Richarius indigena, cum nobilitate splendidi generis moribus pollebat honestis, jam tunc futuræ sanctitatis gerens præsagia, demonstrabat in proposito laïcali, quod postea sanctorum operum executio declaravit.

CAPUT VI.

De adventu & prædicatione Sanctorum Hibernensium.

EO tempore quo B. Richarii juventus insignissima, nec dum sæculari schemate exuta, divinis jam Christo volente erat mandatis informanda: quo videlicet tempore SIGIBERTUS Rex cum Reginâ Brunichilde statuto apud Mettensium urbem regni sui solio, Orientalem Franciam gubernabat; contigit duos Sacerdotes sanctitate florentes, & virtutum meritis fulgentes de Hiberniæ partibus Pontivas pervenisse regiones. Prioris nomen Chaydocus: alterius nomen eo quòd rictu linguæ barbaræ ineptum visum est, à prioribus mutatum vocatur, & scribitur ADRIANUS. Ipso autem tempore quo isti propria deserentes Christum sequuti sunt, multorum Sanctorum examina produxisse scitur Hibernia; ex quibus beatus quoque COLUMBANUS, homo Scotici generis, floruit, cujus laudabilis conversatio, virtusque eximia, totius Galliæ loca respersit. Fertur verò quòd cum ipso illi quoque maria huc properando transmearunt. Quos ad nostra loca ferimus divertisse: unde & illa temporum ratio quam paulò superiùs notavimus, maximè confirmatur: quia cum notissimum sit omnibus B. Columbanum Sigiberti Regis, & Brunichildis conjugis ejus tempore Franciam advenisse, necessariò creditur beatissimus Richarius superioris Clotharii Regis temporibus natus fuisse, quem illi sancti viri diebus Sigiberti jam juvenem invenerunt; quem tamen sic juvenem dixerim, ut animi libertas & industriæ summa in illo vigens nihil admitteret juvenile. [Sed ad historiam veniatur.]

Sancti igitur Domini sacerdotes in Centulo vico verbum Dei prædicare aggressi, ut milites optimi præliabantur bella Christi Domini nostri: sed agrestes populi talia audire non assueti, nec ferentes quod in mente infectâ nequitiâ Diaboli rogabantur nova meditari, zelo accenti cum impetu iræ furorisque affectos contumeliâ ab his eos sedibus eliminare deliberant; nec quòd à parte Oceani veri solis spicula Dominus eis mitteret perpendebant, quia forte adhuc salvi fieri digni non erant. Quod ubi bonæ spei Richarius adhuc laïcus comperit, semetipsum pro servis Dei rebellanti plebi objicit, & ab ipsis ictibus violenter, ut nobilem fas erat, abstrahens, obsequiis intrà domum inducit. Unde à sagaci lectore liquidò potest comprehendi, neminem post Regis dominium tunc in his partibus fuisse potentiorem, qui ad eruendos Dei servos tantam habuit autoritatem. Illos itaque humanè tractans obsecrat discumbere, mensam ponit, reficit eos, & reficitur ipse: nam inter carnalium epularum fercula devoti heroës spirituales non cessant rependere dapes. Nec mora: Richarius, propter quem reverâ lucrandum cœlestis Dominus suos huc direxerat ministros, compunctus in lacrymas resolvitur: & juxtà quod Scriptura justum in principio sui dicit accusatorem, se errasse juvenili facilitate fatetur. Non, inquam, in petrosa, ubi aresceret, neque juxtà viam, ubi conculcaretur, vel à volucribus comederetur, semen verbi Dei ceciderat, sed in tellurem optimam ab ipso vero agricola intùs invisibiliter excultam, quæ postmodum, ut in sequentibus patebit, centuplicatis frugibus fecundata, innumeros copiosâ fertilitate ditavit. Ab illo denique tempore habitum religionis sumens, in dies de virtute in virtutem scandere gestiebat. Jam dicti præterea viri Dei post emen-

sum vitæ præsentis studium, immortalitatis adepti bravium, cœlicas sedes suo ingressu exhilarant, Centulensem Ecclesiam se coram modum [e] fundatam corporibus nobilitant, jam verò penè dirutam orationibus sustentant: verumtamen licet nos jam eorum transitum explicuerimus, noverit Lector eos usque dum senescerent, in divinis operibus Centulæ deguisse.

CAPUT VII.

De austeritate vitæ Sanctissimi RICHARII.

POstpositis digressionibus, quia dictaminis tenorem narratio exigit, jam loquatur pagina qualiter S. Richarius deinceps vixerit. At qui divino Spiritu tactus repentè mutatur ex omnibus, abnegat semetipsum qualis ante fuerat, subitò efficitur quod non erat. Mira dicturus sum, & quæ carnalis homo tolerare vix posset, nisi in eo verè Deus habitaret: tantâ quippe austeritate vim sibimetipsi irrogavit, & tam durâ se castigatione constrinxit, ut quæcumque ad humani corporis esum solent esse delectabilia, omnimodis spreverit. Ab ipso enim conversionis suæ principio ad vitæ usque occasum non panem tritici, non levamen olei, non esum leguminis, non dico carnium vel piscis, sed nec vini, sive alterius confectæ potionis gustum unquam admisit: sed quia carnis materies absque escâ subsistere nequit, post longa & diuturna jejunia pane hordeaceo cinere commixto, & aquâ lacrymis temperatâ, fessum jejuniis corpusculum refocillabat. Nam ut graviorem sibi imponeret jejuniorum attritionem, non est contentus hordeo simplici (quod nimium asperrimi constat esse saporis) sed quia cinerem se protoplasti peccato cognoverat, hordeo cineres admiscebat: nec pura aqua ad sorbendum ei fuit habilis, nisi ante eam lacrymis augmentasset uberrimis; juges vigilias ora pallida demonstrabant. Fidenter loquar, eum persequutionis tempore Neronianâ vel Trajanâ pro fide Christi non refugisse tormenta; qui tantæ attritioni se subdidit voluntariè: illorum siquidem, qui tunc temporis Christi nomen negare compellebantur, vix septimanæ spatium passio occupabat, imò vix triduo protelabatur: hic autem per prolixum vitæ spatium longum tulit martyrium; & si quisque Fidelis rei meritum dignè dijudicet, non minùs erit, Dei amore carnem assiduâ mactatione contrivisse, quàm pro fide gladiis infidelium objecisse.

CAPUT VIII.

De ordinatione ejus.

HIs itaque virtutum incrementis succrescens, & venerabile corpus suum hostiam viventem, sanctam, Deo placentem exhibens, dignus digno ministerio mancipatur, & Apostolicæ prædicationis exequutor; ac secretorum divinorum conscius & Sacerdos efficitur, ut qui se totum sanctis actibus Christo immaculatum exhibuerat; ipse quoque immaculatum Christi corpus intemeratis manibus tractaret; & ut cui prædicationis devotio inerat, honoris dignitas non deesset. Quem honorem famulus Dei magnâ humilitate ornavit, & vera caritate excoluit, & verbi Dei prædicatione ampliavit, atque velut bonus agricola spinas peccatorum de agro Domini Evangelico vomere eradicavit, & arida corda superno perpetuæ salutis rore irrigavit. Sed & divina clementia per ejus prædicationem in populo Pontivorum plurima fidei dedit incrementa; unde & omnibus prædictus vir Dei Richarius honorabilis factus est & carus: quia quod ore prædicavit, exemplo ostendit, & viam vitæ quam aliis sermone monstravit, ipse prior actu præcucurrit. Quidquid verò ei populus in stipendia prædicationis obtulit, omnia pauperibus dividere festinavit: indignum fuit ei de crastino præsentis vitæ cogitare, qui divitias æternæ vitæ accipere anhelavit: ideo oblata ab hominibus distribuit, ut promissa à Deo acciperet. Felix commercium, ut qui parva ac transitoria hilariter distribuerat, magna & æterna feliciter esset accepturus. Nam studiosissimus fuit pauperum consolator peregrinorum susceptor, viduarum defensor, pupillorum & orphanorum pater, ita ut verissimè de eo sanctissimi Job testimonium dici possit: *Oculus fui cæco, & pes claudo, pater orphano: & causam quam ne ciebam diligentissimè perscrutabar.* Job 29. 15. Quapropter undique infirmi ad eum confluebant, quos læto suscipiens animo, medelam eis curationis per sanctas orationes præbebat. Nam & cæcis facto Crucis signo dicto citiùs lumen oculorum donabat, & paralyticos virtute precum, & manûs impositione erigebat. Dæmonia de obsessis corporibus nunc prece ad Deum fusâ, nunc solo imperio ejiciebat, persæpe verò solâ suâ præsentiâ fugavit.

CAPUT IX.

De miraculo leprosorum.

NEc leprosos vel elephanticos exhorruit, sed quasi fratres amplexabatur, balneisque eorum membra saucia fovebat, eademque post ipsos ingrediebatur. Unde & pro tam inauditâ humilitate, pietateque ineffabili, contingebat magnum & inauditum miraculum: quia cum tantum se humiliaret ut aquis veneni tabo infectis proprium corpus dilueret, non solùm ipse malum in se non trahebat; sed & ipsi leprosi qui dudum loti fuerant, divinâ manu medente, & sancti merito exigente, omni malo statim emundabantur. Prophetici sermonis nec surdus auditor fuit: *Egenos vagosque introduc in domum tuam, & nudum vestimentis tuis cooperi: & carnem tuam ne despexeris.* Isai. 58. 7. Nec solùm carnali refectione ad se venientes fovebat, sed etiam spiritali solatio sanctæ prædicationis reficere non cessavit. Et sicut miserorum idoneus ubique fuit consolator, ita superborum durus castigator esse non timuit: hos pietatis clementiâ elevabat; illos severæ invectionis censurâ deprimebat: nec terrenæ potestatis iram foris metuebat, quem timor interiùs divinæ potentiæ totum corroborabat; parvi pendens divitum minas, ut præco veritatis existeret. Nec fuit arundo vento agitata, ut eum aura humanæ laudis vel detractionis commoveret, sed in arce solidæ veritatis consistens, ab humano ore secundùm Apostolum judicari contemsit. Viam Regiam incedens, nec à dextris propter terrores potentium, nec à sinistris propter blanditias adulantium declinavit: quapropter magnam plebem Domino Deo suo in hac Pontivâ provinciâ acquisivit, & sibi honorem perpetuum promeruit.

CAPUT X.

De miseratione ejus erga captivos: & quòd Britanniam petierit.

UNde populus cernens ejus religiosam in Chrsto devotionem, cœpit eum attentiùs honorare,

---

e *se coram modum*] Inepta lectio, quam repræsentat codex Centul. nam hoc loco lacuna est in priori editione: lege *suâ curâ modo*.

& multa ei pro eleemosynarum largitione afferre, quæ ille, ut erat Dei & proximorum dilectione plenus, omnia in pauperum largitus est solatia, maximeque in captivorum expendit redemptionem. Nam alios occultis diabolicâ fraude peccatorum vinculis obligatos per sedulæ prædicationis hortamenta solvebat, alios sæculari captivitate oppressos per pecuniæ largitionem redemit; ut illi spiritualiter absoluti jocundarentur à Domino, & isti carnali servitute liberati converterentur ad Deum: & non solùm in his regionibus Galliarum per pietatis opera, vel per prædicationis lumina, prædictus vir Dei Richarius clarus effulsit, sed ut lucifer æquoreos oceani campos transiliens, præco diurni luminis nocturnas suo exortu discutit umbras; sic ille in ultramarinas Britanniæ regiones ad expellendas ignorantiæ tenebras lumen veritatis suo sparsit adventu; scilicet ut sicut in istis regionibus, sic & in illis alios à servitute diabolicâ, alios à captivitate carnali liberaret, illis verbum Dei infudit, istis charitatis pretium impendit, ut pro temporali redemptione æternam accepissent libertatem.

CAPUT XI.

De adventu ejus in Sigetrudem, & miraculo nivis.

Exstat igitur villa in pago Pontivo Sigetrudis vocata, in quâ sæpe dictus, imò semper dicendus venerabilis Pater Richarius consueverat mansionis habere hospitium cum æquoreos oceani transfretare campos studeret, partim salutiferæ incumbens prædicationi regionis Britannicæ, partim etiam captivorum studens redemptioni. Erat autem ipsius villæ domina nomine SIGETRUDIS, à quâ videlicet ipsum prædium nomen accepit. Verùm quid factum sit cum ad hanc beatus Domini Confessor quadam vice venisset, calamus perstringat. Contigit hyemali tempore de Britanniâ redeuntem sanctum illò Richarium adventasse, eumque ibi positum cum his quos redemptos deducebat, nox illa oppressit: à Senatrice igitur jam dictâ se suosque Beatus hospitio recipi poposcit; cui illa hanc munificentiam omninò denegavit: necdum quippe plenè sciens cujus virtutis vel meriti esset, & ut fertur, quodam sinistro rumore acta, ejus precata facilè contemsit. Igitur vir Dei cum domicilium sibi quemquam nolle impertiri pervidisset, eumque aliorsum progredi hora ipsa vetaret, cum redemptis suis, quorum tum ingentem turmam secum habebat, ejusdem vici situm peragravit, invenitque fossatum magnum in quo homines non pauci poterant clanculò congregari. In hoc itaque cum suis secessit, totiusque noctis spatium inibi peregit. Sed quid Deo sapientius? ad hoc certè mulier non est permissa ei præbere unius noctis hospitium, ut divina operatio acciperet locum; cognitoque quanti apud Deum esset meriti, non solùm domum, sed & omne ei contraderet prædium. Nocte igitur eâdem cum Sanctus suique in fossato cubitarent, tantam è nubibus contigit defluere nivium magnitudinem, ut omnis patria vix ferre quiverit illius densitatem; operta omnia & in subitum candorem universa mutata sunt, solum illud fossati spatium, quo Sanctus cum suis tenebatur, nix non invasit, & quæ vel gestu ventorum, vel suâ subtilitate etiam interna tectorum penetrabat, ab ejus injuria sese continuit, qui hominum carens domicilio supernâ protectione tegebatur. Mane facto habitatores loci exurgunt, & vel sibi vel pecoribus suis per medias nives viam secare coguntur: sole lucente dum omnia pervidentur, invenitur sanctus Pater Richarius aquis nivium remansisse intactus: quo facto omnes obstupescunt, admirantur, & verè hunc, qui taliter sit defensus, Dei cultorem & amicum prædicant. Hanc sancti viri erga Deum possibilitatem, ut illa nobilis femina aure cordis percepit, hospitium se negasse nimiùm pertremuit & in tanto caritatis glutino deinceps eum dilexit, ùt ipsam ei villam perpetuò traderet habendam. Verè mirabilis Deus in sanctis suis, verè fidelis in promissis, ipse fidelem famulum humano semel auxilio destitutum non deseruit, sed ubi ad horam non permisit habere mansionem, fecit percipere ex toto hereditatem.

CAPUT XII.

De fonte per orationem ejus inibi producto.

Dum itaque B. Richarius pro cœlestis patriæ palmâ militarem adhuc duceret vitam in terris, in prædicto prædio hospitium sæpe habebat apud memoratam Dei ancillam cum scilicet Britanniam pergeret, vel inde ad propria repedaret. quæ cum in magnâ familiaritate apud eum haberetur, ut pote cujus vitam in Dei opere conspiciebat assiduam, petiit eum, ut suis sacris precibus apud Omnipotentis clementiam obtineret, quatenùs ditari mereretur in aquæ largitione (erat enim ibi valde necessaria) qua prece ejus coactus oravit; post orationem autem suum in terram baculum fixit, atque mox fons erupit, qui usque in præsens ibi perdurat, illud exhibens ad quod orationibus servi Dei primitus enituit; qui cum nullâ siccitate unquam fluere desinat, nunquam tamen ejusdem vici rura transgreditur, sed hìc nascens, post parcum cursum illic deficiens annullatur. Multa de fonte & de villâ dici poterant, sed ea omittimus, ut ad alia citiùs expediamur.

CAPUT XIII.

De Prophetiâ ejus.

Sed inter tot & tanta miracula, quæ per suum hominem Christus Dominus efficiebat, etiam Spiritûs sancti, qui verè est omnium artifex, omnia prospiciens, tanta eum supplevit gratia, ut non sola signa sanitatum, sed & denuntiationes rerum futurarũ efficaciter consequeretur; quod in sequenti liquebit exemplo. Cum causâ prædicationis in Britanniâ diutiùs moraretur, subitò sancti Spiritûs afflatu venit illi in mentem aliquos sui juris sub servitute reliquisse in Galliâ; quo dolore perculsus dixit ad suos, heu! nostros sub servitute demisimus in patriâ, dum huc alios liberare venimus, maximè quia scio citò eos esse morituros: sed ite festinanter, navem conscendite, & eos facite ingenuos, priusquàm moriantur. Illi haud segniter præceptum sequuti paternum patriam venerunt, prædictos servos viri Dei sanos & incolumes invenerunt, eosque veluti jussi sunt, manu mittentes fecerunt ingenuos: qui non post multum temporis, sicut vir Sanctus prædixerat, defuncti sunt. O quanta clementia est Dei Christi, qui famulo suo pietatis affectum inseruit, & futuram servorum ejus mortem ostendit, quatenùs illi misericordiæ merces de suis non perisset, & illos morientes servitutis jugum non gravasset. Ex eo tempore neminem sui juris sub servitutis jugo retinere voluit, sed omnes ubique ad se pertinentes libertate propriâ perdonavit, ne in proprios durior fortè videretur, qui in alienos mitissimus apparere gestiebat, & ut mercedem quam ex aliis congregavit, de suis accumularet.

CAPUT XIV.

De constructione Centulensis Monasterii.

POstquam fugatis ignorantiæ ac errorum tenebris multas Dei famulus Richarius Christi nomine repleverat regiones, & paganos conversos innumeros sanctâ fide, plerosque autem monasticâ Religione instruxerat, post locatas Ecclesias, & Clericos delegatos, cum sentiret se non posse ampliùs prævalere ad circuitionem prædicationis, permaneret tamen in eo infatigata voluntas sanctæ exercitationis, solo nativo, & paternæ hereditati, quam nostrates alodium vel patrimonium vocant, se se contulit, quod reliquum erat vitæ ibidem in Dei servitio transacturus. Hanc denique possessionem Christo secum dudum obtulerat, monasteriumque in paterno solo construxerat, ut ubi ipse fuerat mundo procreatus, ibi multos per Dei gratiam generaret, & in loco suæ nativitatis procrearentur filii supernæ hereditatis. Qui locus, Deo conservante, clarus adhuc in villâ Centulâ permanet, & Christo Domino famulantium hactenùs turbam retentat. Igitur cum hoc perfecisset, prout sanctissimæ ejus voluntati complacuit, quæ non amplitudinem ædificiorum, aut venustatem tectorum, sed salutem animarum, & sanctitatem quærebat morum honestorum, ex provincialibus aliquos, & ex his quos redemptos fecerat liberos, qui scilicet sanctitatem ejus certiùs æmulabantur, inibi Fratres collocavit; quorum vitas discutiens, moresque corripiens, de imis ad alta, de terrenis ad cœlestia, plùs exemplo quàm verbo tendere perdocebat, præsidendo eis jure Abbatis. Multi quoque nobilium Franciscorum ejus adhærentes bonitati, semitas vitæ jugiter carpebant: ipse verò discipulorum mentes cœlestibus intentas & mundo superiores esse perpendens gaudebat, & seipsum ad altiora extendens inhianter dicebat: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei:* Et iterum: *Ego autem cum justitiâ apparebo conspectui tuo; satiabor dum apparuerit gloria tua.* Sancto enim se semper Spiritu illustrante, & gratiâ Christi cooperante, tanto se ardentiùs servituti Dei subegit, quanto viciniorem sibi diem remunerationis esse præsensit. Nam seipsum quotidianis jejuniis maceravit, mortificatione carnis constrinxit, vigiliis afflixit, orationibus munivit, charitate confirmavit, spe roboravit, fide armavit; nulli malum pro malo reddens, nullius adulator, neminem contemsit, ut viam veritatis prior ipse incederet, quam cæteris prædicando monstraverat. Sic vir Dei galeâ salutis indutus, & gladio verbi Dei accinctus, & loricâ justitiæ undique circumdatus, & scuto fidei armatus, calciatusque in præparatione Evangelii pacis, processit in prælium contrà hostem antiquum, omnia tela ejus ignita fortissimò fidei umbone repellens, quotidianisque triumphis spolia multa victo hoste reportavit in Ecclesiam Christi; tam metuendus humani generis inimico, quàm humano generi pernecessarius, utpote qui non suam tantùm, sed multorum quæsivit salutem; ideo justum est, ut multorum ore in Christo laudetur, multorum per Christum redemptor: tantus quippe illum ad colligendas Deo animas fervor accenderat, ut sic Monasterio præesset quatenùs per Ecclesias, per castra, per vicos, per singulorum quoque Fidelium domos circumquaque discurreret, & corda audientium ad amorem patriæ cœlestis accenderet. [Cujus non tanti est miracula narrare quæ ab eo gesta sunt, quanti miraculosam cognoscere virtutem; quia cœlesti Regi in diebus suis multum acquisivit populum. Nam officium prædicationis omni signorum ostensione majus esse non dubium est; licet non defuerit pro temporum oportunitate vel rerum convenientiâ signorum perpetratio, quæ per eum divina peregit clementia.]

Psal. 41. 2.

Ibid. 16. 15.

CAPUT XV.

De sanctâ HRICTRUDE *commatre ejus.*

QUædam illustris matrona nomine HRICTRUDIS, nunc cœlesti sede beata, aliquando sancto Abbati suum destinaverat filium nomine MAURONTUM, quem ipse sanctus baptismatis unda diluens Christi cauterio notavit. At cum puer idem jam renatus matri esset redditus, maligni spiritûs tentatio accidit viro Dei tali occasione. Visitavit enim equitando jamdictam Deo devotam fœminam Hrictrudem, & jam post dulces vitæ cœlestis epulas, & post colloquia salubria, ipse vir Dei cum ascensu equo ad propria remeare disposuisset, matrona prædicta juxtà morem equitantis vestigia pariter sequuta est, habens in ulnis filiolum suum, ut parvulus quoque benedictione hominis Dei roboraretur, quem ipse, ut paulo ante insinuatum est, sacro baptismate Deo regeneravit: acceptoque infante eques venerandus, seu ad benedicendum, seu ad deosculandum, antiquus hostis omnibus bonis inimicus, qui & sancti viri gloriæ ac virtuti, & sanctæ illius pueri religiositati futuræ invidebat, immisit equo ferocitatem, qui huc illucque dentibus frendens, pedibus calcitrans, & toto corpore insaniens, inconsueto impetu per campum discurrere cœpit. Quod pavida cernens mater oculos avertit, ne morientem filium videret, quem servus Dei sæviente equo manu tenebat: familia verò pro morte pueri, vel casu viri Dei, strepere, plangere, ejulare non destitit: sed dextera Christi, quæ Petrum trepidantem levavit ne mergeretur in undis, puerum cadentem sublevavit, ne allideretur in terris: nam oratione à famulo Dei factâ, puer incolumis quasi avicula pervenit ad terram, & equus redditus est mansuetudini suæ, & mater quidem filium suum è terrâ sanum & ridentem suscepit in ulnas: ipse tamen Sacerdos Dei non equo iter agere, sed asello mansuetissimo ex eo tempore voluit: nempe memor Dominum Christum, dum ad redemptionem properaret humani generis, asello iter egisse non equo. Sic ipse deinceps cum propter salutiferam prædicationem per multa quotidie festinaret loca, asellum sibi potiorem sufficere judicavit. Sic, Deo miserante, tentatio maligni hostis illi versa est in laudis honorem, & superbia equi ei facta est humilitatis magistra.

CAPUT XVI.

De cæco illuminato.

ALTEIÆ litori aquam transire volens quodam tempore, Kymbæ adventum opperiens insidebat, cum ecce Pontivensis indigena homo cæcus, qui tanto cum reliquis contribulibus patrono gloriabatur, inibi illum morari comperiens, alienis obtutibus deductus occurrit, & carissimum Patrem patriæque Dominum infinitis clamoribus exaggerans, lumen proprium sibi donari poscebat. Cujus necessitati vir sanctus misericordissimo, ut semper fuit, corde compatiens, eum ad se propiùs accivit; quo applicato digitos labris sacratissimis apposuit, indeque tollens salivam orbati oculos lenivit; statimque Dominicum exemplum virtus eadem prosequuta, diu obscuratum luminatum reddidit: quo loco villa & Ecclesia permanet, quæ ob ejus amorem Domnus Richarius dicitur. Nulla au-

tem unquam antiquitas abolere potuit ab ore posterorum, quin quotidie referant patriotæ nostrates inter alia magna miracula; quòd cum isdem beatissimus Pastor in locis Britanniæ captivorum studeret redemptioni, si quando accidisset tardius haberi vehiculum, quo in redeundo transmeandus esset Alteiæ vel Quantiæ fluvius, absque aliquo humanæ opis adminiculo eumdem pedibus non humectis transisset. [*Con*tigit aliquando ut rediens de Brit*tanniâ* D. *Richari*us ingentem redemptorum deduceret mul*titudi*nem, cum subitò respectans post tergum *vidit tur*bas hominum perversorum his quos dedu*xerat* mala inferre volentium, plusque illis *metuens* quàm sibi, invocat divinitatem ut è manibus persequentium eruatur. *Cujus* preci superna virtus vicina citi*ssimè adfuit*, & transposuit eum cum suis ultrà fluvium *Alteiam ad* sylvam quæ proxima erat. Sicque ...... toribus frustratis locus ille ubi *re*s*e*dit Moxultrum [f] nomen accepit; *quia* scilicet virtute quæ illum .... fusam mox ultrà transtulerat.] Verùm nos non omnes Fidelium relatas eloquiis sancti Dei virtutes referre suscepimus, proinde ad certiora veniamus, quæ sagax priscorum industria altiori consilio imitanda vitæ ejus libello inseruit: quocumque enim iter agebat, aut Psalmi ex ore ejus resonabant, aut salutis prædicatio audiebatur; nec mirum si Christum semper prædicaret in linguâ, quem semper gerebat in corde, per quem pius consolator miseris fuit, & durus invector potentibus, illorum inopiam clementi miseratione relevans, istorum superbiam severâ castigatione reprimens.

CAPUT XVII.

De adventu Regis Dagoberti ad eum.

TAntorum igitur bonorum fama non latuit, sed Deo volente, qui glorificantes se glorificat, cunctas partes finitimas sanctitatis ejus odor bonus respersit, in tantum ut ipsos Optimates Regni & Proceres non lateret; Regem quoque ipsum Dagobertum ad visendum eum mira opinio provocaret. Nam quodam tempore ipse Rex potentissimus DAGOBERTUS, rogante viro Illustri GISLEMARO Pontivas devenit in partes virum Dei visitare, & ut seipsum sacro-sanctis ejus orationibus commendaret, quem ipse famulus Dei utrumque & sanctitatis suæ benedictione roboravit, & Sacerdotali auctoritate liberâ voce castigavit; denuntians ei ne in sæculari superbiret potentiâ, ne in fugitivis speraret divitiis, ne vanis adulantium extolleretur rumoribus, ne caducis gauderet honoribus; sed magis Dei timeret potentiam, & immensam illius laudaret gloriam; humanam potentiam vel gloriam nullam putaret, quæ subitò velut volatilis umbra recedit, & velut spuma super aquam vento tentationis flante evanescit: & hoc magis timendo cogitaret, quia *Potentes potenter tormenta patientur*. Et, *Cui plus datur, plus exigitur ab eo*: & qui vix sufficit pro se solo rationem reddere Deo in die judicii, quomodo supportare poterit rationem reddere pro tantis millibus populi sibi commissi: idcircò quisque magis timere potest præesse quàm subesse; quia qui subest, pro se solo rationem reddet Deo; qui autem præest, pro omnibus erit redditurus qui sub ejus sunt potestate constituti. Quâ castigatione Rex, ut fuit sapiens, benignè susceptâ, congaudensque ejus liberâ veritatis fiduciâ, Sacerdotem Christi secum ad convivia venire rogavit; qui Christi confortatus exemplo sæcularium non respuens convivia, ut prædicationis nancisceretur occasionem venit cum Rege ad mensam; totâque die illâ & nocte inter epulas lætitiæ verbi Dei dapes salutiferas convivis suis ministravit: cujus constantiâ morum, & instantiâ prædicationis præfatus Rex delectatus, cœpit eum animo amare, & honore prosequi in tantum, ut eâ ipsâ die aliquid de censu suo ad luminaria donàris Dei ei condonaret. [Ratum æstimans, [g] ut sicut ipse prædicationis lumine ab eo illumin*atus fuerat*, sic visibili luce per eum domus Domini *illustraretur*: & quod intùs ei fulgebat in fide ..... gesceret in Ecclesiâ. Memor præ*cepti quo* dicitur: Sic luceat lux vestra coram hominibus. Item in Psalmo: In lumine *tuo videbimus lumen*, id est, in lumine fidei, quod fulget ..... foras quod splendescit.] Delegavit autem ei, priùs facinorum suorum confessione præmissâ, & absolutione perceptâ, territorium quoddam in pago Pontivo, quod dicitur Campania, ubi habentur villæ tres, ex eâ die sancto viro, & post ejus transitum Centulo Cœnobio hodieque servientes: quarum prima vocatur Altvillaris, secunda Rebellis-mons, tertia Valerias.

Sap. 6. 7.
Luc. 12. 48.

CAPUT XVIII.

De ordinatione OCIOALDI *Abbatis: & ut Sanctus eremum petierit.*

EXinde famulus Dei, quia ab hominibus venerabatur, homines fugere meditabatur, ut honores temporales declinando, honores acciperet perpetuos. Exemplum nempe Regium quarumcumque dignitatum Principes imitantes, sancti viri benedictionibus certatim perfrui constudebant. Quod ipse cœlestibus jamjam inseri cupiens sat molestè ferens, ne tantis honoratorum virorum obsequiis ulteriùs ambiretur, eremum cupivit, quatenùs soli Deo liberiùs vacaret, & contemplativos carperet fructus, qui in actualibus haud segniter desudabat. Verùm quia Ecclesia in Centulo exstructa absque Abbate nec debebat esse nec poterat, hoc officio se se exonerans, unum è discipulis perfectæ ac probatæ sanctitatis, nomine OCIOALDUM, jam dicto Cœnobio præfecit Abbatem. Quo ritè pacto [scilicet *recolens à* Domino dictum de Mariâ sedente ad [h] pedes ejus, *ac* verbum vitæ intentiùs audiente: Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab eâ: hujus memor sententiæ] divinis se se ex integro contulit theoriis, eremiticam petiit vitam quâ secretiùs sola cœlestia mente rimaretur, & totum se in Deo sanctificaret, à quo post modicum erat suscipiendus. Cui GISELMARUS vir illuster, & Christianæ religionis devotus amator, simul & MAURONTUS sanctæ Hrictrudis filius, qui ob insignem nobilitatem apud Regem Dagobertum plurimum poterat, & tunc terrarum vel sylvarum ad Regem pertinentium dispositor & custos habebatur, præbuerunt locum manendi in sylvâ Chrisciacensi, in loco qui nunc Forestis-Cella, dicitur, distans à Centula X. passuum millibus, ubi videlicet per ante acta sæcula nemo habitaverat: in eodem verò loco sub honore nostræ Dominæ sanctæ MARIÆ, Christo Monasterium construere inchoavit. Scire autem volumus lectorem, quòd [is] ipse de quo loquimur

f *Moxultrum*] Totum hoc quod uncis inclusum est, per se quidem lector intelligit adjectum esse è codice Centul. verum id eum moneri necessarium est, quod Italicis literis editum est, à nobis ex conjecturâ esse descriptum, cum aliquot voces librarii cultro essent erasæ. Moxultrum, nunc *Maisoutre* ad ripam Meridionalem Alteiæ.

g *Ratum æstimans*] In eodem cod. Centul. ex quo hæc exscripta sunt, legitur in orâ libri: *Dagobertus ipse regnavit annis XVI.*

h *sedente ad*] In codice legebatur *sedis pedes*, perspicuè malè.

Maurontus postea pompâ sæculari & habitu calcato Monachus, Monachorumque Pater factus est, & nunc sanctæ vitæ merito cœlesti fungitur societate : nec enim cassari poterat illa sacro-sancta magni Patris Richarii benedictio, quâ fuerat dudum puer intercessione matris potitus.

CAPUT XIX.

[*Quâ maceratione corpus proprium in eremo contriverit.*

MAgnus itaque Confessor Dei & eximius Pater Richarius, cum solo commilitone nomine SYGOBARDO apice nobilitatis fulgido, præfatam habitationem ingressus est, parvo tantùm tuguriunculo vilissimo opere facto contentus, ut habitatio vitæ congrueret, superfluum æstimans sæculi contemptorem aliquid sæculi divitiarum videri habere. At inibi tantâ se mortificatione carnis constrinxit, tantâ jejuniorum & vigiliarum assiduitate maceravit, ut vix ossa arescentia dissipatis juncturis adhærerent: & trementia baculo regente vestigia difficile movebat, ac mente sæculo major sola cœlestia semper cogitabat: quantumque mundo alienus, tantum Deo proximus : illum quotidie vincens in eremo, à quo Adam olim victus est in Paradiso : super aspidem & basiliscum ambulans, caput quotidie antiqui conterebat serpentis : temporalia cuncta contemnens, æterna sola suspirans, atque per angustam viam quæ ducit ad vitam iter suum assiduis munivit orationibus. Nec clausa tamen eremi angustiis lucis columna latere potuit, quin magnis sui fulgoris radiis longe lateque innotuit : quapropter undique ad hominem Dei cæci, surdi, muti, claudi, leprosi, paralytici, seu cunctis infirmitatibus fatigati ibant, vel portabantur, quos sanctarum medicinis orationum sanabat, omnesque ad se quocumque morbo afflictos venientes, vel tristitiæ cujuslibet rancore angustiatos, sanos & hilares ad propria remeare faciebat. Nec mirum si Deo carus homo ab hominibus frequentabatur, cum ipsa quoque animalia omni ratione carentia ad obsequendum Dei servo promptissima forent. Denique si quando, quod infrequens erat, contigisset eum necessitati corporeæ quidpiam comedendo conquirere[i], illæ aves, quarum multiplicitate nemora replebantur, ita intrepidè ante illius ora descendebant, & genuculis ejus vel scapulis insidebant, ut non insensata animalia, sed tamquam filios affectuosè patri inhærentes ipsâ rei qualitate putares. Porrigebantur eis Sancti viri manibus aliquæ micæ, & quæ pro sui duritiâ, vel austeritate hominum usui essent inhabiles, ipsis avibus nunc voce, nunc pennis adulantibus gratissimæ fieri videbantur. [Nec mihi singulas virtutum ejus species nominatim enarrare propositum est, sed vitæ sanctitatem paucis perstringere verbis, ne ineloquentiæ meæ tarditate multiplex signorum per eum gestorum fama magis obscuretur quàm laudetur; doctioribus illa relinquens, quo fine præsens sæculum sancta illa anima deseruerit solùm mihi dicere sufficiet.]

CAPUT XX.

De transitu ejus ad Christum.

HActenus dum de Sancti vitâ ageretur, se hilarem animus gestiebat, & quasi de vivente Patrono gaudebat, cum quæ vivens fecisset narrabat : hactenùs tamquam prosperis navigabamus ventis, & dilecti Patris gesta lectione placidâ percurrendo, quasi dulce nobis celeuma canere videbamur : at nunc anima quid eligis ? conticesces, an justi mortem narrabis ? sed ne dicas mortem quæ Sancto fecit natalem. Nam quando mundo mortuus, tunc Christo est in cœlis verè natus. Miserum est loca mortis ultrò amare, & post experta saltem pericula portum nolle videre. Simul & Patri congaudere debes, qui naufragio mundi salvatus, firmâ sede cum Christo vivens gaudet laureatus. Firmâ, inquam, quia cœlesti; firmâ, quia æterna; firmâ, quia nullis hostium incursibus auferenda. Cordis igitur dolore lacrymarum ubertate digesto Patris non mortem, sed transitum dicamus; qui idcircò verè beatus est, quia mundum contemnens hunc transitum semper ambivit. Sed jam frontem solvamus quo Patris gloria liberè nuntietur.

Præsciens ergo diem advocationis suæ, quâ felicitatem diù desideratam accepturus erat, & semper adjungi Deo quem semper amabat, vocavit ad se præfatum Sygobardum commilitonem suum, dicens: Scio, Fili mi, scio, quòd finis meus non tardat, & Regem meum quem diù cupivi, citiùs videbo : & utinam tam propitium mihi servo suo, quàm desiderabilem Sanctis sitis. Sed tu fili præpara vasculum corpusculo meo quo condatur, non superfluo studio, sed necessario usu ; ut illic servetur in illum diem, quo corruptela hæc vertatur in incorruptionem, & mortale hoc induatur immortalitatem. Et para te omni diligentiâ, fili, ut dum dies illa quæ mihi modò appropinquat, tibi quoque advenerit, paratum te inveniat. Ego vero vado viam totius mundi, tantùm mihi misericors sit Salvator mundi, & me modo defendat ab hoste, qui me olim redemit ab hoste ; & quem præsentis vitæ habui consolatorem, æternæ vitæ mihi inveniam largitorem. Hæc discipulus à Patre audiens lacrymis perfusus, tandem præcepta sequutus, lignum inveniens fidit, cavavit. & corpori Patris coaptavit, & fletu opus rigavit quod fecit ; & pene priùs lacrymis implens amaris, quàm paternis membris : aptatumque ut potuit sarcofagum in loco à Patre præfinito composuit. Interim dum tristia Patri filius pararet obsequia, validior Patrem coquebat infirmitas, & in frigido corpusculo vix halitus remanserat extremus, nec tamen ab orationis cessavit officio, vel divinæ laudis obsequio; & dum salutifero corporis Christi & sanguinis viatico suum iter munisset, inter gratiarum actiones, & verba orationis, VI. Kalendas Maii spiritum emisit, positusque est in sepulcrum à discipulo, [in loco] ubi ipse præceperat.

CAPUT XXI.

De gloriâ ejus cœlitus SYGOBARDO *ostensâ.*

SEd mirum dictu : inter exequias paternas subitò discipulus sopore oppressus, vidit in visu quasi raptus esset in aulam splendidissimam, omnique decore pulcherrimam ; imò solis luce clariorem, in quâ B. Richarium præclaro & hilari vultu vidit habitantem, sibique dicentem : Ecce, Frater Sygobarde, qualem mansionem præparavit mihi Deus, pro vili quam habui in terrâ pulcherrimam in cœlo, pro contemptibili gloriosam, pro obscurâ lucidissimam, & pro fumosâ omni suavitate renitentem. (Enimverò, quod prætereundum non est, inter alia quæ in semet conficiebat tormenta, & hunc quoque sanctus Dei sibi ingerebat cruciatum ; si aliquando algeret, abjiciebatur focus ; si calentes auræ haberentur, ad hoc adhibebatur ut non calefaceret ; sed

i *conquirere*] Sic edendum curavi ex conjecturâ ; nam editum erat *concurrere*.

viridi ligno instructus ut obtutus fumo repleret.) Expergiscens itaque discipulus lætior opus exequiarum perfecit, Deo providente, ut filius consolaretur, & Patris gloria monstraretur: conditusque est, ut prædixi, miles Christi ubi suo Regi maximè militarat.

CAPUT XXII.

De Translatione corporis ejus in Centulam.

BEatus itaque Richarius, quia tum pro spectabilissimo genere, tum pro eximiâ sanctitate apud nostrates populos clarissimus habebatur, non diù est permissus eo loci quiescere, quo, propter iter infrequens & vitam remotiorem, seipsum retruserat. Jacuit tamen sancti corporis venerabilis gemma in ligneo illo sarcofago spatio quinque mensium & dierum duodecim, id est, à VI. Kalendas Maii usque ad VII. Idus Octobris: quo scilicet tempore Fratres à Centulo Monasterio, quod, ut suprà dictum est, ipse sanctus ædificaverat, cum suo Abbate OCIOALDO viro religioso, sanctique successore venerunt, & dilecti Patris corpus venerandum levaverunt, ita ab omni tabo corruptionis liberum, sicut ab omni mundi amore cor possederat mundum. Cum reverentiâ ergo tanto Confessori debitâ glebam omni auro cariorem devotissimè humeris imponentes, præcedente & subsequente religiosorum & plebialium catervâ, detulerunt Centulam, ut quæ sancti viri gaudebat geniturâ, ejus consequenter ornaretur sepulturâ. Sepultus est ergo Christi amicus & gloriosus Confessor Richarius in Ecclesiâ suâ, quam sub honore nostræ Dominæ Sanctæ Dei Matris MARIÆ dudum ædificaverat, VII. Idus Octobris: in quo loco à parte capitis ejus beati Petri Apostolorum Primatis nunc altare habetur. Ibique longo quievit tempore in alio tumulo, donec post CL. & eo ampliùs annos à sanctis viris qui huic nostro Cœnobio præfuerunt, & maximè à sanctæ recordationis Angilberto Abbate omni venerabilitatis honorificentiâ excultum est; quod quomodo sit completum, Deo auxiliante, aliàs expedietur. Ibi autem, Deo præstante qui suos fideles novit clarificare, nova sæpe noscuntur miracula facta, quæ omnipotentem Dominum duabus ex causis constat facere voluisse, ut scilicet fides precantium patefieret, & merita sui servi ostenderentur, quo in servo suo Christi semper laus celebretur, ut dictum est. Laudate Dominum in Sanctis ejus [de quibus ea placet recordari quæ antiquorum industria, ut posteri scirent, scripturæ mandavit.]

CAPUT XXIII.

De miraculis ad sepulchrum ejus peractis.

QUidam igitur contractus, corpore debilis, sed fide robustus frequentabat orando sancti Dei sepulcrum, qui optatâ subitò sanitate receptâ, dat gloriam Deo, quod infirmus venit & sanus recessit. In cujus miraculi memoriâ, multo tempore sustentacula infirmitatis illius in Ecclesiâ S. Richarii pependerunt. Multoties autem arrepticii & dæmoniis pleni cum propinquorum obsequio illuc deducti fuissent, divinâ concedente clementiâ à vexatione maligni spiritûs statim liberabantur. Quodam verò tempore vinculati & catenati quidam per publicam ducebantur stratam, quæ propè Ecclesiam Beati Richarii jacet, qui dùm eminùs viri Dei viderunt templum, voce magnâ clamaverunt, S. Richarii solve nos: & statim ruptis vinculis, absoluti sunt omnes. Item cladis magna, quæ vocatur pamicula seu venenosa lacerta, percussit quemdam è fratribus monasterii S. Richarii, qui licet mortem timeret propter cladem, vitam tamen non desperavit propter patronum: ad sepulcrum ergo servi Dei quasi ad certa suffragia, cucurrit cum fratribus reliquis, ibique oratione factâ, & ipse continuò salvatus est, & omnes de cætero defensi sunt à plagâ.]

MYCON *Diaconus & Monacus.*

ANNUA *festivitas hodie celebratur honore*
Almi Richarii, qui colit astra poli.
Hic inopem Christi duxit pro nomine vitam,
Ut cœlo socius fieret Angelicus.
Captivorum etenim studuit fore satque redemptor,
Tutor egenorum, atque pater inopum.
Non opus est, fateor, neque possum stringere cuncta
Vivens quæ gessit, quanta etiam docuit.
Qualis enim quantusque fuit, miracula pandunt,
Illius in sacro sæpe peracta loco.
Finibus in propriis ortus quibus ipse quiescit,
Cujus pro meritis stat locus incolumis.
Ipsius obtentu, necnon Christoque favente,
Sistimus illæsi denique nos famuli.
Quapropter hodie Christo jubilemus ovantes
Laudes, pro sancti Richarii meritis.
Ut cunctis nostra placeant præsentibus odæ
Nec minùs & Domino, hoc igitur moneo.
Atque pium puro poscamus corde Patronum,
Ut noster cuspis sit, simul & clypeus.
Quatenùs armati precibus superare queamus
Infestos nimium Catholicæ Ecclesiæ.
Hoc mundi facias Rector, quia hoc tibi posse est,
Sit tantùm velle, poscimus ô Domine.
Et tibi festa dies, præceptor læta per annos
En numero pauci versiculi hoc rogitant.

CAPUT XXIV.

De successionibus Regum Francorum.

QUoniam quidem in initio hujus operis de gestis Francorum aliquid memoratum est, necesse remur, ac perpulcrum est, ut quidpiam iterum de eisdem referamus. DAGOBERTUS igitur postquàm post patris obitum regnum ex integro adeptus est, paucis annis vixisse deprehenditur: qui cum haberet duos filios SIGIBERTUM & CLODOVEUM; Sigibertum cum PIPINO Duce Austrasiis regnaturum direxit; Clodoveum verò secum retinuit, qui post eum regnum Francorum suscepit. Hic CLODOVEUS sumsit in conjugium sapientem, & valdè decoram puellam BALDETILDEM, ex quâ CLOTARIUM & HILDERICUM atque THEODERICUM filios suscepit. Quo etiam regnante PIPINUS Dux Austrasiorum mortuus est, atque GRIMOALDUS ipsius Ducis filius Major & Dux à Sigiberto Rege constituitur. SIGIBERTUS quoque mortuus reliquit filium heredem nomine DAGOBERTUM, quem Grimoaldus totondit, & per DIDONEM Pictavorum profanatorem, non dico Episcopum, in exilium misit, filiumque suum Regem substituit. Quod cum Franci rescissent, indignè tulerunt, & per insidias Grimoaldum capientes, Regi Francorum Clodoveo miserunt, quem ille pro merito tractans, in carcere [apud] Parisius trusit, ac demum dignâ morte multavit. Tunc HILDERICUS ipsius CLODOVEI filius Austrasiorum regnum accepit, & honestissimè rexit. Postquàm autem è vita decessit CLODOVEUS filius magni DAGOBERTI, CLOTHARIUS fastigium adeptus est regni, rexitque populum Occidentalium Francorum annis XIV. EBROINO Ducatum & Palatii negotia exequente. Clothario verò defuncto, HILDERICUS germanus ejus in toto regno sublimatus est, pro-

curante id ipsum LEODIGARIO Augustodunensium Episcopo, qui tunc temporis inter regni Magnates egregius animi industriâ, vitæque merito habebatur. Ebroinus autem, qui Major-domûs fuerat, THEODERICUM fratrem HILDERICI cupiebat fieri Regem. Sed quia pro suâ feritate oderant illum Franci, consilium ejus omninò renuerunt: & ille videns se destitutum, consiliumque suum irritum factum, postulavit à Rege, ut relictis omnibus Monachus fieri permitteretur. Cui cum HILDERICUS annuisset, illicò Luxovium perrexit, & mentitâ devotione ad hoc aliquamdiù ibi ceu Monachus deguit, ut liberiùs tractaret quid contrà illos quandoque facere posset, qui in constituendo Rege suam refutaverant electionem. Rex igitur HILDERICUS confirmatus in regno, quotquot tyrannorum statuta adversùm priscorum Regum leges invenit, destruxit, & in pristinum rectitudinis statum quæ ineptè fuerant decreta reduxit. THEODORICUM quoque germanum suum cuidam Dei servo erudiendum ac nutriendum commendavit. Cumque probissimè Monarchiam disponeret, temerè ab insidiatoribus interimitur, cum nonnisi tribus annis regno potitus fuisset; sed & venerabilis genitrix ejus, in omni sanctitate & studio virtutum perfecta, post temporalis regni honorem, quem ipsa relinquens Monasticæ religionis habitum susceperat, æterni gloriam suscepit, VIII. Kalend. Februarii feliciter migrans è sæculo. THEODORICUS igitur matri Baldetildi superstes regni suscepit gubernacula: quod cum audisset ille verus simulator, & falsus Monachus, nequissimus scilicet EBROINUS, Monasterium deseruit, habitum abjecit, & ab eodem Rege Major-domûs Regiæ restitutus, multa mala his qui dudum suo consilio in eligendo Rege restiterant, inflixit. Inter omnia autem suæ sævissimæ crudelitatis nefanda opera, illud detestabilissimum comprobatur, quòd Reverendissimum Pontificem LEODEGARIUM tantis injuriis, tamque multiformibus affecit suppliciis, ut in ipsâ pœnarum argumentatione, paganorum quondam principum sævitiam æquiparasse, aut etiam superavisse jure dicatur. Hi ergo fuerunt Reges, qui ex quo cœpit regnum Francorum, usque ad hoc tempus habiti sunt. Meroveus, Childericus, Hludogvicus, Clotarius, Aripertus, Guntrannus, Chilpericus, Sigibertus, Clotarius, Hildebertus, Theodoricus, Theodebertus, Sigibertus, Dagobertus, Sigibertus, Clodoveus, Dagobertus, Clotarius, Hildericus, atque Theodoricus.

CAPUT XXV.

De Abbate OCIOALDO, *& aliis quatuor Abbatibus.*

AT nunc illud poni decet, quòd decedente sanctissimo Abbate Richario, OCIOALDUS vir honestus Centulensi Cœnobio præfuerit, quem, ut suprà comprehensum est, sanctus ipse tali officio decorarat. Hic consummato sanctæ vitæ cursu fideli, bravium à Christo accepit gloriæ immortalis. Postquàm verò debito nostræ mortalitatis absolutus est, lucidum nobis non est, quem statim ministerii habuerit successorem. Extiterunt sanè & alii non ignobiles viri hujus nostri Cœnobii Abbates, quorum gesta licet sint occultata hominibus, eorum tamen vitæ merita apud Deum magna fore creduntur; inter quos floruit vir venerabilis vitæ, & summæ simplicitatis Abbas COSCHINUS; quem ferunt ex discipulis sancti Filiberti fuisse, & ob morum probitatem scientiæque ubertatem Gemmeticensi Monasterio præfuisse. Si quidem cum sacratissimus Pater noster Richarius, superato in hujus vitæ procinctu sæculo, jam emeritus miles & morti proximus haberetur, B. FILIBERTUS juveniles annos in Dei servitio exercebat, continentissimæ servitutis tirocinium gerens in Resbacensi Cœnobio sub sancto Abbate AGILO. Unde & contigisse fertur, ut ab eo jam sene Gemmeticense Cœnobium fundante, iste Coschinus divinis institutis fuerit eruditus, & meritò vitæ post alios quosdam ipsi Monasterio præfuerit. Sicque factum est, ut dum illuc Monachos verbis & rectorum operum exemplis opimat, nostrates eum Monachi sibi Abbatem præfecerint: non quia inter eos defecisset, qui hoc opus dignè exequi posset, sed quia charitas summa & humilitatis altitudo ad hoc eos compulerit. Eo enim tempore jam omnes è sæculo migraverant qui sanctissimum Patrem Richarium videre potuerant; & ob hoc hujus loci Fratres, magno penes eum ducti sunt amore, quia videlicet suis oculis viderat B. Filibertum, Beatissimi Richarii ferventissimum, ut dicebant, dilectorem. Iste itaque cum jam, ut diximus, Gemmeticum Cœnobium regeret, nostro quoque Cœnobio fraternâ electione prælatus est. Hic ad incitamentum virtutis, & ad exemplum ædificationis animarum sibi commissarum, B. Filiberti vitam describi jussit, vero quidem sed non valdè culto sermone; quippe qui sic loqui gestiebat, ut & simpliciores ex lectione admodum planâ fructum intelligentiæ capere possent. A tempore ergo hujus Abbatis Centulense Cœnobium & Gemegiense ita ad invicem ex multâ charitate se complectuntur, ut præter quod locis dividebantur, summâ dilectione viderentur uniri.

Coschinus Abbas Centulensis.

Tunc verè sancti & boni Fideles non valdè curabant scriptis quæ gerebantur committere, qui ad hoc solùm contendebant, ut in libro vitæ mererentur adscribi. Unde & illius temporis Abbates, ex toto prorsùs ignorassemus, nisi venerabilis Abbas ANGELRANNUS ex aliquanto id procurasset. Qui dum priscorum Abbatum Catalogum perstringeret, ex iis unum fuisse insinuavit GUITMARUM, quem & sanctissimum virum titulavit. Et quia tanti viri tale meruit testimonium, dignum est ut à nobis pusillis memoretur, qui viri verè sancti ore sanctissimus est notatus. Hic in Neustriæ solo humatus quiescit, & in suo nomine dicata Ecclesia existit; qui quantæ sanctitatis & justitiæ fuerit, nos quidem non occurrimus dicere, sed his qui ejus corpori sancto deserviunt Canonicis prædicandum committimus. Hunc itaque in ordine nostræ descriptionis quartum Abbatem ponimus.

Angelrannus Abbas Catalogum Abbatũ conscripsit. Guitmarus quartus Abbas.

Post istos Reverendos Abbates quinto loco dicitur Centulæ congregationem rexisse ALDRICUS, de cujus gestis apud nos nulla indicia visuntur, cum & ipsum ejus nomen ignorassemus, nisi hoc venerandi Abbatis industria Angelranni revelasset.

V. Abbas Aldricus.

Aldrico quoque de medio facto, Centulo Monasterio præfuit SYMPHORIANUS, vir bonus, castus, Deum timens, segregans se à peccatoribus, & excelsior cœlo mentis puritate effectus.

VI. Symphorianus.

Horum itaque tempore Abbatum tam magna & tam frequentia apud tumulum sacratissimi corporis B. Richarii divinitùs patrabantur magnalia, ut etiam rerum immensitas atque magnitudo illius temporis scriptoribus omninò abstulerit scriptitandi voluntatem, dum ea quæ quotidie cernebant superfluum æstimarent; vel tarditate ingenii, seu rerum inopiâ vetarentur describere, quæ nec memoriâ aboleri unquam posse putabant. Non solùm autem in hoc, ubi corpore Sanctus quiescebat, sed etiam in Foresti loco, ubi aliquamdiù moratus fuerat, ingentia miracula sæpissimè ostendebantur. Sciat verò legens hanc Forestensem Cellulam à die Sanctissimi obitûs B. Richarii fuisse decenter à Fratribus excultam, &

qualem hic habuit locus, talem & ipsam Cellam obtinuisse Abbatem, ut pote qui ab initio habuerant unum eumdemque sacratissimum Fundatorem.

Postquàm ergo B. Patris Richarii, qui nostræ fidei & religionis fundamentum exstitit, ex aliquâ parte vitam digessimus, quam & huic quoque operi stabilimentum & decorem posuimus, habeant sibi nostra Gymnasia hanc portionem pro libello, ut à loquutione diu habitâ, noster interim spiritus conticescens ex modicâ quiete validior ad dicendum reddatur. Nunc autem Deo Patri & Filio pro præstitis gratias exhibentes, & in dicendis sancti Spiritûs gratiam expetentes, textulum finiamus: orantes ut in verbo & actu sanctæ Trinitatis virtute dirigamur, cujus nos confessio gloriosos faciat in sæcula sæculorum, Amen.



LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De Genealogia Francorum Principum.

Superiori libello innotuit quanto & quali Fundatore hoc Monasterium Centulense originem vel initium sanctitatis acceperit, & qualiter ipse primus Pastor noster vixerit in mundo, vel qualiter insertus sit cœlo: sicque seriatim ad sextum usque nostri loci Abbatem noster sermo perductus est. Tandem igitur septimum designemus, cui jure septenarius numerus compensatur ob gratiam Spiritûs sancti, cui is quem dicere habemus, habitatio exstitit gratiosa. (VII. Abbas Angilbertus.) ANGILBERTUS hic est Deo & hominibus carus, genere splendidus, virtute præcipuus, Regum & Procerum alumnus, & nunc multo latiùs pro Angelorum societate beatus. Sed quia nobilitatem nostri loci ex aliquanto perstringere proposuimus, quem nobilitatum jam ex primi fundatoris sanctitate signavimus, dignum est ejus viri nobilitatem à nobis pro posse explicari, cujus opere & industriâ idem locus noster magnificè meruit ampliari.

754. Anno igitur Incarnationis Dominicæ DCCLIV. Cùm PIPINUS cum filiis KAROLO & KARLOMANNO Francorum orbi imperaret, omnium bonorum laude semper attollendus Angilbertus indole suæ nobilitatis jam dictos Reges sic in sui amorem converterat, ut miro modo visceraliter illum diligerent, & verso modo Reges quibus ab aliis placeri studetur, huic præ affectu dilectionis placere studerent. Inde autem hunc arbitramur honestari libellum, si & horum quoque Regum Genealogiam breviter annotemus. (IV. Rex Francorum Clotarius.) Quartus Rex Francorum CLOTARIUS, illius quem sanctus Remigius baptisavit Hludogvici filius, genuit filiam nomine BLITHILDEM, (Ejus posteri.) quam ANSBERTUS vir Senatoriæ dignitatis meruit uxorem, ex quâ genuit ARNOLDUM, FERIOLUM ac MODERICUM fratres, ARNOLDUS generavit ARNULFUM, primò quidem sub Clothario Dagoberti patre Palatii Præfectum, postea autem Mettensis urbis Episcopum. ARNULFUS genuit FLODULFUM, ANSEGISUM & GUALCHISUM B. Guandregisili genitorem. ANSEGISUS post patrem Major & Præfectus genuit PIPINUM Seniorem & Ducem, qui & ipse genuit KARLUM itidem Seniorem & Ducem. Ansegiso igitur, filioque ejus Pipino humanam obeuntibus vitam, KARLUS totius gentis Francorum magistratum, quamquam post multa bella & certamina, de manu RAINFRIDI tyranni abstulit, suæque ditioni subegit. Denique rebus bellicis operosissimè insistens, tyrannos per totam Franciam sibi dominatum vendicantes oppressit, ob eamque rem plurima juri Ecclesiastico detrahens prædia fisco sociavit, ac deinde militibus propriis dispertivit. Præterea Sarracenos Galliam occupare tentantes duobus permagnis præliis, uno in Aquitaniâ apud Pictavum, altero verò apud Narbonam juxtà Byrram flumen ita devicit, ut in Hispanias redire compulerit. Itaque cum adversantibus nullatenùs cedere sciret, nullique parcere, durum à posteris Tudites agnomen adeptus est. Tudites enim mallei dicuntur fabrorum, quorum ictibus cuncta atteritur durities. Pepigit hic fœdus cum LEUTBRANDO Rege Langobardorum, eique filium suum PIPINUM misit, ut more fidelium Christianorum ejus capillum primus attonderet, ac pater illi spiritualis existeret. Quod ille gratantissimè complens, multis ditatum muneribus genitori natum remisit. Rebus itaque humanis eo post diutinam administrationem exempto, duo filii ejus PIPINUS & KARLOMANNUS regni summam concordi societate divisam aliquot annis sub CHILDRICO, nomine tenùs Rege, gubernaverunt. Nam in illo tempore decidente Regali gloriâ, per Præfectos Palatii Domus Regia ordinabatur: neque aliud Regi relinquebatur, quàm ut Regio solùm nomine contentus solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, Legatos undecumque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa quæ erat edoctus, vel potiùs jussus, ex suâ velut potestate redderet; at regni administrationem, & omnia, quæ vel domi vel foris erant agenda ac disponenda, Præfectus Aulæ procurabat.

CAPUT II.

Ut KARLOMANNUS, concessâ fratri portione Ducatûs, Monachus factus sit.

KARLOMANNUS itaque post aliquantum temporis spatium excursum, regni partem, quam ad regendum susceperat, fratri Pippino relinquens, amore succensus speculativæ vitæ Romam sese contulit, atque in Monasterio S. Silvestri, quod erat in monte Soractim, aliquamdiu conversatus est sat religiosè; sed cum Francorum populi, qui obtentu B. Petri Apostoli Romam petebant, illo diverterent, eumque frequentiùs inviserent, videns hoc suo proposito officere, recessit inde, atque postea Cassinense Cœnobium, quod tunc à quodam religiosissimo viro nomine Petronace restaurabatur, inhabitavit. Igitur PIPPINUS regni Francorum summam consequutus, jussu STEPHANI Romani Pontificis, qui tunc temporis Parisius morabatur, ob nequitiam Langobardorum pulsus Italiâ, HILDRICUM inertissimum Regem depositum ac detonsum privatè vivere compulit. (Pippinus Rex à Stephano Papa initiatus.) Genuerat autem & ipse ex uxore BERTRADA duos filios, KARLOMANNUM & KAROLUM. Prædictus autem Papa cum diutiùs Parisius moraretur, contigit eum gravissimè infirmari, sed apparentibus sibi sanctis Apostolis Petro & Paulo, sanctoque Dionysio, quòd & sanandus, ac propriam sedem esset cum pace reversurus, audivit: quique sospitate receptâ, cum in ipsâ Dominicæ Nativitatis solemnitate apud Beatum Martyrem Dionysium divina celebraret officia, inter ipsa Missarum sacro-sancta mysteria unxit Pippinum cum uxore Bertradâ, & duobus filiis, in Reges Francorum.

Pippinus denique annis duodecim superstes, duobus filiis regni successionem reliquit: è quibus Karolus moriente germano Monarchiam solus obtinuit. Cui clarissimus vir ANGILBERTUS nobilitatis (Angilbertus in conjugium Bertam ducit.)

& ſapientiæ merito exſtitit cariſſimus, adeo ut præ omnibus ei familiariſſimus haberetur; quæ amicitia in tantùm convaluit, ut Regis filiam nomine BERTAM in conjugium acciperet, de quâ duos filios HARNIDUM & NITHARDUM genuit. Cui etiam ad augmentum Palatini honoris, totiùs maritimæ terræ Ducatus commiſſus eſt.

Erat eo tempore hoc Centulenſe Cœnobium, à ſancto dudum Richario fundatum, à Monachis ſatis honeſtè Deo famulantibus hactenùs inhabitatum, qui morum quidem divitiis plenam, ſed rebus ſæculi non valde locupletem vitam ducebant: non quòd eis prædiorum ac redituum ſeu villarum à ſancto Richario collata deeſſet copia, ſed quòd omnes redhibitionum impenſas in pauperum magis quàm in ſuas utilitates conferebant. ANGILBERTUS itaque cum accepto Ducatu Pontivum inviſeret, à Provincialibus audivit ſigna & prodigia virtutum, quæ omnipotens Chriſtus ad ſepulcrum ſui ſanctiſſimi Confeſſoris Richarii jugiter operabatur: quæ opera in corde ejus magnum huic loco amorem conciliaverunt; unde & exhibitio operis quæ eſt probatio dilectionis, extemplo proſequuta eſt: nam impetratâ ab Imperatore Karolo complendi voti licentiâ, ſimulque intimato cordis ſui deſiderio, quo S. Richarii Eccleſiam reficere ambiebat, accepit ab eodem Rege cum omni favorabilitate benignam reſponſionem, ſolamen & adjutorium ſuum illi nunquam defuturum ſpondente. Aperiuntur illi jubente Rege theſauri ingentes, & quidquid vel quantum vellet inde tollere rogatur, quo dilectiſſimi viri intentio diligentiſſimè compleretur. Ita poſt libata dulcis amicitiæ oſcula, venerabilis Angilbertus Pontivum ac Centulam regreditur; & in Monaſterio ſanctiſſimi Patris Richarii Monachi indumentum, & verè humilitatem ſuſcepit. Itaque poſt non multum temporis Abbas loci defungitur, & tam Fratrum precatu, quàm Regis juſſu Angilbertus continentia & humilitate reverà Monachus, ad hoc officium provehitur. Quod poſtquàm factum eſt, artifices doctiſſimos ligni & lapidis, vitri & marmoris, Angilberto dirigit Regia poteſtas. Exinde quia tam pro amore ſancti Richarii, quàm pro dilecto ſuo Angilberto, Centulenſe Monaſterium omni honorificentiâ attollere cupiebat, direxit vehicula fortia & multa in urbem Romam, ut marmor & columnæ ad ornatum jam dictæ Eccleſiæ deferrentur: nec hoc contentus, dirigit Legatos per regna & civitates, jubens ſubditis, rogans à non ſubditis, ut ſibi mittant Reliquias de Sanctis quos diverſa loca habebant: quòd ſi quis noſſe vult quæ & quales Sanctorum Reliquiæ huc allatæ ſunt, non noſter ſermo, ſed ipſius Domini Angilberti ſcriptura demonſtrabit; quæ paulò poſt inſeretur.

Monachū induit in Centulenſi Cœnobio.

Fit Abbas.

CAPUT III.

De readificatione Centuli Monaſterii.

ANGILBERTUS igitur Dei fretus auxilio, & Domni Karoli aſſenſu & largitate omnimodâ, primò dejiciens illud antiquum à ſancto Richario locatum templum, magnâ & inſigni prudentiâ novi fundamenta conjecit: ob hoc autem vetuſtum depoſuit, quia S. Richarii venerabile corpus ibidem tumulo tenebatur, & voti ejus erat ſuper ſancta ejus membra componere elegantem Baſilicam. Piiſſimus autem Rex Karolus ex ſuis, ut dictum eſt, theſauris tantam & tam immenſam eidem delegavit pecuniam, ut ad omne opus neceſſarium, mercede abundante ante deficeret quis operaretur, & quod operaretur, quàm unde operarius remuneraretur. Cum ergo marmoreæ columnæ in butico erigerentur, una inter erigentium manus lapſa in duo fruſta confracta eſt: extemplo tantus omnes qui aderant dolor excepit, ut eâ die nihil operis percomplerent. Mane facto dum redirent artifices, excogitaturi quonam modo ipſi fracturæ mederentur, viderunt columnam ſtantem ſuper baſim ſuam nihil læſuræ habentem. Angelus quippe Domini veniens, & ſuo digito ſciſſuram perpalpans, integerrimam dicto citiùs reſtituit. Monſtratur verò ipſum Angelicæ manûs veſtigium, ita ut intuentibus videatur manere diviſa, cum ipſum locum teneat fortiorem. Multo igitur apparatu, ſummâque diligentiâ, ac eximio decore inchoatum eſt conſtrui Monaſterium, atque in honore Salvatoris, ſanctique Richarii, fulgentiſſima Eccleſia, omnibuſque illius temporis Eccleſiis præſtantiſſima, perfecta eſt. Hæc ab Oriente habet ingentem turrem poſt cancellum, & interpoſito veſtibulo alia turris verſùs Occidentem habetur priori æqualis: illa autem quæ ad Orientem vergit propè locum ſita eſt quo ſanctus Richarius ſepulturam habuit. Sepultura verò ipſa ita poſita eſt, ut à parte pedum ipſius Sancti altare ſit in loco editiori, & à parte capitis ſancti Petri Apoſtoli ara perſiſtat. Turris ergo Orientalis cum cancello & butico ſancto Richario dicata eſt; & turris Occidentalis in honore ſancti Salvatoris ſpecialiter eſt dicata: ubi etiam in gyro deintus hos verſiculos ſcribere fecit memorabilis Angilbertus.

OMnipotens Dominus qui celſa vel imo gubernas,
Maieſtate potens ſemper ubique Deus.
Reſpice de ſolio Sanctorum gloria ſummo,
Auxiliumque tuis Rex bone da famulis.
Principibus pacem, ſubjectis adde ſalutem;
Hoſtis pelle minas, & fera bella preme.
Hæc quoque quæ ſtatui fulgentia culmina templi
ANGILBERTUS ego, ſint tibi grata Deo.
Auguſto & KAROLO, cujus virtute peregi,
Concede imperii gaudia magna tui.
Quiſquis & hic ſummas precibus pulſaverit aures,
Effectum tribuas ſemper habere Deus.

Videtur uſque hodie in pavimento chori tam pulchra & tam diſtincta marmoris operatio, ut quicumque illud inſpicit incomparabile opus aſſeveret. Sanè coram altare S. Richarii fecit pingere in ipſo pavimento quoſdam verſiculos, quos nos hîc quoque neceſſariò mittere curamus.

Hoc pavimentum humilis Abbas componere feci
Angilbertus ego, ductus amore Dei.
Ut mihi poſt obitum ſanctam donare quietem
Dignetur Chriſtus, vita, ſaluſque mea.

Enimverò quia antiqua illa ſancti Richarii Eccleſia in honore ſanctæ MARIÆ fuerat conſecrata, ne videretur venerabilis vir Dei matrem exhonoraſſe, alteram ei conſtruxit, quæ citrà fluviolum Scarduonem hactenùs conſiſtit. Sancto quoque Benedicto Abbati unam extruxit, quam ſuper ripam jamdicti fluvioli collocavit. Si igitur ſitus loci diſcernatur, animadvertitur major Eccleſia, quæ ſancti Richarii eſt, Aquilonem tenere; ſecunda inferior, quæ in honore noſtræ Dominæ S. MARIÆ citrà fluvium Scarduonem ſita eſt, Auſtrum; tertia, quæ minima eſt, Orientem. Clauſtrum verò Monachorum triangulum factum eſt, videlicet à S. Richario uſque ad S. MARIAM tectus unus: à ſancta MARIA uſque ad S. Benedictum tectus unus; Itemque à S. Benedicto uſque ad S. Richarium tectus unus. Sicque fit, ut dum hinc inde parietes ſibi invicem concurrunt, medium ſpatium ſub divo triangulum habeatur. Monaſterium igitur ſecundùm decretum Regulæ ſanctiſſimi Benedicti, ita diſpoſitum fuit, ut omnis ars, omneque opus neceſſarium intrà loci

ambitum exerceretur. Aqua autem torrentis Scardonis ipsum Claustrum præterfluit, quæ & ibi farinarium Fratrum in vertiginem mittit. Sed quia nos de situ loci hæc breviter diximus, Monasterii dedicationem jam modo disseramus : quæ tamen non nostris verbis, sed Domni Angilberti scripto hodieque permanenti demonstranda est : cujus tale est exemplar.

CAPUT IV.

Scriptura Domni ANGILBERTI *de perfectione & dedicatione Centulensis Ecclesiæ.*

EGo igitur præscriptus ANGILBERTUS considerans, ac diligentissimâ investigatione, & mentis affectu pertractans, qualiter unà cum consensu Fratrum meorum & omnium fidelium sanctæ Ecclesiæ, cæterorumque bonorum hominum, hunc sanctum locum mihi licet indigno ab omnipotente Deo, & Excellentissimo domino meo Karolo Serenissimo Augusto, ad gubernandum commissum auxiliante Domino in melius reædificare voluissem; ut Monachi, & cæteri famuli ibidem consistentes, vel etiam successores nostri qui per diversa temporum spatia successuri erunt, Deo militare, pro me, & pro prædicto domino meo, ejusdem Dei clementiam attentiùs valeant implorare, quatenùs illis facta nostra ad perpetuam consolationem, nobisque, qui pro Dei amore laboravimus, illis orantibus ad mercedem proficiant sempiternam : secundùm quod ratio permisit, & possibilitas nostra administravit, non tamen quantum voluimus, sed quantum occurrimus, sicut in sequentibus declaratur, laborare curavimus.

Quia igitur omnis plebs fidelium sanctissimam atque inseparabilem Trinitatem confiteri, venerari, & mente colere firmiterque credere debet, secundùm hujus fidei rationem in omnipotentis Dei nomine tres Ecclesias principales, cum membris ad se pertinentibus, in hoc sancto loco, Domino cooperante, & prædicto domino Augusto juvante, fundare studuimus : quarum major & prima est in honore Sancti Salvatoris & S. Richarii; alia in honore Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis MARIÆ & sanctorum Apostolorum; tertia verò in Claustro Fratrum in honore S. Benedicti Abbatis & reliquorum sanctorum regularium Abbatum. Quæ etiam mirifico ordine dedicatæ sunt à venerabilibus duodecim SS. Episcopis, quorum nomina ob venerationem & memoriam illorum huic Opusculo annectanda esse judicavimus. Hi sunt, MEGIMHARDUS Rodomensis Ecclesiæ sedis venerabilis Archiepiscopus, GEORGIUS, ABSALON, GERFRIDUS, PLEON, HILDIGUARDUS, THEODOINUS, YDELMARUS, BENEDICTUS, & KELLANUS, Præclarissimi Episcopi : JOANNES verò & PASSIVUS sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ Legati, Præsules nobilissimi. Nam altare S. Salvatoris, in quo positæ sunt reliquiæ ejus & SS. Innocentium, qui pro eo passi sunt; & altare S. Richarii, in quo sunt reliquiæ sanctæ genitricis MARIÆ, & ejusdem S. Richarii : altare S. Petri, in quo reliquiæ ejus, & S. Pauli, Sanctique Clementis : altare S. Joannis Baptistæ, in quo reliquiæ ejus, & Zachariæ patris ipsius : altare S. Stephani, in quo reliquiæ ejus, & Simeonis qui Dominum in ulnas suscepit : altare S. Quintini, in quo reliquiæ ejus, & SS. Crispini & Crispiniani : altare S. Crucis, in quo reliquiæ ligni ipsius : altare sancti Dionysii, in quo reliquiæ ejus, Rustici, & Eleutherii : altare S. Mauricii, in quo reliquiæ ejus, Exsuperii & Candidi : altare sancti Laurentii, in quo reliquiæ ejus, Sebastiani & Valeriani : & altare sancti Martini, in quo reliquiæ ejus, & Remedii, Vedasti, Medardi, Gualarici, Lupi, Servatii, Germani, atque Eligii. In Ecclesiâ verò S. Benedicti, altare ipsius, in quo sunt reliquiæ ejus, & Antonii & Columbani : altare S. Hieronymi, in quo reliquiæ ejus, Ephrem, & Equitii : & altare S. Gregorii, in quo reliquiæ ejus, Eusebii, & Isidori; ab eisdem jamdictis electissimis viris condignè, ac diligentissimè, cum ingenti gaudio sub die Kal. Januarii fuerunt Domino consecrata. In Ecclesiâ etenim beatæ Mariæ Virginis altare ipsius, in quo reconditæ sunt reliquiæ ejus, & sanctarum Felicitatis, Perpetuæ, Agathæ, Agnetis, Luciæ, Cæciliæ, Anastasiæ, Geretrudis & Petronillæ : altare S. Pauli, in quo reliquiæ ejus, Barnabæ, & Timothei : altare S. Thomæ, in quo reliquiæ ejus, Ambrosii & Sulpicii : altare S. Philippi, in quo reliquiæ ejus, Silvestri & Leonis : altare S. Andreæ, in quo reliquiæ ejus, Georgii, & Alexandri : altare sancti Jacobi, in quo reliquiæ ejus, Xysti, & Apollinaris : altare beati Joannis Evangelistæ, in quo reliquiæ ejus, Lini & Cleti : altare sancti Bartholomæi, in quo reliquiæ ejus, Ignatii, & Polycarpi : altare S. Simonis, in quo reliquiæ ejus, Cosmæ & Damiani : altare sancti Matthæi, in quo reliquiæ ejus, Marci, & Lucæ : altare S. Thaddæi, in quo reliquiæ ejus, Nazarii & Vitalis : altare sancti Jacobi fratris Domini, in quo reliquiæ ejus, Gervasii & Protasii : altare sancti Matthiæ, in quo reliquiæ ejus, Hilarii & Augustini : VI. Idus Septembris in ejus sacratissimâ Nativitate à venerabilibus Episcopis, GEORGIO videlicet ABSALONE, PLEONE & GERFRIDO honore dignissimo sunt dedicata. Sed & altare beati Archangeli Gabrielis, quod est situm in portâ meridianâ, VIII. Kal. Aprilis in Annuntiatione S. MARIÆ : Michaëlis verò, quod est in portâ Occidentali, III. Kal. Oct. ab HILDEGUALDO venerabili Episcopo : Raphaëlis autem, quod est in portâ Septentrionali, II. Non. Septembris, in honore ipsorum Archangelorum, omnium virtutum cœlorum, à JESSE religioso Episcopo optimè sunt consecrata.

Reliqua verò mœnia ipsius Monasterii eodem Domino cooperante quæ hactenùs conspiciuntur constructa, sicuti cernuntur, omnia à fundamentis studuimus reædificare, & ut habitatores illius in eo Missarum solemnia frequentare, & omnipotenti Domino delectentur deservire, ipso adjuvante, muro curavimus firmiter ambire.

CAPUT V.

De Reliquiis quas de diversis Provinciis in hunc sanctum locum congregavit, & de Capsis quibus habentur reconditæ.

DUm enim præscriptas Ecclesias prudenti consilio in honore Domini nostri JESU-CHRISTI, suæque gloriosæ Genitricis, & Omnium Sanctorum ejus, sicut suprà scriptum est, fundatas perspiceremus, magno desiderio, nimioque ardoris amore sumus accensi, ut secundùm possibilitatem nostram, eodem Domino miserante, partem Reliquiarum illorum Sanctorum ad ornandas easdem sanctas Dei Ecclesias adipisci mereremur : quapropter totis viribus totâque mentis intentione laborare contendimus, qualiter per auxilium omnipotentis Dei, & adjutorium gloriosi Domini mei magni Imperatoris, de diversis partibus totius Christianitatis, quantas, & quales, vel unde allatas recondere in hoc sancto loco valuissemus, prout in consequentibus patet. Id est in primis de sanctâ Romanâ Ecclesiâ, largiente bonæ memoriæ Adriano Summo Pontifice, & post eum venerabili Leone Papa Romano. De Constantinopoli, vel Hierosolymis, per Legatos illuc à Domino meo directos, ad nos usque delatas. Deind-

de de Italiâ, Germaniâ, [Aquitaniâ,] Burgundiâ, atque Galliâ à Sanctissimis Patribus, Patriarchis videlicet, Archiepiscopis, necnon & Episcopis, atque Abbatibus, nobis directas, seu etiam de sacro Palatio quæ per tempora ab anterioribus Regibus, & postea à jam dicto Domino nostro maximæ sunt congregatæ, per ejus eleemosynam, de omnibus partem habere, atque in hoc sancto loco condignè recondere meruimus. Sed de his, de quibus certi fuimus, & à prædictis sanctissimis viris breves recepimus, omnium illarum nomina in hoc opusculo inserere non negleximus, quatenùs à nobis & à cunctis successoribus nostris, qui per tempora in hunc sanctum locum successuri sunt, & hoc nosse voluerint, magis nomen Domini nostri JESU-CHRISTI, per quem nobis licet indignis, hæc & cætera bona largita sunt, per omnia & in omnibus semper glorificaretur, qui est benedictus in sæcula. De cæteris verò Reliquiis, de quibus incerta sunt nobis nomina, ab eisdem sanctis Patribus receptis, minimè scripsimus; cæterarum autem, sicut decrevimus nomina, isto ordine notare curavimus. Primùm Reliquias Domini & Salvatoris nostri, & ejus gloriosæ Genitricis, & Sanctorum Apostolorum, & cæterorum Martyrum, postea Confessorum, necnon autem Sanctarum Virginum atque continentium subsequuti sumus.

Reliquiæ Domini Salvatoris.

De ligno Domini.
De veste ejus.
De sandaliis ejus.
De præsepe ejus.
De spongiâ ejus.
De Jordane ubi baptizatus est.
De petrâ ubi sedit quando v. millia hominum pavit.
De pane unde distribuit Discipulis suis.
De Templo Domini.
De candelâ quæ in Nativitate ejus accensa est.
De monte Oliveti ubi oravit.
De mensâ ejus.
De monte ubi transfiguratus est.
De columnâ ubi flagellatus est.
De ligaminibus unde ligatus est.
De petrâ unde Crucem ascendit.
De clavis unde crucifixus est.
De loco Calvariæ.
De buccella ubi fel & acetum mixtum fuit.
De petrâ super quam sanguis de latere ejus stillavit.
De Sepulcro Domini.
De lapide revoluto ab ostio monumenti, necnon & de sepulcro Innocentium, qui pro eo passi sunt.
De monte Horeb, vel etiam de lignis trium tabernaculorum.

De Lacte Sanctæ Mariæ.
De capillis ejus.
De veste ejus.
De pallio ejus.

De Barba Sancti Petri.
De sandaliis ejus.
De casulâ ejus, & de mensâ ejus.
De mensâ sancti Pauli.
De orario ejus.
De cippo in quo missus fuit.
De cruce sancti Andreæ.
De manna sancti Joannis Evangelistæ.
De Reliquiis Apostolorum Jacobi, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, Thaddæi, Matthiæ, Barnabæ, & Timothei.
De ossibus Zachariæ Patris sancti Joannis Baptistæ.
Reliquiæ Beati Simeonis qui Dominum in ulnas suscepit.
De capillis Beati Joannis Baptistæ.
De sanguine ejus.
De veste ejus.
De costis sancti Stephani.
De lapide unde lapidatus est.
De craticulâ sancti Laurentii.
Digitus sancti Apollinaris.
De spongiâ sancti Symphoriani, & de veste matris ejus.

Reliquiæ Martyrum.

S. Pancratii.
Vigilii.
Silinnii.
Martyrii.
Pamphili.
SS. Geminorum.
Fabiani.
Valerii.
Pergentini.
Cosmæ.
Damiani.
Anastasii.
Georgii.
Alexandri.
Cassiani.
Magni.
Vitalis.
Nazarii.
Naboris.
Celsi.
Gervasii.
Protasii.
Innocentis.
Laurentii.
Tiburtii.
Valeriani.
Hippolyti.
Christophori.
Felicis.
Mauricii.
Candidi.
Exuperii.
Victoris.
Innocentii.
Benigni.
Dionysii.
Rustici.
Eleutherii.
Cornelii.
Leodegarii.
Sixti.
Firmini.
Saturnini.
Quintini.
Valentini.
Marcelli.
Luciani.
Crispini.
Crispiniani.
Et de ossibus XL. Martyrum: & de sanguine aliorum multorum.

Reliquiæ Confessorum.

S. Hilarii.
Martini.
Germani.
Medardi.
Audoëni.
Eligii.
Amandi.
Lupi.
Aventini.
Sulpicii.
Remedii.
Maurilionis.
Albini.
Servatii.
Hieronymi.
Equitii.
Effrem.
Gregorii.
Augustini.
Leonis.
Silvestri.
Felicis.
Isidori.
Donati.
Benedicti.
Columbani.
Isaac.
Vincentii.
Antonii.
Paulini.
Fortunati.
Simpliciani.
Gualarici.
Vedasti.
Reliquiæ ex corporibus Sanctorum quæ condidit Paulinus Papa.
Reliquiæ sancti Megimboldi.
Prasci.
Eugenii.
Fronti.
Fidelis.
Asterii.
Simpliciani.
Faxidi.
Astogii.
Gislarii.
Sperati.
Roberti.
Galemeri.
Osqualdi.

Reliquiæ Virginum.

Felicitatis.
Perpetuæ.
Agathæ.
Eugeniæ.

Theclæ.	Eufrasiæ.
Cæciliæ.	Aldegundis.
Petronillæ.	Columbæ.
Euphemiæ.	Feliculæ. atque
Faustæ.	Scholasticæ.

Huc usque de certis Sanctorum Reliquiis, de quibus à SS. Patribus, qui eas nobis largiti sunt, nomina certa recipimus, separatis Martyres vel Confessores descripsimus. Deinceps autem distinctè aliorum Sanctorum nomina sive Martyrum, vel Confessorum, quia non invenimus minimè scripsimus.

His ita, sicut paulo superiùs scriptum est, honorificè, decenterque reconditis, in nomine sanctæ Trinitatis cum multâ diligentiâ paravimus capsam majorem auro & gemmis ornatam, in quâ posuimus partem suprà scriptarum Reliquiarum, quam cum ipsis ob venerationem illorum Sanctorum, quorum Reliquiæ in eâ recondi videntur, subtùs cryptam sancti Salvatoris ponere studuimus: nam cæterorum Sanctorum Reliquias, quæ suprà leguntur adscriptæ, per alias XIII. capsas minores auro argentoque, vel gemmis pretiosis honestissimè paratas; quas à sæpe dictis venerabilibus Patribus cum eisdem Reliquiis donante Domino adipisci meruimus, dividere, atque super trabem, quam in arcu coram altare beati Richarii statuimus; ponere curavimus: qualiter in omnibus; sicut dignum est, laus Dei, & veneratio omnium Sanctorum ejus, in hoc sancto loco semper adoretur, colatur, atque veneretur.

CAPUT V.

De Altariis, & Altariorum Sanctique [RICHARII] *ornatu.*

CUmque præscriptorum Sanctorum venerationi altaria ordinata, atque de eorum Reliquiis venerabiliter, ut suprà legitur, à nostrâ parvitate essent ornata; diligenti curâ tractare cœpimus, qualiter ea ad laudem & gloriam Domini nostri JESU-CHRISTI, ob venerationem Sanctorum omnium, in quorum honore sunt consecrata, de donis Dei, & largitate magni Domini mei, ejusque nobilissimæ prolis, vel reliquorum bonorum hominum liberorum, mihi ab illis collatis, opere fabrili in auro, argento, & gemmis ornare etiam, & ubi loca convenientia existerent de super ciboria ponere potuissemus, sicut prout eodem Domino cooperante valuimus, facere studuimus. Id sunt in Ecclesiâ sancti Salvatoris, sanctique Richarii altaria fabricata undecim, ciboria duo, lectoria auro, argento & marmoribus parata duo. In Ecclesiâ sanctæ Dei Genitricis MARIÆ, & Sanctorum Apostolorum altaria fabricata XIII. Ciborium unum, & lectorium optimè paratum unum. In Ecclesiâ sancti Benedicti altaria parata tria. In Ecclesiis verò Sanctorum Angelorum Gabriëlis, Michaëlis, Raphaëlis, altaria tria, quæ simul fiunt altaria XXX. & ciboria III. & lectoria III. Nam de aliis vasis & suppellectilibus habentur [cruces] in eisdem Ecclesiis auro, argentoque paratæ XVII. coronæ aureæ II. lampades argenteæ VI. cuprinæ auro argentoque decoratæ XII. poma aurea III. calices aurei cum patenis II. Calix unus aureus magnus cum imaginibus simul & patena; alii calices argentei cum suis patenis XII. offertoria argentea X. ad caput S. Richarii tabula auro & argento parata una. Ostia majora auro & argento parata II. alia minora II. alia ostiola similiter parata duo, balteum aureum I atramentarium optimum argenteum auro paratum I. cultellus auro & margaritis paratus I. codex eburneus auro, argento, & margaritis optimè paratus I. punga auro parata I. incensaria argentea auro parata IV. hanappi argentei superaurati XIII. concha argentea major cum imaginibus argenteis una: bocularis argenteus I. urcei argentei cum aquamanilibus suis II. canna argentea I. eburnea una. Situlæ argenteæ II. [sivones argentei II.] clavis aurea I. scilla argentea I. coronæ cum luminibus XIII. columnæ ante altare S. Richarii auro & argento paratæ VI. trabes minores cum arcubus suis argento paratæ III. cloccaria auro parata III. cloccæ optimæ XV. cum earum circulis XV. Skillæ III. imagines æneæ VI. eburnea I. candelabra auro parata II. ostia auro parata VII. Insuper donavimus ibi pallia optima LXXVIII. cappas CC. Dalmaticas XXIV. sericas. Albas Romanas cum amictis suis auro paratas VI. Albas lineas CCLX. casulas de pallio XXX. de purpurâ X. de storace VI. de pisce I. de plattâ XV. de cendato V. Stolas auro paratas V. fanones de pallio auro paratos X. cussinos de pallio V. saga de pallio V.

De libris, Evangelium auro scriptum cum tabulis argenteis auro & lapidibus pretiosis mirificè paratum I. aliud Evangelium plenarium I. de aliis libris volumina CC. Insuper etiam plurima ornamenta in fabricaturis, & diversis utilitatibus, in plumbo, vitro, marmore, seu cætera instrumenta quæ longum fuit enumerare, prolixiusque scribere: quæ tamen tunc temporis appretiata sunt à fidelibus Dei & S. Richarii, qui nobiscum in Dei servitio laborantes exstiterant, hæc omnia valere potuisse libras XV. millia, vel eo ampliùs.

Huc usque Sanctissimi viri Angilberti scriptura de constructione, & dedicatione, sive ornatu Ecclesiæ Centulensis digesta est, quæ ab ipso venerabili viro usque ad hæc nostra tempora per CCC. annos & ampliùs valde inveterata, non sine labore ad futurorum eruditionem à nobis huic operi inserta est. Sunt certè & alia multa, quæ ad decorem divini officii cum superioribus inveniuntur ab eo honestè statuta: sed quia post tanta tempora apud nos tam pro loci immutatione, quàm pro Abbatum voluntate, non servantur, ob hoc illic referre omnia vitamus; è quibus tamen aliqua adhuc assumemus ob magnitudinem loci nostri exprimendam. Postquàm ergo ornatum Ecclesiæ & impensas thesauri dixit valere potuisse XV. millia libras & eo ampliùs, ita subjecit dicens.

CAPUT VI.

De institutione ejus erga divina Officia.

HIs & aliis, prout donante Domino valuimus, eleganter dispositis, atque ex diversis præscriptis Reliquiis supradictorum Sanctorum ornatis Ecclesiis, diligenti mentis affectu tractare cœpimus, qualiter Domino donante ad hoc pervenire valuissemus; ut sicut in ædificiis marmoreis, & in cæteris ornamentis oculis honestè clarescunt humanis, ita etiam in Dei laudibus, in doctrinis diversis, & canticis spiritualibus Christo omnipotenti placere valeamus. Quapropter CCC. Monachos in hoc sancto loco regulariter victuros auxiliante Deo constituimus: optantes, & ordinantes, ut si non plùs, istius numeri congregatio in perpetuum habeatur. Centum etiam pueros scholis erudiendos sub eodem habitu & victu statuimus, qui Fratribus per tres choros divisis in auxilium psallendi & canendi intersint: ita ut chorus sancti Salvatoris centenos Monachos cum IV. & XXX. pueris habeat. Chorus S. Richarii centenos Monachos, tresque & XXX. pueros jugiter habeat. Chorus psallens ante sanctam passionem centenos Monachos, XXXIII. adjunctis pueris similiter habeat. Eâ autem ratione

ipsi chori tres in divinis laudibus personabunt, ut omnes Horas Canonicas in commune simul omnes decantent; quibus decenter expletis, uniuscujusque chori pars tertia Ecclesiam exeat, & corporeis necessitatibus, vel aliis utilitatibus, ad tempus inserviat. Certo temporis spatio interveniente ad divinæ laudis munia celebranda denuò redeuntes. In uno quoque etiam choro id. jugiter observetur, ut Sacerdotum, ac Levitarum reliquorumque sacrorum ordinum æqualis numerus teneatur. Cantorum nihilominùs & Lectorum æquali mensurâ divisio ordinetur, qualiter chorus à choro invice non gravetur. Quinimò omnes unanimes sacrificium laudis Domino omnipotenti pro salute gloriosi Domini mei Augusti Karoli, proque regni ejus stabilitate continuâ devotione jugiter exhibeant. Matutinali etenim, seu Vespertinali officio consummato, mox omnes chori ordinabiliter se ante sanctam passionem congregent: decem tantùm psalmistis unicuique choro remanentibus, & sic per portam sancti Gabrielis, ac per salam Domini Abbatis ambulando per Occidentalem Claustri regionem cantando veniant ad S. MARIAM; ubi oratione pro temporis ratione depositâ, remeando veniant ad S. Benedictum in Orientali parte Claustri situm: inde per gradus arcuum intrent ad sanctum Mauricium, sicque intrantes sancti Richarii Basilicam restituantur suis choris.

Illud etiam observari præcipuâ devotione mandamus, ut nulla dies prætereat absque sacrarum Missarum decantatione; videlicet ut si non plus, vel xxx. à Fratribus diversorum chororum per diversa altaria Missæ quotidie agantur, exceptis illis duabus de Conventu; quæ mane & meridie solemnissimè celebrantur, in quibus quotidie memoria sanctissimi Papæ Adriani, & gloriosi Domini mei Augusti Karoli, conjugis, & prolis ejus teneatur: qualiter juxtà verbum Apostoli pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt constituti, Salvatori Deo nostro obsecrationum vel orationum gratias jugiter persolvamus.

Edita in Oper. Alcuin. pag 1147. Quam prætermisimus quòd ad hanc historiam non spectet.

KAROLUS Dei gratiâ Rex Francorum & Langobardorum ac Patricius Romanorum, dilectissimo Magistro, nobisque cum amore nominando Albino Abbati in Domino JESU CHRISTO æternam Salutem. Pervenit ad nos, &c.

** Hactenus edita.*

* De hoc autem quod cartula nostra prosequuta retulit, quod plurima hinc dici possent, sed noluisse te extendere modum cartulæ, & maximè quia cum sapiente paucis utendum est verbis; ita & nos versâ vice paucis pauca rescribimus. Quod autem usurpasti verba Reginæ Sabæ ad Salomonem de beatitudine servorum qui nobis assistunt, & audiunt verba sapientiæ nostræ, si hoc verum fore scitis, venite, assistite, & audite, ut pariter in Domino in pratis vernantibus varietate florum scripturarum jocundantes delectemur.

Explicit Epistola KAROLI Magni ad ALBINUM Magistrum.

Hic idem Albinus à venerabili Angilberto accersitus Centulam, vitam S. Richarii antiquâ simplicitate negligentiùs digestam venusto sermone composuit: præmissâ Operis præfatione ad eumdem gloriosum Augustum Karolum, in quâ patenter monstratur B. Patris Richarii magna & pluriora fuisse miracula quàm ille exiguus vitæ ejus textus enarrabat. Antiphonas quoque & responsoria, vel Hymnos de eodem Sancto composuit, ut magni Patris festivitas nihil minus congrui officii habere videretur. Ubi notandum est, quòd quodam in Hymno ipsum S. Richarium laudando alloquens dicit; Tu struxisti cœnobium in loco prope Argubium, & aliud in Centulo, ambo perenni merito.

EPITAPHIUM S. RICHARII.

In fronte sepulcri.

AUREA cœlestem thesaurum contigit urna;
Cultorem Domini, nomine RICHARIUM.
Stemmate præcelso, quem Centula protulit ista,
Quique loci Pastor floruit egregius.

In latere dextro.

Posthabito mundi, quo grandi fulsit, honore,
Amplas divitias sprevit amore Dei.
Hic corpus proprium frangens certamine diro,
Vir pius & magnus semper in orbe cluit.

In culmine arcæ desuper.

Hic vitam functis reparavit, lumina cœcis,
Leprosisque salus hoc refovente redit.
Plenus Apostolicis virtutibus, atque loquelis,
Cœlestes tenuit semper in ore dapes.

In latere sinistro.

Huic Karolus Princeps condignum mente benignâ,
Perficiens templum, condidit & tumulum.
Post sexagenos & centum circiter annos.
Cum Domini servis integer exstat adhuc.

Ad pedes.

Ipsius ut meritis capiat cœlestia regna,
Regnaque Francorum pace quietus agat.
Amen.

Alibi.

Semper Sancte tuos, RICHARI, *protege servos.*
Abstractos terra capiat cœlestis ut aula.

XIV. Kal. Junii obiit ALBINUS, qui Alcoïnus, Abbas, Levita, & Monachus, dictator vitæ sancti Richarii.

His quoque temporibus florebat Corbeïensis Abbas S. ADALARDUS, qui nobilitatis, & sanctæ religionis laude per totam Galliam colebatur. Hujus amator & auditor præclarus emicuit RATBERTUS, qui tanto caritatis fervore erga nostrates Monachos agebatur, ut ea ipsa quæ nostris misit vel scripsit, non amoris verba; sed totum amor, & pura dilectio deprehendantur. Quique cum ipsius sancti Adelardi digereret vitam; *Gaude*, inquit, *Corbeia, quia cum cætera loca sancta proprios emiserint patronos, Atrebas Vedastum, & Centula sanctissimum Richarium, tu quoque emittes Adelardum tuum.* In quo studiosè considerandum quantâ reverentiâ extulerit magnificum Pastorem, & Patronum nostrum, quem cum adjectione superlativâ nominavit, cum illum insignem Episcopum Vedastum nudo nomine designare contentus sit. Fecit hoc ob assidua miraculorum quæ apud nos gerebantur magnalia, fecit & ob illam reverà sanctissimam ejus vitam, quæ non tam sancta, quàm sanctitatis speculum utique comprobatur. Hic ad nostri Monasterii Monachum GOLLANDUM scripsit expositionem super Evangelium Matthæi, tanti pendens Centulenses, ut sua eis mitteret scripta, quatenùs eorum judicio deberent cum auctoritate quaquaversum proferri.

EPITAPHIUM S. CHAIDOCI Confessoris.

MOLE sub hac tegitur CHAIDOCUS *jure Sacerdos:*
Scotia quem genuit, Gallica terra tegit.

Hic Domini Christi gaudens præcepta sequutus,
Contempsit patrias mente beatus opes.
Hinc sibi concrevit centeni copia fructus,
Et metit ætherei præmia larga soli.
Huic Angilbertus fretus pietate magistrâ,
Et tumulo carmen condidit & tumulum.

ITEM.

Corpore terreno qui cernitur esse sepultus,
Gaudia pro meritis cœlica lætus habet.
Iste fuit Fricorus Chaidoco consociatus,
Quem sibi concessum Centula gaudet ovans.
Hic virtute valens despexit prospera mundi,
Et modo viventi gloria magna patet.
Quando Deo placuit, cœlorum regna petivit.
Nunc Angilberti carmine fulget, Amen.

CAPUT VII.

De obitu S. ANGILBERTI *& sepulturâ, seu de* NITHARDO *filio ejus ac successore.*

814. Obiit Carolus Magnus.

ANno Dominicæ Incarnationis DCCCXIV. Indictione VI. Excellentissimæ memoriæ [Augustus] KAROLUS Magnus post hostes victoriosissimè cum Dei favore triumphatos, cum Romanorum Imperium, & Francorum & Langobardorum Regna quietissimè obtineret, V. Kalend. Februarii transivit è mundo, pro obsequiis, & honorificentiâ Deo & Sanctis ejus studiosè exhibitâ ac benignè, percepturus, ut speramus, felicia & immortalia regna. Venerabilis autem ANGILBERTUS, tametsi senio & austeritate jejuniorum, & vigiliarum, corpore lassescente quoquàm progredi non posset vel vellet, ejus tamen dispositioni, quâ thesauros in beneficium eleemosynæ Ecclesiarum Præsulibus attribuit, ut pote dilecti semper Domini, interfuit; magnisque honoribus & beneficiis Ecclesiam Centulensem ab eodem antequàm decederet, sublimari obtinuit. Fuerunt autem XXI. Metropolitanæ civitates, quibus divisit dari grandem partem suarum facultatum: quarum hæc sunt nomina: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum-Julii, Gradus, Colonia, Maguncia cus, Juvavum, id est, Salzburc, Treveris, Remis, Senones, Vesontio, Lugdunum, Rotomagus, Arelatum, Vienna, Darantasia, Ebredunum, Burdegala, Turones, Bituricum. Huic verò distributioni nonnisi quatuor Abbates interfuisse leguntur, scilicet Fridigius, Adalongus, Angilbertus, Yrmino. Ipse denique Rex in tantum locum ipsum honoraverat, & extulerat, ut & Regalem curiam inibi tenuisse die Natalis Domini, seu die Paschæ, aliquoties inveniatur in gestis illius temporis: quod etiam à successoribus suis, iis scilicet qui nostratem Galliam in sui sorte Regni habuerunt, multo tempore amabiliter servatum est.

Cum ergo mortuo KAROLO Magno Hludogvicus successisset, Regnorum à patre acquisitorum apicem suscipiens, anno regni ejus primo incipiente, sanctissimus Abbas Angilbertus corporis attactus molestia cœlestibus gaudiis propinquabat, & cœlesti Patre disponente filius proximè recipiendus flagellabatur, ut dignus fieret cui felix nec peritura hereditas concederetur. Supercrescente incommodo, cum videretur jam humanis eximi, multâ usus humilitate, ut pote cujus perseverans fuerat conservator, præcepit ut ante fores Templi tumularetur. Sanè suspiria & lacrymæ, quæ illo morti proximante fusæ sunt, non à nobis narrandæ suscipiuntur, ne post tanta temporum intersticia nos quoque ad plangendum revocet dolor renovatus. Post mortem utique Magni Augusti Karoli anno eodem, diebus XX. superstes effectus, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXIV. Indictione VI. mense Februario, die XII. Kal. Martii, celebratis circà se Ecclesiasticis mysteriis, verè Christi amatoris Angilberti gloriosa anima bonorum operum exercitiis & pietatibus cumulata, corporis terreni vase relicto, supernis civibus associatur, & quod votis ambierat, operibus meruerat, Christi aspectibus præsentialiter mulcetur, videns eum sicuti est. Veridica hoc & irreprobabili Christi sententia astruitur, qui se diligentes à Patre suo, & à se diligendos asseverat, & tantæ dilectionis profectum sui visionem propalat: Et manifestabo, inquiens, me ipsum ei, id est diligenti, & probationem dilectionis, quod est exhibitio operis, exequenti. Tunc amantissimi Patris venerabile corpus dulci filiorum obsequio componitur, & cum omni veneratione sancto Abbati debitâ ante portam majoris Ecclesiæ honorificè sepelitur. Locus autem ipsius sepulturæ ita aditui Ecclesiæ proximus est, ut à nemine Basilica ingredi possit, qui non sanctam corporis ejus tumbam calcaret. Ubi, sicut paulo superiùs dictum est, humilitatis obtentu poni se poposcerat; in gyro autem sepulturæ isti versiculi in lapideis tabulatis, primus ad caput, secundus ad lævam, tertius ad pedes, quartus ad dexteram expositi sunt.

Angilbertus eodem anno quo Carolus

Magnus ab humanis excessit.

Rex Requiem ANGILBERTO *da Pater, atque pius Rex;*
Lex legum vitam æternam illi da, quia tu Lex.
Lux lucem semper concede illi, bona qui es Lux.
Pax pacem illi perpetuam dona, es quoniam Pax.

Multa magna atque insignia sunt, quæ de hoc venerabili viro dicere habebamus, sed quia omnia comprehendere nequivimus quæ in historiis Francorum de illo, ejusque probitate habentur, rogamus ut ad laudem Dei omnipotentis, & ad honorem beati viri paucula hæc nostratibus interim sufficiant. Cæterum, ut omnia quæ de illo sunt diceremus, defuit virtus, affuit sed cautela ne plurima disserendo fastidium inferemus auditori. Quievit verò in loco suprà scripto per annos XXVIII. regnante Augusto Hludogvico annis XXVI. Christi autem Domini nostri regno nullam metam capiente per omnia sæcula, Amen.

Igitur septimo Centulensis Cœnobii Abbate intimato, ejusque studiis & bonitate monstratâ, jam modo paulisper linguæ nostræ requies præbeatur, ut & mœstitia ex ejus ablatione concepta, quo paululum quia mortales aliter non possumus, admittitur, eò citius suspiriis satisfacta deseratur. Simul & æquum videtur, ut is qui singulari erga nos usus est amore, singulari quoque in descriptione gestorum collaudetur libello.

De Nithardo filio S. Angilberti Abbate.

Hoc tamen in calce libri necessariò recondimus, quòd post ejus sanctum transitum filius ejus NITHARDUS, quem de Regis filiâ Bertâ susceperat, Centulensibus jure Abbaticio prælatus, paucisque diebus in regimine expletis, interemptus prælio præsentis luminis caruit visu; sepultusque juxtà proprium genitorem quievit in pace, regnante Domino nostro JESU-CHRISTO cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De Abbate HERICO.

ANno sacræ Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCXIV. Ind. VII. dum felix Francia

sub gloriosissimi Cæsaris HLUDOGVICI moderamine omni venustate floreret, obtinuit beneficio ipsius principis HERICUS Abbas regimen Monasterii B. Richarii. Notetur autem descriptio, quia eodem quidem quo sanctissimus Angilbertus Abbas obiit anno, sed non eâdem Indictione hic Hericus Abbatiæ Centulensi prælatus est: si quidem mense Septembri die XXIV. Indictiones mutantur. De hujus verò factis nihil apud nos memorabile habetur, præter quod in libro miraculorum B. Patris Richarii invenitur, quia videlicet uni è suis vassallis, Heutoni nomine, villam Sidrudem, quæ erat antiquitùs deputata ad Fratrum calciamenta, contulerit: hæc enim villula ipsi sancto in hoc sæculo viventi fuerat donata, ut in vitæ ejus scripto clarè patescit. At nunc placet memorari quid in illâ virtutis contigerit, postquam Heutonis dominio subacta est. Fuerat illic prope nemus, ubi sanctum Richarium accolæ loci & in iter carpendo cum Britanniam peteret, & in redeundo lassitudinem corporis temperare, & sacras fundere orationes juxtà quamdam fagum ex avitâ & paternâ relatione tradiderunt. Enimverò dum præfatus Heuto ipsam villam consequutus fuisset, cœpit liberâ eâ uti potestate; quâdam autem die dum rura illius circuiret, super jamdictam fagum venit; quam enormem intuitus, jussit incidi, ut exinde focus sibi fieret. Cui servi parere noluerunt, dicentes sacratum fustem, & ibi B. Richarium consuevisse orare: quod ille superbâ mente contemsit, & ut incideretur coëgit. Ita dejectâ arbore, & partibus inde partitis, superiores quidem findi potuerunt partes, duæ inferiores, quæ & grossiores erant difficilè nimis finduntur. Attamen magnis conatibus rustici insistentes, penultimum dirimunt frustum, in quo inventæ sunt reliquiæ quasi capillorum, & barbæ abrasiones; quæ cum rustici honori haberent, ut pote quæ à sancto ibidem repositæ, miser ille, & malè curtensis Heuto, ea pro nihilo habens spargere fecit, ac deinde ultimum fagi truncum qui supererat findi præcepit; sed ad omnem ictum insectibilis permansit: quod ille videns, jussit portari in suæ domûs atrium, quod vulgus curtem dicit, & ut fieri assolet ante januam jactari. Ipsâ autem die quidam villæ colonus acceptam securem quasi tentando ligno leviter affixit, & ad ipsum ictum illicò divisum est, & inventa est quædam crux inserta uni ex illis partibus, cujus etiam signi forma alteri parti insculpta videbatur: hoc illi qui aderant ut viderunt nimio terrore perculsi sunt, initoque consilio, ipsas partes cum cruce intulerunt in apothecam cujusdam custodiendas: tunc sequenti nocte obfirmatis apothecæ ostiis dormitum est: mane facto, dum somno excutiuntur, crux illa vel partes nusquam inveniuntur. Præfatus autem Heuto, qui sancta temeraverat, quinto die, Deo vindice, vitalem spiritum amisit. Sed & Hericus aliquantis in regimine annis expletis diem clausit extremum.

Indictionis mutatio.

CAPUT II.

Privilegium HLUDOGVICI *Imperatoris.*

TEmpore isto cum contigisset HLUDOGVICUM gloriosum Augustum Pontivam intrare provinciam, venerabile templum S. Richarii orationis gratiâ petivit. Fratres igitur Monasterii timentes ne aliquis de parentelâ sæpedicti Heutonis villam Sidrudem sibi usurparet, majestatem Regiam exorant & suadent, ut super hac, & super omnibus, quas aliquo eventu perdere metuebant, villis, & quas KAROLUS Magnus ejusdem genitor dono regio contulerat, suæ auctoritatis præceptum firmaret; quo jamdicta villa, vel aliæ possessiones, absque alicujus contradicto, Monasterio liberè deservirent; & ut nemo Abbatum futurorum ex eis aliquam à loci dominio ulteriùs auferens alicui donaret. Ipse ergo talibus precatis placidè obedivit, & suæ præceptionis authoritatem super his tali modo confecit.

« In nomine Domini & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, HLUDOGVICUS divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus, notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris præsentibus scilicet & futuris, quia dum nos orationis causâ in beatissimi Confessoris Christi Richarii Basilicam adveniremus, adierunt Celsitudinem nostram Monachi ex eodem Monasterio, deprecantes, ut super rebus, quas moderno tempore in quibuslibet pagis & territoriis infrà ditionem Imperii nostri ad victum & vestitum eorum habent, nostram auctoritatem firmitatis gratiâ fieri juberemus; per quam decerneremus, ut neque Abbates per tempora ibidem degentes, neque ministri, aut alia quælibet superioris, vel inferioris prædicta [a] persona, de eisdem rebus aliquid abstrahere aut minuere, vel in alios usus retorquere præsumat. Quorum petitionem justam ac rationabilem judicantes, hos imperiales apices nostros firmitatis gratiâ circà servos Dei ibidem per tempora labentia degentes fieri jussimus, per quos decernimus, atque omnimodis sancimus, ut nullus Doctor prædicti Monasterii, aut ministri ejus, de rebus quas moderno tempore in quibuslibet pagis & territoriis infrà ditionem imperii nostri ad usus & victum atque vestimentum eorum habent: quorum hæc sunt nomina, Cinini-curtem cum Bronoilo, Aldulfi-curtem, Valles, Drusciacum. Novamvillam, Mons-Angelorum, Wiberentium, Bagardas, Curticellam, Crux, Langoratum, Altegiam, Sidrutem, Niviellam, Verculf, Concilium, Rocconis-montem, Maris, vel quidquid ad supradicta loca præsenti tempore justè & legaliter aspicere videtur, aliquid abstrahere, aut minuere, aut in alios usus convertere, aut paratas, aut lidimonium, aut hostilicium, aut alias quaslibet redhibitiones exigere, aut exactare præsumat: sed eo modo atque tenore quo nunc statuimus teneant, atque possideant, ita nostris & futuris temporibus securè atque quietè habeant & fruantur, quatenùs ipsos servos Dei in prædicto Monasterio famulantes pro nobis, conjuge prolèque nostrâ, atque stabilitate totius Imperii nostri perpetim Dei misericordiam exorare delectet. Et ut hæc authoritas per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propriâ subterfirmavimus, & annulli nostri impressione signari jussimus.

« Signum HLUDOGVICI Serenissimi Imperatoris. Data III. Non. Aprilis, Anno Christo propitio XVII. Imperii Domini HLUDOGVICI piissimi Augusti. Indict. VIII. Actum Monasterio S. Gualarici feliciter. Amen. DURANDUS Diaconus ad vicem FRIDUSI recognovi & subscripsi. «

Ex his [villis] quæ in hoc præcepto commemorantur sacratissimus Pater noster Richarius quasdam quietè habuerat, sed quia pravorum & nequam hominum insolentiis super his Fratres turbabantur, ob hoc illas Regiâ præceptione firmari obtinuerunt. Nam & illæ villæ, quæ à sancti Richarii tempore habebantur, & de quibus nihil mali metuebatur, ut sunt hæc, Centula, Abbatis-villa,

a *prædicta*] Lege *dignitatis.*

Altvillaris, Rebellismons, & Valerias, & aliæ multæ istic scribere non curaverunt.

CAPUT III.

Descriptio de Thesauro, & rebus, seu vassallis sancti Richarii.

HLUDOGVICUS Imperator promulgatâ præceptione super possessionibus Monasterii, vocavit ad se Monachos, rogans ut omnia quæcumque haberi poterant, tam in thesauro Ecclesiæ, quàm in bonis forensibus, scriberentur, sibique monstrarentur. Anno igitur Incarnationis Domini DCCCXXXI.
831. Indictione IX. facta est descriptio de Abbatia sancti Richarii rogante Serenissimo Augusto, anno Imperii sui XVIII. In primis de Ecclesiasticis rebus, & sic de prædiis & possessionibus, sive & de vassallis, qui ex eâdem Abbatiâ beneficia retinebant.

Habentur ibi principales Ecclesiæ III. una major in honore Sancti Salvatoris & S. Richarii, altera in honore sanctæ MARIÆ; tertia in honore S. Benedicti. In quibus principalia habentur altaria III. hoc est S. Salvatoris, S. Richarii, & S. MARIÆ ex marmore, auro, & argento, & gemmis, ac lapidibus diversis fabrefacta. Super illa tria altaria habentur tria ciboria ex argento & auro parata, in quibus tres dependent coronæ, singulæ per singula ex auro gemmisque paratæ, cum aureis cruciculis, aliisque diversis ornamentis. In eisdem Ecclesiis sunt lectoria tria ex marmore, argento, & auro fabricata. Capsæ reliquiarum aureæ & argenteæ vel eburneæ paratæ sunt XXX. cruces majores V. & minores VIII. poma altarium XXI. è quibus tria sunt aurea, reliqua argentea. Item poma guntfanonum VII. ex argento auroque parata: candelabra ferrea ex argento & auro parata, majora XV. minora VII. coronæ argenteæ VII. & cupreæ deauratæ VII. lampades argenteæ VI. cupreæ deauratæ VI. hanappi pendentes argentei XIII. conchæ argenteæ pendentes II. Areæ majores III. & minores III. Turibula argentea deaurata VIII. ex cupro I. flabellum argenteum I. paries ad caput S. Richarii, & duo ostiola parva ex argento & auro, gemmisque fabricata: ad pedes ipsius ostiola VI. ex argento auroque parata. Sunt & alia IV. similiter parata. Ante altare ejusdem Sancti stant columnæ VI. magnæ ex cupro, argento, & auro paratæ, sustentantes trabem unam similiter cupream argento auroque paratam. Sunt & aliæ trabes minores tres ex cupro, argento, auroque paratæ in circuitu altaris vel chori, sustentantes arcus XVII. ex cupro, argento, auroque fabricatos; inter quos stant imagines bestiarum, avium, hominumque VII. ex ære circuli ad signa pendentes argentei V. reliqui ex aurichalco.

Evangelium auro scriptum unum cum capsâ argenteâ gemmis & lapidibus fabricatâ. Aliæ capsæ Evangeliorum duæ ex auro & argento paratæ, faldene addito ex argento fabricatum ad opus ipsarum I. Calices ex auro IV. ex argento majores II. minores XIII. patenæ aureæ II. argenteæ majores IV. minores XIII. ex aurichalco I. offertoria aurea IV. argentea LX. eburneum I. magnum argento & auro paratum. Scyphus argenteus major I. minores argentei IV. ex aurichalco I. tutelli argentei IV. urcei argentei cum aquamanilibus II. hanappus ad bibendum argenteus I. situla argentea I. ex cupro & ære II. & argento parata I. canna argentea I. ex stanno I. tabulæ eburneæ ex auro argentoque paratæ I. majores II. minores II. ex cypresso una argento parata: claves argenteæ II. ex aurichalco deaurata I. baculus auro, argento, & crystallo paratus I. præparatio baculi unius ex crystallo I. casulæ castaneæ XL. sericæ nigræ V. persæ sericæ III. ex plata I. ex pallio XX. galnæ sericæ V. melnæ sericæ III. ex pisce I. ex cendalo IV. cappa castanea auro parata I. serica I. dalmaticæ XXXI. hrocci serici XV. lanei XI. sericus albus I. peni serici II. roccus pectoralis I. fanones ad offerendum auro parati XIV. ex brandeo III. ex pallio XV. saga ad patenas ferendas IV. pallia LXXVIII. vestimenta XLIX. viginti alia, cum pallio paratum I. in sacrario ad tabulam cooperiendam vestimentum lineum pallio paratum I. tapeta VI. cortinæ III. bancales serici IV. & alii sex cussini serici II. ex pallio IV. vestimentum lineum dominicale I. nastolæ ex auro paratæ II. Wanti castanei auro parati II. linei II. fanones manuales auro parati II. capellum auro paratum I. ex pallio I. facitercula II. cappæ CCCLXXVII.

De libris, libri canonici: Bibliotheca integra, ubi continentur libri LXXII. in uno volumine. Item Bibliotheca dispersa in voluminibus quatuordecim.

De libris S. Hieronymi: super Isaiam. Item in Isaiam; super Psalmos; Expositio Levitici; Opuscula ejus super Jeremiam; in XII. Prophetas, in Ecclesiastem, in Cantica Canticorum, in Ezechiel. Liber Episcopalis; Commentarius in Matthæum, Expositio in Marcum, illustrium virorum, super totum Psalterium, in Epistolis duabus sancti Pauli, hoc est, ad Galatas, & ad Ephesios, in Epistolis ad Titum & Philemonem; Liber plenarius Epistolarum ejus; Psalterium Hebraïcæ veritatis; contrà Jovinianum hæreticum, & Apologeticus ad Pammachium; Quæstiones Genesis, & liber locorum; liber qui dicitur Antiomenon; de septem vindictis Caïn; de Egressione filiorum Israël ex Ægypto; de Isaac, de Osanna, de Seraphim & Calculo; de morte Oziæ Regis; de Filio prodigo; de Natura rerum; de Rhetorica: omnia hæc in uno volumine; Evangelium in Græco & Latino scriptum: qui sunt libri numero XXII.

De libris sancti Augustini: Exameron ejus contra Manichæos, & alios hæreticos; decadæ Psalmorum; Epistolæ ejusdem; Expositio plenaria super Evangelium Joannis; alia Expositio Augustini junioris; de sermone Domini in monte; de X. plagis; de X. præceptis: in uno volumine. In Epistola Joannis Apostoli; Concordia Evangeliorum; de Civitate Domini; Enchiridion; de naturâ & origine animæ; de Doctrinâ Christianâ; speculum Augustini; Confessiones; Hypomneosticon; de X. chordis, & bono conjugali; de Arte Musicâ; de Virginitate servandâ; & Sermones ejus: de XII. abusibus; & Interrogationes Horosii; & Responsiones Augustini: in uno volumine. Contrà hæreticos; de Agone Christiano; de Blasphemiâ Spiritûs, Explanatio Rufini; de XII. benedictionibus Patriarcharum: in uno volumine. De Trinitate; de Videndo Deo; de Plasmatione primi hominis; de Definitionibus dogmatum Ecclesiasticorum, & Epistolæ S. Fulgentii: in uno volu. de Magistro; de sanctâ Virginitate; & Academicorum in I. volumine. Opuscula, & Epistolæ Augustini ad Pelagium & Valentinum; & responsiones Prosperi, in I. vol. Explanatio Augustini, & Juliani, & Pauli; de partibus orationis in I. vol. qui sunt libri numero XXIX.

De libris S. Gregorii: Expositio in Iezechiel vol. III. Moralia vol. V. Homiliæ XL. vol. II. Pastorale; Dialogus; Registrum; ordo Ecclesiasticus: liber Parterii de dictis ejusdem: qui sunt libri numero XV.

De libris Isidori: Etymologias; Rotarum; Procœmiorum; & Rotarum & Officiorum: Item Procœmiorum; item Rotarum; tractatus in Pentateuchon, in Regum, in Ruth, in Ezra; in I. volum.

Sententiæ II. vol. Synonima : qui sunt libri numero IX.

De libris Origenis : In Genesi Homilias XVI. II. vol. in Cantica Canticorum : qui sunt libri IV.

Hilarii autem : de fide sanctæ Trinitatis; quæstiones Hilarii, Cypriani, Alcimi Aviti, Hieronymi, Augustini, super Pentateuchum in I. vol. qui sunt libri duo.

Joannis Chrysostomi; in Epistola ad Hebræos; Homiliæ XXXIII. de Compunctione cordis contrà Novatianos; de Jejunio, & sermones ejus LXII. & vita sancti Ambrosii uno volum. qui sunt libri VII.

Cassiodori; super totum Psalterium.

Fulgentii, libri XIV. qui per singulos libros unam litteram detrahit.

Bedæ, de templo Salomonis; triginta quæstiones ejus in Regum, cum Expositione Justi in Cantica Canticorum; in I. volum. in Proverbiis Salomonis, & in libro Tobiæ; in Marco, in Luca, & in Actibus Apostolorum; super Epistolas Canonicas; super V. libros Moysi; in Apocalypsi; in Abacuc, cum glossis Pentateuc. De Natura rerum; de Temporibus : qui sunt libri numero XVI.

Diversorum autem; Julii de auctoritate divinæ legis; Eugipii excerptum de libris sancti Augustini; Paschasii de Spiritu sancto; Primasii in Apocalypsi; Timothei libri IV. & tractatus Peregrini contrà hæreticos, & Epistolæ Theophili ad Episcopos totius Ægypti in I. vol. Expositio Arnobii super totum Psalterium; Gregorii Nazianzeni libri VIII. & Homiliæ Augustini de lætitiâ & gratiâ in I. vol. Athanasii in Levitico : qui sunt libri numero VII.

De Canonibus : Canones Apostolorum, & Nicæni Concilii; & XII. Concilia, & decretalia Apostolorum I. vol. Canones collecti de diversis Conciliis volum. II. Cæcilii Cypriani de canonibus & institutionibus Ecclesiasticorum LXXXVII. I. vol. Gelasii Papæ de libris recipiendis & non recipiendis : Epistolæ diversorum numero LV. I. vol. Homiliarius Sanctorum Patrum anni circuli, Hieronymi, Augustini, Gregorii, Origenis, Leonis, Joannis, Fulgentii, Bedæ in I. vol. item Homiliæ SS. Patrum super anni circulum, in III. volum. Homiliæ S. Agnetis : Boëtii de consolatione Philosophiæ; Gregorii Episcopi Turonensis de generatione Adæ, & de gestis Francorum; Expositio Philippi super Job; glossæ SS. Patrum super Psalmos III. vol. Cassiani de Incarnatione Domini; Expositio Justi in Cantica Canticorum; & liber Eucherii Episcopi de defectu solis & lunæ : vitæ vel passiones SS. Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum; & collationes diversorum Patrum in vol. XVIII. Expositio Juliani Pomerii, & Prognosticon in II. vol. Expositio Pelagii super XIII. Epistolas Pauli; Expositio cujusdam in Epistolam ad Romanos; glossæ ex dictis Patrum in III. vol. Item glossæ Patrum vol. III. Liber Martini Papæ; Regula S. Benedicti sexies; Regula S. Augustini, Fructuosi, & Isidori, I. vol. Homiliæ Cæsarii Episcopi Arelatensis; Expositio fidei Catholicæ S. Hieronymi; Dicta Isidori de hæresibus Judæorum & Christianorum; & de Philosophis, Poëtis; & Epistolæ Cyrilli, Leonis, Dionysii, & aliorum de ratione Paschali; & cycli, in I. vol. Altercatio legis inter Simonem Judæum & Theophilum Christianum; Ephrem de die judicii; Albini ad Karolum de fide Trinitatis, & de Incarnatione Domini. Epistolæ Caroli ad Imperatorem Græcorum : Psalteria VII. Quæstiones septem artium; Collectarium cujusdam in Matthæo, Collectarium Scotaicum, ubi primus est de caritate, ultimus ita incipit; Curre ne parcas; Liber scintillarum, qui sunt libri numero LXX.

Omnes Codices librorum Claustralium de divinitate sunt CXCV.

De libris Grammaticorum : Donatus, Pompeius, Probus, de pedibus & syllabis; Priscianus; Comminianus; Servius, Victorinus Mar. . . ; Diomedes; Verus Longinus, Taduivus, Tullius Cicero : Rhetoricorum libri II. omnia in IV. vol. Prosper, Aratus, Sedulius, Juvencus; Epigrammata Prosperi; versus Probæ, & medietas Fortunati. I. vol. Quintus Serenus de Medicamentis; Fabulæ Avieni; Virgilius, Eclogæ ejusdem glossatæ. Althelmus, metrum cujusdam de veteri & novo Testamento, cum vitâ Cosmæ & Damiani metricâ in I. vol. qui sunt libri XXVI.

De libris antiquorum, qui de gestis Regum, vel situ terrarum scripserunt. Josephus plenarius; Plinius secundus de moribus & vitâ Imperatorum; Epitoma Pompeii; Æthicus de mundi descriptione; historia Homeri, ubi Dictys [b], & Dares Phrygius : historia Socratis, Sozomeni, & Theodoriti. Libri Philonis Judæi I. vol. Ecclesiastica historia Eusebii. Chronica Hieronymi : II. vol. historia Jordanis. De summâ temporum, & de origine actibusque Romanorum I. vol. Lex Romana; Pactum Salicæ legis : qui sunt libri numero XV. Item volumen, ubi sermones habentur de Natali Domini, Stephani, Innocentum : Bodanicum, Partes Donati glossatæ; Liber logon, id est, Sermonum Græcorum, vel Latinorum; Genealogia Bibliothecæ; Passio Domini in Theodisco, & in Latino : qui sunt libri VI.

De libris Sacrarii, qui ministerio altaris deserviunt : Missales Gregoriani tres; Missalis Gregorianus, & Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus I. Lectionarii Epistolarum & Evangeliorum mixtim & ordinatè compositi V. Missales Gelasiani XIX. Textus Evangelii IV. aureis litteris scriptus totus I. Lectionarius plenarius à supradicto Albino ordinatus I. Antiphonarii sex : qui sunt libri num. XXXV.

Omnes igitur Codices in commune faciunt numerum CCL. & VI. ita videlicet ut non numerentur libri sigillatim, sed Codices quia in uno Codice diversi libri multoties, ut suprà notatum est, habentur; quos si numeraremus, quingentorum copiam superarent. Hæ ergo divitiæ Claustrales, hæ sunt opulentiæ cœlestis vitæ, dulcedine animam saginantes, per quas in Centulensibus impleta est illa salubris sententia : *Ama scientiam scripturarum, & vitia non amabis.*

Sed nunc etiam de exterioribus bonis hîc ponamus indiculum; & villas quæ Monasterio Christi militis præcipui Richarii tunc temporis serviebant, breviter annotemus. Reditus verò villarum qui scire cupit, codicem ex hoc conscriptum revolvat; nam pro sui magnitudine hîc totus poni non potest. Hæ ergo sunt villæ S. Richarii : Buniacus, Valles, Drusiacus, Novavilla, Gaspannæ, Guibrentium, Bagardas, Curticella, Crux, Civinocurtis, Haidulficurtis, Maris, Nialla, Langradus, Alteia, Rochonis-Mons, Sidrunis, Concilio, Buxudis, Ingoaldicurtis. Inter has erant quædam licet paucæ, ubi aliqui militares S. Richarii beneficii quidpiam habebant. Hæ autem sunt villæ in Dominicaturâ Sancti ejusdem, absque ullâ admixtione beneficii, vel alterius potestatis, Pontias, Altisgnico, Tulino, Durcaptum, Abbatis villa, Forestemonasterium, Majocch, sanctus Medardus, Alliacus, Longavilla, Altvillaris, Rebellis-mons, Valerias. Istæ non

b *ubi Dictys*] Sic restituit Baluzius : editum erat, *ubi dicit.*

tam villæ quàm oppida, vel, ut ita dicam, civitates habebantur; quippe quibus nulla vis injustitiæ inferebatur.

In Foresti-cellà habentur tres Ecclesiæ, prima S. MARIÆ; secunda S. Petri; tertia S. Richarii: ubi sunt altaria auro argentoque ornata v. Corona argentea I. capsella auro parata I. Cruces auro paratæ III. Capsa auro & gemmis parata I. crucicula argentea auro parata I. aliæ deauratæ VI. Poma deaurata v. Ciborium auro argentoque paratum I. Candelabra auro argentoque parata VI. ventaculum deauratum I. fuscellum deauratum I. scyphus de argento I. tabulæ deauratæ eburneæ II. Calices auro parati majores III. argentei minores IV. offertoria argentea VIII. deaurata III. urceum argenteum I. Capsa Evangelii argentea I. casulæ satis pretiosæ XV. Dalmaticæ .v. casulæ parvæ sericæ II. hrocci de pallio III. lanei IV. albæ XXVII. stolæ IX. Fanones XIV. boculares II. conchæ II. sandalia cum caltionibus VI. libri quinquagenta unus: ad lumen Ecclesiæ aspicit villa Dulcianæ-vallis. Sunt ibi Canonici XXX. qui habent ad stipendia villas IV. hoc est Eghod, sanctum Vigilium, & duos mansioniles, & Ecclesiam S. Martini: & in aliis villis S. Richarii accipiunt aliqua.

Est Cellula quæ vocatur Botritium in pago Terragonensium, in quà habetur altare I. fabricatum; cruces III. inauratæ II. inargentata I. capsæ XVIII. fabricatæ, thuribulum I. candelabra parata II. vasa ærea II. calices argentei IV. patenæ argenteæ II. aurata I; scyphus argenteus I. offertorium I. opertorium pallium I. casulà I. dalmatica I. Missalis I. lectionarius I. Antiphonarius I. Homeliarius I. passionalis I. Psalterium I. sunt ibi Canonici X. habentes villam Teones, villam Neudum, Ecclesias duas, villam Albitrium, villam Guadanniam, & alios multos redditus ex beneficio sancti Richarii cui serviunt.

Est & alia Cellula in pago Ambianensium, quæ vocatur Incra, ubi habentur capsæ paratæ X. cruces paratæ III. casulæ II. dalmaticæ II. candelabra parata II. liber Genesis, Exodus, Numeri, Regum, Prophetarum, Parabolæ Salomonis, Missale I. Lectionarius I. Antiphonarius I. sunt ibi Canonici XII. qui habent ad victum decimam, & nonam, & molendinum I. Ipsa villa Centulo Monasterio servit, habens mansos vestitos CLXXX. Flamiriaca villa, Catiacus-villa, Montes, Vadimiacus, Loacas: hæ omnes sancto Richario subjacebant. Sed jam illorum nomina recitemus, qui ex S. Richario beneficia retentabant: quique cum sibi subditis Militibus nostro Abbati & ministris Ecclesiæ nobiliter satis serviebant terrà marique, vel ubicumque eorum comitatu quilibet è sancti loci Fratribus indiguisset.

Heligaudus, Mainfridus, Itherus, Hubertus, Bertuinus, Alguala, Berlandus, Ratuinus, Gisloldus, Lantgerus, Hardradus, Algodus, Geroldus, Israhel, Harbertus, Amalbertus, Droptulfus, Milo, Hrodinus, Gutheus, Grinarius, Helmericus, Beringarius, Adalelmus, Aldricus, Heriulfus, Godeardus, Teutsinus, Sigefridus, Hildegarinus, Helmericus, Otlaricus, Hildelandus, Landricus, Regueguardus, Gualcerdeos, Rohingus, Gualterus, Ingelbertus, Fredenertus, Ombertus, Gualbertus, Madelguarius, Egfridus, Tredico, Eremboldus, Odelricus, Guandeimarus, Leodricus, Ermenardus, Framericus, Boso, Guntselmus, Zacharias, Gosbertus, Hatto, Harfridus, Flodeneus Guandelmarus, Regemfridus, Gualcarius, Odilo, Godefridus, Herembordus, Restrudus, Adico, Amalfridus, Adelfridus, Ingrannus, Deodatus, Fronulfus, Regembertus, Aschelo, Berharius, Framericus, Odulucus, Ermengarius, Eginboldus, Guaringaudus, Bonothus, Gondacher, Odo, Amalricus, Altmarus, Lambertus, Raimbertus, Fulchramnus, Hysail, Onulfus, Emlinus, Beto, Regemlandus, Alguinus, Rogherus, Leutbrandus, Berlaicus, Salomon, Meginarius, Guilgeradus, Donatianus.

Hæc sunt nomina Militum Monasterio beatissimi Richarii famulantium, quos ubique Abbas, vel Præpositi secum ducebant; quique consuetudinaliter in die Festi S. Richarii, & in Nativitate Domini, vel in Resurrectione, seu in Pentecoste, semper Monasterio aderant, accuratè prout quisque poterat ornati; & ex suà frequentià Regalem penè curiam nostram Ecclesiam facientes.

Villas igitur & prædia, diversasque possessiones & reditus, quæ ex beneficio S. Richarii obtinebant, longum & nimis grave nobis est hìc recensere, maximè cum volumen hæc differens pleniter apud nos habeatur, à quo scientiam horum suscipiat qui nosse exoptat.

CAPUT IV.

De Abbate HELISACARE.

ABbate Herico rebus humanis exempto, HELISACAR elegantis gloriæ vir successit in gradu Abbaticio, quem ferunt Gemmetici quoque Monasterii fuisse Rectorem; ob illam quæ longè superiùs à nobis commendata est, mutuæ dilectionis fraternitatem. Hic magnæ sanctitatis studiis pollebat, & in tantam profecit summæ religionis severitatem; ut ab ingressu Monasterii omnimodum arceret feminarum accessum. Magnæ igitur sanctitatis merito Domino complacuit, & ut ex ipso rerum eventu perpenditur, ipsi sancto Confessori carus permansit: quia illius tempore ad sui sacratissimi corporis tumulum, Deo præstante, magna obtinuit fieri miracula, quorum aliqua ad Domini Dei nostri laudem hìc ponenda sunt. Et ut sciatur, omnipotens Deus in præstandis miraculorum beneficiis, non sola semper Sanctorum suorum merita, vel petentium intueri credulitatem, verùm etiam aliquando considerare cernentium dignitatem: dignitatem dico non honoris altitudinem terreni, sed mentium sinceritatem; ne enim miracula ante oculos nostros fiant, non sola impedit petentium fidei pusillanimitas, sed & nostra flagitia obsistunt, quibusdum fœdi Dei obtutibus existimus, magna videre indigni habemur. Magnus itaque hic venerabilis Abbas vitæ merito fuit, cui omnipotens & pius Dominus per gloriosa sui fidelissimi famuli Richarii merita magna videre concessit. Hæc ita se habent.

Quidam pater familias in Burgundià divitiis valde inclytus, sed liberis privatus, unicam filiam, quam solam habebat paralysi possessam, quamque per multa Sanctorum loca gratià recipiendæ sanitatis gestaverat, visione admonitus ad venerabile sancti Richarii templum detulit cum multo comitatu; ibique in festivitate Sancti, quæ VII. idus Octobris colitur, substitit, promissam cœlitùs filiæ opperiens salvationem. Et quia mos in illo tempore, instituente prædicto Abbate Helisachare, erat, ne limina Monasterii fœminæ attingerent, ipsa introferri non potuit, sed obpansis extrinsecùs tentoriis mansit. Ipsà igitur die post peracta Missarum solemnia, Fratres caritatis gratià, & honoris obtentu, ex vinatico sancti Richarii homini mittunt benedictionem. At illa quam dira paralysis possidebat, & quæ nunquam loquuta fuerat, vel ori cibum intulerat, ex ipso vinatico ut bibit, tantam statim sanitatem recepit, ut illicò exiliens cæteris præ gaudio ipsa ministraret & amorem Sancti laudemque omnibus inculcans, non ut infirma, sed ut verè sana equitando remearet.

In Villare viculo fuit quædam animarum muscipula meretrix scilicet Olgia, quæ Deo sibi digna rependente omnium membrorum contractionem & tortionem pertulit, adeo ut ipsa facies more insolito retrorsum aspiceret: quam sui miserantes propinqui ad peritum archiatrum Richarium deduxerunt; ibique omninò salvata est: verumtamen corpore sanato animus voluntate languebat, dum in pristinâ se facinora volutaret. Hoc autem ejus factum, divinum non latuit oculum, sed repetitâ nequitiâ repetitum est & judicium. Ad instar ergo prioris mali contrahitur, & quod majus est, loquendi facultate privatur: tunc parentes ejusdem non desperantes de potentiâ medici, reportaverunt eam ad suffragia patroni. Sanatur itaque & emendatur; ne si ampliùs peccasset, jam desperatiùs puniretur. Sunt verò & alia multa & magna, quæ referre poteramus, sed quia libellus hæc dignè explicans nostris armariis tenetur, hoc loco ista sufficiant: aliàs alia dicentur.

CAPUT V.

De Abbate RIBBODONE: *& translatio Sancti Angilberti.*

HELISACHARE venerabili non multis in regimine annis perfuncto, atque de hoc sæculo nequam erepto, RIBBODO Abba splendidus Centulæ congregationem suâ pastoralitate ornavit: quo Cœnobii curam administrante, HLODOGVICUS divæ memoriæ Imperator cum regnasset annis XXVI. moritur anno Dominicæ Incarnationis DCCCXL. Indi-
840. ctione III. Qui inter magna Regaliaque quæ gessit opera, Constantinopolim dicitur adiisse, & inde magnas atque mirificas Reliquias detulisse; quas per sancta loca dispertiens, posteris honorandas tradidit. Et quia sancti Richarii Ecclesia nulli tunc temporis Gallicanæ Ecclesiæ honore & gloriâ, seu religione habebatur inferior, ex eisdem Reliquiis magnam huic loco indulsit partem; hoc est, Caligulam Domini Christi, summitatem acuminis lanceæ, qua ejusdem Domini latus fuit apertum; decem lapides beati Protomartyris Stephani perlitos sanguine, quibus idem Martyr fuit trucidatus: ampullam quoque ejus sancti sanguine plenam.

Ludovici Pii quatuor filii. Genuerat autem idem Augustus ex ERMENGARDA Reginâ tres filios, id est, HLOTHARIUM, PIPPINUM & HLUDOVICUM: ex JUDITH verò Imperatrice genuerat KAROLUM gloriosum Regem. Itaque post obitum genitoris lites inter fratres exoriuntur, dum unusquisque sibi imperium exoptat. Dum hæc agerentur, & res in contrarium iret, decernitur ut inito inter se prælio, Rex vel Imperator haberetur, cui sors ministrasset victoriam. Hlotharius ergo adjuncto sibi Pippino, contrà fratres suos Karolum & Hludovicum exercitum duxit in pago Autissiodorensi, in loco qui dicitur Fontanetum, ibique Franci cum nationibus sibi subditis mutuâ se cæde prosternentes, ad ultimum Hludovicus & Carolus fugato Hlothario triumphum adepti sunt.

RIBBODO, ut dictum est, tunc Centulo Monasterio Abbas præerat; qui videns sanctissimi Angilberti Abbatis corpus sanctum eo loci quiescere, ubi Ecclesiam ingredientes necessariò incedebant; & nimiùm molestè ferens talem tantumque virum quotidiano populi accessu calcari, reputansque esse justum ut homo Dei intrà Dei domum pausaret, levavit ejus membra sancta, & transtulit eâ intra Basilicam sancti Richarii die Nonarum Novembrium. Requieverat in loco priori annis XXVIII. & tamen Deo faciente, qui servi sui meritum ostendebat, ita integrum & absque corruptelâ sanctum ejus corpus inventum est, ac si eâ horâ anima illud deposuisset. Odor etiam miræ suavitatis ibidem exuberasse asseveratur. Huic certæ rei testimonium ferunt Francorum historiæ; eæ scilicet quæ illius temporis facta commendant. Nam cum aliquando quidam libellus in manus nostrorum devenisset, post quædam alia de S. Angilberto hæc inibi scripta notaverunt. Mortuo Hludogvico Imperatore Karoli Magni filio, tres ejus filii [Hlotarius, Ludogvicus & Karolus de regno inter se diffidebant; dum unusquisque hoc sibi conatur.... Novissimè verò statuitur dies quâ de his judicium haberetur, & hoc fieri posse in Nonas Novembris visum est. Quâ quidem die terræmotus magnus per omnem penè hanc Galliam factus est: eâque die Angilbertus vir memorabilis Centulo translatus, & anno post decessum suum vigesimo octavo corpore absque aromatibus] indissoluto repertus est. Idem etiam liber superiùs aliquid repetens, de ejusdem nobilitate pauca subinfert, dicens; Fuit hic eo tempore ortus haud ignotæ familiæ. Madhelgaudus autem, Richardus, & hic de unâ progenie fuerunt, & apud Magnum Karolum meritò magni habebantur; qui Angilbertus ex ejusdem Regis filiâ nomine BERETHA, Harnidum fratrem meum, & me Nithardum genuit. Centulo opus mirificum in honore omnipotentis Dei sanctique Richarii construxit; familiam sibi commissam mirificè rexit: hinc post vitam omni felicitate defunctam Centulo in pace quievit. Is ipse Nithardus Domni Angilberti filius Cœnobio huic præfuisse asseveratur post decessum patris: quique cùm paucissimis diebus ministrasset, bello interfectus, juxtà patrem sepulturam meruit. At cum ibi aliquantis annis pausasset; jamdudum translato corpore S. Angilberti in Ecclesiam, quidam devoti posuerunt corpus ejusdem Nithardi in patris sarcofagum. In loco igitur, ubi à Domno Ribbodone sanctus positus est Angilbertus epitaphium positum est.

[*Hoc recubat busto semper memorabilis abba*
Angilbertus, ovans spiritus astra colit.
Mensis Martii obiit bissenis ipse Kalendis.
Construxit templum quo retinet tumulum.
Et cluit Augusti Karoli sub tempore Magni,
Dogmatibus clarus, principibus socius.
Ante fores templi jussit qui se tumulari,
Ribbodo huc Abba transtulit ac posuit.
Post annos obitus bis denos ejus & octo,
Corpore cum nactus integer insolito est.]

CAPUT VI.

Privilegium HLOTHARII.

POst illud, quod suprà diximus, cruentissimum prælium, pace inter fratres factâ, diviserunt sibi ipsi Francorum Imperium. Et Lotharius quidem accepit Regnum Romanorum, & totam Italiam, & partem Franciæ Orientalem, quæ ab eodem mutuato nomine Hlotharingia vocatur, totamque Provinciam. Porrò hic Hlotharius ante patris sui obitum decem & octo annis unctus fuerat ad Imperatorem. Hludovicus verò præter Noricam quam habebat, tenuit Alemanniam, Toringiam, Austrasiam, Saxoniam, Hunorumque Regnum. Karolus verò medietatem Franciæ ab Occidente, & totam Neustriam, Britanniam, & maximam partem Burgundiæ, Gothiam, Guasconiam, & Aquitaniam; & quia sancti Richarii monasterium intrà ejus ditionem habebatur, maximis illud honoravit privilegiis & amplificavit donis; sicut in sequentibus, Deo auxiliante, docebitur. Eo itaque tempore quidam Dux nomine Hugo donavit Beato Richario villas aliquas suæ proprietatis, ob animæ suæ salvationem: celebratâ au-

tem donatione . accessit ad Regem Hlotharium, postulans ut suæ præceptionis autoritatem super illas villas, id est, Rollenicurtem & Botritium firmaret, quatinùs per futura tempora absque calumniâ sancti servitio subjacerent. Sane in illâ descriptione, quæ paulo superiùs ex parte relata est, invenitur quia eædem villæ sancti servissent monasterio; & constat eas ab aliquo fuisse subtractas; quandoquidem ab isto Duce modò reddebantur. Hlotharius [c] igitur ei benignissimè favit; nam ejus filiam nomine Ermengardam uxorem habebat, & suæ concessionis auctoritatem super quæ poscebatur firmavit his ipsis verbis.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Hlotharius divinâ providente clementiâ Francorum Rex. Si servorum Dei justis & rationabilibus petitionibus benignitatis nostræ assensum præbemus, regiæ celsitudinis opera frequentamus; ac per hoc facilius nos æternæ beatitudinis gloriam adepturos liquidò credimus. Quocirca noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium atque nostrorum tam præsentium quam futurorum, solertia, quia Dux Hugo nobis per omnia fidelis unà cum monachis ex Centulo Monasterio præclarissimi scilicet confessoris Christi Richarii, culminis nostri adeuntes serenitatem expetierunt quatinùs villas quasdam ex eâdem sancti Richarii Abbatiâ, quas ipse Dux Hugo stipendiis & usibus monachorum pro remedio suæ animæ addiderat, ut nullius aliquando Abbatis vel cujuscumque personæ minoratione illis subtrahantur, Imperiali præceptione pleniter firmaremus. Quorum denique preces ob amorem Dei & jam dicti militis ejus sancti Richarii, nec non & ob dilectionem carissimi consanguinei nostri Hugonis Ducis clementer audivimus, & ita illis in omnibus concessisse notum esse volumus. Quin etiam reverentiæ nostræ scriptum hoc speciali conditione fieri jussimus, per quod memoratas villas in pago Targonensi sitas, hoc est Botritium cum omni integritate suâ, Rolleni etiam curtem in jam dicto pago cum omnibus appendiciis suis vel quidquid ad supra dicta loca justè & legaliter aspicere videtur, sicut à jam dicto Duce & ejusdem loci Abbate statutum est, usibus & stipendiis monachorum in præfato loco Christo famulantium, concedimus atque firmamus. Videlicet ut nulli liceat unquam ab eorum dominio ex eisdem villis aliquid abstrahere aut minuere aut in alios usus convertere, nec paratas aut lidimonium aut hostilicium aut alias quaslibet redhibitiones aliquis ullomodo præsumat exigere, sed sicut dictum est eo modo atque tenore quo à nobis atque à prædicto Duce statutum est, ita nostris & futuris temporibus securè illas teneant & quietè possideant, quatinùs eosdem servos Dei in præfato monasterio Domino militantes pro salute genitoris nostri ac felicitate nostrâ, conjugis prolesque seu stabilitate regni nostri incessanter piissimi judicis misericordiam implorare delectet. Et ut hæc auctoritas per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus. Actum Compendio palatio Regis anno Dominicæ incarnationis DCCC. XL. tertio. Indictione VI. Regnante gloriosissimo Rege Hlothario anno XXI. Signum Domini Hlotharii gloriosissimi Regis. Ego Adalbero regius notarius ad vicem Domni Adalberonis Remorum Archiepiscopi & summi Cancellarii, recognovi.]

CAPUT VII.

De Abbate LUDOVICO.

ANno Dominicæ Incarnationis DCCCXLIV. regnante Karolo anno IV. Indict. VI. Præsule 844
Romanæ Ecclesiæ Sergio Papa, Ribbodone Centulensi defuncto Abbate, ejusdem Cœnobii curam suscepit gloriosus vir LUDOVICUS, tam divinâ quàm sæculari prudentiâ ornatus. Iste ex Regali prosapiâ oriundus fuit, & nobilitatem præclari generis in nobilitatem transtulit religionis: ut sicut sui parentes, cognati, vel fratres purpurâ & diadematibus refulgebant, sic ipse in oculis Dei animi virtute splenderet. Verùm antequàm Abbas factus fuisset, Fratres nostri Cœnobii Regiam pietatem adierant, eique Divi Augusti Hludogvici præceptum, quod super villis sancti hujus [loci] auctorizaverat, ostenderunt, supplicantes ut idipsum & ipse faceret, & super eisdem villis suæ potestatis præceptionem proferret. Karolus itaque occidentalis Franciæ Rex, à quo hæc postulabantur verenter assensit, & servis Dei favens, suæ præceptionis auctoritatem eisdem tribuit, his verbis descriptam:

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, KAROLUS gratia Dei Rex. Si servorum Dei justis & rationabilibus petitionibus benignitatis nostræ assensum præbemus, Regiæ Celsitudinis opera frequentamus, ac per hoc faciliùs nos æternæ beatitudinis gloriam adepturos liquidò confidimus. Quocircà noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, atque nostrorum, tam præsentium quàm & futurorum solertia, quia viri religiosi Monachi ex Monasterio Centulo, præclarissimi scilicet Confessoris Christi Richarii, culminis nostri adeuntes serenitatem, obtulerunt præcellentiæ nostræ gloriosæ memoriæ Domini & genitoris nostri Cæsaris Augusti Hludogvici auctoritatem, quâ continetur, qualiter idem Dominus & genitor noster quasdam villas ex eâdem S. Richarii Abbatiâ usibus & stipendiis eorumdem Monachorum constitutas eis concesserit, atque ut nullius quandoque Abbatis vel cujuscumque personæ minoratione illis subtrahantur, Imperiali præceptione pleniter confirmaverit. Ac proinde oraverunt iidem Monachi Magnitudinem nostram, ut eamdem Domini genitoris nostri Imperialem auctoritatem nos denuò reconfirmare vel renovare dignaremur per præcellentiæ nostræ rescriptionem. Quorum denique preces clementer audivimus, & ita illis in omnibus concessisse cunctis notum esse volumus: quin etiam reverentiæ nostræ scriptum hoc speciali conditione fieri jussimus, per quod memoratas villas, hoc est, Civinocurtem cum Bronoilo, Aldulficurtem, Valles, Drussiacum, Novamvillam, Montem-Angelorum, Guibrentium, Bagardas, Curticellam, Crux, Langoratum, Altegiam, Sidrudem, Niviellam, Verculf, Concilium, Roconis-montem, Maris, vel quidquid ad supradicta loca præsenti tempore justè & legaliter aspicere videtur, sicut à Domno & genitore nostro statutum est, usibus & stipendiis Monachorum in præfato loco Christo famulantium concedimus, atque firmamus: videlicet ut nulli unquam liceat ab eorum dominio ex eisdem villis ali-

c *Hlotharius*] Fallitur & fallit: nam privilegium quod hoc loco editur, nec Lotharii Imperatoris est, nec ejus cognominis filii, sed Lotharii Regis Francorum, quo natus est Ludovicus ultimus è Caroli stirpe Francorum Rex: & Hugo Dux cujus in illo privilegio fit mentio, idem est qui post Ludovicum regnavit parens inclitæ stirpis quæ hucusque feliciter regnat.

„ quid abstrahere, aut minuere, aut in alios usus
„ convertere, nec paratas, aut ridimonium aut
„ hostilicium, aut alias quaslibet redhibitiones præ-
„ sumat ullo modò exigere; sed sicut dictum est,
„ eo modo atque tenore quo à piissimo Imperatore
„ genitore nostro statutum est, ita nostris & futuris
„ temporibus securè illas teneant, & quietè possi-
„ deant. Quatenùs eosdem Dei servos in præmisso
„ Monasterio Domino militantes pro salute ejusdem
„ genitoris nostri, & felicitate nostrâ, & conjugis,
„ proleque, sive stabilitate regni nostri, incessanter
„ piissimi Judicis misericordiam implorare delectet.
„ Et ut hæc auctoritas per futura tempora inviola-
„ bilem & inconvulsam obtineat firmitatem; manu
„ propriâ subterfirmavimus, & annuli nostri im-
„ pressione assignari jussimus. Signum Karoli glo-
„ riosissimi Regis. Meginarius Notarius ad vicem
„ Hludovici recognovi & subscripsi. Data xii.
„ Kal. Junii, Anno iv. Regnante Domino Karo-
„ lo Serenissimo Rege, Indictione vi. Actum Com-
„ pendio palatio regio in Dei nomine feliciter, A-
„ men.

Ludovicus Abbas incipiente v. anno regni Karoli Monachos suos, quibus nuperrimè prælatus fuerat ad Regem mittit, quatenùs quibusdam villis à se acquisitis, & ex Regio dono perceptis, suæ iteratò auctoritatis præceptionem firmaret. Illi obedienter præceptum Abbatis exequentes, Regem Karolum denuò exorant; ut juxtà quod suus genitor, & ipse paulo ante fecerat, Regiæ potestatis auctoritatem reconfirmaret. Karolus libenter ac placidè obaudiens, quæ orabatur adimplevit, & in hoc quoque privilegio illas notavit villas, quas dudum in superiori firmaverat: adjungens illas quæ ex industriâ clarissimi Abbatis possidebantur firmari, id est, Forestem cellam, & quidquid ad illam pertinebat, & alia quædam, quæ ipsa carta liquidò pandit, ita se habens:

„ In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ka-
„ rolus gratiâ Dei Rex. Si servorum Dei, &c. *ut*
„ *in præcedenti.* Quià benignitate & licentiâ dilecti
„ propinqui nostri Ludovici Abbatis ejusdem sacri
„ Cœnobii viri religiosi Monachi ex Monasterio Cen-
„ tulo, præclarissimi scilicet Confessoris Christi Ri-
„ charii, culminis nostri adeuntes Serenitatem, &c.
„ *ut in superiori.* Quorum denique preces divino in-
„ tuitu, & deprecatione præfati venerabilis & di-
„ lecti propinqui nostri Ludovici Abbatis clementer
„ audivimus, & ita illis in omnibus concessisse, cun-
„ ctis notum esse volumus; quin etiam reverentiæ
„ nostræ scriptum hoc speciali conditione fieri jussi-
„ mus, per quod memoratas villas hoc est Civini-
„ curtem cum Bronoilo & Argovillare, Adulficur-
„ tem, Valles, Drusciacum, Novamvillam, Mon-
„ tem Angelorum, Guibrentium, Bagardas, Cur-
„ ticellam, Crucem, Langaratum, Alteiam quæ
„ Abbatisham vocatur, Concilium, Verculfum
„ cum feticis in Ragineri exclusa, terrisque ad eam
„ pertinentibus: Roconis montem cum feticis &
„ terris in Asflariis, Sacrocampo, & Petronutio
„ consistentibus; addito manso precariæ Hegfridi
„ post decessum ejus, Nigellam, Sidrudem, capel-
„ lam in villâ maris cum Mansis ad se pertinenti-
„ bus: Insuper & cellam, quæ Forestis vocatur,
„ cum villis ad eam pertinentibus, quas venerabi-
„ lis Abbas Ludovicus auxit Monachorum stipen-
„ diis, quarum hæc sunt nomina: Argubius cum
„ colonia, quæ Romamgilis dicitur, & beneficio-
„ lum Nortberti & Guicbaldiin eâdem coloniâ sita;
„ & Bonella cum beneficiis Angalcii, & Godolardi:
„ nec non & villa quæ vocatur sanctus Vigilius,
„ cum Berniaco, & Accinicurte, & Euholt. Et in
pago Belvacense, in loco qui dicitur Gellis sitici „
sex, & de vineâ aripennes octo: & in Rivirtsi- „
curte feticis duobus, & de vineâ aripennes sex, „
& in Quentvico feticis duobus; in Mosultro man- „
sum unum. In Asco feticis tribus; in Avisnis „
mansum unum. Eâ verò conditione, ut qui be- „
neficia ex jamdictis rebus modò habent, tamdiù „
ea retineant usquequò aut alicubi pro eisdem be- „
neficiis alia obtineant, aut post decessum illorum, „
nisi fortè Abbas pro eorum culpâ ante ab eis re- „
ceperit, Fratres absque ullâ interrogatione reci- „
piant; & xii. Canonicos in eâdem Cellâ Mona- „
chi sub suâ curâ & ordinatione in debitis & ne- „
cessariis stipendiis religiosè custodiant. Ex sylvâ „
etiam, quæ ad eamdem cellam, quæ Forestis di- „
citur, pertinere videtur, quæ necessaria in utili- „
tatibus majoris Monasterii fuerint, discretione & „
ordinatione Abbatis prævideant. Hæc autem om- „
nia, quidquid ad supradicta loca præsenti tem- „
pore justè & legaliter, &c. „

Signum Karoli gloriosissimi Regis. Jonas Dia- „
conus ad vicem Hludovici recognovi & sub- „
scripsi. Data v. Kalendas Octobris anno v. Ind. „
vii. Regnante Carolo gloriosissimo Rege. Actum „
Compendio palatio Regio in Dei nomine feliciter, „
Amen. „

CAPUT VIII.

Ablatio S. Richarii, *& Relatio.*

Cœnobio Centulensi Ludovico præsidente, ob malignorum timorem Danorum, quos Sequana illis alebat temporibus, multa Monasteria mari finitima ac villæ fecundæ pristinum amisere decorem. Quo rumore & hoc Monasterium concussum est, in tantum ut non solùm facultates Ecclesiæ, verùm etiam ipsum intemerabilem thesaurum, sancti scilicet corpus Richarii, contigerit fugam inire. Fratres denique illud tollentes, paucosque loci custodes relinquentes discesserunt, & tribus circiter hebdomadibus dispersi Monasterio caruerunt. Dei autem voluntate Danis discedentibus aliaque regna petentibus, Fratres retulerunt Sanctum Domini in proprium locum. Reverenti patrono occurrunt Pacrienses, de ejus redditâ præsentiâ indicibiliter exultantes. Omnipotens sanè, ut ampliorem sui Sancti cordibus Pontivorum amorem accenderet, duo magna in ipso reditu perfecit miracula. Quidam enim nobilis Gotselmus paralysi detentus, omnium membrorum officio manebat privatus. Hic revertenti sancto Confessori suorum auxilio gestatus occurrit: & mox ut ejus lecticam conspexit, statim omni malo liberatus optatam sanitatem perfectissimè recepit. Alter quidam ignobilis vocabulo Magimbertus habebatur hydropicus, inutilis ad omne opus, & nisi ab alio moveretur, uno semper residebat loco ceu truncus: hunc quidam alii submonebant, ut Sancto regredienti obviam iret, & salutem suam ab illo reposceret. Negante illo & impossibilitatem ostentante, illi eum accipientes obviam Sancto tulerunt. Cumque processio Fratrum referentium Sanctum illis è contra venisset, infirmus exclamavit à quodam se calcari, & postmodum visum est illi quòd aquâ calidâ perfunderetur, sicque ex integrò sanatus est.



CAPUT IX.

De HRUODULPHO *Abbate Comite.*

d POst aliquot [d] annorum spatia mortuo Abbate Ludovico, Abbatia Centulensis Rectorem habuit egregium virum HRUODULPHUM, virum Imperialem, & tam divinâ Philosophiâ quàm sæculari prudentiâ ornatissimum. Qui cum esset avunculus gloriosissimi Regis Caroli, & tamen spretâ sæculi gloriâ Domino ut nobilissimus nobiliter deserviret, à Fratribus Centulensibus, quorum sodalis in proposito erat, Abbas eligitur. Quique cum hoc officio Regis precatu functus fuisset, ejusdem Regis Caroli, sui scilicet nepotis, dono & prece Comitatum maritimæ provinciæ suscepit: quia erat, ut diximus, non solùm studiorum spiritualium, sed & humanæ prudentiæ peritissimus. Ornabatur itaque nostrum Monasterium Hruodulpho Abbate, refulgebat res alternatim publica Hruodulfo Comite. Hujus largitione Ecclesia nostra villas tunc optimas promeruit sex, quæ in sequentibus notantur. Qui etiam Monachos, sicuti anteriores Abbates fecerant, ad Regem transmisit, ut super his villis & super aliis de quibus in posterum calumnia timebatur, suæ iterum potestatis auctoritatem firmaret, quod & factum est: nam Fratres regiam Majestatem adierunt, postulatum avunculi deferentes: quibus ille ut solebat benignè paruit, & eisdem tale præceptum confirmavit.

» In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis CAROLUS gratiâ Dei Rex. Si servorum Dei, &c. *ut suprà.* Quia voluntate & licentiâ dilecti Avunculi nostri HRUODULFI Rectoris Centulensis sacri Cœnobii, Monachi ex eodem Manasterio præclarissimi scilicet, &c. Quorum denique preces divino nutu tactus, & deprecatione præfati avunculi nostri Hruodulfi Abbatis clementer audivimus, & ita illis in omnibus concessisse cunctis notum esse volumus. Quin etiam Reverentiæ nostræ scriptum hoc speciali conditione fieri jussimus, per quod memoratas villas, hoc est Civinicurtem cum Broniolo, & Arcovillare, Hardulficurtem, Valles, Drusciacum cum Ecclesiâ Cardordense, & appendiciis suis, Novam villam, Montem Angelorum, Guibrentium, Bagardas, Curticellam, Crucem, Langoratum, Alteiam, quæ Abbatissam vocatur, Verculsum, Concilium cum manso in Vertunno, quem Teutdradus pro quodam Concambio S. Richario dedit: Niallam cum mansionile Filcariis, Roconismontem cum seticis & terris in Masflariis, Sacrocampo, & Petronutio consistentibus: necnon etiam & Sidrudem cum omnium rerum plenitudine. Insuper & hoc quod quidam homo nomine Ragembertus jure beneficiario quodam tenuit pro commutatione Forestensis Cellulæ, quam hactenùs per auctoritatem præcepti nostri habentes tenuerunt, secundùm oportunitatem, eorumque petitionem, atque consensum jamdicti Avunculi nostri Hruodulfi: id est, Argubium cum appendentiis suis, Longum superiorem, Spaniam, Hadardi-villarem, Habacurtem, & in Hambiaca-villa Ecclesiam unam cum mansis duobus, Mansionilem unum qui dicitur Ponticulis, & in Buxide mansum unum cum suâ integritate, & quidquid ad ista aucta vel commutata, supradictaque loca præsenti tempore justè & legaliter aspicere videtur, sicut à Domno & genitore nostro, &c. «

Signum KAROLI gloriosissimi Regis. ÆNEAS Notarius ad vicem Hludovici recognovi & subscripsi. Data II. Kal. Martii, Indict. III. Anno XVI. Regni Karoli gloriosissimi Regis. Actum in Germiniaco Palatio Regio, in Dei nomine feliciter, Amen. «

Hruodulfus igitur Venerabilis Abbas & Comes, postquàm per aliquos annos Cœnobium cum provinciis maritimis gubernavit, se Deo vocante ex hujus mundi ludibrio emigravit, percepturus pro fideli administratione dulcia paradisi. Fratres verò de ejus morte nimiùm tristes, librum rotularem conficientes direxerunt per Ecclesias, & loca Sanctorum, dilecti Patris exitum nuntiantes, & pro ipso orari cupientes. Quod ideo placuit memorari, quia ipsius voluminis Epistola nostrâ ætate adhuc durans inter antiqua monumenta sancti loci gratam ex se Fratribus facit lectionem. Ipsius itaque Epistola rotuli talis est:

Fratres Cœnobii sancti Richarii gloriosæ memoriæ omnibus Christi Militibus. Petimus obnixè Paternitatem vestram pro nostris fraternè geri defunctis, & vestrorum æquè dirigi vocabula mortuorum, diemque adventûs præsentis cursoris ad vos venientis per monimenta Kalendarum significari, ne fallaciæ suæ præstigiis nobis possit mentiri. Officio verò Abbaticio, seu Præposituræ, unà cum Decaniæ qui fungi videntur pariter intimare sciat. Obiit itaque apud nos Domnus HRUODULFUS Comes, Abbasque simul noster VIII. Idus Januarii. Ideoque quatenùs pro eo decertetis apud Dominum, ut & vos mercedem habeatis, & ille in congregatione Justorum aggregetur, vestris suffultus sanctissimis opitulationibus. Statuimusque justum esse, ut quem Patrem habuimus piissimum, dulci filiorum amore pro eo pium Dominum incessanter rogemus. «

CAPUT X.

De HELIGAUDO *Abbate Comite.*

UNiversæ carnis viam ingresso Hruodulfo suscepit HELIGAUDUS Comes Centulensium gubernationem. Hic ex sæculari Comitatu transiit ad animarum Ducatum. Nam antequàm Abbas aut Monachus foret, sæculo militavit, & etiam uxoratus filium suæ carnis reliquit, terræ quidem potestatis, sed non Monasticæ servitutis heredem, nomine HERLUINUM, similiter Comitem. Verùm si aliquis quærat cur nostras Rector, Abbas, & Comes insimul exstiterit, reddimus quam antiquiores tradunt hac de re rationem. Eo enim tempore permittente Deo, & peccato Christiani populi exigente, feræ nationes Danorum, aliarumque barbaries gentium, persæpe Franciscos limites pervadebat, & ipsos Reges ac Proceres regno deturbare, & penitùs interimere conabatur. Pontivus, vel Wimacus, Provinciolæ tunc Castella aut munitiones aut rarò, aut nusquam habebant, & proinde per has liber ingressus ad Franciam hostibus existebat: quod etiam in hoc Opusculo gemino potest animadverti exemplo, quando scilicet Domnum Nithardum sancti Angilberti filium, bello interemptum retulimus; vel quando tempore Abbatis Ludovici sanctum Patrem Richarium illorum timore hinc fuisse sublatum docuimus. Reverâ autem nostri adstipulavere seniores,

d *Post aliquot*] Acherius in suo codice ad marginem, hæc reperit: *Post Domnum Ludovicum præfuisse dicitur Domnus Nithardus; & quia tum persequutio gravis insistebat paganorum, etiam maritimæ oræ Commitatum suscepit.* Eadem leguntur in codice Centulensi.

quod & ipse Nithardus utriusque officii minister exstiterit, & quia expeditioni non relicto regulari ordine inserviens, ab hostibus sit occisus. Cum ergo horum canina rabies frequenti suo adventu mala gravia orbi Gallico infligeret, visum est Regibus Francorum & Optimatibus ut Abbas Centulensis, qui magnæ gloriæ magnique nominis habebatur, hujus sedandæ tempestatis onus exciperet: quia & in ipso loco sancto magnæ generositatis viri habitabant, & qui tam pro bonorum immensitate, quàm pro parentum militum numerositate, magna & fortia aggredi possent. Nec enim unquam aliquis de nobilibus loquens aliud nobilius quæsivit, si sancti Richarii Monachorum nobilitas ei nuntiata fuit. In hoc enim Cœnobio Duces, Comites, filii Ducum, filii Comitum, filii etiam Regum educabantur: omnis sublimior dignitas quaquaversum per Regnum Francorum posita, in sancti Richarii Monasterio se parentem habere gaubebat. Tali igitur quâ diximus ratione quidam nostratum Abbatum Comites insimul erant & Abbates, qui & generosæ parentilitatis lumine emicabant, & sacræ Regulæ servatores, in ipsis etiam exercituum turmis ante Dei oculos habebantur.

Abbas ergo Heligaudus simulque Comes, cum hujus Cœnobii moderator existeret, cuidam militari viro Rollenicurtem, & alia quædam, proh dolor! quæ nuper à Duce Hugone noster receperat locus, in beniticium sub certi temporis denuntiatione tradidit: cujus facti precaria cartula à nobis habetur; sed nihil eorum hic ponimus, quæ non honoris augmentum, quin potiùs materiem doloris præstarent: qui etiam post aliquot annorum exhibitam Abbatiæ Comitatus administrationem humanis rebus excessit: nec Comitatûs curam jam Abbatibus agendam reliquit, quia hanc filius ejus Herluinus suscepit. Verumtamen hujus Heligaudi Comitis leges, quas in sæcularibus proposuit, adhuc à provincialibus tenentur, sciuntur, servantur.

Anno Karoli xx.

Obiit III. Non. Novembris.

CAPUT XI.

De domno GUELFONE *Abbate: & Translatio capitis sancti Richarii.*

ILlo itaque mortis eventu substracto, Abbatem habuimus & verè Patrem virum Regali genere procreatum, nomine GUELFONEM. Quantæ verò strenuitatis & probitatis fuerit Domnus iste, non paucis potest explicari relatis. Verumtamem bonitatem illius animo insitam hinc quisque lucidè capere potest, cum sicut sequentia docebunt, erga S. Richarium fidelis ac devotus, erga subjectos benignus, erga Principes semper exstiterit amatus. Hic ob expertam in se prudentiam, & religiositatis devotionem, sanctæ Martyris & Virginis Columbæ apud Senones sitæ, sicut & noster, Abbas permansit: ea autem quæ sub ipso ejus regimine gesta fuisse inveniuntur, referri debent, ut & in his quoque nobilitas viri liquidò perpendatur.

864. Anno igitur Dominicæ Incarnationis DCCCLXIV. Indictione XII. Mense Octobri, die VI. Kalend. Novembrium, translatum est ab ipso Abbate, vel à Fratribus, gloriosum caput S. Richarii de capsâ ligneâ in capsam argenteam, auro gemmisque redimitam. Siquidem cum, ut suprà dictum est, barbarorum impulsu patria vastaretur, Fratresque fugere cogerentur, fecerant capsam ligneam, in quâ caput beatum S. Richarii condiderant, ut facilè & leviter secum possent quaquaversum portare. Datâ verò quiete, & hostibus fugatis, Odulfus venerabilis Monachus Sancti ejusdem habebatur æditiuus; qui dum ardenti animo sacratissimum Patrem omni honore prosequeretur, ex thesauris Ecclesiæ auro & argento pretiosisque lapidibus abundantissimè eam capsam paraverat, ubi cari Patroni caput de ligneâ transmissum narramus: quod dum fieret, contigit adesse unum è Monasterii famulis nomine Geraldum, qui lumine oculorum ante annum & dimidium fuerat Dei permissu orbatus; transfertur Sanctus, ille orans solo tenùs jacet, dum Sancti caput veneranter reconditur, istius oculis se lux peregrina refudit. At memoratus Custos in ipsam quam diximus capsam multas Sanctorum Reliquias cum Sancti capite reposuit, de quibus paulo post pauca referemus. Sed quia pietas Regum multa nobis contulisse deprehenditur, ad illorum facta paulisper stilus revertatur.

CAPUT XII.

De Regibus: & de Reliquiis quas ODULFUS *Custos undecumque meruit.*

IN superioribus recognoscat nos lector dixisse HLUDOVICUM filium Augusti HLUDOGVICI, post habitum cum fratribus certamen, Noricorum & Alemannorum, Austrasiorum quoque & Saxonum ac Hunorum regna percepisse, quæ postquàm XL. & III. annis strenuè gubernasset, jamque sibi de sepulturâ cogitandum attenderet, tribus filiis regnum suum partitus est, & Carlomanno quidem dedit Noricam, id est Bajoariam, & Marchas contra Sclavos & Langobardos. Hludovico verò Toringiam, Austrasiam, Francos, & Saxoniam dimisit. Karolo quoque Alemanniam, & Curgualam, id est Comitatum Cornugalliæ reliquit. Anno autem Incarnationis Christi DCCCLXV. Ind. XII. post Paschalem festivitatem hæc regnorum partitio facta est. Ipse tamen Hludovicus super filios suos feliciter principatum tenuit postea per XI. annos, sicque mortuus est. 865.

Eo igitur anno quo filiis regna contulit, ODULFUS Custos Ecclesiæ S. Richarii petiit venerabilem HILMERADUM Ambianorum Præsulem, ut sibi ad honorem Dei, & ob amorem Fratrum suorum aliquam portionem Reliquiarum donaret. Quod ei divinâ gratiâ illustratus, animo cessit libenti, atque diem quâ pro eis mitteret statuit. Prædictus verò Custos discipulum suum Samuhelem Presbyterum Ambianis misit, qui perceptas ab Episcopo Reliquias Idus Junii Centulo deportavit. Videlicet ex Casulâ sancti Firmini, quam habuit indutam cum interficeretur pro Christo; & de ossibus poplitum beatorum Martyrum Fusciani, Victorici, atque Gentiani; necnon & partem anterioris digiti famosissimi Honorati Confessoris Christi. Tunc religiosissimi Fratres obviam è Monasterio procedentes, & terrâ tenùs adorantes, exceperunt illas cum ingenti gaudio ac summo honore, & in capsam quâ sancti Richarii caput beatum servabatur, reposuerunt.

Eodem anno petiit ipse æditiuus sancti Fratres Judoci, ut sibi pro caritate ex ipsius Sancti corpore aliquid largirentur: at illi exultantes quod apud se haberetur unde à Centulensibus potuissent rogari, memorato Custodi citissimè paruerunt, & medietatem digiti de eodem Sancto ei contulerunt: quem ut moris erat, nostrates Monachi honoranter exceperunt, & in capsam sæpefatam cum sancti Richarii capite Idus Decembris posuerunt.

Sequenti etiam anno idem Monachus rogavit à Fratribus Cœnobii Fontanellæ, quod nuperrimè fuerat populatum, ut ex corporibus Beatorum Guandregisili & Ansberti sibi & loco nostro tribuerent quantulamcumque partem. Acceptas ergo sacras Reliquias legatus æditui, ossa scilicet & cine-

res, Centulo II. Idus Februarii intulit: quæ à Fratribus cum honore susceptæ, & in capsam sæpe dictam reconditæ sunt.

Præfatus Custos Odulfus oravit quamdam Abbatissam euntem Valentianas ad placitum Karoli Regis, quo sibi suo precatu obtineret aliquid donari ex Reliquiis almi Martyris Salvii à Custodibus ejusdem Sancti. Quæ ubi ad locum venit, non immemor acceptæ precis, impetravit ab ejusdem loci alumnis, quorum Rector erat ejusdem Abbatissæ filius nomine HUGO, ex Reliquiis jamdicti Martyris portionem; ex sanguine scilicet, una cum capillis ejus: sed & partem manicæ quam habebat vestitam tempore Dominici sacrificii; quæ IV. Non. Maii Centulo allatæ, atque à Fratribus verenter exceptæ, ac in præscriptam capsam honestè conditæ sunt.

Anno quoque Incarnationis Domini nostri JESU
866. CHRISTI DCCCLXVI. Ind. XIII. obtinuit Custos sæpedictus apud HUDONEM Belgivagorum Præsulem intercessu HILMERADI Præpositi sancti Luciani Martyris, quo sibi aliquid è suis Reliquiis dependere dignaretur. Legatus itaque illò veniens, à jamdicto Episcopo Reliquias ex capillis S. Luciani, & de veste ejus, nec non de corpusculo sancti Justi os quoddam accepit, attulitque ad Cœnobium Centulum II. Idus Junii, quas Fratres cum hymnis & laudibus adorantes exceperunt, & cum capite sancti Richarii Pontivorum Patris condiderunt.

CAPUT XIII.

Privilegium HLUDOVICI *de Civinocurte.*

867. POst hæc verò anno sequenti Ind. XV. cum honestissimus Abbas GUELFO Cœnobium Centulense modestè ac religiosè gubernaret, Villam sanctissimi Patris Richarii, Civinicurtem vocabulo, contigit peditum equitumve frequenti transitu nimis gravari. Quod pius Rector pervidens, & reputans quòd si res insolesceret, nimietate divertentium deleretur villa, accessit ad Regem Hludovicum, qui ante fermè triennium fuerat à patre Rex statutus; & deprecatus est, ut propriæ auctoritatis præceptione inhiberet, ne aliquis commeantium peditum equitumve villam jamdictam causâ hospitandi intraret, cui Venerabili Abbati uti dilecto parenti Rex jamdictus annuit, & ad ejus petitionem tale præceptum firmavit.

„ In nomine Domini Dei æterni: & Salvatoris no„stri JESU CHRISTI HLUDOVICUS misericordiâ „Dei Rex. Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ „Fidelibus, & nostris, præsentibus scilicet atque „futuris, quoniam GUELFO Venerabilis Abbas & „consanguineus noster carissimus, ad nostram ac„cedens Serenitatem, precatus est ut propter ho„spitum oppressionem facere juberemus præceptum „nostræ auctoritatis ex villâ Fratrum sancti Richarii „nomine Civinocurte; quatenùs nemo ibi mansio„naticum faciat, nec in hostem vadens, nec ite„rans, sed libera sit jamdicta villa ab omni op„pressione hospitum, & liberè possit suis Seniori„bus deservire. Nos itaque ejus petitionibus assen„sum præbentes propter amorem Dei, & reveren„tiam prædicti loci, & remedio animæ nostræ, & „ob jamdicti Abbatis Guelfonis carissimi consan„guinei nostri dilectionem, ita & fecimus. Præci„pientes igitur jubemus per hoc præceptum nostræ „auctoritatis, ut nullus in prædictam villam ex omni „regno nostro introeat causâ ullius mansionatici sine „voluntate prædictorum Fratrum, sed liberè ab om„nium hospitum oppressione maneat sine ullâ resul„tatione. Si quis verò hoc nostrum præceptum infringens quidpiam sine licentiâ Fratrum ex prædictis fecerit, argenti libras XXX. coactus exsolvat. « Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas per omnia « tempora inviolabiliter ab omnibus conservetur, « annuli nostri impressione subter eam sigillari jussi- « mus. AUDACHER Notarius ad vicem GAUZLINI « recognovit & subscripsit. «

Datum III. Kalend. Januarii. Indictione XV. « Anno II. Regnante Ludovico gloriosissimo Rege. « Actum Compendio Palatio in Dei nomine feliciter, Amen. «

CAPUT XIV.

Item de ODULFO, *& Reliquiis.*

HOc eodem anno, eademque Indict. Odulfus jannuus sanctæ ædis Almi Richarii, quæsivit à Fratribus Senonensibus ex Monasterio sanctæ Columbæ Virginis, coram Guelfone gratiâ Dei utriusque loci Abbate, ut per ipsius assensum & jussionem aliquid sibi impertirent è corpore prædictæ Virginis. Nam eorumdem Fratrum aliqui tunc temporis Centulo morabantur. Qui precatis libentissimè faventes id se impleturos dixerunt, si Christo protegente proprium incolumes possent revisere locum; quò postquam venerunt, & cæteris Fratribus suis Centulensium preces intimaverunt, responderunt illi cum magnâ devotione, si aliquid ex loco illorum procedere ad honorem famosissimi loci quivisset, cum omni liberalitate se tribuere velle. Sumserunt itaque ex sacro corpore Virginis Martyrisque os ex humero quod adhæret scapulæ, & ad Cœnobium B. Richarii miserunt. Monachi autem ejusdem loci gratificum donum excipientes, & Deo glorificum melos reddentes, reposuerunt illud in gremium capsæ auro gemmisque ornatæ, ubi & conditæ sunt aliæ Reliquiæ cum glorioso capite Beatissimi Richarii.

Eodem anno Venerabilis HRUODUM Abbatissa, Centulensium casta dilectrix, attulit ad Monasterium sancti Richarii Reliquias Sanctorum Patrum, scilicet Aratoris, sancti Pauli, sancti Mauri, sanctique Salvii Confessoris Episcopi, quas Fratres ejusdem loci reposuerunt II. Kal. Aprilis in capsam quâ conditæ sunt cæteræ Sanctorum Reliquiæ.

In eodem verò Christi Incarnationis anno contigit quemdam è Fratribus nostris, Samuhelem nomine, limina sancti Dionysii attigisse, quò impetravit apud quemdam Presbyterum civitatis Parisiacæ quoddam ossillum ex corpore sancti Viti Martyris; quod etiam Centulum misit, quodque à Fratribus XV. Kalend. Maii susceptum, & in superiori capsâ decenter positum est.

Nicolao Papa Romanæ Ecclesiæ præsidente, quidam Almi Richarii Monachus, homo prudens, nomine ANSEGISUS, imperio KAROLI gloriosissimi Regis missaticum tulit ipsi Summo Pontifici, pro communi utilitate sanctæ universalis Ecclesiæ Catholicæ. Qui Ansegisus munificentiâ tanti viri honorificè susceptus, & eis propter quæ missus fuerat allegatis, à quodam impetravit Romano tum prece tum præmio Reliquias Sanctorum. Corpus scilicet S. Joannis Martyris penè totum, necnon & brachium S. Papæ Urbani, Sanctique brachium Alexandri quinti Apostolicæ sedis successoris; simulque caput B. Felicitatis, unà cum quatuor filiorum ejus Reliquiis, atque Reliquias Sanctorum plurimorum, quorum ob multitudinem nomina non recensemus. Has igitur secum referens divitias, Monasterii proprii intulit gazophylaciis. Examen denique Monachorum obviam exiens, & pronis in terram corporibus in modum crucis adorans, Kal. Decembris

easdem excepit, & cum capite Sanctissimi Richarii honorificè collocavit.

Odulfus venerabilis iterum obtinuit à quodam Sancti Mauricii ministro, qui his fortè diebus Pontivo habebatur, ut ex sacro jamdicti Sancti corpore quidpiam percipere mereretur. Cujus probitati ille digna rependens, largitus est ei quamdam portiunculam de sacratissimo capite gloriosi Martyris Mauricii, & particulam de camisiâ sancti Exuperii sanguine infectam, quâ vestitus erat quando pro Christo martyrizatus est: quibus reverenter acceptis, facta est pars capitis sancti Mauricii cum jamdictâ portione interulæ sancti Exuperii, concapsalis capiti Beati Richarii.

CAPUT XV.

Privilegium KAROLI, *de Hasloas.*

868. Regnante glorioso Rege KAROLO Hludogvici prioris filio anno XXVIII. Indict. I. qui erat Dominicæ Incarnationis annus DCCCLXVIII. Venerabilis Guelfo Centulensium Pater exoravit ejusdem Regis Majestatem, ut villam Hasloas, super Somena fluvio sitam, suâ præceptione auctorizaret perpetuò eâ ratione habendam, ut nullus Abbas, vel quilibet alter, ab illâ quidpiam ex appendiciis subtraheret, aut aliorsum quàm in usus Fratrum delegaret. Annuit ei Rex gloriosus; & pro hac ratione tale condidit præceptum.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, KAROLUS gratiâ Dei Rex. Si Fidelium nostrorum justis ac rationabilibus postulationibus, quas pro sacris locis sibi commissis nostræ sagacitati intimaverint, assensum præbemus, easque ad effectum perducimus, profuturum nobis ad præsentis vitæ curricula feliciùs transigenda, & ad futuræ beatitudinis præmia faciliùs obtinenda non dubitamus. Comperiat igitur omnium Fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium ac futurorum industria, quia dilectus nobis GUELFO Venerabilis Abbas Monasterii Centuli, ubi S. Richarius egregius Confessor corpore quiescit; ubi etiam turma Monachorum Deo jugiter militare dignoscitur, nostram supplicavit Celsitudinem, ut quasdam res ejusdem Abbatiæ, id est, in pago Ambianensi super fluvio Sominæ villam quæ dicitur Hasloas, cum farinariis & piscatoriis, & omnibus sibi pretinentibus, usibus ac stipendiis eorumdem Monachorum, ad sui etiam refugium deputaremus, & nostræ auctoritatis præcepto perpetim habendam confirmaremus. Res etiam alias usibus ac stipendiis eorumdem Monachorum deputatas, & præceptis piæ recordationis genitoris nostri Hludogvici Serenissimi Augusti, & nostris confirmatas, iterum nostræ Celsitudinis auctoritate corroboraremus. Cujus justis ac rationabilibus petitionibus faventes, hoc Altitudinis nostræ præceptum fieri, eisdemque Monachis dari jussimus; per quod præcipimus atque firmamus, ut omnes res illis deputatas, & auctoritatibus genitoris nostri, & nostris corroboratas, sicut in eisdem præceptis continetur, absque alicujus Abbatis contradictione aut minoratione firmiter teneant, ordinent, atque possideant; & præfatam villam quæ dicitur Hasloas, cum domibus, ædificiis, terris, sylvis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, piscatoriis, mancipiis utriusque sexûs desuper commanentibus, vel ad eamdem villam justè pertinentibus, plenâque integritate ad sui refugium deputamus, & hoc auctoritatis nostræ præcepto confirmamus: ita ut nulli Rectorum ejusdem Cœnobii liceat ex omnibus rebus quidquam subtrahere, aut minuere, aut in alios præter quos constituimus usus retorquere; quatenùs ipsi Monachi liberiùs Deo famulentur, & pro nobis, conjuge, & prole, totiusque regni nostri statu continuis precibus Dei misericordiam implorent. Ut autem hæc nostræ auctoritatis præceptio inviolabilem obtineat firmitatem, manu propriâ subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum KAROLI gloriosissimi Regis. FROTGARIUS Notarius ad vicem GOZLINI recognovi & subscripsi. Data VII. Idus Decembris. Ind. I. anno XXVIII. Regnante Karolo gloriossimo Rege. Actum Carisiaco Palatio Regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

CAPUT XVI.

Donatio KAROLI, *de Vallis-Villâ.*

Deo autem instigante, & Fratrum religiositate id promerente, non suffecit isti potentissimo Regi ea indulgere, quæ super prædiorum, & villarum confirmatione poscebantur, sed suâ sponte illa etiam loci victus amore concessit quæ nunquam à quoquam rogarentur; tum quia opus non erat reditu abundante, tum quia alia multa præstantem id non rogare fas erat. Donavit igitur Cœnobio Centulo pro suæ remedio animæ villam in pago Belvacensi sitam, Vallis nuncupatam, super cujus deditione talem firmavit præceptionem.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis KAROLUS gratiâ Dei Rex. Quidquid locis divino cultui mancipatis largiendo conferimus, profuturum nobis ad præsentis vitæ curricula feliciùs transigenda, & ad æternæ beatitudinis præmia faciliùs obtinenda non dubitamus. Comperiat ergo omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque, præsentium, ac futurorum solertia, quia ob Dei & S. Richarii egregii Confessoris amorem & honorem, complacuit Celsitudini nostræ pro nostrorum absolutione peccaminum, usibus & stipendiis Monachorum in Monasterio ejusdem S. Richarii, ubi ipse sanctus Confessor corpore quiescit, ubi etiam GUELFO Abbas esse dignoscitur, Deo militantium, quasdam nostræ proprietatis res & mancipia largiri, & largiendo delegare; id est, in pago Belloacensi, in villâ quæ dicitur Vallis, feticum indominicatum habentem quadrellos CXXX. & de vineis bunuaria XXX. & de arabili terrâ bunuaria XXI. & de prato bunuaria II. & quadrellos XLVIII. & de sylvâ bunuaria XX. & de conciso bunuaria V. & quadrellos II. & de marisco quadrellos CX. & de alnido bunuarium I. & farinarium I. & mansellos IV. habet unusquisque bunuaria III. & alios mansellos II. habet unusquisque bunuaria III. & dimidium. Unde hoc Altitudinis nostræ præceptum fieri, & eisdem Monachis dari jussimus, per quod præfatas res & mancipia, cum domibus, ædificiis, vineis, terris, sylvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mancipiis utriusque sexûs desuper commanentibus, vel ad easdem res justè pertinentibus, farinariis, omnique integritate ejus largimur, & largiendo conferimus; ita ut nulli Rectorum ejusdem Monasterii liceat ex eisdem rebus quidquam subtrahere, &c. *ut suprà.* Sigillari jussimus. Signum KAROLI gloriosissimi Regis. FROTGARIUS Notarius ad vicem GOZLINI recognovi & subscripsi. Data VI. Kalend. Aprilis Ind. I. anno XXVIII. Regnante KAROLO gloriosissimo Rege. Actum Silvanectis civitate in Dei nomine feliciter, Amen.

CAPUT XVII.

Donatio ejusdem de Bersaccas cum privilegio.

GUELFO Venerabilis Deo dignus, & omnibus amabilis, ubi comperit Regiam erga sanctum locum munificentiam, simulque quia, ut jam patuit, ejus consanguineus erat, ex amore sumens audaciam atque fiduciam, hortatus est sæpefatum Regem Karolum, ut ad laudem & amorem Dei, ac sancti venerationem Richarii, quem Dei amicum miracula crebra testabantur, aliquid adhuc Centulensibus Fratribus impartiretur, quo & Deum sibi placabilem per Sancti merita faceret, & ejusdem loci honorem in aliquo augmentaret. Salubriter certè insinuata, salubriùs sunt perfecta: nam hortatui dilecti cedens parentis, donavit iterum S. Richario villam juxtà Monasterium positam, quæ Bersaccas dicitur, pro cujus largitione tale auctoritatis suæ testimonium confecit.

„ In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis CAROLUS gratiâ Dei Rex. Si locis divino cultui mancipatis aliquid competentium subsidiorum conferimus, id nobis prodesse ad Sanctorum eorumdem suffragia consequenda, eorumque precibus ad misericordissimam pietatis Dei clementiam adipiscendam proculdubio confidimus. Quapropter omnium sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelium, & nostrorum, tam præsentium quàm futurorum solertia noverit, quia nos ob emolumentum nostræ salutis, deprecante GUELFONE Monasterii sancti Richarii præcipui Confessoris Abbate, præcepto nostræ auctoritatis delegamus quemdam locum Bersaccas nomine in pago Pontivo, haud secus Monasterio ipsius Confessoris, ad luminaria scilicet prænotatæ Ecclesiæ perpetuo ritu subministranda, & quasdam res quæ juris ipsius Ecclesiæ esse noscuntur: eo videlicet tenoris pacto, quatenùs deinceps sub manu ministrorum luminaria coram præcipuo illo Confessore, Reliquiisque Sanctorum illic degentium sint administrata: unde hoc Præcellentiæ nostræ præceptum fieri jussimus, ministroque huic præposito dari, per quod prædictas res omnes, cum Ecclesiâ scilicet inibi fundatâ, & sylvis, pratis, pascuis, molendinis, aquis, aquarumve decursibus, & omnia quæ ad ipsum locum Bersaccas scilicet justè & legaliter pertinere videntur, præfato sancto loco largimur. Statuentes quatenùs ex hac opitulatione tria continuè luminaria coram capite sæpe dicti præcipui Confessoris, Reliquiisque Sanctorum ardeant, & annotinâ translatione Sanctarum Reliquiarum illi conditarum, quæ evenit IV. Non. Decembris, commemoratione Sanctorum, & commercio suorum præmiorum Fratribus ibi Deo militantibus refectio cibi & potûs congruæ opulentiæ eorum exhibitione subministretur, qui res easdem in prædicto Monasterio regendas & ordinandas perceperint. Et ne quis ab hodierna die & deinceps hanc prædictam villam Bersaccas ab obsequio divini cultûs subtrahere quocumque molimine attentet, aut inde dona, vel quasdam exhibitiones extorquere præsumat, sed sicut statutum est inviolabiliter manere contendat, ante divinum conspectum prædicto Patrono & Collegis suis circumstantibus precamur, sed perpetuâ hujus stabilitatis tranquillitate potiti ipsius loci ministri & prætaxata luminaria indesinenter, & refectionem Fratrum annuatim administrent. Et pro nobis, conjuge, prole, regnique stabilitate Domini misericordiam jugiter obsecrando deposcant. Ut autem hæc nostræ roborationis & largitionis auctoritas pleniorem in Dei nostri nomine obtineat stabilitatis vigorem, manu propriâ subterfirmavimus, annulique nostri impressione assignari jussimus. Signum KAROLI gloriosissimi Regis. HILDEBOLDUS Cancellarius ad vicem Gozleni recognovi & subscripsi. Data IV. Kalendas Junii Indict. I. Anno XXVIII. regnante Karolo gloriosissimo Rege. Actum Carisiaco Palatio in Dei nomine feliciter, Amen. «

CAPUT XVIII.

De Miraculis S. RICHARII.

SED nunc ad S. Patris nostri opera recurrendum est, ut nostris opusculis per se nimis insulsis quasi condimentum divinitatis ex eis conferatur. Eo enim tempore fœmina paupercula detulit filium suum ante annos quatuor natum ad suffragia Patroni nostri, jam per duos annos omni corpusculo contractum; & ubi pio medico ejus causam commisit; illicò virtute meritorum Sancti amissam recepit sanitatem. In Wilcassino pago homo grandævus & pauper habebatur in villâ Floriaco, cui à die nativitatis in reliquum fuerat negata omnimodi sermonis facultas. Huic diva miseratio in visu persuasit Sanctum requirere Richarium, usum loquendi illum posse dare confirmans. Credulus ille dictis intimatum requirit archiatrum, quo invento cœleste mox sensit antidotum: nam in sancti Patris solemnitate damnatâ taciturnitate nativâ, linguæ loquacis accepit officia. Puer nomine Dodigerus mutato jure nascendi in hanc lucem contractus, & distortus confuso membrorum ordine processit: fuit verò Rotomagensis indigena territorii. Verùm ejus genitor multiformi nuntio cognoscens potentiam & pietatem Pontivorum patroni Richarii, & se ejus beneficiis uti posse non desperans, sustulit illum ad Cœnobium nostrum in Sancti magnâ festivitate. Et quia fidem habuit, spes eum præsumpta non fefellit; nam cum in Ecclesiâ adstans filium in brachiis teneret, superno respectu sanatus est. Contigit eo tempore Danorum catervam de palatio Domni Karoli regredientem, & Anglicos fines repetentem, per hoc Monasterium habuisse commeatum: nemo autem putet istos modo fuisse, quorum violentiis & priùs & postea patria depopulata est nostra; nam isti gratiâ legationis forsitan pacificæ Regiam petierant Duce ANSLEICO aulam. Itaque in regressu hoc sanctum Cœnobium pervium habentes, gratiâ orandi intraverant Basilicam hi quos fides Christiana illustrabat, cum quibus unus intravit paganismi adhuc errore obsessus, qui Deo omnipotenti vel Sanctis ejus nullam exhibuit reverentiam, sed curiosè agens cœpit perlustrare sacrarum ædium diversoria, volens aliquid videre unde nostræ fidei cultoribus posset insultare: quam ejus præsumptionem malitiosam divina extemplo prosequuta est censura, per quam coactus est bono suo fieri Christianus, ne ampliùs malo suo illi dominaretur Zabulus. Nempe cum perscrutatâ Basilicâ exiisset, & illo usque venisset, ut mari se navigio transvehendus committeret, cœpit omni suâ virtute destitui, molestiâ etiam corporis & angore ingenti affatim gravari. Cumque jam oculos in mortem clauderet, propinqui ejus sortilegâ indagine quæsiverunt pro quâ re tam fortiter torqueretur. Deprehendunt fuisse causam, quòd S. Richarii paganus intravisset Basilicam; quod ita sibi videri jam & ipse fuerat confessus. Spondet itaque si reddatur sanitas, se Christianorum necem in æternum non appetere, & ipsum ritum suscepturum se fore: quatuor quoque fila argentea unumque aureum, suæ longitudini coæqua tendere fecit, & pro devotione

B. Richario mitti rogavit, addito tot candelarum numero, quot ibidem altaria perviderat: quæ ut fieri statuit, statim propitio Deo totius mali levamen accepit, & deinceps molestiam ex hoc non pertulit.

CAPUT XIX.

De Abbate KARLOMANNO; *& donatio Durcapti.*

IGitur sanctissimo Guelfone Abbate felici excessu mortalia cuncta superante, felicissimi nostrates Monachi. Regium Abbatem nomine KARLOMANNUM sortiuntur, qui bonus boni successor exstitit. Hic gloriosissimi Regis Karoli filius fuit, & Imperialem nobilitatem sanctitatis & pietatis exequutione felici animo vicit: qui ab eo tempore quo sanctum suscepit ordinem, omni humilitate semper itatenus fulsit, ut ipsa summa & excellens generositas nullam in eo conciperet mentis ignobilitatem; sed sicut genere, ita & virtute magnificus Pastor eligeretur; quippe qui suo splendore ad se traxerat dignitatem. Nemo autem indignum putet quod dicimus Regis filium nostrum fuisse Abbatem, quoniam tunc temporis S. Richarii Abbatia omnium rerum affluentiâ, & ipsius dominationis elegantiâ, & certè militarium virorum servitiis cujuspiam Episcopi præcellebat dignitatem. Postquàm verò is Abbas statutus est, placuit ei genitorem Karolum adire, & ut pro sui amore S. Richarii bona augeret, rogare. Vadit itaque dulcissimus filius ad cari curiam genitoris, & quid animi habeat confitetur. Pater amplectitur filium, percipit vota, & contrà sæcularis potentiæ consuetudinem exultat se videre filium Monachum & Abbatem, qui certè facilè potuisset Ducatûs vel Regni infulis decorari. Exultat Karolus de filio quòd caduca contemserit; lætatur & filius quòd patrem suo proposito non adversantem, quin omninò faventem attendit. In illâ verò militum descriptione quæ superiùs inserta est, invenitur Hungarius Miles Durcaptum villam ex beneficio Centulensis Abbatis Herici tenuisse; qui quoniam mortuus erat, nullumque heredem, qui contrà tenere eam posset, reliquerat: si quidem tanta nostrorum auctoritas, tantusque timor ac reverentia habebatur, postulavit Abbas Karlomannus, ut jamdictam villam Durcaptum præceptione suâ stabiliret genitor pius, quatenùs nec beneficiariè, nec alio modo à dominio Fratrum cuilibet donata subtraheretur, sed sancto Monasterio propriè deinceps serviret. Ut hæc autem peteret, ratio fuit talis: Domno adhuc vivente Guelfone donaverat idem Rex sancto Richario villam Bersaccas, statueratque etiam scripto, ut ex reditu ejusdem tria in perpetuum ante gloriosum sancti Richarii caput luminaria arderent: hoc autem addendum censebat Karlomannus hic venerabilis Abbas, ut etiam ad pedes Patroni eximii tria itidem ex dono patris luminaria semper arderent, & omni nocte ante unumquodque Altare una lampas statueretur: quod & factum est: nam gloriosus genitor dilecti nati postulatis assentiscens, quidquid rogarat velociter mandat impleri; tale super his edictum confirmans.

» In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis KAROLUS gratiâ Dei Rex. Cum precibus Fidelium » nostrorum debitè faveamus, consequentiùs pro- » cul dubio videtur, ut piis monitis liberorum no- » strorum assensum præbere saluberrimè non abnua- » mus. Igitur noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ » Fidelium, nostrorumque, tam præsentium quàm » & futurorum industria, quia dilectissimus filius » noster KARLOMANNUS Monasterii sancti Richarii » Abbas, ad nostram accedens magnificentiam sup- » pliciter expetiit, quatenùs per auctoritatis nostræ » præceptum ad luminare ipsius sacrosancti Confessoris Christi Richarii, quamdam villam ipsius « Ecclesiæ, Durcaptum nomine, quam HUNGARIUS jure beneficiario quondam habuisse dignoscitur, cum omni suâ integritate concedere, & « consentire ad serviendum Deo jugiter dignaremur. « Cujus precibus ratis & rationabilibus assensum « præbentes, hoc Celsitudinis nostræ præceptum « fieri, & altari jamfatæ Ecclesiæ dari jussimus, per « quod memoratas res cum plenissimâ sui integritate, cum terris scilicet cultis & incultis, sylvis, « pratis, pascuis, molendinis, aquis, aquarumve « decursibus, & universis legitimis terminationibus « seu appendiciis, hac conditione perpetuo ritu famulandas concedimus, quatenùs ad pedes sanctissimi Confessoris, pro nobis, proque animâ quondam carissimæ conjugis nostræ YRMINDRUDIS, « seu & pro prædicto carissimo filio nostro Karlomanno, & Fratribus ejus, tria luminaria olei assiduè ardeant. Insuper huic piæ institutioni, ut « unumquodque ipsius Ecclesiæ altare proprium singulis noctis habeat luminare; addimus in villâ « Encra mansum & molendinum unum, usui horum luminariorum perpetuè serviendum. Necnon « & usibus Fratrum in villâ Hasloas molendina duo, « quæ Notarius in beneficio habuisse dignoscitur: « quam villam jam nostro præcepto his ipsis Fratribus integerrimè contuleramus, seu etiam ad portam ipsius Monasterii villam Aniseeias; & in Hamingi-monte, hoc quod Atto, & Otgerus habuerunt, precibus supplicantis filii ejusdem nostri « Karlomanni perpetuè serviendum conferimus; conferentesque concedimus. Præcipientes ergo jubemus, jubentesque omnimodis rogamus, ut nullus per successionem Abbatum, Rectorumque Abbatiæ hujus res prædictas in nullos alios retorquere audeant, sive attentent usus; sed propriâ stabilitate his, quibus statuimus deservire concedant, « atque consentiant nemine refragante, locis; quatenùs hac dispositione, sanctique Confessoris Christi Richarii prece, Domini misericordiam habeamus propitiam, & anima conjugis nostræ Yrmindrudis perpetuam obtineat quietem, & filii « nostri jugem stabilemque salutem. Ut autem hæc « nostræ assensionis seu roborationis auctoritas firmiorem per futura tempora obtineat stabilitatis « vigorem; manu propriâ subter eam firmavimus, « & annuli nostri impressione assignari jussimus. Signum KAROLI gloriosissimi Regis. HILDEBOLDUS « Notarius ad vicem GOZLENI recognovi & subscripsi. Data XVIII. Kalend. Februarii. Ind. III. « Anno XXX. regnante Karolo Rege; & in successione Regni Lotharii anno I. Actum Aquisgranii « Palatio in Dei nomine feliciter, Amen. «

CAPUT XX.

De Regibus Francorum: & de Guaramundo Pagano, sub quo Ecclesia nostra combusta est.

MUltis & grandibus Karoli Regis beneficiis huic loco, ut jam clarum est, impensis, justum videtur de temporali ejus felicitate paucula recitare; ut quia quàm liberalis fuerit erga loca Sanctorum, nostri loci exemplo monstravimus; quantum à Deo sit exaltatus recenseamus. Anno regni sui XXXVI. Italiam pergens, ad limina Beatorum Apostolorum Petri & Pauli causâ orandi pervenit, ibique ab omni Romano populo Imperator eligitur, & à Joanne Papa in Imperatorem consecratur VIII. Kal. Jan. Anno Incarnationis Domini DCCCLXXV. Indeque Galliam prosperè reversus est. Hic præter ea quæ dudum constructa ampliavit, aliqua sancta loca instauravit; quibus hodieque Christi laus &

877. Gloria pollet decenter. Anno quoque Regni sui XXXVIII. & Imperii inchoante III. Italiam iterum perrexit. Inde dum repedat, transcenso Ciniso monte, præsentis luminis caruit visu III. Non. Octobris Indict. x. Anno Domini nostri JESU CHRISTI DCCCLXXVII. successitque in regno filius ejus HLUDOVICUS. Præterea Karlomannus [c] ejusdem Karoli filius Centulensium Abbas decurso præsentis vitæ cursu feliciter migravit è sæculo.

AUrea sceptra tibi sors KARLOMANNE *parabat,*
Ut morum, generisque simul probitate cluenti.
Omnia sed spernens nihilum quandoque futura,
Gaudes æterni gestans insignia regni.
Hæc sunt, Christe, tuis quæ donas prœmia Sanctis,
Ut te percipiant, qui te super omnia quærunt.

Porrò frater ejus Rex HLUDOGVICUS, anno regni sui II. nec dum expleto mortuus est Compendio Palatio v. Idus Aprilis.

His sanè temporibus, qui post Venerabilem Karlomannum huic sancto loco præfuerint, nulla certa intimat narratio. Fuerunt tamen penes hæc tempora nostri loci Abbates HEREBERTUS atque HEDENOLDUS egregii æquè viri: sed & HUGO atque GIRARDUS magnæ sanctitatis viri, qui quantum temporis in regimine protraxerint, quibusve terminis hujus vitæ auram excesserint, nullis antiquorum docemur monimentis.

Abbates 4. de quibus nihil apud veteres reperitur.

At post mortem HLUDOGVICI, filii ejus HLUDOGVICUS & KARLOMANNUS Regnum inter se dispertiunt. His ergo regnantibus, contigit Dei judicio innumerabilem barbarorum multitudinem limites Franciæ pervadere agente id Rege eorum Guaramundo, qui multis, ut fertur, regnis suo dirissimo Imperio subactis, etiam Franciæ voluit dominari, persuadente id fieri quodam Esimbardo Francigenâ nobili, qui Regis Hludogvici animos offenderat, quique genitalis soli proditor, gentium barbariem nostros fines visere hortabatur. Sed quia quomodo sit factum non solùm historiis, sed etiam patriensium memoriâ quotidie recolitur & cantatur, nos pauca memorantes, cætera omittamus, ut qui cuncta nosse anhelat, non nostro scripto, sed priscorum auctoritate doceatur. Enimverò jamdictæ gentes cum nostris oris proximantes omnibus perniciosam indicerent vastationem, Hieremias Monachus, & Thesaurarius sancti Richarii, homo nobilis, nec solùm claustrali, sed etiam sæculari præditus prudentiâ, fugæ præsidio vitam servare disposuit, ne si ab eis quos venire audiebat inveniretur, atrociter perimeretur, vel alios morientes videre cogeretur. Fecit itaque capsam aliquantæ magnitudinis, quam ne facilè cuiquam pateret, cingulis ferreis firmiter ambivit. Deinde nullo existente qui contrairet (nam Abbas loci id ipsum volebat, cæterique Fratres similiter fugam parabant) accepit de thesauro Ecclesiæ, vel ornamentis, quæque potuit pretiosiora, & in arcam jamdictam recondidit. A tempore etenim Domni & sancti Angilberti Abbatis in majus semper & melius locus iste excreverat, & tam forensibus bonis quàm Ecclesiæ thesauris nimis valde fuerat augmentatus; unde & multa fuerunt quæ pro [eo] timore hinc ablata sunt, quæ hic noster sermo ideo non explicat, quòd omnia recensere ut longum, ita & grave fuerit: hæc sunt tamen quæ omni auro cariora & regnis præponenda ab hoc loco per jamdictum Hieremiam sunt ablata: Caligula Domini Salvatoris, quâ tempore suæ sanctæ pueritiæ usus est; nam unius cubiti habet longitudinem: summitas lanceæ, de quâ ejusdem Domini latus pro nostrâ salute jam mortui manu militis fuit apertum, unde etiam Ecclesiæ Sacramenta fluxerunt: ampullæ duæ in quibus B. Protomartyris Stephani sanguis habebatur, una cum lapidibus decem cruentis, quibus lapidatus est à Judæis: Reliquias etiam Innocentum, Apostolorumque & Martyrum tantas tulit, ut præter illud amabile Beatissimi Richarii corpus in comparatione horum quæ tulta sunt, pauca, aut minima putarentur quæ relicta sunt. Hæc omnia cum eximiis Ecclesiæ ornamentis jamdictus Custos asportavit, & in Monasterium sanctæ Columbæ Virginis apud Senones recondidit; propter illam quæ tempore Domini Guelfonis contigit amborum locorum unitionem: quique cum pro amicitiâ priscæ dilectionis, tùm pro tanti allatione thesauri officiosè susceptus uti qui probus vir fuisset, ibique de reliquo habitare statuisset, decedente loci Abbate à Fratribus electus, & ejusdem Cœnobii Rector est institutus; quique cum huic officio eleganter satis ministraret, Senonensi Episcopo morte subtracto, à Clero & plebe universâ electus, & ejusdem Civitatis Archipræsul est ordinatus. Porrò cum tanto gradu polleret, suggerentibus Clericis æquum sibi visum est, jamdictas gloriosas Reliquias in suam Ecclesiam transferre; ut quâ ipse exaltatus fuerat, tantorum pignorum receptione æternaliter honoraretur; sed hæc tristia nobis seponentes ad reliqua transeamus.

Cum populi supervenientes nostris finibus primùm appulissent, exeuntes de navibus, Vimmacum & Pontivum Provincias lustrarunt, Ecclesias straverunt, Christianos jugulaverunt, & omnia mortibus & sanguine repleverunt. Denique Ecclesiam splendidissimam B. Richarii quæ pro sui magnitudine vel firmitate dejici non poterat, admoto igne succenderunt, sublatis priùs omnibus, quæ discedentibus Fratribus ex supellectili remanserant Ecclesiæ.

Prædictus ergo HLUDOGVICUS Rex in pago Vimmaco cum eisdem gentibus bellum gerens, triumphum adeptus est interfecto eorum Rege Guaramundo. Et cæsis militibus populi infidelis, cæteri fugati sunt. Dicitur autem quòd in ipso congressu præ nimio feriendi conamine sua interiora ruperit, ac deinde mortuus est. Regnavit autem annos II. menses III. dies XXIV. Cui successit in regno frater suus KARLOMANNUS; & hic quoque annis tribus & dimidio potitus est regno, ac deinde in Euvelinâ saltu in Monte Ærico à ferâ singulari perculsus, mortuus est. Obiit anno Domini DCCCLXXXIV. Ind. 884.
II. VIII. Idus Decembris. Deinde KAROLUS Rex secundi Hludogvici filius, quem longè superiùs retulimus Alemannorum & Cornugalliæ Regem fuisse, Monarchiam totius Imperii Francorum & Romanorum assumit, Anno Domini nostri DCCCLXXXV. 885.
Indictione III. Hunc comperimus erga Dei obsequia promptum, & ad Ecclesias quæ incursu paganorum dirutæ erant, restruendas aliquantulum è suis reditibus donavisse.

Sed omnipotens Dominus qui nullius unquam sibi impensæ servitutis mercedem retinuit, hunc Karolum Regem corripuit, ut purgatus facinorum contagio, misericordiæ aptum vas posset haberi. Denique volente Deo qui cuivis vult misereri, &

c *Karlomannus*] Hæc in orâ codicis sui monet à se reperisse Acherius: LECTORI. *Hæc quæ de hoc Venerabili Karlomanno feruntur, vera esse pro certo comperimus, quia tantam patris gratiam in tantum offendit, ut postmodum ab eodem patre suo sit cæcatus; quia verò quâ occasione sit factum nescimus, monemus ut quæratur & scribatur inventa occasio.*

quem vult indurat, ostensa sunt ei tormenta pœnarum quibus peccatorum animæ Dei judicio plectuntur: quæ postquàm vidit, arbitramur eum satis admodum fuisse correptum, quippe qui eadem pati timuerit. Res autem ipsa à prioribus descripta relatu digna existit, quoniam reverâ cum legitur, audienti incutit pavorem: & ob hoc forsan proficit ad purgationem. Nemo autem ineptiæ deputet quod ipsam visionem hic ponimus, quia ad hoc faciendum duæ nos res attrahunt: una quidem ut ostendamus qualiter misericordi Dei judicio homo regius territus ut ne periret; & ut hæc legentes taliaque incurrere formidantes, ad lamenta pœnitentiæ se informent. Hujus ergo rei dictio talis est.

CAPUT XXI.

Visio KAROLI.

VIsio quam vidit Karolus Imperator de suo nomine. In nomine Dei Summi Regis Regum, Ego Karolus gratuito Dei dono Rex Germanorum & Patricius Romanorum, atque Imperator Francorum. Sacrâ nocte Dominici diei post celebratum nocturnarum horarum divinum officium, dum irem repausationis cubitum, & vellem dormitionis carpere somnum, venit vox ad me terribiliter dicens: Karole, exiet modo à te spiritus tuus, & videbis justa Dei judicia, & tibi aliqua præsagia, & tamen revertetur ad te iterum spiritus tuus in horâ non modicâ. Statimque fui raptus in spiritu, & qui me sustulit fuit candidissimus: tenuitque in manu suâ glomus lineum clarissimi jubar luminis emittens, sicut solent facere cometæ quando apparent, cœpitque illum dissolvere & dixit ad me; Accipe filum glomeris micantis, & liga ac noda firmiter in pollice tuæ manûs dexteræ, quia per illum duceris in labyrintheas infernorum pœnas. Et hoc dicto, præcessit me velociter distorquens lucifluum glomus: duxitque me in profundissimas valles & igneas, quæ erant plenæ puteis ardentibus pice & sulphure, plumboque & cerâ & adipe: ubi inveni pontifices patris mei & avunculorum meorum; quos cum pavens interrogarem ob quid tam gravia paterentur tormenta, responderunt mihi, fuimus Episcopi patris tui & avunculorum tuorum, & dum debuimus illos & populum illorum de pace & concordiâ admonere & prædicare, seminavimus discordias, & incentores malorum fuimus: unde nunc incendimur in istis tartareis suppliciis, & nos & alii homicidiorum & rapinarum amatores. Huc etiam & tui Episcopi & populi satellitum venient, qui similiter amant nunc facere. Et dum tremebundus hæc auscultarem, ecce nigerrimi dæmones advolantes cum uncinis ferreis volebant apprehendere filum glomeris quem in manu tenebam, & ad se attrahere, sed reverberantibus radiis non valebant filum contingere. Deinde post tergum meum currentes voluerunt me aduncinare, & in ipsos puteos sulphureos præcipitare; sed ductor meus qui portabat glomus, jactavit super scapulas meas filum glomeris & duplicavit illum, traxitque me post se fortiter, sicque ascendimus super montes altissimos igneos de quibus oriebantur paludes & flumina ferventia, & omnia metallorum genera bullientia. Ubi reperi innumeras animas hominum & principum patris mei & fratrum meorum & meorum præcipitatas, alias usque ad capillos, alias usque ad mentum, alias usque ad umbilicum: clamaveruntque ad me ejulando: dum viximus, amavimus tecum & cum patre tuo & cum fratribus tuis & cum avunculis tuis facere prælia & homicidia & rapinas pro cupiditate terrenâ, ideo in ista bullientia flumina & metallorum diversa genera sustinemus tormenta: & cum ad hæc timidus intenderem, audivi retro me animas clamare, *Potentes potenter tormenta patiuntur.* Et respexi, & vidi super ripas fluminis bullientis fornaces piceas & sulphureas plenas magnis draconibus & scorpionibus & serpentibus diversi generis, ubi etiam vidi aliquos patris mei principes, & avunculorum meorum, & fratrum meorum, & meorum dicentes ad me: heu nobis, Karole, vides quàm gravia habemus tormenta propter nostram maliciam & superbiam, & mala consilia quæ Regibus nostris & tibi dedimus propter rem cupiditatiæ. Cumque hæc dolendo ingemiscerent, cucurrerunt contrà me dracones apertis & plenis faucibus igne & sulphure & pice, volentes me inglutire: at ductor meus triplicavit super me enixiùs filum glomeris, à cujus claritatis radiis superata sunt ora eorum ignea; & protraxit me validiùs, & descendimus in unam vallem quæ erat ex unâ parte tenebrosa, ardens velut clibanus ignis; ex aliâ verò parte tam amœnissima & splendidissima ut nullâ ratione dicere valeam: vertique me contrà tenebrosam & flammivomam partem; vidique ibi aliquos Reges generis mei esse in magnis suppliciis; & tunc nimis constrictus angustiâ, putavi me statim in ipsa demergi supplicia à gigantibus nigerrimis qui ipsam vallem inflammabant cunctis generibus ignium: & valde tremens; filo glomeris illuminante oculos meos, vidi e latere vallis paulisper albescere lucem, ibique duos fontes fluere, unus nimium calidus, alter vero clarus & tepidus, & erant ibi duo dolia. Cumque illuc irem filo glomeris regente gressus meos, intuitus super unum dolium in quo erat fervens aqua, vidi ibi stare genitorem meum Hludogvicum usque ad femora; & nimis dolore perculsus, & angore aggravatus dixit ad me: Domine meus Karole, noli timere, scio quia rursus revertetur spiritus tuus ad corpus tuum, & permisit te Deus huc venire ut videres propter quæ peccata ego talia, & omnes quos vidisti, toleramus tormenta; uno enim die sum in isto ferventis balnei dolio, & alio die transmittor in istum alterum suavissimæ aquæ dolium; hocque fit precibus sancti Petri sanctique Remigii, cujus patrociniis hactenùs genus nostrum regale regnavit: sed si mihi subveneris citò tu, & mei fideles Episcopi & Abbates, & omnis ordo Ecclesiasticus missis oblationibus, psalmodiis, vigiliis, eleemosynis, velociter liberatus erò de illo bullientis aquæ dolio; nam frater meus Hlotharius, & filius ejus Lodogvicus, sancti Petri, sanctique precibus Remigii exempti sunt de istis pœnis, & jam ducti sunt in gaudium paradisi Dei: dixitque ad me, respice sinistrorsum. Cumque respexissem, vidi ibi duo altissima dolia bullientia; ista, inquit, tibi sunt præparata, nisi te emendaveris, & pœnitentiam egeris de tuis nefandis delictis. Cœpique tunc graviter horrere; cumque cerneret comes meus in tanto pavore esse spiritum meum, dixit ad me, sequere me ad dexteram partem luculentissimæ vallis paradisi. Et gradientes contemplatus sum ingenti claritate cum gloriosis Regibus sedere Hlotharium meum avunculum super lapidem topasion miræ magnitudinis, coronatum diademate pretioso, & juxtà eum filium ejus Hludogvicum similiter coronâ ornatum, vidensque me comminùs accersivit me blandâ voce magna dicens; Karole successor meus nunc tutius in Imperio Romanorum, veni ad me; sapio quoniam venisti per pœnalem locum, ubi est pater tuus fraterque meus positus in thermis sibi destinatis, sed per misericordiam Dei citissimè liberabitur de illis pœnis, sicut & nos liberati sumus meritis sancti Petri sanctique precibus Remigii, cui Deus magnum Apostolatum super Reges & super omnem gentem Francorum dedit; qui nisi reliquias nostræ propa-

ginis suffragatus fuerit & adjuverit, jam deficiet nostra genealogia regnando & imperando. Unde scito quoniam tolletur ociùs potestas imperii de manu tuâ, & postea parvissimo vives tempore. Tunc conversus Hludogvicus contrà me, dixit mihi: Imperium Romanorum quod hactenùs tenuisti, jure hereditario, debet recipere Hludogvicus filius filiæ meæ. Et hoc dicto, visum est mihi affore in præsentiarum Hludogvicum infantulum. Tunc contuens Hlotharius avus illius, dixit mihi; talis videatur iste esse infans qualis ille puer fuit quem statuit Dominus in medio Discipulorum, & dixit, *talium est regnum cœlorum: dico vobis quia Angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cœlis est:* tu vero redde illi potestatem Imperii per illum filum glomeris quem manu tenes. Disnodans filum de pollice meæ dexteræ, donabam illi totam Monarchiam Imperii per ipsum filum: Statimque ipsum glomus fulgidum sicut jubar solis coadunatum est totum in manum illius; sicque post hoc factum mirabile visu, reversus est spiritus meus in corpus meum valde fessus & conterritus. Denique sciant omnes velint aut nolint, quoniam secundùm destinationem Dei in manum illius revertetur totum Imperium Romanorum, & quod super illum non prævaleo agere, præripiente me articulo meæ vocationis à Domino. Deus qui vivorum dominatur & mortuorum, illud perficiet & confirmabit, cujus æternum regnum & sempiternum Imperium permanet sine fine in sæcula sæculorum. Finit Visio. Hic itaque Karolus juxtà præsagium visionis tempore pauculo supervixit, & sic diem ultimum clausit.]

Sed his ita se habentibus, ad sancti loci nostri historiam articulum reflectamus.

Populus Christianus, qui cædibus gentilium superesse potuit, ac fideles quique dolentes nimis istius loci nobilitatem abolitam, studuerunt qualitercumque agere, ut sacer locus non omnimodis deleretur, sed pro posse, & pro temporis oportunitate, vivifica Christi laus, & Sanctorum memoria iterum in eo celebrari reinchoaretur: & licet officinæ, vel Claustrum, seu omnes dirutæ essent Monachorum priscæ habitationes, altaria tamen & Ecclesiæ parietes inconvulsi persistebant; unde & reparandi locum spes promptior habebatur. Accedebat & hoc, quia quicumque ibidem Domino militasset, magnis redituum villarumque copiis potiretur. Hac igitur ratione, & piâ Fidelium curiositate atque industriâ cœpit locus iterum aliquatenùs aptari, & tectis non plumbo ut priùs, sed ligneis tabulatis qualiter poterant obductis, Clericorum exercitus cum aliquibus Monachis, Deo & Sanctis quotidie ibidem vota laudum ferebant, uno ex clericis nomine Gerberto jure Abbatis eis præsidente; quique cum aliquanto tempore huic loco præfuisset, multis villis & prædiis ac reditibus venditis, vel donatis, vel occupari permissis, mortuus est apud Buxudem villam nostræ Ecclesiæ, quæ in ratione proprii victûs delegata ei fuerat. Per totum autem tempus quo præfuit, Monachi qui aderant semper in omnibus prævalebant, & tùm religiositatis eorum intuitu, tùm obtentu fidelitatis erga locum probatæ, forensis populus eis potissimum deferebat honorem, unde & Clericorum facultas & libitus minor omninò existebat. Denique cum eis disponendi loci copia maximè, vellent nollent Clerici, traderetur, ad hoc compellere Girbertum nitebantur, ut relictâ sæculi levitate parem victum & habitum susciperet: illo autem ambiente Prælationis honorem potiùs relinquere, quàm sæculi illecebris non servire, Monachi multâ erga eum usi bonitate tribuerunt illi jamdictam Buxudem villam, in quâ privatam vitam exegit, dum & Monachorum solertia, Clericorum contubernia pro posse à se repelleret, & ille ut Monachus fieret nullâ consentiret ratione.

Abbas XIX.

Hoc itaque mortuo, Clericorum & Monachorum Centulensium primatum excepit Monachus Fulchericus, quia jam in tantum per Domini gratiam Monachi profecerant, ut contempto supercilio Clericorum, è suis sibi & valerent & vellent præponere.

CAPUT XXII.

Ablatio S. Richarii *ab* Arnulfo *Flandrensi.*

Postquam igitur peccatis exigentibus divinæ justitiæ placuit, ut per manum Paganorum, quorum Princeps fuerat Guaramundus, Francia vexaretur, & dirutis multis Sanctorum locis, Centulensis quoque Ecclesiæ honestas & gloria maximâ ex parte deleta est; multa per Galliam admodum confusè gesta sunt, dum deficiente principatu Regio, cæteri Proceres vel populi tamquam filii Belial viarum suarum pravitates exercent. Nempe si qui Ducum vel Comitum potentiores erant, circumquaque manus injicere, & vicinas sibi provincias vastare, sibique subjicere non cessabant. Regnum quoque sibi usurpare moliebantur. Ex his Arnulphus Comes Flandrensis multa inepta agere cœpit, captoque Monasteriolo castro Regio, Pontivam Provinciam propriæ ditioni subegit. Hanc itaque fraude ut perplura solebat, adeptus, transtulit hinc S. Patrem Richarium, cupiens tam nobile lucrum cum quibusdam Sanctis propriæ regionis habere. Eo etiam tempore sanctum corpus beati Gualarici abstulit, & in Monasteriolo castro una cum sancto beatissimi Richarii corpore servari præcepit. Post aliquot annorum curricula, Fulcherius Monachus, qui post Gerbertum Clericum Clericorumque Abbatem Centuli Monasterii Rector erat, adiit memoratum castrum, loquutusque cum æditiuo, qui Sanctorum corpora asservabat, clanculò impetravit cum maximis exeniis, & infinitis precibus, ut sibi carus Patronus redderetur. Designatâ itaque nocte Fulchericus equum conscendit, & toto quiescente populo foribus Ecclesiæ adstabat exspectans: custos autem ille valde formidans Dominorum animositatem, populique furorem (nam incredibiliter hic noster Sanctus ab omnibus venerabatur & amabatur) egressus Ecclesiam his Fulchericum affatus est verbis: Ego quidem tuis precibus, & Domini victus timore Sanctum tibi Richarium reddam, sed si rescitum fuerit me illum distraxisse, procul dubio periculum vitæ meæ incurram; unde necesse est, ut te cum Sancto recedente, ego quasi ad furtum debeam exclamare, ut tali arte ignorantiam possim simulare; tu verò cum Sancto Dei fugam celeriter inibis. Sicque Sanctum suo loco restituens, temetipsum quoque servabis. His ita compositis Ecclesiam intravit, gloriosum sancti corporis lectum accepit. Cumque Fulcherici manibus illud voluisset tradere, equus cui sedebat ilicò poplitibus in terram dimissis, capiteque inclinato usque ad solum, Domini Confessorem quâ potuit veneratione adoravit. Fulchericus tali miraculo exhilaratus, beatissimum Patrem cum ineffabili gaudio recepit, protinusque retrocedens quam citiùs poterat veniebat. At ubi Custos ille intellexit illum jam leucæ spatio elongatum, quasi pro aliquâ necessitate exurgens, & accensis luminaribus exclamat, perstrepit, & multis vociferationibus S. Richarium sibi furtim ablatum conqueritur. Protinùs ergo Ecclesia turbatur, populus accenditur, Principes tali nuntio percelluntur. Continuò

milites populique fugientem sequuntur, & quia equus cui Fulchericus insidebat erat candidissimus, ob hoc per tetram noctem faciliùs fugiens agnoscitur: verùm cum huic jam penè lassescenti adhuc grandis via restaret, illique proximarent, placuit Creatori Domino mirum quiddam operari, quo agnosceretur hujus Sancti favere relationi. Nam dum Fulchericus pervenisset ad villam quæ antiquitùs Mons Angelorum, sed ex hac occasione Nobilimons vocatur, tanta aëris densitudo, tantaque nebulæ caligo insequentes circumsepsit, ut non modo fugientem, sed nec se alterutrum videre possent. Erat etiam eis mira itineris difficultas, ut patulè cognoverint veraciter Dei nutu se esse præpeditos. Videntes verò nihil se proficere (nam & Centulæ populus, jam in obviam currebat) cum ineffabili mœstitiâ recesserunt. Hæc verò Sancti relatio parum valuit, cum eum Centulenses diù habere non licuit. Nam Arnulfus idem qui primò, iterum Sanctum sibi vindicavit, & tamquam cautior factus, non jam in Pontivâ patriâ, quam quandoque perdere metuebat; sed in fidentiori loco sibique vicino, hoc est in Monasterio sancti Bertini reposuit, simulque sanctum Gualarium, ubi longiore tempore quàm Monasteriolo fuit. Longo itaque tempore Monasterium Centulense tanti Patris præsentiâ caruit, agente jamdicti Comitis Arnulfi potentiâ.

CAPUT XXIII.

De Abbate INGELARDO.

TAndem placata Divinitas, & suorum precibus inclinata, decrevit glorioso reditu patrum, filiorum pectora relevare, quæ diuturnis gemitibus gravabantur pro eorum sublatione: verùm Flandrensi Arnulfo dudum morte prærepto, & ejus potestatis herede nati filio substituto, dicto similiter ARNULFO, Hierarchiam Francorum absque titulo Regii nominis disponebat filius HUGONIS Magni Dux inclytus Hugo; qui cum graviter ferret patriam hostili acerbitate demolitam, nec minùs indignaretur, quòd & Sanctorum corpora, & cætera quæ Ecclesias venustant fraude factiosorum sublata forent propriis locis, & ad hæc in melius commutanda animum sedulò præpararet; quâdam nocte quiescenti ei affuit visio ex præcepto cœlesti, quæ illum repulsis dubietatis obstaculis animavit perficere, quod pio quamquam sed tamen timido corde facere disponebat. Beatus igitur Gualaricus per visum ei assistens, ex Dei mandato talia verba profudit: Quid hîc, inquit, facis? Ille hoc percepto sermone, quisnam esset, cœpit interrogare. Et Sanctus: Ego sum, ait, Gualaricus Legonaci quondam Monasterii Abbas, & Dei præcepto hæc tuis sensibus veni inferre. Venerabilis Confessor & coram Deo clarus Sacerdos Richarius unà mecum ante hos annos exstat captivus, & dolo Arnulfi longè à nostris diù manemus sedibus pulsi; jam Deo placet ut te ministro obtineatur, teque jubente noster regressus; ut de nostrorum corporum visu præsentiâque nostrorum mœsta refocillentur corda servorum, & ut ii nostrâ lætificentur relatione, qui nos post Deum gaudent habere pios Patronos. Id celerrimè age, locaque nostra Clericis aufer; atque in ea ut priùs erant Monachos stude sub regulari normâ unire: quòd si hæc imples, promitto tibi ex Dei jussu per Sancti pia merita Richarii, & meâ prece, te fore Regem, prolemque tuam Francigenarum, stirpemque tuam regnum tenere usque ad septem successiones. Inclytus igitur Dux volens ocyùs perficere Dei præceptum per Sancti vocem sic intimatum, accitis Consiliariis inquirit quonam modo posset invenire idoneum hominem, cui Centulense Cœnobium posset committi ad relevandum. Huic inquisitioni intererant quidam qui noverant satis hujus Provinciæ habitatores, quique Hugoni tale feruntur dedisse solamen. En, inquiunt, Corbeia retinet virum nobilitate valde insignem, cui putamus quod dignè satis possit committi opus quod dicis: nam parentibus nobilibus, & militiâ inclytis valde fulcitur; qui cum in ejusdem loci vicino & in ipsâ Provinciâ maneant, propinquo suo in Dei opere laboranti auxilium ferre non denegabunt. Audiens hæc inclytus Dux, tamque salubri consilio congratulans, misit è vestigio viros honestos, qui ab Abbate Corbeiensi super jamdictum Monachum factam deprecarentur non retardari electionem. Illo annuente vocatur elegans juvenis INGELARDUS, quem adhuc eo tempore ferunt scholis inesse, quique eâ ipsâ die vel horâ Subdiaconatûs perficiebat ministerium. Deductus ergo in præsentiam Ducis, accepit curam atque laborem, quo se instante repararetur quantum valeret hæc Abbatia. Inde ex more Abbas sacratur, atque acceptâ Fratrum ac militum catervâ Centulam venit. Sanè Dominus ille sancti Richarii relator Fulchericus Abbas sub die VIII. Iduum Novembrium transierat è sæculo; cujus suggestu & hortatu aliqui Clericorum Monachicum ordinem susceperant. Abbas igitur Ingelardus Centulam veniens cuncta pro posse melioravit, claustra reparavit, non tamen ut antiquitùs fuerant, sed modo quo adhuc stare videntur. Deinde diebus ac noctibus religioni insistens, & congregationem Monachorum augmentans, agebat sobriè sibi commissi loci provectum: velle enim habenti difficultas nulla inesse poterat; quia magnis villis oppidisque & reditibus locus abundans, facilem cœptis dabat perfectionem. Abbas XXI.

CAPUT XXIV.

Relatio S. RICHARII.

MOnasterio igitur ex parte restaurato habitaculis religioni congruis, cœpit præfatus Dux perquirere, quomodo quod adhuc restabat perfici posset, ut sanctus Dei Confessor Richarius proprio loco restitueretur. Sapienti verò consilio usus, dirigit Legates in Flandriam, mandans ARNULFO Comiti, ut sancta Sanctorum corpora propriis sedibus reddat; quod ille audiens, & tantis carere nimis ægrè ferens, primò abnuit, dicens non à se reddi debere Sanctos, quos ipse non abstulisset. Reversi nuntii obedire nolle Comitem Duci insinuant. Tunc ille coacta in unum militum manu fortissimâ, illo ire decrevit quo Sancti erant, volens per semet inde sublatos ad loca propria reportare. Arnulfus autem advertens non prosperè sibi cessurum, si contrà Francos justos injustus agat conflictum, lacrymis humectus, misit Legatos Duci HUGONI, orans ut patriæ nullam ferat vastationem, dirigat tantùm optimos viros qui Sanctos Dei recipientes vadant in pace. Fecerat Arnulfus Comes Beatissimis Confessoribus lecticas argenteas, ubi cum honore corpora eorum sancta condiderat: in lecticâ verò gloriosissimi Patroni nostri Richarii tales ab eo versiculi exarari jussi sunt.

ARNULFI Comitis quaquaversum facta sciatis;
Quæ solitus Domino fecerat ipse pio.
Istud RICHARIO lectum qui condidit almo,
Collocavit ei membra pudica sui.

Mittuntur igitur viri insignes, recipiuntur Sancti à nostris gaudentibus, & piis lacrymis atque laudibus Deum magnificantibus: subsequuntur ab illis

dolentibus, & præ nimiâ tristitiâ voce in altum elatâ ejulantibus. Cumque jam ab Hugone Duce, & ab omnibus qui longiusculè exspectabant videri potuerunt, quis voces emissas præ gaudio, quis dulcium profusionem lacrymarum affatim queat explicare? Magnitudo quippe gaudii clamoribus modum abstulerat, dum lætitia pro Sanctorum reditu concepta, in singulorum cordibus fervens seipsam vix caperet. Acceptis ergo beatorum corporum amantissimis capsis, nostri parumper subsistunt. Post hoc Primores populi, & qui bonæ mentis habebantur, jurare à Duce rogantur, quod de Sanctis corporibus nihil subtractum, nihilque esset mutatum. Quod cum illi mente liberâ & animo hilari perfecissent, sumptis Sanctorum corporibus ad propria festinare cum modestiâ cœperunt. Fama autem tam felicis regressûs ut provincialium corda concussit, extemplo prosilierunt omnes, uterque sexus, communis conditio, juvenes cum grandævis, Monachi cum Clericis, omnisque professio obviam ruunt, seque putabat criminis reum qui non occurrisset. Mense Junio, die secundâ, B. Gualaricus suo loco reconsignatur: nostratis autem Patris regressus in sequentem lucem procrastinatur. Mense jamdicto sæculis ternum diem fundente, inclytus Hugo accepit Sanctum, per unam leucam scapulis suis nostrum asportans Patrem beatum, pedibusque nudis, madidusque fletu venit ad templum, Christi amicum sui altaris sedi imponit; interim choris, populoque cuncto gratias Deo, laudesque Christo vociferante.

981. Anno Incarnationis Domini nostri JESU-CHRISTI DCCCCLXXXI. Indict. IX. III. Non. Junii hæc Beatissimi Patris Richarii relatio facta est. Verumtamen in ipso relationis itinere quid miraculi contigerit, operæ pretium remur narrare. Hujus enim tempore mensis campi flavescentes, genitæque spicæ largam annonam spondent colonis. Beato quoque Gualarico restituto propriæ sedi, cum sancti Richarii, ut dictum est, reditio in crastinum ordinata fuisset, ipsâ nocte moratus est Dux HUGO cum exercitu & populo mediis in agris, qui scilicet segete lætâ jamque fecundâ erant onusti. Itaque dum hic coquina agitur, illic convivia celebrantur, dum & humanis corporibus quies ibidem, & jumentis stabula coaptantur, dum diutinâ stantium vel jacentium impressione dejicitur, dum pecude pasta, & pedibus calcata atteritur, spes omnis fructuum messori denegatur: tantâ verò conculcatione attritâ & perditâ messe cultor non tristatur, quia Patroni obtentu pro nihilo computatur. Postmodum igitur veniente metendi tempore seges diruta & desperata tam læta & fecunda desecatur, ut in illius comparatione defensæ messes & sæpibus munitæ ubertate grani parvipenderentur.

CAPUT XXV.

Epistolæ JOANNIS *Papæ.*

INGELARDUS Abbas auditu & visu comperiens ab antecessoribus suis, Girberto scilicet & Fulcherico, qui Clericis præfuerant, multas sancti Richarii terras donatas & distractas fuisse, aliquas etiam, dum illi tacent nec contradicunt, à fortioribus occupatas, omni studio cœpit satagere qualiter Sanctus sua rehaberet. Quod ex parte per Dei auxilium factum est. Aliqui tamen inflatiores, dum in his bonis quæ tulerant Sancto, complacent sibi, aut satis inviti, aut certè nunquam quæque reddiderunt. Unde sagax Abbas non solùm Regiam dudum Ducis Hugonis imploravit pietatem, sed etiam Papæ Romani per semetipsum efflagitavit auctoritatem. Nam post constructam congruam ordini habitationem, cum videret dura patriensium corda nolle Sancto sua reddere quæ abstulerant, vadit Romam, nuntiatque Pontifici Summo qualiter Paganorum incursu famosum sancti Richarii Monasterium depopulatum sit, & qualiter consultu Procerum Franciscorum sibi sit delegatus ad reparandum locus; orare se, ut quod solum præstare poterat suæ auctoritatis excommunicatio hos sequeretur, qui Sancti bona injustè tulta reddere nollent. Apostolicus Pontifex ex intimo affectu ei compatiens, & tanti nominis Ecclesiam deletam fuisse gemiscens, annuit ei satis benignè; talia Apostolicæ auctoritatis mandata ei attribuens, quæ invasoribus forent monstranda.

AD COMITES.

« JOANNES Episcopus servus servorum Dei, ARNULFO Comiti, BALDUINO Comiti cum matre suâ, GOZBERTO Vicecomiti, atque ILDIARDÆ, dilectissimis filiis nostris spiritualibus, omnimodam salutem & Apostolicam benedictionem. Monemus vos à pravis operibus recedere, & bonis operibus adhærere, quatenùs Dei omnipotentis misericordiam consequi mereamini, & vitam perpetuam acquirere valeatis. Quapropter Carissimi mandamus vobis, ut omnem hereditatem quam abstulistis ex Monasterio sancti Richarii Confessoris, pro Dei omnipotentis amore reddere procuretis. Nam si reddideritis, habebitis benedictionem sancti Petri, & nostram: si autem monitionibus nostris non obaudieritis, ex auctoritate Dei omnipotentis & nostrâ sciatis vos esse excommunicatos & maledictos, & ab Ecclesiâ Dei, & à Communione omnium Christianorum separatos, nisi ad satisfactionem perveneritis. »

ITEM AD EPISCOPOS.

« JOANNES Episcopus, servus servorum Dei, GUIDONI venerabili Episcopo [f], FULCONI Ambianensis civitatis venerabili Episcopo, BALDUINO Terganensis civitatis Episcopo, dilectissimis filiis nostris spiritualibus carissimam salutem & Apostolicam benedictionem. Si sospitatis copiam, alacritatisque abundantiam erga vos fore noverimus, haud aliter, quàm de vobis ipsis lætamur. Cæterum mandamus vobis, quatenùs pro Dei omnipotentis amore, sanctique Petri veneratione & nostrâ interveniente, huic Abbati nomine Ingilardo succurratis, ut Monasterium sancti Richarii Confessoris per nostrum & per vestrum auxilium relevetur. Illis quoque Militibus, qui hereditatem Monasterii abstulerunt, vestras excommunicatorias literas unicuique mittere non prætermittatis, ut omnia quæ de prædicto Monasterio abstulerunt, reddere procurent. In hoc apparebit quòd Sanctam Romanam Ecclesiam diligitis, cum nostra deprecatio apud vos venerit, si eam adimpleveritis. »

CAPUT XXVI.

De prudentiâ Abbatis INGELARDI.

HIS Abbas INGELARDUS apicibus Apostolicis fretus, & benedictione munitus, Galliam revertitur, & Comitibus quidem specialiter designatis Apostolicæ Sedis porrigit mandata; Episcoporum verò præceptis erga inferiores usus, rem opti-

f *Episcopo*] Suessionensi.

mè geſſit; qui videlicet ex auctoritate Romanæ Eccleſiæ nolentes reddere quæ loco ſancto abſtulerant, excommunicabant. Valuit igitur plurimùm hæc ipſius Abbatis ſolertia, & multa prædia multoſque reditus auferens ſubreptoribus, Eccleſiæ Centulenſi viriliter reformavit. Sicut in Terguanenſi territorio Rollenicurtem & Botritium, quæ ſuperiùs leguntur fuiſſe tradita cuidam ab Heligaudo Abbate & Comite; Guatenaas etiam in prædicto territorio, & Buxudem in pago Pontivo, quæ ideo auferebatur, quia Girberto Abbati privatè viventi fuerat attributa. Alia etiam multa ſibi reddi convaluit, quæ ſi narrarentur tædium generarent. Eccleſias autem multas, quæ priſco tempore ſancto loco noſtro ſervierant, & quæ nuper à Clericis invaſæ fuerant, de iniquorum dominorum poteſtate auferens Abbatiæ reſtituit: inter quas Eccleſiam Berellæ reddi fecit; verùm hoc antea geſtum eſt. Igitur pro his ſtudiis & laboribus omnibus bonis venerabilis exiſtebat, ſicut in epiſtolâ quæ ei à Remenſi Epiſcopo miſſa eſt, poteſt ſentiri: quam nos ob emolumentum laudabilium ejus operum hic inſerimus.

g » Arnulfus g gratiâ Dei Remorum Archiepiſcopus, dilectiſſimo Abbati Domno Ingilardo, affluentiam totius ſalutis. Pervenit ad aures noſtras quomodo fideliter laboraſtis in vineâ Chriſti ab adoleſcentiâ veſtrâ. Videte ergo ne poſt portatum à vobis pondus diei & æſtûs, denegetur vobis merces laboris veſtri, glorioſus denarius: manifeſta enim nobis eſt reparatio veſtri loci funditùs à vobis reparati, infeſtatione paganorum olim deſerti, per fructuoſam perſeverantiam veſtram ſapienter exculti. Cavendum eſt igitur vobis, ut ſemper detineatis ad utilitatem veſtri Monaſterii Eccleſiam loci qui vocatur Berella, ne aliqua perſona aliquâ occaſione vobis eam & Fratribus veſtris poſſit ſubripere, quam Deus reddidit Caritati veſtræ. Semper itaque à vobis cuſtodito oculo veſtræ providentiæ, quod Deus poſuit in veſtrâ poteſtate utilitati veſtræ firmiter reſervate. Non deerit vobis, Deo volente, noſtra auctoritas, ſi præclara vobis fuerit veſtra hereditas. Valete.

Tantis & talibus honeſtorum fotus favoribus, in dies bonâ famâ creſcebat, qui magnâ virtute rem deſperatam in bonum ſtatum, Deo auxiliante, compoſuit.

CAPUT XXVII.

De Abbatis-Villâ, & Incra, & Domno Medardo.

VErum quia nihil omni conſtat parte beatum, his dumtaxat temporibus, quando corrupta omnia & in perverſum univerſa mutata ſunt, is de quo loquimur Abbas, ſicut quæ perdita fuerant ſtuduit revocare, ita multa quæ liberè poſſidebantur non recuſavit donare, diſtrahere, invadiare, tum quòd aliquando eorum quibus dabat conſanguinitate vel ſervitiis cogebatur aliquid impertiri, tum quòd multas terras deſertas eis partiri erat neceſſe, qui habitabiles eas poſſent facere vel frugiferas: ſed & Reges Francorum circà hæc tempora nobis magna abſtulerunt prædia, quæ foſſatis ambientes, & muris circumdantes caſtella effecerunt.



CAPUT XXVIII.

Adventus Beatiſſimi Vigoris Epiſcopi à Neuſtriâ in Pontivum.

MUlta verò Dei gratia erga hunc ſanctum locum cœpit vigere, ita ut ſæpe per Sancti pia merita Richarii multis daretur ſalus optata. Sanctorum etiam corpora ad perpetuam loci tutelam, Deo jubente, iſtis temporibus nobis & poſteris noſtris veneranda collata ſunt, quorum præſentia & interceſſio contrà mundi adverſa umbraculum ſecuritatis & protectio manet. Ex his præclarus Pontifex Vigor unus exiſtit, qui præeunte Dei virtute noſtras ſedes ex tunc & modo clarus attollit. Quia igitur auctore Deo beati Vigoris corpore ſanctiſſimo ditari meruimus, dignum eſt ut ad laudem omnium bonorum largitoris Dei & Domini noſtri Jesu Christi, quali modo ad nos venerit ipſum beatiſſimi Præſulis venerabile corpus, breviter depromamus.

Factum eſt cum beatiſſimi Vigoris venerabile corpus intrà ſui quondam Epiſcopii loca adhuc pauſaret, Neuſtriam patriam contigit barbarorum incurſu adeo vaſtari, ut non modò pompam ſæcularem, verùm etiam decorem Eccleſiaſticum contigerit fœdari. Eâ tempeſtate in Bajocenſi Eccleſiâ quidam Clericus nomine Avitianus matricularius habebatur, qui dum rerum copiis patriam ſolito non abundare, Eccleſiarum quoque obſequia, quæ Sanctis Dei devotè ſolent exhiberi, penitùs defeciſſe cerneret, ſecum orſus eſt meditari, quonam modo vitæ præſentis fugeret egeſtatem, reputans ſuo ævo patriam hoſtili acerbitate vaſtatam non poſſe reparari. Tali cogitationum volumine circum ſeptus, ratum æſtimavit, ſuæque utilitati commodum, ſi illum qui ſolus ſupererat ſanctiſſimi corporis B. Vigoris theſaurum aſportaret. Reverâ ſciens quòd ubicumque hoc detuliſſet, ejus gratiâ bona ſibi præſtarentur. Magis autem noſſe debet Fidelium devotio, divinitùs hæc ejus ſenſibus fuiſſe illapſa, quoniam ſuperna deſtinatio erat implenda, quæ Pontivorum populum iſto etiam patrono munire diſpoſuerat. Furtivè ergo ſanctiſſimi Pontificis corpus abſtulit, ubicumque dignè vendi poſſet, ſeu Atrebas ut quidam dicunt illud ferre geſtiens. Hæc ſecum agens ſolum Pontivum ingreſſus eſt, habuitque manſionem in villâ Centulâ, quæ antiquitùs ex omni ipsâ provinciâ nobilis exiſtit & clara; quamque beatus Pater & eximius Confeſſor S. Richarius ſuo olim decoravit exortu, inſignivit exemplo, nunc verò ſuo tuetur patrocinio, ſuique lætificat ac beatificat corporis præſentiâ. Ad hanc igitur caſu itineris perveniens, hoſpitio receptus eſt à quodam viro nomine Bernardo, qui ejuſdem Clerici conſanguineus ſciebatur: verùm Clericus ſui theſauri conſcius, hoſpitem infinitâ prece exorat, ut zabernam quæ ſanctis oſſibus erat onuſta diligentiſſimæ atque fidiſſimæ traderet cuſtodiæ, poſt parum temporis quo viſum fuiſſet iter acturus: acceptam verò zabernam Bernardus tali loco ponere eam nititur, quem latrones adire non poſſent, licet omninò neſciret quæ vel quanta res in eâ haberetur. Et erat ei in Monaſterio ſancti Richarii arca, ob tutelam ſcilicet quarumque rerum pretioſarum, ut dum domi quamdam non audet habere, domicilio pacis tam ſecurè quàm fideliter ſervarentur. Hujus certè fida cuſtodia the-

g *Arnulfus*] Hæc in ora ſui codicis reperit Acherius, quæ etiam leguntur in codice Centulenſi: *Arnulfus iſte Remorum Archiepiſcopus, filius fuit Regis Clotarii: & quia prodere voluit regnum Francorum Lotharienſibus, ob hoc facto Concilio depoſitus eſt, juſſu Hugonis tunc Regis, dudum Ducis. Cui Concilio interfuerunt & Godiſmannus Ambianorum Epiſcopus, & Ingelardus Abbas Centulenſis.*

sauro Clerici apta creditur. Sed cum reposita fuisset zaberna intrà arcæ sinum, pietatis divinæ bonitas quæ ante sæcula futurum prævideraт jamjam inchoat operari. Nam quâdam vice cum suam arcellam quid nescio capere volens Bernardus aperuisset, vidit totum ipsius arcæ sinum mirâ claritate fulgere, ac si flammiferis esset suppleta incendiis: quo visu perterritus procul secessit, aliquid divini à suo hospite sibi commendatum reputans. Dein vocans Clericum inquirit quale sit illud ab illo sibi commendatum: ille pavens, utpote qui videbat se propalari, non valens tamen celare quod Deus Omnipotens prodiderat, respondit se magni pretii ac meriti inibi Reliquias habere. Hæc dicens orat etiam ne cuiquam ista prodantur: sed cum neuter illorum tanti arcani quemquam conscium faceret, egit superna virtus quo celatum omnibus innotesceret. Fertur verò quòd multi Religiosi cum in ipsâ Basilicâ secretiùs supplicarent, luminaria illic divinitùs accendi viderint. At nos scrupulosa omittentes, illa potiùs exequamur quæ fideliter comperta sunt. Die quâdam quædam fœmina quid in ipsâ arcâ haberetur nescia, dum divinum officium ageretur illò advenit, ac post diutinam stationem lassabunda membra super illam injecit. Quamquam autem è conscientiâ culpa non prodiret, quæ nec esse culpa putabatur, placuit tamen divinæ justitiæ mirum quoddam operari, ut dum quasi vindicat sui Sancti injuriam, merita ejus ac dignitatem omnibus patefaciat. Mulieris namque, quæ super arcam innitebatur, vestis à parte natium accensa cœpit ardere; cum subitò inspiciente populo mulier ignis ardore compulsa ab arcâ resilit, & loco cui indignè hæserat faciente incendio cessit coacta. Fit continuò clamor cum tremore, & quod in arcâ aliquid magni esset absque dubio propalatur.

His diebus Cœnobii Centulensis regimina vir nobilis Ingelardus detinebat; cui cum fuissent relata quæ fecerat mirabilis Deus, illicò nullâ morâ interveniente inquiri citiùs jubet cujus esset arca, erga quam talia gererentur. Respondentibus qui noverant nomen possessoris, illicò eum misso nuntio accivit: à quo perquirens causam mirabilis facti, audit continuò suam quidem esse arcam, suum verò non esse quod miraculum fecisset, esse sibi commendatum unde tantæ virtutis processisset operatio: sed quia, inquit, divina dignatio istud cæteris portendit, quid etiam mihi demonstraverit audiatur. Hæc inquiens subsequenter intexuit quod prælibatum est, quodque satis celaverat: quia scilicet cum aperuisset locellum, superna virtus mirum splendorem oculis ejus ingessit. Tantis ergo magnalibus Abbas Ingelardus fervefactus, omninò decrevit talia non omittere quin studiosiùs perscrutaretur, rogatque hominem ut ad se festinet deducere allatorem tantæ rei. Clericus tum absens erat: sed ubi rediit, Abbati citissimè præsentatur: quem Abbas blandâ satis alloquutione demulcens, hortabatur confiteri quod mente gerebat; se quidem scire quia sanctum erat illud quod zabernâ tenebatur, tantùm insinuaret sibi Sancti nomen seu dignitatem. Asserebatque idem Abbas omnia quæ peteret se præbiturum, dummodo sibi panderet tantæ virtutis arcanum. Suggerebat etiam in hoc considerari debere divinam voluntatem, quæ utique, inquit, si à nobis nollet possideri illud sacrum, nullo modo præmonstrasset tantæ virtutis indicium. Sic itaque tam promissis animatus, quàm certâ ratione superatus consensit, & S. Vigoris Baiocanissæ urbis Episcopi se corpus attulisse indicavit. Tunc Abbas multis donariis animum ejus illiciens, meruit tandem ut dato pretio sanctissima ossa reciperet. Hinc Fratribus collectis, & vestibus splendifluis decenter ornatus, cum numerosâ plebis catervâ, atque cum ingenti lætitiâ, multoque honore illuc usque chorus dirigitur: B. Vigoris sanctissima membra proferuntur, ac velut cœlestis thesaurus intrà eamdem sancti Richarii Basilicam convenientiori loco diligenter reconduntur. Sed divina jussio, quæ Pontivorum gentem ac Centulæ cohortem ornaverat tanto Confessore, non inaniter patitur tempus transire, qui ostendat quanti apud se sit meriti, quem suâ gratuitâ bonitate nostris sedibus voluit inferri. Denique licet in quocumque periculo invocatus citus sit exauditor, in ipsis tamen incendiorum periculis tam efficacem, tamque conspicuam humanis obtutibus inculcat virtutem, ut si quando ignis convalescens, flatibusque agitatus exstingui humanâ manu non potest, ac sibi quæque propinqua flamma pervadit, dum S. Victor objicitur, resilire, & quæ jam absumi cœperant, nutu divino Sanctique merito illicò relinquere cernatur: & hoc non semel, non bis, nec ter quidem, sed multoties inspiciente Centulensi populo, in eorum habitaculis factum est. Hæc cum necessitas exigit aguntur, hæc semper fieri sperantur usque in finem sæculi per Christum Dominum nostrum, Amen.

CAPUT XXIX.

Translatio S. MADELGISILI *Confessoris.*

Cum Cœnobii Centulensis Abbas Ingelardus adhuc teneret regimina, inter cætera bona quæ illi contulit pietas superna, Sancti quoque MADELGISILI Confessoris meruit habere corporalem præsentiam. Est denique vicus in pago Pontivo, qui vocatur Monasteriolus, ubi ipse Sanctus à die sui transitûs deinceps quieverat; sed cum curiositate fidelium delatum fuisset corpus ejus Centulam in Monasterium Sanctissimi Richarii, cœperunt quidam ex Monachis quâdam stoliditate permoti dicere, quod indignum esset ejus hominis venerari ossilla, cujus ignorarent actus vel vitam. Cumque hac ratione vel potiùs irrationabilitate aliquoties contenderent, erat antiquitùs Ecclesiola quædam in confinio Centulæ sub ipsius Sancti nomine dicata, ad quam decreverunt ipsum ferri debere, dum & suæ Ecclesiæ domicilio frueretur, & illum tali modo non cogerentur honorare. Factumque est ita. Cum ergo illic fuisset positus ille, Deus qui humilia respicit, quique olim videns Liam despectui haberi causâ deformitatis, dedit ei fecunditatem, ut prolis saltem numerositate amari posset, quæ sui vultûs fœditate horrebatur: ille, inquam, Deus cum videret hunc suum servum per ignoratis vitæ ejus gestis non satis amari, ut quanti penderetur meritum illius populis demonstraret, voluit suâ pietate eo loco multa patrare magnalia, quo ejus fuerant membra non sine despectu portata.

[Denique cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, cæterisque incommoditatibus tale contulit remedium, ut si quæ facta sunt seriatim scribi potuissent, omnimodo abstulissent auditionis voluntatem suâ multiplicitate onerosam. In tantum verò ibi supernâ virtus operata est, ut duæ trabes vix ferre sufficerent sanitatum indicia: hoc est sustentacula contractorum, vel offas è cerâ factas pro oculorum vel aliorum membrorum infirmitatibus, ipsi Sancto oblatas, vel etiam compeditorum vincula, vel certè multimodarum ægritudinum quas dicere non possumus, diversa ostenta.]

Cùm ergo tam evidenter claruisset, verè hunc apud Deum esse magnum, cœpit Abbas Ingelardus cum Monachis suis pœnitentiâ moveri, quod tam claram Dei margaritam quasi quoddam vile abjecissent,

sent, & quem prius pro obscuritate despexerat sanctitatis, cum devota cordis humilitate & celebri honore dispofuit reportare, ad quem amandum & honorandum magnificâ Dei virtute invitabatur. Tunc aggregatis fratribus cum multo honore, magnaque timoris Dei reverentiâ jam dictam Ecclesiam expetivit; præmissâque erroris pœnitentiâ, atque adorato Domino, qui in Sanctis suis mirabilis est & gloriosus, corpus Sanctum accepit, & Ecclesiæ sanctissimi Richarii cum laudibus restituit [uti eum qui mentium duritiam meritorum virtute donaverat:] quod etiam huc usque ibidem servatur. [Hæc quidem Domni Ingelardi temporibus acciderunt: sed quia nunc de hoc Sancto loqui suscepimus, addamus istic illa etiam quæ longo spatio postea gesta sunt, ne penitus excidant memoriæ, & ne posteritas eorum fraudetur cognitione. Fuit postmodum consuetudo ut unoquoque anno die sui festi, quod est III. Kalendas Junii, multitudo fidelium ad locum ubi olim sepultus quieverat processionaliter eum defferret; conveniebatque è proximis villis vel municipiis turba populorum, & cum multâ lætitiâ Sancti festum colebant. Quâdam ergo vice cum fuisset illuc portatum, & expletis solemniis cum jam tempus & hora rediisset referendi, egredientibus de Ecclesia fratribus tantam contigit fieri pluvia & ventorum turbulentiam, ut ipsa dies nocte turpior haberetur. Ferebantur pro more ante corpus sanctum duo argentea ceroferaria, quorum lumina, licet ventis pulsarentur & pluviis humectarentur, nequaquam tamen exstingui potuerunt quousque ipsam parochiam in qua fuerat conversatus, transiisset: ita quasi designans quod proprium fuerat miraculo sacravit. Quædam aliquando terra per vim injustitiæ à quodam fortiori Ecclesiæ illius tulta est; & cum consuetudinaliter Sanctus illuc referretur, celebratâ honorificentiâ, fratres illum Centulam referre voluerunt; sed divino nutu efficientia defuit; Nam cum in redeundo ad ipsam usque, quæ ipsius propria fuisse memorabatur, comitante populo, pervenisset, ponderositate gravissimâ substitit immobile. Interea dicebant quidam motum eum fuisse pro ablatione peculii, & hanc gravitatem suæ indignationis indicem ostentare: quod postmodum res ipsa verum esse docuit; nam convento fraudatore, oraverunt fratres ut Sancto sua redderet; ille autem timore vindictæ cœlestis correptus, fratrum precatis libens paruit, & sua Sancto libera fore cessit: hoc facto ad Sanctum reditur, lectica gestatur, ponderositas nulla sentitur.]

Igitur hæc sunt gloriosa Sanctorum pignora, quibus præter illas [gloriosas reliquias,] quæ longè superius designata sunt, Centula nobilis decoratur: Sanctum Abbatem & charissimum Patrem Richarium ex se progenitum primatem læta excolit: post quem secundo honoris loco apud nos B. Pontifex Vigor veneratur: deinde ille ferax divinorum mandatorum Caydochus habetur: post quem ipse, de quo modo narravimus, S. Madelgisilus decibiliter amatur. Veneratur cum istis S. Caydoci socius, quem quidam Adrianum vocitant. Inter tantorum merita beati & Sancti Angilberti Abbatis munimur Reliquiis, beatarumque Martyrum Christi & Virginum Elevaræ, Sponsaræ, patrociniis confovemur. Hæ autem beatissimæ Virgines, quantum à prioribus comperimus, beatæ Macræ Martyris sociæ & convirginales exstiterunt, & unà cum ipsâ à persequutore Rictiovaro pro Christi nomine martyrizatæ sunt.

His Abbas Ingelardus munitus Patronis, hisque advocatis protectus, multam bonorum abundantiam Deo ministrante meruit. Fuerunt etiam sub ipso in hoc Sancto loco aliquanti optimi viri, qui & regularis normæ servatores, & eidem in laboribus fuerunt adjutores: horum aliquos pro eorum reverentiâ memoramus. Angelrannus, qui cognominatus est sapiens, noster postmodum Abbas; Guido Forestis-Cellæ Abbas; Arnulfus Sancti Judoci Abbas; Hubertus Forestis-Cellæ Abbas; Gualterus cognomento Grimutio, Sancti Salvii Abbas.

CAPUT XXX.

De Prædiis in Hlotharii regno Notkero Leodii Episcopo oppignoratis.

IN HLOTHARII regno habebantur aliqua prædia; quæ quia longè posita non facilè visebantur, placuit Domno Abbati ea committere Leodicensi Episcopo, tunc temporis Notkero, acceptis XXXIII. denariorum libris, eo tenore, ut ipse Episcopus per XX. annos eorum reditibus potiretur; & tunc redditâ sibi, vel Ecclesiæ suæ, jamdictâ pecuniâ, Centulensis Ecclesia sua rehaberet, de quâ pactione tale testimonium confectum est.

« IN NOMINE sanctæ & individuæ Trinitatis NOTKERUS solius Dei gratiâ providente Leodicensis Ecclesiæ aliquantulum providus Pontifex. Catholicæ Matris Ecclesiæ Filiis, tam præsentibus quàm futuris, quibus censeri constat semper professione tenendæ pietatis, notum fieri volumus quam conventionem ego & Abbas INGELARDUS invicem habuimus. Habebat siquidem prædictus Abbas S. Richarii quædam prædia in nostro Episcopio sita, V. videlicet mensos in villa Hair, & V. in villâ Farmalâ, ac I. in villâ Bursis, & I. in Gledelâ, quæ nobis oppignoravit, datis sibi à nobis ex thesauro S. Lamberti XXXIII. denariorum libris, eâ scilicet ratione, ut nos vel nostri successores annis XX. sine reclamatione teneremus, sumpto tantùm usufructuario cum cæteris redditibus non alio suspecto fœnore. Annis verò prædictis finitis, quâcumque die ille aut quilibet successor suus nobis vel nostris similiter successoribus memoratum pondus argenti reportando redderet, sua prædia absque ullius contradictionis impedimento recipiendo rehaberet. Unde ut sic rem gestam nostri cognoscerent posteri, hujus testimonii chartulam jussimus conscribi, signoque nostro, ac signis fidelium nostrorũ tam Clericorum quàm Laïcorum, qui nobis tunc temporis aderant, ut prudens petierat Abbas, censuimus confirmari. Sign. NOTKERI Episcopi, S. GODESCALCI Præpositi; S. Nithonis; S. Siconis; S. Ecberti; S. Frederici; S. Gualteri Militis; S. Hiserelmi Militis; S. Norberti Militis; S. Odelmi Militis; S. Butsonis Militis. De suis autem, S. INGELARDI Abbatis, S. Angelranni Monachi; S. Duodelini Monachi; S. Senardi Militis; S. Heriberti Militis. S. Ruethelini Militis; Acta sunt hæc Leodii publicè V. Kal. Novembris, [anno dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXVIIII. Indictione XII. Imperii verò Henrici anno primo.] »

Hac stabilitâ conditione, Ingelardus Abbas jam reversus direxit dictitia ipsi Episcopo, postulans ut hæc conventio iterum firmaretur, & ne quis futurorum Episcoporum illam infringeret, sub anathemate prohiberet, quo inconvulsa non tantum chartæ testimonio, sed & timore prolatæ excommunicationis permaneret. Scripsit autem ita:

« NOTGERIO Episcoporum præcellentissimo, INGELARDUS Abbas cum cunctâ catervâ Centulensium Fratrum, plurimarum virtutum & boni operis perseverantiam. Quoniam quidem tuæ benevolentiæ immensitas longè lateque diffusa pervenit ad nos, scilicet compatiendo nos expende-

» re sæpiùs vanum laborem in eundo aut redeundo,
» dum nitimur invisere quæ sunt in hac terrâ Sancti Richarii prædia: habemus gratias, proque tuâ tuorumque salute divinis auribus porrigimus precum vota: parati etiam impendere si usus fuerit, multimoda corporis servitia. Et quia tantum onus nobiscum supportare dignaris, postulamus ut super hoc negotio sis sollicitus, excolens inculta, reædificans destructa, quatenùs à nobis reddito mutuo à te sumpto, res suas auctas recipiat nostra Ecclesia à tuâ industriâ. Suggerimus etiam ut auctoritate tibi traditâ interdicas, ne aliquis aliter quàm stabilitum est, immutare præsumat: ut si aliquis tuorum successorum, quod Deus prohibeat, rebus à te benè paratis malè abusus fuerit, in reddendo argento non sentiamus dispendium receptionis. Neque hæc, idcircò quòd simus imparati nimis ad suscepta reddere, sed quia tenemus sacræ Scripturæ testimonio, quòd permittat Deus impium regnare pro scelere, omnia contradictionis ostia cupimus obstruere.

» Cunctipotentis
» Dextera Christi;
» Qui miseratus
» Nostra caduca,
» Missus ab alto
» Venit ad ima;
» Ac preciosâ
» Morte redemit
» Noxia vitæ
» Crimina nostræ:
» Te, pie Pastor,
» Protegat omni
» Tempore secli.
» Sicque pudicè
» Det tibi totam
» Ducere vitam;
» Ut merearis,
» Exspoliatus
» Tegmine carnis,
» Esse coheres
» Cœlicolarum.

Suscipiens verò hæc precata Venerabilis Episcopus, & volens omninò manere inviolatam conventionem apud suos successores, jamdicto sæpe talia rescripsit Abbati.

» Notgerius Episcopus Leodicensis Carissimo suo Ingelardo Abbati. Quoniam hactenùs, mi dilectissime, nihil ex sacrilegio habere cupivimus, nec cupimus, ne quid, quod quidem absit, ex sacrilegio nostræ Ecclesiæ post discessum nostrum relinquatur, nimia tui devictus dilectione petitioni tuæ faventes, quod mandasti providus, fieri dignum duximus; ne quis successor meus conventionem quam invicem habuimus mutare præsumat in pejus: ideoque notum fieri volumus cunctis Ecclesiæ Fidelibus tam futuris quàm præsentibus, quòd quâcumque die tu, aut quilibet successorum tuorum, nobis, vel nostris similiter successoribus, xxxiii. denariorum libras reddiderit, absque ullius contradictionis impedimento sua prædia recipiat Ecclesia S. Richarii. Quicumque id temerare præsumserint, ex auctoritate Dei, sanctæque Mariæ Genitricis Domini nostri, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Beati Lamberti Martyris Christi, sint damnati, anathematisque vinculis obligati.

CAPUT XXXI.

De Villâ quæ dicitur Matermortua.

Est in confinio Letgiæ quædam Villa sancti Richarii vocabulo Matermortua, quam sæpedictus Abbas cuidam petenti ita habere concessit, ut quamdiù viveret, possideret, & post suum decessum unus suus heres similiter in vitâ suâ teneret. Permisit autem intuitu laboris qui ex longo itinere accidebat, sumptis à jamdicto Milite centum argenti solidis; ita tamen ut uno, quoque anno redderetur census xxv. solidorum. Super cujus firmatione talis confecta est chartula.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ingelardus divinâ dispositione Centulensis Cœnobii Abbas, ad notitiam sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelium, tam futurorum quàm præsentium, veniat quòd quidam Miles nomine Hubertus nostram præsentiam adierit, magnopere deprecans, quatenùs ei quamdam terram in Lotharii Regno sitam, quæ dicitur Matermortua, jure venditionis concederemus. Nos verò ipsius petitioni faventes fieri dignum duximus. Concessimus ergo ipsi, atque suæ conjugi nomine Alguidi, unique hæredi ipsorum, terram quam postulaverat; sumptis ab eo centum argenti solidis. Eâ conditione, ut quisquis superstes fuerit, eam absque ullâ contradictione possideat; atque omni anno tempore Quadragesimæ xxv. solidos denariorum persolvat. Sed quia de nomine heredis, necdum certus erat, postulavit duorum annorum inducias, quas & à nobis impetravit: hæc idcircò, ut quia ad ipsius nomen scribendum vacua relinquitur membranula, vocabitur siquidem h.... ne fortè dissimilitudine litterarum subscribatur cartulæ falsitas. Et ut per succedentia tempora sic stabiliter permaneat, manu propriâ firmatur ab omnibus nobis. Signum Abbatis Ingelardi. S. Adieri Decani & Monachi. S. Ingelranni Monachi. S. Otberti Archidiaconi Leggiensis. S. Alboldi Archidiaconi. Signum Joannis Archidiaconi. Actum Monasterio S. Richarii iv. Idus Mart. regnante Rege Roberto, Anno xi. h

CAPUT XXXII.

De farinario præstito. Et obitus ejus.

In ripariâ Scarduonis fluvioli est inter alia quoddam farinarium, quod dicitur Mirumdolium, quod idem Abbas cuidam suo parenti, nomine Raginero, in ratione victûs aliquamdiù cessit; simulque redditum publici clibani. Sunt & alia multa quæ gessit aliquando in redimendis, aliquando verò in invadiandis sancti loci terris ac villis, quæ, quia non omnia profutura speramus, recitare fastidimus. Illud autem necessariò & convenienter intimamus, quòd stabilitis Fratrum officinis, stabilitâ quoque Monachorum congregatione, cui ipse longo valde tempore præfuit, mortuus est Nonas Junii, & sepulturam meruit in sancti Patris nostri Richarii Ecclesiâ hactenùs conspicuam.

Materiale tuum repetens hîc Abba quiescis
Ingelarde, tuba revocet dum cœlica functos:
Quem mundo genuit Heroum clara propago,
Baptismus Christo per verbum fontis & undam.
Qui Monachus primò, Monachorum Rector abinde,
Richarii sacram Sancti, quam barbarus hostis
Vepribus impleral, reparasti funditùs ædem
Fervidus. At quintum volvebat Junius orbem,
Dum tibi communem mors intulit aspera sortem.

Huic successit è suis unus Monachus nomine Angelrannus, sapiens cognominatus. De quo, quia hîc tertius hujus Operis liber prolixior est habitus, nunc referre supersedimus: maximè cum ejus illustris vita ante hoc tempus à quodam Fratre exarata inveniatur. De hoc itaque aliqua relaturi, quartum recreato spiritu libellum incipiemus; ut more Evangelico justorum quadrigam deducere videamur: auxiliante gratiâ Domini nostri Jesu-Christi, cui cum æterno Genitore & coæterno Flamine sit laus, & honor, & potestas in sæcula sæculorum, Amen. Abbas XXII.

h *siquidem*] In margine codicis quo Acherius usus est legitur Alguidis.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De ortu Domini ANGELRANNI; *& de doctrinâ ejus.*

CUM igitur omnis mundus Unigeniti Dei descensione per carnis assumptionem se gratuletur redemptum, sitque universalis exultatio liberatio communis; proprium tamen quorumdam locorum dignoscitur esse gaudium, viros habuisse tales qui sanctitatis ac doctrinæ prærogativâ Patres non immeritò vocentur & Pastores. Hoc privilegio potita situ & nomine dulcis Pontiva provincia, præcelsorum sæpiùs lætata est virorum genitura. Ipsa denique illud fulgentissimum sydus, beatum scilicet Richarium, olim protulit, cujus patrocinio & corporali præsentiâ se beatam exultat Centula. Ipsa etiam post illos, quos suprà meruisse legitur, gloriosæ recordationis virum protulisse scitur Angelrannum, qui quoniam omnem sui temporis laudem excedit, sui nominis memoriam usquequaque protendit.

Natus est ANGELRANNUS Deifer parentibus juxtà sæculi pompam non adeo generosis, quamvis omninò ingenuis, sed planè Dei timore elegantissimis. Qui quantæ opinionis, quamque boni odoris foret futurus, ante suam nativitatem divinitùs præmonstratum est. Vidit namque ejus genitrix quâdam dormiens nocte quasi ex se leniter sertum procedere, quod totius Centulæ muros procingens, omnium ora in sui laudem, & admirationem solvebat. Quod postquàm religioso marito insinuavit, ille gratiâ doni cœlestis afflatus, dixit pro certo hoc fore præsagium optimæ prolis, quam Domini dono proximè essent accepturi, quæ bonorum odore operum universos afflaret.

Hic ergo bonæ indolis esse incipiens, profundique sensûs acumine vigens, infrà ævum puerile repertus est in litteris discendis ferventissimè ardens. Jam enim Deo se inspirante idem puer quisnam futurus foret præsagio quodam ostentabat: & cum scriptum sit, *Anima justi sedes sapientiæ*, Sapientia verò Dei Christus est, summæ Sapientiæ præsignabat se templum fieri, dum litterarum non poterat scientiâ satiari. Et quia non lasciviam mundi amplecti, sed Dei servitio perpetim maluit mancipari, monachili auctus est togâ intrà S. Richarii Monasterii Claustra. Dein divinis donis cum ætate crescentibus, habitum quem humanis præferebat obtutibus, multimodæ sanctitatis exornabat speciebus. Inerat ei mater & nutrix virtutum humilitas, præpollebat in eo obedientiæ indicibilis qualitas, conservabatur ab eo illa quæ odisse quemquam nescit caritas. Enimverò quia, ut suprà dictum est, in discendo multum gliscebat, acceptâ à patre loci, nomine Ingelardo, non minimâ reverentiâ digno licentiâ, longè seposita scrutatus est scholarum magisteria; more scilicet prudentissimæ apis, quæ circuit diversorum florum arbusta, ut mellis dulcore suâ repleat receptacula. Denique multorum experientiâ probatum, & liberalibus studiis ornatissimum civitatis Carnotenæ venerabilem Episcopum, ac cum multo honore vocitandum Fulbertum, præceptorem adeptus est atque didascalum: hic ei monitor, hic tam morum, quàm litterarum fuit institutor. Gaudebat venerabilis Præsul de tanti discipuli solatio, relevabatur tam idonei auditori industriâ atque ingenio. Tandem igitur Grammaticâ, Musicâ atque Dialecticâ optimè instructum, Centulam remittit tyronem amicissimum, jam tunc Sacerdotio ornatum; quem velut grandem thesaurum recipit pia Congregatio Centulensium. Hinc jam quod ingenti studio fuerat quæsitum, profertur magnæ scientiæ præcipuum margaritum. reparantur libri, conscribuntur necdum conscripti. Educantur pueri, dispertiuntur quamplurimis sapientiæ thesauri. Illustratur patria, & ab omnibus circumquaque felix vocatur Centula, quæ tanto præsagiebatur patre beanda. Verùm populi id fieri gestientis voluntati, & desiderio felix accessit effectus.

CAPUT II.

Qualiter Regi sit notificatus; vel qualiter Abbas sit effectus.

EO tempore Rex ROBERTUS, prudentiæ lumine clarus, regni Francorum post patrem HUGONEM illustrabatur fascibus. Cui nutu divino, ut credimus, sæpedictus vir tali modo refertur notificatus. Cum enim adhuc in Franciæ partibus detineretur disciplinis scholaribus, supradictus Rex in Romam bonæ voluntatis devotione est coactus: dumque jussu ejus diversis in locis quærerentur divini servitii plenè imbuti officiis, ab omnibus prædicatus est efficax in hac re ANGELRANNUS venerabilis. Itaque profectione paratâ Rex callem arripit, cui Angelrannus honestissimâ vitâ [insignitus] comes accedit. Interim dum gradiuntur, divitiæ hactenùs occultatæ latiùs aperiuntur, prædicationum verba procedunt, commeantium corda infundunt: miratur Rex ejus affamina, delectatur continentis vitæ munditiâ, obstupescunt omnes linguæ nitorem, reverentur animi puritatem. Verùm quod in ipso itinere relatum est gestum fuisse, dignum videtur inseri historiæ: si quidem multimodâ assertione insinuatus est ita per omnem viam Deo Regique in divino servitio militasse, ut librorum nunquam indiguerit juvari solamine: quod an fieri potuerit, non inertes judicent, sed studiosi examinent. Igitur Romam perventum, atque inde feliciter est remeatum.

Hujus ergo eventu itineris vir Dei Angelrannus ad Regis notitiam venit: quapropter ipse Rex non eum inter infimos relinquere corde tenùs ambivit. Interim verò dum Rex perquirit, quo eum honore fulciat, semper venerandus Angelrannus sua inhabitatione Centulam exaltat. Et provenit Deo ordinante ut Abbatia Centulensis paternâ privaretur sollicitudine. Fratrum ergo sanioris consilii concordi electione id officii suscipere cogitur Angelrannus, qui Domini præscientiâ ante omnia sæcula ad hoc fuerat præparatus. Tunc Rex ovans, quòd sicut cupierat locum honorandi reperisset, sæpedictam Centulam hac de causâ concitato gradu devenit. Enimverò famæ velocitas Angelranni aures percellens, dicto citiùs timore salubri ejus præcordia replet. Quid ageret non inveniebat: Fratrum unanimis electio, exstante admodum parvâ quorumdam sua nobilitate inflatorum contradictione, pastoralitatem suscipere cogebat; Regia etiam auctoritas ad hoc impulsura propinquabat. Sed ille, qui subesse quàm præesse malebat, omninò se indignum hujusce rei perceptione præjudicabat. Sumpto igitur ausu sylvarum lustra expetit, ibique se ne inveniretur abditis quibusdam recondit. Rex adveniens virum interrogat, furtim eum abscessisse Monachorum turba proclamat. Rex miratur intentionem, prædicat humilitatem, jubetque ut citiùs pergatur, ac electus Domini ad se reducatur. Exeunt ergo militares præclarum Dei militem perquirentes: sciscitantur

à quibuscumque obviantibus sicubi visus fuisset !vi cluentissimus. Tandem igitur peractâ multâ scrutatione in sylva Olnodioli dignoscitur latere. Itur ocyùs, perquiritur, inventus adducitur, Regisque Roberti præsentiæ sistitur. Rex itaque gaudens, Ecclesiæ basilicam intrat, omnique spectante nobilium vel ignobilium catervâ, per funes ad signa pendentes ipsi totius loci dominationem delegat. Dein jubetur ab ipso Rege, ut quantociùs acceleraretur benedictionis consecratio digna. Verè ergo iste superni membrum capitis fuit, qui memor suum Dominum, dum eum vellent populi facere Regem, fugisse in montem, ne supercilio prælationis extolleretur, maluit subire cavernam.

CAPUT III.

Renovatio conditionis inter Ingelardum Abbatem & Notkerum Leodii Episcopum.

JAm verò sumpto Abbatis officio, quis ejus bona dignè potens sit explicare? Erat enim ei studium juge propriæ vitæ nævis carere, coram Deo & hominibus bona semper providere, commissorum inepta resecare, tam exemplo quàm verbo bona eorum augere; quidquid bonum semper ambire, quidquid pravum semper cavere: nec ejus benevolentiæ sat est animarum salutem obtinere, sed curat etiam terrenis ædificiis locum commissum honorare. Denique mœnia struxit, sacras aras auro & argento vestivit, Christique vasa sacrosancta pro posse ampliavit. Delectabatur planè sanctum ingenium bono opere, pascebatur pia mens sanctâ exercitatione. Interea NOTKERUS Leodicensis Episcopus, cui à Domno Ingelardo Abbate quædam sancti Richarii prædia fuerant oppignorata, obierat; & post alios duos DURANDUS ipsius Sedis susceperat Præsulatum. Hunc itaque Abbas ANGELRANNUS adiit, & ut conditionem, quam illius & suus fecerat antecessor, renovaret, ne infirmaretur, exoravit. Qui Episcopus venerandi viri precibus acquiescens, nam & à Domno EBALO Remensi Antistite idipsum facere fuerat exoratus, tale denuò rescriptum promulgavit.

» In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, » DURANDUS divinâ propitiante clementiâ Sanctæ » Leodicensis Ecclesiæ Pontifex, universis Christianæ religionis fidelibus, præsentibus videlicet & » futuris compertum fore volumus, quòd ANGELRANNUS Abbas S. Richarii Confessoris Christi à » nobis sibi petierit, ut conventionem quam suus antecessor cum Notkero hujus Sanctæ sedis Episcopo habuerat, renovaremus scripto. Sumserat enim » idem suus Antecessor ex thesauro S. Lamberti » XXXIII. denariorum libras, oppignorans nobis » quædam S. Richarii prædia; scilicet in villâ Haïr » v. mansos, & v. in villâ Farmala, & I. in villâ » Bursis, & I. in Glemdenâ: eâ videlicet ratione, » ut quâcumque die nobis nostra redderet, sua sine » contradictione aut ipse, aut aliquis suus successor » reciperet. Fecimus ergo quod suggesserat, & scriptura præsentis chartulæ quod Antecessores nostri » statuerant, renovavimus. Acta sunt hæc Leodio » publicè sub die XIIII. Kalend. Octobris, Anno
1022. » Dominicæ Incarnationis MXXII. Imperii vero » HENRICI XIX. Signum HEZELONIS Comitis: » Signum HUMBERTI Clerici: Signum GUATHONIS Clerici: Signum HILDRADI Clerici: Signum ADELARDI Laici: Signum LIBUINI » Laici.



CAPUT IV.

Quomodo Ecclesiam Scabellivillæ acquisierit.

HAc igitur pactione utiliter reparatâ, Monasterium reversus est. Aliquando etiam Neustriam ivit, & colloquio Marchionis RICHARDI usus, postulavit eumdem Ducem, ut pro salute suæ animæ S. Richario aliquid largiretur: qui sciens virum esse prudentem, & Monastici tramitis amatorem, benignè ei paruit: conferens per ejus manum S. Richario casulam pretiosæ purpuræ, & Ecclesiam Scabellivillæ. De cujus donatione talem condidit descriptionem.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, ego « RICHARDUS divinâ concedente gratiâ Normannorum Dux. Compertum esse volumus omnium « Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium industriæ, quòd ANGELRANNUS Abbas Centulensis Cœnobii, ubi venerabilis Confessor S. Richarius quiescit, Clementiam nostram expetierit, quatenùs ipsi Sancto largitione nostræ eleemosynæ conferremus aliquid. « Consilio ergo & suggestu nostrorum fidelium decrevimus tradere perpetuò prædicto Sancto, & « servis ejus, Ecclesiam, quæ sita est in Scabellivillâ. Præfatus verò Abbas & Fratres sub testificatione præsentis chirographi spoponderunt, quòd « amore genitoris nostri, nostro, & matris, conjugis & prolis, personâ unius Monachi ipsius Congregationis augeretur numerus: eâ conditione ut « illo decedente à sæculo, alterius per sæcula subsequatur successio. Illud etiam ut ab hodiernâ die « & deinceps nos, nostrique filii supradictæ Congregationis appellati socii, omnium quæ ibi gesta « fuerint bonorum habeantur participes. Ut igitur « hæc futuris temporibus donatio stabilis permaneat, « sub gravi anathemate facto ab Archiepiscopo, me « præsente, vel à quibusdam Episcopis cum suis Sacerdotibus, qui forte tunc nostræ aderant Curti, « jussimus roborari, & hanc insuper chartulam fieri, « quam signo manûs propriæ voluimus consignari. « Signum RICHARDI Marchionis; S. ROBERTI Archiepiscopi. S. GONNORIDIS matris eorum. S. « JUDITH; S. RICHARDI pueri; S. ROBERTI pueri; « S. WILLELMI pueri; S. MALGERI. Actum Rotomagò II. Idus Martii. «

Robertus quoque ipse Rotomagensis Archiepiscopus, virum bonum esse cognoscens Domnum Angelrannum, donavit ei unum bonum dorsale, quo hodieque nostra Ecclesia ornatur.

CAPUT V.

Assertio de S. Vigore.

AT quia nunc Normanniam intravimus, libet parumper subsistere, ut quoddam necessarium explicemus. Retulimus sub domno Ingelardo B. Vigoris Episcopi corpus honorabile à Neustriâ Centulam translatum: quod quia meruimus, Deo omnipotenti ex corde intimo gratias rependamus. Securi igitur de Dei munere in sancti corporis collatâ nobis benedictione, jam modò contra illos agamus, qui tantum bonum nostrum obscurare nituntur. Est enim quiddam sensibus nostris illatum, quod Deo auxiliante abundanti ratione purgabitur, si tamen faciente invidiâ obliquus non adsit auditor. Verùm nos singulariter neminem appetimus, omnibus semel respondentes: dum enim quemquam nostratum cum Neustrianis vel Silvanectensibus de Sancti corpore colloqui contingit: dicentibus istis, quia noster Episcopus fuit, nobis quiescit; illis æquè referentibus se hunc habere, noster à Deo nobis da-

tus thesaurus apud incertos quasi fuscari videtur. Unde satis necessariè hanc modo rationem persolvimus, quâ scilicet apud nos illum esse veraciter comprobemus; quòd si quisquam clarescentibus miraculis hunc se habere defendat, & nos multo magnificentiùs eadem experti sumus. Verè enim Christiana fides fatetur omnes Deo conjunctos, non eo tantùm loco quo corpore habentur; sed ubicumque fideliter rogantur, divina posse monstrare. Sed jam pergat sermo in nomine Domini quo destinatum est; huncque Sanctum confirmemus nos habere, tametsi aliàs magna operari videatur. Christus veritas nobis adstipulatur, ipsa sancti viri anima cælesti semper hereditate beata testimonium reddet; imò de verbis ejus verbi nostri testimonium fiet.

Neustriani tamen, qui & Normanni, sui Episcopi non bene custoditi arguendi videbantur: sed mentem remordet, quia *nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.* Ob hoc autem illos sinentes, alia expediamus, dum & thesauri quondam habiti, & modo perditi amissione constet eos satis punitos. Silvanectis autem civibus de Sancti corpore inaniter superbis jam modo ora claudamus. Quo primo igitur tempore sancti corporis illatione beata est Centula, absque ullis gestorum ejus adminiculis aliquamdiù permansit. Delator nempe nomine & gradu atque civitate Episcopii ejus relatis, de cæteris conticuerat. Cum autem Ingelardi Abbatis de medio facti, hic Venerabilis ANGELRANNUS, cognomento sapiens, vicem suscepisset, fuit ei necessitas illa, quæ suprà exposita est, Normanniam ire: his pro quibus ierat peroratis, vel definitis, à Clericis ipsius provinciæ, & à Monachis S. Audoëni cœpit inquirere, an nossent aliquem Sanctum qui diceretur Vigor: illi autem optimè hunc scientes, hoc solum mirati sunt, quòd ipse Abbas tantum Confessorem nesciret; referentes ortum, vitam, ejusque dignitatem. Tum Abbas rogat sibi monstrari vitæ ejus scripturam, & describendi largiri copiam: at illi cum annuissent, tali ab eo auditu percelluntur. Cœnobio, inquit, Centulæ in Monasterio Domini mei S. Richarii hujus Sancti corpus habetur. Tum Monachi B. Audoëni dixerunt ei: In hoc, honorande Pater, te scito hunc reverâ habere, si ossa ipsa inspectans, mentum non inveneris apud te: quod os idcircò illic tu non invenies, quia Deo gratias nos illud habemus. At ubi patriam nostram cum libello vitæ ejus repedavit, curavit insinuata citiùs probare. Revolvit sancta membra, & inventâ totâ ossium congerie, mentum deesse invenit: quia verò ipsius vitæ lectio docebat, quâ die Sanctus è mundo migrasset, hæsitabat parum quid faceret, quia eam diem omnium Sanctorum festivitas ex modernâ Patrum institutione vindicabat. Statuit autem ut sequenti die festivitas sua Sancto reexhiberetur. Factumque est ita; sed non sic ut tantum decuisset Confessorem. His proficuè, ut speramus, insertis, ad Domni Angelranni vitam transseamus, alibi de S. Vigore certiora, & quibus obviari non possit probamenta dicturi.

CAPUT VI.

De constantiâ Domini ANGELRANNI; *& Donatio Comitis-villæ.*

MUlto sudore & ingenio hic venerandus homo semper studuit ad usum Monasterii illa revocare, quæ vel desolationis tempore, vel sub sui tempore antecessoris aliquâ fuerant fraude subducta. Constantia quippe internæ fortitudinis, quæ menti ejus inerat, multam potentium superbiam edomabat, quia fiduciâ sanctitatis se vallante nullius potentiam verebatur. ANGELRANNUS denique Comes Pontivorum, HUGONIS advocati filius cum ob expertam in illo sanctitatem compater ejus factus fuisset, magno etiam timore erga illum agebatur, quippe apud quem humani ingenii pravitati, nihil successum sciebat. Antiquitùs servata est consuetudo, ut in festo sancti Richarii tota Pontivorum militia Centulam veniret, & veluti patriæ Domino, ac suæ salutis tutori & advocato solemnem curiam facie-bant. Cum itaque jamdictus Comes inevitabiliter ad S. Patris festum, aut aliâ quâlibet die Monasterium intrasset, statim ab Abbate venerabili si quid loco abstulerat tantâ invectionis auctoritate arguebatur, ut miro modo non Comitem à Monacho, sed servum à Domino increpari qualitate rerum putares. Si aliquando corripienti non obedisset, Abbas loci amator, qui dicere poterat, *Zelus domûs Dei comedit me*, continuò se se in verbis exaggerans, illumque infidelem, illum raptorem clamitans, nisi emendare sponderet continuò excommunicabat. Hæc ejus animi fortitudo plurimùm contulit, & ut suo tempore nihil loco raperetur, obtinuit. Quod nos ideo sic dicimus, quia cum nostro ævo desint largitores, benè nobis res agi videretur, si non pateremur infestissimos prædatores. Venerabilis tamen Angelrannus non hoc solum obtinuit, ut sibi nihil tolleretur, sed & ut multa per Dei gratiam sibi darentur & redderentur: Angelrannus igitur Comes monitis ejus animatus, Villam quamdam S. Richario delegavit, de cujus deditione testamentum conficiens, regiâ auctoritate confirmari voluit, ita se habens.

« In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, ego « ANGELRANNUS compertum fore cupio cunctorum « sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelium industriæ, quòd re- « morante præcellentissimo Rege Roberto Compen- « dii Palatio, corroborandam in præsentiâ ejus ob- « tuli quam feceram sancto Richario quamdam do- « nationis chartulam. Tradideram siquidem ipsi San- « cto in pago Pontivo Villam, quæ Comitis-Villa « vocatur, eo conditionis pacto, ut ego ipse dum « vixero, & post me unus heres, quem vivens de- « signavero, teneam, atque in festivitate sancti Ri- « charii, quæ VII. Idus Octobris celebratur, XII. « denarios in censu persolvam; quòd si heres à me « designatus reddere neglexerit, aut legaliter emen- « det, aut perdat. Quam concessionem in præsen- « tiâ Regis regnique Nobilium obtuli, & Regiâ au- « ctoritate confirmandam censui. Signum ROBERTI « Regis. Sign. CONSTANTIÆ Reginæ. Sign. HENRICI « Ducis. Sign. ROBERTI. Sign. ODONIS. Sign. « ANGELRANNI Comitis. Actum Compendii Pala- « tio Nonas Aprilis. «

CAPUT VII.

De amore ejus erga subjectos: & redditio de Noguerìis.

HUCBERTUS quidam Miles, qui beneficiariè cum jurejurando nostrati Abbati famulari babebat, huic venerabili Angelranno aliquoties causa probationis exstitit. Siquidem aliqui ex suis parentibus sub præstatione certi temporis tenuerant villam sancti Richarii vocabulo Noguerias, & tali occasione tamquam hereditatem sibi vendicabat. Contradicente Abbate, & illo insaniente, multa dura contigit venerabilem Angelrannum ejus immissione pati: nempe quàm forti amoris vinculo erga suos stringeretur hinc patuit, dum contrà hunc Hucbertum, contraque omnes qui Fratrum possessiones rapere conabantur, tam divinarum quàm humanarum legum auctoritate certare non destitit. Nam Dei & Domini nostri informatus exemplo, & accensus a-

more, qui pro suis ovibus animam posuit, ipse quoque pro Ecclesiæ Centulensis villis vel prædiis multa pericula, multasque iniquorum insidias perpeti non formidavit: pro illis certè qui sibi erant commissi animam posuisset, si id necesse fuisset, qui pro eorumdem re temporali, cum necesse fuit, multis injuriis affligi non recusavit: ut enim subjectorum animas salvaret, ipsi temporali suæ saluti nunquam agnitus est pepercisse. Nam non in tantum creverat tyrannorum atrocitas, ut corpora perimendo animas effugarent, sed ad hoc processerat eorum cupiditas, ut eos rebus spoliantes miseros efficerent; & quia isdem magnificus vir eorum sævitiæ perpes contradictor exstitit, ab eis multa perpessus, etiam gladii percussionem Dei amator toleravit. Sed quia verè fateri possumus, justum confidere quasi leonem, iste pro commissis bonâ conscientiâ fretus nullam timuit passionem. Charitas enim in eo locum sibi vindicabat priorem, quæ foras utique propellebat timorem. Tamdiù itaque contra Hucbertum institit, usquequò Procerum judicio in Regis præsentiâ eam quam diximus villam derationaret. Sed quæ non mortalium corda rapacitas urget, si adsit locus! Rex enim Henricus illectus cupiditate, postquàm fuerat definitum ut Hucbertus non haberet in proprium jus, villam tulit, & quinquennio illius reditibus usus est. Sed cum ab Abbate frequenter argueretur, tandem metu judiciorum Dei coactus, & venerabilis Angelranni assiduâ interminatione fractus, nobis eam cessit, & super ejus redditione testamentum confecit, quod nos quoque utiliter hîc consignamus.

„ In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, „ HENRICUS Dei gratiâ Francorum Rex omnibus „ Catholicæ Ecclesiæ filiis, quibus est cura animæ „ & corporis; notum esse volumus cunctis futuris „ & præsentibus qualem reditum S. Richario pro „ animabus nostris & successorum permiserimus. „ Miles quidam HUCBERTUS nomine Noguenariam „ cum suis appendiciis quamdam S. Richarii villam „ tenebat suæ invasionis tortitudine. Quotquot ve„ rò antecessores ejus tenuerant, S. Richario per „ præstationis occasionem tollebant. Iste verò quasi „ propriam volens invadere, repulsus est aliquantum „ Abbatis & Fratrum reclamatione: & illo funditùs „ repulso, censurâ judicii nostri decidit in nostram „ jussionem: quinquiennio tenui, solidam & quie„ tam habui; post hæc memor animæ meæ, & li„ cet modicum cogitans de ejus redemptione, incli„ natus etiam ab Abbate & Monachorum collegio, „ tradidi eam S. Richario. Addidit etiam Comes „ ANGELRANNUS ejusdem loci Advocatus suam pe„ titionem, cui ego eo tenore annui, vt nunquam „ inde aliquam acciperet consuetudinem. Quod ne „ quis etiam successorum meorum audeat infringe„ re, HIZELINI Parisiacensis Episcopi perculsi ana„ themate, & omnium qui mecum erant Franci„ genæ, nec ipsum excepi Abbatem, ut alicui per „ aliquam tradat occasionem, ne aliqua iterum er„ ratio nostræ animæ fiat periculo. Prohibemus er„ go iterum atque iterum nostro imperio, & om„ nium Episcoporum nostrorum interminatione, ne „ aliquis malefactorum aliquo modo audeat usurpa„ re, ut non fiat mihi in illâ reprobatio necessitate, „ ubi merita mea non poterunt me juvare. Prorsus „ ne aliquis dubitet imperium, videat scripto impe„ rantis edictum. Actum est anno Dominicæ Incar„ nationis MXXXV. Regnante Henrico Rege anno „ regni illius III. Abbas ANGELRANNUS subscripsit; „ ROLLANDUS Monachus subscripsit; GUALTERUS „ subscripsit; AL..ISUS subscripsit; INGELRANNUS „ Comes, & HUGO filius ejus subscripserunt; GODEFRIDUS Vicecomes subscripsit; OYLARDUS „ subscripsit; ROBERTUS subscripsit. Hi etiam „ sunt testes omnium Episcoporum excommunica„ tionis, præcipuè HEZELINI Parisiacensis. Qui „ deinceps infregerit ista, cum Datan & Abiron fiat „ ei anathema maranatha, Amen. „

Superiùs comprehensum est, quòd Dominus Ingelardus suo tempore propriâ permissione, tum causâ amicitiæ, tum obtentu consanguinitatis, concesserit farinarium sub Montiniaco, quod dicitur Mirumdolium, Raginerio Militi aliquamdiù habere; ipso Abbate defuncto, cum Domnus Angelrannus in nostræ Ecclesiæ usum voluisset ipsum farinarium revocare, Raginerus conatus est illud retentare, sed ab eodem frustratus est. Ille verò videns quòd contendendo non proficeret, precatus est ut sibi permitteretur, & post se filio suo, postque filium suum, filio filii sui, sicque tandem reciperet Ecclesia quod suum erat. Placuit Abbati id facere, & super istâ constitutione tale conscriptum firmavit.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis ANGELRANNUS Centulensium Abbas. Compertum „ fore volumus sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelibus, præ„ sentibus atque futuris, quòd quidam Miles nomi„ ne RAGINERUS reclamaverit contrà nos, quòd „ debebat de nobis tenere quoddam molendinum „ positum sub Montiniaco. Nos ergo ejus reclama„ tione justâ ratione vacuatâ, ipso aliud postulante „ consensimus, & sibi & duobus heredibus, vide„ licet GUALTERO filio ejus, & alteri quem de le„ gitimâ uxore idem Gualterus habuerit, molendi„ num de quo agebatur concessimus sub redditione „ census: ita dumtaxat, ut si idem Gualterus ob„ ierit non relicto semine, Ecclesia quod suum est „ recipiat. Si verò, ut supradictum est, conjugalis „ unus heres successerit, & ipse illud in vitâ suâ „ teneat, & in festivitate sancti Richarii quæ cele„ bratur VII. Idus Octobris, IV. solidos denariorum „ persolvant. Quo tertio herede defuncto, sic ite„ rum nostrum revertatur ad nos. Et ut hæc con„ ventio inconvulsa permaneat, signis Fratrum no„ strorum atque fidelium subnotare fecimus. Signum „ ANGELRANNI Abbatis; Sign. ANGELRANNI Ad„ vocati; Sign. HUGONIS filii ejus; Sign. ODELGERI; Sign. URSONIS; Sign. ROBERTI; Sig. HERBERTI; Sign. GUERNONIS; Sign. RODULFI; Sign. „ GODEFRIDI; Sign. ARNULFI; Sign. OYLARDI. „ Actum Monasterio Centulensi VII. Kal. Februarii, „ regnante Rege Henrico, Anno XII. „

CAPUT VIII.

Quàm misericors erga pauperes fuerit.

CUm in omnibus erga hunc sanctum locum Angelranni Abbatis cura provida semper haberetur, non tamen ejus benevolentia sublevandæ pauperum necessitati deerat. Fuit igitur ei pietas comes inseparabilis, per quam Dei gratiâ se auxiliante miserorum consolator splenduit singularis. Multoties enim è Claustro processit, ut miserendi locum quoquomodo posset nancisci. Et cum pro alicujus utilitatis ordinatione putaretur egredi, ille justitiæ famelicus, misericordiæ actibus cupiebat saginari. Enimverò gestabat nonnunquam pius latro sacculum misericordiæ gazis refertum; & dum hinc ac inde cerneret pauperem quemlibet proximare, antequàm contra illum pervenisset sumptos denarios in terram solebat jactare, illumque volentem transire ad se Pater misericors evocabat, & quasi nescius quid illud esse posset quod solo tenus jacebat, sciscitabatur. Ille, qui ignorabat actum, Domine, aiebat, video nummos super terram jacere: tum ille bene-

fraudulentus, & piè deceptor, ire jubebat, & sibi tollere, dicens à Domino illi esse præparatos. O virum verè Deo dignum! ô animum omni laude jugiter attollendum! ne enim vita expers maneret, piis actibus continuè instabat; & ne eum laus transitoria percelleret, ipsos pios actus occultabat. Libet parumper nostram pravitatem, nostræque intueri mentis tortitudinem. Nos & cum bona non facimus, cupimus laudari, & si parum quid contigerit nos boni facere, ab omnibus cupimus prædicari. Nos nec actu, nec virtute qualibet resplendemus, & velut sanctiores pro solo habitu honorem extorquemus. Damnanda prorsùs miseria, non esse sanctum, & sanctitatis requirere debitum. Verus itaque Dei cultor Angelrannus bonorum operum exercitiis illustratus, hospitalitatis amator devotus, humilitatis servator assiduus, charitatis etiam obses mansit æternus. Verùm ingenii ipsius sagacis non facere mentionem, impiissimum duco errorem. Nam præcipiente sibi venerabili suo quondam magistro, D. scilicet Fulberto Carnotensi Episcopo, almiflui Confessoris Christi Richarii vitam ab antiquis compendiosè descriptam, versu heroïco jocundiorem fecit: nihil penè extrinsecùs addens, sed eumdem sensum per omnia repræsentans. Sanè miracula quæ Dominus ac Salvator noster per ejusdem Sancti merita suo tempore exhibuit, in uno libello compingens, antiquis ejus miraculis compaginavit; in quorum capite post ea quæ suprà texuerat, sic exorsus est fari:

Nunc ea complectar proprius quæ vidit ocellus.

Subsequenterque intexit illam S. Richarii relationem, quæ in præcedenti libello à nobis pleniùs exposita est. [Ex ipsis autem miraculis quæ post Sancti restitutionem divinitùs celebrata sunt, & quæ testatur se vidisse, aliqua hîc ponimus, ut sicut longè superius dictum est, iste vir Dei judicio magnus debeat agnosci, cui divinitùs concessum est talia videre.].

CAPUT IX.

De miraculis sanctissimi Richarii quæ ejus tempore acciderunt.

RECurrente igitur populorum multitudine ad sanctissimi patroni nostri Richarii annuam festivitatem, contigit existere propè Monasterium puteum, enormiter quidem profundum, sed omninò siccum, in cujus margine eo quod nullus ibi accederet, excreverant virgulta, quæ dum os illius obducunt improvisum externis exitium parabant. Homo itaque unus mulierque una dum desuper nescientes incedunt, in ejus magnum deciderunt profundum. Quod ubi auditum est, condolent Centulenses viri, miserorum morte præcipui advocati solemnitatem fuscari: summittunt itaque hominem qui de profundo putei peremptorum corpora levaret; & O res miranda! qui discerpti & toti dissipati putabantur, sani & absque læsione incolumes educti sunt: magnumque populis suæ vitæ spectaculum præbuerunt: Nam ut non periissent sancti meritum obtinuit, cujus illi mœnia votivâ devotione petierant. Dominicâ palmarum quam vulgus Pascha floridum vocitat, ex Ecclesiasticâ traditione colebatur, cum ipsâ die quidam Clericus cum nostris Monachis in refectorio edens piscis glutivit aristam; vespere facto cum ex eâ molestari cœpisset, voluit eam vomendo rejicere nec valuit: sequenti die excruciatur, tertiâ etiam die in deterius malum procedit, quartâ autem jam de morte tractans, rogavit se ab Abbate visitari, à quo postulavit ut in cœmeterio fratrum sepeliri dignus haberetur; quintâ igitur feriâ quam Cœnam Domini christiana vocat consuetudo, cum videret se in mortem jamjam resolvi, petiit ad sanctum beatissimi Richarii altare se ferri, ut per ejus magna merita Domino posset sua anima commendari. Domesticis ergo hinc inde eum gestantibus illo usque devehitur, & quidam libri gratiâ muneris ab ejus manu in altare ponuntur; sed cum illi qui portabant retrogredi voluissent, illicò divina medicina affuit; sensit enim se quasi calidâ aquâ fomentari, quâ scilicet continuò omnimodam sanitatem recipere promeruit. Engelguinus quidam artifex lignarius habebatur, qui de suo artificio nostræ Ecclesiæ serviens ruentia texta resarciebat, vel nova, si res exigisset comptè aptabat: hic in Paschæ diebus conscendit campanar, ruptum campanæ funem volens renodare, expletoque opere revertebatur, cum ecce culminis foramen recludenti deficit omne quo se anniti atque teneri suspicabatur: ruit ergo, & dum terram ociùs petit, à morte nigrâ exciperetur, nisi virtus divina, quæ sui sancti domum morte hominis cruentari nolebat, eum sustulisset; nam ut nescienti loquamur, ipsa fabrica templi porrectis in antea lapidibus ex se interiùs semitam facit, quam ut tutus posses tenere podiorum munimine industria prisca firmavit: super hos igitur lapides homo cecidit, & Domini pietate sancti merito exhibita suæ salutis gaudia tulit. Annuo cursu sancti Richarii festivitas reddebatur, & continuis pluviæ inundationibus patrienses nostra mœnia visere vetabantur: sedentibus quâdam die in unum monachis, unus ex eis cœpit conqueri quod sua sancto solemnitas à provincialibus non exhiberetur, dum omnis homo, pluviâ obstante, istic venire non posset; tunc alter quidam in Deo fisus desperanti fratri respondit; scriptura sancta propalat quòd Dominus noster famulis suis posse concessit, ut quando volunt reserent cœlum, & quando volunt itidem claudant, quâ potestate ego non credo nostrum patronum esse privatum quin verè possit plebi devotæ huc venienti serenatâ cœli facie præbere nitidam viam. Cum igitur vigilia festivitatis excipi deberet, tanta, sublatis nubibus, prætensa est cœli serenitas, ut miro modo quod hesternâ in aquis totum diffluere putabatur, hodie inedicibiliter nitens suo aspectu gigneret orbi nostro lætitiam. Populus concurrit, festum recolitur, & quasi reddito devotionis tributo, populus ad propria repedavit. Vix unusquisque tecto suo redditur, cum ecce nubilorum densitas cataclysmi inundationem omni sæculo figurabat; ut enim illa serenitas non eventu sed sancti merito præstita fuisse evidentiùs nosceretur, peracto triduo quo solemnitas durat, rediviva tempestas incubuit. In Civinocurtem villam sancti Richarii aliquando latrunculi quidpiam subintrantes, duos nostrates homines vi tulerunt, à quibus ut exigerent quæ non habebant, ferrea vincula imponentes, impiæ custodiæ tradiderunt. Verùm cum isti in vinculis haberentur, non desistebant Dominum & ejus sanctos, maximè tamen suum patronum, sanctum scilicet Richarium, in suum auxilium prece supplici implorare. Dum hæc faciunt, festivitatem sancti orbita solaris repræsentavit, in cujus nocte dum catenati in magno labore deficientes eumdem sanctum reinvocarent, omnia statim vincula solvuntur, sicque postmodum nostri fruuntur omni libertate. Sed & illud modò referendum est quod erga Hucbertum, cujus supra memoratum est, divinitùs contigit actitari: hic enim cùm sancti Richarii villas superbo & rapaci spiritu invadere tentaret, & à domno Angelranno viriliter repelleretur, multa ei inferre mala molitus est. Aliquando autem unum è sancti fidelibus Richarii comprehendit, quem tam pro nequitia sui cordis, quàm

pro odio & injuria Abbatis dirissimo carcere trusit, tantisque vinculis & verberibus affecit, ut mortem non jam minari sed inferre non immeritò crederetur; & quia terrena potestas quæ vice Abbatis eum eriperet non præsto affuit, Dei potestatem sibi concurrere per sui domini sancti Richarii merita vinculatus ille precabatur: his eo intento precibus, vincula sponte solvuntur & laxantur, & catenis liber tenere manu cœpit quibus antea fuerat tentus: restabat autem & illud, quod in loco interiori positus, & seris ac vectibus, virorumque custodiis vallatus spem evadendi non facile capiebat; sed qui apostolum Petrum Angelico ductu de carcere Herodiano salvavit, ipse & nunc suæ imperio virtutis claustra patefecit, custodesque somno gravissimo, ne fugientem impedirent, compressit; sic Deo auctore noster homo salvatus ad sancti patris Ecclesiam venit, bojas sancto obtulit, & in Dei laudes omnium fratrum vota resolvit. Hoc igitur miraculum licet venerabilis Angelrannus sanctissimi Richarii meritis adscribat, nos non immeritò pro ipso eodem beato viro tantam credimus fuisse peractam virtutem, quippe qui talem se Dei oculis aptabat, pro quo utique magna fieri deberent. Nunc vero aliqua recenseamus quæ absque aliquo fuco cognoscantur ob ejus bonitatem divinitùs esse peracta. Necessitudine quadam exigente alicubi longiùs duos fratres emiserat, qui dum iter accelerant, longè à nostris finibus, incursu latronum arctantur, dejiciuntur caballis, & cum injuriâ ex equestribus efficiuntur pedites: at dum illi miseri ablata monachis animalia abducere voluissent, illicò quasi statuæ fusiles essent nec verbere nec calcarium impulsu promoveri potuerunt, sicque recognoscentes peccatum nostris sua reddiderunt. Aliâ vice ad Regis curiam similiter fratres miserat, quibus ausu latronis boni pretii equus subtractus est, at cum fur furatum animal clanculo agens fratribus quo isset indicatus fuisset, & cum eum nostri subsequerentur, mox equus diriguit, nec amplius uspiam progredi potuit; tunc malus arreptor mortis tactus timore equum invitus dimisit, & fugam iniit: nostris autem venientibus capitur equus, & absque difficultate rursùs incedit. Sed & pestifer Hucbertus, cujus opere multa dura beatus hic homo passus est, judicio Regis postmodum cum omni sua stripe interiit, quia reverà boni viri persequutor, quietâ non debuerat morte perfungi.

CAPUT X.

De Domno ODELGERO *Monacho.*

HUjus autem Deo tam cari viri vita excellens multorum studia ad supernorum amorem accenderat: unde nunc æquissimum judicamus in ejus discipulorum actibus quanta Dei gratia viguerit ostendere; ut quem jam monstravimus verè sanctum, ac per hoc Deo proximum, inde magis ejus bonitas resplendeat, quò non suis solis, sed & commissorum provectibus magnificus comprobatur. Erat ergo in hoc sancto Cœnobio venerabilis vitæ vir nomine ODELGERUS, qui abstinentiæ miræ, obedientiæ summæ, suique custos oris, magnum religionis per Dei gratiam præbebat lumen. Qui à puero quidem sacris fuerat sub Domno Ingelardo Abbate disciplinis informatus, sed sub Reverendissimo Angelranno Decani vel Prioris potiebatur ministerio. Hic ergo assiduæ lectioni & orationi insistens, animi quoque simplicitati & puritati studens, magnæ vitæ studiis pollebat. In exterioribus etiam ministrandis satis probus, ac valde aptus extitit. Consuetudo autem ei fuerat perpetua, ut quando Fratres ex indulgentiâ remissioris vitæ aliquid sæculare aut etiam religiosum in communi sermocinarentur, secederet in Ecclesiam, ibique psalmodiæ & compunctioni intentus sedulè Domino jungebantur. Qui etiam ne aliquo impulsu aut alicujus occursu præpediretur, superiora templi conscendere procurabat, ibique liber & remotus quasi de proximo ac de vicino divinis obtutibus laudum & precum holocausta offerebat. Hic itaque post longam in sancto proposito exactam vitam, ad extrema pervenit; qui cum morti proximus existeret, & à Fratribus vel à famulis Ecclesiæ circumdaretur, repente exclamavit, & dixit: *Ecce chorus adest Angelorum.* Ut enim omnipotens & pius Deus ostenderet quàm devotè ei servierat, voluit suæ divinitatis ei moriturо ministros transmittere, ut in eorum conspectu atque præsentiâ sine gravi metu & dolore de corpore exiret. Hac autem voce, omnibus qui aderant stupefactis, repente iterum subjunxit, & ait: *Ecce chorus Prophetarum:* silentioque parumper habito, sic intulit: *Ecce chorus Apostolorum:* ac deinde: *Ecce*, ait, *chorus Martyrum.* Cumque pauxillulum conticuisset: *Ecce*, inquit, *chorus Confessorum:* novissimè verò cum denuntiasset, dicens: *Ecce chorus Virginum:* eodem momento spiritum emisit. Et quia veraciter cœlestis patriæ cives ad se suscipiendum venisse vidisset, sequendo testatus est. Reverendissimus verò Abbas Angelrannus eum, ut decebat verè sanctum, in Ecclesiolâ sancti Vincentii Martyris, quæ erat Claustro contigua, venerabiliter sepelivit, & super ejus bustum tale epitaphium composuit:

Justitiæ cultor fuit, & pietatis amator
ODELGERUS, *in hoc qui recubat tumulo.*
Subtraxit vitæ quem vix Februaria nona,
Ut spes est, regno misit & æthereo.

CAPUT XI.

Qualiter à Domino sit correptus.

ANGELRANNUS Venerabilis inter suæ magnæ sapientiæ monimenta in sancti Richarii honore, quamvis antiqui abundarent, quosdam cantus dulciori composuit melodiâ, necnon Sanctorum Gualarici Abbatis, & Wlfranni Archiepiscopi honori proprios cantus coaptavit: beati quoque Vincentii Martyris passionem metricè composuit, sanctæque Virginis Austrebertæ vitam metro subegit. Et quia tantus scientiæ fulgor non facilè poterat abscondi, multi Nobiles ejus se subdidere magistratui: è quibus fuerunt duo honorifici viri, GUIDO Præsul Ambianensis, & DROGO Episcopus Tarvennensis. Hi ejus se discipulos, hi quoad vixerunt semper gratulati sunt se ejus prudentiâ illustratos. In tantum enim disciplinæ ejus bonitas sparserat, ut ubique ab omnibus ANGELRANNUS SAPIENS specialiter non immeritò vocaretur. Cum igitur tantis & talibus bonæ famæ opinionibus miro modo polleret, implereturque in eo ille Apostolicus sermo: *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco*; Inspector ille cordium [Deus] videns eumdem suum famulum infatigabili desiderio sibi velle sociari, ut puriorem quandoque susciperet, imò ut meritorum copiam ei accumularet, statuit eum adhuc tentationis limâ polire, ac super incudem corporeæ infirmitatis, malleo propriæ percussionis interrogare. Denique tantâ eum paralysis acerbitate perculit, ut non manum ad os ducere, non in lectulo se deinceps quiverit movere. Religantur manus innocentes supernæ districtionis vinculo, & quæ in bonis se semper exercuerant, ac mala studiosiùs caverant, hæc vel illa, bona dico vel mala, ne contingant artantur. 2. Cor. 2. 15.

tantur. Semper igitur gratias retulit Conditori, & cui antea in omni bonâ operatione se devotum exhibuerat, nunc valetudine pressus, corde & linguâ laudis sacrificium victimabat. Et cum hoc morbo sic vinculatus esset, ut omninò sui impotens maneret, tamen ejus ubique auctoritas metuebatur, ejus ubique nomen reverebatur. Sæpè autem accidit, ut quolibet residens uberrimè fleret, & cum ab assistentibus interrogaretur quænam esset causa ploratûs, se peccatorum pœnas formidando cogitare respondebat, quas intrà tartari claustra diabolo ministrante patiebantur: & ob hoc non posse omitti quin fleret. Ita etiam cum alternantibus vicibus se lætissimum præmonstraret, interrogarentque famulantes quidnam rei esset quòd alacer videretur, aiebat de cœlestium gaudiis Angelorum, deque Sanctorum felicitate perpetuâ hanc sibi emanasse exultationem.

CAPUT XII.

De subreptione FULCONIS; *& prophetia Domni Angelranni.*

SEnescente autem illo, cum multis utile videretur, ut eidem Rector substitueretur, quidam secundùm carnem nobilis, filius nempe ANGELRANNI Pontivorum Comitis, nomine FULCO, ejusdem loci alumnus, parentum auxilio sæpedicti loci Centulensis regimen sibimet usurpare tentabat. Sed enim, cùm Rex Francorum HENRICUS quo nescio casu accidente Pontivum devenisset, idem Fulco intercedente jamdicto Comite patre suo cupiebat obtinere ab eodem Rege totius loci dominationem. Quod & factum est, ignorante penitùs Domno Angelranno Abbate. Jamdictus verò Fulco cum ob donum Regium se Abbatem fore auspicaretur, sumptâ audaciâ impudenti quibusdam militaribus in Fratrum refectorio, more scilicet incompetenti, convivium opulens exhibuit, quo sibi faceret fideliores, & ad acquirendum sibi honorem promptiores. At ubi nunciatum est istud Patri Angelranno, ministros vocat, protinusque se illuc deportari mandat. Manibus ergo famulorum ad ostium usque refectorii devehitur; ibique figens gradum, ex auctoritate omnipotentis Dei eos qui convenerant, anathematizat. Hinc verò omnis illa eorum factio inchoat dissipari. Cerneres enim meliores quosque, in quibus parùm quid timoris [Dei] resederat, quasi reos ante judicem, sic ante justi faciem pavitare, & incendio excommunicationis ab eo illatæ miro modo terreri. Vir Dei itaque secedens inde, Fulconem evocat, & an Abbas effici velit, minaci verbo sciscitatur: cui præ pudore nihil respondenti sententiam intulit, dicens non posse eum fieri Abbatem, quamdiù scilicet ipse in corpore moraretur. Et quamvis isdem Fulco etiam alterius Abbatiæ donum à patre suo habuerit, nunquam tamen quamdiù vir beatus supervixit, effici Abbas ullatenus potuit, quia videlicet viri Dei sermo obtinuit. Quâ in re animadvertitur Sanctus vir prophetico spiritu actus fuisse, qui non absque nutu divino prædixerat eumdem non posse fieri Abbatem, quamdiù scilicet ipse in corpore moraretur. Siquidem postquàm Venerabilis pater Angelrannus cœlicas recessit ad ædes, idem Fulco Abbatis officio donatus est primo post ejus sepulturam die, prælatusque Monasterio Forestensi; quod ex antiquo, ut in hoc opere lucidè patet, Fratrum sancti Richarii cella fuerat, sed paulo ante à Comitibus Pontivorum subtractum Abbatiolæ nomen sibi vindicat. Et quia ad id loci pervenimus, libet memorare ob rerum notitiam posteris intimandam, qualiter idem locus nobis ablatus est.

Ab eâ die quâ beatus & S. Pater Richarius ibi finem vitæ mortalis accepit, & deinceps usque ad tempora Ingelardi Abbatis in nostratum deguit ditione: HUGO verò primò Dux, postea Rex, eo tempore quo propter barbarorum cavendos incursus Abbatis villam nobis auferens castrum effecit, eique HUGONEM præposuit Militem, Forestis-cellam nostræ ditioni subripuit, & eidem Hugoni perpetuò habendam contradicit; quia videlicet ipsius Ducis filiam nomine GELAM uxorem duxerat. Antea igitur in eâdem Cellâ Clerici Domino militaverant, sed Hugone postulante aliqui ex nostris illic Monachis statuti sunt, qui & Abbatem meruerunt simili modo Monachum nostratem nomine GUIDONEM, Domni Angelranni fratrem: quique cum aliquantis ibidem annis in animarum regimine ministrasset, officii successorem habuit HUCBERTUM nomine, nostratem Monachum. Quandoquidem nobis ille locus tollebatur, tamen ob amorem & honorem almi Richarii statutum est, ut de nostris semper ibidem fierent Abbates Monachis. Hucberto quoque mortuo, ejus loci regimen suscepit hic Fulco, quem nostri Monasterii dominium sibi usurpare voluisse notavimus. Libet verò dicere de Domno Guidone Abbate, quòd cum egregiis moribus & Deo placitis fulgeret, oculorum lumine sicut & S. Tobias privatus est, omninò tamen perseverante in mente ejus divinæ contemplationis claritate. Mox verò ut hoc flagellum cum gratiarum actione à pio patre Deo excepit, succedi sibi poposcit; & rediens Centulam, quod superfuit totius vitæ in sancto ibidem explevit servitio: qui etiam VIII. Kal. Maij dormitionem accepit, & à venerabili Fratre suo Angelranno juxtà Sancti illius Monachi Odelgeri corpus humatus est, talique dictitio prænotatus.

Mausoleum hic patrem recolendum ritè GUIDONEM,
Sculptus litterulis monstrat habere lapis.
Extulit egregiæ quem mundo gratia vitæ:
Sublimem mundus hunc faciat precibus.

Verùm & illud placet referre, quod is de quo suprà diximus Hugo, non Comes, sed Advocatus dictus fuerit, quod nomen illi erat insigne, ob hoc quod Ecclesiæ sancti Richarii defensor fuerit à Rege Hugone institutus. Quo etiam nomine filius ejus Angelrannus, hujus Fulconis pater, fuit contentus, donec permissu Dei Boloniensem Comitem bello peremit, ejusque relictam nobilissimam nomine ADELVIAM in matrimonium accepit. Et quia Comitissam duxit uxorem, idcircò deinceps Comitis nomen accepit, quod à successoribus ejus jam ex consuetudine tritum perseveranter tenetur. Sed ad nostrum Angelrannum redeamus, & qualiter bonus bonum habuerit successorem jam dicere inchoemus.

CAPUT XIII.

De Domno GERVINO *Abbate.*

CUm, ut supradictum est, comperisset Fulconem parentum intercessu, & pretii datione, præripere voluisse regiminis ministrationem, voluit adire regiam Majestatem ne animarum cura venderetur, oraturus. Quod quia aliter ob infirmitatem non potuit, curru vectus implevit, & Regis auribus satis dura inferens, tormenta inferni illum subire, ob distractionem gratiæ minatus est. Et Rex, qui bonæ mentis habebatur, pœnituit, reatûsque indulgentiâ rogatâ se spopondit emendaturum. Non multi post hæc fluxerant dies, cum ecce ex divinâ, ut tenemus, voluntate, regali audientiæ interfuit Virdunensis Abbas RICHARDUS, Reverendissimum Monachum & merito bonitatis unicè dilectum GERVINUM secum habens Capellanum. Et quia iste est Gervinus, de cujus post Angelrannum

successione Centula gavisa est, decentissimum intuemur à principio sursum quis fuerit referre, ut homo diligendus quo melius noscitur, melius & ametur. Ex territorio igitur Laudunensi, patre Guillenco, matreque Romilde, Gervinus natus est, & à primævo ævo litterarum studiis imbuendus in Ecclesiâ S. Mariæ nostratis Galliæ hierarcha, ubi eo tempore famulabatur Domino clerus verè clarus, traditus est. Sed, ut fieri solet, cum adolescens Grammaticæ operam daret, & patulo sensu ipsorum jam carminum vim perpenderet, animadvertit inter ea quædam, quorum omnis intentio hæc est, ut aut expletas luxurias referant, aut quomodo quis explere voluerit, vel explere potuerit recenseant: & dum talium assiduâ meditatione polluitur juvenis mens casta, tùm juvenili fervore, tùm turpium verborum auditione, maximè verò diaboli instinctu ad hoc cœpit impelli, ut ea faceret quæ tantorum Poëtarum æstimabat narratione celebrari. Ad hoc igitur hortatu sodalium perductus est, ut infaustos expeteret complexus; quandoquidem carnis ardorem non aliter restringendum Poëtarum oraculis, & juvenum jam corruptorum suggestione compererat. Ventum itaque illo usque est, quo castitatis jura frangerentur; sed Deus omnipotens, qui sibi eum aptum vas gratiæ ordinarat, tanto eum subitò pudore respersit, ut non solùm malè cogitata non perageret, sed etiam talia voluisse visceraliter eum pœniteret. De pellicis itaque se osculantis, & ad crimen incitantis amplexu, & verè de mediis diaboli faucibus exilivit, & tanta auctoritate vim iniquæ voluptatis in semet compressit, ut ipsa priscorum poëmata audire extunc desiverit, ne ut penè acciderat, dum litteram disceret, animam jugularet. Hoc verò non ideo referimus, quòd insolitum sit hominem carnis lasciviâ fuisse tentatum, sed quia tali occasione mens probanda erat, quæ jam disposuerat fieri pudicitiæ habitaculum. Hæc ergo causa ei fuit, quâ sæcularia studia deseruit, unde nec magnam illarum artium peritiam habuit: tamen quia hæc ex parte gustaverat, faciliùs divina ingressus est, in quibus postmodum & verbo & opere peritus habitus est.

CAPUT XIV.

Ut sæculum reliquerit, & Monachus effectus est.

DEfunctis patre & matre, cum totius, quæ magna erat, familiæ GERVINUS provisor & dominus haberetur, essetque Remensis Matris Ecclesiæ Canonicus, cogitabat repulsis sæculi tumultibus Deo strictiùs militare. Sed ejus desiderio contraibat duarum fortè sororum custodia. Inter multos igitur, quos lege beneficii sub se habebat vassallos, erat quidam vir bonus & efficax, summæque strenuitatis Miles, nomine HAYMO: huic verò Gervinus terrenorum pondere se se exonerans delegat patrimonii sui summam, tradens ei germanam in conjugium nomine ROTSELLINAM. Altera autem quæ viri thorum recusavit, Christi sponsalibus meruit subarrari, & in Monasterio sanctimonalium vitam religiosam monialis & ipsa devotè peregit. Hac tempestate florebat virtute modestiæ venerabilis Abbas RICHARDUS, quem multa bonitatis fama omnibus amabilem venerandumque efficiebat: hunc ergo Gervinus expetivit, & ut sibi Monachi vestem, normamque conferret, exoravit. Ille autem vir Dei repletus fonte doctrinæ, atque servator Regulæ sanctæ, protraxit [& distulit] virum juxtà quod monet Pater Benedictus: proponit dura, aspera prædicit, ardua docet, monstrat angustum callem qui ducit ad vitæ regnum. Verùm cum magna diceret Doctor, majora refert auditor: nam dicit semel ad omnia promptum velle habere, licet sint dura, vel inaudita, & quæ natura non assuevit, omnia spondet toleraturum, dummodò sibi non differatur Claustri ingressus. Richardus tantis tractus promissis: *En præsens*, inquit, *adest Regula sancta: vide si potes his obedire, quæ tibi liber hic intimabit: si deprehendis ista te posse perpetim pati, excipieris. Si autem non vis, sive non potes ista servare, liber venisti, liber discede.*

Regulæ c. 58.

Talibus induciis prope totus volvitur annus.

Itaque viro ritè probato traditur sacra Regulæ vestis, jungiturque sacræ congregationi militanti sancto Confessori & Episcopo Vitono. Factus itaque sanctæ obses religionis, omnibus obediens, omnibus devotus, omnibus benignus, atque ob hoc omnibus erat carus; sed ut humilitatis ejus constantia certiùs nosceretur, factus est puerorum custos, ut qui Dei judicio Pastor animarum erat eligendus, tali officio pastoralitatis præsagium portenderet. Ubi verò & in hoc aptissimus apparuit, cœpit eum Pater Richardus ferventiori dilectione ambire, in tantum ut & sibi Capellanum, & cæteris multorum provisorem commodorum ordinaret. Hinc Gervinus sancto animatus desiderio cupiebat loca sancta invisere, quibus Domini nostri JESU-CHRISTI nativitas & conversatio, mors & resurrectio celebratæ noscuntur: sed dum Patri votum indicare formidat, ne non concessionem acquireret, sed reprehensionem, eadem Dei nutu qui voluntatem timentium se facit, cordi paterno accessit voluntas. Itaque dum Gervinus orat Deum, ut sibi tradat voti effectum complendi, Abbas jamdictus caro sodali sibi inesse hoc prodit velle, ut loca sancta Jerusalem eat videre. Rogat ut suus comes esse velit, quò illo agente citò pararentur commoda vitæ. Et ille ovans quòd quæ optabat diceret Abbas, mox festinavit ea parare quæ in illâ viâ erant portanda. Cum ergo jam Sacerdotio polleret, cum Abbate Richardo & aliis optimis viris jamdictæ urbis mœnia petiit; quò cum pervenit, oscula sanctis locis affixit, lacrymas fudit, preces allegavit, orans pro sanctâ & universali matre Ecclesiâ.

CAPUT XV.

Quomodo electus, & Abbas quomodo sit effectus.

EXpletis igitur votorum & precum solemniis reversi sunt ad propria; at non multo post quâdam agente necessitudine, Regali aulæ, ut suprà notatum est, se se contulerunt; cum ecce HENRICUS Rex memor comminationis à Domino Angelranno sibi intentatæ, ipsum Richardum Abbatem his supplex verbis exorat: Intrà nostri regni ditionem exstat Cœnobium à priscis Regibus munificè satis constructum, & quamquam ante hæc tempora à paganis demolitum sit, ejus tamen nomen inter sancta loca non habetur infimum: huic exstat Pastor actu & nomine prudens Angelrannus, qui perfecto vitæ suæ fidelissimo cursu jamjam carnis exuvias linquere cupit, & ideo sibi succedi in animarum regimine rogat: precor vestræ Sanctitatis bonitatem, quatenùs Fratri GERVINO permittatis ejus loci accipere Pastoralitatem. Venerandus autem vir tametsi tanti sodalis dispendium ægrè ferret, concessit, & fratri Gervino donum Regium suscipere imperavit. Tunc Reverendus Princeps jubet concito gressu cum aliquantis aulicis viris.... venitur. Excipiuntur nimis gratanter, dein disponunt maturatò Centulam expetere. Tunc Gervinus obstitit, dicens locum se non visurum, donec unanimus Fratrum electio suis auribus referretur. Diriguntur ergo

è Clero viri prudentes, qui hæc Centulensi nuntiarent Congregationi. Aditur venerabilis ANGELRANNUS, indicatur ei electum esse à Rege virum, qui Christi ovilis opilio dignè debeat dici; sed nolle eum præcipitanter istuc venire, donec ipsius velle cognoscat, omniumque Fratrum electionem. Et venerabilis Angelrannus pro his exultat, & confitetur id se optare, ut talis homo sibi succedat, qui Christi gregem pascere norit. Dein congregatâ Fratrum unione, intimat lætus Regium opus, qui eorum curam providendo benignè virum delegisset boni amicum, rectique tenacem, ut eis præsit jure Abbatis: agite, inquit, & quid super isto vester animus velit nobis intimate, ut vestra turma tanto Pastore citò ornetur. Hæc audientes omnes collaudant, approbantque factum: deinde scribitur consensus electionis; redditur à Sancto viro cura Pastoralis, in quâ non se dignè ministrasse humiliter valde confitebatur. Recipiunt ista legati Pontificis, & præpeti gradu redeunt Ambianis, designantes Episcopo & Abbati benignam Fratrum electionem, & sancti senis concessionem. Eâ igitur die; qua intemeratæ Virgini Domini JESU Nativitas futura per Angelum Gabrielem nuntiata est, Abbas sacratur; sicque sequenti luce nostris sedibus infertur Pastor optatus. Sublimatus ergo honore regiminis, arripit arma continuæ humilitatis, non veste subtili, non cibo delicatiori, non supercilio dominii utens, sed victu communi humilitateque pari Fratribus & filiis amorem sui immittens. Sanè è sui Monasterii Monachis aliqui eum gratiâ caritatis attrahente exemplo prosequuntur viri honesti, & tam litterarum peritiâ, quàm & sæculari providentiâ admodum clari. Horum unum Præpositum fecit, dictum GUARINUM, alium ordinavit Decanum nomine REGNEGUARDUM. Verùm quia gloriosi Gervini ortum & adventum divino respectu nobis concessum paucis perstrinximus, ad narrandum honorabilem Domni Angelranni transitum jam modo animemur.

CAPUT XVI.

Venerandus Domni ANGELRANNI *obitus.*

Rerum itaque conditor Deus, qui sui servi desiderium jamjamque disposuerat cœlestis regni amœnitate mulcere, quique eum sibi habilem fecerat longissimi purgatione languoris, interno sapientiæ suæ consilio, quo omnem filium receptibilem flagellat, ejusdem famuli sui valetudinem solito acerbiorem effecit, & cui mox incomparabiliter dulcia erat daturus, doloris diù tolerati fervorem multiplicat. Sed ut ostenderet quòd non ex irâ, sed ex summâ misericordiâ hæc ejus processisset correptio, evidentissimæ benignitatis super eum signa prætendit. Nam cum isdem vir beatissimus sacræ Scripturæ studiis attentissimè semper fuerit implicitus, nec modò quidem cum gravissimo morbo urgeretur à divinis operibus affectus ejus & voluntas unquam potuit inhiberi: modo psalmodiæ indefessus insistebat, modo sacris divinorum præceptorum meditationibus hærebat, modo Missarum solemnia in lectulo recubans ac si ad altare staret, ore proprio decantabat: unde & contingebat quosdam mirari, ut vir, qui tantæ sapientiæ sciebatur, quasi dementicium opus faceret; cum ille omnes quos inde mirari audiebat, ineptos & totius boni nescios dijudicaret. Accidit ergo ut quâdam vice cum Missam in lecto recumbens protensis manibus decantasset, & omnipotens Deus quid erga illum ageretur revelare insciis voluisset, post Missam finitam sitim se pati insinuaret. Præcepit itaque Ministro, ut sibi vini poculum ministraret: ille concitus vinum detulit; sed ex hoc se nolle bibere Sanctus indicavit: Minister regrediens aliud detulit, sed ad primum gustum & hoc beatus homo repudiavit. Cumque famulus eum vidisset & semel, & bis vinum repulisse, aliudque se velle senior indicaret, minister alia vina se non habere causatur. Tunc sanctus vir, ipsa verba dicenda sunt; de illo, inquit, affer mihi, de quo nunc ad Missam habui: quo audito, circumstantes tremore obrigescunt, & dulcissimo Patri cum lacrymis respondeunt: de illo, Pater, ulteriùs non habebis, nisi tibi dederit, qui & priùs dedit. Siquidem cum Missam faciens extrà se crederetur, dumque ad ipsum locum veniretur, quando Dominici Corporis sacro sancta libatio agi solet, cœlestibus escis superno dono transmissis refovebatur. Igitur animadvertens quòd ipsi sui familiares rem secretam agnovissent, volensque omnimodo celare bonitatem Dei in se peractam, quasi permotus jubet eos citiùs recedere. Habent enim Sancti viri hoc proprium, ut cum bona faciunt occultari velint, ne scilicet laudis transitoriæ plausum recipientes, ante Dei oculos operationis suæ mercedem imminuant.

Dum verò ista agerentur, & beatus homo jamjam præ multâ infirmitatis acerbitate corpore pateretur absolvi, & ob hoc ab his quos nutriverat sollicitè observaretur, accidit necessitudo pro quâ ad regalem Curiam mittere necessarium fuit. Præcepit itaque Domnus GERVINUS, qui jam loci dominatum retinebat, uni è Fratribus ut id negotii expleret. Ille verò qui desiderabat optimi Patris præsentialiter illustrari transitu, & implicari exequiis, omnimodâ excusatione se non id facturum respondit. Tunc venerabilis Gervinus tali responso coactus, sanctum Dei virum Angelrannum quò jacebat adiit, eique Monachi inobedientiam intimavit. Ipse autem eumdem Monachum ad se vocari faciens, inquisivit, cur non præceptum implesset, dein jubet etiam ut impleat. Cumque adhuc ille nollet, sanctus Abbas prophetici spiritûs gratiâ luminatus promisit, dicens: vade, & fac quod tibi præcipitur, & scias hoc corpus terram non intrare donec revertaris. Tali sponsione exhilaratus Frater viam arripuit, & ea, propter quæ mittebatur, apud Regias aures optimè allegavit. Superveniente autem vocatione supernâ, quâ cœlestia petens Angelrannus terrena desereret, sancta illa anima Angelorum ministerio, Dei obtutibus præsentanda v. Idus Decembris carnis exiit claustra. Jam verò ille qui multiformi argumento politus fuerat lapis, cœlesti ædificio locatur. Jam qui in valle humilitatis superno rore humecta creverat lilii flos, cœleste sertum exornat. Jam quæ inter diversas gemma claruerat tonsiones, diadema supplet divinum. Monachus autem his, pro quibus missus fuerat, expletis revertebatur, cum subitò in civitate Ambianensi, quo causâ hospitandi diverterat, de obitu Patris dira eum nuntia percellunt, tunc relicto hospitio, & ciborum apparatu (nam vespertina hora erat, & cœnulæ studebatur) certatimque conscensis equis Centulam repedavit; invenitque sanctum corpus jam exanime in Monasterio positum Fratrum excubiis venerabiliter circumdari, proximâ horâ sepulturæ tradendum. Affuit ergo, obsequutus est, & impleto ejus desiderio etiam Patris prophetia impleta est, qui promiserat suum corpus terram non intrare, donec idem Monachus de Regis curiâ reverteretur.

CAPUT XVII.

Sepelitio Domni ANGELRANNI.

Sepultum verò est Sancti viri corpus infrà militis Christi Sanctissimi Richarii venerabile templum,

eo loci quo beati Laurentii veneratur Martyrium. Cujus tumulationi venerabilis ejus successor Abbas GERVINUS tantum contulit decoris, ut cujuslibet antiquorum Patrum Sanctitati honor tantæ sepulturæ sufficere posse crederetur: æquissimum contemplatus, ut honore decenti servaretur ejus corporis gleba, qui perenni lauro redimitus, cum cœlicolis laudes Christo hymnizat in æternum, Amen.
1045. Acta sunt hæc anno Incarnati Filii Dei MXLV. Ind. XIII. At Christus Dominus, cui hic beatus homo fideliter servierat, quanti apud se ejus servitium penderetur, quantaque hunc remuneratio cœlitus exaltaret, claris indiciis mortalium notitiæ pandere dignatus est. Nempe in pago Vimmaco fuit mulier habens filiam paralysi perculsam, quæ ad omne opus inhabilis grabato moribunda tenebatur. Hæc compertâ beati Abbatis Angelranni sanctitate, & fidei fervore succensa, salutisque filiæ cupidâ ad tumbam ejus cum candelâ illam deduxit. Cumque ipsa ægrota sepulcro hominis Dei candelam devotè obtulisset, sedit juxtà sepulcrum, & somno paululum indulsit. Deinde evigilans sanissima redditur, & videntibus Fratribus Monasterii, Deumque laudantibus, ad villam unde venerat vocabulo Filcharias, propriis sedibus alacriter cum gaudio rediit, omnibus annuntians quanta sibi Deus per B. Angelrannum Abbatem fecisset. GUIDO igitur tunc Ambianensis Ecclesiæ Archidiaconus, postea ejusdem sedis Episcopus, qui illius fuerat in studio litterarum discipulus, tali ejus tumbam epitaphio decoravit.

Quem tegit hic tumulus lectissimus ANGELRANNUS,
Hujus Cœnobii Pastor & Abba fuit:
Dux gregis Ecclesiæ, Monachûm spes inclyta vitæ,
Vixit & in mundo mundus, & in Domino.

Qui igitur pleniùs nosse vult quantæ penes hunc sanctum locum fuerit utilitatis, versiculos intueatur, qui de eodem, ut posteri scirent & imitarentur, descripti sunt tali tenore:

Abba ANGELRANNUS *loculo quæ paucula nostro*
Contulit, hic retinet scriptus qui cernitur albus.
Sancti Vincenti, necnon sancti Benedicti
Ecclesiam struxit; cellam infirmisque paravit.
A fundamentis instauravit paradisum:
Altaris Petri tabulam componere fecit:
Thuribula ex argento etiam conflare gemella.
Librum Evangelii, sancti vitamque Richari
Ipsius studium mero argento decoravit.
Est & Episto-liber-larum atque Evangeliorum
Ipsius argento quem industria nempe paravit.
Ipsius atque calix studio præclarus haberi
Cernitur, adjuncta sibimet cum lance decenti.
Præter & hunc alius quem in Missis semper habebat:
Unum dorsale, & tria pallia quàmpretiosa.
Terras servavit pervasas, atque redemit:
Sicut Noguerias, Gaspannas, & Drusiacum;
Guibrenti Ecclesiam, Froocort, Montisque-Rochonis;
Ecclesiam Sacri-Campi, discrimine diro
Dum plures trahitant, ut pars contraria vincat,
Detractus multis multa & perpessus iniquis,
Quæ suprà retuli, necnon quàmplura peregit,
Actum sic ut sit Domini scientia novit;
Excedunt libri numerum quos ipse novavit.
Insuper excedunt numerum quos ipse refecit.
Talibus atque aliis cœlestis præmia regni,
Ut spes est, meruit. Lector quod posse monemus.
Ultimus ipsius fuit hic finis studiorum.
Ecclesiam sanctæ reficit moriendo MARIÆ:
Cujus apud Dominum nobis suffragia prosint.
Ergo horum revocatori sint præmia vitæ,
Damnetur, cujus studio hæc neglecta peribunt.

Is ipse honorabilis vir posteritati consulens, descripsit catalogum rythmicum de Patribus sancti hujus loci, non quidem omnes designans, sed tantummodo illos memorans quorum nomina vel chartæ, vel quælibet pittatiola insinuare videbantur; vel etiam vita sancti Richarii specialiter notificabat. [Scripsit autem in hunc modum.]

Quæ occurrunt memoriæ,
Licet non sint in ordine,
Centulensis Cœnobii
Abbatum scribo nomina.
Præ omnibus egregius
Pastor noster Richarius,
In hac villa progenitus,
Primus in albo ponitur.
Ocioaldus sequitur:
Angelbertus magnificus,
Qui præsens templum condidit,
Virtute Regis Karoli,
Guitmarus vir Sanctissimus;
Helysachar & Aldricus
Quibus Hericus additur
Hludogvicus & regius
Herbertus, Symphorianus,
Ruodulfus & Karlomannus
Cum Guelfone & Hedenoldo,
Gerbertus & Fulchericus.
Post Ingelardum igitur
Angelrannus adscribitur,
Sancti imitator ordinis,
Et studiosus litteris.

Hæc quidem honorabilis ANGELRANNUS. Verumtamen nos admodum miramur quomodo fieri potuit, ut tam studiosus homo Domni HELIGAUDI Comitis & Abbatis gesta nescierit, aut si scivit, cur nomen ejus referre omiserit, cum ipsa ejusdem Heligaudi gesta non nuper alicubi reperta, sed antiquitùs, nisi fallimur, in hujus loci scrinio habita fuerint & conservata. Fieri tamen potuisse credendum est, ut post Domni Angelranni obitum ab aliquo loco hæc quæ de illo Comite Abbate leguntur, istuc allata fuerint; cum, sicut hujus operis testatur præfatio, tempore desolationis Monachis fugientibus, non solùm Reliquiæ & ornamenta sublata, sed & scripturæ, quæ de sancto loco confectæ erant, per diversa loca deportatæ sint & dispersæ. Nam & Venerabilis GERVINUS aliquando perrexit Monasterium Gorziam, indeque retulit codicem de gestis hujus sancti loci; ibique inventum est quod antea multo tempore latuerat: quia scilicet Domno Angilberto Abbate ad cœlestia transeunte, filius ejus Nithardus illi post quosdam alios successerit in gubernatione sancti loci; & cætera quæ superiùs in locis suis notare curavimus. Sed & de Abbate Ribbodone ibidem fuerat digestum, quòd sancti Angilberti corpus transtulerit, & alia multa in eodem volumine reperta sunt hujus loci monimenta, quæ honorabilem Angelrannum constat ignorasse. Hæc igitur Abbatum nomina [quatuor,] quæ in Domni Agelranni scripto minùs, in nostro verò pleniùs habentur, id est, Domnus NITHARDUS, Domnusque RIBBODO, HELGAUDUS quoque & COSCHINUS: duo prima in codice à Gorziâ delato, tertium autem in membranis nostri Gymnasii reperta sunt. Nam de Domno Coschino plura apud Gemmeticum Cœnobium scripta tenentur; ex quibus comprobatur isdem vir tam nostri, quàm illius Abbas fuisse loci. Hæc cum ita se habeant, ad Domni Gervini vitam digerendam jamjam cum calamo animus se retorqueat.

CAPUT XVIII.

De laudibus Domni Gervini actis; & de constructione Cryptæ.

GERVINUS igitur commissorum curæ insistens, delinquentesque corripiens, in eorum cordibus verbis prædicationum & exemplis operum plantaria virtutum serebat. Quorumque etiam hominum scelestorum confessiones recipiens, eorumque animas saucias sanctarum fomentis scripturarum resolidans, ad Dei misericordiam revocabat: ex quibus si aliquos ditiores sensisset, domos orationum erigere causâ promerendæ veniæ hortabatur: cujus pia intentio nostrati patriæ multum contulit decoris, profectûsque, dum quæ non erant erigebantur, vel quæ lignis fuerant compactæ, cœmento & lapide reficiebantur. Ipse verò circà locum commissum satis sollicitus veterata novare, dissipata sarcire, nunquam facta extruere contendebat. Unde & Cryptam satis insignem condidit hodieque perseverantem, quam consecrare obtinuit ad honorem nostræ Dominæ Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ. In quâ Crypta per IV. quæ ibi sunt altaria, tanta tamque gloriosa Domini Christi, & Sanctorum ejus reposuit pignora; ut si alia non essent, his reverâ satis superque decenter insigniretur nostra patriola: harum ergo sacrarum Reliquiarum indiculum apponimus, ut quantâ gloriâ sacer ille locus vigeat, posteritas queat nosse. Titulantur in præsenti Reliquiæ, quarum multitudine decoratur majus altare Cryptæ Centulensis, quod est dedicatum in honore Dominicæ Annuntiationis, Nativitatis, ac sanctæ & victoriosissimæ Crucis, & Beatæ ac Gloriosæ semper Virginis MARIÆ, & S. Joannis Apostoli & Evangelistæ, & præclarissimi Confessoris Christi Richarii, & beatæ Cæciliæ Virginis, & omnium sanctarum Virginum, quorum, quarumque hæ sunt Reliquiæ. De ligno sanctæ Crucis, de sepulcro Domini, cera de sanctâ resurrectione, de columnâ ubi Dominus fuit ligatus, de lapide ubi stetit quando ascendit crucem, de linteo quo fuit præcinctus quando Discipulorum pedes lavit, de præsepe Domini, de virgâ Moysi, de manna, de vestimentis Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ, de capillis ejus, de filo quem ipsa nevit, de sepulcro ejus, [de pallio S. Michaëlis Archangeli,] de S. Joanne Baptistâ, de corpore Isaïæ Prophetæ, de S. Joanne Evangelista, de SS. Innocentibus, de S. Stephano Protomartyre; de SS. Martyribus Stephano Papa, Felice Papa, Eusebio Episcopo Vercellensi, Florentio, Blasio, Crispino, Crispiniano, Paterno; dens S. Livinii Martyris, de sancto Hermete, Præjecto, Romano, Martyribus; Reliquiæ Confessorum Sanctorum Martini, Remigii, Nicolai, Vedasti, Medardi, Cassiani, Amandi, Eligii, Caydoci, Salvii, Pauli, Machuti, Gaugerici, Autberti, Ranulfi, Acharii, Otberti, Guandregisili, Bertini, Filiberti, Bavonis, Gualarici, Mauronti, Guingualoei, Judoci, Cutberti: Reliquiæ verò Virginum Petronillæ, Anastasiæ, Justinæ, Priscæ, Praxedis, Gertrudis, Augustæ.

Item ad meridianam partem Cryptæ dedicatum est altare in honore adventûs Spiritûs sancti, & beatissimorum Apostolorum, Bartholomæi, Matthæi, & Lucæ Evangelistæ; Sanctorumque Mauricii, Nicasii, Leodegarii Martyris; & Sanctarum Agathæ, Luciæ Virginum. Hæ inibi sunt Reliquiæ, de capillis S. Bartholomæi, de capite S. Matthæi, de capite S. Nicasii, de sanctis Mauricio, Leodegario, Firmino, Cyriaco, Agapito, Crispino, Crispiniano, Anthimo Martyribus. Item de Sanctis Cornelio & Cypriano, de sanctâ Agathâ de S. Sabinâ; de sepulcro Domini.

Item dedicatum est altare ad Septemtrionalem partem Cryptæ in honore gloriosæ Resurrectionis, Ascensionisque Domini nostri JESU-CHRISTI, & SS. Apostolorum Jacobi, Simonis & Judæ, Sanctorumque Quintini, Luciani, Fusciani, Victorici, Gentiani, Lamberti, Sanctarumque Agnetis, Scholasticæ Virginum, Hæ sunt Reliquiæ. De vestimentis Apostolorum Petri & Pauli, cum pulvere de S. Jacobo; dens S. Simonis Apostoli, de sanctis Christophoro, Georgio, Crispino, Crispiniano. De capillis S. Quintini, & de ejus corpore, & de clavo quo perforatus est; de casulâ S. Lamberti, de S. Hilario, de sanctis Agnete & Scholasticâ Virginibus.

Item dedicatum est altare subtùs altare S. Richarii in honore Sanctæ ac Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs sancti; & SS. Dionysii, Rustici, & Eleutherii, Gervasii, Protasii Martyrum; & SS. Confessorum Ambrosii, Augustini, Hieronymi, atque Athanasii, & omnium Sanctorum. Hæ sunt Reliquiæ. De SS. Dionysio, Rustico & Eleutherio, Gervasio, Protasio Martyribus, & de sanctis Satyro, Ambrosio, Augustino Confessoribus.

Hæc tanta tamque pretiosa Domini nostri JESU-CHRISTI, ac Sanctorum pignera sagacissimus Pastor Gervinus per diversa Galliæ loca studio ingenti quæsita, partim etiam apud sanctissimum Richarium reperta, in altariis quæ in Cryptâ erexit honorificè collocavit XIV. Kalend: Novembris, eamdem domum Deo omnipotenti, & S. MARIÆ veneranter dedicans. Sunt igitur alia multa, quæ erga loci diligentiam vir bonus exercuit, tam in palliis acquirendis, quàm in tapetibus faciendis, vel terris redimendis, quarum rerum cum præ oculis multa sint experimenta, aliqua tamen hîc ponenda sunt indicia.

CAPUT XIX.

Qualiter Scabelli-villæ Ecclesiam, quæ calumniabatur reddi obtinuit.

IN hoc nostro opusculo à nobis relatum est, venerabilem Angelrannum Neustriam isse, & donatione Ducis Richardi Scabelli-villæ Ecclesiam in usus nostratis loci accepisse. Verùm Richardo Marchione, qui hoc nobis bonum contulerat obeunte, filio ejus Richardo Ducatum, quem pauco tempore tenuit, Roberto fratri relinquente, atque post hunc Robertum Guillelmo exurgente, jamdicta Ecclesia impediebatur nobis à quâdam Abbatissâ, quæ in suum jus illam convertere quâ nescio arte moliebatur. Quâ occasione memorabilis Gervinus Neustriam vadit, ferens secum chirographum, quod super deditione ejusdem Ecclesiæ Marchio Richardus confecerat, volens eam veraci assertione, & cartæ testimonio nobis derationare; simul & exoraturus præfatum Ducem Guillelmum, ne quod sui antecessores donaverant, ipse S. Richario pateretur auferri. At Comes memoratus valde eum pro suâ sanctitate diligens & honorans, ei per omnia favit, Ecclesiam ipsam terris ampliavit, & ei super ejus perpetuâ stabilitate tale confirmationis testamentum fieri jussit.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, « GUILLELMUS gratiâ Dei Normannorum Dux, « omnibus Catholicæ Ecclesiæ filiis, quibus est cura « animæ & corporis. Cupimus notum fieri omni fu- « turæ posteritati, quomodo Ecclesiam Scabelli-vil- « læ pro salute animæ meæ S. Richario perpetuò ha- « bendam firmaverim censurâ auctoritatis nostræ. « Cum calumniaretur ab Abbatissâ Villaris-Mona- « sterii, & ab Abbate fuissem conventus Monasterii «

„ S. Richarii, GERVINO nomine, causam hujus negotii ipso eodem coram Primatibus curiæ meæ explicante, sibi jure competere antecessorum meorum donatione, judicio eorum decernente, tali tenore reddidi: datâ insuper credulitatis gratiâ meâ fide, ut deinceps sub meâ advocatione liberam teneret, sicut acceperat à meo avo & patre. Adverteram enim illorum qui causam noverant, narratione suggerente præbendarium pro hoc beneficio in memoriam nostri debitè illis interesse. Unde ne nostra confirmatio alicujus futurorum temeritate cassaretur, & nos meritum amitteremus, hujus testamenti litteras conscribere fecimus. Actum hoc
1048. Anno Dominicæ Incarnationis MXLVIII. apud Argentulum III. Kalend. Novembris. Hujus rei testes sunt idonei, STORINSTINGUS, RICHARDUS filius ejus, Yvo de Belismo; ARNULFUS nepos ejus, RODULFUS Taxo.

Guillelmus Comes cum à Domno Gervino hujus rei causâ expetitus fuisset, magnopere ipsum deprecatus est Abbatem, ut de S. Vigoris Episcopi corpore, quod Dei gratiâ præeunte nostris olim fuerat sedibus illatum, aliquid sibi impertiretur: & nisi Abbas id se facturum spopondisset, jamdictam Ecclesiam, ut dicitur, verè amisisset: dum Comes ipse magis propinquæ suæ & affini maluisset illam cedere, quàm cuilibet alio condonare: siquidem eadem Abbatissa parentilitate ejusdem Ducis illustrabatur.

CAPUT XX.

Item de S. VIGORE assertio.

VErum quia nunc de sanctissimi Pontificis corpore mentio incidit, operæpretium remur istic narrare veridicam assertionem, quam ipse beatus Præsul Domino nobis consulente patravit. Enimverò in gestis Domini & sancti Angelranni invenitur, qualiter ipse magnificus Abbas de ejusdem Sancti corpore certus sit effectus; & quòd libellum vitæ illius à Neustriâ deferens, & ex eo gloriosi ejus transitûs diem agnoscens, natalem ejus coli statuerit. Hoc itaque statutum ad hæc usque quæ disserimus, gloriosi Gervini tempora permansit, qui Domini timore Sanctorumque vigens amore, multa in divino cultu circà nos melioravit. Evenit itaque ut revolutio annua S. Vigoris festum referret, quod Fratres juxtà morem à Domno Angelranno quondam statutum procuraverunt. Forte tum absens erat Abbas Gervinus, Fratrumque custodiæ invigilabat Prior, nomine Regneguardus. Is igitur Regneguardus ipsâ nocte quâ Fratres Sancto solemnia exhibebant, infirmitate corporis aliquantulâ detentus, solemniis deerat, & strato decubans pigriùs dormitabat. (Aliàs autem vir bonus erat, castus & timoratus.) Ecce autem dormienti ei adest venerandæ proceritatis summique decoris persona, Pontificale schema prætendens, satisque dulciter ait Regneguardo: Quid hîc jaces, & meis solemniis non interes? Ille pavitans ob personæ excellentiam, sciscitatus tamen hoc dedit responsum: Domine, ait, quia infirmus sum. Subsequutusque: Quis, inquit, Domine, es tu? Ego, ait, sum Vigor Bajocensis Ecclesiæ Episcopus. Surge, sanus esto, & meis solemniis interesse festina. Dicito autem Abbati tuo & fratribus, quia cum Domini nostri bonitas meum corpus hîc haberi concesserit, & ego hoc volo, mea festivitas amplior quàm fit deberet fieri. His visu audituque perceptis, Monachus sanus exurgit, chorum petit, atque eum cæteris altos ut poterat pro laude Sancti cantus emittit. Mirari Fratres, & quia illa hora loquendi aditum denegabat, facto mane rei ordinem quærunt. Ille visionem refert, fatur salutem, recitat imperata. Gaudent omnes, atque ad amorem Sancti visceraliter accenduntur. Revertenti Abbati omnia recapitulantur, & ille qui sine aliquâ hujusmodi occasione multas aliorum Sanctorum festivitates exaltaverat, sancti Vigoris festum deinceps coli celeberrimè mandat.

FULCARDUS.

FEsta dies Patris rutilat celebranda Vigoris,
Patrem Bajocas, quem Fratrem gaudet Atrebas.
Hujus grata Deo genitrix, generosa virago
Pignore de tanto capit assertore superno
Natum quem gestat, benedixit diva potestas,
Sacravitque sibi, cuncto sacravit & orbi.
Nascitur ergo puer formâ speciosus, & alter
Fit Samuel, Domino condignus ab ungue tenello.
Moxque jugo Domini subclinat lenia colli,
Inferturque gregi Monachus puer Atrebatensi:
Proficiens cunctis Patribus, profecit ab illis,
Inclytus ille puer, cunctis subjectus ovanter,
Jam quiddam majus meditatur tyro beatus,
Fiat ut à patria peregrinus cum Patriarcha.
Exulat ergo procul hic seminiverbius exul,
Tendens ad populum sibi cœlitus insinuatum;
Urbs est Bajocas, quam prisca Neustria monstras.
Hanc adit ut doceat quos impius error habebat,
Gratia virtutum Christi comitatus alumnum.
Quaque docendo monet, signis probat, actibus implet.
Viribus exsangues reparavit, depulit angues,
Ad superos vita functum traxit prece fusa.
His populus visis, se sacris devovet undis;
Hancque Deo prolem per sacri fontis honorem,
Sancte VIGOR, generas; sacras cui solvimus odas.
Flammarum domitor, qui mundi comprimis ignes,
Ne nos exurant, flammas compesce gehennæ.

Marchio verò GUILLELMUS misso ad nos Monacho de Monasterio Ceraliaco nomine GUARINO, unum sancti Episcopi de dextero brachio os promeruit; quod apud idem Monasterium Cerasiacum infinitâ venerabilitate colitur. Est autem idem locus in territorio Bajocasinensium situs, ex quo vir Domini Vigor Episcopus, ut in vitâ ejus legitur, dum adhuc in hujus peregrinationis exilio moraretur immanem effugavit anguem, & ob hanc virtutem traditus est sancto viro locus, in quo nunc etiam servorum Christi Congregatio habetur. Cum itaque Monachi ibidem degentes cum ineffabili gaudio sanctissimi sui Patroni Reliquias ovanter excepissent, voluerunt experiri utrumnam verè illud os de S. Vigoris corpore fuisset; sciebant autem quòd inter alia dona virtutum, quibus fulserat semper, imò fulgebat, hoc quoque excellentius obtineret, quòd nullomodo ignis ardore lædi, aut comburi posset. Itaque struem lini, quod scilicet facilè nimis incenditur, faciunt, & brachium illud sanctissimi Pontificis superponunt: deinde linum desuper congerunt, & ita aridam & tenuem materiem igne supposito inflammant; & licet Deus omnipotens in sui servi merito tentandus non fuisset, eosdem tamen Fratres, qui non quolibet vitio, sed certitudinis capiendæ gratiâ id fecerunt, miraculi ac virtutis eventus non fefellit: nam non solùm sancti dexteram ignis ille non læsit, sed etiam linum quod fuerat appositum ab igne permansit intactum. Sic fratres illi de Patris pignore certi facti sunt. Nec dum post hoc factum octo fluxerant dies, cum ecce homo dæmonio plenus, eorumdem Fratrum miseratione aquam, ex

quâ fortè illud beatum os fuerat lotum, accepit, quâ bibitâ ſalutem corporis & libertatem recepit, & deinceps inimici infeſtationem non pertulit. Hæc quidem duo miracula per S. Vigoris Reliquias à nobis illuc relatas, apud Ceraſiacum Monaſterium Chriſtus Dominus peregit. Poſt aliquot autem annorum ſpatia convocatis honorificis viris, Epiſcopis ſcilicet & Abbatibus, Gervinus Pater ejus ſacratiſſima membra de eâ capsâ, in quâ à tempore Ingelardi Abbatis pauſaverant, abſtulit; & per manus Pontificum convocatorum populo fideli demonſtravit: deinde in aliam auro & argento paratam repoſuit honorificè, ut decebat tantum Dei Confeſſorem. Hæc verò translatio beati corporis XII. Kal. Aprilis facta eſt; quæ dies omni anno Quadrageſimalis jejunii ambitur religione, quod divino nutu factitatum credimus, ut tunc populi fideles ſanctiſſimi Pontificis oſſa videre meruiſſent, quando ſtrictioris ac per hoc purioris vitæ ſacrificium Deo obtuliſſent.

CAPUT XXI.

De Comitibus Pontivorum, & de Villis Portâ & Nogueriis.

IGitur poſt relationem neceſſariè de S. Vigore habitam, ad noſtri GERVINI acta recurramus, & quomodo villam, quæ dicitur Portas, noſter locus habuerit, paucis perſtringamus. Ac primùm, quoniam dono Pontivorum Comitum illam meruimus, dignum putatur ut eorum ſeries breviter intimetur. Quo primùm igitur tempore Pontiva patriola munitionibus caſtrorum aucta eſt, ablatis Monaſterio Centulo tribus oppidis, Abbatis-villâ, Sancto Medardo, & Incrâ, & his caſtellis effectis; in eorumque ſtipendia multis aliis S. Richarii villis & reditibus ab HUGONE Rege prærogatis, noſtra hæc provincia non Comite utebatur, ſed regiis militibus hinc inde præpoſitis conſervabatur. Anteriori tamen tempore à pleriſque noſtris Abbatibus Comitis nomen gerentibus plerùmque fuerat defenſata; verùm quoniam hi moderno tempore diſpoſiti, non omnes caſtrorum municipes vel Domini exiſtebant: ob hoc reliquis paribus ſuis Hugo Abbatenſis fortior factus eſt, quia & caſtelli fretus munitione abſque timore quælibet efficiebat, & reliqui ſi quid conabantur non habentes refugium, facilè ſuccumbebant. Attamen huic nunquam Comitis nomen acceſſit, ſed erat illi inſigne quod S. Richarii vocabatur Advocatus. Quæ res etiam plurimum ei contulerat fortitudinis, dum Advocationis obtentu S. Richarii villarum reditu, & Ruſticorum ſervitio utebatur. Hic poſtquàm abſque nomine & dignitate Comitis mortuus eſt, ſucceſſorem habuit filium nomine ANGELRANNUM. Hic quoque nomine Advocati contentus fuit, donec Bolonienſem Comitem prælio interimens, & ejus relictam ſibi in matrimonio copulans, à Comitiſſâ uxore nomen Comitis vindicavit. Angelrannus itaque aſſumptum ſibi Comitis nomen in poſteros tranſmittens, poſt longævam ætatem moriens, reliquit honoris & nominis heredem nomine HUGONEM; qui poſt expletum vitæ tempus, dum morti proximum ſe videret, ſupradictam villam, quæ dicitur Portas, delegavit Sancto Richario, optans ut pro remedio ſuæ animæ Monaſterii noſtri uſibus ſerviret. Genuerat verò quatuor filios, quorum primus nomine ANGELRANNUS, homo formæ mirabilis, qui patri ſuccedebat, in die depoſitionis ejuſdem Patris ſui jamdictam villam Sancto contradidit, talem deditionis confirmans teſtimonii chartam.

» In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, ego ANGELRANNUS gratiâ Dei Comes, compertum fieri « volo omnibus Eccleſiæ Dei filiis tam præſentibus « quàm futuris, quòd pater meus Comes, ſcilicet « HUGO, adhuc vivens, ſed diem mortis extremum « trahens, pro ſuæ remedio animæ villam quam poſ- « ſederat ſolidam, Portam nomine, S. Richario de- « dit perpetuò habendam; eâ ſcilicet ratione, ut nul- « lus ſuorum ſucceſſorum ampliùs ullos reſpectus, « vel parvas vel magnas conſuetudines ab eâ expete- « ret, quatenùs tota cum ſuis reditibus Sancto, & « Fratribus inibi manentibus deſerviret. Unde hujus « donationis chartulam Abbate GERVINO petente « conſcribi fecimus, & ſigno noſtro, noſtrorumque « fidelium ſignavimus. S. ANGELRANNI Comitis; « S. GODIFREDI; S. OYLARDI; S. ROBERTI; « S. BERNARDI; S. GUALTERI; S. GERARDI; « S. INGELRANNI. Facta eſt hæc traditio ſuper al- « tare S. Richarii die ſepulturæ Hugonis Comitis « XII. Kal. Decembris ab Ingelranno filio ejus cum « Optimatibus ſuis, præſente Domno Pontifice FUL- « CONE: qui illicò exoratus à Fratribus, & ipſo « Comite ſuggerente, ſub excommunicatione inter- « dixit, ne aliquis ampliùs in illâ villa neque per vim, « neque per deprecaturam, neque per Advocatu- « ram, de omiſſis conſuetudinibus ampliùs aliquid « expeteret. Huc uſque charta. «

Præterea quidam miles, nomine GUALTERUS, quem vulgus vocitabat TIREL, villam S. Richarii dictam Noguerias ſibi volens vindicare, poſt illa omnia, quæ ſuprà ſcripta ſunt tempore Domni Angelranni geſta fuiſſe, de hac eâdem villa à Rege HENRICO, & à perfido Hucberto, cujuſdam quaſi juſtitiæ rectitudine ſibi eam deberi ex aliquo ſucceſſionis jure adſtruebat: talique ratione ſuam colorans avaritiam, villam invaſit, tenuit, & per aliquod tempus Fratribus eum excommunicantibus ſibi uſurpavit. Verùm cum ei ſuggererent amici illam excommunicationis ſufferentiam animæ mortem illi operari, tandem Deo ſe reſpiciente aliquatenùs ceſſit; & quamdiu ipſe vel ejus conjux viveret, ſibi medietatem retinuit, medietatem Sancto reſtituit, poſt ſuum obitum integerrimam in Sancti jus eam redire ſtatuens. Pro quâ ratione venerabilis Paſtor ſcriptum chirographum archivis noſtris repoſuit, quod ita ſe habet.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego « Frater GERVINUS Abbas Monaſterii S. Richarii, « notum volo omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ fideli- « bus, quos in adoptione filiorum per ſanguinem « ſuum, perque ſanctificationem baptiſmatis fratres « ſibi adoptavit Chriſtus, quia Miles quidam WAL- « TERUS, quem vano cognomine TIRELLUM pleri- « que appellamus, Noguerias villam S. Richarii « jamdudum diù à prædeceſſoribus noſtris poſſeſ- « ſam, & nobis jure hereditario traditam, malitioſè « invaſit, invadendo ſubripuit, ac ſubripiendo ſub « anathematis obligatione aliquamdiù detinuit: at « tandem contradicentibus amicis, & injuriam hanc « in perniciem animæ ſuæ crebrò referentibus, victus « erubuit, & inſanæ cupiditatis malitiam deſerens « à S. Richario, atque à Fratribus veniam expetivit. « Redditâque villâ, & condonatâ nobis olim firmatâ Capellâ, abſolutionem excommunicationis « cum præſente uxore ſuâ ERMINA, terræ proſtra- « tus accepit; ita dicens, cauſam componens, ut « præfata Capella ſicuti ſibi vel ſuis hactenùs ſine « quolibet Synodali reſpectu deſerviens permanſerat, « ita per futura ſæcula ſub eâdem libertate perſiſtat. « Acta ſunt hæc VII. Idus Octobris, Anno Domini M.III. Indictione VI. Anathematis confirma- « tionem eodem Milite cum aliis ſubnotatis teſtibus « reſpondente, ne quis ex illo die pro quâcumque «

» occasione, aut ex progenie eorum, vel alicujus
» horum incitatione auderet temerarius hanc sibi
» villam ulterius usurpare. Ego Gervinus, nostræ
» etiam religionis Presbyteri, cum Diaconibus, si-
» mulque hujus institutionis Monachis, ex auctori-
» tate Dei Patris omnipotentis, & B. MARIÆ sem-
» per Virginis, & B. Petri Apostolorum Principis,
» damnamus, & in perpetuo anathematizamus om-
» nes, qui ex præsenti die voluerint hujus redditio-
» nem villæ, & donum atque libertatem Capellæ,
» aliquo ausu rescindere, aut demere, seu contra-
» dicere, Amen. Hujus rei testes fuerunt, ODO,
» ALULFUS, HUGO Boquels, BOSO, OYLARDUS,
» HUGO Sanctæ MARIÆ, BOSELINUS, ALELMUS,
» item ODO Regnante HENRICO Rege Francorum,
» Anno XXI.

In sanctissimi Patris & Patroni nostri Richarii gestis assignatur, quòd Rex gloriosus Dagobertus ejusdem sancti orationibus se committens, donaverit illi terram vocabulo Campaniam. Hanc Domini Gervini antecessores cuidam concesserant Agenardo, ut quamdiù vixisset firmâ manu possideret. Hic accessit ad Dominum Gervinum Abbatem, postulans ut eam quam ipse tenebat terram duo filii sui permitterentur tenere post mortem suam; quibus mortuis, Ecclesia quæ sua erant dignè rehaberet. Annuit ei venerabilis Abba, & hac de causâ talem composuit cartulam jure stabilitatis.

» In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis GER-
» VINUS propitiante divinâ gratiâ Centulensis Mo-
» nasterii Abbas, omni Religioni Christianæ notum
» fieri cupimus quòd quidam vir fidelis AGENAR-
» DUS vocabulo à nobis petierit, ut omnem ter-
» ram possessiunculæ, quæ Rebellis mons dicitur,
» quam tenebat solummodo in vitâ suâ sub manu
» firma cum redditione census, & terram de Va-
» leriis totam cum adjacenti non grandi sylvâ, si-
» mul etiam additâ & quartâ parte curtilii de Flohe-
» rimanso, tam sibi quàm suæ conjugi, HILDE-
» SENDI nomine, cum duobus eorum filiis, GUENE-
» RANNO scilicet & ANSCHERO, tenendam conce-
» deremus. Annuimus ergo illis quod petierat, ac-
» ceptis ab eo testibus certissimis, ita dumtaxat,
» ut ipsi solummodo in viâ suâ habeant, & in so-
» lemnitate sancti Richarii, quæ celebratur VIII
» Idus Octobris censum IV. solidorum persolvant.
» Post decessum verò ipsorum terra ad nos melio-
» rata redeat. Unde illis hanc chartulam conscri-
» psimus, signoque nostro, nostrorumque Fidelium
» obfirmavimus. Signum GERVINI Abbatis; Sign.
» ALGISI; Sign. HERIBERTI; Sign. INGELRANNI;
» Sign. DOMINICI; Sign. OYLARDI Laici; Sign.
» BOSONIS; Sign. ODONIS; Sign. RODULFI; Sign.
» GUIDONIS Archidiaconi. Actum hoc Monasterio
» S. Richarii VIII. Idus Decembris, regnante HEN-
» RICO Rege anno regni illius XVI.

CAPUT XXII.

De Villis redemptis; & de altariis à GUIDONE *Episcopo donatis.*

INterea mortuo Rege Francorum HENRICO, post annos sui regni XXVIII. PHILIPPUS adhuc puer regiæ dignitatis culmine jam suscepto à patre, regendi posse & scire nondum habens, BALDUINO Flandrensium Comiti custodiendus cum regno traditur; quo regnum moderante, GUALTERUS Miles filius HUGONIS Regii Buticularii, terram quamdam in Vimmaco pago sitam nobis subripere voluit. Et quia potens erat, nec ex adverso ei resistere in promptu habebatur, sollicitus Pastor Gervinus verens ne Ecclesia prædium amitteret, maluit virum pecuniâ lenire, quàm itatenùs tanto damno multari. At ille non tam pecuniâ illectus, quàm sancti viri prece veneranda coactus, postulanti gratiam tribuit, & ne ipse vel quilibet alius eamdem terram sancto loco deinceps demere posset, testamentum inde fieri poposcit in hæc verba.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego «
GERVINUS gratiâ Dei Centulensis Cœnobii Ab- «
bas, notum fore volo sanctæ Dei Ecclesiæ Fide- «
libus præsentibus atque futuris, quòd quidam «
Miles nomine GUALTERUS filius HUGONIS Pin- «
cernæ Regis, clamaverit super nos quamdam ter- «
ram in pago Vimmacense sitam, quæ Filcarias «
vocatur. Nos verò ejus clamationi justâ ratione «
respondentes, tortitudineque ejus evacuatâ, sum- «
ptis à nobis centum denariorum solidis, supradi- «
ctam terram in usibus Fratrum perpetuò haben- «
dam sancto Richario quietam reddidit. Et ut hæc «
conventio inconvulsa permaneat, signa Fratrum «
nostrorum atque Fidelium annotare decrevimus. «
Signum GERVINI Abbatis; Sign. INGELERI; «
Sign. ALGISI; Sign. ANSCHERICI; Sign. FRAME- «
RICI; Sign. ANSCHERI Militis; Sign. ODONIS; «
Sign. alterius ODONIS; Sign. ADELELMI; Sign. «
ILGERII. Actum Monasterio Centulo IV. Kalend. «
Septembris, regnante Rege PHILIPPO, Anno IV. «

Non multum fuerat tempus elapsum, cum pervigil ac sollicitus provisor Gervinus, qui & verus Ecclesiæ filiorum amator & custos jugiter exstitit; precibus aggreditur Comitem GUIDONEM, orans ut de villâ quâdam, quæ olim quidem nostro servierat Monasterio, sed ante aliquos annos ab ipso Comite, seu ab aliis militaribus viris nobis tulta fuerat, aliquem misericordiæ respectum penes locum sanctum habere non abnueret. Quod ergo Dominici amoris instinctu agebat, non poterat esse cassum, propriâ divinitate: nam Comes assensum ex aliquanto præbuit, placatus non tantum beati viri prece, verum etiam Ecclesiæ munere. Igitur ex his quæ illo tempore S. Richario reddidit, tale confectum est scriptum.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego «
GUIDO Comes Pontivæ patriæ exoratus à Domno «
GERVINO Abbate, annuentibus Proceribus meæ «
provinciæ, in præsentiâ Regis PHILIPPI, Mar- «
chionisque BALDUINI, nec non etiam Principum «
regalis palatii, reddo S. Richario quartam par- «
tem villæ, quæ Ultrabaiz vocitatur nomine; om- «
nes nihilominùs impensiones Advocationis meæ, «
quas in supradictâ accipiebam villâ perpetuò ha- «
bendas, S. Richario, Abbati, Monachis con- «
trado; jure accipiens ab eis aliquantulum pecu- «
niæ, XX. videlicet denariorum libras, & quinqua- «
ginta boves. De Roberto etiam, qui advocatio- «
nem ejusdem villæ ex meâ olim tenuerat parte, & «
si quis quâlibet occasione in prædictâ villâ quid- «
quam studuerit vindicare, spondeo me pacem «
sanctæ facturum Ecclesiæ. Igitur conventio præ- «
sentis chartæ quatenùs stabilis valeat persistere, «
auctorali roboratur signo dextræ regiæ † designan- «
tur in ordine testes idonei, qui huic assertioni in- «
terfuere. S. BALDUINI juvenis Comitis; S. FRE- «
DERICI; S. BALDRICI; S. RODULFI; S. RORI- «
CONIS; S. ANSCHERI; S. OYLARDI; S. GODE- «
FRIDI; S. RICHOGUARDI; S. Abbatis GERVINI; «
S. INGELERI tunc temporis Decani; S. SAXO- «
GUALI; S. WALTERII; S. ODONIS Militis; S. DU- «
DILONIS; S. BOSONIS. Actum est hoc anno Re- «
gis Philippi Imperii vj. Incarnationis Dominicæ «
MLXVII. Ind. VI. Epacta III. Concurr. VII. Qui- « 1067.
cumque hæc quæ suprà prætitulavimus dissolvere «
voluerit, à Deo Patre omnipotente, & sanctâ Dei «

Genitrice

» Genitrice MARIA, & omnibus Sanctis maledictus » sit, & excommunicatus, Amen. Fiat, fiat. Huc » usque charta.

Regi Anglorum HETGUARDO Gervinus semper carus & venerabilis fuit, & ab illo, si ejus fines intrasset mira honorificentia attollebatur. Quique Rex, si eum in aliquâ vel pro aliquâ loci nostri necessitate angustiari comperisset, munificus valde in succurrendo omni remotâ excusatione existebat. Regina etiam conjux ejusdem nomine EDITH satis superque Gervinum pro suæ merito sanctitatis diligebat & venerabatur, & juxtà mariti exemplum admodum liberalis, si aliqua petiisset, libens conferebat. Quâdam verò vice accidit, ut Abbati nuperrimè terram illam ingresso osculum salutationis & pacis Regina porrigeret, quod ille gratiâ conservandæ sinceritatis abhorrens excipere noluit. At illa ferox, videns se Reginam spretam à Monacho, nimis molestè tulit; & quædam quæ ut pro se orasset illi donare statuerat, irata retraxit. Verùm marito idipsum increpante, quod Abbatem tam religiosum pro non infracto rigore odio insequi voluisset, & aliis honestis viris suggerentibus non esse odiendum hominem, qui sic Deo se mancipasset, ut ne Reginæ quidem osculo se pateretur contrà ordinem mulceri, placata est Regina, & hujusmodi factum non solùm in illo non vituperavit, sed magnæ laudis attollens præconio, in sui regni Episcopis vel Abbatibus talem manere consuetudinem deinceps conquesta est. Multis ergo honoribus & donis eùm fulciens, remittebat onustum, hoc solum ab eo reposcens, ut tempore orationis inter benefactores computari mereretur. Uxor etiam ipsius Regis donavit ei amictum valde pretiosum, auro & lapide pretioso mirificè decoratum, quem Abbas detulit in nostræ Ecclesiæ thesaurum.

Postea autem cum contigisset Ambianorum Pontificem GUIDONEM hunc vidisse amictum, nimiâ ejus pulchritudine & pretiositate illectus, rogavit Abbatem, ut isdem Ecclesiæ matri Ambianensi transmitteretur amictus, pro illius concambio Ecclesiæ sancti Richarii duo Altaria perpetim habenda se velle dare affirmans. Et amantissimus vir ejus precatibus assentire ratum judicans, jamdictum amictum Episcopo & Ecclesiæ Sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis MARIÆ tradidit; & in sui juris potestatem duo altaria recepit, consensu & concessu totius Ecclesiæ Ambianensis, quorum unum est in villâ nostrâ Argubio, alterum in villâ quæ Monshelisi nuncupatur. At ne posteritas succedentium Abbatum eadem perderet altaria, prudentissimus Gervinus ab Episcopo obtinuit inde fieri testamentoria dictitia, quæ ita se habent.

» GUIDO Dei gratiâ Ambianensium Episcopus, » præsentibus ac futuris fidelibus mundanæ conversationis tranquillam peregrinationem, & cœlestis » præmii jocunditatem. Quoniam posterorum notitiæ facta præsentium litteris narrantibus meliùs » innotescunt, placuit nobis Caritati vestræ manifestare qualiter S. Richarii Ecclesiam quorumdam » altarium dono augmentaverimus. GERVINI enim » Abbatis supplicatione, altaria villarum Argubii & » Montis-Elisii; super quibus Ratbodo & Hugo » personæ habentur, qui quamdiu vixerint Ecclesiasticam redituram in statutis temporibus S. red» dent Richario, consensu Archidiaconorum Joan» nis & Balduini condonamus: tali quidem pacto, » ut post eorum excessum Clerici, qui Ecclesiastica » debita nobis & nostris successoribus solvant, per» sonaliter ibidem ab Abbate constituantur, illisque » obeuntibus alii vice illorum subrogentur. Hoc » præsentiâ Clericorum nostrorum corroboramus, » & apud successores nostros ratum esse deposcimus. «

Sed his ità definitis, ad Comitem paulisper veniamus GUIDONEM, qui cum fuerit Comitis Hugonis filius, & post Angelrannum fratrem, quem suprà de villâ Portas vice patris donationem fecisse retulimus, Normannorum dolo occisum, patriæ Comitatum receperit, ac per hoc Advocatus quoque noster hereditariè sit effectus, villas S. Richarii & earum colonos nimiè affligebat, extorquens & auferens pecunias & substantiolas eorum. Cujus injustitiæ & impietati pius pater occurrens Gervinus, hortabatur & exorabat, uti non tam durus circa S. Richarii famulos permaneret, & qui Advocati sumptus & nomen tenebat, ne tam pessimus prædo existeret submonebat; verùm apud efferam mentem, & culmine potestatis elatam, seu rapacitatis studio sauciam, justa supplicatio parum valebat; nisi fortè pecuniæ summa ejus duritiæ contrairet, quâ facile est terrenorum corda ociùs leniri. Interea hæc aliquando precum ejusdem Patris fuit summa, ut quamdam valde gravem redhibitionem colonis villæ Majoch pro S. Richarii amore ex aliquantulo indulgeret. At ille ad præsens consensit, & de indultâ vel moderatâ suæ advocationis consuetudine tale testimonium confecit.

« Ego GUIDO gratiâ Dei Pontivorum Comes, « notum fieri volo tam præsentibus quàm futuris, « quòd GERVINUS S. Richarii Abbas nostram præ« sentiam adierit, magnopere deprecans, ut consue« dinem xx. porcorum quam habebam in villâ quæ « dicitur Majoch, pro Dei & S. Richarii amore al« leviarem, quia valde gravis erat ipsius villæ colo« nis. Acceptis ergo ab eo centum solidis concessi« mus, ut nunquam ampliùs ab ipsis rusticis prædi« cti exigantur porci, sed pro ipsis in festivitate S. « Remigii annualiter persolvantur XL. solidi; ita ta« men ut nemo ministrorum aut servientium nostro« rum pro prædictis solidis colligendis suprascrip« tam villam introeat, sed Monachus, cui obedien« tia fuerit injuncta, in præfatâ festivitate Præposi« to nostro in S. Richario sito studeat deliberare. Et « ut ipsi Monachi pro statu & incolumitate nostrâ, « simulque conjugis & prolis obnoxius Domini mi« sericordiam deprecentur, hoc confirmare in præ« sentia Procerum nostrorum decrevimus. «

CAPUT XXIII.

De HETGUARDO *&* GUILLELMO *Regibus Anglorum, & qualiter mare* GERVINUS *transmeaverit.*

HETGUARDUS Anglorum Rex decurso feliciter vitæ mortalis spatio, ut creditur, migravit ad æternam gloriam. Sed dum adhuc vivens terreno regno floreret, quidam nobilis natione Britto, nomine RADULFUS, apud ipsum Regem potens & honoratus, gratiâ eleemosynæ donavit sancto Confessori Christi Richario per manum memorabilis Gervini aliqua prædia & quosdam reditus, quorum summa post modicum notabitur. Postquam autem mortuus est Rex Ethguardus, HERIOLDUS quidam Comes regnum sibi accepit contrà fas, & contrà fidem sacramenti quod prædicto Regi juraverat, spondens quòd pronepoti ipsius Regis nomine Elfgaro regnum cederet absque ullo impedimento. At cum regni potestate & fascibus injustè uteretur, expulso Ethguardi pronepote Elfgaro, summus & super omnia potens Deus, in cujus jussu constant regna terrarum, & qui donat ei cui vult, signo mirabili [è] cœlo ostenso, destinavit Guillelmum Ducem Normannorum Anglorum Regem fieri: & quia

veraciter Dei nutu idipsum Guillelmus appetebat, rei prosperitate probatum est. Sed quia illius gestorum recens habetur memoria, nos ea seponentes, nostra potiùs exsequamur.

Anno regni ejus II. venerabilis Gervinus illa quæ superiùs meminimus prædia visurus, ad maris ingressum properavit, quem nominant plebeiales GUIZANT; ubi fuerunt cum illo tam Abbates quàm Monachi plusquàm centum, præterea militarium virorum & negotiatorum plurima multitudo: qui omnes mare conscenso in Angliam transvehi cupiebant. Februarius tum mensis ducebatur, quem notum est aëris collisione, & ventorum nimietate, pluviarum quoque inundatione, ac nivium profusione semper constare querulosum: quo etiam tempore sæviùs perstrepit mare, dum tempestatum sævitiam ventorum nimietate continuat. Quindecim igitur dierum expenso curriculo, dum æquor à suo fervore non quiescit, & desperatur ingressus, statuitur reditus ad propria; quandoquidem transitu denegato, & deficiente sumptuum copiâ, ibi ampliùs morari non poterant. Sanè absque concessu Gervini & licentiâ, qui sanctitatis odore cunctos afflaverat, abire non fuit consilium, sed tamquam cœlestem consulem, & divini juris conscium, facto conventu interrogant quid sibi esset agendum, qui tamdiù præstolatum non quirent mereri transitum. Adstruunt bonum esse ut redeant, referentes loci illius ariditatem ad tantæ frequentiæ non posse sufficere victum. Tunc GERVINUS tantâ desperatione obsessos benignè refovet, hortans ut de Dei misericordiâ non diffidentes sequenti mane festinatò veniant ad Ecclesiam, quo divini officii perfecto ministerio coram Deo humiliati postulent misericorditer commeatum: deinde pedibus nudis S. Petri Apostoli quæ vicina erat, petant Ecclesiam, per ejusdem Apostoli merita gratiam à Christo quæsituri. Omnibus placet consilium, venitur ad Basilicam Archangeli Michaëlis; exhibitis hymnis matutinalibus vota proferuntur, & ab unoquoque transire volentium denarius pro gratiarum actione oblatus est: quam pecuniam Gervinus decreto cæterorum in suam redigens sententiam, super omnes qui aderant quasi principari videbatur, & emptâ cerâ duos permagnos cereos conficiens, unum offert Archangelo Michaëli, & Sancto Nicolao Confessori, alterum servat vovens illum Christi Virginis & Margaretæ Martyri, quæ citrà mare Ecclesiam possidebat. Hinc jam disposito agmine, cum è suis Monachis unum statuisset præcentorem nomine Saxogualum, nudis gressibus incedendo, & tales qui Dei misericordiam exorarent cantus præcinendo, jamdictam B. Petri Apostoli Ecclesiam vadunt, ubi peracta oratione, & decantatis ab eodem viro honestissimo Gervino Missarum solemniis redierunt, imploratâ nimiumque flagitatâ Christi Domini pietate. Sequentis igitur noctis quiete potiti, exorto mane coëuntes redeunt ad Gervinum; cum ecce Dei potentiâ sopitum æquor, & omni remotâ tempestate tranquillum conspiciunt: sicque Christo actore conscendentes maria, ventorum nullo percelluntur fragore. Tanta certè fuit pacati æquoris quietudo, ut hodie vento deficiente oppansa vela vix transferret, quod hesterna qualecumque non capiebat remedium. Exeuntes tandem de navibus Ecclesiam prænominatæ repetunt virginis, & redditâ gratiarum actione, oblatoque cereo partes dirimunt, dum unusquisque quò cupiebat velox divertit. Verumtamen hanc transeundi celeritatem mentis Gervini fuisse donatam omnes crediderunt, & magnis laudibus prædicaverunt.

CAPUT XXIV.

De honore illi à Rege collato: & de terris à Radulpho donatis.

GERVINUS igitur tali modo feliciter transvectus, adiit curiam regalem, annuntiat Christum, ejusque mandata: suggerit mala confiteri, hortatur pœnitentiam, suadet pacem tenere, & omnia imitari, quæ Deo cognoscuntur placita. Regi Guillelmo nuntiatur adesse, qui tanti pendebat eum, ut quod Episcopis & Abbatibus negaverat, huic concesserit, hoc est suum absque dilatione conspectum, & illius ad se sine difficultate ingressum. Rogatur itaque Rex ab Abbate, ut illis quæ Ethguardi diebus Sancto donata fuerant Richario prædiis annuat, & suæ auctoritatis præcepto perpetim habenda confirmet. Aderat & is qui eadem contulerat Radulfus cum filio ejusdem nominis, qui idipsum regiam majestatem facere precabantur. Igitur Abbatis & amicorum precibus annuens, tale super eis conscribi jussit edictum.

« In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Ego GUILLELMUS concessu Dei Anglorum Rex, affectu mei profectûs in Domino, & prece compulsus Domni Abbatis GERVINI Monasterii sancti Richarii, quod est situm in pago Comitatûs Pontivi: nihilominùs quoque hortatu amicorum meorum, RADULFI scilicet Comitis, nec non & filii ejus RADULFI; annuentibus etiam unanimiter meæ curiæ Primatibus, regio more concedo quidquid hi ambo, videlicet pater & filius, Fratrum prælibati Sancti devotè concesserunt usibus. Quarum igitur Ecclesiarum vel mansionum, ut cunctis manifestetur cognitio, dignum duximus in præsenti denominatim manifestare scripto. Hæc est sancti Richarii terra in Anglicis finibus sita, à Radulfo Comite eidem Sancto tradita. Villa vocabulo Esperlais, ubi habentur hospites XXXVII. qui persolvunt annualiter unusquisque in Nativitate Domini duos equos oneratos de brais: à festivitate S. Joannis Baptistæ usque ad festum S. Michaëlis, tribus diebus omne opus Domini sui: cæterùm quod residuum est de anno, semel in hebdomadâ erunt ad omne opus quod eis injunctum fuerit. Habentur inibi sex carrucæ, sylva optima, terra arabilis & inculta, prata omnibus nutrimentis aptissima. Est & alia villa quæ vocatur Acra, ubi habentur hospites II. molendina III. quæ solvunt XXXV. oras [a] denariorum. Præterea omnes homines Villæ metent segetes tribus in hebdomada diebus, & omnes carrucæ arabunt tribus diebus ad frumenta & ad avenas. Est & tertia Villa, quæ vocatur Culesturpo, quæ solvit quinque oras denariorum, & carrucis suis arant terras tribus ad frumenta & ad avenas diebus. Sequitur quarta villa, quæ vocatur Achotes: & alia quæ vocatur Apicheneam; ubi habentur omnes prædictæ consuetudines carrucarum. His jungitur Merefort, ex quâ VIII. carrucas duobus diebus ad frumenta & ad avenas; & in Augusto XXV. homines duobus diebus ad messem metendam consuetudinaliter Dominus villæ habebit. Vocatur villa sequens lingua eorum Assuafam, de quâ habetur omnis decima tam annonæ quàm aliarum rerum. Est & alia quæ vocatur Guenite, ubi est molendinum unum & sylva, piscatio quoque optima. Hoc autem iterum iterumque cum »

a XXXV. *oras*] Ad hunc locum hoc annotatur in eo codice quo Acherius usus est: *Sicut apud Franco. 12. denarii habentur pro solido sic Angli. 16. denarios faciunt solidum, & ipsum vocant oram.*

» interdicto affirmationis asfirmo, ne alicujus ty-
» ranni invasione posthac usurpetur quovis modo.
» Hæc itaque charta ut posteris nostris immutabi-
» lis perduret, regiâ nostrâ eam auctoritate firma-
» mus.

CAPUT XXV.

De locis ubi solivagus Domino invigilabat.

HÆc itaque aliaque perplura modestus Pater, & sollicitus nutritor Gervinus salubriter procuravit; quibus promeritis, adjuvante illo, pro cujus hæc amore gerebat, & cujus vicarius, existebat magno Sacerdote & magnifico Abbate Richario, supernis eum civibus credimus sociatum. Verumtamen cum multarum sollicitudinum anxietate premeretur, semper recurrebat ad orationem & studium compunctionis, velut nauta ad tutissimum portum; ut si quidpiam, dum in sæculi curis tamquam marinis fluctibus laborabat, aliquâ subreptione fuisset turbatus, tanquam firma ancora internâ contemplatione iteratò solidaretur Deo inhærens. Unde etiam loca sylvestria & ab omnibus segregata appetiit, ad quæ, dum rerum sollicitudine æstuaret, recurrens, quasi paradisi amœnitate recreabatur. In territorio igitur Ambianorum Cellam possedit, eo loci quo Martyris Gratiani corpusculum quiescere perhibetur. In eodem etiam territorio aliam acquisivit vocabulo Luliacum, ubi in honore beati Luciani Martyris, & sanctissimi Richarii Ecclesia habetur. Sed & in solo Neustriæ, in nemore scilicet Augensi, tertiam habuit Cellam, Ecclesiam in honore beati Martini continentem, quam cæteris amplius diligens frequentius visebat, psalmorum & laudum spirituales jubilos Domino indefessè continuans.

CAPUT XXVI.

De sanctimoniâ vitæ ejus.

QUia ergo qualis actore Deo in rebus Ecclesiæ amplificandis fuerit ex parte monstravimus, operæpretium exstat maximè sanctitatem boni viri retexere. Quod dum facere ambimus, rem necessariam nobis exercere videmur; quia quem erga Ecclesiæ res terrenas benè sollicitum monstravimus, quod nonnunquam & pravi imitantur, potius magis habebitur, si ejus quanta fuerit sanctitas recenseatur, in quâ non nisi verè bonis aliquatenùs noscitur imitandus. Omni igitur vitæ suæ tempore, quo sine incommodo viguit, ut parum somni percepit, grabatulo sese excutiens, domum orationis intravit, omnes quorumque Sanctorum aras orando & gemendo, genuaque flectendo circuivit, pro se & pro sibi commissis, pro amicis quoque, & oratione vel confessione conjunctis, proque defunctorum requie precum vota exaggerans, ac pro sanctæ universalis Ecclesiæ statu & augmento, & pace Principum, Domino Deo Patri, & Filio ejus JESU-CHRISTO, sanctoque Spiritui, laudum & orationum victimas cordis pingues contritione, & lacrymarum commendabiles ubertate, iterum iterumque consignans: at ubi tali exercitio carnis infirma materies fatigata lassescebat, paulisper se in lectulum dejiciens iterandis laboribus se aptabat: cumque modicâ quiete quasi recreatum se sentiret, iterum exiliens excubias repetebat. Præter orationum munia, & psalmorum dulcissimam modulationem hæc attentissimè observabat, ut de Sanctâ Trinitate, tum de Spiritu sancto, post hoc de Resurrectione Domini, atque de sanctâ Genitrice MARIA, post hæc de Angelis, postque de S. Petro, vel omnibus Apostolis, sive omnibus Sanctis nocturnalem & diurnalem Canonem, excepto Claustrali Canone, cui nunquam penè deerat, quotidie Domino persolveret. Deinde iterum altaria Sanctorum regyrando conveniens, unicuique proprium & conveniens psalmi votum concinebat. His autem Deo dignè expletis, si sensisset horam esse quâ Fratres assurgerent, illicò refugiens ne ab aliquo Æditüorum vel Janitorum videretur, ad lectum redibat: ut scilicet hæc quæ de eo feruntur bona quo occultiora, eo firmiora possideret. Horam itaque nocturnalis officii Ecclesiæ signo indicante exurgebat, & ita se quasi sopore satiatus, & tamquam noctis totius quietem occupasset agebat, cùm immensæ vocis gallicinio illud beatissimi Benedicti edictum custodiens: *Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.* Cap. 19. Quem electissimum virum ne quis nos reprehendat gallum vocitasse, recurrat quis ad illam beati Gregorii Romani Papæ super verba sancti Job expositionem, ubi dicitur à Domino, *Quis dedit gallo intelligentiam*; Job 38. 36. quam dum capacitate sensûs tenuerit, intelliget profectò galli parabolam non cuilibet infimo, sed sanctæ vitæ virtutibus decorato homini convenire.

Intentus ergo divinæ servituti GERVINUS, nunquam fessus itinere, vel detentus infirmitate, nisi fortè gravi, omisit, quin juxtà Regulæ mandatum Cap. 11. post lectiones XII. Dominicis diebus, vel Sanctorum festis, habitas, Evangelii lectionem ipsemet legeret: sicque omnibus officiis præsens, Fratribus exemplum sobrietatis & sancti ferveris exhibebat. Cum verò expletis nocturnis laudibus Fratres plerique, sæpe autem omnes, in proprios lectulos se reciperent, Gervinus non corporis appetebat requiem, sed quæ ante nocturnam synaxim egerat reinchoans, interstitium nascentis auroræ, & discedentium tenebrarum precum continuatione, ac genuflexionum perseverantiâ occupabat. Et quia veraciter illi dies aderat internus, juxtà quod docet Doctor noster Apostolus Paulus: *Nos qui diei sumus, vigilemus & sobrii simus*: 1. Thess 5. 6. hoc indesinenti exequtione profitebatur. His illo studiis intento, ubi dies cum solis spiculo refulsisset, Claustro se recipiens, codicemque percurrens, divini verbi favos sibi congerebat, quæ in conventu Fratrum revolvens, eos ad studia piæ actionis & correctioris vitæ informabat. Verùm ubi suam mentem orationis instantiâ quasi exhaustam lectionis refecisset sancto edulio, statim Ecclesiam rediens Missarum solemnia auro intellectûs fulgens, purpurâ fortitudinis eminens, bis tincto cocco, flammâ scilicet geminæ charitatis ardens, & bysso, id est, carnis mortificatione nitens persolvebat. Diebus verò quadraginta Domini nostri jejunio sanctificatis, major sibi à semet imponebatur austeritas, devota membra cilicio obvoluta domando, tritico confectum panem rarissimè sumendo, deputatâ pro potione modicâ aquæ quantitate; talique utens cibi solamine interim post triduum reficiebatur. Lectuli pompa congesta vili mattula procul aberat; sicque durè jacentem non facilè somnus invadebat, cujus linguam difficilè psalmi finebant. Nunquam certè cura loci, aut necessaria sollicitudo, aut itineris occasio, aut corporis nisi maxima ægritudo, psalmorum ac laudum, seu supradictorum Canonum, obtinere apud illum quiverunt diminutionem. Si quolibet iter agebat, more sancti ac beatissimi Patris nostri Richarii, aut psalmi ex ore ejus resonabant, aut salutaris prædicatio; seu correctionis admonitio audiebatur. Hospitio receptus non coquorum studia vel inventiones quæsivit, illius utique non particeps, sed contemptor, qui destruit muros Hierusalem. Cum comites itineris emenda & paranda vi-

dissent, ipse scamno quiescens Domino vigilabat. Cœnâ apparatâ si accubuisset pransurus, lectionis auditione, vel divinæ legis meditatione implicari studebat. Hinc jam si Ecclesia vicina existeret, illò ibat consuetudinaria votorum tributa à semet exacturus. Si Ecclesiæ domus defuisset, lecto citiùs quasi pausaturus tradebatur, & operto capite vivifica verba trutinabat. Cumque socii itineris peractis necessariis se cubitum locassent, Gervinus velociter absque ullo strepitu assurgebat, & posito marsupiolo, quod semper penes se habebat Sanctorū Reliquiis plenum, illa quæ suprà meminimus ab eo in Monasterio fieri, orationes scilicet & genuflexiones impendebat. Sicque complebatur in illo ille veridicus sermo, quo dicitur, ubi fidelis anima, ibi & templum Dei. Inter cætera sanè virtutum exercitia, hoc illi quamdiù sospitate viguit, perstitit immobile, ut vigiliâ Natalis Domini, vigilia sancti Paschæ, atque Parasceve, vigiliâ Ascensionis, vigiliâ Pentecostes, necnon sancti Joannis Baptistæ, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli, sancti quoque Laurentii Martyris, atque Assumptionis S. MARIÆ, Omnium Sanctorum, ac B. Andreæ Apostoli, omninò à cibo abstinens, totum ex integro Psalterium Domino modularet. Et cum tantopere carnem propriam edomaret, tantâ alacritate utebatur, ut non esurire, sed opulentis eduliis æstuare inclytum Abbatem ipsa vultûs hilaritate putares: quam tamen sic retinebat hilaritatem, ut nihil levitatis inesse appareret, servatâ in omnibus honestatis gravitate.

CAPUT XXVII.

Quàm fuerit sollicitus infirmas curare animas, & ut pro hoc apud Apostolicum Pontificem sit accusatus.

PRæterea tanta illi erat in convertendis atque salvandis peccatorum animabus curæ instantia, ut peccaminum fasce oppressis mirabiliter compatiens, & concurrens, videretur illius spiritu gubernari, qui dixit: *Filioli mei quos iterum parturio:*
Galat. 4. 19
non solùm verò hujus nostratis patriæ si quos cognovisset homines scelestos, corrigebat, sed etiam Neustriam & Flandriam, Galliam quoque & Aquitaniam, necnon Hungariam, piâ gyrans sedulitate, criminosorumque confessiones acceptans, & saluberrimis monitis eorum vitam in melius commutans, Evangelistæ & Apostoli opus absque nomine perexplebat. Illud Dominicum in se cunctis
Isai. 49. 6.
portendens edictum: *Posuit te in lucem gentium, ut sis in salutem.* Vidimus persæpe cum esset in Centulo apud gloriosum Confessorem Richarium, totius diei spatium in conclavi absque omni corporali edulio illum peregisse, dum aliis recedentibus, aliisque succedentibus qui animæ curâ indigebant, & quorum salutem quærebat, delectabatur, ut cœlestis archiater infirmis eorum animabus mederi. Erat enim super hoc officio ei deputata Cellula, quam Fratres Confessionem vocabant, in quâ per Dei gratiam in se habitantem isdem vir beatus multorum hominum scelerum enormitate devias per confessionis humilitatem, & suæ precis interventionem divinæ misericordiæ restituit animas; sicque reverà effici meruit, cui divinus sermo competenter diceret: *Si feceris di-*
Jerem. 15. 19
gnum ex indigno, quasi os meum eris.

Sed quod unquam bonum non sequuta est ac æmulata invidia? nam Clerici multi, quorum, proh dolor! studium existebat melioribus invidere, non considerantes quia lege non stringitur sancti Spiritûs donum, nostrum Equitium verbis venenatis carpebant, cur absque Apostolici licentiâ homo non Episcopus prædicare auderet, & peccatorum confessiones, seu conversiones cur præsumptor non sui officii inquireret, oblatrantes. Hoc nequam rumore aliquorum animos corrumpentes, id tandem peregerunt, ut PapæRomani auribus hæc hominis Dei gesta insonarent: quique cum bonitatis ejus ignarus voces detrahentium dijudicare nequiret, dedit suæ auctoritatis præcepto mandatum, ut homo, quem temerarium fama ferebat, ad Sedem Apostolicam vocaretur, suæ præsumptionis, ut dicebant, rationem Papæ daturus.

GERVINUS itaque edicto Papæ accitus, ovans expetit Romam, supernum sibi non defuturum juvamen confisus. Et ubi à Papa potuit conspici, illicò reverendissimæ vitæ virum ipsa vultûs habitudine contuens ipse Papa, ipsam quæ in illo habitabat magnificè veneratus est divinitatis præsentiam. Denique venienti assurgit, satisque humiliter pacis osculum ei præbuit: dein jubet secum residere, & ut ei solitum erat cœlestia coram eo verba tractare. Sanè cum illi relationem prælibatæ detractionis intimavisset, & ab eo an illa quæ dicebantur arripuisset, aperiri sibi poposcisset, Gervinus proponit scripturarum exempla quæ præcipiebant; eos qui ducuntur ad mortem liberare ne cesses. Itemque Jacobus Apostolus dicit: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Quoniam quidem ergo, ait, Domine mi Papa, meæ humilitati boni scientiam præstitit misericors Deus, jubetisne ut commissam verbi scientiam subtrahens, cum pigritanti servo damnationem incurram pro non dispensatâ pecuniâ? Simul & considerari decet quod Jacobus item Apostolus ait: *Si quis converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte; & operiet multitudinem peccatorum.* Si igitur peccatores convertens, non tantùm illorum animas salvo, sed & pro impensâ charitate mea quoque peccata diluo, videatur, inquam, an talis operatio sit cohibenda à summo Pastore; ut scilicet non sit copia cuilibet devoto charitatis exequendæ. Ille igitur verè Apostolicus Pontifex Leo, qui bona non arcere, sed semper augmentare cuperet, tam utilem & tam proficuam intentionis rationem audiens, lætior efficitur. Et quia Ambianorum Præsulem tunc temporis FULCONEM non animarum saluti, sed volucrum captioni & ferarum venatui studere comperat, tali auctoritate roborat venerandum Abbatem, his eum verbis confirmans: »Nequaquam amantissime Frater, ob invidorum susurria vel detractationes, tantam pereuntium animarum consolationem deinceps refugies operari, quo & Dominicæ vineæ fructus te cultore accrescat, & te pro impensis laboribus Christi Domini gratia comitetur, absque dubio æternâ mercede quandoque munerandum. Ecce auctoritate Domini nostri, & Beati Petri Apostoli, ac nostrâ non solùm auctoritate, sed etiam deprecatione concedimus & imperamus, te in recipiendis scelestorum confessionibus, & tradendâ pœnitentiâ nostri officii participium tenere; ut quæ ligaveris, Christi Domini auctoritate ligata, & quæ solveris, ejusdem Domini miseratione sint soluta.« Hæc dicens sanctus Papa, simul & sandalia offert, jubens ut his Gervinus utatur; ut qui prædicationis exercebat studium, prædicatoris insignibus ornaretur. Venerabilis tamen Abbas custos veræ humilitatis, eadem ornamenta recusavit, dicens, sibi sufficere solam Apostolicæ licentiæ auctoritatem ad exercendam circà infirmas animas divini verbi stipem. Multimodo igitur favore Pontificis auctus regreditur, & cœptum Domini opus quo liberiùs, eo meliùs latiusque reincipit exercere.

Verùm quia se præbuit occasio, æquum valde putamus, breviter istic scribere, ille de quo fuit

mentio, qualis quantusque fuerit. Leo Papa, natione Teutonicus, parentum excellentissimâ nobilitate præfulgens, & cœlesti visione denuntiatus ante quàm natus, in Lotharingiâ mundo processit. Qui sacris litteris atque liberalibus studiis acutissimè eruditus, & per omnem pueritiam juventutemque & adolescentiam, timoratæ mentis honestatem conservans, electione Cleri & populi, Ecclesiæ Tullensi ordinatus est Episcopus, cum jam ejus propinqui, viri Imperiales, de Romano Apostolatu ei conferendo tractarent. Sanè quoniam cum nobilitate parentum non deerat ei sanctissima claritas morum, non recusavit homo inclytus pauperculæ civitatis curam suscipere, imò obtentu majoris evitandi honoris, ad hunc facilè deductus est. Et cum Episcopus esset Tullensis oppidi, electione Pontificum cum Imperatoris assensu in Romanum levatus est Pontificem: & qui antea vocatus fuerat Bruno, propter Papatum vocari meruit Leo. Qui tantâ mentis puritate virtuteque viguit, ut per illius merita Domino omnipotenti placuerit miracula magna patrare. Qui etiam cum beatissimi Remigii Remorum Pontificis Ecclesiam dedicare venisset, venerabilem Gervinum, ut ejusdem Confessoris corpus efferret, cum aliis tribus æquè sanctis viris delegit.

CAPUT XXVIII.

Miraculum quod propter illum Dominus facere dignatus est.

GERVINUS itaque, Deo auxiliante laudabili vitæ operosæ insistens, & populis Christianis verbi divini semina pandens, quæ sunt cavenda intimabat, & quæ amplectenda edocebat. In tantum verò bona illius conversatio Deo complacuit, ut etiam miraculis dignaretur declarare illius devotionem. Nam quodam tempore ut quemdam iter faciens locum devenit, ubi auditâ famâ sancti Abbatis, sic enim vocabatur à populis, quædam ægrota advenit, quæ publicè cæpit omnibus referre, quid sibi divinitùs esset insinuatum, quia si hujus venerandi viri benedictione potiretur, continuò sospitatem mereretur: sed cum vir Domini non adesset (nam à fidelibus abductus, eâdem horâ animarum morbis consulebat in remoto) illa, quam dira angebat calamitas, in Dei nomine poposcit ut ejus virga pastoralis, quam vulgus crociam vocat, & quæ pro more summo tenùs curvabatur, dilueretur aquâ, indeque potus sibi conferretur. Tunc Monachus ejusdem virgæ custos & bajulus, qui & hodie dum hæc scribimus superest, hæc ipsa testificans, nomine Radulfus, admirans fidem illius, precibus ejus annuit. Ablutâ ergo crociâ, cum illa aquam ablutionis epotasset, Deo volente, qui suos servos mirificat, omni malo salvata est.

CAPUT XXIX.

Item aliud de ODERICO *febricitante.*

IN castro quoque Augensi, quod est situm in ipso Neustriæ ingressu, aliud pro ejus meritis Christus Dominus peregit ingens prodigium. Nam cum illò advenisset aliquando Gervinus, erat ibidem quidam puer nomine ODELRICUS, qui litteris discendis insudabat. Hic vi febrium irretitus, quid de se agere posset nesciebat: verùm ubi comperit sanctum Abbatem adventasse, spe certi remedii suffultus adiit ejus familiares, precatur & obsecrat, ut aqua, quâ sancti hominis manus ablutæ forent, sibi sorbenda daretur: at illi pietate obtenti, precatis obediunt. Lavat Abbas manus, illi aquam reponunt; quâ infirmus perceptâ & bibitâ, nulla interveniente morâ, omnimodâ caruit febre. Sanè is ODELRICUS hodieque vivit, & apud Corbeiam Monachi & Abbatis habitu vel honore potitur.

CAPUT XXX.

Visio Hugonis Monachi.

SAnctus quoque Richarius nostratis loci Dominus illis diebus magna voluit ostendere miracula, ut & hoc quoque indicio sibi placitum indicaret Abbatem, cujus tempore revelabat suæ virtutis cognitionem: Nam quidam Frater ex sæculari conversus militiâ nomine HUGO honestè in Monachico habitu se agebat, qui quâdam nocte nocturnos præveniens hymnos post impensam orationem in scamno chori residebat, cum repente audivit à parte occidentali ipsius Basilicæ, in turre ubi est Sancti Salvatoris altare, voces mellifluas excelsè modulari, in quibus, ut postea ipse retulit, voces virorum ac puerorum distinctâ soni qualitate poterant facilè discerni: quo auditu perculsus oculos illò convertit, putans aliquas adesse illic personas quæ tam suaviter cœlestia cantica resonarent: Veraciter enim sanctorum Angelorum, sanctorumque Innocentum præsentiæ sanctissimam, quæ ibi est, Salvatoris memoriam ac eorumdem Innocentum reliquias à Domno Angilberto quondam ibi collocatas solemniter, inviserant, sed eorum species jam dictus frater videre non potuit. Verum cum intentissimè carmina eorum auscultans ineffabiliter mulceretur, vidit fusam lucem totam turrem replesse, quæ se dilatans totum buticum Basilicæ cœpit implere: at Monachus videns oculis cœlestem lucem eo tendere quo beatissimi Richarii corpus quiescit, & tali visu valde permotus, ociùs surrexit, & tantæ gloriæ volens testem habere, concitus dormitorium ivit, & quem primum offendit accivit fratrem, innuens ut citò surgeret seque sequeretur. Cumque ambo aditum Ecclesiæ repetissent, viderunt divino lumine totam completam basilicam, vocesque dulcissimè decantantes audierunt, & ingenti pavore concussi introgredi non præsumserunt, sed deforis stantes dulcifluo canore eorum corda, quæ territa erant, recreabantur. Sed & Venerabilis Gervinus idipsum expertus est: Nam cum solito more altaria orando circumiens, venisset ad eamdem Sancti Salvatoris memoriam, ibique sacrificium laudis victimaret, subitò lux emissa de cœlo, totam ipsam turrem respersit: At ille tremore tam novæ visionis concussus aufugit, & usque ad memoriam sancti Stephani Protomartyris vadens cœpit subsistere, suspectus quidnam Deus facere vellet; cum ecce inspicit eamdem lucem concurrere ad honorabilem memoriam sancti Richarii; cumque ipse sacer quo beatissimi Richarii corpus pausat locus, cœlesti lumine esset repletus, & jam per cætera basilicæ loca se dilataret lumen supernum, venerabilis Gervinus nimio pavore constrictus ivit citiùs, & suscitavit unum de matriculariis qui religiosè se tunc temporis agebat, volens ut secum tantæ gloriæ claritatem intueretur, & ipse de nimio horrore qui eum invaserat, illius consortio respiraret. Venerunt itaque ambo, & Abbas quidem coram beati Richarii altare figens genua & palmas protendens cum lacrymis exorabat; Æditituus verò in inferiori chori parte stans hauriebat oculis ineffabilem gloriam. Hanc tantam Domini magnificentiam contuentibus eis, post modum talem senserunt odorem, ut in comparatione tantæ suavitatis omnia humano studio composita fœtor putarentur, pigmenta. Visæ sunt autem & quædam corporum cœlestium species, quæ corpori sancti Richarii amicabiliter valde se

jungebant, sed omnia exprimere refutamus, ne in-assueta dicentes fastidium incredulis pariamus. Illud veracter comprobatur, quia postquam cœlestes excubiæ memoriæ Salvatoris & sanctorum Innocentium reliquiis honorem detulissent, ad beatum Richarium properabant: de animæ gloriâ jam exstante, & de futurâ corporis immortalitate gaudium & honorem delaturi. Sed hæc occulta & velut mystica seponentes, ad apertiora veniatur.]

CAPUT XXXI.

Quædam sancti Richarii miracula.

[AB aquilonali plagâ Monasterii ejusdem Confessoris Domini Richarii quâdam vice orto pergrandi incendio, fratres perterriti tanto imminentis vulcani excidio laborantes intendunt solum in exportandis sacro-sanctis pigneribus, & Ecclesiæ thesauro: Jam enim, quod dictu mirum est, ignis plus centum locis super Ecclesiam sparserat, jam plumbum superante igne liquescens defluebat; exportatisque omnibus penè ornamentis exceptâ sacri corporis beati Vigoris capsâ, nil aliud exspectabatur quàm desolatio loci, & exustio quæ impræsentiarum videbatur. Jamque humanæ fragilitatis solatio decumbente, pietas Dei signum præbuit ad manum succurrentis clementiæ; unus enim ministrorum Ecclesiæ qui ad excutiendum ignem, si posset, ascenderat, malè tenaci suspensus manu, lapsus præceps ruit ad terram, eâdemque horâ ubi se non læsum, imò magis mortuum per se stupuit, resiliens Dei gratiâ & beati Richarii meritis in pedes stetit. Ignis autem veluti sedatus in stipulis, ubi vires non habet, ita Dei gratiâ eodem Confessore Richario mediante absque humano auxilio extinctus est. quædam etiam Tornacensis pagi oculis captus dum moraretur Corbeiæ, ubi multam sanitatum gratiam per merita Sanctorum loco patrocinantium Dominus eo contulit tempore, per visum, ut perhibebat, à quodam formoso sene est admonitus ut Cœnobium S. Richarii adiret quantociùs, quia ibi adepturus esset recuperationem visûs: ille monitori obtemperans, duce sorore jam nubili Cœnobium adiit sancti Richarii, quodque raro evenit alicui, ad vesperum venienti nullus præbuit humanitatem hospitii; sicque compulsus est inhospitare tectum paradisi, ubi in duro lecto cubans pernox inclamat pietatem sanctissimi Confessoris. Mane intromissus reseratis templi valvis assedit, & cum populo adstante divinis officiis, quadragesimale enim tempus tunc fuit, & ipse quoque devotus adstitit. Interea ergo ut sibi videbatur, quem Corbeiæ viderat faustus monitor formosus senex adfuit, utraque ejus supercilia manu vellit, potentique medentis imperii verbo & nocivum sanguinem per ora patientis elicit, & visum diù peroratum suo obedienti inficit & reficit. Ergo medicanti assurgens magna voce inclamat, accurrentes lætâ rei ratione satiat, fratrum verò grex Deo sanctoque patrono suo Richario laudum præconia intonat; detentus ergo aliquamdiù tandem cum sorore, non tamen duce redit, non æque felici calle, nam à latronibus dispoliatus & cruciatus est, ablata quoque, quam ipse ducebat, sorore. Quibus discedentibus, ille amens factus quo impetus fugæ ferebat præceps graditur; tandemque ad Monasterium sui sanatoris iterum sanandus uti malè se habens fertur: cui in visu pater pius iterum medicam manum intulit, suique compotem factum ad propria conducit. Alter quidam ex quâdam ægritudine hebetato visu penitùs excæcatur, dùm alias tendit quo divinam pietatem operari didicit, in somnis admonetur ut super recuperatione sui beatum Richarium petat; venit, adfuit, perunctusque ora ex aquâ de scrinio sancti tactâ videns adstitit, nimisque festinus necdum sumptâ licentiâ recedit; sed ad portas Ecclesiæ iterum in tenebras ruit. Quid miser faceret? quem pium reperit, pium repetit, importunusque orator lumen levitatis suæ culpâ, imò Dei dispositione ablatum exposcit. Nocte igitur quâdam in sopore decubans, videt Ecclesiæ Sanctuarium seu quorumdam candidatorum totum catervâ vestitum, eorumque splendore totum Monasterii spatium quasi festivâ illustratione illuminatum; tum nimirum apparuit quot seu quantis Sanctorum patrociniis hic locus Deo dicatus consistit. Hac verò felici visione ille luce receptâ, gaudens iterum parat malè sanus ire ad propriâ; sed occurrentibus tenebris iterum ad medicum cœcus redire cogitur. Cui cum se voto adstrinxisset quòd in omni deinceps suâ vitâ si mereretur sanari, sui capitis respectum annualiter ei referret, sanus & clarè videns cum omnium Fratrum gaudio & benedictione discessit, nec tertio obviavit tenebris, quem perfectæ sanitati commendaverat beatus Pater cultor Sanctæ Trinitatis. Quidam etiam puer scholis addictus ut litteras disceret, dum scholam refugiens in agro puerili fatuitate obdormisset ægritudinem incurrit, inde auditum quoque perdidit, tribusque continuis annis in lecto elanguit; postque sex annis tremulo capite, nec integro auditu permansit. Hic ergo ter admonitus ut Cœnobium sancti Richarii adiret, ibique invocato eo sanitatem reciperet, advenit, oblatoque ex voto fidei cereo, ubi coram altare Salvatoris peroravit, sanguis è naribus auribusque prosiliens illum in clamorem egit: quo exciti fratres plebsque fidelis accurrunt, & à jam sano rem ex ordine audiunt, gaudentesque de tantâ visitatione Dei per pium patronum suum, laudes in excelso attollunt. Quodam verò tempore cujusdam rei oportunitate beati Patroni nostri S. Richarii sacrum corpus comitantibus fratribus ad villam Assiacum ferebatur: Cumque ineundo per Buxudem villam nostram transitus haberetur, contigit ut in unâ domunculâ moribunda jaceret quædam mulier ante plures annos membris omnibus dissoluta; dum verò per eamdem casam Sanctus Domini transferretur, dumque de contrà jacentis venisset grabatulum, illicò mulier exiliens cœpit clamare & dicere; laudo & benedico Dominum Omnipotentem, qui mihi per Domini mei S. Richarii præsentiam integram reddidit sanitatem. Hoc itaque miraculum illi beatissimi Benedicti miraculo comparandum videtur, nisi quod amplius stupendum est hominem Deo jam sociatum, tantopere humanæ infirmitatis compassionem habuisse, ut solâ suorum ossium præsentiâ ægrotam erexerit, quàm illum qui quamvis sanctissimus, adhuc tamen carnis obses, miseriis hominum concurrere ipsâ rerum importunitate trahebatur. Verumtamen hæc dicentes non eminentia beati Benedicti merita contrahimus, sed istius Patris nostri factum admirabile pro posse prædicamus. Jam verò quis enumerare queat quanti vinculati & catenati dum illum invocarent, extiterunt liberati: Hæc itaque interim sufficiat nos dixisse, quia quæ sine fine quamdiù mundus steterit gerenda sunt, litterarum ingenio à nobis circumcludi non poterunt.]

CAPUT XXXII.

De libris quos contulit: & quam studiosè requisierit corpus S. Angilberti Abbatis.

IGitur Abbas bonus in boni loci reparatione vel custodiâ studiosâ curiositate pervigilans,

diruta restruere, exstructa conservare. & aptis tegiminis munire insistens, animarum quoque saluti devotissimè consulens, regni cœlorum sibi ingressum aptabat. Inter cætera verò, quæ loco nostro contulit, multorum librorum copiam ad ædificationem ibi Deo servientium præparavit. Et quia hæc ipsa quæ condimus ad hoc scribuntur, ut futuri horum incitentur exemplis, utile credimus apponere de eisdem, quæ venerabilis GERVINUS nobis contulit voluminibus notamina.

Epistolas Ignatii. Ecclesiasticam historiam Eusebii Cæsariensis. Ambrosii Apologiam de David, de Joseph, de Noë, de Abraham. Ambrosium de Trinitate ad Gratianum Imperatorem. Item ad eumdem de Spiritu sancto. Ambrosii pastolem. Ambrosium de Sacramentis; De obitu Theodosii. Contrà Auxentium. De basilicis tradendis. De sanctis Martyribus Gervasio & Protasio depositis & inventis. Ambrosium de morte Satyri; de Incarnatione Domini, & alia quædam ejusdem.

Gregorii Nazianzeni Apologeticum: ejusdem de Epiphaniis, de Pentecoste, in semetipso de agro regresso. De Jeremiæ dictis. De grandinis vastatione.

Hieronymum virorum illustrium. Epistolas Hieronymi. Hieronymum super Zachariam. Hieronymum super Isaïam. Augustinum super Joannem vol. I. August. contrà v. hostium genera. De sanctâ Virginitate I. De bono conjugali. Ad Simplicianum Episcopum de diversis quæstionibus. Ad quemdam Comitem. Ad Paulinum Nolensem, de curâ pro mortuis. August. super Psalterium volum. III. August. de naturâ & origine animæ. August. de conjugiis adulterinis. August. de jejunio Sabbati. August. de Symbolo. August. de IV. virtutibus caritatis. De Cantico novo, de ultimâ IV. Feriâ. De Catalysmo. Contrà Felicianum. De tempore barbarico. De Trinitate. De decem chordis. De quantitate animæ: ad Inquisitiones Januarii. De Solemnitate Paschali. De Pastoribus. De Ovibus. De Perfectione justitiæ hominis. Contrà mendacium. Item August. de mendacio. Item August. de Avaritiâ & Luxuriâ. De Prædestinatione Sanctorum. De Doctrinâ Christianâ. De Agone Christiano. De Vitâ Christianâ. De Disciplinâ Christianâ. De gratiâ Novi Testamenti. Confessionum ejusdem libros XIII. Retractationum. De Hæresibus ad Quod-vult-Deum Episcopum. De Charitate super Epistolâ Joannis Apostol. Enchiridion contrà Judæos. Sermones ejus.

Joannem Chrisostomum de Compunctione cordis. Ejusdem, Quòd nemo possit ab alio lædi, nisi à se priùs fuerit læsus. De Reparatione lapsi. De Pœnitentiâ. Librum Laurentii de tribus temporibus pœnitentiæ. Item Joannem Chrysostomum. De conversatione vitæ. De Oratione Dominicâ. De Psalmo 50.

Registrum Beati Gregorii Papæ. Quintam partem, & sextam Moralium ejus in Job. Homelias ejusdem super extremam partem Ezechielis Prophetæ. Codicem de Canonibus. Paschasium de Corpore & Sanguine Domini. Tripartitam historiam.

Codicem magnum de passionibus, & gestis sanctorum Apostolorum, & plurimorum Martyrum cum vitâ sancti Mauri. Vitas SS. Patrum Eremitarum. Vitas SS. Basilii, Remigii, Vedasti, Fursei, Ambrosii, Lupi, S. Mariæ, Germani Autissiodorensis, Romarici, Augustini, Hieronymi, Amandi, Guandregisili, Audoeni, Ansberti, Mariæ Ægyptiacæ, cum Translatione Beatissimi Benedicti in I. volumine. Item vitas SS. Richarii, Augustini, Hilarii, Columbani, Fulgentii, Medardi, Firmini, Salvii, Bertini, Bavonis, Vitoni, Martialis, Severini, Felicis; simul & passiones SS. Hermagoræ Episcopi, Georgii, Blasii, Mennæ, Theodori, Lamberti, Timothei, & Apollinaris, Perpetuæ & Felicitatis, Anastasiæ, Sabinæ, cum vitâ S. Genovefæ, in uno volumine.

Hæc omnia venerabilis Gervinus in XXXVI voluminibus compingens, gravi & inabsolubili anathemate condemnavit quicumque ea sancto loco demere, & qualibet occasione subtrahere auderet. Non solùm librorum, sed & palliorum, cæterorumque quæ vel ipse aggregarat, vel à suis antecessoribus aggregata invenerat, ornamentorum perpetualiter excommunicavit fraudatorem.

S. Angilberti Inventio & Translatio.

Enimverò quoniam illo tempore Domni & S. ANGILBERTI Abbatis tumulus certissimè non sciebatur, & ob hoc nullo terreno honore potiebatur, quamvis ejus celeberrima memoria in ore universorum Francigenorum vel Pontivorum, atque aspectu egregii templi quondam ab eo fundati resplenderet, studuit venerabilis Gervinus quibus poterat conatibus ejusdem sancti viri corpus perquirere, quò, si Dominus ejus votis annueret, posset illud condigno exaltare honore. Denique quodam tempore ivit Cœnobium Gorziam, quod est situm in confinio Metensis civitatis, ubi inventum codicem, qui de ejusdem sancti viri, aliorumque nostratum Abbatum gestis aliqua retinebat, ab illis Fratribus mutuavit, Centulam detulit; in quo scilicet repertum est, quomodo sanctus Abbas Angilbertus terreni corporis molem relinquens XII. Kalend. Martii transivit ad gloriam. Et quia ad eo tempore quo sub Guaramundo Pagano combustum fuit Monasterium, usque ad hanc cognitionem Centulenses Monachos dies transitûs ejus latuerat: magno iidem Fratres exhilarati sunt gaudio ob quod diem cognovissent, quo tantus vir pro vitæ virtutumque merito honorari deberet. Igitur Gervinus, qui meritò vir desideriorum dignus est dici, cupiens, ut dictum est, eumdem Sanctum digniùs honorare, cœpit perquirere ad fores Ecclesiæ, quo compererat illum primò tumulatum fuisse, sanctam corporis ejus glebam; & illius quidem non ibi corpus invenit, sed in eodem quo pausaverat sarcophago invenit lecticam ligneam coriatam Domni NITHARDI, filii ejus. Abbatis & Comitis corpus continentem sale perfusum: in cujus capite videbatur illa percussura, qua eventu prælii fuit occisus. Recludens itaque eumdem tumulum, aliorsùs eum quærere cupiebat; sed quò quæreret, nesciebat, nisi potentia divinæ Majestatis per quemdam Monachum in hac re eum direxisset: nam persuasit ille Frater, nomine Teudoaldus, sæpè fatum Sanctum investigari debere in ingressu chori à parte Occidentali, ubi videlicet in superficie pavimenti scriptum habebatur, REX. LEX. LUX. PAX. hæ autem quatuor partes in illius antiquo epitaphio primæ fuerunt & ultimæ: & harum monosyllabarum partium ratione affirmabat idem Teudoaldus oportere considerari, quoniam ille qui ipsum reposuerat, ob hoc super illum has epitaphii ejus syllabas censuit describi, ut earum similitudine quærenti innueretur, quo Sancti corpus Angilberti quiesceret. Venerabilis Gervinus hæc audiens acquievit, & quod anhelanter sitiebat, sanctum Angilberti Abbatis corpus invenit. Eadem verò horâ quâ repertum & discopertum est, mirificæ suavitatis odor emanavit; & non solùm hi qui ibi aderant suavissimo afflati sunt odore, verùm & omnes qui in ipsâ erant quovis loco Ecclesiæ admirabilem fragrantiam persenserunt, in tantum ut hodièque testetur Domnus Radulfus cognomento Benignus, quod eâdem inventionis horâ super valvas cryptæ

sedens & scribens, dulcisluo sit refectus odore. Erant verò ipsa sancta ossa confuso ordine conglomerata, pallioque viridi obvoluta. Unde certum est post Ribbodonem Abbatem qui eum integrum transtulerat, ab aliis fidelibus timore paganorum itatenùs eum fuisse repositum. Inventi autem sancti thesauri gaudium illa fuscabat ratio, quòd nullum scripturæ vel chartæ indicium reperiebatur, quæ illud Angilberti fuisse corpus testaretur: sed piæ Abbatis vel Fratrum curiositati divina citò providentia consuluit, quæ suprà nominati Fratris Teudoaldi cordi immisit, ut ejusdem Sancti caput accipiens curioso oculo rimaretur: quod dum faceret, invenit in repagulo narium brevem membranulam, quâ omnis dubietatis anxiatas ablata est. Si quidem eadem paginula apertè manifestavit veritatem, dicens, HOC ESSE CORPUS SANCTI ANGILBERTI ABBATIS. Sic quæ cupierat venerandus Pastor adeptus, eumdem Sanctum cum honore relocavit; semper deinceps celebrari ejus memoriam instituens. Sancti quoque Confessoris Caydoci, sociique illius corpora à terrâ levavit, & eorum Reliquias decentiùs collocans, fidelibus populis honorandas censuit.

CAPUT XXXIII.

Qualiter à Domino correptus sit.

POstquam Venerabilis Gervinus [multis] mundum in maligno positum suæ sanctæ vitæ illustrarat exemplis; postquàm multas peccatorum animas sanctis monitis instruendo de perversitate traxerat ad correctionem, & de fauce diaboli erutas Christi omnipotentis resignaverat gratiæ; postquàm almiflui Confessoris Christi Richarii Ecclesiam Fratrum numero & religiositate, ædificiis, libris, palliis, auro & argento, variisque decorarat & augmentarat ornamentis; cum & omnium populorum laude ac præconiis attolleretur, & ejus sacer ac immaculatus cœlibatus omnibus sanctæ Ecclesiæ membris appareret mirabilis, volens pius Pater Deus eum sibi omnimodis aptare, ut juxtà vocem Prophetæ omnis illius ad purum excoqueretur scoria, morbo lepræ eum perculit, ut si quidpiam minus in Dei peregisset servitio, in istâ vitâ reciperet, vel si aliqua pro benè gestis laudis humanæ eum cupido vulnerasset, similiter purgaretur: cujus mali ut primam potuit sentiscere originem, non putans fore inextricabilem illam infirmitatem, medicorum sibi studuit adhibere peritiam, quò, Deo annuente, infirmitatibus animarum adhuc succurrere non præpediretur. At ubi recognovit se à Patre benigno irrevocabiliter quantum ad carnem percussum, totis præcordiis in Deum refusis magnas gratias suo rependebat flagellatori; indesinenter exorans Dei pietatem, ut hæc corporis molestia ad animæ proficeret sempiternam salvationem. Igitur cum, ut omnibus notum est, ille talis morbus ei abstulisset vocis facultatem, non tamen omittebat quin ea omnia compleret, quæ suprà signavimus ab illo geri, id est, prolixitatem orationum, genuflexionum continuationem, sacrarum ædium circuitionem, sacrorumque Canonum de sanctâ Trinitate, de Spiritu sancto, deque sanctâ MARIA, de Omnibus Sanctis expensionem. Et cum ad cibum sumendum, ad requiem capiendam præ infirmitate deficeret, ad hæc omnia divini officii obsequia deficere nesciebat. Idem semper in orationis assiduitate, in Psalmorum recitatione, in exhibendâ Fratribus admonitione existebat, præter quod infirmitatis qualitas à cœtu Fratrum eum aliquando segregari cogebat. Verùm cum ipse semet hac ratione volens arceret, illorum tamen quos educarat dulci affectu, ut pater bonus, piâque sedulitate vallabatur.

CAPUT XXXIV.

Ubi successorem sibi à Rege poposcit: & quàm solerter obitum suum Fratribus commendaverit.

LAtius ergo latiusque aggravescente ipso langore, cum agnosceret se non prævalere ad conservandam curam animarum valetudine præpediente, advenienti fortuitu Regi Francorum tum juveni Philippo sui allegavit causam languoris, orans ut Monasterio quod ipse pro posse bonis ampliarat, talis daretur Pastor & Custos, qui congregata non disgregare, sed disgregata nosset unire: flagitavitque ut pius Princeps cederet suo regimen nepoti, quem & dicebat ad tale opus sat eruditum, qui erat sancti Remigii Monachus, nomine GERVINUS. Et quia omnes qui eum nosse poterant, non illi obedire uti sancto viro putabant sacrilegum; Rex præfatus annuit, & ut suus post se regimen obtineret nepos concessit.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis MLXXI. Finiente mense Octobri, die X. Kalend. Novembris 1071.
Ind. IX. ordinatus est secundus GERVINUS Centulensis Monasterii Abbas. Reverendissimus autem avunculus videns se magis ac magis corporis viribus destitui, & magni languoris urgeri gravamine, ac per hoc diem mortis non multum differendum sentiens, indefessè Domini precabatur sibi quantociùs misericordiam advenire. Anno quoque suæ ægritudinis IV. fervescente nimis sæpe fato malo, ita angustiatus est, ut fissis & partitis naribus & labris, cæterâque cute in hispidam versâ faciem, vix posset verbum formare. Sed cum infatigata divini verbi meditatio in eo permaneret; duobus Fratribus; aut sæpe uni; jubebat ea omnia coram se adimplere, quæ dudum meminimus illum valentem omnia persolvisse. Evenit autem intrante Dominicæ Nativitatis anno MLXXIV. Ind. XI. ut II. die mensis Februarii, quâ Domini nostri JESU-CHRISTI ab intemeratâ 1074.
Virgine Matre celebrata in templum oblatio, & justi Simeonis perfecta est exspectatio; ex devotione quæ apud illum nunquam friguerat Missam faceret in cryptâ nostræ Dominæ Sanctæ MARIÆ; in quâ solitò acerbiùs dolore anxiatus, vix valuit inchoata mysteria perficere. Quibus tamen per Dei gratiam, quæ in illo commanebat, ritè peractis, nimio angore fatigatum dextrâ lævâque sustentando ad cubile Fratres reducebant: cum subitò inter mœstorum filiorum colloquia hæc ipse admiscuit verba: *Noveritis, ô dulces Filii, me hodie à Dominâ nostrâ S. MARIA accepisse licentiam abeundi.* Illis interrogantibus quorsum ire deberet: *Ubi*, ait, *semper cupivi, & pro quo Dei pietatem semper precatus sum.* Fratribus verò dicentibus adhuc illum vivere posse, & Domino omnipotenti sacrificia ejus manibus fore offerenda, subjunxit, inquiens: *Nunquam ampliùs Frater Gervinus, Missam cantabit.* Exin quotidie in majus excrescente dolore, affatim decubuit. Superveniente autem Quadragesimali observatione, in ipsâ feriâ IV. quam caput jejunii vocat consuetudo Ecclesiæ, convocavit Fratres natu majores, & sacerdotii gradu ornatos, & quantocumque annisu valuit exurgens alledit; illisque coram, tum demum sic ora resolvit: »Ut Beatus Germanus Fratribus Coëpiscopis dixit, sic & ego filii vobis dico. Commendo vobis, carissimi, transitum meum; sentio enim proximare horam, quâ diù à Domino exquisita mihi salus proveniet. Et hæc meæ semper fuit orationis intentio, ut in his sanctis diebus, qui modo superveniunt, meum misericors Deus obitum fieri imperaret:

» imperaret : verùm quia, ut confido, meis fautu-
» rus est votis, volo vobis in conspectu Domini con-
» fiteri mala quæ feci, & de quibus animæ meæ ti-
» meo : credens quòd hæc confessio pietate Domini
» præeunte, & vestro intercessu adjuvante, me mun-
» dabit. « His ab eo dictis, & Fratribus ubertim lacrymas fundentibus, recitavit coram illis gravia quædam, & quæ nunquam eum fecisse noverant omnes. Denique octo principalibus vitiis sese onustum denuntians, in mirum redegit Fratres stuporem, qui ejus ab infantiâ cœlibatum vitæque innocentiam optimè compererant : qui & dicebant : ut quid, bone Pater, taliter te incusas, cum manifestum sit te non fecisse quæ adstruis : certè homicidium, adulterium non perpetrasti. Quibus ipse res-
» pondit : Parcite, Fratres, parcite, quæso, &
» meam animam nolite gravare : nam si sub meâ
» curâ aliqui perierunt, quod fortasse omitti non po-
» tuit, profectò in Dei judicio pro eorum animabus
» reus tenebor. De adulterio autem audite quid
Matt. 5. 28. » Christus veritas dicat : *Qui viderit mulierem ad*
» *concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde*
» *suo.* Fieri autem non potuit, ut non hac aliquan-
» do illectus fuerim lasciviæ voluntate ; ob hocque
» ita reus existo quòd voluerim, ac si opere perfe-
» cissem. Hæc & alia se incusando exprobrans, commendavit Deo & eorum precibus sui exitûs tutelam.

CAPUT XXXV.

Qualiter se sepeliri mandaverit : & obitus ipsius.

INtrante igitur sacri jejunii consuetudinariâ observatione, grabato tenebatur, ablatâ omnimodâ canendorum psalmorum, vel quidpiam loquendi possibilitate. Et tamen cursus spiritales coram eo incessanter recitabantur. Nec enim omisit, quin, uti valens assueverat, omni die Quadragesimæ totum Psalterium per unum è Fratribus, quia per se non poterat, decantaret. Fratres ergo videntes eum jamjam in mortem resolvi, juxtà S. Jacobi Apostoli mandatum, oleo benedicto perungentes eum, valde alacrem tali obsequio effecerunt. Interrogatus autem ubi vellet suum corpus sepeliri, nullum locum voluit designare, hoc in eorum collocans arbitrio. Sed cum amplius à Fratribus flagitaretur, ut
» sepulturæ locum ipse sibi designaret ; Dicerem,
» inquit, vobis meum super hac re velle, sed vos
» non illud impleretis. Tunc Fratres qui reverâ es-
» sent parati, in quocumque quamvis sancto eum
» sepelire loco, omninò se impleturos quæ jussisset,
» spoponderunt. Et ille, ait : Scio, inquit, quia
» non facietis : verùm si faceretis, magnum mihi
» proveniret inde scelesto remedium. Nectentes pe-
» di meo restem, trahite me, & projicite in ster-
» quilinium in medio platearum, quia non meliori
» dignum me credo sepulcro. Hæc Fratres audientes, iteratos planctus continuant. Oravit autem, ut quâcumque horâ exitus ei advenisset, statim intrà sancti Richarii Basilicam eum ferrent, spiritum Deo inibi redditurum. Jamque sacri jejunii evoluta fuerat prima septimana, & secunda ducebatur, cum ecce venerabili Gervino, & utique jam beatificando imminebat salutaris transitus. Nam feriâ III. secundæ hebdomadæ quæ habebatur V. Nonas Martii, post finitos matutinos, Fratres solliciti eum viserunt, invenerunt que eum extremum flatum trahentem. Innuebant ergo alterutrum quòd moreretur. Quod ipse adhuc sentiens, manu propriâ innuit eis ut ferretur in Ecclesiam. At Fratres eum accipientes sustulerunt, & strato cilicio ante sancti Joannis Baptistæ, quod vicinum erat, altare posuerunt. Dein opposito obtutibus ejus crucifixi Domini signo, & super pectus ejus posito reliquiarum uti ipse disposuerat saccello, congregatio tota inchoavit litaniæ supplicationes, Sanctos Dei ut ei succurrerent invocantes : à quibus cum dicebatur, *Sancta* MARIA *ora pro eo*, ipse qui jam fuerat in morte compositus, tetendit manus, orans & ipse : *Sancta* MARIA *ora pro me.* At ubi ventum est ut diceretur, *Sancte Richari ora pro eo* : absque omnium spe mirabiliter se surrigens, manusque altiùs protendens, lacrimando clamavit : *S. Richari orà pro me.* Post hoc quietior factus, cum Fratres Litaniâ finitâ, & initiatâ commendatione fideli, illò usque venissent, ut dicerent, *Suscipiat te Christus*, ille ad hæc verba spiritum efflavit. Quod ubi innotuit, inedicibilis & infinitus subitò Centulam omnem mœror excepit ; flebant viri obitum tanti Pastoris, matronæ vociferantes cum crinium evulsione sancti Abbatis hominis Dei mortem dolebant. Nec mora, ruit omnis provincia Pontivorum ad exequias viri Dei, & consideratione tanti obsequii omnis necessitas mox abdicatur. Conveniunt in Basilicam, & verè desolatam domum elatis vocibus plangunt. O, inquiunt, Sancte Richari, cur talem tui honoris tam citò sinisti mori amatorem ? Bone Confessor, cur non tam bonum tibi reservasti famulisque tuis conservatorem ? Sic viri, sic fœminæ, sic nobiles, ignobilesque optimi viri mortem lugebant.

CAPUT XXXVI.

Sepelitio ejus, & epitaphium.

NUdato itaque ad lavandum corpore ejus, tantâ enituit gratia membrorum, ut ipsam cutem non putaretur quilibet morbus unquam fœdasse. In ipsis autem genitalibus tantus virginei honoris decor apparuit, ut non tam virilia quàm venerabilia septennem puerum imitarentur. Ex assiduitate autem genuflexionum in poplitibus seu cubitis inventa est obdurata cutis excrevisse ; & qui ejus studia, vitamque nescisset, hujus consideratione rei contemplationi divinæ ejus semper hæsisse animũ liquidò cognovisset. Componentes ergo ipsa sancta ossa, (nam carnes tam abstinentiâ, quàm morbo defecerant) tulerunt in potiorem locũ Ecclesiæ, devotis excubiis, uti mos est, animam Deo commendantes. Missarum itaque solemniis ab Abbatibus, & à cunctis qui adfuerunt Sacerdotibus copiosè expletis, sepultus est servus Dei GERVINUS Abba Venerabilis ante altare beatæ MARIÆ in cryptâ Orientali, cum universorum, id est, Comitis Guidonis, Abbatum, Procerum, Militum, vel generalis vulgi gemitu & dolore. Guido sanè Comes Pontivorum indulgendo remisit pro illius amore omnes consuetudinarias exactiones, quæ sibi debebantur in Novavillâ. *Super sanctam*, inquiens, *sancti* GERVINI *tumbam hoc donum pono.* Gesta sunt hæc Centulo anno Verbi Incarnati MLXXIV. 1074.
Indict. XI. regnante Philippo Francorum Rege anno XIV.

EPITAPHIUM.

Inclytus iste Pater, dæmon per quem ruit ater,
Hos pius in populos dormit in hoc tumulo.
Ardua rectarum scandens qui ritè viarum,
Corporis assiduus martyrizator erat.
Regula virtutum, rectorum lux Monachorum,
Exstitit à puero corpore virgineo.
Tunc sic florentem, studiosè justa docentem,
Mars tua tertia lux abstulit, itque redux.

Eodem anno obiit WIDO Ambianensis Episcopus, nostri loci amator præcipuus. Abbate venerabili Ger- Mores Gervini junioris

exprimuntur, qui longè absunt à sanctitate senioris ejus avunculi.

vino de luce præsenti subtracto, successit ad regimen Centulensis Cœnobii alter GERVINUS longè impar priori, licet esset ipsius ex sorore nepos, nutritus & eruditus in S. Remigii honorifico Cœnobio. Hujus fuit lingua docta, & actio impedita: ut pote qui regiminis curam convertit ad mundi gloriam, & animarum lucrum redegit in sæculi oblectamentum. Abundabat tamen eodem tempore istud sacrum Cœnobium religiosarum personarum, graviumque Monachorum stabili honestate, quorum vita vel conversatio famâ laudabili enitebat in omni Francorum loco. Erant enim quidam illorum de tempore venerandi Angelranni, boni magistri boni discipuli, & pluriores de recenti memoriâ laudabilis Gervini, quorum vita & mores videbantur secundo Gervino arenâ ponderosiores, ferro duriores, & chalybe acutiores. Horum continentiâ, & probitate admodum refrænabatur intemperantia levitatis ejus, quorum monita, & coërcitiones verborum ex toto recusare non poterat, non tantum propter Dei timorem, quantum propter sæculi favorem eorum prudentiæ sæpiùs acquiescens. Seniorum igitur Monasterii fixâ charitate honorabatur, tolerabatur, exspectabatur, si quando dedisset Deus in cor ejus spiritum corrigendi. Quâ de re vicibus assiduis fiebant orationes Missarum vel psalmorum ad Deum pro eo, dum exspectaretur ut aliquando conversus imitator efficeretur sancti avunculi. Astutia verò & simulatio ita in eo redundabat, ut si quis eum nesciret, ex affluentiâ sermonis illius totius honestatis hominem æstimaret. Fulgebat eloquio, verbis ad omnem gratiam compositis: nihil tamen rectum in opere demonstrabat. Pictor verborum demulcendo turabatur sensus auditorum, ut nescirent evadere de verborum ejus artificiosâ calliditate.

Ipse denique me inter alios quamplures monachizavit, & in corde tenero quasi in molli cerâ gestorum suorum imaginem non imitandam, sed abjiciendam compressit. Triennio autem post meam intromissionem elegantissimum puerum ANSCHERUM, suum postea successorem, Monachorum victus unanimitate, gemebundus in Cœnobium assumsit: timebat enim jam tunc, ne puer egregius aliquando suæ contrairet vesaniæ, & idcircò non pater, sed pirata eumdem puerum remisse ac negligenter enutrire fecit, quòd illectus juvenili facilitate nullam honestatis portionem hauriret, pro quâ, vel per quam ad honoris cumulum provehi potuisset. Puer verò jamdictus tam per se quàm per amicos parentumque clientes animadvertens dolos ejus, dedit operam moribus dulcissimis, ut amabilis omnibus haberetur. Domnus verò Gervinus quemdam habebat nepotem nomine Cæsarium, in S. Remigio Monachum factum, cui cogitabat conquirere regiminis successionem. Sed væ tibi vesana calliditas! tu ipse nunquam Abba fuisses, nisi benedicti avunculi tui sancta vita meruisset. Si volebas de tuis heredem supponere, quare non te talem egisti, cujus gratiâ tuus nepos ad honorem debuisset ascendere? Vidi multoties, & audivi sæpiùs quòd seniorum Monachorum non parva multitudo amarè gemescebant illius vesaniam, & ut scriptum est,

Psal. 61. 4. *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Sed jam sufficiat hominis infelicitatem tantisper fore cognitam, ut habeat posteritas exemplum quid fugiat, & de bonis incitamentum ad virtutes capiat. Dicamus de bono si quid fecit. Turrem S. Salvatoris, quæ propter antiquam combustionem crepituris patentibus discissa videbatur, dejicere inchoavit, ut hac deletâ meliorem & firmiorem restauraret, statimque sequuta est Basilicæ magna ruina, quæ omni genti Pontivorum gravem incussit mœrorem; nunquam enim credebatur restaurari posse tantæ honestatis Basilica, vel in quartam generationem. Quid plura? statutum fuit, ut propter opus quod putabant irrecuperabile, ad quærenda solatia sumptuum amabile corpus Patris nostri Richarii per vicina castella deferretur, ut devoti populi donariis novum opus Basilicæ fundari valuisset. Venit dies hæc agendi. Adest Comes Pontivorum Wuido cum multis Nobilibus, confluxerat maxima multitudo vicinæ coloniæ ad novum spectaculum. Paratis crucibus & vexillis, antelatis cereis, cum honore competenti levatur Sanctus à proprio altari.

[*Maximus ille dolor Monachorum pessimus horror*
Vocibus excessit, vox lætitiaque recessit
Conticuit cantus, mox cœpit surgere planctus,
Sternuntur Monachi, memorantur tempora Daci
Qui combusserunt, qui non combusta tulerunt.
Esse sibi melius quàm quoquam tollere sanctum;
Sternitur & vulgus, fit clamor denique multus.
Eheu quid facimus, scelus hoc per quanta subimus?
Hic noster Dominus calebs Pater almus opimus
Qui semper fuerat sic dives nec peregrinus,
Dimittet sedem, viduabit claustra & ædem
Et mendicabit, alienas res habitabit?
Hæc sua stat tellus, nobis manet ipse novellus
Carior almifluus qui protegit omne patronus,
Et dimittemus non dando quidquid habemus.
Siste Pater gressum, ne quem patiare regressum
Ante mori volumus, quàm te pastor careamus
Te proceres plangunt, te plebis pectora clangunt
Sancte Pater remane, non fiet tempus mane
Quidquid opus fuerit satis hoc latomus habebit.
Gaudebit patria, lætabitur hæc tua turma
Hæc sic dicentes capsam sanctique tenentes,
Cum lacrymis multis altaribus hîc viduatis.
Cantica psallentes, cum psalmis undique flentes,
Pignora restituunt quibus omnia gaudia credunt.]

Magnis autem precibus, multisque persuasionibus cor populi ad hoc vix pertractum est, ut amabile corpus beati Patroni vel usque Abbatis-villam ferretur, quatenus devotio plebis ibidem manentis de benedictione beati corporis optabiliter reficeretur, & ipse Sanctus multis donis honoratus, sequenti die referretur. Totus simul concurrit Pontivorum populus, æternum opprobrium reputantes, si Sanctus longiùs efferretur. Mane etenim sequenti revehitur Sanctus, tantis gaudiis, tantisque cantibus comitatus, ut lætitiæ magnitudinem vox mortalis non posset exponere. Quo suis sedibus restituto, populus Centulensium in unum congregatus pari voto, promptoque animo dederunt unusquisque munera Sancto, ad restaurationem Ecclesiæ, vel turris, olim dicatæ nomini Salvatoris.

Vaccas atque boves & equos, & oves tribuerunt.
Cappas, mantellos, anulos, vittasque, tiaras;
Cingula, cultellos, manicas caligaque dederunt;
Auribus appensum tribuuntque monile puellæ.
Sed nostri cives argenti pondera pensant.
Librarum solidos quammultos undique donant.
Rusticus hordea dat, multorum cœtus avenam.
Plures dant brasium, vinum plerique dederunt.
Ex his thesaurus fit mercibus amplior unus,
Quem numerare nequit, vel si quis compota novit.

Auxiliante Domino à fundamentis nova incœpta est Basilica, & bonorum hominum collationibus diatim fabrica consurgebat. Centulæ quoque habitatores ferventiùs exsequentes, quotidianis donariis urgebant invicem semetipsos, summo nisu suprà vires exercentes ut nemo in dandis solatiis inferior videretur. Gratias Deo, qui dejectam luximus, renovatam & erectam congaudemus: fortiori fundamento, & celsiori fastigio elevatam cernimus.

Præterea cum videret isdem Gervinus in multâ se gloriâ constitutum, & multo curialium vel popularium favore constipatum, putans esse sui meriti honorem, & gloriam patroni Richarii, cœpit vanis adulantium extolli rumoribus, & nihilum computare quòd Abbas exstiterat, ardenti corde anhelans ut Episcopus fieret.

[*Quid plus his referamus, nisi rem jam dicere verum?*
Per data præmissa, per quotidiana promissa
Ambit eam sedem quam dicimus Ambianensem,
Se regnare putans per pontificatûs honorem.
Ecclesiam sancti diresspoliando patroni
Se iterum exaltat, Monachorum de grege saltat,
Se faciens magnum fert Fratribus undique damnum.
Obvius est Christus, prosternitur hinc inimicus:
Omnia quæ cepit, cum damno jure reliquit.
Omnibus & hostis ceu plures undique nostis,
Quos exaltavit, hos postea præcipitavit.
Sancti Richarii res multas dilapidavit
Exosus monachis, cunctis exosus amicis,
Pessimus atque sibi qui nollet velle mederi
Ad reprobum tandem certavit tendere finem.]

Fratres etenim diuturnâ exspectatione fatigati, cum viderent illum ad deteriora semper ferri, diversis modis eum revocare satagebant à destructione & dilapidatione loci, per WIDONEM Comitem Pontivorum, per Nobiles Palatinos, per RAINALDUM Remorum Archiepiscopum, & per alias nobiles personas illum conveniendo, & dejectionem beati quondam Cœnobii non sine gemitu conclamando. Quibus ille in faciem blandiebatur, se citò per omnia emendaturum spondens; sed in corde contrà eos, qui contrà eum querelam deponebant, acriter sæviens. Cumque nulla jam spes de correctione illius remaneret, dedit consilium Remensis Ecclesia, ut Domino Papæ URBANO, qui eo tempore Concilium in Claromonte erat de proximo habiturus, desolationem & confusionem sui loci Fratres nostri, vel per se, vel per fideles legatos aperirent, & majestatis ejus clementiam implorarent, ut Monasterium jam penè exinanitum ad aliquam resurrectionis speciem pro sui officii dignitate benignus revocaret.

Factum est ita, & mox successit remedium. Nam Dominus Papa URBANUS in Cóncilio residens, prolatâ in eum canonicâ sententiâ, baculo Abbatis, & Monachorum curâ spoliando absolvit, adjiciens verbum durum: »Tu Abbatiam S. Richarii, quæ » nobilis & dives olim fuerat, tam pessimè tracta» sti, ut suis Ecclesiam ornamentis spoliaveris, & » Monachos multos tuis vitiis resistentes exules fe» ceris: unde dignus eras, ut omnem gratiam Ec» clesiasticæ dignitatis ex toto perderes, velut iovium » Christi mactator, & sanctæ Ecclesiæ dissipator; » sed ne binâ te ultione ferire videamus, esto con» tentus Ambianensi Episcopatu, quem tam durè » acquisisti. Monachis autem S. Richarii sit copia » eligendi Abbatis, cui tu contraire nullâ ratione » præsumas: quod in virtute Spiritûs sancti te ob» servare jubemus.

Igitur tali ingenio, & Romano taliter accepto imperio, deleta est potestas perversoris; quievit à nobis virga percussoris; remotum est jugum grave à cervicibus nostris, anno Dominicæ Incarnationis 1096. MXCVI. Ind. IV. Hæc Dei miseratio Centulæ indulta eest. Vir autem callidissimus non ita sopitus est à suâ versutiâ, sed rediens à Concilio, omnes qui de istis partibus conviatores aderant, precibus & promissis concitavit, ut suum casum nemo nobis intimaret: sic per annum integrum nos deludens nomine fallaci usus fuit rebus nostris; donec iterum à Remensi Ecclesiâ nobis divulgatum est, quomodo fuisset in Concilio Clarimontis Abbatiâ denudatus. Quod ubi fratribus palam factum est, convocaverunt eum in Capitulum valde renitentem, & aperto sermone renuntiaverunt illi, & ejus obedientiæ; affirmantes quantociùs ad Papam se clamaturos, nisi penitùs locum exiret. Qui videns suas fallacias jam exclusas, & majoris dedecoris cavens periculum, surrexit, baculum deposuit, veniam prostratus petivit, indulgeri sibi quod deliquerat, gemens rogavit. Monachi autem valde amaricati non audierunt vocem ejus, sed præteritorum & præsentium malorum nimietate instigati, conviciis certis eum insectati sunt, donec locum exiens Abbatis-villam adiret. Exeunti autem à Centulo non fuit qui condoleret vel unus, sed omnes ei maledicebant, gaudentes de ejus dejectione.

[*Sic pius elatus fit postea dedecoratus:*
Nobis infestus sibimet fit valde molestus:
Quam tulerat pestem sibi propinavit eamdem.
Richarii precibus sic corruit hic Gervinus.]

Obsecro igitur omnes qui horum gestorum fuerint cognitores, ut meminerint quàm clara vel honesta superiùs relata sint, & sciant quòd optatius nobis foret bona & veneranda de Domno Gervino referre, quàm ea quæ superiùs dicta sunt: sed ut posteri certissimè sciant quòd S. Patris Richarii amatores, & ejus loci fideliter servatores, apud Deum mercedem habeant, & inter homines bonæ famæ laudem retineant, idcircò studuimus Domni Gervini lapsum ad memoriam revocare, ut successores ejus noverint adhærentes Richario glorificari, contemptores autem & desertores æterno improperio subjacere. Præterea eidem Domno Gervino à Fratribus potuisset utique quamvis ægrè, aliqua venia impertiri, si in pœnitudine persistens se malè fecisse cognovisset. Sed ut quasi invictum se monstraret, non cessavit nobis & loco nostro inquietudines excitare. Unde illa mox surrexit lis contentiosa, quâ voluit Abbatiam nostram sibi & successoribus facere quasi jure subjectam, quam ipse XXIV. annis liberam tenuerat, & omnium antecessorum suorum temporibus nobili libertate perfunctam optimè cognoverat. Noverat FULCONEM Ambianensem Episcopum Abbati Angelranno, & post eum Gervino multis servitiis fuisse obnoxium, & Abbates Centulæ non subjectos attendisse, sed patronos. Et certè præfatus Fulco in Remensi Concilio à beato Papa LEONE IX. excommunicatus fuisset, nisi Reverendissimus vir Gervinus Abbas accuratè & prudenter pro illo intervenire studuisset. Noverat Guidonem Fulconis successorem patre Comite natum, Comitis germanum Hugonis, Comitis Widonis patruum, Abbati Centulensi, scilicet sibi ipsi, multo famulatu exstitisse devotum: & tamen urgente malitiâ horum omnium se ostendit oblitum, nobilem juvenem Anscherum in Abbatem electum novis insidiis appetens, & qualiter ei resisteret, vel promotionem ejus impediret studiosè disquirens. Longum nimis & valde tædiosum est diversitates machinationum ejus exprimere. Idcircò his omissis quomodo finierit, paucis dicamus.

Deficiente sumptu, & omnibus Clericis in ejus contumeliam aspirantibus compulsus est relinquere sedem, & ignorante Clero vel populo successit Turonis ad Majus Monasterium, ubi Abbas HELGAUDUS honorificè illum excipiens, ad confessionem errati pertraxit; audiens ab illo in cœtu Fratrum quantâ perversitate, quantâque crudelitate Cœnobium S. Richarii destruxerit, moribus & rebus infirmaverit. Quæ postquàm nimium ejulando retulit, paucis su-

pervixit mensibus, & IV. Idus Januarii de hac vitâ recessit.

Ultio non sit ei, maneat sed lux requiei. Amen.

Sunt & quædam utilia quæ chartarum indicio peregisse dignoscitur, sed tam pauca, ut in eorum explanatione tempus terere non placeat. Verùm quia de hoc Abbate tam tristia digessimus, largiente Christi misericordiâ de ipsius successore jam prospera narrabuntur, ut ex eo Christi Ecclesia gaudeat in ævum, Amen.

Ego frater HARIULFUS Monasterii beati Richarii humilis Monachus, hoc de sancti loci nostri nobilitate vel utilitatibus à Domno SAXOWALO ante plures annos inchoatum opus Deo auxiliante perficiens, obsecro omnes qui in hoc sancto loco militaturi sunt, imò per virtutem Dei & sapientiam Christum obtestor, ut hæc, in quibus congregandis desudavimus, diligenter ipsi custodiant, & ea qualicumque modo deperire non permittant. Completum est autem istum

1088. opus humanitatis Filii Dei anno MLXXXVIII. Indict. X. anno Regis Philippi XXVIII. WIDONE Pontivorum Comite annis XXXVI.

Explicit IV. Liber Gestorum Centulensis Ecclesiæ.

Hæc sunt Ariulfi de seipso verba, epilogi instar ad Centulam Monasterium suum.

Toto corde meo te Centula mater amavi.
Traditus à puero, mea sub te colla ligavi.
Fœdera juravi, quibus in te vota dicavi.
Pignus habens fidei, tua sat contraria cavi.
Fratribus & Dominis tunc lætitiam generavi;
Gesta patrum scribens, pro viribus ista paravi;
Atque Dei laudes super istis multiplicavi.
Nobilis es palma, quia de te fructificavi.
Ecce tuos natos quot laudibus amplificavi:
Thesaurosque tuos nullis prius æquiparavi.
RICHARIUM sanctum laudando clarificavi.
Cerne piis oculis quam rem tibi magnificavi.
Quo si nobilior, nulli te consociavi.
Conscriptis Patribus fore magnam nobilitavi.
Mater agens famulum, qui te sic mirificavi;
Exime jam culpis, per quas me commaculavi.
Meque tuis socia, quos jure beatificavi.
Fratribus intersim, Dominos quos desideravi.
Projiciar nec his. quibus antea me copulavi.
RICHARIUS foveat me, sub quo sanctificavi,
Ut Christo placeam, me cui sacrificavi.

Expulsorum quos recolo à secundo Gervino nomina sunt hæc. Walterus cognomine Ambrosius. Walterus cognomine Samuel. Walterus, Germanus, Teudoldus, Wido, Bernardus, Willelmus, Erluinus, Hildemarus.

EPITAPHIUM SCRIPTORIS.

Pontivo natus, pronus studiis Hariulfus,
Almi Richarii claustra puer subiit:
In quibus imbutus deceat quid nosse magistrum,
Aldemborgensis tertius Abba fuit.
Rem sibi commissam pro viribus amplificavit,
Crescere, Petre, tuis semper opes sitiens.
Fratribus Exemplum prætendens compatientis,
Multa nimis tacuit quæque loqui decuit.
Centula quos Fratres retinet coluit seniores,
Illis quod sit honor cernere semper amans.
Centula diligo te, doctricis captus amore;
Ultima cùm tibi do munuscula, mater aveto.
Atque vicem referens die noto natu valeto.]

MONITUM.

Cum ante bina fermè lustra, S. Benigni Divionensis Chronicon è Bibliothecâ Regiâ commodasset Clarissimus Vir Petrus Puteanus, subierat animo publicam in lucem Opus vendicare, nec deerat characterum elegantia, quæ ad lectionem proliceret; at revolventi ac propiùs inspicienti tantæ scriptionis salebræ occurrerant, verbis pars inversis, pars mutilis, pars omninò absumptis, ut actuario primam pingendi, scribendi postremam fuisse curam crediderim. Hinc discedendi à priore consilio necessitas. Postea verò quàm San-Benignianum Cœnobium Congregationis S. Mauri disciplinam induerat, me convenère viri docti complures, ut autographum, quo potiebatur eadem Abbatia, Parisios mittendum, publicumque faciendum curarem; ut pote tot annis oblivione sepultum, doctis invisum, nunc autem ab iis ardenter expetitum, qui Gallicis rebus illustrandis tamquam pro aris ac focis decertantes, oleum & operam impendunt; quin ne hi solùm, sed harioli illi mercenario calamo, stylo calamistrato, ut regni ju hereditarium (quod Salicam legem vocitant) caligine offusum, è medio tollere attentarent, in subsidium Chronicon istud, velut & Besuense, nixu temerario non erubuerunt advocare, (id legenti, quàm favet nihil utrumque, patebit.) His proinde quasi calcaribus instimulatus, continuò literas semel atque iterum, ac tertiò Divionem, quo ad me autographum illud transmitteretur, direxi. Interim quam præscieram interjecta mora est; scilicet instar thesauri, antiquitatis monumentum isthoc Vir Illustrissimus D. De Castille, Abbas Commendatarius S. Benigni, reconditum habens, è musæolo distrahi, extrahive extrà regionem ægre ferebat. Veruntamen ipse singulari comitate præditus, rei literariæ seu bono publico nolens invidere, ultrò concessit San-Benigniano Cœnobitæ Domno Claudio Bertaigne, è nostrâ Congregatione Presbytero Theologo, qui maximâ curâ, summâ diligentiâ, exemplar ex mendoso Bibliothecæ Regiæ excerptum, à se, uti rogaveram, collatum ad archetypum, suoque nitori restitutum, quantociùs Parisios remisit: quod ego morâ procul, adjectis priùs margini variis lectionibus, conjecturisque, typographicæ officinæ intuli.

Nec abs re fuerit, totidem verbis ac syllabis & San-Benigniani & Besuensis Chronicorum Authores suam Gallicarum rerum hostoriam texuisse, ipsâ Præfatione Lector advertas, (nam hujuscemodi Chronica cothurni mihi visi sunt, utrique pedum apti) quò vel umbrâ conjecturarum, Authorem primigenium queas observare. Igitur ex subjectis Chronico Besuensi prespicuum habetur

Joannem Monachum (Secretarius appellatur paulo superiùs) esse rerum Besuensium Commentarii conditorem: videlicet ex Epitaphio, & librorum, studio Joannis descriptorum, indiculo. Epitaphii hæc sunt verba:

Omnibus ostendit Monachi pia cura Joannis, &c.

Et in fine Indiculi: Istum etiam Librum de diversis rebus & cartis composuit. *Viden' non cartarum modo, diversarum quoque rerum concinnatorem prædicari? Num* diversis rebus *historia cùm domestica tùm Gallica insinuatur? Favent profectò verba Joannis. Nihilominus scrupulum ingerit San-Benignianus, qui sese ætate haud ita obscurè Joannem præcessisse ostendit: namque ad obitum Halinardi, ex Abbate Archiepiscopi Lugdunensis, Chronicon tantummodo perduxit, hoc est annum 1052. Joannes verò quæ Besuensi Asceterio Guillenci Lingonensis Episcopi, necnon Joffredi Besuensis Archimandritæ annis plus minus 1129. & 1135. fuere collata, describit (quæ enim Epitaphium chartæ subsequuntur permixtim sunt superaddita) atque in hoc Abbate colophonem imponit. At de his sat superque: ejusmodi litem protelare necessum minimè est; quando quidem infitias neutiquam ierim, quod Historiam spectat sæcularem, de Gregorii Turonensis ac Fredegarii Historiis, ad verbum sæpiusculè Chronicorum Authores expressisse.*

Chronici Besuensis autographo (ni fallor) in Bibliothecâ Regiâ asservato, ussus fui; à cujus contextu vel latum unguem discedere mihi religio fuit. Et ne bilem vel nauseam Lectori subinde cierent in Besuensi repetita, his expunctis ad San-Benignianum Chronicon emandavi: illa nihilo seciùs quæ ad majorem historiæ Gallicæ illustrationem conducerent, seu gloriæ Regis, seu juri adversantes plurimum exagitarent, quæve alioquin historiæ filum abrumperent, operæ pretium duxi recudenda.

San-Benigniano Chronico Appendicem, quam Author proximo sæculo conscripsit, ingratam fore Lectori, si adderem, non putavi. Plura quoque antiquitatis monumenta, utrumque ad illustrandum Chronicon, ingerere consilium fuerat, verùm id oneris in humeros Sodalium meorum qui contexendæ eorumdem Monasteriorum historiæ navaturi sunt operam, deposui.

CHRONICA

VENERANDORUM ABBATUM,

Illustriumque hujus beatissimi Athletæ Christi Benigni Divionensis Monasterii Benefactorum, atque Fundatorum.

Cui maximo cum labore, multisque lucubrationibus adauctum est, quod post venerabilem hujus Præfati cœnobii Patrem Halinardum reperies.

INCIPIT LIBER COLLECTANEUS MEMORANDARUM RERUM.

PRÆFATIO.

ANTIQUORUM hujus sæculi sapientum laudabile, ac imò imitandum fuit studium, ut non solùm ea quæ accidèrent in diebus eorum, sed etiam fortia priscorum facta heroum, ad memoriam posterorum traderent monumentis scripturarum. Quæ utilis res & eis exstitit magnum humanæ laudis, & futuris hæc legentibus vel audientibus exemplum, incitamentumque æmulationis. Talia considerantes nos Divionensis sacri Monasterii à parvulo habitatores & amatores; ne forte nobis justè succenseant nostri successores (sicut & nos de incuriâ meritò culpamus nostros antecessores) aggredìemur cum adjutorio Dei describere, licet rusticanâ & minimè politâ narratione, quæ de præfati loci antiquitate prodita, seu devotorum Deo fidelium gregi eidem donata sunt largitione; videlicet Regum, Pontificum, Ducum, Comitum, ac illustrium virorum, ut potuimus addiscere veraci relatione. Quatenùs & honori & cœnobio nostro possessionum ipsi collatarum, & memorandarum rerum in eodem gestarum descriptio accedat, & cum divinæ laudis debito, exoptanda benefactoribus ejus cœlestis gloriæ remuneratio. Verumtamen primò dicendum quo in tempore ipse advocatus & peculiaris Christianus noster sanctus martyr Benignus venerit in Galliam, vel quot annos eidem ferocissimæ genti prædicaverit sanctum Christi Evangelium, seu quo die, vel quo persequutore consummaverit agonis sui martyrium: nec non & quando post multa tempora fuerit sacrum ejus corpus revelatum atque translatum.

195. Anno igitur ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi centesimo nonagesimo quinto, Indictione tertiâ, imperante Severo: sub terribili ejus persequutionis procellâ directus est hic testis Christi cum

suis sociis Gallicæ genti, quæ per id tempus erat mancipata dæmonum cultui. Hujus autem servi Dei [a] directio ita est divinitùs jussa, atque suasa Metropolitano Asiæ Polycarpo Episcopo, & à beato Irenæo Lugdunensium Archiepiscopo, septimo die passionis ipsius sancti, quæ patrata est anno tridecimo imperii Severi. Siquidem Claudio Albino (qui se apud Lugdunum Cæsarem fecerat) interfecto, Severus civitatem omnem tradidit in ore gladii; ibique sanctus Irenæus martyrizatus est cum omni populo Christianorum decem & octo millibus: tantaque fuit strages cæsorum, ut sanguine fluente à vertice montis (super quem civitas sita erat) Rhodanus & Araris qui ibi pariter conjunguntur, per plurima milliaria rubentes fluere viderentur. Hoc ergo peracto martyrio sanctus Irenæus cum multitudine martyrum apparuit beato Polycarpo, monuitque ut sanctos sacerdotes Benignum & Andochium, Thyrsum Diaconum, & Andeolum Subdiaconum transmitteret Galliam ad prædicandum. Qui sancti Dei missi à sancto Polycarpo, Angelo Domini ducente, pervenerunt Lugdunum, quæ est urbs Metropolis Galliarum. Illic sanctum Presbyterum Zachariam reperiunt, qui ob persequutionis procellam latenter in cryptâ inter martyrum latitabat sepulcra, fluctuantique Ecclesiæ divinum advenire precabatur auxilium. Hic denique post sanctum Irenæum præfatam rexit Ecclesiam.

a — S. Irenæus martyrio coronatur.

S. Benign. in Galliam à S. Polycarpo mittitur.

Cum eo igitur verbum Dei meditantes, atque in Spiritu sancto gaudentes, Dominum precabantur, ut eorum dirigeret gressus. Et dum ibidem morarentur, Angelo Domini monente, visum est eis, ut sanctum Andeolum ad Carpentoracensem urbem prædicationis gratiâ destinarent: sancto verò Andeolo ad prædictum locum iter arripiente, verbum Dei gentibus ubique prædicando, non longè post à Severo Imperatore multis afflictus tormentis, martyrio est coronatus. Hi autem Christi testes à beato Zacharia multis adhortationibus, ut intrepidè verbum Dei & nomen Christi omnibus annuntiarent, corroborati, benedictione etiam & potestate omnis Ecclesiastici & divini cultûs peragendi ab eo acceptâ, ad Augustodunensem properant urbem, comitante Christi virtute, & signorum gratiâ. Ad hanc itaque urbem itinere attingentes, Faustum virum nobilissimum, ac præfectoriæ dignitatis, ac Christianitatis verissimum amatorem reperiunt; ad quem Angelo monente advenerunt. Qui suscipiens eos cum omni gaudio, ut cognovit Sacerdotes existere, suppliciter petiit ut filium suum Symphorianum, annorum trium vel quinque existentem, pariterque amicos & familiam, baptismatis gratiâ consecrarent. Quod audientes, sanctus Benignus eum baptizavit: sanctus verò Andochius eum de sacro fonte excepit. Habebat denique illustris vir Faustus sororem germanam, Lingonicæ civitatis matronam, nomine Leonillam, Christianam; cui erant parvuli gemini, nepotes ex filio tres, viri pulcherrimi aspectu, sed animo pulchriores. Itaque ut ad eam sanctus Benignus venire dignaretur impendio deprecatus est. Quem sicut manna cœleste Leonilla suscepit. Tandem hi tres gemini fratres fide sanctæ Trinitatis imbuti, baptismatis gratiâ cum omni familiâ, ac populi multitudine, per sanctum Benignum consecrati, non longè post martyrio coronati sunt. Sanctus verò Benignus perambulans universam longè latèque prædicando regionem, & multos ad Christum convertens, pervenit ad castrum Divionense.

Severo itaque decimo octavo anno Imperii in Britanniâ defuncto, successit Antoninus Caracalla cognomento, filius ejus, in imperium: quod tenuit annis septem. Quo mortuo imperavit Macrinus anno uno. Post quem Marcus Aurelius Antoninus obtinuit imperium annis quatuor. Hic omnibus flagitiis plenus, etiam in persequutione Christianorum nulli priorum inferior principum, dum Galliam pervagatur populum in Deum credentem persequendo, à Senonum civitate devenit ad rus prædicti viri Fausti, qui dicitur, Sede-locus, ubi Sanctis Dei Andochio & Thyrso per martyrium consummatis, ipse Divion petens misit Heraclium similem sui Sanctorum persequutorem ad Augustodunum urbem. Heraclius itaque sanctum Symphorianum, primò diris flagellis cæsum & carceris custodiâ maceratum, gladio plecti præcipit. Erat autem quando martyrium passus est sanctus Symphorianus, annorum viginti quinque, ut passione ipsius, atque in gestis sanctorum supradictorum martyrum invenitur. Hinc cognosci potest tempus prædicationis sancti Benigni viginti circiter annorum fuisse, in quibus istam Galliam prædicando multos ad fidem Christi convertit, & baptismatis eos undâ sanctificans, Ecclesias in aliquibus sacravit locis, Sacerdotesque ac Ministros ad divinum cultum instituit.

b — Sub Aurelian. Imperat. S. Benign. martyrium subiit.

c

Imperator ergo Aurelius, qui & Aurelianus [b] vulgo dicebatur, Divion castrum ingressus, compertâ sancti martyris prædicatione & virtutibus, quas per eum divinâ operabatur clementiâ; assistente crudelitatis suæ ministro Terentio Comite, sanctum Benignum perquiri jussit, ac vinctum & cæsum conspectibus suis præsentari. Quem in catastâ extensum, & nervis diutissimè cæsum, ita ut corporis interiora paterent, rursùm in carcerem conjecit, ubi ministri & carnifices pedes ejus in lapide cum plumbo remisso [c] confixerunt, & in digitos manuum subulas decem acutissimas & igne candentes infixerunt; ac per sex dies canes duodecim ferocissimos cum eo incluserunt. Angelus autem Domini adveniens, dedit panem cœlestem, subulas abstulit, & eum de plumbo eripuit. Ad ultimum collum ejus vecte ferreo tundi, & corpus lanceâ perforari jubet. Quo facto columba nivea de carcere Christianis aspicientibus ad cœlos ascendit, & odor suavissimus quasi paradisi sequutus est.

Veniens autem beata Leonilla, conditum aromatibus corpus ejus non longè ab ipso carcere sepelivit in magno Sarcophago: in quo loco Christiani cryptam construxerunt. Sed ob Gentilium timorem non ei exhibebatur honor tanto Martyri condignus, persequutionis immanitate, quæ à principibus reipublicæ Christianis inferebatur, fideles in Christum credentes deterrente. Multis igitur transactis annorum curriculis, ex tunc si quidem ab ipsius Imperatoris tempore usque ad finem Diocletiani, & Imperium Constantini, computantur anni octoginta unus; & à Constantino usque ad Zenonem Imperatorem, & Regnum Clodovei Regis anni ferè centum octoginta; qui sunt in summâ ducenti sexaginta unus. In quo annorum decursu, illius ævi Christianis ex hac luce subtractis, locus sepulcri sancti Martyris ita

a *servi Dei*] Sic ex conjecturâ emendavi. Acherius ediderat *sæculi Dei*.

b *qui & Aurelianus*] Haud dubium quin de Elagabalo loquatur, quem in nummis suis Marcum Aurelium Antoninum appellari novimus, communi scil. nomine cum illustri illo Imperatore, in quo nihil aiunt reprehendi potuisse, nisi quòd Commodi pater fuit; & cum altero Septimii Severi filio, quem Caracallam vulgo vocant. Eundem & Varium & Elagabalum dictum esse norunt quicumque in veteri historia sunt non omninò peregrini; Aurelianum nemo dixit. His accedit, Elagabalum vix credi posse in Gallias unquam venisse.

c *cum plumbo remisso*] Forte *demisso*, ait Acherius: mihi ulcus insanabile videtur.

fuit neglectus atque oblivioni datus, ut non jam corpus Martyris, sed potiùs alicujus præpotentis crederetur in eo quiescere gentilis. Solummodò rusticorum docta simplicitas, sagax inquirere notitiam veterum per relationem antiquorum hominum, ipsi rustici vota inibi dissolvebant, & quæ petebant, velociter impetrabant. Hæc ignorantia quotidie crescendo per multa annorum curricula duravit, usque ad tempora sancti Gregorii Episcopi, qui sextus decimus in catalogo Pontificum Lingonensium continetur. Qui Pontifex (sicuti cæteri hominum) credens ibi aliquem positum fuisse gentilem, virtutes ibidem nullomodo credebat, sed magis ne ibi adorarent, detestabatur. Tandem Dei Martyr beato se Confessori revelat, & dicit: Quid, inquid, agis? Non solùm est quòd me tu despicis, verùm honorantes me spernis? Ne facias, quæso, sed tegmen super me velociùs præpara. De quâ ille visione concussus, beatum sepulcrum adiit, ibique cum fletu veniam deprecatur: & cætera quæ sequuntur in dictis vel factis beati Gregorii Turonensis Episcopi. Quoniam ille pleniter translationem corporis ejus, & aliorum in hoc loco quiescentium descripsit; nobis non est necesse repetere. Quapropter his sepositis quæ deinceps gesta sunt, intimamus.

Gregor. Lingonensis Episcopus Sepulcrum S. Benigni reperit.

Inferiùs nominantur sancti & sanctæ in sacro hoc loco quiescentes, & loca in quibus jacuerunt.

485. Inventio ac translatio corporis S. Benigni.

IGITUR anno Dominicæ Incarnationis quadringentesimo octuagesimo quinto, indictione octavâ, præsidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ Symmacho Papa, Zenone verò Cæsare imperante in republicâ, Clodoveo quoque primo regnante in Franciâ, & Gaudebaudo in Burgundiâ, inventum est atque translatum octavo Kalendas Decembris, corpus Almifici Martyris Benigni à beato Gregorio Lingonicæ urbis Episcopo, divinâ revelante providentiâ, ut refert Gregorius in libro miraculorum, qui fuit Antistes Turonorum. Quod cum dignè fuisset transpositum cum adjutorio supernæ virtutis, ne deinceps Testis Christi debitis privaretur officiis, idem venerabilis Præsul ædificato ei templo, ex diversis partibus ibidem adunavit multos, Deo servire paratos.

Lib. 1. c. 51.

Fulgebant tunc per Galliam plurimi sanctitate vitæ conspicui inter quos erant sanctus Joannes Abbas Monasterii quod Reomaus dicitur; nec non Eustadius, ac sanctus Sequanus hujus provinciæ alumni: è quibus Eustadium huic loco præfuisse per aliquot annos, & subjectos sibi religiosè educando vixisse, certum tenemus. Unde & moriens condignam meruit sepulturam juxtà corpus sæpe dicendi sancti Benigni martyris. Cui successit Tranquillus: qui quantæ sanctitatis fuerit, crebræ sanitates infirmis ex ejus tumulo præstitæ testantur, ut refert Gregorius Turonensis, in seipso expertus. Sepultus verò est ad dexteram partem sepulcri sancti Martyris Benigni, juxtà sanctam Paschasiam, juxtaque eum posita fuit sancta Florida. Ex alterâ verò parte, juxtà sanctum Eustadium, sepulcrum fuit sancti Hilarii Senatoris, conjugisque ejus sanctæ Quiettæ. Hi fuerunt progenitores suprà memorati Joannis. Et quia præfatus Gregorius Turonorum in libro de illustribus viris, hujus Hilarii quis & qualis fuerit pleniter meminit, hæc tantùm dixisse sufficiat.

Insignes in Galliâ sanctitate viri.

De glor. Confessor. c. 44.

Ibid. c. 42.

Quia igitur de sepulturâ Sanctorum pauca prælibavimus, dicendum nobis est propter aliquorum præsumptuosam calumniam, quomodo antiquitus cæmeterium habitatorum hujus oppidi constiterit.

Ecclesia fuit constructa ab ipsis primordiis inceptæ Christianitatis; quam Ecclesiam ferunt à sancto Benigno sacratam in honorem sancti Joannis Baptistæ, & Evangelistæ Joannis. Quod & alios qui ex discipulatu ejusdem Apostoli fuerunt, in cæteris urbibus quibus prædicaverunt cognoscimus fecisse. Quæ Ecclesia ad hoc est Deo dicata, quatenùs ibidem per sacri baptismatis regenerationem plebes credentium transirent in filiorum Dei adoptionem, & quorum animas afferret Deo, eorum corpora suo reciperet gremio. Quapropter in tantum sublimata fuit, ut sanctimonialium ibi sisteretur congregatio, & plurimi civitatis Lingonicæ præsules hîc sua corpora jusserint tumulari, videlicet ob devotionem sancti Martyris Benigni, ut quem sequebantur ordine sacerdotii, eâdem quâ ille humo cuperent sepeliri. Unde & sanctus Urbanus, unus ex eorum primus Pontificibus, ibi jacuisse noscitur. Sanctus quoque Gregorius Episcopus cui sanctus Benignus dignatus est se primùm manifestare, majorum suorum sequens exemplum in hac Ecclesiâ se petiit tumulari; & juxtà eum dextrâ levâque jacent Pontifices bini. Santus verò Tetricus successor ejus, ad dexteram partem ipsius Basilicæ est positus.

Cœmeterium Divionense.

Inibi sanctimonialium congregatio. Plures Episcopi Lingonenses illo in cœmeterio sepulti.

Claruit ergo per multos annos ille locus, ita ut esset nobilis Abbatia, nullius subjacens dominatui; nisi solummodo Lingonum Pontifici. Sepultura itaque omnium in Divion castro intrà extraque commorantium fuit antiquitùs, ab alveo torrentis, qui per medium influit burgum, usque ad locum quo nunc est monasterium: quod testatur multitudo vasorum per illam planiciem longè lateque creberrimè positorum. In hujus sepulturæ ultimis finibus ad occidentem versùs corpus sancti Benigni post martyrium positum fuit à Beatâ Leonillâ, ædificatâ super eum humili opere cryptâ, prout permisit temporis angustia. Juxtaque illam cryptam jacuit sancta Paschasia, & ipsa per ignem martyrio consummata.

Sanctus igitur Gregorius post quàm sibi divinitùs revelatum transtulit sancti martyris corpus, condignamque illi eleganti opere jussit ædificari Basilicam, omnem hanc terram, de qua loquuti sumus, dedit sancto Benigno, constituitque, ut hoc solum esset generale cæmeterium, pertinens ad jus istius Monasterii deinceps & in futurum. Quam constitutionem confirmavit Apostolicâ authoritate Hormisda; deinde Joannes qui post sanctum Gregorium nonus decimus præfuit Romanæ Ecclesiæ, scripto roboravit. Sergius quoque post hunc tertius, qui præsumsisset hanc transgredi sub anathematis vinculo interdixit. Cujus exemplar Epistolæ huic libro non pigebit suo loco inserere. Sed & alii Pontifices successores eorum, necnon & Lingonici Præsules hujus institutionis transgressores, & omnes qui aliquam vim vel calumniam intulerint intrà præscriptam terram, vel claustrum quod conjacet in circuitu hujus loci, vel familiam Sancti & servos afflixerint, excommunicationis vinculo adstrinxerunt: inter quos præcipuè Isaac & Geilo Episcopi, terribili imprecatione percusserunt omnes malefactores istius loci, & Deum, & omnes sanctos ejus, sanctumque Benignum, in cujus rebus malè agunt, habeant infensos & contrarios, nisi resipuerint, & ad emendationem venerint.

S. Gregor. Episc. Lingo. Monasterium ædificat.

Nunc veniendum est nobis ad narrationem rei ob quam maximè cœptus est liber iste.

Postquàm, sicut diximus, sanctus Gregorius, ædificato templo ad honorem Dei & sancti Martyris ejus Benigni, congregationem hîc adunavit Monachorum, ut eis non deessent temporalia subsidia, studuit ditare hunc locum, terrarum, possessionumque largâ munificentiâ. Dedit ergo de rebus propriis, & de rebus Episcopi plurima: inter quæ dedit pote-

Illud ditat.

statem, quæ dicitur Saciacus, cum Ecclesiâ & omnibus appenditiis, scilicet villas numero tredecim; quæ sunt Corlenis, Isiadus, Rumiliacus, Frascinus, Camberia, Linerolus, Brucialis, Bruciacus, Cernadus Vallis, Bonacurtis, Juvenadus, Longus-Campus; istas villas cum omnibus adjacentiis, seu & omni re superpositâ, campis, pratis, sylvis, pomiferis, pascuis, accessis, aquis aquarumque decursibus, & omnes redditus, totum ad integrum, unà cum mancipiis, libertis, cum omni peculio eorum, unà cum accolabus dedit ad servitium Monachorum jure perpetuo ad possidendum.

Hîc pauca de Hilario Comite, quæ in autographo legi nequeunt, desiderantur.

Igitur quoniam in principio hujus libri fecimus mentionem Regum, qui illo tempore regnabant in Franciâ, & Burgundiâ, prosequenda nobis eorum Chronica, usque ad Guntrannum Regem, qui hunc locum valde extulit, & deinceps ad Carolum Imperatorem, Ludovici Cæsaris filium, qui penè collapsum reparavit hoc monasterium. Siquidem ad cognoscendas Abbatum successiones, qui per diversa hîc præfuerunt tempora; & quæ sub uniuscujusque illorum regimine huic loco collata sunt [d] fidelium largitione; Episcopos quoque Lingonicæ Ecclesiæ qui circà hunc locum munificos se exhibuerunt, nominatim singulos curabimus ostendere; & quid ab unoquoque illorum collatum sit in augmentatione hujus domûs Dei, sigillatim demonstrare.

Igitur Childerido Rege Francorum defuncto, Clodoveus filius ejus succedit in regnum, vir bellicosus & in armis strenuus. Anno quinto regni ejus Siagrius, filius Ægidii, patritius Romanorum, qui in Galliis habitabat, in Suessionis civitate, quam pater ejus tenuerat, residebat. Super quem Clodoveus cum exercitu advenit, atque devicit. Siagrius fugiens ad Alaricum Regem Gothorum, Tolosæ aliquamdiù habitavit. Clodoveus legatos ad Alaricum misit, ut eum redderet, alioquin noverit sibi bellum illaturum. At ille metuens, Siagrium vinctum Legatis tradidit; quem Clodoveus custodiæ mancipavit, regnumque ejus acceptum, & omnia quæ illius fuerant, suæ potestati subegit, cumque gladio trucidari præcipit: atque ex illo die à dominatione imperii sublata est Gallia. Anno decimo regni sui Clodoveus commoto exercitu sibi Toringiam provinciam subjugavit: inde Gundebaudi Regis Burgundionum neptem, videlicet fratris sui Chilperici filiam (quem gladio interfecerat) nomine Crotildem, pulchram satis puellam, & verè christianissimam, interveniente Aureliano Consiliario ac Legatorio suo, in conjugem sumpsit: nuptiæ Cavilonno præparantur. Venientes cum celeritate Franci Crotildem à Gundebaudo acceptam levantes in basternâ cum multis thesauris ad Clodoveum dirigunt. Postea pænitens Gundebaudus recordatus quòd patrem Crotildæ, matremque ac fratres interfecisset, dirigit protinùs post eam exercitum, qui consequentes thesauros & basternam, cuncta retentant, crotildis verò levata in equum à Francis ad Clodoveum evasit. Quam regali honore assumens, in matrimonium perfecto amore dilexit. Habebat jam tunc Clodoveus filium de concubinâ, nomine Theodoricum. Interea Godegisilus Gundebaudi Regis frater, contrà eumdem germanum suum machinans dolum, per legatos petit auxilium à Clodoveo, cum eum comperisset fortissimum in præliis; promittens si posset ejicere Gundebaudum à regno per ejus adjutorium, tributum se illi solvere paratum. Gundebaudus verò ignorans dolum, ab eodem fratre instigatus præparat exercitum copiosum ad pugnam. Clodoveus cum Francis adversùs duos Reges venit, ingenti multitudine vallatus: initum est bellum super Oscaram fluvium, secùs castrum, quod Divion dicitur: Godegisillus Clodoveo conjungitur, uterque exercitus Gundebaudi populum atterit. At ille sentiens dolum fratris, terga vertit, Rodani ripam percurrens Avinionem urbem ingreditur. Et postea per Aridium consiliarium suum pacem à Clodoveo expetiit. Clodoveus verò cum prædâ maximâ, & Francorum exercitu, ad propria est reversus, relictis cum Godegisillo quinque millia Francis. Godegisillus obtentâ victoriâ promissa Clodoveo ex parte implens, Viennam post Gundebaudum dirigit. Exiens Gundebaudus de Avinione resumptis viribus, Godegisillum Vienna circumdat; per aquæ ductum in civitatem ingrediens. Godegisillum interfecit, Francos aggregatos in unam turrim ferro trucidavit, nihil postea Clodoveo reddere disponens. Postea Clodoveus mittens legatum, nomine Paterium [e], virum industrium, ad Alaricum Regem Gothorum, de amicitiæ inter eos conditione mandavit. Alaricus verò cum per Paternum vellet Clodoveum decipere, à Paterno exploratis quæ circà eum erant, & thesauris ejus ingenio subarratis, illusus est. Igitur Clodoveus adversùs Alaricum arma commovit, & in campaniâ Voglanense decimo ab urbe Pictava miliario Alaricum interficit, plurimâ manu Gothorum trucidatâ, regnum ejus à mari Tyrrheno Ligereque fluvio, & monte Pyrenæo usque ad oceanum mare, à Clodoveo occupatum est. Et thesauros ejus à Tolosa auferens, secum Parisius duxit. Per idem tempus ab Anastasio Imperatore Codicillos Clodoveus Rex pro consulatu accepit; cum quibus codicillis etiam illi Anastasius coronam auream misit gemmis decoratam, & tunicam blatteam. Ex illo die Consul & Augustus est appellatus. Post hæc mortuus est Clodoveus Rex in pace, & sepultus est in Basilicâ sancti Petri Apostoli; quam ipse & Regina sua ædificaverunt Parisius; quæ hodie sanctæ Genovefæ templum nuncupatur. Mortuus est autem anno quinto, postquàm cum Alarico Rege Gothorum pugnavit. Regnavit verò annis triginta: fiunt à transitu sancti Martini usque ad obitum Clodovei anni centum duodecim.

Gundebaudum devicit.

Atque etiam Alaricum Gothorum Regem.

Init amicitiam cum Anastasio Imperat.

Moritur.

Clodoveus ab imperio Romano Galliam eximit.

Clodildẽ ducit uxorem.

Mortuo Clodoveo Rege quatuor filii ejus, id est Theodoricus, Clodomeris, Childebertus, Clotarius, regnum ejus æquo ordine inter se diviserunt. Sortitus est sedem Theodoricus Mettis: Clodomeris Aurelianis: Childebertus Parisius: & Clotarius Suessionas. Theodoricus habebat jam filium, nomine Theodebertum, utilem, & strenuum. Amalricus filius Alarici sororem eorum in matrimonium accepit, Barcinona à Childeberto & Francis occisus est. Dani evectu navali Gallias appetunt, in regno Theodorici irruunt à Theodeberto filio Theodorici superantur, omnemque prædam & vitam amiserunt.

Filii regnum dividunt. 511.

Gundebaudi filius Sigismundus apud Genevensem urbem, villâ Quadrunio, jussu patris sublimatur in regno, habens uxorem filiam Theodorici Regis Italiæ: unde habebat filium nomine Sigiricum. Eâdem mortuâ aliam duxit uxorem: filium suum, quem ex priore conjunge habebat, novercæ insidiis jussit interfici. Unde postea pœnitentiam agens, Monasterium sanctorum Agaunensium miri operis construxit. Cumque ibi in orationibus persisteret, jejuniis & eleemosynis intentus, revelatum est ei ab Angelo, ut ad instar cœlestis militiæ psallendi choros institueret. Quo divinitùs accepto consilio, Episcopos, & alios religiosos viros consuluit, utrum salubriter cogitaret. Quâ interrogatione sancti Antistites inter se ventilatâ, licet inusitatum opus, tame Domino

Agaunense Monasterium construit Sigismundus.

[d] *collata sunt*] Acherius ediderat *collocata sunt*.

[e] *nomine Paterium*] In altero codice *Paternum*.

mino annuente unanimiter corroboraverunt. Quod sanctum opus servitutis Dei perfectè institutum, & confirmatum, & pari consensu omnium. Atque ex tunc laudes Deo omnibus [horis] persolvuntur: aliaque plurima monasteria præfatus Sigismundus ædificavit.

Chrotildis assiduè filios admonebat mortem patris matrisque vel fratrum ulcisci. Quam ob causam illi Burgundias appetunt, Sigismundum, & Gaudemarem Gundebaudi fratrem in prælio vincunt. Clodomeris Sigismundum, ad Monasterium sanctorum dum fugeret, captum, cum uxore & liberis Aurelianis adducit: Godemaris terga vertens latuit; postea resumptis viribus regnum Burgundiæ tenet. Clodomeris iterum adversùs Godomarem exercitum movet. Sigismundum cum uxore & liberis interfecit. Clodomeri ab Avito Abbate prædictum est, quod fecerat Sigismundo ipsum itidem passurum. Cumque Veserantia Franci cum Burgundionibus bellum inissent, Clodomeris capite truncatus est deceptus ab auxiliis Theodorici, qui filiam Sigismundi habebat uxorem. Franci verò in ipso prælio resumptis viribus, Burgundionibus superatis, & ad internecionem perductis, patriam eorum devastant. Clotarius uxorem Clodomeris, nomine Gundiocam uxorem, ducit. Filios verò ejus tres his nominibus Idoaldum, Guntarium, Clodoaldum, Crothechildis alebat. Clotarius & Childebertus fugato Godemare Burgundias occupant. Theodoricus filio suo Theodeberto cujusdam Regis filiam desponsavit, Wisegardam nomine. Theodoricus vigesimo tertio regni sui anno moritur. Regnum ejus Theodebertus assumsit, magnum se in omnibus & bonitate præcipuum ostendit.

Childebertus & Clotarius Hispanias depopulantur.

Post hæc Childebertus & Clotarius, ut diximus, Hispanias appetunt, easque parte maximâ depopulati sunt, Amalricum Regem Barcinonæ interficiunt, sororemque suam auferunt. Cæsaraugusta civitas orationibus & jejuniis liberatur. Theodericus Italiæ Rex sororem Clodovei in matrimonium habuit, ex quâ filiam unam cum matre reliquit. Cum mater ei Regis filium sociandum provideret, à servo, nomine Traquilla, accipitur f. Traquilla cum exercitu à matre puellæ capitur, & capite truncatur: acceptam filiam mater disciplinam ei ingerens secum duxit. Filia matrem veneno interfecit. Theodatus regnum Theodorici adeptus, filiam, quæ in matre parricida exstiterat, balneo vehementer succenso jussit includi, ibique comburitur. Unde causâ compositionis quinquaginta millia solidorum Childeberto, Clotario, & Theodeberto transmissa sunt. Quod Childebertus & Theodebertus inter se dividentes, nihil ex inde Clotario dederunt. Theodato defuncto Totilla successit in regnum, quem Narses patricius interfecit, regnumque Gothorum in Italiâ destructum est. Narses à Romanis per invidiam accusatus apud Justinum & conjugem ejus Sophiam, quòd servitio premeret Italiam; timens secessit Neapoli Campaniæ, & scripsit genti Longobardorum, ut venirent & possiderent Italiam. Theodebertus Rex cum exercitu Italiam ingressus, eam maritimis terminis depopulatus est, Narsete patricio in fugam verso. Postea Bucellinus Dux jussu Theodeberti Siciliam occupavit, totamque Italiam dominatus est. Magna felicitas in his omnibus fuit.

Clotarius de Ingunde Guntarium, Childericum, Aribertum, Guntranum, Sigibertum, & Clodesindam filiam habuit: de Arigunde sorore Ingundis, Chilpericum, & de Unxinâ habuit Chrannum, Bucelinus in Italiâ apud Belisarium & Narsetem Patricios sæpiùs fortiter dimicans, eos in fugam vertit, eorumque exercitum proterit. Tandem infirmatus à profluvio ventris, exercitusque suus eâ infirmitate attritus, Belisario jam interfecto, à Narsete superatur, & interficitur. Theodobaldus filius Theodoberti Walderatam duxit uxorem. Fuit valde iniquus suis. Secundo anno regni sui Theodebaldus obiit, regnumque ejus Clotarius accepit, copulans Walderatam sibi uxorem. Eo anno rebellantes Saxones, Clotarius commoto exercitu maximam eorum partem detinuit; Toringiam vastans quòd eis auxiliari præsumsissent. Nec multo post tempore denuò Saxones rebellantes Clotarius movit exercitum adversus eos: Saxones offerentes cuncta emendare quæ malè gesserant, & dimidiam partem ex omnibus rebus suis, exceptis uxoribus & liberis, in compositione promittunt dare. Quod Franci accipere despicientes, sed omnes volentes interficere, inito certamine, tanta strages à Saxonibus de Francis facta est, ut mirum fuisset. Childebertus Rex apud Parisios obiit, & in Basilicâ S. Vincentii, quam ipse construxerat, sepultus est. Cujus thesauros & regnum Clotharius accepit. Clotharius pro suis peccatis quæ gesserat, aut negligenter egerat, ad limina beati Martini Confessoris properat; exinde Compendio villâ veniens, anno quinquagesimo uno regni sui vexatus à febre obiit. Chilpericus occupatis thesauris Clotarii patris sui in villâ Brennaco, sedem Childeberti Parisius occupavit. Sed mox exinde repellitur. Aribertus, Guntramnus, Chilpericus, & Sigibertus regnum patris dividunt. Dedit sors Ariberto regnum Childeberti, Parisius sedem habens. Guntrannus verò regnum Clodomeris, sedem habens Aureliis. Chilpericus regnum Clotarii, cathedram habens Suessionis. Sigibertus quoque regnum Theodorici, sedem habens Mettis. Eodem tempore Chuni Gallias appetunt, contrà quos Sigibertus movet exercitum, eosque vicit atque fugavit; postea cum eis pacem inivit.

Obiit Childebertus.

561.

GUNTRANNUS in Burgundiâ regnans, fuit Rex bonus, timens Deum, eleemosynam pauperibus largiter tribuens, tantâ prosperitate regnum tenuit, ut omnes etiam vicinæ gentes ad plenitudinem laudes de ipso canerent. Accepit primùm concubinam, nomine Venerandam, de quâ habuit filium nomine Gundebaudum. Post accepit Marchitrudem, filiam Magnacharii: quæ postquàm de Guntranno habuit filium, veneno Gundebaudum, prioris conjugis filium, interfecit. Ipsa judicio Dei filium quem habebat perdidit, & odium Regis per saginam incurrit. Eâ dimissâ Austrichildem, cognomento Bochilane, Gunthrannus uxorem accepit. De quâ duos filios habuit, his nominibus, Clotarium, & Clodomerem. Guntrannus instituit Celsum patricium in locum Auricolanis, virum in verbis paratum, & ad omnia promptissimum. Gens Longobardorum comitante fame & mortalitate omnem invalit Italiam, ipsamque Romanam vastatrix obsidet urbem. Quibus tempore illo Rex erat Albuinus. Hic Clotarii Regis filiam, nomine Clodosindam habuit uxorem. Mortuo Albuino Longobardi Regem, nomine Clip, super se elegerunt. Haribertus Rex, frater Gunthranni, accepit uxorem, nomine Ingobergam. Qua relictâ Merofledam, Lanarii filiam accepit; & aliam pastoris ovium filiam, Theudichildam, duxit uxorem: ex quâ habuit filium, sed protinùs moritur.

Porrò Sigibertus cum videret fratres suos viles uxores accipere, Drogonem Majorem-domûs causâ

f *accipitur*] Lege *decipitur*. Scil. Theoderici filiæ idem accidit quod antea Honoriæ Plac. Valentiniani sorori; nec pudicitiam suam diligentiùs quàm illa, servavit.

..gationis ad Anagildum Regem direxit, petens ut filiam suam, Brunam nomine, conjugio traderet. Quam Anagildus cum multis thesauris Sigiberto ad matrimonium transmisit. Ad nomen ejus ornandum, est auctum, ut vocaretur Brunichildis. Quam cum multâ lætitiâ & jucunditate Sigibertus accepit uxorem. Quæ ipsum Drogonem continuò apud Sigibertum fecit odiosum. Ac post eadem instigante interfecit. Tanta mala, & effusiones sanguinum, Brunichildis consilio in Franciâ factæ sunt, ut Prophetia Sybillæ impleretur, dicentis: *Venit Bruna de partibus Hispaniæ, ante cujus conspectum gentes peribunt. Hæc verò equitum calcibus disrumpetur.* Chilpericus Gachilisendam, sororem ejus, habuit uxorem; relinquens Fredegundem, & alias quas habuerat uxores. Postea transcendens sacramentum quod Gothorum Legatis dederat, ne unquam eam de culmine regni degradaret, ipsam sugillare fecit. Post cujus mortem, Fredegundem denuò accepit uxorem. Habebat Chilpericus de priore Reginâ Andovera tres filios, Theodebertum, Meroveum, & Clodoveum. Sigibertus præcepit Arvernis civibus Arelatam occupare. Jubente Guntranno à Celso Patricio Arverni trucidati sunt. *Anatagildo* Rege Hispaniæ defuncto, Lenna cum Levildo fratre regnum assumunt: moritur Lenna. Levidus integrum Hispaniæ regnum tenet, habens Gadundam matrem Brunichildæ uxorem.

566. Eodem tempore defuncto Constantinopoli Justiniano Imperatore, Justinus ambivit imperium, vir iniquus & cupidus: ad quem Sigibertus legatos Warnacharium Francum, & Firminum Comitem direxit, qui pacem cum Imperatore facerent. Qui secundo anno sunt reversi. Defuncto Ariberto Sigibertus regnum ejus obtinuit. Prorumpentibus Longobardis in Galliis Amatus Patricius ab ipsis interficitur. De Burgundionibus multæ ibidem strages factæ sunt. Post Amatum Mommolus Patriciatum assumsit. Irruentibus iterùm Longobardis in Gallias, Mummolus contra eos fortiter dimicavit, & usque ad internecionem oppressit. Pauci ex eisdem Italiam repedarunt. Saxones, quos Theodebertus in Italiam miserat, in Gallias prorumpunt, apud Stuplonem castra ponentes. Multæ strages per vicina loca ab ipsis perpetrantur; qui à Mommolo superantur, & in Italiam fugaciter revertuntur, amissis omnibus quæ prædaverant. Iterum Saxones cum uxoribus & liberis in Gallias properant, ut à Sigiberto Rege recepti, in locum unde exierant redirent. Venientes in territorio Avennico Mummolus protinùs obviam veniens, eis Rhodanum transire non permittebat. Postea acceptis muneribus transire eos permisit. Ad Sigibertum pergentes, unde priùs egressi fuerant, sunt stabiliti. Postea defuncto Clip, Longobardorum Duces Chamo, Zabau, & Rhodanus Gallias irruperunt. Quibus obviam Mummolus cum exercitu venit, & hos tres Duces cum exercitu eorum usque ad internecionem delevit. In alio anno Mummolus cum exercitu Turonos cum Pictavis, jubente Guntranno, de potestate Chilperici abstulit, & ad partem Sigiberti restituit. Multi ibidem de exercitu Chilperici, & ipsi Pictavenses sunt gladio trucidati Taloardus & Uncio Duces Longobardorum per Hescola in Sedunensi territorio cum exercitu sunt ingressi, ad Monasterium sanctorum Agaunensium usque accesserunt. Nimia strage Baccis-villa, non procul ab ipso Monasterio, Duces eorum exercitus à Violico & Theodorico Ducibus Gruntanni sunt interfecti. Quadraginta tantùm ex illis fugaciter Italiam remearunt.

Postea Chilpericus & Sigibertus ineuntes consilium, ambo moverunt exercitum, volentes Guntrannum interficere, regnumque ejus assumere. Sed voluntate Dei mutato consilio, Sigibertus super Chilpericum irruit, jam ejus exercitus ad propria festinans longe aberat, cum hæc cognovisset Chilpericus, terga vertens Tornacum pervenit. Sigibertus post tergum ejus venit Parisius ibique sanctum ac beatissimum Germanum Parisiorum urbis Episcopum Sigibertus cum vidisset, hæc ab eodem verba Prophetiæ audivit: *Si germanum tuum ita perse. ni cogitas; ut eum interficere disponas, & regnum ejus auferre; Scriptum est, Foveam quam fratri tuo paras, in eamdem cades.* Cujus castigationem nolens audire cogitabat cœpta perficere. Cumque Victuriaco accessisset, omnes Nephrasii g se sui ditioni subjecerunt. Ansoaldus tantùm cum Chilperico remansit. Fredegundis duobus pueris dolo transmissis Sigibertum interficiunt; & ipsi interfecti sunt. Resumptis viribus Chilpericus suum regnum recepit. Brunichildis cum filio suo Childeberto Parisius sub custodiâ tenebatur. Sed factione Gundoaldi Ducis, Childebertus in perâ positus, per fenestram demissus à puero, Metis solùs exhibitus est, ibique à Gundoaldo vel Austrasiis in regno patris sublimatur. Brunichildis jussu Chilperici in exilium Rotomago traditur. Sigibertus in Ecclesiâ sancti Medardi sepultus est ætate quadragenariâ, anno regni sui decimo quarto.

Eo tempore sanctus Germanus Parisiorum Episcopus transiit. Mummolus Patricius Guntranni, contrà Clodoveum & Desiderium Ducem Chilperici bellum gessit, eosque superavit. Chilpericus enim filium suum Clodoveum transmiserat, qui & ultrà Ligerim civitates Childeberti pervaderet. Cæsa sunt à Mummolo exercitûs quinquaginta millia, à Desiderio verò viginti millia. Chilpericus tres filios jam adultos ab infirmitate dissentirii uno anno perdidit quos de Fredegunde habebat. Restiterat adhuc Clodoveus filius ejus, quem postea instigante Fredegundæ vinctum custodiâ retrusit; ibique factione Fredegundis cultro percussus obiit. Chilpericus denuò ut filius sibi nasceretur, jubet omnes carceratos relaxare. Obiit S. Germanus.

GUNTRANNUS Rex duos Magnacharii filios gladio interemit, instigante Austrichilde Reginâ, facultates eorum fisco redigit. Filii Guntranni duo continuò moriuntur. Guntrannus Childebertum adoptavit in filium. Anno quoque tertio Childeberti Regis, qui erat Chilperici & Guntranni sextus decimus, stella in medio lunæ visa est fulgens. Childebertus Rex Ingundem sororem suam Ermingildo Leovigildi Regis Wisigotorum tradidit filio, qui hortatione Leandri Hispalensis Episcopi, & suæ conjugis, ad fidem Catholicam conversus est. Anno quinto Childeberti Regis tantæ lues per universas regiones factæ sunt, ut omnibus mirum fuisset, & universa flumina terminos quos nunquam excederant prætererunt. Childebertus Rex Italiam intravit, & Longobardi se ejus ditioni commendant. Gloriosè exinde Childebertus revertitur. Acceperat prius à Mauricio Imperatore quinquaginta millia solidorum auri, ut Longobardos de Italiâ expugnaret. Sed non solùm eis non nocuit, verùm amicitias cum ipsis inivit.

GUNTRANNUS Rex Francorum cum jam anno vigesimo tertio regnum Burgundiæ feliciter regeret, videns sibi liberos non superesse, cœpit thesauros suos in eleemosynis pauperum distribuere, Monasteria & loca sancta ex ipsis thesauris ditare. Inter 587. Multa donat Ecclesiis Guntran. Rex.

g *Nephrasii*] In altero codice *Rutrasi*.

quæ Ecclesiam hujus patroni nostri, sancti scilicet Martyris Benigni, donis optimis extulit. Ipse denique Domnus Guntrannus præexcellentissimus Rex dedit sancto Bigno vicum, qui est in prospectu Monasterii, tunc magnæ amplitudinis, vocatum Elariacum, cum omnibus appenditiis suis, super Oscaram fluvium situm. Et omnia quæ nunc usque ad possessionem pertinent hujus loci, à ponte Divionis usque Floriacum villam, contulit memoratus Princeps sancto Martyri Benigno: in Biciso [h] scilicet, in villâ Colanias dictâ, in Plomberias, in Seliniaco, in Sconsio, in Villari, in Campiniaco, in Lanterinaco, in Girone, in Corcellas, in Flaviniaco, in Prunido, in Jussiaco, in Matriniaco, in Barbiriaco, his & aliis locis mansa, vestita & absa*, cum mancipiis plurimis utriusque sexûs, terris cultis & incultis, vineis, sylvis, pratis, & pascuis, aquis, aquarumque decursibus, ingreditus, exiis & egressis, omnibus rebus exquisitis & inquirendis, totum ad integrum contulit memoriâ dignus Rex Guntrannus Deo & sancto Benigno, ad victum Monachorum Deo in hoc loco deservientium, ut pro se ac sequentium Regum salute, & peccatorum remissione, regnique totius statu divinam exorent clementiam Monachi in isto loco degentes. Insuper etiam instituit, ut ad similitudinem Monasterii sanctorum Agaunensium diu noctuque divinum in hac Ecclesiâ persolveretur officium. Et ut hæc institutio per succedentia tempora non tepesceret, vel monasticus ordo deperiret, constituit, ut Abbates illius loci, Rectores & Provisores in hac domo essent, ut una congregatio, unusque utrobique servaretur ordo. Similiter instituit de loco sancti Marcelli, ubi ipse Rex corpore quiescit, quem thesauris & pecuniis, possessionibus etiam multis ditavit, operibus miris & ædificiis decoravit.

Apollinarem igitur, inter reliquos comperimus sancti Mauricii, atque hujus loci, sanctique Apri apud Tullum, fuisse Abbatem, ut ipsi referunt in antiquis se invenisse scriptis. Sed & successores ejus deinceps per multa tempora hujus loci habuisse curam. Quapropter hic Patronus noster sanctus Benignus illis in partibus plurima conquisivit terrarum prædia per illud tempus, ut in eundo & redeundo Abbates, eorumque fideles, ad hospitandum haberent suæ possessionis loca. Siquidem juxtà vicum, qui nuncupatur Urba, est Ecclesia sancti Benigni nomine sacrata, quam ferunt ejusdem loci incolæ pertinuisse quondam ad jus istius Ecclesiæ. In Burgo, quam vocant Pontem-Artic, super Dubiam fluvium situm, medietas ipsius vici cum Ecclesiâ dedicatâ in honore sancti Benigni, & villa juxtà ipsum Burgum sita, quæ dicitur Ad Stabulos, olim fuerunt possessio istius Abbatiæ. Quæ in præstariam data, possidentium violentiâ, ac Principum injustitiâ, ac temporum variis eventibus sunt amissa. Super Lupam rapacissimum fluvium, loco nuncupato Petregio, per quod Romam petentium quondam fuit iter, & est juxtà Burgum Salinas vocatum, homines liberi ibidem commanentes, se & sua commiserunt patrocinio hujus sancti Benigni, annisque singulis persolvebant ad ejus altare censum à semet constitutum.

Denique cum per illud tempus sanctus Martyr Benignus crebris virtutum signis claresceret, & miraculorum insignia, sanitatumque dona omnibus ad ejus tumulum venientibus ostenderentur, & largissima Domini bonitas in talibus veneratur, colitur, adoratur, magnificatur, Reges & Principes ob sancti Martyris meritum cœperunt locum diligere, muneribus & bonis extollere: nobiles quique possessiones & prædia condonare: devotus populus plurima conferre; multi etiam ejus patrocinio se ipsos committere. Tunc honorati quidam homines ex territorio Vesuntiensi, de villâ Cussiacus vocatâ, advenientes ad ejus Sancti limina, ejus patrocinio se commendaverunt mente devotâ. Permanseruntque annis multis in hujus sancti Benigni & ei servientium Monachorum famulatione, donec Alberico Comiti nuper data in præstariam eadem villa, ab eo injustè collata est sancto Stephano prædictæ urbis Patrono, pro sepulturæ suæ loco. Tamen usque hodie possessionis illius homines sancti Benigni servos se profitentur esse.

Igitur Legati Chilperici Ansoaldus & Domegilesus, qui ad conspiciendam dotem in Hispaniâ missi fuerant, sunt reversi. His diebus Leobildus Rex contrà Erminigildum filium suum in exercitu residebat: quem parvo transacto tempore interfecit. Ejus verò uxor volens reverti Franciam, unà cum filio capta, atque Siciliam perducta est: ibi usque ad mortem exulavit. Chilpericus Fredegundam filiam suam cum magnis thesauris & multa familiâ in ejus obsequium Hispaniam direxit. Quam filius Leopildi uxorem accepit. Nec post mora exstante Chilpericus veniens ad villam Calensem, quæ distat ab urbe Parisius quasi centum stadiis, illic venationem exercebat. Quadam verò die regressus de venatione jam obscurâ nocte, dum de equo susciperetur, & unam manum super scapulam pueri teneret, adveniens quidam nomine Falco, qui missus à Brunichilde fuerat, cum cultro sub ascellam percussit, iteratoque ictu ventrem ejus perforat; statimque fluente copiâ sanguinis tam per os quàm per aditum vulneris, spiritum fudit.

Cumque Guntranno perlatum fuisset, eo quod frater suus Chilpericus esset interfectus, perrexit Parisius, ibique Fredegundam cum filio Chilperici Clotario ad se venire præcepit. Quem Riolo-villâ baptizare jubet, & eum de sancto lavacro excipiens in regnum patris firmavit. Anno vigesimo quinto regni sui exercitus Guntranni Hispaniam ingreditur. Sed loci infirmitate gravatus protinùs ad propria revertitur. Anno vigesimo sexto ejusdem regni Leudiscus à Guntranno Patricius partibus Provinciæ ordinatur. Childeberti Regis filius Theodebertus natus fuisse nuntiatur. Eo anno nimia inundatio fluminum in Burgundiâ fuit, ita ut solitum terminum nimium transcenderent. Ipsoque anno Leupildus Rex Hispaniæ moritur. Et obtinuit regnum Richaredus filius ejus. Anno vigesimo septimo regni Domni Guntranni alius filius Childeberti, nomine Theodoricus, natus nuntiatur.

Longobardorum gens quemadmodum tributa duodecim millia solidorum ditioni Francorum annis singulis solvebant, referam: vel quo ordine duas civitates Augusta & Suisio cum territorio ad partem Francorum cassaverant [i], dicam. Defuncto Clip Principe Duces Longobardorum duodecim annos sine Regibus transegerunt: ipsoque tempore (sicut suprà scriptum legitur) per loca in regnum Francorum proruperunt. Pro hac præsumptione in compositione Augustam, & Suisium civitates, cum integro illorum territorio & populo partibus Guntranni tradiderunt. Post hæc legationem ad Mauricium Imperatorem dirigunt. Hi duodecim Duces singuli Legatos dirigunt, pacem & patrocinium imperii petentes. Iidemque & alios Legatores duodecim ad Guntrannum & Childebertum destinant, ut patro-

h in Biciso] In altero codice *Bi?co* .... *Colonicas* .... *Siliniaco*. Item infra *vestita & ha?ja*.

[illegible] [illegible].

i *cassaverant*] Vox nihili, an *cesserant*?

h

D: S. Benigni Cœnobio.

Multa conferuntur S. Benigni Monaster.

Chilperici mors.

589.

i

Longobardi tributa Francis solvunt.

cinium Francorum & defensionem habentes, duodecim millia solidos annis singulis duobus Regibus in tributa implerent, vallem, cui nomen Ametegis, partibus Guntranni cassantes. His Legatis ubi plus congruebat patrocinium sibi firmarent. Post hæc integrâ devotione patrocinium eligunt Francorum. Nec mora post permissu Guntranni & Childeberti & Clotarii Ducem super se Longobardi sublimant in regnum. Alius Antharius itemque Dux cum integro suo Ducatu se ditioni imperii tradidit, ibique permansit. Antharius verò Rex tributa, quæ ad partem Francorum spoponderat, annis singulis reddidit. Post ejus decessum filius ejus Ago in regnum sublimatus, similiter implesse dignoscitur.

597. Guntrannus vitâ fungitur. Anno trigesimo secundo regni Guntranni, ita à mane usque ad medium diem sol minoratus est, ut tertia pars ex ipso vix appareret. Anno trigesimo tertio regni Guntranni, quinto Kalendas Aprilis ipse Rex moritur, sepultus est in Ecclesiâ sancti Marcelli, in Monasterio, quod ipse construxerat. Regnum ejus Childebertus assumsit; quod tenuit annis quatuor. Anno tertio Childeberti regnantis in Burgundiâ, multa signa cœlo ostensa sunt, & stella cometes aparuit. Anno quarto, postquàm Childebertus regnum Guntranni acceperat, defunctus est, regnumque ejus filii sui Theodebertus & Theodericus assumunt. Theodebertus sortitus est Austriam, sedem habens Mettis. Theodericus accepit regnum Guntranni in Burgundiâ, sedem habens Aurelianis. Anno quarto regni Theodorici clades glandolaria Massiliam & reliquas Provinciæ civitates graviter vastavit. Eo anno aqua calidissima in lacu Dunense, in quem Arola fluvius influit, sic validè ebullivit, ut multitudinem piscium coxisset. Anno quinto Theoderici regni, iterum signa quæ anno superiore visa fuerant, globi ignei per cœlum currentes, & ad instar multitudinem hastarum ignearum ad occasum apparuerunt. Ipsoque anno Theodebertus & Theodericus Reges contrà Clotarium movent exercitum, & super fluvium Aroanna, nec procul à Doromello vico prælium confligentes, junxerunt: ibique exercitus Clotarii Regis gravissimè trucidatus est; ipseque cum ipsis qui remanserant, in fugam versus, pagos & civitates Sequanæ, qui se Clotario tradiderunt, depopulantur & vastant. Plurimi captivi ab exercitu Theodeberti & Theoderici abducuntur. Clotarius oppressus vellet nollet per pactionis vinculum firmavit, ut inter Sequanam & Ligeram usque mare Oceanum & Britannorum limitem Theodericus haberet, & per Sequanam Isaram ducatum Denteleni integrum usque mare Theodebertus recepit. Duodecim tamen pagi inter Isaram & Sequanam, & mare Oceanus, Clotario remanserunt.

602. Anno sexto regni Theodorici natus est ei filius de concubina, nomine Sigibertus. Eo anno Theodebertus & Theodoricus exercitum contrà Vascones direxerunt; ipsosque, Deo auxiliante, devictos in suam dominationem redigunt, & tributarios faciunt. Eodem anno corpus sancti Victoris, qui Salodoro cum sancto Urso passus fuerat, à beato Econio Pontifice Mauriense invenitur. Viderat namque in visu ut surgens protinùs iret ad Ecclesiam, quam Sedeleuba Regina suburbano Genevense construxerat, & in medio Ecclesiæ designatum locum, ubi sanctum corpus jacebat. Cumque Geneva perrexiilet cum beatis Rustico & Patricio Episcopis, triduanum jejunium facientes, lumen per noctem splendidum, ubi gloriosum illud corpus erat, apparuit. Quem silentio hi tres Pontifices cum lacrymis & orationibus, elevato lapide, in arcâ argenteâ invenerunt sepultum. Cujus faciem rubentem quasi viveret, reperiunt. Ibi Theodericus Rex præsens aderat, qui multis muneribus Ecclesiam ipsam ditavit, & maximam partem ex facultatibus Warnacarii ibidem contulit. Eodem anno Eucherius l Episcopus Lugdunensis obiit. Ordinatur loco ipsius Secundinus Episcopus. Eodem anno Focas Dux & Patricius Reipublicæ victor à Persis rediens, Mauricium Imperatorem interfecit; & in loco ipsius imperium assumpsit. Anno septimo regni Theoderici de concubinâ nascitur ei filius nomine Childebertus. Eo anno sol obscuratus est. Anno quoque octavo regni Theoderici nascitur ei filius de concubinâ nomine Corbus. Eodem tempore Berthoaldus genere Francus, Major domûs Palatii erat Theoderici, moribus mensuratus, sapiens & cautus, in prælio fortis, fidem omnibus conservans. Defuncto Wandalmaro Duce in pago Ultramrano m & Sentengorum, Protadius ordinatur Patricius, instigatione Brunichildæ; & ut Bertrandus * interiret, cum à ripâ Sequanæ usque Oceanum mare per pagos & civitates fiscum inquirendum dirigunt. Bertoaldus à Theoderico missus cum trecentis tantùm viris, illis partibus properavit. Hæc comperiens Clotarius filium suum Meroveum, & Laudericum Majorem domûs cum exercitu, ad opprimendum Bertoaldum direxit. Et maximam partem inter Sequanam & Ligerim pagos, & civitates de regno Theoderici præsumsit, contrà pactum prævadens. Cum Theodericus comperisset quòd à Clotario pars regni sui contrà jus fuerat prærepta, protinùs cum exercitu Stempas super fluvium Loa pervenit, ibique obviam Meroveus filius Clotarii Regis cum Lauderico & magno exercitu venit: cum esset arduus transitus ille ubi Loa fluvius transmeatur, vix tertia pars exercitûs Theoderici transierat, initum est bellum. Ibi Meroveus filius Clotarii capitur; Laudericus in fugam versus est; nimia multitudo exercitûs Clotarii in eo prælio trucidata est. Theodericus Rex Victor Parisius ingreditur. Postea pacem Theodericus cum Clotario Compendio villâ inivit. Utriusque exercitus redit ad propria.

Anno decimo regni Theoderici cum Brunichildis avia ejus & Protadius Major domûs assiduè instigarent eum, ut contrà Theodebertum fratrem suum moveret exercitum: tandem jussu Theoderici exercitus coadunatus loco, nomine Caraciaco, castra metasset, hortabatur à leudibus suis, ut cum Theodeberto pacem inirent. Protadius singulos hortabatur ut prælium committerent. Theodebertus non procul exinde cum exercitu residebat. Tunc omnis exercitus Theoderici inventâ occasione suprà Protadium irruunt, dicentes melius esse unum hominem mori, quàm totum exercitum in periculum mitti. Interfecto Protadio Theodericus confusus & coactus cum Theodeberto pacem inivit, & illæsus uterque exercitus ad propria recessit. Anno duodecimo regni sui Theodericus Aridium Episcopum Lugdunensem, Roconem & Eboricum Comitem stabuli, ad Bethericum Regem Hispaniæ direxit, ut filiam ejus Hermobergam matrimonio sui jungendam adducerent. Qui datis sacramentis ne unquam à regno degradaretur, accipientes eam Theoderico Cabilonnio præsentant. Quam ille gaudens suscepit. Factione verò aviæ suæ Brunichildæ non eam cogno-

l *Eucherius* [Is est quem vulgo *Ætherium* vocant.
m *Ultramrano*] Acherius conjicit *Ultrajurano*, sed an idem Dux ultrà Juram montem & in Santonico pago fuit? Mihi sanè non. Infrà haud dubium quin legi opporteat, *& ut Bertoaldus*.

vit, & in tantùm odiosa facta, ut post annum exspoliata thesauris, Hispaniam retransmitteret. Eo anno Theodericus persuasione aviæ suæ Brunichildis, & consilio Aridii Lugdunensis Episcopi utens, sanctum Desiderium Episcopum Viennensem de exilio regressum lapidare præcepit. Ad sepulcrum miræ virtutes hactenùs fiunt. Per idem tempus præsidebat Lingonensi Ecclesiæ Mitius Episcopus, Divionensem verò Abbatiam, (quo in loco sanctus martyr Benignus quiescit) regebat Abbas Venerabilis nomine Gudinus, cujus diebus, scilicet, anno decimo quarto regni Theoderici Regis, quædam nobilis femina, vocata Goyla, cum consensu & laude viri sui, nomine Bonevassi, dedit prædicto sancto Martyri Benigno in villâ Longus-vicus vocata, vel in omnes fines ejus, quidquid habere, vel possidere videbatur, cum omnibus adjacentiis, vel appenditiis suis, hoc est, Fedenniaco, Postomniaco, Monasteriolo, Attegias, medietate Glempono, Curce-buntiana, Ficiaco, Chevenas, Marcenniaco, de his omnibus rebus hæredem fecit post mortem suam & prædicti viri sui, sanctum Benignum.

Episcopi Lingonenses Abbates S. Benigni. Defuncto Micetio Episcopo Dodoaldus successit in Pontificatum. Hic villam vocatam Massiacum commutavit ex propriis rebus, cum illo à quo possidebatur, deditque eam sancto Benigno. Fungebatur tunc in hoc loco Bobolenus Abbatis officio; cui successit Richimarus Abbas, jam Betroaldo Episcopatum tenente. De quibus si non invenimus per scripturam quid addiderint, tamen collata benè providisse & fortiter tenuisse scimus, præcipuè Elariacum vicum, quod à Guntranno Rege collocatum huc sancto Benigno fuerat cum omnibus appenditiis suis: & crebris circummanentium vicinorum molestiis infestabatur: quod usque hodie successores eorum agere non desinunt. Si quidem patres & antecessores eorum ipsum Dei Martyrem occiderunt; iste verò servientes ei non cessat persequi. In illis temporibus fuerunt & alii Abbates in hoc loco, videlicet Etherius, Vidradus, Hugo, Odeleus, Maurinus, de quorum gestis nihil ad nos pervenit, solummodo natalitia obitûs eorum scripta in antiquis martyrologiis invenimus.

Anno duodecimo regni Theoderici natus est ei filius de concubinâ, nomine Meroveus; quem Clotarius de sancto lavacro suscepit. Eo anno mortuo Betherico, Sisebodus successit in regnum Hispaniæ, vir sapiens, & in totâ Hispaniâ laudabilis valde, pietate plenus. Nam & adversùs rempublicam fortiter dimicavit, & provinciam Cantabriam Gothorum ditioni subegit. Dux Francio nomine, qui Cantabriam in tempore Francorum Rex erat, tributa Francorum Regibus multo tempore impleverat; sed cum à parte imperii fuerat Cantabria revocata, à Gothis præoccupatur, & plures civitates ab imperio Romano Sisebodus littore maris abstulit, & usque fundamenta destruxit. Eo tempore fuit Isidorus doctor, Hispalensis Episcopus.

609. Anno decimo tertio regni Theoderici habebat Theodebertus Rex uxorem, Belichildem nomine, quam Brunichildis à negotiatoribus mercaverat: & cum esset Belichildis utilis, & à cunctis Austrasis vehementer diligeretur, simplicitatem Theudeberti honestè comportans, nihiloque se minorem à Brunichilde esse cerneret, & sæpiùs Brunichildem per Legatos despiceret, dum ab ipsâ improperatur quod ancilla ejus fuisset: tandem cum his & aliis verbis Legatis discurrentibus, ab invicem vexarentur, placitum inter Colerence, & Suentense constituitur, ut has duas Reginas pro pace inter Theodericum & Theudebertum conjungerent ad loquendum. Sed Belichildis consilio Austrasiorum inibi venire distulit.

Eo tempore beatus Columbanus; cujus fama sanctitatis creverat jam passim per universas Galliæ & Germaniæ Provincias, erat omnium rumore laudabilis, in omni cultu religionis venerabilis, in tantum, ut Theodericus Rex ad eum sæpe Luxovium, veniret, & orationum suarum suffragia omni cum humilitate posceret. Cumque sæpissimè ad eum veniret, cœpit eum vir Dei increpare, cur concubinarum adulteriis misceretur, & non potiùs legitimæ conjugis solamine frueretur, ut regalis proles ex honorabili Reginâ procederet, & non potiùs ex lupanaribus videretur emergi. Et cùm jam ad viri Dei imperium Rex obtemperaret, & se omnibus illicitis segregare responderet, mentem Brunichildis aviæ, secundæ, ut erat, Jesabelis, antiquus anguis adiit, eamque contrà virum Dei stimulis superbiæ incitat, quia cerneret viro Dei Theodericum obedire. Verebatur enim ne si abjectis concubinis Reginam aulæ præficeret, dignitatis atque honoris sui modum amputasset. Evenit ergo ut quâdam die beatus Columbanus ad Brunichildem veniret (erat enim tunc apud Brucariacum villam) eumque illa cum in aulâ venire cerneret, filios Theoderici, quos de adulterinis permixtionibus habebat, ad virum Dei adducit. Quos cum vidisset, sciscitatur quid sibi vellent. Brunichildis ait; *Regis filii sunt, tu eos benedictionibus robora.* At ille ait; *Nequaquam,* inquit, *istos regalia sceptra suscepturos scias, quia de lupanaribus emerserunt.* Illa furens parvulos abire jubet: egrediens vir Dei regiam aulam, dum limitem transiret, fragor subitò exortus est, qui totam quatiens domum omnibus terrorem incussit, nec tamen miseræ feminæ furorem compescuit. Paratque deinde insidias molire, hortatur Proceres aulicos, Optimatesque omnes, ut Regis animum contrà virum Dei perturbent. Episcopos quoque sollicitare aggressa est, ut de ejus religione detrahendo statum Regulæ, quam suis custodiendam Monachis indiderat, macularent. Obtemperantes igitur Auligeri persuasionibus miseræ Reginæ, Regis animum perturbant, cogentes ut accederet ad locum ac religionem probaret. Abactus itaque Rex ad virum Dei Luxovium venit, conquestus cum viro Dei, cur ab comprovincialium moribus descisceret, & intrà septa secretiora omnibus Christianis aditus non pateret. Beatus Columbanus his & aliis verbis auditis, ut erat audax animo, objiciens Regi respondit: *Si ob hanc causam tu in hunc locum venisti, ut servorum Dei cœnobia destruas & regularem disciplinam macules, scito tuum regnum funditus ruiturum; & cum omni propagine regiâ dimersurum.* Quod postea rei probavit eventus (jam temerario conatu rex refectorium ingressus fuerat.) His ergo territus dictis foris celer repedat. Duris post hæc viri Dei increpationibus Rex urgebatur: contraque Theodericus ait; Martyrii coronam me tibi illaturum speras. Deinde dixit non esse tantæ dementiæ se, ut hoc tantum facinus patraret, sed potioris consilii si ageret, utilia paraturum, ut qui ab omni more discisсat, quò venerat eâ viâ repedare studeat. At quia longum est universa gesta percurrere, quas insidias Reginæ, quæ exilia, & tribulationes quas pertulit, recitare, succinctè finem rei explicemus. Vir Dei deputatis custodibus à Theoderico, qui quousque ditionis suæ regno pelleretur, non eum relinquerent: Namnetis usque perrexit. Moratus ergo ibi paululum, sciens non placere divinæ majestati, ut patriam rediret, post ad Clotarium Chilperici Regis filium, qui in Austrasis Francisque regnabat extremâ Galliâ ad oceeanum positis, pergit.

B. Columbanus multa patitur à Brunichilde.

S. Columba- Clotarius porrò audierat quantis qualibusque in-

nus Clotarii Regem adit. juris virum Dei Brunichildis & Teodericus fatigaverant. Quem cum vidisset, velut cœleste munus suscepit: tenuit ergo eum Clotarius quantis potuit penes se diebus. Erat enim Clotarius pollens in amore sapientiæ.

Ejus prophetia. Beato verò Columbano morante apud Clotarium lis oritur inter duos fratres Theodebertum & Theodoricum, disceptantibus utrisque de regni terminis. Anno igitur quinto decimo regni sui uterque ad Clotarium Legatos dirigit: uterque adversùs parem auxilium postulat. Quod Clotarius beato viro insinuare procurat, consulens, ut si videretur ejus consilii se uni consentiendo, contrà alium dimicaret. Ad quem ille repletus spiritu prophetico, ait: *Neutri te fore pariturum scias convenire consiliis; tuaque intrà trienni tempus in ditione utrorumque regna venire.* Videns Clotarius à viro Dei talia sibi prophetico ore dici, neutri parere voluit; scilicet pronì illorum sibi tempus fideliter exspectans, potitus est triumpho victoriæ.

612. Anno decimo sexto regni sui Theodericus movet exercitum: & Lingonis de universis regni sui provinciis mense Maio exercitus adunatur. Dirigensque per Audalaum, Nasio-castrum, super Ornam fluvium situm, cepit; & inde Tullo civitatem perrexit. Ibi Theodebertus cum Austrasiorum exercitu obviam venit: Tullensi in campaniâ confligunt: Theodericus superat Theodebertum, ejusque prostravit exercitum. Cæsa est eodem prælio nimia multitudo virorum fortium. Theodebertus terga vertens per territorium Mettensem veniens, transita Vosago Coloniam fugaciter pervenit. Theodericus cum exercitu post tergum insequens, Arduinam transiens pervenit Tulliaco [n] Theodebertus, Saxones, Toringos, vel cæteras gentes trans Rhenum, vel undique poterat adjuvare contrà Theodoricum, Tulbiaco perrexit; ibique denuò commissum est bellum à Francis, cæterisque gentibus. Tantaque ibi strages ab utroque exercitu facta est, (ubi Phalanges in congressu certaminis præliabantur) ut cadavera occisorum undique non haberent quâ ruere possent, sed stabant mortui, ac si viverent stricti inter cæteros. Auxiliante Deo iterum Theodericus Theodebertum superat, & à Tulliaco usque Coloniam exercitus ejus gladio trucidatus, oram terræ cooperuit. Eo in tempore vir Dei Columbanus in eremo morabatur, contentus tantùm unius ministri solatio. Eâ ergo horâ, quâ apud Tulliacum commissum est bellum, suprà querci putrefacti truncum sedebat, legens librum; quem subitus sopor oppressit, & quid inter duos Reges agebatur, vidit. Mox excitatus ministrum vocat, cunctamque Regum pugnam indicat, multum humanum sanguinem fundi suspirat. Persequutus est ergo Theodebertum Theodericus, & suorum proditione captum ad aviam Brunichildem Cabillono direxit. Quem illa cum recepisset, quia Theoderici partibus magis favebat, furens Theodebertum fieri Clericum rogavit, ac non multo post impiè nimis perimi jussit.

617. Obiit Theodoricus Austrasiæ & Burgund. Rex. Anno decimo septimo regni sui Theodericus exercitum de Austrasiis & Burgundiâ moveri præcepit, volens super Clotarium irruere. Jamque exercitus aggrediebatur, & Theodericus Mettis civitate profluvio ventris inter flagrantis urbis incendia mortuus est. Exercitus protinùs redit ad proprias sedes. Brunichildis filium ejus Sigibertum in regno patris sufficit. Clotarius collecto exercitu fines regni, qui suæ ditioni debebantur, conatur recipere. Contrà quem Sigibertus cum hostium cuneis pugnaturus advenit; quem Clotarius captum fraude suorum peremit, furensque aliàs, fratres quinque Theoderici filios cum Brunichilde proaviâ eorum cepit: pueros separatim peremit, Brunichildem verò primò ignobiliter camelo impositam, hostibus gyrando monstravit. Postque indomitorum equorum caudis irretitam miserabiliter vitâ privavit. Funditùs ergo radicitusque deleta Theoderici stirpe, Clotarius potitus est trium regnorum monarchiam solus. Brunechildis perimitur.

614. Utroque regno Theodorici potitur Clotarius. Anno trigesimo regni sui Clotarius Burgundiæ & Austrasiorum regnum adeptus est. Anno trigesimo quarto regni Clotarius Walnarium, quem Majorem-domûs in Burgundiâ instituerat, cum universis Pontificibus Burgundiæ, seu & Burgundo Faronis, Bonogello villâ ad se venire præcepit. Ibique cunctis illorum justis petitionibus annuens, præceptionibus roboravit.

Dagobert. Austrasiæ Rex. Anno trigesimo octavo regni Clotarius Dagobertum filium suum consortem regni facit; eumque Austrasiis Regem instituit, retinens sibi quod Ardenna & Vosagus versùs Neustriam & Burgundiam excludebant.

Clotarium inter & filium contentio. Anno quadragesimo secundo regni Clotarii Dagobertus cultu regio ex jussu patris honestè cum Leudibus Clispiaco procul Parisius venit, ibique germanam Sichildis Reginæ, nomine Gomatrudem, in conjugium accepit. Transactis nuptiis die tertio inter Clotarium & ejus filium Dagobertum gravis orta est contentio, eo quod Dagobertus cuncta quæ ad regnum Austrasiorum pertinebant suæ ditioni vellet recipere, quod Clotarius vehementer denegabat eidem, nihil ex hoc volens concedere. Electi sunt ab his duobus Regibus duodecim ex Franciis Judices, ut eorum disceptatione finiretur contentio: inter quos & Domnus Arnulphus Pontifex Metensis, inter patrem & filium pro pacis loqueretur concordiâ. Tandem à Pontificibus vel sapientissimis viris proceribus pater pacificatur cum filio, reddens ei solidatum quod adspexerat ad regnum Austrasiorum: hoc tantum exinde quod citrà Ligerim, vel Provinciæ partibus situm erat, suæ ditioni retinuit. A S. Arnulpho sop.a.

618. Clotarius moritur. In Ecclesia S. Vincentii, nunc S. Germani à Pratis sepelitur. Anno quadragesimo quinto regni sui Clotarius moritur, & suburbano Parisius in Ecclesiâ sancti Vincentii sepelitur. Dagobertus cernens genitorem suum defunctum, universis Leudibus quos regebat in Austriâ jubet exercitum promovere; missos in Burgundiâ & cæteris regni partibus direxit, ut suum regimen eligerent. Cumque Remis venisset, Suessionis peraccedens, omnes Pontifices & Leudi de regno Burgundiæ inibi se Dagoberto tradidisse noscuntur: sed & Neustrasii Pontifices & Procerum plurima pars regnum Dagoberti visi sunt expetisse. Aribertus frater ejus nitebatur, si posset regnum assumere; sed ejus voluntas pro simplicitate parum sortitur effectum. Cumque regnum omne à Dagoberto fuisset præoccupatum, & thesauri ejus ditioni redacti; tandem misericordiâ motus, & sapientium usus consilio, citrà Ligerim & limitem Hispaniæ, & Vasconiæ, seu & montes Pyrenæos, pagos, & civitates, fratri suo Ariberto concessit, id est, Tolosam, Caturcinam, Agenensem, Petrogoricum, & Sanctonicum, vel quod ab his versus Pirenæos montes excluditur. Quod & per pactionis vinculum firmavit. Aribertus sedem Tolosanam eligens regnat in partibus Provinciæ & Aquitaniæ. Post annos tres quàm regnare cœpisset, totam Vasconiam superans, largius fecit regni sui spatium.

n *pervenit Tulliaco*] Acherius cùm hoc loco, tùm infrà monet legi oportere *Tulbiaco*: idemque restituit *poterat adunare.*

633. Sub eodem ferè tempore, id est quinto anno regni Dagoberti, dedit quidam illustris vir, nomine Ermembertus, & conjux ejus Hermeneara, sancto Benigno quasdam villas suæ possessionis, quæ vocantur his nominibus, Posciacum, & Fontem Lagnis in pago Latiscense; & in Lingonico pago Maniacum, quæ ante acto tempore ab Edonaldo Episcopo Lingonensi huic loco fuerat attributa, sed violentiâ pravorum hominum ablata.

Ob justitiam commendatur Dagobertus.

Dagobertus anno sexto regni sui Burgundias ingreditur: tanto verò timore Pontifices & Proceres, & cunctos in regno Burgundiæ consistentes adventus Dagoberti concusserat, ut omnibus esset mirandus præ timore justitiæ, quam pauperibus faciebat. Veniens ergo civitatem Lingonas & inde Divion egressus, ac Latona residens, aliquantis diebus, tantam intentionem judicandi justitiam populo regni sui habebat; ut hujus benignitatis desiderio nec somnum oculis posset capere, nec cibo satiabatur, intentissimè cogitans, ut omnes cum justitiâ acceptâ de conspectu suo remearent. Die quâdam cum à Latonâ Cabilono properaret, deliberans, & priusquàm lucesceret balneum ingrediens; Brunulfum avunculum fratris sui Ariberti interficere jussit: qui ab Amalgario & Ariberto Ducibus, & Wilbaldo Patricio interfectus est. Dagobertus Rex post hæc Cabilono pergit justitiæ amore quam cœperat perficiendæ. Post Augustiduno, inde Autiliodoro pergens, dehinc Senona civitatem, indeque Parisius venit, Gomatrudem Reginam Rumiliaco villa, ubi matrimonium acceperat, relinquens, Nantildam unam ex puellis de ministerio ejus accipiens, Reginam sublimavit. Anno septimo regni sui cum Austrasiam regio cultu circuiret, quamdam puellam, nomine Ragnitrudem, stratu suo adscivit, de quâ eo anno habuit filium nomine Sigibertum. Aribertus Aurelianis veniens Sigibertum de sancto lavacro excepit. Anno octavo Dagoberti Aribertus Rex moritur, relinquens filium parvulum, nomine Chilpericum, qui nec post moram defunctus est: fertur factioni Dagoberti fuisse interfectus.

638. Anno decimo regni Dagoberti cum ei nuntiatum fuisset exercitum Vinidorum Toringam fuisse ingressum, cum exercitu de regno Austrasiorum de Metis urbe promovens, transactâ Ardennâ Maguntiam aggreditur, disponens Rhenum transire, scalam de electis viris fortibus de Neustriâ & Burgundiâ cum Ducibus & Graphionibus secum habens. Saxones missos ad Dagobertum dirigunt, petentes ut eis tributa quas fisci ditionibus dissolvebant, indulgeret; promittentes se Winidis resistere, & Francorum limitem de illis partibus custodire spondentes. Quod Dagobertus consilio Neustrasiorum præstitit. Saxones qui hujus postulationis Legati fuerant, sacramentis, ut eorum mos erat, super arma pro universis Saxonibus firmant. Sed postmodum sicut in cæteris mendaces apparuerunt. Tamen Saxones tributum quod à Clotario seniore censiti annis singulis quingentas vaccas inferendalis reddere consueverant, præceptione Dagoberti, habent indultum. Eo tempore Legati Dagoberti, quos ad Heraclium Imperatorem direxerat, his nominibus Servatus & Paternus, sunt reversi, nuntiantes pacem perpetuam cum Heraclio firmasse.

Fœdus cum Heraclio Imperat. init.

Anno undecimo regni Dagoberti cum Winidi fortiter sævirent, & sæpe transgresso eorum limite regnum Francorum vastando Toringiam, & reliquos pagos insisterent, Dagobertus Metis urbem veniens cum consilio Pontificum & Procerum, seu & omnibus Primatibus regni sui consentientibus, Sigibertum filium suum in regnum sublimavit, sedemque Metis civitate habere permisit. Cunibertum Coloniæ urbis Pontificem, & Agalgisum Ducem, instituit gubernare Palatium & regnum; thesaurum quod sufficeret filio tradidit, condignè, ut decuit in culmine regni sublimavit. Et quodcumque eidem largitus fuerat, sigillatim præceptionibus roborandum decrevit. Deinceps Austrasiorum regnum, & fines regni Francorum contrà Winidos utiliter defensare noscuntur. Cumque anno duodecimo regni Dagoberti eidem filius nomine Clodomeris o de Nantilde Reginâ natus fuisset, consilio Neustrasiorum, & admonitione Principum suorum, per pactionis vinculum firmasse dignoscitur, ut Neptreco * & Burgundia ad regnum Clodovei, post Dagoberti decessum, aspiceret. Austrasia verò eo quod & populo & terræ spatio coæqualis esset, ad regnum Sigiberti pertinere deberet. Et quidquid ad regnum Austrasiorum jam olim pertinuerat, hoc Sigibertus Rex suæ ditioni subjiceret, & perpetuò dominandum haberet, excepto Ducatu Dentelini quod ab Austrasis separatum fuerat, neiterum ad Neustriam jungeretur, & Clodovei regimini subderetur. Sed has pactiones Austrasii terrore Dagoberti coacti vellent nollent firmasse visi sunt. Quod post mortem ejus filiis regnum administrantibus dissolutum fuisse constat.

Sigibertum & Clodoveum filios Regnis Austrasiæ & Burgundiæ donat.

In Hispaniam proficiscitur.

Eodem tempore quid Hispaniæ partibus à Regibus eorum gestum sit, dicendum est. Defuncto Sisebodo Rege clementissimo, Sentilla successit in regnum uno anno. Cum esset Sentilla nimium iniquus in suos, omnium Principum regni sui odium incurrit. Quapropter Sisenandus quidam ex Proceribus cum consilio cæterorum, Dagobertum expetiit ut ei cum exercitu auxiliaretur, qualiter Sentilam pelleret regno. Hujus beneficii recompensatione missorium aureum ex thesauris Gottorum quem Tresmodus Rex ab Egetio Patricio susceperat, Dagoberto dare promisit, pensantem auri libras quinquaginta. Quo audito Dagobertus, ut erat cupidus, exercitum in auxilium. Sisenandi totum regnum Burgundiæ bannire præcepit. Cumque in Hispaniâ divulgatum fuisset, exercitum Francorum auxiliando Sisenando Hispaniam ingredi, omnis Gottorum exercitus ditioni ejus se tradidit: Abundantius & Venerandus cum exercitu Tolosano tantùm usque Cæsaraugustam civitatem cum Sisenando accesserunt, ibique omnes Gothi de regno Hispaniæ Sisenandum sublimant in regnum. Duces prædicti cum exercitu remeant ad proprias sedes, muneribus honorati. Dagobertus Legatos ad Sisenandum Regem Amalgarium Ducem & Venerandum dirigit, ut missorium quem promiserat eidem dirigeret. Cumque à Sisenando missorius ille Legatariis fuisset traditus, à Gothis per viam tollitur, nec eum exinde permiserunt auferri. Postea discurrentibus Legatis ducenta millia solidorum, quod appretiatum est missorium, Dagobertus à Sisenando accepit.

In Vascones perduelles mittit exercitum.

Anno tridecimo regni Dagoberti cum Vascones fortiter rebellarent, & multas prædas in regno Francorum, quod Aribertus tenuerat, facerent, Dagobertus de universo regno Burgundiæ, exercitum promoveri jubet, statuens ei caput exercitûs Adoindum Referendarium, qui temporibus Theoderici Regis quondam multis præliis probatus est strenuus: cui Duces decem & exercitus eorum adjunxit. Fuerunt autem hi, Arembertus, Amalgarius, Leudebertus, Vandalmarus, Waldericus, Hermendricus, Ba-

o *Clodomeris*] Ex sequentibus constat legi oportere *Chlodoveus.* Haud ita multo post restituendum *Neustria* & *Burgundia.*

rontus, Airardus ex genere Francorum, Ramelenus ex genere Romanorum, Willibadus Patricius ex genere Burgundionum, Aichinus ex genere Saxonum, exceptis Comitibus plurimis, qui Ducem super se non habebant, in Vasconiam cum exercitum perrexissent, & tota Provincia Vasconiæ ab exercitu Burgundiæ fuisset repleta, Vascones de montium latebris egressi properant ad bellum. Cumque præliare cœpissent, ut eorum mos est, terga vertentes, dum cernerent se esse superandos, in fauces vallium montis Pirenæi latebram dantes, se locis tutissimis per rupes ejusdem montis collocant; exercitus post tergum eorum insequens, plurimos interficiunt, multitudinem captivorum abducunt, omnes domos eorum incendio tradunt, peculiis & rebus exspoliant. Tandem Vascones oppressi seu perdomiti, veniam & pacem petunt, promittentes se gloriæ & conspectui Dagoberti Regis præsentaturos; suæ ditioni traditos cuncta ab eo injuncta impleturos. Exercitus patratâ victoriâ redeunt ad propria sani. Sed Arembertus Dux post agmen custodiam exercitûs agens, in valle Subolâ à Vasconibus est interfectus, cum principibus & nobilioribus de suo exercitu.

Judicael Britonum Rex. Dagobertus residens Clippiaco mittit nuncios in Britanniam, ut Britones quæ malè gesserant in fines regni Francorum velociter emendarent, & suæ ditioni se traderent. Alioquin exercitus Burgundiæ qui in Vasconiâ fuerant, de præsenti in Britannias deberent irruere. Quod audiens Judaicale Rex Brittonum, Clippiaco ad Dagobertum venit cum multis muneribus, cuncta quæ sui in leudibus Francorum illicitè perpetraverunt, emendandum: spondet, & semper se & regnum Britanniæ subjectum ditioni Dagoberti & Francorum Regibus esse promisit: indeque Judaicale Rex Dagoberto vale dicens in Britanniam repedavit, condignè tamen à Rege muneribus honoratur. Anno quintodecimo regni Dagoberti Vascones omnes seniores terræ illius cum Amando Duce ad Dagobertum Clippiaco venerunt; ibi regio timore perterriti confugerunt in Ecclesiam sancti Dionysii: clementiâ Dagoberti vitam habent indultam. Ibi Vascones sacramentis firmiter promittunt Regi Dagoberto, & filiis suis, & regno Francorum omni tempore se esse fideles: sed solito more mentiti sunt. Permissu Dagoberti reversi sunt ad suas sedes.

645. Dagoberti obitus. Dagobertus Rex eodem anno Spinogello-villa super Sequanam fluvium, non procul à Parisius, adveniens, profluvió ventris inibi ægrotare cæpit. Exinde ad Basilicam sancti Dionysii à suis defertur. Post paucos dies Dagobertus emisit spiritum, sepultusque est in Ecclesia ipsius sancti Martyris, quam ipse condignè ædificaverat, atque auro & gemmis, multisque pretiosissimis speciebus ornaverat: tantæque opes ab eodem & villæ, & possessiones multæ per plurima loca ibidem collatæ sunt, ut miraretur plurimum. Psallentium inibi instituere ad instar monasterii sanctorum Agaunensium jusserat. Quod studio & industriâ Abbatis Aigulfi est adimpletum. Ipsius encomia. Multas Ecclesias spoliavit, ut hanc ditaret. Omni quippe devotione suâ circà obsequium specialis Patroni intentus erat. Et ideo post mortem spe suâ frustratus non est. Qualiter verò per hunc Martyrem auxiliantibus sanctis Mauricio atque Martino à potestate Dæmonum anima ejus erepta fuerit, cuidam Solitario divinitùs monstratum est. Quamdiù enim vixit, Basilicas horum sanctorum specialiùs honoravit: quamvis fuerit cupiditati & amori mulierum intentus, in eleemosynis tamen pauperum fuit largus.

Post Dagoberti discessum filius suus Clodoveus adhuc sub tenerâ ætate adsciscitur ad regnum. Omnes quippe Leudi de Neustriâ & Burgundiâ eum Masollaco villa sublimant in Regem. Ega verò, quem Dagobertus custodem pueri & regni tutorem reliquerat, cum Nantilde reginâ condignè gubernabat Palatium & regnum. Anno secundo regni Clodovei apud Constantinopolim sublimatur in imperium Constantinus filius Constantini. Ejus tempore gravissimè à Saracenis vastatur imperium. Tempore enim Heraclii Imperatoris Sarracenorum gens de finibus suis egressa, regna quæ sub imperii regimine erant irruunt ad devastandum, contrà quos Heraclius exercitum ad resistendum direxit. Sarraceni milites superant, eosque gladio graviter trucidant. Fertur in eo prælio centum quinquaginta millia militum Saracenis fuisse interfecta. Iterum Heraclius congregat multitudinem exercitûs: iterum vincitur: ad ultimum infelix Eutichetis hæresim sectans, cultum Christi relinquens crudeliter vitam finivit. Cui successit in imperium Constantinus filius, cujus tempore à Sarracenis respublica nimium vastatur. Duravit hæc vastitas per annos quadraginta septem, usque ad tempora Constantini superiùs memorati. Tunc est Hierosolyma capta, & cæteræ eversæ civitates. Ægyptus inferior & superior pervaditur; Alexandria capitur & prædatur: Africa tota vastatur & à Sarracenis possidetur: Asia & Europa quatiuntur: Omnia regna mari contigua pervagantur. Ad postremum ipse Imperator Constantinus constrictus atque compulsus, est effectus Sarracenorum tributarius, ut Constantinopolis cum paucis Provinciis & insulis, & urbs Roma cum suâ patriâ sui ditione reservaretur. Tribus annis circiter, & fermè adhuc ampliùs, per unumquemque diem mille solidos auri Sarracenorum ærariis supplebat. Tandem resumptis viribus Constans imperium aliquantisper recuperans, tributa Sarracenis implendum refutat. Saraceni grassantur in imperium.

Anno tertio regni Clodovei, Ega, cui Dagobertus commiserat regni curam, moritur; & in loco ejus Herchinoaldus Major-domûs constituitur. Ega moritur. Erchinoaldus Major-domûs. Eo tempore Sentilla Rex Hispaniæ, quem Sisenandus oppresserat, moritur; & in loco ejus Tolga ipsius filius patris precibus subrogatur. Gothorum Principes & Primates videntes deperire statum regni, eo quod Princeps esset invalidus, & minùs sciens, ut pote adolescentulus: tandem eligunt unum ex primatibus, nomine Chintasindum. Collectis plurimis senatoribus Gothorum, cum cætero populo Hispaniæ sublimatur in regnum, Tolgane degradato, & ad clericatum tonsurato. Tintasindus omnem Hispaniam suæ redigit ditioni: multos Gothorum interfecit, quos in degradatione Regum priorum unà secum noverat conscios. Cumque esset plenus dierum, filium suum, nomine Richisindum in omne regnum Hispaniæ sublimavit. Pipinus defuncto Anchiso patre suo Major-domûs Sigiberti Regis in regno Austrasiorum factus est. Pipinus Major-domûs Sigiberti Regis Austras. Fuit namque Pipinus Deum timens, amator justitiæ, consilio providus, fide plenus, cautus in omnibus sapientiæ studiis, intentus in armis, strenuus, audax animo. Gubernavit regnum quamdiù vixit grandi moderatione, nec ullo munere potuit unquam à justitiâ averti.

Anno quarto regni Clodovei Nantildis Regina cum ipso filio suo Rege Aurelianis civitatem in regnum veniens Burgundiæ, ibi omnes seniores, Pontifices scilicet, Duces, & Primates totius regni ad se venire præcepit. 648. Nantildis sigillatim cunctos blanditiis attrahens, Flaucatum ex genere Francorum Majorem-domûs in regno Burgundiæ electione Pontificum & Principum laude in hoc gradu honoris stabilivit, neptemque suam nomine Ragnebertam eidem desponsavit. Flaucatus Major-domûs. Flaucatus regnum Burgundiæ pervagatur, atque cum Archinoaldo Majore-domûs se

ii

Nantildis Regina moritur.

in amicitiâ obligans, Wilbaldum patricium interficere disponebat. Eo anno Nantildis regina moritur. Ipsoque anno Flaucatus cum Clodoveo Rege & Archinoaldo Majore-domûs, & aliquibus Primatibus Neustrasiis, de Parisiaco promovens per Senonas & Antissiodorum Augustidunum accesserunt. Ibique Clodoveus Wilbaldum ad se venire præcepit. Wilbaldus Patricius considerans Flaucatum cum cæteris Ducibus de suo interitu inesse consilium, colligens secum plurimam multitudinem exercitûs, etiam Pontifices, seu nobiles & fortes, quos congregare potuit, Augustidunum iter arripuit. Cui obviam à Clodoveo Rege & suis Ducibus Hermenricus domesticus dirigitur, eo quod Wilbaldus trepidabat propiùs accedere; sed acceptâ securitate ex parte Regis Augustidunum accessit, Legato regis condignis muneribus priùs honorato. In crastinum Flaucatus & cæteri duces, qui de interitu ejus conspiraverant, maturiùs ab urbe promoverunt cum exercitu. Erchinoaldus cum Neustrasiis quos secum habebat bellum aggreditur: è contra Wilbaldus tela sumens, quascumque potuit adunare Phalanges, occurrit eis. Flaucatus, Amalgarius, Ermanlenus, & Walbertus Duces contrà Wilbaldum confligunt; ibique Wilbaldus interficitur: plurimi cum ipso de suis gladio trucidantur. His ita gestis Flaucatus in crastino de Augustiduno promovens, Calibono perrexit: ingressus in urbem in crastino ipsa civitas incendio concrematur. Flaucatus judicio Dei percussus, vexatus à febre collocatur in scaphâ. Evectu navale per Ararim fluvium cognomento Sagonna, Latonam properans, in itinere undecimâ die post Wilbaldi interitum emisit spiritum. Sepultusque est in Basilica sancti Benigni in suburbio Divionense.

Wilbaldus interficitur.

Flaucatus febre interiit.

Langobardorum per hæc tempora fuerunt hi Reges. Post Autharium regnavit Ago filius ejus; hic misit Legatos ad Clotarium, offerens triginta quinque millia solidorum, ut tributa quæ Longobardi Francorum Regibus solvebant, duodecim millia solidos cassaret. Quod Clotarius concessit, & pacem perpetuam cum Longobardis sacramentis & pactis firmavit. Post hunc regnavit Adoaldus filius ejus. Quo interfecto veneni poculo ob nimiam crudelitatem suam, Charoaldus Dux Taurinensis, qui Gundebergam ex genere Francorum habebat uxorem, sublimatur in regnum. Charoaldus credens dictis mendacibus Gundebergam Reginam in Caumello castro in unam turrim exilio trudit. Clotarius Rex Legatos ad Charoaldum dirigit quare Reginam parentem Francorum humiliasset. Charoaldus Regis Francorum reverentiam habens, Gundebergam reductam post tres annos de exilio sublimat in regno. Post hæc Charoaldus Rex moritur. Gundeberga Regina unum ex Ducibus, Chrotarium nomine, de territorio Brisciâ; acceptis ab eo sacramentis ut nunquam ab eo degradaretur de regni culmine, sumens in conjugium, illum stabilivit in regnum. Postea Chrotarius aliquantis transactis annis oblitus sacramenta quæ fecerat, Gundebergam de solio regni dejectam in unum cubiculum apud Tricinum in aulâ palatii retrudit: eamque privato habitu vivere fecit. Quinque anni sub eâ trusione transierunt. Illa cum esset Christiana, benedicebat Deum in hac tribulatione posita. Tandem placuit Deo ut mitteretur Aubedo Legatarius à Clodoveo Rege ad Chrotarium Longobardorum Regem: qui veniens Papiam civitatem, quæ cognominatur Ticinis, cernensque Reginam, à quâ benignè in Legationem veniens susceptus fuerat, esse retrusam; inter cætera Chrotario Regi suggessit, quòd Reginam parentem Francorum, per quam etiam regnum adeptus fuerat, non debuisset ita humiliare; pro quâ re Francorum Reges & omnes Franci ei essent ingrati. Chrotarius de præsenti ob reverentiam Francorum Gundebergam de custodiâ jubet egredi, & per totam civitatem & foris regali ordine per loca sanctorum ad orationem procedere: de villis & opibus fisci omnia quæ amiserat ei restaurari præcepit. Quod usque ad diem sui obitûs regio cultu post feliciter tenuit. Aubedo verò à Gundebergâ Reginâ fortiter remuneratus repedavit ad Regem.

Gundeberga Longobardiæ Reginâ in carcerem detrusa.

Defuncto Sigiberto Austrasiorum Francorum Rege, filius ejus Dagobertus succedit in regnum. Pipinus, ut diximus, post Regem totius regni curam gerebat. cujus filius, nomine Grimoaldus, sub imperio patris palatio præerat. Hic considerans Dagobertum inertem, & ad regni curam minùs utilem, fecit eum tonderi ad Clericatûs ordinem.

Sigibertus Austrasiæ Rex obiit.

Clodoveus igitur Rex, qui & Clotarius dictus est, octodecim annis in regni administratione completis, defunctus est in primævo flore juventutis, relictis tribus filiis, Clotario, Childerico, & Theoderico, unà cum matre eorum Baldechilde Reginâ. E quibus Clotarius natu major, regnum patris sui Clodovei, Neustriæ, & Burgundiæ obtinuit. Childericus verò Austriæ & Germaniæ sedem adeptus est. Anno igitur octavo regni sui Clotarius Rex residens Mosollaco palatio suo, Wlfechrannus Abbas hujus loci adiit ejus præsentiam, conquerens super quorumdam militum ejus violentiâ: Guntrannus namque Rex dederat sancto Benigno Martyri Patrono Divionensis loci, Clariacum-villam cum omnibus appenditiis suis; de cujus possessionis terris suprà scriptis calumniatores molestias inferebant multas memorato Abbati, Monachisque hujus loci. Rex ergo Clotarius annuens ejus precibus, fecit præceptum sancto Benigno de præscripto fundo annuloque suo jussit insigniri, ut nullus supradictorum calumniantium, aut eorum hæredes, vel successores, aut ullus aliquis alius cujuscumque honoris ac dignitatis in denominato agro audeat aliquam vim inferre. Erat tunc Major-domûs Regis suprà nominatus Aubedo, quem inscriptio ejusdem præcepti Audebellum vocat.

660.

Wlfechrannus Abbas.

Tempore prædicti Wlfechranni venerandæ memoriæ Abbatis præsidebat Lingonum Ecclesiæ Eronus venerabilis Episcopus, qui inter cætera beneficia quæ huic contulit loco, à summo Pontifice, vel veriùs Romanis Pontificibus Joanne & Sergio Romanæ Ecclesiæ petiit fieri decretum: in quo continetur, ut nullus præsumat constituere Cœmeterium vel sacrare, præter hunc qui ad istam sancti Benigni Ecclesiam pertinet: & ut nullus audeat vim aliquam inferre in Claustro vel in Burgo ad hunc locum pertinente. Cujus exemplar decreti placuit huic libro inferre, ut videntes discant quantum immineat illis periculum, qui non timent obligari anathematis vinculo per Petri Apostoli vicarium. Anno Domini DC. XC. VI. ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, præsidebat sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sergius Papa; cujus hæc sunt verba:

Eronus Lingon. Episcop.

696.

« Sergius gratiâ Dei Pontifex Romanus Heroni Lingonum Præsuli salutem & Apostolicam benedictionem. Quàm primùm nobis attendendum, charissime, ne hostis malignus gregem Christi perturbet aliquâ occasione. Divionentium namque Monachorum Martyri Benigno sub regimine Wlfechranni Abbatis devotè famulantium reclamatio ad nos pervenit, Clericos jam dicti castri ad se eorum cœmeterium transferre conari. Hoc quia prædecessoris mei Joannis, Benedicti utique successoris contradicit decretis, authoritate beati Petri & nostrâ prohibetur sub percussione anathematis. Nam sicut Gregorius olim prædecessor vester

Literæ Sergii I. ab Wlfechranno obtentæ.

» adhortatu præfati Martyris, monasterii ipsius con-
» structor, utrisque vivis sancivit unum quo san-
» ctus jacet, concorditer cœmeterium : ita nostræ
» authoritatis litteræ censuerunt corroborandum.
» Quisquis etiam à torrente, qui utrumque Bur-
» gum dividit auferre ab eodem Burgo vel claustro
» aliquid, excepto Abbate vel Monachis, præsum-
» serit, simili sententiâ se damnaturum noverit.
679. » Benè valete. « Data per manus Joannis Bibliothecarii tunc sanctæ Sedis Apostolicæ anno Pontificatûs Domni Sergii universalis Papæ decimo in sacratissimâ sede beati Petri Apostoli indictione undecimâ.

Agilbertus, Bobolenus Abbates.

Defuncto verò Wlfechranno Abbate successit in locum regiminis Agilbertus: post quem præfuit Bobolenus.

Clotarius vita functus. Cui successit Childericus Rex Austrasiæ.

Clotarius Rex igitur postquàm aliquot annis tenuit regnum, immaturâ præventus morte reliquit illud sine hærede. Cujus obitum dolentes Francorum Principes, germanum ejus Childericum Regem Austrasiorum (quem audierant sapienter & providè regnum disponere) in omni sublimant Francorum regno. Adeptus verò Principatum, quidquid adversùs leges Regum priorum ac Majorum Principum; quorum vita quondam laudabilis exstiterat, ineptum atque contrarium reperit, ad pristinum statum prudentissimè revocavit. Eo tempore Godinus quidam ex Primatibus Burgundiæ unà cum conjuge suâ, nomine Lantrude, dedit sancto Benigno alodium juris sui, cui vocabulum est Albiniacus, situm in pago Decolatunse quod nunc generaliter Portuensis dicitur.

Et huic Theodoricus.

Childericus ergo Rex paucis annis quibus regnum Francorum obtinuit, æquo moderamine justisque legibus disponens ipsum regnum; defunctus est, & germanus ejus Theodericus in regno fratris loco sublimatus. Quod tenuit annis sexdecim. In diebus ejus sanctus Leodegarius est interfectus ab Ebroino Majore-domûs, & sanctus Lambertus Tungrorum Episcopus à Dodone Comite. Hi uno tempore innocenter occisi, coronam martyrii sunt adepti. In illo tempore deficientibus jam à pristino vigore Regibus, cura totius regni administrabatur per Duces & Principes domûs: inter quos omnes præminebat Pipinus, quem suprà retulimus, vir omni sapientiâ adornatus: ejusdemque regni maxima pars erat in manu ejus. Hic devictâ Frisiâ, atque ipsius regni fugato Rege, nomine Ratbodo, misit illuc ad prædicandum servos Dei venientes ex Britanniâ, Willebrodum & socios ejus, qui non parvam populi multitudinem ad Christum converterunt. Theoderico Rege defuncto Childebertus filius ejus successit in regnum.

S. Leodegarius, S. Lambertus.

Pipini laudes.

S. Vuillebrodus in Frisiam missus.

709. Anno ab Incarnatione Domini septingentesimo nono, Pipinus perrexit in Suavos contrà Willarium. Item anno sequenti commovit exercitum super prædictum tyrannum. Anno tertio aquæ vehementer inundaverunt. Et Childebertus Rex mortuus est; & exercitus Francorum in Suavos. Anno quarto iterum exercitus Francorum in Suavos contrà Wilarium perrexit: & Eribertus Rex Langobardorum mortuus est.

714. Moritur Pipinus.

Anno septingentesimo quarto decimo Pipinus mortuus est in mense Decembris: & Grimoaldus filius ejus similiter mortuus est: & Carolus successit in locum patris.

Eo tempore Astoricus Episcopus erat Lingonum; & Babolenus regebat istud Cœnobium: tunc dedit Ermenoara Domino sacrata sancto Benigno quidquid habebat in villâ Ruffiaco, scilicet mansa cum ædificiis de super positis, omnibusque adjacentiis.

Dagobertus II. moritur.

Anno septingentesimo quinto decimo Dagobertus Rex mortuus est, & Saxones devastaverunt terram Bagoariorum. Anno septingentesimo decimo septimo bellum fuit in Vinciaco inter Carolum & Ragofredum Majorem-domûs: fugitque Ragofredus, & exercitus ejus cæsus est plagâ magnâ usque ad fluvium Wisera. Anno sequenti Carolus intravit Saxoniam vastavitque eam. Anno septingentesimo vicesimo primo expugnavit Eudo Saracenos de terrâ suâ. Anno quarto post hunc, expugnavit Carolus Andegavos; quia rebellabant adversùs eum. Theodericus filius Dagoberti Junioris regio tunc sublimatus erat in solio. Cui successit Clotarius, & Clotario Childebertus, Childeberto Childericus, in quo defecit generatio Clodovei Regis, qui usque tunc regnaverat.

Carolus-Martellus.

Anno septingentesimo vicesimo quinto Carolus subjecit sibi Bagoarios; & Sarraceni irruerunt in Galliam. Anno ab hinc sexto Carolus perrexit in Suavos contrà Laufredum. Sequenti anno Carolus fuit in Vasconiâ contrà Eudonem; & Ragofredus tyrannus mortuus est. Anno sequenti Carolus pugnavit contrà Sarracenos in mense Octobris, die Sabbati, juxtà civitatem Pictavis. Iterum anno septingentesimo trigesimo septimo innumera multitudo Sarracenorum coadunata, quæ duodecim Reges habebat super se, quorum primus & maximus erat Abdirama Rex Cordubæ civitatis, occupaverunt Gothiam, obsideruntque Narbonam civitatem. Quod audiens Carolus congregavit exercitum copiosum, insuper & Lindebrandum Longobardorum Regem convocavit in auxilium: consertoque cum Sarracenis prælio, ita eos contrivit, ut de tantâ multitudine vix aliquis potuerit evadere: sed & usque hodie gens illa truculenta Francorum formidat arma. Anno DCC. XXXIX. Carolus intravit in Provinciam usque Massiliam: invasit Vasconiam, vastavit Frisiam, expugnavit Saxoniam, contrivit Alamaniam atque Bagoariam. Anno septingentesimo quadragesimo primo Carolus *Tudites* mortuus est, qui propterea appellatus est Tudites, quod est Malleus fabri, quia sicut Malleo universa tunduntur ferramenta, ita Carolus omnia regna sibi vicina attrivit. Defuncto Carolo filii ejus Carlomanus & Pipinus susceperunt curam regni. Anno septingentesimo quadragesimo secundo Carolus perrexit Vasconiam. Anno sequenti vastavit Alamaniam. Anno quarto Carlomanus & Pipinus invaserunt Saxoniam. Anno septimo Carlomanus relictâ curâ regni Pipino fratri Romam perrexit, atque in monte Soracte Monachus habitationem instituit. Postea non ferens molestiam crebrò se visitantium eorum qui de Franciâ pergebant ad limina Apostolorum, ad sanctum Benedictum in montem Cassini commigravit.

725. Carolus strenuè multa gerit.

737. Sarracenos expugnavit.

739.

Quare Malleus appellatus.

Carlomanus & Pipinus.

Carlomanus fit Monachus.

Anno septingentesimo quinquagesimo secundo Domnus Pipinus Rex sacratus est per manus Stephani Papæ, & duo filii ejus Carlomanus, & Carolus qui Magnus dictus est. Anno quarto Pipinus Rex intravit Longobardiam: & Stephanus Papa reversus est Romam. Eodem tempore sanctus Bonifacius, genti Frisonum prædicans suscepit martyrium. Anno sexto iterum Pipinus Rex perrexit Longobardiam, & Haistulfus Rex mortuus est. Anno sequenti delata sunt organa de Græciâ missa ab Imperatore cum certis muneribus Domno Pipino Regi. Anno septingentesimo sexagesimo Pipinus Rex perrexit Vasconiam contrà Waffarium. Iterum anno sequenti cum filiis Carolo & Carlomano perrexit Aquitaniam, & acquisivit civitatem Bituricas. Pipini Regis anno nono quidam homo, Rocolenus nomine, dedit sancto Benigno allodium suum villare vocatum, situm in pago Belnensi in fine Milliacensi, cum omnibus suis appenditiis. Eodem tem-

751. Pipinus Rex inauguratur.

S. Bonifacius Martyr occubuit.

pore quidam Clericus nomine Bago, dedit sancto Benigno hæreditatem suam omnem quam habebat in Atiriaco & Istodoro atque Salas, quicquid in prædictis villis possidere videbatur, tam mansis quàm quæ in aliis terris ad eadem mansa pertinentibus.

762. In Aquitaniam pergit Pipinus.

Anno septingentesimo sexagesimo secundo iterum Pipinus Rex cum exercitu perrexit Aquitaniam unà cum Carlomano; captoque omni pago Alvernico, civitatem Claromontem & Burbonis castrum igne cremavit. Anno septingentesimo sexagesimo quarto Pipinus Rex placitum magnum habuit cum Francis apud villam Carisiacum. Eodem anno fuit hyems gravissima, & tenuit gelu à decimo nono Kalendas Januarii, usque sexto Kalendas Aprilis. Anno septingentesimo sexagesimo septimo iterum Pipinus Rex intravit Aquitaniam, & conquisivit Lemovigas civitatem. Et Bertha Regina uxor ejus apud Bituricas hyemavit. Eodem anno sequenti,

768. Pipinus ab humanis excessit.

anno videlicet septingentesimo sexagesimo octavo, Pipinus Rex obiit octavo Kalendas Octobris, apud Parisios civitatem, morbo intercutis aquæ: & Wasfarius fuit interfectus.

Carolus & Carlomanus inaugurati.

Eodem anno Domnus Rex Carolus & Carlomanus uncti fuerunt in Reges septimo Idus Octobris. Franci siquidem facto solemniter generali conventu ambos sibi Reges constituunt, eâ conditione præmissâ, ut totum regni corpus ex æquo partirentur, & Carolus eam partem quam pater eorum Pipinus tenuerat, Carlomanus verò eam partem, cui patruus eorum Carlomanus præfuerat, regendi gratiâ susciperet. Susceptæ sunt utrimque conditiones, & pars regni divisi juxtà modum sibi propositum ab utroque recepta est. Mansitque ista quamvis cum summâ difficultate concordia, multis ex parte Carlomani societatem separare molientibus, adeo ut quidam eorum bella committere sint meditati. Sed in hoc plùs suspicionis quam periculi fuisse ipse eorum exitus approbavit. Defuncto Carlomano uxor

Obiit Carloman.

ejus cum filiis & quibusdam, qui ex optimatum ejus numero Primores erant, Italiam fugâ petiit; & nullis existentibus causis spreto mariti fratre, sub Desiderii Regis Longobardorum patrocinium se cum suis liberis contulit. Et Carlomanus quidem post administratum communiter quadriennio regnum decessit. Carolus autem fratre defuncto constituitur rex solus omnium Francorum.

Anno igitur septingentesimo sexagesimo nono, sui verò regni secundo, omnium bellorum quæ gessit primò Aquitanicum, à patre inchoatum, sed nondum finitum, quia citò peragi posse videbatur, fratre adhuc vivo etiam & auxilium ferre rogato, suscepit. Et licet eum frater promisso frustrasset auxilio, susceptam tamen expeditionem strenuissimè exequutus, non priùs ab incœpto desistere voluit, quàm hoc quod efficere moliebatur perfecto fine concluderet. Nam ut Himaldum, qui post Vaifarii

Ducem Aquitan. devincit Caroi. Mag.

mortem Aquitaniam occupaverat, bellumque jam penè peractum reparare tentaverat, Aquitaniam relinquere & Vasconiam petere cogit. Quem tamen ibi consistere non sustinens, transmisso amne Garonna, Lupo Vasconum Duci mandat, ut perfugam reddat: quod nisi festinatò faciat, bello se eum expugnaturum. Lupus saniori usus consilio, non solum fugitivum reddidit, sed etiam se ipsum cum Provinciâ, cui præerat, ejus potestati commisit.

Adriani PP. rogatu bellū in Longobardos suscepit.

Compositis igitur rebus in Aquitaniâ eoque bello finito, regni quoque socio jam rebus humanis exempto, precibus Adriani Romanæ urbis Episcopi exoratus, bellum contrà Longobardos suscepit.

772.

Anno septingentesimo septuagesimo secundo Carolus Rex intravit Italiam, & concitato bello, quod priùs quidem & à patre ejus, Stephano Papa supplicante, cum magnâ difficultate susceptum est, quia quidam ex primoribus Francorum, cum quibus consultare solebat, adeo voluntati ejus renisi sunt, ut se Regem deserturos domumque redituros, liberâ voce proclamarent. Cœptum tamen est tunc contrà Haistulfum Regem, & celerrimè completum. Sed licet sibi & patri belli suscipiendi similis, ac potiùs eadem causa subesse videretur, haud simili tamen labore certatum, ac fine constat esse completum. Pipinus siquidem Haistulfum Regem paucorum dierum obsidione apud Ticinum & obsides dare, & erepta Romanis restituere, atque ut reddita non repeterentur sacramento fidem facere. Carolus verò post inchoatum à se bellum non priùs destitit, quàm & Desiderium Regem, quem longâ obsidione fatigaverat, in deditionem susciperet. Filium ejus Adalgisum, in quem spes omnium inclinatæ videbantur, non solùm regno, sed etiam Italiâ excedere cogeret, omnia Romanis erepta restitueret: Chrodogausum Forojulii ducatus Præfectum res novas molientem opprimeret, & Habilinum socerum ejus Tarvisâ civitate obsessum caperet, totamque Italiam subjugaret, subactæque filium suum Pipinum Regem præficeret. Finis hujus belli fuit subacta Italia. Et Rex Desiderius perpetuo deputatus exilio in Franciâ, filius ejus Adalgisus Italiâ pulsus, & res à Longobardorm Regibus ereptæ Adriano Romanæ Ecclesiæ Rectori restitutæ. Italiam intranti, quàm difficilis Alpium transitus fuerit, quanto labore Francorum invia montium juga & eminentes in cœlum scopuli, atque asperæ cautes superatæ, longum est enarrare.

Anno septingentesimo septuagesimo sexto, Rex Carolus ut audivit quòd Saxones iterum rebellassent contrà Francos, commovit exercitum adversùs eos, bellumque, quod quasi intermissum videbatur, repetitum est. Saxones siquidem sicut omnes ferè gentes Germaniam incolentes, & naturâ feroces & cultui dæmonum dediti, nostræque religioni contrarii, neque divina neque humana jura verentur transgredi. Suberant & causæ quæ quotidie pacem turbare poterant, termini videlicet utrorumque utique in plano positi, in quibus cædes & rapinæ, & incendia vicissim fieri non cessabant. Ob quam rem ædificaverunt Franci in finibus Saxonum civitatem, quam vocaverunt Caroli urbem; susceptum verò adversus eos bellum, quod magnâ utrimque animositate, majore tamen Saxonum, quàm Francorum damno, per continuos triginta tres anno gerebatur. Videntes Saxones quia non potuerant Francis resistere, venerunt majores natu ad Domnum Regem Carolum postulantes pacem: & baptizata est multitudo populi ipsorum. Bellum contra Saxones. Caroli urbs.

Anno septingentesimo septuagesimo septimo gloriosus Rex Carolus venit Saxoniam, loco qui vocatur Patris Brunna; & ibi habuit placitum magnum, & ibi convenerunt Saxones ad baptismum Catholicum; ædificaveruntque ibi Ecclesiam Franci, multaque millia populorum ibi baptizata sunt, eâ conditione à Rege propositâ, & ab illis susceptâ ut abjecto dæmonum cultu, & relictis patriis ceremoniis, Christianæ fidei Sacramenta susciperent; & Francis adunati unus cum eis populus efficerentur. Hoc bello licet per multum temporis spatium traheretur, ipse non ampliùs cum hoste quàm bis in acie conflixit, semel juxtà montem, qui Osneggi dicitur, in loco Theotinelli nominato. Et iterum apud Aisa fluvium, & hoc uno mense paucis quoque interpositis diebus. His duobus præliis hostes adeo profligavit, ac devicti sunt, ut ulteriùs Regem neque 777. Devicti Saxones à Carolo Rege.

venienti resistere auderent. Plures tamen eo bello tam ex nobilitate Francorum, quàm Saxonum, & functi summis honoribus viri, consumpti sunt. Rex itaque omnium qui suâ ætate gentibus dominabantur & prudentiâ maximus, & animi magnitudine præstantissimus: nihil in his quæ vel suscipienda erant, vel exequenda, vel propter laborem detrectavit, aut propter periculum exhorruit.

In Hispaniam proficiscitur.

Anno septingentesimo septuagesimo octavo Carolus Rex assiduo ac penè continuo cum Saxonibus bello decertans, dispositis per congrua confiniorum eorum loca præsidiis, Hispaniam aggreditur, quàm maximo belli apparatu poterat, saltuque Pirenei superato, omnibus quæ adiit opidis atque Castellis in deditionem acceptis, scilicet Pampilona, Osca, Barsilona, atque Gerunda. Deinde acceptis obsidibus salvo & incolumi exercitu, revertitur. Præter quod in ipso Pyrenei jugo Vasconiam perfidiam parumper in redeundo expertus est. Nam cum agmine longo, ut loci & angustiarum situs permittebat, porrectus iret exercitus, Wascones in summi montis vertice positis insidiis (est enim locus ex opacitate sylvarum, quarum ibi maxima est copia, insidiis ponendis opportunus) extremam impedimentorum partem, & eos qui novissimi agminis incedentes subsidio præcedentes tuebantur, desuper incursantes in subjectam vallem dejiciunt; consertoque cum eis prælio usque ad unum omnes interficiunt. Ac direptis impedimentis, noctis beneficio, quæ jam instabat, protecti summâ cum celeritate in diversa disperguntur. Adjuvabat in hoc facto Vascones & levitas armorum, & loci, in quo res gerebatur, situs: e contra Francos & armorum gravitas, & loci iniquitas, per omnia Vasconibus reddidit impares. In quo prælio Egichardus regiæ mensæ Præpositus; Anselmus Comes Palatii, & Ruolandus Britannici limitis Præfectus, cum aliis compluribus interficiuntur. Neque hoc factum ad præsens judicari poterat, quia hostis eo perpetrato ita dispersus est, ut ne fama quidem remaneret ubi nam gentium quæri potuisset. Domuit & Britones qui ad Occidentem in extrema quadam parte Galliæ super littus Oceani residentes, dicto audientes non erant; missâ in eos expeditione, quâ & obsides dare, & quæ jungebantur se facturos polliceri coacti sunt.

Vascones in Gallos irruunt, ac multos interficiunt.

Carolus Italiam petit.

Iterum Carolus Rex Italiam ingressus cum exercitu, ac per Romam iter agens, Capuam Campaniæ urbem accessit: atque ibi positis castris bellum Beneventanis ni dederentur comminatus est. Prævenit hoc Dux gentis Aragisus filios suos Rimoldum, & Grimoldum, cum magnâ pecuniâ obviam Regi mittens, rogat ut filios obsides suscipiat, seque cum gente imperata facturum pollicetur; præter hoc solum si ipse ad conspectum Regis venire non cogeretur. Rex utilitate gentis magis quàm animi ejus obstinatione consideratâ, & oblatos sibi obsides suscepit, & quæ petebantur concessit, unoque ex filiis ejus obsidatus gratiâ retento, Legatis ob sacramenta à Beneventanis exigenda, atque suscipienda cum Aragiso dimissis, Romam rediit, indeque Galliam revertitur.

787. Item in Bajoariam.

Anno septingentesimo octuagesimo septimo Bajoaricum bellum & repente ortum, & celeri fine completum est, quod superbia Tassilonis Ducis excitavit. Qui hortatu uxoris, quæ filia Desiderii Regis erat, ac patris exilium per maritum ulcisci posse putabat, juncto fœdere cum Hunnis, qui Bajoariis sunt ab oriente contermini, non solùm imperata non facere sed etiam bello Regem provocare tentabat. Cujus contumaciam animositas Regis ferre nequivit, ac proinde contractis undique copiis Bajoariam petiturus, ad Lechum amnem cum maximo venit exercitu (is fluvius Bajoarios ab Alamannis dividit) cujus in ripa castris collocatis animum Ducis per Legatos statuit experiri. Ille non pertinaciter agere, vel sibi vel genti utile ratus, supplex se Regi permisit, obsides dedit; inter quos & Theudonem filium suum: data insuper fide cum juramento, quòd ab illius potestate ad defectionem nemini suadenti assentiri deberet. Sicque bello, quod quasi maximum futurum videbatur, celerrimus est finis impositus. Anno sequenti Thassilo Dux ad Regem evocatus, eo quod pactum violare conatus sit, non est redire permissus, neque provinciam quam tenebat ulteriùs Duci; sed Comitibus ad regendum est commissa. Anno quintodecimo regni Caroli Regis obiit Hildegardis Regina; conjux prædicti Principis, & Bertrada mater ipsius eodem anno defuncta.

Obiere Hildegardis Regina, & mater Bertha.

Anno septingentesimo octuagesimo nono bellum illatum est Sclavis qui nostrâ consuetudine Wilci, id est, Winidi, suâ loquutione Welitabi dicuntur. In quo & Saxones velut avidiores * inter cæteras nationes, quæ magis signa jussæ loquebantur, quamquam fictâ & minùs devotâ obedientiâ militabant. Causa belli erat, quòd Abotritos; qui cum Francis olim fœderati erant; assiduâ incursione lacessebant; nec jussionis coërceri poterant. Sinus quidam ab Occidentali Oceano Orientem versus porrigitur, longitudinis quidem incompertæ, latitudinis verò quæ nusquam centum millia passuum excedat, cum in multis locis contractior inveniatur. Hunc multæ circumsedent nationes. Dani siquidem & Suevi, quos Nordmannos vocamus, & septemtrionale littus, & omnes in eo insulas tenent. Ad littus australe Sclavi & Agisti & aliæ diversæ incolunt nationes. Inter quos vel præcipui sunt, quibus tunc à Rege bellum inferebatur, Wentelabi, quos ille unâ tantùm & quam per se gesserat expeditione, ita contudit * ac domuit, ut ulteriùs imperata facere minimè renuerent.

789. Bellum in Winidos.

Anno septingentesimo nonagesimo primo, Rex Carolus commoto magno exercitu bellum Hunnis intulit, quod maximum omnium quæ ab illo gesta sunt bellorum, præter Saxonicum, fuit; quod ille & animosiùs quàm cætera, & longè majori apparatu administravit. Unam tamen per se expeditionem in Pannoniam, quam provinciam ea gens incolebat, tunc fecit, cætera filio suo Pipino ac præfectis provinciarum, Comitibus etiam perficienda atque Legatis commisit. Quod cum ab his strenuissimè fuisset administratum, octavo tandem anno completum est. Quot prælia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus in quo regia Cagreni erat ita desertus, ut ne vestigium in eo quidem humanæ habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia, & congesti ex longo thesauri direpti sunt, neque ullum bellum contrà Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati & opibus aucti sunt, tantum auri & argenti in regiâ repertum, tot spolia pretiosa in præliis sublata, ut meritò credi possit hoc Francos Hunnis justè eripuisse, quod illi cæteris gentibus injustè abstulerant. Duo tantùm ex Proceribus Francorum eo bello interierunt: Hericus Dux Forojulii, & Hierulus Bajoariæ præfectus. Cæterùm incruentum penè Francis hoc bellum fuit, & prosperum exitum habuit, tametsi diutiùs sui magnitudine traheretur. Post quod

791. Bellum infert Hunnis.

* avidiores] Lege auxiliares. . . . quæ Regis signa jussa sequebantur. Infrà restituo ita contudit ac domuit.

& Saxonicum suæ prolixitati convenientem finem accepit. Boemanicum quoque & Linonicum quæ postea exorta sunt, diù durare non potuerunt. Quorum utrumque ductu Caroli filii sui, quem Burgundiæ regno præfecerat, celeri fine completum est.

Waldricus Abbas S. Benigni.

Tempore illo quo prænominatus Rex magnus Carolus accepit regni curam, Abbas nomine Waldricus regebat hanc Abbatiam: cujus tempore quidam vir Ansegaudus nomine, partem suæ hæreditatis quam possidebat in villâ Salonis vocatâ; nec non & aliâ villâ, vocabulo Bargis; contulit Ecclesiæ S. Benigni Martyris. Similiter quidam Leotadus nomine; non contemnendam partem suæ possessionis in prædictis villis tradidit præfato Martyri provisori Divionensis loci, cujus rei donationem fecit per chartæ conscriptionem; in quo scripto vocatur Pontifex idem Waldricus: cujus series ita se habet: » Domino sacro-sanctæ Basilicæ sancti Benigni Martyris, sub opido Divionensi con» structæ, ubi venerabilis vir Domnus Waldricus » præesse videtur Pontifex, & David Presbyter, « & cætera quæ sequuntur. Idem verò David Præpositi fungebatur officio. Ipse emit de quodam propinquo suo, Aldeberto vocato, mansum unum cum omni terrâ ad eum pertinente, in villâ Assiriaco. Per idem tempus quidam vocabulo Egremarus, & Eva uxor ejus, in villâ Norviâ dictâ, quamdam partem suarum rerum dedit ad præfatum locum S. Benigni.

Pontifex nominatus.

Aridius Abbas.

Defuncto Waldrico Abbate successit in regimine pastoralis officii Aridius. Cujus tempore adolescens quidam ex nobili ortus progenie, nomine Dodo, veniens ad conversionem in hoc Divionense monasterium, Deo & sancto Benigno cupiens militare, tradidit, prædicto Abbati Aridio, & Monachis hujus loci, quidquid possidere videbatur in villâ Salonis, & in Bargis, totum ad integrum, & in villâ Monsarulsi vocatâ, dimidiam quæ ad se pertinebat, cum omnibus appenditiis, & mancipiis de super commanentibus. Et constituit, ut ipsi servi annis singulis uno die ad mensam fratrum darent frumenti modium unum in pane, vini modium unum, cervisiæ modia duo; & pretium unde possint præparari duo pulmentaria secundùm quod præcipit Regula Monachorum.

Hildebrannus Abbas.

Memorato Abbate Aridio diem obeunte, Hildebrannus accepit curam regiminis. In cujus diebus quidam, Frodo nomine, dedit ad memoratam Ecclesiam sancti Benigni terram quamdam juris sui, sitam in pago Belnensi, in fine Consimactense, in loco vocato Vatnedo. Facta est hæc donatio anno primo imperii Caroli magni Regis. Peractis aliquot annis Hildebrannus in pastorali curâ defunctus est. Cui successit Herlegaudus Abbas nobilibus hujus provinciæ natalibus ortus. Is omne patrimonium, quod sibi ab antecessoribus relictum possidebat, vel quod à parentibus suis emere potuit, huic Ecclesiæ quam regebat totum contradidit. Sub ejus tempore quidam Winiterius vocabulo, de terrâ proprietatis suæ in Assiriaco villâ duos campos dedit sancto Martyri Benigno. Jam eo tempore fervor monasticæ Religionis tepuerat: jam unusquisque in bonis parentum suorum hæres fieri quærebat: unde quidam eorum quod sibi acquisierant, in servitium fratrum & communem utilitatem loci publicè contradebant. Dederunt igitur Dodo, Amalbaldus, Heraclius res quas possidebant in Salonis villâ, atque Bargis. Similiter Witgerius Presbyter quidquid in prædictis villis à parentibus suis acquirere potuit, sancto Benigno Martyri contradidit. Quidam quoque Lebranldus Clericus, Presbyter ordine, gradu ex parentelâ ejusdem Abbatis Erlegaudi existens, intrà castrum Divion mansum unum, & foris muros terras quæ pertinebant ad præscriptum mansum, quæ emerat à quodam Adalrao germano Farulfi, qui erant parentes sui, & præfati Abbatis, contulit sancto Martyri Patrono hujus loci. Vixit autem prædictus Abbas & perduravit in regimine Monasterii usque ad tempora Ludovici filii sæpiùs dicti Caroli Magni.

Hildebranni mors. Herlegandus successit.

Ultimum Caroli Magni bellum. De Normannis seu Danis.

Præfatus igitur Rex Carolus ultimum bellum egit contrà Normannos, qui Dani vocantur: primò quidem piraticam exercentes, deinde majori classe aggregatâ littora Galliæ atque Germaniæ vastabant. Quorum Rex Godefridus adeo vanâ spe inflatus erat, ut sibi totius Germaniæ potestatem promitteret, Frisiam quoque atque Saxoniam haud aliter atque suas Provincias æstimabat. Jam autem Abroditos vicinos suos in suam ditionem redegerat: jam vectigales fecerat. Jactabat etiam se brevi Aquisgranni, ubi Regis comitatus erat, cum maximis copiis adventurum: nec dictis ejus fides abnuebatur, quin potiùs verba sequeretur effectus operis, nisi festinatâ fuisset morte præventus. Nam à suo satellite interfectus, belli à se inchoati celerem finem imposuit. Hæc sunt bella quæ Rex potentissimus per annos quadraginta & septem (tot annis regnavit) in diversis terrarum partibus summâ prudentiâ atque felicitate gessit, quibus regnum Francorum, quod post patrem Pipinum magnum quidem & forte susceperat, ita nobiliter ampliavit, ut penè duplum illi adjecerit. Nam cum priùs non ampliùs quàm ea pars Galliæ, quæ inter Renum & Ligerim Oceanumque ac mare Balearicum jacet; & pars Germaniæ, quæ inter Saxoniam & Danubium Renumque ac Salam fluvium, qui Thuringos & Sorabos dividit, posita; à Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur: & præter hæc Alamani atque Bajoarii ad regnum Francorum pertinerent: ipse per bella memorata primò Aquitaniam & Vasconiam, totumque Pyrenæi montis jugum, & usque ad Iberum amnem, qui apud Navarros ortus, & fertilissimos Hispaniæ agros secans, sub Dertosæ civitatis mœnia Balearico mari miscetur: deinde Italiam totamque ab Augustâ Prætoriâ usque in Calabriam inferiorem; in quâ Græcorum ac Beneventanorum constat esse confinia; decies centum & eo ampliùs passuum millibus longitudine porrigitur: tum Saxoniam, quæ quidem Germaniæ pars non modica est, & ejus quæ à Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, cum in longitudine possit esse consimilis. Postquam utramque Pannoniam, & appositam ex alterâ parte Danubii Daciam, Histriam quoque & Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam & junctum cum eo fœdus Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit. Deinde omnes barbaras, ac feras nationes quæ inter Rhenum ac Visulam fluvios, Oceanumque ac Danubium positæ, linguâ quidem penè similes, moribus verò atque habitu valde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret: inter quas ferè præcipuè sunt Weletabi, Sorabi, Abroditi, Boemani: cum his namque bello conflixit; cæteras, quarum multo major est numerus, in deditionem accepit.

Quæ regno Franciæ acquisivit Carolus Mag. enumerantur.

Auxit etiam gloriam regni sui, quibusdam Regibus ac gentibus per amicitiam sibi conciliatis: adeo namque Aldefonsum Galliciæ atque Asturicæ Regem sibi societate devinxit, ut is cum ad eum litteras vel Legatos mitteret, non aliter illum, quàm proprium Dominum suum appellari juberet. Scotorum quoque Reges sic habuit ad suam voluntatem per munificentiam inclinatos, ut eum nunquam aliter nisi Dominum, seque subditos & servos ejus pronunciarent. Cum Aaron Rege Persarum, qui

exceptâ Indiâ totum penè tenebat Orientem, talem habuit in amicitiâ concordiam, ut is grat am ejus omnium qui in toto orbe terrarum erant Regum ac Principum amicitiæ præponeret, solumque illum honore ac munificentiâ sibi colendum judicaret. Imperatores etiam Constantinopolitani Nichoforus, Michaël & Leo ultrò amicitiam & societatem ejus expetentes, etiam complures ad eum misêre Legatos; cum quibus tamen propter susceptum à se Imperatoris nomen, & ob hoc quasi imperium eis eripere vellet, valde suspectus, fœdus firmissimum statuit, ut nulla inter partes cujuslibet scandali remaneret occasio: erat omnis semper Romanis & Græcis Francorum suspecta potentia.

Uxores & progenies Caroli Mag.

Habuit uxorem nomine Hildegardam de gente Suevorum, præcipuæ nobilitatis feminam: de quâ tres filios, Carolum scilicet, Pipinum, & Ludovicum; totidemque filias Hernodridem & Bertitem & Gislam genuit. Defunctâ Hildegardâ Fasteradam duxit uxorem; de quâ habuit duas filias, Theoderadam, & Hildrudem: quæ de orientalium Francorum, Germanorum videlicet gente erat. Quâ obeunte Leudegandam Alemanam duxit. Post cujus mortem tres tantùm habuit concubinas, Gersuindam, Adalindam, & Reginam, quæ ei Drogonem & Hugum genuit. Ex his omnibus duos tantùm filios, & unam filiam, priusquàm moreretur, amisit Carolum, & Pipinum, quem Italiæ Regem præfecerat, Ruotrudem quæ filiarum ejus primogenita, & Constantino Græcorum Imperatori desponsata erat. Erat ei filius, nomine Pipinus, ex concubinâ editus; facie quidem pulcher, sed gibbo deformis. Is cum pater bello contrà Hunos suscepto in Bavariâ hyemaret, ægritudine simulatâ cum quibusdam ex Primoribus Francorum, qui eum vanâ regni promissione illexerant, adversùs patrem conjuravit. Quem post fraudem detectam, & conjuratorum damnationem, detentum in Cœnobio Prumia religiosè jamque volentem vacare permisit. Facta est & alia priùs contra eum valida conjuratio in Germaniâ; cujus auctores partim luminibus orbati, partim membris incolumes, omnes tamen exilio deportati sunt; neque ullus ex eis interfectus est, nisi tres tantùm, qui cum se, ne comprehenderentur, strictis gladiis defenderent, aliquos etiam occidissent, quia aliter eos coërcere non poterant, interempti sunt. Harum tamen conjurationum Fastradæ Reginæ crudelitas causa & origo exstitisse creditur. Et idcircò in ambabus contrà Regem conspiratum est, quia uxoris crudelitati consentiens, à naturæ suæ benignitate ac solitâ mansuetudine immaniter exorbitasse videbatur.

Concubinæ.

Conjurationes in eum.

Colebat præ cæteris sacris & veneralibus locis apud urbem Romam beati Petri Apostoli Ecclesiam in cujus donaria, magna vis pecuniæ tam in auro quàm argento, nec non in gemmis, ab illo congesta est. Multa & innumera Pontificibus munera missa. Neque ille toto regni sui tempore quidquam duxit antiquius, quàm ut urbs Roma suo labore, veteri pollens auctoritate, & Ecclesia sancti Petri per illum non solùm tuta ac defensa, sed etiam suis operibus præ omnibus Ecclesiis esset ornata atque ditata. Quam cum tanti penderet, tamen intrà quadraginta septem annorum spatium, quibus regnavit, quater tantum illò votorum solvendorum ac supplicandi causâ profectus est: ultimi adventûs sui non solùm hæ fuere causæ, verùm etiam quòd Romani Leonem Pontificem multis affectum injuriis, erutis scilicet oculis linguâque amputatâ, fidem Regis implorare compulerunt. Idcircò Romam veniens, propter reparandum qui nimis conturbatus erat, Ecclesiæ statum, ibi totum hyemis tempus extraxit, quo tempore Imperatoris & Augusti nomen accepit.

Quare Romam quartò petierit.

Extremo vitæ tempore cum jam & morbo & senectute premeretur, evocatum ad se Ludovicum filium, Aquitaniæ Regem, qui solus filiorum Hildegardæ supererat: congregatis solemniter de toto regno Francorum Primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni, & imperialis nominis hæredem constituit; impositoque capiti diademate Imperatorem & Augustum jussit appellari. Susceptum est hoc ejus consilium ab omnibus qui aderant magno cum favore. Nam divinitùs ei propter regni utilitatem videbatur inspiratum: auxitque majestatem ejus hoc factum, & cæteris nationibus non mininum terrorem incussit. Decessit anno ab Incarnatione Domini octingentesimo quintodecimo, ætatis verò suæ septuagesimo secundo, & ex quo regnare cœperat quadragesimo quinto, septimo Kalendas Februarii. Appropinquantis finis complura fuere prodigia, ut non solùm alii, sed etiam ipse hoc minitari sentiret. Per tres namque continuos vitæ termino proximos annos, & solis & lunæ creberrima defectio. Et in sole macula quædam atri coloris septem dierum spatio visa. Ipse quoque cum ultimam in Saxoniâ expeditionem contrà Godefridum Regem Danorum ageret, quâdam die cum ante solis ortum castris egressus iter agere cœpisset, vidit repente delapsam cœlitùs facem cum ingenti lumine à dextrâ in sinistram per serenum aërem transcurrere: cunctisque hoc signum quod portenderet admirantibus, subitò equus quem sedebat capite deorsum merso cecidit, eumque tam graviter ad terram elisit, ut fibulâ sagi ruptâ, balteoque gladii dissipato, à festinantibus qui aderant ministris exarmatus, & sine adminiculo levaretur, jaculum etiam quod tum forte tenebat manu, ita elapsum est, ut viginti vel eo ampliùs pedum spatio longè jaceret. Sepultus est in Basilicâ quam ipse Aquisgrani palatii ædificaverat propter amorem Dei & Domini nostri Jesu-Christi, & ob honorem sanctæ & perpetuæ Virginis genitricis ejus Mariæ. In hac sepultus est eâdem quâ defunctus est die. Arcusque suprà tumulum deauratus exstructus est, cum imagine & titulo hoc modo descripto: » Sub hoc conditorio situm est corpus Caroli Magni atque Orthodoxi Imperatoris; qui regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos quadraginta septem feliciter rexit. «

Ludovicus Rex & Imperator proclamatur à patre.

815, seu 814.

Moritur Carolus Imp.

Sepultus Aquisgran.

Post cujus excessum Ludovicus, cognomento Pius, adeptus sedem imperii, magno moderamine per annos viginti quinque Francorum regnum disposuit. Et fines regni quos pater ejus pugnando longè lateque dilatavit, hic sapienter prævidendo undique ab hostibus custodivit. Nam & Græcorum calliditates & cavillationes prudenti consilio devitavit, & Sarracenorum perfidiam, qui ab Hispaniæ partibus erumpere cupiebant, fortiter compescuit, & Danorum audaciam virtute terruit. Habuit filios tres, scilicet Lotharium, Ludovicum, atque Pipinum. Defunctâ conjuge priore, duxit aliam, Judit nomine: ex quâ suscepit Carolum. Divisiones verò regni inter liberos ita fecit, ut Lotharius, qui major natu erat (cui & imperii concessit insignia) post se regnum Italiæ obtineret, & partem Franciæ quam Mosa & Renus flumina inter se includunt, partemque Burgundiæ: Ludovicus verò Germaniam, hoc est, Bavariam & Saxoniam, & reliqua regna quæ Carolus Magnus pater suus bellando subegerat, id est, Pannoniam, Daciam, Istriam, Liburniam, atque Dalmaciam; Barbaras quoque gentes, quas tributarias fecerat, qui sunt Veletabi, Sorabi, Abodriti, Boemani, & reliqui, quos longum est enu-

Imperiū Ludovicus prudenter administrat.

Dividit inter filios.

merare. Has omnes gentes memoratus Augustus Ludovicus omni tempore vitæ suæ habuit subjectas. Pipino etiam concessit regnum Aquitaniæ cum Vasconiâ, & omnem terram usque Hispaniam quam Carolus subjugaverat.

Carolus, qui minimus erat natu, adeptus est Franciam atque Burgundiam, & Neustriam: de quâ re indignati sunt fratres sui, vel quia ex aliâ matre natum nolebant eum sibi æquari, vel quòd principalis & melior pars regni ei collata fuisset à patre. Unde post mortem Augusti grave exortum est bellum inter eos; sed quamvis in hac pugnâ vires exercituum Francorum contulerint [q], & exteris occasionem rebellandi contulerint, tamen quod à patre eorum factum fuerat immutare non valuerunt. Ad extremum Carolus regnum etiam Aquitaniæ obtinuit. Pipino siquidem ante patrem defuncto remansit filius, Pipinus & ipse vocatus. Quem minùs utilem ad regnum gubernandum videntes Primates sui & Principes, ad Carolum se contulerunt. Hujus Principis præsentiam adiens Herlegaudus (quem suprà retulimus hujus loci Abbatem fuisse) suggessit auribus serenitatis ejus Basilicam sancti Benigni Martyris esse dirutam, nec se habere qualiter eam restauraret. Unde Augustus commonitus piâ sollicitudine scripsit Principibus & Magnatibus suis ita.

Herlegaudus Abbas S. Benign.

Diploma Ludovici Pii ad instaurandam S. Benign. Ecclesiam.

» In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus, Amadeo Comiti, Heliæ, & Waldo, Isembardo & Barberto Vassis nostris. » Notum sit vobis; quia volumus ut adjutorium » faciatis Herlegaudo Diacono ad restaurandam & » recooperiendam Ecclesiam sancti Benigni Martyris Christi: propter illam scilicet rationem, quia » compertum nobis est, quòd vos de ratione ejusdem Ecclesiæ beneficia habeatis, & nonas & decimas in omnibus dare faciatis, quia justum est. » Propterea constituimus vobis, ut ad restaurandam » illam Ecclesiam, & cooperiendam, adjutorium » præstetis. Videte ut omninò impleatis, atque expressum vobis demandamus, ut nullam exinde habeatis negligentiam, si gratiam nostram vultis habere. Et ut certiùs cognoscatis hanc nostram esse » jussionem, de annulo nostro jussimus sigillari.

Albericus Lingon. Episcop. disciplinam monasticam, Heleberto coëpiscopo Abbatiam gerente, resarcit.

Eo tempore præsidebat Lingonicæ Ecclesiæ Domnus Albericus Pontifex. Defuncto prænominato Abbate Herlegaudo, jam penè dilapso monastico ordine, in hoc loco suscepit curam regiminis memoratus Episcopus Albericus, dans Pastorem congregationi hîc commanenti Helebertum sub eo Coëpiscopum. Quo tempore factæ sunt plurimæ commutationes vel coemptiones terrarum, tam ab ipso Pontifice, quàm à Rectoribus loci istius: inter quæ facta est commutatio à Seraphim Abbate Besuensis loci, cum ipso Herleberto coëpiscopo. Dedit Herlebertus in villis Luco & Veronâ quidquid erat juris sancti Benigni, & Seraphim è contrà tradidit terras sancti Petri quæ erant in Divione, & in fine Domni Petri, & Longo Vico, & in Canavis, & in Arzilarias, & Tremoledo, & Fontanis, & Proviso, & Disto. Item Albericus Episcopus & Fulchrius concamiaverunt terras. Dedit Fulchrius in fine Saciacensi campos tres, & Albericus Episcopus dedit ei in Isizodoro campum unum, & unum pratum. Item cum Alderanno fecit prædictus Episcopus concamiū. Dedit Adalrannus infrà castrum Divion mansum unum, & foras muros campos tres in loco qui dicitur Petrafictа. Et Albericus Episcopus dedit è contra in Divion vico peciolam de terrâ, & in fine Tremolensi campum unum. Item Baldo Præpositus, & cæteri cum eo Clerici, cum Leotaldo Presbybero commutaverunt terram. Dedit Leotaldus peciolas duas de terrâ: una est juxtà Divion castrum, alia in loco qui dicitur Petrafictа: Fratres dederunt Leotaldo Presbytero terram in fine Tremolensi.

Ludovico Pio terreni insignia regni anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo, perpetuâ felicitate commutanti, filii ejus gravi pernicie in semet dissidentes, unitum prius pulcherrimâ de diversis nationibus compage Francorum regnum fœdâ sectione sciderunt. Quâ de re contigit, ut dum Optimates aulæ uniuscujusque filiorum Regis adversùs alterutrum affectare se simulant gratiam, quidquid utile sibi fore existimassent, expetere non dubitarent. At regii adolescentes dum sibi quisque consulit, & ne alter ei præferatur, cavet, injustis aliquando petitionibus, invito nihilominùs aliquoties animo, favere cogebantur. Unde factum est, ut locus iste grave dispendium pateretur possessionum, quæ usque tunc temporis habuisse visus est, id est, Masciacum in pago Lingonico, Posciacum & Fontem-Laguis [r] in pago Laticensi, Visernacum in pago Tornodorensi, Vulnonem in pago Senonico, amisit. 840. Mortuo Ludovico Pio, dissident filii.

Exortâ, ut diximus, discordiâ inter fratres, tunc demùm inter regni Primores conglobantur horribilia bella veluti intestina: deseritur custodia littorum oceani maris: augescit numerus hostium, crescit innumerabilis multitudo Nortmanorum, Danorum, atque Britonum. Fiunt passim Christianorum strages, deprædationes, vastationes, incensiones. Capiuntur quascumque adeunt civitates nemine resistente. Capitur Burdegala, Petragorium, Xantonum, Lemovigas, Engolisma, atque Tolosa, Andegavorum, Turonentium, perinde & Aurelianensium civitates pessumdantur. Ad ultimum videntes Reges suâ discordiâ addi vires extraneis, & damna civium esse lucra hostium, pacificantur inter se primùm; tum deinde cum hostibus, qui regno eos expellere non potuerant, pactum cum eis ineunt; & quod armis tueri debuissent, pecuniis redimunt.

Lotharius igitur obtinens imperii sceptra, contentus fuit parte regni cum Italiâ atque urbe Româ. Eo tempore Sarraceni invadentes urbem Romanam, spoliaverunt sepulcra Apostolorum, & cætera sanctorum loca. Anno qui fuit ab Incarnatione Domini octingentesimus quadragesimus quartus Lotharius habuit filium nomine Ludovicum, quem cupiens sibi successorem fieri, ut coronam imperii sumeret, misit Romam, & cum eo Drogonem Metensem Archiepiscopum, suum scilicet avunculum, & reliquos Principes regni sui. Qui venientes Romam nimis austerè egerunt cum Romanis, unde animos eorum ad rancorem concitaverunt. Accepto imperio domum reversus; non longè post decessit: scriptum in gestis Pontificum Romanorum. Lotharius Imperator. 844.

Per idem tempus defuncto Herleberto Coëpiscopo qui vices Pastoris in hoc loco tenuerat, successit ad regimen animarum Ingelrannus idem in Ecclesiasticis gerens officium. Hic fecit commutationem de terra in Marcenniaco cum Madalgerio quodam, dans ipse de terrâ sancti Benigni campum habentem in longum perticas viginti quinque, & recipiens ab illo duplum. Obeunte itidem Alberico Episcopo Lingonum, Theutbaldus Episcopus adeptus est cathedram. Hic sicut prædecessor suus studiosus hujus loci cultor, fecit commutationes terrarum in aliquibus locis cum quibusdam hominibus. Cum Adalsavo commutavit terram in Fontanas subteriores, cum Alberto in Plomberias, cum Wldegerio in fine Domi- Ingelrannus Divionens. Cœnobii curam gerit.

q *contulerint*] Imo *contuderint*.

r *Fontem-Laguis*] Suprà *Fons-Lagnis* scribitur.

so. In diebus ejus dedit Leotaldus Presbyter, unus ex Clericis hic commanentibus, in isto Burgo, & in fine Tremolense partem hæreditatis suæ: & alter Clericus, nomine Olifius, vendidit habitantibus isthic de suâ hæreditate in Longo-vico, & in Ficiaco. Sed & Geraldus Presbyter commutavit cum Usuardo terram in Longo-vico, recipiens procamium in Ilariaco, quod utrumque est juris sancti Benigni. Ipso tempore quidam, Balduinus nomine, dedit ad hunc locum in Fontanis-villâ terram hæreditatis suæ. Similiter Odolberga & filii ejus dederunt in Divion mansum unum: sed & Warnerius cum uxore suâ in Merneolo dedit jornales quatuor. In pago quoque Cabilonensi Villâ-Rubiliaco dedit Constantinus quidam mansum unum. Hainardus etiam Presbyter vendidit Rectoribus hujus loci res suas, sitas in Villa-norviâ. Alter quoque Presbyter, Hirsonnus nomine, in villâ Fontanas vineam suam tradidit. Adalrannus quidam in eâdem villâ campum unum similiter pretio distraxit. Nenon & Ebbo cum uxore suâ & filio, in pago Assense in villa Sermatiæ & in Vitriaco mansum, cum omnibus quæ ad ipsum aspiciunt, dedit. Cum Samsone verò commutavit prædictus Pontifex Theutbaldus terram in Villa-Alberici, Cartis vocata. Sed & ubicumque potuit res hujus loci immeliorare curavit.

Isaac Lingon. Episcop.

Post cujus obitum Domnus Isaac suscepit Præsulatum. Hic prædecessorum bonum sequens exemplum, nec ulli eorum passus esse inferior, hunc locum non solùm excoluit, verùm etiam in duplum, quàm antea fuisset, statum ejus augmentavit. Basilicam sancti Benigni jam penè dirutam in pristinum statum restauravit: Monachicum ordinem restituit, possessiones ad victum eorumdem monachorum addidit. Hæc autem omnia, adhortante pariter & adjuvante præcelso Rege Carolo, perfecit.

Abbatiam Divionensem restaurat.

871.
Carolus Calvus Imperator.

Idem verò inclytus Rex Carolus, anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo septuagesimo primo regens Francorum regnum, erga cultum Ecclesiæ Dei fuit studiosissimus. Quapropter multa evicit pericula, & regni ejus semper augmentabatur gloria. Defuncto siquidem ut jam dictum est, Pipino fratre suo Rege Aquitaniæ, filioque ejus in regno subrogato, moderationem regni non strenuè agens, à suis derelictus ac dejectus est; & Monachus in monasterio S. Medardi factus. Carolus verò à cunctis Principibus expetitus, Aquitaniæ regnum est adeptus. Post non multos etiam annos mortuo Lothario Imperatore fratre ejus, Carolus suscepit Imperium. Sed Ludovicus alter frater cupiens jungere monarchiam regni, iterum contrà Carolum bellum concitat, Normannos cæterasque gentes in regnum Caroli evocat. Auxiliante autem Domino Carolus fratrem de finibus suis expulit, & Normannos intrà Neustriam compressit. Hæc fuit secunda eruptio Normannorum in Franciam. Aliquantis transactis annis Ludovicus defunctus est, relinquens tres filios, Ludovicum, Carlomanum, & Carolum.

Secunda Normannorum in Galliam irruptio.

Caroli pietas.

Carolus igitur imperium adeptus, Ecclesiarum Dei cultor devotus, nisu quo potuit studebat in cultu religionis depravata corrigere, destructa reædificare, collapsa erigere. Unde inter cætera comperiens locum hunc penè in nihilum redactum, commovit ex hoc venerabilem Isaac Episcopum, quatenùs reparari posset in pristinum statum, promittens se in omnibus adjuturum. Dedit igitur isdem inclytus Rex Carolus ad hunc locum restaurandum, & in usus ac stipendia Monachorum in hoc loco Deofamulantium, in suburbio Divionis castri terram indominicatam, ubi seminantur modia centum quinquaginta: vineas ubi colliguntur vini modia quingenta: prata ubi secantur carra fœni

Multa confert S. Benigno.

quinquaginta: sylvam ubi saginantur porci sexcenti: forestem piscium à Ponto Divionis usque ad villam Floriacum: farinarios sex; colonicas decem: mercatum pariter & Burgum simul & districtum colonicas sex, & quinque in Lariaco, colonicas decem in Bicisò, colonicas sex & semis in villa Colonicas dictâ; in Siliniaco colonicam unam; in Dicmensi colonicas semis; in Sconsio colonicas sex, in Villari colonicas tres, farinarios duos: in Lentennaco colonicam unam & semis, in Girone colonicas duas, inter Corcellas & Flaviniacum colonicam unam; in Trovisò colonicam semis, in Camboïo colonicam semis: inter Patriniacum & Marcenniacum colonicam unam: in Quitiniaco colonicas duas, in Sacunino colonicam unam; in Cromaco colonicas duas; in Aguliaco capellam habentem mansum unum & semis; in Russiaco colonicam semis, & medietatem de Scoriaco-villâ: in Casnedo colonicam semis; in Bargis colonicam unam; in Missiniaco colonicas tres; in Norgiâ colonicam unam. Item in aliis Corcellis colonicam semis, in Aziriaco-villâ quidquid sanctus Benignus habere videtur, scilicet Capellam cum colonicâ unâ, & aliis colonicis sex & semis, & farinario, & terrâ indominicatâ, ubi possunt seminari modia centum, & prata ubi possunt colligi fœni carra centum & quinquaginta. In villâ Carle mansum indominicatum cum capellâ, & quidquid ibi videtur accipere: in Prunido mansum indominicatum, & quidquid ad ipsum mansum attinet, cum omnibus appenditiis, rebus & mancipiis suis. In Jusiaco colonicas duas; in Campaniaco colonicam unam; in Ateis colonicas duas. Has res omnes cum mancipiis desuper commanentibus utriusque sexûs, dedit memoratus Carolus servis Dei Monachis, in isto loco Domino servientibus & futuris temporibus permanentibus, ut pro se & conjuge, necnon & liberis, atque totius regni statu Domini implorent clementiam: idque præcepti sui firmavit auctoritate, ut nullus posterorum de eisdem rebus quidquam distrahere audeat, aut minuere, aut in alios usus retorquere.

Isaac igitur venerabilis Episcopus congregavit in hoc loco Monachos sub Coëpiscopo & Abbate, nomine Berthilone; qui regulariter viverent, & Deo in perpetuum deservirent, & de omnibus quæ inclytus Princeps per præcepti sui munificentiam contulerat, privilegium eidem concordans Episcopalis auctoritas edidit. In quo privilegio in primis habere propriam electionem succiduis temporibus ex ipsis secundùm Regulam sancti Benedicti Abbatem eligere Monachis istius loci concessit. Eum verò qui electioni fratrum contradicere, seu eidem congregationi aliquam vim inferre, vel familiam affligere, aut aliquid ab eodem monasterio auferre, seu de rebus præscriptis beneficiare alicui præsumserit, sua ac Coëpiscoporum authoritate excommunicatum æternæ damnationis maledictione multandum, ac sancti Benigni, qui præjudicium inferre voluerit, ultione damnandum, insuper anathema maranata est imprecatus. Huic excommunicationi Archiepiscopi quinque, & Episcopi decem numero subscripserunt: ac deinde omnes qui post eum fuerunt Ecclesiæ Lingonensis Episcopi.

Berthilo Coëpiscopus & Abbas S. Benigni.

Isaac jus eligendi Abbatis concedit.

Anno vicesimo sexto Domni Caroli Regis, qui est ab Incarnatione Domini octingentesimus sexagesimus sextus, residens, Isaac Episcopus & Odo Comes, vel cæteri missi Dominici in Luco villâ in mallo publico ad res audiendas vel judicandas, venit Alcaudius Advocatus sancti Mammetis sanctique Benigni, & sancti Stephani, vel ipsius Domni Isaac Episcopi, mallavit quemdam Hildebrannum, quòd ipse & sui Franci, suique servi in fine Sacia-

Multa ablata S. Benigno restituuntur.

cenfi,

censi, Bruciacensi, & Gonliacensi in terrâ vel in sylvâ sancti Benigni quercum unum truncassent: & quia tunc res non fuit definita, in sequenti anno, in ipso mallo, & eodem loco, iterum prædictus Advocatus eumdem hominem repetiit, eamdem quærimoniam ingerendo. In tertio verò anno in curte Arnonis ipso Domno Isaac Episcopo, Odone Comite, Hildeberto Abbate, Bertranno atque cæteris missis Dominicis mallum gerentibus, iterum Alcaudus interpellavit prædictum Hildebernum, quòd res sancti Benigni, prædictam scilicet Saciacum-villam cum appenditiis suis injustè retineret. Tunc judicatum est à prædictis Scabineis, ut aut legem de malè perpetratis faceret & revadiaret, aut quod injustè tenebat legaliter redderet. Quod & fecit, & sancto Benigno vi ablata restituit. Hanc autem notitiam ideo huic operi inseruimus, ut ostenderemus suprà scriptam proprietatem Saciacensem ab antiquis temporibus juris hujus loci fuisse, quamvis multoties & ante hæc tempora, & postea, fuerit sublata. Villam etiam quæ Longus-Vicus dicitur, quæ similiter fuerat ablata à dominatione hujus loci, reddidit nobis præcellentissimus imperator Carolus, cognominatus Calvus, cum Ecclesiis & omnibus rebus ad eamdem villam pertinentibus. Similiter Albiniacum in pago Portuensi: ipsam videlicet potestatem cum Ecclesiis & terris. Insuper constituit per Præceptum regalis potestatis, ut nullus deinceps audeat præripere vel auferre memoratas res à subjectione hujus Deo dicatæ Basilicæ.

Bertillo igitur Coëpiscopus & Abbas in hoc loco constitutus cœpit erga curam officii sibi commissi satagere, & possessiones vel dono vel pretio datas, aut commutatione terrarum factas studuit augmentare. Emit igitur à Fulcardo Præposito Ecclesiæ Lingonicæ, dato septem librarum in pretio, in Aziriaco-villâ mansum unum, & terram arabilem in novem campos divisam: dedit & Fulcardus Presbyter in eodem loco campum unum Deo & sancto Benigno. Vendidit Eldejarnus in eâdem villâ terram ubi possunt seminari modia sex. Alter quidam Eleardus vocatus, vendidit quatuor mansa cum ædificiis & suprapositis in eâdem villâ. Alius quidam Mummius vocatus, veniens ad conversionem in hoc monasterio dedit mansa quatuor cum appenditiis suis in eâdem villâ. Commutavit prædictus Abbas Bertillo cum suprà nominato Fulcardo mansum unum in eâdem villâ Aziriaco. Cum alio quodam viro, Bernoart vocato, commutavit terram in fine Longo-vici villâ Corcellis, recipiens ab eo scamium in eadem villa, loco Cassanias vocato.

Considerans Domnus Isaac Episcopus Bertillonem Coëpiscopum & Abbatem ad utrumque officium non posse sufficere, quoniam tunc temporis res Ecclesiasticæ simul & publicæ in magno erant discrimine ob infestationem paganorum, perturbato regni statu, Saronem Abbatem constituit ei socium ad regimen & curam animarum; ut dum iste adjuncto cœtu fratrum divinis studet intender theoriis, ille liberiùs Ecclesiasticis inserviret ministeriis. Dederunt per idem tempus aliqui de rebus suis ad stipendia fratrum augmentanda, prout unicuique eorum divina ipspiravit clementia. Dedit Ludovicus quidam Presbyter in Aziriaco campum unum & pratum, atque servum colonum. Dedit Vindricus in Patriniaco vineam unam; & Moyses in Cangiaco, in Arsis casale unum, vineam unam, de terrâ arabili jornales quatuordecim. Bertha Comitissa pro remedio animæ viri sui Unfredi Comitis

Saro Abbas.

dedit in pago Dusmense villâ, Colonicas vocatâ, mansa tria cum servis & ancillis desuper commanentibus. Dedit Richardus quidam de nobilibus in pago Belnensi, in villis Santilliaco, Mammiaco, Cussiniaco, & in pago Magnimontensi, in villâ, Alba-terra vocata, hæreditatem suam. Dedit Teudfredus Presbyter ad conversionem veniens, in Bargis mansum unum, terras ei subjunctas, & in Divion vico mansum semisque, & terras arabiles. Dedit Gislebertus Ecclesiam in Saviniaco sitam, & mansum cum atrio, & sepulturâ, & hortum cum ædificiis circumpositis, & terris, & mancipiis, & sylvam, ubi possunt saginari porci quadraginta.

Sed & terras, quæ nuper ablatæ fuerant ab hujus loci dominatione, in Bargis, in Escoriaco, in Siliciaco, repetierunt tunc Isaac Episcopus, & Bertillo Coëpiscopus & Abbas, ab iis qui eas invaserant. Commutavit idem Domnus Isaac Episcopus cum Eppleno quodam ex nobilibus in Divion castro commanentibus, terras ipso Milite postulante. Dedit igitur Epplenus de suo alodio proprio Isaac Episcopo ac Monachis hujus loci in villâ Corcellis, in Caviniaco, in Quintiniaco, in Criciaco, Brisccono, Tremoledo. E contrà Domnus Isaac dedit Eppleno in villâ Casnedo mansum unum cum omnibus appenditiis suis.

Idem Venerabilis Isaac Episcopus fecit & alia multa utilia in Episcopatu suo, monasteria corrigendo, Ecclesias relevando. Composuit & librum qui dicitur, Canones Isaac; eo quod ex libris Canonum utiliora quæque eligendo, in unum volumen coartaverit. Peractis in Episcopatu annis viginti quinque, obiit Catalaunis, sepultusque est Remis; inde post aliquot annos Argrinni Episcopi studio & Regis Caroli, simplicis vocati, dono translatus jacet in hac Basilica condigno honore tumulatus. Cui successit Geilo in Episcopatum, & ipse inter præcipuos egregius.

Isaaci Episcopi liber Canonum.

Mors: sepultura.

Successit Geilo.

Carolus Imperator secundo ire Romam disponens, Italiam ingreditur. E contra Carlomanus Ludovici Regis fratris ejus filius, per aliam viam eamdem terram ingressus, cum immenso exercitu fit ei obvius. Carolus verò Galliam reversus, atque fines Lugdunensium pertingens, ibidem vita defunctus est. Atque in Monasterio Apostolorum Petri & Pauli conditus, loco qui dicitur Nantoide à multitudine aquarum ibi confluentium. Postmodum per admonitionem Angelicam inde translatus, Parisius in Ecclesiâ sancti Dionysii regali sepulturâ est tumulatus. Successit patris in solio Ludovicus, biennio vix regio nomine functus. Hujus in diebus Joannes Papa Romanus Franciam venit, & apud Trecas civitatem cum eodem Rege colloquutus, parvo tempore ibidem moratus, sicque Romam est reversus. His diebus effera Danorum natio tertiam Neustrasiis inflictura cladem advenit. Intulissetque majorem superioribus, ni Hugo per Gallias Abbatis honore præditus eorum temerarios compescuisset ausus. Auxiliante namque Deo parvâ manu tantas hostium phalanges fudit, ut vix superesset qui nuntiare potuisset. Quâ plagâ humiliati Dani Gallias per aliquod spatium temporis quietas reliquerunt. Huic bello præfuit Ludovicus Rex. At Hugone ultimos vitæ suæ claudente soles, Ludovicoque Principe post administratum, ut diximus, biennio regnum, diem obeunte, Carolus, qui postea Simplex est dictus, in cunis ævum agens, patre orbatus remansit. Supererant duo filii Roberti Andegavorum Comitis, fratres Hugonis [f] Abatis. Senior Odo dicebatur, Ro-

Vita functus Carolus Rex.

Ludovicus Ba bus Rex. 879.

Dani tertiò in Gallias irruunt, sed ab Hugone Abbate expelluntur.

f

[f] *fratres Hugonis*] Hoc loco legendumne sit *fratre*, an *fratris*, eruditi disputant. Mihi nihil mutandum videtur: atque hujus meæ opinionis rationem oportuno tempore ac loco edam.

bertus alter patrem nomine referans. Ex his majorem natu Odonem Franci tutorem pueri, regnique eligere gubernatorem; quia recidivi Normannorum excursus imminebant. In partibus verò regni, quæ Lotharius & Ludovicus tenuerant, filii ejusdem Ludovici regnabant. Nam Lotharius sine filiis obierat. Ex his tribus fratribus unus patris nomine vocatus, alter Carlomanus, tertius Carolus est dictus. Sed duobus intrà quinquennium defunctis ad juniorem Carolum rerum summa pervenit. Postque imperii monarchiam est adeptus. Ad hunc accedens domnus Geilo Reverendus Antistes petiit, ut de quibusdam rebus ab hoc loco subtractis, & à se restitutis, Præceptum regalis auctoritatis fieri juberet. Quod ipse Rex libenter annuit; & per Præceptum constituit, ut duodecim mansa in villâ Homberias ad luminaria Ecclesiæ sancti Benigni delegata, nullus in posterum ab hac domo alienare, vel ab ipso ministerio auferre præsumeret. Quod scriptum factum est anno ab Incarnatione Domini octingentesimo octuagesimo quinto, Imperii verò ipsius Caroli in Italiâ quinto, in orientali Franciâ quarto, in Galliâ primo, post obitum Caroli Calvi decimo.

Carolus Rex.

885.

Refert quidam scriptor in eo opere, quod metrico stilo composuit de excidio Parisiacæ urbis, quo per septem annos à Normannis obsessa, atque vastata est; hunc Carolum congregato immenso exercitu expugnare Nortmannos voluisse. Quod illi audientes Legatos mittunt ad Carolum, promittunt se ei subjici, cuncta ab eo imperata facere, ad quod voluisset paratos fore, tantùm si permittantur intrà regnum consistere, & pacificè Francis cohabitare. Quibus promissionibus delusus Rex, credens vera esse quæ dicebantur, intermisit bellum. Nec multo post Carolus moritur. Nortmanni verò resumptâ audaciâ invadunt civitates Belvacensium atque Meldorum, nec non & Milidunum devastant castellum. Capitur Carnotis ac reliquæ secùs undique civitates: nam in primo suo adventu Rotomagum, Ebroas, Bajocas & cæteras Neustriæ civitates depopulati fuerant. Gallias insuper pervaganturs Hispanias adeunt; Rhodanum intrant fluvium, Italiam populantur & totum Christianorum pessumdatur regnum. Interea congregati Franciæ Principes consilium ineunt de magnis rebus; Odonem licet reluctantem constituunt Regem. Qui mente benignus, & Reipublicæ hostes arcendo strenuè præfuit, & Carolo post quàm adolevit sua repetenti patienter regna refudit. A quo parte regni redonatus, quoad vixit tempore hostibus terribilis exstitit. His temporibus Incarnationis Christi octingentesimus nonagesimus primus volvebatur annus.

Carolus moritur. Normanni per Galliam grassantur.

Odo Rex constituitur.

Eo tempore defuncto Geilone Episcopo, Teudbaldus Lingonicam regebat Ecclesiam: Abbatum verò hujus loci series paululum intermissa nunc est replicanda. Bertilone, & Sarone Abbatibus ad æternam vitam translatis, successit Hingo. Saro siquidem in Pultariensi loco sibi commisso quievit. Bertilo autem moriens in hoc loco inter sepulcra sanctorum tumulari meruit. Ad cujus tumbam si fides petentium exigat, febricitantium crebræ sanitates fiunt. Anno denique Dominicæ Incarnationis M.XLV. Halinardo Abbate hunc locum regente, decimo quinto ipsius anno, cum transferretur, quia sepulcrum ejus impediebat introitum cryptæ sancti Benigni, à parte meridianâ effosso tumulo, & ad pedes ejus alia fossâ præparatâ, quâ removeri deberet; Monachis adstantibus cum crucibus & thymiamateriis, & luminaribus; multis ingerentibus manus ad movendum, quoniam immensum erat sarcofagum subitò omnes ad terram corruunt: surgentes verò inveniunt sarcofagum in præparato loco decenter compositum; & accedentes ut viderent qualiter locatus esset in tumulo, aperto opertorio fragrantiam miri odoris senserunt omnes qui adfuerunt. Et ecce corpus ejus monachili habitu indutum, stolâ sacerdotali auro textâ erat ornatum. Caput verò ejus, quod ei fuit abscissum, corpori adjunctum; & circà idem sanguis erat coagulatus in sepulcro. Hingo igitur Abbas ordinatus, licet parvo tempore, id est, triennio, agri dominici cultor fuit devotus. Nam prout potuit terrena & exteriora augmentavit; divinum verò cultum in nullo tepescere permisit. Quæ autem in diebus ejusdem vel empta seu commutata sunt in possessione agrorum, scribere non pigebit.

Theobaldus Lingon. Episcop. Abbates S. Benigni recensentur.

Waltemus Presbyter quidam in Rufiaco, in Patriniaco, in Gironno dedit partem suæ hereditatis. Salamannus in Aziriaco. Flothbertus in Marcenniaco. Attila in Patriniaco. Richulfus in villâ Asinarias. Deodatus quidam de nobilibus veniens ad conversionem, in villâ Attegias dedit mansum cum supra posito, & mancipiis ibi commanentibus. Bivinus dedit in villa Norviâ capellam in honore sancti Valerii dicatam: mansum in dominicatum cum terris & omnibus appenditiis suis. Warnerius dedit in pago Belnensi in villâ, Bononicurte vocata, campum unum. Hugo quidam dedit in castello Divion cultillum vel arcam unam, & foris terram ibi aspicientem in ipsa fine, atque vineam. Bettho quoque Presbyter sancti Stephani Canonicorum Præpositus, dedit mansum unum cum suprapolito, atque ædificiis in villâ Curte Mulnisæ in pago Divionensi. Fulchradus vendidit ipsi Abbati in Aziriaco campum unum. Teudegerius alterum. Accepit in commutatione à quodam Huberto in Canavis terram & vineam juxtà sitam, dans ei in Salonis-villâ campum unum. Similiter fecit cum Euvrardo, dans in Aguliaco casale cum vineâ, & campos duos de terrâ arabili, & recepit ab eo in villâ Bargis mansum unum cum suprapolito, omniaque in ipsâ villâ vel in Norviâ ad ipsum mansum aspicientia.

Defuncto Hingone successit Hildebrannus in regimine. Et hic paucis annis transactis ad cœlestia regna migravit. Hi ambo sub Geilone Episcopo præfuerunt in hoc Monasterio. Post Hildebrannum Abbatis officium suscepit Godefridus tempore Teudebaldi Episcopi. Sed post aliquantos annos, & isto migrante, suscepit Walo curam regiminis. Horum uterque præfuit tempore Odonis Regis. Eo tempore Richardus Dux Burgundiæ reddidit sancto Benigno mansum unum cum vineis & terris aliis juxtà ipsum positis, & ad ipsum aspicientibus, situm in proximo pago Belnense, & in villâ Giutiaco. Huic rei interfuit Theudebaldus Episcopus, Girbaldus, Wido ac Radulfus Comites, Madelgaudus Oscarensium Vicecomes, Guntrardus sancti Benigni hujus rei testis & Advocatus. Actum Longo-vico in mallo publico.

Anno Incarnati Verbi octingentesimo nonagesimo tertio, Odone regnante in Franciâ, Arnulfo in Italiâ atque Saxoniâ, Carolus jam invenis regni regni repetiit sceptra, atque memoratus Arnulphus imperii invasit Monarchiam. Tunc primùm à Francorum Regibus ad extraneos translatum est imperium, principibus regni vilipendentibus Carolum ob mentis tardum ingenium, Odone Rege duodecimo anno regni sui defuncto, qui quoad vixit, hostes fortiter compressit. Reciprocati Normannorum & Danorum insurgunt fluctus. Hungari ab Aquilone, Saraceni à meridie ac finibus Hispaniæ prorumpentes, in interitum confluunt Galliæ: per omnia sævit gladius, cuncta dantur incendio, sanctorum loca traduntur exterminio.

893.

Ablatum Francis imperium.

Galliæ regnû in summo discrimine.

His undique sævientibus malis, contigit corpus S. Benigni ad civitatem deferri Lingonis: præsidebat tum illi Ecclesiæ Domnus Argrinus, Pastor in curâ hujus loci valde sollicitus. Monachorum verò habitantium in isto loco Abbas erat nomine Lauterius, ad ipsum officium valde studiosus. Burgundia tunc vastata est à Normannis; quibus occurrens præfatus Dux Richardus in loco, vocato Argentoilo, commisso cum eis prælio cæsa est eorum quàm plurima multitudo: sicque Dani humiliati retrò redire sunt coacti. Iterum apud Carnotum, socio Roberto Duce, Odonis Regis fratre, Richardus cum Normannis dimicavit, & eorum innumeram multitudinem occidit. Habuit isdem Richardus filium, nomine Rodulphum, qui fuit Rex Francorum. Alter filius vocatus est Boso, qui Burgundiæ superioris, quæ Gallia comata dicitur, accepit regnum. Tertius filius dictus est Hugo, cognomento Capito, qui fuit Dux inferioris Burgundiæ. Exortâ discordiâ inter Carolum & regni principes, lites & bella, rapinæ, & incendia, innumera undique sæviunt mala. Tandem Rex facti pœnitens Principes ad concordiam commonet, pacem exoptatam cum eis firmat.

Vastata Burgundia. Richardi Ducis filii.

Hic Carolus Rex petente Richardo Duce, & Manasse Comite, fecit nobis Præceptum de Abbatiâ sancti Joannis, & cunctis ad eam pertinentibus rebus. Extitit eo tempore Ademarus quidam illustris vir ex Senatoribus, multas habens possessiones tam in Divionensi pago, quàm in aliis regionibus, scilicet pago Turonensi, Aurelianensi, Senonico, Autisidiorensi, Tornodorensi. Ipse Ademarus & conjux ejus, Lampaia nomine, dederunt sancto Benigno mansum unum indominicatum cum suprapolito, terrisque ad eum pertinentibus ac sylvâ: qui mansus est in villâ Ruffiaco; & aspiciunt ad ipsum mansum, exceptis indominicatis terris, colonicæ & mansa vestita septem, & quinque absi. Dedit & mancipia utriusque sexûs numero quadraginta octo. Dedit Ecclesiam sancti Gregorii nomine sacratam, in Escoriaco villâ positam, & quidquid ad ipsam aspicit, cum omnibus quæ possidebat in prædictâ villâ Escoriaco. Dedit & Capellam suam mobilem & specialem cum Reliquiis sanctorum, scilicet sancti Salvatoris, & sanctæ Mariæ, aliorumque sanctorum; crucibusque tam aureis quàm argenteis; & capsis, vestimentisque, & omnia ornamenta ipsarum Reliquiarum. Post mortem verò ipsius Ademari, Lampaia uxor ejus dedit ad altare sanctæ Mariæ in hoc loco constitutum, quod Caput Ecclesiæ dicebatur ab antiquis, in comitatu Tornodorensi Stolivicum, & mansum indominicatum prope Stolivicum, in loco qui vocatur Sairocurte, cum omnibus appenditiis suis & mancipiis utriusque sexûs desuper manentibus.

Abbatia S. Joan. datur S. Benign. Monachis.

Argrinus igitur laude dignus Episcopus, in augmentatione rerum hujus loci ferventissimus, donavit ad communem utilitatem Fratrum Abbatiam sancti Joannis, quam quidam Fulbertus Monachus beneficiario jure tenebat: concessit & mercatum annuale ad vestimenta Fratrum emenda, medietatem quæ ad se pertinebat. In Aziriaco etiam villa decimas, & Paratam, & omnes reditus ipsius Ecclesiæ, quæ tunc cella erat Monachorum hujus loci, supplicante Lanterio Abbate, ad usus eorumdem Monachorum perdonavit. Similiter fecit de Ecclesiâ quæ est in Longovico; & de Capellâ, quæ est in Prunido, quam deputavit ad servitium infirmorum; & Ecclesiam suprascriptam sancti Joannis ad servitium hospitum. Reddidit insuper mansa novemdecim in diversis locis quæ tempore Teubaldi Episcopi antecessoris ejus ablata fuerant, & in beneficium data cuidam Widoni. De his omnibus quæ præmisimus fecit privilegia Episcopali authoritate, contestans & monens succedentes Pontifices, ut hanc à se factam eleemosynam paterno affectu illibatam custodiant, quatenùs orationes & vota famulorum Dei in hac domo consistentium, tam ipsis quàm cæteris fidelibus vivis atque defunctis sint proficuæ ante Deum. Qui verò de his aliquid subtrahere, aut beneficiare, vel quocumque modo auferre conatus fuerit, anathematis gladio percussit, nisi resipuerit.

Conferuntur plurima S. Benign.

Fecit idem Domnus Argrinus Episcopus cum Abbate Lanterio commutationem terræ infrà castrum Divion. Dedit Episcopus juxtà murum castelli aream habentem in longo perticas ancingales novem, & per latum perticas octo. E contrà dedit Lanterius Abbas & Monachi areas duas, habentes utraque perticas sex in longo, & per transversum una area perticas quatuor, alia perticas quinque. Ex omni parte terrâ sancti Stephani. Eo tempore dedit Manasses Comes sancto Benigno mansum indominicatum in Longo-vico, cum mancipiis utriusque sexûs desuper commanentibus, & terris ad ipsum mansum pertinentibus, tam in ipsa fine, quàm in aliis villis positis: eâ conditione, ut in vitâ suâ retento sibi fructu, singulis annis festivitate sancti Mauricii congruam refectionem exhiberet Monachis; post mortem verò ipsius in ejus anniversario die similiter decens refectio de ipso manso exhibeatur fratribus; quod superfuerit eorum utilitatibus profuturum. Hujus doni laudatores & testes fuerunt Walo filius ejus, & Manasses Comes junior.

Dedit & Ricardus supra memoratus Dux ad Ecclesiam sancti Antonii in Ficiato sitam, quæ est juris sancti Benigni, mansum unum: in Rovirâ cum servis & ancillis supermanentibus: & hoc laudaverunt Adeleia uxor ejus, & Rodulphus filius ipsius, & Comites Hugo, Boso, Manasses, Gillebertus.

Dedit Milo in Saviniaco de terrâ jornales sexaginta, & sylvam ubi possunt saginari porci quadraginta. Tantumdem dedit pater ejus Gislebertus tempore Isaac Episcopi, scilicet terræ arabilis jornales sexaginta, & ad porcos quadraginta saginandos sylvam, cum capellâ sancti Gervasii nomine dicatam. Sed & Atila Comitissa pro requie animæ viri sui Milonis Comitis, dedit sancto Benigno in Dumiso-villâ mansum indominicatum cum casalibus super exstructis, & aliis terris ad ipsum aspicientibus. Actum Dominicæ Incarnationis. Anno DCCCC. II. Caroli Regis anno quarto. *vel 901.* Laudatores fuerunt Girbardus Comes, & Reintrudis uxor ejus, filia ipsius Atilæ. Dedit & Winebaldus quidam de nobilibus in suis villis, Marcenniaco scilicet atque Dumiso, & in finibus earum quidquid possidere videbatur, terras videlicet cum mancipiis desuper commanentibus.

Lanterio Abbate hoc monasterium regente, venit ad conversionem quidam honorabilis homo, nomine Berengerius, qui dedit de rebus suis in villâ Longo-prato dictâ mansum indominicatum unum, cum fonte in eo nascente, & molendino juxtà posito, & Ecclesiam dimidiam, quæ est in Missiniaco, & vineis, aliisque mansis ad ipsum mansum aspicientibus, qui sunt vestiti septem absi tredecim, mancipia utriusque sexûs numero quinquaginta. Dedit & in pago Belnensi, Villâ Sentennaco, colonicam unam. Similiter Hildemodus Canonicus, & Arico Presbyter venientes ad monachilem conversationem, dederunt in Siliciaco-villâ omnem hereditatem suam. Adalreus etiam quidam simili devotione hunc expetens locum, dedit in Bargis-villâ quidquid habuit. Gotzelinus Canonicus & Abbas sanctæ Lingonensis Ecclesiæ infrà muros ejusdem civitatis, dedit man-

sum unum juxtà Ecclesiam sancti Desiderii. Fecit commutationem Lanterius Abbas in villa-Carli cum quodam Rohardo, in Corcellis superiori cum Isoardo. Lanterio Abbate post diuturnos labores ad cœleste bravium properanti, successit Fulbertus, & hic multorum dierum miles emeritus. Qui post annum deponens onus susceptæ obedientiæ, Godrado commisit curam regiminis, anno decimo septimo Caroli Regis. Hic Godradus emit in Aziriaco ab Heldierio & uxore suâ Nataliâ, pratum unum habens in longum perticas ancingales sexaginta quinque, & in latum perticas triginta duas. Domnus igitur Argrinus relicto Episcopatûs honore Monachus est effectus in hoc monasterio, ac post biennium defunctus, honorificè traditus est sepulturæ intrà septa hujus Ecclesiæ.

Fulbertus & Godradus Abbat.

Successit ei denique in curâ pastorali domnus Warnerius Episcopus, & ipse augmentator bonorum hujus loci devotus. Hic primo anno suæ ordinationis, nogentesimo duodecimo videlicet Incarnati Verbi, indictione quindecimâ, residens in synodo in gremio matris Ecclesiæ sancti Mammetis coram Archidiaconibus & Abbatibus, atque omni Clero, interpellatus est à Godrado Abbate & Monachis Patroni nostri sancti Benigni, de quâdam Ecclesiâ infrà muros castri Divion sitâ, sancti Vincentii honore ac nomine sacratâ, quam Domnus Geilo Episcopus ad locum refugii & custodiam corporis sæpiùs dicti sancti Benigni perpetualiter eis habendam concesserat. Et de quâ cùm longo tempore ea usi fuissent, repulsi erant à Ratherio Archidiacono & Abbate canonico sancti Mammetis, ac Præposito Abbatiæ sancti Stephani. Considerans ergo memoratus Episcopus causas periculorum, quæ tunc frequentes imminebant Nortmannorum incursionibus, cum consilio & laude ipsius Ratherii ac totius Synodi reddidit ipsi Abbati Godrado & Monachis prædictam Ecclesiam sancti Vincentii, cum habitaculis ad ipsam Ecclesiam atrii loco pertinentibus, quas ipsi Monachi olim ibi ad refugii locum construxerant. De quâ Ecclesiâ fecit eis privilegium Episcopali authoritate, ut nullus succedentium deinceps aliquam vim aut calumniam sancto Benigno, & Monachis eidem servientibus inferret.

Warnerius Episc. Lingon. & Godradus. Ab. S. Benig. 912.

Annis septem in Pastorali regimine feliciter expletis Godradus Abbas migravit ad Christum. Post quem ordinatus est Abbas nomine Gozuinus. Quo post biennium defuncto, successit in locum ejus Abbas, Panto nomine. Et hic in regimine expletis quatuor annis obiit. Cui successit Abbas, nomine Suavus. Warnerius igitur Episcopus appropinquante obitûs sui die, petiit se tumulari in Ecclesiâ sancti Patroni sui Benigni: vocatoque ad se Suavo Abbate, dedit ei vice sancti Benigni pratum unum in Aziriaco, ubi possunt secari fœni carra centum quinquaginta. Ideo verò, exceptis aliis rebus quæ mente benignâ contulerat, hoc pratum dedit, ut anniversaria dies obitûs ejus celebriter agatur à fratribus, & refectio congrua eis præparetur ab Abbate, aut ab illo cui obedientiam illam providendam commiserit. Obiens autem sepultus est in hac Basilicâ ante altare S. Benigni. Cui successit Domnus Gotzelinus in Episcopatûs honore, anno decimo regni Roberti: de quo quia mentio facta est, oportet dicere quomodo regnum acceperit.

Gozuinus Panto, & Suavus Abbates S. Benig.

Odone Rege defuncto, Robertus frater ipsius sperans & cupiens eam regni partem, quam ipse tenuerat, adipisci, quia à Carolo qui totius regni erat dominus, non reddebatur, palam tyrannidem invasit. Et hoc post mortem Richardi Ducis, qui ab exequutione justitiæ cognomen accepit. Ipse namq; quamdiu vixit, Carolo Regi semper fidelis exstitit. Rotbertus igitur affectatæ tyrannidis potentiam palam exercere cupiens, à quibusdam Episcopis diademate se regio coronari, ac sceptro regni insigniri, partim blanditiis, partim minis extorsit. Sed nequaquam hujus præsumptionis lætos habuit exitus. Denique postquàm uno regnavit anno, Suessonicis in campis bello à Ducibus Caroli exceptus, vitâque spoliatus, licet exercitus ejus victoriam obtinuerit, ipse tamen nefariæ temeritatis pretium luit. Nec tamen socii defectionis interitu ejus territi, perfidiæ deseruêre contumaciam. Quin potiùs Herbertus Comes Vermandensis infando scelere Dominũ suum Regemque totius Franciæ Carolum dolo captum, vinculisque irretitum Peronnæ direxit tenebroso domicilio recludendum. Et quia regni status sine Principe agebatur in certum, maximè cum Hugoni, Rotberti filio, qui post probis actibus Magni nomen promeruit, puerilis obsisteret ætas, quominùs regias assumeret infulas, & Herberti cunctos haberet odium, maximè eos quos humanitatis respectu ad misericordiam ærumna Principis permovebat, tandem Rodulphus Burgundiâ oriundus, Richardi Ducis filius, regendæ præficitur Francorum patriæ. Qui adeptus regni solium, & in malefactoribus fuit ultor severus, & in coërcendis hostibus ac tuendo regno sagacissimus. Ejus in diebus Danorum atque Nortmanorum iterum adveniunt phalanges, & non solùm Franciam, sed etiam totam percurrunt Burgundiam. Contrà quos Rodulphus sumptis armis, ita protervos eorum compescuit incursus, ut usque nunc Gallias ab eorum invasione faciat manere quietas. Contigit tunc corpus hujus patroni nostri sancti Benigni deferri intrà muros Divionis castri, ibique servari in Ecclesiâ sancti Vincentii.

Robertus regnum occupat.

Carolus ab Herberto carceri mancipatur.

Rodulphus Franciæ Rector Normannos expellit.

Nota authoris ætatem.

Gotzelinus tunc Episcopus regebat Lingonensem Ecclesiam. Hic adiens Rodulphi Regis palatium, deprecatus est una cum Manasse Comite ejus clementiam, ut præcepto regali statueret de quibusdam rebus ab hoc loco ablatis, sed à suis prædecessoribus, Argrino scilicet & Warnerio, nuper sancto Benigno redditis. Quod Rex annuens, ipsas res suâ regali munificentiâ sancto Benigno restituit, Saciacum scilicet villam cum Ecclesiâ, & aliis villis ibidem pertinentibus, & omnibus rebus quæcumque potestas Episcopalis ibidem tenuerat. Abbatiolam etiam sancti Joannis. Mercatum quoque die sabbati, quod est in burgo omnibus septimanis: & medietatem annalis, quod est festivitate S. Benigni: pratum etiam in Aziriaco-villâ, quod Warnerius Antistes in fine mortis suæ concessit inibi. Mansa octo in comitatu Alsensi, in villâ Nermedis cum mancipiis utriusque sexûs. In Gibriaco-villâ in comitatu Belnensi mansum unum, favente & deprecante Manasse Comite. Hæc omnia præfatus Rodulphus Rex concessit Deo & sancto Benigno; anno Incarnationis Dominicæ nogentesimo vigesimo quinto, indictione tredecimâ, regni verò sui quarto.

Rodulphus Rex favet Monachis S. Benign.

925.

Isdem Rodulphus Rex, mortuo Hugone Duce fratre suo, Burgundiam adiit, residensque castro Divion mense Aprili, cum causas suas teneret Robertus Comes Palatii, & Gislebertus Comes Burgundiæ, aliique plures tam Comites, quàm nobiles viri, interpellatus est Robertus Vicecomes à Vizone Advocato sancti Benigni de quibusdam servis, qui quamvis ex illius servo, tamen ex ancillâ sancti Benigni, & ex potestate & fisco Longivici nati fuissent, magisque sancto Benigno, quàm ipsi Rotberto servire deberent. Tunc in ipso Placito in præsentiâ Principum eosdem servos werpivit, & sancto Benigno reddidit. Promittens deinceps si aliquis parentum aut heredum illius eos repetere vel calumniare voluisset, se testem & defensorem sancti Benigni contrà eosdem fore.

Divione residet Rodulphus.

Eo tempore dedit quidam Boso nomine, & uxor ejus Plectrudis, in Aziriaco villâ, loco Wora vocato, sancto Benigno partem unius Condominæ, alteram partem emit ab ipsis Suavus Abbas solidis centum. Annis decem Suavus Abbas in regimine transactis defunctus est. Cujus loco Albericus ordinatus est Abbas à Domno Gotzelino Episcopo. Ipse verò Domnus Episcopus aliquantis annis in Episcopatu perdurans, obiit; qui quoad vixit tempore, huic loco studuit prodesse pro suo posse. Quod successores ejus utinam fecissent taliter, successit autem ei in Episcopatûs honore Letericus Episcopus. Post hunc Ericus: deinde Achardus, atque post Widricus. Transierunt sub his pontificibus anni fermè quadraginta & ampliùs, in quibus semper in deterius processit hujus loci status, Episcopis & Abbatibus alia magis quàm id curantibus.

Albericus Abbas.

Letricus, Ericus, Achardus, Vidricus Episcop. Lingon.

Rodulfo Rege defuncto absque liberis (nam filius ejus, Ludovicus nomine, quem habuit ex Emma Regina conjuge suâ, defunctus est ante obitum patris.) Et Carolus ergastulo clausus, animam non corpus custodiâ exemit; qui dum viveret Simplex dictus est ob benignitatem animi: sanctus nunc rectè potest vocari, quoniam injustè ab infidelibus suis & perjuris longâ custodiâ carceris afflictus, vitæ supernæ est transmissus. Hic reliquit filium Ludovicum ex Eadgivâ Anglorum Regis filiâ susceptum. Qui calamitatis paternæ procellis semet involvi metuens, ad Anglos Saxones maternæ affinitatis invitatus gratiâ se contulit. Post excessum verò Rodulphi Regis ab Hugone Magno revocatus, specie tenùs regno redditus est patrio, anno Incarnationis Dominicæ nogentesimo trigesimo octavo, indictione undecimâ. Cujus regni administratio jus dominationis exercere cupienti laboriosa illi fuit, tam sui à Tetbaldo Carnotensium Comite captione, quàm post regni recuperationem, vario instabilis fortunæ proventu. Hujus regni anno secundo Fulcherius Abbas est ordinatus: quod officium tenuit annis quindecim, & nihil boni in hac domo gessit. Quo migrante successit Manasses Abbas nomine, & ipse pejor priore.

Rodulphus absque liberis moritur.

Carolus in carcere obit.

Ludovicus Transmarinus.

938.

Fulcherius & Manasses Abbates.

Ludovicus Rex moriens duos superstites dimisit liberos, Lotharium atque Carolum, quos genuerat ei Gerberga soror Ottonis Romanorum postea Imperatoris. Carolus ævo junior privatis in ædibus senuit: in hereditatem omnem Lotharius successit. Qui potestate regiâ functus est per triginta & eo ampliùs annos. Illo tempore Manasse vices Abbatis agente, Hugo Comes Divionensis veniens ad obitum, petiit se tumulari in atrio sancti Benigni. Pro cujus requie animæ, & loco sepulturæ, dedit, Adalburgis Comitissa uxor ejus, cum laude filiorum ipsius, Gibuini scilicet Catalaunensis Episcopi, & Richardi qui post eum hunc tenuit comitatum, & Hugonem Attoariorum Comitis: prædicta conjux ipsius dedit mansum unum in Patriniaco villâ, & quidquid ad ipsum mansum aspicit. Dedit ipso tempore Erimarus quidam in villâ Curte Arnono vocatâ mansa sex, cum Ecclesiâ inibi constructa, & mancipiis desuper commanentibus utriusque sexûs novemdecim. Insuper quidquid habuit inter duos fluvios Tilam & Basmonum, dedit Deo & sancto Benigno. Evrardus etiam pro Restantio fratre suo, hujus loci monacho, dedit in villâ Corcellis mansum indominicatum unum, & omnia, quæ ad ipsum mansum aspiciunt. Ado Sacerdos factus Monachus, dedit in Belnensi pago in villâ Cussiniaco mansum unum, & terram arabilem, & pratum: similiter in Flaviniaco dedit mansum unum; & quidquid ibi vel ubicumque habuit in terris & mancipiis, sancto Benigno tradidit. Suprà scriptus Gibuinus Episcopus, & fratres sui Richardus, & Hugo post obitum matris, pro requie animæ ejus atque patris sui, dederunt hereditatem quam habebant in villâ Missiniaco, quam terram dedit Manasses Abbas in præstariam cuidam nobili fœminæ Retrudi, & filiis ejus Gotescalco, & Willerio. Similiter in villa Bargis dictâ dedit viginti septem jornales de terrâ eidem Retrudi in præstariam. Retrudis altera dedit sancto Benigno juxtà Divionem super Oscaram fluvium molendinum unum, & octo jornales de terrâ arabili in eodem loco.

Mortuo Ludovico superstites duo filii. Lotharius Rex.

Anno ab Incarnatione Domini nongentesimo octogesimo, indictione octavâ, regni Lotharii Regis vigesimo quinto anno, dedit idem Rex Brunoni Remensis Ecclesiæ Clerico, suo verò parenti propinquitate consanguinitatis existenti, Lingonicæ civitatis Episcopatum. Ordinatus est autem idem Bruno Episcopus per manus Burchardi Lugdunensis Archiepiscopi in Ecclesiâ sancti Stephani, viginti quatuor annos gerens ætatis: & eodem anno susceptus est à Clero Lingonicæ urbis; ab Incarnatione videlicet Christi nongentesimo octuagesimo primo. Is assequutus Episcopatum, omni quo potuit nisu sequi studuit exemplum boni Pastoris. Monasteria igitur ipsius ad diœcesim pertinentia in spiritualibus religione, in temporibus necessaria penè annullata, gubernatione considerans, cœpit quærere quatenùs Dei dispensante nutu suum in statum ea quivisset reparare. Amovens ergo Manassem Abbatem hujus loci à dominatione, quâ non benè utebatur, instituit in locum ejus Abbatem quemdam ex Monasterio Dervensi, Azonem nomine. Erat is Aquitanicus genere, ornatus bonis moribus & religiosa conversione. Hic duobus annis in regimine peractis repedavit ad suum monasterium, dimissâ hujus loci gubernatione, atque iterum Manasses Abbas suum recepit officium.

980.

Bruno Ling. Episcop.

981.

Diœcesim deformatam ad pristinum splendorem revocare studet.

Azo Abbas.

Videns igitur Domnus Episcopus Bruno statum loci in ambiguo positum, supplex adiit domnum Maiolum Cluniacensis monasterii Abbatem, multâque prece poposcit quatenùs ejus auxilio quivisset reparare in melius interius religionem, & exteriùs possessiones. Cujus precibus flexus Reverendus Abbas Maiolus dedit ei duodecim Monachos ex omni congregatione electos, disciplinis sanctæ religionis instructos, divinâ & humanâ sapientiâ doctos, nobilitate carnali claros. Quibus advenientibus, ita ordinavit domnus Episcopus, ut die Translationis sancti Benigni Monachis cum sibi subjectis Clericis, ante sepulcrum sæpefati Martyris in cryptâ nocturnale officium peragentibus, ipsi in superiori choro ante principale sancti Mauricii altare matutinalem inciperent synaxim. Quod utique convenienter actum est, ut qui lumen religionis ostendere veniebant, intrarent luce diei appropinquante. Proinde illis hac vel illac pergentibus, isti in loco degentes cœperunt sanctâ conversatione resplendere, & locus qui antea pravis actibus & ineffabili negligentiâ à cunctis videbatur confusus, nunc felici exercitatione virtutum omnium videretur esse floridus. Verùm quia prædicti Patris industria locis aliis intenta erat, & hic locus sine Abbate esse non poterat; iterum Domni Brunonis Præsulis pulsatus precibus, quemdam fratrem ferventissimum sui Ordinis exequutorem, & totius nobilitatis lampade præfulgidum, atque in verâ humilitate & fraternæ dilectionis caritate, nec non summum discretionis (quæ virtutum omnium mater esse dignoscitur) honestate, laudabiliter radicatum & fundatum, nomine *Willelmum*, hujus monasterii gregi præfecit, & patrem spiritalem sibi poscentibus filiis instituit. Hic Italiâ exstitit oriundus, alto satis germine, & nobili pro-

Monachicum institutum ope S. Maioli reparat in Divion. Cœnobio.

S. Guillel. Abbas S. Benig.

sapiâ editus. Quem supradictus Domnus Maïolus Româ veniens invenit in Monasterio Lauceio dicto, ubi à puero educatus fuerat. Assumensque eum ipso deprecante, secum adduxit Cluniacum, ætate juvenili florentem.

Ordinatus anno 990.

Ordinatus est igitur Abbas à Domno Brunone Episcopo, anno ab Incarnatione Domini nogentesimo nonagesimo, indictione tertiâ. Officio verò Abbatis accepto, divinis seipsum cœpit exercere virtutibus. Erat enim corpore castus, mente devotus, affabilis alloquio, prudentiâ præditus, temperantiâ clarus, internâ fortitudine firmus, censurâ justitiæ stabilis, longanimitate assiduus, patientiâ robustus, humilitate mansuetus, bonorum operum gratiâ plenus, charitatis equidem affluens visceribus. Pro pauperibus semper erat sollicitus, Christum verò diligens totis visceribus, dum sicut Martha corporaliter non valebat, in egenis illum quotidie reficiebat. Omnibus hospitii perlargum præbuit usum: nemo est exceptus, perpessus nemo repulsam: Divinorum præceptorum delectabatur eloquiis, quia ex his & suos mores componere, & sibi commissos instruebatur docere & corrigere. Cunctis seipsum præbebat benè vivendi exemplum. Et sicut in ordine, ita primus studebat ut esset in opere, juxtà illud Evangelistæ: *Cœpit Jesus facere & docere.* Peccantes verò zelo pii amoris coram omnibus arguebat, ut cæteri timorem haberent. Sed & verba quæ sub increpatione proferebat, ut reprehendenda reprehenderet, quasi stimuli dura videbantur & aspera, ut penè timerentur plusquàm verbera, juxtà illud, *Verba sapientis, quasi stimuli, & quasi clavi in altum defixi.* Alios quidem blandimentis, alios admonitionibus, alios terroribus, & ita juxtà Apostolum, prædicans verbum instabat oportunè, importunè, arguens, obsecrans, increpans, in omni patientiâ, & doctrinâ. Miserorum verò haud secus ac si pateretur ipse, afficiebatur calamitatibus. Os ejus ita replebatur ex cordis abundantiâ, ut in eodem ore penè nihil aliud nisi lex resonaret divina; & quia scriptura dicit: *Qui audit, dicat veni*; ideo quoscumque poterat, à sæculi nequitiâ suadendo subtrahebat. Et sicut cœleste per desiderium totis ipse viribus ad supernum regnum anhelabat, ita secum pergere omnes homines, si fieri posset, exoptabat. Sed nullatenùs est fraudatus à desiderio, quod in se conceperat vera dilectio. Ille enim qui charitas est, qui se timentium complet voluntatem, viri Dei ferventem affectum perduxit ad effectum. Ad ejus quippe monita multi quæ possederant relinquentes, regulari se disciplinæ subdiderunt, & beati Benedicti sequentes vestigia, semetipsos abnegantes, vero Regi totis viribus militaverunt. Partibus namque ex diversis ad ejus cœnobium multitudo confluxit innumerabilis. Sed nationibus licet diversi, mente tamen erant uniti, ut illud ad litteram in eis impletum videretur, quod de initio nascentis Ecclesiæ in Apostolorum Actibus legitur: *Erat illis cor unum, & anima una.*

Sanctæ ejus vitæ actus describuntur.

Act. 1. 1.

Eccles. 12. 11.

2.

Apoc. 22. 17

Act. 4. 32.

Crescente autem interiùs religionis studio, exterioris substantiæ supplementum cœpit abundare non modicè; prout Dominus promisit suis in Evangelio: *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Domnus namque Episcopus Bruno nimium exhilaratus corde eorum bonâ conversatione, omni studio eorum usui necessaria curabat subministrare. Reddidit igitur sancto Benigno & ejus Monachis Ecclesiam in Saciaco sitam, unà cum ipsâ potestate & villis ad eam pertinentibus totam ex integro, sicuti eam possederat ab antiquis temporibus. Sed postea multis vicibus distracta & direpta à malignis hominibus: salvamentum verò ipsius villæ Otto Comes, cognomento Willelmus, successor Henrici Ducis & heres, computato non modicæ quantitatis pecuniæ debito, Gazfredo Malliacensis castri Domino, pro animæ suæ remedio reddidit sancto Benigno. Necnon & Ecclesiam sancti Apollinaris reddidit Domnus Bruno Episcopus, & terram concessit juxtà hoc monasterium, ut plantaretur viridarium; ac secus undique ad vinearum opera, jugera multa in Lariaco, in Bicliso, in Surdiliaco, Patriniaco, Fœdeniaco, campo Salomonis, in Marcenniaco: quæ quamvis Monachorum ædificarentur studio & opere, tamen Brunonis Episcopi fiebat adhortatione. Ubique ergo investigans ablata restituebat, & de suo jure quodcumque necessarium & utile eis foret, libenti animo tribuebat. Utrisque verò, domno scilicet Præsule Brunone, atque venerando Abbate Willelmo, in restauratione hujus loci studiosè decertantibus, cœpit crescere, & quasi denuò reflorere.

Bruno Episc. Monachis religiosè viventibus providet temporalia.

Matt. 6. 33.

Tempore quo hæc gerebantur Hugo Rex Hugonis Magni filius, cum Rotberto filio Francorum potiebatur regno. Lothario namque Regi cœleste, ut credimus, pro terreno commutanti Ludovicus filius successit. Qui immaturâ adolescens præventus morte, destitutum proprio herede Francorum deriliquit regnum. Sanè patruus ejus Carolus conabatur, si posset, à sui generis authoribus diu possessum sibi vindicare regnum, sed ejus voluntas nullum sortitur effectum. Nam Franci Primates eo relicto ad Hugonem, qui ducatum Franciæ strenuè tunc gubernabat, Magni illius Hugonis filium (cujus jam mentio facta est) se conferentes, Noviomo civitate solio sublimant regio. Is eodem anno Rotbertum filium sibi consortem regni eligit. Cœpit regnare anno nongentesimo nonagesimo primo ab Incarnatione Christi; & regnavit decem annis. Post cujus mortem Rotbertus solus obtinuit regnum. Hugonis Regis fuerunt fratres duo, Otto & Henricus filii Hugonis Magni Ducis Francorum. Post mortem patris accepit Hugo Ducatum Franciæ, & Otto Burgundiæ. Habuit uxorem filiam Gisleberti, qui post Hugonem, fratrem Rodulphi Regis, Ducatum Burgundiæ tenuit. Sed eo in adolescentiâ absque liberis defuncto, Henricus suscepit frater suus: hic fuit comptus bonis moribus, præcipuè mansuetudine; vir Ecclesiasticus.

Hugo & Robertus Reges Franciæ. 987.

991.

Filii Hugonis Magni.

Ipse denique Henricus Dux, auditâ famâ religionis eximii patris Willelmi, commisit ei Abbatiam Vezeliacensem penè ad nihilum redactam, ut ab ipso restitueretur in pristinum statum: quod & fecit, auxiliante Deo. Domnus autem Episcopus Bruno considerans Patrem Willelmum ita ferventem in religione, ac monasticâ institutione, & loca ei commissa de die in diem in melius proficere, omnia in suo episcopio monasteria ipsius delegavit providentiæ. Abbatiam scilicet Besuensem, Apostolorum Petri & Pauli honore dicatam: Monasterium sancti Joannis, quod Reomaus dicitur: locum sancti Michaëlis Archangeli, juxtà castrum Tornodorum: Abbatiam Molundensem, ubi sanctus Valerius Archidiaconus & Martyr quiescit; quas omnes ita strenuè gubernavit, ut post eum singulæ singulis Abbatibus distributæ, statui illius temporis, quo ab eo regebantur, non quierint æquari.

Vezeliacense & alia multa Cœnobia Guillelmus Abbas instaurat.

Anno sexto suæ ordinationis Willelmus Abbas Romam perrexit ad Apostolorum limina, eorum patrocinia exposcens prece devotâ; indeque ad sanctum Angelum montem petivit Garganum. Sed Beneventum veniens, gravissimæ infirmitatis adstrictus est compede. Cujus infirmitatis diuturno afflictus languore, cum jam à suis desperaretur posse evadere,

De gestis ejusdem Sancti.

quadam nocte raptus in spiritu tribunali metuendi judiciis sistitur: ubi cum pro aliquibus increparetur excessibus, & maximè pro indiscretâ severitate, pro his culpis metueret damnari æternis gehennæ suppliciis, ut sibi visum est, sanctus Papa Gregorius in suâ eum suscepit fide, diligentiori deinceps victurum sollicitudine, & priora errata pietatis & misericordiæ operibus expianda correcturum fore. Post visionem in semet reversus, & ab infirmitate eâdem cœpit convalescere die, & priorem austeritatem permutavit in maximam pietatem. Sicque postea omni vitæ suæ tempore sanctum Gregorium speciali coluit dilectione. Cœperunt denique ex suâ patriâ, hoc est, Italiâ multi ad eum convenire. Aliqui litteris benè eruditi, alii diversorum operum magisterio docti, alii agriculturæ scientiâ præditi. Quorum ars & ingenium huic loco profuit plurimùm. Crescebat ergo quotidie multitudo Monachorum sub ejus magisterio degentium, ut (exceptis his qui per alia erant monasteria) in hac congregatione quotidie fratres essent septuaginta, aut octoginta.

Quanta Bruno Episcopus contulit bona.

Inter cætera quæ Domnus Bruno Episcopus in hoc loco egit bona, longum est enim enumerare singula ejus gesta, sed hoc breviter possumus dicere; cuncta ab antiquis huic loco collata, posteaque à malignis direpta, vel à pravis Rectoribus dispertita, à Brunone Episcopo sunt restituta: & licet illi non amittant mercedem suæ eleemosynæ, hic tamen non inferiori dignus est gratiarum actione: de emortuis enim cineribus in excellentiorem, quàm unquam ante fuerat statum, per eum sublimatus est hic locus.

Fundator ac benefactores breviter recensentur.

A sancto igitur Gregorio Lingonensi Episcopo fundata hæc Abbatia, à Guntranno Rege stabilita & ditata, à Carolo Imperatore cognomento Calvo, & domno Isaac Episcopo restaurata: ab honorando Præsule Brunone, & Willelmo venerabili Abbate, non solummodo in aliis rebus, verùm etiam in novâ Ecclesiæ fabricâ est renovata; in cujus Basilicæ miro opere Domnus Præsul expensas tribuendo, ac columnas marmoreas ac lapideas undecumque adducendo, & Reverendus Abbas Magistros conducendo, & ipsum opus dictando, insudantes, dignum divino cultui templum construxerunt. Cujus artificiosi operis forma & subtilitas non inaniter quibusque minùs edoctis ostenditur per litteras; quoniam in eo multa videntur mystico sensu facta, quæ magis divinæ inspirationi, quàm alicujus deputari debent peritiæ magistri.

Sequitur forma Ecclesiæ antiquæ hujus monasterii Divi Benigni.

FUndatum est autem hoc templum anno Dominicæ Incarnationis millesimo primo, indictione decimâ quartâ, decimo sexto Calendas Martii. Cujus longitudo ducentorum fermè cubitorum, latitudo autem quinquaginta trium exstitit. Altitudo verò in sequentibus oportunè dicetur. Inferior itaque domus orationis, in quâ sacratissimum corpus sancti Benigni Martyris veneratur, eumdem penè modum habens quantitatis, fulcitur centum quatuor columnis. Hæc in figuram T. litteræ facta quatuor ordines columnarum duodeno dispositarum numero: æquali extenditur in longitudine & latitudine: decem verò cubitis erigitur in altitudine; secreta ex utrâque parte habens vestibula. Quinque sanè in eâ continentur altaria; primum in honorem ipsius sancti Benigni est consecratum; secundum in memoriam sancti Nicolai & omnium Confessorum; tertium in venerationem sanctæ Pascasiæ Virginis, quæ ibidem quiescit, & omnium Virginum; quartum in sancti Irenæi & omnium Martyrum; quintum sub nominibus

Corpora Sanctorum hujus Ecclesiæ.

sanctorum Confessorum & Abbatum SS. Joannis & Sequani, atque sancti Eustadii Presbyteri ibidem quiescentis. In hac ergo corpora sanctorum qui scientia sæpedicti testis Christi beata ambiunt membra; quorum in principio hujus libri nomina sunt adnotata. Sanctorum verò Confessorum & Episcoporum Urbani & Gregorii corpora in Ecclesiâ sancti Joannis Baptistæ primitùs fuerunt tumulta, post longa verò tempora inde elevata: sancti quidem Gregorii medietas corporis in Ecclesiâ sancti Benigni est recondita, tempore quo propter metum paganorum ejusdem sancti Martyris effossum corpus delatum fuit ad civitatem Lingonas; & tunc alia medietas corporis præfati Confessoris illic est retenta. Sancti denique Urbani corpus levatum, & in loculo positum, multis miraculorum signis per eum Dominus lætificavit corda famulorum suorum in hoc loco degentium. Venerabilis verò Isaac Antistitis corpus cum exigente templi ædificio transferretur aliò à quibusdam sacerdotibus, maximâ ex parte integrùm simul cum capite Clericalem adhuc præferente habitum fertur inventum. Similiter & Domini Argrini Pontificis ac Monachi sacerdotalia cum cucullo, necnon interiore cilicio, vestimenta, in testimonium ipsius sanctimoniæ incorrupta sunt reperta. Ad hoc haud longè reperta est sancta Radegundis, habens ad caput titulum sui nominis in laminâ plumbeâ: cujus ossa cerato involuta linteo sunt invent in capsâ ligneâ in terrâ recondita. Cæterorum præterea sanctorum, quorum corpora hîc noscuntur tumulata, beatus Gregorius Turonorum Episcopus mentionem facit eorum describens quædam miracula: Benigni videlicet Martyris, nostri specialis Patroni; Tranquilli quoque Confessoris; necnon Hilarii Senatoris, & ejus conjugis sanctæ Floridæ sanctimonialis; atque Pascasiæ Virginis & Martyris. Hæc à sancto Benigno edocta & baptizata, post ejus martyrium sævitiâ paganorum rapta est ad supplicium. Cumque immobilis in fide Christi persisteret, primò carceris afflicta squalore; postea pro confessione Deitatis sententiâ fuit multata capitali; ut quædam vitrea antiquitùs facta, & usque ad nostra perdurans tempora eleganti præmonstrabat picturâ. Tantorum ergo venerandis corporibus sanctorum honorabiliter hæc de quo modò agitur Ecclesia, non mediocriter est ditata, exceptis aliorum reliquiis sanctorum, quos enumerare superfluum videtur.

S. Radegundis.

Lib. 1. mirac. c. 51. 51 Et lib. de glor. Confess. cap. 42. 43. & 44.

Huic paulo superiùs descriptæ inferiori cryptæ conjungitur Oratorium ad solis ortum, rotundo scemate factum, senarumque illustratum splendore fenestrarum, triginta septem cubitos habens in diametro, decem in alto. Hoc sanè Oratorium terno columnarum ordine in semet regyrato; quadraginta videlicet atque octo; geometricali dispositione ambitur; hujus desuper culmen celso erectum fastigio, viginti quatuor columnarum, ac triginta duorum arcuum, tripertita comparis numeri machina divisione, eleganti transvolutum est opere. Hoc sanè Oratorium sancti Joannis Baptistæ sacratum est honore; cujus altare illustratur trium fenestrarum lumine. Ab hac Ecclesiâ sunt per cochleam dextrâ lævâque triginta septem gradus, crebris sufficienter illustrati fenestris, per quos inoffenso ascenditur tramite ad Basilicam sanctæ Dei Genitricis Mariæ. Ipsa verò Ecclesia sexaginta octo subnixa est columnis; eumdem ferè habens modum & formam in diametro, sive in altitudine, quem & inferior, undeiisque irradiatur vitreis. Ad altare autem ejusdem perpetuæ Virginis marmoreum per quatuor tripertitos ascenditur gradus, juxtà quos hinc & inde sunt altaria; ad dextram quidem Joannis Evangelistæ ac Jacobi fratris ejus, sanctique Thomæ Apostoli: ad

lævam verò sancti Matthæi, Jacobi, & Philippi Apostolorum.

Huic iterum concordantes, & satis lucidi, utrimque per cochleam ad Ecclesiam sanctæ & individuæ Trinitatis triginta gradus continuatim præstant ascensum. Hæc in modum coronæ constructa, triginta quoque & sex innixa columnis, fenestris undique, ac desuper patulo cœlo lumen infundentibus, micat eximiâ claritate, amplitudine inferiori domui consimilis, sed viginti cubitorum altitudinis. Altare sanctæ Trinitatis ita est positum, ut undecumque ingredientibus, ac ubicumque Ecclesiam consistentibus, sit perspicuum. Inde per quadrageminas scalas, altrinsecùs factas, ad suprema patet ascensus: quarum duæ æquali modo positæ per quindecim gradus usque ad sancti Michaëlis protenduntur Oratorium habens in longitudine cubitos triginta tres, in altitudine decem, vili facta scemate: fenestras habet septem. Aliæ verò duæ per quinquaginta gradus sursum dirigunt gressum: ad ima autem harum scalarum bina super murum deambulatoria sunt facta, quæ æquali spatio ab orientali parte usque ad occidentalem, & infrà templum, per arcus deambulatorios, & suprà tectum domûs muro altitudinis trium fermè cubitorum circumquaque pergentium, à ruinâ protegunt incessum. Hæc tamen ad dexteram sinistramne partem templi incipientes; interiùs & subtus alas ejus gressum per quosdam occultos aditus ad suprema tecti dirigentes plano, ut dictum est, calle deducunt introrsùs undique, donec superliminare occidentalium portarum attingentes, per pariles scalas viginti graduum in porticus Ecclesiæ majoris deponunt. Quæ ad instar crucis ædificata habet in longitudine cubitos centum viginti octo, in latitudine, sicut præscriptum est, quinquaginta tres, in altitudine quaqua versum per maximos triginta & unum cubitos, in medio autem quadraginta, illuminatur septuaginta vitreis, fulciturque centum viginti & unâ columnis, quarum nonnullæ juxtà capita fortissimarum, quæ sunt quadraginta pillarum quadrangulatim statutæ, unâ quasi simul coronari videntur coronâ, quamvis non unius sit magnitudinis omnium forma. Habet hinc & inde geminas porticus dupliciter transvolutas, in quibus bis bina continentur altaria. A parte quidem Aquilonis unum in honorem sanctorum Apostolorum Petri & Andreæ; alterum in honorem sancti Bartholomæi, & Simonis, atque Thadæi Apostolorum. Sancti verò Pauli altare est in superiori Ecclesia, ante aram sanctæ Trinitatis, eo quod ipse raptus ad tertium cœlum vidit secreta Dei. A meridie sunt altaria, unum in honorem sanctorum Apostolorum Matthæi, & Barnabæ, ac Lucæ Evangelistæ: aliud in honorem sanctorum Martyrum Stephani, Laurentii, atque Vincentii. Est aliud altare ad occidentalem plagam Ecclesiæ, in eodem latere meridiano, in honorem sanctorum Mammetis, Desiderii, Leodegarii, Sebastiani, Gengulphi Martyrum. Et ex parte altera sanctorum Martyrum Polycarpi, Andochii, Thyrsi, Andeoli, Symphoriani, Georgii, Chrystophori, & sanctorum Confessorum Urbani, & Gregorii, quorum corporibus adornatur præsens domus. Principale altare est sacratum in honorem sanctorum Mauricii atque Benigni: simulque omnium sanctorum altare ad dexteram ejus in honorem S. Raphaëlis Archangeli, & omnium beatorum spirituum. Ad lævam verò in honorem S. Marci Evangelistæ; atque in medio ipsius Ecclesiæ altare sanctæ crucis, omniumque sanctorum. Ante hoc altare triplex constat introitus cryptæ, in quindecim gradibus ascenditur ab ipsa ad superiorem Ecclesiam. Sepulcrum verò sancti & gloriosi Martyris ita est constructum. Est tumba ex quadris ædificata lapidibus, quæ octo cubitos in longum, quinque autem tenet in latum, cujus cacumen lapideum quatuor sustinetur suffragio columnarum: desuper autem quatuor columnæ marmoreæ locatæ erant antiquitùs. Olim super lapideos arcus, qui continebant absidam, ferebant ligneam sex cubitorum longitudinis, & trium latitudins, septemque ac semis altitudinis, quæ undique auro & argento vestita, historiam Dominicæ Nativitatis & passionis præmonstrabat anaglypho prominente opere picturâ satis optimâ. Verùm hoc decentesimum de quo loquimur ornamentum, ob recreationem pauperum tempore famis fuit dissipatum à Domino Abbate Willelmo, & cum capsâ aureâ mirificè gemmis exornatâ, pariterque tribus tabulis ac duobus thuribulis argenteis, crucibusque; ac omne ornamentum in auro & argento venumdatum est. Ante hæc verò tempora, insignia ornamenta, videlicet gemmæ, pallia pretiosa, capsæ, tabulæ, coronæ, vasa quoque Ecclesiastica, seu candelabra, ex auri argentique metallo fabricata, cum imagine Salvatoris Domini nostri ex auro, fusili opere facta, latronum fraude, in ipsius Sancti festivitate, occisis custodibus, furto fuerunt asportata. Hæc ornamenta à Guntranno & cæteris Regibus huic loco pro veneratione & honore Dei, sanctique Benigni Martyris antiquitùs collata, sed priscis temporibus sacrilegâ pessimorum manu sublata, nullus postea exstitit Principum, qui tantum potuisset recuperare thesaurum. Hæc ad notificandam Divionensis loci antiquitatem & gloriam paucis dicta sunt. Illud in fine notificandum est, in templi istiùs ædificio esse columnas trecentas septuaginta & unam, exceptis illis quæ in turribus & altaribus sunt. Fenestræ causæ vel claudendæ vitro centum viginti: turres octo: portæ tres: ostia viginti quatuor.

Nunc ad ea quæ omiseramus patris VVillelmi explicanda gesta stilum vertamus. Augustorum seu Regum Palatia cum adiit, in eis non quæsivit quæ sua sunt, sed quæ JESU CHRISTI; ut ex eorum scilicet familiari colloquutione subveniret opressis suâ interventione; aut certè ex sæculari vel Clericali habitu Deo lucrifaceret; ut juxtà Domini præceptum propria relinquerent, & sæcularibus curis semotis Deo in tranquillitate servire stuperent. Conveniebant igitur ad eum plurimi, ut diximus, & licet diversi nationibus, mente tamen uniti. Lætabatur Pastor in sui gregis augmento, magisque gaudebat quòd omnes instabant operi proposito. Verùm quia super gregem sibi commissum solerti vigilavit curâ, divinâ promeruit gratiâ de fructu laborum suorum in hac gaudere vitâ. Nam regularis vitæ disciplinam, quæ jam penè deciderat per veterum negligentiam, prout beatus Benedictus eam composuit in pristinum statum corrigendo, restauravit, ac per diversas mundi partes per plura monasteria à regulari tramite devia, tam per se, quàm per suos, quos Abbates ordinaverat, monastico ordini subdidit. In hoc verò gaudens gratulabatur Deo, quòd eorum quos suâ sub curâ educaverat, ad monasticum regendum ordinem fore multos idoneos videbat: ex quibus nos aliquos dignum judicavimus huic libro indere, ut sciant posteri, quàm strenui ex hac congregatione prodierint Monachi, eorumque memoria permaneat in laude.

Iterum de S. Guillel. Abbate.

Regulæ S. Bened.ct. observantiam diversis in monasteriis restaurat.

Cum primùm Abbatis suscepit officium venerabilis Willelmus, inter Monachos in hoc loco degentes fuit quidam juvenculus vocatus Hunaldus, quem prædictus pater videns solertis ingenii, retinuit sibi cæteris abeuntibus. Hunc præcipuè omni studio

Insignes S. Guillel. discipuli.

studio doctrinæ imbutum, in domo Dei constituit vas electum. Ad omnia quippe quæ sibi erant necessaria, prædicti fratris juvabatur solertiâ. Denique injunxit illi curam hujus sacri periboli, quam tantâ prosequutus est cura, ut penè totum quidquid fuit ornamentorum in hâc Basilicâ, ejus studio sit aggregatum. Ad ultimum post obitum prædicti Patris Abbatiam Tornodorensem assequutu, ibidem quievit annis viginti septem in regimine transactis. Alter quidam hujus castri Divionensis civis, nobili ortus genere Rodulphus, Albus vocatus cognomine, venit ad conversionem inter ipsa primordia ejus novæ ordinationis, cujus pecuniis relevata est paupertas prædicti Patris, & consilio atque adjutorio sublevata sollicitudo regiminis hujus loci, & Besuensis Monasterii: (adhuc quippe erat ei paucitas Monachorum) quem prædictus frater ita juvabat in exterioribus curis, ut solus supplere videretur solamen plurium. Sed præter ejus votum, hoc solatium tulit illi paucitas dierum. Alter quoque subjunctus est memorato Patri, Theodericus dictus, hujus patriæ civis, quem post diuturnam eruditionem Fiscanensi cœnobio constituit Priorem, ad ultimum Gemmeticensium præfecit Abbatem. Alius ex castro, Belno dicto, Miles, Ledbaldus vocatus, & à studio sapiens cognominatus, Patri Willelmo est adjunctus. Cujus imbutus doctrinâ spiritali, per aliquod tempus Archimandrita in Tornodorensi loco est substitutus.

Abbatiæ S. Guiiel. reformandæ traduntur.

Famâ sacræ Religionis eximii patris Willelmi percitus quidam Metensis Clericus, generosis ortus natalibus, nomine Benedictus, ejus discipulatui est agregatus: brevique in tempore studendo eum imitari, doctrinâ & conversatione perfectionem attigit monasticæ vitæ. Per ejus igitur relationem comperit Domnus Adelbero Metensis Pontifex Patris Willelmi religiosam conversationem. A quo suppliciter evocatus, atque sancti Arnulphi Abbatiâ donatus, eumdem Benedictum ibidem constituit Patrem, ubi per multos annos sacris intentus actibus, vitâ functus claruit multis virtutibus. Ne verò à tanto Pontifice Reverendus Abbas Willelmus rediret vacuus à munere, stolam auro textam, duasque cappas purpureas aureo limbo decoratas, ab eodem percepit Præsule. Sed & præfatus Benedictus Abbas ordinatus, casulam auro decenter ornatam, atque alia ornamenta obtulit ei pro benedictione. Quæ præfatus Pater tam hoc in loco, quàm Fructuariensi, à se noviter cœpto, divisit ut sibi placuit. Prædictam verò sancti Arnulphi Abbatiam post mortem antedicti Abbatis rexit annis multis.

S. Arnulph. Metensis.

Fructuariensis.

Ex Tullensi quoque clero venit ad eum quidam Arnulphus vocabulo litteris apprimè eruditus, omnique mundanâ sapientiâ doctus. Hic in brevi assequutus perfectioris vitæ institutionem, commissa est ei cura à Domno Patre Willelmo non solùm hujus, sed & omnium quæ sub ejus erant provisione locorum. Qui quanta in hoc loco egerit bona post referemus; non enim debent silentio tegi verborum quæ ipsius clarent studiis operum.

Interim prosequamur insignium memoriam enarrare virorum, quia licet nos eorum sequaces tabescamus desides ab eorum religionis fervore, & undique internis scilicet atque externis malis ingruentibus ab omnibus bonis studiis torpentes, simus ignavia & pigritia adstricti: erunt tamen forsitan post nos aliqui, qui horum legentes gesta studebunt imitari exempla. Domnus igitur Bertoldus Leucorum, qui Tullo dicitur, Episcopus per querimoniam à se delapsi Clerici, confabulationem quæsivit sæpefati Abbatis Willelmi. In cujus verbis considerans inconcussam inadulatamque constantiam mentis, cæteraque insignia virtutum in ejus actis & operibus resplendentia, admiratus, monuit instanti prece ut Abbatiam sancti Apri suscipiens, emendare curaret secundùm sancti Benigni institutionem. Cujus annuens precibus eumdem Cœnobium in paucis annis ad regularem commutavit statum. Invenit ibidem strenuos Monachos, ex quibus unum, Widricum nomine, post non multos annos in eodem monasterio constituit Patrem Monachorum. Qui egregii Magistri docilis discipulus ita eum studuit imitari in omnibus, ut in suis omnibus vel verbis vel actibus repræsentari quodammodo videretur Pater Willelmus. Multos denique erudiens in sanctâ conversatione, aliquantos aliorum monasteriorum Patres Monachorum ex suâ protulit congregatione.

S. Apri Tullensis.

Plures igitur Sacerdotum vel Abbatum sibi commissorum locorum vel Ecclesiarum relinquentes curam, ad Patris Willelmi confluebant doctrinam. Quidam Episcopus civitatis Albingatæ, quæ est juxtà Genuam civitatem, super mare sitam in Italiâ relicto Episcopio, prædicti Patris se subdidit imperio. Alter quoque Episcopus, Barnabas vocatus, genere Græcus, in hoc monasterio sub ejus magisterio plurimis annis est conversatus. Alius verò, Benignus dictus, Episcopus à Româ huc adveniens per aliquot annos cum ipso commoratus fuit subjectus & obediens. Abbates etiam perplures ex diversis partibus venientes sponte se ipsi subjiciebant obedire parati: inter quos fuerunt Abbas Joannes, dictus Capuanus. Alter quoque Joannes Abbas monasterii S. Apollinaris in urbe Ravenna. Benedictus quoq; Abbas monasterii S. Severi urbis Classis. Anastasius etiam & Marcus, & alii Abbates plures, quos longum est enumerare. Monachorum verò non est numerus qui ab illis venerunt partibus. Archidiaconus etiam quidam Mediolanensis, nomine Gotefredus, ut nobilem decebat, nobiliter veniens cum multis thesauris, inter quos altare onychinum auro & argento decenter ornatum, & quidquid ad capellam pertinebat, ornamentum scilicet Ecclesiasticum, secum detulit, pluribus annis in hoc monasterio monachus permansit, ac postea per consensum Abbatis Willelmi patriam revocatus, Abbas apud Mediolanum est constitutus.

Plures Episc. & Abbates Guillelmi magisterio se subdunt.

Ipsi denique sancti viri Patres & Doctores Eremitarum existentes, famâ sanctitatis longè lateque notificati, Romaldus scilicet, Willelmus ac Martinus, quos in magna veneratione habebat urbs Ravenna, cæterique quos intra se concludit Italia, Patris Willelmi expetebant societatem. Quia sanctorum conjunctio grata & jocunda, Ecclesiæque pernecessaria, & è contra societas malorum impedimentum bonorum. Ipsi verò cultores Eremi relictâ quiete sollicitudinis gaudebant sub ejus magisterio associari Cœnobitis. Ex eorum ergo numero adjuncti fuerunt ei duo, Joannes & Paulus, litteris eruditi. Quorum sapientia ad salutem multarum profecit animarum. Horum uterque monasticæ religionis ferventissimus, & in cœnobiali conversatione cæteris erant imitandi: & in contemplativâ vitâ lectioni & orationi assiduè studentes, videntibus exemplo fuerunt pariter & admirationi. Reverendæ memoriæ Paulus apud nos in pace quievit. Joannes verò homo Dei sanctam ob conversationem vocatus à Domno Patre Willelmo, Fructuariensi cœnobio Abbas est institutus. De quo loco, quia occasio se præbuit, intimandum paucis videtur qualiter fundatus fuerit.

Origo Fructuariensis Monaster.

Duo germani fratres fuerunt sæpedicti Abbatis Willelmi, unus vocatus est Nitardus, alter Gotefredus. Primus eorum honore Comitatûs enituit, alius militiæ stipendiis contentus fuit. Quos prædictus Pater sæpe admonendo à mundi illecebris ab-

duxit, & ad Christum convertit. Venientes ergo uterque ad hoc Divionense Cœnobium, exceptis aliis rebus, dederunt sancto Protectori nostro Benigno quoddam juris sui prædium, Vulpianum vocatum, quodam præsagio futurorum. In quo loco Domnus Willelmus fundavit Ecclesiam in honore sancti Benigni, ut notitia & honor ipsius sancti in illâ patriâ accresceret, & ut in hereditate parentum suorum aliquid acceptum Deo ædificaret. Deinde ut oblatio eorum ad animarum proficeret lucrum, atque ut fructus bonorum operum quæ ibi geruntur, sibi & illis esset abolitio peccatorum, & æternæ vitæ digna recompensatio præmiorum. Unde & Fructuariensis ille locus est vocatus. In brevi ergo tempore factum est nobile cœnobium, ubi de hoc loco & spiritualia & temporalia subsidia sunt delata, Reliquiæ scilicet multæ cum corporibus sanctorum, volumina librorum, omniaque Ecclesiastica ornamenta, & monachi plurimi pariter illuc abierunt. Sed & de aliis suæ ditioni subjectis locis, & undecumque oblatis supplementis, magnificatus est locus possessionibus & divitiis. Ita ut in vitâ ejus congregatio illius loci centum numero constaret Monachis, exceptis locis cellarum ei loco subditis, quæ fere triginta existunt. Convocatis ergo Episcopis patriæ, Rege quoque Arduino, qui ibi postmodum quievit, suâ cum conjuge, & multis Nobilibus ipsius regni, in honore sanctæ Dei Genitricis MARIÆ, sanctique Benigni, & omnium sanctorum, fecit locum illum sacrari.

Plura ædificavit Monasteria.

Constituit & alia monasteria in eâdem patriâ, ubi deputatis Monachis, & Abbatibus ordinatis, adhuc ordo viget monasticus. Sanctimonialium etiam instituit Monasterium.

Richardi Comitis rogatu Fiscannense Cœnobium suscipit regendum.

Auditâ Dei viri famâ nobilissimus Nortmannorum Comes Richardus misit ad eum, reverenter supplicans, ut ad se veniret. Qui tandem libenter ut rogatus fuerat pergens, venit ad eum; à quo sicuti decebat honorificè susceptus est. Multisque ejus precibus exoratus est, ut Ecclesiam sanctæ & individuæ Trinitatis nomine & honore dicatam, in loco qui Fiscannus dicitur, olim constructam, & à se in ampliorem statum decenter reformatam, susciperet, atque Monachorum collegio decoraret. Cujus precibus annuens, ita præfatum locum omnibus religiosis studiis, cæterisque bonorum copiis adornavit, ut præ cunctis illius provinciæ locis, felicibus semper floreat incrementis. In quo loco multi convenerunt nobiles viri, tam Clerici, quàm Laici, ejus doctrinis cupientes instituí: inter quos Osmundus [t] Episcopus sanctæ & religiosæ vitæ exstitit Monachus. Duo quoque Clerici liberalibus artibus apprimè eruditi, aula Regis postpositâ Willelmum Patrem expetierunt mente devotâ. Unus eorum vocabatur Locelinus, alter Beringerius. E quibus prior postmodum Abbas exstitit: sequens in eodem loco vitæ finem accepit. De transmarinis etiam partibus, hoc est, Anglorum terrâ, vir quidam nobilis regali prosapiâ clarus, Clemens nomine, relictis sæculi pompis ad idem monasterium venit, Deo inibi cupiens militare. Sed cum ab hominibus ex suâ patriâ adventantibus crebrò inviseretur, magis diligens Deo servire cum quiete, quàm vanitates mundi frequenter audire, Divionense expetivit cœnobium: ubi laudabilis vitæ complevit cursum. Fuit itaque secundùm etymologiam sui nominis Clemens animo, omnibus virtutibus adornatus, præcipuè humilitate, quâ in tantum se abjectum & vilem asserebat, ut cum sacerdotii gradu fungeretur, nunquam in omni vita sua nisi semel ad hoc ministerium accedere præsumserit.

Multi ad eum instituendi monasticis disciplinis confluunt.

Abbatem Fiscanni sibi subrogavit S. Guillelm.

Postquàm igitur per annos ferè triginta Willelmus Abbas Fiscanense rexit cœnobium, cum jam senectute simul & ægritudine gravaretur, & elegisset sibi Fructuariensem locum ad habitandum, desiderans in patrio solo quiescere: considerans Princeps regni Rotbertus, qui post patrem & fratrem defunctos primatum tenebat Normannorum, petiit per legatos eumdem Patrem, ut Abbatem sibi substitueret, quia loci status aliter sine detrimento manere non posset. Ad cujus petitionem, quemdam sibi valde dilectum Monachum, ejusdem loci Priorem, nomine Joannem, constituit Abbatem: licet eum alibi magis optasset præficere. Hic Italiâ, partibus Rauennæ, ortus, litteris eruditus, ac medicinali arte per ipsius Patris jussionem edoctus, religiosæ conversationis ejus, doctrinæ quoque, ac omnium virtutum ipsius præ cunctis aliis exstitit imitator studiosus. Qui ab exilitate corporis Joannelinus diminutivo nomine est dictus, sed humilitatis, sapientiæ, discretionis, ac cæterarum virtutum tanta in eo refulsit gratia, ut (sicut sanctus refert Gregorius in libro dialogorum de Constantio Presbytero) ita ut in hoc mirum esset intuentibus, in tam parvo corpore gratiæ Dei tanta dona exuberare. Sed quia adhuc domum habitat luteam, sufficit hoc tantùm dixisse: dicit enim scriptura: *Ne laudes hominem in vitâ suâ.*

Lib. 1. c. 5.

Authoris hujus Chronici ætas.

S. Guillelm. Monasterium Gemmetici, S. Audoëni, & S. Michaëlis, curam gerit.

Commisit & alia loca memoratus Comes Richardus sæpefato Abbati Willelmo, scilicet Gemmeticum, ut jam diximus, monasterium sancti Audoëni, Montem sancti Michaëlis Archangeli: in quo loco post mortem patris prædicti, supradictus Joannes Abbas constituit Patrem quemdam Monachum prænominati Patris Willelmi: vocatus est autem isdem Frater Subpo, Romanorum patriâ exortus, & jam dicti Magistri institutione in omni sanctitate educatus. Qui postmodum quibusdam contrarietatibus exortis, relicto ipso loco, Fructuariensem Abbatiam annis pluribus rexit. Rotbertus etiam Rex Abbatiam sancti Germani apud Parisius precatus est prædictum Patrem ut susciperet, & secundùm regularem institutionem ordinaret quod & fecit. Necnon & Oddo Comes pari devotione locum sancti Faronis in urbe Meldorum eidem commisit venerabili Patri. Sed & honorabilis Præsul Metensis Ecclesiæ Theodericus Gorziensem Abbatiam eodem zelo Dei commendavit illi, defuncto illius loci Abbate: qui dum præfatum regeret locum, ex Clero Metensi quemdam Clericum, Sigiridum vocatum, litteris benè doctum, ad monasticum attraxit ordinem; qui post ejus decessum eamdem rexit congregationem.

Necnon S. Germani, S. Faronis, Gorzensis.

Domnus verò Arnulfus istius loci Prior (ut jam diximus) cum patris Willelmi, & præfati Præsulis admoneretur precibus, ut jam dicti loci susciperet curam, atque Abbatis officium; ipse humilitatis amator nullo modo assensit, magisque elegit subesse quàm præesse; solummodo cujusdam parvi loci à prætaxato Patre Willelmo sibi expetivit curam & dominium. Est autem locus ille situs in confinio Tullensis & Lingonensis parochiarum, in loco qui vocatur Brittiniacacurtis. Quomodo verò sancto Benigno istius loci patrono fuerit datus, nunc referemus. Jacob Tullensis urbis Episcopus dum rediret Româ, incitatus famâ miraculorum, quæ in hoc loco Dei operabatur clementia per istius sancti merita, ad ipsius Martyris Christi advenit tumulum, cupiens à Deo veniam adipisci delictorum per hujus gloriosi Martyris interventum. Dumque per aliquot dies

[t] *Osmundus*] Baluzius conjiciebat hoc loco agi de Osmundo Episcopo Sarisburiensi.

remorando ad tumbam ejus cœlorum penetraret intima, vocatus à Domino est ad cœlestia regna: sanctique Benigni adjutus precibus, & in cœlis cum eo gloriam, & in terrâ juxtà ejus tumulum condignam accepit sepulturam. Cujus soror, nomine Liliosa, ad sancti Benigni veniens limina, prædictum prædium suum donavit sancto Benigno Martyri, pro fratris sui sepulturâ. In quo loco ædificaverunt Ecclesiam in honore sancti Benigni Monachi hunc locum inhabitantes: ubi multis virtutibus à Deo clarificatus est hic Martyr sanctus. Sed vicini circummanentes multis molestiis impediebant illi servientes: verumtamen videntes quæ ibi fiebant miracula, frangebantur à suâ pertinaciâ. Hic enim sanctus Benignus adversantes sibi diù tolerat, sed postmodum impœnitentes durè castigat. Ad ipsum itaque locum dedit quædam Natalia nobilis fœmina terram suæ possessionis in fine Branticianæ villæ, & in fine Businiacæ pratum unum. Quæ utraque sunt in confinio memorati prædii. Fecit verò prædicta fœmina ipsam donationem tempore Caroli Regis & Imperatoris. Hunc ergo locum supradictus Domnus Arnulphus sibi eligens, omni curâ studuit eum augmentare. Ac primùm Basilicam ibi magnam construens, officinasque ac reliqua habitacula Monachis utilia, nobile cœnobium constituit, possessionibusque & terris augere procuravit.

Dedit itaque Miles quidam, Evrardus vocatus, villam suam Mannisis dictam in eodem loco, sancto Benigno; accepto à Domno Arnulfo pro hac re non parvo pretio. Pertingit verò terra ipsius alodii, usque ad portam castri quod vocatur Risnellus. Cumque dominus ejusdem castri Odulricus Comes, eumdem alodium sibi vellet vindicare; à Domno Brunone Præsule tamdiù est persequutus excommunicatione, & inimicitiarum vi, donec ipsum alodium dimittens wirpiret, & insuper juraret, nec se nec aliquem heredum suorum ibidem violentiam illaturum. Dedit Archidiaconus Lingonensis, Beraldus dictus, sancto Benigno Ecclesiam in honorem sancti Desiderii dicatam in Algisi-villâ, simul cum ipsâ possessione. Et in Brualdi-curte; & molendinos in Materna fluvio, in loco qui vocatur Mortuellus. Dedit Girardus Metensis Comes medietatem villæ, quæ dicitur Godonis-curtis. Dedit Gotbertus quidam nobilis alodium suum in loco Solinimons dicto. Quod dum quidam parens ejus calumniaretur, & sæpe admonitus à prædicto Priore Arnulfo non acquiesceret; tandem in bello ab inimicis suis capitur, multis plagis confossus. Ipse ergo Miles, Rodulphus dictus, de Barrensi castro, cognoscens hæc & alia mala sibi provenire ob sancti Benigni injuriam, vocato memorato loci ejus provisore, omnem dimisit quam inferebat calumniam. Sed & filius ipsius Rainardus dum paria faceret, similem excepit vindictam. Emit prædictus Præpositus in Lineroiis-villâ Ecclesiam, & partem ipsius possessionis, & in Montaniaco, & in Calmillas, atque Latona, in Clini campo, in Conchis, in Salcido, in Salsuris; his & aliis locis emit plurima terrarum mansa, quæ usque nunc possidentur ab illius loci Monachis. In hoc verò Cœnobio quanta gessit non est silendum: Wlnonis villam dictam in pago Tricasino ipse ad Stephanum, itemque ad Oddonem Comites sæpe recurrendo, & multas pecunias dando, sancto Benigno restituit. Ubi ne deinceps auferretur, instituit cellam Monachorum, officinasque eorum usui necessarias, atque Basilicam amplam & honestam in sancti Benigni honorem construxit.

In pago Portuensi Albiniacum-villam in præstariâ datam, & longinquitate temporum perditam, Domnum Brunonem Episcopum sæpe interpellans, atque Willelmum Comitem, ipsis raptoribus auferri, & sancto Benigno restitui fecit. In quo loco monasterium magnum construxit ad honorem sancti Benigni, & cellam instituit Monachorum. Erat ibi antiquitùs Ecclesia sancti Marcelli Martyris honori dicata, quæ manet usque adhuc. Additæ sunt ibi postea aliæ duæ Ecclesiæ: in Cinbinno, & in Duellari villare, possessioque terrarum amplissima. Longum est per singula quæque referre, cum penè omnia, quæ iste locus Patris Willelmi tempore acquisivit, Domni Arnulfi Prioris consilio & labore factum sit. Super cætera quæ gessit, hanc Ecclesiam sancti Benigni librorum ornamento decoravit ipse, impensas tribuendo, & Domnus Girbertus scribendo. Fuit autem Girbertus ex primis quos nutrivit Domnus Abbas Willelmus, & ab officio Scriptor est appellatus.

Otto Comes, cognomento Willelmus, quem ante memoravimus, supplicante Domno Willelmo Abbate, qui ei propinquitate jungebatur, dedit sancto Benigno in Salinis burgo sedem unius caldariæ. Sequenti tempore Domnus Arnulfus & Monachi Divionensis loci, emerunt aliam caldariam à conjuge ipsius Comitis, per laudem filii ejus Rainaldi. Dederunt etiam Willelmus & filius ejus supra dictus Rainaldus sancto Benigno terras conjacentes in his locis. In Cernensi-villa, & in Dornone, scilicet terras arabiles, & prata, ubi possunt secari fœni quinquaginta carra. Est in Dornone unum pratum, quod possunt secare falces centum: & debet in censu solidos octo, multones tres, scindulas centum. Et in alio loco Callis vocato pratum alterum cum sylvâ ibi permixtâ. Dedit idem Comes Otto sancto Benigno potestatem Vivariensis villæ pro animâ Henrici Ducis, qui eum loco filii adoptavit, & genitricis suæ Gerbergæ uxoris prædicti Ducis, ac filii sui Widonis, & Hermitrudis conjugis. Proque animæ suæ salute dedit prædictam potestatem cum appenditiis suis, sicut dono prædicti Ducis Henrici & uxoris ejus, suæ verò genitricis Gerbergæ, sibi datam legaliter tenuerat annis triginta, ita integram cum Ecclesiis in eâ sitis: unam in honore sanctæ MARIÆ, alteram juxtà ipsam positam sancti Petri Apostoli nomine sacratam, & villis, & terris multis; scilicet in Crocherco, in Grugiaco, in Frigidâ villâ, in Colombario, in Lusiniaco, in curte Romaniscâ, in Destagno, in Cadiniaco, in Mille-Ponto, in Turiaco, in Albaniâ, in Cariaco, in villâ Comitis, vel in aliis quibuscumque locis, cum mancipiis utriusque sexûs plurimis, & omnes redditus & consuetudines, quas debent ipsi servi & ancillæ, & etiam illi qui Francos se dicunt; desuper ipsam potestatem, commanentes ubicumque. Facta est hæc donatio anno ab Incarnatione Domini nostri JESU CHRISTI millesimo quarto, indictione secundâ. 1004.

Eodem tempore Oddo Vicecomes, filius Henrici Ducis, dedit sancto Benigno quamdam Ecclesiam sitam juxtà muros castri, quod dicitur Belnum, antiquitùs in honore sancti Stephani sacratam, sed jam per multa curricula annorum destructam. Quam ipse & uxor ejus, Hingala dicta, à fundamentis in ampliorem statum reædificantes, Abbatis Willelmi ac Divionensium Abbatum providentiæ perpetuæ dederunt. Et ut Monachis ibi commanentibus non deessent stipendia, dedit ad ipsum locum in comitatu Dusmensi villam, Empiliacus siccus vocatam, cum appenditiis omnibus, & consuetudinariis, & actionibus, ab hiis etiam quæ Francorum nomine censentur pro debito exigendis. Dedit in Mille-ponto villâ terras arabiles, & vineas. In Polmarco, in Vallilias, mansum ad manendum, vineas & prata. Et ut donatio ista perpetualiter maneret, Rotberti

Girbertus Scriptor.

Ecclesiæ diversæ conferuntur S. Benigno.

Regis Francorum, interveniente Domno Walterio Episcopo, in cujus diœcesi erat memoratus locus, & Ottone ad cujus beneficium pertinebat Comite, petiit regali Præcepto firmari, ad nomen sancti Benigni jure perpetuo possidendum. Factum est
1005. hoc Præceptum anno incarnati Verbi millesimo quinto.

Alter quidam Miles prædicti Comitis Ottonis, Letbaldus dictus, quamdam Ecclesiam in honore sancti Petri dicatam, loco qui dicitur Puteolis, quam beneficiario jure tenebat ab ipso Comite, per ejus laudem dedit sancto Benigno, ditans eam rebus propriis: utque hoc donum stabiliretur, petiit à prætaxato Rege Rotberto, memoratis intervenientibus Legatis, regali munificentiâ firmari, ut Monachi ibi Deo servientes, pro ipso Rege, & ejus prole, proque largitoribus hujus doni & eorum progenie, omnique populo Christiano Dominum studeant exorare.
1006. Factum anno millesimo sexto.

Humbertus etiam dominus castri, quod vocatur
u Salmacia [u], dedit Ecclesiam sanctæ MARIÆ, sitam in ipso castro, sancto Benigno in perpetuum possidendam, sub providentiâ Abbatis Willelmi, successorumque ejus; ut Monachi ibi mitterentur Deo & ejus Genitrici servientes, ac pro se & omnibus vivis ac defunctis supplicantes. Ad quorum victum dedit alias duas Ecclesias, unam in villâ Buxo dictâ, cum mansis & terris aliis; ac farinario, servis, & ancillis; alteram in villâ Mermedis. Hujus rei donatio facta est Roberti Regis anno vigesimo sexto, ab Incarnatione Domini millesimo decimo tertio.

1012. Anno ab Incarnatione Domini millesimo duodecimo, Willelmus Abbas Divionensis, & Amadeus Flavigniensis Abbas, fecerunt commutationem inter se de terris. Dedit memoratus Abbas Amadeus de Abbatiâ S. Petri quidquid habere dignoscebatur in villâ Dienato, & in villâ Comitis, & in aliâ villâ Salice dictâ, & in villâ Carli, & in villâ Icio, in Marciaco, & in villa Tarsu, & in villâ Meleis, cum omni familiâ utriusque sexûs, & omnibus appenditiis. E contrà dedit Domnus Abbas Willelmus quidquid habebat ex Abbatiâ sancti Benigni, & loco sancti Stephani, in villâ Empiliaco sicco dictâ (quam olim Odo Belnensis Vicecomes ex consensu uxoris suæ, nomine Inge, & filiorum ejus, Aquionis Abbatis, & Joannis, ad jam dictum locum sancti Benigni delegaverat) vicinum erat Abbatiæ S. Petri Flavigniensis. Communicatum est cum servis & ancillis, & omnibus appenditiis suis atque redditibus, per laudem & assensum Domini Brunonis Lingonensis, atque Domini Walterii Episcopi Heduorum, ad quorum diœceses pertinebant præfatæ Ecclesiæ.

Postmodum Hugo quidam Miles de Parvi, Divion castri habitator partem suæ hereditatis, quam in prædictâ villâ Dienato habebat, cum consensu & laude uxoris suæ Hildegardis, & filii sui Humberti, dedit sancto Benigno ante Domnum Brunonem Episcopum, multis Clericis, & Laïcis nobilibus astantibus: ac postmodum in præsentiâ successoris ejus Domini Lamberti Episcopi, quando capitis comam deposuit, reiteravit donationem ad altare sancti Benigni coram multitudine populi, dans ipsum patrimonium suum in jam dictâ villâ Dienato, vel ubicumque positum; cum servis & ancillis, cumque omnibus debitis consuetudinariis exigendis.
1017. Actum anno millesimo decimo septimo.

Ex hac terrâ sunt in villâ Karli mansa decem, cum terris aliis ad ipsa mansa pertinentibus, ac servis plurimis & ancillis desuper commanentibus. Sunt in Dienato coloniæ quindecim, curtilli viginti, & terra absque æstimatione, servi & ancillæ plusquàm septuaginta. Est sylva, quæ appellatur mons Rigon in Largo fonte, mansi quindecim cum servis & ancillis, & terrâ multâ. In Scalurco mansum unum cum suis appenditiis. In Hodescâ colonias sex cum servis & appenditiis suis. In Carco fuit villa quæ vocatur Britonia: sunt ibi forestellæ duæ, una vocatur Basescoth, alia vocatur Petra. Sunt in Fontanis mansi duo cum terris & vineis. Sunt in Marcenniaco de vineâ jornales tres.

Dedit Domnus Abbas Willelmus Monachis Belnensis cellæ Ecclesiam sancti Antonii, in Ficiaco sitam, pro excannio supramemorato Empiliaci sicci & Dienati. Dedit Monachis Sarmociensis cellæ ad laborandum & custodiendum terram sancti Benigni, positam in Sarmaciâ villâ, & in Viriaco.

Ipso in tempore Addita Comitissa, uxor Richardi Comitis Divionensis, reddidit sancto Benigno, quidquid prædictus Comes vir suus tenuerat de terris sancti Benigni in beneficio à Manasse Abbate; pro salute animæ ejusdem viri sui, & filii sui Letaldi Comitis (quorum corpora sepelierat in hoc monasterio Divionensi) coram Legatis Domini Brunonis Episcopi ad hoc missis. Tradidit super altare S. Benigni ipsam vinopetionem, ut neque ipsa deinceps, neque ullus Militum ejus, de illo beneficio quidquid retineret, nisi tempore vitæ suæ. Post obitum verò uniuscujusque quod tenebant, rediret ad jus sancti Benigni. Hæc redditio facta est anno ab Incarnatione Domini millesimo septimo.

Tempore illo adolescens quidam, nomine Achedeus, Lingonensis Ecclesiæ Canonicus, in præsentiâ Domini Brunonis Episcopi, & Ottonis Comitis, dedit Ecclesiam sancti Albini ad altare sancti Benigni Divionensis patroni, eâ conditione tradidit prædictam Ecclesiam cum appenditiis suis ad memoratum locum, pro se, & pro patre suo Letbaldo, in hoc loco facto Monacho, ut jam diximus, ut annis singulis quamdiù viveret, persolveret in censu pro prædictâ Ecclesiâ solidos decem, & duo sextaria olei. Postmodum verò quidam Hendricus Miles matris ejus, maritusque, quia quamvis erat solutio census, adiit præsentiam Domini Willelmi Abbatis, petiitque alienari censum prædictum: quod impetravit; & ad quatuor denarios redactus est census: & pro hac recompensatione, proque animæ suæ salute, dedit villam Molensam cum omnibus ad ipsam hereditatem pertinentibus rebus. Consistit ipsa hereditas in Comitatu Oscarense super Sagonam fluvium atque Oscaram & Tyllam: habetque determinationes amplas, prout scriptum est in cartâ. Facta hæc donatio ab Incarnatione Domini anno millesimo tertio.

Exorta fuit tunc quædam altercatio inter Monachos hujus loci, & Monachos monasterii sancti Leodegarii, de quodam saltu, qui dicitur alta sylva, ad Saciacum villam pertinente, quam determinant duo torrentes. Unus dicitur Tramant, alter Scitilaria, ex diversâ parte venientes. Quæ cum mota fuit à Priore illius loci, nomine Fulcherio, ante Henricum Ducem Advocatum præfati loci, & Ottonem (qui & Willelmus dictus) Comitem, qui tunc Advocatus erat loci istius; atque in præsentiâ Domini Episcopi Brunonis: ad hoc denique ventum est, ut respectum caperent utraque pars super ipsam sylvam: quibus Comes Richardus cum plurimis civibus Divionensibus, videlicet Walterio, Remigio, Humberto, aliisque nobilibus, interfuisse ad justitiam diffiniendam noscitur. Indeque campum fieri decreverunt,

u *Salmacia*] Castrum hoc aliis locis *Sarmacia* vocatur.

statuto die quo is fieri deberet. Quid plura? hujus loci Prior Dominicus adfuit cum suis paratus. Ille verò qui repetebat se subtraxit, & ad condictum placitum venire noluit. Postque multis annis sine querelâ alicujus, sancti Benigni locus suam vestituram tenuit. Postmodum verò prædicti Fulcherii successor Arnulphus, de eâdem sylvâ cœpit proclamare denuò coram prædicto Comite Willelmo, contrà memoratum hujus loci Priorem Dominicum. Venientes igitur ad placitum, communiter decreverunt novum reparare campum, ubi affuerunt multi nobiles viri; Monachorum verò hujus loci dictus Prior, & Arnulphus ejus successor, Waldus, sacrorum Custos, & Henricus: ibique condictum est placitum. Insequentis hebdomadæ feriâ tertiâ iterum prædictus calumniator accedens ad Domnum Brunonem Episcopum, cœpit causas prætendere, ob causas non posse venire ad placitum campi peragendi; atque rogare ut in aliud tempus differretur. Quod audiens Domnus Bruno Episcopus, vocatis sancti Benigni Monachis ait: Quod cœpistis dijudicare, atque sylvam quam tenuistis, tenete, quia isti calumniatores nullam possunt rectitudinem ostendere.

Higelbertus quidam Miles de villâ Milleponto dictâ, veniens ad obitum, Monachusque factus in hoc cœnobio, dedit sancto Benigno in comitatu Augustidunensi, villam Brueriam dictam, cum omnibus appenditiis suis circumquaque jacentibus, hoc est in villâ Adeunt mansum indominicatum, cum appenditiis suis, & servo, ac filiis ejus: & in villâ Mardelco, atque in Barbarisco, & in Poliaco, necnon in Viniaco. Anno ab Incarnatione Domini millesimo septimo facta est hæc donatio. Dedit & in villâ Valongias mansum unum cum appenditiis, coram Brunone Episcopo, Willelmo Comite, Rainaldo Comite, ipsius filio, Ottone Comite, filii ejus Widonis filio.

Dedit Garnerius quidam Miles sancto Benigno in villâ Discaco mansum unum, & servum cum filio uno. Et in Viriaco mansum unum cum appenditiis suis, servis & ancillis, ac duas vineas. Idem Garnerius, & frater ejus Aldo dederunt alodium suum qui conjacet in loco, quo dicitur Mortariis, in Comitatu Divionensi. Constat autem alodium in terris cultis & incultis, ex se simpliciter divisum. In sylvis verò partim per se proximè, partim cum aliis participatur heredibus. Proprium quidem alodium terminatur de uno latere terrâ sancti Mammetis, à loco qui dicitur Niger folium, in superiori parte usque Vadarno-villam: in inferiori parte jam dicto Niger folio, usque ad exactum Willelmi, & usque ad Sylvam pertinentem ad Saviniacum. Item de unâ parte terra Odonis pertinens ad Spaniacum. Item de alio latere de loco nuncupato Nerlangio, usque ad campum peduliosum, & usque ad lacum, & usque ad terram sancti Petri de Villa-Comitis, commune cum aliis heredibus. Item de alia parte terra pertinens ad Vadarnodum. Item commune allodium incipit à quercu perdulioso, & pervenit usque Spaniacum, & usque Cangegium & Casnedum, & usque Villam Comitis. Ut ergo proprium, & commune totum simul ad jam dictum sancti Benigni transferrent locum, acceperunt à Domno Willelmo Abbate & Monachis ejusdem loci, octo libras denariorum. Sic ex consensu uxoris, & infantum ipsius Varnerii, tradiderunt atque condonaverunt præscriptum allodium proprium simul & commune ad denominatum monasterium; sub præsentiâ Domni Brunonis Episcopi, aliorumque illustrium virorum, consentiente & testificante Walone Comite, & fratre ejus Walterio.

Alter Warnerius, & ipse nobilis, dedit sancto Benigno in Comitatu Divionensi, in villâ Spaniaco, vestita mansa tredecim, absum unum, colonias etiam octo, mancipia utriusque sexûs sexaginta tria, & omnes reditus, & consuetudines, atque exactiones quas debet ipsa possessio; necnon & omnem terram pertinentem ad prædictam hereditatem absque sylvâ. Ita tamen ut ipsi servi eamdem consuetudinem, quam ipsi habuerunt de prædicta sylvâ, quamdiu eos tenuit, simili fine tenùs teneant. Fecit verò hanc donationem ipse Warnerius per laudem & consensum Aldæ uxoris suæ, coram Ricardo Comite, atque Hugone, & Odone fratribus ejus, aliisque nobilibus viris Divionis castri, Walterio, Hugo, Remigio, Humberto. In anniversaria die matris ejus refectio de ipsâ possessione præparetur fratribus; reliqua cameræ ipsorum deputarentur ad vestimenta eorumdem fratrum.

Quia longum est enarrare cuncta quæ huic Monasterio collata sunt tempore Domini Brunonis Episcopi; & quibus per ipsum vel propter ipsum, ab aliis augmentatum est bonis, ad ipsius vitæ finem, habitatoribus hujus domûs Dei omni tempore dolendum & deflendum, veniamus. Sed ante paucis describere curabimus, quis fuerit modus vitæ ejus. Fuit itaque in eleemosynis largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in charitate perfectus, in humanitate profusus, in sermone paratus, in conversatione sanctissimus: erat irreverentibus terribilis aspectu, metuendus severitate, reverendus incessu, venerandus benignitate. Censuram authoritatis temperabat mansuetudo humilitatis. Non personæ potentiam, sed morum elegantiam attendebat in singulis, & tanto eminentiùs unumquemque honorabat, quanto sanctiùs vivere didicisset. Clericorum ac Monachorum, Sanctimonialium quoque nec non Viduarum ac pupillorum pater erat, atque inter divites, & pauperes ita medius, ut pauperes illum quasi patrem aspicerent, divites verò quasi superiorem sibi divitem timerent. Quamdiu vixit, ita Burgundiam patrocinando protexit, atque defendit, non clypeo & lanceâ, sed consilii prudentiâ, quo sibi Principes patriæ omnes devinxerat, ut cum Rex Francorum Rotbertus cum exercitu maximo hanc patriam sæpe intrans incendiis & rapinis plurima loca vastaverit, nihil in eâ retinere potuit; quamdiù Bruno Episcopus vixit. Et quia ei nocere non poterat, hujus malivolentiæ causâ Domino Abbati Willelmo tulit Abbatiam S. Joannis Monasterii Reomensis, eo quod partibus favebat, ut justum erat, sui Pontificis. Denique quodam tempore memoratus Rex cum plurimo exercitu Divionem castrum advenit, circumpositam regionem devastans ac depopulans. Cujus iram timens præfatus Abbas Willelmus, omnes Monachos ab hoc loco per alia Monasteria jussit secedere, aliquantos verò cum libris & omni ornatu Ecclesiæ intrà castrum Divion, ac in Ecclesiâ S. Vincentii, quam tunc quieto jure Monachi istius loci possidebant, fecit residere, paucis solummodo fratribus ob custodiam loci, & sancti Benigni servitium, cum Domno Abbate Odilone in hoc loco dimissis. Quem ad hoc accerserat; ut si fortè Rex aliquid mali contrà hunc locum moliretur, illius precibus exoratus dimitteret. Rex verò ut erat mente benignus, cum cognovit propter se Monachos dispersos, valde doluit. Paucis itaque transactis diebus, Franciam repedavit nullo negotio peracto. Ipso denique anno, qui fuit ab Incarnatione Domini millesimus decimus sextus, Domnus Episcopus Bruno obiit secundo Calend. Februarii, peractis in Episcopatu annis triginta quinque. Fuit autem à sancto Gregorio Episcopo, qui hunc locum fundavit, trigesimus primus in succes-

De moribus Brunon. Episcopi Lingon.

1016. Obiit Bruno Episc. Ling.

sione Episcoporum; undecimus post venerabilem Isaac Episcopum.

Lambertus successit. Cui successit Lambertus Episcopus. In cujus diebus quidam Archidiaconus Lingonensis Ecclesiæ, Parisiorum postea Episcopus, Imbertus nomine, Abbatiam S. Amatoris sitam ante mœnia ipsius urbis, quam beneficii jure tenebat à Præsule memoratæ sedis, obtulit sancto Benigno per donum, & laudem prædicti Episcopi Lamberti; quatinùs ibi Monachi sisterentur, qui Deo hymnis & laudibus die noctuque deservirent. Similiter quidam Canonicus ejusdem Ecclesiæ, Gozelinus dictus, dedit in suburbio ipsius civitatis medietatem unius Ecclesiæ: altare verò totum ex integro, sicut dono Episcopi tenuerat, ita ab eodem Præsule sancto Benigno traditum est ad victum Monachorum in prædicto loco consistentium.

Eâdem devotione Aymo Comes dedit Abbatiam in honorem sanctæ Dei Genitricis MARIÆ sacratam, & ante suum castrum, quod Saxonis-fons dicitur, positam, laudante prædicto Episcopo Lamberto, obtulit sancto Benigno in perpetuum possidendam & Abbati Willelmo, quatenùs ordo monasticus, qui ibi quondam fuerat institutus, ipsius repararetur studio.

Sed & Normannorum Comes Richardus dedit sancto Benigno Ecclesiam sancti Adelberti, cum villâ, & omnibus terris ad eam pertinentibus, sitam in pago Oximensi: quod filius ejus Richardus, & ipsius Richardi filius Robertus, & Roberti filius Willelmus, postea per succedentia tempora laudaverunt, & firmaverunt donum; atque Advocati & Defensores earumdem rerum ad tutelam hujus domûs Dei fuerunt, & adhuc sunt. Quidam quoque Miles ejusdem Comitis, Gotbertus nomine, in loco qui Longus-campus dicitur, dedit Ecclesiam in honorem sancti Martini dicatam, cum terrâ ad ipsam aspiciente. Ut verò hæc donatio firma persisteret, nec ab ullo propinquorum ejus calumniaretur, dedit ei præfatus Willelmus Abbas sexaginta libras denariorum. Richardus Normanorum Dux, & Robertus Archiepiscopus ejus frater, laudaverunt, & subscripserunt Cartæ, Anno millesimo tertio.

Henricus quidam Clericus de nobilibus dedit sancto Benigno Prisceiam villam suam, cum Ecclesiâ inibi sitâ, in præsentiâ Lamberti Episcopi & Archidiaconorum ipsius, Beraldi, Humberti, Geraldi, Odonis, & aliis quàm pluribus, tam Clericis, quàm Laïcis adstantibus; atque Willelmo Abbate cum suis Monachis. Actum anno ab Incarna-
1020. tione Christi millesimo vigesimo.

Fœmina quædam nobilis, Aremburgi dicta, mater Letbaldi Matisconensis Episcopi, cum eodem filio suo dedit sancto Benigno in villâ Luvocatâ, septem mansa cum sylvâ ibi adjacente, & servis qui de prædictis mansis septem colonicas tenebant.

Altera matrona Tetiardis vocata dotalicium suum dedit sancto Benigno per laudem filii sui Widonis. Conjacet verò in his villis; in Quintiniaco, in Albiniaco, in Sulliaco, in Attegias, in Curte-Arnonis, cum tertiâ parte Ecclesiæ inibi sitæ, dicatæ in honorem sancti Germani. Sunt mansa vigenti unum, cum terris ad eos aspicientibus.

Quidam Miles Rotbertus dictus, veniens ad conversionem, dedit sancto Benigno omnem hæreditatem suam, quæ conjacet in Comitatibus Belnensi & Cabilonensi: & in his villis; Seviciaco, Rueledo, Mossiaco, Ambassiaco, in Monticellis villâ Gislensi, & in Scodingiis villâ Sesiliis, cum servis & ancillis, in prædictis locis manentibus, omnique terrâ in prænominatis locis ad suam partem pertinente, dedit coram dominis suis Willelmo Comite, & filio ejus Rainaldo. Actum anno millesimo septimo.

Alter Miles, Albericus dictus, dedit in Curtecuronis mansum unum cum terris ad eum aspicientibus: & in Assiriaco villâ tertiam partem suæ hereditatis. Actum anno supradicto.

Alius quoque Miles Willelmus vocatus, cum conjuge suâ Teudgaidâ, & filio Romestannio, misit in convadium hereditatis suæ partem in villâ Attegias, usque ad annos viginti quatuor, eâ convenientiâ, ut transactis prædictis annis, si non esset redempta ab ipso vel filiis, aut filiabus ejus, deinceps jam non redimeretur, sed Monachi sancti Benigni, quorum pecunia ibi habebatur, jure perpetuo eam possiderent. Similiter alter Miles, Cadalo dictus, cum conjuge suâ Theodradâ, pari conventione largitus est hereditatem suam in Attegiâ, & in Ponticiaco, prædictis hujus loci Monachis.

Sunt adhuc plurimæ quæ describi possent, sed quoniam ad finem libri tendimus, his omissis, obitum Patris Willelmi intimare curamus. Postquàm per annos quadraginta duos vineæ Dominicæ sedulus cultor eam excolendo jugiter propagare, amplificareque curavit: cum jam senio infirmitatibusque multis prægravatus optaret dissolvi, & cum Christo esse, bonam consummationem laborum suorum adimplere cupiens, per omnia monasteria, quæ sub ejus fuerant magisterio, incipiens ab Italiâ, circuiendo, & fratres exhortando, ut ea quæ ab ipso didicerant, mente retinerent, & opere adimplere satagerent. Siquidem ejus doctrina fuit, ut juxtà quod præcipit sancti Benedicti Regula, in verbo, in omni actione, in vestitûs qualitate, humilitatem videntibus se semper ostenderent: & ut honore invicem se prævenientes, dilectionem sine simulatione exhiberent. His & aliis virtutum operibus intentos, etiam distinctè legendi atque psallendi magisterio erudivit. Hæc docendo cæteris monasteriis peragratis, pervenit ad cœnobium nomine Fiscannum; ubi plus solito infirmitate prægravatus, sentiens sibi imminere ultimum vocationis suæ diem, convocatis Fratribus, per octo dies exhortans eos, atque absolutione & oratione Deo commendans, octavo die Natalis Domini sumpto Christi Corporis & Sanguinis Sacramento reddidit Deo spiritum. Cujus corpus à medicis qui ibi aderant conditum aromatibus, honorificè traditum est sepulturæ in ipso monasterio, ante altare sancti Taurini Confessoris. Post cujus obitum Domnus Halynardus suscepit curam regiminis animarum; quem præfatus Pater successorem sibi elegerat cum consilio & laude Fratrum, baculumque pastorale ei transmiserat. Obiit verò prædictus pater noster Willelmus anno ab Incarnatione Domini millesimo trigesimo uno. Et in ipso anno defunctus est Domnus Lambertus Lingonum Episcopus, decimo Kalendas Septembris. Antequàm ipse Pater finiretur, in ejus locum substituit Rotbertus Rex Episcopum Richardum vocatum, Clericum litteris optimè eruditum, & bonis moribus ornatum, tamen contrà voluntatem Cleri & plebis totius: quapropter post menses quinque adepti Episcopatus, captus ac pulsus civitate, non multis post diebus veneno vitam finivit. Rex autem consiliis Reginæ ad iram animatus, iterum dedit Episcopatum cuidam Clerico Carnotensis Ecclesiæ. Hugo hic erat dictus; fuissetque utile vas in domo Dei, si juvenilia desideria evitare, & superbiam calcare curasset. Sed is adjectâ crudelitate eundo per fas & nefas, ad ultimum postquàm decem & octo per annos Lingonicum tribulavit Clerum & populum, pulsus à sede judicio Domni Leonis Noni Papæ, & Archiepiscoporum, Halynardi scilicet Lugdunensis, Hugonis Bisontinensis, Vuidonis Remorum, Evrardi Tre-

S. Guillelmus antequàm ab humanis excederet Monasteria circumit; Fratres adhortatur.

Cap. 7. grad. 11. & c. 72.

Obiit, sepelitur; Fiscan. in Monaster.

1031. Defuncto Lamberto Ling. Episc. sufficitur Richardus, paulo post veneno sublatus.

Cui proximè successit Hugo.

Ob perversos mores condemnatur.

verorum, aliorumque multorum, qui præsentes fuerunt in concilio habito Remis civitate, in præsentiâ memorati Papæ Leonis: ubi affuerant penè totius Galliæ tam Archiepiscopi, quàm Episcopi, cum innumerabili multitudine cleri & populi.

Mors Roberti Regis.

Hujus itaque Hugonis ordinatione instante, cum esset deductus ab Henrico Rege juvene ad civitatem Lingonas cum magnâ ambitione, nunciata est prædicto Regi mors patris sui Rotberti Regis. Qui regnavit annis quadraginta & unum. Et ipse Henricus regni jam sextum annum agebat. Ipse Rotbertus Rex interveniente Domno Lamberto Episcopo, & Hugone Autissiodorensi Episcopo provisore hujus loci, perdonavit salvamentum villarum quæ pertinebant ad jus sancti Benigni: quarum hæc sunt nomina; Lariacus, Bicisus, Quintiniacus, Cromanius, Suliacus, Aguliacus, Ruffiacus, Alchiriacus, Bargas, Provisum, Colonias, Plomberias, Escuncias, Gironus, Corcellas, Tremolenum, Villarium, Pruneius, Lenteniacum, Dissum, Congusvicus, Saciacus, & omnes quæ ad ipsim pertinent Villulæ, Siliacus, Asverias, Corcellas superiores, Norgias, Aziriacus, Dinatus, Merceniacus, Pamerras, Fedeniacus, Spaniacus, Villikarli, villa-Comitis,

Donum insigne ejusdem S. Benigno factum.

x Ontearum x. In his & cæteris villis ubicumque terra sancti Benigni Salvamentum reddebat, Rotbertus Rex jussit aboleri, ut ampliùs non exigeretur à quoquam, sed ad profectum Monachorum reddidit Deo & sancto Benigno, posito super ejus altari dono, laudante Constantia Reginâ ejus conjuge, & filiis, Henrico tunc Duce, atque Rotberto fratre ejus, qui illi successit. Et hoc donum firmavit præcepto Regali, annuloque suo jussit insigniri: atque Episcopis, & Comitibus, ac cæteris Primatibus qui præsentes aderant, corroborare jussit. Interfuerunt autem Lambertus Lingonensis Episcopus, Hugo Autissiodorensis Episcopus, Azelinus y Episcopus Laudunensis, Gofredus Episcopus Cabillonum, Beraldus Episcopus Suessionum. Comites verò, Willelmus Nivernensis, Otto Matisconensis. Actum anno millesimo quindecimo, ipsius autem regni vigesimo octavo. Fecit & de locis ad hunc pertinentibus, videlicet de Cellâ Belneni, ac Puteolis, ut suprà diximus. Proque his justum est, ut anniversaria dies ipsius à nobis agatur.

y

1015.

Eo tempore mortuus est Otto, qui & Willelmus dictus est, Comes, anno videlicet millesimo vigesimo septimo, & in hoc sancti Benigni monasterio sepultus: ubi & filius ejus Comes Wido ante aliquot annos tumulatus jacebat. Hic pro multis in hoc loco collatis beneficiis, aliquâ ex parte à nobis descriptis, promeruit, ut semper memoria ipsius agatur ab hujus loci Monachis. Suprà memoratus Hugo Episcopus Autissiodorensis, & Comes Cabilonum, Protector & Advocatus hujus loci, dedit sancto Benigno scyphum aureum ponco quinque librarum, ut fieret ex eo calix aureus ob expiationem culparum ipsius. Cui eleemosynæ addidit Richardus Normanorum Dux sextam libram auri, ut pro hoc aliisque pluribus nobis collatis bonis retributionem acciperet à Deo æternæ hereditatis. Chunigundis etiam Imperatrix, uxor Henrici Cæsaris, pro requie animæ prædicti Principis dedit duas libras auri: insuper & omnes gemmas ipsius calicis cum patenâ: studuitq; facere vas elegantissimum, ut per hoc recolatur per ævum. Pro his cæterisque benefactoribus nostris insistendum est nobis orationi prece instantissimâ, ne aliorum gratis utentes bono, peccatorum eorum nostris superadditis, gravem accumulemus sarcinam super capita nostra.

Calix aureus octo librarum.

Temporibus quibus hæc gesta sunt Domnus Halynardus in hoc loco Prioris agebat officium. Qui sequenti tempore etiam Abbatis ac Pastoris est assequutus nomen & meritum. Cujus memoriam dignum est nos assignare litteris, qui nos dulcibus ac paternis monuit institutis. Hic fuit oriundus Burgundiâ, nobilium virorum exortus prosapiâ. Nam pater ejus Lingonum, mater verò Heduorum civis exstitit. Ab ipsis infantiæ rudimentis studiis litterarum traditus, supernâ providentiâ geminâ scientiâ efficacissimè claruit. Amabatur paterno affectu à venerabili Præsule Heduæ civitatis, Walterio nomine, cujus filius erat in baptismate, ac ideo educabatur ab eo majori diligentiâ, ut post aptaretur in domo Dei lucerna. Processu verò temporis, decursâ pueritiâ, cum eum jam sibi vendicaret adolescentia, à patre suo est traditus Domino Brunoni Lingonum Præsuli. Qui eum liberali cernens ingenio valere, Canonicorum studuit collegio copulare. In eâ itaque urbe cum philosophos, virosque audiret Ecclesiasticos, divinâ inspirante gratiâ nulli sodalium erat inferior in sapientiâ. Fecunditas eloquentiæ gravitate componebatur sapientiæ. Ex materiâ hujusce compositionis vas esse cœpit electionis. Cumque foret animi ad cuncta capacis, nihil intentatum, nihil denique liquit inhaustum. Cum jam vestiri cœpisset vernantibus juventutis floribus, ita suam adolescentiam bonis instruxit moribus, ut eo tempore jam videretur Monachus, integrum se & sincerum omni custodiâ ab his observabat vitiis, quibus contaminari solent homines hujus ætatis. Is enim imbui timebat; ne tenerâ in ætate his infectus esset, quibus cum vellet carere non posset. Juxtà illud quod scriptum est: *Adolescens juxtà viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab eâ.* Bonorum virorum & maximè prudentium contubernio potitus, turpitudinis sectatores exosus.

Halinardi Lugdunensis Archiepiscop. actus describuntur.

Fit Canonicus.

Prov. 22. 6.

Igitur cum pro suâ omnibus carâ benevolentiâ diligeretur à Domno Lamberto Lingonum Præsule, cuperetque eum idem Pontifex collatis Ecclesiasticis gradibus exaltare, ille respuens labilem & caducam mundi gloriam, hoc studuit opere adimplere, quod Dominus præcipit sermone. *Qui vult* (inquit) *post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Spretis itaque omnibus terrenæ possessionis stipendiis, ob spem futuræ repromissionis, habitum sanctæ conversationis sumsit. Sed non ibi defuit probatio tribulationis. Parentes namque ejus insequentes eum, atque ab hoc monasterio per consensum Episcopi vi abstrahentes, nudatum habitu Monachi per publicum ita deduxerunt, ut pro hac verecundiâ odiret quod tantopere amplectebatur. Sed nihil proficit callida ars maligni contrà doctrinam sancti Spiritûs. Nullo modo quippe valuerunt eum revocare à suâ intentione; verùm parvo transacto tempore fugam iniit, ut vel extrà patriam posset perficere, quod in patrio solo non permittebatur adimplere. Sed iterum insequutus, & captus ad Episcopum est reductus. Qui eum multis promissionibus & blanditiis demulcebat, si quomodo posset animum ipsius ab hac intentione revocare. At ubi vidit eum in suâ persistere sententiâ, vix tandem permisit ei quod vellet agere. Sic itaque quod cupierat assequutus, deinceps alieno vixit imperio, ut in nullo quantum potuit deviaret à sanctæ institutionis proposito. Is enim procul à se remotis hebetudine & murmure, singularis præ cæteris obedientiæ præminebat virtute: implens illud in fratribus quod dicit sanctus Benedictus: *Obedientia bonum non solùm Abbati exhibendum est, sed etiam*

Deinde Monachus.

Marc 16 24. Luc. 9. 23.

Ideo à parentibus multas patitur contumelias.

Regulæ c. 71.

x *Ontearum*] Aliàs, *Certe-Arnon.*

y *Azelinus*] Acherius legi vult *Adelbero.*

sibi invicem obediant fratres. Enim verò beati Benedicti, cujus subjacebat discipulatui, imitator existens, sapientem Dei stultitiam est adorsus, juxtà quod præcipit Apostolus: *Si quis vult inter vos sapiens esse in hoc mundo, stultus fiat, ut sit sapiens*. Haud secùs enim ac philosophi ad syllogismorum argumenta totâ se conferunt mentis instantiâ, ita se contulit ad ea discenda, quæ quotidianum per usum in monasterio sunt explenda. Quibus omnibus solerter sibi curâ cognitis, & experimento memoriæ commissis, videri jam cœpit doctior cunctis.

1. Cor. 3. 18.

Prior & Abbas S. Benig.

Hunc ergo ut in monachico ordine ita prudentem jam dictus Pater Willelmus intellexit, congregationi Fratrum præficiens, animarum curam eidem commisit. Quod ministerium tantâ authoritate tantâque adimplevit sollicitudine, ut omnibus secum conversantibus & exemplo fuerit & terrori. Regulari quidem contentus conversatione sic studebat parcimoniæ, ut differre nullatenùs videretur à societate communis mensæ. Aliquorum vitia dum conspiceret reprehendenda, priùs in uno quoque laudanda canebat, dehinc velut gnarus reprehendenda carpebat. Cunctos tamen sæpiùs admonebat, ut tales se Deo exhiberent interiùs, quales humana opinio pro religionis habitu ferebat exteriùs.

Per cuncta ergo monasterii probatus officia, omniumque ministeriorum obsequiis non segniter adimpletis, primùm Præpositi sub ipsius Abbatis imperio quatuor annis administravit officium, ad ultimum post præfati Patris obitum pastoralem suscipere curam, doctrinâ id exigente justitiæ, ab omni coactus est fratrum congregatione. Quod licet invitus & reluctans acceptum ministerium, cum cultui vineæ manciparetur divinæ, ut hujus se assignaret colonum, commune utile multorum magis quærebat, quàm proprium. Cunctis benignus, omnibus æquus; nemini nocebat, quibus poterat prodesse studebat. Sana quippe doctrina ei inerat, quia suæ conditioni quod competebat illud solerter agebat, propter illud Apostoli: *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros*. Sanctis etiam & modestis sermonibus inditus, obscœnis & turpibus omninò intercludebatur auditus: propter illud quod scriptum est: *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam*. Adeo lectioni erat deditus, ut in itinere positus, libellum sæpiùs gestaret in manibus: itaque in equitando reficiebatur animus legendo. Philosophos verò sæcularisque sapientiæ libros cum legebat, illud sagaci sectabatur industriâ, quod per Legislatorem divina vox præcipit de captivâ. Hæc quippe quæ in philosophorum libris reperiebantur utilia, hæc suâ dignabatur memoriâ: quæ verò superflua, de amore scilicet rerumque sæcularium curâ, quasi venenata radebat & mortifera. Hîc calvicium inducebat, hæc unguium more ferro acutissimo desecabat. Ex lectionis ergo assiduitate scripturarum informabatur authoritate: ita in Canonicis ac monasticis valebat institutis, ut nulli videretur secundus in legum decretis, ac philosophicis argumentis. Tum virtute & sapientiâ compositus, fandi quoque honestissimè copiâ ditatus, ita se coaptabat singulis, ut omnibus esset diligendus: implens illud Apostoli: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*. Quidquid loquebatur, sapientiæ gravitate componebatur. Sermo ejus sale conditus, quo virtutis pondere brevis & rarus ea prudenti suavitate habebatur pretiosus. Ideoque quotiescumque ad ædificationem moralem faciebat sermonem, ut disertissimus, ita habebatur gratissimus. Gregem sibi commissum providâ regens pietate, adversùs pessimum sanctis omnibus inimicum concordi sanctoque certamine admonebat pugnare: & eorum quisque quod possit operari bonum non desisteret, ne tunc vellet quando non liceret. Illis etiam beati Joannis sepiùs inferebat monita, qui in suâ ait Epistolâ: *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum*.

Scientia pollet & facundia.

2. Cor. 6. 4.

Eccl. 28. 28.

Quâ mente philosophos legebat.

1 Cor. 9. 22.

Heb. 12. 14.

Diligebatur quàm plurimùm à Regibus Francorum Roberto & Henrico. Sed & Conradus Imperator, & ejus filius Henricus Cæsar, illum nimio venerabatur affectu. Unde factum est, ut Lugdunensis sedis vacante Antistite, ab ipso Henrico Imperatore (eo quod olim sibi cognitus, & pro religiosâ conversatione, ac famâ sanctitatis erat valde dilectus) oblatus est ei illius Episcopatûs honor. Ipse verò grave pondus procellosi culminis per custodiam refugit humilitatis: Obtendens se Monachum ad tantum onus nequaquam fore idoneum. Erat tunc in Clero Lingonensi quidam Clericus nomine Odelricus, ætate pariter ac sanctâ conversatione provectus, litteris apprimè eruditus, qui tunc in Palatio Regis aderat, sed tamen Principi non plenè cognitus. Hunc Domnus Pater noster Halynardus suasit expetendum: quem & sapientiæ ubertas & senectutis commendabat dignitas. His renuntiatis Regi verbis, miratus vel quòd oblatum honorem sacerdotii tam vili penderet, vel quòd in se denegabat, pro alio tam sollicitè expetebat: assensit, & Episcopatûs dignitatem memorato Domno Odelrico concessit. Quem ipse Pater usque ad sedem deduxit: & quæque in obsequio illius competebant, ac si unus ex familiâ ipsius procuravit. Qui rexit Lugdunensem Ecclesiam per annos quinque, verbo & exemplo bonorum operum instruens animos subditorum. Postmodum à quibusdam malivolis & invidis perpessus insidias, quem ferro non potuerunt, veneno perimere non detrectaverunt. Sicque occisus, cæteris sanctis Pontificibus ibidem quiescentibus est aggregatus.

Archiepiscop. Lugdun. donatus, Imperatori suadet Odelricus eligatur.

Vitâ functo Odelrico invitus fit Archiep. Lugd.

Tum demum vox totius Cleri cum consensu populi, ut ad hoc culmen suscipiendum colla submittat, hortatur: utque Pastoris curam in eis gereret, deprecatur. Ad Imperatorem legationem mittunt, ut Domnus Halynardus Pontifex eis detur, exposcunt. Imperatoris præceptum mittitur: ut Domnus Halynardus intronizetur, præcipitur. Sed ejus animus robore firmatis divino, nequaquam ad hæc flectitur, quousque Apostolici Papæ conventus est litteris. Joannes, cognomento Gratianus, tunc residebat in sede Apostolicâ. Is ut comperit eum nolle acquiescere deprecantium votis, misit ad eum, præcipiens authoritate Pontificali ut obediret precibus Cleri & populi. Factus igitur Apostoli compos & compar honoris, ducit Apostolicam factis & nomine vitam. Eadem virtus mansit humilitatis, opere multiplicato charitatis. Omnia quæ agebat, virtutum sapore condiebat: ut speculi fieri solet inspectione, ita se interiùs divinâ considerabat lectione, & ex hac mentis ornatus componebatur: deformitatis verò, siquid deprehendebatur, justitiæ moderamine corrigebatur. Disertis viris quoties jungebatur, & de scripturis, fieri ut assolet, aliquid proponebatur, libenter audiebat, prudenter & verecundè respondebat. Prava verò si qua proponebantur, non acriter, sed ingenuo pudore confutabat, non callidâ argumentatione contrà se disputantem superando, sed per venerabilium Doctorum exempla benignè docendo. Tunc dicta Orthodoxorum tradebat ad medium, cum Evangelicis authoritatibus: atque in hunc modum & eruditissimus declarabatur, & elationis, vel eruditionis jactantiam

Ejus animi demissio, ac prudentia.

stantium, fugere videbatur. Jurare omninò cavebat, ne fortè perjuraret. Unde quid in Palatio Imperatoris egerit silendum non est.

Burgundiæ regnum quare possidebat Imperator.

Henricus tertius Imperator Burgundiæ regnum gubernabat. Rodulphus enim Burgundiæ Rex sine liberis existens, Henricum secundum Cæsarem heredem regni fecit; post quem ad Conradum pervenit imperium. Hic sororem prædicti Regis, nomine Gislam, habuit conjugem; de quâ genuit tertium Henricum. Cui ex successione paterna jure provenit regnum Burgundiæ. In cujus regni termino sita est Lugdunum civitas, quam Lotharius Francorum Rex dedit in dotem sorori suæ Mathildæ Reginæ, quam despondit Conrado Burgundiæ Regi, patri supradicti Regis Rodulphi. Igitur propter donum Episcopatûs Domnus Halynardus ad hoc electus, Henrici Cæsaris curiam adiit; & cum eo Episcoporum, qui erant suffraganei, Legati Archidiaconi, atque ipsum Pastorem quærentes Lugdunenses Clerici. Imperator, ut moris est, propter datum honorem Episcopii requisivit ab eo fidei sibi debitæ sacramentum. Horum verborum Domnus Hugo Archiepiscopus Chrysopolitanus erat sequester ac mediator. Ille his auditis verbis respondit: si Regis æterni, & regulæ quam jur. jurando promisi præcepta postposuero, quæ mihi fides erit, ut imperatoris juramentum custodire debeam? Dominus enim dicit in Evangelio: *Non jurare omninò*: & Regula Patris Benedicti præcipit Monacho *non jurare*, &, *à seculi actibus se facere alienum*. Hæc renuntiata Regi, miratus, & amplectens animo ejus constantiam, volens tamen probare perseverantiam, dixit: Nequaquam se illi dare Pontificatum, si non obediret suis præceptis. At ille ait: Melius est mihi nunquam accipere sacerdotium, quàm transgredi Dei mandatum. Ad hæc Episcopi illarum partium, & maximè Sigebaudus Episcopus Spiræ, ubi hæc gerebantur, instabant, dicentes: Quis est hic qui præsumsit in Palatio Principis, mandatis ejus non obedire; quod nostrûm nemo unquam facere ausus fuit? Aut juret fidem Regi, aut abjiciatur. Verùm Theodericus Episcopus Metensis, & Bruno Leucorum Episcopus, ac Richardus Episcopus Verdunensium, ipsius amici existentes, suadebant Principi non debere pro hoc molestiam inferre religioso viro, cujus animum in fide & cæteris virtutibus constantem scirent. Ad hæc Imperator ait: Suadete illum si non vult Sacramentum facere, vel ad hoc se proferat, ut videatur fecisse, ne mos patriæ nostræ annulletur. Respondit ille: Tantumdem est si simulavero, ac si fecerim: absit hoc à me. Imperator videns eum sic firmum, noluit ampliùs inquietare illum, solummodo verbo & promissis, ipsius fidem assentiens, dedit ei quod petebatur. Ac in suâ præsentiâ fecit illum ordinari, dans ei quæcumque fuerunt sacerdotali benedictioni necessaria. Et non solùm ipsi, vel cæteris Episcopis, sed etiam Levitis ac Ministris altaris ita præparabat omnia, scilicet vestimenta, libros, linteamina, ac quæque necessaria, ac si esset non Princeps, sed famulus. Erat enim quidem religiosus Rex, valde ecclesiasticus, & circà divinum cultum devotissimus.

Sacramentū Imperatori præstare renuit Alynardus.

Matt. 5. 34. Cap. 4. Inst. 27. & 22.

Adulatores Episcopi.

Alynardus ordinatur Archiep. coram Imperatore.

Ordinatus est autem venerandus Pater Halynardus per manus Domni Hugonis Archiepiscopi Chrysopolitani, in loco, qui vocatur Herbrestinc linguâ Teutonicâ, quod in nostrâ, bonas mansiones signat, anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo sexto. Eodem anno perrexit memoratus Princeps Romam, ibique tunc suscepit coronam Imperii, die natalis Domini, per manus Clementis Papæ, quem ipse Imperator ordinari jussit; & fecit deponi Joannem, qui tum Cathedræ præsidebat, & Benedictum, atque Sylvestrum, qui in concilio tunc habito examinatâ eorum culpâ, inventi sunt non solùm simoniaci, sed etiam pervasores Ecclesiæ Christi. Huic concilio interfuit ipse Domnus Lugdunensium Archipræsul, atque memoratus Hugo Archiepiscopus, aliique plures ex diversis partibus coadunati Episcopi. Fuerat ei consuetudo Romam orationis gratiâ frequenter pergere, ut sanctorum Apostolorum ac Martyrum, qui urbem illam protegunt, patrocinia imploraret. Erat namque ejus voluntas, ut si fieri posset, ibidem Deo animam redderet. Quaproptèr non est fraudatus à desiderio suo, sed ut voluit, ita Domnus ei concessit. Defuncto memorato Papâ Clemente, Romani petierunt eum ab Imperatore. Hoc namque à Romanis Imperator datâ pecuniâ non parvâ exegerat, ut sine ejus permissu Papa non eligeretur. Ille cognitâ voluntate Principis ac populi, dissimulavit ire ad curiam, donec tardante eo, alter eligeretur: diligebant enim eum valde Romani propter facundiam oris sui, & affabilitatem sermonis: ita enim proferebat vernaculum sonum loquelæ uniuscujusque gentis, quousque latina penetrat lingua, ac si eadem patriâ esset progenitus.

1046.

Domno igitur Leucorum Episcopo Brunone, qui appellatus est Leo Papa, ordinato, evocatus est ab ipso Romæ ad concilium Domnus Archiepiscopus Halynardus, simulque omnes Episcopi Galliæ, ad pertractandum inibi de statu, & correctione sanctæ Ecclesiæ. In ipso anno ipse Domnus Papa perrexit Franciam, & Remis habuit concilium Episcoporum, sicut jam diximus, ibique fuit cum eo prædictus Pater noster: tuncque fuit translatum corpus S. Remigii ab ipso Domno Apostolico, & Episcopis qui ibi adfuerunt, & ipsa Ecclesia sacrata. Tertiò prædictus Papa habuit concilium in urbe Româ, quò affuit præfatus Præsul: indeque iterum Galliam properanti comes individuus exstitit. Veniens verò ad civitatem Lingonas, ordinavit ibi in præsentiâ Papæ Domnum Arduinum Episcopum, pro illo qui fuerat ejectus. Rursùm sequenti anno Romam pergens, cum ipso Domno Apostolico properavit Beneventum, & Capuam, Montem Cassinum, atque montem Garganum ad sanctum Michaëlem Archangelum. Ideo namque prædictus Papa perrexit illas in partes, ut habitatores terræ illius si posset aliquomodo, relevaret ab oppressione, quâ nimiùm erant gravati à Normannis. At quia Domnus Præsul Halynardus præpotens erat in verbis, & ad suadendum quodlibet linguâ sufficiebat, propter hoc ut mediator & legatus pacis inter prædictos Normannos, & ipsum esset, Domnus Apostolicus secum duxit eum. Inde regressus, quoniam ad colloquium Imperatoris, qui tum fortè erat in finibus Ungariæ, properabat: jussit eum prædictus Papa Romæ residere, donec ipse rediret. Erat in ejus comitatu dictus Lingonensis Episcopus Hugo. Is pœnitens eorum quæ haud secus[z] egerat, Domnum expetiit Papam, ut de commissis modum pœnitentiæ, & absolutionem delictorum imploraret. Ipse verò Apostolicus, sicut erat misericors & benignus animo, ut vidit eum verè pœnitentem & afflictum, condolens ei statim indulsit, dicens sufficere ad pœnitentiam ea quæ passus fuerat: abeuntem quoque post absolutionem delictorum muneravit amplissimè: dans insuper licentiam recipiendi Episcopatûs. Venientes ergo Romam Domnus Archipræsul Halynardus vale facturus ipsi, & cæteris sociis discubuit

S. Leo Papa IX.

z *quæ haud secus*] Acherius legit; *quæ cæcus*; at restituendum, *quæ secùs* sublatâ negatione.

cum eis ad mensam; ubi oblatus est ei piscis à quodam falso amico, veneno infectus. Ex quo omnes qui perceperunt, tam ipse quàm cæteri vel infrà octo dies mortui sunt, vel post longam ægritudinem consumpti obierunt. Duo Monachi ex hoc loco qui cum eo erant, hoc cibo interfecti sunt. Obiit quarto Kalendas Augusti, anno ab Incarnatione Domini millesimo quinquagesimo secundo, peractis in Pontificio annis septem, in regimine hujus loci annis viginti.

Obiit Alynardus. 1052.

Præcepit se poni ad sanctum Gregorium ad Clivum Scauri; illum enim locum Domnus Papa concesserat ei ad manendum. Sed nobiles Romani qui ad visitandum eum venerant, dum viveret, ad sanctum Paulum jusserunt deferri corpus, ibique honorificè traditus est sepulturæ, ad lævam partem Ecclesiæ, & arcus super tumulum ejus ædificatus. Omne ornamentum, quo utebatur ad sacrum ministerium, transmisit sancto protectori suo Benigno, cum non parvâ auri quantitate, & vasis argenteis, quæ erant in ejus officio. Auxit ornatum hujus Ecclesiæ maximâ ex parte; inter quæ crucem auream gemmis ornatam fabricari fecit. Libros etiam plures conscribi jussit. Officinas hujus monasterii renovavit. Et quamquam omnibus eruditus esset artibus, tamen in geometriâ & physicâ plurimum studebat. Quæ verò in hoc loco augmentata sunt in terris, & possessionibus in diebus ejus, non est silendum.

Romæ sepelitur in Ecclesiâ S. Pauli.

Quanta contulerit bona S. Benigno.

Hugo Chrysopolitanæ sedis Archiepiscopus, ipsius valde familiaris amicus, dedit Ecclesiam sitam in burgo Salinis dicto, quam sui genitores à fundamentis exstruxerant. Et est sacrata in honore sanctorum Symphoriani & Agathæ Martyrum; sanctusque Anatolius Confessor inibi quiescit. Cujus loci donationem posuit super altare sancti Benigni, die natalis ipsius Martyris ibidem Missas celebraturus. Atque coram omni populo qui convenerat obligavit excommunicationis vinculo, qui illum locum subtraheret à dominio Abbatis & Monachorum Divionensium. Hæc donatio facta est anno ab Incarnatione Domini millesimo trigesimo septimo, indictione quintâ, Episcopatûs sui anno sexto. Concessit per Episcopale privilegium alteram Ecclesiam in eodem Burgo sitam sanctæ MARIÆ honori dicatam: quam Ecclesiam Rainaldus Comes dedit sancto Benigno pro requie animæ patris sui Ottonis, vocati Willelmi; proque ejus largitione accepit à Domno Halynardo pecuniam non parvam, dum adhuc Prioris gereret officium.

Dedit prædictus Comes Rainaldus in supradicto burgo locum ad Ecclesiam construendam; in quo exstructa fuit capella in honorem S. Andreæ Apostoli. Quæ ex materiâ lignorum facta, per incuriam ad nihilum postea fuit redacta. Dedit in Everegio terram, quæ fuit Theudeberti; quæ à Monachis aliquamdiu possessa est; sed propter contrarietates, quas Odilo quidam faciebat eis, intermissa ab his, usque dum possidentibus ipsis locum sancti Anatolii, iterum jam dictus Comes restituit illis. Actum est hoc ab incarnatione Domini millesimo vigesimo sexto, post mortem Willelmi Comitis, qui ipso anno obiit. De habitatoribus verò ipsius oppidi aliquanti Clerici vel Laïci venientes ad conversionem monachicam in hoc monasterio, dederunt facultates suas sancto protectori nostro Benigno. Aliquanti offerentes filios suos, similiter contulerunt de rebus suis. Inter quos pater meus me offerens, exceptis aliis rebus, dedit secùs puteum domum, & sedem unius caldariæ: quæ super solutione censûs data est postea, eâ conventione, ut qui eam teneret, quadraginta sex solidos omni anno persolveret.

1026.

Author de se loquitur.

Aliquanto post transacto tempore idem memoratus Comes Rainaldus juxtà castellum, Vesullum dictum, dedit Ecclesiam in honore sancti Georgii sacratam, ut ibi construeretur monasterium, & quatuor Monachi ibidem constituerentur, qui omni tempore Deo servientes exorarent pro requie animarum patris sui ac matris, fratrisque, ac pro semetipso, omnique parentelâ. Dedit ad eorum stipendia vineas & terras, vel quodcumque fuit necessarium: piscationem insuper cum hominibus qui de hoc ministerio sibi serviebant. Huic donationi præsens fuit memoratus Archiepiscopus Hugo: deditque per baculum, quem ferre manu solebat, altare prædictæ Ecclesiæ Abbati Halynardo, & ob memoriam hujus rei commutaverunt virgas suas. Burchardus quoque Comes dedit locum Offonis-villa dictum, quondam nobilem Abbatiam, & in honore sancti Leodegarii consecratam, utque monasticus ordo ibidem repararetur deprecatus est enixiùs memoratum Abbatem Halynardum.

Sed & Rotgerius Dominus castri, quod vocatur Wangionum rivus, Ecclesiam à patre suo Widone in honorem sancti Stephani constructam eâ intentione largitus est, ut expulsis Canonicis Monachi ibi collocarentur ad serviendum Deo die noctuque. Rainaldus etiam possessor castri, quod Castellion dicitur, ad obitum veniens, ac sumens habitum monachicum, dedit potestatem sancti Juliani cum omnibus ad eam pertinentibus terris, & mancipiis, atque Ecclesiâ ipsius sancti nomini dicatâ: ubi petiit Monachos constitui, qui pro ejus animâ ac cæterorum fidelium exorarent Deum. Simili modo Albertus Comes Metensis dedit villam, quam dicunt Wlferei curtem cum mancipiis utriusque sexûs. Ipse quidem in vitâ suâ dare disposuit, sed eo mortuo Girardus Dux filius ejus adimplevit. Necnon & matrona quædam, Letgardis nomine, soror Lamberti Episcopi, dedit Ecclesiam sitam in villâ dictâ Islo super Mosam fluvium, in comitatu Bassiniacensi.

Finis Historiæ præsentis.



CHRONICI ABBATIÆ S. BENIGNI CONTINUATIO.

NON autem à nobis hujus antiqui sacrique divi Benigni modernis monasterii cultoribus prætermittenda sunt, & oblivioni tradenda, quæ ad decus & ornatum hujus Ecclesiæ totiusque congregationis commodum fecerunt, seu concesserunt, supradictorum Abbatum, Benefactorumque præclarissimi successores. Quis enim dignè Venerabilium Patrum Jarentonis, Odonis, Hugonis, Roberti, aut Alexandri, sive illius maximi nostri benefactoris Domni Claudii de Charmis benefacta enarrare valebit; aut eadem potiùs nixu toto discere non desiderabit? Itaque quoniam (ut ait quidam) plus movent exempla, quàm verba, utque illorum exemplo benè vivere sanctèque in congregatione hac conversari satagamus, cupiamusque, ad ipsorum balbutientes licet nobilissima præclarissimaque gesta explicanda calamum (Deo concedente) adaptare audebimus, atque curabimus.

De vigilantissimo Pastore Jarentone.

JArento igitur hujus cœnobii venerabilis post Halynardum tertius Abbas electus (præfuerant enim

Jo nnes & Adelbero, de quorum gestis nihil prorsùs nobis reperiri potuit) ad hoc veniens monasterium illud fermè destitutum invenit: nam & forinsecùs possessiones factione pravorum Principum annullatæ penè fuerant, interiùs autem observantia regularis, fervorque religionis tepefactus omninò videbatur. Sed ipsius venerandi Patris diebus satis amicabiliter, placidè, & benignè hanc Ecclesiam visus est Deus respexisse, cum aliquantis antea temporibus ipsam miserabiliter visus fuerit (ut hoc modo loquar) despexisse. Is namque venerabilis Pastor divino fultus auxilio, & religionis cultum in pristinum statum restituit, & non paucas possessiones amissas recuperavit, ac nunquam priùs habitas suâ prudentiâ acquirere meruit. Nam quia erat profundus scientiâ & eloquio, prudens consilio, Principibus tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus valde placebat. Et quoties illos adisset, maximum in eorum curiis locum habebat, & ab ipsis magnificè muneratus redibat. Porrò illi non satis erat per vicina sibi loca Ecclesiæ sibi commissæ commoda perquirere, sed ad exteras & remotas regiones, in Hispaniam scilicet, atque Angliam pergendo, aurum, argentum, pallia, aliquanta autem & Ecclesiastica ornamenta undecumque huc convehebat. Et ut fidelis minister quæ sibi à fidelibus tradita fuerant, domûs suæ fideliter utilitatibus impendebat. Unde & contigit divinâ favente clementiâ, ut in diebus ejus tam religionis gratiâ, quàm externarum rerum affluentiâ, super omnes sibi vicinas hæc Ecclesia caput extulerit. Verùm de possessionibus per eum recuperatis vel etiam acquisitis aliqua memoranda referamus. Hic venerabilis Pater, suâ industriâ Cellam sanctæ MARIÆ Cabilonensis recuperavit, necnon & Cellam de Sarcophagis. Tuntardus [a] Valentinensis Episcopus hortatu præfati Patris Jarentonis dedit nobis Ecclesias quas in Valentinensi territorio habemus.

Hugo quoque Bisuntinensis Archiepiscopus favore ipsius patris Jarentonis nobis contulit Capellam de Logia novella. Necnon & Agano Eduensis Episcopus etiam nobis dedit Ecclesiam sancti Jacobi de Arneto. Ipso etiam interveniente duo nobiles viri sub eo conversi, dederunt alodium suum de Hischino, & S. Benigno de Bosco. Per ejus siquidem ac Monachorum illius industriam habitari & reædificari cœperunt villæ istæ; videlicet, Casnedus major & minor, Marcennarius, Varescis, & Misiniacus: ex quibus duas Casnedum scilicet & Marcenniacum, ad anniversarium suum faciendum deputavit.

Hujus autem jam dicti Patris tempore venerandus Ecclesiæ Bajocensis Præsul, Odo vocatus, à suorum progenitorum Normanniæ Comitum, qui hanc Divionensem Ecclesiam affectu unico dilexerunt, eamque rebus & possessionibus plurimum provexerunt, tramite salutari minimè degenerans, imò potiùs imitator eorum perfectus existens, affectum ipsorum suo tempore studuit renovare, ut & sua & illorum memoria apud nos semper nova meritò debeat perdurare. Cujus devotionis indicia, ut ex parte tangamus, cum vice quadam Urbanum Papam intra Gallias constitutum expeteret, Divionem veniens à jam dicto patre Jarentone, & fratribus hujus loci, tantâ honorificentiâ exceptus est, ut sibi nimis incompetens videretur, si tanto eorum obsequio æquali vicissitudine non responderet, & suum erga eos affectum perenni testimonio comprobaret. Unde adhortante ipsum Willelmo Bajocensis Ecclesiæ Decano, pariterque Richardo Rotomagensi Archidiacono, dedit sancto Benigno hujus Ecclesiæ Divionensis protectori, per manum suprà memorati Abbatis Jarentonis, monasterium sive Prioratum sancti Vigoris extrà urbem Bajocensium in monte Cirismatis situm, cum omnibus appenditiis suis, videlicet plenariam decimam totius villæ in quâ monasterium situm est, tam in hominibus, & territorio, quàm in cæteris. Dedit & Burgenses quatuor, duos in campo Florido, & reliquos apud Pontem Olberti, cum terrâ & consuetudinibus eorum. Dedit & plenariam decimam de villâ Tur, cum terr. Presbyteri. Item Ecclesiam de Olferes, Ecclesiam de Cruceyo, & Ecclesiam de Colgrino cum plenariis earum decimis, & terris ad ipsas pertinentibus, ac terris Presbyterorum. Dedit & plenariam decimam de totâ Crecavillâ, cum terrâ Presbyteri, eâ videlicet quæ ad Ecclesiam pertinet. Constituit præterea Præsul suprà nominatus ibidem fieri suam & omnium post futurorum Pontificum, Canonicorumque Bajocensium sepulturam. Verùm quia hæc omnia, & quæ suprà retulimus Divionensi Ecclesiæ in Galliis positus dederat, ipsam eamdem donationem postmodum apud Bajocas in manu præfati Abbatis, laude & testimonio Clericorum suorum tradidit. Et cartâ factâ non solùm que dederat confirmavit, sed insuper plura addidit; pecuniam scilicet multam, domos segetibus diversis refertas, animalium etiam promiscui generis greges, centenarium numerum excedentes.

Priorattus S. Vigoris.

Domnus Robertus Ecclesiæ Lingonensis Episcopus, qui celsâ Regum Franciæ ac Ducum Burgundiæ stirpe progenitus erat, postquàm divinâ favente gratia Pontificatûs suscepit regimen, antecessorum suorum Pontificum, qui hanc Ecclesiam materno semper coluerunt affectu, ita se studuit informare exemplo, eorumque in se transferre animum, ut quoad vixit, miro semper amore hunc locum dilexerit, & libertate munificâ donis ingentibus cumulare studuerit. Denique Dei sanctique Benigni amore succensus, præfatique Abbatis Jarentonis frequenti exhortatione commonitus, dedit nobis Ecclesiam de Noant, cum capellâ sive sacello ejusdem castri, & omnibus tam Ecclesiis quàm altaribus ad ipsas pertinentibus. Dedit etiam Ecclesiam de Claromonte, Ecclesiam de Magnomonte, Ecclesiam de Icio, Ecclesiam de Casnedo, Ecclesiam de Spaniaco, Ecclesiam de Vareso, Ecclesiam de S. Lupo, Ecclesiam de Germani-villare, Ecclesiam de Riviaco, Ecclesiam de Occeio, & Ecclesiam de pago Adeleni curtis. Addidit præterea ingens erga hunc locum suæ benevolentiæ documentum. Capella namque Wangionisrivi, juris erat Ecclesiæ Divionensis, sed Clericis illam tenentibus nullus inde veniebat profectus: unde frequenter à prædicto Patre Jarentone super hoc compulsus precibus, Guydonis etiam ejusdem castri nobilissimi domini crebra exhortatione commonitus, Clericis inde remotis, tradidit eamdem capellam Monachis, cum omnibus quæ ad ipsam pertinebant., Ecclesiam videlicet de Sarisçaco, cum omnibus ad eam pertinentibus, dimidiam Capellam de Roecurte, & medietatem decimarum, ipsius Ecclesiæ de Masnili decimam totam: altare Ecclesiæ de Hericurte; terram de Grincurte: medietatem quoque decimarum de Columbeiaco, ubi sunt duæ Ecclesiæ.

Multa Robertus Episcop. Lingon. tribuit S. Benig.

Constituit etiam supradictus Præsul Robertus, ut Ecclesias sancti Joannis & Philiberti, quæ intrà Divionem sitæ sunt, liberiùs & quietiùs possideremus. Et ut Presbyteri in eis celebrarent, aut subrogarentur, vel removerentur ad nutum Abbatis, sive hujus loci Monachorum: ipsosque Presbyteros

a *Tuntardus*] Acherius emendat, *Gontardus*.

ab omni exactione Presbyterii, Episcopi vel Archidiaconi immunes esse decrevit. Precepit etiam prædictus Episcopus, ut totus panis qui in eisdem Ecclesiis offerri consuevit, in refectorio Fratribus apponi debeat : ut sæpiùs dum corpora inde reficerent, largitoris animam ipsi quoque suis precibus recrearent. Suos autem dies in Domino clausit extremos, præfatus Pater noster Jarento, migrans ad Dominum anno à Dominicâ Incarnatione millesimo centesimo quinto. Cui successit in regimine Pastoralis officii Ademarus. Hic inter hujus Ecclesiæ Benefactores connumerari meruit.

Jarento diem extremum clausit. 1105. Ademarus Abbas.

Eo autem defuncto, huic congregationi præfuit in regimine Henricus: post quem Hugo, Petrus, & alius nomine Petrus, Abbates successerunt. His decedentibus præfuit huic Ecclesiæ Domnus Philippus Abbas, qui inter præcipuos computatur: & reliquit eximiam in die obitûs sui procurationem; pro ejusq; anniversario plurima habemus bona.

Abbates S. Benigni. Hugo, Petrus, Petrus, Philippus.

Circà hæc tempora domui contulit huic quidam Miles, nomine Richardus Bigot, quatuor jugera vineæ, sita in campo Bertrand, cum tribus heminis frumenti. Odo etiam Miles, ejusdem Richardi filius, dedit nobis tria jornalia vineæ existentia in territorio Descolonges, pro anniversario suo singulis annis celebrando. Hi autem ambo in hoc loco sepulturam meruêre. Dedit etiam nobilis fœmina Aglantina, uxor Bartholomæi Militis de Villa-Comitis, quadraginta solidos annualis redditûs: quæ & in hac Ecclesiâ cum præfato conjuge, ac etiam filio tumulata est. Præfuerunt tunc huic monasterio Joannes & Aymo Abbates, qui pauca gesserunt in regimine existentes. Petrus autem illis succedens in pastorali curâ, multa ad ornatum & commodum suæ Ecclesiæ dicitur gessisse.

Joannes, Haymo, Petrus.

Successerunt huic subsequentes patres Nivaldus, videlicet, Galterus, Adam, Gilebertus, qui de præcipuis hujus Abbatiæ benefactoribus est unus. Rainaldus b ejus successor pro anniversario procurationem fecit. Stephanus Roymundus Loys, nobis plurima contulit bona. Hic ergo cum præcipuis meruit adscribi. Ipsius tempore (ut creditur) Otto dominus de Grandissono contulit huic Monasterio, pro unâ Missâ quotidie in altari sancti Stephani celebrandâ, triginta tres libras annualis reditûs, & sexaginta solidos pro anniversario suo quotannis celebrando. Præfato venerabili patre Stephano ad Christum migrante, electus est pro Pastore venerandus Petrus. Hic fertur plurima nobis bona contulisse; quamvis à nobis nil per scripturas repertum sit: & ideo cum præcipuis adscriptus est: & habet in refectorio duodecim præbendas. Post hunc præfuerunt huic Abbatiæ Richardus & Aymo, qui & duodecim præbendas habent. Hujus autem diebus quidam Jacobus nomine dedit hujus loci Monachis centum solidos Divionenses annui reditûs sive censûs. Præmisso Aymone ad Christum properante, exsurrexit è medio Venerandus præ cunctis Hugo de Arcu, honestissimæ conversationis pater, bonisque moribus adornatus. Hujus autem tempore contigit in hoc monasterio res terribilis atque miranda: turris namque lapidea in medio antiquæ Ecclesiæ super bases lapideas summopere stabilita, dimensione longitudinis, latitudinis, & altitudinis copiosa, nobilique fabricâ constructa, horribiliter corruit. Sed (ô miranda res!) theca lignea, quæ in inferiori parte Ecclesiæ preciosissimas reliquias continebat, super duas columnulas lapideas stabilita, majus ruinæ pondus sustinuit. Quæ quidem theca omninò illæsa diruptis duabus columnulis nullo alio visibili supposito, per seipsam miro modo subsistebat. Lampades etiam quæ in loco dictæ thecæ continuò in veneratione sanctarum reliquiarum ardebant, nec propter tantas ruinas, tamque terribilem flatum & sonitum, nec propter pulveris inexcogitatum turbinem exstinctæ sunt.

Nivaldus, Galterus, Adam, Gilebertus, Stephanus. b

Petrus.

Richardus, Aymo, Hugo.

Quid igitur isthæc prænuntiabant, nisi novæ reædificationis istius templi divinam dispositionem, exaltationisque sanctarum reliquiarum futuram ordinationem designarent? Nam sicut sancto David à Deo fuit prohibitum ædificare domum Dei in Hierusalem, eo quod vir sanguinum esset, quod Salomoni ejus filio permissum est; sic etiam sanctis Patribus in hoc monasterio degentibus ex aliquo Spiritûs sancti consilio speciali, non fuit permissum domum Domini his reædificare, sanctas reliquias exaltare; huic autem Salomoni Pacifico, prædicto videlicet Patri Hugoni, ex gratiâ privilegii specialis reservatum est. Et quoniam melior est obedientia victimis, ideo venerabilis supradictus Pater inspirationi divinæ non recalcitrans, sed devotissimè obtemperans, celeriter operi fabricæ hujus Ecclesiæ (ut inpræsentarium est) porrexit dexteram. Quæ quidem fabrica quantis excogitata vigiliis, quantisque sumptibus laboriosis exstructa fuerit, ipsamet loquitur & satis demonstrat. Completâ autem anteriori parte jam dictæ fabricæ, quæ juxtà vulgare idioma Presbyterium nuncupatur, sæpedictus Pater secundùm diù ante conceptum propositum aggreditur opus dulcissimum atque amantissimum; thecam videlicet argenteam decentissimâ texturâ conceptam, auro, & argento, gemmisque compositam fabricare, in quâ sanctæ reliquiæ, quæ diù in imo latitaverant, honorificè conderentur. Quâ completâ, illius fretus adjutorio, qui perficit, & solidat omnia, convocavit prædictus pater Barones, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, aliosque Prælatos, dissimilitudine officiorum graduumque uni Domino famulantes, cum Cleri & populi multitudine copiosâ. Congregatoque tam nobili cœtu preciosissimas patroni nostri Christi Athletæ Benigni de loco ubi annis plurimis quieverant, reliquias amoventes, infrà dictam thecam sive capsam, post majus altare decenter atque sumptuosè in alto stabilitam, in hymnis & confessionibus Dominum benedicentes, cum maximo cleri populique gaudio condiderunt, anno à Christianâ nativitate millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, quarto Kalendas Novembris. 1288.

Hugo Abbas ædificat Ecclesiam S. Benigni.

Hujus autem venerabilis patris tempore, multi ex ejus progenie, & alii multi extranei, huic Ecclesiæ & ejus habitatoribus multa bona contulerunt. Inter quos præcipuus fuit Hugo, Dominus de Arcu, Miles, & Marguarita ejus uxor. Qui quidem Hugo nobis dedit sexaginta solidos Viennenses, sitos & assignatos super homines Disier, recipiendos in die anniversarii sui per Monachos hujus loci, quotannis celebrandi. Humbertus etiam de Arcu dedit tres heminas frumenti pro procuratione. Dedit etiam nobis quædam nobilis domina, dicta Isabella de Pesinis, pro anniversario quadraginta solidos Turonenses, in die obitûs sui annuatim percipiendos: hæc autem moriens intùs suam elegit sepulturam.

Plurimis denique in pastorali curâ transactis annorum curriculis sæpe memorato Hugoni venerando, atque plangendo Patri, ad æterna gaudia feliciter migranti successit Abbas Girardus. Post quem præfuit huic Ecclesiæ Henricus. Deinde Millo. Quorum tempore pauca nobis benefacta reperiuntur exhibita. Sed his ad cœlestia regna vocatis, successit venerabilis Abbas nomine Joannes. Hic in die anni-

Abbates. Girardus, Henricus, Millo, Joannes.

b *Rainaldus*] Aliàs, *Raymundus*.

versarii sui procurationem fecit. Circiter hæc tempora contulit nobis quidam Presbyter motus devotione erga Beatum Patronum nostrum Benignum, Galterus de Boux nominatus, sex modios vini singulis annis pro suo anniversario. Imaginem quoque prædicti nostri protectoris Benigni nobis liberè donavit. In hoc loco post præfatum Joannem præfuit Otto, qui nihil ad suæ Ecclesiæ ornatum reperitur gessisse. Cui successit Petrus, qui & prædecessori consimilis exstitit.

Otto, Petrus.

Post hos surrexit alius nomine Petrus, qui cum præcipuis benefactoribus nostris scribi meruit. Hic (ut à quibusdam fide dignis audivi) à Domno Hugone tunc Burgundiæ Comite ob sanctitatem quâ fulgebat, morumque nobilitatem, à fratribus hujus loci cum humillimis precibus est expetitus, ut videlicet ipse pater secum beati Jacobi Ecclesiam quæ est in Gallicià, visitare dignaretur. Quod cunctis annuentibus monachis, feliciter complevit. Tandem autem Domino spiritum commendans, successores habuit Joannem, Guillelmum, & Petrum hujus loci Abbates.

Petrus.

Joannes, Guillelmus, Petrus.

Horum diebus licet pauci huic Ecclesiæ benefecisse reperiantur, unus tamen Joannes hujus loci Monachus, qui faciendum curavit calefactorium dormitorii, fundavitque ligna huic necessaria, est inter cæteros annumeratus. Hugo de Ray Prior sancti Apollinaris cum Huot patre suo, & Marguareta matre ipsius, nobis contulerunt viginti francos, præter domum de la Tannarie. Necnon vir illustrissimus ac nobilissimus nomine Voladislaus, qui priùs fuerat Dux Albus de Poloniâ; deinde in hoc loco Monachus, sed sobole deficiente per Papam dispensatus habitum relinquens, donec heredem regni sibi successorem haberet. Tandem autem occumbens, hicque sepulturam eligens, huic cœnobio contulit duo millia & quingentos florenos pro duobus anniversariis.

Vladislaus Dux Poloniæ Monachus.

Sed ut ad laudem venerabilis Alexandri de Monte-acuto, prædicti Petri successoris, quidquam enarraremus, minimè remittendus est calamus. Hic etenim hujus insignis Ecclesiæ constitutus Abbas, ipsam magnopere intùs & foris continuò studuit adornare. Vascula namque argentea, necnon & pannos aureos, cum plurimis sericeis ornamentis, ac quidquid in ipsâ Ecclesiâ tunc decora erant, nobis contulit. Fundavit calefactorium refectorii, & similiter anniversarium suum, necnon eleemosynam tredecim pauperum in eâdem die faciendam quarto Kalendas Maii. Hic præterea venerandus Pater, religionem in hoc loco prudentissimè reformavit, manutenuitque & in nullo tepescere permisit quamdiù vixit. Totum etiam monasterium strenuè gubernavit, reparavit, & in multis decoravit. Dereliquit interea memoratus pater Alexander successori suo Joanni circiter sex millia aureorum, præter cætera bona. Et ut summatim de eo perstringam; ei non credimus æqualem huic loco præfuisse usque ad Abbatem Hugonem, qui (ut suprà meminimus) Ecclesiam, thecamque argenteam fabricavit. Hic etiam Alexander dedicare fecit Ecclesiam hujus monasterii; in crastino autem ejusdem dedicationis annuatim solemne anniversarium sibi ab hujus loci conventu liberè concessum. Hic fecit bis refundi magnam campanam quæ Benigna nuncupatur. Justitiam supradicti nostri monasterii, quam penè amittebamus, recuperavit, ac solemnia aresta parlamenti Parisiensis super eâ obtinuit.

Alexander de Monte-acuto Abbas.

Hujus Reverendi nostri Pastoris tempore quidam vocatus Joannes, qui in hac domo conversus erat, nobis donavit pro anniversario suo singulis annis per hujus loci Fratres celebrando quatuor viginti Francos, & multa alia nobis fecit. Insuper faciendum curavit Crucifixum qui in angulo claustri depingitur. Prænominatus autem venerabilis Pater Alexander, postquàm pluribus annorum curriculis abbatiam de Flaviniaco (priùs enim illic Abbas fuerat) ac etiam præsens cœnobium devotissimè gubernavit, à Christo evocatus est; anno ab ipsius
Domini nostri millesimo quadringentesimo decimo 1417.
septimo, die quintâ mensis Septembris, nobis relinquens successorem, quem prænominamus Joannem de Marcha Abbatem.

Abbates. Joannes,

Eo autem die obeunte, huic loco Abbas fuit nomine Stephanus. In cujus diebus quidam Renaudotus vocatus, Ducis Burgundiæ cubicularius, ac in hoc loco Bastonarius, perpetuò fundavit Missam in altari sancti Pauli, quod de novo ædificavit, ipsum dotando quadraginta libris. De quibus viginti quatuor dantur Cantori & Refectoriario, eam celebrantibus, reliquum verò Conventui remanet. Dedit etiam præfatus Renaudotus in fine vitæ suæ ducentos aureos pro duorum anniversariorum fundatione.

Stephanus,

Petro autem Abbate post præmissum Stephanum regiminis hujus Ecclesiæ curam gerente, Joannes de Laudona cognominatus hujus cœnobii eleemosynam dedit nobis, viginti solidos redditûs annui, assignatos suprà domum quamdam sitam in castro de Jusseio. Dederunt etiam nobis Joannes de Visen Consiliarius Domini Ducis Burgundiæ, & Joanneta uxor ejus, vas argenteum, in quo repositum est os brachii sancti Laurentii Martyris. Tandem migranti ad Dominum Petro supramemorato Patri successit venerabilis Hugo de Monte-Cuniculo. Cujus tempore frater Joannes Broissandi hujus cœnobii Camerarius, reædificari fecit aulam Conventûs, situatam juxtà domum Camerarii, ac domum Albani, cum torculari sitam ante Ecclesiam sancti Philiberti. Hic etiam fundavit pictantiam carnium, quæ ter in hebdomadâ à Pascha usque ad Ascensionem Domini fratribus in refectorio distribuitur. Item fundavit dietam carnium faciendam in festo beatæ Mariæ Magdalenæ. Fundavit etiam lampadem cum oleo jugiter ardentem ante altare beatæ MARIÆ in navi Ecclesiæ. Etiam fundavit luminare in festivitatibus ejusdem beatæ Virginis, ut fit in festis Apostolorum. Ac etiam luminare duorum anniversariorum suorum, ut mos est facere in aliis præcipuis. Andreas de Mommoreto in hoc loco Infirmarius, tunc nobis dedit imaginem sancti Blasii argenteam, auroque amplissimè decoratam, cum unâ ditissimâ cappâ aureâ. Pro anniversario suo Jacobus etiam prædicti Andreæ frater, Subprior de Lareyo dedit Conventui centum libras Turonenses manualiter tradendo, cum cappâ de colore, quem vulgariter dicunt *Cramoisi*, pro suo anniversario. Fœmina quædam dicta Agnes de Cyterneio, nobis etiam donavit triginta solidos, sitos ac assignatos suprà quamdam domum sitam in Cœmeterio.

Petrus,

Hugo de Monte-Cuniculo.

Præmissus autem pater Hugo pro fundatione unius anniversarii nobis contulit ducentos aureos, cum quatuor libris Turonensibus. Fecit etiam fieri campanas sive tympana in hac Ecclesia. Dedit præterea sex viginti francos pro faciendâ procuratione in translatione sancti Patris Benedicti. Migravit au-
tem ad Dominum anno ipsius Incarnationis millesi- 1467.
mo quadringentesimo sexagesimo septimo. Post hunc præfuit in hujus Ecclesiæ pastorali curâ Domnus Humbertus de Saulbiez, qui fieri jussit expensis propriis magnam vitream ad introitum Ecclesiæ existentem. Hujus diebus Prior de Arneto, nominatus Guillelmus d'Aguilly, dedit hujus monasterii ha-

Humbertus de Saulbiez.

bitatoribus, viginti libras Turonenses annui census, redimibiles pretio trecentarum librarum.

Walterius de Falerenco.

Huic Humberto successit Walterius de Falerenco cognominatus. Hic septingentos aureos (ut dicunt) Conventui distribuit. Imò pro ejus intentione dici debet in Missâ de beata MARIA, collecta *Inclina*: & post prædictam Missam (quæ scilicet dicitur in veteri Ecclesiâ) quotidie dici debet Antiphona de prædictâ beatâ Virgine, cum collectâ de eadem; & *Deus cui proprium*, pro ipso Patre. Morientem autem subsequutus est in regimine venerandus Pater Ludovicus, qui de Tintavilla vocatus est: sed pauca gessisse repertus est.

Ludovicus de Tintavilla.

Circiter hæc tempora religiosus quidam, nominatus Benignus de Chemilli, in hac domo Camerarius, fundavit Missam de Beatâ Dei Genitrice, singulis diebus Sabbati celebrandam: & in omnibus solemnitatibus ejusdem beatæ Virginis eamdem Missam dici quoque instituit. Guillelmus Regnandiu, hujus domus Prior claustralis, manualiter nobis dedit centum libras Turonenses pro uno anniversario. Godefridus etiam cognominatus Domboys, hujus loci Camerarius, contulit huic monasterio tres heminas frumenti, singulis annis per nos recipiendas.

Post præmissos autem omnes venerabiles Pastores, nobis Deus veram in Ecclesiâ suâ lucernam suscitare voluit, vigilantissimum videlicet gregis sui Pastorem, venerandumque Patrem ac Dominum, Dominum Claudium de Charmes, sacri hujus Cœnobii Abbatem meritissimum, qui ex nobilissimâ Divionensium Procerum prosapiâ exortus, à puerilibusque diebus in hoc loco sacro beatissimi Patris nostri Benedicti habitu vestitus, cum primum ad annos pervenisset discretionis, primò cæpit in vineâ Domini florere, ac magis magisque pullulare. Fuit namque ob præclaram, quâ præfulgebat prudentiæ modestiam, ac piam in omnes benignitatem, morum quoque honestatem, hac in domo Subcellerarius, Eleemosynarius etiam constitutus est. Quodam verò futuræ præsagio sublimitatis, hic etiam Sacristiæ certis temporibus habere meruit officium. Et ut paucis perstringam, sicut de venerabili Patre Halinardo suprà tactum est, omnia hujus Ecclesiæ fermè officia solerter & sedulò prudenterque exercuisse visus est.

Claudius de Charmis.

Ejus morum probitas.

Tandem autem defuncto Reverendo Patre Ludovico de Tintavillâ (cujus supra meminimus) hujus loci Abbate, non vi armorum, equorumve strepitu, neque etiam ob nobilitatis, quâ præpollebat, celsitudinem; imò potiùs probis id exposcentibus suis moribus, ob bonamque vitæ per omnia jam cognitæ famam, ac divinâ, ut piè creditur, hoc concedente voluntate, ad pastorale hujus dominicæ domûs electus est officium. Hic autem in dominico agro ut sedulus cultor, ac fidelis dispensator, talentum sibi creditum, non in terram fodiens, aut abscondens, sed ad decus honoremque ac utilitatem, & ornatum Domini sui & sponsæ sanctæ Matris Ecclesiæ totis viribus explicare decrevit.

Quæ contulerit beneficia describuntur.

A capite namque incipiens præfatus Pater, in hac domo campanile seu tympanibulum mirando quidem ac præ cæteris excolendo opere constitui, plumbeisque laminis ac magnificè collocatis cooperiri jussit, prout cunctis ad hunc locum accedentibus facillimè perspicitur. Ipsam quoque Ecclesiam propriis expensis dealbari fecit, ornatiusque quàm antea fuerat, decoravit. Fecit etiam præfatus Abbas refundi magnum signum, sive tympanum aut cymbalum, quod in benedictione beati Benedicti nomen assumere voluit, multasque metalli libras in eo addidit. Crucem quoque quæ ante majus altare erigitur, deaurari fecit.

Anno præterito centesimo quinquagesimo & uno, die quartâ mensis Januarii, donavit, & manualiter tradidit præfatus venerabilis Pater, ipsum fervidâ monente devotione, Priori & Conventui hujus suprà nominati monasterii, summam trium millium librarum Turonensium, pro acquirendi censibus & redditibus. Eâ videlicet intentione, quòd in præfato Monasterio pro se suisque omnibus parentibus, familiaribus, benefactoribus vivis ac defunctis, pro spe salutis & incolumitatis suæ, singulis diebus, perpetuisque temporibus per Fratres ipsius Monasterii celebrentur & dicantur duæ Missæ. Prima scilicet altâ voce, cum Diacono & Subdiacono in majori altari hujus prædicti Monasterii, formâ & modo quibus consueverunt aliæ Missæ conventuales in ipsâ Ecclesiâ celebrari. Secunda autem submissâ voce celebrabitur per unum fratrem Monasterii prædicti, in loco, & modo, & tempore fundationis earumdem super hoc confectis litteris pleniùs declaratis.

Præfatus nihilominùs Pater venerabilis Claudius de suprà scriptis nobis à se liberè collatis beneficiis minimè contentus, sed devotionis ampliori fervore tactus, acceptantibus prænominatis Priore & Conventu, dedit manualiterque tradidit Priori & Conventui, summam duorum millium & quatuor centum librarum Turonensium, intentione quâ suprà, acquirendi censûs & redditûs, pro solutione servitiorum divinorum quæ fieri cupiebat & intendebat. Instituit namque præfatus Abbas ultrà suprà declarata suffragia, ut singulis quatuor temporibus, die videlicet Mercurii celebrentur per tres Priores hujus prædicti cœnobii, tres magnæ Missæ in jam dicto majori Altari, & centum parvæ, quæ nullibi dicantur nisi in prædicti S. Benigni Ecclesiâ per fratres ipsius monasterii, vel alios Religiosos, aut sæculares; prout in jam dictis litteris declaratur. Dici etiam debent per prædictos Fratres die Martis præcedente dictam Mercurii quatuor temporum diem, post prandium altâ voce & solemniter vigiliæ pro defunctis cum novem psalmis & novem lectionibus.

Item intendit sæpedictus Pater, ut per prædictos Fratres ipsius Monasterii singulis diebus Adventûs, & Quadragesimæ, horâ secundâ post meridiem, dicantur etiam integraliter, solemniter, & altâ voce vigiliæ defunctorum novem psalmorum, & novem lectionum, exceptis Dominicis diebus in quibus non dicuntur. Quæ scilicet suffragia sive servitia divina qui dixerint, & ipsis interfuerint, summas in supra dictis litteris ad hoc confectis declaratas, ab hujus dicti Monasterii Pitanciario erunt recepturi. Non tantùm autem prædictas pecunias nobis contulit præmemoratus Abbas Claudius, imò etiam plurima donavit Ecclesiæ ornamenta aurea & serica. Dedit namque ad ornatum suæ Ecclesiæ divinumque cultum exaltandum, unam preciosissimam ac ditissimam casulam cum dalmaticâ atque tunicâ. Quæ videlicet ornamenta auro fulgentissimo abundanter sunt conserta ac composita. Dedit insuper cuppam argenteam, in quâ reconditur Dominicum corpus, multo auro copiosissimè decoratam. Deinde fieri fecit armariola ad sinistram partem majoris Altaris novæ Ecclesiæ statuta, quorum partes interiores ferreæ sunt in modum trilicis sive fenestrellularum quarumdam fabricatæ, auroque magnificè deauratæ, ut inibi decentiùs reverentiusque reconderentur sacræ ac preciosæ ipsius Ecclesiæ Reliquiæ: & maximè cervices sive capita sanctorum, videlicet Benigni patris nostri, Gregorii Lingonensis Episcopi nostri Fundatoris, & Radegundis Francorum Reginæ. Quæ scilicet Gregorii & Radegundis capita ipse Dominus Pater Claudius multo argento auroque

sicuti exstant ornavit, munivit, & decoravit amplissimè. Pilas etiam sive columnas, aut si mavis pilaria, ex aurichalco conflata ante prædictum altare, ac ad ipsius altaris ornatum, sex numero construi fecit. Quæ de super sex Angelorum Christi passionis insignia repræsentantium imagines sustinent; auroque ditissimè decorata & insignita, cunctis faciliùs cernentibus apparere possunt.

1513. Urbs Divio obsidetur.

Circà annum Dominicæ Incarnationis millesimum quingentesimum decimum tertium, Christianissimo Rege Ludovico duodecimo in Franciâ triumphante, in hac autem domo præsidente memorato Reverendo Patre, gens Suevorum, sive, ut eos quidam nominant, Helvetiorum, gens quidem fera & avara, de Germaniæ partibus egrediens, non quæ Domini sui sunt, sed propria sectans, ad jussum (ut dicebant) Maximiliani tunc Imperatoris Divionem obsedit, vastassetque ac depopulata fuisset, si non sanctissimi protectoris nostri Benigni, ad quem confugiebant, sacrorumque in hac Divionensi oppido quiescentium Sanctorum precibus, ac præ meritis esset liberata. Divino enim nutu, pacto inter nos & ipsos super maxima pecuniæ summa ipsis dandâ facto, ad propria remigrarunt. Sed non sine prædicti Patris, totiusque Congregationis gravi infortunio. Tunc etenim combusta fuêre S. Nicolai suburbia; necnon Divi Petri ac sancti Spiritûs. Ex quibus plurimi nobis singulis annis proveniebant census & redditus. Apud sanctum Apollinarem omnia vastarunt, gravissimumque tunc detrimentum sustinuit illius loci Prioratus. Alii quoque vicinorum locorum habitatores multa perdiderunt: excedebant enim præfati hostes ultrà quadraginta quinque millium hominum numerum. Dederunt autem pro nostri ereptione Cœnobii ab ipsorum hostium manibus tam memoratus Abbas, quàm etiam Conventus; duo millia librarum argenti, ultrà jam dicta gravissima incommoda. Inde autem ob devotionem quam ad beatum Urbanum Lingonensis Ecclesiæ Episcopum, hîc olim sepultum, nunc quoque quiescentem, habebat præfatus venerabilis Abbas, fecit fabricari capsam argenteam auroque plurimo decoratam, ut ibidem sanctæ preciosæque Præsulis Reliquiæ conderentur honorificè. His temporibus quædam fœmina, Guillemeta nomine, mater Stephani, mulier quondam mercatoris, qui sub thecâ seu capsâ beatissimi Patroni Benigni sensum precibus ejusdem recuperavit, migravitque in pace ad Dominum; pro anniversario ipsius nobis dedit summam centum librarum, quam manualiter tradidit Conventui. Joannes Callot, Magister cameræ, nobis donavit pro suo anniversario singulis annis per nos celebrando etiam summam centum librarum Turonensium. Joannes Moreaul hujus monasterii Infirmarius, ad nostræ Ecclesiæ ornatum, & ad divinum officium reverentiùs peragendum, dedit unam cappam auream amplam valde, ac miro modo compositam. His etiam diebus Theobaldus Demipont cognominatus, nobili prosapiâ ortus, & in hoc loco Monachus devotione præmotus, fundavit & instituit luminare in die solemnitatis Corporis Christi, & per octavas. Pro quo debent duo cerei ante armariola lapidea, in quibus reconditur prædictum sacramentum, continuò diu noctuque lucere. Recepitque Thesaurarius pro hoc singulis annis unum francum monetæ. Frater Joannes Conversus apud Lariacum moram trahens, nobis pro suo anniversario manualiter tradidit quadraginta francos.

Præfatus denique venerabilis Pater cum supra scriptis ornamentis huic loco per eum concessis, nobis dedit duas pulcherrimas ac ditissimas aureas cappas, arte quidem præclarissimâ compositas. Contulit etiam nobis ornamenta majoris altaris viridia, compositione sericeâ, unà cum duabus cappis, casulâ, dalmaticâ, etiam viridibus.

Hic autem Reverendissimus Pater, velut omnibus carus erat, ab omnibusque amabatur, suosque potenter tuebatur, ita ab omnibus expetebatur. Gregis enim Dominici apud sanctum Germanum Autissiodorensem Custos electus fuit; illiusque multis annis prudentissimè curam gessit. Sed tandem honore postposito, tradito quoque onere religiosissimo viro Domino Francisco de Bello-joco, qui ejus consanguineus erat, litterisque ac scientiâ, morum etiam probitate pollens, hujus loci Camerarius annis multis exstiterat, eum Abbatem instituendo. Alias denique Abbatias recusavit, sancti scilicet Joannis Reomensis, sanctique Sequani. Quas ambas humili prece ipsi de ejus bonâ conversatione certiores facti obtulerunt illarum cultores: cui per resignationem successit quidam vocatus Abbas.

Oremus igitur cuncti, qui sub eorum protectione degimus, uti ille qui cuncta sub pedibus videt, moderaturque, & nutu proprio gubernat, ambos nobiscum diù vivere permittat sanos & incolumes; præstet sibi commissum gregem moribus & verbis instruere, ac docere concedat, & inspiret: quatenùs post hujus ærumnarum vallis diuturnos labores, eos cum familiâ creditâ in æterna sua tabernacula, perpetuamque hereditatem suscipere dignetur Dominus Jesus-Christus, qui cum Genitore, sacroque Flamine vivit & gloriatur per æterna sæcula.

Multa autem huic sacro collata Cœnobio beneficia fuerunt, præsenti nunc inserenda paginâ: verùm quoniam prolixum foret cuncta recensere, precantes ut hæc lectori satisfaciant, operi finem imponimus.

AD INSIGNIS PRÆCLARIQUE PATRIS,

AC DOMINI DOMINI

CLAUDII DE CHARMIS,

SACRI, DIVI BENIGNI DIVIONENSIS,

COENOBII ABBATIS OPTIME MERITI,

LAUDEM, CONDITUM SUBSEQUITUR EXILE CARMEN.

Clarus in hoc claram claro cum nomine vitam
Ducens cœnobio, Claudius Abbas fuit.
Protulit illustris præcelsâ Divio prole,
Sed voluit nobis hunc Deus esse Patrem.
Æneas Teucris, Samsonque fecit Hebræis,
Quo Solymis Salomon contulit ipse suis.
Exaltata bonis hæc est Ecclesia multis,
Subsidioque hujus facta decora Patris.
Ille suos tutus semper protexit, & omni
Nixu commissas multiplicavit oves.
Nestoreos illi dones Deus ipse per annos
Vivere; Phœnicis compleat hicque dies.
Parcaque cum tenerum distraxerit aspera filum,
Spiritus æthereos expetat (oro) lares.
Amen.



ANTIQUUM BESUENSIS ABBATIÆ CHRONICON, AUTHORE JOANNE MONACHO.

INCIPIT LIBER MEMORABILIUM rerum, seu etiam Cartarum Besuensis Monasterii.

Ipsissima Chronici S. Benigni sunt verba.

ANTIQUORUM hujus sæculi sapientū laudabile, ac ideo imitandum fuit studium, ut non solùm ea quæ acciderent in diebus eorum, sed etiam fortia priscorum facta Heroum ad memoriam posterorum traderent monumentis scripturarum. Quæ utilis res & eis exstitit materia humanæ laudis, & futuris hæc legentibus vel audientibus exemplum, incitamenque æmulationis. Talia considerantes nos Besuenses sacri monasterii à parvulo habitatores & amatores, ne fortè nobis justè succenseant nostri successores, sicut nos de incuriâ meritò culpamus nostros antecessores, aggrediemur cum adjutorio Dei scribere, licet rusticanâ & minimè politâ narratione, quæ de præfati loci antiquitate, seu devotorum Deo fidelium eidem donata sunt largitione Regum, Pontificum, Ducum, Comitum ac illustrium virorum potuimus addiscere: quatenùs & honori sit cœnobio nostro, possessionum collatarum, & memorandarum rerum in eodem gestorum descriptio, & cum divinæ laudis debito exoptanda benefactoribus ejus celestis gloriæ remuneratio.

Primò igitur persequenda nobis est eorum Chronica, qui regnarunt in Franciâ atque Burgundiâ usque Clotarium, Chilperici filium, cujus videlicet tempore Monasterium istud Besuense ædificatum est ab Amalgario Duce optimo, & uxore ejus Aquilina nomine, largissimeque de propriis rebus ditatum, anno ad Incarnatione Domini sexcentesimo, indictione tertiâ, præsidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ sancto Gregorio Papa, Mauricio verò Cæsare imperante in Republicâ, beato Columbano commorante in Burgundiâ. Si quidem ad cognoscendas Abbatum successiones, qui per diversa hîc præfuerunt tempora, & quæ sub uniuscujusque illorum regimine huic loco collata sunt fidelium largitione, Episcopos quoque Lingonicæ Ecclesiæ, qui circà hunc locum munificos se exhibuerunt, nominatim singulos curabimus ostendere; & quid ab uno quoque illorum collatum sit in augmentatione hujus domûs Dei, sigillatim demonstrare.

Igitur Childerico Rege, &c. *Quæ sequebantur in hoc Besuensi Chronico, ad usque Monasterii fundationis narrationem, in San-Benigniano Chronico reperies:*

DE CONSTRUCTIONE hujus loci.

Clotarii II. tempore anno

IGitur quoniam Monasterium istud Besuense Clotarii Regis tempore ab Amalgario Duce fundatum fuisse prælibavimus, paulo latiùs nobis visum est prosequendum, qualiter ab eo & ubi fuerit constructum, & quibus rebus ab eo primùm ditatum, ac deinceps à cæteris Deum timentibus, imò diligentibus largissimis facultatibus amplificatum. Fuerunt siquidem illis temporibus duo Duces in Burgundiâ, rum unus Waldelenus nomine, gentes quæ intrà Alpium septa & Jurani saltûs arva incolunt, regebat. Erat huic uxor nomine Flavia: de quâ cùm nullius heredis habuisset gaudia, cui suarum opum & honorum post se reliquisset amplissima subsidia, per beati Columbani, qui Luxovio præerat, Deo digna precamina filium susceperunt, & ei illum de sacro fonte levandum, sicut ipse quæsierat, obtulerunt. Itaque sanctus vir baptizavit, Donatumque nomen imposuit; qui postea in eodem monasterio sapientiâ imbutus, Bisontinæ sedis Archiepiscopatum clarissimè gubernavit. Alter verò Dux harum duarum partium circumquaque latissimus dominator, Amalgarius nomine, habens uxorem nomine Aquilinam, habuitque ex eâ filios, quorum uni Audalrico nomine ducatûs sui regimina post se dereliquit. Habuit & alium Waldalenum nomine, quem offerre Deo, à quo eum acceperat, cupiens, per manus beati Columbani eum ipsi in prædicto Luxoviensi Monasterio, quod tunc præ cæteris Galliarum atque Burgundiæ Monasteriis religione florebat, educandum contradidit. Habuit iterum filiam Adalsindam nomine, quam Deo offerendam, ac divino cultui mancipandam adjudicavit.

600. fundatum Besuense Monasteriū.

De Amalgario Duce.

Dum itaque hi duo in scholâ Christi erudiuntur, videlicet Waldalenus & Adalsinda, pater Amalgarius excogitat, ubi religioni eorum ædificet loca convenientia, & si qui postea cum eis Deo voluerint servire, unde habeant victus & vestitus sufficientia. Cum igitur in Ducatu suo duo Christi construere vellet ovilia, & ovibus, quas ibi Deus aggregaret utriusque sexûs, ex illis, quos sibi dederat Deus pueris, Pastores præficere, videlicet Waldalenum viris, & Adalsindam fœminis, inter cætera ducatûs sui loca duo invenit speciosissima, atque ad id non parum convenientia. Est locus inter fluvium Araris & Sagunnæ, & fluvium quem Tila vocant ab emergente ibidem fonte non modico, qui Besuus dicitur, dictus & ipse Besua, fons est ipse limpidissimus, ad potandum habilis, ac multimodâ piscium copiâ fertillissimus; nec sicut alii fontes, qui plurimi decurrendo & augmentando, nomen accipit fluvii, sed ibidem ubi oritur præ magnitudine flumen dicitur. Nascuntur in eo diversi generis herbæ, quæ si frugum alimonia minùs abundaverit, pauperibus subsidium præbeant vitæ: sicque fons iste totius sui irrigans confinia, ad omnia quæcumque ibi feruntur vel coluntur confovenda, loca reddit habilia. Terra satis bona, & nisi desit qui laboret, frugum fertilissima. Prata propè sunt abundè,

Besuæ descriptio.

abundè, quibus possunt nutriri pecora, & suppleri alia quæque privata necessaria. Sylvas habet in procinctu locus & contiguas, quæ ad construenda ædificia, seu ad omnia quæ generi humano sunt necessaria, sufficiant.

Inibi Amalgarius construit Monasterium.

Talem igitur locum Amalgarius Dux Deo & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo dignum duxit offerre, & sub manu filii sui Waldaleni Monachos, qui ibi Deo & sanctis ejus deservirent, sub regulâ beati Columbani studuit aggregare. Quid plura? Waldalenum Abbatem ibi præfecit; locum, ut prædiximus, Deo & sancto Petro & Paulo liberrimè cum omnibus appenditiis suis obtulit, cum terris & ædificiis, cum sylvis & accessibus omnibus, cum mancipiis & colonis & servientibus; denique quidquid habere ibi videbatur, totum liberrimè & integerrimè, nec sibi nec cuiquam aliquid ex illis retinens. Et quoniam locum omni adnisu voluit extollere & amplificare, visum est ei ex aliis rebus & appenditiis eum ditare.

Dedit itaque Vetus-vineas cum appenditiis suis, & sylvas Tilerias, Beriam, Tregias, Cipetum, Buxatellum, & Vendoveram. Item Auxiliacum cum appenditiis, adjacentiis, & sylvis, & colonicis. Blaniacum, Bertariacum, Baimam, & Viriacum, & Attiviacum, Noviliacum, & Villam Collatunnam, & Curtem mulinensem, Marcenniacum, cum vineis XII. & vinitoribus, & colonicis, qui excolere videntur. Apud Cocheiacum vineas non minimæ quantitatis. Dedit etiam in pago Belnensi vineas octo cum vinitoribus & colonicis. In villâ quæ Vaona dicitur, vineas & terras cum servis & ancillis excolentibus eas. Tradidit etiam cum cæteris rebus S. Petro terras quas habebat in Divione, & in fine Domni Petri, & Longo-vico, & in Canavis, & in Arsilirias, & Tremoldo, & Proviso, & Disto. Dedit & in Gibriaco vinearum non modicam quantitatem, cum vinitoribus & colonicis, & sylvis, & pratis, aliisque adjacentiis, cum servis & ancillis, omnia omninò liberrimè, & prorsùs ab omni consuetudinali reclamatione aliena. Item in villâ & in Caciaco quidquid habebat. In villâ quæ Patriniacus dicitur, mansum unum optimum cum appenditiis suis. Cumque his omnibus dedit villam Maiescum, & adjacentia sua prædicto Monasterio, & datis his, factâque Epistolâ propriâ manu consignatâ, in perpetuum possidenda contradidit.

Alterius Monasterii fundatio ab Amalgario.

His ita digestis, descriptâque Besuensis Monasterii constructione, quoniam de alio loco superiùs fecimus mentionem, quem in Ducatu suo Amalgarius ædificavit, ubi filiam suam Adalsindam sanctimonialibus Abbatissam præfecit, dicendum æquum putamus ubi sit locus, & quis vocatus, quibus appenditiis ditatus, ut ibi Deo servientibus victus non defuerit atque vestitus. Est locus haud longè à Besontiensi civitate super fluvium, Dubium appellatum, ipsius fluvii intercursu tantùm à civitate sejunctus, ex aliâ verò parte habens montem vocatum Waldalenum, à nomine Wandalorum, qui ibi castrum habuerunt, ut antiqui incolæ dicunt. Dornatiacus dicitur, qui & Virzilias, in honorem sancti Martini consecratam habens Ecclesiam, quem Amalgarius Dux filiæ suæ Adalsindæ donavit; & ut sub ejus regimine regulariter ibi viverent, congregationem sanctimonialium constituens, de propriis rebus donationem fecit. Villam scilicet quæ Assona vocatur, Villam Parnatiacum, villam Pontentiacum, & medietatem quam in Balatunnâ possidere videbatur. De villâ verò Montaniaco similiter. Sed cum his omnibus qualiter præfatus locus Dornatiacus Ecclesiæ Besuensi donatus atque conjunctus postea fuerit, in sequentibus, & ubi congruum videbitur, inseremus. Anno XXXIV. Regni Clotarii Warnarium, quem Majorem-domûs in Burgundia instituerat, cum universis Pontificibus Burgundiæ, seu & Burgundæ Faronis, Bonogello Villam ad se venire præcepit, &c. *ut in Chronico S. Benigni.*

Dagobertus anno VI. regni sui Burgundias ingreditur: tanto verò timore Pontifices & Proceres, & cunctos in regno Burgundiæ consistentes adventus Dagoberti concusserat, ut omnibus esset mirandus præ timore justitiæ quam pauperibus faciebat. Veniens ergo civitatem Lingonas; & inde Divion aggressus, ac Latonâ residens aliquantis diebus, tantam intentionem judicandi justitiam universo populo regni sui habebat, ut hujus benignitatis desiderio, nec somnum oculis posset capere, nec cibo satiabatur: intentissimè cogitans, ut omnes cum justitiâ acceptâ à conspectu suo remearent.

Quia igitur per successiones Regum ad temporâ usque Dagoberti Regis narrationem protulimus, dignum esse putavimus, huic loco inserere quid ipse Dagobertus huic nostro Besuensi Monasterio beneficii contulerit, & quibus appenditiis locum hunc augmentaverit, atque sui Præcepti authoritate firmaverit: ut quod ipse Deo & sanctis Apostolis ejus Petro & Paulo offerebat, perpetualiter inconvulsum permaneret. Audiens enim bonam famam Waldaleni Abbatis, (de quo suprà meminimus) qui tunc præerat huic sacro monasterio, donationem fecit per manum ipsius Deo & Ecclesiæ Besuensi, de villâ quæ dicitur Artasia, cum terris & appenditiis suis: quæ villa sita est in fine Campolimicensi. Dedit etiam villam quæ Monasteriolus vocatur, nec longè à supradictâ Artasiâ & in eosdem fines. Crescente itaque hujus loci religione, Amalgarius Dux hujus sancti Monasterii fundator, terras quas acceperat ab ipso Dagoberto Rege in beneficium, contulit huic Ecclesiæ, villam scilicet Alteriacum cum adjacentiis suis, villam quæ dicitur Boensis cum omnibus appenditiis suis, omnia dedit ad integrum cum consensu & Præcepto ipsius Dagoberti Regis. Item dedit villam Ginceniacum, & villam Talamarum, cum omnibus ubique ad ea pertinentibus. An. circiter 634.

Die quâdam Dagobertus Rex à Latonâ Cabillono properare deliberans, priusquàm lucesceret, balneum ingrediens Brunulfum avunculum fratris sui Ariberti interficere jussit. Qui ab Amalgario & Arnberto Ducibus, & Wilbado interfectus est. Dagobertus Rex post hæc Cabillono pergit, justitiæ amore quam cœperat, perficiendæ. Post Augustoduno, inde Antisiodoro pergens, de hinc Senonas civitatem; indeque Parisius venit. Gomatrudem Reginam Romiliaco villâ, ubi matrimonium acceperat, relinquens, Nantildem, unam ex puellis de ministerio ejus accipiens, Reginam sublimavit, &c. *ut in Chronicon S. Benigni.*

Clodoveus igitur Rex, qui & Clotarius dictus est, XVIII. annos in regni administratione complens defunctus est in primævo flore juventutis, relictis tribus filiis Clotario, Childerico, & Theoderico, unâ cum matre eorum Baldechilde Reginâ. E quibus Clotarius natu major regnum patris sui Clodovei Neustriæ & Burgundiæ obtinuit. Childericus verò Austriæ & Germaniæ sedem adeptus est. 660.

Nunc verò id videtur huic nostræ narrationi inserendum, illud quod suprà narrare promisimus, qualiter videlicet locus Dornatiacus, qui Birgilias dicitur, huic Besuensi loco cum appenditiis suis donatus sit atque conjunctus. Iisdem namque ferè temporibus Donato, (de quo suprà meminimus) existente Bisonticensis sedis Archiepiscopo, Adalsinda Abbatissa, quæ ei loco præerat, malorum hominum injuriis & plurimis adversitatibus affecta, cum

ampliùs pati non posset, in manu Waldaleni Abbatis fratris sui, Deo & sanctis Apostolis ejus Petro & Paulo locum illum cum omnibus appendiciis suis donavit cum consensu ipsius Donati Bisonticensis Archiepiscopi, sicut ipsius Epistola subscripta docebit.

Domino Sancto & in Christo amabili fratri WALDALENO, ADALSINDA *Abbatissa.*

Adalsinda Abbatissa omnia sui monasterii confert Besuensi.

DUm malorum hominum vexata injuriis, & variis adversitatibus, ibidem stare non possem, inde ego & germanus meus Adalricus, vobis & fratribus vestris petivimus, ut ad Monasterium sancti Petri habitare sub regulâ vel ordine in Dei nomine deberem; quod & vos pro caritatis studio concessistis. Ideo Monasterium Dornatiacum in honore S. Martini sacratum, quod genitor meus Amalgarius & Aquilina mater mea construxerunt, & ei maximam partem de suis facultatibus delegaverunt, hoc recipere in Dei nomine debetis, cum villis ad eumdem locum pertinentibus, & omnibus universaliter appendiciis suis: villam scilicet Assonam, villam Parniacum, Potentiacum, & medietatem quam in Balatonnâ genitores nostri tenuerunt. Reliqua verò, quæ ad ipsum monasterium Dornatiacum genitores nostri delegaverunt, à die præsenti in Dei nomine recipite. Et de villâ Montaniaco quod genitor noster Amalgarius, & Amoloaldus de fisco pariter promeruerunt, portionem nostram à die præsenti in vestrâ dominatione revocate; ut nec ego, nec quislibet de parte nostrâ, vel ulla apposita persona, adversùm vos de supradictis rebus calumniam ac laborem generare præsumat. Si quis verò fecerit, conferat unà cum sacratissimo fisco auri libras viginti, argenti pondo quinquaginta. Actum publicè Fonte-Besuâ Monasterio. In Dei nomine ego Adalsinda hanc traditionem nostram subscripsi. Hermena Monacha jussu Domnæ meæ Adalsindæ subscripsi. Aga Monacha jussu Domnæ meæ Adalsindæ subscripsi. Subsignavit Daginus hanc donationem. S. Manaulfus Presbyter. S. Victor. S. Proculus. S. Walibertus. S. Landebertus. S. Trasgarius. S. Rogitus. Ego Allo hanc traditionem scripsi & dictavi, anno ab Incarnatione Domini DC. LII. Indict. x. Epacta VI. Clotario Rege regnante in Franciâ, primo anno regni ejus, venerabili viro Donato Besonticam sedem tenente. Die Mercurii proximo, ante medium mensis Februarii.

Tempore igitur Clotarii Regis cum locus iste copiosissimè ditatus fuisset, & Religionis studio floreret, inimicus totius boni Diabolus omni conamine efficere voluit, ut bona, quæ ibi fideles donaverant, inde auferrentur, & si fieri potuisset, in perpetuam oblivionem traderentur. Nam mortuo Amalgario Duce, Francis inter se discordantibus, & intestino furore inter se dimicantibus, & terras suæ potestatis bello plusquàm civili vastantibus, contigit hoc Monasterium rabiem talium perpeti, & damna rerum omnium sustinere, in tantum, ut etiam instrumenta Chartarum & donationum, quæ præfatus Amalgarius, aliique Deum timentes & honorantes eidem Monasterio contulerant, tollerent, & in perditionem darent. Sed hanc jacturam prædictus Waldalenus Abbas relevare satagens, egit cum Sichelmo Duce, tunc in Burgundiâ Ducatum agente, ut relationem acciperet rerum ipsius Monasterii, multorum bonorum hominum confirmatam consensu & subscriptionibus. Tali igitur authoritate fretus ad Regem Clotarium se contulit, eique cuncta innotuit, & ut ejus Præceptum ad perpetuam tuitionem mereretur, super hoc pacto expetivit. Cujus prædictus Rex assensum præbuit, & suam præceptionem clementer concessit. Quod ex ipsis conscriptionibus meliùs edocebimus.

Monasterium Besuense vastatum, cartæque direptæ.

Epistola SICHELMI *ducis transmissa Majoribus Palatii.*

DOminis nostris propriis Reideberto, Chrodeberto, Emerulfo Majoribus-domus sacri Palatii, Sichelmus cum reliquis fidelibus & servientibus vestris, quorum subscriptiones vel signacula in in hanc suggestionem subter tenentur inserta. Credimus quod gloriosissimus Dominus noster auditum habeat, qualiter illustris vir Amalgarius tempore ducatûs sui in loco Fonte-Besua nuncupato, in pago Attoariense, in honore sanctorum Apostorum Petri & Pauli Monasterium construxit; ubi etiam Monachorum congregationem ad habitandum conjunxit, & de facultate suâ maximam partem supradicto Monasterio delegavit. Credimus etiam ad vestram pervenisse notitiam, qualiter ipsum Monasterium ante hos dies à malis hominibus irruptum fuerit, atque vastatum, & omnes res, quas ipsi Monachi habebant, cum ipsis chartis deportata, & omnis habitatio eorum in direptionem & devastationem missa: unde humiliter pietati vestræ suggerere præsumimus, ut hoc gloriosissimo Domno nostro innotescere faciatis, ut per suam clementiam talem authoritatem ipsi loco conscribi jubeat, ut supradictas res, quas boni homines ibidem delegaverunt, nullus invadere, aut violare, vel inquietare præsumat; sed quæ in præsenti habere vel possidere videntur ipsi Monachi, vestris & futuris temporibus sine inquietudine per vestrum præceptum habere & tenere possint. Ut & eos pro vitâ vestrâ, & stabilitate Celsitudinis vestræ & regni vestri, Dei misericordiam attentiùs delectet exorare. Dominicus audivit suggestionem. Farulfus subsignavit. Abbo subg. Ermerbertus subg. Frodoaldus subg. Warato subg. Fulgoaldus subg. Eurcharius subg. Data sub die Kalendas Octobris. Regnante Domno nostro Clotario Rege. Hanc suggestionem Regi innotuerunt, & quid ipse de hoc decreverit, ejus Præceptum declarabit.

Præceptum Clotarii Regis.

Confirmat Rex cuncta Besuæ collata.

CLotarius Rex Francorum, viro illustri Sichelmo Duci. Regem cœlorum, qui super omnes Reges termino immenso, & nullo imperio regitur, & qui super omnes sedes Angelicas suâ pietate & potentiâ tenet principatum, erga solium regni nostri, quod ipse nobis ad regendum commisit, credimus esse cultorem, si oportuna beneficia ad loca sanctorum devotâ mente præstamus, vel nostris oraculis confirmamus. Igitur venerabilis vir Waldalenus Abbas ad præsentiam nostram veniens, gloriæ regni suggessit, quòd genitor suus Amalgarius, & genitrix sua Aquilina, quondam pro Dei amore Monasterium nuncupatum Fontem-Besuam, in pago Attoariarum suo opere in honore sancti Petri & Pauli ædificassent, & Monachos ibidem sub regulâ beati Columbani, seu beati Benedicti [a] adunassent, & maximam partem de facultate suâ ipsi Monasterio delegassent; sed postea insidiante parte adversâ, ipsum Monasterium à malis hominibus irruptum & exspoliatum fuerit, & omnes cartæ, quas de supradicto loco, vel de reliquis locis, memoratus Amalgarius, vel conjux sua ibi delegaverunt, cum multis aliis rebus ablatæ. Unde memoratus Waldalenus relatione vestrâ pro firmitatis studio petiit Celsitudi-

[a] *seu beati Benedicti*] Quin hæc verba è margine in textum translata sint, nullus dubito.

nem nostram, ut quascumque res ipsius Monasterii seu præscripti loci in Dei nomine per Præcepti nostri authoritatem deberemus confirmare. Cujus petitione mercedem æternam, & divinam nobis in omnibus acquirere cupientes, nos id præstitisse & confirmasse cognoscite. Præcipimus igitur, ut quidquid constiterit à præfato Amalgario & ejus matronâ Aquilina, vel ab aliis D um timentibus hominibus, ipsi Monasterio collatum, ad integrum hoc habeat, teneat, & possideat, & nostris & futuris, Deo auxiliante, temporibus, ipsam scilicet Besuam cum omnibus appenditiis suis, cum terris & ædificiis, cum sylvis & accessibus omnibus, cum mancipiis & colonis & servientibus, totum liberrimè & integerrimè: Vetus-vineas cum omnibus appenditiis suis & sylvis. Tilerias, Beriam, Tregias, Cypetum, Buxatellum, Vendoveram, Auxiliacum cum appenditiis suis, & sylvis & colonicis. Blaniacum, Berlariam, Baymam, Variacum, Attiniacum, Noviliacum; villam Calatunnam, Curtem Molinensem, Marcennacum cum vineis duodecim, & vinitoribus, & colonicis, qui excolere videntur. Apud Cocheiacum vineas non minimæ quantitatis. In pago Belnensi vineas octo, cum vinitoribus & colonicis. In villâ quæ Vaona dicitur, vineas, & terras, cum servis & ancillis excolentibus eas. Terras quas habebat in Divione, & in fine Domni Petri, & Longovico, & in Canavis, & in Arzilias, & Tremoldo, & Proviso, & Disto. In Gibriaco vinearum non modicam quantitatem, cum vinitoribus, & colonicis, & sylvis, & pratis, & omnibus adjacentiis suis, cum servis & ancillis, & omnia omninò liberrimè. In villâ & in Chaciaco quidquid habebat ipse Amalgarius. In villâ quæ Patriniacus dicitur, mansum unum optimum cum omnibus appenditiis suis. Villam Majescum cum adjacentiis suis. Villam Alteriacum, & villam Boensem similiter cum omnibus appenditiis suis. Villam Talamarum, & villam Gincentacum. Omnia hæc integerrimè, ac liberrimè cum omnibus ad ea pertinentibus.

Ut autem hæc scriptio firma & stabilis in ævum permaneat, & à nullo nostrorum successorum sit permutanda, nostro nomine insigniri, & annuli impressione jussimus sigillari.

Signum CLOTARII *Regis.*

Datum mense Augusto, anno ab Incarnatione Domini DC. LVIII. indictione primâ, anno VIII. regni Clotarii. Actum Nemauso feliciter.

Non solùm autem hæc confirmavit, sed & Defensorem & Advocatum Gengulfum, virum illustrissimum prædicto Monasterio constituit, quod ejus litteræ indicabunt.

Quomodo CLOTHARIUS *constituit Advocatum beatum* GENGULFUM *huic loco.*

VEnerabilis vir Waldalenus Abbas de Monasterio S. Petri Fontis-Besuæ, quod suus genitor Amalgarius ejusque matrona Aquilina quondam suo opere visi fuerunt ædificasse, Clementiæ regni nostri suggessit eo quod ipsum monasterium à malis hominibus fuisset vastatum, & instrumenta cartarum unà cum reliquis rebus quàm plurimis exinde fuissent deportata. Ob hoc petiit à nobis, ut illuster vir Gengulfus omnes causas ipsius monasterii ad persequendum & reintegrandum deberet recipere. Cui nos hoc beneficium præstitisse cognoscite. Quapropter per præsens hoc Præceptum jubemus, ut memoratas omnes causas ipsius Monasterii ex nostro permissu licentiam habeat prosequi, & unumquodque, ut justum est, restituat. Sic tamen quamdiù eorum pariter fuerit voluntas.

Data xv. Calend. Septemb. Anno x. regni Domini Clotarii Regis.

His igitur authoritatibus Regis, & Principum adjutoriis fultus prædictus Waldalenus Abbas, res ad ipsum Monasterium pertinentes legitimè & quietè tenuit, & monasticum ordinem cum suis Monachis, sicut multis indiciis clarum est, regulariter & devotè custodivit. Cujus exemplo multi ad Monasticam religionem se contulerunt, sua secundùm Domini præceptum, quædam pauperibus, quædam eidem loco sancto conferentes: quorum donationes ad huc retinemus, cum instrumentis cartarum.

Clotarius igitur Rex, postquàm aliquot annis tenuit regnum, immaturâ præventus morte, reliquit illud sine herede. Cujus obitum dolentes Francorum Principes, germanum ejus Childericum Regem Austrasiorum, quem audierant sapienter & providè regnum disponere, in omni sublimant Francorum regno. Adeptus verò principatum, quidquid adversùs leges Regum priorum ac majorum Principum, quorum vita quondam laudabilis exstiterat, ineptum atque contrarium reperit, ad pristinum statum prudentissimè revocavit. *664. sive 674.*

Childericus ergo Rex paucis annis, quibus regnum Francorum obtinuit, æquo moderamine justisque legibus disponens ipsum regnum, defunctus est. Et germanus ejus Theodericus in regno, fratris loco sublimatus, quod tenuit annis XVI. In diebus ejus sanctus Leodegarius est interfectus ab Ebroino Majore-domûs & sanctus Lambertus Tungrorum Episcopus à Dodone Comite. Ii uno tempore innocentes occisi, coronam martyris sunt adepti. Iste Theodericus Rex munificentiam largitatis suæ huic loco impendere dignatus est, cujus exemplar Præcepti necessarium subjicere judicavimus. *677. vel 679.*

Incipit præceptum Regis THEUDERICI.

Bona Adalrici Ducis fisco suo adjudicata, Rex confert Besuensi monasterio.

MEritò beneficia, quæ possident, amittere videntur, qui non tantùm largitoribus ipsorum beneficiorum ingrati existunt, verùm etiam infideles eis esse comprobantur. Ad hujusmodi igitur exemplum postquàm omnibus patefactum est, qualiter Adalricus Dux Deo sibi contrario, nobis infidelis apparuit, & se Austrasiis consociavit, ut adversùm nos & nostros fideles scelera sua, si Dominus Deus permisisset, exercuisset, nos propter ipsum facinus omnes res suas ad nostrum fiscum jussimus revocari. Cognoscat itaque utilitatis vestræ magnitudo, quod res nominatas Fiscafelinis unà cum appenditiis suis, & adjacentiis, & cum colonicâ, trevario, & quidquid supradictus Adalricus de quolibet attracto ibidem tenuit, vel possedit, ei Monasterio, quod appellatur Fons-Besuæ, quod est in honore sancti Petri & Pauli, ac cæterorum sanctorum constructum, ubi venerabilis vir Waldalenus præesse dignoscitur; plenâ & integrâ gratiâ totum nos concessisse. Quapropter per hoc nostrum Præceptum decernimus ordinandum, & in perpetuum volumus esse mansurum, ut memoratus Abbas Waldalenus prædicto Monasterio Fontis-Besuæ res jam dictas unà cum ædificiis, mancipiis, accolabus, terris, & pratis, sylvis, pascuis, aquis, aquarumque decurubus, accessibusque omnibus, vel reliquis quibuscumque beneficiis, cum omni usu fructuario, ex nostræ largitatis munere perpetualiter recipiat possidendas. Et ut hæc præceptio firmior habeatur; & futuris temporibus inconvulsè teneatur, manûs nostræ subscriptionibus eam decrevimus roborare.

Signum THEUDERICI *Regis.*

Datum mense Septembri die IV. anno IV. regnante Theoderico Rege. *681.*

Glybertus Notarius.

Primi B. suæ Abbat. TEmpore igitur prædicti Waldaleni Monasticus ordo regulariter floruit, quem successores ejus Abbates, ut boni filii mores paternos æmulantes, in regulari institutione imitati sunt: Bercangus videlicet, qui illi in regimine successit, & Ferreolus, qui post Bercangum regimen Monasterii suscepit. Sed & Syrannus vir religiosus pastoralem curam nobiliter tenuit. Talibus itaque fundatoribus, plantatoribus, rigatoribus, Deo incrementum præbente, in prædicto Cœnobio monastica Institutio soleter viguit, permansitque usque ad tempora Pipini, Magni Caroli genitoris. In illo tempore, deficientibus jam à pristino vigore Regibus, cura totius Regni administrabatur per Duces & Principes domûs, inter quos omnes præeminebat Pipinus, quem suprà retulimus, vir omni sapientiâ adornatus, ejusdemque regni maxima pars erat in manu ejus. Hic devictâ Frisiâ, atque ipsius regni fugato Rege, nomine Ratbodo, misit illuc ad prædicandum servos Dei venientes ex Britanniâ, Willebrordum & socios ejus; qui non parvam populi multitudinem ad Christum converterunt. Theoderico Rege defuncto Childebertus filius ejus successit in regnum.

Anno ab Incarnatione Domini DCC. IX. Pipinus perrexit in Suvanos, &c. *ut in Chronico S. Benigni.*

751. Anno DCC. LII. Domnus Pipinus Rex sacratus est per Manus Stephani Papæ; & duo filii ejus Carlomannus & Carolus, qui Magnus dictus est.

Res Ecclesiæ Lingon. Laico, & monasterium Besuense mulieri à Rege tradita. Pipinus igitur Rex habuit quemdam fratrem, nomine Remigium, cui in Burgundiâ plurima loca concessit. Inter quæ etiam res ad Episcopatum Ecclesiæ Lingonensis pertinentes quas sicut sibi visum est, suis asseclis dimisit. Sed, ô nefas! Monasterium hoc Anglæ uxori cujusdam Theodardi, quia ejus stupro potitus fuerat, non custodiendum, sed diripiendum dedit. Quam præsumptionem, ut dignum erat, indignè ferentes Monachi, Monasterium reliquerunt, præter paucos ætate & debilitate confectos. Reliqui verò Luxovium Cœnobium expetiverunt, aliaque Monasteria, in quibus noverant ordinem monasticum permanere.

Nota Authoris ævum. Prædicta autem Angla res monasterii, ut talem decebat, disponebat. Ab ingressu autem sacro-sanctæ Basilicæ Apostolorum senibus illis qui remanserant prohibentibus, aliquamdiù temperavit: sed postquàm cætera sacra loca impunè temeravit, etiam ipsum Oratorium audacter ingredi præsumsit, statimque quia contrà Deum vesaniret, experta est. Nam ut à viris fide dignis, qui ab eis qui præsentes fuerunt, & viderunt, & audierunt, comperimus; statim ut ingressa est prædictum Oratorium, invisibili igne ardere cœpit, magnisque clamoribus se exuri vociferans, ut in fluvium Besuæ, qui juxtà decurrit, deportaretur, postulabat. Quod illicò factum est, sed non valuit talis aqua talem exstinguere ignem. Tunc ad fontem misericordiæ cucurrit, prædictis senibus monentibus, & docentibus, sicque salvari meruit; priùs tamen temeritate confessâ emendationem in reliquo talis præsumptionis promisit. Honoravit etiam prædictum locum donariis quibus potuit, quorum quædam, ob testimonium tanti ausûs, apud nos servantur.

Eliminatis Monachis Canonici substituuntur. Postquàm autem remoto Remigio Episcopatus Lingonensis Episcopis legitimis cessit, hoc monasterium ab Episcopo receptum est. Sed non fuit illi cura digna Pastore, ut oves dispersas ad proprium ovile revocaret; magis gaudens quòd res Monachis delegatæ in suos suorumque usus cederent: sicque Monasticus ordo ex hoc loco penitùs est deletus; nullique succedentium Episcoporum curæ fuit, ut pristinam religionem in hoc loco repararet. Sed alii Abbates Canonici ordinis constituerunt; alii sibi serviendum decreverunt; donec ad piissimi augustæ recordationis Ludovici Imperium ventum est.

Anno IV. Pipinus Rex intravit Longobardiam, &c. *ut in Chronico S. Benigni.*

In diebus Ludovici Imperatoris Episcopus Lingonensis, Betto nomine, fecit quasdam divisiones de terrâ sancti Petri, sicut hîc demonstrabimus.

Res Ablatæ Monachis Besuensibus restituuntur. NOTUM fiat posteris, & memoriæ commendetur, quòd ante illustrem virum, Hildegarnum Comitem, seu Judices, quos Scabineos vocant, & quàm plures personas, qui cum eo aderant, in Montaniaco villâ, in mallo publico, ad multorum causas audiendas, & rectasjustitias terminandas, ibi veniens Betto Episcopus, & Advocatus suus Burgoardus, novem legitimos testes ibi præsentavit, quorum nomina hæc sunt; Simeon, Agano, Bertramus, Gono, Marchirius, Adalardus, Gervio, Gerento, Sirannus. Isti testificaverunt & juraverunt de finibus Besuensis monasterii, quòd à fine Pontense, & à fine Vendobrinse seu Vilense, & Vetus-vendobrinse, & Vaurinse, & Tillense, & vetus Viniense & Bustellense, & Bustense, & Lucense, Burbureninse, & Berechelpo-villare, per istas marcatas, inter ipsos fines immunitas sancti Petri est ad integrum, & in loco qui dicitur Boscus Monachorum similiter; & in alio loco qui dicitur Longo Bosco immunitas sancti Petri ad integrum. Et in alio Longo Bosco communitas. Et in ipso fine Bustellense immunitas ad integrum, & ab ipso fine Bustellense usque ad viam Petrosam. Et deinde usque ad stratam tractam: & deinde usque ad finem Burburenensem, atque Villarum, immunitas sancti Petri est ad integrum. Per istas marcatas euntes ipsi novem testes, quos suprà nominavimus, misso secum Balacterio illustri viro ab Hildegarno Comite, & à suis scabineis, dixerunt & per judicium testificaverunt, quòd à tempore Pipini Regis & deinceps per tempus Domini Caroli Magni Imperatoris vidissent inde legitimas vestituras ad partem sancti Petri haberi, ita ut nec Aldo, nec heredes, ullam legitimam vestituram exinde unquam habuissent, sed per legem & per justitiam vestitura S. Petri Fontis-Besuensis erat. Tunc ipsi scabinei unanimiter judicaverunt, quòd omni tempore ipsæ res per illas marcatas ad partem sancti Petri essent vendicatæ, atque legibus conquisitæ. His præsentibus testibus: Balacterio, Madalberto, Beato, Eppleno, Baldrico, Aisono, Vormerio, Milone, Albrico Notario, Ferlagio, Leuduino, Arberto, Servio. Walterius præsens fuit & subscripsit. Data notitia die Mercurii proximâ in mense Maio, anno II. regnante Domno nostro Hluedovico Rege atque Imperatore. 815.

Notitia, qualiter ante Bettonem Episcopum & Balactarium Vicecomitem, ad vicem Hildegarni Comitis, seu scabineorum qui ibidem aderant, veniens Bernardus Advocatus monasterii sancti Petri Fontis-Besuæ, & Betto Episcopus, in fines Bodingis villæ, & Alteriaci-villæ, ibi dedit tredecim testes appellatos his nominibus; Ursinaldum, Aglardum, Guirindum, Marcherium, Aggonem, Symeonem, Garinum, Adalardum, Syrannum, Winierium, Ulgerium, Amalerium, Flauminum, isti testificaverunt quòd inter illas veteres villas, quarum una pergit de Alteriaco-villâ ad Colonias villam, & altera pergit de Furto-villâ ad Villarum, inter istas duas vias usque ad locum qui dicitur Vaccaria, & illum fontem, qui dicitur Springus, terra sancti Petri est, tam in campis, quàm in sylvis, & semper exinde vestita fuerit ipsa casa Dei, monasterium scilicet sancti Petri Besuensis, per legem & per rectum. Actum his præsentibus, Madalber-

to, Adalelmo, Balatterio Vicecomite, Ursnado, Gunduino, Flaumiro, Syranno, Aglardo, Marcherio, Aggone, Girvio, Adalardo, Winerio, Ulgerio, Bettone Vicario & misso ab Hildegarno Comite, Zizone, Unibaldo, Hugberto, Aribasto, Vebaldo, Laipno. Ego Aldoerius Lector hanc Notitiam scripsi, anno quarto Imperii Domni nostri Hlucdovici Regis atque Imperatoris.

817. Quandiu Monachi à Besuensi cœnobio exulavere.

Cum verò inimicus totius boni diabolus compe-risset hoc Besuense monasterium religione florere, indoluit terrigenas illuc humilitate & obedientiâ conscendere, unde ipse superbiâ & inobedientiâ corruerat. Egit itaque ut monasticus ordo ex hoc loco penitùs deletus esset. Nec hoc parvi temporis intervallo, sed à tempore Pipini Regis, & tempore Caroli usque ad tempus Domni Hlucdovici Imperatoris duravit. Hic enim Bettone Episcopo defuncto, Albericum virum dignum Episcopatu, Ecclesiæ Lingonensi constituit. Qui hunc locum tali ex causâ noscitur restaurasse. Erat prædictus Episcopus in Besuâ sanus & hilaris, cum subitò gravissimo dolore intestinorum corripitur, nullumque remedium tanti cruciatûs consequi poterat. Medicis autem multum laborantibus, & nihil proficientibus, desperare cœpit, & de solâ morte cogitare. Omnibus autem suis gementibus & flentibus, & mortem ejus exspectantibus, ipse in somnum deductus est, viditque in somnis venire ad se venerandâ canicie reverendum virum, à quo cum interrogaretur quomodo se haberet, respondit, ut erat, nimiis doloribus urgeri ad mortem. Tum ille requisivit quam mercedem retribueret illi, qui ei à Dominô, non solùm vitam impetraret, sed & salutem, & diuturnitatem. Respondit: Quamvis nulla recompensatio digna esset talibus promissis, tamen quantum posset & ab illo imperaretur, rependeret. Tum ille senex: Monasterium hoc, inquit, sub meo & fratris mei Pauli nomine, Domino consecratum fuit, & bonis fratribus ac Deum timentibus Monachis habitatum, nunc verò, ut ipse cernis, desolatum est: promitte ergo mihi ut hunc locum restaures, & monasticum ordinem in eo repares, & tibi à Dominô salutem impetrabo. Promisit sub jurejurando, & à somno excitatus est, statimque eum omnis dolor deseruit, ac si illis diebus nullum esset expertus cruciatum, surrexit sanus, luctusque omnium in gaudium conversus est. Retulit quid viderat, quid etiam ipse promiserat, & sub quâ conditione salutem meruerit. Precatur omnes ut adjutores existerent ad implendam promissionem. Quanto autem studio, quantâque curâ memor juramenti & promissionis hoc monasterium reparaverit, meliùs ipsa opera quàm verba testantur. Monachos ex monasteriis sumptos adunavit, Abbatem præfecit, & non solùm res ad ipsum monasterium pertinentes restituit, sed & alias res de Episcopatu Ecclesiæ suæ, cum consilio synodi provincialis, & consensu Ecclesiæ suæ subjecit. Hic itaque Albericus Episcopus timens quod experimento didicerat de eodem Besuensi monasterio, ne de rebus quas ei donaverat per successorum pravam pervasionem iterùm spoliaretur, studuit non tantùm suâ, sed etiam regali authoritate confirmare quæcumque ad præsens suâ vel in posterum aliorum fidelium munificentiâ possideret. Adiit itaque Ludovicum Imperatorem, & super hac re Regale Præceptum quæsivit. Annuit Imperator, & sicut scriptum est infrà, suâ authoritate confirmavit.

Quâ de causa revocantur Monachi.

Albericus Episc. Lingo. Besuense monast. instaurat.

Præceptum Hlucdowici *Imperatoris.*

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludowicus & Hlotarius divinâ ordinante providentiâ Imperatores Augusti. Si petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultûs amore favemus, supernâ nos gratiâ muniri non diffidimus. Proinde comperiat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum solertia, quia suggessit mansuetudini nostræ vir venerabilis Albericus Lingonensis Ecclesiæ Præsul, qualiter quamdam Abbatiam, cujus vocabulum est Fons-Besuus, ex rebus videlicet Episcopatûs sui, ubi quondam Monachi regulariter viventes fuerant, sed moderno tempore penitùs erat destructa, à fundamentis reædificavit, ædificia congrua construxit, Monachos adunavit, Abbatem etiam nomine Seraphim præfecit. Et ut Monachi in eodem loco Domino adjuvante congregati meliùs & liberiùs sub normâ sanctæ Regulæ Deo militarent, non solùm res quæ ad prædictam Abbatiam legaliter pertinebant, ibi reddidit, sed etiam alias res de præfato Episcopatu ibidem subjecit; sed & constitutionis Cartulam, quam ipse unà per consensum Metropolitani sui Agobardi Archiepiscopi, & suffraganeorum suorum, necnon & cleri sibi subjecti, & quorumdam laicorum nobilium confirmaverat, nobis ostendit, in quâ pleniùs conscriptum erat, non solùm res ad jam dictam Abbatiam legaliter pertinentes ibi reddidisse, verùm etiam ei quasdam res de memorato Episcopatu suo ibidem subjecisse. Quarum hæc sunt nomina. Pauliacum cum appenditiis suis, Bellenavum vicum cum suis appenditiis, Arconem cum appenditiis suis. Istas villas cum omnibus adjacentiis, seu & omni re superpositâ, campis, pratis, sylvis, pomiferis, pascuis, accessibus, aquis, aquarumque decursibus, & omnes redditus, totum ad integrum, unà cum mancipiis, libertis, cum omni peculio ipsorum, unà cum accolabus dedit ad servitium Monachorum jure perpetuo ad possidendum. Ecclesiam etiam, quæ est in ipsâ Belenavo villâ, in honore sancti Stephani prorsùs ab omni consuetudinali exactione liberrimam. Ecclesiam quoque de villâ quæ dicitur Danbrum cum appenditiis suis, & villam Danblim cum Ecclesiâ & omnibus appenditiis suis. Et villam Trescasas cum Ecclesiâ, & omnibus appenditiis suis. Item Ecclesiam de villâ quæ dicitur S. Sequani cum appenditiis suis: & Ecclesiam de villâ Morniaco cum omnibus ad eam pertinentibus. Necnon Ecclesiam, quæ est in valle Verona in honore sancti Mauricii. Ecclesiam de villâ Beriâ in honore sancti Laurentii cum omnibus appenditiis suis. Præterea in territorio Divionensi decimas illarum vinearum, quas donaverat huic Ecclesiæ Domnus Amalgarius Dux & fundator hujus sacri cœnobii. Apud villam quæ dicitur Fisciniis vinearum non modicam quantitatem, cum pratis, & campis, & servis & ancillis ad ea excolenda. Et in villa Fisciaco vineas similiter: & in Marcennaco similiter. Horum omnium factâ donatione, precibus quibus valuit exorans nostram Clementiam, ut super eamdem constitutionem nostram authoritatem firmitatis gratiâ mererentur habere, qualiter prædictus locus, quem pro divino amore, & nostrâ eleemosynâ restauravit, & Monachos ibi congregavit, qui pro nobis & cuncto populo nobis subjecto perpetim Domini misericordiam exorent, nostrâ authoritate confirmatus esset. Videlicet ut si cuilibet successorum ejus animo sederit, ut alias res ibi superaddere velit, in suo jure & potestate, salvâ discretionis ratione, id faciendi permaneret. Sin autem sua devotio quæ per consilium tantorum bonorum virorum facta & confirmata est, nostro liberalitatis præcepto firma & stabilis permaneret. Cujus petitionem dignam ac rationabilem judicantes, hos nostros Imperiales apices fieri jussimus: per quos decernimus atque jubemus, ut memoratus ordinationis modus,

quem prædictus venerabilis Albericus Episcopus in præfato loco constituit, inviolabilis permaneat, & nullus Rector qui in eodem loco successerit, licentiam habeat præscriptum ordinem permutare, aut res quas ibi reddidit, sive subjecit, ullo modo auferre; sed ejus constitutio per hanc nostram Confirmationem firma & stabilis permaneat. Et ut hæc authoritas confirmationis nostræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, de annulo nostro subter illam jussimus assignari.

Signum HLUCDOVICI *Imperatoris.*
Signum HLOTHARII *filii ejus.*

830. Actum anno ab Incarnatione Domini octingentesimo xxx. Indictione VIII. Epactâ xv.

Susceptâ deinde regali authoritate Albericus Episcopus, confirmatisque, ut prædiximus rebus, rediens domum, ut præsentibus notum atque futuris fieret, propriam inde conscriptionem fecit, in quâ omnia quæ huic cœnobio donaverat, quæque in posterum futurorum fidelium largitate donanda sperabat, inserens, sic ait.

Carta Domni ALBERICI *Episcopi.*

IN nomine Domini JESU CHRISTI, notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, quòd ego Albericus dono Dei Episcopus Lingonensium reperi locum jam dirutum, quod dicitur Fons-Besuus, in honore constructum sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, necnon & aliorum, ubi jam olim Monachi regulariter Deo famulati fuerant, sub Amalgario Duce, permittente Clotario Rege. Ideoque ob amorem Dei & veniam delictorum meorum, Deo inspirante, cogitavi reædificare supradictum locum, permittente gloriosissimo Augusto Lucdovico, & consentiente piissimo filio ejus Lothario Imperatore, congregavi ibi Monachos sub Abbate nomine Seraphim, qui regulariter degerent, & Deo in perpetuum fideliter deservirent. Concessi enim eis quidquid supradictus locus per cartarum donationem assequutus est; & quidquid nostri prædecessores de hoc loco abstraxerant, propter eleemosynam supradicti Principis, ejusque filiorum libenter restauravi. Ideoque per consilium Archiepiscopi nostri Agobardi & consentientibus Coëpiscopis nostris necnon & piissimis nostris Principibus, seu omni Clero, necnon & omnibus fidelibus Ecclesiæ nostræ, addidimus de Episcopatu nostro villas his nominibus: Pauliacum cum appenditiis suis, Bellenavum vicum cum suis appenditiis; Arcionem cum appenditiis suis. Istas villas cum omnibus adjacentiis, seu & omni re superpositâ, campis, pratis, sylvis, pomiferis, pascuis, accessibus, aquis, aquarumque decursibus, & omnes redditus, totum ad integrum, unà cum mancipiis, libertis, cum omni peculio ipsorum, unà cum acolabus, dedi ad servitium Monachorum jure perpetuo ad possidendum. Ecclesiam etiam quæ est in ipsâ Bellenavo villâ in honore sancti Stephani, prorsùs ab omni consuetudinali exactione liberrimam. Ecclesiam quoque de villâ quæ dicitur Dambrun, cum appenditiis suis, & villam Trescasas cum Ecclesiâ & omnibus appenditiis suis. Item Ecclesiam de villâ quæ dicitur sancti Sequani cum appenditiis suis; & Ecclesiam de villâ Morniaco cum omnibus ad eam pertinentibus: necnon etiam Ecclesiam quæ est in valle Veronâ in honore S. Mauricii, & Ecclesiam de villâ Beriâ in honore S. Laurentii, cum omnibus appenditiis suis. Præterea in territorio Divionensi decimas illarum vinearum, quas donaverat huic Ecclesiæ Domnus Amalgarius Dux & fundator hujus sacri cœnobii. Apud villam quæ dicitur Fiscinis vinearum non modicam quantitatem, cum pratis & campis, & servis, & ancillis, ad ea excolenda. Et in villa Fisciaco vineas similiter. Et in Marcennaco similiter in substantiam Monachorum, & alimoniam pauperum, & ut ibidem delectetur servis Dei Domino servire, & pro Rege ejusque conjuge, & liberis ipsius, & totius Imperii ejus stabilitate, jugiter Domini misericordiam implorare. Eâ videlicet ratione hoc constituimus, ut semper subjectus sit jam dictus locus Ecclesiæ sancti Mammetis, & ut nec ego ipse, nec ullus de successoribus meis hanc conscriptionem violare præsumat, Domni Imperatoris confirmationem in eâ fieri postulavi. Actum Lingonis civitate publicâ. In Christi nomine Agobardus Lugdunensis Ecclesiæ Archiepiscopus subscripsi. Angericus Episcopus subscripsi. Albericus Episcopus à me facta subscripsi. In Christi nomine Faova Cabilonensis subscripsi. Modoinus Augustudunensis subscripsi. Winitarius indignus Abbas Calticensis subscripsi. Audinus indignus Corepiscopus subscripsi. Motuinus indignus Presbyter subscripsi. Hiltibaldus Matiscensis Episcopus subscripsi. Ragenardus Presbyter subscripsi. Ego in Dei nomine Jacob licet indignus Corepiscopus subscripsi. Sigoaldus Presbyter subscripsi. Woanilo Presbyter subscripsi. Adalbertus Presbyter subscripsi. Simeon Presbyter subscripsi. Unricus Diaconus subscripsi. Bajus Diaconus subscripsi. Beatus Diaconus subscripsi. Fridericus subscripsi. Teuthmarus subscripsi. Rogenaldus subscripsi. Signum Humberti. Signum Hiltanni. Signum Bertardi. Signum Fulcrini. Signum Eruic. Signum Radaldi. Betto subscripsi. Bernorogitus subscripsi. Ragnoardus subscripsi. Bavo subscripsi. Ragenardus subscripsi. Hilpericus subscripsi. Hildigisus Presbyter subscripsi. In Christi nomine Bernardus Archiepiscopus subscripsi. Godelsadus Abbas subscripsi. Birico ac si indignus Levita subscripsi. Actum anno ab Incarnatione Domini octingentesimo xxx. Indictione VIII. Epactâ xv. XII. Calend. Decemb. Anno Christo propitio XIV. Imperii Domni Lucdovici Imperatoris, & Lotharii Augusti filii ejus VI.

Tempore verò Domini Alberici Episcopi, factæ sunt plurimæ commutationes, vel coemptiones terrarum, tam ab ipso Pontifice, quàm à rectoribus loci istius. Inter quas facta est commutatio à Seraphim Abbate nostro, & Herleberto Abbate Divionensi. Dedit Herlebertus in villis Luco, & Veronâ, quidquid erat juris S. Benigni: & Seraphim è contra tradidit terras S. Petri, quæ erant in Divione, & in fine Domni-Petri & Longo vico, & in Canavis, & in Arzilerias, & Tremoldo, & Fontanis, & Provisio, & Disto. Nec suffecit huic loci istius amatori Alberico Episcopo, suo tempore munificentissimè locum istum ampliare, sed audiens qualiter Betto Episcopus, prædecessor suus fines Besuensis territorii legaliter novem legalibus testibus terminaverat, suâ authoritate idipsum confirmavit. Ipso tempore quidam Hligarius nomine dedit ad hunc locum in Aquatovillâ terram hereditatis suæ, pro peccatis suis minuendis. Hoc est mansum indominicatum, unà cum domo, & horreo. Habet verò ipsa terra perticas arpennales in longo quadraginta tres, & pedales 10. & in lato de uno capite superiore perticas novem, & pedes 4. Totum ad integrum, tam terris, curtiferis, quàm ædificiis desuper positis, campis, pratis, sylvis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, totum ad integrum dedit.

Similiter quidam Widaldus nomine, vendidit Domno Alberico Episcopo terram in villâ Casoto, mansum unum, & de terrâ jornales septem. Domnus verò Albericus dedit eam sancto Petro. Item alius quidam Aylardus nomine, res juris sui sitas in

pago Atoariense, in loco, qui dicitur Bustellus, & in ipsâ fine Bustellense seu & ibidem aspiciente, quidquid ibidem genitrix sua visa fuit habere, tam in mansis, quàm campis, pratis, sylvis, pomiferis, pascuis, accessibusque omnibus vendidit Domno Alberico Episcopo, per manus Abbatis Seraphim, Radulpho, & Amalarico testibus XII. in Cal. Feb. anno XVI. imperii Lucdovici.

Carta Teutonis Abbatis.

SImiliter etiam facta est commutatio inter Abbatem Besuensem nomine Seraphim, & Abbatem Theutonem Monasterii sancti Leodegarii, quod Capellense nominatur, cujus series ita se habet.

Auxiliante Domino nostro JESU-CHRISTO placuit, atque convenit coram Domno Alberico Lingonensi Episcopo, inter Abbatem Seraphim, & Theutonem Abbatem de Monasterio sancti Leodegarii, ut aliquid de terris sancti Petri Besuensis, & sancti Leodegarii, pro communi oportunitate mutare deberent, quod ita fecerunt. Dedit Theuto Abbas de parte suâ ad partem Seraphim, coram Alberico Episcopo in cœnobio S. Petri Besuensis, curtile unum situm in villâ Besuâ. Habet idem curtile in longo perticas arpennales 48. & in transverso perticas arpennales 3. & pedales 7. De utroque latere terra sancti Petri est. Dedit autem Albericus Episcopus, & Seraphim Abbas de terrâ sancti Petri Besuensis, ad partem Theutonis Abbatis sancti Leodegarii, curtile unum situm in villâ Baciaco. Terminatur autem ab uno latere terrâ Flaviniacensis Monasterii, & habet perticas arpennales 16. in transverso perticas arpennales quinque. Similiter in alio loco in ipsâ fine Basciacense peciolam unam de terrâ, quæ habet in longum perticas arpennales 8. & in transverso perticas arpennales 4. Si quis verò, quod nec fieri credimus, de heredibus nostris, aut qualibet persona contrà hanc commutationem venire conatus fuerit, inferat ei, cui litem intulerit, duas uncias de auro. Actum Fonte-Besuâ Monasterio publico 3. Calend. April. anno 13. Imperii Domni Hlucdovici Imperatoris.

Carta de Bustello.

ANno quintodecimo Imperii Hlucdovici, Domnus Albericus Lingonensis Episcopus emit terram de quâdam fœminâ, nomine Adda, & Laburdo, & Albuino, & Laibulfo, quæ sita est in loco, qui dicitur Bustellus, qui est in fine Vetus vineis, omnia quæ habere videbantur in ipso Bustello, & in Blaniaco, tam terris, curtiferis, quàm ædificiis desuper positis, campisque, pratis, sylvis, exaratis, pomiferis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, accessibusque omnibus. Omnia ex integro vendiderunt, & acceperunt pretium solidos quinquaginta.

Item Alia.

ANno 18. Imperii Hlucdovici iterum emit Domnus Albericus Lingonensis Episcopus servos, Arlebardum, atque Hayconem, cum ancillâ, nomine Humeldi, & filiabus suis, Adalberga, & Eldeardi, de quodam Nerduino nomine, qui accepit in pretium solidos 15.

Ludovico Pio terreni insignia regni anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo perpetuâ felicitate commutanti, &c. *ut in Chronico S. Benigni.*

De obitu Alberici Episcopi.

NOn est nostræ possibilitatis verbis ostendere, quantæ devotionis erga hunc locum Domnus Albericus Episcopus exstiterit, quantumque eum dilexerit. Verumtamen si verba nostra ad hoc non sufficiunt, opera ipsius & beneficia clamant & ostendunt. In hoc enim apparet illum Monasterium istud super omnia dilexisse, quòd quæcumque potuit, & undecumque huic loco attrahere, non omisit. Annotavimus quædam de donariis ipsius, prout tenuitas memoriæ nostræ recordari potuit. Quorum quædam adhuc retinemus, & possidemus, quædam partim debilitate nostrâ, partim infidelitate pervasorum perdidimus. Est apud nos pallium satis pulchrum visu, columbis in eo seriatim & pulcherrimè contextis, unde ipse multis diebus infulam habuit. Sunt apud nos de libris, quos ipse sanctis Apostolis Petro & Paulo obtulit. Textus Evangeliorum unus. Augustinus ad litteram. Liber Regum cum Actibus Apostolorum in eodem volumine. Beda super Lucam. Quippe non immeritò sperabat salutem, & vitam animæ pro eos Domino JESU-CHRISTO consequi, per quos sanitatem corporis & valetudinem receperat. Hujus itaque spei atque fidei constantiâ fisus, postquàm plurima huic loco ante se præmisit, ad extrema vitæ propinquans, in hoc Monasterio se sepeliri voluit: quod & factum est. Jacet namque benedictum corpus ipsius ad dexteram partem Altaris sanctæ MARIÆ: anima verò ipsius cum electis & sanctis requiescat in pace, Amen.

Carta de Auxiliaco.

PEr idem tempus defuncto Seraphim Abbate qui vices Pastoris in hoco tenuerat, successit ad regimen animarum Walcaudus Abbas, eumdem in Ecclesiasticis gerens officium. Obeunte itidem Alberico Episcopo Lingonum, Teutbaldus Episcopus adeptus est cathedram. Hic sicut prædecessor suus, studiosus hujus loci cultor, fecit commutationes terrarum in aliquibus locis cum quibusdam hominibus. Quidam namque, Eurulfus nomine, pro remedio animæ suæ per consilium Teutbaldi Episcopi, dedit sancto Petro Besuensis cœnobii unum campum, situm in villâ quæ dicitur Auxiliacus, cui terminatur de uno latere terra sancti Leodegarii, de alio verò ipsi heredes tenent, de unâ fronte fluvio percurrente, de aliâ verò fronte, stratâ publicâ. Infrà verò istas terminationes totum contulit ad integrum sancto Petro. In alio etiam loco campum unum, in eâdem villâ, quæ habet terminationes, ex uno latere sylvam communem, de altero verò latere viam publicam. Ex unâ fronte terram Godefredi, de aliâ itidem fronte ipsi heredes tenent. Similiter in alio loco pratum unum, qui habet terminationes, ex unâ fronte, fluvium procurrentem, ex aliâ verò fronte, & ex uno latere ipsi heredes tenent. Signum Adalmari. Signum Odolgarii.

Valcaudus Abbas Besuensis.

Carta de Maiasco.

DOmnus itaque Teutbaldus Episcopus, & Walcaudus Abbas fecerunt commutationem cum quodam Wlfrico nomine, de terris eorum. Dedit ergo Wlfricus de parte suâ ad partem sancti Petri, campum unum situm in pago Atoariense, in villâ quæ dicitur Maiascus, seu in ipsâ fine; qui habet terminationes, ex uno latere terram sancti Petri, ex alio verò terram ipsius donatoris, & ex unâ fronte terram sancti Mammetis, ex aliâ verò fronte stratam publicam, & habet perticationes in longo, perticas 25. pedum 10. & in lato perticas 11. & ex ambabus frontibus perticas 11. pedum 4. E contra dedit Valcaudus Abbas de parte sancti Petri ad partem Wlfrici, campum unum situm in pago Atoariense, in villâ quæ dicitur Maiascus.

Ubicumque ergo potuit, Teutbaldus Episcopus

hunc locum nostrum immeliorari curavit. Post cujus obitum Domnus Isaac suscepit præsulatum. Hic prædecessorum bonum sequens exemplum, multa bona huic Monasterio contulit.

CAROLUS igitur, qui cognominatus est *Calvus*, Imperium adeptus, Ecclesiarum Dei cultor devotus, omni nisu, quo potuit, studebat in cultu Religionis depravata corrigere, destructa reædificare, collapsa erigere. Anno Dominicæ Incarnationis DCCC. LXXI. regens Francorum regnum, erga cultum Ecclesiæ fuit studiosissimus; quapropter multa evicit pericula, & regni ejus semper augmentabatur gloria. Defuncto siquidem Pipino fratre suo Rege Aquitaniæ, filioque ejus in regno subrogato, moderationem regni non strenuè agens, à suis derelictus, ac dejectus est, & Monachus in Monasterio sancti Medardi factus: Carolus verò à cunctis Principibus expetitus, Aquitaniæ Regnum est adeptus. Post non multos etiam annos mortuo Lothario Imperatore fratre ejus, Carolus suscepit Imperium. Sed Lucdovicus alter frater cupiens invadere Monarchiam Regni, iterùm contrà Carolum bellum concitat, Nortmannos, cæterasque gentes in regnum Caroli evocat: auxiliante autem Domino Carolus fratrem de finibus suis expulit, & Nortmannos intrà Neustriam compressit. Hæc fuit secunda eruptio Nortmannorum in Franciâ. Aliquantis transactis annis Lucdovicus defunctus est, reliquens tres filios, Lucdovicum scilicet, Carlomannum, & Carolum.

871.

Carta de Luco.

Warinus Abbas.

DEfuncto igitur Walcaudo Abbate, Warinus successit. Hujus itaque diebus, quidam homo, Baldricus nomine pro remedio animæ suæ, & genitoris sui, nomine Romani, reliquorumque antecessorum suorum dedit sancto Petro unum mansum, qui est in Luco superiori, vel in ipsâ villâ Lucensi, cum omnibus appenditiis suis, & habet terminationes ex uno latere, & de unâ fronte terram sancti Marcellini, & ex alio latere, & de unâ fronte, fiscum similiter. De rebus autem suis, quæ sunt sitæ in ipso pago, & in fine Lucensi, seu in ipsâ villâ Luco, mansum cum suprà positis, campis, pratis, curtiferis, sylvis, pascuis, pomiferis, & uno molendino in Busceriâ, aquis, aquarumque decursibus, exitibus & regressibus, accessibusque omnibus, quidquid de parte genitorum suorum, vel quidquid per instrumenta cartarum conquisivit, totum jure perpetuo, eidem cœnobio tradidit. Post aliquantos autem annos veniens quidam Utlaius nomine, ante Evam dominam suam in campo limito proclamabat, quòd partem habere deberet in molendino, quem Josmundus Clericus, & frater suus Baldricus dederunt sancto Petro in Luco, absque ullius contradicto. Jussit itaque Eva fidelibus suis, ut irent cum prædicto Utlaio, ad Monasterium Besuæ pro tali causâ inquirendâ. Venit ergo Aldricus à partibus Utlaii cum cæteris quàm plurimis, movens rationem de prædicto molendino contrà Abbatem, vel Monachos. Itaque Monachi testes habuerunt quàm plurimos, è contrà Utlaius nullum inde habuit testem, quia omnes sciebant eum esse mendacem. Sicque ipse suâ fraudatus, quidquid calumniabatur, totum Monachis dimisit, ac wirpivit. Posteà verò Teutbertus Abbas qui suprà memorato Warino successerat, ipsum molendinum Utlaio eâ ratione recondonavit, ut si in deterius devenisset, 30. solidos persolveret. Habet autem idem molendinum terminationes de ambabus partibus silam, & ex unâ fronte Isaccus & uxor ejus tenent, & de aliâ fronte est exitus, & regressus, & semita, quæ ad ipsum farinarium pergit.

Teutbertus Abbas.

Carta de Vetus-vineis.

QUidam etiam Miles Divionis castri, Epplenus nomine, pro remedio sui, atque parentum suorum, dedit huic Besuensi Ecclesiæ, in villâ, quam Veteres-vineas vocant, vel in finibus ejusdem villæ tantum spatium de terrâ arabili, ubi possunt seminari annonæ modii centum.

Carta de Auxiliaco.

ALius quidam homo, nomine Rogerius, donavit eidem Ecclesiæ campum unum, qui est situs in pago Atoariorum, in villâ Auxiliaco; & habet terminationes de uno latere, terram sancti Petri, de alio terram fiscalem, de unâ fronte stratam publicam, de aliâ Vincennam fluvium percurrentem.

Carta de Luco.

CUm resideret venerabilis Episcopus Isaac in Cathedrâ Episcopali, in villâ Basiaco, omnisque clerus ipsius promptus undique ad eum congregaretur: caterva quoque admodum nobilium Abbatum cum Archidiaconibus, & Presbyteris, cœtuque universo in Synodo generali, quiddam de causis Ecclesiasticis ordinatura: inter cætera sancta colloquia, quæ pariter habuerunt, altercatio quædam exorta est inter Ansuinum sancti Martini Lucensis Presbyterum, & Adalardum ejusdem villulæ sancti Marcellini Presbyterum, de decimis ipsarum Ecclesiarum, loquente Ansuino, quòd omnis decima cum integritate ab antiquo suæ foret Ecclesiæ; qua è contrario profitente, & toto annisu Adalardo reluctante, suæ Ecclesiæ prorsus magis esse debere; continuò itaque in ipsâ synodo exurgentes testes valde præclari & idonei, superiùs memorati Ansuini Presbyteri, qui veris indiciis Adelardum refutantes, approbaverunt & definierunt, secundùm quod antiquitùs fuit, stare debere, scilicet Magenardus Abbas & Archidiaconus, Otbertus, qui eodem Archidiaconatûs fungebatur officio, Arnoldus eodem florens honore, Isaac, Fredradus, Adalmannus, Evorinus, & omnis ferè synodus, horum veridicorum testium testimoniis satis confirmatus, & roboratus est Presbyter Ansuinus: & taliter uterque eorum querelæ hujus finem accepit. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis DCCC. LXX. indictione III. Regnante Carolo Rege, Ecclesiam autem Lingonensem regente venerabili Isaac Pontifice.

Obitus Domni Isaac Episcopi.

ISAAC deinde hujus vitæ diem obeunte, ejus loco Geilo substituitur Episcopus, huic Besuensi Monasterio amicissimus, & nobis ferè omnibus melioribus optimus. Cum enim alii nobis providerint terrena subsidia, iste apud Deum procuravit animarum patrocinia. Rediens enim ex Aquitaniâ, beatissimi Prudentii Martyris corpus huic loco intulit, & cum aliis multis sanctorum pignoribus ad exorandum Deum pro se, & pro nobis, ut decuit, collocavit. Ad quorum honorem, & reverentiam quædam de Episcopio suo ad luminaria obtulit exhibenda, & eorum quæ obtulit factâ legaliter & publicè donatione, scriptum edidit hoc modo.

Mortuo Isaac Episc. subrogatur Geilo.

Corpus S. Prudentii Besuæ donatum.

De Collatis huic loco à Geilone Episcopo.

OMnibus dignitatibus, sublimibus, ac mediocribus utriusque sexûs, & ordinis notum esse volumus, qualiter ego Geilo Lingonensis Ecclesiæ

humilis

humilis Episcopus, Dei Omnipotentis inspiratione commotus, beatissimum Prudentium Martyrem Christi, Besuensi Monasterio in honore sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli constructo, digno honore collocaverim. Qui beatus Martyr ante introitum atrii, & in ingressu templi, ac deinceps miraculis, ut omnibus Christi circumquaque fidelibus patefactum est, claruit. Nutu ergo divinæ Majestatis pulsatus, contuli illi aliquid ad luminaria præbenda ex redditibus sancti Mammetis in Luco superiori, capellam videlicet sancti Marcellini, cum appenditiis suis & mancipiis utriusque sexus, quæ ab Episcopo Virdunensi ante paucos dies digna commutatione evindicavi. Pontiliacum etiam cum adjacentiis suis, & Ecclesiam in honore sancti Hippolyti in eodem loco consecratam, eidem sanctissimo Martyri Prudentio contuli. Ecclesiam quoque de Chasuit ad integrum cum omnibus appenditiis suis, eidem sancto delegavi; ita ut ab hac die has donationes habeat, teneat, atque possideat in perpetuum, nullo contradicente. Hoc solùm à successoribus meis in Deum, & propter Deum obnixis precibus exorando deposco, ut si adjicere aliquid placuerit, faciant; & si non, hæc parva à nobis tradita non demant, nec subtrahant. Quod & si qui tentati à diabolo invadere hæc dona conati fuerint, nec permittatur eis locus in Ecclesiâ cum cæteris Christianis, & nisi citò resipiscant, maledictionibus cum Dathan, & Abiron, & cum Juda traditore Domini, pœnis gehennalibus subjiciantur: insuper & auri libras quinque in ultione Refectoribus Ecclesiæ Besuensis persolvant. Ego Geylo humilis Episcopus hanc traditionem in Synodali Conventu peregi, & confirmari rogavi. Anno ab Incarnatione Domini DCCC. LXXXIII. Indictione I. Epactâ IX. Regnante Carolo Magno [b]. Signum Domni Geilonis Episcopi, harum rerum donatoris. S. Heliæ. S. Oberti. S. Galcaudi. S. Helgaudi. S. Arnaldi. S. Guntardi. S. Odonis, & reliquorum omnium, qui illi synodo affuerunt; die Dominico mensis Octob. VIII. Idus ejusdem mensis.

883. b

Carta de Ecclesiâ S. Martini de Luco.

886. Synod. Cabilonensis.

ANno Incarnationis Dom. DCCC. LXXXVI. anno quoque Domni & Serenissimi Caroli Imperatoris Augusti in Galliâ imperantis II. indictione V. XV. Kal. Junii, sacer Episcoporum Conventus ob pacem & tranquillitatem sanctæ Dei Ecclesiæ statuendam, & Ecclesiastica negotia decernenda, apud Ecclesiam sancti Marcelli Martyris, in suburbio Cabilonensi, in Christi nomine coadunatus est; ubi fuerunt Domni & sanctissimi Archiepiscopi, Aurelianus, Bernuinus, necnon & Reverendissimi Episcopi, Adalgarius, Geylo, Stephanus, Gyraldus, Adalbaldus, Isaac, & Leboinus. Geylo denique suprà memoratus Lingonensis Ecclesiæ Reverendissimus Antistes, unà cum suprà scriptis Patribus in hoc sacro-sancto residens Conventu, eorum auribus intimavit de suprà scriptâ notitiâ; qualiter Domnus Isaac antecessor suus, res Ecclesiæ in Luco, in honore S. Martini, in suâ S. Synodo à partibus S. Martini de Luco superiori, capellæ videlicet sancti Marcellini, contrà Adalardum ejusdem Capellæ Presbyterum, justè & legaliter evindicavit de rebus & decimis. Tunc omnes Episcopi præfati hæc audientes, in communem relationem Geylonis, venerabilis Episcopi, & notitiam evendicationis Domni Isaac; simul consenserunt, & consentiendo roboraverunt; ut si quis temerariâ, sacrilegâque præsumptione convictus, atque cœcâ cupiditate cœcatus, hoc quod Dei, & Domni Isaac, & nostrâ confirmamus authoritate, in aliquo infringere præsumserit, æternâ se sciens damnatione mulctandum, & cum diabolo, & Angelis ejus, sempiterno incendio concremandum, atque cum Judâ traditore Domini, & cum Dathan, & Abiron perpetuali pœnâ cruciandum, & insuper à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & cœtu omnium fidelium Christianorum tamdiu habeatur extorris, donec de illicitâ præsumtione resipiscens, condignâ pœnitentiâ sublevetur.

Carta de Luco Mediano.

HIs diebus, homo quidam cujus nomen erat Isaac, dedit Monasterio Besuensi mansum unum, qui est in pago Atoariensi, in villâ quæ dicitur Lucus Medianus, & habet terminationes de unâ fronte Thilam fluvium procurrentem, de aliâ fronte stratam publicam. Donavit quoque supradictus Isaac eidem loco in fine, quæ dicitur mons Mainberti, in loco, qui dicitur Spinido, terræ jornales duos: in alio verò loco qui dicitur Cabrario, jornales duos, & in alio, qui dicitur Fontinella, jornales tres. Ipsamque donationem Walcaudo, tunc temporis ipsius loci Abbati, & successoribus ejus perpetuò contradidit.

Carta de Vetus-vineis.

ALius quidam homo nomine Ingelgerius, & uxor ejus Amalildis, vendiderunt fratribus Besuensis Cœnobii in villâ, quam Veteres-vineas appellant, unum hortum, qui terminatur de uno latere, terrâ ipsius hereditatis, de alio latere, terrâ sancti Leodegarii, de una fronte, terrâ sancti Petri, de aliâ verò, stratâ publicâ. Habet etiam idem hortus perticationes agripennales de unâ fronte à parte vineæ sancti Petri perticas duas, pedum sex, de aliâ fronte perticam unam. Habet & in longo perticas undecim pedum novem. Infrà istas perticationes, seu terminationes, totum ad integrum vendidit prædictus Ingelgerius Monachis Besuensibus, acceptoque ab eis pretio solidis duobus, & denariis octo, concessit perpetualiter possidendum.

Item Alia.

VIr quidam Otgerius nomine, pro remedio animæ patris sui Isaac, & fratris sui Waldrici, dedit sancto Petro Besuensis cœnobii, servum quemdam Amalerium nomine, eo quod ipse Waldricus frater datoris, cuidam servo sancti Petri, qui Lanfredus dicebatur, oculos eruisset.

Carta de Novo Vico.

ITem alius quidam Bernardus, & uxor ejus Ermiltrudis dederunt Teutberto Besuensi Abbati, & Monachis sub eo viventibus, partem de vineâ quâdam sitâ in pago Atoariorum, in villâ Novo-vico, ut haberent potestatem faciendi de eâ, quidquid potiùs elegissent.

Carta de Villare.

MIles quidam Portuensis pagi, Aigardus nomine, & conjux ejus Rotlindis vocata, concesserunt beatissimo Petro in Besuensi cœnobio famulantibus, cunctas res juris sui sitas in pago Portuensi in villâ nuncupatâ Villare, & totum quidquid in ipsâ villâ, vel in finibus ejus possederant: campos scilicet, prata, pascua, decimas, rivos, fontes, aquas, aquarumque decursus cum adjacentiis suis, & quodcumque dici, aut nominari potest, & quod per eorum nomen ibidem evendicare Monachi pos-

b *Carolo Magno*] aut *Carlomanno.*

sent: acceptoque ob hoc ab ipsis Monachis pretio, quod convaluit ad iv. libras argenti, hanc tantam donationem testamento confirmaverunt ,] & possidendam eidem cœnobio perenniter decreverunt.

Item alia Carta.

QUidam Guttinus nomine, dedit eidem Besuensi cœnobio mansum unum in pago Atoariensi, & quidquid ad ipsum mansum pertinebat, in campis, pratis, sylvis, aquis, & mancipiis utriusque sexûs in eodem manentibus.

Carta de Ponto.

AUrailus quidam & uxor ejus Ermengardis, vendiderunt Monachis Besuensibus mansum unũ cum appenditiis suis, campis scilicet, pratis, sylvis, pascuis, arboribus pomiferis, aquis, aquarumque decursibus, quod situm est in pago Atoariorum, in villâ quæ dicitur Pontus, & habet terminationes, de uno latere terram sancti Leodegarii, de alio terram fiscalem, de unâ fronte stratam publicam, de aliâ verò, prata. Vendiderunt etiam & alias suas res sitas in fine Vendourensi, & in fine Pontensi, & in fine Lulensi; acceptisque à Monachis pro hac largitione 60. solidis, potestati eorum eam perenniter possidendam tradiderunt.

Item alia.

QUidam miles nomine Waldrannus pro requie animæ suæ, & parentum suorum, dedit præfato cœnobio ancillam unam nomine Lampacem, ut ibidem deserviret, cum omni semine suo ex eâ progenito: & annis singulis in festivitate sanctorum Petri & Pauli, denarios duos persolveret, & ut cæteræ colonæ servitium omne facerent.

Carta de Lujat.

LAndrada quoque quædam fœmina mansum juris sui, in villâ, quæ dicitur Lujat, situm, dedit eidem cœnobio Besuensi: quod mansum terminatur de uno latere terrâ Flammeriâ; de alio terrâ sancti Leodegarii; de unâ fronte stratâ publicâ; de alia verò Thilâ fluvio percurrente.

Item alia Carta.

QUidam etiam colonus sancti Petri, qui Vautsonius vocabatur, & uxor ejus Manuheldis, servum juris sui, nomine Gunduinum, dederunt eidem sæpe nominato loco; eâ tamen ratione, ut colonus permaneret, sicut & ipse Gautsomus.

Item alia.

MIles quidam Hugo nomine, pro requie animæ suæ & antecessorum suorum, dedit ad ipsum locum Besuensem, servum quemdam nomine Wlfingum, necnon uxorem illius, nomine Aymam, & infantes illorum, Ermenasiam, Suffuciam, Susannam, Adalsinam, Suppliciam, & Godolbergam.

Carta de Picangiis, & Mercennaco.

MUlier quædam nobilis, nomine Wandalmodis, pro requie animæ mariti sui Humberti, & reliquorum antecessorum suorum donavit ad locum SS. Apostolorum Petri & Pauli, necnon & sancti Prudentii Martyris, in villâ Fractomonte, servum nomine Gundulfum, cum filiis suis Wlferio, Waringaudo, Rambaldo, & dimidium mansum, quem ipsi tenebant; tali servitio, ut omnibus annis in corvatâ Monachorum jornalem unum de tritico, & alium de avenâ persolverent, & eulogias, & in cerâ duos denarios. Dedit etiam eadem Wandalmodis supradicto loco in Villâ Pichanias, servum nomine Humbertum cum matre Plectrude, & mansum unum ibidem, & quidquid ad ipsum mansum pertinebat. Similiter etiam dedit eidem loco in pago Divionensi, in villâ Mercennaco, jornalem unum de vineâ.

Carta de Vivers.

NObilis quædam fœmina, nomine Eva, dedit eidem Ecclesiæ Besuensi res proprii juris sitas in pago Atoariorum, in loco qui dicitur Vivarius, ipsam videlicet villam Vivers appellatam, & quidquid ibi adjacet, totum ex integro prædicto loco concessit, mansa, servos, ancillas, curtiferas terras, sylvas, aquas, aquarumque decursus, cum mancipiis utriusque sexus; & per servum, nomine Ajembaldum, vestivit ex his rebus prædictam Ecclesiam Besuensem.

Carta de Brescono.

LEvita quidam nomine Helias, dedit in pago Divionensi, in villâ Bresceno, ad luminaria ejusdem Besuensis Ecclesiæ, vineam unam benè cultam, ut in perpetuum eam possideret sine aliquâ contradictione.

Carta de Fissiaco.

ADoerius quidam in eodem cœnobio ex laïco conversus, in villâ Divionensis pagi, quæ Fissiacus appellatur, dedit vineam unam, quæ terminatur de uno latere terrâ sancti Benigni de Longovico, de alio viâ publicâ de unâ fronte vineâ sanctæ MARIÆ de Balma, de aliâ terrâ, sancti Eusebii de Escubilibus.

Habet ipsa vinea ex uno latere in longum perticas agripennales 24. de alio perticas 20. pedum 2. de unâ fronte perticas 20. de aliâ verò perticas 15. pedum 7.

KAROLUS autem Imperator secundo Romam ire disponens, Italiam ingreditur: è contra Karlomannus Lucdovici Regis fratris ejus filius, per aliam viam, eamdem terram ingressus, cum immenso exercitu fit ei obvius. Karolus verò Galliam regressus, atque fines Lugdunensium pertingens, ibidem vitâ functus est, atque in Monasterio Apostolorum Petri & Pauli conditus, loco, qui dicitur Nantoade à multitudine aquarum inibi confluentium. Postmodum per admonitionem Angelicam inde translatus, Parisius in Ecclesiâ S. Dionysii regali sepulturâ est tumulatus. Successit Patris in solio Lucdovicus, biennio vix regio nomine functus. Hujus in diebus Joannes Papa Romanus Franciam venit, & apud Trecas civitatem cum eodem Rege colloquutus, parvo tempore ibidem moratus, sicque Romam est reversus.

His diebus effera Danorum natio tertiam Neustriasis inflictura cladem advenit, intulissetque majorem superioribus, ni Hugo per Gallias Abbatis honore præditus, eorum temerarios compescuisset ausus. Auxiliante namque Deo parvâ manu tantas hostium phalanges fudit, ut vix superesset, qui nuntiare potuisset. Quâ plagâ humiliati Dani, Gallias per aliquod spatium temporis quietas reliquerunt. Huic bello præfuit Lucdovicus Rex. At Hugone ultimos vitæ suæ claudente soles, Lucdovicoque principe post administratum, ut diximus, biennio regnum, diem obeunte, Carolus, qui Simplex postea est dictus, in cunis ævum agens patre orbatus remansit. Supererant duo filii Roberti Andegavorum Comitis, fratres Hugonis Abbatis. Senior Oddo dicebatur, Rotbertus alter, patrem nomine referens. Ex his majorem natu Oddonem Franci tutorem pueri, regnique elegêre gubernatorem, quia recidivi Nortmannorum incursus imminebant. In partibus verò Re-

gni, quas Lotharius & Lucdowicus tenuerant, filii ejusdem Lucdowici regnabant: nam Lotharius sine filiis obierat. Ex his tribus fratribus unus patris nomine vocatus, alter Carlomanus, tertius Carolus est dictus. Sed duobus intrà quinquennium defunctis, ad juniorem Carolum rerum summa pervenit, postque Imperii Monarchiam est adeptus.

Refert quidam scriptor, &c. *ut in Chronico S. Benigni.*

891. His temporibus Incarnationis Christi DCCC. XCI. volvebatur annus.

De destructione hujus loci.

VEniens ad obitum præfatus, ac venerabilis Geylo Episcopus, cognoscens & ipse multa ad dimittendum seu purgandum in seipso, antequàm occurreret cum omnibus nobis in resurrectione generali, ei in cujus conspectu non sunt mundi etiam ipsi cœli, quibus in vitâ deservierat, in morte non solùm animam, sed etiam corpus commendavit. Præcepit itaque corpus suum ad hoc Besuense Monasterium deferri, & se totum Deo, & SS. ejus Apostolis, quibus datum est claudere cœlum, vel aperire quibus voluerint, committens, necnon & gloriosissimo aliorum Sanctorum quorum hîc reliquiæ habentur, patrocinio, cum prædecessore suo Alberico Lingonensi itidem Episcopo sepultus est.

Prov. 14. 13. Circà idem fere tempus, secundum quod scriptum est, risui nostro dolor admixtus est, & extrema gaudii nostri luctus occupavit. Nam venientibus per Franciam in Burgundiâ Nortmannis, Monasterium istud Besuense penitùs contigit desolatum iri. Et cum septies inveniamus locum istum à perfidis Christianis, seu à paganis violatum, atque destructum, hæc ultima destructio non immeritò à nobis emphaticè dicitur, *Desolatio desolationum.* Dicamus igitur, sicut in antiquis membranulis nostris vix recolligere potuimus, quomodo, & à quibus sexies devastatum sit, ut tandem ad hanc ultimam, & atrocissimam desolationem paulo latius differendam accedamus. Primâ vice à Christianis per intestina bella qui hunc locum invadentes, abstulerunt inde cum aliis rebus, etiam omnes Cartarum authoritates: unde jàm in præcedentibus aliquantulum mentionem fecimus. Aliâ vice à Wandalis, perfidis paganis. Tertiâ vice à Sarracenis, quando Augustidunum civitatem destruxerunt anno ab Incarnatione Domini DCCC. XXXI. Fertur etiam unâ vice à Monachis hunc relictum fuisse locum, ob metum cujusdam morbi, qui hanc vastabat regionem. Quartâ vice tempore Remigii, fratris Pipini Regis, Magni Caroli patris, per quamdam fœminam, nomine Angla, cui prædictus Remigius hunc locum donaverat: unde & nos in superioribus mentionem fecimus. Cujus rei ordinem qui pleniùs nosse desiderat, ad eam descriptionis narratiunculam recurrat. Sed & hoc sciendum, quòd ex hoc tempore usque ad Domnum Albericum, qui hunc locum reparavit, ab ordine Monastico penitùs cessavit.

Jam verò dicendum est de illâ ultimâ desolatione, quæ non solùm huic loco obfuit, verum etiam totam Franciam ipsis Nortmannis vastantibus; neque uspiam Francis tutam resistendi firmitatem reperientibus, multa Sanctorum corpora Divioni castro invecta sunt, eo quod firmissimum, & inexpugnabile videretur, quorum quædam postea sunt relata, quibusdam ibi remanentibus, alia sunt ad alia loca translata.

Delatum est à Suessionicis corpus beati Medardi Episcopi. Delatum est à Tarwanensibus corpus beatissimi Silvini eorum Episcopi. Nostri quoque patroni, beatissimi Prudentii corpus eodem delatum, & in basilicâ beati Stephani collocatum, multis annis permansit. Tandem Deo nobis propitio, pacéque reddità beatissimi Prudentii corpus inde delatum, & beati Silvini corpus cum beatâ Angliâ, ejus familiarissimâ, nobis à Deo donatum. Sicque factum est, ut cum hujus loci protectionem principaliter habeat cum Paulo princeps Apostolorum Petrus, unum ipsius exornet latus beatissimus Martyr Prudentius, alterum cum venerabili Angliâ, beatus Silvinus Episcopus.

Aliquantisper protelavimus desolationis nostræ narrationem, nolentes silentio contegi, qualiter nobis, qui putabamur nostro patrono desolati, postmodum à Deo sint pro uno duo procurati. Nunc ad ea quæ omisimus redeamus.

Audientes hi qui hîc erant Monachi Nortmannorum adventum, quidam timore pœnæ, ac mortis se occultaverunt, quidam ad alia Monasteria demigraverunt. Nec mirum quoniam qui hic remanserunt, gladio interfecti sunt, quorum nomina hæc sunt. Ayrmannus Monachus, Genesus Monachus Beraldus Monachus, Sifardus Monachus, Rodeo Monachus, Ausumus Presbyter, Adalricus puerulus. Hi omnes pro Christo pie jugulati talionem Deo reddentes, sacrificium Deo effecti sunt, anno ab Incarnat. Dom. DCCC. LXXX. VIII.

Verumtamen cum nemo repertus sit, qui eis posset vel auderet resistere, fuit iisdem temporibus quidam Dux nostrarum partium, Richardus nomine qui à justitiæ studio dictus est, & ipse *justificator.* Hic pro libertate patriæ partim zelo succensus, plurimum verò pro Ecclesiis Dei defendendis, Deum habens adjutorem, expugnare illos aggressus est. Et licet usque ad hanc Besuam hostilis impetus procurrerit, & hîc rabies insaniæ eorum adeo efferbuerit, ut & Monachos nostros, ut prædiximus, gladiis interemerit, & omnia vastaverit, in tantum ut & fontem ipsum de se gurgitem magni fluvii evomentem, potatione quadrupedum innumerabilium per totum quatriduum exsiccaverit, ad Divionem tamen eos aspirare, nec loci firmitas, nec Ducis nominatissimi permisit metuenda bellicositas. Quin imò occurrens eis præfatus Dux Richardus, in loco vocato Argentoilo, commisso cum eis prælio cæsa est eorum quamplurima multitudo. Sicque Dani cum Nortmannis retrò redire sunt coacti. Normannos vincit Richardus Dux.

Anno Incarnat. Verbi DCCC. XCIII. Odone regnante, &c. *ut in Chronico S. Benigni.* 893.

Anno DCCCCXI. Incarnat. Verbi, XII. Kalend. Aug. in Sabbato, cum obsiderent Nortmanni Carnotinam urbem, & jam esset penitùs capienda, supervenientes Richardus, & Robertus cum suis Dei auxilio, & Beatæ MARIÆ patrocinio roborati, fecerunt stragem maximam paganorum, à paucis qui remanserunt obsides capientes. Habuit idem Richardus filium nomine Rodulphum, qui fuit Rex Francorum. Alter filius vocatus est Boso, qui Burgundiæ superioris, quæ Gallia Comata dicitur, accepit regnum. Tertius filius dictus est Hugo, cognomento Capito, qui fuit Dux interioris Burgundiæ. Exorta discordia inter Karolum & Regni Principes, lites ac bella, rapinæ & incendia, innumera undique sæviunt mala; tandem Rex facti pœnitens Principes ad concordiam commovet, pacemque exoptatam cum eis firmat.

De commutatione facta inter Walcaudum Abbatem, & Teuthardum.

EO tempore facta est commutatio inter quemdam Teuthardum, & Walcaudum Abbatem, de terris quæ sub jure eorum videbantur esse. Dedit itaque Teuthardus de parte suâ ad partem Wal-

caudi Abbatis campum unum, situm in pago Atoariense, in fine Pauliacense: & contrà Walcaudus Abbas de parte suâ dedit Teuthardo campum unum situm in ipso fine Pauliacense.

Obitus Geylonis.

Geiloni Episc. Lingon. successêre Teutbaudus, & Agrinus sive Algrinus.

DEfuncto verò Geylone Episcopo Teutbaudus successit. Sed & isto defuncto, Agrinus Episcopus successit, in curâ pastorali valde sollicitus. Hic Pontiliacum, & Ecclesiam S. Hippolyti à quodam Waltario nobis injustè ablatam restituit, sicut hîc demonstrabimus.

Carta & confirmatio Agrini Episcopi de collatis à Geylone Episcopo huic loco.

AGrinus divinâ dispensante clementiâ humilis Episcopus, omnibus Ecclesiæ Dei fidelibus utriusque sexûs & ordinis, usquam locorum degentibus. Ad multorum constat pervenisse notitiam, qualiter Geylo piæ recordationis Episcopus, prædecessor meus, sanctum Prudentium de Aquitaniâ transferens, in nostrum Episcopium Lingonense detulit, & in Besuâ Monasterio ad laudem, & gloriam nominis Dei solemniter collocavit. Ubi ob amorem Dei, & reverentiam ejusdem S. Prudentii, quasdam res Ecclesiæ suæ, videlicet Pontiliacum cum adjacentiis suis, & Ecclesiam in honore sancti Hippolyti consecratam, eidem Monasterio contulit, quatinùs Monachis & Dei servis ibidem Domino famulantibus, futuris temporibus proficiant in augmentum. Quo quidem de hac vitâ sublato, sicut reliquæ res Ecclesiæ nostræ irrationabiliter ad votum diripientium distractæ sunt, ita quoque & Pontiliacus à loco ubi fuerat à præfato Præsule collatus, est à Waltario, sicut certissimum est, sacrilegè invasus & indebitè alienatus. Unde Gaulcaudus Abbas præfati Monasterii Besuæ, cum confratribus suis Monachis, nostram humilitatem adiens, præjudicium injustè loco illatum lacrymosis questibus innotuit, & ut nostrâ munificentia sublata indebitè redderentur, pro amore Dei, & reverentiâ Petri & Pauli Apostolorum Principum, sanctique Prudentii humiliter deprecatus est. Nos igitur deprecationem illius paternè suscipientes, eamque cum fidelibus Ecclesiæ nostræ Clericis, ac Laicis pertractantes, & justam rationabilemque, & rectam prospicientes, consilio, & consensu totius Ecclesiæ nostræ, sicut præfatæ res ab antecessore nostro sæpe dicto loco concessæ sunt, & nos quoque præsentialiter concedimus, & hac nostrâ authoritate regnante Domino nostro, in perpetuum consecramus.

Ut autem præsens nostra restitutio futuris temporibus vigorem inviolabilem obtineat, & de cætero indebitam, injustamque nesciat pati jacturam, manu propriâ roboravimus, fideliumque nostrorum subscriptionibus confirmare jussimus: successoribus nostris per sanctam & inextricabilem Trinitatem humiliter, obnixeque suggerentes, ut quæ à nobis piè statuta sunt, ab illis inviolabiliter conserventur. Agrinus sanctæ Lingonensis Ecclesiæ humilis Episcopus in Christi nomine roboravi, & signavi. Otbertus Præpositus, & Archidiaconus signavi. Bernardus Archidiac. sign. Madalgaudus Diacon. sign. Isaac Archidiac. sign. Emmarricus Archidiac. sign. Ewardus Diaconus signavi. Helgaudus Presbyter signavi. Arnaldus Archidiac. sign. Fulculfus Diacon. sign. Albericus Diacon. sign. Aclevertus Subdiac. sign. Wlleus Subdiac. sign. Siquinus Subdiac. sign. Josselmus Acolythus signavi. Gislerius Acolythus signavi. Ego Brantio indignus Presbyter hanc restitutionem scripsi, & dictavi, II. Id. Aprilis, Indict. VIII. anno II. Regnante Odone Rege.
889.

Carta de Taxnatello.

QUidam homo, nomine Alardus dedit res suas proprias, in villâ quæ dicitur Taxnatello, velut in ipsâ fine, id est, curtile unum, quod terminatur de uno latere terrâ sancti Leodegarii, de alio latere terrâ Willeri; de unâ fronte, stratâ publicâ, de alia fronte Fisco. Infrà ipsas terminationes, & quidquid ad ipsum mansum aspicit, tam terris, quàm etiam pratis, sylvis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, exitibus, & regressibus, omnia ad integrum dedit Deo, & Ecclesiæ Besuensi.

Carta de Luco.

EOdem tempore quidam homo, nomine Karlus, & uxor sua Retrudis, dederunt Ecclesiæ Besuensi, & Abbati Walcaudo res proprias, sitas in villâ, quæ dicitur Lucus, habentes terminationes de uno latere terram sancti Vincentii, de alio stratam publicam; de unâ fronte fiscum, de aliâ fronte coturnum vicinorum. Similiter dedit in ipsâ fine jornalem unum, & peciolam de terrâ: & in aliâ fine, quæ dicitur Campania, dedit jornales duos. In aliâ autem fine, quæ dicitur mons-Mainberti, jornalem unum, & peciolam de terrâ. In alio verò loco dedit ubi possunt seminari de tritico modii octo, & ancillam nomine Mainbergam, tempore Regis Odonis.

Defuncto igitur Agrino Episcopo, successit Warnerius Episcopus. Hic petentibus Monachis hujus cœnobii beatum Prudentium Martyrem retulit de Divione, cum innumerabilibus Clericis diversi ordinis, à plebe innumerabili utriusque sexûs cum honoris tripudio susceptus est. Denique monachis prædicti cœnobii cum infinito populo eminùs à Monasterio ei obviam occurrentibus, cum immensis laudibus receptus est, anno verbi Incarnationis divini DCCCC. XXI. IX. Kal. Octobris die.

Defuncto autem Walcaudo Abbate, Walcadus successit, sed & isto obeunte Galcaudus successor efficitur; sed & isto defuncto successit Abbas, nomine Milo, postmodum Matisconensis Episcopus qui nihil boni in hac domo gessit. Obeunte autem Warnerio Lingonensi Episcopo, successit Gotselmus in Episcopatûs honore, anno I. Regni Roberti. De quo quia mentio facta est, oportet dicere quomodo Regnum acceperit.

Abbates Besuensis Cœnob.

Warnerius & Gotselmus Episc. Ling. Robertus Rex.

Odone Rege defuncto, Rotbertus frater ipsius sperans, &c. *ut in Chronico sancti Benigni.* 997.

Defuncto autem Gotselmo Episcopo, successit ei in Episcopatûs honore Letericus Episcopus, post hunc Ericus. Deinde Achardus. Atque post Widricus. Transierunt sub his Pontificibus anni fermè XL. & ampliùs, in quibus semper in deterius processit loci hujus status, Episcopis, & Abbatibus alia magis, quàm id curantibus.

Episc. Ling.

Rodulpho Rege defuncto absque liberis, &c. *ut in Chronico sancti Benigni.*

De Brunone Episcopo.

ANno ab Incarnatione Dom. DCCCC. LXXX. Indictione VIII. Regni Lotharii Regis XXV. anno, dedit idem Rex Brunoni Remensis Ecclesia Clerico, suo verò parenti propinquitate consanguinitatis existenti, Episcopatum Lingonicæ civitatis. Ordinatus est autem idem Bruno Episcopus per manus Burchardi Lugdunensis Archiepiscopi, in Ecclesiâ sancti Stephani viginti quatuor gerens annos ætatis: & eodem anno susceptus est à Clero Lingonicæ urbis, ab Incarnatione videlicet Christi DCCCC. LXXXI. Is assequutus Episcopatum, 980. 981.

omni, quo potuit, nisu, sequi studuit exemplum boni Pastoris.

Monasteria igitur ipsius ad Diœcesim pertinentiâ, in spiritalibus religione, in temporalibus necessariâ penè annullatâ gubernatione considerans, cœpit quærere quatenùs Dei dispensante nutu, suum in statum ea quivisset reparare.

Cum verò de hujus Besuensis Monasterii multimodis desolationibus dissereremus, diximus prout memoriæ occurrere potuit, secundùm quod in scedulis veteribus invenimus, sexies desertum; & ferè annullatum fuisse. Verumtamen postea diligentius cætera perscrutantes, invenimus hunc eumdem locum ab Hungris combustum quinquies; quippe cui nullum erat à terreno principe defensaculum, nec loci ad resistendum inimicis munimentum. Harum combustionum duæ quo tempore evenerint, notum nobis est. Anno namque DCCCC. XXXVI. Incarnationis Verbi venerunt Hungri in Burgundiam mense Julio. Iterum anno DCCCC. XXXVII. Incarnationis Verbi Ludowico filio Karoli uncto in Regem, & nondum eo anno evoluto, Hungri venientes per Franciam & per Burgundiam atque Aquitaniam, devastaverunt omnia: quæ vastatio in tantum huic loco obfuit, ut per LI. annos, usque ad annum scilicet Incarnat. Verbi DCCCC. LXXXI. quo Domnus Bruno Lingonensi Ecclesiæ præficitur Episcopus, respirare ad priorem statum nequiverit.

Videns igitur Domnus Bruno Episcopus statum hujus loci, & Abbatiæ sancti Benigni Divionensis, in ambiguo positum, supplex adiit Domnum Majolum Cluniacensis Monasterii Abbatem, multâque prece poposcit, quatenùs ejus auxilio quivisset eas reparare in melius, & interiùs Religionem, & exteriùs possessiones. Cujus precibus flexus, &c. *ut in Chronico S. Benigni.*

Tempore, quo hæc gerebantur, Hugo Rex, Hugonis magni filius, cum Rotberto filio, Francorum potiebatur regno, &c. *ut in Chronico sancti Benigni.*

Domnus autem Episcopus Bruno considerans patrem Willelmum ita ferventem in Religione, ac Monasticâ institutione, & loca ei commissa de die in diem in melius proficere omnia in suo Episcopio Monasteria ipsius delegavit prudentiæ. Videns verò Abbatiam istam Besuensem in honore, & nomine beatorum Petri & Pauli Apostolorum dicatam; penè ad nihilum redactam, monuit instanti prece, ut eam secundùm regularem emendare curaret institutionem. Cujus annuens precibus istud cœnobium in paucis annis ad regularem commutavit statum; &c. *ut in Chronico sancti Benigni.*

Cœperunt denique ex patria suâ, hoc est, Italiâ multi ad eum convenire, aliqui litteris benè eruditi, alii diversorum operum magisterio docti, alii agriculturæ scientiâ periti; quorum ars, & ingenium huic loco profuit plurimum. Cum verò Willelmus Abbas Augustorum seu Regum palatia adiit, in eis, non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quæsivit, ut ex eorum scilicet familiari colloquutione subveniret oppressis suâ interventione, aut certè ex sæculari, vel Clericali habitu Deo lucrifaceret; ut juxtà Domini præceptum propria relinquerent, & sæcularibus curis semotis, Deo in tranquillitate servire deberent, &c. *ut in Chronico S. Benigni.*

De Rodulpho vices abbatis agente sub S. Guillel.

Cum primum Abbatis suscepit officium venerabilis Willelmus, quidam castri Divionensis civis, nobili genere ortus, Rodulphus Albus vocatus nomine, venit ad conversionem inter ipsa primordia ejus novæ ordinationis; cujus pecuniis relevata est paupertas prædicti patris, & consilio, atque adjutorio sublevata sollicitudo regiminis hujus loci Besuensis Monasterii; adhuc quippe erat ei paucitas Monachorum; quem prædictus frater ita juvabat in exterioribus curis, ut solus supplere videretur solamen plurium. Sed præter ejus votum, hoc solatium tulit illi paucitas dierum.

Si hujus viri mentionem facientes, paululum excesserimus ordinem rationis, ne cuiquam veniat in fastidium; curæ enim nobis fuit, eos præcipuè annotare, qui erga hunc locum devotiores, seu munificentiores extitêre. Hic verò Rodulphus, quoniam hæc Ecclesia secundùm quantitatem quia parva erat, tantis Patronis, Petro, dico, & Paulo, non videbatur condigna, à fundamentis incipiens, & ad perfectum usque perducens, in eo statu, quo modo est, consummavit. Rexit autem hunc locum sub Abbate Willelmo Prior Magnus, tam in exterioribus, quàm in interioribus providendis, & administrandis strenuissimus: quippe qui hoc ipsum jugi curâ & exercitio didicerat. Fuerat namque antequàm veniret ad conversionem Vice-Comes Divionensis. Convertens itaque studium sæculare in Ecclesiasticum, ex bonis initiis meliores fines obtinuit. Obiit verò hujus vitæ diem Idibus Novembris, cujus anima requiescat in pace, Amen.

Alter quidam Monachus, vocatus Hunaldus; &c. *ut in Chronico S. Benigni.*

Longum est enumerare singula, quæ Domnus Bruno Episcopus in hoc loco egit bona, sed tamen, quæ in cartis nostris reperire potuimus, demonstrabimus.

In nomine Domini Dei, & Salvatoris Jesu Christi, Bruno divinâ dispensante clementiâ, sanctæ Lingonensis Ecclesiæ humilis Episcopus. Si locis omnibus, & præcipuè sacris, eorumque Rectoribus nostræ indignitati divinitùs commissis, in sibi necessariis prout valemus piè & oportunè consulimus, eorumque anxietatibus sollicitâ curâ subvenimus, non solùm in hoc venerabilium & Deo devotorum Pontificum, piorumque Pastorum usum & consuetudinem exequimur, sed etiam saluti animæ nostræ providemus. Idcircò noverit omnium nostrum, & nostri solertia, quod veniens Domnus Abbas Willelmus (quem ob sanctitatem, & venerabilem religionem locis in nostrâ Diœcesi manentibus, Divionensi, atque Besuensi, amanter præfecimus) insinuaverit nobis quasdam res de ipsis Abbatiis inter se necesse esse, reddendi censûs gratia transferri, nosque id laudare, & omnimodo consentire debere. Cujus providentiam & laudabilem discretionem non solùm laudavimus, sed etiam, ut secundùm suum velle locorumque necessitatem id accelerare deberet, attentè monuimus. Sumptum est itaque de Abbatiâ sancti Petri Besuensis, & conjunctum Abbatiæ sancti Benigni Divionensis, quidquid habere dignoscitur in Bruciaco villa; eo tenore, ut omni anno octo modios vini ante festivitatem sancti Prudentii in censum reddant; & quidquid suprà diximus, perpetualiter Monachi sancti Benigni possideant. Quòd si negligentiâ, vel oblivione hoc termino redditum non fuerit, censum duplo restituant, & conventum inconvulsum permaneat. Quòd si quisque post decessum nostrum, hoc decretum multorum nobilium ore laudatum, infringere tentaverit, nisi citò resipuerit, & pœnitentiam condignam habuerit, anathematis jugulum caveat, quo ferire decrevimus quoscumque, qui nostrorum decretorum cupiant statuta evellere. Et ut hoc per sæcula inconvulsum permaneat, manu nostrâ subterfirmavimus, & ut à pluribus firmaretur rogavimus. Signum Brunonis Episcopi. Signum Lamberti

Præpositi. Sig. Teudrici Archidiaconi. Sig. Beraldi Archidiaconi. Sig. Widonis Presbyteri. Sig. Teudonis Archiclavi. Sig. Widonis Archidiaconi. Sig. Beraldi Hypodiaconi. Sig. Oddonis. Sig. Amelii. Sig. Brunonis pueri. Sig. Humberti pueri. Sig. Nivardi. Sig. Gozelmi.

De collatis huic loco à Brunone Episcopo.

CRescente autem in hoc Religionis studio, Domnus Bruno Episcopus nimium exhilaratus de bonâ eorum conversatione, de suo jure quodcumque necessarium & utile eis foret, libenti animo tribuebat. Inter cætera igitur quæ huic loco contulit, statuit, ut de Ecclesiis à sex leugis vel infrà à Besuâ, tempore Rogationum omnes tam viri, quàm mulieres cum oblationibus ad sanctorum Apostolorum Petri & Pauli limina convenirent.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

COnsiderans ego Lingonensium Bruno Episcopus officii mei negligentiam in damnationem animæ meæ cedere, juxtà sensûs mei modum elaboravi Ecclesiis Dei provisores efficere, qui in eis talentum verbi Dei disseminantes, mecum pariter de eo, ipsi Domino JESU CHRISTO lucrum reportantes, æternæ vitæ remuneratione ditarentur.

Volui igitur Ecclesiæ Besuensi Domnum Willelmum virum Religiosissimum Abbatem præesse, qui dum in eâ cuncta regulariter, ac religiosè disponeret, intelligens propriâ in quibusdam non satis sufficere, quæsivit ab Ecclesiâ Lingonensi, Ecclesiæ Besuensi aliquid ad luminarii opus conferri. Cognoscens itaque petitioni viri Dei non esse contradicendum, cum consilio totius Capituli Lingonensis statui, ut de Ecclesiis à sex leugis vel intrà à Besuâ, tempore Rogationum, tam viri, quàm mulieres cum oblationibus ad Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli limina conveniant. Illud quoque non otiosè mecum reputans, quia cum tempore eodem Lingonas venire deberent, alii longitudine viæ, alii imbecillitate corporis, seu aliquibus aliis occasionibus retardati, pabulo divini verbi, & peccatorum remissione, quam ibi deberent accipere, frustrabantur. Veniant igitur illo tempore statuto, & de peccatis suis veniam postulantes ab eis, quorum linguæ claves cœli factæ sunt, à Monachis illic Deo servientibus de salute animarum suarum admoniti, factâ absolutione, & data benedictione, læti revertantur in pace. Quicumque verò huic nostræ institutioni contraire præsumserit, Dei Omnipotentis authoritate, & eorum qui quæ ligaverint in terrâ, erunt ligata & in cœlo, atque omnium sanctorum anathematizentur, & excommunicentur, Amen.

Oblationes Besuensi Ecclesiæ faciendæ.

Monachis facultas audiendarum confessionum.

Et ut hoc per sæcula inconvulsum permaneat, manu nostrâ subter firmavimus, & ut à pluribus firmaretur, rogavimus. Signum Brunonis Episcopi. Sig. Willelmi Abbatis. Sig. Lamberti Præpositi. Sig. Beraldi Archid. Sig. Teudrici. Archid. Sig. Brunonis Archid. Sign. Teudonis Archiclavi. Sig. Widonis Archid. Sig. Amelii. Sig. Widonis Presb. Sign. Beraldi Hypodiaco. Sig. Nivardi. Sig. Gocelmi, & aliorum multorum. Ego Airardus Cancellarius scripsi, & cum cæteris laudator, & roborator exstiti. Acta sunt hæc anno ab Incar. Dom. MVIII. Indict. VI. Epactâ XI. concurrente IV. Regnante Roberto Rege, & D. Brunone sedem Lingonicam tenente.

Benivolentiam Dom. Brunonis Episcopi atque devotionem erga hunc locum, notitiæ futurorum commendare volumus, nobis, hodieque, & posteris nostris, quamdiù sæculum durabit, profuturam.

Est Ecclesia non multum distans ab hoc Besuensi loco in honore sancti Leodegarii dedicata, largissimis prædiis & latifundiis à Regibus, & Ducibus, & Comitibus dotata. Cujus loci Monachi non minimas injurias, & importunitates huic loco inferebant, terras nostras occupantes, injustas consuetudines in ipsis terris imponentes. Et quoniam possessiones nostræ intra possessiones eorum contiguæ erant, justo latiùs manus extendentes, ut pote terrenorum principum quamvis injusto auxilio confisi, quacumque poterant de nostris rebus locum suum ampliabant.

Est villa, quæ dicitur Cusiriacus in parochiâ nostrâ ejus villæ qui dicitur Belenava, ubi cum Monachi S. Leodegarii Ecclesiam & novam parrochiam construere voluissent: audiens hoc Dom. Bruno Episcopus, excommunicavit, & anathematizavit eos, qui ibi Ecclesiam construerent, & qui divinum officium ibi celebrarent. Considerans tamen quoniam parrochialis Ecclesia, Belenava scilicet, nimis longè aberat; ut bonus pastor animarum curæ prospiciens, neve longinquitate viæ, aut negligentia Sacerdotis, aut ignorantiâ plebis, animæ divini verbi pabulo fraudarentur, statuit ut ad villam, Besuunculam nomine, quæ prope erat, ad Missas, & Christianitatis officium convenirent: eo verò tenore, ut quia dignus est operarius mercede suâ, medietatem eorum, quæ ad Presbyteratum pertinerent, illi Ecclesiæ condonarent.

Item in villâ quæ dicitur Anblins, quoniam ipsi in aquâ partem nobiscum habebant, cœperunt calumniari, & si quid vellemus ædificare, ipsi quantum poterant impediebant. Accessit Pater Bruno Episcopus, & ipse in medio aquæ sudem acutam infixit, quæ hodieque ibi manet, ut monachi sancti Leodegarii medietatem aquæ usque ad palum haberent, & alia medietas usque ad palum nobis in pace remaneret.

In villâ nostrâ, quæ Trecasas dicitur, voluerunt aliquando corvatam consuetudinaliter facere. Cùm verò non fuisset alius, qui resisteret, quidam rusticus zelo justitiæ & fidei accensus, accessit ubi boves juncti fuerant, & juncturas super capita eorum, quas rustici convinculas appellant, omnes truncavit. Tamen timens ne pro hoc facto, quamvis injustè ei malum inferretur, aufugit. Iterum Bruno Episcopus noster, & nomine & re, cum hoc audisset, non piguit ad locum accedere, & priùs quàm de hac re incæpisset disserere, rusticum illum qui timore delituerat, nec audebat redire, demandans: Ubi est, inquit, filius meus, qui hoc fecit, & ita viriliter loco mei egit? Qui cum venisset ante eum: Tu es, inquit, filius sancti Petri, & meus: ne paveas pro certo habens, quia qui te odit, me odit. Securus esto; nam qui te lædet, mecum quoque dividet illud. His dictis, cum per indigenas loci, & antiquos, quibus notitia, & memoria præteritorum fuerat, comprobatum fuisset, nullo modo Monachos illos consuetudinem illam quam reclamabant, in nostram villam habere, Domnus Episcopus remeavit ad sua.

Carta de Decimis Novæ Villæ.

PEr idem tempus, quo Dom. Willelmus Abbas Besuense regebat Monasterium, Miles quidam, nomine Gyrardus, cognovit se non rectâ consuetudine accipere decimas cujusdam Ecclesiæ ad ipsum Monasterium pertinentis, quæ in Comitatu Atoariense, loco nuncupato Nova villa, in honore S. Prudentii est consecrata: eo quod decimæ illius Ecclesiæ ad alteram quasi matrem transportabantur Ecclesiam, constitutam in villâ, quæ dicitur Frasnetum. Cum igitur apud Castellum suum, cui nomen est Fons-venti, VII. Kal. April. resideret, rec-

De restitutione decimarũ.

didit pro remedio animæ suæ, & uxoris, filiique sui, nomine Humberti, ipsas decimas ad jam dictum Monasterium, cui ipsa jure hereditario subjacebat capella. Hoc autem factum est sub præsentiâ, & consensu uxoris suæ, nomine Gertrudis, & prædicti filii sui Humberti, atque ut nemo de heredibus, vel successoribus eorum jam ampliùs ipsas decimas repetendi haberet licentiam, hanc fieri notitiam jusserunt: quam si quis calumniatus fuerit, perpetuæ excommunicationis feriatur anathemate. Nomina testium qui hanc notitiam firmaverunt, hæc sunt. Theodericus, Humbertus, Aymo, Joffredus item Humbertus, Arembertus, Gybuinus, Mainfredus, item Haymo, Wido Presb. Deodatus, & alii quàm plures illustres viri, qui omnes testimonium firmâ ratione præbuerunt, meliùs & rectiùs jam dictam Ecclesiam per se debere stare cum decimis suis in parte, & possessione Besuensis Monasterii, quàm alteri cuilibet subjacere Ecclesiæ.

Item alia.

De eadem re.

CUm apud Lingonicam sedem nostram, Ego in Dei nomine Bruno Episcopus, nostrique Archidiaconi, collectâ Diœcesis nostræ filiorum multitudine, generalem ageremus synodum, adiit præsentiam nostram quidam Monachus Besuensis Monasterii, nomine Benedictus, præmonstrans cartulam quam ante fecerat Miles quidam nomine Girardus, ex consensu uxoris suæ, nomine Gertrudis, & filii sui Humberti, reddens ad jam dictum locum decimas cujusdam Ecclesiæ in comitatu Atoariensi, Nova scilicet villa, sub honore sancti Prudentii consecrata. Quam videlicet cartulam omnes pariter audientes firmavimus, atque laudavimus. Et quia eadem Ecclesia in prædio præscripti Monasterii erat constructa, decrevimus, atque statuimus, ut decimæ ipsius omni tempore jure hereditario ad idem devenirent Monasterium, nullo de nostris successoribus, neque de heredibus prædicti Girardi contradicente, neque calumniam faciente. Si quis hoc testamentum calumniatus fuerit, repetantur ab eo cuncta delicta, usque ad novissimum quadrantem. Actum publicè Lingonis. Nomina testium, qui hoc testamentum firmaverunt. Lambertus Præpositus. Teudo Abbas & Archidiac. Beraldus Archid. Item Beraldus Archid. Bruno Archid. nepos Dom. Brunonis Episcopi.

Carta de Bustello.

NOtum esse volumus præsentibus, & futuris, quòd Fulbertus & Berengerius fratres recedentes de Bustello, pro inimicitiis, quas vicini eorum contrà eos exercebant, dederunt alodium ipsius vici Bustelli, S. Petro & seipsos, & omnem posteritatem suam commendaverunt perpetualiter eidem sancto, unâ denerata ceræ omni anno, tam virum, quam mulierem. Eâ conventione, ut si ipsi, aut aliqui ex eorum progenie reverterentur in regionem, hereditatem suam, quam sancto dederant, ab Abbate loci & Monachis tenerent. Discedentes itaque de Episcopatu Lingonico, tempore Brunonis Episcopi, & Ducis Henrici, venerunt in Diœcesim Archipiscopatûs Vesuncionensis tempore Hectoris Archiepiscopi, & Comitis Willelmi, pervenerunt in locum, qui dicitur Rollens, & remanserunt ibi super terram Teduini, & Beroardi fratris ejus: qui scilicet Teduinus pater fuit Bernardi. Eâ verò conventione in terrâ illorum remanserunt, ut ipsis reditus, & consuetudines terræ persolverent, sancto verò Petro Besuæ censum, quem debebant annuatim, deportarent. Timentes autem Monachi, ne per succedentia tempora heredes Teduini, & Beroardi fratris ejus, ipsis hominibus aliquam violentiam irrogarent, vel in servitutem eos redigere vellent, cum Abbate suo Willelmo adeuntes Concilium, in quo Archiepiscopus Hector, & Episcopus Bruno cum aliis Episcopis residebant, deprecati sunt, ut hanc Cartam pariter, & libertatem istorum hominum Ecclesiasticâ authoritate roborarent. Quod ipsi libenter concedentes cum consensu aliorum Episcoporum, & totius sancti Concilii eosdem homines liberos sancti Petri esse statuerunt, & perpetuo anathemate excommunicaverunt, qui illis servitutis jugum ullo modo imponere ausi fuissent. Signum Hectoris Archiepiscopi. Signum Brunonis Episcopi. Signum Walterii Episcopi. Signum Burchardi Episcopi. Signum Gosleni Episcopi.

Carta de Buxiaco, & de Lama.

QUidam homo Gybuinus nomine, dedit Deo, & Besuensi Ecclesiæ, unum servum nomine Walcaudum, cum suâ conjuge, atque omnibus, qui ex his fuerint propagati: & unum mansum, qui divisus est in duas partes. Una pars est in villâ, cujus vocabulum est Buxiacus, quæ de duobus lateribus dividitur à terrâ Girardi Militis, & de tertio à terrâ S. Petri Besuensis, & de quarto ab aqua quæ vocatur Tyla, in quâ 32. jornales appendunt; & alia pars est in villâ, quæ dicitur de Lama; quæ partitur undique à terrâ sancti Petri, in qua appendunt 28. jornales. Postmodum verò in die depositionis suæ, cum fuisset delatum corpus ejus ad sepulturam omnis affinitas ejus dederunt unam ancillam nomine Abdiardam, & confirmaverunt hanc iterum Cartam. Quicumque verò demserit quidpiam ex his supradictis rebus, sit anima ejus abstracta à consortio Dei.

Item Alia.

HIsdem etiam diebus. Oggerius calumniam inferens ancillis, cum propriis filiis, uni Susannæ, & nomen alteri Hildegardæ à Monachis S. Petri per multorum curricula temporum jure possessis, conabatur in suam pertinaciter transducere servitutem. Quapropter jubente Brunone Episcoporum præcellentissimo, fidelium suorum factus est conventus, insuper etiam campiendi [c] est dies statutus. Sed ne homicidii, vel perjurii noxam incurreret ipse Oggerius, oblati sunt ei à Monachis ibidem manentibus 50. solidi: quibus acceptis, sic tandem ab hac querela sponte reticuit. Et quamvis injustè tentasset eas ad suum inflectere servitium, accepto in redemptionem ut ita dicam, pretio, sancto Petro, cui veriùs pertinebant, reddidit coram testibus; ita ut nec ipse, nec sui coheredes, vel aliqua suspecta persona, audeat de his, aut eorum progenie aliquando aliquam calumniam inferre. Hi sunt testes. Girardus Comes, Walterius, Nerduinus, Aldo, Odo, Hugo Comes, Odilo.

Carta de Gibriaco.

PEr idem tempus, quidam homo, Jozaldus nomine, pro remedio animæ suæ per consilium filiorum & amicorum suorum, dono tradidit ad locum sancti Petri Besuensis, quamdam vineam in villâ Gibriaco, in loco nuncupato Casallo, cum jacente, quæ habet in longo 26. perticas, in late perticas 17. & terminatur de uno latere terrâ sanctæ MARIÆ, ex alio latere de ipsa hereditate; de una fronte stratâ publicâ; de aliâ, terrâ fiscali. Hanc

c *campiendi*] Hoc est, duellum in campo ineundi.

autem hereditatem duo antecessores sui, Wicherannus scilicet & Archirannus, donaverant ei, & uxori suæ Tetsanæ, & duobus infantibus suis Ostrado, & Vucheranno. Sicut ergo ab ipsis duobus antecessoribus suis donata sunt, ita & ipse Deo, & sancto Petro, & Besuensi Monasterio tradidit perpetualiter habendam, & possidendam.

Carta de Setis.

Vir & uxor ac filii sua se sponte mancipant.

NOverint fideles per succedentia tempora, quòd quidam homo, Lambertus nomine, cum esset ingenuus, & maneret apud Setas cum uxore suâ, nomine Eremburgi, ac liberis Framuero, & Dominico, ejusdem conditionis, gratis se tradidit sancto Petro ad serviendum in loco, qui dicitur Fons-Besua, ac Monachis ibi degentibus, famulantibus Deo; quatenùs libertas proveniret animabus eorum. Sed hoc fecit eo tenore, eâ conditione, eo fœnore, ut ipse, & successores ejus, fideliter custodirent eleemosynam quam Comes regionis Rainaldus unà cum suâ conjuge tribuit supradicto sancto Petro. Nam quidquid in lucro aut negotio aliquid exinde potuerint lucrari, reddant ad vestitum fratrum in camerâ supradicti loci. Et ut hæc scriptio firma maneret, in præsenti dederunt in recordatione huic Conventui, vir duos asinos, & ejusdem viri uxor 10. solidos ad restaurandam caldariam. Similiter & unam navim dederunt. Nam noverint Monachi ipsius loci, non eum habere alium Advocatum, nisi ipsos, & ideo omni tempore eum in vestitu, in calceatu, ac cibo semper gubernari. Et ut insuspecti manerent, anathematizaverunt seniores loci quicumque; in aliquo aut quidpiam ei molestè fecerit, aut ejus liberis, perpetuâ anathematizatione, ex authoritate Dei, sanctique Petri, ob cujus amorem se tradidit ipse Lambertus ad serviendum, nisi satisfactio facta promeruerit veniam. Testes huic subscriptioni omnes habitatores sancti loci ipsi sunt. Aldo Præpositus, Humbertus, Wido Decanus, Orbertus, Nectus, Rainerius. Hæc enim acta sunt tempore Willelmi Abbatis, ac præpositi loci, Benedicti nomine.

Carta de Talamaro.

PErversorum calliditas dolos corde machinantium, exigit ut res decretæ litterali tradantur schedulæ, ob cautelæ studium, & munimen sequentium. Quos ita sæpe levis circunvolvit inconstantia, ut etiam testimoniali manu roborata, sinistrorsum subdolâ certent refragari solertiâ. Talium præcaventes versutias fratres loci Besuensis, sub Domni Abbatis Guillelmi excubantes regimine, descripsimus conventionem quam fecimus cum Parrochianis villæ Talannaci, de atrio Ecclesiæ sancti Valerii. Timentes enim hostiles impetus, ad nos venère unanimes, poscentes ipsum atrium sibi dari in auxilium, ad construenda domicilia, & condenda propria. Horum itaque evicti importunitate, atrium in commune censûs sub ratiocinio indulsimus; eo videlicet conditionis ordine, ut qui senûm pedum vel 7. mensuram usurparet in dominio, duorum; qui verò aut duodecim, aut tredecim, quatuor denariorum censum die festivitatis sancti Benigni solveret. Qui verò statutum transiret terminum, jam sciret cum usurâ secundùm legem reddendum.

Carta de Luco Ibuxiaco.

QUædam fœmina, Hildegardis nomine, pro remedio animæ suæ, & viri sui, filiorumque, scilicet Norgaudi, & Heldeberti, tradidit hanc terram cum appenditiis suis, quam jure hereditario possidere videbatur, Monasterio sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quod est situm in loco, qui dicitur Fons Besuæ. Et ut profuturum posteris foret, & firmiùs crederetur, litteris assignare rogavit.

Igitur in Bussiaco villâ 4. sunt curtilia, 2. ex unâ parte fluvii, qui dicitur Tila: & alia 2. ex aliâ parte ejusdem fluvii. Ex uno latere est terra sancti Salvatoris, ex alio terra Gibuini; ex uno capite currit prædictus fluvius, id est Tila; ex alio est via publica. Juxtà autem alia duo curtilia, quæ sunt ex aliâ parte ejusdem fluvii, ex unâ parte est terra Girardi; ex aliâ terra Gibuini; ex unâ fronte terra prædicti Girardi, ex aliâ sæpe dictus currit fluvius. In Luco autem Villâ secùs pontem curtile unum: ex omni parte est terra ejusdem prædicti Monasterii. In eâdem verò villâ est & aliud curtile, ex unâ parte terrâ sancti Petri; ex aliâ, terrâ Willerii, ex unâ fronte via publica, ex aliâ sæpe dictus fluvius.

Item in aliâ villâ, Luco dictâ ad sanctum Martinum, 2. curtilia; ex unâ parte est quidam exitus ad aquam pergendi; ex aliâ est terra sancti Leodegarii; ex unâ fronte currit Tila, ex aliâ prædicta via. Item in jam dictâ villâ Luco ad pontem sunt 3. curtilia modica, ex omni parte ejusdem Monasterii terra consistit. Item in eâdem villâ unum curtile; ex unâ parte est terra Giraldi, ex aliâ terra sancti Salvatoris; ex unâ fronte tenet ipsum Monasterium, ex alia fluvius jamjamque vocatus. Item in eâdem villâ unum curtile; ex duabus partibus terra sancti Leodegarii; ex unâ fronte terra Gibuini, ex aliâ sæpe dictus fluvius.

Hæc ergo supradicta Heldegarda cum prædictis filiis, jam dicto contulit Monasterio, & fideli subscriptione legitimis testibus corroboravit, Regnante Roberto Francorum Rege. Contulit nihilominùs cum omnibus his prædictis curtilibus, omnia quæ ad ipsa pertinent: id est prata 4. terras arabiles, & pascua, & cuncta quæ hereditario jure possidebat in his prædictis tribus villis.

Carta de Lu, & Fracto monte.

ITem alia quædam fœmina, Heremburgis dicta, pro animâ suâ, animabusque seniorum suum seu filiorum, dedit Deo, necnon sacrosanctæ Ecclesiæ, in loco qui Besua dicitur, in beati Petri Apostoli honore dicatæ, quasdam res juris sui, scilicet colonicas 4. sitas in pago Lingonico. Quarum in villâ, quæ dicitur Lu ad sanctum Martinum, tres sunt.

Has igitur tres cum servis supermanentibus jam dictæ dedit Ecclesiæ, eo pacto, ut in vitâ suâ jure usuario eas possideret; post obitum verò suum ad Rectores illius Ecclesiæ perveniant. Alia autem colonica sita est in eodem pago, in villâ quæ dicitur Fractus-mons. Hanc jam dictæ Ecclesiæ in vestiturâ tradidit, ut Rectores ejusdem loci teneant & possideant. Nomina verò servorum, & ancillarum his in terris degentium, hæc sunt, Stephanus & uxor ejus Deodata, & filii eorum Mainardus, Leotasius, Danucia, Ermengarius, Rainardus, Erníncia, Mainardus, Bernardus, Fulgerius, Rotrudis, Olosma.

Has igitur cum servis & omnibus appenditiis sanctæ Ecclesiæ prædictæ, cui Domnus Guillelmus Abbas præerat, jam dicto Conventui concessit, pro his quorum superius memoriam feci, necnon pro animâ Leudonis, qui ei has contulit. Signum Heremburgis, quæ fieri, & firmare præcepit. Signum Lebaldi Præsulis. Sign. Adalardi Presbyteri. Sign. Joannis Levitæ. Sign. Haymonis Levitæ. Signum Constantini. Data per manum Ranulfi Levitæ VI. feria primo die mensis Januarii. Regnante Roberto Rege.

Item

Item alia.

QUidam Miles vocabulo Hirmuinus, Besuense adiens Monasterium ex consensu uxoris suæ, nomine Bertilæ, dedit ad ipsum locum pro amore sancti Petri, ac sancti Prudentii, necnon & pro remedio animæ cujusdam filii sui, nomine Hirmuini nuper defuncti, quemdam servum vocabulo Ewardum, cum uxore suâ, nomine Stephanâ, & infantibus illorum; eâ ratione, ut tam ipsi, quàm omnis posteritas illorum, ab ipsâ die in servitio & dominatione Monachorum jam dicti Monasterii jure hereditario pertineant, nullo contradicente, neque calumniam faciente.

Carta de Flaciaco.

ALius Miles, Hugo nomine tradidit sancto Petro pro sepulturâ uxoris suæ Wandelmodis, & pro remedio animæ ejus mansum unum, in vico qui Flaciacus dicitur, cum omnibus appenditiis suis, terris scilicet arabilibus, sylvis, atque pratis. Et ut hæc donatio nulli unquam calumniæ pateat, sed jugiter inconvulsa permaneat, hanc Cartulam altari ejus superposuit, & eam manu suâ firmavit, roborandamque testibus fidelibus tradidit.

Carta de Beriâ.

NOtum esse volumus omnibus fidelibus, tam futuris, quàm præsentibus, quòd quidam Miles, Milo nomine, de villâ quæ dicitur Beria, Domni Willelmi Abbatis, qui huic Monasterio Besuensi præesse dignoscebatur, ac Domni Benedicti, qui post ipsum Prioratûs officio fungebatur, clementiam adierit, poscens sibi de rebus ejusdem Monasterii in beneficio donari, promittens se in omnibus jam dicti Monasterii servitiis subditurum, ejusque utilitatibus pro posse omnimodis profuturum. Qui cum in precibus suis, tam per se quàm per suos internuntios assiduus perstaret [d], ejus coactus postulationibus jam dictus Prior Domnus Benedictus, ex consensu supradicti Domni Abbatis Willelmi, dedit ei tertiam partem Ecclesiæ præscriptæ villæ, Beriæ scilicet, parte alterâ retentâ. Nam tertiam Presbyter pro servitio tenebat. Dedit etiam ei mansum unum in vico, quod dicitur Alta-villa, & unum quartarium in villâ, quæ dicitur Juvenalis, & unum jugerum de vineâ in villâ, quæ dicitur Curtis Adonis. Eâ tamen convenientiâ ut hoc ipsum beneficium diebus vitæ suæ teneret: post obitum verò suum nec filius ejus, nec filia, aut aliquis ex ejus parentelâ, se de eo intermittere, aut præsumere auderet, nisi eis bonâ voluntate, aut gratanti donatione Abbatis, aut Monachorum ejus concederetur. Quam convenientiam in personâ suâ, ac filii sui Aduini sub jure jurando firmavit, præsente ipso filio suo, ac gratanter consentiente. Cui rei etiam fideles testes adhibuit, quorum hæc sunt nomina: Odo, Rotbertus, Wido Decanus, Luitprannus, Aldo Præpositus, Albertus Monachus, Rotbertus Monachus.

De obitu Brunonis Episcopi.

QUia longum est enarrare cuncta, quæ huic loco collata sunt tempore Brunonis Episcopi, ad ipsius vitæ finem veniamus. Sed ante paucis describere curabimus quis fuerit modus vitæ ejus.

Fuit itaque in eleemosynis largus, &c. *ut in Chronico S. Benigni.*

Anno ab Incarnatione Domini M. XVI. Domnus Episcopus Bruno obiit II. Calend. Februarii, peractis in Episcopatu annis XXXV. Cui successit Lambertus Episcopus, & ipse augmentator bonorum hujus loci devotus.

Carta de Novâ-villâ.

IN cujus diebus, quidam Henricus, & filius ejus Vilgerius, & uxor sua nomine Aduldis, sepulturam sunt adepti in Monasterio sancti Petri Besuensis. Ex hac videlicet causâ, quo villam Novæ-villæ, quam tenuit pater ejus in beneficium, reddiderint sancto Petro pro remedio animarum suarum. Ne autem hæc redditio frustraretur, dedit ei Domnus Benedictus Prior, mansum unum in villâ, quæ Corcellis vocatur, tempore vitæ suæ, & post obitum ejus rediret ad sanctum Petrum. Hoc autem ne oblitteraretur, Monachis sibi tunc cognitis decedentibus, his litteris sub testificatione priorum manifestandum rogavit posteris annectendum. Et hoc ut sicuti fratrum defunctorum anniversaria dies celebratur, ita & ipsius celebretur. Humbertus Clericus Tilecastri testis. Wido Decanus testis, & alii multi.

Item Alia.

IN nomine summæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Notum esse omnibus volo, quòd ego Henricus, quidquid sanctus Petrus in Novâ-villâ videtur habere, quondam in beneficio tenueram, sed à Brunone Episcopo sublatum, Monachis est restitutum. Sed ego post mortem Brunonis resanxivi; unde Abbas Willelmus indignatus cum Monachis versis ad Lambertum Episcopum clamoribus, compulsus sum Novam-villam intermittere. Postea verò præsumptione in humilitate mutatâ, ipsum Lambertum Episcopum promerui adjutorem; quo intercedente ipsam terram quæ tribus mansis, & dimidio dividitur, hac conditione Monachi mihi reddiderunt, ut retentâ corvatâ suis usibus, & David, & filio, & Rainaldo, cum terrâ, quam tenent, alios jornales haberent, & carroperam, & censum cum Eulogiis. Monachi verò de hominibus receptum & placitum reciperent, cum quo etiam quidquid super tria mansa & dimidium in ipsâ villâ inventum est. Quidquid etiam assum est, & in curtilis & terrâ arabili, pratum quoque indominicatum, & sylvam & molendina. Hoc etiam meâ promissione firmatum est, ut ab hominibus præter legalem censum terræ nec occasione hospitii, nec novâ necessitate aliquid exigerem. Quod si præsumerem, iterum terram perderem, nisi Monachos satisfactione placarem.

Hujus igitur terræ indulto servitio militari, nihil aliud à me exigitur, nisi continua defensio contrà prædatores, & fraudatores ejusdem Ecclesiæ. Sed ne in hoc viderer gravari, ne contrà potentiores, sed contrà æquales mihi genere, & potestate, & contrà inferiores mihi in utroque; in quâ defensione si negligens comprobabor, iterum perdendi terram conditione constringor.

Hanc ergo terram Novæ-villæ hac conditione receptam cum omni aliâ, quam ex parte sancti Petri habebam, id est, Monasteriolum cum Ecclesiâ, in ipso alodo sitâ, & in Fracto monte mansum unum, & in Wainart dimidium mansum. In Manneio quoque quartarium unum pro remedio animæ meæ, in jus ac proprietatem præbendæ Monachorum retrado; & omnes posteros meos alieno, & in omnibus bonis, quæ ex parte sancti Petri pro beneficio tenui, ne jus hereditarium requirant, exheredo, & ad excludendam requirendæ hereditatis occasionem, om-

d *perstaret*] Editum erat, *prestaret*.

ne quod habui per hanc cartæ Notitiam coram positis testibus reddo.

Ego quoque Lambertus Lingonicæ sedis Episcopus, hujus redditionis testis assisto. Et quia meâ dispositione id actum est, ut ad præbendam Monachorum redeat Nova-villa, & omnis alia terra, quam Henricus tenuit in beneficio, gratanter confirmo. Et ne ulteriùs beneficiali more post obitum Henrici ab usibus Monachorum subtrahatur, interdico; & authoritate Patris, & Filii, & Spiritûs sancti cum invocatione sancti Petri Apostolorum Principis consentientes & subtrahentes excommunico. Signum Lamberti Episcopi. Signum Beraldi. Sign. Rotgeri. Sign. Widonis. Ego Henricus propriâ manu firmo, testesque adhibeo. Signum Girardi Comitis. Signum Milonis. Sign. Oldebranni. Acta sunt hæc Tilecastro publicè, præsente Domno Lamberto Episcopo, Anno ab Incarnatione Domini nostri JESU-CHRISTI M. XVII. Indiction. XV. Regnante Rotberto Francorum Rege, mense Februario.

Carta Fontis Vennæ.

Monasterium condit Girardus Fontis-vennæ Dominus.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Omnibus Orthodoxæ fidei cultoribus. Luce clariùs patet humanum genus tam diabolicâ seductione, quàm propriæ naturæ fragilitate Creatorem suum quotidie offendere, ejusque iram incessanter irritare, juxtà illud Apostolicum: *In multis offendimus omnes*. Et si omnes, quod verum est, offendere dicit, neque cautos, ac perfectos à generalitate offendentium excludit, quantò magis nos omninò sæculares, qui Dominicorum vix præceptorum meminimus, in quorumque actibus, nihil penè nisi peccatum cognosci potest, offendere credere debemus? Multa enim mala scienter perpetramus, & in multa ignoranter incurrimus, de quibus necessitas magna instat, ut antequàm ad districti judicii tribunal duci cogamur, quomodocumque absolvi laboremus. Et quia Dominicis, & Evangelicis verbis receptorem Prophetæ & justi, mercedem Prophetæ & justi accipere instruimur, si quem Dei servitorem, quod nomine justi sonare videtur, receperimus, aliquantulum offensarum nostrarum sarcinam leviare existimamus. Sed ne diutiùs in loquendo moremur, jam cœptorum intentionem ad medium deducamus.

Ego Lambertus Dei gratiâ Lingonensis Ecclesiæ Præsul, notum iri volo cunctis sanctæ Christianitatis filiis præsentibus, & futuris, quòd Girardus Fontis-vennæ Castri Dominus, ante prædictum castrum Monasterium in honore & memoria sancti sepulcri, ac sanctæ MARIÆ semper Virginis, ædificare volens, ibi Monachos, qui semper Deo serviant, locare disponit. Ad claustrum quoque & officinas ad hortum, & horrea, & ad cuncta necessaria ipsius loci componenda, dat eis terram ab ulteriori ripâ Vennæ aquæ, quæ est Lingonis venientibus ad castrum sinistrâ, usque ad sylvam quæ est eisdem dextera: de alterâ verò parte à cruce, quæ fixa est in mediâ calmæ usque ad ipsum castrum per viam quæ ducit ad sylvam. Et quia ipsum Castrum cum adjacenti terrâ de casamento nostræ Diœceseos noscitur esse, per laudamentum nostrum concedit sancto Mammeti commutationem prædictæ terræ apud Artionis curtem villam, quam de hereditate Geretrudis uxoris suæ contigit habere. Quam etiam terræ commutationem pro remedio animæ meæ prædictæ laudo Ecclesiæ, ut & ipse particeps fiam eleemosynæ.

Vult autem prædictus Girardus hunc locum tali conventione construere, ut in subjectione & in disciplinâ sancti Petri Besuensis, atque Abbatis ipsius Ecclesiæ permaneat omni tempore. Similiter quidquid ipsi loco ad præsens dat, & quidquid in futurum dederit vitâ comite, & cæteri quique fideles pro remedio animarum suarum voluerint impertire, in prædictâ Abbatiæ Besuensis semper consistat ditione.

Rogat etiam me obnixè Episcopali authoritate confirmare, ut omnium Militum defunctorum corpora, quæ ab hoc Fontis vennæ castro ad Besuam, ut consuetudo eis est, non potuerint portari, in cœmeterio istius loci à me consecrato, consuetudinabiliter tumulentur. Cuncti etiam, qui intrà castellatum, vel in ipso habitu & receptu castellati mortui fuerunt, in prædicto sanctæ MARIÆ cœmeterio perpetuâ observatione sepeliantur. Cujus petitionis intentionem fidelem & devotam intelligens, libenter cum consensu omnium Archidiaconorum, & aliorum fidelium, quod poscit annuo, & confirmo, & sancto Petro Besuensi illum locum laudando; & insuper hanc litterarum Notitiam fieri jubeo; quam etiam propriâ manu firmo. Quam petitionis firmationem, sive conventionem, ac scriptionem, si quis perversâ mente deceptus aliter mutare, aut penitùs evertere exorsus fuerit, anathetis æterni, & perpetuæ maledictionis vinculo vulneratus, ac legis rectitudine convictus, centum auri libras persolvat, & quæ in istâ Cartâ continentur, inviolata permaneant. Ego Lambertus Lingonicæ sedis Episcopus, ut sit memorabile sæculis, hanc cartam fieri jussi, & signavi. Beraldus Suessionis civitatis Episcopus signavit. Beraldus veteranus Archidiaconus & Abbas sign. Girardus Comes Fontis-vennæ sig. Bruno Archidiaconus sig. Alius Girardus sig. Hugo Comes sig. Oddo Archidiaconus & Abbas sig. Wido sig. Rotgerius sig. Hugo Cappellanus sig. Item Hugo sig. Rainoldus sig. Acta publicè Lingonas, anno ab Incarnatione Domini M. XIX. Indict. II. Epactâ XII. Concur. III. mense Maio. Regnante Rotberto Francorum Rege. Ego Odolricus dictavi ad vicem Beraldi Cancellarii, die Jovis scripsi, & subscripsi.

Item Alia.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Girardus, Notum volo esse omnibus fidelibus adhuc in carne degentibus, & in futurum venientibus, me cum Gertrude uxore meâ quamdam partem hereditatis meæ, Lamberto Episcopo in excambio per unum conventum dedisse.

Erat quædam campestris terra subtùs meum castrum quod Fons venti vocatur, in quâ Monasterium construere volebam. Videns ergo hoc me non posse adimplere, sine Episcopi licentiâ, tantumdem terræ dedi ipsi Domno meo pro eodem loco in villâ, quæ dicitur Arcuncurtis. Terminatur autem ipsa terra in fronte terrâ sancti Petri Genovensis Ecclesiæ, & circumquaque hereditas mea noscitur cumjacere. Tali verò tenore tradidi, ut locus ille, in quo sedes constructa est Monasterii, in honore sancti sepulcri, & sanctæ MARIÆ semper Virginis, Abbatiæ Besuensi sancti Petri semper subjaceat, & sub Abbatis potestate permaneat.

Si quis ergo contrà hoc factum (quod non spero per Dei gratiam futurum) ex heredibus nostris aliquam calumniam inferre tentaverit, coactus legibus in fiscum Regis persolvat unam libram auri. Hæc autem traditio omni tempore permaneat firma, & stabilis, quam propriâ manu firmavi, & firmandam tradidi testibus subscriptis. Signum Girardi. Sig. Gertrudis. Sig. Girardi Clerici. Sig. Humberti filiorum eorum. Sig. Haimonis. Sig. Otberti.

Sig. Nocheri. Sig. Aymonis. Sig. Arluini. Sig. Nerduini. Sig. Willelmi. Sig. Lentilli. Sig. Arulfi. Sig. Otberti Normanni. Sig. Teubaldi. Acta sunt hæc Lingonis XVI. Calendas Maii, Indictione II. Regnante Rege Rotberto XXXII. anno, & Hugone filio ejus III. Ego Odolricus dictavi ad vicem Beraldi Cancellarii, die Jovis scripsi, & subscripsi.

Carta de Arcionis Curte.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Manifestum iri cupimus tam præsentibus quàm futuris, quòd ego Lambertus gratiâ Dei Lingonensis Ecclesiæ Episcopus, dedi Deo & Monasterio sancti sepulcri, & sanctæ MARIÆ quod est constructum ante castellum Fontis-vennæ à Girardo & Gertrude uxore ejus in terrâ casamenti nostri, me laudante, terram Arcionis curtis, quam mihi ipse Girardus, & uxor ejus pro commutatione terræ casamenti nostri, in quâ Monasterium ædificaverant, reddiderunt. Ergo illis rogantibus tradidi eam liberam Deo, & sancto sepulcro, & sanctæ MARIÆ, & sancto Petro, ad Monasterium Fontis-vennæ, eo tenore ut ipse particeps fiam eorum eleemosynæ. Et quia ipsa terra de potestate Lovuncurtis erat, separaverunt eam ab ipsâ potestate, & ex toto liberam fecerunt, ut nullus ministerialium ipsius potestatis in ipsâ terrâ ampliùs præsumat accipere, aut tollere; & homines, qui in ipsâ terrâ habitaverint, sylvam ipsius potestatis ad ædificandas domos & faciendum sibi focum, sicut ante, utantur, & pastionem ad suos porcos, & alias bestias, quas habuerint, consuetudinaliter similiter utantur. Et quicumque pro ipsâ sylvâ, aut pro ipsâ potestate aliquid demandare præsumserit, perpetuâ maledictione, & excommunicatione feriatur. Signum Lamberti Episcopi. Sig. Girardi. Sig. Gertrudis. Sig. Humberti patris Theoderici. Sig. Haymonis patris Widonis Burgundionis villæ. Sig. Haymonis patris Manasse.

Carta Helprici curtis.

IN nomine summæ & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Ego Lambertus gratiâ Dei Lingonensis Præsul, notum cupio fieri omnibus Christum Deum verè credentibus, quòd cum quadam die essem apud Lingonas, & pro modulo cum meis tractarem Clericis, simul & Catholicis Laïcis, de statu sanctæ Matris Ecclesiæ confirmando, & de religionis depravatæ vigore recuperando: ecce quidam Besuensis Cœnobii fratres meis se se præsentavere obtutibus, supplicibus efflagitantes precibus, quo eorum necessitudini charitate fraternitatis compatiens, altare Ecclesiæ Helprici Curtis concederem ad supplementum præsentium ac futurorum fratrum. Cujus petitionis implorationem auditam incunctanter studui rebus adimplere, quoniam subsidio fulciebatur mercedis futuræ.

Consentientibus itaque Lingonensis Ecclesiæ Clericis pariter ac fidelibus Laïcis: B. videlicet Præpositus, nec non & L. Archidiaconus, in cujus supradictum est altare ministerio, Besuensi Ecclesiæ prælibatum altare æternæ retributionis gratiâ ad fratrum relevandam necessitatem tradidi, eâ conditione, ut obsequia nostræ sedi debita, temporibus congruis persolvantur. Inter cæteros præsens aderat Miles quidam Humbertus nomine, in cujus beneficio altare prædictum videbatur situm. Hic Dei gratiam consequi desiderans, beneficium illud fratribus ejusdem loci concessit, dicens: Ego Humbertus ob omnipotentis Dei amorem, & animæ meæ salvationem dono sancto Petro, & fratribus Besuensis cœnobii beneficium Ecclesiæ Helprici-curtis, consentiente meâ conjuge, Hiltiburge scilicet nomine, & Siguino filio meo, perpetuo jure possidendum, ita ut ab hac die suis usibus illud attribuant, & inde subministrent, & licentiam faciendi quidquid inde sibi placuerit habeant. Si quis verò heredum meorum, quod absit, huic donationi calumniam inferre tentaverit, legibus coactus auri libras decem persolvat; & hæc donatio firmitatis, & stabilitatis vigorem perpetuò obtineat. Actum Lingonis publicè VI. Idus Januarii, Indictione V. Anno Incarnationis verbi M. XXII. Regnante Rotberto. Signum Lamberti Episcopi. Sig. Brunonis Archiclavi. Sig. Girardi Archidiaconi. Sig. Humberti Archidiac. Sig. Oddonis Decani. Sig. Ansculfi Presbyteri. Sig. Hugonis Presbyteri. Sig. Constantii Presbyteri. Sig. Mauricii Presbyteri. Sig. Widonis Laici. Sig. Gotzelmi Laici. Sig. Odoirici Laici. Sig. Widonis Laici. Sig. Rotgerii Laici. Sig. alterius Rotgerii. Sig. Humberti. Sig. Siguini filii ejus.

Carta de Vetus-vineis.

NOtum sit fidelibus Christianis, præsentibus, & futuris, post constructionem Besuensis Cœnobii ab Amalgario Duce in honore Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, non parvæ amplitudinis prædia inibi ab eo collata: cum quibus & alodum quod dicitur ad Vetus-vineas, concessit. In quo loco servorum Dei aggregans multitudinem sub regulari disciplinâ vivere paratos, filium suum eis præfecit nomine Wandalenum. Post multorum verò temporum curricula, partim invasione hostium, partim irruptione Hunorum, à quibus idem locus quinquies traditur concrematus, nec minùs incuriâ Pontificum ut priùs augmentum, perpeti cœpit detrimentum, donec Betto Lingonensem promeruit adipisci sedem; qui quamdiù rebus humanis interfuit, ut idoneus Pastor præfuit. Quo decedente, Albericus successor eligitur. Quique per visitationem Apostolicam, divinâ sibi opitulante misericordiâ, ipsum locum in pristinum reparavit statum, nec non suis ampliavit donis; diuque in honoris perseveravit stabilitate, & Religionis. Postea autem utrum gratiâ beneficii, an præsumptionis, Vetus-vineas quidam Hugo tenuit: quo defuncto iterum locus resumsit, & quietam ac solidam tempore Brunonis Lingonensis Episcopi possedit. Post cujus decessum, sicut cætera loca sanctorum, locus Besuensis in direptionem cecidit. Tunc qui videbantur pacifici, prædones sunt effecti. Inter quos quidam Gerardus, & frater ejus Lambertus, de progenie supra-scripti Hugonis progeniti, quasi jure hereditario Vetus-vineas invaserunt. Sed cum tali invasione nihil proficerent, tandem convicti justitiâ, loco sponte restituerunt. In quâ restitutione, si qua sibi ab antecessoribus rectitudo videretur, sponte indulserunt, tam pro remedio animarum suarum, quàm parentum suorum, & pro promerendâ indulgentiâ, prædæ porcorum, & arsuræ Fielinx villæ quam injustè fecerunt, adhibitis testibus, qui restitutionem viderunt, & satisfactionem. Et ut hæc restitutio, & satisfactio memorialiter permaneat, hanc notitiam fieri petierunt, manu suâ, & horum testium corroboratam. Signum Girardi. Sig. Lamberti, qui hanc Cartam fieri petierunt. Sig. Helvidis matris eorum. Sig. Widonis, & uxoris ejus. Sig. Walterii Clerici. Sig. Widonis Decani. Sig. Oddonis. Sig. Rotberti. Sig. Erlebaldi. Sig. Aldonis. Actum publicè apud Divionense castrum XIII. Calendas Martii, anno ab Incarnatione Domini M. XXIII. Regnante Rotberto Rege.

Item alia, & de Tusleio.

QUædam mulier nomine Ezelina, uxor Nerduini Militis, tradidit unum mansum pro redemptione animæ præscripti mariti sancto Petro Besuensi, in villâ, cui vocabulum est Vetus-vineis, cum uno servo, & cum omnibus, quæ ad ipsum mansum pertinent. Dedit etiam ad Tusleium unum mansum in quo sunt quatuor jugera, & de terrâ arabili 29. & pratum ad unam carratam. Ut hæc donatio in perpetuum firma sit, & stabilis, his subscriptis testibus firmavit, & firmare rogavit. Hi sunt Gibuinus frater supradicti Militis, Bernardus, Aldo. Reddidit etiam salvamentum de villâ, quæ vocatur ad septem-fontes, quæ jam sancto Petro fuerant. Acta publicè Besuâ anno ab Incarnatione
1027. Domini M. XXVII. Indict. x. Epactâ xi. Conc. vi. mens. Octob. Regnante Rotberto Francorum Rege.

Carta de Flaciaco.

QUidam etiam homo nomine Haymo, unum mansum cum omnibus appenditiis suis, terris scilicet arabilibus, sylvis atque pratis, in vico, qui Flaciacus dicitur, Monasterio SS. Apostolorum Petri & Pauli, sanctique Prudentii Martyris dedit, quod est situm in loco qui dicitur Fons-Besuæ. Et ut hoc profuturum posteris foret; & firmiùs crederetur, litteris assignare rogavit sub legitimis testibus, anno ab Incarnatione Domini supradicto. Hi sunt testes. Sign. Bernardi. Sig. Odonis. Sign. Rotberti. Sig. Aldonis. Sig. Hugonis.

De obitu Abbatis Willelmi.

SUnt adhuc plurima, quæ describi possent, sed his omissis obitum patris Willelmi intimare curamus, &c. *ut in Chronico S. Benigni.*

Ipso eodem tempore quo Rex Rotbertus Monarchiam Regni tenebat, cùm audisset in partibus istis quosdam existere, qui circumquaque res alienas violenter diripientes, ut liberiùs impuneque retinerent, firmitates, & castella nova sibi construxerant; cum copioso, ut Regem decebat exercitu, Miribellum ad expugnandum & diruendum advenit: erat enim illud una ex mansionibus raptorum: quod & Deo favente in brevi effecit. Sed dum ibi obsideret, nuntius advenit, dicens patrem nostrum Willelmum Abbatem ab hac vitâ decessisse.

Nolens itaque Rotbertus Rex locum istum diù sine pastore manere, ne lupi rapaces gregem invaderent, Domnum Ulgerium, qui tunc vicem Prioris sub Abbate Willelmo tenebat, huic loco Abbatem substituit. Obiit verò prædictus pater noster Willelmus anno ab Incarnatione Dom. M. XXXI. &c. *ut in Chronico S. Benigni.*

De Abbate Wlgerio.

HUjus itaque Hugonis ordinatione instante, cum esset deductus ab Henrico Rege juvene ad civitatem Lingonas cum magnâ ambitione, nuntiata est Regi mors patris sui Rotberti Regis, qui regnavit annis xli. & ipse Henricus Regni vi. jam annum agebat. Supradictus verò Episcopus cum suscepisset Episcopatum, non fuit, ut decuisset, circà Dei Ecclesias sollicitus augmentator, sed è contrario negligens, & distractor. Quapropter cum huic loco multas importunitates inferret, & exactiones insolitas, & Domnus Ulgerius Abbas nullomodo ei vellet assentire, ipse Halinardum Divionensem Abbatem, huic loco constituit Abbatem. Qui veniens cum suis Monachis, per violentiam Hugonis Episcopi Domnum Ulgerium Abbatem nostrum, cum quibusdam ex nostris Monachis captos Divionem duxit; suos autem Monachos hic dimittens, non ad conservandum, & ædificandum, sed ad destruendum, & diripiendum quæ intùs erant, locum istum eis contradidit. Quod postea claruit; nam quâdam vice simulantes se ituros ut vinum deferrent, vas vinarium, quod tunnam vocant, plaustro superponentes, ornamenta cum libris & thesauri maximâ parte in vase illo reposuerunt. Sed hujus villæ homines hoc intelligentes, maximè ex eo, quia tunna erat nimis ponderosa, eam aperiunt, & res nostras intùs invenientes, retinuerunt. Ferunt quidam ex nostris tunc temporis, exceptâ aliorum ornamentorum non minimâ quantitate xvii. cappas, cum textu Evangeliorum, & cruce pretiosissimâ, Divionem à Monachis illis deportatas.

Monachi Besuenses vi expelluntur.

Factum est autem dum Domnus Ulgerius Abbas ita Divioni haberetur, Monachi illius, qui ex hoc loco dispersi fuerant, notificaverunt ei, quatinùs ad exeundum de Monasterio se præpararet. Illi verò mittentes ei equos cum quibus aufugeret, competenti loco collocaverunt. Quo comperto ipse de Monasterio exiens, equos ascendit, cursuque perpete castrum illud, quod juxtà nos est, Bellimontem dictum, expetiit. Unde ipse cum suis Monachis, Divionenses, qui malè locum istum invaserant, expugnans, vellent, nollent, ad propria redire coëgit. Ipse autem Ecclesiæ suæ redditus, & locum istum postea diù benè, ac regulariter gubernavit.

Carta de Mornaldo.

CUlpâ primi parentis faciente: accidit ejus generi post ipsum, ut qualis ipse extitit, tales post se natos relinqueret. Quâ de re sicut ipse miseriâ non caruit; ita omnes miseros genuit: & sicut ipse oblitus est beatitudinis à Deo sibi collatæ, sic omnes homines obliviosos reddidit. Quia ergo obliviosum est animal, & sæpè labefactari possunt causæ rerum gestarum à mente humanâ, nisi atramento scribantur, & cartarum apicibus inserantur, quibus futuri ea quæ vel visu, vel auditu non didicerunt, harum exemplis erudiantur: idcircò nos quæ temporibus nostris acta sunt, & priscorum senectus meminit, notificanda intimamus.

Omnibus itaque notum esse volumus; præsentibus & futuris, qualiter quamdam terram in villâ Mornado sitam, quæ jure sancto Petro debebatur, tres fratres his nominibus, Wido, Odilo, Ansericus, sanxiverunt. Nam tempore Brunonis Episcopi exstitit quidam Miles Lezelinus nomine, qui ipsam terram contrà jus ipsius Episcopi & seniorum loci suprà scripti tenere voluit, quod videlicet nequivit. Post hunc exstitit alius Humbertus cognomine, qui ipsam terram similiter invasit: qui ad obitum veniens, reddidit ad limina sanctorum Petri & Pauli loco jam dicto, quæcumque in ipsâ terrâ tenere videbatur, sive juris sui, sive injustè ablata, omnia reddidit per caligulam suam, quæ vulgò osa dicitur, quam implevit de ipsâ terrâ, & virgulam de viridario sumsit ad testimonium; quæ videlicet transmisit per nuntios suos, sed per incuriam non admissa fuerunt sancto loco.

Hinc ergo fratres suprascripti hereditari cupientes, terram invadunt, quasi à proavis sibi dimissam, & ut eis libitum fuit, agentes, multâque vi insistentes, contrà voluntatem seniorum loco sancti Petri degentium, conati sunt agere, quod & fecerunt. Attamen illi non destiterunt à proposito voluntatis suæ, tam per semetipsos, quàm & per Principes regni semper clamantes, & injustam eorum calumniam patefacientes. Tandem Deo volente, & ipsis resipiscentibus, cum consilio suorum seniorum, adierunt simul limina SS. Apostolorum Petri &

Pauli, pœnitentiam agentes, ibique quidquid in supradictâ terrâ tenere videbantur, sive justè, sive injustè, omnia contulerunt ad ipsum locum eo scilicet tenore, ut post obitum eorum ipsa terra in testimonium sit sepulturæ, & societatis eorum, quam & pro hoc reddiderunt. Insuper etiam aliam terram sitam in villâ Osiliaco dictâ, quæ in convadio contrà ipsos erat, illis reddiderunt seniores loci suprascripti. Actum est publicè Besuâ Monasterio, die festo sancti Benedicti Abbatis videlicet XII. Kal. Apr. anno I. ordinationis D. Ulgerii Abbatis. Sig. Hugonis Comitis Belmontis, qui hanc redditionem fieri jussit. Sig. Oddonis nepotis ejus. Widonis Decani. Willerii, Odonis Militis. Leutpranni; Aldonis Præpositi. Et hæc nomina fratrum. Sign. Widonis, Odilonis, Anserici.

Carta de Fracto-Monte.

PRæsentium ac futurorum pro certo caritas agnoscat, quod Milo quidam de Tilecastro dedit sancto Petro, sanctoque Prudentio, pro remedio animæ suæ apud Fractum-Montem, unum mansum, ad quem appendunt 9. jugera de terrâ aratoriâ, & una sectura prati. Et ut hoc profuturum posteris foret, & firmiùs crederetur, litteris assignare rogavit sub legitimis testibus. Anno ab Incarnatione M. XXVI. Indict. VIII. Ep. nullâ concur. 4. mensis Julii, Regnante Rotberto Francorum Rege. Hi sunt testes. Sig. Widonis. Sign. Oddonis, & fratris ejus Rotberti. Sign. Aldonis, & filii ejus Milonis. Sig. Otberti.

Carta de Beriâ.

HOc etiam anno Milo de Beriâ, dedit sancto Petro in Monasterio qui dicitur Fons-Besuæ, pro remedio animæ suæ in ipsâ villâ unum mansum; ad quem adjacent 9. jugera de terrâ aratoriâ, & una sectura prati, cum servo nomine Lamberto, uxore, & infantibus. Testes Wido, Bernardus, Aldo, Lambertus, Grimeius, Romarus, Hugo filius Aldonis.

Carta de Icio.

ELinandus etiam dedit unum mansum sancto Petro Besuensis cœnobii apud Icium, pro animæ suæ remedio, cum servo nomine Teduino, uxore, & infantibus, ad quem appendunt 9. jugera de terrâ aratoriâ, & una sectura prati. Testes Wido, Hugo, Aldo, Stephanus.

Item alia.

ODilo dedit similiter in eâdem villâ sancto Petro Besuensis Cœnobii unum mansum, cum servo nomine Ansaldo, cum uxore, & infantibus. Testes Wido, Aldo, Berarmannus, Robertus.

Carta de Besuetâ.

Odonis Militis donum insigne.

IN Dei omnipotentis nomine. Notum fore volumus quibusque scire cupientibus, qualiter pro remedio animæ Odonis optimi militis, atque elegantissimæ juventutis filii, videlicet Nerduini, ictu repentino interfecti, dederunt ad memoriam SS. Apostolorum Petri & Pauli, sanctique Prudentii Martyris in loco Besuensis Monasterii, avunculus ejus, Hugo videlicet Comes Belmontensis, & ipsius Odonis uxor Gertrudis; fraterque ejusdem Hugonis servum nomine Theodericum: itemque alium nomine Stephanum, atque ancillam unam nomine Leutgardam, cum omni successione generis filiorum, & filiarum earumdem.

Item dederunt mansum unum liberrimi alodi permaximum, seu coloniam pergrandem in villâ Besuetâ, cum omnibus appendiciis, quæ ad ipsum mansum pertinent, id est, terris cultis, & incultis, & pratis, & cursus, & decursus, & usus aquarum, & usus sylvarum in gyro circumjacentium, tam circà Besuam, quàm circà Vinzennam fluvios. quemadmodum prædictus Oddo, vel pater ejus, seu avus, in vitâ tenuerunt, absque ullo contradicente illorum generis, seu extranei. Debet enim prædicta terra per annos singulos, frumenti modios IV. & de tremisse modios III. & dimidium: & mense Maio denarios VI. Deinde multonem, & porcum, & per vindemias carroperum, & vini sextarium: & in Nativitate Domini, vini sextarios duos. Et ut ab hodiernâ die, & deinceps sit in Dominium prædictorum sanctorum Besuensis cœnobii, ut faciant Monachi inibi Deo deservientes quidquid illis utilitatis meliùs videbitur, & placuerit.

Et ut hæc firma in omni tempore, & stabilis elemosyna, sive donatio maneat, cum voluntate parentum, & consensu omnium fidelium nostrorum publicè tangentes manibus propriis roboramus, & nomina nostra, & præcipuorum nostrorum conscribi facimus. Si quis verò, quod absit, huic nostræ factioni, quam pro Dei amore, & animæ cari parentis nostri redemptione fecimus, in aliquo contrarius calumniator exstiterit, iram æterni judicis, ejusque Clavigeri Petri sentiet, si non cum satisfactione emendaverit.

Nomina firmatorum, qui hanc Cartam firmaverunt. Sig. Hugonis Comitis. Sig. Letgardis Comitissæ. Sig. Gertrudis, uxoris Odonis Militis. Sig. Gybuini. Sig. Richardi. Sig. Nerduini filii ejus. Sig. Widonis Archid. Sig. Hugonis. Sig. Widonis & Odilonis, & Joffredi. Sig. Bernardi. Sig. Bernardi alterius. Sig. Willerii. Sig. Richardi. Sig. Ulrici. Sig. Olgerii. Sig. Willenci. Sig. Humberti. Actum Besuâ, publicè, anno ab Incarnatione Domini M. XXXIV. Indict. II. Epa. XXVIII. Regnante Henrico Rege, VIII. anno Regni ejus, mense Novembris. Ego Heldemannus Monachus, scripsi & subscripsi.

Carta de Fontanellis.

QUidam Miles, Richardus nomine, mente non inconvenienter pertractans, & admodum timens, sacri eloquii consilio fretus, confidenter aggrediens illud: *Facite eleemosynam, & ipsa orabit pro vobis, & omnia munda sunt vobis.* Et, *Date, & dabitur vobis*, atque similia. Unde pro remedio animæ suæ cœlesti Janitori, atque Apostolorum Principi sancto Petro Besuæ-Fontis donavit mansum unum, in loco qui vocatur Fontanellas. Quod quidem conjux sua, Radmodis nomine, & filius ejus Hugo, fautores libenter concesserunt, imò ampliùs etiam se daturos sancto loco promiserunt. Actum verò hoc publicè in præfati sancti cœnobio, & super ejusdem altare. Regnante Domino nostro JESU-CHRISTO cum Spiritu sancto in paternæ Majestatis dexterâ, anno Incarnationis ipsius M. XXXVI. Indict. IV. Epacta XX. pridie Kal. Julii, IV. feriâ, III. Lunæ, in quâ B. Pauli passio celebris recolitur, pridie Coapostoli ejus Petri festo, debito honore peracto, Rege Henrico in sceptris Francorum agente; Hugone verò in Pontificatûs honore Ecclesiam regente sanctæ sedis Lingonicæ.

Carta de Caviniaco, & Priniaco, atque Blaniaco.

QUidam Gybuinus Clericus, tactus timore divino, ob peccaminum suorum remissionem, seu fratris sui Nerduini, filiorumque ejus nepotum suorum: Oddonis videlicet, & Hugonis, donavit dimidium mansum unum in villâ, quæ Priniacus dicitur;

& unum curtile cum servo, qui in eâdem terrâ stabat, nomine Humbertus, cum filiis duobus Dodone, & Humberto. Reddidit etiam terram quamdam sitam in Caviniaco villâ, quam frater suus suprà nominatus Nerduinus tenere visus est aliquando injustè. Reddidit salvamentum de villis Auxiliaci, atque Blaniaci. Reddidit etiam Oldierium cum fratre ejus nomine Hugone, & sorore, nomine Fratburga, quos tenebant in salvamentum supradictus frater suus, & nepotes sui. Donavit etiam servum Guntarium & Ingerranum cum filio Stephano. Nam Ingerrannus pro Oddone ante fuerat datus: filius verò ejus pro Hugone. Ipse Gybuinus, qui donationem fecit, firmavit Cartâ.

Carta de Vetus-vineis.

QUidam homo Otbertus nomine, reddidit sancto Petro Besuæ-Fontis, quidquid reclamabat in villâ, quæ Vetus-vineas dicitur; die scilicet qui Dominicus habetur, cum in mediâ Quadragesimâ *Lætare Hierusalem* in voce exultationis sacris concentibus ad missas extollitur: ubi à Domno Olgerio ejusdem loci Abbate & Monachis peram peregrinationis simul, & absolutionem, Romam profecturus suscepit. Actum verò hocpublicè super altare memorati sancti Apostolorum Principis v. Kalend. April. xxvi. Lunæ, Rege Francorum Henrico strenuè in sceptris agente, Hugone verò Pontificali in Cathedra feliciter præsidente, Ecclesiamque Lingonicæ sedis piè regente, anno ab Incarnatione Domini M. XXXVI. Indict. iv. Epact. xx.

Carta de Blaniaco.

LUce clariùs constat quemque cupientem vafri hostis proterere molimina, indefesso nisu sectatorum Christi sequi debere vestigia. Rectorum quippe operum casta gestans præcordia, cœlorum gliscit gaudia capescere felicia. Quæ procul dubio consequitur ad cœlestes thesauros terrena transferens patrimonia, & inopum solans miserias liberalitatis munificentiâ. Admonet hoc nos divina scripturâ, redemptionem animæ viri contestans proprias divitias. Redimuntur namque misericordiis pauperum peccata, & ut ignis aqua; sic eleemosynis æterni rogi restinguitur flamma. Ob quam rem ego Gybuinus Clericus, frater Hugonis castri Bellimontis, divinâ respectus misericordiâ, & ad dierum meorum perductus extrema, concedo, & do Deo Omnipotenti, & S. Petro omnem hereditatem meam in villâ, Blaniaco nuncupatâ. Omnem scilicet terram arabilem cum campis, pratis, sylvis, pascuis, sive piscatoriâ, ex quibus ejusdem villæ constat pars maxima. Præterea addo servos Rotgerium, & Alcherium, Utbaldum, Warnerium, Sendradum, Archimbaldum, cum uxoribus eorum, & filiis, omnique familiâ, & omnes servos, & ancillas ad eamdem hereditatem meam pertinentes, quibuslibet locis habitent, ut ab hinc sancto, & Monachis ei servientibus, sicut hactenùs mihi, serviant, & consuetudines persolvant mente devotâ. Ne verò post decessum meum, hujus eleemosynæ aliquis violator, vel falsator accedat, præsumptione injustâ, Ulrico nepoti meo commendo coram omni populo ad altare sancti Petri suâ ratione eam demonstrare, & vice meâ sancto, & Monachis tradere, & testem veritatis cartam fieri, subnixâ stipulatione, adhibitisque testibus, & signantibus roborare. Signatorum nomina subsequenter exprimit sceda. Sign. Ulrici nepotis ejus. Sign. Anserici Militis. Sign. Willenci Militis. Sign. Walterii Militis. Sign. omnium Monachorum qui adfuerunt. Sign. Widonis Archipresb. Sign. Constantii Presb. Sign. Rotberti Presb. Sign. Haymonis Clerici. Sign. Hugonis Præpositi, & totius familiæ. Actum publicè Monasterio Besuensi, anno ab Incarnat. Domini M. XLIV. Indict. xii. Epactâ existente xviii. iii. Idus Junii, die festivitatis sancti Barnabæ Apostoli: Henrico Regnum Franciæ tenente, Rotberto fratre ejus Burgundiam imperante, & Hugone, qui postea repulsam meruit, in præsulatu sanctæ Lingonensis matris Ecclesiæ, nunc verò Pastoris nomine præsidente.

Item Alia.

SAnè post defunctionem antefati Gybuini in illâ terrâ, & servis qui eam incolebant, quos ipse sancto Petro, & Monachis reliquerat, Fulco qui neptem ejus in matrimonio habebat consuetudines cœpit requirere, & quidam duo Milites, Hugo frater Oddonis Montis Saligonis, & Wilencus de villâ sancti Sequani, quibus in beneficium eas tradiderat. Sed sæpe admonitus, & justitiæ ratione compulsus, ad Monasterium veniens, coram altare Deo & sanctis, Monachisque ipsis, servis & ancillis, easdem consuetudines perdonavit, & eisdem, qui à se in beneficio tenebant hoc ipsum facere coëgit, & à se & ab omnibus hominibus liberos eosdem servos & ancillas constituit. Sig. Fulconis. Sig. Ulrici. Sig. Walterii. Sig. Widonis.

Carta de Luco, Genciniaco, & Cinciaco.

IN nomine Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Quia mens humana labilis est, & citò excidunt memoriâ res gestæ, nisi Cartarum apicibus inserantur, dignum ducimus nos minimi ea quæ nostris modo temporibus geruntur mandare posteris, ne sicut præmisimus, oblivione depereant.

Notum esse volumus omnibus tam præsentibus, quàm futuris, qualiter Erembertus quondam Miles, beneficium, quod temporibus pristinis, videlicet Domni Willelmi Abbatis, seu Rodulphi Præpositi tempore visus est tenuisse, reddiderit. Hic enim Erembertus nobili erat ortus prosapiâ, secundùm sæculi dignitatem, sed propter intestina bella, quæ inter falsos Christianos geruntur, penè ad nihilum redactus erat, ita ut beneficium, unde agimus vendere vellet, & manibus alienis tradere. Quod nos agnoscentes, fratres videlicet sancti Petri Besuensis, damnum esse arbitrantes, si alienis manibus terram sancti venumdaret, ipsum advocantes in nostro consilio, admonuimus eum non rectè agentem erga fidelitatem sancti Petri, verùm ipsum pretium, quod ab aliis cupiebat sibi tribui, nosmet persolveremus. Quod & factum est. Nam ipse Miles adiens cœnobium sancti Petri Besuensis, Domno Olgerio Abbate præsente, & cæteris fratribus ejusdem congregationis assumptis, sed & aliis quam plurimis Deum timentibus Clericis, sive Laïcis adunatis, in conventu ipsorum, ante altare principis Apostolorum Petri Apostoli, reddidit ipse, & filius ejus Wido nomine, accepto pretio centum solidorum, pro commutatione terræ. Non habens omninò, neque ipse, neque ullus heredum ejus aliquam occasionem repetendi, quòd si repetere præsumserit, anathematis vinculo, agnoscat se arceri, authoritate Petri Apostoli, Beneficium verò, unde res agitur, diversis in locis continetur. Nam in villâ, Luco nomine, ibi terminatur, dimidium mansum; nihilominùs aliud dimidium Vendoverâ villâ; Tasnato unum mansum; Genciniaco unum mansum; Cinciaco unum mansum. Testes sunt hi, quos adnotamus. Signum Widonis Decani. Sign. Hugonis Præpositi. Sign. Odolrici Belmontis, filii Hugonis Comitis. Sign. Walterii. Sign. Odilonis. Sign. Haymo-

nis. Sign. Alerici. Sign. Brunonis Camboni. Sign. Rainaldi. Sign. Rotmari. Sign. Hervæi. Sign. Raineri. Sign. Otberti. Sign. Umberti. Actum publicè Besuâ in Monasterio, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi M. XLIII. Regnante Henrico Rege in Franciâ, Rotberto fratre ejus Burgundiam imperante.

Carta de Gibriaco.

EGo in Dei nomine vocatus Higmarus, notum esse volo cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, & cunctis meis parentibus, ac propinquis, præsentibus ac futuris, quoniam sanctæ Religionis cultor eximius, & Monasterii, quod Besuense vocatur, Almiclavigeri Petri sub nomine, & honore dicatum, Abbas nomine Olgerius, cum pluribus suæ ditionis Monachis adiit fundum nomine Gibriacum, situm in comitatu Oscarensi mecum placitandi gratiâ, pro quibusdam querimoniis, quas inibi contrà eum eram habiturus.

Considerans igitur prædicti Abbatis, & ejus cœnobitarum in Dei servitio innocentiæ puritatem, & per eos placare Deum mihi posse considerans, consultu bonorum hominum, qui aderant, & præmaximè Rotberti Monachi, atque Otberti Militis, necnon Henrici sororii mei, pro Deo & animæ meæ, & patris, & matris, atque omnium parentum meorum requie beatâ, perdono omnem querelam, quam contrà præfatum Abbatem, ejusque Monachos habebam. Servos meos Fulcherium & Albertum, pro quibus calumnia creverat, absque ullo contradictore meâ ex parte dono Deo & sancto Petro, ad Monasterium Besuense monachis ibi degentibus, quoad vixerint servituros, & filios eorum, quos habent, & habituri sunt, omnesque, qui ex ei processuri sunt usque in æternum.

Hanc autem donationis Cartam fratri meo Bernardo, & sorori meæ Evæ confirmare faciam, & filio ejus Odiloni. Si quis verò hanc donationem calumniare conatus fuerit, non evindicet, sed insuper iram superni judicis incurrens, prædicto loco decem libras auri coactus solvat. Actum Gibriaco publicè. Signum Higmari, qui fieri & firmare rogavit. Sign. Bernardi fratris ejus. Sign. Henrici sororii eorum. Sign. Evæ uxoris ejus. Sign. Odilonis filii eorum. Sig. Otberti. Sign. Gisleberti. Sign. item Gisleberti. Sign. Waldrici. Sign. Humberti. Sign. Arnulfi. Signum Widonis. Sign. Walterii. Sign. Otranni.

Carta de Renavis.

EGo Helgerius cum fratre meo Guntardo beneficiis Domni Benedicti, Prioris Besuensis Monasterii & Monachorum ejusdem loci prævocati, pro beneficio, quod dederunt nobis in villâ, quæ Colonica dicitur; dedimus sancto Petro, in villâ, quæ Renavis dicitur, de alodo nostro mansum unum, habentem appendentia decem & octo jugera, & pratum ad tria carra fœni, & usuarium sylvæ, quæ ad eamdem villam pertinet. Ipsa autem terra ex unâ parte villam ingreditur, ex alterâ stratâ publicâ, quæ ad campanias vadit, terminatur: tertia quoque nostro alodo concluditur. Dedimus etiam & alium mansum, in jam dictâ villâ colonicâ, habentem appendentia 6. jugera, & pratum ad unam carradam fœni, & usuarium sylvæ, quæ ad eamdem villam pertinet. Ipsa autem terra ex unâ parte villam ingreditur, ex alterâ, terrâ S. Petri dividitur: tertia terrâ Aremberti determinatur, quarta autem proximo rivo concluditur.

Hanc autem donationem eo tenore fecimus, ut tempore vitæ nostræ, cum prædicto beneficio ipsam terram teneremus, solventes pro ea censum duorum solidorum annuatim in festivitate sancti Petri. Si autem unus ex nobis prior mortuus fuerit, ejus pars statim ad eos revertetur, nisi fortè eorum spontaneâ voluntate, iterum alteri concedatur. Et ut hæc donatio firmior permaneret, hanc Cartam manu nostrâ firmavimus, atque altari sancti Petri superposuimus. Testesque fideles adhibuimus. Signum Guntardi. Sign. Helgerii. Sign. Oddonis. Sign. Rainardi. Sign. Saleconis. Sign. Bernardi. Data 2. Non. Junii.

Carta de Fontinellis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Hildeberga præsentibus, & futuris manifesto, quia filius meus Odilo immaturâ ætate præventus, diem clausit ultimum, qui & sepultus est in cœmeterio sancti Petri Besuensis cœnobii. Pro cujus animâ, simul & meâ, dedi ad ipsum locum, unum mansum apud Fontenellas, quem tenebam lege dotalitii, in quo manebat quidam servus, Hamedeus nomine: eâ ratione, ut quamdiù vivam, usu fructuario teneam, & uno quoque anno, festivitate S. Petri in vestiturâ duodecim denarios persolvam, atque post meum decessum ad dominatum sancti Petri ejusdem loci sine omni contradictione pertineat. Et ut hæc donatio firma permaneat, hanc Cartam ob notitiam posterorum fieri jussi, & manu meâ, cum filio meo Joffredo, coram testibus firmavi, quorum ista sunt nomina. Signum Landrici filii mei. Sign. Hagani Longi. Sign. Girardi Deujustrui. Sign. Humberti de Campanis. Sign. Rotberti de Balenevâ. Sign. Oddonis. Sign. Aldonis Præpositi.

Carta de Gentiniaco.

QUidam Miles Arembertus nomine, de Longo campo, tenens beneficium sancti Petri Besuensis in diversis locis, adiens locum suprà nominatum, reddidit illi quamdam partem, hoc est beneficium, quod situm est in villâ, quæ Ginciniacus vocatur, ad integrum, ita ut neque ipse, neque alius heredum suorum repetere valeant. Istam redditionem fecit præsente Domno Abbate Olgerio, & aliis ex Monasterio ejus adstantibus ante altare sancti Petri.

Carta de Caviniaco.

QUædam mulier, Alburga nomine, in conjugio juncta cuidam Militi, nomine Poncio, dedit, sive, ut quidam putant, reddidit terram, quæ est sita in villâ vocitatâ Caviniaco, quam & antecessor quidam non mediocris nobilitatis progenitus, nomine Gibuinus sancto Petro concesserat, sed ab eâ jure hereditario, sicuti videbatur, taxata, atque retenta fuerat. Signum Olgerii Abbatis. Sign. Moroni Præpositi. Sign. Joannis Prioris, & aliorum multorum.

Carta de Calmontis-villâ.

IN nomine summæ, & individuæ Trinitatis. Notum esse volumus tam præsentibus quàm futuris, quod ego Moronus cognomine, timore Dei, & timore peccaminum meorum tactus, adii Besuense Cœnobium, ubi multorum sanctorum patrocinia continentur, præcipuè sancti Petri Apostolorum Principis, cum collega suo Paulo Apostolo, ubi præesse dignoscebatur Domnus Abbas Olgerius. Ibi ergo adstantibus quibusdam ejusdem Cœnobii Monachis, & fidelibus Christianis Deum timentibus, quorum nomina subtùs annectentur, feci me tonsurari, & Monachum devovi sub normâ Regulæ sancti Benedicti Confessoris permansurum.

Dedi ergo ad prædictum Cœnobium medietatem, quidquid jure hereditatis possidere videbar Calmontis-villâ, vel cæteris circumjacentiis possessionibus,

in pratis, in aquarum decursibus, in sylvis, molendinis, sicut præfatus sum, omnem medietatem per servum nomine Arnaldum, quem dedi sancto Petro, & per ipsum omnes servos, & ancillas tradidi sancto loco, adstipulatione subnixâ. Actum publicè Besuâ Monasterio, Benedicto Præposito adstante, Heldelmanno Monacho, Adelmo Monacho, Oddone Monacho, Girbergâ Comitissâ Fontis-Vennæ, & aliis multis.

Carta de Altrisiaco, Maxiaco, Bodenaco, Lentiliaco.

IN nomine summæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Notum sit omnibus fidelibus, tam vivis, quàm & futuris, quod ego Gibuinus, & neptis mea Eraungardis, tradimus sancto Petro quatuor colonias in vico qui Altrisiacus dicitur, pro remedio animæ fratris mei Hugonis, qui jam dictas colonias adhuc vivens B. Petro destinaverat, cum servis, & ancillis, quorum hæc sunt nomina. Rodulphum cum uxore, & infantibus suis. Abraham & Danninum fratres, cum uxoribus & natis eorum. Orrannum & Laibonem cum uxoribus & cum infantibus eorum. Lambertum cum uxore & infantibus suis. Erbertum qui adhuc erat puer. Concedimus hæc beato Petro liberè cum omnibus appenditiis suis, ut sicut à diebus Gibuini proavi mei, & filii ejus Hugonis, nec non & Hugonis patris mei stetit in nostrâ potestate, sic permaneat in potestate sancti Petri, ab istâ die, & deinceps, pro remedio animæ fratris mei Hugonis, ut ipsi habeant consuetudinem, quam ante habebant, tam in sylvis, quam in pratis, aquis, campis, & cunctis confiniis. Et ut nullus deinceps Major, sive Forestarius, vel Decanus, de potestate Altriaci, hominibus jam dictis vel natis eorum, qui de progenie eorum per succedentia tempora exierint, aliquam molestiam inferre præsumat. Et si per negligentiam acciderit, ut bestiæ istorum hominum sine custode in prato indominicato, vel corvatâ incurrerit, non cogantur per legem emendationem solvere, sed tantummodo æstimationem damni reddant. Hanc eamdem consuetudinem concedimus sancto Petro de duobus curtilibus, quos ante habebat in eâdem villâ. Item damus sancto Petro mansum unum in villâ, quæ Maxiacus dicitur, cum appenditiis suis.

Præterea dimittimus, & abnegamus omnes consuetudines, quas pater meus, & fratres mei, Hugo, & Wido accipiebant in villâ, quæ Bodens dicitur, & in Lentiliaco pro remedio animarum illorum, & nostrarum, excepto corvatam, quam pro sylvâ faciunt. Et si quis heredum meorum (quod minimè futurum esse credo) hæc calumniari tentaverit, repetere non valeat, & in dexterâ Dei Omnipotentis, & authoritate Petri Apostolorum Principis, anathema maranatha fiat. Et ut hæc Carta firma, & stabilis permaneat, manu propriâ firmavi, nepti, & sponso ejus Fulconi, cæterisque fidelibus firmare præcepi. Signum Gibuini. Sig. Fulconis. Sig. Ermingardis. Sig. Bernardi. Sig. Widonis. Archid. Sig. Richardi. Sig. Goffredi. Sign. Widonis. Sig. Odilonis. Sig. Odolrici. Sig. Willenci. Sign. Leubranni. Sig. Milonis, & Golberti, & Humberti, & Lamberti, & Ulgerii.

Carta de Luco.

EOdem tempore quædam mulier Adilina nomine, cum filiis suis Nocherio, & Poncio, dedit unum mansum in villâ, cui cognomen est Luco, cum omnibus appenditiis suis, & censualibus pensionibus, domumque in eo consistentem, & servum nomine Albericum.

Carta de Buxiaco.

SImiliter Ezilinia dedit alodium in vico, cui nomen est Buxiaco, cum omni integritate suâ, appenditiis, colonicis, campis, sylvis, aquis, laudante Kalone filio suo.

Item alia.

ALius quidam homo, Bernardus nomine, dedit quidquid juris sui videbatur esse in finibus Vetus-vineis.

Carta de Longâ Boëllâ.

ITem Bernardus, qui vocatur Francus, dedit sancto Petro 2. jornales de terrâ, in fine quæ vocatur Longa Boëlla.

Alia.

EWardus etiam de Ponto dedit duas petiunculas de prato, in loco, qui vocatur Molonga prata, & duos campos, ad Montannos unum, & alium ad Pontem-villam.

Item alia.

ANna quædam femina, pro sepulturâ suâ dedit sancto Petro unum curtile ad Pontem.

Carta de Mariaco.

BEnignâ mente futuris consulentes sepia membranis imprimere cupimus, quòd Milo, qui dicebatur Bicellus, frater Maioli, cujus cognomen Mazilinus, dederit sancto Petro in Mariaco-villâ, unum mansum cum appenditiis suis, & servum nomine Girardum, cum uxore & infantibus suis.

Carta de Vachiriaco.

ADnotandum credimus futuris, quòd Teto Montis Salionis Miles, tradiderit sancto Petro unum mansum in Vachiriaco quondam vico, sed nunc deserto, simulque servum nomine Ewrino fratre suo.

Carta de Luco.

JUstum arbitramur memoriæ tradere, quòd Hugo Clericus de Launnâ delegaverit S. Petro unum mansum die festivitatis ejusdem generalem Missam celebrantibus senioribus. Publicè itaque accedens ad altare, tradidit donationem circumspiciente populo, affirmans patrem suum Gibuinum, ipsum mansum sibi dedisse die, quo benedicta est ei capitis corona. Est autem ipse mansus in Luco villâ: terra autem ad illum pertinens conjacet in valle, quæ pro fluviolo Vernelâ, qui per eam fluit, Vernevallis dicitur. Signum Olgerii Abbatis. Sig. Hugonis. Sig. Joannis. Sig. Widonis Decani. Sig. Rotberti Presbyteri. Sig. Girardi Clerici.

Eodem tempore Henricus III. Imperator, Burgundiæ Regnum gubernabat, &c. *ut in Chronico S. Benigni.*

Veniens ergo idem Papa ad civitatem Lingonas ordinavit ibi Dom. Arduinum Episcopum pro illo, qui fuerat ejectus. Dumque ibi demoraretur, proferrenturque in medium diversæ diversarum Ecclesiarum disceptationes, ac inter se calumniæ, ut pote ante patrem universalem & Apostolicum rectè, & Canonicè terminandæ; contigit etiam de nobis, & de Canonicis Lingonensibus rationem haberi. Ipsi namque volebant de vineâ nostrâ, quæ est sub Gibriaco decimam habere. Unde cum rationem intellexisset Domnus Papa Leo, erupit in voce, & quid in

in Archivis sanctæ Romanæ Ecclesiæ inde viderat, ostendit dicens. Sanctorum Patrum, qui ante me sanctæ Romanæ sedi præfuerunt, authoritate sancitum est, ut nulla Ecclesia quæ in honore B. Petri Apostolorum Principis sit fundata, alteri Ecclesiæ censum vel decimas persolvat. Cujus rationis & authoritatis pondere repressi ipsi Canonici conticuerunt.

Isdem vero venerabilis Arduinus Episcopus inter cætera beneficia, quæ huic loco contulit, petente Abbate Olgerio, à summo Pontifice Romanæ Ecclesiæ, petiit fieri decretum, in quo continetur, ut nullus præsumat huic Monasterio vim inferre, vel eum in subjectionem cujuscumque Monasterii redigere; & ut nullus audeat infrà unam leuviam à Monasterio vim aliquam inferre: cujus exemplar decreti placuit huic libro inserere, ut audientes discant quantum immineat illis periculum, qui non timent obligari anathematis vinculo per Petri Apostoli Vicarium. Anno Incarnationis Dom. M. LII. Præsidebat sanctæ Romanæ Ecclesiæ Domnus Leo Papa. Cujus hæc sunt verba.

Privilegium Domini Leonis Papæ.

LEo Episcopus, servus servorum Dei, Olgerio Abbati Besuensis Monasterii, tuisque successoribus, perpetuam in Domino salutem.

Convenit Apostolico moderamini piâ Religione pollentibus, benivolâ compassione succurrere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Quapropter inclinati precibus tuis, fili Carissime, decrevimus more Antecessorum nostrorum hoc nostro privilegio Apostolicæ tuitionis, vestro Besuensi Monasterio propter imminentes persequutiones, & propter innumeros casus, qui superveniunt, dignam concedere libertatem. Videlicet ut nulla persona, aut ulla potestas, sive Ecclesiastica, seu sæcularis, super eam audeat dominationem aut potestatem usurpare præter Lingonensem Episcopum, qui ei patrocinetur justè & canonicè.

Sic tamen ut ei non liceat, neque ministris ejus terras aut beneficia Monasterii commutare, vel dare, nec vasa, nec ornamenta, seu volumina subtrahere, aut qualicumque occasione diripere. Omnia verò quæcumque habet vel tenet, vel acquisierit, supradictus locus habeat, & teneat nostrâ Apostolicâ confirmatione jure perpetuo, in cujuscumque Diœcesi sit.

Interdicimus etiam nostrâ authoritate, ut nullus audeat supradicto Monasterio vim inferre, vel eum in subjectionem cujuscumque Monasterii redigere. Raptores, cujuscumque ordinis, vel dignitatis sint, qui res quæ ad suprà nominatum cœnobium pertinent, sive de hominibus, seu de terris, vel de qualibuscumque rebus, unde sustentare, & vivere debent inibi Deo servientes, rapuerint vel substraxerint, ligamus eos ligamine sancti Petri usquequo congruè satisfaciant.

Prohibemus etiam ne infrà unam leuvam à Monasterio liceat alicui aliquem invadere, vel ejus res auferre. Statuentes Apostolicâ censurâ, ne ulla hominum persona magna, vel parva, contrà hoc nostrum privilegium venire pertentet. Quod si fecerit, Apostolico anathemati subjacebit, usque ad dignam satisfactionem. Qui verò se servaverit, benedictionis nostræ gratiâ cumuletur, & æternæ vitæ particeps efficiatur. Datum IV. Nonas Octobris, per manus Petri Diaconi, Bibliothecarii & Cancellarii sanctæ Apostolicæ sedis. Indictione v. anno ab Incarnatione Domini M. LII. Pontificatûs autem Domini Leonis IX. Papæ III.

De obitu Olgeri Abbatis.

DEfuncto igitur Abbate Olgerio, successit in regimine pastoralis officii Abbas Oddo. Quæ autem in diebus ejus data, vel empta sunt in possessione agrorum, non est silendum. Odo Abbas Olgerio successit.

Carta de Vetus-vineis.

QUidam igitur Miles hujus nostræ Religionis, nobili prosapiâ ortus, Olgerius nomine, cum multis aliis loca Hierosolymitana expetiit, sed in revertendo post multa pericula pro Christo tolerata, felici, ut credimus obitu, lucem præsentis vitæ reliquit.

Præsentibus autem conviatoribus, & audientibus, sancto Petro Besuæ, & ejus Monachis, apud Vetus-vineas unum mansum vestitum cum servo in eo habitante, nomine Arnaldo delegavit, ita sicut pater ipsius Arnaldi vocabulo Ademarus usque in diem mortis suæ tenuit, & eidem filio suo Arnaldo dimisit. Uxorem etiam ejus nomine Tedindem cum filiis, & filiabus simul cum eo dari jussit; pariterque parmas, quas testes peregrinationis suæ, à Jerico tulerat; altari superponi rogavit. Quam donationem conjux ejus Tetburgis appellata, & filii ejus libenti animo laudaverunt, & suos homines laudare compulerunt. Debet verò iste mansus porcum, & arietem, sex panes, & tres sextarios vini, carroperam, & omnes consuetudines, quas dominis persolvere debent servi. Quos suos protulerunt testes, signamus calamo omnes. Signum Tetburgis conjugis ejus. Sig. Henrici, & Ulrici filiorum ejus. Signum Tetbaldi. Signum Aidonis, & Formaldi, & Nerduini, & Humberti, & Nerduini juvenis, & Widonis Decani. Sig. Hugonis Præpositi. Sig. Rotberti Presbyteri. Sig. Joannis. Sig. Arengerii, & omnium servorum ipsius apud mansiones commorantium.

Carta de Altrisiaco, & Villare, & Cinciaco.

ALius quidam Miles nomine Humbertus, omni prolis fiduciâ destitutus, tradidit Deo, & sancto Petro ad locum Besuensem sanus & incolumis existens, omnem hereditatem alodii sui, quæ jure paterno cesserat, absque contradictione hominis ullius. Divisus enim erat jam à fratribus suis, Hugone, & Ulrico, & unusquisque partem suam singillatim separaverat à fratre suo. Quam donationem ad mortem perductus iteratò confirmavit, & calumniatores æternæ maledictioni, in ipsâ mortis horâ obligavit. Omnem partem alodii in Altrisiacensi villâ, cum omnibus consuetudinibus in omni potestate Altrejacâ, in sylvis, in campis, in pratis. Apud villare etiam omnem partem suæ hereditatis, sicut ipse in vitâ suâ tenuit. Nova casa, cunctum suum alodum, sicut ipse possederat. In Cinciaco verò similiter alodum suum, cum omni consuetudine, in aquis, in campis, in pratis, in sylvis. Calmetis, nec non totum suum alodum, sicut ipse possidit. Romaniaca etiam, & Ponto, cunctum alodum cum omni consuetudine in aquis, in pratis, in campis, in sylvis. Est etiam ibi molendinum unum, cujus tertiam partem sancto Petro tradidit. Beriæ etiam omnem partem alodi sui, in aquis, in campis, in pratis, in sylvis. In Comitatu Assensi, in villâ quæ dicitur Velmniaco, & in Villari Corcellis. Bretoneria omnem alodum suum, cum omnibus appenditiis in campis, in pratis, in aquis, in sylvis. Signum Domni Oddonis Abbatis. Sig. Moroni Monachi. Sig. Hugonis Monachi. Sing. Theoderici Monachi. Sig. Willelmi Comitis. Sig. Fulconis senioris Pellimontis.

Sig. Gilleberti senioris Reseiæ. Sig. Wallonis senioris Periæ. Sig. Odilonis. Sig. Willenci. Sig. Landrici. Sig. Widrici. Sig. Rodulphi, & Olgerii fratris ejus. Sig. Widonis. Sig. Tetzilini. Sig. Rotberti. Sig. Bernonis, Sig. Heraldi. Sig. Girardi. Sig. Isamberti. Sig. Hugonis. Hanc donationem frater ipsius Humberti Hugo coram omni populo laudavit, & omnem partem suam ex ipso alodo, quia tantumdem habet post mortem suam, sancto Petro concessit.

Carta de Mornado.

NOverint omnes præsentes, & futuri, quia quidam Miles, Rotbertus nomine, pro timore & amore Dei delegavit ad locum sancti Petri Besuensis Monasterii, quoddam mansum, quod quædam matrona, nomine Ermengardis, & filius ejus Odricus Clericus, destinaverant. Conjacet autem mansum illud in Mornado villâ, & habet ad se terras pertinentes, cultas, & incultas, servos, & liberos in eis manentes, prata, pomiferas arbores, & aquarum cursus & recursus, quæ omnia ad jam dictum locum sancti Petri destinavit, atque restituit. Et ut ex meliori voluntate hoc factum esset, accepit à Monachis ipsius loci caballum unum, & societatem in omnibus benefactis eorum, & ex inde hanc Cartam fieri curavit, quam propriâ manu firmavit, & amicis atque parentibus suis tradidit firmandam atque laudandam. Actum Besuensi Monasterio publicè VI. Idus Februarii. Signum Rotberti, qui hanc Cartam fieri mandavit. Sig. Oddonis. Signum Goffredi. Sig. Achardi, & aliorum multorum.

Carta de Genevreriis.

QUædam mulier Sufisia nomine, pro remedio animæ filii sui Widonis, quem ex Gisleberto suscepit, dedit unum mansum sancto Petro, in villa Belmontis cum omnibus appenditiis suis, & habet omnem consuetudinem in campo, in aquâ, in sylvâ. Servum etiam in eo habitantem, nomine Martinum. Alterum mansum apud Genevrerias, cum omnibus appenditiis suis habentem consuetudinem in campo, in aquâ, in sylvâ; eâ conventione ut 15. jornales arabiles de alodo suo in fine ejusdem villæ eidem manso ad perficiendum quod minus habebat, adderet. Servum quoque in eodem commorantem, nomine Albericum, cum uxore Fratburge appellatâ, cum infantibus suis. Et ut perpetuali fulcimento perduraret eleemosyna, horum testium subtùs inscribi rogavit nomina. Signum Sufisiæ. Signum Æduini patrasti ejus. Signum Warnerii mariti sororis ejus. Sig. Domni Oddonis Abbatis. Sig. Moronis Monachi, & aliorum multorum.

Carta de Mariaco.

MAnifestum etiam esse volumus modernis, & successuris, quod quidam Miles, nomine Sewaldus ex monte Salgone, dederit sancto Petro pro redemptione animæ fratris sui Eliranni, unum mansum apud Mariacum villam prope Tilecastrum, cum omnibus appenditiis suis, simulque unum servum, nomine Odilardum. Sig. Sewaldi. Sig. Domni Oddonis Abbatis. Sig. Moroni. Sig. Petri. Sig. Pontii Militis.

Carta de Flaciaco.

NOtum esse volumus omnibus post nos futuris, quòd quidam Miles, nomine Sigefredus dederit sancto Petro ad extrema perductus, 2. mansos apud Flaciacum villam. In uno quidem Erbertus manebat ejus servus, & debet festivitate Omnium Sanctorum dimidium sextarium vini: Nativitate autem Domini unum sextarium vini, duos panes, & duas gallinas: alius verò in eâdem villâ conjacet desertus. Tradidit etiam 10. diurnales terræ in finibus ejusdem villæ, ad eosdem mansos pertinentes, cum pratis, sylvis, & omnibus appenditiis suis. Signum Ruzindis uxoris Rotberti, fratris ejusdem Sigifredi, quæ hanc donationem loco ipsius Sigifregi super altare posuit. Signum Oddonis fratris Mazilini. Sig. Willerii. Sig. Amalrici. Sig. Petri Clerici.

Carta de Bodens, & de Lentileio.

DIvinâ authoritate inspiratâ nobilis matrona, Ermengardis nomine, sanctum Petrum sibi fecit heredem, omnesque fratres Besuensis Monasterii Deo, ac ipsi summo Apostolorum Principi servientibus, suis usibus admisit, reddens illis salvamentum de Bodens, & de Lentileio, atque de cunctis quæ ad ipsum salvamentum pertinent, pro remedio animæ suæ, ac senioris sui Hugonis, filiique sui Widonis, qui tunc fuerat defunctus, quique ipsum salvamentum post mortem patris jure hereditario possidebat. Cujus rei cooperatores fuerunt filii ipsius, Hugo videlicet, & Nerduinus, simul Gibuinus qui adhuc vitâ perfruebantur. Et ut hæc traditio nota fiat futuris, sicut est præsentibus, scripto mandare fecit, ut quod post mortem testare non poterat, testetur Carta servata, in ipsius Monasterii arcario. Hanc ergo, ut inconvulsa permaneat, testibus adhibitis subscripsit manu propriâ. Ermengardis subscripsit, Hugo, Nerduinus, Gibuinus. Hi sunt testes.

Carta de Buxiaco.

NOtum sit omnibus tam præsentibus quàm futuris, quod Gertrudis uxor Girardi Militis de castro Fontis-Vennæ, cum filiis suis Girardo & Humberto, tradidit unum mansum pro redemptione animæ præscripti mariti sui, & filiorum suorum, ab ipso jam donatione factâ sancto Petro Besuensi in villâ, cui vocabulum est Buxiacus, ad integrum sicut tenere videbatur Rotbertus Major, cum ipso videlicet Rotberto, & uxore, & filiis, cum omnibus quæ ad ipsum mansum pertinent, tam in terris, quàm sylvis, & in pratis, vel in pascuis, sive in aquis. Et ut hæc donatio in perpetuum firma sit, & stabilis, his subscriptis testibus firmavit, & firmare rogavit. Hi sunt, Aymo, Olgerius, Joffredus, Librandus, Oddo, Arlebaldus, Wido, Aldo. Reddidit etiam unum mansum, quod dudum sancti Petri alodus fuerat, in villâ Patriniaco, acceptis pro pretio duobus militantium instrumentis, quæ vulgò dicuntur Helmum, & Osbergum.

Carta de Moringas, & Mornado.

NOtum sit præsentibus, & futuris, Richardum de Belmonte quamdam terram sitam inter Moringas, & Mornadas villas, ad Abbatiam sancti Petri Besuensis Monasterii pertinentem, diù calumniasse mulieris suæ ex parte, & multa præjudicio abstulisse. Quam calumniam Monachi sancti Petri satisfactionis causâ sæpe voluerunt juramento, vel quâlibet lege determinare, cum præfatus Richardus Dei nutu aspiratus, eamdem calumniam, sive justa, sive injusta esset, sancto Petro donavit, præsentibus senioribus loci sub stipulatione super altare positâ. Ego Richardus cum uxore meâ Wandelmode firmavimus, & testibus roborandam tradidimus. Signum Widonis Decani. Sig. Al-

donis. Sig. Benedicti Monachi. Sig. Heldemni. Sig. Alberti.

Carta de S. Mauricio.

NOtum facimus caritati fidelium, quia Miles quidam, nomine Herembertus, diù languoris molestiis pressus, tandem cum sibi finem vitæ imminere sentiret, ad memoriam beatorum Apostolorum Petri & Pauli, in Besuensi loco se sepeliri rogavit, quod & factum est. Pro cujus animæ absolutione pater ejus, nomine Oddo eidem loco dimidium mansum cum dimidiâ mansione, quia partem alteram frater ejus cum manso tenebat in villâ, quæ dicitur ad sanctum Mauricium cum terris adjacentibus, pratis, & sylvâ. In ipsâ, & in alterâ villâ Romania nominata, cum legali traditione dedit, & manu testium corroborari fecit; quorum ista sunt nomina. Hugo, Theodericus, Alelmus, Joannes, alter Hugo, Teudinus, Hemma. Quem ipse in brevi tempore subsequutus, non solùm apud eumdem locum est sepultus, sed etiam sicut petierat, Monachili habitu indutus, hujus vitæ in bono fine diem clausit. Post cujus obitum nos unum fœdiolum, quem tenebamus, filio ejus dedimus, & tria jugera in commutatione accepimus, & nostris terris junximus, & duobus hominibus sub servitio manendum dedimus, ex quibus unus servus ejus & loco dedit.

Carta de Tasnato, & Germanico.

MAnifestum esse volumus tam præsentibus, quàm futuris, quòd quidam Miles nomine Walo pro redemptione animæ conjugis suæ, vocabulo Addilæ, dedit sancto Petro unum mansum alodi apud Tasnatum, & alium apud Germaniacum, qui persolvit in debito census dimidiam heminam frumenti, dimidiam heminam avenæ, unum sextarium vini, unum porcum pretii 6. denariorum, quinque denarios pro censu prati, unam rotam & unum bovem tempore vindemiæ. Dedit etiam servos Hunaldum cum uxore, & infantibus suis, & Mainerdum, & medietatem infantum ejus, absque ullâ calumniâ. Et ut hæc donatio perpetuum obtineret vigorem, litteris petiit notum fieri, & testibus corroborari. Signum Wallonis. Signum Fulconis. Signum Odilonis. Signum Milonis. Signum Warnerii. Signum Widonis. Signum Henrici. Signum Widrici. Signum Warnerii.

Carta de Colonicâ villâ.

NOtum esse volumus omnibus fidelibus tam futuris, quàm præsentibus, quòd quidam Miles, Gontardus nomine, cum fratre suo Helgerio, nos adierit deprecans, ut eis aliquid daremus de terrâ sancti Petri in beneficio, promittentes se omnimodis in servitio S. Petri, & nostro fideliter permansuros. Quod cum diù peterent, victi eorum precibus dedimus eis quidquid sanctus Petrus in villâ, quæ Colonica dicitur, habebat, quam dudum tenuerat frater eorum Henricus cum Ecclesiâ in ipsâ villâ positâ, indicentes eis annuatim in festivitate sancti Petri censum duorum solidorum: eo scilicet tenore ut tempore vitæ suæ idipsum, quod dedimus tenerent, post decessum verò eorum ad jus sancti Petri, & Monachorum ejus rediret; ita ut nullus posterorum eorum ullo modo ex eo se intermitteret, nisi spontaneâ voluntate, vel amicabili Abbatis, aut Monachorum ejusdem loci concessione. Si autem unus ex eis prior mortuus fuerit, ejus pars statim ad nos revertatur: nisi fortè nostrâ spontaneâ voluntate iterum ei concessum fuerit. Ut autem hæ convenientiæ firmiùs permanerent, hanc Cartam manu suâ firmaverunt, testesque fideles adhibuerunt. Signum Gontardi. Signum Helgerii. Signum Rainardi. Signum Saleconis. Signum Bernardi. Data II. Non. Junii.

Carta de Lu.

NOtitia, quam Bernardus Belmontis, & nepos ejus defunctus, nomine Richardus, fecerunt sancto Petro Besuensi de terrâ quâdam cumjacente in fine villulæ, quæ vocatur Lu sancti Martini: in ipsius finibus dedit mansum unum, 9. jornales habens de terrâ arabili, cum duobus servis.

Carta de Villâ curte.

QUidam Miles, nomine Stephanus, in gravi infirmitate decidens, adivit Monasterium, quod in honore Principis Apostolorum est consecratum, quod dicitur Besua, ibique ob remedium animæ suæ tradidit ad ipsum locum unum mansum, qui est in villâ quæ Curtis dicitur, & 4. jornales de terrâ in campo, qui appellatur Festilliacus, cum servo nomine Gaudio, & est de ambabus partibus terra Gislerii. Cujus cooperatores sunt filii sui, Wido, Walterius, Hugo & uxor sua, nomine Fera in cujus dotalitio erat ipsa terra, quam reddidit ei. Et ut hæc donatio ejus nota fiat posteris hanc Cartulam fieri jussit, & super altare sancti Petri posuit, testibusque roborandam tradidit. Ego Stephanus subscripsi. Sig. Widonis filii mei. Signum Walterii filii mei. Sig. Hugonis filii mei. Sig. Aymonis. Sig. Widonis. Sig. Milonis.

Item Alia.

ALii verò duo Milites, Adunus, & Milo frater ejus, & Teburgis soror eorum, tradiderunt Deo, & sancto Petro Girbergam cum infantibus suis. Et ut hæc donatio eorum nulli calumniæ pateat, in conventu publico statuerunt decretum, ut nullus heredum eorum nullam partem jure hereditario violentiam inferat. Quòd si fecerit, excommunicationis vindictam solvat. Aduinus & frater ejus firmaverunt hanc Cartulam. Signum Sophiæ. Signum Teburgis. Sig. Widonis Archipresbyteri. Sig. Lezelini. Sig. Hugonis Præpositi, & totius familiæ. Actum publicè Monasterio Besuensi, præsente Domino Oddone Abbate.

Item Alia.

SImiliter & Humbertus, & conjux ejus, & filii, qui injustè conabantur detinere servum sancti Petri, Fuldradum scilicet, & conjugem ejus, nomine Richeldem, & filios eorum, dimiserunt eos liberos, quatinùs ad proprium dominum cœlestem Clavigerum redeant.

Carta de quâdam vineâ.

ITem Samson de Vadonâ, & uxor ejus dederunt, Deo & S. Petro unum jugerum de vineâ in loco, qui dicitur Adalechassana. Item in alio loco, ad Austivacca dicto, duo. Testes donationis hi sunt: Sylvester Mon. suscepit, Grimaldus villicus. Harbertus.

Carta de Mariaco.

DOda etiam de Mariaco, consentiente viro suo, Jocero, dedit unum pratum habentem ad summum exclusam molendini ejusdem villæ, sancto Petro, nec non Monachis ibidem Deo servientibus. Hujus autem donationis, quam vivâ voce fecit, vivos testes adhibuit; quorum nomina hæc sunt, Folradus, Nero, Grimaldus, Lambertus.

Carta de Icio.

NOtificamus modernis, & successuris, quod Hildeberga soror Ærlei sapientis Clerici, delegavit sancto Petro mansum unum in villâ, cui nomen Icio, & unius diei arationem in fines ejusdem villæ ad eumdem pertinentem; eo tenore, ut in eo consistens homo; & excolens eum, cui nomen Jordanius, liber tamen, ut censum, quod sibi reddere consueverat, Monachis persolvat. Insuper etiam unam ancillam, quæ vocatur Raimburgis, solitum capitis sui duorum denariorum omni anno redditurum debitum. Testes hujus donationis sunt hi. Robertus, Widricus, Joannes, Hugo.

Item alia.

HIldesendis sanctimonialis dedit sancto Petro puellam quamdam, nomine Osannam, filiam Humberti, & Retrudis.

Item alia.

ALtrudis etiam nobilissima fœmina mater Aduini, & Milonis dedit sancto Petro uxorem Ulrici Presbyteri Granantis-villæ, Girburgam nomine, cum infantibus suis.

Carta de Buxiaco.

NOtum sit omnibus tam præsentibus, quàm futuris, quod Betta uxor Hermuini Militis, cum filiis suis tradidit unum mansum pro redemptione animæ præscripti mariti sancto Petro Besuensi in villâ, cui vocabulum est Buxiacus ad integrum, sicut tenuit Lambertus Major, cum omnibus quæ ad ipsum mansum pertinent, tam in terris, quàm in sylvis, & in pratis, vel in pascuis, sive in aquis. Et ut hæc donatio in perpetuum firma sit & stabilis, his subscriptis testibus firmavit. Hi sunt: Wido, Aldo, Gonterius, Otbertus.

Carta de Pruncethel.

SImiliter Sejuvoldus & Ida conjux ejus, dederunt sancto Petro Besuensis Cœnobii, mansum unum, cui terræ arabilis 9. jugera adjacent, & pratum unum, ex quo 2. carratæ fœni possunt per singulos annos colligi, in loco, qui Pruncethel vocatur. Eâ videlicet ratione, ut quidquid exinde facere Monachi ejusdem loci voluerint, libero in omnibus potiantur arbitrio faciendi. Testes verò hujus donationis hìc sunt subnotati, Albertus Monachus, Odo, Rotbertus Sacerdos, Dares, Joannes cocus.

Carta de Vetus-vineis.

AYmo etiam de Vetus-vineis natus, frater Widonis, & Waroni Monachi alodum suum in ipsâ villâ existentem sancto Petro dedit, & cum filio suo Widone super altare sancti Petri posuit, & filiam suam Gertrudam laudare fecit. Signum Domni Odonis Abbatis. Signum Girardi. Signum Ulrici.

Carta de Flaciaco.

QUidam Archidiaconus, Ærleius nomine, Canonicus sancti Mammetis, dedit sancto Petro unum mansum, in villâ, quæ Flaciacus dicitur cum suis appenditiis pro remedio animæ fratris sui Milonis. Addidit etiam unum servum, binaque tapetia mirifici operis & enormis magnitudinis. Ne verò per succedentia tempora ab aliquâ oppositâ personâ quivisset frustrari, rogavit propinquos & circumstantes hujus donationis Cartam manu propriâ, testimonioque firmare. Signum Ærleii. Signum Odonis. Signum Joannis Prioris. Signum Widonis Decani.

Carta de Dalaimâ.

NOtum facimus præsentibus, & futuris, quod Hugo summæ probitatis Canonicus, ædificator Monasterii sanctæ MARIÆ Lagonniacensis, dedit sancto Petro suam partem de omni alodo patris sui apud Dalaimam villam situm, laudantibus fratribus suis, & nepotibus. Signum Hugonis. Sig. Ottonis. Sig. Radaldi. Sig. Petri.

Carta de Luco.

NOtificamus quibusque modernis & successuris, quod quædam mulier nomine Helizabeth filia Willerii, ex Campanis villâ, nuperrimâ viri sui Ozilini morte destituta, adierit Besuense Monasterium, tradideritque sancto Petro unum mansum in villâ, quæ vocabulum est Luco, congruum valde, & oportunum cum suis appenditiis. Signum Helizabeth. Signum Ezilinæ matris ejus. Signum Hugonis, & Radalonis fratrum ejus Monachorum.

Carta de Blaniaco.

MAnifestum iri cupimus, quòd quidam nomine Rainardus ex villâ Varonâ natus, concessit sancto Petro alodum, quod ipse dudum in Blaniaco villâ comparaverat, pro abolitione suorum criminum. Cujus donationem eleemosynæ fratres ipsius, Sewinus Clericus, & Albericus, benignè annuentes, feretro impositum corpus ejus deducentes ad Monasterium, firmiter stabilierunt, & ad altare vice ipsius, sancto, & fratribus delegaverunt, & subnixis testimoniis coram omnibus roboraverunt. Signum Sewini. Signum Alberici. Sig. Vilrici Militis.

Carta de Busciaco, Lujato, Luco.

SCripto etiam volumus digerere, quòd Helizabet, quæ etiam Liezilina cognominata est, mater Hugonis Monachi, dederit sancto Petro in villâ Busciaco dictâ, unum mansum cum colonicâ suâ, & cæteros mansos ad ipsum pertinentes, cum colonicis suis, & omnibus appenditiis suis, in campis, in sylvis, in pratis, in aquis, in aquarum decursibus, in piscatoriis, sive in eadem villa, sive in aliis eidem adjacentibus, id est, Lujato, Luco, Dalaimâ, vel ubicumque ipsa terra conjacet, ex integro, cum consensu filiorum suorum, atque fratrum suorum, tradidit Deo, & sancto Petro, in præsentiâ universorum Monachorum. Signum Hugonis Monachi filii ejus, Richardi filii ejus, Bernardi fratris ejus.

Carta de duabus Prabendis sancti Gengulfi.

HEnricus igitur Rex Francorum cum jam morbo & senectute premeretur, Philippum filium suum congregatis Francorum primoribus, cunctorum consilio, consortem sibi totius Regni constituit, impositoque capiti ejus diademate, Regem jussit appellari. Henricus Rex filium Philippum inaugurari jussit.

Anno autem primo Regni ejus Domnus Arduinus Lingonensis Episcopus pro solo orationum præmio, dedit sancto, ac Besuensi Congregationi, laudantibus cunctis Canonicis, duas præbendas, quantum accipitur à duobus Canonicis, sicut hìc demonstrabimus. 1060.

Priscorum felix solertia hoc salutiferum remedium providere studuit succedentibus sibi, ut quod non poterant tempora meantia mandare posteris, allegarent apicibus, authoritate fultis illius Principis, sub cujus præsentiâ firmatio foret cum scriptione cartis,

aut impressione sigilli. Quod & nos providentes, Ecclesiæ nostræ filiis, & sancti Mammetis sacræ concioni fore commodi, qualiter unanimes sint effecti, litteris adnotamus juxtà tenorem utriusque partis.

Largitione itaque famosi Hugonis Præsulis Lingonensis, Ecclesiæ Besuensi attributa est Ecclesia sancti Gengulfi, pariterque stipendium, quod consequebatur is qui famulabatur in loco deserviens liminaribus sacris.

Non hæc solummodo venerabilis Episcopus contradidit, quæ prædiximus, verùm etiam villam quæ vocatur Bannus, jure perpetuo concessit. Quod postea quidam indignè ferentes exemptum rebus humanis, antequàm venerabilis Arduinus decoraretur sede Pontificali, auxilio fulti Girardi Præpositi sua procurantes, non quæ JESU-CHRISTI, redegerunt in potestatem, ut possessum fuerat priùs ab eis. Quod venerabilis Arduinus infulâ Pontificali jam insignitus ut cognovit, compati cœpit, pietateque quâ affluebat, universam congregationem rogare cœpit, ut qui villam abstulerant, quam prædecessor contulerat, saltem misererentur Deo servientibus inibi, & aliquam rem providerent, ex quo sustentari possent Ecclesiæ alumni. Exegit denique ab eis in præsentiâ Alberonis Abbatis Divionensis, laudantibus cunctis Canonicis, ut bis edentibus supradictis Canonicis quantum percipiebatur à duobus ex illis, tantum susciperent & ipsi Monachi, videlicet manè & serò, & si semel cibum sumserint, eodem modo, quo & suprà quantitas tribuatur panis, & vini, ut accipitur à duobus Canonicis.

Quia verò pecunia tunc defuit, quâ debebatur consuetudinariâ lege cibus præberi universis Ecclesiæ filiis, conditione usi sunt tali, ratumque visum est cunctis, ut susciperent societatem, quæ offerebatur illis pro commutatione cibi: eo tenore, ut si aliquis nuntiaretur exuisse hominem, taliter celebraretur dies depositionis à Monachis, sicut consueverunt pro cunctis congregationibus sibi conjunctis. Insuper & nomina eorum inscriberentur cum nominibus fratrum, quo agnosci posset dies eorum anniversarii, & celebrari à cunctis. Et ut hæc quæ diximus firmiùs teneantur, à nostris eadem & ipsi laudavere agere pro nostris.

Ne quando ergo aboleatur in succedentibus schedis quæ conscripsimus, præsente viro venerabili Arduino Episcopo hujus sanctæ sedis, subtus adnotamus ejusdem jussione Præsulis nomina vivorum, qui interfuerunt; conditione tali. Sign. ejusdem Arduini Episcopi. Sign. Willenci Archidiaconi. Sig. Rainardi, qui cognominatus est Hugo S. Rogeri Thesaurarii. Sig. Ewardi Decani. Sig. Ærlei Archid. Sig. Girardi Archidiac. Sig. Warneri. S. Gybuini. Sig. Hildegari. Sig. Milonis de sancto Lupo. Sign. Emmarrici. Signum insuper omnium Canonicorum, qui unanimiter laudaverunt in capitulo. Actum Lingonis, anno Incarnationis Domini M. LVIIII. Ind. XII. Epactâ IV. Quicumque autem hoc violare præsumserint, vel aliquid abstulerint sancto Petro, rectoribusque Besuensis cœnobii contraire conati fuerint, authoritate omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, beati quoque Petri, omniumque sanctorum, & nostrâ sint excommunicati, anathematizati, & à sorte justorum expulsi, & æternaliter, nisi dignè satisfaciendo emendaverint, damnati. Signum Oddonis Abbatis, & omnium Monachorum ipsius cœnobii.

Carta de villâ Coriaut.

NOtum sit omnibus præsentibus & futuris, quod Berno villicus Janlint villæ, quoddam alodum juris sui, quod jacet in villâ Coriaut dicta, eâ conditione dedit S. Petro, & propriâ manu super altare misit, ut ipsius alodi usuarium fructum retineret tempore vitæ suæ: post discessum verò vitæ suæ ad locum sancti Petri rediret cum omni integritate. Hujus donationis, quam vivâ voce fecit, vivos testes adhibuit; quorum nomina hæc sunt: Odilo Præpositus, Rodulfus, Bado, Aldo, Ewardus.

Carta de vineâ, quæ est in Brisconâ.

ALbordis matrona pro remedio animæ quondam senioris sui, nomine Eremberti, consentiente fratre ejus Ozelino nomine, tradidit sancto Petro Besuensis cœnobii vineam, quæ appellatur Clausmors, in villâ, quæ Briscona vocatur.

Carta de Vetus-vineis.

ITem Alburgis filia Willenci fratris Hugonis senioris castri Belmontis, quidquid in villâ Vetusvineas habebat in pratis, campis, sylvis, pariterque servos Widonem, Theodericum, Bilinamque sororem eorum, tresque alias ancillas, Heldegardam, Evizaidam, & Teodradam sancto Petro dedit perpetualiter possidendas. Sig. Pontii senioris ejus. Widonis Militis. Walterii Militis.

Carta de Moringis.

ADnotandum credimus futuris, quod Willencus dedit Deo, & sancto Petro 2. mansos in Moringis vico cum omnibus appenditiis suis, & servum nomine Ulricum cum uxore, & infantibus suis. Et ut hæc donatio perpetuam firmitatem obtineat, signatorum nomina subtùs demonstrat scheda. Sign. Pontii filii ejus, Fulconis, Odilonis, Bernonis Clerici.

Carta de Condilico.

NOtificamus modernis quibusque, & futuris, quod Helvindis quædam matrona, dederit sancto Petro pro Walterio marito suo, qui vocabatur Albus, unum mansum apud Condiliacum, & servum nomine Erimbertum. Signum Gisleberti, Hugonis, Willerii, Mauricii filii ejusdem dominæ.

Carta de Vaunnâ.

EAdem videlicet Helvidis tradidit post primam donationem sancto Petro unum mansum apud Vaunnam pro ipso Mauricio filio suo, quem ex præfato Walterio habuerat. Qui scilicet mansus ita liber est ab omni consuetudine alicujus hominis, ut non dux, vel ministeriales sui in eo aliquid requirere possint, ab aliorum etiam principum vel hominum exactione omninò extraneus sit. Dedit quoque servum nomine Richardum. S. Haymonis filii ejus Gisleberti.

Carta de Creponensi villâ.

VOlumus quosque præsentes & futuros scire, quòd Rainaldus de Autriaco delegaverit sancto Petro unum mansum apud Creponensem vicum cum omnibus appenditiis suis, qui debet ministeriali Fontanæ potestatis, singulis annis unum denarium; si tamen homo in ipso manens, sylvam ipsius potestatis frequentaverit. Sig. Rainardi, Odilonis, Odonis.

Carta de Fontanellis.

EJusdem Rainardi consilio, & exemplo provocatus quidam sobrinus ejus Oddo qui appellabatur Gibbosus, dedit & ipse sancto Petro quidquid alodi in vico Fontanellas vocitato, habebat. Signum Oddonis, Odilonis, Rainardi.

Carta de Buciaco vico.

CLarum esse cupimus omnibus, quod Arlebaldus & Odo fratres, concesserunt sancto Petro unum campum quindecim jugerum in Buciaco vico. Signum Domni Odonis Abbatis, Moroni, Benedicti.

Carta de Flaciaco.

MAnifestum iri optamus tam præsentibus, quàm futuris, quod Odilina, mater Pontii de Besoëta, attribuit sancto Petro unum mansum in Flaciaco. Signum Pontii, Hugonis Præpositi, Joannis.

Carta de Lisciaco.

PAtere volumus cunctis præsentibus & futuris, quod Wido de Lisciaco, dedit sancto Petro apud eumdem vicum Lisciacum, unum mansum, cum omnibus appenditiis suis. Dedit etiam sedem molini, ubi ipse molinus construeretur, cum uno servo, nomine Drogone; reddidit quoque servum quem ante pro fratre suo Anserico dederat, cui nomen Odo. Signum Odilonis, Anserici, Hugonis Præpositi.

Carta de Moringis.

COgnitio, quòd Aduinus tradidit sancto Petro pro Milone fratre suo, qui vocabatur Albus, quamdam partem alodi, quem habebat in vico, Moringas nominato; eo tenore, ut post excessum suum alia pars in dominicatum Monachorum deveniret. Dedit quoque servum, nomine Ærbertum. Necnon ante donaverat pro matre suâ, Altrudi nominatâ, uxorem Ulrici Presbyteri Granantis villæ, cum omnibus infantibus suis. Signum Aduini, Henrici filii ejus, Æremberti.

Carta de Donno Apro.

NOtum iri volumus omnibus, quòd Hugo Lanfredi curtis concessit sancto Petro unum mansum in villâ, quæ vocatur ad Domnum Aprum propter Ecclesiam, quæ in eâdem villâ constructa est in honore sancti Apri. Dedit quoque servum in eo manentem cum uxore, & infantibus suis. Sign. Landrici filii ejus, Hugonis filii ejus, Odonis.

Carta de Arciaco villâ.

TRadimus litteris ad posterorum memoriam, quòd Odo Clericus de Gimellis, concessit sancto Petro unam villam in Arciaco villâ; pro Dodone fratre suo. Signum Odonis, Bernardi, Beraldi.

Carta de Beriâ.

APertum esse desideramus omnibus sequuturis, quòd Aduinus de Beriâ, tradidit sancto Petro unum mansum apud eamdem Beriæ villam, cum omnibus appenditiis suis, & unum servum nomine Algrinum. Sign. Walonis, Warnerii, Milonis.

Item Alia.

SCire volumus quosque tam modernos quàm futuros, quòd Walo concessit sancto Petro unum mansum in Beriâ, cum appenditiis suis, & unum servum nomine Hugonem de Vado, cum uxore, & fantibus suis. Signum Aldonis, cujus nomen Rusticellus, Milonis, Maioli, cognomento Mazilinus.

Carta de Nogdanti Villâ.

OMnibus cognitum iri cupimus, quod Hildelerius delegavit sancto Petro pro filio suo Widone apud sanctum Julianum à balistrario occiso, unum mansum in Nogdanti villâ cum appenditiis suis, & consuetudinibus; pariterque duas ancillas, quæ erant sorores. Signum Odonis, Walterii, Bernardi, Beraldi.

Carta de Albiniaco villâ.

IDem quoque Hildelerius concessit sancto Petro in villâ Albiniacensi, quæ est in comitatu Divionensi, pro uxore suâ duos mansos, cum appenditiis suis, in terris, campis, pratis, sylvis, pascuis. Signum Odonis, Walterii.

Carta de Pinriaco.

CLarescere volumus cunctis, quod Milo de Bellomonte concessit sancto Petro pro uxore suâ, unum mansum in Pinriaco vico cum appenditiis suis, & unum servum nomine Ewardum, cum sorore suâ. Signum Milonis, Fulconis, Odilonis.

Carta de Campanis villâ.

HOc etiam ad monimentum futurorum pandere volumus, quòd Gislebertus de Resciâ concessit sancto Petro pro uxore suâ unum mansum in Campanis villâ cum omnibus appenditiis suis, simulque servum nomine Lotzelmum. Signum Frodonis, Widrici.

Item Alia.

CUnctorum notitiæ patere volumus, quòd Odo Montis-Salionis senior, dedit sancto Petro pro Hugone fratre suo, unum mansum in eâdem Campanis villâ cum appenditiis suis, pariterque servum nomine Lozuinum. Signum Pontii, Hugonis, Arlebaldi.

Carta de Genciniaco.

MAnifestare justum duximus, quòd Walo de Scuviliaco, dedit sancto Petro prædecessoribus suis, unum mansum cum appenditiis suis, in Gencinniaco villâ, & servum nomine Isembardum, cum sorore suâ. Signum D. Odonis Abbatis. Moroni, Benedicti.

Carta de Nogdanti.

OPeræ pretium duximus literis tradere, quòd Hilderius, quem præfati sumus, dedit sancto Petro pro filiâ suâ, uxore scilicet Odonis qui dicebatur Vetulus, unum mansum in villâ prænominatâ Nogdanti, cum unâ ancillâ. Signum Odonis, Bernardi, Beraldi, Walterii.

Carta de Vaurâ.

PAndi volumus modernis & futuris, quòd Hugo Rufus, tradidit sancto Petro pro Humberto patre suo, filio Hildebranni, duos mansos cum appenditiis suis, in villâ quæ dicitur Vaura, cum servo. Signum Formaldi, Theoderici, Bernardi, Beraldi.

Item Alia.

HOc quoque incausto diplomati inseri volumus, quòd pro Vislerio Milite, delegaverit uxor sua sancto Petro in præscripto vico Vaura, unum mansum cum appenditiis suis. Signum Milonis, Rotberti Presbyteri, Hugonis Præpositi.

Carta de Curte Salonis.

CEnsemus apicibus notificandum præsentibus & futuris, quòd Rotbertus Montis Salionis Miles, frater Widonis Magni concesserit sancto Petro ad exitum veniens, & Monachicum indumentum capiens, unum mansum in vico Curtis Salonis, in parrochiâ Ruciacensis villæ amplissimum, cum uno

servo, nomine Alberico. Signum Widonis fratris ejus. Odonis senioris montis Salionis. Hugonis fratris ejus. Item Hugonis Laufredi curtis.

Carta de Veronâ villâ.

CUnctorum notitiæ patere cupimus, quod Milo Balbus, Tilensis castri Miles, delegaverit sancto Petro unum mansum in Veronâ villâ pro uxore suâ, cum appenditiis suis. Signum Formaldi, Aldonis privigni ipsius Milonis.

Carta de Luco.

ISdem quoque Milo cum Odone Divionensi Præposito, qui neptem ejus in conjugio habebat, monomachi certaturus pugnâ, attribuit sancto Petro terram, quam habebat in Luco prope atrium Ecclesiæ, quo sibi adjutor in disposito bello existeret. Signum Lamberti, Odonis, Formaldi.

Item Alia.

OMnium cognitioni clarum esse volumus, quòd Pontius de Besoëtâ pro violentiâ, quam irrogavit asylis sancti Petri, adyta violando, quando quemdam Harduinum inde abstraxit, dederit ipsi sancto unum mansum amplissimum cum appenditiis suis, in Luco. Signum Domini Odonis Abbatis, Moroni, Benedicti.

Item Alia.

HOc etiam de eo grammis allegare congruum duximus, quia pro multis tortitudinibus, sceleribus, sive deprædationibus, in loco sancto, vel in pauperibus ejsudem loci, ab eo commissis quodammodo pœnitens, delegaverit sancto Petro alium mansum in eâdem villâ cum appenditiis suis, & unum servum nomine Josbertum, qui etiam Babilinus appellabatur. Signum Domni Odonis Abbatis, Moroni, Benedicti.

Carta de Villari vico.

COngruum ducimus litteris notificare omnibus, quòd Hugo Præpositus pro uxore suâ concesserit sancto Petro unum mansum in vico, Villari nominato, prope Gradicum castellum; & unum servum vocabulo Lambertum. Signum Domni Odonis Abbatis. Sign. Benedicti, Tetbaldi.

Carta de Auxiliaco.

NEcessarium remur pro utilitate sequentium scripturæ tradere, quòd Willerius de Criciaco dederit sancto Petro unum mansum in villâ Auxiliacensi cum appenditiis suis, & servum nomine Humbertum. Signum Domni Odonis Abbatis, Benedicti, Girardi Leviri ejus, Humberti, exactoris cuponum.

Carta de Bettonis-Curtis.

NOtum esse volumus præsentibus, & futuris, quòd Hagano de Vissiaco veniens ad mortem, dedit sancto Petro pro redemptione animæ suæ, unum mansum apud villam Bettonis-Curtis, & unum servum, nomine Dominicum, cum uxore suâ, & filiabus. Et ut hæc Carta perpetuam firmitatem obtineat, nomina testium subter adscribi rogavit. Sign. Gisleberti, Hugonis, Willerii, Rotberti.

Carta de Rainaldi Curte.

QUidam Miles Humbertus, in extremo vitæ constitutus, pro remissione peccatorum suorum dedit sancto Petro apud Marceacum-villam, dimidium mansum, jam pridem à fratre suo Girardo alterius medietatis donatione factâ ipsi sancto Petro. Tradidit etiam servum nomine Constantium, cum uxore & infantibus suis: pariter etiam unum apud Rainaldi-Curtem, in quo habitabat David, cum omnibus appenditiis suis, in campis, in patris, in sylvis, in aquarum decursibus. Piscatoriam etiam prædicti Constantii, sicut vivente eo tenuerat, attribuit monachis loci. Et ut hæc donatio obtineat firmitatem vigoris perpetui, litteris solemniter adnotavit. Sign. Girardi fratris ejus, Odonis, Hugonis, & Adelaidis uxoris ipsius Humberti.

Carta de S. Sequano.

SCire volumus quosque futuros, quòd Raimodis quædam matrona spectabilis, ad exitum veniens, & multæ quantitatis pecuniam diversarum specierum sancto Petro relinquens, dimidiam coloniam apud sanctum Sequanum Helpricurtis dedit, cum unâ ancillâ. Ne verò per succedentia tempora hanc eleemosynam ulla oblivio valeat delere, membranis deprecata est ad confirmationem tradere. Sign. Hugonis filii ejus. Gertrudis filiæ ejus. Reginæ filiæ ejus. Landrici generi ejus.

Carta de Picangiis.

NOtum iri volumus omnibus præsentibus, & futuris, quòd hac spe animatus Hugo, qui pro salvamento Crilliacensis villæ salvator dicebatur, pro animâ suâ, & filii sui Widonis dudum interfecti, dedit sancto Petro 7. mansos apud Picangias villam, & servum nomine Halinardum conductorem suum, ancillamque, nomine Addetam, cum filio vocabulo Giraldo, & sorore ipsius. Signum Hugonis, Formaldi, Halinardi, Odonis filii ipsius Hugonis.

Carta de Ewaldi Curte.

NOtum esse volumus præsentibus & futuris, quod Rismodis uxor Otberti, ad exitum veniens, & divinâ inspiratione tacta, dedit sancto Petro apud Ewaldi-Curtem unum mansum cum servo, nomine Haymone, in eo habitante, & uxorem ejus, & infantes: & in villâ quæ Fontanas dicitur proximâ Vilecastro, unum mansum cum uno cliente, qui Christianus dicitur. Signum Otberti, Humberti filii ejus, Aldonis filii ejus.

Carta de Vetus-vineis.

NOtum iri volumus tam præsentibus, quàm futuris, quòd Heinricus, pro fratre suo Ulrico, dedit sancto Petro dimidium mansum apud Vetus-vineas, & servum ejus, nomine Giraldum cum uxore suâ; eo tenore, ut quos ex hoc tempore genuerint infantes, in servitium Monachorum cedant. Signum Henrici, Humberti Rufi.

Carta de Icio.

PAtere volumus modernis & successuris, quòd Odo, qui dicebatur Vetulus, ad extrema perductus tradidit sancto Petro in villâ Icio unum mansum, & 3. jugera terræ in finibus ejusdem villæ cum uno servo, nomine Erberto, & filium ejus cum eo. Signum Formaldi, Walterii, Bernardi.

Carta de Icio & Veronâ.

COgnitum esse optamus omnibus, quòd Wido de Fossato delegavit sancto Petro pro fratre suo Aldone pincerna, duos mansos, unum in villâ Icio, alterum in villâ Veronâ, cum uno servo, nomine Aldone. Signum Widonis, Amalrici, Aldonis.

Carta de S. Sequano.

NOtitia quomodo quidam Miles, nomine Wido pro remissione peccatorum suorum apud sanctum Sequanum Helpricurtis attribuit sancto Petro

mansum unum, & unum curtile in ipsâ villâ, & quartam partem Tachiniacensis sylvæ, & unam ancillam nomine Annam, cum duabus filiabus suis. Sign. Pontii, Widrici, Belini.

Carta de Pauliaco.

OMnibus præsenti vitâ vigentibus, & futurâ fruituris manifestum esse volumus, quòd Formaldus de Icio dederit sancto Petro pro animâ uxoris suæ, quæ fuit soror Willenci, mansum unum apud Pauliacum, sub testimonio utrorumque parentum. Signum Formaldi, Bernardi, Beraldi.

Item alia.

QUia labilis est hujus vitæ status, notum iri volumus mortalibus, quòd quædam matrona uxor Hildemodi, Emma nomine, tradidit sancto Petro unum mansum apud Pauliacum, cum unâ cortiflâ, sub testimonio præsentium fratrum. Sign. Widonis, Ærembertí, Anselmi.

Carta de Lalandi curte.

QUidam etiam Miles, Lanrbertus nomine, vitricus Wilenci, pro remedio animæ suæ, concessit sancto Petro unum mansum apud Lalandicurte. Signum Willenci privigni, Formaldi, Pontii.

Carta de Saviniaco.

SCire quosque volumus, quòd Wido de Portâ ad exitum veniens, concesserit sancto Petro duos mansos; unum in Saviniaco, alterum in Granciaco in regione Divionensi, & unum servum nomine Tedonem, habitantem in villâ Veronâ. Sig. Tetbaldi, Widonis, Humberti.

Carta de Arciaco.

MAnifestum iri volumus omnibus, quòd Tetbaldus filius ipsius Widonis, tradiderit sancto Petro unum mansum in Arciaco villâ, & unum servum nomine Mauricium, sororemque ejus, quam Ewardus recalvestes de Acetis villâ in conjugium habebat. Signum Widonis fratris ejus, Humberti, Gunzonis.

Carta de Auxiliaco.

PAndi volumus quibuscumque, quòd pro Moranno uxor ejus, & filius dederunt sancto Petro unum mansum apud Auxiliacum, simulque servum, nomine Waldricum. Sig. uxoris ejus, Joffredi filii ejus, Heinrici.

Carta de Ponto.

COgnitio, quòd Wido frater Moranni, delegaverit sancto Petro unum mansum in Auxiliaco, & alium in villâ, quæ dicitur Pontus, beneficium quod à Monachis tenebat reddiderit, & manu miserit. Sig. Widonis, Domni Odonis Abbatis, Moronis, Benedicti.

Carta de Calmis.

MAnifestum esse volumus omnibus præsentibus, & futuris, quòd Mainfredus pro Mauricio filio suo, dederit sancto Petro duos mansos apud Auxiliacum, & quidquid alodi in villâ Calmis, quæ propinqua est Mirebello castello, habebat, concessit. Signum Mainfredi, Leutbranni filii ejus, Arlebaldi.

Carta de Ponto.

IDem quoque Mainfredus, pro uxore suâ priori, quæ fuit soror Tetbaldi Abbatis, dedit ipsi sancto Petro unum mansum in villâ Ponto. Signum Mainfredi, Mauricii, Leutbranni.

Item alia.

APud Crusciacum etiam dedit pro 2. uxore quidquid alodi ex ejus parte in eâdem villâ tenebat, laudantibus fratribus ejusdem dominæ. Signum Mainfredi, Theoderici, Widonis.

Carta de vico Chimiscensi.

SCire volumus quosque, quòd Odo, & Hugo, tradiderint sancto Petro, pro fratre suo Widone interfecto, unum mansum cum appendiciis suis, in vico Chimiscensi, cum unâ ancillâ nomine Helgardi. Sig. Odonis, Hugonis, Milonis.

Carta de Wandaleni-curtis.

UNiversorum notitiæ cupimus patere, quòd Hildemodus delegaverit sancto Petro omnem alodum quem habebat in vico Wandaleni curtis, qui est in potestate Hortensi, cum uno servo nomine Theoderico, sub censu pretii duorum denariorum ceræ. Sig. Odonis, Pontii, Hugonis.

Carta de Negdanti villâ.

LImitis vitæ velocitas cogit, ut memoranda quæque grammis Cartarum imprimantur, ne longitudine temporum intercurrente à memoriâ hominum deleantur. Quapropter notificare omnibus optamus, quod Anebaldus Montis Salionis Miles, tradidit sancto Petro unum mansum in villâ Negdanti, cum uno servo. Signum Odonis, Hugonis, Pontii.

Carta de Villari vico.

OMnium noverit industria, quòd Aymo, qui erat glabrio, concesserit sancto Petro mansum unum in vico, Villari vocabulo, cum uno servo nomine Raimbaldo. Signum Henrici, Odonis, Widonis.

Carta de Auxiliaco.

HOc etiam simili modo intimare curavimus, quòd Joffredus dederit sancto Petro in villâ Auxiliacensi 10. jugera terræ. Sig. Oddonis, Henrici, Willerii.

De obitu Arduini Episcopi.

DEfuncto autem venerabili Arduino Episcopo, Raynardus adeptus est Cathedram. Obeunte itidem Odone Abbate, successit in locum ejus Wido, ex Monasterio Areomarensi Monachus. Hic paucis annis in regimine peractis repedavit ad suum Monasterium, dimissâ hujus loci gubernatione; cui successit ad regimen animarum Gausbertus, in Monasterio sancti Benigni Divionensis Prioris gerens officium. Rainardus Arduino Episc. succ. Et Odoni Abb. Wido. Et huic Gausbertus.

Carta de Ecclesiâ S. Remigii.

IN nomine sanctæ Trinitatis, & unicæ Deitatis. Noverit omnis sæculorum tam præsentium, quàm futurorum successio, quòd Domnus Rainardus Lingonensis Episcopus petente Abbate Gausberto, & ejusdem loci Monachis, fecerit liberam sancti Remigii Ecclesiam ab omnibus consuetudinibus, quæ in polyptycho continentur paratas, sive debitum, quod in Synodo debebat Presbyter, remittens; ita tamen, ut Presbyter quidem ad Synodum consuetudinaliter cum cæteris pergat, censum verò annum nullum persolvat. Quod ut immobile perseveraret, jam dictus Pontifex exemplar hujus subscriptionis, firmaritque fieri jussit, ne quisquam suorum successorum

cessorum hanc donationem evacuare præsumeret : interminationem damnationis perpetuæ ab omnipotente Deo substituens, qui huic notioni infracturam tentaverit inferre. Actum Lingonis in plenariâ
1080. synodo, anno ab Incarnatione Domini MLXXX. Indictione III. Signum Rainardi Episcopi qui hanc notitiam fieri jussit. Totius sui synodalis conventûs Archidiaconorum suorum, seu Decanorum. Signum Girardi Archidiaconi. Ærleii Archidiaconi. Walterii Decani. Hugonis de Butgiaco Canonici.

Item alia.

ISdem etiam Episcopus reclamabat quemdam hominem vocabulo Rotbertum de Gurziaco, cum uxore suâ, & unicâ filia, pariterque ipsius filiæ infantes, quos ex Lamberto servo sancti Petri habebat ; sed acceptis centum solidis, quidquid in eis rectitudinis sibi habere videbatur, fratribus concessit, & ex suo jure in eorum dominicatum transfudit. *Sig.* Walterii, Rainerii, Richardi, Gisleberti, Aymonis.

Carta de Ecclesiâ S. Valeriani, & villâ.

COnstat omnes perfectionis summam volentes arripere, Dominici præcepti regulam mentis oculis anteponere, quo suum quemque pro ipso sua distrahere, & pauperibus mandat devotè distribuere. Quia talium justitia per cuncta manebit sæculorum volumina, & cornu ipsorum, id est, remuneratio certaminis eorum cœlesti exaltabitur in gloriâ, cum ad cœlestes thesauros translata terrena patrimonia, dantibus proderunt in perenni vitâ. Hac ergo spei fiduciâ confortatus ego Pontius castelli Bellijoci dominus, Redemptori omnium volo tradere de meis rebus, quæ mihi jure hereditario relictæ sunt à parentibus. Do itaque Deo, & sancto Petro Besuensi capellam constructam in honore sancti Valeriani cum honore, & liberè sicut hactenùs visus sum habere, fratre meo Eromuino laudante, cum vineâ ; & campum usque ad petrosam, & usque ad fontem, & quidquid de sylvâ, quæ est juxtà vineam Monachi, vel homines illorum ad culturam agri poterunt trahere. Nec non etiam de illâ sylvâ, quæ inter Ecclesiam & Sagonnam flumen est, quidquid ad usum prati ipsi & homines eorum voluerint acquirere.

Concedo etiam mercatum cum omni libertate, & omnes consuetudines, quas ego & frater meus videbamur habere ; aliamque consuetudinem pastionis, quam nos & homines nostri in cunctis sylvis, quæ in circuitu castelli Bellijoci sunt, habent Monachi, & homines illorum similiter habeant, ita ut homines illorum nostræ partis pastionaticum ipsis Monachis solvant, & materiam ædificandi domos ipsis, & hominibus eorum, qui illic voluerint remanere, concedimus ex sylvis nostris sine pretio ; & inventionem venationis, sive apum, quæ nostræ partis est, & quam homines illorum invenerint, Monachis concedimus, & totius culturæ terræ, quam eis damus, decimas, & tertias Monachi habeant, & ubicumque carruca illorum cujuscumque hominis terram infrà parochiam exercuerit, damus eis decimas.

De latrocinio verò, vel qualicumque proclamatione ex delicto in ipsâ terrâ commisso, Monachis concedimus legem, & errantem, & vetitum legaliter habeant, & nullius districtione judicabitur deprehensus, nisi judicio Monachi.

Si autem homo Monachorum delictum commiserit, nullius violentiâ constringetur, antequàm proclamatio ad Monachos facta fuerit ; & si Monachi rectitudinem exequuti non fuerint, ad Abbatem priùs ipsa proclamatio referatur. Actum publicè Bellojoco, vigiliâ Ascensionis Domini. Anno ab Incarnatione Domini M. LXXXIII. Hugone ex 1083.
Notario Archiepiscopatum Bisonticensis Ecclesiæ gubernante, Philippo Francorum Rege existente Oddone Ducatum Burgundiæ regente, Rotberto fratre ejus Lingonensis Ecclesiæ præsulatum moderante, Willelmo Comite in rebus prosperè agente, Gausberto Besuensis Abbatiæ moderamina providente. Sig. Pontii, Hermuini, Herluini, Walterii Vice Comitis, Heurelmi, & Pontii alterius.

Carta de Salvamento Neronti villæ.

NOtum esse volumus præsentibus & futuris, quòd Fulco, & Joffredus filius ejus salvamentum, sive commendationem, quam in Nerontis villâ accipiebant, proclamatione factâ à fratribus ; apud Ducem Hugonem, & Comitem Willelmum in generali placito ipsis præsentibus Besuæ & cæteris quibusque nobilibus viris instantibus, sancto Petro, & Monachis eo tenore dimiserint, ut quidquid sibi justè præteritis temporibus Monachi poterant in causâ violentiæ, & tortitudinis, præter fundum terræ, & caput hominis ullo modo amputare, id totum remitteretur, & prædictæ villæ habitatores à suprascriptâ calumniâ, & omnibus injuriis vel tortitudinibus perpetuò liberi manerent. Quæ remissio ut perpetuæ firmitatis obtineret vigorem, & nullus de eorum heredibus, ullo modo supradictam violentiam posset repetere, rogaverunt eam annotari litteris, & ad futurorum memoriam arctiùs retinendam, signatorum, vel testium nominibus confirmari. Sig. Hugonis Ducis. Willelmi Comitis. Widonis Comitis Matisconensis. Girardi Fontis-vennæ. Widonis Wangionis Rivi. Pontii Glanæ. Aldonis Tilecastri, Sewini, Wldenaii. Gisleberti. Actum publicè Besuæ in publico conventu, anno ab Incarnatione Domini MLXXVI. Indict. XIV. Imperante Philippo Francorum Rege, Hugone Duce præsente, & Willelmo Comite Burgundiæ II. Cal. Junii die Martis.

Igitur postquàm Rainardus Episcopus hujus diei lucem clausit, vitæ præsentis finem faciens, secundùm quod scriptum est : *Plures facti sunt sacerdotes, eo quod morte prohiberentur permanere* : necessarium fuit loco ipsius alium substituere. Et quoniam ipse Rainardus satis clarè & gloriosè Lingonensem rexerat sedem, omnium quotquot eum Pastorem habuerant animos in desiderium & æmulationem hanc accenderat, ut Deo favente, imò Deo donante talis sibi constitueretur Pastor, qui Domini Rainardi, sicut successor, ita foret etiam imitator. Quid plura ?

Rainardus Episc. obiit.

Heb. 7. 23.

Domnus Rotbertus eligitur, satis & ipse clarus in omnibus, ex Francorum Regum prosapia editus, frater autem Ducis Odonis cognomento Borel. Fuit staturâ non nimium longus, nec tamen brevi, sed mediè temperatâ. Et quamvis geminæ scientiæ eloquentiâ floreret, verba ejus rarissima, nisi forent necessaria. Ut ergo dignum erat, communi voto, tam Cleri, quàm populi, Rotbertus eligitur, & Pontificali decoratus infulâ, Ecclesiæ Lingonensi Pontifex præficitur.

Robertus Ling. Episc. eligitur.

Ingrati videremur, si eorum quæ huic Ecclesiæ contulit beneficiorum immemores, silentio contegi pateremur. Primò itaque dicamus qualiter ipse Capellam castri, qui Fons-Vennæ dicitur, Deo, & sancto Petro Ecclesiæ Besuensis contradidit.

Carta Cappellæ de Fontvenz.

QUoniam genus humanum carnis mole corruptibili præoccupatum, labilis ac defectuosæ memoriæ contraxit vitium, benè visum est præde-

cessoribus nostris, ut quidquid ratum & insolubile teneri vellent, fideli litterarum custodiæ commendarent. Nos igitur eâdem usi ratione, ea quæ subtitulantur, ne quandoque delerentur oblivione, retinere studuimus litterarum traditione. Ego itaque Rotbertus Lingonensis Episcopus, Humberto de Fonvenz Lingonensis Ecclesiæ Casato, pro servitio ejusdem Ecclesiæ interfecto, cappellam prænominati castri Ecclesiæ Besuensi, in cujus cœmeterio eum sepelivimus, laude, & consilio conjugis suæ, fratrumque suorum ejusdem castri omnium casatorum, perpetualiter tenendam concedimus; quatenùs per interventionem beati Petri Apostolorum Principis, & orationes Monachorum ibi Deo servientium, suorum obtinere valeat veniam delictorum. Ita etiam hoc donum Lingonis in plenariâ Synodo tenendum dijudicamus, ut si quis Clericus, vel Laïcus de beneficiis ad capellam præmissam pertinentibus præter voluntatem Monachorum Besuensium aliquid facere præsumat, ordinis sui periculo, si Clericus sit, si Laïcus, excommunicationi, donec resipuerit, subjaceat. Hujus dationis testes sunt: Willelmus Comes Burgundiorum, Rainaldus filius ejus, Humbertus Rufus; & frater ejus Wido & Wido Rufus, & cæteri casati. Facta sunt hæc Regnante Philippo, Episcopante Rotberto, Stephano dictante Cancellario.

Josbertus Abbas Besuens.

In illo tempore huic cœnobio præerat Dom. Josbertus Abbas, vir totius simplicitatis & Religionis; sed quia in Ecclesiâ Dei alii sunt murus ædificati cum propugnaculis, alii ostium compinctum tabulis cedrinis, hic vir, quia non poterat sicut murus expugnare domûs Dei inimicos, exteriùs existentibus innumeris raptoribus, interiùs periculis in falsis fratribus, erat tamen ad aperiendum, & claudendum ostium compinctum tabulis cedrinis, quia habebat os ad loquendum, & tacendum, defloratum diversorum excelsorum, & imputribilium Patrum sententiis. Prospiciens gitur animæ suæ bonum esse in superni inspectoris oculis habitare secum, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo. Cluniacum namque expetiit, & ibi reliquum vitæ suæ exegit, pacem quærens, & pacem inveniens, ei qui pax est Angelorum & hominum Christo consociatus, Amen.

Interea Dom. Rotbertus præfatus Lingonensium Episcopus, benè sollicitus animo volvebat quem huic Ecclesiæ loco Dom. Josberti Abbatem substitueret. Vertebat circumquaque cordis oculum, quærens cui committeret hujus Ecclesiæ baculum. Nec passus est eum Deus pro voto defraudari, sed nec in quærendo longiùs fatigari. Est namque cella S. Eugendi, non multum distans ab urbe Lingonensi, in eodem Episcopio, in comitatu verò Trecassino, Ecclesia in honore B. Stephani Protomartyris dedicata, in eminenti quodam monte, qui Barrus dicitur, decentissimè fundata. Factum est autem ut hîc inveniretur, quod quærendum diù longeque fuerat, ut haberetur. Præerat namque illi loco Domnus Stephanus, quamvis ætate non multùm maturus, pietate tamen & Religione circumfultus, in Dei timore, & amore, & secundum Apostolorum, in charitate radicatus & fundatus.

Cella S. Eugendi.

De Domno Abbate Stephano.

Stephanus Abbas nobili ortus genere.

VIdetur haud incongruum lineam generis ipsius paululùm attingere, quoniam solet plerumque nobilitas & sibi ad conservandam humilitatem, & Ecclesiis Dei ad resistendum raptoribus plurimùm prodesse. Exstitit itaque patre nobilissimo progenitus, Joffredo nomine, qui & ipse non solum Consul, sed etiam à patre & avo Consulibus originem duxit. De matre verò præfati Domni Stephani quid dixerim, nisi quod ex utrâque parte, patris videlicet, & matris, ex progenie Consulum, imò ab ipsis Consulibus est generata. Fuit namque Arnulsi nobilissimi, & audacissimi Consulis de Risnel filia, matrem habens clarissimi Consulis Gerardi de Fontvenz filiam. Quod autem iste leonum catulus, in agnum primò mutatus, postea ut aries ad defendendum eam cornibus, & ad generandum in eâ spirituales agnos in Ecclesiâ sit constitutus, fuit hoc gratiâ Dei, fuit hæc mutatio dexteræ excelsi. Volo, si possim, quamvis non faceto, vero tamen sermone percurrere, qualiter iste leonem rugientem reliquerit, & leonem de tribu Juda sequutus sit; & qualiter ab agno immaculato agnus effectus sit, ut sequatur eum quocumque ierit.

Ejus acta percurruntur.

In diebus illis vocavit sponsus ad se sponsam suam, Christus videlicet Ecclesiam, venire à cubilibus leonum & montibus Leopardorum, per montem myrrhæ, & colles Libani. Principes enim qui priùs fuerant similes leonibus propter crudelitatem & terrorem, & leopardis, propter diversarum iniquitatum varietatem, hyssopinâ, humili scilicet confessione mundati, per myrrhæam mortificationem libanino candore sunt super nivem dealbati.

De Simone Crespiensi Comite.

Horum verò exstitit caput & Dux quidam Comes Francorum nobilissimus, Simon nomine Rodulphi Comitis. Hic divinâ respectus misericordiâ, mundum fugientem fugit, & Christum vocantem se sequutus est. Expetiit autem cœnobium sancti Eugendi Jurensis, ibi Christo se sacrificaturus. Præmiserat ante se duos illustrissimos viros, Domnum Rodulfum, & Dom. Franconem, secum verò duxit Domnum Rotbertum, Dom. Arnulfum, & Dom. Warnerium. Hi omnes & secundùm genus sæculi clarissimi, & secundùm Deum nobilissimi, postea se holocaustum Deo obtulerunt.

Fit Monachus cum aliis pluribus nobilibus in Monast. S. Eugendi seu S. Claudii.

Inter quos Stephanus.

Erat adhuc Domnus Stephanus, (de quo nobis sermo) tenellus, militaribus tamen armis decoratus: sed saniori usus consilio, imò Deo inspirante, Patres prædictos sequutus, sæculari balteo abrenuntians, Christique jugum suscipiens, in præfato cœnobio monachilem vitam arripuit, ibique sub Domno Hunaudo Abbate per decem annos se in Dei servitio mactavit. Deinde Cluniacum expetiit, ubi cum avunculo suo Domno Widone Priore Magno, per annum demoratus est. Quo Widone postea pro Religione, & sanctitate vitæ facto Abbate, ipse eum Pictavis sequutus, semper seipso melior efficiebatur. Novissimè ad Monasterium suum regressus, apud Barrum cellam sancti Eugendi missus est. Fiebant hæc omnia Dei dispositione, sine cujus nutu nec passer cadit super terram. Hic igitur inventus est Domnus Stephanus, atque à venerabili præfato Rotberto Lingonensi Episcopo, & ab Abbate suo huic loco concessus, quamvis renitens Abbas effectus est, anno Incarnationis Domini M. LXXXVIII. Ind xi. Epactâ xxv. 1088.

Abbas Besuæ effectus, instaurat omnia.

Jam verò quantâ curâ, quanto studio hunc locum emendare & augmentare studuerit, & si cessent verba, ipsa testantur opera. Nam quamvis Monasterium illud à quingentis, aut eo ampliùs annis primitùs fuerit constructum, à tempore Domni Stephani Abbatis videtur sumsisse principium, ita omnia innovata, omnia sunt in melius immutata. Nam quocumque gradiebatur, hoc illi erat desiderium, hæc illi mentis cupiditas, ut si alicubi aliquid vidisset honestum, aut Ecclesiæ suæ necessarium, aut illud ipse asportaret, aut simile in Ecclesiâ suâ ipse contrueret. In Religione verò ita refloruit locus iste in diebus illius, ut usque ad mundi dominam Romam, famosum nomen haberet Besua, & per totam

Galliam usque ad maris littora. Unde factum est, ut cum primùm huc veniret, vix viginti essent Monachi; in diebus verò ipsius quinquaginta seu sexaginta Deo servientes, & victûs ac vestitûs necessaria accipientes.

Insignes qui sub disciplinâ Stephani extitere Monachi.

Si verò computemus eos, qui in Cellis nostris extrà Besuam habitant, numerus usque ad centenarium consurget. Sed & illud est ei à Deo præstitum, quòd in diebus ejus aliqui conversi ad Dominum, & ab eo in hoc loco accipientes Religionis habitum, postea facti sunt & ipsi lumen Ecclesiarum. Præficitur namque Ecclesiæ sancti Michaëlis Ternodorensi Domnus Wido Abbas. Præficitur Ecclesiæ sancti Sequani Dom. Henricus Abbas. Præficitur Domnus Eustasius Ecclesiæ Noviomensi sancti Eligii. Præficitur Ecclesiæ S. Joannis Dom. Godefredus. Et quamvis ipse non fuisset noster Monachus, de nostro tamen Monasterio est assumptus. Sed & alii quamplures sub eo æmulatione paternâ ducti, in ædificando, & acquirendo eum imitabantur Patrem, & hanc Ecclesiam dilataverunt, & ornaverunt, & munierunt ut matrem.

De ædificiis & acquisitionibus tàm intrà Besuam, quàm extrà, de instauratione corporis ipsius Monasterii, seu officinarum, de Bibliothecâ tam veteris, quàm novi testamenti, de ornamento Ecclesiastico in tabulis, in capsis, in calicibus, in crucibus, in thuribulis, in vestimentis ad officium Ecclesiasticum pertinentibus, de cappis, & cortinis, de pallis, & signis ab eo & aliis fratribus, & filiis hujus Ecclesiæ ipsius tempore comparatis, & huic loco collatis, aliquantulum latiùs in sequentibus disseremus. Nunc interim dicamus de Ecclesiis, quæ huic loco in diebus ipsius collatæ sunt, tam in hoc Episcopatu, quàm in aliis. Ecclesia sancti Symphoriani de Albiniaco. Ecclesia sancti Benigni. Ecclesia sancti Christophori Canlintensis. In Episcopatu Tulensi, Ecclesia sancti Willegaudi, apud Romonem castrum. Et hæc qualiter & à quibus sint collata, cartæ huic libello insertæ ostendunt.

Ecclesiæ è Besua pendentes.

Carta de Albiniaco, & de Ecclesiâ S. Benigni.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritûs sancti. Quoniam antecessores nostri quidquid ratum & indissolubile teneri voluerunt, litterarum custodiæ commendaverunt: ut videlicet, quod segnis deleret oblivio, litterarum aperiret repræsentatio, dignum duximus litteris commendare ea quæ perpetualiter volumus permanere. Ego igitur Rotbertus Lingonensis Episcopus Ecclesiam de Albiniaco, & atrium ejus, paratas etiam & Eulogias quæ ad Episcopum pertinent, & Ecclesiam sancti Benigni, & atrium ejus, consensu & consilio fratrum Lingonensium, Ecclesiæ Besuensi tenendam concedo, & in plenariâ synodo Lingonis habitâ Stephano præmissæ Ecclesiæ Abbati, de manu in manum trado, & successoribus ejus perpetualiter habendam instituo. Hoc etiam donum ita tenendum, & permanendum dijudicamus, ut si quis Clericus, vel Laïcus auferre eis præsumserit, vel inde eos injustè inquietaverit, si sit Clericus, ordinis sui periculo; si Laïcus, anathemati, donec resipuerit, subjaceat. Sig. Gozelmi Archid. Hugonis Arch. Guarnerii Archid. Norgaudi Arch. Girardi Archipresbyteri. Guidrici Archipresbyteri. Facta sunt hæc Philippo Regnante, Episcopante Rotberto, Stephano dictante Cancellario.

Carta de Sivoio.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus fidelibus Christi, qualiter media pars Ecclesiæ de Sivoio, subnixa est Ecclesiæ Besuensi. Abbas Stephanus, vir Religiosus dum remigando per Segunnam ad Ecclesiam Besuensem remearet, ab Hermuino orto nobili progenie in eâ villa hospitio susceptus est. Benignissimo amore eum suscepit, atque omnem humanitatem hospitalitatis ei exhibuit, & in crastino die pro æternis peritura commutans, in portu Prantenensi mediam partem Ecclesiæ de Sivoio, & Ecclesiam S. Dionysii in eâdem villâ, sicut erat sibi in patrimonio, animâ suâ, antecessorumque suorum sub testimonio legali, per manus supradicti Abbatis tradidit, Apostolis scilicet Petro & Paulo, Ecclesiæ Besuensis. Acta sunt hæc anno ab Incar. Dom. M. XCIII. Indict. I. Epact. XX. Lunâ VIII. Regnante Imperatore Henrico anno XXXIV. Principante Stephano Comite, Hugone Archiepiscopo Archiepiscopalem Cathedram tenente. Si quis hanc Cartam violaverit, separetur ab Angelorum choris, societurque Datan & Abiron, hic & in æternum in inferno inferiori. Signum testium nostrorum. Signum Hermuini. Aimonis. Lavenchæ. Giraldi. Albrici. Teberti. Stigandi. Ego Godefredus Cancellarius Abbatis dictavi, & benè subscripsi.

Carta de Camlintensi Ecclesiâ, & de Majasco.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritûs sancti. Quoniam consuetudinarium est, & ab antecessorum nostrorum industriâ ductum, ut ea, quæ memoriæ commendanda videntur, litterali tradantur custodiæ, dignum duximus; ea quæ subinferuntur ne oblivione dispereant, nec vel quod inde actum est, quandoque aliquâ immutetur fraudulentiâ, in hujus Cartæ sinu fideliter recondere. Ego igitur Rotbertus sanctæ Lingonensis Ecclesiæ Episcopus, precibus Stephani Abbatis Besuensis Ecclesiæ sæpiùs admonitus, voluntati illius tandem acquiescens, cum in Ecclesiâ Lingonensi Synodum celebraremus, & de Ecclesiasticis negotiis pro posse diligenter tractaremus, consilio & assensu Archidiaconorum consedentium, duos Presbyteratûs Camlintensis videlicet Ecclesiæ, & Ecclesiæ de Majasco, B. Petro Besuensis cœnobii, & fratribus ibi Deo servientibus, deinceps habendos concedimus; ita ut Presbyteri parochiales, qui in eis decantaverint, medietatem omnium ad eosdem Presbyteratus pertinentium per manus Besuensis Abbatis obtineant, Archidiaconibus, aliisque ministris debita servitia exhibeant, paratas, & Eulogias suo tempore communiter persolvant. Facta sunt hæc Lingonis in plenariâ Synodo, Urbano Papa existente, Philippo in Galliis regnante. Signum Willenci Archidiaconi. Gocelmi Archidiaconi. Garnerii Archidiaconi. Norgaudi Archidiaconi. Gosberti Archipresbyteri. Stephanus Cancellarius dictavit: Durannus Notarius scripsit.

Carta de Albiniaco.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Præsentis Ævi scire volentibus, futurisque deinceps clarificetur hominibus, quòd Odo Montis-Salionis Dominus, pœnam æterni supplicii cupiens evadere, & Paradisi præmia percipere, in die sepulturæ fratris sui Hugonis suâ spontaneâ voluntate partem non minimam Militum de Monte Salionis, & clientum, nec non amicorum & vicinorum suorum in Besuensi Capitulo antequàm corpus defuncti ad tumulum deferretur, convocavit, ibique dona, quæ antea fecerat de Ecclesiis, scilicet de Albiniaco, de sancto Benigno, de Capellâ Montis-Salionis, de Iciomâ, hoc modo confirmavit. In præsentiâ namque Dom. Stephani Abbatis, & Monachorum, & eorum quos ipse convocaverat, præ-

dictus Odo. & Domnus Petrus avunculus ejus, iterum donationem supradictarum Ecclesiarum ex toto fecerunt & confirmaverunt Deo, & sancto Petro Besuensis Ecclesiæ, possidendam in perpetuum.

Textum etiam Evangelii coopertum de argento ad donationem confirmandam super altare posuerunt, pro animâ supradicti Hugonis, & pro animabus omnium antecessorum suorum, & pro semetipsis. Addiderunt etiam huic eleemosynæ unum mansum in Albiniaco, & unum servum & unam ancillam.

Rogatu itaque eorum pro confirmatione hujus rei Domnus Abbas Stephanus, ab Episcopo Roberto in synodo supradictum Hugonem, & patrem ejus, & antecessores suos defunctos absolvi fecit. Ut verò donatio ista inconvulsa permaneat, assignamus testes. Sig. Stephani Abbatis. Sig. Widonis Prioris. Willenci. Sig. Odonis & Petri, qui hoc donum fecerunt.

Acta sunt hæc tempore, quo Paschalis summum Pontificatum tenebat in Româ, Philippus regimen in Franciâ, Rotbertus cathedram Episcopalem in Lingonis, Stephanus Abbas pastoralem curam in Besuâ. Anno ab Incarnat. Domini M. CI. Indict. VIII. Epactâ XVIII. Sig. Teboldi. Theoderici. Landrici Lanfricurtis. Lamberti de Domarim. Widrici Præpositi. Ricardi de Vircillis. Rodulfi. Odonis de Bellomonte. Haimonis de Fontanis. Odonis. Walonis de Calmis. Clericorum verò, Humberti Archipresbyteri. Willenci Sacerdotis. Joannis Sacerdotis.

Carta de Ecclesiis, quas dederunt nobis Humbertus, & Wido.

AGnoscat hoc vita credentium, quòd res nulla amplius in factis hominum, quàm eleemosyna quæ bono fit animo, placabilem reddit Deum, dicente Scriptura: *Sicut aqua mortificat ignem, sic eleemosyna occidit peccatum.* Ergo de hac sententiâ non surdi, sed fideles auditores fuere duo fratres, Humbertus Rufus & Wido, filii Humberti Fontisvennæ. Hi in flore juventutis suæ pro remedio suarum animarum, suorumque majorum fidelium, Ecclesias quas de proprio jure retinebant, citrà aquam quæ Asmantia dicitur, Deo & sancto Petro, & Besuensi cœnobio concesserunt, ut caritas altiùs firmaretur, apud Bisonticam civitatem, secùs Basilicam sancti Vincentii, in præsentiâ Hugonis Archiepiscopi, supradictas Ecclesias Stephano Abbati, & Besuensi Ecclesiæ perpetualiter tradiderunt. Licet scire quartam partem Basilicæ sancti Martini de Monasterio, & quidquid habebat Ecclesia sancti Christophori Camintensis, & quartam partem Ecclesiæ sancti Mauricii de Sivoio, medietatem Ecclesiæ Fontis vennæ villæ, similiter capellam de Castro, simili modo Ecclesiam de Livocurte sub tali testimonio. Sig. Hugonis Archiepiscopi, Mainerii Archidiaconi, Bernardi Magistri, Ermuini, Sewini.

In ipsâ die prædictus Episcopus annuit Stephano Abbati omnes Ecclesias licenter habere, quas posset acquirere in Diœcesi suâ.

Acta sunt hæc anno ab Incar. Dom. M. XCVIII. Indict. VI. Epact. XV. Urbano Papa præsidente Romæ, Henrico Imperante in Romano imperio.

Carta de Albiniaco.

FIrmissimè sciat omnis ordo fidelium, quòd Odo, filius Hugonis, Senior Montis Salionis, postquàm suscepit honorem suum à Roberto Lingonensi Episcopo in Calmâ de Perciaco, reddidit supradicto Rotberto Ecclesiam de Albiniaco; tali modo, ut eam suo rogatu, & suo concessu traderet sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ perpetualiter possidendam. Hoc audiens Pontifex, alacri animo suscepit donum, quod Abbati Stephano. & Ecclesiæ Besuensi, ut supradictus Odo suggesserat, firmiter concessit, sub testibus istis. Signum Rotberti Episcopi. Stephani Abbatis. Albrici Monachi. Warnerii Archidiaconi. Humberti Archipresbyteri. Willelmi Fontis-vennæ. Widonis de Radiaco. Sewini filii ejus. Odonis, qui donum fecit. Widrici Præpositi. Tetboldi. Landrici. Walonis, Aielmi, & fratris ejus. Pagani de Iciomâ. Acta sunt hæc annô ab Incarnatione Domini M. XCVIII. Ind. VI. Epact. XXVI. Regnante Philippo Rege Francorum, Odone Ducatum tenente, Rotberto fratre ejus, Episcopalem cathedram regente. Si quis hanc Cartam violaverit, separetur ab Angelorum choris, societurque Datan & Abiron hîc & in æternum in inferno.

Carta de Lisseiaco.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Notum sit omnibus præsentibus & futuris, Odilonem Lisseiacensem Militem, Deo sanctoque Petro liberrimè dedisse, quidquid apud eamdem villam Lisseiacum habebat, cum servis, & ancillis. Qui etiam cum morti esset proximus, Anxiricum nepotem suum substituens heredem sibi, præcepit ei, ut nisi prædictam servaret donationem, suâ nullomodo retentaret. Sign. Joffredi Belmontis. Sign. Hugonis Magni. Sign. Gibuini. Sign. Hugonis Columbæ.

Item Alia.

QUædam etiam mulier generosissima, Facies vulgò dicta, consobrina Albrici Arcionensis Monachi, quæcumque in ante fatâ villâ possidebat, Besuensibus contradidit Monachis; unà cum duobus servis Girardo, & Willelmo, cum uxoribus eorum, & filiis, eo tenore; ut ab eisdem alimonia donaretur Monasterii, quoad viveret. Quæ tamen possessiuncula Sacristæ ad luminaria Ecclesiæ postmodùm data est, precatibus, & piâ importunitate præmemorati Ansirici. Signum Anserici. Sign. Odilonis fratris ejus. Sign. Albrici Monachi. Sign. Ulrici Monachi.

Carta de Cypeto.

OPeræ pretium visum est ac necessarium posteris commendare memoriæ, quòd Odo Chaterius de Cypeto eleemosynam socrûs suæ Elizabet, quæ & Caritas appellata fuerat, videlicet partem suam de sylvâ, quæ adjacet villæ, quam dicunt Veteres-vineas, licet injustè calumnians, postmodum resipuit, & priorem donationem, sicut facta fuerat, sancto Petro, & Ecclesiæ Besuensi liberrimè concessit. Addidit etiam ut Monachus, qui Cypeto manebit, habeat usuarium liberrimum in sylvis, campis, pratis, & in omnibus aquis piscationem, excepto vivario Domni dato, sed & in ipso, si Abbas in ipsâ villâ Cypeto venerit. Testes hujus rei. Signum Odonis, qui hoc donum fecit. Signum Odonis Viridis. Sign. Stephani Abbatis. Sign. Wilenci. Et de familiâ sancti Petri. Sign. Otberti Cocci. Sign. Hugonis, & aliorum multorum.

Carta de Fontanis.

CLarificetur cunctis viventibus, postque futuris, quòd Hugo juvenis de Fontanis Miles, veniens ad obitum suum quæsivit habitum Monachi, & devotè suscepit, factusque Monachus pro remedio animæ suæ suorumque antecessorum fidelium, dedit Deo, & sancto Petro Besuensis Ecclesiæ in supradictis Fontanis, unum mansum liberum cum omni libertate, & VII. jugera terræ, & tres facces de prato. Ut hæc donatio inconvulsa permaneat, assigna-

mus ei testes veraces. Signum Bertranni Militis de Fontanis. Sign. Theoderici filii ejus. Sign. Hugonis Carrucæ. Sign. Widrici filii ejus. Sign. Wilenci Militis. Sign. Walonis Columbæ de Bello monte. Sign. Rodulfi Militis de Aquis. Sign. Rodulfi rustici de Fontanis. De Monachis: Sign. Wilenci. Sign. Warnerii. Sign. Odilonis, & aliorum multorum.

Carta de Lixiaco.

INter cæteras eleemosynas, quæ factæ sunt Ecclesiæ Besuensi, notum sit omnibus fidelibus, quòd Wido Miles de Insulâ Bollini, dedit Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, quidquid habebat, vel habere existimabat ab antecessoribus suis in Lixiaco, pro remedio animæ suæ, suorumque antecessorum fidelium. Et hoc factum est antequàm pergeret Hierusalem. Postquàm hoc iter cœpit, & obitum suum cognovit, remisit sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, per socios suos, Hugonem Militem de Excuviliaco, & per Constantium de Diniaco sex uncias auri, & eleemosynam suam, quam fecerat de Lixiaco; & eleemosynam matris suæ de Flexo, concessit sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, habere in perpetuum. Signum Widonis Militis, qui hoc donum fecit. Sign. Hugonis Militis. Sign. Constantii. Sign. Stephani Abbatis. Sign. Wilenci Prioris. Sign. Albrici Captivi, & aliorum multorum.

Carta de Capella Montis Salionis.

IN nomine summæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Quoniam consuetudinarium est, & ab prædecessorum nostrorum ductum industriâ, ut ea quæ perpetuæ memoriæ commendanda videntur, litterarum tradantur custodiæ, dignum duximus ea quæ subinferuntur, ne oblivione dispereant, ne vel quòd inde legitimè actum est; quandoque aliquâ immutetur fraudulentiâ, in hujus Cartæ sinu fideliter recondere. Ego igitur Rotbertus almæ sedis Lingonicæ Dei nutu Episcopus, dum in matris Basilicæ gremio, nobis à Christo collatæ degeremus; & secundum nostrum dogma unà cum fidelibus præfatæ Ecclesiæ de statu & profectu illius, cum consilio & voluntate eorum unanimiter tractaremus, adfuit inter eos amicus noster Besuensis Ecclesiæ Abbas Domnus Stephanus, nostram benignitatem humiliter expetens, quatenùs Capellam, quæ est in castello Montis-Salionis sita, ad Ecclesiam de Albiniaco pertinentem in honore sanctæ Dei Genitricis dedicatam, sancto Petro Besuensis Ecclesiæ per instrumenta apicum concedere; & misericorditer largiri non dedignaremur. Cujus nos justam, & rationabilem petitionem libenter suscipientes, hoc quod piè & rationabiliter postulavit, per consilium fidelium nostrorum, recto ordine ad effectum perducere curavimus. Dantes & concedentes suprascriptam capellam salvis omnibus Lingonensis Ecclesiæ consuetudinibus. Eâ tamen conditione, ut capellanus eidem capellæ inserviat, & beneficiarios usus ab ipso Abbate Besuensi habeat & possideat. Ut autem hujus nostræ concessionis testamentum futuris temporibus conservetur; & absque diminutione, aut immutatione aliqua custodiatur; manu propriâ eam firmamus, & Archidiaconorum nostrorum firmandam tradimus. Signum Gocelmi Archidiaconi. Wilenci Archid. Hugonis Archid. Amalrici Archid. Warnerii Archidiac. Acta sunt hæc Lingonis plenaria Synodo, Romanæ sedis Paschali Apostolatum gubernante, Philippo Regnante, Rotberto Episcopo Lingonensem Ecclesiam regente, Stephano Cancellario. Dutanno Notario, suas vices utroque exhibente.

Item de eadem Capella.

NOtificetur cunctis, qui has legerint vel audierint litteras, quòd Domnus Stephanus Besuensis Abbas Widrico Clerico de Orgis, scilicet nepoti Widrici Præpositi dedit Capellæ de Monte Salionis, tempore suæ vitæ tali pacto, & tali ratione, ut per hanc partem ex toto servitium faciat, & fidelis sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, & supradicto Abbati existat. Si autem ipse, vel Presbyter Capellanus, qui ibi pro eo Vicarius fuerit, de nostra divisione aliquid malè subripuerit, defraudaverit, admonitus inde se & Presbyterum apud Besuam representet coram Abbate propter justitiam faciendam, sicut suus homo. Si quoque Domnus Abba in longinquo itinere ire voluerit, supradictus Clericus paratus cum suo equo ad sibi serviendum existat. Hoc, ut suprà diximus, tempore suæ vitæ agat, post mortem verò ejus in manu Abbatis, & in potestate redigatur. Huic subscriptioni adsignamus testes: Signum Stephani Abbatis. Widonis Prioris. Wilenci, Joannis, Warnerii, Landrici, Albrici, Jostredi. De Laïcis, Widrici, Præpositi de Monte-Salionis, Girberti de Miribello, Oberti coci, Hugonis famuli.

Carta de Tenimentum Germani Presbyteri.

FIdelis concio tam præsentium quàm futurorum, pleniter agnoscat; quod Domnus Odo juvenis, de Monte-Salione dominus, in solemnitate sanctorum Apostolorum Petri & Pauli apud Besuam venit, ibique oblationem Deo, & sancto Petro & Besuensi Ecclesiæ pro sua anima, suorumque antecessorum fidelium, per textum Evangelii super sanctum Altare supradictorum Apostolorum, tenimentum Germani Presbyteri dedit, pertinentem & adjacentem altari sancti Symphoriani de Albiniaco, scilicet decimationem de propria vinea domini Montis-Salionis, & tertiam partem de decimis, quæ pertinent ad dominicationem Episcopi de vineis, de corvatis, de tertiis; & omnem decimationem de terra sancti Petri. Nec non & querimoniam quam injustè querelabat super cœmeterium de Albiniaco, de cellariis, & de omnibus rebus, postposuit, & concessit jure perpetuo tenendum Besuensi Ecclesiæ, & Monachis cum omni libertate. Hoc totum factum est rogatu Germani Presbyteri, filiorumque ejus, qui post inde noster effectus est Monachus. Huic rationi assignamus testes. Signum Odonis, qui hoc concessit, Tetboldi Militis, Richardi de Vircillis, Widrici Præpositi, Lamberti Militis de Domarim, Calonis de Silviniaco, Girardi Crispi Militis, Humberti Militis de Bigorna, Hugonis Militis de Torciniaco, Theoderici de Divione Militis, aliorumque multorum.

Carta de Petro Domino Miribelli.

OMnis fidelis sexus, tàm de Laïcis, quàm de Clericis, planè sciat, & agnoscat, quòd Domnus Petrus de Monte Salionis senior de Miribello, propter quoddam infortunium quod sibi contigit, quodam die veniens ad Besuense Monasterium, in præsentia Domni Stephani Abbatis, & Monachorum, nec non & Laïcorum multorum, supradictus Petrus, & Domnus Odo nepos ejus de Monte Salionis dominus, ambo omnem calumniam de piscatione, quam habebant super aquam nostram, quæ est à Molendino, quod est ultra Neronem villulam nostram usque ad Besuam, ex toto postposuerunt, & si quid juris inibi ex parte sua, vel suorum antecessorum unquam fuit, Deo, & Besuensi Ecclesiæ in illa die æternaliter condonaverunt. De hac re su-

prædictus Petrus, & de suis malefactis, quæ anteà malè egerat adversus Ecclesiam satisfaciens in præsentia Domni Stephani Abbatis, de omnibus querimoniis finem fecit. Et ut pax firmiùs teneretur, & bonus finis omnibus diebus vitæ suæ, manu sua coram omnibus, finem & pacem supra sanctas Reliquias juravit, nec non & Rainaldus Præpositus ejus de Miribello, & Hugo Clericus, & Lambertus de Jergeiaco, hoc juraverunt perpetualiter tenendum. Nec non & Milites, quorum authoritate hoc fecit: Dedit fidei jussores Domnum Joffredum cum suis filiis, Hugonem & Fulconem, Hugonem Columbam cum suo filio Walone, Milonem cum suo filio Ewino. Dom. Odonem nepotem suum; Theodericum de Divione, filium Stephani, Aymonem de Divione, cognomento Chag, Odilonem de Lisiaco. Sig. D. Stephani Abbatis, Widonis Prioris, Wilenci, Albrici, Landrici, & aliorum multorum.

Carta de Burbureno.

NOtum sit omnibus hominibus, qualiter homines nativi de villa, quæ dicitur Burburena commanentes in Besua post combustionem domorum, quas in nostra terra primitus habuerant, alias reædificare cupientes, ad Abbatem loci istius, nomine Stephanum, convenerunt, reædificandi licentiam quærentes. Quibus ipse ait: Absit ut unquam deinceps in nostro fundo ita mansiones habeatis, sicuti hactenus habuistis, nisi consuetudinaria servitia reddideritis, sicut nostri, & alii faciunt, qui in nostra potestate consistunt. Si autem nolueritis, construendi ulteriùs licentiam à me non consequemini. Hæc autem verba Abbatis videlicet illi audientes, inter se consilium inierunt, & cum eo pactum firmiter statuerunt, ut deinceps unusquisque de generali placito tantummodò duodecim nummos persolveret, alias verò consuetudines facerent, excepto carritum vini de Gibriaco, nisi per suam bonitatem aliquis ex eis vellet facere.

Constituit etiam ipsis idem Abbas Stephanus, ut nec ipse, nec aliquis in posterum super eos talliam faceret; alias vero consuetudines ab eis exigeret: Et hoc etiam statuerunt, ut si quis illorum injuriam à Monachis, vel à servis sancti Petri pateretur, nullam proclamationem, neque alienam justitiam quæreret, donec justitia Abbatis, & Præpositi Monasterii ei deficeret. Signum Stephani Abb. Landrici præpositi. Ex familia vero sancti Petri fuerunt illic tunc multi. Sig. Aydulfi, Giraldi, Albrici, Villici de Burburena villa & aliorum multorum.

Carta de Majasco.

AGnoscat firmiter omnis ordo fidelium, quòd Wido Miles de villa, quæ Firmitas nuncupatur, decidens in infirmitate, noster effectus est Monachus, ipse & frater ejus Theodericus, & uxor, cum filiis & filiabus ipsius Theoderici, totum alodium ex parte generis sui & ex parte Gybuini de Bello monte, & ejus uxoris, quod habebant in villa, quæ Majascus dicitur, in mansis, in agris, in pratis, in sylvis, in eleemosynâ devotè obtulerunt Deo, & sanctis Apostolis Petro & Paulo, & Besuensi Ecclesiæ pro remedio sui, suorumque antecessorum pro vivis sive defunctis.

Ut donum istud firmiùs teneretur, uxor Theoderici inde pro signo habuit unum annulum de auro, & Richardus filius ejus unum cyphum de refectorio. Supradictus quoque Wido post hoc dedit omnem partem ad se pertinentem de proprio fundo quem possidebat, ultra Sagunnam fluvium, scilicet in villâ, quæ Valerius vocatur, & in aliâ villâ desertâ quæ Arcensis appellatur; & in aliâ villâ, quæ Luvinensis nuncupatur, in mansis, in agris, in sylvis, in servis, & ancillis. Sig. Hugonis de Cunvulensi castro, Heinrici, Ramaldi, Widonis, Bernonis. Domni Stephani Abbatis, Girardi Monachi, Warnerii, Wilenci, Albrici, Aimonis. Acta sunt hæc tempore illo, quo Philippus Rex regnabat in Francia, Robertus Episcopus in Lingonis, Stephanus Abbas in Besua, Odo Dux in Ducatu.

Carta de Balenavo.

NOtum sit omnibus fidelibus tam Laïcis, quàm Clericis, nec non Monachis, quod ministri Ducis Odonis, Præpositus & alii super terram nostram, quàm Sanctus Petrus, & Ecclesia Besuensis habet in Balenevâ, quærelabant consuetudines malas, scilicet talliam pro cibo Ducis, pro qua re acceperunt 5. solidos de hominibus. Pro hac injuria Domnus Abbas Stephanus proclamationem faciens ad Ducem supradictum, & ad Ducissam uxorem ejus, inde ex utraque parte terminaverunt placitum apud Divionem; ad quod pergens D. Abbas Stephanus armatus suis cartis, suisque testimoniis, liberaliter disseruit, quòd supradicta terra penitùs Duci, neque suis ministris, nullam debebat consuetudinem, nec alicui viventi, nisi sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ. Hoc audiens Dux & uxor ejus statim fecerunt restituere supradicto Abbati illos 5. solidos suprascriptos per Ervejum Præpositum. Ille quoque non habens in promptu nummos, abstulit pelles suas de collo suo, reddit eas fidejussori, scilicet Joscelmo. Ille nempe illas reddidit Abbati Stephano; Abbas quoque secum eas detulit, & tandiu ipsas pelles habuit, donec vellet nollet Ervejus Præpositus illos quinque solidos reddidit.

Carta de Picangiis.

QUædam Matrona, Alburgis cognomine, pagana, Walterii de Minoïo conjux honestissima, ab hoc sæculo discessura, B. Petro, & Abbati Stephano, cæterisque fratribus apud Besuense Monasterium in Dei servitio persistentibus distribuit terram apud villam, quæ Picantias vocatur, vel prata, nemusque cum aqua, veluti ea in vitâ suâ possederat; Waltero & Raimundo filiis suis, præsente Sevaldo fratre suo, & coram plurimis testibus gratanter concedentibus. Signum Landrici Monachi, Theoderici, atque Albrici Mon. Petri Grancejacensis Canonici. Odonis Iciacensis Militis. M. C. Anno ab Incarnatione Domini, Regnante Philippo Rege in Galliâ, & Rotberto Episcopo existente apud Lingonas, & cum eo regentibus Wilenco, atque Goscelmo Lingonensem Ecclesiam Archidiaconibus.

Carta de Villarium.

NOtum sit omnibus, qui has legerint, vel audierint litteras, quòd terram Hugonis cognomento Barbè quam dedit sancto Petro in villâ desertâ quæ vocatur Villarium, hanc Richardus filius, Milonis successor, & gener Hugonis Magni, qui noster effectus est Monachus, injustè invasit, & per 2. annos eam super calumniam Abbatis Stephani, ac Monachorum ejus tenuit, dehinc resipuit, & terram & fructum ex toto, sancto Petro, & Dom. Abbati Stephano, cum satisfactione reddidit. Ipse quoque Abbas eum videlicet Richardum tali conditione de præterito delicto ita absolvit, ut si ille, aut aliquis successor ejus, illud repetere vellet, sub anathema maledictionis permaneret. Signum hujus rei, Stephani Abbatis, Wilenci, Joffredi, Aimonis, Richardi. Sig. quoque Milonis patris ejus, Hugonis villici, Oberti, Girardi de Virduno, Hugonis fa-

muli, Gisleberti famuli, Giraldi filii, Gunterii, & aliorum multorum.

Carta de Bellojoco.

NOtificamus modernis quibusque & futuris, quòd Aludis nobilis matrona de Bellojoco, soror Ermuini, & uxor Ulrici de Trevia castro, in suo obitu pro remedio animæ suæ, suorumque antecessorum, dedit fideliter Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ unum mansum in Bellojoco cum servo nomine Rotberto, in illo manso habitante, cum uxore ejus, & uno filio nomine Tebaldo, & una filia, quæ vocatur Grimoeldis, & simul dedit unam vineam novellam, scilicet nuper plantatam. Hoc totum, & mansum, & vineam, & servos, & ancillas, sicuti ipsa de proprio jure possidebat, honorificè, & cum omni libertate dedit Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, ut supra dictum est, ipsa & filii ejus omnes. Ne aliquis infidelis falsum hoc existimet, assignamus testes. Sig. Theoderici filii ejus, Pontii similiter filii ejus, Theoderici pueri, Odonis de Bello monte, & uxoris ejus, Hugonis Columbæ, Odonis de Scia, Milonis de Bellojoco, Fulconis, Hugonis, Herberti villici, Giraldi coriarii. De Clericis, Acilini Sacerdotis, Ramaldi Diaconi, Tebaldi de Agiliaco. De nostris Monachis, Widonis Prioris, Wilenci, Warnerii, Landrici, & aliorum multorum.

Carta de Vetus-vineis.

NOtum sit omnibus modo viventibus, post hosque futuris, quòd Oltrudis filia Widonis de Vetus-vineis, neptis Waronis Monachi dedit omnem hæreditatem suam Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ quam possidebat in supradictis Vetus-vineis, in mansis, in terris, in pratis, in sylvis, & Dom. Odilo Monachus noster, qui tunc regebat, obedientiam dedit ei pro signo, medietatem eminæ frumenti, & aliam mensuram de Milio. Ut hæc donatio firma teneatur, assignamus testes: Signum Widonis Prioris, Wilenci, Joannis, Joffredi, Pontii, Odilonis. De Laïcis, Rotberti villici de Vetus-vineis, Bernardi, Rotgerii, Petri, Hugonis famuli, Rainaldi.

Carta de Luco.

AUdiant omnes tam præsentes quàm futuri, quòd Raimundus de Granciaco Miles, qui apud Salinam vulneratus fuit, antequam obiisset coram multis testibus, pro suâ animâ, suorumque antecessorum dedit sancto Petro & Besuensi Ecclesiæ duos mansos, unum apud Lucum cum suis appenditiis, & alium apud Rariacum; & duos servos, Waldricum, & Humbertum; & duas ancillas, Aluvidem, & Ermessendem. Huic rei assignamus testes. Signum uxoris ejus, & filii, & fratris ejus, Walterii, Artaldi Militis, Pontii Militis, Henrici de Icio, & aliorum multorum.

Carta de Secuniaco.

CLarum fiat omnibus, qui has litteras viderint, vel audierint, quòd Odo Miles de villâ, quæ Icius vocatur, veniens ad obitum suum, dederit Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, pro suâ animâ, suorumque antecessorum, unum mansum in villâ, quæ dicitur Secuniacus cum appenditiis suis tam liberum, & tam bonum quòd partem in se retineat de pastionibus, & de tertiis, & libertatem per omnes fines illius villæ. Huic Dationi subscribimus testes: Signum Odonis, & uxoris ejus, & filii ipsius Pontii Militis, qui eleemosynam fecerunt. Signum Sevaldi Balbi, Raimondi, Aymonis Militis, Pagani Præpositi, Martini Barbati, & aliorum multorum.

Carta de Gaviniaco, & Auxiliaco.

SCiant omnes tam præsentes, quàm futuri, quòd Wido, Miles, de Auxiliaco, veniens ad obitum suum, dedit Deo, & S. Petro, & Besuensi Ecclesiæ, unum mansum cum omnibus appenditiis suis, & omni libertate apud Caviniacum. Dedit etiam Viridarium de Ponto cum appenditiis suis, cum omni libertate, nec non & tertiam partem molendini de Auxiliaco, cum piscibus, si ibi capti fuerint. Ut hæc eleemosyna inconvulsa permaneat, subscribamus ei testes: Signum Widonis filii supradicti defuncti, qui eleemosynam loco patris sui super altare posuit, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. Signum fratris ejus Rainaldi, Hugonis Militis de Bello monte, Joffredi Militis, Walonis Militis, cognomento Columbi, Gisleberti, Warnerii, Hugonis fratris ejus & aliorum multorum. De Monachis Wranerii, Wilenci, Landrici.

Carta de Romanisca.

DIgnum duximus memoriæ tradere, quòd Hugo cognomento Rubeus, & uxor ejus, cognomento Regina, per mansum Stephani Abbatis, dederunt Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ terram, quæ dicitur de Romanisca ad integrum cum appenditiis suis, in quocumque loco jaceret cum servis, & ancillis, nec non & Ecclesiam de Verona. Tali pacto, si supradicta matrona vivens vellet ire ad Besuam post obitum viri sui, susciperent eam Monachi cum terra procurandam. Sin autem nollet usque ad mortem post obitum suum cum omni libertate, & cum servis, & ancillis, sicuti supra taxatum est. Pro hac quoque eleemosyna dedit Domnus Abbas Stephanus & viro & mulieri societatem & omne bonum quod factum fuerit in Besuensi Ecclesia usque ad finem mundi, pro remedio animarum suarum, suorumque antecessorum fidelium. Ut hæc traditio firma permaneat, assignamus ei testes. Ulrici Militis, qui fuit frater Hugonis. Widonis Militis filii ejus. Richardi Militis de Vircillis. Widonis fratris ipsius. Widonis Capellani. Petri Presbyteri. Rogerii qui fuit filius Hugonis. Duranni de Maiasco. Fanuelis, & aliorum multorum. De Monachis autem Stephani Abbatis Warnerii Prioris, Wilenci, Widonis Capellani, Albrici.

Item alia.

HOtum esse volumus præsentibus, & futuris, quod Virberga, uxor Marcelli Sutoris, dederit semetipsam sancto Petro Apostolo cum filiis suis, id est, Martino, Ermengarde, Maria, Richilde, Ada. Præsente Godefrido Priore, Girardo, Walterio, Rotberto, Drogone Præposito, Tebaldo, Ingelranno, Stephano, Lamberto Præposito, Joanne filio Joannis Majoris, Willelmo sutore. Marcello sutore.

Carta de Cusiaco, & de Chimissin.

SAcra scriptura testatur, quòd eleemosyna liberat animam de morte æterna, & conducit eam ad vitam perpetuam. De quâ re non immemor Hugo Miles, cognomento de Chimissins, ipse veniens ad obitum suum pro suâ animâ suorumque antecessorum fidelium, dedit Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, quatuor mansos, duos apud Ruvriacam, quæ est villa deserta cum omnibus appenditiis suis. Alium apud Cusiacum cum appenditiis suis. Alterum apud Chimissinum, cum 4. jugeri-

bus terræ, & unam falcem de prato. Et hos mansos liberos dedit cum omni libertate subscriptus Hugo. Ut hæc eleemosyna inconvulsa permaneat, assignamus ei testes. Signum Hugonis, Widonis filii ejus, Walonis, Aymonis, Hugonis nepotis ipsius, Awini de Beriâ, Nerduini Militis, Andreæ Presbyteri, Richardi, Constantini, & aliorum multorum.

Carta de Nogdantium Ferrosum.

NOtum sit omnibus viventibus, post nosque futuris, quòd Hugo puer, filius Wilenci de villâ, quæ Roseius dicitur, & avunculi ejus, Walo Monachus & Wido Miles, fratres supradicti Wilenci, pro animâ ipsius Wilenci, & pro animabus fratrum suorum, & omnium antecessorum suorum, tam pro vivis, quàm pro defunctis, tradiderunt Deo, & Besuensi Ecclesiæ duos mansos. Unum apud Nogdantium ferrosum, scilicet mansum Arnulphi, cum suis appenditiis, & alium in villâ, quæ dicitur Neronis, juxta Gradiacum castrum, cum duobus servis, Letbaldo & Widone fratre ejus, & cum appenditiis suis. Ut hæc Carta inconvulsa permaneat, assignamus testes. Signum Widonis, Walonis, Widonis, Willelmi filii ejus, Hugonis, Raimodis de Longo-campo, Hugonis de Nerone.

Carta de Burgundion.

FIat clarum cunctis viventibus modo, postque venturis, quòd Henricus Miles de Firmitate decubans in lecto, veniensque ad suum obitum, consensu, & consilio uxoris suæ, & filiorum, & omnium domesticorum suorum, dedit Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, pro suâ animâ, suorumque antecessorum fidelium, unum mansum apud villam, quæ dicitur Burgundion, cum omnibus appenditiis suis, liberum cum omni libertate, & tres servos manentes in ipso manso, scilicet Arnulfum, Henricum, Gislebertum, & medietatem de filiis, vel filiabus supradicti Arnulfi, & de aliâ parte unam ancillam. Huic Cartæ assignamus testes. Signum Leodegardis, quæ donum fecit, Hugonis de Comulensi castro, Richardi de Virciliis, Widonis fratris ipsius. De clientibus, Henrici, Ulrici, Julonis filii ejus. Rotberti villici, Bernardi, Arnaldi Clerici, Widonis Presbyteri, & aliorum multorum.

Carta de S. Sequano.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Fiat notum cunctis fidelibus, quod Alwidis, uxor Wilenci de villâ, quæ Altafon vocatur, dedit Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, duos mansos liberos cum omni libertate pro animâ viri sui Wilenci, nec non & pro animâ filii sui Rainaldi, qui juvenis mortuus est, & pro suâ animâ, suorumque antecessorum fidelium. Unum in villa, quæ sanctus Sequanus nuncupatur, cum appenditiis suis, & alterum apud Viriniacum cum suis appenditiis. Ut hæc Carta firma, & inconvulsa permaneat, assignamus ei testes. Signum Alwidis, quæ donum dedit, Humberti de Bellomonte, Widonis, Eldeberti, Hugonis. De Monachis, Stephani Abbatis, Warnerii Prioris, Wilenci, & aliorum Monachorum. Si quis huic donationi instigante diabolo contraire voluerit, aut diminuere, cum Dathan & Abiron anathema sit.

Carta de Viriaco.

HAbet etiam alium mansum sanctus Petrus, & Besuensis Ecclesia apud Viriniacum, quem dedit pro animâ suâ Falco Miles de Riveriâ, & Wicardus frater ipsius, cum omnibus appenditiis suis, & habet usum & communitatem per omnem potestatem de Montiniaco, in sylvis, & in pratis, & in pascuis, & ubique, & Petrum, qui mansum tenet, quantum eis suppetit, tradiderunt suprascripti Milites. Et est alius mansus in supradictâ villâ, scilicet, Viriniaco, quem dedit pro remedio animæ suæ sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, Petrus villicus, & Tebertus frater ejus, villicus de Montiniaco, cum appenditiis suis. Et sunt ibi in supradictâ villâ alii quatuor mansi cum appenditiis, quos tradiderunt alii benefactores pro animabus suis, Deo, & sancto Petro & Besuensi Ecclesiæ cum omni libertate, sicuti Ismahel de Granciaco, & alii fideles sub testimonio Christi.

Carta de Cusiaco.

LIqueat cunctis modò viventibus, & futuris post nos, quòd quidam Miles Rainerius de villâ, quæ Cusiacus dicitur, veniens ad mortem, pro remedio animæ suæ parentumque suorum cum magnâ devotione tribuit sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ tres mansos, sicuti ipse eos possidebat in ipsâ supradictâ villâ Cusiaco. Duo ex his debent 2. sextaria vini, & panem & carnem; & tertius quia minor est medietatem sextarii, & panem & carnem. Deditque unam ancillam inibi manentem cum tribus filiis, quæ Rolendis nominatur; sub tali testimonio. Signum Odonis Senioris Montis-Salionis, Theodebaldi, Odilonis fratris ipsius mortui, cum filiis suis.

Carta de Fontanis.

NOtum permaneat omnibus diligentibus hæc, quòd Miles quidam de Monte-Salione, nomine Pontius de Bigornâ in die suæ dormitionis, pro suâ animâ, suorumque antecessorum fidelium, Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, perpetualiter habendos duos mansos tribuit: unum in villâ, quæ Fontinellas nuncupatur, cum suis appenditiis, & alterum in villâ, quæ Curcellas vocatur, juxta Fontem vennam, & unum servum cum filiis, & filiabus suis, in villâ Campaniæ. Signum Humberti filii ejus, cum suâ matre, Walonis de Calmis, Aldelmi de Icioma.

Item alia.

FIdeliter retineant omnes, qui has audierint vel legerint litteras, quod Miles quidam de Bellomonte, Milo nomine pro remedio animæ filii sui defuncti Hugonis, addita suâ suorumque antecessorum, sanctis Apostolis Petro & Paulo, & Besuensi Cœnobio, duos mansos tradidit in villâ, quæ Fontinellas nuncupatur, cum appenditiis suis, ex toto liberaliter, & unum servum comparem terræ, nomine Widonem, & filium ejus Albertum & filiam ejus Alixem. Signum Milonis, qui donum fecit, Richardi filii ejus, Æwini, Walonis, Aimonis de Fontana. Widonis filii ejus, Stephani Abbatis. Wilenci, Joffredi, Albrici. Acta sunt hæc tempore Philippi Regis.

Carta de Vachiriaco.

SCiant omnes tam præsentes quam futuri, quòd Hugo, cognomento Troaudus, & frater ejus junior Waldinus, donaverunt Deo, & sancto Petro & Ecclesiæ medietatem villæ, quæ Vachiriacus vocatur, pro animâ patris sui Rainaldi, & matris suæ, & omnium fidelium antecessorum suorum, sicuti illi tenebant, & antecessores illorum tenuerunt, in terris cultis & incultis, in pratis, & in sylvis, & in usus aquarum omninò totum cum omni libertate: & pro

pro signo dedit illis duobus fratribus Wido Monachus qui Pauliacum tenebat undecim solidos nummorum. Ut hæc Carta inconvulsa permaneat, assignamus ei testes: Signum Odonis Militis de Bellomonte. Sig. uxoris ejus, Ailadis vocatæ, Widonis Militis, cognomento Margot, Rodulphi Militis fratris ejus, Hugonis villici de Pauliaco, Widonis Monachi, & aliorum multorum.

Item Alia.

SImili modo per aliud tempus duo milites fratres, scilicet Achardus, & Paganus de sancto Juliano delegaverunt Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, pro remedio animarum suarum, quidquid de proprio fundo habebant in illâ villâ desertâ, quæ Vachiriacus nuncupatur, in terris, in pratis, & in sylvis, & in decursibus aquarum. Signum Warnerii, Ulgerii, Widonis, Walterii, Humberti, & aliorum multorum.

Carta de Wascum Curtis.

NOtum sit omnibus tam præsentibus quàm futuris, quòd Sewinus Miles de Raico, pro animâ patris sui Widonis, & pro animâ suâ, suorumque fidelium antecessorum, dedit Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ in præsentiâ Domni Stephani Abbatis, & Monachorum, unum mansum de suo proprio fundo cum omnibus appenditiis suis, in villâ, quæ Wascum curtis dicitur, de agris, de sylvis, de pratis, cum omni libertate, sub tali testimonio. Signum Sewini, & uxoris ejus, Widonis, qui est Dominus Fontis-vennæ, Odonis de Bellomonte, Hugonis de villâ, quæ Geniperias dicitur, Beraldi fratris ejus. Kalonis de Silviniaco; & aliorum multorum.

Carta de Firdriaco.

RAtum & cognitum permaneat modò viventibus, post nosque futuris, quòd Sewinus Miles, & ejus uxor de loco, qui Villesons dicitur, sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ*, pro remedio animæ suæ, & suorum parentum in eleemosynâ duos mansos concessit: unum in villâ, quæ nuncupatur Firdriacus cum servo, Bisontico nomine, manente; & alium in villâ, quæ Wascum curtis appellatur, cum servo ad eumdem mansum pertinente. Signum Widonis de Raiaco, Sewini, Hermuini, Theoderici, de Trevia, Fulconis, Odonis, Moranni Archipresbyteri.

Carta de Morengis.

SUmmopere curandum est omnibus, quibus Deus dedit feliciter frui de præsenti vitâ, ut sint semper solliciti de perpetuâ. De hoc bene fuit memor in vitâ suâ quidam Miles, Pontius de villâ, quæ nuncupatur sanctus Sequanus juxta Polliacum, qui pro remedio animæ sui filii, scilicet Widonis, suâ additâ, & parentum suorum, tradidit Principibus Apostolorum Petro & Paulo, & Besuensi Ecclesiæ servum unum, Tewinum, & terram de Morengis, & nemus quod vocatur Noaino ex totum sicut possidebat. Signum Pontii, qui hoc dedit, Nerduini fratris ejus, Widrici de Arco, Odonis Bellimontis, Aimonis, Hugonis Columbæ, Hugonis villici de Palliaco, Lamberti filii ejus, Joannis filii ejus.

Carta de Vetus-vineis.

PEr has cognitum fiat litteras, quòd Gertrudis, uxor Henrici de Novâ-villâ & Warnerius gener ejus & filia ejus uxor Warnerii, cognomine Cara, pro remedio animæ supradicti Henrici, & suarum, suorumque Antecessorum, obtulerunt Deo, & sancto Petro Besuensis Ecclesiæ, super Altare in Vetus-vineis villâ, medietatem mansi, cum sex jugeribus terræ, de proprio fundo; & simul unum servum, nomine Tetbertum, & unam ancillam, istius sororem, nomine Oltrudem: Uterque & servus & ancilla, nati sunt de Petro Rustico de Vetus-vineis. Signum illorum qui fecerunt donum, Odonis, Richardi fratris ejus, Hugonis de Conulensi castro, Rainaldi servi ejus de Vetus-vineis. Sign. Dom. Stephani Abbatis, Wilenci Monachi. Joannis Cantoris, & aliorum Monachorum.

Carta de Picangiis.

PRo certo sciant omnes tam futuri, quàm præsentes, quòd Alburgis, cognomine Pagana, uxor Walterii de Mignoio, veniens ad obitum suum, pro suâ animâ dedit Deo & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, partem suam, scilicet quidquid habebat vel possidebat in vitâ suâ, in villâ, quæ Picangias vocatur, in terris, in pratis, in sylvis, omninò totum. Hanc eleemosynam confirmaverunt filii supradictæ matronæ, Raimondus videlicet, & Walterius, nec non & Sewaldus avunculus illorum, cognomento Balbus. Ut hæc Carta inconvulsa permaneat, assignamus ei testes. Sign. Odonis Militis de Icio, Pontii filii ejus. Haimonis Militis. Henrici, qui erat minister ipsius dominæ. Widonis Sacerdotis. Petri Canonici de Grancianco. De Monachis, Sign. Dom. Stephani Abbatis, Wilenci, Joannis, Albrici: & de familiâ sancti Petri quam plures adfuerunt, Otbertus, Hugo, Gislebertus, Joannes, Aidulfus.

Carta de quodam plastro domus in Besua sito.

SCiant omnes tam præsentes quàm futuri quòd D. Petrus, Montis-Salionis Dominus, & uxor ejus Eva, quandam sedem domûs vacuam, quam Plastrum vocant, quod tenebat ipse & antecessores ejus de Abbatibus Besuensibus, & de Monachis, cumpunctus corde pro remedio animæ suæ, suorumque antecessorum, reddidit illud sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, & Monachis penitus liberum: tali modo ut si aliquis de hæredibus suis deinceps aliquam calumniam super hoc facere voluerit, anathema sit, maranatha in perpetuum. Ut hæc redditio inconvulsa permaneat, subscribamus ei testes. Sig. Petri, Hugonis de Varva, Rodulfi Militis de Aquis, Hugonis Clerici de Miribello, de familiâ sancti Petri, Rotberti Præpositi, Otberti cocci, Hugonis, Willelmi, Lamberti, Tebaldi, Joannis cocci, & aliorum multorum. De Monachis, sign. Dom. Stephani Abbatis, Warnerii Prioris, Wilenci, Joannis, Philippi, Widrici, Roffredi & aliorum.

Carta de nemore, Valle Victoris dicto.

HOc ad memoriam reducatur, quòd duo fratres fuerunt, Henricus scilicet, & Bernardus de Fractomonte. Hi dicebant se habere quoddam alodium infrà terram nostram in valle Victoris. Supradictus quoque Henricus veniens ad paupertatem, dedit Domno Hugoni de Beriâ, omnem suam hereditatem, & ipse tutavit eum usque ad mortem; & partem supradicti alodii Henrici dedit supradictus Hugo Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ pro animâ filii sui defuncti Warnerii pueri. Partem quoque Bernardi de ipso alodio dedit Euvinus filius Bernardi, & mater ejus Poncia, & sororius ejus Milo, & Richardus frater Euvidi; dederunt & confirmaverunt utramque donationem, pro animâ patris sui Bernardi, & pro animabus suis, suorumque antecessorum Domnus Odilo Monachus noster

dedit illis pro signo quinque solidos nummorum. Ut hæc Carta inconvulsa permaneat, adnotamus testes: Signum Stephani Abbatis, Widonis Prioris, Albrici, Odilonis. De Laïcis, Euvini, Milonis, Hugonis famuli, Gisleberti, Rotberti de Vetus-vineis, Bernardi, Rainaldi. Et in ipso die supradictus Euvinus junctis manibus effectus est homo Domni Stephani Abbatis, pro quibusdam, quas super eum habebat, calumniis.

Carta de hominibus S. Petro à Pontio datis.

CLarificetur cunctis modò viventibus, post nosque futuris, quòd Pontius Miles, filius Heinrici de Firmitate, quæ dicitur Anrosiacus, pro animâ patris sui, suorumque antecessorum, & pro animâ suâ, per consilium suorum fidelium, dedit Deo, & S. Petro & Besuensi Ecclesiæ liberaliter, & perpetualiter quinque homines, tres mares & duas fœminas, scilicet Gandradam cum tribus filiis suis, quorum hæc sunt nomina. Primus Petrus, 2. Albricus, 3. Theodoricus: altera de fœminis vocatur Elizabet, uxor Petri desuper nominati. Hoc donum fecit supradictus Pontius in festivitate sancti Petri, & propriâ manu donum roboravit super altare per librum qui vocatur Regula S. Benedicti, coram multis testibus; tali pacto, ut si unquam aliquis de parentibus suis, sive aliquis instigante diabolo, huic Cartæ contraire, aut calumniare voluerit, anathema sit. Huic Cartæ assignamus testes. Sig. ipsius Pontii, qui hoc donum fecit. Sign. Richardi & Widonis fratris ejus de Vircillis. Julonis de Granando. Widonis filii Rainaldi Conulensis. Willelmi de Fossato. Odilonis de Lissiaco. Hugonis de Torcennaco, & aliorum nobilium, qui præsentes fuerunt. De Monachis verò, sig. Stephani Abbatis, Wilenci, Albrici captivi, Antonii fratris ipsius. Pontii, & multorum aliorum.

Carta de Feodo Giraldi de Luco.

NOtum sit omnibus modò viventibus, post nosque futuris, quòd Giraldus noster villicus de Luco, multotiens discordatus est à nostro servitio, propter quasdam injurias, quas faciebat de terris nostris, quæ non pertinebant ad suum fœdum. De qua re Dom. Abbas Stephanus per consilium fratrum volens terminare ex utraque parte pacem & concordiam, suo jussu & jussu Giraldi per Monac. & Laicos fecit inquirere ad purum feodum Giraldi de villicatione. Inquisitione factâ inventi sunt 52. jugera terræ, & 4. falces de prato. Hæc jugera terræ, & has falces de prato, concessit Dom. Abbas Stephanus, & Monachi nostri, supradicto Giraldo: decimum ..... ad suum fœdum; medietatem quoque illius annonæ, quæ vocatur Ungranus, de quâ erat contentio inter illum & Monachos, quàm ibi ex toto dimisit, scilicet in supradicto placito Dom. Abbas, & Monachi concesserunt ei illam supradictam medietatem Ungrani tempore vitæ suæ, & non ampliùs, propter misericordiam, & bonum finem: & in uno quoque anno examen de horreo Monachorum, vel unum becharium, hoc est medietatem heminæ de frumento vel de sigillo. Hoc concessit D. Abbas Steph. per consilium fratrum, Giraldo, ut fidelis permaneret sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, meliùs quàm antea fuerat ipse & frater ejus Olardus. Hujus rei assignamus testes. Signum Stephani Abbatis, Widonis Prioris, Wilenci, Albrici, Landrici, Theoderici. De Laïcis, Giraldi, Olardi de Luco, Hugonis villici, Euvrardi, Giraldi filii Gunterii, Giraldi, Hugonis famuli, & aliorum multorum.

Carta de Molendino apud Fontanas.

OPeræ pretium duximus adnotare litteris, quòd Alisendis uxor Aymonis de Fontanis, veniens ad mortem dedit pro suâ animâ Deo & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, cum omni honore & omni libertate medietatem molendini de prato Hairardi, laude, & concessione Aymonis viri sui, & Widonis filii sui. Ut hæc donatio firma, & inconvulsa persistat, assignamus testes: Signum Aymonis de Fontanis, qui hoc donum fecit, Widonis filii ejus, Hugonis Carrucæ, Wilenci Militis, Hugonis de Portâ, Bertranni Militis de Fontanis, Herberti villici, & Odonis fratris ejus, Hildemari Presbyteri, & aliorum multorum. Et de Monachis nostris. Sign. Dom. Stephani Abbatis, Wilenci, Girardi, Joannis, Albrici.

Carta de Luco.

MEmoria & recognitio sit omnibus modò viventibus, postque futuris, quòd Giraldus de Luco villicus noster, & Humbertus, cognomento Ingelricus de Cipeto, quandam partem decimæ de terrâ, quæ dicitur S. Vincentii de Luco, quam per aliquot annos malè subripuerant, & sub anathemate, & furto retinuerant, agnoscentes reatum suum, & culpam clamantes, restituerunt sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, in præsentiâ Dom. Stephani Abbatis, & Monachorum; promittentes nunquam per se, neque per aliquem successorum suorum, tam execrabilem rapinam repetere.

Carta de pertinentibus ad Arcionem.

CUm præcedentium Patrum statuta à posteris quotidie videamus dissolvi, & ea quæ in mundo firmiùs stare videbantur, aut jam ceciderint, aut casum minitentur, ne dum verba, quæ cùm formari cœperint, jam non sunt, litterarum tenaci memoriæ commendare studuimus, qualiter inter Monachos sancti Leodegarii, ex diutinâ contentione pax & concordia firmata sit. Hæc verò contentio fuerat de decimis duarum Ecclesiarum sancti Petri, videlicet Danblin, & Danbrun, & de unâ sylvâ, quam Fererarias vocant, & de uno campo.

Placuit itaque Rotberto venerabili Lingonicæ sedis Episcopo Stephanum Besuensem Abbatem & Hugonem Antisiodorensem illius loci, videlicet sancti Leodegarii Abbatem, Jerentonem quoque Divionensem convocare, ac demum prædicta contentio hoc modo terminata est. Laudatum est atque sancitum ab Abbatibus Stephano Besuensi, & prædicto Hugone Antisiodorensi, & Roberto tunc temporis Priore sancti Leodegarii, & ab utriusque partis hominibus, quòd parrochiani S. Leodegarii ex eo quod in ipsis parrochiis, videlicet Danblin, & Danbrun, laboraverint, medietatem decimarum secum deferent, & medietatem Ecclesiis relinquent, in prædictâ sylvâ, quam Ferrarias vocari diximus, communitatem nostri homines, & illorum habebunt, de tribus sylvis sancti Leodegarii, quarum hæc sunt nomina; Granzuvaure, Chalmes, Droul, faciet Monachus, qui Arcioni erit domum suam, & ut vulgariter dicitur Aasimentum domus suæ. In prædictam sylvam quam Ferrarias vocari diximus, si laboratum fuerit, cujus erit fundus terræ, ipsius erit & tertia. Pasturam in nostris, & illorum terris communem habebunt, utramque sine damno tantum. Et si damnum factum fuerit, si sine clamore redditum fuerit, pax erit. Quòd si clamor ad Dominum pervenerit, damnum restaurabit, & legem Domino persolvet ipse qui damnum fecerit. Campum illum qui est intra terram villæ, quæ dicitur Trescasas,

sicut fuerat monstratus & aratus, dimisit Dom. Abbas Stephanus Besuensis S. Leodegario & Dom. Hugoni Antisiodorensi Abbati.

Facta est hæc concordia in uno campo super Cyriacum ab Abbatibus Stephano Besuensi, & Hugone Antisiodorensi. Ex Monachis Besuensibus affuerunt Warnerius Prior, Lebaldus, Alberius, qui Arcioni morabatur, Landricus frater Hugonis cognomento Columbæ. De Monachis Antisiodorensibus affuerunt Rotbertus Prior de sancto Leodegario, therius secretarius, Emelbertus, Artaldus Prior de S. Marcello. Ex Militibus, Humbertus de Lissei, & Odilo frater ejus, & Hugo Columba, Wido de Agullini, Wido de Danbrun, & Humbertus frater ejus, & Hugo Præpositus de S. Leodegario. Emelbertus Præpositus Antisiodorensis. De familiâ sancti Petri, Arlebaldus de Belenavâ Præpositus, Otbertus Coccus, Gislebertus famulus. De familiâ S. Leodegarii, Hugo de Ballenavâ villicus, & Odilo, Paganus Præpositus de Magnei, & Humbertus, & Hugo fratres ejus. Petrus de Mosteriolo. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione M. CVIIII. Indictione II. Epacta XVII. concurrente IV. Hluedowico Rege filio Philippi regnante, Anno II. Imperii ejus. Episcopali cathedræ Lingonensium præsidente Domno Rotberto, qui hoc placitum tenuit, & hanc concordiam laudavit. Die XXVIII. mensis Octobris.

Considerans etiam Dom. Stephanus Abbas caritatem refrigescere, veritatem à filiis hominum diminui nec solùm largitiones, quæ olim fiebant Ecclesiis Dei maximâ ex parte remanere, verùm etiam largita auferri; Romam petiit, & ad eum qui tunc Apostolicæ Cathedræ sedebat Papam, Domnum videlicet Paschalem accessit, & B. Petri authoritate, nec non & illius qui tunc loco ipsius universalis, atque Catholicæ Ecclesiæ curam habebat, prædicti Papæ privilegio inviolabili confirmari fecit, quæcumque istud Besuense Cœnobium possidebat, sive in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium justè atque canonicè posset adipisci. Potitus autem eo quod quærerat, ea quæ retro sunt oblivisceus, & in anterioribus se extendens, pericula, & labores vitæ (hyems enim erat) parvi pendens, non reminiscebatur pressuræ propter gaudium subsecutum. Nos verò exemplum Privilegii illius curavimus subscribi infrà.

Privilegium Domni Paschalis Papæ.

PASCHALIS Episcopus servus servorum Dei, Dilecto filio Stephano Besuensi Abbati, ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum.

Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Proinde nos Religioni vestræ desideria confoventes, vestro Besuensi Monasterio in honore Beatorum Apostolorum Petri & Pauli ædificato, eorumdem Apostolorum ex Apostolicæ sedis benignitate munimen impendimus. Constituentes, & præsentis decreti paginâ sancientes, ut Ecclesia de Albiniaco, & Ecclesia sancti Benigni, & Capella sanctę MARIÆ quæ castello Montis Salvionis sita est, ad supradictam Albiniaci Ecclesiam pertinens, Ecclesia etiam Camlintensis, & Ecclesia de Majasco cum appenditiis suis, Capella de Fovenz vestro semper Cœnobio ita firmè, ita liberè, quietèque permaneant, sicut à fratre nostro Rotberto Lingonensi Episcopo, cum totius Lingonensis Cleri conivenientiâ traditæ sunt.

Recensentur omnia quæ sunt Monasterii Besuensis.

Idipsum etiam de duabus Præbendis statuimus, quas bonę memorię Harduinus, & Hugo Lingonenses Episcopi fratribus in Ecclesiâ sancti Gengulfi apud Lingonas Domino servientibus tradiderunt.

Idipsum etiam statuimus super Ecclesiâ de Sivoio cum pertinentiis suis, super Capellâ sancti Mauricii seu sancti Dionysii, Capellâ sancti Valeriani, & Ecclesiâ de Raiol, & parte quartâ Ecclesię sancti Martini de Monasterio, seu cęteris rebus quas bonę memoriæ Hugo Bisontinus Episcopus vestro Monasterio contradidit. Porrò Ecclesia sancti Remigii, quæ est in Burgo Besuæ, & Ecclesia de Belenavo cum appenditiis suis, ita in possessione vestra liberas, ita ab omnibus consuetudinalibus immunes semper manere censemus, sicut à bonæ memoriæ Alberico quondam Lingonensi Episcopo seu successore ejus Rainardo, ejusdem Ecclesiæ venerabili Episcopo libertate, ac immunitate donatæ sunt.

Præthereà confirmamus vobis Ecclesiam Salvatoris de veteribus vineis, Ecclesiam sancti Martini de Luco, Ecclesiam sancti Laurentii de Beriâ, Ecclesiam sancti Benigni de Boensis villâ, Ecclesiam sancti Sequani, quæ est parrochialis, Ecclesiam sancti Valerii de Talemaro, Ecclesiam sancti Leodegarii de Genziniaco, Ecclesiam sancti Martini Belmontis. Capellam quoque sancti Marcellini, quam bonæ memoriæ Geilo Lingonensis Episcopus ad luminaria Altaris Ecclesiæ vestræ contulisse dignoscitur, cùm P. Prudentii Martyris sub eodem Altari Reliquias collocavit, cum appenditiis, & mancipiis utriusque sexus, sicut ea supradictus Episcopus Virdunensi Episcopo commutavit. Ecclesiam quoque sancti Hypoliti de Pontiliaco cum appenditiis suis, Ecclesiam de Casoto S. Symphoriani, Ecclesiam sanctę MARIÆ de Fonvenz, à Lamberto Lingonensi Episcopo datam cum pertinentiis suis. Ecclesiam quoque sancti Gengulfi superiùs nominatam. Porrò villam Besuæ sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Monasterio adjacentem cum omnibus pertinentiis suis, ab omnium hominum vexationibus liberam, sicut hodie est, vobis in perpetuum manere sancimus. Piscariam quoque à Fontis loco usque ad Princianum in jure ac possessione vestrâ semper servari liberè, quietèque sancimus.

Præthereà quæcumque in præsentiarum nunc idem Monasterium possidet sive in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium, justè atque canonicè poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, & illibata permaneant.

Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat idem Cœnobium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Lingonensis Episcopi canonica retinentia. Ut Episcopo tamen aut Episcopi ministris omninò non liceat Monasterium ipsum, aut ejus loca gravare, nec ornamenta Ecclesiæ quâlibet occasione diripere, nec exactiones aliquas, aut consuetudines, quæ fratrum quieti noceant, irrogare. Interdicimus etiam ne quis idem Besuense Cœnobium in cellam redigere audeat, quandiu Monastici ordinis observantia illic Domino præstante viguerit.

Si quis sanè in crastinum Archiepiscopus, vel Episcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, Vicecomes, aut judex, vel quælibet Ecclesiastica, secularisque persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam venire tentaverit, secundò tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JESU CHRISTI, aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem idem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Scriptum per manum Rainerii scriniarii & Notarii sacri Palatii. Datum Laterani per manum Joannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardin. Cal. Jan. indict. XIII. Incarn. Dominicæ anno M. CV. Pontificatus autem Domni Paschalis II. Papæ VI.

Ego, PASCHALIS Episcopus Catholicæ Ecclesiæ subscripsi.

1108. EVolutis igitur annis duobus contigit eundem Papam Paschalem, Galliarum partes invisere. Deveniens autem usque ad nos, à Domno Stephano Abbate, & à nobis aliis cum copioso Cardinalium tam Episcoporum quàm Presbyterorum, ac Clericorum suorum comitatu, nec non & aliorum Episcoporum, Abbatum diversorumque graduum Ecclesiastici ordinis, in hoc Monasterio Besuense devotè susceptus est. Ubi usque in tertium diem demoratus, cum situs hujus loci multùm, fratrumque conventus & ordo plurimùm ei placuisset, omnia laudans, omnia benedicens, ad ultimum in Capitulum veniens consedit, ubi sermonem faciens, ab eo loco incepit, ubi dicitur: *Fratres, quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem scripturarum, spem habeamus.* Et quia Monachis loquebatur, quibus maximè patientia necessaria est eam posuit quasi fundamentum. Deinde ostendens quòd patientia spem operetur, de spe disserens, pervenit ad fidem. Fidem autem nos docens tenere non fictam: de ea etiam multa nos edocens tandem ad caritatem, quæ Deus est, conscendit. Dixit & de ea, imò de eo, ut tempus & ratio expetebat. Cumque sermonem terminasset, rogatus à D. Abbate, & ab aliis fratribus, ut potè qui locum tenebat ejus, cui data est potestas ligandi, & solvendi in cœlo, & in terra, ut nobis, & fratribus nostris, tam vivis, quàm defunctis, absolutionem daret, & benedictionem annuit; & incipiens 50. Psalmum, cum Orat. Dominica, & collecta uti rogatus fuerat, nos absolvit, & benedixit.

Paschalis Papa cœnobium Besuense invisit. Concionem habet ad Monachos. Rom. 15. 4.

Nec illud prætermittendum, quòd altare sanctorum Petri & Pauli, ipse in honore eorumdem consecravit, ibique Missam solemniter celebravit; & eum diem sicut diem natalis Domini quot annis celebrari præcepit.

Nomina verò Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, Presbyterorum, seu Clericorum, qui cum eo adfuere, quantum memoriæ occurrere potuit, subter scripsimus. Richardus Card. Episcopus Albanensis, Divizo Card. sancti Martini, Risus Card. sancti Laurentii. Gregorius Card. sanctorum Apostolorum, Joannes Diaconus Card. sanctæ Rom. Ecclesiæ; Episcopus Lingonensis, Rotbertus ad cujus petitionem hæc aucta sunt, Episcopus Placentinus, Episcopus Vivariensis, Episcopus Cameracensis, Henricus Abbas Angeriacensis, Lambertus Pultariensis Abbas, Henricus Abbas sancti Sequani, Wido Abbas sancti Michaëlis, & alii multi. Inferioris verò Ordinis Clericorum, seu Laicorum, ferè innumera multitudo.

Qui in comitatu Paschalis Papæ erant.

Quoniam verò Dei dispositionem ab æterno cuncta sequuntur, suisque quando, & quomodo vult, miseretur, gratuitâ pietate nos voluit Apostolicâ benedictione relevari. Acta sunt hæc anno ab Incarn. Dom. M. CVII. Indict. XV. Epa. XXV. die XII. Cal. Martii.

Carta de vinea sacristæ in Besua.

EVangelicæ authoritatis exemplo didicimus, quod servus fidelis, & prudens in modico, à Domino JESU super multa constituetur. Studui igitur ego Joannes, terram quæ circa basilicam sanctæ MARIÆ, jacet, Ecclesiæ sanctorum Petri & Pauli revocare, quæ jam diu aliquo modo distracta fuerat, sicut infrà docebimus.

Hujusce Chronici Authoris nomen & ætas.

Domnus namque Abbas Odo dederat eam Warnerio, Patri Ulgerii, excolendam, & ad plantandam vineam, ut in vitâ suâ illam teneret; post decessum verò Ecclesiæ redderetur. Sed eo mortuo, haud ita evenit. Cùm enim filio ejus Ulgerio prædicto pecunias deberet Ecclesia, concessit ei D. Abbas Stephanus terram illam, eo modo quo pater ejus habuerat. Ego verò cupiens talentum mihi creditum ampliare, donavi Ulgerio 120. solidos, id est, sex libras, & ipsi ac filii ejus quidquid in terrâ clamabant Deo & sancto Petro in manu Domni Abbatis Stephani reddiderunt. Domnus autem Abbas Stephanus donavit & concessit eam secretario Monasterii, per manum meam, in perpetuum habendam liberè absque censu, & omni consuetudine, quæ de aliis vineis persolvitur. Concessit etiam eam consuetudinem quam Warnerus & Wigerius habuerant, scilicet, ut de sylvâ illa, quam Castanetum vocamus, liceret in vineâ fieri perticas, furcas, paxillos, & quidquid in eâ opus fuerit. Et ut hæc Carta inconvulsa permaneat, assignamus etiam testes. Signum Domni Stephani Abbatis, Warnerii Prioris, Joannis Secretarii. Theoderici Præpositi, Landrici, Giraldi. De Laicis verò Otberti coci, Martini Clerici, Ulgerii, Amalberti, Giraldi, Stephani de Beria. Formati, Petri, Humberti & Warnerii filiorum Ulgerii.

Carta de Mercennaco.

SAnctorum Patrum exemplis, piæ considerationis oculum ad imitationem infigentes, nos qui regimen sanctæ Ecclesiæ suscepimus, necessarium, imò æquum & salubre esse cognoscimus, eam fideliter ordinare & in eâ quidquid boni ordinatè disponimus, ne citiùs destruatur, aut pereat, sapienter providere.

Notum igitur facimus omnibus tam præsentibus quam futuris nostris successoribus, ego Stephanus Abbas Besuensis Ecclesiæ, cæterique qui mecum sunt ejusdem cœnobii Provisores, quamdam vineam, quam apud Gebriacum Frater Joannes emerat, nos cum vineis, de quibus vinum ad commune deportatur cellarium, terminasse; sibi etiam cunctisque post eum venturis, quidquid terræ sive vinearum, atque consuetudinum apud Mercennarium habebamus id concessisse, quatenùs ex reditibus earum, ea quæ sunt in nostræ Ecclesiæ ministerio apta comparentur: & insuper altare sancti Martini in sinistrâ parte situm Monasterii, exinde jugiter illuminetur. Quod statutum litteris imprimentes, authoritate qua debemus, inviolatum permanere præcipimus. Signum Domni Stephani Abbatis, Warnerii Prioris. Wilenci, Joannis, & cæterorum Monachorum.

Item Alia.

SCiant omnes præsentes, & futuri, quòd Thebaldus, qui nunc nuncupatur de sancto Prudentio, quidquid ædificii habuit super campum, qui capellæ sanctæ MARIÆ adjacet scilicet de vineâ, reddidit beato Petro, & Stephano Abbati & Secretario Joanni in perpetuum possidendum, & pro tali commercio, dedit illi Joannes Secretarius 25. solidos, & unam combam quam plantaverat: communicavit ei taliter, ut per medium excolat, & per

medium fructum capiat. Eo tenore, si fidelis cultor exstiterit, habeat eam cum honore tempore vitæ suæ absque censu. Post ejus obitum si quis legalis hæres ejus supradictam vineam habere voluerit, cum Secretario qui Dominus & socius inde est imprimis eam offerat. Si ipse eam sibi retinuerit, bene, sin autem noluerit, per consilium Abbatis & Monachorum vendat eam alicui de servis sancti Petri qui eam fideliter excolat, & censum & consuetudines Secretario reddat. Huic Cartæ assignamus testes. Signum Stephani Abbatis, Wilenci, Joannis Secretarii, qui hoc fecit, Girardi, Albrici, Thebaldi, Hugonis villici, Haidulfi, Hugonis famuli, Berengarii, Baldi, & aliorum multorum de familiâ Ecclesiæ.

De obitu Rotberti Episcopi.

CUm per multorum annorum curricula Domnus Rotbertus Ecclesiam rexisset Lingonensem, gravissimo correptus morbo ad extrema propinquans, apud castellum, quod Castellion dicitur, Abbates suos, Stephanum Besuensem, Widonem Molimensem; item Widonem Ternodorensem, ad se mandans, humiliter se in conspectum Dei accusans, & veniam peccatorum exposcens, à Domno Widone Molimense Abbate Monachilem habitum suscepit; deinde non post multum, Viaticum ipsum corpus Christi accipiens, vitam finivit: sepultusque est apud Molimense Monasterium in Capitulo decenter ut decuit. Cujus loco substituitur Domnus Joceranuus Lingonensem sedem gubernaturus.

Carta Hugonis Ducis de Karris apud Divionem.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Quantam animi devotionem erga sanctam Dei Ecclesiam habere debeamus divina sanctarum scripturararum demonstrant testimonia, quæ siquidem eam & muneribus percipiunt fieri locupletem, & omnimodâ veneratione testantur, & commendant effici gloriosam. Hac igitur animadversione compunctus, & à sancto Spiritu spiritualiter instinctus, ego Hugo Dux Burgundiæ notum facio omnibus tam modernis, quàm futuris fidelibus, quòd redemptionem carrorum, quam in portâ Divionensi capere consueveram, Deo, & sancto Petro, & Abbati Stephano, omnibusque Besuensis Ecclesiæ Monachis donaverim, ut amodò quibuscumque annis vel temporibus Divionem venerint ipsi denominatæ Ecclesiæ Monachi, tam claustrales, quàm in cellis manentes, hanc sibi libertatem à me, meisque successoribus obtineant, ut sine omni impedimento, & absque alicujus redemptionis exactione, cum suis carris indubitanter pertranseant. Cujus si quidem doni largitionem zelo Dei succensus, hujus gratiâ rei pro animæ patris mei remedio, Besuensi Ecclesiæ contuli: ut videlicet singulis annis apud eandem Ecclesiam ipse in memoriam sit omnium, & sicut mos est Catholicus, anniversarium ei à filiis Ecclesiæ celebretur omnibus, quatenùs orationibus fidelium Dei famulorum, sibi meisque omnibus antecessoribus remissio omnium concedatur peccatorum. Proinde quoniam multa & maxima parentum nostrorum instituta, eos qui modò sunt in silentio & oblivione, conspicio præterire; authentico placuit hoc donum commendare privilegio, & subscripto approbatorum vivorum roborare testimonio. Sign. Hugonis Ducis, Henrici fratris, Ducis, Walonis Abbatis, Hugonis Dapiferi, Waleranni Militis, Hugonis Præpositi, Ewrardi Præpositi, Dominici juvenis. Signum Stephani Abbatis Besuensis, Warnerii Prioris, Albrici. De Laïcis, Otberti, Ewrardi, Girardi, Arnaldi villici Lingonensis: Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini M. CXIII. Indictione VI. Epact. I. regnante Hlugdowico Rege Francorum, Episcopante Joceranno in urbe Lingonensium.

Carta de Decima Casoti.

OPeræ pretium duximus litteris adnotare, quòd Richardus, qui nepos Esemberti de Casoto fuit, omnem calumniam quam habebat super decimam de supra taxata villa postposuit, & omninò dimisit in præsentiâ Stephani Abbatis & Monach. nec non & Laïcorum. Quapropter ut de hac re firma pax teneretur ex utrâque parte, dedit ei supradictus Stephanus Abbas quatuor Heminas de annona in supradicto Casoto annuatim: duas de tritico, & duas de hordeo qualiscumque ibi fuerit per fedum tali pacto & tali ratione, si supradicta villa ad supradictam destructionem pervenerit, ut ibi capere non valeat supradictam mensuram, scilicet de quatuor heminis, tamdiù patienter exspectet, donec villa melioretur, & quod sibi competit, iterum recipere possit. Hoc laudaverunt frater ejus Sewinus & soror. Huic rei assignamus testes: Signum Richardi, qui hoc fecit. Thetbaldi Militis de Casoto, Pagani præpositi de Tilecastro. De familiâ sancti Petri, Otberti, Amalberti, Gislleberti, Hugonis, Girardi.

Item alia.

SCiant omnes tam præsentes, quàm futuri, quòd filia Pontii, quæ cognominata est Besueta, & Odo Miles filius ejus, quidquid juris vel proclamationis habebant super pueros Girardi, qui cognominatus est Aligrinus, dederunt Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, æternaliter pro remedio suorum antecessorum, ante aram sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & in præsentiâ Stephani Abbatis, & Monachorum. Ut hæc carta inconvulsa permaneat, assignamus ei testes: Signum Odonis Militis, & matris ejus, qui hoc fecerunt, Benzonis Sacerdotis de Tilecastro, Humberti, qui cognominatur Angelricus, Viviani, Hugonis villici, Joannis, & aliorum multorum.

Carta de Ecclesiis, datis à Dominis Montis-Salionis.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Notificamus omnibus fidelibus, quorum usque ad aures Cartula ista pervenerit, quòd Domnus Petrus cum nepoti suo Domno Odoni in honore & dominio Montis-Salionis successisset, dona, quæ ipse Odo & avunculus ejus Rainaldus contulerant Deo, & Ecclesiæ sancti Petri Besuensis, de Ecclesiis videlicet calumniari cœpit. Accipit interim Archiepiscopum Joceranuum Lugdunensem, & Episcopum Cabilonensem, & Episcopum Augustidunensem Divionem advenire. Ibique ratione consilii, imò rationabili consilio suo commonitus Domnus ipse Petrus, quidquid in rebus præfatis calumniatus fuerat in manu Domni Joceranni Archiepiscopi Lugdunensis reddidit. Archiepiscopus autem donum illud in manu Domini Stephani Abbatis posuit, & Ecclesiam Besuensem inde revestivit: assignamus testes. Sign. Joceranni Archiepiscopi, Stephani Eduensis Episcopi. Walterii Cabilonensis Episcopi. Wilenci Archidiaconi, Domni Joceranni Archidiaconi. Stephani Abbatis. Verentonis Abbatis. Stephani Novi Monasterii Abbatis. Warnerii Prioris, Joannis, Albrici. De Militibus; Willelmi Fontis-vennæ, Hugonis Dapiferi, Petri qui hoc donum fecit, Widrici, Otberti cocci, Hugonis famuli.

Carta de Arcione.

IN nomine sanctæ ac individuæ Trinitatis. Dignum duximus litteris adnotare, quòd Arlebaldus Præpositus sancti Petri de Belenava reddidit Deo, & sancto Petro & Besuensi Ecclesiæ, omne fœdum, quod habebat de Abbate, & de Monachis super Mansos de Arcione, sicut supradiximus, omnem consuetudinem & quidquid calumnii vel juris habebat super supradictos, super altare in dono posuit, pro suâ animâ, suorumque antecessorum, ipse & uxor ejus, & filii ejus æternaliter. Et propter hoc, ut hæc donatio inconvulsa permaneat, dedit illi Albericus Monachus qui tunc temporis Arcionem gerebat, duas heminas frumenti, & unam vaccam, & redemit illi de Ranaldo de Miribel quinque heminas annonæ, quas perdiderat apud Cusiriacum, cum 40. solidos. Huic rei assignamus testes: Sig. Stephani Abbat. Wilenci, Joannis, Joffredi. Et de familiâ sancti Petri, Otberti, Hugonis, Gisleberti, Nerduini, Joannis, & aliorum multorum.

Carta de Caviniaco.

CLarescat hoc cunctis modò viventibus, post nosque futuris, quod Suffisia uxor Pontii de villâ, quæ sanctus Sequanus nuncupatur, & Humbertus gener ejus de Lisiaco, pro animâ supradicti Pontii, qui Hierosolymitano itinere mortuus est, pro suâ requie, suorumque antecessorum fidelium, dederunt Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, unum mansum, cum suis terris, & suis appenditiis in nostrâ villâ, quæ Caviniacus dicitur, & unum servum cum medietate suorum infantum, in supradictâ villâ sancti Sequani Ulricum nomine. Ne talis memoria deleatur, assignamus testes: Humberti Militis de Lisiaco, qui donum fecit, cum socru suâ, Widrici de sancto Sequano, Theoderici de campo curto. De Clericis Wilenci Archidiaconi, Humberti Canonici, Joannis Presbyteri. De Monachis, Wido Prior, Wilenci, Henrici, Joannis, Joffredi, & aliorum. De familiâ nostrâ, Hugonis famuli, Aidulfi, Arnulfi villici de Caviniaco, Rotberti filii.

Carta de hominibus Novæ villæ.

NOtum sit omnibus qui modò sunt postque futuri, quòd Deodatus de Novâ-villâ, & uxor ejus censum de capitibus ejus reddiderunt sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, & Stephano Abbati, ut alii servi sancti Petri, & ancillæ, vir quatuor nummos, & mulier duos. Hoc adnotamus litteris, ne filii, & filiæ eorum, vel posteritas, si negare voluerint, hoc unquam negare possint. Nempe litteræ de hoc scriptæ, testimonium veritatis semper habebunt.

Carta de Fontinellis.

CLarificetur cunctis modò viventibus postque nos futuris, quod Wido Miles de Fontanis, filius Haymonis, decumbens in infirmitate veniens ad obitum suum, ipse & manipulares ejus, & Rotbertus frater ejus puer dederunt Deo, & sancto Petro & Cœnobio Besuensi, mansum unum in villâ quæ Fontanellas dicitur, cum appenditiis suis, qui nuncupatur mansus Hugonis Præpositi, & quatuor servos, Constantium, qui vocatur Miles cum filiis suis, sub tali testimonio. Signum Richardi de Vircillis, Hugonis Carrucæ, Wilenci Militis de Fontanis, Herberti villici. Hugonis de Convulensi castro Domini, Rotberti pueri, qui donum fecit & laudavit & aliorum multorum.

Carta de Beriâ.

AGnoscat pleniter, & retineat memoriter fidelis natio, tam de præsentibus, quàm de futuris, quòd Humbertus cognomento solitarius, filius Arlebaldi, dedit Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ unum mansum pro suâ animâ, suorumque antecessorum fidelium in Beriâ villâ, cum omnibus appenditiis suis, de pratis, & de terris cultis, & incultis, ornatum omni libertate. Dedit etiam supradictus Humbertus unum servum & unam ancillam, fratrem, & sororem, Humbertum & Rotrudem, pertinentes ad supradictum mansum jure perpetuo. Huic rei assignamus testes. Signum Hugonis Militis de Chimissiaco, Leterii, & filiorum ejus, Stephani, Richardi, Joannis Presbyteri, Andreæ Presbyteri, & aliorum multorum de Beriâ. Si quis perversus huic eleemosynæ contraire voluerit, aut aliquid demere voluerit, anathema sit.

Item alia.

ESt in eâdem villâ Beriâ mansus, quem honorificè & cum omni libertate dedit Deo, & sancto Petro Milo Miles de Bellomonte, & uxor ejus Adilina, in die quando primùm Joffredus filius eorum celebravit missam, sub tali testimonio. Signum Milonis. Sig. Joffredi Monachi, qui per cultellum suum donum recepit, Odonis, Stephani, Rotberti, & aliorum multorum.

Carta de Majasco.

OMnis fidelis homo pleniter agnoscat, quòd eleemosyna fideles vivos ad vitam dirigit, & animas defunctorum à morte liberat. De qua re non immemor Odo Miles de Cipeto, qui Caterius cognominatur, fideliter pro animâ matris suæ, quæ Besueta nuncupata est, patrisque sui, suorumque fidelium antecessorum, dedit Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ in eleemosynâ corvatam apud Majascum cum omnibus consuetudinibus, quæ illi succedebat liberaliter de proprio jure, & 5. jugera terræ, nec non & partem suam de campo, qui suprà castellum jacet, qui Vinea nuncupatur. Nos quoque Besuenses Monachi pro signo recompensavimus illi, suisque fidelibus, orationes, & benefacta Ecclesiæ tam vivis, quàm defunctis in sempiternum. Huic Cartæ assignamus testes. Sign. Odonis qui eleemosynam fecit, Willelmi Fontis vennæ, Humberti de Cipeto, Benzonis Sacerdotis de Tilecastro, Pagani Præpositi, Willelmi de Fossato, & de nostrâ familiâ quamplurimorum.

Item alia.

NOtum sit omnibus tam præsentibus, quàm futuris, quòd Odo Miles de Bellomonte concessit, & ex toto donavit Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, quidquid unquam habuit, vel ipse, vel antecessores sui, calumnii super infantes Lamberti, qui Grossus denarius nuncupatus est, sive justè, sive injustè. Huic notitiæ assignamus testes. Signum Odonis qui hoc fecit ex suâ parte, & omnium antecessorum suorum. Sig. Sewini de Rejaco, Odilonis Militis de Lissiaco, Hugonis Columbæ de Bellomonte; Lamberti, Otberti filii ejus, Widrici. De Monachis, Warnerii Prioris, Landrici, Theoderici, & aliorum multorum.

Carta de hominibus Burbereni.

SCiant omnes per notitiam istarum litterarum, quòd homines nativi de Burbureno, qui terram acceperunt sancti Petri ad plantandas vineas, de ma-

nu Stephani Abbatis, scilicet Albricus, Warnerius, & Nerduinus, cum fratribus suis, tali pacto concessa est eis prædicta terra, ut si quis ex filiis eorum acceperit ancillam sancti Petri in uxorem, & in servitio Ecclesiæ remanere voluerit, ipse habeat ædificium & terram suprà nominatam. Et qui hoc non fecerit, post mortem ejus recipiet Ecclesia & ædificium, & terram in suo proprio jure.

Carta de Ecclesiis pro Humberto Bruno datis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritûs sancti. Omnibus qui has legerint vel audierint notulas, certum fiat, quòd in die illâ quando corpus Humberti Bruni, Fontis-vennæ Senioris, apud Besuæ Monasterium traditum fuit sepulturæ, consilio & laude Rotberti Lingonensis Episcopi, & fratrum, & Militum, & clientum suprà taxati Humberti, uxor ejus pro ejus animâ in illâ die, dedit Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ Capellam de castro Fontis vennæ, & illam partem quam habebat in Ecclesiâ S. Valentini de Lurocurte, habendam & possidendam jure perpetuo. Nec non & duos scyphos argenteos: tali pacto, ut annuatim in suo anniversario, ejus memoria & antecessorum suorum fideliter celebraretur in conventu Monachorum. Ut hæc Carta inconvulsa permaneat, subscribamus ei testes idoneos. Sig. Rotberti Episc. Willelmi Comitis Burgundiæ, Rainaldi filii ejus, Widonis de Raiaco, Widonis de Burgundione villâ, Hugonis de Bellomonte, Lebaldi de D. Petro, Henrici de Novâ-villâ, Henrici de Firmitate. Rotberti Capellani, & aliorum multorum. De Mon. Sig. Gausberti Abbat. Warnerii Præpositi, Benedicti Prioris Fontis-vennæ, Constantii. Facta sunt hæc regnante Philippo, episcopante Rotberto.

Item alia.

NOtum sit omnibus tam præsentibus quàm futuris, quòd Odo filius Hugonis, qui frater fuit Abbatis Odonis, propter quamdam vineam quam sibi concessit habere D. Abbas Stephanus post obitum patris sui, scilicet supradicti Hugonis, seipsum spopondit permanere in servitio, & in fidelitate sancti Petri, & Monachorum sicuti liber. Et tali modo, si ipse absque proprio herede moriatur, qui non sit de ancillâ sancti Petri, ipsa supradicta vinea, & quidquid ibi ædificatum fuerit, veniat in jure & in proprietate sancti Petri, & Monachorum, pro animâ ejus: sin autem ancillam sancti Petri accepit, infantes ejus vineam possideant, quamdiu servierint: & per istam pactionem, si circà nos morte præoccupatus fuerit, quasi nostrum Commissum obtinebimus.

Carta de Veonâ.

AD memoriam reducatur modò viventibus, post nosque victuris, quòd Thebaldus Capellanus de Verziaco pactum fecit, & confirmavit cum Stephano Besuensi Abbate super 2. jugera de terrâ sancti Petri, quæ est in Veonâ, quæ ad plantandum quæsivit tali ratione, ut annuatim tempore vitæ suæ 12. nummos Besuensi Ecclesiæ pro signo persolvat. Post obitum verò ejus supradicta Ecclesia terram suam cum omni ædificio liberam & ædificatam recipiat. Huic rationi subscripsimus testes. Signum Stephani Abbatis, Guilenci, Albrici, Joffredi Divionensis Prioris, Rotberti Presbyteri de Gibriaco, Humberti Clerici de Divione, nec non & aliorum multorum.

Carta de terra Lamberti apud Novam-villam.

DEscriptio terræ Lamberti de Poliaco, quæ est apud Novam villam, super fontem, diurnalem & dimidium in villenas: 2. in Campanolas: 4. in cuncta de villâ Marcelli ab eâ parte, ubi fuit Capella sancti Langisi: 4. Ad campum juxtà pratum, qui apellatur Campus natoriæ. Et in milliario 2. in campo d'Elchallo, & in campo Delfinum, 3. De prato ad 4. falces, & dimidiam.

Carta de Uxore Ewardi.

CLarificetur cunctis modò viventibus, post hosque futuris, quòd Humbertus puer, filius Humberti de Cipeto, pro animâ patris sui suorumque antecessorum, dedit Deo, & Besuensi Ecclesiæ Helizabeth filiam Warnerii de Burburano, sponsam Ewrardi, filii Gisleberti de Fonte. Ne aliquis infidelis hoc mendacium existimet, assignamus testes: Sig. Humberti qui donum fecit, Pagani Præpositi de Tilecastro, Walterii, Hugonis fratris ejus de Tilecastro, Otberti de Picangis, Tebaldi de Casato, Humberti, Engelrici, Albrici de Burburano. De familiâ sancti Petri, Ewrardi, Gunterii, Giraldi, Albuini, Giraldi, Otberti, Hugonis famuli.

Carta de Majasco.

REligiosorum fides ac devotio virorum eo maximè semper fuit laudabilis, quo non solùm Ecclesiis Dei acquisita retinere, verùm etiam alia undecumque studuerunt acquirere. Quorum formam prout potui imitatus, ego Stephan. Ecclesf. Besuensis licet indignus Abbas, & Ecclesiam juxtà castrum quod dicitur Confluentum construere cupiens, quæsivi ab Iterio, qui tunc Dominus ipsius castri fuerat, quatenùs Deo, & Ecclesiæ sancti Petri Besuensis concederet quodcumque usuarium habebat in pratris, in sylvis, in aquis, seu in campis; qui petitionem nostram intelligens de fonte pietatis descendere, annuit quod petebam, ipse cum matre suâ & fratribus, ac sororibus suis. Annuit hoc ipsum Warnerius de Fulcherolis, quantum ad se pertinebat. Item Poncius de Castello, quod Firmitas dicitur, ubicumque ad se pertinebat, eodem modo & Ecclesiæ Besuensi concessit.

Carta de Lentiliaco.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti. Religiosa fidelium rebus sanctæ Ecclesiæ invigilans industria, sic suæ possessioni opportet ut provideat, ut quidquid tenet, inconcussè teneatur, & quæcumque ex propriis laboribus, vel ex piorum oblationibus adipiscitur, cuncta se perenniter obtinere in futurum gratuletur. Quàm plures etenim hujus temporis homines crudeles, & sævissimi sponsam Christi, videlicet Ecclesiam, non solùm non curant augmentare, verùm etiam omnimodis moliuntur de propriis annullare. Proinde notum sit omnibus & præsentis, & futuri sæculi fidelibus, domnum Joffredum Dominum Bellimontis, cum Gertrude suâ conjuge, suoque filio Hugone, pro animâ filii sui Fulconis, antecessorumque suorum remedio, in loco eleemosynæ, Deo, & S. Petro, fratribusque Besuensis Cœnobii, unanimiter concessisse quidquid [apud] Lentiliacum in terris, in aquis, in sylvis possidebat, id est, quidquid prorsus in reditibus vel appenditiis aliquibus proprio jure ibidem obtinebat. Quod donum à se suisque heredibus collaudatum, ne procursu temporis vel aliquo oblivionis dissolvatur dispendio, oportunum esse cognoscitur solidari privilegio, virorumque qui adfuerunt, roborari testimonio. Sig. Joffredi qui donum fecit, Hugonis filii ejus, Widonis qui Fontis-vennæ est Do-

minus, Willelmi avunculi ejus, Hugonis de Poliaco, Seuvini de Raiaco. Odilonis de Lixiaco, Humberti de Faberniaco, Mainfredi de Arco, Audonis de Fontinellis. De familiâ Dom. Joffredi adfuerunt Wido Præpositus, Warnerius cognomento Pirdix, & Hugo frater ejus, Gislebertus de Alteriaco Præpositus, & Rodulfus de Alteriaco, Gislebertus de Poliaco, Warnerius de Solario, & alii quàm plures. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini M. CXIV. Indict. VII. Epacta XII. Hludowico Rege regnante in Franciâ: Joceranno Episcopo præsidente in Lingonis, & Stephano Abbate in Besuâ.

1114.

Item Carta de eodem postea facta, propter contentionem de illâ primâ donatione habitam.

OMnipotentis edoctus consilio, simulque illud considerans, quòd pro omnibus, quæ in hac vitâ geruntur, aut puniatur quisque, aut remuneretur à Christo, deliberavi ego Joffredus cum uxore meâ Gertrude, & Hugone filio meo, vitæ meæ tempus & dies quoniam mali sunt, redimere.

Concedo igitur cum uxore meâ & filio Ecclesiæ sancti Petri Besuensis, quidquid apud Lentiliacum habeo in ipsâ villâ, & in campis, & in pratis, & in aliis appenditiis, ita ex toto liberrimum, sicut unquam liberiùs ab antecessoribus meis, seu à me possessum est. De sylvâ illâ quæ vocatur Brouls medietatem à parte villæ Lentiliaci, omninò ab omni consuetudine liberrimam possideat. In aliâ medietate meâ, Monachi & homines, ac mulieres qui apud Lentiliacum manebunt liberè, & consuetudinaliter sibi, & bestiis suis procursum habeant. Ingressus usque in eam partem sylvæ, quæ mea est, erit ab eâ parte, quæ angulus lirratus dicitur: & eo tenore, ut si eundo damnum nesciens factum fuerit, simpliciter reddatur; si verò scienter, aut exspectando, damnum cum lege [e] restituetur. Quòd si guerra mihi, aut heredibus meis supervenerit, à castello Fontisvennæ, aut ab Aquato, aut à Chargeiaco, ingressus usque in meam partem sylvæ, erit mihi & meis per antiquas, & originales vias. Et iterum eo tenore, ut si damnum in eundo factum fuerit nescienter, simpliciter reddatur, si verò scienter, damnum cum lege restituetur. Huic donationi assignamus testes, Jocerannum Episcopum Lingonensem, Stephanum Abbatem Besuensem, Warnerium Priorem, Lebaldum, Theodericum Præpositum, Albricum. De Clericis, Josbertum Decanum, Lambertum. De Militibus, Joffredum cum uxore suâ Gertrude, & Hugone filio suo. Humbertum de Lisseio cum Odilone fratre suo, Widonem villicum de Gradeio, Rocilinum. Rotbertum de Furt, Richardum de Poiens. Virricum de Altreio, Widonem fratrem ejus, Hugonem de Pauliaco.

Carta de Ecclesiâ S. Martini.

PRæsentis ævi futurisque deinceps hominibus clarificetur, quòd Domnus Girardus Ecclesiæ Lingonensis Archidiaconus, dedit Ecclesiæ Besuensi pro quiete suæ animæ, suorumque antecessorum, quidquid habebat in Ecclesiâ sancti Martini castri, quod dicitur Bellimons; scilicet medietatem Ecclesiæ & Presbyteratum, laudante idipsum Domno Episcopo Rotberto, & omni Capitulo Lingonensi. Nos verò contuentes penè cuncta à memoriis hominum dilabi, Cartis hoc placuit inseri, ut si quis deinceps huic donationi contraire voluerit, harum authoritate litterarum retineatur. Hujus autem testes rei quàm plurimi exstitere, ex quibus nobis quosdam placuit hìc nominatim subtexere. Domnus Rotbertus Episcopus. Abbas Stephanus. Warner. Constant. & de Militibus, Rainaldus de Monte-Salionis, & frater ejus Petrus. Domnus Stephanus Abbas, cum Gibuino sacerdote, & fratre ejus, filiis Berengarii, ex eàdem re hujusmodi pactum firmaverunt. Tertiam partem decimæ de omnibus annonis sibi retinuit, excepto Canabo. De oblationibus verò quatuor festivitatum, Nativitatis, Purificationis sanctæ MARIÆ, Paschæ, & omnium Sanctorum quartam partem, & candelabrum, & oblationum pro defunctis.

Ut verò pax utrimque teneretur, Gibuinus Presbyter dedit fidejussores Warnerium Perdicem, & Warnerium de Solario, taliter ut si isti defecerint, alii ab eo restituantur. Hoc etiam statutum est, ut si Domnus Abbas, seu quislibet ex Monachis Besuensibus, venerit in domo Presbyterii, libenter suscipiat, & serviat ei. Illud etiam additum est, quòd si Presbyter quid ex nostrâ portione interceperit, si Domno Abbati vel Monacho, seu Ministro rem requirenti reddiderit, in pace erit: sin aliàs, semel & iterum per fidejussores admonitus, nisi reddiderit, postea summam, & legem persolvet.

Carta de Vactis.

CUnctorum notitiæ patere volumus, quòd Alefridus Miles de Vactis veniens ad obitum, dedit sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ omnem hereditatem, quam possidebat de proprio fundo, scilicet mansum proprium cum domo, & sedem molendini cum prato, omnemque possessionem alodii sui, ut suprà diximus, in agris, in sylvis, in pratis ubicumque. Et ut hæc Carta inconvulsa permaneat, assignamus testes. Signum Andreæ Presbyteri de Beriâ. Sign. Walterii Presbyteri de Ecclesi. Sign. Stephani Præpositi de Beriâ. Sign. Hugonis de Chimissiaco. Sign. Humberti, qui fuit nepos ejus. Sign. Walterii de Vagtis, qui fuit filius Laïfini. De Monachis nostris, Signum Warnerii. Sign. Aymonis. Sign. Odilonis, & aliorum multorum.

Carta de Beriâ.

PAteat cunctis modò viventibus, postmodumque futuris, quòd Domnus Hugo Miles & Dominus de Beriâ, in die quâ peram assumsit ad Hierosolymitanum iter faciendum, scilicet in die Ramis palmarum, veniens in Besuensi Capitulo, misit se ad pedes Monachorum orans & petens ut sui misererentur, & in suis orationibus memoriam illius habere dignaretur. In ipsâ die, & in ipso præsenti Capitulo coram testibus dedit Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, duos mansos optimos pro se, & pro animâ suâ, & pro animabus antecessorum suorum fidelium, unum in villâ, quæ Beriâ dicitur, cum omnibus appenditiis suis, scilicet mansum Ogerii, quem tenet Walterius filius ejus vetulus, frater Stephani Præpositi, qui vocatur Albus. Alium in villâ, quæ dicitur Luecurtis, cum omnibus appenditiis suis, quem nominavit mansum Otberti de Arbore. Ne aliquis perversus hoc frivolum existimet. assignamus testes. Signum Hugonis, qui donum fecit. Sign. Nerduini, qui habet filiam ejus. Sign. Hugonis Columbæ de Bellomonte. Sign. Milonis de eodem castro. Sign. omnium Monachorum, qui ibi præsentes affuerunt.

[e] *cum lege* Hoc est, cum mulctâ pecuniariâ, & quidem levi.

Item

Item alia.

PEr has ergo litteras agnoscant omnes tam præsentes quàm futuri, quòd Nerduinus Miles de villâ; quæ Pinus dicitur, & uxor ejus Hermengardis, quæ filia Hugonis de Beriâ fuit, donaverunt Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, unum mansum in Beriâ villâ, scilicet mansum Gunterii, cum omnibus appenditiis suis in pratis, & in terris, & unum servum nomine Stephanum, quem supradictus Hugo antea concesserat, & unam ancillam, quæ Osana vocatur, necnon & sororem ejus. Hoc totum tradiderunt Deo, & sancto Petro, ut suprà diximus, Nerduinus, & uxor ejus, pro animâ Walonis pueri, & pro animâ patris sui suprà taxati Hugonis, necnon & pro remedio animarum omnium antecessorum suorum, tam pro vivis, quàm pro defunctis. Huic rei assignamus testes. Signum Nerduini, qui eleemosynam fecit. Sign. Milonis de Bellomonte. Sign. Richardi filii ejus. Sign. Hilberti Militis de Salice. Sign. Walonis fratris ejus. Sign. Hugonis Militis de Chimissiaco. Sign. Andreæ Presbyteri. De nostrâ familiâ quàm plurimi. Hoc donum, & hæc eleemosyna tradita est per manus Nerduini, & uxoris ejus, per frustum lapidis, super altare Apostolorum Petri & Pauli, cum omni honore, & omni libertate æternaliter possidendum.

Carta Domni Petri.

ECclesiæ Dei fidelium donatione collata, ob id sine dubio litterarum traduntur monimentis, ne temporum longo succedentium volvente curriculo à memoriâ mortalium aboleantur. Quapropter non inutile fore venturis arbitramur, si nuper Ecclesiæ nostræ concessa tenacibus apicum scriptis commendemus. Quæ ita sese habent. Petrus Dominus castri Montis-Salionensis, agnomine Malus respectus, Deo, & sanctis Apostolis Petro & Paulo, Besuensique Ecclesiæ concessit, laudantibus conjuge, & filiis, alodium, quod quondam apud Lentiliacum dederat, libertate in posterum possidendum. Addidit quoque in Capitulo, Abbate assidente cum Monachis, servum nomine Walterium, & ancillam dictam Alvide, in villâ, quæ Trescase appellatur, habitantes. De quibus ne qua in supervenientibus temporibus nascatur controversia, idoneos assignamus testes. Signum ejusdem Petri, & uxoris ejus. Sign. Otonis, & Rainaldi filiorum ejus. Sign. Rodulphi Militis. Sign. Gaudini Militis. Sign. Walterii Præpositi. Signum Humberti filii Olgerii. Signum Girardi Abbatis. Sign. Wilenci Prioris, & totius Conventûs.

Carta Hugonis Herli.

IN nomine Domini. Sciant omnes tam præsentes, quàm futuri, quòd Hugo Miles de Renavis, cognomento Herlus, gratis, & cum magno affectu dedit Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ alodium suum totum cum omni libertate, quod habebat, & possidebat in villâ, quæ dicitur Ausiliacus, pro anima suâ, & pro animabus antecessorum suorum, in campis, in pratis, in mansis, in sylvis, in aquis. Ut eleemosyna ista & donum firmum persistat, assignamus ei testes idoneos. Sig. Hugonis de Bellomonte. Sig. Walonis, & Haimonis Columbæ. Sig. Richardi. Sig. Milonis de Poiens. Sig. Urici de Renavis. Sig. Rodulphi fratris ejus. Sig. Rodulphi filii Urrici. Sig. Widonis, cognomento Chiminal. De Mon. Sig. Girardi Abb. Sig. Theoderi. Signum Widonis de Renavis. Sig. Lebaldi. Sig. Remigii Presbyteri, & aliorum multorum.

In tempore illo Rodulfus filius Urrici, de supradicto alodio concessit sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, unum mansum, quod ei contulit avia sua post obitum suum, ubicumque obiisset.

Carta de Secuniaco.

SCiant omnes tam præsentes, quàm futuri, quòd Galterius Miles de Chortoson, veniens ad obitum suum, Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ pro animâ suâ, suorumque antecessorum, dedit unum mansum liberum cum omni libertate, apud villam, quæ vocatur Secuniacus, cum nemore & terris, & omnibus appenditiis, quæ ad ipsum mansum pertinent. Omnia quæ ibi videbatur habere, & ipse Galterius nepos ejus, in terris, & in sylvis, tradiderunt S. Petro, & Besuensi Ecclesiæ, jure perpetuo; & unam ancillam, quæ vocatur Doda. Et ut nullus falsator possit contraire huic eleemosynæ, assignamus ei testes. Sig. Milonis Militis. Sig. Walonis, & Hilberti filiorum ejus, qui donum fecerunt cum matre illorum. Signum Galterii nepotis ejus, qui similiter donum fecit. Et de Militibus de Beriâ, Sig. Walonis. Sign. Hilberti. Sig. Pagani fratris illorum. Sig. Mainfredi de Archo. Sig. Andreæ Presbyteri de Beriâ.

Carta de Lisseiaco.

NOtum fiat fidelibus, quòd Odilo de Lisseiaco Ecclesiæ Dei, & sancti Petri & Besuensis contulit in eleemosyna quidquid habebat apud Lisseiacum ubique, tam in terrâ, quàm in aquis, in pratis, in pascuis, in sylvis, ita honorificè, sicut ipse tenebat ea. Sed & ipsi Monachi Besuenses concesserunt ei Odiloni ea quæ ipsi habebant apud Brucciacum eo tenore, ut ipso ex hac vitâ exeunte, cum omnibus quæ ibi ædificavisset, Ecclesiæ Besuensi remaneret. Obtulit autem super altare sancti Petri, per textum Evangelii deauratum, & hoc ipsum, sicut diximus, de Brucciaco coram testibus tam Monachis, quàm Laïcis. Quorum quædam nomina hæc sunt: Sig. Odilonis qui hoc donum fecit. Sig. Mauricii Militis de Probato. Sig. Otberti. Sig. Hugonis. Sig. Gisleberti. Sig. Euvardi. Sig. Dom. Stephani Abbatis. Sign. Wilenci, Lebaldi, Albrici.

Similem donationem fecit Hugo senior, frater Odilonis de insulâ Bollinâ, de suâ parte de Lissiaco, ipse & filius Wido puer, & uxor ejus, & filia ejus Aia, ad integrum cum libertate tenendum & possidendum B. Petro, & Besuensi Ecclesiæ in perpetuum pro suâ animâ, suorumque antecessorum fidelium. Sig. Hugonis, Widonis filii ejus. Sig. Humberti de Lissiaco. Sig. Odilonis fratris ejus. Sig. Gilleberti Sacerdotis de Malliaco. Sig. Humberti Provisoris vel Ministralis, & aliorum multorum.

Carta de Majasco.

SApientum virorum consuetudinem esse cognoscimus, præsentia litteris assignata futuris æternaliter reservare temporibus. Scribere igitur dignum duximus, quod Rotbertus de Rinei, calumniam quam faciebat de terrâ, quæ apud Majascum sita est, in finem & pacem posuit pro duobus equis, quos ab Abbate Stephano, & fratribus Besuensis Ecclesiæ accepit. Quapropter quidquid in prædictâ terrâ justè vel injustè habere se dicebat, Deo, & sancto Petro, & fratribus prædictis liberè concessit in æternum possidere. Quod ut firmius pertineat, testes qui affuerunt subsequens scriptura demonstrat. Sig. Rotberti Militis de Fontanis, & uxoris ejus Avilinæ. Sig. Richardi Militis de Vircillis. Sig. Odonis Viridi. Sig. Haymonis de Monte-Salione. Sig. Bertranni Militis de Fontanis. Sig. Wilenci Militis de Fontanis. De familiâ sancti Petri, Sig. Otberti. Sig.

Hugonis: alterius Hugonis. Sig. Aygulfi, & aliorum multorum.

Carta de Luat.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti. Dominus dicit in Evangelio: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* De quâ re non surdus auditor fuit Miles quidam, Otbertus scilicet de Tilecastro, Senior de Cypeto, ut de suis propriis liberiùs eleemosynam faceret, seipsum in primis eleemosynam fecit. Qui veniens ad conversionem ad Besuense Monasterium, dedit Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, unum mansum in villulâ, quæ vocatur Luat, cum adjacentiis suis, cum terris, & pratis, sic liberè & honorificè, ut iste mansus, qui vocatur mansus Letaldi, habeat præcursum, & consuetudines per omnia nemora quæ sunt de Cypeto citrà Tylam & ultrà, & servum unum Briciouem, cum omni suppellectili suâ, qui erat ministralis de terris suis: & unum mulum optimum quem habebat, & quidquid calumnii habebat super terram sancti Petri, & super homines postposuit. Ut hæc Carta inconvulsa permaneat, supponamus ei testes idoneos. Sig. Humberti de Cipeto filii ejus. Sig. Aymonis filii ejus. Sig. Widonis Clerici filii ejus. Sig. Injulrici, Sig. Humberti filii ejus de Tilecastro. Sig. Aldonis Senioris. Sig. Odilerii Militis. Sig. Widonis de Fossato Militis, & aliorum multorum. De Monachis, Sig. Josberti Abbatis. Sig. Benedicti. Sig Constantii. Sig. Rotberti Præpositi. De familiâ sancti Petri, Sig. Joannis Villici. Sig. Humberti Coci. Sig. Giraldi Clerici.

Habet sanctus Petrus & nostra Besuensis Ecclesia plurimam terram in ipsâ villulâ, quæ vocatur Luat, infrà & per confinia ipsius. Terram scilicet Ilsemberti de Casoto cum adjacentiis suis. Terram Walterii de Bellomonte Pincernæ cum adjacentiis suis. Terram Landrici cum adjacentiis suis.

EPITAPHIUM.

Joannes ac Stephanus Abbas laudibus attolluntur.

OMnibus ostendit Monachi pia cura JOANNIS:
Qualis in Ecclesiâ fuit à pueribus annis,
Abbatis STEPHANI *studium quærens imitari.*
Plus studuit reliquis ea quæ bona sunt operari:
Abbas Ecclesiam venerabiliter renovavit,
Desertasque domos veluti patet ædificavit.
Hic partem cupiens ipsius habere laboris,
Libris scribendis operam dedit omnibus horis.
Stephanus Ecclesiæ possessa sua duplicavit,
Dum reditus, fundos, & prædia multiplicavit.
Hic rerum Custos sibi credita dum benè servat,
Multiplici studio libros studiosus acervat.
Stephanus Ecclesiæ thesauros amplificavit,
Omnia septa fere meliùs mutando locavit.
Hic rerum Custos dum curis invigilavit,
Plus in eâ reliquis Custodibus ædificavit.
Stephanus Ecclesiam ditem de paupere fecit,
Quam meliùs statuendo, superflua quæque rejecit.
Cujus & iste sequens factum non degeneravit,
Dum res Ecclesiæ pro posse suo decoravit.
Stephanus Ecclesiæ caput extendit super amnem.
Novimus auxilium simul impendisse Joannem.
Quisque modò famulando suo dat plurima, proque
Fine sui cursus bravio sit dignus uterque.
Ecclesiæ Domini dilexit uterque decorem,
Dum pro posse sui famulatûs præstat honorem.
Fidus uterque cliens Domini sepelire talentum
Noluit, ex uno dum quærit reddere centum.
Vita Patris Stephani pastoribus est imitanda:
Vita Joannis erit non immeritò memoranda.
Hic erit exemplo Prælatis, iste sequendus,
Quis in officio suus est successor habendus.
Nos igitur qui tot tanti bona Patris habemus,
Quique Joannis opus tot florida scripta videmus,
Expansis Regi manibus qui regnat ubique,
Conferat, oremus, meritum pietatis utrique,
Ut qui justificat majores atque pusillos,
Connumeret patriæ cœlestis civibus illos.

Hîc sunt libri prætitulati, quos Joannes fecit describi: videlicet magnam partem Josephi: Augustinum etiam super 50. Psalmos ultimos, à *Domine exaudi*, usque *Omnis spiritus laudet Dominum.* Exameron Ambrosii; Ambrosium de Officiis, de Sacramentis, & de morte Satyri fratris sui; Ambrosium de Virginitate, & Historiam Wandalorum: Historiam Orosii; Historiam Justiniani: Historiam de Hierusalem. Homeliam Origenis. Confessiones Augustini. Collectaneum novum. Musicam Widonis. Duos Antiphonarios optimos de Musicâ. Gradalem, & Nocturnalem. Vitam sanctæ Fidis: & Pastoralem sancti Gregorii. Gregorium de Miraculis. Vitam S. Galli, & alias multas vitas, & passiones Sanctorum. Vitam S. Leonis, & Hieronymum super Sophoniam, Aggæum, Joëlem, & Malachiam. Decem collationes Patrum, & alias septem. Vitas Patrum B. Hieronymi. Librum Scintillarum. Quæstiones Bedæ in libros Regum. Istum etiam librum de diversis rebus, & Cartis composuit.

Joannes multos libros curavit exscribendos.

Nota.

Carta de Preopapâ.

SCiant omnes tam præsentes, quàm futuri, quòd Milo quidam Miles de Monte-Salionis, cognomento Paganus, veniens ad obitum suum, cum magno affectu suscipiens habitum Monachi, pro remedio animæ suæ, ipse & Ascherius Miles, nepos ipsius, tradiderunt Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, in villâ, quæ nuncupatur Preopapa, tres falces de prato, & quartam apud villam quæ dicitur Præciacus, & unum mansum cum sex jugeribus terræ, & de sylvâ quæ pertinet ad villam superiùs nominatam Preopapa, dederunt Monachis de Albiniaco præcursum, & consuetudinem de pastione, & si ibi miserint porcos suos, & omnia quæ necessaria illis erunt de illâ sylvâ ad domos faciendas & ad omnia habitacula sua, & ad omnia utensilia sua, quæ de ligno fieri possunt, tradiderunt illis jure perpetuo cum omni honore. Ille quoque Rusticus, qui in supradicto manso habitaverit, habeat similiter cum honore omnes consuetudines de villâ supradictâ, de sylvis, de aquis, de pratis, de pascuis, & nulli unquam serviat, nisi sancto Petro & Monachis. Et dederunt adhuc in hac eleemosynâ unum plastrum juxta capellam de Monte-Salione. Si quis falsator huic eleemosynæ contraire voluerit, anathema sit. Ut hæc Carta inconvulsa permaneat, supponamus ei testes: Sign. Ascherii qui hoc donum fecit. Sign. Lamberti de Domarim. Sign. Hugonis Militis de Cortiniaco. Sign. Odonis Viridis. Sig. Aymonis Militis. Sig. Rotberti Presbyteri. Sig. Dominici. De Monachis, Sig. Constantii. Sig. Joannis. Sig. Ulgerii.

Carta de sylvâ Vetus-vinearum, & Mansili, quod appellatur Domos.

QUemadmodum invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum, eo ipso adnitente, ut nemo ad vitam possit redire, vix est qui faciat bonum, vix est usque ad unum. Necessarium remur, ut si quis aliquid Ecclesiæ contulerit, litterali memoriâ futurorum fidelium notitiæ transmittere. Quædam mulier & ortu & actu satis in sæculo clara, filia Henrici de Novâ villâ, nomine Elizabeth, cognomento autem Caritas, dum ad obitum propinquaret, Ecclesiæ sanctorum Petri & Pauli contulit in

eleemosynâ pro remissione peccatorum suorum, & antecessorum suorum, quidquid habebat in sylvâ Veterum vinearum, & ejus mansilis, quod appellavit Domos. Dedit etiam servum nomine Joannem, & ancillam nomine Emmam, ita omninò liberè & honorificè habendum, ut meliùs scivit, & potuit. Laudantibus filiis suis, Widone & Philippo. Testibus verò Alinardo Clerico, Odone de Bellomonte, Seuvino de Raiaco, Gerardo Crispo, Hugone de Voslun, Theoderico Ministro, Pagano Capellano. De Monachis, Gerardo Priore, Ulgerio Calvo, Albuco captivo, Gerardo, filio ejusdem mulieris.

Carta de Lixiaco.

PErspicientes hujus sæculi casus, & mutationes, operæ pretium duximus ea quæ nostris temporibus Ecclesiæ Besuensi collata sunt, memoriæ commendare perenni. Notum itaque fiat, quòd Humbertus de Lissei, quidquid in eâdem villâ habebat, seu habuerat ipse & antecessores ejus, Deo, & S. Petro Besuensi, ita omninò liberrimè contulit, ut deinceps neque in cœmeterio, neque in ipsâ villâ cuiquam homini, neque suo, neque alterius, liceat ei, seu heredibus ejus, aut alicui loco ejus personæ, injuriam, vexationem, seu exactionem inferre; & ut prætulimus, in totâ villâ illâ non solùm hominem, sed nec quidquam omninò violenter capere. Data ab Humberto præfato, cum uxore & filiis suis, coram testibus annotatis infrà: Albrico fratre ejus, Theoderico Monacho, Balduino, Lencilino, Pontio Militibus, eo die quo Ecclesia consecrata est à Dom. Joceranno Lingonensi Episcopo: anno ab Incarnat. Verbi Dei M. CXVIII. Indict. XII. Epact. VIII. concurrente II. Cal. Junii, die Dominico.

Eodem tempore & eâdem hebdomadâ feriâ IV. quidam Miles, Humbertus de Cynciaco, dedit sancto Petro pro animâ filii sui Widonis, & antecessorum suorum 12. denarios, de Ecclesiâ cujusdam villæ, quæ dicitur Mentusca, & unum mansum apud Cynciacum villam, ad portum cum pontinatico, & piscariâ, quæ omnia obtulit ad altare, imponens librum super illud coram testibus, Letbaldo, Wilenco, cæterisque quàm plurimis Monachis, & Widone fratre ejus, Walterio de Beriâ, cum aliis multis.

Carta de Ecclesiis Cypeto, & Tasneto.

NOn minimum successoribus nostris credimus profuturum, si juxtà majorum nostrorum consuetudinem nos quoque de rebus huic Ecclesiæ collatis memoriam, etsi non luculentâ, verâ tamen oratione, posteris relinquamus. Notum fit igitur quòd Dom. Jocerannus Lingonensis Episcopus Ecclesiam de Cipeto donaverit Ecclesiæ sancti Petri Besuensis, per manum Domini Stephani Abbatis, in Capitulo sanctæ MARIÆ Fontis-vennæ castelli, coram Archidiaconis suis, & laudantibus, Wilenco Archidiac. & Ayrardo Archid. Humberto Canon. Sig. Stephani Abbatis, Ulgerii, Rodulphi Monachis.

Dedit etiam Ecclesiam de Tasneto prædictæ Besuensi Ecclesiæ, in sylvâ quæ vocatur Volort, coram, Warnerio Archid. laudante eo, & donante quidquid in eâ habebat. Coram pluribus, Rotberto Præposito, & aliis.

Carta Joceranni Episcopi de Mentuscâ.

EGo Jocerannus nutu Dei Lingonensis Episcopus, cum pro possibilitate meâ, unà cum fidelibus, & filiis nostris, de negotiis & commodis Lingonensis Ecclesiæ fideliter agendo disponeremus, venit ad nos venerabilis Abbas Dom. Stephanus, humiliter & devotè postulans quatenùs deserta cujusdam solitudinis in territorio Attoarensium juxtà flumen Ararim posita, nostræ tantùm Episcopali dominationi propriè pertinentia, Deo, & fratribus Besuensis Monasterii donaremus, & supradictæ possessionis heredes illos constitueremus. Cujus justæ & rationabili petitioni citissimè consentientes, & laude & consilio fidelium nostrorum Lingonensis Ecclesiæ Archidiaconorum, quidquid in villâ, quæ vocatur Mentuscâ, Episcopali jure possidere debemus; Ecclesiam quoque ipsam cum omnibus appenditiis suis, supradicto Abbati, & successoribus ejus in posterum, salvis Ecclesiæ Lingonensis consuetudinibus, liberè donamus, & Episcopali authoritate donata confirmamus. Signum Wilenci Archid. Sign. Garnerii Archid. Sign. Ayrardi Archid. Sign. Widonis Archid. Hujus rei testes sunt Domnus Gualo Canonicus Regularis, Jozaudus Decanus Cabilon. Guilencus Mon. Albericus Mon. Rodulfus. Acta sunt hæc anno ab Incarn. Dom. M. CXIX. 1119.
Indict. XII. Epactâ VII. concurrente II. Apostolicæ sedis Calixto anno I. Pontificatum regente. Ludovico Francorum Rege, Joceranno Lingonensis Ecclesiæ Episcopatum gubernante, Duranno Notario dictante.

Item de Mentuscâ.

AUdiat omnis homo, quod Gualo de Ruphiaco castro, filius Ulgerii de Coloniis, & Gualo sororius ejus, cum Haimone fratre suo, donaverit Deo, & sancto Petro Besuensis Ecclesiæ quidquid habebant, seu tenebant in Ecclesiâ de Mentusco villâ, videlicet cœmeterium, & Presbyteratum ipsius Ecclesiæ cum omnibus ad ipsum Presbyteratum pertinentibus in mansis, & pratis, & terris, sed etiam tertiam partem de decima ejusdem villæ, & usuarias consuetudines in omnibus terris, & pratis, & sylvis, & aquis ipsius potestatis. Signum Stephani Abbatis. Sig. Wilenci. Sig. Joannis Manachorum. Sig. Walonis, qui hoc donum fecit. Signum Walonis. Sig. Haymonis fratris ejus. Item Sig. Walonis de Vilar. Sig. Henrici. Sig. Rotberti Præpositi. Et de familiâ nostrâ. Sig. Tebaldi hospitiarii. Sig. Humberti pistoris, & aliorum plurimorum.

De foro Bellimontis falso.

EX divini paginis didicimus Testamenti, condemnationis æternæ maledicto debere eum subjici, qui Ecclesiam Dei persequi, & contrà ministros ejus nititur altercari. Pacem enim quam Angelus in Redemptoris cecinit Nativitate hominibus bonæ voluntatis, impium est exturbare.

Ego igitur Hugo Bellimontis Dominus, pœnitentiâ ductus quòd meâ Besuensis Cœnobii Fratres toties vexaverim imperitiâ, animum apposui, jam ab eorum injuriis cessare, & eis amodo perenni dulcedine concordare. Ad sopiendam ergo fori, quod eis abstuleram, calumniam, ante Lingonensem Episcopum; cui clamor ab Abbate prædicti loci factus super hoc fuerat, veni, & quia pro eo, qui siquidem Abbatias sui Episcopatûs tueri ac defendere deberet, justitiari, rationemque facere nolueram, rectum feci, & de cætero me emendaturum promisi. Quâdam itaque solemni die cum apud Besuam dedicaretur Ecclesia beati Remigii, ac pro tantæ celebritatis devotione innumerabiles undecumque confluxissent populi, in Monasterio beatorum Apostolorum Petri & Pauli fratribus cum prædicto Pontifice quàmplurimis nobilibus, Clericis, ac Militibus, & quod eis forum ampliùs non auferrem, nec in castro meo, nec in totâ terrâ meâ, neque in toto posse meo forum venale constituerem, nec homines

meæ terræ à mercato Besuensi prohiberem, promisi, filiumque meum Hugonem promittere, & jurare feci. Ego ipse Hugo dexteræ manûs meæ juramento firmavi, & insuper ne successorum aliqua redeat in futurum calumnia, Deo, & sancto Petro, & Fratribus Besuensis Ecclesiæ quidquid est, vel erat, quod meum jus justè aut injustè possederat de hoc mercato, totum super altare posui, & ipsum mercatum dono donavi.

Ne autem alicujus longævitatis hoc dispereat oblivione, virorum subscriptorum testimonio placuit hanc cartam roborare. Signum Guillenci Episcopi. Sig. Gocelini Archidiaconi. Sig. Fulconis Archidiaconi. Sig. Garneri Rufi Archidiaconi. Sig. Pontii de Rivel. Sig. Gerardi Abbatis. Sig. Wilenci Prioris. Sig. Rodulfi Sacristæ. Sig. Josberti Præpositi. Sig. Albrici de Arcione. Sig. Tebaldi de Granibreris. Sig. Rainaldi de Granceio. Sig. Milonis de Poiens. Sig. Odelrici de Renavis. Sig. Guidonis Ranivel. Sig. Oberti. Sig. Hugonis Dapiferi. Sig. Constantii, Giroardi, & filii ejus.

Carta de redditibus annuis Cantoris.

FIdeles quique aut orationibus aut donariis, se invicem debens sustentare, ut hi qui quietam agunt vitam, eos qui circà multa occupantur precibus juvent, & illi cum caritate ad utilitatem ipsorum necessaria administrent. Necesse est enim, ut sic transitoria peragant, quatenùs pro his præmia æterna consequi valeant.

Statuit Abbas Gerardus reditus librariis impendendos.

Igitur Dominus Abbas Gerardus audiens, quòd ex quo venerabilis Joannes Cantor ex hac vitâ migravit, monimento librorum nemo condidisset, instituit ut omni anno Cantori de unâquâque obedientiâ hemina frumenti daretur, nolens, quamvis majora vellet, aliquem gravare, quò libentiùs ditiores & pauperiores præberent assensum, & futuris non esset onerosum. Omnes verò obedientiarum Præpositi huic decreto, quod eis remissionem peccatorum injungebatur, assenserunt, & libenter se hoc acturos promiserunt. Sancitum est hoc à prædicto Abbate omnibus laudantibus, die festivitatis Apostolorum Petri & Pauli, atque statutum, ut à Calend. Octobris usque in Calend. Novembris idem donum unusquisque Cantori solutum habeat. Signum Wilenci Prioris. Sig. Warnerii Præcentoris. Sig. Rodulphi Sacristæ. Sig. Albrici de Arcione. Signum Josberti Præpositi. Sig. Bartholomæi Subcentoris, & omnium Monachorum.

De Haymone & filiis ejus.

PRæsentibus, futurisque fratribus nostris clarificetur, quòd Dominus Abbas Gerardus, omnisque Conventus, Haymonem, & ejus filios post obitum illius Telonearios fori esse constituit, quamdiù illud ministerium fideliter & sine fraude servaverint. Si verò inde aliquis eorum fraudator deprehendatur, perpetuò careat prædicto ministerio. Signum Wilenci Prioris. Sig. Rodulphi Sacristæ. Sig. Warnerii Præcentoris. Sig. Tigerii Cellerarii. Sig. Josberti Præpositi. Sig. Oberti famuli. Sig. Willelmi. Sig. Hugonis de Ulmis.

Carta de Beriâ.

OMnium cognitioni clarum esse volumus, quòd Ewinus dominus de Beriâ, in die depositionis matris suæ dedit ipse, & uxor ejus Annilina, Deo, & sancto Petro, ac Besuensi Ecclesiæ unum mansum in villâ Beriæ, & 5. jugera alodii, nec non etiam unam ancillam quæ vocatur Gocia, cum tribus filiis suis; quorum hæc sunt nomina; Ogdierius, Girardus, Hugo. Alteram quoque ancillam, vocabulo Hodiernam, & medietatem cujusdam prati: siquidem alia pars à priscis temporibus nostra esse dignoscitur. Ut verò insolubilem firmitatem præsens Carta contineat, assignamus ei testes: Signum Haymonis. Sign. Heberti. Sign. Widonis. Sig. Rotberti. Sig. Humberti. Sig. Lamberti. Sig. Gunterii. Sig. Warnerii Clerici, & Bartholomæi fratris ejus. De Monachis, Sig. Gerardi Abbatis. Sig. Wilenci, Warnerii, Josberti. Hanc eleemosynam in foro Besuæ laudavit Wido frater Ewini, coram Mainfredo de Arco.

Item de quodam plastro sito in hac Besuensi villâ.

FIat notum filiis Ecclesiæ, quod Ayvinus Miles, de Beriâ dominus, quoddam plastrum quod possidebat in villâ Besuâ sive per jus, sive injustè, dedit sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ perpetualiter, & uxor ejus, & Willermus puer. Ut hæc eleemosyna firma permaneat, assignamus ei testes. Signum Girardi Abbatis. Wilenchi, Rodulphi. De Laïcis, Sig. Ayvini, Widonis de Chimisi, Roberti, Ilberti Militis de Salice, Lamberti, & filii ejus, Rainardi, Humberti filii ejus, Gunterii, Ricardi, Henrici filii ejus, Heinrici, & aliorum multorum.

Carta Domni Galonis Columbæ.

OMne quod est natum tendit ad interitum, secundùm Salomonem, nedum verba, quæ cum prolata sint, jam non sunt. Idcircò hîc assignamus Galonem Bellimontis cognomine, dictum Columbam, habitum sanctæ religionis suscipientem, sancto Petro Besuensi Ecclesiæ dedisse in villâ Lentiliaco medietatem decimarum ad se pertinentium, de propriis scilicet bubus Monachorum, & mansum cum terrâ, & pratis pertinentibus ad ipsum, in villâ sancti Benigni Divionensis Casneto, atque medietatem Molendini apud villam Percejum, simulque medietatem plastri siti in hac villâ Besuensi.

Addidit etiam mansum apud Lisseium cum terrâ, quæ Montis-Salionis dicitur, pertinente ad ipsum, ibidemque in pratis, paniciariis dictis, quidquid eximi potest à nemore in pratum. Laudante hoc & concedente Domino Montis-Salionis Odone, Domno Girardo Abbate, testibus assistentibus Alberto Tullensi, & Guidone de Vircillis. Hanc donationem à prædicto Galone factam Hugo filius, Haimo frater, & uxor ejus propriis manibus librum super altare ponentes, laudaverunt, quam roboramus testimonio proborum virorum: Domni Girardi Abbatis. Guilenci Prioris, Alberti Tullensis, Bartholomæi, & reliquorum Monachorum. Laïcorum, Milonis de Poiens, Hugonis de Roise, Humberti Salomonis, Humberti Divitis, Roberti Præpositi, & aliorum multorum.

Carta Hugonis de Torcennaco.

Hugo de Torcennaco Monachum induit.

MEmoriæ posterorum litteris imprimimus, quòd Hugo Miles de Torcennaco, habitum Religionis suscipiens, dedit sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ quoddam mansum apud Rosecium, partemque suam nemoris Montanici, laudantibus filiis suis, testibus Roberto Capellano Montis-Salionis, & Widone Milite de Ortis, fratreque ejus Hugone Rufo, cum aliis multis.

Et Odo de Picangiis.

Noscant omnes, qui hos legerint apices, quòd Odo Miles de Picangiis cognomine, dictus Saxo, Monachus ad finem factus, quidquid in molendino apud villam Lucum calumniabatur, sancto Petro concessit, ipsumque molendinum fratribus suis laudantibus, Besuensi Ecclesiæ perpetuò habendum

devotè tradidit. Et ne hoc in posterum quisquam irritare præsumat, supponimus signa testium qui præsentes affuerunt. Signum Gerardi Abbatis, Rodulphi Sacristæ, Hugonis de Bellojoco, Lebaldi de Genevreris. De Laïcis, Sig. Hugonis, Walterii, Milonis, Humberti fratrum prædicti Odonis. Sig. Roberti Præpositi, Humberti Divitis. Otberti cocci. Giraldi villici.

Carta Domni Ascherii Montis-Salionis.

IDcircò eleemosynæ fidelium litteris adnotantur; ut hi qui post futuri sunt, legendo quod non viderunt, agnoscant, & si hinc aliqua fortè calumnia pravorum hominum orta fuerit, authoritate priorum resistere valeant. Notificandum ergo posteris censemus, quòd Ascherius quidam Miles Montis-Salionis, ad obitum veniens dedit Deo, & sancto Petro Besuensi, in terrâ, quæ Craias dicitur, mansum quoddam ita liberè ut ipse habebat, cum hominibus scilicet & pratis, cæterisque appenditiis suis, duos etiam fratres, villæ Albiniaci incolas, Albricum, Stephanum, neptemque eorum Avilinam. Testes hujus eleemosynæ sunt Gerardus Prior, Rodulphus Sacrista, Heinricus, Garnerius Præcentor, & Gunterius. De Militibus, Hugo & Odo fratres prædicti Ascherii, Paganus de Buiris, aliique quàm plurimi.

Carta Domni Willelmi Fontis-vennæ.

Guillelmus Fontis-vennæ fit Monachus.

QUia præsens vita ad malum proclivis est, oportet ut eleemosynis, vel operibus quisque mala admissa à conspectu Domini abscondat, quoniam Apostolus tempus redimi præcipit, eo quod dies mali sint. Quod Guillelmus Fontis-vennæ gratiâ Dei adimplens, piscatoriam quamdam cum manso appendenti ad ipsam, piscatoremque Albricum nomine, cum uxore & filiis, Besuensi Ecclesiæ in villâ Calintensi tribuit, cum adhuc in sæculari militiâ positus esset. Postquàm verò divino respectu Monachus effectus est, delegavit in villâ quæ Cortesours vocatur, Deo, ac sancto Petro Besuensi, duos mansos cum appenditiis suis, duosque homines Stephanum, & Theodericum, habitatores eorum, cum uxoribus, & filiis, omnibusque ad se pertinentibus, atque omnes usuarios fructus, quos tertias nominant, duarum villarum de Cortesours, & de Lare; excepto quod duo fratres Verduinus, & Amalricus, villici Dom. Girardi, filii ejusdem Guillelmi, pro manso Majorali 60. jugera retinuerunt. Hæc, ut prædictum est, Besuensi Ecclesiæ concesserunt Guillelmus, & Girardus filius ejus, laudantibus Guido Domino Fontis-vennæ, cum filio suo Theoderico, & Guidone Domino Jovis villæ.

Præterea in die sepulturæ prædicti Guillelmi; Girardus & Guido Domini Montaniaci reliquerunt injustam consuetudinem, quam erga homines nostros de Pauliaco habebant, decreveruntque ut si aliquis eorum de aliquo homine sancti Petri justitiam pro aliquo forfacto appeteret, alter nullomodo tale ab eodem exigeret. Nam antea uterque ab uno ex uno forfacto duplex rectum exigebat. De his omnibus testes adhibemus, Domnum Girardum Abbatem, Guilencum Priorem, Rodulfum Sacristam, Garnerium Præcentorem, Widricum Priorem Fontis-vennæ, Albertum Tullensem. Item Hugonem de Tilecastro, Dominum Bellimontis, filiumque ejus Hugonem, Haymonem de Tilecastro, Hugonem de Bellojaco, Milonem de Poiens, Odonem de Domnâ Petrâ, Widricum de Monz, Ulgerium de Burgo, Walterium, Odilonem Præpositum Calintensis, Otbertum Coccum, Hugonem Dapiferum; fratresque præmemoratos Nerduinum & Amalrinum.

Carta Milonis cognomento Pautenerii.

Mos antiquus manumittendi.

SEcundum Prophetam monentem: *Dissolve obligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes*, Milo Tilecastri Miles dictus, agnomine Gyrovagus, Humberti Vetulæ filiam, uxorem scilicet Odonis Maleth, filii Evrardi Divionensis, Oddilinam vocatam, servitute, & famulatu suo, & progenitorum suorum absolvit, & super altare sancti Petri liberam proclamans posuit, audientibus, videntibus, & laudantibus suis fratribus Humberto, & Willelmo Desfosses, & filiis suis. Hanc donationem confirmamus subscriptis testibus; Girardo Abbate Besuensi, Guilenco Priore, Roberto Præposito, Otberto Cocco, Girardo filio Aidulfi, Drogone filio Gerberti, Hugone de Ulons, Lamberto Falsart, Aldone, & Odone fratribus de Fontanis, aliisque multis.

De Dominico Malner.

MEmoriali digno his litteris adnotamus, Rodulfum Militem S. Michaëlis, quidquid super Dominicum Malegrinum, quem sicuti servum ab antecessoribus justè vel injustè habuerat ac possederat, sancto Petro Besuensi donasse, & super altare posuisse, testibus assistentibus multis, Girardo Abb. Henrico, Lebaldo, Richardo, Hugone Monachis. Laïcorum verò affuerunt Milites; Wido Ravines, maritus sororis datoris, Ewinus de Excelso, Walterius Malsualez Granciaci, Odo de Furno: familiæ nostræ, Humbertus Salomon, Guillielmus, Petrus Pauliaci, Petrus etiam & Robertus de Monte-Salionis.

De Orcevalis.

SCiant omnes tam præsentes, quàm futuri quòd Nerduinus dominus Asperimontis, & Hugo filius ejus Miles, & Galo de Willer, & Haymo filius ejus pro animabus suis, & antecessorum suorum, tradiderunt Deo, & sancto Petro, ac Besuensi Ecclesiæ, in loco qui Orcevallis dicitur, 40. jugera terræ. Huic dono assignamus testes: Sig. Hugonis Francigenæ. Sig. Rodulfi de Renavis, Hugonis Conitensis, Ewini Spinelli.

De uxore Theoderici Carpentarii.

FIrmiter retineat quisquis has legerit litteras, quòd Mainfredus de Arco uxorem Theoderici cum liberis suis, Deo, sanctoque Petro Besuensi pro animâ suâ concessit, ipsique Mainfredo Domnus Abbas Stephanus ob hanc causam, imò magis gratiâ amicitiæ, 20. solidos dedit. Sed quoniam mens humana sæpe à bono deviat, idem Mainfredus post obitum Theoderici cum coram Domino Besuensi Abbate de hac re quasi non gratis vel liberè filios ejus dedisset, queritando placitaret, commotus ratione, eos se liberè concessisse recognovit, atque eamdem eleemosynam confirmans, denuò liberrimè huic Ecclesiæ perpetuò contulit, & uxori suæ ac filiis laudari fecit. Abbas verò Girardus ob pacem vel memoriam hujus pacti, dedit ei decem solidos, & Humberto de Balenevâ duos. Huic Cartæ testes idoneos, qui affuerunt, supponimus: Signum Girardi Abbatis, Guilenci Prioris, Heinrici, Albrici, Lebaldi. Signum Hugonis Bellimontis, & Hugonis filii ejus, Guidonis Præpositi S. Juliani, Humberti villici de Balenevâ, Valoth, Oberti cocci, Girardi villici.

De villâ quæ dicitur Trescase.

PRæsentium ac futurorum memoriæ clarescat, quòd Hugo villicus de Balenevâ, & filii ejus Humbertus, Joannes, Petrus, terram sancti Petri apud Trescasas, quam per multos annos calumniati fuerant, reddiderunt in pace sancto Petro & Besuensi Ecclesiæ, atque se peccasse quòd eam invaserant, cognoscentes, absolutionem delicti sui à Domno Girardo Abbate, & omnibus fratribus, in Capitulo petierunt, & acceperunt. De hoc facto assignamus testes, Girardum Abbatem, Guilenchum Priorem, Albricum, & reliquos Capituli. Mainfredum etiam de Arco, Guidonem Præpositum S. Juliani, Valeth de Balenevâ, & Otbertum.

De Villâ S. Sequani.

QUoniam facta præcedentia per litterarum adnotationem cognovimus, placuit & nobis scribendo posteris relinquere, ut inviolabile in æternum permaneat, quòd Joffredus Bellimontis Dominus cum Gertrude uxore suâ, pro salute animarum suarum, sancto Petro, & Abb. & Monachis Besuensibus villam quamdam, quæ vocatur sanctus Sequanus in Baascha, sicut ipsi eam liberè tenebant, concesserunt; laudante Hugone filio, & nepote Joffredo, agnomine Martello, omnibusque qui hoc donum in postremo perturbare videbantur.

Contigit autem instigante diabolo, ut successor Martellus post mortem prædictorum antecessorum suorum, violare non erubesceret, quod priùs laudaverat, videlicet ut justitiam & latrocinium in prædictâ villâ clamaret. Postea verò animante Domino qui Ecclesiam suam eleemosynis privari non patitur, & Dom. Girardo Abbate hoc ei admonente, ad seipsum reversus, devotus Capitulum fratrum adiit, fraternitatem accepit, & pro requie animæ suæ, & antecessorum, gratis quidquid in villâ clamabat, vel quæcumque habebat, liberè concessit, excepto manso Odilonis, & fratris ejus Galonis, servorum suorum. Sig. Girardi Abb. Sig. Lebaldi. Sig. Richardi Monachi: de Militibus, Martelli, Welfonis, Elvini, Haimonis, Savarini, Odilonis, Wiberti. De familiâ sancti Petri, Sig. Otberti cocci. Signum Widonis, Humberti Divitis, Humberti Salomonis.

Arbitramur rectum fore fidelium memoriæ tradere census Ecclesiæ, ne quando per incuriam nostram à pravis hominibus minuantur. Ideoque assignamus hîc quemdam Militem, Haymonem nomine, filium videlicet Galonis de Viler, clamantem in atrio S. Martini de Montuscâ justitiam, & latrocinium. Nam ob hujuscemodi causam prædam abduxit, & alia multa Ecclesiæ Besuensi irrogavit. Cui, cum in hac pertinaciâ diù permaneret, placitum terminavit Abbas Girardus in eâdem villâ. Convenerunt igitur utrique die terminato, consultus à matre quæ secum placitatura venerat, & à reliquis amicis suis, querimoniam quam super familiam Monachorum nostrorum ibi degentium faciebat, in pace Abbati proclamavit: insuper de duobus hominibus, quos Monachus foris atrium habitare faceret. Ita tamen ut si aliquod scelus à suis vel ab aliis hominibus illic committeretur, isdem ad Abbatem Besuensem clamationem faceret, & pro ullo patrato scelere, si etiam homicidium aut adulterium esset, quorum lex major esse dignoscitur aliis sceleribus, ultrà quinos solidos lege rectitudinis inde quidpiam haberet.

In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis.

UNiversi fidei Christianæ domestici sanctam Dei Ecclesiam animi devotione gloriosam, & muneribus in quantum possunt largissimis, facere debent locupletem. Quâ si quidem animadversione compunctus, & à Spiritu sancto spiritaliter instinctus, ego Hugo de Bellomonte cum filiis meis Hugone, & Joffredo, pro remedio animæ meæ, antecessorumque meorum, Deo, & sancto Petro Besuensi, Abbatique Gerardo, Monachisque Besuensibus in Parrochiâ sancti Martini Deo servire volentibus, dono concessi quidquid Dominus Remigius ejusdem loci Presbyter, in Ecclesiis, in agris, in pratis, in sylvis, in domibus, & universis humanæ vitæ usibus, tenebat; & insuper quidquid vadimoniorum quæ prædictis Monachis, aut jam dederit, aut in futurum dare voluerit, possidebat.

Placuit etiam huic dono annectere, quòd homines, qui apud sanctum Martinum hospitati erunt, & circà Monachos habitabunt, in terris castri Belmontensis, omne usuarium liberè habeant in sylvis, in pratis, in pascuis, & in omnibus, quibus vivunt homines usibus; ita scilicet quòd si homines damnum nescienter fecerint, damnum sine lege reddant: Monachi verò quoquomodo aut ipsi, aut sui famuli scienter, vel nescienter damnum fecerint, damnum sine lege prorsus restituant. Piscarium etiam ipsis donavi à Belmonte desuper, ubi, vel quando, vel quomodo eis placuerit piscari: subtùs verò Belmontem pede tenùs piscari tantùm concessi. Quod donum ne quâ tegatur oblivionis nebulâ, placuit litteris commendare, approbatorumque qui adfuerunt virorum testimonio roborare. Sig. Girardi Abbatis. Sig. Richardi de Vircillis. Sig. Lebaldi de Genevreris, Josberti Præpositi, Henrici Capellani, Humberti negotiatoris. Petrus Rufus, Joannes famulus, Christianus, Hugo Bellimontis Dominus, Hugo filius ejus, Remigius Presbyter, Milo de Poiens, Hugo de Aces, Ewrardus de Rolens, Fredericus de Campaneio, Wido de Renavis. Rodulfus filius Odolrici, Erbertus Capicium. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini M. CXXXIV. Indictione XII. Epact. XXIII. Concur. VII. 1134.

De atrio S. Martini.

OMnium hominum est, qui nominis censentur vocabulo Chistiani, in lege Domini die ac nocte jugiter meditari. Lex enim Domini irreprehensibilis, cum convertat animas, & testimonium sit fidele, sapientiam præstat parvulis. Ego igitur Haymo de Tiricastro parvulus scientiâ, multorumque malorum quę egeram oneratus insipientiâ, cùm ante meum obitum longâ depressus fuissem ægritudine, ad meipsum rediens, & insuper cogitans quòd ante Deum nullum ferrem manipulum justitiæ, pro remedio animæ meæ, parentumque meorum, Deo, & sancto Petro, & Monachis Besuensis cœnobii, atrium sancti Martini de Luco concessi, & quidquid ibidem justè vel injustè possederam totum eis dimisi. Testes adfuerunt Ricardus Capellanus, Petrus Capellanus ejusdem Ricardi, Hugo de Conulent, Joannes Clericus, Thebaldus de Casoto, Wido Talanat.

Ego Agnes uxor Domni Haymonis de Tiricastel, cum ipse Haymo maritus meus in paradiso sancti Florentii fuisset tumulatus, assistentibus Clericis, parentibus, & amicis, cum insimul in claustrum regressi fuissemus, & cum de eleemosynâ ejus tractaremus, visum nobis est esse bonum, ut donum quod Domnus Haymo fecerat Ecclesiæ Besuensi de atrio sancti Martini de Luco, cum liberis meis facerem, Ratum habet Agnes Aymonis donum.

& coram eis bonis, ac pluribus viris qui affuerunt, illud confirmarem. Dedi igitur & confirmavi donum quod fecerat, atrium videlicet sancti Martini de Luco Monachis Besuensibus, quietum, & cum omni libertate & pace pro animâ mariti mei in æternum possidendum. Quod ne deleatur, aut oblivioni tradatur temporum intervallo, virorum subscriptorum roboramus testimonio. Petrus Abbas sancti Stephani Divionensis, Tebaldus Decanus, Ricardus Presbyter, Dominicus Prior sancti Florentii, Bonet de Mare, Joannes Clericus, Petrus Capellanus, Haymo de Nimie, Wido de Saut, Nocherus, Wido Talanat, Thebaldus de Casoto, Wallerus, Rollanus, Wido, Marescallus, Malveslot, Tebaldus Excotex, Robertus filius ejus. Hoc factum est & recognitum, quòd donum quod fecerant de atrio, non ideo fecerant, quòd atrium suum esset, sed ideo quia in atrio, quod sancti Petri erat rapiebant, & ablationes faciebant, & ea quæ jure vel rectitudine in ipso atrio non habebant, injuriâ, & violentiâ rapiebant.

De Montigniaco.

CUm transeant cuncta, & ea quæ in hoc mundo sunt, nunquam in eodem statu sint diù permanentia, litteris adnotamus, quòd Rodulphus, & Milo frater ejus, qui suo agnomine dicti sunt Bigornenses, pro animabus fratrum suorum Guidonis, & Rogerii, & pro animabus patris, & matris suæ, antecessorumque suorum remedio, Deo, & sancto Petro, & Monachis Besuensis Ecclesiæ dederunt duos mansos apud Montiniacum, unum mansum qui dicitur mansus Odonis Eurvini, & alterum, qui dicitur mansus Widonis Malæ filiæ. Hoc donum apud Besuam fecerunt in Parasceve, id est, in die Passionis Domini, tenentes ambo librum, per quem hanc donationem in præsentiâ Domni Abbatis Giraldi super altare posuerunt. Sign. ipsius Abbatis Girardi, sig. Widrici Prioris Fontis-vennæ. Sig. Albrici de Arcione. Sig. Alberti de Tullo. Sig. Girberti de Algeriaco. Sig. Joannis Presbyteri de Besuâ.

De Domnâ-Petrâ.

PAter quòd genus humanum ad finem semper defluat, cum profectò honor & potentia hominis labatur, decorque juventutis citò marcens evanescat. Quapropter necesse est, ut homo eleemosynarum remedia quærat, quoniam eleemosyna faciem Domini placat, & misericordiam impetrat. Ne verò dona fidelium oblivioni tradantur, litteris ea intimare debemus. Igitur tempore quo à Domno Wilenco Lingonensi Episcopo Ecclesia sancti Martini sancto Petro Besuensi data est, Presbyteratum Ecclesiæ de Domnâ Petrâ idem Episcopus nobis concesserat; sed hunc Humbertus de Lissey, & filii ejus, qui tunc in eorum dominio erat, calumniabantur, vique illum retinebant. Theoderico autem filio prædicti Humberti vitâ decedente, fratres ipsius Theoderici, Wido scilicet cum tribus aliis, patre eorum laudante, ipsum Presbyteratum, & atrium Ecclesiæ sancto Petro Besuensi liberè tradiderunt, justitias tantùm atrii retinentes. Ita sanè ut si homo sancti Petri in eodem atrio aliquod forfactum fecerit, clamatio ad Abbatem Besuensem fiat, rectumque faciens non ampliùs, quàm quod vivens lex ejus fuerit, solvat.

Dederunt etiam 4. falces prati in suo broulo sancti Sequani, & hominem Abbricum nomine cum uxore & filiis, suisque tenimentis, sororemque ejus uxorem cujusdam Elluini. Addiderunt & tertiam partem tertiarum de Blaniaco, & alodium, & omnia, quæ illic habebant excepto manso cujusdam Walterii, cum appenditiis suis. Hanc ergo eleemosynam fratres supradicti defuncti Wido, & Humbertus pro remedio animæ ejus S. Petro & Besuensi Ecclesiæ per impositionem libri super altare confirmaverunt, testibus coram adstantibus, quos hîc assignabimus. Sig. Gerardi Abb. Sig. Rodulphi Prioris, Heinrici, Alberti, Richardi, Ansirici, Bartholomæi, Richardi. De Militibus, sig. Hugonis Bellimontis, & filiorum ejus Hugonis, & Joffredi, Ottonis de Miribel, Hugonis Asperimontis, Euvini de Aces, Milonis de Poiens, Haimonis Columbæ, Ulrici de Renavis, & filii ejus Milonis.

De Mentuscâ.

COnstat multimodâ varietate mundi negotia prætergredi, ideoque necesse est quæ memoriæ digna sunt scriptis adnotari. Notificamus ergo posteris, quòd Galo de Rosei pro animâ uxoris suæ, Annilina nomine, & animabus antecessorum suorum, dedit sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ minutas decimas villæ, quæ Mentusca dicitur, omnesque decimas de villâ Cincei, liberè ut possederat. Accidit autem ut postea subripiente avaritiâ donum quod fecerat, calumniaretur. De quâ re Monachus, qui præerat Mentuscæ cum eo loquutionem habuit, in quâ idem Galo se errasse cognoscens, devotè prædictam eleemosynam Ecclesiæ Besuensi in pace habendam concessit. Sig. Ricardi Monachi de Mentusca, Anselmi socii ejus. Sign. Ulgerii Monachi, filii Galonis, qui donum fecit. Sign. Richardi Præpositi. Item Sign. Hugonis, & Willelmi filii prædicti Galonis. Sign. Notberti Capellani. Ricardi Conversi Molimensis. Sign. Widonis, & Lemenfredi, & aliorum multorum.

De Cusiaco.

FIdelium eleemosynas recensere dignum est, qui juxtà quod Dominus præcipit, in cœlo sibi thesaurisare student. Omnibus ergo scire volentibus clarum fiat, quòd Milo de Fontanis, Haymone fratre suo defuncto, pro animâ ejus dedit ipse & mater sua, Petronilla nomine, sancto Petro Besuensis Ecclesiæ mansum unum apud Cusiacum cum appenditiis suis, hominemque nomine Benignum cum uxore ac familiâ. Habebamus autem ex eisdem apud Fontanelias tria jugera terræ, cum quibus alia tria liberè sicut possederant, nobis dederunt; & etiam minister illius terræ ministrationem suam Ecclesiæ Besuensi reliquit. Dederunt quoque apud Fontanas 5. solidos singulis annis in vigilia Omnium Sanctorum ad refectionem fratrum. Hæc supradictus Milo cum matre suâ Petronillâ devotè sancto Petro Besuensi contulit, Euvino cum cæteris fratribus, & Gibuino sororio ejus, cum uxore laudantibus. Sig. Girardi Abbatis, Rodulfi Prioris, Widrici Prioris Fontis-vennæ, Ricardi Præpositi, Bartholomæi, Richardi, Pontii, Widrici Presbyteri. De Laïcis, Sig. Theoderici, Widrici, & Humberti fratrum, Lebaldi, & Hugonis.

De Colongiis.

IN nomine summæ & individuæ Trinitatis. Ego Gothefredus Dei gratiâ Lingonensium Episcopus humilis, omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis in perpetuum. Notum facimus, tam præsentium ætati quàm futuræ posteritati, Domnum Gerardum Besuensem, ejusdemque loci Monachos, decimam partem alodii, quam habebant in Colongiis, & omnem parrochiam & ad ipsam pertinentia, per manum nostram sanctimonialibus de Colongiis dedisse, & concessisse. Ita tamen quòd singulis annis ab ipsis sanctimonialibus Abbas Besuensis Ecclesiæ sex libras de cerâ usque ad octavas Natalis Domini pro alodio, & parrochiâ haberet. Concessit etiam idem consentiente suo Capitulo sanctimonialibus de Co-

longiis decimam ejusdem loci, quam quidam homines sibi usurpaverant. Pro quâ decimâ mulieres ibidem Deo devotæ reddant eis octo minas bladi per medium annuatim.

De Lissciaco.

Litterarum memoriæ tradere censemus, quòd Rotbertus Billeiaci, Hierusalem ire disponens, omnem terram alodii, quam habebat Lisseiaco, dedit sancto Petro, ac Besuensi Ecclesiæ, hominemque Bernardum nomine, cum uxore & filiis: eo pacto, ut si gratiâ Dei rediret Hierosolymis, & de se ipso vel de fratre suo, seu de aliquo filiorum ac nepotum suorum, Monachum facere vellet, libenter susciperetur. Hoc etiam Petro fratri suo fecit laudare coram Comite Guillelmo, multisque Militibus, Malleiaco. Quapropter Domnus Abbas Gerardus dedit ei 70. solidos. Huic Cartæ idoneos testes assignamus, Guillelmum Comitem, Martellum de Malleiaco, Widonem Trosellum, Haymonem Columbam. Sig. Girardi Abb. Sig. Ricardi Præpositi, Alberti, Pontii, Girberti.

De Perciaco magno.

Gratiâ sacri Flaminis tactus Guido de Perciaco, seminare studuit in benedictione, ut meteret benedictionem. Dedit namque in vitâ suâ, Deo, & sancto Petro Besuensi, cuncta alodia sua, quæ apud Perciacum majorem, ac minorem, & apud Noidant, & etiam ubicumque habebat tam in mansis, quàm in pratis, & campis, & terris ac sylvis, cum quodam molendino interposito. Rogavit etiam ut si quando Monachus effici vellet, in eodem Monasterio reciperetur; quod actore Deo ad finem consequi meruit. Huic cartæ subscribimus idoneos testes, qui prædictam eleemosynam coram Altare sancti Petri laudando confirmaverunt: Eguinum de Beriâ, Guidonem Talevar, cum uxoribus eorum, sororibus supradicti Widonis de Perciaco, Paganum Busun, Erluinum, Joannem Clericum, Hugonem Falsarium. Sig. Gerardi Abb. Rodulfi Sacristæ, Ricardi Præpositi.

Carta Brutini Presbyteri.

Omnibus filiis Ecclesiæ perpatescat, quòd Domnus Abbas Gerardus tali pacto Presbyteratum Ecclesiæ sancti Remigii Theoderico Presbytero, cognomento Brutino, dedit, ut quamdiù res Ecclesiæ fideliter ad profectum Monachorum tractaret, eamdem Ecclesiam voluntate fratrum haberet. Sin verò bona fratrum adimere, aut eos inhonorare probaretur, nisi ad eorum voluntatem emendaret, ipsam Ecclesiam amitteret. Testes hujus rei designamus, Humbertum Divitem, & Garnerium fratrem ejus, Gerandum & Bernonem, Symonem & Galterium sororios ejusdem Presb. Joannem quoque fratrem ejus, qui etiam ipso die matriculariam Ecclesiæ reliquit. Hi omnes in Capitulo cum fidei sacramento in manu Dom. Gerardi Abbatis in re prædicta se fideles erga Monachos, damna eorum restituendo, fore promiserunt.

De sancto Benigno.

Notificamus his litteris, quòd Haymo Presbyter villæ sancti Benigni, cum magis quàm jus erat, aut prædecessores ejus acceperant in decimis ejusdem villæ vellet accipere, cum Garnerio, qui tunc eidem loco præerat, coram Domno Gerardo Abbate venit, statutumque est, ut quartam partem solummodo de decimis frumenti, & avenæ acciperet. Porro media pars Baptisterii, mediaque pars sperarum [f] eidem Presbytero concessa est, quatenùs Monacho fidelis existeret. Hæc idem Presbyter laudavit, & spopondit nil ultrà quàm sui juris esset, accipere: Dom. Gerardo Abbate, Garnerio Priore sancti Benigni, Ricardo Præposito, & Poncio, cæterisque nonnullis præsentibus.

De Furt.

Quæ à fidelibus Ecclesiæ Christi donantur, litteris tradi necesse constat, ne quod devotio Deo parat, avaritiæ cupido subtrahat. Pateat itaque quòd Robertus de villâ, quæ Furt vocatur, ad Monachatum veniens, dedit sancto Petro Besuensi pratum, quod in eâdem villâ possederat, eo pacto, ut 10. solidis, quibus in vadimonio erat, redimeretur. Dedit quoque quartam partem Molendini, mediamque pasturam ejusdem villæ, & 2. mansos cum appenditiis suis juxtà fontem villæ Lentiliaci. Hoc donum uxor ejus laudavit cum filio suo Hugone, & filiâ Boillot vocatâ, testibus Matthæo Monacho Lentiliaci, Ricardo, Roberto. De Laïcis, Bernone, Humberto Divite, Rodulfo, Guillelmo famulo. Accidit autem ut Hugo de Furt, prædicti Roberti filius, hanc eleemosynam, quam laudaverat calumniaretur; pro quâ re cum à Monacho qui Lentiliaci præerat, argueretur, tandem ratione constrictus super altare sancti Petri hoc idem donum per impositionem libri obtulit, nec unquam deinceps calumniari spopondit. Signum Matthæi Lentiliaci. Signum Ricardi, Pontii, Bartholomæi, Girardi. De Laïcis, Sig. Humberti Divitis, Bernonis, Petri Pauliaci, Joannis Cocci.

De Servis manumissis.

Omnibus in Christo fidelibus manifestum iri voluimus, quòd Severinus de Faverniaco, & Guiardus frater ejus, Domno Girardo Besuensis Ecclesiæ Abbati, Petrum de sancto Apollinari, ac fratrem ejus, omnesque eorum heredes, simulque Sacerdotis Belenaviæ filios, & nepotes illius, quos omnes diù calumniati fuerant, liberos & solutos manumiserunt, excepto ex præfati sacerdotis filiis, qui eis serviebat, quem ad serviendum sibi retinuerunt. Hanc verò prædictam manumissionem, tam pro salute suâ, quàm pro animarum parentum suorum remedio, & etiam pro eo quod eorum frater nomine Petrus in Ecclesiâ supradictâ jam erat factus Monachus, facere decreverunt. Hujus rei testes sunt de parte illorum, Humbertus de Vuchei, Stephanus Faunejaci Præpositus, Meifridus de Arcu. De parte verò Abbatis, Narduinus de Aspero-monte, & Pontius de Sylvennejaco Monachi, Humbertus de Gillens, qui eo tempore Arcioni manebat, Humbertus quoque Belenaviæ villicus, & Vasso de eâdem villâ. Hoc autem factum est in campis illius villæ, quæ Arcus dicitur, ante Canonicorum horreum, in loco qui vulgo Corbiton nuncupatur, die quadam Dominicâ in quâ festum sanctæ Crucis celebratur.

De Callentensi villâ.

In nomine Domini, Amen. Nomen majorum nostrorum, ac sanctorum aliorum authoritas Chirographa beneficiorum nostrorum Ecclesiasticorum, redituumque institutorum privilegia scripta in usibus nostris ad præteritorum memoriam revocandam habere nos instituit, suorumque institutorum quamplurima nobis exempla reliquerit, omnia beneficia à nobilibus fidelibus nostris, vel innobilibus Clericis,

f *sperarum*] Fortè, ait Acherius, hîc intelligitur Fortuitus casus, Gallicè *le Casuel*.

vel

vel Laïcis, pro Christi nomine nobis collata memoriæ sanctæ scriptis commendare consuevimus, ut ostensis beneficiorum nostrorum frequentissimè scedulis, benefactorum nostrorum animarum in orationibus frequens memoria habeatur: illaque beneficia memoriâ teneantur, ne pro deletâ eorum memoriâ importunus error sequatur. Nos ergo inter alia pleraque beneficia nostra, unum speciale, & magnum beneficium à Burgundiorum Consule Renaldo nobis illatum, operæ pretium sub silentio occulere non existimavimus, tum quia res tantâ intitulatione est digna, tum quia à tantâ, & tam dignâ personâ est acta.

Omnibus itaque Catholicis notificare hac præsenti scripturâ satagimus, quòd Renaldus Comes potentissimus, Deo, & sancto Petro ejus Apostolo, Besuensis Basilicæ Patrono, sanctoque Dei Martyri Christophoro, Calentensis Cellæ nostræ advocato instinctu divino nullâ coactus offensâ, sed voluntate piâ, & bonâ, liberè, & absolutè donavit quidquid de feodo suo unusquisque de eâdem villâ tam nobilis, quàm ignobilis, Clericus, vel Laïcus, pro se, vel prædecessorum suorum animarum requie, prædictæ cellæ nostræ Fratribus dederat, vel daturus fuerat, dum tantummodo ex hoc totum feodum suum ipse non omittat, assumptâ hujus rei occasione, ex hoc quod Odo Præpositus suus tyrannide suâ, septem marcas argenti hominibus de Novâvillâ abstulerat, quas ipse Dom. Girardo Abbati, statim ut injuriam præsensit, redditurum se firmiter edixit. Hujus etiam redditionis fidejussores Domnum Hugonem de Bellojoco; & Dom. Girardum de Strabonâ, nec non Othonem de Durnecto, & Humbertum de Trimolario prædicto Abbati dedit. Quo toto beneficio definito, Ecclesiam sancti Dei & Martyris Christophori, se comitantibus multis, festinus intravit, ac ibi ante altare flexo poplite coram omnibus adstantibus, de injuriâ supradictâ, manu etiam super ipsum altare impositâ, Deo, ac S. Christophoro, & Abbati Girardo fecit rectum. Et hoc faciendo, quod nullum jus, nullamque calumniam ejusdem injuriæ in supradicta hominibus faciendæ, habuisset, recognovit.

Hoc autem factum est die quâdam Dominicâ diluculo, cùm etiam divina Missa in supradictâ Ecclesiâ celebraretur. Quâ die etiam ad colloquium contrà Episcopum Lingonensem proficiscebatur. Hujus rei testes sunt quatuor supradicti argenti fidejussores: Hugo videlicet de Bellojoco, Gerardus de Strabonâ, Otho de Durneto, & Humbertus de Trimolario, & Odo suus Præpositus, & Guillermus Sylvestris, Odo Albus, & Hugo frater ejus. Isti de parte Consulis. De parte Abbatis, Guirricus Prior de Fonte-vennæ, Gothefridus Prior Calentensis, Poncius de Silvenneiaco. In Christo Jesu Domino nostro.

Epithaphium Hugonis de Bellomonte.

Qui decreta decreverunt,
Ex decretis hoc sanxerunt,
Quòd scripturâ notaretur,
Quidquid jam definiretur,
Aut sigillis insignirent
Quidquid omnes stabilirent,
Ne periret vetustate,
Vel dierum quantitate,
Hoc maiores statuerunt,
Et statutum reliquerunt.
Tales usus antiquorum
Cura servat modernorum;
Sua namque per scripturas
Instituta vel figuras;
Semper solent designare,
Vel signando demonstrare.
Sed cum talis vigens usus
Apud omnes sit diffusus,
Nos sequentes usuale,
Donum quoddam speciale,
Donum dico tale, magnum
Vel memoriale dignum
..... satis annotari
Scriptis, & adstipulari
Diligenter studeamus,
Ut perfectè describamus.
Ergo cunctis innotescat,
Nec ab ullis evanescat.
Noscat omnis literatus
Simul & illiteratus,
Quòd Hugo de Bellomonte
Donavit de suâ sponte,
Corde bonæ voluntatis,
Et affectu pietatis,
Deo simul, & fratribus
In Christo confidelibus
Besuensis Ecclesiæ,
Pro defunctorum requie,
Pro se, & Jeffredo filio,
Pro parentum remedio
Tam pro cunctis fidelibus,
Quàm pro suis hæredibus,
Inter primam coloniam,
Vel si mavis coæveiam,
Simul & quamdam terrulam,
Dictam vulgo Rupeculam,
Bis binis prati falsibus
Accumulata grandibus.
Hæc supradictis fratribus
Donavit Besuensibus
Qui deservirent sedulè
Sancti Martini Cellulæ.
Hæc sunt in territorio
Bellimontis sub prædio.
Hæc præter per injuriam
Suamque violentiam
Quemdam factâ calumniâ
Malè fugarat patriâ,
Et sine rectitudine,
Carbonem dictum nomine,
Qui juxtà dictam cellulam
Construxerat domunculam,
Servire volens Fratribus
Inibi famulantibus,
Quem mox liberum credidit,
Et absolutum reddidit.
Ad hæc totam justitiam
Suam dedit per gratiam,
De Boiens, rebus omnibus
Simul dictis & actibus.
Post hæc sibi collibuit,
Quòd salvimentum tribuit
De Cavennei prædio,
Quod tenebat in proprio.
Postremò querimoniam
De Blegne vel calumniam
Justam, vel non exposuit,
Ita quod nil retinuit.
Rursus unam filiolam,
Quam domi nutrit parvulam,
De concubinâ genuit,
Quod sancta lex prohibuit.
Hanc quidam sibi garcio
Legali matrimonio
Quærebat semper jungere,
Tali decreto fœdere

Quod Hugonis præsidio,
De Besuano prædio
Sibi foret redditio,
Præfecturæ vel ratio,
De qua fecit calumniam
Nec justam querimoniam.
Sed quidquid sic disposuit,
Garcio non obtinuit.
Hugo namque supplicibus
Monachorum clamoribus,
Et dare natam renuit,
Et opem ferre noluit.
Hæc prædicta donaria
Facta sunt in Ecclesiâ
Besuensis Cœnobii
Super gradus altarii,
Per textum Evangelicum.
Nota res est in publicum.
Quod Pater fecit, filius
Hugo gessit libentius.

De Bellanavâ.

CAtholica mater Ecclesia gaudens de suorum profectibus filiorum & mærens pro defectibus, quos patitur à privignis insurgentibus, loco filiorum Davidicâ voce proclamat, dicens: *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Et per Isaiam: *filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem contemnentes spreverunt me.* De quibus profectò exstitit quidam Robertus, natus ex servis & ancillis hujus Besuensis Ecclesiæ, & exaltatus ab eâ ministerio præpositurae, sæpe numero ipsam exaltatricem plagis, placitis, rapinis, incendiis devastavit. Postmodum itaque respectu clementiæ Dei de tantis malis pœnitens, & nullo alio modo se posse salvari credens, ministerium ipsum, id est præposituram, cum omnibus pertinentibus ad ipsam, reliquit Ecclesiæ Besuensi, & concessit in præsentiâ Domni Stephani Abbatis, & aliorum multorum, quorum hæc sunt nomina: Rodulfus, & Vigerius Monachi, Obertus Cocus. Hugo Dapifer, Berno. Die verò depositionis uxoris suæ, idem donum iterando confirmavit in Capitulo nostro. Hanc donationem multis diebus in pace, & quietè & sine calumniâ tenuit Ecclesia, donec quâdam die Humbertus de Balenavâ adiens Abbatem Girardum, proclamavit eumdem Robertum ejusdem præpositurae se, suosque fratres heredes statuisse.

Psal. 34. 12.
Isai. 12.

Unde Robertus nimiùm exacerbatus, & istud viriliter abnegans protestatus est se quondam in captione positum fuisse, & si in illâ captione moreretur, jus suæ præpositurae eis dedisse. Quid plura? Duelium inde firmaverunt, sed statuto die pugnæ Roberto convenienter adstante, Humbertus & sui non advenerunt, neque contrà mandaverunt. Sic istâ sopitâ calumniâ, post dies aliquot supradictus Robertus Monachatum expetiit, accepit, eamdemque concessionem & donum quod fecerat, & iteraverat reiterans, totius capituli nostri testimonio roborari fecit. Eo autem viam universæ carnis ingresso, insurrexerunt contrà nos colloquentes pro ipsâ præfecturâ, videlicet fratres de Balenavâ, Humbertus, Petrus, & Joannes: Præpositus etiam de sancto Juliano, cum nepotibus, quorum causa in curiâ Ducis Hugonis per manum ipsius, & uxoris ejus, & optimatum Curiæ ita terminata est. Nam victi ratione & donorum largitione, quidquid justè, vel injustè, vel parentelâ, vel dono alicujus in præfecturâ proclamabant, totum abnegaverunt & devoverunt, fide datâ, contrà omne genus suum & contrà omnes homines guarantiam portaturos. Hoc assignamus vidisse, & audisse Hugonem Ducem Burgundiæ, & uxorem ejus, Widricum Besuensem Abbatem, Petrum Abbatem Divionensem, Guidonem Priorem, Nerduinum de Asperomonte, Pontium de Silviniaco, Humbertum de Virzeiaco, Monachos Besuenses.

Urricus verò de Renavis, & filii sui, nactâ occasione quod Haimo frater Roberti defuncti filiam ipsius Urrici uxorem duxerat, contrà nos insurrexerunt calumniantes eamdem præposituram, sed resipiscentes ipsam cum omnibus pertinentibus suis abnegantes abjuraverunt. Ipse quoque Urricus & filii sui, Rodulfus, Milo, Wido, & Hugo, & filia, pro quâ clamabant, annuerunt, & laudaverunt Ecclesiæ Besuensi quietè & liberrimè in perpetuum possidendam. Quod roboramus testimonio proborum virorum; Domni Guidrici Abbatis, Rodulfi Prioris, Alberti Tullensis, Nerduini de Asperomonte, Pontii de Silviniaco & reliquorum: Militum verò, Euvini Daleelz, Haymonis Columbæ, Milonis de Poiens, Mainfredi.

Carta Joffredi Bellimontis juvenis.

CUncti fideles in corpore sanctæ Ecclesiæ compaginati, qui veri capitis Christi, membra se esse cognoscunt, perpendant qualiter invalida membra sua refovere debeant, juxtà quod ait Apostolus: *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Sancta enim Ecclesia more sagenæ missæ in mare, sinu suæ pietatis cunctos advenientes colligit, alios solido cibo reficiens, aliis lac potum dulcedinis infundens, nonnullos verò de naufragio mortis liberans. Hoc igitur naufragium instigante Diabolo Joffredus Miles, Hugonis Domini Bellimontis filius, incurrens in exercitio militari morte deprehensus, litus orationum fidelium evasurus expetiit, & eleemosynis sua facta redimere studuit. Quæ eleemosyna quantâ memoriâ sit digna, in subsequentibus demonstrabimus. Pro tanti igitur criminis excecratione, mortuum corpus illius anno & amplius sepulturâ caruit, donec Deo disponente, qui neminem vult perire venerabilis Gothefredus, qui tunc Lingonensi Ecclesiæ præerat Episcopus, Romam iret.

1. Cor. 12. 26.

Expletis verò prosperè cunctis, pro quibus ierat, cum & Apostolica authoritate & licentiâ rediens, eumdem Joffredum à suæ excommunicationis nodo absolvit, & pro eo hostiam salutarem offerens, inhumata ejus membra honorificè tumulavit. Aderat tunc Besuæ cum Episcopo Consul Burgundiæ Renaldus, cum multâ Militum catervâ, qui eo die coram cunctis juravit tenere pacem Ecclesiæ, & omnes eam deprædantes manu bellicosâ expugnare. Ante quorum præsentiam devotus Hugo, pater Joffredi defuncti cum Hugone filio suo adveniens, D. Widrico Abbati & Besuensi Ecclesiæ promisit pacem tenere, & contrà omnes qui de rebus Monasterii aliquid usurparent, quasi propriam terram depopularentur, auxilium ferre. Post hæc autem uterque Hugo pater cum Hugone filio, eleemosynam, quam priùs pro Joffredo fecerat, per manum Godefredi Episcopi coram multis testibus confirmavit.

Dedit igitur Deo, & sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ, pro animâ filii sui, & pro animabus antecessorum suorum, adstante, & laudante Hugone filio suo corveiam propriam, quam Remigius Presbyter in vadimonio ab ipsis habebat, & quamdam terram, quam dicunt Rupeculam, à viâ quæ ducit Luillæ, usque ad villam quæ vadit Fleix, & quatuor falces prati juxtà Cellulam nostram sancti Martini, & hominem nomine Carbonem, quem ob

multas injurias de patria fugaverat.

Præterea dedit justitiam & Corveias quas proclamabat, liberrimè, & absque consuetudine in villâ nostrâ quæ Boens dicitur. Dedit & salvimentum Cavaneiac villæ nostræ, & calumniam quam faciebat in terrâ nostrâ apud villam, quæ Blaineis nuncupatur, sive justam sive injustam liberè concessit.

Hanc autem donationem roborari volumus proborum virorum testimonio; quorum ista sunt nomina: Sig. Hugonis qui hanc eleemosynam fecit, & Hugonis filii ejus. Sig. Euvini de Acels, & Hugonis filii ejus. Die verò sepulturæ ipsius Joffredi, quando hæc eleemosyna iterum confirmata est per manum Episcopi, fuerunt & alii quàm plures, quorum ista sunt nomina. Sig. Godefridi Episcopi. Rainaldi Comitis. Sig. Widonis Abbatis. Sig Haymonis Columbæ. Sig. Mainfredi Darc. Sig. Richardi de Fretis. Sig. Milonis de Poiens. Sig. Hugonis Chaine. Sig. Urrici de Renavis, & filiorum ejus. De Monachis, Sig. Widrici Abbatis. Sig. Pontii. Sig. Nerduini de Asperomonte. Sig. Warnerii. Sig. Alberti. Signum Matthæi. Sig. Rodulfi Cartæ istius dilatoris, & aliorum multorum.

De medietate decimarum in Majasco.

CUm quædam patrum nostrorum instituta erroribus succedentium oblivioni perpetuæ tradita videantur, adjudicamus de præsentibus institutis magnopere fore curandum, ut ea serie litterarum semper memorata teneantur. Nos igitur quantum est possibilitatis nostræ, styli officio commendamus, quòd Bartholomæus filius Rodulphi Villici de Majasco, patre ac matre ejus nescientibus, Ecclesiæ Besuensis à Domno Girardo Abbate, laudante Conventu, Monachus effectus est. Illis verò temporibus prædicti Bartholomæi pater in villâ, quæ dicitur Majascus de minimis decimis medietatem à Guidone Capellano pro 15. solidis in vadimonio habebat, tali scilicet conditione, nisi vivente eo redimeret, Guidone defuncto, ipse Rodulfus, & filii ejus super eam hereditarent. Illam siquidem decimarum medietatem, de quâ superiùs sermonem fecimus, donavit Rodulfus pro filio Bartholomæo beatis Apostolis Petro & Paulo, & sanctæ Besuensi Ecclesiæ, in præsentiâ Domni Gerardi Abbatis, uxore suâ cum filiis laudantibus. Quo facto petiit uxor ejus à Domno Girardo Abbate, ut quod de decimis illis sua pars in Canabo sibi conferebat, ea vivente retinere concederet, cujus petitioni Domn. Abbas Girardus coram cunctis qui aderant, favit.

Carta de duobus fratribus de Beriâ, scilicet Roberto, & Walterio.

PRæsentibus litteris notificamus, quòd Domn. Hugo de Beriâ Stephanum cum suis heredibus sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ dederit. Post cujus mortem Hugo de Magne cum Aldone fratre suo, qui de filiâ ipsius Hugonis de Beriâ orti fuerant, cœperunt prædicti Stephani filios proclamare, nolentes acquiescere, nec laudare, quod avus eorum Hugo eos dedisset. Quapropter cognitum examen quod sibi judicatum fuerat, manu tulerunt, Quòd Domn. Hugo avus eorum totum quod in patre suo, & in heredibus suis habebat, Deo, & sancto Petro dedisset. Prædictus verò Hugo, qui eos calumniabatur, videns querimoniam suam annullatam, injustè eos proclamasse, concessit Deo, & sancto Petro, ponens per librum super Altare in Besuensi Ecclesiâ. Præsentes qui affuerunt hujus rei testes idonei sunt, Haymo, Odo Malenutritus, Haymo Strabus. Et de nostris, Vidricus Abbas, Nerduinus de Asperimonte, Poncius de Silvinne, Ulricus de Renavis. De Laïcis Berno, Petrus, Humbertus. Cum hoc laudassent apud Besuam prædictus Hugo cum Aldone fratre suo, statuerunt diem, quo hæc matri suæ & uxori facerent laudare; quo die affuit Pontius Monachus apud Magne, & laudavit coram eo mater Hugonis, & uxor, & unicus ejus juxtà Capellam ligneam, præsentibus Hugone, & Aldone, & Haymone, Odone Malenutrito, Hugone, & Ulrico de Angele.

De Nemore quod Rotardus dicitur.

NOtum sit omnibus, quòd Pontius de sancto Sequano, & Humbertus frater suus pro pace, & fine quam fecerunt cum Gisleberto d'Avenne de morte fratris sui Willelmi, qui apud villam sancti Sequani fuit occisus, & avunculis ipsius Widone, & Renaldo, dederunt Deo, & sancto Petro, quidquid habebant in nemore, quod dicitur Rotardus.

Item pro hac eâdem pace & fine Hugo Belmontis dominus quinque solidos censuales apud Montaniacum in manso de Siligne, sanctæ MARIÆ de Fonvenz, ubi corpus defuncti jacebat, dari constituit, tertia die post natale sancti Bartholomæi, quo anniversaria dies ejus agitur. Quod etiam testimonio proborum virorum roborari volumus. Sig. Abbatis de Tullio. Sig. Abbatis de Caritate, Rotgeri de Abens Monachi Bellæ vallis, Odonis de furno. De Monachis nostris, Sig. Richardi Præpositi, Poncii, Nerduini. De Militibus, Haymonis, Hugonis Chanuc.

De sancto Martino, & Lissiaco.

CLemens pater familias conditor noster non solùm eos, qui à pueritia fideliter in vinea suâ, sanctâ scilicet Ecclesiâ, laborant, mercede non privat, verùm etiam eos, qui serò venientes hoc est, jam senio gravati in eâdem devotè vivere student, denario æternæ beatitudinis remunerat. Divino itaque respectu Humbertus de Bigorna, in senectute mundo renuntians, Besuense Monasterium devotâ mente petiit, ac eidem Cœnobio 4. falces prati, 3. apud sanctum Martinum Bellimontis, 1. apud Lissciacum contulit. Dedit etiam mansum apud villam Casotum, & campum trium jugerum inter Albiniacum, & castrum Montis-Salionis. Hanc eleemosynam ipse Humbertus, & fratres ejus Rodulfus, & Milo, & Pontius nepos eorum, sancto Petro Besuensi super altare ponentes librum, dederunt. Signum Widrici Abbatis, Gunterii Capel. Richardi Præpos. Willelmi famuli, Petri Pauliaci, Widonis, & Petri Cocci.

De Genciniaco.

FIdelium memoriæ tradimus, quòd Urricus de Renavis pro animâ filii sui Hugonis, dedit sancto Petro Besuensi mansum apud Otiliacum, singulis annis nummos duodecim duoque membra, sive duas gallinas in Natale Domini jure persolventem. Addidit, & medietatem quam possederat corveiæ nostræ Genciniaci; quatenùs ipsa corveia Besuensi Ecclesiæ maneat. Sig. Rodulfi, Milonis, & Widonis filiorum prædicti Urrici. Sig. Widonis Rufi nepotis ipsius Urrici.

De Podiens.

PRæsens vita, ut Beatus ait Papa Gregorius, via est, quâ ad patriam pergimus. Qui ergo ad patriam vitæ pervenire desiderat, dum in viâ est, ante mortem legationem bonorum operum aut eleemo-

synarum ad Dominum præmittere studeat. Assignamus itaque Odonem immaturâ morte hac de vitâ sublatum, pro cujus animâ pater ejus Milo de Podiens, Ecclesiæ Besuensi dedit campum decem jugerum, uxore cum filiis, & propinquis ejus laudantibus. Signum Widrici Abbatis, Signum Matthæi Alberti, Signum Bartholomæi & Richardi fratrum. De Militibus, Signum Hugonis Domini Bellimontis.

De Poilliaco.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ecclesia Dei, quæ ex piorum largitatibus ampliari gratulatur, eosque gaudet adipisci, propter oblivionis incommodum devitandum semper debet reminisci. Nam quia morte prohibente unusquisque Pastor non potest in æternum permanere, quidquid agit, vel cognoscit ad commodum suæ esse Ecclesiæ, litteris, & scripto suis debet successoribus demonstrare. Ego igitur Stephanus Abbas notifico omnibus tam præsentis, quam futuri sæculi fidelibus, Domnum Simonem de Bellojoco, & Domnum Hugonem fratrem ejus, antequàm fuissent uxorati, filiam Geraldi divitis, quam parentes, & amici Petro filio Lamberti de Pauliaco in matrimonium dare disponebant, sancto Petro & mihi, qui præesse videbar, & Monachis Besuensis Ecclesiæ liberam, & sicut sancti Petri feminam absque omni re tractatione authenticâ concessione coram multis concessisse. Quod ne alicujus malivoli invidiâ vel improbitate possit in calumniam suscitari, justum mihi visum est hanc Cartam subscriptorum qui affuerunt virorum testimonio debere roborari. Sign. Simonis. Sig. Hugonis fratris ejus. Sig. Poncii de Silviniaco. Sig. Fulconis de Vore. Sig. Rainaldi Presbyteri. Sig. Bernardi fratris ejus. Sig. Geraldi Divitis. Sig. Gaulteri filii ejus. Sig. Stephani Abbatis. Sig. Gerardi Prioris de Fonsvenz. Sig. Guillenci. Sig. Alberti Tullensis Prioris sancti Valeriani. Sig. Lamberti de Pauliaco. Sig. Joannis fratris ejus. Sig. Gilberti famuli.

Datur ancilla.

De eodem.

SCiendum verò est, quòd post mortem Lamberti Pauliaci, quæsivit Audo fratri suo Petro partem de domo quæ erat in mercato. Cui respondens Petrus dixit, se ei de hac re nullo modo respondere, quia Lambertus pater suus sine parte cæterorum filiorum suorum & filiarum, dedit ipsi, quando uxorem duxit. Hoc Audo se ignorare respondit. Venerunt itaque ambo ad judicium, & judicatum est in Curiâ Girardi Abbatis, ut si idem Petrus de hac re legales testes haberet, in pace esse deberet. Die autem placiti vento, affuit etiam Petrus cum testibus suis, Roberto scilicet Præposito, & Hugone Dapifero, cum matre ejus, hoc affirmantibus, & ita domo liberâ, atque in pace Petro redditâ, Audo fidejussores pacis tenendæ dedit supradictos. Isti sunt, qui ad judicium fuerunt. Josbertus Præpositus, Lebaldus, Albricus, Albertus. Hæc domus Petro damnum intulit, scilicet 30. libras.

De sancto Martino.

QUoniam rerum mutatione plura, quæ meliùs stare videbantur destructa, & quasi non fuissent, videantur esse abolita, litteris commendare ratum fore ducimus ea quibus Ecclesia Christi in exterioribus augetur, quò earum authoritate defendatur, vel futuris clarificetur. Et ideo annotamus, quòd quidam miles Belmontensis, nomine Richardus, cognomento Truta, habuit lium, nomine Haymonem, quem in Ecclesiâ Besuensi Monachum fieri deliberavit. Qui accessit ad Domnum Girardum, qui tunc Ecclesiam Besuensem regebat, & ad Fratres ipsius Monasterii, filium ipsum coram multis testibus Abbati & fratribus tradidit, & pro eo Ecclesiam ipsam ex propriis amplificari curavit. Dedit ergo huic Ecclesiæ apud sanctum Martinum in confinio Belmontensi medietatem corveiæ, quam hereditario jure possidebat: & pratum de Roseros, quod similiter habebat. Consuetudinem etiam, quam in nostris hominibus habebat apud Artasiam manentibus, scilicet corveiam, & cætera quæ habebat, concessit. Nec multo post medietatem corveiæ de sancto Martino, quam retinuit, vendere sibi placuit. Qui cum ex hoc supradictum Abbatem Girardum priùs convenisset, emit ab eo isdem Abbas ipsam medietatem, laudante hoc uxore suâ, & filiis in Capitulo Besuensi.

Dona Richardi Militis, dum filius Monachum induceret.

Postea verò quidam frater ejus, nomine Theodericus, Jerusalem iturus omnia quæ à fratre suo nobis data fuerant vel vendita, cœpit calumniari, consentiente fratre suo Richardo, ut postea res innotuit. Abb. verò Girardus 30. solidos eis dedit, & super sanctum Altare in Capellâ sancti Bartholomæi coram multis testibus, adstante, & laudante uxore suâ, & filiis, uterque superposuit. Evolutis verò aliquantis annorum curriculis, & de medio exempto bonæ memoriæ Girardo, & succedente in loco ejus venerabili Widrico Richardus, de quo hîc agimus, Abbati Widrico, quasi rudi, & nescienti, & Monachis apud sanctum Martinum manentibus, totum abdicavit, & contradixit. Cui Abbas Widricus quasi Pastor bonus lupo rapienti, obstitit, placitumque cum eo terminavit. Qui cum uterque ad diem venisset, Abbas supradictus sapienti consilio fultus, testes idoneos, qui hoc audierunt, & viderunt, secum adduxit. Quibus cum non posset contraire, cognovit injustè, & necessitate urgente se hoc calumniasse. Promisit etiam nunquam ampliùs molestiam inferre, sed fidelem se in hoc & aliis quibus posset, existere. Quæ res ne ampliùs inquietetur, proborum virorum testimonio roboramus. Sign. Hugonis Belmontis Domini, Widonis de Sauz. Sign. Nocherii. Sign. Euvini Daces, & Hugonis filii ejus, Milonis de Poiens, & Hugonis fratris. Sign. Pontii Crassi. Widonis Ravinel, Widonis Rufi, & Wiardi: & de clientibus, Humberti de Soleri, & Warnerii fratris, Alberti Christiani, Warnerii Crassi, Dominici ministri.

Carta Hugonis Bellimontis Domini.

AD omnipotentis Dei laudem providentes futurorum utilitatem, monimentis tradimus litterarum, ne aliquâ oblivionis obfuscetur nebulâ, vel malorum aliquando perturbetur audaciâ. Præsentibus igitur cunctis fidelibus notificamus, quòd Domnus Hugo Bellimontis Dominus divino igne succensus, & de salute animæ suæ sollicitus, dederit Deo, & sancto Petro, & huic Besuensi Ecclesiæ Molendinum, quod Petrus Rufus tenebat, ante Ecclesiam sancti Martini situm, cum Molendinario, & ejus domo, & prato, & omnibus appenditiis suis, laudante filio suo Hugone, qui tunc prædicto castro dominabatur, & uxore suâ Mathilde, per manum Domini Gotefredi Lingonensis Ecclesiæ Pontificis, die quâ prædictam Ecclesiam consecravit. Hujus donationis testes idoneos assignamus. Sig. Gotefredi Episcopi. Sig. Euvini Dacels, & filiorum ejus Hugonis, & Hugonis cognomento Werra, & Milonis. Sig. Milonis de Poiens, & Hugonis fratris. Sign. Hugonis filii ejus. Et de clientibus, Humberti de Solerii, & Warnerii fratris ejus, Christiani, & Alberti, & aliorum multorum.

Hugo filius Hugonis Belmont. iter Jerosol. aggreditur.

Post non multum temporis cum superna Providentia incitasset fideles ad confutandum Paganorum perfidiam, compunctus Hugo, filius supradicti Hugonis, cum in expeditione Hierosolymitanâ proficisci deberet, incertus quid de se rei eventus daret, devotus Capitulo fratrum, vale dicturus eis, adiit, de malis à se Ecclesiæ Besuensi irrogatis veniam postulavit, fratrumque orationibus se commendans, eleemosynam fecit. Habebat namque in villâ sancti Petri quæ Pauliacus dicitur, medietatem justitiarum, & terram, & homines ipsam tenentes. Quæ cuncta eis concessit, præsente & laudante patre suo Hugone. Testes hujus rei sunt qui affuerunt in Capitulo, cum eo penè omnis Besuensium hominum & Monachorum multitudo, & de Militibus Hugo pater ejus, Josbertus, Glosejus, Wido Dessartinis, Viardus de Renavis, Wido Rufus, Hugo Chaine, Wido Ravinellus, & alii multi.

Item Fredericus de Campaniis.

Adjungimus etiam quòd alius quidam Miles Fredericus nomine de Campaniis, Hierusalem iturus, in eodem Capitulo concessit sancto Petro, & fratribus Besuensis Cœnobii molendinum cum appenditiis suis apud Blainiset, & terram, & cuncta, quæ habebat in eâdem villâ, adstantibus, & laudantibus Hugone Domino Belmontensi, & Hugone Chaine fratre suo, & cæteris supradictis.

Carta quâ Dom. Episcopus Lingonensis dedit nobis quasdam Ecclesias, & Capellas apud sanctum Martinum suprà Vigunnam & Bellomontem.

RErum mundanarum varietas, quam multimoda sequitur defectio, sapientem ducit ad consilium, ut ad cautelam providentiæ, ne si quid boni fecerit, pereat, mentis oculum extendat in futurum. Quidquid enim in humanis agitur, aut transcursu temporis, aut oblivionis nebulâ citiùs aboletur, nisi sit, quod in exemplis Patrum, & in usu sanctæ cognoscimus Ecclesiæ eleemosynas, & bona, quæ sancti viri operantur opera litteris propter memoriam studeamus annotare. Qua propter ego Gotefredus, Dei gratiâ Lingonensium Episcopus, notum facio omnibus tam præsentis, quam futuri sæculi fidelibus, venerabilem fratrem nostrum Widricum, Besuensem Abbatem, præsentiam nostram adiisse, & devotæ supplicationis precibus postulasse, ut Ecclesias, quas tenuit Domnus Remigius Belmontensis Castri Presbyter; quas siquidem bonæ memoriæ antecessor noster Domnus Wilencus Lingonensis Ecclesiæ Præsul, Domno Girardo Abbati Besuensi antea dederat; ut firmior esset donatio, iteratò donarem, & authoritate nostrâ roborarem, ac propter evitandas malorum hominum calumnias, quas Ecclesiastica semper nititur evitare prudentia, sigillo nostro sigillarem.

Dono igitur, salvo jure Lingon. Ecclesiæ, Deo & sancto Petro, & venerabili fratri nostro Widrico Abbati, Monachisque Besuensis Cœnobii, Ecclesias, quas, sicut dictum est Remigius Presbyter tenuit. Ecclesiam videlicet sancti Martini, cum Capellâ S. Bartholomæi, & Ecclesiam de Auxiliaco, & Ecclesias de Campaniis, S. videlicet Juliani, & S. Hilarii, & Ecclesiam de Domnâ Petrâ, authoritate comfirmans Pontificali, ne quis amplius Abbatem, vel fratres Besuensis Cœnobii de tenore harum Ecclesiarum exturbet, aut audeat inquietare, aut alicujus controver æ fraudibus usurpare. Quòd si quis præsumserit, proprio reatu exigente, sententiâ anathematis se cognoscat subjacere.

De Nerone.

ECclesiæ Dei filiis etsi simplicitas authoritate divinâ teneri præcipitur, serpentina tamen calliditas eodem præcepto adhibenda cognoscitur; quatenùs & innocentes ad malum non festinemus, & ea quæ videntur utilia exercere studeamus. Cum etenim mundus secundùm Prophetam ollam succensam, id est, humanam conscientiam, ad faciem extendat Aquilonis, & moderni quàm pluribus præ cupiditate mali vitiorum immergantur procellis, justum est, ut Ecclesiastica providentia, & sua innocenter teneat, & sapienter quod tenuerit, in futurum non amittat. Proinde ad excitandam futurorum memoriam, & obstruendam oblivionis nebulam, scripto commendamus Domnum Widonem de Lyseio, cum veniret ad obitum, pro animæ suæ, antecessorumque remedio, Deo & Monachis Besuensibus, in eleemosynam dedisse quidquid apud Neronem habebat, & quidquid jure hereditario, vel quolibet alio modo debere esse suum inibi reclamabat. Quæ siquidem eleemosyna super altare S. Petri per manum uxoris suæ Chartei, & filii sui Wilenci posita est, assistentibus fratribus ipsius Widonis Poncio, & Willelmo, qui & ipsi hoc donum fecerunt, audientibus, & videntibus quàmpluribus approbatis viris, Monachis, Clericis, & Laïcis subscriptis, qui affuerunt. Dedit etiam tunc querimoniam prati quod tenebat Albricus. Signum Widonis Alberti subprioris, Alberti Tullensis, Richardi Monachi.

Titulus de Guidone Molendinario.

BEatitudinem, quam universalis Ecclesia de oratione intelligit Dominica, Adveniat regnum tuum, omni nisu mentis & corporis adsequi debemus; ut cum sanctis postmodum, qui cum eo regnabunt, gaudere valeamus. Quâ animadversione ducta ego Cæcilia, uxor Ewrardi de Rollens, cum filio meo Willelmo, quemdam servientem meum Widonem, Deo, & sancto Petro, & Monachis Besuensis Ecclesiæ, pro remedio animæ mariti mei, antecessorumque salute dedi: & hoc donum tenens librum Evangelii cum prædicto filio meo super altare posui: & filiam meam Helizabeth, hanc donationem laudare feci. Quod ne irritum fiat, vel oblivionis nebulâ depereat, testes qui affuerunt assignari benignè concessi. Sign. Guidonis Prioris. Sig. Alberti Tullensis. Signum Widonis. Signum Lamberti de Racio. Signum Bartholomæi de Arcu. Signum Petri Cellerarii de coquinâ. Signum Humberti Divitis. Sig. Geraldi. Sig. Chalucoth fabri. Sig. Stephani nepotis Abb. Widrici. Sig. Petri Ministri de Bassei.

De Aldrico servo.

ECclesia Dei variis & crebris tribulationum procellis, sicut maris insula sæpiùs percutitur, vento turbinis flante, id est, inimici suasione pestifera, fidelium qui nocte ac die servitio Dei videntur mancipati, quietem perturbante. Quapropter ipsis solerter invigilandum est, ut quæ habent, & possident, pacificè queant retinere, ne malorum aliquorum versutiâ perdant quod debent conservare.

Memoriale igitur æternale esse volumus, scripto commendantes qualiter calumnia, quam Domnus Guillelmus de Tricastel, de Aldrico homine sancti Petri faciebat, fuerit terminata. Ipse Guillelmus dicebat prædictum Aldricum apud Veronam mansisse, & pecuniam fratris sui qui mortuus fuerat, ipsum Aldricum habuisse. Aldricus dicebat è contrario, se nunquam in terrâ Domni Guillelmi mansum accepisse, nec pecuniam defuncti fratris habuisse. Mediantibus igitur bonis qui affuerunt viris, Aldricus Domno Guillelmo 4. libras, & 10. solidos dedit; & ipse Guillelmus quidquid clamabat super eum,

dimisit: & ita calumniam suam & hominem in pace dereliquit. Quod ut inconvulsum permaneat, & oblivionis nebulâ non deleatur, virorum qui adfuerunt testimonio roborare, & eorum nomina opus est singillatim nominare. Sig. Widrici Abbatis, Alberti Tullensis. Sig. Widonis Capellani. Sig. Humberti Divitis. Sig. Warnerii. Sig. Petri de Pauliaco. Sig. Audonis. Sig. Joannis. Sig. Haymonis. Hæc facta sunt apud Besuam. Postea verò apud Tricastel ipsius uxor domni Guillelmi laudavit, & benignè concessit pacem, quam de Aldrico fecerat maritus ejus. Testes affuerunt ipse Guillelmus, Ulricus Capellanus de Claro monte, Richardus Presbyter, Warnerius, nepos ejus, Joannes Clericus. Nocherius Miles, Willelmus de Casoto, Bardulfus, Walterius, Wido Checevath, Paganus, Willelmus filius Miribelli, Warnadus, Hugo, Wido, Villici de Luco. Signum Bardulfi, Walterii de Pichangi, Wasleri Malvasloth, Lamberti de Marcelliaco. Serianth, Milonis Falsart, Warnerii de Veronnâ, Warnerii de Solunge.

Carta de Nemore Rothart.

ECclesiasticæ dispensationis providentia, etsi præcepto Domini serpentinâ calliditate debeat augmentari, columbinâ tamen simplicitate jubetur temperari, ut sic à nobis teneatur, ne plus justo temperata imprudenter dissolvatur. Cui considerationi invigilans Ego Widricus Abbas, Notum facio meis omnibus in perpetuum successoribus, quomodo Besuensis Ecclesia, cui præesse videor, de vexationibus, & doloribus, quos diù sustinuerat pro calumniâ, quæ erat de Nemore Rothart, tandem fuerit liberata. Quidam enim Belmontenses, qui Præpositales dicuntur, in prædicto Nemore partem hereditario jure proclamabant, & infestatione non modicâ, malis quàm pluribus illatis, nobis insurgebant. Cujus doloris vehementia cum multo tempore percrebesceret, Deo, ut credimus, volente, accidit, quòd quidam ex ipsis, nomine Brutinus, quâdam die cum in fabricâ fabri cultellum emoleret, & cum ad terram incautè deponeret, ipso cultello vulneratus cecidit, & absque viatico, & Confessione quantociùs exspiravit. Cum igitur tali morte defuncto parentes & amici condolerent, & excommunicatum fuisse cognoscerent, cœperunt inquirere, quomodo in terrâ cœmeterii adhibito Christianitatis officio posset tumulari, quod non posse fieri visum est, nisi à malis absolutus esset, quæ propter nemoris calumniam Ecclesiæ fecerat, pro quibus excommunicatus apparebat. Clarino igitur fratre ejus agente, qui sapientior erat, cum Widrico alio fratre actum est, quòd uxor ipsius Brutini, quam Baldulfam vocant, & pueri ejus Petrus, & Willelmus, & omnis familia calumniam prædicti nemoris dimiserunt, & heminam milii, quæ tunc cara erat pro tempore, à nobis suscipientes, Deo, & sancto Petro & Monachis Besuensis Ecclesiæ pro absolutione illius concesserunt: testibus appositis, Haymone Monacho, Clarino, Widrico, Christiano, Humberto Loir, qui videntes, & audientes affuerunt. Proinde periculosam illius mortem adducentes sibi in exemplum fratres & consanguinei, Clarino agente, qui melioris, sicut dictum est, fuerat scientiæ, omnes in hoc convenerunt, ut prædictæ Ecclesiæ pacem facerent, & ne ante Deum rei pro calumniâ nemoris apparerent, omnes concorditer ipsum nemus Deo, & sancto Petro dimiserunt; insuper benedictionem temporalem à Monachis susceperunt; Widricus 40. solidos, & heminam milii, Clarinus, & Willelmus frater ejus 40. solidos. Hugo Præpositus, pro eo quod nemus ipsum Deo, & sancto Petro guilpivit, filium suum in Ecclesiâ nostrâ fieri Monachum obtinuit. Dimissâ sic nemoris calumniâ omnes pacem bonam, & concordiam fecerunt. & super altare sancti Petri quidquid in prædicto nemore, & appenditiis ejus, seu justè vel injustè proclamabant, totum Deo, & sancto Petro dederunt, guilpiverunt, & insuper juraverunt quòd ampliùs non repeterent. Et si calumnia exindè veniret aliqua, fideli enarratione, guarantiam portantes legitimam, nobis contrà omnes calumniatores enarrarent. Quæ pax ne temporum intervallo, vel oblivionis deperéat incommodo, legitimorum, qui affuerunt, roboranda est testimonio. Haymo Columba, Willelmus de S. Sequano, Petrus, Aldo frater ejus de Pauliaco, Malet, Humbertus, Warnerius, Christianus, Humbertus de Solio, Clarinus, Widricus, Guillelmus, Sibyla uxor Hugonis laudavit pacem & donum nemoris, quod fecit maritus suus Hugo, & pueri ejus, Milo & alii. Malvaslet cum moreretur prædictum nemus guilpivit præsente Abbate, Poncio Capellano Fisneta, Gisleberto filio ejus & Christiano. Hugo de Aquato iterum cum moreretur hoc nemus guilpivit, præsente uxore suâ. Testes affuerunt, Christianus, Malvaslet, Amalricus, Garnerius Silvestris.

Carta de S. Sequano in Beescâ.

QUantæ pietatis desiderio debeamus æterna meditari, labentis mundi casus indicat, qui quotidianis defectibus videtur annullari. Præsens etenim vita, quæ in suis stipendiis ærumnosa conspicitur, quidquid confert, infirmum est & fragile, & quòd sui amatorem tandem reddat miserrimum evidenter comprobatur. In cujus siquidem dispendiis, quia multiplex pro imbecillitate carnis patimur detrimentum, ipsa mors, per quam omnis caro destituitur, doloris & timoris nobis est argumentum. Pro respectu hujusmodi, nolens ampliùs acquiescere carni & sanguini, sed Majestatem cœli propitiam promereri ego Martellus de Malleio, volensque de peccatis agere pœnitentiam, quæ per meæ juventutis commisi lasciviam, animo proposui sepulcrum Domini Jerusalem invisere, ac Besuensem Ecclesiam, quæ mea est parrochia, prout patris, antecessorumque meorum testatur sepultura, largiori bonorum meorum erogatione, consilio charitatis placuit augmentare. Deo itaque, & sancto Petro, fratribusq; Besuensis cœnobii, in præsentiâ Domni Abbatis Gerardi, concedente, & laudante Comite Guillelmo, cui in custodiâ, & protectione terram meam dimisi, donavi duas in Sagonnâ piscarias, unam quam ante dederam, aliam quam dedi cum hoc iter arripui. Dedi autem hoc tenore, ut si opus fuerit, piscator servientem habeat, qui ad gubernandam navem eum adjuvet, & ea quæ in arte vel officio piscandi sunt necessaria, ei famulando subministret. Hominem enim, qui solus nititur operari, cum parum aut nihil proficiet, oportet adjuvari.

Dedi etiam pratum unum, quod dicitur, Brachium Lamberti. Denique nemus, quod juxtà Sagunnam Wevra appellatur, & omnia nemora, quæ habeo circà villam, quæ Beesca vocatur, dedi Monachis ibidem manentibus . . . . ex illis omne quodcumque fuerit necessarium Monachis & hominibus ipsorum in alimentum.

Dedi etiam decimas de Flagei, & parochiaticum, & omnem usum, & consuetudinem in nemoribus, & in sylvis ipsius villæ cum omni libertate. Ad hanc donationem addidi decimam quartæ partis de portu. Dedi etiam paagium S. Sequani, quod meum erat, concessique, & donavi Monachis Besuensibus, ut porcos suos indominicales in nemora mea ubicumq; habuero mittant, & sine pastionatico per omnia li-

berè currant. Monachi verò, qui apud Beescam manebunt similiter faciant, per omnia nemora mea porcos suos indominicabiles sine pastionatico mittant,& centum desuper si attrahere porcos voluerint. Qui siquidem Beescenses Monachi, quia pro remedio antecessorum meorum ibi sunt mancipati, nolo quòd aliquâ vexatione malâ per meos homines videantur fatigari. Quapropter concessi, & in loco eleemosynæ mihi constitui, ut villam illam, Beescam videlicet, in quâ habitant, cum omni libertate habitent ipsi Monachi, & præcepi ut homines mei, qui terras habent in villâ, illas claudant, & sepes oportunas apponant, ne animalia villæ quod intùs fuerit devastare prævaleant. Quod si claudere noluerint, & aliquod damnum evenerit, homo villæ in causam non trahatur, & nemini respondeat, nec damnum, nec legem inde persolvat. Ut si homo prædictæ villæ damnum per clausuram malè factam susceperit, Comiti Guillelmo ostendat clamorem, & ipse Comes plenariam super hoc faciat justitiam. Et ut hæc donatio authentico roboretur privilegio, subscriptorum virorum firmamus testimonio. Sig. Martelli, qui hoc donum fecit. Sign. Willelmi Comitis. Sign. Girardi Abbatis. Sign. Constantii Abbatis. Sign. Pontii. Sign. Gileberti Prioris Beescæ. Sign. Parisii Canonici de Masenot. Sign. Roberti Militis de Bille, Wido Trosellus, Walo de terrâ Divion. . . . . . pro suâ suorumque salute . . . . filii sui Guillelmi nuper defuncti & Besuæ sepulti, dedit liberrimè Deo, & Ecclesiæ Besuensi hæc subtus annotata perpetuo jure possidenda, volentibus atque laudantibus uxore cum filiis, nec non & fratribus, Richardo scilicet & Girardo. Mansum unum videlicet apud Balenavam, eo tenore, ut habitator ipsius usus consuetudinales habeat, sicut prius, in aquis, in terris, in pascuis, & in sylvis ejusdem Humberti & successorum ipsius. Dimisit quoque nummos 4. quos Monachus Arcionensis ei debebat annuatim pro ripâ molendini [illegible]i in festivitate sancti Martini. Dedit etiam 4. jugera terræ, quæ habentur prope arborem ulmum, quæ de Mulmis dicitur. Addidit his & falcem prati prope Arcionensem siti. Cujus donationis testes idoneos etiam subscribere curavimus. Quorum nomina sunt hæc. De Monachis Abbas Joffredus, Poncius Prior, Guido Sacrista. Bartholomæus frater ejusdem Humberti, Robertus Verna. Milites, Hugo de Asperomonte, Aymo Columba, Aymo de Minure, Aymo Borous. Burgenses, Petrus de Pauliaco, Maletus, Joannes cocus, & alii quàm plures.

Carta de Fontinellis.

Mansuris est imprimendum litteris, quòd Hugo Miles de Fontanis pro animâ fratris sui Haymonis nuper interfecti, & apud Besuam honorifice sepulti, laudante sorore cum nepotibus, & cæteris, ad quos res pertinere videbatur, dedit Deo, & Ecclesiæ Besuensi apud Fontenellas mansum unum cum falce prati, & tertiam partem medietatis minutæ decimæ. Hoc autem fieri fecerunt, Milo Miles Dominus de Fossato, cum fratre Roberto (ad quos maximè attinebat) in die sepulturæ ipsius Besuæ, multis præsentibus, quorum nomina partim subnotantur. Abbas Jofredus, Hautio Prior, Wido Sacrista, Bartholomæus, Gybuinus Monachi. Milo de Fossato, & Robertus frater ejus, Milites.

MONITUM.

CHRONICON S. Petri Vivi Senonensis, cujus Auctor CLARIUS *Floriacensi primùm, post ejusdem Abbatiæ S. Petri Monachus, clam sublatum fuerat, ast tandem mihi ab amico, qui inter Literatos dum viveret facilè primas tenebat, restitutum. Illud meâ curâ descriptum contulit cum aliis posterioris ævi Auctorum Chronicis, & chartis Monasterii præfati, sodalis meus Hugo Mathou Senonis moram trahens. Expunximus illo ex Chronico toties ab antiquioribus Eusebio, Gregorio Turonensi, Sigiberto, & aliis repetita, ea potissimè quæ Francorum Regni primordia antecedunt. Menda porrò quæ lima & ungue indigent, eruditi Lectoris censuræ reliqui. Clarium hoc ornat encomio Gaufridus à Colone S. Petri familiæ itidem alumnus, de Concilio agens Belvacensi in Tabulis Chronologicis, cui Clarius ipse affuit Archiepiscopi Senonensis & Archimandritæ sui nomine:* Pro Domno Senonensi Archiepiscopo, & pro se, misit *(Abbas)* Monachum nomine Clarium, valde benè literatum: qui Monachus benè illos excusavit. *Chronicon istud tanti fecit Auctor Chronologiæ S. Mariani Robertus Autisiodorensis, ut verba ipsiusmet Clarii, suppresso licet nomine, res Senonenses præsertim agitando, passim usurpet.*

CHRONICON
SANCTI PETRI VIVI SENONENSIS
ORDINIS SANCTI BENEDICTI,

Auctore* CLARIO *primùm Floriacensis, deinde ejusdem Cænobii S. Petri Monacho.

ANNO ab Incarnatione Domini quadringentesimo quadragesimo sexto, Pontificatûs Domni Leonis Magni Papæ anno secundo, Clodio primus Rex Franciæ regnavit annis viginti, post quem regnavit Childericus filius Merovei, expulso Ægidio Duce Romanorum de regno, atque interfecto.

Anno ab Incarnatione Domini quadringentesimo sexagesimo sexto, cœpit regnare Childericus, & regnavit viginti quatuor annis, qui genuit filium Clodovicum in primis gentilem. Qui decimo quinto anno Regni sui à beato Remigio Remensi Archiepiscopo baptizatus est. Qui adhuc paganus genuit de concubinâ filium nomine Theodericum, qui regnavit post eum viginti quatuor annis.

Clodoveus Rex à S. Remigio baptizatur.

Anno DIII. Clodoveus baptizatur à sancto Remigio Remensi Archiepiscopo, & quatuor filii ejus, Theodericus, videlicet, quem de concubinâ genuit, & Clodomiris, Childebertus, & Clotharius, quos ex Chrochilde Christianissimâ Reginâ habuit, quique post eum regnaverunt. Fuit quoque præfato Regi & Reginæ filia nomine Techilda, quæ baptizata vovit Deo virginitatem & tenuit, septuaginta quinque annis vivens. Quæ adhuc vivente patre, adjuvantibus matre & fratribus cœpit ædificare ad orientalem plagam urbis Senonicæ Cœnobium in honore Apostolorum Petri & Pauli. Regebat tunc sedem Apostolicam Hormisda Papa, Archipræsulatum Senonicæ Ecclesiæ Beatus Heraclius, Remensem Ecclesiam supradictus beatus Remigius jam senex.

Fundatio Monasterii S. Petri Vivi Senonensis.

DLIX. Obiit sanctus Benedictus, & in monte Cassino per centum quinquaginta unum annos jacuit, & post corpus ejus in Gallias translatum est anno sexcentesimo sexagesimo sub Papa Vitaliano.

Anno DLXXXII. Obiit sanctus Germanus Parisiensis, qui natus est in pago Eduasensi, vico Lausia, & in manso nativitatis ejus non canis, non avis prædam rapere prævalet, quæ non statim intereat. In quo loco est Ecclesia in ejus honore constructa.

Anno DCLX. Translatio sancti Patris Benedicti à Monte Cassino in Gallias.

Translatio Corporis S. Benedicti in Galliam.

Anno DCLXXV. transiit ad Christum sanctus EMMO Senonum Archiepiscopus, sepultusque est in Basilicâ beati Petri Vivi. Hic Privilegium libertatis, unà cum Comprovincialibus Episcopis, monachis sancti Petri synodaliter fecit temporibus Clotharii Regis, & Baltechildis matris ejus. In quo Conventu fuerunt Antistites gloriosi, sanctus AUDOENUS Archiepiscopus Rothomagensis, & sanctus FARO Episcopus Meldensis, sanctusque ELIGIUS Noviomensis Episcopus, & sanctus AMANDUS Tregetensium Episcopus, cum aliis triginta Episcopis. Florebat tempore illo in eodem Cœnobio vir venerabilis Aigilenus Abbas, in sanctâ religione fervens: & Cœnobium illud singulare in his regionibus erat sanctitate & religione.

Privilegium datum in Synodo senonensi. Cui subscripsere plures Episcopi.

Anno DCLXXVIII. Pipinus Auster Major-domûs Regiæ principatum Francorum suscepit. Hujus temporibus sanctus WLFRANNUS Senonum Archiepiscopus, relicto Episcopatu, ordinatoque in ejus loco Donno GERICO, viro clarissimo, avunculo beati EBBONIS eximii Confessoris, quique ei in Episcopatu successit; Fontanellam monasterium petiit, ibique Monachus effectus Frisiam prædicavit.

Anno DCCX. Obiit Childebertus Rex Francorum.

Anno DCCXII. Obiit Pipinus senior, & filius ejus Carolus Martellus Princeps factus est.

Anno DCCXV. Obiit Dagobertus Rex junior decimo quarto Kalendas Februarii, qui regnavit in Franciâ annis quinque. Secundo anno post mortem ejus pugnavit primùm Carolus Martellus contrà Radbodum ad Coloniam, regnante Theoderico filio supradicti Dagoberti junioris. Temporibus istius Dagoberti refulsit sanctus EBBO Archiepiscopus, miraculis & nobilitate clarus. Fuit autem ex Castro Tornodorensi natus, & ejusdem pagi Comes & dominus, à parentibus tamen divinâ providente clementiâ litteris ad imbuendum traditus, quibus, dante Deo, sodales omnes quos in scholis habebat superavit, & sapientiâ & eloquentiâ præcessit: ubi autem parentibus orbatus est, ad regimen castri & pagi quod sibi hereditario jure competebat acclamatus, latenter fugit, & in monasterio sancti Petri Vivi sub Abbatis imperio Deo militavit. In processu verò temporum mortuo ipsius loci Abbate, Abbas factus est. Postea autem obeunte Gerico Archiepiscopo avunculo suo, totius cleri & populi acclamatione, & consensu Regis, in pontificali sede sanctæ MARIÆ sanctique Stephani Protomartyris locatus, claruit signis & virtutibus. Hujus in tempore gens Wandalorum Galliam vastare cœpit, Ecclesiæ sunt destructæ, monasteria subversa, captæ urbes, desolatæ domus, diruta castra, strages hominum factæ; per totam Galliam Wandalis ferro & flammis proterentibus omnia. Pervenientesque Senonas civitatem, cœperunt eam jaculis & machinis infestare. Quod cernens sanctus Ebbo, pro ovibus sibi commissis se dedit periculo, exiensque de civitate cum suis, fretus divinâ virtute fugavit eos ab urbis obsidione. Tantus autem timor illos invasit, ut penitùs se de vitâ vivere desperarent, nisi fugæ præsidium expetissent. Illisque fugientibus persequutus est eos usque dum expellerentur de finibus nostris, cæsâ multitudine eorum. Namque obcæcati per meritum sancti Præsulis, conversique in seipsis maximam partem de suis occiderunt, & qui evaserunt cum confusione pauci ad sua redierunt. Sicque Deus omnipotens liberavit populum urbis à persequutione Wandalorum per meritum sancti Ebbonis.

S. Ebbonis gesta compendio narrantur.

Post hæc vir Dei Ebbo soli Deo placere cupiens, eremiticam vitam diligens, cœpit solus habitare in loco qui appellatur Arcea, ubi sunt duæ Ecclesiæ, una in honore sanctæ MARIÆ, altera sancti Michaëlis. Ibique diebus ac noctibus Christo serviens, mundo exstitit admirabilis. Sæpe autem rediens ad civitatem, illuminabat populum sibi commissum verbo & virtutibus. Claruit autem idem non solùm divinâ eloquentiâ, sed etiam miraculis, quæ non sunt per negligentiam scripta. Ea verò quæ fuerunt scripta, perierunt sub persequutione Paganorum. Reddidit enim cœcis visum, surdis auditum, gressum claudis, loquelam mutis, omnibusque ad se venientibus opem levaminis cum alacritate conferre non distulit.

Præerat tunc temporis cœnobio beati Petri CHRODOLINUS Abbas, vir religione inclytus, & sanctitatis opinione famosus. Quo tempore vir sanctissimus Christi Martyr PATERNUS à partibus Oceani veniens, divinâ admonitione, sicut in ejus passione legitur, in Cœnobio beati Petri sub Abbatis imperio Christo militavit.

Chrodolinus Abbas S. Petri Vivi.

S. Paternus Monachus & Martyr.

In illis diebus donna Ingoara Deo sacrata, soror sancti Ebbonis fecit testamentum de hereditate suâ beato Petro, quæ cumjacet in Pago Tornodorensi, donno Chrodolino tunc Abbate. Defuncto autem Chrodolino, successit ei VIRAIBODUS, cujus in tempore alia soror beati Ebbonis Leoteria, & Mummia similiter Deo sacrata, dederunt cunctam hereditatem suam beato Petro, vivente adhuc & confirmante beato Ebbone fratre suo. Jacent illæ duæ sorores in cœnobio beati Petri, in oratorio sanctæ MARIÆ. Ubi & ipse sanctus Ebbo consepultus, innumerabilibus post mortem claruit virtutibus.

Viraibaudus Abbas S. Petri.

Anno DCCXLI. Obiit sanctus WLFRANNUS in Cœnobio Fontanella, per quem conversa est ad Christum

S. Wlfrannus obit.

Christum Frisia. Obiit & Carolus Martellus, sepultusque est in Ecclesiâ sancti Dionysii Parisius. Hic res Ecclesiarum propter assiduitatem bellorum laïcis tradidit. Quo mortuo Carlomannus & Pipinus filii regnum suscipiunt.

Pipinus Rex inunctus.

Anno DCCL. Pipinus in Regem est electus, & Childericus qui de stirpe Clodovei Regis remanserat, tonsoratus. Hîc deficit progenies Clodovei Regis. Et sanctus Ebbo obiit.

Obiit S. Ebbo.

Carolus Magnus.

Anno DCCLXVIII. Pipinus Rex obiit; & filii ejus ejus Carolus, qui dicitur Imperator Magnus, & Carlomannus eliguntur in Regno.

Anno septing. sexagesimo nono Carlomannus obiit.

Alcuinus moritur. Rambertus, & Magnus Archiepiscopi Senon. Bertemarius Abbas S. Petri.

Anno DCCCIV. Obiit Alcuinus Philosophus, Abbas sancti Martini Turonensis. Sub tempore Karoli Magni fuit Rambertus Senonensis Archiepiscopus, cujus tempore fuit Abbas sancti Petri Domnus BERTEMARIUS. Defuncto Ramberto eligitur MAGNUS in Archiepiscopum. Iste ædificavit Ecclesiam in honore Salvatoris super terram sancti Petri, ubi Canonicorum sepulturam instituens, seipsum ibi sepelire fecit. Tempore ejus dedit Karolus Magnus sancto Stephano villas & prædia, & ornamenta varia; insuper Reliquias Sanctorum pretiosissimas.

Anno DCCCIX. decimo septimo Kalendas Augusti, secundâ feriâ, incipiente horâ diei quintâ, eclypsis in sole apparuit, lunâ vigesimâ nonâ, indictione secundâ.

Anno DCCCXIV. Obiit Carolus Magnus, & HLudovicus filius ejus, qui Pius dicitur, Regnum Francorum & Imperium Romanorum suscepit. Cujus in tempore Pagani diffusi sunt in provinciâ quæ Pontivus pagus appellatur. Quod cernens HIEREMIAS Monachus, & procurator Cœnobii sancti Richarii, quod est situm in eodem pago, sciensque & timens multiplicatam esse malitiam in illâ regione, consilio accepto cum fratribus, accipiens corpora sanctorum cum pluribus Reliquiis, quas Carolus Magnus illic asportaverat ex multis regionibus ob amorem nepotis sui, qui illic tempore suo præfuit Abbas, detulit eas Senones in Basilicam sanctæ Columbæ, tempore Magni Archiepiscopi. Morante autem Hieremia Monacho, ibi factum est ut dormitionem acciperet domnus Magnus Archiepiscopus. Dei igitur nutu ab omnibus idem HIEREMIAS eligitur Archiepiscopus. Erat enim valde eloquens & studiosus in omni philosophiâ. Ordinatus autem transtulit Reliquias in Ecclesiam sancti Stephani, quas detulerat de sancto Richario. Obtinuit autem Præcepta imperialia à Ludovico Augusto sanctæ matri Ecclesiæ Senonensi de omnibus quæ videbatur habere ipsa Ecclesia, ad munimen & defensionem contrà omnes judiciarias potestates. Insuper addidit ei Rex Abbatiam sanctæ Columbæ, quam antecessores sui nuper perdiderant, ut esset sub tuitione Archiepiscopi Senonicæ urbis[a]. Valde enim familiaris erat Regi. Ipse ædificavit Cellam in Aquitaniâ, in loco qui dicitur Mauriacus, mutans nomen ejus & vocans Noviacum, in honore sancti Petri, in proprio fundo ipsius sancti Petri Senonensis, quam Theodechildis filia Regis Clodovei & Basolus Comes Arverniæ ob amorem Dei ad stipendia Monachorum reliquerant. Per deprecationem FRODBERTI Abbatis Cœnobii sancti Petri Senonensis ipsam Cellam construxit, eo quod homines ipsius pagi terras & prædia sancti Petri diriperent, & in proprios usus retinerent. Instituit autem & Monachos Regulares de Ecclesia sancti Petri Senonensis, qui illic Deo ser-

Hieremias ex Monacho S. Richarii Archiepisc. senonens.

a

Frodobertus Abbas S. Petri.

virent, quatenùs locus ipse prædia & terras, quas adhuc possidebat, ex toto non perderet, & ut ipsa Cella Deo auctore per cuncta tempora sub custodia Frodberti Abbatis, & ejus successorum esset; & ibi gubernarent villas & Ecclesias quæ conjacent in Aquitaniâ & Arverniâ, in Lemovicensi pago, sicut antecessores sui gubernaverunt. Postulavit autem idem Hieremias Archiepiscopus, & Frodbertus Abbas, Ludovico Augusto fieri sibi Privilegium de eâdem Cellâ, & de omnibus appenditiis quæ adjacent Cœnobio sancti Petri Senonensis, quod & impetravit. Defuncto autem Frodberto Abbate successit ei ALBERTUS.

Albertus Abbas S. Petri.

Obeunte verò Hieremia Archiepiscopo, septimo Idus Decembris, & sepulto in Basilicâ sanctæ Columbæ, nutu divino sanctus ALDRICUS Pontificalem sedem suscepit, Abbas sancti Petri Ferrariensis, vivente adhuc Pio HLudovico. Igitur sanctus Aldricus Cœnobium sancti Remigii, quod erat ante portam civitatis, in propriâ villâ ejusdem Cœnobii quæ vocatur Vallilias, commutavit. Mortuo igitur Alberto Abbate, successit ei Venerandus ANASTASIUS.

Hieremiæ decedenti successit Aldricus.

Cœnobium S. Remigii transfert apud Vallilias.

Anastasius Abbas.

Anno autem vigesimo HLudovici Imperatoris Regni, rebellavit contrà eum HLotarius filius ejus, auferens illi regnum Francorum. Ipso autem anno collecto exercitu copioso valde, HLudovicus pater restituit sibi Regnum quod illi abstulerat filius. Eodem anno quinto Kalendas Augusti obiit HROTLAUS matrona nobilis, conjux MAINERII Comitis Senonicæ urbis, sepultaque est in Basilicâ beati Mauritii[b] apud Vallilias in suâ hereditate: de quâ jamdudum testamentum fecerat sancto Remigio. Reliquit autem & beato Petro maximam partem hereditatis suæ ob amorem Dei, & donni Mainerii senioris sui, cujus corpus antea tumulaverat in Basilicâ beati Petri, in Oratorio sancti Andreæ Apostoli. Ipse verò Comes antequàm moreretur, dedit beato Petro facultates magnas, & ornamentum maximum, insuper & Reliquias pretiosissimas. Vertente igitur anno, in die Ascensionis Domini fit bellum in Burgundiâ apud Fontanetum à quatuor filiis ipsius HLudovici, Caroli scilicet & HLotario, HLudovico & Pipino; ubi multus effusus est sanguis. Sanctus igitur Aldricus nondum expleto Cœnobio quod cœperat ædificare in honore sancti Remigii, migravit ad Dominum sexto Idus Octobris, mandans sua membra tumulari apud Ferrarias.

b

Anno DCCCXXIX. Obiit Hieremias Archiepiscopus septimo idus Decembris.

Anno DCCCXXXII. HLudovicus Regnum amisit, & HLotarius recepit. Item HLudovicus recepit.

Anno DCCCXL. actum est bellum inter Carolum Regem & HLotharium apud Fontanetum.

Anno DCCCXLI. Obiit HLudovicus Pius, Sancto autem Aldrico successit in Episcopatu WENILO, nobilitate præcipuus, & ingenio acutus, qui perficiens Cœnobium sancti Remigii apud Wallilias, ditavit illud honoribus & facultatibus multis. Post mortem verò HLudovici anno uno, fuit factū bellum quod supradictum est à quatuor filiis ipsius. Ex quibus Carolus, qui appellatur Calvus, regnum Francorum & Imperium Romanorum obtinuit. Lotharius verò partem Franciæ sibi vindicavit, quæ usque in hodiernum diem ex suo nomine Lotharii regnum appellatur. HLudovicus autem Burgundiam sibi vindicavit, unctusque est in Regem à Wenilone Archiepiscopo. Perfecit autem idem Archiepiscopus Basilicam sancti Remigii, apud Wallilias, & dedicavit

Wenilo in locum Aldrici Archiep. suffectus.

a *Senonicæ urbis*] In hunc locum adnotat Acherius: Postea tamen ab eodem Ludovico pristinæ libertati & exemptioni fuit restituta rogatu Sulpicii Abbatis anno 835.

b *B. Mauritii*] Quæ etiam S. Remigii dicta est.

eam Kalendis Novembris, deferens illuc ipso die corpus Beati Valeriani Martyris, ditans illam opibus magnis, vivente adhuc RAVILAUDO Abbate ipsius Cœnobii. Ecclesiam verò sancti Stephani, quæ erat vetustissima, renovavit idem Wenilo, pristinoque decori reformavit, quam quarto Idus Decembris dedicavit.

Ravilaudus Abbas S. Remigii.

In illis diebus erat OTRADUS hujus verbis Corepiscopus, vir honestus & per cuncta laudabilis. Illo igitur in tempore revelaverunt se sancti Christi Martyres Savinianus, Potentianus, Altinus, Eodaldus, & Serotinus Weniloni Archiepiscopo, & ANASTASIO Abbati. Qui levantes eos cum magno honore de Ecclesiâ ubi sepulti erant, transtulerunt eos in basilicam beati Petri octavo Kalendas Septembris. Post hæc defunctus est Ravilaudus Abbas sancti Remigii decimo secundo Kalendas Januarii. Sub ipso tempore Wenilo Archiepiscopus Ecclesiam sanctæ Columbæ dedicavit in honore sanctæ Crucis decimo Kalendas Augusti, & in crastino levata sunt corpora sanctorum Columbæ & Lupi de tumulis, ubi fuerant primùm sepulti, cum honore maximo ab eodem Archiepiscopo. Defuncto autem Anastasio sancti Petri Abbate, successit ei DIDO. Otradus itaque Corepiscopus defunctus in Basilicâ beati Desiderii est sepultus decimo septimo Kalendas Februarii.

Translatio SS. Saviniani, Potentiani, &c.

Anastasius Abbas S. Petri.

Dido Abbas S. Petri. Otradus Coëpiscopus obit.

Anno DCCCLVII. Octavo Kalendas Septembris translata sunt corpora Sanctorum martyrum Saviniani, & Potentiani, Eodaldi & Altini, à Wenilone Archiepiscopo, & auditæ sunt voces angelicæ in cœlo.

Anno DCCCLXV. Wenilo Archiepiscopus obiit, sepultusque est apud Vallilias quinto nonas Maii in Cryptâ sanctæ Anastasiæ virginis. Huic successit in Episcopatu Donnus EGIL Monachus, omni bonitate conspicuus, qui diligens Cœnobium beati Petri, tradidit ad stipendia Monachorum ibidem Deo servientium villam Alsonis, cum Ecclesiâ & suis appenditiis. Cujus Donationem confirmari voluit ab Episcopis in Conventu apud Pistas, Sic:

Decessit Wenilo Archiep. in cujus locũ subrogatus est Egilus.

» Anno ab Incarnatione Domini nostri JESU-» CHRISTI DCCCLXIX. gloriosi Regis Caroli XXIX. » Indictione secundâ, positis nobis diversorum ur» bium Episcopis cum eodem Rege in Pistis, quò » ad componendum Regni sui statum accesserat, » Reverentissimus nobisque dilectissimus EGIL gra» tiâ Dei Archiepiscopus Senonicæ Civitatis, propter » insidias & cupiditatem successorum impetrato re» gali Præcepto de quâdam villâ sui Episcopatûs no» mine Sevriaci, in Comitatu Senonico sitâ, cum » mansis omnibus in Villamari, & Septempiri, & » Longumpiri, & cunctis ad eamdem villam perti» nentibus plenâ integritate, cuidam ejusdem Epi» scopatûs Monasterio ad orientalem plagam præfa» tæ urbis in honorem sancti Petri dicato, ubi tur» ma Monachorum jugiter Deo famulatur, ob Dei » ejusdemque sancti Petri amorem & honorem, per » suæ authoritatis Præceptum restitueret vel dona» ret, & restituens, vel dans perpetim habendam » confirmaret. Postulavit insuper, ut quamdam Ec» clesiam ejusdem Episcopatûs in honore sancti Pe» tri constructam, cum omnibus ad eam pertinen» tibus in eodem pago Alsonis sitam, eidem Mona» sterio sancti Petri æternaliter concederet, atque » concedens delegaret. Cujus petitionem libenter » suscipiens, libentissimeque perficiens restituit quæ » juris illarum esse dicebantur. Et dedit vel largitus » est authoritate & potestate Regis, quòd piè à me» morato Antistite postulatum est, ut quia locum » suæ sepulturæ in eodem Monasterio præparare de» creverat, ex eâdem Ecclesiâ luminare ibi continua» tim ministraretur, & præfata villa cum suis appenditiis, usibus Monachorum ibi degentium deserviat. Hoc igitur Præceptum flagitavit carissimus & dulcissimus Egil Coëpiscopus, ut nostræ fraternitatis Conventus Privilegio nostræ authoritatis roboraret, atque confirmaret: neque abnuimus. «

Igitur statuimus ut hæc restitutio vel largitio nostri Senioris, atque præfati Antistitis perpetualiter observetur, neque à successoribus suis ullo modo violetur, sed semper ad usos Fratrum, & ad lumen sufficiendum pro suâ sepulturâ teneatur: non modò hæc, verùm etiam omnia quæ in tempore videntur habere, vel quidquid deinceps acquirere potuerint, seu à fidelibus eis collatum fuerit causâ eleemosinæ, insolubiliter ab illis possideatur. Quòd si quis nostram exiguitatem contemnendo per aliquam cupiditatem, vel subreptionem, hoc nostrum Decretum infregerit, secundùm authoritatem quam in beato Petro accepimus, dicente Domino: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis:* eum justè ac rationabiliter anathematis vinculo obligamus, qui cœcâ cupiditate hæc Dei servorum stipendia etiam post nostram prohibitionem auferre præsumserit. Atque ut hæc Constitutio vera credatur, & profutura Dei famulis omni tempore inviolabiliter conservetur, manus nostræ subscriptionibus eam universi firmavimus: & insuper tam absentes quàm futuros nostri ordinis cooperatores, seu quoslibet veræ Religionis sectatores poscimus, ut hanc tanti Pontificis largitionem cum legerint, vel audierint voto & subscriptione eam nobiscum roborent. «

Ego EGIL indignus Archiepiscopus Senonensis Ecclesiæ hanc Donationem, & Constitutionem à me factam subscripsi. «

FULCARIUS Tricassensis Episcopus.

Ego CHRISTIANUS Autissiodorensis Ecclesiæ Episcopus.

ÆNEAS Parisiensis Episcopus.

HILDEGARIUS Meldensis Episcopus.

ABBO Nevernensis.

GUALTERIUS Aurelianensis.

GUENILO Rothomagensis.

ISAAC Lingonicæ Civitatis Episcopus.

HINCMARUS Metropolitanus Remensis.

WLPHARDUS Bituricensis.

AYRARDUS Turonensis Metropolitanus Episcopus.

In diebus illis facta est fames & mortalitas magna per totum regnum Francorum, maximè per Aquitaniam & Burgundiam, ita ut præ multitudine morientium non esset qui sepeliret. Nam Senonis inventi sunt uno die quinquaginta sex homines mortui; sed misericordiâ Christi in ipso anno cessavit. Mortuo itaque Didone Abbate sancti Petri, successit ei AQUILA, eruditus omni philosophiâ, discipulus ejusdem Archiepiscopi EGILI. Idem autem Archiepiscopus totum tempus vitæ suæ ducens in bonâ conversatione diem clausit extremum; quem sepelierunt in Basilicâ beati Petri, in oratorio sancti Stephani. Successit autem ei divinâ providentiâ ANSEGISUS Monachus, vir in cunctis optimè agens. Cujus temporibus Senonensis Ecclesia magno & pacifico viguit honore. Ipse promeruit principatum totius Galliæ & Germaniæ à beatissimo Joanne Papa, & Carolo Augusto. Cujus Capitulum dignum duximus inserere huic paginæ factum à Leone Apocrisario in Pontigone.

Aquila Abbas S. Petri.

Ansegisus Archiep. succedit Egilo.

» Sancta Synodus, quæ in nomine Domini vocatione Domni Joannis ter beatissimi, & jussione » Donni Caroli Augusti congregata est in Pontigone «

Sinodus S. Pontigonensis.

» Anno Domini octingentesimo septuagesimo sexto, » Indictione nonâ, decimo septimo Kalendas Augusti, hæc Capitula quæ subter annexa sunt, instituit.

» Obeunte HLudovico qui Romani Imperii jura » regebat, Joannes ter beatissimus Papa, per Jaidericum Belitrensem, Ansegisum Senonensem, Formosum Portuensem, Joannem Aretinum, venerabiles Episcopos, Donnum Carolum tunc Regem ad limina beatorum Apostolorum invitavit, „ cumque Ecclesiæ ipsius defensorem ac tutorem „ elegit, Imperialique diademate coronavit, cum „ præ cunctis solum eligens specialiter qui Romani „ Imperii sceptra teneret. Cujus sacris institutionibus pro debito parentes, quod ipse confirmavit, „ pari consensu omnes confirmavimus.

„ Sicut Donnus Joannes sanxit, conveniente & „ consentiente, ac condecernente Donno ac gloriosissimo Carolo Imperatore semper Augusto, Ansegisum venerabilem Archiepiscopum Senonum „ suam vicem tenere, & Primatum ei Galliæ & Germaniæ contulit, in evocandâ Synodo & definiendo canonicè si quælibet insurrexerint necessaria, [& ut [c] quælibet graviora ad ipsius notitiam » referat,] & nos unanimiter omni devotione laudamus, & ut ita Primatum ipse teneat Galliæ & » Germaniæ decernimus & sancimus, cunctique » successores ejus in propriâ urbe Senonicâ.

Archiepiscopus Senonens. Primas Galliæ ac Germaniæ.

Item invenitur in gestis Episcoporum Ecclesiæ Remensis de Archiepiscopo Senonensi ita : » Obtinuit Donnus Ansegisus Archiepiscopus Senonensis à Beatissimo Joanne Papa, & à Carolo Augusto, ut esset primus post Papam, & teneret » Primatum totius Galliæ & Germaniæ, & ut fortiora quæque & graviora dijudicaret, Synodumque evocaret, si quælibet insurrexerint; cunctique » ei obediant Galliæ & Germaniæ Episcopi sicut Episcopo Romano. Voluit autem ei resistere Immarus » Archiepiscopus Remensis, sed minimè potuit, » convictus Apostolicâ auctoritate. Suo etenim tempore Ecclesia Senonica magno & pacifico viguit » honore.

Postulavit autem idem Ansegisus à Joanne Papa dari sibi Reliquias Pontificum atque Doctorum Gregorii atque Leonis, quod & impetravit; plerumque etenim Missarum solemnia in sede Apostolicâ celebravit. Dedit autem ei Joannes Papa caput beati Gregorii Papæ universalis, filii Gordiani, plumbo inclusum; & brachium sancti Leonis Papæ & Doctoris. Suscipiens autem hoc munus idem Ansegisus, detulit Senones in Basilicam sancti Petri, quod usque in hodiernum diem illic cum magno honore servatur. Transtulit idem & corpora Sanctorum Præsulum, Leonis, Ursicini, Agricii, & Ambrosii, in Ecclesiam S. Petri de basilicâ S. Leonis ubi fuerant primùm tumulati, quæ primùm fuit dedicata in honore sanctorum Gervasii & Protasii. Fuit autem ipsa habitatio Monachorum magna, sed exigentibus peccatis hominum destructa est dum obsiderent Pagani ipsam civitatem. Erat enim in ipsâ Basilicâ turris excelsa valde, quam capientes pagani conspiciebant ex illâ omnia quæ infrà muros habebantur. Christiani verò qui infrà civitatem habitabant, super hoc facto consilio accepto, instruxerunt machinas contrà ipsam munitionem. Irruentes igitur quâdam die ex civitate, freti superno auxilio, & precibus sancti Leonis, cujus basilicam irreverenter polluerant pagani, trucidavêre plurimos in ore gladii, & reliqui fugerunt. Postea verò ipsam

Item Chronic. Caput S. Gregorii & brachium S. Leonis.

Basilicam cum turri subverterunt, ne aliâ vice similiter illis eveniret. Eâ igitur tempestate multæ Ecclesiæ in hac provinciâ sunt destructæ, inter quas etiam Basilica sanctæ MARIÆ ante civitatem mirifico opere constructa funditùs eversa est. Commanebat autem in eodem Cœnobio maxima multitudo sanctimonialium, quæ virginitate servata Deo servire cupiebant. Erat verò in eodem loco caput beati Quiriaci Martyris, ab Hierosolymis asportatum à Carólo Magno, & conditum in eâdem Ecclesia cum magno honore, cum reliquiis sanctæ Dei Genitricis MARIÆ. Hilduinus & Andreas duo Presbyteri condolentes destructæ Ecclesiæ, ædificaverunt alteram in honore ejusdem Virginis in proprio fundo ipsius Basilicæ, ubi posuerunt Reliquias cum sancti Quiriaci capite. Fecerunt autem ipsi testamentum eidem loco de suâ propriâ hereditate. Possessiones, & cartas, & templum secundum suum posse restauraverunt. Floruit autem idem locus temporibus eorum magno honore, sed post illorum decessum ad magnam ruinam devenit. Archiepiscopi namque maximam partem de ipsa hereditate Militibus in beneficio tradiderunt; ipsa Ecclesia cuidam Militi tradita est in beneficio, & inde penè venit ad nihilum. Redeamus igitur ad ea quæ cœpimus enarrare.

Videns itaque Donnus Ansegisus Archiepiscopus ita destrui circumquaque Ecclesias, pretiosum Christi Martyrem Sancianum transtulit de villâ (quæ ex ejus nomine Sanceia vocatur) in Basilicam sancti Petri cum corpore sancti Augustini Martyris, qui ibi quiescebat, Eodaldo ipsius villæ Presbytero. Transtulit etiam idem subsequenti tempore corpus sanctæ Beatæ Virginis in eamdem Ecclesiam, & in locello juxtà fratrem suum sanctum Sancianum. Ferunt etiam veteres ipsum Martyrem, & sororem ejus Beatam consanguineos esse Beatæ Columbæ Virginis, & ob amorem ipsius à partibus Hispaniæ advenisse cum pluribus aliis. Quos Aurelianus Imperator, ut Christum prædicare cognovit, diversis pœnis eos afficiens decollari præcepit. Est autem ipse locus ubi decollati sunt quasi duobus millibus ab urbe, juxtà sylvam in quodam monte. Fuit autem Ecclesia ibi ab antiquis in honore horum Sanctorum ædificata, sed tempore Paganorum fuit destructa. Est adhuc ibi crux lignea posita pro Sanctorum reverentiâ, ubi quoddam miraculum nostris temporibus evenit. Quidam juvenis & quædam juvencula illic nocturno tempore advenientes, voluptatem suam voluerunt adimplere, qui statim defuncti sunt subitaneâ morte. Alio quoque tempore Warinus quidam miles injustè auferebat sancto Petro quamdam terram, in quam dum pransurus advenisset, Monachi ejus adventum audientes, corpus sancti Sanciani accipientes illuc detulerunt. Ille enim equum suum ascendens, obviam illis venit, comminans illos ne ingrederentur in terram suam: Monachi verò fiduciam habentes in Deo constantes stabant. Pro nihilo ergo computans virtutem Martyris, voluit percutere feretrum. Mox verò ut tetigit, percussus à Deo in terram cecidit, contractus toto corpore, multos postea vivens annos in ipso languore; frater verò ejus arreptus à dæmone continuò exspiravit, cernentes hoc cæteri in fugam sunt conversi. Post hæc nemo fuit ausus ex ejus progenie aliquam calumniam in terram sancti Petri inferre. [d] Vocatur autem ipse locus AD MARTYRES, eo quòd Pagani Martyres illic decollare soliti erant. Narrant etiam antiqui de isto sancto Augustino, quòd fuerit Archiepiscopus Treveris, orationisque

Translatio SS. Sanciani, Augustini, & Beatæ in Ecclesiam S. Petri.

c *& ut*] Quæ uncis inclusa sunt, apud Baronium non leguntur.

d *inferre,*] Pendet adhuc hodie ab eodem Monasterio.

causâ ad sanctum Martinum devenerit, & fessus à labore hospitandi gratiâ in illâ villâ Sanciâ diverterit, ibique ægrotans diem extremum clausit; sepultusque est juxtà tumulum Sanciani martyris. Passiones horum Sanctorum & Præsulum istius civitatis non potuimus reperire, quæ tempore Paganorum fuerunt incensæ.

Transtulit etiam idem Ansegisus in Ecclesiam S. Remigii apud Wallilias Sanctum Romanum de Cœnobio S. Germani Autissiodorensis, impetrato hoc ab HUGONE Abbate ejusdem loci. Abbas itaque sancti Petri AQUILA ex hoc mundo transiens, sepultus est in oratorio sancti Stephani, juxtà tumulum Donni Ægili Archiepiscopi. Succeslit autem ei FRANCO in ordine pastorali.

Franco Abbas S. Petri.

Anno DCCCLXVII. obiit Nicolaus Papa sanctissimus, cui post beatum Gregorium nullus Præsul videtur æquiparari posse pro studio & rigore religionis divinæ.

Anno DCCCLXXVII. Carolus Imperator, qui appellatur Calvus, cum secundâ profectione Romam peteret, Vercellis obiit, tertio Kalendas Octobris: ibique sepultus in Basilica S. Eusebii annis septem requievit. Post hæc autem delatum est corpus ejus Dei nutu in Franciam, & sepultum in Ecclesiâ S. Dionysii Parisius. Suscepit autem regnum HLudovicus filius ipsius. Anno verò sequenti Joannes Papa Romanus ad Gallias veniens cum Formoso Episcopo Portuense, ferens secum pretiosissimas reliquias, per Arelatum & Lugdunum aliasque urbes Trecas venit, ibique cum HLudovico Rege & Ansegiso Archiepiscopo loquutus, ad Italiam rediit, relinquens Formosum ad Monasterium sanctæ Faræ in Brigeso, dimisit ibi caput beatæ Agnetis. Quod dum poneret super altare, cunctæ Deo sacratæ in terram ruerunt velunt in extasi positæ. Revertens autem ad Ansegisum Senones, posuit maximam partem Reliquiarum in basilicâ sanctæ Columbæ secundo nonas Julii, Evrardo tunc Præposito, postea Pontifice. Demorans autem quibusdam diebus in urbe, profectus est Autissiodorum, ibique in Cœnobio sancti Germani pretiosas Reliquias posuit. Post hæc defunctus est HLudovicus Rex Caroli Calvi filius, relinquens filium suum parvulum, qui Simplex appellatur, cum regno in custodiâ Odonis Principis.

Verius 879. Obiit Ansegisus Archiep.

Eodem anno migravit ad Christum Domnus Ansegisus Archiepiscopus, septimo Kal. Decembris, tristante mundo, lætante cœlo, sepultusque est in cœnobio Beati Petri in Oratorio S. Bartholomæi. Cui successit nutu divino Domnus EVRARDUS Monachus & Præpositus sanctæ Columbæ quarto Kal. Maii, doctrinâ & virtutibus mirabilis. Cujus tempore gens Normanorum incredula per Gallias sese diffudit, totius crudelitatis genere debacchata. Quinto igitur anno ordinationis suæ venerunt Senonas, vastantes omnia. Siquidem subversa sunt castra, desolatæ urbes, destructæ Ecclesiæ, succensa monasteria. Tunc quoque cœnobium sancti Remigii, quod erat apud Vallilias, incensum est, & usque ad solum dirutum, SUAVO ipsius loci Abbate cum fratribus ad urbem confugientibus cum corpore beati Romani, & pluribus Reliquiis. Intereà hostilis exercitus Senonem oppugnabat civitatem, eamque omni arte quæsitis machinis capere nitebatur, obsidens eam mensibus quinque. In illis diebus Evrardus Archiepiscopus languore correptus obiit Kalendis Februarii, sepultusque est in Basilica sanctæ Columbæ, in Oratorio sancti Martini. Cui successit sequenti mense Donnus WALTERIUS nobilitate & scientiâ clarissimus.

Huic succedit Evrardus.

Destruuntur Ecclesiæ à Normannis.

Suavus Abbas S. Remigii.

Walterius Archiep. Senon.

Tandem Sanctorum precibus ira Dei in misericordiam versa est: franguntur vires hostium, impetus retunditur, confidentia debilitatur, sicque intelligentes se frustrà niti contrà eos quos Dei pietas tuebatur, mense Maio ab urbis obsidione recedunt; dehinc ad propria redeunt. Eo igitur anno, Franci, Burgundiones, Aquitanienses Proceres congregati in unum cum Walterio Archiepiscopo, Odonem Principem sibi elegerunt in Regem. Unxit autem eum Donnus Walterius Archiepiscopus. Pace interim redditâ BONO, cui post obitum præfati Suavi Abbatiæ sancti Remigii cura erat commissa, cogitare cœpit quid de loco ageret, cujus tantummodò supersedissent ruinæ. Tandem placuit Abbati cæterisque Fratribus, ut in prædiolo suo, quod est in suburbio civitatis positum, monasterium fundaretur, ubi prisco tempore fuerat conditum. Ædificatâ ergo basilicâ, transtulerunt illic corpus sancti Romani & Reliquias cum lætitiâ magnâ, ubi usque hodie multis virtutibus pollet. Igitur Walterius Præsul nono anno ordinationis suæ, sexto Idus Junii, captus est à Richardo Duce Burgundionum, & positus in custodiâ novem mensibus, propter quasdam contentiones quas inter se habebant, vivente adhuc Odone Rege. Post novem autem menses reversus est de custodiâ Senones cum pace VIII. Kal. Martii, datis obsidibus Richardo Duci sub titulo sacramenti.

Odo Rex inauguratur à Walterio.

Transfertur Monasterium S. Remigii ad muros urbis Senonensis.

Mortuo autem Francone sancti Petri Abbate, successit ei AIGLO. Obeunte itaque Odone Rege Kalendis Januarii, recepit regnum Carolus Simplex filius HLudovici. Sub ipso tempore venerunt Normanni in Burgundiam usque ad sanctum Florentinum. Occurrit autem illis Richardus Dux cum suis, percussitque multos ex eis, & reliqui fugerunt V. nonas Januarias. In illis diebus BETHO Præpositus & Monachus cœpit ædificare muros sanctæ Columbæ in circuitu. Eodem tempore Pagani obsederunt Carnotum civitatem. Collecto igitur exercitu Richardus Dux & Robertus Princeps in eos irruerunt, peremptis ex paganis sex millibus octingentis, capientes obsides a reliquis. Consilio igitur accepto Carolus Rex cum Optimatibus tradidit Neustriam Normannis: ex illo tempore vocata est Normannia. Post hæc mediante Martio apparuit Stella à parte Circii emittens radium magnum ferè diebus quatuordecim. Sequenti anno fuit fames magna per totam Galliam. In tempore illo Betho Præpositus sanctæ Columbæ, ordinatus est Episcopus Autissiodorensis, quarto Idus Martii, peractisque in Episcopatu annis quatuor, defunctus est sexto Kalendas Martii. Subsequenti igitur anno Kalendis Februarii igneæ acies visæ sunt in cœlo diversorum colorum. Ipso anno fuit dissensio magna inter Regem & Principes ejus. Ob hoc plurimæ strages inter illos perpetratæ sunt, sed favente Deo omnis illa contradictio cessavit.

Aiglo Abbas S. Petri.

Betho Præpositus S. Columbæ & Episc. Autissiod.

Mortuo autem Aiglone Abbate sancti Petri, successit ei SAMSON venerabilis; deinde defunctus est RICHARDUS Dux, sepultusque est in Basilicâ sanctæ Columbæ, in Oratorio sancti Symphoriani Kalendis Septembris. Secundo anno post mortem ejus Robertus Princeps rebellavit contrà Carolum Simplicem, unctusque est in Regem à Walterio Archiepiscopo tertio Kalendas Julii. Et nondum anno expleto, decimo septimo Kal. Julii, factum est bellum Suessionis civitate inter Carolum Simplicem & Robertum ipsum, ubi interfectus est idem Robertus. Carolo verò à cæde belli victore revertente, occurrit illi Herbertus infidelium nequissimus, & sub fictæ pacis simulatione in castro, quod Parrona dicitur ut hospitandi gratiâ diverteret, eum compulit, & sic eum dolo captum retinuit. Habebat enim ipse

Samson Abbas S. Petri. Richardus Dux sepelitur in Ecclesia S. Columbæ.

Robertus sororem istius Herberti in conjugio, de quâ ortus est Hugo Magnus. Illic positus Carolus Rodulfum nobilem filium Richardi, quem de sacro fonte susceperat, unà cum consilio Hugonis Magni filii supradicti Roberti, & Procerum Francorum in Regnum sublimavit. Idem autem Carolus post longam carceris macerationem defunctus est in ipsâ custodiâ, & sepultus in Basilicâ sancti Fursei, in Castro Parronâ. Unctus est autem in Regem ipse Rodulphus tertio Idus Julii Suessionis civitate à jam dicto Walterio Archiepiscopo. In ipso anno defunctus est Walterius Archiepiscopus XIII. Kal. Decembris, & sepultus in basilicâ beati Petri. Cui successit WALTERIUS nepos ejus, homo versutus moribus, & ingenio callidus. Hujus temporibus Pagani Burgundiam vastaverunt. Factum est autem bellum inter Christianos & Paganos in monte Chalo, peremptis ex Christianis multis millibus octavo Idus Decembris, ubi interfectus est Warnerius Vicecomes Senonum.

Walterio Archiep. succeſſit Walterius nepos.

Warnerius Vicecomes Senonenſ.

Decedente autem Walterio Archiepiscopo successit ei Domnus ALDALDUS venerandæ memoriæ. Ipse renovavit Basilicam sanctæ MARIÆ, quæ est juxtà Ecclesiam Beati Stephani: erat enim vetustissima, dans ad stipendia Canonicorum villam quæ vocatur Ebrola. Completis igitur Donnus Aldaldus in Episcopatu annis quinque migravit ad Christum VII. Kal. Octobris, cui successit Willelmus Monachus. Quarto igitur anno ordinationis suæ, VI. Idus Januarii, primo gallorum cantu incensum est Monasterium sanctæ Columbæ, & XVIII. Kal. Februarii eodem mense obiit RODULFUS Rex Autissiodoro, quem sepelierunt in basilicâ sanctæ Columbæ. Post mortem ejus HUGO Magnus unà cum Francis accersiens Willelmum Archiepiscopum, misit illum ad Oginam uxorem Caroli Simplicis, ut inde reduceret HLUDOVICUM filium ejus. Fugerat enim ad patruum suum Regem Anglorum ob timorem Heriberti & Hugonis. Veniensque Willelmus Archiepiscopus, datisque obsidibus sub sacramenti titulo Oginæ matri ejus, reduxit HLudovicum in Franciam. Igitur XIII. Kal. Julii unctus est in Regem HLudovicus filius Caroli Simplicis apud Laudunum. Secundo anno post hæc XVI. Kal. Martii à gallorum cantu usque ad lucem diei sanguineæ acies per totam cœli faciem apparuerunt. Sequenti autem mense IX. Kal. Aprilis Hungari adhuc in paganismo perdurantes, Franciam, Burgundiam, Aquitaniam ferro & igne depopulari cœperunt. Pervenientes autem Senones civitatem, incenderunt Cœnobium sancti Petri, vastantes omnem provinciam. Cernens itaque Sanson Abbas & Monachi malum hoc grande, consilio accepto detulerunt corpora Sanctorum Saviniani & Potentiani cum cæteris Sanctorum corporibus, & Reliquiarum pignoribus; cum magno honore in Ecclesiam ejusdem Abbatiæ infrà muros urbis constructam in honore sancti Petri. Relictum verò est corpus sancti Serotini in Cryptâ, retro altare sancti Petri. Vastantes igitur Pagani cunctam provinciam, redierunt ad propria incenso cœnobio sancti Petri, remanente ibi solummodo Oratorio sancti Serotini, quod minimè potuerunt incendere. Qualiter autem Willelmus Archiepiscopus corpora horum sanctorum voluit retinere, vel qualiter illos reddiderit, in libello de virtutibus sancti Saviniani pleniùs invenies.

Aldaldus Archiep. Senon.

Willelmus in ejus locum ſuffectus.

Rodulfus Rex obit.

Willelmus Archiep. Angliam petit.

Incenditur Cœnobium S. Petri Vivi.

Erat eo tempore BERNARDUS Archiclavis Abbatiæ sanctæ MARIÆ, qui post mortem cujusdam militis in beneficio tenens ipsam Abbatiam, dum illam debuit meliorare, in quantum potuit aggravavit, dans terras & prædia suis militibus. Inde terra & prædia ejusdem loci in oblivione sunt posita, eo quod periissent cartæ ipsius Ecclesiæ & testamenta. Sacerdos namque qui illic deserviebat, nihil curæ inde habebat. Recuperatâ autem pace sanctæ Dei Ecclesiæ, Donnus Abbas Sanson migravit de hoc mundo, sepultusque est in basilicâ sancti Petri. Cui successit sanctus ODO Abbas primus Cluniacensis Cœnobii. Accersiens igitur idem Odo Willelmum Archiepiscopum, cum consensu Monachorum sancti Petri præfecit eidem Cœnobio ARIGAUDUM Abbatem Religiosum & timentem Deum, Monachum sancti Benedicti suprà Ligerim.

Bernardus dilapidat bona Abbatiæ S. Mariæ.

S. Odo Abbatiam S. Petri regit, ac præficit Abbatem Arigaudum.

Decedente igitur Willelmo Archiepiscopo XIX. Kalendas Septembris, GERLANNUS eligitur Pontifex, Monachus sancti Germani Autissiodorensis. Post hæc rebellaverunt Francorum Proceres contrà HLudovicum Regem; super omnes autem Hugo Magnus. In ipso anno facta est fames valida per totum regnum Francorum. Tertio autem anno post hanc famem tradita est Senones civitas Rainaldo Comiti Remorum. Superveniens igitur Frotmundus Vicecomes cum exercitu, ingressus est castellum sanctæ Columbæ. Illis verò qui in urbe erant quiescentibus meridiano tempore absque ullo timore, egressus est Frotmundus cum exercitu de castello sanctæ Columbæ, ingressusque civitatem quiescentibus cunctis jugulavit plurimos, & reliqui fugerunt quarto Calend. Augusti. Ipse etiam Rainaldus Comes fugâ lapsus est. Propter hoc igitur destruxit Frotmundus maximam partem murorum sanctæ Columbæ, ne similiter ingrederetur aliquis, sicut ipse fecit, & caperet civitatem.

Willelmo Archiep. Gerlannus ſubrogatur.

Post hæc captus est HLudovicus Rex filius Caroli Simplicis dolo apud Bajogas civitatem à Normannis, multis Francorum interemptis, conficiente Hugone Magno. Obeunte itaque Arigaudo Abbate, & sepulto in ipso Cœnobio sancti Petri, successit ei DACHELMUS. Mortuo autem Dachelmo, subsequitur ei ARCHENGERIUS. Defuncto autem Frotmundo Vicecomite, RAINALDUS filius ejus, qui Vetulus appellatur, Comes Senonum factus est. Gerlannus igitur Archiepiscopus longo jam senio confectus migravit ad astra, vocatus Nonis Augusti, sepultusque in basilicâ sancti Germani Autissiodorensis. Cui successit HILDEMANNUS secundo Idus Septembris, sancti Dionysii monachus.

Abbates S. Petri Vivi Dochelmus, Archengerius.

Rainaldus Senon. Comes.

Hildemannus Archiep. Senon.

Defuncto autem Archengerio Abbate sancti Petri, & sepulto in eodem Cœnobio, successit ei OTBERTUS. Post hæc mense Maio, feriâ sextâ, pluit sanguis super operarios. Ipso anno mense Septembri HLudovicus Rex totum tempus vitæ suæ plenum ducens angustiarum, diem clausit extremum, sepultusque est Remis in Ecclesiâ sancti Remigii. Sequenti quoque mense secundo Idus Novembris, HLotarius jam juvenis filius ejus unctus est in Regem Remis, & Hugo Magnus factus est Dux Francorum. Secundo autem anno post hæc mense Augusti obsedit supradictus Hugo Pictavis civitatem, sed nihil ei profuit. Dum enim obsideret urbem, quâdam die intonuit Dominus terrore magno, disrupitque turbo papilionem ejus à summo usque deorsum, stuporque magnus invasit omnes, ita ut vivere non se æstimarent; statimque in fugam versi recesserunt ab urbis obsidione. Fecit autem hoc Deus per meritum Beati Hilarii, qui semper est defensor ipsius urbis. In ipso anno defunctus est GISLEBERTUS Dux Burgundiæ, relinquens Ducatum OTTONI filio Hugonis Magni: habebat enim Otto filiam ipsius Gisleberti in conjugio. Secundo anno obiit Hugo Magnus Dux Francorum apud Drodingam villam XVI. Calendas Julii, sepultusque est in basilicâ sancti Dionysii Parisius: cui successerunt filii ejus Hugo, Otto, Auvricus, nati ex filiâ Odonis Regis;

Otbertus Abb. S. P. Vivi.

Burgundiæ Duces Giſlebert. Otto.

An. 998. Odoran.

Hugo fuit Dux Francorum, & Otto Dux Burgundionum.

Notrannus Abbatiæ S. P. Vivi, & aliarum bona suis parentibus profudit.

Mortuo denique Oberto Abbate sancti Petri, successit ei NOTRANNUS, destructor ipsius Cœnobii. Nam vendens villas, & Ecclesias, & ornamenta Ecclesiarum sancti Petri, & sancti Remigii, sanctique Eraclii, & sancti Petri Ferrariensis, parentibus suis distribuit, & postea Nivernensium Episcopatum muneribus promeruit. Has enim omnes Abbatias tenebat. Factumque est, ut à tempore illo usque ad Donni Seuvini Archiepiscopi tempus Abbatia sancti Petri sine Abbate remaneret. Monachis namque qui ibi remanserant, ob penuriam victûs & vestimenti huc illucque vagantibus, locus ille sanctus penè venit ad nihilum.

Fundatio Monasterii S. Salvatoris propè Brayâ.

In illo tempore erat quidam miles BURCHARDUS, & uxor illius ILDEGARDIS, qui habebant quamdam munitiunculam in Pago Senonico super Sequanam fluvium, in loco, qui vulgo dicitur Brajacus, in locis palustribus. Ibi exstruxerunt illi Cœnobium Monachorum in suâ hereditate, in honore Domini Salvatoris, deferentes illic corpora Sanctorum Paterni martyris, & Pavacii Confessoris.

Archembaldus Archiep. Senon.

Cæterùm Hildemannus obiit sepultus in basilicâ beati Petri, expletis in Episcopatu annis quatuor, & mensibus decem & dimidium, & dies quatuor. Cui successit ARCHEMBALDUS v. Cal. Julii, parentum potiùs & pecuniarum quàm Dei provocatus examine.

Auvricus Dux Burgund.

Mortuo denique Ottone Burgundionum Duce, successit AUVRICUS frater ejus. Sub ipso tempore oritur contentio inter Ansegisum Trecarum Episcopum, & Rotbertum Comitem. Ejectus autem ex civitate Ansegisus à Rotberto, perrexit in Saxoniam ad Ottonem Imperatorem; adductisque Saxonibus mense Octobri obsedit Trecas civitatem tempore longo. Venientes autem in prædam Senones, voluerunt vastare totam regionem. Occurrerunt verò illis Archembaldus Archiepiscopus, & Rainardus Comes Vetulus cum exercitu maximo, in loco qui vocatur Villare: interfectisque Saxonibus cum Duce suo Elpone, Senonenses victores rediêre. Dixerat Elpo incensurum se Ecclesias & villas usque ad civitatem, mittere se lanceam in portam sancti Leonis. Interfectus autem reportatus est in patriam suam Ardennam: sic enim jusserat mater ejus Warna. Planxerunt autem eum valde Rainardus Comes, & Archembaldus Archiepiscopus; consanguineus enim illorum erat. Videns autem Bruno Dux socius ejusdem Elponis quòd ipse mortuus esset, & populus, reversus est in patriam suam.

Elpo Saxonũ Dux à Senon. occiditur.

Translatio SS. Columbæ Virg. & Martyr. & Lupi Pontif. Senonensis.

Sub ipso tempore reserantur Mausolei Sanctorum Columbæ Virginis & Lupi Confessoris per notitiam cujusdam veterani Monachi. Solus enim ipse noverat quo loco tegerentur. Latuerant namque à tempore Paganorum usque ad illud tempus in cryptâ ipsius Basilicæ. Certiores autem facti de illorum præsentiâ, invitatoque Archiepiscopo Archembaldo, & populo innumerabili, levaverunt eos cum magno honore XI. Kalendas Augusti.

In illis diebus erat quidam miles Boso nomine, raptor fortissimus, versutusque moribus, qui ingressus in munitiunculam Donni Burchardi apud Brajacum, deprædatus est cunctam provinciam, vivente adhuc Ildegarde uxore supradicti Burchardi. Igitur Rainardus Comes indignatus super hac re, incendit munitiunculam ipsam capto Bosone, cum Basilica nostri Salvatoris, deferens inde reliquias Ecclesiæ cum corporibus sanctorum Paterni & Pavacii in Turrim Senonicæ civitatis. Postea verò reddidit ea per deprecationem Tetbaldi Comitis, sub cujus dominatione idem locus esse videtur.

Corpora Paterni Marr. & Pavacii restituta Monasterio S. Salvatoris.

Archembaldus vastat Cœnobium S. Petri.

Archembaldus itaque solo nomine Archiepiscopus, malis suis pejora addens, sancti Petri Abbatiam ad solum usque contrivit, quidquid Notrannus reliquerat ad nihilum redegit, Ecclesias, & villas, & ornamenta vendens, & distribuens, reliqua in usus proprios retinuit. Relinquens verò domum suam quæ erat ad usum Archiepiscoporum, habitavit in claustro Monachorum, vindicans sibi refectorium, in quo habitare cœpit cum meretricibus. Remanserant autem ibi quindecim Monachi, ex quibus duodecim unâ nocte sunt defuncti. Tres verò de ipsâ plagâ evaserunt, id est Odo, Raimbertus, Adelingus, qui tamen in ipso anno defuncti sunt. Quidam autem Miles Frodo nomine compatiens ruinæ Cœnobii illius, postulavit ab ipso Archiepiscopo dari thesaurum sancti Petri filio suo Frodoni. Factus autem Thesaurarius accepit illud tale ornamentum quod invenit, & cartas ipsius Cœnobii, detulitque omnia in domum suam in civitatem. Fecit autem non cupiditate retinendi, sed causâ servandi. Iste verò FRODO filius Frodonis factus Archidiaconus, dedit ad stipendia Monachorum sancti Petri villam suam Arceam nomine, in diebus Donni Rainardi Abbatis, & Donni Leoterici Archiepiscopi ex cujus beneficio esse videbatur. Jacet autem ipse Archidiaconus in Capitulo Fratrum ad pedes Donni Seuvini Archiepiscopi. Pater autem ejus requiescit in porticu Basilicæ ipsius.

Monachi 12. vna nocte intereunt.

Frodo Miles Thesaurum & cartas illius Monasterii servavit.

Archembaldus verò canes suos & accipitres faciebat quiescere in claustro sancti Petri; & illi qui serò mittebantur ibi, Dei nutu manè inveniebantur mortui. Quod miraculum dum omnes conspicerent, & super hoc facto Deum laudarent, dicebant ei domestici sui, quòd injustè retineret claustrum & possessiones Monachorum. Ipse verò totum pro nihilo deputans, vacabat curis hujus sæculi. Quâdam autem die duxit illum quidam Canonicus sancti Stephani Candacher nomine, qui erat studiosus in omni philosophia, ad sepulcrum Donnæ Theodechildis Reginæ, dicens illi: Lege Epitaphium hoc, quod edidit sanctus Fortunatus Episcopus. Cœpit autem Archembaldus legere sic:

Hunc Regina locum Monachis construxit ab imo,
Techildis rebus nobilitando suis: &c.

Dixit illi Candacher: Perspice & intellige, quoniam non ad usus canum, sed servorum Christi Cœnobium hoc constructum esse videtur. Cumque malorum tot Dominus decrevisset facere finem, anno nono ordinationis suæ, mense Junio defunctus est Rainaldus Consiliarius Regis HLotarii, cujus consilio & actu gestum est, ut ipse esset Archiepiscopus. Sequenti autem mense Julio, incensæ sunt basilicæ sancti Stephani, & sanctæ MARIÆ, sanctique Joannis Baptistæ, & claustrum Canonicorum crematum est igne. Periit autem in ipso incendia librarium sancti Stephani, & ornamenta maxima, imò etiam Reliquiæ pretiosissimæ. Erat enim nox. Ruit autem Basilica sancti Stephani à fundamentis post incendium. Sequenti verò mense Augusti, XIV. Kalend. Septembris cœpit renovare Archembaldus Archiepiscopus presbyterium sancti Stephani, perficiens cryptas omninò. In ipso mense Augusto obiit pater ipsius Rotbertus nomine, vir nobilis & dives valde. Ipse verò Archembaldus eodem mense obiit adhuc juvenis quarto Kalend. Septembris, expletis in Episcopatu annis IX. & duobus mensibus, & die uno. Mortuus est autem hoc modo: apparuit ei inclytus martyr Savinianus semel & secundò, admonens illum ut resipisceret à tam nefario opere. Qui minimè obediens visionibus illius, de visione deterior est factus. Tertiâ verò monitione factâ,

Misera ac repentina mors Archembaldi.

percussit eum plagâ invisibili, dicens illi : » Non » amplius patiemur desolari locum effusione nostri » sanguinis consecratum. « Surgentes autem cubicularii admirantes quænam vox hæc esset, invenerunt illum mortuum, nudumque jacentem in terrâ. Factumque est divino nutu, ut qui locum sanctum exspoliaverat, nudus inveniretur in refectorio quod vi monachis abstulerat. Sepultus est autem in Basilicâ beati Petri.

Anastasius Archiep. Archembaldo successit.

Mortuo autem isto tam crudeli interitu, omnis populus sibi acclamabat Donnum ANASTASIUM virum egregium, omni bonitate conspicuum. Ex præcepto autem Regis HLotarii consecratus est Antistes in Apuniaco villâ XVIII. Kalend. Januarias, & secundâ Dominicâ de Adventu Domini susceptus est in sede propriâ cum gaudio magno; ibique residens cœpit agere ea quæ Dei : erat enim miræ sanctitatis & abstinentiæ vir, vigiliarumque amator continuus, & eleemosynarum distributor largissimus; nutritor clericorum, amator Monachorum, mœrentium consolator piissimus, pauperum, orphanorum, & viduarum pater. Cui apparuit inclytus Martyr Savinianus visu terribili comminans & contestans ut reædificaret Ecclesiam sancti Petri, quam ipse suo sanguine consecravit. Cujus voci obtemperans cœpit locum sanctum restaurare, Monachos revocare, terras & prædia pretio redimere. In proprio quidem statu locum ipsum restaurasset, Abbatemque Monachis præfecisset, nisi tam citò de hoc sæculo migrasset. Deus enim omnipotens non diù permisit eum detineri in hac ærumnosâ peregrinatione. Ab illâ ergo die quo sacerdotium sumsit, usque ad finem vitæ carnem non comedit, nec indutus est lino, sed semper usus est cilicio. Multam etenim persequutionem sustinuit patienter ab impiis in hoc sæculo. Rainardus namque Comes Vetulus semper contrà Deum & contrà ipsum contentiosa egit, multas injurias inferens illi, sed servus Christi cuncta sustinens, imitator illius factus est, qui pro nobis crucem sustinuit.

Ejus virtutes recensentur.

Instaurat abbatiam S. P. Vivi, & multa confert Ecclesiis.

Ecclesiam S. Mariæ exædificat.

Ædificavit autem Ecclesiam Donnus Anastasius in honore sanctæ MARIÆ in suâ hereditate, in villâ quæ vocatur Aguriacus, collocans juxtà eam suam domum, ubi die noctuque orationibus vacabat, de quâ hereditate fecit Christum heredem, & Ecclesiam quam regebat. Asportavit verò corpus beati Victoris de propriâ villâ sancti Stephani, quæ vocatur Bruotea, condens illud in ipsâ Ecclesiâ quam ædificaverat, honore maximo. Istum etenim sanctum Victorem socium beati Mauritii detulit antiquo tempore Donnus Willarius Archiepiscopus hujus sedis, de Agaunensi Cœnobio, volente Abbate ejusdem loci & fratribus, quem collocavit in Ecclesiâ sancti Stephani lætante populo. Subsequenti autem tempore delatus est à Canonicis ejusdem loci in pago Wastinensi in Bruoteâ villâ, eo quod homines ipsius pagi terram ipsorum devastarent, & in proprios usus detinerent. Tumulatusque ibi requievit multis annis usque ad Donni Anastasii tempus, qui transtulit eum, sicut jam dictum est, in Ecclesiam suam apud Aguriacum. Requievit autem ibi usque ad Donni Seuvini sui successoris tempus, qui asportavit eum cum magno honore in Ecclesiâ sancti Stephani, ubi nunc Dei gratiâ requiescit.

S. Stephani restaurat.

Basilicam sancti Stephani in quantum potuit, Donnus Anastasius restauravit, perficiens cancellos & medietatem illius. Totam etenim illam perfecisset, nisi tam citò de hoc mundo migrasset. Basilicas autem Beatæ MARIÆ. & sancti Joannis restauravit. Dedit verò ad stipendia Canonicorum villas & Ecclesias, quas jure hereditario possidebat. Talibus ornatus virtutibus transiit ex hoc mundo ad Deum, mediâ nocte Dominicâ, VII. Idus Januarii, regnante adhuc HLothario Rege. Sepultus est autem in Basilicâ beati Petri secundum ejus præceptum, ubi mos est Archiepiscopus sepeliendi. Vixit verò in Episcopatu annis undecim & mense uno, & diebus XIII. Habebat autem idem Archiepiscopus quamdam germanam Dei ancillam in monasterio sanctæ Faræ in Brigeso, cui apparuit Angelus Domini in ipsâ nocte dicens : Quare tardatis & non surgitis hymnos Deo decantare, & laudare Christum? sciatis enim pro certo quod hac nocte Anastasius Christi Confessor transiit ex hoc mundo : sicque vobis gaudium à Deo, quia semper gaudebit cum Christo. Surgentes autem Deo sacratæ, impleverunt officium sicuti de uno Confessore. Notatoque die & horâ miserunt Senones, qui hæc inquirerent, & ita invenerunt sicut Dei ancilla in visione viderat.

Archiepiscoporum senon. sepultura apud S. P. Vivum.

Festum S. Anastasii 7. Ianuarii.

Post transitum autem Donni Anastasii Ecclesia Senonica fuit sine benedictione sacerdotali usque IV. Idus Junii, resistente Rainardo Comite. Tertio Idus Junii consecratus est Donnus SEUVINUS, die Dominicâ, in Basilicâ sancti Stephani Autissiodorensis. Cui restitit ipse Antichristus Rainardus, negans ei introitum civitatis. Timebat enim perdere civitatem. Erat enim Donnus Seuvinus magnæ nobilitatis vir, ex sorore nepos ipsius Rainardi. Videns autem hoc ipse Archiepiscopus, omnem provinciam interdixit à Calendis Octobris usque in caput j. junii. Ipso verò die receptus est in propriâ sede. Eodem anno facta est mortalitas magna hominum, quâ defunctus est Ismbardus M.ie., frater ipsius Archiepiscopi, idibus Aprilis. Cœpit autem Donnus Seuvinus restaurare Cœnobium beati Petri, præponens Abbatem Rainardum suum nepotem ex sorore, Monachum beatæ Columbæ, medietatem ipsius Abbatiæ illi reddens, aliam in proprios usus retinens. Fecit autem hoc non cupiditate, sed causâ necessitatis. Possessionibus etenim quæ ad Archiepiscopos pertinebant penitùs carebat, quia Archembaldus antecessor eas suis militibus tradiderat. Postea adduxit Monachos regulares ex Cœnobio sancti Benedicti, & sancti Petri Cluniacensis, quorum exemplo ipse Rainardus in melius proficeret. Perfecit verò ipse Basilicam sancti Stephani, & dedicavit eam tertio Nonas Octobris, anno sexto suæ ordinationis. In ipso die fecit heredem Christum, & Ecclesiam ipsam, dans ad stipendia Canonicorum villas & Ecclesias quas possidebat. Ab illo ergo die quo sacerdotium sumsit, usque ad finem vitæ carnem non comedit, nec lino indutus fuit. Appropinquante autem solemnitate Apostorum Petri & Pauli in die Sanctorum Joannis & Pauli dum se sopori dedisset in domo su., quæ prisco tempore fuit refectorium Monachorum, quam Archembaldus monachis vi abstulerat, apparuit ei inclytus Martyr Savinianus comminans, & quasi impetum faciens in eum dixit : » Cur locum effusionis nostri sanguinis non restauras? Quare in proprios usus retines « prædia nostri Cœnobii & terras? « Ad hæc expergefactus, adiit claustrum sancti Petri, prostratusque humo coram Monachis veniam precabatur, reddens eis totam terram, quæ conjacet in circuitu Cœnobii ipsius. Nam & ipsam abstulerat Archembaldus, & in dominium Archiepiscoporum fecerat devenire. Hoc pacto rediit in civitatem, non habens unde vel uno die refici posset : dicunt ei sui : » Quid acturus es modo, quoniam nihil habemus unde tu vel nos vivere possumus? « Ad hæc senior respondit : » Pascet Deus pauperes suos. Dicit enim scriptura. *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Sustentabor ex patrimonio meo, usque dum restituat Deus pos-

Seuvinus Anastasio succedit.

Cœnobium S. P. Vivi instaurat, cui Abbatem constituit Rainardum.

Austeram vitam agebat Seuvinus.

» sessiones suas sancto Stephano. « Mirum in modum defuncti sunt omnes qui tenebant possessiones sancti Stephani. Tum ipse gratias Deo referens, recepit quod Archembaldus malè errando dispersit. Post cœpit domum suam ædificare juxtà sancti Stephani Basilicam, ut venientes filii Ecclesiæ præsentem invenirent à quo responsum acciperent. Restituit etiam Domnus Seuvinus Monachis sancti Petri villam Alsonis, cum Ecclesiâ & appendititiis suis in Synodo Senonensi, cujus Privilegii exemplar hoc est:

» Anno ab Incarnatione Christi DCCCCLXXX. Indictione octavâ, cum sederem ego SEUVINUS Archiepiscopus Senonensis, & circumsederent quidam de Coëpiscopis nostris cum personis Ecclesiæ sanctæ MARIÆ Virginis, sanctique Stephani Protomartyris, quorum consilio & actu vigor Ecclesiasticus vigere debet, venerunt ante nostram præsentiam Abbas Monasterii sancti Petri Vivi & sancti Saviniani Martyris, cum turmâ Monachorum ejusdem Ecclesiæ, petentes à nobis ad supplementum victûs & vestitûs sui & successorum suorum aliquod augmentum largiri à nobis sibi clementer. Quorum petitionibus, & precibus prædictarum vel prænominatarum personarum consentientes, aurem accommodavimus, & quòd petebant, quia suum esse vidimus, concessimus. Scilicet altare quod est in pago Senonico, cum villâ quæ dicitur Alsonus in honore sancti Petri dicatum, quod olim Domnus EGIL bonæ memoriæ hujus sedis Archiepiscopus eidem Ecclesiæ dedit, & litteris firmavit. Item in villâ, quæ dicitur Sanceias, altare quod est in honore sancti Sanctiani Martyris consecratum. Item tertium quod distat à Cryptâ prædicti Monasterii quinquaginta dextros in honore sancti Saviniani Martyris & Protopræsulis nostri. Quartum quoque in pago Pruviensi in villâ, quæ dicitur Naudus, in honore sancti Lupi consecratum. Ad petitionem igitur RAINARDI ejusdem Monasterii Abbatis, & Monachorum ejus, dedimus hæc quatuor Altaria, ut ipsi & successores eorum ex omni tempore possideant absque alicujus servitii administratione, & in eis fideles sacerdotes ad serviendum Deo omnipotenti dignè constituant.

» Postulo ergo serenitatem successorum meorum Archiepiscoporum, ut sicut cupiunt scripta voluntatum suarum cuncto tempore fieri rata, ita orthographium desiderii mei, fidelium que meorum perenniter servent stabile. Unde & propriâ manu firmo, roborandumque Coëpiscopis meis, & fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ humiliter deprecor & trado. Præterea violatores hujus Privilegii, & diminutores, gladio Spiritûs sancti, nisi resipuerint, & satisfecerint quibus damnum datum est, ferimus. Actum in Ecclesiâ sanctæ MARIÆ, & sancti Stephani Senonicæ urbis synodaliter atque feliciter.

SEVINUS peccator Archiepiscopus firmo & sigillo meo munio.
ODO Carnotensis Archiepiscopus [e].
RAINOLDUS Parisiorum Episcopus.
MILO Trecarum Episcopus.
Ego MANASSES Aurelianensis Episcopus.
THEODORICUS hujus sedis Archidiaconus.
GRUNERIUS hujus Ecclesiæ Archiclavis.
ALBERICUS Wastinensis Archidiaconus.
GAIVERIUS Cancellarius scripsit.

Anno DCCCLXXXVI. secundo Kalendas Decembris, ascenderunt Normanni à Parisius Senonis; & sequenti mense Maio redierunt in Franciam, jam defuncto Ewrardo Archiepiscopo, & ordinato Walterio in loco ejus. Qui eodem anno unxit Odonem in Regem. Hic Privilegium fecit Monachis sancti Petri de electione Abbatis: cujus hoc est exemplar:

Odonem Regem unxit Walterius Archiep.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXCI. Indictione nonâ, celebrata est Synodus in Magduno super fluvium Ligeris in Ecclesiâ Beati Lifardi Confessoris Christi, regiâ jussione gloriosi Regis Odonis diversis Ecclesiarum Episcopis confluentibus; ubi cum de diversis Ecclesiæ utilitatibus & negotiis tractaretur, exposita est in omnium præsentiâ ratio Fratrum Beati Petri Apostolorum Principis Cœnobii Senonensis Ecclesiæ in ejus suburbio constituti, dicentes se plurimùm ex revolutis temporibus discriminis jacturam tolerasse enormiter, idcircò quòd eis à suis Pontificibus Senonensis videlicet Ecclesiæ Præsidibus, multi ex aliis Cœnobiis in prælaturam regiminis Abbates constituerentur, quòd utique quia præter Regulam Beati Benedicti & institutionem sanctorum Canonum esse videbatur, sancitum est à beatissimis Pontificibus, monente, imò & deprecante ejusdem loci venerabili Pontifice Gualterio Senonensis Ecclesiæ, ut nullus deinceps ordinaretur vel constitueretur Pater Monasterii, nisi quem ipsi suâ dispositione & libitu voluntatis ex suis eligerent. Quocircà præsenti Privilegio solemniter à prædictis decretum est Præsulibus, ut quicumque temerarius hanc tantorum authoritatem Patrum præsumserit violare, sub vinculo anathematis habeatur, & authoritate quâ Dominus noster JESUS CHRISTUS potestatem contulit Discipulis suis ligandi & solvendi dicens: *Quodcumque ligaveritis*, &c. omnium igitur manibus roboretur quod omnium consensu firmatur. «

Et subscripserunt omnes, qui ibi aderant, Episcopi videlicet, & Archiepiscopi, quorum hæc sunt nomina.

GUALTERIUS immeritò sanctæ Senonensis Ecclesiæ Archiepiscopus confirmavit.
EDACIUS Bituricensis Ecclesiæ Archiepiscopus.
HEBERNUS Turonorum Archiepiscopus.
HERFRIDUS Episcopus Autissiodorensis.
TEODARDUS Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopus.
ADALGARIUS Æduorum Episcopus.
HERFREDUS Episcopus Claromontanus.
Semper AGILMARI manens sub nomine firma.
EUMENUS Nivernensis Episcopus.
GLIMERIUS Carnotum Episcopus.
ADDOLENUS Albiæ Episcopus confirmavi.
AGILBERTUS gratiâ Dei Bituricensis [f] Episcopus.
WALTERIUS Episcopus Aurelianensis.
SERVUS DEI humilis Episcopus Jerondensis.
GUARINUS Coroacensis [g] Episcopus.
ADALDUS humilis Archipræsul.

Anno DCCCXCVI. Richardus princeps Burgundiæ recepit Senonis contrà Walterium Archiepiscopum & Varnerium Comitem.

Anno DCCCXCVIII. Obiit Odo Rex, & Carolus Simplex Regnum accepit.

Anno DCCCCLXXVI. Septimo Idus Januarii Anastasius Archiepiscopus Senonensis obiit, & sepultus est in Basilicâ sancti Petri. Et eodem anno mense Julio, quarto Idus prædicti mensis ordinatus est in eâdem

Anastasio Archiep. succedit Seuvinus.

e *Archiepiscopus*,] Sic legitur in veteri codice.
f *Bituricensis*] L. g. *Biterrensis*.

g *Coroacensis*] Acherius conjicit *Cauriacensis*: Baluzius verò: *Guimaranus Carcacensis*, h.e. Carcassonensis.

eâdem sede Seuvinus Archiepiscopus. In eodem anno obiit HLotharius Rex senex, cui successit HLudovicus filius ejus juvenis. Eo tempore Donnus Abbas Rainardus cœpit restaurare claustrum sancti Petri quod Archembaldus destruxerat, terras & prædia redimere. Erat autem ipse Abbas nepos ejusdem Archiepiscopi. In diebus illis quiescebat adhuc sanctus Ebbo in priori tumulo, in oratorio B. MARIÆ juxtà Altare ad dexteram, fulgens innumerabilibus signis; quapropter communi consilio prædictus Archiepiscopus, & Abbas, levaverunt eum cum magno honore, convocato populo innumerabili.

Translatio corporis S. Ebboni.

Hîc deficit regnum Caroli magni Imperatoris. In illis diebus erat in Remensium civitate Archiepiscopus ARNULFUS vir bonus & modestus, frater HLotarii Regis ex concubinâ. Hugo autem Rex invidebat ei, volens eum exterminare cum omni progenie HLotharii. Congregans verò Rex Synodum in urbe Remensi, invitavit Archiepiscopum Senonum Seuvinum cum suffraganeis suis, ubi fecit deponere ipsum Arnulfum, dicens non decere fieri Episcopum ex concubinâ natum. In loco autem ejus fecit consecrare GERBERTUM Monachum & philosophum. Gerbertus magister fuit Roberti Regis filii istius Hugonis, & Donni Leoterici successoris Seuvini Archiepiscopi. Arnulphum autem mancipari fecit custodiæ in Aurelianensi civitate, ibique mansit annis tribus alligatus, ubi etiam detinebatur nepos ejus Carolus. Seuvinus autem Archiepiscopus non consensit aliis in depositione Arnulphi, neque in ordinatione Gerberti. Alii verò Episcopi propter timorem Regis unum deposuerunt; alterum ordinaverunt. Nuntiantur autem hæc omnia Romano Præsuli; qui valdè indignatus super hoc facto, interdixit omnes Episcopos qui Arnulfum dejecerant, & Gerbertum ordinaverant. Misit quoque Leonem Abbatem ab Apostolicâ sede ad Donnum Seuvinum Archiepiscopum urbis Senonicæ, ut vice suâ Synodum congregaret in Remensi urbe, mandans illi, ut sine dilatione revocaret Arnulfum de carcere, & deponeret Gerbertum de Episcopali sede. Collecto igitur concilio in urbe Remensi, jussione Apostolicâ revocatus est Arnulfus de custodiâ, & cum magno honore receptus est in sede propriâ. Gerbertus verò intelligens quòd injustè suscepisset pontificalem stolam, quamvis invitus deseruit. Altercationem autem Gerberti Pontificis & Leonis Abbatis valde utilem, in gestis Remorum Pontificum invenies. Post hæc autem Gerbertus factus Pontifex Ravennæ ab Othone Imperatore, & à populo ejusdem urbis. Postea autem defuncto Papa Romano, locatus est in sede Apostolicâ.

Hugo Rex Arnulphum ab Archiepiscopatu submoveri mandat.

Cui Sevinus renuit.

Anno DCCCCXCIX. 16. Kalend. Novembris obiit Seuvinus Archiepiscopus, qui jacturam Monasterii S. Petri, quam Anastasius Archiepiscopus antecessor ejus relevare cœperat, in pristinum restituit statum, ibique sub districtione regulari ordinavit Abbatem Rainardum; cujus etiam corpus in eodem Monasterio est sepultum. Hic etiam Monasterium sancti Petri Milidunensis ab imo relevavit, & monachos in illo mittens Abbatem Walterium eis præfecit. Hic matrem Ecclesiam sancti Stephani, quæ igni cremata fuerat, ab epistyliis erigens, & ex integro perficiens, signis & ornamentis Ecclesiasticis decoravit, & adjunctis sibi Milone Episcopo Trecacensium, & Eriberto Autissiodorensium, & Rocleno quoque Nevernensium, cum maximo honore dedicavit. Eâdem quoque die ad stipendia Clericorum ibidem Deo famulantium tria altaria sub privilegii testamento delegavit. Deinde brachium sancti Leonis Papæ cum digitis sancti Ebbonis, ab Abbate Rainardo & à fratribus Monasterii sancti Petri multâ prece obtinens, auro & gemmis ornavit, & eidem casæ Dei contulit; pro quibus mutuâ vicissitudine, & pro remedio animæ suæ de altario sancti Saviniani, quod triginta passus à cryptâ Monasterii abest, & de altario S. Sanctiani, quod est in villâ Sanceias & de altario S. Petri, quod est in villâ quæ Alsonus vocatur, & de altario S. Lupi, quod est in villâ quæ Naudus dicitur, perpetua privilegia unà cum consensu & voluntate Papæ Romani, & Coëpiscoporum suorum, sancto Petro ejusque Monachis fecit. Decrevit etiam ut Abbas ejusdem Monasterii in conventu Abbatum vel Clericorum post Episcopum primus sedeat, & inter cæteros ejusdem Episcopatûs Abbates primatum teneat. Ipse autem talem se exhibeat, ut dignus sit tali honore. Tabulam quoque ex auro & argento ante altare sancti Stephani construxit, de quâ postmodum ante monasterium facta est turris. Iste Seuvinus apud urbem Romam per manum Joannis Papæ Archiepiscopale pallium, quo antecessores ejus infulati sunt, & Primatum Galliæ suscepit. Et quandiù vixit, multa bona Clericis & Monachis dedit. Vixit verò in Episcopatu annis viginti duobus, sepultusque est juxtà suum præceptum in Capitulo S. Petri.

Sevinus obiit.

In ipso anno tradidit Walterius miles, & uxor ejus castrum Milidunum Odoni Comiti. Congregans autem Rotbertus Rex exercitum & Burchardus Comes, convocatis Normannis cum suo Duce Richardo, castrum ipsum obsedit. Castro igitur capto suspensus est Walterius & uxor ejus in patibulo. Burchardus autem Comes castrum à Rege recepit, sicut antea possedit.

Igitur Rainardus Comes Vetulus, sanctæ Columbæ Abbatiam tenens in beneficio, plurima ei abstulit, retinens in usus proprios. Similiter Cœnobium sanctæ Faræ Virginis, quod in dominio habebat, multis modis aggravavit, necnon & Abbatiam sanctæ MARIÆ Virginis destruxit in quantum potuit; in cujus possessione castrum quod Joviniacus dicitur, firmavit. Aliud verò castrum construxit in terrâ Ferrariensis cœnobii, quod ex suo nomine castrum Rainardi vocavit. In parte vero quâdam ipsius urbis turrim maximam ædificavit. Sicque intentus curis hujus sæculi senex & plenus dierum obiit, sepultusque est in Basilicâ sanctæ Columbæ Virginis, cui ejus filius Frotmundus successit, habens in conjugio filiam Rainaldi Remorũ Comitis.

Rainardus Comes Abbatiarum bona aufert.

Anno millesimo acclamante Clero & populo electus est in Episcopatu Donnus LEOTHERICUS ipsius Ecclesiæ Archidiaconus, cui resistebant plurimi Clericorum cupientes Episcopium: quâ de re Romam adiit Gerbertum Papam, qui & Silvester dictus est, cujusque discipulus in Remensium urbe fuerat juvenis. Quem ille gratanter recepit, cum benedictione apostolicâ remisit, & totius Galliæ Primatum dedit. Unde rediens Senones cum pace, susceptus est à clero & populo honorificè. Volentibus autem eum inthronizare, prohibuit Frotmundus Comes natus ex malâ progenie. Habebat enim filium Clericum nomine Brunonem, quem volebat Episcopum facere. Quare Donnus Leothericus iterum Papam adiit. Qui mittens litteras suas ad suffraganeos Episcopos Ecclesiæ Senonicæ, jussit ut congregati in unum Apostolicâ auctoritate eum ordinarent. Qui jussa complentes, consecraverunt eum apud sanctæ Faræ Monasterium.

Leothericus Pontif. Senon. eligitur.

Cui adversatur Comes.

Consecratur in Monasterio S. Faræ.

Anno MI. obiit Henricus Dux Burgundiæ sine filiis.

Anno MXII. obiit Frotmundus Comes bonæ memoriæ.

Anno MXV. facta est traditio Senonicæ urbis, & RAINARDUS Abbas Monasterii S. Petri Vivi obiit.

Rainardus Abbas: quæ

Monasterio contulerit, describuntur.

Hic Monasterium sancti Petri ab imo renovavit, & claustra Monasterii cum domibus ad se pertinentibus ædificavit. Tabulam etiam auream & argenteam ante altare construxit: Crucem auream cum gemmis fabricavit: Signis, codicibus, palliis, sacris vasis, & reliquis ornamentis Ecclesiasticis idem Monasterium ditavit.

Leothericus Archiep. plures SS. Reliquias reperit, easque exornat.

Donnus autem LEOTHERICUS quantam venerationem circà Sanctorum titulos & solemnitates habuerit, paucis dicemus. Qui quâdam die adhuc vivente præfato Abbate Rainardo investigare cœpit, ubinam essent recondita corpora sanctorum Saviniani & Potentiani. A tempore enim Willelmi Archiepiscopi ob timorem Paganorum erant abscondita in antris. Repertis autem eis per notitiam cujusdam veterani, Martini nomine, servi ejusdem loci, cum omni diligentiâ condiderunt ea in locellis plumbeis, plura miracula ibi operante virtute Domini. Post hæc idem Archiepiscopus cœpit diligenter inquirere, & Christum continuis precibus exorare, ut ei dignaretur ostendere quo loco tegebantur Reliquiæ, quas Hieremias Archiepiscopus asportaverat de sancti Richerii basilicâ. Christo autem adimplente desiderium sui famuli, invenit eas per revelationem retrò altare sancti Stephani. Apertâ igitur arcâ in qua continebantur, tanta curationum genera evenisse noscuntur, quanti aliquâ parte corporis imbecilles ibi confluxisse monstrantur. Dedit etiam ipse Archiepiscopus sancto Petro & sancto Saviniano terram de Tillido, & de Gerillias, & sylvam de Arceâ, cum duabus Ecclesiis quæ in eâ sunt, per deprecationem FRODONIS Archidiaconi, de cujus beneficio erant

Multa Cœnobio S. P. Vivi largitur.

Abbatiam quoque sanctæ MARIÆ quæ est extrà muros urbis, dedit Leothericus Archiepiscopus in beneficio Frotmundo Comiti, ad opus filii sui Rainaldi Clerici, defuncto Grimerio Abbate ipsius Ecclesiæ, & Archiclavi S. Stephani. Tunc verò quidquid boni adhuc possidebat ejusdem Ecclesiæ locus, idem Frotmundus suis militibus in beneficio, tradidit, Bernardo Presbytero ejusdem loci.

In illis diebus obiit vir Dei Adraldus Archidiaconus Tricassinæ civitatis, & requiescit in Cœnobio Sancti Sepulcri, quod ipse exstruxit in eodem pago.

Eodem tempore migravit ad Christum sanctus GISLEBERTUS Meldensis Episcopus, cujus vita multis claruit virtutibus.

Rainaldus Comes Seno. nequissimè se gerit.

Mortuo Frotmundo Senonum Comite, & sepulto in capitulo sancti Eraclii, successit ei RAINARDUS filius ejus nequissimus, qui persequutionem intulit Ecclesiis Christi, & Leotherico Archiepiscopo, in tantum ut etiam (quod dicere & audire horribile est) quando ille divinum officium celebrans, vultumque dans populo salutabat, ille vultum avertens in posterioribus suis ei pacem offerebat: nonnunquam in faciem ejus spuebat, homines ejus interficiebat, eumque modis omnibus injuriabat. Ob propter consilio Romani Pontificis, & Abbatis Ecclesiæ Cluniacensis, necnon suffraganeorum Episcoporum, & optimorum Procerum, præcipueque Rainaldi Pariensis Episcopi, anno ab Incarnatione Christi MXVI. 10. Kalendas Maii civitatem Regi Rotberto reddidit. Ipse verò Comes fugiens nudus evasit. Frater autem ejus Frotmundus, & quidam milites urbis turrim defenderunt multis diebus. Quos tandem Rex cepit, & victus pietate vivos abire sinit. Frotmundum autem Aurelianis in carcere trusit, ubi obiit.

Ingo Abbas S. P. Vivi.

In eodem anno mortuo Rainardo Abbate sancti Petri Vivi, successit ei Donnus INGO Abbas sancti Martini [illegible]acensis, & sancti Germani Pariensis, consanguineus etiam Regis.

Rainardus autem Comes fugiens de civitate, sicut jam dictum est, pervenit ad Odonem Comitem. Colligentes igitur ambo exercitum, construxerunt castrum Monsteriolum nomine super Sequanæ fluvium. Dedit autem idem Rainardus Odoni Comiti illud castrum in beneficio, quod fuit in scandalum magnum Regi & Reginæ, & Archiepiscopo. Erat enim ex sancti Stephani beneficio. Sumptis igitur viribus ipse Rainardus obsedit civitatem, vastans omnia per circuitum tribus diebus. Tunc quoque incensa est Basilica S. MARIÆ extrà muros, & S. Leonis, necnon & S. Desiderii, cum ipsis duobus suburbiis. Quam persequutionem sequuta est fames valida, & mortalitas magna. Postea pacificatus est Rex & Archiepiscopus cum Rainardo, datis illis obsidibus sub sacramento. Reddidit autem ei Rex medietatem civitatis, & Archiepiscopus suam medietatem, tali tenore, ut post mortem ejus medietas civitatis cum Comitatu deveniret in dominium sancti Stephani, & medietas in dominium Regis. Postquàm verò receptus est in civitate, pluribus injuriis Archiepiscopum affligens, servos Christi & suos ad mortem usque persequens, quidquid boni anteà promiserat irritum fecit.

Sub ipso tempore exorta est magna hæresis, nova & inaudita in urbe Aurelianensi. Quapropter accersiens Rex Archiepiscopum, jussit congregari in eâdem urbe synodum. Erant autem ipsi hæretici ex melioribus ipsius civitatis Clericis. Communi verò consensu & voluntate omnium convicti omnes, perpessi sunt ignis incendium.

Aureliis hæretici ignis supplicio puniuntur.

Post hæc THEODERICUS Episcopus Aurelianensis relinquens Episcopatum, venit Senonas in Ecclesiâ B. Petri, ubi nutritus fuerat tempore Rainardi Abbatis sui avunculi. Ubi commorans diebus non paucis, profectus, ut iret ad limina Apostolorum, exivit: perveniensque ad castrum Tornodorense beato fine quievit in ipsâ nocte, sepultusque est in Basilicâ sancti Michaëlis Archangeli, defunctus VI. Kal. Februarii.

Theodericus Episcop. Aurelian. Monachus S. Petr Vivi.

Eodem tempore HLUDOVICUS Comes Alemannorum orationis causâ profectus est ad sancti Michaëlis periculum, rediensque usque Senonas infirmitate carnis præventus, in Monasterio sancti Petri Monachus effectus, migravit in astra locandus, relinquens ibi possessiones in villâ quæ dicitur Ariscurt, & pallium unum quod usque hodie vocatur pallium HLudovici.

Ludovicus Comes habitum monast. induit.

In tempore illo factus est magnus conventus in Antissiodorensi pago, in Airiacâ-Villâ, à Leotherico Archiepiscopo. Ubi de singulis locis delata sunt sanctorum Martyrum, Confessorum, Virginum pretiosa pignora in suis scriniis. Inter quæ de Cœnobio B. Petri Vivi dum deferretur, vel referretur beatus Martyr Sanctianus, imminentibus noctium tenebris super duo capita scrinii emicuerunt duo præclarissima sydera, omnes totius noctis tenebras sui splendore superantia, oculis quidem deducentium visibilia, sed tactu impalpabilia. Ibi verò præsentes fuerunt Rotbertus Rex, & Goslinus Bituricensis Archiepiscopus, cum aliis Episcopis, & Abbatibus, & populo innumerabili. Ibi etiam multa disposita sunt ad utilitatem Ecclesiarum.

Sinodus in Airiacâ-Villâ.

In illis diebus transiit de hoc mundo Sanctus Erveus Thesaurarius S. Martini Turonensis, vir bonæ vitæ.

Abbatiam S. Mariæ instaurat Leothericus Præcentor.

Inter hæc defunctus est Rainaldus Archidiaconus, qui Abbatiam sanctæ MARIÆ tenebat in beneficio. Dedit autem eam Leothericus Archiepiscopus LEOTHERICO Præcentori qui cœpit eam restaurare per manum Bernardi Presbyteri, perficiens cancellos, & mittens in eo sex Clericos.

Ermenaldus Abbas S. P. Vivi.

Anno MXXV. obiit Ingo Abbas IV. Kal. Februarii, cui successit Donnus ERMENALDUS. In cujus tempore Rex Robertus & Constantia Regina composuerunt sancto Saviniano loculum auro, argento, & gemmis pretiosis ornatum. In quo inseruerunt etiam cum eo corpus sancti Eodaldi [h] cum ossibus parvuli unà humati in loculo plumbeo, in quo ante continebantur. In quâ translatione quidam cœcus recepit lumen, & pluvia quæ à Paschâ Domini non pluerat, abundanter descendit: & hæc translatio facta est VIII. Kal. Septembris.

In illis diebus auferebant sancto Petro Villam Ausonis, quam reddidit eidem sancto, & Abbati Ermenaldo, eo satagente, ODO Comes famosissimus.

Anno MXXVII. obiit FULBERTUS Carnotensis Episcopus vir sapientissimus, & bonæ vitæ.

Anno MXXXI. jam regnante HAINRICO filio ejus, obiit Rex Francorum Rotbertus. Hic sancto Petro & sancto Saviniano Præceptum Regale de suis rebus fecit.

Gelduinus sedem Archiep. Senonens. usurpat.

Anno MXXXII. obiit LEOTHERICUS Archiepiscopus, & GELDUINUS in sede sublimatus, non electione Cleri vel populi, sed muneribus. Donnum verò Mainardum Clericum prudentissimum ipsius Ecclesiæ Thesaurarium, virum nobilissimum, in ipsâ urbe majorem & primum, omnis populus à minimo usque ad majorem ad Episcopum quærebant, sed vicit potentia Regis. Qui Gelduinus apud Parisium susceptâ benedictione Pontificatûs XV. Kal. Novembris, nullo modo Senonas civitatem intrare potuit, resistentibus Odone Comite, Daimberto Vice-comite, & patre ejus Mainardo suprà memorato, & cæteris Proceribus.

Eodem igitur anno in messione subsequenti Rex copiosum exercitum applicuit Senonis: & in villâ quæ Massiacus major dicitur, castra posuit. Comes itaque Andegavensium Fulco, qui primus post Regem erat in ipsâ expeditione, Abbatiam sancti Petri fregit, clausum Monachorum terrâ tenùs incidi fecit. Unde Monachis contrà eos Sanctorum pignora deferentibus, quidam eorum furentes se ipsos interfecerunt, talique conflictu, & ejusdem urbis militum assultu multi ceciderunt; cæteri verò fugerunt. Rex autem tactus amore sui patris Rotberti, qui valde ipsum locum dilexit, vi quâdam ab ipso loco eos ejecit. Deinde post tres dies rediit Parisius, & subsequenti anno venit Senonas cum tribus millibus virorum, & castra posuit in loco qui dicitur Chaliciacus. Ubi diebus septem morantes, Abbatiam sancti Remigii, & Burgum sancti Leonis, nec non & sancti Eraclii fregerunt, prædati sunt & incenderunt; atque quosdam ante mœnia urbis jaculis interfecerunt, deinde ad patriam redierunt.

Anno MXXXIV. werpivit Odo Comes Regi Hainrico medietatem urbis Senonicæ, & Gelduinus receptus est in sede in quâ nondum fuerat, resistentibus pluribus: & Abbas Gerbertus missus in Abbatiam sanctæ MARIÆ foris muros.

Quanta mala Gelduinus intulit monast. S. P. Vivi.

Anno MXLVI. Obiit Ermenaldus Abbas, quem Gelduinus Archiepiscopus, alter, ut verè dici potest, Archembaldus, omnibus modis quibus scivit & potuit inquietavit, afflixit, & injuriavit, servos & ancillas Abbatiæ prædando, carcerando, & omnia mala faciendo, etiam & ornamenta Ecclesiæ quomodocumque subripere poterat invadendo, suisque complicibus, quorum similis erat, dando. Obiit autem VIII. Kal. Novembris, & sepultus est in claustro sancti Petri. Cui successit Donnus GERBERTUS Monachus ejusdem loci; quem suprà diximus Abbatem sanctæ MARIÆ. Huic Gelduinus reddidit caput sancti Quiriaci, quod de ipsâ Ecclesiâ, scilicet sanctæ MARIÆ, ante fuerat translatum in matre Ecclesiâ sancti Stephani. Eodem tempore defunctus est Frotmundus Trecacensis Episcopus, cui successit Mainardus Archiclavis sancti Stephani.

Gerbertus Abbas ibidem.

Tunc temporis ODO Comes exercitum congregavit, & contrà Ducem Goscelonem perrexit, & castrum, quod Barrus vocatur, tandem postea illud cepit, & in crastinum cum ipso Duce & Alemannis pugnavit. Victus fugam iniit, fugiens cum multis Proceribus & innumerabili multitudine militum, interfectus obiit. Postea sanctus ODILO Abbas Cluniacensis obiit virgo centenarius in die Circumcisionis Domini, cui Donnus HUGO successit, vir totius honestatis. Post hæc sequenti tempore Gelduinus, peractis in Episcopatu annis decem & octo, projectus est de Pontificatu à Leone Papa & Rege Hainrico, gaudentibus Clericis, & lætante populo. Cui successit MAINARDUS Trecacensis Episcopus, & LEOTHERICUS Præcentor ordinatus est Antistes Ecclesiæ Laudunensis. Postea ipso Gelduino reclamante se injustè depositum, & Mainardum inthronizatum, auctoritate Papæ Leonis convocati, & in Concilio dijudicati, amisit uterque donum curæ pastoralis. Postea verò propter utilitatem tam Ecclesiæ Senonensis quàm totius patriæ circumjacentis, totius Concilii concordante consensu Mainardus est restitutus. Gilduinus autem pro suâ miserabili vitâ dejectus, omni honore est privatus. Reversus namque à Româ Rodulfum Comitem adiit, & castella quæ ex paterno jure contingebant, ut se adjuvaret, dedit; sicque se ab omni honore expulit. Donnus verò Mainardus ab Apostolicâ sede rediens, clerum & populum lætum propter se invenit, & in pace rexit. Ipse oblationes Ecclesiarum reddidit Canonicis, quas Præpositi abstulerant illis: Abbatiam sancti Petri, & Abbatem, & Monachos, quippe quia inter eos ab infantiâ fuit nutritus & litteris doctus, valde dilexit. Consuetudines pravas, injustas, & malas, quas Gelduinus in eâ miserat, & Rainardo Comiti sua inertia mittere siverat, omnes ad nihilum magnâ vi & potentiâ redegit, & plus omnibus suis antecessoribus eam sublimavit. Hoc multum obfuit, quòd parum superfuit.

Gelduinus exauctoratus.

Mainardus successit.

Leo Papa Frotmundum Trecens. Episc. consecrat.

In hoc tempore Papa Leo venit Lingonas civitatem, ubi ordinavit Frotmundum Trecorum Pontificem, ibique obiit Petrus Diaconus ejus, sepultusque est in Capitulo sancti Mammetis.

Tempore illo misit Rex HAINRICUS Walterium Meldensem Episcopum, & Wascelinum de Chalinaco, cum aliis ad quemdam Regem in finibus Græciæ, qui vocabatur Gerisclo, de terrâ Rusciæ, ut sibi daret filiam suam in uxorem. Quos ille cum pluribus donis, & cum filiâ remisit in Francia.

Anno MLV. in Kalendis Augusti, secundâ feriâ, lunâ quartâ, facta est tempestas valida & nimia per totum Senonicum pagum, quæ vastavit omnia sata, & segetes, & vineta, & nemora, & interfecit homines & jumenta. Et in eodem anno vigiliâ Cœnæ Domini XIV. lunâ, ante Parasceven feriâ v. post primum pullorum cantum, effecta est ipsa luna tota nigra sicut carbo exstinctus, ferè duabus horis, & post facta est in eclypsin, iterum reaccensa; & in ipso anno mortuus est Comes Rainardus, filius Frotmundi, persequutor sanctæ Ecclesiæ, sepultusque est in Capitulo sanctæ Columbæ. Tunc Rex Hainricus possedit civitatem, & omnia quæ ipse habue-

h *Eodaldi*] Acherius: Meliùs, Victorini, ut habetur in actibus S. Saviniani & lib. de SS. Reliquiis S. Petri Vivi, à Gaufrido conscripto anno 1298.

rat. Deinde Rex Hainricus, convocatis Proceribus Franciæ, filium suum Philippum per manus Gervasii Remorum Archiepiscopi in Regem fecit ungere.

Anno MLX. obiit Rex Hainricus. Hic regale Præceptum fecit de Abbatiæ rebus sancti Petri, sicut fecerat & pater ejus Rotbertus. Mortuo autem Hainrico Rege apud Victriacum castrum in Bieriâ, & sepulto in Basilicâ sancti Dionisii, Rodulfus Comes consanguineus ejusdem Regis duxit uxorem in conjugio contrà jus & fas, unde fuit excommunicatus. Balduinus verò Comes Flandrensis Regem parvulum Philippum aluit, & Franciam gubernavit.

Richerius Archiep. Senonens.

Anno MLXII. Obiit Mainardus Archiepiscopus, peractis in Episcopatu annis XII. & mensibus tribus, & octo diebus, & juxtà patrem suum Mainardum, & Dainbertum Vicecomitem fratrem suum sepultus in Capitulo sancti Petri. Cui successit in Archiepiscopatu Domnus RICHERIUS, ipsius Ecclesiæ Archidiaconus, Dei voluntate ab omni clero & populo electus. Qui ordinatus Parisius in die sancti Paschæ ab Episcopo Gotfrido, & aliis, præsente Rege cum Principibus, rediens inde Senonas in octavâ Paschæ, est receptus cum gaudio in propriâ sede.

Anno MLXIV. Rex Philippus fecit regale Præceptum de rebus sancti Petri Vivi, sicut pater suus Hainricus.

Anno MLXV. BERNARDUS Miles, & dominus castri Barris montis, in Capitulo sancti Petri Vivi, & uxor ejus HUMBERGA competierunt & receperunt ab Abbate Gerberto, & à Monachis ejusdem loci quartam [i] de villa, quæ dicitur Riciacus, & de Ecclesiâ ejusdem villæ, similiter & de villâ quæ vocatur Pauliacus.

Anno MLXVIII. incœpta est renovari Ecclesia sancti Saviniani sociorumque ejus Martyrum, quæ in principio Christianæ fidei ab ipsis idolis quibus polluebatur, quorumque immundissimis immolationibus fœdabatur, emundata, in honore Salvatoris est consecrata. Postea quoque ab eis pleniùs jacta sunt fidei semina in urbe Senonicâ, & in circumpositis urbibus ipsi sancti cum maximâ multitudine in eâ post multa & exquisita tormenta decollati, & honestæ sepulturæ sunt traditi. Quæ quia vili schemate construebatur, à fidelibus honestior ut fieret, diruebatur. Quod dum fieret, inventa sunt sepulcra eorum, quæ à nullo mortalium quo in loco essent sciebantur, plena sarcofagis & loculis saxeis, plumbeis, gypseis, & septis atque complanatis lidoriis, quæ omnia plena erant corporibus honestissimè palliatis, aromatizatis; & quod mirum est, quibusdam deerant capita, quidam etiam in pedibus habebant sandalia. Inter quæ etiam subter suppedaneum altaris lapidem repertus est tumulus laterculario cementarioque luto compositus, in quo inventus est titulus in quodam latere, hujusmodi.

Calcator mundi jacet hac Titulfus arenâ,
Corpore contectus, sydera mente tenet.

Inventum est quoque in quodam lidorio hoc scriptum: *Hic positus est Tetulfus ante sepulcra Martyrum, fabricator hujus Ecclesiæ.* Pro his igitur & aliis, quas referre longum est, causis, major incœpta Ecclesiæ fabrica quàm dispositum fuerat. Præerat huic operi dispositor & largitor munerum & mercedum ODO quidam sacerdos: qui quia avarè & cum murmure hæc faciebat, correptus semel, & secundò, & tertiò ab eodem beato Saviniano, & à religiosis parœchianis, non resipuit; unde languens & miseram vitam ducens, non plusquàm annum unum vixit. Suscepit autem opus Ecclesiæ, & largè & honestè perfecit vir quidam BALDUINUS, Major hujus Abbatiæ, & Petronilla uxor ejus, & uterque eorum felicem vitam divites, & bonis omnibus abundantes consummaverunt.

Anno MLXXIV. fundatum est Molismense Cœnobium. Fondatio Monasterii Molismensis.

Anno MLXXV. Arnulfus Abbas S. Columbæ detulit de Italiâ reliquias de corpore S. Thebaudi, fratris sui, & posuit in eâdem Abbatiâ, cœpitque ædificare Ecclesiam in honore ejus sancti, quæ est euntibus de civitate ad eamdem Abbatiam juxtà viam ad dexteram manum.

Anno MLXXVIII. misit Richerius Archiepiscopus Monachos de Caritate, in Ecclesiam sanctæ MARIÆ ante portam.

Anno MLXXIX. Obiit Gerbertus Abbas S. Petri, vir bonæ memoriæ, qui eamdem Abbatiam rexit annis XXXIII. mensibus VII. & VIII. diebus. Ampliavit autem Abbatiam de multis possessionibus quas emit & acquisivit labore suo: & sepultus est in Ecclesiâ sancti Saviniani, VIII. Idus Julii. Cui successit Donnus HAIMO Monachus ejusdem loci XVII. Kal. Aug. Quo die summo mane fuit terræ motus magnus sine vento, & pluviâ, & tonitruo. Haimo Abba, S. P. Vivi.

Anno MLXXXI. fuit Concilium apud Exolduini castrum XV. Kal. Aprilis.

Anno MLXXXII. 14. Kalend. Novembris obiit WALTERIUS Meldensis: & in sequenti septimanâ HUGO Diensis Episcopus, Romanæ Ecclesiæ Legatus, congregavit Concilium in eâdem urbe, & ordinavit Episcopum in eâdem urbe ROTBERTUM Abbatem Ecclesiæ Resbacensis. Quod quia sine præsentiâ & assensu Richerii Archiepiscopi, & Coepiscoporum ejus factum est, excommunicaverunt eum. Rotbertus Ab. Resbac. renitente Archiepisc. Seronensi fit Epis. Meldens.

Anno MLXXXIII. BERENGARIUS Turonensis Magister, & admirabilis philosophus, amator pauperum effloruit: hic composuit orationem illam, quæ sic incipit: *Juste judex* JESU-CHRISTE. Post hæc fidelis & verè Catholicus vitam finivit; super cujus tumulum hujusmodi epitaphium est: Obiit Beringarius an. 1083. seu 1088.

Quem modo miratur, semper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.

Anno MLXXXV. obiit Haimo Abbas sancti Petri 18. Kal. Maii, & sepultus est in Claustro ejusdem sancti juxtà Abbatem Ermenaldum avunculum suum. Hoc anno magna pars æstatis sine pluviâ fuit, & erat nimis necessaria arboribus & satis. Verùm Monachi S. Columbæ attulerunt corpus S. Lupi in Ecclesiâ S. Stephani, quem receperunt Canonici cum magnâ devotione. Et eo exeunte de Ecclesiâ, descendit abundanter pluvia, unde cuncti reddiderunt Deo & eidem sancto Lupo gratias. Eodem quoque anno Richerius Archiepiscopus ordinavit WALTERIUM Meldensem Episcopum 4. Nonas Novembris, excommunicato suprà dicto Roberto. Valterius ordinatur Episc. Meldens.

Anno MLXXXVI. HERMINUS Abbas recepit Abbatiam sancti Petri.

Anno MLXXXVII. delatum est corpus sancti Nicolai Myrreorum Episcopi apud Barrum. Præcepto Regis Philippi in mense Maio multa millia Francorum perrexerunt in Hispaniam, in adjutorium Anfuldi Regis Christiani, cujus terram & regnum invadere volebant Pagani, egressi de finibus suis jam mare transito. Sed audientes adventum Francorum, timore perculsi redierunt in sua. Ipso anno 6. Idus Septembris obiit Willelmus Rex Anglorum & Comes Normannorum.

i *quartam*] Scilicet partem, quo loci fuit fundata Abbatia Molismensis.

Anno MXCII. Philippus Rex dimisit uxorem suam nobilissimam, de quâ habuit filium suum HLudovicum, & accepit Bertradam, quæ reliquerat Fulconem Andegavensium Comitem.

Anno MXCIII. Incensum est & incredibili modo crematum Cœnobium sancti Petri, cum totâ villâ: & Ecclesiâ sancti Saviniani in Kalend. Septembris, nocte mediâ. Unde damnum quod ....

Anno MXCIV. congregavit Philippus Rex Archiepiscopos & Episcopos regni sui, in Remensi urbe, & obtinuit ab Archiepiscopo Richerio magnis precibus, ut Remis ad Concilium non dedignaretur ire; ostendens Rainaldum Remensem Archiepiscopum podagrico dolore contractum, non posse progredi de suâ sede: & perrexit Richerius Archiepiscopus Remis, & susceptus est cum maximo honore à Rainaldo Archiepiscopo, & universo Clero Ecclesiæ Remensis, & sedit in Concilio in nullo inferior Remensi Archiepiscopo, sed penitùs par & æqualis, utpote qui non per aliquod debitum illuc perrexerat, sed per dilectionem & orationem Regis. Eodem anno obiit Berta Regina, quæ à Rege Philippo priùs fuerat derelicta, ipso Rege adhuc tenente Bertradam, quam huic superduxerat reclamante justitia.

Anno MXCV. Urbanus Papa XIV. Kalend. Decembris apud urbem Arvernis Concilium fecit præsentibus CCC. Episcopis & Abbatibus. Item in eodem anno fecit aliud Concilium apud urbem Turonis XVII. Kalendas Aprilis. Item hoc anno jubente Donno Richerio Archiepiscopo, in Monasterio sancti Petri Vivi factus est Conventus solemnis, & sacratissimum caput beatissimi Gregorii Doctoris, quod erat repositum in quodam scriniolo, unà cum osse de corpore sancti Patris nostri Benedicti Abbatis, palam omnibus ostensum, & exinde in VI. Kalendas Maii, ut solemniter hæc dies in Monasterio agatur stabilitum.

Translatio Capitis S. Gregorii in Monasterio S. P. Vivi.

Anno MXCVI. 5. Idus Julii, Obiit Abbas Hermuinus sancti Petri apud Mauriacum.

Eodem anno obiit Richerius Archiepiscopus vir bonæ vitæ & beatæ memoriæ, qui antequàm moreretur VI. Kalend. Januarias, in die scilicet festi Joannis Evangelistæ, accersitis personis sanctæ matris Ecclesiæ Senonum, Daimberto scilicet Præposito & Archiclavi, nondum sed mox post eum futuro Episcopo, & Helduino Archidiacono, & reliquis Archidiaconis, & Præcentore, & nonnullis Proceribus Senonicæ urbis, misit & mandavit Fratribus Monasterii sancti Petri, ut eo vivente eligerent & providerent sibi Abbatem. Quod & fecerunt, eligentes omnium minimum ARNALDUM Monachum, eique præsentaverunt. Cui ipse multis præsentibus quis esset intimavit, scilicet ex humili parentelâ & sanguine ortus, quemque sic volebat vivere ut dignus esset regere commissos, de quibus ipse unus volebat esse, & corpus suum eidem in eâdem Abbatiâ concessit humandum. Quod aliter evenit, quàm ipse jussit, prævalente invidiâ æmulorum Ecclesiæ sancti Petri. Ipse tamen omnia quæ habebat dans Ecclesiis, Clericis & Monachis, atque pauperibus, peractis in Archiepiscopio XXXV. annis, exceptis tribus mensibus & septem diebus, nudus omnibus rebus temporalibus diem clausit extremum; & quia de ejus sepulturâ corporis lis timebatur, sepultus est in Ecclesiâ sancti Stephani, in oratorio sancti Laurentii Martyris. Eodem verò anno, ipso adhuc vivente perrexerunt in Jerusalem multa millia bellatorum, equitum, & peditum, divitum & pauperum, quia invaserant Persæ, & Turci, & Babylonii, & aliarum regionum ignotarum incolæ, Deum ignorantes, Hierusalem, & omnes civitates usque Constantinopolim, quorum timore nullus Christianorum audebat adire sepulcrum Domini.

Arnaldus Abbas S. P. Vivi.

Verùm præfato Richerio de medio sublato, successit DAIMBERTUS ipsius Ecclesiæ Vicedominus, nobilis & clarus, ab omni clero & populo electus. Permansit autem sine benedictione pastorali anno uno, & duobus mensibus. Postea verò Romæ à Papa Urbano consecratus, cum Apostolicâ benedictione & pallii decore rediit, in sede propriâ locatus XIV. Kalendas Maii, Anno MXCVIII. ab Incarnatione Domini, lætante Clero, & bonâ devotione populi. Cujus jam in Archiepiscopio XI. anno penè peracto, testor Deum nusquam Abbatiam sancti Petri vel audisse, vel legisse, aut vidisse, quietiùs vixisse, vel fuisse ab omni inquietudine. Det Deus succedentia tempora sub eo, & cum eo habere læta & prospera.

Daimbertus Archiepiscop. Senonens.

Anno MXCVII. V. Kalendas Octobris luna XXVII. visa est in cœlo in parte Septemtrionali, zona ignea sanguinei coloris, longissima & multa latitudine expansa, emittens quoque terribiles radios versus meridiem. Visa est verò per totam noctem ab ipso crepusculo usque in lucem. Isto anno obiit Hugo Canonicus, Camerarius Fratrum, omnium ferè Canonicorum suorum contemporalium eruditor strenuus, cui parcat misericors Dominus, Amen. Hoc anno obiit Urbanus Papa, & Paschalis successit: quo etiam anno capta est Hierusalem ob occidentalibus militibus mense Julio; & de Christianâ gente tunc primùm ipsa civitas sancta Regem meruit habere Christianum.

Anno MC. fuit Concilium apud urbem Pictavis XIV. Kalendas Decembris.

Concil. Pictaviense.

Anno MCIII. Hugo Comes Trecassinæ Campaniæ, & uxor ejus nomine Constantia, precatu Arnaldi Abbatis, dederunt Ecclesiæ sancti Petri Vivi ancillam unam apud sanctum Potemium, & unum de filiis ejus nomine Belerium cum uxore quam accepturus erat; & quinque sextaria salis depensu librarum in festo sancti Joannis Baptistæ: & litteris firmaverunt sigillatis, quas habemus.

Comes Trecensis quædam elargitur Cœnobio S. P. Vivi.

Anno MCIV. ARNALDUS Abbas Romam petiit cum litteris Domini Daimberti Archiepiscopi, & cum litteris Richardi Romanæ Ecclesiæ Vicarii & Episcopi Albani, cumque litteris Hugonis Lugdunensis Archiepiscopi, necnon & Donni Hugonis, Abbatis Cluniacensis. Invenit quoque apud sedem Apostolicam Donnum Richardum Archiepiscopum Cantorbiensem, & Episcopum cum eo Vincestrensem. Horum autem omnium precibus & multorum aliorum qui aderant, impetravit à Donno Paschali Papa secundo Privilegium apostolicum huic Ecclesiæ de omnibus rebus ad se pertinentibus. Quod recepit IV. Idus Novembris.

Arnaldus Abbas Romam petit.

Anno MCV. tenuit Concilium apud Trecas RICHARDUS Albaniæ Episcopus V. Kal. Aprilis. In quo Concilio recitatum & confirmatum fuit Privilegium sancti Petri ab omnibus consedentibus in ipso Concilio. Illic quoque Abbas Arnaldus deponere fecit Gausbertum quemdam Decanum Mauriacensem præceptis ejus inobedientem & rebellem, & Casæ Dei Monachum; & misit ibi Decanum de suis monachis nomine Petrum de sancto Balderio. Inde rediens captus est ab inimicis militibus cognominatis Robertinis, & ductus est in carcerem in pago Lemovico, in castro quod dicitur Ventudunus. Hoc autem totum factum est tractatu Petri Aimari cujusdam militis, qui reclamabat in Ecclesiâ Mauriacensi consuetudines, quas assequi, quia rectitudo ei abstulit, minimè potuit. Contigit autem ut eo tempore Episcopus Claromontensis, vir religiosus nomine Petrus, congregato maximo exercitu circà Auriliacense Cœnobium (ut mos est Episcoporum præ-

Consilium Trecense.

fatæ urbis) hostes quæreret, qui nunquam desunt sanctæ Ecclesiæ. Pervenit autem ad aures ejus, relatione Widonis & Rodulfi fratris ejus, qui Domini erant castri quod dicitur Scurrilias, quique hominium fecerant præfato Abbati, dolo & machinatione sæpe dicti Petri Abbatem carceratum. Unde super eum & super castrum ejus, quod dicitur Miramons, faciem exercitûs vertit, & vellet nollet, Abbatem & suos concarceratos cum suis omnibus melioribus rebus reddere fecit.

Concil. Pictavense.

Anno MCVI. fuit Concilium apud urbem Pictavis.

Concil. Trecense.

Anno MCVII. tenuit Concilium apud Trecas Papa venerabilis Paschalis secundus. In quo intentio ejus maxima fuit de Hierosolymitano itinere & de treuvâ Dei. Item in hoc anno consecravit Donnus Daimbertus Ecclesiam in honore Sanctorum Martyrum Saviniani & Potentiani in pago Milduino, in villâ quæ dicitur Rampellunnus.

Anno MCVIII. tertio Kal. Augusti obiit PHILIPPUS Rex Francorum. Qui inter cætera sua bona facta Monachis sancti Petri & sancti Saviniani Præceptum Regale fecit, sicut fecerat pater ejus Hainricus, de quiete terræ ejusdem Abbatiæ. Dedit etiam ad restaurationem ejusdem Abbatiæ post incendium quod passa est in diebus ejus, anno scilicet Incarnationis Dominicæ MXCIII. novem marcas argenti.

Ludovicus Rex inungitur ab Archiepisc. Senon.

Cui successit in regno filius ejus HLUDOVICUS, qui unctus est in Regem tertio nonas Augusti à Daimberto venerabili Senonum Archiepiscopo, & à suis Coëpiscopis apud Aurelianam civitatem. Qui multa passus à Proceribus Franciæ in eodem anno, præcipueque à Widone, Rubeo cognominato, qui ei fraude & dolo suo filiam suam nuptum dare volebat; quod quia dignitati Regiæ indecens erat, & Consulibus regni displicebat, auctoritate Apostolicâ Paschalis Papæ dimiserat. Cui Widoni in ipsa hyeme magnâ vi & magnanimitate, per nives & per grandines, per tempestates hyemales castrum, quod dicitur Firmitas-Balduini, muniens illud circum circà vallo & palo, manuque militari, abstulit, & sibi retinuit.

Hoc anno obiit Willelmus Abbas sancti Remigii XIV. Kal. Junii, qui Monachus & nutritus fuit ejusdem loci. Cui successit in Abbatiâ Willermus nutritus & Monachus S. Petri Vivi & sancti Saviniani, expetitus & requisitus à Fratribus ejusdem loci, & à Donno Daimberto Archiepiscopo & à clero Senonensi in Capitulo nostro, præsente Arnaldo Abbate, & Fratribus ipsius Cœnobii, & concessus ad regendum prædictum Cœnobium. Ordinatus est autem Idibus Junii, in quâ die celebratur transitus sancti Agricii Archiepiscopi & Confessoris, cujus corpus requiescit in Ecclesiâ sancti Petri Vivi & sancti Saviniani Martyris. Hoc quoque anno fuit aliquanta venditio annonæ, ita ut venderetur sextarius frumenti sex solidis, ordei IV. avenæ III. siliginis V. Hoc iterum anno perfecta est turris & coopertura super chorum Cœnobii sancti Petri Vivi.

Item in hoc eodem anno venerunt alienæ gentes exeuntes de finibus suis transmarinæ, quas quidam Amorreos, quidam Amirales vocabant, & fecerunt de se tres partes: quarum una tetendit super Sarracenos, duæ super Christianos: & venerunt non longiùs quàm est iter trium aut duorum dierum à civitate Barcinonâ. Verùm consilio accepto Barcinonenses, Comes scilicet & Episcopus, & Proceres, & compatriotæ quibus incumbebat necessitas, reclamaverunt advocationem Regis HLudovici, & miserunt ad eum causidicos suos, Episcopum scilicet ipsius civitatis cum paucis nuntiis. Qui querimoniam suorum civium & compatriotarum suorum ipsi Franciæ Regi referentes, invenerunt eum variis militiæ bellis implicitum, scilicet versùs Regem Anglorum, Ducem Normannorum, qui contrà jus & fas denegabat facere hominium quod debebat & debet Regibus Francorum. Similiter & Consul Pictavorum, & Dux Burgundiorum, & multi alii Consules qui sunt sub Rege Francorum. Cum quibus omnibus pro instante necessitate pacem fecit supradictus Rex, quibusdam inducias & treuvas dando, de quibusdam hominium debitum accipiendo. Unde confidens plurimùm Rex spopondit legatis supradictis, se verè præparaturum ad ferendum illi patriæ auxilium. Et ad curiam suam quæ in Pentecostes futura erat (nam hæc fiebant in diebus præcedentis Quadragesimæ) dixit se suum consilium, ut dignitatem Regiam decebat, accepturum. Inde supradictus Episcopus cum sociis suis lætus cum Regis gratiâ retrogradum iter arripuit. Tum temporis Abbas Arnaldus apud Urtieidum quamdam villam sancti Petri & sancti Saviniani pro quibusdam opportunitatibus Mauriacensis loci demorabatur. Quæ villa in pago Arvernico sita non longiùs ab ipsâ urbe, scilicet Arvernis, quàm septem milliaribus abest, in publicâ viâ quâ ad sanctum Ægidium itur. Illic didici à præfato Episcopo & sociis ejus quæ scripsi. Addiderunt etiam & dixerunt quòd supra scriptæ gentes à Monte pessulo non longiùs erant quàm itinere quinque dierum, similiter & de sancto Ægidio.

Nova translatio corporis S. Benedicti facta Anno 1107.

Verùm ut ad quædam, quæ de præterito anno, Incarnationis scilicet Dominicæ millesimo centesimo septimo, quatuor diebus ante præsentem annum de quo agitur, redeam, meminisse decet, & scire est utile de Translatione sanctissimi corporis communis Patris Benedicti. Quòd causâ meliorandi capitii, vel Monasterii Floriaci loci (qui super Ligerim fluvium est, vel nominatur) in navi ipsius Ecclesiæ per aliquod tempus collocatum est. Hoc anno præscripto, perfecto capitio, & choro cum membris & utroque latere convenientibus, Abbas SIMON qui ad hoc sategerat, & plurimùm laboraverat, & intendebat, ut in die transitûs ejusdem sanctissimi Patris, duodecimo Kal. Aprilis, in priori loculo, qui honorabilior erat, transferret, præventus morte reddidit Deo debitum patris nostri Adæ, & sepultus est in claustro ejusdem Cœnobii. Verùm convocatio populi quæ per multa loca facta fuerat, plurima ad diem denominati festi convenit, sed non quanta debuit: quis enim deesse debuit? Credo nullus quem pes portare potuit. Ad hunc conventum venit & interfuit LUDOVICUS Rex designatus, cum multis Proceribus Franciæ Regni, & communi lætitiæ suam conjunxit. Adfuerunt quoque JOANNES Episcopus Aurelianensis, HUMBALDUS Episcopus Autissiodorensis, viri religiosi cum maximâ Cleri ac populi multitudine. Eâdem die dedicaverunt majus altare in honore S. MARIÆ Dei Genitricis; & aliud, matutinale scilicet, in honore S. Benedicti, sub quo positæ sunt ipsâ die sanctæ Reliquiæ ejusdem Patris. Translatum est autem sanctissimum corpus in conspectu omnium qui adfuerunt, insertum in metallino quodam & cupreo scrinio, in quo priùs, ut creditur, positum fuit quando allatum est de Cassino monte. Illic vidi flentes præ gaudio Regem & Principes, & omne vulgus, præcipueque Monachos & Abbates, hymnos & laudes ut decebat dicere volentes, sed præ lacrymis non valentes. Levatum itaque tantum Gazophylacium, auro & argento, gemmisque omnibus carius, superpositum est feretrum auro gemmisque fabricatum tanto Patri congruum. Eâdem die fecerunt Monachi ipsius Ecclesiæ concedente præfato Ludo-

vico, & patris consensum promittente, præsentibus præfatis Episcopis, & Abbate S. Launomari Blesensis, & me, qui Monachus ipsius loci sum, & elegerunt Bosonem quemdam Priorem cujusdam suæ cellæ. Hoc totum factum est XIII. Kal. Aprilis. Rex autem Philippus vixit usque in mense Julio, & in fine ipsius mensis, scilicet III. Kal. Augusti, obiit apud Milidunum, præcipiens suum corpus ferri & tumulari in Monasterio S. Benedicti, donans ipsi loco plurima donaria, ut magnificentiam regiam decebat; cujus filius Ludovicus, Rex III. nonas Augusti factus, valde ipsum Cœnobium dilexit, & rebus temporalibus crevit.

Hoc iterum anno venit quidam peregrinus apud castrum Nantonis & obiit, sepultusque est juxtà stratam publicam ejusdem castri, ubi factus est per multos dies multus concursus populi utriusque sexûs. Cujus nomen ignorantes, sanctum Peregrinum eum vocaverunt. Quem dicunt etiam fecisse signa, quod dimitto industriæ sagacis lectoris.

Hoc anno Ludovicus Rex Monachis sancti Petri Vivi regale Præceptum fecit, sicut fecerat Henricus avus ejus, & Philippus pater ejus.

Anno MCIX. fuit Pascha Domini VII. Kal. Maii, quod est ultimum Pascha. In subsequenti Maio, vel Junio, atque Julio, venditio annonæ, quam in præterito anno verno tempore diximus frumenti fuisse VI. solidorum, duplicata est, ita ut frumentum venderetur XII. solidis, aliæ annonæ similiter duplicatæ sunt. Hoc anno Ludovicus Rex juvenis cum multis suis Consulibus, vel Proceribus, bello vel amicitiâ pacem fecit. Tempestates multæ factæ sunt, vis grandinum, & ventorum, & fulgurum, & fragor nubium cum petris cadentibus, multos homines occiderunt, arbores eradicaverunt, domos everterunt, vineas ærugine ventoque subsequente læserunt, racemos perpaucos & tenues nobis reliquerunt. Præscripto die sancti Paschæ quidam duo fures calices tres, quorum unus major, duo minores de auro & argento aptè compositi, dum in refectorio manducaremus, furati sunt. Quorum primus jam pro simili vel pro alio nescio quo furto cæcatus, in eodem anno suspensus, indignam vitam dignâ morte finivit.

Decani Mauriacens. crudelitas.

In ipso eodem anno Petrus Decanus Mauriacensis, faventibus quibusdam Monachis ipsius Monasterii, eruit oculos cujusdam Capellani, quem fecit capere in nocte subsequente nativitatem Beatissimæ Dei Genitricis MARIÆ, scilicet V. Idus Septembris. Quod ideo facere jussit, quia idem Capellanus ad Abbatem Senonas venerat, auxilium & consilium quærere de quibusdam damnis, quæ ei faciebant Decanus & Monachi. Unde Abbas eis litteras ut ad se emendaturi venirent, misit: quas dedignati sunt accipere. Quapropter idem Abbas XII. Kal. Novemb. movit, & Cluniacum tetendit, & ibi per tres dies commoratus est, & fecit festum Omnium Sanctorum Kal. Novemb. & accepit societatem ejusdem loci. Ubi etiam conquestus est cum Abbate ejusdem loci, & aliis sex Abbatibus, qui convenerant in præsentiâ Donni Richardi Romanæ Ecclesiæ Legati, de dedecore facto Ecclesiæ S. Petri, & sibi. Quod ipse audiens, & mirum ducens, Petro Arvernorum Episcopo, in quem confidebant ipsius malefacti factores ac fautores, litteras misit, quarum est exemplar.

Subjici renuit Abbati S. P. Vivi.

Epistola Richardi Alban. Episc. Claromont. Episc. ut Decanum Mauriac. coerceat.

» RICHARDUS Albanensis Ecclesiæ qualiscumque » Minister, Apostolicæ sedis licet indignus servus & » Legatus, PETRO Carissimo Arvernorum Episcopo » salutem. Abbas sancti Petri Senonensis Monasterii » conquestus est apud nos de inobedientiâ & rebellione Mauriacensis Decani, & fautorum ejus. Quod graviter ferentes utpote de Romanæ Ecclesiæ filio, vobis mandamus & præcipimus, ut ab « Ecclesiâ sanctâ hoc tantum dedecus summoveatis, « nec filios contumaces in pertinaciâ suâ esse sinatis, « sed ad Abbatis obedientiam in præsentiarum « venire cogatis. Quod si neglexerint, & mandatis « nostris non acquieverint, gladio Spiritûs sancti « eos ferimus, & ut itidem faciatis præcipimus. « Præterea ex ejusdem inobedientiæ radice Sacerdotem « quemdam cæcatum pro certo accepimus, « quod severe, & pro modo culpæ vindicandum « judicamus. Itaque laïci qui tyrannidem hanc exercuerunt, « & cæcati Presbyteri bona invaserunt, « vel possident, excommunicentur; qui verò Sacerdotes, « vel Clerici cooperatores aut consentientes « fuerunt, officio divino arceantur, rebus Ecclesiasticis, « ac justitiis (quas nos præbendas vocamus) « priventur, talique sententiæ subjaceant, « quæ eorum culpæ conveniat, & quam cæteri timeant. «

Favet Decano Episcopus Claromont.

His litteris apud Claromontem ab Abbate Episcopo delatis, finxit se & dixit eidem Abbati juvaturum, quod non fecit. Namque idem Abbas montana conscendit, Mauriacum adiit, cum eodem Decano, quia res ita exigebat, præsentibus duobus Abbatibus, scilicet PETRO Auriliacensi, & alio S. Martini de Tutelâ, & RODULFO Priore de Casa Dei placitavit, & in eodem placito præfatus Decanus fretus militari manu, & multorum laïcorum, qui illuc confluxerant; & præcipuè cujusdam Archipresbyteri, nomine Petri de Sennis, qui consensu Episcopi ei consentiebat, consilio, dixit se nihil propter Abbatem facturum, neque de objectis responsurum, donec ante Episcopum. Quod audientes religiosi viri, qui illic aderant, dixerunt eum inobedientem & rebellem, non ut Monachum se habere vel esse. Quâ pro re eum Abbas & consentientes ei excommunicavit, & claustrum Monasterii ne ingrederetur, foras expulsus prohibuit. Qui spernens omnia jussa Abbatis, cum quatuor Monachis, qui ejus turpi vitæ concordabant, ingrediebatur & egrediebatur, & cum militibus castri (quod vocatur *Clavers*) quique eruerunt oculos Capellani, & cum illis de Monteclaro, & de Salerno, atque de Seurralliis, sæpe consilium fecit de captione Abbatis, & de morte sociorum ejus, & de distributione equorum ejus: & nonnunquam noctis tempore assultus milites super eum fecerunt illi, quos sibi consociaverat, dans & promittens terras & possessiones Ecclesiæ Mauriacensis. Hæc autem omnia & his pejora fiebant in diebus Adventûs, & festis Natalis Domini, similiter & post octavas Theophaniæ. Videns autem Abbas quòd non pœniterent, sed dictim ad Episcopum, in quo confidebant, apud Claromontem irent & redirent, cogitans quoque quia hi qui eum auxiliabantur, & in quibus confidebat, instabant quotidie, dicentes, ut faceret Decanum aliquem Monachum aut de Casâ Dei, aut de Cluniaco, prævidensque quòd perditio loci esset, dimissis omnibus laïcis consilium habuit cum Monachis omnibus, exceptis tribus excommunicatis, & constituit Decanum ROTBERTUM de Capsanâ cognominatum, tunc Priorem de Urticido, & hoc in die Sabbati. In crastino autem, Dominicâ scilicet die Septuagesimæ, jam explicatâ solemni Missâ, irruit ipse Exdecanus cum militibus multis & hominibus villæ ipsius quos præibat cum spatis nudis, & fregerunt partem curiæ, intraveruntque per vim claustrum, quærentes Abbatem, & Decanum, & Monachos de Franciâ in Refectorio, & in Cellario, & in aliis officinis. Quos non invenientes egressi sunt de claustro, & invenerunt quos quærebant

ante capellam S. Benedicti, considentes & colloquentes. Quos videns Decanus, & sciens quia jam audierat ad se perimendum venturos, currens intravit cameram Abbatis, & clausit ostium post se. Abbas autem & Monachi ejus foris remanserunt, quos verbis plurimùm minati sunt, per capitia cucullarum turpiter apprehenderunt, de planis spatis ferierunt, sed non læserunt. Propter Decanum autem occidendum, quia per ostia domûs quæ fortiter obserata erant, & intrare non potuerunt, super domum aliqui ascenderunt, & de tegulis de quibus camera ipsa tegebatur, removerunt, & perforato tecto lapidem grandem demiserunt, putantes Decanum occidere. Qui lapis corruens cecidit super cistam in quâ erat quantulacumque pecunia, quæ de viatico Abbatis remanserat, quam & habuerunt. Unus autem ex eis jecit fustem quem tenebat, & percussit Decanum in mento, & sanguinolentum fecit. Qui videns se ita opprimi, aperuit ostium cameræ, & fustem tenens manu, loquensque aspera per medios armatos exivit, & per claustrum Ecclesiam introivit, & in vitem quæ ad defendendum in eâdem Ecclesiâ est, ascendit, & ostium post se clausit, in quo defensaculo jam se miserant aliqui de nostris. Hostes autem insequentes Decanum, quia per ostia non potuerunt, per parietes & per clydas quasdam quæ super portam Ecclesiæ erant, frangentes omnia, intraverunt, & ostium per quod idem Decanus in defensaculo illo intraverat conabantur frangere, vel igne allato ardere. Sed unus de amicis Abbatis lanceam tenens, quemdam de servis sancti Petri, qui plusquàm cæteri malum movebat & faciebat, in costis corporis ejus vulneravit, unde aliis hostibus metus magnus factus est, & discesserunt. Unus quoque eorum qui in prædicto defensaculo erant, jaciens lapidem percussit mulierem quamdam, quæ galeam ferebat filio suo Ecclesiam frangenti, & clamabat, percutite, occidite, ardete Francos illos. Quæ de ipsa percussione non post dies multos mortua est. Erat autem filius ejus ille qui accepit & misit in carcere Capellanum, quando perdidit oculos jussu Exdecani Petri de sancto Balderio.

Propter hæc omnia, & quia Monasterium propter sanguinem in eo fusum à divino officio cessabat, misit Abbas duos de Monachis suis Rigaldum & Girardum ad Episcopum, mandans ei rem malè gestam; & ut ad reconciliandam Ecclesiam aquam benedictam, & concessionem reconciliationis annueret. Qui tunc temporis in expeditione ultrà Claremontem itinere dierum trium erat, & quod Abbas mandavit, facere noluit. Tantùm concessit ut Monachi divinum officium in oratorio sancti Benedicti facerent sine sonatione campanarum, & in Capellâ sanctæ MARIÆ ex integro divinum officium celebrarent.

Interim homines de Mauriaco timentes Abbatem discedere propter injuriam sibi factam, firmaverunt in manu ejus se rectitudinem facturos, quam laudaret EBOLUS Vicecomes, & alii quidam Milites qui nominati fuerunt; nec non & si qui alii ab Abbate vocati essent. Unde constituit eis Abbas diem, & habuit laudatores; videntesque se gravari judicio, fidem non sunt sequuti. Quapropter Abbas secundâ septimanâ Quadragesimæ egressus à Mauriaco, Comitissam matrem Comitis, quia Comes Romam erat, adiit. Quæ dedit ei consilium, ut ad castrum, quod Evan vocatur, in Lemovico pago iret, ibique Archiepiscopum Bituricensem Metropolitanum Episcopi Arvernensis, & ipsum Episcopum, nec non & Archiepiscopum Burdegalensem, atque GERARDUM Engolismensem Legatum Romanæ Ecclesiæ inveniret, & coram eis alloqueretur Episcopum de querimoniâ suâ. Quod & fecit: litteras quoque supra scriptas Donni Richardi Legati legere fecit in præsentiâ eorum; quas audientes reprehenderunt eum non obedisse præceptis Legati, & laudaverunt ei ut justitiam plenariam Abbati faceret, & pignora quæ sæpedictus Exdecanus multa fecerat super terras Ecclesiæ sine assensu Abbatis & Capituli, laudaverunt debere esse irrita. Et tunc promisit Episcopus justitiam se facturum Abbati, & diem nominavit quâ apud Urticidum ei mandaret quando montana ascenderet, quod minimè fecit.

Coram Episcopis & Legatis conqueritur Abbas de Episcop. Claromont.

Hoc anno in Lateranensi Ecclesiâ præsidente Donno Paschali secundo, indictione tertiâ, nonas Martii factum est Concilium.

Anno MCX. Abbas Arnaldus ipsâ die Incarnationis Dominicæ in montanis Episcopum Arvernensem, qui clam eo ipsas montanas ascenderat, sequens, venit ad castrum quod vocatur Caslud, & hospitium habuit in quâdam Ecclesiâ, quæ vocatur Bassinivacus, quæ est sancti Petri. Episcopus verò alias quàm ipse putabat tenens vias, & declinans ab eo, rediit ad civitatem suam. Abbas autem ivit Mauriacum, & exspectavit eum sex diebus. In quibus affuit EBOLUS Vicecomes, & alii multi Milites, qui laudaverunt hominibus ejusdem Villæ, qui assultum super Abbatem fecerunt, & Ecclesiam fregerunt, ut darent se ejus misericordiæ, quia rectitudo eos nimis gravaret: quod nequaquam fecerunt. Inde discedens Abbas per magnas nives, & frigora, & præcipitia, rediit Urticidum in Kalendis Aprilis. In crastinâ autem quæ præcedebat diem de Ramis Palmarum misit ad eum nuntios suos, ut requirerent eum quid faceret de justitiâ, quæ laudata sibi & imperata fuerat ab Episcopis. Quibus respondit nihil se facturum. Unde Abbas movens, venit per quinque dies apud Bituricas in feriâ quintâ Cœnæ Domini, & loquutus cum Archiepiscopo impetravit ab eo litteras feriâ sextâ, quarum exemplar hîc est.

Epistola Archiep. Bituricensis ad Episcopum Claromont.

« LEODEGARIUS Bituricensis Ecclesiæ humilis minister, PETRO dilectissimo Arvernorum Episcopo, Euge à Domino. Audito clamore venerabilis Fratris nostri ARNALDI Abbatis Senonensis Monasterii apud Evan, reminiscimur nos vobiscum egisse ac concordavisse, præsentibus, & approbantibus Gerardo Engolismensium Episcopo, sanctæ Ecclesiæ Romanæ Legato, & Burdegalensi Archiepiscopo, quatenùs sicut in litteris Domini nostri Richardi Legati continetur, Mauriacenses Monachos rebelles & inobedientes ad obedientiam ejusdem Abbatis redire compelleretis, quod & vos facturum concessistis. Nunc verò plurimùm miramur quoniam nescimus quo spiritu actus, sicut idem Abbas conqueritur, nihil fecistis. Præsentibus igitur litteris fraternitati vestræ mandamus, imò præcipimus, quatenùs supradictos Monachos ipsi Abbati justitietis, & fautores eorum, simul & omnes illos qui in Ecclesiâ de Mauriaco assultum super Abbatem in die Septuagesimæ fecerunt, sub anathemate ponatis, & in eâdem Ecclesiâ reconciliatione factâ divinum officium celebrare sinatis. Valete pro nobis orans. »

Inde egressus Abbas venit ad sanctum Benedictum, & ibi Pascha Domini celebravit. In feriâ secundâ movens inde venit ad curiam Regis apud Aurelianum, & loquutus cum Rege narravit ea quæ passus erat, quomodo Claromontensis Episcopus litteras, quas per eumdem Abbatem sibi Rex miserat, parvipendens, non solùm non profuerat, sed nocuerat. Unde Rex indignatus misit litteras suas eidem Episcopo, mandans se molestè ferre quòd locum

cum Mauriaci, qui fiscus regalis, & Capella Regum Francorum est, inquietabat, & ne ulteriùs faceret, præcepit, donec in curiâ suâ rectitudinem auditurus si quid in loco illo reclamabat, veniret. Post hæc quoque adiit Abbas præfatum Romanæ Ecclesiæ Legatum Richardum apud Lingonas, eique rem gestam narravit, & ab eo litteras quas suprà memorato Episcopo mitteret, impetravit, quarum exemplar hoc est.

Epistola S. R. E. Legati ad Episcopum Claromont.

» Richardus Dei gratiâ Albanensis Ecclesiæ qualiscumque minister, Apostolicæ sedis licet indignus servus & Legatus, Petro carissimo & venerabili amico suo, Arvernorum Episcopo Salutem. Scripsimus vobis de querimoniâ & proclamatione Donni Senonensis Abbatis & ut Decanum illum de cujus inobedientiâ & rebellione vobis diximus, cum illis qui cum eo ejusdem malitiæ crimen sectantur, ad emendationem & satisfactionem justitiæ venire faceretis, vobis diligenter mandavimus. Sed & de illis qui Presbyterum cœcaverunt, & tanto sacrilegio assensum præbuerunt, tam de Clericis, quàm de laïcis similiter fecimus. Vos autem legationis nostræ negotia parvipendentes, litteras quidem legistis, sed de justitiâ parum profecistis. Nunc ergo iterum earumdem causarum proclamationem retractantes, ex Apostolicâ auctoritate, donec ad emendationem veniant, illos interdicimus, & ut similiter faciatis mandamus iterum, atque præcipimus. Sed & illos qui Ecclesiam fregerunt, & in Abbatem assultum fecerunt, & Monachos qui Abbatis obedientiam contemnunt, similiter interdicimus: & admonitos à vobis nisi Monachi de inobedientiâ, & laïci de assultu Abbatis satisfecerint, excommunicari præcipimus. Quorum enim culpas corrigere est, & non corrigunt, hi profectò malitiæ illorum participes existunt. De terris verò absque jussu Abbatis & Capituli pignoratis, ut eas Ecclesiæ suæ reddi faciatis, præcipimus. Sed & de impugnatione quam laïci in mutando Decano, Abbati & Monachis faciunt, quia hoc sancti Canones prohibent, ne ulteriùs fiat penitùs interdicimus. Valete.

Has litteras cum litteris præscriptis Bituricensis Archiepiscopi, necnon & Regis, misit Abbas eidem Episcopo Claromontensi per Rigaudum Monachum, quem invenit in diebus Rogationum, in eâdem civitate, & litteras quas deferebat, præsentavit. Unde Episcopus dixit se obediturum, & in sequenti sextâ feriâ post Ascensionem Domini montana conscendit, Mauriacum venit, in Dominicâ die Monasterium reconciliavit, & de excommunicationibus quæ sibi in litteris præcipiebantur, partim fecit, partim dimisit, scilicet illos qui parti Decani depositi faverant, & pro eo terras Ecclesiæ ipsius invaserant & tenebant: illos autem qui Decanum Robertum, quem Abbas miserat, calumniabantur & inquietabant, noluit excommunicare. Quod molestè ferens præfatus Monachus, cum indignatione discessit ab Episcopo. Et veniens, ut putabat Senonas, Deo ita ordinante invenit in Abbatiâ, quæ Mozacus vocatur, Donnum Richardum Legatum Romanæ Ecclesiæ, sæpe in hoc scripto inculcatum. Cui quoque sicut gesta erant, cuncta retulit, & cum eo, jubente ipso, Claromontem rediit, & cum eo Pentecosten fecit, & cuncta quæ voluit ab eo impetravit. Namque idem Episcopus licet nolens, in Synodo quam tunc celebrabat, omnes sicut in litteris continebatur, excommunicavit qui meriti fuerant; & Donnus Cardinalis has litteras suo sigillo munitas fecit, & Ecclesiæ Mauriacensi misit.

Episcop. tandem in reos fert excommunicationis sententiam.

Sinodus Claromont.

Richardus Albanensis Ecclesiæ qualiscumque minister, Apostolicæ sedis licet indignus servus Legatus, Mauriacensium fratrum persequutoribus ut resipiscant. Dominus Papa Paschalis in Concilio Trecensi omnes eos excommunicavit qui pacem violarent, & præcipuè eos qui res Ecclesiasticas usurparent, vel personas in aliquo injustè læderent, ut nec in vitâ, nec in morte, Ecclesiæ communionem haberent, nisi dignâ satisfactione resipiscerent. Unde nos ex præcepto Domini Papæ Episcopum Claromontensem Mauriacensis Ecclesiæ persequutores excommunicare præcipimus, & excommunicavimus coram Conventu synodali. Nos quoque eosdem omnes excommunicamus, & eis communicantes à Christianâ communione eos separantes, & ubicumque fuerit aliquis eorum, divinum officium interdicentes, ut secundùm præceptum Domini Papæ nec in vitâ, nec in morte communionem habeant, nisi priùs condignè pœniteant. Hi sunt Scurriliacenses, Salernenses, Monteclarenses, & Mauriacenses burgenses, qui neque Abbati neque Decano obediunt. Si quis autem Presbyter, aut Archipresbyter alicui horum persequutorum fecerit officium, eo ipso quod injustè administrat, officio eum suspendimus in perpetuum, & cum excommunicatis ipsum excommunicamus. Facientes enim & consentientes pari pœnâ digni sunt. «

Richardus L[egatus] hisce litteris excommunicat persecutores Decani Mauriac. & Abbatis.

His litteris addidit verba, prohibuit vivâ voce Apostolicâ auctoritate, ut nunquam Abbas sancti Petri aut successores ejus de alio aliquo monasterio Decanum Mauriaco faciant, nisi de Senonensibus Monachis, aut de Mauriacensibus. Hoc dixit coram Episcopo multis audientibus & mandavit Domino Daimberto Archiepiscopo, ut & ipsum confirmaret. Misit quoque & litteras quas subscripsimus.

Richardus Albanensis Ecclesiæ qualiscumque minister, Apostolicæ sedis licet indignus servus & Legatus, venerabili fratri Daimberto Senonensi Archiepiscopo, & Arnaldo Abbati sancti Petri salutem. Tolosam ad Concilium properantes Claromontem venimus, & Episcopum Synodum celebrantem invenimus, & fecimus eum omnes illos excommunicare, qui excommunicato Priori non abhorrent communicare, & qui Presbyterum excœcavêre, & qui res Mauriacensis Ecclesiæ invasêre, & qui in Abbatem & Decanum assultum fecêre, sic scilicet, ut nec in vitâ, nec in morte, Christianam communionem habeant, nisi priùs condignè pœniteant. Valete. «

Epistola ejusdem Richardi ad Archiep. Senonensem, & Abbatem S. P. Vivi.

In ipso anno celebravit ipse Donnus Richardus Concilium Kalend. Octobris apud Monasterium sancti Benedicti Floriacum. In quo adfuerunt Archiepiscopus Senonensis Donnus Daimbertus & Rodulphus Remensis Archiepiscopus, & Radulphus Archiepiscopus Turonensis, Leodegarius Archiepiscopus Bituricensis, cum Episcopis, & Abbatibus suis. In quorum omnium præsentiâ & auditu, præsente Episcopo Arvernensi, in fine Concilii excommunicavit omnes illos, sive Clerici, sive Laïci essent, qui ulteriùs calumniam facerent Abbatibus sancti Petri Vivi & sancti Saviniani de ordinatione & mutatione Decani vel Prioris Monasterii Mauriaci. Fecit etiam pacem de Abbate & Episcopo Arvernensi Petro de molestiis quas suprà scripsimus. Inde abiens Petrus Episcopus suprà scriptus, in ipso itinere ægrotare cœpit, & perveniens usque ad sedem Episcopatûs sui obiit, & sepultus est in eâdem Ecclesiâ anno Incarnationis Dominicæ MCXI.

Concilium Floriacense.

Obiit Petrus Episc. Claromont.

Anno MCXII. fuit ingens persequutio, & prælia multa inter Regem HLudovicum, & Regem Anglorum, & nepotem ejus Comitem Theobaldum.

Unde multæ crematæ sunt Ecclesiæ, & villæ, & Abbatiæ vastatæ. Quapropter Arnaldus Abbas munivit Burgum sancti Petri vallo, & sepe, & aliis propugnaculis quæ sunt oportuna defensioni.

Anno MCXIII. emit Abbas Molismensis villam, quæ vocatur Pauliacus, de Milone filio Bernardi de Monte Barro, dans centum quinquaginta libras denariorum. Quæ villa cum appenditiis suis est de donationibus, quas dederunt Abbatiæ sancti Petri Vivi Senonensis Ingoara & Leotheria (sicut & Rictiacum) quæ ambæ fuerunt sorores sancti Ebbonis. Dederunt etiam in pago Tornodorense villam, quæ vocatur Fontanas, cum omnibus appendiciis & adjacentiis; & in pago Laslinse Bagnolum, & suprà memoratum Pauliacum, in cujus parrochiâ sita est Molismensis Abbatia. Audiens autem Abbas Arnaldus hanc emptionem quam fecerat supradictus Abbas de Pauliaco villâ, quæ est alodus S. Petri Vivi, adiit eum cum duobus Monachis suis, Helduino scilicet Priore, & Girardo Cellerario, & calumniam fecit. Unde respondit ei Abbas supradictus se loquuturum cum Milone, qui vendiderat, jam monacho, & cum aliis, quorum consilio uti debebat, & responsurum se usque ad Rogationes quæ primæ futuræ erant. Factum est autem hoc in fine istius anni de quo agitur, VII. scilicet Idus Martii.

Anno MCXIV. Quia ut suprà dictum est, Abbas Molismensis se responsurum Arnaldo Abbati dixerat in Rogationibus de terrâ quam emerat, misit ad eum ipse Arnaldus Abbas Guidonem Monachum de Alsono audire responsum ejus. Cui dixit usque ad festum sancti Joannis quod tunc primum futurum erat, accepturum se consilium suum, & responsurum, quod non fecit. Eo autem in tempore accidit, ut pro quibusdam HLudovici Regis negotiis JOSCERANNUS Episcopus Lingonensis Senonas veniret. Quem prædictus Abbas adiit, & caritativè, ut tantum virum decebat, ei servivit, de Abbate Molismensi querimoniam fecit, & de Rainardo de Monte Barro, qui censum de Rictiaco simul & de Pauliaco, unde res agitur, plusquàm per octo annos abstulerat, conquestus est. Qui benignè respondit se eos ad rationem mittere, & justitiam Ecclesiasticam si quando ad eum iret, aut mitteret, facturum, si rectitudinem denegarent. Quâ pro re Abbas Arnaldus ad festum sancti Mammetis quod est in mense Augusto, ivit, Abbatem Molismensem caritativè ad rationem misit, quod nihil profuit sibi.

Concilia Belvac. Remense, & Catalau.

Anno MCXV. factum est Concilium Remis v. Kal. Aprilis. Item aliud fuerat celebratum apud Belvacum à CONONE Prænestinensi Episcopo, & Romanæ Ecclesiæ Legato. Rursùs in eodem anno aliud apud Catalaunum v. Idus Julii. Hoc eodem anno accepit Rex HLudovicus uxorem suam nomine Adelaïdem.

Agitur de lite inter Abbates S. Petri Vivi, Molismensem, & S. Joan. Reomaensf.

Anno MCXVI. Abbas Arnaldus misit Lingonas Walbertum Monachum ad suprà memoratum Episcopum Josceranum in synodo quæ secundùm consuetudinem fit post Pascha, cum litteris Daimberti Archiepiscopi deprecativis pro nostrâ re. Unde respondit Episcopus, & mandavit Abbati se venturum Senonas ad curiam Regis, & ibi se loquuturum cum Abbate, quod & fecit. De Rainardo scilicet denominavit diem apud Retiacum post primam diem festi sancti Bartholomæi in Augusto, ubi Abbas ivit cum multâ infirmitate corporis sui, sed neque judicem, neque responsorem invenit, & sic delusus rediit ad sua. Quapropter ad aliam synodum, quæ fuit post collectionem frugum, misit iterum Abbas supradictum Walbertum Monachum cum litteris, quarum exemplar est.

Epistola Arnaldi Abbatis ad Iosserannum Lingon. Episc.

» Domino suo JOSCERANNO venerabili Lingonensium Episcopo, frater ARNALDUS Abbas monasterii sancti Petri Vivi, sic crucem Domini portare ut ejus remigio valeat transfretare. Manifestum est dignitati vestræ, Donnum Archiepiscopum suas litteras in præteritâ synodo vobis misisse, & de injuriis à Donno Abbate Molismensi, & Rainardo de Monte Barro Monasterio nostro illatis, justitiam vestram acclamasse. Vos autem diem placiti dum Senonas veniretis distulistis, ubi cum vobis præsentarer, tantum de Rainardo apud Retiacum diem posuistis. Quamvis autem debilitati corporis succumberem, tamen quasi in lecticâ me eo devehi feci, sed judice & responsore ibi non inventis pro malè tractato me habui. Proinde ad vos denuò recurrimus, ut nos justitiâ cassari non permittatis. Præterea de Retiacensi Ecclesiâ quam Rainardum adhuc de nobis tenere, nec amisisse sperabamus, vestram misericordiam, & hujus sanctæ synodi acclamamus, ut quid rectitudinis in eâ monstrare poterimus, in jus nobis dirigatis. Valete. «

In ipsâ quoque synodo comperit præfatus Monachus Walbertus, quòd Rainardus Miles de Barro Ecclesiam de Rictiaco, quam de Abbate sancti Petri tenebat, Ecclesiasticâ auctoritate judicante, perdiderat, & Bernardus Abbas sancti Joannis de Prato eam ab Episcopo expetierat, & super nos invaserat. Unde idem Monachus mentionem damni nostri coram omnibus in præfatâ synodo fecit, & quia præfatus Abbas deerat, paucis verbis satisfecit. Quod ubi ad notitiam nostram pervenit, Arnaldus Abbas, quia familiaris & socius nostræ fraternitatis erat, litteras ei misit quarum exemplar hoc est:

Epistola ejusdem ad Abbatem S. Joan. Reom.

» Domno BERNARDO amico suo, Monasterii sancti Joannis Reomensis venerabili Abbati, frater ARNALDUS Monasterii sancti Petri Vivi Abbas salutem in Domino. Si benè & vos & vestra valeatis, inde gaudemus. Cum enim præcipuum sit Domini mandatum, ut invicem diligamus, tamen vos & vestros inter amicos & confratres præcipuos accepimus. Verumtamen cum in synodo Lingonensi noviter habitâ, cui absens fuistis, clamores renovaremus, quos in anteriori synodo habuimus inter cætera de Retiacensi Ecclesiâ quam Rainardus de nobis tenebat, justitiam Domini Episcopi invocavimus, à quo vos eam occupasse accepimus. Ex consulto itaque ejus, & cassidentium vos super hac re convenimus, & ut benignè & caritativè nostra dimittatis, vos admonemus. Si enim, quod absit, post firmatam inter nos & vos societatem ex industriâ occupastis nostra, hoc est, unde in nimiam admirationem vertimur. Et quia Monachi vestri Trecis satis contumeliosè nostris Monachis dixerunt, nos in synodo sine ratiocinatione mutuâ de personâ vestrâ quærimoniam fecisse, id penitùs abnegamus, & ut veridicos nos comprobetis, exemplar litterarum, quas Lingonas misimus, & vobis mittimus. Valete, & nobis super hoc convenienter litteris respondete. «

Has litteras portavit prædictus Monachus Walbertus ad monasterium sancti Joannis, & non inveniens Abbatem, dedit eas Priori & Monachis ejusdem Cœnobii, ut darent Abbati, quod dixerunt se facturos. Nec multo post pro Comite de Monte-Bardo, & Clarebaudo de Capuis, apud castri locum conventu habito, idem Walbertus Episcopo, & Duci, aliisque Principibus Burgundiæ se præsentavit, reiterans clamores, quos erga præfatos Abbates habuerat. Episcopus verò humano pudore magis quàm Dei timore tactus, Bernardo Abbati Monasterii sancti Joannis diem quâ ad jus ipse

& Arnaudus Abbas Monasterii sancti Petri Vivi convenirent, per Archipresbyterum nomine Rainauldum in die Dominicâ quâ *Misericordia Domini* cantatur, determinavit. Abbati verò Molismensi sic, videlicet quòd si diem juris Abbati Arnaldo denominare diffugeret, ipsi Abbati apud Episcopum super hac re nullam spem fore confugii. Huic interminationi Abbas Molismensis se simulans fore obnoxium, diem Abbati sancti Joannis itidem denominatam, & apud Retiacum suscepit. Abbas igitur Arnaldus utrorumque Abbatum adventum Retiaci operiens, spe frustratus est, Mainardo Archipresbytero de Bardo super Sequanam attendente quis Abbatum veniret, vel quis venire renueret. Iste etiam Archipresbyter apud Castrilocum & testis dierum coram Episcopo positarum fuit, & ad diem veniens quomodo utrique se haberent vice Episcopi exspectavit. De importunitate tantæ injuriæ omnibus mirantibus, Rainardus de monte Bardo (intererat enim) nusquam religionem esse acclamavit, & sese ubivis omnibus judicialibus sententiis deratiocionaturum evidenter patefecit; Ecclesiam Retiacensem se & antecessores suos plus centum annis censualem de manu Abbatum sancti Petri Vivi tenuisse, & eam vi Episcopali ab eo extortam Abbatem monasterii sancti Joannis occupasse, Abbate Arnaldo Monasterii sancti Petri Vivi hoc ignorante. Idem Abbas Arnaldus admirans quid Molismensis Abbatis absentia significaret, Molismum abiit, sed Abbatem loci non inveniens, tanto labore frustrà consumpto, ad propria rediit, Priori & Monachis ejusdem loci dicto negotio pro quo venerat.

Anno MCXVII. obiit Paschalis Papa. Hic anno Incarnationis Domini MCIV. Episcopatûs sui octavo, precatu Arnaldi Abbatis fecit Privilegium Ecclesiæ sancti Petri Vivi & sancti Saviniani Protopræsulis Senonum & Martyris.

Anno MCXVIII. facta est Capella apud Saliniacum in Sylvâ, in honore sancti Andreæ Apostoli, & sancti Laurentii Martyris, & consecratum cœmeterium in festo ejusdem beati Martyris IV. Idus Augusti.

Anno MCXIX. Donnus Cono Prænestinus Episcopus, & Legatus Romanæ Ecclesiæ Senonas venit, quem adiit Arnaldus Abbas, & quærimoniam fecit de Lingonensi Episcopo, qui justitiam diffugiebat sibi facere de duobus Abbatibus suprà scriptis. Qui misit litteras, quarum exemplar hoc est.

Epistola Cononis Legati ad Episc. Lingon. pro Arnaldo Abbate.

» CONO Prænestinus Episcopus & Romanæ Ecclesiæ Legatus, JOSCERANNO Lingonensium Episcopo salutem. Quærimoniam venerabilis Arnaldi Abbatis Monasterii sancti Petri Vivi audivimus de Abbate Molismensi, & Abbate Monasterii sancti Joannis de Prato, quorum unus Ecclesiam unam ei aufert, alter villam cum appenditiis suis. Vos autem jam bis diem placiti ei constituistis, sed neque vos neque Abbates ad ullam illarum venire voluistis. Et quia injuriam hujus rei penes vos esse sentimus, mandamus, & mandando obsecramus, ut ei inde plenariam justitiam faciatis. Quòd si facere nolueritis, quærimoniam ejus ante Dominum Papam, quia de Legatione nostrâ est, me sciatis perlaturum, & causam ejus quantumcumque potero prosequuturum.

» Hoc anno celebratum Concilium fuit Remis in Galliâ à Donno Papa CALISTO secundo, duodecimo Kalendarum Novembris.

Decreta Concilii Remensis sub Calixto II.

» Quæ sanctorum Patrum Sanctionibus de Simoniacâ pravitate stabilita sunt, nos quoque judicio sancti Spiritûs, & auctoritate Apostolicæ sedis unanimiter confirmamus. Si quis ergo vendiderit, aut emerit, vel per se vel per quamlibet summissam personam, Episcopatum, Abbatiam, Decanatum, Archidiaconatum, Presbyteratum, Archipresbyteratum, Præpositūram, Præbendam, Altaria, vel quælibet Ecclesiastica beneficia, promotiones, ordinationes, consecrationes, Ecclesiarum dedicationes, clericalem Tonsuram, sedes in choro, aut quælibet Ecclesiastica officia; vendens & emens, & dignitatis officii sui, & beneficii periculo subjaceat. Quod nisi resipuerit, anathematis mucrone perfossus ab Ecclesiâ Dei, quam læsit, modis omnibus abscindatur. Episcopatuum, & Abbatiarum investituram per manum laïcam fieri penitùs prohibemus. Quicumque igitur laïcorum deinceps investire præsumserit, anathematis ultioni subjaceat. Porrò qui investitus fuerit, honore quo investitus est absque ullâ spe recuperationis omnimodo careat. Universas autem Ecclesiarum possessiones quæ liberalitate Regum, largitione Principum, vel oblatione quorumlibet fidelium eis concessæ sunt, inconcussas & inviolatas in perpetuum permanere decernimus. Quòd si quis eas abstulerit, aut invaserit, aut potestate tyrannicâ detinuerit, juxtà illud beati Symmachi capitulum, anathemate perpetuo feriatur. «

Nullus Episcopus, nullus Presbyter, nullus omninò de Clero Ecclesiasticas dignitates, vel Ecclesiarum beneficia cuilibet quasi jure hereditario derelinquat. Illud etiam adjicientes præcipimus, ut pro baptismatis, chrismatis, olei sacri, & sepulturæ acceptione, & infirmorum visitatione vel unctione, nullum omninò pretium exigatur. «

Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, uxorum & concubinarum contubernia prorsùs interdicimus. Si qui autem hujusmodi reperti fuerint, Ecclesiasticis officiis priventur & beneficiis. Sanè autem si neque sic immunditiam suam correxerint, communione careant Christianâ. «

Postquàm celebratum est hoc Concilium Remis, venit Donnus Papa Senonas, quem adiit Abbas Arnaldus; & ostendit litteras quas habet Ecclesia sancti Petri de duabus sororibus sancti Ebbonis, Ingoarâ scilicet & Leotheriâ, quas confirmavit, & approbavit, mittens Episcopo Lingonensi litteras suæ auctoritatis sigillo munitas, quarum exemplar est.

Epistola Calisti Papæ ad Joscerann. Ep. Ling.

CALLIXTUS Episcopus servus servorum Dei, JOSCERANNO Lingonensium Episcopo, Salutem & Apostolicam benedictionem. Abbatis Arnaldi, & Fratrum Monasterii sancti Petri Vivi querelam accepimus, quòd eis Molismensis & Reomensis Abbates quasdam possessiones jam diù à beati Petri Monasterio possessas, injustè abstulerint. Unde Fraternitati tuæ præcipimus, ut longâ dilatione sepositâ canonicam eis justitiam facias. Nec Monasterio eidem obesse permittas, quod secundùm antiquam terræ consuetudinem instrumenta sine impressione sigilli composita declarantur. Data Senonis Nonis Decembris. «

Concilium Bellovac. cui præsidet Cono Legatus.

Anno MCXX. celebratum est Concilium IV. Calendas Novembris à Donno CONONE Prænestino Episcopo, qui tunc Legatus dicebatur trium Provinciarum Rotomagensium & Senonensium, atque Remensium. Ad quod Concilium cum Archiepiscopi cum Suffraganeis suis tam Episcopis, quàm Abbatibus, Belvaco harum invitarentur provinciarum, Donnus Daimbertus Senonensis Archiepiscopus invitatus, molestiâ corporis detentus venire non potuit. Contigit itaque quòd Arnaldum Abbatem sancti Petri Vivi invitaret, cum universis Episcopis & Abbatibus sibi subditis. Arnaldus itaque Abbas monitus libenter se ad tantum iter præparavit, & quam citiùs potuit iter aggressus est.

Primo autem die cum ad Ecclesiam sancti Lupi, videlicet Naudo, pervenisset, defessus itinere, & detentus pluviali tempore corporali infirmitate ingravescente, & præ senectute corporeâ deficiente virtute, in propriâ domo suâ inibi remansit. Mox quemdam Monachorum suorum nomine CLARIUM, ut se excusaret ad Concilium transmisit. Monachus verò ille ad Concilium veniens, Abbatem Arnaldum Dominum suum veris rationibus excusavit, & totum Concilium audivit, & reversus illic ubi eum dimiserat, reperit. Ibique cum per aliquot dies demorarentur exspectantes ut convalesceret, tandem convaluit, & ad proprium Monasterium cooperante divinâ clementiâ redire disposuit.

Reliquiæ S. Nicolai, S. Georgii, & de sepulcro Domini conferuntur Abbatiæ S.P. Vivi.

Cum autem inde exire vellet, accessit ad eum vir venerabilis Alexander vocatus, ipsius Ecclesiæ Capellanus, omni laude dignus, multisque virtutibus honestissimè condecoratus, quatuor phylacteria argenti deaurata, unum de ligno sanctæ crucis Domini, alterum de dente sancti Nicolaï, tertium de sepulcro Domini, quartum de sancto Georgio præsentavit, & ut Domnus Abbas secum deferret, obtinuit. Referens quia cum esset Capellanus Comitis STEPHANI ultrà mare secum ivit, sed antequàm transirent, à summo Pontifice Romanæ Ecclesiæ inter se & Dominum Arnulfum, qui nunc Patriarcha videtur, licentiam ligandi atque solvendi accepit. Postquàm mare transierunt populum convocabat, exhortabatur, pœnitentias injungebat, & ita populum magis virtutibus quàm telis instructum in præliis mittebat. Sicque faciendo ad sepulcrum Domini, sicut idem Alexander referebat, pervenerunt, celebratâque oratione pro quâ venerant, conspectibus Regis se præsentaverunt. Rex igitur Balduinus audiens tantum virum venisse, videlicet Comitem Stephanum, virum in rebus bellicis strenuum, omni religione præditum ad se accersiri præcepit, & apertis thesauris optionem dedit, ut quidquid sibi placeret de thesauro regio acciperet. Tunc Comes Stephanus respondit se divitem possessione auri & argenti, & omnium rerum terrenarum, tantùm se indigere thesauro sanctarum reliquiarum. Audiens hoc Rex vocavit Arnulfum scriniarium suum, & ait ei, ut quidquid sanctuarii in capellâ suâ eligeret, totum absque morâ sibi tribueret. Comes igitur Stephanus accepit de sepulcro Domini, & de cruce ejus, & de corpore sancti Georgii. Effecit autem idem Alexander cum summâ sagacitate, sicut ipse referebat, per societatem quam cum Arnulfo habuerat, ut sibi de iisdem reliquiis clam portiunculas daret; qui non negavit, quoniam antiqua societas eum hoc facere coëgit. Has portiunculas decenter auro argentoque conditas, dimidium dentem sancti Nicolai, pro quo asserebat se dedisse marcam & dimidiam argenti, & integram unciam auri, Domino Abbati apportavit, & in Archivo sancti Petri apportare memorans sic obsecravit.

Alexandri Presbyteri donatio de Reliquiis, & aliis rebus.

» Summe & venerande Pater, lacrymans memo-
» ro cum quanto labore has Reliquias habui, de
» Hierusalem apportavi, & cum quanto autore ser-
» vavi. Ast ego indignus & peccator non ita cum
» digno honore servavi, nec tractavi sicut tractare
» debui. Nunc summe Pater, quoniam thuribulum
» argenteum vobis dedi, & duos argenteos calices,
» alterum horum optimè deauratum, cum casulâ
» & pluviali sacerdotis, cum vestibus reliquis usque
» etiam ad subdiaconum, Missæ necessariis, vobis
» quoque dedo ipsa phylacteria, videlicet cor meum
» & animam meam. Et ut has honorificè tractetis,
» domum meam, quam in castro Pruvini habeo,
» cum omnibus utensilibus suis, & uno lecto vesti-
» to, post obitum meum suscipiatis. Accersitoque
dictatore & notario, cartam vobis scribere facia- «
tis, & obsecro, ut illum qui vobis amodo aufer- «
re voluerit, excommunicetis. Pro hac mercede «
mihi recompensate anniversarium meum quinque «
solidis de eâdem domo eâdem die in refectione Fra- «
trum, & honore harum reliquiarum; ut honori- «
ficè condiantur & in archivo sancti Petri solem- «
niter ab omnibus celebrentur, ad laudem & ad «
gloriam nominis Christi, beneficio cujus dantur «
bona, per omnia sæcula, Amen. «

Elevans itaque Domnus Abbas tanta & tam magna munera, reversus est ad propria. Receptæ sunt autem capsellæ sanctarum Reliquiarum à Clero & populo, monstrata solemniter & deosculata secundo Kalendas Novembris, regnante Domino nostro JESU-CHRISTO, cujus regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum, Amen.

Anno MCXXII. obiit DAIMBERTUS Archiepiscopus anno ordinationis suæ 27. penè transacto, sepultusque est in Capitulo S. Petri Vivi.

Anno MCXXIII. ordinationis suæ agens vicesimum septimum annum, Domnus ARNALDUS Abbas suæ considerans debilitatem ætatis, suæque prævidens vicinitatem mortis, utpote vir fractus plùs sui honoris laboribus, quàm suorum annorum transitionibus, jussit apicibus annotari omnia nomina librorum quæ ipse conscribi fecerat, & benè ornaverat, & per manus notariorum transcriptos, in archivis Ecclesiæ sancti Petri Vivi ad restaurationem & ad usum ipsius Ecclesiæ locaverat. Hæc enim summa omni tempore fuit intentio suæ mentis, subtrahi sibi ferè omnia sæcularia negotia, quamvis plurima molestè occurrerent, mentemque unitam ad se traherent, quatenùs maximè, expeditiùsque in diversorum ornamentorum genere suæ Ecclesiæ laboraret: & maximè scriptoribus instaret, quatenùs libros conscriberent quos ipse Ecclesiæ redderet, & ad Dei servitium faciendum Fratribus coaptaret. In his etiam in tantum erat intentus, ut propriis manibus aliis expers laboribus, ferret libros ac revolveret, membranas etiam secundùm modum voluminum incisas numero Fratribus ad parandum daret; ipseque postea scriptoribus ad scribendum reportaret. Namque tanto ardore & desiderio, tantâque festinantiâ hoc perficere cupiebat, quòd nulla nisi sibi timens dispendium moræ hujuscemodi, negotia velociùs perficere credebat. Et quoniam antequàm ipse susciperet curam rerum gerendarum, Monasterium ex toto fuit succensum, codicesque Ecclesiæ omnes ferè succensi & incinerati, idcircò supradictus Domnus Abbas Arnaldus laborabat, ut penuria librorum, vel vilitas non conturbaret gregem suorum Monachorum. Causam igitur quare nomina librorum notare disposuerit, simplex lector atque prudens invenire poterit. Timebat enim vir venerabilis instantiam temporum, & mutationes personarum, & diversitates intentionum. Multoties enim vidimus, quòd hoc quod præterita persona dilexit, hoc subsequens aut parvipendendum putavit, aut ex toto neglexit. Igitur nomina futuris designare voluit, ut omnes nomina librorum legerent, & lecta memoriâ retinerent, & sicut ipse ad Dei servitium libros dedicavit, ipsi dedicarent, ejusque super hoc excommunicationem omnes universaliter confirmarent. Excommunicavit enim omnes indifferenter qui aliquem vel aliquos subscriptorum librorum vel venderent, vel accommodarent, vel aliquo modo efficerent, quo Ecclesia perderet, & librum non rehaberet. Ipse enim Deo obtulit, & quâ custodiâ potuit munivit. Non ergo culpa constructoris erit, si negligentiâ successorum dispersum fuerit, quod ipse ad honorem & ad gloriam Salvato-

ris construere laboravit. Nomina autem librorum hæc sunt.

Catalogus librorum quos exscribi curavit Arnald. Abbas.

Pentateuchum Moysi, videlicet primam partem bibliothecæ in uno separatim conscripsit corpore, ut Fratres redimeret à toto bibliothecæ onere, qui liber legendus est ex ordine à Quinquagesimâ usque in mediam Quadragesimam. In secundo volumine continentur libri v. Josue, & Judicum, & Ruth, & Hieremias (qui leguntur à mediâ Quadragesimâ usque in Pascha) & Psalterium in eodem volumine. In tertio, Tractatus B. Augustini in Epistolam B. Joannis Apostoli. In quarto, homiliæ 40. B. Gregorii Papæ: & Actus Apostolorum: & Epistolæ Canonicæ, & Apocalypsis. Hæc omnia leguntur à Pascha usque ad Pentecosten. Et in eodem volumine Apostoli Pauli Epistolæ. In quinto, quatuor libri Regum, & Paralipomenon, & passio S. Tiburtii Martyris, & in sexto volumine 15. libri explanationis B. Gregorii Papæ in Job. Altera enim pars hîc habebatur. Hinc quoque leguntur in septimo volumine Machabæorum libri duo, & Ezechiel, & Daniel, & 12. minores Prophetæ: & Esaias: quæ leguntur à Pentecoste usque ad Natale Domini. Aliquos horum librorum tam præcedentium, quàm futurorum necessitas coëgit scribere, alios verò, vetustas renovare. Hinc sequitur Paterius in octavo volumine. Nonum volumen habet Tractatum Origenis super Josue. Decimum habet Dialogum Gregorii, & loci Floriaci descriptionem, & B. Benedicti Translationem. In decimo primo volumine, invenies librum Pastoralem B. Gregorii Papæ. Paulus Longobardorum historiographus numeratur duodecimus, & in eodem inventio capitis B. Joannis Baptistæ. Tertium decimum volumen continet hymnos & cantica totius anni, & gloriosa bella gentilium Hierosolymis & Christianorum, & descriptionem locorum sanctorum. Corpus decimi quarti voluminis continet Epistolas ad legendum dispositas, & ad totius anni Missas prætitulatas. Quinto decimo volumini attribuitur liber interiùs similis, sed exteriùs dissimilis: Interiùs Epistolarum, sed exteriùs argento coopertus. Sed tamen iste fuit factus tempore Domini Hermuini Abbatis. Sextum decimum complent evangelia diebus totius anni competenter attitulata. Hinc sequuntur duo volumina Antiphonarii; primum ab Adventu Domini usque in Pascha, & aliud à Pascha usque ad Adventum. Hos duos si superiori numero conjungere volueris, octodecim invenire poteris. Si hunc in quo legis alios, addere quæris, novemdecim continuè numerabis. Vicesimus libellus est quem dedit nobis eo anno quo incensi fuimus Jotrensis Abbatissa, in quo sunt parabolæ Salomonis, & Cantica Canticorum, & libri Sapientiæ, & Sapientia JESU filii Sirach.

Herberti Abbas dictur S. P. vi.

Anno MCXXIV. qui est annus ordinationis Arnaldi Abbatis xxviij. cum quatuor mensibus, dimisit Arnaldus Abbas Abbatiam suam & HERBERTUS electus est.

Anno MCXXVIII. invisibilis ignis plurimos depastus est in regno Francorum. Cui morbo misericorditer meritum B. Dei genitricis MARIÆ obviavit, præcipuè in urbe Suessionis. Et GUILLERMUS Comes Flandriæ dictus Longa spata, obiit.

Fundatio bbatiæ Vis Lucentis ord. Cist.

Anno MCXXIX. Ecclesia Vallis Lucentis fundata est; cujus primus Abbas Donnus HERPALDUS fuit, sedens annis xxx. PHILIPPUS Ludovici Regis Francorum Remis coronatus est, postea de equo lapsus moritur.

Anno MCXXXIII. Stephanus Cisterciensis Abbas moritur, succedit Rainardus Abbas quartus.

Anno MCXLII. Magister PETRUS Abaëlardus moritur. Cujus sepulturæ insertum est Epitaphium hujusmodi.

Est satis in titulo, Petrus hic jacet Abaëlardus,
Huic soli patuit scibile quidquid erat.

Anno MCXLIII. Ecclesia Vallis-lucentis primò dedicata est.

Henricus, & Hugo Archiep. Senonens.

Anno MCXLIV. mortuus est HENRICUS Senonum Archiepiscopus; & voces auditæ sunt mediâ nocte, primùm in Burgo S. Petri, postea in civitate. Henrico defuncto successit Hugo Archiepiscopus.

Anno MCXLVI. facta est communia in civitate Senonis à Rege Ludovico.

Anno MCXLIX. destructa est Senonum Communia ab Eugenio Papa Romano, & à Ludovico Rege Francorum per deprecationem Herberti Abbatis sancti Petri Vivi: qui Abbas interfectus est ab eâdem Communiâ pro fidelitate suæ Ecclesiæ.

Anno MCL. Belvaco HENRICUS, frater Ludovici Regis Francorum, & Monachus de Clarâ valle Præsulatum tenet, qui postea Remensis Archiepiscopus fuit.

Anno MCLI. Donnus Ugo Autissiodorensis Episcopus moritur, vir bonæ memoriæ. Hic, ut præfati sumus, Pontiniacensis primus Abbas fuit. Sepultus est in jam dicto Cœnobio honore condigno.

Anno MCLII. incensa est civitas Senonensis. Famosus in nostro sæculo Comes Campaniæ Teobaudus moritur.

Anno MCLIII. Donnus Eugenius Papa moritur. Miraculis etiam gloriosis illius sepulcrum illustratum est. Succedit ei Anastasius Papa mense Augusto.

Anno MCLIV. Anastasius Papa moritur senex valde. Succedit ei Adrianus Papa, qui primò Abbas fuit sancti Rufi.

Anno MCLVI. Rex Ludovicus confirmavit Ecclesiæ sancti Petri Vivi transitum, & hospitamentum mercatorum in Burgo, quod voluit auferre suggestione quorumdam habitantium in civitate. Confirmavit etiam omnem libertatem secundùm tenorem Privilegii patris sui.

Nova Inventio SS. Potentiani, & Altini

Anno MCLX. inventa sunt corpora sanctorum Christi discipulorum ac Martyrum Potentiani Altini, sub majori altari à venerabili HUGONE Senonensi Archiepiscopo, in sarcophagis intrinsecùs plumbeis, extrinsecùs ligneis: quæ quidem ibidem diù latuerant, sed à nullo Fratrum in eâdem Ecclesiâ Deo servientium sciebantur. Facta est autem hæc revelatio tempore GIRARDI ejusdem Ecclesiæ Abbatis, ipso cum omni ferè conventu præsente. Præfatus autem Pontifex de tantâ revelatione cum multis Clericorum suorum lætificatus, Deo grates reddidit, & tantorum Martyrum corpora absque diminutione in eodem loco, ubi Deo annuente diù requieverant, sicut priùs erant cum magno gaudio reposuit. Facta est autem hæc grata & beata revelatio VII. Idus Junii, regnante Ludovico Rege. Eodem anno apparuit eclypsis lunæ in mense Augusto: ipsoque anno mortua est Regina Franciæ filia Imperatoris Hispaniæ: Rex verò Ludovicus consilio procerum suorum accepit in conjugem filiam bonæ memoriæ venerabilis Comitis Theobaudi, quam postmodum prædictus Hugo Senonensis Archiepiscopus Parisius in Reginam unxit, ipsamque cum Domino suo Rege

Hugo Senon Archiep. Regem, Reginamque coronavit.

ipso die præsentibus duobus Cardinalibus OTTONE videlicet atque HENRICO Pisano in Ecclesiâ B. MARIÆ coronavit: & in eâdem Ecclesiâ ipsis Cardinalibus, & multis aliis præsentibus Missæ officium solemniter celebravit. Quod factum valde displicuit Remensi Archiepiscopo, & ejus Episcopis.

Anno MCLXII. sanctus Thomas Archiepiscopus ordinatur: fames ingens fuit.

Anno MCLXIII. Domnus Alexander Papa tertius

Concil. Turonense ab Alexandro Papa celebratum.

celebravit Concilium Turonis in octavis Pentecostes, scilicet XIV. Cal. Junii. In ipso verò anno venit idem venerabilis Papa Senonis cum multâ catervâ Episcoporum, & Cardinalium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in festo sancti Hieronymi, quod est II. Kal. Octobris, ubi à prudentissimo Hugone ejusdem urbis Archiepiscopo, & multis Episcopis, Abbatibus, & omnibus vicinarum Ecclesiarum Conventibus, in Ecclesiâ B. Protomartyris Stephani honorificè est receptus. In eâdem siquidem urbe per annum & dimidium in sede Archiepiscopali commoratus, in sequenti anno à præfato Hugone Archiepiscopo, & Clericis ejusdem Ecclesię rogatus, consecravit eis altare in honore beatorum Apostolorum Petri & Pauli in Ecclesiâ novâ XIII. Cal. Maii, in quâ die fuerunt tunc temporis octavæ Dominicæ Resurrectionis. Postea verò dedicavit Ecclesiam beatæ Virginis & Martyris Columbæ VI. Kal. Maii præsente ejusdem Ecclesiæ bonæ memoriæ Abbate Odone, qui ipsam Ecclesiam, ut apparet, à fundamento exstruxerat: qui tamen infrà ipsum annum, est mortuus, & in ipsâ Ecclesiâ sepultus. In Ecclesiâ verò beati Petri Vivi à Girardo venerabili Abbate, & Fratribus ejusdem Ecclesiæ, sæpissimè cum honestissimis & jocundis processionibus & maximâ exultatione susceptus, multoties ibi solemniter Missæ officium celebravit, ipsumque locum, & ejus habitatores sicuti bonus & pius pater benedictionum suarum consecratione sæpiùs munivit.

Diu commoratur apud Senones.

Anno MCLXIV. Sanctus Thomas exulatur.

Anno ab Incarnatione Domini MCLXV. Ludovico Regi natus filius, Philippus nomine, XI. Kal. Septembris.

Anno MCLXVII. Imperator Romanorum Fridericus Romam obsedit odio Domni Alexandri Papæ. Cujus exercitus penè omnis peste interiit: ipse verò cum ingenti tristitiâ ad sua reversus est. Hoc anno discordia nata est inter Regem Francorum & Anglorum.

Guillelmus Archiep. Senon.

Anno MCLXVIII. mortuus est HUGO Archiepiscopus Senonensis, cui successit WILLERMUS, XI. Kal. Januarii consecratus. Item in ipso anno mortuus est Warinus Vicecomes Senonensis, sepultusque est in Capitulo S. Petri Vivi, pro cujus sepulturâ prædicta Ecclesia duos modios frumenti, in molendinis Vicecomitatûs annuatim in perpetuum possidere debet.

Anno MCLXIX. Nonas Februarii Catana urbs in Siciliâ terræ motu ita subversa est, ac si per centum annos non fuisset inhabitata. Ubi Episcopus cum Clero, & Abbate de Mileto, cum XL. Monachis, & populus innumerabilis exstincti sunt.

Anno MCLXX. In transmarinis partibus tantus terræmotus fuit tertio Cal. Julii, ut peremptorum infinitus esset numerus.

Anno MCLXXI. Sanctus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus pro libertate Ecclesiæ IV. Kal. Januarii martyrio coronatus est.

Anno MCLXXIII. igneæ acies nocte in Regno Anglorum visæ sunt III. Idus Februarii; & subsequenti Martio discordia inter patrem & filium, Reges scilicet Anglorum nata est. S. Thomas canonizatus est à Papa Alexandro.

Anno MCLXXIX. Donnus Alexander Papa tertius celebravit Concilium Romæ IV. Idus Martii, feriâ scilicet secundâ post medium Quadragesimæ: & in ipso anno Henricus Comes Trecensis cum Petro de Curtinaco, & aliis multis Jerosolymam peregre profectus est; & filia Regis Ludovici Constantinopolim ducta est, & filio Imperatoris in uxorem tradita: & Philippus unctus est in Regem. Hoc anno vigiliâ sanctorum Gervasii, & Protasii gravi incendio crematum est Cœnobium sanctæ Mariæ, quod est ad portam sancti Leonis [1] . . . . . .

Quodam præsagio pertimescens suaviter equitabat. Volens itaque socios suos attingere, equum suum quo citiùs pergeret cœpit stimulis perurgere; qui celeriùs pedes movens, molli superficie terrâ deficiente, quatuor pedibus in unam partem concurrentibus, corruit in terram toto prostratus corpore. Quod Bernardus Prior sentiens, in alteram partem se projecit, & tam longè in medio agro dissiluit, quod ipsius jacentis pedes equi pariter corruentis sella vix attigit, quod utique sociis accurrentibus immensæ lætitiæ causa fuit. Sic nimirum Deo sanctorumque præsentium patrocinantibus meritis, qui priùs nihil mali pertulerat, & tunc & postea per totum iter permansit incolumis. Non longè autem ab illo loco Armandus & Joannes non sine effusione lacrymarum recedentes ab eis regrediuntur ad propria. Bernardus verò & Philippus Cantor in Galliam revertentes, cum pace atque lætitiâ per viam longi itineris ad civitatem Senonicam perducuntur mensis Januarii die octavo.

Hæc siquidem scripto & memoriæ quatuor de causis commendari voluimus. Primò ut sanctorum veneratio, Ecclesiæque sancti Petri honor & dignitas nostris, successorumque nostrorum temporibus celebrior habeatur. Secundò, ut Mauriacensium fidelitas & obedientia erga suum Abbatem, sanctique Petri Vivi Ecclesiam comprobata noscatur. Tertiò, ut pro diversis rerum eventibus, pro diversis locorum sive temporum qualitatibus, de tam difficili proposito non sine magnâ deliberatione præsumatur. Quartò, ut ex rebus visis & auditis si de Mauriacensis Ecclesiæ personatu quidcumque tale contigerit, faciliùs quid agendum sit videatur. FINIT, AMEN.

Posthæc eodem anno prædictus UGO Decanus visitandi gratiâ matrem suam, sancti Petri Vivi Senonensis Ecclesiam petiit: ubi in ipso Capitulo coram universis Fratribus suam dimissionem, & cætera, sicut à Bernardo Priore & Philippo Cantore facta fuerat, per ordinem recognovit, & certam de omnibus fidem fecit. Hæc alia manu jecta sun[t]

Anno MCLXXX. Obiit Odo Abbas, & successit GAUTERIUS de Naudo.

Anno MCLXXXIV. In vigiliâ B. Joannis Baptistæ civitas Senonensis gravi incendio vastata fuit cum omnibus Ecclesiis, quæ à portâ sancti Desiderii usque ad portam sancti Remigii, à parte orientali & usque ad portam S. Leonis in civitate continebantur. Post etiam hoc incendium sequenti mense, sexto Calendas Augusti combustum fuit Laniacum, & Abbatia tota.

CHRONICON
S. MEDARDI SUESSIONENSIS
Ab anno CCCCXCVII. ad MCCLXIX.

Auctore Monacho Benedictino ejusdem Asceterii.

CCCCXCVII. CLODOVEUS Rex Francorum sextus, Paganus sicut antecessores sui Reges, à sancto Remigio Archiepiscopo Remensi bap- C[l]doveus [b]aptizatus [e]t Christianus [e]t reli-

[1] *Leonis*] Hic folium unum à codice MS. est avulsum.

gionem amplectitur.

tizatur. Hujus Clodovei, primi Regis Francorum Christiani, fuit uxor sancta CROCHILDIS Regina. Tempore Clodovei sanctus MAMERTUS Episcopus Viennensis claruit. His temporibus in Viennâ urbe terræ motus maximus fuit. Ibi multæ Ecclesiæ, & domus multorum concussæ fuerunt & subversæ. Illic bestiæ multæ oberrantes, lupi, ursi, ac cervi, ingressi per portam civitatis, devorantes quamplurimos per totum annum hoc faciebant. In vigiliâ siquidem sanctæ Pascæ dum sanctus Mamertus Episcopus in eâdem civitate Missarum solemnia celebraret, Palatium Regale, quod in eâdem civitate erat, divino igno succensum est.

Ejus filii regnum dividunt.

DXII. CLODOVEUS primus Rex Francorum Christianus obiit, & quatuor filii ejus, THEODERICUS, CHLODOMIRIS, CHILDEBERTUS, & CHLOTARIUS, Regnum ejus inter se æqualiter diviserunt. A transitu sancti Martini usque ad obitum Chlodovei centum & duodecim anni sunt.

DXVII. CHLOTARIUS & CHILDEBERTUS frater ejus peremptis nepotibus, scilicet duobus filiis Chlodomiris fratris sui jam defuncti, partem Regni Francorum quam tenebant inter se diviserunt.

DXXIV. Sanctus BENEDICTUS magnus habetur: BOETIUS occiditur.

DXLIV. Sanctus Pater BENEDICTUS obiit. Sanctus MEDARDUS, & sanctus GILDARDUS magni habentur.

Clotarius Ecclesiam S. Medardi apud Suessiones condit.

DLVI. Sanctus MEDARDUS Noviomensis Episcopus obiit, quem CHLOTARIUS Francorum Rex honorificè sepelivit, & Ecclesiam in honore ipsius extrà civitatem Suessionensem miro opere fabricavit, & multis opibus ditavit.

Obit Clotarius.

DLXVII. CHLOTARIUS tenens totum Regnum Francorum obiit, quem quatuor filii ejus cum magno honore Suessionis deferentes, in Basilicâ beati Medardi sepelierunt anno quinquagesimo primo Regni sui. Quatuor enim filii ejus, scilicet CHAREBERTUS, GUNTRAMNUS, CHILPERICUS, atque SIGEBERTUS de Regno Francorum divisionem legitimam inter se fecerunt. Accepitque Charebertus Regnum avunculi sui Childeberti, sedemque constituit Parisius. Guntramnus accepit Regnum avunculi sui Chlodomiris, sedemque constituit Aureliani. Sigebertus verò Regnum avunculi sui Theodorici, sedemque constituit Remis. Chilpericus verò accepit Regnum patris sui Chlotarii, sedemque constituit Suessionis. Crannus verò filius Chlotarii cum inimicus esset patris & rebellis, jussit eum prædictus Chlotarius Rex pater ejus cum uxore & filiabus igne consumi, & sic factum est. De Chilperico verò filio Chlotarii exivit progenies Regum Francorum, scilicet Lotharius magnus Rex Francorum, quem habuit ex Fredegonde uxore suâ pessimâ, quæ postea fecit prædictum Chilpericum Regem maritum suum causâ adulterii sui occultè occidi.

DLXX. Sanctus Vedastus obiit.

DLXXIV. Sanctus Germanus Parisiensis Episcopus obiit.

DLXXXIII. Pelagius Papa. Mauricius Imperator, cujus filium sanctus Papa Gregorius à sacro fonte levavit.

DLXXXIV. Sanctus Gaugericus magnus habetur.

DXC. Profitente Simone multis cruciatibus affecto, tunica Domini integra reperta est in arcâ marmoreâ in sanctâ civitate Jerusalem.

DXCII. Gregorius magnus ordinatur Papa.

DCIV. Phocas Imperator. Hic Papa Bonifacio petente statuit sedem Ecclesiæ Romanæ caput Ecclesiarum esse; & Pantheon permittit dedicari in sanctæ MARIÆ omniumque sanctorum honore.

DCXI. Eraclius Imperator, qui Crucem Dominicam à Persidâ in Jerusalem reportavit.

DCXXII. Sanctus Gaugericus obiit.

DCXXIX. Sanctus Bavo obiit.

[DCXLI. [a] Constantinus filius Eraclii Imperator.]

DCLVI. Sancta Gertrudis obiit.

DCLX. Adventus corporis sancti Benedicti in Gallias.

DCLXXII. Sanctus Audoënus Archiepiscopus Rotomagensis, & sanctus Leodegarius Episcopus Augustidunensis insignes habentur.

DCLXXVIII. Theodericus Rex, Childerico fratre suo interfecto, in Regno Francorum restitutus est.

DCLXXXI. Ebroinus Princeps Francorum, & Dux, Præfectus Palatii, & Major-domus interfectus est.

DCXXXVII. Pippinus senior pater Caroli Martelli, Princeps Francorum & Dux, Præfectus Palatii, Major-domûs sub Theoderico Rege effectus est.

DCXCIII. Theodericus Rex obiit, Clodoveus filius ejus successit.

DCXCV. Clodoveus puer Rex obiit; Childebertus frater ejus successit.

DCCXII. Childebertus Rex Francorum obiit decimo octavo Kalendas Maii: sepultusque est apud Causiacum in Basilicâ S. Stephani Protomartyris: Dagobertus junior puer filius ejus successit.

DCCXIV. Pippinus senior Princeps Francorum & Dux, Præfectus Palatii, & Major-domûs obiit, & Carolus dictus Martellus in loco patris sui successit. Obtinuitque prædictus Pippinus senior Principatum sub suprascriptis Regibus Theoderico scilicet, Clodoveo, Childeberto, & Dagoberto juniore viginti septem annis.

DCCXX. Daniel quondam Clericus successit Dagoberto juniori in Regno, & Chilpericus nuncupatur.

DCCXXV. Chilperico, nuncupato Danieli, successit in regno Theodericus Rex Francorum.

DCCXXXI. Obiit Beda Presbyter.

DCCXLI. Theoderico Regi successit in Regno Francorum Hildricus qui postea fuit depositus, & in Monasterio beati Medardi Suessionensis tonsoratus. Zacharias Papa. Hildricus Francorum Rex. Carolus dictus Martellus Princeps Francorum & Dux, Præfectus Palatii, & Major-domûs obiit, Pippinus verò junior parvus, & Carolomannus filii ejus loco ejus successerunt.

DCCXLV. Carlomannus frater Pippini junioris parvi Monachus efficitur, & Pippinus junior parvus frater ejus totum Principatum Francorum solus obtinuit.

DCCL. Pippinus junior parvus Princeps Francorum & Dux, Præfectus Palatii, & Major-domûs, filius Caroli Martelli, per auctoritatem Zachariæ Papæ electus est ad Regem, & unctus per manus sanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiscopi; & elevatus est à Francis in regno Francorum in Monasterio sancti Medardi Suessionensis; Hildricus verò, qui falsè Rex vocabatur, tonsoratus est, & in Monasterium missus est.

DCCLIV. Stephanus Papa, qui venerat in Franciam adjutorium & solatium quærendo pro justitiis Ecclesiæ Romanæ, Pippinum unctione sacrâ confirmavit in Regem Francorum.

a *DCXLI.*] Quod uncis inclusum est in hoc Chronico, additum est à Baluzio, ex ipso codice quo usus erat Acherius, qui nunc servatur in Bibliothecâ Colbertinâ.

DCCLXVIII. Pippinus junior parvus Rex Francorum obiit, & Carlomannus, & Carolus magnus filii ejus regnare cœperunt.

DCCLXXI. Carlomannus obiit, & Carolus Magnus solus regnare cœpit in Regno Francorum.

DCCCI. Carolus Magnus Imperator Romanorum factus est. [Terræ motus magnus factus est.]

DCCCXIV. Karolus Magnus [Imperator Romanorum & Rex Francorum,] obiit quinto Kalendas Februarii, horâ diei tertiâ, anno ætatis suæ septuagesimo secundo, sepultusque est in Ecclesiâ Aquisgrani, quam ipse ædificaverat. Ludovicus verò piissimus filius ejus in Regno & in imperio successit. Soror ejus erat Bertha inclyta mulier, & filia prædicti Caroli Magni Imperatoris. Castrum Vici super Axonam cum omnibus appenditiis suis donatum fuit Ecclesiæ beati Medardi Suessionensis [per liberalitatem prædictæ inclytæ Bertæ.

Castrum in Bertha confert S. Medardo.

DCCXXVI. Corpora sanctorum Sebastiani & Gregorii, & quorumdam aliorum à Româ delata sunt in Ecclesiâ beati Medardi Suessionensis,] tempore Eugenii Papæ, & Ludovici Pii Imperatoris.

DCCCXXVI. Corpora sanctorum Marcellini & Petri à Româ delata sunt in Ecclesiâ beati Medardi Suessionensis, tempore Eugenii Papæ & Ludovici.

Corpora SS. Marcellini & Petri in Ecclesiâ S. Medardi Suessionensis.

DCCCXXXIX. Ludovicus pius Imperator & Rex Francorum obiit duodecimo Kalendas Julii, & filii ejus succedunt Lotharius, Ludovicus, & Carolus Calvus. Iste Carolus Calvus postea fuit Imperator Romanorum. Ipse enim mutare fecit corpora sanctorum Medardi, & Sebastiani, & Gregorii, & aliorum, & ponere in cryptas sexto Kalend. Septembris.

Et SS. Medardi. Sebast. & Greg. reconduntur in cryptis.

DCCCLXXVII. Carolus Imperator & Rex Francorum obiit, & Ludovicus Balbus filius ejus successit.

DCCCLXXX. Ludovicus Balbus Rex Francorum obiit, & Ludovicus & Carlomannus filii ejus succedunt.

DCCCLXXXIII. Ludovicus filius Ludovici Balbi Rex obiit, anno verò sequenti frater ejus Carlomannus Rex obiit.

DCCCLXXXIX. Odo cœpit regnare.

DCCCXCIII. Carolus junior nepos Caroli Imperatoris cœpit regnare.

DCCCXCVIII. Odo Rex obiit, & Carolus filius Ludovici junioris regnavit. Iste Odo Rex Ecclesiam beati Medardi in suâ mundeburde & successorum suorum in perpetuum suscepit. Fecit etiam prædictus Rex Odo Castrum de Vico, & de sancto Medardo firmare propter insurgentium Danorum insolentiam; & multa alia bona, possessiones & confirmationes Ecclesiæ beati Medardi contulit.

Castrum de Vico.

DCCCCXVII. Hungri primùm Renum transierunt, & usque Burgundiam pervenerunt.

DCCCCXIX. Conrardus Rex obiit, & Henricus succedit.

DCCCCXXII. Robertus Rex efficitur. Anno sequenti interfectus est à Carolo Rege præliando, & Rodulfus Rex regnare cœpit. Eodem anno Carolus Rex captus est.

DCCCCXXXVI. Rodulphus Rex obiit, & Ludovicus filius Caroli junioris regnare cœpit.

DCCCCXXXVII. Hungri Europam, Franciam & Burgundiam vastaverunt.

DCCCCLIV. Ludovicus Rex obiit, & Lotharius filius ejus succedit. Eodem anno Hungri secundâ vice Franciam vastaverunt.

DCCCCLXV. Monachi apud sanctum Quintinum in Insulâ ponuntur.

Abbatia S. Quintini in Insula.

DCCCCLXXIX. Ludovicus puer filius Lotharii Rex effectus est patre vivente, & volente.

DCCCCLXXX. Saxones Franciam vastaverunt, & à Francis cum Imperatore suo Othone fugati sunt.

DCCCCLXXXVI. Ludovicus Rex, filius Lotharii Regis, obiit, & Hugo, cognominatus Chapez, Dux Francorum (Carolo, fratre Lotharii Regis, avunculo Ludovici Regis filii Lotharii, traditione capto, & apud Aurelianensem urbem cum uxore suâ incarcerato) Rex Francorum effectus est; & ita disjunctum est Regnum Francorum à genealogia Caroli Magni Imperatoris, & Regis Francorum.

DCCCCLXXXVIII. Robertus, inclytus filius Hugonis Chapez Regis Francorum, Rex effectus est, patre vivente & volente.

DCCCCXCVIII. Hugo Chapez quondam Rex Francorum obiit.

M. Quarto Calend. Aprilis die Parasceve factus est terræ motus, & draco in nube apparuit in vespere.

MXXXI. Robertus inclytus Rex Francorum, filius Hugonis Chapez obiit, & Henricus filius ejus successit. Iste Henricus Rex in decimo quinto anno Regni sui Abbatiam beati Medardi de potestate Stephani Comitis eripuit, & in suâ mundeburde suscepit propriis. Castrum etiam de Vico cum appenditiis suis, de quo privabatur Ecclesia tunc temporis incuriâ & nugacitate prædicti Stephani Comitis, Ecclesiæ restituit. Ipsam verò Ecclesiam à molestatione & inquietudine Roberti Militis, Domini de Couciaco, viriliter defendit, & plurimas consuetudines, quas ipse Robertus dicebat se habere in Ecclesiam beati Medardi & in possessione Ecclesiæ, viriliter revocavit.

Henricus Rex Abbat. S. Medardi eximit à potestate Comitis.

MXLIX. Renoldus Abbas Ecclesiæ beati Medardi quia absque voluntate & licentiâ Regis Henrici Romæ vocatus abiit, Abbas esse desiit.

MLIX. Philippus, Henrici Regis filius, Rex effectus est, patre vivente & volente, & communi consensu Francorum.

MIIIC. Godefridus Dux Lotharienſis, & Robertus Dux Normanniæ, & multi alii Principes, & innumerabilis populus Christianorum diversarum terrarum & linguarum, cruces acceperunt contrà Paganos, & iter per Constantinopolim arripuerunt. In anno verò sequenti obtinuerunt inclytas civitates, & plurima castella, in terrâ Bityniæ, Mesopotamiæ, & Syriæ: & in anno tertio obtinuerunt civitatem sanctam Jerusalem, & factus est Godefridus Dux Lothariensis Rex Jerosolymorum. Balduinus verò frater ejus factus est Princeps civitatis Edissæ id est Rohais. Boymondus verò Princeps Siciliæ, factus est Princeps civitatis Antiochiæ. Civitatem verò Nicæam restituerunt Imperatori Constantinopolitano Alexi, & plurimas civitates & castella à Turcis sibi ablata.

MCVIII. Philippus Rex obiit, & Ludovicus Grossus filius ejus successit.

MCXII. Episcopus Laudunensis & omnes Primates urbis interfecti sunt, & civitas igne succensa.

MCXXI. Gaufridus, cognominatus Collum-cervi, Abbas Ecclesiæ beati Medardi effectus est.

MCXXVII. Inclytus Carolus Comes Flandrensis à suis perversis hominibus occiditur.

MCXXIX. Philippus puer, filius Ludovici Grossi, Rex effectus est patre vivente.

MCXXX. Thomas de Marlâ, Dominus de Couciaco, persequutor Ecclesiæ pessimus interficitur.

MCXXXI. Philippus Rex obiit, & Ludovicus junior frater ejus Rex effectus est patre vivente, scilicet Ludovico Grosso. Innocentius Papa secundus, qui illis diebus in Franciam venerat, prædictum Ludovicum juniorem, Philippo Rege fratre ejus defuncto, qui duobus annis, & dimidio regnaverat, Remis inunctum consecravit. Gaufridus, cognominatus Collum-cervi, Abbas Ecclesiæ beati Medardi, Episcopus Catalaunensis effectus est, & Odo Abbas successit. Ecclesia beati Medardi Suessionis dedicatur à domno

Gaufridus Collum-cervi ex Abbate S. Med. Episc. Catalaunensis factus.

Ecclesiæ S. Medardi dedicatio.

domno Innocentio Papa secundo prædicto, Papatûs sui anno secundo, in honore beatæ MARIÆ semper Virginis, & sanctorum Apostolorum & Martyrum, & in honore beati Medardi Episcopi & Confessoris, Idus Octobris. Prædictus siquidem Papa ante dicationem Ecclesiæ prædictæ Odonem Abbatem Ecclesiæ beati Medardi, nolente, sed contradicente Episcopo Suessionensi [in civitate] Aurelianis benedixit pridie Kalendas Octobris.

Galterus Abbas.

MCXXXIII. Odo Abbas decessit, & Galterus successit. Altaria sanctorum Crispini & Crispiniani, sanctorum Apostorum Simonis & Judæ, & sanctorum Marcellini & Petri, sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi, & Capella super murum in honore beati Nicolai, dedicata sunt à Domno Josleno Suessionensi Episcopo.

MCXXXVII. Ludovicus Junior Rex Francorum accepit uxorem, nomine Alienorem, Comitis Pictavorum Guillermi filiam; & per eam factus est Dux Aquitanorum. Ludovicus Grossus quondam Rex Francorum obiit. Ecclesia Corbeiæ combusta [est.] Siccitas inaudita.

MCXLII. Capella S. Bartholomæi in valle, Ecclesia S. Petri de Rotundis, Ecclesia sanctæ Sophiæ apud sanctum Medardum, Altare retro Chorum ad Crucem, dedicata sunt à Domno Ansculpho Suessionensium Episcopo. Omnes istæ dedicationes factæ sunt tempore Odonis, & Galteri, & ingranni Abbatum.

MCXLVI. Ludovicus junior Rex Francorum, & Conradus Imperator Romanorum, cruces acceperunt contrà Paganos, & multi alii Principes Christianorum, & infinita multitudo populorum; & anno sequenti cum maximâ multitudine armatorum equitum & peditum per Constantinopolim Jerosolymam profecti sunt, & inclytam civitatem Damascum cum Balduino Rege Jerosolymitano obsederunt; sed à quibusdam militibus Christianis Syriis traditi, nihil profecerunt, & ita reversi sunt unusquisque in patriam suam, nihil vel parum in terrâ promissionis proficientes.

Ingrannus Abbas.

MCXLVIII. Eugenius Papa Remis Concilium tenuit. Galterus Abbas obiit, & Ingrannus Abbas de Marchenis, Monachus Corbeiæ, Abbas beati Medardi, effectus est. Temporibus Ludovici Junioris Regis Francorum, & Ingranni Abbatis Ecclesiæ B. Medardi, facta est communia in ripariâ beati Medardi, & iterum dissipata.

MCLXVI. Philippus filius Ludovici Junioris natus est.

MCLXXIV. Henricus Archiepiscopus Remensis obiit, & Guillelmus Archiepiscopus successit. [Inundatio aquarum insolita facta est.]

Gaufridus Abbas. Episc. Suess. Hugo & Nevelo.

MCLXXVII. Ingrannus Abbas renuntiavit Abbatiæ, & Gaufridus Præpositus de Ripariâ, Monachus Ecclesiæ, Abbas effectus est. Hugo Episcopus Suessionensis obiit, & Nevelo de Basochiis Episcopus Suessionensis effectus est.

MCLXXVIII. Alexander Papa generale Concilium Romæ in Ecclesiâ Lateranensi celebravit, in Dominicâ mediæ Quadragesimæ.

MCLXXIX. Philippus puer filius Ludovici Junioris, Rex efficitur patre vivente.

Galcherus Bertrannus Abbates.

MCLXXXV. Gaufridus Abbas renuntiavit Abbatiæ, & Galcherus Abbas de Flavigniaco, & Monachus de Clugniacô, Abbas beati Medardi effectus est, & eodem anno, scilicet post decem menses obiit, & Bertrannus successit Abbas. Tempore Bertranni Abbatis insultum fecerunt Suessionenses in Ecclesiam beati Medardi.

MCLXXXVII. Civitas sancta Jerusalem, & universa terra promissionis, à Paganis capitur, & depopulatur in festo sancti Petri ad vincula, præter civitatem Tyrum. Ludovicus filius Regis Philippi natus est. Lucius Papa, qui successerat Papæ Alexandro qui Concilium tenuit generale, decessit, & Urbanus Papa ei successit.

MCLXXXVIII. Philippus Rex Franciæ, & Richardus Rex Angliæ, cum Principibus & populis multis, cruces acceperunt contrà Paganos, & in sequenti anno profecti sunt. Philippus verò Rex Franciæ cum Francis civitatem Tolomaïdam maritimam cum multis aliis Christianis obsedit. Postea verò à Paganis obsidione circumdatur. Tanta verò fuit fames in exercitu Christianorum, quòd gallina venderetur decem solidis turonensibus. Richardus vero Rex Angliæ in Insulam Cypri profectus, Græcis expulsis, totam Insulam suo dominio mancipavit. Postea verò venit cum suo exercitu ad obsidionem Tolemaïdæ. In tertio verò anno postquàm obsessa est, prædicta civitas capta est à Christianis in festo sancti Christophori, & Paganis occisis, captis, & captivatis, & civitate ordinatâ & munitâ reversus est Philippus Rex Franciæ infirmitate cogente. Post non multum verò temporis quædam civitates, scilicet Baruth & Gibel, & quædam aliæ, à Christianis mirabiliter acquiruntur. Urbanus Papa decessit, & Celestinus successit.

MCXCIII. Galterus de Coinssiaco Monachus factus est tempore Bertranni Abbatis, & erat quindecim, vel sexdecim annorum. — Galterus de Coinssiaco Monachus.

MCVIC. Monachi positi sunt apud Vicum. Petrus de Courtemont Monachus efficitur. Arnulphus Piaz nascitur. Bertrannus [Abbas] obiit, & Galterus Balena succedit. — Fr. Petrus de Courtemont.

MCXCVII. Galterus Balena Abbas obiit, & Rogerus Faucillons successit. Celestinus Papa obiit, & Innocentius tertius successit. Tempore Rogerii Abbatis beati Medardi fuerunt in Franciâ duo Apostolicæ Sedis Legati, scilicet Octavianus, & Petrus de Capis, sed non in uno tempore. — Galterus de Balena, & Rogerius Abbas.

MCCII. Balduinus Comes Flandriæ cum Episcopis, Principibus, & populis multis Christianorum, prædicatione bonæ memoriæ Magistri Fulconis Presbyteri cruces contrà Paganos acceperunt; sed quibusdam casibus intervenientibus Constantinopolim contrà Græcos profecti sunt, & ipsam vi capiunt, & prædictum Balduinum Imperatorem Græcorum constituunt. Post non multum verò temporis prædictus Balduinus pugnans cum Comanis & Blacis, ipsis fugientibus cum veloci equo insequutus est cum paucis, & usque hodie incognitum est quid de eo factum sit.

MCCIV. Rogerus Faucillons Abbas resignavit, & Albricus de Branâ ei successit. — Albricus de Branâ: & Milo de Basochiis Abbat.

MCCVI. Albricus Abbas decessit, & Milo de Basochiis ei successit.

MCCVIII. Gobertus de Coinssiaco Monachus efficitur, & erat septem vel octo annorum. — Gobertus de Coinssiaco Monachus.

MCCIX. Ludovicus filius Regis Philippi, Miles efficitur apud Compendium. Innumera multitudo infantium & puerorum de diversis partibus, civitatibus, Castellis, villis, Castris & agris Galliarum, absque licentiâ & assensu parentum exeuntes, dicebant se causâ sanctæ Crucis quærendæ iter ultrà mare arripuisse, sed nihil profecerunt; omnes enim diversis modis perditi, mortui, vel reversi sunt. Dicunt quidam & pro certo affirmant, quòd de decennio in decennium antequam illud mirabile accidisset, pisces, ranæ, papillones, & aves simili modo secundùm genus suum & tempus proficiscebantur. In illo tempore verò tam immensa multitudo piscium capta est, ut omnes mirabiliter mirarentur. Quidam verò senes & decrepiti illud pro certo affir-

nant, quòd de diversis Galliarum partibus innumera multitudo canum apud Castrum Campaniæ, quod vocatur Monshymer, congregata est. Ipsi verò canes in duas partes divisi, ad invicem fortiter & acriter pugnantes, ferè omnes sese mutuâ cæde interfecerunt, & paucissimi reversi sunt.

MCCX. Muri & Fortaricia Ecclesiæ B. Medardi facti sunt.

MCCXII. Philippus Rex Franciæ, cum Francis multitudine maximâ navium congregatis, ad portum, quod dicitur Dens, in Angliam voluit transfretare, sed Ferrando Comite Flandrensium sibi cum multis aliis impediente, quibusdam navibus suis admissis, reliquas verò jussit igne consumi, & sic cæptum suum imperfectum reliquit, & reversus est.

MCCXIII. Bellum fuit apud Castrum de Muriaus, in quo Rex Aragonensis occisus est; & multa alia millia Aragonensium, Albigensium, Tolosensium, cum Principibus suis, à Simone Comite Montisfortis, & à paucissimis Francis occisi, capti, & fugati sunt, ita mirabiliter ut vix credi potuisset. Robertus de Courcon, Apostolicæ Sedis Legatus, venit in Franciam.

MCCXIV. Bellum fuit apud Pontem de Bovines inter Philippum Regem Franciæ & Francos ex unâ parte, & Ferrandum Comitem Flandrensem, & Ottonem dictum Imperatorem, & Guillermum Longam spatam, fratrem Joannis Regis Angliæ, Comitem Salesberiensem, & Reginaldum Comitem Boloniæ, & Hugonem Dominum de Bovâ, & multos alios Principes Alemannorum, Theutonicorum, Hainoensium, Flandrensium, & Anglorum, & omnes fugati sunt à Francis, parum vel nulli occisi, multi capti: inter quos Fernandus, Guillermus, Reginaldus, & multi alii nobiles Flandrensium, Anglorum, Alemannorum, & cæterorum. Ludovicus filius Regis Franciæ cum maximâ multitudine militiæ Francorum Joannem Regem Anglorum ab obsidione Castri, quod vocatur Rocha-Monachorum, fugavit, & de terrâ Pictavorum exire coëgit. Galterus verò de Coinssiaco Prior de Vico efficitur mense Augusti: Galterius de Marisiaco efficitur.

MCCXV. Ludovicus cum Francis transfretavit in Angliam, sed nihil profecerunt.

MCCXVI. Innocentius Papa tertius generale Concilium Romæ celebravit. Eodem anno decessit, & Honorius successit.

MCCXVII. Venerabilis Albricus Archiepiscopus Remensis, cum multis Prælatis, & Principibus Christianis diversarum linguarum, cruces acceperunt contrà Paganos, & in terram Suriæ profecti sunt, & simul coadunati cum Joanne de Briennâ Rege Tolomaïdæ, navibus ascensis, in manu forti in Ægyptum profecti sunt; & inclinatam civitatem Ægypti Damiatam viriliter obsidione circumdederunt, & in brevi à Paganis obsessi sunt. In tertio verò anno, scilicet anno ab Incarnatione Domini MCCXIX. mirabiliter capta est. In sequenti verò anno quibusdam casibus & periculis Christianis provenientibus, reddiderunt ipsam Paganis, & treuga decem annorum inter ipsos facta, & captivis tam Christianis, quàm Paganis ex utrâque parte redditis, reversi sunt cum armis, & supellectibus, navibus ascensis, unusquisque in patriam suam.

Corpus B. Leocadiæ.

MCCXIX. Corpus beatæ Leocadiæ Virginis à latronibus nocte furatur, postea verò in fluvio Axonæ invenitur in vigiliâ Pentecostes; & caput ejusdem Virginis in vase argenteo per manus Milonis Abbatis in die beatæ Mariæ Magdalenæ apud Vicum reponitur.

Radulphus de Bria Abbas.

Milo Abbas obiit in die sanctorum Crispini & Crispiniani, & Radulphus de Briâ Abbas successit.

MCCXXII. Gobertus de Coinssiaco facit professionem mense Junio, & eodem anno Diaconus efficitur mense Martio apud Vallem-serenum.

MCCXXIII. Philippus Rex obiit Idus Julii, & Ludovicus filius ejus successit. Gobertus de Coinssiaco Presbyter efficitur mense Septembri apud Noviomum, & eodem anno venit cum pannis apud Vicum moraturus tertio nonas Novembris.

MCCXXIV. Ludovicus Rex Franciæ Castrum, quod vocatur la Rochele, cum Francorum exercitu obsidione circumdedit, & capit, & totam Aquitaniam ferè sibi subjecit.

Bertrannus de Raiz se Comitem Flandriæ Balduinum simulat.

MCCXXV. Quidam rusticus Lecator, nomine Bertrannus de Raiz, finxit se consilio quorumdam Flandrensium esse Comitem Flandriæ Balduinum, Imperatorem Constantinopolitanum, & multi Flandrenses adhæserunt ei, maximè Valencenienses & Hahenoenses, & obtinuit maximam partem Flandriæ, resistentes & contradicentes tam ipsos quàm terras illorum, tam ferro quàm igne vastando. Ad ultimum verò colloquium habuit cum Rege Francorum Ludovico apud Castrum Peronæ, salvo ire, & salvo venire & salvo redire. Ibi verò malitiâ & fraude Flandrensium, & prædicti Bertranni multis argumentis, indiciis, & intersignis detectâ & probatâ, jussus est prædictus Bertrannus à Regno Francorum indilatè recedere: qui postea in Campaniam, unde oriundus erat, per manus Erardi Militis Domini de Chaistenay captus, & iterum in Flandriam reductus, & per villas, & Castella, & Nundinas ductus, cognitus est à multis, & pater, & mater ejus, & fratres, & alii parentes ejus. Ipse siquidem publicè confitebatur singulis, quia ipse esset Bertrannus de Raiz. Ad ultimum verò suspensus est apud villam, quæ vocatur Insula.

MCCXXVI. Ludovicus Rex Franciæ cum maximo Francorum exercitu, in virtute magnâ, in terram Albigensium profectus est, & civitatem Aviennensem obsidione circumdedit, & post multos assultus & labores ipsam sibi subjecit, cum multis Civitatibus, Villis, & Castellis. Eodem verò anno in reditu suo obiit, & Ludovicus puer duodecim vel tredecim annorum, filius ejus successit. Honorius Papa tertius obiit, & Gregorius Papa nonus successit.

MCCXXVIII. Pax fit inter Albigenses, & Francos, & absoluti sunt ab excommunicatione, quam longo tempore sustinuerunt.

MCCXXIX. Fredericus Romanorum Imperator cruce signatus cum exercitu Longobardorum, & Alemannorum, & quorumdam aliorum Christianorum, in terram Suriæ profecti sunt. Colloquio siquidem habito inter ipsum Imperatorem & Paganos per internuntios, restitutæ sunt ei quinque civitates cum chaminis & viis publicis constitutis inter ipsas. Civitas sancta Jerusalem restituta est, præter Templum Domini Bethleem, Rama, Nazareth, & Joppen. Treugâ siquidem inter ipsos decem annorum factâ, ipse Fredericus cum magno gaudio suorum in sancta Jerusalem profectus est, & Coronam, & diadema in Basilicâ sepulcri tamquam Rex Jerosolymorum portavit. De prædictis verò civitatibus non poterant murari, nec firmari, præter civitatem sanctam Jerusalem, & Joppen, & quoddam Castrum, quod erat hospitalis sancti Joannis Alemannorum, Custodibus siquidem suis in turri David, & civitatibus, & aliàs, prout sibi placuit, ordinatis & positis, & locis sanctis visitatis, reversus est in terram suam excommunicatus, sicut ante fuerat. Cum autem reversus fuisset, in rebus & possessionibus Ecclesiæ Romanæ & cæterarum Ecclesiarum, Templariorum & Hospitalariorum crudeliùs arma movit, quàm unquam fecerat.

MCCXXX. Henricus Rex Angliæ cum magno exer-

citu Anglorum in Britanniam minorem contrà Regem Francorum Ludovicum puerum, Petro dicto Mauclerc hoc faciente, transfretavit, sed nihil profecit: multis siquidem ex suis amissis diversis generibus morborum, in Angliam reversus est febre quartanâ laborans. Philippus Comes Boloniæ avunculus Regis Ludovici pueri, cum Roberto Comite Drocarum, & aliis Baronibus Francorum ferè cunctis, Rege Ludovico puero in terram Britanniæ minoris contrà Regem Angliæ, & Comitem Britanniæ, & cæteros inimicos illius, cum exercitu quorumdam Francorum prædicto Regi adhærentium, tamquam crudeles & impii, derelicto, contrà Comitem Campaniæ Theobaldum, qui Regi adhærebat, arma moverunt, & quasdam munitiones suas captas destruxerunt, Dameriacum verò, Cergiacum, Faverias, & quasdam villas & domos Ecclesiæ beati Medardi Suessionensis, ferro & igne vastaverunt, villis, & domibus, & munitionibus Militum intactis permanentibus & integris cum rebus universis.

MCCXXXI. Inclyta civitas Hispaniæ, nomine Corduba, à Rege Hispaniæ, & à Christianis post longam & laboriosissimam obsidionem capta est contrà Paganos, & in ditione Christianorum locata.

MCCXXXIII. Galterus de Coinssiaco Prior de Vico, magnus Prior Ecclesiæ beati Medardi efficitur mense Junio in die sanctorum Gervasii & Protasii. Eodem die Gobertus de Coinssiaco Prior de Vico factus est.

Bulgari sive Pifli hæretici.

MCCXXXVI. Galterus de Coinssiaco magnus Prior beati Medardi obiit mense Septembri, in die festivitatis sancti Principii Episcopi & Confessoris. Hæreticorum maxima multitudo, quos quidam vocabant Bulgaros, alii Piflos, per diversas civitates, & Castella Franciæ, Flandriæ, Campaniæ, Burgundiæ, & cæterarum Provinciarum, procurante quodam Roberto fratre Prædicatore capti, examinati & probati per Archiepiscopos, Episcopos, & cæterorum graduum Ecclesiasticorum Prælatos, ad ultimum damnati, & tanquam Hæretici sæcularibus potestatibus sunt traditi. Quidam verò ipsorum ad agendam pœnitentiam in carcere sunt retrusi. Alii verò, qui hæresibus renuntiare noluerunt, igne consumpti sunt, & bona ipsorum à sæcularibus potestatibus sunt recepta. Non solùm istud factum est in isto anno, sed ante per tres continuos annos, & post per quinque continuos annos & plùs. Dicebatur si quidem à multis, quòd infinita multitudo Hæreticorum per diversas partes Galliæ dispersæ erant. Hoc anno insultum fecerunt Suessionenses in Ecclesiam beati Medardi. Hoc anno inundatio aquarum insolita facta est. Petrus de Milli magnus Prior factus est mense Novembri.

Reginaldus de Nantolio Abbas.

MCCXXXVII. Radulphus de Branâ Abbas decessit, & Reginaldus de Nantolio successit mense Maio. Robertus Comes Atrebatensis Palatinus, frater Regis Ludovici, Miles efficitur apud Compendium.

MCCXXXIX. Theobaldus Rex Navarræ, Comes Campaniæ, Dominus Briæ, & Comes Trecarum Palatinus, Almaricus Comes Montisfortis, Comes Barrensis, & Dux Burgundiæ, cum multitudine maximâ Principum, Baronum, Militum, & innumerâ multitudine Francorum, equitum & peditum, cruce signatorum, navibus ascensis in portu Civitatis Massiliæ, in terram Suriæ contrà Paganos profecti sunt. Colloquio siquidem habito per internuntios inter Paganos & ipsos, restituta est eis omnis terra, quam Christiani tenebant tempore perditionis. Civitates, Neapolis, Jerico, Gaza & castrum fortissimum, quod vocatur Biaufort. Civitas verò Ascalona optimè murata est, & firmata, & munita à Christianis. Omnis terra Christianorum reddita est, præter fortissimum castrum quod est in terra Arabiæ ultrà flumen Jordanis, quod vocatur Mons regalis. (Alii verò nominant ipsum le Crac de Monte regali) & civitatem Damiatam. Treugâ siquidem cum Rege Damasceno per triginta annos factâ, & cum Rege Ægypti per decem annos, & captivis, ex utrâque parte redditis reversi sunt. Ante verò quàm treuga fuisset, omne præsidium Turris David fortissima, & quædam turres, & muri, quæ per manus & sumptus peregrinorum constructa erant in civitate sanctâ Jerusalem pro civitate tuendâ & defensandâ, à Paganis destructa sunt, confracta & ad terram dejecta & prostrata. Eodem anno Imperator Constantinopolitanus, scilicet Comes Nemurcii cum exercitu magno Francorum per Alemanniam, Hungariam, Bulgariam, & per terram siccam à Franciâ Constantinopolim in manu forti & excelsâ reversus est, & quædam Castella, quæ inimici sui Græci sibi abstulerant, obsessa & expugnata, ditioni suæ restituit. Gregorius Papa nonus Fredericum Imperatorem Romanorum, Regem Longobardiæ, Alemanniæ, Apuliæ, Siciliæ, & Jerosolymorum, per longum tempus excommunicatum anathematizat, & tam in spiritualibus, quàm in temporalibus damnat. Temporalia verò Frederici dicti Imperatoris, prout multi experti sunt, usque ad obitum prædicti Gregorii noni Papæ parum, vel nihil imminuta sunt propter hoc. Prædictus verò Fredericus abstulit multa diversis Ecclesiis in Imperio illius & Regnis constitutis, multis Episcopis, Archiepiscopis, Abbatibus, & cæterorum graduum Ecclesiasticorum Ministris, ab Ecclesiis suis & locis expulsis exulatis. Eodem anno Jacobus Episcopus Prænestinus Apostolicæ sedis Legatus venit in Franciam [circà [b] Epiphaniam Domini, & recessit circà Purificationem B. MARIÆ. Obiit Petrus de Fontenay Subprior S. Medardi.

MCCXL. Spinea Corona pretiosissima [& sanctissima] à Ludovico Rege in civitate Parisius cum magno honore & maximâ humilitate prædicti Regis, & fratrum suorum, ita ut omnes qui aderant & viderant, & omnes qui audierant, multùm nimis mirarentur, processionaliter defertur, & in Capellâ prædicti Regis, quam miro opere & maximis sumptibus propter hoc fabricabat, honorificè reponitur. Eodem anno quidam Principes & Barones Albigensium cum fautoribus suis, in unum congregati, terram, quam Rex habebat in terrâ illâ, & adhærentes Regi cœperunt fortiter & acriter impugnare, terram Regis & illorum ferro & igne vastando & deprædando. Ipsi verò appropinquantes civitati Carcasonæ à Burgensibus, & illis qui manebant in Burgo forensi intùs nocte per traditionem sunt intromissi. Civitatem verò, & illos qui intùs erant, & Custodes Regis qui intùs erant, in crastino obsederunt, & magnis assultibus longo tempore vexaverunt. Ludovicus verò Rex misso exercitu suo cum Vicecomite Castridunensi, & Joanne nobili Milite de Bellomonte, ipsos fugavit. Ipsi verò Albigenses ab obsidione recedentes, totum forensem Burgum inclytum Carcasonæ igne combusserunt. Burgensibus verò cum uxoribus & filiis, & familiis non audentibus propter traditionem quam fecerant remanere, secum ducentibus. Posteà verò, Deo dante, omnia in pace reducta sunt, & ad voluntatem prædicti Regis in totâ terrâ Albigensium ordinata. Quædam genera hominum, qui vocantur à quibusdam Tartarini, à quibusdam verò Comani, à quibusdam verò peritis creduntur esse Ismaëlitæ id est filii Ismaëlis, quem habuit Abraham ex Agar ancilla sua, quos David

b *circà*] Quod uncis inclusum est hoc loco, monet Baluzius non reperiri in eo codice quem vidit; ut dubium esse queat, an idem sit quo Acherius usus erat.

vocat Agarenos. Prædicti verò comedentes carnes hominum, bestiarum, avium, & serpentium, & sugentes & bibentes sanguinem, & parum panis & vini utentes, cum innumerâ multitudine & incredibili equitum & peditum tam virorum quàm mulierum Regna Bohemiæ, & Hungariæ, & Ducatum Poloniæ, & quasdam alias terras maximas & optimas in illis partibus sitas, ferro & igne devastant, maximas & incredibiles cædes utrorumque sexuum tam virorum, quàm mulierum facientes, nec alicui sexui parcentes.

c [Eodem anno [c] obiit Petrus de Milli Magnus Prior mense Junii: cui successit Guillermus de Minci. Et eodem anno datæ sunt mihi induciæ per spatium tredecim annorum, in crastino beati Benedicti mense Julii.]

MCCXLI. Anfurnus frater Regis Ludovici, Comes Pictavensis, Miles efficitur apud Saumur. Eodem anno in die Exaltationis sanctæ Crucis maxima pars Dominicæ Crucis, illa scilicet, ut multi boni testimonii viri testantur, quam Helena Constantini mater post inventionem ejusdem sanctæ Crucis à Jerosolymis Constantinopolim secum honorificè fecit deferri, & in Capellâ gloriosissimi Constantini Imperatoris dilectissimi filii sui fecit honorificè reponi; prædictus verò Constantinus illam partem Dominicæ Crucis in expeditionibus suis causâ victoriæ faciebat secum gloriosè & honorificè deferri. Illa verò pars Dominicæ Crucis à Ludovico Rege Francorum die prædicto cum magno honore, & maximâ humilitate prædicti Regis, & fratrum suorum, ita ut omnes qui aderant, viderant, & audierant multùm nimis mirarentur, processionaliter nudis capitibus & pedibus, cruribus, & brachiis, in civitate Parisius in Capellâ prædicti Regis, quam miris operibus & sumptibus in honore ejusdem sanctæ Crucis, & pretiosissimæ spineæ Coronæ JESU CHRISTI Domini nostri, veri Dei & veri hominis, fabricabat, honorificè reponitur. Siccitas inconsueta.

MCCXLIX. Damieta nobilis illa fortissima & munitissima civitas Mahometicorum in Ægypto, uno, eodemque die obsessa est & capta à Ludovico Rege Francorum [hujus nominis quarto] de genere Hugonis Capeti, & ab exercitu Christiano cruce signato, imò, ut veriùs dicamus, mirabiliter & miraculosè à Domino eisdem data & tradita octavo nonas Junii, scilicet in supervigiliâ festivitatis sanctorum Confessorum Medardi & Gildardi, quæ tunc fuit in Dominicâ post octavas Pentecostes. Et eodem anno, nescimus quo Dei judicio, per magnos labores & sumptus Christianorum quasi inexpugnabilis facta, integra & sana absque ullo detrimento restituta est iteratò Sarracenis.

Quæ sequuntur ex eodem MS. cod. excerpta sunt.

MCCXLIV. Guillermus de Minci resignavit Prioratui mense Aprili: Cui successit Johannes de Clamiciaco mense Junii in die festivitatis Apostolorum Petri & Pauli.

d (MCCXLVI. Reynaldus [d] Abbas S. Medardi decessit, & Joannes successit.)

MCCLII. Obiit Joannes de Clamiciaco Magnus Prior sancti Medardi, in mense Septembri, in vigiliâ sancti Matthæi Evangelistæ. Cui successit Hieronymus de Coinssiaco, in mense Novembris, in quinto die ejusdem mensis.

MCCLIII. Resignavit Abbatiæ S. Medardi Joannes de Merincourt in mense Augusti, in crastino S. Laurentii; cui successit Hieronymus de Coinssiaco Magnus Prior ejusdem Monasterii in mense Septembri, in crastino Ordinationis S. Gregorii Papæ. Cui successit in magno Prioratu ejusdem Monasterii Gobertus de Coinssiaco Prior de Vico, in mense Februarii, in crastino Purificationis Beatæ MARIÆ.

MCCLIV. Obiit Conraldus filius illius pessimi persequutoris Ecclesiæ Frederici quondam Imperatoris. Eodem anno rediit à peregrinatione ultra-marinâ Ludovicus Rex Francorum cum Margarita uxore suâ prægnante, & tribus pueris in ultramarinis partibus generatis. Et in vigiliâ Nativitatis Beatæ MARIÆ receptus est apud Parisius processionaliter & solemniter cum eisdem.

[Anno Domini MCCLX. die octavo mensis Julii, id est, in vigiliâ septem fratrum, resignavit Gobertus de Coinssiaco magno Prioratui sancti Medardi, causâ conspiratorum contrà ipsum & conjuratorum. Et in crastino, id est, in die nono mensis ejusdem Julii, id est, in die septem fratrum, venit apud Cesseam cum pannis moraturus. Et in eodem anno & mense, in die sanctæ Mariæ Magdalenæ immediatè sequentis, fuit factus vel creatus magnus Prior sancti Medardi Gerardus de Branâ Thesaurarius de Souciaco.]

DE TEMPORIBUS QUORUMDAM Ordinum.

ANNO Domini MLXXVI. Cœpit Ordo Grandi-Montis.

MLXXXVI. Cœpit Ordo Caturfiensis.

MXC. Cœpit Ordo Trunci Berengerii.

MXCVIII. Cœpit Ordo Cisterciensis. Eodem anno cœpit Ordo Militiæ Templi Domini.

MCVI. Cœpit Ordo Monasterii Fontis-Ebrardi.

MCXX. Cœpit Ordo Præmonstratensis.

Eodem anno cœpit Ordo Militiæ Hospitalis sancti Joannis.

MCXCVIII. Pontificatûs Innocentii Papæ tertii anno primo, cœpit & institutus est Ordo sanctæ Trinitatis, quem solebant appellare Ordinem Asinorum, eo quòd Asinos equitabant, non equos.

INCIPIT PROSAPIA REGUM Francorum usque ad DAGOBERTUM Juniorem, filium HILDEBERTI secundi.

PRIAMUS genuit Faramundum: Faramundus genuit Chlodionem: Chlodio quia sine filio fuit, successit ei in Regno nepos ejus Meroveus: Meroveus genuit Hildericum: Hildericus genuit Clodoveum, quem sanctus Remigius baptizavit, & in baptismate mutato nomine vocatus est nomine Ludovicus: Ludovicus genuit Clotharium & fratres ejus: Clotharius genuit Chilpericum & fratres ejus: Chilpericus genuit Clotharium Magnum ex Fredegonde: Clotharius genuit Dagobertum, & Blithildem sororem ejus: Dagobertus genuit Clodoveum, & Sigebertum: Clodoveus genuit Lotharium, & Hildericum, & Theodoricum: Theodoricus genuit Clodoveum, & Hildebertum: Clodoveus quia sine filio fuit, successit ei in Regno frater ejus Hildebertus. Iste gloriosus Rex justus, bonæ memoriæ Hildebertus, regnavit annis septemdecim. Postea migravit ad Dominum, sepultusque est Causiaco Monasterio, in Basilicâ sancti Stephani Protomartyris. Hildebertus genuit Dagobertum juniorem: Dagobertus junior Rex puer ægrotans mortuus est, re-

c *Eodem anno*] Hæc etiam non leguntur in Codice Colbertino.

d *Reynaldus*] Hic etiam annus deest in codice Colbertino.

gnavitque annis quinque. Franci nimirum Danielem quondam Clericum, cæsarie capitis crescente, in Regnum stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. Chilpericus verò Rex, qui est Daniel quondam Clericus, in urbe Noviomo mortuus est, regnavitque sex annis. Quo mortuo Franci Theodoricum Regem in sedem Regni statuerunt. Hildericus verò, qui postea depositus, Theodorico successit in Regno.

INCIPIT GENEALOGIA,

De quâ ortus est CAROLUS *Magnus Rex Francorum & Imperator Romanorum.*

PRIAMUS genuit Faramundum, &c. (require superiùs totam genealogiam usque ad illum Regem) Clotharius genuit Dagobertum & Blitildem sororem ejus: Blitildis verò soror Dagoberti, genuit Arnoldum ex Ansberto illustri viro: Arnoldus genuit Arnulphum, post Metensem Episcopum: Arnulfus, qui postea fuit Episcopus, genuit Aistulfum Metensem Episcopum, & Gualchisum & Flodulphũ, & Ansigisum: Ansigisus genuit Pipinum seniorem ex Beggâ filiâ Pipini Majoris-domûs. Iste Pipinus senior febre validâ correptus mortuus est; obtinuitque Principatum sub suprascriptis Regibus, Theodorico scilicet & Clodoveo filio ejus, & Childeberto fratre Clodovei, viginti septem annis & dimidio. Pipinus verò senior Princeps & Dux Regni Francorum, Præfectus Palatii, & Major-domûs, genuit Carolum seniorem, cognominatum Martellum. Carolus Princeps & Dux Regni Francorum, Præfectus Palatii, & Major-domûs, genuit Pipinum juniorem parvum, & Carlomannum, post Monachum. Pipinus junior parvus, Princeps & Dux Regni Francorum Præfectus Palatii, & Major domûs, factus Rex Francorum hoc modo: Burghardus Wirceburgensis Episcopus, & Folradus Capellanus missi fuerunt ad Zachariam Papam interrogando de Regibus in Franciâ, qui illis temporibus non habentes Regalem potestatem, si benè fuisset, aut non. Et Zacharias Papa mandavit Pipino, ut melius esset illum Regem vocari, qui potestatem haberet, quàm illum qui sine Regali potestate manebat; sed ut non conturbaretur ordo, per authoritatem Apostolicam jussit Pipinum parvum Regem fieri anno Domini septingentesimo quinquagesimo primo. Pipinus verò parvus secundum morem Francorum electus est ad Regem, & unctus per manus sanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiscopi: & elevatus est à Francis in Regno Francorum in Monasterio S. Medardi, quod situm est in Suessionis civitate. Hildericus verò, qui falsè Rex vocabatur, tonsoratus est, & in Monasterium missus anno ab Incarnat. DCCL.

Anno DCCLV. Venit Domnus Stephanus Papa in Franciam, adjutorium & solatium quærendo pro justitiis Ecclesiæ Romanæ: & in anno sequenti confirmavit prædictum Pipinum parvum unctione sacrâ in Regem Francorum, & cum eo inunxit duos filios ejus, Carolum Magnum, & Carlomannum in Reges: Pipinus verò parvus Rex Francorum genuit Carolum Magnum Regem Francorum, & gloriosum Cæsarem, quem Leo Papa consecravit, & in Ecclesia S. Petri Romæ die natalis Domini Imperatorem unxit. Genuit siquidem prædictus Pipinus parvus Rex Carlomannum, fratrem Caroli Magni. Carolus Magnus Imperator Augustus & Rex, genuit Ludovicum piissimum Augustum, & fratres ejus, Pippinum & Carolum. Ludovicus Pius Imperator genuit ex Judith Imperatrice Carolum Calvum, & Lotharium, Pipinum, & Ludovicum ex Ermengarde Imperatrice. Carolus Calvus genuit Ludovicum, de quo dictum est, qui nihil fecit, quia post mortem patris duobus annis tantùm vixit. Ludovicus filius Ludovici genuit Carolum Simplicem & & Carlomannum. Hic Carolus Simplex ab Heriberto captus est. Carolus Simplex genuit Ludovicum ex Ogivâ. Ludovicus genuit Lotharium Regem & Carolum Ducem ex Gerbergâ. Lotharius Rex genuit Ludovicum juvenem. Ludovicus juvenis Rex obiit, & successit in Regno avunculus ejus, scilicet Carolus Dux, frater Lotharii, sed impediente Hugone Chapet Duce Francorum, non fuit inunctus in Regem; sed prædictus Hugo ipsum prædictum Carolum captum expulit à Regno, sicut superiùs scriptum est. Carolus Dux frater Lotharii genuit Ermengardem, & Gerbergam. Ermengardis genuit Albertum Comitem de Namurco. Albertus genuit Albertum qui nunc est: & Gerberga soror Ermengardis genuit Henricum seniorem de Brusellâ. Henricus senior genuit Comitem Lambertum, & Henricum fratrem ejus, & Matildem sororem eorum. Hanc Matildem duxit uxorem Comes Eustachius de Boloniâ, & genuit ex eâ duos filios, Eustachium, & Lambertum. Eustachius accepit uxorem filiam Godefridi Ducis, Idam nomine, nobilem genere & moribus; & genuit ex eâ quatuor filios, Guillermum Godefridum, qui nunc est Dux Lotharingiæ, Balduinum, & Eustachium. Godefridus verò & Balduinus fuerunt Reges Jerosolymorum. Eustachius verò genuit filiam nomine Matildem, quam postea duxit in uxorem Stephanus Rex Anglorum.

QUOMODO DISJUNCTUM SIT Regnum Francorum à Genealogiâ CAROLI *Magni Regis Francorum & Imperatoris Romanorum.*

ANno ab Incarnatione Domini DCCCCLXXVI. obiit Lotharius Rex, senex & plenus dierum, sepultusque est Remis in Ecclesiâ beati Remigii. Cui successit Ludovicus filius ejus juvenis, qui regnavit in Franciâ annis undecim, & mortuus est, sepultusque est in Basilicâ beati Cornelii Martyris, Compendii. Cui successit frater ejus Carolus. Eodem anno rebellavit contrà eum Hugo Dux Francorum, eo quod accepisset Carolus filiam Herberti Comitis Trecarum. Collecto igitur exercitu copioso valde obsedit eum Lauduni, ubi manebat Carolus cum uxore suâ. Exiens Carolus de civitate fugavit Hugonem cum exercitu suo, incensis hospitiis, ubi multitudo hostium commanebat. Cernens igitur Hugo quod non posset Carolum vincere, consilium habuit cum Anselmo Episcopo ejusdem Civitatis, vetulo traditore, qui erat Consiliarius Caroli. Tradens autem Anselmus Laudunum in nocte unâ, quiescentibus cunctis, Hugoni Duci Francorum, vinctus est cum uxore suâ Carolus, & ductus est in custodiâ Aurelianis civitate. Non enim erat ipse adhuc Carolus unctus in Regem, resistente ei Hugone Duce. Manens autem Carolus Aurelianis, interim genuit ei uxor sua duos filios, Ludovicum, & Carolum. Eodem anno unctus est Hugo Dux in Regem Remis civitate, & in ipso anno Robertus Regum piissimus filius ejus Rex ordinatus est. Sic defecit progenies Caroli Magni à Regno Francorum. Robertus Rex, qui non fuit de stirpe illâ, genuit Henricum Regem. Henricus Rex genuit Philippum Regem. Philippus Rex genuit Ludovicum, qui ordinatus est Rex anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octavo, residente Papa in sede Apostolicâ Pascalio secundo. Ludovicus Rex genuit Philippum, Ludovicum, Henricum Clericum, Robertum, Petrum Clericum, itemque Philippum, &

Constantiam, quam Eustacius Stephani Regis Anglorum filius accepit uxorem. Philippus major natu, patre adhuc superstite, Remis unctus est in Regem: non multo post dum Parisius equitando in plateâ curreret, offensus in porcum equo decidit, moxque vitam & Regnum amisit. Cui frater, patre adhuc similiter vivente, succedens Ludovicus accepit uxorem, nomine Alienorem, Comitis Pictavorum Guillelmi filiam; & per eam Pictavos, omnemque possedit Aquitaniam; quâ ob incontinentiam repudiatâ, duxit alteram de Hispaniâ, Constantiam nomine, sed hac de medio factâ accepit aliam, filiam Theobaldi Comitis Blesensis, de quâ in senectute suâ natus est ei filius, quem vocari Philippum fecit, qui puer cum quatuordecim esset annorum, jussu patris Remis unctus est in Regem. Qui puer eodem anno sacrationis suæ duxit uxorem, filiam Comitis Hainoensis, consilio Philippi Comitis Flandrensis, cujus neptis erat. Qui Philippus cum vigesimum secundum ageret annum, genuit ex eâ filium, quem vocavit Ludovicum. Qui Ludovicus accepit in uxorem, filiam Regis Hispaniarum nomine Blancham. Mortuo siquidem Rege Philippo anno quadragesimo quinto Regni sui, successit ei prædictus Ludovicus filius ejus, cum triginta & septem esset annorum. Habebat siquidem prædictus Ludovicus ex uxore suâ Blanchâ, antequàm Rex efficeretur, filios, scilicet Dagobertum, Joannem, Ludovicum, Robertum, Anfurdum. Postquam autem Rex effectus est, genuit ex eâ filium nomine Carolum, & filiam nomine.....

Obiit siquidem prædictus Ludovicus Rex anno Incarnati Verbi millesimo ducentesimo vigesimo sexto, ætatis suæ quadragesimo, Regni sui quarto. Cui successit filius ejus Ludovicus puer major natu, cum tredecim vel quatuordecim esset annorum, quia Carolus, qui major natu erat, jam defunctus erat. Consecratus siquidem fuit & coronatus in civitate Remis per manus Jacobi Suessionensis Episcopi, quia tunc sedes Archiepiscopatûs vacabat. Accepit siquidem prædictus Ludovicus Rex in uxorem filiam Comitis Provinciæ, nomine . . . . . de quâ genuit filiam nomine . . . . . anno decimo quinto Regni sui. Robertus verò frater ejus accepit in uxorem filiam Comitis Brabantiæ, nomine . . . . . Anfurdus verò filiam Comitis Tholosani: Joannes verò & Dagobertus jam defuncti erant.

DE GENEALOGIA REGUM *Francorum.*

ITem Ludovicus Grossus Rex genuit Robertum Grossum Comitem Drocarum: Qui genuit Philippum Episcopum Belvacensem, & Henricum Episcopum Aurelianensem, & Robertum Comitem Drocarum: Qui genuit Henricum Archiepiscopum Remensem, Joannem de Branâ, Petrum Malum Clericum, & Robertum Gasteblé Comitem Drocarum: Qui genuit Joannem Comitem qui nunc est. Item Petrus Malus Clericus accepit in uxorem sororem Arturi Ducis Britanniæ, & per eam factus est Dux Britanniæ, & genuit ex eâ Joannem Ducem Britanniæ qui nunc est. Item Ludovicus Grossus Rex supradictus genuit Petrum de Cortenaïo: Qui genuit Petrum, qui postea fuit electus in Imperatorem Constantinopolitanum, Robertum de Cortenaio, & Comitissam Engolismensem: Quæ genuit Reginam Angliæ uxorem Regis Joannis: Qui genuit ex eâ Henricum Regem Angliæ, qui nunc est, & Richardum Ducem Cornubiæ, qui nunc est, & quamdam filiam, quam accepit uxorem Fredericus Imperator Romanorum, & genuit ex eâ prolem.

GENEALOGIA *Rollonis primi Ducis Normanniæ.*

ROllo Paganus & crudelissimus persequutor Ecclesiæ, & destructor Galliarum & Christianorum, postea per miraculum factus Christianus genuit Willelmum Ducem Normanniæ: Qui Richardum primum: Qui Richardum secundum: Qui Richardum tertium. Post Robertus: Qui genuit Willelmum Bastardum Ducem Normanniæ. Iste Willelmus cum magno exercitu & forti transivit in Angliam, & factus est Rex Angliæ primus de Ducibus Normannorum, adversariis fugatis & interfectis. Qui genuit Robertum Ducem Normanniæ, qui fuit in expeditione Jerosolymitanâ cum Godefrido de Buillon, & mortuus fuit sine herede. Genuit siquidem Willelmum Regem Anglorum mortuum sine herede. Genuit siquidem Henricum Regem Angliæ, & Ducem Normanniæ: Qui Mathildem Imperatricem. Ista primò fuit uxor Imperatoris; quo mortuo, nupsit Gaufrido Comiti Andegavensi, cujus filius fuit Henricus Rufus Rex Angliæ, & Dux Normanniæ, qui fecit interfici beatum Thomam Martyrem Archiepiscopum Cantuariensem. Iste Henricus genuit Gaufridum Ducem Britanniæ: Qui Arturum Ducem Britanniæ, mortuum sine herede, & quamdam filiam Ducissam Britanniæ, quam accepit in uxorem Petrus Malus Clericus, & genuit ex eâ Joannem Ducem Britanniæ, qui nunc est. Item Henricus Rufus Rex Angliæ genuit Henricum juniorem, mortuum sine herede. Item genuit Richardum Regem, mortuum sine herede. Item genuit Joannem Regem Angliæ; qui genuit Henricum Regem Angliæ, cum vix esset viginti duorum annorum. Iste Henricus accepit in uxorem filiam Comitis Provinciæ. Item Joannes Rex Angliæ genuit Richardum Ducem Cornubiæ, qui accepit in uxorem tertiam filiam Comitis Provinciæ. Item Henricus Rufus Rex Angliæ genuit Ducissam Saxoniæ, matrem Othonis Ducis Saxoniæ, & Imperatoris Romanorum, sed postea fuit depositus. Item Henricus Rufus Rex Angliæ genuit Reginam Castellæ, quæ genuit Candidam Reginam Franciæ, matrem Ludovici Regis qui nunc est.

Item Willelmus Bastardus Rex Angliæ, & Dux Normanniæ genuit Comitissam Boloniæ: Quæ genuit Theobaldum Grossum Comitem Trecarum: Qui genuit Adelam Reginam, uxorem Ludovici Regis Francorum. Qui duo genuerunt Philippum magnanimum Regem Franciæ: Qui Ludovicum: Qui genuit ex Candidâ Ludovicum Regem Francorum qui nunc est: Robertum Comitem Attrebatensem: Alphonsum Comitem Pictavensem: Carolum Andegavensem, Cœnomanensem, & Provinciæ Comitem.

Item Theobaldus Grossus Comes Trecarum, genuit Henricum Comitem Trecarum, & Theobaldum Comitem Trecarum: Qui genuit Theobaldum Comitem Trecarum, qui nunc est: Qui genuit filiam, quam accepit in uxorem Joannes Dux Britanniœ, qui nunc est. Item Theobaldus Grossus Comes Trecensis genuit Comitissam Pertici: Quæ genuit Comitem Pertici, qui occisus fuit in Angliâ. Item Theobaldus Grossus Comes Trecensis genuit Theobaldum Comitem Blesensem, Willelmum Archiepiscopum Remensem, & Stephanum Comitem Sacri-Cæsaris: Qui genuit Theobaldum Comitem Blesensem. Item Comitissa Boloniæ supradicta genuit Stephanum Comitem Boloniæ, qui postea

factus est Rex Anglorum: Qui genuit Matthæum Comitem Boloniæ: Qui genuit uxorem Reginaldi Comitis Boloniæ: Qui duo genuerunt Comitissam Boloniæ, quam accepit in uxorem Philippus, filius Philippi magnanimi Regis Franciæ. Qui duo genuerunt filiam, quam accepit in uxorem Galtherus Comes Nivernensis, qui nunc est.



CHRONICON BREVE

Ecclesiæ S. Dionysii ad Cyclos Paschales.

Authore illius Abbatiæ Monacho Benedictino.

ANno DCCCCLXXXVI. Obiit Hlotharius filius Ludovici, qui regnavit annis XXXII.

Anno DCCCCLXXXVII. Ludovicus filius Hlotharii. Et ipso anno V. nonas Julii Ugo Rex factus est. Et in supradicto anno III. Kalendas Januarii Rodbertus filius Hugonis Deo juvante Rex ordinatus est.

Anno DCCCCXCIV. Obiit S. Majolus Abbas.

DCCCCXCVII. Obiit Ugo Rex IX. Kal. Novembris.

MII. Obiit Henricus gloriosissimus Dux Burgundiorum.

MV. Obiit Robertus Abbas.

MVII. Obiit Bucardus Comes senior.

MVIII. Ordinatio Domni Viviani Abbatis.

MXV. X. Kal. Maii capta est civitas Senonis à gloriosissimo Rege Rotberto.

MXVI. Obiit Rainoldus Episcopus.

MXXIV. Obiit Hugo gloriosissimus Francorum Rex, Rotberti filius Regis, qui . . . puer mirificis bellorum insignibus, pietatis, & mansuetudinis gemmis laureatus effulsit.

MXXVIII. Henricus Rex ordinatur à Widone Archiepiscopo Remensi.

MXXXI. Obiit Domnus Robertus piissimus Rex Francorum, & Henricus regnat.

MXLIX. Obiit Domnus Wivianus Abbas.

MLI. Leo Papa venit in Galliam.

MLIX. Philippus Rex ordinatur.

MLX. Obiit Domnus Henricus Rex, Philipus puer regnat.

MLXV. Obiit Willelmus Comes.

MLXVI. Cometa visus est à VI. Kalend. Maii per IX. dies, à vespere usque ad gallicinium. Ipso anno Willelmus Dux Normannorum Angliam intravit, Hairaldum Regem occidit, seque regni diademate coronavit.

MLXXXV. Fames magna fuit.

MXCIV. Obiit Domnus Yvo Abbas.

MXCIX. Idus Julii Hierusalem à Christianis capta est. Eodem anno Urbanus Papa obiit.

MC. Guillelmus Rex Anglorum & Comes Normannorum obiit.

MCVIII. Obiit Philippus Rex, & Ludovicus ordinatur IV. Nonas Augusti.

MCXVI. Magnus ventus in vigiliâ Natalis Domini. IV. Calend. Septembris Philippus nascitur filius Ludovici.

MCXX. Nativitas Ludovici Regis filii Ludovici.

MCXXII. Obiit Adam Abbas. Ordinatio Sugerii Abbatis.

MCXXVIII. Hoc anno Philippus puer vivente patre Remis coronatus est. Restitutum est Monasterium Argentolii Ecclesiæ Beati Dionysii, studio Domni Sugerii Abbatis.

MCXXXI. Boamundus junior perimitur.

MCXXXII. Obiit Philippus Rex puer. Hoc anno Ludovicus junior à Papa Innocentio consecratus est Rex.

MCXXXIV. Obiit Henricus Rex Anglorum.

MCXXXVII. Obiit Ludovicus Rex Francorum.

MCXL. Dedicatum est novum opus Ecclesiæ Beati Dionysii anteriori parte à Domno Hugone Rothomagensi Archiepiscopo, XIX. anno administrationis Domni Sugerii Abbatis, qui idem opus construxit.

MCXLII. Obiit Stephanus Episcopus Parisiensis.

MCXLIII. Dedicatio capitalis partis Ecclesiæ; & Translatio beati Dionysii & sociorum ejus in eamdem partem capitalem, aliorumque sanctorum, quorum ibidem corpora continentur XXIII. anno administrationis Domni Sugerii Abbatis.

MCXLVI. Ludovicus junior Rex Francorum cum innumerabili exercitu Hierosolymam profectus est contrà Saracenos, eâ præcipuè causâ quod civitatem Edessam occupassent. Quo etiam anno ab eodem Rege regni administratio commissa est venerabili Abbati sancti Dionysii Sugerio, Stampis videlicet in generali Conventu, quod factum est communi omnium electione, & unanimi assensu Pontificum, & Optimatum, Comitis scilicet Andegavensis, Blesensis, Flandrensis, Nivernensis, & aliorum omnium, qui de propinquis & remotis partibus ibidem convenerant. Cumque Abbas omninò reniteretur, & diceret se non sine mandato Summi Pontificis hanc curam suscepturum, contigit eodem anno ut Domnus Papa Eugenius in Gallias veniret. Qui in Pascha Domini apud sanctum Dionysium magnificè susceptus & coronatus, memoratum Abbatem, ut eamdem administrationem susciperet, sub obedientiæ præcepto coëgit.

Imperator quoque Alemanniæ ipso anno exhortatione Abbatis Clarevallensis Bernardi, cum suo nihilominùs exercitu eamdem peregrinationem suscepit, unde Rex Francorum Ludovicus post innumeras suorum mortes & pericula cum quibusdam Optimatum suorum, videlicet Flandrensis, Blesensis, & Nivernensis, incolumis reversus, cum à multis, & præcipuè à Summo Pontifice Eugenio de constantiâ & fidelitate prædicti Abbatis sancti Dionysii satis certioratus fuisset, regno suo in summâ pace recuperato, eumdem venerabilem Abbatem & ejus Ecclesiam pro meritis spectatæ fidei in summo semper honore & amicitiâ habuit. Quippe qui ne regni adversarii fratri Regis Roberto jungerentur, ei ante alios de Hierosolymis regresso, & regni pacem turbare nitenti, in faciem liberè restitit, donec sibi commissa pacificè & fideliter conservata, revertenti postea Regi cum integritate restituit.

MCLI. Sugerius Abbas obiit. Ordinatio Domni Odonis Abbatis.

MCLII. IX. Calendas Aprilis obiit Radulfus Comes.

MCLIII. Hoc anno Ludovicus Rex duxit uxorem ex Hispaniâ Regis filiam.

MCLIX. Obiit Regina Constantia ex Hispaniâ. Eodem anno Ludovicus Rex duxit filiam Comitis Blesensis.

MCLXV. Filius Ludovici Regis junioris Philippus natus est.

MCLXVII. Hoc anno Willelmus medicus attulit libros Græcos à Constantinopoli.

MCLXVIII. Hoc anno allata sunt tria corpora Virginum de Coloniâ in Ecclesiam beati Dionysii à Magistro Rainaldo.

MCLXIX. Domnus Yvo Abbas electus est.

MCLXXII. Obiit Yvo Abbas, & eodem anno Willelmus.

MCLXXIII. Guerra inter Reges Francorum & Anglorum.

MCLXXIX. Concessus est usus Mitræ, & annuli, & sacerdotalium Guillelmo Abbati sancti Dionysii, & successoribus ejus; & prima sedes in dextro latere ante omnes Archimandritas; & prima vox in sententiis. Eodem anno consecratus est Rex Philippus puer, filius Ludovici Regis Calendis Novembris à Guillelmo Remensi Archiepiscopo, & à Guillelmo Abbate sancti Dionysii, qui post consecrationem ejus suscepit ab eo coronam, & camisiam, & cætera regalia indumenta . . . . . . secum, tunicam . . . . . . calcaria & sceptrum.

Obiit Ludovicus Rex pater Philippi Regis.

MCLXXX. Hoc anno consecrata est Regina, filia Comitis Anoensis in Ecclesiâ beati Dionysii.

MCLXXXI. Hoc anno orta est guerra inter Philippum Regem, & omnes amicos suos, & Comitem Flandrensem.

MCLXXXIV. Hoc anno vineæ gelu ustæ sunt VI. Idus Junii, & messes.

MCLXXXV. Hoc anno fuit pestilentia hominum, & siccitas aëris.

MCLXXXVI. Hoc anno V. feriâ infrà octavas Pentecostes multa loca & diversa regni fulmen collisit; & pax facta est inter Regem & Comitem Flandrensem.

MCLXXXVII. Hoc anno ordinatus est in Abbatem sancti Dionysii Domnus Hugo de sancto Dionysio.

Nativitas Ludovici filii Philippi Regis.

MCXC. Hoc anno Philippus Rex Francorum Hierosolymam profectus est.

MCXCVII. Obiit Hugo Foucaut Abbas: cui succedit Hugo Mediolanensis.

MCCV. Obiit Hugo Mediolanensis beati Dionysii Abbas: cui successit Henricus Abbas.

MCCIX. Fuerunt hæretici Sacerdotes, & Clerici, & Laïci condemnati, ab ordinibus degradati, & igne concremati apud Parisius, in loco qui dicitur Champiaus, tempore Philippi inclyti Regis, & . . . . bonæ memoriæ Episcopi Parisiensis.

MCCXIV. Hoc anno actum est bellum in Flandriâ, in quo captus est à Philippo Rege Ferrandus Comes Flandriæ, & Comes Boloniæ, & multi alii.

MCCXV. Hoc anno natus est Ludovicus Rex filii Ludovici Regis, in festo sancti Marci Evangelistæ.

MCCXVI. Hoc anno natus est Robertus filius Ludovici Regis in exitu Septembris.

MCCXIX. Hoc anno natus est Joannes filius Ludovici Regis in exitu Septembris.

MCCXX. Hoc anno natus est Alfonsus filius Ludovici Regis, in festo sancti Martini hyemalis.

MCCXXI. Hoc anno obiit Henricus beati Dionysii Abbas, qui multa bona fecit Ecclesiæ beati Dionysii: & venerabilis Petrus successor ejus electus est. Hoc anno natus est Philippus filius Ludovici Regis Dominicâ primâ Quadragesimæ.

MCCXXIII. Pridie Idus Julii Medontæ obiit Illustrissimus Rex Francorum Philippus; Idus verò Julii cum honore debito sepultus est in famosissimo Macarii Areopagitæ Dionysii Monasterio, præsentibus duobus ejusdem filiis Ludovico & Philippo, præsente etiam Rege Hierosolymorum Joanne, Legato Apostolicæ Sedis, Portuense Episcopo, duobus Archiepiscopis, 24. Episcopis, duobus mitratis Abbatibus, aliisque personis tam sæcularibus quàm Ecclesiasticis, quarum numerus soli Deo cognitus est. Hoc nimirum divinâ disponente providentiâ, ut quia idem Philippus cultor fidelissimus fidei Catholicæ, pius amator & defensor egregius sanctæ Matris Ecclesiæ in vitâ suâ exstitit, ipsâ vice muneris in præsenti gloriosas eidem in suis pastoribus & filiis in obitu exequias exhiberet.

Tempore suo Philippus Rex supradictus hos Comitatus acquisivit: Comitatum Virmandensem, Pictavensem, Andegavensem, Turonensem, Cenomanensem, Alençonensem, Cleromontensem, Belmetensem, Pontivinensem. Philippo successit in regnum Ludovicus filius ejus, VIII. Idus Augusti Rhemis solemniter consecratus. Reginâ Blancâ conjuge suâ eodem die cum ipso pariter coronatâ.

MCCXXIV. Hoc anno suspensus est in Flandriâ quidam, qui se dicebat Comitem Flandriæ Balduinum Constantinopolitanum, qui multos seduxerat ut sibi consentirent.

Hoc anno nata est Isabel filia Ludovici Regis in Martio.

MCCXXVI. Ludovicus Rex Philippi Regis filius cum reverteretur à subversione Avenniensium, mortuus est in Alverniâ, apud castrum Montpencer, cui successit in regno Ludovicus filius ejus, qui fuit Rhemis coronatus à venerabili Patre Jacobo Episcopo Suessionensi. Hoc anno natus est Carolus filius Ludovici Regis in exitu Martii.

MCCXXVIII. Concessus est Ecclesiæ beati Dionysii usus tunicæ & dalmaticæ & benedictionis super populum à Domino Papa Gregorio, vivente Petro Abbate.

Hoc anno obiit Petrus de Autelio Abbas sancti Dionysii, in festo SS. Vedasti & Amandi: & electus fuit Odo Clemens in Abbatem ejusdem Ecclesiæ, in festo sanctæ Scolasticæ facta fuit electio; & in ipsâ die idem Odo recepit à Rege Ludovico regalia: à Domino Romano Cardinali & Apostolicæ sedis Legato confirmatus fuit, & in crastino ab Episcopo Carnotensi benedictus.

MCCXXXI. Hoc anno cœpit Odo Abbas renovare Capitulum Ecclesiæ beati Dionysii Areopagitæ, & perfecit illud usque ad finem chori, hoc excepto, quòd turris ubi sunt cymbala à parte revestiarii non erat perfecta, nec voltatus erat chorus, sed à parte sancti Hippolyti totum erat perfectum, & etiam voltatum erat à parte vestiarii.

MCCXXXIII. Hoc anno obiit Philippus filius Philippi Regis Francorum, Comes Boloniæ, Cleromontis, Albemarlæ, Domni-Martini, de Moretel, Domno-Frontis en Passois, & sepultus est in Ecclesiâ B. Dionysii ad sinistram partem altaris matutinalis, anno vitæ suæ XXXIII. Hoc anno obiit Ferrandus Comes Flandriæ.

MCCXXXIV. Hoc anno Margarita filia Comitis Provinciæ, inuncta est in Reginam Franciæ apud Senonas ab Archiepiscopo Senonensi; cui inunctioni & dispensationi interfuit Odo Clementis Abbas sancti Dionysii cum Episcopalibus ornamentis.

MCCXXXVI. Hoc anno in Purificatione Beatæ MARIÆ translatum fuit cum magnâ solemnitate corpus sancti Hippolyti ab oratorio, quòd diù fuerat in medio navis Ecclesiæ, in novum oratorium in sinistrâ parte novi operis, & tunc fuit maxima inundatio aquarum.

MCCXXXVII. Hoc anno fuit maxima mortalitas fratrum Monachorum in Ecclesiâ beati Dionysii, ferè usque ad XLIV.

MCCXXXVIII. Hoc anno profecti sunt Hierosolymam Rex Navarræ, qui & Comes Campaniæ; & Comes Montisfortis, & tota ferè nobilitas Baronum, tam Militum, quàm populorum. Et eodem anno Alfonsus de Hispaniâ duxit in uxorem Comitissam Boloniæ.

MCCXXXIX. Hoc anno regnante Ludovico Rege, filio Ludovici Regis, fuit Conventus Ecclesiæ beati Dionysii apud Vicenas feriâ V. post Assumptionem Beatæ MARIÆ Virginis, quæ tunc erat V. Calend.

Septembris;

Septembris ; & illucescente aurorâ induerunt se albis & pretiosissimis cappis, ut honestiùs cæteris processionibus, cum Coronâ Dominicâ, de Constantinopoli ad Regem per certissimos nuntios asportata, usque ad Ecclesiam Beatæ MARIÆ Virginis Parisius deveniret, ubi Domnus Odo Clementis, tum temporis Ecclesiæ beati Dionysii Abbas, cum cæteris Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ornatus Episcopalibus indumentis, mitram habens in capite, annulum in digito, & manu baculum pastoralem, ad dextram altaris Beatæ Virginis adstitit. Processio verò nostra à cæteris separata, in mediâ navi Ecclesiæ Beatæ Virginis remansit: Guillelmus verò Cantor tunc temporis Ecclesiæ beati Dionysii, à Vicenis usque ad dictam Ecclesiam Beatæ Virginis omnes cantus tanquam inter cæteros Cantores specialis Præcentor mirabiliter inchoavit, maximè in navi Ecclesiæ Beatæ Virginis, *Ave Regina cœlorum*, intonans ita altè, quòd omnes stupefacti sunt audientes. Inde usque ad Regis palatium coronam Dominicam cum divinis Responsoriis deducentes, in capellâ Domini Regis cereos quos in manibus portabant, in honore dictæ coronæ, similiter obtulerunt, & capella, & etiam dicta sacrosancta corona, cum toto palatio palliis & ornamentis pretiosissimis de domo nostrâ ad hoc Parisius delatis, cunctis aliis ornamentis vilipensis, decentissimè fuerunt ornata.

MCCXL. Hoc anno nata est Blanca primogenita Ludovici Regis in Translatione sancti Benedicti.

MCCXLI. Hoc anno nata est Ysabellis filia Ludovici Regis die Martis. Eodem anno fuit siccitas magna à Dominicâ post natale Domini usque ad Exaltationem sanctæ Crucis mense Septembri. Eodem die cœperunt pluviæ: & eodem anno fuerunt omnia vina tam fortia, quòd non poterant bibi commodè sine aquâ, & multi in anno illo patiebantur malum maximum in oculis eorum.

MCCXLIII. Hoc anno natus est Ludovicus primogenitus Ludovici Regis in festo S. Matthæi Apostoli.

MCCXLIV. Hoc anno cœpit Rex Francorum Ludovicus die Sabbati ante festum S. Luciæ validâ febre, & vehementi fluxu ventris apud Pontisaram graviter infirmari. Et eo anno paucis diebus revolutis devenit Lugdunum Innocentius Papa IV.

MCCXLV. Hoc anno fuit natus Philippus filius Ludovici Regis in festo Apostolorum Philippi & Jacobi.

MCCXLVI. Odo Abbas B. Dionysii fuit Archiepiscopus Rotomagensis: & Guillelmus factus fuit Abbas.

Hoc anno dixit Rex quòd Joannes haberet comitatum Hanoniæ post mortem matris: & Guillelmus Comitatum Flandriæ.

MCCXLVII. Hoc anno in festo B. Dionysii comedit Ludovicus Rex, & Robertus, Alfonsus, Carolus fratres ejus, in refectorio nostro; & Comes sancti Ægidii; & multi alii Barones.

MCCXLVIII. Hoc anno feriâ VI. Pentecostes Ludovicus Rex accepit vexillum, & peram, & baculum in Ecclesiâ B. Dionysii, & fratres ejus, ab Odone Cardinale; & post accepit licentiam in Capitulo nostro, & Robertus, & Carolus fratres ejus, cum magnâ humilitate: Dominicâ post Margarita uxor ejus similiter fecit.

MCCLIII. Hoc anno Domnus Guillelmus Abbas sancti Dionysii vigiliâ Annuntiationis misit duos solemnes nuntios ad Ludovicum Regem Franciæ ultrà mare, videlicet Thomam Cantorem, & Nicolaum tertium Priorem ejusdem Ecclesiæ, qui in Natali Domini post, & eorum familia integra cum prosperitate & gaudio per Dei gratiam ad propria remearunt: & in Dedicatione sequenti mortuus fuit Guillelmus de Macouris Abbas istius Ecclesiæ, & successit ei Henricus dictus Malet.

MCCLVIII. Mathæus Vindocinensis consecratus est Abbas B. Dionysii.

MCCLIX. Translati sunt Sugerius, Henricus, Petrus, Adam, Yvo, Hugo Abbates.

MCCLXIII. Hoc anno translati sunt die sancti Gregorii Reges Odo, Hugo Capet, Robertus, Constantia ejus uxor, Henricus, Ludovicus Grossus, Philippus filius Ludovici Grossi, Constantia Regina quæ venit de Hispaniâ.

MCCLXIV. Translati sunt Reges in dextro Choro, scilicet Ludovicus Rex filius Dagoberti, Carolus Martellus Rex, Berta Regina uxor Pipini, Pipinus Rex, Hyrmintrudis Regina uxor Caroli Calvi, Kallomagnus Rex filius Pipini, Kallomagnus Rex filius Ludovici Balbi, Ludovicus Rex filius Ludovici Balbi.

MCCLXVII. In die Pentecostes fuit Philippus filius Ludovici Regis Miles novus Parisius.

MCCLXX. Christianissimus Rex Ludovicus obdormivit in Domino in die Lunæ post octavas Assumptionis, circà horam nonam. Eodem anno in Quadragesimâ natus est Carolus filius Philippi Regis de primâ uxore.

MCCLXXI. Coronatus est Philippus filius ejusdem Ludovici.

MCCLXXVI. Hoc anno mense Maio natus est Ludovicus filius Philippi Regis de uxore secundâ.

MCCLXXX. Prior S. Dionysii factus est Abbas S. Launomari Blesensis. Eodem anno sic crevit fluvius Sequanæ, quòd aqua posset accipi cum manibus desuper magnum pontem, de quo majores duæ arcæ totaliter corruerunt. Eodem anno & tempore fecit Conventus processionem ad fluvium Sequanæ cum clavo & coronâ Domini, & brachium S. Simeonis deportaverunt.

MCCLXXXI. Consummatum est novum opus Ecclesiæ B. Dionysii à Domino Matthæo Abbate.

MCCLXXXII. Condemnatus est Petrus Rex Aragonum.

MCCLXXXIII. Joannes de Pontisarâ Prior Argentolii, factus est Abbas de Ferrariis.

MCCLXXXIV. Hoc anno venit quidam in Alemanniam, qui dicebat se Fredericum esse, & multos deceptionibus suis ac magicis artibus, de quibus peritus erat, decepit; ita ut multum comitatum, ut dicebatur, haberet; & multi credebant illum esse eumdem Fredericum, qui quondam Imperator fuerat. Tandem cognitâ malitiâ suâ tamquam maleficus, & execrandis artibus operator, in eisdem partibus concrematus est.

Hoc anno VI. Kal. Februarii translata sunt corpora Domini Joannis quondam Comitis Nivernensis, & Ducissæ de Brabant, de priori loco, & posita ad pedes Ludovici Regis patris sui.

Eodem anno Carolus Rex Siciliæ in Capitulo B. Dionysii, præsente Conventu, ejus orationes impetrando, flexis genibus sacra Evangelia osculando, & eos Deo commendando, humiliter recessit ab eis.

Philippus filius Philippi Regis factus est Miles in festo Assumptionis beatæ Virginis; & duxit uxorem filiam Regis Navarræ, & factus est cum eo Miles frater ejus Dominus Carolus, & filius Comitis Atrebatensis, & multi alii. Cui Domino Carolo concessum est regnum Aragonum à Sede Apostolicâ.

Eodem anno profectus est super regnum Aragonum Philippus Rex Franciæ cum exercitu suo. Accepit autem peram & baculum in Ecclesiâ beati Dionysii Dominicâ die in medio Quadragesimæ, quæ

fuit IV. Nonas Martii: & ab illâ die cœpit iter.

Eodem anno mense Martio obiit famosissimus Carolus Rex Siciliæ. Eodem anno III. die Octavæ beatæ Virginis Assumptionis, Joannes Cholet Apostolicæ Sedis Legatus apud Parisius congregavit Concilium, & advenit ibi maxima multitudo Prælatorum.

MCCLXXXV. Hoc anno obiit Philippus Rex Franciæ, filius Ludovici Regis, III. nonas Octob. apud Castrum quod dicitur Parpegnien: sepultus est autem in Ecclesiâ beati Dionysii III. nonas Decemb. à venerabili viro Joanne Cholet, tunc temporis Sedis Apostolicæ Legato.

Eodem anno coronatus est Philippus Rex, filius ejusdem Philippi Regis, cum uxore suâ, in die Epiphaniæ.

MCCLXXXVIII. Obiit venerabilis Abbas Mathæus Vindocinensis apud Belnam. Eodem anno Reginaldus Gifardi electus est in Abbatem in Capitulo B. Dionysii à toto Conventu.

MCCLXXXIX. Hoc anno circà festum Resurrectionis Dominicæ Parisius magnum argumentum fidei nostræ nobis ostensum est. Quidam Judæi hostiam sacram à quodam pessimo habuerunt, quam in aquam calidam positam cum cultello percusserunt: de quâ virtute divinâ sanguis copiosè effluit in tantum, quòd tota aqua rubefacta est. Qui capti veritatem confessi sunt, quorum quidam consusi sunt, alii baptizati sunt.

MCCXC. Hoc anno missi fuerunt à Curâ Romanâ duo Legati in Franciam, quorum nomina, Domnus Girardus, & Domnus Benedictus, qui convocatis omnibus Prælatis ejusdem regni tenuerunt Concilium in Ecclesiâ B. Genovefæ Parisius.

Eodem anno frater Joannes de Auteul, Magnus Prior Ecclesiæ B. Dionysii, factus est Abbas B. Audoëni Rotomagensis à Domino Papa.

MCCXCI. Isto anno capta est civitas Achonensis à Soldano. Propter quod facta est prædicatio generalis de Cruce.

MCCXCII. Isto anno motum fuit bellum inter Regem Franciæ, & Comitem de Henaut.

MONITUM.

QUADRIENNIUM jam effluxit quo refugiebat animus Historiam Vizeliacensis Monasterii amplissimis hiatibus fœdatam in publicum proferre: spes enim erat illius integræ aliquando è ruderibus, antrisve Monasteriorum, ubi fortean adhuc in pulvere & situ cum tineis deluctatur, cruendæ: verùm crebris amicorum hortationibus interpellatus, suasionibus impulsus, ne à me repulsam paterentur, cessi tandem eorum votis (viri enim sunt inter Literatos eruditione juxtà ac pietate præcipui) atque historiam quamvis lacunis dehiscentem, vetustis tamen nobilitatam monumentis, docteque ac eleganter conscriptam, nolui diutiùs tenebris obvolvi, imò luci, ut pote utilitate literariæ profuturam libens exposui.

Historiam placuit Auctori Hugoni Pictavino quadripertitam proponere. In priori parte Conditorum tabulas, Romanæ Urbis literas, diplomata Regum, atque alia id genus rescripta, tamquam eorum quæ erat in medium producturus fundamenta subjecit. Depingit in alterâ Episcopum Eduensem quà fas quà nefas libertates Ecclesiæ Vizeliacensis infringere, ac jura soli Romano Pontifici competentia usurpare conantem. In tertiâ demum & quartâ luctuosas prodit tragœdias à Comitibus Nivernensium peractas, qui incursionibus ac direptione per se, perque suos non semel in Monasterium Vizeliacense, universumque ejus dominium, ut illud ditioni suæ adjungerent, grassati sunt, barbarorum more Monachos expulerunt, Oppidanos à legibus & subjectione Abbatis eorum Domini apertâ vi subtraxerunt. Auctor ipse nihilominùs victorias ab Abbate & Monachis, non tamen sine ingenti labore ac dispendio rei familiaris, tum de Episcopo, tum etiam de Nivernensibus, afflante divino Spiritu, Pontificibus Romanis juvantibus, favente in primis Rege Ludovico septimo, reportatas describere non omittit. Interserit etiam insigniora sui temporis, quæ Civilem, Ecclesiasticamque historiam admodum illustrant.

Quonam anno cucullum Vizeliacenses vestibus Canonicorum assumptis abdicaverint, videsis in Observationibus ad Guiberti de Novigento Opera, pag. 658.

HISTORIA VIZELIACENSIS MONASTERII.

Auctore HUGONE Pictavino Notario GUILLELMI Abbatis Vizeliacensis, qui eam jussu Pontii Abbatis scribere aggressus est anno MCLVI. & sub ipso Guillelmo absolvit anno MCLXVII.

LIBER PRIMUS.

Privilegia & Chartæ Vizeliacensis Cœnobii.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs sancti. Incipit Instrumentum seu Testamentum GERALDI Comitis, Fundatoris Monasteriorum, videlicet Pultariensis & Vizeliacensis, subsequentibus Privilegiis Apostolicæ & Regalis authoritatis, ipsum Testamentum confirmantibus & corroborantibus in perpetuum.

Omnibus Christi fidelibus, pietate, amore, desiderioque ferventi beatam vitam exspectantibus, & in unitate Christianitatis sub obedientiâ præce- Testamentum Gerardi Comitis.

ptorum Dei ubique manentibus, sive his qui præsentes sunt, sive his qui futuri, atque in compage & vinculo charitatis victuri, & usque ad consummationem sæculi in Ecclesiâ Sanctorum sibi invicem sunt successuri. Ego GERARDUS divinæ pietatis munere apud gloriosam Regalem mansuetudinem Comitis honore sublimatus, ex communi voto & desiderio dilectissimæ Conjugis meæ atque amantissimæ BERTÆ, eo quod nobis pariter unanimiterque, Domino inspirante, complacuerit, ut de rebus nostris & possessionum nostrarum titulis perennem memoriam Domino Deo nostro, ubi laus ejus assiduè fieret, statueremus. Et quoniam largitionibus piis Dominorum & Seniorum nostrorum, qui nos liberalissimè honoribus & dignitatibus ampliaverunt, id est, Imperator & Senior noster clementissimus Ludovicus, & gloriosa Domina & Regina Judith, filiusque ipsorum æquè Senior atque Dominus noster Rex Karolus, plurima nobis possidenda accreverunt, justissimè nobis visum est, ut eorum amore incitati locum etiam ipsum fundaremus, ubi pro gratis muneribus ipsorum esset in orationibus solemnis & jugis supplicatio, & apud Deum continua pro salute ipsorum exoratio. Non immemores etenim sumus eorum circà nos benevolentiæ, ipsorum, id est, Domini Senioris Ludovici Augusti, Judith Dominæ & Reginæ, Karoli filii ipsorum similiter Domini & Senioris qui nunc superest regnans. Sed & dignam rependentes genitoribus atque parentibus honorificentiam, id est, Leuthardi, & Grimildis, atque gratissimorum Hugonis & Bavæ, amabilibusque filiis & filiabus ipsorum, sive qui jam dormierunt in Domino, sive qui adhuc vivunt, consanguinitate, affinitate & propinquitate etiam nobis junctis, id est, Leufredi & Adalardi Comitum præclarissimorum, ut pro eis intercessio & assidua deprecatio fieret, & peccatorum eorum acquireretur propitiatio, & in loco ipso, quem juvante Christo fundaremus, succedentibusque temporibus esset eorum permanens recordatio. Itaque & illorum quoque propinquorum, quibus & hereditario jure eisdem in rebus successimus, necnon & reliquorum omnium, sed & amicorum nostrorum universorum & fidelium generaliter omnium perpetualis duraret memoria, ibique per ævum pro omnibus fieret communis oratio.

Fundatur Monasterium Pulteriense Monachorũ.

Ego igitur GERARDUS, & conjux simul gratissima, piâ & fideli devotione constituimus atque construximus Monasterium & habitaculum servorum Dei apto competentique loco, & ex largitione atque oblatione facultatis & rerum nostrarum, illic quidquid ad sustentationem eorumdem Deo famulantium, quidquid ad religionis cultum necessarium exstat, piâ ac solerti providentiâ juxtà vires quas Deus tribuit, procuravimus, menteque promptissimâ eadem ipsa quæ de manu ipsius accepimus, gratias beneficiis illius referentes, obtulimus. Fundatus igitur atque conditus est locus devotionis nostræ in honore Domini nostri JESU-CHRISTI, & veneratione Beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli super amnem Sequanæ præterfluentis, in agro respiciente ad villam, quam ex antiquo Pultarias nominant, in pago Laticensi in regno Burgundiæ, ut ibi venerabile orationis domicilium votis ac supplicationibus fidelium frequentetur, conversatioque cœlestis sub regulari districtione, & institutione Beati Benedicti viventium, omni desiderio & ardore intimo perquiratur & expetatur. Ibique contulimus villas has: Ipsam eamdemque, ubi è vicino Monasterium situs est, Pultarias; quidquid ibi ex hereditate, quidquid præcepti sui authoritate Senior noster Carolus Rex nobis ibi contulit, quidquid alio legitimo pacto ibi rebus nostris accessit, cum universis appendiciis suis, & quæ ubicumque ad ipsa respicientia sunt. In pago verò Senonico Sextam cum omnibus ad eam respicientibus & universis appendiciis. Villam Mannifcam similiter cum omnibus ad eam respicientibus & appendiciis suis. Veron etiam, & Villare in supradicto pago cum omnibus rebus ad eas respicientibus & appendiciis earum. Similiter & in eodem pago, in villâ quæ dicitur Piscatoria, quæ est sita super Hyonam fluvium, totum & ad integrum quidquid de Ildino Vasallo Dominico conquisivimus, & quidquid ad ipsam Piscatoriam aspicit, in omnibus dumtaxat, in quibus ibidem nostra videtur dominatio, vel esse scitur potestas; & quidquid ad jus nostrum in pago Tricassino pertinet.

Necnon Vezeliacense Monialium.

Pari etiam ordine fundavimus aliud Monasterium eodem studio, eâdemque devotione, ut habitaculum ancillarum Dei sub districtione regulari, & institutione beati Benedicti viventium, ibidem fieret in honore Domini nostri JESU-CHRISTI, in loco vel agro qui dicitur Vizeliacus, in pago Avalensi, in regno Burgundiæ; ubi & contulimus Villas has: Eamdem ipsam in quâ situm sacrum & venerabile Monasterium Vizeliacum, quam commutavimus cum Dominâ & gloriosâ Judith Reginâ, agente & impetrante apud piissimæ memoriæ Dominum & Seniorem nostrum Ludovicum Imperatorem, quidquid idem clementissimus Imperator ad eamdem villam respiciens sub præcepti sui confirmatione condonavit, nobisque contulit, quæ ubicumque respiciunt ad eamdem villam pertinentia, prædicto Monasterio consignavimus. Villam denique Dorniciacum, villam Cisternas, Fontanas, atque Molnitum; vel quidquid in nominato pago Avalensi vel Tornodorensi acquisivimus, cum universis appendiciis supradictarum villarum, ubicumque vel in quocumque pago fuerint.

Totum ergo ex integro quidquid in supranominatis villis vel agris acquisivimus, & acquirere potuimus, sacratissimis locis & Monasteriis coadunavimus, & unanimitati atque utilitati eorum qui ibi Deo servierint in perpetuo connexuimus; tantum nobis, dum manemus in vitâ carnis, usufructuario reservato; tuitionem quoque atque defensionem prædictorum Monasteriorum sub nostrâ curâ habentes. Itaque quidquid præfato Monasterio virorum nostrâ religiosâ oblatione collatum est, quidquid in rebus sive servitiis, vel quibuscumque speciebus, Deo inspirante contraditum additumque fuerit, aut à quibuscumque fidelibus, quolibet unquam tempore oblatum absque ullis exterioribus obsequiis, & obsequiorum exactionibus. solis eorum stipendiis & necessariis sumptibus, qui illic Domino serviunt, jugi præsentis nostri Testamenti firmitate permaneat illibatum; excepto quòd pro benedictione annis singulis ad Reverentissimam Sedem Beatorum Apostolorum, cui loca eadem subdidimus, Romæ offerantur B. Pontifici Urbis libræ argenti duæ, & quæ ultroneâ voluntate charitatis atque humanitatis officio quotidiana beneficia docent exercenda; liberi tamen ab illis exhibitionibus Monachi sub quieto servitio regulariter vivant, orationis obsequia solemniter offerentes Deo pro gloriosissimis Dominis & Senioribus nostris Ludovico Augusto, & Carolo filio ejus, & præcellentis memoriæ Dominabus nostris Judith atque Hermengarde, necnon etiam & Senioris Caroli conjuge venerabili Hermentrude: sed & præclarissimæ item recordationis genitorum genitricumque, filiorum filiarumque ipsorum, qui sive vivunt sive dormierunt jam in Domino, pro nobis etiam filiisque ac filiabus viventibus sive de-

functis, cunctisque amicis nostris, omnique fidelium multitudine.

Monasterium vtrumque Romano Pontifici subjicitur.

Hoc verò Monasterium sive aliud suprà nominatum, cum omnibus rebus ibi collatis, Beatissimis Apostolis apud Romam subdidimus, & testamentario libello dato, æternè sanctis Pontificibus urbis illius, qui vice Apostolicâ annis sequentibus sedem tenuerint, ad regendum, ordinandum (non tamen ut beneficiariâ potestate cuiquam dandi aut procamiandi licentia sit) disponendumque perpetuò commisimus; ut eorum sollicitis studiis & vigili provisione juxtà nostram devotionem religio pietatis & honestatis ad gloriam Dei semper ibi excrescat, & fructus apud Deum propensior generetur. Illud præcipuè firmum volumus, ut quoties Abbas vel Abbatissa de præfatis Monasteriis respectu divino à religione nostrâ sanctis Apostolis contraditis, ex hac luce migraverint, congregationes ipsæ, quas venerabilibus locis Deus esse voluerit, habeant concessam sibi potestatem cum interrogatione sanctorumque virorum consilio alterum, vel alteram bonæ vitæ & boni testimonii auxiliante Domino è suo consortio atque collegio electum, vel electam præficiendi, prosequente Pontificis super hac re probatione, qui sedem Apostolicam tunc temporis meruerit. Sed & rerum quantitas in suscipiendis Fratribus vel Sororibus semper attendatur, ne superfluo numero congregationes ipsæ, quod absit, forte gravatæ, dilabantur. Illud quoque summopere monemus, & sub obtestatione etiam inhibemus, ne cui pietatis nostræ votum liceat in perpetuum commutare, vel præpostero ordine, irrumpendo perturbare. Quod si quis, quod non credimus futurum, præsumserit, Domini & Senioris nostri Caroli pii Regis præcepto damnatus, Domino Deo nostro dignam facti sui vicem ei reddente ex sententiâ Sancti Pontificis Urbis, ut sacrilegus, & sacrarum rerum fraudator à cœtu populi Dei extraneus, pœnam æternam, nisi resipuerit, incurrat. Sed & omnes vos sanctissimi Patres & Episcopi per Redemptorem nostrum deprecamur, ut huic nostræ devotionis operi semper dignemini fautores & adjutores in omnibus existere: quod in fine monendum sit, piis & carissimis nostris servis dictis Monasteriis tam pio studio à nobis fundatis degentibus, & piâ & vigili curâ devotionis & religionis sit, atque in omnibus se exhibeant sicut Dei ministros, nemini dantes ullam offensionem vituperandi religiosissimum & sacrum ordinem ministerii sui, ut Apostolicæ Sedis Pontifex sit eis Rector, assiduus consolator & tutor, quatinùs corpori & membris Ecclesiæ fidelissimâ charitate, & religiosissimâ obedientiâ uniti, etiam capiti totius corporis, quod est Christus, mereantur compage sociari. Hoc autem Testamentum plenâ à nobis pietate & devotione confectum, ut omni tempore irrefragabilem obtineat firmitatem, etiam manûs nostræ & Illustrium virorum suscriptionibus sanximus roborandum.

S. Gerardi Comitis. S. Bertæ conjugis, qui hanc oblationem Deo pro remedio animæ suæ obtulerunt, & testamento facto firmarunt, atque firmari jusserunt.

S. Evæ filiæ ipsorum, quæ voluntatem parentum, & oblationem Deo factam audiendo & firmando consensit, & consentiendo confirmavit. S. Saunari. S. Teuderici. S. Bunonis. S. Aiverti. S. Fanuel. S. Fredeberti. S. Baunarii. S. Radulfi. S. Widerici. S. Gerardi. S. Sigiberti. S. Rotardi. S. Gislemari. S. Abbonis. S. Gauzselini. S. Auzgarii. S. Ayrbaldi. S. Optadi. S. Bernonis. S. Galtarii. S. Odolardi. S. Athonis. S. Odoberti. S. Ardulfi. S. Austorici. S. Bercharii. S. Amalberti. S. Raganaudi.

Epistola Gerardi *Comitis ad* Nicolaum *Papam De ditione & tuitione Apostolicâ.*

Domino beatissimo & sacratissimæ Sedis Apostolico, atque peculiari Patri nobis Nicolao, Gerardus misericordiâ Omnipotentis Dei apud Regalem Clementiam Comitis honore sublimatus, unà cum gratissimâ conjuge Berta nomine.

Publicè notum esse volumus tam beatitudini vestræ, quàm Clero & omni populo sacræ Urbis, fidem in Domino nostro Jesu-Christo devotissimam & promptissimam oblationem ex largitione facultatum nostrarum (latam enim possessionem rerum dedit nobis Dominus) propter amorem ipsius, & æternum animæ nostræ remedium; quia pariter atque unanimiter, communique voto, nobis Domino inspirante, complacuerit, ut exceptis illis quæ posteritati generis ac prolis servantur, de rebus nostris reliquis heredem ipsum Deum, beatosque ejus Apostolos Petrum & Paulum faceremus, eosque apud ipsum perpetuos intercessores constitueremus; & quoniam auxiliante ipso, qui omnium bonarum voluntatum largitor, & inspirator est omnis sancti voti, accessit huic nostræ devotioni, ut eisdem facultatum nostrarum rebus apto & convenienti loco Monasteria & habitacula Servorum Dei construeremus, atque illic quidquid ad sustentationem eorumdem Deo famulantium & religionis cultum necessarium existit, piâ ac solerti providentiâ juxtà vires quas Deus tribuit, procuraremus, & ut defensionem & tuitionem ordinis & religionis suæ perennem haberent, atque devotionis nostræ fructus perpetuò maneret, sacratissimæ ac reverendissimæ Urbi, & loco, ubi beatorum Petri & Pauli Apostolorum æterna memoria celebratur, decerneremus, subderemus, atque Dominationi sanctissimi Pontificis Urbis ipsius committeremus; ut videlicet dispositionem sive statum ipsorum Ecclesiasticâ pietate & firmitate idem B. Pontifex ordinaret; ita tamen ut nulli unquam ea beneficiario dono concederet, nisi ipsis, quibus testamentariâ largitione consulentes nosipsi concedendum esse signavimus, & inferiùs hæc eadem scriptura signabit. Implentes igitur promptissimam nostram devotionem, & plenissimum in Christo desiderium, legitimè ac testamentario donationis jure Ecclesiam Dei rerum nostrarum constituentes heredem, statuimus atque fundavimus venerabilem & sacrum oblationis nostræ locum in nomine Domini nostri Jesu-Christi, & veneratione beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ut sit habitaculum Dei Servorum sub regulari ordine, ac professione beati Benedicti degentium, super amnem præterfluentis Sequanæ in agro respiciente ad Villam, quam ex antiquo Pultarias nominant, in pago Laticense, in regno Burgundiæ, & in parochiâ Lingonicæ civitatis, ut ibi venerabile orationis Domicilium votis ac supplicationibus fidelium frequentetur, conversatioque cœlestis omni desiderio & ardore intimo perquiratur & expetatur; cuique & res nostras & facultates possessionum nostrarum, quæ de parentum benignissimâ successione, seu affectuosissimâ largitione provenerunt, vel benignissimus Rex Dominus & Senior noster Carolus per præceptum nobis conferre dignatus est, sive etiam quæ dignâ comparatione in nostrum jus transfusa sunt. Deo auxiliante, & plenè devotionem nostram adimplente, legitimè scilicet ac testamentario donationis jure transposuimus atque refudimus. Hoc est agrum sive villam in pago Laticense, ubi è vicino Monasterium

Gerardus subdita vult Monasteria à se condita juri solius Romani Pontif.

situm est, Pultarias; quidquid ibi ex parentum hereditate, quidquid præcepti sui auctoritate pius Rex ibi contulit, nobisque provenit; quidquid alio legitimo pacto ibi rebus nostris accessit, cum universis appenditiis suis, & quæ ubicumque sunt ad ipsam respicientia. In pago Senonico Sextam cum omnibus ad eam respicientibus, & universis appendiciis suis; Magniscam [a] villam similiter cum omnibus ad eam respicientibus appendiciis suis. Totum ergo, ut prætulimus, ex integro quidquid in supra nominatis villis acquisivimus & acquirere potuimus, sacratissimo loco & Monasterio, servisque Dei ibi militaturis coadunavimus, unanimitati & utilitati eorum servitura in perpetuum connexuimus, tantùm nobis, dum manemus in vitâ carnis, usufructuario reservato, tuitionem potiùs atque defensionem loci ferendo.

Itemque alium æque venerabilem & sacrum locum sub honore ejusdem Dei & Domini nostri Jesu-Christi, & veneratione Genitricis ipsius beatæ Virginis Mariæ, in loco vel agro qui dicitur Vizeliacus in pago Avalense, & regno Burgundiæ, atque de rebus nostris communi voto similiter ditavimus atque dotavimus: ibique contulimus villas has, ipsam in quâ situm est sacrum & venerabile Monasterium Vizeliaci, quam commutavimus cum piissimæ memoriæ Ludovico Imperatore; quidquid idem clementissimus Imperator ad eamdem villam respiciens sub præcepti sui confirmatione muniendo nobis ad vicem condonavit, quæcumque respiciunt ad eandem villam pertinentia prædicto Monasterio consignavimus, Villam denique Dorniciacum, villam Cisternas, villam Fontanas, atque Molnitum, vel quidquid in nominato pago Avalense vel Tornodorense acquisivimus, cum universis appendiciis supradictarum villarum, ubicumque vel in quocumque pago fuerit.

Quidquid itaque præfatis locis, Monasteriis, Ecclesiisve contulimus, quidquid ibi nostrâ oblatione collatum est, in rebus sive in servitiis, vel quibuscumque speciebus à nobis Deo inspirante additum fuerit, aut à quibuscumque fidelibus quolibet unquam tempore oblatum, absque ullis exterioribus obsequiis & obsequiorum exactionibus, solis eorum stipendiis & necessariis sumptibus, qui illic Domino serviunt; jugi nostræ auctoritatis firmitate, & testamenti conscriptione permanere decrevimus, usu nobis fructuario tantùm dum vivimus, reservato; excepto quod pro benedictione annis singulis ad Reverentissimam Sedem cui ipsa Monasteria subdidimus, offerantur B. Pontifici Urbis ex utrisque Monasteriis libræ duæ argenti; & quæ ultroneâ voluntate charitatis atque humilitatis officio quotidiana beneficia docent exercenda: nec quislibet temerarius, seu ulla quæcumque persona inde aliud unquam præsumat affectare, aut invadendo sacram donationem minuere, aut propriario jure in usus suos illicitè transferendo vendicare, sed quod respectu divino à nobis profectum est, metuens tremendum judicium sinat inconvulsum durare. Hæc itaque venerabilia servorum Dei domicilia, unà cum Deo ibi servientibus sive servitutis, vobis, Beatissime Pontifex, successoribusque vestris propter reverentiam Beatorum Apostolorum, quorum locum & vices sortiti in Christi Ecclesiâ tenetis, totâ ante Deum animi devotione commendamus, subdimus, & ad disponendum nostri desiderii votum stabiliter per Apostolatûs vestri studium perpetuò committimus; ut ea paternâ in omnibus & Ecclesiasticâ pietate, misericordissimâque dispositione gubernare, tutari, & defensare dignemini; ne cuiquam contrà nostrum votum beneficiario dato tradantur, nisi his qui testamentariâ scripturâ designantur, & piis successoribus vestris sub divinæ majestatis obtestatione, & futuri judicii tremendâ contemplatione, ubi ante tribunal Christi unusquisque nostrûm absque dubio actûs sui rationem reportabit, immobili firmitate, & canonicâ paternâque auctoritate servandum commendetis, toto conamine humilitatis provoluti vestris sanctissimis vestigiis obtinere mereamur: ut videlicet de rebus nostris, quas Domino plenâ devotione obtulimus, legitimo scilicet Testamento perfecto, Servi Dei in præfatis Monasteriis à nobis constructis, vel Sanctimonialium congregatio de vestrâ benedictione semper pendens, juxtà devotionem & desiderium nostrum licitè disponant, regulariterque sub suo jure per vos tutati & defensati vivant, nemini quidquam præter charitatem debentes, nulli nisi Principi Apostolorum, Vicarioque ejus in servitio obnoxii. Sed post discessum nostrum (quamdiu enim vita superest, eos sub nostrâ curâ cum vestrâ benedictione manere cupimus) tam illis quàm omnibus quos illic divina gratia vel aggregavit vel aggregatura est, & præsens & futura Deo miserante quies & tranquillitas procuretur. Et si quando ex congregatione ipsâ, quam in venerabilibus locis Deus esse voluerit, Abbas vel Abbatissa ex hac luce migraverint, congregationes ipsæ habeant concessam sibi potestatem cum interrogatione & sanctorum virorum consilio, alterum bonæ vitæ & boni testimonii, vel alteram auxiliante Domino ex suo consortio atque collegio electum vel electam præficiendi, prosequente B. Pontificis, qui tunc temporis sedem Apostolicam meruerit, probatione, qui vel quæ secundùm regularem ordinem B. Benedicti, intùs forisve liberè quæ sunt juris Monasteriorum prævideant, & alacriter, gratiam infundente Domino, impleant. Quod verò nimis timemus, quia iniquitate abundante refrixit charitas multorum, & avaritia latè omnia occupavit, si post obitum nostrum quælibet persona, aut Diœcesis ipsius Episcopus, cui nec ordinatio aliqua, nec dominatio loci conceditur, seu aliquis potentiorum, vel alius aliquis congregationem servorum Dei, vel ancillarum Dei, suasu maligno impulsuque cupido perturbare tentaverit, aut regularem ordinem confundere, seu Abbatem vel Abbatissam aliam quem vel quam congregatio regulariter elegerit, mutare contenderit, vel dominationes illicitas Monasteriis vel rebus Monasteriorum à nobis stabiliter ibi contraditis exercere præsumserit, obsecramus per Deum vestram Reverentissimam Paternitatem, ut opem quibusque modis Beatitudo vestra ferre non differat, piisque successoribus vestris sub divinæ Majestatis obtestatione, & futuri judicii tremendâ contemplatione; immobili firmitate, & paternâ auctoritate sanctitas vestra servandum commendet, & ipsum qui temerare tam sacram Deo donationem ausus est, sicut sacrarum rerum fraudatorem & appetitorem à communione Ecclesiasticâ vestra auctoritas suspendat, & Apostolica severitas vel censura illicò damnet, nec unquam perversissimâ suâ inflammatus avaritiâ, aliquid de superscriptâ piâ nostrâ voluntate, & religiosâ propter Deum devotione, quam vobis coram Domino & sanctis Apostolis ejus fidentissimè commendavimus, possit evincendo permutare. Sed continuò expertus Canonicum & Apostolicum dignissimum judicium, ipsis Apostolis vicem iniquitatis suæ illi reddentibus, etiam

[a] a *Magniscam*] Suprà habetur *Manniscam*. Illic etiam alia loca nominantur, quæ cur hoc loco non recenseantur, videbit fortasse peritior aliquis.

mulctâ trecentarum librarum auri, sicut in testamento insertum est; feriatur & damnetur.

Insuper hoc vos (Sanctissime Pastor) successoresque vestros, proni & animo toti consummissi per Christum Dominum, perque Virginem Matrem ipsius, & per Beatos Apostolos Petrum & Paulum, omnesque qui suo sanguine totam Dei Ecclesiam illustrant, deprecamur, ut pio & ferventi studio semper habitatoribus Monasteriorum vestræ Paternitati & Reverentiæ traditorum, peculiari quâdam paternitate suffragium feratis, nec unquam illa quæ sub vestrâ tuitione sub spe bonâ commisimus, aut beneficiari, aut procamiari patiamini: sed & vos piè nostrum votum integrum servare, & successoribus vestris, ut ipsi pari modo servent, relinquere & mandare dignemini, benedictionibusque piis Fratres & Sorores quos vel quas sub fiduciâ vestrâ ponimus, munire, & contrà incursantes defendere, & securos ad otium & quietem fructuosam reddere dignè insistendo satagatis, recepturi mercedem ab illo qui sanctos suos æternâ remuneratione coronat, JESU-CHRISTO Domino nostro.

Hanc autem Epistolam voluntatis, sive testamentariam oblationem, plenâ à nobis pietate & devotione confectam, ut omni tempore irrefragabilem obtineat firmitatem, etiam manûs nostræ, & illustrium Virorum subscriptionibus sanximus roborandam, æternâ memoriâ Beatissimorum Apostolorum Bibliothecis etiam transmisimus servandam.

S. Gerardi Comitis: S. Bertæ conjugis, qui hanc oblationem Deo pro remedio animæ suæ obtulerunt, & testamento facto firmaverunt atque firmari jusserunt.

S. Evæ filiæ ipsorum, quæ voluntatem parentum, & oblationem Deo factam audiendo & firmando consensit, & consentiendo firmavit. S. Saunari, S. Theuderici, S. Bunonis, S. Ayverti, S. Fanuel, S. Fredeberti, S. Baunari, S. Radulfi, S. Widerici, S. Gerardi, S. Sigiberti, S. Rotardi, S. Gislemari, S. Abonis, S. Gauzselini, S. Auzgarii, S. Airbaldi, S. Optadi, S. Bernonis, S. item Bernonis, S. Walfarii, S. Odolardi, S. Athonis, S. Odeberti, S. Ardulfi, S. Austorici, S. Bercharii, S. Amalberti, S. Raganaudi.

Data in mense Martio anno XXIII. regnante gloriosissimo & serenissimo Rege & Domino nostro CAROLO.

Ego Gileramnus Clericus rogatus scripsi & subscripsi.

Privilegium NICOLAI Papæ.

NICOLAUS Episcopus S. S. S. Dei, Religiosæ & Deo dicatæ, quæ divino nutu, divinâque providentiâ in Monasterio fuerit constituta, quod à vobis Gerardo scilicet clarissimo filio nostro illustrissimo Comite, & nobilissimâ filiâ Bertâ in nomine Domini nostri JESU-CHRISTI, & veneratione beatissimæ Virginis MARIÆ Genitricis ejusdem Dei & Domini nostri JESU-CHRISTI, in loco vel agro qui dicitur Vizeliacus, in pago Avalensi in finibus Burgundiæ, constructum est, opibusque ditatum, & omnibus quæ post eam in eodem Monasterio Abbatissæ regimen tenuerint in perpetuum: de quo Monasterio cum omnibus jure ad se pertinentibus pro remedio & futurâ retributione animarum vestrarum hanc sanctam heredem Romanam fecistis Ecclesiam, illudque per donationis paginam, beato Petro Apostolorum Principi contulistis. Quando ea [ad] quæ Catholicorum virorum corda Pontificum sunt monitis provocanda, ita ardenti desiderio, divinâ præveniente clementiâ, succenduntur, ut ab eis ultrò poscantur, alacri & læto sunt animo concedenda, quanto ea ipsa quæ cupiunt si nollent facere, peti debuerant: proinde juxtà vestram petitionem Monasterio in honore Domini nostri JESU-CHRISTI quod in parochiâ urbis Augustodunensis in loco & regno prænominato à vobis religiosâ devotione fundatum est, hujusmodi privilegia præsenti nostræ Apostolicæ auctoritatis decreto indulgentes concedimus, confirmamus atque statuimus, ut nulli Regum, nulli Antistitum, nulli quâcumque prædito dignitate, vel cuiquam alii de his quæ eidem Monasterio à vobis, vel à quibuslibet aliis de proprio fuerint jure collata, sub cujuslibet causæ, occasionisve specie minuere, vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis quasi piis causis pro suæ avaritiæ excusatione liceat quocumque modo concedere; sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam à vobis quàm ab eis quæ in eodem loco in officio Abbatissæ vel conversatione religiosâ successerint, seu qui pro animæ suæ remedio ibidem oblationes suas obtulerint, à præsenti tempore illibata & sine inquietudine volumus, & Apostolicâ auctoritate præcipimus possideri, earum tantùm usibus, pro quarum sustentatione ac gubernatione concessa sunt fuerintque, modis omnibus profutura, eâ conditione ut nullus successorum nostrorum in sanctâ hac Sede, cui auctore Domino deservimus, unquam vel usquam quiddam de eisdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut sub censu concedere, vel retinere, per futura tempora patiatur. Sed censum tantummodo in testamento traditionis vestræ, quo ex eodem Monasterio heredem hanc sanctam fecistis Matrem Ecclesiam, unam videlicet libram argenti annis singulis successores nostri accipientes, piæ paternitatis suffragium eidem Monasterio, & Abbatissæ, & Monachis sub Regulâ Sancti Patris Benedicti ibidem degentibus, sollicitudine pastorali vigilanter contrà omnes infestantes impendere studeant. Item constituimus ut obeunte Abbatissâ prædicti Monasterii, non alia ibi quâcumque obreptionis astutiâ ordinetur, nisi quam consensus Monachorum secundùm timorem Dei & institutionem Regulæ beati Benedicti elegerit, & hujus Apostolicæ sedis Pontifex prævíderit ordinandam, aut suggestione Monacharum consenserit ordinatam.

Hoc quoque Capitulo præsenti subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nullum de Sacerdotibus, nullum de Regibus, vel quemcumque fidelium per se suppositamve personam de ordinatione ejusdem Abbatissæ, vel Clericorum atque Presbyterorum, vel de largitione Chrismatis aut consecratione Basilicæ, aut de quâcumque commoditate specialis[b] aut temporalis obsequii, sive quibuscumque causis ad idem Monasterium pertinentibus, audere in auro vel aliâ qualibet specie commodi vel exenii loco quidquam accipere, neque eamdem Abbatissam ordinationis suæ causâ quidquam dare præsumere; ne hac occasione ea quæ à fidelibus pio loco offeruntur, aut jam oblata sunt, consumantur. Neque Episcopus civitatis ipsius Parochiæ, nisi ab Abbatissâ ipsius Monasterii invitatus, ibidem publicas Missas agat, neque stationes in Cœnobio eodem indicat, ne ancillarum Dei quies quoquomodo populari conventu valeat perturbari, neque paratas, aut mansionaticos exinde præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium, & Religiosorum, ac Religiosarum, atque beneficentiam quam jubet Apostolus cunctis exhibendam pro possibilitate loci & facultatum, non modo ibidem gratis fieri [non] denegamus, verùm etiam

b *specialis*] Lege *spiritalis*, ita enim postulat sensus. Librarium fefellit compendium scribendi *spalis*.

suademus. Sed & modus in numero congregationis adeo conservetur, ut pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium destitutionem loci indicere [c] valeat. Hæc igitur omnia quæ hujus Præcepti Decretique nostri pagina continet, cunctis post vos succedentibus, qui idem Monasterium à vobis exstructum, & S. R. Ecclesiæ traditum sub usufructuario retinetis, vel eis quorum interesse poterit, in perpetuum servanda decernimus.

Si quis verò Sacerdotum, Judicum, atque sæcularium personarum hanc Constitutionis nostræ paginam agnoscens, contrà eam venire tentaverit, potestatis honorisve sui dignitate, perculsus Apostolico anathemate, careat, reumque se divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & nisi vel ea quæ ab illo sunt malè ablata restituerit, vel præsumpta correxerit, vel dignâ pœnitentiâ illicitè acta defleverit, à sacratissimo corpore Dei & Domini ac Redemptoris nostri Jesu-Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Scriptum per manum Sofronii Regionarii & Scriniarii Romanæ Ecclesiæ in mense Maio. Datum verò per manum Tiberii Primicerii Sedis Apostolicæ.

Diploma *Caroli Calvi, quod subsequi deberet, editum reperies in Observationibus ad Guiberti Novigentini Opera, pag. 657.*

Privilegium JOANNIS *Papæ VIII.*

Confirmat Pontifex immunitates Monasterii Vizeliacensis.

JOANNES Episcopus S. S. S. Dei EUDONI Venerabili Abbati Vizeliacensis Cœnobii, omnique Congregationi ejusdem Monasterii in perpetuum. Quoties illa tribui à nobis optantur, quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos debet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Atque ideo quia postulasti à nobis quatenùs privilegium sedis Apostolicæ Monasterio Vizeliaco, cui præesse dinosceris, quod constat olim à Gerardo nobilissimo & Christianissimo viro, necnon & Bertâ uxore ejus, in honore Domini & Salvatoris nostri Jesu-Christi & veneratione Beatissimæ semper Virginis Mariæ Genitricis ejusdem Domini nostri Jesu-Christi constructum; in Regno scilicet Burgundiæ, in pago Avalensi, quodque à præfatis fundatoribus beato Petro Apostolorum Principi piâ devotione & testamenti paginâ collatum est, facere deberemus: inclinati precibus tuis libenter fieri decrevimus, per quod nimirum Apostolicæ sedis privilegium confirmamus, atque statuimus, ut nulli Regum, nulli Antistitum, nulli Comitum, nulli cuiquam alii liceat ipsum Monasterium perturbare, vel ea quæ ibi à jam dictis Fundatoribus, vel ab aliis fidelibus oblata sunt, vel in futurum offerri contigerit, sub cujuslibet causæ, occasioni ve specie, minuere, vel auferre, sive suis usibus applicare, sed sine inquietudine in sustentatione ejusdem Monasterii, & usibus Abbatum & Monachorum sub regulâ sancti Patris Benedicti ibi Deo militantium volumus ea & præcipimus possideri: ea videlicet conditione, ut nullus successorum nostrorum Pontificum in hac sanctâ Sede, cui auctore Deo servimus, unquam vel usquam quiddam ex eisdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut sub censu quolibet concedere per futura tempora patiatur, sed censum tantùmmodo in testamento traditionis à Fundatoribus qui ex eodem Monasterio hanc sanctam heredem Romanam fecerunt Ecclesiam, etiam delegatum, unam videlicet libram argenti annis singulis successores nostri accipientes, per paternitatis suffragium eidem Monasterio sollicitudine pastorali vigilanter contrà omnes infestantes impendere studeant. Item constituimus, ut obeunte Abbate prædicti Monasterii, non alius ibi quâcumque obreptionis astutiâ ordinetur, nisi quem consensus Monachorum secundùm timorem Dei, & institutionem Regulæ sancti Benedicti elegerit, & hujus Apostolicæ sedis Pontifex præviderit ordinandum, aut suggestione Monachorum consenserit ordinatum.

Hoc quoque Capitulo præsenti subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nullum de Regibus, nullum de Episcopis vel Sacerdotibus, vel de quibuscumque fidelibus, per se, suppositamve personam, de ordinatione ejusdem Abbatis, vel Clericorum, aut Presbyterorum, vel de largitione Chrismatis, aut consecratione Basilicæ, vel de quibuscumque causis ad idem Monasterium pertinentibus, audere in quâlibet specie exenii loco quidquam accipere, neque eumdem Abbatem pro ordinatione suâ aliquid dare præsumere, ne hac occasione, ea quæ à fidelibus pio loco offeruntur, consumantur. Neque Episcopus civitatis ipsius Parochiæ nisi ab Abbate ipsius Monasterii invitatus, ibidem publicas Missas agat, neque stationes in eodem Cœnobio indicat, ne servorum Dei quies quoquomodo populari conventu perturbari valeat, neque paratas, aut mansionaticos exinde præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium & religiosorum virorum atque beneficentiam, quam jubet Apostolus cunctis exhibendam pro possibilitate loci & facultatum, non modo ibidem fieri [non] denegamus, verùm etiam suademus: sed & modus in numero congregationis adeo conservetur, ut nec pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium destitutionem loci indicere [d] valeat. Privilegium quoque à prædecessore nostro piæ memoriæ Papa Nicolao eidem Monasterio collatum nostrâ auctoritate confirmamus, excepto dumtaxat quod ipse sub nomine ancillarum Dei quæ ibidem pro crebris infestationibus sæculi nunc ordinabiliter manere nequeunt, illud delegavit: nos verò aptioris utilitatis gratiâ sub habitu Monachorum esse congruenter decernimus. Si quis verò Regum, Episcoporum, Sacerdotum, Abbatum, Judicum, Comitum, aut sæcularium personarum, contrà hanc nostræ institutionis paginam venire tentaverit, perculsus Apostolico anathemate, potestatis honorisve sui dignitate careat, reumque se coram divino judicio cognoscat, & nisi ea quæ à se malè acta sunt defleverit, à sacratissimo corpore Domini nostri Jesu-Christi alienus fiat, atque æterno examini districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Datum per manum Walperti humillimi Episcopi sanctæ Portuensis Ecclesiæ III. Kalend. Octobris. Anno VI. ejusdem Domini Joannis Papæ VIII. Indict. XII. Scriptum verò per manum Georgii Notarii Regionarii & Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Privilegium STEPHANI *Papæ.*

STEPHANUS Episcopus S. S. S. Dei EUDONI Venerabili Abbati Monasterii Vizeliacensis, omnique Congregationi ejusdem Monasterii in perpetuum. Quoties illa &c. *ut suprà in privilegio Joannis Papæ.*

c *indicere*] Melius esset *inducere.*

d *indicere*] Jam monuimus legendum esse *inducere.*

Scriptum per manus Samuel Notarii & Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ mense Januario Indictione XV.

Datum X. Kalendas Februarias per manum Samuelis Notarii & Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Imperante Domino nostro Landeberto piissimo Augusto à Deo coronato, magno Imperatore Indict. XV.

Privilegium JOANNIS *Papæ.*

JOANNES Episcopus S. S. S. Dei, AYMONI venerabili Abbati Vizeliacensis Cœnobii, omnique Congregationi ejusdem Monasterii in perpetuum. Quoties illa tribui à nobis optantibus &c. *ut suprà in Privilegio Stephani Papæ.*

Scriptum per manum ANDREÆ Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Januario Indictione VI.

Datum verò VI. Idus Januar. per manum GREGORII Deo amabilis Sacellarii S. sedis Apostolicæ, anno III. Deo propitio, Pontificatûs Domini nostri JOANNIS summi Pontificis & universalis XI. Papæ in sacratissimâ sede beatorum Apostolorum.

Privilegium MARINI *Papæ.*

MARINUS Episcopus S. S. S. Dei GUIDONI Religioso Abbati Vizeliacensis Cœnobii, omnique Congregationi, &c. *ut in Privilegio Joannis Papæ VIII.* Unde & constituimus & Apostolicâ auctoritate censemus, atque per hoc nostrum Apostolicum privilegium confirmamus, ut nullus Rex, aut Pontifex, vel Abbas, aut Comes, vel qualiscumque magna parvaque persona, avaritiæ cupiditate corruptus, aut diabolicâ suggestione deceptus, audeat vel præsumat contrà tuum honorem, ô Venerabilis Wido Abba, qualicumque modo insurgere in tuâ vitâ, aut de tuo honore tibi molestias inferre, vel de omnibus rebus Monasterii quæ tibi tuisque prædecessoribus à nobis nostrisque antecessoribus, per paginam privilegii concessa atque firmata sunt, aliquas invasiones vel rapinas sive violentias inferre, si non vult, auctoritate Dei & sancti Petri & nostrâ Apostolicâ excommunicatione à corpore & sanguine Domini JESU-CHRISTI, & ab ingressu Ecclesiæ disjunctum esse: Hoc quoque capitulo præsenti subjungimus ut locum avaritiæ &c. *ut suprà in præfato privilegio.*

Scriptum per manum AZZONIS Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Februario Indictione I.

Data II. Nonas Februar. per manum BENEDICTI Episcopi & Bibliothecarii sanctæ sedis Apostolicæ, anno Deo propitio, Pontificatûs Domini nostri Marini summi Pontificis & universalis Papæ, in sacratissimâ sede beati Petri Apostoli anno I. in mense Februar. Indict. I.

Privilegium BENEDICTI VI. *Papæ.*

BENEDICTUS Episcopus S. S. S. Dei; ELDRADO Religioso Abbati sancti Vizeliacensis Cœnobii &c. *ut in Privilegio Marini Papæ, usque ad hæc verba:* Non modo ibidem [non] denegamus fieri, verùm etiam suademus &c. De cætero notum fieri volumus, quia devenerunt ad nos deprecatoriæ litteræ GERARDI Episcopi Augustodunensis Ecclesiæ, pro decimis quatuor Ecclesiarum, sancti videlicet Petri, & sancti Christophori, sanctique Germani, necnon sancti Leodegarii, quas ipse prædictus Abbas ab eodem Episcopo impetraverat, sicuti antecessores ejus ab Episcopis ipsius sedis per succedentia tempora ordinatis fecisse noscuntur, ut sub confirmatione nostri privilegii corroboraremus, quod & fecimus, excommunicantes, ut nullus Augustudunensis Ecclesiæ Episcopus aliquam calumniam Abbati ejusdem loci sive Monachis de ipsis inferat Ecclesiis, sive de decimis tam ipse quàm aliqua emissa persona valeat minuere, aut in aliam transferre parochiam. Si quis verò Regum &c. *ut suprà.*

Scriptum per manum STEPHANI Nolani Episcopi, & Scriniarii S. R. E. in mense Novembri Indict. II. Datum IV. Kal. Decemb. per manum Joannis Episcopi [Bibliothecarii] sanctæ sedis Apostolicæ anno I. Pontificatûs Domni Benedicti Sanctissimi VI. Papæ Imperante Domno Ottone à Deo coronato magno Imperatore, anno VI. Indict. II.

Privilegium BENEDICTI *Papæ VII.*

BENEDICTUS Episcopus S. S. S. Dei, ELDRADO Religioso Abbati &c. *ut in præcedenti.*

Scriptum per manum BONIFACII Notarii Regionarii atque Scriniarii S. R. E. Datum II. Idus mense Decembrio per manum Joannis Episcopi: Deo propitio, imperante Domno piissimo Augusto Ottone à Deo coronato magno Imperatore anno VIII. in mense & Indictione IV.

Privilegium JOANNIS *Papæ XV.*

JOANNIS Episc. S. S. S. Dei, Dilecto filio ELDRADO, &c. *ut surà* Indictione XIV.

Privilegium SILVESTRI II. *Papæ.*

SILVESTER Episcopus S. S. S. Dei Dilecto filio ROBERTO religioso Abbati sancti Vizeliac. Cœnobii, omnique Congregationi ejusdem Monasterii in perpetuum. Quoties illa à nobis tribui sperantur quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos decet libenti concedere, & petentium desiderii congruum impertire suffragium: atque ideo quia postulasti à nobis quatenùs Privilegium sedis Apostolicæ Monasterio Vizeliaco, cui præesse dinosceris, quod constat olim à Gerardo nobilissimo & Christianissimo viro, necnon & Berthâ uxore ejus, in honore Domini & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, & veneratione beatissimæ MARIÆ Genetricis ejusdem Domini nostri, constructum in regno Burgundiæ in parochiâ Augustudunensi, in pago Avalensi; quodque à præfatis Fundatoribus B. Petro Apostolorum Principi liberali devotione, & testamenti paginâ collatum est, facere deberemus, veluti à prædecessoribus nostris piæ memoriæ Nicolao Papa atque Joanne jamdùdum factum fuisse; inclinati precibus tuis libenter fieri decrevimus; per quod Apostolicæ auctoritatis Privilegium confirmamus atque statuimus, ut nulli Imperatorum, nulli unquam Regum, nulli Antistitum, nulli quâcumque prædito dignitate, nulli cuiquam alii de omnibus rebus mobilibus & immobilibus, quæ eidem Monasterio à jam dictis Fundatoribus, vel ab aliis quibuscumque personis collatæ & concessæ, vel in futurum à quolibet de proprio fuerint jure donatæ, sub cujuslibet causæ occasionisve specie liceat minuere vel auferre, neque suis usibus applicare: sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit à præsenti XIV. Indictionis tempore illibata, & sine inquietudine, in sustentatione jam dicti Monasterii, & usibus Abbatum, & Monachorum sub Regulâ Patris Benedicti ibi Deo militantium, volumus atque præcipimus possideri; eâ videlicet conditione, ut nullus successorum nostrorum Pontificum in hac Sanctâ Sede, cui Deo auctore servimus, unquam vel usquam quiddam de eisdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut sub censu quolibet concedere per futura tempora patiatur: sed censum tantummodo in testamento traditionis à Fundatoribus, qui ex eodem Monasterio hanc Sanctam Sedem Romanam

manam hæredem fecerunt, etiam delegatum, unam videlicet libram argenti annis singulis successores nostri accipientes, piæ paternitatis suffragium eidem Monasterio, & tibi, successoribusque tuis ac Monachis sub jam dicti Patris regulâ ibidem degentibus, sollicitudine pastorali vigilanter contrà omnes infestantes impendere studeant. Item constituimus, ut obeunte Abbate dicti Monasterii non alius ibi quâcumque obreptionis astutiâ ordinetur, nisi quem consensus Monachorum secundùm timorem Dei, & institutionem regulæ B. Benedicti elegerit,& hujus Apostolicæ Sedis Pontifex providerit ordinandum. Unde constituimus, & Apostolicâ auctoritate censemus, atque per hoc nostrum Apostolicum Privilegium confirmamus, ut nullus Rex aut Pontifex, vel Abbas aut Comes, vel qualiscumque magna parvaque persona avaritiæ cupiditate corruptus, aut diabolicâ suggestione deceptus audeat vel præsumat contrà tuum honorem, ô Venerabilis Roberte Abbas, qualicumque modo insurgere, vel in tuo loco aut de tuo honore molestias tibi inferre, vel de omnibus rebus Monasterii quæ tibi tuisque decessoribus à nobis nostrisque antecessoribus per paginam privilegii concessa atque firmata sunt, aliquas invasiones, vel rapinas sive violentias inferre; si non vult auctoritate Dei, & S. Petri & nostrâ Apostolicâ excommunicatione, à corpore & sanguine Domini nostri Jesu-Christi, & ab ingressu Ecclesiæ noverit se esse disjunctum. Hoc quoque Capitulo præsenti subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nulli unquam liceat de Regibus, nulli de Episcopis vel Sacerdotibus vel de quibuscumque fidelibus, per se suppositamve personam, de ordinatione ejusdem Abbatis, aut Clericorum vel Presbyterorum, aut de largitione chrismatis, vel de consecratione Basilicæ, vel de quibuscumque causis ad idem Monasterium pertinentibus audere in quâlibet specie exenii loco quidquam accipere, neque eumdem Abbatem pro ordinatione suâ aliquid dare; neque Episcopus civitatis, ipsius parochiæ, nisi ab Abbate ipsius Monasterii invitatus ibidem publicas Missas agat, neque stationes in eodem Cœnobio indicat, ne servorum Dei quies quocumque modo populari conventu valeat perturbari, neque mansionaticos exinde præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium, aut religiosorum virorum atque beneficientiam, quam jubet Apostolus cunctis exhibendam, pro possibilitate loci & facultatum, non modo ibidem fieri denegamus; verum etiam suademus. Siquis verò Regum, &c. *ut in præcedenti.*

Privilegium LEONIS IX. *Papæ.*

LEo Episcopus S. S. S. Dei, Gaufrido Abbati Vizeliacensis Cœnobii, quod est in honore Domini nostri Jesu-Christi, & veneratione ejusdem Genitricis, & BB. Apostolorum Petri & Pauli, & B. Mariæ Magdalenæ, ejusque successoribus in perpetuum. Quoniam postulastis à Romanâ sede, cui Deo auctore deservimus, vobis confirmari privilegia ab antecessoribus nostris vestræ Ecclesiæ collata, dignum duximus vestram petitionem adimplere. Proinde Monasterium prædictum in pago Avalensi in finibus Burgundiæ constructum, opibusque ditatum quorumdam Sanctæ Ecclesiæ...., Privilegio nostræ Apostolicæ auctoritatis decreto indulgentes; vobis concedimus, confirmamus, corroboramus ut nulli Regum, nulli Antistitum, nulli quâcumque prædito dignitate, &c. *ut in præcedenti privilegio Stephani Papæ, seu Joan. Papæ VIII.*

Data V. Kal. Maii per manus Petri Diaconi, & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apostolicæ anno II. Domini Leonis IX. Papæ, Indict. III.

Privilegium GREGORII VII. *Papæ.*

GRegorius Episcopus S. S. S. Dei, Dilecto in Christo filio Bernoni Abbati Vizeliacensis Cœnobii quod est in honore Domini nostri Jesu-Christi, & venerandæ ejus gloriosæ Genitricis, & BB. Apostolorum Petri & Pauli, & B. Mariæ Magdalenæ, in pago Avalense, in finibus Burgundiæ constructum, & vestris successoribus in perpetuum, *Cætera desunt in Ms.*

Privilegium PASCHALIS II. *Papæ.*

PAschalis Episcopus S. S. S. Dei, Dilecto Fratri Altardo Abbati Vizel. Cœnobii, ejusque legitimis successoribus in perpetuum. Quia documentis &c. *Exstat hoc Privilegium in Notis V. C. Andreæ Duchesne ad Bibliothecam Cluniac. pag.* 133.

Epistola PASCHALIS *Papæ II.*

PAschalis Episcopus S. S. S. Dei, Clericis, Militi us, & cæteris Laïcis per Gallicanas Ecclesias, salutem & Apostolicam Benedictionem. Audivimus & vix credere potuimus, quod Confrater noster Eduensis Episcopus & Archidiaconi ejus vel Archipresbyteri, non justitiâ ducti sed æmulatione compulsi, vobis interdixerint Vizeliacense Cœnobium gratiâ devotionis adire, Ecclesiam introire, & ad Sepulcrum Beatæ Mariæ, quod in eâdem Ecclesiâ celebratur, accedere, aut aliquas oblationes apponere. Nova profectò, nova hæc est interdictio Sacerdotum, cùm ad devotionem vocare, non à devotione revocare sacerdotalis officii debitum videatur. Porrò nos interdictum hoc Sacerdotali officio dissolventes, scire vos volumus, quia sive Episcopus, seu Ministri ejus nisi ab hac præsumptione destiterint, Apostolicæ sedis indignatione plectentur. Datum Laterani III. Kal. Novembris.

Solvit interdictum injustè ab Episc. Eduensi latum.

Epist. II.

PAschalis Episcopus S. S. S. Dei Dilecto filio Roberto Vizeliacensi Abbati, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Et divinarum & humanarum legum institutionibus edocemur, & ipsa etiam naturalis ratio nos exhortatur, ut non solùm familiares & domesticos, sed universos quoque diligentes nos diligere debeamus. Quia ergo in Christo, fili carissime Roberte Abbas, dudum Romanæ Ecclesiæ familiaris ac domesticus comprobaris, & quia in ipso B. Petri allodio constitutus es, præcipuâ te dilectione complectimur & B. Petri munimine confovemus; interdicimus enim, ut nullus omninò personam tuam, vel commissum tibi officium conturbare vel inquietare præsumat, sed quietè permaneas, ut liberè omnipotenti Deo debitum possis servitium exhibere. Si quis autem contrà ista præsumserit, Dei omnipotentis, & sedis Apostolicæ indignationem se noverit inventurum. Qui verò obediens & observator exstiterit, Domini Dei nostri & Apostolorum ejus gratiam consequatur. Datum apud Transtyberim VIII. Kalendas Novembris.

In suam tutelam accipit Rob. Abbat.

Epist. III.

PAschalis Episcopus S. S. S. Dei, Guillelmo Illustri viro Nivernensium Comiti, salutem & Apostolicam benedictionem. Non parva de te apud nos fama est, & nos ita credimus & credidimus, quòd Dei timorem habeas & amorem, quòd justitiam diligas, & quòd in cæteris, sicut tantùm decet virum, per Dei gratiam honestè te habeas. Monemus igitur, ut vicinas tibi Ecclesias ab oppressioni-

Monet Comitem ut molestiam Monachis Vizel. non afferat.

bus liberas facias, nec aliquas eis molestias irroges: illis maximè quæ ad B. Petri tutelam aut patrocinium pertinent, quemadmodum Vizeliacense Cœnobium; in quo exactiones aut usurpationes aliquas per te vel quorumlibet præsumptione institui omninò prohibemus, & interdicimus: imò sicut à nostris prædecessoribus Apostolicæ sedis Pontificibus sancitum est, nosque sancimus, ut idem Monasterium secundùm Constitutionem testamenti nobilis memoriæ Gerardi Comitis, B. Petri jure quietum liberumque dimittas. Alioquin B. Petrus adversùm te dominii sui exeret ultionem, & nos locum nostrum Apostolicâ auctoritate tuebimur. Datum Præneste XII. Kal. Jan.

Epist. IV.

Ut benevolos se exhibeant Episcopi erga Vizeliacenses, rogat.

PASCHALIS Episcopus S. S. S. Dei, Venerabilibus Fratribus & Coëpiscopis DAIMBERTO Senonensi, HUGONI Nivernensi, STEPHANO Eduensi, JOCERANNO Lingonensi, HUGONI Autisiodorensi, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ex fundatoris illustris memoriæ Gerardi Comitis oblatione Vizeliacense Monasterium B. Petri juris esse, vestra, ut credimus, notitia non ignorat. Verùm quidam, sicut accepimus, loco eidem exactiones imponere, & graves moliuntur injurias irrogare. Rogamus ergo fraternitatem vestram, & monemus ut pro vestri officii debito locum ipsum protegere studeatis: & si quis ei molestias fecerit, ab Abbate vel Fratribus requisiti, ita inde justitiam faciatis, ut à B. Petro & à nobis gratias habeatis. Datum Præneste XII. Kal. Januarii.

Epist. V.

Abbatis interfectores præcipit in exilium propulsari.

PASCHALIS Episcopus S. S. S. Dei. Veneralibus Fratribus Episcopis Galliarum, salutem & Apostolicam benedictionem. Sacerdotalis ordinis charitati vehementer indignum videtur, quòd facinorosas personas quas pro criminibus suis persequi deberetis, fovere dicimini. Interfectores enim Vizeliacensis Abbatis in quorumdam vestrûm parochiis licenter habitare dicuntur: unde fraternitatem vestram dignâ redargutione corripientes, præsentium literarum auctoritate præcipimus, ut eos qui Dominum suum Presbyterum & Abbatem tam nequiter occiderunt, secundùm dignum pœnitentiæ modum in exilium detrudatis: & si noluerint obedire, excommunicationi subjicite, nec unquam vel Vizeliacensi Abbati, vel Præposito alicui facultas sit eisdem homicidis, vel eorum heredibus, de his quæ ad Ecclesiam pertinent aliquid dimittere: eos verò quos hujus homicidii fuisse constat auctores, nisi dignam egerint pœnitentiam, ab Ecclesiâ alienos efficite. Datum apud Guardastallum. VIII. Kalendis Novembris.

Innocentii Papæ II. Epist. I.

Abbatem instituit.

INNOCENTIUS Episcopus S. S. S. Dei, Venerabili Fratri STEPHANO Eduensi Episcopo, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Quemadmodum tua novit fraternitas, Vizeliac. Monasterium pro Pastoris absentiâ tam in temporalibus quàm in spiritualibus maximum sustinuit detrimentum. Ne igitur ipsum Monasterium propter hoc diutiùs fatigetur, dilectum filium nostrum Al. Suppriorem Cluniacensem ejusdem loci Monachis in Abbatem dedimus. Ideo fraternitati tuæ mandamus, quatenùs ei vice nostrâ manum benedictionis imponas. Datum VI. Kal. Februarii.

Epist. II.

Abbati mandat ut Ecclesiæ Vezeliac. servet consuetudines.

INNOCENTIUS Episcopus S. S. S. Dei, Venerabili Fratri H. Eduensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem. Sicut tua novit Fraternitas Vizeliacum Monasterium cum omnibus appendiciis suis beati Petri juris existit, & ad ejus proprietatem & defensionem specialiter pertinet, unde tibi est injuncta necessitas ipsum Monasterium, & Fratres ibidem Domino servientes defensare, & manutenere, & in suis oportunitatibus adjuvare. Quocircà per præsentia tibi scripta mandamus, & mandando præcipimus, quatenùs dilectum nostrum P. Abbatem, & Fratres suos in nullo gravare vel infestare præsumas, & de parochianis tuis à quibus eorum querimoniam acceperis, remotâ dilatione eis justitiam facias. Clericos verò eorum, quos contrà tenorem privilegiorum sedis Apostolicæ diceris ab ordinibus suspendisse, in officiis & ordinibus restituimus.

Epist. III.

Ejusdem argumenti.

INNOCENTIUS Episcopus S. S. S. Dei, Dilecto filio PONTIO Abbati Vizeliacensi, Salutem & Apostolicam benedictionem. Per alia tibi scripta mandasse meminimus, ut Stephano Altissiodorensi Canonico in præsentiâ Venerabilium Filium nostrorum Godefridi Lingonensis Episcopi, & Bernardi Clarevallensis Abbatis, de querimoniâ suâ responderes, & quod ipsi exinde statuerunt, firmiter observares. Verùm quoniam literis & Nuntio tuo postea significasti illud, unde controversia agitur, Vizeliac. Ecclesiam jam per XXX. annos & eo ampliùs quietè tenuisse, & juxtà antiquam Ecclesiæ tuæ consuetudinem nulli in tuâ Curiâ te debere respondere, præter consuetudinem Ecclesiæ tuæ super hoc inquietari nolumus, nec quod à beatæ recordationis Papa P. prædecessore nostro exinde statutum est, immutari. Datum Latera. II. Non. Maii.

Epist. IV.

Ejusdem argumenti.

INNOCENTIUS Episcopus S. S. S. Dei, Venerabilibus Fratribus GODEFRIDO Lingonensi Episcopo, & BERNARDO Clarevallensi Abbati, salutem & Apostolicam benedictionem. Per Apostolica vobis scripta mandasse meminimus, ut querimoniam Stephani Altissiodorensis Canonici adversùs dilectum filium nostrum Pontium Abbatem Vizeliaci audiretis, & fine debito terminaretis. Verùm quia idem Abbas literis & Nuntio suo postea nobis significavit, illud unde controversia agitur, Vizeliacensem Ecclesiam jam per XXX. annos, & eo ampliùs, quietè tenuisse, &c. *ut suprà.*

Lucii Papæ Epistola I.

Jubet servum incarceratum Mon. Vizel. Abbas Autissiodor. liberet.

LUCIUS Episcopus S. S. S. Dei. Dilecto filio Abbati S. Germani Altissiodorensis, Salutem & Apostolicam benedictionem. Dilectus filius noster Pontius Vizeliacensis Abbas ad præsentiam veniens, questus est quòd in quodam nemore tibi & ipsi communi homines suos capi feceris, & servientibus Comitis Nivernensis incarcerandos tradideris: quos cum à te requisisset, & habere non posset, pro eorum liberatione tibi fidejussores dedit, & textum Evangelii tradidit: quod quia contrà religionem & fraternæ charitatis vinculum factum fuisse cognoscitur, per præsentia tibi scripta mandamus, quatenùs dilatione remotâ, & textum Evangeliorum tam inordinatè susceptum ei restituas, & fidejussores suos absolvas: postmodum verò, si quam adversùs ipsum te confidis habere justitiam, in præsentiâ Venerabilis Fratris nostri Godefridi Lingonensis Episcopi quod justitia dictaverit, obtineat; ea quoque quæ Gui-

berto servienti tuo ob malivolentiam ipsius abstulisti, ei restituas. Datum Later. XI. Kalend. Aprilis.

Epist. II.

Exulare vult interfectores Artaldi, Abb.

LUCIUS Episcopus S. S. S. Dei. Dilectis filiis PONTIO Abbati Vizeliacensi ejusque Fratribus, salutem & Apostolicam benedictionem. Prædecessor noster felicis recordationis Paschalis, sicut ex scriptis ipsius intelleximus, Episcopis per Galliam præcipiendo mandavit, ut interfectores Abbatis Artaldi Vizeliacensis, quia Dominum suum & Presbyterum & Abbatem tam nequiter occiderunt, secundùm pœnitentiæ dignum modum in exilium detruderent, & si obedire nollent, eos excommunicationi subjicerent. Prohibuit etiam ut nunquam Vizeliacensi Abbati vel Præposito alicui facultas sit eosdem homicidas in eodem Monasterio ad habitandum suscipere. Nos itaque præceptum confirmantes ipsius super hoc, Apostolicâ auctoritate prohibemus, ut nec ipsi vel eorum heredes, nominatim Stephanus Altissiodorensis Clericus, qui cum te, dilecte in Domino fili Abbas, in præsentiâ Venerabilium Fratrum nostrorum Godefridi Lingonensis Episcopi & Bernardi Clarevallis Abbatis super hoc in causam traxisset, eorum judicio sicut accepimus, à causâ decidit, Monasterium ipsum ulteriùs inquietare præsumant interdicimus. Et ne cui Abbati vel Præposito eos in Tizeliacensi Burgo de cætero ad habitandum suscipere liceat, prohibemus. Datum Lateran. VI. Idus April.

Epist. III.

Hortatur Comitem ut stratam Vizel. restituat.

LUCIUS Episcopus S. S. S. Dei, Dilecto in Christo filio G. Comiti Nivernensi, salutem & Apostolicam benedictionem. Ad Nobilitatem tuam pertinet venerabilia loca cum ipsis personis divino famulatui mancipatis diligere & fovere; & suam eis justitiam conservare. Ideoque per Apostolica scripta Nobilitati tuæ mandamus, atque in peccatorum tuorum remissionem injungimus, quatenùs antiquam stratam, quam de Vizeliaco diceris abstulisse & aliàs divertisse, ad prædictum locum restituas. Datum XI. Kal. Junii.

Epist. IV.

Scribit Bernardo ut Comitem ad bonam frugem reducere conetur.

LUCIUS Episcopus S. S. S. Dei, Carissimo in Christo filio BERNARDO Clarevallensi Abbati, salutem & Apostolicam benedictionem. Dilectionem tuam ignorare non credimus, quòd Vizeliac. Monasterium beati Petri juris existit, & ad ejus proprietatem & defensionem specialiter pertinet. Nunc autem, sicut accepimus, G. Nivernensis Comes contrà justitiam & sedis Apostolicæ auctoritatem à dilecto filio Pontio ipsius loci Abbate violenter exigit, ut de qualibet querimoniâ in personâ suâ cum hominibus suis in Curiâ suâ respondeat. Quod quidem nec ipse Abbas nec prædecessores sui hactenùs fecisse noscuntur. Ideoque per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenùs eumdem Comitem ex nostrâ parte diligenter commoneas, ut pro beati Petri reverentiâ cujus juris idem Monasterium esse dinoscitur, ab hujusmodi exactione desistat, aut in præsentiâ Venerabilium Fratrum nostrorum A. Hostiensis & I. Tuscul. Episcoporum Apostolicæ sedis Legatorum, juxtà tenorem sedis Apostolicæ privilegiorum quod justitia dictaverit, ab eodem Abbate recipiat: quòd si hoc recipere noluerit, ipsum Monasterium tam injustè opprimi pati non poterimus; & quod nostri interest officii, auctore Domino faciemus. Datum Lateran. XIII. Kalend. Decembris.

Eugenii Papæ II. Epistola I.

Comitem monet ut jura Vizeliac. ultra non usurpet.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei, Dilecto filio GUILLELMO Nivernensi Comiti, salutem & Apostolicam benedictionem. Venerabilia loca, & religiosæ personæ, quæ suam in Dei obsequio intentionem fixerunt, nullis debent gravaminibus concuti, nullis molestiis agitari. Accepimus autem, unde valde miramur, quod dilectos filios nostros Pontium Abbatem & Fratres Vizeliacensis Monasterii, atque ipsorum Burgenses, contrà Privilegiorum Apostolicæ sedis statuta, pro faciendâ seu recipiendâ justitiâ extrà Vizeliacum exire compellas. Quod tanto graviùs ferimus, quanto Monasterium ipsum ad sedem Apostolicam specialiùs pertinet, & ad ejus defensionem & patrocinium propriè spectare videtur. Te ergo indignum est, & ab industriâ Catholicorum Principum penitùs alienum, ut sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ statuta temerè ab aliquo dissolvantur, cujus privilegia divinitùs radicata evelli nullatenùs possunt. Per præsentia scripta Nobilitati tuæ mandamus, quatenùs de cætero neque Abbatem, neque Monachos prædicti Monasterii, sine ipsorum Burgenses, pro supradictis causis extrà Vizeliacum egredi cogas; quòd si monitis & mandatis nostris obedire neglexeris, dissimulare non poterimus quin beati Petri injuriam pro nostri officii debito vindicemus.

Epist. II.

Objicit Comiti patris pietatem & erga Sedem Apost. devotionem, quo illum deterreat ab infestatione Vizeliac. Mon.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei Dilecto filio nobili viro GUILLELMO Nivernensi, Comiti salutem & Apostolicam benedictionem. Quantâ devotione pater tuus Apostolicæ sedi semper adhæserit, & quæ ad eam pertinere noverat, quàm studiosè dilexerit, & fovere ac manutenere curaverit, notitiam tuam latere non debet. Propterea B. Petrus eum, dum vixit, honoravit, provexit, & ampliavit terris, atque circà finem hujus labentis vitæ in consortio Sanctorum virorum susceptum, reseratis ei regni cœlestis januis, cum sanctis agminibus in æterno palatio feliciter, sicut credimus, collocavit. Prædecessores etiam nostri ipsum affectione debitâ dilexerunt, & in suis necessitatibus efficaciter adjuverunt; nos quoque temporibus nostris personam & domum tuam, sicut specialem B. Petri familiam paternâ benignitate dileximus, honoravimus, & semper idipsum facere, ductore Deo, præoptamus; si tu parentum vestigiis inhærendo, matrem tuam sanctam Romanam Ecclesiam filiali devotione amaveris, & quæ ad eam pertinent fovere, ac manutenere curaveris. Miramur autem quòd sicut ex conquestione dilecti filii nostri Pontii Vizeliacen. Abbatis didicimus, antiquam libertatem ipsius Monasterii, quod utique ad proprium jus B. Petri ab ipso suæ fundationis exordio indubitanter noscitur pertinere, conaris infringere, & novas consuetudines, atque indebitas exactiones eidem filio nostro Abbati molitis imponere, non considerans tantorum & tam sanctorum Apostolicorum anathematis sententiam, quæ sicut in eorum privilegiis declaratur, in perturbatores ejusdem Cœnobii promulgata esse dinoscitur. Quia ergo locus ipse sub B. Petri tutelâ, & nostrâ defensione specialiter consistere cernitur, & diminutionem libertatis seu immunitatis ipsius pati nec possumus nec debemus; per præsentia scripta nobilitati tuæ mandamus, quatenùs ipsum Monasterium in suâ libertate dimittas, & ab infestatione prædicti filii nostri Pontii ejusdem loci Abbatis pro B. Petri, & nostrâ reverentia omninò abstineas. Quòd si ab impetitione tuâ cessare nolueris, nos quantum æqui-

tatis jus exigit, tibi offerimus, & in præsentiâ dilecti filii nostri I. Apostolicæ sedis Legati, qui per partes illas præstante Domino est in proximo rediturus, memoratum filium nostrum P. Abbatem super causâ ipsâ tecum stare ad justitiam volumus, vel si forte idem Legatus nimiùm, quod minimè credimus, reditum suum distulerit, in conspectu venerabilium Fratrum nostrorum S. Remensis Archiepiscopi, G. Lingonensis Episcopi, atque carissimi filii nostri B. Clarevallensis Abbatis, idem negotium discuti volumus, & mediante justitiâ diffiniri: si verò neque hoc facere, neque ab infestatione ipsius Abbatis, & Fratrum inibi Domino militantium cessare nolueris, tolerare non poterimus quin B. Petri patrimonium tueamur, & ab indebita oppressione tuâ præfatum Monasterium tam per nos, quàm per fideles Ecclesiæ liberemus.

Epist. III.

Ut Comitem coërceat Regem adhortatur.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei, Carissimo in Christo filio LUDOVICO Illustri Francorum Regi, salutem & Apostolicam benedictionem. Summum in Regibus bonum est justitiam colere, Dei Ecclesias in suo jure devotione debitâ custodire atque diligere, & in subjectos non sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquum est custodiri. Monasterium Vizeliac. quàm propriè, quàm specialiter à suæ fundationis exordio ad Apostolicam sedem pertineat, & quantâ curâ in suæ libertatis & immunitatis integritate à Romanorum Pontificibus, sive Regibus, & aliis Principibus eidem loco indultæ, usque ad tempora nostra per studium & exactam diligentiam prædecessorum nostrorum, & parentum tuorum custoditum sit, ejusdem loci status incolumis evidenter ostendit, & tam vicini quàm longè positi recognoscunt. Nunc autem Nobilis vir G. Nivernensium Comes à vestigiis parentum suorum declinans, libertatem ipsius conatur infringere, & novas consuetudines atque indebitas exactiones dilecto filio nostro Pontio ejusdem loci Abbati molitur imponere, non attendens anathematis sententiam quæ in perturbatores, seu infestatores ejusdem Cœnobii à tot & tam sanctis Pontificibus Romanis, sicut in eorum privilegiis declaratur, promulgata esse dinoscitur. Quia ergo locus ipse juris B. Petri, & sub ejus tutelâ, & nostrâ defensione indubitanter consistere cernitur, atque diminutionem ipsius justitiæ pati non possumus nec debemus, per Apostolica scripta Nobilitati tuæ mandamus, quatenùs prædictum Comitem ab inquietatione ipsius Monasterii desistere facias, & in suâ libertate dimittere. Quòd si ab impetitione suâ cessare noluerit, nos quantum æquitatis jus exigit ei offerimus, & in præsentiâ dilecti filii nostri I. Apostolicæ sedis Legati, qui per partes illas præstante Domino est in proximo rediturus, memoratum filium nostrum Pontium Abbatem super causâ ipsâ stare ad justitiam volumus. Vel si forte idem Legatus nimiùm, quod minimè credimus, reditum suum distulerit, in conspectu venerabilium Fratrum nostrorum S. Remensis Archiepiscopi, G. Lingonensis Episcopi, atque carissimi filii nostri B. Clarevallensis Abbatis, idem negotium discuti volumus, & mediante justitiâ diffiniri. Si verò antedictus Comes neque hoc facere, neque ab infestatione ipsius Abbatis & Fratrum inibi Deo militantium cessare noluerit, nobis necessitas imminebit, ut B. Petri patrimonium tueamur, & ab indebitâ oppressione ipsius Comitis antefatum Monasterium tam per nos, quàm per fideles Ecclesiæ liberemus. Ideoque quoniam per excellentiorem ac devotiorem Ecclesiæ fidelem ac defensorem non possumus, tuæ industriæ studium rogando attentiùs incitamus, ut ipsum Comitem à tantâ præsumptione firmiter revoces & omninò prohibeas.

Epist. IV.

Idem scribit, asseritque Comitem excommunicaturum nisi resipiscat.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei, Carissimo in Christo filio LUDOVICO Francorum Regi salutem & Apostolicam benedictionem. Pro sinceri amoris & paternæ affectionis prærogativâ, literis & vivâ voce tibi frequenter ostendimus, si aliquando super aliquibus causis strenuitatem tuam nos rogare contingat, nostras, imò B. Petri preces in nobis debes attentiùs exaudire; sed cum pro vexatione, quam Nivernensium Comes Vizeliac. Monasterio contrà Deum & omnem justitiam præsumptione tyrannicâ inferre dinoscitur, Nobilitati tuæ scripserimus, postmodum vehementiùs & attrociùs quàm antea ipsum monasterium oppressit, afflixit, & cum perfidis Burgensibus ipsius loci non destitit impugnare, & proprium alodium ac patrimonium ejusdem Apostolorum Principis, licet in vanum, conatur auferre. Quare autem hoc contigerit, sive quia juxtà mandatum nostrum prædictum Comitem à tantâ præsumptione nolueris sive neglexeris cohibere, sive idem Comes commonitionem & potestatis tuæ dominium parvipenderit, ignoramus. Et quoniam tam immoderatam nequitiam dissimulare impunitam non possumus, nec debemus; Nobilitati tuæ per iterata scripta mandamus, atque attentiùs exoramus, quatenùs antedictum Comitem districtè commoneas, ut damna, quæ memorato Monasterio intulisse dinoscitur, in integrum emendet, & locum ipsum in pace ac libertate suâ dimittat. Quòd si aliquam in eodem Monasterio justitiam se habere confidit, nos quod justum fuerit, ei faciemus postmodum exhibere. Si verò in suâ pertinaciâ induratus, hoc effectui mancipare contemserit, nos in personam ejus ac Burgensium de Vizeliaco excommunicationis sententiam sine appellationis remedio proferri præcepimus, & in totâ terrâ ipsius, præter baptisterium puerorum, & morientium pœnitentias, omnia divina officia prohiberi. Quocircà præsentium auctoritate mandamus, ut ex tunc ab eo tamquam ab excommunicato abstineas & Burgenses ipsos ab omnibus feriis regni tui sub banno tuo penitùs prohibens, à quibuscumque inveniri potuerint capi, & rebus suis spoliari sicut perjuros & Ecclesiæ turbatores justitiæ zelo præcipias.

Epist. V.

Commoneant Comitem ut Vizeliacenses non perturbet.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei, Venerabilibus Fratribus HUGONI Altissiod. & G. Lingonens. Episcopis, & Carissimo filio B. Clareval. Abbati salutem & apostolicam benedictionem. Apostolicæ sedis administratio, cui licet immeriti deservimus, facit nos universis Ecclesiis debitores, & quemadmodum de earum pace & tranquillitate gaudemus, ita si qui eas indebitis molestiis & fatigationibus inquietant, paterno affectu dolemus, & eis tam per nos ipsos, quàm per Fratres nostros benignè providere solliciti sumus. Accepimus autem quòd venerabile Monasterium Sanctæ Mariæ de Vizeliaco filius noster W. Nivernensium Comes contrà justitiam & antiquam consuetudinem gravare contendat, cum dilectos filios nostros Pontium Abbatem, & Fratres ipsius loci, atque eorum Burgenses, extrà villam Vizeliac. pro faciendis seu recipiendis justitiis contrà privilegiorum Apostolicæ sedis statuta exire constringat. Quia ergo Monasterium ipsum B. Petri juris est, & sub sanctæ Romanæ Ecclesiæ patrocinio & defensione consistit, in suâ ei justitiâ nec possumus deesse nec debemus. Ideoque per præsentia scripta vobis mandamus, quatenùs eumdem Comi-

tem ex nostrâ parte districtiùs commonere curetis, ut de cætero neque Abbatem, neque Monachos neque Burgenses pro hujusmodi causis prædictam villam egredi cogat. Quòd si facere attentaverit, dissimulare non poterimus quin B. Petri injuriam districtiùs ulciscamur.

Epist. VI.

Commendat Duci Burg. Vizeliacense Monasteriū.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei, Dilecto in Christo filio nobili viro ODONI Burgundiæ Duci salutem & Apostolicam benedictionem. Ad industriam Catholicorum Principum spectare dinoscitur venerabilia & Deo dicata loca affectione debitâ fovere, & à pravorum hominum incursibus defensare. Vizeliacense Monasterium B. Mariæ Magdalenæ quàm propriè, quàm specialiter ad jus B. Petri pertineat, & quod à suæ fundationis exordio sub Apostolicæ Sedis tutelâ commissum sit, tam vicini quàm longè positi recognoscunt. Ideoque de tuâ nobilitate plurimùm confidentes, idem Monasterium, & quæ ad ipsum pertinent, Strenuitati tuæ duximus attentiùs commendandum; per præsentia scripta rogantes, quatenùs locum ipsum devotionis intuitu diligas, protegas, & ab eorum infestationibus, qui antiquam ejus libertatem nitunrur infringere vel turbare, pro beati Petri & nostrâ reverentiâ manuteneas & deffendas. Idem scribimus Archimbaldo de Burbone, & Comiti Theobaldo.

Legatus Abbatem forti sit animo exhortatur.

ALBRICUS Dei gratiâ Hostiensis Episcopus, sedis Apostolicæ Legatus, Venerabili fratri PONTIO Vizeliac. Abbati, salutem & dilectionem. Scire volumus fraternitatem vestram quia Comiti Nivernensi studiosè pro vobis scripsimus. Quòd si eum in pertinaciâ suâ manere videritis, aliud vobis consilium non damus præter illud quod jam vobis semel & secundò dedimus, ut videlicet contrà Romanorum Pontificum privilegia, seu Ecclesiæ vestræ libertatem nihil facere incipiatis.

Epist. VII.

Mandat Episcopo Lingon. post monitionem si Comes non resipiscat, excommunicatum denuntiet.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei, Venerabili fratri G. Lingonensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem. Sævitiam & tyrannidem quam Nivernensis Comes in Vizeliac. Monasterium Dei timore postposito exercere non veretur, tanto tibi plus notam esse credimus, quanto ei vicinior esse dinosceris. Quia ergo idem Cœnobium à primâ sui fundatione proprium alodium ac patrimonium B. Petri esse dinoscitur, ipsius destructionem pati non possumus, nec debemus. Et quia de religionis tuæ prudentiâ valdè confidimus, per præsentia tibi scripta mandamus, quatenùs prædictum Comitem districtè sine longâ dilatione convenias, ut damna quæ ipsi Monasterio intulit in integrum restituat, & locum ipsum in suâ pace ac libertate dimittat. Quod si infrà xxx. dies post tuam commonitionem adimplere neglexerit, ad locum unde ad ipsius Comitis notitiam pervenire possit, accedas, & congregatis religiosis & prudentibus viris, accensis candelis in Ecclesiâ, & in personam ejus, atque perfidorum Burgensium de Vizeliaco auctoritate nostrâ excommunicationis sententiam absque appellationis remedio proferas, & in totâ terrâ ejus præter baptismum parvulorum, & pœnitentiam morientium, omnia divina officia prohibeas celebrari: adjicientes ut sententiam ipsam venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis P. Bituricensi & Hu. Senonensi & G. Nivernensi, & He. Eduensi, & He. Trecensi & A. Altissiod. Episcopis per tuas litteras ex parte nostrâ firmiter observandam denuncies. Nos siquidem per alia eis scripta mandavimus, ut eamdem sententiam post tuam denuntiationem per suas parochias inviolabiliter faciant observari. Litteras verò quas prædictis Fratribus nostris Eduensi, Nivernensi & Autissiodorensi misimus, per tuos eis Nuntios facias præsentari.

Idem scripsit Archiepiscop. Bituric. & aliis Episcop.

Epist. VIII.

Excommunicatos Burgenses Vizel. Episcopi in suis ditionibus versari non sinant.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei, Venerabilibus Fratribus nostris Hug. Senonensi Archiepiscopo, G. Lingonensi, T. Parisiac. & He. Trecensi, Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Immoderatam præsumptionem & intolerabilem contumaciam perfidorum Burgensium de Vizeliaco, qui violatâ fidelitate & juramento quod Abbati & Domino suo fecerant, eum de Monasterio suo ausu nefario ejicere, & locum ipsum, quod utique ab exordio suæ fundationis proprium B. Petri alodium esse dinoscitur ac patrimonium, nobis licet in vanum auferre conantur, Fraternitatis vestræ notitiam latere non credimus. Ne igitur tantæ præsumptionis audacia impunita remaneat, & in pejus indisciplinatio perniciosa prorumpat; per præsentia vobis scripta mandamus, quatenùs prædictos Burgenses tamquam perjuros & proditores & excommunicatos, in nundinis & mercatis vestrarum parochiarum recipi omninò prohibeatis; imò à quibuscumque parochianorum vestrorum inveniri potuerint, capi & rebus suis spoliari præcipiatis. Datum Romæ apud S. Petrum XIIII. Kal. Januarii.

Epist. IX.

Eodem argumento scribit ad Ducem Burgundiæ & alios nobiles viros.

EUGENIUS Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis filiis nobilibus viris ODONI Duci Burgundiæ, He. Comiti, Ar. de Borbone, G. Comiti Cabilon. R. fratri Ducis, R. Comiti de Joviniaco, G. de Donzeio, R. de Rubeomonte, D. de Luziaco, A. de Monte Regali, S. Vicecomiti Senon & filiis ejus, G. atque B. G. Vicecomiti Castrilandonis, G. de Virgiaco, O. de Tylo, Hu. de Monte S. Joannis, salutem & Apostolicam benedictionem. Immoderatam præsumptionem, & intolerabilem contumaciam perfidorum Burgensium de Vizeliaco, qui violatâ fidelitate & juramento quod Abbati & Domino suo fecerant, eum de Monasterio suo ausu nefario ejicere, & locum ipsum, quod utique ab exordio suæ fundationis B. Petri alodium ac patrimonium esse dinoscitur, nobis, licet in vanum, auferre conantur, Nobilitatis vestræ notitiam latere non credimus. Quia ergo tantæ præsumptionis audaciam potentes ac nobiles viri, qui eidem Apostolorum Principi devoti existunt, impunitam tolerare non debent, per præsentia scripta Nobilitati vestræ mandamus, quatenùs prædictos Burgenses, donec resipuerint, & condignam satisfactionem humiliter exhibuerint, ab omnibus feriis terræ vestræ prorsùs inhibeatis: imò quoscumque de ipsis homines vestri forte invenerint, tanquam perjuros & proditores & excommunicatos capi, & rebus suis spoliari præcipiatis. Datum Romæ apud S. Petrum XIV. Kal. Januarii.

Epist. X.

Vult ut Episc. bona ablata Burgensium Vizeliac. restituat.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei Venerabili Fratri Eduensi Episcopo, Salutem & Apostolicam benedictionem. Apostolicæ sedis clementia singulis Ecclesiis & Personis Ecclesiasticis suam dignitatem & justitiam servare consuevit. Unde nos, quorum præcipuè interest Ecclesiarum omnium curam gerere, pro Vizeliacensi Monasterio quod beati Petri juris existit, & Fratribus religiosis ipsius loci oportet esse sollicitos, pro quibus sicut credimus, tibi scripta nostra transmisimus, ut eosdem Fratres juxtà

officium tuum & potentiam à Deo tibi concessam à pravorum hominum incursibus defensares. Quo contrà gravis ad nos querela pervenit, quòd hominibus & servientibus tuis Monasterium ipsum multis modis infestare permittis. Ipsi namque, sicut accepimus, equos & boves eorum per violentiam auferunt, & homines ipsorum cum rebus suis & trosellis, & aliis rebus capiunt, & alia plurima damna & injurias inferunt. Dux etiam Burgundiæ frater tuus ad similitudinem hostium, quibus prælium indicitur, eisdem Fratribus à se custodiri mandavit, & homines & res eorum apprehendi & detineri jussit. Quia igitur unicuique volumus sua jura servari, præsenti tibi annotatione mandamus, quatenùs prædictis Fratribus ablata ab hominibus tuis facias cum integritate restitui, & de damnis & illatis injuriis satisfactionem congruam exhiberi. Si verò aliquam justitiam contrà ipsos te habere confidis super pecuniariâ causâ, in præsentiâ venerabilis Fratris nostri Hugonis Altissiodorensis Episcopi quod justum fuerit poteris obtinere. Quocircà si ab eodem Fratre nostro fueris evocatus, ejus præsentiam adeas; & quod ipse exinde inter vos judicaverit, suscipias firmiter & observes. Cæterum si de statu Monasterii controversia agitur, volumus eam in nostrâ præsentiâ pertractari.

Epist. XI.

Ducem quòd Vizeliacenses vexaverit, increpat.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei: Dilecto Filio nobili viro Duci Burgundiæ, Salutem. Quantò divinæ dispositionis clementia majora tibi concessit, & te ampliùs in sublime provexit, tanto magis Ecclesias & Ecclesiasticas personas & pauperes Christi debes diligere, & eos attentâ sollicitudine à pravorum hominum incursibus deffensare. Sed sicut accepimus, unde valde dolemus, contraria operaris. Dilectos siquidem filios nostros Vizeliacensis Monasterii Fratres duris vexationibus inquietas, & homines eorum cum rebus suis capi jussisti; eosdem quoque Fratres more hostium per tuum Nuntium diffidasti. Nos siquidem de te talia minimè sperabamus. Quia igitur hæc fieri in perniciem animæ tuæ manifeste cognoscimus, & Monasterio quod beati Petri juris existit deesse nòn possumus nec debemus; per præsentia tibi scripta mandamus, quatenùs prædictis Fratribus de damnis & illatis injuriis condignè satisfacias, & de cœtero eis nulla gravamina inferas, imò tamquam Ecclesiæ Catholicæ devotus filius, & justitiæ amator, eisdem Fratribus, & aliis Religiosis viris, & Ecclesiasticis personis in suis necessitatibus studeas subvenire. Si verò contrà eosdem Fratres aliquam quæstionem habere confidis, in præsentiâ Venerabilis Fratris nostri Hugonis Altissiodorensis Episcopi quod justitia dictaverit poteris obtinere. Cum igitur ab eo fueris evocatus, ejus præsentiam adeas, & quod ipse inter vos judicaverit, firmiter suscipias & observes. Verùm si nostris mandatis obedire contemseris, manus beati Petri in te proculdubio extendetur. Datum Signiæ IX. Kal. Novembris.

Epist. XII.

Judicem constituit Episc. Autissiod. in causâ Episc. Edu. & Vizel.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei, Venerabili fratri HUGONI Episcopo Altissiodorensi, Salutem. Venerabili Fratri nostro Eduensi Episcopo, qui per homines suos Viziliacensis Monasterii Fratribus multa mala dicitur intulisse, per scripta nostra mandavimus, quatenùs ablata sibi & hominibus suis faciat cum integritate restitui, & condignam satisfactionem de damnis & illatis injuriis exhiberi: si verò aliquam justitiam contrà eosdem Fratres super pecuniariâ causâ se habere confidit, eumdem Fratrem quod justum est in tuâ præsentiâ volumus obtinere. Per præsentia igitur scripta discretioni tuæ mandamus, quatenùs si agere voluerit, utramque partem congruo loco & tempore ad tuam audientiam convoces, & causâ examinatâ & cognitâ, inter eos mediâ æquitate diffinias.

Epist. XIII.

Certiorem facit Abbatem de Episc. Autiss. Judice à se constituto.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei, Dilecto filio PONTIO Vizeliacensi Abbati, Salutem & Apostolicam benedictionem. Quid Venerabili Fratri nostro Eduensi Episcopo, & nobili viro Duci Burgundiæ Fratri ejus pro negotio vestro per scripta nostra mandavimus, ex transcripto litterarum poteris apertè videre. Si ergo prædictus Episcopus & Dux voluerint te super pecuniariâ causâ coram venerabili Fratre nostro Hugone Altissiodorensis Episcopo convenire, cum ab eo fueris evocatus, ejus præsentiam adeas, & quod ipse inter vos constituerit, audias & observes. Cæterùm si de statu Monasterii Episcopus Eduensis agere voluerit, controversiam ipsam in nostrâ præsentiâ volumus agitari. Datum Signiæ IX. Kal. Novembris.

Epist. XIV.

Dux definat Vizeliac. Cœnobium divexare.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei; Dilecto filio O. Burgundiæ Duci, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum omnis potestas à Domino Deo sit, terreni Principes, & populi mundiani Rectores quæ ad honorem Dei spectare cognoverint; debent propensiùs operari: quo contrà adversùs personam tuam querelam accepimus. Significatum namque nobis est, quòd Ecclesiam sanctæ Mariæ Magdalenæ, & ejus homines inquietas multipliciter & infestas, quod tanto graviùs ferimus, quanto personam tuam propensiori charitate diligimus, & salutem tuam debitis affectionibus præoptamus. Ideoque per præsentia tibi scripta mandamus, quatenùs memoratam Ecclesiam & ejus homines infestare de cætero non præsumas, ne iteratus clamor ad nostras aures debeat pervenire. Datum Remis III. Non. Aprilis.

Epist. XV.

Vult ut corâ se vel Episc. Autiss. dirimantur controversiæ Vizel. inter & Ep. Eduens.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei, Dilecto filio PONTIO Vizeliacensi Abbati, Salutem & Apostolicam benedictionem. Veniens ad præsentiam nostram venerabilis Frater noster He. Eduensis Episcopus, adversùm te in conspectu nostro & Fratrum nostrorum, præsente quoque Confratre tuo quem ad nos destinaveras, suam querelam deposuit, quod quædam quæ in Monasterio tuo Ecclesia sua usque ad hæc tempora pacificè habuit, ei contrà justitiam auferre moliris, & vivâ voce responderis quòd pro eo nihil penitùs faceres. Quia igitur ad nostrum officium potissimum spectat Fratrum scandala de medio tollere, & cuique suam justitiam conservare, per præsentia tibi scripta mandamus, quatenùs proximis octavis beati Martini, nisi fortè cum eodem Fratre nostro interim concordaveris, per te ipsum, vel per sufficientes responsales tuos cum munimentis Monasterii tui, maximè cum Instrumento Fundatoris, ad nostram præsentiam venias, super his respondere paratus. Nihilominùs quoque sollicitudini tuæ mandamus, ut in præsentiâ Venerabilis Fratris nostri Hugonis Altissiodorensis Episcopi de his quæ tu & homines tui ei ab hominibus suis injuste tenetis, justitiam facias: quoniam eidem Fratri nostro Eduensi Episcopo eodem modo præcepimus, ut ex his quæ homines sui tuis hominibus abstulerunt, in ejusdem præsentiâ justitiam pariter faciat. Interim verò ex his quæ possidet, nullam sibi volumus

molestiam irrogari. Datum Ferentini VII. Kalend. Martii.

Epist. XVI.

Episcopo Lingon. & Abbatibus mandat ut quod testes deposuerint ad ipsum referant.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei, Venerabili Fratri G. Lingonensi Episcopo, & dilectis filiis S. Regniac. & P. Trinorciensi Abbatibus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Causa quæ inter Venerabilem Fratrem nostrum He. Eduensem Episcopum & dilectum filium nostrum P. Vizeliacenem Abbatem agitur, non potuit in præsentiâ nostrâ judicio terminari; quoniam idem Frater noster quosdam se testes habere dicebat, qui senio vel languore confecti suam nobis præsentiam nequeunt exhibere. Quia igitur de vestrâ prudentiâ valde confidimus, & per hoc causam ipsam nolumus fine debito defraudari; per præsentia vobis scripta mandamus, quatenùs ab alterutrâ partium requisiti in unum convenientes ad locum, in quo testes suam vobis præsentiam exhibere valeant, accedatis, & juramento ab eis suscepto quidquid super eâdem causâ testificati fuerint in scripturæ seriem fideliter redigatis; in scripturâ redactum, ac sigillorum vestrorum impressione signatum, & cum ad causam jam dictus Frater noster redire voluerit, ad nostram præsentiam transmittatis. Forma verò Juramenti hæc erit: *Ego ille juro quoniam quidquid veritatis scio super causâ, quæ inter Hen. Eduensem Episcopum & P. Vizeliacenem Abbatem agitur, vobis aperiam: falsitatem penitùs reticeo.* Datum Signiæ IV. Kal. Februarii.

Orat SS. Pontificem ut libertates Cœnobii asserat.

REverendo Patri & Domino suo EUGENIO Dei gratiâ summo Pontifici, HUGO Rothomag. humilis Sacerdos, obedientiam debitam & reverentiam. Quod sancta Romana Ecclesia providâ dispensatione juris ac dignitatis contulit quibuslibet Ecclesiis, confidimus ratum ab ipsâ teneri, nec ab aliquo in posterum idipsum posse violari. Ecclesia siquidem Vizeliac. quæ vestra est, à Domino, ut audivimus, Eduensi Episcopo graviter infestatur, & quod eidem libertatis ac dignitatis Rom. Pontificum gratuitâ benignitate collatum est, cassare nititur. Super hoc autem quod idem Frater noster Episcopus, ut dicitur, affirmat, in eodem Vizeliaco aliquem Episcopum præter ipsum vel ejus assensum, ordines non posse celebrare, vel altaria consecrare; utriusque recordamur officium prece & monitu Abbatis ipsius Ecclesiæ atque Conventûs nos ibidem complesse, aliosque quamplures Episcopos auctoritate privilegiorum S. R. Ecclesiæ, quæ ibidem habentur, similia perpetrasse. Piæ igitur Paternitati vestræ pro eâdem Ecclesiâ vestrâ Vizeliac. supplicamus, ut in eâdem libertate & dignitate ipsam conservare dignemini, quâ antecessores vestri eam servaverunt, nec de jure suo eamdem minui, vel injustè privari sustineatis, Carissime Pater & Domine.

Epist. XVII.

Increpat Episcopum Eduens. quòd Vizeliac. Burgensibus excommunicatis favetit.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei Venenerabili Fratri He. Eduensi Episcopo, Salutem & Apostolicam benedictionem. Quòd Apostolicæ benedictionis te participem facimus, non ex tuis meritis, sed de Apostolicæ sedis benignitate procedit. Sicut enim pro certo nobis à compluribus significatum est, omnes molestiæ atque vexationes, quas dilecto filio nostro Pontio Abbati Vizeliac. Burgenses ipsius Villæ ausu nefario præsumserunt, per instinctum & incitationem tuam habuerunt exordium; & eos in tantâ nequitiâ contrà Deum, & contrà commissum tibi Episcopale officium, & animæ tuæ salutem fovere, ac manutenere non times. Diceris namque, quod & eisdem Burgensibus excommunicatis communicare præsumas, & ad divina officia eos tu ipse admittas, atque Presbyteris tuis divina eis officia celebrari permittas atque præcipias. Quia ergo tam gravem & immoderatum excessum impunitum prætermittere nec possumus nec debemus, per præsentia tibi scripta mandamus, quatenùs proximâ B. Lucæ festivitate tam pro terminandâ controversiâ quæ inter te & prædictum Abbatem agitur, quàm pro his ad nostram præsentiam occasione sepositâ venias, super contrarietatibus, quas ipsi Abbati diceris intulisse, nobis sufficienter respondere paratus. Interim verò eidem Abbati nullam perturbationem seu molestiam quibuslibet modis inferre præsumas; sollicitè cavens ut supradictorum excommunicatorum, vel interdictorum nullus à te vel à tuis Presbyteris ad divina suscipiatur officia, sed ad quemcumque locum Parochiæ tuæ aliquis devenerit, donec præsens fuerit, nullus ibi divina officia præsumat celebrare. Quòd si statuto termino ad nos venire neglexeris, aut hæc vel alia quæ ad prædictorum vindictam Burgensium à nobis seu Fratribus nostris statuta sunt præsumsisti, vel præsumseris violare, pro certo cognoscas, & causam ipsam processum dictante justitiâ recepturam, & te officii tui periculum incursurum. Datum Laterani VI. Kalendis Februarii.

Epist. XVIII.

Episcopo Eduensi præcipit ut coram Lingon. stet rationem de persequutionibus à se in Vizeliac. excitatis redditurus.

EUGENIUS Episcopus S. S. S. Dei Eduensi Episcopo, Salutem & Apostolicam benedictionem. Opera quæ de personâ tuâ, & his qui per omnia tuis præceptionibus acquiescunt post discessum tuum à Nobis ad nostram audientiam pervenerunt, fidem nobis faciunt illorum verborum, quæ dum apud nos moram faceres, de ore tuo audivimus processisse, quia scilicet malebas ut Vizeliacense Monasterium omninò destrueretur, quàm tuæ non debeat jussioni parere. Dilecti quidem filii nostri Pontii Abbatis ipsius loci nuper est ad nos transmissa conquestio, quod postquàm à sede Apostolicâ discessisti, eum & commissam sibi Ecclesiam tam per te quàm per tuos multipliciter aggravasti, quoscumque potes in damnum & perturbationem ejus accendis; frater etiam tuus ad suggestionem tuam in Ecclesiam & bona ejus damnabili præsumptione grassatur, homines suos de more orationis causâ ire ad Monasterium non permittit, homines Monasterii capit & deprædatur; & quidam eorum qui sub ipsius ditione consistunt, in tantæ præsumptionis audaciam prorumpunt, ut in ipsos etiam Monachos violentas manus injicere non dubitaverint. Præterea Nivernensem Comitem ita in ejusdem Ecclesiæ persequutionem diceris accendisse, ut sub tantorum concussione ventorum præfato Filio nostro & ejus Fratribus vix ibi quietus locus ad divinum remaneat famulatum. Sanè quia hæc tam gravia sunt, ut nec impunita debeant, nec irrequisita dimitti, cognitionem eorum Venerabili fratri nostro G. Lingonensi Episcopo decrevimus committendam. Præsentium itaque tibi auctoritate præcipimus; quatenùs cùm ab eo fueris evocatus, præsentiam tuam ei exhibeas, inquisitioni ejus plenam rationem de his omnibus redditurus. Illos autem parochianos tuos, quos in aliquem Monachorum aut Clericorum ipsius Monasterii violentas manus injecisse constiterit, congregato cœtu Ecclesiæ, publicè candelis accensis, excommunicatos annunties, & donec pro tanto excessu satisfacturi Apostolico se conspectui cum tuis literis repræsentent, per totam tuam diœcesim sicut excommunicatos facias evitari. De cætero totâ sollicitudine præcave, ne antefato Filio nostro, aut Ecclesiæ, aut ejus fratribus sive

per te vel summissam personam, aliquam molestiam irrogare præsumas. Alioquin tam in personam quàm Ecclesiam tuam auctore Domino taliter vindicabimus, ut omnibus qui audierint apertè detur intelligi quàm grave sit ea velle per tyrannidem occupare, quæ canonico tantum debeant alicui judicio provenire. Datum Signiæ XII. Kal. Julii.

Eugenius Ludovico Regi Epist. XIX.

Regem exhortatur ut cohibeat Comitem à vexatione Vizeliac.

PEr alia scripta Nobilitati tuæ mandavimus, quatenùs Nivernensem Comitem ab infestatione Vizeliac. Ecclesiæ, quæ ad jus beati Petri specialiter pertinet, attentiùs cohiberes. Et ecce, quod sine grandi mentis afflictione non dicimus, nescimus an eum exinde Magnificentia tua convenire neglexerit, an ipse noluerit jussioni tuæ parere. Postquàm nos propter hoc tibi nostra scripta transmisimus, idem Comes duriùs est eamdem Ecclesiam insequutus, & nunc per se, nunc per eos qui sub ejus ditione consistunt, Fratres inibi ad Dei servitium commorantes & terrere minis, & fatigare injuriis non desistit. Sanè omni nostrâ commonitione cessante, tam illi, quàm universis Ecclesiis, quæ in terrâ tibi à Deo commissâ consistunt, deberes esse præsidio; & à pravorum incursibus, maximè autem eorum qui tuis præceptionibus acquiescunt, eas studiosiùs defensare. Nunc autem petitionibus & precibus nostris adhibitis, Ecclesiam ipsam non videmus ab ejus inquietationibus liberatam. Quocircà Magnificentiam tuam Apostolicis literis & precibus admonemus, quatenùs sicut de nostrâ dilectione confidis, ita eumdem Comitem ab infestatione Vizeliac. Ecclesiæ, ac bonorum ejus districtè cohibeas, & homines suos eum facias attentiùs commonere. Porrò si aliquid sibi adversùs ipsam Ecclesiam aut res ejus credit justè competere, Nos ad quos provisio & regimen Ecclesiæ ejusdem specialiter pertinet, si postulaverit, æquitate mediâ per nos aut delegatos Judices curabimus exhibere.

Idem Episcopo Lingonensi Epist. XX.

Officiis abdicet qui cum excommunicatis conversati sunt.

EX parte dilecti Filii nostri Pontii Vizeliacensis Abbatis adversùs Archipresbyterum de Avalone, R. de Domiciaco; & I. de Chorâ Presbyteros gravem querelam accepimus, quòd excommunicatis hominibus de Vizeliaco scienter communicare, & divina officia celebrare ausu temerario præsumserunt. Quia igitur tam gravem excessum irrequisitum & impunitum prætermittere non debemus, per præsentia tibi scripta mandamus, quatenùs causam ipsam diligenter inquiras, & si rem ita inveneris, prædictum Archipresbyterum, & alios Presbyteros ab officiis suis suspensos ad nostram præsentiam mittas, literas verò quas Episcopo Eduensi mittimus, per tuum certum & securum Nuntium eidem facias præsentari.

Idem Abbati Cluniacensi Epist. XXI.

Ut soletur Abbatem Pontium exulem.

IN maximis vexationibus & angustiis posito dilecto filio Pontio Vizeliacensi Abbati carnali germano tuo, absque hortatu & commonitione nostrâ fraternâ debes compati caritate, & ejus exulationem benignis solatiis & oportunis debes consolationibus relevare. Quocircà quoniam debitæ caritatis officium exigit, ut Fratres nostros tamquam nosipsos in Domino diligamus, & eorum necessitatibus fraterno provideamus affectu, per præsentia tibi scripta mandamus, quatenùs Silviniacense Cœnobium, quousque ipsa exulatio ei duraverit, etiam pro beati Petri & nostri reverentiâ sibi concedas.

Idem Archiepiscopo Senonensi Epist. XXII.

Litem de Ecclesiâ S. Machuti solvat.

DIlectorum filiorum nostrorum Pontii Abbatis & Fratrum Vizeliacensis Monasterii adversùs venerabilem Fratrem nostrum M. Aurelianensem Episcopum querelam accepimus, quòd eis Ecclesiam sancti Machuti, quæ prædecessor suus eis donavit, & scripti sui auctoritate firmavit, contrà justitiam auferat, & per violentiam detineat occupatam. Quia ergo de tuæ discretionis prudentiâ valde confidimus, per præsentia scripta Fraternitati tuæ mandamus, quatenùs congruo loco & tempore utrâque parte ante tuam præsentiam evocatâ, causâ ipsâ diligenter auditâ & cognitâ, justitiâ eam mediante diffinias. Datum Ferentini VII. Kalend. Februarii.

Eugenius M. Aurelianensi Episcopo Epist. XXIII.

Eamdem Ecclesiam Episc. Aurel. restituat, vel jus dicat coràm Arch. Senon.

EX conquestione dilectorum Filiorum nostrorum Pontii Abbatis & Fratrum Vizeliacensis Monasterii nuper accepimus, quòd Ecclesiam sancti Machuti, quam He. prædecessor tuus eis donavit, & scripti sui auctoritate firmavit, contrà justitiam eis abstuleris, & per violentiam detineas occupatam. Quia ergo Monasterium ipsum beati Petri juris existit, & in suâ ei deesse justitiâ non possumus nec debemus; per præsentia tibi scripta mandamus, quatenùs si eorum querimonia veritate innititur, aut Ecclesiam ipsam memorato Abbati & Fratribus ejus in pace restituas; aut in præsentiâ venerabilis Fratris nostri Hu. Senonensis Archiepiscopi exinde justitiam facias. Datum Ferentini VII. Kal. Februarii.

Eugenius Abbati de Chorâ Epist. XXIV.

Abbas de Chora decimam, &c. usurpavit Vizeliac.

VEniens ad nos dilectus filius noster Pontius Vizeliacensis Abbas, contrà te nobis conquestus est, quòd quamdam decimam & parochialia jura villæ ipsius de Prissiaco per violentiam ei abstuleris & injustè detineas. Questus est etiam quòd Burgensibus ejus G. & W. de Vizeliacens. pecuniam quam tibi mutuasse dicuntur, eis contrà rationem restituere contradicas. Quia igitur omnibus in suâ justitiâ debitores existimus, per præsentia tibi scripta mandamus, quatenùs in præsentiâ dilecti filii nostri sancti Riniacensis Abbatis super his dilecto Filio nostro Vizeliac. Abbati justitiam facias. Cum ergo ab eodem Riniacensi Abbate propter hoc fueris evocatus, ejus præsentiam adeas, & quod exinde inter vos judicaverit, suscipias & observes. Datum Signiæ V. Kalend. Februarii.

Eugenius S. Abbati de Regniaco Epist. XXV.

Arbiter constituitur Abbas Regniaci in causâ decimæ, &c.

COntroversiam quæ inter Filios nostros Pontium Vizeliac. & G. de Chorâ Abbates super decimâ & parochiali jure cujusdam villæ ipsius Vizeliacensis Abbatis, & quâdam pecuniâ, quam idem Abbas de Chorâ à quibusdam Burgensibus G. & W. de Vizeliaco mutuò dicitur suscepisse, agitari dinoscitur, discretioni tuæ audiendam terminandamque commisimus. Per præsentia itaque scripta tibi mandamus, quatenùs congruo loco & tempore utramque partem ante tuam præsentiam evoces, & rationibus utrimque diligenter auditis, & plenariè cognitis, causam ipsam justitiâ mediante decidas. Datum Signiæ V. Kalend. Februarii.

Eugenius I. Comitissæ Nivernensi Epist. XXVI.

Vizeliacenses exagitari desinat.

GUILLELMUS Comes bonæ memoriæ in præsentiâ Venerabilis Fratris nostri Hugonis Altissiodorensis, & dilecti filii nostri Bernardi Abbatis Clarevallensis dicitur promisisse, quòd mercatores & cæteros Vizeliacum ire volentes neque ipse, neque suæ terræ homines prohiberent; nunc verò, sicut dilect-

dilecti filii nostri Pontii Vizeliacensis Abbatis relatione accepimus, ire illuc volentes per te & per tuos homines prohibes & infestas. Ideoque Nobilitati tuæ per præsentia scripta mandamus, quatenùs inhumanitatem hanc facere de catero non præsumas. Quòd si facere præsumseris, timendum tibi est ne indignationem omnipotentis Dei, B. Mariæ precibus, quæ multum dilexit Dominum, consequaris. Datum Remis III. Non. Aprilis.

Epistola S. Bernardi.

Ejusdem argumenti.

DIlectæ in Christo filiæ I. Nivernensi Comitissæ Frater BERNARDUS Clarevallensis vocatus Abbas, Salutem & orationes. Conqueritur venerabilis Abbas Vizeliacensis quod vos & clientes vestri mercatores & cæteros Vizeliacum volentes ire prohibetis, quod quia Guillelmus Comes bonæ memoriæ, & filius ejus in præsentiâ Domini Altissiodorensis, & nostrâ penitùs refutavit tamquam impium & iniquum, monemus & rogamus, ne id deinceps ullomodo faciatis. Timemus enim si talia facere cœperitis, ne fortè & vobis hîc, & viro vestro ubi ipse est, plurimùm possint obesse; quod omninò nollemus. Credite ergò nobis, & omninò desistite à malitiâ hac.

Epist. Cononis A. S. L.

De inauguratione Callisti P. II. agit. Deinde Comitem atque ejus Satellites ob sacrilegia in Vizel. Eccles. commissa excommunicatos declarat.

CONO Dei gratiâ Prænestinus Episcopus, Apostolicæ sedis legatus, H. Nivernensi Episcopo venerabili & dilecto Fratri, Salutem & fraternam in Christo dilectionem. Quæ postquàm à nobis discessistis, apud nos gesta sunt, dilectioni vestræ innotescere volumus. Die ipsâ quâ ab invicem discessimus cum Electo nostro duce misericordiâ Dei ad partes Lugdunensium properavimus. Antequàm autem Lugdunum perveniremus, Domnus Lugdunen. Archiepiscopus electioni nostræ assensit, & Lugduni subscripsit. Ibi factâ processione solemni, Dominum Papam Callistum & nos honorificè suscepit. Nam & Engolismensis Episcopus antequàm à nobis discederet, subscripserat, & Domino Papæ humiliter se subdiderat. Inde venimus Viennam, ubi in Dominicâ Quinquagesimæ Dominus Papa coronatus est. Cum autem ab illo digressi Vizeliacum venissemus, comperimus rumorem eum verum, quem famâ vulgante tristes acceperamus. Tristes, inquam, tum pro Ecclesiâ Vizel. in cujus læsione læsa est Romana mater Ecclesia (specialis enim ejus filia est) tùm pro ipso Nivern. Comite, quem satis dileximus, cujus clientela portas Vizelia. claustri fregit & dirupit, SS. Lazari & Marthæ sororis ejus, & SS. Andeoli atque Pontiani Martyrum corpora, crucem quoque in quâ de ligno Domini habetur, jactis lapidibus exornaverunt, Monachos verberaverunt, & lapidibus percusserunt, & quemdam ex ipsis ceperunt, & injectis manibus sub habitu Monachi dehonestaverunt. Pro quibus omnibus vos monemus, & Apostolicâ auctoritate præcipimus, ut ipsum Comitem ex parte nostrâ conveniatis, & ad emendationem tanti sacrilegii eum venire moneatis. Quòd si dixerit non se interfuisse huic flagitio; de consensu eum arguite, quia scilicet cum eâdem die Vizeliacum ipse venisset; & omnes sacrilegos qui flagitium commiserant ibi invenisset, neque spontaneus neque monitus ab Abbate sub testimonio multorum, de suis hominibus justitiam vel honorem, vel satisfactionem Ecclesiæ Vizel. facere voluit. Quamobrem timeat sententiam Lucii Papæ sanctissimi, quæ talis est ad Episcopos Gallos & Hispanos inter alia in primo decretali suo: »Res Ecclesiarum » vestrarum, & oblationes fidelium quas significa- » stis à quibusdam irruentibus vexari, vobisque & Ecclesiis vestris auferri, indubitanter maximum est « peccatum, testante scripturâ quæ ait: *Qui abstulerit patri vel matri aliquid, & dicit hoc non esse peccatum, homicidæ particeps est.* Pater ergo noster sine dubio Deus est, qui nos creavit; & mater nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter generavit. Hæc fieri Prophetæ, hæc Apostoli, hæc successores eorum, & omnium catholicorum Patrum vetant decreta, & tales præsumptiones sacrilegia esse dijudicantur: quorum nos sequentes exempla, omnes tales præsumptores, & Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores unà vobiscum à liminibus sanctæ Matris Ecclesiæ anathematizatos Apostolicâ auctoritate pellimus, & damnamus, atque sacrilegos esse judicamus, & non solùm eos, sed omnes consentientes eis, quia non solùm qui faciunt rei judicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt. Par enim pœna & agentes & consentientes comprehendit. « Item Symmachus Papa adversùs pervasores Ecclesiarum: » Generaliter quicumque res « Ecclesiasticas confiscare, aut competere, aut pervadere periculosâ aut sævâ infestatione præsumserit, nisi se citissimè per Ecclesiæ de quâ agitur satisfactionem correxerit, perpetuo anathemate feriatur. Similiter & hi qui Ecclesiæ jus vel largitione Principum vel quorumdam Potentum, aut quâdam invasione, aut tyrannicâ potestate retinuerint, & filiis vel heredibus suis, ut à quibusdam jam factum audivimus, quasi hereditarias reliquerint, nisi citò res Dei, admoniti à Pontifice agnitâ veritate reddiderint, perpetuo anathemate feriantur. Iniquum esse enim censemus, ut potiùs custodes cartarum, quàm defensores rerum creditarum, ut præceptum est, judicemur. «

Quòd si Comes ipse privilegia Ecclesiæ Vizel. contemnit, audiat Anacletum Papam à B. Petro tertium: » Privilegia Ecclesiarum & Sacerdotum S. « Apostoli jussu Salvatoris ejus decreverunt manere « temporibus. « Et in legibus sæculi cautum habetur: » Si Ecclesiæ venerabilis privilegia cujusquam « fuerint temeritate violata, vel assimulatione neglecta, commissum hoc in triplo, juxtà legum « sanctionem; Ecclesiæ cui factum est componatur, « nobisque bannus noster in triplo persolvatur. « Item in alio loco: » Nullius autem sacræ res & religiosæ & sanctæ: quod enim divini juris est, nullius in bonis est. « Item adversùs eos qui portas » fregerunt, ait Justinianus: » Sanctæ quoque res, « veluti muri & portæ, quodammodo divini juris « sunt, & ideo nullius in bonis sunt. Ideo autem « muros sanctos dicimus, quia pœna capitis con- « stituta sit in eos, qui aliquid in muros deliquerint. « Nolumus autem, Frater carissime, exaggerare quod gestum est, ne cogamur judicare quod dignum est, sed volumus ut annunties eidem Comiti, ut de perpetratis sacrilegiis nobis in manu nostrâ satisfactionem ab hominibus suis, quorum nomina subscribentur, fieri faciat usque ad mediantem Quadragesimam, & in futuro ab inquietatione Ecclesiæ desistat: quia nisi obedierit, nos sequentes Sanctorum suprascriptorum sententias, anathematis gladio tam ipsum, quàm terram ejus, licet inviti, post transactum quem præfiximus terminum, feriemus. Hæc sunt nomina illorum qui in sacrilegio illo manus commisisse visi sunt: Rainaldus Præpositus de Moncellis, & frater ejus Nicolaus, Guillelmus Mariscalcus, Paganus Buticularius, Petrus Panetarius, Odo Camarlancus, Petiz de Moncellis; Theobaudus Cocus, Guillel. Præpositus de Cerciaco, Croslebos; Renaldus nepos Mainfredi de Portâ, Beraldus de Moncellis, duo filii Aimberti de Moncellis, Joannes

Deli, Tardet de Moncellis, Seguinus de Moncellis, Guichardus frater Galterii Buticularii, Burgensis de Moncellis, qui cognomine ita vocatur, Gaudricus de Climiciaco cum septem sociis, & multi alii quos donec nominatim nominemus suis conscientiis puniendos relinquimus, si non dignè satisfactionem fecerint.

Anastasii Papæ. Epist. I.

Burgenses Vizeliac. excommunicatos degere in suis terris non sinant, imò & exspoliari & capi faciant.

ANASTASIUS Episcopus S. S. S. Dei, Venerabilibus Fratribus Hug. Senonensi Archiepiscopo, G. Lingon. T. Paris. & He. Trec. Episcopis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Ad notitiam vestram jamdiù credimus pervenisse, quòd pro immanitate crudelitatis & barbaricâ tyrannide, quam perjuri & proditores Burgenses de Vizel. in Dominum suum dilectum Filium nostrum Pontium Abbatem Vizel. & in ipsum Monasterium exercuerunt, & adhuc non desinunt exercere, à corpore Christi, quod est Ecclesia, quasi membra putrida mandato sanctæ recordationis Eugenii Papæ sint gladio divini verbi præcisi: quod ipsi pro nihilo reputantes, ac si adversùs Dominum se fallaci potentiâ existiment prævalere, adhuc in suâ nequitiâ contumaciter, non impunè tamen, perdurant; putantes forsitan quod Apostolicæ Sedis patrocinium aliquando eidem Ecclesiæ subtrahatur. Nos igitur eorum iniquitatem districtè pensantes, in irâ tamen nostrâ misericordiam continentes, manus nostras super eos ad præsens non plùs duximus aggravare; per præsentia vobis scripta mandantes, quatenùs Burgenses tamquam perjuros proditores & excommunicatos in nundinis & mercatis parochiarum vestrarum recipi omninò prohibeatis: imò à quibuscumque parochianorum vestrorum poterunt inveniri, capi & rebus suis præcipiatis penitùs spoliari.

Epist. II.

Ejusdem argumenti.

ANASTASIUS Episcopus servus servorum Dei, Dilectis Filiis nobilibus viris O. Duci Burgund. He. Comiti, A. de Borbone, Guillelmo Comiti Cabilonensi, R. fratri Ducis, R. Comiti de Joviniaco, G. de Donziaco, R. de Rubeo Monte, D. de Luziaco, A. de Monte Regali; S. Vicecomiti Senon. & filiis ejus G. & B. G. Vicecomiti Castrilandonis, G. de Vergiaco, O. de Tilio, Hu. de Monte sancti Joannis; Salutem & Apostolicam benedictionem. Ad notitiam vestram, &c. *ut superiùs.*

Anastasius P. Bituricensi Archiepiscopo. Epist. III.

In Comitem Nivern. nisi resipiscat, damna Vizel. illata resarciendo, proferat sententiam.

IMmanem crudelitatem & barbaricam sævitiam quam Nivernensis Comes in Vizeliac. Monasterium, ac si contrà Dominum adversùs sponsam suam sacrosanctam Ecclesiam ejus potentia debeat prævalere, adhuc exercere non desinit, tua Fraternitas, ut credimus, pro suâ saltem magnitudine recognoscit: contrà quam cum prædecessor noster sanctæ recordationis Eugenius Papa, Apostolicæ sedis antidota præparasset, & voluisset eum corripere, à tanto morbo sanari non meruit, quoniam pertransiit in affectum cordis, & obscuratum est insipiens cor ejus, ut, juxtà verbum propheticum, videns non videat, & intelligens quæ Dei sunt nequaquam intelligat. Nos igitur qui divinâ dispensante clementiâ memorato prædecessori nostro in sede Apostolatûs successimus; quoniam præfatum Vizel. Monasterium tanquam B. Petri alodium cogimur defensare, & prædicti Comitis ac omnium Christianorum salutem paternâ charitate sitimus, atque de tuæ Fraternitatis prudentiâ & honestate fiduciam non modicam obtinemus, per præsentia scripta Caritati tuæ mandamus, quatenùs remotâ dilatione districtè commoneas, ut damna quæ ipsi Monasterio intulit, cum integritate resarciat, & locum ipsum in pace ac libertate suâ dimittat. Eidem etiam Comiti ex parte nostrâ denuntia, ne pro exhibendâ justitiâ alicui suorum hominum Abbatem Vizel. ad suam præsentiam venire compellat, nisi priùs in ejusdem Abbatis Curiâ cognoscatur alicui suorum hominum justitiam denegasse. Quod si infrà XXX. dies post tuam commonitionem, quæ suprà diximus neglexerit adimplere, ad locum unde in auribus ipsius de facili valeat resonare cum Religiosis, & prudentibus viris accedas, & populi cœtu in Ecclesiâ congregato, accensis candelis in personam ejus & perfidorum Burgensium de Vizeliaco solemniter auctoritate Apostolicâ excommunicationis sententiam absque omni appellationis remedio proferas, ut præter baptisma parvulorum & morientium pœnitentiam in omnibus terris ejusdem Comitis omnia divina officia prohibeas celebrari. Adjicientes etiam tibi mandamus, ut sententiam ipsam Venerabilibus Fratribus nostris Hu. Senonensi Archiepiscopo, G. Nivern. Episcopo, G. Lingon. He. Eduensi, He. Trecensi, & A. Altissiod. Episcopis per tuas literas ex parte nostrâ firmiter denunties observandam. Nos siquidem per Apostolica eis scripta mandavimus, ut eamdem sententiam post tuam denuntiationem per suas parochias inviolabiliter faciant observari: literas verò quas prædictis Fratribus nostris Ling. Eduensi, Nivern. Altiss. Episcopis misimus, per tuos eis Nuntios facias præsentari.

Anastasius Ludovico Regi. Epist. IV.

Scribit ut Nivernens. Comitem coerceat à persequendis Vizel. & Burgenses comprehendi jubeat.

QUoniam jam à retroactis temporibus de tuâ Reginâ magnificentiâ Nobis & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ bona sunt plurima nuntiata, Nobilitatem tuam tam hi qui in Apostolatûs officio præcesserunt, quàm nos per omnia dileximus; & qui adhuc ex divinâ voluntate sumus superstites, diligimus, & honorem tuum in quibus secundum Deum possumus, cupimus augmentari. Eapropter, Carissime in Christo Fili, quemadmodum prædecessor noster sanctæ memoriæ E. Papa, ita & nos pro Vizeliac. Monasterio Apostolica tibi scripta dirigimus; mandantes, & in Domino commonentes, ut Nivernensem Comitem, qui feritate barbaricâ sævire adversùs præfatum Monasterium non desistit, districtè commoneas, ut memorato Monasterio damna quæ intulisse dinoscitur in integrum studeat emendare, & locum suum in pace ac libertate suâ dimittat. Si verò aliquam justitiam in eodem Monasterio se habere confidit, suam postmodum mandato nostro poterit obtinere justitiam. Quòd si in suâ pertinaciâ induratus hæc effectui mancipare contemserit, nos in personam ejus & Burgensium Vizel. excommunicationis sententiam sine appellationis remedio præcipimus promulgari, & in totâ terrâ ipsius, præter baptisma parvulorum & morientium pœnitentias, omnia divina officia penitùs prohiberi. Quocircà per præsentium latorem tibi mandamus, quatenùs ex tunc ab eo tamquam excommunicato abstineas, & Burgenses ipsos ab omnibus feriis regni tui sub banno tuo penitùs prohibens, à quibuscumque inveniri poterint, capi, & rebus suis spoliari sicut perjuros & Ecclesiæ turbatores, justitiæ zelo præcipias. Præterea nihilominùs industriæ tuæ mandamus, quatenùs præfatum Monasterium Vizeliac. pro alicujus falsâ suggestione nullatenùs aggraves, imò pro B. Petri & nostri reverentiâ, ipsum tamquam ejusdem Principis Apostolorum patrimonium ab omni hoste studeas de-

fensare. Ad hæc devotionem tuam nullatenùs latere volumus, quòd nos dilecto Filio nostro Vizel. Abbati dedimus in mandatis, ut memorato Comiti in Monasterio nostro nullam prorsùs concessionem facere audeat. Valete.

Epist. V.

Sententiam excommunicationis edicant in Comitem Nivern. & Burgenses Vizeliac.

ANASTASIUS Episcopis Galliæ. Quando peccata, in quibus culpa est relaxare vindictam, ab aliquibus suggerente diabolo committuntur, tanta est eis imponenda correptio, ut ipsi, pœnâ docente, cognoscant, quàm grave fuerit quod patrarunt, & cæteros à similibus præsumptionibus Ecclesiasticæ correptionis timor inhibeat. Inde siquidem est, quòd prædecessor noster beatæ memoriæ Eugenius Papa per Apostolica scripta tibi, Frater Episcope Lingonensis mandavit quatenùs Nivernensem Comitem super immanitate tyrannidis, quam in Vizel. Monasterio, quod utique beati Petri juris existit, feritate barbaricâ exercuerat, ut resipisceret districtiùs commoneres, & si à tantâ nequitiâ nollet desistere, in eum & in Burgenses Vizeliaci excommunicationis, & in terris ipsius Comitis interdicti sententiam promulgares. Sed sicut audivimus, quibusdam occasionibus mandatum ipsius, unde non modicum admirantur, nondum est ex toto completum, & ideo nos qui divinâ disponente clementiâ in officio ei Apostolatûs successimus, quoniam præfatum Monasterium tamquam speciale patrimonium beati Petri cogimur defensare, memorati prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, venerabili Fratri nostri P. Bituricensi Archiepiscopo dedimus in mandatis, ut nisi præfatus Comes ab eo commonitus damna, quæ ipsi Monasterio intulit, in integrum emendaverit, ac locum ipsum in pace ac libertate suâ dimiserit, tam ipsum Comitem, quàm Burgenses Vizeliaci, qui tantæ nequitiæ fautores existunt, excommunicationi auctoritate nostrâ subjiciat, & in totâ terrâ ejus, præter baptisma parvulorum & morientium pœnitentias, omnia divina prohibeat celebrari. Præsentium vobis itaque auctoritate mandamus, quatenùs & sententiam ipsam, postquàm vobis ab eodem Fratre denuntiata fuerit, firmiter observetis, & per vestras parochias observari inviolabiliter faciatis. Datum Laterani VIII. Kal. Januarii.

Epist. VI.

Jura sui Monasterii fortiter propugnet, exhortatur.

ANASTASIUS PONTIO Abbati Vizeliacensi. Super contritione, persequutione atque angustiâ, quam pro commissâ tibi Ecclesiâ & pro justitiâ pateris, devotioni tuæ paterno affectu compatimur, & in quibus secundùm Deum possumus, grata tibi volumus subsidia ministrare. Inde est quòd juxtà votum & petionem tuam literas nostras tam Archiepiscopis quàm Episcopis Regni Francorum, & Regi, Comitibus, atque Baronibus, quemadmodum tua devotio requirebat, studuimus destinare, quarum continentiam ex transcriptis poteris evidenter agnoscere. Si ergo, Dilecte in Christo Fili, tu pro domo Israël tribulationibus subjaces, debes sperare quòd dabit Dominus de tribulatione auxilium, & in ipsius misericordiâ confidentes de omni pressurâ eripiet, & ad portum quietis gratiâ suâ perducet. Age ergo, Fili, & murum tutissimum te pro Ecclesiâ tuâ sicuti hactenùs, ita & deinceps non pigriteris opponere, imò contrà eos qui fidem penitùs abnegarunt, quos etiam excommunicationis vinculo præcepimus innodari, viriliter studeas dimicare, & donec excommunicati fuerint, si te super aliquo in jus forsitan voluerint evocare, nobis inconsultis nullatenùs eis respondeas. Adjicientes etiam tibi mandamus, & auctoritate Apostolicâ inhibemus ut in Ecclesiâ nostrâ de Vizeliacensi quæ proprium alodium beati Petri esse dinoscitur, nullam concessionem nisi ex mandato nostro Comiti Nivernensi facere audeas. Datum Laterani VIII. Kalend. Januarii.

Quid facto opus habeat in defensione jurium Vizel. scribit.

DOMNO PONTIO Abbati Vizeliac. Frater M. Floriacensis Abbas; Pacem quæ evangelizabatur hominibus bonæ voluntatis. Literis vestris lectis, earumque tenore diligentiùs retractato, quod mihi consultius visum est, Dilectioni vestræ rescribo. Pax vestra si venalis vobis proponeretur, quæ vos & à tantæ tribulationis angariâ levaret, vestrosque adversarios humiliaret, & unanimes exhilararet, caro valde emenda videretur, dummodo Ecclesia vestra status sui rectitudinem, & libertatis privilegia illibata servaret. Porrò fratrem vestrum sic habere suspectum, ut cum se Comes ei ex toto committat, vos ejus arbitrium declinetis, durum valde videtur. Libratis itaque hinc inde causis, quæ utiliùs judicamus, dicimus, ut exspectetis Legatos, quos ad Dominum Papam direxistis, & cum venerint, responsum Domini Papæ, & privilegia Ecclesiæ vestræ Domno Abbati ostendite, & tunc demùm negotium vestrum ejus arbitrio fideliter committite. Neque enim credimus aut privilegiis vestris aut præceptis Domini Papæ contraria & repugnantia judicare.

Clementiam promittit ac tutelam.

LUDOVICUS Dei gratiâ Francorum Rex & Dux Aquitanorum, Venerando PONTIO Abbati Vizeliacensi, Salutem & gratiam nostram. Non decet Regem asperitas nimia, & in veritate supplicandi non est neganda venia. Intelligimus prece vestrâ fidelem nostrum Arc. de Burbone, & ejus conjugem nostram Materteram, pro vobis nos deprecari. Quibus nos obaudientes, pro honore Dei & Ecclesiæ vestræ sanctitate, & pro nostrâ honestate, quidquid offensæ adversùm vos habemus, omninò laxamus, & totius rancoris nubilum abstergimus, & vos de cætero in gratiam, & res ad vos pertinentes in tutelam regiam benignè suscipimus.

ADRIANI Papæ Epist. I.

Reddat Comes chartam in jura Vizel. Ecclesiæ confectam, abstineatque à vexatione, alioquin excommunicetur, &c.

ADRIANUS Episcopus S. S. S. Dei, Venerabilibus Fratribus Lingonensi, Eduensi, Nivernensi, Altissiodorensi, Salutem & Apostolicam benedictionem. Tantum jam malitia Nivernensis Comitis, quòd vestra Fraternitas non ignorat, adversùs specialem sedis Apostolicæ filiam Vizel. Ecclesiam excrevit, ut culpa nimia proculdubio esse videatur, si malitia ejus maneat impunita. Præter illa siquidem mala, quæ jampridem ei & instigando Burgenses ad persequutionem ejus, & diversis aliis modis ausu temerario irrogavit, in villâ Vizeliacensi nuper milites suos & homines inimicorum suorum constituit, & dominium pro voluntate suâ in eâdem villâ contrà jus antecessorum suorum usurpat. Burgenses etiam contrà dilectum filium nostrum Pontium Vizeliacensem Abbatem in suâ conspiratione ac perjurio fovere præsumit. Sanè feliciis memoriæ Papa Eugenius antecessor noster, afflictionibus & angustiis illius Ecclesiæ affectione paternâ compatiens, & in malitiam antedicti Comitis fervore debito inardescens, à corpore Christi, quod est Ecclesia, divini eum verbi falce præcedit, & in terrâ ipsius divina interdixit, celebrari officia. Quoniam igitur idem Comes ita datus est in reprobum sensum, ita oculos mentis ab intuitu æternæ damnationis avertit, ut nec flagellatus etiam à suâ potuerit malitiâ cohiberi; per præsentia vobis scripta præcipiendo mandamus quatenùs eum districtiùs moneatis, qua

tenùs custodes suos de villâ Vizeliacensi removeat, mala quæ Ecclesiæ irrogavit, emendet, cartam compositionis contrà privilegia prædecessorum nostrorum, & Ecclesiæ libertatem elicitam antedicto Abbati restituat, & Burgensibus contrà eum in sua conspiratione nullum præbeat auxilium vel favorem, & jurejurando promittat se communiæ ipsi nullas vires ulteriùs præbiturum. Si verò infrà XXX. dies post commonitionem vestram, quæ prædicta sunt adimplere contemserit, in personam ejus excommunicationis, in terram verò interdicti sententiam renovetis, & ab omnibus præcipiatis firmiter observari. Datum Sutrii XII. Kal. Junii.

Epist. II.

Excommunicatione, ac variis pœnis afficiant, Burgenses Vizel.

ADRIANUS Episcopis Galliæ. Quantâ nequitiâ Vizeliac. homines adversùs Matrem & Dominam suam Vizel. Ecclesiã conspiraverint, & quàm asperè in eam fuerint & in ejus bona grassati, ad notitiam Fraternitatis vestræ devenit, & nos nullatenùs ignoramus. Sanè felicis memoriæ Papa Eugenius antecessor noster, & illorũ superbiâ & Ecclesiæ afflictione permotus, eosdem sacrilegos Ecclesiasticæ districtionis sententiâ innodavit. Ipsi autem alienati & conversi retrorsùm à suâ malitiâ minimè destiterunt, sed transierunt in affectum cordis, & graviora jugiter adversum matrem suam committere præsumserunt, facti sicut illi de quibus ait Propheta: *Percussisti eos & non doluerunt, attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam.* Ut enim in præsentiarum alia quæ ante hæc ab eis gesta sunt contrà Vizeliacensem Ecclesiam, taceamus, nuper facto impetu lustraverunt officinas Ecclesiæ, fuperu..t vegetes, effuderunt vinum, diripuerunt omnia, & in ipsos etiam Monachos violentas manus extendere præsumserunt. Porrò nos in omnibus his dolemus de miseris illis hominibus, qui in perjurii, sacrilegii, rapinæ ac peccatorum multorum foveam inciderunt: dolemus etiam quòd nullum vestrûm assumere justitiæ clypeum, & in ejus auxilium exurgere intuemur: usque adeo ut lugere valeamus, & dicere cum Propheta: *Non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus.* Quoniam igitur Nos ad quorum tutelam atque præsidium præfata Ecclesia specialiter respicit, afflictiones ipsius dissimulare nec possumus, nec debemus, per præsentia vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenùs omni tepiditate cessante Burgenses ipsos festinetis districtiùs admonere, ut antedicto Abbati & ejus Fratribus ablata restituant, irrogata damna resarciant, de illatis injuriis competentem satisfactionem exhibeant, & ad fidelitatem & dominium Ecclesiæ revertantur. Si verò sine dilatione aliquâ post commonitionem vestram quæ prædiximus adimplere contemserint, omnes illos qui nequitiæ hujus auctores existunt, & quos præfatus Abbas vobis annuntiaverit, sine appellationis remedio excommunicetis, & ad quemcumque locum per Episcopatus vestros aliquis Burgensium ipsorum devenerit, donec præsens fuerit, divina ibi prohibeatis officia celebrari, & si aliquem eorum mori contigerit, Christianorum careat sepulturâ. Ne autem corporalem quoque pœnam effugiant, omnibus parochianis vestris districtiùs injungatis, ut in nundinis suis eos nequaquam admittant, & nullam cum eis societatem, vel in mercibus, vel in aliis rebus habere præsumant, sed sicut excommunicatos eos evitent, & ubicumque invenerint, capiant, & amore justitiæ bonis suis non desinant spoliare: ut inviti saltem cogantur ad subjectionem & fidelitatem Domini sui redire. Novis siquidem morbis nova convenit antidota præparari. Datum Sutrii XII. Kal. Junii.

Adrianus Ludovico Regi Epist. III.

Rex armatâ manu Burgenses Vizeliac. insequatur, ut Abbati tamquã Domino subdantur.

DE Religiosorum virorum præsidio, & veneratione sacrorum locorum non oportet longis te sermonibus admonere: satis enim ad hoc animum tuum commonitione cessante, ignis ille, quem Dominus venit mittere in terram, accendit; ita ut inter universos Principes orbis nullus sit qui super hoc in conspectu totius Ecclesiæ commendabilior habeatur. Sanè licet potentiæ tuæ præsidium ad omnes Ecclesias in regno tuo constitutas extendas, Vizeliacensi tamen Ecclesiæ tanto te cupimus attentiùs exhibere, quanto & ad jus beati Petri specialiùs pertinet, & ex perfidiâ suorum Burgensium majores molestias & pressuras sustinet. Nec enim ignorat tua prudentia, qualiter ab aliquot annis adversùs dilectum filium nostrum Pontium Vizeliacensem Abbatem favore Nivernensis Comitis conspirati, diripere bona Ecclesiæ, & ipsum quoque Abbatem exinde expellere præsumserunt: unde & à corpore Domini, quod est Ecclesia, fieri meruerunt extorres. Nuper etiam in ipsam Ecclesiam facto impetu irrumpentes, fregerunt portas, lustraverunt officinas, effuderunt vina, diripuerunt vestes Monachorum, abstulerunt ornamenta sacrarii, & in ipsos etiam Monachos, & famulos domûs violentas manus ausu temerario extenderunt. Porro quoniam illorum nequitia Ecclesiastici severitate judicii necdum potuit coërceri, cohibitionem tuæ manûs exspectat, & vigore tuo indiget emendari, quòd sub æquitate censuræ canonicæ mansit hactenùs incorrectum. Magnificentiam itaque tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, atque in peccatorum tibi remissionem injungimus, quatenùs justitiæ zelo succensus, & afflictione supradicti Monasterii, ac nostris exhortationibus provocatus in manu validâ Vizeliacum accedas & Burgenses abjurare communiam quam fecerunt, & ad fidelitatem atque subjectionem dilecti filii nostri Pontii Vizeliacensis Abbatis tamquam Domini sui redire compellas; ablata etiam eos restituere, & irrogata damna facias resarcire, atque in illos, qui hujus nequitiæ caput existunt, tantam ultionem exerceas, ut qui eis successerint consideratione ultionis eorum caput contrà Dominum suum erigere, ac consimilem perfidiam in sanctuarium Domini committere non attentent. Datum Sutrii XII. Kal. Junii.

Eidem Epist. IV.

Regem iterũ gratiis prius habitis, commonet, ut opem Abbati Vizel. ferat.


GRatum & acceptum habemus, & magnificentiam tuam de piarum rerum exequutione plurimùm commendamus, quoniam dilecto filio nostro Pontio Vizeliacensi Abbati, sicut ejus directa nobis relatio patefecit, amore Dei, & nostrarum reverentiâ literarum juxtà regiæ dignitatis officium diligenter hactenùs astitisti, & contrà suos & Monasterii sui persequutores auxilium ei & consilium præbuisti. Unde quoniam bonorum intentio ad salutaria opera tanto ampliùs dirigitur, quanto sæpiùs inde commonetur, Celsitudinem tuam per Apostolica scripta rogamus, & in peccatorum tibi remissionem injungimus, quatenùs pro Dei amore, & pro beati Petri & nostrâ reverentiâ, prædictum Abbatem propensiùs diligas & honores, & ut Monasterium ipsum à dilecti filii nostri Nivernensis Comitis, & aliorum omnium infestatione defendas, ut Fratres inibi commorantes, pro tuâ & regni tui salute ad Dominum debeant jugiter intercedere, & nos Regiæ nobilitati tuæ gratias exolvere debeamus. Et quoniam Burgenses Vizeliac. occasione præsertim lapidearum domorum, quas munitas habent

& elevatas, adversùs antedictum filium nostrum Abbatem, & Vizeliacensem Ecclesiam ita superbiunt, ut nec manere pro persequutione illorum idem filius noster possit in Monasterio: Magnificentiam tuam rogamus, quatenùs easdem domos ita facias dirui, ut Burgensium superbia retundatur, & Vizeliacensis Ecclesia occasione hac non debeat fatigari.

Epist. V.

Abbatem arguit quòd jura Monasterii infregerit.

ADRIANUS Episcopus S. S. S. Dei, Dilectis filiis Abbati & universis Fratribus Vizel. Salutem & Apostolicam benedictionem. Quanto Monasterium vestrum ad jus B. Petri specialiùs dinoscitur pertinere, tanto ad dirigendum & ampliandum statum ipsius attentiùs nos convenit laborare. Pervenit autem ad nos, dilecte in Domino fili Abbas, te tabulam nummulariorum contrà tenorem privilegiorum Apostolicæ Sedis Simoni de Silviniaco in primordio tuæ prælationis, cum nondum tibi eorumdem privilegiorum tenor innotuisset, reclamantibus Fratribus tuis concessisse: unde quia nec bona vestri Monasterii aliquâ levitate diminui, nec privilegia prædecessorum nostrorum patimur violari, per præsentia scripta vobis mandamus, quatenùs si ita se res habet de tabulâ, illam ad manus vestras & proprietatem Ecclesiæ velociter revocetis, & quæ ad proprietatem Monasterii pertinent, donare, vendere, vel quomodolibet alienare nullatenùs præsumatis. Alioquin graviter in vos noveritis vindicandum. Datum Beneventi XI. Kalendis Decembris.



HISTORIÆ VIZELIACENSIS, LIBER SECUNDUS.

DIVINÆ bonitatis gratia pluribus ac diversis consulens modis humanæ infirmitati, inter cætera æquè innumera suorum beneficiorum remedia, homini contulit literarum præsidia, quo vel præsentium incitaretur industria, vel absentium provocaretur affectus, vel futurorum erudiretur posteritas: & quoniam omnis prudentiæ inimica oblivio, rerum maximè utilium quamsæpe intercipiebat memoriam, mos ab antiquitùs inolevit, Patrum monimenta per literarum apices tamquam per visibiles sonos mandare posterorum notitiæ. Quem morem & nos quoque pro modulo nostro imitantes, pressuras Ecclesiæ nostræ, quas pro ingenitâ sibi libertate per multa temporum curricula multipliciter pertulit, brevi compendio ad multorum utilitatem describere satagimus. In quo dum brevitatem sectamur, arrogantiæ supercilium omninò diffugimus; quoniam si juxtà quod ipsa deposcit materia, rerum perfectioni incumberemus, ipsâ proculdubio periculi enormitate quodammodo fidei derogare videremur; dum quod historicæ integritati aliquatenùs inserviret, loquaci jactantiæ incredulus auditor deputaret. Utrobique ergo prospicientes, sic medio tramite incedimus, ut & rerum constet cognitio integra, & falsitatis pateant penitùs nulla vestigia. Sanè quamvis ad hæc minùs idoneos, minùsve sufficientes nos esse non ignoremus; provocamur tamen caritate Ecclesiæ, invitamur etiam, imò ut ita dicam perurgemur obedientia Reverentissimi Patris nostri PONTII Venerabilis Abbatis, qui & si quantum ad prædecessores suos tempore videtur esse novissimus, attamen in defensione libertatis Ecclesiæ suæ omnium antiquorum merito constat esse primus. Illi enim licet vel acquirendo vel ædificando plura contulerint, certè plus illis omnibus iste laboravit, dum à diripientibus & evellere eam conantibus, salvam & integram atque illibatam viriliter custodivit. Minùs quippe est habere quod custodias, quàm custodire quod habeas. Sed jam propositum adordientes, de his hactenùs.

Quare hanc scribere historiam Auctor aggressus est.

Igitur cum Vizeliacensis Ecclesia nobiliter nata, nobiliùs fuisset educata, ingenuæ libertatis caput inter omnes Occidentis Ecclesias præferebat: siquidem in ipso suæ fundationis primordio Beatissimo attitulata Petro regni Cœlorum Clavigero, soli & uni Apostolicæ illius Sedi nobiliter à nobilissimis auctoribus suis est assignata, atque perpetuæ libertatis dote ab ipso tunc temporis summo & Apostolico Pontifice NICOLAO subarrata. Cujus successores ad hæc usque tempora pietatis ejus inhærentes vestigiis, auctoritate Apostolicâ & dignitate Romanâ suis privilegiis eam corroborantes, acsi proprium jus & alodium Beati Petri, ab omni subjectione cujuslibet alterius personæ vel Ecclesiæ immunem penitùs esse decreverunt. Ecclesiastica proinde officia, uti sunt sacri Ordines Monachorum vel Clericorum suorum, & Basilicarum seu altarium consecrationes, chrismatis vel sancti olei gratiam, & quæcumque alia hujusmodi, ubilibet & à quolibet cujusvis provinciæ Catholico Episcopo accipere, Romanorum privilegiorum clementiâ atque *libertate* Apostolicâ indulgentes, illi concesserunt. Tantis ergo & tam ingenuæ libertatis propalata præconiis, invidiosam faciem sodalibus exhibebat Ecclesiis. Unde post annorum plura centena HUMBERTUS quidam Eduensi præsidens Ecclesiæ, pulchritudini libertatis illius nævum maculosæ servitutis inferre molitus est. Quo tempore venerabilis PONTIUS regimen Vizel. Ecclesiæ obtinebat, PETRI Cluniacens. & JORDANI Casæ-Dei Abbatum frater uterinus. Nobilis ergo genere nobilissimam sortitus Ecclesiam, de more libertatis illius Aurelianensem Episcopum Heliam invitavit, & ut sibi celebraret sacros Ordines humiliter petivit. Qui perspectis Romanæ auctoritatis privilegiis, devotioni ejus devotiùs acquievit, Monachorumque nonnullos, ac Clericorum aliquos in Basilicâ Vizel. Ecclesiæ ad sacros Ordines promovit. Quo facto indignatus Eduensis, quos adepti fuerant Ordines Clericis interdixit. Quam vesanam ejus temeritatem corripiens bonæ memoriæ Innocentius tunc temporis Romanæ sedis Apostolicus Pontifex, suspensos ab Eduensi Clericos suis reddidit Ordinibus, & ne jura Rom. Ecclesiæ ampliùs temerare præsumeret, denuntiavit. Tum Eduensis accepto gustu Apostolicæ indignationis pœnituit cœpti; sed cœpta dissimulare puduit. Nec destitit Abbatem lacessere donec suis ipsis frustratus conatibus, tandem in manu Cluniacensis Abbatis, & aliarum honestarum personarum propositæ liti renuntiavit, atque inter utramque Ecclesiam per manum jam dicti venerabilis Pontii Abbatis, pristinæ pacis statum reformavit.

Quæ Vizel. Ecclesiæ Privilegia.

Humbertus Eduens. Episc. primus perturbare privilegia tentat.

Cum autem esset genere clarissimus, morum honestate ac pietate decentissimus, Ecclesia Lugdunensis Antistite suo destituta, Archipræsulem sibi eum petebat; quo assumpto Eduensem Episcopatum suscepit HENRICUS, Ducis Burgundiæ germanus: nec mora, veteris discordiæ incentores hunc alloquuntur, & sopitam calumniam super Vizel. libertate renovare satagentes, cupidis auribus ingerunt. Ille autem confidens de potentiâ generis & divitiarum, quibus æquè pollebat, novumque ali-

Henricus illius successor, Ducis Burgundiæ germanus, itidē attentat.

quid tamquam singularis potentiæ homo facere prætentans. Vizel. Ecclesiam in jus proprium vindicare, & in diœcesim redigere, ac pro more aliarum Ecclesiarum suæ parochiæ subdere, suisque Synodis eam parere quæsivit: sed Deo protegente, & Beatâ Deique dilectrice Mariâ Magdalene patrocinante, clavam de manu Herculis tollere non potuit: planè quantum in eo fuit, nihil intentatum reliquit, quo sibi usurparet quod soli Petro cessisset. Cæca quippe cupiditas totum blanditur sibi facilè, quod ipso appetitu jam se sperat obtinere. Prædictum itaque venerabilem Pontium Abbatem, qui causam Ecclesiæ in ratione suâ acceperat, primùm de Synodali exequutione; deinde de clericali seu sacerdotali examinatione, postremò de sacramentorum Ecclesiasticorum ratione compellans, juris justitiam ab eo deposcebat. At ille tutorem Ecclesiæ non actionarium imò Apostolicæ paternitatis, quantum ad Vizel. jus Ecclesiæ spectat, Vicarium se esse dicens, nihil causæ cum eo se habiturum super hac re inscio Domino Papa respondit. Sic repulsus Episcopus vi extorquere voluit, quod surripere actionali persequutione non potuit. Cœpit ergo Ecclesiam infestare, homines Ecclesiæ opprimere, possessiones quoque illius diripere, ac quidquid in se fuit posse, totum adversùs Ecclesiam in detrimentum illius experiri. Arbitratus autem suum posse minùs esse sufficiens ad præmeditatos perficiendum conatus, fratrem suum Ducem, & alios etiam fratres suos in odium Ecclesiæ incitavit, & per eos quasi potentatum totius Burgundiæ in ruinam & dejectionem Ecclesiæ appulit & impulit. Abbas verò nactus constantiam, patientiâ suâ omnes impetus illius sprevit, fregit, cassavit, ac velut inanes & futiles annihilavit.

His temporibus universali Ecclesiæ præsidebat EUGENIUS sanctissimus, qui auditâ insaniâ, quâ Eduensis nitebatur adulterare castitatem suæ specialis filiæ, Vizeliacensis dico Ecclesiæ, sæpe illum admonuit, sæpe corripuit, & intentando, ni resipisceret, de gradûs sui periculo præmonuit. Jam ergo Eduensis à spe propriâ frustratus, & diffidens de vanitate potentiæ suæ, Romanam adiit curiam, & falsa comminiscens, verique similia componens, querelam adversùs Abbatem statuit, asserens ea, quæ ab Vizel. Ecclesiâ repetebat, per longi temporis præscriptionem hactenùs ad hæc usque tempora suæ Sedis Ecclesiam absque alicujus controversiæ calumniâ tenuisse. Clementissimus verò Papa Eugenius dignitati Apostolicæ autoritatis, salvâ integritate veritatis, per omnia consulendo, deferens, diem utrique parti statuit, & notatam Abbati designavit, utque vel per se, vel per sufficientes responsales suos cum munimentis Ecclesiæ suæ ad ejus præsentiam denominato die occurreret, ad illata responsurus, per pietatis suæ scripta mandavit. Uterque igitur secum adhibito sufficienti, & ut cuique videbatur, legitimo testium comitatu, universali se præsentavit Curiæ, finem quisque suæ causæ ratus tanto sub examine adepturum se fore. Interea justi tenax merito dicendus Abbas Pontius accedens ad summum Pontificem, conquestus est non debere se omninò subire actionem quamlibet, vel judicium hujusce rei, cujus per Apostolicam manum & perpetuâ possessione tueretur, & ejusdem Apostolicæ auctoritatis per plura & antiqua Rom. privilegia testamento perpetuæ libertatis heres esset constitutus. Ad quod pius refert Apostolicus, tanto æquiùs ac liberiùs eum debere etiam judicii examen expetere, quo suæ justitiæ magis conscius esset; sciens proculdubio causam suam eo semper robustiorem fore, quo judicii libramine perpensa, de cætero ab omni quæstionis nodo redderetur absoluta. Qui si etiam forte,

Coram Summo Pontif. de immunitatibus Vizel. controvertitur.

quod futurum non sperabat possibile, inconsiderato præjudicio in causâ suâ quoquomodo gravaretur, tùm demum auctoritate privilegiorum cujuslibet præjudicii violentas determinationes refragari posse non dubitaret. Hac permotus ratione Abbas acquiescit suscipere actionem, & jam causam suam utraque pars prosequitur; in quâ prosequutione definitum est Eduensem nihil ex proprietario jure, nihil ex investitionis possessione, nihil ut sibi videbatur ex longi temporis præscriptione, nihil etiam ex fructuario seu legatario, sed tantummodo largitionis, permissionisve usu, de more Vizeliacensis libertatis quibuslibet etiam cujusvis provinciæ concesso Episcopis, efficere in quæstione; cum è diverso Vizeliacensis Abbas nec longi temporis præscriptionem, nec legatarium, sive alium quemlibet alienæ acquisitionis usum prætenderet, sed omninò ex proprietario jure, & antiquâ perpetuæ possessionis investitione Vizel. Ecclesiam semper obtinuisse prædictam libertatem diceret; & hanc non libertinâ emancipatione sibi collatam, imò sibi innatam, & secum connatam fuisse, secumque adolevisse, atque ad hæc usque tempora irrefragabiliter in eâ perdurasse sufficienter peroraret. Cum autem allegationes suas testibus uterque præmuniret, dictum est ex sententiâ consessus, ut producti testes jurisjurandi sacramento testimonia sua firmarent. Forma verò juramenti hujusmodi fuit, ut quam sciret veritatem super causâ utriusque quisque aperiret; falsitatem porro penitùs reticeret. Sic per jusjurandum obligatos Abbas produxit testes suos. Quorum testificationis modus talis est:

Decidit à causa Episcopus Eduensis.

GERARDUS Prior Albornensis dixit: Antequàm Monachus factus essem interfui Concilio quod tenuit Papa Paschalis Guarestallæ, & vidi quod ibidem benedixit Abbatem Vizeliac. Renaldum. Post Monachus Vizeliaci factus sum, & idem Abbas misit me Altissiodorum cum Petro Aribaldi Clerico, & aliis pluribus Monachis, Giberto, Achardo, Aimone, & recepi Ordines quatuor usque ad Subdiaconatum, & Petrus Aribaldi ibi ordinatus est, sed quem Ordinem acceperit, non reminiscor. Alio tempore ab eodem Episcopo Umbaldo Subdiaconus ordinatus sum. Postmodum Episcopus Andegavensis Romam pergens, Vizeliaco Chrisma & sanctum oleum, confecit in majore Ecclesiâ, & credo indubitanter Capellanos ejusdem villæ illud sanctum Chrisma & oleum recepisse; & idem Andegavensis me Diaconum & alios Monachos, & quosdam Clericos ejusdem villæ aliâ vice ordinavit Vizeliaco; sed Clericorum nomina non reminiscor. Et idem Abbas misit me & Joannem Monachum ad Ugonem Nivern. Episcopum, qui nos Presbyteros consecravit. Et cum essem apud Sanctum Jacobum in Esconio, Obedientiâ Vizeliaci, vidi Guillelmum Barzelim Nuntium Renaldi Abbatis euntem Altissiodorum pro Chrismate, & inde rediens cum aliquantulum nocte quiesceret, Chrisma mihi commendavit; postmodum ipse idem à me resumens Vizeliacum detulit. Alio tempore vidi Amicum de Ulmo ab eodem Abbate Renaldo ad eumdem Hugonem Episcopum missum pro Chrismate, & redeuntem cum Chrismate. Tempore ejusdem Abbatis Renaldi quidam parochianus ejus Stephanus Aicaphit Hierosolymam ivit, & dum ibi moram faceret septennio, uxor illius alio viro nupsit, postmodum verò memoratus Stephanus rediens uxorem repetiit; quæ cum ei negaretur, ante præsentiam Abbatis Renaldi eam convenit, ibique causâ cognitâ judicio & auctoritate Abbatis Renaldi suo viro restituta est, & assistente Petro Capellano S. Petri superioris, adulter & adultera pœnitentiam ab Abbate susceperunt.

Testes Abbatis referunt quid de juribus agnoverint.

Hugo Prior de Moreto juratus dixit: Albanensis Episcopus Matthæus ordinavit me Subdiaconem, & alios plures Monachos, Vizeliaci in Capellâ sancti Laurentii, tempore Alberici Abbatis, Papa Innocentio existente Altissiodoro, & vidi tempore ejusdem Abbatis quòd Rothomagensis Archiepiscopus Hugo altare sancti Ægidii in majori Ecclesiâ consecravit, & vidi matrimonium Arduini & Cæciliæ, unde controversia erat, auctoritate & judicio Vizeliac. Abbatis Alberici, præsente & assistente Galterio Cabilonensi Episcopo confirmari: & ipse pater & juvenis filius erant de parochiâ Eduensi, videlicet de Glanâ. Garnerius Subprior Vizel. duxit me Altissiodorum, & ibi ab Episcopo Hugone, qui fuerat Abbas S. Germani, in Sacerdotem cum pluribus Monachis nostri Monasterii ordinatus sum. Postea, cum essem Camerarius XIIII. Monachos Altissiodori per Hugonem Altissiod. ordinari fecit (qui fuit Pontiniacensis Abbas) ad vocationem Alberici Abbatis. Stephanus Eduensis Episcopus consecravit altare S. Andeoli positum in Choro Monachorum, & audivi Stephanum Episcopum Eduensem dicentem Comiti Nivernensi, quoniam vocatione Abbatis Cluniacensis Petri, & Monachorum Vizel. venerat ad benedicendum Abbatem Pontium, & hoc fuit in Camerâ Abbatis. Et vidi sæpe Carnotensem Episcopum Guifredum, & Altissiodorensem Hugonem, qui fuit Abbas S. Germani, celebrantes Missas in Ecclesiâ sanctæ Mariæ Magdalenæ in festo ejusdem, præsente Eduensi Stephano & non contradicente.

Ansellus Vizel. Monachus juratus dixit: Vidi Abbatem Pontium committere Ecclesiam S. Petri inferioris cuidam Presbytero Bernardo tam in spiritualibus quàm in temporalibus, & hoc in Capitulo. Et idem commisit Presbytero Guidoni Ecclesiam S. Petri superioris pro spiritualibus & temporalibus præsente capitulo: & idem Abbas commendavit Presbytero Andreæ Ecclesiam S. Stephani similiter in Capitulo; & hæc omnia post concordiam, quæ facta est apud Molinos, contigerunt. Matthæus Albanensis Episcopus me in Diaconem, & tres alios Monachos in capellâ S. Laurentii ordinavit. Hugo Altissiodorensis Episcopus, qui fuerat Abbas sancti Germani, me in Presbyterum & plures alios ordinavit apud Pontiniacum. Henricum Eduensem Episcopum cum processione vidi recipi Vizeliaci, & plures alios.

Hugo de Silviniaco Monachus & Presbyter juratus dixit. Helias Aurelianensis Episcopus me in Presbyterum, & plures alios Monachos, & Guidonem, qui modo Capellanus est, & Renaldum Reialta me vidente in Presbyteros ordinavit in Ecclesiâ majori Vizeliacensi: & eodem anno meæ ordinationis vidi Nuntium Abbatis Pontii, Durantum nomine, euntem pro chrismate & oleo ad Episcopum Nivernensem Frotmundum, & cum chrismate & oleo redeuntem: & cum ex consuetudine Vizel. Monasterii nullus Clericorum villæ debeat ire ad synodum sine licentiâ Abbatis, vidi tempore synodi, quòd Abbas Pontius Sadonem & Petrum Aumbaldi majores Capellanos vocavit, & præcepit eis ne ad synodum irent, & ipsi obedierunt. Et cum Presbyteri juxtà festum Omnium Sanctorum licentiam eundi ad synodum peterent, Abbas non concessit, & ipsi non iverunt. Vidi Arnulfum de Ferrariis ex mandato Abbatis Altissiodorum pro chrismate & oleo euntem, & cum chrismate & oleo redeuntem, & hoc post concordiam; & jam sunt sex anni: & vidi post concordiam altare S. Michaëlis in majore Ecclesiâ ab Hugone Rotomagensi Episcopo benedici: & post concordiam vidi Hugonem Altissiodorensem Vizeliaco ordinationes facere: vidi quæstiones trium Matrimoniorum deponi apud Abbatem Pontium, Oberti Saltarelli, & Helizabeth, & Americi Cerarii, & filiæ Blaucarti Sartoris, & fratris Drogonis, & filiæ Petri Mercatoris, & terminari auctoritate Abbatis. Et in causâ Oberti & Helizabeth fuit advocatus Ermannus, qui modo est Archidiaconus & Archipresbyter Avalonensis: de donatione trium Ecclesiarum idem penitùs dicit, quod Ansellus Monachus Vizeliacensis.

Hugo de Scolâ Vizel. Monachus & Presbyter dixit; Tempore Alberici Abbatis Prior de Moret Hugo duxit me cum pluribus aliis Altissiodorum, ibique nos ordinari fecit, me in Subdiaconum, & reliquos in diversos Ordines ab Hugone, qui fuit Abbas, Pontiniacensis. Tempore Pontii Abbatis, Helias Aurelianensis Episcopus ordinavit me in Diaconem, & plures alios in diversos Ordines, Guidonem, qui modo major Capellanus est, & Renaldum Raiaza in Presbyteros, & hoc in majori Ecclesiâ. Et tempore ejusdem Pontii vidi Humbertum Lugdunensem, tunc Eduensem, vocatum ab eodem Abbate Vizeliac. in Ecclesiâ peregrinorum ordinare plures alios in Presbyteros, alios in Diaconos, alios in diversos Ordines: Et vidi Hugonem Rotomagensem Archiepiscopum consecrare altare S. Michaëlis, & hoc in majori Ecclesiâ, & post pacem reformatam: & vidi Hugonem Altissiodorensem ordinare duos Guifredos in Subdiaconos. Et de donatione trium Ecclesiarum idem prorsùs dicit quod Ansellus & Hugo. Vidi Humbertum, qui nunc est Lugdunensis, & Henricum, qui nunc est Eduensis, in Burgo Vizel. & quandoque in majori Ecclesiâ hospitari, & quandoque in Burgo suis sumptibus procurari.

Ursus juratus dixit idem de chrismate & oleo quod Hugo de Silviniaco, & de Synodo idem; de quæstionibus & terminationibus matrimoniorum idem dicit quod Hugo, excepto quòd mentionem Archipresbyteri Avallonensis nullam fecit.

Benedictus cocus Abbatis juratus dixit idem de causâ matrimonii Arduini & Cæciliæ, quod Hugo Prior de Moret, & de Matrimonio Oberti & Helizabeth, & de Matrimonio Aimerici Cerarii, & filiæ Blanchardi Sartoris, & fratris Drogonis, & filiæ Petri Mercatoris, idem dicit quod Hugo de Silviniaco Monachus & Presbyter.

Alegreth juratus dixit idem de causâ matrimonii Oberti Salterelli & Helizabeth, & Aimerici Cerarii, & filiæ Blanchardi sartoris, quod dixerat Hugo de Silviniaco, & Benedictus cocus; & dicit quòd quædam mulier ivit Hierosolymam, & cum moram faceret, vir ejus aliam duxit. postmodum mulier reversa virum repetiit, & in præsentiâ ipsius Pontii cognitâ causâ, judicio & auctoritate Abbatis viro suo reddita est, sed nomina eorum non reminiscitur.

His amotis, obtulit Eduensis testes suos, quorum primus Abbas S. Margaritæ juratus dixit, se vidisse ad synodum Eduensis Episcopi sacerdotes Vizeliaci pluribus vicibus, continuè an assiduè ignorat; Sadum, Petrum, Bernardum; & hoc, tempore Stephani, Sadum & Petrum; Humberti, Bernardum; an debito vel voluntate nescit, si simul, non reminiscitur. Verumtamen sæpe audivi Monachos dicentes quòd ex debito non ibant ad synodum: querelam quando non veniebant Sacerdotes Vizeliaci audivi, & vindictam vel satisfactionem nullam. Sacerdotes suspensos ab Eduensi scio restitutos à Domino Papa, & literas ejus vidi. In reformatione pacis audivi Abbatem promittentem se fidelem amicum deinceps futurum Eduensi, & talem se exhibiturum ipsi, quales prædecessores ejus exhi- Testes Episc. Eduens. adducuntur.

buerant se prædecessoribus Episcopi. Vidi quòd Abbas obtulit huic Episcopo privilegium Eugenii, & tunc Abbas Cluniac. dixit Eduensi Episcopo: cum opus fuerit, vade Vizeliacum, & fac ut Episcopus præsente Pontio Abbate ipsius Monasterii.

JOANNES Prior sancti Symphoriani juratus dixit: Ego vidi quòd Humbertus Episcopus Eduensis celebravit Missam Vizeliaco, & sermonem fecit, & hoc quâdam solemnitate, & tempore Synodi vidit Sadonem & Petrum Eduis, & credit quòd ad synodum venirent. De reformatione pacis hoc dixit se audisse à quodam, quòd Episcopus iret Vizeliacum, & faceret ibi officium suum, & hoc post reformationem pacis.

EBERARDUS Archipresbyter juratus dixit: Vidi Stephanum Eduensem Episcopum die Paschæ, & Mariæ Magdalenæ celebrare Missas majores, & ad minus bis. In die sanctæ Mariæ Magdalenæ quando Missas celebravit Eduensis, erat ibi Carnotensis Episcopus, & fecit ipse sermonem ad populum, Eduensis verò benedictionem. Idem Stephanus dedicavit Ecclesiam peregrinorum, existente in Vizeliaco Papa Innocentio, quo tempore fuit ignoro. Idem dedicavit altare de Choro Monachorum, & altare de Capellâ sancti Stephani, & vidi quòd benedixit Albericum Altissiodori, & vidi Pontium benedici ab eodem, & vidi ordinationes Monachorum & Clericorum fieri ab eodem Stephano in Ecclesiâ peregrinorum, & hoc semel. Vidi Bellinum, Angilbertum, Sadonem & Bernardum, Capellanos Ecclesiæ inferioris: Petrum Graelum, Blainum, Sadonem, Guidonem, Ecclesiæ superioris venire ad synodum continuè exceptis duobus annis, hoc præsenti, & eo quando fuit discordia inter Humbertum Eduensem Episcopum & Abbatem Pontium, pro Ordinibus ibi celebratis ab Aurelianensi, & hoc per XXX. annos. Hoc idem de chrismate & oleo; de pace idem quod Abbas, excepto eo quod verbum illud, vade Vizeliaco, non dixit: Sed post modum vidi Episcopum ibi celebrare ordines semel, & vidi duos clericos, Bonnamicum, & Petrum volentes ordinari, portare literas Eduensis Altissiodorensi: & vidi duos Capellanos, videlicet S. Stephani & S. Jacobi de Esconiâ venire ad synodum Eduensem, & hoc vel semel. Ego idem Archipresbyter Eberardus vidi duos excessus Clericorum puniri, videlicet Blandini Subcapellani, & Mainardi de Esconio; & vidi Angelbertum Capellanum sancti Petri inferioris recipere curam animarum à Lamberto Presbytero Avalonensi; & Bernardum ab Humberto Eduensi, & audivi eum dicentem, quia volebat quòd Abbas nesciret: Petrus & Andreas Capellanus Sadonis, & Galterius de Esconio, adduxerunt mihi parochianos suos ad pœnitentiam recipiendam de criminibus; & hoc sæpe & ex antiquâ terræ consuetudine: vidi per XL. annos, quòd parochiani de villâ Vizeliaci, singuli de singulis domibus veniunt ad Ecclesiam Avalonensem, & ibi unusquisque nummum, vel ceræ nummatam Ecclesiæ præstat. Vidi Sadonem & Petrum recipere curam animarum à Stephano Eduensi Episcopo. Vidi Renaldum Lugdunensem Archiepiscopum facere Ordines ibi, tam de Monachis quam de Clericis. Vidi quòd Abbas Vizeliacensis mittebat Monachos suos ordinandos Episcopo cui volebat. Vidi instrumentum Fundatoris: legi coram Domino Papa Innocentio, in quo continebatur quòd liberum esset Monasterium ab omni exactione pecuniæ, præter libram argenti quæ annuatim offerebatur Ecclesiæ beati Petri, & eo lecto dixit Dominus Papa Episcopo: Vade, fac quod tuum est. Et vidi quòd Ecclesia sancti Petri singulis annis pro paratâ à XL. annis retrò quinque solidos Ecclesiæ Eduensi annuatim persolvit.

ARNULFUS juratus dixit: Vidi quòd Stephanus Episcopus benedixit altare quoddam in Ecclesiâ sancti Stephani: nescit tamen quod altare fuerit, cùm ibi plura sint: idem benedixit altare de choro in Ecclesiâ sanctæ MARIÆ. Idem benedixit Ecclesiam peregrinorum, & erat ibi Papa Innocentius: sicut credit in eâdem Ecclesiâ idem fecit Ordines Monachorum & Clericorum illius villæ, & aliorum sui Episcopatûs; & cum essem in sede loco Archipresbyter, vidi Aganonem Episcopum euntem Vizeliaco ad Ordines faciendos, & vidi Clericos redeuntes qui dicebant se ordinatos. Et audivi quòd in sequenti die post Ordines dedicavit Ecclesiam de Esconio. Idem Stephanus celebravit Vizeliaco Missas majores in Resurrectione Domini & sanctæ Mariæ Magdalenæ, & Carnotensis fecit sermonem, & Eduensis benedictionem, & hoc contigit pluribus vicibus me vidente. Vidi quòd per XXX. & V. annos continuè Sacerdotes Vizeliaci veniebant ad Synodum Eduensem: aliquorum nomina sub hæc: Blandinus, Sado, Petrus Grandella, Petrus Armenbaldi, Guido. Vidi Narigaldum Episcopum recipi à Monachis Vizel. cum processione. Vidi quòd Stephanus benedixit Albericum Altissiodori, sed de Ecclesiâ non reminiscitur.

GALTERIUS Archipresbyter juratus dixit, quòd Stephanus Episcopus benedixit Abbatem Pontium, benedixit altare de Choro. De concordiâ hoc idem quod & alii, & post fecit ordinationes in Ecclesiâ sancti Petri, & Stephanus confirmavit ibi omnes, & vidit Sacerdotes Vizel. venire ad Synodum Eduensem multoties, & Guidonem & Bernardum, qui modo sunt, & V. solidos recepit decem annis pro paratâ, & unaquæque familia nummum unum pro crucibus, & hoc semel vidit & multoties audivit, & audivit quòd Abbas Vizel. mittat Monachos ad quem vult Episcopum ordinandos.

GALTERIUS Presbyter juratus dixit, à XXX. annis retrò se vidisse clericos Vizel. petere chrisma ab Archipresbytero Avalonensi, præter præsentem, & annum discordiæ; qui fuerint Nuntii ignorat, & vidit benedici Ecclesiam peregrinorum à Stephano Episcopo, commorante in villâ Papa Innocentio, quo tempore fuerit ignorat; & erat ibi Abbas, sed nescit nomen ejus. Idem consecravit altare de choro majoris Ecclesiæ, quæ consecratio alteram præcesserit, nescit. Idem vidit Landricum, Petrum, Angibertum, venire ad synodum Eduensem, & hoc per XXX. annos, & vidit quòd Angilbertus suscepit curam animarum ab Archipresbytero Avalonensi: per XXX. annos vidit Petrum Gradella, Sadonem, Blandinum, cum successoribus suis venire ad synodum. Idem vidit Ecclesiam sancti Petri inferioris paratam solvere Ministris Episcopi XXX. annis. Idem vidit Blainum Capellanum Sadonis puniri ab Archipresbytero Avalonensi pro excessibus suis; & eumdem Mainardum, & Galterium de Walteriâ: & audivit quòd Abbas Vizel. mittebat Monachos ordinandos quo volebat.

JOANNES Gentilis juratus dixit, quia à XXX. annis vidit Clericos Ecclesiæ sancti Petri tam superioris quàm inferioris venire ad synodum, sed non continuè, & vidit Angilbertum Ecclesiæ inferioris recipere curam animarum à Lamberto Archipresbytero Avalonensi, & audivit Petrum & Arebaldum & Sadonem dicentem se recepisse curam animarum à Stephano Episcopo, sed non vidit: & vidit Capellanos Vizeliac. recipere chrisma ab Archipresbytero Avalonensi & Monte regali per triginta annos, sed non continuè: & vidit Petrum Gradella petere

Archipresbyterum

Archipresbyterum in synodo ab Episcopo Stephano, & hunc præsentem concessit ; & de excessu Blaivi idem dicit quod alii : & vidit denarios crucis solvi, & vidit Capellanos Vizel. adducere parochianos suos, ut reciperent pœnitentiam ab Archipresbytero Avalonensi : de dedicatione Ecclesiæ peregrinorum idem dicit : de celebratione Missarum ab Episcopo idem quod & alii.

Bonus-Amicus idem per omnia quod Gentilis, præter præsentem annum & discordiæ.

Gosfridus juratus dixit, quòd multoties vidit Sadotem, Petrum tempore Stephani, & Humberti, Bernardum & Guidonem tempore istius venire ad Synodum ; & vidit quemdam Clericum Vizeliaci, petentem licentiam ab Episcopo ordinandi.

Constantinus juratus dixit, quòd sæpe ivit ad Synodum cum Clericis Vizeliaci ; & quòd quidam Clericus Vizeliaci ordinatus est per litteras Eduensis.

Gofridus Nivernensis Episcopus coram positis sacrosanctis Evangeliis dixit : Vidi quòd Eduensis Episcopus Stephanus vocatus, & aliquando non vocatus Vizeliaco ut Episcopus recipiebatur, & aliquando à Monachis, aliquando suis sumptibus procurabatur, & in festo beatæ Mariæ Magdalenæ Missas solemnes, aliis quibusdam Episcopis adstantibus, sæpe celebravit ; & semel Eduensi celebrante solemnia Carnotensis sermonem fecit ; & vidi quòd idem Stephanus benedixit Abbatem Albericum Altissiodori, & idem Stephanus consecravit Ecclesiam peregrinorum, existente Papa Innocentio Vizel. Alio tempore idem Stephanus benedixit altare in choro Monachorum, alio tempore idem Stephanus benedixit altare in Ecclesiâ S. Stephani : & interfui cum pax reformata est inter Eduensem & Vizel. mediante Cluniacensi, ubi in ultimo dictum Eduensi est ; Vade Vizeliaco, & fac ministerium tuum. Sed sive hoc Abbas dixerit, sive alius pro eo, non recordor. Et alio tempore Pontius Abbas cùm Eduensi Humberto ab Urbe veniens, cum Episcopus eum præcessisset, postmodum ab eodem & Clericis ejus dictus Abbas cum processione susceptus est Eduæ, & inde in Capitulum Eduense veniens, amicitiam & dilectionem Eduensi secundùm consuetudinem suorum prædecessorum promisit.

Humbertus Lugdunensis coram positis sacrosanctis Evangeliis dixit : Cum essem Eduensis Episcopus, non vocatus ivi Vizeliacum, & in majori Ecclesiâ in Pascha Missarum solemnia celebravi, credens meo Episcopali jure uti, & sermonem ad populum feci, & benedixi præsente quodam alio Episcopo. De concordiâ idem prorsùs dicit quod Episcopus Nivernensis, nisi quòd asseverat Abbatem dixisse ei : Vade & fac Vizeliaci quod antecessores tui facere consueverunt. Postmodum vocatus Vizeliaci Ordines celebravi tam Monachorum quàm Clericorum villæ, & quorumdam clericorum mei Episcopatûs. Et aliâ vice Eduæ Ordines celebrans, Clericos Vizeliaci cum Clericis meis aliis secundùm consuetudinem examinans promovi. Et quamdiù Episcopus fui, Clerici Vizel. ad Synodum meam singulis annis venerunt, vel excusationem miserunt. Archipresbyter Avalonensis quemdam Burgensem Vizeliaci ad me adduxit, qui uxorem causâ sterilitatis dimiserat, cui mandavi, ut dictante justitiâ Burgensem ad recipiendam uxorem cogeret.

Ita testimonia sua prosequuti, in partem cedunt testes Eduensis, quorum voces, si diligenter pensantur, causam Eduensis examinare potiùs quam fulcire probantur. Celebratio quippe Missarum, consecratio altarium, distributio Ordinum, largitio benedictionum, petitio sacri olei vel Chrismatis, & alia hujusmodi vicino & Comprovinciali Episcopo æquè ut peregrino, liberali permissione pro arbitrio Vizeliacensis libertatis conceditur. Quod igitur cum cæteris sibi commune est, jure proprio minimè illi cedit. Cæterùm quod ab Eduensi suspensos per Apostolicam libertatem suis ordinibus restitutos testantur, causam Vizeliac. faciunt, & suam, hoc est, Eduensis, penitùs destruunt. Quòd Vizeliaci Clericos Eduensem synodum frequentasse, quòd licentiam ordinandi ab Eduensi petiisse, quòd curam animarum ab eodem suscepisse, quòd paratam solvisse, quòd Parochianos suos pro pœnitentiâ Archipresbyteris duxisse referunt, si fas est dicere, & Sacerdotum fraudulentiam, & eduensis temeritatem produnt, dum hæc inscio utique Vizeliacense perpetrata fatentur, ac per hoc gravis actori redditur causa, quæ furtivis surreptionibus allegatur annixa.

Igitur posteaquàm utriusque partis testes, prout superiùs expressum est, testificati sunt, decrevit summus Apostolicus, ut judicio tantæ litis controversia dirimeretur : & quoniam suprema formido argumentum est sævæ conscientiæ, fit nonnunquam ut extremis subacta periculis cogatur mens perpendere, quod in pace olim quodammodo dedignabatur prospicere. Causâ itaque positâ in articulo discriminis, perturbatur Eduensis suæ conscius temeritatis. Quia porrò eum non latebat Romana æquitas in censurâ dumtaxat juris justitiæ, fluctuare cœpit, dissimulare nequivit, judicium tamen differri petiit, dicens causæ suæ adhuc se habere efficacissimos comprobatores, qui languore & ætate confecti, laborem tanti itineris non possent aggredi. Verùm si infrà Gallias competens & loco & die sibi præstetur actio, hos proculdubio se exhibiturum, atque post horum voces in ejus præsentiâ statuto ab eo tempore indubitanter se subiturum Apostolicam sententiam pollicetur, nisi forte interim optata pax intercedat. Tum Vizeliacensis supervacaneam comperendinationem ratus, & de temporis indulgentiâ potiùs quàm de causæ constantiâ Eduensem sperare considerans, jus juris, vel jurisjudicium instanter reposcebat : prævaluit tamen Apostolica clementia, & tandem judicium distulit, diem repetendæ sententiæ statuit, Vicarios adjutores testium suorum infrà Gallias Episcopos designavit, videlicet Episcopum Lingonensem Godefredum, necnon Petrum Trinorciensem, & Stephanum Regniacensem Abbates. Quibus & per scripta mandavit, ut die & loco congruo prædictam causam inter Eduensem & Vizeliacensem suscipientes, testes quos Eduensis legitimè proferret sub formâ præscripti juramenti audirent, atque eorum testificationes descriptas, & sigillorum suorum munimine consignatas per eosdem sibi ad statutam judicii diem transmitterent. Cujus tenor epistolæ superiùs in serie Epistolarum illius quas ad diversos ob tutelam Vizeliacensis libertatis fecit, continetur. Enimverò incomparabilis memoriæ Papa Eugenius piâ sollicitudine futuris præcavens eventibus, utriusque partis testificationes jussit conscribi in triplici scedulâ, quarum unam Episcopo, Abbati alteram dedit, tertiam verò suis indidit scriniis, quatenùs si forte vel in suâ vel in sui successoris præsentiâ hæc eadem iterum agitaretur controversia, præscriptæ testificationes ac si vivæ voces, novitates omnes refellerent, & Judicium, vel agentium alteratam successionem suppositi testes non fallerent. Sic rebus gestis, suis uterque redditur.

Eduensis autem optatâ dilatione potitus, proposita dissimulare, tempusque redimere nitebatur, ac de his quæ pro dilatione summo Pontifici pollicitus fuerat, penitùs nihil curabat. Cumque moras ægrè ferret Abbas, quibus impedimentum causæ suæ & non finem litis parere sentiebat, Lingonensem Epi-

scopum, qui forte quadam die Vizeliaco advenerat, convenit, deque Domini Papæ mandato requisivit. Qui respondit eum potiùs hanc requisitionem facere debere qui actionem proposuerat, cum plerumque tacendo liti renuntietur. Ipse autem, videlicet Eduensis, necdum super hoc negotio quidquam sibi sit loquutus.

Interea sanctæ memoriæ S. Eugenius sanctæ Sedis Apostolicus, viam universæ carnis ingreditur. Cui Anastasius S. R. Ecclesiæ Vicarius subrogatur. Quo comperto, Vizeliacensis metuens ne faciem novi Præsulis præveniret vetus hostis, scribit ad eum ociùs, significans quanti semper habita sit usque hodie Vizel. Ecclesia in oculis omnium Apostolicorum qui eum præcesserunt. Supplicat præterea, ut exemplo Patrum suorum Romanorum Pontificum Vizel. Ecclesiam uti proprium jus & alodium B. Petri ab infestantium incursatione, maximè autem ad præsens ab Eduensis temerariâ præsumptione tueatur, describens qualiter causa tam illius, quàm suâ in præsentiâ piæ memoriæ decessoris sui Eugenii ventilata per dilatam jurisjudicii diem petente Episcopo remansisset infecta. Ad postremum, ut ejus pietas transactam morte Judicis sententiæ diem in suâ præsentiâ renovare, & Eduensi denuntiare dignetur, exorat.

Divus ergo Apostolicus specialis Ecclesiæ patroni preces admittens, renovationem causæ utriusque mandat, & quintam decimam post Pascha utrique præscribit, nisi forte ex consensu alterutro pax interim Ecclesiarum reformetur, quatenùs quæ suus prædecessor infecta reliquerat, Deo agente per eum bono fine terminarentur. Tunc nodosa cervix sese contorquens, ut pote insperatis percussa spiculis, rebus jam desperans Ducem aggreditur, & jam cum fratre agit de pace suâ, cum quo egerat aliquando de oppressione alienâ. Quippe veritus ne dum alienis inhiat, amittere cogatur & propria, duellioni renuntiat, de reformatione pacis cogitat. Quique hactenus aliena per se usurpare contenderat, jamjam aliis mediantibus sibi consulere festinat. Ne verò fraterna esset suspecta malitia, religiosæ vitæ, & honestæ famæ viros Dux ipse cum Episcopo interpellat, Abbatem scilicet Cisterciensem, & alios plures ejusdem Ordinis. Hi ergo Vizel. Abbatem Pontium adeuntes cum supplicatione preces Ducis offerunt, & vice Episcopi pacem repræsentant, pacemque reposcunt. Nec pati repulsam merentur, quoniam apud generosos animos rigorem rectitudinis semper comitatur lenitas mansuetudinis. Cedit ergo Abbas humiliter supplicanti, qui non cesserat arroganter superbienti: & his mediantibus per manum Ducis pax inter utramque Ecclesiam reformatur, controversia omnis pacificatur, dantque invicem amicitiæ oscula, atque ineunt perpetuæ pacis fœdera. Quæ pacis compositio, ut etiam inter successores custodiretur illibata, manûs suæ formatam fecit, quam & sigilli sui munimine corroboravit, ut sequens probat exemplar.

Tandem pacem init Abbas cum Episc. Eduensi.

» Notum sit tam præsentibus quàm posteris, » quòd ego Henricus in Dei nomine Eduensis Episcopus consilio religiosarum personarum, & quorumdam Fratrum Ecclesiæ nostræ, controversiam » & querelam diù inter Eduensem & Vizeliacensem » ventilatam tali tenore amicabili compositione sopitam esse volui, ut in bonâ pace & concordiâ » tam ego quàm Pontius Abbas prædictæ Ecclesiæ » permaneamus & persistamus, salvo jure in vitâ » meâ, & privilegiis utriusque Ecclesiæ. Prædictam » autem transactionem sive compositionem me superstite ratam esse decerno, adeo ut post mortem « meam nullum præjudicium utraque Ecclesia hinc « patiatur. Testes sunt ex parte utriusque; Guillelmus Abbas Fonteneti, Hugo Abbas de Busseriâ, « Petrus Abbas de Monte sancti Joannis, Otbertus Abbas S. Margaritæ, Magister Otbertus, Siginus de Liniaco, Gislebertus Prior Oisiaci, Girardus Buca, Hugo de Moncellis, & multi « alii. «

Hæc pro nostræ modulo parvitatis de libertate Vizel. Ecclesiæ quantâ potuimus brevitate & veritate perstrinximus, latiora forte sed non veriora majori committentes otio. Et veritate quidem filiis atque amatoribus hujus Ecclesiæ fecimus, ut credimus, satis. Brevitate autem talium subsannatoribus condescendere curavimus. Solent [a] quippe utilia scribentibus succensere nonnulli, vel gestorum invidia capti vel eorum quæ proferuntur ignari. Cum autem sapientis otium nihil arbitretur otiosum, quin alienum otium suum ducat officium: è converso maximum est insipientis negotium adscribere otio quidquid prudens elaborat studium, quod sui pretio pensantes, compendio usi cursim stilum exegimus. Licet enim temporum ætate juniores nos Ecclesia protulerit, nostram tamen erga ipsam nihil devotionem minuit, si posse nostrum qualecumque illius profectibus affectu integerrimo impendamus, nec diffidimus quin præstet vires ipsa, quæ præstitit velle & gratia, dummodo degere nobis detur sine querelâ. Quia verò aliquanti loco mercenarii, & non naturâ filii, sua quærentes, & non quæ sunt adepti officii, in communi causâ; vel sub obtentu communis causæ propria sectantur emolumenta, nos ab hac specie adeo mentem defæcatam gessimus, ut solo & simplici respectu communis boni pro communi bono ad commune bonum his operam dederimus. Sanè spem nostram in eo solo & ad eum solum contulimus, qui nullum bonum esse decernit irremuneratum ab ævo & usque in æternum.



HISTORIÆ VIZELIACENSIS, LIBER TERTIUS.

Pontius Abbatum regni celeberrima virtus,
Vizeliacenses forte regebat oves.
Dumque sibi morum parat instrumenta bonorum,
Dum sibi commissæ providet Ecclesiæ;
Suscitat invidiam turbâ turbatior omni,
Servorum in Dominum seditiosa manus.
Plebs armata dolis, dux & via proditioni,
Frangere docta fores, & spoliare domos.
Ædibus ausa dehinc assultum impingere sacris,
Inque necem Domini tangere sacra manu:
Quæ mala, quot clades rabies complesset iniqua,
Nî celerem prudens Abba tulisset opem?
Si rerum causas quæris cognoscere Lector,
Præsentis libri pagina pandet iter.
Hanc tibi noster Hugo vir stemmate Pictaviensis,
Elegit gratis pendere mente, manu.
Perlege, cognosces quantum benè, quàm sapienter
Quamque suo fulgens ordine currat opus.
Invida lingua tace, cui virtus est inimica,
Cui semper studium velle nocere bonis.

a *Solent*] Sic restitui: editum erat *Semper*.

GRæci cujusdam famosissimum fertur proverbium, quod in tripoda Apollinis dicitur inventum: Scito te ipsum, & vide te ipsum. Nihil in humanâ naturâ utroque clarius, nihil pretiosius, nihil denique excellentius. Per hæc quippe singulari prærogativâ passibilibus cunctis homo præfertur, & connexâ unitate impassibilibus quoque conjungitur. Est autem scire seipsum, propriæ dignitatis conditionem nosse atque intelligere: videre quoque seipsum est ipsam dignitatem conditionis sinceritate fidei, & pietatis cultu excolere. Quia igitur primæ parti specierum prædictarum, hoc est scientiæ, supponitur quod intendimus, de dignitate Vizeliacensis quo potuimus compendio partim in superiore libro egimus: in quo dum res commendare, & non verba jactitare studuimus, quasi placidi æquoris terga sulcantes enavigavimus, scientes pium Lectorem ex superficie verborum pondus negotii conjecturum. Verùm quoniam prædictæ libertatis sive dignitatis vestes, scilicet Ecclesiæ possessiones, quidam ore canino lacerare, vel pede belluino discerpere, audaciâ fisi, non virtute freti, conati sunt; placuit serenissimo atque strenuissimo Patri nostro venerabili Pontio Abbati per hæc scripta mandare longè post futuris, qualiter & quomodo per divinam providentiam & conatus æmuli evanuerint, & Ecclesia suis ipsis casibus enituerit. Nec verò istis quasi proprium exercentes ingenium otiosi incumbimus, quibus voti esset propriæ potiùs quàm alienæ eruditioni vacare. Sed movemur utique tùm coævorum probitate, tùm succedentium utilitate, tùm Ecclesiæ matris dignitate. Movemur necne irrepugnabili jam dicti Patris imperio, qui pro hac eadem libertate & dignitate ad sanguinem usque decertavit, licet votum sceleris percussor non obtinuerit, nihil tamen in eo defuit quin ferè totum se immunitati Ecclesiæ impenderet, & suam pro illius salute negligeret. Cujus videlicet Ecclesiæ sponsæ suæ casto flagrans amore, cum jura illius per aliquot annos & officiosissimè disponeret, & strenuissimè administraret, invidente fortunâ, nævo eam pravæ commixtionis constuprari persensit. Tum ille zelatus, & stans ex adverso pro domo Israël, se se obicem adulterinis obtutibus præbuit, & per plura vitæ suæ pericula clariorem & perspicabiliorem libertatis sponsæ suæ puritatem effecit, sicuti nostram infirmitatem Deo juvante, & nostram parvitatem ipsius Patris auctoritate corroborante, in sequenti more nostro sectantes compendium, propalare curabimus, quatinùs & præsentes habeant quo fruantur, & futuri quid æmulentur. Quia etenim piorum est communi potius quàm privatæ utilitati intendere; fategimus & nos profectui futurorum providere, & charitatis vestem ad talum usque protendere. Opus ergo pium pius Lector piè legat: susurro autem & detractor procul absistat. Cui autem nostra displicent, aut adulterinus, si tamen filii nomine dignus fuerit, aut vernaculus, nedum dicamus Ecclesiæ inimicus reputabitur. Si enim placuit antiquis vel aniles fabulas, vel monstruosa portenta ob solam elegantis ingenii ostentationem tradere memoriæ, & hæc etiam nostris temporibus non infructuosè aliquando leguntur; multo acceptabilius, multoque fructuosius fore futuris credimus, nosse tùm gestorum veritatem, tùm ipsius fructûs honestatem: neque prorsùs talia fatemur quasi fraternæ caritatis examen dedignantes, quin demantur ea quæ forte per excessum effluxerunt, & suppleantur itidem ea, quæ vel nostram præteriêre notitiam, vel stili non admisit compendium. Utrobique sanè simplicem interpellamus affectum, quo & nostram non erubuimus penuriam; & tanti oneris non neglexinus laborem.

Jussu Pontii Abbatis id Opus Auctor est aggressus.

De immunitate ac nobilitate, Vizeliacensis Eccles.

Cum Vizeliacensis Ecclesia ex dono fundatoris & ex dignitate Romanæ auctoritatis prærogativâ libertatis polleret, & oraculo beatæ dilectricis atque famulatricis Dei Mariæ Magdalenæ, quæ ibidem condita toto orbe prædicatur & adoratur fortissima emineret, multis ex partibus ad eam plures convolaverunt, & tam sui copiâ, quam rerum affluentiâ illud oppidum illustre conspicuumque reddiderunt. Prædia quoque ut erant amplissima & sibi contigua, locum ipsum suo situ delectabilem, opulentissimum adeo effecerunt, ut spectabilis ad usque fines terræ clareret, & gloriosus in universo orbe emineret. Hujus loci corpus tantâ & tam speciali caritate proprietarii juris capiti suo Ecclesiæ unitum & compactum jungebatur, quòd in qualibet parte sui cujusquam participium dominii vel societatis admittere tamquam profanum atque insolentiæ incentivum abhorreret, & seipso per Apostolicam gratiam in allodio testatoris constans, nemini contractu alicujus servitutis, nisi tantùm Apostolico Pontifici, cervicem flecteret. Ad cujus integræ libertatis notitiam si quis oculos castos ingenuæ simplicitatis intendat, perlecto Fundatoris testamento relegat, & primordialis, atque antiquæ auctoritatis Romanorum Pontificum privilegia, venerandi scilicet Nicolai, & utriusque Joannis, Benedicti quoque, necne alterius Benedicti, Leonis etiam & Sergii, & Stephani & Marini, sed & divæ recordationis Urbani, qui de Cluniaci Monasterio ad Apostolatûs administrationem assumptus, prædecessorum privilegia seu decreta pro libertate jam dicti Cœnobii Vizeliacensis, non solùm intemerata & rata atque inconcussa esse voluit, imò etiam & suæ auctoritatis munimine corroboravit. Illis denique omnibus diligenter perspectis, nulla certè contraria, vel repugnantia offendet, nec fictitia & surreptitia esse omninò comprobabit; cum pro certo impium & sacrilegum sit sentire Apostolicos viros contraria sibi decernere, & quod ex opposito allegari potest, sibimetipsis repugnare. Felicis etenim memoriæ Gerardus Comes, cum piâ conjuge Berthâ, ob timorem Dei, & sui suorumque salutem, Monasterium suprà Choram fluvium, in proprio & liberrimo allodio suo construxit, & congregationem famularum Dei ibidem constituit, quod etiam Monasterium cum omnibus rebus ibi collatis Beatissimis Apostolorum Principibus, & illorum in Romanâ Sede per sæcula successoribus, dato testamentario libello perpetuæ possessionis, regendum defensandumque contradidit, dimotâ & penitùs exclusâ omni beneficiariâ potestate cuiquam dandi, aut mutandi licentiâ. Sed cum propter crebras irruptiones Sarracenorum præfatum Monasterium penè fuisset subversum, ne piis studiis hostilis prævaleret invidia, reædificatum est illud ab eodem Comite in adjacenti monte sive Castello Vizeliacensi, ac fœminino sexu commutata, servorum Dei primus effectus est Abbas Eudo.

Origo libertatis Vizel.

1. Abbas.

Tantæ igitur devotionis pietatem ejusdem Comitis Romana Sedes gratanter & benignè suscipiens, placuit ipsum Cœnobium proprio juri & allodio B. Petri adscribere, & gratiâ vel dono Apostolicæ auctoritatis auctum munire. Siquidem hujusmodi privilegia suæ Apostolicæ auctoritatis decreto Romani Pontifices indulgentes concesserunt & confirmaverunt, atque statuerunt, ut nulli Imperatorum, nulli Regum, nulli Antistitum, nulli quâcumque prædito dignitate de his quæ eidem Monasterio ab eodem Comite vel à quibuslibet de proprio fuissent jure collata, sub specie cujuslibet causæ sive occasionis minuere, vel auferre, sive suis

Summa Privilegiorum Apostolicorũ.

usibus applicare, vel aliis quasi piis causis pro suæ avaritiæ excusatione liceat quocumque modo concedere, sed ab eis qui in eodem loco religiosâ conversatione degerent, illibata & sine inquietudine possiderentur; eâ conditione, ut nullus Romanorum Pontificum unquam vel usquam quiddam de eisdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut sub censu concedere, vel retinere per futura tempora pateretur, sed censum tantummodo unius libræ argenti in testamento traditionis singulis annis ab eodem Monasterio Romana Sedes accipiens, piæ paternitatis suffragium sollicitudine pastorali vigilanter contrà omnes infestantes eidem impendere studeat. Statuit quoque Sedes Apostolica, ut sine cujuslibet surreptionis astutiâ communi consensu Fratrum, vel sanioris partis ejusdem Cœnobii consilio, electo Abbate, & à Romano Præsule approbato, de ordinatione ipsius, aut Monachorum, vel Clericorum, necne Presbyterorum, seu de largitione chrismatis, aut consecratione Basilicæ, aut de quâcumque commoditate spiritualis vel temporalis obsequii nullus Pontificum, nullus Regum, nullus vel Ecclesiasticæ vel sæcularis personæ fidelium, per se suppositamve personam accipere, aut juris aliquid sibi vindicare auderet.

Et Regum.

Taliter Apostolicis privilegiis compositis, Francorum quoque Regum Majestas eidem Cœnobio clementer prospexit, & precibus Illustris Gerardi Comitis favens, tale edictum eidem fieri constituit, per quod quidquid Apost. Sedis decretum sanciendo deliberasset, absque alicujus contradictionis scrupulo perpetuis temporibus inconvulsum manere statuit: præcipiens ut nulla sæcularis persona, vel ex Missis Regiis in præfato Cœnobio, aut prætutilato Castello, seu villis ad locum ipsum pertinentibus potestativè mansiones acciperet, aut paratas seu freda, vel cespitaticum, seu pontaticum, aut inferendas ab eo exigeret. Quisquis verò hoc immunitatis decretum temerare præsumeret, sexcentorum solidorum mulctam coactus exsolveret, medietatem scilicet Fisco Regio, & medietatem Ecclesiæ cui litem intulisset. Quod suæ auctoritatis præceptum ut pleniorem firmitatis vigorem obtineret, manu suâ illud firmaverunt, & sigilli sui impressione signaverunt.

Invidêre plures libertati Vizel.

Sub tantæ igitur libertatis & immunitatis integritate novella plantatio novo cespite pullulavit, & ramorum suorum viridi fertilitate plurimas provincias illexit. Sed quoniam inter cætera vitia quæ in prævaricatione primi parentis humana contraxit natura, invidiæ livor atrociùs humanum genus infecit, multi hac peste corrupti tam Ecclesiasticarum quàm sæcularium circumadjacentium potestatum, stolâ libertatis spoliare, & gloriâ suæ nobilitatis privare jam dictum Monasterium conantes, de corde in corde loquuti cogitaverunt ad invicem nequitiam, & pertranseuntes in affectum cordis, ignominiam reportaverunt suæ confusionis. Licet etenim diversis temporibus vel pariter vel vicissim sibi succedentes, sacri Cœnobii pacem vexare, inquietare, perturbare molirentur, & maximos magnæque auctoritatis ejusdem Cœnobii Patres multifariè multisque modis afficere non vererentur, omne tamen virus nequitiæ suæ malignitatis, totumque posse suæ pravitatis generatio nequam & viperina in præstantissimum atque prudentissimum nostri temporis Abbatem Pontium evomuerunt, & evomentes contabuerunt & defecerunt, eviscerati sunt & annihilati sunt. Pia quippe Vizeliacensium Abbatum sollicitudo, ob crebras impiorum hominum infestationes Comitibus Nivernensis Civitatis liberalissimâ indulgentiâ frequenter spontaneum impendebat obsequium, quo devotiùs contrà omnes adversantes præsidium ferrent Ecclesiæ, quæ nullo jure sibi obnoxia, sedulò gratuita sibi largiretur beneficia. Verùm degener animus beneficiis semper abutitur, atque gratuitis obsequiis insolentior nonnunquam efficitur, nec obsequium gratiæ adscribitur, quod ingrato decernitur. Unde factum est, ut Guillelmus, qui postmodum Cartusiæ effectus est Monachus, dum Nivernensis Civitatis consulatum gereret, salariis atque aliis Ecclesiæ beneficiis insolenter abusus, nonnullas ab eâ consuetudines non solùm pacis, sed etiam libertatis inimicos, per vim tyrannidis exigere nitebatur. Cujus aspernatus insolentiam venerandus Abbas Pontius, rationabiliter denegavit quod injustè petebatur, & prudenter conservavit quod potestativè exigebatur.

Guillelmus Nivern. Comes usurpare tentat jura Vizel. Monasterii.

Dolens itaque Nivernensis sic se repulsum, in tantam exarsit iracundiam, ut stratas regias à Vizeliaco diverteret, & publicum commeatum à vico prohiberet. Tunc Vizeliacensis cum nec beneficio nec prece gravi Comitem à proposito flectere potuisset, sanctæ matri Apostolicæ Sedi Romanæ Ecclesiæ insinuavit oppressionem Monasterii sui, & quâ tyrannide jus vel allodium beati Petri Comes insectaretur, exposuit. Summus autem Pontifex eidem Comiti reiteratò scribens ut ab insectatione specialis filiæ suæ Vizeliacensis Ecclesiæ desisteret, monuit; ut etiam ejus paci & libertati favendo pro beati Petri reverentiâ provideret, injunxit, ne si Apostolica jura usurpare præsumat, universalis Ecclesiæ inimicus & temerator existat. Quòd si quid juris in eodem Monasterio sibi competere crederet, ab Apostolicâ gratiâ non diffideret, dummodo quietem Ecclesiæ non vexaret: alioquin si secùs contenderet, onus Apostolici baculi se laturum non ignoraret. Vizeliacensem quoque idem Præsul auctoritate Apostolicâ commonuit, ne de jure Monasterii in aliquo alicui cederet, neve Patrum terminos transgredi præsumeret, imò de Dei & beati Petri auxilio confideret, & viriliter pro Ecclesiâ decertaret, ne si Ecclesiæ integritatem commaculari permitteret, ipsius integritatis proditor existeret.

Arbitri controversiæ inter Abbatem Vizel. & Comitem Nivern.

Diù ergo inter Vizeliacensem & Nivernensem protractâ controversiâ, tandem ad hoc ventum est, quòd Abbas & Comes communi assensu in laude & concordiâ, seu diffinitione Bernardi Abbatis de Claravalle, & Hugonis de Tilio, atque illorum quos ipsi ad hanc vellent vocare concordiam se exposuerunt; ut quod præfatæ personæ super hac re concorditer deffinirent, irrefragabiliter observarent. Festo igitur die solemnis Paschæ, cum universa ferè Gallia solito crebriùs Vizeliaco convenisset ob frequentiam orationis, simulque ob reverentiam piissimi & religiosissimi Regis Ludovici Junioris, qui suis ibidem in humeris crucis Dominicæ Vexillum Hierosolymam peregrinaturus suscepit, convenit pariter & Comes cum jam dictis personis; qui venientes apud Bassiacum Ecclesiæ grangiam, die statuto, quartâ scilicet feriâ infrà octavas Paschæ, taliter Comes calumniam suam exorsus est: Ecclesia Vizeliacensis, inquit, in advocatione meâ est: volo ut quoties Abbati mandavero, mihi & hominibus meis secundùm judicium Curiæ meæ justitiam faciat, negare non debet. Et si aliquis adversùs eum dicere voluerit quòd ei justitiam negaverit, dictante meo judicio se deffendere debet. Ad hæc Abbas respondit, quòd nullatenùs hoc facere deberet; quia Abbatiam Vizeliac. à præfato Comite non haberet. Cumque esset ipse Monachus & Sacerdos & Abbas, laïcali judicio se subdi nolebat, nec per tales personas aut in se aut in Monachos suos sententiam suscipere non debebat. Iterum Comes quærebat quòd homines Vizeliaci ad Ecclesiam pertinentes, de justitiâ suâ esse volebat, & quoties sibi placeret

Quid prætenderet Nivern. exponit: cui Vizeliacensis respondet, eumque confutat.

Abbati mandaret, ut pro susceptione coacti judicii ad curiam suam eos duceret; & si forte inter homines ipsos & Abbatem aliqua querela emerserit, dicebat idem Comes non nisi per manum suam, tantùm in curiâ Abbatis, debere eos inire concordiam. Respondet Abbas, quòd Ecclesia Vizeliac. non esset ab ipso, nec à parentibus suis fundata, nec homines de feodo suo erant, nec Abbas aut Ecclesia eos ab ipso habebat; & ideo indignum erat, ut illius subderentur judicio, de cujus non erant beneficio. De concordiâ verò Burgensium nihil ipso auditu dicebat injustius esse, & veritati omnique justitiæ contrarium, cum pax sit omnibus communis, & beati pedes evangelizantium pacem protestentur à divinis scripturis & à sanctis Patribus, neque ista vel hujusmodi consuetudo fuerit in Ecclesiâ à priscis temporibus. Rursùs Comes dixit, quòd homines sui de Clemiciaco, cum ad nundinas vel ad forum Vizeliaci veniebant, in plateis sua mercimonia deponebant, & à consuetudine aliorum hominum immunes se esse dicebant, & ideo querebatur quòd telonearii Abbatis ipsas consuetudines ab eis violenter exigerent. Abbas ad hæc respondit, quòd plateas in proprios usus ab antiquo habebat, & nemo aliquid juris exceptum habebat, & cum omnes homines ad nundinas sive ad forum Vizeliaci adventantes secundùm diversitates mercium teloneum gratanter exsolverent, volebat ut similiter & ipsi consuetudines redderent, qui non dicebant quâ justitiâ retinere deberent. Tunc Hugo de Tilio testatus est Comitem nullum jus in hac querelâ habere, quia tempore Domni Renaldi Abbatis Vizeliaci, postmodum Lugdunensis Archiepiscopi, super hac re ab ipso Comite querela mota est, quam ipse Comes acceptâ ab eodem Abbate pecuniâ per manum suam, Hugonis scilicet de Tilio, penitùs dimisit, & de cætero nunquam se quæsiturum eam fideliter promisit. Iterum Comes quæsivit stratam, quæ tendit de Esconio usque Blanniacum, & illam de Prisseio, & alias à crucibus & à terminis usque Vizeliacum constitutis. Cui respondens Abbas dixit, quòd stratam de Varginiaco, quam Comes requirebat de Esconio usque Blanniacum, illa fuit Erveo de Donziaco, & Savarico de Varginiaco Dominis Castri Censorii, qui ipsam stratam, & totam terram de Varginiaco cum omnibus appendiciis suis, scilicet aquis currentibus cæterisque quæ jure hereditario in allodio possidebant, ipsi eam dederunt, & vendiderunt beatæ memoriæ Artaldo Abbati, & Ecclesiæ Vizel. ac super altare BB. Apost. Petri & Pauli multis adstantibus Deo & B. Mariæ Magdalenæ, atque ipsis Apostolis, cum omnibus appendiciis suis obtulerunt; quam terram Ecclesia Vizeli. per XL. & eo ampliùs annos jure hereditario hactenùs in pace totam ex integro absque omni calumniâ possedit. Latrones verò in publicâ viâ captos ibidem suspendit, & de cæteris malefactoribus justitiam fecit, & si quid ibi inventum fuit, sine violentiâ quietè habuit. Terra porro de Prisseio fuit allodium Ducis Burgundiæ, quam quidam milites ab ipso tenebant, qui eam B. M. Magdalenæ dederunt, ac vendiderunt. Ab illo itaque tempore usque nunc & Ecclesia & Abbas Vizel. in pace sine aliquâ interruptione totam ipsam terram, & viam publicam intùs villam & extrà; cum viis publicis & semitis tenuit & possedit. De quâ re & aliis supradictis Abbas plurimos testes habuit & nominavit; Martinum scilicet & fratres ejus de Prisseio, & multos alios in villâ viventes, qui dixerunt se in stratâ sex latrones falsam monetam deferentes comprehendisse, & Vizeliacum pro justitiâ faciendâ Præposito reddidisse. Insuper bovem unum in viâ publicâ sine Domino inventum Renaldo Monacho de Prisseio, qui eo tempore ibidem morabatur, sicut jus Ecclesiæ reddidisse. Quæ omnia sine dilatione prædicti viri parati fuerunt probare. De aliis verò stratis, scilicet de Fontaneto, & de Craïâ, & de Monte Tirohet, & de cæteris Vizeliacum usque tendentibus, Abbas respondit, quòd antecessores sui justitiam earum sine querelâ diù multumque tenuerant, quia & ipsæ stratæ per viam Ecclesiæ transeunt, de quibus omnibus multos testes habuit, Guinimerum olim Decanum, Girardum Decanum, Hugonem Præpositum, Renaldum Dautran, Renaldum de sancto Christophoro, Guillelmum de Ponto, & fratrem ejus Jonam, Arnulfum de Ferrariis, Rotbertum de Monterohillone, Guidonem Forestarium, Durannum de villâ Lohet, Durannum de Chasteneto, Constantium Præpositum de Fontaneto; Stephanum Præpositum de Blanniaco, Aimonem Nummularium, Bonum amicum de Castro Censorio, Gofridum Bertinum, Blanchardum de Sarcitorio, Stephanum Beurandum, Odonem pulchræ similitudinis, & multos alios. Quæ omnia à Summo Pontifice in perpetuum tenenda confirmata sunt, & ne ab aliquo super his Ecclesia vel Abbas molestentur sub anathemate interdictum. Hæ fuerunt querelæ Comitis, & hæ repulsiones earum, Abbate refellente.

Post hæc conquestus est Abbas de prædicto Comite, quia per viam publicam ab Altissiodoro usque Vizeliacum institores & mercatores omnes avertebat, & Vizeliacum ire non permittebat. Comes respondit, quia olim sic fecerat, nec ab aliquo Abbate interpellatus de hac re fuerat. E contra Abbas dixit, quia strata quæ Vizeliaco tendebat æquè erat regalis, publica, antiqua via sicut Nivernensis, ac securior, & injustum erat ut itinerantes revocaret à viâ quæ sibi facilior & melior videbatur, cum plures orationis causâ magis quàm negotiationis ibi convenirent. Iterum Abbas conquestus est de Telonearìis Comitis, qui assiduè homines suos per Altissiodorum transeuntes deprædabantur, dicentes quòd Abbas in tribus festivitatibus, scilicet Paschæ, & Pentecostes, & B. M. Magdalenæ, eos cum omnibus sociis suis procurare deberet, & unicuique ceram pondo unius libræ pro pedagio vini Altissiodorensis, quod emere solebat, dare. Respondit Comes quòd prædicti pueri sui hanc consuetudinem ab Abbate Renaldo constitutam in Ecclesiâ habebant. Abbas ad hæc dixit se nescire hanc consuetudinem, si verum erat, tamen consilio Capituli factum non fuerat, ac per hoc nec ratum nec stabile esse potest, vel debet.

Abbatis objectiones, & Comitis responsa.

Igitur postquàm signum Dominicæ crucis Rex piissimus Ludovicus Junior Hierosolymam profecturus suscepit, plures facti hujus famâ & exemplo incitati, transmarinam peregrinationem arripuêre: inter quos etiam duo filii Nivernensis Comitis, videlicet Guillelmus & Renaldus, comitatui regio se se conjungentes, eamdem profectionem suscepêrunt. Ipse quoque pater eorum desiderio alterius priorem vitam commutans, habitum religionis & vitæ finem apud Cartusiam accepit. Sed quia venerabilis dilectricis atque famulatricis Dei M. Magd. sepulcrum gloriosum & religione sanctissimum injustè vexando afflixerat, pœnam criminis ipse à cane devoratus excepit, & injustitiæ vindictam suis reliquit heredibus. Nam Renaldus captivitatis miseriam turpiter sortitus, servituti barbaræ gentis infeliciter addictus est, ut pater, qui Vizel. Ecclesiæ libertatem depravare tentaverat, servitutis experiretur opprobrium in filio. At verò Guillelmus paterni Consulatûs heres & sceleris, cum ab Hierosolymis revertens naufragium pateretur, de salute propriâ periclitabatur. Rebus autem expositis, cum jam in

Filii Comitis unà cum Rege Jerosolimam proficiscuntur.

Comes ipse habitum monasticum Carthusiæ induit, post à cane devoratur.

articulo mortis omnibus constitutis à circumstantibus moneretur, ut quæ pater illius contrà jus fasque in Vizel. Monasterio usurpando sibi vindicabat, pro communi salute sui & suorum remitteret, vix tandem urgente periculo cessit, & jurejurando sub testificatione devovit, nullas deinceps procurationes .... Paschæ & transitûs B. Mariæ Magdalenæ solemnitatibus se repetiturum in Monasterio. Nec mora, mirâ Dei virtute, ipsâ ejus dilectrice B. Mariâ Magdalenâ suffragante, mirabiliter ab angustiis prærupta rupis quo navis inciderat, repente eripitur, & turbido æquore transmeato, quieto littori redditur.

Ereptus Comes Nivern. è naufragio, votum solvit Vizel. Capitulo.

Interea præclarus Abbas Pontius terram ac familiam prædicti Nivernensis procurabat, atque ab incursantibus undique defensabat: tùm quia Monasterio suo eatenùs prospici sperabat; tùm quia idem Guillelmus cognationis affinitate sibi conjunctus exstabat. Quem revertentem ab Hierosolymis naufragum excepit, & occurrens ei honorificè à penuriâ, qua graviter premebatur, sufficienter relevavit. Incolumen denique familiam cum totius immunitate possessionis suæ illi consignavit: nec multo post etiam inimicos illius cum satisfactione in gratiam reflexit. Invitatum deinde Vizeliaco coram Fratribus vocavit, & ut quod fecerat votum persolveret Deo, monuit. Paruit ille in facie, quamvis dolos versaret in mente. Capitulum ergo ingressus Fratrum, naufragium suum illis exposuit, quòd B. M. Magdalenæ interventu liberatus sit, confitendo absolvit, votum quod ob gratiarum actionem fecerat, expedivit, & à patre usurpata salaria, vel cibaria, concedente uxore suâ, & filio suo Guillelmo, præsentibus innumeris, remisit, concessit, confirmavit. Cumque multa sibi bella increvissent, assistebat ei in omnibus, & auxiliabatur Abbas Pontius, sperans mitigare se posse feroces animos, & proclives atque præcipites ad usurpandum jus alienum; & cum totis animis flagraret ad impetendam Ecclesiam, reprimebatur tamen nimiis cognati beneficiis, quibus obsequentem verebatur impetere aliquibus præjudiciis. Unde cui pro naturâ vitium inerat, toto spiritu suo meditabatur, quoquomodo invenire posset occasionem calumniandi Ecclesiam vel Abbatem. Viri autem iniquitatis, quorum cor clibanus erat impietatis, dolentes se amisisse maximos quæstus suæ libidinis, quibus fruebantur in comessationibus quæ Comiti frequenter Vizeliaco exhibebantur, pronum ad omne malum circumveniunt animum Principis, & ut detrimentum, quod suâ sponte admiserat, renovatione sive commercio alterius litis recompensaret, suggerunt.

Hugo de S. Petro auctor persequutionis in Monachos Vizel. actæ.

Erat autem Vizeliaco quidam qui dicebatur Hugo de S. Petro advena, genere & moribus ignobilis, quem natura inopem protulerat, sed manus arte docta mechanicâ locupletem effecerat. Is ut erat acer ingenio, & in omni versutus nequitiâ, Comitem modo muneribus illiciebat, modo fraudulentis spebus animabat, quatenùs extorqueret ab Ecclesiâ jus justitiæ, seu judicii dirimendi vel examinandi causas hominum Vizeliacensium. Sperabat enim nefandissimus homo toti se principari vico, si per gratiam tyranni juris judicii sibi daretur optio: quare nonnullos pravitate sui similes clandestinis conciliabulis huic malignitatis proposito sibi associabat, ut sub specie libertatis proditionem meditarentur, & obtentu pietatis dolos machinarentur: affluentia siquidem rerum semper apud degeneres animos insolentiam parit. Dumque plus quis censu potest, quam alter naturâ, regiis etiam natalibus sese præfert, & oblitus sui manè erigitur, dum occultâ conditione superbus incedens privatis gloriatur. Monachus ergo quidam de Monasterio Vizel. dum possessiones circuiret Ecclesiæ, contigit eum in quodam nemore, quod erat juris Ecclesiæ, devenire, & cum invenisset, quemdam vetitum nemus præcidentem, securim pro vade voluit ab eo auferre; sed conversus ille Monachum graviter cecidit, & circumventum ab equo cui insidebat, dejecit. Tunc Monachus acceptâ injuriâ dehonestatus ad propria rediit, & illatam sibi contumeliam clientibus Monasterii aperuit. At illi tantam indignitatem non ferentes, nocte veniunt ad domum hominis, & effossis oculis illius, noctem ei intulerunt perpetuæ cæcitatis. Quod factum cum resciret Comes, dissimulato gaudio quasi nactæ oportunitatis calumniandi, perditionem minatur hujusce rei factoribus; diuque conceptam in corde nequitiam pedetentim parturiens, renovare disposuit quam pater sopitam reliquerat litem.

Superveniente itaque beatissimæ dilectricis Dei Mariæ Magd. festo solemni, cum in hospitio Monasterii ex more consedisset, servos suos jussit stare præ foribus, quatenùs si fortè visitaturus illum Abbas advenisset, ab ingressu eum prohiberent. Qui factis jussa complentes advenienti Abbati obices januas clauserunt, Comitem esse in conclavi deintùs responderunt. Repulsus Abbas sustinuit & hanc cum patientiâ contumeliam, & suspectus ingrati hominis nequitiam, utrobique liberum gerebat animum. Existente autem Comite apud Cluniacum, ingressus est ad eum Abbas, causamque ostentatæ indignationis requisivit ab eo, quo prætendente orbati hominis calumniam: non esse juris illius hominem Abbas respondit. At ille filiolum suum hominem esse dixit, hoc est ab utero matris denominatum. Arridens Abbas quasi ludo, utrum jus justitiæ ab eo dignaretur accipere requisivit, quo negante, utrum etiam per manum amicorum & domesticorum suorum, & illius in concordiam rediret, identidem rursus requisivit. Idipsum eo renuente, interrogavit iterum Abbas, utrumne necessariò sibi incumberet, ut se suaque ab eo observaret. Respondente illo sic sibi opus esse, diffidatus Abbas ab eo recessit. Misitque Comes satellites suos in quamdam possessionem Monasterii, & deprædatus est eam abductis animalibus & spoliis multis. Obsecrante proinde Abbate, ut ablata sibi concederentur; tunc tandem hactenùs absconsum virus Comes effudit, & ut Abbas in Curiâ ejus de quibuslibet ab eo vocatus juris justitiam exequeretur, expetiit. Abbas respondit contrarium adversumque omninò esse tam divinis legibus, quàm Ecclesiæ moribus, necne etiam Apostolicis Decretalibus quod expostulatur. Et turpe atque indecorum, inquit, mihi est, ut libertas Monasterii quæ per multa tempora sub diversis Patribus florens, hactenùs etiam impræsentiarum viget, per eam quæ ab te mihi est cognationem servituti addicta depereat. Nec tantùm affinitati, sed & naturæ inimicatur quod intendis, dum divina jura homo tibi subdere moliris, quæ me cognato & parente tuta illibataque conservare & augere debuisses. Quàm verò inhumanum sit beneficiis talem vicissitudinem rependere, coram est inspicere, dum tibi deferenti honorem & munificentiam, sempiternum mihi præstare contendis opprobrium. Verumtamen cum de cætero gratum tibi spondeam obsequium, sed in hac expostulatione scias me nullatenùs tibi cessurum.

Deprædatur Comes bona Vizel. Monasterii.

Quo audito tyrannus accensus est nimis, & multa interminando, graviora inferendo, excidio Ecclesiæ totus incubuit: adversùs quem Romanum per internuntios interpellat Abbas suffragium. Interim mediantibus amicis pro pace Comiti supplicat; Comitis malignitatem sese immeritum perorat, concor-

Conciliare sibi animum Comitis omnem impendit industriam, sed frustra.

diam salvo jure privilegiorum & dignitate Ecclesiæ repræsentat: proinde multorum magnorumque Optimatum, pluribus in locis colloquia multa, variæque versantur sententiæ. Attamen amicitiæ nusquam procedit pax, quoniam discurrit ubique discordiæ fax. Ut ergo cognovit tyrannus quòd Legatos suos Romam Abbas misisset, protinùs missâ expeditione per prædia & possessiones Monasterii Vizeliacensis, ubicumque in Nivernensi seu Altisiodorensi pago aliquid Ecclesia juris habebat, totum invasit, diripuit, abduxit, spoliavit. Præpositos quoque, & singularum rerum Monasterii procuratores, per sacramenta pollicitæ fidei coëgit, quatenùs in nullo negotio Monachis parerent, nec de aliquâ ratione Abbati vel suis responderent. Satagebat quidem callidâ versutiâ prævenire Abbatis Legatos, si forte aliquod cessionis verbum vel ab invito utcumque posset extorquere. At ille prudenter usus, rebus in periculo constitutis consuluit, de competenti satisfactionem Comiti repromisit, amissa recepit, eidem beati Jacobi oraculum adeunti dona & exenia multa largitus est. Sed quæ beneficiorum copia cupiditatis voracitatem opplere queat? nempe animus corruptus nihil aliud novit quàm vel recta pervertere, vel de rectis prava conjectare.

Reversus denique Comes ab Hispaniis, diem ex mandato Abbati statuit, ut in ejus præsentiâ de quibus foret interpellatus judicium Curiæ principalis susciperet. Enimverò cui baculus Petri commissus fuerat, Petri constantiæ & magnanimitatis omninò expers esse non poterat. Igitur eo dissimulante mandata tyranni statim edicto proposito denuntiavit Comes, ne quis mercandi, vel viandi seu religionis obtentu Vizel. ingrederetur, neve ab Vizel. quispiam ad publicas nundinas, sive ad publicum commeatum prodiret. Quisquis porrò constitutum temerare præsumeret edictum, prædæ omni occursanti pateret. Taliter vicanis obsessis, cœpere aliqui intrinsecùs furtivo murmure susurrare, dicentes auctorem simul & causam malorum omnium esse Abbatem, qui & novis & injustis legibus eos premeret, & tyranni furorem, cujus infrà terminos claudebantur, adversùm se in interitum eorum concitaret. Felices demùm se ac beatos fore prædicabant, si rejecto Ecclesiæ jugo sese manciparent Comitis arbitrio. Tunc quippe & externos hostes non formidarent, & internos exactores velut exiguas muscas à se abigerent; sed & si opus esset, cum Abbate judicio æquipollenter contenderent, cum plures fortiori innitentes paucorum & imbellium dominatione sese eriperent. Nec latuit Comitem talia eos invicem mussitare, Hugone profano impia consilia sibi perferente. Cujus amplexatus dolum quo instruebatur, quoniam si Vizeliaco veniret, & verbum de Abbatis desertione quasi tentando usus temperanter ad vicanos haberet, non dubium quin potior & copiosior pars eorum sibi favens protinùs manum deditionis ei daret: recompensato fœdere, quo protectionem & auxilium suum eis ubique præstaret, venit Vizeliaco: cumque in hospitio Monasterii ex improviso descenderet, clam ad se Vicanos convocat, desertionem illis suadet, secum eos agere contrà Abbatem orat, dicens quòd se irato nusquam subsistere haberent, se pacifico nec etiam Dominum suum formidarent.

Suadet Comes Burgensibus Vizel. ut à dominatione Abbatis se subtraharent.

» Videtis, ait, quoniam cum sim legitimus advo-
» catus & tutor Ecclesiæ hujus, solus Abbas impe-
» dire communem vestri salutem contendit, dum
» præripiendo quod juris est alieni, jus justitiæ qui-
» dem à me repetit, quod ipse calumniantibus me
» judice vel advocato exequi dedignaretur. Et quis
tantam ferat arrogantiam, imò iniquitatem, quòd «
sua quis repetens, aliena indiscussè detineat? «
quam verò causam habere possum in faciem diri- «
pientium bona vestra, jure ipsorum tyrannicè re- «
tento? Denique pluris est, inquit, aliquid posse, «
quàm petere jugiter. Quid autem & quantum, «
vel quàm latè nostrum valeat posse, nihil experto «
evidentius argumento. At Monachorum preces «
& si quando repulsam non merentur, inefficaciâ «
sæpiùs diminuuntur. Quorsum igitur vestra tendant «
vota, vestrâ interest. Nam nobis faventes, «
& posse nostro communicantes, jam cassas Mo- «
nachorum preces, & futile Abbatis auxilium non «
curabitis, tutum habentes ac liberum ingressum «
& regressum quaquaversus destinaveritis, perpetuâ «
potiti securitate tam vestri quàm bonorum vestro- «
rum. «

Hæc dicens ac prorumpens in singultus, lacrymas fudit impietatis, quas hauriebat de puteo cœnulentæ cupiditatis. Quam malesuadæ suggestionis tentationem præcavens Abbas, cœtum convocat Fratrum, & ut euntes prostrati solo tenùs pariter Comitem deprecarentur, quatenùs eorum misertus Ecclesiæ parceret, admonuit. Obtemperantes illi monitis paternis, ad pedes tyranni relinquentes mensas pariter corruunt, & ut sibi, imò Ecclesiæ amore Dei, & ejus Dilectricis reverentiâ parceret, suos vel Ecclesiæ homines ne seducendo perverteret, suppliciter efflagitant. Quibus ille colubrino corpore, non columbinâ mente è contra dejectus respondit, se nihil aliud ab eis requirere, præter quod jus proprium repetentes, itidem & ipsi per manum illius jus alienum exequantur. Et mirè (inquit) stupeo, cuinam æquitati adscribatur tanta insolentia; quòd me advocato & judice alios compellatis; ipsi autem aliis quoque compellantibus, me itidem advocato & judice quod justum est exequi dedignamini: nec verò homines vestros vel seducere, vel revocare à vobis, ut dicitis, studeo; sed quos de more & de jure meo ubique ab omnibus tueor ac deffendo, legitimo ac publico judicio Curiæ meæ vel purgatos, vel justificatos esse decerno: quisquis enim, ait, quod suum est repetit, alieno æquè juri cedere debet. Fratribus ad hæc respondentibus, juxtà consuetum diù morem Patrum suorum, & statuta Apostolica se nemini negare quod justum est, tota subitò domus confuso clamore repleta est. Iterum Fratres, quia festi B. Mariæ Magdalenæ solemnitas instabat, Comitem deprecantur, ut vel aliquot dierum inducias sibi concederet, quo publico concursu festos dies peragerent. Quibus ille nec obsidione à se conclusos, nec captivitati eos esse addictos, quo talia peterent, respondit: quia, inquiunt, prohibuisti intentando ne quis ad nos externus accedat, neve nostrûm quispiam extrà progrediatur commeatûs gratiâ, miserâ conditione immeritos nos esse obsessos protestamur. Vix tandem confusus tantorum Fratrum precibus, octo dierum concessit inducias; atque illicò abscessit infecto proditionis negotio. Fratres autem tametsi non solito cursu, non minori tamen ritu dies festos peragunt. Quibus expletis, accersito Altisiodorensi Episcopo ad Comitem Abbas profectus est. Cui Apostolica mandata quibus pro terminandâ calumniâ Eduensis Episcopi pergere jubebatur Italiam, ei innotuit. Orat deinde ut quemadmodum ipso peregrinante jura illius ac si sua, fideliter servarat, & ab incursantibus intacta defensarat: ita & ipse cognati sui Monasterium cum appendiciis suis tueretur, & in fide suâ susciperet, atque fideliter protegeret, donec à Româ rediret. Spondet præterea se suasurum Domino Papæ ut Vizeliacensem permittat subire audientiam Nivernen-

Vizeliacenses Fratres Comitem ut à cœptis desistat, exorant.

sis; quòd si forte impetrarit, omnem penitùs controversiam sese depositurum promittit. Ut autem istæ induciæ ratæ & inconcussæ persisterent, obtulit ei Abbas pecuniam sexaginta librarum monetæ publicæ.

Induciis ab Comite datis. Romam Abbas proficiscitur, ubi de Eduensi Episc. triumphat.

Itaque tyrannus precibus flexus, sponsionibus illectus, muneribus actus, postulatas concessit inducias; & de cætero se se fidelem fore amicum pollicetur, si promissum effectus prosequatur. Et quia duplici animo nil facilius ad mentiendum, multa promisit quæ pauca servavit. Tamen quia charitas omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, fidei ipsius generosa simplicitas Abbatis se credidit. Profectus denique Romam, atque universalem Curiam ingressus, adeo de calumniâ Eduensis Episcopi coram Summo Pontifice triumphavit, ut nec etiam pilus capitis ejus quoquam fluctuaret dejectus, & Eduensem sic dejectum redderet, ut audientiam juris judicii subterfugiens, dilationem confusus deposceret. Post hæc Abbas ingressus ad Apostolicum, calumniam quâ eum & Monasterium Vizeliaci, quod hactenùs beati Petri proprium jus, & Romanæ Ecclesiæ liberrimum fuisset, Nivernensis Comes vexabat, exposuit. Et quoniam is nec potentum precibus flectitur, nec amicorum suggestionibus inclinatur, nec obsequiis delinitur, nec muneribus revocatur, nec Ecclesiasticâ censurâ coërcetur; decernat, inquit, Apostolica prudentia quid facto opus sit, utrum videlicet proterviæ tyrannicæ Apostolica cedere debeat libertas, necne. Forsitan etenim exsaturata rabies inimici cupida, pacem ac perpetuæ tutelæ præstabit Ecclesiæ munimentum. Ad hæc Apostolicus: Nequaquam, ait, imò si Vizeliacensis Sacerdos forensi vel plebeio subjacuerit examini, non solùm quiete privabitur Monasterium, sed etiam omnis Ecclesiasticus ordo extremæ confusionis nodo implicabitur. Monitum ergo corripiemus, & suadebimus ut jam semel fecimus, quatenùs ab hac desistat insolentia; denuntiantes ut si quid juris in Monasterio tuo sibi competere autumat, sub datis à nobis judicibus sua recipiat, aliena linquat. Qui si forte nostram pietatem contemserit; ecce chamus, ecce frænum, ecce Petri gladius, quo auricula contumaciæ præcidatur. Tuam denique solertiam auctoritate Apostolicâ præmunitam esse volumus, ne de rebus Monasterii, scilicet de jure beati Petri, cuiquam in aliquo cedas, neve ingenitam atque Apostolicâ gratiâ cumulatam Ecclesiæ libertatem quâlibet pusillanimitate prodas. Quamvis enim longè remotum non minori gratiâ te pro jure Apostolico vigilantem habebimus, sollicitudine & auctoritate quâ decet filium.

Forti sit animo adversùs Comitem monet Pontifex.

Talibus Abbas instructus monitis, vale dicto Curiæ ad Monasterium ovans revertitur. Cumque Apostolica monita Comiti dedisset, sprevit, respuit, abjecit, nil se illi debere à quo æquè nil possideret, respondit. Requirebat deinde si juxtà promissum audientiam & exequutionem juris judicii Curiæ suæ ab Apostolico impetrasset. Salvavi (ait Abbas) verbum oris mei, sed prohibitus sum voto parere. At ille stomachatus, & felle permixtus, rursùs Vizeliacensem commeatum jus prodeundi & ingrediendi habere prohibuit; & veritus per seipsum Monachis bellum inferre, Satrapas instigat Provinciæ, videlicet Gibbadum de sancto Verano, Iterium de Brivate, Gofridum de Arseio, & eorum complices, quatenùs Vizeliaci homines quaquaversùs occurrerint, invadant, res illorum occupatas usurpent, Monasterio non parcant, possessiones diripiant, calumniam Abbati struant, suamque inopiam Ecclesiastico penu suppleant. Isti itaque ac si canes effusi prædia Monasterii invaserunt, Monachos ceciderunt, vestibus eorum ablatis turpiter abusi sunt, omnemque suppellectilem diripientes, tam servos quàm jumenta vel pecora Ecclesiæ deprædati sunt. Nulla religio ab eis reverebatur, sed passim Clerici cædebantur, Sacerdotes inhonestè trahebantur, viantes spoliis nudabantur, peregrini captivabantur, nobiles matronæ prostituebantur. Quocircà mira consideranda est Vizeliacensis Ecclesiæ patientia, mirabilior prudentis Pontii Abbatis strenuitas atque magnanimitas. Hinc siquidem Nivernensis Comes, illinc Eduensis Episcopus, hinc tyranni, illinc Duces terræ uno impetu, uno spiritu, uno interventu, quasi feræ bestiæ hinc inde discurrebant, Abbatem lacessebant, Ecclesiam vexabant, atque adeo jura illius lacerabant, quòd totum cederet occupanti quidquid hostili occurreret manui. Verùm generositas mentis ingenuitate nobilitatis adornata, tanto æquiùs indigna sustinebat, quanto nequiùs mala sibi irrogari perpendebat.

Apostolica scripta spernit Comes, instigatque in Monachos Burgundiæ Primates.

Considerans itaque Abbas, quòd undique mala multiplicarentur, venit ad Regem auxilium petens ab eo adversùs Comitem. Qui vocatus à Rege sic respondit: Advocationem suæ tuitionem Monasterii Vizel. cum contingentibus sibi usibus, pii patris vestri ac vestræ concessione serenitatis & gratiâ hactenùs à patribus & proavis meis jure matrimonii absque ullius reclamationis contradictione usque in præsentiarum teneo ac possideo. Quâ verò ratione jus tanto tempore à patribus meis hereditatum mihi calumnietur, prorsùs ignoro. Respondens Abbas dixit: Ecclesia Vizeliacensis ab inclyto Gerardo Comite nobiliter fundata, nobiliùs ab eodem attitulata beatorum Petri & Pauli Apostolorum nomini adscripta, juri assignata, regimini credita, protectioni commissa; ipso etiam pio Comite Gerardo interveniente, Francorum excellentissimorum Regum tali meruit donari privilegii prærogativâ, ut omnibus remissis quæcumque jus regium ab antiquitùs ibidem obtinebat, nulli potestati seu personæ cuicumque pateret facultas cujuslibet juris aut consuetudinis, pro quâlibet pietatis munerisve specie seu occasione exigendi, sed ab omni servitutis conditione libera, exhibitionisque exactione persisteret. Quod ita esse pii proavi vestri Ludovici privilegium quod præsto habemus, si vestra dignetur audire serenitas, comprobabit. Perlecto privilegio quærebat Rex ab Abbate, utrum sese committens regio examini, sententiam super hac calumniâ promulgatam prosequeretur. Perpendens itaque Abbas infensam sibi Curiam partibus favere adversis, timuit sese committere dubio judicio, ne præjudicium pateretur Ecclesia, quæ solo judice Petro, adhuc paululum respirabat: Celsitudinem denique Regiam exoravit, ut tyrannum ab infestatione Vizeliacensis Monasterii desistere juberet, & jusjudicii per manum Apostolicæ Sedis Legati, vel eorum quibus à Domino Papa commissum fuerat, susciperet. Quæ cuncta Comite cum subsannatione renuente, valefaciens Abbas Regi ad Monasterium suum reversus est. Et cum audisset quòd Joannes Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, cui Apostolicus causam controversiæ Vizeliacensis & Nivernensis commiserat, expletâ legatione ab Angliâ rediret, misit in occursum illius, rogans ut quantociùs veniret, quoniam Vizeliacensis Ecclesia omni auxilio destituta, jam propè solitudinem minabatur. Qui accepto nuntio accelerat pedem, & utrique mandat, scilicet Abbati & Comiti, út sibi occurrant Altisiodoro. Audiens autem ille Joannes, quòd Jordanus Cardinalis datus esset Gallicanis Legatus, scribit ei ut festinatò Vizeliacum veniat, & festum instans beatæ Mariæ

Exhibet Abbas Regi privilegia Vizel. ejusque imp
lorat tutelam.

Magdalen.

Magdalenæ pariter ibidem concelebrent. Et cum Altisiodoro uterque præsente Abbate & Comite adsisteret, hortabatur clementer Comitem & affabiliter Legatus, ut sopitâ calumniâ pacem faceret cum Abbate, ne Vicarium Christi persequendo & Petri, Deo inimicari convinceretur, ac per hoc persequutoris Ecclesiæ Sauli similis existeret. Quin etiam si nostri, ait, contemptor exstiteris, nec etiam Sauli imitator dignus inveniaris: quoniam ipse ut corripientem expertus est, protinùs Magistrum sequutus est. Sed cum Comes pia monita contemnendo dissimularet, quia rursùs à Vizeliaco publicum commeatum vel accessum prohibuerat, petivit ab eo Cardinalis inducias, quatenùs beatæ Mariæ Magdalenæ solemnia festivo cultu atque publico concursu more debito celebrarentur, quibus vix ad octavas usque impetratis, Vizeliacum venerunt Cardinalis Joannes & Abbas Pontius, veniensque Jordanus Cardinalis Galliarum Legatus, pariter cum eis dies sanctos peregit.

Comes avertere conatur subditos Vizel. à subjectione.

Interea Comes regressus à Rege, descendit & consedit in loco campestri, ubi Rex peregrinaturus crucis Christi trophæum sustulerat, atque adunatâ potiori parte hominum Vizeliacensium, & profusis impuris lacrymis ab oculis cupiditatis simulatâ compassione exactis, sic profatur ad eos: O viri illustrissimi multâque prudentiâ famosissimi, ac fortitudine strenuissimi, sed & propriâ virtute acquisitis opibus locupletissimi, doleo satis admodum miserrimam conditionem statûs vestri; quoniam multarum rerum possessores quidem specie, reverâ autem nullarum domini effecti estis, quin nec ipsâ vestrâ ingenitâ libertate utcumque fruimini. Videns denique optima prædia, vineta pulcherrima, copiosa flumina, pascua uberrima, fertiles agros, nemora condensa, pomifera virgulta, ædes conspicuas, quæ ipso situ suo in circuitu vestro sunt omnia, nec tamen fruendi eis vobis conceditur ulla facultas: hæc, inquam, prospiciens, non mediocri affectu vobis compatior. Hærens autem valde stupeo ubi sit, vel ad quantam ignaviam devenerit olim opinatissima virtus vestra, quâ prudentissimum & satis liberalissimum Abbatem Artaldum, ob duas tantum domorum stationes interfecistis; hunc verò alienigenam Arvernensem ipsâ sui præsentiâ trucem, absentiâ crudelem, sermone arrogantem, moribus plebeium, nec solùm vestrorum bonorum, sed etiam ipsius vitæ vestræ exactorem tantâ sustinetis ineptiâ, ut jam rectè brutis animalibus comparemini. Denique ad incrementum & consummationem interitûs vestri, præripere & auferre mihi molitur Dominus vester Abbas jus legitimæ advocationis, quâ vos tueri, & pro vobis respondere habeo, ut destitutis vobis liberiùs queat exactorias consuetudines imponere. Eapropter, Carissimi, suadeo prudentiæ & magnanimitati vestræ, quatenùs instanti necessitati feratis consultum, & declinetis ab homine illo qui tantâ debacchatur in vobis tyrannide, scientes quòd vobis me propitio nulla contingat defectio, sicuti è diverso quamdiù fidem præstabitis adversario, nulla vobis erit salutatio. At verò si mutuam confœderationem ad invicem jurantes, ad me quoque fidelitatem servare volueritis, ubique meo fruemini præsidio, atque ab omni pravâ exactione malarum consuetudinum liberos vos facere studebo, necne ab ingruenti malorum incursione defensabo.

Detrectant Vizel. assensu Comiti præbere.

His dictis & multa verborum interruptione dolorem dolo simulans siluit. Viri autem illi respondentes, dixerunt: Nos fidelitatem Domino nostro jurejurando juravimus, & quamvis iniquè nobis abutatur, fidem tamen prodere perperam judicamus, & quidem consilio inito certiores effecti, ad præfixum diem proximo in loco sub tuâ præsentiâ convenientes tibi ad hæc respondebimus. Et venientes retulerunt Abbati verba Comitis, perquirentes quid super hæc ferret consilii. Quibus ille: Minimè, inquit, fideles mei, vestram latet prudentiam, quòd eâ solâ de causâ mihi inimicatur, ut dolo vos circumveniens pleniùs servituti suæ addictos subjiciat erepto quod plenum est libertate dominio. Ego autem hactenùs pro vestrâ libertate certando desudans, si tantæ ingratitudinis tam impiam vicissitudinem rependere mihi volueritis, ut mei & matricis Ecclesiæ vestræ proditores fieri non vereamini; solus, licet gemens, licet confusus sustinebo, & Ecclesiæ detrimentum & interitum vestrum, scilicet vobis & filiis vestris perpetuò pœnam proditionis luentibus. Quòd si sanis acquiescentes consiliis prudenter pro vobismetipsis steteritis, atque juratam fidelitatem ad me & ad Ecclesiam quæ suo lacte vos enutrivit & educavit indubitanter servaveritis, & mecum contrà omnes insectantes pro libertate & salute, necne pro gloriâ & honestate vestrâ constanter egeritis, libentissimè pro vobis impendar, nihil hæsitans quòd prospera secundis succedent casibus, & post multas tribulationum calamitatumque procellas, pacis quandoque donabimur serenitate. At illi dixerunt: Ita esse ut astruis omninò credimus & speramus. Sed enim renunciare liti, cedere adversario, inire pacem cum eo, consultius nobis esse videtur. Sin autem & aliter est in conspectu tuo, tui pro certo sumus erimusque. Nec dubites quin tibi ut fideles tui ubique in omnibus sinceriter assistamus. Respondit eis Abbas: Lis equidem nulla mihi est penitus, sed sola litem inferenti responsio vel defensio. Porrò adversario cedere dementissimæ est in præsenti causâ ignaviæ, ac perpetuæ confusionis chirographum. Pacem denique tam prece quàm pretio vel obsequio sæpe quæsivi, sæpiùs obtuli, sæpissimè exegi, sed à filio discordiæ non potui pacem impetrare. Si ergo ut dixistis, pro communi salute steteritis, ego quoque operam meam pro salute vestrâ ac libertate spondeo, simulque vobiscum omne infortunium cæcamque fortunam virtute ac justitiâ fretus subibo.

Conspiratio juvenum contrà Abbatem.

Hæc dicens dimisit eos. Et ecce affluxerunt viri nequam, effundentes diù reconditum virus in latebris sævæ conscientiæ; aggregataque sibi maximâ sceleratorum juvenum multitudine, pacti sunt sibi mutuò fœdus sceleratæ conspirationis adversùs æquissimi moderaminis & ingenitæ pietatis Dominum suum, hactenùs simulatam fidem prodentes, & à matre suâ Ecclesiâ sese præcidentes, & convenientes ad præfixum diem & locum, confœderati sunt Tyranno, legitimo Domino suo abjurato, paciscentes ad invicem per manum tyranni execratam communiam, & conspirantes contrà caput suum, ut jugum libertatis Ecclesiæ à cervicibus suis rejicerent, & Comiti adhærerent: quique juravit illis consilio & auxilio nunquam vel nusquam adversùs quemquam, vel negotio in quoquam se defuturum. Constituitque illis Principes vel Judices, quos & Consules appellari censuerunt. Quod factum non latuit prædictum Dominum Abbatem, sed nec Cardinales, quos ad festum adscitos esse dictum est. Ingressi denique majores natu, quique capita populi esse videbantur ad Cardinales, freti auctoritate perfidiæ suæ postulabant remitti sibi quasdam consuetudines, quas novitatis & tyrannidis esse dicebant: quibus Cardinales responderunt: Quoniam & vobis æque ut filiis Romanæ Ecclesiæ sollicitudinis nostræ curam debemus, prono affectu suadebimus Abbati, quod & paci & utilitati vestræ, atque honestati & integritati convenire videbitur. Scimus autem eum tantæ mansue-

Cardinales deterrere illos conantur à cœptis.

tudinis esse, quòd irretractabiliter nostris obaudiens monitis, clementer indulgebit quidquid ratio æquitatis dictaverit. Attamen nunc in periculo mortis pro communi libertate & sospitate vestrâ constituto, fidem necesse est ei deferatis auxilii per omnia, & collaboretis illi pro vobis ipsis; quoniam res constat in periculo omnium vestrûm. Si quid autem, quod minimè credimus, conspirationis ab aliquibus vestrûm in Dominum vestrum Abbatem admissum, hoc primitùs abjuretur, purgetur, emendetur: & sic postmodum quidquid natum fuerit justæ querimoniæ, salvo jure Ecclesiæ sedabitur. Abbas quoque loquutus est ad eos: Videtis, inquit, quàm graviter opprimor & insector à Comite, cui & manum dedistis in perniciem vestram adversùm me mutuò conspirantes. Iniquum ergo est quod improbâ fortitudine confœderati remissionem expetere potiùs quàm deposcere videmini, quam non tam remissam, quàm extortam vel exactam vobis habeatis. Verùm si funditùs relinquatis quod malè pacti estis, non tantùm remissionem, sed & condonationem, uti nostram mansuetudinem decet, merebimini. At illi conclamantes, non ita se facturos dixerunt, sed potiùs rebellionem Ecclesiæ illaturos se se dixerunt.

Itidem Abbas.

Porrò Cardinales exorabant Comitem ut sopitâ discordiâ, iracundiam animi sui remitteret. Ille autem dissimulabat eos audire. Cumque diù orantes persisterent, juravit se nullam penitùs admissurum concordiam, donec omnia quæ juris sui esse dicebat, reciperet. Tunc demùm Abbas conquestus est in præsentiâ Cardinalium de malefactoribus suis, Gaufredo videlicet de Arseio, & aliis quos ad destructionem Ecclesiæ Comes impellebat. Quo respondente homines illos nec de familiâ, nec de militia suâ esse, atque ideo ex proprio voto, & non ex suo impulsu calumniam eos Abbati inferre, decreverunt Romanæ Ecclesiæ Cardinales vastatores Ecclesiæ gladio anathematis ferire. Restitit eis Comes, dicens homines suos esse, quos ad justitiam exequendam paratos haberet, si sibi & ipsis Abbas ad interpellata responderet. Et constitutâ die ad discernenda ea quæ Comes in calumniam deducebat, apud Jabliacum nono die à Vizeliaco Cardinales egressi sunt cum magno tremore, medium Abbatem deducentes ob infidelium conspirationem, qui mortem illius devoverant. Et cum Jabliaco venissent, jusserunt Cardinales ut causam suam Comes ediceret. Quam cum referret, exigebat ab Abbate, ut tam de se quàm de hominibus Vizeliaci staret ad justitiam ab ipso vocatus in causam. Cardinalibus & cæteris prudentibus viris qui aderant non est visum, quòd talia ab Abbate exigi deberent; oblata est Comiti justitia secundùm tenorem Apostolici præcepti. Ille autem justitiam ut injustus, & judicium ut iniquus recusavit. Lectæ sunt literæ Apostolicæ in præsentiâ ejus, quibus sententia excommunicationis in eum ni resipisceret, promulgabatur. Quibus auditis indignatus est, & Cardinalibus conductum per terram suam diù negavit. Vix tandem obtinuerunt illustres personæ quæ aderant, ut eis conductum permitteret. At verò Abbati non nisi usque Vizeliacum dextras fiduciæ dare voluit. Cujus non fuit consilii eo pergere; quoniam perfidi homines sui adversùs eum conspiraverant. Quem assumens Episcopus Nivernensis, præcepto Cardinalium ex parte Apostolicâ ab Ecclesiâ Jabliaci eum deduxit, & ad portum usque sancti Majoli perduxit. Quo permeato, ad Montetum Abbas divertit, & fuit ibi per dies aliquot.

Cardinales discussâ perpetuam controversiâ, & à Comite repulsam passi abeunt.

Proditores autem viri Vizel. sacrilegium perjurio addentes, Comiti adhæserunt, & obliti factoris sui qui mendicos & egenos eos locupletaverat, & bonis omnibus repleverat inopes & vagos: obliti, inquam, Dei, & avertentes se ab eo, coluerunt Deos quos ignoraverunt, colla submittentes Comiti, & cæteris tyrannis provinciæ, sese suaque illis dedentes, & fornicantes in superbiâ oculorum suorum, quantum in ipsis fuit commaculaverunt semen sanctum, adulterantes castitatem incorruptæ Ecclesiæ. Ipse quoque tyrannus præter omnia mala quæ Monasterio intulerat, auferendo quæcumque extrà oppidum reperta sunt, atque alia multa immunitatis & sævitiæ plena inferendo: addidit insuper & hæc, scilicet ut desertores Dei & Ecclesiæ contrà omnem justitiam, contraque privilegia Apostolica susciperet, & ipse ad hoc eos variis promissionibus ac blanditiis impelleret, ipse minis & terroribus irritaret: promittendo insuper nunquam sine ipsis pacem se facturum cum Abbate, nunquam ad concordiam Abbatis consensurum. Hujus itaque freti auxilio, & conspirati consilio, egressi sunt mures de cavernis suis prorumpentes, torrentes Belial, & insurrexerunt in Ecclesiam matrem suam, & quasi abyssus circumvallaverunt eam, & tamquam pelagus cooperuerunt caput ejus oppidani vel qui dicuntur Burgenses, utique sui ipsius quondam specie tenùs filii, nunc facti alieni, & tanto graviores quanto interiores. Et cognito quòd clam ab eis declinaverit Abbas, mox sacrosancto violato templo, occupaverunt turres ejus, ponentes in eis custodes, & escas & arma, atque gravioribus pejora cumulantes, servos Dei Monachos & Dominos suos turpiter injuriaverunt, & bonis omnibus privatos, atque omni humano destitutos auxilio, infrà muros Monasterii recludentes abdiderunt, ut absque externo conductu quoquam progredi nemini liceret. Præterea invaserunt colonias, etiam Monasterii jura sive debitos redditus usurpaverunt, domos plurimas Ecclesiæ diruerunt, prædia, molendinos, omnemque supellectilem diripuerunt, mobilibus & immobilibus furiâ invecti non pepercerunt, mœnia vel clausuras Monasterii solo tenùs confregerunt, & erant per dies & noctes consilia in conciliabulis malignantes, dolos & fraudes atque insidias concinnantes; unanimiter conspirantes, & malis graviora, gravioribus pejora quotidie interminantes.

Vizel. Burgenses adhærent Comiti.

Oppidani Vizel. omnia quæ Monasterii erant diripiunt, Monachos divexant, evertunt ædificia.

Interea vigilantissimus Abbas Pontius profectus est Cluniacum, ubi Cardinales & Legati Apostolicæ sedis cum multis religiosis & honestis personis convenerant. Cumque nota fecisset illis quanta mala profani Vizeliacenses Monasterio suo intulissent, exorabat eos ut peteret à Cluniacense, fratre videlicet suo, quatenùs unam sibi impertiret cellulam, quo tutò diverteret, & pacem suam investigaret. Qui compatientes afflictioni ejus, Cluniacensem deprecati sunt ut misericordiam & compassionem præstaret uterino fratri suo in maximâ angustiâ posito, ejusque exilium relevando, Silviniacense Monasterium ad tempus usque sopitæ tribulationis clementer illi concederet. Annuens ille petitioni eorum ita se pollicitus est facturum in brevi, explorato loco congruo. Post hæc Abbas Pontius suggessit germano & Majoribus Cluniacensium ut facerent, quatenùs Cardinales sententiam anathematis promulgarent super sacrilegos ac perfidos proditores suos Vizeliaci, & eorum fautores. Illis hoc ipsum detrectantibus & dissimulantibus, visum est Cardinalibus ita ut Abbas implorabat expedire.

Datâ ergo sententiâ, malefactores illos atque sacrorum violatores, suique proditores, à corpore Christi, quod est Ecclesia Catholica, anathematis gladio præciderunt, & deprecatus est eos Abbas, ut causam suam sicuti viderant oculis suis, & ma-

Fertur in eos sententia excommunicationis & interdicti.

nibus suis palpaverant, Domino Papæ ex integro panderent, traditoque in manum eorum nuntio suo, qui sententiam universalis Pontificis super Comitem referret, rediit ad Montetum habens libellum excommunicationis proditorum Vizeliacensium. Quem postea quam Vizeliaco misit, & sententiam Romanorum promulgari jussit: convenientes Sacerdotes pariter quâdam in capellâ S. Petri superiori coram omni populo exposuerunt sententiam, & illos qui designati erant ex nomine publicè anathematizaverunt: cæteros cum omni villâ penitùs à divinis officiis & Ecclesiasticis charismatibus interdixerunt, solo baptismate parvulorum, & confessione morientium indulto. Indignati ergo sacrilegi aliqui, in eum sacerdotem qui sententiam protulerat impetum fecerunt. Quorum primus fuit Odo de Palude, qui rejecto pallio quærebat lapides ut jaceret in eum; deinde David Longabarba, & Robertus filius ejus, qui solvens pallium suum extraxit patinos suos ut Sacerdotem percuteret, & nisi quidam intervenissent, in mille frusta concideretur, qui fugiens ad altare vix evasit manus impiorum. Sequenti denique die, cum sublatis valvis aditum Ecclesiæ ipsius spinis obstruxisset; incentores omnis malitiæ Hugo & Petrus, uterque de S. Petro cognominatus, abstulerunt spinas, & valvas restituerunt. De Ecclesiâ verò S. Stephani injuriato Clerico, qui sacrilegio eorum resistebat, calicem, librum, vestimenta sacerdotalia tulerunt: postea cum magno strepitu furoris Claustra Monasterii ingressi, Priorem Hildinum assistentibus quibusdam Fratribus injuriose conviciis lacessebant, causantes de excommunicatione, atque cum multâ arrogantiâ postulabant inducias, qui cum nollet eis acquiescere, unanimiter responderunt, quia inquiunt, nos excommunicatis immeritos, faciemus ut excommunicati videamur. Decimas itaque & censum, seu alios reditus consuetos, jam ampliùs vobis non persolvemus. Adeuntesque Comitem, de sententiâ conquesti sunt. Quibus ille: non possum, inquit, aliud: ita etiam de me facient si voluerint. Dixeruntque: ubi molemus, vel coquemus panes nostros? Monachi enim nolunt molere nobiscum. Ait illis: Ite, & de lignis vestris clibanum succendite, & coquite. Si quis obstiterit, vivum incendite: sed & si Molinarius obstat, vivum similiter molâ comminuite.

Nihili ducentes sententiam excommunic. contumeliis Monachos afficiunt.

His & hujusmodi animati responsis ad mala exageranda reversi sunt; ita factum est, ut quidquid vellent damni, injuriæ, adversitatis Monasterio inferrent, pueros Ecclesiæ de domibus suis expellerent, verberibus afficerent, & cum magnâ jactantiâ se adeo afflicturos Monachos devoverent, quòd absolutionem ipsorum pedes requirerent. A potestate igitur Abbatis vel Ecclesiæ sese penitùs abdicantes, sententiam super eos datam tamquam pro nihilo habebant, & minimè ab ingressu Ecclesiæ sanctæ sese cohibebant, cumulantes peccata sua, nec Deum timentes, nec sanctuaria illius reverentes. De his omnibus & hujusmodi pluribus conquestus est Prior in præsentiâ Comitis. Ille prava & perversa promittens, eos benè fecisse respondit, & exaggerando proloquutus sic dicebat: Utinam Monachi omnes discederent, & Monasterium funditùs esset dirutum! quare excommunicavit eos? & abstracto pilo vestis quâ operiebatur, addidit: Si mons Vizeliaci totus in abyssum usque foret præcipitatus, pilum istum non darem. Vobis commendo thesaurum Ecclesiæ simul & oblationes custodire, ne ille quidquam habeat vel suscipiat, fortiter observate: cujus gratiâ volo ut Burgenses omnia dissipent, omnia diruant, maximè illos qui de ipsius confœderatione sunt. Accidit autem ut quemdam sub anathemate defunctum, ipsi absque sacerdote signa pulsantes sepelirent, & ipsum Sacerdotem de domo suâ ejicerent.

Cum igitur apud Montetum Abbas moraretur, & dictum fuisset Cluniacensi, quoniam Vizeliacensis Romam mittens, Monasterium Silviniacense requisiturus foret à summo Pontifice, indignè tulit, & promissionem suam differendo dissimulavit. Reputans autem ne forte anathema super Comitem, & super terram illius ab Apostolico promulgaretur, & ob hoc Monasteria Cluniacensis curæ quæ plura infrà terminos ipsius erant, periclitarentur, hujusmodi per suos necessarios eidem Comiti mandat monita: Quotquot Christianitatis nomen sortimur, Apostolicam censuram subterfugere omninò non possumus. Benè ergo feceris, si bonæ spei fide te committens, pacem cum Vizeliaci Abbate per manum nostram feceris. Nostrum autem erit ita rebus utrobique consulere, ut tibi quoque profectus pacis illius accedat. Talibus acceptis mandatis, acquievit Comes, & quasi senipetam Bernardum Priorem S. Stephani misit ad Abbatem Vizeliacensem, cujus mortem sitiebat pigmentis omnibus præstantiorem. Is ergo veniens, constantiam atque magnanimitatem in eo vigere prædicabat; sed si pertinacia virtute pallietur, non minimam perhibebat Monasterii sui ferre jacturam. Hortatur proinde sic magnanimum esse in adversis, ut honestati provideat in prosperis; & belli quidem incertam esse fortunam, pace autem, quamvis judicetur extrema, nihil fore dicebat securius, nihil quietius, nil certius, quam sibi oblatam per manum Cluniacensis si dignetur suscipere, testatur Comitem eidem pacto favere. Nec videri debet suspectus eodem de sanguine cretus.

Cum sit affinis repugnans identitas hostis,
Immemor ipsa sui se judice victa manebit.

Credidit Abbas suadenti, nec sperat posse surripi præjudicium, ubi cum justitiâ causa tota sibi constabat. Conveniunt ergo pariter Cluniacensis & Vizeliacensis atque Nivernensis apud Luzeium oppidum Augustidunense. Cui colloquio interfuerunt Stephanus Abbas S. Michaëlis de Clusâ &...... Abbas de Moisiaco, sed & aliæ graves Cluniaci personæ; quo pariter consistentes, post plura quæ Comes injustè requirebat indebita, hi qui loco advocatorum convenerant, sub specie pietatis adversæ potiùs quàm justæ parti faventes, composuerunt quamdam formam pacis suspectam libertati, obnoxiam servituti, deditam instabilitati. Suggerunt deinde Abbati Pontio suscipere, quod fraternus amor & socialis dispensatio de pace suâ providit, tempus redimens atque instanti necessitati indulgens, sufficere sibi debere quòd diminutum alter optato capiat: quibus ille prudenter & reverentiam Numinis & injuriam honestatis sæpiùs prætendebat, & ne impietas pietatis ministris frueretur, iteratò supplicabat. Denique Comes protestatus est, quòd si tantorum amicorum compositioni acquiescat, communiam vel sacrilegam confœderationem hominum suorum ipse dissipabit, & penitùs abolebit, eumque in Monasterio suo salvum & incolumem servato ei jure dominii integerrimo constituet. Sed cum multa hinc & inde alternarentur, & Abbate in causâ suâ persistente confusioni cederet effectus, tandem inito consilio Nivernis finem colloquii exitumque pacis statuunt. Misit itaque tyrannus majoribus conspiratæ proditionis, & futuræ concordiæ jussit eos interesse. Abbas quoque mandavit Priori & quibusdam aliis de Fratribus Monasterii sui, ut sibi occurrerent, consulto primùm generaliter universo cœtu, utrum pacis compositionem inter se & Comitem per jam præscriptam manum ratam esse decerne-

Conveniunt apud Luzeium ubi tractant de pace.

rent. Qui pari & unanimi sententiâ rescripserunt Domino suo & patri vigilantissimo, ratum & firmum atque inconvulsum in sententiâ Fratrum permanere, quidquid paterna providentia decreverit vel constituerit, salvo jure privilegiorum suorum & libertatis Ecclesiæ.

Ut autem factus est Nivernis conventus, mittebat Comes exenia quædam Abbati Pontio, & varia pocula ob simulandæ pacis ostentationem; quod videntes sacrilegi proditores confusi sunt, & sedesertos esse à tyranno suo formidarunt. Ingressus deinde Comes ad Cluniacensem, monebatur copiosiùs ab eo de reformandâ cum cognato amicitiâ. At ille multipliciter contestans jurabat se neminem cariùs eo diligere; quin nec ab eo quidquam expeteret, quod non & utilitati & honestati illius accederet, & hæc genu tenùs dicens, complicatis etiam manibus inter manus Cluniacensis, luculentas lacrymas emungebat, quibus copiosè fraudulentus affluebat. Cumque Cluniacenses clam tractarent aliquid de compositione pacis, collegas Abbatis à consessu suo omnes arcebant: unde & Vizeliacenses suspecti redditi sunt; & præcaventes ne sub specie pacis præjudicium paterentur ignominiosæ conditionis, ingressi sunt aliqui ex eis in conspectu Cluniacensis, & ne aliquid contrà jura dignitatis & privilegiorum Monasterii sui pacis conditione molirentur, ex Dei & Apostolicâ auctoritate, atque ex parte Capituli Vizeliac. denuntiaverunt & contradixerunt. Ob quam causam iratus Cluniacensis profectionem parari præcepit, accitoque fratre objurgabat eum dicens: Quid est quod agis? quid tam impudenter me exhonoras? numquid puer aut delirus tibi videor? ego pro tuâ pace & quiete usquequaque laboro, ego tuis profectibus ac successibus incunctanter invigilo, tu autem versâ vice quod ædifico, destruis; quod exstruo, dissipas; quod colligo, dispergis; & quod palam pacis tuæ gratiâ vocifero, clam me calumniando contradicis: quia ergo inutilis tibi videtur labor noster, solus ipse onus proprium ferto. Miratus ad hæc Vizeliacensis interrogabat quisnam talia præsumsisset: dicunt ei Cluniacenses Guillelmus qui dicitur de [a] ....

Id etiam agitant Cluniacenses.

Regina mater Regis, soror uxoris Archimbaldi de Burgobono .....

Sed & filia ejusdem ..... quæ postmodum nupta est Comiti de S. Ægidio ....

Macharius autem Floriacensis Cœnobii Abbas vegetis, dolia ....

. . . .

.... Monasterio meo cùm in treugâ & pace Reverentiæ tuæ jura disponerem Ecclesiæ, accidit suscipere me litem cum quodam servo Ecclesiæ pro causâ possessionis ipsius Ecclesiæ, quam duelli certamine adjudicavi fore determinandam. Protinùs itaque ut tempus certaminis advenit versi in seditionem homines isti qui præsto sunt, me cum fratribus & pueris meis oppetierunt, fugatisque nobis & improvisis & insperatis, Claustra Monasterii violaverunt, ornamenta dissipaverunt, utensilia diversi generis diripuerunt, vegetes ruperunt, vina fuderunt rapinam bonorum omnium fecerunt, sanctuaria, conculcantes contaminaverunt, cædem in Monachos, & famulos nostros exercuerunt, & me ad mortem petierunt, quem utique si invenirent, in mille frusta conciderent, deinde ineruditos nos ad præliandum obsederunt, domos fregerunt, molendina everterunt, & quidquid nostrorum præ manibus habuere, totum occupaverunt, & in contumeliam regiæ Majestatis satiati sunt pœnis nostris. Tandem nactus oportunitatem, iterum Apostolico jubente, ut in præsentiarum est cernere, ad te singulare præsidium meum confugi: proinde adstans æqualitatis tuæ judicio, sanguinem meum & meorum, mortemque meam de manu istorum requiro, & detrimenta domûs meæ ab ipsis repeto, salvo per omnia vestro jure atque Apostolico, cujus injuriam prorsùs remittere nec possum nec debeo. His dictis conticuit.

Surgens autem tyrannus, Comes scilicet Nivernensis, causam perfidorum prosequutus, ait: Cum constet Vizeliaci Oppidum multorum millium promiscui vulgus esse refertum, nec sint homines unius moris vel quantitatis, ut pote ex multis hinc inde partibus ex majori numero adventitii, ac diversa studia ferentes, & studio potiùs quàm lege morem gerentes non est jure imputandum electis indigenis, & in omni lege & honestate probatis, quidquid erroneum vulgus per excessum deliquisse comprobatur. Alioquin jus justitiæ non est justitia, si pari crimine justus & impius obligantur. Cæterum cum ubique numerosior, ac proinde fortior quodammodo sit plebs quàm Senatus, quid requiritur à paucissimis & honestis ac solius rei familiaris curam gerentibus, quo Principis auctoritas plebeios nequit comprimere motus? Quapropter si Regio placet moderamini, denominentur ab Abbate auctores sceleris, ut innoxiis absolutis justitiæ censura in reos decernatur. Ad hæc tyranno responsum est: Quoniam naturali & legitimo jure proprium est civibus custodire & defendere, atque immunem servare ab omni periculo Dominum ac Principem suum, mortem necne spontaneam pro salute illius non abhorrere, jam non noxii, sed proditores & desertores Domini sui dicendi sunt, & adjudicandi qui eo in necessitatis articulo constituto, tam solatio quàm auxilio suo eum defraudaverunt. Atque ideo à capite ipsorum exigendum est, quidquid nequiter ipsis instigantibus, juvantibus, & opem ferentibus, plebeia manus commisit. Tunc omnes pariter qui cum Abbate ab Vizeliaco non exierunt, vel Fratribus in Monasterio obsessis non se adjunxerunt, vel auxilium non tulerunt, adjudicati sunt rei proditionis, infidelitatis, sacrilegii, perjurii, atque homicidii.

Quo facto, prolatum est primum capitulum de sententiâ Regis, ut Abbas testificando probaret detrimenta sua vel Ecclesiæ, & quidquid legitimè probatum fuisset, condemnati crimine capitali totum restituerunt. Cui capitulo hæc Abbas objecit. Cum palam constet homines istos ob immanitatem pertinaciæ suæ à tribus Apostolicis excommunicatos & anathematizatos esse, perperam mihi videtur Dominum servis, fidem perfidis, sacramentum perjuris, testificationem profanis, legem facere sacrilegis. Respondit ei Lingonensis (Is quippe semper & ubique Vizeliacensi causæ adversabatur, & cum Humberto de Talahi Archidiacono Nivernensi mediante Comite causam proditorum Burgensium in advocatione suâ susceperat) Etiamsi, inquit, tantummodo sententia sit promulgata, non habemus homines pro lege excommunicatorum, donec ab Ecclesiâ generaliter denominentur, vocentur, publicentur: quod de istis factum minimè scimus. Ad quod Abbas: Præsto sunt, ait Dominus Senonensis, & Dominus Parisiensis, necne Dominus Trecensis, qui jussu Apostolici Pontificis sacrilegos proditores denominantes publicaverunt. Attestantibus Episcopis hæc ita se habere, persuasum est Abbati facere probationem, quam nil suo juri contrariam

a *Dicitur de*] Desunt hic 18. folia infeliciter excisa in MS. codice.

fore constaret. Sed quia plenè non aderant Officiales ac ministri Ecclesiæ, per quos probatio facienda erat, dilata est in subsequenti sabbato, quo pariter tam præsentes quàm absentes convenirent apud Moretum.

Iterum apud Moretum conveniunt.

Erat autem dies qui cognominatur Martis, id est tertia feria. Et ut qui fuerant requisiti convenerunt, egressi sunt omnes cum Rege & Optimatibus suis in nemore consito suprà Moretum. Ubi cum Abbas referret summam probationis suæ, dixit eam esse centenorum sexagenorum millium solidorum, præter detrimenta nemorum & aquarum, & præter injuriam proditionis, & præter sanguinem occisorum, & præter sacrilegium invasæ & violatæ sacrosanctæ Ecclesiæ. Quo audito conscii facinoris consternati animo, protinùs in fugam versi sunt, nec sustinuerunt fieri probationem: & nesciente Rege ad complices & consodales scelerum suorum repedarunt. Abbas verò jussu Regis fecit probationem suam præsente Comite, & auxiliariis illius prætitulatis. Ut autem cognovit Rex perfidos abesse, & injussos temerè regiam curiam subterfugisse: Feliciter, ait, Abbas comprobavit justitiam suam, proditores verò comprobaverunt perfidiam suam: quamobrem quia exciderunt à justitiâ, proferatur sententia eorum reatui congrua: loquutusque est Remensis: Unum (inquit) capitulum dictavimus, adhuc alia prolaturi, si exspectantes vel judicio se dignos inveniri paterentur. Nunc autem quoniam exsortes rationis exciderunt ab omni jure justitiæ, dictante Regis judicio diffinimus, ut Comes Nivernensis, qui de fidelitate Regis præsens adest, profanos illos proditores vi comprehendat, & puniendos Regi ubi jussus fuerit adducat. Res porrò eorum tam mobiles quàm immobiles ex integro pro restitutione illati damni Abbati tradat. Et interrogatus Comes utrum dictatam ex ore Regis sententiam susciperet; Suscipio ait. At Lingonensis nitebatur refellere judicium. Cui Remensis: Si, inquit, injustum tibi videtur elucubratum judicium, apud Romanam audientiam te appello, ut ibi coram Summo Pontifice, & universali Judice, si quid habes objectes. Nequaquam, ait Lingonensis, appellationem istam suscipio, nec judicium Regis redarguo, sed quod æquitati ipsius visum fuerit, ut dignum est, approbo. Iterum ergo Rex interrogavit Comitem utrum prolatum judicium susciperet de tradendis condemnatis; qui respondit: Si jubet Dominus meus Rex, suscipio: sed peto ut illis concedantur induciæ, quas ex fiduciâ Regis pietatis dedi eis. Respondens Rex ait, Planè jubeo, & auctoritate Regiâ pro fidelitate, quâ mihi juratus es, præcipio ut quod præfinitum est, perficias, nec de sententiâ quidquam omittas. De induciis autem tuâ intererit; nam à me nec tibi nec illis aliquæ concedunturum, quin sequenti Dominicâ perficiatur quod definitum est.

Sententia profertur in Comitem Nivern. & perfidos Vizel. oppidanos.

Biduo igitur habito Concilio ibidem, solutum est collegium. Abbas autem valefaciens Regi, & Optimatibus, atque amicis illius, accessit prope Vizeliacum, & fuit apud Givriacum usque ad dictam Dominicam. Tyrannus verò dolens super impios, quos ad conspirationem incitarat, quos ad facinus provocarat, quorum Juratus erat, quorum opes ob fiduciam sui exhauserat, quorum etiam auxilio dominium Monasterii Vizeliacensis sese obtinere sperabat, dolens quoque quòd tam potenter & tam publicè ab Abbate victus, & confusus atque confutatus esset, quodque tam de se quàm de suis satellitibus & complicibus vesaniæ suæ pro voto triumphasset, affligebatur animo vehementer, & cogitabat qualiter damnatis provideret, vel desperatis subveniret. Sed quia confusus animus impos est rationis, infatuatum est consilium ejus, & Deo disponente dum plebi providet damnatæ, invitus & ignarus consultum fert Ecclesiæ, totumque præstat oppressis quod nititur efficere dolis: dumque tendit laqueum, levat ipse socium, aduncatur stimulo, malè satur cupito. Missis ergo satellitibus suis, jussit clamare sub voce præconis omnibus oppidanis seu vicanis ex ore Comitis, ut sublatis mobilibus cunctis omnes pariter quaquâ possent, confugerent in præsidiis illis, ubi eum minimè venturum sperarent: quoniam ex judicio Regis sequenti die Lunæ omnes comprehenderet quotquot infrà Vizeliacum inveniret, & puniendos quamvis invitus Regi traheret Parisius. Et immisit Deus terrorem suum in hominibus illis, & fugerunt quotquot erant de adversariis omnes à minimo usque ad maximum, domos, uxores, liberos, possessiones, & mercimonia sua relinquentes, ita ut penitùs nemo ex tot millibus summo mane appareret, sed quasi ab hostibus invasum & direptum esset, sic vacuum & inane remansit oppidum. Existimans autem versutus & callidus Comes, quòd non præsumeret se absente Abbas ingredi in Monasterium suum, simulavit languorem. Tunc Abbas vecordiam ipsius despiciens, statim ipsâ Dominicâ cum triumpho vespere Vizeliacum venit, & Monasterium suum obtinuit: & facta est exultatio magna in Ecclesiâ, quoniam confusus est adversarius, contritus est inimicus. Et misit tyrannus satellites suos Vizeliacum quasi ob gratiam perficiendi mandatum Regis, ut comprehenderent profanos quos loco cedere jusserat. Ingressique satellites, dixerunt Abbati Dominum suum Comitem diù exspectasse Nuntium illius, quo veniens ipsum in Monasterio suo honorificè introduxisset; se autem adeo mirari quòd tam improvisè illuc ingressus inimicorum motus non pertimuerit, missos autem à Domino suo idcircò se dicebant, ut definitam de adversariis ultionem ad imperium Abbatis exercerent. Quibus Abbas respondit: Audito quòd Dominus vester infirmaretur, nolui onerosus illi existere; sed commisi meipsum Deo & beatæ Mariæ Magdalenæ, cujus causam votis omnibus prosequor, & recepi Deo tradente quod nitebatur æmulus præripere. Cæterùm ipsi scitis à quo missi estis: si quid faciendum vobis præcepit, vestrâ interest utrum faciatis necne: ego autem rei exitum patiens præstolabor. Respondentes dixerunt se missos ideo esse, ut homines vici illius comprehenderent, sed ingressos neminem præter mulieres & parvulos earum invenisse. Ait illis: Siccine quatuor homines tot millia comprehendere venistis? Et dixit illius quidam: Ecce si perfidos proditores captivare venistis, invenietis ferè quater viginti latitantes & latrocinantes in contiguâ sylvâ. At illi: Aliud, inquiunt, iter nobis confecturis; modò non dirigitur illò via nostra: & sic tergiversantes abierunt. Versutia quippe discipuli probatur dolus magistri. Et egressi sunt quidam de fratribus armatæ cum pueris juventutis, & fregerunt tabulam impii Simonis, & vestibulum domûs ipsius, quæ contrà jus ob contumeliam contradicentium Fratrum ædificaverat, & de conspiratione factionis confisus hactenùs contrà votum Ecclesiæ obtinuerat. Inde progressi dissipaverunt torcularia, quæ in subterraneis domorum suarum fraudulenter erexerant impius Hugo Fricans-panem, & nefandissimus Hugo de sancto Petro. Porrò impii diffusi sunt per oppida & loca tyranni, quique jussit satellitibus suis atque Præpositis, quatenùs eos occultarent, excusarent, & omnem humanitatem illis exhiberent; tantùm sui præsentiam declinare eos juberent. Reliqui circumquaque errando dispersi, multi eorum

Invitus Comes sententiæ cum annuisset, modis omnibus obluctatur, tentatque ut effectum non sortiatur.

Prædæ & direptioni, necne captivitati patuerunt. Inopes & vagi contiguam sylvam occupaverunt, ædificantes ibidem casas, & exinde latrocinia exercebant, viantes & peregrinos deprædabant. Die autem suspecti occursum quærentium se declinabant, & ad socios qui erant in locis munitissimis se conferebant: nocte verò in prædictâ sylvâ degentes, mittebant absconditos exploratores in vico sub veste peregrinâ, qui eis deferrent necessaria; & referrent quæ didicissent consilia; & congregati sunt profugi apud Corbiniacum, & cogitaverunt irruptionem facere, & vi repetere quas sponte formidolosi reliquerant sedes.

Exercitum colligi jubet Abbas, quo perfidis oppidanis obsistere.

Tunc collegit Abbas externum exercitum, manum fortissimam, & homines doctos arcu & balistâ, & militibus infrà castrum retentis, cæteros divisit cum pueris suis, & posuit in munitionibus pessimorum, ut per ea expugnarentur impii per quæ nitebantur oppugnare munitiones Monasterii. Omnes autem jussit per vices & die & nocte circuire & discurrere circà oppidum & prædia illius. Quicumque verò de fugitivis comprehendebantur, aut captivitatis miseriâ, aut membrorum mulctâ puniebantur: & obtinuit Ecclesia jus justitiæ debitum, nec tyrannicam cogebatur adire curiam pro ulciscendâ justitiâ, & ultus est Ecclesiam Abbas Pontius de pessimo adversario illius Hugone de sancto Petro, & præcepit ut diriperetur omnis substantia ejus, & publicarentur omnia bona illius, & subverterentur omnia ædificia ipsius, domus & molendina, stagnaque aquarum quæ multo fastu exstruxerat, & exaltatus erat usque in cœlum. Sicque deleta est omnis possessio illius, ut fieret parabola & proverbium cunctis post futuris generationibus. Sed & in ministros seditionis Aimone de sancto Christophoro, qui dicebatur insanus, Petro, qui prænominatus est de sancto Petro, Aimone de Phalesiâ, Roberto de Furno, Renaldo Daudet, Galterio Normanno, Roberto de Campo-petroso, Duranno Gulos, Alardo Claudo, & Petro Galimardi, censura justissimæ ultionis pertransiit, & domus eorum funditùs eversæ atque succensæ sunt, bonaque eorum quibus malè abusi fuerant, direpta. In cæteris autem, hoc est, Eustachio, Simone, Duranno, Alburno, inque David, & Hugone Fricante-panem, & Felice, aliisque ipsorum complicibus pietas Abbatis sententiam suam moderata est, & vina tantùm eorum à fidelibus Ecclesiæ transfusa sunt. Inventa sunt præterea scuta & arma diversi generis inter spolia direptarum domorum. Et conjecti sunt plures in vinculis, donec Regis judicium super eos decerneret; & humiliata est superbia impiorum, & cognovit se subactam insolens rusticitas Vizeliacensium. Et vidit tyrannus quoniam prævaluit justitia, & confusa est impietas, nec erat ei auxilium quo ferret opem deceptis, & verebatur eos, nec poterat sustinere aspectum illorum: quoniam arguebatur ab ignaviâ suâ, & torquebatur à conscientiâ suâ. Attamen impios se se volentes reddere, & ad arbitrium Abbatis satisfacere prohibuit, promittens eis pro voto pacem affuturam; & quia confundebatur pro eis intercedere, ne contrà jusjurandum eos juvare videretur, cogitavit consilium irritationis in Deum, & blasphemus erga cultum pietatis, assumpto baculo & perâ, quasi B. Dionysii petiturus oracula, cujus instabant solemnia, profectus est ad Regem. A quo requisitus causam sui adventûs, peregrinum se B. Dionysii Martyris mentitus est. Captato denique Regis colloquio, procidit ad pedes ejus, & ut exulibus parceret illis, parceret etiam Vizel. Monasterio, quod destituto viro desolatum iri constaret, affectuosissimè deprecatus est, jurejurando etiam & obtestando pollicitus est, se in præsentiâ Regis homines illos adducturum, & eos ad arbitrium Regiæ pietatis, Abbati & Ecclesiæ satisfacturos, ac perpetuæ pacis fœdus firmaturos.

Comes multa Regi fraudulenter suggerit: quibus decurrit Abbas.

Motus igitur Rex precibus istis, statuit ei diem apud Altissiodorum, scilicet tertiâ die post festum Omnium Sanctorum, & designavit Abbati petitiones & pollicitationes Comitis, petivitque ut interim parceret domibus eorum usque ad diem condictæ concordiæ. Quibus auditis Abbas significavit protinùs Floriacensi & reliquis amicis suis mandatum Regis & condictum Comitis, petiitque ut futuro secum adessent colloquio. Cæteri autem Optimates, cum quibus pro causâ Vizeliacensi Rex indixerat colloquium, renuntiaverant Regi; nullatenùs se affuturos ubi Nivernensem adesse prænoscent. Quo cognito tyrannus, & hac etiam improbitate suâ impudenter uti voluit: iterumque festinus ad Regem venit postulans ut diem & locum indicti colloquii de causâ Vizeliacensi accelerando præveniret, causatus inimicorum suorum insequutionem, à quibus se defendere oporteret. Sperabat etenim quòd si nudum consilio & solitarium absentiâ suorum amicorum Abbatem inveniret, facile suadibilibus dolis eum flecteret. Sed tritus fallaciis illius animus, non potuit decipi incautus. Credidit tamen ei Rex, & scripsit Abbati ut ipsâ die Omnium Sanctorum apud sanctum Julianum de Saltu indicto colloquio adesset, pacem facturus, pacemque recepturus, si congrua offerretur. Ad quod Abbas inito consilio respondit, tam præpropere se non posse occurrere, quippe qui ad primitùs designatum diem amicos suos vocaverat, quorum consilio & facturus & accepturus pacem esset, si congrua offerretur; quem præsertim non decebat tantum & tantæ causæ solum subire colloquium. Quo audito Rex justum esse dixit Abbatis responsum, sicque fieri jussit ut priùs fuerat constitutum.

Condictâ die Autissiodori congregantur Rex, Abbas, &c.

Die igitur statutâ Jovis post festum Omnium Sanctorum convenerunt pariter apud Altissiodorum Rex & Abbas cum Optimatibus & amicis; Comes quoque cum Vicanis Vizeliaci: & sedens Rex posterâ die quæ nuncupatur Veneris, interrogavit Burgenses quidnam facere mallent. At illi respondentes, omnia se facturos secundùm beneplacitum miserationis illius dixerunt. Dictum est igitur ex sententiâ Regis, ut conspirationem & mutuam confœderationem quam fecerant, quoquo pacto fecissent, penitùs abjurarent: illos, qui pueros Ecclesiæ occiderant, ubi ubi repertos aut caperent si possent, aut clamore & indicio quo possent, proderent. Fidelitatem & vitam, salutemque membrorum Abbatis & suorum, Ecclesiæ & suorum, suprà sacra jurarent, & summam XL. millium solidorum pro illato damno penderent, munitiones & antemuralia domorum dato termino ad festum usque sancti Andreæ diruerent, & hæc omnia bonâ fide integrè se facturos jurarent. Tum illi jam fractâ cervice domiti & humiles effecti, ita se facturos spoponderunt, & Abbatem ut Dominum suum se veneraturos & conservaturos juraverunt; ipsa etiam statuti juramenti sacramenta, statim ibidem qui affuerunt, fecerunt; scilicet Guibertus Lotariensis, Hugo Fricans-panem, Durannus Alburni, & alii ferè ampliùs quàm XL. Et reversus est Abbas Vizeliacum cum hominibus suis jam de perfidis factis fidelibus. Et ingressi sunt cum eo, lætitiâ & tripudio magno exultantes, habitaveruntque in pace, ut feræ mansuefactæ. Porrò illi qui erant circumquaque diffusi, auditâ pacis conditione gavisi sunt, & revertentes confluebant quotidie catervatim ad jusjurandum & ditionem. Con-

Damnantur denuò Oppidani Vizel.

stituit autem Abbas ex ipsis quæstores, qui exigerent à singulis impositam pecuniam; tali moderamine, ut appreciatis per obligationem jurisjurandi singulorum possessionibus, redactisque in summa pensitationibus de librâ persolveretur pars decima, hoc est duo solidi redderentur de viginti; nec fuit in his omnibus qui resisteret, vel aperiret os contradicendo, quoniam ablatum est cornu superbiæ illorum, & contrita est virga fortitudinis eorum, & redintegrata est per manum eximii Abbatis Pontii libertas Ecclesiæ, & confusi sunt omnes prostitutores pudicitiæ illius. Verumtamen antemuralia domorum evertere dissimulantes neglexerunt, quoniam hoc præceptum in scandalum erat illis, & quasi aculeus terebrans oculos eorum.

Peractis autem Dominicæ nativitatis Kalendis, vocavit eos Abbas, monuitque ut juxta compositionem pacis, quod necdum fecerant perficerent, de diruendis munitionibus domorum. Constituitque illis terminum quo jussa complerent. Iterum dissimulantes cum interminatione commonuit, & si ultrà factis obaudire negligerent, iram suam eos experturos fore prædixit. Mittebantur autem frequenter Abbati Epistolæ precatoriæ à Principibus regionis, maximè pro Simone, ne contineret in irâ misericordiam suam super eum, sed magis misereretur, parceret domui illius, quæ utique causa erat & initium malorum. Unde & ipse impius Simon plurimùm præsumens de gratiâ & familiaritate Principum, suadentem Abbatem ut præcipitaret quod malè ædificaverat, contemsit, addiditque contumeliam contemptui, & ædificavit propugnacula, & munitionem inceptæ turris. Ut igitur vidit Abbas quòd vestigium contumaciæ, & gloria superbiæ ipsorum esset in domibus illorum, accersivit agrestem multitudinem de possessionibus Monasterii, & Sabbato post Hypapante Domini misit eos & quosdam de Fratribus in domum impii Simonis, præcipitaveruntque funditùs antemuralia ipsius, propugnacula, & turrim, sedente ipso Simone ad ignem in ipsâ domo, cum uxore & liberis suis. Quod videntes cæteri timuerunt valde, & ingemiscentes erubescebant, dederuntque obsides pro evertendis munitionibus infrà constitutum tempus.

Plectit Abbas renuentem se subjicere suis decretis.

Divinæ humanationis anno quinquies undecimo, atque vicies quinquagesimo quinto, Pontificatûs verò Apostolici Nicolai, qui nuncupatus est Adrianus, anno 2. Regnante, & agente pio Rege Francorum Ludovico Juniore, data est requies Vizeliacensi Ecclesiæ per manum inclyti & clarissimi Abbatis Pontii, genere & moribus ac dignitate præstantissimi, & obtinuit Ecclesia integerrimam atque liberrimam libertatem suam, tam in privato quam in forensi negotio. Nam in privato, superstite adhuc æmulo, invitatus est à prædicto Abbate Alanus Altissiodorensis pius Episcopus, & celebravit apud Vizeliacum solemnes Ordines in Oratorio B. Dei Genitricis & semper Virginis MARIÆ, Sabbato Jejuniorum mensis Martii, assistente in Monasterio Cardinali Subdiacono Odone de Bona-Casa, fecitque inspectâ Romanorum privilegiorum auctoritate Acolythos tres, Subdiaconum unum, Diaconos quatuor: porrò ad Sacerdotii gradum sex Fratres promovit, præsente & cooperante Stephano Abbate de Rigniaco. Sequenti anno, anno scilicet pacis & victoriæ, duo Episcopi, videlicet Cenomanensis & Ebroïcensis, venientes à Româ cum Abbate S. Albani apud Vizeliacum Pascha sanctum fecerunt; qui rogatu Venerabilis Pontii sanctarum Vigiliarum persolventes officium, sacros Ordines solemniter celebraverunt. Et Ebroicensis quidem Ostiarios, Exorcistas, Lectores, Acolythos in Oratorio Theotocou MARIÆ ordinavit. Cenomanensis verò septem Subdiaconos & unum Diaconem fecit, Presbyteros autem quinque consecravit. Et in his omnibus obmutuit adversarius jugulo invidiæ confossus, & auctoritate justitiæ dejectus. Eodem sabbato accepit Abbas Pontius sanctum chrisma ab Archipresbytero Altissiodorensi.

Tandem an. 1155. obtinet suam libertatem Vizeliac. Ecclesia: ac petente Abbate Ordines conferuntur.

Porro in forensi causâ, primò quidem de perfidis proditoribus & servis rebellibus non ex jure neque ex consuetudine, sed ex necessitate per manum Regis auctoritate Apostolicâ liberum jus justitiæ obtinuit Ecclesia. Deinde per manum Abbatis Pontii tam suas quàm suorum causas potestativè in propriâ curiâ dijudicavit, nec unquam vel usquam cujusquam laïcalis vel clericalis personæ arbitrium jurijudicii intercessit: & annulata est omnis calumnia, quoniam possedit calumniatores confusio & ignominia, & defecit inimicus, quoniam prævaluit justus.



HISTORIÆ VIZELIACENSIS, LIBER QUARTUS.

SICUT Patres thezaurisant filiis in incremento prædiorum & pecuniarum, ita priorum providentia thezaurisat sequentium notitiæ in descriptione librorum, & commendatione gestorum. Scriptis namque mediantibus præterita quodammodo junguntur futuris, dum litera repræsentat quod antiquitas abduxerat. Descriptis itaque superioribus libellis de dignitate & exordio atque libertate Vizeliacensis Ecclesiæ, laboribus etiam quos pro justitiâ libertatis suæ constanter & infatigabiliter sustinuit, ad ea quæ desunt non supplenda quidem, sed prosequenda, ut pote visu & auditu experta, stylum ducimus, & piorum patrum piis filiis æmulandam probitatem describimus, quatenùs obtinere non negligant, quod patrum strenua sagacitas non absque gravibus laboribus acquisivit. Devictis igitur omnibus adversariis libertatis Ecclesiæ Vizeliacensis, obtinuit venerandæ & semper recolendæ memoriæ Abbas Pontius integræ dignitatis fastigium, & quasi renovato jure totum penitùs abolevit quidquid erroris livor servilis induxerat, & pace adeptâ per quinquennium pacificè postmodum rexit in virgâ æquitatis Monasterium suum.

Anno autem Verbi incarnati Millesimo centesimo quinquagesimo nono, orta est, proh dolor! fœda dissensio in Romanâ Ecclesiâ. Mortuo etenim Adriano Papa, generali consilio & universali consensu electus est sacri Scrinii Cancellarius Rollandus. Quo humiliter tantùm onus suscipere dissimulante, interim Octavianus unus ex Cardinalibus Apostolicis, & inter Senatores urbis nobilior, Apostolica insignia sibi fraudulenter præripuit, & Apostolicum honorem, proh nefas! usurpavit: neque divina neque humana jura reveritus, tres tantum sui schismatis fautores habens de toto Apostolico Consistorio, scilicet Ismarum Tusculanum Episcopum, & Guidonem Cremonensem, atque Joannem de sanctâ Martinâ; quorum Ismarus & Joannes schismatici mortem in schismate prævenerunt. Ut autem cæteri Cardinales schismaticam usurpationem cognoverunt, protinùs cum Electo suo, Alexandro cognominato, atque ab Humbaldo Hostiensi Episcopo consecrato,

An. 1159. Schisma exortum in Ecclesiâ.

ab urbe sunt egressi. Et factum est grave schisma in Occidentali Ecclesiâ, Germanico Imperatore Octaviano, qui dictus est Victor, Siculo autem Rege favente Alexandro Catholico. Et misit Alexander Legatos suos in Galliam, & in Insulas Britanniæ, ad Regem Francorum Ludovicum, & ad Henricum Regem Anglorum, atque ad omnem utriusque Regni Ecclesiam: videlicet Guilelmum Papiensem, & Henricum Pisanum, atque Ottonem de Tulliano Carcere. Qui transeuntes Italiam cum à Cluniacensi Monasterio nequaquam reciperentur, primus & præcipuè omnium Gallicanarum personarum suscepit eos dignæ memoriæ Abbas Pontius Vizeliacensis, & Catholicam Orthodoxi Alexandri electionem universis utriusque ordinis Principibus commendavit. Igitur Alexandro ab utroque regno suscepto, scripserunt Legati Cluniacensibus pro susceptione Alexandri. Præerat eo tempore Cluniacensi Ecclesiæ Hugo prudens moribus, & simplex ingenio. Is convocato ex more talium negotiorum Capitulo, de susceptione Alexandri Fratres suos consuluit: at illi Patris Hugonis exosam habentes prælationem, cùm dentem invidiæ in personam innocentis nequirent infigere, versuto usi consilio, cum contestatione interdixerunt ei tam Catholicum quàm Schismaticum suscipere; ne forte dum, ut assolet in talibus, victo faverent, victoris odium incurrerent; ne verò dolosi potiùs quàm salubris consilii periculum suspectum haberet, idem sapere, & eadem subire cum eo unanimiter quidquid exinde contigisset adversi spoponderunt. Cum autem Cluniacum accedere, & in schismaticos ferre sententiam Apostolici Legati formidarent, miserunt Henricum tunc Belvacensem, postea verò Remensem Episcopum, qui propter germanitatem Ludovici Regis tutiùs ad partes illas accedere, & delegatum sibi ab Alexandro per prænominatos Legatos Apostoli Petri gladium exerere posse videbatur. Qui cum accessisset, & apud Luzium convenisset, superque Cluniacenses ponere sententiam anathematis disponeret, rogatu Dalmatii & aliorum terræ illius Principum distulit, & scripsit Cluniacensibus, exhortans ut resipiscerent, & ut Alexandrum, sicut alia Franciæ Monasteria, susciperent; alioquin delegatâ sibi auctoritate Apostolicâ sententiam excommunicationis tam super ipsos, quàm super omnes fautores eorum ulteriùs promulgare non differret; & assignato die apud Melidunum, cum neque ipse Abbas Cluniacensis fraude detentus à suis, neque responsales ejus adessent; porrò æmuli Abbatis ex adverso starent, Theobaldus scilicet Prior sancti Martini de Campis, qui aliquando post Abbatem Prioris locum in Monasterio Cluniacensi tenuerat, & alii plures qui videbantur esse capita Ecclesiæ suæ, ipsum Abbatem suum tamquam parricidæ filii patrem accusantes, & culpam schismatis à se removentes, quippe qui se & commissa sibi Monasteria subjectioni & protectioni Catholici Alexandri committerent, ipsis faventibus Hugonem Abbatem Cluniaci, & omnes subditos & fautores illius publicè excommunicavit.

Renuunt Cluniacenses Alexandro Papæ adhærere.

Excommunicantur.

Vocatus fuerat ad hoc colloquium sanctæ memoriæ Pontius noster meritò Abbas nominandus, quibusdam annuentibus, ut extruso Hugone is Monasterio Cluniacensi præficeretur. Sanè beata & gloriosa Dei dilectrix Maria Magdalene, cui devotus devotum semper exhibuerat famulatum, hunc à candelabro suo, quo clarissimè irradiaverat, minimè evelli pertulit, retinuitque cum sibi etiam corpore, quem à puero enutritum & ab Angelorum Principe Michaële sibi concessum, totum ex integro sibi vendicans consecraverat, nec passa est inimicum libertatis sepulcri sui vel ad horam exultare de eo, ne fortè contrarius sibimetipsi existens, qui pro patriâ pugnaverat patriam quodammodo expugnaret, neve malitia de virtute virtutem prosterneret, & ignavia probitatem probitate dejiceret. Languore namque insperato detentus, vicesimo quarto anno ordinationis suæ viam universæ carnis ingressus est, & cum gravi luctu suorum ante sepulcrum famulatricis sepulcri Christi sepultus, raptus est, ut credi fas est, ne gloria humanæ probitatis mutaret intellectum illius. Quo assumpto protinùs Vizeliacensis Monasterii Fratres uno voco & communi assensu elegerunt sibi Patrem genere nobilem, probitate conspicuum, virum ab adolescentiâ sacris instructum disciplinis, tam in ipso ubi susceptus est Vizeliacensi, quam in Cluniacensi Cœnobio, videlicet Guillelmum Abbatem sancti Martini Pontisarensis, quod Monasterium ipse per XV. annos regens, possessionibus & ædificiis multis ampliaverat.

Pontio Abba. Vizel. vitâ functo, in ejus locum subrogatur Guillel. Abbas Pontisas.

His diebus Nivernensis Comes Guillelmus, filius Guillelmi Cartusiensis, filii Renaldi de Hubenc, filii Guillelmi, filii Renaldi, filii Landrici, qui primus hujus generis Principatum Nivernis à Comite Burgundiæ suscepit: hic, inquam, Comes post multa gravamina quæ, uti in superiore volumine partim comprehensa sunt, Ecclesiæ Vizeliacensi intulit, gravi morbo correptus, calicem divinæ ultionis prægustabat. Ut ergo audivit filius ejus Guillelmus quòd Vizeliacenses Abbatem sibi elegissent, genuinâ insolentiâ ratus omnia nutu suo constare, Vizeliacum venit in irâ multâ & in furore magno, & interdixit Fratribus electionem se absente & inconsulto patre suo factam; posuitque custodes ne quis de Vizeliacensibus transiret ad Electum. Sed quàm pravo & irrationabili consilio hoc fecerit, manifestant Romanorum Pontificum munimenta, & Francorum Regum privilegia: avi quoque sui, qui simili arrogantiâ electionem Renaldi Abbatis, postmodum Lugdunensis Archiepiscopi, calumniatus est, exemplar subscriptum declarat. » Ego Nivernensis Comes dimitto Deo & Beatis Apostolis Petro & Paulo, & Beatæ Mariæ Magdalenæ quamdam pravam consuetudinem, quam in Vizeliacensi Ecclesiâ exigebam; scilicet ut de electione Abbatis ejusdem loci nullus ulteriùs à me vel heredibus meis sive successoribus meis requiratur consensus, sed eum qui electus fuerit, prædicta Ecclesia habeat, ita ut nullus nostrûm possit aliquid calumniari, vel de consensu à nobis non acquisito aliquid ab Ecclesiâ exigere. Sed & tam de introitu quàm de exitu Abbatum promitto me nihil ulteriùs calumniaturum. «

Ne sortiatur effectum electio, obicem ponit Comes Nivern.

Consensus Comitis in eligendo Abbate haud requirendus.

Vizeliacenses igitur postpositâ juvenis Comitis injustâ calumniâ, Renaldum Merlotensem ad convocandum Electum suum miserunt: qui cum venisset, neque Monasterium introire, neque solemnem Fratrum processionem suscipere voluit, ne minùs per ostium ingressus videretur: cum hujusmodi translatio de Monasterio ad Monasterium, vel de Ecclesiâ ad Ecclesiam inconsulto Pontifice Romano nequaquam authentica esse decernatur. Unde Vizeliacenses per Gaufredum Hospitalem scripserunt Ottoni Cardinali & Legato Apostolicæ Sedis, insinuantes ei modum electionis, & personam electam. At ille perlectis Apostolicis privilegiis, electionem sanam comprobavit, & eam fore ratam vice Apostolicâ confirmavit, ipsique Electo commisit curam Vizeliacensis Ecclesiæ ex parte Domini Papæ, per manum Petri Pisani Decani sancti Aniani Aurelianensis. Et ingressus est Guillelmus Abbas Vizeliacum, totius populi favore, & Fratrum solemni processione susceptus, habens secum Macharium Floriacensem, Theobaldum sancti Germani de Patris, Stephanum

Confirmat electionem Cardinal. Legatus.

Init possessionem Abbas.

Rigniacensem,

Rigniacensem, Abbates. Et non post multos dies misit ad Alexandrum Papam prænominatum Gaufredum, & Joannem Italicum Clericum suum cum literis Capituli sui continentibus actionem electionis suæ, & literis Francorum Regis, literis etiam Regis Anglorum, atque Abbatum prænominatorum, personam electi & modum electionis commendantium.

Alexander Papa Januam appulit.

Interea Alexander Papa Octaviani schismatici declinans insidias, per mare appulit ad urbem Januensium. Quo audito nuntii Vizeliacenses profecti sunt illuc. Susceptique honorabiliter ab Alexandro, fuerunt cum eo in Palatio per dies aliquot: & sedens Alexander unà cum universo cœtu Cardinalium, adstante multâ frequentiâ multarum partium, Legatos Vizeliacensis Monasterii audivit, allatas ab ipsis literas suscepit, ordinationem Guillelmi Abbatis ratam habuit, eidem & fratribus universis ejusdem Monasterii privilegium fecit, in quo juxtà antiquorum Pontificum Romanorum exemplaria statuit, quatenùs Fratres Monasterii Vizeliacensis defuncto Abbate suo liberam electionem in substituendo successore haberent, & ne aliqua persona cujuslibet causæ religionisve obtentu quemlibet assensum de ipsâ electione sibi usurpare, vel quocumque modo requirere præsumeret. Hanc siquidem libertatem, cum per trecentos ferè annos ab ipso suæ fundationis principio Vizeliacensis Ecclesia quietè & absque calumniâ obtinuisset, tamque de suis quàm de aliorum Fratribus Monasteriorum sibi Patres indifferenter præfecisset: Cluniacenses longè post exorti per surreptionem sibi vindicare nisi sunt; assensum quidem primùm, deinde verò jus electionis sibi arrogantes, mentientes utique à Paschali traditam sibi curam ordinis Ecclesiæ Vizeliacensis ob quam prorsùs causam eadem Ecclesia sub Innocentio II. Papa grave scandalum pertulit reclamando libertatem ingenitam, dum per violentiam ejusdem Innocentii & Comitis Nivernensis intruso à Cluniacensibus quodam Alberico, ferè omnes sæpe fati Monasterii Fratres vinculis colligati, & per Provinciam, Italiam, Germaniam, Lotharingiam, Franciam, & Aquitaniam, hac illacque ignobiliter dispersi sunt, alienigenis subintroeuntibus in liberrimo solo, qui quasi sub Sennacherib undecumque congregati, unum superstitionis Samaritanorum nomen fecere.

Ratam habet Abbatis electionem; renovatque privilegia.

Cluniacenses usurpant regimen Cœnobii Vizel.

Quia ergo in tempore tentationis supercilium Cluniaci intumuit, & Monasterium quod hactenùs specialius Ecclesiæ Romanæ membrum exstiterat, à Romanâ unitate exorbitavit, jure placuit Apostolico examini, ut beati Petri uterina filia Vizeliacensis Ecclesia denuò Schismaticorum non subjaceret calumniæ, præsertim cum ipse Catholicus Papa Alexander æquè ut Paschalis, & quilibet alii Apostolici prædecessores sui, Deo authore, beati Petri clavibus frueretur, quibus merito fidei remittendum vel solvendum censebatur, quod aliquando sub obtentu religionis commissum vel ligatum prætendebatur. Ob insolentiam denique Cluniacensium non solùm in hac parte, imò etiam in toto corpore, libertas Ecclesiæ Vizeliacensis periclitabatur: nam cum adventitii præfati abundantiâ multâ abuterentur, & à vicinis locorum indigenis bonorum Ecclesiæ rapinam paterentur, desidiæ & ignaviæ potiùs quàm debitæ libertati consulentes, Comitem Nivernensem induxerunt, & sub specie familiaritatis materiam ei dederunt inconsuetæ tyrannidis & inusitatæ consuetudinis. Eorum etenim temporibus & indebitæ justitiæ exactio, & procurationum frequentia, occasionumque gravamina, atque malarum consuetudinum submissio inolevit; per quæ omnia nostris temporibus eadem Ecclesia penè ad nihilum redacta est: paulatim enim serpendo pestiferum virus tam Cluniacæ servitutis quàm Comitis tyrannidis, à plantâ pedis usque ad verticem omnes illius ævi seniores infecit usque ad beatæ memoriæ Pontium, quem fecunda virorum illustrium Arvernica nobilis tellus protulit, & hunc de quo in præsentiarum agitur, Guillelmum de Mello, quem strenua Caroli Magni de Rupe Merioti proles edidit. Hi nempe verè filii veræ matris vicem doluerunt, & pro justitiâ illius ad sanguinem restiterunt.

Igitur Alexander Papa egressus ab Urbe Januensium, in portu Magalonæ applicuit: cui prænominatus occurrens Guilelmus Abbas Vizel. quemadmodum prædecessor illius Pontius primitias legationis Apostolicæ, non absque suorum & quorumdam Magnatorum invidiâ susceperat; ita & hic ipsum Summum Pontificem à littore maris prodeuntem omnium Sacerdotum Galliæ prior excepit, & invenit gratiam in conspectu Alexandri, & magnificavit eum. Alexander coram frequentiâ totius Romanæ Ecclesiæ, & iterum retractato Comitis Gerardi testamento, munimentis etiam antiquorum privilegiorum collatis cum modernis, immunitatem libertatis Ecclesiæ Vizel. & libertatem eligendi vel substituendi Abbatem communi consilio & voluntate, atque arbitrio omnium Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Cardinalium, Alexander Papa in Consistorio Montis Pessulani juxtà subscriptum exemplar confirmavit.

Privilegia Vizel. Ecclesiæ confirmat Alexander Papa; eamque eximit à potestate Cluniacensium.

« ALEXANDER Episcopus S. SS. Dei, Dilectis filiis Willelmo Abbati Vizel. Monasterii, ejusque « Fratribus tam præsentibus quàm futuris Mona- « sticam vitam professis in perpetuum. Sacro-san- « cta Romana Ecclesia, quæ unicuique respondet « pro suorum qualitatibus meritorum, eos quos fi- « deles reperit, benigniori tractare gratiâ consuevit, « & quos ferventiores circà suum obsequium in- « tuetur, honoris prærogativâ est solita decorare. « Antecessor autem noster bonæ memoriæ Paschalis « Papa, sicut ex privilegio prædecessoris nostri fe- « licis recordationis Calixti Papæ cognovimus, Vizel. « Monasterium, quod propriè ac specialiter B. Petri « juris existit, Cluniacensis Ecclesiæ fervorem reli- « gionis, quæ tunc temporis inibi habebatur, at- « tendens, cum religio in eodem Vizel. Monaste- « rio tunc ex parte maximâ deperisset, commisisse « dinoscitur, & prædictus Calixtus Papa idipsum « auctoritatis suæ privilegio confirmasse; ita quidem « ut obeunte Abbate, qui ibidem esset pro tempore « institutus, alius ibi deberet communi Fratrum « consensu, vel partis consilii sanioris, Cluniacen- « sium Abbatum consilio subrogari. Nos verò de- « votionis vestræ constantiam, & fidei firmitatem, « quam in hoc tempore procelloso tam vos quàm « bonæ memoriæ Pontius Vizel. Abbas, circà Rom. « Ecclesiam habuistis, diligentiùs attendentes: con- « siderantes etiam quàm manifestè Cluniacensis Ec- « clesia tempore hujus turbationis erraverit, & quo- « modo à pristinâ religione & honestate corruens, « ab unitate Ecclesiæ se fecerit alienam: prædicto « Monasterio vestro in devotione & fide Ecclesiæ fir- « missimè permanente, & religione per Dei gratiam « ibidem plenariè restitutâ, ut utraque Ecclesia fru- « ctum videatur pro meritis reportare, commissio- « nem illam, quam idem antecessor noster Paschalis « Papa fecerat, de communi Fratrum nostrorum con- « silio duximus revocandam statuentes ut idem Mo- « nasterium Cluniacensi Ecclesiæ in nullo penitùs « subjacere debeat, nec alicui teneatur nisi tantùm « Rom. Ecclesiæ respondere; & electionem ita libe- « ram per omnia habeatis, ut Cluniacensium Ab- « batum consilium vel consensus nullomodo requi- « ratur; imò illum vobis in Abbatem dari volumus «

„ & præponi, quem Fratres communi consensu, „ vel Fratrum pars consilii sanioris, secundùm Dei „ timorem, & B. Benedicti institutionem elegerint, „ & Romanus Pontifex aut prævideri t ordinandum, „ aut suggestione Monachorum ejusdem loci con„ senserit ordinatum. Ut autem hæc nostra institu„ tio futuris semper temporibus inviolabiliter obser„ vetur, eam auctoritate Apostolicâ confirmamus, „ & præsentis scripti privilegio communimus: sta„ tuentes ut nulli omninò hominum liceat hanc pa„ ginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ali„ quatenùs contraire. Si quis autem hoc attentare „ præsumserit, secundò, tertiove commonitus, nisi „ præsumtionem suam dignâ satisfactione correxe„ rit, potestatis honorisque sui dignitate careat, „ reumque se divino judicio existere de perpetratâ „ iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & „ sanguine Dei & Domini nostri Jesu-Christi alie„ nus fiat, atque in extremo examine districtæ ultio„ ni subjaceat. Servantibus autem sit pax Domini „ nostri Jesu-Christi, quatenùs & hîc fructum „ bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judi„ cem præmia æternæ pacis inveniant, Amen.

Abbas humaniter à Papa exceptus ad propria redit.

Et cum fuisset Abbas Guillelmus cum Apostolico Alexandro dies plurimos, gratiâ & benedictione illius auctus cum favore Romanæ totius Ecclesiæ recessit ad propria, & regressus cum magnâ gloriâ receptus est à Fratribus suis, & ab omni populo suo cum solemni processione in ornatu platearum & fumo thymiamatum, & factâ, ut moris est, oratione, obtulit duos pretiosos pannos sericos, & duo optima tapetia: & confusi sunt omnes adversarii libertatis Ecclesiæ Vizel. & insurrexerunt viri linguosi, & quibus proprium est bonorum invidere prosperis, cœperuntque detrahere Guillelmo Abbati apud Comitem juvenem (nam pater vitâ excesserat) quasi Guillelmus omnia bona Ecclesiæ dilapidasset, & infinitam pecuniam Romanis dedisset; dicentes impium esse tam nobilem Ecclesiam dissipari, impietatem verò ipsam in caput Comitis meritò redundare, qui cum tutor & defensor existat Ecclesiæ tantæ illius depopulationi non obsistat.

Famæ ejus detrahunt òsores.

Erat autem juvenis quidam nomine Guillelmus, filius Petri de Monte-Regali inter ministros Abbatis Pontii, ætate quidem junior, sed ingenio acrior; hic sensu astutus, & obsequio gratus, tantam apud Pontium obtinuit gratiam, ut potentiâ cunctos excelleret Aulicos, & dominandi secundum ferè vindicaret locum; quem excludebat, excludebatur; & quem admittebat, admittebatur; quem justificabat, justificabatur; & quem condemnabat, condemnabatur; justum & injustum, munus & meritum, ipsa quoque gratia, quâ nihil clariùs in omni fortunâ, absque Guillelmi favore nihili pendebantur: factique sunt extranei, quos olim & ætas & sapientia Pontio familiares fecerat. Cumque puerilibus animis majora majoribus præsumeret, etiam Fratribus detrahere cœpit, proprios accusans Dominos, servus conditione & moribus: exclusisque omnibus solus solo nomine Domini sui gratiâ abutebatur, fasque nefasque unius erant pretii apud eum, qui totus incumbebat de penuriâ pauperum dilatare terminos suos, & abusus fiduciâ Domini sui pro centenario tricenarium reddebat, & pro denario centenarium recipiebat: multiplicatusque est vehementer in possessionibus multis & pecuniis innumeris, & actus omnium in ore illius. Unius tantum gratiâ abutendo contentus, omnium simul intùs & extrà odium concitavit. Homo quippe superbus & arrogans atque impurus, honestos quosque & probatissimos viros despiciebat, accusabat, & dehonestabat; adeo quippe simplices pii patris animos circumvenerat callidis adulationibus, ut totum ei concederet quod huic quocumque modo placeret. Elatus igitur & miro modo suprà semetipsum juvenis erectus, cum per quadriennium ita insolesceret potiùs quàm convalesceret, unius uno momento noctis repente miser corruit & crepuit, & effectus est quasi qui nec fuerit, & utinam nec fuisset: nam cum felicis memoriæ Pontius Abbas extremum vitæ spiritum efflasset, servus proditor, qui præ dolore commori debuerat, postpositis exequiis protinùs claves tulit, armaria spoliavit, & quidquid rapere potuit, clam asportavit. Cumque tam sacrilegum furtum sæpiùs reiterasset, deprehensus à Fratribus & comprehensus est. Inquisitus autem super thesauros Abbatis, & de candelabro aureo, quod Imperatrix quondam Mathildis mater Regis Angelorum Henrici Monasterio Vizel. dederat, omnia negavit; & scrutatâ domo illius, tandemque negatâ clave à familiaribus illius receptâ, repertum est illud quod negaverat candelabrum, sigillum quoque Abbatis, simul & sigillum Capituli, quod jam per biennium Fratres latuerat. Facto autem mane dedit Fratribus obsides super quingentas libras pro exequutione justitiæ tenendâ in manu futuri Abbatis, qui eâ ipsâ die depositionis venerabilis Pontii concorditer electus est, anno divinæ Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo primo VI. feriâ, XIV. die mensis Octobris

Interea profanus Guillelmus de Monte Regali accessit ad juvenem Comitem patris exequias celebrantem, qui octavo die obitûs pii Pontii vitam humanam finierat: cumque multa mentiendo præstrueret, spopondit Comiti novo octoginta libras, decem septemque scyphos argenteos, si ei adversùs Vizeliacenses auxilium præberet, & singulis etiam annis duas marchas argenti Comiti pro commendatitio daret. At ille compromisit ei contrà omnes petitum auxilium.

Recepto igitur solemniter electo Abbate Guillelmo, clamaverunt omnes pariter adversùs Guillelmum de Monte-Regali, qui præsumens de auxilio Comitis justitiam exequi detrectabat. Unde jussus ab Abbate Guillelmo comprehendi, carceri mancipatus est. Tunc ille solitâ usus versutiâ, cum sperato careret auxilio, Abbatibus qui forte ad novi Abbatis introitum convenerant, Floriacensi scilicet & Parisiacensi cœpit supplicare, atque sub obtentu confessionis, quam detegere sacerdotibus fas non est, requisitos thesauros in quantum nosset propalare, contestans se stare deffinitioni eorum de objectis capitulis si novus Abbas acquiesceret, qui parens illorum precibus & consiliis dixit se quoque idem facturum: statimque in ipso crepusculo noctis allatæ sunt Sanctorum reliquiæ in virgulto Abbatis, & productus impius Guillelmus de carcere, juravit super sancta quòd faceret quidquid sequenti mane præscripti Abbates deffinirent, & quòd interim nusquam diffugeret. Sed in perfido quæ fides, nullum est enim veritatis vestigium, ubi non est fidei fundamentum. Ut autem vulgo dicitur experto non esse credendum inimico, ita & proditori juranti nulla fides est adhibenda; jurat ore profanus, ore justitiam, sed loquitur ex corde in corde nequitiam, & decidens in profundum malorum contemnit justitiam, sequiturque impietatis propositum. Sic iste sceleratus Guillelmus spreto jusjuramento, postpositâ etiam fide obsidum impudenter ipsâ nocte perjurus aufugit. Quod cum Abbas Guillelmus audisset, & rei exitum comprobasset, statim misit ministros suos in domum fugitivi proditoris, & tam frumenta quàm vina, vasa quoque & pannos, atque universam supellectilem domûs asportari fecit,

pollicitamque pecuniam quingentarum librarum à fidejussoribus exegit. Sacrilegus verò clam profugit ad Comitem, à quo receptus, post paucos etiam dies ab eo Vizeliacum reductus est. Unde cum Comes interpellaretur ab Abbate quare perfidum fugitivum suum suscepisset, & Vizeliacum contrà morem villæ reduxisset; cui utique non liceret de jure neque commendatitium hominem Monasterii suscipere, neque cuiquam inimico villæ in eà conductum præstare: de his & aliis capitulis terminandis constituerunt diem apud Regniacum; ubi cum convenissent, primùm conquestus est Abbas quòd Comes extrà morem Ecclesiæ homines suos commendatos susciperet; petiitque ut hunc fugitivum suum Guillelmum de Monte Regali, qui capitaneus servus Ecclesiæ existebat, incunctanter sicut de perditione & perjurio convictum sibi redderet. Tunc Comes Optimates suos requisivit super propositam de jure consuetudinis calumniam. At illi omnes unanimiter dixerunt nullum habere Comitem in hominibus Ecclesiæ Vizel. commendatum, neque adversùs Ecclesiam, neque alio quolibet modo. Protinùs Comes dimisit versipellem Guillelmum, & jussit eum redire ad legitimum Dominum suum, & per omnia illius stare mandato: & ut vidit quòd nihil profecisset, præcepto Abbatis vellet nolletque se submisit. Domo igitur cum aliquibus ex suis possessionibus distractâ, obsides suos liberavit.

Preces fundūt adDeumMonachi Vizel. pro Comite Nivern.ægro; qui ingratum se nihilominùs exhibet.

Post hæc contigit Comitem infirmari usque ad mortem. Cui Abbas Willelmus valde compassus, ut potuit, quamquam exosus ab eo, gratis ei obsequutus est: & oratio fiebat quotidie ab Ecclesiâ Vizeliac. ad Deum pro eo. Sed cum illâ orante convalesceret, ingratus oblitus est omnium beneficiorum quæ sibi ab Ecclesiâ, vel ab Abbate exhibita sunt. Et patulas aures linguis apponens detrahentium, recogitabat quibus occasionibus Abbatem vel Monasterium fatigaret. Scripsitque Abbati ut pecuniam, quam profanus Guillelmus de Monte-Regali cognomitatus sibi ex compromisso debebat, sibi redderet. Deditque in mandatis Nuntio qui ejus literas deferebat, ut si pecuniam reddere Abbas differret, vel dissimularet, terram Abbatis illicò deprædaret. Quâdam ergo die Dominicâ, epistolam Comitis super præfatum negotium Abbati Nuntius obtulit (dicebatur autem nuntius ille Gaufridus de Meliduno) cui protinùs Abbas respondit nullam omninò pecuniam se Comiti debere: si quid verò impius Guillelmus Comiti deberet, ab eo indubitanter reposceret. Respondit Gaufridus nil suâ interesse, nisi Domini sui tantummodo mandatum perficere. Numquid ergo, ait Abbas, hac Dominicâ bonorum nostrorum rapinam facies? non inquit Gaufridus, sed cras Domini mei præceptum dissimulare non potero. Si tamen ad Dominum meum mittere placet, proficiscar libens & ego cum nuntio, & pro causâ tuâ orabo: & cum ibidem, hoc est apud Campum-mollem, ab Abbate procuratus fuisset, & Abbatis nuntium quemdam Monachum iturum ad Comitem accepisset, in ipso itinere divertit à Monacho, & veniens ad Castrum Censorium elegit fortissimos juvenes, statimque ipsâ Dominicâ jam advesperascente omnes greges ovium Abbatis apud Campum-mollem, ubi eâ die cum Abbate comederat, deprædatus est. Nec mora, ultio eum divina sequuta est: nondum quippe septem diebus transactis amentiâ captus, de fenestrâ domûs suæ saltum dedit in subjacenti flumine Yonæ: unde semivivus extractus propria cœpit membra laniare, sicque insaniendo vitâ indignus mortuus est. Conclamantibus autem Fratribus universis & omni populo Vizeliacensi adversùs Guillelmum sceleratissimum, quòd causâ illius, & tanti Principis inimicitias, & suorum deprædationem paterentur, præcepit eidem Guillelmo Abbas, quatenùs Comiti de compromisso satisfaceret, aut certè illata damna Ecclesiæ restitueret. Qui deficiens ab utroque, conjectus in vinculis carceri mancipatus est. Ferro igitur ligatus & tenebris obvolutus, censum pecuniæ fœtore carceris non potuit negligere, quinimò dulcius habuit omnem subire miseriam, quàm vel diminuere gratis pecuniam. Hac etenim pluribus in locis fœneratâ, squalorem carceris atque famis inediam, quodque gravius est, honestatis injuriam libenter perferebat: tandemque longâ carceris pressurâ coactus iterum distractis possessionibus pacem fecit, fuitque deinde quasi lupus inter oves circumveniens proximos, accusans pauperes, detrahens divitibus. Sanè Comes neque hujus miseriis neque suis malis contentus, armenta & pecora, hominesque Monasterii Vizel. prædari fecit: quia, ut dicitur in proverbio vulgari, Sola volenti nocere sufficit occasio; nullius justæ querimoniæ fretus ratione, occasiones quærebat qualiter Ecclesiam suo dominio subjugaret, & ab ingenitâ libertate spoliaret.

Ludovicus Rex Gal. partibus stat Alexandri Papæ à quo repulsam passus est.

His diebus occidentalis Ecclesia gravi schismate laborabat. Henricus autem Comes Trecensis partibus favebat Imperatoris. Porro Ludovicus Rex Galliæ misit in occursum Alexandri Catholici Papæ Legatos suos, Theobaldum Abbatem S. Germani de Pratis, & Carducum Clericum suum; quorum legationem cum minùs optato Alexander suscepisset, reversi Vizeliacum venerunt. Et decidit in lecto ægritudinis Theobaldus Abbas, & mortuus est IX. Kalend. Augusti, sepultusque infrà januam Basilicæ B. Mariæ Magdalenæ, cujus Monachus extiterat. Et ut cognovit Rex Ludovicus repulsam Legatorum suorum, iratus pœnituit se suscepisse Alexandrum contempto Victore, & scripsit per Manassem Episcopum Aurelianensem super hæc verba Comiti Henrico Trecensi, qui eo tempore ad Germanicum Imperatorem properabat. At ille gratulabundus pro oportunitate repertâ, suggessit Imperatori ut iniret colloquium cum Rege: adunatis utriusque regni Optimatibus, & Ecclesiasticis viris, contestatus jurejurando quòd Rex auditâ utriusque Apostolici electionis examinatione, juxtà discretionem personarum utriusque Regni, staret consilio suo, videlicet Henrici Comitis: & indictum est colloquium apud Lovigennam vicum citrà Ararim fluvium intrà fines Regni Franciæ. Et statutum est ut Alexander Catholicus & Victor Schismaticus colloquio adessent, & de suâ electione in conspectu totius Ecclesiæ conferrent. Quod ut cognovit Alexander, misit ad Ludovicum Regem Legatos, scilicet Bernardum Portuensem Episcopum, & Jacintum Diaconem suum, qui Regis iram lenirent, & familiare colloquium inirent. Convenerunt ergo Alexander & Ludovicus apud Silviniacum, qui est vicus Monachorum Cluniacentium. Rex autem Ludovicus rogabat Alexandrum, ut ad constitutum veniret colloquium; aut si forte præsentiam Imperatoris abhorreret, saltem ad partes illas accederet usque ad Vergiacum castrum, quod erat inexpugnabile. Cui cum Alexander nollet acquiescere: Ego, ait Rex, & te & universum Comitatum tuum salvum ducam, & reducam salvum sicut corpus meum. Et cum nec sic acquiesceret Alexander veritus dolos Imperatoris, respondit Rex: Mirum est quòd conscius justitiæ suæ subterfugit testimonium innocentiæ suæ, seu audientiam causæ suæ. Et abiit Rex ad indictum cum Imperatore colloquium: nondum autem cognoverat conditiones quas ex

Pontifex saniori consilio Legatos mittit ad Regem, qui ejus animum demulcerent.

parte suâ Comes Henricus fecerat cum Imperatore.

Convenit Rex ad colloquiũ cum Henrico Comite Trecensi qui Imperatori favensAlexãdro adversabatur.

Cum ergo venisset Rex apud castrum Divionem, occurrit ei Comes Henricus, & tum primùm aperuit ei pactiones quas cum Imperatore fecerat, dicens: Majestatis tuæ reverentiæ & Regni tui consulens utilitati, Domine mi Rex, inii colloquium super Ararim fluvium; quo tu Domine mi Rex, & Imperator Fridericus cum Pontificibus & Abbatibus atque Optimatibus utriusque Regni convenientes, præsente Apostolico tuo, & Imperatoris Apostolico, ex utrâque parte eligentur probatissimi viri tam Ecclesiastici quàm militares, qui electionem utriusque Apostolici dijudicabunt. Et si Rollanni electio fuerit sanior comprobata, Octaviani electio cassabitur, & Imperator procidet ad pedem Rollanni: Si autem Victoris electio prævaluerit, Rollannus annullabitur; Tu verò, Domine Rex, ad pedem Octaviani venies. Quòd si Octavianum deesse contigerit, Imperator ab eo deficiens Alexandro tuo obediet: si autem è converso Alexander defuerit, identidem decidet, & Rex Victori favebit. At verò si tua Majestas noluerit nec prædictis pactionibus acquiescere, nec arbitrio Judicum assensum præbere, ego jurejurando juravi quòd ad partes illius transibo, & quidquid de fisco Regis in feodum habeo Imperatori tradens, ab illo deinceps tenebo. Stupefactus Rex Ludovicus ad hæc respondit: Miror unde tibi fiducia, quòd me inscio, meque inconsulto talia cum Imperatore condixisti. Respondit Henricus: Hanc fiduciam tu Rex ipse per Manassem Aurelianorum Episcopum mihi dedisti: interrogatusque super hoc verbo Episcopus, timore Regis dissimulare cœpit, occultans machinationes quibus Henricum ad hoc induxerat. Tunc Henricus protulit epistolam Regis, quâ continebatur quòd Nuntii Regis repulsi fuissent ab Alexandro, ob quam rem indignatus Rex mandabat Henrico quatenùs ad Imperatorem Fredericum licenter procederet, & colloquium utriusque audientiæ iniret, certus quòd Rex per omnia illius consilio staret.

Aliud colloquium in finibus Imperii.

Fredericus autem Imperator ædificaverat sibi palatium miræ amplitudinis in loco qui dicitur Dolah, in finibus Imperii sui, & cognoverunt Franci quòd Schismaticus Victor non esset cum Imperatore; & lætati sunt super illius absentiam. Quo agnito Theutonici sive Germani currentes, adduxerunt eum cum festinatione maximâ eâdem die: quem assumptum Imperator, mediâ nocte duxit eum suprà pontis medium, statimque quasi pactionibus satisfecisset, recessit. Rex autem Ludovicus quasi venatum pergens, transiit per nemus ad locum colloquii, misitque Jocium Turonensem Archiepiscopum, & Mauricium Parisiorum Episcopum, Guilelmum quoque Vizeliaci Abbatem cum aliis Optimatibus Regni sui ad Nuntios Imperatoris, qui ibidem convenientes verbum Regis exspectabant. Inter quos etiam erat Comes Henricus, qui propter affinitatem cognationis, partibus omninò favebat Victoris Schismatici. Petierunt itaque Missi Regis ex ore ejus competentes inducias, eo quod pactiones hujus colloquii hactenùs usque perendie Regi fuissent incognitæ, præsertim cum Imperator compulerit Henricum Comitem jurare ne prædictas actiones ante diem constituti colloquii ullomodo manifestaret Regi: indecens autem fore tam temerè de tanto negotio diffinire. Cumque Imperatoris Frederici proloquutores petitas inducias negarent, reversus est Rex apud Divionem. Cardinales verò, quos illuc Alexander Papa miserat, sperantes solutum esse colloquium, Vizeliacum redierunt. Rex autem constituit qui custodirent fines Regni sui. Et sequenti summo mane

Nuntii Regis.

venit Comes Henricus ad Regem in Palatio Ducis Burgundiæ, allegans Regem nequaquam esse à pactionibus liberum, ideoque se necessariò discessurum ab eo, & sese traditurum in manu Imperatoris: ita ut totam terram, quam de feodo Regis hactenus tenuerat, amodo Imperatori traditam ab eo reciperet, & hominium illi faceret. Attamen ob gratiam Regis obtinuisse se dixit ab Imperatore trium hebdomadarum inducias, eâ conditione quòd Rex datis obsidibus polliceretur Imperatori ad diem se venturum, & Alexandrum adducturum, atque ibidem causam utriusque auditurum, & judicio proborum virorum Imperii & Regni pariturum, aut certè seipsum tradere vinctum Imperatori apud Chrysopolim, quæ est urbs nobilis Byzantinorum: & acquievit Rex, & defecit spiritus ejus, & tædiatus est animo, pactusque est ita se facturum, datis obsidibus. . . . . . . Duce Burgundiæ. . . . Comite Flandriæ, & Guilelmo Comite Nivernensi. Omnis autem Ecclesiasticus ordo audito hoc verbo quod fecerat Rex, doluit valde, & corde clamaverunt omnes ad Dominum ut misereretur Ecclesiæ suæ sanctæ, & liberaret Regem à fraude circumvenientium se.

Fallatiæ Imperatoris detectæ, à quo Rex descivit.

Abiit ergo Rex ad prænominatum vicum Lovigennæ, ubi Regi debebat occurrere Imperator; sed fefellit Imperator Henricum, misitque præcipuum fautorem schismatis, Renaldum Cancellarium suum Coloniensis Ecclesiæ. Cumque coram eo replicarentur pactiones, quas Comes Henricus ex ore Imperatoris proposuerat Regi, subitò divina virtus adstitit Ecclesiæ suæ, & piæ simplicitati Regiæ Majestatis. Respondit enim Renaldus profani erroris fautor, nequaquam Imperatorem talia dixisse, scilicet quòd cuiquam permitteret consortium judicandi Romanam Ecclesiam, quæ propriè sui juris existebat. Tunc repletus gaudio Rex, quæsivit ab Henrico Comite utrum se haberent pactiones secundùm formam ab eo sibi propositam. Et Rex: Ecce, ait, quòd Imperator qui juxtà verbum tuum adesse debuit, abest: ecce quòd etiam Missi illius formam pacti te præsente, te teste commutant. Verum est, inquit Comes Henricus. Et ait Rex: Nonne ergo absolutus sum ab omni pacto? absolutus, ait Henricus. Et dixit Rex cunctis Optimatibus suis & Episcopis, atque Abbatibus, qui præsentes aderant: Audistis & vidistis omnes, qualiter ego ipse gratis perfecerim omnia quæ ad me pertinent, & dicite utrum liber ab his pactionibus videar. Dicunt omnes, liberasti verbum tuum: statimque Rex velocissimum equum cui insidebat reducens, protinùs ire perrexit. Theutonici autem valde confusi insequuti sunt eum, rogantes ut rediret ad Imperatorem paratum prosequi omnia quæ Henricus proposuerat. At ille parvipendens ea quæ dicebantur, decipulam quam evaserat exhorruit, dicens: Feci quod meum fuit. Sic soluto conventu Rex in suum Regnum rediit.

Alexander Papa susceptus Parisiis à Rege.

Alexander autem Catholicus Papa veritus indignationem Regis Ludovici, transiit in Aquitaniæ Metropolim urbem Bituricorum, & in Dolense Monasterium, quod est apud Castrum Radulphi, ibique hyemavit: & sequenti tempore Quadragesimæ accessit ad Ludovicum Regem in urbe Parisiorum. A quo susceptus honorificè secundùm morem Romanæ Ecclesiæ, portavit ipse rosam auream Dominicâ quâ cantatur *Lætare Jerusalem*. Peractisque Paschalibus solemniis consecravit Basilicam Monasterii B. Germani de Pratis, cui præerat Hugo de Moncellis, Monachus Ecclesiæ Vizeliacensis. Illuc iterum accessit Guilelmus Abbas Vizeliacensis, petens à summo Pontifice Alexandro quatenùs liberta-

Consecrat Ecclesiam S. German. Pratensis.

tem & possessiones Ecclesiæ suæ, atque immunitatem banniarum Monasterii sibi ab Antecessoribus suis præscriptarum tertiò plenius confirmaret. Cui ille pium assensum præbuit, & tertium ei privilegium dedit. Inde Turonicam Metropolim urbem adiit, & Concilium ibidem tenuit omnium Episcoporum Lugdunensium, Narbonensium, Viennensium, Bituricensium, Senonensium, Remensium, Rothomagensium, Turonensium, Burdegalensium, Auscitanensium, Alpensium, Apenninarum, & Maritimarum, centum quinque numero: Cantuarensium etiam atque Eboracensium, Scotorum quoque & Hibernensium; sed & Abbatum & diversæ professionis personarum gratanter undique advenientium: nam & Germanorum Episcopi plures occultè scripserunt Alexandro Papæ, obedientiam, & omnimodam reverentiam pro loco & tempore illi humiliter exhibentes. Italiæ verò non minima pars affuit, partim scripto, partim suâ præsentiâ. Sed & Sardinia & Sicilia, cum omni Calabriâ, omnis quoque Orientalis Ecclesia, & Hispania, devotum obedientiæ caput humiliter Alexandro Catholico Papæ subdidit.

Concilium celebrat apud Turones.

Interfuerunt prædicto Concilio Stephanus Abbas Cluniacensis, & Guillelmus Abbas Vizeliacensis. Cogitaverunt autem actionem renuntiationis Cluniacenses proponere contrà Vizeliacenses: sed conscii suæ injustitiæ & Romanæ rectitudinis conticuerunt omnes, nec etiam exinde ausi fuerunt mutire: cum plurimæ hujusmodi controversiæ hinc & inde in eodem Concilio proponerentur & terminarentur; sicut fuit causa Parisiensium Clericorum & Monachorum Cœnobii sancti Germani de Pratis, quæ pleniùs ventilata injustis Clericorum vocibus æternum silentium imposuit. Alexander igitur soluto Concilio Synodali, Bituricam in urbem, quæ caput est Aquitaniæ, rediit. Procedente dehinc tempore autumni Senonicam civitatem adiit, ibique per decem & octo mensium curricula sedit. Auctore autem Schismatis Octaviano, qui appellatus est Victor, ab hac vita infeliciter exempto, subrogatus est à Schismaticis Guido Cremonensis, qui de auctoribus electionis Alexandri primus apostatavit.

Agitatæ eo in Concilio variæ causæ; præsertim Clericorum Paris. adversus Monachos San-German.

Interea Comes Nivernensis Vizeliacensis Ecclesiam graviter infestabat, & per suppositas personas eorum, qui ovino colore mendacium supprimunt, mores Guillelmi Abbatis & Fratrum suorum diffamare insistebat. Solâ quippe Vizeliaci deditione cupidus, invidiæ morbo adversùs Abbatem afficiebatur, qui pravis conatibus ejus tam strenuè quàm callidè resistebat. Unde illius magnanimitas potissimùm enituit, quòd insimulanti æquè ut deprædanti restitit. Ea propter cum dolus invidiæ in seipso contabescens nihil penitùs proficeret, & ab omni destitueretur jure, tandem postpositâ justitiâ, honestate spretâ, contemptâ religionis reverentiâ, rabiem vesaniæ suæ tyrannicâ temeritate armavit. Cumque tergiversando ut iniquè ageret, laboraret, & nullam causam justè affligendi Ecclesiam inveniret, usurpatas procurationes, quas pater illius periculo maris actus remiserat, & eo cum matre in Capitulo Vizeliaci concedente confirmaverat, contrà jus fasque ab Ecclesiâ repetiit. Neganti Abbati quòd injustè reposcebatur, diffidationem mandavit. Intervenientibus autem amicis utriusque partis, inierunt colloquium suprà stagnum de Noverriâ, si fortè obortam controversiam pacificare possent. Interpellanti itaque Comiti super prædictam exactionem, respondit Abbas, quia quod pater dimiserat, & ipse concesserat, nec ab eo repetendum, nec à se reddendum erat, præsertim cum ipse investitam Ecclesiam hac dimissione partis, & suâ concessione invenerit. Et subitò tyrannus iracundiâ motus, frendens & insaniens, Vizeliacum venit, (erat autem vigilia nativitatis Præcursoris Christi) ingressusque Monasterium, cum Fratres audito adventu ejus Claustra sua signassent, irruit ipse, & primus accepta securi ostium fregit coquinæ. Quod videntes satellites ejus, domos Ecclesiæ protinùs occupaverunt, ostia reliqua fregerunt, Monachos impellentes cæciderunt, & de substantiâ Monasterii Dominum suum invitis Fratribus eâ nocte in hospitio Monasterii procuraverunt. Fratres autem cruces, & capsellas deposuerunt, altaria nudaverunt, & divinum officium per omnes Ecclesias suas celebrare cessaverunt.

Comes Nivern. persequi Vizeliacenses non desistit.

Eâ nocte declinavit Abbas apud Campum-mollem; sequenti vero apud Gibriacum, inde misit ad Regem, ipse autem profectus est ad Romanum Pontificem, qui regressus à Concilio Turonico in Dolensi Monasterio degebat: sed quia Rex expeditionem tunc moverat in Arvernenses, noluit exasperare Comitem; monuit tamen ut propositam litem differret, donec ipse ab expeditione rediret. Alexander quoque recogitans schisma, quo infirmabatur Ecclesia, & veritus ne forte si aliquantulum duriùs erga sæculi Principes procederet, graviori scandalo Ecclesiam affligeret, simplici tantùm scripto commonuit Comitem, ut à gravaminibus Ecclesiæ Vizeliacensis, quæ filia beati Petri & alodium Romanæ Ecclesiæ existebat, desisteret. Sed induratum est cor Pharaonitici Comitis, & pro dulci fonte duritiam induit lapidis. Apostolica igitur simul & Regalia monita spernens, cum gravi & multo exercitu equitum & peditum atque promiscui vulgus, quasi hostilem obsessurus populum, in ipsâ beatæ Mariæ Magdalenæ sacrâ solemnitate Vizeliacum venit: quo ingresso, protinùs Fratres cessaverunt à divinis officiis, seorsùm submissâ voce in capellâ Genitricis Dei clausis ostiis Claustri Deo debita vota solventes, indignum utique judicantes sacra sacrilego pandere. Abbas autem descendit apud sanctum Petrum: Comes autem Monasterium ingressus more solito, sed comitatu insolito descendit in hospitio, negatamque sibi à Fratribus procurationem ipse sibi de suo exhibuit.

Papa monet Comitem ut vexare desinat Vizeliacenses.

In ipsâ nocte ascendit Abbas ad sepulcrum beatæ Mariæ Magdalenæ, ibique Deo debita solemnitatis celebria pro tempore persolvit, & illucescente die descendit ad Esconium, Deoque sacram hostiam obtulit. Quem insequutus Renaldus de Merloto fratruelis suus cum Duranno Alburg, rogavit quatenùs ibidem requiesceret modicum. Miserat quippe apud Gibriacum, qui sibi necessariam refectionem pararent. Ascenditque Renaldus, & loquutus est de compositione pacis cum Comite. Revocato igitur Abbate talis compositio processit, ut Comes de violatione Monasterii publicè ad altare satisfaceret, de usurpatâ procuratione viginti libras resolveret, remissionem quam pater fecerat de fortuitis procurationibus ipse denuò concederet, & scripto confirmaret; Renaldum quoque fratrem suum, & Guidonem æque fratrem suum, sororemque hæc omnia concedere faceret, datâ fidei pollicitatione & obsidibus, Ignaro Vicecomite de Joviniaco, & Stephano de Petrâ-pertuis, & Hugone de Tornellâ, ut cum ad legitimam ætatem pervenissent, iteratò præscriptam remissionem concederent. Ob gratiam verò scriptæ confirmationis & conservandæ pacis in perpetuum diffinitum est, quòd Abbas septingentas libras daret Comiti, & de procuratione illius diei ducentas quinquaginta tres libras persolveret; eo pacto interveniente, quòd Comes sequentis festi procurationem penitùs dimitteret, & iterum de aliâ procuratione non nisi centum libras exigeret. His ita

Pacem ineunt Abbas & Comes nonnullis conditionibus interpositis.

compositis & hinc inde concordatis, horâ diei sextâ pulsantibus signis celebraverunt Fratres sacri festi solemnia. Et accedens Comes ad altare, de illatâ Monasterio satisfecit injuriâ, reposuitque juxtà condictum pro recti exequutione viginti libras. Et sequenti die ingressus Capitulum Fratrum præsidente Abbate coram omnibus concessit sæpedictam procurationum fortuitarum remissionem, quam pater suus fecerat, & scripto confirmavit, suique sigilli munimine corroboravit.

De illatis injuriis veniam petit Comes.

Post hæc Guillelmus Comes Nivernis ægrotavit vehementer, ita ut desperaretur; sed cum humilitatis vota solveret Deo, tandem convaluit, petivitque Sanctorum suffragia in Oratorio Beatæ & intemeratæ Virginis MARIÆ apud Anicinum urbem Vallavensium. Inde reversus corpore quidem ad patriam, animo autem ad inditum sibi odium Guielmi Abbatis Vizeliacensis, mandavit eidem ut sibi justitiam de non exhibito sibi salinario exequeretur in præsentia suâ, & judicio Curiæ suæ Nivernis staret. Respondit Abbas, Sperabam fecisse me pacem cum Comite de omnibus querelis præteriti temporis: verumtamen quia ego rudis, & de hujus Monasterii consuetudinibus nondum plenè instructus videor, loquar cum majoribus natu villæ hujus, & cum cæteris sapientibus, & secundùm consilium cœlitùs nobis indultum per proprios Comiti Nuntios respondebo. Abo autem de Monte Gualguerii (is enim injunctum sibi nuntium perferebat) dixit Abbati: Si placet diem Comitis à me tibi denominatum suscipere, benè; sin autem, Comes faciet sicut de negatâ sibi à te justitiâ. Sic Abo recessit, & pejora dictis Comiti retulit. Abbas verò iniit consilium, misitque Nuntios qui ad hæc verba responderent; qui euntes occurrerunt satellitibus Comitis, Dominum suum cum multâ vesaniâ venientem Vizeliacum præeuntibus. Et subitò Tyrannus irrumpens in Monasterium, invasit officinas Monasterii, misitque protinùs præcones per omnem villam Vizeliaci & Esconii & sancti Petri, mandans omnibus hominibus Monasterii, ut pariter congregati præsentiæ suæ in crastinum adstarent. At illi unanimiter omnes mandatum ejus contempserunt. Tunc ille furiâ invectus contrà morem oppidi clamare fecit per præconem suum, quòd omnis qui ante conspectum suum non veniret, inventus proculdubio caperetur, & domus illius publicaretur. Quo audito stupefacti sunt omnes, & plures præ timore accesserunt ad eum; quibus adstantibus dixit: Quoniam negavit mihi Abbas justitiam, investivi me de jure meo: volo itaque ut abjurato Abbate fidelitatem mihi faciatis, & amodo Abbati aut Monachis nullam consuetudinem persolvatis. Ad hæc Burgenses responderunt: Nos fidelitatem juravimus Abbati & Ecclesiæ; injustum ergo & turpissimum videtur absque causâ quantum ad nos pejerare; unde petimus à te dari nobis inducias ut cum Domino nostro loquamur, & super hæc verba illum conveniamus. Præsto est, ait, Dominus vester, & citò poteritis ei loqui. Permitte nos ergo, inquiunt, ire ad eum; quibus ille dixit: Eligite ex vobis duos vel tres qui Abbati verbum vestrum, & vobis illius responsum perferant.

Iterum litem movet & persequutionem.

Surrexit igitur Simon de Silviniaco, & Durannus Alburg, qui Comitis impietati præcipuè favebant, veneruntque cum paucis ante Abbatem, & innotuit sermo Abbati, quòd Comes detinuisset suos, ne ad se venirent. Illicò vocavit Joannem Caprarium, & paucos seniorum Ecclesiæ, misitque eos confestim in hospitium ad Burgenses suos in hæc verba: Vobis qui fidelitatem Abbati debetis & Ecclesiæ, mandat & præcipit Abbas per ipsam fidelitatem quam sibi jurastis, & sibi debetis, ut recedentes ab hoc tyranno quantociùs ad illum veniatis, & statim venerunt. Et cum de quæstione Comitis hinc inde multa conferrent, rogaverunt Burgenses Abbatem, quatenùs in tantâ necessitate sibi & illis consuleret, tempusque redimeret, recipiens diem Comitis sub tali conditione, ut in eo tantum Comiti faceret, quantum deberet. Acquievit Abbas suorum consiliis, mandavitque Comiti dicens: Quoniam ex improviso tyrannicè invasisti domum meam, licet omninò injustum sit quod exigis, suscipio tamen diem tuum sicut violentiam passus, assignatum apud Altissiodorum, tantum ibidem facturus quantum debere me probabo. Protinùs Comes frustratus à proposito (proposuerat namque tali conditione Vizeliacum suo mancipare dominio) collecto impetu vesaniæ suæ recessit. Instante autem die, misit Abbas ad Comitem Desesiæ Majores Ecclesiæ suæ, Gilonem tunc Priorem, & Gaufredum Angligenam Suppriorem, atque Gislebertum Eleemosynarium. Quibus ille dixit ut se sequerentur Nivernis, ibidem eos auditurus. Quod cum fecissent, ex parte Abbatis renuntiaverunt ei diem assignatam, rogantes, ut alteram propinquiori loco assignaret. Renuente illo diei renuntiationem vel commutationem suscipere aut dare, subintulerunt: Dominus Abbas Vizeliacensis tibi respondet per nos, quòd mandato tuo stare nullo teneatur jure, & si denuò per violentiam volueris illum fatigare, ipse te appellat ad audientiam Apostolicam, ad quam dominium Vizeliacensis Monasterii propriè spectat, & ad audientiam Domini Regis, sub cujus protectione & custodiâ idem Monasterium consistit, assignatque tibi diem in præsentiâ Papæ Alexandri in Octavis Paschæ; interim se suaque in manu Apostolici, & in manu Regis committens. Et cum hæc dixissent, licentiamque redeundi ab eo petiissent nec impetrassent præ nimiâ irâ, paululum digressi reversi sunt ad hospitium suum in Monasterium sancti Stephani, quod contiguum est eidem urbi, simulantes quasi in crastinum ad Curiam Comitis essent redituri. Nocte verò conscensis equis Vizeliacum redierunt. Abbas autem declinans furorem insanientis Comitis, abiit in Franciam.

Abbas verò abiit ad Alexandrum Papam, significans ei qualiter & quàm injustè ipse & Ecclesia Vizeliacensis à Comite gravaretur. Inde profectus est ad Regem, conquestus in auribus ejus super injustâ vexatione quâ premebatur à Comite, qui motus tam compassione conquerentis, quàm commonitione Alexandri Papæ, mandavit Comiti diem colloquii in urbe Senonum. Quo utrimque convenientes, & plura hinc inde conquerendo conferentes, cum pacis vestigia nulla paterent, tandem rogatu Regis diem requisitæ justitiæ in submonitione suâ distulit. Rex autem Ludovicus Epiphaniorum diem fecit apud Vizeliacum, & suscepit eum Abbas, obsequutusque est ei diligenter; quo regresso, invidiâ ductus Comes mandavit Abbati diem apud Altissiodorum; qui diem suscipiens pro tanto quanto sibi competeret, misit ad Papam Legatos qui eum consulerent quid super hoc faceret. Illi verò accepto ab eo consilio, & cautè secreto commisso, reversi sunt.

Et egressus quidam Frater Vizeliacensis, nomine Renaldus, à Monasterio quod adjacet Moreto cum B. Dei Genitricis MARIÆ, & S. Blasii, aliorumque Sanctorum memoriâ propter ædificationem basilicæ ipsius Monasterii, de eleemosynis fidelium pluriman collectionem faciebat. Cumque loca peragraret, & Ambianensium pagum pluribus Sanctorum virtutibus opitulante supernâ gratiâ illustrasset, ad ca-

Monachus circumfert reliquias SS. ad poscendas uppetias.

strum quod dicitur Arborea, cum ipsâ Sanctorum venit memoriâ: ubi paucis diebus commoratus, cum plurima ibidem Sanctorum per merita fierent miracula, & multus undique occursus populorum fieret, tandem exinde abire proposuit, & hinc inde, ut moris est, assumentes lecticam, nec vel parum ab Ecclesiâ potuerunt eam extrahere. Cumque vices vicibus alternarent, & nunc alios aliis, nunc fortiores fortioribus submitterent, Dominus locorum nomine Alelmus cum alio illustri viro lecticam levavit, sed neque limen Basilicæ attingere potuit. Reponentes itaque lecticam super altare, orationi incubuerunt. Tunc unus Fratrum, qui cum eodem Renaldo advenerant, vocatus Petrus, stultâ temeritate cœpit lecticam ipsam, quasi Sanctos flagellis exire compellens, percutere virgis. Nec mora, in illum desævit ultio: continuò quippe paralysi dissolutus, post paucos dies hac vitâ caruit. Illustris ergo vir Alelmus perpendens divinitùs hæc fieri, pro munere sibi cœlitùs collato omnium bonorum auctori Deo gratias egit; deditque in confinio ipsius castri in proprio allodio locum ubi ædificaretur Oratorium, in quo Sanctorum memoria reponeretur, & à Fratribus religioso officio ad honorem Dei coleretur. Constituit etiam locum ipsum sub regimine & dispensatione Ecclesiæ Vizeliacensis debere consistere, eo quod Sanctorum pignora ab eâdem Ecclesiâ & à Fratribus ejusdem loci perlata ibidem fuissent. Ad quem locum ipse Guillelmus Abbas cum vocatus venisset, alias quoque Reliquias & ornamenta multa pretiosa secum attulit, quæ ob honorem Sanctorum & ob devotionem fidelium locorum illorum ibidem reliquit: dictus est locus ille de nomine adjacentis castri, Arborea. Sic inter fluctus persequutionis bonorum semper successus virtutis incrementum capit; & unde magis Ecclesia affligitur, inde magis cumulatur.

Grassatur Comes Nivern. in Monachos Vizel.

Comes itaque Guillelmus gravi odio tenebatur adversùs Guillelmum Abbatem, & quia minùs pertinere valebat quod volebat, furorem suum in rapina alinorum, & pecorum, & mancipiorum Monasterii expiebat. Et erat homo pessimus Hugo, cognomine Lethardus, servus de capite suo Monasterii: fuit quippe mater ejus consanguinea germana Simonis filii Odonis Præpositi Vizeliaci, servi utique Ecclesiæ: qui videlicet Simon prodidit & percussit Dominum suum, videlicet Artaldum Abbatem Vizeliacensis Monasterii. Hunc Hugonem fecit sibi Comes Præpositum apud castrum Censurium, qui præ omnibus satellitibus Comitis Ecclesiam persequebatur. Impossibile dictu quot & quibus quantisque modis nocte dieque vexabat eam, & injustè agens de jure interpellabat Ecclesiam; sed jus exigens, nil juris rependebat, imò pro jure sibi constabat quidquid contrà jus fasque violenter extorquebat. Cum ergo iterum Abbas conquereretur in Alexandri Papæ auribus super iniquas & multiplices oppressiones, quæ per satellites Comitis sibi & suis inferebantur, scripsit Alexander Comiti & matri ejus in hæc verba.

Ut à vexatione abstineat ad eum scribit Alexander Papa.

» Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, » Dilecto filio nobili viro Guillelmo Comiti Nivern. & Idæ matris ejus, salutem & Apostolicam benedictionem. Quanto Monasterium Vizeliacense ad jus B. Petri, & dispositionem nostram noscitur specialiùs pertinere, tanto ejus incrementis & commodis studio frequentiori intendimus, & ad pacem ipsius, & bonorum conservationem magis solliciti permanemus. Inde quidem est quòd de pace & utilitate ejusdem Monasterii studiosi omnimodis existentes, dilectum filium nostrum Subdiaconum Petrum ad Nobilitatem vestram transmittimus, Magnitudinem vestram per Apostolica scripta rogantes, monentes, & exhortantes in Domino, quatenus ad pacem & utilitatem præscriptæ Ecclesiæ, & rerum suarum conservationem & defensionem pro reverentiâ B. Petri, ac nostrâ, modis omnibus intendatis, & jam dictum Subdiaconem nostrum in hoc audire & etiam exaudire curetis; & circumadjacentes nobiles & potentes Barones vestros à præscripti Monasterii molestiis & injuriis penitùs compescatis. Ita quoque nostris in hac parte precibus & admonitionibus acquiescatis, ut nos preces ac petitiones vestras debeamus efficaciùs exaudire, & eis effectum utilem indulgere & ad honorem vestrum omni tempore ferventiùs aspirare. Datum Senonis VII. Idus Septembris. «

Literas Papæ spernit Comes.

Igitur Petrus Rom. Ecclesiæ Subdiaconus peractis apud Vizeliacum Dominicæ nativitatis solemniis, venit ad Comitem & ad matrem ejus, deditque illis Apostolica scripta: & cum post Apostolica scripta, etiam & suam, uti optimè literatus, exhortationem obturatis auribus exhibuisset, illi ex adverso injuriis & diversis pluribusque mendaciis cœperunt Abbati & Fratribus ejus detrahere, bonumque nomen illorum diffamare. Et cum de pace cum inimicis pacis tractaret, nullum pacis vestigium invenit, nisi Abbas contrà morem & dignitatem Ecclesiæ judicio Curiæ Comitis staret. Adhibito ergo communi Fratrum consilio, deliberaverunt omnes pariter exilium potiùs mortis subire, quàm tantæ tyrannidi deservire. Omnem itaque postponens Abbas dissimulationem induciarum, suscepit diem indictam in initio Quadragesimæ: misitque ad Papam ut sibi mitteret auxilium: qui misit ei Jacintum Diaconem Cardinalem Rom. Ecclesiæ, & Petrum de Bonâ Subdiaconem suum, & Joannem Mariscalcum suum.

De pace tractatur.

Eo tempore Fratres Pontisaræ adstabant Apostolicæ Curiæ, interpellati à Cluniacensibus, eo quod vel Guillelmum quondam Abbatem suum Vizeliacensibus illis inconsultis dimiserint, vel alium ei substituerint: sed defecerunt Cluniacenses à causâ suâ, nec etiam præsentare se ad diem præsumserunt. Unde Fratres Monasterii Pontisariensis absoluti à Romano Pontifice, cum libertate suâ remearunt ad propria. Quorum Abbas Lecelinus Vizeliacum interim degebat, & rei exitum ibidem exspectabat. Præ nimiâ quippe arrogantia dedignati sunt illum Cluniacenses in causam trahere, sed Fratres ejus tantùm, quasi acephalos provocaverunt: de Monachis tantùm, non de Abbate, quasi non esset Abbas, conquerentes, ideo consequenter Fratrum, & non Abbatis audientiam Alexander Papa expetiit: sed quia non fuit Sathan neque occursus malus, probatam Pontisarensis Monasterii libertatem favore omnium Cardinalium confirmavit. Convenerunt itaque Altissiodorum Guillelmus Abbas Vizeliacensis, & Lecelinus Abbas Pontisarensis, atque Abbas Monasterii S. Joannis de Pratis, cum multis aliis Fratribus & amicis Monasterii Vizeliacensis; quibus etiam occurrerunt Legati Apostolici: quorum præsentiam Comes veritus, jam sponte mutare diem voluit, quem hactenùs nec rogatus differre permisit. Super quo Abbas prudentes viros consuluit. Respondens Jacintus dixit ei: Hactenus tertianâ laborasti febre, ergone vis quartanam subire? quin potiùs ambages omnes abrumpe, & de jure libertatis tuæ incunctanter age. Et posuit Abbas verbum suum in ore Abbatis Monasterii sancti Joannis de Pratis: sed nec ipse nec quispiam alter ob timorem Comitis ausus est proloqui. Quod videntes filii libertatis Ecclesiæ Vizeliacensis, fide armati omnem penitus timorem abjecerunt, & pro-

priam dignitatem alieno defensare sermone indignum duxerunt. Surrexitque Gilo tunc temporis Prior Cœnobii Vizeliacensis, & ait Comiti: Hactenùs audivit allegationes tuas Dominus Vizeliacensis; & quædam quidem facili cedunt concordiæ; cætera verò secum ipse tractabit: nam judicio tuo eum stare debere frustrà existimas, quippe qui nullo unquam tibi jure tenetur. Quo audito Comes nimio furore correptus est. Erubuit enim ad verbum quod præter opinionem suam fuerat prolatum. Egressusque est Abbas cum suis à Comite. Jacintus autem feroces Principis animos mitigare tentabat, & pro pace instabat: sed repulsus, vel inducias aliquas Ecclesiæ dari orabat. Acquievit Comes, & fictas licet inducias dedit usque in octavas Paschæ.

Episcopalia munia exercet Vizeliaci Signiens. Episcopus.

Instante igitur sacrâ Dominicæ Resurrectionis solemnitate venit Vizeliacum Signiensis Episcopus, à latere Domini Papæ missus ad visitandos, & confortandos Fratres: & consecravit ibidem sacro-sanctum chrisma, & oleum sanctum sacro die Cœnæ; celebravitque Sabbato sancto Paschæ Ecclesiasticos Ordines. Ordinavit autem Henricum, Petrum, & Humbertum de Monachis Ecclesiæ Presbyteros; Geraldum quoque ejusdem villæ Clericum fecit Presbyterum; tres etiam Diacones de Monachis ordinavit, scilicet, Ansellum, Guillelmum, & Gaufredum: Subdiaconos autem, Guillelmum, & Guidonem pueros. Porrò Laurentium de Moreto fecit Acolythum.

S. Thomas exul in Galliâ tutelæ Regis se committit.

Thomas autem Cantuariæ Archiepiscopus Henricum Regem fugiens, exulabat apud Pontiniacum. Is aliquando familiarissimus eidem Regi, & eleganti strenuitate conspicuus, Cancellarius ejus exstiterat, nec eo potentior quisquam visus est apud Regem Angliæ: at ubi Ecclesiastici regiminis curam suscepit, Deum homini præponere per omnia curavit; unde contigit ut usurpanti Regi in morem Oziæ jura Ecclesiastica, velut alter Jonas constanter restiterit: quamobrem indignatus Rex, & inæstimabilem gratiam implacabili commutans odio, comprehendere illum, & bona ejus in fisco redigere disposuit: sed prævenit impios conatus solertia innocentis, & clam mare transiens cum parvo comitatu ad Ludovicum Regem Francorum venit, & se suosque in manu illius commisit. Qui suscepit eum benignissimè, & necessarium ei auxilium liberaliter exhibuit. Attamen justum illi visum est Alexandrum Papam adire debere, & omninò ipsius consilio stare. Ad quem cùm venisset, & adventûs sui causam ei exposuisset, condoluit ei Alexander, & tradidit eum Guichardo Pontiniacensis Monasterii Abbati, qui postea ab ipso Alexandro Lugdunensium Archipræsul consecratus est. Rex autem Ludovicus pro his & pro aliis negotiis ad Henricum Regem Anglorum misit, indixeruntque Reges mutuum colloquium: cui colloquio cum interesse Alexander disponeret, venit Parisius: quod ut Rex Henricus cognovit, colloquium indictum Ludovico Regi demandavit, infestus Alexandro ob invidiam Thomæ Cantuariensis. Alexander autem iteratò jam acceperat Legatos Romanorum rogantium ut rediret, & B. Petri ad sedem remearet: vale dicens itaque Ludovico Regi ad urbem venit Bituricorum.

Hugo Letardus res Vizel. deprædatur instinctu Comitissæ Nivern.

Impiissimus verò Hugo Letardus, servus nequam genere & moribus pertinaciter insistebat tam captioni, quàm deprædationi hominum & rerum Vizeliacensium; sed & illa vetus Herodias, filia Jesabel de semine Amalech, mater videlicet Guillelmi Comitis Nivernis, nomine Ida, virus odiorum ore pestifero jugiter infundebat in filii pectore, æmula honestatis, & inimica totius bonitatis, & quæ satellites suos quasi filii partibus favens, ad persequendum Monasterium Vizeliaci acriter perturgebat. Hinc cædes, hinc rapinæ, hinc captivitates, hinc varia tormenta, hinc mortis diversa genera, omnia de antro fœmineæ nequitiæ manantia; nec facilè cuiquam civium Vizeliaci exitus liber patebat. Composuerant Fratres ratem calcis miræ magnitudinis ad construendum dormitorium suum, & igne succenso trahebant ligna cum plaustris de adjacenti nemore suo: unde inflammata hydra peste invidiæ, immisit Satellites vesaniæ suæ, qui in ipsis Sancti Spiritûs solemniis equos raperent quadrigarum, quibus ligna trahebantur: sic deficiente igne periit opus ratis pretii centum librarum. Hujus hydræ viperinus filius præceperat observari iter Guillelmi Abbatis, ut quasi eo ignorante à vilibus mancipiis dehonestaretur.

Conqueritur Abbas coram Papa multis rationibus.

Tantis igitur undique malis afflictus Guillelmus Abbas, prosequutus est Alexandrum Papam; quem cum in prædictâ urbe invenisset, exposuit ei omnia ut potuit mala, quæ à Comite & matre illius patiebatur: dixitque illi quòd causa sua, causa esset Domini Papæ & totius Romanæ Ecclesiæ, cujus juris Monasterium suum propriè existebat, & ideo æquè ut suum Vizeliaci negotium suscipere Apostolicum debere; præsertim cum idem Monasterium hoc solo crimine periclitaretur, quòd se Romanum liberâ voce profiteretur, & quòd nemini se obnoxium, nisi soli Romano Præsuli fateretur. Addidit quoque, quòd si periclitanti Monasterio quàm citiùs subvenire negligeret, tamquam repudiatum adultero manum daret, & jam ampliùs de censuali jure non teneretur, maximè cum in ipsâ Apostolicâ præsentiâ tam moderna, quàm antiqua Romanorum Pontificum impunè vacillarent statuta, seu privilegiorum munimenta, & adstante pastore lupina desæviret rabies, nec multum constaret libertas, quæ unius verbi justitiæ posset distrahi silentio. Denique non pusillanimitate, nec supercilio ductus toties Apostolicas adversùs Comitem aures interpellarit, qui certè quàm sæpe & prece & pretio gratiam illius redemerit: ipse autem è contra tam diram calamitatem ingratus sibi rependerit, quod jam penè exhaustum ad extremam ferè inopiam se contulerit, nec contentus redemptione hominum seu dilapidatione possessionum Monasterii fuerit, sed ipsum Fratrum quotidianum victum jam per biennium tulerit. Quod factum quamvis graviter Monasterium affligat, magis tamen ac magis injuriam ingenitæ libertatis deflet; quam videlicet libertatem sub obtentu cujusdam usurpati, & negligentiâ quorumdam prædecessorum suorum surrepti salvamenti annullare penitùs contendit: liberalitas quippe, quæ illi charitativè aliquandò impendebatur, jam non ut gratuita devotè liberalitas poscebatur, imò ut debita tyrannicè servitus exigebatur. Et qui priùs pauci numero contenti erant oblato, nunc multus exercitus inhiant rapto; in tantum quòd unius hospitii procuratio ducentarum quinquaginta librarum & eo ampliùs constaret pretio. Talia dicta talibus Abbas rursùs prosequebatur, dicens filiam B. Petri, videlicet Ecclesiam Vizel. omni expositam fore malo, ita ut jam à plantâ pedis usque ad verticem nulla sit in ea sanitas: data est enim, ait, omni transeunti in direptionem & conculcationem, & quo priùs exstitit junior, eo nunc magis ac magis invenitur abjectior; & qui priùs invidebant libertati illius, modo insultantes movent super eam capita sua, & derident sabbata Romanæ dignitatis in exprobrationem deditionis Ecclesiæ Vizeliac. Jam Edua, Cluniacum, & versâ vice Cluniacus Eduam adversus Vizeliacum mutuò se instigant & cohortantur. Tempus est, aiunt, quo confracto cerebro Romanæ arcis, oculi quque illius effodiantur, & subjiciamus

nobis

nobis ancillam fugitivam, quæ se gloriatur B. Petri filiam. Et nunc Edua Moab, nunc Cluniacus Idumæam repræsentat, Vizeliacum velut alteram Jerusalem impugnando sibi reputantes, & dicentes: Populus stultus est, pauper & superbus. Ego igitur Edua superbiam illius contundam: tu autem stultitiam ejus subsannabis, & paupertas illius nostras supplebit delicias. Invitemus ergo Assur precibus, instigemus persuasionibus, conducamus muneribus, qui ejus arrogantiam atterat in virgâ ferreâ, & in manu robusta: & quoniam non est auxiliator neque propugnator qui liberet eam, scindamus eam inter nos, & tollat unusquisque partem suam. Tu Cluniacus arcem obtinebis Capituli: ego Edua mihi vindicabo altare. Porrò Assur, Comes scilicet, oppidum diripiet. Et quis ad hæc, inquit, Domine sancte Pater stabit? utinam esset transmigratio! utinam sorte divideremur! utinam tempus & tempora nobis ponerentur! forte quando suscitaret nobis Dominus Aod ambidextrum, in cujus manu foret salus Israël: nunc autem in sedibus nostris jugulamur, in domo nostrâ servituti subjicimur, temporis redemptio perpetua nobis efficitur subjugatio. Tantorumque malorum cumulo totius miseriæ & extremæ ignominiæ accedit incrementum, quòd in conspectibus patris mactamur, quòd à complexibus pastoris avellimur, quòd legitimo præsente patrono præjudicamur; quodque summa totius redargutionis est, silentio universalis Judicis condemnamur. Utique si actio palam procederet, si ratio intercederet, si jus fasque, vel judiciarius ordo locum haberet, levior esset jactura, & gauderet compendio præjudicata pœna, tametsi minùs videretur conscientiæ judicio promerita: nunc autem causa nostra in ore vulgi versatur, & judicium nostrum in manu inimicorum nostrorum proscribitur.

Papa Alexan. respondet Abbati; conaturque à vexatione Comitem avertere.

His auditis condoluit Alexander, & omnis Romana Ecclesia, scripsitque Comiti, ut illata damna Monasterio Vizel. emendaret, & denuò ab infestatione ejus abstineret: quòd si quid juris habere se adversùs Abbatem putaret, præsentiæ suæ in octavis Pentecostes apud Clarum-montem se exhiberet, ibi primùm Abbati satisfacturus, & sic ab eo jus debitum recepturus. Comes autem Apostolicum mandatum penitùs contemsit, insuper etiam Abbati insidias prætendens, ita eum inclusit, quòd nec illius equi aquatum ire possent. Misit ergo Abbas Joannem Clericum suum ad Alexandrum: sed & Comes dissimulans contemptum, misit & ipse Theobaldum Decanum Nivernis, & Humbertum Archidiaconem, & Bernardum Priorem S. Stephani: quos Apostolicus Pontifex benignè suscipiens, requisivit utrum sufficientes responsales pro Comite advenissent. Sed cum excusationem potiùs quàm juris exequutionem prætulissent, absolutos remisit, scribens per eos Comiti quatenùs infrà octo dies posteaquàm literas suas recepisset, Abbati & Fratribus Monasterii Vizel. ablata restitueret, captos Burgenses, & eorum obsides liberos absolutosque dimitteret; & ipsis stratæ publicæ, quàm à longè retroactis temporibus habuisse noscebantur, ingressum & egressum liberum habere permitteret: deinde Apostolico se conspectui præsentaret, ut inter eum & præminatum Abbatem ac Fratres componeret. Quòd si ei grave videretur, scilicet Apostolicam adire præsentiam, ad Senonensis & Bituricensis Archiepiscopi præsentiam cum Abbate accederet, qui inter eos pacem & concordiam reformarent. Porrò Bituricensi & Senonensi Archiepiscopis scripsit formam præscripti mandati ad Comitem, præcipiens eis, ut si Comes mandato illius staret, congruam compositionem inter Abbatem & Comitem facerent: sin autem, præcipiendo mandavit soli Senonensi, ut secundùm tenorem aliarum literarum procederet, quarum continentia ita se habet.

Scribit eâ de re ad Senon. Archiep.

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri HUGONI Senonensium Archiepiscopo, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ad tuæ Fraternitatis notitiam pervenisse credimus, quomodo vir nobilis Comes Nivernensis, & mater sua, in Vizeliacense Monasterium manus suas ampliùs solito aggravarunt, & Dei ac B. Mariæ Magdalenæ, cujus corpus in eodem Monasterio requiescit, timore & reverentiâ omninò postpositâ, equitaturas, boves, asinos, & pecora tam Monasterii quàm exteriorum obedientiarum per servientes suos rapere, & exinde abducere minimè formidarunt. Abbati quoque ejus loci jamdictus Comes minas & insidias circumponit, ita quòd de Monasterio sine proprii corporis periculo & timore exire non audeat. Unde quoniam Monasteriu millud ad Jus & proprietatem B. Petri ac nostram noscitur specialiter pertinere, & non modicum membrum Ecclesiæ Romanæ existit, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs sicut gratiam B. Petri ac nostram caram habes, memoratum Comitem, & matrem suam, sub velocitate cum omni diligentiâ studeas convenire, & attentiùs exhortari, quòd prænominato Abbati & Fratribus ablata omnia cessante dilatione restituant: de damnis & injuriis illatis congruam satisfactionem exhibeant, & ab eorum molestatione ac gravamine indebito ulteriùs omninò quiescant. Alioquin infrà XX. dies post commonitionem tuam per totam terram eorum omnia divina officia, præter baptisma parvulorum, pœnitentias morientium, penitùs interdicas, & si nec sic resipuerint, in personas illorum excommunicationis sententiam non differas promulgare. Venerabilibus fratribus nostris, Eduensi, Lingonensi, Autisiodorensi, & Nivernensi Episcopis per scripta tua significans, & firmiter eisdem ex parte nostrâ injungens, ut sententiam à te in suprà dicti Comitis vel matris suæ terram aut personas eorum prolatam usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter studeant observare. Nos enim ipsis per scripta nostra mandamus, ut ex quo super hoc literas tuas receperint, id fideliter studeant adimplere.

Nisi Comes resipiscat, interdictum & excommunicationem mandat promulgari.

Ejusdem est argumenti.

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei: Venerabilibus Fratribus HENRICO Eduensi, GALTERIO Lingonensi, ALANO Autisiodorensi, & BERNARDO Nivernensi Episcopis, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ad vestræ Fraternitatis notitiam, *&c. ut suprà usque ad hæc verba:* Ecclesiæ Romanæ existit. Venerabili Fratri nostro Senonensi Archiepiscopo dedimus in mandatis, ut memoratum Comitem, & matrem suam sub velocitate, cum omni diligentiâ studeat convenire, & attentiùs exhortari, quòd prænominato Abbati & Fratribus ablata omnia cessante dilatione restituant, de damnis & injuriis illatis congruam satisfactionem exhibeant, & ab eorum molestatione & gravamine indebito ulteriùs omninò quiescant: alioquin per totam terram eorum omnia divina officia, præter baptisma parvulorum, & pœnitentias morientium, penitùs interdicat: si nec sic resipuerint, in personas illorum excommunicationis sententiam non differat promulgare: vobis per sua scripta significans, & firmiter ex parte nostrâ injungens, ut sententiam ab eodem in supradicti Comitis vel matris suæ terram, aut personas eorum prolatam, usque ad dignam satisfactionem

» inviolabiliter observare curetis. Ideoque Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs cum ejus super hoc literas receperitis, quod ab eo exinde statutum fuerit, sicut gratiam beati Petri ac nostram caram habetis, firmiter teneatis, & per vestras parochias faciatis inviolabiliter observari; alioquin nos in nostri trangressorem mandati id auctore Domino duriùs corrigemus. Datum apud Clarum-montem Nonas Junii.

Rogat Regem ut Comitem coërceat.

» ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei, Carissimo in Christo filio LUDOVICO Illustri Francorum Regi, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ad Regiæ serenitatis notitiam credimus pervenisse, quomodo nobilis vir Comes Nivernensis & mater sua in Vizeliacensem Monasterium manus suas ampliùs solito aggravarunt, & Dei ac beatæ Mariæ Magdalenæ; cujus corpus in eodem Monasterio requiescit, timore & reverentiâ omninò postpositâ, equitaturas, boves, asinos, & pecora tam Monasterii quàm exteriorum obedientiarum, per servientes suos rapere, & exinde abducere minimè formidarunt. Abbati quoque ejusdem loci jam dictus Comes minas & insidias circumponit, ita quòd de Monasterio sine proprii corporis periculo & timore exire non audet; publicam etiam & antiquam stratam non solùm infringit, sed viatores per quoddam castrum suum transire compellit, & occasione istâ quosdam Burgenses à nundinis redeuntes cepit. Unde quoniam Monasterium illud ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ, & Regiæ Celsitudinis protectionem spectare dinoscitur; Serenitatem tuam per Apostolica scripta rogamus; monemus, & exhortamur in Domino, quatenùs divini amoris obtentu, & pro reverentiâ beati Petri, ac nostrâ, memoratum Comitem & matrem suam instanter commoneas, & diligentiùs studeas convenire, & etiam si necesse fuerit potestate Regiâ coërcere, ut prænominato Abbati & Fratribus ablata omnia sine dilatione restituant, de damnis & injuriis congruam satisfactionem exhibeant, & ab eorum molestatione ac gravamine indebito ulteriùs omninò quiescant. Ita quòd ab omnipotente Domino indeficiens propter hoc præmium feliciter valeas adipisci, & nos Clementiæ tuæ uberrimas exinde gratias exolvere teneamur. Nos enim præfatum Comitem & matrem suam per nostras literas monuimus, ut errata corrigere studeant, & à talibus de cætero penitùs conquiescant. Datum apud Clarum-montem Nonas Junii.

De præfatis literis à se scriptis certiores facit Abbatem ac Monachos Vizeliac.

» ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis filiis GUILLELMO Abbati & Fratribus Vizeliacensibus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Susceptis literis vestris, ac diligenter perspectis tribulationibus & angustiis vestris, quas earum continentia exprimebat, paternæ mentis affectu interiùs condoluimus, sicut qui Monasterium vestrum proprium patrimonium beati Petri esse cognoscimus, & vos sicut speciales & devotos Ecclesiæ filios certiori in Domino charitate diligimus, & vestris profectibus prompto animo aspiramus. Inde siquidem fuit quòd carissimo in Christo filio nostro Ludovico Illustri Francorum Regi, Venerabilibus quoque Fratribus nostris Hugoni Senonensium Archiepiscopo, Eduensi, Lingonensi, Autissiodorensi & Nivernensi Episcopis, nobili etiam viro Comiti Nivernensi & Comitissæ matri ejus, pro negotio vestro scripta nostra dirigimus, sicut ex eorum transcriptis vobis evidentiùs innotescet; vos autem ad hæc corrigenda studium & operam adhibeatis, & per Claustri ac religionis observantiam jugiter orationi vacantes, clametis in cœlum, ùt omnipotens Dominus his malis citò finem imponat, & vobis pacem & optatam tranquillitatem concedat. Datum apud Clarum-montem Nonas Junii. «

Archiepiscopus Senon. arbiter à Papa constitutus, agit causam Vizeliac. & Comitis.

Igitur Hugo Senonensium Archiepiscopus secundùm mandatum Apostolicum præfixit Comiti & matri ejus diem infrà quem ablata Ecclesiæ Vizeliacensi restituerent, & suam atque Bituricensis præsentiam adirent, ut cum Ecclesiâ Vizeliacensi componerent. At illi rogaverunt Senonensem quatenùs per se solum diem sibi & Abbati daret, illi autem consilio ejus cum Abbate libenter componerent. Et convenerunt Senonensis & Abbas cum Fratribus & amicis suis apud sanctum Julianum de Salice. Comes autem & mater ejus Legatos suos miserunt; non qui componerent, sed qui appellarent Apostolicam audientiam. Prævideratt hoc Abbatis Guillelmi provida sagacitas, qui jam paulo ante cum magna celeritate miserat Nuntium suum, supplicans quatenùs omnem appellationis vocem tolleret ab eis; qui potiùs subterfugium quàm judicium quærebant. Unde impetrato quod postulabat, reversus est festinanter Nuntius; & quarto die post appellationem ingressus Senonicam urbem, invenit Abbatem; & dedit ei optatas literas Domini Papæ. Statimque Abbas ingressus ad Archiepiscopum, tradidit ei Apostolicum mandatum, quo continebatur; ut nisi Comes & mater sua infrà præscriptum terminum viginti dierum, quem nuper in superioribus literis præfixerat, ablata Ecclesiæ restituerent, de illatis injuriis satisfacerent, & à gravaminibus Ecclesiæ deinceps quiescerent, omni remotâ appellatione in personas & in terras eorum sententiam secundùm tenorem aliarum literarum promulgaret. Quo audito Senonensis valde stupuit, miratus tam celerem appellationis remotionem: indignabatùr etenim Apostolici judicii sententiam sibi delegatam fuisse, eo quod Nivernensis Comitis animositatem vereretur. Ipse autem Comes ære graviter alieno pressus, audivit multas esse opes in quodam Arvernorum municipio, quòd vocatur Mons-Ferrandi; & repente ex insperato quietum nihilque suspicantem aggressus est populum, & omnem prædam prædicti diripuit municipii, ipsumque Dominum municipii pactæ pecuniæ obsidem secum tenuit: ubi cum furiosâ tyrannide desæviret, venit ad eum Senonensis Archiepiscopi Hugonis Nuntius, & obtulit ei ex parte Domini sui Archiepiscopi Senonensis literas hunc modum continentes:

Nisi Comes ablata Vizeliac. restituat, excommunicationis sententiam minatur.

HUGO Dei gratiâ Senonensium Archiepiscopus, « Carissimo suo GUILELMO nobili Comiti Nivernensium, salutem & dilectionem. Suscepimus literas Domini Papæ pro Ecclesiâ Vizeliacensi, quam omni modo aggravastis, sicut Monachi conqueruntur, & misimus ad vos statim Guilelmum Fratrem meum qui vos admoneret diligenter, ut omnia ablata & damna faceretis restitui, & injurias emendari, & præfixus fuit vobis dies. Infrà verò diem, sicut conquesti sunt Monachi, viginti quatuor boves capi fecistis: ad diem qui præfixus fuerat misistis ante nos responsales vestros, minùs quidem sufficientes uti videbatur, quoniam nec litteras vestras attulerant, quòd quidquid facerent de negotio, teneretis. Nec ideo pleniùs agere poterant in eodem negotio. Abbas quidem plenariam petebat restitutionem ablatorum, sicut Dominus Papa præcipiebat: sin autem, infrà terminum viginti dierum, prout in eisdem literis Domini Papæ continetur, plenariam justitiam de vobis & de terrâ vestrâ exhiberi. E contra dicebant vestri, quòd recredi facerent Abbati: sed Abbas non nisi plenam restitutionem volebat habere. In- «

» ter hæc verò & alia, vestri appellaverunt ad Do- » minum Papam, & sic destitimus in eodem nego- » tio procedere. Postea venerunt ad nos literæ à Do- » mino Papa, in quibus nobis injunctum est, ces- » sante omni occasione & appellatione si damna & » universa ablata non feceritis restitui, ex tunc & » in vos & in terram vestram excommunicationis » sententiam promulgemus. Quòd si non feceritis, » infrà decem dies postquam literas istas videbitis, » in vos & in terram vestram auctoritate & præ- » cepto Domini Papæ, quamvis tristes & invi- » ti, excommunicationis sententiam promulga- » mus.

Comes excõmunicatione innodatur.

Similia quoque scripta misit Senonensis Idæ Matri Comitis; & completi sunt præscripti dies ante festum B. Mariæ Magdalenæ tertiâ die: & incurrit Comes & mater ejus Apostolicam sententiam. Nec tamen minùs venire præsumsit Comes Vizeliacum in festo solitam procurationem exacturus, non debitum honorem famulatrici Dei exhibiturus. Sed Fratres absente Abbate suo Domini Papæ excommunicatum procurare minimè præsumserunt, imò divina officia celebrare ipso præsente destiterunt. Super quo valde aporiatus, voluit vim inferre Monasterio & Burgensibus, sed revocatus est à Milone & ab aliis Baronibus suis.

Monachi quidam degeneres partibus stantComitis.

Et addidit Satan aggravare manum suam super Monasterium Vizeliaci, & intravit in cor quorumdam Pseudo-monachorum, ut quoniam exterior calamitas ad evacuandam dignitatem Monasterii sufficere minùs videbatur, intestinum saltem bellum ipsam penitùs libertatem subjugaret. Nam Petrus quidam genere Arvernicus, in Monasterio à juventute enutritus, viperinam astutiam asininâ simplicitate, vel potiùs hypocrisis fictione occultabat. Et quoniam palliata virtus bonorum simplicitatem efficaciùs decipere solet, factum est ut per singulos gradus ordinis ad Prioratum Monasterii promotus, tandem industriâ & ope dignæ memoriæ Abbatis Pontii Monasterio Tornodorensi præficeretur. Quam dignitatem indignus indignè adeptus, vitiorum protinùs laxatis habenis, bona domûs ad nihilum usque redegit. Cujusdam præterea juvenis nomine Theobaldi, quem sacro habitu induerat, contubernio diffamatus, sæpe à Fratribus Monasterii sui præmonitus, sæpe ab ipso Lingonensi Episcopo suo Godefrido correptus est: sed cum non minùs correptionem quàm præmonitionem neglexisset, contubernium tandem illius Fratris abjurare ab Episcopo præfato coactus est. Cumque dilapidationi domûs etiam perjurii infamiam apposuisset, canonico judicio à curâ regiminis Monasterii Tornodori remotus est. Quem depositum Pontius Abbas venerabilis usus ingenitâ pietate suscepit, & cum multo, quamvis indebito, honore habuit. Quo videlicet Pontio Patribus suis in pace conjuncto, insanus ille Petrus fratres Monasterii Vizeliaci sollicitando cœpit à sacrâ libertate deviare, & electionem hujus Guilelmi, de quo agitur, modis quibus potuit impedire, sed infatuatum est consilium Achitophel, & dissipatæ sunt omnes machinationes Satanæ. Tamen multis verbis stultorum corda inficiebat, & interna odia concitabat. Factus est ejus insipientiæ collega Gaufredus de Latiniaco, potens in sermone, & efficax in persuasione, sed efficacior in versutiâ.

Talis & tantus præfato conjunctus Theobaldo, furtivis colloquiis & nocturnis susurris nunc istum nunc illum sollicitabat, inquirebat, irritabat, instigabat & provocabat ad scandala detractionum atque odiorum. Uterque igitur coëuntes ex semine Chanaam pepererunt filium dissensionis, materiam scandali, fomitem inimicitiæ, incitamentum discordiæ, Bartholomæum spurium, & ex scorto ab adultero genitum.

His quatuor rotis currus Pharaonis velut quatuor equi juncti sunt, & alii quatuor quorum nomina supprimuntur, quia nihil præter numerum efficere valebant, tùm quia in tempore examinationis à proposito resipiscentes insipientiam suam recognoverunt. Per hos omnes murmur paulatim serpebat, & sacri ordinis disciplinam quodammodo inficiebat. Jamjamque confœderantes sibi quoscumque allicere poterant, unanimi deliberatione scripserunt Petro pulso à Tornodoro, qui paucis ante diebus cum gratiâ & benedictione Abbatis ad visitandas obedientias suas in territorio Arvernico sitas perrexerat, & rogaverunt eum suppliciter, ut desolatæ domui Vizel. subveniret celeriter, unum esse dicentes consensum Fratrum omnium illius consilio in hac necessitate parere. Quibus cognitis, Petrus statim inopinatus advenit, malignantes exhilaravit, cæteros autem multâ admiratione tam subiti quàm insperati adventûs replevit: & accesserunt ad eum clàm machinatores infandæ seditionis, & effuderunt in auribus ejus fel conspiratæ proditionis, rogantes & adjurantes, seseque illi devoventes, ut infaustam illorum causam adversùs Abbatem, imò adversus Ecclesiam susciperet: spondentes se nunquam illi defuturos usque ad mortem, & etiam totius Conventûs maximam partem sibi sociaturos. Ille Comitem secretò adiit, qui, ut prætaxatum est, ad festum convenerat, eique seditiosorum vota intimavit. At ille gaudio incredibili exultans, ipse quidem fidei pollicitatione, sibi & complicibus ejus spopondit, quod eis in omnibus firmissimum præstaret auxilium, equos & expensas, & etiam si necesse foret, tuta prædia ubique locorum terræ suæ impenderet. Quatuor autem milites de Optimatibus suis dedit ei obsides, qui jurejurando pacti sunt Comitem promissa servaturum tam ipsi, quam omnibus quos secum adversùs Abbatem in fide Comitis habere posset. Petrus verò & Theobaldus juraverunt Comiti fidem se illi tenere adversùs Abbatem, ita quòd potiorem partem Conventûs Ecclesiæ fidelitati Comitis submitterent: ipsi autem post Alexandrum universalem Pontificem adversùs eumdem Abbatem Guilelmum pergerent. Et facta est conjuratio hæc in ipso sacro festo Sanctæ dilectricis Dei Mariæ Magdalenæ, in capella superiori apud B. Laurentium, per manum Stephani Pontisarensis, & Stephani de Petra-foraminis, & Milonis atque Hugonis de Argentolio. Et impii quidem atque adulterini sic prophanaverunt sanctum diem, fratribus & liberæ filiis dolentibus & mœrentibus, quòd Patronæ suæ minus dignè possent exsolvere debitam celebritatem. Aderant quoque Henricus Pisanus Cardinalis, & electus Maguntinus, atque Electus Carnotensis, qui specie tenùs videbantur agere de pace, sed spiritu carnis acti, magis ac magis partibus Comitis & matris ejus favebant.

Comes allicere conatur Monachos adversus Abbatem.

Unde & ipse Comes proditorum suggestionibus audacior effectus, Fratrum Capitulum ingredi petiit; quo impetrato conquestus est de Abbate, à quo exheredaretur, & multiplicibus injuriis afficeretur. Quæ cum universa immeritus pateretur, maximè dolere se perorabat desolationem Ecclesiæ quondam rebus opulentæ, honorabilibus personis decoratæ, rigore disciplinæ religiosæ, charitate hospitalitatis opinatæ: & quæ in his aliisque pluribus bonis omnes Gallicanas Ecclesias post Cluniacum aliquando præcellebat, nunc & rerum penuriâ, & debitorum gravamine, & personarum exiguitate, & morum infamiâ, & hospitalitatis inhumanitate adeo deno-

tabatur, quòd jam non solùm quarumcumque Ecclesiarum, sed etiam vilium vulgi personarum fabula exstaret, quòd totum utique superbiâ & dissolutione Abbatis, ipsorum quoque Fratrum consensu, qui ei faverent, provenisse constabat. Ubi, ait, sunt honestæ illæ & graves personæ quondam, Cellerarius, Hospitalis, Sacrista, Eleemosynarius, Camerarius, quorum prudentiâ & etiam potentiâ olim domus hæc florebat? Jam non est in vobis qui possit alterum juvare, vel consulenti cuilibet respondere, casso nomine tantùm honoris retento. Idcircò patet in propatulo omnium vestrûm dissolutio, cum similes simili faventes, quasi gratuitam patimini injuriam. Hactenùs sustinui injurias meas, hactenùs passus sum hujus Ecclesiæ detrimentum; quæ videlicet Ecclesia quoniam mea est, & in tuitione meâ velit nolit Abbas vester, consistit, jam ampliùs tantum dedecus, tantumque gravamen non patiar; præmonitos tamen vos esse cupio, quatenùs Abbati suadeatis, ut huic denuò Ecclesiæ parcat, & à destructione illius desistat; quodque mei juris est mihi restituat. Ego quippe nihil novi exigo, sed meorum antiqua Patrum jura repeto. Quomodo namque novis vel injustis exactionibus gravarem, quam ab omnium hominum infestatione habeo custodire? Moneo demùm ut consulatis vobis, alioquin ab omnibus vobis exigam tantæ illius pravitatis assensum.

Prior Comiti respondet.

His auditis, surrexit Gilo Prior ad hæc responsurus, vocavitque Ecclesiæ Seniores, & ipsum alterum Judam cujus adhuc proditio latebat, & secessit in Oratorio beati Dei Genitricis MARIÆ cum Fratribus & Burgensibus, collatoque consilio, respondit Gilo: Sicuti, Domine Comes, ipse professus es, & nos quoque cognoscimus & volumus te tutorem ac patronum nostrum & Ecclesiæ hujus esse. Desolationi autem domûs nostræ te compati gratum & acceptum habemus; atque in hoc affectuosiùs Celsitudinem tuam rogamus, quatenùs in his quæ ad tuam, & in his quæ aliorum Principum spectant personam, Ecclesiæ huic, quæ in tuâ existit custodiâ, consulas & provideas. Quæ licet interiùs fraternâ pace & concordiâ, sufficientique victu & vestitu vigeat, exteriùs tamen & rerum suarum diminutione, & quorumdam inimicorum gravamine laborat. Debito autem eam opprimi nondum novimus, quod septingentas libras non excedere scimus. Capituli sanè severitas, & Claustri disciplina, necne personarum dispositio non minùs solito florere nobis videtur; & si qua mendacis infamiæ nota Ecclesiam lædit, non hanc veritatis assertio, sed æmulorum invidia contraxit. Personam porrò Abbatis nostri bonam & honestam fore sicut volumus, ita & credimus, & si quid odio judice cuiquam de eo aliter videtur, rationis lance mendosum convincitur. Eapropter idem sapere, idemque cum eo sentire, sicut decet membra cum capite, gaudemus: nec in tam communi legitimoque capitis & membrorum consensu quidquam inesse vitii speramus. Verumtamen si quid vel proprio excessu, vel alienâ insimulatione odio dignum forte apud vos contraxit, hoc nos piget, & exinde plurimum dolemus, licet usque hodie incompertum quid vel quare commeruerit habeamus. Cum ergo venerit, humiliter ut Monachi Abbatem, ut subditi Dominum commonebimus, quatenùs dignitatis vestræ gratiam promereri satagat. Cæterum discretionem tuam exoramus, ut Ecclesiæ quæ in tuâ, ut dicis, existit custodiâ, parcas, & ne unius hominis odio illam disperdere moliaris, quæ quantum in se est, Abbati quidem suo subdita, tibi autem semper est devota. Mandaverat autem Petrus proditor Comiti per Simonem de Silviniaco clàm, ut mitiùs Fratribus loqueretur, maximè in verbo quod ad Fratrum infamiam spectare videretur, ne dum Abbatem insequitur, irritatos Fratres amittere videatur.

Subinfert Comes.

Respondit ergo Comes: Vestros quidem mores non improbo, sed multam egestatem vestram, quam Ecclesiæ hujus bonorum dilapidatione ab Abbate factam patimini, doleo: unde, sicut dixi, aut vos ipsi vobis & Ecclesiæ isti providebitis, aut ego tantum ulteriùs detrimentum non patiar. Nam cum canonico ordine nondum publicatus fuerim, præcepto Abbatis vestri ob solam præsentiam meam à divinis officiis cessastis, & procurationem meam, mundo teste, debitam nescio quâ ratione non exhibuistis. Quod verò debitum Ecclesiæ septingentas libras non excedere dicitis, scio ego inter duo maria plus quàm mille libras vos debere; & quod de exteriorum inimicorum gravamine querimini, hoc in caput Abbatis vestri redundat, cujus tanta esse arrogantia dinoscitur, quòd nec mihi, nec cuiquam alii, quod justum est prosequatur: Verùm in causam vos ego non traho, tantùm ut recogitetis, & vobis provideatis moneo. Quod si feceritis, fidelem adjutorium me per omnia habebitis; sin autem, vestrâ intererit: ego autem mihimet providebo. Hæc ideo dixit, ut proditores animaret, & alios ad consensum proditorum incitaret. Egressus ergo Capitulum, loquutus est Petro proditori, ineruntque simul consilium, quomodo Petrus ipse post Alexandrum Papam pergeret, Abbatem accusaturus & mitteret cum eo Abbatem Boniradii, qui sub ovinâ specie insontem acriùs dente ludino morderet; & ut dolus mutuæ loquutionis lateret, spopondit Petro Comes quòd pecuniam, quam eidem Petro Ecclesia Tornodorensis pro dimissione cujusdam obedientiæ debebat, sibi reddere faceret.

Instabat autem dies colloquii data Comiti & Abbati ab Archiepiscopo Senonensi: sed neque Comes neque Abbas convenerunt: affuit tamen ex parte Abbatis Gilo Prior, & hic ipse Petrus adhuc latens proditor. Cumque utrimque agerent in præsentiâ Archiepiscopi apud Bassoldum, & Gilo Prior illata à Comite damna Ecclesiæ adstante Comite prosequeretur: Petrus vim ferventis doli eructans; cœpit constanter arguere Gilonem, quasi duriùs & irreverentiùs adversùs Comitem loquentem. Quo audito Gilo & Gofridus tunc Hospitalis, aliique Fratres, qui illuc pro Abbate convenerant, erubuerunt vehementer. Comes autem pro parte damnorum restituendorum dedit obsides. De reliquis verò querelis, petiit alteram diem annuente Senonensi Archiepiscopo, innocenti parantes laqueum in quem ipsi deciderunt. Namque Archiepiscopus excusatoriam petitionem misit ad Alexandrum Papam, rogans ut sententiæ super Comitem alter Judex delegaretur: ne forte juvenis Principis sævitia tam in se quàm in suos debaccharetur, & unius detrimentum duos in eâdem pœnâ involveret. E contra Comes Petrum præfatum & alios Principes suos parabat mittere adversùs Guilelmum Abbatem Vizeliacensem ad Alexandrum Papam. Et hæc erat fiducia, ut Archiepiscopo excusante, Comite autem accusante, delegarentur à Papa Judices, qui inter utrosque limites Comitis & Abbatis causam agitarent. Sed contigit in obliquum, & frustrata est cogitatio insipientiæ.

Narrat Prior Abbati quid cum Comite egerit.

Infecto igitur negotio recesserunt ab invicem, & venit Gilo ad Abbatem apud sanctum Julianum de Salice, & retulit ei quæ nudius tertius apud Vizeliacum, & quæ in præsentem diem egissent, & quàm impudenter confudit eos Petrus ille intimus amicus

suus in præsentiâ Comitis & Archiepiscopi. Super quo Abbas non modicum admiratus, ex abundanti gratiâ fidem dictis nullatenùs adhibuit, imò liberum eum ab omni suspicione dimittens, præcepit ei ut receptâ pecuniâ à Tornodorensibus in domum suam de Salis abiret, ibidem eum exspectans iturum in proximo post Alexandrum Papam, aut viso Nuntio suo, occurreret ei apud Podium, paratus proficisci cum eo: præmiserat autem Abbas ad Curiam Joannem Clericum suum, à quo cum literas recepisset, quòd Alexander in Kalendis Augusti mare foret ingressurus, propositam profectionem dimittens, venit per terram Ducis Vizeliacum perendie Octavarum beatæ Mariæ Magdalenæ, & obstupuerunt quotquot erant de factione Petri ad tam subitum & inopinatum Abbatis adventum, quem denuò Abbatis honore præditum non sperabant rediturum, quemadmodum contubernalibus suis prophetizando, vel tiùs delirando jam prædixerant.

Abbas tandè agnoscit proditores suos.

Certior tandem Abbas redditus de proditoribus, vocavit Vincentium Decanum, narravitque ei quomodo etiam alio referente eadem cognoverit. Vocavit etiam Abbas Gilonem Priorem, & retulit ei omnia quæ audierat. Incredibile illi visum fuisset, nisi nequitiam verborum Petri ad memoriam renovasset. Accersitus postmodum Gaufredus Superior, obstupuit ad ea quæ dicebantur: nec mirandus stupor tantæ novitatis: Ecclesia quippe Vizeliacensis trecentorum & eo amplius annorum tantâ pacis & honestatis disciplinâ floruerat, quod usque ad id temporis nulla infamiæ macula, nullius scandali rumor eam fœdaverat. Abbas autem paci & quieti, atque silentio, & charitati operam dare omnes in commune hortabatur, & ut orationi attentiùs insisterent, & manus in cœlum contrà Amalech levarent, deprecabatur. Dein habitâ ex more solemni processione, obtulit Deo sacrificium. Et hi qui seditionem abjuraverant, scripserunt Petro & Theobaldo, ut cœpta omitterent, quoniam frustrà contrà stimulum recalcitrarent; præsertim cum in ipso exordio dissipatum videretur consilium illorum, & ipsi deprehensi traditam si ab ipsis nequitiam abjurassent. Alexandro quoque Summo Pontifici & universis Apostolicæ Curiæ Cardinalibus scripserunt, qualiter à quodam dierum malorum inveterato fuissent infatuati; quem ad pedes Apostolicæ Curiæ venientem adversùs Abbatem suum, & Matrem suam Ecclesiam, ne susciperetur, exorant, neve tenebræ lucem obfuscarent, errorque veritatem obtumderet, supplicant. Porrò vasa iniquitatis filii Belial, scilicet Gaufredus Latiniacensis, & Guilelmus Pidet, in felle permanentes nequitiæ, & dolos excogitantes insipientiæ, rogabant Abbatem, quatenùs post Petrum & Theobaldum eos abire concederet, quatenùs eos aut reducerent, aut in Romanâ Curiâ de proditionis nequitiâ convincerent. Sanè columbina simplicitas prudenter nonnunquam præcavet astutiam serpentis; vix nempe experta nequitia suspicione caret.

Post prandium itaque clam disposito itinere, venit Guilelmus Abbas nocte Avalonam, quod est castrum Ducis Burgundiæ. Inde surgens septimâ die Montempessulanum ingreditur, habens in Comitatu Gaufredum Angligenam Suppriorem, Vincentium Decanum, Franconem Capellanum suum, Hugonem Pictavinum Notarium suum hujus Operis Auctorem. Hugo autem de Varenis subsequutus fuerat proditores Petrum & Theobaldum, quos in castro quod dicitur Gannac invenit simul cum Abbate Boniradii, qui eâ horâ jam se collocaverat. Proferens igitur Hugo litteras Abbatis Guilelmi, & totius Capituli Vizeliacensis tradidit eas Petro, quem torvo lumine Theobaldus respiciens, ait Petro:

Auctor hujus historiæ.

Quid est, stultorum stultissime quod fecisti? Quis enim est ille Abbas in cujus nomine formatam suscepisti? nos quidem illum pro Abbate non habemus, qui fidelitati Comitis contrarius existit: & hæc dicens, formatam adhuc integram rapuit de manu Petri, atque in solo conculcandam projecit. Respondens Hugo dixit Petro & Theobaldo: Injuria hæc non solùm Abbatem, sed etiam totum Conventum Vizeliacensis Monasterii lædit. Ex parte igitur Abbatis Guilelmi, & ex parte totius Capituli vobis dico, ut infrà quartum diem Vizeliacum redeatis ad objecta responsuri: sin autem, Abbas & totus Conventus sententiam excommunicationis auctoritate Apostolicâ in personas vestras promulgant, & ego ipsam sententiam ex parte illorum vobis denuntio. Et egressus Hugo occurrit Abbati apud Anicium Civitatem Vallavorum, & retulit ei proditorum rebellionem. Præveneruntque proditores Abbatem; sed præcogniti à Joanne Clerico Abbatis, nullum ad Curiam introitum habere potuerunt.

Abbas à Romano Pontif. cum honore exceptus: Proditores repulsi.

Ingressus Abbas ad Alexandrum Papam, cum magno honore & plenâ gratiâ susceptus est ab eo, & ab omni Curiâ. Cumque proditores adire Curiam niterentur, & ab eâ turpiter & cum notâ proditionis etiam per ostiarios repellerentur, introivit Abbas Boniradii quasi propria Ordinis sui negotia exequuturus: ut autem partes Comitis cœpit allegare, & proditorum velut innocentium Legatorum Ecclesiæ Vizeliacensis causam adversùs Abbatem, quasi adversùs dilapidatorem bonorum, & Ordinis subversorem agere, repulsus est statim ab Alexandro Papa, resistente ei in faciem Umbaldo Hostiensi Episcopo Cardinali. Denique Henricus Pisanus Cardinalis, & Electus Maguntinus parti Comitis & proditorum pro posse favebant. Unde precibus multis pertæsum Papam, vix compulerunt scribere Comiti excommunicato. Quod ut per notarios cognovit Abbas, ingressus ad eum genuflexo dixit? Quid est Domine quod fecisti? nondum plenam justitiam sumus assequuti, & jam illud tantillum justitiæ quam nobis feceras, revocasti. Quomodo, ait Papa? Scribendo, inquit, præter morem Apostolicum ei quem ipse excommunicasti. Ergone, ait, jam sententia promulgata est? Ita inquit. Et dixit: Ostende tuum rescriptum; & dedit ei: protinùs Alexander misit in gazophylacium Notariorum, & jussit ut surreptitium illud scriptum retineretur: utque cognovit quod jam illud Maguntinus recepisset, indignatus valde, præcepit ut celeriter ab eo reposceretur: quo reddito, ingressus est Maguntinus ad Papam, & petiit Apostolicam epistolam sibi reddi: qeem Papa cœpit arguere de surreptione indebiti scripti: qui cum petitionis suæ repulsam indignè ferret, ad lacrymas prorupit. Motus ergo Papa, dixit ei: Ecce habeto ut vis; sed nullum exinde cognato tuo emolumentum præstabis: fecimus enim nova scripta adversùs illa surreptitia. Videntes verò Petrus & Theobaldus proditores quòd nihil proficerent, recesserunt. Quibus abeuntibus, occurrerunt eis Guillelmus Pideth, & Helias literis quidem vacuus, sed insipientiâ plenus: hi ad vomitum reversi, & abjuratâ infidelitate resumptâ, nocte Claustrum clam egressi, Monasterii murum conscenderunt, & per funiculos sese summiserunt. Accidit autem ut rupto funiculo caderet Helias, & brachium læderet.

Totâ igitur nocte fugientes, & ad Comitem venientes conquesti sunt se gravissimis tormentis afflictos ab Abbate ob illius solam odii causam, quibus Comes dedit equos & expensas, misitque eos post Petrum & Theobaldum. Ut ergo sibi invicem oc-

currerunt, ad Curiam pariter reversi sunt: & observantes exitum Alexandri Papæ, ad quem nullum penitùs accessum habere valebant, tandem occurrerunt ei exeunti de Oratorio: prostratusque coram eo Guillelmus Pideth, conquestus est quòd pòst appellationem Apostolicæ audientiæ cæsus & incarceratus fuerit ab Abbate Guillelmo. Numquid, ergo, ait Apostolicus, & tu ex illis excommunicatis proditoribus Ecclesiæ tuæes? Conclamantibus autem universis adstantibus, ejecti sunt proditores à conspectu Alexandri de Consistorio. Denique Abbas nihil horum curabat, nec etiam verbum ex illis in Curiâ facere dignabatur. Volebat sanè ut delegatio Apostolicæ sententiæ in tyrannum & matrem illius à Senonensi transferretur, & cuilibet alteri delegaretur; quod etiam ipse Senonensis plurimùm affectabat, & hoc ipsum jam scripto petierat. Sanè quoniam potior & maxima pars terræ Comitis de Diœcesi ejus erat, delegationem quidem sententiæ transferre Apostolicus noluit, sed ut securior & robustior ad exequutionem sententiæ Senonensis procederet, dedit ei collegam Stephanum Meldensem Episcopum: & scripsit utrique quatenùs Comitem Nivernensem & matrem ejus convenirent, eosque hortarentur cum Ecclesiâ Vizeliaci amicabiliter componere, aut super contemptores delegatam sententiam, omni surreptitio scripto postposito, & appellatione remotâ promulgarent; & Eduensi, Lingonensi, Altissiodorensi, atque Nivernensi observandam denuntiarent, secundùm quod eisdem scripto ipse mandaverat.

Delegati Judices à Summo Pontif.

Factum est ergo sequenti die Lunæ post Assumptionem intactæ Virginis & Genitricis Dei MARIÆ, ascendit sanctissimus & universalis Pontifex Alexander Catholicus Papa ad altare, ut sacram & vivificam Deo victimam offerret prò animâ Ivonis Carnotensis Ecclesiæ Decani; & cum perficeretur sacrificium, proditores illi cum Gaufredo Angligenâ litigabant; & accessit ipse Gaufredus ad Umbaldum, Hostiensem Episcopum, & significavit ei quantam Domino Papæ proditores irreverentiam irrogarent. Conversus Hostiensis vidit detestabiles illos proditores, dixitque Alexandro: Ut quid Domine, sustines prophanos illos proditores Vizeliaci, sacris te præsente interesse officiis? ubinam, inquit, sunt? Respondit, adsunt: & ait, Ejice quantociùs eos foras. Dissimulantibus illis exire, protinùs Hostiensis & Signiensis vocatis Officialibus expulerunt eos ab Ecclesiâ. Quod videns Maguntinus, qui tunc forte cum Vizeliacensi loquebatur Abbate ibidem, egressus præ nimiâ indignatione abiit pòst eos. Abbas quoque Boniradii, cujus lateri semper ipsi proditores adhærebant, videns sese frustratum à proposito, erubuit valde, & recessit: quem proditores prosequuti, confusionem & ignominiam promeritam Domino suo Comiti reportaverunt. Abbas autem Guillelmus non recessit, donec ipsum Papam Alexandrum usque ad mare prosequutus est. Reversusque prosperè auctus Apostolicâ benedictione, ultimo die mensis Augusti Vizeliacum ingressus est: inde pòst paucos dies venit Parisius, ubi Hugoni Archiepiscopo Senonensi, & Stephano Episcopo Meldensi Apostolica scripta tradidit: qui protinùs tam ipsi, quàm Comiti statuerunt diem apud Joviniacum. Quo cum convenissent, obtulit Abbas munimenta privilegiorum Romanorum Pontificum, & Regem Francorum; Epistolas quoque Alexandri Papæ, quas prænominatis Pontificibus de exequutione compositionis seu sententiæ delegarat. Cumque hic inde allegarentur plura, constante controversiâ dies finita est. Ut ergo Pontifices cognoverunt quòd per Comitem staret quin pacis compositio fieret, delegatam sibi ab Alexandro Papa excommunicationis sententiam super Comitem & super Matrem illius promulgaverunt.

Conveniunt Delegati Joviniacum, excommunicantque subjiciunt Comitem & matrem ejus.

Sequenti sanè die rogatu ipsorum Pontificum rursùs hinc inde ad Ulmum Bassoldi convenerunt. Enumeratis igitur damnis Ecclesiæ illatis, tentabant quidam ita componere quòd Abbas damna sua omninò condonaret; Comes verò deinceps pacem cum Abbate & Ecclesiâ haberet, sicque omnes aliæ controversiæ sopirentur. Et respondit Abbas, quam ergo cautionem præstabit Comes de pace tenendâ? Dixerunt ei: nudo tantùm verbo tenebitur: quòd si Comitem ad hoc coëgeris, manu suâ fiduciabit in manu Pontificum. Et si, inquit Abbas, fidem compromissæ pacis excesserit, quis mihi justitiam faciet? Responderunt: Tu videris: non ergo acquievit Abbas remissioni tantorum detrimentorum, imò magis omninò instabat ut gravamina procurationum penitùs à Comite remitterentur. Quippe cum auctoritate Testatoris & privilegiorum neminem habeat Ecclesia procurare, nisi sponte & ex charitate. Comes verò respondit priùs se velle exheredari, quàm obtentam à patribus suis consuetudinem relinquere. Quin etiam ni trecentas libras ei Abbas pro negatâ sibi nuper procuratione eâ ipsâ die persolveret, nullam pacis compositionem reciperet. Et ait Abbas Guillelmus: Nequaquam more nummularii ad has nundinas attuli sacculum meum. Verumtamen ecce jam in propatulo patet superstitio tyrannidis seu rapacitatis Comitis, qui pro unius diei procuratione trecentas libras exigit; & sub tanto flagello quæ pax poterit constare? Sic per Comitem negatâ pacis compositione discessum est. Venit itaque Gilo Prior Pontiniacum nocte illâ cum Episcopo Meldensi, qui celebravit festum Omnium Sanctorum apud Vizeliacum, Gaufredus verò Supprior cum Renaldo Eleemosynario, & reliquis sociis venerunt non sine timore Altissiodorum, & nocte surgentes ipso mane ingressi sunt Vizeliacum. Porrò Abbas noctem illam fecit cum Senonensi Archiepiscopo, & Abbate S. Germani de Pratis, apud sanctum Julianum de Salice. Inde occurrit Regi Moretum, efflagitans ut pro ingenitâ pietate, & pro Apostolici mandati reverentiâ in tantâ & tam gravi necessitate Vizeliacensi subveniret Ecclesiæ: à quo responsum accepit, nunquam se B. Mariæ Magdalenæ neque famulis ejus defuturum; imò pro Monasterio Vizeliacensi, sicut pro coronâ Regni decertaturum. Abbatem sanè sustinere ad modicum debere, & declinare vesaniam insanientis tyranni, & videre si forte ad sacrilegium usque manus extenderet, quatenùs completâ totius orbis testimonio punirent.

Iterum apud Ulmum Bassoldi litem discutiunt, sed incassum.

Abbas Regem adit.

Suscepit igitur Abbas monita Regis, misitque Hugonem Notarium suum mandans Senonensi Archiepiscopo, quatenùs juxtà Apostolicum mandatum Comitem & matrem ejus excommunicatos publicè denuntiaret. Cum itaque Archiepiscopus sacris adstaret altaribus, & expletâ lectione Apostolicâ, solemnis perficeretur jubilatio, adstante populo, & exspectante Diacono, fecit sermonem ad populum, significans ei quantis gravaminibus Comes Nivernensis & mater ejus, dilectricis Dei B. M. Magdalenæ toto orbe famosissimum persequetur sepulcrum. Pro quibus videlicet gravaminibus ex mandato, inquit, Domini Papæ sententiam excommunicationis super utrumque promulgamus; & nisi infrà imminens festum B. Martini resipuerint, totam terram illorum sub interdicto totius divini officii, præter baptisma parvulorum & pœnitentias morientium, ponimus. Hanc sententiam idem Archiepiscopus Hugo scripsit Alano Altissiodorensium, Bernardo Nivernensium, Henrico Eduensium, Galterio Lingonensium Episcopis in hunc modum.

Archiep. Senonensis excommunicatos declarat Comitem & ejus matrem.

Ea de re ejus epistola ad Episcopos.

HUGO Dei gratiâ Senonensis Ecclesiæ humilis Minister, Venerabilibus Fratribus & amicis HENRICO Eduensi, GALTERO Lingonensi, ALANO Altissiodorensi, BERNARDO Nivernensi, eâdem gratiâ Episcopis salutem & dilectionem in Domino. Discretioni vestræ significamus, quòd Dominus Papa sæpe & repetitis literis à Claro-monte, & à Podio, atque à Montepessulano tam monendo quàm auctoritate Apostolicâ præcipiendo, nobis scripsit super indebita gravamina & iniquas oppressiones, quas Monasterio Vizeliaci & hominibus eidem pertinentibus Comes Nivernensis & Mater sua inferre noscuntur. Denique præcepit nobis, ut ex tenore literarum ipsius videre potestis quas vobis ex parte illius mittimus, quatenùs utrumque, scilicet Comitem & Matrem suam, sub velocitate conveniremus, & cum omni diligentiâ eos exhortaremur, ut Abbati prænominati Monasterii ablata omnia sine dilatione redderent, de damnis & injuriis illatis satisfacerent, & ab eorum infestatione & indebito gravamine ulteriùs quiescerent. Si autem infrà XX. dies nostræ commonitioni obedire contemnerent, super ipsos excommunicationis sententiam proferremus, & in terram illorum omnia divina officia; præter baptisma parvulorum, & pœnitentias morientium, penitùs interdiceremus: eamdemque sententiam omni remotâ appellatione, & dilationis occasione inviolabiliter observandam vobis auctoritate ipsius mandaremus. Nos itaque præceptum Domini exequutioni mandantes, cum de admonitione nostrâ nihil proficeremus, sententiam excommunicationis in utrasque personas promulgavimus; sed vobis eam denuntiare hactenùs consultò distulimus. Pacem quippe inter Abbatem & Comitem componere cupientes institimus, & in quantum potuimus, elaboravimus, tam nos quàm venerabilis Frater noster Meldensis Episcopus, cui hoc ipsum à Domino Papa ex industriâ injunctum fuerat; sed quoniam sæpiùs à proposito frustrati sumus, tandem Joviniacum convenientes, & per biduum de pace agentes, cum nec pacis vestigium habere possemus, promulgatam jam diù à nobis ex mandato Domini Papæ sententiam confirmavimus, eamdemque vobis tenendam & firmiter observandam auctoritate Domini Papæ & nostrâ præcipiendo denuntiamus, mandantes ut de cætero habeatis eos excommunicatos; & ab instanti festo S. Martini statim sine dilatione per omnes parochias vestras excommunicatos publicè denuntietis, & in omni terrâ illorum divina officia, præter baptisma parvulorum, & penitentias morientium, prohibeatis: maximè autem illis Sacerdotibus qui propriè Capellani Comitis & Comitissæ matris ejus dicuntur, hoc denuntiandum, & sub Ordinis sui periculo intimandum est, ut à transgressione Apostolici & nostri mandati caveant.

Et hæc quidem Archiepiscopus. Cæterùm Episcopi constitutam sibi sententiam minùs firmiter observare studuerunt. Porrò Guilelmus Abbas circuiens Monasteria sua in pago Belvacensi constituta, ingressus territorium Noviomensium venit ad Villaris-Silvæ Monasterium. Erat autem dies Sabbati hebdomadæ primæ adventûs Domini: eâdem nocte venit ad eum unus è pueris ejus nomine Giroldus, referens ei luctuosum statum Vizeliacensis Ecclesiæ. Accidit interea in eâdem Ecclesiâ quoddam futuræ calamitatis præsagium simul & solatium. In cryptâ enim, quæ suprà B. Dilectricis Mariæ Magdalenæ sepulcrum extat, tantus ignis casu erupit, ut etiam tirannos, quos Francigenæ trabes vocant, qui erant in superiori parte, combusserit. Imago tamen B. Dei Genitricis MARIÆ lignea, in ipsius pavimento cryptæ posita, nullum omninò passa est incendium,

Sepulcrum B. Mariæ Magdalenæ flagrat.

sed tantummodo denigrata est. Sericum autem quod ad collum Imaginis pueri JESU pendebat phylacterium, nec odorem fumi contraxit, nec in parvo aut magno colorem mutavit. Unde liquidò claruit, quòd nec ipsa imago aliquantisper fumo obduceretur, nisi ut reparationis ejus occasione thesaurus inæstimabilis latens in eâ per divinam dispensationem panderetur. Nam prædictâ imagine ad reparatorem missâ, dictum est ab ipso reparatore, quòd imago, uti sibi videbatur, occultissimum ostiolum inter scapulas haberet: quo audito, Gilo Prior præcepit eam portari in sacristariam; vocansque secum Gaufredum Suppriorem, & Gervasium Sacristam, & Girardum Conestabulum, Mauricium quoque Succentorem, & ipsum Lambertum imaginis reparatorem, accepto cultello ipsemet rasit colores, lignoque retecto nullius juncturæ indicium potuerunt deprehendere: demùm accepit malleolum ferreum, tentavitque aure percipere, quod omnes oculis nequibant investigare, audiensque quasi sonum rei concavæ, spe succinctus hilari ostiolum illud propriis manibus piè audax reseravit, invenitque capillos illius intemeratæ Virginis, quæ nec primam similem visa est nec sequentem habere; & de tunicâ ejusdem Genitricis Dei MARIÆ, & ossium unum B. Joannis Baptistæ. Invenit etiam ossa BB. Apostolorum Petri & Pauli & Andreæ in ligaturâ unâ: unam quoque unciam pollicis B. Jacobi fratris Domini; sed & duas ligaturas de ossibus B. Bartholomæi Apostoli, & quasi unum brachium de Innocentibus, atque reliquias S. Clementis, & unam massam de Capellis S. Radegundis Reginæ: de vestimentis præterea trium puerorum, Sidrach, Misach, & Abdenago: & de veste purpureâ quam indutus est Dominus JESUS-CHRISTUS in passione. Per singula autem suprà dicta singulos breves invenerunt, qui singulorum docerent differentiam; & cum omnes prædicti breves adeo inveterati essent quòd vix legi potuissent, inventi sunt & alii tres non legibiles; sed cujus vel quorum extiterint soli Deo cognitum est. Quos ergo legere potuerunt: transcribi fecerunt, & vetera scripta cum novis ligaverunt in testimonium. Postquàm autem omnia diligenter viderunt, loco suo, ut priùs fuerant, reddiderunt, ipsamque imaginem cum prædictis sanctorum pignoribus super majus altare locaverunt: & induti omnes cappis, omnibusque signis majoribus cum campanis pulsatis, laudaverunt Creatorem omnium, qui ad illorum custodiam & loci tutelam tot & tam præclara pignora largiri dignatus est. Tunc confluentibus populis tam peregrinis quàm vicinis fit lætitia & exultatio permaxima, tam in Ecclesiâ quam totâ villâ atque in locis vicinis, ex agris & ex vicis circumquaque properantibus ad gaudii celebritatem. Denique vix omnium clamores Gilo compescens, manu silentium imperavit, causamque laudis & gaudii sub brevitatis moderamine reddidit, omnibus flentibus præ gaudio, & dum postea sepulcri Dilectricis Dei cryptæ imaginem reddere niterentur, tantus factus est concursus populorum volentium eam osculari, vel etiam tangere, ut vix eam in omnium præsentiâ loco pristino possent restituere. Quòd autem ipsam imaginem tangi non permiserunt, causa fuit ne notarentur avaritiæ. Ignis ergo divinitùs erumpens instantis tribulationis præsagium fuit: inventio autem sanctorum pignorum ejusdem tribulationis optimum finem edocuit. Hæc autem verba scripserunt Vizeliacenses Abbati suo Guilelmo ad consolationem susceptæ peregrinationis.

Reliquiæ in imagine B. Virginis repertæ.

Anno Verbi Incarnati millesimo centesimo sexagesimo quinto, vicesimâ sextâ die Mensis undecimi, quintâ feriâ quæ præcedebat adventum Domini,

An. 1165. Comes Niver. novam persequutionem

in ves adversus Vizeliac.

Guillelmus Comes Nivernis & mater ejus Ida ingressi sunt oppidum Vizeliaci cum multitudine armatorum, quasi funditus illud eversuri. Et Comes quidem declinavit in hospitium Monasterii quod adjacet domui Eleemosynariæ, quæ est in introitu Claustri: mater verò ejus omnium malorum incitatrix descendit in domum Simonis de Silviniaco, & factus est timor magnus super omnes inhabitantes oppidum. Et intonuit sermo Giloni Priori, & omnibus Fratribus eâ horâ in Capitulo sedentibus: tulitque Gilo omnes claves Monasterii, prohibens ne quis Claustrum egrederetur. Et siluit Comes eâ die. Sequenti verò die cum vidisset quòd nullus Fratrum prodiret, subsannando interrogavit utrum Monachi parasceven ridiculò solemnizarent, an forte solitâ superbiâ suam præsentiam dedignarentur. Hæc ille irridendo; reverâ autem Fratres parasceven instantis reparationis libertatis suæ solemnizabant: nam sicut per parasceven Dominicæ passionis reparata est dignitas humanæ conditionis, sic & per parasceven communis Fratrum exilii exclusâ tyrannicâ usurpatione; reparata est integritas priscæ libertatis. Et mandavit Fratribus Comes, quòd vellet ingredi Capitulum eorum loquuturus ad eos. Qui responderunt quòd non possent communicare excommunicato; verùm si ea quæ pacis sunt persequeretur, per Priorem suum ei loquerentur. Paucis ergo secum accitis venit Gilo ante faciem Comitis; quem torvo respiciens oculo in multis eum objurgabat; ad extremum ut detestabiles proditores Petrus & Theobaldus, eorumque complices in Monasterio reciperentur instabat. Cui Gilo respondit; nec posse nec debere se excommunicatos Domini Papæ recipere. At ille: Isti, ait, non sunt excommunicati; sed quia noluerunt uti prudentes participare vestræ leccacitati, innocentes expulistis à vobis. Respondit Gilo: Nos in pace & pro pace venimus, tu autem nos indebitis injuriis appetis: unde tibi certum constet, quòd denuò faciem tuam pro tali donativo non repetemus. His dictis, Claustrum Gilo repetiit. Comes autem misso præcone, sub interminatione præcepit omnes Burgenses ante faciem suam convenire. Quidam sanè illorum nequitiam illius sæpiùs experti, sese latenter per abdita infrà Monasterium receperunt. Posuerat namque custodes qui observarent valvas, ne quis Burgensium ingrederetur Monasterium. Hi ergo qui vel de familiari obsequio, vel de furtivâ commendatione tyranno exhibitâ præsumere potuerunt, præsentiam illius adierunt: quos protinùs fidelitatem Abbati & Ecclesiæ pactam abjurare præcepit. At illi responderunt, consilium super hoc verbo se habituros. In promptu, ait, habetote consilium. Et fecit obserare ostia hospitii portasque Monasterii: misitque Stephanum Cancellarium suum, & Stephanum de Petra-foraminis, & Furnerium de Droiâ; mandavitque Giloni Priori, ut sibi mitteret claves Monasterii. At ille respondit: Ergone Comes est Abbas, vel Clavicularius Monasterii hujus? Sic, inquiunt, præcipit Comes. At ille: Loquar super hoc Fratribus meis: & ingressus Capitulum, omnibus Fratribus residentibus sic exorsus est: Ecce, Fratres, ecce adest dies longè ante à Venerabili Abbate nostro, & à nobis ipsis præmeditata, sæpiusque vobis prædicta, in quâ de libertate vestrâ & vestræ Ecclesiæ, deque communi periculo vestro & hominum vestrorum non tractandum, sed potiùs deliberandum est. Hæc dies est meta servitutis & libertatis, quietis & laboris, ignaviæ & probitatis, honoris & infamiæ; utrumlibet eligatis chirographo inviolabili constabit. Hactenùs bonorum vestrorum rapinam sustinuistis, hactenùs minas & opprobria impiorum patienti aure, quasi ventorum rabiem excepistis. In theatro fortunæ istius vobis constitutis, omnium in vobis defixi sunt oculi. Jam corpus ipsum negotii vestri est in stadio, & utrum vincatis, an vincamini nulla est dilatio, non sufficit tyranno huic vestes vestras abrumpere, pilos vestros evellere, pellem vestram vellicare, sed jam etiam molares vestros conatur excutere. Claves vestras expetit, ut vestram libertatem servitutis compede se inclusisse glorietur. Ad hoc verbum protinùs omnes surrexerunt, & ne claves Monasterii Comiti daret, ex parte Apostolicâ, & ex parte Abbati sui unà voce contradixerunt. Et insistebant ut paucis relictis custodibus omnes pariter exilium pro libertate subirent. Quibus respondit Gilo: Inconsultum mihi videtur domum relinquere, quamdiu redditus domûs superfuerint.

Prior Fratres adhortatur ut forti sint animo.

Satellites Comitis vi Monasterium ingrediuntur, diripiuntque.

Et dum hæc agerentur, divertens Furnerius de Droiâ, tulit secum satellites Comitis, & venit extrinsecùs ad inferiorem portam domûs Abbatis, ejectoque loripede qui portam custodiebat, accepit claves, quæ forte in ostilio valvæ majoris dependebant, & occupavit domum tam superiùs quàm inferiùs, relinquens in eâ viros impios, qui Comitis loco eam obtinerent, quasi Comes tantam in Monasterio haberet dominationem, quòd ejectis Abbatis hominibus suos pro libito intromitteret. Et prorumpens Comes ingressus est Claustrum, clamante Isgnardo, Vicecomite Joviniaci: Festinate, ait, superbi Monachi, & estote subditi Domino meo Comiti. Cumque festinaret Comes ingredi Capitulum Fratrum, occurrentes ei quidam compulerunt eum cedere retrorsùm. Fratres autem statim egressi Capitulum, ingressi sunt Ecclesiam ut rei exitum exspectarent, non ut divina officia celebrarent in eâ, à quibus ob præsentiam Comitis eadem Ecclesia vacabat, & cum sederent in eâ, respicientes viderunt super capita sua tyranni satellites, qui jam turrem sancti Michaëlis fracto ostio invaserant. Siquidem subito adventu inimicorum Fratres præoccupati, non potuerunt resistere inopinatæ nequitiæ: sed & prudentioribus visum fuit cedere potiùs quàm resistere; ne forte tyranni provocatus furor Monasterium simul & oppidum funditùs everteret. Post hæc Fratres Refectorium ingressi, panem lacrymis, potumque fletu miscentes vix parumper cibo prægustato egressi sunt velociùs, responsuri Burgensibus de expostulatâ à Comite abjuratione: dixeruntque eis: Si sanum sapitis, honestam paupertatem divitiarum infidelitati præferetis. Melius quippe est honestè vivere cum fidelitate, quàm opulenter cum dedecore infidelitatis: vos videritis quid præstet consultius. Siquidem vestri gratiâ laboramus, vestri causâ persequimur. Cujus enim est pretii staminium nostrum, seu nigellum caputium istud quod cernitis? Vestræ opes ambiuntur, vestrum propriè caput appetitur, si serpentino more vos membra nostra ictui exponimus: ecce nos quasi truncum caput, qualicumque quiete perfruemur: sed absit hæc à nobis, absit quòd vestrâ deditione ignominiosam pacem redimamus. Neque enim gloriamur in tribulationibus vestris pro nobis, sed potius gloriamur in tribulationibus nostris pro vobis. Jam jam experiri libet & jam experiri necesse est, quæ fides, quod fœdus, quis amor hactenùs intercesserit, jamque qui noster est, nullâ ratione à nobis avelli patietur. Talibus animati, qui fideles exstiterunt, cum Fratribus infrà Monasterium remanserunt. Quo audito Comes armatos satellites disposuit in domibus singulorum, solo victu præcipiens eos fore contentos de stipe obsessorum. Porrò excommunicatis proditoribus pseudomonachis, Petro scilicet, ejusque complicibus tradidit domum & redditus de Esconio: alios autem redditus omnes Monasterii tradidit in manu Hugonis Letardi Præpositi Castri Censorii, qui

qui erat servus Ecclesiæ de genere Simonis filii Odonis Præpositi Vizeliaci; qui videlicet Simon occidit Dominum suum Abbatem Artaldum. Hugo autem tradidit omnia Mauricio de sancto Andrea ejusdem conditionis & generis. Et innotuit verbum Giloni. Facto igitur vespere misit famulos qui debitum furnagium reciperent; quos satellites Comitis cum uxore Mauricii aggredientes, panibus ablatis, & verberibus affectos remiserunt. Reos etiam qui in domo Præpositi tenebantur jussit Comes absolvi. Tunc pro monastico more percussâ tabulâ ingressus est Capitulum Gilo cum Fratribus suis, & dixit eis: Jam quod rationabiliter differebamus, necessariò facere compellimur. Domus nostræ & hominum nostrorum occupatæ sunt ab hostibus, redditus necessarii auferuntur; & quod morte gravius est, garciferi cum meretricibus sacratissimum Dilectricis Dei sepulcrum pedibus impuris conculcant, jam nihil est quod nos detineat, quibus & victus & honestas interdicitur. Cedat sanè dolor rationi, & indiscreta procul absit desperatio. Neque enim novum est, vel inopinatum est quod accidit. Biennium est ferè quod idem versabamus in mente, hanc eamdem violentiam tyranni, & futurum exilium præ oculis habentes, & vobis omnia hæc prædicentes; unde & vos ipsi sæpiùs nobis acclamastis, & ut præmeditata effectui manciparentur exorastis: & ecce nox tribulationis & nox temporis nos urget, nec verbis sed factis opus est. Et factus planctus & fletus magnus inter Fratres, & famulos, atque Burgenses qui infrà Monasterium confugerant.

Monachi crudeliter vexati aufugiunt.

Disposuit itaque Gilo Prior qui remanerent, quive pergerent, & famulos qui euntibus obsequerentur. Et dato potu fecerunt super se totâ nocte excubias, & deposuerunt imagines, & cruces, & omnia vascula, in quibus Sanctorum pignora continebantur. In quâ depositione cum iconiam majoris crucis quæ super altare in mediâ pendet Basilicâ, diligentiùs inspicerent, invenerunt de lacte inviolatæ Virginis & Genitricis Dei MARIÆ. Gilo autem Prior inter tumultum euntium & redeuntium, clàm nocte recessit; descenditque pedes in inferiorem vicum S. Petri: statimque conscendens equum, venit in prædium quod vocatur Pons-Arberti, ubi cum parumper quiesceret, supervenerunt à Gibriaco Gaufredus Supprior, & Gaufredus Hospitalis: remissoque Hospitali Prior & Supprior per longos anfractus Burgundiæ declinantes terram Comitis, venerunt Joviniacum. Facto igitur manè cum vidisset Comes quòd Fratres recessuri componerent sarcinas suas, recessit in domum Simonis Silviniaci. Fratres autem præparatis omnibus, ingressi sunt Capitulum, & acceptâ benedictione, mutuò sibi cum lacrymis valedixerunt. Et ingressi in majorem Basilicam, ubi ferè omnis populus cum parvulis & mulieribus convenerat, ante sepulcrum Beatæ Patronæ suæ prociderunt, & causam suam illius patrocinio commiserunt: factusque est mugitus ingens, flentium & plangentium, suosque capillos evellentium; ita quòd ad cœlum usque pertingeret clamor ululantium. Et erat horror intolerabis videre quod vix præ dolore videri poterat, commixtusque clamor & promiscuus fletus pectora & capita sua in ipso pavimento tundentium. Elementa denique ipsa tantæ calamitati quodammodo compati visa sunt, dum obtenebratus aër, solaris splendor obfuscatus, fluidus liquor congelatus, continuo nivium imbre adoperta tellus, tristem omnia faciem prætenderent. Fletu tandem & ululatu totius populi prosequente, egrediuntur Fratres ab Ecclesiâ numero ferme sexaginta.

Jam Comes matre remanente ab Oppido recesserat. Traditor autem Guillelmus Pideth conscenso equo tripudians venit post fratres, dicens quòd Comitissa mandaret ut subsistentes eam exspectarent. At illi dissimulantes invisum videre, transierunt Esconium, perveneruntque comitante populo ad Crucem Montis-gaudii. Ibi remorantes aliquantisper, venerandamque toto orbe dilectricis Dei Mariæ Magdalenæ Basilicam respicientes, prociderunt in facies suas cantantes ut poterant. O peccatoris solatium! Quis fletus, quisve dolor fuerit abeuntium simul & prosequentium virorum ac mulierum, capita sua ibidem præ angustiâ in nive volutantium, fari potest nemo; cum stylus hic ipse ferreus lacrymis penè totus exudet. Luctus iste, ut verum fatear, funeris luctum excedit: siquidem luctum funeris relevat successio heredis: at verò heredis desolatio, hereditatis est abolitio: inaudita nostro orbe, nostrâque ætate desolatio! Catholicus Princeps innocentes Monachos pellit à Monasterio, & quem ferè totus Christiani nominis mundus veneratur locum, affines ipsi atrociter devastant. Si causa quæritur, libertas criminatur: si ratio ventilatur, præjudicium contorquetur. Cum ergo fletus & gemitus utrimque tam à Fratribus quam ab omni populo indifferenter funderentur, illa tyranni viperea mater Ida pedetentim abeuntes prosequuta, accessit propiùs, & ab equo descendit, utque à Fratribus audiretur simulatâ humilitate petiit. At illi memores illius Apostolici: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum:* surgentes à terrâ substiterunt. Tunc illa fictas prætendens lacrymas, irrationabilem & sine causâ illorum calumniabatur exitum; cum filius suus ipsos & Ecclesiam Vizeliacensem affectuosiùs diligeret, solique Abbati inimicaretur, à quo injustè exheredaretur, quamquam filius suus nihil ab eo, nisi quod sui juris est, reposcat: eos autem memores esse debere illius Evangelici: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Rogabat deinde ut redirent, & ipsa filium exoraret, quatenùs illorum misertus usurpatos redditus Monasterii eis redderet, vel si ad hoc filium flectere nequiret, ipsa eis quotidianum sumptum præberet, donec Abbas filio suo concordaret. Talibus dictis Fratres responderunt, quòd neque locus, neque tempus intercederet disceptandi de jure filii sui, cum palam constaret illum sibi vendicasse fasque nefasque: redire autem sub incertâ spe inconsultum videbatur; & alienam stipem inconsulto Abbate suo percipere intolerabile credebant: indignum judicantes se præbendarios famulatricis Christi JESU Mariæ Magdalenæ, effici stipendiarios desolatricis sepulcri ejusdem Beatissimæ Patronæ suæ. Hæc dicentes terga mulieri dederunt, & noctem illam apud Breciam fecerunt.

Mater Comitis fictis lacrymis compati Monachis simulans, eis ut redeant suadere tentat.

Sequenti die properantibus Altissiodorum, occurrit Arduinus Venerabilis Abbas S. Germani, supplicans ut apud S. Germanum declinarent. Quo concesso, ille quidem rediit ad præparationem hospitii. Fratres autem bini & bini coopertis capitibus urbem ingrediuntur, suam calamitatem Davidicâ melodiâ commendantes: & factus est concursus populi totius civitatis virorum & parvulorum ac mulierum flentium atque clamantium; Proh dolor! quis unquam vidit talia? quis crederet posse fieri talia? quis furor, quæve insania exercuit talia? O gloriosa & B. Domina Maria Magdalena ut quid sustines talia? quam de te nos peccatores fiduciam sperare possumus, quæ permittis servos tuos pati talia? pereant & confundantur omnes illi quorum consilio aguntur talia. Ipse quoque tyrannus ascenso equo advenerat, & singulos respiciens, subsannabat eos dicens; sic & sic tales debent lucrari panem suum. Fratres autem nihil horum curantes, demissis vultibus transierunt. Et honestè suscepti

in Monasterio S. Germani nocte illâ quieverunt. In crastinum autem divertentes apud Joviniacum in domum Hugonis quondam Præpositi, procurati sunt honorifice ab Aimerico Podiensi, & à fratre illius Stephano. Inde properantes ad urbem Senonicam præmiserunt procuratores. Simon autem, cognomento Infans, egressus deambulatum fortè occurrit eis, & cognitâ causâ tanti laboris tantorum & talium virorum, vehementer condoluit. Et descendens suppliciter petiit, ut in domum suam pro charitate diverterent. Quo vix impetrato suscepit eos, & procuravit honestissimè. Mane autem deduxit eos ad conductam navem (nam huc usque pedes venerant) & fœnum multum illis ipse supposuit, & laboraverunt die illâ in remigando, vixque jam nocte ingruente descenderunt in quamdam villulam quæ dicitur Miriacus: cumque illic non inveniretur hospitium tot & tantis oportunum; erant quippe ferme octoginta animæ: cujusdam rustici grangiam boum stercoribus refertam ingressi sunt. Et cum die jejunassent, nihil circumcirca inveniri potuit, præter parum communis panis, & duas alliorum restes, quæ cruda utcumque comederunt cum pane & aquâ: mirum dictu! cum tot laboribus affligerentur, alacriter omnia tolerabant, & exilium pro libertate quasi patriam amplectentes, cantando & congratulando squalorem itineris transigebant. Et summo diluculo ad navem reversi, applicuerunt Chonam. Ibi primò invenerunt Gilonem Priorem, & socium illius Gaufredum. Et exinde pedes venerunt Moretum die secundâ mensis duodecimi, ibique fecerunt sequentem diem & tertiam. Miserunt autem Renaldum Priorem de Arboreiâ ad Hugonem venerabilem Abbatem Parisiensem, nuntiantes ei adventum suum, & causam adventûs ad Regem. Quo ille audito vehementer condoluit, lacrymisque suffusus festinavit ad Regem Ludovicum, ostendens illi quàm facinoroso usus sacrilegio Comes Nivernensis pervasisset famosissimum Monasterium Vizeliaci, & quanto labore omnes ferè ejusdem Monasterii Fratres ad pedes Regiæ Majestatis confugerent. Protinùs Rex irâ simul & dolore motus, mandavit Comiti, ut injustè pervasa dimitteret, & fratribus infrà octo dies Ecclesiam, turres, domos, villam, redditus omnes, & possessiones in eo statu quo ante octo dies egressionis Fratrum constiterant, redderet, diminuta quoque restitueret, & de tam gravi injuriâ toti Regno illatâ sibi satisfaceret. Ad hæc Comes Legatis Regis respondit: De Monasterio Vizeliaci feci sicut de meo, nec quidpiam ex hoc facto Regi debeo; imò, inquiunt, debes de excessu perpetrato in feudo Regis. At ille comminando prohibuit eos denuò adire præsentiam suam. Cui responderunt: Nos servi Regis sumus, & responsum tuum Domino Regi referre debemus. Statim Comes misit Regi Joannem Aurelianensem, qui de perpetratâ tyrannide sese excusaret, quasi qui rebus publicis terræ suæ consuluisset, eo quod Abbas & Monachi Vizeliacenses inimicum suum Ducem Burgundiæ conduxissent, & ei nisi præventi fuissent, turres Monasterii tradidissent.

Tandem Monachi Parisios advenerunt, ac lacrimis perfusi Regi pandunt causam doloris.

Interea Fratres nocte, quâ secunda Dominica Dominici adventûs illucescebat, surrexerunt, navemque ingressi pervenerunt in quamdam possessionem Monasterii beati Germani Episcopi Parisiensis. Introeuntes autem domum cujusdam viri, optimè procurati sunt à superveniente misso Abbatis ejusdem Monasterii nomine Renaldo. Inde surgentes, & æquoreo vehiculo sese committentes, venerunt Parisius: & commota est universa Civitas, concurrentibus & flentibus universis à minimo usque ad maximum; ingressique matricem Ecclesiam, factâ oratione, sederunt ibidem modicum, nihilominùs assistente & confluente omni populo. Rex verò Ludovicus ut audivit adventum Vizeliacensium, relicto negotio de ordinatione Monasterii sancti Dionysii, quo tendebat, reversus est. Venerunt ergo Fratres ad Palatium Regis. Cumque Rex obviam illis iret, & super gradus Palatii staret, cum ingenti fletu prociderunt omnes ad pedes ejus: e contra Rex ipse flens motus pietate procidit, & cum surgentibus surrexit. Dixit itaque Gilo: qui Prior agminis existebat: Nota tibi est, Domine mi Rex, nostri causa adventûs, sed dolore & concursu populi præpediente, modum causæ nequaquam pleniùs tibi ad præsens pandere valemus: loco igitur & tempore à te constituto, pars nostrûm veniet ad te, & quæ mala nobis Comes intulerit diligentiùs aperiemus, interim ad hospitium remeabimus, vestram in commune gratiam & misericordiam implorantes: & prociderunt omnes in facies suas. Et respondit Rex: Antequàm venissetis, statim ut infamis fama nostras pervenit ad aures, misi ego Nuntios meos ad Comitem: quid responsurus, quidve facturus sit, nondum ego novi. Hoc tamen pro certo noveritis, quoniam si Comes tantumdem terræ quantum Rex Anglicus habet, præter suam propriam terram haberet, nullatenùs tantam injuriam sustinerem fore inultam. Ego quippe peregrinus sum Dominæ meæ beatæ Mariæ Magdalenæ, & pro posse meo famulis ejus nunquam deesse potero. Unde etiam rogo ut in domo meâ manere dignemini, & ego cuncta vobis necessaria providebo. At illi humiliter gratias agentes, responderunt sufficere sibi auxilium illius in tantâ necessitate. Videntes verò ad latus Regis hospitem suum Simonem, qui cognominatur Infans, gratias ei de collato egerunt obsequio in conspectu Regis. Sed & Rex multam ei gratiam exhibuit. Exeuntibus igitur Vizeliacensibus & populis prosequentibus, processerunt obviam illis usque ad vetus Palatium omnes Fratres Monasterii sancti Germani de Pratis, & susceperunt eos cum fletu & gemitu gravi. Ingressique, ut moris est, bini & bini, & factâ solemni oratione venerunt in domum Abbatis, & appositæ sunt illis mensæ.

Clementer à Rege excepti.

Porrò Guilelmus Abbas Vizeliacensis ut audivit apud Villarem-Sylvam mala domûs suæ, & adventum Fratrum suorum, ingemuit, & omnes qui erant cum eo consternati sunt animo, maximè eo quod tam longè positi essent. Surgentesque nocte ipsâ, quâ & Fratres à Moreto, totâ die jejunii & frigore niveque affecti equitantes per varios alieni itineris anfractus, tandem secundâ vigiliâ noctis fessi & mœsti venerunt Merlotum. Sequenti autem die venerunt Parisius, inveneruntque Fratres suos adhuc sedentes ad mensam, quos surgere volentes jussit Abbas sedere. Et pretendens Abbas constantiam à fletu continuit, intrinsecum dolorem viriliter reprimens. Socii autem ejus tantâ doloris capti sunt angustiâ, quod vix alterutrum discernere, & salutantibus se Fratribus exulibus respondere quivissent. Mirum in modum Fratres exules, itineris & famis squalore confecti, Fratres suos, qui tantorum pro parte laborum fuerant expertes, consolabantur, & de Dei misericordiâ, deque Regis compromisso auxilio præsumendum hortabantur.

Abbas Parisios Fratres visurus petit.

Facto igitur mane, Dominique invocato auxilio, ingressi sunt Palatium Regis Abbas Guilelmus & Abbas Hugo, cum Gilone & Gaufredo, Francone & Rotberto, Petro & Vincentio, Hugone & Theobaudo Regis cognato, paucis accitis gestæ rei testibus. Sedente itaque Rege cum Fratribus suis, Henrico Remensium Archipræsule, & Comite Roberto, atque Petro de Curtiniaco, & aliis Optima-

Coram Rege causam suam agit.

tibus Palatinis: surrexit Gilo, & modum tyrannicæ invasionis, Fratrumque suorum expulsionis ex ordine peroravit. At contrà Joannes Aurelianensis respondit Abbatem jus Comitis, quod in villâ Vizeliaci Regio ex fisco habebat, tulisse, & de illatis injuriis justitiam Comitis negasse. Si, inquit Rex, de feodo meo habet jus illud quod sibi vendicat, ergo priùs debuerat mihi clamorem facere de injuriâ feodi mei, quàm Monachos de suo Monasterio expulisset. Et ait Joannes: Dominus Comes non expulit Monachos, sed ipsi sponte in contemptum Domini mei exierunt. Respondit Robertus cognomento Crassus, unus ex Fratribus Vizeliacensibus: Satis, inquit, mihi obturat os, qui meam de manu meâ tollit buccellam. Ita est, inquit Rex. Postquàm ergo, ait Rotbertus, invasit Comes Monasterium nostrum, & misit inibi satellites suos, omnesque redditus nobis ablatos in manu eorum tradidit, quæ nobis ibidem post hæc mansio competebat? nulla, inquit, tota Curia. Et ait Rex: Ego Nuntios meos misi Comiti, & siquidem benè fecerit, utinam! sin autem, posse meum Ecclesiæ non deerit. Et gratias agens Abbas cum his qui secum erant, ad hospitium regressus est. Fueruntque Abbas & Frater ejus per triduum apud sanctum Germanum, & reversi sunt Moretum, manseruntque ibidem per dies triginta. Et scripsit Hugo Archiepiscopus Senonensium Guilelmo Abbati Monasterii Vizeliacensis in hæc verba.

Mandat Abbati ut Senones conveniat ad pacem cum Comitissâ componendam.

» Hugo Dei gratiâ Senonensis Archiepiscopus, » Carissimo suo Guillelmo Venerabili Vizeliacensi » Abbati, salutem & dilectionem. Pro negotio Vize- » liacensis Ecclesiæ & vestro, misimus ad Comitis- » sam Nivernensem, & ipsa sicuti illa quæ multum » pacem desiderat, fecit nos securum de centum » libris in vadimoniis auri & argenti & si ampliùs » fuerit in querelâ, faciet me inde securum per bo- » nos obsides & fidejussores. Mandamus itaque vo- » bis & consulimus, ut proximâ die Jovis Senonis » veniatis, & secundùm quod feceritis probari legi- » timè, restitutionem habebitis. Nunc autem si non » veneritis ad diem, sentiet se Comitissa gravari: » & si verbum hoc voluerit ad summam audien- » tiam deportari, non poterimus ei negare testimo- » nium secundùm quod offert. Valete.

Petit Senones disceptatque de jure ac de damnis Vizel. illatis.

His verbis Abbas rescripsit, quòd data dies minùs competens videbatur, eo quod tam longè positus à Monasterio suo, & inimicitias habens ipsius Comitissæ & filii ejus, convenire nullatenùs posset. Verumtamen si securitatem eundi & redeundi ipsa Comitissa præstaret hominibus suis legitimè probaturis illata damna, libenter conveniret ad diem congruè sibi datam: & factum est ita. Convenerunt igitur utrimque. Reposcente ergo Abbate illata damna, & legitimè probare volente; è contra partem maximam Comitissa negabat, quædam verò in filium retorquebat, dicens crimine filii se non debere teneri. Respondit ei quòd malefactores ipsi homines essent Comitissæ, & Præpositi terræ illius; & idcircò justè ab illâ exigebat, quod à suis ablatum legitimè probabat ad pretium usque ducentarum marcharum. Attoniti qui erant ex parte Comitissæ, magis autem ipse Archiepiscopus cum Clericis suis, rogabant Abbatem, ut finem probatorum damnorum diceret, ne tam gravi verbo Comitissam exasperaret. Et respondit Abbas, immeritus extremam exasperationem illius expertus sum, & jam in quo ampliùs valet exasperari? Attamen ob recuperandam gratiam illius, si tamen hoc reverâ posset fieri, quod indubitanter constaret, medietatem eorum quæ probare possum gratis dimitterem, salvâ in cæteris Domini Papæ mandati exequutione. Cujus, inquiunt,

mandati? At ille respondit: Ut de illatis injuriis satisfaciat, & de servandâ pace cautionem præstet. Erat autem Sabbatum ante Natale Domini. Ipsâ die promotus est ad Diaconatum Guillelmus Electus Carnotensis, frater Comitis Henrici, qui etiam tunc ibidem ob gratiam fratris advenerat. Is jejunio valde pertæsus, graviter adversùs Abbatem indignatus abscessit: & dilatum est verbum usque in crastinum. Cumque hinc inde multum pro compositione laboraretur, opere casso discessum est; quoniam Comitissa neque illata damna restituere, neque de servandâ pace cautionem præstare voluit, dicens absque consensu filii sui expostulata facere se non posse, unde & actio ipsa dilata est usque in tertiam diem Circumcisionis.

Sequestres se offerunt Comites Theobald. & Henric. pro Comite Nivern.

Legati autem Regis à Comite reversi responderunt se nihil de mandato Regis à Comite impetrasse; injuriis verò, & minis abundanter ab eo remuneratos fuisse. Statim Rex accitis Librariis præcepit undique adunari exercitum, & jussit ut omnes armati occurrerent sibi vicesimâ die post Natale Domini. Comes igitur Theobaldus & Comes Henricus vix à Rege impetratâ licentiâ Comitem Guillelmum convenerunt, & de perpetratâ nequitiâ objurgati sunt; acceptoque ab eo compromisso quòd staret mandato Regis, conduxerunt eum in urbem Senonicam, quo Rex propter alia negotia intrante Januario convenerat. Abbas quoque Vizeliacensis forte ibidem advenerat in præsentiâ Senonensis & Meldensis, causâ componendi cum Comitissâ. Sed illâ desistente vel ablata reddere, vel cautionem de servandâ pace præstare, labor inutilis effectus est. Nocte itaque insequuta misit Comes Theobaldus ad Abbatem, rogans ne sequenti crastino abscederet, donec secum de proprio negotio loqueretur. Cumque sequenti die Abbas Curiam Regis adiret, occurrentes ei Comes Henricus & Comes Theobaldus tentabant eum de compositione pacis. Quibus Abbas respondit: Ego in manu Domini Papæ sum & Domini Regis, & absque illorum nutu facio penitùs nihil. Ingressi ergo ad Regem, rogabant eum super hunc eumdem sermonem. Et vocatus Abbas ante Regem, non tam de suâ quàm de tyranni pace à quibusdam interpellabatur. Cognovit autem Abbas dolos eorum, qui modis omnibus laborabant gratiam ab eo Regis avertere, unde consultò in deliberatione illius posuit totum finem negotii sui, vituperium æquè ut gratiam à se removens totius operis. Quæsivit ergo Rex à proloquutoribus Comitis, non enim cum eo loquebatur, nec faciem ejus videre volebat, quamdiù quæstio ventilabatur: quæsivit, inquam, Rex, utrum Comes secundùm verbum suum finem faceret hujus negotii. Quo negante, indignatus Rex vehementer, ait: Quid ergo? Abbas qui injuriam passus est, & in nullo penitùs mihi tenetur obnoxius, ipse totum se meæ dispositioni exponit, & Comes qui fecit injuriam, mihique tenetur tam proprio hominio quàm causâ querelæ suæ, Consilio meo & Curiæ meæ parere diffidit? Jam de cætero caveat sibi Abbas ne decipiatur, quia ego ei nunquam deero.

Comes Nivern. coram Rege sistitur, promittitque damna à se inflicta resarcitùrum.

Pòst multos itaque conflictus verborum, tandem vocatus Comes ante præsentiam Regis, compromisit ei per manum suam in manu illius pollicendo Ecclesiam, redditus, domos, & omnes possessiones Monasterii Abbati & suis reddere in eo statu, quo diebus octo ante Fratrum egressionem consistebant, & salvis illis querelis quas ad invicem ante habebant, & salvâ sententiâ excommunicationis & interdicti quâ tenebatur. Pollicitus est item ea omnia, quæ à tertio die ante Fratrum exitum de rebus Ecclesiæ quoquomodo diminuta vel perdita viderentur,

restituere, & denuò pacem servare, Ecclesiæ & possessionibus illius, Abbati & Monachis atque hominibus eorum: hoc jure retento, quòd si forte inter Comitem & Abbatem vel Ecclesiam controversia emerserit, per quindecim dies post diffidationem habebunt inducias Burgenses Vizeliaci, in quibus divertere poterunt se & sua ad tuta loca, Ecclesiâ permanente in pace cum universis propriis possessionibus suis. De damnis igitur modernis secundùm probationem hominum Ecclesiæ restituendis Comes dedit obsides Ansellum de Triagnello, & fratrem ejus Garnerium...... Comitem, & Isgnardum Vicecomitem de Joviniaco. Hi quatuor pro quartâ parte fiduciaverunt singuli in manu Comitis Theobaldi, quoniam si Comes post quadraginta dies legitimæ probationis damna probata reddere detrectaret, infrà quindecim dies summonitionis Abbatis apud Senonicam urbem obsidatum tamdiù tenerent, donec Abbati & Ecclesiæ ipsi vel Comes satisfacerent. His itaque compositis rogatus ab Abbate festinavit Rex facere diem Epiphaniorum apud Vizeliacum, reduxitque Abbatem cum lætitiâ magnâ in locum suum. Et ejecti sunt filii Belial de Monasterio & de Burgensium domibus, & obtinuit omnes gaudium & lætitia magna. Sed & nequam proditores pseudomonachi egressi de domo Esconii, bona penitùs omnia quæ manibus habere poterant dissipantes, fugam arripuerunt.

Rex per semet Abbatem restituit, & Monachos Vizeliac.

Igitur novies quinque diebus exactis, reversi sunt fratres de exilio cum lætitiâ & ingenti gaudio. Unus autem excommunicatorum nomine Guillelmus Pideth, diabolico invasus spiritu cœpit Monasterium impugnare & prædas facere: quod cum diù fecisset, insequuti sunt eum tam ex oppido Vizeliaci quàm ex oppido Campi-molli multitudo rusticorum magna: tandem percussus miser mortuus est. Itaque præsentibus Regis militibus & clientibus Comitis computavit Abbas summam detrimentorum Monasterii, quæ ab hominibus Comitis fuerant Ecclesiæ illata ab exitu fratrum usque in præsens: & fuit summa ducentarum quadraginta librarum. Post hæc Missi à Comite expostulaverunt ab Abbate expensam procurationis festi B. Mariæ Magdalenæ, & alia quædam ridicula. Quibus Abbas respondit: Quando Comes factâ mecum concordiâ in communionem Ecclesiæ susceptus fuerit, tunc respondebo illi super positâ quæstione. Et convenerunt apud Crisenon Archiepiscopus Lugdunensis, & Archiepiscopus Cantuariensis, tentantes si forte componere possent inter Abbatem & Comitem atque Comitissam. Sed frustrà laboratum est. Quia enim pondus omnium gravaminum in immoderatis procurationibus existebat, nolebat Abbas vel Ecclesia recipere quamlibet compositionem, quæ profectò non veram, sed potiùs fictam inducere pacem videretur, nisi aut omnimodas procurationes Comes dimitteret, aut certâ expensarum præscriptione easdem limitaret.

Tentat Comes Abbatis animum emollire.

Iterum imminente mediâ Quadragesimâ Guilelmus de Merloto & Renaldus frater ejus venerunt ad patruum suum Guilelmum Abbatem Vizel. tentantes de compositione pacis animum ejus. Et convenerunt apud Escolnias hinc Abbas, illinc Comes; sed & tunc casso labore sudatum est. Inde Abbas cum properaret ad Regem, invenit eum Senonis. Et significavit ei quomodo Comes constitutas interrupisset inducias quadraginta dierum. Siquidem in Senonicâ compositione dictum fuerat, quòd post probationem damnorum suorum, Abbas & Ecclesia XL. dierum inducias haberent à Comite super omnibus querelis quas Comes adversùs Abbatem haberet. Et etiam deinceps si forte Comes ampliùs sustinere nollet, à die diffidationis iterum quindecim dies induciarum Abbas haberet. Comes autem diebus octo infrà XL. dierum inducias Abbatem ita diffidavit, quòd non nisi octo dies daret induciarum, & ipsi octo dies cum XL. superioribus perficerentur. Quod ut Rex audivit, ægrè tulit; dixitque Abbati ut secum rediret Altisiodorum: & vituperavit Comitem Rex, præcepitque ei ut fractas inducias restitueret. Et contristatus est Comes valde, ita quòd penè lacrymaretur: coactus tamen paruit, & abinde XV. dierum inducias dedit. Completique sunt dies illi infrà septimanam Ramis-palmarum. Henricus denique Comes Trecensis, & Theobaldus Comes Blesensis, atque Ansellus de Triagnello convenerunt Guilelmum Comitem Nivernensem, & Guilelmum Abbatem Vizeliacensem, & diù satisque egerunt pro compositione pacis inter Comitem Nivernis & Cœnobium Vizeliaci. Erant autem hi duo Comites cognatâ germanitate conjuncti Comiti Nivernensi. Quid plura? de omnibus querelis suis dixit Abbas stare consilio & diffinitioni eorum, exceptis duabus procurationibus, quibus Ecclesiam penitùs Comes destruebat. Dictum est itaque à prætaxatis illustribus viris, quatenùs de singulis procurationibus sexaginta libras Comiti persolveret; ita tamen ut de festivitate, quam præsentiâ suâ minimè Comes honoraret, nihil ei omninò Abbas vel Ecclesia præstaret. Ut autem hæc compositio grata Comiti, & perpetuâ lege rata constaret, dictum est ut Abbas Comiti septingentas libras daret. Abbas verò quinquaginta tantùm libras de singulis procurationibus, & pro compositione quingentas libras offerebat. Ventum est igitur ad Comitem Nivernensem. At ille compositionem omninò, instigatus ab Stephano Clerico suo, & ab Stephano de Petra-foraminis renuit, nisi de singulis procurationibus octoginta libræ, pro compositione autem mille libræ ab Abbate sibi darentur. Et durus visus est sermo in oculis Abbatis, laudante & contradicente Comite Henrico; ne quid oblato ampliùs daret. Sic vespere facto, infectoque negotio ab invicem discesserunt.

Comes Trecensis, & alii agunt de pace componendâ, sed perperam.

Conqueritur Regi Abbas de Comite.

Rogatu denique Abbatis scripsit Rex Comiti Henrico gratias agens, & obsecrans quatenùs pro præscriptâ compositione satageret. Et assignavit Comes Henricus Abbati diem Lunæ Ramis-palmarum Trecis. Misitque ad Comitem Nivernensem, rogans sicut cognatum, ut gratiâ compositionis inter ipsum & Abbatem Trecas venire dignaretur. At ille remandavit ei ipsum potiùs venire debere Altisiodorum, si forte opus haberet. Henricus autem tantum fastum exhorrescens, scripsit hoc ipsum verbum Regi & Abbati. Reversus itaque Abbas ad Regem, invenit eum Aurelianis in die sancto Dominicæ Cœnæ. Invitatusque est ab Episcopo Manasse, ut secum celebraret solemnia confectionis sacri Chrismatis. Quo facto misit ex eodem Chrismate Vizeliacum per manum Vincentii Decani. Et cum intimasset Regi responsum Guilelmi Comitis, quod fecerat Comiti Henrico, miratus est Rex valde, & misit ad eum præcipiens ut die Mercurii post Pascha suam apud Moretum præsentiam exhiberet. Interim autem ab infestatione Monasterii Vizeliac. contineret, & salvum conductum veniendi ad prædictum colloquium Vizeliacensibus concederet. Fecitque Abbas sanctum Pascha apud Villare Monasterium. Et quarto die convenerunt in nemore quod est suprà Moretum Rex, & Comes, & Abbas, singuli cum suis. Rex autem rogabat Comitem ut compositioni acquiesceret secundùm consilium Comitis Henrici. Cui Comes respondit: quod habeo in Monasterio Vizeliaci susceperunt patres mei à patribus tuis in feodum, de quo feodo plus quàm de totâ hæreditate meâ vel agere vel componere non tam pacificum, quàm

Colloquium coram Rege.

violentum mihi videtur. Ad hæc Rex: Si ita est, inquit, quòd patres mei patribus tuis illud tradiderunt feodum, constat proculdubio causâ tuitionis & non destructionis id factum fuisse. Tu autem, prout nobis videtur, in destructionem Monasterii totis viribus anhelas. Respondit ei Comes: Salvo verbo Regis, ego illud non destruo. Dicit ei Rex; in quantum opera tua manifestant, destructio ipsa præsto est. Sanè his intermissis, de compositione agamus; si tamen Abbas voluerit. Respondit Abbas: Quod Comes dicit patribus suis à patribus tuis datum fuisse Monasterium Vizeliaci, ecce præ manibus habemus patrum tuorum privilegia, quibus ipsius Monasterii libertas commendatur, & omnium Potestatum omnimoda possessio atque consuetudo excluditur. Attamen ipsa privilegia tam Apostolica quàm Regalia, & ipsum Monasterium Vizeliaci in manus tuas committo; compone & dispone secundùm censuram justitiæ tuæ. Interrogavit ergo Rex Comitem utrum staret compositioni proloquutæ à Comite Henrico apud Autissiodorum. Respondit Comes: nullum penitùs verbum feci compositionis cum Comite Henrico. Et ait Rex: Equidem sic audieram sicut dixi. Sed quantum ad hæc, vide quid mei gratiâ facturus sis. At ille: Tui, ait, gratiâ quod potero faciam; sed de jure meo nunquam componam. Indignatus Rex ait; Abbas qui nullo jure mihi tenetur obnoxius, de jure proprio sese submittit, & sententiæ meæ totum se exponit: & tu qui jure proprii hominii mihi teneris, suspectum me Dominum tuum habes, atque consilio meo stare detrectas? Hactenùs pueritiæ tuæ deferens injustitias tuas sustinui, hactenùs grande peccatum in tolerantiâ subversionis sepulcri B. Mariæ Magdalenæ contraxi. Jam de cætero justitiæ Monasterii non deero, si forte Abbas clamorem super te faciens justitiam quæsierit: interim auctoritate regiâ interdico tibi, ne amodo Monasterium Vizeliaci, aut homines seu possessiones ad illud pertinentes infestare præsumas; sciens in injuriam coronæ Regni redundare quidquid denuò mali eidem Monasterio feceris. Si quid autem habes adversùs Abbatem; ecce ad justitiam illum tibi exhibeo. Accedensque Abbas ad Regem petiit justitiam de Comite. Respondit ei Rex: quoniam pro compositione vocatus à me venit, non decet regiam mansuetudinem in jus illum ad præsens trahere: sustine ergo donec recedat, & postmodum tibi & illi assignabo diem & locum agendi. Et convenerunt iterum sequenti die in domum Fratrum Vizeliac. quæ sita est super fluvium Lupæ apud Moretum.

Renuit Comes stare Regis sententiæ.

Aderant autem cum Guilelmo Abbate Vizeliacensi Hugo Abbas S. Germani, Stephanus Abbas S. Remigii Senonensis, Stephanus Abbas Castri Meliduni . . . . Abbas Castri Laudonis, & Jurisperitus Mainerius, atque Osmundus Parisiensis Canonicus. Quidam verò multifariè tentabant si quomodo possent avertere animum Regis ab Abbate, vel ab Ecclesiâ Vizeliacensi; sed frustrati sunt omnes conatus Satanæ, & dirupti laquei clandestinæ cupiditatis; quoniam Abbas in nullo penitùs à voluntate & sententiâ Regis deficiebat: Comes autem judicio Regis stare omninò recusabat; & conquestus est quòd Abbas hominem suum captum teneret. Requisitus, quem: respondit, Andream de Palude. Et ait Abbas: Andreas de Palude nihil omninò ad te pertinens, meus est à plantâ pedis usque ad verticem, sicut proprius servus Monasterii Vizeliac. Dixitque Comes: Conditionem servitutis hujus Andreas minimè nisi coactus cognoscit. Respondit Abbas: Ecce super hoc etiam adsto judicio Regiæ Curiæ. Et dixerunt Optimates & Consiliarii Regis: Mos Regiæ Curiæ talis est, quòd si quis de servili conditione ab alio interpellatus fuerit, liber à suo possessore producatur in medium. Qui si suum possessorem solum Dominum suum recognoverit, calumniator lite solutâ nihil in eo habebit. Si autem se servum calumniatoris dixerit, nudus cedet in partem calumniatoris, res autem illius tam mobiles quam immobiles universas nudo relicto corpore possessor occupabit. Respondit Abbas: hoc judicium & hunc morem laudo & libenter observabo. Tunc confusus Comes voluit ignominiam causæ suæ in Abbatem refundere, & proposuit calumniam de proditore illo Guilelmo, qui digno interitu perierat, dicens Monachum qui in suâ tutelâ existebat, præcepto Abbatis fuisse interemptum. Et exclamavit omnis Curia adversùs tam insipientem & nequissimam calumniam Comitis; dixitque Abbas: Licet omninò falsa sit proposita calumnia, nihil tamen exinde tibi responsurus sum. Cum ergo cognovisset Rex de pseudo illo Monacho, in risum multum excussus, ait Comiti: Ergone tales sunt Monachi tui? Cumque modum & causam interitûs perditi hominis audisset, iterum subsannando & improperando ait: ô justus & competens clamor Comitis! ô prosequenda calumnia nobilissimi Principis! quid super hoc expostulat? proditor Monachus terræ corpus, diabolo animam exsolvit.

Consilium cogit denuò Rex apud Moretum.

Dum hæc apud Moretum aguntur, Hugo Letardus assumptis satellitibus Comitis ingressus est terram Vizeliacensis Monasterii, & fecit in eam prædam multam nimis armentorum & pecorum, variæque suppellectilis, & etiam infecta coria mansionariorum de cœno extrahens distraxit, & pecuniam ducentarum, eoque ampliùs librarum ex omnibus confecit. Et ascendens clamavit per præconem in foro, quòd si quis cujuslibet conditionis deinceps aliquid venale afferret infrà oppidum Vizeliaci vel in omni confinio ejus, bonorum suorum amissionem, & proprii corporis injuriam vel captivitatem incurrerent. Transactâ denique septimanâ Paschæ posuit nequissimos viros, & ipsâ inopiâ prædones acerrimos qui singulos aditus observarent; ne quis virorum aut mulierum; parvulorum vel senum præsumeret descendere ad hauriendam aquam, seu ad molendum triticum. Unde factum est ut matronæ & virgines pro sexûs reverentiâ confidentes descenderent aliquando, & à vilissimis hominibus dehonestarentur & violarentur, atque injuriis multis affligerentur. Tantâ igitur necessitate coacti descenderunt ipsi Fratres ad hauriendam aquam, & ad legenda olera; sed & ipsos injuriis affectos spoliaverunt, nec utilitatem pannorum, seu inhabilitatem habitûs pannosi garciferi erubuerunt. Stephanus quoque de Beliaco acceptâ à Fratribus pecuniâ quingentorum solidorum, & piperis ac ceræ non modicâ quantitate, egressus pergebat ad Abbatem eo tempore apud Villare Monasterium commorantem, & insidias Comitis declinantem. Cumque satellites Comitis suspectos haberet Stephanus, assumpto fratre suo milite circuivit per devia & venit in Poseium, confidens de conductu Guilelmi Præpositi Droïensis, qui sororem illius in uxorem duxerat. Sanè proditio pietate sanguinis nonnunquam abutitur. Recedente namque milite à fratre, protinùs misit Guilelmus Præpositus Droïensis Guilelmum de Lensech, qui insequutus est abeuntem Stephanum, & abstulit ab eo pecuniam, & equos, & universa quæ deferebat. Reversus ergo Stephanus accessit ad Idam matrem Comitis, & petiit ex parte Regis ut ablata sibi restituerentur, quoniam cuncta spectabant ad domum Villariis Monasterii, quæ in dominatione & tutelâ Regis existebat. At illa nomen Regis spernens,

Interim terrâ Vizeliac. prædatur Hugo Letardus.

& Monasterium Vizeliacensis quod erat in protectione suâ & filii sui, ab adversario & filii sui deprædari prætendens, vix precibus amicorum Stephani devicta, equos & partem ceræ jussit reddere. Et pervenit verbum istud ad aures Vizeliacensium, & consternati sunt animo, paternam magis inopiam quàm propriam deflentes ærumnam. Et factus est rumor, quod præcepisset Comes, ut seniores & potentiores populi Vizeliacensis comprehenderentur, & bona eorum diriperentur, vel confiscarentur. Qui preterriti receperunt se infrà Claustra Monasterii.

Abbas Bellovacum Regem adit, conquesturus de prædis à Comitis satellitibus actis.

Gaufredus igitur Angligena, qui post Gilonem primum locum in Cœnobio Vizeliac. tunc obtinebat, scripsit cum fratribus suis Abbati, significans ei quantâ afflictione & contritione à satellitibus Comitis oppidum Vizeliaci obsideretur. Tunc Abbas venit Belvacum, quo Rex forte convenerat cum multitudine Episcoporum & Optimatum suorum. Ut ergo cognovit Rex mala quæ Vizeliacensi Monasterio Guilelmus Comes Nivernensis intulerat, assignavit ei diem agendi cum Abbate coram se Aurelianis Dominicâ quæ præcedit Pentecosten; ita tamen ut sibi primùm satisfaceret de contemptu & transgressione mandati sui, Monasterium præfatum post prohibitionem suam persequendo. Et accepto die, indignatus est Comes valde, & recessit cum comminatione multâ. Accessitque Abbas ad Ducem Burgundiæ, rogans eum ut obsessis opem ferre dignaretur. Protinùs ille scripsit Guntardo Præposito Avalonensi, præcipiens ei quatenùs quæque venalia terræ suæ Vizeliacum indubitanter conduceret, & etiam si necesse foret armis defenderet. Sed puer ætate & animo pellectus à Comite per astutiam Anserici de Monte-Regali, qui non minùs quàm Comes Abbati & Monasterio inimicabatur, mentitus est omnia quæ spoponderat, & prohibuit venalia, præcipiens comprehendi quotquot de Vizeliacensibus in terrâ suâ invenirentur. Rex autem Ludovicus accersitis librariis scripsit omnibus Præfectis & Principibus Regni sui, ut coadunato exercitu equitum & peditum sibi occurrerent Senonis Dominicâ quæ præcedit festum beatæ Mariæ Magdalenæ. Porrò Comes veritus judicium Regiæ Curiæ assignatam sibi diem excusavit. Rex illicò assignavit primam Dominicam post Pentecosten Parisius. Et hanc quoque rursùs excusanti dedit tertiam Dominicam post Pentecosten Laudunum. sed & hanc tertiò excusans Comes, misit Guilelmum de Domno-Petro, supplicans, ut vel semel Rex inire dignaretur colloquium, quo utrimque auditis allegationibus ipse per omnia staret arbitrio Regis. Et bonus visus est sermo in oculis Regis, cui grata requies, exosum semper exstitit bellum.

Genealogia Regum Capetianorum.

Hic est enim Ludovicus Rex filius Ludovici, qui cognominatus est Grossus, filii Philippi, filii Henrici, filii Roberti, filii Hugonis Capitonis, qui primus Rex exstitit post defectum genealogiæ Caroli, quæ per ducentos fermè annos regnavit; fueruntque à primo anno Hugonis usque ad primum annum hujus Ludovici, qui cum patre per quinquennium regnavit, anni ferè centum quadraginta. Hic est Rex Ludovicus, cujus pater Ludovicus usquequaque dilatavit Regnum suum, & conjunxit ei in matrimoniam filiam Guilelmi Ducis Aquitanorum & Comitis Pictavorum, propter quam acquisivit omnem Aquitaniam, Guasconiam, Basconiam, & Navarriam, usque ad montes Pyrenæos, & usque ad Crucem Caroli. Hic est Rex Ludovicus qui quintodecimo anno Regni sui, præsidente in Romanâ Cathedrâ Eugenio, cum magno exercitu vexillo vivificæ Crucis insignitò Hierosolymam perrexit, gentem inimicam fidei debellaturus. Sed incognito Dei judicio, maximâ suorum parte amissâ, absque triumpho rediit, pravoque usus consilio uxorem suam cum prænominatâ terrâ, quæ Regnum aliquando per se exstiterat, dimisit, & postmodum conjunctus est filiæ Imperatoris Hispanorum, quâ defunctâ, tertiò nupsit sororem Comitis Henrici, de quâ primum suscepit filium nomine Philippum, anno Regni sui XXXIII. à Galliis redeunte Alexandro Papa.

Ludovicus VII. Hierosolymam pergit.

Conveniunt Moretum Rex, Comes, & Abbas.

Convenerunt igitur apud Moretum Rex, & Comes, & Abbas. Propositis hinc inde controversiis, voluit Rex ut uterque staret definitioni Henrici Archipræsulis Remensis, & Henrici Comitis Trecensis: & concessit Comes datâ fide in manu Petri fratris Regis, ita se facturum: Abbas autem in verbo tantùm veritatis idem spopondit. Quærentibus diem definitionis (neque enim intererant arbitri) respondit Rex, quòd circà festum beati Dionysii congruam eis diem assignaret: interim verò Abbas ad Monasterium suum reverteretur, & optatâ pace atque securitate ipse & sui perfruerentur, usquequo lis per prædictos arbitros terminaretur. Quam pacem se servaturum Comes sacramento fidei confirmavit. Sic singulis ad sua redeuntibus, Abbas Guilelmus abiit Trecas ad Comitem Henricum, & inde Clarevallis, quo se sperabat inventurum fratrem Regis Henricum Archiepiscopum: quem cum non invenisset, rediens celebravit solemnitatem beatæ Mariæ Magdalenæ in Monasterio. Rex verò Ludovicus movit exercitum adversùs Guilelmum Comitem Cabilonensem propter pessimam stragem, quam Guilelmus filius ejus exercuerat super Cluniacenses. Cum enim occupasset castrum Lordonis, quod exstat de jure Cluniacensis Cœnobii, egressi sunt majores natu cum juvenibus de vico Cluniacensi, quos incautos sicut indoctus vulgus, docta manus militum Comitis protinùs aggressa, fugam inire compulit, & ferè omnes ad internecionem delevit. Movens ergo Rex exercitum, occupavit Castella & munitiones ejus, & ipsam urbem Cabilonensium, omnemque terram illius usque ad fluvium Ararium, quam devastatam tradidit in manu Hugonis Ducis Burgundiæ, & Guilelmi Comitis Nivernis, quousque puer ipse, qui causa malorum exstiterat, venit Vizeliacum ante faciem Regis cum matre suâ, & prout potuit Regi satisfecit. Quia igitur totum pondus ipsius negotii Comitem Nivernensis occupabat, distulit Rex diffinitionem controversiæ, quæ versabatur inter ipsum Comitem & Abbatem, usque in festum quod instabat beati Martini.

Anno Verbi Domini incarnati millesimo centesimo sexagesimo sexto; exceptionis autem sacri corporis beatæ Dilectricis Dei Mariæ Magdalenæ ducentesimo octogesimo sexto, porrò destructionis execratæ Burgensium Communiæ undecimo, decimâ die mensis Novembris, convenerunt ante Regem Parisius Guilelmus Abbas Vizeliacensis & Guilelmus Comes Nivernis, & [a] proposuit Co. . 1166.

An. 881. receptum Vizeliaci corpus B. Mariæ Magdalenæ.

a

. . . .

Guido adhuc puer frater Comitis. . . . . .
Soror ejus adhuc innupta, & junior frater suus.
. . . . . . Milo de Nuceriis. . . . . .

Jusjurandum Comitis de pace tenenda cum Viziliacensibus.

Dissimulatâ igitur nequitiâ verborum matris surrexit Comes, & flexit genua ante sanctum Evangelium, & vivificam Crucem Christi, sanctasque Reliquias. Cui cum Abbas vellet dictare formam juramenti; sustine, ait, & permitte me quod cor-

a *proposuit Co*] Desunt hic sex folia excisa.

de sentio & fide teneo, per me proferre : si quid autem minùs vel ampliùs protulero, liceat tibi emendare ; dixitque, sicut ex præsenti chirographo recitatum est, & ego bonâ fide intelligo, vosque omnes qui adstatis, intelligitis, sic tenebo & observabo, & meos observare faciam. Sic me Deus adjuvet & Sancta ista. Et clamaverunt omnes, satis est, satis est, benè & luculenter dictum est. Vocansque Guidonem fratrem suum præcepit ut & ipse juraret in eumdem modum; quod & fecit, sic dicens : Sicut Dominus Comes frater meus bonâ fide juravit, sic & bonâ fide tenebo & observabo. Sic me Deus adjuvet & Sancta ista. Deinde vocatus Præpositus Altisiodori nomine Joannes, Columbus quoque Præpositus Tornodori, & Milo Præpositus Malliaci, atque Hugo Letardus Præpositus Castricensorii, aliique circumadjacentis territorii, juraverunt sicut in chirographo diffinitum fuerat. Ida verò mater Comitis subterfugiens, ingressa est Oratorium intactæ Virginis Mariæ, quod contiguum erat Capitulo, accito secum Milone, aliisque quampluribus, quos vecordiæ suæ sperabat parituros, & cum multifariè retractarent quomodo jusjurandum Comitissa evitare posset, nullusque sibi honestus pateret exitus, vocaverunt Comitem : quo præsente supplicabat mater ne eam jurare compelleret. Respondit ei comes : Si me vis perjurium incurrere, noli jurare : quæ dixit : Velim nolim concedo in verbo legitimo quidquid pro voluntate jurasti. Dixit ei Comes, si hoc satis fuerit Abbati, mihi quoque satis erit. At illa : Roga, inquit, fili, eum ut tibi det hoc jusjurandum. Reversus Comes ad Abbatem dixit : turpe est mulierem jurare, maximè verò matrem meam, quæ nobilis est & genere & potentatu, sed & vidua : parce illi quæso, & ne illam compellas jurare ; sed suscipe pactum illius in verbo legitimo ; ego autem pro eâ tenebor quòd sic observabit. Respondit Abbas : Noli, inquit, noli solvere firmamentum pacis : scio enim matrem tuam initium & causam fuisse omnium inimicitiarum tuarum, quam profectò constat plura compromittere, pauca effectui mancipare. Verumtamen amore tui, si ut dixisti, formam compositionis servaturam se in verbo legitimo pepigerit, patiar ut quilibet legitimus miles vice ipsius adstante illâ ante Sancta juret. Et factum est ita : & juravit Balduinus, qui dictus est pro eâ. Et facta est lætitia & exultatio magna omni populo in die illâ. Et facta est concordia & amicitia magna inter Abbatem & Comitem, & nulla fuit distantia inter utrumque, quin sentiret idem unus quod alter. Hi autem qui operatores & incitatores inimicitiarum omnium fuerant ad pedes Abbatis venerunt, & ut eos Comiti offensos reconciliaret suppliciter exoraverunt. Rex autem Ludovicus venit Vizeliacum, & gratias ei egit Abbas cum Fratribus suis pro adepta pace, & occurrit ei filius Comitis Cabilonis, & agente Abbate fecit pacem cum Rege.

Ad hoc colloquium venit & Stephanus Abbas Cluniaci, qui exosam habens personam Guilelmi Abbatis Vizeliaci, dedignatus est ingredi oppidum Vizeliaci, & substitit in prædio quod dicitur Novemfontanas, mandavitque Regi ut sibi ubilibet occurreret, qui assignavit ei locum in crastinum apud S. Petrum inferiorem, quod est prædium Monasterii Vizeliaci ; quod ut Guilelmus Abbas Vizeliacensis cognovit, misit ad eum Renaldum Eleemosynarium, & Gaudricum Priorem de Campo-molli : quos vix ad se introductos cum audisset, non resalutato Guilelmo, remisit Stephanus dicens collaturum se cum Fratribus suis super ea quæ sibi protulerant. Erant autem cum Stephano Abbate Cluniaci Bernardus Prior S. Stephani Nivernensis, & Hugo de Silviniaco, Thomas & Amblardus aliique quamplures, qui omnes unanimiter rogaverunt & laudaverunt ut acquiesceret petitioni Abbatis Vizeliaci. Petiit enim Abbas Vizeliacensis, ut ipse Abbas Cluniacensis Vizeliacum veniret ; ille autem sibi occurreret cum Duce Burgundiæ & Comite Nivernis, universâque militiâ Procerum, qui tunc ibidem convenerant, & ornatis plateis multoque incenso flagrantibus, solemnem processionem cum signorum omnium sonitu, festivo more susciperet, Capitulum pro arbitrio teneret, ad cymbalum Refectorii sederet si vellet, aut certè in camerâ Abbatis quotquot vellet diebus comperendinaret. Acquiescens ergo Cluniacensis suorum consilio, mandavit Abbati Vizeliac. per Hugonem & Amblardum, quòd satisfaceret petitioni illius. Statimque Abbas præcepit ornari Basilicam & omnes plateas ; omnique populo clamante præcone præcepit ut fores & vestibula domorum suarum decenter ornarent, & honestè secum procederent in occursum Abbatis Cluniacensis. Superveniens autem Theobaldus Prior Cluniaci, qui postmodum factus est Abbas Monasterii Molismensis, vituperavit consilium Fratrum suorum. Veniensque cum Pontio tunc Priore Paredi Monasterii, tentabat animum Guillelmi Abbatis, inquirens quo honore Abbatem Cluniaci suscipere disponeret. Cui Abbas respondit, dicens : Assumptis mecum Comitibus & Proceribus atque Militibus, quorum multitudinem adesse cernitis, occurram Domino Cluniacensi, & solemnem ei processionem exhibebo. Cum autem huc ingressus fuerit, Capitulum & Refectorium pro arbitrio tenebit, aut in ipsâ Camerâ meâ quamdiu voluerit, comperendinabit, omnemque illi honorem exhibebo, in frumento, vino & carne, & piscibus. Submurmurante Theobaldo, respondit Pontius : Hæc omnia quæ proponis, bona quidem sunt, sed minùs sufficientia personæ Abbatis Cluniaci. At ille : Quid ergo, ait, ampliùs faciendum vobis videtur ? Et respondit Pontius : optimè nosti quid ei congruat, præsertim in hoc Monasterio, quod præter communem hospitalitatem ampliori tenetur sibi reverentiâ. Benè (inquit) novi quid sibi congruat, ideoque omnem debitum illi honorem exhibebo. Si autem forte ultrà intenditis, hoc apud vos certum constare volo, quòd collatâ mihi sede non sibi cedam. At illi dixerunt ; noli ergo fatigari, quoniam Dominus Abbas minimè huc veniens, obsequium tuum recipiet. Quibus Abbas ipse ait, viderit ; feci ego quod meum fuit. Et audivit Rex & Optimates ejus hoc verbum, & displicuit eis valde, dixeruntque : O quanta arrogantia istius hominis, qui sibi oblatum tantum honorem despicit, & Dominum Regem nosque omnes occurrere sibi expetit. Cum hæc loquerentur, & esset Guillelmus Abbas coram Rege, dictum est ei, quòd Stephanus Abbas Cluniaci jam descendisset ad gradus exteriores majoris Basilicæ, & staret ante altare Apostolorum Petri & Pauli, ad quem descendens, deduxit eum in domum superiorem ante conspectum Regis, ubi cum frustra per totum diem jejunus perstitisset, imminente noctis conticinio, rediit ad prætaxatum prædium. Et magnificatus est eâ die Abbas Guillelmus in conspectu Regis & Comitis Nivernis, omniumque Procerum. Et obtinuit Abbas Guillelmus gratiam Comitis Nivernis, & magis ac magis per singulos dies proficiebat in dilectione ejus ; ita quòd Comes per omnia sese illi crederet, & secreta sua committeret.

Abbatis Cluniac. actus improbantur à Rege ac Proceribus.

Post hæc verba Comes Nivernis Guillelmus, filius Guillelmi Altissiodorensis, filii Guillelmi Cartusiensis, filii Renaldi Malliacensis, filii Guillelmi Ni-

Guillelmus Nivern. pergit Hierosol.

vernensis, filii Renaldi, qui fuit filius Landrici primi hujus generis Comitis Nivernis, accepit apud Caritatem signum vivificæ Crucis gratiâ Hierosolymitanæ peregrinationis ab Hugone Senonensi Archiepiscopo.

Deonarii seu Poplicani hæretici in judicium adducti. b

Eo tempore deprehensi sunt apud Vizeliacum quidam hæretici, qui dicuntur Telonarii [b] seu Poplicani, & adducti in quæstionem per ambages & circuitus verborum tentabant velare fœdissimam sectam hæresis suæ. Separatos itaque Abbas jussit recludi, donec à supervenientibus Episcopis honestisque personis convincerentur: fueruntque detenti ferè per sexaginta vel eo ampliùs dies, & frequenter adducebantur in medium; & nunc minis, nunc blandimentis de fide Catholicâ inquirebantur. Tandem cum frustra multo tempore laboratum fuisset, mediantibus Archiepiscopis, videlicet Lugdunensi & Narbonensi, cum Episcopo Nivernensi, & Abbatibus, aliisque peritissimis viris quampluribus, convicti sunt quòd solam divinitatis essentiam ore confitentes, omnia penitùs Ecclesiæ Catholicæ sacramenta evacuarent; Baptismum scilicet parvulorum, Eucharistiam, vivificæ Crucis impressionem, exorcizatæ aquæ aspersionem, Basilicarum ædificia, decimarum & oblationum remedia, conjugatorum connubia, monachorum instituta, Clericorum & Sacerdotum omnia officia. Et cum instaret Paschalis solemnitas, duo ex illis, audito quòd proximè ignis exterminandi essent judicio, finxerunt se credere quod Catholica credit Ecclesia, & pro pace Ecclesiæ aquæ examine satisfacturos. In ipsâ igitur processione Paschalis solemnitatis adducti sunt in medium maximæ multitudinis, quæ totum Claustrum occupabat, stante Guichardo Lugdunensi Archiepiscopo, & Bernardo Nivernensium Episcopo, Magistro quoque Galterio Laudunensi Episcopo, cum Guillelmo Vizeliacensi Abbate. Itaque requisiti de fide per singula capitula, sic se credere dixerunt sicut Catholica credit Ecclesia. Requisiti de execrabili sacramento erroris sui, nihil se scire dixerunt, præter præscriptam infidelitatem Ecclesiasticorum sacramentorum. Requisiti utrum ita se credere, uti professi sunt, & nihil de secreto erroris ampliùs se scire aquæ examine probarent: ita se facturos sponte absque aliquâ adjudicatione responderunt. Tunc omnis Ecclesia uno ore exclamavit, *Deo gratias*. Et respondens Abbas dixit omnibus qui aderant: Quid ergo, Fratres, vobis videtur faciendum de his qui adhuc in suâ perseverant obstinatione? Responderunt omnes: Comburantur, Comburantur. Sequenti die adducti sunt illi duo qui videbantur revocati, ad judicium examinis aquæ; quorum unus omnium judicio salvus per aquam factus est: fuerunt tamen nonnulli qui exinde dubiam tulere sententiam. Alter porrò remersus in aquam, ferè omnium ore damnatus est. Unde carceri mancipatus, quoniam varia quorumdam, etiam Sacerdotum ferebatur sententia, iterum ipso petente, ad aquæ judicium reductus, & secundò demersus, nec vel parum ab aquâ receptus est. Bis denique damnatus igni ab omnibus adjudicatus est: sed deferens Abbas præsentiæ suæ, publicè cæsum eliminari præcepit. Cæteri autem numero septem igni traditi exusti sunt in valle Esconii. An. 1167.

Hæresis eorũ capita.

MONITUM.

CHRONICON MOSOMENSE ex duplici apographo, Bibliothecæ Sangermanæ altero, altero Francisci Chesnii, propriâ Andreæ patentis manu olim exscriptum est. Auctor initio exhibet vitam sancti Arnulfi, quem passim Martyrem vocitat, more tunc usitato, quamvis haud pro fide sanguinem fuderit suum, tormentave passus fuerit, sed tantùm quòd à latronibus sauciatus peremptusque sit. De quo martyrii genere clarissimus vir Hadrianus Valesius scitè admodum, uti solet, plura suppeditat exempla in tom. 3. Rerum Franciarum libb. 21, 22, 23. nimirum sanctorum Præjecti Arvernorum, Theodardi Tungrorum, Leodegarii Augustodunensis, & Emmeranni Reginensis Episcoporum.

Chronicon Mosomense visum, opinor, fugit oculatissimi Sirmondi cum Galliæ Concilia ederentur. Nam si illud vidisset, non dubito, quin integram Synodum apud Montem sanctæ Mariæ anno 983. celebratam inseruisset tom. III. pag. 598. ubi desunt ultima verba & subscriptiones Patrum Synodi; quæ omnia nostro in Chronico reperies.

b *Telonarii*] Sic scribendum monuit Baluzius; editum erat *Deonarii*.



CHRONICON

CHRONICON MONASTERII BEATÆ MARIÆ, ORDINIS SANCTI BENEDICTI APUD MOSOMUM,

In Diœcesi Remensi, à D. Adalberone Remorum quondam Archiepiscopo fundati anno salutis DCCCCLXXI.

INCIPIT TEXTUS VITÆ ac Translationis S. Arnulfi Martyris.

SANCTORUM solemnia quotiescumque agimus, fideli mente, Fratres, pensare possumus, quia cum sit pro humanis laboribus apud Deum jugis omnium Sanctorum deprecatio, de illis hoc pro nobis tantopere fieri, tunc potissimùm sperare debemus, quando in Dei laudibus pro illorum gloriâ attentiores sumus. Ideo nobis piâ intentione curandum est, ut quod exteriùs per speciem significamus, interiùs in veritate teneamus; & inde foris solidemur in opere, unde intùs reformamur in mente. Solemnitas enim Sanctorum, salus est & lætitia fidelium, qui de illâ jam gaudent inventione; unde nos per spem hilarescimus in itinere, certi per gratiam Dei ad eorum nos pertinere & perventuros esse consortium, quorum per fidem & operationem imitamur exemplum. Illi fidei firmiter servantes propositum, spei anchoram tenentes per desiderium, imitati sunt Christum in morte suâ, & per calicem passionis adepti sunt præmia æternæ felicitatis.

Igitur eorum nos in quantum possumus, Deo largiente, vestigia prosequamur; & si eos dignè imitari per omnia non valemus, tamen in quantum virtus suppetit, & ex affectu cordis diligamus, & corporis devoto servitio celebremus; ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Nec enim dubitandum est eos semper esse avidos salutis humanæ, pro quâ Deus misericorditer homo fieri dignatus est, & quam nobis suo sanguine Christus comparavit, ipsamque in se assumptam in dexteram Patris in cœlestibus collocavit; ut ubi præeminet in capite, ibi conservetur in corpore. Sed idcirco impensiùs Sancti salutem nostram apud Dominum efflagitant, & per compassionem . . . . . scientes quia quanto magis nostræ corruptionis labore premimur, tanto magis necesse est ut divino auxilio sublevemur.

Proinde, dilectissimi Fratres, Sanctorum memoria fideli semper est cogitatione veneranda, & piâ admiratione suscipienda. Qui enim carnis materiam portantes, sed tamquam de carnali corruptibilitate assumpti, præter carnem vixerunt, & per spiritum vivificantem ea quæ carnis sunt calcaverunt, dignum valde est, ut & vitæ sanctitate insignes habeantur, & victoriarum suarum titulis coronati, honore & admiratione pariter reverendi laudabiliter prædicentur. Unde quia hunc diem pro B. ARNULFI Martyris præsenti patrocinio solemnem recolimus, ipsi Domino Deo multiplices gratias referimus, cujus adoranda semper clementia tanti benedictione suffragii, nos in hac die voluit feliciter prosperari. Hodie namque Patribus nostris & prioribus hujus loci, Mosomensis videlicet Ecclesiæ, quod minùs sperabant divina bonitas optabile satis contulit donativum, quod & sibi ac posteris suis per succedentia temporum curricula posset esse salutiferum, mœstis & dolentibus consolatorium, fessis & laborantibus tranquilla requies, profligatis & pro peccato mœrentibus præsentissima sedes recreationis. Hodie namque, Deo faciente misericordiam, Mosomensis Ecclesia hujus sancti Martyris suscepit pignera, accepit patrocinia, meruit fidissima orationum ejus beneficia. Excepit die istâ lætantibus Angelis exanime corpus, sed quod miraculorum famulante testificatione comitabatur cœlica virtus. Suscepit, inquam, loculum & corpus cum ossibus exstinctis, sed quæ foris abjecta videbantur, intùs erant jucunda & vivida meritorum lumine. Ostendebat nimirum omnipotentia divinæ majestatis quod latebat oculos nostræ carnis: repræsentabat vivæ virtutis indicium, unde mens nostra nimis ambigeret, cum eam fidei argumento solidatam veritas ipsa miraculorum ad magis credendum attraheret.

Mirum erat quòd cœca mulier visum reciperet, & cum virtute miraculi lumen surgebat fidei. Stupendum erat prodigium, quòd ignis suarum oblitus virium nequibat præbere inter arida ligna incendium. Prorsùs erat mirificum, & ante à sæculis nostris insolitum, verè novum cœlestis virtutis opificium, navim per fluctus ire sine remige, contrà fluminis impetum allabi placidissimè; & dum fluctus deorsum sensim labitur, navim aquilâ præsidente cum solo Sancti corpore gratanter undis invehi. Sed jam ratio postulat, ut causas tantarum rerum series narrationis expediat.

Venerabilis igitur ARNULFUS, vir verè Deo dignus, Lothariensis terræ fuit accola, atque ut ex miraculis claruit, totius innocentiæ & sanctitatis arripuit tenere vestigia. Quibus insistens, & fideliter Deo in timore & justitiâ deserviens, magis ac magis in bono proficiens, sicut palma in dies multiplicabat, sicut lilium odorem virtutum coram Deo germinabat; pro quo modo electus & assumptus, habitabit in atriis semper cœlestis vitæ beatus. Hic itaque verè bonorum operum studiis augmentatus, per simplicitatis oculum corpus suum exhibebat lucidum. Sed cum divina gratia sic ejus disposuisset opera, ut lucerna in domo Dei fieret quatenùs intrantibus lumen præberet ipse; quod nescientibus rectum & velut obscurum erat in tenebris. Positus super candelabrum bonæ operationis dare cœpit flammas, quibus accensus fuerat divini amoris. Audiens namque quod ait Apostolus: *Quamdiù in hoc corpore sumus, peregrinamur à Deo: per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Itemque illud: 2. Cor. 5. 6.

Hebr. 13. 14. *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*; hanc vitam peregrinationem intellexit esse, non patriam, carcerem servitutis pro domo libertatis, exilium captivitatis pro civitate & regno supernæ inhabitationis. Idcirco corpus castigans servituti subjiciebat; attenuans carnem malè illecebris seducentem, & spiritum roborans virtutum plantaria fructificantem.

Unde bonus adolescens peregrinatione susceptâ ad ultrà Mosanos ac Mosellæ sinus Belgicam, Celticamque Galliam petiit orandi gratiâ, & Sanctorum qui in eis sunt frequentandi suffragia. Quid ibi negotii habuerit, quid commercii cum ipsis, sancta ejus suspiria & piæ lacrymæ in precibus assiduè profusæ egerint, non multum est necesse dicere, cum satis sit perspicuum, eum quæ sanctè poposcerat, efficaciter promeruisse, & quæ justè quæsierat feliciter obtinuisse. Itaque lustratis multorum Sanctorum patrociniis, tam in urbibus quàm in vicis, mente & corpore sospes repedabat, & alacris ambulabat sollicitus cum Deo suo, innocens manibus, & corde mundo, quia non acceperat animam suam in vano, nec in dolo juraverat proximo suo. Et quoniam hæc generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob accepit benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo, ut ascenderet in montem Domini, & staret in loco sancto ejus.

Interim Porciensem comitivam ingressus, propè jam egrediens perlimitabat eam, cum ecce à latronibus vitæ vel pecuniis transeuntium insidiantibus occursu improviso exceptus, in loco qui dicitur . . . . . . in silvâ, quæ cum toto circumposito sibi montuoso territorio Frigemons appellatur, usque ad mortem verberibus & plagis dirissimis toto corpore dilaniatus, tandem vix ad villam, quam Gruerias appellabant, pervenit, & ducente se viâ, regio, ut dicunt, Pergio substitit. Quem cum inibi villæ populus diutissimè residentem vidisset, nec inde se promoventem, lassum quidem priùs credentes, fageto autem & umbrâ sylvæ quæ dextrorsum præeminet æstimantes obumbrari; ac deinde cum nullatenus removeretur, putantes speculatorem, vel alicujus prædæ aut rapinæ exploratorem, vadunt quisnam sit percunctari. Nam villa tunc illa & viris habitabatur admodum honestis & divitibus, & populi frequentiâ, ruralique negotio satis erat composita. Venientes autem, & quàm malè se ille vir sanctus haberet invenientes, humanâ miseratione commoti nuntiaverunt apud villam celerrimè causam facti. Quod audientes concives à majore usque ad minorem convenerunt ferè omnes dolentes cum dolente, infirmati cum infirmante.

Matronæ verò villæ illius, quibus & humanissimus & devotus erat affectus, cupientes eum domibus suis adducere, ut in sanctâ administratione illius participarent gloriæ remunerationis ejus, offerebant ei suam christianissimè sedulitatem in omnibus, secundùm quod immensitatem considerabant dolorum & plagaturæ ipsius. Quibus ille publicè loquens: Ego, inquit, jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat, non erit diutissimum sedulitatis hujus ministerium; quia jam fatiscentibus hujus corruptionis artubus, jam sopitis venarum pulsibus, mox deposito carnis onere spiritus suo pergens itinere, repræsentabitur Dei misericordiæ. Subvenite potiùs, ut subveniat vobis Deus. Procurate misericordiùs, quatenùs Sacerdotum manibus Dominicæ communionis Eucharistiam merear suscipere, ut accepto viatico defensionis, contrà occursum insidiantium spirituum munimen habeam redemptionis pretium. Protinùs . . . . accito Presbytero, factâ oratione, & dicto Symbolo, participans vivificis mysteriis, unitus corpori æternæ salvationis: Peregrinum, inquit, me cernitis, peregrinum in hoc loco & in hac viâ hujus meæ sepelite peregrinationis. Post hæc facta & dicta, pedes suos colligens & oculos ac manus in cœlum intendens, Domine, inquit, JESU-CHRISTE, qui hanc fecisti & redemisti animam, tibi eam trado & commendo, tuæ redemptionis electis animabus connumerandam. Obiit S. Arnulfus.

Quo post beata vota in morte resoluto, procuraverunt ei cives illius loci honestum sepulturæ loculum, qui viæ regiæ contiguus in promptu est videri transeuntibus. Ubi positus ignotum est quamdiù jacuit, quousque illum divina virtus revelari voluit. Defunctâ namque & è medio viventium sublatâ omni generatione illâ, quæ eum terræ mandaverat, nomen quoque ipsius prorsùs jam tacitum & oblivioni traditum erat, præterquàm quia fidelis cujusdam peregrini sepultura nota erat, & tumulus desuper aggestus ibi præminebat. Diù jacuit corpus ejus incognitum.

Cum autem supernæ providentiæ placuit & nomen & meritum manifestare dilecti servi sui, accidit unum è vicinis gravi febrium languore torqueri, & diù vexatum dureque detentum ad mortem usque affligi: in quo dolorum angustiatus cruciatu, vidit ex revelatione divinâ visione somnii sui quemdam placidi vultûs hominem apparentem, sibique dicentem: Gravi detineris dolorum incommodo, pessimæ infirmitatis artaris vinculo: unde & te jam relaxari oportet, & auctorem salutis venerari condecet. Vade properè absque hæsitatione ad locum illum tumuli, secùs viam in dextrâ positi, & factâ oratione tuâ cum fide convalesces ociùs ex hac incommoditate. Dicam tibi mysterium, enuntiabo veritatis arcanum. Ibi enim sepultus ex diutino tempore requiescit sanctus Martyr Arnulfus; quem generatio illa quæ tunc eum sepulcro obruit, minùs curans oblivioni contradidit. Tu ergo ne dubites, quin ipsius meritis salutem quam desideras, consequaris. Abiit ille, humiliter accessit, precibus fusis paululùm dormitavit: exitus à somno, Deo & sancto Martyri gratias & laudes referens, incolumis remeavit. Quod ubi contiguis finibus auditum est, accessit infirmus unus & alter; oraverunt fideliter, redierunt salubriter. Fiebat istud non paucis diebus, donec infinitâ multitudine conveniente, & manifesta sentiente remedia, quotquot cum fide veniebant, Dei & sancti Martyris ejus redeuntes prædicabant quæ experti erant, magnalia. Tandem revelatur.

Hinc vicini cum incolis inter se colloquentes consilium habuerunt, ut collatione factâ pro viribus præparatis impensis, Ecclesiolam facerent, in quâ cum sepulcro suo S. Arnulfi corpus transferentes ponerent. Quibus omnibus paratis, Ecclesiam ex communi faciunt, tecturam superponunt, ad tumulum eâ veniunt intentione, ut quia ibi ut pote in viâ regiâ super eum non quibat fieri Ecclesia, ad præparatum loculum ferrent arcam sepulcri lapideam cum corpore. Sed effosso circumquaque tumulo, & egesto terræ aggere, nullâ vi hominum, nullo ingenio conquisito artium amoveri potuit inde. Mirum, non sine magnâ quidem circumastantium & intuentium admiratione, cum sepulcrum inspicerent quantitatis modicæ & multæ brevitatis, quod etiam quadruplicatum portaret facilè tantorum virtus coadunata virorum. Unde cum stupore & timore præsumptionis suæ ab incœpto desperantes penitùs restitere, reservantes illud factum cui Deus annueret, generationi posteræ. Ecclesia tamen mansit multo tempore distans à sepulcro Sancti, quantum potest jacere . . . . . cujus adhuc manent vesti- Ecclesia S. Arnulfo ædificatur.

gia, fruticibus & arbustulis circumsepta, vetustate & imbrium infusione dirutâ omni maceriâ.

Erat adhuc eo tempore in eadem villâ ex majorum successione, quorum juris fuerat fundus ille, una linearis prosapia, quæ juxtà abusivam consuetudinem mundani tumoris arrogabat sibi veterum suorum ventosam defensionem in pretiositatem generosi germinis, & superbi nobilitatem sanguinis. Unde contentione factâ, ex multiplicatione litis accidit inter eos dissidium. Nam quidam Miles nomine Airannus, ex ipsis unus, sed ut videbatur aliquanto inferioris germinis, cætera omnia pro se, vir bonus inter eos sortem habebat hereditatis: in parte tamen illâ ubi corpus requiescebat S. Martyris Arnulfi, quæ viæ vicinior & exitui oportunior (per eam quippe & in sylvam erat iter & in pascua) quidquid sati vel gramini habebat inquietudine peculii totius villæ perdebat. Hinc sæpe clamans, sæpe contendens, cùm neque legum judicio, neque civili contubernio quæ sua erant quietè possidere potuisset, verborum contumeliis & nimietate injuriæ provocatus, arma capit, armis rem suam defendere repromittit, injuria iteratur, damnum cumulatur, homo contemnitur, in facinus properatur. Quid multa? Adeo res processit, ut quidam eorum Fulcherus nomine interceptus in damni crimine, confossus truculenter, cum peccato suo moriens spiritum exhalaverit vitæ.

Quo facto post ultionem injuriæ & admissionem piaculi Airannus in sese rediit, & quia manum propinquorum effusi sanguinis sustinere non posset, secum ipse æstimans reputare cœpit. Unde continuò fugitivus per devia quæque & sylvosa delitescens timore mortis, patronum sibi & tutorem contrà potentes potentiorem quærens, facit pactione suæ fidelitatis & manu commendationis cum omnibus quæ erant sui juris .... quemdam virum bellicosum, qui fasque nefasque pensabat æquè, famosus operè, potens & viribus & genere. Hic habitabat in villâ sui juris prædicto fundo satis proximâ, quæ appellatur Avia: frater enim erat Comitis Goeranni, qui castellum sui dominii tenebat, quod Cantatanna nomen habebat.

Airannus ergo propter compendium auxilii & liberationis, advocatum habebat interim virum hujusce qualitatis. Inde ad altiora tendens, & tutiora perquirens, Otthonem Comitem adiit, qui fortè tunc in illis partibus commanebat: quia ibi propter defensionem & oportunitatem alodiorum suorum castellum fecerat, quod Warcus nomen habebat. Hunc itaque virum tunc Airannus expetiit: de suis fortunis verba facit, causas aperit, susceptionem postulat, fidelitatem servaturum insinuat, spondet, & firmat. Comes Ottho viri fortis & nobilis gerens animum, suscipit hominem, annuit gratiam, præbet necessaria, repromittit adjutorium & defensionem suam sibi non defuturam, si fidem in eo inveniat stabilem & firmam.

His factis pactionibus adeptus familiaritatem gratiæ ejus: Est, inquit, cum coheredibus meis in villâ Gruerias alodii non modica mihi portio, quam cum cespite suo nobilitat beati Arnulfi in tumulo adhuc quiescentis pretiosa confessio; qui gloriosus meritis, sacris virtutibus fulget venerabilis. Hunc si tu, domine mi, comparare volueris, leviori pretio quàm aliquis hominum me vendente & tribuente, sub tuo jure acquirere & possidere poteris. Lætus Comes de patrocinio Sancti, quia certa esset tuitio sui castri, secundùm commune placitum ille solvit quæ inter eos convenerat pecuniæ summam; ille promissam donat beati corporis glebam. Comes facti commercii non negligens negotiator, properans maturè antequàm fama vulgaret, accitis peditum & equitum copiis, matutinus venit ad tumulum, & per manus Presbyterorum levans, in feretro corpus sanctum cum ingenti gaudio, inspicientibus rusticis de quorum possessione tollebatur, transtulit Guilledium, & in Ecclesiâ sancti Hilarii Pictavensis Episcopi, cujus ibi memoria veneratur, posuit aliquamdiu custodiendum, donec in castello facta capella cum majori reverentiâ servaret tantum thesaurum. Quo ad nutum ordinato, & capellâ constructâ, transfert ibi pretiosa Sancti pignora cum multâ populorum frequentiâ.

Transfertur corpus S. Arnulfi Guiledium.

Qualiter autem ab illo loco ad hanc Mosomensem Ecclesiam gratia Dei Sancti hujus voluerit pervenire præsentiam: quamquam prolixitate orationis digressionem facere videamur, tamen plenâ fide relationem historiæ texentes explicare aggredimur. Udalricus sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopus naturæ concedens legibus, humanis rebus erat exemptus. Francorum Rex gloriosus in sceptris agebat domnus Lhotarius; qui audiens vacuam Pontifice sanctam sedem Remensis Ecclesiæ, Dei permittente gratiâ, & ordinante clementiâ, cum totius cleri & populi electione, & assensu Procerum occidentalis Franciæ, domnum Adalberonem regali munificentiâ præfecit & constituit summum Antistitem, virum, ut credimus, Deo dignum, in rebus Ecclesiasticis strenuum, carne nobilem, genere potentem, consilio prudentem, magnanimitate singularem, fidei virtute invincibilem.

Hic sibi commissi ovilis pastor sollicitus, nequando periclitaretur, & urgente mundi pressurâ à recto deviaret, curis anxius, piâ sedulitate infirmos consolabatur cum fortibus. Erat ei sermo doctrinæ congruus, ad ædificationem audientium in gratiâ sale conditus: unde formam virtutum ac disciplinæ daret subditis, unde redarguendo improbos viam eis significaret humilitatis. Interea dum pax creditur, dum meliora sperantur, insurgunt contrà hunc bonæ spei virum mille insidiarum stimuli, tumultuantur adversùs eum quidam Proceres regni: *Dum enim*, sicut ait Evangelium, *dormirent homines, venit inimicus homo, & super seminavit zizania.* Dum dormit justitia in Regum & Principum cordibus, dum resolvuntur in suis cupiditatibus, & sicut scriptum est: *Quia in diebus illis non erat Princeps & Propheta & Dux in Israël*, sed unusquisque quod sibi videbatur rectum, hoc faciebat, cœpere se prout quisque poterat in majus efferre, majores minores suos, ut est hodie malæ consuetudinis, opprimere, potentiores impotentes venari, & quasi prædam sequi, timore Dei abjecto, jure legum sæculi spreto, Ecclesias affligere, familias Ecclesiarum, quas minùs gladius & scutum defensionis tueretur, appositâ quâcumque injuriæ occasione, aut gratuitò potiùs servituti addicere.

Matt. 13. 25.

Judic. 17. 6. & 18. 1. 21. 24.

Quos cum vir prædictus in familiam suæ Ecclesiæ nimis grassari cerneret, & quæ libera esse debuisset servitutem plangeret, primùm quidem verbis & suasionibus suis missionem quærere, inde cum minùs proficeret, quia & militiæ sibi erat copia, & sui generis hoc pati indignè perferebat potentia; reclamando apertè minari, & resistendo tuitionis remedium defensionisve subsidium conquirere cœpit manu militari. Unde factum est, ut & quibusdam adversariorum audendi talia metum incuteret, & ab infestatione Ecclesiæ alios temperare faceret, aspernantes autem, & in suæ pravitate feritatis persistentes, promptissimo sæpè aggrediens ausu, victoriarum glorioso superans mutilaret occursu. Inter hos & omnium quidem præcipuus jam nobis superiùs dictus Ottho erat Comes, Otthonum scilicet Romanorum

imperatorum, & adhuc tunc temporis sceptra nobilitantium clarissima & germanissima progenies, sanguis Patricius, & ut ex amplissimi paterni & materni juris ditissimo patrimonio apparet, fundis vir & opibus & dignitate satis prædictus. Hic ergo tantus homo graves discordiarum inimicitias cum isto nostro Adalberone susceperat Archiepiscopo. Quæ specialis causa tunc exstiterit, nos quidem latet hodie, quia oblivio mater negligentiarum quæ nimis in partibus nostris viguit, posteris suis hæc & multa alia tacendo invidit, tamquam ea senium vetustatis antiquaverit. Tamen vir iste protervo animo & minaci ausu contendens cum Episcopo, sese vastaturum ejus Ecclesiam, oppressum ire familiam minabatur, & gravibus eumdem verborum contumeliis exasperabat, & diversis injuriarum modis lacessere ipsum vel inquietare non trepidabat.

Sed ecce tamquam ex improviso noster Episcopus paratus ascendere ex adverso, & opponere se murum pro domo Israël, callens ingenio, cautus consilio, fultus parentum & amicorum præsidio, collectis copiis militiæ ecclesiasticæ fortibus auxiliariis, præfati Comitis castellum, quod Warchum superiùs diximus appellari, cum exercitu circumvallat, turmas perditum circumfundit, ballistas & fundibula intendit, negotium pro quo convenerant gnaviter peragi & poscit & imperat. Ad certamen venitur, missilibus & jaculis res geritur, foris acriter pugnatur, intùs fortiter resistitur. Istis nitentibus pro gloriâ, illis confligentibus pro vitâ, fit interdum anceps victoria: locus enim non tam naturali munitione firmus, quàm humano labore & opere manuali factus, modo aggere terræ, modo pastophorio, interdum ubi opportunum fuerat ..... roboratus non faciles præbebat accessus. Nam & Mosa fluvius profundissimis inibi gurgitibus, vel equo vel pede non transmeabilis, parte unâ castrum ipsum præterfluit, parte verò alterâ veniens Sulmona flumen non modicum gratanter alluit. Hic loci situs tunc erat, modò turrium altitudine & fortissimo murorum ambitu præter ipsa fluviorum fundamina, nisi sors altera fiat, robur habet inexpugnabile.

Interim nostro Archiepiscopo rem variabilem & nimis asperam non æquis oculis aspicienti, subitæ novitatis opus apparuit, quod suo prodigio, & animos bellatorum quàm fortiter erexit, mentemque Archiepiscopi quem spes incœpti negotii frustrabatur, licet eam quàm strenuè vultu præferret, ex Dei tamen adjutorio refovens sublevavit. Nam militibus fluminis profunditate viam aggrediendi & manus conserendi inhibente, per media castra junix una transitum habuit, & videntibus omnibus vadum quod penitùs ignorabant sensim legens, alveum permeavit, neque ut natura est animalium, enatando vim fluviorum transadiit, sed pedetentim quâcumque previum fuit, passim iter monstrando ne tantus labor frustrà esset, tamquam Dux auctor itineris ulteriores ripas voti compos ascendit. Quo viso, nec stuporem movente, sed quod erat in rem audendi & faciendi operam prænuntiante, Episcopus cum assistentibus: Divina nos, inquit, comitantur beneficia, quibus rem facti per bruta denuntiat animalia. Sequamur, quà nos non fortuna sed Deus evocat; qui populo Israëlitico maris rubri arenas ad calcandum dividendo discrevit, & Pharaonem demersit, credo, spero, audenter etiam dico, ipse, nobis pecudem præsignatricem misit, ut sicut hoc animal jugo assuetum, humanæ vitæ suis laboribus fit accommodū; ita nobis si vestræ militiæ non pigeat & pudeat, bos ista vincendi & superandi quidquid putatis arduum sequendo & experiendo fit argumentum. De laboribus animalis hujus sic Scriptura refert: *Ubi plurima seges, ibi manifesta fortitudo bovum.* (Prov. 14. 4.) Ac si dicat, ubi bellantium virtus vivida, ibi victoria sequitur & corona. Quapropter, Milites fortissimi, virtute accingimini, nec segnities redarguat quos bucula lasciviens ad exasperandum informat. Sequimini præostensam viam, nullus labor arduus virtutem verè amantibus.

Talibus excitus adhortationibus & junicis vestigiis præeuntibus, Godefridus Comes frater Archipræsulis, qui simul aderat, Heynodarios & Ardennenses, quos secum exhibuerat, lituo buccinante aggregat, quo cæteri sequantur, ipse primus, ut decebat virum fortem, insinuat. Qui mox loricâ trilici & hamatâ indutus, galeâ cristatâ fulgentique caput armis accinctus, vultu terribilis, impetu formidabilis, quâ bucula præcesserat vadum ingreditur cum suis. Intentis acerrimè omnibus prælio, Godefridus ignem jubet sepibus apponi subitò, ut & suis audendi fiducia, & illis introrsùm fiat inaccessibilis pugna. Ignis interim accensus undecumque perquisitis ambustionibus flammas ad cœlum evomit, dextrâ levâque errabundus obvia quæque demetit, urente vento arreptus magis magisque vires accipit, spinis & sepibus, facili quippe materiâ, celerrimè cedentibus, patet amplissimus intrandi aditus. Oppidani relictâ statione pristinâ quaquaversùm palantes, fugæ præsidio diversa quærunt latibula: milites ociùs conscenso domnione, domo scilicet principali & defensivâ, rebus suis diffidentes, decernunt inter se pacisci pro vitâ. Vident enim totum castrum teneri undique ab ignibus, & si quid ignis nondum attigerat prædam fieri hostibus, equos scilicet phaleratos cum burdonibus, & omnem supellectilem concupiscibilem domûs. Ignis ignorans parcere, nesciens mitescere, propriè habens misereri nolle, consumptis omnibus, flammis semper potentioribus Ecclesiæ propinquabat foribus.

Ecclesia ibi erat lignea, in quâ sancti Arnulfi quiescebant pignora: lignea, inquam; quia nec maceriarum adhuc ibidem existebant fundamenta; etenim vorago paludis nulla inibi sinebat fundari pro hyemalibus aquis. Ad hanc ergo Ecclesiam cum appropiassent flammæ, ignis resedit repente, & quasi totis Æoli flatibus relisis aversus, continuò recessit retrogradus. Divinum namque quiddam intuens, & mirabile quoddam in ipsâ intendens, oblitus naturæ perdebat vires potentiæ suæ; nec erat dubium si hæc flammis urgeretur, quin statim omnis defensiva domus cum fugitivis & latentibus cremaretur. Sola hæc causa erat quæ moras victoriæ protrahebat. Episcopus miratus, & novitate facti stupore perculsus: Quid, inquit, hoc novum, quid significat rei hujus miraculum? Vetus tabulatum & arida lignorum materies illæsa inter flammas durat, & ignis qui etiam ferrum domat, attentare ligna reformidat? Mirum! ô viri mirum! nobis sic ista videri:

Fit res mirifica, nec frustrà visio tanta.
Sed vellem scire, quid rei possit inesse;
Hæc sine prodigio non sunt quæ ludicra cerno.
Si sit divinum, dignum est venerarier ipsum.
Si qui concives estis qui talia nostis,
Pandite perspicui tutò jam mystica facti.

Assistentes quidam, qui etiam pagenses erant: mirum non est, inquiunt domine, quia opus cernitis virtutis divinæ:

Hic meritis sanctus, virtutem luce coruscus:
Corpore servatur Arnulfus Martyr, laude dignus & honore verendus. Hactenùs nobis propitius fuit, & pietate insignis; nunc aversus facientibus malis nostris reliquit in angustiis iniquam gentem cum peccatis suis. Malè namque ei serviebatur, nec honor

suis meritis congruus referebatur. Monstrat modo quid possit, ostendit quid nolit, tuetur suam ab ignibus domunculam, & donec in eâ pausaverit, adversùs eam ignis nihil poterit. Et quis, inquit Episcopus, quo sanguine cretus? unde domo genitus? civis an incola? peregrinus an advena? Genus, aiunt, & vitam quam duxit ignoramus, præterquàm quòd locum sepulturæ ejus habemus in proximo, ubi terram terræ contulit, cœloque spiritum reddidit, ubi etiam aliquamdiu jacens & meritis vigens, diversis infirmitatum incommodis, Deo præstante, obtinuit remedium salutis. Quod Otto Comes audiens, & experimento cognoscens, dato pretio incolis, quorum juris erat locus (villam enim illam Grucrias dicunt; auctor autem commercii Miles quidam Airannus exstitit, sub cujus possessionis titulo Sanctus quiescebat in tumulo) Comes, inquam, Otto vallatus multo populo, corpus Sancti tulit inde cum honore debito, & in Ecclesiâ antiquissimâ sancti Hilarii in hac proximè villâ Guilledio cognomine (nominatissimus quippe fuerat nundinarum locus) pausavit tempore aliquantulo, donec miraculis crebrescentibus propter frequentiam populorum timens furtim perdere, usus sibi viso consilio transtulit huc novissimè.

Cumque hæc & alia audiret patienter Episcopus, mente pertractans, & rem quam videbat, quæque satis congruenter dicebantur, sapienter pensans: Ite, inquit suis qui eum circumstabant Sacerdotibus & Clericis: Ite intro, & quæque Sanctorum intùs invenietis, cum diligentiâ exhibete hîc nobis. Quo facto & expositis omnibus, miro modo & opere stupendo ignis, qui antea timidè languens & quasi penè deficiens residebat, vires subitò resumens, & sicut ventus vehemens irruens, quidquid priùs intactum reliquerat, profundâ consumendi voragine Ecclesiam scilicet cum domo majore absorbebat. Unde magis in admirationem ductus Episcopus, lætus quia facti quod cœperat compos & victor existebat.

Certus autem quia quæ mira de hoc Sancto audiebat jam ipse miranda præ oculis habebat, reverentiam erga Sanctum tenens: Causas justitiæ ait, mihi habens adversùs hoc castrum veni: sed ut mihi videre videor, & Deus ex hoc facto ostentat, meritum hujus Sancti ut venirem exegit; & ne diutiùs in hoc malorum & negligentiæ jaceret cœno, promeruit. Paretur, inquit ergo Episcopus, jam festinanter cum suis rectoribus una navis quæ eum cum testimonio & auctoritate nostrâ perferat Bracas, ubi Confessor egregius vitâ & meritis requiescit Archiepiscopus Viventius. Est enim ibi Canonica duodecim Clericorum Remensis parochiæ, quam vitâ comite, auspice Deo in votis habeo regulari Monachorum proposito honestiùs ordinare. Ad nutum jubentis mox paratâ navi, cum illâ sui exercitûs frequentiâ per se idem Episcopus ad feretrum veniens, & manu appositâ altrinsecus tenens cum impositione Antiphonæ; *Pretiosa in conspectu Domini*, & prosequutione Psalmi, ad navim jussit ferri, & in eâ imponi, cum campanâ unâ flammis Ecclesiæ subtractâ.

Transfertur iterum corpus S. Arnulfi apud Mosomum. *Psal. 115. 5.*

Interim Archiepiscopo à navi regresso, ordinante qui remiges, quive Clericorum & hominum pariter irent comites: Deus cujus sapientiæ & scientiæ altitudo divitiarum inenarrabilis, cujus viæ sunt investigabiles, qui solummodo mirabilis in altis Dominus, qui dat virtutem & fortitudinem plebi suæ: dignatus est judiciorum suorum ostendere secreta, & operum suorum notificare mirabilia propter hujus Sancti sui merita. Namque cum navis in ripâ fluminis affixa subsisteret sustinens rectorem qui duceret, nullusque in eâ hominum ex voluntate Dei præter corpus sancti remansisset, aquila desuper advolans, in fronte navis nauta certissimus assedit, & mox navim ipsam à littore in medios fluctus virtute divinâ emovit, & aquis itinere suo deorsum fluentibus, navis contrà fluminis incedebat excursus, Angelicâ, ut credimus, illud administrante creaturâ, & virtute, ut patuit, cooperante & regente divinâ; directoque pergens cursu anteriora sibi semper petens, celeberrimo sibi prosperabat gressu.

Cujus rei stupendum indicium cum ad Episcopi venisset audientiam, plusquàm credi possit admirans, & in laudibus Dei attolens animum, divinum adorabat consilium, exultans in illius misericordiâ, in cujus gloriâ sancti Arnulfi lætabatur anima. Prosequantur, ait, aliqui nostræ fidelitatis per crepidinem alvei, navisque vestigio subsequantur pignera Sancti. Nam mira video, nec minùs miranda considero. Ubicumque enim navis hæc substiterit, absque dubio ibi divini nominis gloria, & laudis ejus per successiones fidelium prædicabitur potentia. Hæc avis quam cernitis figuras gerit mysticas, multiplices intendens in dicendo sententias: nam per Ezechielem Prophetam loquens Dominus ad Israël, proponit ænigma sub personâ Regis Babynoniæ, atque sub specie Regis Ægypti, dicens: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate.* Et, *Facta est aquilea altera grandis, magnis alis, multisque plumis.* Quoties hujus avis nomen in Proverbiis assumitur, Regum potentium figura subintelligitur. Hæc avis inter cæteras quasi regii juris obtinet dominium, avibusque reliquis principans, facti sui gestat mysterium: hæc avis sublimia penetrans & sublimiùs evolans, speculando irreverberatis solem ardentem contemplatur oculis. Sub quâ specie typicâ Joannes signatur Apostolus & Evangelista, qui omnem supervolans creaturam, incarnati Verbi mysterium, & divinitatis ejus ineffabile patefecit arcanum. Quod aptissimè convenit remotis ab omni hujus vitæ negotio Deo famulantibus Monachis contemplativæ vitæ insudantibus, & per juge mentis desiderium spiritalia semper & cœlestia piâ cogitatione meditantibus, fideli nihilominùs intentione *quæ sursum sunt, ubi Christus est in dexterâ Dei sedens*, indefessè quærentibus. Locum ergo quicumque sit, quem navis ista expetit, Monachorum religiosè conversantium famulitio & ordine insigniri convenit.

Ezech. 17. 3. 7

Coloss. 3. 1.

Aliis ergo post hæc verba assentientibus, atque aliis multo aliter opinantibus: si, ut dicitis, inquit Episcopus, Guilledio apud S. Hilarium, ubi priùs aliquamdiù pausavit, consistere voluerit, non est diutina exspectatio. Vix enim uno distat stadio ab hoc in quo consistimus loco. Si autem apud sanctum Sulpicium in villâ quæ appellatur Pirorum, nec aliud erit diutiùs attendendum; solùm quippe milliarium hoc nobis facit .... Si verò ulteriùs processerit, nec ad dexteram nec ad sinistram diverterit, sed sicut cœpit intendere posteriora dimittens, in anteriora prodierit, advertite unum quod vobis enarro, sicut intelligo divinæ gratiæ arcanum, quia Mosomi nostræ diœcesis loco pausare & venerari habet annuente Deo. Jam tunc Episcopus intendebat animum hunc locum decussare regulari institutione Monachorum, sicut post fecit Remis S. Theoderici locum, quem de manibus Rotgeri Comitis injustè illum tenentis vi & sagacitate retraxit; & remotis duodecim Præbendariis, non Deo & Sancti ejus, sed sibi ipsis & Comiti servientibus, Abbate ex Monasterio S. Remigii

accepto, Airardo nomine, cùm Monachis Deo fideliter militantibus religiosè restituens ordinavit. Ita etiam ad præsens Braguis optabat fieri propter amorem & reverentiam S. Viventii, nisi hujus intercessisset causa miraculi. Sed quia jam antea non suppetebat possibilitas, pro eo quod devenerat in manus externas, promptissima tamen manebat implendi voluntas, opperiens oportunitatem siquando Dei largitas quam desiderabat efficeret facultatem. In his & hujuscemodi operibus ferè totus erat iste noster Episcopus, & simili desiderio mentis flagrare cœpit erga locum Ecclesiæ Mosomensis. Insequentibus ergo navim quibus antea jussum fuerat, jam nullatenùs ut primùm cœperat segniùs ibat; regebat namque illam bonitas illius *qui facit Angelos suos spiritus*. Cum ineundo per villas circumpositas tanti facti rumor exiliet, omnibus undique circumvolantibus, absque numero confluebat populus pro merito & gloriâ Martyris laudans Deum in operibus suis. Adhuc laudes erant in ore ipsorum, & virtus Dei recentiori miraculo paravit exhilarare ad credendum mentes eorum.

Nam in villâ Torciaco nomine quædam erat mulier vidua, quæ post viduitatem gravi cœcitatis infirmitate oppressa, ad glorificandum Deum aliquamdiù plus anno integro luminibus manebat orbata; quæ dolens & viri sui desolationem, & rerum suarum futuram defectionem, magis autem corporis debilitatem (erat enim honestis & liberis parentibus progenita) in angustiis multis & doloribus vivebat: habebat tamen ex legitimâ nuptiarum viri sui copulâ unicum admodum parvum filiolum, ad augmentum suæ dolorositatis satis macram spem posteritatis. Rumore itaque per populos diffuso pro S. Arnulfi adventu glorioso, hæc mulier ubi audivit salutis avida, cum jam Sanctus per alveum fluminis navi inpræsentiarum posita veheretur, unum camisilem quem optimum habuit de domo suâ secum sumsit, & gressu conducibili se eo loci minari fecit. Ubi cum pervenisset, genua flectens cum multis obsecrationibus Dei misericordiam, & sancti Arnulfi exorabat præsentiam, ut per ipsius meritum sibi redonaret Dominus Deus amissi luminis usum.

Petiit ergo navim ad litus appelli, ut perficeret oblationem voti sui. Quâ appulsâ, appropians illa cum fide multâ, corrigiam sibi in collo posuit, ancillatui Sancti se se subdidit, capitaticum suum & se, & posteritatem suam post se daturam, si salutem optatam mereretur repromisit; camisilem quem secum detulerat, extuht, super corpus Sancti posuit, & mox dicto citiùs salubri facto commercio, videntibus qui aderant omnibus, lumen pristinum optatumque recepit. Hinc laudes Deo, hinc gratias referebat Sancto, hinc omnium ora & corda multis ex pietate lacrymis profusis laudabant misericordissima Dei magnalia, & quæ sola venerat cum dolore, cùm multis & inter multos lætabunda repedabat cum salute. Quæ quandiù supervixit, salutem suam ipsa prædicans, semper singulis annis capitis sui censum Sancto persolvit, & post mortem illius, unicus quem diximus filius ejus annis quibus matri supervixit, fideliter donavit.

Harum omnium rerum certissimus Mosomum tendens pervenit nuntius, dictitat Clero præsenti & populo quæ fuerit in glorificatione Sancti divina illuminatio, quæ fuerit Episcopi votiva transmissio. Indicitur interim & paratur processio; currit Mosomensis populus cum gaudio; excipit sanctum corpus lætantibus animis, gestat suppliciter in humeris, faciunt vota & preces quibus mereantur fieri ejus intervenientibus meritis æternæ vitæ consortes. Sonantibus Ecclesiæ signis adsunt Clerici cum crucibus & cereis, thurificant sancti glebam odoribus, suscipiunt cum hymnis & dignis psalmorum laudibus: sicque ingredientes Ecclesiam principalem, divinam adorant majestatem, supplicantes pietatis ejus dono & B. MARIÆ semper Virginis suffragio, istius & omnium simul Sanctorum jugi in perpetuum muniri patrocinio. Sicque dimissâ turbâ & populo, abierunt quique in suâ cum exultatione & gaudio, illum magnificantes in gloriâ, qui vivit & regnat unus in Trinitate Deus per æterna sæcula, Amen.



Textus qui sequitur describit qualiter ipse Præsul ADALBERO *per Romani syrmata Papæ, conciliique sui decretum, constituit ut Monachos locus hic Mosomus haberet, quos cohiberet Regula sanctè vivere, quique pro se proque suis prædecessoribus in spem æternæ vitæ divinum numen adorarent.*

PRÆCEDENTIS itaque serie sermonis de vitâ & transitu sancti Martyris Arnulfi compendiosam fecimus relationem, ubi fuerit sepultus, qualiter inde assumptus ad Guilledium trajectus, demum quoque Dei misericordiâ disponente ad hanc Mosomensem Ecclesiam miraculis concurrentibus devenerit, stilo quidem admodum rustico & impolito exaravimus, sed ratione satis probabiliter investigatâ, sicut suo loco lector inveniet, ad plenum prosequuti sumus. Nunc quæ postea circà præfatam Ecclesiam ADALBERONIS Episcopi devotio extiterit, quia per hunc sanctum suum ARNULFUM mentem ipsius, ut suprà retulimus, visibili miraculorum illuminatione Dominus admonuit, ad posteris mittere memorandum, non indignum judicavimus, ut divinis beneficiis ingrati esse timeant, & intelligentes quanta per hunc suæ salutis providum pastorem adepti sunt bona, rependendi vicem animæ ipsius in bono se semper obnoxios esse cognoscant.

Secundo igitur suæ ordinationis anno acta sunt quæ priori sermone tractavimus, de translatione videlicet, atque in Mosomensem Ecclesiam illatione beatorum, ossium prædicti Martyris, anno nongentesimo septuagesimo primo Dominicæ Incarnationis, Indictione quartâ decimâ, mense Julio, nono Cal. Augusti. 971.

Visis itaque & auditis reverendus Pontifex tam sanctis, quàm laude & admiratione dignis divinæ virtutis miraculis, quæ sub brevi suæ præsentiæ tempore hujus Beati exhibebantur meritis ac nomine, non tulit diutiùs quæ longè ante satis animo conceperat, sed maturè opus facto disposuit, ne alterius esset operis quod erat suæ intentionis, & inde sibi si negligeret, meriti fieret detrimentum; unde alter qui id fideliter efficeret, coronam portaret & præmium. Unde intrà mentis suæ secretum, tamquam intrà speculum amplissimè contemplando collectis quæ sint, quæ fuerint, quæ post futura sequantur (ex præteritis enim persæpe ventura conjiciuntur) quosdam Procerum suorum, tam cleri quàm militiæ suæ Nobiles in præsenti sibi coëssentes advocat, & quid voti mente diutiùs collectum supportet, expostulatâ sui gratiâ consilii, an approbent seu magis improbent audire & referre monet dicens: Quo consilio & sententiâ judiciorum Dei ad hanc pastoralis curæ pervenerim & ordinatus sim dispensationem, penitùs ignoro; sed quod semper

timere debeo tamquam irruentes super me fluctus, sic onus istud quoties penso, toties reformido. Consideratis namque hujus Episcopii quibusdam antiquissimis locis, olim dum misericordia & veritas obviarent sibi, dum se justitia & pax osculatæ sint, dum veritas de terrâ oriretur, & justitia de cœlo prospiceret: olim, inquam, sub religione fundatis, tunc quidem prosperantibus & felici fortunâ se se agentibus, Dominus dabat benignitatem & terra nostra dabat fructum suum: modò autem prorsùs neglectis; aliquibus solam nominis famam prætendentibus, aliquibus sic ad solum dirutis ut nec fama superfit nominis, quibusdam dum emendari debuerunt in melius, ad deteriora perventis: eorum aliquem cujus incœpti artificio reformare priùs attentem, multæ ambiguitatis naufragio pendulus hæreo, & dubiis anfractibus intricatum, & vix se explicantem animum gero.

Res enim locorum illorum quæcumque in mobilibus fuerunt, vel esse potuerunt, auro videlicet argentoque, seu cujuslibet ornamenti substantiali supellectile, ut pote vastatæ, direptæ, vetustatis etiam senio dilapsæ, jam nullæ sunt. Villæ, vici, ancillæ, servi, Ecclesiæ, molendini, & omnium habendarum possessiones rerum, à potentibus & tyrannis, regnique Optimatibus pervasæ, donatæ, confiscatæ, sub beneficiis delegatæ, quando Sanctorum locis nec pro antiquitatis suæ debito jure, nec pro quibuslibet privilegiis testificantibus habebunt redire? Tanta fuerunt malè pacati infortunia, regni, tanta Regum & Procerum discordia, tanta populi peccatis facientibus emergens malitia, tanta gentium intrà Gallias irruentium, & adversùm se depugnantium, hostili rabie exundans exstitit impia & perquàm iniqua sævitia.

Accidit huic bono quorumdam nostrorum laudabilis vita Pontificum, qui si fortè quidpiam supererat, ut sibi fidissimos pararent, quorum impudentiâ & fraude tuti essent, Palatinis canibus omnia contradebant. Nec quemquam fas est nominare, cum culpa ex dubio videatur venire, & factum hoc magis expostulet veniam, quàm aliquam repromittat gratiam, & meliùs pro multitudine factiosorum taceatur, quàm corrigendi spes ulla donetur. Quapropter hæc missa faciamus, ad rem redeamus.

De Mosomensi Monasterio.

Locorum de quibus agimus, Mosomus est unus, sanctæ Dei genitricis MARIÆ olim insignis nomine & honore. Hic Mosâ influente amœnissimus, Monachorum habitationi mihi videtur oportunissimus. Omnia namque humanæ vitæ jucunda pro aëris qualitate præstat & commoda: præter quod vinearum ibi proventus adeo non exuberat. Nec enim inhabitantibus id fuit negotii, nec ea sollicitudo, præsertim cum natura sit vinearum, temperati magis & non frigidi cespitis amare solum. In quo tamen mihi minima cura; quoniam si Deus votum meum prosperaret, habeo ex patrimonio meo, & ex mihi contingenti antecessorum meorum jure debito, unde hanc sibi penuriam pellerem, & optimi vini cum cæteris redituum suorum benedictionibus veros dominos & divites possessores, si procurare id sciant, eos efficerem.

Inibi olim Moniales, post Canonici, tum denique Monachi.

Olim locus ille Mosomensis in honore Reginæ cœli & Virginis Matris MARIÆ pro verâ pietate & voto fidelium, sub ordine fuit prætitulatus Sanctimonialium; sed turbine sæviente malorum, quorum suprà vix attingendo meminimus, cum nomine perdiderunt & esse. Nuper autem beatæ memoriæ D. HerivEus hujus sedis pastor & rector fidelissimus, magno religionis affectu hunc diligens locum, sub titulo jam vice alterâ dilapsorum restituit & ordinavit Canonicorum.

Inveniens namque omnibus rebus & ipsâ etiam inhabitatione destitutam, ex fundamento reædificavit Ecclesiam, quæ flammis eam exurentibus & impluvio, multâque longi temporis negligentiâ detritis parietibus, solitudinem tantùm horrendam repræsentabat aspicientibus. Quæ reformata, & in statum pristinum recollectis Præbendariis exornata; ab initio nimirum sui pro dignitate loci, & generosâ populositate civium. Secunda sedes hîc agebatur Remensium: hujus tituli scilicet Canonicæ non dicam vitæ, sed simulati Canonicorum nominis utcumque tenorem servat antiquum. Sed cum hæc eorum vita nihil à laïcorum differat cohabitatione (nuptiis quippe fruuntur, filiorum & filiarum quæstuosis mercimoniis inservientes, usibus sæculi coutuntur) valde stimulando sollicitat animum meum, ne diutiùs, si corrigendi sit posse, reverentia tanti nominis, Beatæ MARIÆ dico semper Virginis, absque honore debito maneat religiosi ordinis. Mihi credite,

Mosomensis Ecclesia secunda sedes Remensium.

Amor hujus facti tantum mihi crescit in horas,
Quantum vere novo viridis se subrigit alnus.

Et quâ ratione id primùm aggrediar, audite paucis eloquar. Est in hujus Portuensis Comitivæ partibus octo Monachorum cum Abbate sibi superposito parvus admodum & pauper loculus, quem Freduidis matrona nobilis, cum illustri viro suo Comite Stephano, quia spes eos frustrata fuerat posteritatis, collatis quæ inibi habere videbantur prædiis suis, sub jure & titulo constituerant divinæ servitutis, ut pro recompensatione præsentium nomen haberet melius à filiis & filiabus in cohereditate cœlestium.

Hunc ergo per consilium domni Gerardi Abbatis viri vitæ venerabilis, qui tunc temporis pro merito sui nominis, & religiosæ conversationis, pluribus in Franciâ præerat Monachorum Cœnobiis, inter quæ & Monasterii sancti Remigii curam agebat: hunc eumdem, inquam, locum sancto Remigio ut subjectum haberet, ac procurando servaret, fideli voto tradiderunt. Hic in honore sancti Quintini consecratus, & radicibus Aldiniaci montis additus, à rivulo fontis qui inibi exoriens præterfluit, Tignus cognominatur. Sed circummanentium inquietudine satellitum, ex castello proximè imminenti, quod ob palustre cœnum, in cujus medio residet, Cantarana dicitur, frequentius urgetur, molestiasque crebras patiens, contemplationis suæ studium sæpe amittere cogitur. Hunc cùm Abbate & Fratribus loci sancti Remigii per concambium ex rebus Ecclesiæ nostræ volo, si Deus annuat, commutare, mihique legaliter contraditum cum Mosomensi loco unum efficere, ut cum Monachis Abbate ibi transposito, ex duobus quamvis minoribus unum aliquid fiat majus & melius. Ecce hæc sunt quæ vos interim audire volui, & si ex Deo sint cujus misericordiæ innitimur, consilium ne cunctemini referre quod utilius judicabitis.

Monasterium S. Quintini.

Mox illi opus pietatis attendentes, & viam bonæ actionis considerantes: O fausta, inquiunt, intentio! & si effectum habeat, quàm certa & felix bona voluntatis erit remuneratio! Talia differre non sit consilium, opus enim hoc accelerare cœleste est negotium. Opus bonum si sit in voluntate, ex Dei adjutorio erit in perfectione. Talia siquidem vota, quamvis ex difficultate titubent, magis autem ex desidiâ si omittantur nocent: quia quanto ardua & altiora quis aggreditur, tanto majoris præconio laudis si efficiendo superet, dignus attollitur. Quapropter quod vos audire vestræ gratiæ auctoritas dignata est, omine tantùm dextro Deus aspiciat,

nobis optimum factu videtur, & vobis salutiferum connumerabitur.

His relationibus acceptis Episcopus (animo enim cupienti nihil satis festinatur) actutùm sancti Remigii Monasterium expetit: Abbatem qui tunc præerat, virum honestum, Rodulfum nomine, super suâ intentione multiplicibus, & ad persuadendum dulcibus evocatum moratur sermonibus, omnemque rem sui consilii secreto aperit, omnes difficultatis aditus sapientissimæ rationis suæ limâ eradit, abjurandi limites excludit, nihilque dispendii loco sancti Remigii devenire, sed commutatis rebus, quæ inter eos complacitis pactionibus cederent, oportuniùs repromittit esse: tanta videri negotia sua, ut pote multis Episcopiis, & rerum plenitudine, & dignitate nominis præstantia: hunc autem loculum modicum cum modico communicatum, opus habere vicinitate communium, & laboriosâ vivacitate virium, se se benè & prudenter agere, si unde divinæ servitutis honor cresceret, prompto & fideli animo ordinare & constituere satageret: seipsum autem qui hæc expetere videbatur, sibi unanimiorem efficeret.

Abbas de his quæ audierat consulendi locum, & cum Fratribus conferendi postulat. Quo clementer indulto, Fratres Abbas revisit, coadunatis & considentibus quæ sit postulatio Episcopi, quodve totius profundum consilii apertis & brevibus verbis absolvit. Fratres itaque diversa sentientes, atque ut est ingenium mobilium mentium, idque potiùs juvenum, non eadem mirantes: interim vacillante sententiâ, & nutante seniorum judicio, dum suæ opinioni quisque magis innititur, primò abnuere nec assentiri velle. Quod semel acceperant cur alteri curandum quàm sibi credant? Votum fidelis mulieris eleemosynam facientis manere debere; sibi subtrahi quod alter faceret, sibi minui unde alius cresceret, hoc apud populum non esse laudis præconium, sed videri vitæ degeneris & contumeliosæ improbationis elogium.

Talia renarrantibus, motuque vario dissonantibus, Abbas silentium imperat, fandique auctoritate, & vocis libertate ad compescendum murmuris strepitum arrectus, piæ exhortationis alloquutione sic inchoat: Fratres dulcissimi, Deoque carissimi, verba sunt ista dicentis Apostoli: *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes: non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum.* Philip. 2. 3. Hæc Apostoli verba sunt quasi fermentum bonæ conspersionis in nostrâ intelligentiâ, ut omnia quæ facimus, sint sine murmurationibus & hæsitationibus, *Ut simus sine querelâ, & simplices sicut filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ & perversæ: inter quos lucetis*, ait, *sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Ibid. v. 15. Et alibi: *Solliciti estote servare unitatem spiritus, in vinculo pacis. Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ.* Ephes. 4. 3.

Unde, Fratres mei, si in his quæ Dei sunt moneat Episcopus, nulli debet esse resistendi ausus: quia dicit in Evangelio Dominus: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. 16. Ista verò suggestio nostri Archiepiscopi, considerata intentione sui, videtur nobis prodire ex insito sibi timore & amore Dei: unde nos nec justè quibus obsistere, nec ea quæ ad cultum divinæ servitutis pertinere sentimus, debemus ausu temerario pervertere. Si diminutionis damnum plangitis, ea quæ nobis in recompensatione concambii ad præsens transcribit, non satis providè attenditis: si autem favores ex judicio populi assumitis, cavendum ne arundo vento agitata esse velitis. Quòd autem votum mulieris manere debere asseritis, majori credo misericordiâ stabit subnixum, quod in usus cedet pauperum & egenorum, sicut scriptum est: *Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Psal. 111. 8. Cum ergo abundemus & superabundemus, cavendum nobis est, ne sub specie pietatis & quasi defendendæ rectitudinis arguamur sceleris, avaritiæ, & cupiditatis. Ideo rogo vos, Fratres, ut saniori consilio mentes vestræ inclinentur & acquiescant, ut juxtà Apostolum; *Omnia vestra in charitate fiant.* 1. Cor. 13.

His & hujusmodi multis atque saluberrimis alloquutionibus fracta & emollita priùs exasperantium cervicositas, in gratiam assentiendi redit, & annuit quæcumque sit Episcopi & Abbatis voluntas. Hinc itur ad Episcopum, quæ Fratrum fuerit obauditio exponitur; licet primùm reniti & obsistere voluerint, tamen ratione victos suam reflexisse intentionem, & bonæ voluntatis ejus non aspernari operationem. Episcopus benignè accepit, gratias egit, ordinatisque ex communi consensu oportuni testimonii optimis in attestando viris, recompensationem rerum quæ ex condicto placuerant per commutationem dati & accepti Episcopus pariter & Abbas legaliter faciunt, & ut cuique quod in præsenti assignabant determinatum & inconvulsum perseveret, vadibus juri cedentibus sub adstipulatione ratum traditur.

Post ubi omnia quæ præoptaverat, Episcopus ex sententiâ comparavit, iter cum suo comitatu Macerias castellum, quod tunc frater ejus Godefridus Comes constabilibat, arripuit, & illum Tingensis Cœnobioli pauperculum Abbatem Lietaldum nomine quàm celerrimè advocat, & sub testibus sanctique Remigii Præposito, seu aliis bonæ fidei viris renarrat quidquid taxatum fuerat. Quid deinde se obedienter facere velit privatim mandat, & ut cum suis Monachis navim conscenderet, quam ipse Præsul eis imposito commeatu apparaverat, & cursum non deflecteret donec priùs Mosomum veniret, imperat. Quibus ita dispositis, domnus Adalbero conscensis equis negotium quod intenderat perfecturus, ad hanc suæ sedis Ecclesiam pervenit, & cum honore susceptus est. Tunc priores Ecclesiæ appellare cœpit, alia pro aliis quasi dissimulando fingens, deque situ & statu loci ædificiisque compositis confabulans, si quid in auro argentoque esset, quod plusculum vel pretiosum Ecclesia seu in pallis, aut in sacerdotalibus indumentis haberet, se videre velle dixit. Quibus inspectis: Et hæc, inquit, pro se satis, sed non multa sunt; ampliare autem illa potest, cujus omnia sunt.

Crastino autem facto, horâ diei quasi primâ, jam Episcopus Monachos suos in proximo adesse sciebat (puer quippe in speculâ positus, id præ oculis facilè habens, certissimè nuntiabat) in secretario Clericos omnes coadunari facit, & præsente forti custodiâ sui, circumsedentibus omnibus sic orsus ab alto est: Multa est nimis malitia sæculi hujus, & verè naturâ hominum ab adolescentiâ suâ semper proclivis est in malum: quæ ad similitudinem navis positæ in medio fluctuum, nisi sedulò in anteriora expungatur, jugiter vadit retrorsum. Quam rem cur proposuerim, paucis absolvam. Locus iste sub titulo assignatus sanctæ Dei genitricis MARIÆ, secundùm sui nominis dignitatem religionis non habet honorem. Post illam namque miseriam, quam penè omnibus importat sæculi malitiâ, vix pertenuis scientia, & propè nulla clericalis seu canonici ordinis ad sciendum & intelligendum Deum vos exornat sapientia & continentia. Nec moras vobis faciam in multum loquendo: duorum vobis datur optio: eligat quisque quod sibi utilius videtur, aut

fieri

fieri Monachum, aut cedendo vacuare locum. Cui placet in Monacho, spondeat in præsenti. Refutans & nolens mutet sedem, & exeat. Ecce habeo mihi Monachos sub normâ sancti Benedicti victuros. Abbas namque cum suis Fratribus egrediens à navi, nuntiabatur jam esse præ foribus. Hîc turbatis omnibus (durus quippe sermo visus est de Monacho) nulli fuit consilium præter paucos quos rei familiaris angebat necessitudo, sequi bonum quod Præsul Deo dignus suadebat agendum.

Monachi in Mosomensi Monasterio constituti.

Sic Episcopus intromissis cum honore congruo Abbate & Monachis in sanctuarium: *Ecce*, inquit, *quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum.* Sit vobis *sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Et quod descendit in oram vestimenti ejus: & sicut ros Hermon, qui stillat in montem Sion.* Ut hîc *mandet Dominus benedictionem, & vitam in sæculum.* Psal. 132.

Cumque omnes respondissent, Amen, Episcopus Abbati loquutus est & Fratribus: Non frustra neque sine causâ fit, quod hîc vos admittimus, quod mutatione factâ ordinem Clericorum vobis postponimus, sed pensate quod dicitur: *Amice, ad quid venisti? Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de viâ justâ.* Vestrûm sit pro nobis orare; nostrûm erit, Deo donante, victualia vobis ordinare. Claustra Monasterii & officiales vobis domos metabimur, & procedente tempore oportuna quæque procurabimus; vos tantùm cum Deo ambulantes solliciti, sic Deo dignè & Sanctis ejus conversamini, ut de vobis meritò possit audiri: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: Ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis, erit eorum Deus.* Quicumque vos in hoc loco degentes per multa annorum curricula præcesserunt, sive Sanctimonialium diebus, seu Clericorum secundâ permutatione jam sibi succedentium, concupiscentias suas sequentes desideriis suis pravis malè inhæserunt, & facti *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*, in stercore suæ corruptibilis vitæ sicut jumenta computruerunt. *Et quia non probaverunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos in reprobum sensum, & obscuratum est cor eorum insipiens, ut facerent ea quæ non conveniebant.* Et sicut loquitur Deus in cantico Moysi: *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus: & ego provocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stultâ irritabo illos.* Nolite ergo effici participes eorum.

Matt. 26. Psal. 2. 11. Apoc. 2. 13. Psal. 31. 9. Rom. 1. 28. Deut. 32. 21.

Sit vobis bonæ imitationis forma & speculum Beati Benedicti Regula, omnesque eam sequantur tamquam magistram, neque ab eâ temerè declinetur à quoquam. Oro itaque vos & obsecro, sit fructuosus devotionis meæ labor, ut quod de vobis agere cœpi, & facere cupio, per primitias hujus bonæ à Deo complacitæ frugis, ad plenam messem pervenire possim divinæ benedictionis & æternæ beatitudinis. Sic operamini, dilectissimi Fratres, & sic vivite, ut in novissimo vitæ hujus die non pereat in vobis misericordia Redemptoris, sed coronet in gratiâ pretium nostræ redemptionis per Jesum-Christum Dominum nostrum.

Ecce jam in præsenti coram Deo & testibus ad vestrum servitium pro animæ meæ remedio, proque prædecessorum atque successorum meorum beatæ remunerationis commercio, de meâ mensulâ unam villam, Oduntem nomine, cum omni banno suo subtraho: & alteram villulam Seciam, quantum inibi in jure meo venit. Itemque apud Romeliacum & Alleicurtem quidquid mihi, parum quidem, ibidem competit, in promerendo jugi suffragio dominæ meæ sanctæ Dei Genitricis Mariæ usibus sibi fideliter servientium Monachorum libens perpetuò habenda offero, & auctoritate quâ debeo vel possum legaliter trado. De patrimonio autem meo, quod in partem mihi cedit, si fratrem meum Godefridum super hoc sancto negotio, Christi adminiculante gratiâ, persuadendo evincere potuero, quidquid in Metensi episcopio habeo, in villis videlicet Bretenaco, Rothilâ, Madrengias ad mansos viginti octo.

Itemque de terrâ quam dicunt Sulcos sancti Remigii, in duobus locis Roscolis & Castello, ad mansos duodecim, ne indigentia vini satis optimi vos coangustet, sublevare curabo. Bervelliacum verò ad tria millia hinc positam, ad faciendam saginam in pastione porcorum vestrorum, cùm omnibus appendiciis, ubi de manibus illis quæ nunc in beneficio tenent aut precario, aut concambio, aut cujuscumque ingenii effectu eripere quivero, usibus vestris (tantùm peccatorum meorum maculas assiduis precibus extergite) libens acquirere instabo. Hanc villam tunc Richardus Comes Metensis ex antiquo in beneficio de Episcopio tamquam jure proprio possidebat, quam bonus ille Præsul sicut promisit, multo sibi adnisu attrahens antequàm vitâ decederet, huic Mosomensi Ecclesiæ jure proprio in reliquo possidendam legaliter contradidit.

Sic Episcopus coram multorum frequentiâ ipsum Abbatem & Fratres alloquens, & ut sui jugiter sanctè & piè vivendo memores essent exorans, in pace dimisit benedicens. Mensis erat November, VII. Idus agebatur dies, quando in hoc loco constituti sunt Fratres, & cum illâ Tingensi Abbatiolâ Mosomense cœnobium nomen habuit & participium, ut cum verbo præpositionis adverbium fieret conjunctionis, servans tenorem prænominis propter mentales affectus conjunctionis. Ab Incarnatione autem Domini nongentesimus septuagesimus primus perlimitabatur annus quando hæc facta sunt, Indictione quintadecimâ, Epactâ vicesimâ secundâ, concurrente sexta, quinquagesimo secundo decemnovennali cyclo, lunari nono decimo. 971.

Post hæc dicta & facta domnus Adalbero secundùm Pastoralis libri sententiam quæ dicit: *Sit Rector internorum curam exteriorum occupatione non minuens*, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens, ne aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus quæ foris debet proximis non impendat: quæ in Palatio erant consilii sui vigore confirmans, quæ in regno erant curanda cavens, magnanimitatis suæ auctoritate præstans, summis & imis idemque unus ædificabat divites cum pauperibus. S.Greg. Past. curæ part. 2. cap. 7. init.

Ergo Natali Domini celebrato, legatos suos Romam cum litteris dirigit ad domnum Joannem Papam, cognomento Albam gallinam, qui à juventutis suæ primis annis reverentiæ competentis, & dignitatis angelicæ albebat canis, magnificentissimâ largitione condignis honorat muneribus, & quæ secum vel in Galliis agantur exponit mandationibus, seque mense Maio habere debere Concilium enarrat per Internuntium: Si quid suæ ordinationis in eo consistere velit, suæ Apostolicæ auctoritatis virum dignum eò mittat. Inde quod magis expostulet super Mosomensis Cœnobii statu, totiusque facti causas ex amussim de omnibus secundùm conceptam bonæ voluntatis suæ justitiam informat, & ut suæ auctoritatis & beati Petri Apostolorum Principis ad internum conservandum mereretur privilegium, humiliter ex Dei gratiâ poscit & implorat beneficium.

Privilegium à Summo Pontif. petit Adalbero.

Papa suorum Officialium & Consacerdotum in

his omnibus sententiale requirit judicium, & per Dei gratiam ut tanto viro, Pontifici videlicet nostro annueret, unum omnium in hoc bono opere assensit consilium. Proinde accito notario, & secundùm Romanæ dignitatis consuetudinem paratis scriptisque ex papyreo tomo chartis, fecit privilegium, constituit decretum, quòd hanc Mosomensem Ecclesiam cum suo Monastico atque Monachico ordine in perpetuum tueretur, quamdiu illum divina clementia servandum disponeret: ac in suo Concilio coram Episcopis, & generali Synodo recitatum misit. Itaque ad se cum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Apocrisiariis regressis etiam responsalibus suis, Præsul Deo dignus Adalbero convocatum undique pro Canonibus religendis, & causis sanctæ Ecclesiæ in melius conciliandis, in pago Tardanensi apud Montem sanctæ MARIÆ collegit mense Maio Concilium. Ubi ordinantis justeque dispositis quæcumque videbantur necessaria & ordinabilia, voti sui pro quo Romam miserat non immemor, coram venerandis Patribus & omni illâ sanctâ Synodo sic exorsus dominus est Adalbero.

Concilium apud Montem sanctæ Mariæ Tardanensis.

Adalberonis Oratio.

Domini Patres ac dilectissimi Fratres audite, quæso, & intendite humilitatis meæ preces; quoniam sicut hîc nos congregavit Spiritus sanctus, ita quidquid ex ejus inspiratione sentimus, per ipsius etiam infusionem & cooperationem administrari per adventum ejus super nos exorantes præoptavimus, & consequuti sumus: unum restat modicum, in quo auctore omnipotente Deo, etiam vestrum expostulo favorem, consilium & benedictionem. Mosomus locus quidam est diœcesis nostræ, consecratus sub titulo & nomine sanctæ Dei Genitricis MARIÆ, olim ab exordio Sanctimonialium congregatione famosus, sed mundi crebrescentibus malis in quo erat statu durare non potuit, postea à fidelibus Clericorum vel Canonicorum jam bis restitutus collectione, dum sua quærunt omnes non quæ JESU-CHRISTI, dilapsis rebus & partim subtractis, penè ad nihilum redactus est. Unde, ut credo, ex inspiratione Dei visum est mihi, Monachorum ordine & disciplinâ secundùm sancti Benedicti Regulam locum illum in melius reformare. Quod & efficiens, domini nostri Romanæ sedis Antistis consilium atque auctoritatem super hoc facto expetens requisivi. Unde ut in præsenti audituri estis, præeunte Christi gratiâ & privilegium auctoritatis suæ nobis transmisit, & decretum constituens sub paginâ Sancti Petri corroboravit, & ausu temerario infringere tentantes anathematis jaculo impetivit, sicut infrà scriptum est.

Privilegium Joannis XIII. Papæ.

» JOANNES Episcopus servus servorum Dei, Carissimo in Domino fratri ADALBERONI, sanctæ » Remensis Ecclesiæ dignissimo Archipræsuli, perpetuam in Domino salutem. Si Ecclesias longè latèque diffusas divino nutu in sanctâ religione crescere cognoscimus, Deo omnipotenti laudibus exultare, gratiasque juges referre debemus. Quapropter cognovimus tuâ industriâ stabilitum in Mosomo castro, quod est super fluvium Mosæ, in veneratione Dei genitricis MARIÆ Monasterium Monachorum religione decussatum, tuisque proprietatibus Ecclesiæque tuæ terris & Ecclesiis dotatum, quod sub paginâ Beati Petri Apostolorum Principis decretique nostri te orante benignè suscepimus. Insuper locellum qui à Stephano viro illustri, atque ejus conjuge Freduide, Thin nomine constitutus, sanctoque Remigio suppositus fuit, quem idem Monasterio Mosomo quia per se ob exiguitatem rerum stare non poterat, contulisti, collatis rebus in recompensatione Beato Remigio, consentientibus Fratribus.

Ut autem cognoscat universa Ecclesia non unanimiter assentire, & à te collata vel conferenda, seu à quibuslibet in terris cultis & incultis, vineis, pratis, Ecclesiis, mancipiis utriusque sexûs, aquis, aquarumque decursibus, in omnibus ad supradictum Monasterium pertinentibus, beati Petri Apostolorum Principis & nostri firmamus decreto, quatenùs sine livore oblatrantium locus quietus & inviolabilis jugiter permaneat.

Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea quæ ab hac nostrâ auctoritate piè & firmiter per hoc nostrum Privilegium disposita sunt, ire tentaverit, vel hæc quæ à nobis ad laudem Dei pro stabilitate jamdicti Monasterii statuta sunt; frangere & in quoquam transgredi: sciat se auctoritate beati Petri, cujus quamquam immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum, & cum diabolo & Juda traditore Domini nostri JESU-CHRISTI æterno incendio concremandum. At verò qui pio intuitu observator in omnibus exstiterit, custodiens nostri Apostolici constituti ad cultum Dei respicientis præceptionem, benedictionis gratiam & delictorum suorum indulgentiam consequatur, & vitæ æternæ particeps efficiatur. Scriptum per manum STEPHANI Scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Aprili.

Data per manus ANDREÆ Episcopi IX. Calendas Maii, Anno pontificatûs domini nostri JOANNIS sanctissimi & tertii decimi Papæ VII. Imperii autem domni OTTONIS Majoris, Augusti undecimo, Junioris verò quinto in mense Aprili, Indictione quintâ decimâ. 971.

Quia igitur domini Apostolici decretum & vidistis & audistis, si placet ut itidem hujus sanctæ Synodi unanimi testimonio & nostræ humilitatis scripto corroboretur, hoc factum decernite. Itaque omnibus sub uno assensum præbentibus, conscriptione factâ sic recitatum est:

ADALBERO divinâ propitiante clementiâ sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Notum fuit universis tam præsentibus quàm etiam futuris fidelibus, quondam nobis Episcopio gratiâ & benignitate Regia contradito, Sanctorum quoque loca quædam in honore integro reperisse plurimùm valentia; quædam verò pristinæ dignitatis statu deficiente prorsùs neglecta. Inter quæ ille etiam Mosomi Cœnobialis locus antiquitatis studio certatim constructus, ab exordio scilicet Sanctimonialium vitæ aptatus, postmodum verò Canonicali ordine ab Herveo prædecessore nostro meliùs informatus, atque in honore sanctæ Dei Genitricis MARIÆ dignè consecratus, sed nefandis usibus utrobique negligenter incultus, rebus quidem partim subtractis, partim verò currentibus malis, sinistræ cessit fortunæ.

Quo igitur comperto mens nostra, adhibito fidelium nostrorum diligenti consilio, liquidò perpendens eumdem locum pro mundi infelicitate in Canonicali ordine utiliter stare non posse, æternorum spe, prout oportunum exstitit, ibidem monasticè religionis vitam ordinato Abbate Leotaldo constituit, ut ejusdem loci cultores religiosi tam rebus delegatis, quàm etiam fortè delegandis utentes, continua vota Deo solventes, sint & pro nobis & pro posteris nostris cæterisque ordinibus jugiter exorantes. Quocircà paternitatem loco nostri vestri subrogandorum in illâ charitate Dei enixiùs imploramus, quo sub divini amoris respectu hujus rei gestæ conducibili negotio consentaneæ pietatis faveant zelo, idque liberalis auxilii indeficienti base dignentur temporum curriculis consolari atque

» fulcire, ut ex eo gratiam Dei feliciter adipiscentes, » hujus præstantioris emolumenti mereantur fore » consortes. Sed & hoc ex decretis sanctorum Pa- » trum sub auctoritate pastorali omnimodis inhibe- » mus, imò etiam cum divini nominis obtestatione » omninò interdicimus, ne unquam hujusmodi sta- » tutum quâlibet temeritate ab ullo nostri Ordinis » violetur; quin potiùs in reliquum stabile & incon- » cussum jure perpetuo idipsum venerabiliter con- » servetur. Nam si per laïcos in rem hanc injuria » invehatur, in eos procul dubio excommunicatio- » nis jaculum cum anathemate intorqueatur.

» ANNO [a] igitur ab Incarnatione Domini JESU- » CHRISTI DCCCCLXXIII. provinciali Synodo men- » se Maio constitutâ, generaliter congregatâ apud » Montem sanctæ MARIÆ in pago Tardanensi, hoc » Decretum solemniter recitatum est coram vene- » randis Episcopis, Abbatibus, cæterisque fidelibus, » huic nostræ institutioni pio assensu faventibus, » imò etiam collaudantibus atque confirmantibus: » quorum videlicet primus ego ADALBERO jam præ- » scriptus Archipræsul eidem Concilio Deo auctore » Pontificali auctoritate præsidens, manu nostrâ sub- » scribens, idem roboravi; sed & cæteri haud secùs » censuerunt manibus impositis solidari hoc ipsum » Pontificale statutum, Apostolicæ auctoritatis pri- » vilegio petitionis nostræ obtentu undecumque sub- » nixum, ac per hoc summo honori omnibus reve- » renter habendum.

» Ego ADALBERO sanctæ Remensis Ecclesiæ Ar- chipræsul subscripsi & corroboravi.
» Ego WIDO Suessionensis Ecclesiæ Episcopus.
» Ego HILDRICUS Belvacensis Ecclesiæ Episco- pus.
» Ego THEBALDUS Ambianensis Episcopus.
» Ego HAIDULFUS Noviomensis Episcopus.
» Ego THEUDO Cameracensis Episcopus.
» Ego ADALBERO Laudunensis Episcopus.
» Ego GIPUINUS Catalaunensis Episcopus.
» Ego CONSTANTINUS Silvanectensis Episcopus.
» Ego LIUDULFUS Tarvanensis Episcopus.
» Signum ALBERTI Remensis Archidiaconi.
» LEUDONIS Archidiaconi.
» THEBALDI Archidiaconi.
» ERLUINI Archidiaconi.
» HUGONIS Archidiaconi.
» GERANNI Archidiaconi.
» ROGERI Archidiaconi.
» EMMONIS Archidiaconi.
» Signum RODULFI Abbatis sancti Remigii.
» ODELEI Abbatis sancti Medardi.
» RATOLDI Abbatis Corbeïensis.
» BERLANDI Abbatis sancti Vincentii.
» AUZONIS Abbatis sancti Basoli.

Postquàm hæc acta sunt, beatæ memoriæ Præsul Adalbero datâ benedictione solvit Concilium, cum pace & gratiâ, redeuntibus singulis ad propria. Nec minùs interea, quamquam in diversa traheretur, & regni negotia cum reliquis præcipuus administraret, curabat quæ cœperat. Sed consimili studio aggreditur sancti Theodorici locum de laïcali ordine abstrahere, & Presbyterorum qui coadunati non multum religiosè locum tenebant collectione Monasterium vacuare, atque ut olim sub beato Remigio sanctoque Theodorico, multoque post eos tempore steterat, Abbatis & Monachorum ordine & sanctâ conversatione reformare.

Coadunatis etiam rebus & fundis quæ olim juris fuerunt prædicti loci, & etiam Atteias de suâ mensâ subtrahens, in Veromandensi territorio optimi cespitis contulit villam, ad legumen & saginam, triticum quoque; quale melius illa procreat terra, mensæ Fratrum per totum annum sufficiens. Inde ad Remensem suæ sedis Canonicam intendens animum, quales invenerit, quales reddiderit, quàm rusticos & pauperes ac singulariter suis domibus vivere consuetos, quàm religiosos, quàm divites, ornatissimos, quàm communiter & claustraliter vivere docuerit, & monendo instituerit: beneficia parando, largiendo; res suas de manu potentiorum hortando, suadendo, terrendo, serviendo, redimendo: & spe semper ad meliora tendens, Ecclesiæ quam regebat restituendo, non est meum dicere, cum situs Remensis Claustri satis ista prædicet, communis etiam adhuc mensa Fratrum idipsum testetur: & vix præ magnitudine & nobilitate quæ tunc fuerat, pauca vestigia illius rigidi ac canonici ordinis hodieque subsistant.

Quæ si ut singula quæque relatu digna sunt dicere tentarem, nec verba quibusdam fidem facerent, neque hi qui ea acciperent, cum jam ex parte maximâ dilapsa sint, ita tenùs facta vera dicta judicarent. Quid sancti Dionysii Ecclesiam, quam vir Deo devotus extrà mutos urbis pro foribus majoris Ecclesiæ sanctæ Dei Genitricis MARIÆ instituit, ut ostio contrà ostium posito quando Sacerdos ad sacra Missarum solemnia ad Orientem versùs adstaret, Sacerdotem principalis Ecclesiæ semper in intuitu haberet, atque quidquid iste supplicans orando præmitteret; ille subsequens, præmissa offerendo firmaret, quatinùs isti de his quæ præoccubuerant cresceret devotio, & ille anteriora intendens & sanctificationibus securus adstans, Angelum fortem & ad defendendum paratissimum atque armatum haberet à tergo. Cum verò ille populum salutans & Occidentem respiciens, *Dominus vobiscum* diceret, istum altrinsecùs positum Sacerdotem cum omnibus circumadstantibus divini nominis invocatione & virtute in precando benediceret. Singulis ergo quasi generaliter omnibus providens, omnibus quasi specialiter singulis vacans, nec cœpta deserebat, nec ab incœptando dietim quæ cura pastoris expetebat, alicujus eorum defatigatus labore, intentus & semper novus ullatenùs deficiebat.

Mosomensem itaque matriculam sæpe per se revisens, sæpe per internuntios commoneficiens, piis eleemosynarum suarum largitionibus instanter educans, Ecclesiolis, altariis, prout in manu suâ veniebant, victualia Fratrum ordinabat. Claustri officinas ut spoponderat, quas & nos ex parte plurimâ vidimus, de suo sumptu plenè ac largiter ædificabat. In omnibus igitur quæcumque locus hic possidebat, sed maximè in illis quæ vel ipse jam contulerat; vel à se vel à fratre suo conferenda de suo patrimonio repromiserat, & ipse fidelis defensor erat. Et quia Ecclesia semper pro justo Advocato contrà malignantes opus habet, nullum fideliorem firmioremquè æstimans, eumdem fratrem suum omnemque suum successorem absque aliquo pacto dationis & acceptionis, vel consuetudinis, nec in quarto nec in quinto, vel ipsi vel his quibus sub se committeret, per manum Regiam, perque auctoritatem suam Advocatum pro remedio animæ suæ constituit, ut hoc principale eis & votivum esset, ut quomodo ipsi hanc Ecclesiam tractarent, sic & pro eorum animabus beatæ semper virginis Dei genitricis MARIÆ oratio ad Deum fieret. Et licet in aliquibus fundis nostris Advocati nostri & fredum dum teneant, & consue- (Ætas Auctoris.)

a *Anno*] Rectè quidem hoc loco, sed in Appendice ad Flodoardum à Sirmondo editâ, pag. 403. refertur hæc Synodus ad annum 983.

tudines quærant, ut in Portuensi videlicet Comitivâ domni Gonhardi, qui tunc ibi Præpositus erat, & Monachorum Placitoniis; qui novos sibi hodie Advocatos attrahunt, insolentiâ & levitate & fit & factum est. Ita ergo administrato præsulatûs sui officio per plenum decemnovennalis Cycli ambitum, fide & operibus benè consummatus, suis sequacibus bonæ æmulationis relinquens exempla, x. Calendas Februarii ad æterna bonorum præmia, ubi beatâ spe tendebat, vinculis carnis absolutus admissus est cum Sanctis in gloriâ. Quia debitum hic liber poscit finem, quæ dicenda restant sequentis paginæ explebit volumen.

TERTIUS iste Tomus sequitur, qui continet hujus
Ecclesiæ Abbates, successio quos moriendi
Denuò restituit, regimen, nomenque novavit.

I. Abbas Mosomensis Lietaldus. ITaque, ut præmissum est, loci hujus in Monachico ordine à domno piæ memoriæ ADALBERONE primus Abbas institutus est D. LIETALDUS, priori conversatione Clericus, posteriori Conversus & Monachus. Igitur domnus ADALBERO Præsul Deo dignus, rebus supradictis feliciter fideliterque constitutis, veniente suæ vitæ termino obiit in pace x. Calend. Februarii: cui eodem anno successit in Episcopatu ARNULFUS. Abbas verò supradictus Lietaldus supervivens ei octo annis, obiit anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo septimo, XIII. Calend. Julii.

997.

II. Abbas Boso. Et tertio Calendas ejusdem mensis ab Arnulfo Remorum Archiepiscopo substitutus, & ordinatus est eidem loco Boso Abbas secundus. Hic auxiliante Deo & meritis sanctæ Dei Genitricis MARIÆ Ecclesiam ampliavit: altare de loco ubi erat removit, & in quo nunc est posuit, & per manus Archiepiscopi Arnulfi dedicari fecit, regnante Roberto Rege Francorum, anno Dominicæ Incarnationis
999. nongentesimo nonagesimo nono, ordinationis suæ secundo, XIV. Cal. Julii. Videns autem idem Archiepiscopus hujus Abbatis Bosonis ad ipsum locum fidelem devotionem, credensque sibi ad salutem animæ pervenire, largiri cœpit quædam quæ loco
1015. necessaria erant. Anno enim Dominicæ Incarnationis millesimo quinto decimo, per deprecationem illius Abbatis Bosonis, & aliorum Dei fidelium, ob susceptionem peregrinorum & pauperum donavit ad illum locum quartas omnium Ecclesiarum quæ ad ipsum pertinebant locum, & decimam porcorum quos prædicti loci Abbas vel Fratres mitterent in Ardennam sylvam saginandi gratia: & dedit piscationem Cari fluminis secùs Duziacum decurrentis usque ad Mosam, & dedit bannum & districtionem omnium hominum vel feminarum, ad præfatam Ecclesiam de capite pertinentium, in Mosomo vel Flaverio manentium, vel deinceps mansurorum. Et dedit altare de Colredo in territorio Remensi, & duas tunicas subdiaconales. Hæc sunt, quæ huic
1021. Ecclesiæ per eum provenerunt. Obiit autem anno Dominicæ Incarnationis millesimo vigesimo primo, tertio Nonas Martii.

Cui successit EBALUS Archiepiscopus. Ipse reddidit Ecclesiam de Dulciot sanctæ MARIÆ de Mosomo & Fratribus. Boso verò prædictus Abbas post præfatam Ecclesiæ dedicationem, murum in circuitu Monasterii construxit, & ante portam Destrés duo molendina quæ ibi sunt statuit super terram sanctæ MARIÆ, & horrea fieri fecit cum muro Ecclesiæ. Ejus tempore furtim sublata est tabula altaris de argento, & una crux de auro quam dedit Adelaidis Comitissa, cum duabus aliis de argento: & ipse Abbas alteram fabricari fecit de auro, quod ei Henricus Imperator donavit, & de calice aureo quem Dada de Ritannia dedit ad locum cum dorsali maximo, & aliis sacerdotalibus vestimentis. Fecit etiam fabricari thecam argenteam de multis spontaneisque collationibus & donariis pauperum fidelium, in quam translatum est de scrinio ligneo corpus sancti Victoris Martyris præsente Ebalo Archiepiscopo, & plurimis Francorum Nobilibus, cum dignâ reverentiâ Cleri & populi, millesimo vigesimo quinto 1025.
anno Dominicæ Incarnationis. Et sequenti anno obiit ipse Abbas Boso x. Calend. Julii.

Cujus successor exstitit JOANNES Abbas tertius, III. Abbas Joannes.
qui & ipse pro viribus & ante Abbatiam & post devotâ intentione fidelis fuit Ecclesiæ. Ipse enim inter chorum & turrim inalbavit parietes Ecclesiæ. Obiit autem anno MXXXI. 1031.

Quo defuncto & legatione pro instituendo Abbate ad Archiepiscopum EBALUM delegatâ, ipse Gandavo litteras suas misit, & inde domnum Abbatem ROTULFUM, Mosomensis Cœnobii Monachum, sed cum benedictione & licentiâ prædicti Abbatis sui Joannis commorantem apud domnum Abbatem RICHARDUM, sanctum omninò virum religionis gratiâ, Remis devenire fecit, & Abbatem ordinans Calendis Octobris festo sancti Remigii spirituali sanctificatione consignavit, millesimo trigesimo primo. Ebalus autem obiit anno millesimo trigesimo tertio. Cui successit WIDO Archiepiscopus. 1033.

Quæ sequuntur addita videntur præfato Mosomensi Chronico. Ex apographo And. Duchesnii: in nostro enim non exstant.

ANNO Domini nostri JESU-CHRISTI DCCCCLXIX. Hoc anno ordinatus est Adalbero Remorum Archipræsul. In secundo anno ordinationis suæ, id est, DCCCCLXX. ab Incarnatione Domini, venit sanctus ARNULFUS ad hanc Mosomensem Ecclesiam. Et in tertio ordinationis suæ anno, id est, DCCCCLXXI. ab Incarnatione Domini, VIII. Idus Novembris adduxit domnum LIETALDUM Abbatem cum suis Monachis, de loco qui vocatur Thin, quem construxit Freduidis Deo devota, & constituit eos in hoc Cœnobio, & dedit nobis idem Adalbero suum alodium, videlicet Marengias, Rotelan, Bertenacum, & Castellum, Roseolas, & Seciam, Berviliacum, & Odunt, Remiliacum magnum & parvum, & Arlicourt, & Puiron, & multa alia bona nobis dedit.

Anno Dominicæ Incarnationis MLXV. Indictione III. regnante Philippo Rege Francorum adolescente, anno regni ejus VI. Pontificante Gervasio Remorum Archiepiscopo, anno sui Archiepiscopatûs X. Domno Abbate Bernero, cæterisque sanctæ Mosomensis Ecclesiæ Fratribus cum summâ devotione facientibus, præsente domno Hugone S. R. E. Cardinali, per manus ejus elevatum est corpus sancti Arnulfi Martyris de thecâ priori, & cum devotis laudibus & hymnis repositum est in aliam, sub die IX. Calendarum Augusti, præsente ibi ipso repositionis die plurimâ utriusque sexûs & ordinis multitudine, altisonis vocibus Christi gloriam collaudante.

Anno Domini MCXX. Calixtus Papa cum Cardinalibus Romanis, & totius Galliæ, Angliæ, Hispaniæ, Scotiæque Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & Clericis, necnon & Principibus Franciæ, Mosomi venit habiturus colloquium cum Imperatore Henrico V. Cischenensi, qui & ipse cum Magnatibus totius Imperii sui ad idem colloquium veniens, apud Bevreliacum villam sanctæ Mariæ Mo-

somensis cum omni exercitu resedit IX. Calend. Novembris.

Anno Domini MCLVIII. Ascalona civitas à Christianis Deo præside capta est. Eodem anno bellum inter SAMSONEM Archiepiscopum Remensem & GUISCARDUM Comitem de Roceio.

Anno Domini MCCXII. factum est incendium Abbatiæ Mosomensis, & cum eâdem Abbatiâ incensa est maxima pars castri Mosomensis, videlicet à molendinis ejusdem villæ usque ad pontem.



MONITUM.

EX amplissimis Collectionibus illustriss. viri D. Michaëlis de Marolles Abbatis Villæ-Lupæ, Historiam Prælatorum & possessionum Monasterii de Fontanis Congregationis Cisterciensis, selegimus ac describi curavimus. Is enim pietate & eruditione præstantissimus Abbas Collectiones illas, ad historiam Turonensis Diœcesis texendam à se paratas, perlibenter ac singulari benevolentiâ nobis communicavit. Auctor historiæ Fontanensis Peregrinus, ejusdem Cœnobii Abbas VII. *initium, fundationem, conditores & progressus ad usque sua tempora haud ineruditè descripsit, ac tandem chartas diversas, tamquam probationes eorum quæ in medium attulit, subjicere non prætermisit.*

HISTORIA PRÆLATORUM, ET POSSESSIONUM ECCLESIÆ B. MARIÆ DE FONTANIS

à PEREGRINO ejusdem Ecclesiæ Abbate.

PRÆFATIO AUCTORIS.

CUNCTIS Fidelibus quos ad inhabitandum istud Cœnobium à Solis ortu & occasu, ab Aquilone & mari divina inspiratio convocabit, cunctisque quos hîc in unum congregabit Christus ad glorificandum seipsum, frater PEREGRINUS septimus sed semper indignus Abbas de Fontanis, præveniri à Domino in benedictionibus dulcedinis, crescere & multiplicare vos faciat Deus sicut arenam maris.

CAPUT PRIMUM.

1. DE creatione hujus Abbatiæ, Fratres carissimi, historiam tenere decreveram, sed timeo ne fortè præsumptioni & vanæ gloriæ reputetur, non mercedi; siquidem [quod] prædecessores nostri per inscitiam, aut negligentiam, seu etiam per occupationem rei familiaris diutiùs omiserant, nimis promptulus attentabo. Igitur locus iste ab antiquo Fontanas nomen accepit, propter fontes qui in hac valle copiosi videbantur. Erat autem locus iste nemorosus ex omni parte, & valde periculosus propter latronum frequentiam.

Etymon loci Abbatiæ de Fontanis.

CAPUT II.

1. CUm autem placuit illi, *qui vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt*, ut *ubi abundavit malitia, superabundaret & gratia* & ut glorificaret nomen suum ibi, misit servum suum GAUFRIDUM primum Eremitam ad inhabitandum locum istum; dedit ei etiam socium GAUFRIDUM Bullonum, qui ambo nati erant de Monte Leonis; adjuncti sunt eis WILLELMUS quidam vir religiosus, & LAMBERTUS quidam Miles Flandrensis, qui dicebatur Magnus respectu cujusdam socii eorum qui dicebatur minor LAMBERTUS. Fuerunt & alii plurimi ex quibus fuit GIRALDUS de Locumniâ, & HERVEUS de Galardone, & DAVID Laïcus, qui fuit satis utilis in agriculturâ. Fuit & inter eos ASCELINUS Presbyter vir admodum religiosus.

Rom. 4. 17. & 5. 20.

Primi qui hanc Abbatiam inhabitarunt.

2. Septem verò ex istis sociis Domini Gaufridi primi Eremitæ, Monachi facti à primâ institutione Abbatiæ, vixerunt usque ad tempora Domini Roberti de Fossello, qui in diebus eorum puerulus susceptus in Cœnobio isto, & nutritus ab eis per quatuordecim aut quindecim annos sub manu Theobaldi tertii Abbatis, usque ad tempus Domni Willelmi, qui Infirmitorium nostrum per triginta & eo ampliùs annos procuravit.

CAPUT III.

1. IGitur ex ore eorum Roberti scilicet de Fossello & Willelmi Infirmarii nostri didici quæ successionis nostræ memoriæ fideliter commendare suscepi. Illud pro certo tenete, quòd habitatores hujus loci fuerunt prædicti Eremitæ primi, & plures ex eorum Fratribus quos enumerare longum duximus. Hoc iterum noverit vestra Fraternitas, quòd in hoc loco primam mansionem non habuerunt, sed elegerunt sibi locum habitationis juxtà Pontem Rune in terrâ petrosâ, quæ supereminet huic Abbatiæ. Exiit autem sermo inter fratres quòd locus ille non satis esset aptus ad permanendum, & de communi consilio transtulerunt se cum suis omnibus ad locum

Auctor à quibus didicerit quæ scripsit.

istum quo nunc orantes degimus. Inter cætera verò ædificia quæ hic construxerunt, ædificaverunt Capellam ligneam multæ pulchritudinis in honore sanctæ MARIÆ Magdalenæ, ad cujus solemnitatem singulis annis ex vicinis locis confluebat non modica multitudo & fiebat lætitia magna in populo.

CAPUT IV.

Willelmus Jerosolimam petit.

1. Accidit in illo tempore quoddam dignum solemni recordatione: nam Willelmus ille Clericus, cujus superiùs mentionem fecimus, inspiratione divinâ tactus amore cordis intrinsecùs, petivit licentiam à Domino Gaufrido & à Turonensi Archiepiscopo eundi Hierosolymam, & sicut petiit habuit; & abiit. Quando venit ergo sacri celebratio Sabbati Paschæ, accessit cum cæteris fidelibus ad Sepulcrum Domini volens interesse consueto miraculo, quo datus ignis divinitùs illâ die præsentes solebat omni anno lætificare; & cunctis videntibus qui aderant & præ gaudio mirantibus, cereus ejus divinâ virtute ardens & lucens apparuit. Inquisitus autem à Majoribus quis esset, & unde advenisset, confessus est & non negavit se esse de Galliâ, & huc advenisse à Turoniâ, & quòd esset de Fontanis Eremita. Quia verò nuper obierat Patriarcha & adhuc vacabat sedes illa, tanto miraculo commoti Clerus & populus unanimi concordiâ eum in Patriarcham protinùs elegerunt. Quo audito Fratres de Fontanis gavisi sunt gaudio magno valde, & laudaverunt Deum qui facit mirabilia magna solus.

Solitum miraculum de cereo divinitùs accenso.

Willelmus fit Patriarcha.

CAPUT V.

Lambertus Magnus iter Jerosolym. aggreditur, visendi causâ Patriarcham.

1. Post hæc prædictus Lambertus Magnus ad Magistrum Gaufridum benedictionem petens accessit, quâ receptâ recessit, & causâ visendi sancta loca adiit Hierosolymam cum desiderio videndi Domnum Willelmum Patriarcham: quo cum pervenisset, & eum sanum & incolumem reperisset, salutantes se mutuo, & in oscula ruentes flentesque præ gaudio pariter consederunt. Tunc venerabilis Patriarcha pro labore itineris & periculis maris priùs fratri Lamberto compatiens, festinans inquisivit dicens: Adhucne vivit Pater noster senior ille qui præerat domui nostræ? Et sigillatim de cunctis Fratribus interrogans, reverenter ei respondit frater Lambertus. Et post hæc hilariter ministris suis jussit omnem humanitatem illi exhibere non solùm illâ nocte, sed quàm diutiùs frater Lambertus mansit in Jerosolymitanâ civitate.

2. Adveniente verò tempore quo naucleros & nautas ad mare solet aura secundior revocare, & repatriantes peregrini cum multâ festinatione solent panem & aquam, & cætera ad usus proprios necessaria ad portum coadunare, didicit religiosus Patriarcha, quòd frater Lambertus in illâ patriâ disponeret diutiùs permanere: quem cum advocasset, & seorsùm & privatim tenuisset, cœpit cum eo multâ gravitate & pietatis affectione de loco isto sermocinari. » Misereor inquiens super locum nostrum, quia nostri Fratres ibi manentes, & pro » nobis orantes sine intermissione, suspensi quo» tidie se sperant a nobis literis aut nuntio seu quo» cumque beneficio jamjamque visitari. Unde te, » Frater carissime, oportet incunctanter remeare, » quia ad ipsos habeo secreta quæ perferas; « & aperto thesauro suo protulit phylacterium parvum argenteum in modum crucis, dicens: Frater mi, ecce lignum crucis in quo salus mundi pependit, & procidentes adoraverunt illud. Rursumque protulit tabulas ligneas plenas Reliquiarum, in quibus erat lapis insertus & mirificè sculptus, monstrans qualiter mulieres venerunt ad monumentum cum aromatibus, & qualiter digito monstrat eis Angelus, ac si diceret: *Ecce locus: jam non est hic, sed surrexit Dominus*. Monstratur & ibi non parva partio Dominici Sepulcri, cui supereminet signum Dominicæ Crucis ligneum, satis honestè locatum: in quarum circuitu maxima continetur multitudo Reliquiarum, quas præ multitudine non sum ausus numerare. Tradidit & altare suum proprium in quo celebrare consueverat quod usque hodie apud nos est candore & decore nimio cernentibus satis acceptum.

Reliquias Patriarcha confert Lamberto ut eas ad Fontanenses deferat.

3. Protulit & casulam pretiosam & purpuream cum cæteris ornamentis sacerdotalibus, dicens: Hæc sunt, Frater carissime, quibus Deo dispo« nente & te deferente sanctum locum de Fontanis « decrevimus adornare, quò cum perveneris, & « Fratribus nostris obtuleris, Deo teste, & me tibi « asserente jurejurando fideliter affirmare poteris, « quòd sicubi in partibus istis aliqua portio Domi« nici ligni remansit, prout veriùs & meliùs cer« tiusque cognoscere potui, privatim & publicè in« vestigare non omisi: quod cum reperissem, pe« nitusque certus fuissem, cum timore & tremore, « cum honore & amore usque hodie mecum as« suevi deportare. Nunc ergo tibi mando & præ« cipio ut per mare & per terram quocumque per« veneris, his sanctis Reliquiis, & maximè illi par« vulo phylacterio quod continet lignum Domi« nicæ Crucis, reverentiam & honorem prout me« liùs potueris, exhibere non omittas: & cum ad « Fratres nostros Deo volente redieris, vide ut quod « de sanctis Reliquiis me attestante discis, illis fi« deliter affirmes, asseras, inculces, & exponas. « Nec tibi durum videatur, quòd à me tam citò « recedere permitto; neque dicas apud te, quòd « per alium nuntium satis possem ista transmittere; « non enim hæc tam parvipendo ut ea traderem « cuiquam sæculari aut laico, nec etiam minùs fi« deli nuntio. «

Ornamenta quoque Sacerdotalia.

De veritate Reliquiarum testatur Patriarcha.

4. Quo finito consilio, convocatisque in unum sociis Domini Lamberti, inter quos præcipuus erat vir genere & nobilitate insignis, qui dicebatur vulgò filius Evraldi Senior de Codrilleto, quod est in Ambasiensi territorio, injunxit eis, ut in partibus istis testimonium perhiberent veritati super his Reliquiis, quas Frater Lambertus asportabat ab Hierosolymis: injunxit etiam illis ut honorem & amorem huic loco conservarent.

5. Quo sermone finito, & post celebratum convivium, hymno dicto privatim convocans Fratrem Lambertum, expensas ei tradidit in præsenti, prout in viâ ejus credidit competere necessitati. Et rursùm coram cunctis exiens Domnum Lambertum sociosque ejus sigillatim deosculans, elevatâ manu cunctos benedixit, imprecans eis prosperitatem hujus viæ & vitæ in portum salutis æternæ. Qui vale facientes ei, recesserunt ab eo gaudentes & exultantes super his omnibus quæ audierant & viderant. Et sic Domnus Lambertus felici navigio, cursu prospero rediit ad propria, secum deferens omnia quæ illi tradiderat venerandus Patriarcha.

Lambertus cum sociis patriam repetit.

6. Fratres verò de Fontanis valde consolati sunt in adventu Domini Lamberti, & susceptis tantis pignoribus & tanti viri salutationibus benedixerunt Deum, qui visitavit & fecit misericordiam cum illis.

CAPUT VI.

Ut eligerent Regulam Gaufridus deprecatur Fontanenses.

1. Post hæc cœperunt frequentiùs sollicitare & convenire Magistrum Gaufridum, ut se & suum locum transferrent ad aliquem Ordinum; qui non respondebat eis verbum. Ægrotavit verò Ma-

gister Gaufridus, & erat languor ille fortissimus. Accedentes autem Fratres ejus ad eum, dixerunt: Dispone domui tuæ, quia timemus ne fortè moriaris, & ampliùs non vivas. Si tibi displicent isti Monachi nigri de Bonavalle qui juxtà nos habitant, an hi qui sunt Majoris Monasterii ex alterâ parte? Si Canonicos Regulares non acceptas, si tibi placet mittamus usque Savigneum, quod est celebre Monasterium, de quo jam plurima processêre Monasteria, ex quibus Abbates conveniunt ad Capitulum, & floret ibi Ordo, & eorum ubique redolet dulcis opinio. Quibus ille ait: si vultis mittere, mittite: & rapuerunt verbum de ore ejus. Mittentesque festinanter, adduxerunt Dominum Gaufridum Abbatem Savigniensem, & Domnum Hildebertum Archiepiscopum Turonensem. Affuit etiam dominus Raginaudus de Castello, ad cujus dominium locus iste pertinebat. Omnes igitur in unum congregati Dominum collaudantes, statuerunt locum istum de cætero esse Abbatiam. Et ipsâ die Archiepiscopus Turonensis benedixit in Monachos duodecim ex Eremitis; benedixit etiam in Abbatem Domnum Odonem Monachum de Savigniaco, quem ad hoc secum adduxerat Gaufridus prædictus Abbas Saviniacensis. Et sic anno Verbi Incarnati MCXXXIV. tertio Idus Novembris fundata est Abbatia de Fontanis.

Petunt Saviniacensis Monasterii, institutum.

Monasterium de Fontanis fit Abbatia.

Primus Abbas Odo Saviniac. Monachus.

1134. Fundata Abbatia Fontanensis.

2. Illi verò qui supervenerant omnibus ritè celebratis, cunctisque dispositis remeantes ad propria, imperati sunt remanentibus præsenti prosperitate gaudere & futurâ. Magister verò Gaufridus, & Domnus Gaufridus Bullonus, & Ascelinus Presbyter, & plures alii, quos nominare nescimus, recusaverunt se in Monachos benedici. Quibus Monachi concesserunt quocumque vellent ire, & de rebus Monasterii quidquid vellent sive in possessionibus sive in quibuslibet rebus quamdiù viverent, possidere.

Plures Eremitæ primævi à Fontanis recesserunt.

3. Recessit igitur Magister Gaufridus, & habitavit in forestâ ultrà fluvium qui dicitur Cherius, in loco qui dicitur Aqua-viva, ubi nunc est Canonicorum Regularium Abbatia. Unde & quo veniebat certum non comperimus, sed apud Castellum qui dicitur Montricardus invenit eum ultima dies & hora. Et detulerunt eum & sepelierunt in Cæmeterio prædictæ Abbatiæ, talemque vir Dei sortitus est exitum vitæ. Ascelinus verò Presbyter cum alio Gaufrido, in loco qui dicitur Lauda habitavit, & obiit, & sepulturam habuit. Domnus verò Gaufridus, cognomine Bullonus circà suum finem ad nostrum Monasterium se cum suis omnibus transtulit, & in Claustro Monachorum Deo volente sepulturam promeruit. Et hic finis Eremitarum.

Magister Gaufridus; Ascelinus, & Gaufridus Bullon.

CAPUT VII.

Primus Abbas Odo.

MOnachorum verò tenentes historiam, revertamur ad Domnum ODONEM primum Abbatem, qui postquàm rediit ad mentem, expavit paupertatem; nihil enim ei dimiserant prædicti Eremitæ præter sedem Abbatiæ, & hujus terræ petrosæ quantum quatuor boves poterant laborare, sed conversus ad Dominum de cælo petebat auxilium. Misit ergo Deus misericordiam suam, & liberavit eum à pusillanimitate spiritûs, & tempestate sæcularium actionum. Diebus autem suis completis obdormivit in Domino, cujus sepultura à nobis quotidie cernitur in Capitulo.

CAPUT VIII.

II. Abbas Gilbertus.

HUic successit Domnus GILBERTUS Savigniensis Monachus, ex cujus Monachis ego tres vidi & cum eis conversatus sum multis diebus: ex quibus unus dicebatur Hugo de Brandellis, qui fuit Abbas de Buxeriâ; alter Domnus Alexander, qui postea fuit noster Abbas de Fontanis: tertius Omundus vir antiquus dierum, & ætate longiori decrepitus. Horum igitur relatu multa novi quæ scribenda proposui. Prædictus verò Gilbertus prædictam paupertatem reperiens aliquantulum sustinuit, quærens qui adjuvaret & consolaretur, & non inveniens abiit, & obiit in domo Savigniensi.

Ætas Auctoris.

CAPUT IX.

1144. De Serlone Saviniacensi Abbate.

1. IN diebus illis præerat in domo Savigniensi vir Venerandus nomine SERLO, valde litteratus, & cujus eloquium audientibus erat acceptabile super mel & favum. Hic igitur cum esset justus, & paulatim cœpisset intelligere quòd quidam Coabbatum suorum de subjectione Savigniensi sua colla molirentur excutere, ac tardiùs & tepidiùs quàm solebant ad Capitulum venirent, divino fultus consilio & auxilio, impetratâ licentia & auctoritate summi Pontificis suum Monasterium cum cæteris omnibus ad illud pertinentibus Ordini Cisterciensi contradidit, & subjecit in manu Bernardi Abbatis Clarevallensis, vitæ cujus & Religionis auctoritas ubique redolebat. Erat enim vir potens in opere & sermone coram Deo & omni populo, qui continuò dedit Abbatiæ Savigniensi in Priorem & eruditorem Ordinis Cisterciensis virum Venerabilem, nomine Theobaldum, qui cum esset sancti Dionysii Monachus & Infirmarius, & fortè vidisset S. Bernardum, relictis omnibus sequutus est eum. Erat autem iste Theobaldus nobilis genere, & de Pertico natus.

Subjicit Saviniacum Ordini Cisterciensi.

2. Illud autem volumus successorum nostrorum memoriæ commendare, quod quamdiù domus Savigniensis subjecta non fuit Ordini Cisterciensi, locus iste dicatus erat in honore S. Mariæ Magdalenæ, & ex quo se subjecit, sicut habetur, Cisterciensis ordo dicatus est in honore B. MARIÆ Virginis, cujus vita inclita cunctas illustrat Ecclesias.

3. Cum autem prædictus THEOBALDUS Savigneium pervenisset, & Fratris illius Cœnobii Ordinem Cisterciensem sufficienter erudisset; post D. GILBERTUM dederunt illum nobis in Abbatem. Qui postquàm locum istum regendum suscepit, recordatus sancti Dionysii divitias, & illius Clarevallensis Ecclesiæ multitudines copiosas, nec non & Savigniensis Cœnobii sufficientes expensas, non minus quàm cæteri paupertatem extimuit, sed quia corde mitis erat, erat & hilari vultu, jocundus aspectu, eloquio facundus, jocosus in sermone, coram cunctis intrans & exiens gratus erat & amabilis valde, Prælati & Principes, Senatus & Judices, Principatus & Comites venerabantur eum: & quia talis erat, conferebant, inferebant & offerebant auxilium & consilium: & ita divino fultus auxilio & humano beneficio, gubernavit hunc locum usque ad vicesimum annum secundum.

III. Abbas Theobaldus.

Commendatur.

CAPUT X.

1. ANno autem vigesimo primo ejus Prælationis, obiit longè prædictus Lambertus parvus, qui unus ex Eremitis, & ex primis Monachis benedictis, anno vigesimo secundo me suscepit in Novitium, & post me non suscepit alium. Nam circà festivitatem Omnium Sanctorum pergens Savinegium, fessus labore, & rupturam habens in corpore, solutionem petiit & impetravit, deinde per nos veniens abiit Claramvallem. Post non multum verò temporis Clarevallenses dederunt eum in Abbatem Monachis Castellionis, quod est nomen cujusdam Abbatiæ in Lotherii Regno. Et quia incolæ illius patriæ pessimi sunt, & Dei hominem malè tractave-

Eo tempore Peregrinus, qui hæc scribit, Monachum induit.

runt, vix secundum annum ibi peragens, dimissis illis reversus est Claramvallem. Postea verò tempore Domni ROBERTI prædecessoris mei ad nos rediit, & in pace quietè multos annos implevit.

2. Accidit verò quod Alicia filia Lodovici pii Regis, uxor Theobaldi Junioris Comitis Blesensis, proxima partui apud Castrumdunum, timensque periculum mittens accersivit eum. Erat & ibi Gaufridus Abbas de Gastinetâ cum eo. Et factum est cum essent ibi, completi sunt dies ut migraret [a] à sæculo. Qui post lacrymabilem & devotam confessionem, post sancti liquoris unctionem, & sanctam Communionem, lætus & devotus, & plenus dierum migravit ad Dominum: quod audiens prædicta Comitissa vehementer indoluit, & cum honore debito ad nos usque deferri præcepit. Cujus corpusculum nos mœsti suscipientes, post celebratum Officium ante portam Oratorii sepelivimus eum in medio Claustri.

CAPUT XI.

IV. Abbas Herbertus.

1. CUi successit Domnus HERBERTUS Prior de Claromonte, vir benè litteratus & valde Scholasticus, nobilis genere, & natus de Vovreio, qui locus est in territorio Castrilidi. Erat autem vir bonus & religiosus, aliquantulum tamen impetuosus & onerosus, sed unde hoc inerat illi diffinire non audeo, an ex fervore Religionis, seu ex naturali motu complexionis: illud autem benè recolo, quòd ex ejus moribus ejusque sermonibus multum ædificatus remansi. Duabus enim de causis post duos annos à nobis recessit, primam puto, quòd se novit nostrorum moribus convenire non posse; secundam, quia fallaces & maligni suggesserunt Theobaldo Comiti, quòd Abbas iste insidiosè ageret contrà illum tempore guerræ & dissensionis, quæ in diebus illis ortâ est inter HENRICUM Regem Angliæ seniorem, & HENRICUM filium ejus juniorem.

Abdicavit Abbatiam.

2. Adiit quâdam vice prædictus Abbas Comitem Theobaldum, & pro necessitate domûs hujus deportabat illi quoddam responsum, qui non detulit ei, sed durè loquutus est, & exasperavit eum, dimisitque vacuum. Vir autem Dei valde contristatus citò rediens petiit Savigneium, & suæ Prælationis penitùs omisit officium. Inde venit Claromontem, & Claromontes eum læti suscipientes constituerunt eum Priorem. Nec multo post cum Clerici Redonenses Abbatem ejus Domnum Philippum in Episcopum elegissent, & Fratres ejus promoverunt eum in Abbatem. Parvo autem tempore transacto, prædictus Philippus Episcopus obdormivit in Domino. Quo defuncto Clerici Redonenses Domnum Herbertum quæsierunt, & habuerunt in Episcopum. Qui sicut vidimus & audivimus pluribus annis vixit in Episcopatu; insistens bonis operibus, plenus dierum & meritis secessit à sæculo.

Philippo Abbate Claremont. electo Episcopo Redonensi Herbertus fit Abbas: deinde successit Philippo.

3. Hujus verò recessum à nobis graviter tulerunt majores natu de domo Savignei, ita ut cum ad electionem nostram de more peterentur advenire, exhiberent nobis illud Esaiæ: *Manda, remanda, exspecta, reexspecta*; tandem post longam fatigationem & dilationem, nolentes aut non volentes venire, miserunt Domnum Simonem Abbatem Sancti Andreæ, qui postea præfuit Savigniensi Ecclesiæ. Hic ergo cum ad nos pervenisset, & ab eis habuisset mandatum ut in electionem Domni Roberti Prioris hujus Domûs non consentiret, siluit. Factâ autem electione cum ejus assensum quæreremus, ait: Istud omninò stare non potest. Et cum ab eo quæreremus causam, respondit: Hoc in mandatum non accepimus à nostris Majoribus. Optionem tamen nobis dedit quemcumque de cæteris eligere vellemus in Abbatem, & nos ignorabamus quid agere deberemus. Quod cum cognovisset Domnus Robertus Prior ait: Nolite turbari, neque pro me æmulari. Et consensimus omnes in Portarium nostrum, ALEXANDRUM nomine, qui dudum missus de Savigneio Monachus nobiscum Religiosus habitarat. Erat autem Anglicus natione, sed venerandus, maturâ conversatione, linguam namque refrænans temperabat ne litem insonaret, visum fovendo contegebat ne vanitates exhauriret, & nihil in eo apparebat quod debuisset offendere intuentes. Erat autem vir iste debilis corpore cum multâ macie, nec tam erat litteratus, ut in Capitulo lectionem Regulæ auderet explicare & exponere: qui cum se debilem & minùs sufficientem cerneret, misit & accersivit Abbatem de Savigneio Domnum scilicet Willelmum de Tolosâ, virum utique piæ recordationis, qui secundò præfuit Abbatiæ Savigniensi, & postea obiit Abbas Cisterciensis: qui veniens ad domum nostram, ab administratione suâ Domnum Alexandrum absolvit, & in ejus loco celebratâ electione, uno die & eodem Capitulo Domnum ROBERTUM nostrum Priorem subrogavit. Quem cum quidam maligni & invidi coram Domno Abbate Savigniensi vellent diffimare, & ei prædecessorum suorum fugam imponere, Domnus Willelmus Abbas fertur respondisse: Sinite si benè egerit, Deo gratias, sin aliàs, noverit nos in proximo uti abscisionis ferro. Et sic obstructum est os loquentium iniqua. Domnus autem Alexander vix tertium annum peragens post absolutionem suæ administrationis, paucis diebus expletis, vacante Domino migravit à sæculo, & sepelivimus eum juxtà laurum, inter majus Oratorium & Capellam infirmorum.

Isai. 28. 13.

V. Abbas Alexander.

Paulo post cessit regimine.

VI. Abbas Robertus.

CAPUT XII.

1. DOmnus autem ROBERTUS novus Abbas institutus, cœpit audaciùs quàm consueverat gregis sibi commissi negotia pertractare, possessiones, grangias & res universas prout meliùs poterat emendando perlustrare. Erat enim vir fortis & corpulentus, & non memini me novisse hominem cui tam parvus sufficeret cibus. Et quamvis esset raucus & gracili voce & continuo labore, curâque pervigili, fatigatus non se subtrahebat divino operi. Semper in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus intrans & exiens, in corde suo psallebat Domino. Monachos omnes & maximè juniores Psalmos, Hymnos, Officia Gradualis & Antiphonarii, & cætera quæque ad divinum Officium pertinentia frequenti recordatione prout poterat, cogebat memoriter retinere.

Observantissimus fuit disciplinæ Monasticæ.

2. In diebus ejus Psalmos, Hymnos & cantus universos altiùs, productiùs, & ut ita dicam solemniùs decantare consuevimus, quàm ut verum fatear Monachis nostri temporis unquam persuadere potuimus. Hic est qui abundantiùs laboravit pro gente, & universâ nostrâ Congregatione. Aliorum etenim temporibus portavit pondus diei & æstus; & quia in meditatione suâ exardescebat ignis divinus, & frequenter apparebat iracundus, à junioribus timebatur, & à senioribus reverebatur. Huic Ecclesiæ præfuit, ut credimus, annis duodecim & eo ampliùs, completisque diebus appositus ad Patres

a *ut migraret*] Scilicet Abbas Theobaldus, non Lambertus, ut existimavit Acherius, qui Robertum Abbatem obstrudit inter Theobaldum & Herbertum, ac sic Peregrinum.

suos,

suos, & sepelierunt eum in Capitulo nostro ad dexteram Domni Odonis primi Abbatis.

3. Me autem pro quodam responso jam miserat usque Vindocinum, cujus autem exitum vitæ à Vindocino rediens cognoscens in mediâ viâ quâ veniebam, flens & contristatus incedens dicebam illud Elizei: *Pater mi, Pater mi, currus Israël & auriga ejus*. Multis enim diebus fuerat currus nos vehendo, fuerat & auriga noster agendo & regendo.

4. Reg. 2. 12.

CAPUT XIII.

VII. Abbas Peregrinus Scriptor hujus historiæ.

POst obitum Domni Roberti, Monachi hujus Congregationis cum Domno Willelmo Abbate Savigniensi, & quatuor Abbatibus aliis pariter in unum congregati, die Apostolorum Petri & Pauli me invitum & indignum substituerunt Abbatem. De me autem historiam tenere nec debeo, nec audeo, nec valeo, quia nondum notum mihi fecit Dominus finem meum, neque numerum dierum meorum novi, quamvis sint mensurabiles apud Deum: finem verò loquendi jamjamque faciemus, quia prolixitas fastidium generare solet, & brevitas auris amica placet. Annus verò quo hæc scripsimus erat ab Incarnatione Domini MCC. Ego autem tricesimum annum peregeram à die Conversionis meæ, & duodecim peragebam in statu Prælationis. Domnus siquidem Willelmus Infirmarius quadragesimum secundum, & Domnus Robertus de Fosello quinquagesimum à die suæ Conversionis peragebant. Universitatem siquidem vestram admonemus, ut historiam Prælatorum & possessionum hujus Ecclesiæ de cætero tenere non omittatis, quæ nostris successoribus valde comprobatur utilis, non solùm in legentium recreatione, verùm etiam in possessionum nostrarum cognitione, defensione & conservatione; sicque meritò nostri memoriam posteris relinquetis in benedictione.

1200.

Explicit prima pars de successione Prælatorum.

INCIPIT SECUNDA PARS.

PRimum quidem sermonem feci de institutione hujus Cœnobii, & usque ad nostra tempora de successione Prælatorum, in secundo verò dicendum est de cognitione libertatis & possessionum. Mihi autem videtur triplex esse nostra libertas, prima per Spiritum sanctum, secunda auctoritate Romanorum Pontificum, tertia ex liberalitate sæcularium Potestatum. De primâ habemus authenticum sanctum Evangelium cum Actibus Apostolorum: de secunda, plurima sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ sedis privilegia, quorum quædam continentur apud Cistercium, quædam apud Claramvallem, quædam apud Savigneium, quædam verò apud istud Cœnobium. Illorum vero quæ locis supradictis continentur, tria tantùm rescripta huic Operi judicavimus inserenda: & his subjungemus piæ recordationis Alexandri Papæ privilegia, quæ in præsenti continentur Ecclesiâ. De tertiâ libertate habemus munimenta Comitum, Baronum, Judiciariarumque potestatum. Cognitio verò possessionum fit aliquando per auditum, nonnunquam per visum, aliquando verò per instrumentum, perspicacior tamen illa est quæ fit ex certitudine trium prædictorum. Et ne quis vestrûm de cætero de ignorantia suâ se valeat excusare, utile fore duximus in hoc libello cunctas per ordinem & ex integro inserere chartas, ut proficiatis abundantiùs ex earum lectione in libertatum & possessionum nostrarum cognitione.

Privilegium INNOCENTII *Papæ secundi.*

INNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio STEPHANO Cisterciensi Abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. . . . Statuimus enim ut possessiones & bona quæ ad eumdem locum in præsentiarum justè & canonicè pertinere noscuntur, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis auxiliante Domino ei conferri contigerit, firma tibi tuisque successoribus, & illibata permaneant. Prohibemus ne aliquis Archiepiscopus, aut Episcopus te vel successores tuos, seu aliquem Abbatem Cisterciensis Ordinis, nisi pro fide ad Concilium vel Synodum venire compellat. Quia verò Cisterciense Monasterium hujus Religionis origo est atque principium, nostrâ concessione hac prærogativâ non immeritò gaudeat, ut si quando fuerit Pastore proprio viduatum, quemlibet Abbatem de omnibus Abbatibus vestri Ordinis vel Monachum sibi liberè præficiendum eligat, & absque aliquâ contradictione obtineat; cæteris verò vestri Ordinis Abbatis, quæ unam vel plures Abbatias habent sibi subditas, & de sui corporis fructiferâ copiâ derivatas, Abbate suo rebus humanis exempto eligendi quemcumque maluerint de sibi subjectis Abbatibus, vel quemlibet Monachorum de omnibus congregationibus Cisterciensibus liberam concedimus facultatem. Illa autem Abbatia quæ nullam habet subditam, quemlibet Monachum de omnibus præfatæ Religionis Congregationibus liberè sibi in Abbatem eligat & habeat.

Porrò Conversos vestros, qui Monachi non sunt, post factam in vestris Cœnobiis professionem nullus Archiepiscoporum, Episcoporum, vel Abbatum, sine vestrâ gratâ licentiâ suscipere, aut susceptum retinere præsumat.

Statuimus ut de laboribus quos vos, & totius vestræ congregationis Fratres propriis manibus & sumptibus colitis, & de animalibus vestris à vobis decimas expetere vel recipere nemo præsumat. Nulli ergo, &c. Conservantibus verò eidem loco quæ sua sunt, sit pax Domini nostri JESU-CHRISTI, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

EGo INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego JOANNES Tit. sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis.

Ego ROMANUS Diaconus Cardinalis S. MARIÆ in Porticu.

Ego GREGORIUS Diaconus Cardinalis SS. Sergii & Bachi.

Datum Cluniaci per manum AIMERICI S. R. E. Diaconi Cardinalis & Cancellarii, IV. Idus Februarii. Indict. x. Incarnationis Dominicæ anno MCXXXI. Pontificatûs verò Domini Innocentii secundi Papæ anno secundo.

Aliud Privilegium ejusdem.

INNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio BERNARDO Clarevallensi Abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. . . . Cæterum quàm firmâ perseverantique constantiâ causam beati Petri & sanctæ Matris tuæ Romanæ Ecclesiæ, dilecte fili in Domino Bernarde Abbas, incandescente Petri Leonis schismate fervor tuæ Religionis & discretionis susceperit de-

fensandam, & se murum inexpugnabilem pro Domo Dei opponens, animos Regum ac Principum, & aliarum tam Ecclesiasticarum quàm sæcularium personarum ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem, & beati Petri ac nostram obedientiam frequentibus argumentis & ratione munitus inducere laboraverit, magna quæ Ecclesiæ Dei & nobis provenit utilitas manifestat. Quamobrem tuis justis desideriis accommodantes assensum, Beatæ MARIÆ Dei Genitricis Monasterium, cui Deo auctore præsides, cum omnibus ad ipsum pertinentibus Apostolicæ sedis patrocinio communivimus. Statuentes ut quæcumque possessiones aut bona ad eumdem locum, &c. *ut suprà.*

Ego INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego MATTHÆUS Albanensis Episcopus.
Ego ROMANUS Diaconus Cardinalis S. MARIÆ in Porticu.
Ego JOANNES Tit. S. Chrysogonis Presbyter Card.
Ego GREGORIUS Diaconus Cardinalis SS. Sergii & Bachi.

Datum Lugduni per manum AIMERICI S. R. E. Diaconi Cardinalis & Cancellarii XIII. Kal. Martii. Indict. X. Incarnationis Dominicæ anno MCCXXI. Pontificatûs Domini Innocentii Papæ secundi anno tertio.

Privilegium LUCII *Papæ secundi.*

LUCIUS Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis SERLONI Abbati S. Trinitatis Savign. Monasterii, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.... Quia igitur Fratres Savigniensis Monasterii à curâ sæculari liberos, & divinis servitiis mancipatos piè vivere ac religiosè cognovimus, idcircò, dilecte in Domino fili Serlo Abbas, tuis justis postulationibus duximus annuendum, & præfatum Savigniense Monasterium, cui Deo auctore præsides, cum omnibus suis pertinentiis sub beati Petri & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis statuentes ut Ordinem Monasticum secundùm beati Benedicti Regulam, & Instituta Regulæ competentia inviolabiliter observetis. Si quis verò ex Abbatibus, Monachis quoque vel Conversis vestræ Congregationis à proposito & ordine exorbitaverit, & secundò tertiove commonitus incorrigibilis remanserit, Abbate absque ullâ contradictione retento, juxtà providentiam Savigniensis Abbatis qui pro tempore fuerit, loco ipsius alius idoneus substituatur: Monachus verò si contumax fuerit, regulariter corrigatur.

Prohibemus etiam ut nullus Abbatum in ordine vestro facere schisma præsumat, aut commissam sibi Abbatiam, vel quemlibet alium locum absque assensu communi alterius ditioni tradere.

In benedictione verò Abbatum vestrorum exactionem cappæ, vestimenti, pastûs, seu cujuslibet terreni quæstûs ab aliquo fieri omninò interdicimus.

Præterea quæcumque possessiones & bona, &c. *Habentur ut in prædictâ Bullâ Bernardo Clareval. Abbati concessa.*

Prohibemus ne aliquis Archiepiscopus aut Episcopus te vel successores tuos, seu aliquem Abbatem Savigniensis Ordinis, nisi pro certâ & evidenti negotiorum Ecclesiasticorum causâ, vel culpâ manifestâ, ad Concilium vel Synodum venire compellat. Porro Conversos vestros, &c. *ut suprà.*

Ego LUCIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego CONRADUS Sabiniensis Episcopus.
Ego GREGORIUS Diaconus Cardinalis SS. Sergii & Bacchi.
Ego GREGORIUS Presbyter Cardinalis Tit. S. Calixti.
Ego PETRUS Albanensis Episcopus.
Ego GUIDO Diac. Card. SS. Cosmæ & Damiani.
Ego RAYNERIUS Presbyter Card. S. Priscæ.
Ego GUIDO Presbyter Cardinalis SS. Laurentii & Damasi.
Ego GREGORIUS Diac. Card. S. Angeli,

Datum Laterani per manum BARONIS S. R. E. Subdiaconi Nonis Decembris, Indictione VIII. Incarnationis Dominicæ anno MCXLIV. Pontificatûs verò Domini Lucii secundi Papæ anno primo.

Privilegium Alexandri Papæ III.

ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Theobaldo Abbati Ecclesiæ sanctæ MARIÆ de Fontanis, ejusque Fratribus, &c. Statuentes ut quascumque possessiones in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Abbatiam videlicet vestram quæ vocatur FONTANE, cum nemore quod dicitur Theulin, & cum alodiis & cæteris terris circumadjacentibus, quas RAINALDUS de Castello, & HUGO Lumbart, & RAINALDUS Aucherii vobis dederunt, & Comes THEOBALDUS & ILDEBERTUS Turonensis Archiepiscopus sigillis suis confirmaverunt. Terram quam habetis in castris; grangiam quæ vocatur Sicca Noa, cum terris ad ipsam pertinentibus. Terram quæ dicitur Villana; terram quæ dicitur Travalleria; Laudam cum appendiciis suis; molendinum, terram, rupem & vineas quas apud Lineriacum habetis; terram quæ dicitur Princiacum; & terram quæ vocatur Campus Britonis, grangiam quæ vocatur Puza, & Gievin cum vineâ & terris ad ipsam pertinentibus; grangiam quæ vocatur Rogerol cum appenditiis suis, & terram de Trunchetis; sub beati Petri & nostrâ protectione suscipimus.

Præsenti quoque decreto sancimus, ut Episcopus, in cujus Episcopatu Ecclesia vestra consistit, nec regularem electionem Abbatis vestri unquam impediat, nec de removendo vel deponendo eo qui pro tempore fuerit, contrà statuta Cisterciensis Ordinis, & auctoritatem privilegiorum suorum se ullatenùs intromittat.

Sancimus autem ne quis Archiepiscopus aut Episcopus, sive cujuslibet Ordinis persona, locum vestrum à Divinis interdicat officiis, sed liceat vobis omni tempore clausis januis, non pulsatis tintinnabulis, exclusis excommunicatis & interdictis, suppressâ voce diuina officia celebrare, nisi Abbatis vel Fratrum istius loci evidens & manifesta culpa extiterit.

Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ sollicitudine providentes, auctoritate Apostolicâ prohibemus, ut infrà clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus violentiam vel rapinam, sive furtum facere, vel hominem capere audeat. Et si quis hoc temerario ausu præsumserit, sacrilegus judicetur. Nulli ergo, &c. *Sicut in præscriptis Bullis.*

ALEXANDER Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
HUBALDUS Ostiensis Episcopus.
BERNARDUS Portuensis & S. Rufinæ Episcopus.
GALTERIUS Albanensis Episcopus.
HUBALDUS Presbyter Cardinal. Tit. S. Crucis in Hierusalem.
HENRICUS Presbyter Card. Tit. SS. Nerei & Achillei.
JOANNES Presbyter Cardinalis Tit. S. Anastasiæ.
ALBERTUS Presbyter Card. Tit. S. Laurentii in Lucinâ.
GUILLELMUS Presbyter Card. Tit. S. Petri ad Vinculâ.

Jacyntus Diaconus Card. S. Mariæ in Cosmedin.

Odo Diaconus Card. Sancti Nicolai in Carcere Tulli.

Arclicio Diaconus Card. S. Theodori.

Boso Diaconus Card. SS. Cosmæ & Damiani.

Joannis Diaconus Card. S. Mariæ in Porticu.

Datum Turonis per manum Hermanni sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi & Notarii xi. Kal. Novembris, Indict. xi. Incarn. Dominicæ anno mclxii. Pontificatûs verò Domini Alexandri Papæ tertii, anno quarto.

Privilegium Lucii *Papæ*.

Lucius Episcopus servus servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Turonensi Archiepiscopo, & ejus suffraganeis, & dilectis filiis Archidiaconis, Decanis, &c. Datum Veronæ Idus Octobris. *Continet tantum hac Bulla exemptionem decimarum & navalium.*

De Libertate nemorum.

Ego Ildebertus Dei gratiâ Turonnensis Archiepiscopus. Donum quod Domnus Rainaldus, Ecclesiæ de Fontanis in manu meâ fecerunt, sigilli mei auctoritate corroboro. Donum autem tale est:

Rainaldus Aucherii, & Hugo Villanus cum Helduino de Connenz sororio suo, D. Rainaldo de Castello, filioque suo Rainaldo cum cæteris filiis suis concedentibus; concedente etiam Gannelioni de Balgenciaco, cum filio suo Garnerio locum Fontanarum, quem indigenæ allodia vocant, integrè, quidquid videlicet ibi habent sive in planâ terrâ, sive in pratis, sive in nemore; totum Deo & Ecclesiæ de Fontanis liberè & absolutè dant & concedunt: dominus autem Rainaldus de Castello donat & concedit Deo & præfatæ Ecclesiæ, & Fratribus ibidem Deo famulantibus, Vicariam, forisfactum sanguinis, glandem nemoris, denique quidquid ibidem sui juris fuit usque hodie, sibi tantummodo venatione retentâ. Donat etiam dominus Rainaldus de Castello Fratribus de Fontanis, de Forestâ quæ Blimardum vocatur ad omnes usus suos quantum & ubicumque necesse habuerint, excepto quòd de eâ nec dent nec vendant. Concedit etiam eis glandem ejusdem Forestæ, ut eam suis propriis porcis quamdiu voluerint gratis habeant, &c. Hujus doni sunt testes Alveredus Archidiaconus.

Radulphus Decanus.
Albericus Cancellarius.
Robertus de Rupibus.
Gaufridus Meschinus.
Arrandus Malaterra.
Hugo de Verno.
Fulquerinus Faitmal.
Bernardus Mandros.

Actum est 7. Idus Augusti anno ab Incarnatione Domini 1127. Regnante in Galliâ Ludovico Rege, Fulcone Andegavensi Comite.

De Libertate loci, qui dicitur Landa.

Ego Rainaldus de Castello Rainaldi concedo Magistro Gaufrido Eremitæ, postquàm ipse disjunxit se de societate Monachorum de Fontanis, quemdam locum qui vocatur *Landa*, & quidquid illic habeo, scilicet latronem, & forisfactum sanguinis, & quidquid ibi habeo, pro se & successoribus suis. Dono etiam illi pascagium de Forestâ de Blimarz, & ligna ejusdem forestæ ad se calefaciendum & ad domos suas ædificandas, quod prece & voluntate bonâ domini mei Comitis Theobaldi factum est: hujus rei testes:

Rainaldus Alcherii.
Gaufridus Meschinus.
Helduinus de Conenz.
Bernardus Mandrusius.
Minardus de Buscheio.

Actum est anno Domini mcxl. & sigillo Gaufridi Carnotensis Episcopi confirmatum.

Robertus de Grata-Lupo, & Raherius de Montebasonis, filiis & filiabus eorum concedentibus, dederunt Deo & Ecclesiæ de Fontanis de terrâ suâ, quæ vocatur Castras; quantum cum duabus carrucis per singulos annos arare possent, & unum quadrantem prati, & de vivo bosco per quinque annos ad domos suas ædificandas: postea verò mortuum nemus ad omnia necessaria facienda, & pascua pecorum; exceptis porcis, tempore pastionis in perpetuum concesserunt. Huic dono interfuerunt de Canonicis sancti Florentini, Mauricius, Herveus, Mattheus Radulphus, Ivo Clericus, Gaufridus Bouzon.

Post longum verò tempus Petrus filius Raherii de Montebasonis, & Archembaudus de Vindocino acceperunt in uxores duas filias Bucardi de Grata-Lupo; Petrus scilicet Milesendin, & Archembaudus Petronillam. Isti autem eleemosynam, quam antecessores sui Deo & Ecclesiæ de Fontanis fecerant, concesserunt, præsentibus dominâ Garota matre Milesendis, Gaufrido Bouzon, Radulpho de Persio, Ascelino, Gaufrido de Balnol, & Auclino fratre ejus, Marco avunculo prædicti Archembaudi, & Josberto Ludovici, & pluribus aliis. Terra verò prædicta metata fuit, in præsentiâ Domini Gisleberti tunc temporis Abbatis de Fontanis, & Giraldi Radulphi, & Osmundi suorum Monachorum, Gaufridi Pouzon, Gaufridi Præfecti de Austresches, Hervei Carpentarii, & Gatinelli.

Rainaldus Rabel dedit Deo & Monachis de Fontanis decimam de Siccâ Noâ, cum quibusdam terris ibidem; & apud Austresches consentiente Petronillâ uxore sua, testibus Ulrico de Pelvezin, Guiberto de Plassio, Buchardo de sancto Amando, Rainaudo de Mesleio, & aliis.

Gaufridus Dei gratiâ Carnotensis Episcopus. Notum sit, &c. quòd cum aliquando per locum domini Gaufridi, qui Saltus dicitur, transitum haberem, concessit idem dominus Gaufridus & fratres ejus similiter in manu Dei & nostrâ eumdem locum integrè cum pertinentiis suis. Nos igitur precibus eorum clementer annuimus, & prædictum locum suum sub tutelâ & custodiâ Dei & nostrâ recepimus, & in vitâ videlicet ejusdem domini Gaufridi & post decessum ejus. Quicumque ergo, &c.

Notum sit præsentibus & futuris, quòd Ego Goslenus Carnotensis Episcopus pro salute animæ meæ & domni prædecessoris & avunculi mei bonæ memoriæ Gaufridi, rogatu domni Bernardi Claræ-vallensis Abbatis, & aliorum Religiosorum Abbatiæ de Fontanis, locum quemdam non longè ab eâ in Episcopatu Carnotensi situm, qui Lauda vocatur, cum omnibus quæ pertinent ad ipsum locum, & qui in manu nostrâ erat, liberè in perpetuum à Fratribus prædictæ Abbatiæ ad opus grangiæ concessi. Testibus Pagano Carnotensi Archidiacono, Milone ejusdem Ecclesiæ Canonico & Presbytero, Odone ejusdem Ecclesiæ Diacono & Canonico, nec non Ernaldo Bonævallis, Gaufrido Blesensi, Ricardo Eleemosynæ, & Stephano Regniaci Ab-

batibus: Gisleberti Fontanarum Abbatis tempore.

Robertus Dei gratiâ Carnotensis Episcopus. Noverint omnes locum istum qui Lauda nominatur, in manu domini Gaufridi Carnotensis Episcopi prædecessoris nostri fuisse datum sub patrocinio & protectione ejus. Ideoque auctoritate Dei & Ordinis nostri sententiam anathematis super illos omnes constituo, sive Religiosi sive cujuslibet alterius Ordinis fuerint, qui prædictum locum aliquâ occupatione vel inquietatione malè tractare & persequi, sive in alium statum transferre sine assensu vestro præsumserit.

Joannes Dei gratiâ & meritis Beati Thomæ martyris Carnotensis Ecclesiæ Minister humilis, Petro de Candeio, salutem. Tuæ utilitati providentes consulimus & monemus, ut in eleemosynâ tuâ de Lauda Monachos de Fontanis contrà formam Ordinis Cisterciensis Missam celebrare non compellas; sufficiat autem devotioni tuæ Officium Divinum, quod in ipsâ Abbatiâ pro tuâ & prædecessorum tuorum salute celebrare Monachi statuerunt.

Philippus Lancelini dat in eleemosynam Fratribus de Fontanis omne quod habet apud Gutam tam in pratis quàm in nemore, & duos solidos censuales apud Monceium. Concedentibus Dogna matre suâ, Agnete uxore suâ, Mathilde filiâ suâ, Mathilde sorore suâ, & nepotibus suis Herveo, Lucete & Aaliz. Testibus Gervasio de Plesseio, Joanne Ruillez, Gosberto Presbytero de Perreio, Hugone Presbytero de Gubergen, Philippo & Pagano de Ponceio & aliis, anno MCXC.

Henricus Dei gratiâ Albanensis Episcopus Apostolicæ sedis Legatus, Helchimbaldo Windocinensi & Petro de Candeio Militibus salutem. Notificavit nobis Abbas de Fontanis, quòd in terrâ quâdam, quam de eleemosynâ vestrâ possidet, Capella noscitur antiquitùs constituta, in quâ vultis ut Divina jugiter Officia celebrentur. Scire autem vos volumus, quòd in pluribus locis Ordinis Capellæ sunt dirutæ vel sublatæ, ut cessante concursu frequentiæ salutaris Ordinis institutio liberiùs conservetur: unde monemus vos & mandamus, quatenùs ab hac intentione cessetis, nullum inde peccatum vel scrupulum formidantes, si prædicta Capella pro servandâ pace Ordinis à Divini Officii celebritate vacaverit.



MONITUM.

Proferimus historiam Abbatiæ Condomensis, nunc Episcopatûs, hactenùs ineditam, auctore Monacho anonymo. Ejus verò historiæ exordia sic falsis narrationibus fœdata erant & conspurcata, ut ea expungere necessarium duxerimus, ne Lector eruditus insulsis ejusmodi initiis offensus, cætera ejusdem historiæ, quæ profutura esse existimavimus, respueret. A pluribus verò Auctoribus contextam esse hanc historiam varius demonstrat stilus: initio siquidem non ita rudis ac barbarus apparet scriptor narrationis, quæ post medium pinguiori Minervâ descripta est. Codicem MS. misit V. Cl. Ant. Dandinus Alteserræ.

HISTORIA ABBATIÆ CONDOMENSIS, NUNC EPISCOPATUS.

Quantus verò sit ei * honor exhibendus & reverentia, pandit ignorantibus Epitaphium industriâ Domni Egalsi Ducis Aquitaniæ editum, & ne unquam oblivioni daretur, in tabulâ marmoreâ sculptum. Certè sicut studiosus lector comprehendere valet, subtili sensu & succincto satis sermone expressum est, adeo ut vix gustum sitientibus præbeat: adhæret autem tabula, in quâ Epitaphium continetur, parieti retrò altare, & in eminenti loco posita hujuscemodi retinet verba:

* Ecclesiæ Condomensi.

Templum, Christe, tuis famulator Agalsius *offert,*
In quo se socias mater & uxor agunt.
Tu cœli è solio terrenum illabere mysten,
Et puram puro trade fidem populo.
Hic mera perpetuò recinunt altaria Christo,
Et calet arcanis nox vigilanda sacris.
Hic & Justorum gaudent componier urna,
E Transalpinis qui veniunt tumulis.
Ambitus hîc templo est, atque ambitus iste sepulcro,
Quisquis sanctus adi, quisque profanus abi.

Ego Algasius Aquitanorum Dux, & mater mea Isamburgis, & uxor mea Agnes hunc locum dedimus Domino nostro Jesu-Christo Salvatori, ob peccatorum nostrorum indulgentiam parentumque nostrorum salutem.

Verùm hæc & his similia, quo tempore fuerint gesta, nobis est ignotum, quoniam barbarorum infestatione oblivioni sunt data. Post mortem enim Lodoici Pii, ejus inter se dissidentibus filiis & intestinâ clade certantibus, gentes perfidæ & cultibus adhuc dæmonum irretitæ, Sclavorum videlicet, Normannorum atque Hunnorum, occasione acceptâ, suæ claustra habitationis irruperunt, & per intervalla temporum sibimet succedentes, nonnullas Galliæ provincias invaserunt, cædibus & rapinis, ferro & flammis universa vastantes. Porro Nor-

mannorum perfidiam tanto amplius experti sunt Aquitani & Guascones, quanto semper Deum ad iracundiam provocaverunt peccantes. Nam urbes eorum potentissimæ tunc desolatæ sunt, oppida subversa sunt, loca populosa ad eremum redacta sunt, & habitacula Deo sacrata, juxtà illud Psalmistæ, *in pomorum custodiam posita sunt.*

Psal. 78. 1.

Eodem tempore quo hæc mala sunt perpetrata, Deo permittente, Cœnobium istud igne succensum, magnâque ex parte est dirutum: si quid fuit in ornamentis & bibliothecis, traditum est combustioni, urna tantummodo remansit illæsa, & à contagione ignis aliena, ut fuerat altaris in medio collocata, divinâ hoc agente clementiâ, cui patent quæque intima. Caput quoque Basilicæ omnisque ambitus altaris, licet exustum, tamen solidum remansit. Interea locus vacuus effectus est, habitatoribus partim gladio necatis, partim captivatis, partim in fugam versis, cœpitque vestiri sentibus & virgultis, qui ante vestiebatur populorum turmis.

Instauratio Cœnobii Condomensis.

Mansit autem sine cultu ecclesiastico, & debitâ veneratione diuturno tempore, donec honorem Comitissa sortita est religiosa fide; hæc conjux fuit GARSIÆ Principis cognomento Curvi, verè felix ille Curvus tali collega erectus. Frequentabatur tunc jam locus, & adustæ caput Basilicæ vilissimis tegulis tectum fuerat, atque in modum tugurii monstrabatur; signis etiam evidentissimis quantæ sanctitatis esset, pandebatur. Audiens verò venerabilis femina miraculorum famam, & per seipsam frequenter experta, sensit ibidem adesse gratiam visitationis supernæ, atque Dei zelo accensa confestim locum purgavit, magnisque sumptibus Basilicam ædificari ibi præcepit, congrua quoque habitacula & xenodochia per circuitum disposuit. Quibus ritè peractis conventum Episcoporum & illustrium virorum convocavit, & in honore nostri Salvatoris, & in honore beati Petri dedicari præcepit, & Cœnobium Clericorum Deo servientium esse voluit.

Ecclesiæ dedicatio.

Clericorum institutio.

Quia verò nullum reperiebatur prisci honoris indicium, eorum inopiam suis opibus ditavit, & ne aliquando deficeret, plurima terrarum prædia devotè est largita. Satis quippe in suis actibus erat prudens & strenua, prudentiorque fuisset, si non ut mulier errasset, voluitque magis sapere quàm oportebat, quia noluit sapere ad sobrietatem: dedit nempe animum ut sciret & cognosceret quid interiùs sanctissima theca contineret: quod confessa secum comitantibus Episcopis & religiosis viris, quâdam die Cœnobium petiit, omnibus in commune placuit, ut Comitissæ desiderium perveniret ad effectum. Sed triduano peracto jejunio benedictio salis & aquæ successit, quâ aspersâ, præcedentibus cereorum luminibus, & turibulis ture fragrantibus, ad locum pariter accesserunt temerè violandum, concussumque opertorium ferreis nexibus vinctum sustulerunt, patentemque urnam reliquerunt. Cæteris statim vehementi terrore correptis & tabefactis, illa ægrè accepit, & indigna tanto mysterio se ingessit, tenensque calamum mensuræ decreverat metiri quantæ foret profunditatis; & mox ut ulnam ori sacratissimæ urnæ rimando apposuit nefariam, mirabile dictu! virga de manu ejus elapsa introrsùs corruit, & nulli unquam comparuit. Eadem hora vultûs pallore mutata, & dolore cordis perculsa penè exanimis est effecta: quod videntes qui aderant, quanto magis tegumentum quod abstulerant, eidem ori restituerunt; illa verò manibus obsequentium ad hospitium delata, ingravescente dolore post paucos dies vitam finivit jam vicina partui, cujus ventre cæso filius abstractus est, & Arnaldus vocatus, cognomento verò *Natus*, Comitatum Astariacensem postmodum obtinuit. Vasconiæ Principatum SANCIUS GARSIÆ ejus frater post obitum patris promeruit; moriens autem tres liberos honoris reliquit successores, nomine satis & memoriâ celebres; SANCIUM videlicet, & GUILLERMUM, atque GIMBALDUM, qui patris imitatores effecti studuerunt feliciter regere, quod consequuti fuerant hereditario jure. E quibus Sancius Sanctii major natu majoris dominii vix usus est dominatione: quo sine liberis obeunte, Guillelmus Sanctii successit, & totius promeruit culmen honoris.

Cujus in diebus gens perfida Normannorum Christicolis jam nomine magis quàm opibus unita, maritima littora circumiens, Guasconiæ fines invasit, & in quâdam vastâ planitie Taleras dictâ consedit; quos ille aggressus tantâ cæde in eâdem planitie solitudinis mactavit, ut magis hodie videatur operta in locis quàm plurimis ossibus occisorum, quàm cespitibus herbarum agrestibus. Hac ergo plagâ correcti, non apposuerunt ultrà pervadere fines Gasconiæ. Inter quos quidam Normannorum fortissimus AIRALDUS nuncupatus, qui loricâ indutus & armis præcinctus undique percutiebat, & ipse percutiebatur, sed absque læsione persistebat: tandem captus & loricâ exutus, dominicæ Crucis vexillum gestare est inventus ad collum dependens, cujus præsidio muniebatur indignus, quo privatus, repente est necatus. Hoc verò lignum salutiferum honorandus Comes huic Cœnobio devotissimè est largitus, cujus probatissima virtus ignis injuriam repellit, imminentes grandinum tempestates effugans, vinoque aspersus quod languentibus propinetur, salutem accommodat: vocatur autem adhuc eodem nomine, quo & miles qui eam gestabat.

Factus ergo GUILLELMUS Princeps patriæ, consortem honoris & dignitatis germanum Comitem Gimbaldum Sanctii voluit habere, concedens illi ad supplementum vitæ Agennense solum & Basatense cum omnibus appendiciis suis. Et quia à pueritiâ sacris litteris fuerat imbutus, utriusque sedis Pontificatum & Præfecturam, Deo favente, sortitus est. Nemo tamen id molestè accipiat, quòd vir prudentissimus contrà decreta Canonum utriusque Sedis accepit Pontificatum: depopulatâ namque regione hostili gladio, nullus eo tempore ad hoc opus reperiebatur idoneus; verùm antequàm Episcopatûs cathedrâ sublimaretur, uxorem duxit nobilibus ortam natalibus, ex quâ filium nomine HUGONEM sustulit. Hic congruo tempore educatus, & litterali studio eruditus, tandem proficiendo adolescentiæ viam est ingressus; videbatur jam tunc maturis moribus adornari, & justitiæ operam dare. Perpendens pater filium recto tramite gradientem, noluit illum honoris & dignitatis remanere expertem. Erat illi præfata subdita Leumania, quæ ad diœcesim Agennensis, Episcopatûs pertinebat: hoc etiam Cœnobium, sicut fuerat à venerabili Comitissâ ordinatum, promeruerat, feliciquè sorte gubernabat, quod Hugoni filio suo favorabiliter contulit, & Abbatem Clericorum esse præcepit, nihil sibi reservans ex omnibus.

Non multo post vitâ ex hac decessit Gimbaldus, filii sui successione ad præsens privatus. Adhuc enim Hugo in virum perfectum non venerat, nec tantæ potentiæ arcem attigerat, nec hereditatem patris vindicare poterat: sed tantummodo huic Cœnobio, cui prælatus à genitore fuerat, dominabatur. Ob cujus tunc temporis imbecillitatem Agennensis Ecclesia, necnon Basatensis singulos Præsules acceperunt, cæteras quicumque prævaluit, usurpavit. Cum enim adhuc Abbatis fungeretur officio, ad

augmentum doloris & tribulationis præsens, cui dominabatur, Cœnobium igne est succensum. Certè non renuit divina miseratio cunctis innotescere, quanti penderet ambitum sacratissimæ urnæ. Nam cum ignis universa vastaret, & supereminens tectum Basilicæ jam invasisset, sanctuarium illud, ubi urna est constituta, servavit illæsum miseratio divina. Quidam autem Clericorum metuentes ne violentiâ ignis cuncta absorberentur, quasi quæ inibi continebantur asportaturi, intùs sunt introgressi, quibus introgressis ecce trabes pereuntis ædificii adustæ insimul ceciderunt, omnisque strues lignorum diruta est, atque aditum sanctuarii ita obstruxit penitùs, ut nemini pateret introitus vel exitus. At illi qui intraverant, substiterunt magis mortem quàm vitam præstolantes, & igne se perituros sperantes. Clamantibus autem & supernæ pietatis opem sibi adesse poscentibus, confestim in eodem loco ventus vehemens erupit, præparans illis refrigerium, & à contagione ignis liberans eosdem. Quibus paractis mortui qui putabantur, viventes reperti sunt; videntes verò qui advenerant, grates Deo referebant, qui salvat in se sperantes.

Transacto hoc incendio, & parietibus Ecclesiæ dirutis, quidquid consumptum fuerat, Domnus HUGO restaurare festinat, totumque se ad hoc contulit, ut domus Dei in melius reædificaretur. Quod ubi cœpit, Dominus de pulvere egenum suscitavit, & de stercore humilem erexit, ut cum Principibus sederet, & solium patris obtineret. Tunc quippe prudentiâ fultus, fortitudine auctus, potentia glorificatus, viriliter se agere cœpit, & de adversariis triumphare. Nulli tamen ex his qui genitori in Episcopatu successerant, molestus fuit; verùm illis obeuntibus utrarumque sedium patrio more accepit Pontificatum. Sed antequàm Pontificali infulâ sublimaretur, quod de sanctissimâ urnâ præsumserit, non prætereundum censemus. Certè mos hominum est, ut ea quæ ignorant, sagaciter perscrutentur & inquirant: volens ergo scire quid interiùs lateret, & de suâ desperans sanctitate, nolebat per seipsum hoc appetere, Comitissæ correctus periclitatione. Agebat eâ tempestate quidam ARSINUS RACHA cognomine Præsulatum Guasconiæ: hic miræ sanctitatis & continentiæ ab omnibus ferebatur esse. Interea rumor exivit dicentium: Hic est potens revelare divinum mysterium. Et hic sermo optimus est visus in conspectu insipientium. Adiit ergo Domnus HUGO suum patruum nomine GUILLELMUM, atque persuasit ut eumdem virum ad hoc compelleret negotium, factumque est: & accersitum Comes Præsulem secum adduxit ad Monasterium, comitantibus viris nobilibus non paucæ numerositatis, ut intueri valerent magnalia Dei. Itaque cum infulâ sacerdotali more ad violandum locum, & ut post patuit, indignus accessit, conscendensque scabellum subpedaneum ad hoc præparatum, Deo amabilem patefecit loculum, tenensque flammeum manu cereum interiùs fixit aspectum, viditque breviculum in proximâ marmoris concavitate positum, quod accipiens & recitare cupiens, cum revolveretur, præ vetustate nimiâ in cinerem est resolutum. Referebant autem qui aderant, quòd sacratissima ipsius urnæ latera mistо simul cruore essent & candore variata. Cupiens autem majora cognoscere quàm merebatur, & interiora illius absque reverentiâ revolvens, continuò hebetatis luminibus cœcitatem incurrit, nec antea vidit, donec trahendo & palpando ab Ecclesiâ exivit. Quo facto cæcitatem diutinam inibi incumbens omninò perdidit; sed nunquam postea languore caruit, quoadusque diem ultimum clausit.

Venerabilis igitur HUGO Pontifex ordinatus, religiosæ vitæ continentiam sectabatur, & quanto ampliùs sublimabatur gradûs honore, tanto humiliabatur cordis contritione. Ædificium sanè quod adhuc Abbas devotè cœperat, Præsul factus implevit devotiùs. Reminiscens verò malorum quæ gesserat, & suorum delictorum pœnitentiam gerens, Romam tendens, Deo & sancto Petro satisfaciens, cui se cum lacrymis & debitâ veneratione prosternens, veniam præteritorum postulavit & impetravit criminum. Quo in loco quemdam Benedictum tunc temporis reperit Apostolicum, cui suarum vulnera aperuit cicatricum. Ille statim ægrotanti consuluit, & quomodo salutem consequi posset, paternâ pietate ostendit. Audiens verò eum contrà canonum præscripta duabus præesse sedibus, præcepit ut unâ earum contentus alteram dimitteret: ad delendam quoque peccatorum gravedinem, & promerendam animæ salutem supradictus Papa injunxit ei, quatenùs in propriâ diœcesi Monasterium construeret, & officiosissimè adornaret. Hoc responso accepto Pontifex religiosus privilegium libertatis à Domno petiit Apostolico, & impetravit ab eo, ut si aliquando Monasterium illud quod jubebatur, quivisset construere, absque ullâ habitaretur inquietudine. Jam enim animo advertebat quomodo supradictum Condomi locum in Monachorum poneret usibus. Post hæc benedictione acceptâ reditum acceleravit, & quantociùs Provinciam intravit. Nec mora, juxtà mandatum quod acceperat, egit, atque Basatensem Episcopatum cuidam viro fideli concessit, sibi verò Agennensem retinuit. Jam tunc Consulatum in Vasconiâ SANCIUS Guillelmi fratribus defunctis regebat, erat autem Domni Præsulis consanguineus.

Consummatâ itaque Monasterii fabricâ, tempus instabat ut dedicatio fieri deberet. Advocato itaque Comite, factoque generali Conventu Pontificum, Abbatum, Tribunorum & Centurionum, nobiliumque virorum, acta est dedicatio, sicut quondam fuerat in honore sancti Salvatoris, & in nomine B. Petri Apostolorum Principis. Porrò omnibus qui convenerant, privilegium ostendit Apostolicæ auctoritatis, quod adhuc in eodem habetur Monasterio, in quo continetur, ut nullus ex Principibus, vel Pontificibus, sive Comitibus dominationem præfati Cœnobii præsumat sibi vindicare, nec prædia, seu Ecclesias & cætera quæ ad eumdem pertinent locum, in suos usus transferre, diripere, aut alienare; sed liceat Abbati locum ipsum justè, & ut illi melius visum fuerit disponere, & absque molestiâ gubernare. De Abbate verò ordinando, liceat Monachis quemcumque dignum invenerint, sibi Rectorem & Pastorem eligere, & hoc fiat secundum Deum: nec præsumat aliquis primatum ibidem honoris pecuniâ emere, sive violentiâ arripere, nisi Monachorum ejusdem loci assensione. Hæc & his similia, quæ longum est enumerare, in nostro continentur privilegio; & ad ultimum hæc præcepta non observantes, Apostolicâ multantur feriunturque excommunicatione. Quod cum recitatum fuisset, Comiti valde complacuit, omnibusque qui aderant, ut libenti animo obedirent his quæ recitata fuerant.

Metuens verò supradictus HUGO, ne post ejus decessum quod promittebant, prætermitterent & transgrederentur, sub attestatione sacramenti cunctos fidem facere coëgit, primusque omnium SANCIUS Comes jusjurandum protulit, & ut illum imitarentur, cæteros est adhortatus; quem subsequuti, sicut ipse egerat, sacramento fidem fecerunt, ut fidelitatem sancto Petro servarent, & honorem illi debitum custodire spoponderunt.

Monachi in Condomensi Monasterio constituuntur. I. Abbas Petrus.

His ritè peractis, Monachos ibi Deo militaturos constituit, præficiens illis Patrem nomine PETRUM: hic quamdiù hominem gessit, morum honestate satis enituit, locumque cui prælatus est, honestissimè rexit. Nec multo post Domnus HUGO vitâ decessit, & in eodem loco sepulturam accepit; in introitu videlicet Ecclesiæ ad lævam partem infrà maceriam, diem judicii præstolans, corpus ejus requiescit. Quem PETRUS Abbas supradictus non multo post subsequutus, ibidem obiit, & in loco ejus quidam nomine VERECUNDUS de Lanâ successit.

II. Abbas Verecundus.

Donatio sive fundatio Hugonis Episcopi. In Diplomate Gregorii PP. infrà dicitur fundator.

IN nomine summæ & individuæ Trinitatis, ego Dei gratiâ Episcopus HUGO secundum transitoriæ nobilitatis gradum alto florens germine parentum, & pro illo deciduo putrescentis carnis flore terreno sublimatus honore. Infrà pectoris armarium sæpius volvebatur illud Salomonicum: *Quanto gradus altior, tanto casus gravior.* Et dum hoc sollicitâ meditatione mecum agerem, & omnem sæcularis dignitatis ordinem de die in diem in pejus declinando deficere viderem, paululum confidens in tam fragili flore nobilitatis, qui tam citò amittit honorem suæ viriditatis, perterruit me illud testimonium Esaiæ:
Isai. 40. 6. *Omnis caro fenum, & omnis gloria ejus quasi flos feni.* Et illud: *Exsiccatum est fenum, & cecidit flos; verbum autem Domini manet in æternum.* Ad hæc quotidie illo admonebar exemplo, quod David profert in Psalmo: *Homo sicut fenum dies ejus, tam-*
Psal. 102. 15. *quam flos agri sic efflorebit.* Et hoc quod sequitur: *Quoniam spiritus pertransivit in illo, & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum*, & cætera. His ergo & hujuscemodi Scripturarum testimoniis aliquantulum correctus, ea quæ mihi contulit benevolentia parentum ad radicem sæcularis honoris propagandam, illuc decrevi ut deportarentur ubi fures non effodiunt, nec furantur, & ob promissa centupla retributionis Deo disposui conferre: salubrius mihi & illis existimans secundum Deum consulere, si hoc quod contulerant pro amore carnis peccati & vitii fomentum, per me sanctæ Dei Ecclesiæ produceretur in augmentum. Sed ut hoc convenienter posset fieri, & ne ulla in posterum tempus meis parentibus servaretur occasio, hoc disponere volui communi consilio, & plurimorum provincialium confirmare testimonio.

1011. Anno igitur dominicæ Incarnationis M. XI. glorioso HENRICO Romanam urbem imperante, ROTHBERTO autem Franciam regente, Sedi verò Apostolicæ summæ sanctitatis viro BENEDICTO præsidente, apud provinciam Vasconiam SANCTIONE illustri viro Ducatum obtinente: Ego suprà nominatus UGO, licet immeritus Præsul, secundum lineam carnis eidem Duci propinquus & affinis, inito consilio cum eodem Duce, & provincialibus Episcopis, & Abbatibus, cæterisque terræ Principibus, id est, ARNALDO Episcopo & ARNALDO Vicecomite, & cum conjuge suâ eorumque filio ARNALDO, ejusque conjuge ADALIAS, BERNARDO Vicecomite, & ARNALDO Lupo Vicecomite, AMNARDO, GAUZELMO, ARHUINO, GAUSELMO alio Vicecomite, aliisque bonis hominibus, qui in præsentiâ aderant, terrenis postpositis heredibus, omnis meæ possessionis Christum heredem feci, & secundum Psalmistam: *Elegi ab-*
Psal. 83. 11. *jectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Omnem itaque portionem meæ hereditatis, quam in pago Leumanniæ liberè & absolutè & absque ullâ parentum occasione possedi, Domino Deo, Principique Apostolorum Petro, Sedique Romanæ in conspectu plurimorum dedi. In primis Ecclesiam sancti Petri, & locum Condomus, quod interpretatur quasi Domus sublimis, cum omnibus appenditiis.

Et ut hoc donum apud Deum semper esset in memoriâ, placuit mihi, seu Duci SANCTIONI, vel aliis Principibus terræ, Clericos sæculariter & absque regulari disciplinâ ibi degentes penitùs amovere, & Monachos Deo jugiter servientes, & sub regulari jugo militantes in illorum loco secundùm instituta vel monita sancti BENEDICTI ibi ordinare; & hoc jussu & Apostolicâ auctoritate firmare. Ad hoc omnium commune votum idoneè perficiendum, quemdam nostrum filiolum nomine PETRUM divinitùs nobis collatum, virum omni virtute probatum, Apostolicâ auctoritate ut præesset cæteris, in loco Patris constituimus, Abbatemque secundùm instituta Patrum benediximus. Quem etiam ut jugum Christi suave, & onus ejus leve aliis regulariter imponeret, paternâ admonitione submonuimus. Monachos verò, ut sibi quasi Patri & seniori in omnibus obedirent, devote postulavimus, insuper anathematis lege indiximus.

Monachi secundum Regulam S. Benedicti sunt instituti.

Sed quia pleraque loca maximâ calamitate oppressa audivimus, & jam omninò desolata nostris temporibus vidimus, ob hoc præcipuè quia aliquanti sub specie regiminis usurpantes sibi dominium, dum ab aliis defendere deberent locum, ipsi pessimum & abominabilem immittunt usum, assiduis comestionibus bona loci turpiter consumentes, importuneque supervenientes, non familiariter, sed hostiliter hospitantes, & quod his omnibus est intolerabilius, vendunt Abbatias ipsis Abbatibus: ex hoc fit quòd ipsi non in loco spiritualium Patrum cæteris præesse videntur, sed bonis quæ comparantur turpiter dominando abutuntur, & inde gravia scandala in Monasteriis oriuntur. Nos ab illâ simoniacâ hæresi declinantes, & quæ Dei sunt Deo reddentes, pro obedientiâ traditâ & remedio animæ meæ meorumque parentum, item GARSIÆ SANCTII Comitis, & filii sui SANCTII GARSIÆ Comitis, & GUILLERMI Sancii Comitis, & GIMBALDI Episcopi, & GUILLELMI Comitis, & GARSIÆ Comitis, & BERNARDI Guillermi Comitis, & URACHÆ Comitissæ, & cæterorum tam vivorum quàm defunctorum: ita ordinamus & constituimus, ut ipse locus, scilicet Condomus, tali libertate sit condonatus, ut ex hac die in deinceps nullus meorum heredum sit particeps: quidquid ad nos pertinere usque huc videbatur, ad solvendum pertineat, ipseque cum cæteris suis fidelibus, quorum nomini adscribitur, amodo in perpetuum possideat. Monachi autem ibi Deo servientes nulli sæculari personæ propter honorem loci respondeant, nec Comiti, vel Episcopo, aut cæteris coacti aliquod servitium faciant; excommunicationem Episcopi non timeant, nisi rationabili causâ existente legalem esse cognoscant: sed & hanc libertatem semper habeant, ut Abbatem ex seipsis eligant; omninò tamen prohibemus ne quis pretio inter eos honorem adipisci velit, quia Apostolus dixit: *Qui dat & qui recipit, anathema sit.*

Hanc igitur nostram descriptionem, & Apostolicæ auctoritatis confirmationem si quis meorum heredum infringere voluerit, & Deo suisque fidelibus vim inferre & nostro dono studuerit, ullus cujuscumque ordinis sit, qui violare velit, cum Sem & Japhet non habeat partem benedictionis, sed cum Cham servo servorum mercedem recipiat maledictionis, & cum omni suâ possessione perditioneque animæ incurrat sententiam Sodomæ & Gomorræ, fiat, fiat anathema, maranatha †. Hæc descriptio acta est IIII. Kalend. Augusti UGONE Episcopo, & SANCTIONE Duce jubente, Domino autem sine fine regnante. Amen, Amen, Amen.

An. Chr. 1076. Confirmat donationem factam ab Hugone Agennensi Episcopo.

GREGORIUS Episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio RAYMUNDO Abbati Monasterii sancti Petri siti in loco qui dicitur Condomus, suisque successoribus in perpetuum. Supernæ miserationis respectu ad hoc universalis Ecclesiæ curam suscepimus, & Apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis precantium votis attentâ benignitate faveamus, & libramine æquitatis omnibus in necessitate positis, quantum Deo donante possumus, subvenire debeamus. Proinde juxtà petitionem tuam præfato Monasterio, cui tu præesse dinosceris hujusmodi privilegia præsenti auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus atque confirmamus; statuentes nullum Regum, vel Imperatorum, Antistitum, nullum quâcumque dignitate præditum, vel quemcumque alium, audere de his quæ eidem venerabili loco à quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt, vel in futurum Deo miserante justè collata fuerint, sub cujuslibet causæ occasionisve specie minuere vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis piis de causis per suæ avaritiæ excusationem concedere: sed cuncta quæ ibi justè oblata sunt, vel offerri contigerit, tam à te quàm ab eis, qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata & sine inquietudine volumus possideri, eorum quidem usibus pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, modis omnibus profutura.

Et quia UGO Episcopus idem Monasterium ex bonis hereditatis suæ ditatum Romanæ Ecclesiæ juri contradidit; ad futuram defensionis suæ cautelam constitutum est, ut singulis annis pensio quinque solidorum monetæ illius terræ Apostolicæ Sedi reddatur. Nominatim igitur confirmamus eidem Monasterio illas possessiones, quas prædictus UGO Episcopus ejusdem Monasterii Fundator, in pago Leumaniæ ex jure patrimonii sui præfato loco contulit: videlicet Ecclesiam sancti Petri & locum Condomus, quod interpretatur domus sublimis, cum omnibus suis appendiciis. Item constituimus, ut obeunte Abbate non alius ibi quâcumque obreptionis astutiâ ordinetur, nisi quem Fratres ejusdem loci communi consensu secundum timorem Dei elegerint. Hoc quoque præsenti capitulo subjungimus, ut ipsum Monasterium & Abbates ejus, vel Monachi ab omni sæcularis servitii sint infestatione secuti, omnique gravamine mundanæ oppressionis remoti, in sanctæ religionis observatione seduli atque quieti, & nullâ aliquâ habeantur occasione subjecti.

Hæc igitur omnia, quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quàm cunctis qui in eorum loca successerint, in perpetuum servanda decernimus. Si quis verò Regum, Sacerdotum, Clericorum, Judicum ac sæcularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contrà eam venire tentaverit, possessionis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat. Et nisi ea quæ ab illo sunt malè ablata, restituerit, vel dignâ pœnitentiâ illicitè acta defleverit, à sacratissimo corpore ac sanguine Domini Redemptoris nostri JESU-CHRISTI alienus fiat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri JESU-CHRISTI, quatenùs & hîc fructum boni operis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Datum Lateranis VIII. Idus Martii per manus PETRI sanctæ Romanæ Ecclesiæ

1076. Presbyteri Cardinalis ac Bibliothecarii, anno tertio Pontificatûs Domini VII. GREGORII Papæ, Indictione XIV.

QUoniam vita præsens incerto tramite graditur, & immensis mundus tribulationum quatitur turbinibus, homo quoque hodie vivens cras moriturus præstolátur: satagendum est cunctis sanè sapientibus justis solerter insistere operibus, & vitam quæ nullo fine clauditur, totis appetere viribus. Sanè ad illam nequaquam aliter pervenitur, nisi bonis actibus curratur. Ergo *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*, sicut Apostolus admonet, *& ambulemus in lucem vitæ, ne tenebræ mortis nos comprehendant.* Hoc quippe infimis & majoribus dicitur, justis & peccatoribus præcipitur, egenis & divitibus injungitur, unicuique secundùm propriam virtutem & conscientiæ puritatem. Cunctis audientibus Christus clamat humanitùs: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ab hac refectione nullus excusatur, nec inopiâ, nec infirmitate, sicut ipse cuidam ex Prædicatoribus præcepit dicens in Evangelio: *Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Multis namque bona voluntas à Deo pro opere computatur, illis videlicet qui facultate indigent operationis. Porrò divitibus & Principibus sæculi hujus, maximeque sanctæ Ecclesiæ Rectoribus, qui opibus abundant, honoribus tument, superbâ dominatione gaudent, salute corporis & sospitate vigent, possibilitatem benè operandi habent, & voluntate carent, atque ad exercenda bona opera pigri remanent, quid aliud debetur, nisi gehenna & confusio nunquam terminum habitura?

Gal. 6. 10.
Joan. 12. 35.
Matt. 11. 28.
Luc. 14. 21.

Ego itaque UGO, quamvis indignus, officium gerens præsulatûs, divitiis locuples, & abundans honoribus, quia Deus omnipotens mihi posse contulit benè operandi, ipsius favente clementiâ velle assumsi, & potiùs sitiens animæ salutem quàm corporis, nolui piger remanere in operibus bonis. Scio enim quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Ergo de rebus mihi à Deo commissis & collatis cedo ipsi locum nomine & memoriâ dignum, sicut olim concessi, Condomum in honorem sancti Petri Principis Apostolorum, locatum eâdem ratione & ingenuitate, quam jam diximus, & in primo hujus seriei privilegio descripsimus, quòd in archivis ejusdem Cœnobii hodie reservatur. Sed quia de statu & ordinatione ipsius Monasterii satis in eodem privilegio disseruimus, nunc bonum nobis visum est, ut quidquid idem locus, scilicet Condomus, promeruit diversis temporibus, sive à nostris temporibus, seu à viris Deo dignis & fidelibus nostris in usque diebus, hoc est, Ecclesiis, vicis, alaudis, vel territoriis succinctum colligamus, & in uno corpore redigamus, ne quando oblivione deleantur.

Enumerantur bona quæ ad Condomense Monasterium pertinent.

Primam itaque omnium Ecclesiarum de his quæ sancto Petro debentur, sive primum alaudem, ponimus in Aurelianum infrà Vasconiam constitutum & nomine sancti Cyrici decoratum. Hunc locum meus genitor GIMBALDUS Deo & sancto Petro devotè obtulit cum terris, & vineis atque casalibus, aquis aquarumve decursibus, intrandi & exeundi aditibus, & cunctis ad eum pertinentibus, absque ullâ reservatione pro salute suâ & redemptione sui spiritûs.

Huic subjungitur in eâdem Vasconiæ provinciâ sancti Petri Ecclesia, *Sangor* nuncupata, & ipsius nomine insignita, quam meus patruus & Vasconiæ Comes SANCTIUS eidem Cœnobio fideliter delegavit cum omnibus quæ ad ipsam pertinere videbantur: quo obeunte successit illi frater ejus GUILLELMUS Sanctius, meus itidem patruus; & agnoscens eleemosynam sui decessoris, firmiter roborare instituit,

tuit, ut simul acipere merentur portionem in regno Dei.

Ecclesiam sancti Petri Sanagorensis, quam Amaneus Lebretensis eodem tempore quasi propriam vindicabat; datis Siguinus duobus equis magni pretii, & viginti solidis redemit ad augendum honorem sancti Petri Condomensis; cui fideliter deservire studuit.

Postea sequitur sancti Stephani Ecclesia *Berringus* dicta, quam ego jam tradidi sancto Petro cum omni censu Ecclesiastico, deprecans ut ipse mihi succurrat in futuro, cui me toto cordis affectu commendo. Nunc ad alia transeamus, & quia nobis proxima & cognita sunt, sub brevitate curramus.

Est quidam locus nomine *Molans* alaudus sancti Petri, & suprà taxati Cœnobii Condomi cum omnibus suis appendiciis.

In quodam loco nomine *Margallo* possidet sanctus Petrus casalem, & quidquid ad eum pertinet; cum adjacente vineâ.

Ex alio loco nomine *Donadeno* cunctam medietatem retinet.

In alio loco nomine *Salbone* habet Ecclesiam S. Luperculi cum omnibus quæ ad eam pertinent.

Habet alaudum nomine *Balurenum* cum omnibus suis terminis.

Retinet alium nomine *Casellas* cum omnibus finibus suis.

Habet alium alaudum nomine *Ferrucinum* cum omnibus appendiciis.

Possidet alium nomine *Poiol* cum omnibus sibi suis debitis.

Quædam nobilis matrona nomine Brischita de Forces, sancti Petri Ecclesiam de *Diolo* huic Cœbio pro salute animæ suæ legaliter contulit, cum omnibus rebus ad eam pertinentibus. Quâ defunctâ, filius ejus Amalbinus à Seguino Abbate & habitatoribus loci duos equos accipiens, iteratò eamdem Ecclesiam & cætera prædia, quæ in eodem loco habere videbatur, cum omnibus appendiciis suis sancto Petro liberè & absolutè largitus est, adjunctâ ad hæc alterâ S. Hilarii Ecclesiâ de *Herrenes*, cum omnibus rebus Ecclesiasticis; terris quoque vel vineis, cultis & incultis ad eamdem Ecclesiam pertinentibus.

Habet alium nomine *Zacordata*, cum omnibus quæ ad eum pertinere noscuntur.

In quodam loco nomine *Marchiro* vendicat unum campum de terrâ cultivâ, cum omnibus quæ ad ipsum pertinent.

Item in alio loco nomine *Gualardo* possidet alaudes plurimos. terras, vineasq́, casas, prata, pascua, aquas & decursus aquarum certo tramite currentium.

Habet alaudum nomine *Poiole*, vel *Oleras* cum omnibus sibi adjacentibus.

Retinet alium nomine *Datolmum* cum eâdem Ecclesiâ quæ dicitur sancti Martini, & omnibus illi debitis.

Est alius alaudus sanctæ Mariæ, *Lana* dictus, & sancto Petro subditus, cum omnibus suis terminis. Medietatem sylvæ quæ *Lana* dicitur, Siguinus Abbas datis viginti solidis emit à quodam Milite nomine Arnaldo, ejusque filio Ramundo, quibus jure hereditario provenerat. Idem verò Arnaldus veniens ad extremum, unum ex filiis nomine Bernardum huic Cœnobio serviturum juxtà regularem institutionem delegavit, & alteram medietatem fideliter sancto Petro largitus est. Sanctæ Mariæ locuples habetur Ecclesia, *Lana* ab incolis nominata, quæ cum esset sancto Petro quasi alaudus subdita à Prælatis istius Cœnobii sæcularibus data fuerat occasione beneficii. Collatis itaque Siguinus Abbas centum solidis & equo magni pretii, redemit eam à Remundo Delavarmac, ejusque duobus filiis, Bernardo scilicet atque Radulpho, qui suis in diebus vindicabant.

Habet alium nomine sancti Joannis de *Capdoliciâ* vocatum, cum omnibus appendiciis suis.

Notum certumque sit cunctis nostris successoribus, quemdam nomine Gimbaldum Comitem, patrem Ugonis Episcopi, pro redemptione animæ suæ multos beato Petro dedisse honores inter quos etiam dedit quamdam Ecclesiam sancti Joannis *Cablisa* vulgo vocatam, sylvamque & terras quæ circumstant, certis metis ibi positis; & hoc jure perpetuo tali beato Petro tradidit tenore, ne unquam aliquis de ejus consanguinitate jam dictum repeteret honorem. Denique quædam nobilissima femina Gavarsens [a] nomine dicta, ejus videlicet neptis, soror Sanctii Guasconiæ Comitis, rediens à quâdam provinciâ Burgundiâ vocatâ, ubi maritum habuerat, sicut mos est pravorum, suprascriptam Ecclesiam violenter beato arripuit Petro: tandem vitæ terminum dans, atque violentiam injustam quam beato Petro fecerat, ut dignum erat recognoscens, Abbati Condomensi fratribusque nuntios festinanter transmisit, Ecclesiamque quam vi injusteque abstulerat, graviter pœnitendo reddidit, suumque corpus & animam cum aliis donis, sicut tantam decebat matronam, sancto Petro contradidit; quam Fratres accipientes, corpus ejus apud Condomum detulerunt, & ibi dignè atque honorificè sepelierunt, ac die noctuque pro ejus animâ, & pro aliis qui ibi sepulti sunt, Deo preces funduntur, eleemosynæ pauperibus dantur, quatenùs ejus anima aliorumque mereantur à Domino vitam accipere perpetuam, Amen. Hoc verò donum quisquis malignus Deoque odibilis violare seu auferre beato Petro præsumserit, perdat eum Deus in hoc sæculo, & in futuro maledicatur ab omnipotenti Deo, & ab omnibus Sanctis ejus: filii ejus fiant orphani, uxorque ejus vidua. Maledicatur vigilando, dormiendo, manducando, bibendo, nisi citò pœnituerit. Amen, Amen, Amen.

Iterum in alio loco nomine *Andirano* habet unum campum cum suis finibus, quem illi contulit Arsiasmanus Oculo lupino cognominatus.

Quædam etiam villa nomine *Marcharit* sancto Petro debetur, cum duabus Ecclesiis & omnibus rebus earum, quarum una est in honore ipsius consecrata, & in nomine sancti Gervasii altera.

Est alaudus sancti Petri nomine *Serra* cum duabus Ecclesiis, & omnibus finibus earum, quarum una dicitur sanctæ Mariæ, & altera sancti Luperculi. Adhuc est alius eodem nomine *Serra* vocatus, & totus illi subditus. Habet alium nomine *Carderona* cum omni integritate. In confinio sancti Germani est quidam campus adhærens Principi Apostolorum cum suis, nomine *Ariolandus*. Est locus nomine *Guardulinas*, ubi patronus noster retinet Ecclesiam suo nomine insignitam, cum omni censu ecclesiastico, & his quæ ad eam pertinent. In quodam loco nomine *Serralta* habet plurimos alaudos certo limite definitos. In alio loco nomine *Fredeleuco* terras & vineas & multa alia certo fine conclusa.

De illo qui appellatur Marchari, honore si per ordinem repetimus, simili modo actum est ut de isto primitùs. Nam supradictus Comes Gimbaldus qui

a *Gavarsens*] Infrà *Guarsinda*.

hunc locum jure hereditario tenuit, etiam illum in suo dominio cum isto liberè & absolutè & absque occasione possedit: quo viam universæ carnis ingresso, UGONI reliquit suo filio. Qui similiter ut suus pater, quoad vixit, cum honore istius loci possedit; hoc mortuo, Sanctione Comite vim isti loco inferente, BERNARDUS de Pardilan de eo acquisivit, & quousque supervixit, licet injustè, tenuit; qui tamen in fine vitæ suæ recognoscens quòd injuste possideret, ordinavit in præsentiâ plurimorum ut unus suus filius nomine PONTIUS Monachicum hîc reciperet habitum, & ex integro sancto Petro reddidit honorem supradictum. Quod & ita actum est, ut ipse ordinavit, & hoc legaliter, ut debuit, coram testibus sua mulier AUXILIA postea super altare S. Petri confirmavit.

Est alius Alaudus sanctæ MARIÆ *de Franciscano* dictus, & dominio nostro subditus cum omnibus appendiciis suis.

Ecclesiam S. Orientii de *Quinmach* tali modo recuperavimus. Hanc UGO Episcopus cum Ecclesiasticis rebus ad eam pertinentibus, qui cum isto honore S. Petri ex integro possedit, ARNALDO Guillelmo de Mulinar in beneficium dedit. Qui item ARNALDO de Muirach simili modo concessit pro beneficio: quam dum suo filio Guilermo Arnaldo, sicuti ipse possedit post suum decessum in beneficio dimisisset, nos post longum tempus tali conventione ab illo redimendo persolvimus. Nam tres caballos & sexaginta solidos denariorum sibi dedimus, & spontaneè & bonâ voluntate sancto Petro reddidit, & coram præsentibus testibus, & his fidejussoribus, Rotlando de sanctâ Genovefa, & Arnaldo Seguino de Burgunnos, ita nobis firmavit, ut si unquam aliquis injuriam facere vellet, ipse contrà omnes in omnibus firmiter & legaliter auctorizaret hujus chartæ descriptionem vel legalem affirmationem: si quis infringere vel infectam reddere voluerit, hîc & in perpetuum anathema sit.

In quodam loco nomine *Cirisolæ* habet quasdam piscatorias cum instrumentis suis.

Est alius locus nomine *Pinus*, in quo retinet sylvam benè determinatam.

In loco nomine *Sparthago* habet unam vineam cum campo ibidem posito & satis defuncto.

Adhuc vindicat in quodam loco nomine *Pinogulmo* quamdam Ecclesiam sancti Saturnini dictam, cum omnibus rebus suis.

Est locus *Doaldo villa* dictus habens Ecclesiam nomine S. Petri titulatam, in quâ ipse tertiam partem retinet cum sensu Ecclesiastico, & quidquid ad eum pertinet.

In loco qui dicitur *Camarnicus*, est Ecclesia sancti Stephani dicta, & Patrono nostro subdita cum omnibus rebus suis.

Est alia Ecclesia quæ dicitur sancti Joannis: sita in loco nomine *Septem socios*, & hæc sancto Petro debetur cum omnibus terminis suis.

Est alius ejus alaudus *Cumbans* nominatus cum omnibus suis finibus.

Habet alium *Bigomonte* dictum cum omnibus quæ ad eum pertinent.

Iterum est alius alaudus nomine *Treolars* cum omnibus terminis suis.

Est alius locus nomine *Rocas* cum omnibus suis appendiciis.

In loco qui dicitur *Fevoleda* habet alaudum cum adjacente vineâ, & quidquid ad eam pertinet.

Quidam locus est nomine *Pogencus*, habens Ecclesiam in honore Principis Apostolorum dicatam, de quâ ipse medietatem obtinet cum omni censu Ecclesiastico, & his quæ ad eum pertinent.

Adhuc habet aliam Ecclesiam S. Joannis dictam cum omnibus rebus suis.

Apud quemdam locum *Pontacus* vocatum possidet unam vineam cum toto alaude ad ipsam pertinente.

In eodem loco qui *Calsada* dicitur, tenet Ecclesiam sancti Luperculi cum omnibus appendiciis suis.

Est quidam locus vocabulo *Beraldus*, habet Ecclesiam sancti Severini dictam, quæ sancto Petro debetur cum omnibus his quæ ad illam pertinere noscuntur.

Apud aliam villam *Surdam-vallim* nominatam tenet medietatem Ecclesiæ sancti Martini cum omnibus rebus suis.

Iterum in quodam loco nomine *Bodolmo* habet Ecclesiam sanctæ Mariæ, & censum per singulos annos solvendum, scilicet duos modios frumenti, & duos modios hordei, & duos similiter vini, & duos etiam porcos pretio duorum solidorum dignos.

Ad ultimum restat *Tamvilla* quam beatus Petrus tali modo promeruisse dinoscitur. Quodam tempore GUILLELMO Burdegalensi Comite capto, meus patruus GUILLELMUS SANCIUS, cujus superiùs mentionem feci, ei subvenire studuit, & ideo ab hoc Monasterio plurima donaria accepta in vasis aureis & argenteis, candelabris quoque & turibulis seu aliis ornamentis, ea in amici sui liberatione protulit, offerens sancto Petro quasi pro satisfactione hunc locum sui juris, de quo loquimur, *Tamvilla* nuncupatum, ab integro, & absque ullâ reservatione. Cui & dixit: Sancte Petre, hoc in præsenti accipe, quod nunquam, Apostole, tibi subtraham, sed quod tuum est, usque ad unum obolum fideliter reddam, si fortitus vitam fuero prolixam: statimque morte præventus nihil ad effectum perduxit, sed villam prædictam beatus Petrus obtinuit, & nunc obtinet, & in futuro præstante Domino obtinebit cum omibus finibus suis. Illud verò nequaquam silere debeo, quod superiùs prætermisi, quando de Ecclesiâ S. Stephani *Beringus* vocatâ disserui; una quippe est ex tribus Ecclesiis quæ in eâdem villâ esse noscuntur, quarum prima est sancti Hilarii dominans aliis duabus, scilicet sancti Martini, etiam dictæ Stephani Quia ergo Ecclesia sancti Stephani jure subjicitur Ecclesiæ sancti Hilarii, pandere volo ne aliquando oriatur contentio.

Itaque primam & sequentes cum omnibus rebus suis jam beato Petro concessi, & iterum concedo sub obtestatione veri, quatinùs meis obtineat veniam delictis. In loco Beraldi, cujus paulo ante memini, cum ipsâ Ecclesiâ sancti Severini, de quâ jam diximus, retinet sanctus Petrus in alterâ ejusdem loci Ecclesiâ, & suo nomine nuncupatâ, quartam partem, & quidquid ad ipsam partem pertinet.

Est quædam Ecclesia nomine *Ruferat*, quam dedit beato Petro quidam homo Centullus nomine, & altera sancti Mauricii: qui locus in ipsius Patroni nostri dominatione permanet cum ipsis Ecclesiis & omnibus suis territoriis.

Quemdam locum *Grummac* dictum S. Petrus possidet ad integrum cum Ecclesiâ in ejus honore sacratâ, & alterâ nomine B. Sulpicii vocatâ, & quidquid ad eas pertinet.

In eodem loco qui dicitur *Villa-Ormeus*, vindicat Dominus noster Ecclesiam S. Luperculi cum omnibus suis territoriis.

Apud alium locum *Quinciacus* dictum vindicat beatus Petrus sancti Orientii Ecclesiam, & alteram suo nomine titulatam cum omnibus terminis suis.

Adhuc est quidam locus nomine *Cambas*, sive *Tornasole*, habens Ecclesiam sancti Saturnini, quæ Patrono nostro debetur cum omnibus rebus suis.

Est alius locus vocabulo *Sarracianus*, habens Ecclesiam sanctæ MARIÆ, quam similiter retinet cum omnibus quæ ad eamdem pertinent.

Locus quoque dictus nomine sanctæ Rufinæ, beato Petro subjicitur cum omnibus suis appendiciis.

Quædam Ecclesia sancti Sigismundi ipsius est, & quidquid ad eam pertinet.

Nec non est Ecclesia sancti Aviti cum omnibus rebus suis. Porrò hoc quod in meo Comitatu, vel Episcopatu, hoc est, Agennensi possidet, huic operi breviter inserendum est.

In eâdem & ejus tellure habetur villa quæ *Villaris* dicitur, & Domino nostro debetur cum universis quæ ad eam pertinent.

Est adhuc altera nomine *Anelavedâ*, quæ sancto Petro est subdita cum omnibus finibus suis. Hæc ergo sunt quæ nostrâ tempestate istud Cœnobium venerabile cognoscitur possidere, & possidebit, Deo auxiliante, absque intermissione.

Adhuc restat quædam villa vocabulo *Luchac*, in cujus territorio dedit Anna Comitissa sancto Petro plurimos alaudos, terras, vineas, prata & virgulta certo limite ab aliis sequestrata.

Donum quod fecit Arnaldus Sanctius de Ecclesiâ, quæ vocatur sancti Joannis de *Varag*, & de omnibus pertinentibus usquequaque; & qui vult scire, hujus rei testes fuerunt Petrus de Salas, & Arnaldus de Albâ-terrâ, & Espaiols de Suau.

Et de Ecclesiâ quæ vocatur sanctus Vincentius de *Avemac*, similiter Humaldus Siguinus dedit tertiam partem beato Petro, accepto Monachili habitu. De Ecclesiâ sanctæ MARIÆ de *Estamvillâ* assignamus, qualiter omnipotenti Deo, & sancto Petro Condomensis Cœnobii donata fuerit. Forto Bernardus Estamvilla, & Bernardus Oddo nepos ejus, & Bernardus Forto de eâdem villâ dederunt supradictam Ecclesiam sancto Petro cum omnibus Clericis ad quos pertinebit locus ille, sine ulla sæculari calumniâ, coram Abbate Raimundo & quibusdam ex Fratribus. Clerici verò non solùm dederunt partes quas possidebant, sed etiam semetipsos tradiderunt Deo & Abbati, ut communiter viverent sub potestate illius, vel sui Legati in eodem loco; quatuor tantùm, scilicet Ainardus & Garsiaeis & Petrus & Vitalis. Testes verò hujus rei sunt Raimundus Oddo, Deboolencs, & Sanier Debasoert, & Garsia de Goion, & alii quamplures qui aderant, & Forto de Salsiag Presbyter: sicque in adstipulatione duo talia signa ab ipsis testimoniis factâ continebantur.

Est & quædam Ecclesia quæ dicitur *Biguau*, & cultura una quam possidet beatus Petrus.

Donum quod fecit Pontius de Olbion & frater ejus Bertrandus, de Ecclesiâ sancti Joannis de *Majan*, pro remedio animarum suarum & parentum suorum: pro quo etiam dono dedit Abbas Raimundus & Fratres mulam centum solidorum, & viginti solidos, & Bertrando L. solidos, de quâ re sunt fidejussores Eumericus de Galard, & Guiraldus frater ejus, & Guillelmus de Bornag, & Guillelmus Garsias de Clarag; testibus Artione de Olbion, Petro de Galar, Bonel de Ponnefont, Guilem de Gualart, Bernard Desbornamers, & aliis quampluribus.

Raimundus Lupus & uxor sua dederunt unum boscum cum terrâ ad sanctum Petrum Condomensis ad Molinare in ripâ fluminis Banisia, & Seguinus Abbas dedit unum cavallum XL. solidorum, & decem solidos.

Tempore igitur alio quidam Geraldus Princeps Debons dedit filium suum quemdam, Petrum nomine, beato Petro, & cum eo Ecclesiam sancti Vincentii super Oceam, & medietatem Ecclesiæ sancti Martini de *Elim* cum Ecclesiasticis suis, & Ecclesiam sancti Amandi de *Bruis*, totam cum appendiciis suis, & Ecclesiam sancti Severi de *Guardera*, & quidquid ejus videtur esse juris, [in] cultis & incultis. Hoc factum est in præsentia A. Garsiæ de Albion, & in manu Abbatis Raimundi, filii ejus, & Bonel de Larochâ, & aliorum multorum. Postea Bertau de Bons & Arnaldus filius ejus instinctu diaboli prædictam Ecclesiam de *Guardo* invaserunt, & Arnaldum de Caned & Garsiam de Gardera, qui eam censualiter de manu Abbatis Condomensis tenebant, inquietare cœperunt. Reclamante Abbate AYNERIO Sanctii ad Episcopum Aguinnensem R. Bernardum, prædicti malefactores tamdiù sub anathemate positi fuerunt, donec ipsi & parentes eorum recognoscentes injustitiam suam, Abbati & Senioribus satisfacientes, fidejussores dederunt, & jurejurando firmaverunt, ut ullus unquam de parentelâ eorum hoc requirere audeat. Arnaldus de Bons dedit fidejussores Gualiardum de Bons, & R. Guillermum de Vemered, & Petrum de Vemered; Bertran de Suau, quia habebat sororem Arnaldi, dedit seipsum & Geraldum de Bons.

Nostris temporibus fuit homo amabilis Garsias de Sediliag dictus, habens quoddam podium virgultis ad plene consitum: hunc pro salute animæ suæ Deo & sancto Petro Condomi obtulit, & absque ulla reservatione nobis dedit. Quem accipientes ædificare curavimus, statimque jactis fundamentis Ecclesiam in honore sancti Salvatoris exstruximus, domicilia fecimus, agricolas statuimus, podium *Visu-pulcrum* vocavimus. Et ut termini illius magis prolongarentur, datâ pecuniâ fecimus: in primis comparavimus de ipso Garsia primam culturam XXX. solidorum. Cumque morti proximus esset, aliam nobis culturam in eleemosynam dedit, quæ superiori conjuncta est. Postea SIGUINUS Abbas dedit XL. solidos Oci.... Comitello ejusdem territorii pro libertate, ut nunquam ampliùs nec ipse, nec aliquis successor ejus prædicto podio, & quidquid ad eum pertinet, dominationem requireret, nec calumniam ingereret, legem comitalem, exceptâ causâ homicidii, non acciperet.

Quidam vir justus nomine Aiz, venit ad conversionem nobis in eodem loco, deditque vineam satis optimam. Villa quæ dicitur *Guila*, eidem podio est proxima, S. Martini habens Ecclesiam. Hujus possessor Guil Dat vendidit nobis XXVI. solidis duas partes ejusdem Ecclesiæ cum omni censu Ecclesiastico, & quæ ad eum pertinent, dans fidejussores seipsum, Guillelmum Bergui, Roger Ambrada; & testes Sanctium Odentrotum, Arsium de Ponte, G. Garsia Nincar. In eodem loco verò nostri Monachi Forto & Dominicus comparaverunt vineam XV. solidorum, & terras alias XX. solidorum de Oriol, Forto, Depintopin accipientes, fidejussores Guil Dat de Guilâ, Aizoriol de Sediliag, Bernat Ardui de Bolays; religiosa femina Gasens soror Guil Dat de Guilâ, in isto Cœnobio Sanctimonialis effecta, dedit quamdam franquitatem Darlimam, & in eadem *Guilâ* absque ulla reservatione, & quidquid Inden Graeies, vel Extort Canda habere videbatur, liberè nobis contulit. Item dedit nobis unum casalem cum adjacente vineâ, & quamdam partem alaudi quæ ipsi vineæ conjuncta est.

Dum prius sæculum, memorandarumque rerum monumenta non uniformi lege sancita, sed diversæ intentionis adstipulatione alligata secundum illustrium virorum dicta consideraremus; multo honestioris, seu utilioris facti nostrûm decretum fore existimavimus, scilicet quòd tunc temporis in regali-

bus fiscis augendis, vel in divitiis Reipublicæ acquirendis studiosâ litterarum impressione commendabatur posterorum memoriæ, nostris temporibus singula quæque ad obtinendam memoriam diligenter informarentur, quæcumque in augmentum sanctæ matris Ecclesiæ deputarentur. Nam in hac ultimâ labentis sæculi ætate, & penè naufragâ mundi tempestate tanto diligentiùs fieri credimus, quanto agnoscitur prius sæculum declinatum esse in pejus. Quapropter ego SIGUINUS, licet indignus Abbas loci qui dicitur Condomus dum vitam procelloso imminentis tempestatis gurgite absque remige laborarem, & plurimorum desolationem locorum considerarem, communi consilio Fratrum decrevi, ut bona nostri loci jam à bonis hominibus data, & tum à pessimis ablata, undequaque sparsa in unum colligeremus, & quæ nostris temporibus pretio, vel quocumque alio placito; Deo adjuvante, recuperavimus, nostrorum successorum memoriæ per chartas commendaremus; & ut indivulsa in perpetuum permanerent, Comitum vel Episcoporum, testium & fidejussorum legali auctoritate Deo & sancto Petro, istius scilicet loci provisori, constanter firmaremus.

In nomine ergo summæ & individuæ Trinitatis, ego supradictus SIGUINUS cæterique Fratres de quodam honore sancti Petri *Causac* nomine, & omnibus suis appendiciis cum GUILLELMO Astanovâ Comite conventionem habuimus, & ut nostro loco sanctoque Petro redderetur, pretio licet gravi & carissimo tandem impetravimus. Quem scilicet locum, ut relatu plurimorum audivimus, GIMBALDUS Comes, & post eum ejus filius UGO Episcopus hereditario jure possederat, semperque cum honore istius loci in suo dominio tenuerat; sed SANCTIO Comes post mortem Ugonis vim inferens, dedit suæ sorori, scilicet GUARSINDÆ, post cujus mortem iteratò idem Sanctio suâ potestate AMERICO Comiti vendidit, qui & filium suum GUILLELMUM ejusdem honoris quasi heredem reliquit: de cujus manu vel potestate, ut suprà diximus, tali conventione extraximus, ut pretium mille solidorum daremus, cujus pretii existimationem omninò solvimus, quamvis maximo labore, secundum conventionem. Nam mulam optimam & unum caballum secundum ipsius electionem pro septingintis solidis dedimus in pretium, insuper ex bonâ monetâ trecentos solidos denariorum.

Quâ firmatâ conventione coram plurimis testibus, ex integro dedit super altare sancti Petri, quod tunc temporis videbatur possidere; & hoc ita liberè & absolutè, & tali ratione, ut ullus unquam ex suis heredibus, & nulla alia quælibet suspecta persona ullam vim Monachis intulisset, sed sanctus Petrus cum suis propriè in dominio in perpetuum possedisset; & ut in suâ vitâ & omnibus locis auctorisaret, & legaliter confirmaret cum textu Evangeliorum, & ligno Dominicæ crucis Deo in præsentiâ plurimorum promisit, & duos fidejussores scilicet, Vicecomitem RUGERIUM de Gavaret, GUILLELMUM Arnaldum de Vilerâ, in manu Fratrum dedit eâ ratione, ut si eam unquam vel ipse Comes seu ullus suorum, vel cujuscumque personæ homo diabolo instigante vim vellet inferre, vel ullâ occasionis intentione placitum commovere, ipsi in fidelitate Dei & sancti Petri placitarent, & si opus esset, & contrà omnes defensarent.

Comes SANCTIO curtem, quæ dicitur *Busel*, & castellum quod ipse in eâdem curte firmavit cum omnibus appendiciis, villis, vineis, sylvis, pratis, pascuis, aquosis & inaquosis, cultis & incultis, pro remedio animæ suæ vel parentum suorum, ita ut ipse liberè possedit, post obitum suum sancto Petro ordinavit, & coram his testibus donum firmavit, Guillem Lupus, Bernard Ramont, Ramunt Paba, Arnalt de Fogit, Ricart Cordan. Eâ ratione ut ipse Ramundus Paba, qui eumdem locum sancti Petri de *Busel* per manum ipsius Comitis tenuit, medietatem ejusdem curtis in suâ vitâ possideret, ita tamen ut nullo modo licentiam haberet neque vendendi seu donandi, vel pignorandi, vel in beneficium alicui concedendi, & post suum obitum ex integro liberè & absolutè cum omnibus appendiciis, sicut ipse Comes in suis diebus tenuit, rediret ad sanctum Petrum.

Quidam Miles non infimi generis, sed præcipuæ nobilitatis & potentiæ, Bernardus de Taurinac vocatus, possidebat jure hereditario locum super littus Garonæ positum, regalibus ædificiis olim, sicut apparet, constructum, at nunc præ nimiâ vetustate penitùs dirutum & desolatum; vocatur autem ab imminenti fluvio, qui ibidem finem accipit, & Garonâ absorbetur, *Calcisdroti*, demonstrans ruinas duarum Ecclesiarum, quarum principalis est in honore sancti Christophori, altera in honore sancti Eparcii. Hunc ergo locum supradictus Miles ita dolens deperire, dedit animum ut in melius reædificaretur, & de infimo nobilis, de inculto cultus, de vacuo plenus redderetur; factâque nobiscum conventione partim dans, partim vendens, accepit à nobis mulam bene valentem c. solidos Tolosanenses. Et fecimus præstitum uni...... Romam pergenti. Ipse verò veniens ante altare sancti Petri, dedit nobis ipse & uxor sua nomine *Sodoma* locum nominatum cum supradictis Ecclesiis, & Ecclesias cum rebus ecclesiasticis & omnibus suis appendiciis. Dedit etiam supradictus *Bernardus* de Taurinac quasdam piscaturias beato Petro in loco ubi flumen Calcisdrotum conjungitur Garonnæ, absque ullâ reservatione, & sigillo, & reclamatione suâ, & omnium heredum suorum in provinciâ fidelium virorum secum comitantium, & nostræ parti faventium, quorum nomina sunt Arnaldus Garsies cognomento Comes, item Fortsans de Saron, Astonis Lubaner de Varenâ: in præsentiâ horum & aliorum multorum dedit sancto Petro, & firmavit nobis ipsum locum cum omni integritate.

Antiquorum sententiâ Patrum per universum mos inolevit orbem, ut quicumque pecuniæ, vel fundi alicujus legatione indigeret, testamento scripturarum fore fixa & immobilia statueret. Ideoque & nos vestigia non minùs illorum sequentes, quàm & illi, qui ratum & esse tenendum sanxerunt, disposuimus non minùs ea quæ à vivis nobis tradita sunt, quàm ea quæ ab his qui ex hoc sæculo transierunt, concessa suscepimus, commendare testimonio litterarum, ne quod à religiosis & timentibus Deum viris pro remedio animarum suarum, vel cujuscumque beneficii accepti, impendebatur Deo & hominibus, minùs religiosis & non timentibus Deum postmodum sequacibus filiis irritatione quassaretur infestâ. Devotione itaque supernâ quidam nobilis nomine Arsinus de Olbion percussus, accersito consultu totius suæ nobilitatis provinciæ, dedit beato Petro Condomensis Ecclesiæ, & habitatoribus ejus fundum hujus villæ quæ dicitur *Nerag*, & cum ipsis villam, forum & munitiones ibidem stabilivit. Dedit etiam huic Ecclesiæ fundum ad vineam ædificandam, in loco qui dicitur *Hesteri*; & in alio loco qui dicitur *Lupcrup*, culturam unam, dominationemque totius prædictæ villæ, & fori, atque usumfructum omnis beneficii: cujus beneficii medietatem accipiens ab Abbate, spopondit sese neque dominari ulterius, neque ullam violentiam facturum in æternum. De domo etiam suâ & muni-

tione, ut totius dominationis nostræ integritas in eâdem villâ servaretur, XII. nummos censualiter nobis dari uno quoque anno statutum est. Hæc omnia dedit beato Petro Apostolorum Principi Condomensis Cœnobii in præsentiâ Abbatis RAIMUNDI fratris sui, aliorumque plurimorum virorum.

Hoc etiam confirmatum est auctoritate & præsentiâ domini Papæ Urbani II. qui ibidem in honore beati Thomæ Apostoli & sancti Nicolai Episcopi & Confessoris Ecclesiam nobis consecravit. Affirmavit etiam hoc pacto & hac eâdem adstipulatione omnia dona, quæque pater suus & ipse fecit in provinciâ suâ, in perpetuum beato Petro mansura, Ecclesiarum scilicet, rusticorum, fundorum, vinearum atque omnium stipendiorum. Hujus rei testes sunt Petrus & Garsie, Arnalt de Olbion, Oggers de Padieru, Giraldus de Bons, Bonellus Falchetus, & Petrus de Salas, & alii perplures viri.

Arnaldus Garsias de Olbion dedit filium suum nomine RAIMUNDUM sancto Petro Condomensi, simulque Ecclesiam sancti Martialis de *Birarel*, & omne dominium & potestatem quam habebat in eâ. Postea verò supradictus Raimundus ejus filius, nutu Dei jam Abbas factus, dedit Arsino fratri suo equum pretii quingentorum solidorum pro dimidiâ parte sancti Vincentii *Lausmanensi*, & pro confirmatione Ecclesiæ & alodii sancti Martialis *Birilanensis*. Quo facto Presbyter ejusdem Ecclesiæ sancti Martialis, scilicet Emerius nomine, suis cum filiis, qui eam pro alaudo tenebat, suamque esse dicebat, accepit à supradicto Condomensi Abbate suis cum fratribus duos optimos boves, & omnia instrumenta quæ aratori necessaria & utilia sunt: de quo dono dimisit & confirmavit, necnon tribuit Deo sanctoque Petro, quod habeat ejusdem Ecclesiæ totum. Et pro unâ peciâ terræ, quæ est sub *Rochâ*, accepit ipsemet Emerius Presbyter cum suis filiis, solidos videlicet XII. sic vendidit & cum fidejussoribus firmavit; scilicet cum Bonello de Rochâ, & Garsie, Arnaldi de Olbion. Postea verò veniens jam bis suprà nominatus Emerius cum quodam filio suo ad Monasticum habitum nomine Bernardo, dedit B. Petro quamdam vineam, & unam terram simul in uno clauso, & stabilitatem domûs quæ est in eodem loco.

Item in *Barandraldo* Arnalt Garsias dedit Ecclesiam S. Martini de *Alansed* cum filio suo supradicto Ramundo, qui suscepit Monasticum habitum; & quidam Vitalis similiter suscipiens conversionem, dedit fundum Ecclesiæ beato Petro, & quidquid ipse Vitalis possidebat terrarum vel vinearum, totum dedit beato Petro.

Item in *Barandraldo* dedit Amalbinus de Paradiso & filii ejus & filiæ Ecclesiā sanctæ MARIÆ de *Molas*, & acceperunt à Monachis equum unum & decem solidos; & ipsi qui tenebant fundum, Guillelmus scilicet & Arnaldus, dederunt ipsum fundum beato Petro propter fratrem suum Bernardum, qui Monasticum suscepit habitum.

Item isdem Bernardus & mater ejus dederunt francum unum in loco qui dicitur *Estonbed*.

Item in *Barandraldo* dedit uxor Garsiæ Namundi de Padieru culturam unam, & filii ejus S. Petro.

Item in eâdem provinciâ dedit Amalbinus de Paradiso Ecclesiam S. Joannis de *Campo Centeer*, beato Petro totam.

Item isdem Amalbinus dedit Ecclesiam S. Orientii super fluvium Garonæ.

Item Oliverius Monachus dedit francum unum in loco qui dicitur *Biraged*.

Item in loco qui dicitur *Guardera*, dedit quædam mulier nomine Miranels, unam libertam cum omnibus heredibus, & culturam unam, & vineam unam.

Deinde quidam homo nomine Guillelmus Galter & filii ejus duo, loco qui vocatur *Mejanos*, dederunt beato Petro medietatem, & ultrà *Rivulo-torto* medietatem suorum, boscum & tres dineradas de vineâ, & in loco qui vocatur Bodiga-Secura, dederunt beato Petro cum omnibus quæ ad ipsum locum pertinent. Et in loco qui vocatur *Duorinla* Ecclesiam beatæ MARIÆ, beato Petro duo fratres Garsias Dat, & Guillelmus Dat, cum Ecclesiasticis suis, qui fundum Ecclesiæ jure hereditario possidebant, omnes in unum coadunati dederunt. & firmaverunt sanctissimo Apostolo Petro pro redemptione animarū suarum & parentum suorum. Tali namque conventione, ut sibi fieret salvatio, omnes supradicti qui inibi ad manendum venirent, cæterique qui se sub ditione ipsius salvationis ponerent, quisque pro domo suâ sive cellario censum sancto Petro tres aut duos donarios singulis annis redderent.

Tempore igitur alio quidam Guiraldus Princeps de Bons, dedit filium suum quemdam Petrum nomine beato Petro, & cum eo Ecclesiam sancti Vincentii super Oceam, & medietatem Ecclesiæ sancti Martini de *Elz*, & Ecclesiam S. Amandi de *Bruis* totam cum appendiciis suis, & Ecclesiam sancti Severini, & quidquid ejus videtur esse juris de *Guardera*.

Item Guillelmus Karolus quidam Miles, & nepos ejus quidam Oliverius nomine, venientes ad Monasticam conversionem, dederunt sancto Petro Ecclesiam quæ vocatur *Nux-sicca*, & francum unum, & alium francum in loco qui dicitur *Anezag*. Item dedit quidam Garsias Clericus alium francum in loco qui dicitur *Casals*. Item quædam mulier Argenta nomine dedit unam modiatam alodii. Item quidam Fortasi dedit unam denariatam vineæ, & modiatam unam alodii. Item Miles quidam Bertrandus Dazim dedit quamdam terram quæ adhæret Ecclesiæ sanctæ MARIÆ de *Nucissicca*.

Donatio de Ecclesiâ sancti Petri de *Lustralensi*, quam dederunt beato Petro Berus de Casâ novâ cum uxore suâ Spaniâ, & terras & vineas ad ipsum altare pertinentes ad alodum medietatem: alia medietas facit servitium XII. denariorum, & XII. panes & unum modium, c. & unam somadam vini pro remedio animarum suarum, & filiorum & filiarum suarum, & omnium parentum suorum vivorum & mortuorum: & Domnus Abbas propter hoc dedit ad eos XX. solidos, & suprà hoc dimisit Abbas duos cavallos, & VI. boves, & quinquaginta pondera caballorum de annonâ, & ferramenta nimis & spolia multa.

Cunctis legentibus sit manifestum, quòd quidam homo Fort-Garsias Darrigapel vocitatus, in termino suæ vitæ beato Petro duas partes Ecclesiæ sancti Stephani de *Bornac* pro animæ suæ redemptione parentumque suorum voluntate spontaneâ contulit, & unum campum juxtà eamdem Ecclesiam, quem tenebat in pignus quidam homo Aneiba cognominatus de Bornac, pro quatuor solidis. Et in Ecclesiâ quæ vocatur *Surdavallis*, similiter dedit isdem supradictus Fort-Garsias medietatem cujusdam vineæ, aliamque medietatem suæ uxori tali dimisit conditione, ut quamdiù ipsa viveret, eam teneret: sed post ejus decessum beatus Petrus cum suprascriptâ medietate jure perpetuo possideret. Post longum quoque tempus venit quidam Presbyter Arsinus nomine de *Bornac*, cum quodam filio suo nomine Guillem, nepotes supradicti Fort-Garsiæ ad sanctum Petrum, & dederunt beato Petro aliam tertiam partem supradictæ Ecclesiæ, & uterque mo-

nasticum habitum inibi accepit, & omnia quæ in Ecclesiâ & in hâc villâ juris eorum erant, sancto Petro tradiderunt.

Ode Dariaco cum filiis suis beato Petro Apostolorum Principi Condomensis Ecclesiæ, Ecclesiam scilicet de *Cleriaco* cum omnibus appendiciis suis offerens, etiam filium suum Bertrandum ut Monachus fieret, pro remedio animæ suæ parentumque suorum; tributum quoque quod reddit supradicta Ecclesia, tale est. Duo quarti reddunt unusquisque nummos XII. panes VIII. annonæ conchas quatuor, vini sextarios II. convivium semel in anno suo domino cum VIII. hominibus. Tertius verò quartus similiter, excepto prandio. Nam quartus liberè reddit beato Petro culturam unam in villâ sancti Medardi; casalem unum in isto burgo pignore datum pro C. sol. Hujus rei testes sunt Pontius de Pons, G. Garsias de sancto Orientio, & frater ejus Bernardus & Forto de Simonvilla.

Otgerius de Aiba-folia venit ad conversionem sancti Petri Condomensis, & dedit ei terram, cultam & incultam, quod interpretatur *Pelagmon*, usque dum propinqui sui reddant sancto Petro C. XX. & III. solidos & VI. denarios. Forto Emerius de Colerano reddit tributum, VIII. panes & VI. d. & duas c. de cujate, & iterum VI. d. & sex panes.

Donum quod fecit Gallardus de Bilera sancto Petro de filio suo Oggerio, & de tributo Bergomo, de censu scilicet XXX. & III. panes, & XV. conchas de annonâ & tertiam partem uno modio vini; & postea venit Bernardus filius supradicti Galardi, & accepit ab Abbate Ramundo equum valentem C. solidos, propter hoc quod supradictum est, & affirmavit donum super altare sancti Petri, & postea venit Bernardus ad obitum mortis, & duobus qui remanserant de supradicto tributo Bergomo, scilicet XL. & VI. panes, & duobus partibus, modio vini, & XXX. concas annonæ, & duos solidos, & III. gallinas, usquedum C. solidos redderent sancto Petro: deinde venit Oddo frater supradicti Bernardi ad mortem, & dedit sancto Petro servitium Garsiam filium Bergomo, scilicet XII. denarios & XII. panes, & unum modium annonæ.

In villâ quæ vocatur *Poipardinus*, beatus Petrus duos habet rusticos, qui singulis annis servitium V. solidos ad Vincula fideliter reddunt. Quos utique rusticos quidam miles Servatus nomine Deport pro filio suo, quem beato Petro in Monachum obtulit, jure hereditario dedit.

Quoniam nostri successores dona quæ huic loco dantur, nisi nos eis dimitteremus scripta, penitùs nescirent, cupimus ut hujus doni notitiam hoc ex scripto certissimam habeant. Fuit autem Miles quidam Gerardus de Bono-fonte vocitatus, filius Atarnalt, germanus frater Garnerii, qui in fine vitæ suæ donationem medietatis Ecclesiæ sanctæ MARIÆ, quæ nuncupatur *Esceramurs*, beato Petro in pignore, dereliquit, tamdiù donec Guarnerius ejus frater beato Petro LX. solidos Morlanensis monetæ redderet. Cujus Ecclesiæ annualis census tantus est, panes XL. nummi II. solidos, annonæ modii duo, sarcinæ vini II. hujus medietatem servitii dimisit supradictus G. beato Petro. Transactis iterum diebus plurimis, instinctu divino perculsus Guarnerius, ejus suprà jam nominatus frater, quemdam filium suum Atonem nomine monachili habitu indutum, pro redemptione animæ suæ, & ejus uxor Majalsen nomine, filiique ejus II. scilicet Bertrandus & Rostais, beato Petro super altare obtulerunt, & donationem quam in supradictâ vindicabant Ecclesiâ, medietatem alteram videlicet cum filio spontaneè dederunt, necnon alteram medietatem quam Eraldus pro hoc solidos dimiserat, insimul cum filio beato Petro tradiderunt: & ita utroque fratre partem suam donante, ex integro sub beati Petri donatione, Deo volente, positâ est. Sed & hoc sciendum, quòd in dono Geraldi fidejussores & testes Petrus Gualardi ille vetulus, & Argaias ejus nepos exstiterunt, in dono quoque Guarnerii Petrus Gualardi suprascripti Petri filius; & idem Argaïas & Arsinus de Bono-fonte, & frater ejus Petrus fidejussores & testes fuere: in utroque quippe dono tot fuerunt jussores & testes tam Monachorum quàm Clericorum, tam Militum, quàm Burgensium, quòd si vellemus scribere eos, proprium oporteret habere librum.

Alio in loco qui *Gumla* vocatur, quidam homo Arnaldus nomine cum duobus vicinis suis tradidit se Deo & beato Petro in perpetuum, reddens unoquoque anno servitium XV. denarios.

Hæc est conditio de dono cujusdam vineæ, & terrâ quâdam quam dedit Emerus de Birarel, pro se & filio suo, quæ vinea & terra simul sunt in uno clauso, & stabilitatem domûs quæ est in eodem loco, B. Petro Condomensis Ecclesiæ.

Quidam Miles Oddo nomine de Pardeliano vitæ suæ terminum imminere præsentiens, cum consilio uxoris suæ atque filii Ugonis vocitati, pro redemptione animæ suæ dimisit Ecclesiam beato Petro Condomensis Ecclesiæ, Fratribusque in eodem loco Dei jugiter famulantibus, quæ scilicet Ecclesia vocata sanctus Joannes de *Guardo*, habetur in *Barindraldo* famosissima. Protinùs utique redemptione Abbas cunctique fratres supradictæ congregationis dederunt LX. solidos Morlanenses atque XX. Agennenses. Cujus itaque donationis, nec non & affirmationis testes exstiterunt atque fidejussores, G. de Pardeliano, Argaiatus de sancto Martino, Arnaldus de Alteras, Ramundus Bernardus de Viconovo, G. de Bornaco, Bonifacius de Calladâ.

Notum sit omnibus, tam præsentibus quàm futuris, quòd quædam domina soror Guillelmi Arnaldi de Riaco, & Petri de Salberas, uxor Arsini de Matharis hominis locupletissimi, habens ex eo filium nomine Garsiam Clericum obtulit beato Petro de Condomo in Monachum in manu Amerii S. Abbatis & Annomi atque Joannis de Lausian Capellani, cum quâdam terrâ de *Nerag*, quam dederat Arsino marito ipsius & omni progeniei suæ prædictus frater ejus & avunculus Petrus de Salboëras, cum consensu omnium parentum suorum in dotem; & hanc terram prædictus Clericus dedit tali conditione, ut si aliquis filius de parentelâ suâ istam terram possidere vellet, quingentos solidos Morlanensis monetæ beato Petro persolveret. Hujus rei testes sunt Geraldus de Bons, & Ramundus Guillelmus de Nezered, & Amaneus de Sales, & Guillelmus de Sart, & Petrus Alaman, & Vitalis de Lausiam, & alii quamplures. Cujus terræ, ad utilitatem Ecclesiæ, cui filium, de quo loquuti sumus, voverat, statuit defensorem Amaneum Delebred, & omnem progeniem ejus, ut Monachi in pace terram illam possiderent. Istud donum factum est tempore INNOCENTII Papæ, & RAYMUNDI Bernard Agennensium Episcopi, & GUILLELMI Pictaviæ Comitis Vasconiæ Ducis.

Istud est donum vineæ de *Birag*, quam dedit Bernat Oddo sancto Petro pro remedio animæ suæ, cum uxore suâ & filiis suis. Post mortem verò ejus peracto curriculo multorum annorum, R. Abbas istius loci dimisit Ecclesiam istius loci Sanssol filio ejus, & tribuit ei X. solidos, & ipse iteravit donum vineæ quod fecerat pater ejus cum uxore suâ Beliard, atque cum filiis suis, conditione tali, ut à nemine parentum suorum ulteriùs deleri posset, in

præsentiâ Arsini de Olbionte, & Petri de Sales & Falchet, & multorum testium, nomina quorum scribere esset longum.

Ego Armerfen do Deo & sancto Petro & Abbati Siguino & Monachis præsentibus & futuris habitantibus in Condomensi Monasterio vineam, quæ est in villâ quæ vocatur *Sarrazan*, quam plantavi cum conjuge meo Garsia Guillelmo, jure hereditario in perpetuum, ut sanctus Princeps Apostolorum aperiat nobis valvas regni cœlorum.

Arsinus Sanctii de Artignâ, & uxor sua Anria dederunt unam vineam Deo & sancto Petro de Condomo pro peccatis suis jure perpetuo.

Arnaldus de Arrocas dedit unum alodem cum nemore, quod pertinet ad ipsum alodem, sancto Petro de Condomo pro animarum suarum parentumque suorum redemptione in villâ, quæ dicitur *Malo-Vicino* inter duo flumina, unum vocatur Bamsia, alterum Ocea.

Memoriæ præsentium posterorumque commendare disposuimus, quòd Ugo de Pardeliano prærogativâ charitate conspicuus in suburbio sui castri, *Montis* scilicet *Capreoli* ad pedem pontis, ubi fit ascensus ad superiorem partem præfati oppidi, pro redemptione animæ suæ Deo & sancto Petro Condomensi ad structuram Ecclesiæ domûsque, locum largæ diversionis in præsentiâ Aldeberti Agennensis Episcopi misericorditer erogavit, ubi diù mansit Ecclesia. Postea verò Oddo successor ejus & heres, vir bonæ indolis & astutæ prudentiæ, zelo divinæ adspirationis compunctus, & frater ejus Ugo suggestione Guidonis nostri familiaris, qui tunc conductor loci illius erat, donum præfati Ugonis fratris sui in præsentiâ R. Bernardi Agennensis Episcopi, & A. Sanctionis Abbatis Condomensis multipliciter augmentavit. Terram namque illam quæ est ante portam ejusdem castri, adjunxit priori dono, eo tenore, ut ibidem in honore beatæ semperque Virginis Mariæ Ecclesia fabricaretur, & harum solemnia usu quotidiano frequentarentur, quoniam locus intrinsecùs ad sacrosanctum Corpus dominicum tractandum competens non erat, de suis facultatibus multo sudore laborantium assiduoque dolatu construxit Ecclesiam, & xx. stationarios, vel eo ampliùs simul hereditavit, qui usu annotino x. solidos in festivitate sancti Joannis Baptistæ censualiter redderent. Placuit itaque sagacitati Condomensium de reliquiis Sanctorum, quarum Occidentalis Ecclesia feliciorem partem non obtinet, præscriptam Ecclesiam feliciter ditare, ut & illis esset in testimonium & accolis locus veneratior haberetur. Hoc autem factum est regnante Lodoyco Rege Galliæ, Guillelmo Aquitanorum Duce, Ramundo Bernardo Agennensi Episcopo, A. Sanctione Condomensi Abbate, testibus Ugone Archidiacono, Fortone de Bix, A. de Seira. Bernardo Vilau, Arsino Vitalt. Signum Odonis tribuentis †. Signum Abbatis suscipientis.

Posteris nostris conventum, quòd Ramundus Bernardus de Bignau cum uxore sua pro filio suo, quem in Festo omnium Sanctorum in præsentia Prioris Bertrandi & omnium Fratrum, Deo beatoque Petro in Monachum obtulit, scriptum reliquimus. Hac enim in villâ servitutem Guilelmi Ramundi Loripedis, scilicet vi. denarios dedit. In villâ autem quæ *Planeu* vulgò vocatur, alios vi. nummos, scilicet Garsioth, qui uno quoque anno illos reddat. Dedit etiam in eadem villâ medietatem culturæ. Hæc autem omnia supradicta tali tenore dedit, ut quamdiu suprà memorato Monacho scilicet Ramundo, vita comes sibi fuerit, jure hereditario teneat; si autem aliquis ex Fratribus illum supervixerit, & commemoratam terram cum servitio recuperare voluerit, beato Petro aut lx. solidos Morlanensis monetæ, aut centum Agennensis reddat. Visores autem hujus rei fuerunt complures, quos enumerare per singulos tædium esset: sed præcipuè isti, Petrus videlicet frater memorati Monachi, & noster Capellanus, necnon & Lambertus Eleemosynarius, & Tinardus, & Petrus Garsias. Amen, fiat.

Ego Arnaldus Despiasag, & uxor mea Alalaia, & filius meus Garsia Arnaldus damus terram, quæ est ad *caput urtium canatum* in podolio, quem expetivimus coram Grinaldo & aliis hominibus, beato Petro Apostolorum Principi. Testes Eicio de Castris, & Arnaldo Debeirenes.

In nomine Domini nostri Jesu-Christi Arnaldus Delator, & uxor ejus Asarida dederunt medietatem Ecclesiæ sancti Aniani Deo & beato Petro Condomensi pro Arnaldo filio suo, quem fecerunt Monachum, & pro redemptione animarum suarum, & unum locum, in quo (si quando Monachus in castro eodem habitare voluerit) domum sibi faciat, & ibidem fideliter Deo serviat. Necnon etiam dederunt xxii. denarios censuales in hac villâ de Condom, qui pro x. solidis in pignus habentur. Dederunt fidejussorem Jordan de Soldun, ut quomodocumque Abbati & Monachis placeret, supradictus Arnaldus & uxor ejus xxii. denarios solverent. Testes hujus rei sunt Domnus Abbas, G. Arnaldus de Quais, Giraldus Dalteges, Bernardus Cellerarius; Laici verò Jordan de Soldun, Arnaldus de Causenes juvenis, & alii multi.

Donum de Honore de *Causacho*, quem dedit Pontius de Albion beato Petro pro redemptione animæ suæ, ut orent & cantent Fratres ipsius loci villæ Missas pro eo. Interim teneat beatus Petrus supradictum Honorem, usque centum solidos reddat filius ejus, vel frater ejus aut propinqui ejus beato Petro. Ego Bertrandus frater ejus affirmavi ipsum Honorem super altare sancti Petri dedique fidejussores Petrum de Gualardo, & Eicium de Castras.

In Christi nomine, ego Amalbinus & Sanctius Forto frater meus facio chartam de unâ peciâ de vineâ apud ipsam terram de *Surdavalle* ad opus sancti Petri de Condom, & ad opus donatum Monachorum. Et ista vinea terminos habet in se per una concisa, & per unum avellanum, & per viam publicam, & hoc est pretium ix. solidos denarios Morlanensis monetæ, & istud pretium benè complacuit animabus nostris. Fidejussores Garsie Aner, & Donatus Sanctius de Sordebad: Visores Arnaldus Ramundus, Guillelmus Sanctius, Forto Garsia, & præsentes multi adsunt.

Donationem quam fecit Bernardus de Mirandol & filius ejus Petrus, de Ecclesiâ sancti Medardi & omnibus ad eam pertinentibus. Visores sunt, Vitalis de Sarralte, Donatus Darrigapel, & Guillelmus frater ejus, & pater eorum Sanctio Forti, & Durandus Agule, & plurimi alii.

Durandus filius Bernardi de Olone venit ad extremam diem, & pro remedio animæ suæ Ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ dicitur Olona, dedit sancto Petro; tali conventione, ut dedissent Abbas & Monachi Bernardo & Ramondo de Sanguinlâ xxx. solidos, deinde sit ex integro sancto Petro. Postea Ramundus & Bernardus fecerunt inter se talem conventum, ut Bernardus propter medietatem xxx. solidos supradictos accepisset x. solidos à beato Petro & suis, & medietatem supradictæ Ecclesiæ beato Petro reliquisset, & fecit. Si Ramundus propter aliam medietatem Ecclesiæ quam iterum reliquit, venisset ad monasticum habitum, & propterea receptus est inter nos. Deinde Durandus supradictus pignus quod pater suus sancto Petro fecit &

suis, & alios pignos quos factos habebat ad duos Milites, id est, Garsia Bergun de Claraco; *la Francdat Trepelba*, propter CLX. solidos. Et Saxetus Descatarencs duas francdas de *Grodes*, propter CL. solidos. Hoc totum sine ullâ reservatione sancto Petro ad alodem affirmavit. Postea Amardus frater ejus venit ad finem, & pro animâ suâ, & patris sui & fratris iterum affirmavit.

Amardus de Oloiâ dedit beato Petro unum cabmas *Alpeiregai*, quod reddit singulis annis III. modios frumenti ad conchas VI. per annum, pro redemptione animæ suæ & parentum suorum, & fecit se in hoc loco sepeliri.

Bernardus de Majalt, & frater ejus Eugenius dederunt sancto Petro Condomensi pro peccatis sitis paremtumque suorum, & pro uno equo, Ecclesiam quæ vocatur *Flaran* Fidejussores fuerunt Garsie Destil, & Pontius de Papons.

Hoc est donum quod fecit Ramundus Arnaldus de Ecclesia de *Ampel* Deo & sancto Petro pro remedio animæ suæ; donationem scilicet totius Ecclesiæ, & terras quæ ad eam attinent, necnon duo servitia quatuor denariorum, & unam vineam juxtà Ecclesiam. Hujus rei fidejussores fuere Fortaner de Santoscâ, & Ramundus & Arnaldus frater ejus de Ampel; & tres fuerunt ipsi fidejussores, & Ramundus Oddo Deberali, & Argaiad de Gualard, & Arnald de Lasbads, & alii multi, quorum nomina præ multitudine scribere nequivi.

Omnibus hoc scriptum legentibus sit notum, quòd miles quidam Fortanrius de Justiâ vocitatus, tertiam partem Ecclesiæ, quæ dicitur *Guardera*, tenebat ab Abbate & Fratribus Condomensibus, persolvens annuatim beato Petro quatuor conchas tritici, totidem sextarios vini. Tandem verò ad vitæ terminum post diutinam infirmitatem perveniens, dereliquit beato Petro jam suprà nominatam partem Ecclesiæ, & quemdam campum de *Laborerâ* nuncupatum, Monachusque effectus ad hoc Monasterium fuit allatus, & in Claustro ante Capitulum honorificè tumulatus, necnon in Martyrologio secundùm assuetum Monachorum morem in aliorum serie adscriptus. Testes hujus rei sunt Guillelmus de Ponteraco ejusdem Ecclesiæ Obedientiarius, & Guillelmus Bornaci Camerarius, Donatus de Avimam, Guillelmus Garsias, & frater ejus de Avimam senior de Garderâ, Eicius de Tetâ, Bernardus de sancto Martino, & frater ejus Tidbaldus, Guillelmus Gasias de Quais, & alii multi.

Sanctio de Rocas dedit vineam suam P. in *Podio*, I. denarium. Item in alio loco qui vocatur *Fossas*, dedit Sanctio Presbyter de Guardelâ unam vineam benè determinatam. In alio loco qui vocatur *Porgia*, dedit sancto Petro Forto Presbyter de Rocas unum nemus cum adjacente culturâ, & quidquid ad eam pertinet. In alio loco dedit Arti dominicum unum campum benè determinatum. Item *Apredos* possidet sanctus Petrus duas pecias de alod. Item *Acbrocar* possidet sanctus Petrus unum campum, quem emit Ar. à Guillelmo Presbytero de Guardelâ, & Fortone de Rocas decem libras de capro. Iterum in *Pogiâ* possidet sanctus Petrus unam peciam de terrâ, quam emit Ar. V. solid. de Sanctiâ & de filiis suis. Item filius ipsius Arsi Forto aliam peciam vendidit sancto Petro duos solid. & tres denarios.

Notum sit omnibus præsentibus & futuris, quòd Rostais Dalmiam obtulit Bernardum filium suum in Monachum Deo & beato Petro hujus Condomensis Ecclesiæ, & cum filio nominato dedit tertiam partem Ecclesiæ *Dalmian*, & quamdam vineam propè ipsam Ecclesiam. Bernardus verò filius ejus Monachatum dimittens, militiam arripuit, quod multùm condolens se fecisse, pœnitus in extremis ad conversionem rediit, & prædictam Ecclesiam reddidit. Hoc etiam donum Garsias frater ejus firmavit in præsentiâ Domni Garsiæ Abbatis & Fratrum hujus Monasterii, adstante etiam multitudine tam Clericorum quàm Monachorum circà altare B. Petri. Testes hujus rei sunt D. Abbas, Arsinus Dalbion, Arnalt de Quais, Bernardus Cellerarius, Petrus de Albuzon Monachi. Clerici verò, Forto Capellanus hujus villæ, Guillem Darricoder Capellanus sanctæ Eulaliæ, R. Delvenier. Laïci verò F. de Casâ novâ & uxor ejus, Geraldus de Sabadiâ, Petrus de Gondri, Guillelmus Danalag, Arsui Delpont, Vidal Clairomegosa, Guillem Bernad de Sabe Guarde, & multi alii. Facta est hæc confirmatio anno. M. centesimo sexagesimo septimo, III. Nonas Madii, Lunâ XIII. in Romanâ Ecclesiâ præsidente ALEXANDRO Papa, HENRICO Rege Anglicorum, & Duce Aquitanorum Principe nostro, GUILLELMO Auscitano Archiepiscopo, qui præsens erat, HELIA de Castellione Aggennensi Episcopo. 1167.

Comes Guillem Astanana dedit donationem de Ecclesiâ sanctæ MARIÆ *Cassania* sancto Petro Condomensi: & Abbas Siguinus & Monachi sancti Petri dederunt ad eum duos equos ex magno pretio: & Bernardus de Olonâ tenebat supradictam Ecclesiam de manu supradicti Comitis. Et iterum Abbas & Monachi dederunt duos equos supradicto Bernardo. Postea sanctus Petrus tenuit illam Ecclesiam usque ad obitum supradicti Comitis. Postea venit Garsias Presbyter & Sanctius filius ejus, & dederunt potestatem Ecclesiæ quam habebant in eâ sancto Petro super altare.

Ego Guillelmus de Gordon veniens ad conversionem in hoc Monasterio sancti Petri Condomensi, dedi eidem Ecclesiæ ejusque Fratribus omnem hereditationem meam in manu Domini Garsiæ Abbatis. Ipse etiam Abbas cum Fratribus suis dedit creditoribus meis triginta solidos Morlanensis monetæ, & omnia mihi necessaria in Monastico habitu. Visores hujus rei sunt Bernardus de Salabertan, G. Dalteras, R. de Balarum, Garsie Thomas. Laïci G. de Boncis, Ganzolans, Guilemate de Cassaie, Petrus de Cassaie, D. de Cassaie †.

In nomine Domini donum quod fecit Vidal de Copeton huic Condomensi Ecclesiæ. Vital de Copeton audiens Dominum in Evangelio dicentem: *Nisi quis renumiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; in hoc Monasterio Condomensi habitum sanctæ religionis accepit, & omnes possessiones suas in parochiâ beatæ MARIÆ de *Cassaneâ* huic Ecclesiæ Condomensi, ejusque habitatoribus in perpetuo possidenda dedit. Hujus rei testes sunt A. de Bonafont, Arnalt Mont, Arnaldus de Quais, Petrus de Flusan. Laïci R. Artomen, G. S. Bera, Fort Od, & alii quam plures.

Hanc autem terram propter debita cujusdam Electi Abbatis G. Bertran nomine Petro de Larrabezâ familiari meo, & pater ejus Bruno impigneratam quidam Monachus Sanctius de Maian vocatus V. solidos cum Domno Abbate G. postea solvit. Hujus rei testis fidejussor fuit Fortanenus de Senmag, P. Dalbuson Cellerarius, G. Tornefod de Salabatan, & testes plures fuerunt.

Alio loco Bernadus de la Beze dedit Ecclesiam S. Joannis *Damiebad*, cum campo uno qui Ecclesiæ inhæret, in casali quodam, quem venerabilis Abbas Addo de Casâ novâ fecit fieri & vallo cingi, & quidquid Ecclesiastici juris est, sancto Petro de Condom pro se & pro animabus parentum suorum; & obtulit quemdam filium suum in Monachum, & in obitu suo semetipsum. Similiter plures alii exemplo illius, ejusdem

ejusdem loci habitores, in obitu suo pro redemptione animarum suarum de terris suis eidem Ecclesiæ donum fecerunt. Et hoc tali conditione posteritati nostræ scriptum reliquimus, ut quicumque hujus donationis propter cupiditatem aliquid minuere sive auferre voluerint, damnatione perpetuâ ab omnipotenti Deo damnati permaneant, Amen. Sciendum verò est, quòd quædam matrona Ecclesiæ medietatem possidens, beato Petro donaverat. Supradictus verò Bernardus Ecclesiam de novo faciens, in propriam terram transmutavit.

Item apud *Cassaneam* quidam homo Sanctius de Tortoret in extremis positus, dedit beato Petro ad Ulmum de Tortoret unam concadam de terrâ & dimidiam, & unam cartaladam ad fontem de Pisol pro remedio animæ suæ.

1074. Ab Incarnatione Domini nostri JESUS-CHRISTI anno M. septuagesimo quarto, feria III. II. Nonas Madii, Lunâ VI. PHILIPPO Francorum Rege regnante, & Gauffredo Guasconorum Duce, & Aymerico Comite Fezenciaco, id est, Forto Milas, & G. BERNARDO Ausciorum Archiepiscopo, factum est ut in pago Fezenciaco tres fratres, scilicet Forto Bernardus de Villanovâ, & Ramundus Bernardus, & Arnaldus Bernardus dederunt beato Petro quamdam Ecclesiam nomine *Villanova*, juxtà fluvium Oza sitam, & mater eorum Beliardis nomine effecta est Sanctimonialis: & hoc donum quod fecerunt supradicta mater & ejus filii, cum consilio Amanevi eorum domini factum fuit. Hanc quippe Ecclesiam sancti Martini cum omni decimâ quæ ejus juris est, & cum terrâ quæ in circuitu ejus est, omnino sine aliquâ tradiderunt contradictione. Hoc iterum fieri notum volumus, quòd quando supranominata Ecclesia beato Petro fuit data, adeo erat solitaria, & ab omni hominum familiaritate sequestrata, necnon urticis atque vepribus ita circumdata, quòd vix aut ullo modo adiri poterat. Sed facto dono Fratres Condomenses adierunt, ea quæ necessaria fuerunt tam in libris quàm in signis, vel etiam in aliis Ecclesiasticis rebus illuc detulerunt, & eandem Ecclesiam, necnon altare de senectute in juventutem redegerunt. Hujus rei testes sunt Guillelmus Garsias de sancto Andrea, & frater ejus Bernardus, & G. Archidiaconus de Ascos & alii multi.

Walterus de Berdusan dedit beato Petro *Cabmas Asmerlenos*, quod reddit unoquoque anno 3. modios frumenti, & 2. solidos & dimidium, quod quisquis minuere, vel auferre beato Petro ausus fuerit, cum in æternum pereuntibus pereat.

Donum quod fecit Pontius & frater ejus Bertrandus de Olbion ex Ecclesia sancti Joannis, quæ dicitur *Maian*, pro suarum remedio animarum suorumque omnium parentum. Et quamvis hoc donum pro hujusmodi intentione beato Petro dedissent, tamen ab Abbate Ramundo, illorum scilicet consobrino, qui tunc temporis erat, & ab istius loci Fratribus mulam centum solidorum Morlanensis monetæ, & XX. solidos Pontius qui Ecclesiam possidebat, accepit, & Bertrandus ejus frater L. Sed & hoc notandum; quòd supradicta Ecclesia in quatuor participes sub hac donatione manentes, est quadripartita, scilicet Marsiner de Ecclesia, & Arsinus de Jeilelâ, & Arsinus de Petrâ & Garsianer Vicarius. Et supradicti homines duo, scilicet & Arsiner & Arsinus, sunt propriè homines beati Petri, & faciunt servitium ambo XL. panes, & duos solidos, & quatuor modios annonæ, & VIII. sextarios vini, duasque gallinas & questam. Forto quippe de Petrâ reddit servitium XII. panes & XII. denarios, & Garsias Amerius totidem: & hoc pro participatione faciunt ejusdem Ecclesiæ. Hujus verò doni fidejussores sunt Aymericus de Gualard, & Geraldus ejus frater, & Guillelmus de Bornac, & G. Garsias de Clarac. Testes isti idem & Arsinus de Olbio, Petrus de Gualard, Bonels de Bonefont, Guilelmus Guilem de Gualard, Bernardus Desbornazers & alii plures. Si quis verò de eorum genere, vel alius aliquis de beato Petro suisque habitatoribus hoc donum auferre voluerit, nisi inquisitus citò reddiderit, corpus & anima ejus, & quidquid ejus est, à Deo vivo maledicatur, & dæmonum potestati tradatur, & à Petro regni cœlestis clavigero Paradisi janua in perpetuum ei claudatur, Amen.

Alius Miles nomine Ramundus Arnalt obtulit unum ex suis filiis ad serviendum Deo & sancto Petro in isto loco nomine Triremium, & cum eo dedit nobis Ecclesiam sancti Laurentii de *Artmal* cum senioratu, & omni servitio, unum quoque francum, & unum boscum; atque unam culturam; & unum mansum Adæ Mul.

Nobilis quidam vir Ardoinus de Malmag vocatus, quemdam de suis filiis Bernardum nomine Deo & sancto Petro obtulit in præsentiâ SEGUINI Abbatis, pro quo filio dedit beato Petro prædium quoddam juxtà Monasterium *Elsæ* constitutum, quod cabmas tunc temporis Forto porcarius possidebat, ex quo uno quoque anno sine aliquâ contradictione beato Petro redditur hujusmodi census, tres modios frumenti, XII. denarios, quæsta & convivium Abbati suisque. Hoc donum sui filii suique honoris ita firmavit, ut nunquam aliquis de genere ejus in perpetuum suprascriptum sancto Petro referat honorem: quòd si fecerit, confundatur, maledicatur cum Datan & Abiron in inferno, & cum diabolo sepeliatur, Amen, Amen, Amen.

Simili modo Amalbinus de Paradiso dedit nobis Ecclesiam sancti Luperci de *Arrumbers*, cum senioratu & suo censu, hoc est, unâ refectione vel prandio absque ullâ necessitate, sed cum omni largitate.

Confirmatio doni quam fecit Amalbinus filius S. de Paradiso. Hic Amalbinus confirmavit donum patris sui, & dedit Ecclesiam de *Molas*, & Ecclesiam sancti Orientii, & Ecclesiam sancti Joannis de *Caravedus*, & Ecclesiam sancti Lupercii de *Arrunbers*, beato Petro Condomensis Cœnobii in manu & præsentiâ Arsini de Olbion, & Galterii de Fossato, & Peregrini de Porto, & aliorum plurimorum hominum.

Rodgerius Vicecomes de Guavaret dedit sancto Petro sibique famulantibus in ipso *Guavaret*, unum mansum pro ablutione suorum criminum.

Item in civitate quæ vocatur *Aquis*, Ecclesiam sancti Pauli in loco, qui appellatur *Bonos Casales*, quem dedit Anepalafred frater Comitis Garsia Sancii pro infirmitate quam passus est per duos annos, & sanus factus postea per intercessionem beati Petri.

Ab Incarnatione Domini millesimo octuagesimo quarto anno, undecimo Kalendas Octobris, V, feriâ, & Lunâ VI. Gualardus dedit beato Petro filium suum Odgerium nomine, & propter eumdem filium, & remedium animæ suæ & omnium parentum suorum præteritorum, præsentium & futurorum, dedit Ecclesiam sancti Martini quæ dicitur *Sentels* retrò *Marchari* cum omnibus appendiciis suis. 1084.

Item in eodem anno quarto Idus Octobris, Lunâ XXVII. & Feriâ V. Arnaldus Donad de Abigas & filius ejus, & G. Arnaldus de terrâ, quæ dicitur de *Capâ*, culta & inculta quantum illic possidebant, fecerunt donationem & venditionem beato Petro cum textu Evangelii, & propter hanc terram dedit eis domnus Abbas R. duos equos optimos; & supradicti Arnaldi fidejussores ejus fuerunt, Bernardus

de Limano, & Petrus de Villairâ, & Radus de Barrenes. Item in eodem anno Arnaldus Donat de Podis, donum fecit beato Petro de decimâ de terrâ quæ dicitur *Aster*, medietatem de tabulâ, & medietatem ad frairia, & si consortia deficiet, revertatur ad opera.

Notum sit cunctis in hoc loco viventibus Raimundum de Berrenes ætate quidem juvenem, moribus autem senem, filium Arnaldi Cappe, pro redemptione suæ animæ parentumque suorum, accipiendo monachalem habitum, quartam partem Ecclesiæ de *Grasismo*, quam hereditario jure ex parte matris liberè possidebat sine aliquo impedimento, beato Petro in præsentiâ Garsiæ ejus Abbatis dedisse. Quod donum tali conditione affirmavit, ut forte adhuc parentes sui justâ ratione clarente acquirere à nobis possent, quingentos solidos Morlienses nobis persolverent. Hujus doni testes sunt Acto Monachus Bonefontis, Aimonius Monachus, Vitalis Topie, & filius ejus Arnaldus, Geraldus Topie, & frater ejus Argaiad, & ipsemet Arnaldus Cappe, & alii plures: & Guido montis Caprini, Gaulolandus Darrival. Similiter medietatem quartæ partis ejusdem Ecclesiæ Raimundus de Sarralte, Monachum se faciendo, beato Petro perpetuò dedit.

In villâ quæ dicitur de *Berrenes*, Fort Guillem dedit sancto Petro de Condom quatuor concadas terræ, & æstimante unâ denariatâ de vineâ pro salute animæ suæ.

In nomine Domini hæc est charta quam fecit scribere Eicius Gillelmi de Podio Sanctio de Bilotâ Monacho atque Priori Condomensis Monasterii de illâ terrâ, quam habebat Grimaldus Mercator in vadimonium, pro tredecim solidis. Sentiens igitur supradictus Eicius Guillelmi appropinquare dies ut moreretur, convocatis cognatis suis & necessariis amicis, scilicet Bernardo Gaucelini de Bornag, & Arnaldo de Clarag, & Guillelmo Arnaldi de Cansancs, & Garsia Raimundi de Caisadâ, & duobus fratribus Guillelmo Garsia & Sanctio Garsia de Vallibus, & Petro de Gauran & plurimis aliis, fecit donum & vestitionem de supradictâ terrâ Domino Deo & beato Apostolo Petro sub testamento eorumdem cognatorum atque propinquorum, commendans illud & confirmans atque corroborans, his verbis: Ego Eicius Guillelmi recognoscens violentiam quam pater meus fecit Guilem Ladib beato Petro de illâ terrâ *Dellai*, reddo ei quamdam partem; ita tamen ut redditis tredecim solidis Grimaldo, terram ab eo hactenùs possessam possideant beatus Petrus ejusque servi, Abbas scilicet & Monachi perpetuo jure, & ut donum meum indissolubile sempiternoque tempore maneat, in horâ egressionis animæ meæ de corpore, meâ propriâ manu facto signo Dominicæ crucis, Sanctio Priore me per manum tenente, sequentibus in testimonium heredibus, hanc petitionem commendo atque confirmo. Si quis autem meorum successorum hoc donum infringere voluerit, cum Cham & Chanaan, cum Dathan & Abiron, & cum diabolo & angelis ejus flammis ultricibus deputetur & æternis. Amen, Amen. Fiat, fiat. Signum Eicii Guillelmi †. Signum Bernard Gaucelmi †. Signum Petri de Gauran †. Signum Arnaldi de Clarag †. Signum Sanctii de Pilota †.

Vir quidam nomine Arnaldus cum filio suo Ramundo sylvam quæ dicitur *Luna*, jure hereditario possidebat. Quem circumvenientes, viginti sibi solidos dedimus Tolosanenses, & ab eo medietatem ejusdem sylvæ accepimus eo ordine quo ipse vindicabat, dans fidejussores Arnalt Gauceum, Sans Devotum, Guairinum de Calzadâ: in præsentiâ Bernardi Cauiid, Guillem Sanz, Fortzan & aliorum multorum. Isdem quoque Arnaldus veniens ad extremum, quemdam filiorum suorum nomine Bernardum sancto Petro dereliquit, & alteram medietatem ejusdem sylvæ nobis dedit, & mediam partem vineæ quæ *Masus* dicitur, & tres partes sui alaudi, quas in nostro possidere videbatur, eâ ratione ut filius suus in isto Cœnobio Monachus efficeretur, & ipsi Arnaldo omnia quæ ad sepulturam essent necessaria, præberentur.

In territorio, in villâ quæ dicitur *Nitrag*, ego Eicius de Auriolo, & uxor nostra Argenta facio chartam ad opus dominicum Monachum, & Fortone Monacho, de bono alode apud ipsum boscum, & habet terminos in se per unam viam publicam, & pro uno pario, & hoc est pretium novem solidorum. Fidejussores Arroger, Garsia, Guilelmo; teneas, possideas. Visores Garsia, Arnaldus, Arsianus Presbyter, Arrodger & alios multos.

Durols de Gager dedit sancto Petro de omni suâ liberâ possessione liberum donum, & dedit suo arbitrio censum VI denarios omnibus annis, præsente Abbate Siguino, & Sanctio Garsia de Sentoscâ, & Saxeto Descatarencs, & Pontio puero de Pui, & Mefort Despinols, & aliis multis.

In finibus Lactoratensis hæc est memoria illarum terrarum quæ vocantur *Cumbe*, quas dedit Vicecomes Raimundus Arnaldus omninò, sicut olim beato Petro atque Abbati Siguino, cæterasque pertinentes ad eas, præsente ac regnante Guillelmo Comite, pro Dei amore & suâ animâ, Episcopo. . . . .

Ego famulus Christi Arnaldus de Airochâ dedi unum alodem cum ipso bosco, quod ad ipsum pertinet, sancto Petro de Condom pro remedio animæ meæ, in villâ quæ dicitur *Malovicinio* inter duo flumina, una vocatur Banisia, & alia Oca. Et hoc est pretium quod dedi, L. solidos liber comparavi, liber dedi. Valete.

Hæc est donatio quam sponte affirmavit Emardus de Olonâ Deo & sancto Petro S. pignus de *Godres*, quod dedit Saxetus Descatarencs CL. solid. Ipse verò Emardus dedit fundum supradicti pignoris jure hereditario, ut pater suus possederat.

Quidam nobilis Guillelmus Forto de la Plaie dedit beato Petro quamdam culturam, & quamdam vineam secus viam qua itur ad *Adugaldum*.

Item alio in loco qui vocatur *Mirandol*, idem vir dedit beato Petro quandam terram tali tenore, quòd nemo parentum suorum unquam recuperaret, nisi priùs sancto Petro pro illâ CL. sol. melioris monetæ redderet.

Hîc est adscripta donatio terræ, quam Alazeid de Lobens dedit pro remedio animæ suæ Deo & sancto Petro Condomensi, annuentibus filiis & filiabus, in præsentiâ Raimundi Abbatis, necnon & Petri Prioris, tali tenore, ut in vitâ ipsius & post mortem perpetualiter teneant & possideant absque reclamatione ullius heredis. Testes & visores hi sunt, Robertus Descocan, Vitalis de Pino, Senior de Moriet, Bernad de Lobens. Hæc terra sita est in *Cirisol*, mensurâ decem concharum.

Donum quod dedit sancto Petro G. Desilet, & filii ejus Centullus, & Garsia Guilelmi, & Guilelmus, de Ecclesiâ sancti Petri quæ dicitur *Peiregais*, & decimam de *Suas artigas*, pro remedio animæ suæ, & filiorum vel propinquorum suorum. Ramundus filius Sanctio Garsias de Lasvals venit ad extremum vitæ suæ, habebat equum optimum, dimisit eum beato Petro pro remedio animæ suæ, & supradictus pater ejus retinuit equum ipsum. Et propter hoc quia retinuit, dedit medietatem Ecclesiæ sancti Salvi de *Lasvals*, usque dum XX. solidos redderet sancto Petro.

Quidam Clericus nomine Cinersi de Carabedâ venit ad sanctum Petrum ad monasticum habitum, & dedit sancto Petro Ecclesiam sancti Joannis quæ dicitur *Auribad*, & vites canes, quæ sunt prope eam, & filium suum Arnaldum ad Monachum; postea alius filius ejus Arnaldus dedit sancto Petro filio suo nomine Bertrando ad Monachum, & propter illum vites canes quæ sunt juxtà alias, & omnia quæ possidebat in *Auriabal*.

Donum quod fecit Galterius de Tuded de terrâ, quæ dicitur *Anaclessa*, sancto Petro Condomensis, scilicet Lapressa quæ cepit Ane Garsias *ec est de la Barrere*, unde pergit Anadessa usque *Reclenbilla*; deinde usque *Addera* per guttas aquæ quæ dividuntur, terram; deinde sursum juxtà *Clera* usque ad pontum *Clato servo*, deinde usque ad *Barreram* juxtà *Anadessa*. Postea Ramundus Oddo frater supradicti Galterii à sancto Petro & à suis accepit x. solidos, & firmavit hoc supradictum donum Raymundus Bernardus de Basnert, & Saugerius frater ejus in ipso loco dederunt sancto Petro, qui dat sex denarios, & sex panes & tres conchas de cinada sed.

Quidam probatissimi viri nomine Fort Bernad Destamvilla, Bernardus Oddo nepos ejus, & Bernardus Forto Destamvilla, & Clerici qui eam de manibus supradictorum tenebant, similiter eam dederunt. Post multum verò tempus venerunt filii Forto Bernardi, scilicet Ugo Daltamvilla, & Arnaldus ejus frater, & Forto frater eorum, necnon Assalz, & filius ejus Bernard Od, & Geraldus filius ejus, quoniam donum quod supradicti parentes beato Petro fecerant, ipsi retraxerant & violaverant, pœnitentes & recordantes se malè fecisse; quòd malè abstulerant, benè beato Petro reddiderunt ante præsentiam Amerii Sanctii Abbatis, & ante faciem Gualterii Vicecomitis Tarride. Et etiam ut meliùs donum & redditio esset firma, Assalz filium suum Sancium de Condom nominatum dedit beato Petro in Monachum. Postea verò in die festivitatis beatæ Mariæ, mater supradicti pueri donum firmavit; & similiter Vitaldi eumdem puerum in litteras misit: Vicecomes quoque supradictam fidem Abbati dedit, quatenùs supradictum donum semper faceret tenere firmum, & salvitatem in eâdem villâ. Testes hujus redditionis & firmationis sunt Guillelmus Donetz, & frater ejus Odo, Ramundus de Cobirag, Guillelmus Beg, Guillelmus Perdedrudas, & alii multi. Sed & hoc sciendum, quòd tali conditione talique pacto fuit hoc factum, quòd nullus calumniator vel contradictor, qui contradiceret, ibi affuit, & ut in sempiternum beatus Petrus ejusque habitatores eamdem Ecclesiam tenerent ac possiderent.

Præsentes viri necnon & futuri notitiam habeant porpetuòque tenaci memoriâ retineant, geminos peregrinos in partes Guasconiæ cum quibusdam, ut testabantur, Sanctorum reliquiis venisse, alter quorum, ut fatebatur, Petrus Helias vocitabatur, alter verò Galterius nuncupabatur. Hi verò viri diù locum ad habitandum quærentes, tandem ad confinium quoddam, quod juxtà Ecclesiam quæ vocatur Sediliag, est positum, & super ripam cujusdam fluvioli quod vulgo dicitur Anda, habens situm, gratanter pervenerunt; ibique gressum longo itinere fessum figentes, cujusnam ditionis terra illa haberetur à vicinis ruricolis diligenter percunctantes, sub jure cujusdam nobilissimi Militis, Arnaldi scilicet de Sediliag eamdem terram esse repererunt, & acceptâ pro voto notitiâ, veloci pede ad supradictum Arnaldum, & ad Guillelmum Archidiaconum pervenerunt. Quid plura? Licentiam ædificandi villam ab A. expetierunt, & ut à viro largifluo largâ manu acceperunt. Incœpto autem ædificio suprascripti peregrini nolentes diù esse veluti oves sine pastore, vel ut navis absque rectore, Dei nutu cum suprà memorato Arnaldo & G. Archidiacono aliisque probissimis viris Condomum adiere, seque ipsos cum reliquiis quas secum gestabant, beato Petro dedere: & quidam ex illis, P. Helias scilicet, monasticum inibi accepit habitum, ejusque socius G. familiaritate acceptâ, monachalem accipiendi habitum tempore quo vellet potestate adeptâ, cum quodam fratre sibi in suprascriptâ obedientiâ prælato, nomine Aogerio de Alba-folia, reversus est, & inibi cum R. Abbatis, cumque Petri Prioris totiusque Conventûs licentiâ remansit, & prout potuit ædificium construxit, & ad ultimum peregre more solito profectus, abiit & recessit, & beato Petro ejusque habitatoribus obedientiam dimisit. Hoc quippe donum fuit factum G. Bernardo Archiepiscopo Auscienſem sedem regente, & Fortone Comite regnante. Hujus rei hujusque facti testes sunt A. de Sediliag & ejus filius Garsiafort Sanz, necnon Odo ejusdem frater, & Guillelmus Archidiaconus, & filius ejus Sanctius Guillelmus Fortanerius de colcian, & Sancius de Sescar.

Quædam nobilis femina nomine *Alazen*, uxor Raimundi Garsiæ de Casals, venit ad sanctum Petrum ad Sanctimonialis habitum, & dedit ei Ecclesiam quæ dicitur sancta Gelada, quæ reddit xxx. panes obliales & II. solidos, & unum modium annonæ, & quatuor sextarios vini. Et in eodem loco unam culturam; & supradictus vir ejus venit ad monasticum habitum. Et in villâ quæ dicitur *Vilota*, dedit unam francdad, quæ reddit tres solidos. Et in alio loco qui dicitur *Guardesco*, unam culturam; & in alio loco Haïlino unam francdad, quæ reddit XII. denarios & unam culturam. Et in alio loco unam terram quæ est sita inter viam publicam & *Calaned*.

Quædam nobilissima femina nomine Arricsen cum filiis suis, scilicet dominus Ajude, & Gansolan, atque Ugom & Arrejat, qui tunc vocabatur, & filiabus, dederunt Ecclesiam sanctæ Eulaliæ beatissimo Petro de *Sezan* pro remedio animarum suarum & parentum, cum omnibus appendiciis suis, scilicet cum honoribus Ecclesiasticis, cultis & incultis, aquosis & inaquosis, quæ ad eum pertingebant; tali conventione, ut si aliquando frater ille nomine B. qui tunc præerat honoribus his, præcepto Abbatis sui didicisset à vicinis hominibus illis quòd illic lateret causa Ecclesiastica, statim sine ullo placito sanctissimo Petro reddi mandaverunt. Interfuerunt verò viri non pauci nobilissimi atque rustici, testes & provisores, quorum nomina sunt hic: Odo de Pardelan, Arnaldus de Sedeliag, Arnaldus de Sentoscâ, & Ramundus frater ejus, Arnalt Unalt de Percipian, Sanzaner de S zan, & Arnaldus frater ejus. Nomina autem rusticorum sunt hæc, Sanctius Presbyter, Despiaub & filius ejus Garsias, & Arsinus Donatus Descolonier, Sanzarsi & Garsiæ Fort gener ejus, Fortasi & filii ejus, Donatus, & Guillelmus, & alii quamplurimi, & plurimæ feminæ.

Ideo notum sit omnibus Cœnobitarum Condomensium, quâ ratione quoque modo sit hæc donatio facta, subsequitur. Cum vellet supradicta Domina donum facere, fecit coadunare Dominum Abbatem Ramundum, & Petrum Priorem, & alios Fratres, & supradictos Seniores, misit legatos ut daret ei Abbas aliquod munus. Ipse autem compulsus his qui ibi aderant, dedit ei equum pretii viginti solidorum & x. solidos ex avelis. Et fecit

donum ipsa, & filii ejus, & filiæ cum cornu altaris & cruce in integro, nisi tantùm tertia pars quæ pignus erat Garsiæ Arnalt de Cornelià. Ipsa tamen quousque solveretur, permaneret, & solutâ pretii ejus dominæ remaneret vel suis, non reservans sibi, neque filiis, neque parentum ullam reservationem. Fuere autem hujus rei fidejussores, scilicet Arnaldus de Sediliag, Arnalt Urnalt de Pircipian, Sanzaner de Sezan, & ejus frater Arnaldus.

Sanctio Garsias de Centoscâ dedit *Ascalancd* sancto Petro unam sylvam, & campos cultos & incultos in ipso loco. Augerius Dascons pro redemptione animæ suæ & pro pretio, quod accepit ab Arnaldo Monacho, x. solidos, dedit unum campum.

In loco qui vocatur *Rufiacus*, emit Sanctio vineas, alaudos, cultos & incultos. Forto Garsia de Rufiaco dedit de sancto Petro duos rusticos.

In alio loco qui vocatur *Cartiga*, dedit Arsisam de Artinciam sancto Petro unam vineam benè determinatam.

In illo loco qui vocatur *Pino*, dedit Ato de Ancladâ sancto Petro medietatem honoris sui quem possidebat.

Arsiarnalt de sancto Gurgurio dedit ad sanctum Petrum unam domum, & unum casalem, & alaudos plures, & similiter in *Poio* unam vineam.

Garsias Monachus de Chilaon dedit sancto Petro unam vineam & unum campum prope *Bamsia*, suprà quem casalem emit Arnaldus Monachus unam peciam de terrâ de Donato Auriolo.

In villâ quæ dicitur in *Lota*. est quidam casalis cum vineis, quas dedit beato Petro Sanctius Monachus cum puero fratris sui, qui vocabatur Donatus Auriolus. Et in fluvio, qui vocatur Bamsia, habetur unum Molendinum; ex unâ parte dedit Ato de Angladas, ex aliâ parte dedit Ancforto de Vilorâ. Post obitum Ancfortonis abstulit filia ipsius cum viro suo, acceperuntque à Fratribus x. solidos probatæ monetæ. & dederunt fidejussores ut in perpetuum non possiderent. Et ipse Ato, cujus superiùs memoravimus, pro redemptione patris, vel matris & animæ suæ jure hereditario quas possidebat, dimisit. Et est vinea in parte ipsius villæ, quam dedit Donatus Emerus de Sartigâ. Et in alio loco possidet sanctus Petrus aliam vineam, quam dedit Sanctia femina. Item dedit aliam vineam Arnaldus Monachus, cum uno campo propè molendinum. Itemque alius Arnaldus Deairal dedit aliam vineam in prato. Iterum in podio *Vilotæ* dedit aliam vineam Fachel femina. Item sequitur alia vinea quam emit Sanctius Monachus vii. solidos de manu Auria. Et suprà villam Vilotæ dederunt decimam sancti Hilarii Ermenlen cum filiabus suis, beato Petro in generationibus sempiternis. Post mortem ipsius matris venit filia ejus cum suo marito, abstuleruntque beato Petro. Ad finem autem acceperunt tres solidos, & renfirmaverunt per cuncta sæcula. Amen.

Quidam Miles nomine Ramundus Garsias de Casals venit ad conventionem beato Petro, & dedit unam franedad facientem tres solidos. Alio verò in tempore per suum filium Arnaldum dedit in *Bailino* unum hominem xii. nummos dantem, atque unam culturam ad *Guardesc* ante unum campum.

Eicius Arsinus de Ampei tradidit beato Petro filium suum, & dedit unam culturam pro redemptione animæ suæ. Arnalt Eicius de Camaridâ unam dedit culturam.

Oddo de Beralt vendidit beato Petro quartam partem Ecclesiæ de *Beralt*, & accepit unum mulum & multa alia munera, atque insidiosè postea abstulit ipsemet. Ad finem autem suæ mortis non potuit ipse loqui, ideo nihil boni restituit. Fratres verò nostri illuc usque ierunt, ex parte Dei & Archiepiscopi prohibuerunt suæ uxori & filiis ejus, ut ullomodo sepeliretur, nisi priùs damnum B. Petro emendaretur. Uxor verò sua postquàm verba hæc audivit, voluntariè cum filiis duobus suis dedit B. Petro Ecclesiam de *Mirag*, atque omnia ad ipsam pertinentia, munus verò accepit x. solidorum; fideijussores fuerunt nomine Sanctio Forto de Beraldo, & Donad Sanz de Fontan.

In primis Catholicus quidam Eicius Aner nomine de Aran, veniens ad sanctum Petrum causâ peregrinationis, ut erat solitum ab hominibus illius terræ, suscepit monasticum habitum, dans quoque beato Petro Ecclesiam quamdam super fluvium Garonæ, quam vocant sanctum Petrum de *Jels*, & de Ecclesiâ sanctæ MARIÆ de *Villamors* tertiam partem. Ex omni etiam parochiâ de *Villamors* Ecclesia, & ex omnibus parochiis Ecclesiarum ad eam spectantium supradictus Eicius Aner tertiam partem totius decimæ beato Petro dimisit; necnon ex omni annonâ sive frumenti, sive aliarum messium, homines earum Ecclesiarum ex singulis modiis singulos sextarios semel in anno beato Petro persolvere debent.

Inde Clericus quidam de *Odezano* nomine Forto dedit sancto Petro modiatam alodii unam in eâdem villâ.

Inde Princeps quidam nomine *Bernardus* de Bassonâ dedit libertam quamdam nomine Anerdat de *Tauran*.

Inde Ato de Angladâ dedit libertam unam in *Podio* super S. Gurgurum.

Deinde in eodem *Podio* super sanctum Gurgurum Arsiarnaldus quidam offerens filium beato Petro & cum eo quartam partem Ecclesiæ sancti Martini de *Gualians*, & donum quoddam, & unum casalem quod dicitur *Arcmal*, & duas culturas, & dedit in eodem *Podio* vineam unam.

In villâ quæ dicitur *Inzlota*, habet beatus Petrus casalem unum, quem dedit ei Sanctius & frater ejus de Adanriol, & ipse dedit filium suum & duas vineas: & in eâdem villâ comparavit isdem Sanctius vineam unam beato Petro de muliere quâdam, quæ vocabatur Auria, & juxtà eam partem quamdam alterius vineæ, quam dedit sancto Petro mulier quædam Fal nomine.

Item in eâdem villâ dedit quidam Arnaldus de Eiral partem aliam vineæ cujusdam.

Item in eâdem villâ Arnaldus quidam suscipiens monasticum habitum, dedit ipse & mater ejus sancto Petro partem vineæ quamdam, & super vineam partem terræ quamdam, & super ripam fluminis Banniæ tres modiatas alodii. Et statuit ei mater sua, quòd post mortem daret sibi omnem portionem terrarum, vel vinearum patris sui, sive suarum.

Item in eâdem villâ dedit quædam mulier Sancia nomine partem quamdam vineæ: & in eodem loco dedit quidam Dooclanaer de Lartigâ partem unam vineæ.

Item in eâdem villâ habetur molendinum, quod construxit familia beati Petri; cujus locum, ripam scilicet fluminis, alteram dedit Ato de Angladâ & filia ejus Azera beato Petro, & alteram ripam dedit quidam Ancfort & filia sua Guarsens cum marito suo.

Item in eâdem provinciâ dedit quædam mulier Ermenelse cum filiâ suâ Guarsen decimam sancti Hilarii.

Item in villâ quæ vocatur *Artigua*, dedit quidam Arsi Sancius de Artmeiam vineam unam.

Item quidam Garsias Clericus dedit sancto Petro

quamdam partem terræ *Acomaneira*, & de omnibus supradictis in quibuscumque Ato de Angladâ dominabatur, cedit iisdem Ato beato Petro omne donatum quod ad se pertinebat. Item quidam Sanctius Clericus de Arrocas, dedit sancto Petro unam denariatam vineæ in villâ quæ appellatur *Cuardera*.

Item in eâdem villâ alius Sanctius Clericus dedit sancto Petro vineam unam quæ vocatur *Asafossa*. Item in eadem affinitate quidam Presbyter Forto nomine dedit nemus, & juxtà culturam unam beato Petro. Item in eâdem villâ quidam Arsi Dominicus dedit agrum unum. Item in eâdem villâ, in loco qui dicitur *Bredons*, dedit quædam mulier agrum unum, & Arnaldus Monachus emit juxtà illud agrum de Forto Emerio, dans ei duos solidos & dimidium.

Item in *Brocario* emit iisdem Arnaldus agrum unum de Guillelmo Presbyrero, & de Fortone de Guarderâ, dens eis decem libras metalli. Item in eâdem villâ *Guarderá*, in loco qui dicitur *Poligia*, emit supradictus Arnaldus agrum alium de quadam muliere quæ vocabatur Sanctia, dans ei quinque solidos. Item in eodem loco vendidit quidam Arsiforto sancto Petro agrum alium, accipiens inde duos solidos & tres denarios.

Item in villâ quæ dicitur *Lota*, emit supradictus Arnaldus Monachus unam partem terræ de Donadanriol.

Item quidam Sanctio Garsias Miles de Sentoscâ, veniens ad sanctum Petrum suscepit monasticum habitum, & dedit beato Petro agrum unum magnum, & sylvam omnem undique positam, in loco qui dicitur *Calaned* juxtà castrum *Pardelian*. Item in alio loco qui dicitur *Bailin*, dedit quidam Eisiarsi Dampel culturam unam pro filio suo, quem obtulit sancto Petro.

Item in pago qui dicitur *Rusiag*, emit Sanctius mutus terras & vineas cultas & incultas de Arnaldo de Bilota & de Arnalt de Caridpiu. Tertius quidam Forto Garsias de eodem Rusiag monasticam suscipiens conversationem, dedit duos francos sancto Petro. Item quidam Garsias de Haliano suscipiens monasticam conversationem, dedit sancto Petro unam vineam & unum agrum juxtà ripam Bamsiæ.

Alio quoque tempore quædam nobilissima femina nomine *Astaria* suscipiens monasticum ordinem, dedit sanctissimo Petro medietatem Ecclesiæ, scilicet beati Gorgoni, quæ sita est in ripam Olonæ, cum consilio consobrini sui Sanctio Garsia, & filiorum ejus nomine Arnaldo atque Guillelmo. Visores verò fuerunt Guilem de Orzan, & Amaneus de Berdusan.

Item *Ato* quidam nobilissimus Miles, dedit agrum magnum cultum & incultum, quem emit à parentibus suis, sanctissimo Petro in loco qui vocatur *Polio*.

Rusticus quidam nomine Sanzsan contulit Apostolo Petro quemdam ..., & unam concadam terræ in pago sancti Gorgoni, quæ reddit XII. conchas tritici.

Igitur in tempore alio quidam nobilissimi viri, scilicet *Ramundus* Garsan & *Galmundus* de Masecomâ, & *Ramondus* Viciate, atque *Ramundus* de Madirâ dederunt fundum Ecclesiæ sancti Petri, quæ vocatur *Bolbena*, cum omnibus appendiciis suis. Et illa Ecclesia erat tunc temporis impignorata duobus fratribus, scilicet Guilem Guilem, & Arnaldo Militi de Corzlâ per XXX. solidos. Et alii quàmplures rustici & Clerici.

In nomine Domini nostri JESU CHRISTI, ego *Garsias* de Flaraied cum Fortone avunculo meo, donamus & offerimus Ecclesiam beati Joannis de *Flaran* cum omnibus appendiciis suis, & cum omni jure nostro, pro redemptione animarum nostrarum & parentum meorum. Et ego G. dono meipsum pro Monacho Deo & beato Petro Condomensis Monasterii, in præsentiâ A. Abbatis & Fratrum suorum ante altare beati Petri, regnante L. Rege Francorum R. B. Agennensi Episcopo. Hujus rei testes sunt F. Clarag Prior, R. de Bignan, B. de Golored, G. Dalbaterra. G. Demtalt, A. de Bonafont, A. Mon, F. ... Maian Monachi. Laïci G. de Marmont, G. de Sentsannon, F. Dargentei, V. Monge, & alii multi. 1133.

Servitium quod Bernardus & Eugevivus miserunt pignus beato Petro pro animâ matris suæ: hoc est in villâ quæ vocatur *Hesquer*, est quidam rusticus qui debet uno quoque annò reddere VIII. denarios Morlanensis monetæ, & VI. pro ariete, & unam concham tritici, & alteram annonæ, & IX. sextarios vini, usquedum reddat aliquis eorum XX. solidos Morlanensis monetæ.

Quidam Miles nomine *Raimundus* Lupi de Morellis, venit ad conversionem in nostro Monasterio, in villâ quæ vocatur *Caroes* misit pignus quemdam rusticum, qui redderet in anno VI. denarios, & VI. panes, & unam culturam & vineam bonam beato Petro, donec filii ejus solventes redderent L. solidos Morlanensis monetæ. Hujus autem rei fidejussores sunt Ugo de Bileire & R. Donatus de Cano.

Fordat Destampoers, dum esset in captione, clamans ad Deum, intercessione beati Petri à vinculis liberatus est. Quare dedit beato Petro decimam cujusdam terræ, quam habebat liberam, omni tempore vitæ suæ, & post eum omnis posteritas ejusdem idem faceret in perpetuum.

Soror Principis SANCTII nomine TOTA, quamdam possessionem sancti Petri, quæ *Tamvilla* dicitur, violenter invasit, nec antea dimisit, donec uno caballo, & optimo signo redimeretur ab hujus loci habitatoribus.

Boscus de *Molinari* dictus, olim ab isto cui debetur Cœnobio fuerat alienatus, & sancto Petro sublatus: hunc Siguinus dato non ignobili equo & viginti solidis redemit à Ramundo Lupi & ejus uxore, à quibus eo tempore detinebatur.

Vir potens & magni honoris, *Bernardus* Arnaldi, Lansinaco nuncupatus, fratrem nomine Pontium Abbati SIGUINO ad nutriendum & litteris imbuendum commendavit, dans illi sancti Martini, quæ *Ticiana* dicitur, Ecclesiam cum sylvâ circumquaque positâ, & omnibus quæ ad eam pertinent.

Clericus hujus loci qui Lemes dicitur, Garsias nomine, quandam libertatem sancto Petro moriens donaverat. Hanc Arduinus de Monte d...ctus violenter invadens, tamdiù tenuit, quoadusque à Siguino Abbate XV. solidos accepit, & ita dimisit.

Alteram libertatem sancti Joannis, vocatam de *Guarderas*, datis XXX. sol. Guillelmo Comiti, & aliis triginta Raimundo Garsiæ de Sentoscâ, comparavit, qui eam à præfato Comite in beneficio acceperat.

Duo probatissimi Milites, quorum erant nomina Raimundus Sanctius de Sales, & Garsie Sanctius frater ejus dederunt Ecclesiam sanctæ MARIÆ *Darragonem* Deo & sancto Petro, pro peccatis suis & parentum suorum, cum omnibus appendiciis suis.

Posteritati nostræ scriptum relinqui volumus, quòd *Ramundus* Pareis instinctu divinæ inspirationis totam terram de *Bons* cultam & incultam, cum nemore quod circa viciniorem nobis ripam fluminis Oceæ situm est, ab omni servitio liberum, quod ex hereditate matris suæ in possessionem ejus transierat, & XX. denarios servitii, quos Bastard famulus noster pro VII. solidis in pignus habebat, pro re-

demptione animæ suæ, & parentum suorum, & pro suo Monachatu beato P. in manu PEREGRINI Abbatis dedit. Pocis post hoc transactis diebus, ut confidentiùs nemus prænominatum à nobis acciperetur, datis sibi à Camerario G. Dalticias nomine v. solidis pro vestitu suo, donationem ipsam in Claustro coram cunctis Fratribus cum magnâ devotione affirmavit. Testes hujus rei sunt ipse Abbas Peregrinus, G. Dalticias, & G. Franlenes, & Bonel de Sarocâ, P. de Samazerâ, B. de Safaurgâ Monachi. Laïci verò G. Dargenten, Bastard, P. Baldon, R. de Moirags, G. Durol, S. Fuert de Salneâ, qui ejusdem terræ custos & observator erat, & alii multi.

Posteritati nostræ scriptum relinqui volumus; quòd B. de Bons pro se & pro suis dedit beato Petro in perpetuum; locum qui dicitur *Laberdesca*, & locum qui dicitur *Altmont*, & locum qui dicitur *Lacoma*. G. Fuert & molendinarium ejusdem loci, & culturam de *Calaosâ*, & omnia jura sua usque ad terram *Montasin de Gualart*, pro monachatu suo, & pro redemptione animæ suæ & parentum suorum.

Universis tam præsentibus quàm futuris notum fieri volumus, quòd Miles quidam, Garsias Dalunan nuncupatus, sanus & incolumis ad Condomensem Ecclesiam accedens, monasticum ibi suscepit habitum, pro redemptione animæ suæ parentumque suorum, offerens beato Petro Condomensi Fratribusque ejusdem Ecclesiæ, duas partes Ecclesiæ *Dalunan*, cum omni jure ecclesiastico, & cum Ecclesiâ juxtà eamdem terram circumquaque spatio xxx. stadiorum, cujus Ecclesiæ tertiam partem Arostais Dalunan beato Petro Condomensi dederat, quando filium suum S. nomine vocitatum, Monachum fecerat: & ita beatus Petrus donationem totius Ecclesiæ Dalunan cum omnimodâ libertate acquisivit. Propterea memoratus G. Dalunam Ecclesiam sancti Gervasii, quæ proxima est Ecclesiæ Dalunan, nobis hoc pacto tradidit, quòd tamdiù eam habeamus & possideamus, donec aliquis de consanguinitate ipsius, cui jure hereditario competat, pro præscriptâ sancti Gervasii Ecclesiâ c. solidos, Morlanensis monetæ nobis persolvat. Hujus rei testes & visores fuere Domnus Abbas R. in cujus manu hæc omnia facta sunt. ARSINUS Episcopus Convenarum, A. de Laman Prior, G. Dalticias Cellerarius, B. Alaman, T. de Montfalcon, & omnes alii Fratres Condomenses, G. A. Dalunam qui præfatum donum confirmavit, & alii quamplures.

Præcedentium exemplo admoniti, quæ temporibus nostris beato Petro oblata sunt, scripturæ testimonio commendamus, ne incuria & negligentia nostra posteris nostris sit damnosa. Cunctis igitur liqueat legentibus quòd anno Verbi Incarnati M. C.
1194 XCIIII. Miles quidam Arnaldus de Lescura vocitatus, divinâ miseratione compunctus, in Condomensi Monasterio monachalem suscipiens habitum, dedit beato Petro Condomensi & ejusdem loci habitatoribus tres partes decimationis Ecclesiæ sancti Martini de *Lirâ*, cum omnibus ad eam pertinentibus, terras quoque cultas & incultas, necnon & servitia quæ ibidem jure hereditario possidebat, hac interpositâ conditione, ut Fratres Condomensis Ecclesiæ easdem tres partes Ecclesiæ à creditoribus, scilicet Amigot & A. de Soberâ Guarda, quibus præfatus A. de Lescurâ eas obligaverat de CCCC. solidis Morlanensis monetæ, redimendo persolverent: quod fecerunt. Hoc autem donum frater ejusdem A. Marsan nomine confirmavit, datis sibi à Fratribus Condomensis Ecclesiæ L. Morlanensis monetæ. Supranominatum donum ambo fratres pariter C. A. & M. & quidam eorum consanguineus, positis manibus super sacrosancta Evangelia, absque omni reservatione in perpetuum concesserunt: hoc tamen accepto, quòd si aliquando Marsan monachari voluerit, in Condomensi Ecclesiâ admittatur. Hujus autem donationis testes & visores Fr. G. Prior, A. G. Operarius, G. Sacrista; B. Camerarius, R. de Montefalco, C. de Godbes, B. Dastafort, P. Mercer, & omnes Monachi Condomenses. Laïci verò B. de Scatatenes, B. de Montpaion, S. de Luan, A. de Montfalcon, G. Dargentem, A. de Meca, Corals, & alii quamplures. Actum est hoc CÆLESTINO Papa III. præsidente, PHILIPPO Rege Francorum regnante, RICHARDO Rege Anglorum Vasconiam gubernante, B. Agennensi Episcopo existente.

In nomine Domini JESU-CHRISTI, laborans in extremis ego Vitalis de Beralt, in Condomensi Ecclesiâ monasticum sumens habitum, in manu Peregrini Abbatis, dono & concedo beato Petro Condomensi octavam partem Ecclesiæ de *Garderâ*, quam liberè possideo, & in eâdem parochia II. conchadas de terra liberas. Hoc tamen præcognito, quòd prædicta pars Ecclesiæ & terra cum medietate Ecclesiæ de *Bilar* & servitiis, terris & omnibus aliis quæ ibidem jure hereditario possideo, pro CC. solidis Morlanensis monetæ Bono Amico Davalag obligata est. Super hoc autem in præsentiâ plurium tale testamentum facio; quòd Fratres Condomensis Ecclesiæ præscriptum pignus cuicumque voluerint solvant, servato tamen usu pignorum solvendorum; & tamdiù teneant, donec aliquis, cui de jure hereditas mea competat, CC solidos Morlanensis monetæ eisdem reddat, & tunc Ecclesiam de Bilar, & omnia quæ ibidem ad me pertinent, recipiat; Ecclesia verò & terra de *Guarderâ* Condomensi Ecclesiæ in perpetuum remaneat. Quòd si etiam aliquando aliquis de consanguinitate mea memoratum pignus solverit, superiùs dictam partem Ecclesiæ de *Garderâ*, & terram Condomenses Fratres obtinebunt. Hujus rei testes invoco Domnum Abbatem Peregrinum, G. Dalticias, F. de Porta, V. Escolier, Gualterium de Beralt, R. Estiu, & alios quamplures.

Item Petrus R. de Gotbes dedit beato Petro Condomensi, ejusdem loci habitatoribus pro redemptione animæ suæ parentumque suorum; medietatem decimationis prædictæ Ecclesiæ de *Guarderâ*, quæ est inter Condomium & locum qui dicitur *Analag*, & filium suum C. pro Monacho, hac conventione à nobis retentâ, & ab ipso P. R. in fine vitæ suæ in manu PEREGRINI Abbatis ore suo affirmatâ, ut si & filius ejus monachari nollet, Ecclesiam supradictam beatus Petrus, & servi ejus Monachi non minùs hereditario jure possiderent: qui tum postea factus est Monachus. Testes sunt ipse Abbas R. G. Dalticias, G. Daurenes Capellanus hujus villæ, A. Lup de Bileni, C. de Ligardas, & alii multi. Hoc & donum postea filii præscripti P. R. scilicet Petrus, R. & Bertrandus, & R. G. positis manibus super altare beati Petri, pro se & successoribus suis in perpetuum nobis concesserunt & affirmaverunt. Hujus autem concessionis seu affirmationis testes sunt A. Abbas, G. Prior, G. Sacrista, A. G. Operarius, B. Camerarius, G. de Canoas, & Gualardus frater ejus, B. Dastafort, P. Mercer, & cæteri Monachi Condomenses. Milites verò A. Lup de Pilâ, C. de Ligardas; Burgenses G. Dargenten, Bonneg, Davalag, Saubaieg, B. G. Davalag, Gis de Poleng, P. de Sentyenion, & alii multi.

Item R. Clasterpuei, qui noster extiterat Monachus, in fine vitæ suæ habitum nostrum quem ante dimiserat, reaccipiens, cum consensu & assensu matris suæ Anrengat & aliorum amicorum suorum, dimisit ac dedit B. Petro Condomensi dimidium quar

tæ partis sæpedictæ Ecclesiæ sancti Joannis de *Guarderâ* jure perpetuo in manu G. Dalticias Cellerarii nostri. Testes & visores hujus fuerunt Anrengat magister Raymundi, P. Galairan Prior de Gazalpoi, S. de Guascoie Capellanus ejusdem loci, C. de Ligardas, & alii multi.

Bernardus Delbois decimationem terræ *Delbois* beato Petro Condomensi pro se & pro suis totam ex integro liberam, & ab omni servitio, pro redemptione animæ suæ parentumque suorum, in manu Abbatis PEREGRINI de Forcas & AR. Episcopi Convenensis dimisit. Quare factâ donatione prædicti Abbas & Episcopus, ut hoc magis ratum haberetur, dederunt supramemorato B. v. solidos Morlanensis monetæ. Hujus res testes & visores fuere præfati Abbas & Episcopus, & fratres Episcopi ODDO de Cassanova, & V. RAMUNDUS, R. de Bianan, D. de Sentsennon, Asters, Laïci; Monachi verò G. Dalticias, tunc Cellerarius, S. de Majan, S. de Quinsag, & alii multi.

Arnaldus de la Serra Miles divinâ inspiratione pertactus, à sententiâ datâ de illicitis decimarum detentoribus absolvi cupiens, in manu HELIÆ Episcopi Agennensis & R. Abbatis dedit liber beato Petro Condomensi medietatem Ecclesiæ de *la Saira*, sive de *Maiomont*, cum omnibus appendiciis suis. Quod donum filius ejus eodem nomine nuncupatus, super altare beati Petri positis manibus juramento pro se & successoribus suis affirmavit. Rustici etiam sui D. Serbad, & G. & quidam alii, qui pro præscriptâ Ecclesiâ jam dicto Arnaldo quolibet anno certam pensionem reddebant, juri suo, si quod videbantur habere, præfatum donum concedentes, penitùs juramento interposito abrenuntiaverunt. Testes sunt ipse Episcopus & jam dictus Abbas, G. Daiticias, R. de Montfalcon, G. de Lescolt, V. Descalaos, V. Alaman, & cæteri Monachi Condomenses; Laïci verò P. de Canoas, G. Feiran Pinhera.

Associatio totius Ord. Prædicatorum cũ Abbate & Monachis Cordom. Abbatiæ.

VIris religiosis atque devotis in Christo dilectis, domino M. Abbati Condomensi, totique Conventui nunc existentibus, Frater JOANNES Dei miseratione Episcopus & Magister Ordinis Fratrum Prædicatorum salutem, & ad vitæ cœlestis gaudia continuè suspirare. Vestram ad Fratres nostros & Ordinem universum specialem dilectionem evidentibus devotæ pietatis effectibus cognoscentes, & gratiarum omnium largitori uberes exinde gratiarum actiones affectione debitâ referentes, oramus & desideranter optamus, ut fructum nobis in ratione nostri Deus tribuat abundantem, & per incrementa quotidiana justitiæ messem nobis præparet gloriæ sempiternæ. Et ut nostræ parvitatis devotio ad tam prompta nostræ libertatis obsequia appareat non ingrata, omnium Missarum, orationum, prædicationum, confessionum, jejuniorum, & aliorum bonorum, quæ per Dei gratiam in universo Ordine nostro fiunt vel fient in posterum, vos tenore præsentium participes facimus perpetuò & consortes: concedentes nihilominùs, ut cùm alicujus vestrûm obitus nostro generali vel provinciali Capitulo fuerit nuntiatus, idem pro vobis fiat, quod pro Fratribus nostris defunctis communiter fieri consuevit. Datum in Monte Pessulano in Capitulo generali, anno Domini M. CCXLVII: VI. Kalendas Junii. 1247.

Nomina Monachorum Condomens.

Nomina Fratrum qui tunc erant, sunt hæc: Domnus Abbas MONTASSINUS, Garsias Prior, Pontius, Guillelmus, Arnaldus, Garsias, Cenebrinus, Bernardus, Bernardus, Andreas, G. Bellus, Ramundus, Ramundus, Augerius, Amalbinus, Fortaverius, P. G. Petrus, Ardus, Geraldus, Ardus, Vitalis, Bernaldus, Seibonus, Pelegrinus.

Abbatiæ S. Crucis Burdegal. associatio cum eisdem.

VIris religiosis atque devotis, & in Christo dilectis Domno AUGERIO Dei gratiâ Abbati Monasterii Condomensis, totique Conventui ejusdem nunc & in posterum existentibus GUALBARDUS permissione divinâ humilis Abbas Monasterii sanctæ Crucis Burdegalensis, totusque ejusque Conventus, salutem & ad vitæ cœlestis gaudia continuè aspirare. Vestram ad nos & Monasterium nostrum specialem dilectionem evidentibus effectibus cognoscentes, ac debitâ affectione vobis condescendentes, oramus & indesinenter optamus, ut fructum optatæ salutis Dominus vobis tribuat abundantem, & per incrementa justitiæ messem præparet gloriæ sempiternæ. Et ut nostræ parvitatis devotatio ad tam promptam devotionem, & postulatum instanter desiderium appareat non ingrata, omnium Missarum, orationum, jejuniorum, eleemosynarum, & aliorum bonorum quæ per Dei gratiam in nostro Monasterio fiunt vel fient in posterum, vos tenore præsentium participes fecimus pro vobis & successoribus vestris perpetuò & consortes: concedentes nihilominus ut pro animabus Fratrum defunctorum Monasterii Condomensis prædicti tertiâ die post Festum omnium Sanctorum, anniversarium annis singulis in Monasterio nostro per nos fiat, adhibitâ solemnitate quâcumque, quam in præcipuis anniversariis consuevimus adhibere: necnon concedentes, ut cum Domnum Abbatem vel aliquem Fratrem Monachum Monasterii præfati declinare ad Monasterium nostrum, seu ad aliqua loca nostra fortasse contigerit, juxtà possibilitatem nostram & dictorum locorum, eidem vitæ necessaria ministrentur, ut nobis & Fratribus nostris voluimus, vel fieri consuevit. Datum & concessum hoc Burdegalæ in Claustro Monasterii prædicti, præsentibus venerabili Priore Calcedroti Fratre, Raimundo de Andirano, die Martis post Festum Exaltationis sanctæ Crucis. In cujus rei testimonium & obligationis nostræ hujusmodi ac affectatæ & perpetuæ observationis præmissorum, nos Abbas & Conventus prædicti Monasterii sanctæ Crucis Burdegalensis sigilla nostra duximus præsentibus apponenda, anno Domini M. CCLXXXI. 1281.

Grandissylvæ Monasterii Ord. Cist. associatio.

VEnerabilibus & religiosis viris, ac in Christo sibi dilectis & carissimis Domno ARNALDO Odoni, Dei gratiâ Abbati Monasterii Condomensis, totique Conventui ejusdem Monasterii, nunc & in posterum existentibus seu Professis; Frater BERTRANDUS dictus Abbas Grandissilvæ Monasterii, Cisterciensis Ordinis, Tolosanæ Diœcesis, totusque Conventus ejusdem loci, salutem & perpetuum ac continuum sanctæ religionis effectum, fructum cœlestis gloriæ promereri. Exigente piæ devotionis affectu, quam ad nostrum Ordinem & ad nos ac nostrum Monasterium prædictum ex serie vestrarum litterarum accepimus vos habere, & oblationibus vestrarum orationum & suffragiorum, necnon communicatione bonorum temporalium à vobis, nobis licet immeritis vestri gratiâ præsentatis, gratiarum actiones vobis pro nobis & nostris successoribus quantas cum Deo possumus referentes, concedimus vobis ac vestris successoribus perpetuò plenariam participationem omnium bonorum spiritualium & temporalium quæ fiunt, ac de cætero, Deo favente, fient in nostro prædicto Monasterio Grandisl. & in nostris filialibus Abbatiis, ac tota generatione prædicti nostri Monasterii Grandisl. in vitâ pariter & in morte, in Missis, orationibus, jejuniis, disciplinis, eleemosynis & cæteris quibuscumque operibus pietatis. Insuper quòd cum obitus in

posterum Domni Abbatis Condomensis ac cæterorum Monachorum & Fratrum ejusdem Monasterii, per rotulum brevem, vel litteram, aut aliàs scripto, seu verbo nostro Capitulo fuerit nuntiatus, ibidem sicut unum nostrûm absolvemus, omniumque Missarum & orationum, quas pro Fratribus nostris defunctis injungimus faciendas, efficiemini participes & consortes. Præterea volumus ut die quâ præcipimus anniversarium pro nostris Fratribus fieri annuatim, videlicet XII. Kalendas Decembris, nomen vestri Monasterii inscribatur, necnon & personarum, ut indelebili memoriâ vestri & vestrorum successorum absolutio apud nos & nostros successores in ipso anniversario perpetuò habeatur. Gaudenter vobis nihilominùs annuentes, quia cum Domnum Abbatem Condomensem aut aliquem de Monachis aut Fratribus dicti Monasterii ad nostrum Monasterium, seu loca nostra contigerit declinare, eisdem liberaliter & honorabiliter, sicut uni nostrûm aut meliùs necessaria ministrentur, ut sicut invicem in charitate radicati & fundati, bona temporalia & spiritualia communicantes, in stadio vitæ currendo perseveramus, sicut decet humilitatis omnimodo professores; mereamur in fine feliciter accipere bravium cœlestium gaudiorum. In quorum omnium fidem & testimonium, nos prædictus Frater BERTRANDUS Abbas Grandissylvæ sigilium nostrum, quo unito cum prædicto Conventu utimur, pro nobis & dicto Conventu, præsentibus duximus apponendum. Datum Grandiss. & concessimus unanimiter in Capitulo, die Lunæ post festum beati Barnabæ Apostoli, anno
1304. Domini M. CCCIV.

Enarrantur donationes Abbatum, ac Monachorum Condom. Abbatiæ, quæ regularem observantiam denotant tunc labefactatam.

QUoniam bona opera prædecessorum sunt per suos successores memoriter retinenda, ut ipsi successores pro animabus eorumdem prædecessorum velint Dominum JESUM-CHRISTUM in suis orationibus exorare, ut perfectis dictis bonis operibus ipsorum prædecessorum ipsi successores studeant similia opera vel meliora exemplo eorum in hoc Monasterio, & locis aliis ejusdem Monasterii facere, & totis suis viribus procurare; ideo quædam bona opera per aliquos venerabiles Abbates, Priores, Administratores, ac aliquos alios Monachos Claustrales hujus Monasterii facta meritò sunt scribenda.

In primis est sciendum quòd Domnus MONTASINUS de Gualardo, venerabilis Abbas hujus Monasterii fecit fieri muros castri de *Cassaneâ*. Item aulam & cameram Domni Abbatis hujus Monasterii. Item aulam Prioratûs *Calcidroti*, & multa alia bona. Et post ejus obitum de suis vasis argenteis fuerunt factæ tabula & capsa de argento, cum imaginibus quæ sunt in altari majori B. Petri, in quâ capsâ sunt plures reliquiæ diversorum Sanctorum. Qui quidem Domnus Montasinus obiit in vigiliâ B. Matthæi Apostoli,
1247. anno Domini M. CCXLVII. Et est sepultus in Prato B. Katherinæ retrò Capellam B. Virginis MARIÆ.

Item anno eodem Domnus AUGERIUS de Andirano, tunc Prior *Neiraci*, fuit electus concorditer in Abbatem hujus Monasterii, qui fuit valde religiosus & vitæ laudabilis, ipseque in hoc Monasterio instituit festum beati Joannis Evangelistæ ante Portam Latinam in Albis; pro quo festo emit certos redditus, & eosdem Conventui assignavit, Capellaniam in capellâ beati Joannis Evangelistæ infrà Monasterium, & ibi est sepultus. Item fecit tria anniversaria, unum pro se, & aliud pro Domno Montasino de Gualardo Abbate prædicto, tertium verò pro animabus parentum suorum. Item fecit unam cappam Chori, & unam infulam cum dalmaticâ, & tunicâ de bysso viridi. Item unum vestimentum cum imaginibus paratum. Item fecit fieri domum de *Cuz*, cùm Ecclesiâ. Item Ecclesiam castri de *Cassaneâ*. Item domum Infirmariæ testudinatam cum camerâ eidem contiguâ hujus Monasterii. Obiit autem dictus Domnus AUGERIUS die III. post festum Assumptionis B. MARIÆ, anno Domini M. CCLXXXV. 1285.

Eodem verò anno Domini, videlicet V. die post obitum ejusdem Domni Augerii Abbatis prædicti, Reverendus Pater in Christo Domnus ARNALDUS Odonis de Leomaniâ, tunc Prior *Neriaci*, fuit electus concorditer in Abbatem hujus Monasterii, qui fuit valde famosus, religiosus & utilis huic Monasterio verbo pariter & exemplo. Nam ipse instituit in hoc Monasterio quinque Festa in Albis, videlicet S. Antonii Abbatis..... & quòd dies crastina post Festum Assumptionis beatæ MARIÆ solemniter celebretur. Item ordinavit quòd omnibus diebus Sabbatinis totius anni officium Missæ beatæ MARIÆ Virginis perpetuò celebretur, exceptâ Quadragesimâ & Octavâ Nativitatis Domini, Paschæ & Pentecostes, nisi illâ die Sabbati occurreret Festum XII. Lectionum; & si contingeret occurrere dictâ die Sabbati aliquod Festum XII. Lectionum, quòd in proximiori die præcedenti ejusdem septimanæ dictum officium celebretur. Item instituit unam Capellaniam, & duo anniversaria, unum pro se, & aliud pro animâ dominæ Deauratæ matris suæ; pro quibus omnibus supradictis emit medietatem decimæ sancti Joannis de *Carieto* propè castrum de *Feugaroliis*, & proventus & redditus ejusdem medietatis decimæ in quatuor partes dividendos, cum quinque conchis frumenti annui reditûs per clavigerum hujus Monasterii, ratione cujusdam terræ emptæ apud Martinum sanctum, per ipsum Domnum Abbatem Conventui persolvendis prædicto crastino Assumptionis ejusdem, Conventui assignavit. Item fecit fieri unum vas de argento pulcherrimè deauratum, cum duobus Angelis argenteis deauratis, tenentibus in manibus suis unum vas de crystallo, in quo sunt pili beatæ MARIÆ Virginis. Item unam crucem argenti deauratam, duo candelabra argentea, unum magnum calicem cum imaginibus deauratum, unum turibulum argenteum deauratum & subtiliter operatum, unam naviculam, duas canetas, & unum urceum pro aquâ benedictâ portandâ, cum hyssopo de argento. Item fecit fieri duas crossas pulcherrimas de argento deauratas, & duos bassinos magnos de argento. Item fecit fieri duas cappas, & duas infulas cum dalmaticis & tunicis pulcherrimis, cum diversis imaginibus de opere brodato: item duas cappas, & duo vestimenta parata, & unam infulam cum dalmaticâ & tunicâ de panno deaurato. Item duas cortinas de cendalo rubeo & viridi circà altare beati Petri. Item fecit scribi Flores Sanctorum, Expositionem Regulæ beati Benedicti, Ugutionem, & unum Officiarium. Item fecit fieri picturas Claustri conventualis, & turres castri de *Cassaneâ* à muro antiquo suprà, exceptâ turre introïtûs dicti castri. Item domum de *Retrosingulâ* à superiori solario & suprà cum turribus dicti castri. Item porticum beati Benedicti per quem itur de dormitorio versùs Monasterium. Item unum magnum pallium de serico cum imaginibus, & duos pannos pulcros de lanâ cum diversis signis; & multa alia bona, quæ longum esset per singula enarrare. Qui quidem dictus Domnus ARNALDUS Odonis Abbas prædictus recolendæ memoriæ, migravit ad Dominum in Festo Conceptionis beatæ MARIÆ Virginis, anno Domini M. 1305.
CCCV. & est sepultus intrà Monasterium ante altare beati Benedicti. Et ut fertur, ipse Domnus Abbas prædictus in die Festo Conceptionis beatæ MARIÆ fuit natus, & tali die recepit habitum monachalem.

Anno

Anno autem quo suprà, videlicet XI. die post obitum Domni ARNALDI Odonis Abbatis prædicti, reverendus Pater in Christo Domnus RAMUNDUS de Gualardo, tunc Prior *Agranleti*, Tolosanæ Diœcesis, fuit electus concorditer in Abbatem hujus Monasterii. Iste quidem Domnus Abbas, vir religiosus, misericors ac prudentissimus fuit: nam super causâ sive controversiâ, quæ ratione incurrimenti multisque aliis de causis inter ipsum & prædecessores suos ex parte unâ, & villam Condomii ex alterâ vertebatur antiquitùs, pacem benignissimè reformavit, qui usque in hodiernum diem vivit Domino præeunte multa bona facturus.

Domnus CENEBRIMUS de Gothesio, olim venerabilis Episcopus Consoranensis, dum erat Camerarius hujus Monasterii, acquisivit, ut dicitur, huic Monasterio plures libros Theologiæ, & anniversarium instituit, & in Episcopatu suo religiosè vixit, & multa bona fecit, & docuit verbo pariter & exemplo.

Religiosus vir Pontius de Gotz, Sacrista olim hujus Monasterii, fecit fieri unum brachium argenteum, in quo sunt Reliquiæ; & ferè omnes capsas deauratas fecit fieri, exceptis paucis, & multa alia bona fecit.

Item religiosus vir Bernardus de Combâ Boneto, quando erat Sacrista hujus Monasterii, fecit fieri unam cappam chori de cendalo rubeo, & unum vestimentum cum imaginibus paratum cum pulchrâ stolâ, & manipulo de serico cum diversis signis deauratis.

Item religiosus vir Arnaldus de Luco, Prior *Neriaci*, instituit festum Translationis beati Nicolai in Albis, pro quo certos redditus dicto Conventui assignavit; quos redditus claviger hujus Monasterii recipit, & pro ipsis tenetur claviger octo conchas frumenti solvere dicto Conventui annuatim; & multa bona alia fecit.

Item religiosus vir Arnaldus de Panlhaco, Operarius olim hujus Monasterii, instituit Festum beati Blasii in Albis, de quo ante dictam institutionem nullum festum in hoc Monasterio fiebat, exceptâ Commemoratione simplici: pro quo festo celebrando cum voluntate dicti Domni AUGERII Abbatis & Conventus, XX. solidos bonorum Morl. annui redditûs in molendino sancti Gervasii propè castrum *Liciæ*, pertinente ad domum de *Caplissâ*, dicto conventui assignavit, prout in quâdam litterâ sigilli Domni Augerii & Conventûs prædictorum plenariè continetur. Item fecit fieri omnes testudines corporis Monasterii ab antiquo opere & suprà, exceptâ testudine magnâ quæ est versùs portam beati Nicolai. Item fecit fieri apud *Caplissam* in majori parte domum lapideam, cum columbario lapideo & domo lapideâ, ubi est coquina; item molendinum *Tanafrese* cum medietate molendini sancti Gervasii. Item instituit anniversarium pro se, & multa alia bona fecit & procuravit.

Item religiosus vir Geraldus de Borigiis, olim Camerarius hujus Monasterii, fecit fieri lectos dormitorii; item unam cappam chori, & unam infulam de serico cum uno vestimento parato. Item instituit duo anniversaria; unum pro se, & aliud pro parentibus suis.

Item religiosus vir Guillelmus de Neriaco, olim Cellarius hujus Monasterii, fecit fieri clausuram lapideam molendinorum cum molendinis lapideis in Baysia; item cellarium lapideum novum hujus Monasterii; item duas domos cum magnâ bordâ apud Martinum sanctum. Item incœpit castrum de *Guarderâ* in *Fezenciaco*. Item instituit anniversarium pro se, & plura alia bona fecit & procuravit.

Item religiosus vir & famosus Cenebrunus de Cotbesio, dum erat Sacrista hujus Monasterii fecit fieri majora duo signa; item unam capellam de panno deaurato. Item instituit duo anniversaria, videlicet unum pro se, & aliud pro Domno Petro Raimundi de Sanbolcâ, bonæ memoriæ, olim Episcopo Consoranensi. Item factus Prior de *Neriaco* instituit & ordinavit, quòd crastinum post festum beati Nicolai hyemalis, & festum Translationis beati Martini in Albis perpetuò in hoc Monasterio celebretur, pro quibus certos redditus Conventui assignavit. Item emit pro Prioratu *Neriaci* medietatem decimæ sancti Joannis de *Carieto* propè castrum de *Faugaroliis*. Item fecit fieri unam capellam rubeam cum cappâ chori de panno deaurato. Item fecit fieri magna duo Breviaria Prioratûs prædicti. Fecit etiam fieri unam pulchram cameram, & emit unam domum lapideam juxtà cœmeterium dicti Prioratûs, & plura bona fecit.

Item religiosus vir Bibianus de Gieres, Prior claustralis hujus Monasterii, instituit anniversarium pro se, & fecit fieri & poni in refectorio & Capitulo tabulas ligneas ad sedes.

Item religiosus vir Petrus de Riperâ Eleemosynarius hujus Monasterii, bonus Religiosus & devotus, instituit anniversarium pro se, & fecit fieri unum vestimentum. Item fecit reparari & meliorari domum Mandati, ubi recipiuntur hospites & pauperes; & procuravit quòd Domnus AUGERIUS Abbas prædictus faceret Ecclesiam de *Cassannâ*, & multa alia bona fecit & procuravit.

Item religiosus vir Ramundus de Estussano, Prior *Salvitatis*, instituit anniversarium pro se.

Item fratrer Petrus de Salmis, bonus Religiosus & humilis Monachus claustralis, instituit anniversarium pro se, & fecit fieri unum vestimentum aurifrizatum.

Item frater Andreas de Chicâ, bonus & utilis Monachus claustralis, instituit tria anniversaria, videlicet unum pro se, secundum pro parentibus, tertium verò pro D. Pontio Decoz, Sacrista hujus Monasterii. Item scripsit manu propriâ libros Ecclesiasticos, videlicet duo Missalia beati Petri & Dominæ nostræ; item Evangelistarium & Epistolarium; item duos Graduales sive Jornaria, duo prosaria, & unum mixtum. Item fecit fieri duas cappas chori; item tres infulas cum dalmaticis & tunicis, & plura alia Ecclesiastica vestimenta.

Item religiosus vir Petrus de Anguzano, Camerarius hujus Monasterii, fecit unam capellam pulchram de panno de serico ultramarino cum duobus vestimentis. Item emit apud Martinum sanctum terram pro refectione unius pauperis, quam terram tenet ad manum suam Eleemosynarius; & ratione illius terræ ipse Eleemosynarius tenetur uni pauperi quâlibet die in comestione providere unà cum aliis pauperibus in Mandato.

Item Frater Petrus de Peyrerio, Monachus claustralis hujus Monasterii, fecit anniversarium pro se.

Item Frater Petrus de Quercino, Monachus claustralis hujus Monasterii, instituit anniversarium pro se.

Item Ramundus Denbosquet, Gassias del Escolt, Arnaldus de Flarano, Guillelmus de Ganrano, Senborius de Bons, Bernardus Bed, Petrus de Graziaco, Donatus de la Casa, & Geraldus de Altignis, Monachi olim hujus Monasterii, quivis istorum instituit anniversarium pro se.

Item religiosus vir Guillelmus Arnaldi de Biolas, Camerarius hujus Monasterii, instituit anniversarium pro se, & fecit fieri duo vestimenta. Item fecit columbarium terreum apud Martinum sanctum.

Item religiosus vir Joannes de Polinhaco, Prior *Salvitatis*, fecit fieri in Prædicto Prioratu unum mo'endinum ad ventum, & unum vestimentum.

Item religiosus vir Geraldus de Urraco, Prior claustralis hujus Monasterii, instituit anniversarium pro se, & fecit fieri duo vestimenta.

Item Frater Jacobus de Martello, Monachus claustralis hujus Monasterii, instituit anniversarium pro se, & fecit fieri unam cappam chori de serico cum foliis liliorum, & unum vestimentum.

Item Frater Joannes Roysim, Monachus claustralis hujus Monasterii, instituit anniversarium pro se, & fecit fieri unum vestimentum aurifrizatum.

Item Frater Bonus-homo de Riperiâ, Monachus claustralis hujus Monasterii, fecit fieri tria vestimenta aurificata.

Item religiosus vir Arneus Grinaldi, Prior *Calcidroti*, instituit duas Capellanias, quarum unam uni Monacho hujus Monasterii, alteram Capellano dicti loci *Calcidroti* cum certis redditibus assignavit. Item fecit fieri unam pulchram cappam chori de serico deaurato, cum uno vestimento parato, & stolâ & manipulo. Item fecit quatuor anniversaria, unum videlicet pro se in Monasterio, & alium in Prioratu *Calcidroti*, tertium verò pro religioso viro Bernardo de Cumba Boneto, Priore quondam *Calcidroti*, & quartum pro parentibus suis. Item fecit fieri in Prioratu prædicto duas domos lapideas, & plures cameras. Item instituit & assignavit quinque solidos Burdegalenses, pro duobus cereis ponendis ante corpus Domini die Jovis Cœnæ, qui continuò ardeant usque in crastinum, dum dictum corpus Domini ad altare fuerit reportatum. Item instituit festum de corpore & sanguine Christi annuatim solemniter & cum processione celebrandum in Monasterio, pro quo festo certos redditus Conventui assignavit.

Item religiosus vir Guallardus de Florensano, quando erat Cellerarius hujus Monasterii, fecit fieri unam infulam cum tunicâ & dalmaticâ de bysso seu cimeto viridi, & tria vestimenta parata. Item idem Guallardus, quando erat Sacrista hujus Monasterii, fecit fieri unum vestimentum paratum cum stolâ & manipulo imaginatis; item paraturam mappæ altaris beati Petri cum imaginibus de opere brodato; item duo candelabra longa pro cereis portandis; item duas crossas de cupro deauratas. Item assignavit duos pannos deauratos cum imaginibus & historiis ad ornandum altare B. Petri in festis præcipuis; item duas infulas pro Missis celebrandis in altaribus Dominæ nostræ, & beati Benedicti; item unum vas argenteum cum lampadibus, in quo est positus calix lapidis pretiosi, cum quo beatus Petrus Apostolus celebravit primam Missam in Antiochiâ. Item fecit fieri tres calices argenti, & unum Missale. Item fecit poni in cappâ de bysso rubeâ placas argenti deauratas. Item ipse Guallardus, factus Operarius hujus Monasterii, fecit pavimentari Monasterium, ut apparet, quod primò erat diversis impedimentis ligneis & lapideis impeditum. Item fecit fieri magnum portale sanctæ Crucis hujus Monasterii cum imaginibus & picturis. Item fecit fieri unam testudinem cum picturis, suprà quam est chorus hujus Monasterii plus solito elongatus. Item fecit claudi magnas fenestras capitis Monasterii versùs portam furni fissas & dirutas, & reparari & depingi cum vitreâ ibi positâ, ut apparet. Item fecit fieri vitreas fenestrarum capitis Monasterii in alto & testudinis vestiarii. Item fecit fieri cruces, & imagines & picturas beati Benedicti; item crucem & imagines cum picturis, quæ sunt circà chorum Monasterii, cum picturis quæ sunt in cornu claustri beati Benedicti. Item fecit fieri cortinas de serico rubeo & livido altaris beatæ MARIÆ. Item unam cappam pulcherrimam deauratam cum diversis historiis Sanctorum de opere brodato; item unam cappam de panno deaurato; item tria vestimenta cum serico suta; item unam capsam argenteam & deauratam, in qua sunt reliquiæ beati Blasii, beati Laurentii, beatorum Cosmæ & Damiani, & quorumdam aliorum Sanctorum; item imaginem beati Nicolai argenteam, in quâ sunt & apparent duo dentes beatissimi Nicolai.

Religiosus vir Guallardus de Florensano instituit duo festa in Albis, videlicet beatæ Quiteriæ Virginis, & beati Georgii Martyris, de quibus ante dictam institutionem in hoc Monasterio non fiebat festum, nisi simplex trium Lectionum, pro quibus festis annis singulis celebrandis certos reditus dicto Conventui assignavit. Item instituit unam Capellaniam pro salute animæ suæ, & parentum & benefactorum suorum, quæ post ejus obitum per Dominum Abbatem vel per alium de mandato suo uni Monacho hujus Monasterii assignetur. Interim verò dictus Operarius, quamdiù vixerit, de dictâ Capellaniâ valeat alicui Monacho dicti Monasterii providere, cui Capellaniæ certos redditus assignaverit. Item instituit quatuor anniversaria, videlicet unum pro se, & duo pro animabus domini Guallardi de Florensano Militis, & dominæ Esquinæ parentum suorum & quartum pro animâ Domini Arnaldi de Podio Carretalardi Militis, avunculi sui: pluraque alia anniversaria & Capellanias dicto Monasterio procuravit.

Item fecit fieri cortinas de telâ & supracellum altaris beati Petri. Item fecit fieri duas magnas mensas seu tabulas Refectorii; item porticum juxtà Ecclesiam beatæ Katarinæ. Item fecit elevari murum inter domum Sacristariæ, & magnam aulam infirmariæ versùs carreriam publicam villæ: nam ante dictam elevationem muri prædicti, de fenestris domorum villæ transeuntes per porticum dormitorii & ante domum Acrimontis poterant videri. Item fecit fieri Ecclesiam de *Caplissâ*, & unam magnam bordam. Item fecit reparari bis clausuras molendinorum dicti loci, & quædam alia & plura opera in domo & molendinis dicti loci, fecit utilia & necessaria. Item fecit fieri carnerium & Ecclesiam sancti Joannis Baptistæ desuper cum porticu & picturis.

Isti fuerunt Abbates hujus Cœnobii UGO Episcopus Agennensis, PETRUS de Sentas-Puellas, GUILELMUS de Puerletian, SEGUINUS de Calsadâ, DURANDUS de Sentaler, ODDO de Cazanovâ, BERGOMUS de Lanâ, AINERIUS de Caninont, RAMUNDUS Dalbuzon, Garsias Ciz ...... PEREGRINUS de Forces, ARNALDUS Oddo de Lomaihâ, MONTASIUS de Gualard, AUGERIUS de Andirano, ARNALDUS Oddo de Lomaihâ.

Isti fuerunt post Abbates Episcopi. Primò, Domnus RAMUNDUS de Gualardo. Secundus, Domnus PETRUS de Gualardo. Tertius Domnus BERNARDUS Alamandi [b].

b *Alamandi*] Qui quidem electus est anno 1371.



MONITUM.

CHRONICI SENONIENSIS fronti Auctor Richerius inscribitur, quod & videre est in Præfatione : Ego Frater Richerius Monachus Senoniensis, &c. *pag.* 272. *Quo emendatiùs Chronicon in publicum prodiret, apographum annos præ se ferens sexaginta, cum archetypo studiosè collatum, perhumaniter ad me transmisit R. P. Alexander de Lescale ejusdem Asceterii Prior.*

Stylo rudi quidem Chronicon texuit Auctor, ac dubia, non identidem sed rarò, pro certis, & quæ ex solo vulgi rumore didicerat, immiscuit; at quem sæculi barbaries & simplicitas excusat. Quas verò per se tractavit, perspexit oculis, iis rebus fidem adhibendam inficias, reor, ibit nemo. Quin & anterioris ævi acta ipse referens, quam subinde religiosus extiterit, qui nonnulla mavult premere silentio, quàm incerta aut excogitata intexere, ingenuè profitetur in Præfatione : Licet imperito stylo & inculto sermone ea quæ in quibusdam scriptis adnotatis de fundatione hujus Senonensis Abbatiæ, &c. reperire potui, licet perpauca sint, relatu digna, & ea quæ propriis oculis vidi, & auditu audivi & circumjacentium Ecclesiarum fundationes, & Constructorum nomina & dignitates, quibusque Regibus vel Imperatoribus claruerint, huic membranæ adnotare & insere studui. *Initio libri* 2 Quia verò de B. Gundelberti successoribus, vel ipsorum actibus pauca vel nulla ad scribendum invenire potui, exceptis tantùm nominibus, nihil de meo addere præsumpsi, ne rumorum inciperem novus auctor haberi. *Ibidem paucis interjectis :* De quo (*Magneramno Abbate*) quia nihil plus inveni, nihil scribere possum. *Lib.* 4. *c.* 20. De Henrico hujus loci Abbate quia nostris temporibus oculata fide actus ipsius & vidimus & cognovimus huic paginæ adnotare non pigebit. *Quâ porrò Richerius vixerit tempestè signat ipse his verbis in lib.* 3. *pag.* 358. Ego quidem tunc temporis (*Friderico Alemannorum Rege, Theobaldo Duce Lotharingiæ*) ab Abbate Henrico Senoniensi ad ipsum Ducem Lotharingiæ missus sum, eo quòd Philippus Dominus de Gillibertivillare, &c. *Et post pauca Synodum Lateranensem ann.* MCCXV. *celebratam Innocentio III. Pontifice Romano præsidente describit. Ipsum tandem ad annum pervenisse MCCL. & ultrà, conjectare licet ex iis quæ narrantur in cap.* 4. *ac consequentibus libri quinti.*

ABBATIÆ SENONIENSIS
IN VOSAGO DIOECESIS TULLENSIS,
HISTORIA
AUCTORE RICHERIO EJUSDEM MONASTERII
Monacho Benedictino.

PRÆFATIO.

CUM ea quæ de mundi hujus creatione, humani generis propagatione per S. Moysem, nec non & Jesu Nave describuntur; per virum famosissimum Eusebium Cæsariensem Episcopum initium rudis Ecclesiæ, ejusque incrementum, sanguine Martyrum, doctrinâ Confessorum, aliorumque Virorum illustrium operum exercitatione fundatæ, declarantur; & secundùm Paulum Orosium bella Punica & civilia, dissensiones, fames, pestilentiæ, signa, portenta, eventus rerum mundanarum describuntur : quid aliud intelligendum, nisi secundùm Apostolum : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt :* ut alia nos ad judicii Dei timorem, alia verò ad spem vitæ æternæ informare & sollicitare videantur. Quis enim legat Caïn fratrem ob invidiam interfecisse, universam mundi creaturam pro commissis per diluvium omninò interiisse, non formidet incidere in manus illius districti Judicis, scilicet Dei summi? Quis verò audiat tot millia Martyrum, non tantùm virorum, sed etiam illius sexus fragilis Virgines, Matronas, senes, & juvenes in agone certaminis viriliter desudasse; etiamsi videatur habere cor lapideum, statim ad mollitiem compassionis & devotionis non convertatur? Si quis verò consideret secundùm prædicti Pauli Orosii scripta miserias hominum, tot cædes, tantam humani sanguinis effusionem, tanta parricidia, tot spoliorum innocentum direptiones, tantas clades occulto Dei judicio

mundo illatas; quis, inquam, non abhorret ipsum Dei judicium proprio delicto posse incurrere, præsertim cum tunc temporis mundus floruerit, & etiam aurea, (ut in Daniele legitur) tunc sæcula extitisse; nunc verò non tantum plumbea vel ferrea, imò certè lutea esse comprobantur; in quibus homines potiùs ad malum quàm ad bonum videntur esse promptiores? Si verò illi per tot annorum curricula posteris suis facta priorum, alia abhorrenda, alia verò admiranda conscripserunt; nos in quos fines sæculorum devenerunt, quia plùs solito abundat iniquitas, & nostris temporibus actus priorum, imò enormiora innovari videantur, ipsos rerum eventus ad posteros destinare debemus, ut & ipsi, sicut & nos relationibus Majorum aut malis terreantur, aut certè bonis ad meliora provocentur. Hujus rei gratiâ ego Frater RICHERIUS Monachus Senoniensis, licet omnium abjectior, nolens successoribus nostrorum temporum eventus occultare, licet imperito stylo & inculto sermone ea quæ in quibusdam scriptis versibus annotatis de fundatione hujus Senoniensis Abbatiæ vel Ecclesiæ, vel ejus Fundatore, & succedentibus Abbatibus reperire potui, licet perpauca sint, relatu digna, & ea quæ propriis oculis vidi, & auditu audivi, & circumadjacentium Ecclesiarum fundationes, & Constructorum nomina & dignitates, vel etiam ipsorum miracula, quibusque Regibus vel Imperatoribus claruerint, more balbutientis infantis huic membranæ annotare & inserere studui, tutius arbitrans ipsius narrationis seriem rusticando elucidare, quàm philosophando obnubilare: Lectores vel auditores per Dominum obtestans, ut si qua in præsenti Tractatu minus aptè conscripta repererint, non præsumptioni, vel audaciæ adscribant, sed devotionis & bonæ intentionis gratiâ hoc fecisse arbitrentur.

LIBER PRIMUS.

De adventu S. Gundelberti ad Vosagum.

CAPUT PRIMUM.

Gundebertus An. 720. floruit.

IGitur tempore illo, cum ab Incarnato Dei Verbo DCCXX. ageretur annus, fuit vir quidam ex nobilibus Galliæ partibus oriundus Gundelbertus nomine, qui sicuti postea ex sui conversatione claruit, Deo dignus & hominibus habebatur. Fuit igitur tantæ bonitatis & excellentiæ, ut civitati in Burgundiæ confiniis sitæ nomine Senonas, quæ una de nobilibus illius provinciæ nobilis habebatur, voto & voluntate omnium subrogaretur Episcopus: qui talentum sibi à Domino creditum ita in administratione officii pastoralis augmentavit, ut si jam fas fuisset ipsum ab hac vita discedere, statim illud Evangelicum, *Euge serve bone*, audire mereretur. Sed quia Dominus dilectum suum jam non dicendum servum, sed amicum ampliore remuneratione dignum fieri decreverat, ut talentum sibi creditum cum fructu multiplicato ad gazophylacium Domini sui reportaret, & ipsum Dominus tamquam aurum in fornace probatum in thesauris cælestis Jerusalem collocaret: hunc, inquam, talem ac tantum virum ad cujusdam eremi partes, ut post pauca referemus, Domini destinare voluit benignitas.

Descriptio & situs terræ & eremi Vosagi.

CAPUT II.

FUit igitur idem servus Christi & ejus coheres temporibus Illustrissimi Regis Francorum Childerici nomine, qui cum progenitoribus eo tempore usque ad fluvii Rheni vada Franciæ regni terminos ampliaverat, (sicut Venerabilis Beda Presbyter in libro Regum Francorum pleniùs insinuat) quos Imperium Romanum usque adhuc obtinere comprobatur; licet Lotharingum Regnum, quod ab ipso dependet Imperio, infrà supradictas sit metas constitutum. Hic itaque Deo & hominibus honorabilis Gundelbertus Archiepiscopus Senonensis, cum videret sibi ad culmen perfectionis, ut optaverat, conversationem sæcularium haud satis sufficere, disposuit se omnibus quæ possidebat abrenuntiaturum; & crucem Christi bajulans secutus est suum Redemptorem. Itaque dimissis Archiepiscopatûs divitiis & honoribus, solo sibi Episcopi officio reservato, quo in tantâ & tam vastâ solitudine ad Ecclesias consecrandas, vel personas ad officia divina idoneas promovendas uti potuisset, vale dicens Fratribus ac civibus suis, secreta deserti, paucis secum accersitis, petere decrevit. Transmeatis itaque terrarum spatiis pervenit ad quamdam Vosagi vallem, quam idem Dei famulus ita incoluit, uti hactenùs cernitur, & Deo adjutorium nobis commodante loco suo pleniùs exponemus. Sed quia pluribus terra illa incognita habetur, licet à multis ipsius nomen terræ frequentetur, ipsius tamen situm & metas lucidiùs exponere conabor.

Est autem terra ista excelsis montibus occupata; rupibus immanissimis veluti quædam castra in ipsorum montium cacuminibus naturaliter positis, ipsos montes faciunt suo aspectu horribiliores. Inter ipsos arduos, ut diximus, montes quædam valles profundissimæ cernuntur, quæ nemoribus abietinis ita consitæ sunt, ut suâ nigredine etiam horrorem plurimum incutere videantur: prætenduntur enim dicti montes in longum per quatuor diætarum spatium, in latitudine verò vix sex milliaribus vel septem dirimuntur. Habent prædicti montes ab Oriente Alsatiam, quæ pars est Alemanniæ, cum suo fluvio Rethno nomine: ab Occasu Lotharingiam & Burgundiam: extenduntur siquidem à Meridie in Septentrionem. Ista, inquam, vasta solitudo non tam hominum quàm ferarum sævarum habitatio habebatur, & quasi labyrinthus ab hominibus tunc temporis vitabatur. Hanc, quam descripsimus, terram antiqui Vosagum, moderni Vegiam dixerunt. In hujus igitur eremi vastâ solitudine noster agonista Gundelbertus Archiepiscopus primus subintravit; qui Vallem, quam nos modo incolimus, sine nomine reperit, eam dulcedine natalis patriæ, quæ cunctos

Ducit, & immemores non sinit esse sui,

imò civitatis, in quâ Archiepiscopatûs functus erat officio, quæ Senonas vocatur, quasi nomine copulativo Senonias vocavit: unde usque ad præsens tempus ipse locus, ubi ipse Domini servus habitavit, Senonias, vallis quoque Senoniensis appellatur. In hac igitur valle, quam super nominavimus, quam iste Venerabilis Pater Gundelbertus subintravit, quidam locus erat inhabitabilis, & à frequentatione hominum remotus, ubi soli Deo vacare volens ad habitandum receptacula quædam parva inchoavit; sed ne alieni juris pervasor esse videretur, cum comperisset quòd dicta Vosagus in regno supradicti Regis Childerici consisteret, ipsum ad impetrandam licentiam ibidem commanendi adire disposuit. Igitur datâ opportunitate Regem, quem quondam familiarem habuerat, adiit, interpellat. Rex postulata, ut erat animo placidus, concedit, regiis sceptris data confirmat, metas terræ sibi tra-

ditæ localiter assignat, & ita distinguit: à Rupe, quæ Alta petra dicitur, per cacumen montis usque ad villam quæ Cella dicta est, per ripam fluvioli per eamdem villam decurrentis usque locum qui Mare dicitur: inde ad grandem Fontanam, inde per rivulum qui Waconos dicitur usque ad fluvium Bruscam, & per ripam Bruscæ usque ad cacumen montis juxtà S. Stephanum, & inde ad fontem Donnous; inde per transversum monticulorum usque ad rivulum, qui Petrosus rivulus nuncupatur, qui fluit per claustrum Mediani Monasterii. Sed pars terræ adjacentis dicto Monasterio postea fertur data esse viro Sanctissimo Hydulpho ejusdem loci Fundatori, sicut postmodum plenius loco suo describemus. Ita noster Patronus donis regiis locupletatus, ad locum diù desideratum cum gaudio remeavit. Igitur antequàm noster iste Patronus ad hanc eremi solitudinem devenisset, quædam ad occidentalem plagam super Mortam fluvium ædificata habebatur Ecclesia, Stivagium nuncupata. Quis ejus fuerit Fundator, vel quo tempore inceperit, non reperi: ferunt enim in dictâ Ecclesiâ Ordinis S. Benedicti Monachos primò exstitisse, deinde Sanctimoniales, posteà verò iterum dictum locum Monachos inhabitasse, exin Canonicos seculares, ac deinde Ordinis Præmonstratensis Canonicos, sicut hactenùs ibidem permanent, fuisse institutos. Sed hæc de ipsâ Ecclesiâ dicta sufficiant. Sed quia idem S. Gundelbertus nihil penitùs nisi ad nutum Dei agere decreverat, quippe qui sibi proprii animi voluntatem non retinuerat, quia necdum aliquam in loco alieno, modo suo, adhuc Ecclesiam vel Monasterium inchoaverat, credidit divinam voluntatem super hoc vigiliis, jejuniis, & orationibus fore requirendam. Dubitanti enim eo super dispositione officinarum Monasterii, quomodo vel quibus Numinibus ipsa dedicare deberet: ei in ipsâ postulatione persistenti Dei misericordia quid, vel quomodo, vel quibus Sanctis ipsa loca consecrari vellet, per visum innotuit. Qui denique revelatione & auctoritate Regiâ, ut suprà dictum est, animatus, in honore Sanctæ & perpetuæ Virginis MARIÆ primam construxit Ecclesiam, quam solemniter dedicavit, & penes illam Monasterium cum officinis suis ædificavit, in quo B. Petrum Apostolorum Principem cum suis Coapostolis duxit venerandum. Omnibus itaque Dei nutu dispositis & ordinatis, aliquantisque ibidem Fratribus congregatis, sub B. Benedicti Regulâ ipsos militare decrevit, sicut hactenùs immutabiliter usque ad tempora nostra Deo regente videntur subsistere: quos ipse Episcopus & Abbas cum Ecclesiâ sibi creditâ strenuè rexit & religiosè.

De obitu S. Gundelberti Archiepiscopi & I. Abbatis Senoniensis.

CAPUT III.

POst immensos denique & innumerabiles in hac nostrâ Vosago pro Christo toleratos labores, cum jam suum emeritum militem pro suæ militiæ meritis Deus remunerare decrevisset, ab hac ærumnosâ peregrinatione, non tamen in hoc nostro loco Senoniensi nescio quo occulto suo judicio, substrahere voluit. Sed quia de ejus sepulturâ nihil fide dignum invenire potui, melius tacere, quàm aliquod dubium de ipso scribere dignum duxi: licet aliqui apud Medium-vicum cum aliquibus Sanctis, sancto scilicet Pientio & aliis sociis suis, eum quiescere contendant. Enimverò de Cellis circumquaque positis, quas sancti viri hujus nostri Fundatoris Gundelberti eo tempore construxerant, mentionem me facturum memini promisisse: ne indigneris, quæso Lector, si à materiâ digredi aliquantulum videar, quia non parum utilitatis consequeris, cum tantorum virorum ad hanc Vosagum adventum, ipsorumque sanctam conversationem, & Ecclesiarum fundationes, & Fundatorum nomina perlegeris.

Vita & actus S. Deodati Nevernensis Episcopi.

CAPUT IV.

FUit igitur eodem tempore cum noster Fundator Gundelbertus ad has Vosagi devenisset partes, ut suprà memoravimus, in Alverniæ partibus in civitate Nevernensi vir egregius nomine & operibus Deodatus, ejusdem civitatis Episcopus sanctissimus. Hic cum audisset quia hæc Vosagi eremus à tot & tantis sanctis viris inhabitaretur, zelo quærentium Dominum ductus, Episcopatûs sui honoribus simul cum cathedrâ relictis, paucis cum laboratoribus sibi junctis, viam quæ ducit ad vitam aggreditur tendendo ad solitudinem, ut in deviis montium, in cavernis petrarum Deum diù quæsitum inveniat. Veniens igitur ad quoddam castellum, quod Romont vocatur, itinere lassus cum suis ad pausandum modicum resedit. Quo in loco quemdam reperit infantulum ferramenta carpentariorum prandentium servantem: sciscitatus est ab eo quæ ibi agerentur, cujusve domûs esset. Cognitoque ex ordine facto, puer ei de quâdam trabe quæ præ sui deformitate vel fortitudine ad ædificatoribus in fastigio ipsius domûs adaptari nequibat, innotuit: propter quod dominus domûs eisdem carpentariis suis non modicum irascebatur, præsertim cum sylvam & ligna in promptu haberentur, quibus ipsam trabem longiorem vel grossiorem, aut certè rectiorem commutare poterant si voluissent. Quo vir sanctus comperto, ut erat pietatis gratiâ præditus, laborantium periculo condolens, convocatis discipulis suis, invocato Domini Salvatoris nomine, ipsam magnæ molis trabem ipsius domûs in excelso nulla tortitudine obstante, ubi poni debuerat, collocavit. Cumque idem sanctus perpetrato dictæ trabis miraculo iter cœptum carpere vellet, ecce dominus domûs cum operariis suis ad locum operis revertitur, inventumque Sacerdotem Dei Deodatum cum suis sodalibus, inquisivit qui essent. Audito verò quâ causâ insignes viri iter tam laboriosum & difficile aggressi essent, visoque miraculo trabis, nobilis ille labori Sanctorum condolens, se & sua eis liberaliter exposuit, dicens se ibidem requiei sancti locum præbiturum si vellet, & necessaria vitæ se donaturum promisit. Sanctus quoque cum gratiarum actione humiliter promissa recusans, quia sui desiderii cursum nondum viderat expeditum, licentiam abeundi quæsivit. Videns denique Nobilis viri Dei constantiam, ne tanti patroni orationum fraudaretur juvamine, domum eamdem de Romont quam ædificabat, sub titulo quinque siclorum argenti eidem sancto annuatim persolvendorum in memoriam trabis fertur contulisse: quos solidos usque ad tempora nostra Ecclesiæ S. Deodati, quæ nunc est, à domina de Romont persolutos esse cognovimus. Beatus igitur Deodatus suo datori vale dicens, cum suis sodalibus cœptum iter arripuit, per devia quæque Christum quærendo gradiens infatigabiliter laborabat. Sed antequàm ad optatum sibi locum perveniret, plurima discrimina viæ, importunas rusticorum irritationes, tædiosæ famis inediam, improbam malorum expulsionem pluribus in locis miserabiliter est perpessus.

De adventu S. Deodati in Alsatiam.

CAPUT V.

His itaque tot & tantis, ut prædiximus, viæ & vitæ impedimentis B. Deodatus ad quemdam locum pervenit, qui Theutonico idiomate Helygevorst, Latinè sancta Sylva vocitatur, juxtà oppidum quod Hagenowia dicitur, in Alsatiæ finibus situm, ubi se sui voti requiem reperisse credens, aliquanto tempore ibidem delituit: sed inde invidorum injuriis propulsus ad Claustrum quod Abresenniften vocatur, in eisdem Alsatiæ partibus situm veniens, ipsi loco & Fratribus ibidem Deo servientibus non multo tempore fertur præfuisse: ubi cognitionem & familiaritatem memorandi viri Arbogasti, qui de Scotiâ oriundus, non multo ante tempore veniens, Argentinæ de novo Episcopus factus, miraculis fulgens erat, adeptus est: ac deinde B. Florentii ejusdem Arbogasti successoris, qui à dictâ Insulâ Scotiæ, sicut & prædecessor ipsius, venerat, qui & apud Hascla in introitu Buscæ vallis, quam primus Eremita incoluerat, in corpore requiescit, S. Deodato contemporaneus amoris vinculo adstrictus fuit. Cernens itaque vir B. Deodatus tumultum populi, quem in Episcopatu reliquerat, se iterum incurrisse, decrevit ad secretiora loca transmeare. Veniens igitur ad quamdam villam, linguâ Alemannicâ Wilra dictam; juxtà villam quæ Amalrici villare dicitur, in parva quâdam valle resedit, & habitacula humano usui apta ibidem erigere cœpit. Incolæ igitur dictæ villæ cum viderint sancto plura prædia à fidelibus, & aliquantas conferri possessiones, crediderunt sanctum illum sibi suas usurpare velle, eum ab ipso loco ubi habitare volebat inhumaniter expulerunt: quod factum divina ultio statim est subsequuta: nam quotquot in suprà dictâ villâ nati sunt infantes, omnes strumoso gutture nati apparuerunt; quod matronæ parituræ considerantes, tempore partûs insistente, rivulum, qui eamdem villam præterfluit, transeuntes, pueros enixæ illius strumositatis vindictam declinabant.

De S. Deodatò & Hunone compatre ejus.

CAPUT VI.

Igitur B. Deodatus inde progrediens ad quamdam villam, quæ sui possessoris nomine Hunonis-villa vocabatur, advenit: possessor enim dictæ villæ Hunâ nomen habebat, cum æquivocâ uxore suâ Huna, ex nobilibus orti, Deum verbo & opere, quantum humana fragilitas permittebat, excolebant. Credidit igitur Nobilis ille beatissimum sibi Deodatum à Deo fore destinatum, Christum in ipso honorans, gratanter ipsum cum sodalibus suis, ut erat pius hospilitatis amator, benignissimè suscepit, & eum aliquamdiù licet invitum detinuit. In ipso itaque tempore quo vir Dei apud Dictum Nobilem moraretur, contigit dictam Hunam uxorem ipsius Nobilis, quem de ipso conceperat filium peperisse: quem beatus ille & baptisavit, & de sacro fonte levavit. Reminiscens igitur beatissimus Dei servus Deodatus se non opum sæcularium gratiâ, sed solius Dei intuitu sua cum Episcopatu & dulci patriâ reliquisse, decrevit ad eremi deserta, quod priùs desideraverat, properare: qui hospitibus suis vale dicens, datis inter se mutuis amplexibus, cum magno ejulatu ab invicem discesserunt. Aggrediens verò vir Dei cœptum iter per ardua montium, per concava vallium, per defossa terrarum incessanter laborans, tandem nutu Dei ad quamdam pervenit vallem speciosam & spatiosam, nemoribus undique consitam, aquis irriguis & piscosis copiosam: quam cum vir Dei diligenter conspiciendo perlustrasset, tandem in quodam loco juxtà montem qui Cumberch dicitur, resedit, & ibidem Oratorium in honore beati Martini, quod usque hodie perdurat, erexit & consecravit. Transiens igitur fluvium Mortam nomine ad Septemtrionalem plagam, quia locus decentior ibi ad Ecclesias construendas habebatur, in clivo monticuli Ecclesiam in nomine SS. Martyrum Mauricii & Sociorum ejus exstruxit. Deinde juxtà illam in honore Matris Christi Ecclesiam ædificavit, & circà illam Claustrum cum officinis ad usus Monachorum exstruens, Fratres sub Regulâ sancti Benedicti ibidem militaturos collocavit: qui usque ad tempora cujusdam tyranni Ducis Lotharingiæ, sicut postea explicabimus, quietâ pace permanserunt.

De donis S. Deodato collatis.

CAPUT VII.

Cum igitur circumadjacentium locorum viri fideles & devoti cognovissent quòd sanctus ille Episcopus vallem supradictam incoleret, ad ipsum confluxerunt, videntesque ejus admirabilem conversationem, prædia sua, possessiones, redditus, & alia bona ei largissimè contulerunt. Cum igitur vir B. Deodatus in illâ vastâ eremo laborans agonem suum Domino commendaret, & necessaria victui ei operanti non satis suppeterent; jam eo cum cohabitatoribus suis inediâ & fame deficiente, Omnipotens Deus, qui sibi servientibus semper præsto est, non permisit sanctum suum tantæ paupertatis mole diutiùs coartari: apparuit siquidem in visu noctis illi nobili viro supradicto Hunoni Dominus, dicens: En, inquit, famulus meus Adeodatus in illâ eremi solitudine magnis detinetur langoribus, & inopiâ laborat; & tamen meis non desinit quotidie inhærere servitiis; tu verò hîc bonis tibi à me collatis, quibus abundas, sine misericordiâ delectaris. Cui ille, ut erat vir providus & discretus: Domine, inquit, nec locum scio, neque viam novi; nec ubi vir Dei lateat scire valeo, & quomodo sui possum misereri? At ille, onera saumarios & alios portitores tuos, & mane facto sine duce permittas abire, & quo sors ipsos deduxerit à longè subsequi facias; & ubi eos exonerari contigerit, ibi scias dilectum meum esse Deodatum. Qui mane consurgens, & visionis suæ mysterium considerans, secundùm quod ei præceptum fuerat: onerati quippe portitores diversorum alimentorum & aliarum rerum opulentiâ, eâdem viâ, licet nondum esset à quoquam frequentata, quâ sanctus Domini Deodatus eremum penetraverat sagaciter gradientes, ad locum ubi vir Dei commanebat recto itinere pervenerunt. Quos ut vidit Dei famulus, cognovit illum sui curam gerere, qui quinque millia hominum quinque panibus satiavit in deserto. Jam vix famuli sancti portitores exoneraverant, cùm viri subsequentes eos apparuerunt, qui de inventione viri Deo gratias exhibentes, cum licentiâ sancti Episcopi ad dominum suum cum lætitiâ reversi sunt. Ex tunc quidem fama illius S. Eremitæ circumquaque ita innotuit, ut à multis sua eidem largientibus honorabiliter frequentaretur. Et quia idem sanctus pluribus declarabatur miraculis, & virum sanctum eum credebant, & apud Deum multi plura eum posse confidebant, vallem illam, quam ille inhabitabat, incolere maturarunt: & quia vallis spatiosa erat & lata ad colendum, decem & octo Ecclesias & mansiunculas in queis habitarent

construxerunt. Et ne actuum ipsius sancti prolixitas Lectorem onerare videatur, ad finem sui cursûs stylum dare curavimus.

De obitu S. Deodati.

CAPUT VIII.

PEractis igitur, ut prædiximus, ipsius loci ædificiis, ordinatisque ibidem ad serviendum Deo Fratribus idoneis, dispositisque utriusque vitæ præsentis & æternæ subsidiis, levi febre correptus, Angelorum cœtibus sociandus, lætus Deo spiritum reddidit. Sed quia Monasterium illud (quod tunc pro conjunctione duorum rivulorum scilicet Robach & Mortæ, ille beatus Juncturas appellaverat, qui modo S. Deodatus vocatur) sine Rectore remanserat, B. Deodatus viro sanctissimo & Deo & sibi amantissimo Hydulpho (de quo postea scribere curabimus) in somniis apparuit, & ei ut curam loci sui & Fratrum quos reliquerat, prout videret expedire excresceret. Quam admonitionem B. Hydulphus gratanter suscipiens, viginti & octo annis, quibus post obitum B. Deodati superfuit, suam & ipsius Deodati apud Juncturas strenuè & religiosè adjuvante Deo rexit Ecclesias.

De miraculo vini & muscarum.

CAPUT IX.

ENimverò, ne quis hunc Beatissimum Deodatum credat apud Deum magni non esse meriti, inusitatum unum de multis huic paginæ non pigebit inserere. Erat igitur vir quidam satis locuples in Alsatiæ partibus, in villâ quæ Theutonice Sigoltesem vocacitur, qui fama sancti Episcopi excitatus partem prædiorum suorum beato contulit Deodato: in qua parte quidam ager vineæ donatus est, qui illi donatori quia peroptimum vinum gignebat, incomparabiliter carus erat. Cùmque Monachi Monasterii B. Deodati aliquanto tempore possedissent eam, ipsius vineæ donator considerans se in omnibus vineis sibi relictis tam pretiosum vinum nusquam habere, animi cupiditate cæcatus ipsam vineam quam priùs devotus Deo donaverat, jam suæ largitatis invasor effectus, in proprios usus iterum resumere præsumsit; quam coluit vindemiavit, & vinum sollicitè in quodam vase collocavit, & sibi cautè conservari præcepit. Denique cum quâdam die ad manducandum cum quibusdam amicis lætus recumberet, vocato ad se pincerna suo, de illo optimo vino suo sibi jubet apportari: qui concito cursu ad cellarium, ubi vas cum vino habebatur, accepto vase vinario, quod cantrum vocatur, accessit. Cumque paxillum de fundo ipsius vasis ad emittendum vinum retraxisset, & vinum se crederet habiturum, mira res! pro vino tanta multitudo muscarum per foramen ebullivit, ut putares te, si vidisses, in Ægypto esse, ubi plaga muscarum Ægyptios jussu divino puniisse narratur. Videns igitur is qui ad hauriendum vinum venerat hoc mirabile factum, obstupuit, & paxillum cum cantro quod manu tenebat in terram projecit; cursuque rapidissimo ad dominum suum narraturus quæ facta fuerant, advenit: statimque examen muscarum cum illo veniens dominum aggreditur, & tanto nisu dominum morsibus & aculeis crudeliter attrectavit, ut illdem dominus compunctus & fundum reddere, & de commisso veniam petere cogeretur. Restituto siquidem monachis fundo, & veniâ obtentâ, illa muscarum multitudo à viri vexatione cessavit: & ita vinea illa usque ad hoc tempus à Deodatensibus possideri dignoscitur. Et ne Lectorem fastidire videamur, ad alia stylum reducamus.

Quòd Bodo Episcop. Tullensis Bodonis-Monasterium construxit, quod & S. Salvatoris dicitur.

CAPUT X.

ELapso etenim modico tempore postquàm vir beatissimus ille Deodatus in hanc subintravit Vosagum, erat vir æquè sanctissimus, Bodo nomine, Tullensis Episcopus, qui Dei ductus zelo, in quodam prædio suo, quod ejus nomine Bodonis-Monasterium apellatur, adunato non modico conventu Sanctimonialium claustrum ibidem statuit, & eidem monasterio pluribus collatis reditibus, ordo Sanctimonialium multo tempore ibidem perduravit. Sed postmodum à quodam successore suo Berthodo Tullensi Episcopo idem Monasterium deletum est, & in superiori loco, qui modo S. Salvatoris dicitur, pro illo ipse Episcopus à fundamentis ædificavit, & ibidem Monachos sub normâ B. Benedicti Abbatis instituit: qui postea inde expulsi, Ordinis S. Augustini Canonici, sicut usque nunc ibidem permanent, sunt inthronizati. Enim-verò, quia antequàm ad propositum redeam, cujusdam adhuc sancti & admirandi viri mentionem, quia in hoc vicinio nostro olim resedit, huic libello nostro specialiter adnotare desidero: hujus inspectores Operis, ne ob hoc irascantur, postulo: quia & ejus vita & actus tanto sunt ad legendum delectabiliora, quanto sunt & mirabiliora.

Vita S. Hydulphi Archiepiscopi Trevirensis.

CAPUT XI.

IN Bawariorum igitur territorio, in civitate quæ Renesporch dicitur, duo viri fratres exstiterunt, ex nobilibus illius terræ genitoribus procreati; quorum unus Erardus, alter verò Hydulphus vocabatur. Hi etenim fratres literis liberalibus traditi, se ita Clericali ministerio manciparunt, ut meritis propriis exigentibus, unus eorum, Domnus scilicet Erardus supradictæ civitatis Renesporch sublimaretur Episcopus: Hydulphus verò ad Archiepiscopatum Trevirorum potiùs est tractus quàm electus. Et ita utrique fratres adeo sibi sunt vinculo carnis, & gregibus sibi commissis charitate adstricti, ut non mercenarios, sed veros sibi Catholica Ecclesia gauderet acquisivisse Pastores. Enimverò cùm vir Deo dignus Hydulphus aliquamdiù Archiepiscopatui Trevirorum feliciter deservisset, audiens quòd tot & tanti viri de tam remotis partibus ad hanc nostram Vosagum ad serviendum Deo devenissent, non sui tardus provisor effectus, ne suorum Compresbyterorum merito in ipsâ commorantium fraudaretur, relictis omnibus voluit cum beatis pauperibus pro terrenis cœlestia commutare. Inito itaque cujusdam viri Venerabilis, Jacob nomine, Suffraganei sui Tullensis Episcopi consilio, quo in loco ad serviendum Deo requiem reperire quiret, tandem ad has Vosagi nostræ partes beatus ille venire decrevit. Volens igitur inter hos sanctos Patres, qui in hac eremo de novo convenerant, habitare, quia eorum familiaritatem diù desideraverat, ad locum, ubi postea Monasterium quod Medianum-Monasterium dicitur, erexit, applicuit. Sed quia ibidem habitandi spatium non invenit, quia confinia nostræ hujus Senoniensis Ecclesiæ, & Monasterii Stivagiensis ibidem jungebatur, impetrata ab utrâ-

que Ecclesiâ aliquantâ terræ portione ibidem habitare decrevit. Et quia de nomine loci, qui antea nomen non habebat, anxius erat: consideratâ loci positione, quia ab Oriente Senoniense Monasterium, ab Occidente Stivagium, à Meridie Juncturas, quæ nunc S. Deodatus vocatur, à Septemtrione autem Bodonis-Monasterium habebat, illum suæ habitationis locum Medianum-Monasterium appellavit, quod nomen usque hodie perdurat. Videns igitur B. Hydulphus ob religionis gratiam multos ad se confluere, Monasterium & officinas Monachis habiles in ipso loco ædificare studuit. Multitudine equidem magnâ tam Clericorum quam laicorum ad se adunatâ, quia tot in tam arcto loco simul habitare nequibant, statuit in circumadjacentibus locellis cellulas construere in quibus habitare deberent. Destinavit siquidem apud Septem-Abietes quosdam, alios ad S. Joannem; & alios apud Orbacum, alios autem apud S. Præjectum, alios apud Vitivallem, quosdam verò ad Altam petram, quæ Monasterio præeminet; alios enim ad quemdam locum in summitate montis, qui Roberti-fons dicitur, degere decrevit.

De Begonis Cellâ & 300. Monachis, & de obitu S. Spinuli.

CAPUT XII.

DEnique ad locum qui Begonis-Cella, nunc verò S. Blasius dicitur, B. Spinulum adhibitis secum quibusdam Fratribus conversari præcepit. Locum verò illum cum nemoribus, & montem qui Fulconis-rupis appellatur, cum multo terræ spatio adjacente Beggo vir nobilis & locuples beato viro Hydulpho ad Monasterium suum ampliandum paulo ante contulerat. Fratres quoque qui in prædictis locis habitabant, tunc æstimabantur numero quasi trecenti sub regimine S. Hydulphi Archiepiscopi & Abbatis constituti. Devoluto igitur non multo tempore B. Spinulus, cujus superiùs meminimus, militiæ suæ donativum recepturus cœlo spiritum reddidit: quod cum servus Dei Hydulphus Angelo annuntiante comperisset, ad cellam ubi vir Dei jacebat, properavit. Composito igitur Sancti viri corpore in feretro, crucibus pravus, & cereis ardentibus, cum hymnis & canticis spiritualibus glebam sancti ad Monasterium reportare parabant: aggredientibus verò illis iter, subitò tanta pluviæ inundatio & ventorum immensitas exorta est & tempestas, ut non solùm minutas arbores, sed etiam grandes quercus, & excelsas abietes radicitùs evellendo terræ prosterneret: & cum tantus sæviens esset turbo, & tribulatio abhorrenda: nec portitores sancti sunt læsi, nec luminaria cereorum sunt exstincta; sed usque ad Monasterium corpus sancti ita miraculosè detulerunt. Sed ut Omnipotens Deus omnibus innotesceret, qualem idem sanctus Pater, & quàm religiosè instructum famulum ad cœlos destinasset, ista miranda voluit sancto demonstrare: cujus exequias ritè peragentes in Oratorio B. Gregorii, quod ipse beatus vir Hydulphus cum cœmeterio suo ædificaverat & consecraverat, in tumulo lapideo illa sancta membra collocaverunt. Et ut divina Majestas dilecti sui Spinuli merita lucidiùs declararet, tanta ad ipsius tumulum mirabilia ostendere dignata est, ut nulli credenti ad ipsius auxilium reportandum venienti munus sanitatis foret denegatum.



De miraculis S. Spinuli, & aquâ salsâ inventâ.

CAPUT XIII.

HIs itaque se habentibus, ad augmentum gloriæ sancti tres salinarii fontes in horto penes Monasterium sunt inventi. Fama igitur miraculorum & salinarum longè lateque divulgata tantam populi multitudinem ad ipsum locum deduxit, ut locus affluentiam gentium minimè capere potuisset: unde vir ille S. Hydulphus suæ inquietationis molestiam, quam ab advenientibus sustinebat, ferre non valebat, licet Monasterio suo pro virtutibus sancti & salinarum quæstu, aliquid emolumenti conferri ab illâ gente videretur. Vir igitur beatissimus Hydulphus qui pro divitiis mundi acquirendis paupertatis onus sibi non assumserat, videns se & suos à proposito suo non modicùm affluentiâ populi deviare, auxilium divinum super hoc duxit requirendum. Ecclesiam tandem B. Gregorii baculo artus sustentante, ut jam erat vigiliis, & orationibus, & jejuniis satis attenuatus, lento gradu pervenit, doloremque se prementium populorum corde concipiens, cum ad sepulcrum dilecti sui Spinuli pervenisset, orationi incubuit, & quasi vivo loqueretur, sic ait, Gratias agimus Deo Salvatori, ô Frater Spinule, quòd miraculis fidem facientibus te divinæ Majestati adstare certissimè credimus, & jam naufragia præsentis sæculi evasisse te, ac cœlesti gloriâ potiri gaudemus: sed si frequentiâ populorum, quam Deus per te huc confluere fecit, aliquamdiù pressi fuerimus, non modicùm à viâ regiâ quæ ducit ad vitam nos declinare videbis: unde te in illâ obedientiâ quam dum viveres nobis intædiabiliter exhibere solebas, admonemus & exhortamur in Domino, ut affluentem & omnium bonorum largitorem Deum pro nobis interpelles, ut repressâ inquietudine gentium, & præsentis vitæ fluctuationibus amotis, cursum cœlestis vitæ expedito gressu nobis liceat peragrare. Videres mortuum quasi viveret Magistro jubenti obedire. Cessantibus signis miraculorum, aquis salsis in dulcedinem redeuntibus, affluentia repressâ populorum, vir sanctus & Fratres sui sine tumultûs molestiâ Deo deinde servierunt. Videns verò Deus famulum suum sibi toto corde & non mundo inhærere, quia parvum & instabilem quæstum tam leviter abjecerat, majora pro minoribus statim ei restituere dignatus est: nam prædia multa in Alsatiæ partibus, nec non in Lotharingiâ à potentibus & primatibus terræ, & alia quamplurima à diversis fidelibus Deo operante sunt collata; quæ omnibus supradictis trecentis Fratribus ad victum sufficere possent: sed postmodum, ut postea referemus, pars maxima de mensâ Monachorum peccatis exigentibus per quemdam Nobilem exstitit excisa.

De adventu S. Erardi Episcopi, & de S. Odiliâ.

CAPUT XIV.

CUm igitur B. Hydulphus in hac ærumnosâ peregrinatione debilem duceret vitam, & fama suæ conversationis longè lateque diffunderetur, cognovit vir sanctus Erardus Episcopus ejus germanus, ipsum in hac Vosagi solitudine peregrinari: qui quantociùs iter arripiens ad partes istas, ut fratrem quem videre desiderabat, inveniret, accessit: quem diù quæsitum in Monasterio, quod jam ædificaverat, invenit; qui cum ingenti gaudio suscipiens, vitam pluribus diebus duxere cœlestem. Cum verò

verò hæc ita se haberent; contigit cujusdam Nobilis filiam cœcam natam ad Monasterium dictum deportari, quam pater ejus Ethico nomine, quia cœca nata fuerat, necari præceperat: quod cum mater puellæ comperisset, per quamdam aniculam, quæ eidem matri familiaris erat, eam exulari maluit potiùs quam occidi. Comperto verò quòd talium parentum proles erat, nec adhuc Baptismate regenerata erat, illi duo sancti fratres & Episcopi Hydulphus & Erardus, eam in nomine Trinitatis baptizantes, mente & corpore illuminatam de sacro fonte levaverunt, & eam Odiliam appellaverunt: quæ cum ad annos pervenisset discretionis, frater ejus, qui cum patre remanserat, audiens quòd soror ejus, quæ nata cœca fuerat, foret illuminata, gavisus est valde; & nunciis accersitis sororem Odiliam ad se venire mandavit. Quod cum pater comperisset, filium ad se venire jussit, & interrogato eo quis tantam præsumsisset audaciam perpetrare, ut cœcam illam repatriare fecisset: cum filius ejus se fecisse spe paternæ benignitatis respondisset, pater iratus baculo, quem forte tunc manu tenebat, juvenem percutiens, & filium trucidavit, & hæreditatis suæ successorem amisit. Videns autem idem vir nobilis se suo orbatum herede; admodum ipse indoluit, ac deinde filiam suam Odiliam, quam ante spreverat, intimo dilexit amore; ita ut postmodum in castro patris, quod Hoemborch appellatur, Claustrum Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti ipsa B. Odilia auxilio & voluntate patris instrueret, & proprio ditaret patrimonio. Beata igitur Odilia cum ad se videret populorum turbas adventare, in subditâ valle castro domum hospitalem ad supervenientes recipiendos construxit. Sed ipsa hospitalis domus ita est augmentata; ut opulentissimum Claustrum fieret Monialium, nec superiori Claustro in ullo haberetur subjectum. Sed hæc de B. Odiliâ dicta sufficiant, & ad nostrum Hydulphum revertamur.

De morte SS. Episcoporum Deodati & Hydulphi.

CAPUT XV.

Beatus igitur Hydulphus cum adhuc Deo donante se sibique commissos strenuè gubernaret, contigit B. Deodatum ab hâc vitâ migrare ad Dominum: qui ab ipso S. Deodato per visum, ut sui Monasterii curam gereret, est admonitus: quod B. Hydulphus viginti octo annis strenuè gubernavit, & multis redditibus ampliavit. His denique ita feliciter peractis, Dominus carum suum Hydulphum pro suorum meritorum exercitatione remunerare volens, noluit eum diutiùs hujus corporis sarcinâ detineri, ipsum febre quâdam examinatum ad se transvexit. Cujus sacra membra Fratres in supradicto Oratorio à tergo altaris S. Gregorii, in tumbâ lapideâ cum summo honore sepelierunt: unde postea sunt relevatæ reliquiæ ipsius, & translatæ in Monasterio suo, quod ipse de novo construxerat, sicut adhuc ibidem reservantur, in scrinio argenteo reconditæ.

Quòd Medianum-Monasterium Imperiale erat.

CAPUT XVI.

Enimverò defuncto, ut suprà dictum est, gloriosissimo Hydulpho Archiepiscopo, alii atque alii ad illius Ecclesiæ regimen successerunt; qui prout potuerunt, Deo adjutorium præstante, ipsum Monasterium gubernaverunt. Sed quia idem Monasterium sicut & alia circumjacentia Imperio Romano subjacebant, & in expeditione Imperatoris armatorum cuneos de jure mittere solebant, prœliis crebriùs innovantibus Ecclesiæ miserabiliter opprimebantur; unde contigit Abbatem istius Monasterii Claustri Mediani-Monasterii constangsis dictorum armatorum ita attritum, ut ab Imperatore admonitus armatos in rhædam Principis mittere nequiret. Quidam verò Dux, qui tunc in Lotharingiis præerat; ad ipsum Imperatorem in armis venerat, qui ab ipso Imperatore requisitus, cur Abbas Mediani-Monasterii armatos non transmiserat, & Dux se nescire responderet; Imperator interrogavit Ducem, si vellet Abbatis vices agere: quo respondente, quia vellet; Princeps ejus jurisdictioni Monasterium Medianense, quod ante Imperiale erat, tradere non distulit: quod factum illi Monasterio magnæ desolationis extitit occasio: nam Duce ipso ad patriam revertente, dominio Ducis, quod ante non fuerat, Monasterium illud submittitur, res Monasterii dissipantur, & Fratres molestantur; tandem à mensâ Monachorum mille quingenti & undecim mansi diminuntur, & Ducis Lotharingiæ ditioni subduntur. Quid fieret de Monachis qui fame & inediâ laborant? Dimittunt cellas; aliàs victum quæritando vagantur: ita ut deni vel duodeni in loco principali vix sustentari queant: quapropter ipsa Abbatia usque nunc & divino officio, & substentatione Fratrum irremediabiliter est fraudata, sicut hodie ipsius status inveniri potest.

De dissidio Monachorum Ecclesiæ Medii-Monasterii, & dissolutione Monachorum.

CAPUT XVII.

Fratribus igitur Cellarum ita à locis suis eliminatis, iis quoque qui in Abbatiâ remanserant suis redditibus destitutis, cœperunt à semitâ rectâ retrahere pedem; Abbates verò segniores effecti, de grege Domini non curantes, secundùm Prophetam quod crassum erat assumebant, & quod macrum erat abjiciebant: Monachos nempe qui sibi non Christo vivere volebant, diligebant, alios spernebant. Videntes igitur Monachi cuncta sibi pro voluntate suâ licere, licet non expedirent, ad præcipitia potiùs quæque quàm ad bona cœperunt esse proniores.

De Visione Monachi Senoniensis.

CAPUT XVIII.

Cum igitur Monasterium illud talibus deturparetur possessoribus, qui vilioribus insistebant actionibus, Dominus qui est conspector sæculorum, volens eos ab errore viæ suæ misericorditer avertere, satis miti & salubri admonitione sub hac formâ submonuit. Quidam enim Monachus hujus nostræ Ecclesiæ Senoniensis, vidit se in somnis ante fores Monasterii Medianensis, quæ ducunt ad Claustrum, stare; & ex Monasterio ipso quemdam virum facie decorum, canitie decoratum, infulâ Episcopali redimitum, virgam pastoralem manu portantem, atque universas officinas cum suspiriis ingentibus & dolore cordis circumeuntem; & ex omnibus exeundo uberrimas plangendo emittebat lacrymas. Tandem ad Cameram Abbatis veniens manibus complosis, pectus tundendo, plùs solito uberiores effundens lacrymas talia in verba prorupit: *Deus meus pone illos ut rotam; & sicut stipulam ante faciem venti*: & ista sæpe repetendo, nusquam comparuit. Quod cum ab ipso Monacho, cui hæc revelata fuerant, Abbas ille & Monachi loci comperissent; visioni falsæ adscripserunt, sed postea exitus rei factum

approbavit. Imprecatio namque sancti tam celeriter est subsequuta, ut unus post alium mori inciperent, incipientes à senioribus usque ad juniores, ut nullus ex ipsâ multitudine, sicut de Ægyptiis legitur in mari rubro mersis, excepto Abbate solo superesse videretur. Quod Abbas videns, non Dei judicio, sed casu hoc advenisse arbitratus est. Circuiens verò civitates, quoscumque invenire potuit qui volebant monachari, secum adduxit; & eos tonsoratos non corde, sed habitu tantùm monachavit: & talibus pyratis locus ille redimitus non diù est gavisus. Nam sicut alii unus post alium vitam finientes, omnes in modico tempore sunt decucullati; & ita malè adunati, malè dispersi sunt. Abbas verò fugâ lapsus ad Alsatiam, unde natus fuerat, repedavit, & ita Monasterium istud Abbate & Monachis diù caruit: nec aliquando divina ibi agebantur, excepto quod ibidem Presbyter villæ adjacentis aliquando Missam gratis celebrabat, donec à quibusdam Monachis, Gorziensibus ut credo, ad hoc Deo missis, ordo Monachorum, & officia divina ibi sunt restituta.

De obsesso à peritissimo Dæmone, & sanato in Mediano Monasterio.

CAPUT XIX.

ENim verò quia de miserabilibus ejusdem loci habitatoribus, miserabilique conversatione aliqua explicavi, ne mihi ad odium imputent, cum sciant me ipsum locum sicut meipsum dilexisse; volentibus audire, de aliis tacendo, miracula quæ ibi per merita semper reminiscendi Hydulphi omnipotens Deus dignatus est operari, pauca de multis recitaturus aggrediar. Beatissimo igitur Patrono nostro Hydulpho adhuc vitam præsentem agente, ut erat corpore prudens & spiritu, nec quæ sua erant quærens, sed quæ JESU-CHRISTI, cuncta quæ intrà Claustrum erant discretè moderans, & quæ exteriùs cum moderatione disponens, ut Deum offendere timeret, & à fratribus sibi commissis plùs amari quàm timeri affectaret. Ordinans siquidem interiùs Claustri cuncta religiosè, decrevit domum hospitum, ne Fratres à supervenientibus molestarentur, ad portam Monasterii ædificare, & juxtà illam capellam, in quâ hospites ad divina audienda convenirent, in honore B. Joannis Baptistæ erexit, quam & nomini ejus consecravit. Ad gloriam igitur & honorem Omnipotentis, & dilectorum suorum magni sui Vatis Joannis, & B. Hydulphi Archipræsulis, ut opinor, tot & tantis miraculis mirandis Deus Deorum dignatus est illustrare Ecclesiam, ut quotquot energumeni, quotquot dæmoniaci ad ipsum Oratorium delati fuissent, statim à quocumque spiritu vexabantur, liberarentur. Habebatur quippe in ipso Oratorio dolium aquâ exorcizatâ plenum, ut energumeni & alii à Dæmoniis obsessi, in ipso mersi sanarentur, quod & ita fiebat. Cum ergo hæc ita agerentur, contigit quemdam Rusticum à Valle S. Deodati illuc adventasse, qui à tam potentissimo Dæmone obsessus erat, ut vix catenis ferreis adstrictus teneri posset; qui etiam tantæ erat scientiæ, ut se omnium linguarum jactaret habere notitiam: artium quoque liberalium omnium eruditus erat prudentiâ, omniumque actuum præteritorum; & cogitationes simultatesque omnium ad se venientium eruditissimè referebat. Officio Missæ & aliarum horarum intererat, & cum cantantibus cantabat, & cum psallentibus psallebat, nec crucem, nec crucifixum vitabat. Hic talis ad dictum Oratorium adductus, in dolio ipso mersus, quia & circumstantibus insultabat, Monachus quidam, qui ad officium energumenorum deputatus erat, audiens quòd Dæmon secretos actus hominum revelaret, timuit ad illum venire; sed adiens quemdam seniorem, omnia quæcumque fecerat illi confessus est, & ad Dæmoniacum reversus ita eum alloquitur: O tu mendacissime hominum deceptor, qui tuis mendacissimis assertionibus te dicis scire hominum cogitationes & actus, dic ea quæ de me cognoscis. At ille attonitus, demisso vultu in terram cogitat quid diceret; tandem in hæc verba prorupit: Nudiustertius rem grandem fecisti, quæ modo lapsa est à memoriâ meâ. Quare cùm ipse responsa Dæmonis audiisset, animatus pro confessione, cœpit super caput illius sanctum Evangelium Joannis recitare. Cui ille indignans dixit: Idiota tace, nonne scis me meliùs scire hoc Evangelium? scias illud planè me scire, & ejus mysterium, nec per ipsum ab isto hospitio me expellere poteris: vade, & quære tibi aliud quod tibi meliùs placuerit. Quo audito Monachus ad Ecclesiam quantociùs properavit, & ibi accepto scrinio in quo Sanctorum plurimorum reliquiæ erant reconditæ; ad Dæmoniacum quantociùs cum scrinio ipso repedavit: appropinquante verò illo cum reliquiis Dæmon cœpit clamare: Tolle, tolle inimicos meos. Qui accedens, scrinium cum reliquiis posuit super caput ejus. At ille clamans dixit: O me infelicem! Quantum lapidum acervum super caput meum adunasti! tolle à me quæso ista, quia valde crucior. Quod cum Monachus audiret, gavisus est valde, & tunc cœpit arctiùs adjurare. At ille acriùs clamabat: Tolle, tolle, tolle inimicos meos. Ille verò interrogans eum qui essent inimici sui: ait: Stephanus & Laurentius: unum lapidavi, alterum assavi: & jam meritis ipsorum oportet me hinc exire. Et hæc dicendo prosiliit ex ore ipsius quasi scarabeus, & cecidit in terram, & lento gressu videntibus cunctis pervenit ad ostium Ecclesiæ, & ita volatu se elevans, miscuit se ventis: cumque ille interrogatus utrum aliquid sciret, ac non? asseruit se nihil penitùs scire, nisi maternam linguam, quam à pueritiâ didicerat. Ego verò in ipso scrinio vidi cum pluribus aliis, ipsorum Martyrum reliquias, de saxo quo lapidatus est sanctus Stephanus, & carbones sanguineos sancti Laurentii Levitæ, & Dalmaticam sancti Leodegarii. Plures etiam utriusque sexûs senes, & juvenes, alii canabinis funibus ligati, alii vinclis ferreis adstricti, ad locum ipsum ab amicis & vicinis adducebantur, qui statim in dicto dolio mersi curabantur. Et ita Dominus merita servorum suorum declarando, nos ad ipsius timorem & amorem quotidie invitat.

De Miraculis tempestatis à S. Hydulpho quater in die repulsa.

CAPUT XX.

ADhuc S. Patris nostri Hydulphi facta me scribere delectat, ut ea lecta vel recitata hominibus, glorificent Deum Patrem qui in cœlis est, qui dedit potestatem talem hominibus. Una dierum cum anno revoluto solemnitas B. Hydulphi evenisset, & Fratres Mediani-Monasterii solito celebriùs, ut decebat, festivitati inhærerent, contigit quasi horâ tertiâ magnam imminere tempestatem. Adunatâ igitur à quatuor ventis crassitudine nubium, coruscationum, & tonitruum horribilitatem gestantium, ita ad ima se detrudebat, ut putares cœlum cum nubibus super locum illum & totis adjacentibus locis velle fulminare cadendo; apparebat enim tanta in nubibus horribilis cum turbinum apparatu nigredo, ut aspicientibus multum moverent timorem.

Cumque tale ac tantum immineret exitium, Fratres perterriti ad altare cucurrerunt, alii cruces, alii reliquias Sanctorum, alii corporalia sancta efferebant, alii campanas sonabant, atque alii Deum invocabant. Et quanto plus Fratres hinc instabant, tanto plus illa nubium adunatio cladem minabatur. Quare cum Monachi viderent contrà hanc molestiam precum instantiam nihil proficere, ad solitum patroni sui refugium confugerunt. Composito quidem feretro, in quo sanctum ejus corpus habebatur, altisonis vocibus ipsum inclamantes exspectaverunt. Videres verò in exportatione Sanctorum artuum totam illam comminantem nubium molestiam quasi intelligibilem creaturam, sui Creatoris famulo cedere imperanti. Solutis nempe illis horribilium nubium adunationibus, tota illa massa se se in quatuor dedit partes; & ita retrocedens, quod factura erat ad tempus repressit, & aëris serenitate redditâ, Fratres cum ingenti gaudio, quasi prælii triumphatores reliquias Patris Hydulphi venerandi ad locum suum reportaverunt; & ita cum summâ devotione Missam inchoaverunt majorem. Necdum ipsam finierant, cum subitò quasi insidiatores ab insidiis erumpentes viatores deprædari desiderant, ita illa, ut prædiximus, vastationis oppressio à locis in quibus se priùs in exportatione sancti occultaverat, exiliens cum inevitabilibus ventorum collisionibus, fulgurum coruscationibus, & magnorum tonitruum mugitibus, revertendo super faciem illius loci multo truculentiùs quàm antea accumulavit, & ad solum omnia æquaturum minabatur. Accurrunt, periculum Fratres vident, mirantur, expavescunt, ad securum sibi auxilium recurrunt. Glebam Sancti cum crucibus & thuribulis contrà aëris tempestates pugnaturam exportant. Quid plura? Adventus famuli Dei sicut priùs, sanctâ ejus animâ in cœlis Deum rogante, illam periculosam in quatuor iterum partes diuisit, nec mora, redditur serenitas. Monachi, & tota plebs, quæ ad Festum convenerant, pro tam evidenti miraculo exultant, Deum totis nisibus laudant, corpus Sancti cum summâ veneratione reportant. Nec mora, locatis reliquiis Viri Dei, tanto labore attriti & pavore ad mensam jam serò pransuri conveniunt, & inter prandendum de isto turbine & clade ita irrumpente habetur sermo. Sed nondum à mensâ surrexerant, cum tonitruum fragor auditur, ventorum impulsio mittitur, fulgurum coruscationes sagittantur, grandinum calculi tectis illiduntur. Quid agere possent Monachi? tam subita illa supervenerat calamitas, ut jam desperati à loco moveri nequirent. Coacti verò tantâ turbinis impulsione, imò quia mortem sibi credebant imminere, surgunt à prandio; tota acclamat populi multitudo, ut ille promptus adjutor exportetur. Curritat quantociùs, ille se leniorem portitoribus præbet, tertium imò continuum initurus bellum adest. Pugnat interventu, jussu expugnat, statim venti silent, tonitrua obmutescunt, fulgurum sagittæ reprimuntur, grando casus suos in altum suspendit, nubium densitas clarescit, & aëris cœlique tranquillitas adeo emicuit, ut crederes in totâ illâ die vel nocte sequenti nec unam pluviæ guttam casuram. Enimverò quia eadem dicta tempestas nunc recedendo, nunc subitò revertendo toties ipsos terruerat Fratres, arbitrati sunt loculum sancti cum custodibus custodem dimittere, ne ipsos nequam impulsio sub noctis silentio loco damna valeret inferre. Ita igitur cunctis dispositis Horas vespertinas perficiunt. Dies ad suum finem devenit. Igitur nocte incipiente lassi Fratres ad lectulos pausaturi veniunt. Videns verò ille tempestatum ductor, se pro præsentiâ sancti, sui videlicet impugnatoris, nil suæ malæ voluntatis adimplere posse, voluit tamen, quid facere, si licuisset, volebat, demonstrare. Nocte verò eâdem cum se omnes sopori dedissent, tanta congeries grandinis inter claustrum & domum hospitum in mediâ nocte cum summo silentio demissa est, prout scriptum reperi, ut in tanto fervore solis & temporis, illa grandinis massa infrà quindecim dies liquari nullatenùs posset: nec tamen in toto confinio illo extrà ambitum Claustri, nec una quidem gutta pluviæ vel grandinis granum illâ nocte visa vel audita cecidisse.

De rustico S. Prajecti à tempestate dignè collisō in festo S. Hydulphi.

CAPUT XXI.

Alio quoque anno quo etiam ejus revolutio Festum adduxerat, fuit quidam rusticus apud Sanctum Præjectum, qui junctis bobus fœno currum oneraverat, & ad suum domicilium revertendo fœnum cum curru jam prope Villam minaverat: cum subitò aër, qui antea satis clarus & purus apparebat, obtenebratur, tonitrua mugiunt, coruscationes fulminant, atque grandinis tanta influentia inundat, ut vix rusticus ille subsistere valeret. Procellâ siquidem invalescente rusticus atteritur, concutitur, grandinis globis lapidatur, nihil refugii invenire poterat, nisi quod relictis plaustro & bobus se sub curru protegeret. quod & facere non distulit: sub plaustro latitare sperat, spes tollitur, quia ex improviso ventus tam validus insufflavit, ut non tantùm currum ipsum everterit, sed etiam fœnum totum per lata camporum totaliter dispersit, & rusticum sine tecto reliquit. Quid ultrà? Vapulat rusticus vento, rebus spoliatur, grandine lapidatur, inundatione aquarum pluviarum suffocatur, terretur tonitru, fulmine jaculatur, & ita ferè ad extrema perducitur. Illo etenim ita castigato, statim universitas illius Villæ supervenit, scrutantes si illa tempestas frugibus terræ in aliquo nocuisset. Cumque invenissent quòd non, invenerunt illum juxtà currum jacentem semimortuum. Quem ad domum suam deportantes, judicabant digna pro meritis evenisse, quia Deo nec honorem, nec sancto suo Hydulpho incredulus impendere cogitaverat; unde ista ei accidisse certum erat. Ita noster adjutor Hydulphus & suos novit contemptores corripere, & suos protegere cultores. Considera, ô peccator, si Deus omnipotens tam aspera contemptoribus, cultoribus verò bona quæque in præsenti redonare solet, quid de futuris eum facturum existimas, cum ista transitoria, illa verò sint æterna? ista terrena terrenis refundentur.

Revertentes igitur ad nostræ narrationis ordinem, istius nostræ Ecclesiæ eventus suo modo prosequamur. De aliis quoque Cellis & earum structoribus circumquaque erectis, prout se locus obtulerit, disseremus. At verò quia de hoc nostro fundatore Gundelberto, quantum adinvenire potuimus, disseruimus; ad posterorum suorum Abbatum explicationem, & ipsorum actuum publicationem calamum revocemus.





LIBER SECUNDUS.

De successoribus Abbatibus S. Gundelberti.

CAPUT PRIMUM.

QUia verò de B. Gundelberti successoribus, vel ipsorum actibus pauca vel nulla ad scribendum invenire potui, exceptis tantùm nominibus, nihil de meo addere præsumsi, ne rumorum inciperem novus auctor haberi. Primò quidem Abbatem Fundatoris successorem, virum moribus sanctis adornatum, Domnum Magneramnum huic nostro Monasterio Senoniensi dicunt præfuisse. De quo quia nihil plùs inveni, nihil scribere possum. Post hunc Agericus, & alii, Magemramnus, Bonciolus, Stephanus. Quibus quidem vir præpotens & nobilis nomine Angelramnus in administratione loci hujus ita successit. Erat vir ille Imperatori tunc temporis ita carus, ut ipsum suum Cancellarium efficeret. Cumque tali in aulâ Imperatoris fungeretur officio, contigit Archiepiscopum Metensem mori, quæ civitas tunc Mediomatrica dicebatur, quia in medio aliarum trium civitatum, Treverensis, Tullensis, Verdunensis, posita erat, in medio Mater dicta erat, præsertim quia tunc Archiepiscopatûs pollebat honore. Quomodo ad ipsam dignitas illa delata fuerit vel ablata, non reperi. Cumque id ad aures pervenisset Imperatoris, statim suum carissimum Cancellarium Angelramnum illi honori donari decrevit: qui aliquanto supervivens tempore, feliciter sibi commissum gregem rexit & locum. Igitur Angelramno ita sublimato, contigit Stephanum hujus loci Imperialis Abbatem ab hac luce migrare. Quod cum Archiepiscopus Angelramnus comperisset, statim ad suum cucurrit Imperatorem: & ut suæ hanc Abbatiam subderet ditioni postulavit. Hic enim locus ab initio sui ab Imperio dependebat. Imperator verò ipsum nolens molestare, ejus petitioni assensum præbuit, & Monasterium ipsum cum appendiciis Metensi Episcopo, eo jure quo & Imperatores à primo tenuerant, perpetualiter concessit. Unde iste noster locus Episcopis Metensibus huc usque subjectus esse dignoscitur. Enimverò quia hic locus, ut diximus, suo erat viduatus Rectore, idem Archiepiscopus Angelramnus & Episcopatum, & Abbatiam Senoniensem aliquanto gubernavit tempore. Et ita Monasterium quod priùs Imperiale extiterat, ex tunc manu Episcopi Metensis degere compellitur. Monachi verò quia à tanto honore, imò meliùs dicendum onere se descendisse videbant, gravissimè tulerunt. Non enim considerabant, quòd sicut & aliæ circumjacentes Ecclesiæ oppressione Imperiali sæpiùs terebantur & deficiebant, tùm pro armatorum cuneis in expeditione mittendo, tùm quia ab inimicis Imperii crudeliter vexabantur, & non erat qui adjuvaret, quia & Imperator multoties aberat, & Ecclesiæ ab inimicis erui non poterant. Vano igitur dolore consumebantur. Certè si ab illis temporibus ista omnia Monasteria in hac parte Vosagi sita adhuc Imperii essent, jam lapis super lapidem non remansisset, quia sub aliis adversariorum imperiis passim sunt constituta. Præsertim cum, si quæ ab inimicis tolerarent, Imperatorem non leviter adire poterant, nec per se ista poterant emendare, quod Episcopus uno vel duobus diebus inventus corrigere potuit. Et ita, ut opinor, vano consumebantur dolore.

De Translatione S. Simeonis Metensis Archiepiscopi ad Senonias.

CAPUT II.

ARchiepiscopus verò Angelramnus & Abbas cum videret res se ita habere, proposuit molestiam Fratrum actu sagaci compescere. Voluit enim pastorem pro pastore, defensorem pro defensore, patronum pro patrono conferre; sed non similes potestate. Ille ad præsens, iste hîc & apud Deum potest conservare & tueri: ille adjutor temporalis, iste sempiternus, ille corpus tantùm, ille corpus & animam salvare sciebat, & semper scit: ille temporalia conferre poterat, iste utriusque vitæ subsidia sibi famulantibus novit præparare. Contulit quippe huic loco pro momentaneo continuum adjutorem & promptum, beatum Pontificem septimum à B. Clemente Metensem Episcopum Simeonem clarissimum miraculis, & adjutorem promptissimum. Suffocatos namque aquis precibus suis ad vitam audivimus fore revocatos; lampades ante ejus sacrum corpus dependentes funibus ruptis super pavimentum lapsas per se super acutam cuspidem plenas oleo mirabiliter stantes illæsas reservasse; ardores febrium pellit, inundationes pluviarum serenitate commutat; calores nocivos æstivos statim invocatus temperat; horribiles tempestatum comminationes requisitus depellit. Quid plura? omnium infirmitatum & dolorum molestationes, non tardus, sed paratus medicus novit relevare; ad omnium denique necessitatum importunitatem promptissimum se semper exhibet defensorem. Hunc verò talem ac tantum hoc nostrum Senoniense Monasterium meruit habere patronum. Qui ab illo venerabili viro Angelramno huc translatus, licet tanti, ut diximus, haberetur meriti: tamen, ut audivimus, ab hujus loci fratribus minimè est susceptus. Dictus verò Archiepiscopus & Abbas volens illorum ad tempus quasi vir prudens declinare indignationis ferociam, in clivo montis, qui ad meridiem Monasterio præeminet, Capellam construxit, & ibidem illum incomparabilem & sanctum thesaurum collocavit. Cui Deus in ipso locello sancto suo Simeoni tantam contulit gratiam, ut nulli indigenti ejus adjutorium ibidem postulanti, divina misericordia sui voti subsidium denegaret, Ita tamen per illorum Fratrum obstinationem aliquanto tempore ille sacer Deo dilectus in dictâ Capellâ plenus miraculis permansit. Sed cum quia post beatum Clementem septimum Episcopum Metensem superiùs fuisse descripsimus; quis ille Clemens fuerit breviter aperiemus.

De Sancto Clemente primo Metensi Episcopo, & de serpente ab eo fugato.

CAPUT III.

EO tempore quo B. Petrus primus Apostolorum Romæ cathedram suscepit Episcopalem, quidam alter Clemens in urbe erat, qui à B. Petro ad fidem instructus, postea post ipsum Petrum tertius sortitus est sedem: cum quo multi se fidei Catholicæ subjicientes, ad B. Petri jussum verbum fidei ubique missi constanter prædicaverunt. Erat autem quidam cum ipso Clemente Clemens, qui dispositione Magistri sui Petri cum aliis ad partes Galliæ missus, Metensem est aggressus civitatem, aliis sodalibus suis loca sibi à Deo destinata fide plenis occupantibus. Cumque invenisset civitatem Metensem sacrilego idolorum ritu multo tempore fœdatam,

indoluit, & aliquantulum loco cedens, in loco ubi postea Monasterium quod Gorzias vocatur, primus habitator Oratorium erexit. Statutis verò temporibus ad civitatem veniens, Verbum Dei de Deo ante tempora natum, de matre verò sub tempore de novo natum constantissimè prædicabat. Cives igitur novitate sermonis attoniti, alii dicebant, quia bonus est sermo, alii autem non, sed contrà antiquas traditiones agit. Erat autem ante portam civitatis maceria pluribus in locis cavata, quæ ad ludos suos exercendos quasi theatrum quoddam fuerat ab civibus illis in gyrum ædificata, in quâ draco miræ magnitudinis, sibi locum & mansionem elegerat. Qui anhelitu fœdissimo ita aërem corrumpebat, ut suâ infestatione portam ipsam, & ferè tertiam partem civitatis vacuam habitatoribus reddiderat. Unde ipsa porta ab ipso serpente nomen accipiens, adhuc porta serpentina appellatur. Cum vir Dei hoc cognovisset, sciens tantum populum non nisi miraculis fore convertendum, jussit se ad serpentem ipsum perduci. Qui cum illuc pervenisset, divina quippe eâ die ad hoc faciendum celebraverat, stolam de collo demittens, antrum ubi draco erat, adiit: eique in virtute Dei altissimi, & omnibus venenatis serpentibus & reptilibus præcepit, ut se sequerentur, nec in eadem civitate quidquam ipsorum remaneret. Videres insperatè tantam multitudinem serpentum subsequi Sanctum, ut non crederes in totâ regione illa, tantam abundantiam immundorum reptilium posse inveniri. Sanctus verò Clemens eum suo illo captivo usque ad fluvium, qui Sallia dicitur, veniens, dracone in ipso demerso, præcepit ei in nomine Dei, ut ad locum inhabitabilem cum suis sequacibus sine alicujus læsione abiret, quod & fecit. Unde incolæ illius civitatis testantur adhuc nullum venenatum reptile ibidem posse reperiri: & si quoquomodo illic deveniat, meritis sui S. Clementis non posse aliquamdiù vivere profitentur. Quo miraculo viso, & fidem Christi cives susceperunt, & illum sibi Episcopum statuerunt. Hujus ergo sanctissimi Clementis septimus iste noster Patronus Simeon Episcopus Metensis extitit successor. Eliminatâ denique inde omni diabolicæ superstitionis versutiâ, in ipso theatro, quod ante adiri non audebat, Ecclesia in honore B. Petri Apostoli construitur: ubi & postea, sicut hactenus permanet, Cella constructa est Monachorum, quæ Monasterio S. Clementis subjecta habetur.

De Solemnitate S. Simeonis, & de servitio piscium ejusdem diei.

CAPUT IV.

Igitur Archiepiscopus & Abbas Angelramnus videns se aliis arduis tam Imperii, quàm Archiepiscopatûs negotiis implicitum, decrevit huic loco Abbatem substituere. Inito quoque consilio, virum religiosum Norgandum præfecit, quem ipse Episcopus huic loco à nostro Fundatore Gundelberto septimus huic Monasterio octavum constituit Abbatem. Et à tempore illo Abbates hujus Cœnobii ab Episcopo Metensi temporalia, ab ipso verò Episcopo Tullensi spiritualia receperunt, sicut & adhuc contingere videmus. Videntes igitur fratres hujus loci pro Imperatoria dignitate, à quâ lapsi fuerant, frustrà se dolore consumi; ne tanto subventore forte privarentur, corpus sanctissimi Simeonis, quod superius in Oratorio collis diximus collocatum, ad Monasterium reportare maturarunt. Oblatâque temporis opportunitate, glebam Sancti cum magno populorum comitatu octavâ ante festum Omnium Sanctorum die, in Ecclesiâ Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ubi nunc in thecâ argenteâ requiescit, translatum est. In quâ die annuatim omnes plebani, qui ab Abbate Senoniensi tenent Ecclesias, servitia piscium ad honorem festi omni occasione amotâ solvere tenentur. Vidi enim aliquos ab Abbate Henrico pro defectu servitii piscium, quod illâ festivitate non persolverant, ad præsentiam suam vocatos, & emendam propter hoc Abbati fecisse, & persolvisse neglectum servitium. Vidi etiam aliquâ illarum festivitate tantam copiam piscium apportari, ut ad decem libras Tullensium valentia illorum computaretur. Sed nunc ad historiæ seriem revertamur.

De potestate Abbatis Senoniensis, & jure Advocati.

CAPUT V.

Considerans itaque vir venerabilis Angelramnus se non posse nisi magno labore tot & tantis insistere provisionibus, quia sæpiùs Imperiali eum Cancellariæ oportebat interesse, hunc locum ut decebat, nequiret defensare; statuit Monasterio Advocatum providere tali conditione, ut quicumque Advocatus per Metensem Episcopum institutus fuerit, ad quem Advocati spectat institutio, tertiam partem emendarum illarum, scilicet placitorum, ad quæ ab Abbate vocatus fuerit, accipere debebit, & ad cætera manus non extendet. Pars quidem dicto Advocato terræ & hominum, quæ adhuc Abajum vulgo appellatur, pro advocatione collata fuit, quos adhuc tempore nostro heredes de Salmis possidebant. Et his contentus, nil penitùs juris in hominibus terris, banno, aquis, nemoribus, placitis, justitiis, vel in omnibus Monasterii dependentiis, se ampliùs sibi usurpare debebit. Sed ubicumque necesse fuerit, pro Abbatiâ & ejus rebus & hominibus pro collato sibi advocationis beneficio stare tenetur. Abbas verò homines ad placitum vocabit, judicabit, & per scabinum suum emendas judicatas sine Advocato levabit: & si qua culpa aliis temporibus in banno emerserit, Abbas vel ejus villicus, qui per ipsum Abbatem, & non per alium instituetur, illas tractabit & fine debito determinabit. Quicumque verò Abbas sit Senoniensis, Villicos, Decanos, Forestarios, Scabinos, & etiam Ecclesiarum S. Mauricii, S. Joannis de Plama, de Wipodi Cellâ matricularios ponet & deponet, & pro voluntate suâ sine aliquâ contradictione instituet & destituet. Nec in Villicum & alios ministeriales Ecclesiæ, vel Abbatis Advocatus manum immittere debebit, vel in homines; sed omnia in dispositione Abbatis ordinanda permanebunt. Si verò quisquam aut Advocatus super prædictis, vel quivis alter molestaret Ecclesiam, per Episcopum Metensem omnia corrigi & emendari deberent. Et insuper omnibus præmissis, Apostolicorum, Imperatorum, Episcoporum, Ducum, Comitum, & aliorum Magnatum privilegiis hæc nostra Senoniensis Ecclesia fundata esse constat & roborata; ita ut Apostolici quatuor, Episcopi, Archiepiscopi, vinculo excommunicationis privilegiorum Ecclesiæ infractores, & offensa divinâ dignos, pronuntient innodatos. Qui sibi vult cavere, caveat; quia multos postea habuit Advocatos Ecclesia excommunicatos. Hoc denique Monasterium omnia suprascripta & alia quæcumque possidebat & etiam privilegia inviolata retinuit usque ad tempora cujusdam Adelardi hujus loci Abbatis, parvæ prudentiæ & scientiæ, imò hujus Ecclesiæ dilapidatoris, ut postea loco suo exponemus.

De corpore Joseph Sepultoris Domini.

CAPUT VI.

TEmpore Caroli magni vir quidam venerabilis, Fortunatus nomine, Patriarcha Hierosolymitanus, corpus S. Joseph sepultoris Domini, Paganos qui tunc terram sanctam vastabant, fugiens aportavit, & ad Medianum Monasterium deveniens, ibidem cum ipsis suis reliquiis se collocavit: qui postea ipsius Monasterii Abbas est ordinatus. Sed postmodum ipsum Sancti corpus per insolentiam Canonicorum, qui illum locum possederunt, à quibusdam Monachis peregrinis noctu furatum asportatum est; & ita illud Monasterium tali est thesauro viduatum. Postmodum verò prædium magnum apud Berchem in territorio Alsatiæ situm cum Ecclesiâ B. MARIÆ, quod antea vir quidam nobilis pro salute animæ suæ Ecclesiæ Mediani-Monasterii contulerat, pro quantitate aliquot caseorum Episcopo Basiliensi quasi obligatum, per negligentiam perditum est. Et sic de die in diem peccatis exigentibus, Ecclesia Mediani-Monasterii redditibus suis miserabiliter est fraudata.

De Zundeboldo Duce Lotharingiæ, qui Comiti cuidam Medianum-Monasterium contulit in jure beneficii.

CAPUT VII.

COntigit deinde, quando annus Domini DCCCXCIV. habebatur, quemdam nobilem, Zundeboldum nomine, Ducem Lotharingiæ exstitisse, qui consilio depravatus pessimo, dolorem dolori addens, Medianum-Monasterium cum appendiciis suis cuidam Comiti, Hasuma nomine, jure beneficii tradidit. Qui Comes iniquitatem apponens iniquitati, Pipinum, qui tunc illi Monasterio præerat, cum Monachis omnibus à Monasterio depulit, & Canonicos sæculares instituit, & eis Monasterium, & omnia quæ Monachi antea possederant, jure perpetuo contradidit.

De fame, & Hunis, & Monachis apud Medium-Monasterium restitutis.

CAPUT VIII.

SEcundo anno verò post hæc tanta penuria bladi & aliorum alimentorum omnium invaluit, ut quod auditu est horribile, homo homine vesci cogeretur. Et sequenti anno Hunni totam Alemanniam, & terram istam gladio vastaverunt; civitatem Basileam solo coæquaverunt: ita ut vix in his tribus Ecclesiis, Deodatensi, Stivagiensi, Medii-Monasterii, singuli remanerent Clerici. Duobus inde annis elapsis Canonici denuò reversi, Claustrum Mediani-Monasterii iterum occupaverunt. Septuagesimo verò anno, postquàm dictus Zundeboldus Dux per donationem Mediani-Monasterii Hasuna Comiti factam, Canonicis depulsis inde Monachos ibidem statuit quidam Dux Lotharingiæ, *Fridericus* nomine, vir Deum timens. Audiens enim quòd ordinem Monachorum à sui fundatione Monasterium illud habuisset; decrevit Ordinem priorem ibidem restaurare. Unde Canonicos depellens, per quemdam Adelbertum Monachum Gorziensem, qui ordine & regulâ B. Benedicti instructus satis erat, Monachos denuò restituere maturavit in eodem statu, quo ante Clerici ibidem habitaverant; exceptis his, corpore scilicet S. Joseph sepultoris Domini, & aliis per incuriam Clericorum alienatis, quæ instaurari non potuerunt.

De Blidolpho, qui Cellam de Acheri ædificavit.

CAPUT IX.

EOdem verò tempore exstitit quidam Metensis Primicerius, Blidulphus nomine, vir justus & prudens, qui relictis omnibus quæ possidebat, appetens locum suæ conversioni aptum, quærere decrevit. Quem diù quæsitum, tandem in valle quæ Lebrath dicitur, intrà montes inclusam adiit Valliculam, in quâ, in clivo montis ad meridiem Cellam erexit, & eam Bellum montem appellavit. Qui ibidem Ecclesiam ædificavit, & in eâ novem altaria cum cancellis & cryptis instruxit. Officinas enim circà illam, & Claustrum propositione loci ad usum Monachorum erexit: aliquantos verò redditus ibidem acquisivit: & adunatis Fratribus, Deo devotus cœlibem duxit vitam. Audientes verò multi sanctitatem viri Dei, ejus se conversationi sociare studuerunt. Inter quos exstiterunt duo genere & fide nobiles Villelmus, & Achericus, qui etiam ambo ipsius loci Fundatori meritis coæquari potuissent. Unus nempe duorum tam evidentibus & in vitâ, & post vitam claruisse fertur miraculis, ut ejus sacrum corpus de loco sepulturæ in scrinio transferretur: cujus reliquiæ postea in thecâ novâ argento & auro ornatâ tempore cujusdam Sacerdotis, Hesso nomine, repositæ, adhuc in ipsâ Ecclesiâ reservantur. Alter verò Achericus ejusdem Villelmi successor aliquandiù ipsam rexit Ecclesiam & locum: qui tanta exstitit famâ, ut ipsum, dimisso nomine Bellimontis, quo priùs nominabatur, Achericum appellarent locum, quod adhuc eo nomine ipsa villa nuncupatur. In quâ postea nobiles exstiterunt viri, quorum diebus argentariæ fossæ repertæ sunt, in quibus multum argentum esse fertur effossum. De quorum nobilium progenie postea exierunt viri qui temporibus nostris in ipsâ Valle Lebrath castrum construxerunt, quod nomine supradicto, Acherich vocaverunt. Ille verò sanctus Achericus plenus dierum migravit ad Dominum. Cujus corpus in medio chori in ipsâ Ecclesiâ ante altare B. MARIÆ sepultum videtur. Ipsa deinde cella Acherich Mediano Monasterio olim per dictos viros fuit attributa. In quâ Cellâ Monachi Medii Monasterii ferè usque ad tempora nostra feruntur habitasse. Modò verò Ecclesia parochialis per negligentiam Monachorum est effecta. In ipsâ etiam valle, in inferiori loco quia spatiosior erat, famosissimus Imperator Carolus Magnus Cellam in honore B. Dionysii ædificavit, in quâ corpus sanctissimi Papæ Alexandri & Martyris à Româ delatum collocavit, & eam magnis redditibus ampliavit. Cujus etiam Ecclesiæ pavimentum diverso colore marmoreo artificiosè, sicut hodie in aliquâ parte sui apparet, substravit. Quæ adhuc Cella ad Monasterium B. Dionysii Areopagitæ pertinere dignoscitur.

Quòd Fredericus Dux Lotharingiæ, Ecclesiam S. Deodati Abbati Medii-Monasterii duxit regendam.

CAPUT X.

ANno igitur Domini DCCCCXLII. Fridericus Dux Lotharingiæ, & de quo suprà mentionem fecimus, quia divinis libenter providebat Ecclesiis, cum Monasterium S. Deodati proprio foret vidua-

tum Pastore, Adelbertum Mediani Monasterii, quem post Canonicos ipsi præfecerat Monasterio, adire decrevit; & ei ut dicto Monasterio S. Deodati præesse vellet, admonuit. Qui voluntati Ducis obviare metuens, petitioni Ducis acquievit. Suscipiens igitur Ecclesiam ipsam credidit se duabus Ecclesiis ad regendum non posse sufficere. Accersito itaque sui Monasterii Monacho, Eucherbertum nomine, illud S. Deodati Monasterium tradidit providendum. Qui ipsius loci substantiam & universam supellectilem in tam brevi tempore dispersit, ut Fratribus ibidem commanentibus victui necessaria non valeret ministrare. Unde Dux valde iratus Monachum illum ab administratione amovere cogitavit: quod cum ille Ducem sibi sensisset iratum, credidit eum munera velle accipere: conversus verò ad Monasterii thesaurum, quia quo manus extenderet non habebat, distrahit calices, cruces decrustat, cappas sericas & ornamenta serica, & aurifigia vendidit, Ducique pretium offerre parat. Cum igitur Dux cognovisset ipsum Eucherbertum Monachum, ut gratiam ejus recuperaret, tam enormiter deliquisse, valde condoluit: quia potiùs pro gratiâ Principis rehabendâ prius commissum restaurare, quàm posterum priori adjungere debuisset: non tantum modo ipso Monacho pœnam commissi retorsit, sed etiam Monachos omnes cum illo suo nequam provisore à Monasterio propellere non distulit. Et quia Ecclesia ipsa S. Deodati sub dominio ipsius Ducis habebatur, nec ipsum locum diù officio divino carere volebat, quia facta Monachorum satis expertus erat, Canonicos sæculares ibidem, sicut usque adhuc permanent, instituit.

De Translatione corporis S. Hydulphi.

CAPUT XI.

QUarto decimo post hæc anno dictus Abbas Mediani-Monasterii Adelbertus, corpus beatissimi Hydulphi, quod adhuc saxea tumba tenebat, convocatis pluribus Abbatibus & aliis viris religiosis cum magno apparatu levavit, & in quodam scrinio ligneo, quod ad hoc præparaverat, collocavit. Eo tempore levata sunt corpora sanctorum germanorum Joannis & Benigni, discipulorum sancti Hydulphi, qui miraculosè ab hac luce venientes, nunquam ab invicem discesserunt. Unâ namque horâ sunt concepti, unâ horâ in ventre matris sunt formati, simul procreati, unâ horâ nati, simul educati, simul studiis traditi, unâ die cucullati, simul conversati, unâ die lecto infirmitatis incubuerunt, unâ die defuncti; simul cœlo recepti, tumulo uno collocati. Unde de his sanè potest dici, & ab invicem non sunt separati. Aliquanto verò elapso tempore, postquàm levata sunt istorum Sanctorum corpora; contigit bonæ memoriæ Stephanum Tullensem Episcopum ad has devenisse partes: qui cum quâdam solemnitate ad Medianum-Monasterium peregisset festum, Monasterium sancti Salvatoris adiit, ibique extremum clausit diem: & inde ad Medianum-Monasterium reportatus; quia ita ipse vivens præceperat, in eodem tumulo quo levata sunt corpora prædictorum sanctorum, honorificè est sepultus. Unde postea tempore Nicolai ejusdem loci Abbatis inde levata sunt ossa ipsius; cum quibus vidi cruciculam plumbeam, in quâ scriptum erat, *Stephanus bonæ memoriæ Tullensis Episcopus.* Qui etiam eidem loco aliqua prædia contulit, quæ adhuc Camerariæ deserviunt Monachorum.

Qualiter Monasterium de Boxeriis est constructum.

CAPUT XII.

NOnagentesimo sexagesimo secundo Domini anno, quidam vir venerabilis exstitit, Gozelinus nomine, Tullensis Episcopus, vir sagax & providus, qui Monasterium Sanctimonialium, quod Bosseriis dicitur, à fundamentis primitùs ædificavit. Vivente adhuc dicto Gozelino, quædam gens aliena Episcopatum Tullensem, & ipsam civitatem patientiâ Dei adeo vastaverunt, ut in principali Ecclesiâ tres tantùm Clerici remanserint, qui vix ibidem valebant sustentari. Gozelinus verò venerabilis Episcopus, videns Episcopatum ad tantam devenisse miseriam, indoluit: adiit quippe Magnates, Duces, Barones & alios Christi fideles, ut eorum auxilio Ecclesiæ inopia relevaretur. Otto itaque tunc Imperator Romanus, cum comperisset dictum Tullensem Episcopatum ad tantam inopiam devenisse, pietate motus, industriâ & sagacitate dicti Episcopi, ipsum Episcopatum reparavit, ut videretur de novo exstructum fuisse.

De Ordinatione sancti Gerardi Tullensis Episcopi: & de miraculis ejus.

CAPUT XIII.

DEfuncto denique ipso, ut suprà dixi, Gozelino Episcopo, B. Gerardus in Episcopatu successit. Qui cum ad Episcopatum electus fuisset, & ad civitatem Tullensem ad instituendum duceretur, cum ad Ecclesiam sancti Mansueti, quam priùs idem S. Mansuetus in adventu suo ad civitatem Tullensem pro Oratorio sibi exstruxerat, pervenisset; quia ejusdem urbis primus Episcopus exstiterat Mansuetus, Oratorium ipsum causâ orationis fertur introisse, & tamdiù ibidem orasse, usquequo Ecclesiam ipsam consensu totius cleri se vovisset in meliùs ædificaturum, quod & fecit sicut hodie videtur permanere. Ecclesiam quoque majorem Episcopii, sancti scilicet Stephani Protomartyris à fundamentis restruens, picturis & aliis ornamentis decoravit. Quam dedicare volens, reliquias Protomartyris non reperisse fertur: quare ad Metenses navigio dicitur devenisse. Cum igitur per Mosellam navigaret, & super oram navis fortè incumberet, contigit cruciculam, quam ad collum appensam gestabat, nescio quo casu à collo lapsam in fluvio decidisse; pro qua re vir Dei valde contristatus est: cursu siquidem concito Metim pervenerunt. Petiit vir Domini Gerardus, ut Episcopus loci & alii suis interessent encæniis, & ei aliquas B. Stephani reliquias darent si haberent. Qui nullas se habere responderunt, excepto solo saxo, de quo idem Dei Martyr fuerat lapidatus. Beatus verò Gerardus hæc audiens corde gavisus est, & ut ei lapis ostenderetur, supplicavit. Quem afferentes, eidem Episcopo dederunt in manibus; qui saxum unâ manu honestè tenens, digitum dexteræ per saxi cuspidem satis curiosè trahens, dixit: ô si mihi tantula pars de voluntate Dei conferretur, satis me recepisse gauderem. Quo dicto statim illa particula per quam digitum traxerat, ita ab illo lapide divulsa est, quasi a cultro esset abscissa. Quod cum viderent Metenses, cognoverunt sanctum hoc miraculo obtinuisse, quod prece concedere recusabant. Particulâ quidem saxi acceptâ, cum ingenti gaudio valedicens illis, navimque ascendens, venit ad locum ubi antea cruciculam diximus lapsam fuisse. Quem locum beatus ille prospiciens

suspirando dixit : Domine, Domine, cruciculam meam peccatis meis exigentibus hîc credo cecidisse: quo dicto, crucicula illa desuper aquas natando apparuit : quod cum Sanctus videret, porrectâ manu apprehendit eam, sicque cum duplici gaudio, saxi videlicet & crucis, ad civitatem suam devenit, & Ecclesiam quam restruxerat, dedicavit. Idem verò beatus de die in diem meritum suum augmentare non cessans, Ecclesiam in honore B. Gengulphi Martyris de novo ædificans, Canonicos ibi instituit, & rebus necessariis ampliavit. Deinde S. Apri corpus sui prædecessoris Tullensis Episcopi de tumulo levavit. Multa quidem & alia signa fecit Deus per merita sancti sui Confessoris Gerardi Episcopi.

De ortu sancti Brunonis Episcopi Tullensis, postea Papæ Leonis.

CAPUT XIV.

ANno igitur Domini millesimo secundo Nativitas B. Brunonis, qui postea Tullensis Episcopus, deinde Papa Romæ efficitur. Cujus parentes Hessam Monasterium Sanctimonialium penes Sareborch ædificaverunt. Aliud quoque Monasterium construxerunt, quod Aldorf dicitur, Ordinis S. Benedicti, quod in Alsatiâ situm est. Tertium etiam, quod Lutrense dicitur : & quartum Sanctimonialium in honore Sanctæ Crucis, item in Alsatiâ, quod Woleinheim nuncupatur. Quæ Monasteria bonis propriis ita ditaverunt, ut ipsorum Conventus largissimè valeant sustentare. Ac demum cum idem Bruno Papa Leo fuisset effectus, Ecclesiam S. Deodati cum totâ valle jurisdictione Episcopi Tullensis exemit, & sedi Apostolicæ immediatè subjecit. Cujus igitur sanctitatis idem Bruno postea futurus esset, in quamcumque civitatem vel castellum, vel vicum, aut villam intrarent, galli earumdem villarum, linguâ ejus patriæ per quam transibant, densis clamoribus eum Papam futurum clamabant : Leo Papa, Leo Papa, cum sibi nomen imponendum omnes ignorarent : & iterum hoc nomen atque iterum reciprocabant : Leo Papa, Leo Papa. Quo audito qui cum eo erant, eum in summâ veneratione habere cœperunt.

De Translatione S. Deodati per Beatricem Ducissam Lotharingiæ viduam.

CAPUT XV.

POstea verò anno Domini MIII. vergente numero, erat quædam Ducissa, quæ viro suo viduata Lothariensem Ducatum pro modulo suo regebat. Inter cætera quæ temporibus suis contigerunt, accessit ad Ecclesiam S. Deodati : & Canonicis, & Clericis, & vulgo comminata est, quòd si corpus Domini sui, scilicet B. Deodati non ostenderent, quod jactabant habere, ipsos perpetualiter in propriam redigeret servitutem ; quod adhuc tumulo saxeo tenebatur. Minis etenim Clerici & Populus perterriti, convocatis undecumque viris religiosis, jejuniis & orationibus præmissis, corpus ipsius Sancti, loci ipsius primi Fundatoris Deodati, de tumulo in medio ipsius Ecclesiæ locato, ante altare Sanctæ Crucis, quod nunc est parochiale, levaverunt, & in scrinio novo ad hoc parato pridie ante vigiliam depositionis ejus locaverunt. Unde adhuc singulis annis ejus sacra translatio à Clero & populo eo die recolitur. Ita ex tunc Ecclesia & vallis oppressione ipsius Ducissæ exempta fuit. Secundo autem post anno idem Monasterium S. Deodati præ vetustate corruens, ab ipsâ Beatrice & quodam Comite Lodovico cum aliquibus aliis adjutoribus fidelibus, ampliori & novo ædificio est innovatum. Ottone verò Imperatore anno Domini MI. decedente, duo sibi regnum usurpaverunt, quorum unus Harduinus Italiam, alter verò Hermanus Alemaniam possederunt. Idem autem Hermanus inter alia mala quæ gessit, Sabbato sancto Paschæ inopinatè civitatem Argentinam intravit, & totam civitatem in die Resurrectionis Domini igne succendit. Armati sui matronas, quæ ad Ecclesias fugerant, Virgines cum cæteris mulieribus vi violabant, & hoc intrà Ecclesias fiebat; Sacerdotes ab altaribus dejiciebant, & exutos vestimentis calices rapiebant, libros, pallas altarium, cruces, capsas cum reliquiis Sanctorum per spatium pavimenti quasi quædam stercora expandebant. Quidam verò eorum considerantes crucifixum magnum auro puro & gemmis redimitum, ad eum cucurrerunt. Cui ut decrustarent manus injicientes, subitâ morte præventi, ante ipsum crucifixum diabolo reddentes, animas ceciderunt. Omnis deinde ille exercitus pessimâ morte diversis modis citò totus interiit. Ille verò eorum Hermanus ut suæ malitiæ donativum reciperet, cum quâdam nocte in cubili suo se sanum collocasset, ab illo cui servierat Diabolo suffocatus, somno mortem sociavit. Et ita Dux cum suis omnibus in brevi inferni claustra possederunt.

Quod Bertoldus Tullensis Episcopus Monasterium S. Salvatoris construxit.

CAPUT XVI.

MIllesimo decimo Domini anno Bertoldus Tullensis Episcopus, de quo superiùs mentionem fecimus, Monasterium S. Salvatoris in Vosago, in clivo montis prope Bodonis-Monasterium, ubi Sanctimoniales diximus à Fundatore suo Bodone institutas, à fundamentis ædificavit, & ibi Monachos, ut prædixi, instituit. Monachis verò post aliquod tempus inde expulsis, Canonici ibidem instituuntur.

Quod quidem Monasterium ex suo proprio dotavit patrimonio, videlicet villa cum hominibus de Domnoapro, villa Berthecurte ad Quercus, villa de Auralcourt prope vicum in bannis ac fundis earumdem in omni jurisdictione nobilium ex suis liberis alodiis, necnon hominum subjectione, sic absque aliquorum Dominorum temporalium reclamatione, sic multo pacificè Abbas quievit tempore in possessione ; malitiâ verò multorum iniquorum urgente virorum idem Monasterium cum suis Religiosis & pertinentiis vexantium, aliquanto tempore spatii medio Abbas tunc temporis existens inito sibi consilio, videns se non posse nisi magno labore tot & tantis molestationibus resistere, statuit sibi & dicto Monasterio sub modo advocatiæ de Conservatore providere. Tali conditione sic statutum est, ut quicumque Conservator institutus fuerit, scilicet ex tunc Dominus de Albomonte, reditus annuales animalium trahentium in villâ & banno de Domnoapro simul cum uno grosso semel in quolibet anno persolvendo monetæ cursibilis ; ex unâquâque domo in quâ ignis fieret, dicti Abbatis domo & in dictâ villâ nomine suo ubi habitantes morarentur duntaxat exceptis, idem Conservator perpetuis levabit temporibus & possidebit, fidelitate ab eodem Conservatore sibi Abbati prætactâ, & his contentus nihil penitùs juris in hominibus, terris, banno, nemoribus, placitis, nisi vocatus fuerit ab Abbate, vel ejus Ministeriali seu Villico ut vim sibi inferat, pro

pro quâ vocatione & viri rei rebellione, ipsi qui reus erit duorum placitantium inventus, poterit idem Conservator pro emendâ per Ministralem seu Villicum Abbatis exigendâ & levandâ usque ad viginti solidos postulare; ex quibus Abbas quinque recipiet, & pro eodem Conservatore reliquos quindecim conservabit solidos. In aquis vero si Abbas eas vendiderit, duas pecuniarum partes habebit, & iisdem Conservator tertiam partem; si autem piscare voluerit facere, ponet seu statuet duos piscatores, & Conservator unum tantùm. In placitis & justitiis nihil habebit, nisi morti deditis, quorum facultates Abbati liberè remanebunt, & corpus delinquentis à Ministralibus villæ judicatum, eidem Conservatori deliberaretur exequendum, nec in omnibus aliis appenditiis ampliùs usurpare debebit, sed ubicumque necesse fuerit pro Abbatiâ S. Salvatoris & ejus pertinentiis licitis pro collato sibi ab Ecclesiâ tali beneficio stare tenebitur. Abbas verò homines ad placitum vocabit, & per Scabinum suum emendas judicabit, judicatasque levabit, & si qua culpa aliis temporibus in banno emiserint, Abbas vel ejus Villicus illas tractabit & fine debito terminabit. Villicos, Scabinos, Decanos, Forestarios instituet; & etiam Ecclesiam S. Salvatoris, villam scilicet de Domnoapro, de Barbay, de Barbesieux, de Herboye, de Syreis, & de Blemerey, ac de Bodone-Monasterio Marticularios ponet & deponet, & pro voluntate suâ sine aliquâ contradictione instituet & destituet nec in Villicum & alios quoscumque Ministrales Ecclesiæ & Abbatis S. Salvatoris iisdem Conservator aut alius manum violenter mittere, sive alios homines extraneos qualicumque modo aut causâ vincire, aut vinctum ducere sive incarcerare potest nec debet, sed omnia in dispositione Abbatis, quia summus in dominio illius villæ & ejus banno habetur, ordinanda & disponenda permanebunt. Si verò quisquam aut dictus Conservator; qui se cum suis sequacibus ad hoc horâ suæ primæ institutionis ac ornationis omninò Ecclesiæ Dei jurisdictioni sponte subdidit, super prædictis vel quilibet alter nomine suo ipsam molestaret Ecclesiam, per Reverendum in Christo Patrem Dominum Episcopum Tullensem corrigi & emendari debebunt, atque excommunicationis sententiâ coarctari; in quam eo facto se ipsos noverint incurrisse.

Quòd Simon Dux Lotharingiæ Advocatus fuit constitutus in villâ de Berthecour ad Quercus.

CAPUT XVII.

ANno Domini MCLIII. ex consensu, imò potiùs ad requestam Abbatis per Dominum Tullensem Episcopum, ut vim Ecclesiæ & Abbati S. Salvatoris ferret, fuit in villâ de Berthercurte ad Quercus Dominus Simon Dux Lotharingiæ liber Advocatus, qui pluribus advocatiam annis salubriter in Ecclesiæ favorem rexit, ac à suis regere fecit, quam advocatiam Simoni de Morcy filiolo suo, quem de sacro fonte levaverat, contulit in feodo: sed anno Domini MCC. LX. Duce Ferrico ratificante & laudante heredes dicti Simonis de Morcy Abbati & Conventui in perpetuum vendiderunt ipsam advocatiam.



De Adelardo misero Abbate Senoniensi, & de miseria ejusdem loci.

CAPUT XVIII.

HIs igitur ita se habentibus, cùm Ecclesiam istam Senoniensem alii post alios Abbates rexissent feliciter, contigit quemdam Adelhardum, qui quartus decimus à primo Fundatore erat, hujus nostri Monasterii gubernacula suscepisse: qui felicibus infelix succedens, hujus loci bona, redditus, terras, proventus suâ negligentiâ dissipavit: imò, quod deterius est, spiritalium, Ordinis scilicet & Religionis, & Religiosorum exstitit perversor; ut in loco qui usque ad tempora ejus, quasi quidam hortus deliciarum tam in spiritualibus, quàm in temporalibus floruerat, minimè Deus coleretur. Quicumque res Ecclesiæ rapiebat, sine repulsâ detinebat: Monachi non ordini, sed perversitati insistebant: ad ludos citius quàm ad Ecclesiam conveniebant; refectorium, dormitorium, claustrum, quasi interficientium arma devitantes, impudicis se actibus, comessationibus, ebrietatibus, ac cæteris mundi delectationibus implicabant: nec erat qui corrigeret. Quid ultrà? Grex dum lupis exponitur, caulæ ovium Dei dissipatæ non valent eas retinere. Ita Abbas Adelhardus Ecclesiam sibi commissam cum grege sibi commisso gubernabat. Videntes Monachi omnia sibi licere, licet non omnia expedirent, statuunt sibi vivere, non Christo. Quæsivit sibi quisque domunculam, ubi non regulariter, sed voluntate propriâ sibi conversari quiret: fit congregatio taurorum in vaccis populorum, gloriantes in malitiâ suâ: & ideo tenuit eos superbia, confusi sunt, nec compuncti, subsannaverunt multis subsannationibus: & quia maledictus qui ponit carnem brachium suum, quia de carne tantùm curabant, non speraverunt in Domino, sed divina contemnentes officia, operti sunt iniquitate & impietate suâ; & ita transientes in affectum cordis sui, perierunt propter iniquitatem suam. Victu quippe deficiente & vestitu, decreverunt more rusticorum agricultores fieri, ut ita saltim possent inopem defendere vitam. Tali etenim congregatione, imò certè segregatione, hæc nostra Senoniensis Ecclesia pluribus, proh dolor! annis fuit frequentata. Quid plura? Abbates Abbatibus succedentes nec seipsos, neque subditos ab hac miserâ conversatione corrigere curarunt. Hæc etenim Fratrum miserrima conversatio temporibus sex Abbatum incorrecta perduravit, usquequo Deus omnipotens, quia tempus miserendi venerat, misereri voluit. Receperat enim duplicia pro peccatis suis. Destinavit enim ei quemdam juvenem, Rambertum nomine, hujus tamen loci Monachum, qui aliorum non consentiens ludibrio, sanctæ conversationis studium quæsivit. Erat enim in Episcopatu Metensi quoddam Monasterium Gorzias nomine, quod à Fratribus Deum timentibus, quasi quibusdam flosculis amœnissimus Paradisus suo desiderio fulgebat. Hanc Fratrum congregationem frater Rambertus hujus loci Monachus evadens naufragium, Deo donante melior futurus aggredi disposuit. Qui ab Abbate & fratribus loci benignè est receptus, & tamdiù tamque religiosè ibidem conversatus, ut omnibus carus haberetur, & præcipuè ejusdem Monasterii Priori, qui Adelbero dicebatur, vir quippe vitæ laudabilis & honestæ conversationis. Rambertus enim, quem divina instruebat benignitas, consideratis Ordinis & Religionis circumstantiis, atque ipsorum Fratrum Gorziensium mores laudabiles & actus, consuetudinem loci & modum tam sagaciter

retinuit, ut idem Prior & Fratres ipsum gratanter, si voluisset pro suæ humilitatis & modestiæ statu retinuissent. Sed ille, quem Deus suæ Ecclesiæ Rectorem prævIderat, ad revisendum locum istum & Fratres quos in tam pravo statu, ut superiùs dictum est, reliquerat, acceptâ à Priore & Fratribus licentiâ, ad Monasterium Senoniense repedavit. Quem Dominus Rangerus, qui tunc huic loco præerat, suscepit, & cum quia prudens erat & modestus, post pauca Monasterii Præpositum ordinavit: qui suæ obedientiæ agendas tam strenuè gubernavit, ut ab omnibus amaretur. Rangero itaque hujus loci Abbate ab hac vita non multo post decedente, eoque prout debuit condecenter sepulto, totus Fratrum Conventus Rambertum Præpositum sibi elegit Abbatem. Qui ab Episcopo Metensi temporalia, ab Episcopo verò Tullensi curam suscepit animarum. Cum igitur Rambertus Abbas ad Monasterium remeasset, Fratres alloquitur, eis verbis benignissimis quod Gorziæ didicerat indicavit, & ut more illorum Religiosorum viverent, admonuit. Qui, quia consuetudo altera est natura, responderunt se non aliter velle vivere; sed sicut consueverant, orabant ut eos vicitare permitteret. Videns verò Rambertus Abbas se nihil proficere, Episcopum Metensem censuit consulendum. Episcopus verò videns eum zelo Dei duci, ad ejus bonam roborandam voluntatem, dictum Priorem Agenaldum [a] Gorziensem suâ fultum auctoritate eidem Abbati dedit adjutorem. Venientes igitur ad nostrum hoc Monasterium prædicti Abbas & Prior, Fratres satis aptè sunt alloquuti: nunc quidem blanditiis, nunc verò terroribus, ut à suâ dissolutione recedendo, se disciplinæ regulari submittere maturarent, hortabantur. Qui omninò nec prece, nec minis, vel demùm districtione regulæ moti, irati ad contumelias devenerunt. Quod cum viderent Abbas & Prior, scilicet ipsorum pertinaciam & duritiam cordis, proposuerunt eis unum è duobus eligendum, aut obediendo mandatis regulæ, Deoque serviendo in Monasterio disciplinatè viverent, aut de Monasterio exeuntes quamcumque vellent viam sibi vivendi assumerent. Quod illi audientes, quidam ipsorum, qui simpliciores erant, se Abbatis directioni subdiderunt: quatuor verò qui aliquantulum scioli videbantur, alii in suâ scientiâ, alii in suâ stoliditate tumentes, alii in suâ juventute confidentes, totam viam quæ ducit ad mortem, relicto Claustro, sunt aggressi. Reliqui verò Abbati suo & Ordini se committentes, Deo potiùs quàm sæculo servire decreverunt. Ordinatis denique Fratribus, & Ordini ac disciplinæ regulari restitutis, ac rebus Monasterii sagaciter ordinatis, dictus Prior Agenaldus valedicens Abbati ad propria est reversus. Rambertus autem locum tam feliciter rexit, ut se amabilem cunctis exhiberet & honorabilem.

Quòd Bruno Tullensis ordinatur Episcopus, & de miraculo pomorum.

CAPUT XIX.

Anno igitur Domini MXXVI. obiit Hermannus Tullensis Episcopus, cui supradictus Bruno filius Comitis de Dasporch, qui postea Leo Papa effectus est, in Episcopatu successit. Eodem anno, mirum dictu! in pomis & piris nuclei effigies hominum pro quantitate sui habentes inveniebantur: sed quid hoc portendebat non inveni. Eodem tempore Simeon quidam de transmarinis partibus de monte Sinaï veniens Treveris, in portâ nigrâ dictâ ab Archiepiscopo Popone ejusdem civitatis includitur; postea miris claruit miraculis. Anno quippe Domini MXLIV. Humbertus Abbas Mediani-Monasterii, vir clari ingenii, Laudes, quæ responsoria dicuntur, sanctorum Cyriaci Martyris, Columbani, Odiliæ virginis, Gregorii Papæ, Hydulphi, Deodati Episcoporum, rhytmicè ac metricè componens Brunoni Episcopo supradicto Tullensi tradidit decantanda. Inde quinque annis elapsis, apud Maguntiam Conventus Episcoporum ac Procerum, & aliorum plurimorum cum Imperatore Frederico habitus, Bruno Tullensis Episcopus Papa communi consilio omnium eligitur, ac Romæ proficiscens per partes istas transeundo, Oratorium S. Joannis Baptistæ ad portam Mediani-Monasterii consecravit x. Non. April. Humbertum quoque Mediani-Monasterii Abbatem secum ducens, Archiepiscopum Siciliæ ordinavit, deinde Romæ Cardinalem ad vices suas supplendas secum morari præcepit.

Millesimo quinquagesimo anno Dominus Leo Papa ad partes istas rediens, S. Arnulphi Ecclesiam Metis dedicavit. Secundo anno item Gallias repetens, ossa B. Gerardi Tullensis Episcopi de tumbâ levavit.

De ædificatione Ecclesiæ Longimaris.

CAPUT XX.

Anno Domini MLVI. Quidam Bilonus Girardi Ducis servus, in saltu Vosagi qui Longummare dicitur, locum & Capellam in honore beati Bartholomæi primus ædificavit.

De ædificatione Domûs Maris prope Senonias.

CAPUT XXI.

Tempore Bercheri venerabilis hujus loci Abbatis, fuit quidam Regnerus qui locum in vastâ eremi solitudine positum adiens, Ecclesiam ibidem ædificavit. Qui locus usque hodie Mare dicitur. Quam videlicet Ecclesiam memorabilis Episcopus Tullensis Pibo industriâ ipsius Regneri Nonas Maii in honore Sanctæ Trinitatis consecravit. Ubi multi eâ die Sanctæ Trinitatis, id est in octavis Pentecostes, ob festi gratiam convenire solebant. Alii verò atque alii ipsum locum inhabitantes, quia habilis ad serviendum Deo habetur, melioraverunt. Locus enim ille Monasterio Senoniensi semper subditus extitit.

De Stephano Episcopo Metense, & Antonio Abbate Senoniensi.

CAPUT XXII.

Post hoc autem Rambertus Abbas hujus loci Senoniensis aliquanto supervivens tempore, cum feliciter Ecclesiam suosque rexisset, migravit ad Dominum. Cui vir venerandus Bercherus successit. Qui vestigia sui decessoris regulariter imitando sequutus, cuncta sibi commissa laudabiliter conservavit, alia verò sagaciter augmentavit: qui etiam felici vitæ cursu peracto, cœlo spiritum reddidit. Defuncto igitur Berchero Abbate civitas Metensis dicitur eodem tempore Præsule caruisse. Et quia Abbas hujus loci ab Episcopo Metensi temporalia recipere tenetur; deficiente Episcopo hæc Ecclesia etiam

a *Agenaldum*] Suprà *Adelberonem* appellavit.

Pastore ferè per triennium caruit. Electo siquidem Episcopo Stephano in sede Metensi, Fratres hujus loci ipsum Episcopum, ut eis de Abbate provideret, postularunt. Qui consideratis circumstantiis necessitati eorum volens consulere, Episcopus accersito ad se Priore Cellæ-Laci Antonio, ipsum ad regimen hujus nostri loci vocare maturavit. Sed quia hic, de quo agimus, Antonius laudabilibus se artibus, ut postea aliqua referemus, mirabiliter decoravit, quomodo ad nos pervenerit breviter & succinctè edisseram. Hic itaque Antonius de Ticino, quæ Papia dicitur, in territorio Longobardiæ sita, oriundus fuit. Qui se tanto plus honestis decoravit moribus, quanto nobilioribus ortus erat parentibus. Agens adhuc annos juveniles, relictis parentibus rebusque paternis ad istas devenit partes. Civitatem quoque Metensem adiens, Claustro beati Arnulphi, quod tunc famosissimum habebatur, se familiarem præbuit. Cumque Abbas & Fratres dicti loci ejus viderent modestiam, ipsum in Fratrem receperunt & Monachum: deinde Cellæ supradictæ Laci, quæ eorum erat jurisdictionis, præfecerunt. Qui Cellam ipsam, quia vetustate ruinas minabatur, solo prosternens, de novo & ampliorem reædificavit: redditus quoque ita ampliavit, ut in introitu vix duo suo vel tres, modo deni vel duodeni ibi valeant sustentari. Antonio verò ipsam cellam ita regente, ab Episcopo Metensi huic loco, licet invitus, Rector destinatur. Non multo post tempore quæcumque in loco isto erant à priscis temporibus constructa, Monasterium, Claustrum, Refectorium, Dormitorium, cæterasque officinas intùs & extrà ad terram projecit, & omnia honorabiliùs reædificavit. Sumptus Ecclesiæ augmentavit, Cellas quæ ante non erant huic loco acquisivit; Cellam juxtà castrum Danubrii adjutorio & devotione Reverendissimi Stephani Episcopi Metensis construxit. Episcopus verò ei contulit ad sustentationem Fratrum ibidem Deo servientium piscationem in aquis suis ad libitum ipsorum, id est, quòd Fratres suos proprios piscatores in aquis Episcopi habeant, & quando & quomodo voluerint in pascuis, in nemoribus similiter ad ignem & ædificia ad usus suos pro voluntate usuarium habeant. Locus enim ubi Cella illa constructa est, & quædam prata, agri etiam ab Episcopo, sicut in Privilegiis ipsius Prioratûs continetur, collata fuerunt. Cujus Cellæ Ecclesia postmodum à quodam Cardinali, Tiewino nomine, in honore beati Protomartyris Stephani fuit dedicata. Cella verò Leonis-montis sagacitate ipsius Antonii huic loco fuit attributa, & ab ipso oblatione & subventione fidelium redditibus & beneficiis satis aptè exstitit ampliata. Prioratus verò de Suris, quem venerabilis Matrona Cunegundis huic loco cum suis redditibus, pratis, terris, nemoribus, & aliis bonis pro animæ suæ remedio contulit, industriâ Antonii ejusdem Abbatis actum perhibetur. Cellam quoque sancti Christophori in clivo collis ante portam vici sitam, per quosdam nobiles viros, qui suas possessiones huic loco pro animabus suis contulerunt, tempore suo construxit, & redditibus plurimis ditavit. Cellam quoque de Lorchinge cum appendiciis suis, & Ecclesiam in eâdem villâ munere perpetuo acquisivit. Alia quoque multa, thesauros Ecclesiæ, ornamenta altariorum huic loco Senoniensi laudabili solertiâ adunavit. Quid plura? Triginta & octo annis Monasterium istud feliciter gubernavit, in quibus nec solum præteriit annum in quo non ædificaret, vel aliud aliquod ad augmentum Ecclesiæ acquireret. Decurso itaque felicis vitæ stadio, migravit ad Dominum anno Domini MCXXXVI. Sepultusque est in medio Ecclesiæ Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli ante altare Sanctæ Crucis, in tumulo lapideo, super quo lapis columnulis lapideis sustentatur, in quo ego postea imaginem propriâ manu sculpsi, quasi Abbatis jacentis cum baculo pastorali in manu tenentis. Post hunc successit Galterus. Sed quia nihil de ipso legi vel audivi, nihil scribere sum conatus, nisi tantummodo quòd vicesimus octavus hujus loci Abbas fuerit ordinatus.

De Translatione S. Nicolai de Myrrheâ ad Barrum Apuliæ.

CAPUT XXIII.

Anno igitur quo intravit ad nos reminiscendus ipse noster Antonius, contigit quosdam negotiatores à Barro civitate Apuliæ ad Græciam quæstûs causâ advenisse, Antiochiam cum navibus oneratis frumento & aliis mercimoniis devenire volentes. Tandem ad Myrrheam, in quâ corpus beatissimi Confessoris Nicolai septingentis septuaginta quinque annis sepultum delituerat, devenerunt. Qui inito inter se consilio, quia civitas Myrrhensis à Sarracenis vastata paucis incolebatur colonis, crediderunt sacras illas reliquias se leviùs pro paucitate habitantium adepturos: quod & ita factum est. Intrantes itaque Ecclesiam, sacrum illud beati Nicolai corpus à custodibus Ecclesiæ cum magno labore & astutiâ sibi sub pavimento demonstratum, cum gaudio magno per mare navigantes, ad Barrum civitatem suam deportaverunt, ubi per merita ipsius Sancti tanta ostenduntur miracula, ut nunquam ab aliquo scripto possent commendari.

De articulo digiti S. Nicolai ad Portum deportato.

CAPUT XXIV.

Eodem quoque ferè tempore quidam miles de istis partibus ortus, translatione sancti Nicolai auditâ ad civitatem Barri, ad quam translatus erat, devenit: ibique vota solvens, abhuc amore sancti ductus laboravit, ut articulum digiti secum ad partes istas apportaret; quem ad locum qui Portus dicitur, reposuit; erat enim villula admodum parva, quæ nunc ad instar magni Oppidi per merita beati Nicolai jam aucta cernitur. Ubi idem Sanctus tantis claret miraculis, ut captivorum, febricitantium, aliarum infirmitatum laborantium frequentatione adeo repleatur, ut si quis bojarum & catenarum velit considerare in eâ pondus innumerabile, miraculis sancti potiùs fidem dare poterit, quam narrationi. Frequentatur itaque in eâdem villâ sanctus ac diligendus Nicolaus à Burgundionibus, à Francis, ab Alemannis, & ab universis circumquaque regionibus constitutis, & omni gente munera apportante. Et quia omnipotens Deus hanc nostram regionem tanto adjutore ditare dignatus est, ipsum velocem subventorem, ut nostri apud Deum memor esse dignetur, exoremus.

De constructione Cellæ Bellæ-vallis à Gerardo Lotharingiæ.

CAPUT XXV.

Eodem tempore Dux Lotharingiæ Maherus, & frater ejus Gerardus terras suas inter se dividentes, Comitatus Vadanimontis Girardo in sortem

devenit. Qui non longè post Cellam Bellævallis in territorio Castrensi sitam satis compendiosè exstruens, prædiis & aliis possessionibus augens, Mediano-Monasterio possidendam submisit: ubi postea se delegit sepeliri, & duas Ecclesias Muri villæ, & Puris Cellæ Bellæ-vallis pro animæ suæ remedio liberaliter contulit: quod & adhuc permanet. Eodemque ferè tempore Ecclesia Calmosiaci à quibusdam viris fidelibus incoacta fieri cœpit, quæ postea bonis multis augmentata, & in honore perpetuæ Virginis MARIÆ dedicata, à Canonicis Ordinis S. Augustini dignanter incolitur.

De constructione Castri, quod Altapetra dicitur, juxtà Medianum Monasterium.

CAPUT XXVI.

ANnno Domini MCXCIII. Albertus Miles, dictus primò de Parreiâ, Castrum in rupe, quæ Altapetra dicitur, erexit. Et anno MCCX. à Matthæo Duce Lotharingiæ obsessum, ab octavis Pentecostes usque ad nativitatem B. MARIÆ, tandem captum & dirutum est.

De interfectione Civium Metensium à Comite Barrensi.

CAPUT XXVII.

ANno Domini MCVIII. interficiuntur cives Metenses ab exercitu Regnaldi Comitis Barrensis apud Tyreium, tempore Stephani Episcopi ejusdem civitatis. Sequenti anno dedicata est Ecclesia Beatæ MARIÆ hoc in loco sub Abbate Humberto Senoniensi, cui successit Bernardus Abbas anno Domini MCLX. Hujus Bernardi tempore Senoniensis Ecclesia quemdam Prioratum in Burgundiæ partibus, in Diœcesi Bisuntinensi possidebat, quem à priscis temporibus acquisierat, qui dicebatur Sales, & alio nomine Mansus S. Benedicti. Tempore hujus Bernardi, ut dicitur, venumdatus est, nescio pro quanto tempore, vel quare. Et quia de illo nihil reperi, nihil dicere volui. Idem verò Bernardus Abbas cum Ecclesiam Senoniensem rexisset IX. annis, migravit à sæculo. Cui Gerardus successit anno Domini MCLXVIIII. Hic de Valle S. Deodati fuit oriundus, de militari quidem genere, sed S. Arnulphi Metensis Monachus: ibique sumptus, quia bonæ conversationis & moribus honestis habebatur, huic loco præficitur. Qui secundùm tempus benè rexisset, nisi parentibus suis Ecclesiam hanc nimis onerasset. Parentes nempe sui res Ecclesiæ minùs providè dispergebant: unde Monasterium ultrà modum lædebatur, nec Abbas ipsos à suâ vitâ pessimâ avertere quibat, unde contigit eos captivari. Quod cum vidisset Abbas, tanto pro parentibus est dolore percussus, ut postquàm uno & triginta annis hanc rexit Ecclesiam, dignitatem resignavit: & loco cedens, ad Cellam Leonis-montis se transtulit: ibique paucis supervivens annis diem clausit extremum, ibique fertur esse tumulatus. Cui Theodoricus successit, vir simplex & honestæ vitæ: qui tamen Abbas fuit benedictus, & à Pascha usque festum S. Simeonis sedit, & resignavit; & in cellâ S. Christophori penes vicum commoratus, ibidem vitam finivit, ibique sepultus est.

LIBER TERTIUS.

De electione Maheri præpositi S. Deodati ad Episcopatum Tullensem, & de depositione ejus.

CAPUT PRIMUM.

IN illis diebus erat vir Maherus nomine, Imperiali & Ducum prosapia procreatus, vir satis in principio sui modestus, elegantis formæ, & beneplacens, Ecclesiæ S. Deodati Præpositus. Episcopo igitur Tullensi defuncto idem vir Maherus Episcopatûs Tullensis cathedram suscepit. Cujus regiminis tempore Cono quidam de Danubrio Sacerdos, quia ditissimus esse credebatur (vacillabat enim Ecclesia hæc inopiâ) propter sua tantùm carus ad hanc regendam domum Pastor futurus à Fratribus eligitur, Regulæ B. Benedicti ignarus, totus sæcularis moribus & actu: in quo nulla erat ordinis fiducia, sed credebatur huic loco divitiis suis posse subvenire. Sed quia erat totus mundanis rebus implicitus, regularibus disciplinis se minimè conformare valebat. Accipitres suos, sicut priùs, in Claustro, in choro, non cucullatus portabat: alumnis & familiæ, prout solebat, providebat. Attamen, prout credebatur, huic loco nihil profuit. Nec mirum, quomodo sciret præesse, qui nunquam novit? Quis docere potest quod non didicit? Quî Magister erit, qui nunquam discipulus exstitit? Ita præcipitantur ab insensatis honores. Quid plura? Quinque annis talis Abbas hanc rexit Ecclesiam. Interea cum hæc ita se haberent, Episcopus Maherus, de quo superiùs mentionem fecimus, à Canonicis suis Tullensibus trahitur ad judicium, vocatur ad Judices, accusatur, de Episcopatûs dilapidatione arguitur, nec tamen causa per Judices valet terminari. Ad Papam, qui tunc Innocentius tertius erat, appellatur. Archidiaconus quidam, Fridericus nomine cum aliis Papæ se præsentat. Episcopus verò iter arripiens venit Sutrium ad XXX. prope Romam milliaria. Adversarii instant, quia dies appellationis transierat. Papa differt, quia parcere volebat: asserebat enim eum se scire venientem. Episcopus verò de salute suâ desperans, retrographo se committens itineri, ad partes istas infelix reversus est. Adversarii verò ejus Papam urgentes, cum Papa eum audisset repatriasse, contrà eum, licet invitus, tulit sententiam. Episcopus verò sciens contrà se datam esse sententiam, bannum Bodonis Monasterii Duci Lotharingiæ Frederico fratri suo titulo pignoris se obligare simulavit: terra verò illa Bodonis Monasterii jure hereditario ad Episcopatum Tullensem pertinere dinoscitur. Fridericus igitur Dux ut vidit quia non sine peccato ipsam posset retinere terram, illam cuidam Abbati Altæsylvæ Cisterciensis Ordinis, qui eidem Duci satis familiaris erat, eodem jure, quo ipse eam possidebat, habendam tradidit. Cum ergo Abbas ille terram aliquanto tempore tenuisset, timuit ne propter hoc ab Episcopo Tullensi molestaretur, ipsam possessionem cuidam Balivo Comitis Henrici de Salmis, qui Mathæus de Blammont dicebatur, nescio quo pacto habendam contulit. Et ita ille eam possedit usque ad Fridericum filium dicti Henrici Comitis de Salmis totum bannum de Bonmonstier, ita enim vulgo appellatur, de quo nos loco suo loquemur postea. Amoto igitur Mahero ab administratione Tullensi, Regnaldus successit, filius Princernæ Regis Franciæ qui dicebatur de Sanlize, nobilis vir

beneque morigeratus. Maherus quoque ad Præposituram suam ad S. Deodatum est reversus.

De eodem Mahero Præposito, & filiâ ejus, & vitâ eorum.

CAPUT II.

ITa verò Maherus Præpositus ædificavit domum inter duo Monasteria de lapidibus turris S. Deodati quæ lapsa erat. Habebat enim filiam juvenem & satis formosam, quam de quâdam Sanctimoniali Spinalensi genuerat; ipsam in domo, in mensâ, & ut dicebatur, in lecto assiduè habebat: de quâ etiam filios dicitur procreasse. Cumque Fredericus Dux frater ejus audisset fratrem suum talem ducere vitam, venit ad eum, & dixit ei. Quare ita impudenter seipsum & totam suam progeniem ita cum suâ filiâ dehonestaret. At ille dixit non esse filiam suam. Dux respondit: Numquid matrem cognovisti? tam enormiter cum matre & filiâ vultis rem habere? Ille verò confusus nihil respondit. Dux verò iratus accepit eam, & misit eam in compedibus in Castro Bernestim in Alsatiâ, quod filius ejus Theobaldus habere dicebatur, quia mortuo Comite de Dasporch idem Dux filiam ejus filio suo acceperat in uxorem, ut ei idem Comitatus cum uxore proveniret, quod & ita contigit. Maherus verò Præpositus S. Deodati antea anno Domini MCCIII. tempore Simonis Ducis patrui sui Castrum erexerat in quâdam rupe penes montem, qui Clarus-mons dicitur, in valle S. Deodati, pro quo tota vallis illa ferè destructa & malè tractata fuerat. Sed non diù duravit, quia consilio Friderici postea Ducis Lotharingiæ, & etiam patris ipsorum Friderici de Vites, & aliorum prudentium virorum disruptum fuit: & ita pace ordinatâ quisque reversus est ad propria. Præpositus verò Maherus, quia Dux Simon tempore guerræ domum, de quâ suprà diximus, funditùs everterat, & meritò, quia de lapidibus Monasterii exstitit facta, & in atrio Ecclesiæ in ipsâ domo multa inutilia acta sunt; quia certum non habebat receptaculum, per montes & nemora cum canibus venatoribus quotidie discurrebat, & præcipuè in Claromonte, ubi eum antea diximus castrum erexisse. Habetur enim in summitate illius montis Ecclesia in nomine beatæ Mariæ Magdalenæ constructa, cum suis officinulis, solitariis apta. Ibi idem Præpositus Maherus conversabatur plurimùm.

De interfectione Renaldi Tullensis Episcopi ab eodem Mahero.

CAPUT III.

COntigit igitur non multo tempore post Renaldum Episcopum Tullensem, de quo superiùs dixi, ad partes istas causâ visitationis devenisse. In festo quippe S. Paschæ ad Monasterium S. Salvatoris in Vosago ad festum ibi celebrandum pervenit. Cumque illâ die ibidem festivitatem peregisset, ad Claustrum hoc Senoniense devenit. Comitabantur verò honesti Clerici & viri religiosi, de quorum societate gaudebat, cum eo. Eâdem quippe nocte sequente Paschæ diem, quidam speculatores missi advenerunt, quorum unus Clericus erat, alter verò laïcus. Clericus postea sacerdos effectus est, & ipse dives. Hi duo à Mahero Præposito missi sunt, ut Episcopo insidiarentur. Hi eâ nocte quâ Episcopus apud Senonias pernoctavit, in camerâ Abbatis comederunt, & mane sine licentia recesserunt. Episcopus verò Tullensis Renaldus sequenti feriâ secundâ, Missâ cantatâ, facto prandio cum suis, ad Medianum-Monasterium pervenit, & ibi modicum demoratus, per Stivagium transiens ad Claustrum Alteriacense properabat. Ibi enim ipsâ nocte pernoctare volebat: cumque quamdam villulam, quæ Berguncia dicitur, pertransisset, venit ad quemdam locum arctum, ubi ex unâ parte viæ mons cum nemore denso habetur; ita ut vix quispiam per montem illum eques transire valeat: ex alterâ verò parte viæ palus profunda cernitur cum arboribus. Idem Præpositus cum suis frutices & cæteras arbores in ipso loco ex utrâque parte viæ obruerat ad spatium occupandum, ne quis extrà viam eques vel pedes transire valeret: via enim tam arcta est, ut vix currus per eam duci possit. Circà illam quippe viam idem Præpositus S. Deodati insidias paraverat. Cumque Episcopus Renaldus ad locum illum cum suis pervenisset, illi de insidiis salierunt: Abbatem S. Mansueti Stephanum virum honestum de equo projecerunt, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis in viâ dimisso, similiter alios spoliaverunt; & quibusdam vulneratis venerunt ad Episcopum ipsum; etiam despoliaverunt, & inhonestè tractaverunt eum. Tandem unus eorum Joannes nomine juvenis, servus filiæ Præpositi Maheri (ipsa enim, ut fertur, illi servo præceperat, ut si ad Episcopum veniret, quomodo ipse cum eo ageret, ut gratiam suam retineret, viriliter laboraret) quod & fecit; arrepto quidem cultello, quem penes se habebat, Episcopum ter in tribus locis cultro perfodit, in pectore, & bis à tergo, & mortuum secùs viam dimisit. Ita eum & omnes quotquot de comitatu suo habere potuerunt, spoliaverunt, & ipsum nudum, quod nefas est dictu, in palude juxtà viam & mortuum reliquerunt. Et ita perpetrato illo nefario facto recedentes domino suo Præposito in equo, balistam in manu tenenti obviaverunt. Qui inquirens quid fecerant, duxerunt eum ad locum ubi Episcopus mortuus & nudus jacebat: qui cum illuc devenisset, aliquamdiù Episcopum intuitus est, ut videret si quoquomodo adhuc in ipso vitalis calor haberetur: videns ergo quòd non moveretur, versis retrò habenis cum suis satellitibus abiit in montana. Fuerunt enim cum eo quidam Clerici, ex quibus unus Sacerdos erat nomine Terricus de S. Deodato, & plures alii. Sed ut vindicta Dei pro hoc enormi commisso in ipsis perpetratoribus cœlitùs illata non tegatur silentio, finem quorumdam ipsorum, prout potero, aperiam.

Sacerdos verò ille Terricus, de quo superiùs mentionem feci, videns quod factum fuerat, & loco remanere formidans, secessit ad partes Polaniæ, & domino terræ se inferens, dixit se esse cognatum suum: mater quippe Præpositi dicti Maheri, filia domini terræ Polaniæ exstiterat. Cumque dominus Polaniæ audisset illum esse suum cognatum, libenter eum retinuit. Ille verò Terricus sacerdos dixit se esse militem: erat enim homo satis formosus, validum habens corpus & membra; ita ut personæ elegantia fidem ejus daret militiæ. Ipse vero Terricus talem in militiâ se exhibuit, ut dominus Polaniæ quamdam nobilem mulierem illius terræ ei in matrimonium jungeret. Ille verò cum eâdem muliere pauco vivens tempore, in prælio interfectus occubuit. Et ita ille militiâ Dei spretâ, terrenæ se jungens, miserabili fine vitam finivit. Alter verò Cono Clericus, quem insidiatorem Episcopi suprà notavimus, postea à quibusdam crimine notatus, Monachum se vovit futurum. Sed facta dictis non compensans, sæculo potiùs vivere maluit quàm Deo. Talis itaque ad sacros ordines astutiâ propriâ promotus, tandem Presbyter factus est, deinde Sena-

tor, id est Decanus Christianitatis Vallis S. Deodati effectus, ditissimus, & plenus omnium bonorum terrenorum fuit. Cum igitur diu putaret in tali felicitate vivere, subitò quâdam nocte cum se cubitum dedisset, spiritum reddidit, & ea quæ præparaverat, nescientibus se reliquit; & in hoc vindicta Dei apparuit. Alter igitur laïcus, qui Episcopum interfecit, Joannes à spiritu immundo correptus, & diù miserabiliter vexatus, seipsum morsibus lanians, tandem miserum efflavit spiritum; & ita isti tres malâ morte multati sunt, quia noluerunt pœnitere, vitam æternam perdiderunt. Alii quippe, qui in malitiâ suâ gloriabantur, vel paupertate angustiati, vel infirmitatibus, vel infortuniis temporalibus attriti, delictorum suorum pœnas exsolverunt. Alii quoque qui sanioris consilii exstiterunt, Romam adierunt, à Domino Papa tunc Innocentio tertio absoluti, pœnitentes evaserunt; quod si ita non pœnituissent, credo quòd illorum sequuti fuissent, vestigia. Nunc igitur ad sæpè memoratum Maherum Præpositum S. Deodati revertamur.

Quòd idem Maherus apud Castrum quod Bilestein dicitur aliquo tempore habitavit: Et de morte ejus.

CAPUT IV.

Dictus quidem Præpositus Maherus perpetrato tali, sicut dictum est, scelere, non se loco credens abiit ad Castrum quod Bilestein in Alburiis appellatur, quod est domini de Horborg. Ibi enim habebat milites qui ei familiares erant, cum quibus ad tempus habitavit. Detulit enim quidquid Episcopo abstulerat, saumarios, scrinia in quibus Episcopalia, oleum sacrum, chrisma, & sandalia ferebantur, & in eodem Castro reposuit, quæ ego propriis oculis vidi. Sequenti igitur Pentecoste idem Maherus audiens quod nepos suus Theobaldus Dux Lotharingiæ apud S. Deodatum solemnitatem ipsam cum magno militum comitatu celebrare decrevisset, advenit, non tamen in palam, non enim se illis credebat. Audierat enim quod parentes dicti Episcopi Renaldi dicebant ipsum Episcopum de consensu Ducis fore interemptum: unde Dux valde dolebat. Et propter hoc Maherus Præpositus ante nepotem suum venire non audebat. Et quia aliàs in valle nullum securum habebat reclinatorium, ad Clarum-montem ubi & esse solebat, ascendit, ibique qualecumque festum cum paucis celebravit. Paucis dico, quia pro ejus infortunio jam eum omnes aspernabantur: Eâdem quippe die Pentecostes clanculò ad S. Deodatum veniens, quibusque fidelibus suis apparens, ab eis inquisivit utrum se cognato suo Duci Lotharingiæ præsentare ad veniam petendam auderet: audivit quòd non. Et quia ei dictum est, mors Episcopi ab amicis suis improperabatur, ipse Dux animam ejus quæreret. Ille verò hæc audiens, inde recedens ascendit in montem ubi commorari solitus erat; Dux verò Theobaldus pro solemnitate Pentecostes apud S. Deodatum peractâ, feriâ tertiâ Pentecostes inde discedens, assumpto secum quodam nobili Simone milite de Junville, equos ascenderunt, & per Bellummontem ad Villam Norpateglize dictam venire volentes, in quodam ibi fluente rivulo venientes; & ecce Præpositus Maherus apparuit eis, veniens obviam eis. Quem cum Dux Theobaldus vidisset, irâ accensus, dixit illi militi qui cum eo equitabat: Si me, inquit, diligis, perfode istum lanceâ quam tenes. Absit, ait, à me, quòd unquam talem ac tantum virum interficiam. Quo audito Dux acceptâ lanceâ de manu militis Præpositum petiit. Ille verò cum videret cognatum suum ad se iratum venire, flexo genu misericordiam deprecatur. Dux verò nihil horum animo concipiens, demissâ lanceâ ipsum Præpositum suum patruum per pectus transverberatum interfecit, quo facto inde recessit. Quidam verò supervenientes, ipsum in rivulo jacentem repererunt mortuum, & eum inde tollentes ad S. Deodatum detulerunt. Et quia talem meruit habere exitum, nec ei sepulturæ humanitas fuit judicata; sed ad locum quem vivens frequentaverat delatus, scilicet Clarum montem, sub tecto Ecclesiæ B. Mariæ Magdalenæ exteriùs in quodam vase ligneo appensus aliquanto tempore permansit. Tandem, ut fertur, in quâdam fossâ, ubi feræ sylvarum præcipitatæ capi solebant, ipse Præpositus lignis & lapidibus tectus talem meruit sepulturam. Et ita Episcopus quem interfecerat, ad locum suæ conversationis, id est ad Tullensem Ecclesiam delatus, honorificè est sepultus. Interfector verò ejusdem Episcopi, ad eum quem incoluerat locum, ut suprà dictum est, deportatus, etiam catholicâ caruit sepulturâ. Filia verò ejus Aledis, de quâ prædiximus, tandem cuidam balistario de Gilberti-villâ in matrimonium juncta, cum viro suo Alemanniam petiit, & apud Castrum quoddam Imperatoris Croneberch nomine pauco tempore manens, tandem mortua, vix sepulturam Ecclesiasticam habere meruit. Et ita pater ejus Maherus & ipsa filia, & mortis Episcopi cooperatores, sui laboris meritum Dei judicio receperunt.

De Philippo Rege Franciæ, & prudentiâ ejus in judicando.

CAPUT V.

Circà tempus verò illud præfuit Rex magnificus in Regno Franciæ Philippus nomine, qui præ consortibus suis ad judicia discernenda, ut de Salomone legitur, valde discretus erat. Et quia ejus actus multis scientibus valere credo; pauca de multis, quæ à veridicis relatoribus didici, breviter annotare curabo. Fuit igitur sub eodem Rege quidam Ballivus valdè locuples & astutus, qui quemdam militem vicinum domui suæ habebat, cujus domui vinea juncta erat, quæ dicto militi valde cara habebatur. Ballivus verò idem vineam ipsam, quia ejus domui erat contigua, ultrà modum concupierat, & ipsum militem ut ei ipsam vineam venderet, pluries convenerat, nec impetrare potuerat. Rogabat enim idem multo precatu Ballivus militem, & coram concivibus suis, ut quantum pretii pro ipsâ vineâ vellet, acciperet. Ille è contra affirmabat constanter se nunquam pro aliquo pretio uxorem & filios exheredare posse. Ballivus verò, quâ poterat intentione ut ipsam vineam habere posset, machinabatur. Accidit igitur ut miles ille moreretur, & in cœmeterio ritè sepeliretur. Audiens igitur ille Ballivus, quia miles ille defunctus esset, quoddam mirabile dictu pro vineâ illâ habendâ excogitavit. Petiit quippe forum civitatis, ubi sciebat diversarum gentium mangones adventare. Considerans enim huc & illuc, tandem vidit duos viros robustos vagos, & valdè corpulentos, qui si vestiti fuissent (erant enim ferè nudi) satis honesti viderentur esse. Quos Ballivus accersitos duxit eos in domum suam, & ita eis loquitur: O viri, si consiliis meis acquiescere velletis, ego de meo vobis tantum darem, quòd benè paupertatem vestram relevare possetis: videmini enim satis honesti & corpore & moribus. Illi verò audientes. quod desiderabat, promiserunt se omnia facturos pro illius voluntate. Ballivus verò nocte sequenti

assumptis secum illis duobus viris, datis vestibus satis honestis, calceamentis & pecuniâ, ad tumulum ubi miles ille sepultus erat pervenit; & instrumentis quæ secum attulerant sepulcrum aperiunt, & militem qui rigidus erat suprà pedes suos erigentes, Ballivus quasi vivus esset, alloquitur: Ecce, ait, multo tempore pro vineâ tuâ te rogavi ut mihi eam venderes, & adhuc coram istis viris, qui mecum sunt, supplico ut mihi eam modo emptionis permittas habere. Cui ille nihil quia mortuus erat, respondere poterat. Ad hæc unus illorum duorum qui secum venerant, respondit: Numquid sæpiùs audisti: qui tacet, laudat? Iste benè creantare videtur mercatum. Da ergo palmam, quia certum nobis est quia non contradicit, imò ferrum hoc permittit fieri. Bibamus ergo læti boveragium, (attulerant enim vinum secum) ad hoc mercatum confirmandum. Expleto igitur tam execrabili mercato, militem in fossâ reposuerunt; & eum ut priùs erat, terrâ cooperuerunt. Et ita peracto tali scelere ad domum Ballivi reversi sunt. Mane autem facto Ballivus vocatis operariis conduxit eos in vineam illam. Relicta verò militis, cujus erat eadem vinea, videns operarios Ballivi in vineam suam, venit ultrà modum irata ad Ballivum; & scrutans quid hoc esset, audivit à Ballivo vineam illam sibi à viro suo milite venditam esse.

Illa verò hæc audiens valde ingemuit, & quasi fera agilis Regem Philippum adiit, & ei inquietationem Ballivi, quam pro vineâ suâ patiebatur, gemens & suspirans aperuit. Rex verò quia idem miles suus dum viveret extiterat, sciensque se orphanorum & viduarum esse defensorem constitutum, vocat Ballivum ad se. Ille verò veniens adduxit secum illos duos testes, qui secum ad mercatum illud vineæ factum, fuerant: se Regi cum civium suorum & advocatorum pompâ præsentavit. Vidua verò relicta militis, quia suum amiserat Advocatum, cum paucis, ut moris est pauperum, se etiam Regali præsentavit Curiæ. Rex verò Ballivum satis modestè alloquens inquisivit, quare mulieris vineam occupasset. Ille verò ut erat affabilis colloquio, dixit se vineam illam à milite viro illius mulieris sub testimonio prudentum virorum legaliter emisse, asserens per testes idoneos se probaturum. Cui mulier respondit se nunquam venditionem illam vidisse, vel audisse. Rex verò audiens & Ballivi responsum, & mulieris allegationem, inquisivit à Ballivo qui essent testes per quos ista probare volebat. Ille obtulit illos duos viros qui secum facti conscii erant. Quibus Rex ait: Numquid vos estis qui hujus rei testes estis? At illi se vidisse rei gestæ seriem asseruerunt. Videns igitur Rex illos satis corpulentos & benè vestitos, credidit eos viros justos & approbatos esse. Consideravit enim Rex viduam illam contrà Ballivum illum, qui cum magno comitatu & talibus testibus ad se venerat, causam suam non posse defensare, ad judicium confugit Danielis. Vocato quippe uno illorum duorum testium, secessit seorsum in angulo Palatii, ita ut ab omnibus audiri & videri potuisset. Alloquens verò illum testem quem secum tulerat, ait illi: Amice, tu videris esse sapientior socio tuo, & propterea te priorem vocavi: sed antequàm te de aliis interrogem, dic mihi quod melius est, scis tu *Pater Noster*? Ille verò admirans, ait: Non credo esse Christianum qui Dominicam orationem ignoret: & si tu scis eam, dicas. At ille cœpit dicere: *Pater noster qui es in cœlis*. Rex verò exaltans parùm vocem, ut hi qui in Palatio erant audire eum possent, dixit: Per lanceam S. Jacobi (sic enim jurare consueverat) tu verum dicis. Et iterum, scis de istâ oratione plus? Ille ait, scio. Rex ait: Dic ergo totum. Ille prosequutus dixit: *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum*. Rursus Rex altâ voce dixit: Per lanceam S. Jacobi nunquam aliquis tam vera dixit. Illi vero qui in Palatio erant credebant Regem rei processum inquirere: ita & socius illius credebat. Iterum Rex interrogavit eum; Dicas totum quod scis. Ille autem totam orationem illam explicavit. Rex verò ait illi: Vade, quia veram veritatem mihi dixisti, & non es mentitus, scias te meam gratiam obtinuisse. Et jussit illum in quâdam camerâ includi. Et advocato alio dixit: Frater, vide ne mihi mentiaris, quia socius tuus tam verum mihi dixit, sicut *Pater noster*. Ille verò hæc audiens, credidit à suo socio Regi cuncta quæ acta fuerant de milite mortuo retulisse: & corde hæsitans nihil dicebat. Rex verò eum sollicitans hortabatur ut ei veritatem puram diceret, sicut socius ejus dixerat, qui ei tam verum dixerat sicut *Pater noster*: & noli, ait, timere, quia si mihi similiter verum dixeris, nullum malum patieris. Ille verò putans Regem factum non latere, dixit: Verè, Domine mi Rex ita se res habet sicut ille meus socius dixit. Rex verò dixit: Scio quia socius tuus mihi vera retulit: vide & tu quòd non mentiaris, audiam si verba vestra concordant. Ille verò Regi ita omnia de verbo ad verbum retulit, sicut & acta fuerant, ut suprà scriptum est. Rex verò vocans alium, qui ei *Pater noster* dixerat, dixit ei: Tu interfuisti ubi miles ille de sepulcro levatus fuit, & quomodo Ballivus cum eo mortuo egit, & quod vineam cum eo emit, & quod boveragium ibi bibitum fuit, & hoc facto eum reposuistis in sepulcro; & ita Ballivus habet vineam, & de his omnibus vos estis testes. Ille verò qui *Pater noster* dixerat, cum audisset quia Rex factum ita recitaverat, timens offensam Regis incurrere, omnia sicut Rex dixerat, asseruit.

Quod audiens Ballivus ultrà modum admiratus est, quomodo vel quâ sagacitate Rex ab ipsis viris rei veritatem extorserat, & obstupuit. Rex verò ait illi: Numquid tu, miser, negotiorum meorum, & totius territorii Parisiensis post me eras Ballivus, & tibi divitias magnas & largissimas possessiones inde acquisieras, unde tibi necesse erat quia tantillum vineæ istius mulieris habere voluisti? præsertim cum tu ei potiùs quæ nuper viduata viro suo erat, dare quàm auferre debuisses? Enimverò quia in tam enormi facto nec Deum timuisti, nec hominem veritus es; sufficiat tibi si vitam tibi donavero, cum te potiùs supplicii tradere, quàm parcere debuissem. Vade, & sicut in præsentiâ meâ stas, cum baculo tuo & uxore & filiis egredere de Regno Franciæ, nihil præter peccatum tuum portans, nec infrà Regni mei fines in totâ vitâ tuâ inveniri valeas: quia si inventus fueris, tu patibulo appensus durâ morte & pudendâ vitam miserabiliter finies. Deinde illi nobili mulieri viduæ dixit: Vade, & assume tibi de militibus meis, vel civibus istius civitatis quos volueris, quibus præcipio ut te ad domum illius nefarii Ballivi perducant; ut sicut ipse te tuâ vineâ impiè spoliare conatus est, ita & dicti milites te in possessionem illius domûs, & totius hereditatis suæ, nec non & omnium rerum suarum auctoritate meâ introducere procurent: ita ut, ille miser factorum suorum pœnas exsolvat, & tu de hoc beneficio à nobis tibi judicialiter collato, dolorum tuorum & luctûs tui consolationem recipere merearis. Ita altissimus redditor Deus per famulum suum hunc Regem Franciæ Philippum diversa utrisque intulit stipendia meritorum. Hæc de ipso Rege ad presens dicta sufficiant, quia de reliquis actibus suis & obitu postea aliqua referemus. Et quia de fundatione hujus nostræ

Senoniensis Ecclesiæ & successione Abbatum nostrorum, vel eorum operibus, narrationem nos continuare promisimus, licet ab ipsâ materiâ aliquantulum digressi simus, tamen ad narrationis seriem redeamus.

De electione Henrici Abbatis hujus loci Senoniensis.

CAPUT VI.

ANno Domini MCCII. Henricus hujus loci Monachus succedendo Cononi, ut prædiximus, de Clero assumpto, ordinis & regulæ S. Benedicti ignaro subitò Abbate electo, & ab hac vitâ substracto, huic nostro Monasterio præficitur; qui in introitu suo multa adversa à Monachis hujus loci passus est: sed à Comite Henrico Albimontis aliquamdiù sedata, sicut postea suo loco hæc, & alios actus ejus, & alia quæ temporibus suis acta sunt, huic paginæ annotare curabimus.

De Friderico Imperatore, & Alexandro Papa, quo tempore schisma fuit.

CAPUT VII.

FUit ante illos dies quidam Imperator Fridericus nomine, Dux Sueviæ, de cujus genere nemo antea Imperator exstiterat. Fuit enim tempore Alexandri Papæ. Qui ita immoderatè Ecclesiam impugnare cœpit, ut patrimonium beati Petri, ubicumque reperisset, sibi usurparet, & suæ subderet jurisdictioni. Unde & ab ipso Alexandro Papa III. cum omnibus fautoribus suis excommunicatus est. Qui cum videret se ab aliquibus propter sententiam Papæ evitari, ad augmentum suæ malitiæ, quia ei omnes Principes, & ferè omnes Archiepiscopi, Episcopi, & omnis reliquus Clerus applaudebant, sibi Papam constituit, & ei apud Mediolanum sedem statuit; ita ut omnis Clerus, & alii dicto Imperatori faventes dicti falsi Papæ curiam frequentarent, & quidquid Papa Alexander ligabat, ille absolvebat; quidquid ille excommunicabat, iste solvebat: Archiepiscopos, Episcopos, & universum Clerum ab honoribus & beneficiis, quando & quomodo volebat instituebat, & destituebat: & Imperator cum eodem misero Papa dictum Papam Alexandrum tam immaniter oppressit, ut Romanâ sede derelictâ ad partes Franciæ exulare cogeretur. Rex verò Franciæ cum totâ illâ Occidentali Ecclesiâ, ipsum Papam cum tantâ lætitiâ & exultatione suscepit, ut ipsum in partibus suis, omnibus diebus, si liceret, remanere desideraret. Archiepiscopi verò, Episcopi, cæterique Clerici jurisdictionis dicti Imperatoris, ad nutum sui Papæ non ad sacros, sed sacrilegos ordines dicendos promovebantur. Cumque idem putidus Papa tanto fastu elatus, se crederet longo tempore tantâ uti potestate, rumpuntur fila sororum, dirâ febre corripitur, dignâ morte mulctatur, & pro Pontificio sacrilego tam parvo tempore habito Pontifex principis inferni Sathanæ efficitur, non ut potestatem aliquam ibi exerceat, sed ut dignas meritorum suorum pœnas miserorum miserrimus sine fine recipiat. Fertur enim idem Imperator Fridericus ad culmen suæ dementiæ duos alios post istum Papas creasse, qui simili infortunio sicut & primus supervivences parvo tempore ad tartata migraverunt.

De pœnitentiâ dicti Friderici Imperatoris, & de concordiâ inter ipsum & Ecclesiam factâ.

CAPUT VIII.

VIdens igitur Imperator Fridericus judicium divinum suæ potestati præjudicare, quia dictus Alexander Papa provectæ ætatis, imò certè decrepitus adhuc superesset, & sui Papæ nondum suos dimidiassent dies, imò juvenes ad inferos descendissent, pœnitentiâ ductus ad ubera misericordissimæ matris Ecclesiæ confugit, Papam Alexandrum quantociùs ad sedem Apostolicam revocavit, indulgentiam postulat, certum se pœnitentem demonstrat, de malefactis suis pœnitentiam sibi injungi desiderat; Papa verò à sententiâ in ipsum latâ misericorditer absolvit, & pro delictis suis viam sancti sepulcri injungit, & statim eum cruce signavit. Imperator verò Papam pro sequacibus suis, ut absolverentur imploravit; qui eos absolvit, & qui ad hoc idonei erant cum Imperatore transfretare præcepit; Archiepiscopi verò, Episcopi, Abbates, cæterique Clerici tempore schismatis ordinati, omnes officio suo caruerunt, nec de cætero promoveri potuerunt; excepto solo Notario ipsius Imperatoris, qui pro eo Papam devotè rogavit, & ipse gratiam habere meruit. Imperator denique exercitum magnum sibi coacervans, promissum iter adimplere cupiens, ad partes Siciliæ cum comitatu suo adveniens, unâ dierum cum quemdam pedes transire vellet, quem quilibet transvadere poterat, nescio quo occulto judicio Dei in fluviolum lapsus, aquis suffocatus interiit. De sacerdotibus & Clericis qui tempore illius schismatis ab officiis suspensi sunt, nos tempore nostro plures vidimus & cognovimus.

De Henrico filio dicti Friderici, & de morte ejus immaturâ.

CAPUT IX.

FRidericus verò Imperator adhuc vivens, Henricum filium suum in Regno sublimaverat; qui satis aptè quoad vixit Imperatoria gubernacula gubernavit. Sed non diù supervivens, dignitatem cum vitâ perdidit, sibi tamen parvulum filium in Apulia relinquens: quem, quia pater ejus à Baronibus illius terræ exosus exstiterat, quidam Episcopus illius regionis furtim sublatum in quodam domicilio suo occultè nutrivit, timens ne forte ab incolis terræ inventus ipse puer occideretur.

De Philippo Rege fratre Henrici Imperatoris, & Othone Imperatore adversario ejus.

CAPUT X.

DIctus verò Henricus quemdam habuit Fratrem Ducem Sueviæ nomine Philippum, quem Barones Alemanniæ in parte sibi Regem constituerunt, alii verò Principes inferioris Alemanniæ quemdam nobilem virum Ottonem nomine de Brunswich, quia consanguineus Regis Angliæ erat, in Regem sublimaverunt: & ita inter duos Reges aliquamdiù conflictus duravit.



De

De morte Philippi Regis Sueviæ.

CAPUT XI.

COntigit igitur quemdam virum nobilem, qui Comes erat Palatii, qui dicebatur de Witelmspach, Philippum adiisse Regem, rogans eum, ut ei filiam suam quam habebat elegantis formæ, daret in uxorem. Cui Rex quia adjutorio indigebat, filiam pollicitus est ei dare, sed distulit. Ille verò importunè instabat, ut Rex promissa impleret. Accidit autem ut Rex Philippus ad civitatem Spirensem veniret, & ibi causâ quietis cum Conrado ejusdem civitatis Episcopo; postea Metensi Pontifice facto, aulæ Cancellario Imperialis, sibi sanguinem minueret. Cumque quâdam die in camerâ quâdam ad confabulandum soli residerent; ecce vir ille nobilis, qui filiam Regis postulaverat, ad ostium cameræ pulsat, intromittitur, Regem sic alloquitur: Quamdiù, inquit, uxorem mihi promissam detinebitis? Rex ait: Sustine, ô mi amice, quousque dies minutionis meæ expleti sint, & promissa dabo. Ille autem ut erat animo furibundus, iratus responsis foras exivit, & diù secum, animo decertans, ira devictus [a] ad thalamum repedavit. Habebat enim, sicut moris est Theutonicorum, gladium sub axellâ, & intrans cameram dixit Regi: Ut video, diù ego promissa vestra exspectabo: hoc dicto, evaginato gladio eum percussit in capite, ita ut caput ejus in duas partes divideret usque ad scapulas, quarum una in gremio Episcopi cadens magnum ei horrorem incussit. Episcopus verò quamcitò surgens, quamdam intravit cameram. Ille verò facinore tanto peracto, equum ascendens ad sua reversus est.

Quòd filia ipsius Regis Philippi Regi Hispaniæ fuit nupta: Et de acquisitione civitatis & patriæ Cordubæ.

CAPUT XII.

POst non multum verò temporis spatium Nuntii Regis Hispaniæ postulaverunt Regis Philippi filiam Domino suo dari in uxorem, quod & factum est. Rex verò Hispaniæ ex ipsâ genuit filium. Idem verò Rex collecto exercitu ad regionem Cordubæ pervenit; quæ regio adhuc ritu detinebatur gentili, quam regionem, ut fertur, ipse Carolus Magnus tempore suo domare nequivit. Civitatem verò Cordubam dictus Rex Hispaniæ obsedit, & nutu divino eam expugnavit, & obtinuit; & quamdiù vixit, cultui Christiano subjugavit. Mortuo verò eo, filius ejus de filiâ Regis Philippi, ei in Regnum Hispaniæ successit, qui patrixare volens, collectis secum agminibus pugnatorum, supradictam regionem Cordubæ intravit, & Sibiliam, quæ erat illius terræ munitissima civitas, expugnavit; & alias XVI. civitates acquisivit, & interfectis, aut expulsis, vel captis universis illius patriæ Sarracenis, Christianitati subegit, quas & adhuc decem & octo civitates cum oppidis & castellis universis illius terræ munitionibus idem Rex possidet. Sed ad Regem Othonem Alemanniæ stylum reducamus.

De promotione Ottonis in Imperatorem, & de infortunio quod ei apud Brisach evenit.

CAPUT XIII.

AUditâ igitur Rex Otto sui adversarii Philippi Regis morte, assumptis sibi illius terræ primatibus, Alemanniæ terram sibi subjugavit, quia non erat qui resisteret. Inde progressus cum exercitu suo Romam profectus est, præeunte eum tamen Conrado Episcopo Spirensi, Imperialis Aulæ Cancellario, in omnem civitatem & locum quo erat venturus, qui ubicumque veniebat, cum exultatione recipiebatur. Veniens verò Romam, quod inauditum erat, à Papa & Romanis sine bello vel aliqua sanguinis effusione, quod nunquam prædecessoribus suis concessum est, cum exultatione recipitur, & ab Innocentio Papa III. inunctus, in Imperatorem Romanum sublimatur. Sed statim postquàm sceptra Imperialia suscepit, Ecclesiam impugnare cœpit, patrimonium JESU-CHRISTI & B. Petri Apostoli invasit, diripuit, & suæ potestati subegit. A Româ verò egrediens ad Siciliam & Apuliam profectus est, & ubique filium Henrici Imperatoris diù quæsitum non invenit. Sed cum videret terram illam, prout volebat, sibi subjacere; regnum Alemanniæ, excommunicatus tamen à Papa, revisere curavit. Transmeatis verò terræ spatiis, tandem ad castrum quod Brisach dicitur super Rhenum situm pervenit. Habebat enim secum milites & clientes leves animo quorum mos erat impudicus, quia in quâcumque civitate vel loco pernoctarent, cum hospitum suorum uxoribus, vel filiabus vel ancillis, vellent nollent, gratis vel vi, coibant, & eas impudicè tractabant. Quod & in eodem castro facere cœperunt. Viri igitur illius castri considerantes tantum nefas se non posse sustinere, inito consilio arbitrati sunt se potiùs unâ horâ velle mori, quàm tantum dedecus de uxoribus & consanguineis suis tam intolerabiliter sustinere. Dato itaque signo, quòd quamcitò campanam majorem Ecclesiæ loci audirent, statim quilibet eorum, quod consilio privato statuerant, in hospitio cum hospitibus suis peragere maturarent. Quod si quis differret, à castro ipso cum totâ familiâ suâ sine spe reversionis pelleretur. Unusquisque verò domum suam rediens, in cameris clam, se armis munierunt. Adhuc vix se ad arma præparaverant, cum subitò clangor campanæ auditur, & quilibet de latibulis suis armati egredientes, inveniebant alios cum uxoribus, alios cum filiabus vel cum consanguineis vel demùm ancillis impudenter luctantes, apprensos gladiis miserabiliter occidebant, & per propugnacula castri ita detruncatos in Rhenum præcipitabant. Alii verò volentes gladii mortem fugere, seipsos per murum castri demittebant: & ita super rupes, quibus insitum est cadentes, collisi, mortem quam fugiebant invenerunt. Clamor igitur hujus facti ad aures Imperatoris pervenit, qui in eminentiori domo castri cum Domino de Wisemberch, & paucis aliis erat. Qui inquirens quid esset audivit à quodam qui de eadem mactatione fugerat, quòd tota gens sua, & milites sui interfecti erant, & exposuit Imperatori quare. Imperator verò timens si forte seditio populi ibi eum inveniret, ne ipse interficeretur, rogavit Dominum de Wisemberch, ut à castro eum cautè educeret: qui eum portenulâ educens, ad Wisemberch pervenit. Et ita ille Imperator fugâ lapsus ad inferiores partes Alemanniæ secessit. Et hæc fuerunt initia dolorum suorum, quia quandiu vixit, nunquam

[a] *devictus*] Sic restitui pro *dievictus*: fortasse tamen melius foret *dictante*.

una die dolore & ærumna & periculo corporis & animæ permansit.

Quòd Otto Imperator ad Brunswich rediit, & de pugna inter ipsum & Regem Franciæ.

CAPUT XIV.

DEscendens verò idem Imperator Otto ad inferiores partes Alemanniæ, venit Brunswich. Eâ verò tempestate Rex Angliæ habebat guerram cum Rege Francorum Philippo pro quâdam terrâ quam ei Rex Francorum in Regno suo sitam, non tamen sine causâ, abstulerat. Rex verò Angliæ mandavit Ottoni Imperatori, ut collecto exercitu ei veniret in auxilium, quia Regnum Franciæ in armis desiderabat intrare. Erat enim ille Otto propinquus suus, & valde carissimus. Cui Imperator Otto remandavit, ut ex illâ parte Regnum Franciæ invaderet, ipse vero à parte Alemanniæ regionem vastaret. Erat enim quidam comes in Flandriâ, Ferrandus nomine, qui uxorem suam; quæ erat Regis Franciæ consobrina, quam pro ludo scacorum, quo eum ipsa uxor sæpiùs mataverat, ipsam verberaverat, & inhonestè tractaverat: quæ uxor irata, hæc Regi Francorum indicavit, qui Comiti Ferrando duriter comminatus est, improperans ei quia non ei ideo Comitatum Flandrensem & cognatam suam dedisset, ut eam sic dehonestaret. Comes Regis minas ægrè ferens, assumpto sibi comite Bolonensi cum aliis pluribus amicis suis regni Franciæ abiit ad Ottonem Imperatorem, & cum eo tractauit de expeditione quam idem Imperator se facturum dixerat; & ei juravit quia ipsum Parisius Regem constitueret. Inito denique tali inter se pacto, etiam Comitatus, civitates & munitiones universas ipse Imperator cum ipso Ferrando Comite, Comitibus, & Baronibus qui cum eo regnum Franciæ se intraturos juraverant, antequàm possideret, diviserat. Collectâ itaque innumerabili multitudine armatorum, mandavit Imperator Regi Franciæ quòd juraverat nunquam se ad Alemanniam rediturum, nisi priùs Parisius sedem suam posuisset, & suis Baronibus regnum Franciæ localiter distribuisset. Rex verò Franciæ hæc audiens, missis epistolis Duci Burgundiæ, Normanniæ, Britanniæ Comitibus; & ubicumque milites adunare potuit, exercitum colligit: filium verò suum Ludovicum adversùs Regem Angliæ eâ parte qua regnum Franciæ intraturus erat, cum aliquâ parte armatorum direxit. Ipse verò Rex Franciæ contrà Ottonem Imperatorem acies suas minavit, & veniens ad quandam planiciem juxtà Valenciennes, ad pontem qui dicitur de Bovines fixit tentoria: cujus exercitus ad novem millia millitum, & ad quinquaginta millia peditum æstimatus est. Imperator vero Otto penè ad eumdem locum pervenit, & ibi resedit. Cujus gens computata est ad vigenti quinque millia militum, & ad octoginta millia aliorum armatorum, multitudine magna curruum, victualium, & armorum oneratorum. Adduxerat enim secum plures currus funibus oneratos ad Francos ligandos, quia putabat se eos tenere captivos.

De congressione ipsius pugnæ, & exhortatione ipsius Regis ad suos.

CAPUT XV.

VEnit dies Dominica, in quâ quilibet Christianus feriare & Dei obsequio vacare deberet. Comes verò Ferrandus videns exercitum Regis Franciæ tam parvum esse, dubitabat ne forte major gens Regi sociaretur, suggessit Imperatori ut eâ die Dominicâ cum Rege bellum fieret, & ita multitudo Imperatoris parvitatem Regis Franciæ superaret ac devinceret, & ad Regem Angliæ regnum Francorum devastando perveniret. Sed Deo auxiliante, res in contrarium versa est. Imperator autem missis ad Regem nunciis, mandavit ei ut se ad bellum præpararet: Rex verò dans Deo honorem ob reverentiam diei Dominicæ, bellum postulabat in crastinum prorogare: Comes verò Ferrandus dixit, quia ideo Rex pugnam differri volebat, quia aut magnum succursum gentium exspectabat, aut noctu timore belli fugere disponebat. Imperator verò credulus eâ die voluit bellum fieri. Rex autem Francorum Philippus convocatis Primatibus & militibus sui exercitûs, stans in eminentiori loco, sic alloquitur suos.

O Vos, strenui milites, flos Franciæ, decus coronæ Regiæ, nos deliberavemus in hac sanctâ die Dominicâ Deo deferre honorem, & obsequio divino; & orationibus vacare; sed urgente hoste, & ad pugnam cogente, ista nobis non licent. Videtis quippe nos coronam regni portantem, sed homo sicut & vos, & unus sum; nisi vos supportaretis, ipsam minimè portare possem. Ego sum Rex. Et ita ablatam coronam de capite suo, porrexit eis dicens: Ecce volo vos omnes Reges esse, & verè estis cum Rex dicatur à regendo, nisi per vos regnum solus regere non valerem. Isti verò qui ad nos conterendos venerunt, suis viribus consili, non solùm nos captivare, sed etiam totum regnum Franciæ occupare conantur. Scio enim, & verè scio, quia contrà adversariorum dispositionem Beatissimus ac semper reminiscendus Patronus noster Dionysius hodie cum suis sanctissimis Sodalibus pro nobis & pro statu regni nostri misericordissimum Filium Dei gemitibus inenarrabilibus interpellat. Estote igitur securi, quia hodie manifestè precibus beatissimi dicti Patroni nostri, videbitis auxilium Domini super vos. Estote ergo viri cordati, & pugnate contrà gentem ipsam nefandam: certè hodie Dominus omnes tradet in manibus nostris, nec prævalebunt adversùm nos. Et ita eis devictis ad domos vestras, uxores, & filios, & filias, quas sibi rapere concupiscunt, cum victoriâ & gaudio reducemini. Præcipio enim universis clientium & peditibus, & hoc sub pœnâ suspendii (præceperat enim ad hoc plurima patibula erigi) ne forte aliquem vestrum cupiditas rerum inventarum decipiat, sed eas pro nihilo reputetet, ne ab ipsis in bello impediatur, donec ad finem pugnæ perveniatur. Et sic victoriâ, Deo adjuvante, potiti, quidquid quilibet habere potuerit, dummodo alii injuriam non faciat, totum suum de permissione nostrâ erit. Si verò arma vel equos adversariorum potuerit conquirere, si indiget ea ad pugnandum, accipiat.

At illi unâ voce clamaverunt, asserentes se adhortationi & præceptis Regis libenter velle obedire. Rex verò secum de Parisius vexillum Caroli Magni, quod vulgò Auriflamma vocatur, quod numquam, ut fertur, à tempore ipsius Caroli pro aliquâ necessitate à secretario Regis expositum fuerat, in ipso bello apportaverat. Qui suis clarâ voce dixit: Quis hodie vestrum hoc vexillum in honore Regni Franciæ, in congressu isto portabit? Cui Dux Burgundiæ respondit: Est mihi miles hîc benè cognitus, vir corpore validus, & ad bella doctissimus, sed pauper, nomine Walo, qui totam terram suam desiderio istius pugnæ pro solo equo, pignori obligavit. Si cui vexillum vestrum committere velitis, isti committite. Rex verò eo ad se vocato, porrigens ei vexillum dixit. Accipe amice Walo, hodie tibi com-

mitto honorem Regni Franciæ. Cui Walo: Quis ego sum, Domine, ut hæc facere possim? Cui Rex: Noli timere, si Deo donante victoriâ potiti fuerimus, labori tuo amplissimè respondebimus. Cui Walo ait: Quia, Domine, jussio vestra ad hoc me urget, mandata vestra adimplere curabo. Sed ut video, quia Auriflamma ista humanum sitit sanguinem, Deo mihi vires præstante, multis videntibus hodie eam sanguine adversariorum potabo. Rex verò considerans quòd sol radio suo oculos suorum reverberabat, arbitratus est soli terga vertere, quod & fecit. Adversarii verò hæc non considerantes, splendoris solis se opposuerunt. Rex Franciæ suos buccinatores, de quibus multos habebat, à tergo exercitûs sui stare præcepit, ut in primâ congressione tubis fortiter clangerent.

De clangore tubarum & initio pugnæ.

CAPUT XVI.

CUmque ista ita se haberent, ecce clamor adversariorum ad pugnam exhortantium fortissimus auditur, quem buccinatores Regis Franciæ audientes, ita unò ictu tubis suis argenteis clangere cœperunt, ut terra sub pedibus eorum tremere crederetur, & adversarii tremore magno quaterentur. Ferrandus verò Comes Flandriæ volens se videri cæteris audaciorem, urgens calcaribus equum, scuto amplexo à suis separatus, cursu equi ad adversarios portabatur, quem cum intuens Walo miles, qui Auriflammam Regis Franciæ portabat, cursu validissimo illi obviam veniens, demisso vexillo lumbos ejus perfodit, ita ut ex aliâ parte totum vexillum sanguineum appareret, & eum de equo ad terram projecit, & ad se vexillum retraxit; & ita, ut prædixerat, ipsam Auriflammam sanguine potavit. Quod & postea sæpiùs fecit. Duo vero clientes videntes Ferrandum Comitem ad terram jacere, supervenientes eum tenuerunt. Unus verò eorum gyrone loricæ levato coxam ipsius ita perforavit, ut testiculos transverberatos alii coxæ jungeret. Alius verò ictu cultri inter scapulas fortiter vulneravit, sed loricâ eo defendente non est vulneratus ad mortem, & ita captivus Regi oblatus est Franciæ, qui eum custodiæ tradidit. Alemanni verò sua signa fortiter inclamantes, viriliter, sicut moris est eorum, Francis resistentes, plures suorum à Francis de equis projecti, à multitudine equitantium collisi mortui sunt, alii lanceis perfossi vitam finierunt, alii gladiis detruncati, animas ad inferos præmiserunt. Otto verò Imperator cum videret anteriorem partem exercitûs sui ita miserabiliter debilitari, in multitudine gentis suæ confidens, magnis clamoribus, ut moris est bellantium, suos ad pugnam adhortari cœpit. Rex verò Franciæ & sui omnes Deum & B. Dionysium in adjutorium suum invocabant. Walo verò signifer Regis Franciæ videns Imperatorem cum aciebus suis ad pugnam venientem, ultrà moram non sufferens, calcaribus equum viriliter feriens, Deo etiam se commendans, & B. Dionysium sæpiùs invocans, signo suo in altum elevato densitatem pugnæ audacter intravit, & universas acies miles fortissimus cursu suo in duas divisit partes, & usque ad aciem ultimam, in quâ Imperator erat, pervenit. Quem subsequuti sunt Dux Burgundiæ cum suis, Comes Normandiæ, & Comes Britanniæ cum suis, & alii complures armatorum. Nobilis verò vir Agerrannus de Corceci [b] intuens Imperatorem à longè, equum calcaribus percutiens, cursu validissimo eum petens, ad terram demissâ lanceâ de equo projecit. Ipsâ eâdem horâ equus Regis Franciæ offenso pede, ipsum Regem de dorso suo excussit, & ita cadens ad terram, omnes videntes altissimis vocibus inclamaverunt: Currite, currite ad Regem, quia cecidit. Illi verò qui jam Imperatorem tenebant, ut eum captum ad Regem ducerent, audientes clamorem supradictum, dimisso Imperatore, concito cursu ad Regem suum venientes, ipsum jam in equo sanum repositum invenerunt. Qui de dimissione Imperatoris valde dolentes, iterum elevatis lanceis pugnam interrumpentes, quæsitum Imperatorem, quia fugâ lapsus erat, non invenerunt. Invento itaque milite qui Imperatorem in equo suo levaverat, tenentes ligatum cum pluribus aliis ad tentoria Regis Franciæ captum deduci fecerunt. Walo verò sæpe dictus signifer cum pluribus aliis insequens Imperatorem per devia quæque eum fugantes attingere non potuerunt; sed citò revertentes obviabant illis qui de bello fugiebant, quos omnes spoliatos captivaverunt, alios quia vulnerati aut lassi in bello ire non poterant, abire dimiserunt. Venientes autem ad locum ubi pugna extiterat, invenerunt Francos mortuorum corpora spoliantes, alios captivos de funibus, quos adduxerant ad Francos ligandos, vincientes, alios tentoria Alemannorum colligentes, alios spolia inventa & prædas pecudum inter se dividentes. Et ita Rex Francorum cum paucis tantam multitudinem exercitûs Ottonis Imperatoris cum traditoribus suis devicit, interfecit. Ibi est captus Comes Flandriæ, Comes Boloniæ, & alii quam plures equites & pedites, quos de Franciâ in præjudicium Domini sui Regis Franciæ in auxilium Ottonis Imperatoris dicti Comites adduxerant, qui captivi Franciam ligati deducti sunt, & incarcerati. Ita Rex Franciæ & exercitus ejus spoliis magnis onerati & lucris ingentibus, in regnum Franciæ omnes, exceptis uno milite & uno cliente, qui in bello interfecti sunt, prosperè & gaudentes reversi sunt. De exercitu verò Ottonis ad existimationem triginta millium, vel interfecti, vel captivati fuerunt. Otto verò Imperator ad Brunswich oppidum veniens, tanto dolore & tristitia angustiatus est, ut in lectum decidens paucis supervixerit diebus: fecit enim quosdam amicos suos adhuc vivens jurare, quòd quam citò mortuus esset, corpus ejus coqueretur, & ad Papam ossa ejus ad beneficium absolutionis obtinendum, quia à Papa excommunicatus erat, deportarent. Nescio si obtinuerit, an non. Rex verò Angliæ qui jam regnum Franciæ invadere cœperat, auditâ victoriâ Regis Franciæ de Alemannis, quasi cancer retrocedens, classibus ascensis cum exercitu suo in Angliam reversus est. Lodovicus verò Regis Franciæ filius ad patrem Regem salutandum Parisius cum suis reversus est. Ibi cum Primatibus suæ terræ de triumpho victoriæ Deo & B. Dionysio gratias affectuosas referentes, plurimos dies festivos cum ingenti lætitiâ deduxerunt. Ita Deus omnipotens timentes se protegere & adjuvare non cessat ubique.

De obitu Philippi Regis Franciæ, & sepulturâ ejus.

CAPUT XVII.

SEd quia de tanto Rege pauca disserui, saltem de obitu suo, quo ordine ad Christum migraverit, referre non pigebit, sicut à veridicis Monasterii S. Dionysii cum Fratribus meis apud Lebrach Cellam ipsorum, qui morti ipsius Regis interfuerunt, de verbo ad verbum audivi. Idem verò Rex Philippus post

b *de Corcei*] Hic librarium erraffe Acherius non immeritò conjecit: legendum *de Coucy*.

dictam victoriam sex feliciter supervixit annis, & mortuus est. Qui cum sepeliri deberet, quæsierunt in Ecclesiâ S. Dionysii ubi poni posset. Est enim à tergo altaris Martyrum B. Dionysii & sociorum ejus quoddam sepulcrum, in quo quidam Rex Francorum Carolus Calvus nomine fertur esse sepultus, qui cum quondam cum Fratribus suis pro Regno Franciæ litigaret, nec ei ad conducendos milites facultas suppeteret, decimas Ecclesiarum militibus pro donativo dicitur hereditario jure distribuisse: unde milites usque ad tempora nostra donationes Ecclesiarum cum decimis suis adhuc obtinent: super quod sepulcrum sarcophagum habetur æneum fusile longitudine octo pedum, latitudine verò trium, super quod sculptus est Leo ad magnitudinem sarcophagi, quod & ego propriis oculis vidi. In hoc cum Philippum Regem sepelire disponerent, aperto subteriori sepulcro, nihil penitùs præter carbones mortuos, quibus totum plenum erat, invenerunt: quod videntes qui illud aperuerant, admirati sunt valde: dicebant enim quòd carbones illi inventi, quia idem Rex Ecclesiis decimas, ut dictum est, abstulerat, significarent illum in carbonibus inferni fore sepultum. Quare recludentes ita dimiserunt, & in alio loco Regem Philippum condignè sepelierunt. Super quem tumbam argenteam deauratam cum imaginibus plurimis artificiosè factam composuerunt, quæ usque hodie perdurat.

De mirabili transitu ipsius Regis, & de visione Honorio Papæ inde factâ.

CAPUT XVIII.

EAdem siquidem die quâ dictus Rex defunctus fuit, Honorius Papa apud Perusium civitatem Tusciæ, qui in eâ habebat quemdam militem consobrinum suum, qui tam gravi infirmitate diù detentus fuerat, quòd ad extremum vitæ jam perductus esset. Quem Honorius Papa visitans, invenit eum in quodam virgulto in lecto jacentem semi-mortuum, & à medicis penitùs desperatum & derelictum. Cùm verò Papa eumdem militem videret in extremo vitæ articulo positum, & spiritum in summitate pectoris vix palpitantem, exhibitis ei exequiarum & absolutionum beneficiis, dispositis custodibus qui exitum suum diligenter considerarent, ipsum Deo commendans, abscessit. Sequente igitur nocte, cum jam ille mortuus crederetur, primâ vigiliâ noctis tres viri in albis apparuerunt ei, quartum secum ducentes: quorum major, quia infulis decoratus erat, Episcopus esse videbatur, qui ad lectum ægri accedens, eum proprio nomine appellans ait: Numquid dormis? At ille vix labia movens, raucâ voce ut moris est morientium, dixit: Quis es Domine? Episcopus ait: Ego sum Dionysius Areopagita quondam Atheniensis, postea verò primùs Parisiensis Episcopus, & cum his duobus sodalibus meis Rustico & Eleutherio, pro Christi nomine ibidem capite detruncatus. Iste verò quartus, quem nobiscum habemus, Philippus est Rex Franciæ, quem jam defunctum per purgatorium ignem transducere proponimus, ut si qua ei peccata de contagiis terrenis adhæserunt, per hunc ignem misericordia divina ea diluat, & ita ad requiem eum nobiscum deducemus. Surge ergo & vade, & dic Honorio Papæ quæ audisti: denique subjunge, ut die crastinâ summo mane hostiam salutarem pro ipso Rege Philippo offerre non differat, & ei beneficium absolutionis impendat. Quo facto, sciat eumdem Regem proculdubio statim æternæ requiei donatum. Et ut tibi de prædictis meliùs credatur, surge, & hoc tibi signum: quia cum esses in articulo mortis jam positus, te ab ipsâ morte revoco, & ad mandatum meum adimplendum, sanitati & viribus meliùs quàm fueras te divinâ virtute restituo: & apprehensâ manu ejus, eum de lectulo levavit, & ita visio illa disparuit. Miles verò ille custodes suos, qui eâ horâ visionis casu obdormierant, excitans, vestimenta sua & calciamenta sibi dari poposcit. Custodes verò videntes eum in lecto sedere, immoderatè perterriti sunt, nescientes quid factum fuerat. Ille verò videns eos hæsitantes, ait illis: Ecce jam sanus factus, video me juvenilibus annis integraliter restitutum: expergiscimini ergo, & mecum laudate Deum, & eamus ad Papam, quia ad ipsum habeo mandata quæ perferam. Illi verò timentes cum eo ire, putabant eum phantasma esse: Ille verò confortans eos abierunt. Venientes verò ad cameram Papæ, miles pulsans, petit se intromitti. Ostiarius verò sciscitans quis esset, qui tali horâ januam tam audacter pulsans, Papam inquietare præsumeret. Ille ait: Ego sum Miles ille cognatus Domini Papæ, qui usque ad mortem ægrotavi; & ecce Dei gratiâ sanus factus sum: aperi, quia habeo ei mira dicere. Ostiarius verò tremens, ad lectum Papæ cucurrit, & ei audita narravit; Papa admirans, tamen hæsitans, jussit ei aperiri. Qui veniens ad Papam cuncta ei ordine narravit, quæ à B. Dionysio audierat & viderat; & quomodo, ut meliùs verbis ejus crederetur, ab ipso Sancto pristinæ sanitati restitutus erat. Papa verò exultans, Deo gratias egit, & data illi benedictione, dimisit eum; & mane facto, sicut ei mandatum fuerat, divina celebrando, & dictum Regem absolvendo, cuncta fideliter adimplevit.

De Innocentio Papa, quomodo Fridericum filium dicti Henrici Imp. ab Apuliâ in Aleman. misit.

CAPUT XIX.

NE mireris, lector, quæso, si finem Regis Franciæ seriatim exponendo descripsi ordine præpostero ante Innocentium. III. Papam, de Honorio, cujus tempore dictus Rex Franciæ obiit; & visio prædicta facta est, mentionem feci: quia meliùs arbitratus sum actus ipsius Regis, & finem de verbo ad verbum sine intermissione adnotare, quàm diversis locis diversa componere. Revertamur igitur ad quædam, quæ tempore Innocentii facta sunt, & sic cætera expediamus. Innocentius igitur Papa III. auditâ morte Ottonis misit in Apuliam, & quæsitum Fridericum quondam filium Henrici Imperatoris, invenit eum jam ferè vicesimum ætatis suæ annum habentem; quem cum epistolis & Missis suis satis subtiliter ad Alemanniam transmisit. Fridericus verò qui Infans Apuliæ, quia juvenis erat, tunc appellabatur, Basileam usque deductus est. Lutoldus verò illius civitatis Episcopus ex præcepto Papæ usque ad oppidum in Alsatiâ, quod Columbaria dicitur, dictum Fridericum conduxit. Dux itaque Fridericus Lotharingiæ, cum audisset illum ad partes Alemanniæ venisse, quia cognatus ejus erat, & sperabat se aliquid ab eo accepturum, venit ad eum in armis.

De conventione inter Fridericum puerum de Apuliâ, & Frider. Ducem Loth. factâ, ut sibi assisteret.

CAPUT XX.

FRIDERICUS verò Rex Duci Lotharingiæ dixit, qui ad eum venerat, si adsisteret ei, ipse daret ei quatuor millia marcharum argenti, & super hoc dedit ei in pignore Villam, quæ dicitur Rotsem. Et

inde Dux cum Friderico ipſo Haugonoyam uſque pervenit, repperitque oppidum à quodam nobili milite Domino de Loëmberch occupatum. Fridericus enim Rex ad inferiores partes Alemanniæ, ut ſibi Primates illius terræ in amicitiam jungeret, deſcendere volens, Ducem Fridericum cum exercitu in obſidione Haugonoyæ dimiſit. Dominus verò de Loëmberch videns oppidum illud diù non poſſe obtinere, reddidit illud Duci; Dux verò genti Friderici. Fridericus itaque cum Primatibus illis per induſtriam Innocentii Papæ ſe concordans, ab illis Aquiſgrani in Regem coronatur. Dux verò Fridericus pignus ſuum, id eſt Rotſem, quam ei Rex Fridericus pro dictâ pecuniâ contulerat, quamdiù vixit obtinuit.

Quòd Dux Fridericus Theobaldo filio ſuo filiam Comitis de Daſporch accepit in uxorem, cum & eâ Comitatum.

CAPUT XXI.

EA tempeſtate Dux Fridericus Lotharingiæ filiam Comitis Alberti de Taxporch quæ ſibi unica erat, filio ſuo Theobaldo accepit in uxorem. Poſt paucum itaque tempus dicti Dux & Comes mortui ſunt. Ipſe verò Theobaldus dicti Ducis filius Ducatum Lotharingiæ ex parte patris, Comitatum quoque de Taxporch ex parte uxoris ſuæ obtinuit. Rex verò Fridericus auditâ morte Friderici Ducis, Villam de Rotſem, quam ei in pignore dederat, ſibi reſaxivit. Dux verò Theobaldus hoc audiens, adunatis ſibi militibus, præcepit Lambyrino de Arches, qui quaſi Major domûs ipſius erat, ut cum peditibus ad Bruſcam-vallem deſcenderet, & ibi eum exſpectaret. Sed cum videret Lambyrinus Ducem non venientem, venit cum ſuis ad Rotſem. Et quia ibi excepto vallo nulla defenſio erat, citò Villam intravit. Quod videntes illi de Villâ, intrà Eccleſiam loci & atrium ſe concluſerunt. Lambyrinus verò cum ſuis Villam occupavit. Illi autem ſpolia multa invenientes, vina & alia quamplurima cibaria pro voluntate ſuâ quilibet eorum rapuit.

De occiſione Lotharingorum apud Rotſem factâ.

CAPUT XXII.

CUm igitur viderent quòd nullus eis adverſaretur, intrantes cellaria, invenientes vina plurima, ſederunt, comederunt, & biberunt quantum voluerunt: & ſicut illa gens ruſticana facere ſolet, cum copiam vini repererit, quia in domibus ſuis rarò vinum habent, omnes inebriati ſunt, & per pavimenta cellariorum ſe jacentes, quaſi exanimati, temulenti jacebant. Quod cum vidiſſet quidam ſtrenuus miles, Otto nomine, ejuſdem villæ, convicaneos ſuos exhortatus eſt: Eia, inquit, vos omnes viri cordati: numquid aſpicitis ruſticos iſtos vino temulentos? Sumite ergo arma, quia quàm citò eos omnes debellabimus. Illi verò, ſicut moris eſt Alemannorum, furibundi de latibulis ſuis exeuntes in miſeros illos irruerunt: illi verò qui præ nimiâ ebrietate ſuper pedes ſuos ſtare non poterant, volentes arma ſua capere, non valebant: alii verò fugere volentes ad terram decidebant: alii veniam inclamare cupientes, balbutientes verba proferre non poterant. Et quia Alemannorum moris eſt nulli velle parcere cui poſſunt dominari, in illos miſerabiliter ſævire cœperunt: & quia illi ebrii defendere ſe non poterant, detruncatur, eviſcerantur, & gladiis perfodiuntur ut pluſquàm cxx. interfecti æſtimentur. Lambyrinus verò & aliqui, qui cum eo erant, providentiores aſcenſis caballis ſuis, per portam quæ ducit ad Bruſcam-vallem exeuntes fugerunt; aliqua pars verò iſtorum videntes tantam ſtragem ſuorum, per vallum villæ exeuntes ad montana, quæ ibi propè habentur, ſe contulerunt: alii verò uſque ad mortem vulnerati per hortos vino & vulneribus attriti, quaſi mortui jacebant; ſequenti verò nocte quomodo potuerunt fugientes, per nemora gradientes ad terram ſuam reverſi ſunt. Alemanni verò domos & cellaria & latibula domorum requirentes, multos adhuc invenerunt, & ita omnes interfecerunt, ut non unus de tantâ multitudine, qui inveniri potuerit, vivus remanſerit. Lambyrinus verò cum paucis fugâ lapſus, ad dominum ſuum Ducem Theobaldum, qui incontinenti cum exercitu ſuo in Bruſca-valle erat, apud Wicha triſtis advenit; qui Duci cuncta quæ facta fuerunt, narravit: Dux autem hæc audiens triſtis retroceſſit.

Quòd Rex Fridericus Lotharingiam cum armis intravit, & caſtrum Amantiæ obſedit, & Ducem Theobaldum ſecum in Alemanniam duxit, & eum veneno interfecit.

CAPUT XXIII.

FRidericus autem Rex Alemanniæ cum audiſſet quòd gens Ducis Lotharingiæ Rotſem cum armis intraverat, etiam aliâ vice, neſcio ante hoc factum vel poſt, cum magno exercitu Alſatiam vaſtaverat, collecta non parvâ multitudine equitum Lotharingiam penetravit; & veniens ad caſtrum quod Amantia dicitur, illud obſedit. Mandans verò pro Comite Barrenſe & Comitiſsâ Campaniæ ad ipſum properaverunt: qui venientes apud Nanceyum ibidem pernoctaverunt. Mane facto illud oppidum totum igni ſuccenderunt; deinde ad Regem venientes gratanter recepti ſunt. Dux verò Theobaldus mittens per univerſos, quos amicos ſuos eſſe credebat, ut ei in auxilium venirent, & non eſt inventus auxiliator. Cumque Dux videret ſe omni ſuccurſu eſſe deſtitutum, timuit ne Rex totam Lotharingiam devaſtaret, & ſibi eam auferret: quia jamplures, qui ei ſuccurrere debuerant tam de terrâ ſuâ quàm aliunde, ut eum opprimerent ad Regem venerant: accepto conſilio ad Regem inermis venit, & ſe ad pedes inclinans veniam petiit. Rex verò ſe ei velle indulgere reſpondit, ſed non ex toto, quod ita fecit: retinuit enim Ducem cum quatuor militibus tantùm cum eo, & ad Alemanniam revertens, Ducem cum eo quaſi captivum ducebat in omnem locum quo iturus erat, & ſic eum cum eo diù detinuit. Volebat enim Rex ut ſecum ſemper ſolus in menſâ eſſet, in hoc tantùm garcione contentus, qui ei pallium ſuum ad Curiam deferebat: Milites verò ſui ad hoſpitium remanebant, nec unus quidem ex eis ad Curiam veniebat; miniſtrabantur tamen eis à Curiâ Regis neceſſaria univerſa. Ego quidem tunc temporis ab Abbate Henrico Senonienſi ad ipſum Ducem Lotharingiæ miſſus ſum, eo quod Philippus Dominus de Gillibertivillare dictum Abbatem meum in quibuſcumque poterat, moleſtabat, & ei ſatis periculosè minabatur: quem cum diù quæſiviſſem, eum cum Rege in Herbipoli, quæ Theutonicè Werſeborch vocatur, in Hoſterfrank inveni, & per octo dies in Curiâ ipſâ permanſi: acto meo negotio, conſiderans quomodo idem Dux & ſui à Rege tractarentur, reverſus ſum. Rex verò cum eumdem Ducem Theobaldum pro voluntate ſuâ detinuiſſet, dimiſit eum: deliberaverat enim quid cum ipſo ageret. Dux igitur tranſvadato Rheno ad ſua gaudens revertebatur; credebat enim ſe

De ſe ſcribit Auctor.

gratiam Regis integraliter recepisse: sed Rex malitiæ suæ non immemor, statim cum Dux ab eo discessit, quamdam meretricem, quam Sodariam vocant, post Ducem direxit: quæ cum Duce unâ nocte hospitans satis jocosis verbis & motibus, sicut talium moris est, blandiciis alliciens, veneno, quod ei Rex ad hoc dederat vino mixtum, Ducem potavit; & sic mane facto meretrix illa discessit: Dux verò non longè post vivens, mortuus est, & in Claustro Stulceborne Cisterciensis Ordinis sepultus est. Cui frater ejus Maherus in Ducatu successit. Fridericus Rex de Apuliâ uxorem sortitus est, quam secum adduxit, & de eâ genuit filium, quem Henricum appellavit. Sed ad reliqua quæ tempore Innocentii Papæ facta sunt revertamur.



LIBER QUARTUS.

De Synodo Lateranensi, cui præsedit Innocentius Papa III.

CAPUT PRIMUM.

Anno ab Incarnatione Domini MCCXV. celebrata est universalis Synodus Romæ in Ecclesiâ Salvatoris quæ Constantiniana vocatur, mense Novembri, præsidente Domino Innocentio Papa III. Pontificatûs ejus ann. XVIII. in quâ fuerunt CCCC. & XII. Episcopi, inter quos fuerunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus: Antiochenus verò gravi langore detentus venire non potuit, sed misit propter se vicarium Antercidensem Episcopum: Alexandrinus etiam sub Sarracenorum dominio constitutus fecit quod potuit, misit pro se Diaconum germanum suum. Primates & Metropolitani septuaginta unus: Abbatum verò & Priorum numerus ultrà octingentos existimatus est. Archiepiscoporum verò, Episcoporum, Abbatum, Priorum, & plurimorum Prælatorum Ecclesiæ, qui non interfuefuerunt, non est numerus. Legatorum Regis Siciliæ in Romanorum Imperatorem electi, Imperatoris Constantinopolitani, Regis Franciæ, Regis Angliæ, Regis Hungariæ, Regis Hierosolymitani Joannis, Regis Cypri, Regis Aragonensis, necnon aliorum Principum, & Magnatum, & civitatum, aliorumque locorum magna affuit multitudo. In quâ Synodo dictus Innocentius Papa sermonem proprio ore protulit, ita incipiens: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequàm moriar.* In quo sermone inter cæteros tractatus & disputationes fidei conservationes de statu Ecclesiarùm & personarum eas regentium liquidè posequutus, limpidiùs de obitu suo, & quòd jam Deus super hoc signum fecerat in bonum, mirabiliter pertractavit: & quod mirabilius est dictu, de Matrimonio ita efficaciter disputavit, ut ipsos gradus contrahendi matrimonium potiùs usque ad quartum gradum debere restringere, quàm in septimo gradu in quo antiquitùs constitutum erat, permaneret; asserens quod pro intricatâ cognationis computatione minus providè contrahebant, & divortia celebrabrant: unde idem Papa connubia matrimonii extrà quartum gradum tantùm fieri decrevit: & si in quinto gradu ex unâ parte, & in tertio ex alterâ juncti fuissent, præcepit non separari. Et alia multa indixit, quibus Jurisperiti adhuc utuntur. Et sic quilibet ad proprio reversus est.

De exercitatione justitiæ à Friderico factâ in urbe Romanâ.

CAPUT II.

Rex itaque Fridericus regnum Alemanniæ sagaciter circuiens quotquot potuit invenire raptores nocturnos, incendiarios, fures, & alios regni molestatores magno studio perquirebat, inventosque sine aliquâ redemptione decapitabat, alios rotis confringebat, alios supplicio damnabat, alios membris mutilatos dehonestabat, alios verò diversis suppliciis interficiebat. Quare mercatores eum, qui & vias & regionum stratas ita pacificaverat, quòd securi quocumque volebant pergebant, magno affectu diligebant; & ita fama sui boni initii ubique diffundebatur: sed proh dolor! exitus ejus in contrarium versus est.

De multitudine puerorum volentium mirabiliter transfretare in Hierusalem.

CAPUT III.

Eo siquidem tempore tanta agmina puerorum utriusque sexûs ex diversis regionibus nescio quâ arte collecta sunt, ut in unum conglobati, innumerabilis fieret exercitus: qui ante se vexilla dirigentes sequebantur, dicentes se transfretare debere; & terram sanctam sicut filii Israël ex Ægypto exeuntes terram illam obtinuerunt, ita & ipsi eam sorte possiderent. In quâ verò civitate vel terrâ veniebant, habitatores illarum quasi pupillos & orphanos, sicut erant, pro Deo suscipiebant, & eis alimenta subministrabant, & ita eos dimittebant. Illi verò Alpes transeuntes Longobardiam intraverunt, & per maritimas civitates, Januam scilicet & Pisam, & alias in oræ maris sitas dispergentes, credebant naves ad transfretandum invenire, & non invenerunt. Duæ tamen naves ex ipsis oneratæ in mare se miserunt; sed adhuc ignoratur si portum obtinuerunt, vel ad quas regiones delati sunt: Alii verò qui remanserunt, ad tantam penuriam devenerunt, ut non ipsos quis hospitio reciperet; ut de ipsis illud Hieremiæ dici posset: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Unde per vicos & plateas maxima pars ipsorum fame mortua jacebant, nec erat etiam qui sepeliret. Et sic verè illa parva gens illis magnis Innocentibus, qui pro Christo occisi sunt, comparari creditur: quia ipsa in tam tenerâ ætate labores immensos & mortem famis, quæ crudelior est gladio, subire meruit: unde Hieremias: *Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame.* Et verè melius, quia gladius solo ictu occidit, fames verò diù cruciatum interficit. Cæteri quoque qui sanioris mentis & ætatis erant, per regiones Italiæ & Thusciæ dispersi, ad serviendum gentibus illius terræ, vel ad laborandum se contulerunt. Talis enim illius facti finis fuit: nec adhuc potest inveniri quid tam inauditum factum portenderet. Et eodem tempore Ordo Prædicatorum, & Fratrum Minorum inchoatus est, de quibus post pauca loco suo apertiùs differemus. Eâdem verò tempestate non multò post, sicut ipse in sermone Synodi suæ prædixerat, Innocentius Papa migravit à æculo, sepultus Perusii à tergo sepulcri S. Herculani in thecâ marmoreâ satis decenter sculptâ; cui successit Honorius.



Quòd Fridericus in Imperatorem provectus est ab Honorio Papa.

CAPUT IV.

REx itaque Fridericus cum totum regnum Alemanniæ quietâ pace & successibus prosperis gaudere videret, ordinatis ejusdem regni agendis, cum exercitu Romam profectus est, & intrans cum magnâ difficultate cum uxore suâ Apuliensi, in Imperatorem ab Honorio Papa III. sublimatus est anno ab Incarnatione Domini MCCXXII. Indictione VII. in Basilicâ S. Petri. Papa verò ut terræ sanctæ succurreret, quia necesse erat, adhortatus acquievit, & statim cruce signatus est, & jura sanctæ Ecclesiæ se observaturum, prout deberet, juravit. Inde denique progrediens, vale dicens Papæ cum exercitu suo secessit ad partes Siciliæ & Apuliæ, & ibi magnas strages de Primatibus, & gente illarum regionum, qui sibi & patri restiterant, perpetravit: alios quippe vivos excoriavit, alios suspendio deputavit, alios membris omnibus mutilatos vivos dimisit, alios rotis confregit, alios cum asseribus decapitavit: & ita totas regiones illas jurisdictioni & timori suo subdidit. Deinde quemdam montem, qui Nigra montana dicitur, muris fortissimis munivit, & eum Sarracenis innumerabilibus implevit, & de ipsis sapientiores quos Mathematicos, quos Astronomicos vocant, ariolos, divinatores, & inspectores volatus avium, & alios plurimos Christianæ fidei adversarios ad se accersivit, de quibus quosdam Consiliarios fecit; quosdam qui in volatu avium & extis animalium augurari sciebant, & sortilegos, qui ei futura prædicebant, familiarissimos sibi junxit, & ita universas gentes illas cum universis regionibus suis suæ potestati adjungens, sigillum terræ illius sibi fieri jussit, cujus superscriptio talis erat:

Siculus & Calaber, Apulus mihi servit & Afer.

Quas regiones diù circuiens sibi, ut supradictum est, subjugaverat.

Quòd Imperator Fridericus vallem Spoletanam, & cæteras terras S. Petri sibi usurpavit.

CAPUT V.

CUmque hæc ita se haberent, cupiens Alemanniam visitare, quæ ei cara erat, intrans Tusciam, vallem Spoletanam cum civitatibus suis & vicis, & omne patrimonium & munitiones B. Petri ubicumque invenire potuit saisivit, & quamdiù vixit obtinuit: asserens Episcopos & alios Clericos, qui orationi tantùm vacare debebant, civitates & alias munitiones habere non debere: ipse enim Advocatus & Defensor Ecclesiæ erat, cui hæc competebant. Descendens ad Alemanniam, filium suum Henricum quem de Apuliensi uxore genitum priùs dixeramus, de consensu Magnatum Alemanniæ Aquisgrani in Regem coronari fecit, & ei ut moris est fidelitatem fecerunt, & dicto filio ipse Imperator filiam Ducis Austriæ dedit uxorem, de qua genuit duos filios, quos, ut fertur, postea idem Imperator interfecit, sicut & matri dicti Henrici fecisse dicitur. Et hæc initia suæ malæ conversationis, sicut postmodum lucidiùs exponemus, usque in finem vitæ suæ extiterunt: in quibus ipse illi fallacissimo Juliano Imperatori similis fuit, qui ab Ecclesiâ & in Ecclesiâ nutritus, & ad honores priùs promotus, postea Christum negans, ob ambitionem Imperii omni nisu crudeliter Ecclesiam impugnavit, & inhumanè Christianos persequens, quos veri Dei cultores inveniebat diversis suppliciis interficiebat; qui denique à S. Mercurio Martyre B. MARIÆ Virginis jussu dirâ morte percussus interiit in Perside.

De Volfelino Sculpteto Haganoyæ & de munitionibus ab ipso in Alsatiâ constructis.

CAPUT VI.

ERat his diebus in Haganoyâ Alsatiæ quidam Præfectus nomine Volfellus, rusticus quidem genere, sed solertiâ & prudentiâ præditus. Hic in Alsatiâ oppida plurima, castra & alias munitiones regno ædificavit; castrum videlicet Croneberch juxtà villam Morbei, apud Andelay aliud castrum quod Landeshoarte appellavit; Seelestat quoque, quæ antea parvissima villa erat, francam fecit, & eam muris latissimis & burgensibus pluribus ampliavit, & ditavit. Oppidum quoque Kesepech cum castello suo de novo ædificavit: Columbariam etiam in Episcopatu Basiliensi, sicut Slestat fecerat, construxit. Citrà Rhenum igitur oppidum, quod Nuemberch dicitur, munivit & libertavit. Sed Imperator pro omnibus his bonis, & cæteris aliis quæ pro utilitate regni & honore fecerat, mala pro bonis eidem Præfecto Volfello Haganoyæ inferens, ipsum captivavit, & ab eo thesaurum immensum auri & argenti extorsit: nec adhuc ei credens in domo propriâ inclusit: sed postea licentiâ acceptâ venit uxorem suam visere, & unâ nocte cum uxore sua dormiens, ab eâdem uxore dicitur esse suffocatus, ne divitias quas ipsa uxor habere credebatur, Imperatori revelaret.

Quòd Imperator Fridericus filiam Regis Joannis Hierusalem duxit in uxorem: & quòd idem Rex Damiatam miraculosè cepit, & post pauca iterum perdita est.

CAPUT VII.

IMperator verò Fridericus ad Apuliam rediens, accepit sibi uxorem filiam Joannis de Brine Regis Hierusalem, de quâ genuit filium Conradum nomine. Dictus verò Joannes moto exercitu Damiatam Ægypti obsedit, & miraculosè obtinuit, quam statim stultitiâ cujusdam Legati Romani, qui exercitum Christianorum de civitate eâdem eduxerat, a quis multitudine Sarracenorum inclusi, & in angustiâ mortis positi, Damiatam Sarracenis reddiderunt, & ita à terra illâ Christiani exierunt. Imperator verò Fridericus à Papa excommunicatus, eo quod votum crucis nondum persolverat, credens se Deo ita satisfecisse, accersitis secum paucis, & Abbate Morbacensi, qui mihi hæc omnia retulit, mare transivit, & Joppen in littore maris sitam, à Sarracenis quondam destructam, reædificavit, & inde Amirando Babiloniæ in amicitiam se conjunxit; ita ut totam terram illam si voluisset, ut fertur, Christianitati subjecisset, & sic ad Apuliam reversus est. Audiens verò Imperator Fridericus quòd filius suus Henricus Rex de consensu Magnatum terræ, invito patre Regnum Alemanniæ obtinere satageret, eum ad se accersitum cepit, & eum in Siciliæ castro includens ibi mortuus est. Descendens igitur Imperator ad Italiam, Mediolanum obsedit, & duobus annis ibi sedens nihil profecit. Carrucam tantùm ipsius civitatis, quam Standarium vocant, cum vexillo suo acquisivit, & Potestatum Mediolanensem captivum ad Cremonam ducens, in altâ turri patibulo eum suspendit. Deinde Bononiam obsedit, & ante illam novam civitatem construxit, quam custodiendam

filio suo, quem de concubinâ genuerat, Regi Sardiniæ dereliquit, & abiit. Illi verò Bononienses de civitate suâ exeuntes, civitatem illam novam invaserunt, & igne incendentes funditùs destruxerunt, & dictum Regem Sardiniæ, qui eam custodire debebat in civitatem suam captivum duxerunt: sed quid de eo actum sit non audivi.

Quòd Imperator fratrem Gregorii Papæ suspendio damnavit.

CAPUT VIII.

IGitur Imperator tunc ad Alemanniam forte devenerat, & apud Haganoyam veniens venationi & piscationi vacabat. Gregorius verò Papa, qui Honorio successerat, habuerat quemdam nobilem Militem fratrem Apuliensem; qui Imperatorem aliquando se offendisse dubitabat; veniens in Alsatiam Comitem Sigibertum Alsatiæ Lantgravium & Conradum tunc Metensem Episcopum Imperatoris Cancellarium, rogavit, ut eum ad Imperatorem salvum conducerent, quod & promiserunt. Imperator verò jussit in patibulo eum suspendi: & sic malè conductus vitam finivit. Gregorius igitur Papa admonens Imperatorem per Internuntios ut Deo ac beato Petro satisfaceret, qui & renuit: quem Gregorius Papa in toto orbe Romano excommunicatum denuntiavit. Gregorio verò mortuo Sedes diù Pastore caruit, Imperatore electionem perturbante. Tandem Cœlestinus lectus, decem & septem diebus supervivens mortuus est.

De electione Innocentii Papæ IV. & de adventu ejus Lugdunum.

CAPUT IX.

ERat igitur quidam Cardinalis Senebaldus nomine, de civitate Januensi in Italiâ oriundus, quia Imperatori aliquantulum familiaris erat, Papa effectus est: qui eodem anno simulatâ infirmate, dicens se velle aërem nativitatis suæ ut sanaretur invisere, venit Januam: Inde clam per terram Comitis Savoyæ progrediens pervenit Lugdunum, & ibi per septem annos continuos demoratus est. Volens igitur Papa cum Friderico Imperatore de rebus Ecclesiæ, quas rapuerat, agere, ipsum per legitimas ferias ad Curiam citavit. Imperator verò Legistas & doctissimos viros Jurisperitos pro se mittens, dicens se in Longobardiâ occupatum, tandem asseruit se esse venturum. Fertur etiam quosdam versus nescio à se vel ab alio compositos interea Papæ mandasse, ita scribens:

Fata notant, stellæque vocant, aviumque volatus,
Totius & subitò malleus orbis ero.
Roma diù titubans, longis erroribus acta
Decidet, & mundi desinet esse caput.

Quibus Papa versibus respondit, sed à memoriâ meâ dilapsi sunt: sed hîc est sensus. Fata tacebunt, & stellæ silebunt, & volatus avium non loquentur: tu verò malleus orbis ad tempus esse poteris, sed non diù: Romam verò, quam dixisti esse casuram, Ecclesiam, id est, naviculam Petri advertimus: potest enim in fluctibus hujus maris, id est mundi, fluctuare, sed nunquam mergi. Tertia igitur citatione, ut prædiximus, factâ, interea Papa Innocentius IV. (ita enim in Papatu vocatus) Concilium Archiepiscoporum & Episcoporum regionum circumadjacentium convocavit, ad quod Fridericus vocatus noluit venire, sed suos Nuntios misit. Præsidente igitur Innocentio Papa in facie ipsius Concilii, de commissis ipsius & hæresibus, quibus implicatus esse dicebatur per XVI. Capitula hinc inde disputatum est: tandem per sententiam, ipsum anathematizavit, & à dignitate & honore Imperii alienavit, & ipsum vel heredes suos ad dignitatem Imperii Romani nunquam venire posse judicavit, & sub interminatione anathematis districtè inhibuit; ne quis de cætero eum pro Imperatore haberet, nec Imperatorem, sed Fridericum tantùm de Stoupha appellaret. Et hoc mandatum per universas Imperii Romani regiones Papa divulgare fecit: sed hoc Rex Franciæ approbare noluit, quia idem Fridericus quondam juratus suus exstiterat.

De bello transmarino, quod Ludovicus Rex Franciæ in extremis positus in visione vidit.

CAPUT X.

REx igitur Francorum gravi detentus infirmitate usque ad mortem ægrotavit, cui talis apparuit visio. Videbat se in transmarinis partibus esse constitutum: ibi enim nostri Christiani & Saraceni ad pugnam parati erant, & congredientes acriùs inter se pugnabant; & postquàm diu pugnatum est, Saraceni nostros vicerunt, & omnes aut interficiebant, aut captivos ad terram suam deducebant, ita quòd de tantâ multitudine nostrorum vix XV. milites de bello fugientes remansisse dicerentur. Quod cum Rex Franciæ videret valde indoluit: cui fertur dictum fuisse: Rex Franciæ hoc irrecuperabile damnum vindica. Rex autem ab hac visione reversus, vovit se ad terram Sanctam post duos annos properaturum: & statim sibi crucem dari præcipiens, invitâ matre Dominâ Blanchâ cruce signatus est. Pugna quippe ab ipso Rege intuita accidit in festo S. Andreæ, & sicut viderat verum fuit.

Quòd Papa Innocentius damnato Friderico Imper. Landgravium de Thuringiâ Regem Rom. creavit.

CAPUT XI.

FRiderico quoque quondam Imperatore, ut diximus depulso, Innocentius Papa Regem creavit filium Comitis Palatii de Thuringiâ, qui assumpto sibi exercitu intravit territorium de Nurembérch. Papa verò misit ei Archiepiscopos & Episcopos cum militibus. Conradus verò filius dicti Friderici priùs Imperatoris, qui tunc in Sueviâ erat, accersita sibi magnâ multitudine armatorum venit obviam novo Regi & congressus cum eo victus est, & multi de exercitu suo perierunt interfecti, alii capti, alii fugerunt: Conradus verò in Nurembérch fugit. Novus verò Rex ad sua, & omnes adjutores sui cum multis spoliis redierunt; solus tantùm garcio de tantâ multitudine nostrorum ibi mortuus. Novus quoque Rex non multo post diem clausit extremum: & Papa alium instituit, Comitem scilicet de Holande, qui exercitum colligens venit Aquisgrani, & eam obsidens tandem cum magno labore expugnavit, & ibi coronatus est, & inde ad sua rediit. Episcopus verò Argentinensis duo castra, quæ Regi nostro adversabantur, Wigresem, & Cronebérch, funditus destruxit, & totam terram Episcopatûs vice Regis sibi subegit: Slestat verò obsedit, sed nihil profecit. Conradus verò f[...] radictus viribus assumptis subitò Alsatiam intravit, & recto itinere nihil aliud faciens cnm suis incedebat. Episcopus autem Argentinensis usque ad ripam Rheni sequutus est eum. Conradus vero Rhenum transiens

in

in Sueviam fugit, & Episcopus in sua reversus est.

Quòd Rex Franciæ mare transiit: Damiatam miraculosè obtinuit, & eam pro liberatione suâ Sarracenis restituit.

CAPUT XII.

REx verò Franciæ mare intrans applicuit magno apparatu Cyprum, & ibi aliquamdiù moram faciens, multi de suis mortui sunt. Deinde ad portum Acharon volens venire, vento flante contrario ad littus Damiatæ projectus est: nautæ verò valde admirantes, dixerunt civitatem quam videbant esse Damiatam, quæ in Ægypti introïtu sita est: nostri verò valde perterriti ad arma currunt, littus occupant, Sarracenos ad bellum paratos inveniunt, qui à nostris oppressi Damiatam redire compulsi sunt. Nostri igitur Christiani tentoria figentes ibidem pernoctarunt: mane autem facto ad portas civitatis venientes, apertas eas quidem invenerunt, sed nullum intùs civium repererunt. Intrantes autem civitatem mundaverunt, & Ecclesiis compositis cultui Christiano subdiderunt. Post paucos itaque dies Rex cum exercitu suo suggestione Comitis de Artois fratris sui terram Sarracenorum ingressus est, & ibi reperto exercitu Sarracenorum cum eis confligens victus est, ibi quippe mortuus est dictus Regis frater. Cæteri verò omnes aut capti, aut interfecti sunt ibidem, excepto Rege & paucis qui in quodam monte fugerunt. Expletâ denique tantâ cæde montem, in quo Rex erat, Sarraceni circundederunt: Rex verò sibi nusquam fugam patere videns tradidit se illis. Pagani siquidem Damiatam cum Rege venientes, minati sunt se Regem interfecturos, nisi Damiata eis redderetur. Dux verò Burgundiæ & Regina cum aliis pluribus videntes irrecuperabile damnum de Rege, civitatem Sarracenis tradiderunt; ita tamen quòd universi captivi, qui à Sarracenis tenebantur, Regi restituerentur; quod & factum est. De quibus nos unum Sacerdotem vidimus qui hæc omnia nobis narravit. Rex verò cum suis Acharon venit.

De Amiraldo de Coine qui Regem Babiloniæ interfecit, & de nece filii sui Conradi.

CAPUT XIII.

IGitur Amiraldus de Coine, qui à Rege Babiloniæ ad dictam pugnam vocatus fuerat, dicebat se debere Damiatam habere, & etiam medietatem captivorum & spoliorum, quia majorem ipse exercitum habebat quàm Rex. Rex verò non acquievit: unde Amiraldus in ipsum insurgens interfecit, & exercitum ejus in fugam convertit, & Damiatam obtinuit. Sed Amiraldus, quia Damiatam longè à terrâ suâ distabat, timens ne filius Regis interfecti Damiatam, quæ ei prope erat, aliquando obtineret, & ita suam gentem, quam in eâdem civitate dimiserat, perderet; inito consilio Damiatam funditùs evertit, nec in eâ lapidem super lapidem reliquit: & ita illa delicata civitas, quæ quondam paradisus esse dicebatur, à nostris bis miraculosè acquisita, & bis nescio quo occulto Dei judicio miserabiliter perdita, finem accepit. Rex verò Franciæ Cæsaream civitatem quamdam, quæ à Sarracenis antea destructa fuerat, satis compendiosè restauravit, & gente & ædificiis copiosam reddidit; & sic vix duobus annis in terrâ illâ degens, in Franciam rediit.

De morte iniquâ Friderici Imper. & de obitu Innocentii IV.

CAPUT XIV.

CUm igitur res ita se haberet, & Fridericus quondam Imperator in Apuliâ moraretur, adhuc in infidelitate suâ perseverans, ut fertur contrà Deum blasphemias, quæ non sunt etiam referendæ, loqueretur, decidit in lectum & mortuus est, sepultusque in Palerno, ubi dicebatur plurimos habere thesauros. Post hæc Apulienses nescio quo zelo, sed ut rei exitus probavit, malo, Conradum filium dicti Friderici, qui in Sueviâ degebat, ut regnum patris acciperet, asciverunt: qui non multo post veneno potatus interiit. Innocentius verò Papa IV. cum VII. annis apud Lugdunum mansisset, Romam reversus, in Apuliâ diem suum clausit extremum.

De B. Hildegarde Sanctimoniali, & de prophetiis ejus.

CAPUT XV.

ANte hos annos ferè triginta fuit in inferioribus Alemanniæ partibus Sanctimonialis quædam inclusa sanctissimæ conversationis & vitæ, Hildegardis nomine, cui Deus etiam inter cætera gratiam prophetiæ contulerat, & quod mirum est dictu, quod nunquam antea didicerat, linguâ loquebatur latinâ, & scribebat. Prophetavit quippe de statu regnorum, & eventibus futurorum: & inde libros propriâ manu conscripsit Scripsit etiam librum medicinalem ad diversas infirmitates, quem ego Argentinæ vidi. Scripsit siquidem de Ordine futurorum Prædicatorum, & Fratrum Minorum, qui temporibus nostris primùm esse cœperunt. Dixit quippe apertè quosdam Fratres futuros altè tonsuratos in habitu religioso, sed inusitato, qui in principio sui quasi Deus à populo reciperentur; nec aliquid proprium habituros prædixit, sed tantummodo eleemosynis fidelium victitarent, nec de his eleemosynis in crastinum reservarent; & ita tali paupertate contenti civitates & castella, & regiones prædicando circuirent: & ita in primordio suo Deo & hominibus cari haberentur; sed proposito suo decidentes, viliores haberentur. Hæc Hildegardis de Prædicatoribus & Minoribus Fratribus fertur prædixisse, quod postea verum actus ipsorum esse probavit.

De S. Dominico, & principio Ordinis Prædicatorum.

CAPUT XVI.

QUidam Dominicus nomine de Tusciæ partibus oriundus, tempore Innocentii III. Ordinem incepit Prædicatorum; sicut & eodem tempore Franciscus quidam, de quo postea dicemus, Ordinem Fratrum Minorum inchoavit. Dictus siquidem Dominicus Fratres sibi collegit, & secundùm Regulam B. Augustini vivere constituit: & ita à Gregorio Papa confirmati, dispersi sunt per universas regiones, & quamdiù in proposito suo permanserunt, cari ab omnibus habiti sunt. Sed mirum est quòd tanti viri in divinis sermonibus probabiles, in civitatibus opulentioribus habitare cœperunt, in quibus splendidè vivitur, & habitatores earum civitatum deliciis & divitiis abundant, & ibidem luxus & ambitio rerum sæcularium vigent, & usuris & publicis

rapinis impudenter insistunt: quomodo nostri Prædicatores à talibus & cum talibus conversari & vivere, & dona ipsorum recipere gratulantur? Sed quia prophetia illius Venerabilis Sanctimonialis Hildegardis ne fieret præteriri non poterat, in primordio sui nostri Prædicatores omnibus in bono satis claruerunt: multos quippe ab erroribus suis & à viâ suâ malâ averterunt, & hæreticos, quibus universa terra jam prope occupata erat, represserunt, & multos eorum dari igni fecerunt, & adeo in exercitatione suâ valuerunt, ut etiam quidam eorum miraculis claruisse referantur. Sed quia, ut dicitur, nova placent & usitata vilescunt, quia jam à proposito aliquantulum declinabant; imò etiam de se præsumendo quædam inepta sibi usurpabant, à populo jam non tanti pretii haberi cœperunt. Divites quippe & raptores, & usurarios publicos circumeundo visitabant. & si quâ ambitione sæcularium vel rapto, vel fœnore ab illis acquisita invenirent, ad Monasteria sua, quæ permaxima ædificare cœperant, efficiebant ut donarentur; & ita per interpretes illas res in ædificiorum suorum, vel victualium usus convertebant: licet non ignorarent rapinas, vel usuras nisi eis, à quibus extortæ fuerant, reddi debere: illos verò qui eis talia dona conferebant, quod Papa facere non potest, à peccatis rapinarum & usurarum absolvebant, & mortuos in cæmeteriis suis solemniter sepeliebant: & ob hoc viliores plurimùm esse cœperunt.

De B. Francisco primo Fundatore Minoritarum.

CAPUT XVII.

FRANCISCUS igitur, quem superiùs primum Ordinis Fratrum Minorum esse diximus, de Assisiâ civitate vallis Spoletanæ oriundus fuit: filius quidem divitis civis dictæ civitatis exstitit, qui eumdem Franciscum causâ mercimonii ad partes Franciæ frequenter mittere solebat; unde à Franciâ Franciscum nominatum fuisse referunt. Qui Franciscus bonæ indolis existens juvenis & sapiens (sicut mos est mercatorum) ambitionem rerum sæcularium insectatus est: sed de mercimonio à patre credito Ecclesiis & pauperibus largissimè erogabat. Contigit ipsum Franciscum ad partes suas quodam tempore redire, & à patre libenter receptus paucis diebus cum ipso mansit: quâdam verò die cum pater ejus quemdam solemnem ageret diem, Franciscus juvenis laudabilis quamdam cameram intrans vestibus suis omnibus exuitur; quâdam tunicâ, in quâ caputium consuetum erat, & tamen vilissimi panni se induens, cordellâ nodatâ se præcingit: & ita sine calceis & tonsoratus ad patrem exiit, & patri vale dicens asseruit se potiùs Deo servire velle quàm mammonæ. Circuiens verò regionem illam, plures sibi Fratres & Ordini suo sociavit. Veniens igitur ad Papam Gregorium, sicut Prædicatores ab eo authorizati sunt, & ita per diversas regiones collocati sunt. Franciscus verò cum paucis Fratribus per civitates & castella circuiens prædicando, ad quamdam civitatem fertur devenisse; & ibi volens verbum Dei prædicare, cives loci illius in tali habitu eum cum suis considerantes quasi stultum à civitate suâ eum expulerunt: ipse verò extrà portam civitatis juxtà stratam publicam stans, conspexit in campo diversi generis aves pascentes, quasi loqueretur hominibus ad se ipsas vocavit, & statim ad vocem ipsius tanta multitudo diversarum avium circà eum adunata est, quanta nunquam in partibus illis visa fuisse feratur: quas B. Franciscus admonens, quia gens intelligibilis & sensata verbum Dei audire contemneret, saltem aves indiscretæ mandata Dei audire non recusarent: illæ verò colla erigentes, & capita, & visum quasi eum intelligerent, porrigebant ei: ille verò hortabatur eas vocibus & cantibus Deum qui eas creaverat, & pascebat, glorificare & laudare: & sic eas diù alloquens, & quasi cum rationabilibus creaturis de verbo Dei cum eis disputabat. Videntes autem transeuntes ignotum virum in tam extraneo habitu avibus quasi hominibus prædicantem, nuntiaverunt hæc in civitate; ad quem tota civitas exiens, admirans super miraculo avium, rogabat eum, ut quia eum expulerant, civitati indulgeret: ipse verò avibus benedicens jussit eas abire, & convertens se ad populum improperabat ei quòd populus intelligibilis & rationabilis verbum Dei audire contemneret, aves verò sine ratione cum gaudio magno illud susciperent. Cumque gentem illam diù alloquutus fuisset, hoc sermone finito, dans benedictionem à loco discessit. Fertur etiam transfretasse, & ad Babyloniam devenisse, à Rege illius terræ licentiam prædicandi obtinuisse. Videns igitur B. Franciscus gratiam dicti Regis & gentis ipsius terræ se habere, paucos de discipulis suis relinquens ad partes suas reversus est, volens illuc pluriores ad prædicandum dirigere: sed quia non est laborantis & currentis, sed volentis Dei hominis cursum dirigere, nescio quo impedimento detentus ad Babyloniam non est reversus. Cumque plures sui Ordinis Fratres ubique disseminasset, & pluribus in vitâ suâ claruisset miraculis, ad civitatem Assisiæ revertens infirmitate detentus ibidem bono fine quievit in Domino, & ibidem sepultus est. Illorum siquidem & conversatio & vita semper meliùs & sanctiùs quàm Prædicatorum ad tempora nostra usque perduravit. Quamplures igitur ambos ordines viri & mulieres imitantes, conversationi eorum se contulerunt. Nobiles quippe Clerici, & benè literati suas prælationes, dignitates, divitias, parentumque consolationes contemnentes, se eis pro Deo sociarunt. Mulieres verò, aliæ virgines, aliæ matronæ & viduæ, aliæ verò meretrices, nobiles & ignobiles, magisterio ipsorum & religioni se submittentes, pusilla sibi habitacula erexerunt. Sed proh dolor! plurimi utriusque sexûs, qui jam aratro Dei manum salutis apposuerant, miserabiliter retrò respicientes, luxui & voluptatibus sæculi quasi canis ad vomitum redientes denuò se tradiderunt. De quibus meliùs arbitror silere, quàm loqui.

De Beguinâ Sybillâ de Marsal, & actibus ejus.

CAPUT XVIII.

DE quâdam juvenculâ muliere, quæ plurimos suâ subtilitate decepit, dicturi accingamur: quia tota ista regio actus illius agnovit, audaciùs de eâ loqui non pigebit. In Episcopatu itaque Metensi, in oppido quod Marsal dicitur, illa supradicta muliercula degebat: quæ videns plurimas mulierculas sub doctrinâ dictorum Prædicatorum specie religionis florere, quæ Beguinæ appellantur, volens ipsas imitari dictis & factis suis simplicitatem suam prætendebat: Ecclesias etiam horâ Matutinarum & Missarum, sicut moris est Beguinarum, maturiùs frequentabat. Quid dicam? adeo magnificavit fimbrias suas, ut etiam Ludovico tunc plebano viro discreto, & omnibus habitatoribus villæ de Marsal gratissima haberetur. Quædam verò matronâ illius villæ cum viro suo simulationibus ejus credens, eam hospitio receperat: cui etiam ipsa juvencula suggerebat, se Angelos vidisse: cui matrona illa quamdam cameram concesserat, ubi orationes & vigilias

secretiùs agere posset. Cumque ipsa juvencula videret famam suæ religionis ubique diffundi, ad majorem præsumsit audaciā properare: fatebatur quippe se in spiritu rapi in cœlum, & ita in lectulo suo jacens quasi dormiens, non manducans neque bibens totam diem deducebat. Hospita verò sua verū esse credens cameram claudebat, nec aliquem ad eam introire patiebatur: aliquâ quippe horâ noctis, ut spiritus ejus ad eam reversus crederetur, lentâ voce planctum emittebat: quod cum hospita sua audiret protinùs accurrebat, & ei cibum volens dare, illa renuebat, dicens se epulis cœlestibus ita refectam, ut carnalibus cibariis de cætero nollet uti. Dictum est enim post, quòd quidam Sacerdos ejusdem villæ juvenis, qui ei familiaris erat, secretò noctu ad eam veniebat, & eam delicatis cibis reficiebat, & species benè redolentes ad supervenientes decipiendos ei afferebat; ita ut camera illa tota odore specierum repleretur, ut odor ille in adventu Angelorum ad se venientiū ibi fieri crederetur. Sacerdos igitur quæ illa sumere non poterat, sub stramento lectuli sui sagaciter recondebat, quod eidem tribus diebus vel quatuor ad victum sufficere poterat: & ut dictus Presbyter secretiùs & tutiùs ad eam venire posset, illa dicebat hospiti suæ, ne aliquando timeret si noctu ostia domûs aperiri, vel alium strepitum audiret, quia à diabolo de nocte immoderatè molestaretur.

Cumque cunctos ita deciperet, Fratres Prædicatores & Minores veniebant, & observantes eam, fallaciam ipsius nunquam percipere poterant; sed de ipsâ, & sanctitate ejus & actibus jam in publico prædicabant. Quid plura? Episcopus ipse Metensis Jacobus ad eam venit, Comites quoque & Milites, Clerici, Monachi, & utriusque sexûs universus populus ad eam confluebat: sed non dabatur omnibus copia eam videndi, quia cum audiret tot & tantos ad se venisse, simulabat in spiritu, sicut facere solebat, in cœlum esse deductam, & etiam prædicebat in tribus diebus non reversuram, & ita nulli aditus ad eam patebat. Illi verò qui ad eam videndam venerant, nec viderant, audientes ab incolis quæ faciebat, ad sua revertantes mira de eâ nescientibus narrabant. Episcopus verò Metensis cum Clericis suis & Prædicatoribus qui cum eo erant, volens experiri si ita non manducaret neque biberet, & si in Spiritu raperetur, ut ipsa dicebat, fecit eam in aliam domum transferri. Ipsa verò in camerâ in quâ jacebat nullum secum noctu manere patiebatur, quia Angeli eam custodiebant, cum diabolus eam ita importunè infestabat. Sed cum ita custodiretur, ut nec posset manducare, neque bibere; ut vel verbis suis de diabolo fidem faceret, simulans se de die in cœlum raptam, noctu surgens accepit plumas de pulvinaribus in quibus jacebat, quasi diabolus hoc faceret, per cameram ipsam & per domum, in quâ custodientes eam jacebant, dispersit. Videntes verò credebant propter molestiam ipsius à diabolo hoc fieri. Dixerat quippe pluries à diabolo nimium inquietari, & hoc ibi & aliàs sæpe fecisse dicebatur: & ita in illâ domo tribus mansit diebus & tribus noctibus, non manducans neque bibens. Et cum videret se ulteriùs famem sustinere non posse, rogavit Episcopum ut eam ad priorem locum suum reportari faceret, quia in visione ad quam his tribus diebus rapta permanserat, audierat si ulteriùs in ipso loco, in quo diabolus eam plus solito infestabat, moraretur, totum corpus ejus diabolus in frustra discerperet. Episcopus verò credulus eam ad priorem locum reportari fecit. Videns autem Sibylla (ita enim ei nomen erat) quia Episcopus, Prædicatores, & Fratres Minores, & alii qui eam observabant factis suis fidem darent, ad majorem se contulit audaciam; fecit quippe nigram tunicam fieri; & hispidam, & capucium diabolicum vultum habens, quâ induebatur cum ad cœlum se simulabat translatam, & loquens raucâ & horridâ voce audientibus magnum incutiebat timorem. Et quandoque noctu à camerâ in illo diabolico & horribili habitu multis apparebat, & cum eis loquebatur; & quod mirabilius est dictu, per vicos & plateas de Marsal discurrebat, & obviantibus sibi dicebat se esse diabolum, qui Sibyllam illam nefandam & impiam virginem impugnabat, & ita ab illis fugientibus relicta, ad cameram suam secretò revertebatur. Contigit enim quâdam die unum de civibus illius villæ mori, qui à plurimis illius villæ non multum bonus habebatur: quod cum Sibylla ab his qui in domo erant audivisset, nocte sequenti larvâ suâ se induens (sic enim talis habitus appellabatur) venit ad ostium cameræ, & his qui in domo erant quasi diabolus esset, raucâ vauce dixit: Heu! heu! quantum damnum ista mala mulier Sibylla mihi hodie intulit, quia amicum meum qui hodie mortuus est, mihi violenter abstulit. Ipsa enim ad cœlum hodie rapta est, & usque ad tertium diem non revertetur: & ita suffragiis suis & orationibus sibi eum retinuit: ego enim credebam eum meum esse, & volebam eum ad spatiosum pratum meum deducere. Illi verò audientes interrogabant ubi esset pratum illud? Quibus respondit; Ego habeo pratum valde spatiosum & delectabile, in quo ego amicos meos ad spatiandum deduco. Pratum illud semper rore sulphureo, & igneo conspergitur: ibi sunt jocosa reptilia, & animalia viperea & serpentina, & angues, & buffones, & alia plurima pusilla cum magnis; cum quibus amicos meos dilectissimos conversari & jocari facio, & in illo sulphereo rore ab Angelis meis pro deliciis volutantur. Sed quia ista mulier mihi hodie tantum amicum abstulit, libenter eam in frusta discerperem! sed non audeo, quia Angeli custodiunt eam. Heu mihi misero! quare ista contrà me, & malo meo vobis annuncio? quia quàm citò ad Magistrum meum Sathanam revertar, ipse me ob hoc fœdissimis cruciatibus tradet. Sed non audeo propter istam malam mulierem dimittere, ut vobis ista annuntiando, vobis caveatis; vobis etiam dico ipsis & audientibus me, ne in illud spatiosum pratum veniatis. Episcopus itaque & alii audientes, verè credebant esse diabolum, qui eis talia referebat. Sequenti enim die cum Episcopus & Prædicatores tantùm ad eam videndam intrassent, quia aliis non licebat, invenerunt eam in lectulo suo jacentem rubicundâ facie, quasi dormientem, & subtilissimos pannos & candidos circà se habentem, & coopertorium capitis sui tam subtile erat, ut diceretur nunquam à manu humanâ tale fieri posse. Jacebat enim quasi dormiens, habens anhelitum tam subtilem, ut vix ab aliquo percipi posset utrum anhelaret an non: & quia nemo eam tangere audebat, hospitam ejus interrogabant, unde tam candidi panni & benè redolentes venerant. Respondebat se pluries quando à superis revertebatur, eam in tali statu invenisse, & quia ei sæpius dixerat lectum suum ab Angelis refectum fuisse, & ab iis ornamenta ipsa recepisse. Asserebat etiam ei ab eis aquam benedici, ut versutias diaboli ipsam impugnantis superare valeret: erat enim ad caput ipsius satis pulchrum vasculum positum, in quo ipsam aquam miserat; de quâ ipse Episcopus & Prædicatores, & alii plures, ut se à diabolo tutarent, se aspersisse, & ex ipsâ aquâ olidâ bibisse feruntur. Quid plura? Jam Episcopus Ecclesiam ædificare deliberabat, in quâ quia non comedebat, neque humaniter vivebat, ipsam ponere volebat, ut ad eam confluentes talia mirabilia delectarentur aspicere: cum subitò illud Evangelicum;

Nihil occultum quod non reveletur, apparuit. Namque cum una die ad superna se rapi prædixisset, & ostia benè ferrata essent, & hi qui in domo erant se pausatum dedissent; illa de lecto suo surgens sibi sternere cœpit, & diversas voces emittens quasi opponentis & respondentis, unam habens horribilem quasi diaboli, aliam verò subtilem quasi Angeli, audiebantur quasi conflictus duorum: quare quidam Prædicatorum conflictum illum subtiliùs volens audire, accessit ad parietem cameræ, & circumspiciens casu tenuissimam invenit rimam, & aspiciens per eam vidit illam, quam credebant raptam fuisse, lectum suum reficientem; & advocans Episcopum ostendit illi quid illa interiùs faciebat. Episcopus verò cum aliis ad ostium venientes, illud fregerunt. Quod illa videns projecit se in lecto imperfecto. Illi verò introeuntes levaverunt eam de lecto, & cogentes eam omnes actus sicut suprà scripti sunt, exposuit, & quòd haberet escas sub lecto suo absconditas, quibus pascebatur, quod & inventum est. Episcopus verò & Prædicatores, & alii omnes qui aderant videntes se tamdiù à tali mulierculâ fore deceptos, ineffabiliter doluerunt. Videbant enim oculatâ fide larvam illam, scilicet vestimentum illud diabolicum, escas absconditas quibus illa vescebatur, & ornamenta lecti sui, & alia utensilia quibus illa tot & tantos viros & mulieres, & qui credebantur esse sapientiores, magis ac magis confundebantur. Alii clamabant ut cōbureretur, alii ut aquis suffocaretur, alii ut viva defoderetur. Beguinæ verò, quæ ad hoc spectaculum venerant, ista audire non poterant: coopertis capitibus flentes & ejulantes, quia neminem præ pudore videre poterant, in sua revertebantur. Episcopus verò pudibundus suas injurias non ferens, voluit eam interficere: saniore tamen usus consilio mulierem illam incarceravit, concessâ tamen ei parvâ fenestellâ, per quam ei modicum panis & aquæ porrigebatur; pauco enim supervivens tempore, in ipso carcere mortua est. Sic Deus ea quæ per ipsum non fiunt, breviter dissolvit.

De gente quâdam horridâ quæ Tartarini dicebatur, quæ multas regiones & regnum Hungariæ vastavit.

CAPUT XIX.

Contigit ante hoc quasdam gentes nescio unde ebullire; immensus siquidem erat eorum exercitus & innumerabilis, facie quidem horridi, cultu horribiliores, Tartarini appellati, unde quidam eos à Tharso Ciliciæ nominatos dicebant. Alii verò asserebant eos Judæos illos esse, quos ferunt ab Alexandro Rege magno intra Caspios montes quondam fuisse inclusos, sed adhuc ignoratur unde tanta multitudo gentium ebullierit. Venerunt quippe per Bulgariam & Poloniam & per plures alias Orientis regiones, universa quæcumque inveniebant sine misericordiâ interficiebant: sicut Gothi & Wandali in his Occidentalibus partibus quondam fecisse leguntur. Intrantes denique regnum Hungariæ, ut breviter dicam, ita illud depopulati sunt, ut nec civitas vel vicus, vel munitio aliqua, vel homo, vel mulier, vel demùm aliquod pecus salvum remaneret: excepto quòd Rex in interioribus sylvarum, locis, quibus terra illa abundabat, cum paucis se occultaret. Denique usque ad Danubium fluvium venientes, Alemanniam totam, & etiam Franciam totam se occupare debere jactabant. Sed quidam ferunt instinctu Frederici tunc Imperatoris eos Hungariam intrasse, eo quod Rex Hungariæ regnum suum ab eodem Imperatore recipere nollet, quod rei exitus postea comprobavit. Nam Rex Hungariæ compulsus dominio Imperatoris se subdidit, & regnum Hungariæ ab ipso recepit, & ita illi Tartarini à regno Hungariæ exeuntes, nescio quo ad sua reversi sunt.

De Henrico Abbate hujus loci Senoniensis, & actibus ejus.

CAPUT XX.

De Henrico quidem, de quo superiùs mentionem aliquantulum fecimus, hujus loci Abbate, quia nostris temporibus occulatâ fide actus ipsius & vidimus & cognovimus, huic paginæ adnotare non pigebit. Fuit equidem idem Henricus de civitate Metensi oriundus, personâ quidem satis honestus, aliquantulum literatus, moribus Monasticis, ut ætas illa exigebat, admodum ornatus, officio divino libenter insistens, solemnitates Sanctorum in officio divino cantando, legendo, ordinando, satis compendiosè decorabat. Sed in rebus conservandis aliquantulum ultrà metam sollicitus erat. Hic in principio suæ ordinationis Monachis hujus loci satis parcè ministrabat, ita ut inter ipsum & Monachos lis ingens oriretur. Abbas verò videns se à Monachis urgeri, Comitem Henricum de Salmis & Comitissam adiit, & se eis tantâ junxit familiaritate ut pro voluntate suâ dictum Comitem & Comitissam haberet. Adduxit eos nempe ad Claustrum, & tantâ instantiâ prædictos per Comitem & Comitissam Monachos aggressus est, ut ipsi Monachi vel prece vel pretio, vel demùm minis coacti Abbati se submiserunt. Unde idem Abbas dicto Comiti & Comitissæ ex tunc subjectus fuit; ut quidquid idem Comes in valle Senoniensi, vel in cunctis appendiciis suis agere volebat, nutu & voluntate ipsius Abbatis fiebant universa sine contradictione aliquâ: ita ut in talliis, & aliis exactionibus, quas idem Comes in hominibus vallis agere volebat, sine repulsâ, quod ante non fuerat, exercebat. Unde sæpe idem Abbas pectus suum pugno tundens, nobis referebat ita dicendo: Væ mihi! Quid feci? Quia cum ego Abbas ad hunc Senoniensem locum electus fui, in totâ valle Advocatus loci istius vix quatuor libras vel centum solidos Tullenses accipiebat, quod precaria dicebatur: & ego sustinui quòd illi centum solidi libræ facti sunt. Et sic inolevit quòd Advocatus ex tunc pro voluntate sua tallias, & alias rapinas exegit. Veniamus verò ad alia quæ benè fecit, & deinde malefacta referemus. Videns igitur idem Abbas quòd voluntati suæ nullus Monachorum suorum contradicere audebat, quomodo vel quando volebat, erat pro ratione voluntas. Bona igitur voluntas ejus prima hæc fuit. Construxit apud Archum molendinum super Mortam fluvium situm. Acquisivit etiam Ecclesiam S. Hilarii Metensis ad Pontem Renmonis. Ædificavit quoque apud Roitsei domum lapideam in Curiâ nostrâ sitam. Fuit denique Ecclesia Senoniensis, & omnis domus cum appendiciis suis tempore suo locuples & omnibus bonis plena. Sed unum erat in eo, quòd Ecclesiam Senoniensem valde oppressit, Præposituram de Curte omninò delevit, Eleemosynarium amovit, Camerariam in manu suâ tenuit, omnes Obedientias ferè ita sibi retinuit, ut nullus Monachorum statum Monasterii intùs vel extra scire posset. Unde in aliis locis quæcumque habebat, commendabat. Postquam verò viginti & uno annis Senoniensem Ecclesiam rexit, infirmitate detentus, apud Bellum pratum diem sortitus est extremum,

& ad Monasterium deductus in Capitulo nostro sepultus est.

De Comitatu de Dasporch, quomodo dissipatum est dominium, & nomen perdidit.

CAPUT XXI.

COntigit igitur eo tempore Ducem Lotharingiæ Theobaldum ab hac vitâ migrare, qui sortitus fuerat filiam Comitis de Dasporch in uxorem: unde ei Comitatus castris & munitionibus, & oppidis ditissimis, & terrâ fertili admodum ditatus. Sed dictus Dux non dimidians dies suos juvenis obiit; & ita uxorem cum Comitatu reliquit. Comes verò Campaniæ adhuc adolescens, audiens Comitatum illum tam opulentum, relictam Ducis Lotharingiæ accepit in uxorem, & hoc causâ Comitatus. Sed cum eam aliquamdiù habuisset, quia sterilis erat, eam repudiavit. Ipsa verò Comiti de Liguigne nupsit. Sed non post multos annos ambo mortui sunt. Ita Comitatus de Dasporch herede caruit. Mira res & inopinata, quia, ut fertur, mulier illa de quâ agitur, fuit à nobilissimis & Christianissimis progenitoribus procreata. Nam beatus Leo Papa, cujus vitâ & moribus sancta illustratur Ecclesia, de ejus stirpe natus fuit, cujus pater fundator Ecclesiarum exstitit clementissimus. Ædificavit quippe Monasterium Sanctimonalium juxtà oppidum Saleborch, quod Hessa vocatur, & propriis ditavit sumptibus. Aliud quoque Monasterium Monachorum sub regula beati Benedicti degentium in Alsatiâ construxit, quod Altorph vocatur. Tertium idem Monialium in Episcopatu Basiliensi exstruxit, quod Wffemhem dicitur. Si fas esset os ponere in cœlum, dicerem quare tam nobilis progenies & tam sancta, per sæpedictam mulierem herede caruit: imò, idem Comitatus nomine tam famoso caruit: nam Metensis Episcopus Joannes audiens defectum heredum illius Comitatûs, quædam Castra, scilicet Herneftem & Turqueltem, & quædam oppida peroptima, videlicet Alban & Salaborch, & Comitatum civitatis Metensis, & terras & homines, quæ omnia Comes de Dasporch à priscis temporibus nomine feudi possederat ab eodem Episcopo, ad jus & proprietatem Metensis Episcopii resumsit & sasiit. Frater verò dicti Comitis defuncti ad castrum Dasporch cum armis veniens ipsum obtinuit. Mirum dictu! ut meliùs dilaceraretur; etiam ii, ad quos nihil penitùs de Comitatu ipso pertinebat, munitiones & terras sibi usurpare præsumserunt. Episcopus namque Argentinensis Bertoldus cum videret sibi adjacere duo castra fortissima, Ginrebade scilicet & Verveftem, cum appendiciis eorum, solerti industriâ acquisivit & obtinuit. Et ita Comitatus de Dasporch celebre nomen cum rebus amisit.

De Widerico Abbate Senoniensi post Henricum electo & actibus ejus.

CAPUT XXII.

MOrtuo quippe Henrico Abbate de quo superiùs mentionem fecimus, successit ei Widericus vir honestæ personæ, & ornatus moribus, de parentelâ militum de Scovagio generatus, in hac nostrâ Ecclesiâ nutritus & doctus secundùm morem Monachorum: ad legendum & cantandum satis aptus, moribus prædecessoris sui se conformans officio divino insistebat, intus & exteriùs providus, quæ invenit diligenter observavit. Hujus anno secundo castrum Altæ-petræ destruitur. Præterea idem Widericus officia divina decentiùs quàm prædecessor suus, consuetudines Monasterii instituit; Verbi gratiâ quia cùm prædictus Henricus hujus loci Abbas electus est, Horæ de B. Virgine MARIA in Conventu non cantabantur, sed finitis Matutinis canonicis Conventus ante altare S. Crucis Matutinas de S. MARIA in directum dicebant, & laudes de omnibus sanctis. Prima verò, Tertia, Sexta, Nona, Completorium in Conventu minimè dicebantur, Vesperæ verò de Dominicâ nostrâ ante altare sanctæ Crucis, sicut & Matutinæ dicebantur. Henricus verò Abbas effectus, instituit ut decantatis Matutinis Canonicis, Conventus Responsorium de B. Virgine MARIA cantando cum lumine ad Ecclesiam Beatæ MARIÆ properaret, & ibidem Matutinas celebraret. Cæteræ verò Horæ in Ecclesiâ B. Petri post canonicas Horas decantarentur; exceptâ Vesperâ, quæ sicut & Matutinæ in Ecclesiâ Beatæ MARIÆ Virginis cantaretur. Matutinalis verò Missa, quæ antea ad S. Simeonem in Conventu celebrata cantabatur ad S. MARIAM cum Tertiâ præcedente decantarent. Constituit etiam idem Abbas Henricus, ne B. Simeon Missâ fraudaretur: voluit ut ibi privatim Missa fieret, & qui eam cantaret, mensuram vini per portionem quotidianam de cellario acciperet. Ita ista omnia quamdiù vixit diligenter observata sunt. Succedente autem ei dicto Widerico, præter ea quæ jam dicta sunt de ordinatione ipsâ, quam dictus Abbas Henricus instituit de Horis B. MARIÆ, iste Widericus ex aliquâ parte decentiùs constituit. Considerans quippe quòd Canonicæ Horæ ex integro in majori Ecclesiâ non cantarentur, voluit ut Missa matutinalis cum Tertiâ præcedenti, quæ à prædecessore suo ad S. MARIAM cantanda, instituta fuerat, ad S. Simeonem in Conventu, sicut priùs, decantarentur. Tertiam verò Missam ad S. MARIAM instituit quotidie celebrari; ita ut omnibus diebus anni, excepto die Parasceve, ibidem Missa de S. MARIA solemniter celebraretur, sed non à Conventu; imò qui hebdomadarius majoris Missæ & matutinalis esset, hanc teriam Missam ad S. MARIAM cum coadjutore celebraret: & mensuram illam vini quæ pro Missâ S. Simeonis dabatur, iste qui Missam S. MARIÆ celebraret, quotidie de cellario acciperet: quod & tempore nostro perduravit. Claustrum quoque columnis & testudinibus ædificavit ab ostio Monasterii, quod ducit ad Capitulum, per partem illam quæ Conventus dicitur, per partem Dormitorii usque ad Refectorium, sicut hactenùs apparet. Emit denique quamdam possessionem apud Regisvillam in Alsatiâ octoginta marcis argenti; quæ postea perdita fuit tempore Balduini Abbatis, sicut in sequentibus exponetur.

De lite Widerici Abbatis & Henrici Comitis de Salmis.

CAPUT XXIII.

CUm igitur iste Abbas Widericus rempublicam quàm strenuè gubernaret, subitò oritur contrà eum satis lamentabile bellum. Comes quippe Henricus de Salmis litem iniit cum quibusdam fratribus ipsius Abbatis, Joanne scilicet, Joffrido, militibus, & Rodulfo de Oucrois, dicens eos esse de familiâ suâ; quod illi inficiabantur. Unde Comes iratus abstulit eis universa, quæ in Comitatu suo possidebant. Quod Abbas valde ægrè ferens, Comitem super vexatione istius Ecclesiæ coram Metensi Joanne, & Tullensi Episcopis convenit, & diù hinc inde sine terminatione litigatum est. Hoc cum vidisset Abbas, credens Comitem citiùs ad pacem posse evocare,

Conventum totum à Monasterio discedere fecit; & partem Monachorum secum apud Rambertivillare ad commorandum duxit: alios verò ad Cellam Leonis-montis misit. Inito etiam consilio corpus B. Simeonis de capsâ argentea extrahentes, ad ipsam Cellam deportaverunt. Tamen quinque Monachi remanserunt in Monasterio, qui Comiti favebant: qui Comes eis necessaria ministrabat. Quod cum videret Abbas, dictos quinque Monachos in malitiâ perseverare, Episcopos Metensem & Tullensem adiit, & eis nuntiavit quomodo dicti Monachi contrà voluntatem suam & Conventûs, locum Senoniensem occuparent. Episcopi verò consenserunt in hoc, quod ipsi Monachi captivarentur, quòd & factum est. Episcopus quippe Metensis præcepit cuidam Præposito suo Richerio Spinalensi, ut dictos Monachos in turri apud Rambertivillare captivaret. Unde quatuor ipsorum inventi sunt, de quibus actum est sicut præcepit Episcopus. Quintus verò qui aberat, non est tentus. Cum se res ita haberet, quidam considerantes quòd nunquam Comes & Abbas pacificarentur, nisi priùs fratres Abbatis pacem cum Comite haberent. Unde Comes cum iis pacem iniit; & universa quæ eis abstulerat restituit, & ipsos liberavit; & super hoc Literas patentes eis contulit. Tractatum quippe est de pace inter Comitem & Abbatem, promisitque Comes Abbati, quòd universa quæcumque ipse Comes Ecclesiæ Senoniensi abstulerat, restitueret. Sed Abbas talibus promissionibus deceptus, ad Monasterium cum suo Conventu reversus est: & ita sub tali facto ex tunc amici facti sunt. Monachi verò, qui captivi tenebantur antea, dimissi sunt. Ædificavit quippe idem Widericus Abbas cameram inter portam anteriorem & Monasterium sitam.

Quomodo Widericus Abbas Senoniensis ad regimen S. Apri Tullens. transivit, & de electione Balduini Abbatis Senoniensis.

CAPUT XXIV.

Elapso quippe non parvo tempore, cum hanc Ecclesiam satis competenter rexisset, Ecclesia S. Apri Tullensis tunc temporis orbata est proprio Pastore. Fratres verò illius loci ad acquirendum sibi Pastorem diù laborantes, Episcopum Rogerum, qui tunc temporis sedem obtinebat Tullensem, ut de Abbate eis provideret, adierunt. Episcopus verò quia valde Abbatem Widericum hujus loci diligebat, consuluit ut ipsum Widericum sibi peterent in Abbatem, quod & fecerunt. Abbas verò quosdam cognatos Monachos suos in hoc loco habebat, de quibus unum ad regimen hujus loci promovere studebat, quod Conventus omninò recusavit. Cumque videret eo se nihil proficere, Episcopum Metensem & Tullensem, scilicet Joannem & Rogerum, necnon & Abbatem Willermum S. Mansueti Tullensis, qui ei familiarissimus erat, & alios quamplures Magistros & Clericos huc secum adduxit, credens per tot & tantos viros Conventum hujus Senoniensis loci ad desiderium suum inclinare posse. Qui satis sagaciter exhortationibus, precibus & minis, personas sigillatim & Conventum in unum aggredientes, nullomodo ipsum Conventum ab intentione suâ amovere potuerunt. Dicebat Conventus se electione velle gaudere: Abbas verò è contra dicebat, quod nondum resignaverat, sed volebat in hoc loco Abbas remanere. Quid plura? Omnes imperfecto negotio recesserunt. Abbas verò Widericus videns se ita nihil proficere, aliud iniit consilium, credens personas majores muneribus ad se attrahere posse. Contulit uni namque Eleemosynariam, alii Camerariam, alii Thesaurariam, alii Prioratum hujus loci: aliis autem exteriores obedientias promittebat, dummodo votis suis favere vellent. Illi verò obedientias sibi oblatas libenter susceperunt, sed nullomodo voluntati suæ acquieverunt. Quid Conventus faceret, qui tot impulsionibus terebatur; quia cunctis diebus aut per Episcopos aut per Abbates, seu etiam per milites & laïcos, ut voluntati dicti Abbatis acquiesceret admonebatur? Sed nec sic voluntas Conventus immutata. Ipse verò Abbas cum videret quòd desiderium ipsius effectum non haberet, laboravit ut electio nostra duobus Episcopis dictis, quia ipsos propitios habebat, absolutè conferretur. Et die assignatâ apud Bellumpratum convenimus. Episcopi verò instanter petebant, ut voluntati ipsius Abbatis consentiremus, quod minimè contigit. Episcopi verò videntes Conventum nostrum in hoc tam constantem, Abbatem nobis nominaverunt, Eleemosynarium scilicet S. Vitoni Virdunensis: qui venire contemsit. Aspirabat enim ad Abbatiam loci illius, quia Abbas ille decrepitus erat & valde debilis. Cumque Abbas Widericus videret quòd dictum Eleemosynarium habere non possemus, redivivâ instantiâ nos sollicitare cœpit, ut intentioni ipsius manus daremus, nec impetrare potuit, sed fortiùs electionem nostram impediebat. Nos verò in tantâ angustiâ constituti, necessitate coacti penes nos deliberare cœpimus, si quoquomodo insaniam ipsius mitigare possemus, Cellam nostram Leonis-montis ei contulimus, & super hoc literas sigillo Conventûs sigillatas ei dedimus. Et ita diem electionis constituimus. Qui ad ipsum veniens, partem suam Monachorum consuluit: habebat enim septem vel octo de Fratribus Conventûs, qui parti ejus favebant; unde nos in electione procedere non poteramus. Demùm de electione tractantes arbitrati sumus meliùs esse ut inter tres personas compromitteremus, quam per scrutinium, vel alio modo in electione procederemus. Quod & ipse Abbas & complices sui concesserunt; ita tamen quòd unus illorum trium de parte suâ acciperetur. Conventus verò Nonnum Joannem, & me Fratrem Richerium elegit: Abbas verò & fautores sui Fridericum Priorem de Xures nobis duobus junxerunt. Nos verò eidem Friderico omnes personas idoneas hujus loci nominavimus, quas omnes recusavit. Obtulimus ei etiam Priores & alios idoneos viros, quos etiam repudiavit. Quod cum idem Fridericus Abbati Widerico omnia verba nostra retulisset, idem Abbas fertur dixisse: Si Monachi isti nolunt consentire, ego faciam quòd ipsi miserum Abbatem habebunt, & ita in Balduinum consensit qui tunc de novo Prior Waringivillæ effectus erat. Quem nos, ut debebamus, postulantes, cum Episcopo Tullensi Rogero præsentavimus. Quem cum ingenti difficultate suscepit, & tandem vix electionem confirmavit. Qui ad sedem sibi de novo concessam circà Purificationem B. MARIÆ Virginis veniens, cum grandi solemnitate & processione à Conventu receptus est. Abbas verò Widericus ad regimen, ad quod postulatus erat, perrexit: & quidquid in hoc nostro loco & in appendiciis habere potuit, asportavit: quia ei necessaria fuerunt in introitu ad S. Aprum. Nihil quippe in eodem loco in supellectili reperire potuit, excepto solo asino qui ad coquinam Monasterii quotidie ligna afferebat. Invenit verò universam supellectilem ipsius Monasterii S. Apri in toto alienatam: calices, cappæ sericæ, & ornamentum Ecclesiæ cuidam mulieri Metensi invadiata erant. Curtes etiam & alia bona vel pignori detinebantur, vel ex toto alienata erant. Sed Deus omnipotens ei tantam in oculis omnium contulit gratiam, ut hæc omnia supradicta solerti prudentiâ & sagacitate ad jus & proprietatem ipsius Eccle-

siæ S. Apri in brevi revocaverit: & ita parvo tempore ipsam Ecclesiam benè rexit. Sed quia tali viro mundus dignus non erat, ab hac vitâ sublatus est. Sepultusque est in Ecclesiâ S. Apri in tumbâ elevatâ lapideâ, satis decenter sculptâ, ad dexteram partem juxtà parietem Ecclesiæ, cui Deus omnipotens det æterna gaudia in cœlis per infinita sæcula, Amen.

De Balduino Abbate Senoniensi, & moribus & actibus ejus.

CAPUT XXV.

Revertamur igitur ad nostrum Balduinū, qui jam sedem obtinuit Senoniensem. Adhuc adolescens ætate & moribus, velox ad audiendum, nec tardus ad loquendū, nec tardus ad iram, proprio utens consilio, nulli nisi garrulis & adulatoribus credens, propriam gloriā quærens semper exstitit. In primordio quoque sui talis erat usus ad nos loquendi: Fratres, vos videtis me esse juvenem, & adhuc mores vestros, vel Monasterii usum, vel demùm statum rerum minimè cognovi: si qua indecenter dixero vel fecero, arguite me, & docete. Sed tamen admonitus, pauca aut nihil emendabat. Tamen cum primo anno sui ingressûs ad nos cognovisset quòd Abbas S. Apri, tunc vivens, Cellam Leonis-montis, sicut ei contuleramus, obtinere vellet, statim ad Visitatores Provinciæ Ordinis S. Benedicti in Provinciâ Treverensi constitutos festinanter cucurrit, & ab eis impetravit literas ad Abbatem Widericum S. Apri, ut statim visis literis cellam Leonis-montis quam occupabat, Ecclesiæ Senoniensi restitueret: aliter se sciret excommunicatum. Ita Cella illa ad jus & proprietatem Ecclesiæ Senoniensis reversa est. Ecclesiam quoque de Columbario, quæ priùs ad donationem hujus Ecclesiæ pertinebat, tempore suo acquisivit. Similiter Ecclesia de Fonteniers tempore suo acquisita est, sed sub nomine S. Christophori de Vico, licet idem Abbas Balduinus ipsam semper tenuerit, & fructus acceperit, & ipsam pignori obligaverit, Conventu non consentiente, imò contradicente: sed nihil pro contradictione ipsius obmissum est. Præterea in ædificiis domorum erigendis & construendis satis sollicitus erat. Partem quippe claustri, quæ coram Ecclesiâ S. Mariæ est, sicut decessor suus Widericus Abbas partem alteram construxerat, cœpit ædificare. Habebat enim duos Lapicidas, unum Conversum, & alium familiarem Præbendarium, qui operibus hujus Monasterii diligenter insistebant. Construxit etiam quædam molendina de novo, alia verò vetera restauravit; unum scilicet apud Reclonville, pro quo instruendo quidam Simon Canonicus S. Deodati, cognomento Diabolus (quia filius esse dicebatur, cujusdam nobilis militis, qui Therricus Diabolus dicebatur, hoc cognomen Diabolus acceperat) XV. libras Abbati contulit, ut partem in eodem molendino quamdiù viveret, acciperet. Sed morte præventus, dictas XV. libras pro remedio animæ suæ acquitavit. Abbas verò annuatim instituit in anniversario dicti Simonis de ipso molendino Conventui Senoniensi pro pitantiâ quinque solidos Tullenses dari. Sed quia incertum erat quod in futurum dicti quinque solidi Conventui ordinatè darentur, constitutum est quòd domus de Ogieviller ad dictum molendinum sine moturâ moleret, & dominus domûs, id est Pitantiarius singulis annis in anniversario dicti Simonis Canonici S. Deodati V. solidos Tullenses Conventui Senoniensi pro pitantiâ persolveret. Aliud verò construxit molendinum apud Chaneseres, quod pertinet ad Eleemosynariam. Tertium quoque instauravit, quod priùs erat, sed debilitatum, juxtà Meurviler situm. Quartum quoque apud Lorefingue situm perfecit; quod Petrus bonæ memoriæ Præpositus de Anpsalmivillare priùs inchoaverat. Alia etiam ædificia per domos instruxit. Si universos ejus alios actus, sicut prædecessorum suorum feci, scriberem, forte mihi ad iniquitatem reputaret, vel hoc odii causâ me fecisse assereret, unde meliùs arbitror silere, quàm loqui, dicente Domino per Moysen: *Verenda patris tui non revelabis.* Sed si cum his, quæ benè gessit, mores Ordinis copulasset, Monachos suos paterno affectu dilexisset, & eos tam indiscretè non blasphemasset, si officio divino libenter interfuisset, & divina ipse celebrasset, plus solito, & in agendis Monasterii solicitior fuisset, & demùm Conventûs sui frequentiùs usus fuisset consilio, & in pluribus aliis articulis non tantummodo Monachum, sed & Abbatem religiosum se demonstrasset, nullum præter eum Sedi Senoniensi optaremus præsidere. Sed quia plurima secùs fiunt, necesse est ut ad tempus supersedeamus, præsertim quia idem Abbas eo tempore, cum ego hæc scribebam, adhuc vivebat; unde facta scribere nequibam. Tamen quadam virtute præfulgebat, hospitalitates sectabatur, & præcipuè milites & clientes, aliasque honestas personas lætissimè hospitio suscipiebat; & etiam joculatores gratanter videbat, ut hospites suos jocundiores redderet. Sed quia de Domno Balduino satis compendiosè scripsimus, quod de vitâ suâ superest, & quid in futurum acturus sit, Deo hoc relinquamus, qui vitam ipsius & actus, & etiam omnium nostrûm bono potest concludere fine.

De Henrico de Danubrio, dicto de Salmis, & de iniquâ morte ejus.

CAPUT XXVI.

Sed ne malefactores hujus nostræ Ecclesiæ preterire videamur, aliqua facta ipsorum, & vindictam quam meruerunt, brevi stylo huic paginæ adnectere curavimus. Incipiamus igitur à Comite Henrico, qui dictus est de Salmis, qui & contemporaneus noster fuit, qui tempore Henrici Abbatis, de quo suprà diximus, tallias & exactiones in hominibus Ecclesiæ plus solito, de permissione tamen ipsius Abbatis Henrici, exercebat. Cujus tempore castellum in Bruscavalle in fundo hujus Ecclesiæ, quod Salmis dicitur, tempore dicti Abbatis Henrici constructum est. Quod nomen à quodam castro quod in territorio Ardenæ situm est, unde idem Comes & sui prædecessores orti sunt, accepit. Hic uxorem sortitus est, scilicet sororem Friderici Ducis Lotharingiæ, de quâ genuit duos filios, primogenitum scilicet Henricum nomine, & alium nomine Fridericum. Cum igitur dictus Henricus ad ætatem perfectam pervenisset, accepit sibi uxorem de stirpe Comitis Barrensis, deinde petivit à patre sibi dari partem Comitatûs, qui contulit ei superius castrum de Danubrio cum terrâ ad ipsum castrum pertinente, scilicet, centum mansos qui quondam à mensâ Monachorum Senoniensium abscissi sunt, & collati sunt Advocato hujus loci, ut ad cætera manum non extenderet. Quod tamen castrum Comes de Salmis ab Episcopo Metensi obtinet. Idem verò Henricus diù cum uxore suâ sine liberis fuit. Quod mulier ægrè ferens, quemdam Capellanum suum, qui se de Physicæ artis peritiâ jactabat, rogavit ut, si quid posset, laboraret ut de viro suo concipere posset. Capellanus verò potiones quasdam dedit eis: illa concepit: vir quoque in infirmitatem decidit; de

quâ postea, ut fertur, interiit. Idem verò Henricus, quamdiù vixit, isti Ecclesiæ valdè molestus fuit. Erat quippe vir bellicosus & superbus, in juventute suâ & virtute ultrà modum confidens, ita ut ad regnum Alemanniæ aspiraret, debitis magnis obligatus, unde ubique quaqua versum poterat, Ecclesias molestabat, & earum res, ut poterat, diripiebat. Unde contigit Widericum Abbatem hujus loci ad eum venire. Postulabat enim, ut res quasdam sibi ablatas restitueret. Unde miles iratus respondit ei, jurando per B. Nicolaum (eramus quippe in capellâ beati Nicolai cum eo, quæ in castro Danubriensi habetur) dicens quòd ante festum S. Remigii, & in personâ & in rebus ita molestaret ipsum Abbatem, quòd mallet esse ultrà mare, nunquam reversurus. Quod omnipotens occulto suo judicio quodam vindicare dignatus est: sed non multo post luce clariùs patuit. Nam circà festum B. Remigii, quo tempore minatus fuerat ipsum Abbatem enormiter se læsurum, ipse infirmitate prædictæ potionis aggravatus, decidit in lectum & mortuus est. Idem verò Henricus dum adhuc viveret, inter cætera mala quæ facere cogitabat, proposuerat Comitem Henricum patrem suum & matrem Comitissam de Comitatu totaliter expellere, & in aliquo Monasterio detrudere, ut ipse terram possideret. Cum igitur mater ipsum Henricum filium suum mortuum esse scivisset rumore jamdicto mota filium suum quantocyùs apud Altamsylvam terri, & statim sepeliri fecit. Sequenti verò nocte audita est vox quasi plangentis in sepulcro. Mane autem facto aperientes sepulcrum, invenerunt eum, quem resupinum alterâ die sepelierant, versâ facie ad terram jacere. Et sic cognoverunt quòd quando sepultus fuerat, nondum exspiraverat. Unde cognosci potest, quòd qui superbe contrà Deum agunt, vix aut nunquam dimidiabunt dies suos, quia frangit Deus omnem superbum.

De Henrico de Albomonte Comite, & malis quæ Ecclesiæ Senoniensi fecit, & vindicta Dei.

CAPUT XXVII.

Veniamus igitur ad Comitem Henricum, de quo superiùs scripsimus; qui tempore Widerici Abbatis Ecclesiam Senoniensem intolerabiliter oppressit, & patrimonium Jesu Christi sibi usurpare præsumens, homines sancti Petri diversis molestiis affligebat, unde à proprio filio à domo propriâ expulsus est & potestate. Nam cum filius ejus Fridericus miles effectus fuisset, & videret Comitem qui pater suus dicebatur, præ senio debilitari, quod frater ipsius, de quo jam mentionem fecimus, molitus est facere si vixisset, iste effectui mancipavit. Expulit eum quippe à castro de Albomonte, & quod nefas est dicere, solo garcione contentum, pedetentim usque ad castrum quod Pierepercie, dicitur, ire coëgit; & inde usque ad castrum Salmis eodem tenore perrexisset; sed Abbas Balduinus ei equum concessit, & ita à filio honore & potestate privatus est. Nec ab illâ die, quâ cum Abbate Widerico litigavit, potestatis vel honoris sui dignitate gavisus est: Imo quamdiu postea vixit, in egestate & miseriâ exheredatus perduravit, & sic Deus sibi adversantes remunerare consuevit. Postea non multis supervixit annis, sepultusque est in Ecclesiâ sancti Petri juxtà sepulcrum venerabilis Antonii Abbatis, ubi etiam postea uxor Domini Henrici militis de Bayon sepulta est. In quibus sarcofagis ego propriâ manu sculpsi imagines, & flores, & versus, sicut hactenùs apparet. Contulit quippe idem Henricus Comes pro remedio animæ suæ triginta solidos Tullenses, accipiendos in talliâ Vallis Senoniensis annuatim, quousque terra assignata fuerit, valens singulis annis pretium suprà dictum. Contulit etiam decimas Novæ-villæ penes Fonteniers sitæ, & quosdam census: quæ omnia adhuc Ecclesia Senoniensis minimè possidet, & hoc propter negligentiam nostram tantùm.

De Matthæo Præposito de Albomonte, & vindictâ Dei in eum.

CAPUT XXVIII.

Erat igitur tempore istius Comitis apud Albummontem vir quidam nomine Matthæus, satis locuples, sed malitiosus valde: qui Præpositus erat in totâ terrâ ipsius Comitis, qui omnia, prout volebat, disponebat, & sine ipso in totâ terrâ illâ nihil fiebat, quem multi dixerunt esse patrem istius Friderici, qui Comitem, ut suprà dictum est, tam impudenter à sedibus suis expulit. Ille, quamdiù vixit, cum dicto Comite Ecclesiam Senoniensem & rusticos Ecclesiæ intolerabiliter molestavit & oppressit: unde Deus in præsenti sæculo eidem Matthæo condignas pœnas pro malefactis suis redonavit, nescio quomodo in alio sæculo habeat. Enimverò cum dictus Fridericus potestatem regnandi post Henricum Comitem suum putativum patrem accepisset, & idem Fridericus circumquaque Ecclesias sibi adjacentes immoderatè vexaret & molestaret, Altamsylvam scilicet, quam iniquè & indicibiliter oppressit, Ecclesiam Sancti Salvatoris, nec non & istam Senoniensem gravissimis injuriis lacessivit, ipsum Matthæum semper in suis omnibus habuit consiliarium & adjutorem. Sed in his actibus malis sibi Deum opposuit adversarium. Erat quippe tot & tantis debitis oneratus, ut vix aut nunquam in totâ vitâ suâ ab his absolvi potuisset. Deus enim pro maleficiis suis quodam occulto judicio suo opprimebat. Quid plura? Manus misit in Mattheum, & custodiæ tradidit, & ab eo quamdam summam pecuniæ extorsit, & quod à potestate suâ non discederet vel à terrâ, fidejussores pro ducentis libris sibi dari fecit. Matthæus verò videns quod sub tam iniquo dominio diù degere non posset, furtivè se ad Metenses contulit, & quod ei remanserat, expendit: & sic ad oppidum Saleborc se transtulit; & ibi pauper & dolens infirmitate detentus, mortuus est, nihil secum præter peccata asportans, sepultus est apud S. Salvatorem.

De Friderico filio Henrici de Danubrio dicti de Salmis, qui etiam de Salmis dictus est, & iniquis actibus ejus.

CAPUT XXIX.

Igitur cum Fridericus de Albomonte potestatem regnandi accepisset, cunctis sibi subbitis & vicinis nequam & injuriosus, sicut patri & cæteris extiterat, sic adhuc esse non desistit. Gravavit quippe Ecclesiam Senoniensem pluribus injuriis, ita ut necessitate urgente oportuerit Ecclesiam istam ipsum super injuriis ab eo illatis convenire. Quod idem Fridericus grave ferens, tanto impetu Abbatem Balduinum & Conventum aggressus est, ut non tantùm cedere compulsi sint, imò etiam totam causam & querelas universas in manum ipsius Friderici resignarent, & se arbitrio ipsius & voluntati submitterent, & se peccasse contrà eum assererent. Ille hoc audito gavisus est valde, & diem super hoc assignantes, etiam literas super hoc conscripserunt, continentes quòd Ecclesia Senoniensis duos carpentarios haberet, unum

unum coquum, adcratatorem unum, lavandarium unum, sutorem unum, piscatorem duos: cæteri verò omnes in valle Senoniensi ei pro voluntate suâ servirent. Et ita Abbas & Conventus pusillanimes & effœminati tam citò victi, voluntati Advocati se miserabiliter subdiderunt. Ego verò non eram præsens, nec vellem adhuc interfuisse. Mirum, quod in tali actu non consideraverunt Abbas & Conventus, quòd Ecclesia Senoniensis Episcopi esset Metensis cum appendiciis suis: & quicumque sit Abbas Senoniensis, ab ipso Episcopo temporalia recipere tenetur, & ob hoc homagium illi facit: ergo non licuit eis tam miserrimam transactionem de feodo Episcopi sine ipso Episcopo facere. Attamen usque ad tempora Henrici dicti de Salmis nepotis dicti Friderici quidquid Abbas & Conventus de omni familiâ suâ & piscatoribus facere voluit, sicut antea, sine contradictione fecit. Sed Deus omnipotens, qui reddit unicuique secundum opera sua, isti Friderico immoderatæ malitiæ suæ in præsenti sæculo condignas rependit vices: nam à tempore quo cœpit Comes appellari usque ad extremum vitæ suæ diem, nunquam uno anno compos sui esse potuit: aut pro debitis suis Meti à creditoribus suis per aliquos annos detinebatur, vel validâ febre, aut aliis infirmitatibus intolerabiliter vexabatur, vel à nepote suo domino de Raposteim, quia exigebat partem hereditatis, captivus detentus est. Deinde quia videbat se ita debitis obligatum, castrum de Albomonte cum burgo suo, quod allodium suum priùs erat, Episcopo Metensi pro aliquantâ pecuniâ vendidit, & ab eo in feudo recepit. Et ita Deus ipsum de casu in casum corripiebat. At demùm suscitavit ei adversarium fortem Henricum scilicet nepotem suum, filium fratris sui Henrici, qui petebat secum dividi partem Comitatûs de Albomonte. Ille verò per multas ambages illudebat nepotem: tandem compulsus partem suam dedit ei, scilicet Morehenges, Vivieres, & castrum Pierepercie & Salmis. Ipse verò Fridericus sibi retinuit Albummontem, & superius castrum de Danubrio, quod tamen mater dicti Henrici quamdiù vixit, obtinuit, quia dos ejus erat. Fridericus verò tot adversis calamitatibus oppressus, in nullo est correctus, sed de die in diem deterioratus paucis supervixit annis, & juvenis mortuus est, dicente Propheta: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.*

De Henrico filio Henrici de Danubrio dicti de Salmis.

CAPUT XXX.

Henricus verò de Salmis (ita enim appellabatur) Advocatiam Vallis Senoniensis & de Planniâ, & Vipodicellâ, quæ ei forte devenerant, satis inepte tractare cœpit, & homines illius terræ acerrimè tallìis & exactionibus, servitiis & aliis oppressionibus affligere cœpit; adeo ut vix sustentari possent. Nec mirum, quia debitis detinebatur perquammaximis. Nam, sicut patruus ejus Fridericus sæpe fecit, à quodam cive Metensi creditore suo sæpius in hostagiis detinebatur, nec habebat unde redderet. Unde coactus est juramentum, quod dicto creditori suo super hoc præstiterat, impudenter infringere. Nam quâdam die super equum suum ascendit, illicentiatus furtim de civitate recessit; & sicut patruo de Albomonte contigit, ita & iste ob inopiam castrum suum de Morehenges, quod allodium erat, pro pecuniâ Duci Lotharingiæ dedit, & ab ipso in fœdo recepit. Ecclesiam denique Senoniensem tantùm oppressit, quòd in nemoribus nostris, & aquis, & etiam in valle totâ forestarios suos poneret & piscatores, nobis verò non licebat nisi solum habere piscatorem, quod ante nunquam fuerat, sed tamen quotquot volebamus in aquis nostris habebamus piscatores. Homines etiam cogebat de fundo Ecclesiæ coram eo; vel coram Ballivo suo placitare: sed si quis rusticorum Ecclesiæ adversùm nos aliquam querelam haberet; pro ipsis litigabat, & eis contra nos favebat. Si quis verò ipsorum Conversus volebat fieri, ab ipso securitatem accipiebat, quod Conversus non fieret: si verè contingeret quemquam illorum Conversum fieri, vel si de hac vitâ sine heredibus decederet, vel si de valle ad habitandum aliàs exiret, quidquid de mobilibus talium invenire poterat, omnia vi rapiebat. Placita verò quæ Abbas sine Advocato, sicùt hactenùs fecerat, tenere debet, impediebat, dicens se debere interesse pro vi faciendâ. Villicos verò, Decanos, forestarios, & alios ministeriales nostros, quos Abbas instituere & destituere pro voluntate suâ debet, sicut & alios rusticos sibi servire cogebat, quod facere non debuerat. Tandem in quodam monte te juxtà villulam quæ Grandisfontana dicitur, minam ferream idem Henricus de Salmis quibusdam adulatoribus referentibus reperit, ibi fornaces ferrarias erigi fecit, & fabros, qui ferrum conficerent, instituit. Quod audientes Abbas & Conventus, ipsum Advocatum adierunt, scire volentes quare in fundo Ecclesiæ Senoniensis fornaces illas contrà justitiam construxerat. Respondit montem illum sui juris esse, quia Advocatus erat loci: unde supersedere neglexit. Abbas autem hæc audiens, Episcopum Metensem Jacobum adiit, & ei hæc omnia exposuit. Episcopus verò fabricas illas statim confringi fecit. Ipse enim Henricus ante hos dies fontem salis juxtà castrum de Morehenges invenit, & ibi puteum fodit, volens ibi ad coquendum sal sedes salinarias constituere: quod idem Episcopus fieri prohibuit, & omnia sicut inchoata erant, penitùs destrui fecit. Et quia de isto Henrico nihil dignum relatione reperi, nisi quòd adhuc Ecclesiæ Senoniensi adversari non desistit: & ita ad audiendum delectabiliora transeamus.

De B. Elisabeth, & de conversatione ejus.

CAPUT XXXI.

Citrà Rœnum in regno Alemaniæ quoddam castrum situm est quod Marporch appellatur, quod quidam Miles nobilis possidebat. Ille habebat uxorem generositate sibi non imparem nomine Elizabeth, quæ tantâ morum honestate, tantâ ad Deum devotione, tantâ ad pauperes eleemosynarum largitione pollebat, ut potiùs Sanctimonialis quàm alicujus dominii dignitate prædita dici poterat. Hæc duos de viro suo genuerat filios, quos magnarum suarum possessionum & divitiarum heredes uterque parens sibi fieri gaudebat. Contigit enim illum nobilem virum extremæ suæ vitæ debitum exsolvere. Cum igitur illa nobilis matrona Elizabeth sui juris fuisset effecta, tanto se amore Deo constrinxit, ut nec mandatorum Dei unum iota auderet præterire. Enimverò temporibus illis Ordo Prædicatorum & Minorum per universum mundum cognosci cœpit: nova enim tunc erat eorum plantatio. Erat enim temporibus illis quidam Frater de ordine Fratrum Minorum Conraldus nomine, satis honestus & religiosus. Hic illi felici matronæ familiaris erat, qui eam ad viam salutis quotidie animabat: cujus consilio illa benigna Elizabeth freta, & promissis divinis diligenter intenta, dicentibus: *Si*

quis reliquerit patrem, aut matrem, aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit: Statim relictis filiis, & munitionibus in quibus dominabatur, & possessionibus universis, habitum Fratrum Minorum sibi assumsit. Erat enim sub castro illo Marporch quoddam Hospitale, quod à prædecessoribus suis constructum fuerat; in quod se illa devota matrona conferens, vigiliis, jejuniis, & orationibus intenta, pauperibus, claudis, & omnibus indigentibus supervenientibus, propriis manibus pedes lavabat, & cibaria, prout cuique videbat expedire, præbarabat & eis distribuebat. Quid plura? In tantum illi officio insistebat, ut mirum esset quòd mulier tam delicata in tanto labore tot supervenientibus serviendo perseverare poterat. Et cum sic officio divino insisteret, Deus eam remunerare volens, quia multo plura quàm dixerim pro Christo sustinuerat oppropria, ab hac vitâ substracta, ad Deum migravit, sepultaque est in Capellâ quæ in eodem Hospitali habetur. Et non multo post idem ille Conraldus qui eam converti fecerat, ab hac vitâ decedens, in ipsâ Capellâ in alio latere sepultus esse dicitur. Ex tunc igitur innumerabilis multitudo ad sepulcrum B. Elizabeth undique confluere cœpit: & inter illam multitudinem, claudi, cœci, surdi, muti, & aliarum infirmitatum utriusque sexûs homines oppressionibus detenti, ibi curabantur. Post hæc cum vix duobus annis illa beata mulier, priùs nobilis vivendo, modo Deo nobiliter, in sepulcro jacuisset, famaque vitæ ejus & miraculorum, quæ omnipotens Deus ejus interventu in populis operabatur, ad Dominum Papam Magnatibus referentibus pervenisset, Dominus Papa corpus ejus de sepulcro levari permisit, & ipsam in catalogo Sanctorum adscribi fecit: & ut in Ecclesiâ Catholicâ celebris haberetur. Eâdem verò die, quâ ejus sanctum corpus de tumulo levatum est, ex omnibus regionibus circùm adjacentibus multi Magnates convenerunt; Archiepiscopi, Episcopi, & alii nobiles viri, Marchiones, Principes, & etiam multi Abbates, & communis vulgi inumerabilis multitudo. Interfuit interea ille Fridericus quondam Imperator (quem Innocentius IV. Papa congregatâ Synodo Episcoporum & Abbatum apud Lugdunum ab Imperatoria dignitate deposuit: hic scyphum aureum in quo solitus erat bibere, obtulit Beatæ Elizabeth, in quo & caput ejus reconditum est. Ipsa enim Beata Elizabeth cognata ipsius Friderici fuisse dicebatur. Ubi ex tunc illa sancta Matrona tantis miraculis clarescere cœpit, ut nullus Sanctorum in partibus illis secundus ei esse videretur.

De Judæis Coloniensibus, & de miraculis Crucifixi.

CAPUT XXXII.

Cum per universum mundum universa flagitia à Judæis, etiam postquàm Christum crucifixerunt, facta fuisse comprobentur, adhuc tamen si non audent ore, corde & horrendis operibus ipsum Dominum nostrum JESUM-CHRISTUM, & suos Christianos incessanter blasphemare & vituperare contendunt. Unde de quibusdam Judæis horribilia & inaudita facta huic nostro libello inserere non pigebit. In civitate Coloniensi Judæorum multitudo habitare dicitur. In eodem vero vico quidam civis Christianus domum fertur habuisse, quæ domibus Judæorum inserta erat, nullus tamen in eâ habitabat. Quod cum quidam textor non de civitate, sed extraneus, comperisset, accessit ad illum civem cujus illa domus erat, & conventione cum ipso factâ, quod per annum in eà maneret, cum familiâ suâ ipsam domum intravit. Et in quâdam stupâ ejusdem domûs ea quæ ad ministerium suum pertinebant, erigens, cœpit operari & texere. Sed quia domus illa inter domos Judæorum sola stabat, & à conversatione Christianorum, & ab Ecclesiâ longè erat, ultrà modum indoluit, præsertim quia non poterat ad officium divinum tam celeriter sicut volebat accedere. Quid faceret ille Christianus, qui inter inimicos Christi solus habitabat? Cogitat enim intrà se, si non posset ad Ecclesiam cum vellet accedere, tamen si posset aliquam memoriam de Christo habere, securiùs in eâdem domo habitaret; accersito sibi pictore, imaginem Crucifixi in loco ubi operabatur, in fronte parietis depingi fecit, & hinc inde duas imagines MARIÆ & Joannis, sicut mos est Christianorum, adaptavit, ut imagines illæ honestiùs tegi possent, pannum mundum desuper appendi fecit, & ostiolum sub quo imagines illæ servarentur, diligenter adhibuit. Nolebat enim quòd omnes ingredientes eam tangerent, vel inspicerent, ne forte deleretur, aut vilior haberetur. Sed cum orare volebat, ostiolo aperto & linteo levato, genu flexo & imagini capite inclinato, Deum cœli in ipsâ imagine exorabat, & oratione factâ ipsam imaginem linteo & ostiolo diligenter contegebat, & sic ad opus suum revertebatur. Sed cum annus præteriisset, nolens ulteriùs inter illos infideles habitare, sibi domum prope Ecclesiam & inter Christianos comparavit. Deus enim, quia fidelis & justus erat homo ille, sibi substantiam multiplicaverat. Ipse verò relictâ domo in quâ per annum habitaverat, sumptis universis utensibilibus suis, domum illam, quam emerat ut ibi habitaret, intravit: relictâ tantùm imagine quam secum portare non poterat. Accidit autem eodem tempore quemdam Judæum de extraneis partibus ad habitandum Coloniam devenisse. Et cum inter Judæos devenisset, inquirebat si domum ad habitandum invenire posset. Alii verò Judæi læti effecti monstraverunt domum, in quâ ille Christianus habitaverat. Ille verò ad civem accedens convenit ut ibidem habitaret: & congregatâ multitudine Judæorum introivit in domum illam, & cum eis cum magno tripudio epulatus est, sed cum in eâdem stupâ in qua textor ille texere solebat, post prandium residerent, quidam eorum aspiciens ostiolum sub quo imago illa latebat, mirabatur quid esset: & concito surgens ad ostiolum accessit, & aperto ostiolo, levatoque linteo, vidit imaginem nostri Crucifixi, torvis oculis eam respiciens, conspuit eam, & altis vocibus clamare cœpit: Accedite, inquit, Judæi, & conspicite illum proditorem, qui vos de terrâ vestrâ expulsos in universum orbem exules dispersit. Illi clamore audito, omnes accurrunt, & visâ cruce cum Crucifixo fremebant dentibus in eum. Quid plura? Christus in Cruce à Judæis iterum irridetur, iterum conspuitur, iterum pugnis & alapis cæditur. Quid dicam? Ipsæ mulieres Judææ, quod in primâ crucifixione facere non audebant, in istâ secundâ tam protervè ibi operabantur; ut turpiùs imaginem illam conspuerent, furiosiùs pugnis tunderent, sæviùs unguibus dilacerarent, quàm unquam patres eorum in illum verum Crucifixum priùs fecissent: & ita cum illi infelicissimi Judæi & Judææ tam lethaliter in illam sanctam imaginem Crucifixi desævirent, unus illorum qui audacior erat cæteris, dixit eis: Sustinete & discedite omnes, quia ego jam vindicabo vos omnes de isto nefario JESU: & accepto cultro acuto, quem penes se habebat, ad imaginem Crucifixi accessit, & vibrato ictu Crucifixum illum in latere percussit, in eodem loco in quo latus Christi nostri Salvatoris lanceâ perforatum est. Cumque ille Judæus cultrum ad se traxisset, ut iterum feriret, tanta abundantia sanguinis de vulnere illo

effluxit, ut vultum illius Judæi & cunctas vestes ejus conspergeret, cumque Judæi illi evidens miraculum vidissent, timuerunt timore magno, alii in terram ceciderunt, alii pectora tundebant, alii exeuntes quod factum fuerat, silere non poterant. Mox rumor facti civitatem occupat, accurrunt Magnates, accurrunt Clerici, accurrunt senes cum junioribus, viri cum mulieribus, cernere cupientes quæ per Deum tam nova facta sunt mirabilia: Christus enim ibi suæ Passionis miracula innovaverat. Venientes autem Clerici & cives ad locum illum ubi hæc fiebant; videntes eam imaginem crucifixi, invenerunt adhuc sanguinem de latere ejus manantem. Et ut illi magno miraculo certior fides adhiberetur, sanguis ille tamdiù de latere hujus imaginis manare non cessavit, quousque non modicum vasculum de eo impleretur, & ita manare desiit. Universitas verò illius civitatis tam Clerici quàm laïci habito consilio omnes Judeos illos quotquot invenire potuerunt, captivaverunt, & substantiam illorum diripuerunt. Si qui eorum converti voluerunt, baptizati sunt; alii verò trucidati: cæteri enim fugâ lapsi, in civitate ultra non sunt visi. In loco verò ubi hæc acta sunt, Ecclesia in honore sanctæ Crucis præclaro opere fabricata est, in quâ ipsa imago Crucifici, per quam hoc miraculum factum est, in summâ veneratione habetur, & à fidelibus in eâ Christus adoratur. Hoc igitur miraculum à quodam Judæo, qui eidem facto Coloniæ interfuit, qui etiam viso miraculo Christianus effectus est, audivi: & sicut illud mihi de verbo ad verbum retulit, ita & huic paginæ annotare curavi.

De Judæis qui apud Haguenowiam in præstigiis suis tres pueros interfecerunt.

CAPUT XXXIII.

Cum Judæorum nefandissimos actus nemo tacere debeat; ut ea, quæ in Salvatore nostro egerunt, semper ad mentem redeant, ad correctionem hominum & ædificationem quotidie retractare convenit; ut præsumptio eorum Judæorum confutetur, & gloria Christi augmentetur. In oppido quod Hagonowia dicitur, in territorio Alsatiæ multi Judæi habitabant eo tempore quo Fridericus quondam Imperator regni Romanorum Monarchiam obtinebat, qui postea ab Innocentio Papa IV. dictante justitiâ à dignitate Imperii apud Lugdunum depositus est. Cum idem Fridericus apud Hagonowiam moraretur, contigit Judæos qui in eodem oppido manebant secundùm eorum legem festum Paschæ celebrare, eo tempore quo & nos Pascha celebramus nostrum: non tamen illâ die, sed quartadecimâ lunâ, quâ & Christus crucifixus est. Illi verò Judæi nescio quomodo procuraverunt, quòd acquisierunt sibi tres pueros septennes & Christianos, & cum festum eorum celebrarent, de ipsis quædam ludibria in domibus suis egerunt. Sed inter hæc iidem pueri mortui sunt. Et cum Christiani hæc forte percepissent, intrantes domos Judæorum invenerunt pueros nudos, sed mortuos. Imperator verò Fridericus forte non erat præsens: Christiani verò pueros illos usque ad adventum Imperatoris reservare decreverunt. Judæi quippe cum viderent periculum sibi imminere, inito consilio disposuerunt Imperatorem placare muneribus: & accedentes ad Imperatorem, tantis muneribus illum excœcaverunt, ut gratiâ ipsius potiti ad domos suas læti redirent. Cum igitur Imperator ad Hagonowiam rediisset, Christiani illos tres pueros præsentaverunt, & intimaverunt ei quia Judæi ita eos interfecerant. Imperator respondit: Si mortui sunt, ite, sepelite eos quia ad aliud non valent. Christiani verò hoc audientes, confusi ab eo discesserunt. Et ita iste infelix Imperator unum suæ infidelitatis articulum promulgavit, quia & Judæi in pace dimissi sunt, & Christianis de tam nefario facto nulla est exhibita justitia. Et hæc de Judæis dicta sufficiant, quia si iste miser Imperator Judæos pro tam iniquo facto non punivit; ille potentissimus arbiter & hunc & hos in claustris inferni punire non obmittet.

De quodam milite, Rambaldo nomine, hæretico de Kercewelt in partibus Alsatiæ.

CAPUT XXXIV.

Cum essem in Argentinâ & scholas frequentarem, erat quidam Magister apud sanctum Thomam nomine Henricus, qui etiam physicâ arte imbutus erat. Hic cum Prior apud Trouthenhouze effectus fuisset, narravit mihi quòd quidam miles, Rambaldus nomine, de Kercewelt cum gravi infirmitate teneretur, ipsum Priorem ut sui curam gereret, invitavit. Ille verò cum ad eum venisset, invenit eum ad extrema jam appropinquantem. Qui Prior ait: Si mihi creditis, Domine, vos priùs confitebimini peccata vestra, & recipietis corpus Christi, antequàm ego apponam ad curandum vos, quia illud erit major vestra curatio. Cui ille: Ego multoties confessus sum; & multa talia corpora comedi. Magister Henricus respondit, Ha! nolite ita loqui, quia ubicumque consecretur corpus Christi, non plura sunt corpora, sed unum corpus Christi. Ille respondit: Quomodo hoc potest fieri, quia si illud corpus tam magnum fuisset, sicut ingens mons, jam millies devoratum à populo fuisset. Magister Henricus dixit: Bone domine mi, ego jam vos video graviter infirmitate opprimi, rogo vos, ut quidquid usque huc credideritis obmittatis, & corpus Christi fideliter credendo recipiatis, & sic salvus eritis. Cui ille: Et quomodo tantillum panis me salvare poterit? Sed quia infestus estis, ego amore vestro paniculum illum manducabo, & tunc videbitis quomodo me salvare possit. Et verum dixit. Quia post pauca manifestavit Deus, quâ credulitate ille sanctissimum Christi corpus auderet percipere. Magister verò Henricus, qui ejus salutem desiderabat, credens aliquid fidei in eo remansisse, accersito Presbytero qui cum corpore Christi advenerat, fecit ei corpus Christi dare. Ille verò os aperuit, & Sacerdos corpus Domini in os ejus immisit; sed ille os claudere non potuit. Corpus verò Domini ita juxtà palatum stetit, ut plenè palatum non tangeret, nec ad linguam descenderet. Cum ille subitò balbutiendo quia os claudere non poterat, magnâ voce clamare cœpit: Subvenite, carissimi, subvenite, quia jam ardeo, jam me infernus tenet: afferte aquam, & refrigerate os meum. Et hoc sæpiùs clamando, ei attulerunt aquam, & in os ejus miserunt. Ille verò multo magis clamabat: Tollite, tollite aquam, quia dupliciter ardeo. Illi verò qui aderant, quia ferè tota villa advenerat, amarissimè flebant; pugnis pectora sua tundentes, lamentabantur eum, quia videbant eum tam infelici morte mori. Nam securi erant quia anima ejus æternis suppliciis traderetur. Et cum jam per duas ferè horas torqueretur, inter ipsas angustias emisit spiritum. Et cum Sacerdos ita videret eum mortuum, mittens manum, corpus Christi ita incontaminatum & inviolatum de ore illius extraxit, sicut priùs illud imposuerat. Et repositum in pixide cum summâ reverentiâ, comitantibus viris & mulieribus ad Ecclesiam prout debuit, reportavit. Cujus facti fama per totam Alsatiam innotuit, ad hæreticorum confusionem, ad laudem verò & gloriam Domini nostri Jesu-Christi.

De S. Petro Mediolanensi novo Martyre.

CAPUT XXXV.

QUia temporibus nostris, & novissims sæculi diebus, sicut per Prophetam promisit Dominus, Deus innovat signa, & immutat mirabilia: unum de iisdem signis novis mox recitare non pigebit. In Longobardiâ est quædam civitas quæ Mediolanum appellatur, in quâ Fratres Prædicatores habitare dicuntur. Cum illis verò Prædicator quidam Petrus nomine habitabat, vir egregius & ad prædicandum doctissimus. Hic etiam Petrus, ut talentum sibi creditum cum multiplici fœnore Domino suo reportaret, quotidie officio prædicationis insistebat. Enimverò quia apud Mediolanum à priscis temporibus hæretici habitare consueverant, iste Frater Petrus, quia adhuc videbat in eâdem civitate quosdam tribulos hæreticorum pullulare, quotidie eosdem hæreticos in prædicatione suâ viriliter impugnabat. Et ut eos ad viam veritatis reduceret, modo blandimentis vel exhortationibus, modo increpationibus vel vituperiis corripiebat. Sed quia dicente scripturâ, *In malevolam animam non intrabit sapientia*, cordibus induratis sicut aspis surda contrà incantatorem; ita & isti hæretici contrà prædicationis incantationem obturabant aures suas: sed sicut Judæi in B. Stephanum, ita & isti in Fratrem Petrum dentibus fremebant: & si eum extrà civitatem invenire protuissent; non minùs quàm Judæi Stephanum, isti Petrum lapidarent. Quid plura? arcum suum intenderunt, ut sagittarent in occulto immaculatum, id est, insidiabantur ei, ut eum morti traderent si possent. Verumtamen, quia in aperto ei nocere non audebant, dispofuerunt ei insidias ponere. Erat enim quidam vicus in civitate, per quem ire, & redire solebat, cum ad prædicationem iret vel rediret. Et cum Deus famulum suum invictum veritatis pugilem donativo gloriæ cœlestis remunerare vellet, *raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut fictio deciperet animam ipsius*. Et verè raptus; nam cum quadam die à civitate sero reverteretur, & per vicum illum, sicut solebat, transire vellet; illi miseri, qui arcum insidiarum tetenderant, quasi sagitta de occultis insidiarum prosilientes, sagittaverunt Petrum illum immaculatum, id est armis suis interfecerunt. Et ita *consummatis in brevi, complevit tempora sua: placita enim erat Deo anima ipsius*. Fratres verò Prædicatores auditâ morte illius ultrà modum indoluerunt: quia potentior omnibus erat in sermone. Et peractis debitis exequiis, tumulo honesto cum canticis & hymnis spiritualibus eum sepelierunt. Et ut Deus Martyris sui merita mundo declararet, & ut illi infelicissimi hæretici confunderentur, tantam ei gratiam conferre dignatus est, ut quicumque debiles quibuscumque infirmitatibus detenti ad tumulum ipsius Martyris accederent, à malis omnibus liberarentur. Et ita Deus temporibus nostris servos suos magnificare non dedignatur.

De Prioribus de Danubrio, Mervaville, & de Xuris.

CAPUT XXXVI.

CUm divina scriptura quoslibet ad benefaciendum invitet, & Dominus in Evangelico nos admoneat, ut homines *videant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est*: Et si nos desides bonis operibus insistere non valemus, bona tamen ab aliis facta & diligenter considerare, & ad lucem producere debemus. Unde quædam bona opera quæ quidam Fratres nostri in cellis nostris egerunt, scripto commendare debemus, ut legentes zelo illorum ducti, bonis operibus insistere, & ea adimplere jugiter festinent. Quidam igitur Monachus noster Senoniensis Hugo nomine, Prioratum de Danubrio xx. & eo ampliùs annis rexit, & Prioratum ipsum muro circumdedit, & in eo muro inclusit stagnum & molendinum & furnum, & Capellam S. Catharinæ; quæ omnia ego, cum essem Prior ejusdem loci, construxi. Fecit enim ille Hugo cameras satis ad habitandum habiles. Potuisset etiam fecisse, si ei datum fuisset desuper, multa alia bona, quæ omnibus diebus illi loco potuissent profecisse; quia multas adunaverat pecunias, quæ in non necessarios usus conversæ sunt, & sic sine effectu mortuus est. Revertamur igitur ad Prioratum de Mervaville, cui vir discretus Rennerus septem præfuit annis, qui etiam illi loco infrà septem istos annos multum profuit: nam majorem partem Ecclesiæ B. MARIÆ, excepto cancello construxit, altare majus à venerabili Gilone Episcopo Tullensi in honore B. Mariæ consecrari fecit, & cœmeterium benedici, curiam quoque muro optimo circumdedit; agros, prata multa illi loco adjecit; & Advocatos de Aseraule à frequentatione de Mervaville quantum potuit, restrixit: & adhuc eo tempore ad meliora anhelabat. Veniamus igitur ad Prioratum de Xures, cui præfuit vir nimiùm exercitiosus Fridericus nomine. Hic cancellum Ecclesiæ suæ ampliavit, pulchro opere ad perfectionem perduxit, & picturis & fenestris vitreis decoravit. Majus quoque altare S. Jacobi in ipso Cencello erexit; & illud imaginibus sculptis auro & coloribus in circuitu adornavit. Claustrum quoque ex latere cocto & plumbato inusitato opere construxit, domos etiam & ædificia omnia lapidea erexit: Curiam ipsam muro forti clausit. Parochias omnes ad Prioratum ipsum pertinentes de lateribus cooperuit. Sedes etiam salinarias ipsius Prioratûs apud Mediumvicum in domibus lapideis inclusit. Et cum hæc omnia bona fecisset, invidiâ & odio mediantibus, immeritæ sunt ei redditæ vices, quia humana miseria ita bonos remunerare solet.

De lite inter Prædicatores & Clericos Parisius orta.

CAPUT XXXVII.

SUperiùs de Ordine Prædicatorum secundùm Prophetiam sanctæ Hildegardis Sanctimonialis aliquantulum digessimus, qui in principio sui magnæ auctoritatis habiti sunt. Sed deinde à proposito paulatim declinantes, processu temporis à statu suo paululum decidere visi sunt, sicut multifariis modis ipsorum actibus comperiri potest: & præcipuè in controversiâ quâdam, quæ Parisius de novo orta est; de quâ, si placet, in hoc Opusculo nostro aliquid inserere curabimus. Contigit igitur inter Clericos Parisius commorantes antiquitùs, & Prædicatores de novo venientes, de diffinitione quæstionum, & Magistrorum legentium approbatione periculosam controversiam emersisse. Nam Prædicatores dicebant ab eis quæstionum diffinitiones debere proferri, quia optior scientia in personis Ordinis ipsorum vigeret, & dignitas prædicationis eis auctoritatem diffiniendi prærogare videbatur. Clerici verò è contra asserebant se antiquitùs Magistros & diffinitores habuisse, qui scholarum & scholarium Rectores extiterunt: quos etiam Dominus Papa eis scribendo, Rectores scholarum eos appellasse comprobatur, nec eorum Ordini aliud aliquid commissum est, nisi ut prædi-

cationi & animarum saluti sine intermissione intendant. Sed cum aliquamdiù fuisset inter eos decertatum, & inter se pacificari non possent, ad Papam appellaverunt. Prædicatores verò quemdam librum Evangeliorum compilaverunt, in quo dicebantur aliqua contineri, quæ contrà fidem esse videbantur. Clerici verò nescio quâ arte procuraverunt, ut copiam ipsius libri haberent; ex quo omnia capitula fidei contraria decerpserunt, & ea scripto commendantes sibi retinuerunt. Elegerunt quoque sibi quemdam virum discretissimum Willelmum nomine, qui præ cæteris magnus Philosophus habebatur: quem cum libro illo ad Curiam mittentes, procuratorem suum contrà Prædicatores statuerunt. Et cum coram Papa venissent, diù inter se disputaverunt, & inter cætera Magister Willelmus librum illum quem Prædicatores conscripserant, Domino Papæ fertur porrexisse. Papa verò cum librum legisset, statim eum damnavit, & comburi jussit: Magistro Willelmo, quia facundissimus Orator erat, nec ei aliquis in sermone resistere poterat, silentium imposuit, & nondum causa illa finem acceperat. Clerici omnes qui Parisius studebant, tunc ab ipsâ civitate recessisse ferebantur.

Eâ siquidem tempestate, quâ, ut dictum est, Prædicatorum status deteriorabatur, non minus infortunium eis evenisse perhibetur. Rex enim Franciæ, qui alio anno à transmarinis partibus reversus fuerat, eisdem Prædicatoribus valdè familiaris erat: & cum quotidie quia valde religiosus erat, domum ipsorum frequentaret, cogitaverunt eum ad Religionem suam posse devenire. Et cùm quâdam die de divinis scripturis & de Filio Dei confabularentur, unus eorum qui cæteris audacior erat, dixit Regi: Numquid Domine velles tantum de Filio Dei inter manus tuas quotidie posse tenere, quantum uterus Beatissimæ Virginis Mariæ quondam in se comprehendisse perhibetur? Rex hæc audiens & admirans ait; Quis est qui hoc recusaret? Ignorabat enim quòd de sacramento corporis Christi diceret. Prædicator respondit: Si placet, docebo te quomodo tibi hoc concedetur. Rex respondit: Placet sanè. Frater ille dixit: Numquid audis Dominum in Evangelium dicentem; *Si quis reliquerit patrem vel matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit?* Rex ait: Audio & benè scio. Frater dixit; Domine mi Rex, tu habes heredes, filios & fratres qui regnum tuum benè regent: tu etiam pro Deo multos labores sustinuisti, & etiam vitam tuam periculis mortis exposuisti; & ita nihil aliud restat, nisi quòd relinquas omnia, & assumas tibi crucem nostram; id est habitum nostrum: & ita de gradu in gradum ad Sacerdotium promoveberis, & Filium Dei in manibus accipere mereberis. Rex verò hæc audiens, consternatus intrà se cogitare cœpit, proponens sibi tribulationes hujus mundi, & immensos labores, & etiam regni sollicitudinem: è contra occurrunt ei illæ supradictæ Evangelicæ promissiones, & illud Dominici corporis desiderabile & delectabile sacrificium, & ad se revertens dixit Fratribus: Si ista vera sunt quæ audio, imò quia verissima esse credo, consiliis vestris acquiescam. Sed priùs vadam & indicabo Reginæ, & ab eâ impetrabo hujus facti licentiam. Rex verò cum ad Palatium venisset, introivit ad Reginam, & omnia narravit ei, quòd ei & filiis suis regnum relinquere vellet, & quòd habitum religionis suscipiendo sacerdos fieret; & pro ipsis, & pro statu regni Deum exorare non cessaret: unde peto ut ad hoc faciendum licentiam mihi donare velis. Regina verò mirabiliter stupefacta nihil respondit ei: sed statim mittens, fratrem Regis Comitem de Anjou ad se vocari jussit, filiosque accersitos ita fertur alloquuta fuisse: Quod melius eligitis, an appellemini filii Sacerdotis, vel filii Regis? Illi audientes stupefacti, nesciebant quare hoc diceret. Mater statim subsequuta est, dicens: Illi Prædicatores Regem ad hoc induxerunt, ut nobis relictis & regno Prædicator & Sacerdos fiat. Comes verò cum hæc audisset, in furorem versus eum impudentissimè objurgabat, & Prædicatoribus minabatur. Filius verò Regis primogenitus, qui post Regem regnare debebat, Prædicatores etiam quomodo poterat, vituperabat. Rex verò conviciis eorum commotus, filio suo fertur alapam dedisse. Filius verò ait Patri; Domine quia pater & Dominus meus estis, non sum vobis ingratus; sed juro per B. Dionysium patronum nostrum, si aliquando me contigerit Deo annuente gubernacula regni obtinere, ego omnes istos Prædicatores à regno expelli faciam. Cumque Rex hoc juramentum audisset, ultrà modum indoluit, quia sciebat eum animo ferum esse. Comes verò frater Regis præcepit, ne Prædicatores in toto regno Franciæ de cætero prædicare præsumerent. Fertur etiam præcepisse, ne quis Prædicatoribus aliquid conferre auderet. Illud etiam Regem potissimum offendisse dicebatur quia omnes scholares, qui in civitate Parisiensi morabantur, exeuntes de civitate per diversa loca se collocaverunt, & hoc in opprobrium ipsius Regis. Enimverò quia hæc suprà scripta facta eo tempore quo hæc scribebamus, ad nullum certum finem devenerant, aliquid ulteriùs scribere nequivi.



LIBER QUINTUS.

De Sacerdote apud Zaberniam interfecto.

CAPUT PRIMUM.

SIcut nota & certa scriptis commendata legentibus & audientibus ædificationem generant, ita incerta & dubia scriptoribus & auditoribus in vitium esse comprobantur: unde & ignota prætermittere nos & dubia, certa & cognita scribere curavimus. Fuit igitur in Alsatiæ partibus in Episcopatu Argentinensi, in oppido quod Zabernia dicitur, quædam matrona jam quondam Milite viro suo viduata, sed prole satis nobili admodum locupletata: habebat enim quatuor filios, quorum duo militaribus sacramentis implicati erant. Alii verò duo ad hunc honorem nondum pervenerant. Et licet ipsa matrona tali prole gauderet, tamen lascivo adhuc detinebatur animo: habebat enim quemdam Sacerdotem, quem sibi Capellanum fecerat, qui eidem matronæ inhonestâ familiaritate, ut se fama habebat, ineptè jungebatur. Cumque fama ipsa ad aures filiorum pervenisset, nimio tacti dolore matrem suam dictam matronam ad hoc induxerunt, ut ipsum Capellanum à domo suâ eliminaret. Ipse verò Capellanus ad alias partes secessit. Peracto itaque aliquanto tempore, cum idem Capellanus infamiam illam, quæ de se & de matronâ illâ habita fuerat, totaliter crederet esse sopitam, disposuit ipsam matronam iterum visitare, sed non habitu quo agnosci posset. Decrevit igitur indui non Sacerdotalibus, sed vestimentis quarumdam muliercularum, quæ in partibus istis Beguinæ, in Alemanniâ verò Kuherin, id est pœnitentes appellantur, dominæ suæ ut non agnosceretur præsentari voluit. Assumptis quippe dictis vestimentis, domum dictæ matronæ clam sub-

intravit, & in eâ aliquanto tempore sub specie mulieris habitavit. Aliæ siquidem mulieres ipsius Religionis domum dictæ dominæ intrare solebant; inter quas una Sacerdotem illum, qui eisdem vestibus indutus erat, ut diximus, subtiliùs intuens, cognovit quod ipse Sacerdos esset, de quo ipsa domina diffamata erat, à quo petivit ut ab eo aliquid acciperet. Capellanus ei ineptè quod petebat denegavit: Beguina verò irata ad filios illius matronæ accessit, & quòd Capellanum illum sub specie muliebri in domo matris illorum invenerat, intimavit. Qui nimiâ verecundiâ commoti, domum matris cum magno strepitu intraverunt, & ipsum Sacerdotem tam enormiter fustibus & pugnis tutuderunt, ut ferè spiritum exhalaret; & tandem de domo ejicientes, & eum per vicos intolerabiliter deducendo, etiam nasum amputaverunt, & ipsum extrà portam ipsius oppidi, in colliculo quodam semivivum projecerunt; qui parvo tempore in ipsâ mortis angustiâ supervivens, ibidem mortuus est & sepultus. Cum igitur famâ referente id factum ad aures Henrici Episcopi Argentinensis pervenisset, ipse Episcopus nimio dolore perculsus ultrà modum ingemuit; & statim accersitis nuntiis, dictæ matronæ filios ad se venire præcepit, quos ipse Episcopus, licet inviti venissent, ita alloquitur: O viri stolidi & stulti, quis ad hoc vos animavit, ut manum in Christum Domini mittere præsumeretis, & ipsum interficere, & ineptè sepelire auderetis? Illi verò consternati matris injuriam, & suum pudorem preponebant. Episcopus ergo interrogabat, si ille Sacerdos matri ipsorum vim aliquam intulisset: illis è contra dicentibus si vi vel voluntate hoc factum fuisset, tamen eis ingens dedecus & pudibunda fama per eumdem Sacerdotem exorta fuisset & illata. Episcopo verò dicente quòd non eis justitia defuisset, si ab eis de Sacerdote illo aliquid inclamatum fuisset, præsertim cum ipse in eodem oppido & spiritali & materiali potiretur justitiâ. Oppidum Zabernia sui juris est, & in Episcopatu Argentinensi situm. Illis igitur nihil contrà respondentibus, quæsivit si pro facto illo mandato Ecclesiæ & suo vellent obedire: illi considerantes quòd ipse Episcopus, & spiritualis & temporalis eorum dominus erat, & quòd judicium ipsius declinare non possent, ipsius Episcopi se subdiderunt mandato. Episcopus verò juramento ab eis præstito, præcepit ut sine mora in eodem loco, ubi Sacerdos inhonestè, ut diximus, sepultus fuerat, sepulcrum honestum propriis sumptibus construerent, & ibidem Capellam ædificarent, & illi Capellæ de suis redditibus tantum conferrent, ut Presbyter aliquis in eodem loco divina in perpetuum celebrare possit: quod & factum est. Igitur Episcopus fratres dictos iterum ad se vocans, & sagaciter de salute ipsorum tractans, ait: Vos filioli, qui tam enorme factum sub juramento vos expiaturos promisistis, ut video, mandato Ecclesiæ satis parati estis obedire: jam satis competenter pro interfecti Sacerdotis remedio aliquid actum est, de peccato tamen commisso quæ vobis incumbit pœnitentia adhuc nulla injuncta est; quia vobis in spirituali & temporali justitiâ providere tenemur, sub juramento Ecclesiæ & nobis super hoc præstito districtè præcipimus, quatenùs vos quatuor fratres pro tanto peccato diluendo transfretare, & sepulcrum Domini visitare maturetis: & inde antequàm mandatum nostrum acceperitis, ad propria non redeatis. Dicti verò fratres, quia nullam penitùs aliam viam sine ingenti dispendio sui & rerum suarum invenire potuerunt, & iter aggredientes ad transmarinas partes properaverunt: sed de reditu ipsorum nihil audivi.

De alio Sacerdote Parocho ab excommunicato interfecto apud Barram Alsatiæ.

CAPUT II.

In Alsatiæ partibus, in Episcopatu Argentinensi, habetur villa quædam, quæ Barra dicitur, viris honestis referta; in quâ quidam Sacerdos juvenis & honestus degebat, qui in eâdem villâ Barrâ ita deserviebat. Manebat itaque in eâdem villâ vir, qui plùs debito gulæ deserviebat: erat ei quippe mos, ut si quando Adventus Domini, vel Quadragesima, vel alii jejuniorum dies in revolutione anni occurrerent, ipse nullo modo jejunare volebat, sed assumebat sibi duos vel tres, qui etiam gulæ illecebris detinebantur; tabernam intrabant, & ibidem in aperto coram omnibus comessabantur usque ad ebrietatem. Cumque dictus Sacerdos, qui curam parochiæ illius gerebat, hanc in eo consuetudinem videret, voluit eum priùs inter se & ipsum solum arguere, ut tam nefario facto abstineret, quia ipse alios secum peccare faciebat; & multi in eum scandalizabantur. Ipse verò è contra Sacerdoti dicebat, quòd jejunare nollet, quia Deus panem & vinum & cætera cibaria fecerat, ut homines eis, ut vellent, uterentur. Cum igitur Sacerdos eum super hoc sæpiùs admonuisset, nec admonitionem suam aliquid videret proficere, ipsum vocare decrevit, ut in facie Ecclesiæ de commisso illius à parochianis judicaretur. Ille verò ad Ecclesiam veniens, nihil excusationis prætendit, sed dicebat se velle uti bonis à Deo collatis quando vellet, & quomodo vellet & ubi. Quòd cum milites & alii prudentes viri, quibus tunc referta erat Ecclesia, hæc verba ab eo audivissent, eum arguebant quòd tam inepta in facie Ecclesiæ verba proferre auderet. Sacerdos igitur eidem viro præcepit ut mandato Ecclesiæ stare deberet: & cum semel, secundò & tertiò diligenter admonens, cum videret quòd nihil proficeret, secundùm morem Ecclesiæ ut inobedientem excommunicavit, & eum ab Ecclesiâ exire compulit. Contigit deinde non multum post temporis in vigiliâ sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ Sacerdotem ad Ecclesiam pergere, ut ibi divina perageret. Erat autem propè Ecclesiam taberna sita, ubi ille excommunicatus cum quibusdam complicibus suis in introitu cellarii illius tabernæ manducans & bibens, & de sententiâ in illum latâ inter se conferebant. Cumque Sacerdos per illum locum transisset, & in cœmeterium introisset, quidam illorum qui cum excommunicato comessabantur, imperabat illi, quare sententiam in ipsum datam in Sacerdotem non vindicaret. Excommunicatus circumspiciens dixit se non habere armaturam præ manibus, quâ Sacerdotem molestare posset. Cui unus ex illis diabolico veneno inflammatus dixit: Accipe telum meum quod ad hoc peroptimum est. Excommunicatus verò ille telum accipiens, concito cursu ad sacerdotem venit, & antequàm Sacerdos illum venientem percepisset, miser ille Sacerdotem telo perfodit. Sacerdos verò sentiens se intolerabiliter vulneratum, manu telum tenuit: & cum videret percussor, quòd telum nequiret ad se retrahere, ut iterum feriret, dimisso telo cultellum acutum, quo erat accinctus, de vaginâ extrahens, Sacerdotem etiam vulneravit quousque ad terram cadens mortuus putaretur. Miser ille sacrilegus homicida à loco & villâ discedens non comparuit. Sacerdotes igitur circumadjacentes hoc factum audientes accurrerunt, & adhuc eum palpitantem invenientes, corporis & sanguinis Domini Sacramentis ejus exitum munierunt: qui ac-

cepto Sacramento, non multum post verè Martyr spiritum cœlo reddidit, & in eâdem Ecclesiâ in quâ deserviebat tumulatus est. Quidam enim cognatorum suorum qui aderant, tunicam ipsius Sacerdotis telo & cultro in pluribus locis perforatam, & ipsius sanguine infusam sibi reservavit, arbitrantes debere eam Episcopo Argentinensi monstrare. Quod & factum est. Nam in crastino Animarum Synodus omni anno Argentinæ celebratur. Ad quam illi cum tunicâ Sacerdotis venientes, in quâ ipse Episcopus cum Canonicis suis & Sacerdotibus & Clero multo, militibusque, & aliis plurimis viris residebat. Silentio igitur facto, illi cum tunicâ extensâ perforatâ & sanguinolentâ flebilibus vocibus hunc versum, Episcopum intuentes, decantabant: *Vide si tunica filii tui sit, an non?* Quibus Episcopus perfusus lacrymis: *Tunica filii mei Joseph hæc est.* Et statim omnes qui aderant cum ingenti clamore & gemitu responsum subjungentes, cantaverunt: *Videns Jacob vestimenta filii sui Joseph ait: Fera pessima devoravit meum filium Joseph.* Quantum ibi lacrymarum effusum, & quantus dolor, & timor omnes qui præsentes erant, invaserit, vix lingua aliqua docere posset. Facto tamen quoquomodo silentio, Episcopus Clero hinc ita loquitur: Fratres mei dilectissimi, jam diabolus petiit nos ut tentaret, & cribraret sicut triticum, ut de morte Fratris nostri dolentes, & timentes, & scandalizatos nos redderet: nos verò in Deitate Dei Patris spem fiduciamque habentes, *qui non permittit vos tentari super id quod potestis, sed dabit cum tentatione proventum, ut possitis sustinere,* cum ipsius adjutorio disponamus quomodo hoc factum in perpetuum cum vindictâ suâ ad posteros transmittatur. Decernimus quippe ut auctor ille sceleris à gremio sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ cum complicibus, & fautoribus suis excommunicetur, exclusus separetur, & cum Juda traditore æternalibus pœnis, nisi satisfecerit, obnoxius sine fine teneatur. Matricem verò Ecclesiam illam, infrà cujus atrium ille dilectissimus noster Sacerdos pro justitiâ usque ad mortem persequutionem passus est, honore suo privamus: ita ut honor pariter & nomen matricis Ecclesiæ ad capellam suam Berchem transferatur, nec in ipsâ Ecclesiâ de cætero divina celebrentur; excepto quòd ob reverentiam illius felicissimi Sacerdotis, qui pro justitiâ occubuit, & ibidem sepultus est, à Plebano de Berchem procuretur, ut ibi divina ter in hebdomadâ celebrentur. Acta sunt hæc tempore illo quo annus Domini volvebatur millesimus ducentesimus quinquagesimus octavus. Hæc sunt acta ut su-
1258. prà sub Episcopo Henrico de Strahelerh antiqui Sueviæ Comitatûs tertii. Sub eodem Prædicatores fuerunt fundati subterraneo fundamento ab Argentinensibus Canonicis: in quo fundamento primarium lapidem ipse Henricus Episcopus, & sub eo Henrico sunt recepti Prædicatores intrà mœnia urbis Argentinensis in locum quem hodie habitant; qui dederunt locum Monasterii in domibus Fridericus & Havalo Præpositus Uldaricus de Thalmasigen, & Joannes de Albâ uterque canonicus Argentinensis.

De Clerico à milite captivato, & ab ipso Episcopo Argentinensi clementer liberato.

CAPUT III.

Quia de venerabilis Episcopi Argentinensis Henrici factis quædam nostro Libello adnotare curavimus, tamen adhuc unum dignum memoriâ legentibus aperire maturabimus. Erat quidam Clericus in dicto Episcopatu Argentinensi, qui quemdam nobilem virum ejusdem diœcesis, qui super quibusdam rebus ei injuriabatur, trahebat in causam, & ipsum militem in Ecclesiastico foro multum molestabat, & eum multipliciter ad judicium trahendo satis eum vexabat; quod idem nobilis vir valde molestè ferebat, sed nesciebat quomodo hoc in ipsum Clericum vindicare posset. Qui diù ita vexatus animo torquebatur, & inter multimodas cogitationes animo fluctuabat. Cum igitur diù hac & illac excogitasset, tandem corde audaciam concipiens, ipsum Clericum immisericorditer molestare disposuit. Tandem opportunitate acceptâ, accersitis secum sociis armatâ manu venit ad inimicum sibi Clericum, hac illac quæritat, tandem Clericus invenitur, cæditur, spoliatur, & vinctus ab ipso milite deducitur. Sed quia idem miles dictum Clericum captivum in ipso Episcopatu Argentinensi detinere non audebat, ad quosdam amicos suos in Episcopatu Basiliensi longè manentes ipsum Clericum vinctum captivum custodiendum deduxit, quatenùs in vinculis offensas & vexationes quas ei intulerat, miserabiliter lueret. Sed quia Deus ipsius militis malitiam, & famuli sui scilicet Clerici captivitatem diutiùs occultari noluit, fama, quæ velocior est vento, hoc enorme factum illius venerabilis Episcopi Argentinensis auribus innotescere maturavit. Cum igitur idem Episcopus seriem rei audivisset, accersito Notario, dicto militi scripsit, ut Clericum suum quem malè tractaverat cum universis rebus ablatis ipsi Episcopo restitueret; & de injuriâ tam præsumptuosè illatâ ad ipsius Episcopi præsentiam veniendo satisfaceret, & condignas pœnas de tam enormi facto meritò reportaret. Perlectis igitur miles Episcopi literis nimio terrore perterritus, non est ausus ad præsentiam Episcopi, ut præceperat, accedere: sed nec accessit, nec ipsum Clericum, ut ei injunctum fuerat, Episcopo restituit. Episcopus siquidem memorandus cum audisset scripta sua in hoc facto nihil prodesse, cogitavit qui si ipse dictum militem in foro Ecclesiastico conveniret, ipse captivus Clericus in vinculis diù torqueretur, & ob hoc ei salubriori succursu moras prævenire decrevit. Adunato siquidem non modico pugnatorum exercitu, dimisso foro Ecclesiastico, materiali mucrone ad voluntatem suam maturandum uti voluit velociori. Vertens siquidem ad domum militis gradum cum exercitu suo, cum adhuc non longè esset, militum suorum usus consilio, misit ad dictum militem, mandans & præcipiens ut ei Clericum suum restitueret, & de tam pessimo facto ad ipsum veniret satisfacturus; alioquin ipsum militem dignâ captivitatis pœnâ multaret, universa sua ubicumque inventa immisericorditer diriperet. Quo audito dictus miles cum magno timore Episcopo se velociter præsentavit, & ipsum Clericum & sibi ablata restituit, & causam pro quâ idem Clericus captivatus fuerat, in manus Episcopi resignavit, & quod ipsi Episcopo juxtà formam Ecclesiæ satisfaceret & obediret, securitatem quam Episcopus dictavit coram omnibus affirmavit. Si quidem quis velit hujus facta Episcopi diligenter perscrutari, statim invenire poterit quo spiritu ducebatur, qui tam celeriter inimicos Ecclesiæ sanctæ & Cleri cum tantâ discretione Deo satisfacere compelleret, cum ita asperè illos duos Sacerdotes, de quibus superiùs mentionem fecimus, satis apertè vindicaverit, & pro solo Clerico armatos adunaverit, & militem ipsum qui Clericum captivaverat, non quasi Episcopus, sed quasi Princeps militiæ ad satisfactionem condignam compulerit. Sed de ipso Episcopo cum alia plurima memo-

riæ digna scribi possint, hæc dicta sufficiant.

De conflictu coram Episcopo Metensi inter Ecclesiam Senoniensem & Dominum de Salmis.

CAPUT IV.

ANno Domini M. CCLI. tempore Jacobi Metensis Episcopi, Dominus Balduinus & Conventus Senoniensis convenerunt Dominum Henricum dictum de Salmis coram dicto Episcopo, super injuriis quas inferebat Ecclesiæ Senoniensi. Ille verò volens declinare judicium, dixit quòd ipse vel prædecessores sui pro ipso Episcopo vel prædecessoribus, ejus nihil unquam defecerant, & ita à judicio discessum est. Dictus igitur Henricus Dominus de Salmis tali exceptione fultus, multas & graves Ecclesiæ Senoniensi intulit injurias. Habebat enim quemdam fratrem, quem pater ejus in partibus Burgundiæ de quâdam muliere fertur genuisse, qui ad omnia mala & actus perversos valde exercitiosus erat. Idem quibus poterat machinationibus Ecclesiam Senoniensem sedulò opprimebat, unde Dominus Balduinus Abbas ipsi Jacobo Episcopo dictas molestationes coactus est sæpiùs intimare. Quapropter idem Episcopus cuidam Præposito suo Therrico nomine per litteras suas patentes districtè præcepit, ut quoties querimonia Abbatis Senoniensis ad ipsum perveniret, toties de rebus Domini de Salmis acciperet, si gratiam Episcopi vellet retinere; quod & ipse Præpositus facere studuit. Sed de his omnibus in utilitatem Ecclesiæ Senoniensis nihil devenit.

Quòd Dominus Henricus de Salmis Duci Lotharingiæ allodium Morehanges vendidit.

CAPUT V.

IGitur cum hæc ita se haberent, contigit Dominum de Salmis magnis debitis detineri: & cum non haberet unde redderet, necessitate coactus Friderico juniori Duci Lotharingiæ castrum suum Morehanges dictum pro septingentis libris Metensium vendidit; quod allodium suum priùs erat, & hoc ab eodem Duce in feodo accepit, ut si quando ipsi Duci necessitas occurreret, illud castrum absque ullâ contradictione redderetur. Quod cum Episcopus Metensis audisset, majori ex tunc indignatione exarsit contrà ipsum Dominum de Salmis, & ex tunc cœpit eum duriùs impellere. Contigit præterea Dominum de Salmis penes Morehanges fontem salinarem reperisse, in quo ædificando multas expendit pecunias: & licet ab Episcopo prohibitus, tamen ad conficiendum sal ille fons nihil valuit. Sed nec debitorum pondere, nec expensarum dicti fontis perditarum castigatus, ad deteriora spirans, Ecclesiam Senoniensem quomodo poterat, molestare non cessabat. Nam consilio Renaldi supradicti, qui & Ballivus ipsius Domini de Salmis tunc temporis erat, in quodam monte in possessione Ecclesiæ Senoniensis sito juxtà Grandem fontanam fabricam ad ferrum conficiendum fieri jussit. Nam ibidem lapides reperiuntur, de quibus fit ferrum, quos vulgo minam ferream vocant. Abbas verò, cum hæc comperisset, statim Episcopo Metensi indicare maturavit, dicens quòd Dominus de Salmis fundum Ecclesiæ invaserat, sicut prædictum est, quod antea nullus prædecessorum suorum fecerat. Episcopus verò iratus præcepit Præposito supradicto, quòd sine morâ penitus destrueret, quod & factum est. Nam ipse Præpositus non tantùm fabricas ipsas delevit, sed universa utensilia fabrorum, & ferrum quod fecerant, asportavit. Et sic Dominus de Salmis vivente Jacobo Episcopo in fabricis illis non est ausus quidquam operari: attamen in quibus poterat, Ecclesiam Senoniensem quotidie non cessabat molestare.

De eo quod idem Henricus de Salmis indigentiâ ductus, Episcopo Jacobo Metensi duo castella Pierepercie & Salmis vendidit.

CAPUT VI.

IGitur cum hæc fierent, videns Dominus de Salmis sese triplici modo intolerabiliter vexari: primò quia Episcopi Metensis iram sibi sentiebat plùs solito incessanter imminere: secundò quòd à creditoribus suis tædiabiliter urgebatur: tertiò quia facultas non suppetebat, quâ posset Domini sui Episcopi iram mitigare, ut creditoribus suis satisfaceret, & egestatem suam relevaret. Cum igitur idem Dominus de Salmis tot afflictionibus quateretur, nec aliquam evadendi viam reperire posset, consideravit sibi duo tantùm castella superesse: Pierepercie scilicet, quod allodium esse ferebatur, & aliud castellum de Salmis dictum, quod Comes Henricus de Albomonte avus istius Henrici de Salmis in fundo Ecclesiæ construxit; de quibus angustias suas se credidit posse mitigare. Adiit siquidem Episcopum Metensem, & ei ipsa castella vendidit eodem tenore, quo & Morehanges Duci Lotharingiæ antea vendiderat. Episcopus verò accersitis secum viris discretis, ad utrumque castellum accessit, & ibi pernoctavit, & custodes turrium & portarios portarum instituit: & super his omnibus privilegia facta ad Episcopium suum reportavit; & ita Episcopus Domino de Salmis ex tunc mitior fuit: sed tamen reparandi fabricas ferreas licentiam non accepit: sed de die in diem nunc huc, nunc illuc, nunc coram ipso Episcopo, nunc coram Consiliariis Episcopi, ad pacem componendam nos invitabat. Et cum nos pluries de loco ad locum pertraxisset, nihil tamen de pace fuit ordinatum. Et cum inter Dominum de Salmis & Balduinum Abbatem & Conventum Senoniensem ferè per quatuordecim annos ità fuisset decertatum, nec ipsum certamen peccatis nostris exigentibus ad ullum finem devenisset; Omnipotens redditor delicta nostra duriùs ferire voluit. Nam permittente Deo Dominus de Salmis tam crudeliter opprimere non timuit, ut crederes eum esse Nabuzardam Principem coquorum Regis Babyloniæ, qui muros Hierusalem destruxit, sicut postea pleniùs exponemus.

De demissione sacrarum imaginum; & proclamatione quæ quotidie fiebat pro Domino de Salmis & fautoribus ejus.

CAPUT VII.

CUm igitur Dominus de Salmis Ecclesiam nostram Senoniensem tam miserabiliter affligeret, nec ipsa aliquem verum haberet defensorem, habito venerabilis Patris *Gilonis* Episcopi Tullensis, & aliorum prudentum virorum consilio, cum magno fletu & altis suspiriis sacratissimas imagines Redemtoris nostri, & etiam Beatissimi Simeonis Confessoris, septimi à Beato Clemente Metensis Episcopi multis miraculis decorati, de locis suis ad terram super spinas deposuimus, cum lacrymis ad Dominum clamantes & dicentes: *Sustinuimus pacem, & non venit: quæsivimus bona, & ecce tribulatio. Cognovimus Domine peccata nostra, ne in æternum irascaris*

scaris nobis Deus Israël. Deinde quia privilegia Apostolicorum virorum Romanorum Pontificum omnes malefactores Ecclesiæ nostræ excommunicant, & à gremio sanctæ Ecclesię separant, & à communione sacratissimi corporis & sanguinis Domini JESU-CHRISTI alienant, & in die districti examinis divinæ ultioni subjiciunt; ita & nos Dominum de Salmis, & omnes fautores suos singulis Dominicis diebus & festivis in facie Ecclesiæ ipsas sententias manifestabamus incurrisse; ac demùm ad majorem Missam ante *Agnus Dei* omnes pariter genua flectentes, à Diacono quotidie ante altare proclamatio illa in spiritu humilitatis recitabatur. In quâ ipse Henricus Dominus de Salmis cum fautoribus suis apertè nominabatur. Quâ finitâ, Chorus responsorium *Aspice Domine* cum versu decantabat. Deinde omnes prostrati, Psalmum, *Deus misereatur nostri*, *Kyrie eleyson*, *& Pater noster*, devotè dicebant. Presbyter verò qui Missam celebrabat, flexis genibus ante corpus & sanguinem Domini, subjungebat deinde versum *Exurgat Deus*, & collectam, *Ecclesiæ tuæ preces*, vel aliam tempori tribulationis competentem; deinde Missa finiebatur: nec adhuc propter hoc Dominus de Salmis cum suo Renaldo à læsione nostra cessabat.

De morte Jacobi Metensis Episcopi; Et de direptione bonorum Ecclesiæ Senoniensis sacrilegâ per Dominum de Salmis.

CAPUT VIII.

Enimverò quia nondum tempus miserandi nostri advenerat, ut nobis clariùs patesceret quia *meliùs confidere in Domino, quàm confidere in homine: & quia maledictus est qui ponit carnem brachium suum*, dicto citiùs auxilium Episcopi Jacobi nobis extemplò substractum est. Et quia in ipso Episcopo plurimùm confidebamus, experti sumus planè, quia *bonum est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus.* Nam cum nos speraremus de manibus Domini de Salmis ab ipso Episcopo liberari; ipse decidit in lectum, & fluxu ventris ingravescente mortuus est, & nos ita spe adjutorii fraudati sumus. Cum igitur Canonici Metenses mortem sui Episcopi percepissent, tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud ante quoddam altare in Ecclesiâ B. Protomartyris Sthephani. Sed quia de mortis ejus vilitate vel paupertate diutiùs loqui pudet, breviter tamen dico quòd qui in vita suâ cunctos in potestate suâ positos, Clericos, Monachos, Laïcos, rebus propriis spoliaverat, ipse in morte suâ ita spoliatus inventus est, ut circà eum vix inveniri potuisset, ut audivi, quo corpus ejus valeret cooperiri. Quædam tamen de ipso Episcopo dum adhuc viveret, laudabilia facta referuntur. Præcepit siquidem ut omnes captivi tempore suo detenti laxarentur, & rapinam salis, non quod rapuerat, sed quod secum ferre non poterat, reddi jussit. Et de redditione ipsâ privilegia conscribi fecit, quæ parvo tempore valuerunt, sicut in subsequentibus clariùs patebit. Cum igitur Dominus de Salmis mortem Episcopi comperisset, credidit se posse Monasterium nostrum & res ejus suæ subjicere potestati; cœpit nos & res nostras duriùs impugnare. Accersito quippe suo Renaldo cum quibusdam aliis, misit eos ad nos; & convocatis Fratribus sic ait, Dominus meus me misit ad vos: ut si vultis ipse proteget vos contrà omnes, & super hoc habeatis consilium. Nos verò intrantes Capitulum ci alia pro aliis reddebamus. Quidam nostrûm dicebant, quia Abbas non erat præsens; benè poteramus hanc protectionem ad tempus acceptare, si Abbati placeret: alii verò non acceptaverunt. Et ita quod nobis bonum erat recusavimus, quod postea verè sensimus. Milites verò illi indignanter recedentes, Abbatiam nostram & omnes grangias nostras saisiverunt. Canonici verò Metenses convenientes ut Episcopum eligerent, sed non sunt concordati, licet sæpiùs ad eligendum convenirent, quia Comes Barrensis, ut ferebatur, eorum impediebat electionem. Tandem convenientes, duos elegerunt. Pars verò una elegit quemdam Philippum, qui dicebatur de Florehanges, qui & cognatus Ducis Lotharingię erat, & Præpositus S. Deodati, & Thesaurarius Metensis. Altera autem pars elegit quemdam Canonicum suum Theobaldum nomine de Porcellis, divitem nimis, sed grossum & gravem corpore. Inter quos diù de Episcopatu litigatum est. Dominus quippe de Salmis cum videret sibi tempus malefaciendi arridere, fabricas quæ priùs fractæ fuerant, instauravit, & nemora nostra ad prunas faciendas incidi fecit, & fabros ad ferrum ibidem instituit. E contra Conventus noster supradictas excommunicationes & proclamationes in ipsum Dominum de Salmis, & in coadjutores suos non cessabat promulgare. Quod ipse Dominus de Salmis ultrà modum ægrè tulit: & mittens satellites suos cum suo Renaldo armatos, abstulerunt omnes res nostras quas invenerunt, equos, boves, oves, vaccas & porcos: & ea quæ voluerunt, deduxerunt. Similiter & in grangiis nostris idem fecerunt. Sed & in eâdem die Cellam nostram in Bruscavalle, & domum nostram Anselmivillare idem tyrannus eâdem die omnibus bonis spoliari jussit, & hoc factum est sabbato proximo ante Septuagesimam. Sed cum crederemus eis sufficere quod fecerant, mane facto idem Renaldus cum complicibus suis venientes, invenerunt portas Claustri & ostia clausa, & petentes se intromitti, non est eis concessum: sed scalas muro applicantes transierunt, & descendentes ante cameram Abbatis, Claustrum intraverunt, & tollentes sibi claves Ecclesiæ & Claustri, & Cellarii; universam suppellectilem Monasterii potestati suæ subdiderunt. Deinde accersitis curribus, pulvinaria, ollas æreas, & patellas coquinæ, & omnia quæ in eleemosynam pauperibus distribuenda erant, in curribus suis asportaverunt. Deinde vassallos suos ad turres custodiendas deputaverunt. Matthæus verò Prior bonæ indolis juvenis, & cæteri Fratres, hæc videntes consideraverunt se hîc locum manendi non habere: cruce præviâ omnes ordinatè Monasterium exierunt, plorantes & deprecantes ut Deus omnipotens gressus ipsorum in viam salutis dirigeret: & sic procedentes eâ nocte apud Medianum-Monasterium pernoctaverunt. Deinde ad præceptum Abbatis ad diversa transierunt. In Claustro verò Senoniensi nemo Monachorum remansit, excepto me & quodam Fratre nostro Bertrando, qui gravi detinebatur infirmitate. Sed quia Deus non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat; hunc dirum nostræ Ecclesiæ vastorem, satis dignâ correctione admonere voluit. Nam uxori suæ prægnanti tempus pariendi advenit, & peperit filium, proh dolor! antequàm nasceretur, mortuum. Unde à pluribus per infortunium, imò vindicta Dei luculenta, maximè à parentibus plangenda fuit triplici modo. Primò quia abortivus natus & non baptizatus, creditur regnum Dei non posse possidere. Secundò quòd parentes ejus abortivi tam miserabiliter perdiderunt sibi futurum successorem & heredem; quia eis nunquam natus fuerat masculini sexûs puer. Tertiò, nec tam apertè castigati à malitiâ suâ cessaverunt: sed familiam totam Monasterii, scilicet carpentarios, furnerium, lavandarium, piscatores, ille diaboli satelles Renaldus

bonis ita omnibus spoliavit, ut vix in domibus eorum parietes erecti subsisterent.

De Gillone Episcopo Tullensi, & sententiâ per eum in Dominum de Salmis promulgatâ.

CAPUT IX.

DEnique cum cor nostri vastatoris contrà nos, sicut cor Pharaonis contrà populum Dei in Ægypto fuisset induratum, nos in tantâ tempestate non inveniebamus consolatorem. Quid plura? Canonicos Metenses consuluimus, auxilium eorum instantissimè imploravimus: sed quid dicam? Non fuit qui adjuvaret. Igitur cum Dominus de Salmis nos & Ecclesiam nostram, ut suprà dictum est, instanter molestaret, post diutinas alterationes, electi Metenses, Philippus scilicet & Theobaldus ad præsentiam Archiepiscopi Treverensis vocati sunt. Cujus industriâ nescio quo pacto dicti Electi ita pacificati sunt, ut ipse Theobaldus cederet, & Philippus confirmaretur Episcopus, & postea consecratus Episcopatum obtinuit. Dominus verò Abbas Balduinus, & quidam fratrum nostrorum ipsum Episcopum adeunt, & ei omnes calamitates nostras de verbo ad verbum, sicut suprà dictum est, intimaverunt. Qui Episcopus ita rudis & segnis à nostris inventus est, ut crederes eum nullius vigoris virum esse: sed tamen quædam verbis promisit, quæ facta non fuerunt. Fratres verò nostri venerabilem Gilonem Episcopum, quem Deus omnipotens sanctæ Sedi Tullensi Rectorem concesserat, dolentes petierunt, & ei quæ facta fuerant exposuerunt. Episcopus hæc audiens valde indoluit; & accersito Notario scripsit Alexandro Abbati Mediani-Monasterii, ut ad domicilium Domini de Salmis personaliter accederet, & eum diligenter admoneret ut de perpetratâ tam enormi iniquitate resipisceret, & ablata restitueret, & de tam impio facto Deo & Ecclesiæ satisfacere non differret. Accepto igitur Abbas mandato Episcopi, non segniter, sed zelo domûs Dei spoliatæ ductus, sibi injuncta accelerare properabat. Veniens igitur ad Villam quæ Baudouiller dicitur, invenit illum Angelum Sathanæ Renaldum, Ballivum Domini de Salmis in malitiâ nimis exercitiosum, qui interrogavit Abbatem quid quæreret. Abbas verò ei indicavit mandatum Episcopi sibi commissum. Ille ergo audiens iratus misit manus in eum, & tenuit eum & tradidit eum satellitibus suis in domo quâdam custodiendum, qui sedulò custodiebant eum, & expensas magnas in custodiendo Abbate faciebant, ita ut in duobus diebus & noctibus octo solidos Tullensium expenderent, putabant enim quòd Abbas omnia persolveret. Fratres igitur Mediani-Monasterii audientes quòd Abbas ipsorum captivus teneretur, cucurrerunt ad Præpositum Ducis Lotharingiæ Godefridum nomine, & indicaverunt ei quòd Abbas ipsorum captivus teneretur: Præpositus verò assumptis secum armatorum cuneis properabat ad villam illam ubi Abbas tenebatur, sed mediâ viâ consuluerunt ei ne ulteriùs procederet, nisi priùs inquireret si adversarii ei Abbatem Domini sui reddere vellent; alioquin quod vellet, rationabiliter facere posset. Præpositus enim eorum consilio acquiescens, misit duos milites qui Abbatem requisierunt. Ballivus audiens quòd Præpositus Ducis cum armatis ad se veniret, timuit, & Abbatem dimisit. Abbas verò mandatum quod acceperat solemniter exposuit, denuncians ab Episcopo Tullensi excommunicatum, & secundùm statuta Concilii Treverensis ipsum Dominum de Salmis excommunicatum, ac terram suam sub interdicto positam affirmavit, excepto viatico mortuorum, & baptismate puerorum. Et sic Abbas & Præpositus cum suis ad sua redierunt. Episcopus quippe Tullensis, qui se semper consuevit pro domo Domini murum ponere, zelo divino animatus, Domino Episcopo Metensi supplicavit, ut quod ipse contrà Dominum de Salmis & terram ipsius in Episcopatu Tullensi pro Ecclesiâ Senoniensi exercuerat, hoc ipse in Episcopatu suo contrà dictum Dominum denuntiare satageret. Episcopus ergo Domino Nemerico Plebano de Vico ad hoc faciendum cum literis suis apud Morehanges destinavit. Qui cum ad castrum ipsum devenisset, perlectis literis Episcopi admonuit ut Dominus de Salmis Ecclesiæ Senoniensi ablata restitueret, & de commissis satisfaceret, alioquin ipsum Dominum, & totam familiam suam, & fautores, & coadjutores ipsius excommunicatos denuntiabat, & terram ipsius auctoritate Metensis Episcopi, & statuti Treverensis sub interdicto positam constanter affirmabat. Familia igitur ipsius castri hæc audiens injecit manus, & tenuit eum: & mittens eum in compedibus ferreis vinctum custodiebat. Plebanus verò nolens longiùs ita detineri, hostagiavit se pro saxaginta libris, & sic recessit, & veniens, nuntiavit hæc Episcopo. Excommunicato quippe Domino de Salmis, & terrâ suâ sub interdicto positâ, ita ut nec mortuis catholica concederetur sepultura, nec sententia in ipsum & fautores suos & in terram suam data ab Archiepiscopo Treverensi, ut sperabat, est infirmata. Et cum super hoc ultrà modum torqueretur: ille suæ perditionis Ballivus, imo certè Antichristi, Renaldus inopinata damna, & molestias contrà Ecclesiam nostram excogitare cœpit. Nam adveniente tempore veris, quo agricolæ ad colenda arva & hortos procedere solent, ille malorum adinventor Renaldus prohibuit ne homines Ecclesiæ Senoniensis croadas debitas persolverent: nec agros nec hortos prout solebant excolerent. Audi, ô lector, adinventionis nefas permaximum: legimus in Annalibus historicis quarumdam civitatum agros, & terras in circuitu suo adjacentes, ab aliarum civitatum obsessoribus & hostibus sale seminatas, ut in ipsis terris ardor salis nullum semen germinare permitteret aut crescere; ut cum agri sale steriles effecti, nullum fructum proferrent, habitatores illarum civitatum fame attriti, seipsos & urbes suas inimicis suis tradere cogerentur: sic & iste nequissimus Ballivus ideo agros nostros & hortos coli prohibuit, ut nos & Ecclesia nostra penuriâ attriti, voluntati Domini sui velociùs subjiceremur. Sed in hoc dictus Ballivus suâ opinione fraudratus est: nam cum vir ille venerandus semper Dominus Gillo Tullensis Episcopus supradictam prohibitionem audivisset, statim datis literis præcepit eundem Dominum de Salmis, & omnes adjutores & fautores, & etiam Ballivos ipsius singulis Dominicis diebus & festivis per totum Episcopatum Tullensem excommunicatos denuntiari.

De tractatione pacis inter Ecclesiam Senoniensem, & Dominum de Salmis.

CAPUT X.

CUm igitur ipse Dominus de Salmis videret, quòd neque per malitiam suam, neque Ecclesiam nostram & nos opprimendo, neque per Archiepiscopum Treverensem in quo plurimùm confidebat, neque per ipsum Episcopum Metensem qui eumdem Dominum de Salmis invitus offendebat, neque demùm per Jurisperitos, & Advocatos, quorum copiam amplissimis donis & muneribus sibi ac-

quisierat, supradictam sententiam non posse revocari; considerans se in periculoso statu esse constitutum, cœpit de pace tractandâ anxiè cogitare. Sed quia ea quæ in his agendis competebant videbat esse difficillima, tùm pro rerum ablatarum restitutione, tùm quia in iis reddendis ad plenum ei facultas non suppetebat, & præterea quia de tam nefario facto Deo & Ecclesiæ Senoniensi & nobis eum satisfacere pudebat. Quia Dux Lotharingiæ Fridericus junior, qui tunc temporis de novo post patrem Maherum regnum Lothariense regendum acceperat; necnon & Comes Wadanimontis juvenis, & alii quamplures milites sua juvenilia corda sequentes, ipsum Dominum de Salmis ad mala potiùs quàm ad bona instigabant. Denique cum idem Dominus de Salmis consideraret, quòd nec nos nec Ecclesiam nostram molestando, nec Dominum Abbatem, nec Fratres nostros per diversa loca ad componendum de die in diem trahendo, pacem sibi competentem posset obtinere, Dominum Episcopum Metensem Philippum pro ipsâ pace rogaturus adire decrevit. Episcopus verò ipsum nolens offendere, parti ipsius magis favere cœpit, quàm nostræ. Habebat enim quemdam militem secum peritissimum loquacem, qui Albertus de Othonisvillâ dicebatur, qui aliquando Domini de Salmis consiliarius exstiterat. Hujus consilio pacem qualem voluit ordinavit: & comminatus est nobis quod si contrà illam ordinationem venire vellemus, ipse contrà nos & Ecclesiam nostram, imò certè B. Stephani, & suam, semper & in omnibus se acturum affirmabat. Quid igitur contrà hoc facere possemus, ignorabamus. Immisit tamen Deus in cor Abbatis ut firmiter assereret, se nunquam ea quæ Episcopus de pace componendâ ordinaverat, velle consentire, nisi priùs Dominus de Salmis ablata restitueret universa, quod & Episcopus acceptavit, & datâ securitate de restitutione faciendâ, Dominus de Salmis diem etiam assignavit. Unde incontinenti beneficium absolutionis petiit, quod & Episcopus Metensis libenter annuit. Semper verò reminiscendus Dominus Gillo Tullensis Episcopus asseruit se nunquam eum velle absolvere, nisi priùs daret cautionem, quod pro tam oneroso excessu mandato staret Ecclesiæ, Dominus verò de Salmis videns se nullam declinandi viam invenire posse; coram ipsis Episcopis, & Clericis, militibus, & aliis quampluribus corporali juramento solemniter præstito promisit se mandato Ecclesiæ & voluntati Domini Gillonis Tullensis Episcopi velle libenter obedire, & ita beneficium absolutionis meruit, & ejus terra ab interdicto est liberata. Deinde Dominus de Salmis credens quòd Conventus statim, & thesaurus, & res aliæ Monasterii, quæ ad alia loca pro metu guerræ translata erant, incontinenti ad Claustrum reduci deberent, præcepit ut homines Ecclesiæ nostræ croadas & hortos, sicut antea solebant, excolerent, & ea quæ Ecclesiæ debebant, persolverent. Hoc præceptum datum est ultimâ septimanâ Aprilis quæ fuit illo anno proximior Paschæ. Ballivus igitur prædictus ad Claustrum veniens, ejecit, sicut promissum fuerat Episcopis à Domino suo, custodes turrium & Monasteriorum, & universam familiam Domini sui à Monasterii curiâ expulit. Et hoc factum est proximâ feriâ sextâ ante Pascha, quæ Parasceve appellatur. Sed de rebus ablatis nihil est restitutum. Unde Dominus Abbas satis sagaciter hoc fertur egisse, quòd ante restitutionem rerum ablatarum noluit concedere, quòd Conventus ad Monasterium reverteretur: & ita in Monasterio Senoniensi divina omninò siluerunt à die Parasceve usque ad subsequentem vigiliam Nativitatis Domini, & in Claustro nostro nullus Monachorum degebat, excepto me, Richero scilicet, & Bertrando qui gravi detinebatur infirmitate, & quodam Monacho nostro, Hugo nomine, qui valde astutè dispersa recolligebat; & aratra boum & caballorum satis sagaciter instruebat, & omnia quæ obedientiæ suæ competebant ita prudenter disposuit, ut nihil de omnibus pro posse suo sineret deperire.

Quòd Dominus de Lietstemberch deprædatus est terram Episcopatûs Metensis sede vacante.

CAPUT XI.

Enimverò, quia occasio se ingerit ut à materiâ aliquantulum disgrediamur, & retrogrado cursu à morte bonæ memoriæ Jacobi quondam Metensis Episcopi, ea quæ explicare volumus, initiare curavimus. Igitur defuncto dicto Episcopo & sede Metensi adhuc vacante, quidam tyranni suis viribus confisi, terras Episcopatûs invadere & deprædari non timuerunt. Sicut supradictus Dominus de Salmis Ecclesiam nostram Senoniensem crudelissimè pro posse suo, ut suprà dictum est, opprimere, imò ad nihilum redigere conatus est. Similiter & Dominus de Lietstemberch credens quidquid in ipso Episcopatu mali facere voluisset, perpetualiter multum permanere; idem quippe Dominus de Lietstemberch videns Episcopatum Metensem sine defensore esse, accersitis secum satellitibus suis accessit ad Claustrum, quod Novum-villare appellatur, & fraude oppidum, quod ante ipsum Claustrum situm est, armatâ manu intravit. Promiserat quippe se illis nihil mali facturum; sed promissionis suæ impudenter oblitus, ipsum oppidum rebus omnibus spoliavit, & domos funditùs destruxit, & lapides & ligna domorum, & universa spolia ibi inventa in curribus & in equis sibi asportari fecit: & cum his omnibus quemdam montem ascendit, qui situs est juxtà castrum quod Erneste appellatur, ibique in fundo Episcopatûs castrum erexit, & de lapidibus & lignis quæ de oppido tulerat, illud ædificari jussit. Similiter & quamplures alii tyranni res & bona Episcopatûs diripere non timuerunt.

De introitu Philippi Episcopi Metensis cum exercitu suo in terram ipsius Domini de Lietstemberch.

CAPUT XII.

Igitur cum ita res se haberent, & Philippus, de quo suprà diximus, Episcopatum Metensem obtinuisset, & castra & munitiones & terram sibi ritè vendicasset, vocatis ad se Magistratibus civitatis Metensis, ab ipsis requisivit quid de tyrannis illis, qui Episcopatum ipso absente invaserant, fieri deberet. Et responsum est ei, quia hæc injuria Episcopatui illata ipsos cives Metenses sicut Episcopum tangere deberet: ipsi verò pro injuriis illis vindicandis, & se & sua prout deberent exponere parati erant. Episcopus verò statim missis nuntiis mandavit Duci Lotharingiæ Friderico Juniori cognato suo, ut cum exercitu ad se veniret, quia Dominus de Lietstemberch ei multa damna & injurias intulerat, quas in eum vindicare conabatur. Dux cum hæc audisset, satis ei placuit, & missis nuntiis accersivit sibi Burgundionum & aliarum gentium grandem multitudinem. Episcopus verò mandavit Comiti Barrensi ut in armis ad ipsum veniret, qui misit Episcopo cuneum armatorum, sed in propriâ persona non venit. Idipsum Rex Navarræ fecit. Congregato igitur exercitu Episcopus terram illius de Lietstemberch cum gente suâ intravit, & fixit ibi tentoria; æstimatus

est quippe exercitus ille super omnes exercitus qui nostris temporibus in Lotharingiâ exstiterunt. Dominus igitur de Lietstemberch videns terram suam à gente istâ occupatam, valde expavit, & Walterum adiens Episcopum Argentinensem, rogabat eum ut ei succurreret. Quod cum audisset Episcopus, timuit ne Dux cum exercitu tanto terram illam intraret, sic quippe fama se habebat. Idem verò Episcopus videns sibi & terræ ingens periculum imminere, missis nuntiis, adunavit sibi non modicam multitudinem armatorum: & etiam ab Argentinensibus auxilium petiit, qui non acquieverunt, sed dicebant civitatem suam se velle custodire. Episcopus iterum mandavit eis, ut saltem exercitui suo mercatum ministrarent. Cives responderunt quòd ad custodiam civitatis suæ rerum facultas vix eis sufficeret. Episcopus denique videns se à civibus suis fore derelictum, misit in civitatem ut quasdam res suas, quas intùs habebat, ad se deduci faceret, quod & cives non consenserunt, sed nuntios Episcopi ad Dominum suum vacuos remiserunt. Quod ipsis & toti Alsatiæ grande scandalum fuit. Denique Episcopus Argentinensis desiderans copiam armatorum habere, misit ad Archiepiscopum Treverensem, qui ei cognatione proximus erat, ut ei veniret in auxilium. Cum ergo ipse Episcopus adunasset quos potuit convocare, videns quòd ipse exercitui Episcopi Metensis resistere non valeret, cœpit de pace tractare, quæ sic, ut fertur, est ordinata. Dominus quippe de Lietstemberch contulit se ditioni & voluntati Episcopi Metensis; erat enim homo ejus. Denique promisit Episcopo quòd oppidum illud ante Claustrum de Novo-villari situm, quod ab eo superiùs diximus fuisse destructum à fundamentis, in meliorem statum per omnia reædificaret, & spolia ablata restitueret, & castellum quod ædificaverat penitùs destrueret. Hac igitur pactione per Magnates illius terræ ordinatâ, & per literas inde confectas, prout debuit, etiam condignam satisfactionem Domino Episcopo de perpetrato scelere, datis fidejussoribus, se facturum repromisit. Unde & castellum quod in fundo Episcopatûs erexerat, incontinenti totaliter eversum est & destructum. His ergo omnibus, ut suprà dictum est, ordinatis, exercitus ab invicem separati ad sua redierunt. Sed quia de Argentinensibus & Episcopo eorum superiùs mentionem feci; de cruentâ guerrâ, quæ modicâ occasione inter ipsos postea invaluit, sicut à veridicis relatoribus didici, partem relatione dignam ad posteros destinare curabo.

De initio guerræ Walteri Episcopi Argentinensis contrà cives Argentinenses.

CAPUT XIII.

IGitur cum guerra Domini Lietstemberch talem ut dictum est, finem percepisset, Walterus Episcopus Argentinensis ad propria revertens, cœpit Argentinenses duriter calumniari, quare in tantâ necessitate ei non succurrissent, cum viderent eum contrà adversarios patriæ bellum voluisse committere. Qui Argentinenses responderunt: Si Episcopus pro defensione Episcopatûs sui aliquam pateretur necessitatem, ipsi pro viribus ei succurrere festinarent. Res igitur Episcopi ideo detinuerunt quia audierant Ducem Lotharingiæ Alsatiam in manu forti velle intrare; ut si forte Dux eis nocere vellet res illæ tam Episcopo quam civitati in subsidium forent. Episcopus verò hæc audiens responsum illorum non acceptavit; sed missis Nuntiis omnes cives excommunicatos denuntiari præcepit, & civitatem illorum interdicto supposuit: Clerum universum exire coëgit. Argentinenses quoque cum hæc audirent, miserunt Prædicatores, Fratres Minores, & alios discretos viros ad Episcopum, si forte aliquam formam pacis ab eo habere valerent, nec obtinere potuerunt. Sed & consilio Domini de Gerohseke, qui & pater erat ipsius Episcopi, hæc omnia fiebant: erat quippe in substantia & argento opulentissimus, & dives valde nimis: habebat enim idem de Gerohseke citrà Rhenum montes in terrâ suâ, è quibus argentum abundanter effodiebatur, cujus adjutorio etiam ferebatur in Episcopatu Argentinensi filium suum Walterum inthronisasse. Idem verò Episcopus verbis patris animatus, Argentinensibus bellum indixit: & quòd civitatem obsideret, satis acriter comminatus est. Argentinenses verò propugnaculis & aliis defensionibus necessariis civitatem suam munierunt. Episcopus quippe adunato exercitu civitatem obsedit eâ parte quâ de civitate itur ad vicum, qui appellatur Kungushove, & ibi tentoria fixit. At ubi Episcopus exercitum vidit in tanto negotio sibi non sufficere, missis Nuntiis mandavit Archiepiscopo Treverensi, ut in armis ad se veniret: qui veniens adduxit secum cuneum armatorum satis honestum. Qui cum venisset juxtà civitatem, credidit aliquos de civitate elicere ut cum eis confligeret. Illi verò de civitate cum vidissent Treverenses dictum vicum Kungushove in equis intrasse, gavisi sunt valde, quia ipsi trabes grandes ex transverso vici ipsius composuerant, ita ut equitantes ad pedites venire non poterant, pedites verò cum equitantibus pugnare valebant: unde ipsi Argentinenses ad arma cucurrerunt, & intrantes domos per ostia, aut per fenestras, alii per subtus trabes lanceis equos perfodiebant: balistarii verò sessores equorum sagittis perforabant. Videntes igitur Treverenses se intolerabiliter læsos, alii pedes, alii in equis ad mortem vulneratis, vix vicum exierunt; & venientes in campum, quorumdam equi vulnerati sub se mortui cadebant. Feruntur siquidem in ipso conflictu Treverenses centum & quadraginta equos perdidisse. Archiepiscopus cum vidisset tantum suorum damnum & rerum ipsorum tam inopinabiliter incurrisse, Episcopo Argentinensi valedicens ad propria est reversus cum suis. Episcopus Argentinensis considerans, quòd nihil in obsidione ipsius civitatis proficeret, cum exercitu suo ab eâ recessit. Attamen Episcopus in villis quibusdam adjacentibus civitati armatorum cuneos posuit, qui exitus civium de civitate diligenter observarent: unde contigit ipsos Argentinenses de civitate incautè exire; quos milites Episcopi invadentes, quosdam trucidaverunt, quosdam captivaverunt, reliqui verò fugientes ad civitatem suam reversi sunt. Igitur Argentinenses considerantes suos ideo cecidisse, quia sicut oves errantes sine duce ad prælium exierant: unde coacti sunt cum comite Rodulpho de Habesporch convenire, quem sibi Dominum & Ducem præfecerunt. Videns igitur Comes Rodulphus, quia Episcopus Argentinensis quædam oppida & villas Regis Alemanniæ in Alsatiâ custodienda occupaverat, molitus est ea sibi vindicare. Unde quidam Comes Godefridus nomine, cognatus ipsius Rodulphi, ejus fultus consilio, oppidum, quod Columbaria appellatur, in Episcopatu Basiliensi armatâ manu intrans inopinatè, ita villam sibi subegit. Quam Episcopus Argentinensis sibi cupiens reacquirere, cuneum armatorum signis armorum Comitis Rodulphi fraudulenter indutum misit Columbariæ; ut ita per signa quæ acceperant, non possent agnosci quia milites essent Episcopi. Milites verò Episcopi ita dolosè venerunt ad portam Columbariæ; mentientes se esse milites Rodulphi, petierunt se intromitti.

Columbarienses igitur cognoscentes signa armorum Comitis Rodulphi, aperuerunt eis portam : qui relinquentes equos ante portam, pede tenùs Columbariam intraverunt. Episcopus verò à longè cum exercitu suo sequebatur eos, ut cum illi villam introissent, ipse subsequendo ipsam sibi subjugaret : sed Episcopus suâ opinione fraudatus est: nam cum Columbarienses deprehendissent illos non esse quos se esse simulabant; Columbarienses ad arma currentes illos invaserunt. Quidam verò Columbariensium timens ne plures in adjutorium illorum subintrarent, ascendit portam, & portam collisam ab alto ad ima dimisit : & ita Columbarienses cum militibus Episcopi confligentes, universos interfecerunt. Episcopus autem tandem veniens invenit portam obstructam, & audiens voces pugnantium in oppidum, confusus recessit. In quo conflictu de gente Episcopi plusquàm quinquaginta feruntur interiisse.

De obsidione & captione oppidi de Mulnehuse à Rodolpho factâ.

CAPUT XIV.

Comes igitur Rodolphus videns sibi favere fortunam adunato non modico exercitu obsedit oppidum, quod Mulnehuse dicitur, in Episcopatu Basiliensi situm, quod & Rex Alemanniæ Episcopo Argentinensi commiserat custodiendum. Homines verò illius oppidi obsidionem illam ægrè ferentes, Comiti Rodolpho se ultrò contulerunt qui eos gratanter suscepit. Sed milites Episcopi, & Balistarii, qui erant in castello quod oppido præeminet, valde oppidanos molestabant : sed Comes Rodolphus nolens hoc diutiùs sustinere, cœpit castellum impugnare, quod tandem expugnavit, & castellanos deduxit captivos, & spolia multa, quæ à circumadjacentibus villis in castello illo recondita erant, fecit asportari, & deinde ipsum castellum funditùs destruxit : & ita Comes Rodolphus Mulnehuse obtinuit. Episcopus igitur Argentinensis cum audisset quia Mulnehuse & Columbariam, & milites suos, & terram quam à Rege Alemanniæ custodiendam acceperat, tam infeliciter perdidisset, habito consilio misit fratrem suum, ut terram Comitis Rodolphi ubicumque positam occuparet, & penitùs devastaret. Appellabatur enim idem frater Episcopi Advocatus Alsatiæ. Qui adunato non modico exercitu intravit Alberti-vallem, sed tempore incompetenti : erat enim vigilia Octavarum Christi; dispersitque exercitum suum per trifariam divisionem vallis illius, & ita in valle illâ pernoctavit. Mane autem facto domos & omnia quæ in eis erant igne combusserunt, & ita vallem totam destruxerunt. Eadem nocte nivium multitudo super terram cecidit. Eadem etiam nocte gens Episcopi de Bruscavalle armati terram Comitis Rodolphi, scilicet Sales, & Bruscam, & alias Villas in montibus illis invaserunt, & quæcumque spolia invenerunt, secum asportare curabant, sed rustici illius terræ adunati in quodam monticulo substiterunt, prædonum suorum reversionem præstolantes. Et cum viderent eos spoliis oneratos, ita ut vix discederent, irruerunt in eos; & interfecerunt ex ipsis triginta quinque, exceptis vulneratis, qui volentes fugere mortem, mortem invenerunt; nam in vepribus & spinis, & sylvis se abscondentes, à nivibus congelati, mortui sunt. Sed infortunium irrecuperabile Episcopi hominibus evenisse creditur, quia tam enorme factum in tam sacrâ solemnitate Octavarum Domini perpetrare præsumserunt; sicut fratri contigit Episcopi, qui totam Albertivallem eâdem solemnitate exspoliavit & igne consumsit. Igitur milites Episcopi dolentes super his qui in dictâ terrâ interfecti sunt, adunato armatorum cuneo, venerunt ad villam, quæ Novum-castrum dicitur, & illam igni tradiderunt. Inde ad Sales venientes fecerunt similiter, & postea villam Bruscam incenderunt. Quid dicam? la Verne, Salacie, Stamdoimont, Ranrumper, cum Ecclesiâ sancti Vincentii & Conretum totaliter igne consumserunt, & ita ad propria redierunt. Non multo post ex utrâque parte, scilicet Argentinenses in terrâ Episcopi & adjutorum suorum, & Episcopus in Argentinenses & eis faventes ita rapiendo, spoliando, insidiis sævire cœperunt, ut tota Alsatia ita depopulata & vastata diù sedere in tristitiâ cognoscatur : si enim universa incommoda, conflictus, villarum incendia, deprædationes villarum, terrarum vastationes sigillatim huic paginæ nostræ imprimere vellem, certè lectori fastidium incutere viderer. Ipsa enim Alsatia tot calamitatibus oppressa, suam miseriam gemitibus inenarrabilibus innotescere non cessat. Sed quia de infortunio guerræ Argentinensium, & Episcopi eorum Walteri aliqua digessimus, veniamus ad malleum ipsius guerræ quod miserabiliter ipsius tutudit Episcopum.

De conflictu Walteri Episcopi cum Argentinensibus & de interfectis & captivis ab Argentinensibus.

CAPUT XV.

Cum igitur Walterus Episcopus in quodam castello suo quod Dakvestein appellatur cum suo exercitu undecumque adunato ad tutelam sui degeret, Argentinenses quodam die de civitate parati ad bellum exierunt. Episcopus hoc audiens cum suis armatis, Argentinensibus bellum indixit. Argentinenses verò contrà Episcopum processerunt, & ita bellum inierunt. Argentinenses igitur sibi ascias fecerant fabricari, quos Franci Haches Danoises appellant, quibus Argentinenses exercitum Episcopi ita detruncaverunt, ut nec scutum, nec galea, neque lorica, nec demùm alia armatura durare posset. Præterea cum pugna ita ingravesceret, & cæde intolerabili inter se confligerent, exercitus tamen Argentinensium crescebat. Nam quia bellum erat propè civitatem, illi qui in civitate custodiæ causâ remanserant, videntes suos in agone certaminis viriliter laborare, zelo victoriæ moti, cum civibus suis in succursum venire festinarunt, in exercitum Episcopi cum furore irruentes, quotquot coram se invenerunt morti tradiderunt. Videntes igitur Magnates exercitûs Episcopi, & præcipui milites de eodem conflictu non posse evadere, elegerunt sibi potiùs cum Argentinensibus captivi vivere, quàm cum ipsis confligendo mori : ita Argentinenses illos armis spoliatos captivos in civitatem suam transmiserunt. Igitur Argentinenses considerantes Deum in hoc conflictu sibi favere, irruentes in aciem in quâ Episcopus erat considerans suorum interitum, ipsam totam deleverunt, & equum Episcopi interfecerunt, ita ut ipse Episcopus ad terram corrueret. Quidam autem milites qui circà ipsum erant, eum in equo levaverunt, & de bello eum exire compulerunt. Argentinenses igitur quos voluerunt ex illis occiderunt, & alios in civitatem suam secum captivos deduxerunt. Igitur in crastino Argentinenses de civitate exeuntes ad locum certaminis ad spolianda cadavera mortuorum devenerunt; & quidquid unusquisque sibi assumere potuit, secum asportavit. Cum igitur Argentinenses per campum interfectorum ad rapiendum discurrerent, contigit quemdam ipsorum quemdam mili-

tem invenisse in campo jacentem, armis pretiosis armatum: cumque appropinquasset, vidit adhuc in ipso animam esse, & interrrogavit eum dicens: Quis es tu? Miles verò respondit: Ego sum frater Episcopi Argentinensis, dictus Advocatus Alsatiæ, & subjunxit: O si me ad tutum locum velles deducere, & mihi vitam reservare, ego te omnibus bonis ditarem. At ille dixit: Ego verò mallem hìc potiùs mori quàm te vivum dimittere; & ita ipsum interfecit: & cum illum armis spoliaret, & loricâ, qua indutus erat, ex averso ipsum exueret usque ad manus, invenit ipsas catenulis, sicut mos est armatis, ligari, timuit ne malo suo ibi diutiùs remaneret, illi militi ambas manus cum loricâ abscidit, & ita illum militem detruncatum mortuum reliquit in campo, & secum manus ipsius militis cum armis suis ad civitatem deportavit; & ita Argentinenses alios mortuos rebus omnibus spoliatos reliquerunt; alios autem in civitatem secum captivos deduxerunt, & in Claustro majoris Ecclesiæ in compedibus ferreis missos detinuerunt, obstruentes fenestras & ostia, ita ut nulli daretur exeundi vel introeundi facultas; exceptis his qui ipsis captivis ministrabant. Captivorum igitur numerus fertur octoginta extitisse, exceptis his qui in bello occubuerunt, quorum certus numerus inveniri non potuit. Sed quia Episcopus de fratre suo fuit sollicitus, cum diù quæsitus fuisset, tandem ita manibus abscissis, sed vix cognitus, invenitur inter quamplures interfectos qui in eodem campo jacebant: quem Episcopus in quodam Hospitali juxtà villam, quæ Thoroholtse dicitur, cum pluribus militibus & aliis juvenibus, qui in supradicto bello interfecti sunt, sepeliri fecit. Sed adhuc victoriâ ipsâ Argentinenses non fuerunt contenti, sed terram Domini de Gerohefke, & etiam ipsius Episcopi, & universa bona militum eis faventium, spoliis, deprædationibus, & rapinis & tandem incendiis omnia vastaverunt. E contra Episcopus Argentinensium bona omnia fautorum ipsorum depopulatus est, ut ignis omnia consumeret, & gladius hominum carnes devoraret. Sed cum fortuna in tantis malitiis partibus arrideret, benignitas divina dictis bellatoribus aliquantulum parcere volens, ipsum Episcopum infirmitate detineri toleravit: & sic aliquo tempore eadem infirmitate detentus, viam universæ carnis ingrediens defunctus est: & ita guerra illa ex unâ parte finem accepit. Sed quia cum hæc scriberemus, de futuris nihil adhuc perceperamus, potiùs silere, quàm falsa cudere voluimus.

Quòd Comes Barrensis procuravit depositionem ipsius Philippi de Episcopio.

CAPUT XVI.

IGitur quia falláciæ Comitis Barrensis pluribus notæ sunt, quædam huic libello nostro inserere curavimus. Cum igitur Comes Barrensis electioni Philippi Metensis resistere non valeret, mirabilem nocendi viam adinvenit. Et quia Urbanus Papa IV. de novo Sedem Apostolicam occupaverat, cui idem Comes plurimùm confidebat, eo quòd cum idem Papa Episcopus fuisset Virdunensis, quo tempore idem Episcopus compater dicti Comitis effectus est. Qui Comes latenter iter arripiens Romam profectus est, quem ipse Papa libenter excepit. Sed quia idem Comes noluit publicè se Episcopo Metensi objicere, per quosdam Canonicos Metenses ipsum Episcopum de vitio simoniæ aggressus est: & super hoc Archiepiscopum Remensem inquisitorem à Papa obtinuit: & sicut nihil profecisset, cum silentio ad propria rediit. Canonici verò qui hanc causam procurando susceperant, ad Archiepiscopum Remensem venerunt, & omnia ei indicaverunt. Archiepiscopus verò, prout potuit, ipsam inquisitionem sine debito non terminavit; sed ad favorem Comitis quæcumque voluit Domino Papæ rescripsit, sed antequàm causa ipsa finiretur, ipse Archiepiscopus judicio Dei lecto decubuit, & mortuus est: similiter & unus Canonicorum illorum qui causam terminandam susceperant, qui inter illos major videbatur, etiam in Curiâ Domini Papæ mortuus est. Episcopus verò Philippus videns sibi Episcopatûs & honoris sui periculum imminere; præsertim quia Fridericus Dux Lotharingiæ Junior ipsum Episcopum super magnis expensis quas pro ipso Episcopo se fecisse asserebat, valde infestaret, inito consilio, ut breviter loquar, totius Episcopatûs custodiam Comiti Barrensi contulit: & ita Metenses cum Episcopo & Comite Barrensi, corporali juramento interposito dictum factum confirmarunt. Quo audito Dux Lotharingiæ inito consilio cum cognatis Episcopi, qui etiam aliqua ab ipso Episcopo exigebant, quasdam munitiones Episcopatûs occupaverunt, scilicet castra Homborch & Trikedei. Enimverò quia Dux Lotharingiæ credebat Comitem Barrensem sibi velle adversari, secessit in partes Coloniæ, ut ibi à parentibus suis armatorum, quibus terra illa abundat, auxilium postularet. Sed antequàm Comes Barrensis custodiam Episcopatûs susciperet, contigit Comitem Wadanimontis cuncum armatorum adunasse: & quia terra Episcopatûs nondum Comiti Barrensi commissa erat, dictus Comes Wadanimontis terram Episcopatûs cum suis satellitibus invasit. Gens verò Episcopatûs & etiam Ducatûs adunati venerunt ad villam, quæ Wassoncourt dicitur: cum subitò Comes Wadanimontis cum suis ordinatis aciebus illos invaserunt, & alios quidem vulneraverunt, alios interfecerunt, alios verò captivaverunt, & quod deterius est, rustici illi fugientes mortem occurrerunt morti; & cum crederent se in aquis salvari, in eisdem aquis submersi sunt; ita ut centum quadraginta Mosella deglutivit, & sic illi ad propria reversi sunt. Ballivi verò Ducis & Episcopatûs audientes hoc infortunium, adunantes non modicos armatorum cuneos intraverunt terram Wadanimontis, & sic eam igni tradiderunt, & quidquid spoliorum invenire potuerunt, deportaverunt. Comes verò versâ vice quidquid invenire potuit circa Bruiers & circà Spinal, totum igni consumsit.

Sed quia aliquantulum ab historiâ digressi sumus, ad depositionem Philippi Episcopi revertamur. Cum igitur Comes Barrensium potestate Episcopatûs totaliter potitus fuisset, subitò adversarii ipsius Episcopi cum litteris suis ipsum Philippum de sede suâ detruserunt. Quid plura? Philippus accersitis sibi paucis Curiam petiit, sed quid sibi profecerit ignoramus. Papa verò cuidam Clerico Comitis Barrensis consanguineo Metensem Episcopatum contulit, & cum litteris Papalibus, ubi vellet, & quando vellet in Episcopatum promoveri fecit. Comes verò Barrensis cum videret se & terram suam, & Episcopatum à gentibus Lotharingiæ tam miserabiliter vastari, igne cremari, & villas solo tenùs irrecuperabiliter detrui, adunato exercitu magno castrum Ducis Lotharingiæ, quod Prigney vocatur, obsedit, & ibi quinque septimanas sedens nihil profecit, licet multa ibidem in vanum expenderet. Sed cum Comes videret Ducem Lotharingiæ terram Episcopatûs & suam miserabiliter delere; considerans etiam quòd Magnatibus Franciæ & aliis militibus

quos ad id opus asciverat, maxima donativa, & victus necessaria oporteret dari, expavit, mandavit: ut fertur, Episcopo Metensi si placeret tantum exercitum cum tam magnis sumptibus diutiùs retinere: ille respondit, quia tota terra Episcopatûs in manu suâ esset, quod expedire videret, hoc faceret. Comes verò hæc verba silentio premens mandavit amicis, qui in exercitu Ducis erant, ut de pace tractarent: quod & factum est: sed de modo pacis vix aliquis certitudinem referre potest; & sic ista ita relinquamus. Sed tamen quoddam infortunium silendo supprimere non arbitramur. Comes quippe Wadanimontis accersito sibi quodam milite de Burgundiâ, qui in furandis oppidis, villis & castris peritissimus erat latro; adhibitis etiam aliis satellitibus, in formâ mercatorum arma sua in saumariis suis occultaverunt, & ita sparsim, non in unâ acie, sed globatim quasi mercatores venientes interrogabant quolibet hospitium; & ita domos Novicrasti intraverunt, & sarcinas armorum in secretioribus cameris, sicut moris est mercatorum, deputarunt. Cum igitur hospites intenti essent ad necessaria procuranda, milites ad arma in interioribus cameris cucurrerunt, & signo facto quislibet hospitium suum spoliare cœpit. Et mirum cum burgenses omnes illius oppidi præsentes essent, & inermes, quòd nullus in eis misit manus: illi autem effugerunt. Burgundiones verò asportantes quæcumque invenerunt, bigas, & currus suos onerantes ad terram suam redire cœperunt: sed cum prope terram Ducis devenirent, quidam homines Ducis ibi adunati, adventum eorum præstolantes, in ipsos irruerunt, & quos voluerunt vulneraverunt, & quos voluerunt interfecerunt, & quos voluerunt ligatos duxerunt.



MONITUM.

HISTORIAM *de Monasterii sancti Viti Gladbacensis fundatione, & antiquiori progressu, Diœcesis Leodiensis, deinde Coloniensis, nunc primùm in lucem emittimus, cujus primordia sic refert Trithemius in Chronico Hirsaug. ad annum* 974. *pag.* 36. Gero Archiepiscopus Coloniensis fundavit Monasterium insigne Ordinis nostri in Diœcesi suâ quod Gladbach nominatur, uno dumtaxat milliari distans ab oppido Nuissensi: quod multis prædiis & ornamentis ditavit. Primus autem ejusdem Cœnobii Abbas fuit Sanderadus vir sanctissimæ vitæ, & regularis disciplinæ tam in se quàm in subditis suis maximus cultor, qui multis virtutibus & signis clarus in vita, & post mortem sanctorum catalogo insertus est, cujus dies festus 9. Kalend. Septemb. agitur. *Historiographum Monachum fuisse Gladbacensem apparet ex præfationis hisce verbis:* Sanctissimo Patrono nostro Vito interveniente. *At nomen haud in promptu est divinare. Indubitatæ se fidei attestatur Historiographus iste, utpote qui ea quæ narrat sibi ab Henrico Antistite, sc. S. Pantaleonis Coloniensis,* cum veneratione nominando; *tradita fuisse scribit: deinde à sanctissimo Abbate* Wol*felmo Henrici nepote.*

HISTORIA

DE FUNDATIONE MONASTERII S. VITI Martyris in Gladbach, Diœcesis Coloniensis; Auctore anonymo.

PRÆFATIO AUCTORIS.

IN domo patrisfamilias habentur vasa multiplicia, communiter quidem, sed differenter necessaria; nam cum quædam ad gloriam, quædam verò ad contumeliam sint; quæ videntur viliora, sæpe probantur utiliora; contraque quæ cariora, minùs probantur utilia. Sunt quidem aurea & argentea in divitum thecis diligenter reposita, sunt lignea & testea divitum & rusticorum usibus æquè ministrantia, hæc verò pretiosiora, illa sunt utiliora. Sicsic nimirum Dialecticorum & Rhetorum astutia sapientibus solis, simplicitas verò columbina doctis simul patet & idiotis. Unde nos consulentes simplicioribus, intentionis nostræ seriem humili stylo descripsimus, succingentes eam, & rusticitatem devitantes quammaximè potuimus, ne sermo gravis vel nimis horreret incultus, aut ultrà modum fastidium generaret productus.

Fundatio Gladbacensis Monasterii. An. Chr. circiter 974.

Verùm ne quis juniores nos, quod non accepimus finxisse calumnietur, relationem habere veracem gloriamur, cui nos non solùm, sed testimonium dicunt quotquot eum noverunt. Abbas enim HENRICUS cum veneratione nominandus, hujus nobis Historiolæ auctor exstitit, qui & tantos testes nominavit, quantos in ipso, de quo agimus, Monasterio Abbates vel seniores probatos esse contigit. Habemus autem & nos cum multis aliis idoneum testem WOLFFELMUM Monasterii Brunweilerensis Abbatem, cui pro religionis & sapientiæ reverentiâ fides est major adhibenda; qui à præfato viro tanto enucleatiùs omnia percepit, quanto familiarius cum eo, utpote avunculo suo, conversari meruit. Scribere verò proposuimus Monasterium illud Gladbacense revelatione divinâ constructum, qualiter quotiescumque sit invidiâ insti-

A quibus Auctor suam hausit historiam.

gante destructum, & inhabitantes cum Abbatibus pulsi atque transmigrati, donec demùm miserendi tempore sanctissimo Patrono nostro VITO interveniente, licet non in pristinum statum, utcumque tamen reformatum & stabilitum est. Sed his ad exhortandam fidem, simul & legendi curiositatem Lectori prælibatis, ad ordiendam accingamur materiam narrationis.

CAPUT PRIMUM.

Cœnobii Gladbacensis initium. Gero Episcop. Colon. fundator.

REcordationis igitur piissimè GERO successor datus FOLEMARO Coloniensi Episcopi, cum Pastorali solertiâ invigilavit gregi sibi commisso; bonis enim pollens moribus, per cuncta laudabilis, non à se, sed à Deo est commendatus. Cum autem quam ruminabat sedulus devotionem, in aliquam Deo placitam transferre conaretur actionem, revelatum est ei divinitùs, quòd in colle consito nemoribus, rivulo præterfluente, Deo & pretioso illi Martyri S. VITO Monasterium deberet construere cœnobiali regulariter informatum Religione.

CAPUT II.

Sandradus S. Maximini Monachus, selectus ut ædificando Cœnobio det operam.

POntifex enim Deo plenus, divinæ voluntatis exequutor haud tædiosus, de Cœnobio S. Maximini, unde tunc temporis monasticæ vinæ botros virtutum germinantis odor longè lateque spargebatur floridus, virum consciscivit strenuum prælibato operi præponendum, disciplinis regularibus apprimè eruditum nomine SANDRADUM, cui cum propriæ voluntatis, divinæque panderet ordinem revelationis, placuit in commune singula suæ diœcesis loca circuire, sic fortè locum à Deo prælectum inventum iri.

CAPUT III.

EXeuntes ergo exploratores pii, actiones suas postulabant Deo aspirante præveniri, & adjuvante prosequutum iri, multisque Saxoniæ locis curiosâ indagine circumspectis Leigelingen devenerant; ibi post corporum recreationem factâ deambulatione perspicaciter omnia desiderantes considerare, locum invenerunt, ut eis visum est, visioni congruè respondentem, fluviumque Wiperam propè fluentem. Quocirca læti admodum effecti, & quod votis omnibus quærebant se invenisse rati, Domino, qui puris manibus & mundo corde invocantibus semper præsto est, laudes dicunt, moxque Monasterii officinarumque spatium vallo cingunt.

CAPUT IV.

VErùm omnipotens Deus, qui pia fidelium vota clemens dignatur intueri, passus non est eos incassum diutiùs fatigari, sed apertè signavit hunc non esse locum, quem Antistiti devoto construendum præmonstravit; nam cœpto opere etiam in dies proficiente, nuntii venerunt Imperatoris OTTONIS secundi, post obitum patris in administrationem Monarchiæ recens ordinati, quorum adventu gratulabundus Episcopus, ut humani mos est ingenii in rebus agendis amicorum favoribus delectari, acceptâ legatione præcepit solito citiùs mensam parari: & omnibus affluenter epulantibus nuntiisque regiis contrà Episcopum honorabiliter residentibus (unus enim ex eis erat Clericus & alter laïcus) misit eis Antistes jecur cervinum lautiùs curatum, erat enim tempus autumnale quo venatio imminet cervorum præcipua: laïco autem carnem incidente sæpiùs, Clericus incisam rapiebat avidiùs, donec quasi jocando laïcus cultello vulnus in genu levissimum inflixit Clerico, moxque cum tenui sanguine in ipso mors est subsequuta momento.

CAPUT V.

STupentibus verò qui aderant universis, & de eo quod acciderat, mente consternatis, varia quoque more vulgi, opinione gentili conferentibus, spiritu sapientiæ & intellectûs repletus Episcopus, silentio facto, in hæc est verba concionatus: Nemo fortuitum putet vel fatale, quod in præsentiarum cernitur contigisse; fatum enim vel fortuitum nihil esse constat, sed providentia divina ritè quæ condidit, regit, proprio nutu dispensat. Quòd si homo rationalis semper apertos teneret oculos mentis, invigilans ad adventum judicis, nequaquam ita formidabiliter in subitaneæ foveam mortis incideret; nam piè monens in Evangelio Dominus ait: *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus venturus est.* Mat. 24. 42
Quia ergo & venturæ mortis tempus ignoramus, & post mortem operari non possumus, superest ut ante mortem indulta tempora rapiamus: sic enim, sic mors ipsa cum venerit vincitur, si priusquàm venerit suspecta timeatur. De hujus autem fratris nostri judicare non permittitur occasu repentino, sed ejus qui omnia novit antequàm fiant, reservamus judicio. Verùm futurorum præscius Deus, revelans arcana quæ nullâ sui perspicacitate mens prævidet humana, nobis servis suis ostendit quæ hoc in loco cœpimus non sibi voluntaria; non enim credendum quòd hunc locum in constructionis initio tam stupendo sineret pollui homicidio, si inhabitationis Monachicæ dignaretur insignire privilegio. Nam sicut Monachis mundo mortificari, solique Deo vivere arduum manet votum, sic habitationes eorumdem mundas & sine pollutione nefariâ vel criminali sollicitudo debet prævidere constructorum, & custodire pastorum. Unde quia nec hunc locum Dominus elegit, voluntati ejus per omnia parendum, & ad alia censeo emigrandum, operans in bonitatis ejus clementiâ, quia quod cœpit in nobis bonum perficiet. Et nunc quidem pro humanæ sortis miseriâ nobis est in commune dolendum, simulque orandum, ut pius Deus & exorabilis hunc famulum suum ab omnibus absolvat peccatis, quem occulto suo judicio tam terribiliter casu præveniri permisit mortalitatis.

CAPUT VI.

POst hæc orante qui aderat populo, corporeque defuncti à commilitonibus ad alia translato, rursùs Antistes infatigabiliter conatur redintegrare laborem, quem per divinam revelandum sperabat consolationem, ac ita demùm moventes inde citrà Rhenum statuerunt inquisitionem facere, & multa prætereuntes, ultrà terminum Diœcesis appropiaverunt Molensium fines: in ipsis ergo finibus mons erat incultus nemorum densitate opacus, Ecclesiæ veteris vix ostentans ruinas, & habitationes jam dudum penè neglectas.

CAPUT VII.

FErtur ab antiquioribus Caroli Magni temporibus BALDERICUM quemdam ex Regni Primoribus in isto monte fabricasse Ecclesiam, & cum pretiosissimis Sanctorum Reliquiis, eamque sufficientibus reditibus velut sponsam dotasse pulcherrimam. Postea verò primo OTTONE annum XVII. in sceptris agente, Hungarorumque nefandissimâ gente peccatis exigentibus Galliam Germaniamque devastante, & ad

ad istas partes appropiante. custodes Ecclesiæ Reliquias Sanctorum in grandi cavato lapide, quem hodiedum cernere licet, supposuerunt terræ, quatenùs, sicut evenit, si se tueri non prævalerent & sua, saltem non permitterent margaritas & sancta suibus canibusque proculcanda.

CAPUT VIII.

IN istius ergo montis habitatione dum consisterent circà Nonas Julii, occupato in aliis Episcopo venerabili, vir Religiosus SANDRADUS secundùm consuetudinem egreditur ad explorandum situm loci, ubi dum rivulum cerneret præterfluentem ad radices montis, vallemque fontibus undique scaturientibus, habilem piscinis, intellexit vir Deo deditus hunc locum sancto Episcopo revelatum divinitùs, & exhilaratus corde Pontificem advocavit concitè, ostendens ei ex visionis consonantiâ loca diù desiderata.

CAPUT IX.

EXultantes autem lætitiâ spiritali, triduano jejunio condixerunt conspiratoris omnium bonorum clementiam invocari, quatenùs apertâ signaret ostensione, si hunc montem construi Pontificali præfiguraret visione. Celebrato siquidem jejunio, tertiam noctem pervigilem ducentes audierunt circà galli cantum spiritus beatos in loco, quo nunc est Oratorium in honorem S. Viti Martyris, Antiphonam hujusmodi modulatione canentes: Beatus Vitus illæsus ab igne clibani decantabat: *Probasti me Domine; sicut aurum igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.*

Psal. 16. 4.

CAPUT X.

MAne autem facto retulerunt utrimque quod audierant cum nimio congratulationis gaudio, & certi jam facti de oraculo accinxerunt se viriliter operi mox futuro, sed in operis Deo placentis augmentum cælestem terra protulit thesaurum; nam sapientes architecti fodientes curâ obsequii Angelici quod perceperunt, noctu locum invenerunt, (gloria tibi Christe) & lapidem suprà memoratum, in quo sacratissimorum Martyrum condebantur Reliquiæ Viti, Cornelii, Cypriani, Chrysanthi & Barbaræ.

CAPUT XI.

Gero Coloniens. Episc. fundator Monasterii Gladbacensis.

Sandradus I. Abbas.

ANtistes itaque beatus, in agendo quæ Dei sunt nescius moram pati, coadunavit undique fratres spiritu ferventes & orationi instantes, Domino servientes, quibus jampridem probatum Abbatem ordinavit SANDRADUM. Igitur habitatione cælesti fundatâ lapidibus vivis, Deo devotus Pontifex haud segniter instabat Oratorio Monasterialibusque officinis, donec pro voto suo complevit, & in honore Salvatoris mundi, sanctæ MARIÆ, Viti, Stephani Protomartyris, Georgii, Gangolfi, Cornelii, Cypriani, Chrysanthi & Barbaræ dedicavit, & reditibus pro Fratrum necessitatibus sufficientissimè cumulavit. Fidelis enim dispensator considerabat prudentissimè theoriam regularis vitæ nullatenus uniformiter constare, nisi sufficiat Abbas singulis sua necessaria tribuere; nullique licitum, vel opus esse, quid proprietatis habere: appositâ enim formâ cui imprimant, primitivam illam nascentis Ecclesiæ institutionem votivè Monachi æmulantur, ubi erant omnia communia, & multitudinis credentium cor unum & anima una.

CAPUT XII.

IGitur Antistes gloriosus divinâ se comitante gratiâ, voti compos effectus, à se Monasterium constructum haud ratus auctoritate propriâ satis firmum, stabiliri munificentiâ regali, & Sedis Apostolicæ privilegiis alianoravit insigniri, unde quamdiù ipse in corpore vixit, locus cum congregatione apud Deum & homines crescendo profecit.

CAPUT XIII.

Warinus Geroni in Episc. sed non in pia intentione successit.

POstquàm verò domus ejus habitationis hujus est dissoluta, ut aperiretur ei in cælis ædificata, non manufacta, æterna, consensu totius Cleri & plebis WARINUS sedi inthronisatus est Pontificali. Hujus ergo cum detractorum pulsarent aures assiduè, coëgerunt illum odio vehementi prædictum Abbatem SANDRADUM insectari, mussitantes à viro venerabili plus servitii impendi Episcopo Leodiensi quàm sibi, Præsulum etiam quemque propriam rectiùs ædificare Parochiam, quàm alienam. Locus enim tum temporis Leodiensis exstitit Diœcesis. Abbas autem Venerandus, utpote quem virtutum omnium mater erudierat discretio, utrique sine querelâ jure subdebatur proprio. Æmulorum siquidem non priùs destitit obtrectatio, quàm beatum virum depelli persuadeant Episcopo, ut ejus in loco non æquè dignum quemdam sine consecratione subrogaret MAGINHARDUM.

Sandradus injustè expellitur, & Maginhardus intruditur.

CAPUT XIV.

VEnerabilis itaque SANDRADUS non victus à malo, sed vincens malum patientiæ bono, invidiæ cessit, & ad Imperatricem ADELHEIDAM, cui etiam conjunctus erat confessionis familiaritate, secessit, à quâ benignè susceptus, Monasterio est Weissembergensi promotus. Ubi cum vir Dei conversaretur irreprehensibiliter, subditos regens prudenter, credita dispensans fideliter, ad Cœnobium, quod sibi primum quasi sponsam desponsavit carissimam, suspiravit frequenter. Deo autem miserante, & Imperatricis supradictæ sedulitate mediante, non est ab animæ suæ desiderio fraudatus, sed honorabiliter ab Agrippinensi Metropolitano revocatus, in locum & gradum est pristinum restitutus.

Redit Sandradus ad suum Monasteriû.

CAPUT XV.

VErùm Pastore absente, mercenarioque superiùs notato præsidente, ovium Domini facta est luctuosa dispersio, rei familiaris, librorum, Reliquiarum, prædiorumque distractio, ita ut Abbate reverso coadunatâque congregatione, in maximâ licet penuriâ, servirent Domino tamen sine murmuratione. Sic itaque vir ille devotus in mundi hujus incolatu pressuris variis & tribulationibus in fornace probatus, præstigatum cœlo reddidit spiritum cum sanctis æternaliter gavisurum.

CAPUT XVI.

II. Abbas Folradus.

IGitur secundo loco regimen sæpedicti Monasterii suscepit FOLRADUS, vir divinis & humanis valde idoneus, ex Clerico Monachus professus, sed paupertinis quas offenderat rebus nimium coarctatus; instabat tamen strenuè diruta restaurare, ab antecessore suo cœpta complere, imperfecta quæque secundùm posse perficere.

Instaurat omnia.

CAPUT XVII.

Warino mortuo Evergerus fit Episcopus Colon.

INter hæc verò dominus WARINUS diem clausit extremum, & Pontificatûs successorem reliquit EVERGERUM, qui per austeritatem, quæ sibi familiariter adhærebat, nimiùm in prædecessoris sui pedibus ivit sententiam, arbitratus inconveniens à se Leodiensem ædificari Parochiam, cum vix sufficeret dispensare propriam. Exinde consilio cum primoribus habito, maturè acceleravit facto, & FOLRADO

Transfertur Cœnobium Gladblach in Monasterium S. Martini Colon.

Abbate cum omni advocatâ S. Viti Congregatione, misit eos in Monasterium S. Martini, quod est Coloniæ, ut professis vel expulsis paucis quos invenerant Canonicis, ibidem instituerent normam vitæ regularis. Prædia verò cum Ecclesiis multis idem EVERGERUS suis distribuit Militibus, quæ beatæ memoriæ dominus GERO Fratribus donavit Deo militantibus. Ita ergo licet invitis Cœnobii Gladbacensis Abbate vel fratribus Coloniam transmigratis, redactus est in solitudinem locus antea desiderabilis.

CAPUT XVIII.

SUggerentibus itaque qui nosse poterant ex familiaribus Antistitis Reliquias Sanctorum in sæpedicto Monasterio pretiosissimas haberi, nec eas expedire dari neglectui, Præpositum domûs sancti Petri WERELINUM direxit; injungens ei quæque possent inveniri, sine morâ transportari. Unde factum est ut prædictus Præpositus diù noctuque haud segnis iter acceleraret. Cum verò iter agens noctu cum Sanctorum pignoribus festinaret reverti, contigit dominum Antistitem somno depressum gravi per visionem rapi, judiciarioque tribunali terribiliter adsisti, ubi dum S. Vito agente pro Monasterii sui destructione, suppliciis esset adjudicatus Antistes gehennæ, Pastor pius Ecclesiæ generalis Patronusque Coloniensis specialis S. Petrus eo tempore sua suscepit, cum fidedictione quod Cœnobium prædictum cum omni affectu deberet reædificare, si ipsius patrocinio supplicia deputata mereretur evadere. In hæc fidejussionis verba dimissus, & ab illo horribili est somno solatus.

CAPUT XIX.

EXpergefactus autem statim de lecto prosilivit, & unum è pueris ministratoris excitavit, imperans equo conscenso obviam properare Præposito, ne cum Reliquiis tenderet ulteriùs, sed suimet curaret salute carnis aut spiritûs, quâ tulerat referret eas quantociùs, se enim non priùs aiebat requicturum, quàm sciret eum reversum. Puer autem dum properaret secundùm domini sui jussionem, invenit Præpositum ad duo ferè ab urbe milliaria contrà se alacriter festinantem, cui cum protinùs legationem daret, nec posset exprimere quid significaret, præcipiens se ibidem sequaces suos cum Reliquiis opperiri, statuit per seipsum quid hæc mandata portenderent, experiri. Cunctis igitur ad sarcinas relictis, solus cum puero ad aspectum properavit Antistitis; cumque coram introisset, & quænam subita prioris sententiæ permutatio requisisset, acceptis pro re paucis, accelerare cursum perurgeretur itineris. Egressus itaque Præpositus, ita festinavit concitus, ut repositis in Gladbach Reliquiis, ipsâ die Coloniam ad colloquium reverteretur Antistitis.

CAPUT XX.

MAne denique habito primo cum familiaribus consilio Pontifex Abbatem advocavit FOLRADUM, cum obnixè deprecans ad suum cum fratribus redire Monasterium. Verùm lacrymabiliter Abbas querebatur de Monasterii destructione, divinâ constructi revelatione, dicens admodum pertæsum totidem permutationum. Tum verò devotum Episcopus vovit votum, in pristinum statum velociter restaurandum, & ad suam Diœcesim ab Episcopo Leodiensi mutandum, & quidquid ipsius Ecclesiæ prædiorum nondum fuisset dispersum, vel quod ipse posset undecumque precario vel quoquomodo colligere S. Vito donandum sine retractione. Sic denique demùm Abbati satisfactum est venerando, ut ad proprium Monasterium cum unanimi reverteretur fratrum collegio.

Deinde in pristinum statum restauratur Gladbach.

CAPUT XXI.

INterea haud secùs ut voverat reparando Monasterio Pontifex instabat, quod quia festinatò perficere studuit, cum nullo ornatu, sicut est hodie, perfecit, sed & Parochiam non distulit mutare pro duabus Ecclesiis, id est pro Gladbach & Rheite, donans tres, Tegelen, Lobberigh, & Venlo. Verùm quoniam non multo post supervixit, pauca prædia colligere potuit, quæ tamen ipsa S. Vito secundùm votum suum donavit. Unde factum est ut Fratres inibi Domino servientes magnam necessariorum licet sustinerent penuriam, gratias tamen semper agentes, Deo placitam supportent patientiam; Deus enim spei & solatii, qui replet omne animal benedictione, adimplet eos omni gaudio & pace in credendo, ut abundent in spe & Spiritûs sancti virtute.

CAPUT XXII.

LIbet autem in fine Opusculi iteratò Lectorem admonere sollicitiùs, ne à nobis præjudicet ficta quæ diximus. Fidelis autem ipse consideret fideliter hanc ab omnibus æstimationem fuisse beati viri, qui eum nosse poterant familiariùs, quem nobis relationis hujus auctorem prælibavimus, ut nec sine magnâ, ut credimus, offensâ perhibeatur. Ipse de talibus præsertim voluisse mentiri, nec à quoquam sinistrum quid impune de ejus personâ possit confingi. Testamur verò Deum scrutatorem cordis & renum, quem nullum latet secretum, quia sicut ab ipso audivimus, vel à fidelibus ejus auditoribus postea commoniti percepimus, nudam veritatem prosequuti sumus, ad laudem & gloriam ejus qui dignè laudandus in sanctis suis, personis trinus, sed Deitate unus vivit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Quiescit in cryptâ Ecclesiæ hujus corpus, S. ADELBERTI, quem alii ALBERTUM, vulgus autem ALBERICUM vocant. De quo circà sepulcrum antiquitùs exstabant hæc carmina.

ARmiger ALBERTUS, *vir erat virtute refertus,*
Ac ore Joseph sine re, rem luit ejus hera.
Insons cæcatur, mala passus Job similatur;
Huc peregrinatur, hîc sibi cella datur.
Hic manet, hîc habitat, Christo vivens, [hic] mala vitat.
Austerâ vitâ vivere finit ita,
In Domino moritur & mortuus hîc sepelitur.
Corpus & in tumulo visitur à populo.
Et plura ob merita quæ fecerat hîc Eremita,
Donorum genera plebs capit innumera.
Præcipuè febri vertiginibusque cerebri,
Auxiliante Deo curâ fit hîc ab eo.
Ob cujus, Christe, meritum quo fulserat iste,
Qui poscunt veniam redde, polique viam.

Alteram partem Historiæ Monasterii Galbacensis, licet aliquoties promissam, nondum accepimus. Regit hodie illud Monasterium magnâ cum laude & disciplinæ famâ Reverendissimus D. Bruno Charmans vir devotissimus.

Adnotatio R. P. Wilhelmi Wifrat, qui hanc historiam descripsit.

MONITUM.

CHRONICI sancti Trudonis (S. Tron) *Diocœsis Leodiensis, auctor est Rodulfus Abbas, vir insignis religione, doctrinâ, prudentiâ & constantiâ, qui non ineleganti stilo describit nudè ac sincerè, nec studio partium indulgens, quæ vel à probatis & optimæ notæ Scriptoribus edoctus erat, ex antiquis monumentis, quantum ipsi fas fuit eruerat, quæve ab oculatis testibus hausit, aut ipsemet perspexit. Conqueritur nihilominùs de librorum penuriâ, quodque suorum negligentiâ prædecessorum posteritati traditum nihil prope repererit. Ab octavo libro ad finem usque sua ipsius gesta sub alienâ personâ commemorat, ne inanem gloriolam videretur aucupari, & ut liberiùs quiquid in administrando Monasterio præclarè ac fortiter gesserat, posteritati commendaret. Etenim eumdem stilum, eumdemque scribendi modum in prioribus ac in posterioribus septem libris animadvertere est. Plures alias lucubrationes edidit Rodulfus, quæ in Chronico enumerantur.*

GESTA ABBATUM TRUDONENSIUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

Auctore RODULPHO *Abbate ejusdem Monasterii.*

NOTUM est omnibus quibus gratifica manus fortunæ experiendi copiam dedit, quia vetera vina gelidis promptuariis toto anni circulo liquata, autumni tempore ad tempus seponantur; & nova musta naturali motu adhuc calentia & necdum prorsus defæcata, avidiùs sumantur. Ut quid hoc? utique non ut nova & turbida veteribus & defæcatis quasi meliora præponantur, sed quia novæ res delicatos hominum animos irruente passione desideriorum oblectabiliùs afficere soleant, donec satiatâ passione desideriorum, cum alacriori aviditate ad veterum usum revertantur. Unde quidem physicæ non ignarus ait: Alternis uti delectabile est, ipsaque alternitas sapores, licet impares, æque tamen interdum gratificat.

Secundùm hujus dictæ rei similitudinem, dilecte mi & diligende Præposite sancti Dionysii N . . mitto tibi historiam novâ incude formatam de his quæ acciderunt antiquo & moderno tempore erga Ecclesiam nostram: ut qui veterum & novarum rerum usu delectaris, vetera nostra & nova per eam sapias, per quam cupidum animum ad condignam passionem afficias. In quâ licet ad eruditionem parum proficias, scire tamen poteris, quia nova scire cum veteribus quæris, qualis quondam Ecclesia nostra fuerit, de quânam sublimitate ad quas abissi voragines frequenter corruerit, & quantum laboris super vix exstantem adhuc veteris ruinæ favillam, contrà malignorum flatuum importunitatem quotidie irruentem, ne prorsùs avolet ægerrimè sustineant: quod te scire ideo mihi proderit, quia solent plerumque miseri homines referendo æquanimiùs sustinere dolores, cum invenerint qui eos audiant familiariter & compatiantur

INCIPIUNT GESTA ABBATUM SANCTI TRUDONIS.

RODULPHUS gratiâ Dei, sanctorumque TRUDONIS & Eucherii, Abbas eorum Cœnobii, omnibus posteris meis tam Abbatibus quàm Monachis, qui in hoc eodem Monasterio Deo sunt militaturi, id fore quod profitemini, & peccatricis animæ meæ interdum reminisci. Sæpe necnon & sæpissime, Fratres carissimi, totam armarii mei revolvens supellectilem, dum adhuc in carne quâ nunc agonizatis positus essem, ardebam vehementer me posse reperire qui, & quot, & cujus professionis omnes monachicæ, an canonicæ aliqui fuissent prædecessores mei, & cujus quisque vocabuli, & quot annis præfuerit; quod ad desiderium meum fateor me nunquam potuisse reperire, sed neque quisquam erat antiquis de Fratribus qui se unquam hoc legendo reperisse, vel unquam audiendo didicisse diceret. Ut ergo scire quærebam, hoc utrumne contigerit familiari super nostris negligentiâ notariorum, an inter frequentissimas loci desolationes amissione forsitan librorum, certum similiter habere nullo modo potui.

Dum autem nostrum & piissimæ memoriæ sanctum TRUDONEM Clericum fuisse & Sacerdotem, & Cœnobii nostri primum ædificatorem, vita ipsius docet, necnon & beati REMACLI Tungrorum Episcopi, ubi aliqui leguntur de Principibus Regnorum, & Rectoribus Ecclesiarum, quorum temporibus hoc nostrum sanctissimæ puritatis lilium effloruit; sed hoc manifestè neque ibi neque aliàs usquam datur intelligi, utrum per eum ipsum regeretur primò ædificatum Cœnobium nostrum, sive per alium. Clerici quoque sive Monachi fuerint quos in eo constituerit, & quando Monachi in eo esse cœperint. Talia, quæ quidem dignissima essent sincerâ annotatione, dum lectione aut verâ relatione sæpe, ut dixi, sæpissimè vehementer arderem cognoscere, inveni Libellum quemdam ubi vita sancti Silvestri habebatur, atque Translatio sancti Benedicti, necnon & Sermo de Assumptione sanctæ MARIÆ semper Virginis; in eo quantum repererim hoc annotare curavi.

Unde excusatum me rogo habere lectores hujus mei Opusculi, si minùs quàm velletis certos vos reddidero ex his de quibus ipse certior esse non potui. Hæc mea in hoc Opusculo est intentio, ut quod aliorum negligentiâ fermè obliteratum reperi, nostrâ salvum diligentiâ puriusque eliquatum futuræ conservem posteritati. Abbates & Monachos post me futuros in hoc Cœnobio volo sollicitos inde reddere, quatenùs in anteriorum suorum negligentiam ulteriùs non incidant, sed suis quoque posteris de prædecessoribus suis plenum fidei monimentum scripto relinquant, in quo dum probitas seu improbitas singulorum frequenter legi poterit, probi priorum exemplo accensi, in melius & melius semper proficiant; improbi imaginatâ vitâ suâ confusi, à malis operibus suis vel sic saltem resipiscant.

Accipite ergo posteri mei nomina quædam Abbatum, sine annis quibus præfuerint, & absque annis Domini, quædam cum ipsorum tantùm annis, quædam cum ipsorum annis & cum annis Domini. Cætera verò fidelium virorum qui hæc viderint, aut eos qui hæc viderant relatu didici; ipse quoque de quibusdam, quæ me præsente aut me jam juvene adhuc existente acta sunt, aliquantula fidelissimè quidem memoriæ mandabo: plurima pudore nostri Ordinis, & nimio tædio longæ relationis prætereibo.

Series Abbatum Trudonensium.

Igitur nomina Abbatum Cœnobium quondam sancti Trudonis regentium sunt hæc: GRIMO Abbas, REIMANNUS Abbas, HARDLEENUS Abbas, COLUMBANUS Abbas, ANGELRAMNUS Abbas, AMBROSIUS Abbas, GISLEBERTUS Abbas, ADELBODUS Abbas, HILDRADUS Abbas, SABBATINUS Abbas, ERMEMNARUS Abbas, RADULPHUS Abbas, LUDOVICUS Abbas, RADBERTUS Abbas, RODEGANGUS Abbas. Huc usque reperi sine numero annorum quibus præfuerunt: REINERUS Abbas præfuit annis quinque, THEUDFRIDUS Abbas præfuit annis triginta, ERENOFRIDUS Abbas præfuit annis quatuor. Huc usque reperi quot annis præfuerint, sed tamen sine annis Domini.

a ADELARDUS Abbas, memoriâ dignissimus, præfuit annis triginta quinque [a], scilicet usque ad annum millesimum trigesimum nonum Incarnationis Domini. GUNTRAMNUS Abbas præfuit annis viginti*, ab anno millesimo trigesimo nono Incarnationis Domini, usque ad millesimum quinquagesimum quintum. ADELARDUS Abbas præfuit annis viginti septem, ab anno millesimo quinquagesimo quinto, usque ad centesimum octogesimum secundum Incarnationis Domini. Huc usque & ita in supradicto libello reperi. Post hunc autem Adelardum illorum tantùm nomina ponam, qui vel Abbates fuerunt vel Abbates se esse voluerunt, usque ad nostrum introitum, quoniam tantam confusionem annorum inter se contendentes fecerunt, quia de singulis nullum certum tempus habere potuimus præter unum, sicut in consequenti Opere explanabimus. Nomina autem eorum fuerunt LANZO, LUYPO, HERIMANNUS, & alter HERIMANNUS, & prædecessor noster domnus Abbas THEODORICUS. De tribus verò supradictis Abbatibus, scilicet Adelardo, Guntramno, & Adelardo secundo, quod fidelium narratione didici referam. Nam de supradictis cæteris nihil accepi quod fide certâ proferre audeam: à secundo autem Adelardo usque ad me quidquid referam, aut ipse vidi, aut videre potui, & quæ non vidi, eorum relatione qui hæc viderant didici.

INCIPIT TEXTUS OPERIS.

LIBER PRIMUS.

999. IGITUR primus ADELARDUS factus Abbas hujus loci anno Domini DCCCCXCIX. nativam linguam non habuit Teutonicam, sed quam corruptè nominant Romanam, Teutonicè Walloniam: familiam Ecclesiæ nostræ viscerabiliter dicitur dilexisse, unde & usque in hodiernam diem de eo à plerisque solet tale quid memoriale referri. Cum ex sterilitate terræ, ut aiunt, fames aliquando ejus tempore accidisset, concurrebat ad eleemosynam Fratrum omnis sexus & ætas importunè & miserabiliter, quorum aliquibus interdum ad se vocatis, quærere dicebatur jocularitér: Cujus servus tu ille? tune illa, cujus ancilla es? respondentibus illis, verbi gratiâ, S. Lamberti aut S. Petri, sive S. Servatii, sive S. Remacli, postremò cujuslibet Sancti: aiebat; Quid igitur tibi & familiæ S. Trudonis? Pascat te tuus dominus cujus tu es servus: Qui sancti Trudonis se esse profitebatur, paternè ab eo audiebat: Pascet ergo te hodie S. Trudo dominus noster, conservus enim noster es. Primis enim annis Ecclesia nostra necessariis illi deficientibus, anxiè nimis (ut referri audivi) laboravit.

At unde hoc potissimùm accidisset fide plenâ relatione non didici: quorumdam Fratrum suorum inquietatione Theodericus Metensis Episcopus in eum adeo commotus exstitit, quòd eum aliquamdiù quasi exulem abductum Metis teneret, & per Præpositos interim res nostras curaret; sed Episcopo Leodiensi, cujus diœcesis erat, jus suum eo defendente, tandem honorificè revocatus est: quem revertentem tanta comitata est gratia, ut Ecclesiam suam non modo necessariis faceret abundare, verùm interiùs & exteriùs vario cultu, diversisque utensilibus gloriosè coruscare; quorum perpauca, pretiosissima tamen, vidimus: nam cætera, sicut & alia plurima, furor debacchantium Simoniacorum, & de nostrâ Abbatiâ inter se decertantium, variis modis diversisque vicibus damnosè nimis distraxerat, perditionique perpetuæ sepeliverat. Et ne quis hodie videns paupertatem Ecclesiæ nostræ & in substantiâ & in thesauro, existimet eam semper tam tenuem tamque nudam fuisse, videtur mihi non ingratum

a *triginta quinque*] Lege, *triginta novem*, & in Guntramno lege *annis quindecim*, ubi habetur *annis viginti*.

* Scil. Adelardus, ut infrà dicitur, regere cœpit Abbatiam anno 999.

illi debere fieri, neque nostris verecundum, si hæc ei retulero quod in quodam alio Libro inveni de thesauro quondam nostro, & de substantiâ præbendæ Fratrum ita annotatum.

b Anno ab Incarnat. Domini nostri JESU-CHRISTI septingentesimo [b] septuagesimo, Indictione tertiâ, & anno decimo tertio sedis domini ADVENTII gloriosi Præsulis, sub die decimâ octavâ Kalendarum Septembris, facta est descriptio per jussionem ipsius ex Abbatiâ sancti Trudonis per suos Legatos, videlicet FREDELONEM, & HERIGANDUM. (Hinc etiam, sicut ex aliis multis, nostrorum negligentia debet meritò reprehendi, qui hîc neglexerunt annotare nomen Abbatis sui qui tunc temporis præerat, cum non tantùm Mettensis Episcopi nomen hîc inveniatur annotatum, sed etiam nomina Legatorum ejus qui hanc descriptionem fecerint.)

Reperimus de thesauro sancti Trudonis rebam ipsius corporis auro argentoque fabricatam; item rebam sancti Eucherii argento nobilitatam; item in dexterâ parte sancti Trudonis similiter; item altare in honore sanctæ MARIÆ & sancti Petri auro argentoque imaginatum, cum cyborio desuper, in medio cyborio pendentem coronam æream deauratam. Item altare in honore sancti Stephani argento paratum. Capsam gemmis auroque insignitam. Item capsas argento tectas XXI. cruces inter majores & minores argento paratas decem: capsas evangelicas argento paratas tres: malagranata argentea duo, calices argenteos cum patenis inter majores & minores novemdecim. Item patenæ sex; item calicem aureum cum patenâ etiam argenteâ, unde debentur de argento libræ octo & dimidia: altaria parva argento parata 5. Item cruciculas aureas tres, argenteas sex, ex cupro 2. thuribula argentea tria, & unum ex cupro. Candelabra argentea septem: suxtas argenteas duas ad ferendum incensum. Offertoria argentea septemdecim: cyphos argenteos quatuor, & duos ex cupro: suxtilem unum argenteum. Vitam S. Trudonis cum imaginibus decoratam, lampades argenteas quinque & septem ex tanno; coronas argenteas duas. Item clavicellam ex auro: lambittas duas argento tectas; vexilla quatuor; cappæ triginta tres pretiosæ de pallio; casulæ duodecim pretiosæ de pallio; dalmaticas novem cum tunicis subdiaconalibus. Cussinos sericos tres; pallia quatuor majora, & minora quadraginta quatuor. Item pallium unum cum friso & margaritis. Item palleas lineas serico coopertas decem. Item palleas lineas sine serico nonaginta octo. Fuscinulas aureas parvas de auro pensas denariorum quinque; cultellum auro paratum; situlas duas ex cupro, &c.

Habent ipsi Fratres ad proprium usum deputatam speltam ad panem faciendum, corbos centum & viginti, quod colligitur ad modios mille sexcentos: ad cerevisiam faciendam ordei corbos CXCII. quod colligitur ad modios mille DCCCCXX. Sunt simul inter speltam & ordeum corbi trecenti & duodecim, quod colligitur ad modios tria millia quingentos viginti: porcos saginatos quindecim: leguminis modios sexaginta: salis modios viginti quatuor.

Talem quondam fuisse thesaurum nostrum, & Fratrum præbendam rectâ annotatione legatorum Mettensis Episcopi reperimus: diù tamen ante istum Adelardum majorem partem permansisse usque ad ipsum, ipsumque nihilominùs nonnulla perdita reparasse, quædam illius studio acquisita usque ad nostra tempora, non tamen usque ad nostram prælationem perdurasse. Nam, ut superiùs diximus, & in subsequentibus suo aptè loco ponemus, furor pertinacissimus debacchantium Simoniacorum, & de nostrâ Abbatiâ inter se collidentium, variis modis diversisque vicibus miserabiliter nimis pretiosissimum Ecclesiæ nostræ thesaurum distraxit, sepultoque irrevocabiliter inæstimabili illo decore, sedere eam usque hodie facit lugubrem & miserabilem, plenamque extremâ confusione suæ nuditatis. De Adelardo præter obitum ejus non plura didicimus. Nunc ad successorem ejus convertamur.

Post primum Adelardum successit GUNTRAMNUS natus de Hasbaniâ liberorum prosapia, innutritus Cœnobio nostro ab adolescentiâ, ibidemque Ecclesiasticis apprimè eruditus officiis & regularibus disciplinis. Tempore autem quo prædecessor ejus, Abbas scilicet Adelardus, à Mettensi Episcopo Theoderico exul tenebatur, accidisse cognovimus, sed quo ordine non didicimus, Cœnobii nostri curam agere primum Popponem Stabulensem Abbatem. Interea nonnulli de Fratribus nostris relicto loco nostro diversis exulabant Cœnobiis, amissi Pastoris gravissimo dolore exacerbati; inter quos præcipui & religiosissimi magnifici viri Gauzelinus & Godeto servi Dei, carne quidem germani, sed spiritu uno in Deo coanimati, qui reverso tandem pastore ad ovile sunt reversi, & apud nos consepulti. Interea cum pro ordinandâ re utique homini nostro necessaria primus Poppo Stabulensis Abbas (ut pote qui exulantis Abbatis vices agebat) ad Cœnobium nostrum descendisset, Capitulum Fratrum, ut audivimus, ingressus est, & de culpis cœpit agere pastoraliter: cumque ad istum GUNTRAMNUM devenisset, elegantissimæ formæ juvenis qualitate perspectâ, cœpit de eo sagaci mente pium aliquid humileque præsagire, atque in lucem velle producere, si ut sibi de eo videbatur, ita experiri posset in re. Oblatam igitur sibi ordinis negligentiam cœpit in eum ex industriâ vehementiùs aggravare, & piæ charitatis stimulis pectus humilitatis terebrare: tandem quasi in contumeliam præceptum dat ei per obedientiam, ut ad agendam ibi negligentiæ suæ pœnitentiam, pedes eum sequeretur usque ad Stabulensem Ecclesiam. Erat ille primævâ pube vernans, formâ elegantissimâ, staturâ ultrà nostræ ætatis homines procerâ, grossitudine proceritati congruâ: vocalitas in eo instar tubæ altissona, prædulcis tamen, & mole corporis non indigna (claris eum natalibus ortum superiùs diximus) & apprimè eruditum officiis Ecclesiasticis & regularibus disciplinis; hæcque plerisque vagis juvenibus superbiendi solent esse multa materies: pulcherrimus juvenis tanto in se existimabat venustiora fore, quanto humiliori exercerentur obedientiâ: vicino igitur jubentis pede obedientiæ iter Stabulaus alacriter pedesque aggressus est, nec pudore insueti peditis motus, nec difficultate itineris exterritus. Ubi cum lassus quassusque tenerum corpus delicatus juvenis pervenisset, ex præcepto Abbatis, cui portarius eum jam adesse nuntiaverat, ad portam atrii ad quam suscipiuntur hospites, scilicet extrà Conventum Fratrum, nocte eâ manere jussus est. Agebat pius Pater ex industriâ qualiter ejus comprobata exaltaretur humilitas. Portarius igitur piâ humilitate & hilaris vultûs obedientiâ in tam pretioso nobilique juvene sagaciter consideratâ, atque

Sancta Guntramni Monachi acta describuntur.

[a] *Septingentesimo*] Hunc in locum sic scripsit Acherius: Menda hic Librarii: nam 3. Indictio in hunc an. non incidit, sed 8. Nec concordat annus tempori Adventii Episc. Mett. illa enim tempestate Mettensi Cathedræ sedebat Chrodegangus. Id verò deinde emendavit Baluzius, ac scripsit Angelramnum pro Chrodegango. Mihi locus mendosus videtur, sed aliter restituo: nimirum si reponas *octingentesimo*, omnia plana & accurata.

tam Fratribus quàm Priori Ecclesiæ, necnon & ipsi tandem Abbati in admiratione celebri factâ, facilè per ipsos obtinuit ut à Conventu Fratrum non differretur tam honestus tamque præclarè obediens juvenis. Itaque in Conventu admissus est, atque loco optimo positus, totis scapulis celsior quoque majoribus habebatur. Nocte illâ Conversio S. Pauli annualis de more solemniter celebrabatur; quâ ille ad Invitatorium, Hymnos, Psalmos, Antiphonas, Responsoria dulciter jugiterque instar amplissimæ tubæ reboans, attonitas aures, fixosque in eum omnium Fratrum animos absque invidiâ delectabat. Cumque ad illud Responsorium quod cantandum Abbati ab Armario defertur, significavit Abbas Armario, ut memorato juveni pro se cantandum deferret, eo loco quo stabat in ultimo. GUNTRAMNUS susceptâ cum humilitate cantandi Responsorii obedientiâ, tam mirabili tubæ vocis suæ novitate atque organicâ fistulati gutturis dulcedine totum chorum, ipsumque maximè Abbatem permulsit, ut finito Versu & *Gloria Patri*, eàdem horâ Abbas significaret ei ad se venire, & de eo quo ultimo stabat loco eum à se secundum stare.

Itaque aliquanto ibi mansit tempore, majori semper cunctis habitus admirationi & reverentiæ. Quomodo verò inde transierit Hersfeldiam nescimus, sed quòd eo transierit didicimus; quia factum eum ibi Camerarium Abbatis cognovimus. Locus regius studiis liberalium artium, mundanarumque rerum gloriâ egregiè præcipuus. Mansimus quoque & nos aliquamdiù apud loci illius Abbatem FREDERICUM, & exuberantium divitiarum ejus jugem inundantiam, & liberalium artium apud Fratres studiosam efficaciam quotidie tanquam de novo expavimus, Camerarius autem Abbatis non idem qui & Fratrũ, est honor magnus; nam & pluribus abundat domesticis, imperans eis; quæ debentur Abbati quasi tertius participat. Ubi dum moraretur, corporis pulchritudine, morumque probitate & nobilitate, in brevi factus est celebris aulæ Regiæ, ipsi religiosæ Imperatrici maximè.

Interea primus Adelardus Abbas loco nostro & honori suo jamdudum restitutus, defungitur triginta quinque annis Ecclesiæ prælatus; famâque volante Hersfeldiæ ipsique Imperatrici nuntiatur: nec mora, apud utrosque fit deliberatio qualiter Guntramno daretur nativi soli sui honor, & proprii loci prælatio, sed parvum quid esse hoc reputabant, nisi quòd inter suos eum sublimandum majus multum illi peregrino honore, gratiusque posse fore asserebãt. De provehendo eo Hersfeldia Imperatrixque gratulabantur, sed quòd tanto talique viro carerent mœstificabantur. Magnis igitur muneribus ab Abbate Hersfeldiensi, maximè verò ab ipsâ Imperatrice honoratum cum litteris Imperialibus & commendatitiis, honestoque comitatu Metis transmittunt, ut Episcopo annuente Abbas loci nostri, quinimò sui, fine contradictione constitueretur. THEODORICUS qui tunc erat Metensis Episcopus, frater Imperatricis secundùm carnem habebatur: atque Deo ordinante contigit ut simul unâ die venirent ante Episcopum & Imperatricis nuntii cum Guntramno, & Fratrum loci nostri missa legatio: utrorumque auditâ Episcopus legatione distulit rem usque in crastinum, sed seorsùm utrisque recedentibus, cum jam profundior esset vespera, jubet Episcopus duos de obsequio suo famulos ire ante Guntramnum cum aureis suis candelabris, necnon & flammantibus super ea cereis, usque ad illius hospitium, simulque candelabra illa dono jubet ei relinqui, servitioque ejus & honori, quæque illi sunt suisque necessaria transmittuntur largè de episcopali curiâ. Quo viso Fratres rem ut erat futura intelligunt, & facto mane unanimiter hilarique vultu consentiunt Episcopo de præferendo sibi Confratre suo viro venerabili Guntramno.

Factus igitur Abbas GUNTRAMNUS Metis, & consecratus Leodii, multam paupertatem in loco nostro invenit, parumque in ordine nostro religionis: maturiùs utrumque correxit, paupertatem ex eis quæ ab Imperatrice donò acceperat, & à Regio loco secum detulerat, ordinem ex disciplinâ maximâ quam Harsfeldiæ didicerat. Mox qui dispersi fuerant Monachis redeuntibus, nonnullisque ex sæculo apud nos habitum vitamque mutantibus, florebat locus odorificentissimè religiosorum senum canitie, obedientiumque juvenum officiosâ multitudine: per viginti & unum annum quibus eum præfuisse comperimus, Ecclesia nostra & temporalibus & famosissimè crescebat spiritualibus. Hujus vitæ ultimis annis domini nostri Trudonis sepulcrum frequentissimè cœpit coruscare miraculis, quæ ille studiosissimè satagebat occultare; sagaci enim pectore concipiens quod futurum erat, *signa data esse infidelibus, non fidelibus* dicebat: quod non longè post illum nonnulli de nostris experti sunt, qui inter ipsa quoque miracula Deum offendere non timuerint. Nos autem qui adhuc superfumus, sicut flagella iræ Dei & indignationis super locum nostrum non vidimus incepisse, ita quoque gravissimâ anxietate ingemiscimus adhuc quotidie necdum desiisse.

Guntramnus fit Abbas S. Trudonis.

1. Cor. 14. 22.

Tempore domni hujus Abbatis Guntramni usque ad modum producta est maxima pars turris nostræ cum utrisque testudinibus suis: quia verò, ut superius in juventute ejus testificati sumus, formâ erat elegantissimâ, corporis proceritate convenientique grossitudine, delectabilis hominum aspectibus, ex eoque sonorâ valde modulatione dulce canorum, hunc ei contulerat honorem Ecclesia Leodiensis, ut summis ejus solemnitatibus indutus honorificentissimè chorum medius cantorum regeret, pulchritudine magni corporis pascens visus astantium, & dulcedine vocis tubeæ aures delectans audientium. Quid plura? talis ante eum in loco nostro non surrexit, nescio utrumne post illum futurus sit. Obiit tandem anno millesimo quinquagesimo quinto confessus & unctus; adhucque vigente in eo toto sensu animi, dispositâ sapienter super stratum doloris sui re familiari, & consolatâ multimodis domo sua spirituali, multa dona in argento, equis, annonâ, ceterâque suppellectili famulantibus sibi familiaribusque reliquit, & victum & vestitum abundantissimè usque in alterum annum ulteriusque Fratribus suis. Sepultusque in Ecclesiâ nostrâ, jacet nunc juxtà exteriorem partem templi versùs aquilonem, medio parietis qui jungitur Fratrum Conventui.

An. 1055. obiit Guntramnus.

Huic successit ADELARDUS secundus, liberis ortus parentibus de Brabantiâ, de vico qui dicitur Lovinium, juxtà Lovanium, atque inde diminutivato. Hic à puero innutritus est cœnobio nostro sub Adelardo primo & Guntramno Abbatibus, honestè litteratus, neque ignarus de sculpendis pingendisque imaginibus. Post alios nonnullos Ecclesiasticos honores, de majore Præpositio electus est Abbas & consecratus. Magnæ gloriæ apud mundales in Abbatiâ habitus est, multis affluens divitiis & expensis utens sumptuosis, ut pote qui dominum habebat fortem & religiosum Alberonem, secundum videlicet Metensem Episcopum, fratrem Ducis Frederici, cui in omnibus quæ erant ipsius Episcopi nullus Principum sive advocatorum audebat quidam damni inferre, sed pro ejus sanctitatis reverentiâ & ejus timore, quia tota pendebat ab eo Im-

Adalardus II. Abbas.

perialis curia, necnon quia toto utriusque Franciæ regno diffusa erat per nobiliores ejus parentela; ubique peccata exercebantur, & multiplicabantur bona exteriora nostra; sed & venerabilis Abbas Guntramnus ditatam Abbatiam bonisque omnibus refertam illi reliquerat; paceque vigente & rebus affluente securus eam glorioseque possidebat. Accedebat quoque ad augendam illi divitiarum multitudinem sepulcrum beati Trudonis frequentissimis quotidie mirabilibusque coruscans miraculis, quæ tanta toto orbe terrarum resperserat, ut multitudinem peregrinorum non solùm templi ambitus; sed & ipse quoque totus oppidi nostri locus ferre minimè posset.

Ab oppido namque nostro penè usque ad dimidium milliare per omnes in circuitu populares vias ad nos se dirigentes, necnon & per campos atque per prata tantus peregrinorum cœtus, nobilium videlicet liberorumque atque popularium sexûs utriusque penè quotidie, maximè verò diebus solemnibus confluebat, ut in papilionibus tabernaculisque frondeis cortinatisque habitantes, totum ipsum oppidum circumsedisse obsidionis specie viderentur, quos pro multitudine ipsæ oppidanorum domus aliis refertæ capere non poterant: tum mercatorum copia, qui vix equis & curribus, plaustris & animalibus tanta poterant advehere, quæ sufficerent multitudini peregrinæ. De oblationibus altaris quid dicam? taceam animalia, palefridos, boves & vaccas, verres, arietes, oves quæ incredibili multitudine offerebantur. Sed & linum & cera, panes & casei, nullo pondere, nullo numero, nullo æstimabantur pretio fila argentea: & vix in Claustro vesperi olympo exhautus denariorum acervus quamplurimos recipiendo & recondendo custodes fatigabant, & præter id nihil penitùs agere finebant. Erat igitur non tam incomputabilis, quàm re verâ inæstimabilis peregrinorum semper venientium ad altare oblatio, & nomen beati Trudonis frequentissimis mirabilibusque miraculis; Cœnobiumque nostrum exuberans divitiis, diffamatum plusquàm toto Romani orbis Imperio. Nam sic licet vera referre etiam credere nolentibus, major longè altiùs si res existimaretur erat per totum annum integrum altaris fructus; quàm omnes vel modò vel tunc Abbatiæ redditus; atque non uno aut duobus annis, sed per totum vitæ tempus hujus Abbatis Adelardi.

Pace igitur & abundantiâ securus gloriosè vivebat, cunctisque de Regno nobis & nostris reverentiam exhibentibus, hinc gloriosi sancti Patroni miraculis, hinc domini nostri Episcopi Metensis virtute & nobilitate ejus utriusque hominis quantâcumque . . . . . in propria quantâcumque discordiâ in regno securus ambulabat, securus terram suam inhabitabat quicumque sancti Trudonis sive servum sive ancillam se esse dicebat. Milites verò qui de circumjacentibus villis ob infestationem inimicorum suorum oppidum nostrum incolebant, cùm adhuc esset sine omni vallo & munitione; tantâ tamen pacis securitate in eo manebant, ut si fortè contigisset aliquando eos hostes suos longiùs processisse, & fugientes ut plerumque assolet, redire, hanc præstantis beneficii gratiam ex meritis & reverentiâ beati Trudonis haberent, quatenùs ex eo loco cessarent eos inimici eorum insequi, quò primùm poterat altior pars turris Monasterii nostri videri.

Interea Abbas Adelardus II. sollicitè agens, ne tantus eleemosynarum fructus otio totus cederet & luxui, Monasterium quod neque vetustate, neque ruinis aliquam ruinam videbatur minari, non sanè passus est præsumptuosorum hominum tam Monachorum quàm laïcorum temeritate dirui, sed amplitudine latitudineque majus satis ordinatum muro firmissimo, columnisque spectabilibus pulcherrimo tandem opere, sed expensis inæstimabilibus reparari. Videre erat mirabile, & relatu erit incredibile, de quàm longè quanta hominum multitudo, quantoque studio & lætitiâ lapides, calcem, sabulum, ligna, & quæcumque operi erant necessaria nocte ac die plaustris ac curribus gratis, propriisque expensis non cessarent advehere. Ipsi quoque materiales, atque in fundamento grandes atque gravissimi positi, fideliter hoc possunt attestari, qui in totâ Hasbaniâ cum non possint reperiri, de alienis partibus comprobantur asportari. Columnas autem de Gourmatiâ per Rhenum Coloniam usque navigio deductas, atque aliunde aliàs plaustrisque invectas tamquam à Colonia usque ad nos per terram vehendas, populus vicatim funibus plaustris injectis ardentissimo studio rapiebat, & sine omni boum jumentorumque adminiculo, per ipsum quoque fundum Mosæ sine ponte trajectas catervatim ad nos hymnisonis vocibus perducebat. Quid plura? muro vidit consummatum & tecto totum penè obumbratum, exceptâ parte aliquâ, quæ inter majorem turrim & arcum grandem antepositum continetur.

Nec minus interea in ædificandis per Abbatiam Ecclesiis, & emendis Ecclesiæ nostræ nobilium villis & prædiis, de oblationibus ad altare fideliter operam dabat: nam dimidium quod habemus in Villario, & totum quod habemus in Moscha à Comite Brunone de Hengebac, Ecclesiæ nostræ acquisivit, emptum septingentis marcis. Similiter & totam villam de Stades emptam centum marcis à Duce Frederico: & quidquid habemus in Harches à Comite de Musal Alberto: necnon & partem illius quod possidemus in Sarchinio. Pro his tamen plurima de thesauro Ecclesiæ distraxit; inter cætera quidem calicem aureum magni ponderis, & frontem auream de feretro sancti Trudonis, aliqua etiam molendina in vadio posita morte præventus redimere non potuit. Ecclesiæ quas per Abbatiam novas ædificavit, seu quas reædificari maximâ ex parte juvit, sunt hæ tam numero quàm nomine. Prima major nostra Ecclesia; secunda sanctæ Mariæ semper Virginis in oppido nostro; tertia sancti Gengulfi Martyris in eodem; quarta in Alburg; quinta in Guimalâ; sexta in Pore; septima in Srate; octava in Guebechem; nona in Dauch; decima in Strades; undecima in Mere; duodecima in Beninges; decima tertia in Horel; decima quarta in Gemapiâ. Domum etiam nostram, quæ est Leodii, à fundamento fecit renovari.

Cumque tot & tantis operibus (quæ ipsum quoque Imperatoris ærarium possent attenuare) libens sollicitaretur, sollicitus occuparetur, tamen à dominis nostræ Ecclesiæ, & à tyrannis Principibus terræ non minùs vexabatur frequentibus obsoniis & gravissimis precariis: & licet oblationum altaris fructus per hebdomadam centum posset æstimari libris, præter quod hac illacque distraxerat audax custodum fraus, & damnosa manuum magistrorum rapacitas, tamen inter has illasque sollicitudines & expensas frequenter egere videbatur, & egebat, eoque intolerabiliùs quia à nemine sibi credebatur. Jam enim sanctæ memoriæ Adalbero secundus Metensis Episcopus, frater, ut dixi, Ducis Friderici, murus & arma, paxque post Deum & Sanctos, & læta abundantia Cœnobii nostri obierat, cui succedens Herimannus, pro dissensione quam contrà Henricum quartum Imperatorem moverat, eum videlicet qui sub filii sui persequutione longè post istis penè omnibus jam defunctis, Leodii profugus obiit, gravissimis exactionibus Abbatem quotidie, ut ita

dicam, exoshabat, Ecclesiasque & censum suis beneficiari majoris damni damnatione cogebat, quem usque Metis ex violentia præcepti sui pertractum, tanto mœrore gravatum remisit, ut inibi beatum Protomartyrem suppliciter exoraret, quatenùs priùs somno mortis domi quiesceret, quàm Metis ampliùs reversus recideret iterum in violentas judicii ejus manus. Sed & HENRICUS Leodiensis Episcopus hujus Herimanni contemporaneus, frequentissimè ad audientiam sibi vocatum anxiè nimis terrebat eum, & in pace esse sine gravissimo damno minimè tandem permittebat. Nam licet canus toto albicaret capite, & in senium vergens omnem æmulis videretur tollere suspicionem familiaris vitæ suæ; tamen apud eum non penitùs habebatur acceptus; quod verisne an falsis hominum fieret suggestionibus, hoc Domino Deo nemo novit melius: sic de Abbatiâ multa suis beneficio dedit, & fiduciâ oblationis altaris nihil vel reliquit vel constituit quod luminaribus, vel cæteris necessariis serviret Monasterii. Jamque eum tædebat vivere, cum neque oblatio altaris, nec multus fructus pinguissimæ tunc Abbatiæ valerent gravi sollicitudini ejus satisfacere, cessissetque loco Sigebergæ intentus animo, si cum non retinuisset Præpositi ejus Gerardi nomine cura & devotio. Quievit tandem in pace anno millesimo octogesimo secundo Incarnationis Domini, prælatus Ecclesiæ nostræ viginti septem annis.

Adelardus Abbas obiit anno 1082.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

POst obitum Adelardi II. mala gravissima & dolores super dolorem mulieris parturientis apprehenderunt Ecclesiam nostram, qualia non sunt audita in toto unquam mundo ab illo famoso domino Tito & Vespasiano Hierosolymorum excidio, quæ in hoc secundo Libro altiori repetenda dignum duxi principio, ut directâ per ordinem veritatis semita viantem gravatum longo plano relevet vestigio. Siquidem pius multùm & patientissimus longanimitatis Dominus Deus non præcipiti irâ, naque subito furoris sui turbine statum evertit Ecclesiæ nostræ, sed qui tunc erant temporis patientiâ Dei abutebantur in contumeliam, vitam suam magis magisque distendentes in luxum & desidiam: itaque cæcitate sua & contemptu miserationis Dei, vim tandem fecerunt patientiæ ejus & longanimitati. Nam quod periculosissimum est, atque iræ Dei maximum incitamentum, nolebant intelligere suis peccatis accedere Dei super se flagellum, sed eorum tantùm hominum per quos Deus puniebat sui contemptum: unde factum est, ut agitati tandem intolerabili judiciorum Dei turbine, dispergerentur diversis partibus orbis terræ, longiusque multo ipsis corporibus exiliarentur, quàm infami nomine post ventilarentur.

Igitur, ut superiùs dixi, miracula ad sepulcrum beati Trudonis quantum licuit, quantumque humana industria facere potuit, occultata fuerunt usque ad paucos annos obitûs domini Guntramni Abbatis. Intelligebat enim tamquam vir prudens, non evenire ea suis neque suorum meritis, sed admonitiones ea esse de vitæ & morum sui suorumque correctione, quoniam signa data esse infidelibus non fidelibus legerat. Satagebat ergo quamplurimùm Fratrum numerum augere & meritum; quapropter eâ liberalissimâ manu Omnipotentis largitoris hanc obtinuit benedictionem, ut omnibus diebus vitæ pax & abundantia comitarentur ejus studiosam religionem: defuncto autem eo, & succedente Adelardo II. cœperunt haberi miracula & virtutes sepulcri sancti Trudonis non tam timori & reverentiæ, quàm ostentui & populari gloriæ. Frequentabat enim sepulcrum ejus infinitus peregrinorum numerus, neque diebus tantùm singulis, sed singulorum dierum horis superveniebat multitudo multitudini, atque noctis medio grandinosa faciebat venientium & abeuntium inquietatio. Vellent nollent Fratres, per omnes claustri irrumpebant partes; maximè quia aqua nostri qui adhuc superest putei, dicebatur potata in nomine sancti Trudonis fieri medela, atque fiebat accedentibus ad eam languidis. Sed & leprosi ibidem de eâ loti referuntur nonnunquam fuisse curati. Quid multa? Oratorium, chorus, templum, claustrum, pratum nocte dieque non inveniebatur à multitudine vacuum, quarum perstrepentium continua inquietatio magnæ fiebat molestiæ, & ordinis impedimento senioribus solitis & volentibus Deo servire in quiete & silentio. Juniores verò, quibus tædio erat Religio, & disciplina odio, gratulabantur priùs occultè hac quasi necessitate se magistræ Regulæ mandata præterire. Accessu verò temporis, & frequentissimo usu peregrinæ multitudinis, tandem inverecundâ fronte cœperunt ad libitum cuncta agere, locorum indifferenter abutebantur qualitatibus, & horarum tam incompetentium quàm competentium vicissitudinibus, seniorum increpationes indignanti supercilio respuere; in ipsum quoque Abbatem interdum indecenter protervire; quodque primum in animâ Monachi est totius perditionis radicale seminarium, & supremum exterminandi Ordinis vixque evadendum excidium, interea illicitis proprietatibus ardenter studere, & à sæcularium personarum accessibus vel mediocriter non abstinere, audere quod non expediebat. Hinc quosdam superbi sanguinis effrænabat tumida recordatio, hinc quibusdam lenocinantibus modo submurmurato, modo palam objecta accendebat ejusdem falsiùs suggestio: quorum impunitas alios animo & sanguine degeneres audaciores reddebat ad similia aut majora committenda, & impatientiores efficiebat si fortè decepti dignè plecterentur regularis disciplinæ sententiâ.

Ad hoc ruinosum perituræ Ecclesiæ præcipitium accedebat, ut ita dicam, lubricamentum, videlicet quia de hac vitâ subtrahebantur quotidie sancti & religiosi viri, qui nutriti fuerant sub disciplinâ Abbatis Guntramni, quantoque eorum imminuebatur numerus, tanto præsumptio & indisciplinatio invalescebat ampliùs. Qui verò de illis supereant admodum pauci, sibi soli cum dolore vivere, & de juvenum insolentiâ nec audere mutire. Quid pudore & reverentiâ nostri Ordinis teneor? Quanto longiùs ferebatur relatione peregrinorum gloriosa celebritas miraculorum sancti Trudonis, tanto & nostrorum reprehendebatur sæcularitas ex levitate morum & abusione indisciplinationis. Erat enim summa oportunitas quibusque nostri Ordinis perire volentibus ex peregrinâ, ut dixi, veniente & abeunte multitudine, tum ex confracti Monasterii vasta reparandâque amplitudine.

Et quia quidquid à discipulis delinquitur ad Abbatem respicere beatus Benedictus testificatur, extendit pius & tantus salutis nostræ monitor manum suam ad percutiendum Abbatem Adelardum, quia remissiùs multo agens quàm necesse esset, animosè non opponebat se ad tantum animarum periculum, & ad avertendum imminentis furoris Dei exterminium. Percussit igitur eum Dominus, & sensu alienavit; ut etiam inter signa & miracula, quibus per beatum Trudonem vitam nostrorum emendandam quotidie admonebat, ex hoc admoni-

tos Fratres terreret, territos animadvertere faceret, quia eorum peccatis facientibus ille sensu esset alienatus, cujus ducatu regi deberent imitantes eorum gressus. Ductus itaque est Leodium ad Monasterium beati Laurentii; ibique freneticorum more factis multis diebus in cryptâ beatæ MARIÆ semper Virginis, curari tandem meruit ejus intercessione ad sepulcrum Wolbodonis Episcopi. Sed neque sic sentire voluit nostrorum mala cæcitas, quàm piè, quàm cautè manum misericordiæ porrigeret eis divina misericordia, in flagello sui capitis periculum admonens totius corporis; quin magis impetu irrevocabili ferebantur ad omne quod erat eis desiderio & voluptati, captâ, ut dixi superiùs, oportunitate ex circumstrepenti peregrinorum multitudine, atque ex vastâ fracti Monasterii amplitudine; tum quia si quid fortè concupiscentiæ cujusque deerat, supplebat singulis ad placitum suæ pruriginis effusissima oblatio sepulcri beati Trudonis; non enim noxias manus à tanto sacrilegio continere curabant.

Latere ipsa omninò non poterant dominos nostros, scilicet Metensem & Leodiensem Episcopos, quinimò invidorum delatione majora satis veritate cœperunt credere, Abbatemque gravissimis exactionibus & frequentibus audientiis super posse gravare. Nam Clerici, quos in exitiale malum suum parvulos educarat inter scholares pueros nostros stulta Abbatis Seniorumque indulgentia, rem sibi ex primâ familiaritate nimis notam cum augmento deteriore per multorum ora spargebant, ipsosque Episcopos modo litterarum transmissione, modo præsenti suggestione in nostrorum omnium ejectionem, & aliorum Monachorum introductionem vehementissimè accendebant; quorum impudentes linguæ atque impudentiores litteræ plùs, cæteris omnibus delatoribus, plusque ipsâ famâ rem semper augmentante, nostris qui eos educaverant exitiales, ut dixi, fuêre. Unde factum est ut duo supradicti Episcopi, Metensis scilicet Herimannus, & Leodiensis Henricus, pari in unum conspirarent consilio, quatenùs si superstes adhuc defungeretur Abbas Adelardus secundus, nunquam nostris ex nostris Abbas daretur, sed ad evacuandam irreligiositatem eorum alius aliquis Religiosus eis introduceretur. Bonum siquidem & utile consilium, si magistrâ directione & non irâ vindice esset consummatum.

Quid plura? Octavo Idus Decembris Abbas Adelardus secundus defungitur, Fratrum electio Metis respuitur, decimo tertio Idus Augusti in Capitulo nostro ab utrisque Episcopis cum Religiosis tam Clericis quàm Monachis convenitur: affuit & Abbas sancti Laurentii Berengarius, & magnæ vitæ & nominis Franco Magister scholarum sancti Lamberti religiosus. Recitantur sub omnium audientiâ delatrices litteræ ab iniquis Clericis maleque nobis familiaribus datæ: adscribuntur illis & illis de nostris aliæ atque aliæ criminatorum infamissimæ notæ; deinde omnibus pro hac infamiâ in commune Fratribus præcipitur, ut exilio longè lateque per diversa Cœnobia ferantur. Totum pondus Capituli die illâ in nostros convertitur: non enim erat qui misereretur, quibus jamdudum cæcitate suâ obduratis longanimis Dominus tandem inveniebatur iratus. Tamen petitâ vixque impetratâ audientiâ unus ita respondet pro omnibus: Licet peccata nostra, ô Domini nostri & Episcopi, vosque sanctus tam Clericorum quàm religiosus Abbatum & Monachorum Conventus, alienent pia corda à nostri miseratione, tamen debita justitiæ piique judicii regula nunquam debet vacare ab universali matre virtutum sanctâ discretione. Si à Regulâ sancti Benedicti, quam professi sumus, hactenùs utcumque deviavimus, idcircò regulam datam esse credimus Monachis, ut Regulæ prævaricatio ipsius authoritate & sententiâ emendetur: ita tamen secundùm eamdem Regulam, ut rubigo vasis sic abradatur, ne testa humanæ fragilitatis comminuatur. Peccatis quidem nostris exigentibus licet serò, tamen recognoscimus factos nos esse opprobrium omnibus per circuitum nostrum, non tamen cuncta esse vera quæ loquuntur adversùm nos malignæ linguæ odio nos habentium; quapropter si canonicum hoc est, si Regulæ nostræ consentaneum, si vestræ religioni debitum, si usibus Ecclesiasticis usitatissimum, date oramus, pronisque tam mentibus quàm corporibus imploramus, date supplicamus, date piissimi Domini nostri Abbatem, quoniam noster defunctus est. Cum datus nobis ille fuerit, de omnibus quibus infamati sumus, quibusque hodie accusamur tam falsis quàm veris vocibus, magistrâ Regulâ ipsâ ordinante, vobis etiam, si placet, præsentibus satisfacere & emendare parati sumus. Qui si priùs cuique inde respondere debemus, sanctus iste vester decernat Conventus. Electus noster cum non tantùm careat crimine, sed omni quoque suspicione malâ, isque nullâ possit auctoritate respui, si nostris tamen falsis reprobatur criminibus, detur nobis quicumque vobis placuerit alius, non contradicimus, quin libenter annuimus, dummodo habentes caput purgari & emendari sub oculis ejus ex his possimus, quibus vel præsentes vel absentes arguimur.

Et quidem erat Electus ille vir peroptimus, prudens & religiosus Monachus, humanâ divinâque paginâ apprimè eruditus, diuque loci nostri Præpositus, nomine GERARDUS, ex discipulis Guntramni Abbatis superstitum adhuc unus. Sed tanta fuerat, Proh dolor! infamia eligentium, ut præjudicans prævaleret adversùs Electi meritum, quamque Dei benignitate & patientiâ abutentem, aurem cordis à clamore ejus diù averterant, effectum petitionis suæ licet justæ .... justo tamen Dei judicio assequi non poterant. Quid plura? Solvitur tandem die illâ Capitulum cum irâ magnâ & indignatione Episcoporum; ratione & regulari auctoritate se premi dissimulantes, tamen occultè ingemiscebant; sed tamquam ministri iræ, & virga furoris Domini in nostros, etiam volentes assentiri non poterant. Satagebant ergo totâ die illâ simul, ut qui ferri in auxilium reluctarentur, viribus & ignominiosè sequenti die de Monasterio & oppido ejicerentur, utque ejecti miseratione humanâ à nullo reciperentur vel in hospitio. Progressus in publicum Episcopus Leodiensis Henricus stolatus, auctoritate Episcopali per bannum omnibus in Episcopio suo præcepit, ut & hospitium eis non indulgerent, ut quidquid habere invenirentur primò illis obviantes impunè distraherent. Res miserabiliter miseranda, & nisi Dei judicio accidisset, nullo Dei & hominum judicio suscipienda. Sed ne fortè in judicio duorum istorum Episcoporum occultum Dei judicium videamur reprehendere, sinamus cum reverentiâ justum judicem Deum peccata nostrorum per istos punire; hoc tantùm ad miseriam eorum veraciter referamus, quod etiam non indulgentes ministros iræ Dei & virgam furoris Domini se esse, esse tamen meruerunt, & pro peccatis suis peccata aliorum punire, atque ita ut non modò hoc fieret sine reverentiâ Monachici Ordinis, sed etiam sine compassione in homines saltem extremæ necessitatis. Quæ enim Regula, quis Canon, quis Ordo, quæ leges hoc authorizant, ut defuncto suo Abbate Monachi Abbatem regulariter petentes, & quidquid de eis vel fama mentitur, vel veritas perhibet secundùm Regulam suam vel pur-

gare vel emendare volentes, ire ante datum Abbatem ab Episcopo in exilium compellantur, & nisi assentiant, stolâ & banno omnes in Episcopio Christiani ab eorum hospitalitate interdicantur? Sed cum reverentiâ, ut diximus, justum Dei judicium in istorum judicio suscipiamus, proximioremque Dei clementiam indubitanter credamus esse erga illos quos dignatur corripiendo flagellare, quàm quos voluit ministros iræ suæ & virgam furoris sui esse, si tamen in humilitate conscientiæ suæ sciant correctionem Dei suscipere. Episcopi nec justæ petitioni nostrorum acquiescentes, nec Deum in se nostros persequi pro peccatis tam suis quàm nostris intelligentes, spretâ nostrorum dignâ electione, & quæ reprobari non poterat aliquâ regulari objectione, sicut jamdudum deliberaverant, sequenti die stupentibus oculis Monachorum introduxerunt in Monasterium nostrum LANZONEM quemdam de Cœnobio sancti Vincentii Metis Abbatem, virum quidem religiosum & inter Religiosos nominatissimum; at nihil religioni ejus detraxissent, si tamdiù à regimine Cœnobii nostri abstinuissent, donec canonica auctoritas etiam repugnantes eum ad id pertraxisset. Nam nisi me fallunt auctoritates Sedis Apostolicæ, scilicet Cælestino Papa præcipiente, necnon & illud idem Nicolao Papa ad Carolum Francorum Regem & Egilonem Episcopum Senonensem, multipliciter iterante: » Illicitum est in aliena stipendia quemque obrepere, & ex transverso venientem in castra inter quæ non militavit ducatum arripere: Tunc tandem alter de alterâ eligendus est Ecclesiâ, si de civitatis ipsius Clericis vel Monachis nullus dignus inveniri potuerit qui ordinandus sit. Primùm enim illi requirendi sunt, quàm aliqui de alienis Ecclesiis præferantur. Habeat unusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesiâ in quâ suam super omnia officia transegit ætatem: in aliena stipendia minimè alter obrepat, nec alii debitam alter sibi audeat vendicare mercedem. « Hæ sunt auctoritates Sedis Apostolicæ.

Nicol. I. Ep. 21. sub init.

Cælestin. I. Ep. 2. cap. 5.

Quòd si quis dominum istum & religiosum quidem virum Lanzonem Abbatem ex eo conatur defendere, quia faciente ipsius famosâ religione consenserint in eum duo Episcopi isti de violentiâ ejus in nostro prælatione, audiat se inde redargui hac ejusdem Nicolai Papæ ad eumdem Egilonem auctoritate. » Quid autem, inquit, suffragatur consensus » Episcoporum, ubi non pro Regulis sed contrà Regulas adunatur. « Et paulo post. » Cujuscumque » itaque sit sanctitatis dono quolibet præditus, alienos non debet labores præripere; quippe cum jubet nihil eorum quæ proximi sunt aliquo modo concupiscere: eo ipso enim quo quisquam alteri pertinentia jura surripit, sanctitatis gratiam perdit. Nam quæ sanctitas vendicat mercedem alteri debitam? Quæ sanctitas alterius sibimet fructus usurpat? « Contra has ecclesiasticas auctoritates & Sedis Apostolicæ interdictiones, licet sanctus, licet justus, licet religiosus, licet suffragante illi duorum Episcoporum consensu peccatis nostrorum ita merentibus, dominus Lanzo Abbas est super nostros introductus. Donum tamen rerum temporalium, & cura committendarum ei animarum delatum est ab Episcopis usque IX. Calendas Septembris.

Die verò Capituli convenerunt in Chorum ad Vesperas omnes Confratres nostri vestientes chorum formosis viris magnarum personarum, & eruditis apprimè in omnibus officiis Ecclesiasticarum institutionum. Felix quidem Ecclesia tot & talibus & tantis viris, si non iratum habuisset Deum Patrem, si pro peccatis suis vel iram ejus scivisset portare in humilitate cordis & contritione carnis. Sed quid moror? Eâdem nocte intelligentes ab amicis, quòd sequenti die violenter & contumeliosè contruderentur in exilium si in Claustro essent uniti, pavore dissoluti (ut est humana natura, & maximè formidolosa simplicitas Monachorum) fugâ sibi consuluerunt: unus tantùm eorum, Lupo nomine, exilio sibi magis quàm fugâ electo transmissus est Leodium sub BERENGARIO Abbate apud sanctum Laurentium: paucissimi verò cum Abbate Lanzone remanserunt, GERARDUS scilicet Præpositus ille nostrorum electus, necnon & Blingerus, Herimannus quoque senior cum alio Herimanno nepote suo, atque Eugo paulo post missus est Metis in exilium; cæterorum plurimis per Flandriam & Angliam, Daciam & Saxoniam, Regnum quoque Theutonicorum dispersis. Pars minima habitu sibi retento per diversa Cœnobia hospitabantur, pars maxima nihil sibi de Monacho retento, Presbyterorum more per diversas parochias vagando ferebantur: sed & Leodii & Coloniæ post iræ Dei super locum nostrum pœnitentiam, & redditam nostris miserationis suæ gratiam, vidimus nonnullos eorum inter Clericos sub Clericorum habitu consenuisse in ordine Canonicorum Leodii in Monasterio sanctæ Crucis, necnon sancti Joannis Coloniæ in Monasterio sancti Georgii.

Interea Lanzo Abbas fultus duorum auctoritate Episcoporum, cœpit strenuè de temporalibus & spiritualibus apud nos agere, advocatâ sibi de Metensium partibus religiosorum Monachorum multitudine; sed nescimus quo occulto Dei judicio gravissimâ contritus est divinitùs adversitate, dum humanâ forsitan nimiùm elevaretur prosperitate. Nam anno tertio prælationis ejus super nostros septimo Idus Martii combustum corruit mirificum illud & pulcherrimum opus Monasterium nostrum, quod incomparabilibus in hac nostrâ terrâ columnis, & tecturâ irrecuperabili benè consummaverat pia sollicitudo Abb. Adelardi II. tantumque fuit, non dicam infortunium, sed, ut dixi, occultum Dei judicium, ut de unâ domunculâ, longè quidem positâ. in toto oppido nostro solùm nostrum combureretur Monasterium; globus namque ardentis straminis altissimè se attollens ab incendio flammivomentis domunculæ, dicitur visibiliter tandem corruisse super nidum ciconiæ in unâ duarum turrium, quæ est juxtà orientales absides in australi latere, & oppidanis ad clausum ostium Monasterii concurrentibus, sed Fratribus causam nescientibus, tamdiù protelatum illis esse introitum, donec vis ignea inexpugnabile sibi præoccupasset totius domûs imperium. Cecidit igitur tandem, cecidit illud Monasterium, cujus simile ampliùs nostrum non habebit Cœnobium, illæque mirabiles columnæ super quibus labor, expensæ, studium, opus, pulchritudo, magnitudo referri dignè vix potest, ita funditùs igne resolutæ corruerunt, ut de duodecim reformari non posset una similis prædictarum. Sed à tam luctuosâ descriptione paululùm hîc jam respirare oportet, & secundi libri fine terminato ad tertium inchoandum molestum animum recreare clementiori otio.

****

LIBER TERTIUS.

QUAM gravi sollicitudinum mearum pressurâ urgeor, tenue nimis viliterque scissam ipse reprehendo quidquid in hac ordiri telâ texuisse videor. Sed quid? Si talis non fuerit res perfecta, vel digna sit ita permanere, tantùm saltem conferet ex

suâ vilitate, quam quandoque coget erubescentem se in melius stylum commutare. Interim Lector animadvertat, quod scribitur, non quàm benè scribitur.

1082. Anno igitur Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo secundo obiit Abbas Adelardus II. octavo Idus Decembris; tertio verò Idus Aug. Capitulum actum est super Confratres nostros à duobus Episcopis, HERIMANNO scilicet Metensi & HENRICO Leodiensi, quâ nocte dispersi sunt omnes Confratres nostri præter paucos quos superiùs nominavimus. Nono autem Calendas Decembris LANZO Abbas S. Vincentii Metis ordine memorato in secundo libro Abbatiam nostram regendam suscepit: tertio verò anno introitûs ejus combustum est Monasterium

1085. nostrum, scilicet septimo Idûs Martii anno millesimo octogesimo quinto.

HILDEBRANDUS Papa, qui & GREGORIUS VII. est appellatus, & HENRICUS IV. Romanorum Imperator, qui Leodii obiit filii persequutionem fugiens, gravissimis dissidiis Regnum & Sacerdotium hac illacque miserabiliter distrahebant; quare Imperator faventium sibi Episcoporum Mogontiæ Concilio habito, suique Papæ CLEMENTIS appellati; Ravennensium, scilicet Archiepiscopi, auctoritate ut sibi videbatur roborato HERIMANNUM Metensem Episcopum, hostem imperii publicum adjudicari fecit in eodem Concilio, totoque alienari Metensium dominio, Abbate quodam S. ARNULFI Metis, Gualone dicto, Episcopo pro eo supposito.

Luipo Abbatiam invadit. Interea LUIPO unus de Fratribus nostris, ille, inquam, qui Leodii apud S. Laurentium exilii sententiam susceperat, fugâ exilium evadit, necessitate quidem eâ quia Leodiensium Episcopum longiùs eum velle in exilium mittere sensit. Qui cum per omnes quos utiles sibi fore existimabat, per ipsum quoque Imperatorem apud Abbatem Lanzonem omni humilitate ageret, ut receptus in Claustro suo, quo nutritus fuerat, ordine quo & alii venire posset, nullo modo impetrare valuit. At ille cum parentibus suis Lovanii, interdum verò Salechem, aliasque nonnunquam (nobiliter enim natus fuerat) de patrimonio suo tristis & mœrens vivebat. Sed auditis inimicitiis quæ inter Imperatorem & Herimannum Metensem obortæ fuerant, & quia abjudicatum illi Episcopatum, Imperator cum omnibus appendiciis ejus, simul etiam & Abbatiam nostram eâdem lege habebat in manu sua, loquutus Fratribus suis qui Gandæ in Monasterio S. Bavonis exulabant, necnon & quibusdam qui Abbatem Lanzonem aliquantum cum eo morati tandem effugerant, simul etiam aliquibus qui cum eo adhuc erant, ut multa interea hac illacque acta prætereram, ab Imperatore tandem obtinuit ut suscepto dono Abbatiæ nostræ de manu Imperatoris, per duos Comites ejus in eam introduceretur, GERARDUM scilicet de Castello quod dicitur Guassenberge, & Gosuinum avunculum ejus de Castello quod vocatur Heinesberge. Hæc autem eâ geri videbantur ratione, quia absque electione domnus Lanzo introierat Fratrum electioni suppositus, Episcopatusque Metensium, qui Herimanno abjudicatus videbatur, in manu Imperatoris habebatur, cujus capiti inhæret nostra Abbatia: quare Imperator Lanzonem tamquam invasorem removere posse sibi videbatur, & Fratribus nostris suum electum dare. Nostro tamen judicio non videtur cohærere hæc ratio, cum si quid contrà Canones actum esset ab Episcopis in nostros de Lanzone, Apostolicâ potiùs coërcendum esset auctoritate, quàm illicitâ Imperatoris potestate. Sed apud mortales per mortales nihil justè rationabiliterque agitur, cum rationis justitiæque regula Deus judex justus victâ patientiâ insurrexerit iratus. Hac tamen ratione & ordine Luipo Abbatiam nostram primùm visus est intrasse, qui si tum & postmodum gratis & per ostium introierit, testabuntur sequentia ipsius opera.

Intravit igitur septimo Calend. Junii in pompâ magnâ militum, quâ die secunda feria fuit Rogationum: cujus tyrannidem Lanzo veritus intrà parietes se continuit, turrimque præoccupans cum paucis Monachis vitæ sibi eam solatium fecit. Primus quidem ipse fuit, qui turrim nostram sibi vitæ præsidium fecit; quæ res perniciosissimum postea exemplum nostris fuit, fiduciâ tanti præsidii factis rebellibus in excidium totius loci nostri: non tamen vir religiosus ita intellexit, cum eam ascenderet, qui nihil ex eâ nisi vitam sibi servandam cogitabat, donec Episcopi auxilio salvus evadere posset. Sed seditiosus populus noster, & ad omne quod est turbæ & dissidii levissimus, hujus viri necessitatis leviter in malo potuit meminisse, oblatâ sibi rebellandi & calumnias faciendi occasione. Unde ipsi aliquando meminimus, & post præsentes vidimus, non solùm oppidum nostrum incendio prorsùs conflagrasse, verùm turris hujus occasione plurima miserabilia in eo accidisse cum humani sanguinis largâ effusione.

Igitur quidam de Fratribus nostris, qui prælationem Lanzonis Abbatis ferebant inviti, ad Luiponem statim se convertunt, beneficiati Ecclesiæ præter paucissimos, necnon & oppidani fidelitatem ei faciunt: Lanzo interea Letanias Rogationum intrà parietes templi agebat cum paucis Monachis. Luipo per campos, ut mos est, cum multis de Fratribus nostris, & turbâ laïcali. Homines nostros ad hujusmodi seditiones facillimos, & modo hac, modo illac levissimè devios usque ad nostra quoque tempora invenimus; quod & interdum gravissimè experti sumus quamdiù de Monachis superfuit vel unus, qui contendere de Abbatiâ nostrâ moliretur. Quid moror? franguntur tandem ab hominibus Luiponis fores Monasterii versùs Claustrum, & Abbatem Lanzonem intrà turrim coactum ostium exire non permittunt. Tandem eum in eâ necessitatem audivimus sustinuisse, ut aliquot diebus à pauperibus mulierculis per fenestrulas aleretur grosso & arido pane, vasculoque parvissimæ refocillaretur aquæ. Sic & sic & hæc & illa per quindecim dies sunt inter eos acta. Quinto decimo demum die in quâ misit Episcopus Leodiensis Abbatem Berengarium de Cœnobio sancti Laurentii Leodii, & astu simplici ereptum Abbatem Lanzonem de nostrâ turri, cum eodem Abbate manere fecit Leodii Monasterio sancti Laurentii. Fecit etiam ibidem ei servire quidquid habere videmur in Sisuin, & in Jemapia, & in Villario, & in Olere; deliberans interea quid de Luipone ageret. Post hæc nihil moratus Luipo Metis proficiscitur, & redditum Gualoni baculum, qui super Herimannum Episcopus ibi dicebatur, ab eodem recipit, præsentibus ibi de Fratribus nostris multis & de oppidanis melioribus. Episcopus Leodiensis de hac præsumptione Luiponis contemptuque Ecclesiæ sancti Lamberti, suis tam Abbatibus quàm Archidiaconibus totique simul Ecclesiæ conquestus, eorum judicio Luiponem excommunicat decimo septimo Calendas Julii, Octavis scilicet Pentecostes, omnesque adhærentes ei.

Sed heu! nunc, nunc invalescit materia de miseriarum nostrarum miserrimâ relatione, sub cujus pondere mens collisa hebetudine suâ stylum quoque hebetem facit, horrorque informis monstri & enormis materiæ timet in lucem prodire. Dicendum enim hîc erit post primam & miserabilem illam mirabili

flammâ faciente templi nostri ruinam, secundo vix anno & quasi calidis adhuc templi cineribus quomodo totum oppidum nostrum in unâ quasi favillâ corruerit, & humanus sanguis non modo perustos semirutosque templi parietes fœdaverit, verùm altiùs largeque super ipsas altariorum crepidines roraverit.

Igitur Luipo quid faceret? Episcopum HENRICUM inexorabilem prorsùs sibi videt: rem igitur ad Imperatorem iterum atque iterum refert. Imperator turbato sibi Regno & Sacerdotio ægrè occupatus, rem ejus usque in Curiâ Aquisgranensi differt: fit Curia in Natali Domini, adsunt Episcopus & Luipo, longè inter utrosque post & ante Imperatorem verborum conflictus. Cedit tandem Episcopus, victus terrore Imperatoris magis quàm legibus. Solvitur cum suis omnibus ab excommunicatione Luipo. Sed interim Fratribus nostris omnibus divino interdicto officio, donec dato sibi conductu veniens ad audientiam pacificè Leodii discuteretur Luipo, si quo modo posset de eo petitio Imperatoris fieri. Luipo instante die licet conductum sibi videret deesse, CONRADUM scilicet Ulterioris Trajecti Episcopum, qui sibi permissus fuerat coram Imperatore, tamen ad diem tendit; quem ministri Leodiensis Episcopi excipientes insidiis, juxtà villam Jupiliàm Leodio proximam graviter verberatum spoliant; neque tamen sic à proposito itinere prorsùs deterrent. Sedit Concilium. Jubetur Luipo intrare. Ille non abnuit dummodo spoliato sibi res suæ restituerentur, & qui eum introduceret promissus ei adesset conductus. Iterum atque iterum & usque tertio vocatus, cum superiùs dictâ ratione venire nollet, tandem excommunicatur: sicque tristis ad Claustrum reversus, res domesticas disponit, & statim ad Imperatorem redit. Nec mora, fautores ejus consilio similiter habito de muniendâ turri nostrâ deliberant, & quidquid munitioni & obsidioni videbatur esse necessarium, parent. Eliguntur ad tale negotium juvenes audacissimi, multarum in corpore & parentelâ virium, sed paucissimi consilii; ut si Episcopus Leodiensis Lanzonem reducere vellet, timor turris ab illis occupatæ eum à reditu arceret, donec dominus eorum Luipo ab Imperatore pace habitâ rediret. Tantaque erat cæcitas judicio Dei eorum qui videbantur in oppido nostro sapientiores & natu majores, ut non attendere vellent quàm pessimum furem haberent, quia domus Dei illis cooperantibus aut consentientibus, sive non resistentibus fiebat militum præsidium, quinimò spelunca latronum, & sacrilegorum refugium.

Cœperunt interea novi illi castellani ædificatam sibi munitionem possidere multo Dei contemptu, & rerum Ecclesiasticorum abusione: nam cortinis & tapetibus, quibus tunc multis & pretiosis abundat nostra Ecclesia, velabant undique exteriùs novæ ædificationis suæ circà turrim ambulatoria, sub illis & circà ea protegentes se ab æstivalis solis ardore; & bibentes & manducantes luxuriosè: nam spatium Monasterii, quod est à turri usque ad arcum primum ante ipsam turrim, munitioni suæ quasi antemurale conjunxerant, & per fenestras trium simul positarum turrium trabibus ingentibus longè porrectis in gyro extrà turres placidum aspectu composuerant ambulatorium. Ibi, ut dixi, cortinis & tapetibus cæterisque ecclesiasticis utensilibus luxuriosè nimis abutebantur. Censum quoque & annonam, quæ pertinebat ad Fratrum præbendam, gulæ suæ & libini prodigè nimis servire faciebant. Nam inter magnos & parvos vix octo Fratres tunc habebantur apud nos: qui enim Deum timebant, Leodiensis Episcopi dispositione per alia Cœnobia hospitabantur, & quidam vestibus abjectis Monachicis Clericali habitu exules abutebantur. Quidam verò illorum, qui cum Luipone remanserant, horum omnium malorum non tam incentores quàm etiam cooperatores existebant, & simul cum seditiosorum furore quasi oleum in igne rebellionum insaniâ effervebant, Quorum scilicet turrensium insolentiam cum majores oppidanorum tardè quidem nimiùm cohibere vellent, nullo modo jam poterant: quia parentelâ & armis, insuperque forti, beneque stipendiatâ munitione confidentes, ad modum quem excesserant redire jam nisi invitè nolebant; unde frequenter in eos est rixa exorta, inque fori medio & ipsum atrium cruenter pugnatum. Tunc demùm peregrinorum multitudo cœpit cessare, quæ ut superiùs descripsi quotidianâ concertatione ad sepulcrum beati Trudonis solebat oblationem offerre. Nam hinc illos dehortabatur horror bellicæ, imò diabolicæ faciei, quam ex armatâ turre impresserant latrones illi domui Dei; hinc Episcopalis terrebat interdictio, quæ sacrilegos illos præconabatur ex oblatione fidelium non debere stipendiari.

Quid longiùs moror? his & aliis innumerabilibus nostrorum præsumptionibus provocatus Leodiensis Episcopus, movit tandem exercitum ad expugnandam non jam turrim Ecclesiæ, sed speluncam latronum. Igitur Nonas Julii feriâ secundâ obsessum est ab eo oppidum nostrum, ipseque resedit ante portam illam quâ exit Sarchinium. Erat tunc temporis totum oppidum nostrum vallo fortissimo munitum, atque desuper postibus fortissimis magnisque trabulis coronatum: super singulas portas turres ligneæ eminentiùs ædificatæ, stratæque per medium, & vestitæ per circuitum cratibus firmissimis, & nullis sagittarum acuminibus perviis. Præterea turris Monasterii fortissima quasi arx excelsa, in medio oppidi instar montis eminebat, qualem non deceret tunc temporis habere Monasterium, sed civitatem bellicosissimam aut castellum Regium. Tunc fortissimus Monasterii murus, qui in anteriore anno concrematis tectis adhuc totus stabat nudus, longo suo exteriùs gyro & amplo interiùs spatio, amplissimos & plenos securitatis præbens illis qui in turre mirabantur recessus. His namque freti munitionibus, tum multitudine maximâ bellicosorum, magnæque audaciæ virorum, quibus semper abundasse oppidum nostrum scitur, primâ die obsidionis frequentes temerariosque nimis faciebant in exercitum excursus, ita ut Episcopum loco moveri facerent, & majorem suorum revocare multitudinem, potuissentque non multùm timere illam obsidionem, nisi propter injustam eorum causam & domus Dei prophanationem, Deum vindicem habuissent expugnatorem. Orta igitur sequenti statim die inter eos est seditio, aliis de deditione murmurantibus, aliis de repugnatione conclamantibus. Itaque invitis qui turrim occupaverant, alii quos jam pœnitebat incœpti, obsides Episcopo tradunt, ut sanis rebus suis & corporum concessâ sibi incolumitate Episcopus cederet ab obsidione, oppidani à rebellatione. Sed quæ prudentia, quod consilium effugere tandem potest judicis iræ Dei judicium? Nam & ipsa pœnitentia interdum esse potest infructuosa, cum facti mali pœnitet nos, magis ne de rebus temporalibus aliquid perdamus, quàm ut Deum quem offendimus satisfactione placare studeamus.

Erat tunc temporis adhuc inter Brustenienses & Trudonenses gravissimum & antiquum belli jure dissidium, quorum alterutros nunc lancea, nunc sagitta, plerumque & gladius usque ad quamplurimos & de melioribus viris voraverat. Itaque Bru-

stenienses intelligentes de pace faciendâ inter nostros & Episcopum, gravissimè ferunt, & quidquid illud sit audent moliri ad nostrorum excidium. Postpositâ igitur fide quâ Episcopus obsides nostros susceperat, eâdem horâ quâ ante eum venerant per quosdam recessus ultrà vallum in oppidum nostrum transiliunt, nostris nihil minùs quàm id suspicantibus, pro pace laudatâ & datis jam obsidibus, & imò remissè positisque armis se continentibus. Priùs ergo silent igne injecto, deinde pedestri populo clamoribus in idipsum concitato, deinde igne & ferro totum invadit exercitus oppidum nostrum spe prædæ, captivandorumque cupiditate, non respicientes ad reclamantem fermeque solum relictum Episcopum, qui nihil Brustenienſium insidiarum sibi conscius ægrè nimis ferebat pro acceptis obsidibus, lacrymasque & grave suspirium dicitur fudisse, cum victricem flammam videret Ecclesiam beatæ MARIÆ semper Virginis corripuisse. Nostris licet serò ad arma, tamen audenter convolantibus per plateas, per compita, per notos sibi meliùs quàm illis viarum recessus, multus hostium sanguis effunditur. Hinc tamen eos igne, hinc armis circumvallantibus, inque fori medio gravissimum commissum est prælium, armorum collisione, & gemituosâ humani sanguinis effusione tetra & miserabilis facta est diei illius facies, horribilis quoque & cruenta tota fori planities. Prævaluit tandem multitudo, & nostros in atrium retrogrado cogunt vestigio. Heu quantum sanguinis effusum fuit priusquàm possent nostri compelli intrà portas Monasterii! Nam qui suprà turrim erant, omni defensionis genere hostes miserrimè procul & propè conterebant, etiam quibusdam ex Monachis, qui diù postea nobiscum vixerunt, acerrimè accinctis ad hujus defensionem necessitatis. Miserabile erat videre à fenestris turris sanctam imaginem Domini, sanctum scilicet Crucifixum pendere, & in expositum sancti Eucherii feretrum congredientem multitudinem sagittas mittere. Cumque recepti intrà templi parietes qui fugæ aut neci superfuerant de nostris, portas clausissent, multo hostium dolore gravissimo suorum moti occisorum, speque illectâ majoris prædæ, cœpit diligentissimè explorare per gyrum Monasterii parietem, si quem ad nostros possent habere accessum, & fracto tandem muro ad austrum contrà cryptæ introitum, necnon & per fenestras cœperunt irrumpere in Monasterium. Interea nostri timorem & sollicitudinem intùs silentio simulantes, quantos volunt de hostibus intrare permittunt, subitâque in eos factâ irruptione non tantùm trucidant, quantum super ipsa quoque altaria insilientes horribiliter immolant. Fit, proh dolor! in domo Domini cædes cruentissima, ita ut membratim concisorum hostium hac illacque plurimâ factâ congerie, visceribusque effusis forte insatiabili furentis gladii mucrone, non solùm parietes & pavimenta humano aspergerentur sanguine, sed ipsa quoque altaria sancti Trudonis, & Eucherii sepulcra avulsorum intestinorum heu, heu! polluerentur stercore, nec satis hoc erat huic tam miserè victæ nostrorum victoriæ; nam artus exanimes igni circumfurenti injectos hîc ibi prunarum ex incendio ferventissimus factus acervus, pestiferi nidoris profluente sanie miserabiliter urebat.

Hoccine portendebant, sancte Trudo, tua miracula quæ tantis priùs temporibus fiebant ad sepulcrum tuum, tot tam crebra, tam stupenda, tam gloriosa? Portendebant quidem, quia dum blandâ commonitione miraculorum tuorum non corrigeretur negligentia vitæ nostrorum, quin magis inconsideratè elati in luxu & desidiâ abuterentur fructu inæstimabili ad altare oblationum, meruerunt tandem experiri tam terrificam, tam gemituosam sententiam in se iræ Dei judiciorum? Intellexerat hoc longè ante prudentia sagacis mentis religiosi Abbatis Guntramni, qui quando suo primùm tempore inciperent fieri hæc signa, dicebat ex auctoritate divinæ scripturæ, *Infidelibus non fidelibus signa data primum fuisse*: & quasi ad divinam commonitionem per ea signa melior factus & timidus, satagebat priùs multum de occultandis quæ fiebant suo tempore miraculis, deinde de vitæ suæ & Fratrum correctione, quam prædicabat quotidie ea miracula commonere; quod quoniam nostri noluerunt animadvertere, involuti sunt tandem hac quam descripsimus, miserrima vultus sui confusione.

Quid tandem? Totâ die pugnatum est, noctis supervenientis beneficio cessaverunt utrimque hostes. in toto oppido nostro nec minima domuncula die illâ superfuit incendio. Nocte illâ qui supererant de nostris fugâ dilabuntur, quippe qui nihil congregaverant sibi unde in Monasterio sustentarentur. Pauci qui erant in turre, & qui tantorum malorum pars fuerant, licet ambigui, necdum tamen illâ nocte recesserunt, sed missis nuntiis ad Comitem Arnulfum de Los, turrim ei tradiderunt.

Heu heu! quibus gemitibus, quibus lacrymis referam gloriosam adhuc tunc thesauri Ecclesiæ nostræ supellectilem, quæ in ea turri comportata fuerat, à reddentibus & recipientibus turrim quibus quantisque modis distracta fuerit, quo ludibrio habita non tam viris aut matronis, quàm ipsis quoque mœchis aut mulierculis. Nudata est illa die Ecclesia nostra omni interiore suâ & exteriore gloriâ. Pauci de Monachis qui in ipsâ obsidione gravi senectâ corporis locum relinquere non poterant, miserabiliter loci faciem interiùs & exteriùs aspicientes, & nihil aliud præter ruinam, nisi horribilem solitudinem, utcumque exire conantur, viamque Marguelles arripientes, à nostris quoque perfidissimis, & nullo unquam Dei judicio castigatis corripiuntur, percutiuntur, spoliantur, Episcopoque Leodiensi plectendi transmittuntur. Erant in his duo magnarum & pulcherrimarum personarum viri, litterarum artibus, & usu Ecclesiæ nostræ apprimè eruditi. Alter LIEBERTUS, cujus studio multi & optimi adhuc hodie habentur in bibliothecâ nostrâ libri, & qui multa thesauro Ecclesiæ nostræ addiderat, quæ illo exterminio cum cæteris aliis quamplurimis bonis, non tam prædonum quàm nostrorum quoque manus sacrilegæ diripuerunt. Alter STEPELINUS cujus nos diù post sepulturæ interfuimus. Cæteri utcumque miserrimè evaserunt. At Episcopus illos præter nostrorum perfidissimorum spem illos impunitos abire permisit, Episcopium tamen suum interdixit.

Acta sunt hæc octavo Idus Julii. Interea Comes ARNULPHUS de Los turrim nostri Monasterii pro præsidio habebat. Cumque in Monasterio nostro nec puer, nec juvenis, nec senex, nec quisquam Monachorum tandem remansisset, nudosque semirutosque Monasterii & Claustri parietes solitudo cum nimio horrore nocte & die inhabitaret, erat nimis miserabile & gemituosum etiam inimicis de tam gloriosâ quondam domo faciem tam tristem, tam lugubrem, tamque horribilem aspicere; vespertinisque horis, necnon & nocturnis & matutinalibus pro dulci quondam psallentum Monachorum choro, stridores tantùm in eâ audire vespertilionum, & malè ominatos cantus ulularum. Tunc de eâ dici illud aptè nimis quidem poterat, quod Dominus per Isaïam Prophetam minatur de Babyloniâ: *Et*

Isai. 13. 19. erit, inquit, *Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbiâ Chaldæorum, sicut subvertit Deus Sodomam & Gomorram.* Atque illud Hieremiæ :
Thren. 2. 2. *Præcipitavit Dominus nec pepercit, omnia speciosa Jacob destruxit : destruxit in furore suo munitiones.*
Ibid. 3. Et infrà : *Succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro.*
Ibid. 5. & seqq. Et paulo post : *Factus est Dominus velut inimicus : præcipitavit Israël, præcipitavit omnia mœnia ejus : dissipavit munitiones ejus, & replevit in filiâ Juda humiliatum & humiliatam. Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum : oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem & sabbatum; & in opprobrium in indignationem furoris sui Regem & Sacerdotem. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ ; tradidit in manu inimici muros turrim ejus.*
Cap. 1. 10. Et paulo superiùs : *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus.* Possem currere penè per omnem lamentationem Hieremiæ super Hierusalem, & etiam ad litteram invenire possem aptissimè convenire eam ad Ecclesiæ nostræ lamentabilem miseriam ; qui enim etiam nunc hodie eam aspicit intùs & foris, cum tamen multo & incredibili dolore & sumptibus pars aliqua murorum, imò multa sit resarcita, ædificiorum restructa, substantia reacquisita, Fratrum numerus major, ordo & vita eorum melior ; & post cum adhuc florens staret Ecclesia videre eam potuit in pulchritudine suâ & divitiarum gloriâ, parvissimum quidem est unde consoletur suam mœstitiam, cum vix umbra sit hæc ad priorem ejus gloriam. Sed de his satis hîc dictum est.

Igitur hac miseriâ, & majore quàm sciamus dicere, hocque Monasterio in solitudinis horrore jugiter permanente, præter quod milites Comitis ARNULFI de præsidio turris prophanaticâ præsumptione frequentabant ingressum & egressum Monasterii : tandem Episcopus Leodiensis misertus miseriæ loci, tam quondam gloriosi quàm nunc ignominiosi, eodem anno parum sicut ante Augustum remisit ad locum nostrum Præpositum Gerardum, illum scilicet quem superiùs diximus fuisse ad Abbatem electum. His enim malis super locum nostrum irruentibus, & Abbate Lanzone apud sanctum Laurentium Leodii morante, posuerat eum Episcopus apud sanctum Jacobum in eâdem civitate, diligens & honorans eum tamquam virum prudentem & religiosum. Remisit igitur eum, ut dixi, ante Augustum, ut horrea construeret, fruges colligeret, & circà exustos Monasterii parietes aliquas utcumque domunculas repararet, sepulcrumque sanctorum Trudonis & Eucherii qualicumque cappellulâ circumdans repararet, ut aliqui de Fratribus redeuntes possent incipere Deo servire, & habitaculum manendi invenire. Quâ re pro tempore & loci facultate peractâ, cœperunt Fratres bini & bini redire, sed illi tantùm qui Luiponem execrantes Lanzonem noluerunt deserere. Lanzo autem Abbas novissimus suorum omnium rediit, decimo scilicet Calendas Martii die natalis sancti Eucherii. Et ut dixi pro tempore & loci facultate agere strenuè cœpit, nihil tamen unquam remissiùs agere promittens de his quæ sunt nostri Ordinis. Sed erat odibilis suprà modum penè omnibus oppidanis, dicentibus eum causam fuisse malorum quæ acciderant eis. Tunc tandem milites Comitis Arnulfi recesserunt de præsidio turris, & oppidum nostrum cœpit licentiùs inhabitari. Interea dum hæc aliaque per plurima mala geruntur apud nos, & non tam volubili fortunæ rotâ quam justâ in nostros vindicis Dei irâ, nihil firmum, nihil certum, nihil prosperum nostris esse permittitur. Metensis quoque Ecclesia, cujus nos membrum sumus, tanto aliorum fluctuum gravissimâ quatiebatur collisione, quanto caput cætera quælibet membra solet supereminere.

Itaque GUALO, quem superiùs diximus Episcopo Metensium HERIMANNO suppositum, videns quia nihil proficeret quinimò veraciter cognoscens quia se graviter apud homines infamasset, apud Deum condemnasset, quia scilicet illicitâ ascensione viventis adhuc patris sui cubile maculasset, pœnitentiâ ductus ad humillimam satisfactionem Herimanno venit coram omnibus majoribus & religiosioribus Episcopii; proque emendatione tam illiciti facinoris positus in Cœnobio Gorziensi sub disciplinâ, factus est custos puerorum, qui antea dicebatur Episcopus Metensium. Postea tamen vidimus eum Abbatiam suam recepisse, scilicet sancti Arnulfi Metis, compulso ad miserationem ejus Herimanno Episcopo super pœnitentiam humillimè pœnitentis. Verumtamen Imperator Herimannum nec sic esse quietum sinebat ; statim enim contrà eum & super eum Metensibus alium figuravit Episcopum, BRUNONEM videlicet Comitis de Caluch, hominem quidem nobilem sed levissimum, inque solo mendacio gravissimum, cujus frater GODEFRIDUS postea exstitit Comes Palatinus. Bruno ergo per missaticos suos ea quæ apud nos habere videtur beatus Protomartyr Stephanus, sibi usurpans, frequentibus & humillimis litteris Lanzonem Abbatem ad se venire rogat, suamque invasionem hujus viri auctoritate palliare volebat ; sed viri religiosi constantia nullo modo acquiescebat, solum habens eum pro suo & Metensium Episcopo, quo vivente videbat adhuc vacare sedem illam absque canonico judicio. Quid tamen faceret ? Permanente itaque invasore illo, aut Abbatiâ sancti Vincentii Metis, quam cum nostrâ tenebat, erat illi carendum, aut ad illum quoquo modo respiciendum. De nostrâ quoque non bonâ multum spe diutiùs præsumebat, cum illum super se irruere quotidie metueret, & plurimis oppidanorum nostrorum propter templi incendium se intolerabiliter exosum videret Nam cum nocte ad matutinorum hymnos surgeret, procedere nunquam ad chorum audebat nisi stipatus armatorum manu, neque aliter inde egredi.

Pertæsus igitur tandem tantorum malorum, & jam quasi desperans ulteriùs de pace, versùs Hierosolymam cœpit ordinare peregrinationem suam : toto tamen illo anno, & usque dum Leodium veniret, ita occultè quòd nullus nostrorum omnium illud unquam potuit subintelligere. Itaque contrà vitæ suæ propositum, & inviolatæ in eo religionis habitum, cœpit in argentum æquè & iniquè conflare quidquid per totam Abbatiam de suâ & Fratrum præbendâ potuit corradere. Inter quæ constat eum tunc gravi damno Ecclesiæ nostræ dedisse quidquid nunc de Remhrode videntur extrà dominicalia nostra esse : qui etiam sylvas quæ Mere & Burlo pertinebant fecit exstirpari, sumptum inde pretium servans suæ peregrinationi ; censum verò molendini de Moisc juxtà Villarium ad quinque solidos redegit, quod multis longisque reclamationibus longè post dirutum & destructum, de fortioribus quorumdam manibus labor prædecessoris nostri domini Abbatis Theodorici, Gerardi tunc Præpositi nostro tandem tempore, Follardo maximè allaborante, nostra quoque sollicitudo maximis dispendiis ad dominicalia nostra retraxit, totumque ex novo reædificatum vix contrà renitentes plurimo damno redimere potuit. Quidquid in villâ Hallei habere videmur, eodem tempore cuidam forti tyranno, scilicet EVERARDO de Nadelbet, culpatur beneficiasse, sumpto ab eo mulo ipsâ profectionis suæ die. Sic & sic multo collecto argento,

æquè ut dixi & iniquè exivit de oppido nostro, nemine quò proficisceretur hoc sciente: veniensque Leodium, in cryptâ sancti Laurentii stupentibus nobis & omnibus qui aderant, reddidit Episcopo Leodiensi curam Abbatiæ nostræ & baculum; cappas tamen & casulas, & quidquid de Reliquiis thesauri nostri tulerat, per manus Præpositi sui Gerardi ad nos remisit, sed uno tantùm die se reliquisse Fratribus unde viverent Præposito confessus, discessit.



LIBER QUARTUS.

HEu, heu, heu Domine Deus, qui Lanzone recedente, putabamus naufragi perditis mercibus nudi saltem portum tenere, ecce videmus nos iterum in altissimum sævientis maris profundum gravi revolvi turbine. Perpauci ergo Fratres de nostris qui jam redierant (nam præmiserat suos Lanzo Abbas qui secum venerant Metis) mittunt relationem de Abbate Lanzone quomodo discesserat, petuntque humiliter primam sibi adhuc concedi electionem, saltem post tantam loci nostri desolationem. Annuit eis Bruno, qui Herimanno suppositus post Gualonem Metis invaserat Episcopatum: mandat tamen se priùs ad nos venturum. Interea Præpositus Gerardus consulit Episcopum Henricum de secundâ suâ electione, & Fratrum de eo unanimitate: alter namque alteri familiarissimè sibi credebat, & quis alterum potiùs diligeret non facilè poterat intelligi. Dissuadet Episcopus, prætentâ sicut & superiùs indomabili inquietudine Fratrum; tum quia videbat Brunonem illum, à quo accepturus erat baculum, super canonicum adhucque viventem Episcopum invasisse Episcopatum; per quem si intraret, canonicam ei benedictionem dare non posset. O Henrice, Henrice, verum quidem & pium est, per manus invasoris religiosus vir intrare non debet, sed cur non permisisti hunc intrare cum priùs posset canonicè, scilicet cum Herimannus pacificè adhuc maneret in sua Sede. O quanta mala debet hodie nostra Ecclesia quæ tibi imputantur omnia, dum illum nobis prohibes promoveri, quo possent hæc & alia futura nobis mala utcumque arceri.

Itaque Bruno paucis iterum diebus interlapsis ad nos descendit, nullum habens secum de honorabilibus Metensium; audiensque Gerardum Præpositum nolle accipere de manu suâ baculum, nullo modo eum coëgit, quin magis gavisus cuidam Fratrum nostrorum, Herimanno scilicet qui Calvus & Senior cognominabatur, pecuniâ gravissimâ Abbatiam vendidit. Habebat iste Herimannus germanum quemdam, virum quidem tam genere nobilem quàm prædiis à parentibus suis prædivitem, nomine Engerammum, cujus inter cætera dicitur fuisse villa de Harfasse, & Furt: hic de suo proprio totum dedit, quod de venditâ Abbatiâ nostrâ Bruno accepit. Quod audiens factum Episcopus Henricus, indignatus de præsumptione voluit Herimannum excommunicare, sed obstitit instantissima supplicatio familiaris sui & amici Præpositi Gerardi, proponentis & commonentis simili re primam desolationem Ecclesiæ nostræ sub Lanzone & Luipone accidisse; timentisque adhuc gravius quoque multum posse accidere, cum jam populus non haberet quid sicut primò perderet, & in vindictam præteritorum dolorum facillimè commoveri posset. Episcopus auditâ ratione considerataque tempestuosorum temporum necessitate acquievit, & Herimanno neque maledixit, neque benedixit. Verùm quidem ille Herimannus non satis erat ad hunc honorem idoneus, utpote in quo de aliquibus virtutibus nihil didicimus quod dignum alicujus memoriæ videatur, neque de sæculari neque de scientiâ litterali.

Interea Bruno sævissimus quidam turbo in superexstantes cinerum nostrorum favillas, quæcumque nostra & ejus apud nos erant ventilata diligentissimè, cœpit in omnem ventum dispergere: utque hîc taceam de plurimis tamquam minimis, inter cætera villas nostras vendidit viro cuidam forti & nobili Ottoni videlicet de Diste, patri Arnulfi, scilicet Gebechen, Paltehaletret, Gruvali, acceptisque ab eo centum marcis, traditione quali potuit ei firmavit. Inde Aquisgrani ad Curiam profectus, ultrà ad nos non est reversus: nam Metenses cum insolentiam ejus ferre non possent, stultàque ejus suorumque superbiâ, Deo ita volente, provocarentur, armis tandem in eum irruerunt, & intrà Monasterium beati Protomartyris inclusum obsederunt: sed foribus tandem super eum fractis milites ejus hac illacque per Monasterium gladiis lanceisque confoderunt, quosdam super ipsa altaria immolantes, quosdam ipsis altariis contortis spiculis affigentes. Itaque Bruno vix elapsus, tam honore quàm nomine Episcopi ea ipsâ die penitùs est privatus à Metensibus. Quid ergo misera nostra Ecclesia poterat facere? Post ignem & gladium graviùs ferebat hoc damnum sibi contigisse, maximè cum nemo esset, etiamsi posset qui nostri misereri vellet: Metis turbatio, Leodii super nos & nostra, Dei & hominum indignatio. Abbas quasi nullius, quippe cui neque pulchrum responsum pro aliquâ nostrâ necessitate daretur.

Accidit quoque eodem tempore ad cumulum malorum nostrorum, dum in his aliisque perturbationibus nostris negligeretur Ecclesia nostra de Alboro ut clausa diutissimè caderet tandem judicio in manibus Episcopi Trajectensis Cunradi gravissimi & potentissimi hominis: neque priùs inde posset eximi, donec ampliùs quàm quadraginta libras constaret nobis: pro quali tunc necessitate venditus est calix magnus aureus multo pretiosior hac quantitate pecuniæ, auri valentissimi pondere, & mirabilium gemmarum operisque mirifici in æstimatione. In quo negotio multam fraudem audivimus fecisse nobis (sicut & sæpiùs fecerunt) hujus rei venditores & argenti portitores, maximè verò Presbyteros nostros, semper & usque hodie Ecclesiæ Fratrumque nostrorum insidiatores damnosos. Quid ampliùs? undique concluserat nos Dei indignatio, multorum hominum maximeque domesticorum compassio applicabat se nostræ miseriæ, quin ipsa nostra familia erubesceat se fateri nostræ esse Ecclesiæ.

Cum his tantis malis aliisque multis quæ prætermittimus, non tam quateremur quàm funditùs erueremur, tetigit Dominus Deus cor Henrici Episcopi, non nostris meritis, sed ipsius; & reminiscens quanta mala nobis ac nostris accidissent in brevi suo tempore, ipsumque maximam partem inde fuisse, tactus intrinsecùs cordis dolore (erat enim homo pii cordis) atque graviter se peccasse inclamans in nostram Ecclesiam, accinxit se ad succurrendum ei in quibus laborabat, & ad parcendum in quibus ulteriùs peccaret humanitas. Primùm igitur decem marcas de proprio misit ad reparandam Ecclesiam sanctæ Mariæ semper Virginis, quæ combusta fuerat tempore nostræ obsidionis. Deinde Ottoni viro illi forti & nobili, qui villas nostras à Brunone emerat, minaciter interdixit, ut de bonis Ecclesiæ nostræ nullo modo se intromitteret, alioquin eum excommunicaret: non enim poterat esse ratum, quod contrà Dei & hominum leges inde fuerat factum. At ille non acquievit. Mandante ergo Episcopo nobis, Fratres & multa familia Ecclesiæ tam

militum quàm peditum cum feretro & reliquiis sancti Trudonis Hales ad eum veniunt; qui verò ad Gnebechen & alias villas nostras pertinebant, quas Otto sibi usurpaverat, nudati pedes, laneisque induti, miserabili cultu, maximoque ululatu ex alterâ parte fluminis Sanctis nostris occurrerunt, ita ut etiam ipsum Episcopum compungerent ad lamentationem. Itaque cum grandi suorum nostrorumque processione introduxit Episcopus sanctos nostros in Gnebechen, celebratoque ibi in Ecclesiâ divino sacramento, interdixit ante altare Ottoni Episcopali auctoritate villas nostras, satisfaciens omnibus qui adstabant ratione quia non posset stare illa venditio, quam fecisset non Episcopus sed fur & latro; habuitque de præsenti sermonem ad populum nuntians ibi: *Væ homini illi per quem scandalum venit:* sicque nostris in pace & lætitiâ magnâ dimissis, Episcopus ipse ibi prope ad sua pernoctaturus pertransiit.

Matt. 18. 7.

At Otto nec sic quievit; nam recedente Episcopo, ut priùs illa omnia sacramento sibi mancipavit. Contigit autem Deo ita ordinante, pacis die illo illum præsumsisse; quod audiens Episcopus, ut erat vir valde potens, nec minùs nobilis, indignè admodum tulit, veniensque Leodium paribus illius majoribusque sui Episcopii conquestus est acriter contemptum suum & pacis violamentum: quorum judicio tamdiù persequutus est Ottonem, ut reus adjudicatus ad satisfactionem tandem venire compelleretur, & non solùm villas nostras sine ullâ nostrâ exfestucaret redemptione, verùm Episcopo per gratiam ipsius centum marcas persolveret. Sic Deo miserante, sanctoque Trudone intercedente, Episcopo verò miro studio allaborante recepit Ecclesia nostra bona sua, & tenet usque hodie.

Interea authore hujus mali Brunone ab urbe Metensi & Episcopio irremeabiliter, ut superiùs dixi, expulso, Herimannus Episcopus ad suam rediit sedem, non tamen adhuc satis securus propter Imperatorem. Qui mandans se citò venturum ad nos, præcepit non Herimanno à Brunone Abbati posito, sed Gerardo Præposito, ut pararet ei servitium suum, Herimannumque nunquam adducerent ante conspectum suum. Dumque Leodium venisset, volebat ei jurare super sacramenta cum undecim secum adductis, liberis Engeramnus germanus Herimanni, quòd de bonis Ecclesiæ nihil datum fuisset pro fratre suo Abbate posito, sed de suo totum, nihilque ampliùs inde vellet exigere. Quod Episcopus benignè audiens, rem distulit usque in loco nostro, ubi cum venisset nullâ voluit nos communione suscipere, donec absolveret nos à banno quo dicebat nos teneri pro excommunicato illo Brunone. Cumque altero die sedens in Cellâ Abbate de negotiis suis strenuè ageret, prandiumque illi ingens ex damno nostro paratum interea exspectaret, inter plures oppidanorum nostrorum, qui ante eum ad placitum vocati fuerant, unus eorum ita protervo ore, indignanti supercilio præfatus est: Hiccine est, viri optimi, Episcopus qui factâ in Ecclesiâ istâ & oppido nostro tantâ seditione de suis Abbatibus, nostra omnia incendio fecit cremari, & parentes nostros nobis vix elapsis gladio cruento jugulari? Et ecce nunc in conspectu filiorum cum miseris incendii nostri reliquiis contendit judicio, cui non deberet rependi nisi mors pro tanto nostro nostrorumque excidio. Subintelligens hæc verba Episcopus, rem diligentiùs interrogatam alto silentio dissimulat, secreteque sibi parari equum suis secretariis mandat, habensque in verba quòd foris super campum nepoti suo sc. Leodiensi Episcopo deberet occurrere, totum statim citissimè tetendit, neque ultrà ad nos aut nostra est reversus. Excepto autem damno quod de magnificè sibi parato servitio afflictæ Ecclesiæ nostræ, duos ei Herimannus equos transmisit, pro quibus molendinum de Stades in vadio positum fuit. Sic & sic inter Episcopos & Abbates quotidie ibat in deteriùs Ecclesia nostra, Herimannus verò ita remansit in Abbatiâ.

Dum hæc & illa aguntur per annos aliquot, Luipo jamdudum sine spe auxilii ab Imperatore redierat, adhucque cum parentibus suis Lovanii hac illacque manebat, ubi gravissimâ, ut visum est, infirmitate correptus; fuerunt enim qui eam simulatam fuisse dicerent, ut taliter absolvi ab Episcopo posset, & ad Claustrum suum redire, cum quasi de vitâ desperare videretur per parentes suos; nobiliter enim natus fuerat: hoc effecit ut absolutus ad Claustrum suum si forte vivere posset, referretur: sed citò convaluit, & cum reversus, redeuntibus quoque Fratribus nostris, privatus manere cœpit. Reversi autem majori parte Fratres cum diutinâ longâque nimis Dei animadversione extriti & emendati esse possent, obliti sunt citiùs prætentarum culparum suarum, & pœnarum pro his subsequutarum, de vitâ suâ, de religione magis, ut ita dicam, deteriorantes quàm emendantes; & cum experti fuissent quanta per altercationes passi essent, haberentque ex seipsis modo Prælatum per quem nullo modo gravarentur, si vivere vellent quietè, ita agere noluerunt; sed verbis & factis suis miserrimè illum quotidie affligentes, ut ranæ bacellum conculcabant. De substantiâ Ecclesiæ penè annullatâ, de combusto reædificando Monasterio, de reparandis à fundamento officinis & claustro, nulla eis aut minima cura erat; sed ventri tantùm & eis quæ sunt ventris servire, portionesque grandes piscis & mensuras vini exigere. Hinc lites horis & locis incompetentibus & competentibus quotidie, hinc maledicta, hinc convitia in miserum illum Herimannum sine ullâ miseratione.

Parvo interea præterlabente tempore ambo Episcopi moriuntur, Herimannus Metensis, Henricus Leodiensis. Imperator autem in Longobardiâ morabatur. Sicque factum est ut quisque terræ nostræ potentium quantum vellet, usurparet sibi quæ suis adjacebant vel interjacebant partibus. Igitur Comes Henricus Lovaniensis, cujus defuncti frater Godefridus Comitatum tenuit, qui etiam primus Lovanensium postea Dux exstitit: iste quidem Henricus potentior tunc habebatur in nostris partibus. Et quoniam mortuo Henrico Episcopo, nulloque ei alio substituto non erat qui Ecclesiasticæ rei resisteret, viribus etiam sæcularibus, neque ipse etiam Dux eum offendere auderet, Luiponem in Abbatiam nostram restituit, Fratribus ita volentibus, laïcisque partim assentientibus, partim contradicere non audentibus. Sic itaque Herimannus de Abbatis honore & nomine irrecuperabiliter ejectus, in claustro nostro mansit quietus quidem, & nullum unquam inde scandalum movens: qui nobiscum tandem gravissimo languore & longo multùm consumptus, atque priùs in paupertate propter loci desolationem magnam, & multâ angustiâ cruciatus, præter ossa & nervos tensamque desuper cutem pallidam nihil habens vigoris, penè hominem vivens exutus, tandem confessus, unctus, & communicatus præsentibus nobis obiit, atque in fratrum cœmeterio sepultus est. Dies verò quâ hoc Herimanno ejecto Luipo intravit, fuit translatio sanctorum Trudonis & Eucherii 3. Idus Augusti, defuncto eodem anno in diebus Pentecostes Episcopo Henrico; quâ etiam die sub Herimanno Episcopo, & Henrico supradicto Capitulum illud ante actum est, quo Fratribus nostris expulsis Lanzo Abbas S. Vincentii Metis

tis apud nos quoque Abbas constitutus est. Nunc verò quidam Canonicus S. Lamberti, OLBERTUS nómine, Præpositus in eâdem civitate in Monasterio sanctæ Crucis, jamdudum ad Imperatorem in Longobardiam profectus fuerat spe adipiscendi Episcopatum Leodiensem, sicut & adeptus est. Videns ergo Luipo oportunitatem temporis ad confirmandum se in Abbatiâ nostrâ, circà autumnum & ipse ad Imp. in Longobardiam profectus est.

Nemo me mordeat; nemo mihi detrahat, si veritatem loqui ipsa veritas me compellat, ipse animæ meæ terror de mendacio, ipsa Dei per sanctam Scripturam comminatio: nam *omne mendacium à diabolo est*. Et, *Os quod mentitur*, *occidit animam*. Historiographi debitum est nec assentatione, nec amore, nec odio, nec terrore à veritatis tramite declinare. Scribam ergo Deo teste sicut à multis didici, & ut veraciter exquirere à Fratribus quoque potui qui erant apud nos tunc temporis, qui mecum postea inde ore ad os ista sunt loquuti. Sed quid rem prophanam verbis juvat multiplicare? Gravissimâ pecuniâ LUIPO, hoc ibi effecit apud Imperatorem, ut OLBERTUS factus Episcopus; Leodiumque reversus & consecratus; secundùm jussionem Imperatoris eum consecraret in Abbatem sancti Trudonis, de quâ persolvendâ illis quibus constituerat Imperator, & aliis quibus ipsemet promiserat, multa fœda & illicita placita visa sunt, ipsâ etiam die quo inductus fuerat ut consecraretur. De quibus honestius est silere quàm loqui: hoc tantùm sufficiat, & nimium sit dixisse, quia neque priùs neque tunc intelligere potuimus eum secundùm Deum intrasse, qui paulo post gravissimè ingemiscens de malis quæ per eum apud nos acciderant, & conscientiam suam infirmam crebris prodens suspiriis, accingere se videbatur ad diluenda peccata sua per multas eleemosynas, & per suscipiendos pauperes & peregrinos, & interdum etiam leprosos lavandos, tergendos, manibusque propiis ungendos.

Joan. 8. 44. Sap. 1. 11.

Acer quidem erat constansque & intrepidus ad resistendum violentiæ Advocatorum, tanquam generosè natus de libertate & familiâ Lovaniensium. Parentibus verò suis & curâ domesticâ profluus nimis & gulosus, plura victûs & vestitûs effundebat quàm in Fratribus, & quæ interdum tolerare non poterant Abbatiæ reditus, unde & ruricolas in precariis frequenter nimis aggravabat. Cultor tamen agrorum, & nutritor pecorum habebatur strenuus. Quædam temporalia quidem in manibus ejus prosperabantur, sed de tenendâ aut emendandâ religione pristinâque morum Fratrum qualitate neque terror, neque respectus aliquis apud eos habebatur. De reparando Monasterio & claustro quædam incipienti illi parum succedebant; nam quod memoriâ dignum sit nihil inde egit: quartam tamen illam partem claustri, hoc est domum tantùm quæ est ad occidentem, inceptam per Lanzonem Abbatem, ipsam consummatam texit, & interiùs sursum & deorsum sine omni cultu reliquit, in quâ postea tantas fieri communicationes officinarum vidimus, ut nesciamus quo magis nomine eam appellemus.

Quodam tempore diebus messis valde æstuans, lassusque de agro reversus, cum vespere multum bibisset cum domesticis suis, multum lætatus stratoque sanus repositus, mediâ nocte inventus est membris penè omnibus in eum emortuis, ita ut neque loqui, neque movere se posset, deteriùsque semper & deteriùs ageret, vixque ut cumque usque ad primam vivens, diluculo tandem exspiravit, neque confessus, neque unctus, neque communicatus. Obiit autem Calendas Augusti vix post consecrationem suam vivens in Abbatia duobus annis, sepultusque est in Monasterio nostro. Quo etiam anno Præpositus Gerardus mortuus est priùs confessus, unctus & communicatus; sicque in bonâ memoriâ ad patres suos in Monasterio nostro est appositus.



LIBER QUINTUS.

CONSIDERATIO lugubris miserabilisque operis instanti ponderè qui superius heri ter exclamaveram, nunc septies atque multo crebriùs illud idem exclamare in assumendâ mihi materiâ opus haberem, nam quo altiùs provehor, terribiliores fluctus in faciem mihi consurgere video. Igitur defuncto Luipone per quem ante Abbatia, & in Abbatiâ navis Ecclesiæ nostræ onerosa peccatis nostris in gravissimas syrtes defluxerat, & inexpleta charybdis voraverat, quidquid fructus & decoris in domo Dei intùs & foris apud nos fuerat; Dux Godefridus qui postea Hierosolymam profectus est, totam Abbatiam nostram suo mancipat servitio: Necdum reparata erant templi & claustri nostri ædificia, sed Fratres quasi in tuguriis circa exustos parietes hac illacque habitabant. Parum apud eos religionis, minusque consilii, inter quos erat quidam Herimannus nepos superiùs dicti Herimanni, nobiliter natus; & à puero claustro nostro innutritus, simplexque sine prudentiâ, tacitus & patiens ad sufferendas injurias; sed obstinatus ad occultè ulciscendas, facillimus ad quodvis præsumendum, sed pertinacissimus ad non dimittendum, de liberari scientiâ insulsus, usu Ecclesiæ nostræ tantum exercitatus. Hic laïcorum suggestione corruptus, & partim eorum qui propter Luiponem turrim olim occupaverant, ex dono Ducis GODEFRIDI superiùs dicti providentiam invadit Abbatiæ nostræ, sperans sic tandem ipsum & nomen & fructum obtinere posse.

Huic damno Fratres vehementissimè reclamabant, tùm quia ad talem curam eum inutilem esse omninò sciebant, tùm quia metuebant, ut evenit, de promissâ ab eo Duci pecuniâ, pro eo dono totam vastandam Abbatiam. Vicit tamen dulcis violentia, corrasaque est illi modo hinc, modo illinc cum maximo damno Ecclesiæ gravis nimis pecunia: nam soli nostri homines de Testrebant usque ad sexaginta marcas inde persolventes, mendicare tandem compulsi sunt, qui priùs fuerant divites. Quid singula enumerem? undecumque fuerit corrasa, centum marcas nescio quantum excessit summa. Sic & sic, & sic & sic pauci etiam qui apud nos tunc erant Fratres summâ vivebant inopiâ, nudi turpiter & famelici intolerabiliter. Quidam verò ab intrantibus Monasterium, ut ipsos ore proprio audivi, conferre stipem interdum petebant, aliqui eorum qui à parentibus suis, cognatis & amicis aliquid accipiebant, inde aliquamdiù tenuiter nimis victitabant, aliqui si quid in libris aut vestimentis haberent quo patientiùs carere possent, vendentes, panem inde emebant.

Herimannus autem laïcorum consiliis similiter addictus, eorum etiam qui habebantur de stultioribus nunc apud Episcopum Olbertum, qui Henrico successerat Leodii, nunc apud Archidiaconos, cæterosque aulicos promittendo, dando, mentiendo voces Fratrum pro necessitatibus suis clamentium ad effectum aliquem pervenire non sinebat. Audiens autem quia prævalente apud Imperatorem Ecclesiâ

Herimanno Poppo successerat, magno laïcorum stipatus agmine, sed nullo omninò de Fratribus nostris sibi comitante, ad eum tetendit, & quibuscumque pravis modis solet illud fieri, donum ab eo Abbatiæ ambire cœpit. Aderant ibi aliqui de nostris Fratribus missi à cæteris, legationemque Ecclesiæ nostræ, necnon & Leodiensi Episcopo canonicam offerebant, simulque & Trevirenses litteras, quibus Herimannum inter minas quidem & verbera, direptionemque caballorum suorum & vestimentorum, quòd Abbatiam sibi non debere dari constantissimè rationabiliterque confutabant. Sed quid? prævaluit pecunia, prævaluit adversùs Fratres laïcorum malitia. Data est Herimanno hac auctoritate Abbatia. Fratres inde reversi, laceri, spoliati, & pedites per tam longum perque tam difficile iter, rem per ordinem Ecclesiæ beati Lamberti, Episcopoque lacrymabiliter conquesti sunt, & damna Ecclesiæ quæ nunc eam pressuram metuebant, suique victûs & vestitûs extremam inopiam. Victi tandem sui contemptu, & nostrorum miseriâ etiam illi quos transversos aliquando agebat Herimanni pecunia, accedunt Episcopum ut ad audientiam faciat venire Monachos & Herimannum. Vocatur semel & iterum ac tertiò Herimannus, tandemque venire nolens canonicâ persequutione excommunicatur & damnatur. At veritus Episcopum ne sicut disponebat, manu militari ejiceret eum, oppidum nostrum exivit, & apud villam nostram Hales aliquamdiù multo damno Ecclesiæ commoratus, transivit ad Comitem de Lemburg, HENRICUM nomine, majorem tunc temporis Advocatum Ecclesiæ nostræ: sperabat enim eum se posse recuperare quandoque Abbatiam, aut se afflicturum eam, sicut fecit frequentibus damnis & multis irruptionibus.

Interea necdum cessante dissidio, quod erat inter Metensem Episcopum & Imperatorem Henricum, Imperator partem illam dominicalem, quam Metensis Episcopus apud nos habere videbatur, tradidi in beneficio Comiti ARNULFO de Los: quod indignè ferens HENRICUS Comes de Lemburg, quoniam major apud nos erat Advocatus, introivit oppidum nostrum cum aliquantis equitibus, usurpans sibi quod Comes Arnulfus in eo habere videbatur. Adduxerat etiam secum tunc Herimannum, ut in Abbatiâ vi restitueret eum. At Fratres tantâ unanimitate & constantiâ spreverunt eum, ut neque signum facere, nec divinum officium facere vellent, quamdiu eum sciebant intrà septa Monasterii nostri aut atrii esse. Terroribus, minis, blanditiis per homines Henrici Comitis frequenter pulsati, nullo modo movebantur. Ille verò interim in angulo unius nostri spicarii, ad quem accedentes fautores ejus homines levissimi, & nullius boni inter nostros testimonii sive consilii animabant eum ad perseverandum in proposito, & contrà Henricum etiam conviciis inflammabant ad vindicandum terribiliter in nos contemptum suum de Abbate suo. Interea Comes Arnulfus collectâ suorum ingenti multitudine, Comitem Henricum aut in oppido nostro occidisset, aut dedecorosè ejecisset, nisi orantem ita suppliciter per nuntios suos Comes GODEFRIDUS de Lovanio, qui postea Dux exstitit, interponendo se illum eripuisset, cujus conductu sanus evadens abduxit quoque secum Abbatem: statimque apud nos & signum horæ tertiæ sonuit, & divinum officium quod propter eum dimittebatur, fieri cœpit.


Utràque ergo repulsâ Comes HENRICUS gravissimè efferatus, Herimanno apud se collocato, quæcumque de nostris poterat invadit, dissipat, affligit, suisque ut similiter faciant præcipiendo præcipit. Quis referre totum queat quibus quantisque malis distracta tunc temporibus bona Ecclesiæ nostræ, aut prorsùs in perpetuum sunt nobis sublata, aut nimiâ longâque afflictione nobis penè ampliùs inutilia reddita? Nam Dux GODEFRIDUS qui postea Rex Hierosolymorum ibidem obiit, nostra sibi quæque erant in Hasbaniâ in Testrebant servire ad libitum faciebat; Comes Henricus, quæ erant circà & ultrà Mosam, & in Ripuaria & circà Rhenum; Comes HENRICUS Palatinus, quæ habere videmur super Mosellam. Ab illâ die invasam nobis Ecclesiam de Fonce non longè à Metensi urbe, nunquam postea rehabere potuimus, quæ adhuc Lanzonis Abbatis tempore, & longè post adhuc ut nostra possidebatur. Præterea villici nostri, & quidam de beneficiatis hominibus Ecclesiæ nostræ quidquid eis placuit, quidquid melius eis tunc visum fuit suis attraxerunt villicationibus, suisque feudis, nobis modò volentibus ea recipere afferentes jura sua fuisse antiqua, legalique beneficii aut villicationis possessione. Ulli ergo mirum sit si in gloriâ & divitiis attenuati hodie humiliter vivimus, cum magis mirandum diligenter attendentibus possit videri quomodo inter tot loci nostri desolationes vel tantum relictum est, quia congregatio apud nos esse & Abbatia appellari possit. Itaque paucissimi tunc temporis apud nos Fratres remanserant, nullus apud eos ordo, nulla religio, ut potè qui victûs & vestitûs necessitate afflicti fame & frigore penè interibant, & qui neque claustrales officinas habebant quibus suas necessitates occultarent: tantaque fuerat miseria, tanta desolatio, tanta rerum distractio, ut desperantes plerique vel ipsum nomen Abbatiæ loco posse remanere, satagere viderentur ut Clericorum præpositura fieret, & sex aut septem sub se Clericos haberent.

Inter hæc & cætera innumerabilia mala cum penè annulata esset nobilissima illa & famosa quondam Abbatia nostra, tandem miseratio divina tetigit corda Leodiensium, habitoque simul frequenti colloquio, cœperunt viscerabiliter tractare quomodo desolatæ, & penè annihilatæ Abbatiæ subvenire possent. Sed quoniam temporale bonum nostrum ad Metenses pertinet, curaque animarum tantùm ad Leodienses erat, aliqui inter eos, ut plerumque fit, qui ad subveniendum nobis non multum erant attenti, dicentes hoc tantùm ad eos pertinere cui debebatur annualis reditus nostræ Ecclesiæ, Leodiensesque non debere nobis Abbatem donare, sed tantùm ordinare: è contra sapientiores & religiosi asserebant canonicè hoc posse facere Leodiensem Ecclesiam, utque cura animarum & consecratio Abbatis ad eam pertinebat, & Metensis Eccles. nobis subvenire non poterat propter tribulationem suam, Leodiensis Ecclesia Abbatem Ecclesiæ curæ suæ provideret atque ordinaret, ita ut nihil ex his quæ debebat Metensi detraheret: non enim esset leve ferendum tantum locum, tantum nomen, tantum quondam honorem negligentiâ Metensium annullandum esse ab Ecclesiâ Leodiensium.

Quærebatur ergo diligentissimè si quis superesset de filiis nostræ Ecclesiæ, cui idoneè committi posset cura subveniendi matri suæ. Aiunt Fratres nostri, necnon Clerici & laïci qui eum cognoverant, quia Gandæ in Monasterio S. Petri moraretur unus de nostris Fratribus, nomine THEODERICUS, qui à loco nostro recesserat sub contentione Abbatum Lanzonis & Luiponis. Hic si posset extrahi inde idoneus illis videtur ad regendam Abbatiam, quoniam theutonicâ & gualicanâ linguâ expeditus, liberalibus artibus egregiè eruditus, in prosâ & versu nulli esset suo tempore secundus, dulci & altissimâ sonorus

vocalitate, brevis sed pulchra persona, mediâque ætate, qui etiam Fratrum suorum infirmitatibus meliùs sciret compati tamquam à puero illis connutritus, & qui viderat & audierat mala quæ passi erant in suis tribulationibus. Quid plura? Gavisus est inde Episcopus OLBERTUS, & Ecclesia Leodiensis.

Abbas eligitur Theodericus. Electum igitur à Fratribus eum necnon Clericis & laïcis, vix tandem de cœnobio S. Petri Gandæ litteris & missaticis suis abstrahit, & ducit eum Aquisgrani, facit eum accipere donum Abbatiæ nostræ de manu Imperatoris, sicut mos erat tunc temporis. Hoc idcircò per manum illius factum est, quia Imperator quidquid beatus Protomartyr in partibus nostris habere videtur, suo juri mancipaverat, propter Popponem Episcopum Metensem, qui Episcopatum absque dono & consensu Imperatoris obtinebat. Adhuc enim Imperator hoc in toto regno suo jure antiquo possidebat, ut absque dono ejus nullus in eo constitueretur Episcopus. Nunc autem quia, ut dixi, Poppo absque dono & voluntate Imperatoris Episcopatum Metensem intraverat, & hac de causâ Imperator quæ sunt apud nos Protomartyris, suo juri mancipaverat, necessitas hoc fecit, ut de manu Imperatoris baculum de Abbatiâ nostrâ reciperet, ne longâ inter Imperatorem & Episcopum decertatione locus noster miserabiliter desolatus interirit. Quamdiù ergo Aquisgrani erat, eunti illac & moranti ibi Episcopus obsonium illi dabat, quique suis expensis reducens eum Leodium tamdiù ibi secum tenuit donec ordinatum ad Abbatem per semetipsum ad nos adduceret, & loco Abbatis posito, Fratribusque & populo commendato, omnibus diebus vitæ suæ consilium & auxilium suum ei in auribus omnium præsto fore promitteret, dummodo strenuè agens de loci recuperatione propter nimiam ejus desolationem non desperaret. Datus est ei baculus 3. Calendas Februarii Aquisgrani, consecratus est in Abbatem & Sacerdotem Nonas Martii Leodii, anno ab Incarnatione
1099. Domini millesimo nonagesimo nono.



LIBER SEXTUS.

POst varias Abbatum commutationes, post obitum Abbatis Adelardi II. ut retulimus, certam annorum seriem propter violentias eorum, & frequentes ejectiones & regressiones singulorum nequaquam tenere potuimus. Nam ibi nullus legitimus ordo succedentium sibi Abbatum servabatur, sed quàm citiùs quisque poterat æmulum suum ejiciebat, isteque quàm minùs poterat illum præesse sinebat, observari facilè certus annorum numerus non potuit, de singulis maximè: etiam si posset cum familiari semper nostris negligentiâ nemo erat qui operam impenderet. Superiùs igitur repetens, ab obitu scilicet Adelardi secundi usque ad introitum Abbatis Theoderici in Abbatiam annos continuabo, & quod aliorum interpositorum schisma dirupit, per duos istos renodare studebo, notatis ex obitu alterius & alterius introitu annis Incarnationis Domini. Abbas Adelardus secundus obiit anno MLXXXII. Incarnationis Domini: Abbas Theodericus intravit Abbatiam anno MXCIX. ejusdem Incarnat. fuerunt igitur ab obitu Adelardi secundi usque ad introitum in Abbatiam Theoderici Abbatis XVII. anni, quos inter se compleverunt, iste plus, ille minùs, Lanzo, Luipo, Herimannus & alter Herimannus de Abbatiâ contendentes, & nullum certum tempus invicem habere permittentes.

Anno igitur ab Incarnatione Domini MXCIX. post longas & diuturnas mortes quibus à domno Abbate Adelardo secundo usque ad ea tempora de Ecclesiâ sancti Trudonis omnis vicinia desperaverat, quidam THEODERICUS ejusdem loci antea nutritus ad eamdem Ecclesiam regendam à domno OLBERTO Episcopo & primis Leodiensium, tertiis jam missis litteris à Flandriâ Monasterio sancti Gandæ tandem est revocatus, nescio magis an coactus, & Nonas Martii Presbyter & Abbas loci nostri consecratus. Quantam desolationem intùs & foris invenerit, crede omnis mihi qui hæc legis, quia nullâ vi ingenii possum exprimere, nullâque facultate exponere sicut veritas se habuit: nam de toto Monasterio præter turrim nihil tectum habebatur, quin interioribus parietibus collapsis exteriores vastissimè patebant, continentes in medio vilissimam capellam super sanctorum Trudonis & Eucherii sepulcrum. Nostri autem post combustionem templi, cum sanctuarium stante adhuc firmissimè muro fortissimo facili sumptu possent cooperuisse, totum potiùs funditùs diruerant, & majus stultâ temeritate orditum volutâ jam cryptâ usque ad fenestras cancelli illud produxerant. Ad quod opus ferventissimè accinctus domnus Abbas Theodericus, brevi tempore quidquid etiam superiùs à fenestris cancelli pulcherrimo opere consummavit, duobusque pilariis cum superstantibus illis parietibus juxta chorum ædificatis, totam illam partem Monasterii quæ est ab arcu super sepulcrum S. Trudonis ad partem Orientis cæmento plasmavit, calce dealbavit, fenestris vitreis decoravit, cælaturâ continuavit, tectamque superiùs pavimento linivit inferiùs, similiter & cryptam quam volutam tantùm invenit, cæteris omnibus quæ deerant consummavit, atque in honore beati Proto-martyris Stephani principale in eâ altare dedicari fecit.

Anno Domini millesimo centesimo secundo dedicata est crypta nostra à domino OLBERTO Episcopo Leodiensi ad instantiam domni Theoderici, qui de vilissimâ capellâ suprà sepulcra beatorum Trudonis & Eucherii introduxit nos in eam cryptam Cantardi, quæ dies visa est nobis & fuit immensæ lætitiæ, cum in eâ jam inciperemus secundùm ordinem & orationes facere, & in choro stare, & ad altare procedere, quod nullo modo poterant priùs Fratres per multos annos in angustiâ capellæ. Nam ab eâ die quâ vetus Monasterium dirutum fuerat, & novum combustum atque discissum, inter cæteras desolationes & calamitates quas Fratribus accidisse superiùs retulimus, ordo & disciplina prorsùs abolita fuerant, maximè loci positurâ deficiente in quâ teneri possent. Quæsitus est unus de antiquioribus Fratribus vix præ senectute seipsum valens regere, Custos puerorum, qui stante adhuc veteri Monasterio viderat disciplinam eorum & ordinem Fratrum. Itaque paulatim cœperunt reviviscere quæ erant Religionis, & frequenti in Capitulo collatione abundantiùs proficere.

Postquàm verò eduxit nos de cryptâ in chorum pulcherrimum, & in partem illam Monasterii quam partim ædificaverat, partim reformaverat, & sepulcro beatorum Trudonis & Eucherii usque in finem operis versùs Orientem, cum augmento lætitiæ cœpit & religio augmentari, & Fratrum numerus aliquantulum crescere. Hoc autem vehementissimè impediebat, quia officinas claustri Fratres paucissimas atque illas vilissimas habebant, partibus illis quæ sunt ad orientem & aquilonem non habentibus nisi tantùm sepem nudam & vilissimam, quæ non modò hominibus, sed & canibus & por-

1102.

cis indifferenter pervia erat. Pars illa claustri in quâ sedentes Fratres ad lectionem, Conventum suum silendo vel legendo modo tenent, medio intertexta pariete tantùm coopertura habebat, sub quâ Fratres Capitulum suum faciebant, dimidiumque superexstantis dimidii necdum coopertum, ex variâ aëris intemperie Fratribus ibi sedere volentibus multam molestiam tam æstate quàm hyeme faciebat. Refectorium Fratrum ac dormitorium domus illa una erat, quæ ad occidentem pars quarta claustri esse debebat, intertexto nihilominùs pariete habens subtus scholam puerorum, cellarium, domum infirmorum.

Sed ut superiùs dixi, sine aliquo cultu erant omnia, tectura nulla ante officinarum istarum ostia, jugeque lutum hyeme, & molestia grandis intùs pluviæ, nivis, grandinis, & boreæ, nihilque obstaculi quo prohiberetur quodvis animal accedere. Domus infirmorum neque die habebat ignem, neque nocte lumen, nisi Fratres in eâ jacentes, undecumque sibi interdum etiam ex victu & vestitu suo ea sibi procurarent: sed neque in dormitorio lumen erat, Fratribus totâ nocte in tenebris manentibus, & per tenebras ad matutinos euntibus; quod quidem erat gravissimum eis, quia de illâ parte domûs in quâ dormiebant opportebat eos per tenebras transire partem aliam, in quâ reficiebant, atque inde exeuntes sub tecturâ partim ligneâ, partim stramineâ, utrâque verò semirutâ juxtà murum Monasterio palpando, frequenterque ruendo aut offendendo ire omni nocte ad Matutinos, & de Matutinis similiter per tenebras redire. Infrà Matutinos si quis Fratrum aut puerorum volebat aliquando exire ad necessaria naturæ, dum timebat tenebrarum horrorem, magnam interdum sustinebat naturalis necessitatis injuriam. Hyemali tempore lecta Fratrum aspergebantur nive densissimâ, surgentesque ad Matutinos sicut se albicantes nive super vestimenta sua inveniebant, ita & revertentes tota lectisternia sua. Propter quorumlibet accedere volentium importunitatem, nihil tutè servare poterant de lectisterniis suis in dormitorio, nihilque de his quibus serviebatur mensæ eorum in refectorio, quâ necessitate habebant, qui habere poterant pro lectis ligneis arcas seratas, in quibus surgentes lectisternia sua obfirmabant: qui verò habere non poterant, frequentes molestias de vestimentis suis à Fratribus sustinebant. In refectorio autem post se in muro fenestrulas diligenter seratas habebant, recondentes in eis mappulas suas, cultellos, scyphos, & quæ superarant eis de mensâ, quia non habebant quibus necessitatibus suis succurrerent, nisi ex eâ substantiâ quæ aut supererat, aut quam ori suo subtrahebant. Ad eleemosynam nihil inde aut permodicum dabatur.

Transitus tritus utriusque sexûs erat. Plurimùm verò ad Missas mane per eum locum quem tunc appellabamus, & nunc habemus conventum, & frequens in eo cum Fratribus fabulosumque laïcorum & Clericorum usque ad noctem colloquium. Si qua potens persona, ut frequentissimè assolet, hospitari apud nos voluisset, Fratribus hac illacque miserè panem suum manducantibus, ipsa in refectorio ad mensam Fratrum discumbebat, aut si purior clementiorque aër, in medio prati: milites usque ad ostium refectorii sive ad medium Conventûs equitantes, ibi descendebant, nullamque reverentiam non dicam Monachis, sed ipsis quoque Sanctis loci exhibere usque ad noctis medium curabant. Testor Deum quia dignè non possum os meum stylumque miseriæ applicare, quo tantam majoremque miseriam Fratrum secundùm quod audivimus, maximâque ex parte ipse vidi, fideliter valeam referre.

Vir autem bonus, scilicet domnus Abbas THEODERICUS, noviter hanc Hierosolymiticam nescio magis an Babylonicam desolationem ingressus, cum omnia simul corruisse invenisset, omnia simul & de repente non poterat erigere; verùm ut superiùs retuli ad Monasterium reparandum & animo incendebatur, & studio infatigabili accingebatur. Qui dum facundi oris gratiâ concionaretur diebus Paschæ, sive Pentecostes in Ecclesiâ Beatæ MARIÆ ad populum, frequenter eis eliciebat decem aut duodecim plusve minusve marcarum ad Monasterii reparandi auxilium, ubi occupatus, minùs intendebat ad claustrum. Tamen quantociùs potuit in domo infirmorum, in dormitorio, in cellâ Abbatis, in cryptâ ante altare beati Protomartyris lumen constituit de Ecclesiâ de Corbecce, disponendum per manus Custodis Ecclesiæ, de marcâ & dimidiâ censûs ejus constituens Custodi marcam ad luminare, Præposito verò dimidiam ad præbendam Fratrum: quæ priùs non persolvebat, nisi quinque tantùm solidos. Similiter de censu Ecclesiæ de Stades constituit Custodi quinque solidos ad luminare, quod ampliùs non persolvit. Eleemosynæ pauperum prorsùs abolitæ sex quotidie constituit siligineos panes dandos de decimâ de Brustriniâ, quam redemit positam in vadio pro decem marcis. Molendinum de Moisc cum auferre prorsùs non posset viro potenti, qui dicebat se illud acquisivisse pro censu quinque solidorum singulis annis, & quod plùs valebat accepisse in beneficio de manu Abbatis Lanzonis, multis sumptibus, multis laboribus eo perduxit, ut ferro inde sublato paulatim decidendo avelleretur, & præter aquam & ripam nec vestigium molendini ibi relinqueretur. Quod usque ad nos ita permansit. Alia plura molendina redemit, quæ gravissimâ pecunia invadiata aut beneficiata dicebat sibi fraus malignorum fœneratorum.

Ad Missæ suæ ornamentum reponendum scriniola duo tali operi convenientia fecit, suoque studio amictum magno aurifrigio & longo ornatum, albamque laqueum à colli aurifrigio tactum, & nodum unde affigebatur ex auro, & margaritæ pulchræ habentem compactum in eis acquisivit. Similiter & cingulos duos, unum de nigro bonoque pallio latum satis, aurifrigio latitudinis trium digitorum in fine decoratum, alium de pallio varii coloris valde bonum à nodo ante ventrem cingentis cum filis aureis usque ad summitatem, operosè multùm crasseque undique contextum. Sed & Balteum, & calicem cum patenâ argenteum intus, & circà oras deauratum, pixidem argenteam similiter & argenteam acerram, vasque argenteum ad vinum trium firtonum pondus habens: turibulum quoque de cupro deauratum, catenulas argenteas habens; pelviculam simulacro bestiolæ caudatam de cupro factam ad suscipiendam aquam manuum lavandarum, intùs habentem imaginiolas argenteas fusili opere cælatas, tresque tuellas, unam sternendam super altare, aliam sub libro, tertiam ad tergendas manus. Crucem quoque cum crucifixo, & pede quatuor Evangelistarum imaginibus operoso; utrumque de cupro sed deauratum. Columbam etiam cupream, auro tamen superiùs argentoque variatam, continentem aquam ad opus manuum. Casulam de nigro pallio circà collum, & à collo usque ad pedes ante ventrem aurifrigio lato ornatam: cappam similiter de nigro pallio, penè eodem circà collum, & super cristam capitii aurifrigio ornatam, ante pectus habentem plusquàm palmæ unius longitudinis æquâ longitudine & latitudine aurifrigium, neque tantum aurifrigium quàm rem filis aureis desuper solidissimè contextam, in medio

habentem gemmulam bullulâ circumclusam. Hæc omnia ad officium Missæ suæ, & ad ornamentum Ecclesiæ proprio studio & novo acquisivit. Redemit quoque cappam unam albi pallii valde bonam, turibulum quoque argenteum appendens septem marcas, quod cum postea præstitisset Archidiacono cuidam nomine Alexandro, cum pallio uno optimo, quod ipse quoque emerat, & calice argenteo, nunquam rehabere potuit, quæ ita usque hodie nostra Ecclesia perdidit. Pallium quoque unum quod sufficit ad majus altare cooperiendum, emit totum novum, & de spisso pallio purpurei colloris pallentis tamen in grandiusculis rotis imaginibus bestiarum variatum. Hoc hodie quoque penes nos est.

Fratres quos invenit benignè fovit, & quot & quos potuit addidit, multa perpessus ab his quos necessitate minoris sibi numeri de aliis claustris exeuntes suscipere cogebatur, invehentibus in illum frequenter malignè semper loquacibus nostris oppidanis, quod tantæ fructum Abbatiæ octo aut decem tantùm Fratres consumerent, non attendentibus, neque veteri malitiâ cæcitatis suæ considerare volentibus, ad quantum paupertatem devolvissent Abbatiam furor mobilitatis eorum, & contentio inter se Abbatum factione eorum, & quanta consummanda essent in reparando Monasterio, claustro & appenditiis eorum. Hac, inquam, malè loquacium & malignè detrahentium necessitate compulsus, cum plures de suis Fratres non haberet, & aliunde venientes Monachos ignotos susciperet, multa & damna & injurias sustinuit frequenter, talibus nullum ordinem servare volentibus, & cum de nuditate suâ revestiti, & de famelitate suâ refocillati essent, aut molestissimè nobiscum commanentibus, aut cum damno & injuriâ & detractione nostri tandem à nobis effugientibus. Vidi ipse intrà quinque aut sex annos de talibus XVII. à nobis recessisse, revestitos apud nos à plantâ pedis usque ad verticem integrâ veste. Studium & laborem ejus circà emendandam Ecclesiam nostram intùs & foris, & quantum sub eo profecerit, longissimum esset enarrare, cum tamen nunquam defuissent interim ei tribulationes & persequutiones ab eis, de quibus aliquid hîc modo volo referre.

Quas passus est persecutiones Abbas Theodericus referuntur.

Primo tempore introitûs ejus in Abbatiam gravissimus persequutor fuit ei Comes GISLEBERTUS de Duram Advocatus noster, quem nunquam potuit placare nisi damnosa Ecclesiæ pecunia pro eo intercurreret. Præterea HENRICUS de Lemburg major noster Advocatus supradictum illum Herimannum, qui per violentiam non potens Abbatiam nostram quam invaserat tenere, ad eum patrocinii causâ confugerat, frequenter super domnum Abbatem Theodericum in oppidum, & usque in cellam Abbatis introducebat, volens libentissimè in Abbatiâ eum confirmare, si & Fratrum consensum inde priùs habere potuisset, & fidelibus Ecclesiæ fidelitatem extorquere suo Herimanno. Sed Fratribus constantissimè illi pro domno Abbate Theoderico in faciem resistentibus, atque adeo ex auctoritate Leodiensis Episcopi, ut quamdiù Herimannus aut in cellâ Abbatis, aut quoquam in toto oppido nostro esset, divinum officium in Ecclesiâ nostrâ non fieret, & nulla campana sonaret, cum multâ tandem confusione, & in nos & nostrâ indignatione recedebat, suumque iterum Herimannum in malum nostrum recipiens custodiebat. O JESU bone, quando totum dicerem, aut quomodo totum dicere possem malum & damnum, quod per hos duos sustinuit Ecclesia nostra?

Henricus III. Imper.

Accidit interea turbato vehementissimè Regno & Sacerdotio, ut HENRICUS tertius Romanorum Imperator Augustus traditis filio æquè Henrico vocato Imperialibus insignibus, abjectusque à regno iterum regnare moliretur, cujus maxima spes tunc temporis esse videbatur iste Henricus Comes de Lemburg, Dux modico jam ante creatus. Quæ res propè exterminium debuit esse Ecclesiæ nostræ, quia cum tunc temporis non tam dux quàm Rex esse videretur, ut pote qui Regis erat factus patronus, non erat Rex, non erat Episcopus, non amicorum quispiam qui auderet nos contrà tantum tyrannum juvare, maximè pravissimis quibusdam de oppidanis nostris, & hominibus de factione Luiponis & Herimannorum factiosissimis, ad hoc quotidie illum instigantibus, & in fornacem ardentissimam illius malæ suggestionis suæ oleum, picem, resinam, & omnia instigatorum fomenta congerentibus, ut suum Herimannum in Abbatiam nostram restitueret, & Theodericum ejiceret: modo utilissimum tempus adesse; in quo hoc liberrimè facere posset, faceretque eum benedici, cum non auderet unquam Episcopus contradicere ei quem & introduxit; sed Fratres non ampliùs quàm antea inflectere ad suam voluntatem potuit. Relicto tamen eo cum custodibus sibi familiaribus in cellâ Abbatis, abiit, multâ vastatione factâ in curiâ nostrâ, & in claustro de rebus victui & vestitui nostro præparatis.

Interim domnus Abbas THEODERICUS secesserat ad Castellum Comitis GISLEBERTI Duram, timens sibi si tyrannum illum exspectasset, de vitâ: quo unâ parte oppidum nostrum egrediente, ipse aliâ ingressus est. Testor Deum omnipotem quia nisi oculis vidissem, & præ magnitudine lætitiæ gemitum eorum, querelosaque suspiria auribus hausissem, non facile mihi, sed neque ipsi cui fiebat posset persuaderi tantus affectus, tanta erga eum populi devotio sexûs utriusque diversæ ætatis. Ipse è converso quàm acclivi vultu, quàm modesto ore humiliari, quàm profusis lacrymis, quàm humectis genis totâ facie irrorari. Flebant illi præ nimiâ quâ in eum ardebant charitate, flebat ipse præ maximâ quâ seipsum metiebatur humilitate. Tam triumphali applausu, tam favorabili populi devotione exceptus, usque ad cellæ suæ januam est perductus. At illi interiùs eum observaverant, & strepitu indignatione populi perculsi, nihil sibi certiùs quàm eorum perfodi gladiis exspectabant, quâ observatione populo magis magisque in iram indignationemque concitato, cum tamen quidam dubitare viderentur, utrumve vi in eum irruerent, quidam verò ad irruptionem cum clamore se accingerent, unus eorum, cujus sapientiæ & consilio totum inniti videbatur oppidum, vultu flammeo & ore grandisono prorupit in medium: Eïa, inquit, eïa viri, si tamen viri, quid hîc tam ignaviter excubatis? quid ad postes hujus domicilii observatis, cur statim fracto repagulo, vel ipsis postibus radicitùs evulsis aperto ostio, micante gladio non irrumpitis? Quasi non voluntate neque judicio Dei, sed fortuitu hîc conclusi teneantur rei illi, & gladiis nostris hodie decapitandi, quorum venenatâ delatione, pestilenti consilio, domus vestræ damnoso olim flagrarunt incendio, matres legitimo destitutæ sunt conjugio, nepotes vestri sine parentibus, vos ipsi heu heu! sine liberis estis hodie & nepotibus; & ecce nunc iterum ad nostram & nominis generisque nostri ignominiam in oculos nostros importuni contumaces, ignobiles lenones se ingerunt, ut quorum patres, filios, fratres, nepotes, amicos & servos peremerunt, quosque igne & rapinâ, de divitiis in inopiam, de gloriâ in ignominiam etruserunt, eorum nunc dominum inermes, ignavi, pauci, scelerati ejiciunt, ut quæ ferro flammæque eorum cum periculo capitum eripuimus, libidonisi de-

glutiant, seditionem, intestinum bellum in oppido nostro plectendi parricidæ ut olim, ut sæpiùs, nunc etiam commoveant. Si viri essemus filii virorum, numquid hæc in capita eorum nunc de præsenti non redundarent?

Talia Gontramnus: erat hic Gontramnus servus Ecclesiæ nostræ, homo gratissimæ grandisque facundiæ, staturâ procerus, grossitudine corporis ejus decentissimè respondente proceritati, acerrimus in bello, audax animo, prudens consilio, formosus tam venusto corpore quàm pleno vultu & elegantissimâ facie. Hunc talem qualis apud nos de nostris nemo surget ampliùs, Oppidani nostri flagrantes in eum odio maligno & iniquissimâ invidiâ, pro probitate ejus, casu volantis sagittæ in frontem ejus incerto auctore occiderunt, dum quâdam die proditione ejus sic tandem patefactâ adversùs eum sic nec opinantem consurrexissent armati; quem si casus eo minùs se gladio defendere non vetuisset, ô quot quantamque dedisset stragem antequàm occumbere posset. Sepultus jacet inter turrim & ostium quod aperitur versùs cœmeterium Fratrum & meridiem, juxtà murum statim ut exitur de ostio ad dexteram manum.

Hoc tali viro ita, ut superiùs dixi, perorante ad populum, statim versus in furorem præteritorum malorum recordatione populus, & tamquam ursus cruentis prægustatis carnibus in eos efferatus, stricto mucrone in eos conclamat ostia confringere, postes evellere pertentat, ut omnes tam Monachos quàm milites, minores quàm majores in ore gladii interficiat. Sed statim pietas & benignitas domni Abbatis Theoderici perituris scelestis tutissimum scutum se opposuit, vehementerque inclamans Gisleberti Comiti, necnon singulos eorum proprio ex nomine revocans, vix tandem ne in functos illos irruerent multis precibus obtinuit: quibus sedatis, hoc modo Fratres suos ante populum alloqui cœpit: Absit à me, Fratres carissimi, absit inquam, dulcissimi filii, hoc peccatum in Domino, hoc scandalum in populo, ut regressus meus ad vos, & pia in me vestra populique devotio maculetur, obfuscetur sanguine cujusvis aut homicidio. Non his armis decertandum nobis, non hoc gladio trucidandus est impius hostis: cujus nos sumus milites, ipse armatura nostra Christus est. Hujus signifer beatus Paulus suis ita conclamat commilitonibus: *Ephes. 6. 14.* *State, inquit, præcincti lumbos vestros in veritate, & induite loricam justitiæ; & calcate pedes in præparationem Evangelii pacis. Super omnia accipientes scutum fidei, in quo possitis universa tela maligni ignita exstinguere; & galeam salutis accipite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* His armis ad similitudinem boni Regis David muniti, hunc superbissimum spurium & incircumcisum fiducialiter poterimus aggredi, ut cum tantus blasphemus percussus in fronte, & in corporis parte vulneratus, in quâ præsumptor Sacerdotii Ozias leprâ incanduit, leprâ corruerit, capite ei proprio mucrone truncato, armisque omnibus exspoliato *Psal. 35. 1. 4.* *confiteamur Domino quoniam in sæculum misericordia ejus. Qui facit mirabilia magna solus.* Atque iterum cum *Ibid. 43. 1.* nostro David dicamus: *Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Misericordia mea & refugium meum; susceptor meus & liberator meus.* Hæc cum dixisset, populus ad propria rediit; ipse verò nobiscum in claustro habitavit. Qui autem conclusi erant in cellâ Abbatis, ne à nostris qui turrim eis præripuerant deberent interfici, nocte illâ penè omnes effugerunt, & præter unum qui cum Herimanno venerat de Malmundariâ Monachum, quasi nulli cum illo remanserunt. Quidam tamen ex oppido nostro impurissimi nebulones ventricolæ, apud quos data crustula hispidi panis cujusvis dignitatis nomen facilè mercari, eâdemque subtractâ patibulo reus posses adjudicari, frequenter ad eum conclusum in cellâ introibant, lethargicumque cerebrum ejus fœtido adulationis suæ oleo impinguantes, interiùs leccatriæ suæ sic cum eo satisfaciebant. Tota autem Abbatia, & maximè Monachi ad domnum Abbatem Theodericum humili fidelitatis obsequio, & piæ obedientiæ oculo respiciebant, ejusque anxiatum amaro satis animo deflebant.

Sequenti igitur die cum domnus Abbas THEODERICUS vocante eum OLBERTO Episcopo Leodium venisset, injuriam suam, persequutionem, redivivi Simonis superbiam, invasionem in auribus Episcopi Ecclesiæque beati Lamberti exposuisset, non eos tantùm mœstâ compassione sauciavit, sed & ipsam totam civitatem mœrore quidem maximo obnubilavit. Erat enim tam Clero quàm populo & Monachis gratissimus multâ litterarum scientiâ, & egregiæ vocis jubilo acceptissimus, tum placidissimus moribus, & vultûs hilaritate serenissimus. Sed tamen prout deceret dignitatem disciplinæ & nominis Leodiens. citò non vindicatum fuit tam grave facinus in præsumptorem impium. Sed nec mirum, bonâ eis veniâ indulgemus, dum necessitatem temporis & eorum angustiam respicimus. Erat enim tunc non parva turbatio, non in eâ tantùm Ecclesiâ, sed & in toto Episcopio, & unumquemque non modo reipublicæ, sed familiaris quoque sollicita urgebat occupatio, sicut superiùs tetigimus. Pro recuperando extorti sibi regni statu Imperator Henricus ibi anxiè insudabat, & quia crudeli odio & gravissimis diffidebant inimicitiis Episcopus & HENRICUS Dux, similiter quoque Namurcensis Comes GODEFRIDUS, & idem Dux, eos priùs ad pacem & concordiam revocare Imperator maximè laborabat, ut postea robur pacis eorum & concordiæ, esset ei spes & causa victoriæ. Quatiebantur etiam muri totius civitatis & Ecclesiæ undosâ imminentis belli formidine, quia ferebatur, verumque erat, filium Imperatoris Henricum nomine, in manu robustâ & indignatione maximâ ad civitatem obtinendam properare.

His malis concurrentibus, quò publicæ familiarique rei suæ unusquisque prout necesse sibi videbat, consulit attentiùs, eo de nostrâ disponitur satis quàm expediret negligentiùs. Semel tamen atque iterum vocatum eum Episcopus tandem excommunicat, omnesque ejus complices, præcipiens Archidiacono suo Alexandro, ut eum de caminatâ Abbatis, atrioque suo eliminet, sed ille omninò neglexit; quâ causa, quo animo ipse viderit. At Dux non immemor injuriæ contemptûsque sui in Herimannum, arma copiasque suas in furore & indignatione magnâ adversùm nos colligit, ut die datâ quoscumque de nostris ad dedicationem sui Baalis compellere non posset, eorum carnes in ejus sacrificio victimas propitiabiles faceret. Sed Comes GISLEBERTUS, qui reconciliati sibi fidelis tunc adjutor existebat domni Abbatis Theoderici, conducto sibi Comite Lovaniense GODEFRIDO, qui non multo post Dux exstitit, viriliter ei resistit, omnemque conatum Henrici licet domini sui dum accedere non auderet, irritum fecit.

Nec multo post domnus Abbas Theodericus reversus est de Leodio ad Cœnobium nostrum, grandi ferens patientiâ conclusum in cellâ suâ æmulum suum. Jamque dies eminebat quâ Comes Flandrensis Imperatori occurrere Andegueri debebat, quo dum Imperator proficisceretur, contigit eum habe-

re per locum nostrum transitum, atque in cellâ Abbatis, in quâ non sani consilii Frater ille habitabat, nocte unâ hospitium. Qui dum cellam omninò non auderet Imperatori contradicere, si verò ab eâ egrederetur, nullum sibi ulteriùs patere regressum formidaret, in cellarium sub caminatâ descendit, ibique totâ illâ nocte mansit, ut facto mane cum Imperator viam suam proficisceretur, ipse ex inferioribus abditis prodiens ad obtinendam cellam regrederetur. Sed quidam de pueris nostris, qui nocte illâ Imperatori ministraverunt, Fratrum nostrorum consilio præstruentes ei aditum, in cellam regredi non permiserunt, nihil tamen contumeliæ aut virium ei ejusque satellitibus intulerunt. Cumque sibi interceptam introëundi facultatem intelligeret, & se quasi in sepulcro in cellario illo scilicet à pueris nostris suffocandum omninò formidaret, de lacu in quo seipsum malè damnaverat novus quasi terrigena ad invisam sibi lucem per aliud ostiolum tandem erupit, & magnum spectaculum populo factus, platearumque pueris, ad unam forensium domum homo sine honore, Monachus sine pudore se proripuit; aliquotque dies ibi faciens, sabbato sancto Dominicæ iterum ad Ducem transivit. Quâ peste eliminatâ, sentinâque ejectâ de navi nostræ Ecclesiæ, mox quia erat hora tertia sonuit, & post tot luctuosos dies quibus chorus noster siluerat, nos jam posse licenter divinis ora laudibus aperire grandis lætitia fuit: nam nostrum Monasterium & parochia foris tamdiù ab Episcopo in banno posita erat, ut in eis nemo cantaret, donec de cellâ Abbatis, & de totâ curiâ & atrio Herimannus exiret.

Quod cum nuntiatum fuisset Duci HENRICO, fortè enim ipse eâdem horâ per forum nostrum transibat, irâ incredibili exarsit, dolore intolerabili infremuit, & nisi hanc suam in exemplum omnibus injuriam vindicaverit, cum obtestatione & horribili quâdam anathematizatione se suaque omnia diræ morti exterminioque crudeli devovit. Irâ igitur vehementi, furoreque ingenti, necnon & indignatione non minimâ in nos & nostra exardescens, contemptum sui Abbatis cordi graviùs apposuit, totumque se statim in nostrum nostrorumque vitæ periculum, tam substantiæ quàm membrorum quoque detrimentum dissolutè nimis accinxit. Jamque nulli nostrûm parcere inter Monachum & Clericum, clerum & laïcum, neque quidquam discernere, crudeliter persequi, bestiali furore in nostros & nostra sævire, ut nullius nostrum misereantur suos omnes suppliciter orare, obsecrare, terribiliter præcipiendo præcipere. Tum si illos vel illos de nostris possent arripere, quosdam sine compassione decernebat suspendere, quibusdam oculos effodere, istis nares truncare, illis manus amputare, aliis pedes abscidere, nonnullis crura comminuere. Quibus verò misericordem & humaniorem se exhibere volebat videri, eos diù carceratos, tandem præcipiebat gravissimo argenti pondere debere redimi, & certè longè se beatiores cæteris reputabant, qui nihil aliud se perdere quàm pecuniam metuebant. Erat igitur omnibus grandis formido, pavor & tribulatio, mentis hebetudo, membrorum dissolutio, genuum collisio, cum nulli nostrûm extra oppidum pateret aliqua via sine vitæ periculo, membrorum ac substantiæ detrimento. Sed & Comitem GISLEBERTUM quia pro nobis se illi opposuerat, in tantum odio habebat, quòd eum de infidelitate palam arguere, & hereditario propter hoc privare beneficio fluenter laborabat. Erant etiam tunc nobis adhuc Coloniæ plures carettæ vini, quas statim fecit suis ussibus obfirmari.

Hæc aliaque plurima quæ nobis quotidie ingerebat mala; nam & villicis nostris omnibus interminatus terribiliter fuerat, ne in quovis nobis respónderent; domni Abbatis Theoderici animum graviter afficiebant & illud multo amariùs, quia audiebat eum velle beneficiare suis satellitibus quæ nobis juxtà Mosellam, necnon in Testebrant obaudiebant: quòd si semel in tam tempestuosâ tempestate contingeret, aut vix aut nunquam ea ampliùs Ecclesia nostra reciperet, & vinum & pisces ulteriùs Abbatia nostra non possideret. Immenso igitur dolore & metu afficiebatur, metuens etiam & nimiùm sollicitus ne in tantâ turbâ quisquam propter eum occideretur, carceraretur, spoliaretur. Sed cum sub hoc curarum sollicitudinumque onere importabiliter premeretur, fuerunt quidam ex amicis ejus cum Duce, qui videntes ejus angustiam, oppidanorum periculum, Ecclesiæ intolerabile & irrecuperabile damnum, mediante pecuniâ conabantur adhuc eum ab his malis quæ in nos cogitabat, revocare. Vix tandem argenteo malleo emollita est nigri silicis duritia, exceptoque Comite Gisleberto annuit, ut pacem habeant Abbas noster & tota ejus Ecclesia. Sed re perlatâ tandem ad domnum Abbatem Theodericum, nam novit Dominus, se nesciente hoc priùs ab amicis agitabatur, nullâ ratione, nullo consilio, nullâ persuasione, nullo timore adduci potuit ut acquiesceret, nisi res Ecclesiæ quas impedierat, priùs ab omni impedimento Dux enodaret, & Comitem Gislebertum oppidanosque omnes, quibus propter eum molestus fuerat, in firmam pacem, gratiamque suam revocaret: quod miro indicibilique labore ab utrâque parte tandem concessum est.

Ipse præsens istis interfui, & pro explendis feriâ sextâ Parascevæ Domini die unâ Leodium equitavi, & multum ibi moratus pro hoc negotio ipsâ redii, & statim reascendens cum domno Abbate iterum Leodium abii. Persoluta est ibi peracta priùs pecunia, Comiti Gisleberto reddita est Ducis gratia, oppidani liberati sunt à timore, res Ecclesiæ eo jubente prorsùs sunt expeditæ. De Herimanno verò inter Ducem & domnum Abbatem hoc tantùm diffinitum est, ut si cognoscens reatum suum ad satisfactionem & pœnitentiam venire vellet, misericorditer reciperetur, probatâque ejus humilitate & obedientiâ, secundùm ejus animi infirmitatem condescendere ei domnus Abbas non dedignaretur. Sed inveterata miserandi hominis malitia humiliari nullo modo ad satisfactionem & pœnitentiam potuit, sed id quod fuit permansit, & quod non erat assumsit.

Ex hac Ducis oppressione & Herimanni invasione gravissimè afflicta elanguit diù Ecclesia nostra. Calix aureus nescio quanti ponderis cum patenâ, quem ipse domnus Abbas Theodericus acquisierat, hac necessitate irrecuperabiliter venditus est: sylva in Bryrchem excisa est & vendita, substantia alia multùm attenuata, quodque magis dolendum erat magisque deflendum, totum opus Monasterii intermissum usque ad obitum ejus deperibat. Dei autem faciente judicio eodem anno abjudicatus fuit HENRICO ducatus, & datus Comiti GODEFRIDO de Lovanio causâ existente, quia eadem hebdomadâ scilicet feriâ quintâ, quæ fuit Cœna Domini pugnaverat contrà filium abdicati Imperatoris HENRICI, Regem creatum HENRICUM dominum suum super fluvium Mosæ oppido Guiseir ante pontem, Regemque contrito exercitu ejus fugaverat.

Ad cumulum autem malorum nostrorum accidit nobis & aliud malum, quanto de familiari & amiciori priùs nobis potente personâ, tanto & gravius, tanto & intolerabilius. Cœperunt namque in invicem diffidere Comes GISLEBERTUS Advocatus noster, & domnus Abbas THEODERICUS. Comes exi-

gebat ab eo viginti quatuor marcas argenti, quas Duci Godefrido dederat de Lovanio, quia Ducem Henricum propter à nobis suum abjectum Herimannum super nos irruere non permiserat, & quidquid super eas ex usuris quotidie crescebat. Abbas respondebat se ei non promisisse nisi quinque tantùm, & eas se jam persolvisse. Sic & sic quotidie mala nostra multiplicabantur. Comes quid faceret? Rationi omninò acquiescere nolens neque veritati, cum duplici damno quod argenti hujus summa fuisset totum per Abbatiam quod exigebat, diripuit, nulliusque unquam petitione Abbati reconciliari voluit, sed conversus ad dominum suum Comitem Henricum, & ad æmulum Abbatis Herimannum, cœpit omni consilio & virtute agere, ut de Abbatiâ ejiceretur, & Herimannus ei introduceretur.

Habebatur tunc Metis Episcopus ADALBERO post Popponem, qui licet litteras suas & missaticos pro domno Abbate Theoderico ad Comites Henricum & Gislebertum frequenter mitteret, nihil tamen aut modicum juvare eum contrà eos poterat, nisi in hoc tantùm quòd magis inde confortabat animos Fratrum nostrorum, & corda ambigua levium oppidanorum. Sub hujus fune contentionis aliquamdiù agitatæ sunt ancipites utræque partes dissidentium. Cum igitur humano undique destitueretur auxilio, & ab illis vehementissimè affligeretur qui eum maximè debuerant juvare, ratum sibi duxit ad Dominum eodem modo confugere, si dissolutionem nostri Ordinis, quæ diù nimis casibus diversis accidentibus apud nos non absque infamiâ inoleverat, religiosorum Monachorum usibus posset emendare, ad quod peragendum quidam de Fratribus, pauci tamen, instantissimè eum perurgebant: plures verò gravissimè inveteratas abusiones suas immutandas sibi ferebant; maximè autem qui apud nos de aliis claustris profugi confluxerant.

Sed cum Dei adjutorio, prævalente meliori parte Fratrum, licet minori, introducti sunt usus Cluniacensium in Monasterium & Claustrum nostrum, scilicet Calendas Martii, quæ fuit eo anno sextâ feriâ in capite jejunii: ad quos demonstrandos misit nobis domnus Abbas S. Jacobi de Leodio STEPHANUS duos de suis Fratribus, Abbas S. Laurentii BERENGARIUS de eâdem civitate duos; cœpitque doceri Ordo Cluniacensis ferventissimo apud nos studio, & exerceri tenacissimè non ex parte, sed ex integro, maximè juvenibus nostris in eo laudabiliter sine omni mendacio nostro ferventibus, senibus cum silentio mente pacificâ acquiescentibus, scholarum pueris sine gravi jugo quotidianâ exercitatione disciplinam exhibentibus. Qui aliunde apud nos collecti fuerant, immutarique veterem levitatem suam nolebant, recesserunt; similiter & de nostris aliqui ejusdem levitatis.

Volo autem hîc annotare nomina eorum, qui tunc de præsenti inventi, quando usus isti apud nos introducti sunt, ut gloria eorum inde in hac quoque vitâ crescat, & posteri intelligant quanta apud nos Fratrum paucitas extiterit. Abbas Theodericus, Prior ego Radulfus, Secretarius Sibertus, Præpositus Morungus, Cellerarius Cantorque Folrardus, Hugo jam senex, Gislebertus juvenis maturus. Primâ autem die quâ Ordinem incepimus, exierunt de scholis quinque pueri, Thidelinus, Balduinus, Henricus, Christianus, Franco, qui postea abjecto habitu fugit. Hi omnes jam adulti fuerant, & de scholis jamdudum exisse poterant, sed Prioris diligentia eos intrà scholas usque ad eam diem tenuerat, timens si ante inceptum ordinem secundùm veterem abusionem extra scholas levitatis & otii placitam juvenibus, venenatamque dulcedinem gustassent, quòd ampliùs rigidæ juvenum, jugique insuetæ cervices applicari ad Ordinem non possent. Pueri qui in scholis remanserunt fuêre hi: Guazelinus, Adulfus, Guilbertus, Fredericus, Humbertus. Inter majores & minores eramus XVII. quo parvo numero cum adjutorio eorum, qui de Leodio præstiti nobis fuerant, cœpit, ut dixi, Ordo ferventissimè teneri, maximè studio juvenum laudabiliter ad hunc se accingentium.

Si quis tamen nostrûm præcipuè extitit, cujus importunitas & oportunitas, cujus milleformis variata sagacitas animum Abbatis, ad hos usus tenendos, & cum multâ suâ tribulatione & angustiâ, odio & invidiâ, apud ipsum ut teneretur tandem obtinuerit, & cujus studio eo vivente viguerit, mortuoque refrixerit, non dubitat quisquis ille sit, cum multum emendationis vitæ Fratrum, & profectus Ecclesiæ per hos usus subsequutum sit quòd de eo nobis tacentibus ille tacere debeat, pro cujus amore nihil adversi, nihil odii, nihil invidiæ, nihil periculi sustinere formidabat, dummodo religio introduceretur, & locus à præteritæ irreligionis infamiâ liberaretur.

Injectâ igitur nobis ab HENRICO gravissimi mœroris nebulâ, magnâ jam ex parte deterserat nova introducti Ordinis gaudia, & sub suavi jugo Domini leve satis habebatur nobis onus nostræ afflictionis. Vadit inimicus & invidit prosperis de Ordine nostris successibus, atque multum doluit giganteis, ut ita dicam, nos in eo promoveri passibus. Implevit igitur spiritu suo nequissimo en nescio quotâ vice eumdem Henricum ad affligendas animas nostras jamdudum usitatissimum sibi ministrum, & familiarissimum; qui oblitus peractæ pactionis cum domno Abbate Theoderico, damnosæque multum nobis pecuniæ quam ei extorserat pro sibi ulteriùs eo placito, mentitus fidem, & non Dei reveritus judicium, iterum aggressus est sine omni dilatione suum nobis intrudere Herimannum. Regnum autem & Sacerdotium, ut superiùs dixi, ita adversùs invicem erant conturbata & commota, ut adversùs violentiam tyrannorum nihil aut parum juvare posset nos tunc Ecclesiastica censura. Herimannus etiam per quosdam complices, & in Curiâ Regis aliquantulum familiares, conciliavit sibi animum Cancellarii Regis, ADELBERTI nomine, qui postea Archiepiscopus fuit Moguntiæ, & per ipsum Regem, habens eos fidos adjutores de suâ restitutione: res verò non fuerat ita notificata Regi & Cancellario, sicut se veritas habebat de Herimanno. Itaque mendaciis faventium Herimanno decepti, restitui eum in Abbatiâ nostrâ per litteras & missaticos suos Metensi & Leodiensi Episcopo præceperant, cujus adventus quotidie nuntiabatur. Comes autem GISLEBERTUS paratus erat suscipere, & quia Advocatus noster fuerat, in Abbatiam introducere.

Inter quæ minantia famæ volitantis quotidie tonitrua manus tonantis Dei excelsa, jamdudum ab antiquo gravissimè super nos extenta, terribilissimo fulgure subito nos perforavit, tollens nobis de medio domnum Abbatem Theodericum infirmitate vix quinque dierum ex sanguinis minutione viam universæ carnis introductum. Heu quo ore habeo referre, quo stylo scribere, quas tunc sustinuerimus pressuras, tribulationes & angustias? Hi qui vivente Abbate Theoderico palam nos persequebantur propter Herimannum, vix jam manus continebant quin nos vivos discerperent, aut in frusta gladiis concîderent; & qui occultè soliti erant nobis ponere insidias, tunc apertâ fronte prodibant, tanto in nos jam palam acriores, quanto priùs fuerant occultiores

tes. Paucissimi qui nobiscum sentientes quidquam pro nobis agere vellent, quod effectum aliquem virtuosi alicujus operis haberet. Herimannus quotidie pro foribus nuntiabatur, & ab aliis invitatus, ab aliis exspectabatur, omnium tamen Fratrum animi erant contrà eum obfirmati non minus Abbate defuncto, quàm priùs vivente illo. In hâc nostrâ pressurâ, tribulatione & angustiâ nullos graviores invenimus persequutores, quàm Presbyteros nostros, tres potissimum, Reynerum scilicet de Hales, Hezelonem de Mergueles, necnon & Lanzonem quemdam de oppido nostro.

Istis dissensiones magnas facientibus, & laïcorum amicitiam contrà nos ante & retro concitantibus, vix obtinuimus ut integro die defuncti Abbatis corpus insepultum custodiremus, donec mandati compares ejus debitas ei solverent exequias. Alii Presbyterorum & laïcorum adventanti Herimanno acclamabant, alii hunc & illum prout sunt qualitates hujusmodi partium, nulli tamen eorum secundùm assensum nostrum, unde, ut dixi, vix se continuerunt quin sepelissent eum absque exequiis Fratrum. Quorum furori cum essem Prior, constanti auctoritate me opposui, in multo tamen periculo vitæ meæ, flocci factus priùs ab illis, multis convitiis, & pluribus contusus injuriis. Evici tandem, & tertiâ die exspectata sepelivimus Abbatem Theodericum, exhibente illi exequias domno Abbate Berengario de sancto Laurentio Leodii, prosequente funus ejus Comitum & nobilium,& populorum grandi turbâ; interque sibi viventi fideles & amicos facientibus illi Fratribus planctum magnum, & miserabilem ploratum & ejulatum irreprissibilem. Fuerat enim erga eos lenissimi affectûs & grandis patientiæ, vultûs hilaris, & jucundæ allocutionis, malos æquanimiter sciens tolerare, bonos amare & honorare. Obiit autem VII. Calend. Maii die litaniæ majoris anno millesimo centesimo septimo, exactis in Abbatiâ annis novem, mensibus tribus, sex diebus minùs.

Obiit Abbas Theodericus.

Nihil de possessione suâ tempore ejus perdidit Ecclesia nostra, excepto allodio, quod jacet versùs Andeguerp juxtà Malines, hoc persolvebat singulis annis viginti quinque solidos monetæ & ponderis de Andeguerp die Conversionis S. Pauli, quod ea necessitate vendidit, quia nihil inde habere poterat Ecclesia nostra propter raptores & violentos prædatores: eâ autem intentione, ut de pretio ejus aliud apud nos allodium redimeret. Fecitque illud non sui unius consilio, sed majorum suorum, Metensis scilicet Episcopi & Advocatorum nostrorum & Parium Ecclesiæ. Sed morte illum præveniente Comes Gisslebertus ab hominibus illis commissum argentum abstulit, qui servabant illud ad redimendum Ecclesiæ aliud allodium, sicque Ecclesia tandem & allodium perdidit & pretium. Turibulum etiam argenteum ponderis septem marcarum, & unum pretiosum prorsùsque novum pallium, necnon calicem argenteum appendentem marcam & dimidiam præstitit Archiacono cuidam Leodiensi nomine Alexandro, quæ usque hodie rehabere non potuimus. Abstulit etiam Comes Gisslebertus eo defuncto. Ecclesiæ nostræ phylacterium pretiosissimum, quod ei Abbas præstiterat, tabulam scilicet unius pedis longitudinem, habentem tantumdem propè latitudinis in exteriori parte argento cælatam, in interiori auro purissimo, multisque & electissimis lapidibus miro opere ornatam & oneratam, plenam pretiosissimarum gemmarum.



LIBER SEPTIMUS.

Sepulto igitur domnó Abbate Theoderico, cum viderem æmulorum meorum invidiam me sustinere non posse, maximè eorum jamjam se manifestantium odia, quibus propter novi Ordinis introductionem, non licebat abuti Claustro nostro, & horis locisque inconvenientibus Fratrum colloquio, eâdem die humillimâ satisfactione petivi me absolvi à Prioratu, & absolutus sum, Fratribus tamen id ægrè ferentibus. Præterea quicumque Herimannum desideranter exspectabant, Comitem Gisslebertum & uxorem ejus, & quotquot alios poterant malignis de me detractionibus, & fictis aut veris meis sceleribus in me quotidie inflammabant, certum habentes quamdiù cum Fratribus essem, quòd adversùs eos ratione & consilio de suo Herimanno prævalere non possent.

Factam igitur Fratres electionem suam cum Leodii Episcopo Ecclesiæque repræsentassent, & inde Metis transire vellent, invenerunt ibi nuntios Imperatoris Herimannum prævenisse litteris Imperialibus, & unâ voce Episcopo præcipientes, ut Herimanno ultrà molestus de Abbatiâ nostrâ non exstiteret. Episcopus tunc noviter Imperatori reconciliatus fuerat, defuncto Leodii patre Imperatoris, cujus partes contrà filium adjuverat, quo timore non satis audebat, ut tamen eum decuisset, violentiæ Imperatoris contradicere; neque tamen assensit, sed quantum salvâ gratiâ Imperatoris potuit nuntiis rationem reddidit, quomodo apud sanctum Trudonem non posset ampliùs Abbas canonicè fieri, atque subjunxit: Non est meum dare donum Abbatiæ sancti Trudonis, sed Abbatem ejus benedicere; Metensis illud est Episcopi, quem mihi mittat benedicendum ipse viderit. Ibi sicut & aliàs frequenter religiosus vir Abbas sancti Jacobi Leodii Stephanus multâ fiduciâ & ratione Nuntiis Imperatoris ostendit, quòd frustrà laboraret Imperator de Herimanno, quem suo suorumque comparium Ecclesiastico judicio constabat jamdudum damnatum pro invasione hujus Abbatiæ & pro obstinatione incorrigibilitatis suæ etiam excommunicatum fuisse, nec amplius potuisse tandem mereri absolutionem, nisi promissâ ampliùs emendatione invasionis suæ & violentiæ. Hac turbatione intermissa est Fratrum profectio Metis, & reversi sunt ad Claustrum nostrum, disponentes nuntium suum mittere pro instanti necessitate ad Metensium Episcopum.

Nec mora, adest Herimannus, & nuntiis Imperatoris eum adducentibus, per Comitem Gisslebertum in Abbatiam introducitur. Faciunt ei fidelitatem & hominium quibus placebat ipse, & qui propter Comitem non audebant contradicere. Primi tamen Abbatiæ & honestiores viri manus suas continuerunt à fidelitate ejus & hominio. Fratres omnes unanimiter non solùm Monasterio & Claustro, sed & nullo eum dignantur nisi per internuntios colloquio, & eo duro, ut qui assentiri ei nollent ullo modo nisi ad audientiam & canonicam discussionem priùs veniret, quam ille tamquam infirmæ sibi conscientiæ ut semper, ita & nunc refugiebat. Collaterales ejus & consiliarii erant homines levissimi, mendaces, seipsos metiri nescientes, inanis spei, omnis præsumptionis, nullius tam virtutis quàm consilii, pars maxima de illâ Luiponis conjuratâ factione, adhuc tunc truncas manus portantes in signum damnationis & exlegalitatis suæ. His miseriis & miserrimè miserrimis hominibus circumventus,

& ut ab unō eorum didicimus juratus in Sanctos illis ad insaniam eorum hac illacque nolens volensque ferebatur insanus: nihilominùs interdum illis tantum diripientibus ut non haberet saltem panem & cervisiam unde aleretur, aut præter simplicem tuniculam, unde mediâ quoque gravissimâ hyeme cooperiretur, qui sibi talis erat qualem nobis futurum existimatis.

Quæsitus interea nuntius qui de his malis relationem ferret Metis, electus ad hoc & compulsus multis Fratrum sumptibus, timens mihi sicut & postea graviter sensi accidisse, quantum ex relicto Prioratu invidiæ & odii Herimannitarum crediderim mihi minui posse, quod tantum contraherem, si non amplius ex hac suscipiendâ legatione; parvi tamen, pretiosiorem mihi non faciens animam meam, quàm Ecclesiæ utilitatem; sed propter Herimannitarum insidias non ausus publicam viam Metis transire, junxi me exercitui Episcopi Coloniensis FRIDERICI, & Ducis Lovanii GODEFRIDI, & Lomensis Comitis Arnulfi, duorum, ut putabam, si non ampliùs millium militum tendentium ad Imperatorem ad urbem Virdunum. Habuimus igitur iter de Leodio Hoyum, & de Hoyo per Hasflangiam & Villantiam, inde per Castellum Innis, sicque per aliud Castellum pervenimus tandem Virdunum. JESU bone, quanta in illo itinere sustinuerimus, quomodo referre? Dum putarem nos nocte debere per villas hospitari, subitò vix octavâ adhuc horâ diei laxabant equos suos scutiferi & militum nonnulli, & tota simul duarum vel trium villularum ædificia rapientes, grandemque & parvam materiem caudis equorum suorum ligantes, per viridaria secùs fluenta aliqua quasi domicilia inde sub horulâ unâ sibi & equis suis ædificabant, secum bipennes aliaque ferramenta ad tale opus portantes, necnon & falces, quibus interea pars alia herbam ad opus equorum metebant. Dum autem in papilionibus suis magnis & operosis statim erectis, quasi in domo propriâ habitabant, deducentes se spatiosè usque ad vesperum, aut per viridaria secùs fluenta, aut secùs saltuum virgulta, variè volucrum modulis voluptuoseque resultantia.

At ego quid facerem Monachus, & unum tantùm habens famulum? Si ad villas tenderem, aut exercitu eas diripiente jam villæ non erant, hominibus omnibus de eis per sylvas latitantibus, aut si qua juxtà remanserant, nihil tutum me posse in eâ servare nocte illâ certum habebam; hinc à rusticis spoliatis, & nocte explorare venientibus exercitum de sylvarum latibulis, hinc à comitibus quoque nostris sua sibi invicem diripientibus. Si autem per spatiosa pratorum viridaria inter exercitum remanerem, ut taceam de domiciliis & casulis quas & si scirem, non habebam tamen unde ædificarem, aut mihi aut equis meis, victum quem mecum non portabam, nesciebam ubi emere, neque pabulum ad opus equorum. Famulum autem meum à me separare non audebam, quia solus remanens, cui me de exercitu conjungerem æquè omnibus ignotus, nesciebam. Tandem me & mea Deo & beato Trudoni committens, exiens exercitum, ibi juxtà villulam semirutam à comitibus meis transivi, nullum virum in eâ inveniens, nisi tantùm feminas propter timorem exercitûs, quæ videntes me Monachum irruebant in occursum meum certantes invicem, quæ illarum prima me posset habere nocte illâ ad hospitium suum, ut meâ præsentiâ defenderetur de rapinâ inimicissimorum scutiferorum. Cumque ad unam declinassem, cujus domus munitior mihi parietibus videbatur: statim omnes mulierculæ cum pueris suis & infantibus de totâ villâ illâ relictis domibus suis ad hospitium meum ululantes confugerunt, porcellos, gallinasque suas & gallos, & cætera parva animalia sua secum trahentes, & inter domum & horreum hospitæ me concludentes. Caseos autem & lac & panem, qualem habebant avenacium, & mihi & famulo meo gratis ingerebant ad comedendum, necnon & fœnum & annonam gratis nihilominùs omnia hæc ad pabulum equorum. Sed gratias Deo, nihil gratis ab illis accepi, & Deo me meritis sancti Trudonis protegente, non solùm nihil eâ nocte perdidi, verùm quidquid pavidæ mulierculæ ad hospitium meum contraxerant, mane exercitu discedente sine aliquo damno receperunt. Mansi penè totâ illâ nocte insomnis, maximè ut est pavida natura muliercularum, me ibi trepidare facientium ubi non erat timor.

Sequenti die summo diluculo movente se exercitu, salutatis meis mulierculis surrexi, adjungens me nostro comitatui, sed pro præteritæ diei fatigatione & nocte insomni, totâ die illâ sub gravissimo solis ardore eram æstuans & anhelans, & super equum toto itinere diei illius somnolento capite, & quasi fracto collo nutabundus equitans; eâ tamen die emens mihi & famulo meo bipennulam, necnon & falcem, cœpimus amodo de casulis & hospitiolis nostris metante exercitu sicut & alii facere, magistrâ nobis necessitate, præterquàm quòd rapinâ & domorum confractione abstinebamus, concisisque viminibus & lignis grandiusculis, casulas nobis & equis nostris conficiebamus, præsepia & aliqua obumbratoria. Fœtor enim fimi equorum & hominum non longè à nobis ad secessum declinantium, penè me quotidie enecabat, crebrò pungens ad vomitum: tùm grandium die muscarum densissima infestatio, & nocte dormire volenti tenuè sibilantium, & usque ad effusionem sanguinis amarè crebroque mordentium, malarum pulicum importuna nimis infestatio.

Tandem emenso itinere per decem fermè dies, quod tamen poteramus per quinque suaviter fecisse, Virdunum venimus, Imperatorem ibi quia necdum venerat, exspectantes. Audiens autem quòd Episcopus Metensis hospitaretur ad unam villam juxtà Virdunum nomine Dongei, illuc ad eum transivi, dans ei ibi litteras Fratrum nostrorum, & vivâ voce supplens ei querimoniam & petitionem eorum. Ipse verò respondere mihi Metis distulit, consilio majorum suorum acturus de hac re ibi; sed cum aliquamdiù apud eum manerem, ô quantas sustinui ibi controversias & contradictiones à quibusdam Herimannitis. Erat enim ibi Comes HENRICUS de Lemburg cum Episcopo, & ad eum miserant Herimannitæ Presbyterum quemdam nostrum verbosissimè contentiosissimum nomine Hezelonem de villâ Mergueles, ut ibi nuntiaret mortuum esse domnum Abbatem Theodericum, & admoneret eum juvare apud Episcopum de Abbatiâ Herimannum. Qualem ibi frequenter simul conflictum ante & retrò habuimus, quàm vix evasi insidias ejus tensas mihi inter Dongei & Virdunum, dum pro hac necessitate penè quotidie equitarem ad Episcopum. Villa autem hæc, scilicet Dongei, quæ versùs austrum Virduno milliario parvo adjacet, sicut à Metensibus & indigenis tunc ibi didici, una fuit ex illis quas dominus noster sanctus Trudo cum cætero allodio suo beato Proto-Martyri Stephano in pueritiâ suâ Metis tradidit: quæ ad mensam Episcoporum Metensium usque ad tempus Episcopii Theoderici permansit, qui Cœnobium Monachorum sub titulo sancti Vincentii Martyris Metis ædificans, Fratribus Deo & sancto Vincentio inibi famulantibus ad stipendium proprium in perpetuum tradidit. Sed cum Deo me protegente nihil mali mihi ibi fa-

cere potuissent, tractabant quomodo in reditu meo insidiis me exciperent, aut turpiter me dehonestarent, aut crudeliter interficerent. Sed commissus ab Episcopo Priori de sancto Clemente Azelino nomine, qui postea exstitit Abbas Gorges; habebat enim secum tunc eum tamquam virum sapientem & religiosum Monachum; Metis cum eo transivi, exspectans ibi apud illum aliquando Episcopum. Qui cum venisset consultus signatas mihi dedit duas litteras, unam ad Fratres, aliam ad Herimannum ferendas, mandavitque Fratribus citò se velle venire ad eos, ut præsens præsentibus consilio eorum terminaret longum contentionis funem inter eos & Herimannum. Litteræ autem ad Fratres habebant ut nullius timore frangerentur à justitiâ & veritate; quia vim nullam de Herimanno vellet eis facere. Ad Herimannum verò ita erant modificatæ, ut duplici sensu possent intelligi ab Herimanno de assentiente sibi Episcopo, à Fratribus de contradicente illi. Hæc ambiguitas idcircò facta erat, ut dum vanâ spe illuderetur Herimannus ante adventum Episcopi, qui quotidie exspectabatur, nullum per satellites suos inquietaret de Fratribus sibi assentire nolentibus, & Fratres non frangerentur territi de dubio sibi animo Episcopi.

His acceptis litteris, & in pacis osculo ab Episcopo dimissus, viâ qua veneram non audebam, neque sciebam reverti, publicamque nihilominùs viam metuens ob insidias Herimannitarum quas mihi densissimas tetenderant. Igitur ducente me nuntio boni Alzelini transivi per castellum Briei, nocte illâ habens hospitium apud religiosissimos Canonicos in sylva juxtà nomen loci Monasterio S. Petri noviter incœpto ab illis ædificari. Facto die, scilicet Ascensionis Domini, similiter accepto ab illis conductu veni ad castellum Cuns, ubi erat cellula Fratrum de Monasterio S. Huberti, & apud eos nocte illâ mansi. Tertiâ verò die perveni ad S. Hubertum per viam longissimam, & vastâ solitudine horribilissimam, penè solis ardore cerebrum concrematus, & quibusdam ante quasi dentatis, aliis verò sine dubio amarè nimis retrò aculeatis equorum meorum carnibus gravissimè concisis, & sanguine eorum penè exhausto, qui amarissimarum punctionum suarum, & sævissimorum morsuum agitatione tantùm hac illacque præ angustiâ subtùs me totâ die illâ dissilierant, ut vix me jam possent portare, & ampliùs quàm lentum passum incedere. Væ terræ illi, cui Deus tam pessimorum monstrorum maledictione maledixit. Quartâ die ducente me quodam Clerico, qui non minùs captivitatem metuebat quàm ego, nescio quæ devia per altissimorum montium juga saxosa, per densium vallium concava palustria, miserabiliter totâ die illâ enervati nos & equi nostri fuimus, semper aures attonitas ad omnem cujuslibet rei strepitum attollentes ne fortè caperemur, aut familiari loco illi latronum excursu dormientibus nobis equi nostri tollerentur. Quintâ die illucescente locum execrantes effugimus, Clerico viam suam tenente, me aliam. Habent Cluniacenses Cellulam in sylvâ inter Hoyum & Leodium, ubi dicitur ad S. Symphorianum, ad eam cum venissem humanissimè ab illis susceptus sum nocte illâ.

Sextâ die pervenimus Leodium apud piissimum & religiosissimum Abbatem de S. Jacobo domnum Stephanum, ubi in securo jam positus cœpi tandem gravissimè sentire quid doloris contraxissem de longâ itineris difficultate. Jesu bone, redde animæ meæ compassionis humilitatem, quam ibi infirmitati meæ exhibuit. Quàm benigno vultu, quàm largâ manu, quàm consolatorio alloquio! Jam dudum præstolabantur ibi quidam de Fratribus nostris reditum meum, pro timore volentes me avertere ut ad claustrum tunc temporis non redirem, quoniam totâ obstinatione conjurassent in me Herimannitæ, & jussu domini sui homines Comitis Gisleberti summopere quærerent me dehonestare. Fateor territus aliquantulum, modicum anceps hæsi, sed resumptâ mihi constantiâ, etsi ad claustrum non transirem gravissimo considerato Ecclesiæ damno, mirâ arte, bonâ tamen effeci ut placarem mihi uxorem Comitis Gisleberti, quæ maximè incitabat dominum suum & suos in auxilium Herimanni, à quâ facillimè obtinui, ut de Leodio ad claustrum nostrum pacificum conductum mihi daret, & Herimanno suisque præciperet, ut in nullo mihi molesti essent. Suspenderam enim animum ejus quòd forsitan Herimanno concordaret, si secundùm misericordes litteras Episcopi quas illi afferebam, consilio meo acquiescere vellet. Quod illa libentissimè de ore meo suscepit, & quidquid volui de pace meâ ab illa tunc impetravi. Reverâ autem non mentiebar ei, quia si Herimannus vellet consilio meo acquiescere secundùm litteras Episcopi, quas apportabam illi, quæ, ut dixi, duplici sensu poterant intelligi, in hoc quod concordaret ei, ut ab Ecclesiâ nostrâ recederet, & Abbatem canonicè nos habere permitteret. Ego autem dummodo sanus possem intrare claustrum, non multum postea timebam Herimannum. Sic simplicitate monachichâ delusa est mulieris astutia.

Tendens igitur audaci fronte & nudo capite ad claustrum, stupori eram omnibus incurrentibus mihi per viam, maximè qui me transeunte in medio oppidi nostri stabant; rarus enim erat incola nostri territorii qui ignoraret de coanimatâ eorum obstinatione in periculum mei capitis; sed Comitissæ nemo eorum contradicere audebat. Fratres autem viso me in medio claustri præter spem, cum magno stupore & ingenti lætitiâ me circumsedebant, tamquam redivivum de sepulcro, aut depensum à patibulo, & redditum vivum Conventui nostro; labores itineris mei cùm eis referrem, pectora sua percutiebant, & quòd saltem vivum recepissent Deo gratias agebant. Interea Episcopus Leodiensis Monasterium nostrum & foris Ecclesias in banno posuerat, quamdiù Herimannus in Abbatia moraretur. Paulo post Fratribus tradidi litteras legendas Metensis Episcopi, quomodo deberent intelligi aliæ missæ Herimanno exposui illis secundùm sensum Metensis Episcopi, unde fortissimè in suam sententiam contrà illum sunt animati. Suscipiens autem Herimannus de manu meâ missas ab Episcopo litteras, nullumque alium in eis sensum inveniens nisi qui ei placebat, familiaribus suis ostendit, addens etiam illis, quia Episcopus ei mandaret cum veniret, quòd de me pacem ei faceret, si nos concordare non posset. Quæ spes licet inanis, tamen eos interim mitigabat, ne furorem quem malignâ mente in nos conceperant, maligniori opere exercerent. Acta sunt hæc in mense Maio.

Mense autem Julio quartâ hebdomadâ venit Episcopus Metensis Leodium, tendens ad locum nostrum, cui occurrentes Fratres nostri deprecabantur eum primùm omnium precum humillimarum humilitate, ut non audiret contrà eos fautores Herimanni; deinde constanter affirmabant illi quia si contrà Ecclesiasticas regulas vim eis inferre moliretur, etiam usque Romam non vererentur eum appellare. Episcopus autem promittebat illis se nihil de Herimanno facturum quod non esset canonicum. Sed fautores Herimanni circumvenientes consiliarios & collaterales Episcopi incredibilibus promissis, modo fidem spondendo, modo jurejurando in tantum sibi eos inclinaverunt, ut de Leodio ubi venerat, bonâ spe redire ad locum nostrum facerent Herimannum.

Præcessit Episcopus, lentè subsequutus est Herimannus. Episcopum venientem cum obviâ processione suscepissemus, præcantabamus ei cum multis lacrymis & singultibus illud responsorium: *Aspice, Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis.* Et aliud: *Recordare, Domine, testamenti tui, & dic Angelo percutienti: cesset jam manus tua.* Deinde introducto Capitulum nostrum, lecta est ei & suis Clericis illa lamentabilis Hieremiæ lectio: *Recordare, Domine, quid acciderit nobis: intuere & respice opprobrium nostrum.* Ubi cum ventum fuisset ad illud versiculum: *Pupilli facti sumus absque patre: matres nostræ quasi viduæ. Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies:* Lector primùm tantis increpuit singultibus, & profusus est in lacrymas, ut vox deesset legere inantea volenti, & visus præ inundantiâ lacrymarum obtenebraretur ante se aspicienti. Deinde totus Conventus in idipsum flebiliter incitatus, omnes Episcopales eâ horâ ad pietatem & miserationem super nos inflexit: sed citò ab cordibus eorum miseratio illa & pietas evanuit. Inde tamen surgens Episcopus humanis nos consolatus verbis, bonâ spe eventum rei modicum sustinere præcepit. Silvimus scilicet.

2. Reg. 24. 16.

Thren. 5. 1.

Ibid. 3.

Fautores, imò venatores Herimanni iterum atque iterum nocte & die collaterales & consiliarios Episcopi, quin certè etiam vilissimos quosque de curiâ ejus maximis promissis, & quæ vix aliquis sperare poterat sollicitantes, satagebant summopere ut sibi animum Episcopi inclinarent, quod & factum est. Habebat enim Herimannus nepotem quemdam Gualterum nomine de Harchs, liberum quidem hominem, & plurima in feudis & prædiis possidentem. Huic non erat curæ quid promitteret, quid persolveret, quid juraret, quid pejeraret, sua multa bona in vadio ponens pro argento dando, pro equis & palefridis, pelliciis & pellibus grisiis & variis, cæterisque vestibus, dummodo Herimannus Abbas statueretur. Cæteri nihilominùs ejus complices nullo modo attendebant quantum inde fidem mentirentur, quantum pejerarent, dummodo illum nobis nolentibus intruderent. Summa tandem persoluti argenti supputata est nobis fuisse usque ad sexaginta marcas & aliquid ampliùs, & equorum & palefridorum usque ad quadraginta duo: sic erat tunc fama, quin imò infamia, sibi imputetur non mihi, si sit mentita. Sed nos ea quæ vidimus & præsentes audivimus, veraciter referre possumus, quia ante Cellam Abbatis in quâ Episcopus hospitabatur, & per totam Curiam magnus quotidie venientium & abeuntium equorum discursus, & clamor hominum vendentium aut ementium eos habebatur, qui dabantur à fautoribus & amicis Herimanni consiliariis & collateralibus Episcopi. Herimannus verò in spicario nostro morabatur, parvo satis spatio distante à Cellâ, in quâ Episcopus hospitabatur, ita ut intercurrentes nuntii manifestissimè ad eum ingrederentur, & de quantitate & qualitate sui turpissimi mercimonii ante eum tractarent.

Hæc dum agerentur, nos interea gravissimâ victûs & vestitûs necessitate afficiebamur, in tantum ut præsente Episcopo & tyrannisante Herimanno die solemnitatis sancti Petri Apostoli Calendas Augusti, & in Inventione beati Proto-martyris Stephani patroni & domini nostri, nihil omninò quod comederemus & biberemus, invenissemus ad mensam nostram, & cæteras perplurimas necessitates pateremur, quas hîc enarrare longum esset. Quid moror? Graviter corrupti, & facti turpiter abominabiles in studiis pessimæ hujus simoniæ omnes qui tunc aderant Episcopales, maximè verò & ardentiùs Clerici subtilissimâ examinatione, & astutissimâ pertractione quærebant quomodo nobis deceptis Herimannum intruderent, ut sic promissa sibi acciperent, aut accepta deservirent, aut si nos astu decipere, neque vi aut ratione possent frangere, quomodo tanta eis promissa, aut jam data illuso Herimanno retinerent, qui frequentissimè nobiscum inde agebant: & cum neque superare, neque astu possent decipere, malignis verbis & minis quampluribus afficiebant.

Ne tamen omnes lateat quæ nobis proponebant, & quid nos eis respondebamus, paucis hîc annotare curavimus. Aiebant cum Poppo, qui Herimanno Metis in Episcopatu canonicè successit, Herimanno huic Abbatiam dederit, quomodo audetis dono ejus contradicere, qui canonicus fuit Episcopus? Quibus Fratres: Popponem Metensem post Herimannum canonicum Episcopum fuisse non negamus, sed Herimannum canonicum donum ab eo non accepisse, his rationibus usque ad majorem audientiam approbare parati sumus. Primò, quia scientiâ tam divinâ quàm honore & nomine Abbatis sit indignus. Secundò, quia defuncto Abbate suo, Fratribus ei reclamantibus per vim & pecuniam, & per laïcalem manum Ducis Godefridi, ad quem nihil pertinebat neque de spirituali, neque de temporali dono Abbatiæ nostræ, prælationem super nos accipere præsumsit, & homines Ecclesiæ nostræ per sacramentum & hominium sibi mancipare. Tertiò, quia bona Ecclesiæ distraxit, familiam afflixit, nos victûs & vestitûs egestate cruciavit. Quartò, quia sine omnium consensu Fratrum & electione Metis profectus est, & donum illud quod accepit à Poppone, præsentibus ibi Fratribus nostris, & vivâ voce ei contradicentibus, diemque & audientiam petentibus, tamen accipere præsumserit. Insuper cum ibi Fratres impræsentiarum habuissent litteras Leodiensis Episcopi, & alias, scilicet ejusdem Ecclesiæ, necnon & Trevirensis Archiepiscopi Magistri Metensis, quæ donum illi contradicebant cum Fratribus nostris. Quintò, quòd etiam illud donum per pecuniam obtinuerit, & quòd contradicentes ei Fratres spoliari & flagellari gravissimè fecerit. Sextò, quòd cum necdum Monachus sit, scilicet cum ad nullius unquam Ecclesiæ titulum adhuc professionem fecerit, neque benedictionem Monachi susceperit, Abbas esse & benedici in Abbatem non potuerit, qui necdum est benedictus in Monachum. Et quomodo Monachis benedictionem monachalem dabit, qui eam necdum professus est? Septimò, quòd pro his culpis cum semel atque iterum, necnon & tertiò canonicè ad audientiam vocatus fuerit, & venire noluerit; quòd inde excommunicatus usque ad eam diem adhuc exstiterit: quæ si ita esse nollent credere, dies daretur & audientia nobis & illi, si se posset excusare ab his, non contradiceretur ei.

Talia cum à nobis Metenses audirens, nesciebant quid certi nobis respondere possent: attamen aviditas ardentissima gravissimæ eis promissæ aut jam solutæ pecuniæ urgebat eos in omnes anfractus ire. Quid tandem? ipsemet Episcopus Adalbero in Capitulum nostrum venit, si fortè vel ejus præsentiâ frangi posset Fratrum constantia; sed cum non posset, saltem loco Abbatis suadebat nobis tamdiù illum nobiscum pati, donec discuteretur nobis præsentibus Metis de his suis culpis. Fratres verò de discutionis illius die omninò acclamabant, sed quòd ante discutionem in loco Abbatis, aut etiam Fratris inter eos stare deberet, nullo modo pati volebant: maximè cum Ecclesia Leodiensis in tantum pro excommunicato eum haberet, ut divinum Ecclesiæ nostræ officium interdixisset quamdiù intrà a-

trium & curiam nostram esset; communicareque ei non audebant, cui non communicaret Leodiensis Ecclesia, quoniam de ejus curâ & communione erant. Sub hac dissensione die illâ Capitulum nostrum solutum est, muneratis ab Herimanno id ægrè ferentibus, munerandisque multò ægriùs. Consolatum tamen eum & suos sicut invenerant, reliquerunt; tollentesque secum grandem quam ab eo acceperant pecuniam, & magnum equorum numerum, pellesque & pellicias tam varias quàm grisias, Metis recesserunt. Episcopo autem recedente, factus est apud nos error novissimus pejor priore, efferatis crudelissimè omnibus Herimannitis in nostram tribulationem, fame, siti, nuditate, tamen de Ordine, quantum unquam sustinere poterat humana fragilitas secundùm mala quæ accidebant; nihil voluntariè prætermittebant. Versum est autem in me solum majus pondus istorum malorum, & in me succensi fervebant ardentissimè animi omnium Herimannitarum. Putabant enim se potuisse prævalere, si solus cessissem, cum licet per me plurimum, non tamen per me solum totum fieret quod prævalere non poterant.

Comitissa verò GERTRUDIS tandem sentiens quia ei arte illusissem, iratum in me maritum suum GISLEBERTUM vehementiùs indignatione femineâ cœpit accendere, ita ut etiam intrà parietes dissipati Claustri nostri non auderem me credere, infraque ipsum Monasterium timerem capi plerumque. Quod vitæ meæ periculum cum diutiùs sustinere non possem, tacitè egi per Comitem ARNULFUM Lovaniensem, ut me suo conductu sanum de Claustro nostro educeret, animamque meam de medio catulorum leonum eriperet. Eduxit igitur me quarto Calendas Septembris tristem vehementissimè, qui locum assuetum mihi relinquerem, & ad juvenes in quos erudiendos multum desudaveram, ad omnemque congregationem in quâ plurimùm laboraveram, non ultrà redeundi spem haberem. Erat enim multo major, quàm hodie quisque existimare possit, loci desolatio, & Fratrum tribulatio; cum Herimannus usurpatâ sibi totâ Abbatiâ, homo sine consilio & absque prudentiâ, per pessimos nebulones, & mendacissimos & levissimos homines omnia ageret, patrocinantibus ejus violentiæ penè omnibus qui defendere deberent Ecclesiæ nostræ justitiam. Unde laboris mei pro eo loco, & multarum angustiarum quas frequentissimè sub domno Abbate Theoderico sustinueram, multum me modo pigebat, in tenerrimo flore relinquens pede superborum & luto miserrimæ conversationis eorum imprimendum, quod putaveram me perducere posse ad maturum piæ operationis fructum. Flebam igitur amarissimè discedens, nullamque longo subsequentis temporis spatio consolationem recipiens: nec multum moratus contuli me ad sanctum Laurentium Leodii, sub magisterio sapientis viri Abbatis Berengarii. Ibi infrà tertiam hebdomadam Septembris firmavi stabilitatem meam. Gratias illis quia omni humanitate, & majori quàm dignus essem honore consolari satagebant Fratres multo studio recentis doloris mei ægritudinem.

Interea nec Herimannus ab obstinatione invictus, nec Fratres quamvis ejus infestatione, aut suâ penuriâ removeri poterant à suâ constantiâ, tamdiù inter utrosque protractus est miserabilis contentionis hujus funis, donec Imperator Leodium reverteretur de sua in Flandriam profectione, scilicet eodem anno mediante mense Decembris. Ibi igitur proclamantibus Fratribus Imperatori coram Episcopis & Principibus qui cum eo erant, quòd contrà sanctorum Patrum instituta & Canonum decreta Herimannum violenter vellet præesse, cum olim culpâ exigente ejectus excommunicatusque fuisset ab eorum Ecclesiâ & prælatione judicio majorum Leodiensis Ecclesiæ; Imperator jussit Herimannum & Fratres sequenti die adesse, ut coram Leodiensi Ecclesiâ intelligeret, si ita esset de eo, sicut Fratres ei conquererentur. Nam fautores Herimanni notum fecerant ei, quòd præjudicium passus fuisset, & quòd non canonicè sed obstinatè Fratres eum abjicerent. Die igitur datâ hujus indagandæ veritatis, sedit Imperator in Capitulo S. Lamberti cum Episcopis suis & Principibus, sedit & Episcopus Leodiensis OLBERTUS cum Archidiaconibus & Præpositis, Decanis, Cantoribus, Scholasticis & multo alio Clero sederunt, & Abbates de civitate, Abbas S. Laurentii BERENGARIUS, & Abbas S. Jacobi STEPHANUS. Intravit autem Capitulum & Herimannus multâ vi & ingenio ad hoc ut ante veniret compulsus: aderant & Fratres. Ibi si adesses, posses vidisse quàm parvi homo erat consilii, quàm inverecundi animi, quàm hebetis ingenii. Nam inter cætera eo usque perduxerant eum sui consiliarii, qui tunc procul valde ab eo erant, quod in ipsa hyeme vix habebat, unde vel frigus à se grosso aliquo tegumento propelleret in medio tanti Conventûs, necessitate urentis eum frigoris super tunicellam suam indutus vilissimam capulam cum quâ equitabat. Tum surgens in conspectu omnium Episcopus OLBERTUS narravit per ordinem, quomodo judicio suæ Ecclesiæ actum esset olim de Herimanno, & quæ ratio esset, quòd non liceret eum esse ampliùs Abbatem S. Trudonis; & quòd ejusdem culpæ obstinatione & frequentissimâ iteratione usque ad ipsam diem teneretur sub suâ excommunicatione. Qui cum perorasset, Abbates & Archidiaconos, & omnem suum qui ibi aderat Clerum per obedientiam admonuit, si ita res esset acta de Herimanno olim, quam eodem tramite repetentes eodem fine concluserunt.

Tunc Imperator dixit ad Herimannum: Frater, si habes aliquid adversùm hoc dicere, exi, consule, revertere, & responde. Sedebat juxtà Imperatorem fautor Herimanni potentissimè tunc temporis famosus, & famosissimè potens in Curiâ Imperatoris ADELBERTUS, postea, ut dixi, factus Moguntinus Archiepiscopus, confusus nimiùm, quia cum vellet, contrà varietatem non poterat juvare eum. Rogabat autem Herimannus aliquos de Archidiaconibus & de Clero, ut exirent ad consilium ejus. Sed nullus cum excommunicato homine exire volebat. Tunc de Principibus nomine Guibertus & Rabodonensis Episcopus dixerunt ad Archidiaconos & Clerum S. Lamberti: Benè decet vos exire cum excommunicato homine ad consilium, ut consulatis ei, quatenùs cesset ab eâ re pro quâ tenetur excommunicatus. Quod audientes quidam exierunt, & aliquamdiù habito foris cum hebete & obstinato homine conflictu, ad hoc tandem perduxerunt, ut reingressus in medio omnium se peccasse, se errasse fateretur, & toto corpore prostratus absolutionem deprecaretur, promittens se ampliùs talia nolle committere: ubi & absolutus est & jussus abire; quem statim omnes satellites ejus non modo reliquerunt, verùm præcurrentes ad hospitium ejus, nec equum, nec quidquam sicut stabat & ambulabat, reliquerunt. Quidam autem Canonicorum S. Petri Leodii solum eum jam vesperascente invenit stantem ante capellam S. Trudonis ibidem Leodii mœrentem, & & quò declinaret prorsus nescientem: quem nocte illa ducens ad hospitium suum mane juvit transire Mosam in sylvam ad S. Symphorianum Cellam Cluniacensium. Fratres autem nostri cum lætitiâ magna reversi sunt ad Claustrum suum. Sic agunt Laici

erga stultos & nimium sibi credulos Monachos, ad talem honorem perducunt honoris cupidos, sed honoris indignos.

Imperator inde abiens habuit curiam suam Aquisgrani in Natale Domini, ad quam cum audissent Fratres nostri quòd Episcop. Metensis adesset, venerunt ibi ad eum, sua mala quæ passi fuerant omnia ei imputantes, quoniam tyranni illius violenciâ opprimere eos passus fuisset: qui suspensos eos de die in diem reddens de dando illis Abbate, tamdiù distulit nullo Fratrum nostrorum quidpiam ei pro Abbatia promittente, donec cum eis ad Claustrum nostrum reverteretur. Tandem verò sentiens non bonam famam ubique volitare de se, pro eo quod nobis de Herimanno fecerat, Leodienses verò necnon & Metensium meliores non sine nota simoniæ afflictionem Ecclesiæ nostræ manifestiùs imputare, secretum cum suis iniit consilium, ut pro hac exstinguendâ infamiâ ipsemet iret Leodium, Fratresque nostros meliores secum duceret, & ibi Abbatum primorum Ecclesiæ consilio de præficiendo Fratribus nostris Abbate ageretur: quod & ita fecit.

Quartâ igitur hebdomadâ Januarii venit Leodium, & ad electionem Fratrum nostrorum, qui ibi aderant, Prioris scilicet Guederici, & Præpositi Morungi, Sacristæque Siberti, & Cantoris Cellerariique Folrardi, consilio Abbatum & Monachorum, necnon & majorum Clericorum Leodiensium, primis qui aderant, tam Clericis quàm laïcis in idipsum acclamantibus, necnon & melioribus de familiâ nostræ Ecclesiæ, præfecit eis Abbatem (cujus nomen non est meum hîc ponere) contradicente huic electioni multâ animadversione Advocato nostro Comite Gisleberto. Sed Fratres, & maximè homines nostræ Ecclesiæ maximâ constantiâ & libertate coram Metensibus & Leodiensibus pronuntiabant nihil omninò ad Advocatum pertinere de tali re; quòd si Episcopus hanc libertatem Ecclesiæ vellet infringere, nullus eorum omninò interesset novæ & inauditæ illis hactenùs præsumptioni & violentiæ. Vicit Fratrum hominumque Ecclesiæ constantissima acclamatio, & in novum Abbatem, & ei familiariùs adhærentes succensa est quasi fornax vehementissima Advocati ira & indignatio.

Acta sunt hæc Leodii in domo S. Trudonis, scilicet quòd Abbas iste positus fuit III. Calend. Februarii. Quarto verò Nonas Februarii, hoc est die Purificationis B. MARIÆ oppidum & Monasterium S. Trudonis intravit, susceptus cum processione Fratrum, & multâ multitudine utriusque sexûs, & diversæ ætatis oppidanorum, statimque indutus candelas benedixit, processionem cum aliis egit, Missamque cantavit. Septimo autem Calendas Martii consecratus est in Abbatem, quæ fuit eo anno prima dies scilicet Domica Quadragesimæ, quando
1108. cantatur: *Invocavit me:* anno millesimo centesimo octavo, regnante Romæ Imperatore quinto HENRICO, cujus pater Leodii defunctus est: præsidente Romæ in Papatu PASCHALI post Urbanum, Metis ADELBERONE quarto post Popponem, Coloniæ FREDERICO post Herimannum, Leodii OLBERTO post Henricum. Quod autem consecratio Abbatis tamdiù dilata fuit, fecit hoc Advocatus tunc noster Comes GISLEBERTUS, qui quocumque modo per se, per amicos suos adversabatur ei, tum causâ Herimanni quem sicut priùs juverat, ita & tunc quoque juvare adhuc de Abbatiâ volebat; tum quia acerrimum sibi eum fore metuebat, si libertatem Ecclesiæ nostræ infringere propter advocatiam suam ullo modo unquam attentaret. Neque enim adhuc pax fuit de Herimanno, adhuc restat inde dicenda gravis inquietatio, quam illi scribendam servamus, qui gesta hujus Abbatis post domnum Theodericum assumet sibi scribenda. Qui si fidelis diligensque relator exstiterit, inseret gestis hujus Abbatis quid Herimannus ei fecerit, & qualem novissimum finem habuerit.

LIBER OCTAVUS.

Obiit domnus Abbas THEODERICUS septimo Calendas Maii anno 1107. Fuit autem Abbatia sine Abbate usque III. Calend. Februarii propter supradictas dissensiones, volentibus Herimannitis suum intrudere Herimannum, Fratribus verò volentibus habere canonicè electum. Tandem igitur post indicibiles labores suos & miras angustias, prævaluit Fratrum canonica unanimitas, unanimisque constantia, & III. Calendas Februarii substitutus est Abbas RODULFUS ordine quo superiore libro tacito nomine descriptum est de illo; quarto autem Nonas Februarii intravit, scilicet die Purificationis Sanctæ MARIÆ: septimo verò Cal. Martii consecratus fuit.

Fuit iste RODULFUS natus de villâ, quæ sita est super Sambriam fluvium nomine Monasterium, ubi habetur Abbatia sacrarum Monialium nigras vestes ferentium, locusque est in honore S. Petri Apostoli constructus à S. Amando Episcopo, ubi requiescit S. Fredegandus gloriosus, & virtutibus probatissimus Confessor. Parentes quidem ejus plebei sed christianissimi de ejusdem Ecclesiæ familiâ, hospitalitati pauperum & refectioni eorum infatigabili studio servientes; & conjugalem vitam sine crimine, & absque notâ aliquâ christianitatis suæ ducentes. Sub scholari disciplinâ & studio litterarum Leodii positus, usque ad XVIII. ætatis suæ annos ibi mansit; ubi quantum metro & prosâ profecerit ex scriptis ejus & opusculis, quæ postea fecit, planè intelligi poterit. Jamque factus Subdiaconus libertatem eundi quò vellet adeptus, amore cujusdam Clerici sodalis sui nomine Lamberti, qui confessus ei fuerat, quia Porceti vellet Monachus fieri, quod etiam dudum Deo & Sanctis loci illius voverat, tamen gratiâ videndi loca calidis aquis de terrâ emanantibus famosa, cum illo Porcetum quod est juxtà palatium Aquisgrani transivit: nihil tamen minùs fuerat ei tunc in voluntate quàm fieri Monachum. At cum nocte de more Monachorum vitæ Patrum legerentur ad collationes Fratrum, abscondebat se in operto ibi juxtà posito locello, unde audire totum & intelligere poterat quod legebatur. Neque hoc faciebat adhuc studio tantum ædificandi, quantum audiendi miracula vitæ simplium virorum, de quibus ibi legebatur, & novo auditorio styli simplicioris: cumque frequentiùs ardentiusque non tam styli rusticitati, quàm mirabilibus dictis & factis simplicium sanctissimorumque Patrum, de quibus ibi legebatur, attenderet, cœpit ei vehementer vilescere præsentis vitæ miseria, & nihilominùs accendi ad contemptum sæculi, atque illud in corde suo hac illacque versare continua noctis in stratu suo meditatione. Quid plura? Intrà paucos dies in tantum coaluit lactea potatio illarum collationum in corde ejus, ut non solùm titubantem aliquantulum sodalem suum de mutando habitu exhortatione suâ firmaret, verùm ipse unâ eâdemque die mutaret decimo octavo anno ætatis suæ.

Radulfi Abbatis nativum solum.

Die igitur Conversionis sancti Pauli uterque habitum mutavit, monachicumque professi sunt in loco qui dicitur Porcetum juxtà Palatium Aquisgrani in Monasterio sancti Joannis Baptistæ sub AZELINO Abbate. Sed cum auditâ Regulâ videret Fratres eam

in perpaucis observare, cœpit religiosa Coloniensis Episcopii Cœnobia frequenter circuire, interdumque ibi & menses & dimidium annum facere, maximè apud religiosum & pium Abbatem ADELBERONEM Gladebacensem, qui primus & noviter tenebat ibi ordinem Sigebergentium nominatissimorum tunc temporis Monachorum in ordine, religione, hospitalitate. Quorum disciplinam quo ardentiori animo ebibebat, eo fastidiosior loci sui dissolutionem, & sæcularitatem nimiam abhorrebat.

Mortuo interea Abbate Azelino, cujus nimia simplicitas & gravis senectus, & ordinem & temporale bonum nimis defluere nescientis melius dimiserat; successit Joannes Custos & Decanus ejusdem Cœnobii senex multum, & in nullo prorsùs valens ad tale ministerium; nam Fratres secundùm quod erant personam sibi idoneam elegerant. Tunc videns Rodulfus quia multiplicata essent mala & dissolutio roborata, secundùm quod rem veracissimè intelligebat futuram, desperans de loci & Ordinis emendatione, acceptâ licentiâ recessit, tendens iter in Flandriam, ubi audierat duci religiosam Monachorum vitam. Gladebac autem ubi sæpè moratus fuerat idcircò ire noluit, quia sentiebat ut postea evenit, si Abbas loci illius Adelbero moreretur, quòd cum eo corrueret Ordo Sigebergensis noviter ibi introductus. Multas autem & gravissimas frequenter injurias priùs in Porceto sustinuerat, cùm primùm positus Custos & scholaris Magister Puerorum, inde Cellerarius, deinde minor atque major Præpositus de emendandâ Religione contenderet, penè quotidie ipse & sodalis suus cum quo Monachus factus fuerat, Fratribus eis convitiosè multum atque injuriosè resistentibus, cum parvum aut nullum haberent ab Abbate inde auxilium.

Defatigatus igitur multum, ut dixi, desperansque de loci emendatione, recessit tandem tendens in Flandriam. Contigit autem eum habere transitum per sanctum Trudonem, & nocte illâ hospitio eum recepisse domnum Abbatem Theodericum, qui interrogans eum quis & unde esset, quoque qualique mente proficisceretur: cum bonum ejus propositum intellexisset, formosumque & pulchrè litteratum juvenem illum attenderet, cœpit sagacissimè satagere quomodo eum sibi retineret, utilem sibi eum fore credens, primùm ad instruendos sibi disciplinâ & doctrinâ pueros suos, deinde ad promovendum in aliquod si ita fortè accideret, ut accidit, ecclesiasticum intùs aut foris ministerium. Cui cum persuasisset demorandi secum voluntatem gratiosi oris facundiâ, primum ei scholares pueros scholaribus disciplinis instruendos commisit, quasdamque utilissimas compilationes plenas plurimarum divinarum Sententiarum scribendas, & multorum decreta Conciliorum. Scripsit igitur ei eodem primo anno volumen illud utilissimum, multum continens Scripturæ: & Pueros vix musam declinare sciolos non tam dictamen, quàm metrum quoque componere docuit. Gravissimum autem sustinuit laborem ad introducendos eos, cum ipse loqui eis theutonicam nesciret, & quidam Puerorum parvitate adhuc scientiæ, & nativâ illis linguâ theutonicâ neque latinè, neque, ut ita dicam, wallonicè possent eum intelligere. Vicit tamen labor improbus omnia vincens, & eodem anno fecit eos litteratè facillimè intelligere quidquid volebat eis legere. Instruxit etiam eos arte musicâ secundùm Guidonem, & primus illam in Claustrum nostrum introduxit; stupentibusque Senioribus faciebat illos solo visu subitò cantare tacitâ arte magistrâ, quod nunquam auditu didicerant.

Miserrima tunc adhuc, ut superioribus libris relatum est, & lamentanda habebatur loci facies, Fratribus prorsùs non habentibus neque Claustrum neque Monasterium, sed nudam & discissam atque horribilem templi vastitatem, & in Claustro domum unam tantùm imperfectam & incultam, in cujus dimidietate reficiebant, & in alterâ dormiebant. Fratres autem qui tunc habebantur isti sunt: Primus demùm Abbas Theodericus: 2. Bozo Decanus, quia sic tunc in illo veteri Ordine appellabatur, qui modo in isto Prior vocatur: 3. Stephelinus: 4. Herimannus cognomento calvus, de quibus aliquid superiùs dictum est: 5. Sibertus: 6. Eugo: 7. Morungus: 8. Folrardus: 9. Bovo: 10. Reizelinus. Pueri de scholis Gislebertus, Gerardus, Thidelinus, Balduinus, quatuor hi tantùm hospites qui paulo post recesserunt.

Itaque post duos fermè annos Bozo qui tunc erat Decanus, moritur, & Rodulfus ad illud ministerium ad omnibus Fratribus electus in loco ejus substituitur: qui statim accingens se ad emendationem Ordinis, quotidie in Capitulo & extrà Capitulum conferebat cum Senioribus, qualis & quomodo antiquitùs Ordo in Monasterio, priori & Claustro adhuc stante teneretur: quibus consuetudines plenas honestissimæ gravitatis & religionis antiquæ Monasterii illi demonstrantibus, suadebat illis benignâ arte, mollique & paulatim procedente informabat vestigio ut attentarent eas posse recipere, & antiquam inustæ illis infamiæ rubiginem sic aliquando vel tandem abradere. Ipse autem nocte & die assiduus erat omnibus horis in choro, & de Psalmis tractim cantandis, & cantu dulce æquè modulando indefessa illi sollicitudo. Sed cum nesciret secundùm usum Claustri cantare (usus enim cantandi, nescimus unde hoc acciderit, nulli comprovincialium nostrorum convenit) erubesceretque vehementissimè, quasi stipem inutilem inter cantandum in choro stare: miro quidem & indicibili labore, & gravissimâ capitis sui infirmitate Graduale unum propriâ manu formavit, purgavit, punxit, sulcavit, scripsit, illuminavit, musiceque notavit syllabatim, ut ita dicam, totum usum priùs à Senioribus secundùm antiqua eorum Gradualia discutiens. Sed cum usus eorum per quamplurima loca propter vitiosam abusionem & corruptionem cantûs, nullo modo ad certam regulam posset trahere, & secundùm artem non posset notare nisi quod regulari & verisonâ constaret ratione, ipse autem ab usu Ecclesiæ non facilè vellet dissonare, miro, ut dixi, indicibilique labore in hoc tantùm se frustrà afflixit, quòd ex toto usum mendacem regulâ verâ tenere non potuit; sed in hoc profecit quòd quidquid alicubi in monochordo cantari potuit de usu Ecclesiæ, non prætermisit se prætereire. Multa tamen propter negligentiorem suam perficiendi operis velocitatem, quæ per graviores litteras notari debuerant, per acutas sive per superacutas notavit, & quæ per acutas sive per superacutas, per graviores quod incorrectum reliquit aliâ sollicitudine intercurrente. Consummavit autem uno anno opus illud propriâ, ut dixi, manu de omnibus parvis & magnis quæ pertinere videntur ad Graduale, cum Antiphonis Rogationum, & benedictione cerei in Pascha. Statimque pueri & juvenes magisterium ejus & libri exemplar sequentes, non solùm artem illam cœperunt addiscere, verùm emendatiùs & accuratiùs libros suos post illum notare. Quod postquàm vidit, petebat ut suus tolleretur de medio, ne propter ejus inemendationem, & festinantis manus incuratam scripturam & notam, esset ei in posterum confusio. Sed pueri & juvenes qui ex illo introducti fuerant, magistri amore monimentum illius leviter deperire non sinebant.

Scripsit igitur in posteriori parte voluminis inter duas asellas, ita Graduale non tam regulare quàm usuale, postremò neque usuale neque regulare, ut ostenderet quia licet ita notasset, non tamen ignoraret quid erroris haberet, cùm regulam propter usum, & usum propter regulam tenere ibi non posset, & cum propter festinationem interdum de regulâ præterisset, ubi eam tenere attentus potuisset.

Abbas autem THEODERICUS videns studium ejus & fervorem in religione, ferventissimè super eo gloriabundus lætabatur, & ad voluntatem ejus omnia quæ erant Claustri sinebat libenter disponi. Sed ille affligebatur quàm maximè, & pene continuè à quibusdam inquietis Monachis, quos propter paucitatem Fratrum nostrorum Abbas Theodericus permittebat nobiscum hospitari de aliis Claustris, cum eos compelleret nobiscum sub regulâ & disciplinâ vivere, quam illi aut in Cœnobiis suis non didicerant, aut exosam habentes effugerant. Ille autem aiebat, malle se cum paucis religiosè vivere, quàm cum multis irreligiosè. Tenebatur tunc quoque abusio quædam vestimentorum apud nos non antiquâ sanctione, sed nonnullâ præsumtione, scilicet quòd tunicæ Fratrum non erant sine capitiis sicut modo sunt, sed ita habebant à se capitia, sicut à cucullis pendentia. Quod si quando tunicas induerent, sine cucullis ibant, & quando cucullas portabant, tunicas nunquam induebant, propter singula, ut dixi, capitia à singulis vestibus fixe dependentia: & quia talis abusio ab illis tantùm tenebatur qui irreligiositate nobiles habiti, sæculares quoque Monachi appellabantur, dolebat multùm Rodulfus hac notâ se & Fratres suos teneri, quod absque aliquâ corporis afflictione poterat emendari. Contrà quam abusionem immutandam maximè repugnebant superiùs dicti hospites Monachi, & alios hortabantur artificiosâ adulatione ut non acquiescerent juvenili Rodulfi insolentiæ, maximè cum nunquam debuissent eum aliunde accitum sibi præfecisse: sed Rodulfus prudenti astu bonoque ingenio malam eorum frustratus est suggestionem.

Nam veniens ad unum de senioribus Fratrum nomine Stepelinum, interrogavit eum, quot anni haberentur, ex quo puer Claustrum nostrum priùs intrasset, qui cum respondisset pene lxxx. quærenti illi ita ab eo subjunxit quoque se in pueritia suâ Seniores in Claustro nostro vidisse, qui non minoris, quinimò majoris ætatis exstiterunt quàm esset ipse. Sed cum Senior ille interrogaret, cur tam diligenter hoc quæreret, adjunxit: Quoniam, inquit, Pater vellem scire, si de tam longo tempore centum scilicet sexaginta annorum, de quibus tu potes meminisse, sive relatu eorum quos vidisti octogenarios, sive visu tuo cum sis ipse octogenarius in Claustro isto hodie, si unquam ullo modo potes invenisse hanc consuetudinem ab antiquo in Ecclesiâ nostrâ fuisse, ut Fratres non haberent capitia à tunicis suis dependentiâ, sicut non habent hodie alia Cœnobia religiosè circà viventia. Cui Senior: Certissimus, inquit, sum, & relatu Seniorum meorum, & visu proprio quòd à cucullis tantùm penderent eorum capitia, sed invalescente sub Abbate Adelardo secundo juvenum indisciplinatione & insolentiâ, præsumsisse eos hoc novissimo tempore hanc abusionem, ut ad utrasque vestes capitia fixa ferrent, Seniores tamen semper tenuisse primam & antiquam consuetudinem. Cui Rodulfus: Igitur cum ita sit Pater ut asseris, quare transgredimur illum qui sanctorum & antiquorum Patrum in hoc quoque nostro Cœnobio usus fuit olim communis omnibus, nunc quoque circà nos religiosis Monachis pudor est relicto Religiosorum usu, & antiquâ Cœnobii nostri consuetudine mutari novam stultorum & indisciplinatorum juvenum præsumtionem, hac tantillâ cultûs corporis nostri immutatione notabiles haberi circumquaque apud religiosos de irreligiositate.

His aliisque facundi oris persuasionibus conciliatis firmatisque sibi Seniorum animis, Abbati tandem rem eamdem suggessit, facilemque deinde obtinuit ut unusquisque Fratrum nostrorum capitium à tunicâ suâ deponeret, Abbate primùm deponente suum; sed unus quem de Sigebergensium Cœnobio abjectum domnus Abbas Theodericus firmâta sibi stabilitate susceperat, propter nostrorum ut dixi suprà paucitatem, huic decreto obstinatissimè contradicebat, Priore Rodulfo sæpe eum admonente, atque per obedientiam præcipiente, ut capitium sibi à tunicâ deponi sineret, cum à puero inter Sigebergenses illud ita semper portasset, & nos secundùm antiquam consuetudinem idem modo facere videret. Prior autem videns duræ mentis illius obstinationem, pendentem à lecto ejus tunicam die quâdam accepit, & mittens eam consutoribus, fecit inde capitium honestè deponi, & ad modum aliorum Fratrum aptè formari. At ille cum die quâdam Dominicâ extractâ de more cucullâ ad Primam vellet ire, indutus tunicâ capitium non invenit, torvoque vultu seipsum circumspectum irridens, sine cucullâ in solâ decapitiatâ tunicâ chorum intravit, totâ illâ Primâ spectaculum se præbens Fratribus fronte impudenti. Sed quid? ventum est ad Capitulum, vindicatumque est in illud regulariter impudentis hominis tale spectaculum, jussumque Capitulum statim exire, & pendentem à lecto ejus cucullam sub tunicâ induere, vellet nollet fecit eum domnus Abbas Theodericus secundùm alios indutum incedere. Sed culpis culpas quotidie superaccumulans cum esset incorrigibilis, ejectus est tandem à Claustro, permissus quò vellet irrevocabiliter abire. Cæteri verò Fratres proficiebant quotidie meliùs & meliùs in Ordine, Priore ad hoc totum studium suum impendente, neque deficiente unquam sive hac sive aliâ aliquâ contumelia, aut cujusvis procuratione.

Sed & aliam quamdam pravam consuetudinem, quæ malè apud nos insolentiâ nihilominùs dissolutorum juvenum diù inoleverat, prorsùs cessare fecit, neque tantùm inter nos, sed etiam ferè prorsùs inter laicos nostros. Nam diebus Rogationum cum antiquo more primâ die Septembris [a] processio nostra venisset, perplurima pars Fratrum prece vel mercede equis sibi conductis ibi statim ascendebant, & Brusteniam ante processionem equitantes indeque ad Claustrum cum levibus oppidanorum juvenibus per campos ante faciem totius populi modo quantâ agilitate poterant equos suos laxabant, modo subitâ retentione hac illacque gyrabant perticis intentis nunc hos nunc illos fugantes seu fugientes. Quod totis tribus diebus Rogationum non cessabant facere, secundâ die Falunam, tertiâ Mergueles pergente processione: unde hoc singulis illis diebus eveniebat, ut quidquid ad mensam Fratres habere debuerant piscium aut placentarum, illis darent qui sibi equos præstiterant, præter paucissimos qui prece sine mercede noluerant sibi conducere, aut non potuerant: quin etiam scholares pueri hac pravissimâ consuetudine tenebantur illecti. Fratres autem quos aut voluntas aut necessitas pedites ire & redire faciebat, populo cito vestigio equitantes se-

a *Septembris*] Locus mendosus; sed quâ ratione restitui queat nescio, nisi quod loci alicujus nomen hic reponi debere satis constat.

quent

quente domum, gravissima affligebat defatigatio, tum ex longo itinere, tum ex inassuetâ & citâ ambulatione.

Itaque dies Rogationum & Latiniarum supplicationes erant apud nos quasi militantium excursiones, & mollium juvenum lasciviæ circumvelitationes. Quã detestabilem abusionem Prior exhorrescens Rodulfus, cum aliis ascendentibus offertur ei ad equitandum equus, aiebat non decere neque laïcorum neque Monachorum regulam, nulliusque prorsùs Christiani etiam ut in equo pœnitentiam ageret & supplicationem, & hoc prætendere exspoliatorum sibi pedum nuditatem atque jejunium; & quòd cooperto capite supplicationes Sanctorum recitatis eorum nominibus frequentarent, quia & aliis quæ ad hoc pertinere videntur, rationibus primùm persuasit domno Abbati Theoderico, deinde cæteris Fratribus, ut tandem cessaret illa equitatio, & quæ fiebat pro equitatione indecens Monachorum dissolutio, & præbendæ eorum damnosa eleemosynæ distractio, cui suppeterent de Fratribus vires, iret; cui non, in Claustro maneret, sicque abbreviaretur via, ut euntes nimiæ defatigationis nulla afficeret molestia. Itaque cessare cœpit sub prioratu ejus illa ad Rogationes equitatio, cessavitque toto vitæ illius tempore, tantumque populo cœpit placere, ut paulatim inducerentur penè omnes similiter loqui & facere.

Quid dicam de diebus solemnibus festivitatum sanctorum Trudonis & Eucherii, atque S. Remigii? Quidam Clericorum nostrorum ex familiaritate quâ scholaribus aliis in Claustro nostro cum pueris nostris, pueri quoque ipsi nutriti fuerant, alii quoque nonnulli ex religiositate suâ apud antiquiores nobis olim jamdiuque multum obtinuerant, ut supradictis solemnitatibus chorum nostrum annuatim ad majorem Missam cum reverentiâ intrarent, induti albis sicut & Fratres nostri, & si qui fortè eorum vocales essent, tropos qui tunc temporis apud nos cantabantur, aut Graduale sive *Alleluia* cantarent, atque cum omni honestate diebus ipsis ad mensam Fratrum in refectorio cum eis reficerent, indeque surgentes cantando altis vocibus; quod ad festum pertineret, Fratres *Miserere mei Deus* cantantes ad Ecclesiam procederent. Sed usus qui ex charitate & religione pium videtur habuisse initium, procedente tempore paulatim cœpit transverti in superstitionem & vitium. Nam cum illis tantùm priùs permitteretur de quibus & sicut diximus, in hanc tandem evaserat superstitio præsumptivam abusionem, ut quiscumque Presbyterorum ex agris ad nundinas magis quàm ad solemnitatem diebus illis convenirent, indifferenter in chorum nostrum inter Fratres intrarent, ad majorem Missam sine omni reverentiâ ruerent, nonnulli vestibus laïcorum fissisque ante & retrò turpiter induti, paucissimi saltem nigris cappis & absque albis & superpelliciis: tùm quod contrarium est tam nostro Ordini, quàm ipsis quoque religiosis laïcis, quin imò omnibus ritè Christianis, inter agenda Christi mysteriorum secreta duo vel tres de ipsis Clericis circumsedebant in ipso choro, unum aut duos de Fratribus nostris, aut singuli singulos circumveniebant, & verbis otiosis risuque & jocis reliquum Missæ sic pariter peragebant.

Ubi autem per plurimas intolerandasque indisciplinationes ad refectorium ventum fuisset, tantus inter reficiendum fiebat ibi strepitus diversorum, & etiam ignotorum Presbyterorum & Clericorum clamor & fabulatio, ut vix audiri posset vox licet altisona legentis in eminentiori loco; & quo productior erat refectio, eo major accrescebat vino incitante inquietatio, tantusque erat eorum numerus; passim namque quicumque volebat ingrediebatur, ut constitutis ad serviendum illis Fratribus vix de nobis quinque aut sex remanerent, qui ad mensam reficerent. Quanta die illâ expenderet Præpositus, quin imò quanta illi distraherentur, nec ratione, nec numero poterat comprendere. Quid, nihil ordinis & disciplinationis, quin potiùs quantum dissolutionis, & periculi animarum diebus illis apud nos haberetur, honestius existimo reticere quàm loqui. Surgentibus autem à mensâ Fratribus, & nonnullis ineptorum inverecundorumque Clericorum, quæcumque occurrerent manibus suis inde diripientibus, statim non minor ad ministros consedebat populus, scilicet quicumque in curti nostrâ de aliquo officio intromittere se per totum annum videbatur: strepituum, sumptuum nec modus, nec ratio ibi tenebatur.

Talia primo & secundo prioratûs sui anno videns, atque gravissimè inde ingemiscens Rodulfus, multis & exquisitis modis & frequentibus in tantam indisciplinationem exaggerationibus satagebat, quamplurimùm verò apud Abbatem Theodericum, ut pravus iste usus & damnosus Ecclesiæ, aut ad priorum temporum modum reduceretur, aut penitùs destrueretur. Abbas licet absque magnâ commotione hoc fieri non posse videret, tamen bonæ Prioris intentioni non satisfacere inutile Ordini fore & Ecclesiæ suæ videbat. Annuâ igitur revolutione festis redeuntibus dictum est Clericis ut absque religiosâ veste chorum nostrum nullus eorum intraret, sed qui Missæ majori interesse vellent, in cancello, cum esset spatiosum, circà Abbatem starent, cum reverentiâ tamen & silentio, ut benè conveniebat festo & tanto mysterio. Quòd si quis eorum aut albâ vellet indui, aut superpellicium haberet, post Fratres ultimus in nostro Choro staret, sub reverentiâ nihilominùs & silentio: post Missam domus esset eis extrà refectorium parata, in quâ ministraretur eis non minori quàm cum Fratribus abundantiâ; non enim Fratres ferre poterant, neque decebat eorum ordinem, ut tantam haberent & in choro, & in refectorio suo indisciplinationem & inquietudinem. At illi omnes graviter commoti, & indignationis iræque plenitudine rationem non admittentes penitùs recesserunt, & nisi prior eis abusio permitteretur, nihil aliud facere voluerunt. Sicque forsitan ita Deo volente factum est, ut morbus ille diù apud nos inveteratus tandem deficeret. Sed & Laïci qui in refectorio ad ministros solebant diebus illis comedere, ad domum illam compulsi licet multum inviti reficere, providentibus eis Præposito & Cellerario quæque habituri erant in refectorio. Res verò talis multum odium & persequutionem longo tempore tam de Laïcis quàm de Clericis Priori comparavit, semper festis istis diebus convenientibus apud nundinas Presbyteris morbum istum recommoventibus.

Neque illud tacere habeo, si defuncto alicui apud nos Missa generaliter celebraretur, Frater noster, ille videlicet qui Missam cantabat, totam oblationem habebat, & tamquam propriam sibi rem vendicans, nihil inde ad communitatem aliorum redundabat. Et quoniam secundùm Apostolum, avaritia est idolorum servitus, & secundùm B. Benedicti Regulam *nihil proprium debet habere Monachus*: Prior Rodulfus huic occurrens vitio, de medio nostrûm summo illud labore tulit, statuens præsidente Abbate commune esse omnibus fratribus tam parvis quàm magnis quidquid eis, quandocumque vel ubicumque offerretur: interposito, quòd si frater cui oblatio fieret aliquâ reculâ sibi necessariâ indigeret, provideretur & à Priore ex eâdem oblatione sive corrigia sive cultellus, sive lineus sub capite & scapulis Cap. 33.

ejus pannus, aut tale aliquid mediocris pretii. Quidquid aliter inde agatur, sciant posteri nostri ita fuisse statutum, Fratremque qui die illâ Missam cantaverit, liberè posse sibi exigere, per manum tamen illud totum Prioris, si quid ei defuerit de minoribus sibi necessariis. Nos enim huic statuto præsentes interfuimus, & exigi & dari frequenter vidimus sicut hîc scribimus. Quod autem postea immutatum est, & pars ad coopperturam plumbi, & pars ad utensilia circà altaria Custodi data est, non ideo factum est, ut sic ampliùs permaneret, sed quamdiù Abbati & Fratribus placeret.

Et quoniam duæ partes loci illius qui Claustrum apud nos debebat fieri, sæpe humillimâ & aridâ semirutâque cingebatur, & sine aliquâ tecturâ erat, ad Orientem scilicet & ad Aquilonem, parsque Occidentalis licet domus esset lapidea, nihil tamen ante parietem haberet, quod Fratres ad ejus officinas intrantes à pluviâ & luto defenderet, sed patentibus undique aditibus nihil aut parum fuerat quod Laicos, interdum etiam & mulieres transitum habere per locum Conventûs Fratrum prohiberet: satagebat multâ anxietate, benignâque & prudenti arte, toto studio, multoque labore apud Officiatos, maximè apud Folradum fratrem nostrum, qui secundus tunc post Abbatem in omnibus nostris temporalibus habebatur, ut ædificarentur aliquæ domus, quæ Claustrum nostrum firmarent, & transitum publicum per medium Fratrum prohiberent. Nec frustrata est eum pia intentio, inque brevi tempore ædificio ligneo clausa est pars Orientalis, quæ cum domus perfecta fuisset, ante composito sub tecturâ deambulatorio partem sui capitolium nobis aptum præstitit, partem dormitorium. Similiter à mediâ ferè parte Conventûs usque ad duas partes domûs illius quæ Occidentalis erat, coopertum deambulatorium est, ut per tres partes Claustri, Orientalis scilicet, Australis, Occidentalis coopertura factâ honestè posset incedi, sola pars Aquilonaris sepe adhuc tenebatur, & posticio claudebatur.

Cumque hac conclusione & Fratres arceret ab egressu Claustri præter eos quibus hoc solum licebat, & utrumque sexum ab ingressu, unamque ipse inde ferret clavim, Cellerarius aliam; Comitissæ advocatricis nostræ Gertrudis, quæ apud nos in Claustro nostro requiescit, gravissimam inde iram & indignationem incurrit, cum solito more nequiret habere transitum per medium Claustrum nostrum & Conventum Fratrum. Incitabant autem eam vehementissimè in eum multi Clericorum nostrorum & Laicorum, maximè famuli de curti nostrâ, qui se conquerebantur odiosè à solito transitu Claustri & familiaritate fratrum arceri. Verùm ille licet terribiles in eum detonarent minæ, penetrantiaque etiam durissima hominum corda, undique verborum manifesta volarent, tamen imperterritus, irreflexusque manebat, solum hoc metuens ne de emendando ordine & Claustro minùs ei ad votum succederet. Ut igitur secundùm ordinem Fratres haberent unde in Claustro ad sedendum & legendum atque cantandum, tenendumque silentium faciliùs retinerentur, armarium in Claustro primus ipse fecit ex obedientiâ fieri, librosque in eo ad numerum Fratrum reponi.

Interea rarò unquam ipse cessabat, quin semper aut scriberet aut notaret, interdum quoque modulatis delectabatur carminibus; & de solemnitatibus Sanctorum compositis cantibus exstat volumen opusculorum ejus, in cujus præfatione invenitur quid scripserit, quid modulatus fuerit, & cur & quando. Exstat & aliud volumen septem librorum ejus, quos contrà Simoniacos scripsit, quatuor ratione ac tribus agens auctoribus. Paucis referre non possem quantum laboraverit causâ Abbatis Theoderici, quàm fideliter, quàm constanter, in quot & in quibus locis, & coram quibus pro eo adstiterit, cum magnæ & primæ regnorum personæ vellent eum de Abbatiâ ejicere, & supradictum Herimannum intrudere, de quibus superiùs partem aliquam tetigimus.

Postquàm ista & nonnulla bona & mala, prospera pauca & adversa multa per aliquot annos Prioratûs sui apud nos sunt gesta, audivit Rodulfus usus Cluniacensium apud sanctum Jacobum Leodii teneri, introductos per Abbatem Stephanum dictum etiam Stephelinum, quos paulo post Abbas sancti Laurentii Berengarius susceperat: unde eos omnium Religiosorum ora magnificabant, & frequenti hospitio aut colloquio reverentiùs quàm prioribus annis dignabantur. Præterea de sæculo tam Clerici quàm laïci plures ad eos convertebantur, & invalescente religione augebatur & numerus Fratrum & fructus Ecclesiæ. Jamque Rodulfus videns tempus adesse quo desiderium suum posset adimplere de meliorandis usibus, & tenendâ apud nos religione, quocumque modo poterat ad hoc nocte dieque apud Abbatem Theodericum laborabat quatenùs eum ad hoc accenderet, ut post istos duos Abbates tertius eosdem in Claustrum nostrum usus introduceret. Decere enim eum aiebat cum non minoris esset scientiæ & gloriæ in sæculo quàm illi, & locus noster antiquioris & famosioris esset nominis, ut in religione & spiritualibus non obscurior apud homines, neque indignior apud Deum inveniretur. Sed cum perturbantibus hanc molitionem ejus quibusdam Fratribus, rem ad effectum perducere non posset, acceptâ licentiâ à loco nostro ad suum sine spe reditionis transiit, ut disposito ibi itinere suo inde transiret, quò districtiùs ordinem teneri audisset. Mox aliqui Fratrum necnon & famulorum nostrorum occultè aperteque exultantes, ex votoque sibi accidisse gaudentes, quia ad voluntatem suam modo liberiùs possent facere, non multo post intellexerunt ex comparatione positi alterius Prioris, quantum iste præstaret eis consilii, auxilii & honoris.

Pœnitentes igitur quamplurimùm, post paucos menses simulatâ aliâ re quidam eum revocaverunt, sub præsentiâ & assensu Abbatis Theoderici firmantes ei si rediret, & Prioratum suum reciperet, quod infrà annum illum usus Cluniacenses in Claustrum nostrum introducerent. Vix tandem obtinuerunt. Qui igitur parum ante festivitatem Nativitatis S. Joannis discesserat, in Adventu Domini statim post festivitatem sancti Andreæ Apostoli rediit. Prioratu igitur suo ei reddito, captatoque loco in tempore oportuno, atque domni Abbatis & Fratrum hilaritate fidem promissi modo seriò, modo jocosè reposcebat, remque bonam non diù quin fieret esse differendam aiebat.

Miris igitur laboribus & frequentibus Leodium itineribus, concitato sibi multorum inde Clericorum & laïcorum aliquorumque Fratrum nostrorum maximo odio, tandem effecit, ut eodem anno Calendas Maii, quæ fuit feria sexta in capite jejunii, introducerentur usus Cluniacensium in Claustrum nostrum tenendi; quibus introductis cum vehementissimè ferverent in eis, & ultra quàm quisque speraret Fratres nostri, paulo post heu! heu! domnus Abbas Theodericus obiit Calendas Maii. Quæ autem postea sequuta sunt usque dum Abbatiam intraret, & quomodo introierit, puto quod satis inde scriptor præcedentis historiæ præloquutus sit,

Theodericus Abbas ob.

ad illum recurrat quisquis hoc diligentius scire desiderat. Postquàm autem Abbas constitutus est, de Ordine tenendo omnimodis satagebat, amator illius & amatorum ejus, atque in tantum (rem quam certissimè scio fidelissimè referam, ecce coram Deo quia non mentior) quòd nullus Fratrum tam carnaliter tamque spiritualiter poterat ei esse familiaris, quem perfectò unquam corde diligeret, nisi diligentem Ordinem nostrum cognosceret, & fidelem de rebus Ecclesiæ sibi commissis probasset. E converso nullus Fratrum poterat esse rarus accessu ad eum, qui etiam palam aut occultè de dictis, factis; vitâque ejus si eum mordaciter (ut plerumque solet) reprehenderet, dummodo aliquando cessaret, & diligentem eum ordinem aspiceret, & fidelem in rebus Ecclesiæ illi commissis, quin facillimè hos aliosque ei lapsus, etiam graves indulgeret. Quid tibi vis ampliùs dicam? breviùs & veriùs quàm potero hoc tibi sub testimonio Christi dicam, quòd nulla res eum Fratrem sibi commendare poterat, quem dilectio Ordinis & fidelitas rerum Ecclesiæ sibi commissarum non commendabat. Non ætas, non familiaritas, non timor, non consanguinitas, non scientia, non pulchritudo, non generositas, non aliqua etiam magna utilitas, propter quæ duo apud eum poterant in quocumque invenirentur, & apud eum nihil aut minimum poterant apud quoscumque non haberentur, frustrà quivis aliter laboraret, aut ista habendo gratus illi, aut non habendo ingratus existeret.

Præcipuè detestabat hoc vitium, & ad exterminandum illud quâcumque virtute poterat, per se & per illud sibi referentes laborabat, ut nullus Fratrum de substantiâ in refectorio sibi statutâ aliquid quoque distraheret, sed per manus Eleemosynarii quod ori ejus superesset, pauperibus erogari fineret. Quoscumque autem Fratrum laïcorum videbat amicitias & confabulationes, & has illasque vanas gloriolas procliviùs appetere, aut nunquam aut invitus illos volebat ad aliquam obedientiam promovere, neque eos quos intelligebat quocumque modo illam vel illam obedientiam ambire, & quos noverat inhiare ut possent clanculò aliquid dare & accipere. Quibus non erat grata ante obedientiam hominum gratia, & qui æquo animo, simplicique tantùm contenti erant Claustri substantiâ, illis dicebat danda Claustri ministeria. Quos sibi laudabant sæculi homines de obtentâ apud eos familiaritate & frequenti colloqutione, & si quid unquam habere possent de benevolâ eorum dapsilitate, eos judicabat indignos Claustrum, vel quoquam ire: quorum barbariem & silentium, & quia nihil eis darent, aut ab eis acciperent, reprehendebant, quâquâ vellent ire securiùs eos sinebat. Silentium inter Monachos tanto extollebat præconio, ut diceret nunquam tam perfectos & electos Monachos simul esse posse, qui ordinem & disciplinam valerent absque silentii virtute tenere. Superbâ subjectorum rigiditate nunquam frangi poterat, humilitate quamvis multum læsus, citiùs etiam vincebatur quàm & ipsi interdum expediret. His aliisque bonarum virtutum studiis, hinc ipsius sollicito curante magisterio, hinc discipulorum pio obedientiæ obsequio, cœpit in brevi longè lateque diffundi dulce flagrans unguentum boni de loco nostro nominis, fœdaque cicatrix vultûs nostri de opprobrio præteritæ indisciplinationis paulatim curata detergi manu piæ moderationis, hospitalitas lætè supervenientibus exhiberi, maximeque obsequutoribus nostri Ordinis; refectio pauperum post mensam Fratrum non negligenter provideri.

Sed quia exterioris sæculi bona ad hoc aliaque nostro Ordini multùm sunt necessaria, primumque regnum Dei quærentibus necessaria, deinde secundum Dei promissionem sunt ista adjicienda, cœpit se totâ vigilantiâ & labore accingere ut non modo quæ salva invenerat de bonis Ecclesiæ conservaret, verùm quæ dispersa fuerant congregaret. Primâ igitur die quâ homines Ecclesiæ debebant ei fidelitatem & hominium facere, Præpositum Ecclesiæ & Cellerarium, quosdamque de Senioribus juxtà se in Cellâ suâ fecit sedere, ut nullius manus neque fidelitatem reciperet, quem Fratres de præbendâ suâ injustè aliquid tenere quererentur. Quæ res multas ei peperit inimicitias, quas tamen sine gravi damno evasit, usus postremo consilio necessariæ in omni re discretionis. Ut autem sciant posteri ejus, & scientes magis solliciti inde reddantur, quantâ sollicitudine & timore, quantoque studio & labore servavit professionem pro posse & nosse, quam teste Ecclesiâ ante altare coram stolato Episcopo, stolati & ipsi ut in consecrationibus suis facere solent, tam Abbates quàm Episcopi; finem hujus octavi libri hîc facere decrevi, & nonum ab eâ Epistolâ incipere, quam scripsit ad Metensem Episcopum Stephanum, loci nostri tunc temporis dominum.



LIBER NONUS.

VENERANDO atque reverendo sanctæ Metensis Ecclesiæ Episcopo STEPHANO, RODULFUS Dei sanctique Trudonis id quod, salutem animæ & corporis. Diebus prælationis meæ vigesimo octavo anno, millesimo centesimo octavo Incarnat. Domini usque ad millesimum centesimum trigesimum sextum, qui tunc agebatur quando scribebam. Quæ nostræ Ecclesiæ, videlicet S. Trudonis, in Hasbaniâ accreverint sive per meum laborem de perditis recuperata, sive de non habitis acquisita, sive per meum nostrorumque studium de nullis aut parvis redditibus ad aliquos & majores fructus instaurata, & quæ pro animabus fidelium pauci pauca in possessionibus tradiderunt, fideliter hîc annotare curavi. Quòd si quid in hac annotatione excessu memoriæ exciderit, aut spes peritura adhuc necdum protulerit, cum illud meminero, & istud evenerit, huic aliquando subjiciam operi. Testem interim conscientiæ meæ habeam Deum, quia hoc non facio, ut inaniter videar gloriari secundùm homines, & non secundùm Deum de rebus, quarum tenuitas, etsi gloriari vellem, magis afferre potest mihi confusionem quàm gloriam. Sed ut posteri mei desidiam, & prælationis meæ inutile spatium erubescentes, accingant se fortiùs & utiliùs non solùm ad servandas has & alias res Ecclesiæ quas invenerint, sed ad multiplicandas suis laboribus & meritis: quamquam qui tempestates maris quo jactatus sum & adhuc jactor, cognoverit, magis admirari possit aliquid interim esse servatum quàm acquisitum; quæ quoniam aliàs pleniùs descripsi, iterare hîc supersedi. Et hæc etiam nihilominùs idcirco facio, ut sub impetrandâ negligentiæ meæ veniâ, hoc quoque à clementiâ tuâ obtineam, quatenùs vestrâ auctoritate & sigillo firmetur, ut nullus prædecessorum meorum prioribus erroribus ampliùs ea involvat quæ absolvi, sed fixa permaneant ut institui; quòd si præsumptum fuerit, irritum fiat; & banno vestro & omnium successorum vestrorum subjaceat. Non enim parvo rerum familiarium dispendio ea obtinui, interdum cum vitæ quoque meæ periculo vix evaserim, & in perpetuum odium eorum usque hodie sim, qui ea se amisisse dolent quamvis injustè tenuerunt.

Epistola Rodulfi Abbatis, qui regimen suscepit anno 1108. Isthæc verò hîc exarata scripsit anno 1036.

INCIPIT TEXTUS.

IGitur post obitum Adelardi II. tanta mala apprehenderunt Ecclesiam nostram, & multis annis tenuerunt, quanta non sunt audita in quovis loco ab illo famosissimo Hierosolymorum excidio. Evenerunt ea propter dissensiones de Abbatiâ nostrâ inter Monachos & Episcopos, Metensem videlicet HERIMANNUM & Leodiensem HENRICUM, dum Monachi extrudere niterentur intrusum Episcoporum Abbatem per violentiam, & stabilire suum suppositum per simoniam, sic primum secundus, & secundum extrudit primus, tertius inter utrosque irrepit, quartus tertii labores invadere & locum occupare præsumit: quorum nomina sunt hæc sunt: LANZO, LUIPO, HERIMANNUS, & item HERIMANNUS; inter quos decem & septem annis miserrimè decertatum est, atque sic ut infrà annos tredecim fierent commutationes alio moriente, alio alium ejiciente. Sub istis totum oppidum nostrum unâ die redactum est in favillam, effuso in eo cruentissimè multorum hominum sanguine: vixque duo anni præterierunt ex quo Monasterium quoque nostrum novum & mirifici operis, & Claustrum cum omnibus appenditiis suis funditùs igne cremata interierunt. Turris quæ sola supererat de incendio facta est latrocinantium hominum munitio; thesaurus, qualem nostræ similis nulla habebat Ecclesia, irrecuperabiliter distractus periit, Monachi omnes, prorsùs inquam omnes dispersi per diversas regiones, solùm in loco vastatio & horribilis solitudo.

Hac tempestuosâ tempestate contigit Ecclesiam nostram de Alburg decidisse in potestatem Episcopi Trajectensis CONRADI; & longâ loci nostri miseriâ in jus Ecclesiæ ipsius transisse lege synodali & judicio canonico; propter quam liberandam, sed nec sic liberatam distractus fuit calix aureus Ecclesiæ nostræ, cujus pretii pars, scilicet sexaginta marcæ data est Episcopo Conrado, ut restitueretur Ecclesia juri nostro; quod superfuit pretii perfidè distraxerunt in hoc negotio perfidi quidam Presbyteri nostri. Episcopus acceptâ pecuniâ nudo tantùm verbo non auctoritate canonicâ mandavit nostris ut reciperent sua, non quidem malitiosè sed minùs cautè; & factum est ita. Subsequutus est Episcopum Conradum BURCHARDUS Episcopus, qui occasionem recipiens, eo quod legibus synodalibus non esset liberè nobis restituta Ecclesia, mancipavit eam suis usibus synodali judicio; sicque eam tenuit usque ad adventum meum in Abbatiam meam, ad quam liberandam profectus sum eo anno quo intravi in Abbatiam, ulteriùs Trajectum in sancti Joannis festivitate, & per auxilium Dei & Advocati nostri Comitis de Holant FLORENTII, judicio Ecclesiastico liberam nobis restitutam Ecclesiam retulimus domum, chartâ de hoc factâ & Episcopi Burchardi signo sigillatâ.

Eodem anno Ecclesia, & alia quæ Alburg habemus bona valuerunt nobis domi absolutè viginti quatuor marcas argenti. Quanto labore, quantâ sollicitudine, quantis expensis per tres hebdomadas integras finem hujus rei effecerim, longum esset referre, cum prædivitem Comitem & gravissimum pinguedine oportuit me funibus argenteis de Hollant Trajectum trahere, ipsiusque Episcopi rigidam cervicem ejus metalli malleo mihi inclinare, necnon & Archidiaconum reacquisitæ Ecclesiæ. In ejusdem villæ villicatione homo quidam Gualdo nomine erat, qui quinque solidos denariorum de Tyele dicebat se habere in beneficio de Abbate; falsum erat, & convictus recognovit eos coram Paribus Ecclesiæ ad præbendam Fratrum, quos de terrâ suâ debebat. Pro simili mendacio quidam Franco nomine de Dourch convictus legibus & judicio, quatuor solidos de denariis Andeguerp duobus denariis minùs amisit, & eos quinquaginta præbendæ Fratrum restitui. In villâ Hylselâ villicus tantum sibi de censu furtim usurpaverat, quid ad nostros usus retractus sex solidos facit. In eâdem villâ decimam lini Dapifer Hezelo ad feudum suum trahebat, de quâ legibus & judicio abstractus, permisit eam habere Fratres ad opus mapparum in refectorio ad mensam, ubi pertinebant. Unus ex illis quatuor pestilentissimis flatibus quos suprà dixi mare nostrum tam naufragiosè agitasse, Luipo scilicet tria bovaria culturæ nostræ, quæ jacet versùs Mergueles, beneficiaverat cuidam amico suo nomine Ludovico, & de mensa Fratrum alienaverat: qui mortuus reliquit parvulum filium nomine Henricum in eâdem injustitiâ, cui eadem bovaria requirenti à me in feudo dare nolui, quoniam de mensâ suâ Fratres sublata esse dicebant injustè. Longa fuit altercatio, multis ejus similibus de me conquerentibus. Episcopus quoque Leodiensis OLBERTUS, quoniam puer consanguineus ejus erat, blandimentis, promissionibus, minis, terroribus frequenter propter eum me aggressus fuerat. Cumque evincere non posset, tandem se nostro Cœnobio & hospitio repræsentavit, cui instanti pro puero respondi, putans me sic meliùs posse evadere: Fratrum præbenda est, sine eorum assensu facere non audeo nec debeo: qui statim ad eos absente me se transferens, facillimè simplicitati eorum persuasit ut ei concederent. Quod cum intellexissem, omninò cœpi reclamare, neque non debere sequi deceptam simplicitatem eorum, sed corrigere. Episcopus irasci, minari, & me in hoc cum eo consensisse suos nostrosque attestari. Miro tandem labore evici, & tria bovaria culturæ prædictæ retinui, & eum exfestucare feci.

Oppidanus quidam noster Arnulfus terram tenere volebat sine servitio, quæ debet servire Fratribus ad omnem munitionem sanguinis eorum. De eâ terrâ sunt XVIII. bovaria, & dicitur mansus de Nissen. Debet & alia minuta servitia ad utensilia Cameræ Abbatis, scilicet quidquid de ferro ad sellam equitariam ejus, & de calcariâ & ad samnas componitur, dato sibi ab Abbate ferro, fractas vitreas fenestras Monasterii, Claustri, Cellæ Abbatis accepto à Custode vitro, plumbo & stagno & cerâ, & sumptu emendat. Claves omnes Monasterii & scriniorum novat & renovat. Similiter & de omnibus officinis Claustri & curtis. In solemnitate sancti Trudonis & sancti Remigii adjutor est Cellerarii ad serviendum honestis hospitibus secundùm consuetudinem: quando minuebant Fratres, Chorus totus unus simul minuebat, cum silentio & psalmodiâ sedentes ordinatè in cellâ unâ. Eâdem die dabatur domino mansi hujus quantum uni Fratrum ad mensam. Hæc cum ille tamdiu tenuisset ut pro libero militari feudo habere se diceret, convictus tandem recognovit coram Metensi Episcopo STEPHANO, & majore Advocato nostro GUALTERANNO, & Paribus Ecclesiæ & servitoribus curtis nostræ. Sylvam quamdam quæ dicitur Godledaleth iniquus homo invaserat, dicens eam esse suum feudum; quam cum multâ ei injuriâ extorsissem, dedi ad censum aliis qui decem solidos solvunt singulis annis ad bracenam Fratrum.

De paucis, quæ pro animabus suis fideles tam viventes quàm morientes ad Ecclesiam nostram nostro tempore tradiderunt, ita evenit. Quidam Miles ADELGERUS de villâ Primirs super Mosellam ad nos venit, & societate nostrâ impetratâ vineam nobis tradidit, quæ afferre potest tres carratas vini. De

eâdem villâ Gerardus quidam relictâ sæculari vitâ ad nos se convertit, tradens nobis quatuor vineas, tres minores, quartam majorem: hæc possunt afferre duas carratas vini. Istorum anniversaria agimus, in quibus carrata vini debetur Fratribus de eorum collationibus. Inter sanctum Trudonem & Sarchinium quidam Libertus nomine parum allodii habebat, quod moriens reliquit Fratribus pro animâ suâ. Solvit autem duodecim denarios in festivitate sancti Remigii, qui cum aliis duodecim ponuntur, quos vivens Hardechumit pro animâ suâ dederat Fratribus; & in capite jejunii ad charitatem Fratrum in refectorio dantur.

De campanis autem, quæ aut novæ aut innovatæ sunt meo labore, scribere aliquid ad gloriam Dei hîc volui, cujus adjutorio eas feci fieri; quæ etsi ventrem non pascunt, aures tamen & corda hominum ad laudes Dei sonitûs sui dulcedine provocant & attenta reddunt. Sunt igitur omnes XVI. scilicet cymbalum primum in refectorio; 2. ad parochiam Beatæ MARIÆ; 3. ad sanctum Gengulfum; 4. ea quam misi Metis beato Proto-martyri Stephano; 5. super chorum nostrum; in turri nostrâ novem, quæ quantum dulcedine valeant, atque unaquæque in suo modo atque magnitudinis pondere, & videre mirabile, & audire est delectabile. Unum quidem affirmo, quia tot & tales & tantæ sunt, ut pro centum mareis fieri non possent hodie. Sed dicamus de campanarum vocabulis, & de earum ponderibus quas feci novas fundi, aut veteres renovari. Prima est facta de quatuor centenariis & aliquanto plus scilla dulce sonora. 2. de XXI. in honore sancti Eucherii, & eam appellavi Aureliam, quam & benedixi. 3. de duobus centenariis quam appellavi Filiolam: hæc sanctæ MARIÆ data est ad parochiam. 4. de XXXIII. centenariis, in honore sancti Quintini Martyris appellata est Quintina. 5. Remigia in honore sancti Remigii de septem centenariis. 6. de sex centenariis dicta est Benedicta in honore sancti Benedicti. 7. de octo & ampliùs centenariis vocavit Angustiam, quia in tempore illius angustiæ facta fuit, quo tota villa nostra & Abbatia per Ducem Lovaniensem combusta aut invasa fuit. 8. Factam de sex & ampliùs centenariis vocavit Trudam in honore sancti Trudonis, quæ his fusa in dulcedine sonitûs nulli aliarum compar fuit. 9. vocata est Nicolaa, quæ viginti centenariis ad ignem habuit; sed nescio quantum superexcrevit. Decima quæ propter pretiositatem suam missa est Metis, quatuor centenarios habuit, quam Stephaniam vocatam beato Proto-martyri Stephano dedicavit. Undecima quæ translata fuit ad Ecclesiam sancti Gengulfi, quatuor centenarios nihilominùs habuit, sed non fuit similis pretiositatis. Duæ scillæ in Refectorio, & cymbalum in Claustro bis fusum potuerunt habere ad ignem dimidium centenarium. Illa quæ pendet super chorum, habuit plusquàm centenarium. Iste simul positus numerus facit centum centenarios & XV. & dimidium.

De incenso & diruto Monasterio quoniam aliàs pleniùs scripsi, breviter hîc tangam quando gratia Dei & Sanctorum patrocinia in restruendo affuerunt. Omnes qui videbant tantæ ruinæ expavescendum barathrum, desperabant aliquando esse reparandum. Igitur à pilariis & arcu qui sunt ad pedes domini nostri B. Trudonis, ubi prædecessor meus Abbas Theodericus finem operis sui fecit, usque ad majorem turrim omne quod est operis infrà inferioris muri parietes meo tempore assurrexit, exceptis pilariis cum arcu, quæ sunt in medio navis Monasterii, & quod ante me & sub me factum fuerat feci consecrari III. Calendas Octobris ab Episcopo Leodiensi OLBERTO, anno MCXVII. ordinationis meæ IX. ab eo quo crematum fuit Monasterium XXXII. 1117.
De claustro & omnibus ejus appenditiis nihil inveni quod sic posset remanere, neque ubi quis hospitum pernoctare: domus tantùm una prorsùs inculta, & tam æstate quàm hyeme pro suis multis defectibus Fratrum usibus molesta. Tamen & Refectorium præstabat eis & Dormitorium, cellarium quoque & miserrimum carcerem potiùs quàm infirmorum cellam. Cæteræ partes sepe veterrimâ & semirutâ signabantur potiùs quàm clauderentur. Quidquid igitur Monachis opus est in officinarum usibus, oportuit me festinanter construere de lignis ad tempus, postea paulatim illud diruere, & à fundamento per gyrum de muro ædificare, de quo opere illud adhuc Horatii possum cantare, *dimidium qui cœpit, habet*. Propter multas & vix inenarrabiles tribulationes lentè, pulchrè tamen surgit, maximè cum à duobus milliariis empti adducantur lapides, & calx interdum à quinque. Numerus Fratrum cum inter paucos & minores ante me frequentissimè vicenarium duobus vel tribus descenderet, usque hodie ad quadragenarium non pervenit, aliquando tamen unus tantùm defuit, tricesimum autem quintum necdum descendit, & nisi mors immatura, aut levium quorumdam fuga tulisset, quadragenarium multo superexcessisset.



LIBER DECIMUS.

Finita epistolâ Abbatis RODULFI, quam ad Episcopum Metensem Stephanum scripsit de his quæ ejus tempore accreverint in Abbatiâ per suum suorumque laborem de perditis recuperata, sive de non habitis acquisita, necesse est nos amodò ad priorem narrationis ordinem redire, ut si quid fortè omisit aut obscurius quia brevius, posuit, nostra narratio restituat & elucidet.

Eo itaque secundùm Episcoporum & Abbatum in sacratione suâ professionem servante inventa, recuperante perdita, recolligente dispersa, emendante neglecta, mortuus est juxtà nos homo quidam nobilis HARDECHEMIT nomine de locello Ronchirs, hic tantum de ejusdem loci allodio nobis reliquit, quod duodecim solidos debet nobis singulis annis solvere, primâ Dominicâ post Epiphaniam sex solidos, & primâ Dominicâ post festivitatem S. Joannis quinque solidos, & nullam aliam justitiam ampliùs: sunt inde duo mansi, & si metiaris plus invenies, & quoniam prædecessores Abbatis Rodulfi multa quæ ita tradita fuerant Ecclesiæ, olim suis famulis in feudum dederant, ita ut de totâ hominum eleemosynâ non remansisset Fratribus vel una in anniversariis refectio, timens ne illud idem de isto post se fieret, coram majoribus Ecclesiæ & traditoribus & receptoribus hujus allodii Fratres omnes convocavit, & Priori Ecclesiæ nostræ hos solidos singulis recipiendos per manus Præpositi statuit, sex in anniversario defuncti ad refectionem Fratrum, sex ad ea quæ necessaria erant ad domum infirmorum. Nihil enim omninò erat ad eam ordinatum aut constitutum, præter quod negligenter multùm à Præposito interdum dabatur. Paulo post defuncta est ejusdem Hardechemit uxor nomine BERTHA, pro quâ tantum datum est nobis, quantum & pro marito ejus, terra scilicet juxtà illam eamdem terram solvens duodecim solidos, in die S. Joannis sex solidos, & in die Epiphaniæ sex solidos; de quibus ab Abbate Rodulfo eodem modo solemniter constitutum est, sex scilicet solidi in anniversario ejus, &

ſex ad domum infirmorum: quam videlicet terram cum legitimâ donatione tradidiſſent ad Eccleſiam noſtram Advocatus noſter Giſlebertus, & filius ejus Otto, qui ſupradictorum liberorum heredes exſtiterunt, tamen poſtea invadi paſſi ſunt à nepote ſuo Comite Arnulfo de Los, & nunquam reſiſtere voluerunt.

Pro Comitiſſâ autem GERTRUDE quæ jacet in Clauſtro noſtro, tantum alodii datum eſt nobis quod ſolvit ſingulis annis xx. ſolidos & tres denarios, & ad Aſſebruc v. ſolidos, & ad Stenivet octo ſolidos, hi omnes ſimul faciunt ſexdecim ſolidos & tres denarios; & tres ſolidi ſolvuntur Calendis Maii. Supereſt adhuc tantum juxtà Stenivet de eodem alodio, quod ſolvit quatuor ſolidos in die S. Remigii, & quando apportatur iſte cenſus, nihil omninò debetur inde apportantibus. De his nihilominùs conſtitutum eſt ſolemniter præſente marito ejus GISLEBERTO Advocato noſtro, & filiis ejus OTTONE & GISLEBERTO, & Comite ARNULFO, & THIODERICO fratre ejus, petente & allaborante Abbate Rodulfo propter ſupradictum timorem; ut per manus Præpoſiti ſingulis annis totus cenſus iſte Priori daretur; darenturque in anniverſario ejus ſex inde ſolidi Fratrum refectioni, & quando maritus ejus Giſlebertus defungeretur, ſex ſimiliter in anniverſario ejus; & octo reliqui & tres denarii ad domum infirmorum haberentur.

ENGERAMNUS vir nobilis de Norpale olim ante iſtos defunctus fuerat, qui pro animâ ſuâ in villâ quæ dicitur Herebac, tantum alodii nobis reliquit, quod præter alias juſtitias quindecim ſolidos ſolvere debebat, ſed ab Abbatibus in feudum datum olim totum fuerat; de quibus ſtudio Præpoſiti ſui Folrardi Abbas Rodulfus quindecim ſolidos reacquiſivit, ſed quia cum labore acquirebantur, & vix retineri poterant, volebat illud aliàs libenter ambire ſi poſſet. De his decem ſolidis ſimiliter Abbas Rodulfus majorum ſuorum conſilio ſtatuit ut quinque in anniverſario ejus ad refectionem Fratrum haberentur, quinque ad domum infirmorum, & ſi quis illos cambiret, qui tunc temporis eſſent, ſollicitè obviarent, ut de cambiis anniverſarium ejus ordinaretur, & quod ſupereſſet ad domum infirmorum daretur.

Jam igitur viginti quinque ſolidi ſunt & tres denarii, qui conſtituti ſunt ad domum infirmorum. Dicendum modo erit quid ex his agendum Abbas Rodulfus conſtituerit. Ad ligna coquinæ domûs infirmorum, quando per ſe coquinam habuerunt infirmi, & ad focum faciendum hyeme ante eos, octo ſolidos; & ad continuum in eâ nocte lumen incendendum ſex ſolidos, & ad minutum lumen, quo cœnantibus & Miſſam in eâ cantantibus ſervietur, tres ſolidos & tres denarios: tres ſolidos ad utenſilia emenda, ſcilicet vaſcula quibus in eâ opus habetur, & mappas & menſulas, & manutergia & minuta homini. Quinque autem ſolidos qui adhuc reſtant, ita reliquit, ut ſi fortè contingeret quominùs viginti alii ſolidi & tres denarii ſolverentur ex iſtis, quod deeſſet ſuppleretur, & ſi plenè perſolveretur, quantum viginti ſolidis illis ſupereſſet neceſſitatibus infirmorum diſponeretur, ad quaſcumque Cuſtos domûs infirmorum conſilio Prioris videret neceſſe fore ſive ad carnes, ſive ad alias res, licet carnes de præpoſiturâ debeant venire.

Cenſum autem iſtum de omni eleemoſynâ idcircò conſtituit recipiendum à Præpoſito à debitoribus, & à Præpoſito præſentibus illis dandum Priori, ut abſque majori ſollicitudine, & abſque ullis expenſis Præpoſito procurante ſolveretur ei. Si autem redemptio aliqua de terrâ moriente herede exiret, aut culpâ aliquâ exiſtente vadium aut tale aliquid præter cenſum vivens perſolveret, duas inde partes Præpoſitus haberet, qui hac illacque ſuis ſumptibus pro acquirendâ juſtitiâ equitaret, & tertiam Prior. Prior verò Cuſtodi domûs infirmorum de iſtis viginti quinque tantùm ſolidis ſingulis annis reſponderet. Si autem nullus Cuſtos in eâ eſſet, ipſe per ſe eadem diſponeret, ſicut & de anniverſariis & aliis eleemoſynis. Mortuo verò qui aliquid de cenſu iſto jure hereditario teneret, ſucceſſor ejus ad Clauſtrum veniret, & domum hereditatis de manu Præpoſiti & Prioris reciperet, alioquin legitimum non eſſet. Lumen autem quod Cuſtos priùs dabat ad domum infirmorum, conſtituit Abbas Rodolfus ut divideretur hyemali tempore per quatuor angulos Clauſtri ante collationes uſque ad Completorium. Iſta pauca domui noſtræ infirmorum de eleemoſynis quæ ſuo tempore venerunt conſtituit, quia ad eam nec parvum nec magnum conſtitutum invenit, præter quod infirmis & languentibus carnes miniſtrare debebat & adhuc debet Præpoſitus. Quòd ſi in lardario Abbatis aut in curti invenirentur, aut in curti inde acciperet; quod ipſis infirmis convenire videretur. Novit enim Dominus, quia ad eam miſeriam & tenuitatem diſceptatione Abbatum res Eccleſiæ defluxerant, quòd domus infirmorum neque lumen nocte, neque focum in die, neque quidquam ampliùs infirmus habebat languens in lecto quàm ſanus in refectorio, ex eo ſi quid appetitui ejus non conveniebat, commutationem foris faciebat pro eo quod intùs deſiderabat: interdum etiam ori & appetitui ſubtrahebat unde neceſſitatem luminis & foci ſibi ſupplebat. Quæ conſtitutio non ob hoc facta eſt ab eo, ut ſic tenuiter ampliùs permaneret, ſed ut præſentem tunc neceſſitatem utcumque alleviaret: nam voluntas ei erat ſumma & deſiderium plura addere, ſi ei accideret, aut ab eis addenda relinquere qui poſt eum venirent.

Ad veſtiarium Fratrum parum certi erat ſtatutum: nam cætera Abbates prout eis veniebant procurabant, quorum negligentiâ magnam frequentiſſimè Fratres penuriam veſtimentorum ſuſtinebant, maximè inter illas quas ſuperiùs diximus Abbatum contentiones: tamen dicendum hîc otioſum prorsùs eſſe non credidi, quòd ad eam tunc pertinebant & priùs quæ & quomodo ſtatuerat. Bonum de Provin totum ad illam pertinebat, & cenſus de Aloſt tres libræ, & Eccleſia de Pirges quatuor libræ, & Eccleſia de Dunc duæ libræ, & Eccleſia de Guebechem duæ libræ. Bonum de Provin ad id modicum defluxerat ut vix ſolveret ſeptem marcas, cum aliquando xix. ſolviſſet, unde inter hæc omnia vix ad viginti duas libras tandem perveniebat. Ligna ad veſtimenta Fratrum lavanda veniebant de terrâ, quæ dicitur Manedac, ad balneas de Lare præbendæ lautorum, & conſutorum de molendino de Groſmec.

Igitur Abbas Rodulfus audiens ea quæ Abbates de ſuo dabant ad veſtimenta Fratrum, quia cum labore & dolore, & longâ priùs afflictione eis interdum dediſſent, timenſque quia id poſt ſe poſſet accidere, utile duxit tam animæ ſuæ quàm Fratribus, ut plenè ordinaret & denominaret bona ad veſtimenta Fratrum jam ampliùs pertinentia, maximè quia Fratrum numerus creverat ſub eo, qui ſuprà in compinſo veſtiri non poterat.

Voluit etiam ita ordinare ut illa vel illa curia non demembraretur de cenſu ſive de annonâ ſuâ, ſed quo ſervire deberet tota integrè finiret, & ſi quando carum tempus accideret, officiatus de annonâ ſe pleniùs juvaret; & ſi annona vile venderetur, cenſus eſſet, qui ei ſuccurrere poſſet. Dicebat enim nullum officiatum de aliquâ curiâ poſſe proficere, cui

aut census de eâ aut annona deesset. Itaque Provin sicut erat ad vestimenta Fratrum dimisit, & censum de Aloft, & Ecclesiam de Pirges, & ligna & præbendas servientium, sicut invenit. Censum autem de Ecclesiâ de Guebechem, & de Ecclesiâ de Dunc, quoniam istæ villæ majori parte ad Abbatem pertinent, in manibus retinuit superiùs dictâ intentione. Villam verò de Devinc cum Ecclesiâ suâ, quoniam studio suo & labore eam magno & gravibus expensis reacquisierat, ad vestimenta Fratrum statuit, & villam de Stades absque Ecclesiâ & molendino Remigii in censu & annonâ. Si igitur diligenter computaveris, invenies, quòd ad vestiarium aliquid plus pertineat quàm valens triginta librarum, de quibus decem superadditæ sunt quæ priùs non erant.

Cum legisset in libro de vitâ S. Trudonis, quia vivens adhuc Monasterium suum primùm in honore sanctorum Quintini & Remigii fecisset Deo consecrari, & ante aram ipsorum se sepeliri; viderentque usque hodie & à populo exteriùs, & à Fratribus interiùs festivitatem S. Remigii celebrari, & de S. Quintino unam tantùm Collectam fieri; miratus quâ negligentiâ hoc de tanto Martyre contigisset, gratum existimavit fore B. Trudoni, qui se & sua sub nomine ejus dedicaverat, si solemnitas ejus celebraretur in loco qui esset, ut dixi, Deo ex nomine ejus dedicatus. Composito ergo ex passione ejus pulcherrimo cantu cum Antiphonis & Responsoriis Hymnisque dulcisonis, solemniter celebrari ejus festivitatem apud nos instituit, statuto Fratribus die illâ redditu in Refectorio ultrà commune refectionis.

Molendinum de Gurdendrul ratione dictante, duos modios fecit solvere ampliùs quàm antea solveret, alterum siliginis, alterum frumenti: in die S. Quintini dimidium siliginis constituit pauperibus ad domum eleemosynariam; alterum dimidium similiter pauperibus ad eamdem domum in die sacrationis suæ, sic ut post suum discessum transferretur ad suum anniversarium. De altero modio frumenti constituit in die festi ejusdem Sancti, ut simila excuteretur, & panis ponderis duarum marcarum & dimidiæ daretur inde singulis Fratribus super panem suum quotidianum; de reliquo farinæ panis fieret communis, & singulis camerariorum & servientium in curti unus daretur ejusdem ponderis. Similiter de alio modio in die suæ sacrationis, & cum defungeretur ad diem anniversarium.

Dum autem inter hæc recolligenda & singula ordinanda miro ardore desudaret, non defuerunt illi maximæ tribulationes. Persequebatur enim eum inhumanè Advocatus noster Comes Gislebertus, & plurimùm advocatrix Comitissa Gertrudis conjux ipsius, ita ut nihil aut permodicum ei relinqueret de omnibus redditibus ad eum pertinentibus præter communem victum & vestitum qui debetur Fratribus. Vetus autem odium exordium habuit à tempore Abbatis Theoderici, propter quem frequenter & constanter eis restiterat tempore Prioratûs sui. Et cum modo factus esset Abbas, fortiùs & fiducialiùs pro posse & ultrà posse resistebat, ubicumque jura Ecclesiæ eos infringere videbat: propter quod tantum in eum processit feminea procacitas, ut misso ad eam aliquando Priore nostro Guederico ardenti irâ cum juramento minaretur, nisi etiam communis victus & vestitus Abbati tolleretur, quòd eis suus non relinqueretur. Interea Abbas Claustro clausus tenebatur, relevans sibi otium & tædium lectione, prosâ, metro & cantu, quasi qui non habebat nec audebat quò progrederetur. Desperans tandem de auxilio hominum, convertit se ad Dominum, disposuitque iter suum Metis infrà dies Paschales non ad aliquem dominum suum in carne adhuc positum Episcopum, sed ad B. Proto-martyrem Stephanum, specialem post Deum Ecclesiæ nostræ dominum & patronum: ubi cum ante pares Metensis Ecclesiæ Monachos, Clericos, laïcos, causam itineris sui & angustiam perorasset, nullumque posse ab illis fieri auxilium videret, convertit se lacrymabiliter per octo dies quos ibi fecit ad B. Proto-martyris suffragium frequentans reverenter parvulum quoddam B. Mariæ semper Virginis in eo Monasterio oratorium: tantoque profusiori corde causam suam illis agendam committebat, quanto se propensiùs humano destitutum auxilio considerabat. Sed dum illuc transiret ex Monasterio S. Trudonis; Stabulaus nocte unâ habuit hospitium. Celeberrima erat nox illa solemnitatis institutæ, pro eo quod B. Remaclus reacquisierat sibi Malmundarium, quod Nanno Archiepiscopus Coloniensis susceperat de manu Henrici Imperatoris qui Leodii obiit. Poppo secundus tunc temporis Abbas ibi habebatur, simulque & Prumiensem tenebat Abbatiam, quas quàm irrecuperabiliter dilapidaverit dicere hîc non est mei propositi. Nocte illâ ad primas solemnes Vesperas ambo Abbates albis & cappis pretiosis induti, positis sedibus festivis sederunt ab utrâque parte ingressûs cancelli ante altare B. Remacli, ubi Abbas Rodulfus dum infrà *Magnificat* & sequentem Antiphonam baculo pastorali innixus caput, quem ambabus manibus junctis tenebat ad altare staret versus, amarissimè & profusum profudit fontem lacrymarum pro suâ necessitate quâ peregrinabatur, revocabatque sæpe B. Confessori Remaclo ad memoriam eam quam ipse senex & B. Trudo adolescens viventes adhuc in carne habuerant simul amicitiam, piâ etiam exprobratione objiciebat ei consilium pro quo tradiderat B. Protomartyri Stephano Metis præclaræ hereditatis suæ atque familiæ magnum & illustre monimentum, cum non esset modò Præsul in urbe qui succurreret angustiis nostris & miseriæ. Quid plura? Audivit pius Confessor tacitos gemitus mœrentis cordis illius, vidit profusos per baculum usque in pavimentum lacrymarum fluxus.

Non solùm igitur ab insidiantibus Abbati dispositis latronibus eripuit eum in itinere, verùm præcedens eum verè, verè præcedens eum potenti virtute, causam ejus efficaciter Metis egit, non cum Episcopo Alberone secundo, sed cum B. Protomartyre Stephano, atque cum beatissimâ Dei Genitrice Maria, cujus oraculum in ejusdem Protomartyris Ecclesiâ, gloriosa frequenter illustrant miracula. Nam antequàm Abbas reverteretur à Metis Stabulaus ad Beatum iterum visitandum & orandum Remaclum, in itinere nuntiatum est ei, quòd mortua esset illa superiùs dicta Advocatrix, & ipsius & Ecclesiæ permaxima persequutrix. Advocatus autem Gislebertus qui inimicissimus ei priùs fuerat, reverso à Metis statim obvius ivit amico vultu & supplici, & quidquid in eum deliquisset à modo se libentissimè velle emendare promisit. Sed neque hîc adhuc continuit se B. Remaclus. Nam Herimannitarum & Herimanni multos & malignos & sæpiùs redivivos in Abbatem conatus potenter contrivit, & ab omni spe decidere fecit: qui videlicet Herimannus ad S. Symphorianum in sylvâ suprà Leodium juxtà Clarum-montem sicut ante se contulit, & ab inguine inferiùs gravi infirmitate correptus privatus est omni gressu. Longo itaque cruciatu ibidem mortuus est, & sepultus. Priùs tamen quantum fieri potuit per internuntios Abbati & Ecclesiæ reconciliatus, sex quippe annis postea vixit quàm Abbas Rodulfus in Abbatiam intravit, quo vivente alter nunquam absque perturbatione vixit. Hic talis fi-

nis exstitit Herimanni, qui unus & ultimus fuit quatuor illorum ventorum, quorum turbinibus agitati frequenter usque ad cœlos sumus, & depressi usque ad abyssos descendimus. Defunctis Herimanno & Comitissâ, aliquantula pax Abbati & Ecclesiæ est reddita.

Et quoniam de reparando Monasterio propter vastitatem ejus desperabat, & manus apponere propter paupertatem non audebat, convertit se ad ædificandam quartam partem Claustri versùs aquilonem ex lignorum materiâ, sicut erat pars illa quæ ad orientem respiciebat, cum priùs ambæ vix clauderentur sepe humili & vetustate discissâ. Illa versùs orientem habebatur pro Fratrum dormitorio, versùs aquilonem pro infirmorum domo, subque uno ipsius tecto domus erat lavatoria, domus eleemosynaria, & curticula ante cum posticio, exitus de Claustro & introitus pulcher & amplus, in quo mandatum pauperum agebatur, & curticula ante portâ claudebatur, superiùs granarium, inferiùs duæ cameræ; una in quâ vestimenta Fratrum Camerarius reponeret, alia in qua consueretur. Deinde domus infirmorum habens fumariam sive forariam, capellulam, lobiam, cameram dispensatoriam, cameram privatam, aliamque privatiorem. Hortum ante eam postibus, tabulis, spinis munitum, ut esset ex aëre & viriditate infirmorum aspectibus refrigerium. De domo illâ, quæ priùs erat quasi carcer infirmorum, fecit cervisiæ & vini cellarium, atque à dextrâ introëuntium aptum hospitibus suscipiendis habitaculum. Quæ priùs cellarium fuerat, fecit pulchram & amplam sibi & majoribus hospitibus cameram, habentem ab utroque latere duas alias usibus hospitantium necessariis, ex quibus aptus & secretus in Monasterium est introïtus, interclusâ manicâ à Monasterio, factoque ad tumulum S. Lamberti Martyris oratorio, hospitibus volentibus Missam audire vel dicere congruo. In pariete hujus manicæ versùs monasterium est fenestra ab utrâque parte vitrea quæ lumen fundit, & in Monasterio & in hoc hospitum Oratorio; lumen hoc procurat Custos de quinque solidis quæ veniunt ei de Ecclesiâ de Aloft. De hoc quoque Oratorio est introïtus in aliam cameram, quam ipse Abbas latam & altam similiter hospitibus ædificavit cum necessariis ejus appenditiis, ut non haberent Fratres inquietudinem de hospitibus in Claustro, neque necessitudinem exire propter eos sicut ante solebant, de suo Refectorio. Sunt & atria & porticus ante has utrasque cameras, & viridarium spatiosum & delectabile hospitibus, cum pluribus lignis diversos fructus ferentibus, de quibus penè omnibus nihil invenit, nisi situm horribilem & dirutas macerias, quando Abbatiam est ingressus.

Et cum de reædificatione Monasterii propter horribilem vastitatem ejus, ut dixi, desperaret, & propter tenuem Ecclesiæ substantiam accingere se ad tantum opus formidaret, inspiravit Deus cuidam matronæ de oppido nostro nomine Ruzelæ, quæ suis sumptibus unum pilarium cœpit ædificare, cœpit, erexit, consummavit. Hanc imitatus quidam Libertus de hac majori curte nostrâ villicus, aliud juxtà eam incœpit & consummavit. Post illos oppidani nostri de suis facultatibus quatuor incœperunt pilaria, & duo reliquerunt imperfectâ. Perpendens ergo Abbas Rodulfus, quia voluntas Dei erat & Sanctorum, spiritu recepto aliis intermissis, ad illud tantum opus non segniter se accinxit. Itaque pilariis tanto labore & constiturâ erectis, qualem nemo novit qui non interfuerit, in brevi tempore de choro usque ad turrim utrosque parietes navis Ecclesiæ penè usque ad consummationem perduxit.

Sed diabolus crescenti invidens operi, cum turbatis regni Principibus adversùm Imperatorem Henricum quartum; videret locum impediendi opus nostrum, partes fecit, & propter Comitem Gislebertum Advocatum nostrum Imperatorem deserere nolentem, & Ducem Godefridum Lovaniensem Imperatori adversantem, irruptio facta est ab eo in oppidum nostrum. Nam stolidus populus præter corporum communia arma & pectora, stultâ audaciâ nulla præparaverat adversùs eum repugnationis machinamenta, fossatum oppidi detritum & dirutum, & plusquàm centum locis pervium. Porta nulla, terra loco pontium continua, ligna prostrata, nulla transversa; tamen audax & malè ante securus populus ruit ei obviam obduratis pectoribus, contraque omnium hominum spem diù ne intraret virili ei manu obstiterunt, & bis & semel violenter ingressum factâ magnâ strage corporum eorum cruento vestigio ejecerunt. Sed tertiò prævalentes hostes multitudine, & securiores nostris ferreo tegmine compulerunt nostros intrà atrium, quod tantùm munierant contrà eum, statimque omne oppidum usque ad quindecim domos igne fuit concrematum. Interea milites circumquaque discurrentes omnia nostra diripiunt, non ampliùs Ecclesiis quàm domiciliis parcunt, manequé abeuntes quidquid supererat depopulationi, igni tradunt, omnes nostras villas, quæ illi superfuerunt incendio, suos mancipare fecit Dux suo suorumque servitio. Quam nostram calamitatem quoniam tristi metro bis descripsit Abbas Rodulfus, prosâ hîc iterare otiosum duximus.

Tunc intermissum est opus Monasterii, cum eâ ipsâ die eâdem horâ quâ cremabatur oppidum operarii starent adhuc super absides, super cancellum celeriter se transfuderunt, & cum magno vitæ suæ periculo & intolerabili æstu atque ardore partes illas ab incendio eripuerunt. Nam multis in locis de tecturâ sub pedibus eorum flamma irrumpebat, & dorso atque capitibus minaciter desuper allambebat. Gratias Deo, pars illa evasit ab incendio, non tamen sine aliquo de ruptione tectorum damno. Annus quo hæc mala nobis acciderunt, annus erat Incarnationis Domini millesimus centesimus decimus quartus, ordinationis Abbatis septimus, xiv. 1114.
Calendas Augusti feriâ secundâ messe maturâ; anno à concrematione Monasterii & Claustri sub Lanzone & Luipone de Abbatiâ contendentibus xxix. à concrematione oppidi quæ facta est sub Henrico Leodiensi Episcopo, & per eum, triginta & plus modico.

Dux Lovaniensis, licet mala ista omnia nobis propter Advocatum nostrum Gislebertum fecisset majora tamen adhuc minabatur, neque bona Ecclesiæ solvenda ab invasione, nisi priùs fossatum atrii quod contrà eum elevaverant, repleretur. Quid multa? Quod stultâ factum erat temeritate, ut ita dicam, defectum est tristi necessitate, fossatum atrii repletum est. Tunc Abbas Rodulfus à turre Monasterii per circuitum versùs Aquilonem usque ad portam curtis, quæ respicit ad Orientem, cumulum grandissimæ fossæ non exteriùs, sed interiùs sparsit propter magnum præcipitium, quod eâ parte curtis intùs deformiter habebat: portam quoque quæ respiciebat ad Aquilonem, transtulit juxta molendina ad Occidentem. In quâ commoda planitie, videlicet inter portam orientalem & occidentalem pulcro modò ordine sunt positæ necessariæ curti officinæ, horrea duo, domus dominica vasta habens per circuitum sui stabula equis supervenientium hospitum necessaria, duæ domus pauperum, altera æstivalis ad habitandum, alterâ hyemale calefacto-

rium

rium ad reficiendum. Per circuitum hortus amœnus, pomorum herbarumque commodus usibus; deinde pristinum, post bracena, post eam divitibus hospitibus coquina, quæ cum expedit Fratribus est lavatoria. In medio & ante istas officinas puteus utilis curti ad omnes aquæ usus. Igitur repletâ atrii fossâ & pacatâ Ducis irâ recepit Ecclesiâ nostra sua bona vacua, & post multos annos inutilia.

Deinde sequenti anno tam ardenti animo ad reparandum Monasterium Abbas Rodulfus se cœpit accingere, quòd (ut ita dicam) vix meditullio noctis poterat requiescere, quin ipse semper adesset præsens operariis: manè ante solis ortum, vespere usque post occasum ad instantiam operis urgens eos hinc lapidi, hinc ligno occupatos. Totos igitur parietes Monasterii anno illo usque ad turrim peregit, & trabibus suprà compositis ferè cooperuit, modico superexstante, quamvis illud idem non cessaret quotidie strenue consummare. Tunc tandem facta est ab ipso capellula, quæ suprà sepulcra sanctorum Trudonis & Eucherii ferè triginta annis computruerat, & circumdata sunt sepulcra eorum inferiùs muro, superiùs quadratis tabulis quadraginta versùs altare insitis ligno operoso duplici ordine. Circuibat hoc opus Sanctorum corporibus reverendum minor chorus valde decorus, & invalidis Fratribus ad sedendum aptus, & ad venerandam & orandam præsentiam sanctorum corporum, per duo utrimque ostiola introitus erat per minorem chorum ad altare & sepulcra Sanctorum, valvis duabus ferreis ante altare intercludentibus populum & Fratres; si quando cantatum aut oratum procedere vellent manifestè aut occultè ad altare & corpora sanctorum. Muro itaque Monasterii & tecto gravissimis sumptibus consummatis, fecit illud solemniter dedicari ab OLBERTO Leodiensi Episcopo in gaudio & in gloriâ magnâ anno ordinationis suæ, Abbatis videlicet, IX. ab Incarnatione Domini millesimo centesimo decimo septimo, tertio Calendas Octobris, ab eo quo crematum tunc XXXII.

1117. Reliquiæ verò quæ in altaribus, & in quibus altaribus positæ sunt ita habentur. Principale altare post beatam & gloriosam semper virginem Dei genitricem MARIAM est consecratum in honore Sanctorum Quintini & Remigii, quibus beatus Trudo primum à se factum Monasterium dedicavit, in quo continentur Reliquiæ istæ: De corpore sancti Adriani Martyris, de sepulcro Domini, de columnâ Domini, de spineâ coronâ Domini, de sancto Theodoro Martyre, & aliorum Sanctorum. Altare quod est retro majus altare, est consecratum in honore sanctorum Martini Episcopi & Christophori Martyris, in quo continentur Reliquiæ istæ: De vestimentis sanctorum Trudonis & Eucherii, de Reliquiis sanctorum Pancratii, Victoris & Rumoldi Martyrum, Bavonis Confessoris, & aliorum Sanctorum. Altare in dexterâ parte est consecratum in honore sanctorum Joannis Baptistæ, & Joannis Evangelistæ, in quo continentur Reliquiæ istæ: De lecto sancti Joannis Baptistæ, & de speluncâ ipsius, & aliorum multorum. Altare in sinistrâ parte est consecratum in honore sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & aliorum omnium; in eo continentur Reliquiæ istæ: De corpore sancti Amandi Confessoris, & sancti Valentini Martyris. Altare ad sepulcrum beatorum Trudonis & Eucherii est consecratum in eorum honore; in eo continentur Reliquiæ istæ: de capillis sanctæ MARIÆ, de vestimentis sancti Jacobi Apostoli Domini, de Reliquiis sanctarum undecim Virginum. Altare à dexterâ parte ad introitum Monasterii, est consecratum in honore sancti Benedicti & sanctæ Gertrudis Virginis. In eo continentur Reliquiæ de corpore sanctæ Gertrudis, & aliorum multorum. Aliud contrà illud altare in sinistrâ parte, est consecratum in honore sancti Lamberti Martyris: in eo continentur Reliquiæ istæ, de capillis sancti Lamberti Martyris & Episcopi, de sancto Georgio Martyre, de sancto Mauricio Martyre, & aliorum.

LIBER UNDECIMUS.

ANte hos consecrationis Monasterii undecim annos excommunicatus obierat Leodii HENRICUS Imperator, filius HENRICI filii CONRADI Imperatoris, regnoque & atrio privatus erat propter dissensionem inter ipsum & Apostolicos Romanos de investituris Episcopatuum per annulos & baculos de manu Imperatoris, & propter simoniam quam de eis faciebat. Regnabat autem pro eo filius ejus æquè HENRICUS vocatus, qui cum Romanâ Ecclesiâ patrem persequutus, regno eum privaverat. Hic cum regnare cœpisset, & potentissimè atque robustissimè in regno confirmatus esset, in illud ipsum incidit in quo pater Ecclesiam offenderat, & pro quo sententiam privationis acceperat, majoraque satis atque nefanda committere non pertimuit: nam cum Romam venisset, & ad gradus B. Petri Apostoli processione suscipiendus esset à Domino Papa PASCHALI & Cardinalibus, Episcopis & Presbyteris, Diaconibus & omnibus Clericis, Romanorumque Nobilioribus, & populo innumerabili, fidem subitò rupit, sacramenta interposita postposuit, datos obsides vilipendit, manusque sacrilegas tam ipse quàm sui in dominum Papam Christum Domini injecit, & omnes qui capita videbantur esse Ecclesiastici Ordinis atque Romani populi custodiâ conclusit. Ibi quod quisque suorum potuit de insignibus Ecclesiasticis sibi rapuit tam in auro quàm in argento, & cappis & casulis, sicut unaquæque Ecclesia attulerat ad ornatum processionis. Quid longiùs protraho? Tandem gravi necessitate & lamentabili re compulsus dominus Papa, non propter se tantum quantum propter Romanorum Nobiles, & Cardinales suos, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, qui secum crudeli clausurâ tenebantur, extorquenti magis quàm petenti Imperatori consecrationem imperialem se daturum concessit, & pravilegium potiùs quàm privilegium de investiendis Episcopis & Abbatibus.

Hoc tristi nuntio & pollutâ famâ pervolante ad Gallicanam Ecclesiam, sine omni morâ facto Conventu, Imperatorem excommunicavit, & quod sub tanto sacrilegio & violentiâ factum fuerat damnavit. Dominus verò Papa quod in reconciliatione Imperatori promiserat non violavit, sed Ecclesiam Gallicanam, omnesque filios Romanæ Ecclesiæ pro injuriâ summo Pontifici factâ, clavibus beati Petri Apostoli uti non prohibuit. Suspendebatur adhuc hæc in Imperatorem sententia apud Germanorum Ecclesiam, cùm propter timorem, tùm à quibusdam propter gratiam, nec multo post tempore vocatus est ab eâ, & missus ad eam CONO Episcopus Prænestinus Romanæ Ecclesiæ Legatus, congregatumque est Concilium magnum in loco qui vocatur Frisebart, tam de Abbatibus & Episcopis, quàm de multitudine Clericorum & Monachorum, cui propter obedientiam quâ vocabatur non ausus fuit deesse D. Abbas hujus nostri Cœnobii videlicet S. Trudonis Rodulfus, ne ab officio & communione Ecclesiæ suf-

penderetur. Excommunicatur in eodem Concilio Imperator HENRICUS, ficut & in Gallicanâ Ecclesiâ, cùm propter prædictam culpam, tùm propter tyrannidem quam exercebat in Ecclesiam. Propter fideles Imperatoris cum multâ sollicitudine & timore actum & peractum Concilium fuit; sed & domnus Abbas Rodulfus non fine minori sollicitudine atque timore domum rediit, ut pote per medium fidelium Imperatoris: sicque in turbato regno facta est satis major perturbatio.

Moritur Olbertus Episc. Leodiensis.

Defungitur paulo post Leodiensis Episcopus OLBERTUS. Fit altercatio grandis de Episcopatu, electionis tamen dies præfigitur, infrà quem Alexander ejusdem Ecclesiæ Sacrista & Archidiaconus baculum & annulum arripit, Imperatori repræsentat, & ab eo recipit, investitus sic à manu excommunicatâ de Episcopatu Leodiensi: pro quâ temeritate, & contentionis erroneo fune, præfixa canonica electio diù protelata fuit, donec traheretur Coloniam Conventus Leodiensis cogente auctoritate Metropolitani, scilicet FREDERICI Archiepiscopi. Ne ibi quoque ausus est defuisse domnus Abbas Rodulfus, cavens sibi semper sollicitissimè ne inobedientiâ feriretur, sicut ne excommunicatorum communione macularetur. Electus est igitur ibi dominus FREDERICUS majoris Ecclesiæ Leodiensis major Præpositus & Archidiaconus, atque à domino Papa CALIXTO consecratus, & Alexander cum omnibus suis complicibus excommunicatus. Studens brevitati prætermisi hîc, quantâ difficultate, quanto periculo Electus, & qui elegerunt redierunt à Coloniâ Leodium, cum à Trajecto usque ad urbem ab utrâque parte Mosæ acerrimas insidias per dispositas locis aptis militum copias Alexander eis posuisset, quibus ipse quoque interesat. Tamen protegente eos Deo sine aliquâ læsione urbem introierunt, & exclusum Alexandrum, ex Hoyo castello obsidione ejectum quotidie patiebantur hostem gravissimum. Vix tandem aliquando domnus Abbas Rodulfus, ab hoc reditu multas frustratus insidias, Cœnobio nostro incolumis est receptus: quod non minimum dolebat Advocatus noster Gislebertus Comes, & omnes Alexandri satellites.

In ejus locum sufficitur Fredericus.

Igitur excommunicato Henrico Frisebart, & Alexandro Hemis, in hoc & illud facta est magna perturbatio, & in Monachos & Clericos crudelis persequutio in toto Leodiensi Episcopio, qualis à tempore Arianorum non fuit audita. Alexandri partes juvabat cum suis omnibus Lovaniensis Comes GODEFRIDUS, tunc temporis Dux, Durachiensis Comes GISLEBERTUS Leodiensis militiæ Signifer, REYNERUS de Monte-acuto, Comes LAMBERTUS, & pene tota familia Ecclesiæ cum suis viribus. FREDERICI partes tuebantur frater ejus Namurcensis Comes GODEFRIDUS cum suis sed non omnibus de Lemburg, Comes GUALERANNUS, qui postea exstitit Dux de Monte-falco, Gorguinus civitas tota exceptis aliquibus; Abbates omnes, Episcopi, de Archidiaconibus & Præpositis meliores & plurimi, Clerus quamplurimus: pars illa dicebatur Alexandrina, pars ista Frederina. Alexandrini dicebant Frederinos reos esse Regiæ Majestatis, & ob hoc persequebantur: Frederini Alexandrinos cum Imperatore & Alexandro excommunicatos, & ob hoc in Ecclesiasticâ communione eos vitabant. Itaque qui Romanæ obedientiæ sub Episcopo Frederico obtemperabant, prædas & direptiones & captivitates, ignem & gladium per Alexandrinos quotidie sustinebant: nulli ætati, nulli sexui, nulli ordini parcere, totum persequutionis æstum super Ecclesias tam in Monachos quàm Clericos effundere: vagi & profugi, laceri & seminudi multi tam Monachi quàm Clerici hac illacque mendicare. Sic vidimus, sic audivimus, sic scribimus.

Alexander ex castellis ejectus, sed prædictis tutoribus nostro oppido frequenter se recipiebat & tantorum malorum incendium acriter agebat. Oppidani nostri omnes illi favorabiles erant, ut pote semper levissimus ad talia populus. In totâ Brabantiâ, in totâ Halbaniâ non erat Princeps aut dominus qui Alexandro non faveret, aut eum tueretur. Solus Loensis Comes ARNULFUS inter utrosque medium se agebat; Frederico tamen magis obtemperans ob domini Papæ obedientiam, quàm Alexandro ex Imperatoris violentiâ. In medio nationis tam pravæ atque perversæ in multâ spiritûs angustiâ & carnis nostræ amarâ penuriâ, licet deprædata, licet afflicta servabat tamen Ecclesia nostra cum domno Abbate obedientiam Romanæ Ecclesiæ, & incontaminatam se custodiebat ab excommunicatorum communione. Quapropter irâ gravissima & odio intolerabili atque rapinâ in domnum Abbatem Rodulfum, & in nostros & nostra omnes ferebantur, quicumque Imperatorem & suum Alexandrum sequebantur.

In tempore illo & in diebus illis scripsit domnus Abbas Rodulfus epistolam ad ipsum Alexandrum, & aliam ad quemdam de suis, redarguens eos cum magnâ libertate animi, & constantia, & auctoritate de illicitâ ejus invasione & de tyrannide quam in Ecclesiam exercebant quotidie, & instruens eos quæ esset canonica electio, & ad Episcopum ecclesiastica promotio & de Imperatoris dono. Sed quid? non mutavit Æthiops pellem suam. Interea Lovaniensis Dux villas nostras & Ecclesias, & quæcumque de nostris dominio suo adjacebant, militibus suis distribuebat. Comes verò GISLEBERTUS advocatus noster de nostris quæ ei subjacebant similiter fecerat, HENRICUS Castellanus de Cohunc Ministerialis Imperialis Imperatoris quæ super Mosellam videbamur habere possidebat, quisque dominorum, imò raptorum prout eis nostra contingebant. Solùm deerat votis Alexandrinorum & aulicorum domnus Abbas Rodulfus, desiderantium eum quandoque rapere, & Imperatori dehonestandum pro magno munere offerre, hoc ei totum conflaverat advocati Gisleberti vetus in eum & novum odium, & detractio continua apud ipsum tyrannum: sed testis erat qui novit corda, quia præter Romanam obedientiam non peccaverat in illum.

O quoties fideliores & meliores Ecclesiæ domnum Abbatem convenerunt humillimis precibus, & piis obsecrationibus, prætendentes ei tempestuosi temporis tempestatem, ut promissâ sibi priùs securitate offerri se pateretur à fidelibus viris Imperatori, & osculo tantùm & colloquio ei communicaret, & sic deinceps pacem & gratiam ejus tam ipse quàm bona nostra haberent. Cumque evincere non possent, quia ille constanter dicebat sibi servandam obedientiam Romanam & communionem catholicam, conviciis affectum aspernabantur, & sinistris auspiciis devoventes iratum solum relinquebant. Nam si quando Trajectum sive Leodium Imperator venisset, vix eum tutum fore posse intrà nostri quoque templi parietes amici ejus credebant, quos & Alexandrini plurimùm concitabant. Ipse tamen nihilominùs quantum valebat ab Ecclesiâ nostrâ eos arcebat, & si quando ad unum altarium nostrorum ab uno suorum Alexandro Missa cantaretur, nullum nostrorum ibi Missam cantare permittebat ampliùs: donec benedictione datâ ab ipso Episcopo Frederico reconciliaretur. Præteribant dies sanctæ Quadragesimæ, necnon similiter Passionis Dominicæ, & tota Ecclesia nostra cum domno Abbate ago-

nizabat vehementer in hac passione. Nil nos juvare poterat, quòd consilio & multis precibus fidelium Ecclesiæ pacem & securitatem tam nostri, quàm bonorum nostrorum credebamus nos redemisse viginti quatuor marcis à Dovaniense & à Durachiense impeditis, quæ supererant nobis sub fœnore pro hac gravissima exactione. Inimici Dei & sanctæ Ecclesiæ mentiuntur promissum, rumpunt fidem, ventum cum esset ad clausulam, scilicet aut Abbatem eis communicaturum, aut loco aut Abbatiâ cessurum, sive fame cum omnibus nobis in eâ moriturum, atque ad complenda eorum longa desideria hujusmodi eis est occasio suborta.

Infirmata matrona de majoribus oppidanorum, propinquabat ad mortem: spes vivendi nulla erat: conveniunt Abbatem filii & parentes, rogant ut cum defungeretur, Missam & exequialia de more ei faceret. Quid faceret? annuere eis quod non erat facturus eum non decebat, negare causamque quærentibus dicere seditio futura erat. Quid tandem? respondit se non audere: quærentibus quare, pro servandâ, inquit, sanctâ communione; sed si viri tantùm vellent abesse, præsentibus mulieribus Missam & exequialia non timeret peragere. Suggesserunt crebriùs eadem; & eadem ab eo audierunt. Episcopum verò Alexandrum non Episcopum reputabat, sed invasorem & tyrannum. Ergone tantùm, inquiunt, viri excommunicati sunt? Itaque recedentes commoverunt seditionem magnam, populusque cum filiis ægrotantis matronæ cum clamoso furore querimoniam apud Advocatum faciunt de ipso: Ecce, inquiunt, Advocate patet, quòd pro excommunicatis tam te quàm nos habet, quia te duce venimus Hoïum in Ducis expeditione, ob hoc neque nos in communione, neque mortuos nostros propter nos vult recipere. Satis utique ignominiosum tam tibi quàm Duci, qui in medio nostrûm securum pateris esse inimicum Imperatoris, qui tam ipsum quàm te & nos non negat se habere pro excommunicatis. Monebant Abbatem secretò amici & homines sui, ut saltem residens Conventum Fratrum ad exequias mitteret, & tentantes eum à proposito avertere, dicebant ei utilius esse ad horam necessitati temporis cedere, quàm Ecclesiam sibi commissam desolatam relinquere. Sciebant enim alterutrum imminere, aut voluntati eorum aut loco cedere. Flecti non potuit.

Nunc quoniam sermo de expeditione Ducis versùs Hoïum incidit, breviter tangam quid fuerit. ALEXANDER Hoïum castellum occupaverat, quem in eo FREDERICUS Episcopus cum fratre suo Namurcensi Comite GODEFRIDO obsessum tenebat; nam suburbana Hoï Frederico magis favebant quàm Alexandro: ad quem liberandum Dux applicuit exercitum Hoïo ex unâ parte Mosæ, in quo oppidani nostri fuerant (& hoc est quod Advocato & Duci improperabant, ut eos ampliùs in Abbatis contumeliam sic accenderent) ex alterâ parte Mosæ de verticibus montium Comes LAMBERTUS in obsidentes castellum cum ingenti multitudine exivit. Pugnatum utrimque acriter est, illinc à Duce, istinc à Lamberto Comite contrà utrosque ab his qui erant cum ipso Frederico & fratre ejus Namurcensi Comite. Dux inani spe frustratus recessit. Comes LAMBERTUS in bello prostratus de equo & vulneratus, captivus ductus Namurcum fuit. ALEXANDER obsidionem diù sustinere non valens, & valde expavefactus ex verbis Papæ Calixti, qui ei mandaverat quia clauderet ei januam æternæ vitæ nisi cessaret, Episcopo Frederico castellum redderet, & promissâ emendatione & perpetuâ cessatione; in publico Conventu Leodii absolutus est ab Episcopo Frederico cum paucis adhærentibus ei Clericis, & domi sedens ad tempus invitus siluit. Nunc ad narrationis ordinem revertamur.

Advocatus jamdudum in Abbatiâ graviter infensus, nunc verò magis in iram & furorem propter supradictam exprobationem succensus, Duci quid eis faciendum sit de Abbate communicat; consultumque accepit. Secundo die Paschæ in atrium Ecclesiæ veniens, pulsatâ campanâ populum convocat: ubi de illo pariter cœperunt tumultuari & conqueri, & vicissim favere ejus derogationi, mandatus exire ad eos derogat. Advocatus homines ejus pro mandato suo nolentes eum exfestucare exfestucat: die illâ totâ satis turbæ actum est in turbâ: sequenti die Comes ARNULFUS de Los se interposuit, nihilque profecit: cumque neque mutari posset Abbatis constantia, neque dissidentium ab eo pertinacia: itaque defatigatâ eorum ratione & eorum dissono fremitu, eò res demum redacta est, ut aut loco cedendum, aut excommunicatis communicandum sibi esset. Nec diù hæsitavit quod potissimum eligeret; vir enim prudens citiùs advertit, etsi temporis necessitas præsentiam suam Ecclesiæ sibi commissæ omninò deposceret, priori tamen honori & constantiæ suæ nullatenùs debere notam subsannationis inferre, nec egregia principia probroso exitu corrumpere. Tædebat eum bona Ecclesiæ quotidie videre diripi, & ab his qui debebant nullum auxilium ferri. Concertabat verò ægerrimè in mente ejus hinc Fratrum affectus, quos intimè diligens sine gravi dolore ita desolatos relinquere nequibat, illinc conservandæ Catholicæ communionis superiùs liberrimè acta constantia. Sed quid zelus Ecclesiæ, & magnanimitas honesti fortisque propositi? Demùm palmam hic conflictus penes eum obtinuit; certus itaque de incontaminandâ Fratrum perseverentiâ, cessit tamen non sine magno ejulatu eorum, & meliorum de Abbatiâ dolore, parvipendens præsentia melioris vitæ contemplatione.

Anno incarnati Domini millesimo centesimo vigesimo primo exivit, Ordinationis ejus XIII. quartâ feriâ Paschæ, quæ fuit eo anno Idus Aprilis, atque à Comite Arnulfo de Los honorificè conductus, humanissimè quoque ab eo est hospitio susceptus, liberaliterque stipendiatus. Paucis itaque cum eo factis diebus, licet morbo tunc per plures diffuso capitis & oculorum tunc gravaretur, viam tandem versùs Flandriam est aggressus, atque per Lovanium ubi dominus Lovaniensium folia tantùm dedit verborum: inde per Hafflingiam, per Cœnobium S. Bavonis, tandem Gandæ pervenit ad Ecclesiam sancti Petri. In illis diebus præerat Hafflingiæ primus Abbas loci illius FULGENTIUS, vir cum omni suo Conventu vitâ religiosus atque hospitalitati deditus: apud sanctum Bavonem GUALRICUS, in providentiâ rerum temporalium vigilanter strenuus: apud sanctum Petrum Gandæ ARNULFUS qui postea vivens Abbatiam reddidit, inquietatus à Fratribus. Exuberabat tamen ejus tempore locus ille victuum & vestium tam sanis Fratribus quàm infirmis superabundanti copiâ, vigebantque sub eo introducta per eum religiosa Cluniacensis Ordinis studia. Ab his supradictis omnibus piâ humanitate & compassione susceptus, postremò Gandæ sub eodem Arnulfo Abbate, donec de tam solido littore posset speculari quando Deus imperaret ventis ejus & mari. Interim dum ibi moraretur, manus Domini paternæ super eum visitationis correptionem super correptionem ei apposuit, quia frater ejus uterinus qui cum eo exierat vice famuli, sed affectu germani, longo languore vitâ decessit; jacet sepultus Puti ante occidentalem portam Monasterii, quod 1121.

circumdat murus undique vasti & benè compositi paradisi. Signatur sepulcrum ejus lapide polito atque subnigro. Quantâ constantiâ animi, quantâ vultûs serenitate visitationem illam Domini sibi suscepit, cum tamen carnis affectu ut homo intùs ureretur, mirabantur omnes qui eum intuebantur, maximè ipse Arnulfus Abbas, qui omne genus consolationis affectu & effectu maximo erga eum exercebat. Fuit igitur cum eo usque post obitum Frederici Leodiensis Episcopi, propter cujus obedientiam & Romanæ Ecclesiæ communionem supradictam patiebatur incommoditatem.

Eo anno defungitur Episcopus FREDERICUS VI. Calendas Junii, & ALEXANDER reducitur à suis & cum suis. Præter eum verò solum quem Episcopus Fredericus absolverat, ut & Hoyum exiret & ab Episcopatu cessaret, nullus suorum laïcorum absolutus fuerat, neque ipse eorum communionem in aliquibus devitabat; videbatur enim tam sibi quàm suis, quòd omnis contradictio, quæ eos hactenùs impugnaverat, defuncto Frederico sublata & remota esset. Vocatus ergo ab eo licet excommunicatus adhuc Lovaniensis Dux Leodium venit, Clerum & populum ei pacificare satagit, & in pleno conventu Capituli reformat ei assensum electionis; qui de Frederinis intererant, silentio magis quàm corde aut ore assentiebant. Placuit tunc quoque in communi eis, Abbatem Rodulfum revocare, ut illo ei cooperante qui in parte domini Frederici nonnullæ opinionis fuerat, & Archiepiscopo virtute constantiæ in persequutione satis innotuerat, ad ea quæ restabant promptiùs de Alexandro prævalerent. Scientes autem quia pro ipsis minùs rediret, litteris & sigillo Leodiensis Ecclesiæ eum remandaverunt. Rediit, sed ex consilio Alexandri, licet hoc negaret, Abbatiam intrare ab Advocato Gisleberto non permittitur, donec intelligeret aut probaret, quo animo, quo studio causam suam tueretur. Cumque Leodii moraretur, nitebantur valde communes amici eorum ut pacificaretur: Abbas Rodulfus non renuebat, sed secundùm Deum & animæ suæ salutem: Alexander neque hanc neque illam volebat interponere conditionem: manebat interim Leodii apud sanctum Laurentium. HERIBRANDUS tunc temporis ibi præsidebat post BERENGARIUM. Sed cum intelligeret ex his quæ Alexander quærebat, quia anguis in herbâ lateret, atque cognosceret quia ille excommunicatis communicaret, & factus conventus excommunicatorum communione contaminatus esset, dolebat vehementer se venisse, & libentissimè volebat se absentare, ne cætera sua strenuè acta fuscaret vel falsâ opinione; sed non parum habebat anxietatis & sollicitudinis, quia neque in Frandriam redeundi facilè copia ei erat, cum videret eos sibi dissentire à quorum conductu eò redire haberet, & timeret deesse sibi ad victum pertinens, si Leodii remorari necessitas compulisset. In proximo autem Archiepiscopus & Dux Trajecti debebant convenire, ut in pace omnia solidarent, sub quâ spe firmandæ pacis pacificè Trajectum venit. Nihil eorum quæ promittebantur actum. Archiepiscopus non venit.

Videns igitur facultatem in Flandriam revertendi minùs sibi suppetere, Coloniam intendit ad Archiepiscopum FREDERICUM. A Trajecto autem descendens Eiselo castellum, invenit ibi majorem Præpositum Ecclesiæ sancti Lamberti ANDREAM, qui postea Trajectensis Episcopus extitit, & cum eo de Ecclesiâ majores, qui Alexandri communionem vitabant: ubi invicem consolatis, & in perseverantiâ corroboratis, transivit ad virum nobilem GORGUINUM de Castello Falco-monte, qui & ipse fautor erat & cooperator Frederinæ parti faventium, qui honorificè habens eum secum aliquot diebus, deduxit eum in Arduennam ad Archiepiscopum, ubi tunc per nemorosa oblectabatur. Archiepiscopus de adventu gavisus, hospitio & consilio est eum consolatus. Mane autem facto adveniunt nuntii Alexandri HENRICUS Archidiaconus Ecclesiæ sancti Lamberti, filius CONONIS Comitis, & GODESCALCUS Canonicus Ecclesiæ sancti Servatii Trajecti, qui erant de communione Alexandri. Sprevit eos Archiepiscopus, nolens eos audire propter communionis contaminationem; tamen eis & Alexandro omnique Clero ei faventi inde apud sanctum Cornelium diem statuit, ut audiret eos ibi. Interim Abbatem Rodulfum secum Coloniam ducit, & commendat eum Roberto sanctæ MARIÆ sanctique Heriberti ultrà Rhenum Tuitii. Iste ROBERTUS [a] Leodii nutritus fuit in Cœnobio sancti Laurentii, quem propter præclaram nominis famam in sanctarum Scripturarum scientiâ Archiepiscopus sibi assumserat, & Abbatem loci prædicti constituerat. Hujus viri multa magna & præclara extant librorum volumina, quæ de divinâ paginâ exarata reliquit in Ecclesiâ, cujus corpus viventis nec somno poterat requiescere quin palpitaret lingua, & moverentur ejus labia in divinæ legis meditatione. Neque diù interfuit; venit dies positus Alexandrinis: Archiepiscopus convocatis majoribus Ecclesiæ Coloniensis affuit, Abbatemque Rodulfum cum Tuitiense Indam perduxit: duobus diebus longa ibi altercatio, longa de Canonibus disputatio. Archiepiscopus Alexandri & suorum communionem vitabat, & omnes cum eo qui de obedientiâ Frederici Episcopi fuerant. Alexander se absolutum ab Episcopo Frederico, & suos Clericos aiebat: Archiepiscopus non solùm Alexandrum & suos, sed & omnes qui erant capita Ecclesiæ sancti Lamberti pro excommunicatis se habere dicebat, exceptis his qui de obedientiâ & communione Episcopi Frederici adhuc extrà civitatem erant. Tandem quærentibus quare; Archiepiscopus respondit, quia defuncto & sepulto Episcopo Frederico Ducem Lovaniensem in Capitulum vestrum & in Ecclesiam introduxistis, & cum eo, imò per eum & propter eum electionem fecistis, cum ab Apostolico & meipso & ab ipso vestro Episcopo Frederico fuisset excommunicatus, & necdum absolutus, & omnes cum eo qui persequuti fuerant Ecclesiam sub Episcopo Frederico. Hoc autem totum faciebat Archiepiscopus, ut, cum ex hoc convicti satisfacerent, cassa esset eorum electio, quam cum excommunicatis & per excommunicatos & propter excommunicatos fecerant de Alexandro. Erant autem de illâ contaminatione honestæ personæ Ecclesiæ Archidiaconus ALMANNUS, Archidiaconus HENRICUS, SEIFRIDUS Diaconus, STEPPO Archidiaconus, & multi alii majores atque minores. Cum Archiepiscopo erant de Ecclesiâ Leodiensi ANDREAS Majoris-domûs Præpositus, EMMO Archidiaconus, Magister scholarum STEPHANUS, vir vitæ venerabilis, RAIMBOLDUS Præpositus sancti Joannis, & alii nonnulli in Ecclesiâ boni testimonii cum Abbatibus. Quid multa? Tandem procedunt omnes coram Archiepiscopo, & petitam impetrant absolutionem. Alexander interrogatus ab Archiepiscopo, obedientiam promittit manu suâ in manu ejus sacratâ positâ. Archiepiscopus per sanctam ei præcipit obedientiam, ut ampliùs se non intromittat de Episcopa-

a *Robertus*] Rupertum vulgò vocant cujus præclara extant opera.

tu, ille annuit. Et qui vidimus & audivimus hoc testificamur, sed die illâ solutus est ille Conventus.

Archiepiscopus expertus in illo Conventu, quàm necessarius esset Ecclesiæ Abbas RODULFUS, gratissimè illum secum Coloniam reduxit, donec deliberaret quid de illo esset acturus, commendatum supradicto Roberto Abbati. Nec multâ morâ intercedente causa exstitit, quâ majores Ecclesiæ Coloniensis Archiepiscopum adierant Præpositi, Decani, Cantores, Scholastici, necnon & Abbatum aliqui, quorum unus erat Tuitiensis Abbas ROBERTUS, qui ad illum Conventum secum duxit Abbatem Rodulfum. Aderat & Sigebergensis Abbas CONO primus, qui postea Ratisbonæ exstitit Episcopus.

Apud illum decreverat Abbas Rodulfus se mansurum; quoniam locus erat famosæ religionis, & propter excelsum montem propter Monachos amandæ solitudinis, sed divina providentia aliter fieri de eo proposuerat. Ecce enim Fratres S. Pantaleonis adveniunt, & Archiepiscopi pedibus provoluti coram toto Conventu se post defunctum Abbatem suum HERIMANNUM jam novem mensibus pastore caruisse conqueruntur, religionem deperire, bona Ecclesiæ imminui. Archiepiscopus sine morâ optionem dat eis eligendi; pars illum, alia elegerat alium. Fœda coram Archiepiscopo inter eos erat dissensio. Longo enim novem mensium spatio magis creverant partes, quàm unanimitas crevisset. Ipse quoque Abbas Rodulfus pro nostri Ordinis reverentiâ, ut eos uniret, aut saltem disciplinatè loqui coram tanto Conventu faceret, se interposuit, & frustrà laboravit. Archiepiscopus semel & secundò de concordiâ monuit eos, & locum dedit consulendi, deteriorisque recepit. Quapropter consilio cum majoribus Ecclesiæ accepto, placuit in auribus omnium, ut providentiam illam Abbati Rodulfo committerent. Ille tale quid nihil unquam suspicatus, de benevolentiâ dominorum, primùm gratias egit pronus in terram; deinde renisus est quantum ratione & auctoritate potuit & licuit: sed Decanus & Magister scholarum majoris Ecclesiæ EGEBERTUS (qui postea regularis factus Canonicus atque Monasteriensis est Episcopus) citò ei occurrit ex sententiis Canonum, cum pro Romanâ communione pulsus esset à sede suâ, & sancti Pantaleonis vacaret Abbatia. Cessit tandem, nihil tamen aliter nisi Fratrum loci illius consensu & electione hoc fieret; & unanimiter hoc factum est. Itaque mense Septembrio medico ante Nativitatem sanctæ MARIÆ, sancti Pantaleonis Abbatiam ingressus est, introductus à majoribus Ecclesiæ Coloniensis, & in festivâ Fratrum & familiæ processione susceptus.

Rodulfus Auctor Chronici eligitur Abbas S. Pantaleonis.

Ecclesia autem S. Pantaleonis ex privilegio Romano antiquitùs hoc habuisse dicebatur, ut Abbas loci illius sandaliis & dalmaticâ uteretur, vicesque ageret Archiepiscopi per civitatem in suis stationibus. Sed ANNO Archiepiscopus sandalia & dalmaticam prohibuit, vices verò suas agere per stationes concessit. Sic usque ad tempus Abbatis Rodulfi permansit, & quia erat homo pulcri, ut dicunt, personatûs, & divino assistens officio decenter sonorus, frequentabant stationes quas agebat frequentissimè Coloniensis populus, matronarumque plurium devotus Deo sexus. Clerus verò sine omni invidiâ solemne exhibebat ei obsequium, tamquam si haberet præ oculis ipsum Archiepiscopum.

In brevi & sine grandi labore dilapsum ordinem & violatum Fratrum concordiam pulchrè reformavit, peroptimamque virtutem puræ confessionis in Fratribus illis invenit, furtivarumque & publicarum vigiliarum et orationum indefatigatam assiduitatem. Clausam imò seratam januam hospitalitati aperuit; domos dirutas atque deformes, dignas ipsi Archiepiscopo hospitibus atque loci Abbati reparavit; nihil unquam passus mensæ Fratrum de statuto imminui. Inter vetus & novum centum & viginti carratæ vini Ecclesiæ illo anno provenerunt. In hospitibus & plurimùm Monachis & regularibus Canonicis multa expendebat, quippe quibus & janua & mensa ejus semper patebat. Magni & etiam majores de Ecclesiâ S. Lamberti, qui propter Alexandrum adhuc erant extra Leodium, magnum apud eum frequenter habebant refugium, nunquam tamen egebat, quin magis semper abundabat; diligebatur à familiâ Ecclesiæ valdè, eo quod tractabat eam honorificè, & Theutonicorum disciplinato more. Cum Judæis frequenter lene habebat colloquium, non disceptando neque exprobrando, sed duritiam cordis eorum palpatu & fricatione quâ opus erat emolliendo. Quamobrem ita amabatur ab eis, ut etiam mulieres eorum irent videre eum & alloqui.

Fluctuabat adhuc graviter Leodiensis Ecclesia, nec certam spem designati rancoris habebat. Frater Ducis Godefridi Lovanii ADELBERO primicerius Metis, jam nunc multis erat in ore & Judæis; rumor & opinio de ipso magis accrescebat. Porrò sub eo spatio temporis causa Imperatoris adeo cum Apostolico in pacem & concordiam rediit, ut cum Imperator à prædictâ excommunicatione absolveretur, ALEXANDER insitâ sibi prurigine necdum depositâ, sed lividis hydræ capitibus circà præcordia ejus anhelantibus, limas aureas atque argenteas præparat, quibus avarorum manus & animos ad satisfaciendum ambitioni suæ acuat. Lenitus esset ei talibus instrumentis asper ei priùs animus Episcopi Coloniensis Frederici, sed Rodulfus Abbas tunc S. Pantaleonis, cum auxilio Decani majoris domini Egeberti, & eorum qui erant de parte defuncti, spem vanam ambitiosi hominis prorsùs exinanivit.

Itaque Alexander ubi sæpiùs experitur conatus suos frustrari, cœpta vel dissimulat vel omittit. Fit tandem de ALBERONE Leodii assensus, Imperatori præsentatur, dono Episcopali à manu ejus investitur, Coloniam consecrandus ducitur. Exhibent se ibi Fratres nostri Cœnobii videlicet S. Trudonis, Abbatemque suum repetunt auxilio Ecclesiæ Leodiensis. Advenerat quoque pro eo repetendo STEPHANUS dominus noster Metensis Episcopus. Grandis erat inter eos pro eo decertatio. Alii ut utrasque Abbatias haberet, alii ut illam S. Pantaleonis retineret. Neutrum illi placebat, animus ejus ad primam sponsam redire intendebat. Res eo processit, ut adhuc investitus S. Pantaleonis Abbatiâ ad nostram honorificè rediret, & liberè reinvestitus eâ de quâ injustè exturbatus fuerat, atque securè possidens, deliberaret secum quid sibi melius esset: quod & ita factum est. Sacrato Episcopo ADELBERONE, cum eo rediit Leodium, refocillatusque ibi pauculum, introductus est in Abbatiam & Cœnobium nostrum per HENRICUM Archidiaconum.



LIBER DUODECIMUS.

DIES quibus extrà Abbatiam fuit Abbas RODULFUS fuerunt duo anni & menses quinque, intrà quos Advocatus noster GISLEBERTUS & filius ejus OTTO redditibus Abbatiæ ad libitum suum abutebantur, neque solùm eis, sed quæ apud nos Episcopo quoque Metensi debentur: nec sacris etiam locis

dignam exhibebat reverentiam, cum in cellâ Abbatis quasi in propriâ domo manens, novæ nuptæ suæ commixtione juxtà sacratæ telluris parietes filius non abstineret. Reverso autem Abbate post dies aliquot Pentecostes, atque cum occursu longè à villâ multorum hominum, & majori gloria cum processione suscepto quàm contumeliâ exivisset, Advocatus & filius ejus cellâ Abbatis abstinuerunt, & direptis sibi quæcumque tunc poterant, futuris redditibus renuntiaverunt. Ita tamen eorum & indignatio & odium adversùm Abbatem non erant pro hoc minorata, sed in occulto, ut ita dicam, ampliorata. Nam propter Episcopum Leodiensem Adelberonem qui eum diligebat & reverebatur, & de Coloniâ secum reduxerat; & ad locum nostrum remiserat, non erat quisquam eorum ausus, qui in manifesto ei adversaretur.

Itaque reversus multis modis dilapidatam invenit Ecclesiæ substantiam, & debitis & usuris graviter oppressam. De eis ergo quæ Deus ei foris dederat, & secum attulerat, & quotidie administrabat, communem Ecclesiæ anxietatem maximè de debitis & usuris relevabat. Nec multum moratus, cellam quæ juxtà majorem turrim posita erat quasi leprosam habens exosam propter supradictorum cohabitationem, & quia vetustate corruptis atque fractis trabibus facili sumptu non poterat reparari, fregit & funditùs destruxit, juxtà aliam quam ipse olim construxerat novam pro veteri construens congruam hospitibus necessariis appendiciis, Capellâ quoque & viridariis: cujus lapides ad opus domûs dormitorii extraxit, & fundamento unius parietis versùs orientem jacto, extra terram aliquantulùm anno illo eduxit. Habebat etiam & ob aliud exosam, quia apta fuerat olim recessibus profanorum qui de junctâ illi sacrâ turre struxerant sibi bellicosum præsidium, quod & adhuc posse fieri sibi posterisque suis timebat. Pulsatus enim usque ad graves injurias & inimicitias per Advocatum Gislebertum aliquando fuerat, ut similiter in eâ milites suos ponerent propter utriusque de villâ securitatem, sicut cum eo fecerat Abbas Theodericus, & ante eum cum eodem Advocato oppidani suis vocibus, quâ de re multa de eâ turre evenerant mala, & in adjunctâ & camminatâ perpetrata fuerant plurima flagitia. Ob hoc igitur eam fregit ut turris à modo minùs apta esset seditiosorum munitioni, & domus Dei non profanaretur ampliùs ab eis.

Cumque aliquando solus ibi sederet, & ærumnas præteritosque labores suos recogitaret, atque in inquietudine quâ manebat locum deflendi peccata sua se habere non videret, cœpit valde tristari & mœstus esse, & de fugâ & linquendâ sibi patriâ cogitare. O quoties cupido licet mœrenti revolvebat animo, si fortè unquam liberè voci illi Domini ad Abraham posset obedire, *Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ.* Atque illud Psalmistæ veraciter psallere: *Elongavi fugiens & mansi in solitudine.* Intendebat ergo animum Romam ire, atque in itinere religiosorum virorum consilio quod intendebat si agendum esset, peragere. Deinde ut perageret Apostolicâ firmari benedictione. Interea Alexander privatus & quietus sub Adelberone Episcopo timebat, honoribus contemptis quos priùs possederat. Incidit & illi in mente ut Romam pergeret, & de perturbationibus quas in Ecclesiâ fecerat, ultrà communem absolutionem quam acceperat singularem sibi à summi Pontificis gratiâ impetraret. Honorius post Calixtum tunc Romæ præsidebat. Priùs verò reconciliati ipse & Abbas Rodulfus, peregrinationem suam per sanctum Ægidium aggressi sunt simul cum omni dilectione & bono affectu: cumque emensis Alpibus intrassent Italiam, pervenerunt Hose, quæ Senis-villa dicitur alio nomine, una de nobilioribus civitatibus Tusciæ, ubi cum pernoctassent, mane egressi; inciderunt in prædones circà meridiem. & captivi abducti per devia perdiderunt omnia suæ peregrinationi necessaria. Vix tandem post magnum laborem, post multum timorem cum parvissimis sumptibus equos receperunt. Neque tamen à peregrinatione destiterunt.

Gen. 12. 1. — *Psal. 54. 8.*

Itaque Romam pervenientes cum minùs consolationis & compassionis quàm speraran, tam secundùm Deum quàm secundùm homines invenirent; ad sanctorum Apostolorum limina, & aliorum multorum Sanctorum suffragia devotè se contulerunt, satisfacientes votis suis lacrymis & precibus, prout erat unusquisque sibi conscius. Ubi cum per aliquot dies morarentur; & de Apostolico & de his qui circà eum erant viderent & intelligerent quæ dicta sibi domi credere non vellent, in diversas animi partes ferebantur, plurimùm Rodulfus Abbas qui sibi benè conscius erat, pro quo terram egressus fuerat. Cumque vigilans nocte aliquando jaceret, & die in Ecclesiis solus Romæ resideret, diligenti curâ & sollicito retractabat animo, quæ peregrinationis suæ fuisset intentio; & de eâ revelatâ religiosis viris quid in itinere didicisset ab eis. Sollicitabat etiam eum hoc non parum: ad ea quæ cogitaverat si essent explenda, cuncta ei jam surrepta fuerant necessaria. Præterea terram ad quam ulteriùs disposuerat peregrinari, audiebat pollutam esse inveteratâ hæresi de Corpore & Sanguine Domini, sed & de consilio animæ suæ, & eorum qui sibi fuerant commissi nihil aliud audierat à religiosis viris; nisi quod domi didicerat ex ecclesiasticâ disciplinâ & libris communibus tam nobis quàm illis. Super hoc accreverat ei passio jamdudum in clune, quam Physici solent sciaticam appellare: ea cùm gressum ei perstringeret, equitare etiam sine continuo cruciatu non sinebat.

Talibus à proposito revocatus necessitatibus, salutatis Sanctorum patrociniis & Apostolorum osculatis liminibus, acceptâque apostolicâ benedictione, intendebat cum prædicto socio repatriare. Cumque ad supradictam urbem Hose redissent, omnia quæ sublata eis fuerant à prædonibus, præter spem invenerunt sibi recollecta à suis hospitibus, & à cunctis urbis civibus. Magnum Dei & occultum judicium, ut Romam pervenirent pauperes & domum redirent divites. Quid moror? per multas animi tribulationes, per multas corporis passiones, per exitialia Montis-Jovis pericula recepit eos tandem civitas Basilea. Alexander inde remeavit eques per Burgundiam, Rodulfus naufragoso navigio usque prope Coloniam, quoniam propter supradictam passionem ferre non poterat juges equitationes.

Paulo post Adelbero Leodiensis Episcopus in pace requievit; vir simplex & rectus, lenis, pudicus, sine avaritiâ, bonis moribus, nobilior nobilibus: statim malè sanata cicatrix veteris morbi Alexandri, bis priùs effracta, tertiò jam erupit, & ad Episcopatum anhelans ut lupus ad dilapsam sibi prædam, omnem pudorem Deique timorem postponere cœpit: sed quid melius tacenda, quàm maledicenda in auribus hominum proferre volumus? assequutus est quod voluit. Quomodo? Sicut Deus novit. Gladebach Cœnobio sancti Viti consecrationis ejus dies fuit; res mira! ab Archiepiscopo Coloniensi Frederico, qui tanta in eum egerat antea, ab illo: imbutus antiquitùs vitiis avaritiæ, subtrahere se non poterat à servitio idololatriæ per exercitium simoniæ; quapropter à suis Clericis agitatus, ante Apostolicum Honorium Romam est in-

Adelbero Leod. Episc. vitâ functus. Alexander bis expulsus iterum occupare nititur.

vitatus. Tunc illi visum fuit utile Abbatem Rodulfum secum posse ducere. Abbas non recusat, neque tam propter eum, quantum propter insitum ei adhuc prioris peregrinationis suæ desiderium imperfectum. Hyemalis tota fuit hæc profectio, atque idcircò vix tolerabilis corpori humano. Itum tamen est. Romæ positis soporato nocte Abbati à furibus, & ut dicebant vicini, à proprio hospite ablatum est ei quod paraverat ad peregrinandum suæ antiquæ & novæ voluntati. Decidit igitur ibi prorsus ab iteratâ intentione, quam secundùm quod poterat conjicere putabat voluntatem Dei non esse.

Alexander infuso sibi ab Apostolico Honorio vino salubris increpationis, & oleo paternæ commonitionis, domum cum Abbate Rodulfo repatriat, quem in omnibus postea reveretur & honorat. In reditu autem suo Nativitatem Domini Placentiæ celebraverunt, & increscentibus hyemalibus periculis Augustam civitatem transeuntes, ad villulam, quæ est in pede Montis-Jovis, quæ vocatur Restopolis cum difficultate morti proximâ pervenerunt, ubi nec ante ire valentes, nec retrò propter altissimos nivium aggeres, Octavam Domini egerunt; & post aliquot dies præmonstratâ eis à præducibus maronibus difficillimâ viâ, (marones enim appellantur viarum præmonstratores) subactis duobus milliariis Teutonicis ad S. Remigii villulam in ipso Jovis-Monte pervenerunt. In quo loco tamquam in mortis faucibus coagulati, manebant nocte & die sub periculo mortis & angustiâ: villula tota completa erat peregrinorum multitudine, ex altissimis & scopulosis rupibus ruebant frequenter intolerabiles omni opposito nivium aggeres, ita ut aliis jam collocatis, aliis adhuc supersedentibus mensis domos juxtà eos prorsùs obruerent, & inventos in eis quosdam suffocarent, quosdam contritos inutiles redderent.

Sub hac jugi morte aliquot dies in infaustâ villulâ illâ fecerunt. Tunc sponte applicantes se peregrinis montis marones, gravem indicunt eis mercedem ut tentatam viam aperirent, pedites perigrini eos sequerentur, equi post illos; sicque trita via planaretur dominis, qui delicatiores retrò venirent. Itaque marones capitibus propter nivium frigus filtro pileatis, manibus villosè chirothecatis, pedibus cothurnis munitis atque subtùs à plantâ ferreis aculeis propter lubricam glaciem armatis; hastas longas ad palpandam sub altâ nive viam in manibus ferentes solitam audenter ingressi sunt viam: summum mane erat, atque cum summo timore & tremore sancta mysteria peregrini celebrantes atque sumentes, ad instantis mortis ingressum se præparabant. Certabant, quis eorum prior Sacerdoti confessionem suam dare posset, & cum unus eis non sufficeret, passim per Ecclesiam invicem sua peccata confitebantur. Cumque hæc in Ecclesiâ cum summâ devotione agerentur, percrepuit per plateam luctuosissimus luctus; nam marones per ordinem de villâ egressos, subitò lapsus rupibus instar montis densissimus nivis globus decem involvit, & usque ad inferni lacum visus est extulisse. Quibus hujus infausti mysterii aliqui conscii fuerant, præcipiti cursu ad hunc homicidam lacum velocissimè ruerant, & effossos marones alios exanimes in contis referebant, alios semivivos, alios contritis ossibus in manibus trahebant: illa maritum, illa fratrem, ille & ille illum & illum se amisisse clamitabant. Tam horribili occursu peregrini exeuntes de Ecclesiâ exterriti paululum hæsitaverunt, & idem timentes sibi futurum, quantocius Restopolim refugerunt, de difficultate viæ nulla ut priùs quæstio, plana videbatur eis, pro effugiendo mortis periculo. Ibi acta Epiphania Domini, & exspectato sereno aëre conductis maronibus mortiferam villulam repetunt, & timore mortis pedibus velocitatem præbente, die illâ usque ad medium montis modo reptando modo ruendo, vix tandem perveniunt. Sequenti die recepto aliquantulum spiritu profana Jovis sacra effugiunt, & ad patrium solum tendentes sine gravi difficultate perveniunt; sed Abbas non ita. Nam cum propter asperitatem hyemis & difficultatem itineris, tùm propter incommoditatem corporis contractis dietis lento vestigio est eos subsequutus, sed usque ad Primam non assequutus. Quapropter cum parvo comitatu pertransisset Bisuntium civitatem metropolitanam Burgundiæ, à maligno tyranno exceptus est insidiis alterâ die, atque per nigosa & saltuosa devia fatigabiliter deductus & distractus tribus diebus, demùm spoliatus necessariis in itinere, permissus est abire.

Jam igitur Româ secundò reversus, modicumque ab itineris vexatione recreatis, necdum tamen requiescebatâ priori desiderio, si fortè requiem quam extrà patriam quæsierat nec invenerat, in propriâ invenire valeret. Sed manus Domini antea super nos extenta, & necdum abbreviata, adjecit adhuc per solitum Angelum iræ suæ ministrum percutere locum nostrum, & commonefacere prævaricatores redire ad cor suum. Advocatum enim nostrum Comitem Gislebertum & filium ejus Ottonem [spiritu] malo repleri permisit, & in omne quod erat contrà jus & contrà fas ad deprimendam Ecclesiæ familiam irrevocabiliter suscitavit. Commonitus humiliter ab Abbate Rodulfo, increpatus frequenter à Lemburgensi Duce domino Gualeranno, proclamante super eum domino nostro Metensi Episcopo Stephano, pro pertinaciâ, pro contumaciâ abjudicatus est tandem legitimo judicio ab advocatiâ: & quia erat homo pertinacis animi & non multi consilii, contingit ei sub eisdem diebus culpis suis exigentibus, ut Comitatus & beneficium quæ habebat de Leodiensi Episcopatu, proclamante Episcopo Alexandro à paribus ei abjudicaretur. Quid faceret? Vires quibus supradictis dominis resisteret non habebat, animositas eum quiescere non sinebat, seditionem movit in regno, scandalum in populo; contulit ergo se ad Exducem Lovaniensem Godefridum, regni & Imperatoris inimicum propter Ducatum qui abjudicatus fuerat illi, & datus Gualeranno Lemburgensi Comiti Advocato nostro majori. Calamitas hujus dissensionis ex majori parte Ecclesiæ nostræ incubuit. Quæcumque ex nostris subjacebant Advocato & Exduci, aut cremata, aut vastata, aut servientia erant illi & suis; quanto erant nobis viciniores, tanto & infestiores. Solum restabat nobis oppidum & Cœnobium, in quibus non audebant adhuc profanas ponere manus. Erat autem Advocati permaxima intentio, ut quia sine omni munitione erat oppidum nostrum, vires suas & Lovaniensium in ipsum introduceret, & oppidanos hospitii dissipatione gravatos postremò captivos abduceret. Sed providentia Abbatis malignitatem ejus prudenti consilio avertit. Egit enim apud dominum suum Metensem Episcopum Stephanum, quòd Alexander Episcopus Leodiensis nostram Abbatiam & oppidum sub patrocinio suo suscepit. Juraveruntque sibi invicem fidem, consilium & auxilium Episcopales & oppidani: quâ fiduciâ renovare cœperunt fossati vetustatem, firmaveruntque qualem in planoterra nostra nunquam habuit munitionem.

Quamobrem crescebat vehementissimè in majus & majus malum dissensio, hinc furente Lovaniensi Exduce; hinc Comite Gisleberto. Monachorum &

Clericorum substantiis tam in villis quàm in Ecclesiis nunquam parcebant; omnem sexum, omnem ætatem, omnem ordinem captivantes, diris cruciatibus usque ad mortem pro redemptionem examinabant. His aliisque culpis exigentibus excommunicatus Lovaniensis Exdux, & Comes Gislebertus cum suis omnibus.

Obsidetur post hæc Durachium ab Episcopo Leodiensi ALEXANDRO, & Duce Lemburgense GUALERANNO: ad quod liberandum movit exercitum Lovaniensis dominus GODEFRIDUS, & cum eo Flandrensis Comes THEODERICUS. Durum commissum est prælium, ante ipsum pugnatum est acriter: Victi fugerunt Lovaniensis & Flandrensis Comites. Ceciderunt in isto prælio ex hostibus plusquàm quadringenti homines. Rediit circà castellum obsidio. Sed diù teneri non potuit propter instantem messem in Augusto. Soluta est ergo: sed tyrannorum permansit dissolutio in igne & gladio. Sub tali calamitate & angustiâ licet de victu & vestitu multum attenuata esset Fratrum substantia, ut pote qui tribus annis subjacuerunt hujusmodi passioni, tamen ob hoc nec disciplina eorum tepuit, nec numerus decrevit.

Cum autem complacuit ei in cujus manu sunt omnium potestates & omnia jura regnorum, & qui conturbat profundum maris & mitigat cum voluerit, dixit: *Angelo percutienti, cesset jam manus tua, ut non desoletur terra*, & statim facta est tranquillitas magna: nam Lovaniensis & Durachiensis domini, & qui cum eis erant excommunicati Leodium venerunt, & Ecclesiasticam facientes satisfactionem absolutionem acceperunt, & emendationem promiserunt. Itaque cessavit terra à bellis: jamque factâ secundâ crematione & vastatione Abbatiæ nostræ à Lovaniense Principe, primâ propter Advocatum nostrum Comitem GISLEBERTUM, tunc ei adversantem propter Imperatorem HENRICUM quartum: secundâ verò nihilominùs propter ipsum nobis adversantem & ei confœderatum; maxima sollicitudo incumbebat nobis de reparandis Ecclesiis nostris combustis, molendinis, villis dominicalibus, sicut vulneratis in bello de curandis domi eorum vulneribus; inter quæ maxima & continua mala intolerabiliter afficiebatur Abbas RODULFUS cùm animi vexatione tùm corporis pro sciaticâ passione, quæ ita ei totum clunem occupaverat, ut equo aut pede modicum valeret progredi. Itaque infirmitati suæ commodam & religiosè vivere volenti congruam ædificavit sibi cellulam versùs aquilonariam partem, juxtà occidentalem Monasterii absidem aperientem ostium in oratorium cryptæ choroque vicinum, votoque ei fuerat altare consecrare in honore sanctæ MARIÆ Matris Domini nostri JESU-CHRISTI & sancti Basilii Episcopi; quia beata Dei Genitrix semperque virgo Domina nostra MARIA nullum speciale Oratorium habebat in nostrâ Ecclesiâ. Sed medicinalis manus Domini quæ ab antiquo non consuevit corpus Ecclesiæ nostræ absque vexatione relinquere, adjecit quoque ad caput nostrum se misericorditer apponere, & passionem sciaticam transfudit in paralyticam.

2. Reg. 24. 16.

Mense Martio ordinationis suæ anno XXV. XV. Calendas Aprilis feriâ VI. diebus sanctæ Quadragesimæ sedebat Abbas Rodulfus ad mensam cum Fratribus in Refectorio: eâ ipsâ die dederat Fratribus generale de pisce, solvens abstinentiam pro humanâ compassione; ubi inter prandium allatæ sunt ei palustres anguillæ veru assatæ, atque subinde majores aliæ herbis primogenitis in pulmento confectæ, de quibus cum comedisset, & aviditatem sentiens abjecisset, apposuit manum ad poma quæ erant in scypho ante eum vino infusa, quibus ad modicum gustatis statim sinistra manus cœpit ei quasi plumbum aggravari, & momentaneis viribus interdum levari, angulus quoque labiorum in eâdem parte quasi emori, & lingua minùs solitâ facilitate uti. Territus valde, tamen lectionis finem non fecit, sed peracto prandio cum Fratribus gratias peragens, ad occidentalem cellam sine aliquo dolore, sed cum multo timore declinavit pro eo quod acciderat ei. Ibi cum suis familiaribus conferens de eo quod contigerat ei in refectorio, gratias Deo agebat, qui se evasisse cum non evasisset, putabat. Nam post collationes Fratrum sensit paulatim obstupescere crus sinistrum ita ut sine adminiculo non fuisset ausus ire ad lectum: circà mediam noctem cum evigilasset, omni officio cruris, & sinistri brachii privatus est inventus. Cumque de officio linguæ & sensûs integritate vehementer pavitaret, Fratrum orationibus devotissimè se commendabat, ut ei linguam ad confitendum & sensum ad recognoscendum Deus ei conservaret: quod & Dei clementia ei concessit. Eodem anno circà autumnum dolori huic paterna manus eum corripiens tantum languorem adjecit, ut à medicis desperaretur, & vix figmentum hominis prætendere videretur, & ut ipse inferre solebat, nocte festivitatis sancti Michaëlis tantâ passione attritus fuit, quasi qui Angelorum aspectum peccando offenderat, si Angelicis verberibus puniretur.

Postquàm de illâ infirmitate vix evasit, & de paralysi tantum meliorari cœpit ut bacillo inixus ambulare utcumque valeret, & Conventum Fratrum, Chorum, Capitulum interdum intrare, studiosissimè admonebat Fratres de observandâ religione, de avertendâ ab eis iræ Dei indignatione, fecit & sibi basternam fieri, qua ad usus Ecclesiæ quo vellet commodè valeret provehi, apposuit animum & studium ad informandum de muro claustrum, & sequenti anno aperiens turrim ante Conventum de parvo priùs fecit arcum, ut nunc apparet, magnum, mutans templi introitum ad dexteram manum, & in obturato priori introitu faciens depingi sanctæ Dei genitricis imaginem, ut haberet ab introëuntibus & exeuntibus dignam venerationem. Perduxit etiam murum dormitorii ad trabes ex utrâque parte, & murum Refectorii ex unâ vicinum coquinæ muro, & signato exitu de Claustro Capitulum quoque ordinavit tribus parietibus, juxtà quartum templi habens arcum ad introëundum, & duas fenestras ad illuminandum cum arcuatis columnis: murum Claustri super quem stare debent columnæ, ab uno capite Conventûs usque ad aliud in circuitu ab alto fundamento usque ad ponendas columnas evexit; pilariisque per circuitum erectis, locum columnarum distantium signavit, atque simul locum quem ad lavandas manus debet habere Conventus Fratrum. Jamque ex parte trabes excisæ jacebant in sylvâ, quibus dormitorii desuper & officinarum deorsum compaginaret structuram. Cumque ad hanc Abbas sollicitaret officiatos, & sollicitarentur à Fratribus, suscitavit Deus nescio quotâ vice super nos Angelum satanæ, & ut operis impedimento nos contristaret, & substantiæ detrimento nostra peccata puniret; adhuc enim manus ejus extensa super nos, & ira non erat aversa, provenientia sub hac occasione.

Est genus mercenariorum, quorum officium est ex lino & lanâ texere telas: hoc procax & superbum super alios mercenarios vulgo reputatur, ad quorum procacitatem & superbiam humiliandam & propriam injuriam de eis ulciscendam, pauper quidam rusticus ex villâ nomine Inda hanc diaboli-

can.

cam excogitavit technam. Acceptâ à Judicibus fiduciâ, & à levibus hominibus auxilio qui gaudent jocis & novitatibus, in proximâ sylvâ navim composuit, & eam rotis suppositis affigens, vehibilem super terram effecit: obtinuit quoque à potestatibus, ut injectis funibus textoaum humeris ex Indâ Aquisgranum traheretur: Aquis suscepta cum utriusque sexûs grandi hominum processione, nihilominùs à textoribus Trajectum est provecta, ibi emendata, malo veloque insignita Tungris est inducta, de Tungris Los. Audiens Abbas Rodulfus navim illam infausto omine compactam, malâque solutam alite cum hujusmodi gentilitatis studio nostro oppido adventare, præsago spiritu hominibus prædicabat, ut ejus susceptione abstinerent, quia maligni spiritus sub hac ludificatione in eâ traherentur, in proximòque seditio per eam moveretur, unde cædes, incendia, rapinæque fierent, & humanus sanguis multus funderetur: quem ista declamantem omnibus diebus, quibus malignorum spirituum illud simulacrum loci morabatur, oppidani nostri audire noluerunt, sed eo studio & gaudio excipientes quo perituri Trojani fatalem equum, in medio fori sui dedicaverunt, statimque proscriptionis sententiam accipiunt villæ textores, qui ad profanas hujus simulacri excubias venirent tardiores. Pape! quis vidit unquam tantam (ut ita liceat latinisare) in rationalibus animalibus brutitatem? Quis tantam in renatis in Christo gentilitatem? Cogebant sententiâ proscriptionis textores, nocte & die navim stipare omni armaturæ genere, sollicitasque ei excubias nocte & die continuare. Mirumque fuit, quòd non cogebant eos ante navim Neptuno hostias immolare, de cujus naves esse solent regione, sed Neptunus eas Marti reservabat, cui de humanis carnibus fieri volebat, quod postea multipliciter factum est.

Textores interim occulto, sed præcordiali gemitu Deum justum judicem super eos vindicem invocabant, qui ad hanc ignominiam eos detrudebant. Cum juxta rectam vitam antiquorum Christianorum & Apostolicorum virorum manuum suarum laboribus viverent, nocte & die operantes unde alerentur & vestirentur, liberisque suis idipsum providerent: quærebant & conquærebantur ad invicem lacrymabiliter unde illis magis quàm aliis mercenariis hæc ignominia, & vis contumeliosa, cum inter Christianos alia plura essent officia suo multum aspernabiliora, cum tamen nullum dicerent aspernabile de quo Christianus posset se sine peccato conducere, illudque solum esset vitabile & ignobile quod immunditiam peccati contraheret animæ, meliorque sit rusticus textor & pauper, quàm exactor orphanorum & spoliator viduarum urbanus & nobilis judex. Cumque hæc & eorum similia secum, ut dixi, lacrymabiliter conquererentur, concrepabant ante illud nescio cujus potiùs dicam Bacchi an Veneris, Neptuni sive Martis, sed ut veriùs dicam, ante omnium malignorum spirituum execrabile domicilium, genera diversorum musicorum, turpia cantica & religioni Christianæ indigna concinentium. Sancitum quoque erat à Judicibus, ut præter textores, quicumque ad tactum navi appropinquarent, pignus de collo eorum ereptum textoribus relinquerent, nisi se ad libitum redimerent. Sed quid faciam? loquarne an sileam? Utinam spiritus mendacii stillaret de labiis meis: sub fugitivâ adhuc luce diei imminente lunâ matronarum catervæ abjecto femineo pudore audientes strepitum hujus vanitatis, sparsis capellis de stratis suis exiliebant, aliæ seminudæ, aliæ simplici tantùm chlamyde circumdatæ, chorosque ducentibus circà navim impudenter irrumpendo se admiscebant. Videres ibi aliquando mille hominum animas sexûs utriusque, prodigiosum & infaustum celeusma usque ad noctis medium celebrare. Quando verò execrabilis illa chorea rumpebatur, emisso ingenti clamore vocum inconditarum sexus uterque hac illacque bacchando ferebatur; quæ tunc videres agere, nostrum est tacere & deflere, quibus modo contingit graviter luere. Istis tam nefandis factis plusquàm duodecim diebus supradicto ritu celebratis, conferebant simul oppidani quid agerent amodò de deducendâ scilicet navi.


Qui sanioris erant consilii, & qui eam susceptam fuisse dolebant, timentes Deum pro his quæ facta viderant & audierant, & sibi pro his futura conjiciebant, hortabantur ut combureretur, aut isto vel illo modo de medio tolleretur; sed stulta quorumdam cæcitas huic salubri consilio contumeliosè renitebatur. Nam maligni spiritus qui in eâ ferebantur disseminaverant in populo, quod locus ille inhabitantes probroso nomine ampliùs notaretur, apud quos remansisse inveniretur. Deducendam igitur eam ad villam quæ juxtà nos est Leugues decreverunt. Interea Lovaniensis dominus audiens de dæmonioso navis illius ridiculo, instructusque à religiosis viris terræ suæ de illo vitando & terræ suæ arcendo monstro, gratiam suam & amicitiam suam mandat oppidanis nostris, commonefaciens eos humiliter, ut pacem illam, quæ inter illos & se erat reformata & sacramentis confirmata, non infringerent, & inde præcipuè illud diaboli ludibrium viciniæ suæ inferrent: quòd si ludum esse dicerent, quærerent alium, cum quo inde luderent. Quòd si ultrà hoc mandatum committerent, pacem prædictam in eum infringerent, & ipse vindictam in eos ferro & igne exequeretur. Idipsum mandaverat Durachiensibus dominis qui & homines ejus fuerant manuatim, & interpositis sacramentis & obsidibus datis sibi confœderati. Hoc cum jam tertiò fecisset, spretus est tam ab oppidanis nostris quàm Durachiensibus dominis. Nam propter peccata inhabitantium volebat Dominus mittere super locum nostrum ignem & arma Lovaniensium. Ad hanc igitur plebeiam fatuitatem adjunxit se Comes Gislebertus contrà generis sui nobilitatem, trahendamque decrevit navem illam terream usque Leugues ultrà Durachiensem villam, quod & fecit malo nostro omine cum omni oppidanorum nostrorum multitudine, & ingenti debacchantium vociferatione. Leuguenses oppidanis nostris prudentiores, & Lovaniensis domini mandatis obsequentes portas suas clauserunt, & infausti ominis monstrum intrare non permiserunt.

Lovaniensis autem dominus precum suarum & mandatorum contemptum nolens esse inultum, diem constituit Comitibus tamquam suis hominibus, qui neque ad primum neque ad secundum, sed nec ad tertium venire voluerunt. Eduxit ergo contrà eos & contrà nos multorum multitudines exercitum armatorum tam peditum quàm militum. Nostro igitur oppido seposito tamquam firmiùs munito, & bellicosorum hominum pleno, primum impetum in Durachienses fecit, quibus viriliter resistentibus, castellum nescio quare cum posset non obsedit, sed inter Leugues & Durachium pernoctavit. Cumque sequenti die exercitum applicare disponeret, & ex quatuor partibus assultum faceret, habebat enim ingentem multitudinem, supervenit Adelbero Metensium Primicerius filiorum Lovaniensis domini avunculus, cujus interventu quia Comitissa Durachiensis erat soror ejus, & Durachiense erat castellum S. Lamberti, Lovaniensis dominus ab impugna-

tione cessavit, & ab obsidione se amovit, promisso ei quòd Durachienses paulo post ei ad justitiam suam educerentur; & cum ista & alia de dominis & inter dominos tractarentur, pedites & milites per omnia nostra circumjacentia se diffuderunt, villas nostras, Ecclesias, molendina & quæcumque occurrebant combustioni & perditioni tradentes, recedentes verò quæ longè à nobis fuerant prout cuique adjacebant, inter se diviserunt.

Vastata est tempore illo Abbatia, & direpta omnia Fratribus necessaria. Vastatio ista fuit quarta, quas infrà viginti sex annos fecit Lovaniensis dominus. Prima propter Comitem GISLEBERTUM dissidentem ab eo propter Imperatorem Henricum quartum; secunda cum eo propter ALEXANDRUM postea Leodiensem Episcopum; tertia quando pugnatum est ante Durachium nihilominùs propter ipsum; quarta quando inter eos est fœdus ruptum, propter terrestris navis malignum adventum, dominus iste grandis. Vastationes factæ sunt propter Comitem Gislebertum, aut per eum, aut cum eo, exceptis innumeris minutis quæ facere nunquam cessavit.

Isto ferè anno quid nobis per Abbatem RODULFUM acciderit necessarium sciens fore posteris nostris, tenaci memoriæ scripto mandare curavi. Homo quidam HEZELO nomine defunctus Dapifer Abbatum sub quibus consenuerat: hic dum adhuc viveret, & dominis suis placere familiari servitio sciret, familiaritate & calliditate suâ effecit, quod de mensâ Fratrum partem culturæ juxtà oppidum nostrum, & partes duas culturæ Utstades necnon & molendinum de Coetim, quod solvit omni anno viginti quatuor modios, suo feodo attraxit. Mortuus est tandem sine liberis relicto usufructuario suæ uxori, sicut ei firmaverat ante Abbates & coram Paribus suis. Surrexit autem filius fratris ejus post eum ARNULFUS nomine, volens quod avunculus tenuerat justè & injustè feodali & hereditario jure possidere, patronum inde habebat Advocatum nostrum Comitem GISLEBERTUM & potentiores qui de Paribus habebantur. Longa inter hunc Arnulfum & Abbatem Rodulfum fuit decertatio. Ille Abbatem urgebat falsis sed verisimilibus conditionibus, & Advocati violentiâ, de cujus erat familiâ. Abbas qui erat satis legis peritus, excludebat eum legibus & veris assertionibus, non solùm quæ avunculus occupaverat de mensâ Fratrum, sed & à feodo quod possederat legitimum. Quid multa? res tandem eò processit, quòd molendinum & culturam Arnulfus exfestucavit, & abjudicatum ei coram Paribus fuit, & quod ad dapiferi ministerium pertinebat, obtinuit. Molendinum verò & culturæ post mortem supradictæ uxoris nomine ENGELBERTÆ, judicata sunt ad mensam Fratrum redire. Molendinum eo tempore solvebat viginti quatuor modios annonæ commixtæ Leodiensis mensuræ, & modium frumenti & duos solidos. Acta sunt hæc solemniter publicè præsente GISLEBERTO Advocato & Comite, & RODULFO Abbate, testibus Paribus Ecclesiæ ARNULFO & EVERALDO.



LIBER DECIMUS-TERTIUS.

Diligentiùs igitur exarare volentes statutam antiquitùs præbendam Fratrum usque ad desolationem loci, propter Abbatum contentiones, & propter multimodas bellorum varietates, sic incipiamus. Mensæ Fratrum panis quotidianus quinque marcis Coloniensis ponderis appenditur, pulcher & albus, de speltâ maximè & de excusso primæ farinæ flore effectus: puerorum panis quatuor marcis, sed ejusdem pulchritudinis. Portio cervisiæ unicuique Fratrum, cervisiæ inquam qualem nulla alia Cœnobia habent, usque inter prandium & cœnam sextarius vinarius. Die dominicâ & feriâ tertiâ atque quintâ inter tres Fratres sextarius vini; sabbato ad mandatum inter quatuor: sed cum venisset ad nos usus Cluniacensium qui multâ sobrietate mandatum suum faciunt, sextam partem sextarii de vino in prandio accepimus, & de cætero more Cluniacensium mandatum explevimus. Juvenibus verò Fratribus nunquam dabatur vinum, nisi ab Abbate vel Priore eis dare præciperetur, & tunc quoque parciùs feriâ secundâ, feriâ quartâ, feriâ sextâ. Si talis eveniebat festivitas, nihilominùs inter tres Fratres sextarius vini dabatur. Habebant etiam Fratres quotidie legumen diebus quibus comedebatur, confectum sagimine, similiter & olus tribus in hebdomadâ diebus. Ab Assumptione verò sanctæ MARIÆ quotidie usque *Circumdederunt me*, quando vaccina caro comedebatur pinguedine carnis olera abundè condiebantur. Sed & scutellæ tam leguminum quàm olerum magnæ & benè refertæ habebantur à festivitate sancti Remigii usque ad Octavas Pentecostes. Præpositus de Testebant inter duo leguminum videlicet & olerum fercula piscem quotidie dabat; scilicet aut magnos lucios, aut anchoram sive salmonem, vel halec recentia, de halec recentibus unicuique Fratrum quinque dabantur, de anchorao tanta portio quanta palmæ hominis latitudo pollice juxtà eam complicato. Portiones verò lucii & salmonis minores erant, quia carior est piscis & spissior. Quòd si alii pisces interveniebant, recta compensatio inde fiebat.

Quia verò jugis & antiqua querela semper erat de piscibus inter nos, qui de Testebant adducebantur, eo quod nimis essent salsi, aut interdum putidi aut putridi, aliquando etiam quia nec qualescumque poterant propter hyemen inveniri, & unius rei quotidiano usu Fratres fastidio graviter afficiebantur, ordinaverunt Abbas THEODERICUS & Prior tunc temporis Rodulfus, ut fierent vicissitudines, scilicet aut daretur piscis cum posset inveniri & sanus haberi, & cum non posset hoc fieri, commutaretur sive de frixis sagimine ovis, sive de artocreis, aliquando de caseo & ovis.

Præpositus de Hasbaniâ quamdiu alius serviebat, cœnam omni nocte dabat, scilicet quatuor ova unicuique Fratrum, aut dimidium caseum, seu poma vel alium fructum. Et illud non est obliviscendum, quia si infrà istos dies, sive intrà totum annum dies jejunii eveniret, debitum cœnæ Præpositus de Hasbaniâ non subtrahebat; sed prandentibus Fratribus dabat quod concedi die illâ poterat. Sed à festivitate sancti Remigii usque ad Octavas Pentecostes omnibus festivitatibus quibus Fratres in albis erant, Præpositus Hasbaniæ pro ferculo leguminis juscellum commutabat confectum vino, ovis & sagimine, dabatque unicuique Fratrum recentis piscis portionem bonam, atque similiter in artocreas quæ jure antiquo continere debent quinque ova & caseum. Nunquam propter hoc subtractâ portione de Testebant. In nocte festivitatis sancti Remigii & sancti Trudonis idem ipse Præpositus dabat Fratribus ad cœnam inter quatuor vini sextarium, etiamsi contingeret eis eâ ipsâ die inter tres habere ad prandium. Die festivitatis sancti Remigii, die festivitatis sancti Trudonis cum quotidiano Fratrum pane dabatur inter duos simila appendens quatuor marcas, & primum ferculum in mensâ erat, quæ vocari potest carpeia de sicco pisce, eo quod minutatum carperetur, & minutatum cum

ovis concisis cum pipere superaspergeretur. Secundum ferculum idem Hasbaniensis Præpositus de salmone recenti aquâ cocto & piperato. Tertium ferculum de eodem genere assatum, & nihilominùs piperatum interea & alios assatos pisces qui afferebantur de Mosâ, quos poëticâ licentiâ vocare possumus roceas & bardos. Præterea inter duos & duos Fratres pictancias partim de luciis farsitis, partim de dorsis salmonum, & ovis eorum piperatis; postremò artocreas. Quid multa? multorum piscium multa erat copia.

Cumque sic per intervalla festivitatum cum Præposito de Testebant Præpositus Hasbaniensis serviret, tamen omni tempore minutis Fratribus quatuor ova ad jentacula procurabat, & quatuor ad cœnam; & carnes in infirmariâ, si tamen in curti erant aut in lardario, inde sumebant quantum expediebat: ab Octavis Pentecostes usque ad festivitatem sancti Remigii Præpositus de Testebant cessabat, & Præpositus Hasbaniensis omni die serviebat. Die Dominicâ, & secundâ feriâ & quartâ & sextâ dabantur scutellæ refertæ bonis piscibus unicuique Fratrum, quantum aliàs inter tres aut duos divideretur.

Frequentissimè magnæ portiones strutionum tempore quo lampadæ in usu sunt inter duos una, sed & crassus piscis quæ balena dicitur, frequenter abundè ministrabatur. Tertiâ feriâ, sextâ & sabbato supradicti temporis intervallo inter legumen & olus ad prandium unicuique Fratrum quinque ova & dimidius caseus dabatur, ad cœnam quatuor ova aut dimidius caseus, & propter hoc minutis diebus de supradictis ovis nihil subtrahebatur. Ipsi quoque minuti quartam partem sextarii vini tribus diebus pro minutione suâ accipiebant, quamvis aliqui dierum illorum de communi justitiâ tertiam partem haberent ad prandium. Diebus Rogationum habebant Fratres ad mensam unusquisque placentam cum portione sui piscis. Die palmarum commutabatur legumen pro fabâ tritâ, & in Cœnâ Domini, similiter & in sabbato Sancto, quatuor diebus Nativitatis Domini Paschæ & Pentecostes ad prandium duas portiones piscis, unam de Testebant, aliam de Hasbaniâ, & ad cœnam primâ die placentam cum brachiolo, minorem tamen quàm in diebus Rogationum. A Pascha usque ad Octavas Pentecostes omnibus diebus quibus Fratres sunt in albis, dabat Præpositus Hasbaniensis juscellum & porcionem piscis cum illâ de Testebant, & tanacetum quod quinque ovis conficiebatur, aut pro tanaceto porratam benè ovis & sagimine confectam: ab Octavâ Pentecostes in antea eo loco artocreas.

Panis qui dabatur ad cellam Abbatis in ea famulantibus & in curti servientibus, & omnibus supervenientibus hospitibus, de communi accipiebatur in cellerario Fratrum, similiter cervisia & vinum per manus villici qui erat super curtim: pabulum & cibarium equorum distribuebat Mariscalcus de horreo & granario, tam domesticis quàm hospitibus: nam Cellerarius Fratrum ea tantùm accipiebat & dispensabat quæ Fratrum erant. De annonâ verò & de cervisiâ & de vino nihil habebat Abbas singulare præter censum quarumdam villularum & Ecclesiarum & molendinorum. De eo procurabat mensæ suæ in cellâ & obsequentibus sibi, & hospitibus tam parvis quàm magnis, & tria servitia in anno Episcopo Metensi, quorum redemptio sex marcæ, & ea quæ pertinent ad restauranda Claustri ædificia.

Habebant Fratres ad vestimenta sua singuli in anno singulas pelliceas novas, duas stramineas novas, cothurnos novos, quatuor calceos novos, nocturnales & diurnales, & portionem magnam unde ungebantur; & inter duas vices octo pedules; cucullam & tunicam, brachas & caligas, & cætera quoties & quando indigebant. Hæc & alia quæ supradiximus unde venirent, villæ erant quas hîc nominabimus.

In Testebant, in villâ Alburch ea quæ habere videmur cum Ecclesiâ & appendiciis villicationis illius, in villâ de Pelte, &c.

Idcircò quoque à nostris antiquioribus cum pace & opulentiâ & religione Ecclesia nostra floreret, quòd Elte villa magna & Ecclesia ejus nostra fuisset quæ non longè à Trajecto super Mosam posita est. Fructus verò altaris ad sepulcrum beati Trudonis per multa tempora tantus erat & quotidianus, quòd, si nihil esset aliud, solus sufficere posset totius Ecclesiæ necessitatibus, quâ fiduciâ præsumptuosa Abbatum temeritas & temeraria præsumptio multa detraxit de substantiâ Fratrum beneficiando, & de custodiâ quidquid pertinebat ad Monasterii limitem & ædificium. Similiter censum & prædium quod pro defunctis dabatur, vel datum erat ad eleemosynam Fratrum, beneficiabant suis ad libitum. Quo tempore eleemosyna pauperum ita annihilata fuit, quod ad eam pertinuisset quòd nec in memoriâ relictum sit. Sed & in præpositurâ de Testebant octo Capellas per negligentiam Abbatum Ecclesia nostra perdidit, quæ serviebant Fratrum stipendiis. Accrescentibus verò malis per contentiones Abbatum & inquietudines Monachorum, multa de præbendâ Fratrum per negligentiam deperierunt, multa in beneficiis data sunt, multa à villicis usurpata per mendacium.

Præterea damnum grande & irrecuperabile increvit istis diebus Ecclesiæ; nam familia ejus, quæ multum imminuta est hodie propter oppressiones Advocatorum, & turbines bellorum, ampla quondam erat valde & diffusa longè lateque, cujus plurima pars vivebat sub hac lege. Masculus duodecim denarios solvebat singulis annis de censu sui capitis, femina sex; quidam alius legis duos denarios, quidam quatuor. Masculus istarum conditionum quocumque moreretur sive sub nostro jure sive sub alieno, si necdum conjugatus erat, debebat Ecclesiæ quasi suæ heredi quidquid in omni substantiâ supererat ei; si fuerat conjugatus, & non cum suâ compare, hoc est quæ non esset ancilla nostræ Ecclesiæ, debebat dimidium suæ substantiæ: similiter & femina, excepto quòd de quocumque conjuge essent ei liberi, non dabat Ecclesiæ, nisi quod melius videretur habere in omni suâ mobili re. Masculus si esset cum suâ compare conjugatus, dabat de suis vestimentis quod erat melius: quod si haberet censualem terram & servilem, de terrâ dabat Præpositis ad curtim bovem, & de capite suo vel alium, vel rem quam habebat meliorem. Ita quoque fiebat si parefridi superessent. Fructus iste copiosus & valde commodus fuerat olim Præpositis & Abbati nostræ Ecclesiæ, antequàm propter bellorum inundationes & Advocatorum infestationes, & villicorum infidelitates, & nostra exulando minueretur familia, & remanentium attenuaretur substantia. Magistris verò censûs capitum partim consentientibus, partim exhortantibus propter uxores quas de hujus legis conditione duxerant, ad hoc paulatim quidam proruperunt, & innumerabiles in hoc ipsum protraxerunt, quòd censum duodecim denariorum ad unum protrahere volunt, & cætera debita eorum ad duodecim post mortem ipsorum. Sed & ubicumque in alienâ moriantur justitiâ, præter duodecim denarios omnia nobis negantur debita. Qui autem confitentur & solvere se velle dicunt debita, communicato cum vil-

licis fraudis suæ & dolositatis commento, post mortem alicujus vestem aliquam prætendunt vilissimam & discissam, aut ovem claudam, vel scropham languidam, & accepto sacramento quòd mortui aliquid melius non habuerint, si permittitur sine omni timore Dei jurant, imò pejerant, aut à villicis eis condonatur, ut injurati discedant. Sic & sic & multis modis aliis sublatus est fructus antiquæ commoditatis. Fructus etiam altaris ad sepulcrum B. Trudonis qui inæstimabilis olim fuerat, & de quo Ecclesia omnes incommoditates suas antiquitùs emendabat, vix modò confert unde Ecclesia debitum luminare habeat. Quapropter tantis incommoditatibus, tantis defectibus simul concurrentibus nemo miretur, si intùs sit præbenda attenuata, cum exteriùs sit substantia sic & multo ampliùs quàm dixerim, attenuata.

MONITUM.

VALCIODORENSE CHRONICON, *à Monacho ejusdem Asceterii conscriptum est. Libri fundationis Abbatiæ Valciodorensis (vulgò* Valor) *scriptorem fuisse Robertum docent Molanus in* Natalibus Sanctorum Belgii *ad diem* III. *Decembr. describens Translationem corporis sancti Eloquii Presbyteri ad Cœnobium Valciodorense; & Aubertus Miræus in* Originibus Cœnobiorum Benedictinorum in Belgio; *& in* Originibus Benedictinis, *de Valciodorensi agens Monasterio: ubi eadem planè refert uterque hoc modo:* De hac Translatione (*S. Eloquii*) plura habet liber fundationis Cœnobii Valciodorensis ante trecentos annos (*imò quadringentos, si verè est Auctor Robertus, ut Chronicon apertè indicat*) à Roberto Monacho Stabulensi, post Abbate Valciodorensi conscriptus. Ex illo itaque nonnulla libet hîc subjungere: Egressus à Summo Pontifice, &c. *Nempe ipsamet propè verba Chronici Valciodorensis à nobis editi, paucis tamen contractis atque immutatis. Unde si tantorum virorum testimonio fidem adhibemus, conjiciemus & illius libri fundationis Cœnobii Valciodorensis, & Chronici auctorem esse Robertum. Sed enim Chronici Continuator cum nequaquam Robertum, ne verbulo quidem, asserat Auctorem, par est credere nec Chronicon istud, nec librum fundationis Robertum contexuisse. Non enim, ipsum eximiis laudibus efferens, rem quâ ipsum haud mediocriter commendare poterat, vel ignoravit, vel sciens præteriit. Si Robertus ipse scripserat librum fundationis, quod volunt Molanus & Miræus, idne oblivione pressisset Chronici Continuator, Roberti acta commemorans? Nequaquam verisimile est, quandoquidem se inter Roberti discipulos qui Magistri gesta noverant, versatum esse haud obscurè insinuat, dum ait:* Hic quàm idoneus & efficax in administrandis utriusque hominis rebus necessariis fuit, Fratres utriusque loci (*Valciodorensis & Hasteriensis*) ab eo nutriti, & ad sacros Ordines per eum promoti noverunt, quorum nonnulli adhuc vivunt. *Sed ne ego præfactè contendere, aut aliqua subducere videar quæ conjecturis obsint meis, ingenuè duas proferam epistolas, in quibus apparet Robertum S. Forannani Abbatis Valciodorensis vitam composuisse, quamvis illo in Chronico nulla ipsius vitæ fiat mentio.*

Præfatio sive Epistola I. Roberti Sacerdotis & Monachi, ad dominum Wiboldum Abbatem Stabulensem.

„ *Inclyto totiusque prudentiæ fulgore insigni domino* Wiboldo *Abbatum egregio, Frater* „ Robertus *suorum utinam clientum ultimus, quidquid Præceptori subditus. Non, ò Rector* „ *inclyte, vestræ autoritatis indignetur magnificentia, quòd in conspectu vestræ dignitatis, nostræ* „ *audemus manifestare schedulas exiguitatis; verùm nec temeritatis supercilio id factum existimet* „ *vestræ pietatis esse dignatio. Non ergo hoc in opere luculentæ verbositatis investigare ornatum,* „ *atque animadvertere ab imperito velitis qualiter enucleatum. Ut igitur hoc examinationis roboretur judicio, de vestræ magnificentia confidens pietatis, vestris obtutibus repræsento, quo vigeat in* „ *aliquo vestri si displicet arbitrii correptio, vestræque si placet roboretur adminiculationis decreto.*

Epistola II. Wiboldi Abbatis, Theoderico Abbati Valciodorensi.

„ *Frater* Wiboldus *Dei gratiâ Stabulensis Ecclesiæ servus domino* Theoderico *venerabili Valciodorensis Ecclesiæ Abbati, Reverendo Fratrum Conventui divinis semper invigilare* „ *studiis & provehi muneribus. Gratias agimus, Dilectissimi, Conditoris omnium inæstimabili* „ *gratiæ, qui universalis Ecclesiæ suæ pulchritudinem certis temporibus miro ordine magnis auctoribus ipse idem novus semper & perfectus artifex condecorare non desinit. Et unaquæque* „ *per orbem Ecclesia & maris undas interdum patitur, littoris tamen firmitate aliquando gaudet,* „ *discipulis in navicula Christum dormientem excitantibus, & Christo fluctibus imperante. Christum utique, Fratres, & vos Apostolico exemplo in vestrâ naviculâ excitatis, dum vestris,* „ *quibus Ecclesia vestra regitur Patronis, honorem & devotionem exhibetis, dum ea quæ in eis*

ipse operatur miracula ad multorum notitiam & ædificationem perducere desideratis. "

Scripsistis nobis per fratrem nostrum & filium vestrum ROBERTUM, *vitam & miracula Beati Pontificis & Abbatis Forannani ipsius non parvipendendo studio composita, ea, ut nobis ipse retulit, intentione, ut si qua nimis viderentur composita vel superflua, nostra parvitas elimaret, aut detraheret, & totum corpusculum Operis nostra cooperatio roboraret, quod Operi si necessarium inspicerem fore, quæ injunxit & vos injungitis aggredi non recusarem planè. Sed quia per omnia probatur laudabile, de cætero præceptis vestris cupio obtemperare, si labores nostri pro Ecclesiâ, si Regni quibus obligamur negotia prosperos habeant exitus, & nobis aliquot sepositis curis aliquando indulgeant otium.* "

Vos interim eo quod cœpistis studio Beati Confessoris miracula amplectimini, & memoriæ tradere curate: quia si vestra perseveret devotio, si studium non lassescat, si religio accrescat, glorificationem sacri corporis videre corporeis merebuntur oculis, quibus tantùm manifesta datum est videre miracula. Cujus temporis felicitati nostra utinam interesse mereatur præsentia, nostra subservire parvitas, ut sacrorum cinerum glorificatio sit nostræ fidei de spe resurrectionis confirmatio; sit in præsenti tempore de tribulationibus nostris consolatio, de exilio ad patriam, de morte ad vitam translatio. "

Bini fuere Valciodorensis Chronici conscriptores, quod Chronicon perducitur ad annum circiter 1241. *Continuatur siquidem tempore Joannis Episcopi Leodiensis, qui consecratus est anno* 1229 *Henricum Abbatem ultimum describens, isthæc in fine subinsert:* Qui etiam nunc nobis præest feliciter, tredecimum agens annum, &c. *Enimverò si anno* 1229. *tredecim addas, reperies annum* 1242.

Hoc Chronicon describi curavit eruditus juxtà ac religiosus domnus Simon Guillemot sancti Gisleni Supprior è Gemblacensis Cœnobii codicibus manu exaratis, & ad me perhumaniter misit anno 1660.

CHRONICON VALCIODORENSIS COENOBII, ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

CUM summæ nobilitatis sublimis magnificentia æterni Regis procul dubio devota servitus comprobetur, & æqualiter servi sive liberi cœlestis doni præmium secundùm suæ quantitatis meritum accipiant, & gloria patris filius sapiens sit: operæ pretium rati sumus ostendere, Valciodorensis Ecclesiæ structor egregius Comes EILBERTUS quibus sit progenitus parentibus, atque secundùm sæculi dignitatem ejus genealogia quàm alto sanguine claruerit. Ejus itaque pater Comes EBROINUS fuit, vir armis strenuus. Hic armis strenuus & omni honestate, industria suâ & virtute multa acquirens, filiam WIDERICI Comitis & ejus uxoris EVÆ, quæ in nominis acquisitione BERTA nuncupabatur, sumsit in conjugium; cum eâ accipiens dante ipso genitore atque genitrice Florinas, & quidquid ad eumdem pagum Florinensem pertinet.

Interea ob virtutis ejus potentiam & armorum strenuitatem, & industrii pectoris sagacitatem, sicut illustri viro & venerabili Romanæ magnificentiæ Rex LUDOVICUS ex prosapia Caroli Magni ultimus, [a] volens honorare dignis muneribus, tradidit ei sub regalibus testamentis villas suæ ditioni subjectas duas, quæ propter dignitatem honoris ejus suis nominibus hic annotabuntur. Una quæ est in Condruso, dicitur Antina; & altera quæ adjacet in Famennâ, nuncupabatur Heidra. Has itaque sine aliquâ contradictione usque ad terminum vitæ suæ tenuit, quousque secundùm antiquorum morem in filii sui Eilberti Comitis, videlicet post ejus transitum, verteretur sortem & hæreditatem, & sicut ex Regiâ manu in patris dominatione transierat & jure, sic cum sibi subjacentibus nutu OTTONIS primi atque concessione, ad filii rediret jus & dominationem.

Nos itaque qui structoris Valciodorensis Ecclesiæ proposuimus alti germinis consanguinitatem enucleare, jam ad opus cœptum, ut expedit, gressum figamus: & quoniam omnia propter ejusdem progeniei arduam inclytamque successionem nequimus comprehendere, fideliter ad ea quæ non sunt omittenda necesse est transire. Præfati siquidem Ebroïni pater Comes Bovo fuit, qui dictus est *Sine barbâ*, & hujus pater Bovonis Comes WARINUS de Asclovia extitit, qui fuit filius inclyti nobilissimique Comitis AIMERICI Narbonensis, ex ERMENGARDE Comitissâ, sorore BONIFACII magni Principis de Papiâ. Iste autem EBROINUS ex præfati Comitis Wederici & ejus uxore Evæ filia, quæ ut superiùs præfati sumus Berta dicebatur, septem filios habuit, qui terram longè lateque post decessionem patris tenuerunt hereditario jure, & sibi prudentiâ suâ multa acquisierunt. Sed ne prolixitas fastidium generet in tantarum evolutione rerum, omittentes cætera, ob honorem præfati Comitis Eilberti & dignitatem, suorum germanorum tantùm nomina perstringamus.

Eilberti Fund. Abbatiæ Valciodorensis genealogia.

Primus itaque in ordine generationis Comes EILBERTUS fuit, major natu & dignitate, secundus Comes UDDO de Roix, tertius HERIBERTUS Co-

a *ultimus*] Scil. filius Arnulfi Imp. qui obiit anno 912.

mes de sancto Quintino, quartus GERARDUS de Odenarde Comes, quintus BOSO Comes, sextus WIBALDUS Comes, & MACHARDUS Episcopus venerabilis. Isti fratres germani fuêre, & cum Comite EILBERTO sicut in subsequentibus aperietur, quidam eorum Walciodorensem Ecclesiam donis & muneribus ampliaverunt. Nam Boso Comes cum multa tenuisset, & in multis præoccupatus fuisset, liberosque quàmplures habuisset, tamen fratri suo, Comiti videlicet Eilberto villam in Florinensi confinio positam, quæ Calvus-mons nuncupatur, & quæ hereditario jure in suæ sortis pervenerat parte, dereliquit: quam in usus succedentis Walciodorensis Ecclesiæ, quia in eâ sui corporis sepulturam futuram fore decreverat, (sicut factum) constituit. Ex fratrum suorum successione, videlicet GERARDI de Odenarde, & Comitis HERIBERTI de S. Quintino, nobilis & ingens familia huic Ecclesiæ provenit; & hujus rei apud Viromannos & Flandros testes ex ipsâ familia superstites usque in præsens tempus nobis sunt, & testamentum legis eorum apud nos & eos conservatur.

Jam igitur tempus postulat & res, ut inferatur sermo qua de re Walciodorensem Ecclesiam præfatus Comes studuerit ædificare: ad hujus rei indaginem articulata arte mentem applicemus. Comes igitur EILBERTUS nobilium actuum super omnes sui generis coævos aggrediens conamina, industrius, strenuus & vir bellicosus effectus est in tantum ut ex suo proprio ad evitandos casus incertos adhuc primævus septem construeret castra. Suo autem tempore Conventus ille frequentiaque diversarum gentium, quæ nunc Nivellæ quotannis congregatur, in Tiralle ad crucem solito more conveniebat, quò mercimonii sui commutationes fierent, ut vicissim mutua venditione congregata distraherent. Cum verò in foro rerum venalium antedictus Comes deambularet, obvius fuit ei equus ingentis fortitudinis necnon & admirabilis speciositatis, qui visus est sibi fore turris fortitudinis, si congruo pacto ad hunc pertingere posset ratione alicujus mercimonii. Dominus enim equi erat quidam Clericus magnæ progenitus nobilitatis parentibus, Canonicus ex Remensi Ecclesiâ Sanctæ MARIÆ majori. Cum autem mutuâ affabilitate Comes & Clericus ex prædicto sermocinarentur equo, sub quâdam taxatione pretii finem fecêre rationis; sed cum imparata foret pecunia istius comparationis, HERESINDEM nobilissimam conjugem suam Comes quæsivit, quærens consilium ab eâ quid ex hoc negotio faciendum sit; nullâ namque ratione equum ipse à se sinebat dimoveri, cujus fortitudinis auxilio suorum se dicebat omnium inimicorum declinare infortunium, & periculosorum casuum naufragium. Itaque se maturè à Clerico cupiens expediri, sine consilio suæ nobilissimæ conjugis, quæ formidabat casum qui accidit, loco obsidis mirabilem thesaurum quem apud se ipsum conservabat Clerico tribuit, diem statuens in quo fieret solutio debiti. Thesaurus autem iste desiderabilis compositus est in similitudinem insignis monilis, quem sanctus ELIGIUS venerabilis Episcopus sanctitate, honestate, & in omni operationis artificio egregius, præcepto nutuque inclyti Lotharii Regis Francorum manibus propriis operatus est. Lapis siquidem Berillus in medio positus sculptum retinet, qualiter in Daniele Susanna à senibus judicibus malè criminata sit, qui varietate sui operis diligentiam ostendit artis, & diligentiâ venustatem locupletis honoris.

Egregiæ gentis Rex Anglicus hunc dedit illi,
Quem fore speravit gratum dans plurima gratis,
Inter quæ dantis prosit sibi portio talis.

Ingentis discordiæ & calamitatis causa.

Quid multa? Statuti temporis dies advenit in quâ à Comite debiti solutio parata fuit, & pro sibi commisso thesauro ipsa convenit. Ab hujus rei verò notitiâ ille se ignarum exhibuit, nec in hujusmodi ante colloquio aliqua ratione Comiti acquievit. Dignitate siquidem thesauri denudatus convicioque controversiæ & perversæ operationis graviter vexatus, cum gravis indignatione mœroris & irâ Comes ad propria est reversus, quætens consilium qualiter istius periculosi casus valeret devitare infortunium. Itaque collectâ multitudine propinquorum, ex rei eventu præfatorum fratrum quæsivit consilium, exponens illis supradicti mercimonii conventum, & sui venditoris execrabilis machinationis periculum, & atrocis fraudis miserabile ludibrium, & instantis controversiæ si non maturè fuerit subventum, irrecuperabile detrimentum. Unius igitur deliberationis consilio pariterque concordis voluntatis assensu, fit fratrum omnium congregatio amicorum, & omnium confluentia diversorum agminum stipata equestrium innumerabili plebe, quorum catervæ operuerunt superficiem terræ, quæ undique convenerant commotæ virorum illustrium opinione. Catervatim namque usque ad urbem Remensem properant maturè; quam factâ congressione undique obsident, obsessam capiunt: captaque cum argumento callidæ observationis, dispositis ubique speculatoribus, præfatum fugientem Clericum usque ad majorem Ecclesiam persequuntur, quam introgressum, & infrà ejus ambitum in cujusdam cubiculi cubili latitantem undique circumvallant. Cumque minimè reperiretur, sparsim ubique dispersi, ignibus tota illius templi compositio atque structura crematur, & sic flammis urentibus ab ejusdem templi mœnibus ille fraudis commentator ejicitur, & dolus, qui antea versabatur clausus, in ejus pectore evidentibus indiciis in propatulo manifestatur. Nam thesaurus, quem dolosæ machinationis inventione furtivè deliberaverat retinere, ab eo aufertur, & cum detrimento urbis & Ecclesiæ restituitur.

Urbs Remensis obsidetur, capiturque.

Maior Ecclesia flagrat.

Extemplo facti fama regias penetrans aures, omnium regalis curiæ Procerum conturbavit conventum: quapropter in indignationem conversus & iram, unanimiter universus exercitus pariter cum Rege statuêre decretis regalibus periculosæ congressionis grave bellum fratribus, quo pellerentur emancipati omnes cum suis à propriis finibus. Cum ergo ab utrisque partibus graviter præliaretur, & periculosi certaminis afforet sæva congressio, à fratribus capitur Rex, & hostium ille cuneus huc illucque dispersus vexatur, & ut levis auroræ nubecula à conspectû magnæ commotionis venti leniter fugatur.

Igitur anno Incarnationis Domini nongentesimo vigesimo secundo CAROLUS Rex Francorum captus ab EILBERTO, & fratre ejus HERIBERTO, usque ad Peronam deducitur, & ab eisdem sub vinculis carceralis custodiæ diebus multis religatur. Porrò datis ab utrisque partibus mutuæ pacis obsidibus, cum grandis honoris contubernio Regem à Peronâ educunt fratres, & ut regalis magnificentiæ decebat dignitatem, suæ servitutis ministerium unanimes obtulêre sibi: sicque sedato bello pars eorum in pace conquievit, & ille thesaurus desiderabilis, qui causa totius seditionis fuit, Comiti inviolabilis remansit.

922. Rex Carolus Peronæ carceri mancipatur.

Processu tamen volvente haud multo post ultimæ labentis ætatis clauditur dies HERIBERTI Comitis de S. Quintino, qui viam universæ carnis ingressus, superstites post se quatuor filios reliquit; quibus, ut regimine fratris sui Comitis Eilberti nutrirentur & hereditate eorum terræque ejus industriâ auxilio-

quæ tuerentur, obedire præceptis præcepit. Cum verò istius angoris mœstitudine premeretur, & ab amicis & fratribus funeris exequiæ præpararentur, quidam Cameracensis Comes RODULFUS nomine, qui dignitate regalis consanguinitatis gloriabatur, adversùs quatuor Heriberti filios confidens in robore fortitudinis suæ insurrexit, & annuente Rege Francorum, videlicet avunculo suo, terras eorum invasit, sicque evaginatâ iniquitate quam considera verat, adversæ partis cuneus ab eodem præparatur, & atrocis crudelitatis dolus, qui clausus latuerat, evidentibus indiciis in propatulo manifestatur. Reciprocâ namque crudelitate à genitore puerorum & patruis se vinculatum reminiscens præfatus Rex jus abnegans, injustè possessiones, terras, hereditatesque eorum supradicto RODULFO concessit; sicque ab hoc norma justitiæ confusa est, & gravis periculi commotio ab utrâque parte machinatur.

In exordio suæ congressionis Rodulfus oppidum S. Quintini obsidendo aggressus est expugnare; quod cum ab eodem minimè caperetur, impetum vimque resistentium ferre non valens, ignibus deliberabat aduri. Cumque certatim istius iniquitatis ruina machinaretur, concursu hostium nobilium virorum nobile oppidum repente crematur, & villa mobilibus & diversis repleta commeatibus, diversorumque agminum stipata plebe depopulatur, & cum eâ templi ædificia uruntur, & ad nihilum rediguntur. Inter hæc templum Virginum Monialium à fratribus haud multo post constructum, & magnis prædiorum honoribus ditatum, propter cujusdam nobilissimæ mulieris conversionem, quæ se sacri veli consecratione, relicto sæculari habitu munierat, aduritur, & cum eo hæc nobilis mulier & Virginum Chorus. Mulier autem hæc cum magnis orta foret natalibus, seducta fuisse dignoscitur à Comite Eilberto quasi sub quâdam conjugii confœderatione: quæ cum eo permansit, quousque alterius nobilissimæ prosapiæ mulieris, legalis decreti ceremoniâ conjugii dans consensum, necteretur contubernio: quæ cum spernendo se cerneret postponi, ordine supradicto curâ sæcularis negotii postposuit.

Urbs Sancti-Quintini crematur.

Monasterium quoque Humolariense cũ Monialibus.

Hæc itaque ex supradicto Comite filium enixa est, cui in spiritali regeneratione & nominis acquisitione BERNERUS nomen impositum est. Hic avulsus à lacte, atque dempto ubere ablactatus, supradicto Rodulfo urbanitatis gratiâ traditus est nutriendus, qui cum aliis juvenibus nobilibus vernaculis serviebat ex armorum apparatu: ut verò matris adustionem, patris, patrui, ac filiorum ejus agnovit detrimentum, & honoris diminutionem, imbecillitatis suæ condoluit importunitatem, eumque tædere cœpit cum proximorum infortunio mors suæ unicæ genitricis, & repentini casûs cœpit conqueri austeritatis improbitatem. Cumque crebrò in hoc conquereretur infortunio, lacrymabilique ejulatu gravis finis interitum memoratæ genitricis lugeret, luctus ejus ad domini sui aures pervenit. Unde conversus in iram, post jurgiorum proverbia occiput sui capitis vulneravit nimiâ fervens insaniâ, sicque bonæ indolis adolescentulum removit à contubernio suorum familiarium. Talis siquidem gravedinis & molestiarum acerbitas cum à filio patri nuntiaretur, reciprocatus dolor graviter renovatur, quo exasperati cordis meditatione, confluentiâ diversarum gentium multiplici numerositate conglobatâ, catervæ multiplices disponuntur, & machinamento prudentium congressiones RODULFO præparantur. Præfatus siquidem BERNERUS infrà quamquam pueriles annos positus, eventum rei graviter accepit, & actionem præteritam non pueriliter investigans, rogavit patrem militiæ sibi non negare armaturam. Tandem ipse quod concupierat voto adeptus militiam honestis moribus adornavit. Cum verò ab utrisque partibus graviter fortiterque præliaretur, & invicem adversarum partium cadavera mucrone sæviente passim sternerentur, cum capite primæ cohortis BERNERUS voluit apparere, quo strenuitatem suæ actionis evidentiùs voluit ostendere.

Igitur in tempore definitæ congressionis antequàm pariter convenirent, de morte matris Rodulfum sicut suum dominum convenit, à quo inconvenienter improperia sustinendo repulsus, dominum suum postposuit, & sibi fidem post hæc servare denegavit. Ordine siquidem certaminis composito, obvius affuit in concertatione Bernerus Rodulfo, cui mortem matris requirens antepesuit, & ab eodem sibi hanc injusto judicio sublatam nuntiavit. Hic autem verba illius ignaviæ æquiparans, insultationis verba illi respondendo reddidit, corpusque illius ab eo simili sorte fieri pronuntiavit. Ut autẽ istius commotionis verba à RODULFO accepit BERNERUS, in indignationem conversus & iram, spiculo & ense contumacem militem aggressus est, & in impetu sui spiritûs ab ejus corpore animam viriliter non timuit abstrahere. Sedatâ itaque seditione istius malæ contritionis & doloris, gemitus suæ partis factus est Rodulfus, & ulto sanguine, qui ab eo effusus fuerat innoxius, hereditates & terræ, quæ per violentiam ab eo fuerant usurpando invasæ, HERIBERTI heredibus restituuntur justè, judicio, probitate, industriâ, fortitudine familiarium amicorum.

Hujus rei gratiâ, & prosperorum actuum prudenti progressu omnimodâ urbanitate compositus, à suo genitore & familiaribus iste egregius adolescens complectabatur tenerè, in quibus successor paternæ hereditatis credebatur fore, quia ex sponsalis confœderationis connexione patri heres negatus cælicâ voluntate, quò nomen ejus dilataretur posteritatis successione. Surrexit interea ex Rodulfo radice, gravis infestationis & totius iniquitatis dono repletus quidam surculus, nomine WALTERUS, qui ejusdem pompaticæ regalis consanguinitatis tumendo gloriabatur propinquitate, veluti sororis Rodulfi filius. Hic autem adversùs EILBERTI filium BERNERUM, scilicet inter innumeras adversæ partis catervas cohortium Princeps primus effectus surrexit, & ab hoc sui avunculi mortem requisivit. Illum autem sibi injusto judicio ab eo præeunte morte demptum pronuntiavit, & ab eodem manu propriâ contrà jus fasque illum exstinctum dicens, mœroris affectum per cordis contriti verba evidentibus indiciis indicavit. Tumultus autem venturæ congressionis, & tempestuosus ardor gravis angoris utrâque parte machinatus, propositione verborum horum quâdam ex parte conquierunt. Contrà hæc mortem matris, fracturam capitis, vel detrimentum genitoris, & patruorum desolationem illi respondendo Bernerus opposuit; & hæc omnia injusto judicio sustinuisse ab eodem replicavit.

Animati igitur diræ congressionis & adversæ machinationis mutuâ confabulatione, uno conspirationis consensu adversùm se invicem exaggerantes malum, Regis præsentiam adiere, & ibi ex utrâque parte datis obsidibus, condixerunt sub regalis juris observatione & suæ litis agone, suæ propositionis verba confirmare. Statuto siquidem certi temporis die unâ pariter convenere, atque ipsis acriter modo irremediabili invicem propugnantibus, triduano litigio sese cæciderunt; pro quibus regiæ magnificentiæ auctoritatem cernentes, constantiam & fortitudinem juvenum mutuæ partis exercitus interpellavit.

Regalis itaque auctoritatis ut pervenit ad eos sententia, arma posuerunt, & judicii sui timentes sententiam, armaturam suam obsidibus suis tradiderunt. Palatinorum autem Procerum judicio abjudicatum litigium, & moderatione industrium virorum pacata sunt jurgia tumultuantium puerorum, eorumque conflictus pacem dedit mutuæ partis Principibus: sed virus præteritæ commotionis in Viromanorum & Cameracensium serpit visceribus usque in præsens tempus.

Dei post hæc judicium, ejusque ordinatio, qui quos creat & sui signaculi virtute conservat, regit, suâque gubernatione in prosperis adversitatibusque provehit, istum adolescentem BERNERUM videlicet vocavit, vocandoque sui spiraminis commissum suscepit: atque sic ejusdem assumptionis vocatio patri facta est diutinæ desolationis & lacrymabilis rememorationis sæva destitutio, orbatioque irrecuperabilis. Pulsatus igitur tantis talibusque eventibus, infortunium diversorum casuum corporis & animæ timere cœpit venerandus Comes, priscæ reminiscens conversationis enormitatem, & antiquorum contagiorum præteritam actionem: quid egerit diuturnâ meditatione cœpit meditari, & se reum voce lacrymabili ex transactis facinoribus confiteri. Cumque jugi mœroris anxietate filii defleret destitutionem, suæ intentionis actionem suppliciter ad Deum convertit, & in studio istius bonæ voluntatis ex sui juris proprietario, unà cum suâ clarissimâ conjuge HERESINDE, Archangeli Michaëlis ob honorem in Tirasce Basilicam condidit, eoque in loco sub tramite B. Benedicti Deo militantibus coadunatis Fratribus, ipsis Abbatem præficiens, ad usus quotidiani victûs stipendia constituit non modica; locumque illum sub ditione & ordinatione Laudunensis Ecclesiæ Antistitis constituit.

Monasterium S. Michaëlis in Tirasciâ extruitur.

Venerabilis autem HERESINDIS conjux ejus Christo in eodem loco famulantibus se subjiciens, pietatis gratiâ ipsum frequentare cœpit, & non segniter secundùm suæ nobilitatis sublimitatem studuit res necessarias providere. Et quia præconabatur mansiunculam proprii corporis sibi ibidem fieri, haud procul ab eodem loco Virginum Monialium Monasterium construi diutinâ deprecatione supradictum Comitem imploravit, quatenùs ipse qui Principali Præposito cæli ductorique animarum, sancto scilicet Michaëli sacræ ædis erexerat fastigium, beato Petro paradisiClavigero suo adnisu proprioque labore componeret venerabile templum, quo Christi famulæ suarum orationum frequentiâ piacula præterita suorum facinorum expiarent. Coactus itaque suâ deprecatione, nec non B. Petri veneratione, à Monasterio recenter constructo in spatio duorum milliarium, in loco dicto Bocileis fundamenta jecit, erigensque structuram, peracto opere statuit templum, in quo ab eodem constituitur Virginum Monialium Congregatio, & quidquid talium ordo exigit. Constructis autem per ordinem mansionibus plurimis, eisdem dato pastorali baculo Abbatissam præfecit, eumdemque locum veluti superiorem sub regimine Laudunensis Ecclesiæ Præsessoris constituit.

Evangelici profectò mandati non surdus auditor, Domini sui in eo paulatim crescente virtutum culmine nitebatur verba adimplere, quatenùs ex mammona iniquitatis fideles sibi congregaret amicos cœlestis pietatis, qui eum heredem facerent suâ adminiculatione in æternæ hereditatis possessione. Igitur veluti sacra profert sententia; *Justus magis justificetur*; studioso se labore ad opera misericordiæ venerandus Comes se totum contulit, patrimoniumque suum tuto in loco constituere nitens, locupletis honoris dignitate misericordiæ Matri, beatæ videlicet MARIÆ egregiam construxit Basilicam, villamque Humblires, quo fundata fore videbatur, eidem Monasterio subjicens, magnis illud ditavit prædiorum honoribus.

Apoc. 22. 11

Ex prædicto sanè patrimonio suo eodem tempore tria cum superioribus Monasteria construxit, quibus tantum de prædiorum redditibus delegavit, quantum ad usûs necessitudinem sufficienter sufficere videretur in eisdem pensum sui famulatûs Deo exhibentibus. Ordinatis tandem Monasteriis, atque regulariter secundùm institutionem S. Benedicti vivere paratis in eisdem coadunatis Fratribus, ut in rigore sui tenoris norma justitiæ magis convalesceret, eadem loca sub ordinatione & protectione Abbatum, juris dans diffinitiva privilegia, fore constituit: sicque idoneis successoribus & filiis spiritualibus, qui sua valerent metere carnalia & sibi serere spiritualia, dereliquit copias hereditatum. His secundùm quantitatis suæ dominium, & magnificæ auctoritatis principatum ac honorem (sicut decebat suæ nobilitati) congruè & prudenter omnibus compositis, horum operum finem fecit, & se totum divinæ contemplationi serviens Deo subdidit.

Tempore illo dum die quâdam in castro, quod Florinis construxerat, resideret, suæ actionis transactum tempus rememorari cœpit, & tacitus intrà se revolvens quid ex Remensi sanctæ MARIÆ Basilicâ actum sit, vehementer eum tale infortunium tædere cœpit. Enimverò rememorando cœpit meditari ob septem castrorum propugnacula, sempiterna sibi fieri municipia maledictorum, deliberavit ut hæc maledictionis structio per benedictionis antidotum remediaretur. Construxerat enim septem maledictionis domicilia: præeunte gratiâ Spiritûs sancti, benedictionis & obedientiæ habitacula septem complere deliberavit, quia plerumque in sacro eloquio septenario numero designatur universitas, ut non particulariter, sed plenariè legem divinam videretur adimplere; & ut ex rivulo septiformis spiritûs stillicidium participiumque, spiritualis renovationis donum gradatim in se valeret multiplicare, senario numero constructarum Ecclesiarum septimam ob honorem Genitricis Dei ob restaurationem Remensis Ecclesiæ adjecit.

Eilbertus Comes septem Monasteria fundavit.

Descripturi verò loci quantitatem, quo structura fore dignoscitur, priùs videamus ex sylvestri & nemoroso qualis factus fuerit, & ex informi & obliquo in quantam venustatem transierit. Tempore autem illo locus ille erat inhabitabilis, excepto quòd domus Comitis inter densitatem nemoris paulo minùs constabat invisibilis, quo secundùm discretionem corporis remotis à se plebibus frequenter morabatur secretalis. Habitatio ejus generalis in loco dicto Prieperiis tunc erat, ubi Ecclesia habebatur, & communes habitantibus necessariæ res prudenter & congruè more oppidi erant compositæ cultu honorabili. Castrum autem ejusdem oppidi non longè ab eodem erat, circumseptum congruis munitionibus, quibus cuneus adversæ partis procul pelleretur plenariè, si ejus habitatores infestatione alicujus moverentur, sicut municipatûs ejus, quo stetisse dignoscitur, usque in præsens tempus monstrantur vestigia.

Congregatis itaque manualium operum artificibus, nemus propter domum ejus suo præcepto eo tempore succiditur, & paulatim ex obliquo & inhabitabili decoratus locus redditur atque salubris. Hic ut res exigebat omnibus prudenter acquisitis, quo necessitudinibus forent apta succedentis operis, coadunatisque lapidum atque lignorum gnaris artificiorum compositoribus, juxtà domum ejus templum construxit, utiles habitationes componuntur, & spiritualium

944. Eildebertus exædificat Florinense Monasterium in Diœcesi Leodensi.

spiritualium Fratrum habitaculum claustrale compaginatur. Anno siquidem ab Incarnatione nongentesimo quadragesimo quarto, regni OTTONIS primi nono, à Comite EILBERTO jacta sunt supradicti templi fundamenta, & in spatio trium annorum venusto opere consummata sunt omnia.

Cumque regulariter omnia per ordinem consummasset, quo nunc Cœmeterium Fratrum esse videtur, Ecclesiam in S. Patricii honore construxit; & sic prudenter & honestè cum opere memorato cætera consummavit. Constructo tandem secundùm nobilitatis suæ quantitatem templo, utilitati succedentium Fratrum prodesse desiderans, castrum superiùs memoratum diruit, & villam, quæ in suo confinio erat sita, & sibi subjacere videbatur, exinde jussit auferri, & juxtà Monasterium habitationem iterum restruit.

Tempore autem illo sollicitè meditari cœpit, qualibus incrementis Ecclesia per eum, & quomodo multiplicaretur, & religionis cultus in eâ dilataretur, & sui juris libertatem retineret, & sempiternæ benedictionis sibi nomen acquireret. Tandem salubri inito consilio, Regem memoratum adiit, & ei consilii sui secretum pandens, & totam suæ actionis intimans intentionem, gratiæ suæ auxilium in præsenti negotio affore precatus est sibi. Itaque mutuâ ordinatione Regis pariter & Comitis decretum est, ut quidquid ab utrisque partibus donationis & muneris supradictæ Ecclesiæ conferretur, Regis protectione & auxillio tueretur à die illâ & deinceps, & non solùm rerum præsentium donativum, verumetiam quidquid eis succederet oblatione fidelium. Constitutâ autem Ecclesiâ sub Romanæ Majestatis imperio, ab eodem Romano Rege donum investituræ ipsius loci & Abbatiam præfatus Comes suscepit. Ex designatis rebus quæ ab eodem Ecclesiæ conferebantur, sequens sermo omnia declarabit.

Providentiam ejus urgente censurâ Regis per viginti tres annos sustinuit, deinde ordinatione mutuâ quidquid in Antinâ & Heidrâ pater suus Comes Ebroïnus à Rege Ludovico ex Caroli Magni progenie ultimo, feodali dote acquisierat, posuit in præsentiâ Regis, prædictorum feodorum eâ conditione se spolians dignitate, quatenùs Regis concessio & Comitis datio regali decreto firmaretur; & hæc liberalis commutatio sine scrupulo & perpetualiter transiret in potestatem & legitimam perpetuamque possessionem Ecclesiæ. Ipse verò Comes quæ eidem Abbatiæ ab eodem Rege conferebantur, ibidem replicavit, & designatis nonaginta quinque terræ mansis, culturis decem cum magnis redditibus & Ecclesiis earum, & cum ingenti familiâ, & ea quæ propter difficultatem computandi (quoniam aliàs pleniter annumerata continentur) referre distulimus, ostendit, & omnia sub regalibus testamentis designavit. Deinde non mediocriter circà locum curiositatem suæ actionis apposuit; sed & thesaurum superiùs memoratum, qui seditionis & controversiæ quondam causa fuit, & pro quo multa acciderant, dedit eidem Ecclesiæ, & inter alia ornamenta ipsum in eâ præcipuum & excellentiorem præcepit in perpetuum per succedentia tempora non segniter custodiri.

In tempore illo, transacto viginti trium annorum curriculo, ex Scotiæ partibus Angelicâ jussione admonitus venerabilis Archiepiscopus FORANNANUS proprium relinquens solum, locum decoræ vallis ab Angelo sibi designatum quærens, cum duodecim comitibus advenit, adveniensque Comiti obviavit, à quo requisitus quò tenderet, ei mox Angelica designavit indicia, & sic cum maximo honore ab eodem Comite in jam prædictum deducitur habitaculum. Ejus sanè adventus susceptionis obsequiique in quantâ veneratione à Comite, & ab omnibus patriotis habitus sit, qui pleniter ambit cognoscere, librum gestorum ejus legat; ibi enim sufficienter hujus rei indaginem reperiet. Ingressus ejus habitaculum, haud multo post uterque, Comes & vir Dei præsentiam Regis adiêre, quò Comes domum & investituram Abbatiæ deposuit, & precibus apud Regem obtinuit, quatenùs ex jamdicto dono Dei cultor ab eodem Rege investiretur. Investigatâ ejus sanctitate, libens annuit Rex Comitis petitioni, & suppliciter devoteque sancto viro præsidium sui obsequii & consilii affore pronuntians, se orationibus ejus undique commendans, donum & Abbatiam ex Palatinorum Procerum decreto tribuit, & decretis regalibus statuit, ut eâdem Abbatia absque scrupulo alicujus controversiæ omni deinceps tempore Regali & Imperiali protectione tueretur. Ut hæc institutio fixa, inconvulsa, & immobilis permaneret in sempiternum, de villâ scilicet Heidrâ & indominicatis beneficiis nonam sibi retinuit, & in monumentum Regali decreti, ne per succedentia tempora Abbatiæ deesset Imperialis protectio, in Aquensi Ecclesiâ quotannis jussit persolvi. Propterea perfecto decretum est ibi judicio Procerum de curiarum ejusdem Regis præsentiâ, quatenùs Mjaordomûs, videlicet Præpositus de Ecclesiâ sanctæ MARIÆ quæ est Aquisgrani, cum cæteris valentioribus Canonicis, pro eâdem Ecclesiâ tempore tribulationis ejusdem Abbatiæ causidici assurgant, & importunitatem ejus sicut & suam in præsentiâ Regis & Principum ubicumque præfatus Rex fuerit, perferant.

Tandem regressus à Rege Dei cultor cum suis comitibus, locum cœpit incolere, & secundùm Angelicum responsum Vallem-decoram nominare, quod nomen sicut nunc vulgariter permanet. Quidam malè opinantur tractum à quodam Thisidoro, qui, ut aiunt, ipsam vallem inhabitaverit: sanè non ex nomine Thisidori Valciodorus dictus est, sed ex Angelico præconio, qui eam Vallem-decoram appellavit, Valciodorus scilicet quasi vallis decora nominatur. Ab ipsis enim Scotis secundùm idioma linguæ suæ & nostræ ipsum nomen aliter non potuit aptari, sed sicut dictum est, ipsum Valciodorum, scilicet quasi vallem decoram nominaverunt secundùm proprietatem utriusque linguæ.

Vallis-decora, sive Valciodorus appellata est Abbatia.

In diebus illis in Metensi Ecclesiâ Pontificatûs infulam DEODERICUS vir honestæ vitæ, & morum elegantiâ egregius regebat. Hic enim ambobus Regibus patri & filio, scilicet HENRICO & OTTONI ob sui nominis religionem & sanctitatis excellentiam ita carus esse videbatur, ut hunc primum inter præcipua rerum publicarum negotia, consilio, discretione, prudentiâ & vigore haberent. Hic autem propinquitatis consanguinitate Comiti adhærebat Eilberto, & plerumque uterque fruebatur mutuæ partis alloquio. Cum autem ad invicem sermocinarentur, & inter utrosque ex pluribus verba sererentur, ex eventu contigit habere sermonem Comiti ex Valciodorensi Ecclesiâ, in quâ, ut ipse aiebat, curæ pastorali inserviebat quidam Religiosus, qui ob Christi famulatûs amorem cum proprio solo dignitatem sui honoris dereliquit, & ibi recenter cum nobilibus comitibus ductu Angelico advenit. Venerabilis autem Pontifex sanctitatis & justitiæ normam egregii Præsulis FORANNANI cognoscens relatione illustrium virorum, & ipsi adhærere toto animo desiderans suppliciter Comitem rogavit, ut hunc secum adduceret ad palatium. Cum verò ibi veniens alterutrum se viderent, mutuo se salutaverunt, & benedictio-

Deodericus Metensis Episcop.

nis donum alter ab altero, unusquisque eorum anticipare parem pariter renuentes, humiliter invicem petierunt. Sed quia beatus FORANNANUS ob duplicem cœlestis gratiæ honorem Archiepiscopus erat & Abbas, & idcirco in hac parte superior cognitus est, venerabili viro religiosoque Episcopo acquievit, & manu elevatâ ex triumphali vexillo sanctæ Crucis prædicti Antistitis cum capite totum corpus munivit. Deinde residentes atque sacrarum paginarum revolventes mysteria ad invicem contulerunt, & pòst multimoda sacrorum proverbiorum colloquia, divinæ confœderationis conjunxerunt subsidia orationum.

Factum est autem dum hæc tractarentur, quatenùs ex Valciodorensi loco verbum ab utrisque partibus communiter fieret, & Episcopus ex Hasteriensi villâ in medium proferret sermonem, acceptâ occasione ratiocinandi ex verbo prædicto. Cum igitur Comes prædicti Antistitis voluntatem cognosceret, quòd per Hasteriensem Valciodorense donum & Abbatiam ad Metensem Ecclesiam vellet transferre, mentem apposuit & quomodo hoc salvo honore Ecclesiæ secundùm quod factum fuerat ex manu regiâ posset erui, inter se tacitus cœpit meditari. Hasteria enim quia prope in confinio Valciodorensis Cœnobii sita est, Comiti visa est fore congrua & proficua Valciodorensi Ecclesiæ; sed quia ea Ecclesia esse constructa cognoscebatur à domino ADELBERONE Metensium Præsule, suo prædecessore, & ab eodem data sanctæ GLODESINDI & Monialibus ibidem servientibus, & testamento confirmata: hæsitare Comes cœpit, & ab eodem quærens consilium; interrogavit quomodo hæc fierent salvâ dignitate utriusque partis. Cumque Comitis hæsitationem Episcopus intelligeret interrogatione ejus, hanc extemplo à suo pectore removere studuit, & serie succedentis narrationis quomodo possit fieri, salvâ dignitate utriusque partis, illi rationem ostendit. Deliberatâ commutatione quæ pro Hasteriâ Monialibus sanctæ Glodesindis assignaretur, propositum suum illi aperuit, & sic titubationis obstaculo ab eodem remoto, procedere Comitem in decretâ ratione monendo stimulavit. Inito tandem consilio, pari consensu Regalem magnificentiam adierunt, & consilii sui beato Forannano intimantes actionem, concordis voluntatis deliberatione ad Curiam pervenerunt. Demum mutuâ voluntate statutum est, ut sanioris consilii capitales curiæ suo consilio auxilioque conjungerentur, & sic motâ ratione freti adminiculatione Principum regalis auctoritatis consolationem, consilium & consensum ex prædicto negotio investigarent.

Audiens autem Rex Venerabilis Deoderici Metensium Pontificis petitionem, & beati Forannani perpendens devotionem, Comitis etiam advertens bonæ voluntatis sagacitatem, profectum Ecclesiarum & utriusque rei causam sciscitatus ab eodem Pontifice, & à cæteris regalis curiæ Principibus investigatâ rei veritate consilium quæsivit, quomodo salvâ dignitate Regalis censuræ Imperialis decerti transmutatio fieret, & donum legitimo jure curiæ assignatum ab eâdem avelli posset. Sed avulsa est à corde suo judicio Principum istius titubationis obligatio, & cum consilio decretum est, quatenùs profectus Ecclesiarum sub Imperialis auctoritatis protectione vigentium, utilitatis & commodum Curiæ Regalis haberetur, ita dumtaxat, ut ex respectu, nutu illius cuncta regerentur. Ut autem istius sanctionis edictum à Principibus Rex percepit, voluntati religiosi viri FORANNANI, & petitioni venerabilis Pontificis DEODERICI Comitisque EILBERTI acquievit, & à supradicto dono prædictæ Abbatiæ se conditionaliter spolians secundùm anterioris conditionis sponsionem, legali decreto sub potestate Metensis Ecclesiæ donum & Abbatiam Valciodorensis Ecclesiæ constituit. Constitutio autem hæc quomodo auctorisata fuerit, in subsequentibus aperiemus.

Venerabilis enim Pontifex commutationem, quam Monialibus sanctæ Glodesindis pro Hasteriâ assignaverat, in præsentiâ Principum Regi ostendit; Sicque supradictam Hasteriam cum omnibus appenditiis, consensu & deliberatione Conventûs S. Glodesindis & Majorum Mettensis Ecclesiæ, ad usus Valciodorensis Ecclesiæ Regis pietate & manu posuit, & liberaliter Decreto Principum ab eodem Rege & Pontifice ac Majoribus Ecclesiarum Metensium B. Forannano assignata est, quatenùs ipse quemadmodum Abbas Valciodorensis Ecclesiæ sine scrupulo & controversiâ ac motione contrariâ eam teneat, & successores sui, qui regimen ejusdem Ecclesiæ tenuerint in sempiternum, & ipsa sub regimine ejusdem Valciodorensis Ecclesiæ permanens tueatur. Ne autem igitur regalis & Imperialis decreti compositio, & Majestatis ejus deliberatio, molimine aliquo nefarii ausûs ab aliquo Clerico vel Laïco nobili & ignobili violando irritetur, auctoritate & judicio Principum, testamento Imperialis munificentiæ confirmatur: sicque Hasteria juri & dominationi Valciodorensis Ecclesiæ famulatura supponitur anno ab Incarnatione Domini nongentesimo sexagesimo nono, 969.
Indictione decimâ tertiâ, regnante OTTONE I. anno regni sui trigesimo quinto.

Sed ne aliquâ Valciodorensis Ecclesia motione alicujus hominis vexaretur ob protectionem, advocatiam & defensionem prædictæ Valciodorensis Ecclesiæ, donum superiùs memoratum conditione retinuit supradictâ, & hoc ordine diffinito concessit, quatenùs Mettensis Ecclesia Valciodorensi recto tramite incedens, ab omni Ecclesiastico jure illi justitiam faciat, & ne recederet ab eâdem justitia cum eâ enormiter, sanxit ut si ab eâdem Metensi Ecclesiâ vel ejus Episcopo scrupulus alicujus controversiæ ex eâdem Hasteriâ Valciodorensi Ecclesiæ oriretur, ad pristinum Valciodorensis Ecclesia reverteretur gradum, & de manu Regis prædicti iterum sumeret donum. Istius igitur emancipationis utilitas, & utriusque rei deliberatio ex dono Valciodorensis Abbatiæ ex Regiâ manu abstracto, & ex villâ Hasteriensi cum omnibus rebus instantibus ac succedentibus, ac . . . . omnibus appenditiis suis Valciodorensi Cœnobio subjugata decreto Curiarum Principum sub regalibus testamentis auctorisata legitur, & Domini DEODERICI & Beati FORANNANI Comitisque EILBERTI, & capitalium virorum de curiâ testimonio confirmatur.

Tempore illo Hasteriensem villam Moniales sanctæ Glodesindis tenebant, & in Ecclesiâ ejusdem villæ sub imperio & regimine Decanæ, quædam earum in eâdem Cellâ Deo servientes vivebant, & sub jugo & obedientiâ Abbatissæ sanctæ Glodesindis omnes pariter incedentes regebantur: nutu deinde Abbatissæ suæ regressæ ad Monasterium suum, locum reliquerunt; & sic postea unusquisque quod sui fuit juris detinens, ex eo secundùm proprium arbitrium disposuit. Itaque inito consilio in eâdem Hasteriensi Ecclesiâ à B. Forannano & Comite Sacerdotes quatuor constituti sunt, qui eamdem Ecclesiam ex officio domini famulatûs secundùm suum Ordinem multis diebus rexerunt.

Interea decretum est ab utrisque partibus, à B. Forannano & Comite, nutu Imperatoris & consilio, ut pondus rationis & ordinem, & præteriti negotii actionem Romano Pont. innotescerent, & ex supradictis rebus auxilium consilii sui, & munimen-

Romam petit B. Forannanus, ut à Summo Pontif. Privilegium obtineat.

tum suæ protectionis quærerent. Huic definitioni actionem apponentes, laborem assumserunt, & statutis comitibus, & quæ itineris necessitudinibus forent apta paratis, accelerato itinere Romam pervenerunt. Venientes autem ibi honorificè ab eodem Papa & viris Ecclesiasticis suscepti sunt, quia causam itineris sciscitati, & qui essent, & cur tanti itineris vexationem assumsissent cognoscentes, atque morigeratæ conversationis vultus intuentes, majoris dignitatis veneratione sunt habiti, & cultu digniori promoti. Tandem revelatâ sui consilii actione, ipsam ad aures domini Benedicti Papæ, qui septimus in agnitione ipsius nominis Pontificatum Romanæ Ecclesiæ eo tempore gubernabat, deposuerunt, & ex eâ suum consilium, tutelam & munimentum quæsierunt. Cumque sanctitudinis rectitudo & norma justitiæ egregii Forannani qualiter proprium relinquendo solum, honorem Archiepiscopatûs deposuerat Angelico jussu, & ad denominatam sibi ab eodem Angelo habitationem pervenerat, curam ac regimen animarum ibidem susceperit, cognosceretur à Papa & Clero, laus ab eisdem in excelsis attollitur, & sic in his & in aliis bonis operibus ejus Deus benedicitur. Audito tandem eo, voluntati & petitioni ejus satisfieri ab omnibus judicatur, non solùm Regiæ auctoritatis interventione, & incluti Comitis deprecatione, verùm etiam amore suæ venerationis exigente, & religione suæ sanctitatis.

Itaque denominatis rebus, pro quibus negotium agebatur, & Hasteria & pro quibus in præsenti viri venerabilis petitio habebatur, censurâ Romanæ Curiæ quæ sunt in præsenti & in futuro succedere possunt Valciodorensi Ecclesiæ, in protectione ejusdem Romanæ Majestatis constituuntur, & ut hæc constitutio per succedentia tempora firmiter conservetur, & Apostolica auctoritas cum Regali & Imperiali firmitate conglobata conglutinetur, statuit ut Hasteriensis villa, cum omnibus rebus & appendiciis suis constantibus & succedentibus, Ecclesiæ Valciodorensi famuletur, & ei sine scrupulo sicut una de suis cæteris curiis subjaceat in perpetuum. Ne igitur istius Constitutionis Romanæ Majestatis firmitas, & Apostolici Decreti munimentum aliquo modo ab aliquo homine in quocumque ordine constituto laïco vel Clerico, Rege vel Episcopo, aut aliâ quâcumque personâ, temerario ausu violetur, sed firmiter inconvulsum conservetur per succedentia tempora in sempiternum, religiosorum virorum de Curiâ decreto statutum est, ut à die illâ & deinceps quicumque diffinitum prædictæ Constitutionis munimentum ausus fuerit infringere, perpetuæ excommunicationis vinculo subjaceat, nec ab aliquo Sacerdote vel Episcopo pro qualicumque conditione absolutionem accipiat, excepto Romano Pontifice, qui reatûs illius eâ conditione faciet absolutionem, si satisfactione condignâ pœnituerit, & quod malè usurpavit restituens, à detrimento Ecclesiæ cessaverit.

Deinde utriusque deliberationis Decreto Papæ & religiosorum de Curiâ sancitum est, ut recedens ab eis B. Forannanus Privilegium sui Archiepiscopatûs in omni officio & actione cultuque divino retineret, necnon ut regimen curamque animarum sibi injunctarum prædecessoris officio, curâque pastorali in Monasterio suo sollicitus gubernaret, & idem Monasterium sub protectione Apostolicæ auctoritatis in æternum firmâ stabilitate tueretur. Ut autem Testamentum à tantis testimoniis auctorizatum fixum & inconvulsum rationabiliter conservetur; per B. Forannanum remittitur.

Regressus à Papa B. Forannanus incrementu[m] suæ Ecclesiæ cœpit desiderare, & plebi sibi subjectæ prodesse desiderans, meditari cœpit quo consilio ipsa eadem Ecclesia ad meliorem statum proveheretur. Itaque Comitem convenit, quatenùs industriâ su[a] alicujus nominati Sancti venerabile patrocinium toto adnisu devotè quæreret, & laborando festinaret ex venerabilibus pignoribus gloriosum reddere sanctuarium Genitricis Christi, ut per meritum venerabilis corporis alicujus Sancti memorabilis caterva fidelis multiplicaretur, & propter inhabitantium bonam conversationem, & in vinculo charitatis unanimitatem, à Deo locus eligeretur. Huic devotioni animum apponens Comes venerabilis, HERISINDI conjugi suæ denominatum à B. Forannano aperuit consilium, ut ipsa consors istius propositi solertiâ suâ investigaret cum eo actionem, quam suo nomine od profectum utilitatis niteretur adducere. Suo namque labore Basilicæ Beati Michaëlis Archangeli memorabile corpus B. Adalgisi Confessoris paulo ante acquisierat, & ipsum in eâ cum ingenti devotione & venerationis honorificentiâ reposuerat.

Igitur memorabilis Christi Confessoris Eloquii in tempore illo famâ vulgante notitia partes mundi expleverat, qui cum beato Foillano, quem fratrem suum ferunt scriptores antiquarum relationum, atque cum beato Furseo, cui successit in regimine Latiniaci Monasterii, quod in occidentali Franciâ eis egredientibus à suâ terrâ scilicet Hiberniâ, constructum fuerat ab utrisque, ad nostras advenit partes. Ob dilectionem ejusdem sancti Eloquii corda utrorumque, devoti scilicet Comitis & clarissimæ conjugis, divinus amor accendit, & propter fervorem instantium miraculorum quæ ab eo fieri indesinenter contemplabantur, in concupiscentiâ ejus magis exarserunt, & ambitione majori cœperunt scrutari, quo ordine ad ejus corpus pervenirent. Deinde quoniam in procinctu Laudunensis Ecclesiæ, quo in contemplatione divinâ eremiticam duxerat vitam relictâ pastorali curâ, & in memorato Monasterio ejusdem Sancti corpus jacebat, eum qui eodem tempore Laudunensis Ecclesiæ regebat Pontificatum humiliter rogarunt, quatenùs concederet eis exinde memorabile beati Eloquii corpus transferre, quo illud honorabiliùs & devotiùs cum obsequio divini famulatûs à Christo famulantibus collocaretur. Ecclesia enim illa, in quâ Deo sedulùm in vitâ suâ exhibuerat famulatum, quamquam in statu eremitico & vastatione eo tempore videretur esse, in vitâ suâ à fidelibus Christi magnis prædiorum honoribus locupletata fuisse dignoscitur: ipsa, inquam, in quâ memorabile corpus ejus tempore illo tumulatum requiescebat, sæviente passim per orbem crudelitate Danorum cremata est, & in negligentiâ ita diebus multis permanens, absque divini famulatûs ministerio quievit, miraculorum prodigiis per eum coruscantibus indesinenter. (Corpus [b] beati Eloquii concessum est Comiti à venerabili RODOARDO Laudunensi Pontifice:) sicque memorabile corpus cultu honorabili, & non mediocri devotione Clerus ex Episcopatu cum Episcopo, Comite & clarissimâ Comitissâ, ac populo terræ transtulerunt ex eo loco, & non sine magnorum miraculorum opitulatione usque ad Basilicam beati Michaëlis detulere, in quâ requievit usque ad diem anniversarium suæ depositionis, quæ III. Nonarum Decembrium celebratur. Nam ob hoc ejus annalis

b
S. Eloquii Corpus in Valciodorensem Ecclesiam transfertur.

b *Corpus*] Quod uncis inclusum vides, opinor repositum in locum eorum quæ vel deerant, vel pluribus verbis quam erat descripta visa sunt amanuensi.

translatio dilata est, quoniam in loco Giriniaco unde translatum est corpus ejus, die hac ex longinquis regionibus quotannis conventus diversarum gentium congregabatur, ibique ex more solemnisantes, reddebant vota sua Deo & sancto Confessori; ita in lætitiâ deductis duobus vel tribus diebus, alacres revertebantur cum salutari recreatione animæ suæ. Hanc solemnitatem inclytus Comes & beatus Forannanus in melius reformare cupientes, statuerunt quatenùs provinciæ, in quâ subsidium istius memorabilis Patroni venturum erat, nuntiando ostenderetur, & gratanter spectatores præstolarentur adventum ejus, cujus ope apud Dei clementiam, & intercessione ejusdem refugium, consolationem, auxilium in oportuno tempore consequerentur.

His itaque dispositis cum famâ istius nominis provincia repleretur, & ad aures industriûm virorum talis auditus, & tantæ cognitionis rumor pervenisset, fit gaudium omnibus, vox exultationis in excelsis attollitur, & cum tripudio communis jucunditatis ab omnibus iste desiderabilis adventus præstolatur. Statuto siquidem temporis termino denominatâ die, videlicet depositionis suæ, confluentia diversorum hominum & gentium ex longinquis partibus congregata cum universo mercimonio, ad hanc condictam solemnitatem invicem se cohortans studuit præparare, & celebrem recolendæ jucunditatis & futuræ prosperitatis totâ mentis aviditate diem exspectare. Quid multa? celebrabilis solemnitas prædictæ diei III. Nonarum Decembrium adveniens initiatur. Et ecce adveniente beato Eloquio cum signis & miraculorum prodigiis, catervatim ei occurrit diversarum plebium exercitus: qui dum deferretur per Famenensem pagum, contigit ei transitum habere per vicum qui dicitur Romunthiusim, quo dum impetu populi ad eum confluentis à delatoribus deponeretur, ob superexcrescentem frequentiam, & sedatâ plebe iterum illud desiderabile onus portitores tentarent resumere, nullo molimine illud moveri potuit. Cumque mirarentur attoniti, & stupor vehemens comprehenderet eos, ex hoc accidenti fama istius tremoris ad quemdam nobilem Widricum Famlemaniensem pervenit, qui mox in conspectu omnium in eodem viro beato Confessori duos mansos terræ tribuens constituit, quatenùs ex totâ Falemaniensi Parochia unaquæque domus singulis annis dimidium denarium persolvat in Valciodoro, ob venerationem egregii Confessoris. Legaliter completâ donatione hac, cum cœlestibus melodiis venerabile corpus iterum levigatum immensâ velocitate elevabatur, & cum tripudio magnæ jucunditatis à Clero & turbis undique congregatis usque ad Valciodorensem Basilicam deducitur.

Cumque populi multi cum beato FORANNANO, Comite EILBERTO, & Comitissa HERESINDE, ex totâ provinciâ inhianter exspectarent adventum ejus, die condicta ecce advenit lumen eorum, & munimentum provinciæ, refugium miserorum, & languentium portus, sicut evidenter aperuit ingressus ejus. Nam die eodem illius ingressionis multi à variis infirmitatibus liberati sunt, & antequàm ingrederentur habitaculum sanctificationis, virtutem Dei in se senserunt visitatione suâ: sed ne prolixitas dicendi fastidium generaret legentibus, textum miraculorum ejus replicare distulimus. Sufficienter enim hæc inveniet, qui codicem gestorum ejus & translationis legendo requirit. Nos autem ut ambiguitatem auferamus ab eis, qui ex hoc quod ibidem scriptum reperitur de ejus Translatione & Templi consecratione, scandalizantur: opus est ostendere evidente ratione ex tribus solemnitatibus quoniam nostris modò diebus utcumque veneratio, Templi consecratio, & Confessoris Translatio, & unaquæque solemnitas principaliter per se retinet suam dignitatem: ne error pullulet in cordibus succedentium, necesse est ostendendo intimare à quo prima templi consecratio, & primæ Translationis observantia acta fuerit: diem etiam cum tempore in quo utraque solemnitas statuta fuit, & quare eodem die fuerit instituta, citissimè demonstrare.

Superiùs namque præfati sumus, quòd eodem in loco unde translatus est, maxima populi frequentia die eâdem ex antiquo more congregabatur, & peractâ divinæ servitutis solemnitate tempus deducendo cum salutari refugio suæ animæ revertebantur. Hoc itaque solemne tempus consilio suo beatus Forannanus in melius reformare desiderans, quatenùs majoris ambitionis & venerationis dignitate dies & solemnitas recolenda ab omnibus magis amplecteretur, has res solemnitates celebres sub unâ observatione compaginavit, & annuatim ita statuens custodiri, dedicationem Ecclesiæ, translationem ejus in eâdem die depositionis suæ statuit.

Consecratur ergo die eodem à beato Forannano locus & Ecclesia, & in eâdem ab eo sanctificantur tria altaria. Altare majus dedicatur in honore sanctæ Trinitatis, beatæ MARIÆ, & duodecim Apostolorum; & in dexterâ levâque Ecclesiæ duo: unum in honore beati Joannis Evangelistæ; & aliud in veneratione sancti Martini atque sancti Benedicti dedicatur. Altare verò quartum in domo Comitis, videlicet turri ejusdem Ecclesiæ, petitione ejusdem in honore sanctæ Trinitatis insequenti die consecratur. Hæc est hujus diei venerabilis solemnitatis observatio, & à beato Forannano renovata & auctorizata solemnitas, & recolendæ festivitatis institutio. Consecratur Eccles. Valciador. à S. Forannano.

Obtinuit interea venerabilis Comes & beatus Forannanus à cunctis terræ Principibus, ut observantia hujus diei in suâ veneratione perpetualiter permaneret, quatenùs decreto eorum statueretur celebranda per omne succedens tempus. Assensu itaque cunctorum Principum tempus hoc solemne in eodem loco ut conservetur per succedentia tempora annuali revolutione, statuitur, & ingredientibus & egredientibus, venientibus & redeuntibus pax firma conceditur; & ut liberaliter cuncta fierent, & congregata mercimonia liberè distraherentur, institoribus ex longinquis partibus convenientibus judicio eorum pax constituitur. Congregabantur eo tempore; ut ex majorum relatione comperimus, non solùm ex hac provinciâ, verùm etiam ex aliis quamplurimis & à nobis procul remotis. Hanc ergo celebrem institutionem ne quis nefario molimine audeat violare, infringere, conturbare, à beato Forannano, Monachis, Sacerdotibus, Clericis & Conventu Ecclesiasticarum personarum auctoritate Ecclesiasticâ interdicitur: & ut hæc omnia sine scrupulo conserventur, huic solemnitati assignatis solidibus octo, sub anathematis obligatione, pœna delinquentium & præfatam solemnitatem conturbando demolientium indicitur.

His ergo canonicè, rationabiliter & conguenter dispositis, die consecrationis turris, in medio Ecclesiæ se erigens venerandus Comes, & ex prædictis operibus Deo gratias reddens, per gladium suum beato Eloquio protectionem domûs illius, quam post Regem de Regiâ manu desumserat, & advocatiam omnium rerum ibidem pertinentium tribuit, & seipsum à supradictis rebus emancipans, iterum cuncta sub potestate beati Forannani & ejus successo

rum redegit. Deinde recapitulatis rebus collatis eidem Ecclesiæ, ab eodem designantur insuper beato Forannano piscatio respiciens ad Valciodorense indominicatum beneficium, & aquæ cursus ex utrâque parte, & ex utrâque ripâ, ab eo loco in quo rupes est, quæ lapis perforatus dicitur, usque ad aliam rupem, quæ secundùm latinitatem Specus dicitur & secundùm usum provinciæ Hunia appellatur. c (Comes [c] liberaliter aquæ cursum Valciodorensi Ecclesiæ, & beato Forannano ac successoribus ejus concessit.)

Exinde advocatâ plebe Florinensium præcepit, quatenùs ad mensuram unius cubiti virgam unam ferream ad resarcienda tecta Monasterii unusquisque de banno Florinensi deferret, & de eodem banno unaquæque domus obolum unum administraret singulis annis Valciodorensi Ecclesiæ. Hæc de Translatione egregii Confessoris Eloquii, & primâ templi consecratione dicta sufficiant; & de triplicis solemnitatis institutione sine ambiguitate legendo recitantur.

In tempore isto Comitissa HERINSINDIS piis operibus insistens, & in sanctâ conversatione de die in diem proficiens, memoratæ Basilicæ B. Michaëlis Archangeli assiduè frequentando adhæsit, in quâ haud multo post carne depositâ sepulturæ conditorium suscepit.

Post mortem verò ejus venerandus Comes die ac nocte in lege divinâ meditans, & pretiosas Basilicas sapientia sua Deo dicatas frequentando circuiens, & ex consilio suo adminiculationem & solatium eis impendendo administrans, adhærere Deo ipsique servire toto mentis affectu disposuit, & agonizando certamen contrà invisibilis hostis versutiam arripuit, sibique propugnacula, quibus fraus & deceptio invidi tentatoris demoliretur, composuit, charitatem videlicet, & quæ ex ejus radice prodeunt virtutum insignia. Cum verò talibus hostiis diutinâ meditatione seipsum macerando satisfaceret Deo, surrexit adversùs eum proximorum multitudo, qui impetu uno simul compaginati prædixere ei terras ejus nullâ eos ratione pati posse exhereditari. Violentiâ itaque illorum tempore illo competentem genere & dignitate conquirens uxorem, conjungitur iterum conjugali contubernio: sed humanæ deliberationis ratio, tentamentumque humani moliminis nil valet contrà decretum consiliumque divinæ Majestatis. Proximorum namque moderamine vinctus carnali connubio, eâdem conjuge sterili cum eo permanente, vixit absque liberis: vivens tamen legaliter cum eâ, divinæ servitutis meditationi, studio bonæ voluntatis juxtà temporale impedimentum caduci honoris & casualis fragilitatis, adhæsit.

Hæc autem nobilis mulier ex alio anteriore marito bonæ indolis adolescentulos pariens nutrierat, qui Comiti more filiorum & non privignorum amicabiliter adhærentes, & per studium diutinæ servitutis ministerialiter ei se subjicientes, & per obsequii sui famulatus familiarem dilectionem suam illi aperientes, non sicut vitrico, sed sicut patri proprio ministrabant. Factum est autem tempore illo quatenùs ex eventu Curiæ Regali cum his juvenibus adesset Comes: qui quoniam pedibus infirmatus absque sustentatoribus incedere nequibat, innitendo super hos quocumque per ambitum Curiæ à suo spiritu proprioque arbitrio duceretur, horum auxilio gradiebatur, & in conspectu Regis & Principum inniti dilectione ei se subjiciebant.

Cumque à Rege diligentia servitutis juvenum intueretur, astutia eorum & honorabilis servitus ab eo multipliciter laudatur, & incomparabilis eorum morigerata compositio investigata ab omnibus, sublimatur ore Principum. Cum autem ante Regem stans super utrumque adolescentem Comes inniteretur, ex qualitate juvenum Rex causam cognoscere volens, nomina, seriem progeniei, & qui essent, & quomodo ita familiariter ei adhærerent investigando interrogavit. Ille profectò ex ordine Regi puerorum notitiam ostendendo aperiens, nomine designavit, & imò eorum constantiam benigni famulatûs Rex considerans, dixit: Verè Comes merentur à te digno munerando ditari præmio, qui tibi deserviunt fideliter ex hujusmodi famulatûs obsequio. Animatus igitur Comes ex hoc Regali consilio, in conspectu ejus Principum privignos utrosque de dexterâ lævâque semovens, & eos ante Regem statuens, inquit: Rectori sæculorum & vobis, Domine Rex, gratias refero, quòd sensus vestræ discretionis in hac actione conjungitur sensui meo, & dignitas vestræ benignæ moderationis hæc agere roborando innuit nostræ voluntati: exemplat nos provocando in hoc negotio hortatio vestræ dignationis. Quapropter tibi GODEFRIDO & fratri tuo ARNULFO ob gratiam domini mei Regis, quâ suam misericordiam vobis demonstrando aperuit, & remunerationem vestræ servitutis, quam mihi fideliter diuturno labore exhibuistis: in testimonio ejus & Nobilium de Curiâ pagum Florinensem cum integro suo banno, & indominicatum beneficium ex eodem banno liberaliter trado, & ut hæc liberè & legaliter ac sine adversâ motione cuncta possideatis, castrum ibidem à me constructum cum suis appendiciis, & municipatibus & oppido, concedo vobis, & quidquid paternâ successione in eo jure & nobiliter mihi subjacuit, vobis subjacere constituo, excepto quòd jura Valciodorensis Ecclesiæ à me designata ex Florinensi banno à vobis & successoribus vestris, sicut à me sine scrupulo & motione contrariâ conserventur. Sepulturam autem vestram vos & successores eidem loco benefacientes, perpetualiter in eodem Monasterio à me constitutam vobis cognoscetis: hancque Constitutionem ob Genitricis Christi honorem & nostram memoriam, quicumque dominus fuerit Florinensis domûs inconvulsam conservabit per omne succedens tempus, ne subjaceat perpetuæ maledictioni: cui subjacebit, qui fraudem fecerit eidem Ecclesiæ de rebus suis à Christi fidelibus ibi constitutis.

Decrevit autem ibi in præsentiâ Regis & Principum, & in conspectu prædicti Godefridi & fratris ejus Arnulfi in testimonio eorum, quatenùs Major de Valciodoro, Abbas videlicet & Præpositus cum Fratribus suis spiritualibus à die illâ & deinceps secundùm suam voluntatem, quando ei placuerit, pro suo jure in Florinensi castro resideat, & cum ministerialibus ejusdem castri, villico scilicet atque scabinis rationem suam judicialiter ventilando producat, & sine alicujus violentiâ usque ad rebellionem & contradictionem rusticorum liberè cum suis & supradictis ministerialibus judicia sua exerceat de rebus suis.

Constituit præterea, quatenùs ex his duabus partibus & potestatibus quasi gens una & populus unus sibi invicem familiæ hærerent, & sine exactione contrariâ & Bathiniendem quæstu [d] Florinensis homo ex Valciodorensi potestate mulierem sumens legitimè sicut parem, sicut versâ vice similiter Valciodorensis homo de Florinensi mulierem su- d

c *Comes*] Quæ uncis inclusa sunt, videntur è margine in textum irrepsisse.

d *quæstu*] Locus mendosus.

vendo faciet. Si verò quis homo vel mulier Florinensis ad Valciodorensem, vel Valciodorensis ad Florinensem transierit potestatem, protegatur à rancore potestatis illius in quâ elegerit habitare, ita planè ut capitalia jura & secundùm decreta suarum legum, quod cuique deberet potestati certis temporibus & assignatis non negligat reddere. Ut autem illius Constitutionis decretum fixum permaneat, Regalis auctoritatis & Palatinorum Procerum judicio testamentis Regalibus confirmatur, & nobilium juvenum assensu & concessione propositæ actionis diffinitio, sacramento Regalis etiam dispositionis & honore sui juris, hereditatis & nobilitatis, & à se & à successoribus suis conservanda intimatur. Ex diversitate autem tanti beneficii Fratres prædicti dignas gratias juxtà modulum suæ facundiæ Comiti reddiderunt suæ servituti toto vitæ suæ cursu fideliter adhæserunt ob magnitudinem honoris quo sublimiter ab eo sunt promoti.

Deinde regressus à Rege, Valciodorensi Ecclesiæ frequentando adhæsit: & sepulturam in eo suorum familiarium & fidelium amicorum cum magno studio præparavit. Ipse namque ab ingressu chori usque ad altare turris terram aperiens, eandemque effodiens, duos in eâ muros construxit, & à latitudine utrorumque ad mensuram duorum cubitorum, & latitudinem in mensurâ unius & dimidii cubiti composuit, ibique nobilium virorum corpora ex prosapiâ suâ cum patre & matre & filio BERNERO & Fratre BOSONE iterum honorificè sepelivit: ea videlicet quo per eum à locis in quibus antea fuerant sepulta, ob dilectionis fervorem, & mutuæ consanguinitatis propinquitatem, suâ virtute & dignitate translata sunt. Exhinc cum divini famulatûs meditationi inhianter adhærens, & auditu divinæ contemplationis elogium auscultando libenter perciperet, eruditus hujusmodi dilectionis sermocinationibus frequenter oculus fuit cæco, & pes claudo, ostium quo ejus viatoribus patuit. Reddebat sanè sanctâ discretione compositus mundo mundana, & ita ex arte mundi arte suâ mundanas artes deludendo conculcabat, ut non oblivisceretur qualem Creatori suo deberet subjectionem: sicque dexterâ suâ fidei lumen in se accendebat, ut lucerna simplicis & astuti cordis ejus opacitate sinistræ suggestionis, nec oleum lampadis ejus exstingueretur, nec venditorum perditione, nec adulatorum contagione sensus ejus turbaretur. Itaque residuum suæ vitæ cursum in sanctâ conversatione de die in diem proficiendo peragens, & fomitem ignis, anteriorum cursus exstirpando nitens exstinguere, lucernam se illuminantem, eleemosynam scilicet per aquam in manu ferebat, & per hanc callidi tentatoris insidias repellebat. Ita namque in agone istius contentionis viriliter decertabat, ut non veluti dormitans, verùm vigilans & expeditus inveniretur in occursu Conditoris sui: sicque pulsanti Judici suo & Domino introitum nitebatur præparare, ut ne in portu ex suo sermone ei confusionem inimici sui facerent. Portum ergo illius exitus, quo ejus anima cœlos penetrans ex hoc carnis ergastulo transivit ad Christum, invenit.

Beatus ergo FORANNANUS quia regularis censuræ normam primus in Valciodorensi Monasterio gubernandi cum suis comitibus applicaverat, post ejus transitum ex eodem duodeno numero comitum ejusdem Rector justitiæ, & sanctæ conversationis amator beatus HADROE eidem Valciodorensi Ecclesiæ præficitur. Hic autem cupiens sequi per omnia documenta ejusdem felicis memoriæ sui prædecessoris, meditabatur in lege divinæ exercitationis; propterea ibidem sublimatus obtinuit regimen rigoris & rectitudinis anno ab Incarnatione Domini nongentesimo octogesimo. Ipse autem ob sanctitatis suæ auctoritatem, & morigeratæ conversationis excellentiam, & prudentis discretionis moderationem, ne lumen ejus sub modio tegeretur, sed ratione sui splendoris Ecclesia illuminata amplificatione suæ doctrinæ dilataretur, B. Felicis Metensi Ecclesiæ regulariter Abbas præficitur, & consensu omnium ibidem pertinentium dominus donis illius legitimè constituitur. Hinc ergo qualis fuerit monstrat gratia supernæ largitionis, quæ multiplicibus insignis ita ejus misericordiam suam infundendo largiter replevit, ut ex magnis prodigiorum beneficiis, quæ per eum Domini judicium pietas operando manifestavit, volumen non modicum in Ecclesiâ beati Felicis, & apud Valciodorenses conservatur. Ibi namque in Ecclesia beati Felicis ob dignitatis suæ venerationem, à Majoribus altare constructum continetur, quo singulis annis dies depositionis ejus solemniter celebratur. 980.

II. Abbas Hadroe.

Itaque in exordio suæ conditionis tales Valciodorensis Ecclesia Rectores animarum habuisse cognoscitur, de quorum patrocinio non solùm præsentes, verùm & succedens generatio misericorditer illuminatur, & intercessione eorum spes miserorum, remissio peccatorum, consolatio languentium, debilium restitutio, & casuum levamen, naufragantium portus, apud Conditoris & Reformatoris clementiam reperiuntur. Ergo sanctitate insignis & cœlestis doni præmium recepturus, quod divinâ faciente clementiâ promeruerat agonizando, carnali sarcinâ depositâ, hominem exuit, sicque anno ab Incarnatione Domini nongentesimo nonagesimo octavo ad Christum transmigravit. 998.

Surrexit deinde ex eodem contubernio nobilium comitum vir vitæ laudabilis nomine MACHALANUS qui cum assensu omnium annuente Metensi Episcopo in Valciodorensi Ecclesiâ Abbas constituitur, ibique regulariter inthronizatus à Leodiensi benedicitur. Et quia testimonio suæ vitæ hoc commeruit, etiam in Basilica beati Michaelis sub eodem tempore regimen animarum & curam omnium ibidem pertinentium, cultû dignæ venerationis Abbatis nomen sortitus, obtinuit. Ipse etiam in conversatione bonæ actionis degens, & super custodiam suam inhianter vigilans, recto principalique spiritu normam justitiæ viriliter regebat, & ne callidus hostis detrimentum sibi ex creditis ovibus faceret, suam suorumque subjectorum actiones Domino commendabat. Tali se studio exercens, ignis ille divinus meditatione suâ in eo vehementer accendebatur, de quo dicit summa Sapientia: *Ignem veni mittere in terram; & quid volo nisi ut ardeat?* In hoc ergo ardore fidei comprehensus, ultimæ labentis diei cursus eidem clauditur anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXC. ex hoc mundo in Basilicâ beati Michaëlis transivit, & in eâdem à Fratribus ejusdem loci, conditorio sepulturæ honorificè constructo, cum summâ diligentiâ sepelitur. 990.

III Abbas Machalanus.

Interea ex Valciodorensis Ecclesiæ Conventu subrogatus eisdem Ecclesiis regulariter domnus IMMO præficitur, & convalescente electione, & utriusque partis assentientibus Episcopis in Rectorem animarum à Leodiensi Pontifice benedicitur. Ipse namque specialem societatem mutuæ fraternitatis ita compaginavit inter utrasque Ecclesias, videlicet inter beati Michaëlis Basilicam & Valciodorensem, quòd si infortunio aliquo casuque acciderit, quòd egrediatur quis Fratrum ex una præfatarum Ecclesiarum, ad quamcumque harum ut pervenerit sicut in propria manebit, donec Prælatorum providentiæ propriæ restituetur. Ut autem unum corpus utræque Eccle-

IV. Abbas Immo.

fiæ tam in divinis quàm in humanis subsidiis fierent, & istius sanctionis edictum firmiter custodiretur, assensu seniorum Ecclesiarum sub vinculo anathematis constringitur. Ipse etiam quia prudentis discretionis moderatione per industriam suam Reipublicæ commoda quærendo utilitatibus intentus fuerat, carnis deposito pondere ex hoc mundo migravit feliciter anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCV. & sui regiminis IV. recepturus sui laboris præmium.

995.

V. Abbas Godefridus.

Post hunc quidam GODEFRIDUS ex Remensi Ecclesiâ beati Remigii est assumptus, & conductu quorumdam Nobilium de Cunauco propinquitatis consanguinitate, quorum gloriabatur, utriusque partis assentientibus Ecclesiis, Abbatis sortitus est nomen. Nactus verò privilegii dignitatem, austeritate suæ tyrannidis plerumque sibi commissas Ecclesias conturbare non distulit, dignitati suæ dicens non sufficere, quidquid ab aliquo sibi fiebat servitutis veneratione. Convalescente igitur ejusdem tyrannidis enormitate, dum die quâdam in Valciodorensi conciliabulo resideret, fieretque mentio ex memorato monili desiderabilique thesauro, pompaticè minando illud se relaturum ad urbem Remensem deposuit, dicens restituendum illi fore, quæ per illud detrimentum cognoscitur sustinuisse. Valciodorenses autem audito hoc verbo scandalizantur, & regresso eo à Valciodoro, infrà terminum condictæ diei à fidelibus Valciodorensis Ecclesiæ consilii dies statuitur, eorumque consilio eo redeunte contrà faciem ejus ostia & portæ clauduntur, & sic suâ temeritate expulsus, spoliatur ab ejusdem honoris dignitate.

VI. Abbas Theodericus.

In diebus autem illis linquens sæculare negotium ad conversionem Sacerdos de Priezeriis, nomine THEODERICUS, haud multo post tempore sub domno Immone venit, habitum religionis sub eodem in Valciodorensi Monasterio assumendo vestivit, & sanctitate religiosæ conversationis moribus dignis condiendo ornans, & se totum divinis legibus subdens, præceptis divinis parere non distulit. Hic ergo ob suæ venerationis dignitatem, & morigeratæ bonæque conversationis excellentiam, ab saniorum consilii eminentioribus, & omnibus Valciodorensis Ecclesiæ subjacentibus, in pastorem & dominum electus, ejusdem loci obtinuit Abbatiam, & benedictione Canonicali fultus, rectitudinis & justitiæ normæ studuit militare indefessus.

Cumque sollicitè rei familiaris ad perfectum niteretur negotium meliorando perducere, sumpto consilio prudentum virorum, ex Ecclesiâ Hasteriensi Sacerdotes, qui à Comite & à beato Forannano constituti fuerant, industriâ suæ providentiæ removit, & ex Valciodorensi Monasterio Monachos assumens, in eâdem Hasteriensi Ecclesiâ loco Sacerdotum servire constituit, decrevitque consilio & assensu utrorumque Episcoporum Metensis atque Leodiensis, ut annuatim Monachi ibidem habitantes mutarentur. Verùm si contigerit aliquem ex his ibidem mori, ad cœmeterium Valciodorensis Ecclesiæ sancitum est præcepto eorumdem Episcoporum & consilio corpus illius referri; ut ibi habeat officium sepulturæ, quo suæ professionis cognoscitur suscepisse benedictionem.

Suo denique tempore dum ob negotium rerum familiarium à loco exiens sibi subjectas circuiret villas, occulto Dei judicio passim ignis congerie exaggerante Valciodorense Monasterium est concrematum, & ædificiorum habitacula ejusdem Monasterii cum eo sunt dissoluta. Cumque reverteretur, ruinamque respiceret descendendo de monte qui respicit contrà faciem templi, ex equo cui insidebat graviter cecidit, & afflicti animi mœstitudinem ob cordis contritionem velare nequivit. Verùm vires resumens, atque ad habitaculum revertens, quod peccati infortunio dirutum fuerat, reædificare cœpit, auxilioque proborum hominum eamdem Ecclesiam artificio luculentæ ædificationis studium apponens, haud multo post tempore iterum reformavit. Deinde quia res exigebat ut ararum consecrationes renovarentur Episcopali benedictione, tres à beato Forannano solemnes celebritates tertio Nonarum Decembrium, sub unius diei observantiam constitutæ mutantur. Nam templi consecratio pridie Idus Maii statuitur, & depositio beati Eloquii in propriam diem relinquitur, & ejusdem Translationis observantia propter confluentiam populi, qui eo tempore quotannis congregabatur, sicut unus observatur, octavo Idus Octobris ob temporalem affluentiam prudenti consilio constituitur. Renovatis igitur à domino NOTGERO Leodiensi. Pontif. tribus solemnibus celebritatibus, honorem proprii cultûs unaquæque celebritas per se reformata dignitatem suæ venerationis resumsit; sicque dierum istorum exultatio & devotionis ordinatio longo tempore permansit.

Inter hæc tempore illo de nobilibus progenitus parentibus puer quidam à Maceriensi oppido nutriendus ad eamdem Valciodorensem habitationem adducitur, & militaturus Deo, & sanctæ Regulæ in eodem Monasterio secundùm beati Benedicti mandatum regulariter offertur. In cognitione igitur proprii nominis puer ipse dictus est EREMBERTUS, qui dignitatem suæ nobilitatis egregiis ornavit moribus. Factus enim adolescens duplicem adeptus est divinæ scientiæ utilitatem: literis enim pleniter imbutus in omnis operationis constitutionem, tam in auro, argento, vel ære, quàm in cæterarum exercitationum ingenio factus est artifex egregius. Tandem & solutionis tempore venerabilis THEODERICI Abbatis, secundùm divinæ dispositionis volitionem ex hoc carnis ergastulo migravit; atque post ejusdem depositionis & sepulturæ officium, deliberationis inhianter ad præfatum EREMBERTUM convertit intuitum. Ipse Clerus cum populo & conventu Monachorum Rectorem suæ protectionis esse disposuerunt, & se ei subjicere totâ mentis intentione decreverunt. Igitur omni tergiversatione procul remotâ unanimiter dominus domûs ab eminentioribus atque providentiori consilio valentibus petitur.

VII. Abbas Erembertus.

Verumtamen seminarium discordiæ invidus diabolus motiones contrarias miscuit, & ab electione Canonicali stimulavit recedere quosdam instinctu suæ deceptionis. Istius ergo commotionis controversiâ turbatur provincia; vociferatione enim frementium, tumultus adversæ partis ad Regias aures usque pervenit. Cumque strepitûs Rex causam investigaret, cognosceretque utriusque partis voluntatem, & quid de sinistro dextroque pendere videretur, animadverteret, partem contrariam respuendo seposuit, & prudenti deliberatione vocibus Religiosorum & consensui acquiescere indicavit. Ergo nutu Regis HENRICI electione convalescente domnus Erembertus gubernaculum Valciodorensis Ecclesiæ nactus regulariter suscepit, & canonicali benedictione fultus, ab utrisque Episcopis secundùm uniuscujusque juris potestatem feliciter inthronizatur.

Sessionis igitur suæ suscepto honore qualem se quantumque reddiderit, operum illius designant vestigia, quæ à suo tempore usque nunc nobis certa monstrant indicia. Sapientia enim suæ providentiæ Claustrum cum curiâ ordinando compaginavit, & ædificiorum habitacula sicut usque nunc permanent, luculento opere construxit. Deinde intrà templi ambitum curiositatem suam apponens, in eo mirificæ artis opera propriis manibus operando com-

posuit. Nam duas tabulas argenteas suo labore & sudore earum sumptus quærens, ob honorem Genitricis Christi construxit; unam enim earum ad mensuram majoris altaris fabricans, alteram desuper altare ante lipsanum beati Eloquii statuens, has completo opere mirificâ arte consummavit, & ibi solemnibus solibus easdem tabulas statuere constituit. Et ut longo tempore signum suæ benevolentiæ, & studiosi operis indicia, & locupletis honoris vestigia, in eâdem Ecclesiâ de suo labore superstitibus certam dantia manifestationem ob suæ benedictionis incrementum perpetualiter permanerent, pretiosorum ornamentorum multimodam supellectilem congregavit.

Tempore enim eodem mater ejus carnalis, nomine ERMENRADA, non tam carnali affectu, quàm sanctæ religionis desiderio, illi fideliter adhæsit, & se divinis legibus subjiciens, actionis suæ intentionem ad Deum convertit. Et ne hostis invidus superstitione suâ hanc otiositatem sectando vacuam à bono opere deprehenderet, labore manuum suarum cortinas, quibus Monasterium usque nunc præcingendo decoratur, composuit, & unicuique tempori tam Quadragesimæ quàm Paschali cum altariorum operturis proprias aptavit.

Tempore autem illo venerabilis EREMBERTUS honestatem & religionis ordinem cupiens in Ecclesiâ augmentando exaltare, ob difficultatem, molestiam & tumultum, qui Fratribus oriebatur divinis in meditationibus præoccupatis ex doctrinâ puerorum, scholam à loco removens, eam in Hasteriâ esse disposuit, puerosque ibi usque ad tempus ordinationis beati Benedicti nutrire præcepit. Deinde adolescens quidam, nomine RODULFUS, de Valciodoro assumptus, puerorum Magister ab eodem Abbate Eremberto in Hasteriâ constituitur; & postea in eodem Præpositus ibidem constitutus præficitur.

Desideranti verò studio quoniam omni tempore vitæ suæ decorem domûs Dei dilexerat venerabilis Erembertus, excogitare cœpit quibus sumptibus Ecclesiam Valciodorensem posset exaltando dilatare; & quomodo secundùm quantitatem ædificiorum recenti renovatione à se constructorum luculenti coaptatione renovaretur & decenter. Congregatâ igitur diversorum sumptuum copiâ innumerabilem providentiâ suâ ad hoc opus explendum acquisivit pecuniam, quam ne per incuriam alicujus dispendii dilaberetur, eam conquirendo in manibus prudentium hominum collocare disposuit. Dispositis denique ordinatione suâ industriis fidelibus, quia rerum familiarium custoditoribus sumptus, amplificationis, renovationis, atque futuræ constructionis templi diffinitio eos obligans sacramento custodiendos tradidit, eâ videlicet conditione, ut nullius terroris conturbatione, nec . . . . . . deceptione substantiam prædictam ab aliquo dispergendo depopularetur, nec exuendo à manibus eorum in alios transiret usus, exceptis his pro quibus cum multo sudore, labore, atque parcitate eos congregaverat ipse venerabilis Erembertus.

In illis diebus etiam in Metensi confinio ex villâ à B. Forannano Ecclesiæ Valciodorensi acquisitâ concambium factum est, & in Hasbaniensi pago in loco dicto Bronies, & in eâdem villâ allodium aliud dictum Bammenis factâ vicissim commutatione sumptum est. In hac ergo commutatione de duabus vineis, de quibus superiùs mentio facta est, una cum domo prædicta, quæ Metis habebatur, transiit, & alia, quæ Valciodorus vocabatur, Ecclesiæ remansit. Hanc sanè sancti Vincentii Abbas jure hereditario assumens, ex ea se & suam Ecclesiam conditionaliter Metensis Episcopi præsentiâ & curiæ ejus investivit: conditionis namque utrorumque Abbatum, atque Fratrum confirmatio, & ab eodem tempore ab utrisque partibus per succedentia tempora conservanda Constitutio talis est: Pro vineâ quæ, ut diximus, Valciodorus vocabatur, quam de manu Valciodorensis Abbatis & Fratrum ejus perpetualiter detinendam, cultam, sufficienterque compositam, sancti Vincentii Abbas ad se traxit cum suo conventu expeditè, Valciodorensium pars ab illo die, & deinceps pro qualicumque necessitate Metis conveniens, hospitium præparatum in eâdem S. Vincentii Ecclesiâ in loco ejusdem honestiori inveniet, & ad usus Abbatis Valciodorensis Ecclesiæ, & suorum secum advenientium, per quindecim dies, si res necessitatisque occasio exegerit, obsoniorum necessaria de re publicâ ejusdem S. Vincentii Ecclesiæ ab Abbate ejusdem vel à procuratore domûs illius præparabuntur. Hæc diffinitiva Constitutio à tempore Abbatis Lamberti per succedentium posteritatem dilatata firmiter & absque motione contrariâ ab utrisque partibus custodita est, quæ nunc permanet juridicialiter in tenore suo.

Dominus autem EREMBERTUS virtutum gratiâ plenus, Christo fideliter adhærens, ipsi servire studuit indefessus, seseque ab humanis emancipans vitiis, per virtutum culmina apprehendere nitebatur immarcessibilem gloriam perpetui decoris. Arbitrio tandem divinæ dispositionis carne depositâ, è mundo transmigrans Judici suo spiritum reddidit, & pro fideli dispensatione, & suæ pastoralitatis tempore suarum ovium augmentatione, futuræ requiei recepturus jucunditatem, & credimus labore peracti operis transito, plenæ retributionis suscepit denarium. Igitur anno ab Incarnatione Domini MXXXIII. 1033.
ejus destitutionis dissolutio facta est Valciodorensium mœroris exaggeratio, quoniam ab die depositionis ejus usque nunc in Valciodorensi Ecclesiâ hujus detrimenti non est reperta recuperatio, nec reformatione alicujus personæ sic utilis suffragatio.

Ne autem ob pastoralitatis viduitatem post ejus transitum Valciodorensis Ecclesia vacillando fluctuaret, sanxêre capitales Valciodorensis Ecclesiæ RODULFUM tamquam Monachum de Valciodoro in pastorem & dominum suscipere, qui è vestigio canonicali fultus electione, auctoritate utrorumque Episcoporum sublimatur. Ipse sanè normam justitiæ, quam sub doctrinâ sui prædecessoris exemplando animadverterat, ex parte adimplendo eexmplare concupivit: nam infrà officium Præpositure Hasteriensis Ecclesiæ sumptus non modicos acquisivit, quibus ruinas Hasteriensis Ecclesiæ reformando novam construxit. Dehinc post biennium à transitu venerabilis Eremberti communi sorte mortalium ex hoc mundo transivit, lectoque decubans diuturnâ supplicatione apud Valciodorenses obtinuit, quatenùs in eâ quæ à se fuerat reformata Ecclesia, assensu eorum haberet sepulturæ tumulationem. Tempore enim illo si quis Monachorum in Hasteriâ obibat, ad Monasterium Valciodorense referebatur, ut secundùm superiùs dictum ibi tumulatus susciperet sepulturæ officium, ubi antea susceperat professionis benedictionem. VIII. Abbas Rodulfus.

Post hujus quoque discessum exorta est lis & contentio ex publicâ electione Valciodorensium; quapropter regali decreto domnus POPO Stabulensis Abbas, qui eo tempore cum Stabulensi S. Maximini Ecclesiam, & cum eâ quamplures regebat, ad nutum Metensis Episcopi & hanc Valciodorensem regendam cum cæteris suscepit. Et quia virtutum gratiâ IX. Abbas Popo.

tiâ repletus, laudabiliter & sine querelâ suo tempore vivere conabatur, atque sine offensa & scrupulo, & contrarietatis motione secundùm antiquam constitutionem jura Ecclesiarum suâ sub ditione constitutarum, irrefragabiliter nisus est custodire, unicuique Ecclesiæ certis & assignatis temporibus propria distribuit, & adhibitis ad hoc opus explendum gnaris & industriis secum procuratoribus, unicuique domui proprium designavit.

X. Abbas Lambertus.

In diebus illis domnus LAMBERTUS Treveris in S. Maximini Ecclesiâ, sicut Monachus ejusdem sub domno Poppone præposituræ administrationem procurabat; & quia fideliter tempore suæ procurationis ministravit, à præfato D. Poppone à Treverensi Ecclesiâ remotus, procurationis gratia ad Valciodorensem adducitur. Enimverò res exigebat, quòd non solùm procurationis ordinatio, verùm omnis domûs deliberatio ad eum respiceret. Domnus Popo præbens ei pastoralem baculum, exuto se ab hoc privilegii officio, vix apud Regem Metensemque Antistitem obtinuit, ut in Valciodorensi Cœnobio vice suâ collocaretur. Tandem seriem rationis trutinando Regalis magnificentia cum Episcopali auctoritate animadvertentes, conditionaliter voluntati ejus satisfieri adjudicaverunt, & supplicationem illius eâ deliberatione susceperunt, quatenùs regulariter incedendo prudenter disponat factus Abbas domnus Lambertus de rebus Valciodorensis Monasterii; sin autem, in quâcumque die à conditione præfatâ vacillando recesserit, pro ejus enormitate domnus Popo rursus erit, & pro detrimenti realitate domni Lamberti in Regis præsentiâ & Metensis Episcopi, Valciodorensi Ecclesiæ de damno illato se domnus Popo satisfacturum cognoscit.

Ut autem adeptus est domnus LAMBERTUS Valciodorensis Cœnobii privilegium, tempore domni Poponis in eo prudenter plurima disponendo rexit, & nimiâ urbanitate quâ fulciebatur nobilium virorum levamen sibi complanavit cum adminiculatione. Cumque rei familiaris gubernando intentus foret procurationi, ad excolendas vineas quas reperit super omnia operam dedit, & cum his alias recentes construendo colere disposuit.

In diebus autem illis major villicus de Hasteriâ cum universis Officialibus suis, & omni potestate ejusdem Hasteriæ, per annum tribus vicibus ad generalem concionem in Valciodoro conveniebat, & quoniam diebus illis annuatim Valciodorensium omnis circumjacens potestas certis & assignatis temporibus post Domini Natalitium, Pascha & Pentecosten congregabatur, discutienda audiendo & respondendo eadem Hasteriensis potestas de suis judiciis, sicut diximus, eisdem diebus cum cæteris conveniebat. Cumque tempore quodam more solito conveniret Hasteriensium populus post Pascha in Valciodoro secundùm antiquam institutionem, ab eodem Abbate Lamberto inter Valciodorum & Hasteriam sub respectu Valciodorensis Ecclesiæ vinea structa colebatur, quæ diebus illis ob hoc sepiebatur murorum ambitu. Videns namque viros de Hasteriâ, Valciodorenses nihilominùs vocari præcepit, atque de rebus publicis se tractaturum ibidem disposuit, dicens alicui nullam facere injuriam, si in suæ potestatis banno, & in loco sub suâ ditione constituto audiendus, responsurus necnon populus conveniret. Itaque ne scrupulus controversiæ ex hac occasione Valciodorensi Ecclesiæ oriretur, in die illâ generaliter ne ibidem concionaretur; ei à Valciodorensibus interdicitur, sed respuendo monita eorum, & permanens in priori sententiâ ibidem die illo usque ad vesperam concionatus est: unde conversus retrorsùm populus Hasteriensium secundùm tempus condictum post hoc in Valciodoro venire detrectans, scandalizandi occasionem & initium contrarietatis ex hoc alloquio sumsit, & Valciodorensis Ecclesia ex suo suæ dignitatis privilegio spoliata, suo tempore istius juris accessum cum populi conventu tali controversiâ amisit.

Ex hoc accidenti turbati Valciodorenses, actionem prætentam domno Poponi innotuerunt, & in hac parte à suâ dignitate spoliatam Ecclesiam ostendentes, hoc gravedinis & seditionis exordium illi lacrymabiliter conquesti sunt. Hoc audito domnus Popo vehementer commotus, illi in Leodio diem constituit, & ad diem constitutam ex hac enormitate & eloquii infortunio responsurum ipsum venire decrevit. Cumque pervigil infrà constitutæ diei terminum domnus Popo super suam . . . laboraret, cœlesti remuneratione pro suo labore ditaturus præmium supernæ jucunditatis recipiendo ex hoc mundo transiit; cujus finem auditu referentium domnus cognoscens Lambertus ita fertur dixisse: Demùm ex istius propositi ratiocinio liberum me ostendo, & quia Abbas sum constitutus, per fortem Deum Abbas ero.

Accidit deinde haud multo post, ut unus Monachorum nomine Viventius de Valciodoro professus, & in Hasteriâ tempore illo commorans, ex hoc mundo transiret: cujus funus cum cæteri secundùm antiquam consuetudinem & constitutionem ferre in Valciodoro disponerent, ipse ne fieret interdicens, dixit: Hujusmodi corruptionis putredo cur delatoribus vexationem faciens eundo & redeundo tædium fiat, ignoro, cùm neutri sit juris & potestatis in hoc Hasteriensi Cœmeterio, ut in Valciodorensi: secundùm voluntatem & nostrum mandatum sibi locum sepulturæ providete. Itaque vobis præcipio, ut hîc ei locus sepulturæ præparetur, & Ecclesiæ Hasteriensi, cui vivens servivit, ex hoc etiam mundo translatus post obitum adhæreat. Hæc est post primæ transgressionis periculum altera enormitas, in quâ Hasterienses suæ damnationis exordium & animarum suarum dispendium assumendo traxerunt: has enim quas juxtà B. Benedicti decretum & normam facere professiones debuerant; ut in eis sanctificarentur Ecclesiastico jure, postponendo reliquerunt, & à die illâ usque ad hanc, benedictionem, qua Monachorum sanctificatur Ordo, suscipere renuerunt. Ne verò contrà veritatis tramitem incedere videamur, & à quibus subsannamur ex commento falsæ opinionis inaniter dijudicemur, testimonium illorum in medium proferimus, qui ea non solùm oculis viderunt, verùm operando manibus propriis tractaverunt. Hi nobis verissimâ relatione quâdam ex parte materia fuerunt, quocircà quorumdam illorum nomina censuimus hic inserenda, auctoritas quo magis convalescat. Exstitit namque ex his unus noster didascalus Reverendus Richerus, alter pauper Joannes, Fulbertus quoque qui in suo tempore dives est appellatus, & cum eis opiniones eorum veraxque relatio, qui de eâdem ætate memorata veraciter referebant. Hæc enim omnia nugalis rumor eo in tempore aures omnium nostrum personabat.

In diebus illis substantia à venerabili Eremberto Abbate præfata, quâ templi structura dilatanda atque renovanda erant; supellex quoque varia, & multimodarum rerum collectio superérat, quo fieret concors futurum fastigium templi ad mensuram quantitatemque futurorum ædificiorum. Et quoniam isdem venerabilis vir futuri operis copias in industrium virorum tutelâ collocaverat, atque sub firmâ protectione ita regebantur, quo ne timore amoreque usibus alterius rei subjacerent, Domnus Lambertus

ne machinamento alicujus occasionis prædicta substantia deflueret, deliberavit propositæ actionis excellentissimi Eremberti complere desiderium. Sed nostræ partis in hac etiam actione non defuit dispendium: Conventus enim ille qui quotannis in translatione B. Eloquii congregabatur, de quo & superiùs sermo est habitus, ex hoc opere scandali sumens occasionem, retrocessit, dicens eo in loco gravem fieri controversiæ enormitatem, quòd in tam solemni die ad quam confluebant diversarum plebium catervæ, ausus sit quis ruinam facere, & in hac à suo statu templi ædificia removere. Die enim eodem in tantâ populi frequentiâ ab hoc templum est eversum, & annualis convenientium devotio est redacta in nihilum, atque reddere postposuit antiquo more debitum obsequium gens & populus diversarum regionum. Quid plura? tribus ab eo demptis nobis præcipuis & congruis honoribus, nobis non profuit, & nostris Hasteriensibus in his periculis suarum animarum inimicitians multum obfuit. Reverâ contrà Deum & regularem observantiam hoc, inquam, controversiæ enormitatem ita induxit, quatenùs pro contradictione atque superstitione, quam contrà auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, decretique Domini Apostolici ex eorum cæmeterio ebulliit, regularem benedictionem postponerent, & suo more viventes ab illo tempore usque ad nostrum ita permanerent. Vulgus nihilominùs ex eâdem villâ, quod statutis temporibus ad hoc Cœnobium confluebat, contrà salutem animæ & corporis agens præcepto illius antiquum morem dereliquit, obedire detrectans præcepto decretoque Romanæ Ecclesiæ, & Domini Apostolici, atque statuta illius contemnens à die illo usque nunc per iter inobedientiæ graditur.

Completo exinde murorum ambitu, & diligenter atque mirificè venerabilis Monasterii compaginatione sublimatâ in interiori ocello, sedulâ meditatione Domnus Lambertus cœpit perscrutari à quibus & quomodo celebre nomen & antiquum Ecclesiæ renovari possit. Tempore siquidem illo parochialis Ecclesia in hoc Cœnobio non erat, sed B. Forannano & suis successoribus à Romanâ Ecclesia & suis capitalibus concessum fuerat, quatenùs super populum loci istius vices ministeriumque Pontificis per omnia ut super claustrales interiùs, ita quoque super Laïcos exteriùs expleret. Quapropter in diebus illis à latere Abbatis Capellanus non deerat, qui in eodem Monasterio vice Abbatis curam gerebat, & ad nutum illius cætera disponebat. Verùm Domnus Lambertus hoc privilegium contumeliam fore assignans, sub sarcinâ jugoque tali se diù comprimere non ferens, maturè se ab hoc absolvit, atque juxtà Monasterium ipsam quam nunc habemus in honore S. Michaëlis Ecclesiam construxit.

Deinde qualiter ad plenitudinem perpetuæ stabilitatis procederet excogitari cœpit; non enim vacua portio superetat Ecclesiæ nostræ, quæ sine dispendio removeretur ab antiquâ constitutione. Rebus itaque instantibus undique circumspectis, de præbendâ Fratrum ex indominicato mansu hujus villæ eam portionem substraxit, quâ dote designatâ, constructam à se Ecclesiam, veluti in præsentiarum dotis ejus dilatio ostendit, magnificè nobilitavit. Leodiensis deinde Pontifex dominus Detuinus locum consecraturus ab hoc invitatur, atque ad complendum talis actionis negotium innumerabilibus præparatis expensis, ab utrisque partibus celebrandus dies statuitur. Ergo in capite Calendarum Octobris istius celebrationis decus initiatur, venerabilisque templi majus altare in honore sanctæ & individuæ Trinitatis, & sanctæ Crucis, atque Genitricis Dei & duodecim Apostolorum, beati necnon Proto-martyris Stephani, sancti quoque Vincentii, Leodegarii Martyris, à supradicto Præsule consecratur. In templi verò dexterâ sinistrâque, & cryptâ in die præfatâ ab eodem tria consecrantur altaria, in quibus re & nomine patrocinia diversorum adunantur Sanctorum. Altare verò in facie ingredientium à parte Claustri in honore beati Joannis Evangelistæ, necnon & beati Joannis Baptistæ & beati Stephani Papæ dedicatur. Altare exinde in honore beati Andreæ Apostoli, Felicis Papæ & Martyris, Calixti Papæ & Martyris, Mauricii Thebeæ legionis Ducis & omnium Sanctorum, cum suâ Basilicâ oleo consecrationis inungitur. Aliud autem in lævâ Monasterii ad honorem Christi Confessorum Martini, Nicolai, Benedicti, Silvestri, Gregorii benedicitur. In sequenti præterea die Altare & Basilicam superiùs memoratam, quæ propter villam & Monasterium ab eodem Abbate memorata constructa fuerant, in honore S. Archangeli Michaëlis, & sancti Patricii Confessoris, necnon & beatæ Cæciliæ Virginis ac omnium Sanctorum consecravit. Beati verò Eloquii translatio antiquam dignitatem retinens, in eâ permansit stabiliter, quam antea domni Notgeri industria ordinavit, & ut ipse celebrabilem reliquit; sic etiam domnus Betuinus ejus solemne decus octavo Idus Octobris reformando celebraturum constituit.

In diebus autem illis ad hoc Cæmeterium nobilium Florinensium funera antiquo more, sicut superiùs præfati sumus deferebantur, quod utilitatis commodum etiam Ecclesiam spolians, eam in hac parte hac ratione læsit. Accidit forte quòd quidam eorum hominem exuens ex hoc mundo transiret, cujus funus dum ejus successores ad locum sepulturæ disponerent defferre, obviavit Domino nostro Lamberto Florinensis Abbas nomine Gonzo, & dum ex prædicto funere sermocinantes ad invicem conferrent, ita præfatus Florinensis Abbas nostro intulit: Cum nullius utilitatis commoditas ex his cadaveribus vobis proveniat, nostris consiliis assensum præbete, & sepulturam eorum nobis concedite, vosque ab hoc fatigationis tædio expedientes, hac pro recompensatione hunc equum ingentis fortitudinis ad usus vestræ Ecclesiæ assumite. Sic denique talis diffinitionis concessio, nostris facta est horum diminutio, destructioque maxima futurarum rerum eventus per effectum forte succedentium.

In tempore etenim præcedenti ex his nobilibus quædam nobilis matrona nomine Alpaidis, voto præcordiali ad hunc in vitâ suâ confugiens locum, in eo deliberans suæ dispositionis exspectare terminum, villam Roleriam, & quidquid in eâ juris habebat nobis liberaliter tradidit, disponente eâ interea amplioribus beneficiis locum exaltare; sed ab hoc voto cujusdam Monachi quædam improba stultitia retraxit hoc ordine. Cum de republicâ ejusdem Ecclesiæ prudenti diffinitione portionem sibi constitutam perciperet, accidit fortè quòd suus nuntius Fratrum portiones anticiparet, illeque ejus de piscibus acciperet ferculum, & prædictus Monachus eo die amitteret suæ portionis ferculum: cumque ob id graviter perstreperet, ejus strepitus ad Dominæ pervenit aures, quæ hac motione in indignationem conversa recessit à loco ejusdem, faciens de seipsâ detrimentum irrecuperabile. Exinde Domnus Florinensis Godefridus ob suæ salutis remedium de suo proprietario liberam nostræ Ecclesiæ donationem faciens, redditum duorum solidorum in Harneis illi tradidit, & ut Fratribus quotannis in suâ rememoratione administrentur per succedentia tempora instituit.

Diebus siquidem illis super Letiam flumen in castro dicto Greteri quidam nobilis Comes nomine

Theodericus unà cum suâ nobilissimâ conjuge Ermengarde habitabat, de cujus nobili prosapiâ Fennienses Theodericiæ quivocali successione originem traxerunt. Isti denique adjutricem in oportunâ necessitate beatam sibi adesse Mariam in hoc Valciodorensi Monasterio, sub ejus protectionum alis fore sepulcrum decreverunt, & de beneficiorum suorum redditibus præbendam Fratrum ibidem Deo servientium ut nobiles nobiliter ampliaverunt. Dominus enim Theodericus in confinio Fallemaniensi in vico dicto Juvoniâ, partem alodii quatuor modios in redditu quatuor solidorum præfatæ Ecclesiæ tradidit, & ut Fratribus per omne succedens tempus singulis annis ministrentur, instituit. Venerabilis nec non Ermengardis Comitissa uxor ejus in Soloniâ, quæ prope Dinantum adjacet, in redditu decem solidorum congruum Ecclesiæ huic alodium quatuor scilicet mansos terræ, quod in usibus præfatorum Fratrum decrevit succedere per omne tempus.

Sub eodem tempore in castro Femuensi illustris Domina nobilis mulier nomine Gertrudis prima de Femuensibus, fideliter huic Ecclesiæ adhæsit, & benevolentiâ suæ devotionis illi largitionem nobilis doni adhibuit, & ob suorum peccaminum remedium sub ejus protectione confugiens, sibi suisque successoribus instituit in eodem loco fieri sepulturæ domicilium. Igitur ejus pronepos nobilis Joannes ex eâdem prosapiâ & ex eodem castro ille in hoc suæ benevolentiæ studium occurrens, sibique Genitricem nostræ redemptionis in omni necessitate quærens affore, ad complendum opus divinitùs conceptum manum apposuit, villam Borsium invicem in redditu octodecim solidorum nobis tradiderunt, exceptis accidentalibus quæstibus & familiâ ex diversis eventibus frequenter qui accidunt in Ardennensi provincia: Ecclesia enim ejusdem villæ decem, villaque octo solidos redditûs reddere debebat omnibus diebus, quem propterea hîc annotavimus ne ab aliquo aliquando Ecclesia aliquod patiatur detrimentum injustè.

Huic sub eodem tempore quædam nobilis mulier Herinsindis nomine ex ante dictis Florinensibus, in hoc Valciodorensi Monasterio Genitricis Christi levamen quærens à facie inimici atque tribulationis futuræ, ejus sub alis devotè confugit, omniaque illius perpetuæ retributionis suavia ab eâ quatenùs inveniret, de suis beneficiis prædictæ Ecclesiæ cum quodam Eilberto conjugis sui Fratre uterino donativum quoddam tribuit. Dedit enim tam ipse quàm ipsa in villâ Erchevelles, in quâ in honore beati Medardi habetur Ecclesia, in respectu quatuor solidorum duas quadras terræ, quas annuatim usibus Fratrum ibidem Deo servientium omni dehinc tempore nobiliter decreverunt subesse.

Interea quidam Vidricus de Romereis nobilitatem suam decorare nitens militari studio, vitam præsentem armis ornavit, & ob diversorum casus reatuum vinculo excommunicationis irretitus, in eo usque ad terminum suæ mortis permansit, sicque ex hoc mundo cum priori sententiâ transivit. Verùm antequàm decederet à suis familiaribus præcordiali precatione obtinuit, quatenùs in præcinctu Valciodorensis Ecclesiæ ut in eo sui corporis sepultura fieret, deferretur, ita dumtaxat ut signo crucis turris ipsius Ecclesiæ à suis delatoribus agnito ibidem è regione Ecclesiæ sepeliretur. Ipse denique ne omninò apud matrem Ecclesiæ haberetur ingratus, in eâdem villâ Romereis in respectu quindecim denariorum Valciodorensi Ecclesiæ partem alodii dedit, dans ibidem congruentem familiam & honestam. De quâ quædam puella ad nos transitum faciens, quam quidam Præzeriensis Anselinus sumpsit in conjugium, de quibus haud multo post grandis turba populi consurrexit, qui à supradicto Anselino & puellâ memoratâ Querentia nuncupabantur, originem traxerunt.

In tempore eodem quidam Evardus in hoc Monasterio à parentibus traditus est nutriendus, ut post in sanctæ conversationis observantiâ vivens regulariter conversaretur. Cumque secundùm regulam S. Benedicti pro puero prædicti parentes suam petitionem facerent, & in Rouz tam pro se quàm pro eodem respectum duorum solidorum nobis tradiderunt; omnique tempore deinceps Fratribus annuatim in eodem vico eumdem respectum suscipere constituerunt. Cap. 59.

In diebus etiam illis Domini ex Rovoniensi castro huic Ecclesiæ fideliter adhærentes, ex redditibus suorum beneficiorum Fratrum præbendam nobiliter ampliarunt, omnisque illius progeniei successio in maximæ venerationis honorificentiâ hanc cæteris prætulerunt, & in eâ conditorium instantis & futuræ successionis suæ funerum constituerunt. Ex his unus nomine Isaac ex suo jure huic Ecclesiæ Valciodorensi oblationem faciens, in Mahiert partem alodii tradidit, hocque sub respectu quatuor solidorum illi subjecit.

Eodem tempore de nobilibus de Nova-Villâ in pago Fameniensi sitâ Waltelinus quidam ob tyrannidem suam perpetuum periculum metuens & futuram examinationem, Genitricis Christi levamen remediumque quæsivit: qui de propriis redditibus honorificentiam faciens, in villâ Gessimilus suæ ditioni subjectam alodii partem dedit, cujus respectus in hoc Valciodorensi Monasterio quotannis Fratribus trigenta denarios solvit.

Fuit interea in his diebus de Namurcensi familiâ quidam Hodebaldus, cujus filius Theodoricus de Bodello in Namurco, filiam habuit nomine Herisindem, quam quidam Balduinus de Horiâ sumsit in uxorem. Hic itaque cum suæ vitæ enormitatem considerasset, fontem misericordiæ beatam videlicet Mariam suis enormitatibus opposuit antidotum, quo salutari ejus tuitione liberaretur ab incendiis perpetuæ damnationis. Igitur pro divinâ recompensatione sibi futurâ, quam oportuno tempore & die tribulationis haud sibi dubitabat affore si promeretur, in vico dicto Chrestevin ob venerationem Christi Genitricis Valciodorensi Ecclesiæ partem alodii tradidit, duosque solidos in respectu illius Fratribus ejusdem Ecclesiæ quotannis solvere constituit. Hæc de tempore Domni Lamberti Abbatis atque rebus acquisitis amplificatione, sive diminutione, & infrà terminum suæ pastoralitatis accidentalibus casibus & periculosis anfractibus dicta sufficiant.

Quomodo verò cœmeterium istius Ecclesiæ ante exitum suum ambierit, testis fuit conscientiæ suæ cordium scrutator Deus: verùm ne hoc præteriisse inaniter videamur, ob testimonium referentium munimenque futurorum hic adnotare decrevimus. Ipseque denique veluti accepimus cum crebris ante exitum pulsaretur infirmitatibus, frequenter huic Ecclesiæ adhærebat nitens ibidem corporis exuvias relinquere; quòd sicut suo versabatur in voto satis fideliter opinabatur militavisse. Enim verò ut post eventus rerum aperuit sollicitudo humanæ dispositionis nil valet contrà consilium divinæ dispensationis. Vocationis igitur suæ adveniente tempore ultimum forte ei in Hasteriâ finis clausit diem, & impediente accidentali difficultate necesse fuit ejus corporis glebam ibidem mansionem accipere.

Quid autem in suis diebus ei in Hasteriâ contigerit, paucis explicabimus. Notitiam itaque Prin-

cipum suo tempore sollicitè procuravit, & semper in eorum præsentiâ cum eis frequenter adesse desideravit. Cumque die quâdam Bullonis ante Bullonensem Ducem adstaret, Dux GODEFRIDUS ex pestilentiâ suorum equorum conqueri cœpit, atque ex hac à circumstantibus consilium sciscitatus est. Cui à Domno nostro Lamberto tale consilium confestim datum est: Beati Nicolai suffragium, optime Dux, hac pro pestilentiâ requirite, & confestim liberabuntur ab hac invaletudine. Requirit interea Dux quò ejus memoria haberetur. Duci respondit; in Valciodorensi Basilicâ in honorem sancti Nicolai consecrata continetur una ara. Tandem Dux ex suâ supellectili in Valciodorensi Basilicâ ob honorem sancti Nicolai suorumque salutem equorum per præfatum Abbatem optimum pallium transmisit, quod usque nunc in jam dictâ conservatur Ecclesia.

Revertens autem à Bullone fortè per Hasteriam transivit, & in ea antequam huc rediret unius noctis tempore pernoctavit: cumque more solito matutinali adveniente horâ Missam celebraturus altare sibi præparari præcepisset, præfatum desuper altare pallium poni præcepit, quod divinæ celebrationis mysterio completo ad locum destinatum transferre disposuit. Verùm nostri Hasterienses injuriam sibi fieri judicantes, affectum contumeliâ prædictum Abbatem, cum jurgio pallium retinuerunt; & sæpè jam dictum Abbatem armis aggredientes unanimiter cum laïcali manu obsidendo clauserunt. Cum autem clausus ab his in suo cubiculo teneretur, cum summâ velocitate ab eodem in Namurco dirigitur nuntius, quatenùs veniente Namurcensi Comite ab hac insolenti circumventione erueretur. Veniens itaque Namurcensis Comes ALBERTUS, pater Comitis GODEFRIDI, diligenterque rem investigans, consideransque nimiæ procacitatis insolentiam grave judicium in eos exercuit, quoniam quosdam orbatos, quosdam verò cauteriatos, nonnullos verò demptis pedibus claudos reliquit.

Domno LAMBERTO viam universæ carnis ingresso Valciodorenses pari consilio canonicam electionem facere decreverunt, & de suis qui eis præesset unum in pastorem & dominum secundùm primam institutionem sibi imponere condixerunt. Igitur canonicali auctoritate undique ventilato negotio, utriusque partis in hoc convenit consensus, ut Valciodorensis Monachus domnus GODESCALCUS Abbas in regimine ejusdem Ecclesiæ præficeretur. Dictum & factum. Verùm nactus juxtà deliberationem Fratrum, eorum regimen, res publicas......... quas suis voluntatibus haud multo post subesse disposuit. Cum verò votis præcedentibus prospera succederent, & sibi sine aliquâ contradictione cuncta bona malaque subjacerent, proprii cordis sequutus est arbitrium, sicque ex parte res sibi commissas deduxit ad irrecuperabile commercium, & detrimenti & diminutionis lacrymabile infortunium. Huic velatâ affinitate quidam Leumensis ENGELBERTUS conjunctus est, adeo ei præcordiali familiaritate adhærens, ut non solùm ex rebus transitoriis, verùm etiam ex existentibus perpetimque manentibus ab eodem superabundanter ditaretur. Distractis siquidem contrà fas sibi commissis rebus Ecclesiasticis, potestate quâ valuit Abbatiæ curias omnes deturbavit, præfato Engelberto de unâquâque portionem tribuens. Ipse autem ne criminaretur ab aliquo se hæc injuste fecisse, puellam quamdam nobilibus ortam natalibus Ecclesiæ acquisivit, quam ipsi Engelberto in uxorem tradidit: ipsi præterea in dotis annumerationem hæc contulit, quæ venerabilis Comitis EILBERTI devotione & industriâ Ecclesiæ fuerant oblata, quæ etiam

Godescalcus XI. Abbas eligitur.

Apostolicæ auctoritatis sub gravis ligaturæ excommunicatione indeterminabiliter contrà omnes, qui fraudem moliri cupiunt de rebus supradictis, tuerentur canonicâ defensione. Ut enim damnosam distractionem per eum factam futurorum cognoscat successio, hujus detrimenti seriem partim explicabimus. Dedit illi in hac villâ in vico Lemniensi per quatuor capita culturæ quatuor bovarios terræ arabilis. In Antinâ decimam lini, de quâ antiquitùs suebantur panni Fratrum, cum quibusdam ejusdem curiæ eulogiis. Ab Heydrâ verò unum vicum semovens ex integro cum suo molendino, & mansionariis, præfato ENGELBERTO feodali dote tribuit. Sicque curiâ demembratâ, congruum Valciodorensi Ecclesiæ alodium abstulit. In Roseriâ Loytres & Bromes, & aliis curris tantam exercuit destructionem, omnia illi tribuens quæ non solùm non sufficerent sibi soli, verùm de quibus more magnatum feodatos faciens nonnullos sibi servientes acquireret.

In tempore illo accessit ad eum quidam suus consanguineus, nomine ANSELMUS, efflagitans ab eo ut in hoc Valciodorensi Monasterio germanos fratres, scilicet filios suos susciperet, atque normâ institutioneque B. Benedicti victuros enutriret. Huic definitioni assensum præbuit præfatus Abbas. Prædictus enim Anselmus ut nobilis nobiliter faciens, pro puerorum donatione secundùm B. Benedicti Constititutionem, Genitrici Christi in Valciodorensi Monasterio cum oblatione pueros obtulit, quorum unus dictus est ALBERTUS, alter ANSELMUS. Dedit præterea in pago suo Ardennâ, in confinio scilicet Bastoniæ, villæ medietatem, quæ dicitur Holengia, & in eâ mansum indominicatum cum pratis aquarumque decursibus, & familiam & sylvam ingentem. Ex residuâ sanè medietate villæ cum plerumque sermocinarentur invicem sub quâdam taxatione pretii, assensum cuique parti alternatim prædictus Abbas, Anselmusque præbuerunt. Abbas enim pro comparationis expeditione jamdicti alodii viginti quatuor marcas supradicto Anselmo tribuit, dans cum illis optimum cornu eburneum; quod in Ecclesiâ cum omni diligentiâ inter cætera ornamenta conservatum ab aliquo tempore fuerat. Sic denique tradita est, & nobilibus testimoniis transivit in legitimam possessionem Valciodorensis Ecclesiæ Holengia, in quâ eo tempore exceptis accidentalibus quæstibus, pratis, sylvis & terris indominicatis, viginti quatuor solidi Leodiensis monetæ ex respectu mansionariorum habebantur.

Tempore illo in Hasbaniâ in sylvâ Cipleis juxtà Bromes alodium, mansionarios, redditusque hæc Ecclesia habebat, sed ob rusticorum contradictionem plerumque census reddituum......... præveniebant. Cumque frequenter de obstinatione talium Fratres conquererentur, quidam GODEFRIDUS vir nobilis de Serem ex Heriâ concambium se facturum ex prædicto alodio spopondit, si rationabiliter mutuæ partis census necterentur. Altrinsecùs itaque re prudenter ventilatâ convenitur in unâ adstipulatione utrorum voluntas, dante præfato Godefrido Heriam assentientibus huic mutationi suâ uxore HERMENTRUDE cum natis suis WALTERA, HALINO, GODEFRIDO, HENRICO, suscipienteque eodem Cipleis cum ingenti pecuniâ. Hæc autem HERMENTRUDIS de nobilibus orta, filia exstitit HUGONIS de Gabelo, de cujus successione ipsi Godefrido Heria provenit, quæ etiam nobis in villâ Mazeio pro animæ suæ redemptione in respectu septemdecim denariorum partem alodii tradidit. Iste autem Gabilonensis Hugo quatuor habuit filios, è quibus unus dictus est HUGO Poëtemus, alter WILDERICUS de

Ripâ, tertius WALTERUS de Heriâ, quartus verò noster fuit Abbas THEODERICUS secundus. Interea de supradictis Nobilibus ex Rovomâ quidam HUGO hominem exuens, in Hunay tres solidos Leodiensis monetæ quotannis nobis assignavit, & in cœmeterio Nobilium de Valciodoro sui corporis exuvias requiem habere disposuit. Ex hoc verò Hugone quædam filia exstitit, quæ IMMA nuncupata est, quæ etiam pro suâ salute sollicita Genitrici Christi Valciodorensis Ecclesiæ, in eâdem villâ de Hunay triginta denarios tradidit. Hanc quidam GOSOLDUS de Tier accepit in uxorem, & hæc ex eodem marito filium habuit, in patris memoriam appellavit Hugonem. Iste HUGO avi sui non immemor beneficii existens, nec in voto impar illi apud Genitricem Dei apparere volens, in eâdem villâ de Hunay Fratribus Valciodorensibus singulis annis Leodiensis monetæ quinque solidos constituit, deprecans in eodem Monasterio post suam depositionem corpus proprium collocari. Hic autem in primitivo suo tempore de Nobilibus ortam secundùm genus suum quærens uxorem, nobili conjunctus est: tradita enim est quædam HADUIDIS quæ fuit orta de Orrisino-monte, filia scilicet nobilis GILLEBERTI. Hic autem Gillebertus secundùm sæculi dignitatem magnæ auctoritatis exstitit, duosque filios totidemque filias habuit, quibus hæreditario jure quæcumque sibi paternâ successione provenerant, dereliquit.

Ne autem aliquando ex inani supefluitate criminemur, quòd supervacua hujus viri descriptio fiat, constat admodum fore necessarium præsentis rei denotatio, quoniam pedetentim ab hujus viri heredibus ex suis hereditatibus præsens Ecclesia non modicam consequuta est portionem, veluti post stylo currente aperietur. Geminæ enim tam nomine quàm consanguinitate prædicto filio fuerunt filiæ, nam sub appellatione hujus nominis ut prima, sic & altera dicta est HADUIDIS, ut præfati sumus; una conjugem habuit HUGONEM Renomensem, altera HERIBRANDUM de Hugiâ. Haud siquidem multo post tempore Genitrici Christi fideliter in hoc Monasterio Valciodorensi adhærentes, unâ pari desiderio convenerunt, & in confinio Vercis-montis Beatæ MARIÆ villam dictam Verere tradiderunt. Verùm ne scrupulus alicujus controversiæ ex suâ donatione Ecclesiæ oriretur aliquando, donum à Nobilibus nobiliter traditum, nobilium virorum fratrum scilicet suorum GODEFRIDI de Urcis-momonte, & GODESCALCI de Cemiaco testimonio confirmarunt, dantes pariter in Gedinâ quæcumque sibi paternâ successione provenerant. Sic àb his duabus sororibus Verere sine aliquâ contradictione Ecclesiæ nostræ data est, & in eâ quæcumque erant, mansus indominicatus, prata, sylvæ, piscatio prolixa, redditùum census, familia. Exhinc Godescalcus de Cemiaco frater earum habuit filium nomine GODESCALCUM; qui Genitrici Christi in hoc Valciodorensi Monasterio partem illam quam habebat in Gedinâ hoc ordine dereliquit. Ipse ex proprietate Ecclesiæ tres marcas accipiens, pro hac pecuniâ præfatum obsidem collocavit allodium, ea scilicet conditione, quatenùs respectu ejusdem alodii pro suorum expiatione peccatorum Fratres recipiant quousque à se & non ab alio, de suâ pecuniâ & non de extraneâ redimatur.

Superest autem dicere de Renomensi Haduide jamdicti Hugonis uxore. Ex supradicto namque marito suo quatuor habuit filios, quorum hæc sunt nomina; THOMAS, WALTERUS, GERARDUS, & GILBERTUS, qui nobilitatis urbanitate quâ fulciebantur huic Ecclesiæ caritatis gratia adhærentes, fidelia dona contulerunt: è quibus Walterus in mortis angustiâ positus, amicorum circumventione in hujus Ecclesiæ cœmeterio precatus est se sepeliri; qui de rebus domesticis suis Ecclesiæ donationem faciens matre & fratribus consentientibus, in testimonio eorum Leodiensis monetæ quinque solidos & denarium unum in jam memoratâ villâ Hunay per omne tempus Fratribus de Valciodoro annuatim suscipere instituit. Tres verò residui fratres in succedenti tempore modo dissimili & ordinatione rationabili in hoc loco sanctæ conversationis habitum susceperunt, & de rebus unusquisque secundùm suæ quantitatis mensuram Ecclesiam honorarunt. Domnus scilicet Gerardus tempore domni Theodorici Abbatis, de Gedinâ octavam partem, quæ à maternâ successione sibi provenerat cum suis appenditiis, cum pratis, sylvis, aquarumque decursibus, terris cultis & incultis, & copiosâ familiâ huic Ecclesiæ tradidit; ut hæc omnia per omne succedens tempus legaliter permanerent Ecclesiæ, & ab ea firmiter tenerentur legalibus nobilibusque testimoniis confirmavit. Verùm ne aliquando Ecclesia in hac donatione legitimâ vexationem patiatur injustè, memorari decrevimus nomina testium, hæc sunt: HERIBRANDUS & HUGO frater ejus de Florinis, RODULFUS & frater ejus SIMNIGIVECURT.

Contigit autem eodem tempore Domnum Abbatem GODESCALCUM à præsentibus migrare ad Dominum, cujus sicut & aliorum cum breviter & lucidè iste libellus actuum diligenti stylo exaratam contineat seriem, non incongruum videtur, si quod non digessit, quia nondum contigerat, eâ fide & veritate quâ à religiosis viris qui adhuc sunt superstites accepi, litteris commendem, & ad rerum gestarum notitiam posteris legenda transmittam. Huic (quem præfatus sum Godescalcus) de nostris & in nostro uti nostrorum consueverat antiquitas, Capitulo electus domnus WIDRICUS, pari voto & communi assensu subrogatur: qui nobili ortus propagine nobilior moribus fuit, sed cum hujus honoris gradui ob suæ humilitatis custodiam non acquiesceret se sublimari, vix tandem petitioni Fratrum & honori, suæ in quâ ferè à tenero ubere matris nutritus fuerat Ecclesiæ accommodans aurem, suscepit jugum Domini. Quod ipse probis exornans moribus multa egit, quæ si oblivioni non essent tradita relatu digna judicarentur.

Continuatio Chronici ab alio Auctore.

XII. Abbas Widricus.

In diebus ejus florebat Ecclesia præsens arctâ religionis censurâ, & rerum temporalium affluentiâ, cujus famâ tacti sapientes & litterati viri undique conveniebant jugo levi obedientiæ colla submittere, & cœlestis haustu dulcedinis carnalis vitæ æstum refrigerare, ac dicere cum Propheta: *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Hujus gustatâ suavitate dulcedinis magister WILBALDUS, & magister RICHERUS sine ullâ deliberationis morâ præfatum Abbatem adeunt, atque illi æstus suos confitentes, consilio ipsius vestem cum spe priori mutant, Religionemque sub eo profitentur. Exstant magistri Richeri penes nos præclari monimenta ingenii in opusculis, quæ de transl. tione corporum martyrum Candidi & Victoris, & sanctarum Virginum Coloniensium edidit, qui in toto vitæ suæ tempore in scholâ virtutum Christi sub magisterio magis doceri quàm docere volens, hic Deo se vocante beato fine quievit.

Psal. 62. 2.

Domnus verò WILBALDUS à Magisterio hujus Monasterii scholæ in Stabulensi Ecclesiâ ad idem officium accitus, non solùm illius, sed & Cassinensis & Corbeiensis uno in tempore Abbas exstitit. Ipse antiquum Ottonis primi Imperatoris, in Curiis Imperatorum Lotharii & Frederici simul & Conradi

Regis, novis & apertioribus impetratis privilegium renovavit, quorum confirmationem in Metensi beati Stephani Ecclesiâ, quæ & istius mater est & domina, conservari perpetuò constituit. Renovavit etiam privilegium Benedicti Papæ septimi, uti adhuc videri potest in nostri Monasterii thesauris, temporibus Apostolicorum Adriani & Eugenii tertii, quibus manifestè ostenditur, quòd Hasteriensis locus Valciodorensi Ecclesiæ tamquam Cella vel Præpositura, vel quocumque nomine dicatur, debet velut membrum capiti adhærere, & in omnibus obedire. Sed longè antequàm hæc fierent domnus WIDRICUS suprà memoratus Abbas ad beatarum sedes transivit animarum.

XIII. Abbas Theodericus II.

Cui successit domnus THEODORICUS secundus, cum pari omnium consensu à nostris sicut noster Monachus in nostro Capitulo, absque partis adversæ contradictione Abbas præficitur. Multa sub eo meminerunt gesta digna relatu domnus Walterus Prior, & domnus Lietbertus qui post eum tertius Abbas exstitit, & quamplures quorum notitiam habere potuissem, si in hac tunc Ecclesiâ residens extitissem.

Eodem tempore quidam Miles egregius filius ANSELMI de Tier, frater THOMÆ & GIRARDI, à matre HADUIDE ex Renomensibus dominis suæ claræ stirpis ducens originem (quorum solerti studio & piâ devotione, hæc possessionibus in Flamenniâ augmentata crevit Ecclesia) JOANNES nomine testamentum fecit, & confirmatum in præsenti loco testimonio Nobilium roboraverat. Hic in bellicis rebus strenuus habebatur: eo tempore quo Reges ad bella solent procedere, ut nobilis & clarus in armis suum Regi Franciæ exhibuerat obsequium: moram autem eo ibi faciente, mors quæ juvenibus est in insidiis & senibus in januis, illum corripuit, & ad horam extremam veniens coram accitis nobilibus Regalis Curiæ, & ARNULFO domino de Tier unà cum Rege nominato jam dictum testamentum alodii de Neffiâ renovavit, & ita vitam finivit: & ex eo villam eamdem cum familiâ in jus & dominationem suam domus ista transegit. Deinde aliæ quamplures aliis in locis ab aliis nobilibus villæ, redditus villarum, Ecclesiæ cum decimis & aliis proventibus suis, maximè in pago Fammeniensi & à Renomensibus dominis suis diebus nobis tradita memorantur.

Factum est etiam juris nostri eodem tempore quidquid habemus in Daneles: quod datum est in Eleonâ accepimus à quodam Joanne ejusdem loci indigena. Hic ab utroque sanguine ex nobilium Procerum prosapiâ genitus, in hoc multo nobilior clariorque refulsit, quòd Christum & piam Matrem ejus magis quàm suæ carnis propinquos optavit succedere sibi. Describerem paulo diffusius de eo quis & unde fuerit, sed stemmati Falemannensium hoc ipsum reservatum iri maluimus.

Sed jam tempus est, & ordo ipse narrationis hoc exigit, ut proferatur in medium, & ex suis involucris ne situ vel oblivione deleatur, salvo fulgore meræ veritatis, omnique rancoris & odii fomite procul depulso, præsenti historiæ inseram quid nostri Hasterienses attentare eodem tempore aggressi sint: non enim mentitus est qui dixit: Asperius nihil est humili cum surgit in altum. Tempore quo præfatus sum domni Theoderici Abbatis, ab eo in Hasteriensi domo constitutus quidam Joannes Prior fuerat: hic novitatum amator, & fraterni odii seminator cum alio collega suo perniciossimus. Inde accidit, ut per ducentos annos statutum fuerat, lacunam quamdam jussu Abbatis ministrorum obsequio, ad quos antiquo jure Ecclesiæ hujus id agere spectabat, reparari, & ut capiendis piscibus aptior esset statuto tempore renovari. Quod audientes Hasterienses nostri, memorati Prioris sui instinctu & consilio, à cujus etiam ore venenum hoc in alia majora & pejora præparatum flagitia hauserant, dicto citiùs advolant, palos solo infixos evellunt, diri munt cætera, & quidquid ibi factum fuerat dissipant & dispergunt. Non eos jus antiquum loci seu Abbatis reverentia, quod planè ignorare non poterant, ab errore & contentione præmeditatâ revocavit. Tamen pius Pastor benignè ovium suarum miseratus errores, non cessabat tùm per se tùm per vicinarum religiosas personas Ecclesiarum Hasterienses ad pacem Valciodorensium Fratrum, & ad subjectionem sibi & suæ Ecclesiæ debitam & catenùs absque calumnia exhibitam revocare. Exstant in monumentum hujus rei apud nos reservatæ in uno volumine comprehensæ epistolæ, quas in exequutione hujus negotii Leodiensis Metensi, Metensis Leodiensi scripsit Episcopo, etiam Wilbaldi ad eosdem Episcopos, una Regum & Imperatorum CONRADI, LOTHARII & FREDERICI Metensi directæ Ecclesiæ & Episcopo ipsius. Quibus apertè datur intelligi quomodo memorati Fratres ad unitatem prædictorum auctoritate redire compulsi sunt, & subjectionis jugo quo nunquam caruerant, denuò colla submittere. Ex hac ergo occasione accidit, & infrà rebellionem istam post primum Ottonis primi Imperatoris privilegium antiquum & authenticum, jamdicta ad nostrum perpetuum decus & munimen emanare privilegia. Quod ex facili tamen ab alio non potuisset impetrari, sed memorato Abbati nihil ab his Regibus vel Imperatoribus, quod justitiæ & servituti Imperatoris non obviaret, tunc negabatur, in quorum aulâ inter Principes serenissimus, & inter amicos amantissimus conversabatur.

Eodem tempore contigit per manus domni Theoderici Abbatis beatorum Martyrum Candidi & Victoris, & sanctarum Virginum Coloniensium corpora ad hanc beatæ semper Virginis MARIÆ transferri Basilicam. Sub eâdem tempestate Prior Hasteriensis Joannes nomine, ante portam nostram littus Mosæ respicientem navi advectus transibat: quod cernens Abbas, indignatus est Monachum suum quâdam velut indignatione se non salutare, quem transiens vidisse poterat & cognovisse ante se pertransire; arctari eum fecit, & infrà claustrum istud custodiæ mancipari, donec precibus Comitis Namurcensis promissâ priùs emendatione veniam obtinuit. Iisdem diebus diversæ supellectilis & rerum plurimarum ab antiquo congesta copia cum thesauris Ecclesiasticis tota defecerat, quæ inopia non solùm hanc, sed & nostram Hasteriensem suis pretiosis spoliavit etiam gemmis, & auro claris ornamentis; quâ etiam graviter invalescente domnus Abbas THEODORICUS appositus est in senectute bonâ ad patres suos.

Die sepulturæ ejus cum statim fieri deberet electio, & Hasterienses in exequiis Abbatis defuncti adessent, celebrandæ tamen electioni futuri Patris substraxerunt se, & regulariter convocati redire noluerunt. Prior verò hujus Monasterii videns eorum arrogantiam, & timens ne si differretur electio tumultus fieret, in domnum Stabulensem sæpe memoratum WILBALDUM Abbatem electionis suæ sententia toto annuente conventu confirmavit. Ipse verò post reditum suum à Curiâ Imperatoris (nam ibi per aliquot menses moratus fuerat) tunc hoc audito statim Valciodorum venit, & ab hoc onere sese humi prostratus excusavit humiliter, non tamen à loco discessit, donec consilio ejus sæpe dictæ Ecclesiæ Stabulensis Decanus Domnus ROBERTUS XIV. Abbas Robertus.

subrogatus in Abbatem à Metensi Episcopo investitus, à Leodiensi benedictus, & ab utriusque loci Fratribus in Dominum & Abbatem ut decuit, cum honore & reverentiâ susceptus est. Hic quàm idoneus & efficax in administrandis utriusque hominis rebus necessariis fuit, Fratres utriusque loci ab eo nutriti, & ad sacros Ordines per eum promoti noverunt, quorum nonnulli adhuc vivunt.

Ipse Falemannensem acquisivit Ecclesiam: hæc à fundationibus suis quatuor Sacerdotum ministeriis commissa, eodem tempore ad tantam devenerat negligentiam, ut quatuor Glericorum officia vix unius Vicarii ministerio explerentur, loci possessiones de divini cultûs exterminio usque adeo commotæ sunt (Nam tunc duobus Subdiaconibus & duobus pueris infrà annos & ordines constitutis adscripta erat) ut eam spe meliorandi huic Monasterio, & ejus jam memorato Abbati Roberto legitimâ donatione, adstante Namurcensi Comite H. & aliis Nobilibus, traderetur: eâ dumtaxat conditione, ut discedentibus Clericis loco eorum Monachi ab Abbate inibi constituerentur. Dignum ergo duxi huic narrationi inserere participes alodii, & possessiones fundi quorum donatione temporalia, quorum petitione spiritualia impetrata sunt.

Dederat primùm tempore domni Olberti Episcopi Gerulfus & uxor ejus Herbaudis, & filii eorum Herbertus & Winandus, ut Nobiles testimonio Nobilium medietatem præbendæ investiti: tertiam partem ejusdem Anselmus de Falemanniâ, frater domni Hellini reverendi Treverensis Archipræsulis, pater illius qui nunc est Anselmi, & fratris ejus Godefridi jam defuncti. Item Theodericus & Godefridus filii Engelberti hujus Ecclesiæ servi reliquam quartam partem. Ex secundâ præbendâ præbuit idem Anselmus medietatem, dicti Godefridus & Theodericus fratres aliam medietatem. De tertiâ rursus Anselmus prænominatus quartam partem, Theodericus de Buillon & uxor ejus Mathildis alias tres partes. Item de quartâ præbendâ Anselmus quartam partem: Ascela de Dantes matrona illustris alias tres partes; hæc fuit domini Hellini dicti Archiepiscopi & fratris ejus illustris viri Anselmi cognata: qui omnes unà cum Joanne illo qui nobis ea quæ apud Daneles habemus largitus est, si longa retrò series repetatur tam in Clericis quàm in Militibus insignes invenientur.

Primo adventûs sui tempore domnus Robertus, quoniam adhuc nobis aliquid ex eo, Ecclesiarum statum quem deformatum repererat dum in melius reformare satageret, obloquebantur ei quidam in hac domo de scientiâ ac genere suo præsumentes; sed ipse eorum parvipendens arrogantiam, omnes ejecit, donec debitis persolutis ac redditibus rebusque omnibus in priorem statum revocatis, suos amicos faceret, & dilectos fratres quos priùs habuerat obloquentes. Tamen nunquam adeo utilis sicut Hasteriensi Ecclesiæ, propter prædictorum arrogantiam. Hasteriam ergo cum bonis omnibus suis nudatam invenisset à dilapidatoribus, studuit quæ juris ipsius esse didicit ab invadiatoribus eripere. Aderant ei fideles & optimi adjutores domnus Petrus vir bonus, & ab infantiâ suâ sanctæ amator & observator Religionis, & Joannes postea Præpositus. Contigit autem prædictum Abbatem pro apportato lucro suæ negotiationis audire Dominum dicentem sibi: *Intra in gaudium Domini tui.*

XV. Abbas Petrus.

Hoc itaque rebus humanis exempto, iste de quo paulo ante feci mentionem Petrus, de Hasteriensi domo primus ab utriusque loci Fratribus in Capitulo nostro concordibus votis electus perhibetur. Cujus ego actus & mores quoniam laudabiliter vixit non reprehendo, in hoc tamen satis reprehensibilis exstitit, quòd decus illud & prærogativam honoris, qua hæc Ecclesia tamquam mater & domina illi antecessit de quâ loquimur, domui Hasteriensi, quæ ejus est filia, voluit vel annihilare quantum potuit, multum hic quidem, quoniam Abbas erat & dominus, vel ad eamdem Hasteriam latenter & callidè semper transferre sategit. Abbas autem noster investituram ab Episcopo Metensi accipit, & in hac investiturâ hic ordo verborum servatur: *Do tibi* (verba sunt Episcopi) *donum Abbatiæ Valciodorensis & omnium pertinentiarum ejus:* quo accepto præstat electus religionem fidelitatis suæ. Idem Abbas non erat Monachus, quia non professus. Consuetudo erat ei beatum virum Forannanum devotis & frequentibus exorare precibus, & ejus sepulcrum latenter & publicè invisere; expertus ejus opem erat in multis: quod si quis diffusiùs audire voluerit, legat miraculum quod in vitâ ejusdem Sancti continetur de redditâ ab eo sibi sanitate; quo ipse Sancto singulis hebdomadibus pro sibi concessâ sanitate unius Missæ officium quamdiù vixit, devotè sicut promiserat persolvere non cessavit. Erat vir iste decora facie, stellantibus oculis, & proceræ magnitudinis, statura valde decorus, cygneoque ornatus candore, nescio quid cæleste & divinum se intuentibus tam facie, quàm verbis & moribus prætendebat. Præterea frequentibus & devotis in Ecclesiâ insistebat precibus, & gregis sui curam Deo commendans. Appositus est autem in senectute bonâ ad patres suos, cui de nostris successit D. Libertus.

XVI. Abbas Libertus.

Sed ne in transitu & quasi viator mentionem ejus fecisse videar (quem infirmum, pauperem & rebus omnibus egentem & nudum ipse in hoc Monasterio susceptum confestim dignatus est excipere suis adscitis) ejus actibus describendis immorandum mihi censeo paulo diutiùs, ne ingratitudinis ignavi redargutus vitio, inertis aut desidis inustus cauterio ignaviæ notam incurram. Fuit hic de quo sermo est claris ortus natalibus, quem à parentibus nobilibus & locupletibus huic beatæ semper Virginis Mariæ Monasterio divinis mancipatum obsequiis, sui quos hîc habebat cognati regularibus disciplinis, & litterarum scientia affatim instruxerunt. Qui priusquàm ad virilem pervenit ætatem, divinâ ad hoc se vocante gratia Abbatis sortitus est officium & nomen. In hoc à recto tramite nimirum exorbitavit, quòd in Hasteriensi domo post sui prædecessoris exequias sacræ electionis munia potius est in se & de se celebrari. De nostris verò qui hoc scelus patraverunt, cum Regum & Imperatorum super hoc capitulo præ manibus haberent privilegia, cum suæ antiquitatis jura non ignorarent, dicimus eos scienter & voluntariè peccasse, unde confidenter asserimus quia divinæ examen ultionis non evadent.

Tempore suo Mathildis matrona nobilis, consilio Franconis cognomento Lotharii Sacerdotis & Monachi hujus loci accessit huc, & dedit in eleemosynam medietatem Ecclesiæ beati Martini de Mihayâ cum decimis omnibus ad villam spectantibus; alodii autem totius medietatem acquisivit Ecclesia à filiis & heredibus suis, quod divisum fuerat in quinque partes. Quam divisionem quia alio in loco me digessisse sicut acciderat memini, huic narrationi inserere nolui.

Elapso autem non longo tempore post hæc orta est inter Ecclesiam istam & Hasteriensem gravis discordia pro festivis diebus, in quibus Hasterienses

de jure expetebant Abbatis præsentiam, duabus tantummodo exceptis solemnitatibus, Paschali scilicet & Ascensione, & prohac occasione eousque processum est, ut ad præsentiam Metensis Episcopi, qui nunc fundi dominus & patronus utriusque loci habebatur, fuerit appellatum. Dehinc post festum omnium Sanctorum agente eodem Episcopo in Synodo, & partibus hinc inde constitutis, ad defensionem suam Hasterienses quoddam scriptum in modum Privilegii Alexandri Papæ protulerunt: hoc autem scriptum unde emanarat ne supervacuus rerum gestarum relator esse videar, scribere supersedi. Nec prætereundum est quòd dum hæc agerentur, voluerunt Hasterienses Abbatem in partem suam trahere & secum habere, sed noluit ille, imò cunctis audientibus contestatus est se magis illi debere assistere Ecclesiæ quæ nutrierat eum, & religionis & scientiæ totius decorarat titulis, quàm illi quæ rebellis & inobediens ei esse nitebatur, quæ domina & mater ejus eatenùs fuit, testibus privilegiis Imperatorum & Regnum Romanorum, necnon & Romanorum Pontificum; quæ in eâ ad judicium hujus rei conservantur.

Elapso deinde anno jam reversis à Romanâ Curiâ utriusque partis Legatis, cum esset profectus D. Abbas LIBERTUS Leodium jam aliquantulum infirmus, & existente eo in Claustro sancti Lamberti cœpit sensim viribus corporis deficere; quod dum perciperet domnus WARNERUS Præpositus qui cum eo erat, voluit eum reducere ad hospitium, sed cum jam essent in viâ illò revertendi, in plateâ quadam cecidit, & ibidem exspiravit; nec dubium quin sic eum Dominus vocavit, sicut illud Scripturæ dicentis: *Justus quâcumque morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.* Ut autem de ipso breviter commemorem, vix aut nunquam manus ejus libro carebat: lectioni assiduæ deditus, exceptis illis horis quibus devotis insistebat precibus aut divinæ contemplationi.

Sap. 4. 17.

Eo tandem sepulto in Ecclesiâ beati Laurentii in Leodio, cum secundùm scita Canonum deberet fieri successoris electio in Capitulo Valciodorensi, & ad hoc agendum esset dies assignata, præripuerunt diem ipsum quidam de nostris novitatum amatores, & domnum WALCHERUM tunc Cantorem, Hasteriensibus Fratribus non vocatis, quibusdam etiam de nostris abeuntibus, Capitulum intrantes in Abbatem nominaverunt. Quòd cum videret fieri domnus WALTERUS Prior de Ronconia, ausus eorum non ferens damnavit factum, ipsumque electum & electores suos denuntiavit excommunicatos. Quod cum domino HUGONI Episcopo Leodiensi fuisset intimatum, pro nihilo ducens processum, aususque temerarios prædictorum, & sententiam à Priore in eos latam confestim firmavit. Ipsi verò festinantes ad Metensem accedentes Episcopum, cum non esset qui resisteret, multâ precum instantiâ donum Abbatiæ obtinuerunt. Igitur investito domno WALCHERO dono & honore Abbatiæ, rediit cum suis concito gradu ad Valciodorenses. Cumque ipse & sui eis qui sibi contrarii fuerant expulsionem, & multa alia gravia minarentur, domnus WARNERUS Præpositus assumpto secum magistro Scholæ JOANNE nomine, & GERARDO Monacho Hasteriensi adiit Leodiensem Episcopum, qui tunc in castro Hoyensi sanguine minutus erat, & conquestus ei insolentiam D. Walcheri & sociorum ejus. His auditis Episcopus præcepit dictis Fratribus Joanni & Gerardo dictorum non curare audaciam, sed ut redirent ad domos suas, & convocatis utriusque domûs Fratribus qui non consenserant præsumptioni dictorum, in Capitulo Valciodorensi jamdictum Varnerum Præpositum in Abbatem eligerent, & electum sine morâ sibi benedicendum præsentarent. His memorati Fratres auditis cum lætitiâ magnâ reversi sunt, omnia sicut eis fuerat imperatum implentes. Sed domnus Valcherus hanc confusionem suam non ferens, de nocte cum suis omnibus fugitivus abscessit, absconditis omnium campanarum batallis. Hoc cum factum fuisset sequuta sunt damna hujus Ecclesiæ gravia & importabilia, adeo quod multi dicerent domum Valciodorensem de cætero non esse recuperandam: sed Dominus qui malis omnibus novit finem imponere, hoc modo finem imposuit. Obtinuit enim domnus Warnerus assensu utriusque Episcopi Abbatiam, concessâ domno Walchero toto tempore vitæ suæ curte de Hovâ cum omnibus pertinentiis suis.

Domnus verò WARNERUS tam strenuus fuit in administratione suâ, quàm efficaciter congregata conservaverit, quamque prudenter dispersa congregaverit sequens sermo declarabit. Videns itaque domum suam multis & gravibus debitis oppressam, possessionum etiam non modicam partem invadiatam, cœpit debita singula minutè & paulatim annullare, ita ut infrà septennium omnia quæ domus debebat solveret debita, & infrà aliud septennium quod supervixit multa acquireret, necnon & præbendas Fratrum adeo melioravit, ut ipsis assignaret quadraginta librarum valorem ultrà quàm Fratres accipere consueverant. Ipse etiam interfuit Concilio Lateranensi quod celebravit dominus INNOCENTIUS Papa cum septingentis Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, necnon & multis Ecclesiasticis personis diversorum Ordinum. Acquisivit in tempore suo maximam partem decimæ de Genidâ. Obtinuit prætereа litteras confirmationis à domino HUGONE Episcopo Leodiensi medietatem decimæ de Nuhayâ, quam acquisierat à PETRO Comite Autisiodorensi & IOLENDE uxore suâ, qui tunc Comitatum Namurcensem tenebat. His & aliis piis operibus deditus, gravi morbo cum laborasset à die quâ reversus fuerat à Romanâ Curiâ, omnibus Ecclesiasticis sacramentis circà eum peractis obdormivit in Domino.

Quo de medio facto domnus WALCHERUS in pace successit; cujus tempore multa præclara opera in hoc Monasterio facta sunt, videlicet porticus à majori Ecclesiâ usque ad parochiam; & super turrim tectum lapideum, quod procuravit censibus suis Frater Balduinus de Fiemvalle Sacerdos & Monachus noster, cum quibusdam aliis quæ antea jam procuraverat, videlicet vitreâ fenestrâ retrò majus altare, cappâ etiam de sameto optimâ, mensâque auro & argento decoratâ, cum cruce & textu Evangeliorum: qui Monachus cum hæc omnia faceret, sanctæ paupertatis amator in magnâ inopiâ victûs & vestitûs seipsum constringebat. Acquisivit etiam ad curtem de Fecheit terræ optimæ non modicum, quam priùs domus ista non habebat. His & hujusmodi bonis operibus deditus cursum vitæ suæ totum explevit, non tamen obiit tempore domni Walcheri, sed domni HENRICI qui post eum tertius successit.

Domnus igitur Walcherus cum ad regimen hujus loci noviter accessisset, occurrerunt ei multa gravia scandala propter accidentia quædam. Nam PHILIPPUS Comes Namurcensis, hujus loci primus, frater videlicet nobilis ELISABETH Reginæ Francorum, & BALDUINI Flandrensis & Haionensis Comitis postea Imperatoris Constantinopolitani, diem clausit extremum: qui moriens Ecclesiæ S. Albini in Namurco, ubi ipse seipsum disponebat tumulari, partem illam decimæ de Nuhayâ, quam domnus Warnerus

nerus Abbas à PETRO Antisiodorensi Comite & uxore suâ IOLENDE sorore illius Philippi de quo sermo est, acquisierat; delegavit. Sed quia domnus Warnerus jam sibi eam fecerat confirmari à domno HUGONE Leodiensi Episcopo, obtinuit eam domnus Walcherus multis & gravibus damnis huic Ecclesiæ irrogatis; cujus acquisitionis & retentionis labor totus incubuit in fratrem Alardum Sacerdotem & Monachum nostrum; tunc temporis Præpositum, filium Anselmi quondam villici hujus villæ.

Sequutum est aliud grande gravamen, siquidem Frater Alardus, dictus de ...... tunc temporis Camerarii officium administrabat, qui cum propter censsus paucos, quos apud Counig & Peio habebat, ad partes illas devenisset, rogavit eum quidam Presbyter Nicolaus nomine, ut ad villam de Daillies secum accederet visitandi gratiâ parochianum suum gravi detentum infirmitate, nomine GONSELINUM; qui cum simul ibidem accessissent, cœperunt diligenter secum agere de salute animæ suæ, & etiam de ordinatione rerum suarum; non enim filios habebat nec heredes. Quorum verbis æger diligenter intendens & devotè, nullius exspectavit consilium, imò sicut & à Spiritu sancto inspiratum fuerat, se & sua in manus dicti Alardi Deo & beatæ MARIÆ semper Virgini contulit, & accersito Abbate conversus factus paucis postea supervixit diebus. De cujus hereditate & rebus calumnias graves & longas sustinuit Ecclesia, tam contrà virum nobilem dominum ROGERUM Militem dominum Cimacensem, quàm contrà cognatos & propinquos ejus de quo sermo est. Tamen modò divinâ misericordiâ disponente & in melius semper negotium promovente, quidquid dictus GONSELINUS habuit nunc in pace possidemus.

Per omne tempus quo hæc agebantur dominus Walcherus Abbas gravi morbo laborabat, quo nunquam caruit à die promotionis suæ usque ad diem obitûs sui. Morbus autem iste sibi faciem deturpavit undecim annis quibus Abbatiæ præfuit, ut gravis esset ad videndum etiam his qui intimo cordis affectu eum diligebant. Non tamen causâ infirmitatis hujus caruit Angelicâ voce, qua præ cæteris omnibus Regularibus personis in partibus istis præeminebat. Ipse quidquid habemus in Doillies refectioni Fratrum, eleemosynis pauperum in Cœnâ Domini, luminaribus Ecclesiæ, non obstantibus sumptibus quos inde fecerat, nobis benignè contulit, & quadraginta solidos ad decimam de Gerin in anniversario Comitis PHILIPPI Namurcensis primi nobis delegavit, quod anniversarium facimus cum anniversario domini THEODORICI Advocati, pro quo habemus ad Ginovagium suum quadraginta solidos alborum.

Quibus omnibus ut prælibatum est diligenter ordinatis, prædictus domnus Abbas ingravescente infirmitate suâ videns nec posse præesse, quibus prodesse non poterat, resignavit in manum domini HUGONIS Leodiensis Episcopi Abbatiam in die S. Andreæ Apostoli; cui Episcopus mansione, Capellano & servitore delegato, cum omni humanitate redditibus assignatis prospectum iri decrevit; nec tamen ad præsens de Abbate ordinando ita fuit ab eo dispositum ut decuit: unde sicut rei probavit eventus jurgia, rixæ, damna plurima nobis contigerunt. Interim accidit quòd domnus Hugo memoratus Episcopus viam universæ carnis ingressus, finem vitæ præsentis acciperet. Post cujus obitum Magister Hugo sancti Pauli in Leodio Canonicus exspectans quadraginta diebus in die sancti Marci Evangelistæ (illa enim die debebat electio fieri) assumpto secum cognato suo domno JOANNE Boutou cum universis Monachis Hasteriensibus venit in Conventum Claustri apud Valciodorum, & vocato ibi domno Joanne tunc temporis Priore, & Alardo Præposito, & etiam Magistro Pontio Clerico Dionensi, toto Conventu nostro in cryptâ residente, & reditum prædictorum præstolante: præceperat enim Prior ne quis donec rediret, cryptam egrederetur. Magister Hugo exhibitis ibidem litteris Archiepiscopi Coloniensis & recitatis, in quibus continebatur quòd jurisdictio ordinandi Abbatis ad eum devoluta erat auctoritate cujusdam constitutionis Innocentii Papæ; nominari prædictum cognatum suum JOANNEM per quemdam Robodonem in Abbatem fecit. Quo audito Prior Joannes innuit magistro Pontio, & ipse protinùs in vocem prorupit appellationis. Prior verò convocatis omnibus Fratribus, indicavit eis quid actum fuisset. Qui irrumpentes in Claustrum cum tumultu antequàm Hasterienses ingredi possent Ecclesiam, turpiter eos de Claustro ejecerunt, & intrantes Capitulum domnum Henricum de Gran in Abbatem elegerunt, & hymnum *Te Deum* decantando ad Ecclesiam deduxerunt. Quæ omnia processu temporis dominus OTTO Apostolicæ Sedis Legatus utriusque loci paci consulens irrita esse judicavit, & magistrum NICOLAUM sancti Vitoni Virdunensis Monachum, præmissâ Fratrum utriusque loci concordi electione, Abbatem constituit. Eo igitur suscepto, paucis postea evolutis diebus domnus WALCHERUS vitam finivit Calendis Aprilis, vir per omnia laudabilis, cujus memoria apud nos in benedictione est.

At memoratus Abbas NICOLAUS cum anno uno & nescio quot mensibus præfuisset, videns sibi pro voto res non cedere, recessit ad locum unde venerat, & per Gerardum Monachum Hasteriensem missis ad nos litteris sigillo suo impressis absolvit nos ab obedientiâ & subjectione quâ tenebamur, renuntiavit Abbatiæ & curæ pastorali, quod etiam Episcopo Leodiensi domno JOANNI litteris suis patentibus intimare curavit. Jam sicut dicere cœpimus rebus in pace compositis, Fratribusque utriusque loci invicem se amicabiliter habentibus de instituendo Abbate, in commune ab utrisque sic fuit ordinatum. XVIII. Abb. Nicolaus. Compromiserunt enim ab una parte Valciodorenses in domnum JOANNEM Priorem suum, Hasterienses verò in CLEMENTEM Monachum, & in dominum JOANNEM Episcopum Leodiensem ex aliâ. Quod tamen eâ pace quâ decuisset tunc fieri non potuit, Hasteriensibus semper toto nisu agentibus ut domnus Joannes, de quo superiùs mentio facta est, iterum Abbas ordinaretur. Sed dictus Episcopus & magister Hugo hoc non debere fieri arbitrantes, positis in Castro Hoyensi coram eis dicto Priore & Clemente Monacho, die condictâ domnum HENRICUM in Abbatem eligi consenserunt; quod & factum est, qui etiam nunc nobis præest feliciter tredecimum agens annum: in quo dierum spatio suâ industriâ ædificatum est Claustrum novum valde decorum, grangia nova tecto parietibus tota lapidea, & super portam littus Mosæ respicientem. XIX. Abbas Henricus. Aliam domum segetibus reponendis idoneam ad curtem de Lemna, novam domum quam Bovile vocant ad aliam curtem, quæ Froimont dicitur. Horreum optimum & tres alias domos novas.



MONITUM.

CHRONICI LAUBIENSIS vel LOBIENSIS Auctor non ignobilis FULCUINUS (*aliis Folquinus, & Volquinus*) *ejusdem Asceterii Abbas inscribitur initio codicis scripti, unde apographum exscripsit Sub-Prior Lobiensis Religiosissimus D. Gregorius Sergent, & ad me transmisit idem qui suprà R. P. Simon Guillemot; unà cum serie Abbatum Fulcuino posteriorum, seu cum Continuatione Excerptisve ex veteribus monumentis ac ex variis Scriptoribus Abbatiæ Lobiensis, quorum stilum recens Auctor mutasse se seu perpolivisse, emendasseque Chronologiam pluribus in locis attestatur. Sed utinam ea plana, integra, nuda reliquisset: de literis dubio procul optimè meruisset. Namque in ejusmodi veteribus scriptis haud elegantia verborum, vel eloquentia quæritur, sed res ipsæ appetuntur, ponderantur, excipiuntur: quin è mendis etiam atque ex incultis & obsoletis vocibus sæpiùs veritas eruitur, & obscura identidem elucidantur.*

Fulcuinum variis encomiis ornant: Sigibertus de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 136. Fulcuinus Abbas Lobiensis scripsit Gesta Abbatum Lobiensium, subintroducens per digressionem plura legentibus utilia. *Auctor libelli de gestis Abbatum Gemblacensium agens de Erluini Abbatis nece:* Quòd quidem Fulcuinus Abbas non tacuit in Libello quem de Gestis Abbatum Lobiensium scripsit, &c. *Trithemius l.* 2. *de Viris illustribus Ord. S. Benedicti cap.* 60. Volquinus Abbas Lobiensis, in divinis Scripturis valde studiosus & doctus, sæcularis quoque eruditionis non ignarus; ingenio promptus & clarus eloquio, cognitor temporum insignis: Scripsit petentibus Fratribus Gesta Lobiensium Abbatum: in quo volumine per digressionem multa inseruit quæ legentibus jucunda sint & utilia. Sermones quoque & homilias plures edidit, in quibus abundantem ingenii sui venam ostendit, & alia quæ ad me non venerunt. *Aubertus Miræus ad præfatum Sigiberti cap.* 136. Fulcuinus sive Folcuinus scripsit Chronicon Lobiense, sive Gesta Abbatum Lobiensium, quæ MSS. exstant Lobiis, Tornaci in Collegio S. J. Gemblaci, & alibi.

Observandum verò est nonnulla in Appendice sive Continuatione Lobiensi, oscitantià vel tædio librariorum (quæ nihili pependere, etsi ponderis sint alicujus) expuncta fuisse; eaque cum in apographo nostro desiderarentur, suppleri à nobis non potuisse.

GESTA ABBATUM LOBIENSIUM,

ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

AUCTORE FULCUINO ABBATE.

PROLOGUS.

DIU ab antiquis quaqua versum quis poterat quæstione ventilatâ, tandem omnium tam Philosophorum, quàm spiritualium Patrum animis sedit sententia, nobisque inviolabiliter tenendam mandarunt, non fortuitis mundum volvi casibus, sed ad nutum præsidentis, & creatricis, omnipotentisque Deitatis cuncta regi per providentiam, secundùm ineffabilem dispositionis suæ ordinationem, antequàm quidquam proderet in tempore. Vis enim Deitatis omnipotentissima, cuique quod est esse perfectum est, rerum formas per principales quasdam materias penes se semper perfectas habuit; sed quando voluit, & ubi voluit, & quomodo voluit nobis visibiles fecit; nec ei ut Creator esset accessit; quippe cum tempora eo ordinante cœperint, & ipse in tempore cuncta ordinaverit, ut qui meritò creditur Creator, teneretur & dispensator. Tempora quippe diebus & numeris constant; & quando legimus aut audimus, illo vel illo die fecit Deus hoc vel illud, tempus utique vel numerum intelligimus. Ergo Deus creator est temporum, cum & ipse antiquior sit tempore, cujus creator est, & cuncta creaverit in tempore, fecit quidem & ipsa tempora dissonâ inter se parilitate disjuncta, sed ad nutum suum invicem convenientia, ut non confundatur quæ putantur confusa, sed potiùs alternatim sibi congruentia, ordinatam quamdam rempublicam faciant & perfectam.

Ipsa quoque quibus subsistimus elementa sibi invicem contraria, in unius corporis habitudinem ita gratâ parilitate conveniunt, ut discrepantia non discrepent, imò si unum alteri demseris, hominem si-

mul interimas. Temporalis quoque motionis fimilis caufa eft : quid enim magis contrarium, quàm nox diei, tenebræ luci ? Æftas quoque hyemi, hyems æftati repugnat. Veri quoque autumnus; autumno ver contrarium eft. Quis enim in hyeme cancri ardorem, & dies caniculares expertus eft ? Aut quis æftate nive campos albefcere, flumina glacie vidit diftendi ? fic quoque nemo unquam in vere multa prægustavit, aut racemis ufus eft, cum ipfa quoque herbarum feu florum diverfa genera, quibus ver ornatur & gaudet, autumni tempore languida marcefcant. Hæc autem ordinatè venientia, & loco fuo pofita, annum perficiunt; quæ fi confunderentur, chaos quoddam & importabile tempus potiùs videretur, quàm annus. Hanc autem rerum caufam mutabilem immutabilis ratio continet, apud quam non eft novum quod recens nobis apparet, & cui non variantur, quæ nobis variabilia effe videntur : ita ordinans cuncta, ut etiam quæ putantur mala, non fint inordinata. Summa ergo & principalis, imò fola rerum caufa voluntas Dei eft; unde & canimus, *Omnia quæcumque voluit fecit Dominus*; nec quidquam foris agitur, nifi quod de internâ Imperatoris aulâ aut jubeatur, aut permittatur, five ad quorumdam utilitatem, five ad occulti juftique judicii fui ultionem. Quis enim plus diligit, quàm ille qui fecit ? Porro quis ordinatiùs regit, quàm ille qui fecit, & diligit ? Ergo non poteft quidquam ultrà citrave progredi nifi cum voluntate Domini, falvo cum gratiâ Dei dono hominibus dato liberi arbitrii.

De Regnorum quoque fucceffionibus, feu permutationibus, quas vel audivimus, vel vidimus, non multum mirandum. *Ipfius eft enim*, ut ait Pfalmifta, *regnum & ipfe dominabitur gentium.* Et ficut Nabuchodonofor fenfit, cuicumque voluerit dabit illud; nam quando voluit Regna ftatuit, & quando voluit mutavit. Teftatur hoc antiquiffimum Affyriorum Regnum, quod poftea ad Medos, & ad Perfas tranflatum, regnandi finem fecit; inde ad Macedones, quos multo fanguine fibi acquifivit Alexander ille, quem Daniel vel æs in ftatuâ, vel pardum in vifione nominat, magnus utique, magnus ille gurges miferiarum; ad poftremum Romanis, terrâ & mari tranfactis copiis præftantibus, non fine nutu Dei ceffit imperium. Et de regnis quidem fic hactenùs habetur, licet Francorum fubinde accreverit Imperium, quod quia fe Romanis arcibus frequenti & profpero fucceffu, & manu militari, quo delectu optimè abundat, infuderit, idque acquifierit faftigium, in Romanâ tamen republicâ eft connumerandum : nam & eadem gens Romanis quadam civilitate conjungitur, cum uterque populus à Trojâ, illi Æneæ figna fequuti, ifti Antenore Duce per Illyricos finus ad Meotidas paludes progreffi, propter nimiam mentis ferocitatem Franci fortiti funt nomen, qui Gallias demum occupantes, & cæteris id locorum formidabiles, idolagiam in Chrifti tyrocinium commutaverunt. Nam Rex eorum Clodoveus per fanctum Remigium Chrifti gratiam baptifmate adeptus, gentem fuam Chriftianam effecit. Nec diftulit Rex Regum Chriftus donativum dare fibi militantibus; nam provexit eos regnis, auxit fucceffforibus fecundis. Inde ad Clodoveos, Clotharios, & Dagobertos felix illa & hereditaria permanfit fucceffio. Et quare non maneret, quam fapientia Dei, quæ ait; *Per me Reges regnant*, fide firmabat, æquitate & juftitiâ roborabat ? Teftantur hoc Epifcopia vel Monafteria ante id temporis diruta, aut nulla, quæ abhinc aut rediviva pullularunt, aut novis aufpiciis inchoarunt : quæ fi fcriberemus fingula, deficeret nobis pagina, præfertim cum nec hoc propofuimus; fufficit ut de noftro dicamus, & quia de loco dicendum eft; fitum dicamus ejus de quo dicendum eft.

Pfal. 21. 31.

FULCUINUS ABBAS DE GESTIS ABBATUM LOBIENSIUM.

CAPUT PRIMUM.

Etymologia nominis Lobienfis : & fundatio Monafterii per fanctum LANDELINUM.

EST locus ubi intrà terminos pagi, quem veteres à loco ubi fuperftitiofa gentilitas fanum Marti facraverat Fanomartenfe dixerunt; juniores à nomine præterfluentis fluvii Hainou vocaverunt, & pago Sambrino Sambra fluens blandâ & amœnâ ripâ decurrit, quem hinc inde prominentibus collibus planities quædam, & nemorum opacitas, & oportunitas loci gratiffimum reddit; in quo loco rivulus delabitur in Sambram, quem Laubacum vocant, eumdemque putant nomen loco dediffe; licet fint aliqui qui pro oportunitate capiendarum ferarum (undique enim faltu cingitur, vicinaque erat Liptinas fifco tunc regio,) & prifco nomine permanente Foreftis adhuc dicitur, eo quod Rex pergens venatum, ibi fibi fieri jufferat obumbraculum ad temperandum folis æftum, quod Lobiam vocant. Inde putant locum dictum nomine permanente, rivulumque à loco, non locum à rivulo nomen traxiffe, quod videtur magis verifimile effe. Teutones hoc adftipulare videntur. Nam locus ille eorum linguâ, *Lobach* dicitur; & *Lo* quidem vocant obumbrationem nemorum, *Bach* autem rivum; quæ duo fi componantur, faciunt, *Obumbraculi rivum.* Erat autem locus parandis infidiis, & latrocinantibus aptus; nam ficut dictum eft, cinctus eft fylvis, & exafperatus fcopulis; unde & perpetrato fcelere non inveniebatur hoftis.

Tali ergo oportunitate captatâ MOROSUS quidam, vir hujus artis & operis, tali in loco latrociniis infiftebat tempore quo à Clodoveo feptimus Lotharius agebat in fceptris; qui cum minimis fceleribus non ufquequaque contentus, grandiora quæque moliretur & ageret : tandem miferante fuper his Domino, per fanctum AUTBERUM Cameracenfem Epifcopum, (nam parochia eft ipfius Ecclefiæ terminus, licet hucufque & Leodienfis protenditur) de Morofo in LANDELINUM converfus, fecundus de Saulo factus eft Paulus, & finem vitiis dedit, & locum facris ftudiis initiavit, ut quem commaculaverat vitiis, dedicaret virtutibus, *& ubi fuperabundarat peccatum, fuperabundaret & gratia*, ficut ait Apoftolus. In quo loco & Ecclefiam fibi pro tempore conftituens, deflebat quibus antea oblectabatur; manuum labore victum quærens, lafciviamque carnis jejuniis & vigiliis domans, & exercebatur fummo mentis conamine in his quæ funt Dei, ut omnes mirarentur videntes commutationem dexteræ Excelfi. Talibus igitur exercitiis, pluribus ad id ftudii confluentibus fpeculum factus eft; ficque Leobienfis Cœnobii fundator exftitit primus : fed præordinatio, de quâ præpofuimus, Dei, qui non omnibus judicia fua manifeftat, *Judicia enim tua*, ait Pfalmifta, *abyffus multa*, voluit beatum

Rom. 5. 20.

Landelinum Lobiis demigrare, ut alteri quandoque subsequuturo locus vacaret, ne utique super alterius fundamentum ædificia strueret, & detrimentum pateretur, aut ne merita tanta duorum unius loci angustiâ artarentur. His fortè præscius beatus LANDELINUS Lobiis demigrans, Crispinium petiit.

CAPUT II.

Sanctus URSMARUS *suscipit Monasterium Lobiense regendum; & de ejus mirabili nativitate.*

NEc defuerunt adjutores & cooperatores in prædicti loci augmentatione quamplures; licet nomina eorum exciderint, temporibus Clotharii filii Clodovei, qui regnavit annis IV. sed & fratrum ejus Hildrici scilicet Regis Austrasiorum, & Theodorici, quem Pippinus debellavit in Textricio, sibique subjugavit, sub seque regnum finire permisit; post annum regni ipsius Theodorici decimum octavum, Clodovei quoque filii Theodorici, qui regnavit annis duobus, sed & fratris ejus Childeberti cognomento Justi qui regnavit annis septem, necnon & Dagoberti filii ejusdem Childeberti; qui regnavit annis quinque; qui omnes regnaverunt sub præfato Principe, regni tantùm eis nomine manente. Quo in tempore, secundùm quod in Actibus Apostolorum, in Asiam volentes ire Discipuli, prohibiti sunt à spiritu Domini, servabatur enim Joanni. Beatus URSMARUS virtutum exercitiis omnibus clarus, cui Lobias Apostolatûs locum designaverat Dominus, à Pippino jam dicto Principe evocatus, idem Monasterium regendum suscepit per Hildulfi interventum, qui erat unus de Proceribus Regni majoribus; cujus indicia meritorum fuerunt puer ille & panis matri in oromate præmonstratus, & scansio illa beatæ scalæ à terrâ cœlo tenùs; quæ omnia quantum beato viro congruunt, ex actibus ejus cognoscimus. Nec sine quodam præsagio tale sortitus est nomen. Ursmarus enim ex duobus usitatis Galliæ loquutionum generibus, Latinâ videlicet quam usurpantes vitiarunt, & Teutonicâ, ursus dicitur; congruum planè beato viro vocabulum. Ursum enim, aiunt, partum informem linguâ lambere, & quod naturæ minus est, officio linguæ supplere; sic & ille beatus vir carnales quosque, & solùm ea quæ carnis sunt sapientes prædicando, ad formam sui reduxit principii; parturiens semper Domino de filiis iræ, populum acquisitionis, ut cum Apostolo diceret; *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Mentior, si hæc ejus exercitia ad nostri temporis fæcem non usque decurrerunt: nam ut prætermittam eos quos aut vivâ voce instruxit, aut vicinitate temporis per eos qui audierant eum vel viderant, sibi in plurimis inimitabiles fecit; nam adæquari ei in omnibus difficillimum fuit: nos, in quos fines sæculorum devenerunt, licet in nobis nullum Patroni specimen reluceat ingenii, idipsum quantulumcumque sumus, ejus constamus patrocinio. Nam signaculum Apostolatûs ejus nos quoque sumus in Domino. Famosum ante eum esse non magnopere nostrum est commendare; scit hoc magna pars Galliæ, sciunt & hi quos variis infirmitatibus vexatos sanos reddit quotidie.

I. Abbas Ursmarus.

Galat. 4. 19.

CAPUT III.

Cur sanctus URSMARUS *dicatur Episcopus.*

QUare autem eum Episcopum fuisse dicimus, sæpe à nobis quæsitum est; nam textus descriptionis ipsius vitæ Episcopum eum fuisse docet, locum autem, vel tempora ordinationis ejus, vel à quibus ordinatus sit, omni modo silet, sed & in chartis sub ejus tempore factis, ac perantiquis membranarum petatiolis, quæ continentur in Ecclesiæ nostræ archivis, inscriptum eum invenimus sub nomine Episcopi & Pontificis. Varia de hoc est seniorum nostrorum relatio, dicentibus quibusdam, quòd prædicandi gratiâ, ut competebat tunc rudimentis novellæ fidei, ad compescendos superfluos ritus gentis barbaricæ Episcopus fuerit ordinatus; quod factum quoque de sancto Amando legimus. Quibusdam dignitatem hanc loco tribuentibus, opinionemque suam ratione quâdam tuentibus; quòd videlicet locus Regius, Regiâ munificentiâ constructus, Regio, ut dictum est, palatio contiguus, scilicet Liptinis nulli committeretur, nisi priùs ordinatus esset Episcopus; quam dignitatem & in plerisque successorum ejus durasse, in subsequentibus dicemus. Quid horum verius sit, lectoris arbitrio committimus, nec in utramvis partem sancto viro derogamus, dum quidquid horum sit, eum fuisse Episcopum non denegamus.

CAPUT IV.

S. URSMARUS *fidem Christi annuntiat in Flandriâ, & in aliis Galliæ partibus: & quædam ejus virtutes.*

IGitur in exordio regiminis sui Ecclesiam, quæ ante id temporis erat inconsecrata, consecravit, dedicans illam Domino in honore Principis Apostolorum Petri, simulque doctoris Gentium Pauli, & omnium Apostolorum Christi; cumulans templum donis, & altare multiplicibus Sanctorum patrociniis. Facta est autem hæc dedicatio anno qui est sexcentesimus nonagesimus septimus Dominicæ Incarnationis, decimo septimo Calendas Septembris; Domino in perpetuum regnante, Pippino autem Francis principante. Quam Ecclesiam nequaquam passus pollui cadaveribus mortuorum; fecit aliam in honore sanctæ MARIÆ in montis vertice, cui subjacet prædictum Monasterium; ubi cœmeterium constituit esse fidelium, & ad quam confluëret populus; nam illitus, ut nunc quoque, nisi certo tempore, apud aliam erat feminarum accessus. Monasterium quoque in Alnâ ipse construxit, & Lobiis subjecit. Monasterium quoque dictum Wallare versùs Teoraciæ saltum, in finibus Fæniæ ædificavit; cui & Dodonem præfecit, virum admodum sanctum, ut pote à se instructum; qui aliquantisper inibi demoratus, eremum concupivit, exstructâque in eodem Faniæ saltu cellulâ, cum permissu pii Patris & licentiâ, vitâ vixit in eâ theoricâ; ubi postea multis virtutibus clarus migravit ad Dominum; corpus autem ejus translatum est ad Monasterium Wallare dictum, ubi nunc requiescit debitâ veneratione.

697.

Sanctus autem URSMARUS, ut erat semper lucrandis animabus intentus, prædicandi gratiâ se Flandriæ intulit versùs Menapum fines, qui ritu gentis adhuc detinebantur vanis superstitionibus; cujus doctrinâ ad fidem Christi conversi, non minimæ partis prædiorum suorum illum faciebant heredem, & eam quæ est in Lobiis Ecclesiam Christi.

CAPUT V.

Obitus S. URSMARI; *cui succedit* S. ERMINUS.

BEatus igitur URSMARUS virtutum omnium commerciis plenus, officio sibi credito fideliter administrato, locoque priscis Monasteriis regiâ munificentiâ constructis coæquato, solvitur carnis ergastulo, & cœlesti introfertur paradiso, ubi nunc & semper nostri petimus memor, feliciter fruatur Do-

II. Abbas S. Erminus.

713. mino. Obiit autem anno DCCXIII. Dominicæ Incarnationis, nobis in perpetuum Domino Deo regnante, & Pippino agente in sceptris: qui antequàm decederet fractus longâ molestiâ, se vivo sanctum ERMINUM successorem sibi substituerat, in quem familiaritate quâdam speciali se totum transfuderat, ut pote in dilectum heredem, & gratissimum successorem.

Substitutus igitur ERMINUS, Magistrum cœpit æmulari, ut si secundùm Pythagoricorum narrationem, migrationem animarum in alternis corporibus fas esset credere, eumdem ipsum crederetur repræsentare. Supersedendum erit si cuncta velimus dicere, quàm assiduus in loci augmentatione, quàm cautus fuerit in commissâ sibi pastoralitate, maximè cum descriptio vitæ ejus dicat de eis satis abundè. Habuit etiam & cooperatores, sive successores ejusdem loci gubernatores, & Coabbates, sanctum utique Abel Scottum genere, & sanctum Wlgisum Episcopum, & Dominum Amulguinum æquè Episcopum; qui utrum sibi vicissim successerint, an Sancto Ermino spiritualibus occupato rebus locum in commune tractaverint, nihil certi reliquit antiquitas. Non tacuit tamen locum Bobiensem eos & tenuisse, & gubernasse; sed & pro oportunitate temporum locum meliorasse. Rexit autem sanctus Erminus idem Monasterium sub præfato Principe Pippino tribus annis, & sub Carolo ejusdem Pippini filio similiter seniore & Duce viginti duobus annis, sicque expletis in regimine viginti quinque annis, participatus est gloriæ magistri, decedens octavo Calendas Maii.

CAPUT VI.

De THEODUINO *Abbate.*

III. Abbas S. Theoduinus.

POst quem exstitit THEODUINUS Abbas; sub quo, Karlomanno Majore-domûs concedente, villam Fontanas, quam Sambra alluit, Ecclesia nostra habere meruit, in cujus traditionis chartâ sic subscriptum est: *Actum Liptinas villâ publicâ, quo facit Februarius dies sex: anno secundo regnante* HILDERICO. Et in stipulatione, *signum*, inquit, KARLOMANNI *Majoris-domûs, qui hanc donationem fecit firmavitque.* Is sane est Karlomannus Pippini frater qui relinquens operosam Regni administrationem, primùm Romæ Clericus factus in Soracte monte Monasterium ædificavit, postea apud sanctum Benedictum in Cassino monte Monachus effectus est. HILDERICUM enim Regem suprà nominatum sub Pippino regnasse tradunt historiæ, quæ & ipsum testantur postea jussu Zachariæ Papæ attonsum, & in Monasterium retrusum; indeque Monarchiam regni Bonifacio Archiepiscopo consecrante Pippino cessisse.

CAPUT VII.

De S. ABELE *Archiepiscopo Remensi, &* S. WLGISO *Episcopo.*

DE ABEL quoque suprà nominato tale quid comperimus. Remis nuper cum fuissemus, & cum viro venerabili, & illarum partium eruditissimo ADALBERONE Archiepiscopo confabularemur; inquirentibus nobis originem ejusdem urbis, & in eâ Episcoporum successiones; prolatis ejusdem civitatis Pontificalibus gestis pro oportunitate temporis satisfecit. In quibus videlicet gestis inventum est, quòd in eâdem civitate Abel quidam fuerit Episcopus, qui in eâ plura vel acquisierit, vel ordinaverit; finis verò ejus quis fuerit Scriptor gestorum ejus aut nescivit, aut omninò tacere voluit: nos collatis undecumque numeris, hunc eumdem Abel & nostrum fuisse, & Scottum, & Episcopum, facili ratione probavimus; sed quia scriptori ejus incertus exstitit finis, longinquitas fortè fecit itineris, & viri religiosi voluntaria privatio, & amor patriæ cœlestis. Dixit etiam Episcopus suprà nominatus prædecessorum suorum ductam usque ad se consuetudinem, ut inter Missarum solemnia in eâ speciali commemoratione defunctorum, quæ suprà diptyca dicitur, & in consecratione Dominici corporis solemniter agitur, quotidie in aurem Presbyteri recitante silenter Subdiacono, omnium ipsius sedis nomina scripto viritim recitentur Episcoporum; satisque mirari se quòd in eâ commemoratione iste non inveniatur: quòd ut conjicimus idcircò actum est, ut ipse vacanti sedi jam antea Episcopus jussus sit aliquantisper insidere, at pro amore Dei voluntariâ cessione sponte catalogum illum repudiasse; nam hæreticum illum in hoc non est credere, quòd hæreticis non resistere, idem penè sit quod favere, & tot tantique viri tunc temporis non siuerent tale quid serpere; quin imò inditis scriptis publicis, sive ad præcavendam, sive ad confutandam hæresim liberâ insequerentur auctoritate, Domino terribiliter intermitante: *Maledictus*, inquit, *qui prohibuerit gladium suum à sanguine.* Nec fieri potuit ut eos, quorum mente in cœlis erat conversatio, Ursmarum dico, & Erminum, nonnihil imitaturus expeteret, cum ab ipsis recipi non potuit, nisi probatus, & ipse antea in castris Dominicis fuerit exercitatus. *Jerem. 48. 10.*

Sed & de S. WLGISO Episcopo nihil ad nos præter parum perlatum est. Invenimus tamen in nostris perantiquis Martyrologiis, quòd dies natalicii ejus sic annotatur: *Pridie Nonas Februarii in Laubaco Monasterio depositio S. Wlgisi Episcopi:* sed & mausoleum in quo conditus jacet, in promptu est cernere.

CAPUT VIII.

S. THEODULFUS *Episcopus fit Abbas Lobiensis; & ejus obitus.*

THEODUINO igitur Abbati successit S. THEODULFUS Episcopus in provisione prædicti loci, partim sub PIPPINO præfato Principe, post facto Rege, novem verò annis sub KARLO Rege, post verò Imperatore; regens illum non segniter, augmentans non mediocriter. Sub ejus enim tempore multa Ecclesiæ nostræ prædia collata sunt, quæ describerentur, si non in promptu essent donationes, & chartæ legatariæ, & ipse brevitati non studerem. Obiit autem anno DCCLXXVI. Dominicæ Incarnationis, die verò festivitatis S. Joannis Baptistæ. *IV. Abbas S. Theodulfus.* 776.

CAPUT IX.

De ANSONE *Abbate; cui successerunt* HILDRICUS *&* RAMNERICUS, *atque* FULRADUS.

ANso hunc sequitur in regimine, vir bonus & sanctus, Abbas tantùm non Episcopus, regens idem Cœnobium sub jam præfato domino Imperatore KARLO viginti quatuor annis. Erat autem idem Anso & pro capacitate ingenii sui literis studens. Exstat libellus vitæ sancti Ursmari ad prædecessorem ejus Theodulfum Episcopum ab eo conscriptus; item & sancti Ermini alius, in quibus quidem veritas historiæ, quantum à simplicis eloquentiæ viro describi potuit, amplectenda est, de confusione autem verborum dictorum non nostrum est judicare, quæ illis tanta inest, ut incertum sit, utrum ad insinuanda quæ noverat minùs licet eruditè quantum ad sæculares fuerit proclivis, an pro *V. Abbas Anso.*

excellentiâ gestorum sponte parvipenderit regulas artis. Et hic sub præfato obiit Karlo, eo quo idem Imperator factus est anno.

VI. Abbas Hildricus. VII. Abbas Ramnericus. VIII. Abbas Folradus.

Post quem eamdem Abbatiam usurpavit HILDRICUS Canonicus sub ipso Imperatore. Et post eum RAMNERICUS tempore Domni Hludovici Imperatoris. Deinde pervenit ad Dominum FOLRADUM piissimum Abbatem avunculum jamdicti Ramnerici, sub eodem Imperatore. Priorum tantùm nomina, non gesta sciuntur; credo propter annorum paucitatem, aut commemorationem non multo utilem. Tertius quis fuerit, gesta docent; fuit enim multæ nobilitatis & regiæ affinitatis. Erat quippe Karlo ex patruo nepos, sicut elucet in pariete turris Ecclesiæ S. Quintini in Augustâ Virmandorum (nam id quoque Monasterium rexerat) sculptis, in hunc modum se habentibus:

Cum denis lustris ternos minus inclytus annos
Rex ageret KAROLUS, *sceptra tenendo pia:*
Rebus & humanis exemptus culmina regni
Linqueret ingentis, Rex HLUDOVICE, *tibi:*
Condere cœpit opus hujus venerabilis Aulæ
Abbas FOLRADUS *nobilitate cluens.*
Namque huic Hieronymus Carolus pater exstitit illi,
Qui propriæ specimen gentis ad alta tulit,
Bella gerens, pacemque tuens, qui culmina Regni
Ad prolem misit auxiliante Deo.

CAPUT X.

Corpus S. URSMARI *elevatur per* FULRADUM *Abbatem, & mors ejusdem.*

HIs diebus lucernam suam Dominus, quàm justificando igniverat, ignitam beatificaverat, beatificatam miraculis clarificaverat, nolens diutiùs delitescere, sed ad majorem venerationem cunctis hominibus propalare, prædicti Abbatis cor tetigit, & ut sancti & venerandi & cum omni amore nominandi Ursmari corpus de sepulcro elevaret, accendit. Quæ elevatio facta est jussu & permissu ejus qui tunc erat Cameracensis Episcopus, agentibus Clericis utriusque Ordinis, cum frequentiâ magnâ populari. Expletâ itaque elevatione diem illam festivam duxêre, nobisque & posteris celebrem esse sanxêre. Facta est autem hæc elevatio anno Domini
823. octingentesimo vigesimo tertio; ab ipsius verò sancti, non dicam obitu, sed natalitio, quo verè cœpit vivere in Christo, decimo post centum exacto. Abhinc ergo cœpit beati viri celebris fama crebrescere, & confluentibus languentium turmis ad diversa sanitatum genera miraculis coruscare; quæ multa prædecessorum nostrorum, seu ignaviâ, seu imperitiâ ad tempus jacuerunt, & studi aliterarum sunt prætermissa. Nos ea quæ vidimus, aut audivimus excellentiora tantùm notantes suis in locis ponemus, & hoc faciemus ordine servato, cum Deo donante ad nostri temporis fæcem pervenerimus.

CAPUT XI.

De EGGARDO *Abbate.*

IX. Abbas Eggardus.

DEcessit autem prædictus Abbas triennio post præfatam elevationem, relinquens post se EGGARDUM Abbatem, cujus tempore ordinatio prima facta est in Monasterio nostro, agente Theoderico Cameracensi Pontifice, adhuc Hludovico Imperatore superstite.



CAPUT XII.

HARBERTUS *Monachus Corbeiensis fit Abbas Lobiensis, sed ab Hucberto, Deo & Sanctis odibili, fugatur.*

X. Abbas Harbertus.

ET hoc rebus humanis exempto, HARBERTUS de Corbeia Abbas adsciscitur, vir bonus & multum laudatus, & ob id ad hoc à supradicto Imperatore promotus. Erat enim religioni studens, & in construendis sive exornandis rebus operam dans. Testatur campana percelebris ejus jussu facta, & Ecclesiæ nostræ donata, in quâ sunt versus qui Abbatem & factorem, vel ad quid facta sit, quasi ipsâ de se loquente hoc modo manifestant:

Harberti imperio componor ab arte patroni,
Nec Musis docta, en cantus modulabor amœnos,
Nocte dieque vigil depromam carmina Christo.

Tentavit & idem Abbas aquæ ductum à Foreste ducere, ardua montium sulcans ad competentem nutum ad usus molendinorum, sed perficere non potuit opus præposterum & serò inchoatum. Nam pervasa est Abbatia illa hostiliter ab HUCBERTO, Deo & Sanctis odibili; qui ubi rerum summâ potitus est, expulso Harberto & Corbeiam reverso, omnem Abbatiam illicò partitur in re militari, delegans victui Fratrum villulas, & eas parvi reditûs, ut placuit delegatori. Efficitur ad hæc uxorius, liberos procreans, & ad suæ damnationis cumulum, nil sibi clericale, præter tonsuram præferens; fuit enim tantæ perversitatis (ut vulgò fertur) ut ipsam etiam Evangelicæ virtutis majestatem, quantum ad se non horruerit infamare, dicens illud, quod scriptum est à Domino dicente, *Omnis qui se exaltat humiliabitur, &c.* non constare, pro eo quòd si ipse se tantùm humiliaret, quantum exaltaverat, nunquam eum fuisse, ut tunc erat tam prædivitem, imò adjectissimum omnibus & vilem. O linguam particulatim concidendam, & canibus aut avibus projiciendam? Ignoravit forsitan miser, aut sciens miserè desipuit, quòd talis ut sua (licet permittente Deo) exaltatio, æternalis sit casus & abjectio: sicut imprecatur vel potiùs prophetat David in psalmo: *Deus meus, inquiens, pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* Psal. 82. 14. Rotam quippe videmus in altum inferiùs elevari, sed inante corruere, & unde hinc habet ascensum, inde ibi patitur casum. Stipula autem quo altiùs vento raptatur, eo graviùs mergitur. Expertus est & ipse in se Dei super hoc vindictam; nam ipsâ die quâ hæc nauseabat, vel latrabat, confligens in acie cum CONRADO Ræticarum vel Jurensium partium Duce, primùm linguâ blasphemâ transfossus, ad ultimum interfectus est, & hunc quidem necis finem blasphemus habere dignus fuit. Fuit autem hic tempore quatuor fratrum Regum de regno Francorum concertantium, vel tempore CLOTHARII Imperatoris qui patrem domnum LUDOWICUM in carcerem retruserat, & postea Prumio Monasterio Monachus factus est.

CAPUT XIII.

LOTHARIUS *Rex, à quo Lotharingia, suscipit Monasterium Lobiense regendum.*

JAm verò postea à HLOTARIO Rege filio jam dicti Imperatoris cœpit idem locus reparari, & per JOANNEM Cameracensem Episcopum, vel Hugonem quemdam tam possessionibus quàm & habitatoribus per ejusdem Regis jussum non mediocriter redintegrari. Is sanè ille est HLOTHARIUS qui pro Reginâ repudiatâ, & Waldradâ superductâ, Romæ fuerat excommunicatus, quâ petente & Rege con-

cedente, fiscum Hun dictum Ecclesia nostra meruit habere : erant autem ibi ædificia quamplura, ob quæ ibi illa plurimùm morabatur, visitante se Rege copulâ illicitâ. Quarto decimo igitur regni sui anno reditus villarum nostrarum describere jussit, quod Polyptychum vocant; facta est autem hæc descriptio à JOANNE Episcopo prænominato.

CAPUT XIV.

De CAROLO Calvo Imperatore, & CAROLOMANNO ejus filio Abbate Lobiensi.

XI. Abbas Carolomannus.

POst hæc fratribus in quatuor Tetrarchis Franciæ regnantibus, tam ipsis quàm & filiis eorum defunctis, solus dominus CAROLUS superfuit, quem bonus Papa JOANNES in Imperatorem benedixit, qui sicut etiam aliis multis locis, ita Laubiensi Monasterio multa bona præstitit, & reddidit : sed & CAROLOMANNUM filium suum eidem loco Abbatem instituit.

CAPUT XV.

De FRANCONE Abbate & Episcopo.

XII. Abbas Franco.

CUi in regimine successit dominus FRANCO tempore Hludovici jamdicti Caroli Imperatoris filii; qui Franco multæ nobilitatis, & Palatinis studiis instructus exstitit, unde & plura Monasterio nostro acquisivit. Sunt qui monasterium Antonium dictum, tunc puellarum, nunc autem Canonicorum, ejus tempore nostrum effectum dicunt; licet sint alii qui antiquitati hoc attribuant, sed ante alienatum, sub eo receptum esse. Igitur Hludovico quarto regni sui anno defuncto, Francis in diversa tendentibus facto interregno per XVIII. annos, Conrado, Rodulpho, Odone, & Roberto in occidente regnantibus; cum Arnulfus Rex Noricorum, Australis Franciæ Rex adscisceretur, jam dictus Franco ad opus Ecclesiæ Leodiensis supradictam Abbatiam petiit, & consentientibus fratribus impetravit; factâ priùs conventione ut medietas Abbatiæ Fratribus inibi regulariter militantibus in usu communi deserviret, aliam Episcopus sibi & militantibus manciparet. Additur præterea, ut decimæ omnes indominicatæ ad portam Monasterii in usus pauperum sint & peregrinorum : & ut dies anniversarius Karlomanni Regis, cui isdem Arnulfus erat filius, annuatim esset recensitus, præparato ad id opus ab Episcopo competenti obsonio, quod præceptum regale volumus intexere.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Arnulfus divinâ favente clementiâ Rex, &c.

Deest hoc Diploma in Ms. nostro. Refert Myræus in Notitiâ Ecclesiarum Belgii, pag. 76.

CAPUT XVI.

Vastatio Normannorum per Galliam, & vicinas regiones.

INterea vacillante rerum statu, & Regum naturalium, sicut ante diximus, qui apud Francos semper hereditarii habebantur, deficiente successione, eo quod Ludovicus supradictus, quem propter brevitatem regnandi nihil fecisse dicunt, Carolum filium vix bimum reliquisset, gens quædam Aquilonaris, de quâ forte dictum est : *Ab aquilone pandetur omne malum :* quam plerique Nortalbincos, alii usitatiùs Nortmannos vocant, piraticam agens novo & inaudito retro ante temporibus modo Franciam est aggressa; quæ maria primùm occupans, demùm ostia fluminum quæ Franciam alluunt est ingressa : subinde restans, subinde progrediens, ubi resistentem vidit neminem, quaqua versùm sibi libitum visum est, ferebatur. Qui videlicet Nortmanni per quatuor nobilissima flumina, Rhenum & Scalt ab Oriente, Sequanam & Ligerim ab Occidente, Franciam ingressi incendiis & rapinis omnia depopulantur, nulli sexui vel ætati parcentes, captivos abducunt; ipsa etiam altaria paganis manibus profanantes : quorum metu plura Sanctorum corpora, & optima quæque ad tutiora loca deportantur : sed nostrorum patronorum non necesse fuit longiùs asportari, quoniam adjacens Tudinii castrum, idque nobis proprium & munitissimum fecerat influentes indemnes haberi; villarum verò longè positarum erat multi exterminii desolatio. Hisa nunc fluvii nomen est, qui antiquitùs Hisara dicebatur. De quo ita meminit Lucanus [a] in bellis civilibus :

Hi vada liquerunt Hisaræ, qui gurgite ductus
Per tam multa suo, famæ majoris in amnem
Lapsus, ad æquoreas nomen non pertulit undas.

Influit enim in Sequanam, per quam Nortmanni in illo delati, licet in illis partibus cuncta depopularentur, plurimum tamen illi qui littora Scaldi insederant debacchabantur, quoniam gratissima statio navium, sive ad hyemandum, sive ad quodlibet belli periculum declinandum, illic eos fecerat esse continuos. Sigulfi-villa nomen est fundi, & nostræ Ecclesiæ servit, & in eo memoria sancti Petri & sancti Ursmari, in quâ tunc duodecim Canonicorum habebatur conventus. Memini me & nostrorum plerosque, hominem illorum temporum vidisse, qui utrum alio nomine vocaretur à nobis non multò quæsitum, affectu tamen, ut putatur, maternali à puero Bruordechim vocabatur, quem nos etsi minùs latinè fraterculum possumus nominare, qui eosdem se vidisse & cognovisse, & quòd Præpositus eorum Spernarius dictus sit, testabatur; qui locus à Nortmannis destructus est, ut remanerent in eo vix maceriarum ruinæ; similiter & cætera Ecclesiæ nostræ prædia, quæ apud Bracbantum erant profusiora, hoc tempore exhausta sunt & exinanita.

CAPUT XVII.

FRANCO Episcopus & Abbas Nortmannos debellat; postea in senectute bonâ moritur.

TAli ergo modo turbatâ Ecclesiæ pace, & firmamento regni posito in formidine; Franco prædictus Episcopus, coactus justa quantum ad sæculares & verè necessaria bella suscipere, accito sibi Reginerio quodam, quem Longum-collum vocant, viro strenuo, & in bellicis rebus exercitato, hi frequenter cum eis in acie confligentes, perraró victi, multoties exstitère victores. Nec cessatum est, donec peste attrito Rege eorum Godefrido, ad fidem Christi converso, & baptizato, nec multo post interfecto, pax Ecclesiæ redderetur. Post hæc Franco Episcopus sciens illicitum esse, quemquam sanguineis manibus sancta tractare, mittit Romam BeriTconem Leodiensem Clericum, & Teutricum Lobiensem Monachum, quos ordinari Episcopos qui vicem suam supplerent, oravit & exoravit : quibus jam factis Episcopis parochiam suam gubernandam commisit, ipse de reliquo in pace & otio consenuit, vitâ decedens postquàm in Episcopatu plusquàm quinquaginta peregerat annos.



[a] *Lucanus*] Hi quidem versus lib. 1. leguntur : sed de alio fluvio scripserat Poëta.

CAPUT XVIII.

De STEPHANO *Episcopo & Abbate.*

XIII. Abbas Stephanus.

HUnc STEPHANUS sequitur vir literatus, & quantum ad Canonicos religioni studens. Hic passionem beati Lamberti impolito digestam stilo urbanius elucidavit, & harmoniam ex eâ dulcissimam melodiæ quæ percelebris habetur, composuit. Fecit & libellum quemdam ex plurimis divinorum librorum flosculis decerptis, in quo singularum in anno festivitatum capitula, cum collectis & versibus utili commento congessit, in cujus libelli præfatione ostendit Mediomatricæ, quæ nunc Mettis dicitur, à puero educatum fuisse: nam ROBERTO ejusdem Sedis Episcopo libellum legendum misit ad comprobandum. Hujus Episcopi aliqui etiam nostrâ ætate meminerunt, hujus quoque tempore Ecclesia nostra dedicatur ab ipso evocato ad id opus, & conjuncto sibi Dodilone Cameracensi Episcopo; quod in basibus columnarum, quis quam partem dedicaverit, in promptu est cernere. Hanc ergo novellam dedicationem ne fortè iterata aut antea infecta fuerit; si quis requirit, paucis absolvemus. Ecclesiam priorem, si meminit lector prudens, sub Pippino Principe à sancto Ursmaro factam jam suprà diximus, diemque dedicationis ejus v. Kalendas Septembris annotavimus: quæ crescente copiâ rerum per munificentiam Regum seu cæterorum fidelium, quia loci nobilitati parva & minùs apta videbatur, destructa & funditùs eversa est, & ista quæ nunc est elegantioris formæ & speciei ædificata, quæ ad id opus columnis undecumque corrasis, cum basibus & epistyliis, seu cæteris latomorum vel cæmentariorum disciplinis pro moduli sui quantitate omnibus circum se positis est incomparabilis, quòd quia oculatâ, ut aiunt, fide probatur, hæc hic satis sit tetigisse. Auctorem autem ejus sive Rex fuerit ille, sive Abbas, id nescimus; si quis improperat, antiquitati, quæ de his siluit, non nobis succenseat.

CAPUT XIX.

Dissidium inter RICHARIUM *&* HILDUINUM *pro electione.*

XIV. Abbas Richarius.

ISto quoque mortuo, & in Ecclesiâ sancti Lamberti sepulto, turbatur rursùs Ecclesia de Antistite substituendo. Nam pars una HILDUINUM ejusdem Ecclesiæ Clericum sibi poscebat Episcopum, favente sibi ad hoc GILLEBERTO Clothariensium Duce, qui flocci pendens Regiam Majestatem, Regni sibi usurpaverat summam: alia RICHARIUM Prumiæ Abbatem, dono & consensu Caroli Regis expetitum. Quid videlicet Carolus, facto, ut dictum est, interregno Regnum quorumdam interregnantium, à FULCONE Archiepiscopo Remis evocatus, & consecratus, paternoque Regno est restitutus; quam ordinationem novellam suis quique in partibus dedignantes, partim (ut est ingenium hominum) spe acquirendi gratiam novi Regis, sibi conciliabant, partim obfirmato supercilio per se suis principabantur; ex quibus Gillebertus unus erat, qui tunc Clothariensem Ducatum agebat, quo jubente, imò extorquente potiùs & urgente consecratur HILDUINUS Episcopus ab HERIMANNO Agrippinæ sedis Archipræsule, novo & inusitato genere, absque Regis & Procerum regni sanctione. Quapropter mittuntur à Clero alterius partis ad Apostolicam sedem literæ conquerentes de his. Joannes tunc Apostolicæ cathedræ præsidebat, qui ordinatorem & ordinatum, & tertium Regis authoritate designatum Romam, ut veniant jubet, missis epistolis. Quid plura? veniunt duo Archiepiscopo valetudine detento. Hilduinus incertum quâ factione judicium subterfugit: ubi rescitur, Richario acclamatur, eligitur, producitur, & ab ipso summo Pontifice Pontifex ordinatur, & consecratur, donato sibi omnium prædecessorum suorum soli Archiepiscopali pallio, & equo Apostolico more ad procedendum strato. Tali ergo, & tanto cum privilegio Gallias rursus, contrariæ partis dissidium diremit, & solus in Leodiensis Ecclesiæ fascibus resedit, de quo satis ad dicendum esset quàm amabilis omnibus, quàm munificus, quàm in exornandis, sive construendis Ecclesiæ rebus fuerit assiduus. Solùm erga monachicam vitam minùs fuerat cautus, & hoc in eo mirandum, qui à puero monachico lacte nutritus, monachicis ferulis edoctus, monachicis institutionibus fuerat assuetus. Nam sub eo apud nos omnia ferè venalia. Siquidem annua, non dicam Obedientiæ (quod quidem regulare est) ministeriorum commutatio, eorumdemque dura coëmptio, quidquid apud nos optimum erat exhauserat, reliquum parasitorum turba abligurierat; cætera ejusdem Episcopi benè gesta, & animus civilis hanc infamiam obvelaverant, eumque omnibus gratissimum gentibus effecerant: qui postquàm in Episcopatu XXII. annos peregisset, in Ecclesiâ sancti Petri Leodiensis, quam ipse construxit, tumulatus quiescit.

Floruerunt his temporibus apud nos studia literarum, quibus ediscendis operam dantes opinatissimi fuerunt Scaminus, Theoduinus, & perspicacissimus horum Ratherius, qui videlicet Ratherius partibus Hilduini favens, illi inseparabiliter adhæsit. Hilduinus enim fraudatus Leodiensi Episcopatu, ab Hugone Rege Italiæ, apud quem fecerat confugium, usu stipendiario promeruerat Veronense Episcopium, promisso Regis manente, quòd ubi illum altiùs promovendi emergeret tempus, Ratherius Veronensibus daretur Episcopus; quod quomodo factum sit, vel quantas in Episcopatu illo pertulerit adversitates, ex ipsius scripto lector melius scire poterit, in Epistolâ quam summo Pontifici & universali Papæ conquerens de his hujusmodi scripsit: *Summo* [b], *&c.* b

CAPUT XX.

De quibusdam scriptis RATHERII *Veronensis Episcopi; & morte* RICHARII *Leodiensis.*

IN illo sanè, quo se RATHERIUS positum dixit exilio, vacans Episcopio edidit librum quem appellavit *Agonisticon*, cui & talem præposuit titulum; *Meditationes cordis cujusdam* RATHERII *Veronensis quidem Episcopi, sed Laubiensis Monachi*: quamvis ex digestis scedulis volumen censuit appellari præloquiorum, quod vocatur *Agonisticon*; quem librum ad relegendum sive ad probandum eruditissimis quos noverat misit, Sobboni videlicet, & Widoni Archiepiscopis, Godescalco & Aurelio Præsulibus, necnon & Brunoni & Rotberto Galliarum Archiepiscopis nobilissimis & in Philosophicis studiis eruditissimis, ad extremum Frodoardo Remensi, missis unicuique Epistolis, quæ continentur in Ecclesiæ nostræ scriniis. Libellum etiam vitæ S. Ursmari cum Cumis exularet ibi reperit, quem solecismis refertum emendavit, nobisque transmisit. Postea cum in eâ parte Burgundiæ, quæ Provincia dicitur, mansitaret, filium cujusdam viri ditissimi, nomine

b *Summo*] Edita est tomo I. inter Opera Ratherii.

Roestangnum,

Rœstangnum, ad imbuendum literis postulatus recepit, adquem librum de arte grammaticâ conscripsit, quem librum gentilicio loquendi more Speradorsum vocavit, pro eo quod qui scholis assuesceret puerulus, dorsum à flagris servare posset. Ob quæ ibi ei Episcopatus datus est, quem relinquens Laubias revertitur. Richarius tunc adhuc superat, à quo favorabiliter receptus, Laubiis est habitare permissus; nec multo post Richarius decessit, postquàm in Episcopatu XXII. annos peregit, & in Ecclesiâ S. Petri quam construxerat in Leodio, tumulatus quiescit.

CAPUT XXI.

De HUGONE *&* FARABERTO *Episcopis & Abbatibus.*

XV. & XVI. Abb. Hugo & Farabertus.

POst quem OGO ex Monasterio S. Maximini Treverensis Abbas & Monachus, Pontifex est subrogatus, qui vix duobus annis exactis defunctus, FARABERTUM item Prumiæ Abbatem, Antistitii sui reliquit heredem. Rursùs sub eo ut pridem sub Richario apud nos cuncta fuêre venalia, adeo ut locus isdem à parasitis *Argentea* diceretur *vallis*. Tunc corona illa regalis aurea hactenùs deplorata miri operis & non minimi ponderis, confracta, & pro libitu dilapidata, gemmæ ejus mirificæ pessumdatæ & ab oculis subductæ sunt, & hoc pro nihilo ducebatur, tantùm ut potiretur emens annuali ministerio: eoque quis dicebatur sanctior, quo ad dandum profusior, eo utilissimus, quo voracissimus. Sed de his nihil nostra interest, viderit qui fecit.

CAPUT XXII.

RATHERIUS *vocatur ab* OTTONE *Imperatore, ut instruat fratrem suum* BRUNONEM, *postea Archiepiscopum Coloniensem.*

OTto tunc potentissimus Rex Austrasiis & subactæ Italiæ tunc imperitabat: cujus frater BRUNO unicum & singulare in Christi Ecclesiâ decus futurum, velut pretiosissimus lapis multiplicibus Philosophorum poliebatur argumentis. Advocatur RATHERIUS, & habetur inter Palatinos Philosophos primus; quid multa? non destitit donec Regiam illam & mirificam indolem in omnibus disciplinis perspicacissimam redderet & perfectam. Quod cernens Regum suo tempore maximus, eum à scholis cum tanto honore, ut par erat, evocavit, & in suggestum Coloniensis Ecclesiæ post WIGFRIDUM, qui nuper decesserat, omnibus acclamantibus & gaudentibus, inthronizavit. Ubi quomodo vixerit, quomodo docuerit, vel quid fecerit; qualiter pro pace Ecclesiarum Dei seipsum impenderit, quàm in Ecclesiis sive ampliandis, sive restaurandis; quàm in privatis & publicis ædificiis componendis, quam in ordinandis domi militiæque sanctæ Dei Ecclesiæ rebus sollicitus fuerit, actu est admirabile, dictu laudabile.

CAPUT XXIII.

RATHERIUS *fit Episcopus Leodiensis, sed aliquanto post tempore dejicitur, & in ejus loco* BALDERICUS *subrogatur.*

COntigit eo tempore Leodicensem cathedram vacare Faraberto decedente; cui in emolumentum magisterii magnâ Brunonis industriâ Ratherius est incardinatus: quod quidem propter abundantem doctrinam, & eloquentiam copiosam, quâ inter sapientissimos florere visus est, non eidem solùm Ecclesiæ cui præfuit, sed & multis aliis circumquaque valde proficuum fore putatum est; simul quia in illis partibus per zelum & contentionem, unde fieri solet inconstantia, & omne opus pravum, quidam etiam Sacerdotes Domini plerumque, quòd nefas est dictu, terrenæ plus justo confisi potentiæ populum imperitum scandalizabant, sæpe dictus, & sæpe dicendus Dominus Bruno, cui jam totius Regni dispensandi cura imminebat, ratus id quod verum fuit, hunc ejectum antea & neglectum, hoc tanto beneficio ad illud fidei & veritatis fœdus adduci, ut à nemine posset seduci, ita demùm os loquentium inimica obstruere se posse credidit, si nulla occasio scandali posset in eorum Episcopo reperiri. Sed ad sui perniciem pars sinistra prævaluit: quidquid pro salute eorum gestum est, hoc sibi pestiferum existimabant. Quid multa? erratum est, sævitum est, nec cessatum est, donec expulsione ejus crudelitati suæ & nequitiæ satisfacerent.

Ablata est omnis spes restitutionis ejus; nam cum apud nos Nativitatem Domini festivè & opiparè celebraret, facta est Leodii contrà eum gravissima conspiratio, quæ nisi & hîc penitùs amoveretur, & in eumdem locum BALDRICUS, qui erat de Magnatorum terræ illius prosapia oriundus, subrogaretur, sedari visa est non posse. Ad hanc sententiam tempestates undique innumeræ confluxerunt, navis Ecclesiæ laborante remige fluctuavit, gubernator ipse procellosæ tempestatis impetum ferre non potuit. Cessit igitur, cessit ne vinceretur à malo, sed vinceret in bono malum, cessit adversantium voluntati, ut suo eos gladio jugularet sibi: obstricti sunt sacramentorum fide spontanei, ut si accipere mererentur Episcopum quem petebant, invictâ exinde firmitate auctoritatem Ecclesiæ, & jus Imperatorium tuerentur.

CAPUT XXIV.

RATHERIUS *rursùs Ecclesiæ Veronensi restituitur, & de quibusdam scriptis ejusdem.*

EXacto igitur in hac destitutione suâ RATHERIUS fermè biennio, deficiente ab eo militari copiâ, Italiam revertitur: ac ne quid in ejusmodi negotio imperfectum restaret, quod curiosis alienarum rerum investigatoribus scrupulum commoveret, cum Imperatore germano suo prædictus Bruno id effecit, ut eidem jam bis destituto, antiqua sedes Veronensis Ecclesiæ restitueretur. Scripsit per idem tempus librum, quem appellavit PHRENESIM, eo quod quasi phreneticus nimis austerè & ultrà modum in BALDRICUM inveheretur. Scripsit & alium quem appellavit *Perpendiculum*; necnon & alium quem appellavit *Sirmam*, in quo in eumdem Baldricum invehitur, pervasorem (ut ipse nominat) suum. Est & ejusdem libellus contrà Anthropomorphitas, qui Deum, hoc est ipsam invisibilem deitatem per membrorum lineamenta depingunt. *Synodica* quoque ejus ad diœcesanos Presbyteros; & *Conjectura vitæ* ejus; *Itinerarium* quoque ejus Romam pergentis, sed & sermones quamplures, in Pascha scilicet, & in Cœnâ Domini & in Ascensione Domini, & die Pentecostes, necnon festivitate B. MARIÆ, & alia quamplura.

CAPUT XXV.

Miraculum quo per merita sanctorum Ursmari & Ermini Lobienses ab Hungaris liberati sunt.

GEns quædam ripam insidet Danubii; provinciam quam incolit, Pannoniam vocaverunt antiqui, Hungriam moderni: ex quâ Hungri venientes ante nobis sunt insitâ sibi & naturali barba-

rie comperti, quàm origine cogniti: quorum insatiata crudelitas sub Henrico Rege transgressa terminos Morahensium, quos sibi non longè antea impiâ usurpavit licentiâ, plerasque provincias regni ejus ferro & igne longè lateque vastavit. Postea sub Ottone filio ejus orta est tempestas contentionis, dormiente, puto, Jesu in pectoribus vigilum ante fores domûs Domini excubantium, ita ut quidam socii satanæ Regem conarentur exstinguere. Cassato per Dei misericordiam hoc per serpentinum sibilum concepto consilio, nequitiæ suæ virus per totius regni ejus viscera diffuderunt. Erat in eâ conjuratione Princeps ipsius Regis filius LIUDULFUS spectabilis adolescens & unicè clarus, si seductoribus minimè credidisset, & heres esse, non proditor maluisset, & cum eo quasi quidam stimulus Cono Dux paulo ante fortissimus; quibus (ut ita dicam) omnia erant in manibus agendo, ut plus haberent: sed ut nihil haberent omnimodis effecerunt. Hi Hungros, antiquam ut prædiximus pestem sollicitaverunt, ut Regnum in seipsum divisum invaderent; arbitrantes hoc modo sibi sollicitudinem quâ premebantur, aut penitùs adimi, aut aliquatenùs posse minui.

Hac de re sæva Hungrorum gens, & qualem nunquam terra nostra sensit barbariem, à perversis illecta civibus, transitis Germaniæ, & plerisque Galliæ provinciis, cui jam olim nobilis ille Francorum populus insedit, omnia ferro & ignibus vastatura se totam infudit. In hac acie CONO prædictus cum suis sequacibus militavit: sed ubi Trajectum ventum est, quam Mosa alluit, incertum quâ de causâ ab eis descivit: Hungri Hasbaniam ignibus & deprædatione aggressi, Carbonariam petunt: famâ ad nos perlatâ, mittitur è Collegio nostro Huebertus frater patiens laboris, & fugitans quietis, & semetipsum impendere paratus ob amorem loci & sanctæ religionis, pacisci cum illis. Factâ pactione de solidis ducentis, revertitur post hæc obsidibus ab eis acceptis. Sed nostri non satis creduli, (quæ enim fides est infideli?) munire Tudinium tentant, quod Raginerus suspectum habens Leodiensem militiam, jam pridem destruxerat; sed misso rursùs milite prohibiti sunt munitionem firmare. Quid tunc agerent imminente hoste? Sublatâ itaque spe Tudinium potiundi, nullâque exstante fiduciâ in re militari; siquidem laudata illa & cunctis sæculis prædicata Hlothariensis militia in Hungrorum adventu justo Dei judicio hebetata, suis munitionibus passim tenebatur inclusa, nostra quæ residua erat Deo dilecta Monachorum turma, non sibi satis fidâ Ecclesiæ familiâ montem, ubi sanctorum Ursmari & Ermini corpora venerantur, diù ante deliberans scandit, & de Dei fisa adjutorio cum plaustrorum vel qualiumcumque surculorum vel sepium impedimentis, eum in modum munitionis cingit, agente id, ut credimus, Deo, ut ostenderet nunquam deesse divinum, ubi humanum cessat auxilium.

Jamque advenerat Paschalium dierum sancta celebritas: in completione octavarum ipsius quæ erant tunc IV. Nonas Aprilis, ecce in exordio matutino subitò densaverat aërem equorum nebula, & quasi ex abditis terræ finibus emergebant galearum millia. Expavêre nostri, & mortem sibi præmeditari: qui agiliores erant, simulacrum, ut ita dicam, munitionis scandunt, imò verò futuram munitionem per Sanctorum Dei intercessionem. Qui verò graviores erant ætate & impeditiores, substitêre: qui substiterant capiuntur: obsidentur alii: obtruncantur in conspectu aspicientium duo de Monachis Teutmarus & Theodulfus, reliqui captivitati reservantur; nulla erat inter obsessos & captos distantia, nisi quòd secundùm quemdam gravior exspectata quàm illata mors.

Interea urgentur obsessi, nec ulli telorum aut tormentorum parcitur generi. Nostri è contra quia pro animabus illis erat res, juncto sibi Clericorum, ipso etiam Monachorum auxilio (quamvis illicitum sit huic ordini arma tractare) eniti obnixè, jamque hostibus irrumpentibus, jamque in mutuis amplexibus hærentibus; plerisque mortem sibi, plerisque deditionem pingentibus, ecce ex respectu miserantis Dei, ex adytis templi duæ columbæ evolant, quæ ternâ circuitione acies obsidentium vallant: subsequitur post hæc pluvia pergrandis, quæ gentilitiam illis sagittandi artem chordarum distentione frustravit: metus quoque ac terror tantus in eos irruit, ut maturarent fugere, & Principes ipsi uterentur flagris in eos qui volebant subsistere. Abducunt autem eos, quos morti residuos ceperant. Ecclesia sancti Pauli incensa, & major tentata, sed miseratione Dei salvata: Thesaurum Ecclesiæ, & optima quæque Theodulfus alius ad munitionem quamdam partim transportaverat, partim in ipsâ Ecclesiâ terrâ obstruserat. Dictum postea est & putatum verum, quòd à quodam capto pusillanimitate sufferendi sit proditus, nam effossus est & exportatus.

Voverunt tunc omnes in commune diem illum sibi & posteris festivum fore, & hæc est celebratio, quæ in nostris Martyrologiis inscribitur sic: *Quarto Nonas Aprilis Commemoratio meritorum Ursmari & Ermini, quo meruerunt Lobienses ab Hungrorum obsidione eripi.* Nec tacendum, quòd hi qui capti fuerant, in brevi revertuntur omnes sani & læti. Nec Hungros illud impunè fecisse passus est Deus. Nam cùm propè jam esset summa dies & ineluctabile tempus, quo Deus omnipotens propitius terræ populi sui, ultus sanguinem Sanctorum suorum, vindictam retribuere vellet in hostes eorum: aggravata est rursùs ultrà modum & omninò intolerabiliter superbia ferocissimæ gentis Hungrorum, seducta (credo) superioris anni successu. Siquidem, ut veracissimè dictum, *ante ruinam exaltatur cor, ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem.*

Prævenit hanc imminentem pressuram Ecclesiæ pax in Placito regali, quod in Armestat habitum fuit, ex integro condicta, ex magnâ jam parte per Imperatoris nostri fratrumque ejus sapientiam confirmata. Et reverâ tribubus & linguis innotuit, quia non est Deus dissensionis, sed pacis, tamquam ejus initio operatus est salutem in populo suo. Imperatoris quidem spiritus agitabatur in ipso, quia non erat ei tempus exercitum congregandi; sed fiduciam habuit per Christum in Deum, qui potens est salvare in paucis, sicut in multis. Aderat ibi CONO non jam Dux sed miles, toto ut putabatur animo conversus ad pacem, quam paulo ante atrociter impugnabat, cilicio membra domans, Deum (ut fertur) gemitibus exorans, ut si sic ejus sancta voluntas existeret, permissâ Regi nostro & exercitui ejus victoriâ, eum ab impiis, quibus se prius malè conjunxerat, permitteret trucidari, ut possit in perpetuum ab eorum consortio liberari. Imperator indici sanxit jejunium in ipsâ quæ tunc erat vigiliâ sancti Laurentii Martyris, per cujus interventum sibi populoque suo ipsum Deum poposcit esse refugium. Propositum suscepti operis negat expedire bellum, primo sanctæ festivitatis diluculo susceptum, vix dum vespertino crepusculo, Deo misericorditer dispensante & pro suis pugnante, satis feliciter peractum, miserandum post victoriam Cononis interitum, gloriosissimum Imperatoris triumphum, Regem ipsum barbarorum, Du-

ces ac Principes captivos, trophæa per totam Regni illius latitudinem usque ad ejusdem gentis fines frequentissima, quæ omnia proprii industriam operis ad laudem & gloriam omnipotentis Dei exspectant.

CAPUT XXVI.

De ERLUINO *per vim intruso, & de* RAGINERO *Comite violatore Ecclesiæ Sanctorum.*

XVII. Abbas Erluinus. NOs ut à diverticulo ad propositum redeamus, BALDRICUS Ecclesiæ Leodiensi præerat : is avunculum suum Raginerum unicè colebat, pro eo quod eum in Episcopatu adipiscendo ille plurimùm juverat: qui Raginerus post mirificam illam Hungrorum liberationem Ecclesiam S. Ursmari omnium primus, & utinam abhinc solus, tali modo non exhorruit violare. Oduinum quemdam odiis insectabatur, qui apud Ecclesiam prænominatam confugium fecerat, volens aliquantulum ab armis respirare, militibus suis in locis dimissis. Nactus occasionem Raginerus advolat, & insperatum in Ecclesiâ cogit, quem inermem ab ipsis Sanctorum sepulcris, quæ tunc forte patebant, extrahit, & in ipsis atriis, ante vestibulum Ecclesiæ capite obtruncat. Esto, fuerit dignus ille hæc pati, sed observanda erat oportunitas temporis & sanctitas loci. De loco jam satis expertum erat, quàm Deo carus, quàm in patrocinando munificus, quàm in violatore vindex & severus: de oportunitate temporis ille viderit, qui hæc in vigiliis Omnium Sanctorum, dum vesperæ celebrarentur, vel legit vel audiit.

Raginerus interea Erluinum quemdam sibi intimum facit: erat autem à Gemblaus Monasterio, quod quidam mundanæ nobilitatis titulis insignitus Wibertus nomine in proprio suo construxerat, & in quo ipse verè conversus ex mundiali militiâ fuerat: quem inibi Abbatem, cui ipse pauper Christi regulariter obediret, præfecerat. Hic Erluinus Raginerum adulatione assiduè lactabat, & paulatim & per incrementa ad Laubiensis Abbatiæ dignitatem anhelabat, nec destitit, donec ad Præposituræ honorem, qui tunc major habebatur, amoto Blithardo ipsius Monasterii Monacho, invitis licet Fratribus proveheretur.

Erat autem vir in exiguo ponens mendacium, cui ad versutiam nihil deerat. Si respiceres ad religionem, nihil illo quantum ad faciem sublimius, si ad voluntariam & invocatam sæpe mundialium rerum occupationem, earumdemque indefatigatam percursionem (quod Monachum minùs decet) nihil illo abjectius. In sermone ipso tanta illi diversitas, ut cum proloqueretur, verba ipsa quasi trutinaret: ad ultimum multimodas cavillationum strophas doctus versutiarum rhetor intexeret.

Hic quia, ut dictum est, invitis Fratribus promotus erat, unanimitati Fratrum exosus erat. Contigit quadam die instante vindemiarum tempore, considentibus Fratribus, & nescio quid triste confabulantibus, supervenire Erluinum, quem tantâ cæde fustium multati sunt, ut putaretur esse mortuus: quos ut discessisse persensit, paululum palpitans subduxit se, & ad Bernardum tunc Advocatum confugit, cujus auxilio postea Ercliacum proficiscitur, ubi quantum est inventum vinearum eliquat & abducit, & in locis sibi oportunitatis recondit. Rogat præterea Raginerum cum Baldrico Pontifice, ut dies Natalicios Domini Lobiis celebrent, quod & obtinuit. erat tunc videre desolationis abominationem, stantem in loco ubi non deberet. Nam Comes cum conjuge in sacrario Ecclesiæ mansitabat, & mensa, in quâ sacratissimum Domini corpus absumebatur, ministerium calciamentorum & paterarum, seu scutellarum efficiebatur.

Peractâ igitur natalicià dierum celebritate, ubi discessum est, Fratres sibi minui unde alii ingurgitarentur in commune deplorant. Assumptâ igitur audaciâ Fontanas petunt, villam quam Sambra alluit: ibi quantum vini est repertum (nam ibi aliquantulam portionem occultaverat) capiunt, & abducunt. Profectus fuerat Erluinus Bermeriacas, ut annonam, quæ ibi erat venumdaret in solutione debiti quo se in præfato obsonio oppigneraverat: quem Fratres insequuti cum multitudine magnâ populi, ita in eum debacchati sunt, ut mirum fuerit, quòd mortem evaserit. Sed ad Abbatiam promotus Fratres semper suspectos habens, omnes à Monasterio præter paucos expulit, qui ob hoc magis irritati, ne longiùs sermonem protraham, tres ex illis, qui juventutis & propinquorum adminiculo cæteris præstabant, magno satis professionis & ordinis cum periculo dormitorium noctu aggressi, eum extrahunt, & non longè ab ambitu Claustri protractum, oculis privant, partem etiam linguæ amputant, sed non usque ad privationem loquelæ. Et quia, ut dicebat, martyrium desiderabat, ipse se se refefellit, dum statim post hæc navi impositus, metuens ne denuò impeteretur, Gemblaus est devectus: & quod prævidere ante debuerat sanus, declinavit debilis & exoculatus.

Et quia scriptum est; *Impii agent impiè, neque omnes intelligent impii.* Et alibi: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc:* post prædictam Ecclesiæ sancti Ursmari violationem Raginerus tyrannidem multiplicat, pauperes premit, & res Ecclesiarum, non Dei, sed suas facit; pro quibus omnibus à Domino BRUNONE verè pacifico apud sanctum Salvium evocatus, confessus, & læsæ Regiæ Majestatis convictus reus, proscriptus est, ac perpetuo exilio deportatus. Multum itaque in hoc illi, licet invito, consultum est: quo enim diuturnior est nequam, eo sibi graviorem & longinquiorem comparat pœnam. Dan. 12. 10. Apoc. 22. 11.

CAPUT XXVII.

EURACRUS *Episcopus Leodiensis dat Lobiensibus Abbatem* ALETRANNUM.

INterea Baldrico decedente, Dominus EURACRUS ex Bonnâ Decanus BRUNONE concedente efficitur Episcopus, vir ingenuarum artium literatus. Hic D. ALETRANNUM undecumque doctissimum, & in lege Dei exercitatum ac eloquentem, volentibus omnibus Lobiis præfecit Abbatem, ubi ita vixit, ut servum decuit Domini. Nam cum ante eum permissâ Fratribus rerum peculiarium & tricliniorum solummodò impunitate, de cætero honestè quidem & in commune viveretur: hic quomodo instructus fuit, omnia ad regulam correxit; ad cujus supplementum Domnus Euracrus juvit plurimùm, ei restituens villas ante id abalienatas, Gimiacum videlicet, quam Folcuinus quidam sibi & filiis in precariam acquisierat, & Stratam, quam Adelardus in beneficio habebat, & Gosiniacas, quam Heribrandus æquè in precariam tenebat, & alia nonnulla. XVIII. Abb. Aletrannus.

Sub illo omnia fuêre nobilia, præterquàm capsæ Reliquiarum prægrandes & aureæ noctu furto sunt ablatæ, nec earum quid repertum, præterquàm quod erat ligneum. Erat & crux aureola, quæ sub Erluino contracta à Fratribus in redemptionem sui, Raginero est data. Hac igitur diù desideratâ pacem jam tandem serò potita, citissimè Ecclesia nostra est destituta. Nam D. Bruno, in quem rei summa decumbebat, diem clausit VI. Idus Octobris, &

Domnus Abbas postquàm biennii paralysi dissolutus est, postque quinquennium quàm praeesse cœperat, in magnâ spe futuræ gloriæ defunctus est III. Nonas Novembr. anno uterque DCCCCLXV. Dominicæ Incarnationis.

CAPUT XXVIII.

FOLCUINUS *fit Abbas Lobiensis, & de morte* RATHERII *Episcopi.*

XIX. Abbas Folcuinus Chronici Lobiens. Auctor.

POst hæc Domnus Euracrus FOLCUINUM verè peccatorem, sed & ætate juvenem, Lobiensibus præfecit Abbatem; quem cum esset idem Pontifex Coloniæ in præsentiâ Imperiali, in frequentiâ magnâ populari recitatâ priùs & lectâ Fratrum electione, ibidem ordinari fecit. Ordinatus est ergo ab INGRANNO Cameracensi Episcopo die ipso Domini natalicio. Inde reversus, & loco potitus plura suo arbitratu egit, unde & eum fortuna suis casibus servire coëgit.

RATHERIUS adhuc Veronæ erat, qui pertæsus civium insolentiâ, simulque suspectam habens innatam illis & peculiarem perfidiam, de reditu cogitabat, proponens illud, quòd in alienâ patriâ sæpe quidem benè vivitur, sed malè moritur. Mittit igitur ad Abbatem librum quem prætitulavit, *Conflictum duorum*, pro eo quod in eodem disputans, utrum reverteretur, necne, anxius fluctuaret, simul & rogans ut mitterentur ei equi & comites, quo expeditiùs ad eos iter accelerare posset. Factum est, missum est, venit ille, afferens secum auri & argenti, non dicam pondera, sed ut ipsius verbis utar, massas & acervos: ex quibus à HLOTHARIO Rege est mercatus sancti Amandi Abbatiam, quâ vix unâ nocte potitus, eam (ut erat miræ levitatis vir) derelinquens, Alnam revertitur villam, quam munificentiâ Domni Episcopi promeruerat. Inde quoque simili modo Monasterium quod Altum-montem nominant, datò magno pretio comparavit, ubi quidquid præcipuum sibi in ornamentis, & vestimentis Ecclesiasticis fuerat, quæque antea ipse Ecclesiæ nostræ largitus fuerat, sed postea resumserat, factâ donatione congessit. Hoc quoque derelicto Alnam denuò revertitur.

Dederat autem ei & Abbas consensu Fratrum villas Stratam & Gosiniacas, & Abbatiolam S. Ursmari, & aliam quam Waslare-Monasterium vocant. Sed ipse locum nostrum semper execrans, Abbati insidias machinabatur, instigantibus eum ad hoc nonnullis. Quid multis morer? Ad hoc res evenit, ut Abbas cederet loco, sciens sic quoque Episcopum velle. Nam de eo nihil nostrum aliud est dicere, Ratherius ut ostenderet prioris inimicitiæ causas, locum invadit, & metuens Abbatis animositatem, simulque cognationem ejus, quæ non erat infima, Claustrum in modum castelli cingit, de mamona sibi, ut dicebat, residuo, quorumdam Principum ad hoc empto adjutorio: Ecclesiâ quoque S. Dionysii, quam emerat à Comite Rotberto, viginti librarum taxato pretio, hujus rei causâ sponte caruit, nec quid, quantum, cuive ob id daret, quidquam pensi habuit. Quid plura? annus ille sic ductus est usque dum defunctus est Euracrus Episcopus, & in loco ejus NOTKERUS successit. Cujus animi dotes, & virtutum summam si pergam dicere (quoniam adhuc superest) adulari videbor: Unum pro certo dicendum est, quòd vir sit in quem spiritus Dei donum singulare contulit veritatis & fidei. Qui nolens primordia sua levia aut præcipitata haberi, evocatis Abbatibus WERINFREDO videlicet à Stablaus, & HERIBERTO ab Andagino, cum aliquibus Fratribus, primùm conspirationis exordia quærit, inventa trutinat & discutit, discussa demum judicio utitur. Ubi perspexit omnia esse frivola, Fratres Abbati reconciliavit, ipsum restituit. Ratherius Alnam revertitur, ubi uterque, ipse videlicet & Abbas sibi reconciliatus de reliquo deguit; qui postea apud Namurcum, cum ibi fortè cum Comite moraretur, vitâ decessit. Cujus corpus ad nos delatum, Pontificalibus exequiis solemniter celebratis honorificè est tumulatum in Ecclesiâ S. Ursmari ad partem aquilonarem.

CAPUT XXIX.

De quibusdam operibus FULCUINI *Abbatis in augmentationem & restaurationem Monasterii Lobiensis.*

PAce igitur nobis per Dei gratiam NOTKERO agente firmissimâ collatâ, dominus Episcopus Leodium revertitur, reliquum tempus in innovandis sive decorandis ædibus, & Ecclesiasticis rebus multiplicandis consumens. Nam ut verum fateamur, nullus prædecessorum suorum, quantum recordatur opinio, illo ampliùs Leodiensem Ecclesiam rebus auxit, ædificiis nobilitavit. Creverunt illo tempore & in Monasterio nostro ædificia nonnulla instinctu Episcopi, operâ Abbatis facta. Refectorium à fundamento cœptum, & Deo concedente satis elegans perfectum, in cujus introitu fecit vestibulum, in quo per subterraneos meatus aquæ ductum fecit, quæ sursum ebulliens ibidem scaturire videtur Concavaria huic superiori receptaculo præparata, quæ per quatuor foramina in supposita alia aquam cribrans, sufficientem Fratribus administrationem aquæ distillat. Quod refectorium à Domino TIEDONE Episcopo consecratum est cum cereis & thymiamatis, & omni quo domus consecranda est apparatu.

Ecclesiam S. Pauli quam Hungri incenderant, retexit, cui domum infirmorum annexuit; obambulatorium Claustri, si ita dicendum est (quoniam nunc non aliud quomodo nominandum sit occurrit vocabulum) nullum erat præter Capituli domum & ligneam ædiculam, quæ prioris refectorii januam vestiebat, quæ annuatim scindulis operiebantur, sed ubi exsiccatæ erant, foco subserviebant. Hoc ille lapide cinxit, & facta contignatione asseribus cum ferreis clavis texit. Ecclesia quia satis per se elegans erat, ut in ornamentis elegantior redderetur, operam dedit, quam de pulchrâ fecit pulcherrimam; cujus altaris tabulam, quia nulla erat, fecit argenteam, domum ipsam altaris & laquear ipsius optimè pinxit; pulpitum quoque Evangelii tali modo fecit, ut essent quatuor emicedia altrinsecùs è regione in modum crucis posita, quæ ex ære ductilia, & ad libitum artificis per loca scalprata & deaurata, postibus undique secùs deargentatis: in septemtrionali parte fusilem habent aquilam optimè deauratam, quæ interdum alas stringit, interdum alis extensis capacem Evangeliorum codici locum pandit, colloque quasi prolibitu artificiosè ad audiendum retorto & iterum reducto, immissis prunis fragrantiam superimpositi thuris emittit. In occidentali autem parte ejusdem ambonis versùs populum fecit altare in honorem sanctæ Crucis, & omnium Sanctorum, cui & tabulam argenteam anteposuit, & desuper vivificam illam Domini imaginem, quam nostris adhuc terris incomparabilem ipse quemdam ut faceret magno pretio locaverat, erexit.

De reliquo ornatu Ecclesiastico, & de multiplicatione librorum in armario non vacat dicere, sufficit ex superfluo hoc tantùm tetigisse. Fecit & coronam argenteam, in quâ versus scripsit. Fecit & campanas duas majores, quarum unam quæ ma-

xima erat S. Petro, & aliam S. Urſmaro dedit: in iſtâ verſus hi inſcripti ſunt:

Juſſu FULCUINI *me condidit artificis manus Danielis ad laudem Triadis.*

In aliâ iſtud tantummodo:

FULCUINUS *Deo devotus & patrono ſuo ſancto* URSMARO.

CAPUT XXX.

FULCUINUS *recenſet quadam miracula ſuo tempore per merita* S. URSMARI *facta.*

Eccleſia trans Sambram in monte quem nos *Sanctorum*, vulgus *Pulchrum* vocat, ejus tempore cœpta eſt occaſione hujuſmodi. Arebat quodam tempore terra, & denegatis pluviis deſuper ſole torrente Heliæ timebantur tempora, omnis plebs, & tota provincia cucurrit ad exſpectata ſibi ſæpe ſuffragia, ſanctum videlicet Urſmarum patronum in hujuſmodi anxietatibus ad Dei gratiam reciprocandam aſſuetiſſimum, rogans Abbatem ut prolatis Sanctorum pigneribus more Litaniarum circumferri ea præciperet. Rem Abbas ad Fratres refert, laudant devotionem plebis, dicunt eis ſatisfieri debere.

Indicto ergo generali jejunio, & die præfixo, plebs tanta confluxit, quantam in unum vix unquam vidit nemo. Producuntur in feretris compoſita Sanctorum corpora, non ſine magno populi luctu permiſtâ lætitiâ, & quia tanta erat populi multitudo, ut eam cujuſvis campi quamvis latiſſimi vix caperet amplitudo, propoſuerunt ut primùm his qui ultrà Sambram erant ſalutanda deferrentur in monte ſuprà memorato, & in loco præviſo. Ibi tanta fuit populi devotio, ut non poſſit proſequi ſcripto. Ex ſumptibus quos largitus eſt populus, deſignata eſt & incepta Eccleſia: quando vel à quo erit perficienda, in Dei eſt providentiâ. Reportata ſunt & citra: & hîc nihilominùs tanta erat multitudo, ut invicem artarentur. Oſtendit & Dominus devotionem iſtam plebis per merita ſancti Urſmari ſibi placuiſſe. Nam ipſo die in magnâ cœli ſerenitate obnubilato aëre, factus eſt ſonus ſubſequuturæ pluviæ, quæ poſtea tam larga profluxit, ut ſatis ſufficeret, & copias anni fertiliſſimas redderet.

Et quia parum hoc de virtutibus ſancti Urſmari prægustavimus, & ad noſtri temporis fæcem ſicut præpoſuimus Deo donante pervenimus, libet in fine Opuſculi in miraçulis ejuſdem Patris aliquantiſper immorari. Nam ſi quod promiſimus nos quoque volumus, & tali modo fœnus perſolvimus.

CAPUT XXXI.

S. URSMARI *meritis cæcus ſanatur.*

Fundus eſt, quam Villam Reliam vocant, is nobis vicinus eſt, & in eâ memoria ſancti Urſmari. Ferunt eumdem virum Dei dum mundo exularet, & R[illegible]m apud Liptinas commorantem crebriùs invis[illegible], quia locus contiguus viæ eſt, illic ſolitum requieſcere; atque ibi dentem, qui ob nimium dolorem (quâ valetudine ille plurimùm laborabat) illic deciderat, inibi defodiſſe. Locus iſte Eccleſiâ ſacer erat, ſed civium negligentiâ deſtructa fuerat, altare tantum, & hoc incultum, remanſerat. Cœcus quidam ibi erat, cui in mentem ſedit ut altare viminibus cingeret, ne pecoribus aut canibus adibile eſſet: qui quâdam die puero præduce in ſylvam perrexit, dumque virgam ad ſe applicat, ut eam cum ferramento copularet, in ipſo conamine oculi ejus ita aperti ſunt ut clarè videret.

CAPUT XXXII.

Mulier ad tumulum ejus ſanata.

Anus quædam apud nos erat, quæ interdum Eccleſiæ ſtipendiis, interdum fidelium eleemoſynis alebatur, cujus manus dextera ita erat contracta, ut ungues digitorum volam palmæ viderentur perforaſſe: hæc die quâdam quæ habebatur Dominica, eratque dierum Quadrageſimalium tertia, in Eccleſiâ ſancti Urſmari loco ſuo ſtetit, & inter Miſſarum celebrationem ſubitò intremuit, cum ſubitò & propter diuturnitatem incommodi illa inſperata, cœperunt ſe nervi digitorum extendere, & manus ad officium ſuum redire. Illa ut perſenſit, Eccleſiam vocibus complevit. Plena erat Eccleſia, ſubſequuntur omnes: DEO GRATIAS, DEO LAUDES, nemine tacente, in commune dicuntur. Curritur ad me ubi eram in Eccleſiâ majori, unus poſt alterum aliquid apportaturus novi, & quaſi non priùs eſſet dictum rumigerulus aſſerebat nutibus gaudiorum. Nos illicò ad Eccleſiam ſcandimus, invenimus illam præ miraculi ſtupore ſtantem & trementem, attamen ſanam. Laudavimus Deum, & ita diſceſſum eſt.

CAPUT XXXIII.

Mulier plena dæmonio liberatur.

Mulier quædam plena dæmonio, à parentibus ad ſancti Urſmari ſepulcrum attracta eſt, potiùs quàm adducta; pedes, manus & colla arcebant vincula: gutture ſolùm & linguâ horribilia quædam promebat, & fœtida. Audires interdum canem latrantem, ſibilum ſerpentium, taurorum mugitum, ut quaſi in uno cubili eſſent diverſa ferarum monſtra. Dies erat feſtivitatis ejuſdem Patris, coïerant ad feſta plus ſolito populi, illa ibi jacebat tam terribiles voces emittens, ut vix Miſſæ audiri poſſent in die tam celebri. Feſtivitate peractâ, ubi illuxit dies craſtina, Fratres condolentes illi, Eccleſiam ſancti Urſmari petunt pro ejus ereptione Dominum deprecaturi; propoſuerunt Letaniam agere, cujus recitatio mihi injuncta eſt. Ubi ergo poſt recitationem *Sanctorum omnium* ad locum perventum eſt, quo potiùs dicere deberem, *Per adventum tuum libera nos Domine*, vocibus ejus perterritus anticipavi dicere, *Per nativitatem tuam*; tunc illa, imò ille quo miſera illa torquebatur, mentiris, inquit, & præpoſterè loqueris.

Expavi, fateor, & penè extrà me effectus ſum: at ubi me recepi, Letaniam ſum proſequutus, cœpique mecum agere tacitus, quod iſdem Apoſtata ſpiritus Dei judicio tortus, vera quoque tunc dixerit coactus & invitus: peccatis noſtris agentibus tunc nihil actum eſt, unde deſperati parentes ejus, eam reducere tentant; ſed ubi ad Sambram ventum eſt, in pontis medio unus illorum reſpiciens ad Eccleſiam, Eia (inquit) ſancte Urſmare, placetne tibi ut à te tam triſtes abeamus, fruſtrati à te de longinquo quæſitâ ſoſpitate? Vix verba compleverat, cùm ſubitò illa in eodem pontis loco corruit, & aliquantulum illic mortuo ſimillima jacuit. Quid plura? miſeratione Dei, per merita ſancti Urſmari poſt paululum reſedit, quæ circà ſe agebantur inquiſivit, ciboque ſumpto, omnique ſanata incommodo peſte caruit, miraculumque ſuum ipſa poſtea circumtulit.

CAPUT XXXIV.

De quodam Dæmoniaco curato.

NUper quoque quidam æquè energumenus ad supradictam memoriam est delatus, quem Clerici Ecclesiæ nobis alia curantibus per se tentant increpare, immissumque in aquâ consecratâ Exorcistarum more exorcizavere; sed inter manus exorcizantium subitò in altum rapitur, ita ut per plantas vix manibus teneretur, & magno satis cum conamine deorsum reduceretur. Instantibus nihilominùs Clericis orationi & increpationi, sanatur hic quoque ad laudem Dei per merita sancti Ursmari.

CAPUT XXXV.

Presbyter quidam paralysi dissolutus, ut nec loqui nec virtutem recipere posset.

PResbyter est, quem OSINGERUM nominant, qui ita paralysi erat dissolutus, ut cervix in ipsâ juncturâ resiliret; quid dicam, quod loqui non poterat, cui omnium membrorum officia solo spiritu anhelante defecerant? Hic in hac valetudine annum explens, alterius solatio eleemosynis fidelium sustentabatur. Jacebat autem in villâ Fleon dictâ, cui vicinia est illa nativitatis sancti Ursmari ministra, in quâ erat Ecclesiola lignea quam ferunt eam propriis manibus compaginasse, & in prædio suo dedicasse. Quâdam die euntibus quibusdam cum plaustris in Augustâ Viromandorum mercandi gratiâ, rogavit virtute quâ poterat, ut superpositus plaustro ad supradictam Ecclesiolam duceretur. Factum est, positus est in Ecclesiolâ, & ibi pernoctavit; mane autem facto voluit tentare confisus de Dei misericordiâ & sancti Ursmari intercessione, utrum per se in ipso grabato posset sublevatus residere. Fecit, miratus est rem, deinde paulatim reviviscentibus membris (mirum dictu!) erexit se, & ambulavit gratias agens Deo & patrocinatori suo. Nos postea frequentibus ejus Missarum celebrationibus fruiti sumus in eodem loco. Sanus ipse de reliquo, præterquàm cervix quæ resilierat parum retorta videretur, puto propter commemorationem tam mirifici beneficii, ad propalandum omnibus quantum valeat in conspectu Domini meritum Sancti sui.

CAPUT XXXVI.

Idem Presbyter dum Missam celebrat, calicem vino plenum reperit.

REtulit isdem Presbyter nobis, quòd dum quodam die in ipsâ Ecclesiâ, cui in recompensatione jamdicti beneficii deserviebat, Missas ageret: lecto Evangelio vas quod consuetudinaliter juxtà altare cum vino pendebat, in calicem versat, sed vinum ita congelatum erat ut nec gutta proflueret. Dat vasculum Clerico ministranti, ut glaciem igne resolvat, ipse interim Offertorium percelebrat; dum tardatur, ille respexit ad calicem, qui plenus vino inventus est, adeo ut penè excresceret.

CAPUT XXXVII.

Contractus quidam erigitur.

ADso quidam erat in servitio fratris mei Godescalci, sutoriam artem agens, quem à puero contractum omnes cognovimus, ita ut progredi quoquam nisi cum scabellis nequiret. Hic quâdam die ad sepulcrum S. Ursmari vota soluturus accessit, ferens secum cerea munera, candelas videlicet geminas, petiitque æedituo ut eum ibi pernoctare sineret. Concessit ille: pernoctavit iste. Statim in ipso conticinio orante illo, & Dei potentiam præstolante, cœperunt se tibiæ complicatæ reducere, & tali pedum à diutinâ hæsione natium non sine magno patientis incommodo sejungere, usque dum plenè erectus, custodibus mirantibus in pedes stetit; sed præ nimio dolore, & indisueto progrediendi usu ambulare non potuit; qui præ nimia gratulatione quodammodo visus est fuisse ingratus, dum insciis omnibus mane Ecclesiam egressus, nec tum laudes Deo dicere fecit, & ipse ubi plenè doloribus caruit, Rageneríanæ rebellioni se satellitem miscuit.

CAPUT XXXVIII.

Cæca quædam mulier ad tumulum Sancti sanata.

CÆca quædam eleemosynâ FREDESENDIS illius, quæ STEPHANO, cui Bebrona serviebat, nupserat, alebatur. Hæc quâdam die orandi causâ ad memoriam sancti Ursmari venit, & dum montem cui superposita est Ecclesia, ipsa scanderet, in intercapedine quam quercus antiqua disterminat, ex adytis templi, quasi per aliquas rimulas tenuissimas aliquantulum lucis se versùs vibrare persensit, progressa demum ad S. Patris nostri tumulum, ita mirata est visum, ut Gozberto Præposito nuntiante faceret jocundissimum & in Dei laudibus speciosissimum.

Actum est hoc sextâ feriâ ante Dominicam, quam vocant medianam octavam.

CAPUT XXXIX.

Quidam ad memoriam ejus, aliis portantibus lapides, portare renuens omni fortitudine dissolvitur, sed pœnitentiâ ductus sanitati restituitur.

IN territorio quoque Willare nobis deserviente quidam fuit colonus, qui cum cæteris votivè ad constructionem trans-Sambrinæ, quam prædiximus Ecclesiæ lapides subvehentibus insultaret, seque id servitium nullo modo subiturum dejeraret, repente omni membrorum officio debilitatus est. Sed ut reatum suum, serò licet, cognovit, vota accumulavit, & sanus illicò effectus, plùs cæteris, cæteros accendens, quo potuit devotionis ardore confricavit.

CAPUT XL.

Multitudine populi pons fractus, cadentibus omnibus in aquam, nullus periit.

KAlendæ erant Augusti, qui est dies celebris apud nos pro commemoratione vinculorum S. Petri, Sambra fortè tunc plus solito excreverat, & populus confluens ad festa festinabat. I[illegible] agendum dum celebrantur Missæ, & ad eas tra[illegible]-Sambrini globatim maturarent accelerare, pons quem subierant multitudine prægravatus decidit, immersosque quos acceperat alveus longè fluvio suo traxit. Factâ igitur conclamatione turbatur Ecclesia. Egressi penè omnes dum anxiarentur ad cadavera solùm requirenda, mirâ Dei potentiâ cuncta illa immersorum examina sospita obviavêre & læta. Dicat hîc quis quod vult: nos liberationem hanc Deo adscribimus, cui proprium est & singulare, Sanctos ubique suos magnificare, & fidentes in illis operâ

misericordiæ suæ in periculis eorum meritis sublevare.

CAPUT XLI.

Comes quidam cum equo Montem-Sanctorum scandere non potuit.

GISLEBERTUS ex quatuor Comitis ROBERTI filiis unus nuper cum aliis, qui MAHILDEM Comitissam stipaverant, apud nos hospitatum venerat, qui inter cœnandum Monachico ordini quasi minùs profuso, ut pote improvisis ipsis venientibus, cœpit detrahere, licet pro oportunitate temporis illis sufficientes administrarentur copiæ. Mane facto, montem oratum eques scandit, sed in ipso transgressu graduum, per quos ascenditur ad superius Monasterium, equus sub ipso labitur, qui calcaribus multoties cæsus minimè erigitur. Putaverunt quòd morbo, ut fit, sonipes urgeretur: tentatum est iterum & tertiò, quadrupes procul dubio immobilis jacet. Persuasum est illi ab amicis & comitibus, maximè à Bosone Advocato nostro, ut si quid fortè teste conscientiâ transgressionis egisset, votum voveret Deo, & Ecclesiæ ejus satisfaceret, & hoc quantociùs posset. Promisit, & descendens equum quidem sanum reperit, sed nisi deorsùm montis ei insidere nequivit.

CAPUT XLII.

Tria stillicidia apparent in tecto Ecclesiæ, quæ distillantes videbantur Ecclesiam incendere.

NEc tantùm in loco felicis ejusdem Patris requietionis fiunt à Deo ejus interventu hæc specialiter mira, sed in remotis ejus memoriæ dicatis locis persæpe ostensa sunt plura miraculo digna. Tudinium denique nobis adjacens castrum, locum habebat Ecclesiæ S. Ursmari memoriâ sacrum, in quo quodam tempore, eâ videlicet quæ erat cæna Domini nocte (sicut audivimus Bosonem Advocatum qui interfuerat referre) dum more solito in matutinali synaxi lucernæ exstinguerentur, & hymno Evangelii finito, terræ adstantes prosternerentur, tria stillicidia in modum illorum, quæ videmus porcinâ ex pinguedine ardentia stillare, à summo tecti in pavimento distillavère, adeo ut aliquibus Ecclesiam incendere, aliquibus illustrare viderentur. Quod cum omnes viderent, cuidam tamen TIETBERGÆ nobilissimæ matronæ orationi inibi procumbenti viciniùs & in ipso penè occipitio visum est distillare, & hoc cur factum sit, nobis est quidem incertum, nihil autem in terrâ sine causâ fieri, quia legimus, non est dubium: ternarius siquidem numerus unde sit sacer, Catholicis patet, & ignem Deum esse non fictè, sicut à Poëtis Vulcanus ignis dicitur, sed verè ut Apostolus sensit, tam ex ipsius verbis; ubi Deus noster ignis consumens est; quàm in eo quòd Spiritus sanctus verus in Trinitate perfectâ Deus, in igneis linguis super Apostolos descendit, orthodoxus quisque intelligit.

Hanc igitur ternam igneamque distillationem Trinitas sancta [exhibuit], verùm pro alicujus adstantis approbanda devotione quam eadem fortè tunc igniverat, ut ostenderet foris quod intus agebatur, aut pro commendando Sanctorum patrocinio (quod magis credibile est) quos ibi populus devotè frequentabat, nobis quidem latet; sed ei, qui omnia facienda prævidit & facta moderatur & regit, procul dubio patet.

CAPUT XLIII.

Quòd nunquam Monachi montem ascenderint pro aliquo damno reclamaturi, & remanerent inulti.

MAgnitudine seu enormitate suscepti Operis evicti & enervati plura prætermittimus. Unum hoc ultimum, & omnibus prædicatum, pluribusque sui comperto notissimum dicemus: quòd videlicet nullus qui Ecclesiæ illi unquam intulit damnum, gloriatus sit in annum: & si fortè pro quolibet, ut assolet, injustè illato damno Monachi ex majori Monasterio, quod quidem inferius est montem S. Ursmari scandunt reclamaturi, creditur, nec vana spes est, nunquam inultum iri. Experti sunt hoc plerique, & serò licet ingemuère. Nimirum locum quem rexit corpore vivens, tuetur meritis cum Christo regnans, & in ipso gaudens.

Huc usque Fulcuinus.



CONTINUATIO
SIVE
EXCERPTA QUÆDAM
EX ANTIQUIS MONUMENTIS,
Variisque Auctoribus Abbatiæ Lobiensis.

IMMUNITATEM Ecclesiæ nostræ suggerente domno Episcopo NOTHGERO, ab OTTONE Imperatore de nomine II. innovari primùm; postea eodem Episcopo agente, à JOANNE Papa auctoritate Apostolicâ confirmari obtinuit Abbas Fulcuinus. Ex quo enim Franco de Abbate Lobiensi in Episcopum Tungrensem vel Leodiensem promotus à Rege ARNULFO, Abbatiam Episcopatui suo acquisivit, sub Episcopis usque ad Euracrum succedentibus; res nostræ per Præpositos & Decanos quoscumque Episcopi ordinassent, regebantur. Per Nothgerum autem ejusdem Episcopi Euracri successorem nobis concessum, & à præfato Joanne Papa confirmatum est, ut sicut ab initio usque ad Franconem, ita deinceps Abbatem habere deberemus: sic tamen ut potestatem, quam in ipsâ Ecclesiâ usque ad Arnulfum Regem habuerant Leodienses Episcopi, Regali concessione sibi retinerent: videlicet Abbatem, quem Congregatio liberè sibi elegisset, ipsum præficerent: Advocatum quoque secundùm eligentium votum Ecclesiæ constituerent, de cætero pro collato sibi ex loco eodem honore ejusdem loci Abbatem in suâ iidem Lobienses Ecclesiâ Vicarium haberent, & Lobiensem Ecclesiam inter cæteras totius Episcopatûs Ecclesias, post matricem primæ sedis Ecclesiam primatum præ omnibus habere concederent. Servantur in arcis Ecclesiæ auctoritatis hujus privilegia. Et illud quidem, quod Papæ Joannis habet sigillum, quia papyro fuit conscriptum, præ vetustate penè oblitteratum; sed ipsum, sicut aliud quod ab Ottone II. fuit confirmatum, succedente tempore renovatum est. Instituit etiam idem Fulcuinus, & datâ in violatores maledictione pietatis intuitu decrevit, sicut hactenùs servatur, ut quotidie tres pauperes cibo & potu reficerentur, & ut annis singulis ab Eleemosynario aliquanti etiam pauperes vestirentur. Recensuit quantum librorum in armario, quantum ornatuum in Ecclesiâ ordinationis suæ

tempore invenerit; & quantùm addiderit, scripto etiam posteris reliquit.

990. Obiit Fulcuinus Abbas anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXC. sepultus in Ecclesia beati Ursmari ad aquilonarem ejusdem Ecclesiæ partem, secùs Ratherium Episcopum. Gesta etiam Abbatum hujus Cœnobii usque ad seipsum annotare, & plura legentibus utilia interserere curavit. Miracula quoque beati Ursmari, quæ suis maximè floruêre temporibus, descripsit: ubi & studia liberalium artium, & Religionis cultum iisdem temporibus plurimùm viguisse, legentibus manifestum est.

XX. Abbas Herigerus. Post hunc Herigerus substitutus est, cujus virtutum dotes describere superfluum puto, cum apud exteros etiam &, vitâ & scientiâ clarus exstiterit: in tantum enim prædicto venerabili Episcopo Nothgero carus & familiaris fuit, ut non solùm in domesticis vel Ecclesiasticis rebus, sed in palatinis quoque negotiis, quorum tunc temporis præcipuus erat exequutor, idem Episcopus inter primos eum semper habuerit: nec in Lotharingiâ solùm, sed & in Italiâ, ubi Ottoni II. adhuc puero Regnum præparabat, ejus obsequiis & consiliis usus fuerit.

Postquàm verò Abbas ordinatus est, construxit hoc Oratorium ad occidentalem Ecclesiæ plagam in honorem sancti Benedicti, quod ab eodem Nothgero Episcopo dedicari fecit, & unde obsonium competens Fratribus in die translationis ejusdem beati Benedicti omni in posterum tempore ministraretur, ejusdem Episcopi auctoritate assignavit. Ornatum verò Ecclesiasticum cum adhuc Monachus Episcopali curiæ deserviret, & cum factus esset Abbas, quantum adauxerit, ipse etiam annotare litteris curavit.

Quæ scripta ediderit. Scripsit gesta Pontificum Leodiensium: scripsit metrico stilo vitam S. Ursmari: scripsit etiam ad Hugonem epistolam de quibusdam quæstionibus; & alia multa composuit, sed in lucem non emisit. Scripsit sub suâ & Adelboldi personâ Leodiensis Clerici, postea verò Ultrajectensis Episcopi, Dialogum de dissonantiâ Ecclesiæ de Adventu Domini. Congessit etiam contrà Ratbertum multa Catholicorum Patrum scripta de Corpore & Sanguine Domini.

1007. Obiit in senectute bona anno Dominicæ Incarn. MVII. pridie Kalend. Novembris, sepultusque est ante altare S. Thomæ Apostoli in Ecclesiâ S. Ursmari; quod quidem altare pro eo quod in die ejusdem Sancti ordinatus esset Abbas, eidem Apostolo ipse construxerat. In honore etiam ejus duas Antiphonas, scilicet, *O Thoma Didyme*; & *O Thoma Apostole*, composuisse dicitur; & hymnum de sanctâ Maria virgine, *Ave per quam*, *&c.* & quædam alia. Fuêre qui dixerint frigoreticos ad ejus tumulum sanatos fuisse: nos sicut de vitæ illius sanctitate non discredimus, ita & de sanctitatis remuneratione coram Sancto Sanctorum illum gaudere non ambigimus.

XXI. Abbas Ingobrandus. Ordinatur post hunc Ingobrandus; quo tempore Olbertus nostræ Congregationis Monachus Burchardo Leodiensi Canonico, postea Wormatiensi Episcopo, à Baldrico Lodiensi Episcopo magisterii gratia conceditur; quem Burchardum cum idem Olbertus in utrâque scientiâ adeò promovisset, ut ipsius magisterio utilitati Ecclesiasticæ postea factus Episcopus plurimùm inservierit, digno cum honore ad nos reversus est. Ordinatus interim Vangionum Episcopus idem Burchardus, magistri sui non oblitus est; sed petiit à domino Leodiensi Episcopo, & obtinuit, ut si quando locus suppeteret, virum tantâ prædictum gratiâ ad aliquam provehere dignitatem curaret: quod & factum est: & cum interim idem Gemblacensium Abbas quartus ordinatus esset, apposuit idem Episcopus, ut pro virtutum gratiâ quam in illo abundare probaverat, eumdem insuper Monasterio S. Jacobi, quod ipse in insulâ Civitatis suæ construxerat, primum Abbatem constitueret. Cumque in spiritualibus & in sæcularibus utrumque locum strenuè administraret, in Monasterio S. Jacobi in sanctitate & justitiâ defunctus est, ibique ante altaris gradus sepultus.

Nec omisit idem dum adhuc viveret nomen suum perpetuum reddere ac propagare, vitas Sanctorum describendo, cantus in honorem Sanctorum componendo, & maximè fervorem Religionis in commissis sibi Monasteriis exercendo.

Tertiodecimo ordinationis suæ anno Ingobrandus de Abbatiâ à Wolbodone sanctæ memoriæ viro Leodiensi Episcopo ejicitur, in cujus locum Richardus venerabilis Virdunensis Abbas Lobiensem etiam Abbatiam regere constituitur: quod & fecisse laudabiliter in omnibus sanctæ Religionis exercitiis comprobatur. Tantæ siquidem auctoritatis fuisse dignoscitur, ut totius penè Lotharingiæ Monasteria ejus instituta pro lege servaverint, & servanda posteris per succedentia tempora tradiderint. Quo etiam tempore Poppo Stabulensis, Stephanu Leodiensis eodem Religionis fervore Ecclesiam illustrare cognoscuntur. XXII. Abbas Richardus Virdunensis.

Anno igitur regiminis sui XII. in manum Reginaldi Episcopi Abbatiam Richardus reponit. Decimo autem ejectionis suæ anno apud Stabulaus Ingobrandus obiit, sepultusque est ad australem ejusdem principalis Ecclesiæ partem.

Itaque cum Ingobrandus vitâ functus esset, & Lobiensem Abbatem resignasset Richardus, suffragiis Monachorum in Antistitem eligitur Hugo, & in die Pentecostes Spiritu sancto cooperante ut & honore erat dignissimus, benedictionis munus consequitur, atque Lobiensibus præficitur: nam (ne longiùs deinceps à verbis nostri Scriptoris brevitatis gratiâ discedam, & quia paulo certior, quàm superiùs ejus videtur sermo) ipse quoque & religionis & scientiæ tramite venerabilis prædecessoris sui Herigeri vestigia consectans, locum nostrum non mediocriter illustravit. Iste est ad quem prædictus Herigerus familiariter de quibusdam quæstionibus scripsit, & quem in sacræ Scripturæ indagine pro studiorum similitudine socium habuit. Anno ordinationis ejus nono, qui erat ab Incarnatione Domini MXXXVI. tertiò dedicatur Ecclesia Lobiensis Idibus Februarii ab ipso Reginardo Leodiensi, & Gerardo Cameracensi Episcopis: quo die specialium patronorum nostrorum (inquit auctor) Ursmari & Ermini capita, in principali altari, quidam retrò summum altare recondita fuisse asserunt. Sub eodem Hugone villam Peschant seu Peissant cum servis & ancillis ad eamdem pertinentibus, ab Ecclesiâ Cameracensi factâ permutatione pro villâ nostrâ Marege accepimus. XXIII. Abb. Hugo II. Ex antiquiori Scriptore Auctor hanc seriem Abbatum continuavit. 1036.

Floruisse etiam apud nos studia literarum in recensitâ librorum summâ, quæ per idem tempus descripta est, concipi potest, sed & usibus Ecclesiasticis ejus industriâ accreverunt. Opus verò templi reædificati, quod ex parte ut restauraretur dejectum est, & partim à fundamentis erectum fuerat, licet dedicationis diem suprà annotaverimus, usque ad ætatem Adelardi Abbatis imperfectum remansit. Præfuit autem prædictus Hugo annis viginti uno; obiit anno Incarnationis Dominicæ MLIII. sepultus secùs Fulcuinum atque Ratherium. De ratione gubernandi hujus Hugonis paucis notat singularia noster Scriptor gallicus ad hunc modum: Hugo Monachus & Abbas anno ab Incarnatione Domini MXXVII. magnam studio illibatam conservavit disciplinam 1053

plinam regularem; Ecclesiæ structuram à FRANCONE anno DCCCXXXVII. incœptam, plurimum promovit; ac Monasterii reditus quoque auxit non parum.

XXIV. Abb. Adelardus. Hugoni succedit ADELARDUS temporibus turbulentissimis: quamobrem cum à perfectione operis templi impediretur, eo quod partim bello, partim majorum negligentiâ Ecclesiæ possessio diminuta esset, propositum bonæ voluntatis donec major facultas daretur differre coactus est: nam turbatâ, imò perditâ prorsus pace inter HENRICUM Imperatorem & BALDUINUM seniorem Comitem, qui invaso Haynault rebellabat; Lobia in eâ parte mali posita, cultoribus & habitatoribus destituta, ad extremam penè desolationem redacta est.

Abbas igitur Adelardus consilio Episcoporum ac Principum delato beati Ursmari corpore, possessiones Ecclesiæ, quæ ubique nobis, & maximè in Flandriâ disperierant, omni studio intendit recuperare.

Huc quoque referendum putavi, quod in monumentis scriptis lego, mortuo domino Grimbergue, uni ex filiis ejus cessisse dimidiam partem Mechliniæ cum aliis reditibus, quam portionem ipse dono dedit Monasterio Lobiensi, quod quidem ad certos annos ejus donationis recepit fructum. Verùm quia successu temporis per dominos à Grimbergue gravia passi fuissent Lobienses Monachi cum Abbate, suam partem transtulerunt in jus Episcopi Leodiensis pro commutatione aliorum bonorum quæ ab Episcopo illo receperunt, ne in posterum infestarentur à DD. Grimbergensibus, qui aliam partem Mechliniæ possidebant. Exstat autem apud nos libellus peregrinationis antedictæ, in quâ quamdiù sanctum corpus in Flandriâ portatur, & inde reportatur, tamdiù singulis diebus suæ insignia sanctitatis, atque miracula exhibebat sanctus Ursmarus per externas nationes.

Venerabilis igitur Abbas opus intermissum tandem repetiit, nec instar prioris recens ædificium consummasse contentus, ab Occidentali parte novum in honorem sancti Joannis Baptistæ Oratorium adjunxit, uti nunc etiam apparet, cujus constructionis causa à senioribus nostris talis reddita est, eo quod scilicet idem Abbas ab eâ templi parte frequenter in somniis ab Angelis decantari audierit Responsorium: *Inter natos mulierum*: vel quia dum aliquando ægrotaret, eumdem Joannem Baptistam sibi apparuisse vidisset; quòd etiam conqueri audierit eumdem Sanctum in ipsâ Ecclesiâ multorum Sanctorum non deesse memoriam, ipse verò nullum in eâ specialem titulum haberet. Eleganti itaque formâ fabricæ templi mensura adaucta est, in inferiore sui parte habens oratorium sancti Benedicti, in superiori sancti Joannis Baptistæ.

Fecit etiam ad templi plagam aquilonarem porticum Claustralem, habentem videlicet in circuitu obambulatorium in medio amplitudinem congruentem: puteum etiam aquis indeficientibus.

Ad pondus autem quotidiani panis quadrantem apposuit; Ecclesiam de Griaco, seu Gumaniaco, quam prædecessores ejus abstulerant; Ecclesiam quoque de Hain, præter altare, Ecclesiam quoque de Hestru præter altare, dimidiam Ecclesiam de Gothunes, seu Gothgines, Fratrum stipendiis restituit: multa quoque quæ antecessores ejus privati juris loco habuerant, ipse in diversis Monasterii operibus expendit. In diebus ejus adhuc crescentibus miraculis quæ per beatos Patronos nostros longè lateque demonstrabantur, castrum etiam quod dicitur Gruniacum, à quo magna capiebamus detrimenta, virtus sancti Ursmari in solitudinem habuit: nam ad tantam desolationem redactum est, ut ejusdem Castellanus nocturna visione per beatum Ursmarum horribili terrore perculsus aufugerit; & cum nullus deinceps in castro morari auderet, tandem à Leodiensi Episcopo dejectum est.

Obiit autem ADELARDUS Abbas in senectute bonâ anno Dominicæ Incarnationis MLXXVI. juxtà alium MLXXVII. sepultus est ante gradus presbyterii veteris Ecclesiæ sancti Ursmari: nam succedente tempore à presbyterio, & ultrà ad Orientem plagam ejusdem Ecclesiæ longitudo producta est. 1076.

Substituitur dein ARNULFUS, qui cum pro suo arbitrio omnia agere cœpisset, OIBALDUM Cameracensem Archidiaconum Præpositum Monasterii, & quasi totius Abbatiæ Coabbatem sibi adscivit, eo quod ejusdem Archidiaconi industriâ, Abbatis nomen adeptus est. Qui Oibaldus pro temporis ratione commisso sibi Monasterio abutens, prout voluit, non prout debuit, bona Ecclesiæ non ad Monasterii utilitatem dispensare cœpit, multaque filiabus suis, quibus abundabat, dotis nomine delegavit; plurima Cænobii bona (quibus ad voluptatem suam & aliorum abutebatur) ut quos sibi gratos redderet, detinuit. Tali dispensatione imò dissipatione, quamdiù vixit Arnulfus idem Oibaldus Monachis non ministrare, sed ministrari à Monachis visus est: nam ut de Claustralibus taceam, quibus quantum voluit, & quando voluit, ad quotidianum stipendium de necessariis concessit, si quis de Obedientiariis in aliquo contradicere ei præsumsisset, non impunitum reliquisset. XXV. Abbas Arnulfus.

Unde post multa tyrannidis hujus incommoda, Fratres tam de Abbate quàm de Præposito coram Capitulo Leodiensi, priùs apud Henricum Episcopum, & postea apud Otbertum, descriptam calamitatis suæ historiam recitare coacti, querelam deponunt, in quâ tam de Lobiensi quàm de Anthoniensi Ecclesiâ, quanta nobis incommoda, quanta sibi & suis commoda idem Archidiaconus accumulaverit, non ignotum posteris relinquunt. In Ecclesiâ tamen beati Ursmari meliorandâ, juxtà quam etiam domum, cujus adhuc ruina patet, habebat prædictus Oibaldus, se admodum propensum atque devotum exhibuit; ita ut ejusdem Ecclesiæ mensuram ad partem orientalem non parvâ quantitate porrexerit, & turrim in eâ ad partem occidentalem erexerit, in cujus etiam structurâ lapidibus comportandis ursâ domesticâ pro jumento usus est. Claustrum quoque & Basilicam sancti Nicolai construxit. Nec prætereundum, quòd in illo presbyterii novo ædificio, dum pro competentiâ operis pavimentum vetus aperitur, inter cætera, ut conjicere possumus, Justorum corpora, quæ sicut inventa sunt reliquit, sanctæ memoriæ AUSONIS Abbatis corpus reperit, & sicut à paucis quibus hoc secretum condidit, hi postea divulgarunt, quòd ingredientibus cryptam ab australi parte à latere sinistro, juxtà muri structuram in imo ea recondiderit: videre adhuc est ex eodem loco foramen, in quo postea ad tentandum si fortè extrahi inde posset brachium quidam immisit, sed nisi tota subrueretur materia quæ inde consurgit, nequaquam hoc fieri posse probavit.

Idem etiam Oibaldus de altaribus vel aliis bonis nostris, quæ à se nobis ablata tenebat, numero Canonicorum, qui tum duodenarius erat, apposuit tres Canonicos: ad hanc tamen appositionem, seu pensionem etiam de thesauro ejusdem Ecclesiæ argenteam altaris tabulam, & argentea scriniorum opercula, in quibus sancti Ermini & sanctæ Amalbergæ corpora requiescunt, à frontibus eorum quia à lateribus operta non erant, accepit. A numero autem duodenario, in quo eosdem Canonicos tempore Folcui-

ni Abbatis Otto Imperator instituit, quomodo ad quindenarium eos provexerit, incertum est.

Hactenus exemplar Lobiense.

SUBSEQUUNTUR ITERUM QUATUOR Quaterniones de Gestis variis Abbatum Lobiensium.

ABbas autem ARNULFUS secundo ordinationis suæ anno, Oratorii beati Andreæ Apostoli dedicationem à GERALDO Cameracensi Episcopo innovari; à quo altare de sanctis absque personatu; altare verò de Arcellâ à RADBOLDO Tornacensi & Noviomensi Episcopo sub personatu acquisivit. In diebus ejus Goderdus hujus Cœnobii Monachus codicem proprium & manu propriâ & labore perfectum, beato Petro obtulit, Pentateuchi & Regum, & Prophetarum plenam historiam continentem.

Ut autem de eodem Abbate succinctâ brevitate quæ suo gessit tempore comprehendantur, sic accipe. Ex quo Abbas FRANCO permisit, imò traxit bona Monasterii Lobiensis ad jus Episcoporum Leodiensium, non solùm suis obsoniis ac stipendiis Religiosos frustrarunt posteri Abbates & Episcopi, sed etiam hic Arnulfus per ambitionem factus Abbas sæcularium obsequiis oblectatus, Cœnobii bona eis quasi in beneficium militare concessit, quibus voluit, non quibus oportuit. Obiit anno Dominicæ
1094. Incarnationis MXCIV. quo anno magna hominum fuit mortalitas, & draco igneus per aërem volare visus Calendis Augusti. Sepultus est secùs prædecessorem suum bonæ memoriæ Abbatem Adelinum, imò Adelardum, ut habet aliud exemplar Lobiense.

XXVI. Abb. Fulcardus. Quamvis noster Auctor Lobiensis paucis tam Arnulfi Abbatis, quàm Oibaldi ejusdem Administratoris, (ne dicam dissipatoris) œconomiam perstrinxerit, in hoc tamen tractatu longè fusiùs singula narrat, dum laudes FULCARDI Abbatis prosequitur; qui fuit vir singularis modestiæ, & magnæ pietatis eâ tempestate, quâ Principes Christiani expeditionem Jerosolymitanam susceperunt. Quo tempore Ecclesia sancti Ursmari, inquit noster Auctor, per prædictum Oibaldum ædificationis novæ incrementis aucta, à Domno OTBERTO Leodiensi Episcopo decimo tertio Kalendas Februarii dedicatur: in quâ etiam dedicatione is Episcopus in cryptâ ejusdem Ecclesiæ in honore beati Lamberti Martyris altare consecravit, & pro ejusdem Patroni veneratione Canonicis viginti solidos annui reditûs ad stipendia solita addidit: qui etiam Episcopus locum nostrum ab antecessore suo HENRICO nimis neglectum, quam maximè excoluit.

Exstat apud nos, ut suprà attigimus, miserabilis Conventûs querela pro damnis, quæ nobis sub Arnulfo per Oibaldum acciderant, ad eumdem Episcopum descripta, à nobis quoque pro rerum notitiâ eo quo facta est tenore subjuncta.

Epistola Lobiensium Monachorum ad OTBERTUM Episcopum Leodiensem.

» DOmino nostro OTBERTO Dei gratiâ Leodiensi Episcopo, & illius sedis fidelibus, cuncta Congregatio Lobiensis. Concipimus pressuram tempore longo, & parturimus angustiam tempore angusto. Dominus Abbas Arnulfus superabundans fertilitate temporum nihil providit in posterum, nihil nobis reservans thesauros suos condidit marsupio pertuso, fundos, Ecclesias, mensam nostram, decimas hospitalitatis & Eleemosynæ dispertiens ampliavit divitum abundantiam, & adauxit divitum seu pauperum inopiam. Ex Hospitalitate abstulit, Ecclesiam de Gysceyr (aliàs Gysur) prærordinatam in usus pauperum & hospitum, tot quot duodenis pauperibus unicuique denarium cum refectione congruenti, de quâ Oibaldus Decanus filium suum ditavit: dedit eidem idem Abbas quatuor mansos hospitalitatis proprios, & conventione quæ supradicta est Ecclesiam, videlicet ad adjutorium Abbatiæ sibi impensæ: dedit & mansum sive domum in ducatu Lobiæ, juxtà quæ omnia invasit eodem Abbate consentiente, decimas de Maregio, Hyon, Hayna (seu Hayna-cruce, sive sanctæ Crucis) Carneriis cum consortiis earumdem villarum, & reliquiarum sui ministerii, tribus mensibus deputatis usibus Pertusirmi. Auferuntur & ab aliis decimæ de Illue (sive Illies) Chestrez, Verrieres, Sannizées, seu Bamozées, Bosonis vallis, Heistru, Heisteum, Lavimiés, Harven, Barbenon seu Barbeton, Ferieres seu Fernes, Flena & Ham; hæc sunt hospitalitatis & eleemosynæ.

Auxit idem ipse Abbas fiscatis suis solidos, fiscis fiscos superaddens & solidos. Ubicumque dilatavit suam gloriam, nostra crevit penuria: excrevit in tantum adversùs nos adversitas soldariorum, ut villas mensæ nostræ congruentes sibi vendicare velint; ministros suos insacramentare decernunt, sibique jurare cogunt atque obnoxios esse; omnesque terræ reditus propter solidos ibi denominatos ab ipso Abbate, & non antea, minantur sibi dandos: factores hujus rei sunt soldarii Oibaldus Decanus, Joannes de Montiniaco, Fulco de Fontanis, quibus non solùm geminavit fiscos paternos, sed quadruplicavit; insuper & solidos auxit: hæc omnia pro minimo sunt eis, nec repetunt à Domno Abbate domum seu donum & gratiam, nisi eis superauxerit. Alii soldarii sunt plures favente Oibaldo locati, nec servitio Ecclesiæ præmeditati, nisi tantùm solidorum gratiâ seu gratiam repetendi. Insuper his omnibus Lobiis ubicumque & in toto Sambrino in pascua pecorum quartum denarium dedit illi, qui pro quarto sæpiùs marcam accepit, cum tres veniant in parte Abbatis.

Nobis ipsis compatimur, quia ab eo magis opprimimur, quàm ab aliquo prædone depopulemur: quoties nimirum ab aliquo nostrûm petit, & non accipit, statim Synodo sanctificata altaria nostra invadit: sic nactus insuper occasionem adversùs quemdam Fratrem nostrum, à quo petiit tres carratas fœni, & non accepit, eo quod malè petierit, Altare unum invasit, & invasum concionatur facultatem retinendi.

Pro his & similibus exponit fragilitatem & infirmitatem nostram omnibus, ne aliquando clamor & veritas audiatur. Longum est describere singula, quæ de mensâ nostrâ in ejus sunt translata, nullo patrimonio contigua, ut est Ecclesia de Tullies, de Gotinies, cum tribus mansis superadditis, exceptis omnibus subscriptis, & his & nobis contradicentibus datis. De nobilitate verò Anthonii quâ vigebat magnificentiâ matris Domini, nulla est colloquutio nobis: est enim condolere Abbatiæ potiùs, quoniam ipsius sedes erat nobilis, nunc autem spolia ejus dividit cuidam ex filiabus Oibaldi.

Sed & hoc non est silendum, apud nos autem tacitum, quia non vidimus proficuum, quia matrem & sponsam ejusdem filii Lobiæ exhereditavit, & aliam filiam nuptui adoptatam dotavit prædiis unius præbendarii, quæ delegerat deservire sibi,

» & semper sufficerat uni. Addidit & illi octo mansos in vico Bichero nobis in festo S. Nicolai jocondos, omnibusque retractatis quamdam parvulam partem vitæ fratrum suorum invenit in eleemosynis Litaniæ majoris super quam illis impossibilia promittens, annuentibus cunctis benedictionem, minorata eorum substantia suam satiavit esuriem. Aufert & eleemosynam nobis subdolè appretiatam quadraginta solidis quotannis, datam pro requie Hellini advocati junioris, quam dedit, ignorantibus nobis, Sigero fratri Frastradi. Vendidit & indominicationes Ecclesiæ (cujus custodiæ domum videtur augere) quidquid pater ejus tenuit terræ censalis. Ex eleemosynis nostris fundos fecit suos. Quibus laus & vita ejus commentationes mendaciorum sunt, sibi non faventibus adversæ, & rapinæ pauperum in holocaustum Domini positæ, cum sit proprium Domini, rapinam in holocaustum odio habere.

» Nunc siquid est misericordiæ & consilii in sede Leodiensi, præmeditamini super his, ne inculpemur consensu, quia clamavimus. En alterâ vice tempore Henrici Episcopi & confusi sumus, seducti enim concupiscentiâ obturaverunt ora nostra, quod & nunc timet inopia nostra. Valete.

Unde præfatus Episcopus Otbertus Abbatem Fulcardum pro Advocatorum querelis cum ipso etiam B. Ursmari sacro-sancto corpore, usque ad præsentiam Imperatoriæ Majestatis venire coactum benignè excepit, & ut nobis privilegia Regiæ immunitatis ab Ottone concessa per Imperatorem quoque Henricum renovarentur, obtinuit: cujus renovationis tenorem, sicut & ejusdem Abbatis vel Ecclesiæ clamorem, hîc quoque interserere, & posterorum memoriæ tradere nobis visum est.

Epistola Fulcardi *Abbatis* Henrico *Imperatori.*

» Henrico gratiâ Dei excellentissimo Romanorum Imperatori Augusto, Fulcardus Abbas nomine non merito, & pusillus grex Cœnobii Lobiensis, augmentum cœlitùs victoriæ & pacis, ad salutem utriusque hominis. Salomon Rex quondam pacificus primordia regni sui justitiæ judicio sub contentione mulierum dedicans, super eo sententiam posteris memoriæ dignam commendat, dicens: *Facere misericordiam & judicium magis placet Domino quàm victima.* Hujus præscripti fiduciâ & spe, misericordiâ & judicio potiundi, Ego Fulcardus cum delato corpore Patroni nostri, videlicet S. Ursmari Pontificis, & familiâ præsenti, usque ad thronum Regium cum temerario ausu prorumpens (etenim subselliis imperialibus nusquam locum obtinet justitia, omnes quippe retributionem sequuntur ac munera) super multimodâ afflictione & egestate nostrâ, & miserabili direptione prædiorum, & possessionum & facultatum, ac pristinæ libertatis dominæ nostræ sanctæ Lobiensis Ecclesiæ, oramus patienter nos audias pro tuâ clementiâ, & exaudias in tuâ justitiâ.

» Ecclesia nostra in angulo Regni tui penultimo fundata, sub titulo Apostolorum B. Petri & Pauli dedicata, jam quingentis annis optimâ libertate potita est, priorum Regum & Regno & authoritate firmiter concessâ, nec non amplissimâ prædiorum ac possessionum munificentiâ: pro quibus omnibus penè sibi substractis clamat ad te, ut pote vidua, quoniam non aliàs, si non coram te, ô Cæsar, obviant sibi veritas & misericordia, neque ullatenùs justitia & pax ruunt in oscula. Tales igitur in Abbatia Lobiensi fuerunt leges Majorum, quæ integræ perduraverunt usque ad Theoduinum Episcopum. Castellanus Tudiniensis quod nobis adjacet Castri, totam præfecturam Abbatiæ debet tenere in manu suâ, nec aliquos debet sustinere Defensores, vel Advocatos, nisi qui hereditarii sunt hereditate antecessoriâ: modo habentur in villis sancti Petri multi Advocati; imò raptores, in aliquibus quinque, in aliquibus quatuor, in aliquibus tres, in aliquibus etiam septem; qui præter tres principales generales placitos quandocumque volunt, ibi sigillatim placitant: precaturas imò rapinas, quas nullas omninò habere debent de avenâ, de avenâ, de multacibus, de denariis, de omnibus penè mobilibus contrà voluntatem pauperum, non precando, sed tollendo faciunt sæpiùs, ubi sigillatim nocturno diverticulo jacendo pauperes mansionarios omnimodis affligunt. in placitis præter binciniam & testeiam non debet habere Advocatus nisi tres denarios, & alicubi duos: modo si aliquis non placito Scabinorum banno fuerit devictus sine potestate Advocati, Advocatus vult habere tertium denarium; quod nullo modo debet fieri, nisi omninò renitens devictus fuerit censura Advocati. In loris, in sanguinis fusurâ, in manumissuris, in licentiâ maritandi, in mortuâ manu, nihil debet habere Advocatus, nisi minister Abbati declamaverit apud eum, & ipse Advocatus ei redemerit: modo aliquando tertiam partem, & aliquando totas tres partes diripiendo sibi vendicant.

Legitimus Advocatus totam familiam altaris sancti Petri debet tenere in manu suâ; nunc his & illis per partes in beneficium distracta deprædatur, & annihilatur, non unius sed multorum violentiâ. Ubicumque in vadiis Advocatus tertium denarium debet habere, communiter Minister Abbatis, & Minister Advocati vadium debent appretiare: modo Advocati hinc se separant, & secundùm arbitrium suum leges suas ex integro accipiunt. Præter hæc verò quæ diximus, ita nobis quidam horum sunt infesti, ut nisi quotannis quidpiam muneris ad libitum suum à nobis acciperent, etiam ipsas suæ defensionis villas quâlibet occasione invadant, omnemque annonam cum reditibus exinde nobis provenientibus aut pro se accipiant, aut tamdiù violenter detineant, donec majora quàm priùs petierint ab invitis exigant. Crebrescentibus his apud nos malis jam triginta annis, in hoc biennium pervenit gladius usque ad animam, & dum ab æstu tribulationis quærimus nondum inventam requiei umbram, incurrimus succisionis falcem & lanceam, quam intulisse nobis plangimus Montensis Comitissæ militiam, quæ in succensionem ignis & deprædationem, & captivitatem & mortem redegit totam juris nostri viciniam. In his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extensa; quamquam prohibeat gladium à sanguine, excessit terris justitia.

Sub his diebus Elbertus nobilis adolescens, bellico ictu vitâ decedens, in agonia positus sanctum Petrum sanctumque Ursmarum devovit sibi heredem, quibus omnia juris sui possessiva reliquit ad sui requiem. Post triennium obitûs ejus perlato corpore hujus beati patroni nostri Ursmari, omnia legitimè pervadimus, seu in nostram possessionem convertimus, legitimo jure; sed præcipuum illud allodium Algup nominatum, non est veritus Sancto nobisque contradicere consobrinus illius licet injustè Henricus Marbasiæ, pro quo

» veſtræ dignitatis excellentiam ſeu clementiam imploramus, quatenus ejus excellentiam, quæ adhuc nobis reſiſtit, ex hoc coërceri impetremus. De cætero, ne noſtra execremini multiloquia, fiat querimoniæ noſtræ clauſula. *Fiat pax in virtute tuâ*, & ſic erat in turribus noſtris abundantia, quibus ſingulis annis deficiunt etiam victualia.

HENRICI *Imperatoris Epiſtola.*

» IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis HENRICUS, divinâ favente clementiâ tertius Romanorum Imperator Auguſtus. Notum eſſe volumus omnibus Dei & noſtris fidelibus, tam futuris, quàm præſentibus, nos Monarchiam Imperii noſtri paternâ ſucceſſione à Deo nobis collati hujuſcemodi auſpiciis proficere voluiſſe, ut Chriſti gloria ſub principatu noſtro floreſcens honorem debitum obtineat, & vigor religionis corroboretur pace Eccleſiarum. Hujus noſtræ voluntatis fautor, ſimul & adjutor, vir venerandus & illuſtris OTBERTUS ſanctæ Leodienſis Eccleſiæ Præſul, ſuggeſſit Serenitati noſtræ pro quâdam Abbatiâ Laubias dictâ, ſuæ Eccleſiæ à noſtris Anteceſſoribus jamdiù collatâ, in honore Apoſtolorum Petri & Pauli conſtructâ, ubi pretioſiſſima Chriſti Confeſſorum Urſmari & Ermini requieſcunt corpora, cui etiam ipſe Epiſcopus præſenti tempore Fulcardum Abbatem conceſſit præeſſe: petiitque ut ejuſdem Abbatiæ privilegia ab OTTONE ſecundo Imperatore conceſſa, noſtrâ authoritate ſub priſcâ immunitate corroborare juberemus.

Cujus petitioni annuentes pro æternâ animæ noſtræ, ſeu progenitorum noſtrorum remuneratione, CONRADI videlicet Imperatoris avi noſtri, GISILÆ Imperatricis aviæ noſtræ, HENRICI Imperatoris patris noſtri, AGNETIS Imperatricis matris noſtræ, BERTHÆ Imperatricis conjugis noſtræ; tum pro ſtabilitate Regni & Imperii noſtri, ac HENRICI Regis dilectiſſimi filii noſtri; interventione etiam fidelium Curiæ noſtræ, ſcilicet Archiepiſcopi Colonienſis FREDERICI, BRUCARDI Monaſterienſis, CONONIS Wormatienſis, ADALBERONIS Metenſis, GUALTERI Cameracenſis Epiſcoporum; Ducis FREDERICI Marchionis, BRUCARDI & HERMANNI Comitum Sciphreæ Palatini, ALBERTI Namurcenſis & filii ejus GODEFRIDI Lovanienſis, ARNULFI Loſſenſis, & HERARDI Gaſimbergenſis, conceſſimus eidem Abbatiæ per hoc Præceptum auctoritatis Imperatoriæ, ut ſicut cum Chriſto propitio reliqua Cœnobia ſub noſtrâ conſtituta tuitione, ipſa quoque gaudeat noſtrâ defenſione ſub perpetuâ immunitate, conſcripto noſtro privilegio ad exemplum privilegii Ottonis divæ memoriæ. Ambitum quoque Monaſterii quem procinctum vocant, ſicut ab eodem Imperatore Ottone determinatus eſt, nos quoque concedimus ut ſint undique termini, rivulus videlicet Lothoſa dictus, & confinis villa, quæ dicitur Anderlebia, & Mons-Martini, fluvius quoque Ur, & ultrà terminos villæ Alſoniæ, inde ad locum qui dicitur Wiſcelevata, & finiatur in villâ Thantas dicta; infraque locum noſtræ immunitatis tuitione ponimus, & prædicto Monaſterio concedimus. Sed & in cunctis villis ejuſdem Abbatiæ regiâ munificentiâ conceſſis, & victui Fratrum ibi commanentium deſervientibus.

Facultatem habeant ſuper hæc omnia Advocatum ſibi eligendi, qui cum eis ſine inquietudine ullius Comitis, aut Centenarii, vel Vicedomini, loca ſuprà memorata tueatur atque gubernet ubi invitatur; quatenùs cum tranquillitate eos delectet ſervire Domino, ac pro vitâ, & ſtabilitate noſtrâ filiique noſtri dilectiſſimi Henrici Regis infatigabiliter exorare.

Munificentiâ quoque Imperiali confirmamus eiſdem Fratribus decimas omnes indominicatas totius Abbatiæ, tam de Eccleſiis beneficiatis, quàm eorum victui deputatis. Monaſterium in montis ejuſdem Cœnobii vertice poſitum (ubi requieſcunt prædictorum corpora ſanctorum) ubi eſt & cœmeterium fidelium, duodecim Canonicis ſemper deputetur; & res quæ eorum victui collatæ ſunt, in locis videlicet Reſacio, & Waldraco dictis, cum Eccleſiis in Tudinio & Lederna poſitis, ut eas perpetualiter & inconcuſsè teneant, & Abbatis ſeu Monachorum ordinationi ſubjaceant. Ipſe autem Abbas ut ſecundùm conſtitutionem Leodienſis Epiſcopi regulariter ordinetur, inviolabiliter ſtabilimus. Et ut hæc noſtra Imperialis Conceſſio per ſuccedentia tempora maneat inconvulſa, manu noſtrâ eam firmavimus, atque ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. «

Inſuper reddidit nobis idem Epiſcopus Otbertus, & in eadem Caſtri Lemburgi obſidione in teſtimonio Imperatoris & Principum ſcripto firmavit, ut ſicut antiquitùs, ita deinceps diuturna & nocturna commeantium diverticula, & ſarcinorum depoſitio Lobiis haberentur; quod denuò negligentiâ ſucceſſorum in locum alium & poteſtatem alienam revolutum eſt. Multa igitur ex his quæ negligentiâ Arnulfi, & Oilbaldi inſolentiâ abalienata erant, ejus Epiſcopi ſollicitudine Eccleſiæ reſtituta ſunt; neque externis ſolùm, ſed internis quoque curam adhibuit, adeo ut in diebus ſuis ſi quis extraordinariè vel in obſervatione Regulæ, vel in aliquâ à propoſitis perpetratâ debitorum ſive aliarum incommoditatum præſumptione apud nos contigiſſet, ipſe vel per ſe per Religioſas diœceſis ſuæ perſonas dignè corrigere curavit.

Quòd autem non ſicut antiquitùs uſque ad id temporis Epiſcopi Leodienſes Eccleſiam noſtram præſentialiter deinceps frequentarunt, non dominationem loci amiſerunt, nec debitam pro dominatione ſpecialem de nobis ſollicitudinem omiſerunt, ſed conſideratione gravaminis, ſine quâ locum noſtrum frequentare non poterant, villam Fontanis ſuprà Sambram poſitam quaſi pro obſoniis à nobis acceperunt: de quâ etiam villâ, ſicut de cæteris indominicatis Epiſcopalibus, his dumtaxat qui olim Eccleſiæ noſtræ ex integro fuerunt, culturarum decimam accipimus. Neque ſolùm de indominicatis Epiſcopi, ſed etiam de his, quæ homines Epiſcopi qui de Caſtro Tudinienſi caſati ſunt, vel in beneficium aliis conceſſerant, vel propria retinuerunt, ex quo Abbatiæ diviſio per Arnulfum Imperatorem & Epiſcopum Franconem facta eſt, decimam indominicatorum retinemus.

Sub his diebus de noſtro Cœnobio THEODORICUS vir magnæ poſtmodum auctoritatis futurus, apud beati Huberti Monaſterium in Abbatem electus eſt. De quo ſiquidem hodie ejuſdem Monaſterii Fratres teſtantur, quòd nullus anteceſſorum ejus in innovandis ſive decorandis & multiplicandis monaſticis rebus tantæ utilitatis ſigna reliquerit: & quod ad majoris laudis pertinet cumulum, tantæ ſanctitatis in carne degens fuiſſe probatur, ut in magnâ ſpe futuræ gloriæ defuncti corpus etiam magnæ venerationi ſuis habeatur, ſicut libellus vitæ ejus demonſtrat. Sic & nobis, dum erga matricem Eccleſiam memoriam ſui habere ſollicitus eſt, pallium quod hodie inter optima Eccleſiæ ornamenta habetur, largitus eſt.

Quo etiam tempore, id est sub Fulcardo Abbate, altaris domus antiquitùs laquearibus ligneis compacta, novissimâ verò templi renovatione lapidea, crepidine cumulata, Bernardi studio diligenter & decenter depicta est.

Tempore autem quo HENRICUS Imperator cum filio suo contrà ROBERTUM Comitem Flandrensem Cameracum oppugnantem exercitum duxit, & pervasorem potenter expugnavit, vadens & rediens viciniæ nostræ non parum incommodum intulit: nam & Comes Hannoniensis (cujus antecessores eumdem Comitatum invasione eâtenus usurparant) tamquam de non suo jure sibi non satis confidens, Leodiensi Episcopatui quaquaversum poterat manus inferebat, donec facta compactione, dono & concessione Imperatoris eumdem Comitatum se & suos, seu eum & ejus heredes tenere consensit de manu Leodiensis Episcopi.

Acquisivit etiam tunc Episcopus OTBERTUS Ecclesiæ suæ marchiam, quæ Buillon dicitur, in confinio Galliæ & Germaniæ sitam: in cujus pretio colligendo nec suæ nec nostræ Ecclesiæ thesauris pepercit; ita ut tabulam argenteam, quæ de tantis, quas intùs & foris sustinueramus pressuris, adhuc intacta servabatur, assumserit; à nostris tamen oppidanis & villis nobis deservientibus (solis nobis immunitate hac servata) nihil ampliùs accipere præsumserit.

Interea Dominus ad majorem Sancti, & loci nostri reverentiam, beatum Theodulfum, post Erminum de Archiepiscopo priùs Remensi, Lobiensis Cœnobii Abbatem & Episcopum, magnis & multis miraculorum signis clarificare dignatus est hac occasione. Frater quidam ex nostris, Liezo nomine, villæ nostræ Ecliaci in pago Laudunensi Præposituram administrabat, cujus loci, qui tunc temporis à militiâ castri adjacentis Montis-acuti rebus & ædificiis imminutus erat, recuperationi operam dabat, & sperans ad excitandam populi devotionem plurimum conferre si S. Ermini corpus, qui ejusdem loci dominus & possessor fuisset, illuc posset transferre, Abbatem & utramque congregationem super hoc sollicitat.

Nostrates verò de quæstu præsenti futurum timentes incommodum, illius pagi accolas, apud quos præclari jam dudum illius nominis idem Patronus habebatur, si quando eum recipere possent in perpetuum retinere debere suspicati sunt; habitâ igitur deliberatione, & dejectioni loci succurrendum, & devotioni populi satisfaciendum decernunt, ita dumtaxat, ut sub nomine S. Ermini S. Theodulfus illuc transferretur, de cujus (si fortè evenisset) amissione, tamquam externi nullo miraculorum opere cogniti, minus Ecclesiæ damnum inferatur. Effertur itaque S. Theodulfus, & sub nomine S. Ermini à Sancti-Erminiensibus & pagi accolis digno cum honore suscipitur, & quanto oportuit tempore illic detinetur, interim tamen vel nullum vel nullis cognitum hîc facere signum voluit, ne hujusmodi occasione aliquam eum rationem retinendi daret alienis. In redeundo verò cum Franciæ fines evasisset & per pagum Cameracensem Valencinas pervenisset, jam deinceps S. Theodulfus cujus apud Deum esset meriti, non sub alieno, sed sub proprio nomine aperire voluit.

Inter cætera ordinationis suæ opera prædictus Abbas FULCARDUS possessionem Ecclesiæ nostræ, Fontenellas dictam, Ecclesiæ Lætiensi, quæ tunc temporis Ordini Monastico innitebatur, accensuit; ita videlicet ut eamdem possessionem cum servis & ancillis ad eam pertinentibus sub annuo censu sex solidorum Laudunensis monetæ teneret, qui census postea sub WEDERICO Abbate octo Valencinensis monetæ commutatus est, nos autem insuper servos itidem & ancillas citrà fluvium Helpre commorantes possideremus.

Vixit igitur sicut servum Domini vivere decuit, & se in omnibus Monasticæ vitæ exercitiis, maxime in exequendis & celebrandis celebriter divinis officiis, diligentem atque devotum exhibuit: unde etiam ei moris erat in quodam Ecclesiæ diversorio sibi ad hoc proviso, intrà ipsam Ecclesiam lectulum habere: & his quos in Dei servitio tam nocte quàm die sedulos & assiduos videbat, necessaria omnimodis sollicitus erat exhibere.

Obiit in senectute bonâ, postquàm præfuisset annis XIII. anno Domini MCVII. & sepultus est secùs antecessorem suum in Ecclesiâ S. Ursmari ante gradum chori.

In locum Reverendi FULCARDI Abbatis substitutus est WALTERUS: cujus institutionis anno secundo Ecclesia B. Ursmari tertiam accepit dedicationem, tertio Calendas Octobris à Reverendissimo BURCHARDO Episcopo Cameracensi. Quòd autem tam paucis à præcedenti dedicatione transactis annis hæc facta est, motio altaris principalis in causâ fuit. XXVII. Ab. Walterus.

Sub ipso Abbate Ecclesia nostra altare de Hun cum appenditiis suis appensis, ab ODONE Cameracensi Episcopo accepit liberum, & absque personatu; quod in usus Infirmariæ à RAYNALDO Archiepiscopo sub anathemate in perpetuum confirmatum est, cum idem Abbas in alios usus distrahere voluisset.

Cæterùm hîc Scriptor non videtur omninò servasse temporis ordinem; ODO enim Abbas Cœnobii S. Martini Tornacensis, & postea Episcopus Cameracensis, mortuus anno MCXIII. sepultus est in templo Aquicinctensi: ejus autem successor fuit Bochardus sive BURCHARDUS, qui obiit anno MCXXXI. At Raynaldus seu Raynoldus fuit Archiepiscopus Remensis, an. MCXXIV. *Animadversio ab Auctore recentiori.*

Sub eodem Abbate WALTERO ab Ecclesiâ seu Cellâ Ecclesiæ nostræ, quæ Monasterium dicitur, auctoritate & assensu Burchardi Episcopi & Archidiaconorum, sive Abbatum, Clerici amoti sunt, ut eis relaxatis interim ab officio, quod negligenter implebant, postquàm obiissent, Monachi ibidem Deo & S. Petro devotiùs famulaturi substituerentur. A reditibus autem custodiæ Custos tunc temporis HELIAS ita abstinuit, ut factâ inter se de hac & de quibusdam conventione, eidem Heliæ & quatuor heredibus illius, quos sibi in hoc jure successuros denominavit, duos manipulos de Hestru sub statuto tempore possidendas Abbas concederet; cujus successionis heres ultimus nunc temporis est, qui est annus Incarnationis Dominicæ MCLXII. hoc igitur decedente liberè quod suum est Ecclesia recipere habet. *Nota Scriptoris ætatem. 1162.*

Magna interim apud nos turbatio & antiquarum consuetudinum commutatio facta est. Divina siquidem, ut creditur, aspirante [gratiâ,] sanctæ religionis fervore in quibusdam Monasteriis initiato, refrigescente Religiosorum quorumdam studio curatur, ut in quibus hic bonus fervor refriguisset, modis omnibus reaccendatur: ad quod etiam plurimùm Remensis, qui tunc erat, Episcopi tunc suffragabatur auctoritas.

Sollicitant & super hoc Lobienses, ut pote qui jamdudum sicut honore & rerum abundantiâ, ita & religionis, & quod maximè religionem deceret, liberalium studiorum nomine claruissent; nunc autem & si non in re ita esset, in opinione tamen eorum, qui ex facie corda judicant, nomen quidem haberent honestatis, sed religionis prorsùs amisissent: verùm id falsò: nam licet apud nos vel ad unguem re

gula sicut à nullis, vel consuetudines Cluniacenses sicut à paucis, non observarentur, majorum tamen exempla in quibus eos Domino placuisse constat, cautissimè à pluribus in conservatione, & in divini servitii diligenti exequutione tenebantur à senioribus, & tenenda junioribus tradebantur. Siquidem & honestè, & in commune vivebatur, nec de communi stipendio communiter militantibus aliis, alii plùs, alii minùs dividebatur, &c. ubi subjectis verbis observantiæ regulares antiquæ Lobiensium latiùs describuntur per tres paginas, quas brevitatis causâ omisi.

Sic Codex noster.

Cum igitur fervor ille tenendi Ordinis, de quo suprà meminimus, Monasteria circumquaque posita, vel potiùs ea maximè quæ in Remensi Archiepiscopatu sita sunt, accendisset, Lobienses quoque Religiosorum virorum instinctu, Episcopali auctoritate commonentur, ut relictâ priscæ institutionis consuetudine, in quâ minùs religiosè vivebant, sicut putabatur, novas tenere leges adhortantur.

Erat autem Herlebrandus quidam Cameracensis Archidiaconus, qui Alvisio Abbati tunc temporis Aquicincti, postea Attrebatensi Episcopo admodum familiaris erat, & quod per se idem Abbas non poterat, per ejusdem loci Archidiaconum procurabat, ut Abbas Walterus tamquam irreligiositatis occasione amoveretur, & è suis religiosior suâ ordinatione nobis imponeretur, modis omnibus instigabat. Quid plura? Conversationis suæ testes, & si quid inter eos perperam ageretur extrà ordinationem, correctores sibi aliunde adducere coguntur Lobienses: id tamen à suis potiùs, quàm alienis, id est Leodiensibus, quoniam à Cameracensibus, cujus Episcopii personas non adeo domesticas habuerint eatenùs, priùs tempore decreverant pertentare. De Monasteriis igitur Leodiensis civitatis, S. Jacobi scilicet & S. Laurentii, boni testimonii Fratres assumuntur, qui ab Abbate Waltero tempore aliquanto super custodiam Ordinis constituuntur. Sicut durum est semper novam gentibus, inculcare legem, tædio affecti eo quod inveteratam consuetudinem immutare, sicut voluerunt, non valuerunt; Leodienses breve post tempus recesserunt, & nobis dignum cœptæ apud nos honestatis testimonium perhibuerunt.

Sed non in longum eorum zelus quievit, qui, ut creditur, nihil aliud in suâ tam sollicitâ æmulatione intendebant, nisi qualiter caput priùs languidum tollerent, postea ægro diù corpori, ut opinabantur, medelam curationis apponerent: accusatur Abbas, accusantur & Monachi de crimine irreligiositatis apud Remensem Archiepiscopum, & ne quid minùs fieret apud Apostolicæ Sedis quemdam, qui tunc aderat, Legatû. Afferuntur literæ ut se Legato Abbas exhibeat; vocatus ipse tamquam in ejusmodi causis exercitatus venire dissimulat: non venienti Legatus pro contemptu sententiam intentat. Suspensus Abbas ab officio, pusillanimitate fractus, Abbatibus qui hujusmodi erant incentores se credidit, & suum alienis dare honorem acquiescit; & ut in talibus assolet post multos itus & reditus, eorum tandem consilio Remis in præsentiâ Archiepiscopi & aliarum personarum Abbatiam reddidit. Ipse de cætero apud villam Ecclesiæ Huny dictam divertit: ibidem de reditibus ejusdem villæ, qui ei ad necessaria victûs deputati sunt, seipsum sustentans.

Abbates quod quæsierant se invenisse arbitrati, urgent Episcopum Cameracensem, urget Episcopus Leodiensis, ut Abbatum illorum consilio Abbatem eligant: nostrates verò tamquam Judæi non coutentes Samaritanis, nequaquam electionis suæ libertatem sinentes infringi, comminationes ejusmodi & cohortationes postponunt: quâ de re non parum confusi, qui aliud tractaverant, tentaverunt nostrum nobis reddere Abbatem, qui suum dare non poterant; ut qui jam eorum consilio esset consentaneus, per eum possent quod vellent adversùs nostros: sed id frustrà, neque immeritò, ut pote qui illorum potiùs voluntate, quàm necessitate se eis subjecerat, non veritus suæ Ecclesiæ prærogativam, & natalium quibus excellebat generositatem.

Annus ille, vel potiùs sic biennium transiit: mittit Episcopus Cameracensis diœcesis suæ ad personas, videlicet Abbates S. Guisleni & S. Dionysii, ut sub eorum testimonio & præsentiâ aliquam de Religiosis Remensis diœcesis personam eligeremus, vel absque dilatione allatis ad hoc ipsum literis divinorum interdictionem sustineremus.

Sed nihil aliud apud nostros hujusmodi difficilius assensu, & magna res insolentiæ visa est, ut qui antehac aliquoties in Ecclesias alias promovissent suos, nunc de aliis sibi Ecclesiis & mendicarent extraneos; & maximè cum præ manibus Apostolicæ auctoritatis & Imperatoriæ majestatis perantiqua essent privilegia; quæ de suis debere eligere, nec Remensium nec Cameracensium, sed Leodiensium potiùs ordinationi subjacere eos edocerent.

Dum igitur Abbates illi ad nos destinati, ne nuntii novitate nostros offenderent, verbum pro tempore post prandium differrent, nostri quod futurum erat suum gravamen suspicati, in tali articulo quod possunt faciunt, & inter prandendum, paucis id scientibus, seniorum tantùm & saniorum consilio, accitis etiam qui necessarii visi sunt de Clericis, in Oratorio B. Andreæ colloquium stringunt. Eligitur ibidem Dominus Spro, cujus suprà meminimus: & cum se nihil aliud agere adversariorum nuntii cogitassent, his qui eos miserant, nos de nostris elegisse absque ipsorum præsentiâ vel testimonio, confusi renuntiare, priùs tamen quàm abirent interdictionis divinorum quam attulerant, dedére sententiam.

Aderat ibi quidam ex nostris Gerardus nomine, qui Machabæi illius simile aliquid habens, melius quælibet incurrere pericula arbitrabatur, quàm videre imò sustinere injuriam (sicut æstimabat) gentis suæ & Sanctorum. Eodem igitur zelo accensus, & pro libertate Ecclesiæ semetipsum impendere paratus, Cameracum tendens Cameracenses aggreditur, ostensâque libertate Ecclesiæ ex privilegiis quæ præ manibus habebat, Abbates, vel alios, vel quicumque ex adverso erant, Romanæ contrarios Curiæ, Apostolicæ auctoritatis reos coarguit, & tam eos, quàm consentientem eis Episcopum super oppressione injustâ nostræ Ecclesiæ ad Apostolicæ justitiam Sedis appellavit.

Comparatis igitur necessariis itineri & negotio copiis Elector cum electo Romam propere tendens, prosperè pervenit: ad cujus itineris supplementum Ecclesia de Tullires viginti marcarum debito pro libertate Ecclesiæ retinendâ, oppignerata est, consuetudo quippe debendi, imò præsumptio, destructionis Ecclesiarum turpis occasio, & omnium Monastici Ordinis malorum radix, necdum à nobis initata erat, quam nulla sollicitudinis ac providentiæ falce succisa ex usuris & iniquitate de die in diem probrosæ ac damnosæ propagationis fomes multiplicat; sed ingruente quovis infortunio si quid necessariorum deesse contingeret, non fœnerator licèt in principio, in fine autem angusta marsupia, sed ipsa sibi tandem parcitas consulebat; nec cuivis absque gradûs & honoris sui periculo cederet, qui Fratribus inconsultis in Fratrum stipendiis temerè quidquam præsumsisset; quod nimirum ad pacis &

charitatis custodiam cautissimè observabatur; ne aliis, unde alii ingurgitarentur, esurientibus, & aliis unde alii delitiarentur, egentibus, ordinis tenor, quem nonnisi æqualitate constat durare posse, solveretur.

Perveniunt igitur, & quod quærebant inveniunt nostri Dei viatores: ostensis siquidem perantiquæ auctoritatis privilegiis, & pluribus probandis adhibitis instrumentis, veritas nostrorum recepta & approbata est, & nisi propter cavendam Suffraganeorum injuriam, in eo res erat, ut ab ipso Summo Pontifice noster Electus nobis ordinari deberet. Dantur igitur Apostolicæ auctoritatis mandata, ut Electum Dominus Leodiensis, ad quem hoc spectabat, investiret, & investitum dominus Cameracensis absque typo consecraret. Et quidem nulla investiendi apud dominum Leodiensem occasio quæsita est; sed quod absque divino nutu actum credendum non est, dum idem Electus noster jam investitus ad nos revertitur, eum reducem ad se adduci, ut benedictionem, quam ille à sede Apostolicâ obtinuisse audierat, conferret, Episcopus Cameracensis exspectat; & ipse, & qui ad ipsum illi benedictionis suæ literas dederat, universæ carnis viam ingressi sunt.

Cassato taliter omni electionis nostræ fermento, adversariis vires reparantur, nullâ jam nostris spe residente, quâ à subjectione, quæ nobis intentabatur, defenderemur. Quid multa? non est prudentia, non est fortitudo, non est consilium contrà Dominum: longis agitati ambagibus tandem acquiescere deliberavimus, ita dumtaxat ut ex Ordinis illius Monasteriis, quem nobis tenendum tantopere perurgebant, personam nobis eligeremus. Constitutus est dies, positus est locus; non enim inter nostrates hac pro causâ ad nos ipsi venire tutum sibi fore arbitrabantur: convenimus igitur ex ipsis, & ex nostris aliqui in loco, qui nunc Bona-spes dicitur, & in viciniâ nostrâ situs est. Destinati sunt nobis ab eis qui & honori & dignitati Ecclesiæ sufficere, & qui Ordini & Religioni possent proficere, in quo utrumque præcellere videbatur unus Leonius nomine, Monachus Aquicinctensis Cœnobii; qui locus in iis quæcumque ad Religionis pertinent cultum, ab exordio sui inter omnia circumquaque Monasteria primatum obtinere hactenùs probatur. In hunc ergo tantorum virorum testimonio nobis approbatum nos consentire acquievimus. Illi verò suis sumptibus agere parati, ut quem elegissemus nobis investitum & consecratum exhiberent, moras abrumpunt, de cellâ Hesdiniensi, ubi triginta fermè Monachorum erat Prior, illum adducunt, & qui tunc majoris inter eos erat auctoritatis, & natione nostratibus conjunctus, & de Ecclesiæ nostræ familiâ, Abbati S. Amandi viro venerabili absolvi, ut investituram acceleraret, indicunt; depositoque per viciniam nostram transitu, post magnas sibi à nostratibus, nobis tamen ignorantibus, illatas injurias ad Leodiensem (ut moris est) Ecclesiam Electum Electoribus ibidem accurrentibus præfatus Abbas cum suis deducit.

Episcopus verò (quippe qui multa inter hujusmodi perperam acta & dicta non ignoraret) audierat à prædicto Alvisio Abbate in suggillatione sibi fuisse procaciter dictum, quòd videlicet Cameracenses animas, ipse verò vaccas & capras nobis custodire haberet. Ex hac igitur occasione & in multis aliis, ut in talibus assolet, Episcopus primùm quidem difficilem & inexorabilem se præbuit, suum esse asserens de domo, dono regali sibi subjectâ tam intùs quàm foris disponere, quod suum sibi jus præsumptione novâ vellent auferre. Religionis tamen specie delinitus, quam & in iis qui advenerant vigere conspiciebat, & in sibi subjectis ad suum honorem & salutem suam enutriendam fore audiebat, tandem assensit, & tam solemniter, quàm amicabiliter quod suum erat Electo adimplevit.

Quòd si præcedentis Abbatis historiam cum hoc Leonio conferamus, hunc divinitùs planè electum ac institutum fuisse nullus dubitabit, licet hic Scriptor de nonnullis actis videatur divinas laudes ipsius obturasse voluisse: Investitum, inquit, Leonium, & debitæ fidelitatis sacramento initiatum, actutum illum non ut consuetudinis est nostris suscipiendum, sed Cameracensibus benedicendum reducunt: memores siquidem si quid pro tarditate suâ priori electo confusionis & periculi accidisset, & fortasse quia nonnisi omnibus ritè peractis ignotum nostris inserere hominem periculosum existimarent; receptâ benedictione à Lietardo tunc temporis Cameracensi Episcopo, demùm tunc nobis noster Abbas destinatur, congruoque à nobis honore, & quantâ in tali novitate exhiberi potuit devotione, & ipse, & qui cum ipso advenerant, Alvisius scilicet Abbas postea Attrebatensis Episcopus, qui se in iis à principio usque ad finem primum & novissimum nuntiatorem confirmatoremque præ aliis exhiberat, & alii Abbates suscipiuntur. XXVIII. Ab. Leonius.

At ne totus & tantus hic labor frivolus haberetur, in ipso idem Abbas susceptionis suæ primordio, blandâ simul & gravi ut erat affabilitate nostros demulcet, ne de ipso sinistrum aliquid per singulos audiretur, ut qui vellent ad quascumque Ecclesias benè ordinatas demorari, honestè transmitterentur, qui autem cum ipso potiùs ordine doceri mallent, domi residerent. His & hujusmodi animis omnium delinitis, omnes ipsius se consilio & voluntati inclinant omninò: & quibusdam, qui hoc ultrò petierunt, ad alias Ecclesias transmissis, alii de aliis Monasteriis ad informandos eos qui remanserant, Priores & Decani interiùs, & exteriùs ministrales ad tempus constituuntur.

Quinque igitur ab ejus ordinatione mensibus Walterus prædecessor ejus, cum viginti tribus annis præfuisset, defungitur; sepultusque est ante altare S. Ursmari.

In initio igitur prælationis suæ Abbas Leonius, ut prædiximus, omne intentionis suæ studium ad informationem & confirmationem Ordinis, pro quo maximè aliunde expetitus erat, jugiter impendit, gratum se pariter & gravem (quod apud multos rarum habetur) omnibus exhibens: quippe difficiles aditus impetus omnis habet, unde paulatim studio bonorum adolescentibus incrementis non semel, sed de die in diem, quæ verbis docebat ostendebat exemplis, consuetudine bonâ, & exercitatione virtutum in cordibus subjectorum tam ipse, quàm qui ei cooperabantur in hoc roborabant. Ac primùm maligermen, linguæ scilicet loquacitatem rescindere curans, non solùm in quibusdam vel locis vel temporibus, sed ut illicita licitorum abstinentiâ faciliùs tolleret, intrà Claustri dumtaxat & Ecclesiæ, vel dormitorii sive refectorii parietes silentium indixit, ut videlicet quisquis hujus taciturnitatis regulam iis in locis quâlibet ex causa transgressus, nisi cognitâ culpâ publicè satisfaceret, se anathematis reum esse cognosceret. Quod certè si justitiæ zelo factum esse credatur, tantâ tamen scrupulositate fieri non posse ab aliis, qui omne quod est nimium in vitium verti solere non ignorant, rectè judicatur. Cui enim hujusmodi vel oblivio vel ignorantia non insidietur? sed quo major est in custodiendis his difficultas, eo facilior in transgrediendis iis creditur esse venia, si sola cordis malevoli, vel impœnitentis desit malitia. Cæterum sicut apud quosdam quod non li-

cet acriùs urit, sic apud quosdam, etsi omnia liceant, omnia tamen non impedire vel expedire comprobantur.

Ad confirmandam quoque in nostro & in aliis quibusdam claustris vel silentii, vel cæterorum hujusmodi Religionis exercitiorum observantiam, authoritatis Apostolicæ & Archiepiscopi Remensis non defuêre suffragia, ita ut eorumdem authoritate Pontificum, INNOCENTII videlicet Papæ, & RAYNALDI Archiepiscopi Remensis constitutum sit & initiatum, ut quicumque unius in observantiæ & Religionis fervore essent consuetudinis, annuatim Abbates in unum collecti, in seipsis priùs Ordinem firmarent, quem postea tenendum traderent subditis; cujus collectionis causa & initium charitati quidem & Religioni militavit, sed iniquitatis abundantiâ refrigescente charitate unde boni fons derivandus erat, inde in subditos dissolutionis & voluptatis fluvius emanavit.

Exulabat tunc temporis Papa INNOCENTIUS in Francia, malitiâ vel violentiâ PETRI Leonis, qui in Primoribus Romæ contrà ipsum electus erat, ab Italiâ repulsus: qui nonnisi in manu forti dignitatis suæ locum obtinere se posse cogitans, ad Regis Alemanniæ LOTHARII se auxilium contulit, ad cujus auctoritatem litis & dissensionis hujusmodi decisionem pertinere credidit. Nec ipse credulitate hac & spe frustratus est; occurrit ei siquidem Lotharius idem, & eum sicut decuit cum innumerabili Principum & Episcoporum, & Abbatum multitudine Leodii suscepit, & ab Ecclesiâ S. Martini in monte publico ad majorem usque Ecclesiam S. Lamberti, Rex ipse devotè Pontifici obsequens, eum deduxit: quem etiam non multo post in Italiam revocavit, & Romæ in sede Apostolicâ tam solemniter, quàm potenter restituit. A quo etiam Pontifice quæcumque interim Pseudo-Papa Petrus Leonis (qui in brevi post Innocentii confirmationem obiit) ordinaverat, in perpetuum cassata sunt: inter quæ & de nostris quidam Philippus, de familiâ Ecclesiæ Fontanis oriundus, tunc temporis de Turonensi Electo à Petro, cui adhæserat, Tarentinus Episcopus factus, irrecuperabiliter sacerdotali gradu damnatus est.

Antequàm autem præfatus Papa INNOCENTIUS Leodium veniret, Lobias divertit, ubi honorificè à nobis susceptus est, magnâ vicinorum Abbatum, & quorumdam Episcoporum, qui cum eo advenerant, frequentiâ, ad altare beati Petri celebravit Missam, & sermonem in Capitulo ad Fratres habuit. Facta est autem ab Abbate, vel ab aliis qui non tantopere loci consuetudinem servandam curarent, quæstio super cœmeterio Fratrum, eo quod grave & superstitiosum videretur de inferiori ad superiorem Ecclesiam sepelienda defunctorum corpora deferri; & jam penè Papa assenserat, ut infra Monasterii ambitum ipse dedicaret cœmeterium, nisi Cardinalium obviasset consilium, & Privilegii antecessoris sui S. Joannis Papæ auctoritas, qui consuetudinem ab initio, vel ab eo observatam, inviolatam semper manere decreverat, obstitisset. De quo etiam privilegium ipse Innocentius, qui de personatu altarium priùs jam antequàm ad nos diverteret, Abbati ibi præsenti aliud quoddam privilegium dederat, additis quæ pro tempore necessaria visa sunt, postmodum renovavit in Concilio, quod Pisis ab eo celebratum est; ubi quorumdam æmulorum instinctu domnum Abbatem Leonium ad faciendam super calicem & patenam benedictionem (sicut ab antecessoribus suis, ut facere posset, acceperat) Apostolicâ auctoritate cohibuit, superfluum fore judicans eum benedicere cui nequaquam liceret inungere: Sicut factum ab antecessoribus suis acceperat, sic ipse quoque Abbas facere cœperat, ut primùm quidem orationes & benedictiones præfatis sacris vasis ipse apponeret, dein Episcopo ut ab illo unctio chrismatis imponeretur, transmitteret. In quâ etiam synodo pro domino etiam Episcopo Leodiensi Alexandro viriliter stare, & cum sui ipsius periculo ipsum contrà impetentes defendere non timuit. Pro quâ fidelitate suâ, imò pro dignâ vitæ honestate ab eodem Episcopo unicè diligi meruit, & in suâ Leodiensi curiâ, frequenter, aliquoties etiam Regali in curiâ, ejus præsentiâ utebatur & consiliis.

In tantum etiam religionis & totius probitatis culmine idem Abbas longè lateque in brevi innotuit, ut qui suos & ab aliis alieno magisterio informandos multis in locis locaverat, ipse postmodum de suâ Ecclesiâ alienos Abbates & Ordinis Magistros præficere à multis rogatus sit: exceptis quippe iis, quos, ut dictum est, Priores & Suppriores plerisque Monasteriis accommodavit, ipse etiam Florinensi Ecclesiæ Domnum DROGONEM de nostris Abbatem præfecit, qui postea in Ecclesiam B. Jacobi in Leodio translatus est. Non enim (ut quibusdam moris est) magni nominis umbrâ, & dignitate loci nostri magis quàm religionis profectu & provectu delectabatur, & magis ipse eamdem vel suam dignitatem vitâ & conservatione honorare, quàm suam honorari personam extrinsecâ dignitate curabat. Interim tamen nimiâ suâ liberalitate, quòd in augmentando grege Domini se expendere lætabatur, post successuris diminutionis damna parturire non satis providit: tantam quippe Novitiorum tam laïcorum, & mulierum (quod genus apud nos adhuc nesciebatur) quàm etiam Clericorum multitudinem adunavit, ut exceptis Conversis, & ut ita dicam Conversabus, de solis Monachis penè ad centum Claustrum impleverit: minùs providens quod ait Apostolus; *Non ut aliis refrigerium, vobis autem detrimentum.* Quædam siquidem, quæ superflua visa sunt, meritò recisa fuisse sicut laudabile judicatum fuit, ita quædam ad honorem Dei & laudem instituti abstulisse vel mutasse, non religiositas sed scrupulositas videri debuit.

Quòd autem Clericos, qui Abbatem duo Sacerdotes, Diaconem duo Diacones, Subdiaconem duo Subdiacones, à dextris & à sinistris ad altare procedentes ducebant vel deducebant, ab hoc amovit officio, viderit ipse.

Non autem in spiritualibus præfatus Abbas subditis prodesse, sed in corporalibus quoque subsidiis eorum omni sollicitudine quotidianis servire stipendiis satagebat, & quos in spiritualibus proficere videbat, temporalia eis deficere subsidia nolebat.

Idem domum hospitum, quæ portæ, & ante porticum Monasterii à parte septentrionali posita, conjuncta fuerat ad tollendum hospitalarium eundi & redeundi, & frequentiæ popularis impedimentum, infrà muri ambitum à parte australi ædificare quidem cœpit, sed non perfecit.

Scholarum regimen Ecclesiæ sancti Ursmari, quod priùs aliquis Monachorum ad hoc idoneus tenere solebat, sicut ejusdem Ecclesiæ Monachus ad hoc deputatus & tenuit & tenet, uni ex Canonicis de cætero dedit tenendum. Tandem eâdem quoque non dicendâ religione sed superstitione, etiam Scholarum studium celebre semper apud nos habitum de cætero interdixit, dum scilicet tantas ac tales sperat convertere, ut erudiendis pueris (quasi hoc religioni debeat esse contrarium) non sit ulteriùs opus intendere.

Cum igitur intùs & exteriùs rebus pro tempore utiliter

utiliter ordinatis decem annis nobis præfuisset, ab Ecclesiâ sancti Bertini ut ei præficiatur Abbas expetitur; quod & factum est annuentibus loci illius tam Monachis quàm oppidanis: auctoritate quoque Raynaldi Remensis Archiepiscopi assentiente.

Cumque post ejus abscessum de substituendo ei successore ageretur, convocantur ad hoc ex vicinis quidam Abbates, quorum testimonio qui electus esset approbaretur. Adfuit inter alios vir religiosus Abbas Crispiniensis, ALGOTUS nomine, qui quemdam ex nostris LAMBERTUM nomine, Claustri sui Priorem constituerat, & secum eo fortè adduxerat; isque ex iis erat, quos præfatus Abbas Leonius undequaque congregatos uno divini amoris igne tamquam vasa in opus domûs Dei apta conflaverat: cui etsi jam boni odoris flores produceret, nec ætatis tamen nec scientiæ fructus adhuc in eo apparebat, qui pascendo gregi Dominico sufficere videretur. Sed ut in libro suo esse jam adscriptum illum Dominus ostenderet, cum alii alios ætate & scientiâ majores hoc officio dignos conjectarent, repente omnium cordibus (paucis exceptis, qui sua magis quàm quæ JESU-CHRISTI sunt quærebant) insedit, ut posthabitis quibusdam, qui sibi & suis magni videbantur, in hujus electionem consentirent.

XXIX. Abb. Lambertus.

Electus igitur atque ordinatus tamquam arbor (ait noster Historiographus Lobiensis) in domo Domini plantata, tamquam cedrus Libani omnimodâ virtutum fructificatione in brevi multiplicatus est. Studens siquidem & se irreprehensibilem & sibi subditos in disciplinâ custodire, totum se contulit ad scientiam, & aliis annuntiandam viam veritatis, ut quod minus habebat in annis, suæ formâ conversationis, & aliorum suppleret fructu conversionis. Nec enim eorum quos ipse salvandos acceperat, salute contentus, alios nihilominùs ad conversionis & conversationis sanctæ habitum invitabat, eos maximè, quos ad Religionis & divinæ servitutis exercitium non sibi solùm, sed & aliis profuturos esse sperabat, & quibus ea, quâ præeminebat facundiâ delectabiliùs ad ea, ad quæ hortabatur sectanda, persuadebat. Ut enim de facultate vulgaris linguæ, id est Theutonicæ, quæ ei naturalis erat, & Romanæ quæ accidentalis, omittam, in utrâque inoffensus erat. In Latino siquidem eloquio usu assiduo se adeo exercitatum reddiderat, ut quocumque deveniret, in Capitulis Abbatum, in Synodis Episcoporum, verbum ædificationis exigeretur, & hoc ipso ab omnibus gratus haberetur: Leodii præsertim in Curiâ & in Ecclesiâ à Principibus, à Clero pro vitæ honestate, pro doctrinæ affluentiâ, pro ipsâ quoque personæ elegantiâ reverendum & amabilem se adeo universis præstabat, ut sæpe quibusdam necesse habentibus facundia suâ & auctoritate, plurimùm solatii afferret: sicque oppressis adesse curabat, ut & judicum gratiam obtineret, & judicatis vel judicandis opitularetur. Tanta nihilominùs in eo humilitas excellebat, ut quod perrarum est, sedentem in cathedrâ discipulum fieri, ipse etiam à subditis quicumque doctrinæ gratiam haberent, humiliter disceret, quod alios postmodum utiliter doceret.

De assiduitate & devotione orationum, de gratiâ compunctionis, quam divinitùs adeptus erat, de jugitate vel assiduitate lectionis (cui non solùm domi, sed quandoque quovis equitans, vel in strato pernoctans, attendebat) de parcitate victûs ac vestitûs, de amore Verbi Dei & scientiâ Scripturarum (quarum se studio & collationi quotiescumque daretur oportunitas totum impendebat) de providentiâ nihilominùs, & administratione studiorum, & dilectione Dei & proximi, quam utramque dignis operibus exercebat, & de pluribus ejus virtutibus, quibus Deo & bonis omnibus placebat multum erat quod dignè dici posset, si non multa multis malitia inesset, qui bonorum laudem suam existimant vituperationem, & quod nolunt imitari, nolunt prædicari. Tot tamen & tanta ejus bona bonorum omnium invidus antiquus hostis malitiâ quorumdam vel depravare, vel perturbare conatus est, quod divinâ erga se factum dispensatione humiliter recognovit: ne enim magnitudine gratiæ extolleretur, datum sibi Angelum satanæ intelligebat, à quo colaphizaretur, ut virtutes esse veras virtutes patesceret quousque per patientiam probaretur.

Suscitavit siquidem ei Dominus, imò quia dudum suscitati ad malum fuerant, adversarios manifestavit: ita ut quidam ex malis, & qui saltem societate conversionis, si non conversationis, ei plus aliis ratione prioris quam in sæculo habuerant amicitiæ, deferre debuissent, in eum assurgerent, adjunctis sibi quibusdam, qui ipsi quoque ex Clericis conversi, vel eâdem linguâ vel gente oriundi, pro suâ sibi perfidiâ maculam criminis intulerunt, prò suâ illi patientiâ gloriam auxerunt. Quidam enim divinâ & mundanâ admodum scientiâ præditus, cum quo & in sæculo conversatus, & à sæculo erat conversus, sed exteriùs; quem ipse Abbas sibi Priorem, & in omnibus non solùm interiùs, sed & exteriùs si secundum fecerat, ambitione seductus, quibus poterat modis elaborabat, ut eo tamquam. . . . . & infrà tantæ dignitatis administrationem idoneus alius institueretur; qui tamen alium se magis idoneum inveniendum fore non arbitrabatur. Cujus mali præcipuus sperabatur adjutor ALVISIUS Atrebattensis Episcopus, cujus idem æmulus olim fuerat familiaris & domesticus, eique in hoc consentiebat & collaborabat Abbas sancti Bertini Leonius.

In tantum autem & incentorum & fautorum zelus prævaluit, ut pusillanimitate fractus, & omnium penè ope ac consilio destitutus, honorem suum alteri dedisset, nisi divino ubi humanum deerat suffragante solatio, suos seductores non quæ JESU-CHRISTI, sed quæ sua quærere intellexisset. Cassato itaque Dei miseratione pravorum molimine, si de gradu honoris eum deponere pars adversa nequivit, nequaquam tamen à perturbandâ quantum poterat ejus parte quievit, donec Prior ille, qui totius hujus mali erat occasio in Adelburgensem assumptus Abbatem, in suis ipse expertus est necessitatibus, quòd gloriari non posset accinctus æquè ut discinctus: unde summâ levitate dictus Prior tale ab eo responsum accepit: *Gratiosum me*, inquit, *omnibus, & tantis gratiarum muneribus (licet indignum) gratia divina me reddit, ut pro favore hominum, vel pro virtutum conscientiâ, me facilè superbia supplantare posset, si tentatio, vel interior, quæ de me mihi innascitur, vel exterior quæ mihi falsò infertur, non me necessariâ humiliatione conservaret.*

Sed licet ipse de se tam humiliter sentiret, invasionem tamen bonorum Ecclesiæ nequaquam impunitam fore superbiâ passus est, sed zelo justitiæ accensus, quicumque vel de Advocatis, aut aliis quibusque Ecclesiam quolibet modo injuriâ affecisset, usque ad plenam restitutionem & dignam satisfactionem, censuræ Ecclesiasticæ virgâ compescuit, nec ullius personam reveritus est. Expertus est hoc Castellanus Tudiniensis, & Advocatus Lobiensis Ecclesiæ ROGERIUS, qui cum præsumptio-

ne novâ Lobiensis Ecclesiæ prædam abduxisset, recitatis in curiâ Leodiensi immunitatis nostræ villæ privilegiis, Abbate pro suis viriliter agente, ad extremam usque caudam reddere ablata coactus est; quamvis hoc permissu Episcopi fecisset, pro eo quod in solutione debiti, quo se idem Episcopus in recipiendâ Marchiâ de Buillon dictâ, per proditionem sibi ablata oppignoraverat, Lobienses solutionum omnium ad Episcopum pertinentium nihil conferre voluissent. Expertus est hoc etiam NICOLAUS Avesnensis, qui cum in guerrâ quæ inter ipsum & præfatum Rogerum agitabatur, villam nostram Tullies incendio destruxisset, restitutionis damni factâ taxatione ad novissimum quadrantem ut Ecclesiæ satisfaceret Ecclesiasticâ compulsus censurâ, non priùs quàm debitum persolvisset, debito districtionis absolutus est. Pro quo etiam damno (nam & ipso tempore totam villæ & curiæ nostræ apud Santhas annonam incendio, Dei permissu, periisse contigerat) dum sibi quotidianis sumptibus non sufficiunt, nostri novâ & eatenùs inexpertâ apud nos confusione, de nostris aliqui aliorum Monasteriorum beneficiis sustentati ad tempus dispersi sunt. Ad malum nostrum etiam commune omnium malum concurrebat; tanta quippe eâ tempestate annonæ caritas erat, ut frumenti modius Lobiensis marcâ argenti venderetur; sub quâ necessitate iis qui residui apud nos erant (pauci enim alibi transmissi fuerant) dum victus necessarius præparatus fuit, Ecclesia non parvo debitorum onere gravatur & obligatur, ad supplementum videlicet duorum mensium, qui restabant ad tempus messis, quadraginta tritici modiis totidem marcarum summâ comparatis. A quâ obligatione multos in annos nulla conceditur absolutio, dum & malitia dierum & rerum penuria semper augescit, & negligentiâ eorum qui malè gesta corripere, & malè gerenda cavere debuerant, usuras usuris addere, & suis crudeliter subtrahere, quo alii crudeliùs ditentur non pertimescunt.

Sub his quoque diebus à novo quodam, ut putabatur Apostolo, ARNULPHO nomine, vitâ & habitu & scientiâ insigni, per universos verbum Dei disseminabatur; ad hoc maximè, ut quicumque annuntiationi huic obedirent, ad vindicandam Christianæ in paganos religionis injuriam Jerosolymam proficiscerentur. A quo ad opus simile Abbas LAMBERTUS propter utriusque linguæ, videlicet Theutonicæ & Romanæ, facundiam (cujus ille ignarus erat) accitus est; cui & socius itineris ac prædicationis aliquanto tempore conjunctus est.

Nec minùs eodem studio sanctæ memoriæ Abbas venerabilis BERNARDUS, per quem maximè ante paucos annos Cisterciensis Ordo refloruerat, eodem tempore flagrabat. Et Laïcos quidem imposito crucis signo authoritate Summi Pontificis EUGENII (qui de Ordine illo assumptus fuerat) ad peregrinationem & ultionem Christianorum invitabat. Clericos verò vel quicumque crucem Domini nostri alio modo accipere vellent, ad conversionis & sanctæ conversationis habitum catervatim de totâ Galliâ & Lotharingiâ trahebat: nam ipse prudens admodum & facundus erat, quod ex iis quæ vivâ voce disseruit, & scriptis dictavit, apparet. Facta est igitur motio seu congregatio peregrinantium tanta, quantam nullus antehac meminit; ita ut cum multitudine infinitâ militari Rex Alemaniæ CONRADUS, & Rex Franciæ LUDOVICUS eamdem assumserint profectionem. Inter alias Regni Francorum personas Ecclesiasticas accinctus est etiam huic itineri Abbas quondam noster LEONIUS, Apostolico pariter & Regali mandato, Alvisius quoque Attrebatensis Episcopus consilio & prudentiâ ornatus, & ipsi Deo militabant. Qui Episcopus quemdam ex nostris nepotem suum JOANNEM, quem à puero Abbas Leonius de domo avunculi abduxerat, & Monachum fecerat, servitio suo fideliorem & promptiorem fore existimans, concessione Ecclesiæ, cujus nutritus & professus erat, secum duxit. Obiit verò in itinere idem Episcopus, relinquens eumdem nepotem suum Abbati Leonio curandum & reducendum.

Dum autem penè biennii tempus expeditioni huic expenditur, rumor percrebuerat ipsum quoque Abbatem vel obiisse vel reverti nolle, ita ut Bertinienses jam tum deliberarent, quatenùs Abbatem nostrum Lambertum Abbatis ipsorum Lamberti, vel Leonii ejusdem Patrum (qui religione & rebus plus penè omnibus eos provexerat) nomine & sanguine hereditarium, ut pote etiam meritis non disparem, sibi assumerent; sed cum magnis vitæ privilegiis magnus inter magnos Ecclesiæ Principes haberetur, ita ut etiam in conspectu magni illius Concilii, quod Remis habuit Papa EUGENIUS in causâ quâdam Comitis Hannoniensis, quam agendam susceperat, magnum se effecerit, & de die in diem major fieret, morte immaturâ, & non suis solùm sed omnibus qui eum noverant dolendâ, præventus est. Et pro tantis quibus dotatus erat gratiarum copiis, rectè de eo afferri potest, quoniam *raptus est, ne malitia mutaret animum illius, aut ne fictio deciperet animam illius.*

Ipse dum adhuc viveret corpus beati Dodonis discipuli sancti Ursmari, de Vasculo veteri in aliud paulo elegantius industriâ Fratris Joannis, qui tunc Monasterio degebat, paratum, accitis ex Abbatibus vicinis quibusdam, cum benedictione Episcopi, & magnâ populi multitudine ac devotione transtulit. Consummavit domum hospitum, quam Leonius Abbas inchoaverat; domum quoque Abbatis Ecclesiæ sancti Pauli contiguam, novam de veteri, de parvâ majorem, non parvo opere & non indecenti formâ instauravit. Oratorium sancti Pauli, quod priùs in infimo erat, in summo ejusdem domûs à parte orientali reædificare deliberavit, opus verò imperfectum reliquit: domum nihilominùs infirmorum, quam pro amplificandâ prædictæ domus fabricâ loco priori mutaverat, in alio loco ad latus dormitorii reædificavit.

De Ecclesiâ sancti Ursmari ordinavit, ut pro querelâ quam moverant Canonici, eo quod à tempore Leonii Abbatis quotidianam pro defunctis perdidissent præbendam, quam quotidie accipere solebant, sicut pro iisdem defunctis in cœmeterio quiescentibus quotidiam celebrare Missam consuevissent; quæ præbenda nunc quotidiano beneficio, sicut in alterâ in honore Matris Domini, cum quotidianâ celebratione Missarum pro ipsis defunctis, & in ipsius Matris Domini honore pro familiaribus, ex quâ duorum Fratrum portio pauperibus datur. Pro hac, inquam, querelâ, & pro aliis quibusdam, quas adversùm nos habebant, sopiendis ordinavit, ut deinceps octodecim pecuniæ præbendæ, sive octavæ decimæ præbendæ fructus communi cæterorum utilitati Canonicorum deservirent, qui postmodum utriusque Ecclesiæ dispositione in quotidianam eorum, qui in Ecclesiâ assidui essent, Adventûs & Quadragesimæ refectionem assignati sunt. Acquisivit Altare Ecclesiæ de Serodenghis; Ecclesiam de Contexe cum appendicibus suis dono NICOLAI Episcopi Cameracensis.

Cum igitur tam in spiritualibus quàm in temporalibus XIII. ferè annis non minùs præfuisset quàm profuisset, febre correptus ad extremum perductus est.

Quantæ autem devotionis erga Deum etiam in ipso sui exitûs articulo perseveraverit, soli illi scire potuerunt, qui ei in suâ infirmitate obsequuti sunt. Positâ sibi ob oculos Dominicæ Crucis imagine, suo siquidem in ore, quo in secretis orare consueverat, solam redemptionis suæ crucem, Redemptoris sui pretium præ oculis tam cordis quàm carnis intendens, manum qua poterat alterutrâ impressione affectum exprimens, cum vis doloris loqui posse abstulisset, hunc tamen versiculum quo poterat annisu frequentabat: *Multa flagella peccatoribus; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Cum verò utriusque, ut moris est, Conventûs Monachorum & Clericorum debito apparatu, datâque & expetitâ humiliter omnium, quibus vel offensus esset, vel quos offendisset, indulgentiâ, sacræ unctionis sacramentum suscepisset, reliquum diei quod supervixit totum se iis, ad quæ intendebat, intuendis dedit. Et quod mirum dictu, cum in agoniâ agens nihil nisi dolorem cogitare putaretur, repente spiritu collecto illud Propheticum, quo benedixit Jacob Joseph, balbutire potiùs quàm loqui cœpit: *Filia discurrerunt super murum, sed exacerbaverunt & jurgati sunt, inviderunt que illi habentes jacula.* Credendum est eum jam tunc cœlestium sacramentorum pergustare dulcedinem, quibus dicendis atque gustandis summam semper impendebat intentionem.

Mortuus est igitur plenus dierum in senectute bonâ, eâ profectò, de quâ dicitur; *Senectus venerabilis est, neque diuturna, neque numero dierum computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Sepultus est autem in medio Ecclesiæ S. Ursmari ante altare S. Joannis Baptistæ.

XXX. Abbas Franco.

Nulla, ut in talibus assolet, vel dissensionis morâ alicujus vel dilationis, domnus FRANCO pari omnium electione assumitur, vir à puero religiosè apud nos educatus, simpliciter conversatus, & in Scripturis undequaque doctissimus. Nam cùm adhuc tempore Walteri Abbatis apud nos, literarum florente studiò, domesticis apprimè rudimentis imbutus esset, ut vas castitatis & innocentiæ, divinæ quoque sapientiæ melle condiretur, Lauduni summorum tunc temporis magistrorum in sacrarum lectione Scripturarum discipulus factus est; in quo & sui desiderio & utilitati Ecclesiæ, quæ sibi eum jam tunc præparabat, satisfactum est; ubi de propositò nihil minuens inter sæculares Religiosus mansit; & quod magnæ castitatis magnum est signum, inter fœminas Monasterii sancti Joannis, unde sumptus accipiebat, juvenculus intrans & exiens, nec suspicionis nomen contraxit, præsertim cum fœminæ hujus Ecclesiæ tantæ irreligiositatis infamarentur, ut eis amotis Monachi postmodum substituerentur.

Reversus est igitur, & monachalis sanctimoniæ thesauro nihil defraudatus, & Clericalis imò divinæ philosophiæ divitiis locupletatus: factusque deinceps jure Magister apud suos, qui discipulus fieri non erubuerat apud alienos. Moris quippe Ecclesiæ Lobiensis eatenùs fuerat, ut non solùm de suis aliorum locorum atque Doctorum magisterio instruendos traderet, verùm & de iis, quos in hoc studio plures & illustres habebat, alienis magistros accommodaret Monasteriis.

Cum igitur rerum mutatio in adventu Leonii Abbatis fieret, ipse apud sanctum Nicolaum in sylvâ, ubi religionis fervor plurimùm vigebat, Ordini propriâ assuescere magis ex actione, quàm alienâ coactione destinatus est; ubi in brevi tantæ in hac novitate perfectionis se exhibuit, ut in Priorem priùs apud sanctum Joannem Tervanæ, dein apud sanctum Joannem Florinis, ad ultimum verò etiam apud nos gratiâ religiositatis & honestatis similiter in Priorem assumptus est. Sicque de virtute in virtutem proficiens, de gradu quoque in gradum, voto pari omnium Abbatis quoque dignitatem adeptus est.

Ordinatus autem sicut ab ineunte ætate conversatus erat, simplex & rectus, & timens Deum ac recedens à malo perseverare non desiit; dilectioni Dei, & gentis nostræ & Sanctorum nihil præponens, & majorem in Dei rebus quàm in negotiis sæculi curam impendit. Unde à quibusdam propositum in eo humilitatis attendentibus, inferiùs dignitate sua se agere judicabatur: sic quicumque sapientes unde ab insipientibus & sapientibus honori suo non sufficere æstimabatur, inde eum potiùs honorabant; ita ut quocumque Monasteriorum devenisset, primus ei pro religione locus concederetur; & frequenter tam in Capitulis, quàm in Synodis ad faciendum ædificationis verbum invitaretur. Et licet minùs in ejus verbis appareret facundiæ, quia in iis vel gratiam vel curam non haberet, suavi tamen mortalitatis eloquio mel de petrâ, & oleum de saxo durissimo sugendum auditoribus apponere amabat: nec enim magis in foliis verborum quàm in sensuum fructu sibi complacebat. Moris ei erat, ut nullâ vel necessariâ occasione detentus, mox ut Fratres à Completoriis exiissent, cum quibus etiam sæpiùs complebat, quamprimùm liceret dormitorium & ipse conscenderet, quatenùs pro nullâ lassitudine primus omnium ad vigilias occurrere omitteret: quarum psalmodiæ stando frequentiùs, quàm sedendo intendebat: novissimus autem stratum, nullâ mollitie superfluum, pro servandâ potiùs aliorum consuetudine quàm delectatione, suum repeteret. Similis illi, de quo dicitur; *Justus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur.* Sicut alios ad nocturnos prævenire, ita etiam in matutinis sollicitus erat, ut lecto incubantem orto jam sole rarò invenisses; sed tamquam bonus Pastor ante oves vadens, vitâ, oratione & doctrinâ eas omnimodis curabat. Et si necessitas ad agenda temporalia eum exposceret, nonnisi post devotam orationem, & Missæ celebrationem, post exhibitam, si diei congrueret, debitam in Capitulo Fratribus exhortationem, quasi ad aliena trahi consentiebat. Nec enim communi horarum regularium debito contentus, Trinitatis insuper & Incarnationis (in quibus duabus fidei & salutis summa consistit) quotidianum devotè cursum frequentabat.

Videntes autem quidam eum magis æterna quàm temporalia curare, simplicitate ejus abuti sibi utile existimaverunt. Unde & Clerici Anthonienses annò ordinationis ejus II. in eum insurgunt, substituendorum in tertiâ præbendâ electionem (quæ Abbatis arbitrio semper subjacuerat) usurpantes, nec priùs ab ejus vexatione desistunt, donec appellatione factâ Romani super hoc Pontificis adire judicium decernunt. Quid plura? itum est & reditum, sed nihil finitum; nam & Abbas, & qui contrà Abbatem ierat WALTERUS de Mauritaniâ (est ille summus quidem inter Franciæ Magistros, nunc Anthoniensis Canonicus, postea Laudunensis Episcopus) à Papâ Eugenio ad SANSONEM Remorum Archiepiscopum suâ ipsorum petitione remissi sunt; ut quâ majore possit diligentiâ, rei veritatem probari faceret, & absque præjudicio causam terminare. Sed post multos sumptus & labores quibus pro jure suo stare Abbas non pigritatus est, cum sibi consuetudo & auctoritas, & cætera justitiæ instrumenta non deessent, Clericos tamen plus justo Clericis favere, non sine

magno sui & Ecclesiæ nostræ præjudicio expertus est. Ad hunc enim finem consentire (ut verum dicatur) tandem coactus est, & consilio D. Remensis quod coactionis vicem obtinebat, acquievit, quatenùs Canonicis tertiam liberè daret præbendam, electo tamen priùs Abbati præsentato, & ab eo investito, concederet ipse Abbas quibus vellet, & custodiam Ecclesiæ daret : scholarum verò regimen annuatim, exinde accepto homagio, ei quem tam ipse quàm Canonici elegissent, traderet; qui anno exacto non sine Abbatis vel Clericorum consensu in eodem officio renovari posset.

Confirmatum quoque est, ut in anno semel à Canonicis, semel à Custode Abbas Ecclesiam visitans nocte & die procuraretur, & si vacarent fructus præbendæ alicujus, consilio Abbatis in usum Ecclesiæ expenderetur. Sed licet id quod concedendo Clericis præbendæ tertiæ dono acquievit incautè sibi, & malè posteris fecerit, aliquis tamen bonus usus fuit in illo : nam occasione illius negotii privilegium de Personatibus altarium innovari ab Eugenio Papa obtinuit, & literas excommunicationis in Advocatos ad Episcopum Leodiensem & Cameracensem sibi conscribi impetravit : nec oblitus est matris suæ, Ecclesiæ videlicet Lobiensis, cui de longinquâ illa peregrinatione in monimentum pietatis duo pallia quæ inter prima habentur Ecclesiæ ornamenta, afferre & offerre curavit.

Interim alia ei infertur perturbationis occasio : Officiales siquidem Monasterii patientiâ, ne dicam negligentiâ abutentes; (ut pote qui ex simplicitate suâ alios simpliciter quosque agere existimaret) debita debitis accumulare, & sicut tales in talibus solent, sua magis quàm aliena curare solliciti erant; Claustrales verò, qui pondus diei & æstûs portare sibi viderentur, necessariorum denario se fraudari, & unde alii deliciarentur se inde cruciari gementes, conceperunt dolorem, ut parerent clamorem.

Contigit autem GERARDUM Cardinalem, & Apostolicæ Sedis Legatum, à Leodio, ubi Synodum celebrem habuerat, Lobias adventare. Is quippe de Lobiensi Scholastico in Leodiensem Canonicum, dehinc in Cardinalem promotus, acceptâ in suos legatione major erat se. Cum ergo ad nos novam pro veteri parvitate magnitudinem ostensurus divertisset; audivit & exaudivit nostrorum querelam, & pro clamore, qui forte plùs justo intendebatur, plùs justo invehi in Abbatem non veretur : nam pro simili negligentia eisdem diebus Abbates duos Leodiensis Episcopii deposuerat. Factâ igitur coram eo plusquàm ducentarum marcarum computatione, eos quos hujus obligationis intricatores comperit à ministerio dejici præcepit; in Abbatem quoque manus extenderat, nisi ejus singularem innocentiam & religiositatem reveritus fuisset.

Pro sublevandâ autem hujusmodi oppressione, accedente insuper multimoda Ecclesiæ jacturâ, quæ & guerris Abvocatorum, & aliis iterum infortuniis sub ipsâ tempestate obvenerat; Fratres viginti ab alienas Ecclesias dispersi sunt; quam tamen dispersionem nec unius anni esse passus est Abbas; malens profectò si necesse esset, etiam debitorum cum adjectione necessaria procurari. Cum eum Episcopi & Abbates vel æmulatione, vel compassione pro hujusmodi sæpe convenirent, hoc erat munimen, quòd & in ipso, & in iis qui obedirent, summam Religionis vigere observantiam viderent, quamquam diù durare non posse constaret spiritualia, ubi deficerent temporalia. Anno autem Prælationis ejus undecimo, quo & defunctus est, eadem pestis quâ nocentior ulla Ecclesiæ nostræ unquam corruptela evenire potuit, adeò universum corpus debitorum mole oppresserat, ut propriam honestatem communi postponere utilitati necesse habuerit : nam seipsum suâ omnimoda parcitate coërcens, non aliter huic periculo succurrendùm existimavit, nisi & ipse à susceptione hospitum, (quam devotè & liberaliter exequutus fuerat) & inutili collectione Conversorum, vel Conversarum, seu ab omnibus quibus gravari posset Ecclesia temperare consentiret, & eos qui se & Capitulo inconsulto tot & tanta accumulare debita præsumserant, à ministerio dejectos, privatos in perpetuum degere decerneret. Quod factum, etsi ad tantæ dejectionis relevationem non suffecit, in spe tamen futuræ cautionis, ad terrorem præsentium errori vel tempori satisfecit. Eo siquidem defuncto non solùm Fratrum & ex iis paucorum, sed & servitorum, & omnium qui de Ecclesiâ quidquam subsidii recipere solebant, retentis stipendiis, tanta omnium penè Fratrum dispersio triennii spatio, & quod magis dolendum, sine aliquo fructu facta est, quantam Ecclesia nostra nec ante sensit, nec post sensura est.

Ut autem ad propositum redeamus, dum adhuc viveret prædictus Abbas; hæc sunt quæ suo tempore ex studio, Ecclesiæ nostræ contulit. Acquisivit de dono Episcopi Cameracensis NICOLAI altare de Moteselle; altare de Virginau; decimam de Arcellâ de manu pervasorum ereptam nostræ Ecclesiæ restituit, delato illinc & propter hoc ibidem detento per anni spatium beati Ursmari corpore, multisque à Willelmo & ejus complicibus illatis injuriis, petitâ & impetratâ ab Apostolica sede justitiâ Willelmum tandem quod usurpaverat evocare, vel evincere in Curiâ Comitis Flandriæ, & eodem Comite & filiis ejus obsidibus servandæ in reliquum vel in perpetuum pacis acceptis, ipsius Comitis & Procerum ejus testimonio ac privilegio pacem confirmari obtinuit.

Culturas villæ de Tullies quas mansionarii colendas tenebant, ad indominicatum Ecclesiæ revocavit. Multiplicandis in armario libris, maximè iis qui glossati sunt, & modernorum magistrorum opere conditi, tam ipse quàm prædecessor ejus, operam dedit. Aliquot calices, tria turibula deaurata non parvi pretii & decentis operis; crux quoque deaurata & lapidibus insignita, & quædam alia in diebus ejus thesauro Ecclesiæ accreverunt. Fabricam domûs susceptionis hospitum, quam Mandatum vocant, perfecit : non tamen Ecclesiam sancti Pauli desuper instaurare sicut prædecessor ejus, adjecit. Instituit quoque in honorem Matris Domini Missam, quam singulariter Sacerdos celebrabat, à toto deinceps Conventu generaliter, & Sabbato solemniter celebrari, & in eâ post ejusdem memoriam Joannis Evangelistæ, dein omnium famulorum vivorum ac defunctorum pro quibus eadem Missa instituta fuit, commemorationem fieri.

Obiit in sanctitate & justitiâ conversatus omnibus diebus suis : in extremo quoque vitæ in devotione, quam semper habuerat, inventus est. Vesperas quidem Sanctæ Trinitatis ore proprio consummans, ad ejusdem sanctæ Trinitatis visionem tendens emisit spiritum. Sepultus est in Ecclesiâ beati Ursmari in medio Ecclesiæ principalis, juxtà prædecessorem suum bonæ memoriæ Lambertum.

Obambulatorium Claustri ad portam Monasterii septemtrionalem, quod Adelardus Abbas ædificaverat, solo ex parte æquavit, eo quod (deficientibus quibus iidem ædificium restauraretur sumptibus) semel ruinam tolli, quàm quotidie timeri sanius judicaverit. Claustrum verò interius & refe-

ctorum, quantum ad ligneam spectat materiam, ex integro resarcivit. Locum Conventûs, quo videlicet ad sedendum & legendum Fratres conveniunt, decentiori opere & formâ spatiosiore præparavit, nec adimplevit. Privilegium quoque ab Adriano Papa instar priorum Romanorum Pontificum sibi renovari suo studio obtinuit, sicut in archivis Ecclesiæ nostræ continetur, Amen.

Quamvis hic Auctor historiæ Lobiensis finem faciat, cujus verba paulo latiniùs reddere sumus conati à principio usque ad Abbatem Hugonem; deinceps ad hunc locum partim lectionem restituerimus ex duobus manuscriptis, variis exemplaribus, & pauca pro sensûs intelligentia addiderimus, non tamen adhuc Musæ silent nostrorum Poëtarum, quas hîc de industriâ omisi, quia nihil à præmissis continent.

XXXI. Abb. Joannes I. Cum hîc finem fecerit noster Historiographus, cogimur si quid est de gestis posterorum Abbatum à nostris Poëtis mendicare, licet sic valde jejunum, quod non aliquis solutâ priùs oratione dilatarit: ut enim Poëtæ superno Spiritu solent afflari, lectorem ut plurimùm necesse est divinare quod ipsi mente conceperunt; & verbis involutis intexuerunt. Sic igitur de hoc JOANNE Latinus Poëta:

Anglus in Gallum furit, &c.

Videtur hic Poëta prædicti JOANNIS Antistitis post Franconem acta perstringere: quo gubernante, ut paulo ante attigerat noster Scriptor, tùm inopiâ rerum omnium grassante, tùm fervente bello Anglorum contra Gallos, Lobienses Monachi ad quævis alia Monasteria emigrare cogebantur, eâ præsertim de causâ, quòd postquàm hic Joannes Monachis singulis ac diversis curam administrandi bona temporalia dedisset, adeo ære alieno laborarunt, ut ad preces ipsius Abbatis GERARDUS quondam Rector scholæ Lobiensis, deinde verò Romanæ Curiæ Cardinalis creatur, atque Nuntius Apostolicus in Leodiensi provinciâ, eos graviter moveret, & damna Monasterii magno studio sublevare conaretur, omissis sæcularibus & laïcis, ut commodiùs Monachi possent sustentari. Inde hi variè dispersi tandem admissi ad Geronsal vallem scholæ sitam juxta Namurcum, ubi Abbatem suum cum comitatu tractare tenebantur. Interim ab accolis Sambræ ad annum Salutis MCXL. (ut notatur in margine; licet carmen innuat an. MCXXXIX.) construitur ligneus pons super Sambram, alio gravitate ponderis fracto; sed dolia in Sambram submersa protegens ac servans sanctus Erminus, effecit ut nihil detrimenti vinum acciperet: cujus miraculi novitate motus Abbas Aquicinctensis (ratio temporis indicat fuisse sanctum Goswinum septimum Abbatem Aquicinctensem) eo se contulit, & vino gustato reversus est. Cameracensis verò Præses pro tali beneficii divinitùs collati gratiarum actione publicas instituit supplicationes. Sic nos præmissos versus interpretamur, salvo meliori judicio.

Præfuit hic JOANNES Lobiensis Abbas XX. annis, & obiit II. Calend. Julii.

Cæterum hoc unum administratione mihi dignum videtur, quòd cum tot viri docti floruerunt apud Lobienses, veluti æterno silentio sequentium Abbatum gesta sepeliant, quorum virtutes aut vitia in horum memoriâ recentiùs versari oportuit: supersunt enim adhuc ad XXVII. Abbates, de quibus præter nomen vix aliquid invenias: quorum hujusmodi series juxtà numerum quem sequuti sumus, hæc est.

XXXII. Ab. Lambertus. LAMBERTUS Abbas uno dumtaxat anno Lobienses gubernavit.

XXXIII. Ab. Werricus. WERRICUS Abbas domum Lobiensem annis circiter quatuor & viginti rexit, non sine laude; sed Monasterii status sub eodem admodum exilis & obscurus fuisse videtur: nam cum aliquando ejus pristrinum splendorem & magnificentiam LUCIO Pontifice maximo commemoraret, deplorans sui temporis calamitates, & humilem sui Monasterii statum ac inopiam; respondit Pontifex heu! quomodo factum est, ut tanta dignitas & libertas, seu privilegiorum sublimitas, ad abjectam adeo umbram demersa sit. Hic Antistes ex hoc sæculo migravit anno Domini MCXCVII. de quo sic Poëta Gallus:

En ce temps furent divers Prelats.
Le plus nommé fut VERRICUS
L'an mil deux cens & cinq, vivat, &c.

Hîc autem monendus est Lector, si hæc cum gallico conferuntur non congruere annorum supputationem quam ex Abbatum electione ac regimine colligimus.

ROBERTUS Broniensis ac Lobiensis Monasteriorum Abbas: ea quidem viginti annorum spatio plurimis auxit beneficiis, & ædificiis exornavit: demùm vitâ functus anno MCCXVII. XXXIV. Ab. Robertus.

HUBERTUS Abbas cum annis quindecim rexisset Monasterium Lobiense, obiit septimo Idus Maii, anno MCCXXXII. XXXV. Ab. Hubertus.

RADULPHUS Abbas præfuit annis quinque. Moritur XIV. Septembris, anno MCCXXXVII. XXXVI. Ab. Radulphus.

WALTERUS Abbas gubernavit domum annis tribus. Obiit quinto Nonas Octobris, anno MCCXL. XXXVII. Abb. Walterus II.

THOMAS Abbas gubernavit annis XVIII. Defunctus est IV. Calendas Septembris, seu pridie Nonas Julii, anno MCCLVIII. XXXVIII. Abbas Thomas.

BARTHOLOMÆUS Abbas sustinuit curas Monasterii annis XXXVII. Hinc è sæculo migravit nono Calendas Junii MCCLXXIX. XXXIX. Ab. Bartholomæus.

RADULPHUS annis viginti apicem tenuit: demum ex hoc sæculo migravit XIV. Calendas Septembris, anno MCCXCIX. XL. Abbas Radulphus.

THOMAS Abbas non excessit in suo regimine annos quinque. Moritur anno MCCCIV. XLI. Abbas Thomas II.

WALTERUS primo sui regiminis anno moritur IV. Nonas Octobris, anno MCCCV. XLII. Abbas Walterus III.

Annum absolvit in suâ dignitate PHILIPPUS cum uno mense, migrans ad cœlum octavo Calendas Maii, anno MCCCVI. XLIII. Abb. Philippus.

Verùm JACOBUS à Binchio longiores duxit halitus, per annos XXVI. Demum ex hac vitâ recedens IX. Calend. Martii, anno MCCCXXXII. XLIV. Abbas Jacobus.

JOANNEM Abbatem lego annos tantùm sex gubernasse, unde migravit anno MCCCXXXVIII. XI. Calendas Junii. XLV. Abbas Joannes II.

NICASIUS Antistes quid fecerit XXVI. annorum cursu, ignoratur, & quando hanc vitam reliquerit, nisi ponamus annum MCCCLXIV. XLVI. Abbas Nicasius.

Demùm perlegens Chronica Brabantiæ disco, quòd anno MCCCLVIII. dominus de Grimbergue dono dederit huic Ecclesiæ Lobiensis Cœnobii mediam partem urbis Mechliniensis, ac demùm in eodem Cœnobio amplexus est vitam monasticam. Verùm quia Abbates non poterant ejus dominium sustinere ac tueri, eam partem vendiderunt permutatione aliorum bonorum Episcopo HUGONI Reverendissimo Leodiensi, qui ipsam vendidit JOANNI II. Duci Brabantiæ.

Hunc sequutus est GUILLELMUS per annos XVI. raptus anno MCCCLXXX. XLVII. Abb. Guillelmus.

PETRUS verò præsedit annis sex, mensibus totidem, emigravit anno Christi MCCCLXXXVI. XLVIII. Ab. Petrus I.

PETRUS autem cum regnasset annis septem & quatuor menses, attigit penè annum salutis MCCCXCIII. XLIX. Abbas Petrus II.

L. Abbas Nicolaus.

Hos menses si adjungamus Abbati NICOLAO qui tiaram gessit XVIII. mensibus, colligimus eum vidisse annum Domini MCCCXCIV. cum quatuor mensibus.

LI. Abbas Joannes III.

Plures annos quàm posteri attigit annos JOANNES III. qui cum sceptra gestasset annis sexdecim, obiit Nonis Octobris, anno millesimo quadringentesimo decimo, & quatuor mensibus.

LII. Abbas Bertrannus.

BERTRANNUS autem Lobiensis Monachus viginti annis suam Abbatiam admodum piè rexit, & obiit. In exactis tot curriculorum annis à Waltero I. plura de BERTRANNO cecinit noster Poëta.

LIII. Abbas Ægidius.

ÆGIDIUS verò Altimontensis Monachus adeo claruit pietate & doctrinâ, ut promoveretur ad Lobiensis Monasterii dignitatem, quam multis virtutibus exornavit viginti septem annorum curriculis. Vitam cum morte mutavit ultimâ Aprilis, anno MCDLVII.

LIV. Abbas Joannes IV.

Cum Lobienses gustassent quam suavitatem pietatis & disciplinæ regularis sibi attulisset Cœnobii Altimontensis Monachus, alterum insuper sibi in Abbatem admittere inde non dubitarunt, nomine JOANNEM quartum ab Anselino cognominatum, qui gubernacula Lobiensium direxit ad annos sex & viginti; quem mors tandem rapuit Nonis Octobris, anno Domini MCDLXXXIII.

LV. Abbas Joannes V.

Hunc excepit JOANNES V. ab Essen cognomine, Monachus Affligemiensis, qui uno minùs anno quàm antecessor Lobiense Monasterium rexit. Vitâ functus XI. Calendas Julii, anno MDVIII. cum onus gubernandi Guillelmo Cordier Monacho sancti Ghisleni resignasset.

Circà hujus JOANNIS ætatem, ut pote humanæ salutis MCDLXXXV. HENRICUS à Bergis Episcopus Cameracensis, electus anno MCDLXXX. qui obiit anno MDII. ex singulari devotione jussit aperiri testudinem cooperientem corpora Sanctorum Lobiensium, inventosque postquàm debito honore affecisset, recludi fecit opere cæmentarii, suoque sigillo locum obsignans, quadraginta dierum indulgentiis insignivit (ut ipsius attestantur literæ) in subsidium salutis eorum, qui ibidem Sanctos visitassent.

LVI. Abbas Guillelmus II.

GUILLELMUS verò Cordier accepto gubernandi regimine Lobiensibus præfuit annis XXVIII. cum insigni pietate & sollicitudine. Collapsam siquidem vitæ regularis disciplinam admodum prudenter excitavit atque confirmavit; bona quoque temporalia Monasterii Lobiensis partim ære alieno oppignerata, partim distracta atque alienata solerti diligentiâ recuperavit. Demùm ex hoc mundo migravit pridie Idus Octobris, anno MDXXXVI.

LVII. Abbas Guillelmus III.

Ejusdem nominis GUILLELMUS III. subsequutus est Religiosus Vedastinus, cognomine Caulier: qui existens Abbas Broniensis, accersitus est ad regendam Abbatiam Lobiensem, ubi Monasticam vitam à suo prædecessore diligenter cultam ad maturitatem adduxit, atque insuper & opibus auxit, & quàm plurimis structuris ædificiorum ampliavit; etiam si à multis annis ipsa Ecclesia ære alieno gravaretur. Demùm XXIX. sui regiminis anno ad cœlum emigravit primo Augusti die, cum flueret annus salutis MDLXV. paulo tamen altiùs hujus Guillelmi ætatem videtur repetere Gallicus Poëta.

LVIII. Abbas Dominicus.

DOMINICUS Capron nomine, & ordine (erat enim Conventus Attrebatensis seu juxtà Attrebatum) Dominicanus, & sacræ Theologiæ Doctor percelebris ad hanc dignitatem promotus fuit à suo Confratre eximio & Theologiæ Doctore Domino Thouca, Confessario Caroli V. Imperatoris, etiam si parum inter se, dum in eâdem domo cohabitarent, convenire dicerentur. Non fuit autem hic Dominicus ad hoc culmen evectus, aut superbior aut negligentior: siquidem templum, quod sui prædecessoris ætate fuerat flammis solo æquatum, à fundamentis excitavit, construxit atque absolvit. Et quidem de ipsâ conflagratione sic canit Gallicus Poëta:

Mil quarante six dessus cinq cent,
En Juin avint feu fortuit,
De telle furie tant vehement,
Que tout le cloistre brusla subit.
Les cloches, les orgues, les sieges, les livres
Beaux & de grande antiquité,
En dortoir, refectoir, cuisines
Ce qui estoit fut animé,
CHAPPRON *sur l'espace de vingt ans*
Dressa ce beau vaisseau d'Eglise.
Lequel François bien decorant,
Employa esprit & les mises.

Ubi si annos hosce recipiamus, paululum citiùs noster calculus cucurisse videbitur; licet quantum in nobis fuerit singulorum Abbatum ætates ad numerum cujusque regiminis in Catalogo generali annotatum fuerimus jaculati. Et siquidem nostræ standum est supputationi, adjunctis annis viginti ad Dominici Abbatis gubernationem cum præter Ecclesiam nunc adhuc exstantem varias structuras totius Monasterii excitarit, mortuus fuisse reperietur anno Domini MDLXXXV. undecimo Calend. Novembris, verùm ne pertinaciores videamur, etiamsi Chronicon Abbatum, ut à nobis supputatum est, annorum rationem nobis reliquerit, quia dictum Dominicum Capronem vidimus abhinc circiter annis septemdecim Aquicincti in benedictione Domni WARNERI Daurei Abbatis, approbamus quod paulo ante annotavit Gallus Poëta, ab ipso Caperone annorum viginti spatio augustam Ecclesiam Lobiensem ædificatam, quam circà annum Domini MDLXX. magno splendore ac decore exornavit Domnus ERMINUS, cognomine Franciscus, Abbas adhuc superstes anno MDXCI. in Abbatem evectus anno MDLXX. vir nunc decrepitus, qui accito sibi coadjutore abstinentiæ ac sobrietatis studium sectatur, rarò admodum cœnam sumens, singulis horis divini officii tam de nocte quàm de die suam exhibens præsentiam, & singulis penè diebus sub horam quartam mane sacrificium Missæ Domino Deo Patri offerens. Ad hæc suos in arctissimâ instituti regularis normâ constringit, ferturque nonnihil erga eos commisisse, unde coactus sit coram omnibus veniam petere. Denique quoad vivet, & post mortem præter insignia suæ pietatis spiritualia, hoc etiam relinquet, quod templum totum pavimento straverit, apsidem seu potius frontispicium chori insigne erexerit; refectorium quoque condiderit, ut ego ex virorum gravium relatione accepi. Obiit autem anno MDXCIII. ut habet charta ex Cœnobio Lobiensi ad Aquicinctinos missa, hoc tenore:

Quinto Calendas Junii anni præsentis MDXCIII. *in Monasterio nostro S. Petri apud Lobias, Ord. Divi Benedicti, Cameracensis diœcesis, è vivis excessit R. Pater & Abbas noster Domnus* ERMINUS François *qui exactis in Prælatura officio* XXVIII. *annis, & strenuo sibi commisso munere perfunctus, singulare nobis reliquit abstinentiæ & pietatis exemplum. Hujus animam pro indissolubili confraternitatis inter nos contractæ fœdere, vestris orationibus sublevari ex debito instantissimè petimus:* JULIANUS BECQUET *Cantor.*

LIX. Abbas Michael.


MICHAEL postquàm Coadjutoris officium decem & circiter octo annis administrasset, ac tandem dignitatem Abbatialem fuisset assequutus, vitâ fun-

ctus est anno ætatis suæ LX. præfecturæ verò III. anno Domini MDC. die XII. mensis Octobris.

LX. Abbas

Guillelmus IV.

GUILLELMUS Gilbertus denominatus Abbas, necdum habet à Curiâ Romanâ suam confirmationem in Julio anno MDCI.



MONITUM.

CHRONICON GEMBLACENSE Auctorem in codice MS. præferebat Chronographum insignem Sigibertum. Sed rationes aliquot ex ipsomet Chronico sumptæ nos adduxere, ut illud Sigiberto denegaremus. Et primò quidem sese prodit Auctor (suppresso tamen nomine) enarrans acta scriptaque Sigiberti : In Cœnobio Gemblacensi me qui hæc descripsi, & multo meliores erudivit : (*Sigibertus*) quorum multos ante se præmisit; paucos, proh dolor! post se dimisit. *Deinde qui fieri potuit, ut Scriptor ille singillatim Opera Sigiberti enumerans ne verbulo quidem Chronicon sive de Gestis Abbatum Gemblacensium libellum eum elucubrasse indicaverit, cum sæpiùs sese daret occasio?*

Scio equidem, nec me latet, Sigibertum in fine libri De Scriptoribus Ecclesiasticis isthæc verba de se protulisse : Scripsi & Gesta Abbatum Gemblacensium. *Quibus forsitan delusi amanuenses, libellum nostrum de Gestis Abbatum Gemblacensium Sigiberto adscripsere. At verò quid causæ fuisset Scriptori anonymo, si auctorem Chronici Sigibertum agnovisset, cum premere silentio, (quem miris ipse laudibus prosequitur, suumque sibi applaudens Magistrum profitetur) sanè non video.*

His accedit, Sigiberto superstitem Auctorem certo & simili modo scribendi ab ipso exordio ad finem Chronici seriem Abbatum contexuisse. Proinde unicum, non duos Chronici Auctores fateri necessum est. Verùm de conjecturis ejuscemodi Lectoris sit judicium.

LIBELLUS DE GESTIS ABBATUM GEMBLACENSIUM, ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

AUCTORE MONACHO EJUSDEM MONASTERII.

Vita Erluini I. Abb. à Richario conscripta.

VItam ERLUINI primi Gemmelacensis Abbatis RICHARIUS Monachus ejus ad NOTGERUM Leodiensem Episcopum metricè descripsit, sed nescimus quomodo accidit, quòd dissipatis & intercisis scedulis à memoriâ hominum deperiit : unde quasi particulas discissæ vestis colligentes, & quidquid de eo scriptum ubique invenimus simul assuentes, fecimus ut saltem hæreat sibi quasi unius corpusculi compages. Ne ergo exordium ex ambiguitate alicujus conjecturæ vacillare videatur, verba ipsius Richarii in fundamenti stabilitate jaciuntur.

Venerabilis itaque ERLUINUS patris proprii studio literalis scientiæ imbutus documentis, cum in præsenti sæculo cerneret nil agi utilitatis, cœpit æstuare ejus rudis affectus, dans operam ut postpositis vitæ lubricæ faleramentis, Cœnobitarum sponte conglomeraretur phalangi : mœnia siquidem Gemmelacensis Cœnobii pariter cum Domno WIBERTO Dei cultore construere viriliter fategit, ejus quoque adminiculatione cohors Monachorum puerorumque in Domino communiter degentium conglutinata est haud exigua : omnibus enim carus exstitit, singularis charitatis, fervoris, alacritatis in advenis, in pauperum catervis sanè pro meritis condignè rependere noverat; simplicibus mysteriorum profunditates depromere, in solvendis ac opponendis sagax assertionibus, adversùs malignorum procellas vigens ac solidus, rebus in adversis submittere volens animum; sobrius per pacis prospera : redundabat amor & timor in subditis, dogma redolebat in alumnis. At verò quem nulla quiverunt adversa movere, licet concussus & agitatus sit molestiis acerbis, contendit jugiter virtutum gradibus polorum scandere regna. Novit enim quod felicem tranquilla non faciant, verùm mens sibi benè conscia quanto magis atteritur, tanto ampliùs splendescit. Gaudia verò lubrici sæculi quo magis vernando pollent, & ampliùs se spatiando trahunt incessibus, hoc ampliùs noctis tartareæ subeunt penetralia, sublatoque lumine ruunt morte perimente pestiferâ.

Sanè Patronum suprà memoratum laude dignissimum clausum septa Cœnobii tenerent absconditum mundo, verùm vernantem polo, ut pote sidus splendidissimum, dictis pariter & actibus radiabat ubique. Monachorum, etiam Clericorum concionibus formam vitæ super astra ferentis totis nisibus cœlebs ostendebat, & ad cœlestis consortium Hierusa-

lem de noctis valle vocatos, quò virtutum gradibus lucis scandere itinera certarent, multis modis hortabatur. Talium siquidem floribus redimitus studiorum, vitæ perennis semina humanarum mentium serens præcordiis, innumerabiles hominum phalanges propriis instruens exemplis, noxia mundi despicere, & salutare vivendi propositum docuit adire. Hæc de rudimentis vitæ & conversatione Erluini Abbatis supradictus Scriptor in ipso rationis procemio per anticipationem declaravit, tempus quoque quando claruit in textûs sui limine statim insinuavit, & virtutem actuum ejus iterando aptiùs confirmavit, ita exorsus:

OTTONIS *fuit hic ad tempus Regis in aulâ;*
Ast ubi devotus fidei sumpsit documenta,
Terrigenis speculum, lux, & imago Dei,
Sincero Dominum corde sequi studuit,
Quàm patiens, & quàm dulcis, quantumque benignus:
Nam placidus degens lenibat corda furentum,
Alloquio blandus, mirâ gravitate modestus:
Mitis erat cunctis, suavis, pius, atque benignus.
Quem mœstum vidit, quem tristem, quemque dolentem,
Affatu dulci mœrentia pectora mulcens.
Quam præsens, parcus fuerit potûsque cibique:
Esuriem qui tam tenui suspenderat escâ,
Et sitis ardorem modicâ dimoverat unda;
Illud in ore canens, illudque in ore volutans,
Sed virtute magis verbi mens pascitur, ex quo
Insomnes noctes hic ducere sæpe suetus,
Pervigili curâ fortes aptabat habenas.
Munditiâ ut cordis superoque ardore caleret,
Utque animus cœlo vigil, & suspensus in ipso
Jugiter exstiterit, quis memorare queat?
Cœlestis verbi meditamen in ore tenebat,
In mores pacis de feritate vocans,
Non asper, non trux, non violentus erat,
Gratus, blandiloquus, compatiensque bonis:
Affectu patris subveniebat eis.
Angorem pressit, gaudia læta dedit;
Ostendit sancti vita probata viri,
Quo frenata magis quàm securata foret,
Pane quòd in solo non bene vivit homo.
Perpetuæ lucis gaudia vita capit;
Pulsabat cœli fletibus astra piis,
Spiritui cogens membra subacta dare,
Arceret flammas carnis ab igne datas,
Ac terris positus jam super alta foret,
Justitiam esuriens, justitiam sitiens.

His vivendi documentis non tantùm initiatus, sed ad plenitudinem usque institutus, vixit in Clericalis ordinis habitu quàm potuit laudabiliùs: sed quia ipse Dominus pars hereditatis est Clericis, secundùm nomen suum in sortem Domini electus ambiebat sagaciter, ut funes hereditatis caderent sibi in præclaris; ideo proficiens de virtute in virtutem, de Canonicæ regulæ gradu ad Monachicæ vitæ ascendit sublimitatem, ubi non aliter vixit, quàm alios vivere docuit, quos suo exemplo ad ejusdem propositi jugum suscipiendum attraxit; sciens juxtà dominicam vocem, quia qui dominica mandata non solvit, & alios ut non solvant docet, minimus in regno cœlorum vocari habet: quapropter bona & agendo & docendo magnus in regno cœlorum, in præsenti scilicet Ecclesiâ, meritò est vocatus. Tam multiplici morum honestate usquequaque commendatus, habebatur cunctis reverendus, & Dei timorem appetentibus per omnia imitandus.

Multi etiam, quos sæcularis adornabat potentia, eum dignum judicabant suâ amicitiâ, pro eo quod in illo eminebat sanctitatis reverentia, consilii vigebat prudentia, & animas Deo lucrandi singularis ei divinitùs collata erat gratia; cui inter cætera hoc quoque addidit dispensatio divina, ut nobilissimi apud sæculum, & devotissimi apud Deum WICBERTI, seu GUIBERTI, frueretur amicitiâ, ita ut mutuæ caritatis inter se indivisibili conjuncti glutino, unum vellent & unum nollent in Domino; & ubi tam pia erat unanimitatis inspiratio, nulla prorsùs poterat subrepere contrarietatis conspiratio. Sed profectò credebat multum deesse sibi, cum ipse solus retraxerat pedem à vanitate sæculi, quòd adhuc pars altera animæ suæ, piissimus scilicet Wibertus, hæreret infixus in limo mundani profundi. S. Guiberti gesta percurruntur.

Cupiens ergo supradicto amico suo Wiberto veraciter & perpetualiter frui in Domino, toto mentis ardebat desiderio, ut eum posset lucrari in Domino, & omnem gratiam amicitiæ, quâ apud animum ejus tam efficaciter poterat, ad salutem animæ illius convertere gestiebat; nec priùs destitit, quàm eum artiùs infixum in lacu mundanæ miseriæ, & luto sæcularis potentiæ, fortiter injectâ manu extraxit, & suprà petram Ecclesiasticæ conversationis statuit, & gressus ejus ad iter justitiæ direxit, & hymnum novum divinæ laudationis in os ejus immisit. Deinde etiam in totius vitæ suæ tenore exequendo strenuus ei fuit eruditor, fidus & circumspectus consiliator, & promptus in rerum oportunitate adjutor. Hoc denique incentore, Basilicam Deo & sancto Petro, sanctoque Exuperio officinas Claustris Monachicæ religionis competentes ædificavit; res suas hereditario jure Deo delegavit; Fratres ad juge Dei servitium idoneos inibi congregavit, seque suaque omnia ad ejus initium obediens ordinavit. Condi Monasterium Gemblacense.

Perpendens itaque præfatus Wibertus hunc virum suis temporibus à Deo destinatum ad lucrandas animas, & benè expertus dirigi à Domino omnes illius vias, pro collato sibi cœlitùs subsidio incessanter Divinitati agebat gratias. Unde salubri directus consilio, totum se ejus submisit magisterio, eumque Abbatem delegit, & perfecit sibi Fratrumque suorum collegio, ut omni mundanæ sollicitudinis onere deposito ipse securiùs & intentiùs contemplativæ vitæ invigilaret proposito. Fit I. Abbas Erluinus.

Igitur vir vitæ memorabilis ERLUINUS non honorem sed onus suscipiens Monastici regiminis, eo ferventiùs cœpit insudare Regularis disciplinæ studio, quo sciebat se Deo rationem redditurum, non tantùm de suis, sed etiam de sibi subjectorum ratiociniis, de cujus vitæ insinuando statu non opus est agere multo verborum ambitu, de quo constat non alia egisse, nisi quæ placita essent in veri judicis conspectu; nec dubium qui tam gratuitè Deo placebat pro bonæ intentionis oculo, quòd etiam Dei amatoribus placuerit pro bonæ actionis studio; & qui bonis erat amatus & reverendus, non mirum quod contrariis Deo erat suspectus & contrarius. Interiùs ergo animarum consulens saluti, exteriùs autem corporum intendens usui, ut prudens & fidelis pater-familias, utriusque hominis prospiciebat utilitati, qui sciens insolentiam sæcularis potentiæ solere adversari Ecclesiasticæ quieti, omnia quæ beatus WIBERTUS legali testamento delegavit commissæ sibi Ecclesiæ Dei, Imperialis & Apostolicæ manûs astipulatu fecit perpetualiter corroborari, quas chartas non pigeat hîc inserere, ut eas tenaciter posterorum memoriæ commendemus. Imperialis charta ergo est hujusmodi: 948. Factus Abbas quàm relicisse se gesserit.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris æterni. OTTO divinâ favente clementiâ Rex Lotharien-sium Charta fundationis Mo-

nasterii confirmatur. *Vide Sigibert. ad an. 948. & Myrai Cod. Donationum, pag. 130. Notitiam Eccles. Belg. p. 101. 102. Diplom. Belg. p. 33. & seqq.*

„ sium & Francigenûm : quidquid Germaniensium „ sub Imperii nostri ditione Dei nutu à venerabilibus ac Dei timoratis agitur viris, ratum ducimus „ nostris corroborari assertionibus, scilicet nostrâ „ firmitate ac defensione valeant contrà infestantium incursus tueri. Quapropter agnoscat fidelium „ conventus, quòd quidam WIBERTUS nomine à „ sæcularibus hujus vitæ tumultibus recedens, contemnens transitoria ut commutaret æterna, vertit „ se ad Monasticæ vitæ regulam sincero mentis affectu, cogitans qualiter à semetipso, prout possibilitas sibi adesset, Deificæ Majestatis augmentaretur famulatus, construere Basilicam mox cœpit „ in loco *Gemblaus* dicto, in honore sancti Salvatoris Domini nostri JESU-CHRISTI. Talis ergo desiderii carissimum nepotem suum, Wibertum præfatum, calore succendi conspiciens avia sua GISLA „ nominata, præsidio constructionis ejusdem Gemblacensis Cœnobii, res eidem nepoti suo legali traditione contulit hereditarias, quas sibi vir suus nomine ROTHINGUS impendit dotis gratiâ, in Comitatu scilicet Lomacensi atque Darnuensi, villam scilicet Gemblaus cum omnibus ad eam pertinentibus. In eodem quoque pago villam Busiols „ dictam cum appenditiis suis : & in villâ Asnatgiâ „ quidquid ipse jure tenuit, & apud eumdem pagum villam Salvenerias, unumque mansum quod „ emit, vocabulo Ruoz ; alterumque mansum fiscalem in loco qui dicitur Vilers ; similiter in pago „ Hasbain apud villam Hermez mansum unum, „ quod Rothingus & conjux ejus emerunt.

„ Vitæ denique Monasticæ normam multiplicari „ cernens piissima GISLA, dedit nepoti suo WIBERTO quidquid Rothingus dotis gratiâ donaverat, in comitatu Nastenaco villas Naslei, Corbeis, Avoncourt & Curceles, & molendinum „ unum super fluvium Fontlain in Comitatu Losensi, & clibanum quemdam in civitate Sens „ nuncupatâ, per annos solventem singulos xxx. „ solidos nummorum ; similiter in Comitatu Stampais villam Maison dictam, & villam Algeldi.

„ Domnus interea præfatus Wibertus de paternis „ vel maternis rebus suæ hereditatis legales faciens „ traditiones, dedit quidquid jurium visus est habere Fratribus in eodem loco Gemblaus sub Regulari viventibus disciplinâ, quos ibidem Dei coadunaverat miseratione, in Comitatu scilicet Breibant, in loco Melin, Ecclesiam, cambam, molendinum, & culturam Arnulfi, ac decem mansos de Lietzinis, quos filio suo Wiberto mater solummodo cum fratre suo Oilboldo legaliter tradidit, & apud eumdem pagum medietatem villæ „ Putian, medietatemque Bourene, in Comitatuque Darnuensi medietatem villæ Curtily dictæ, ac „ medietatem villæ Walahain dictæ, medietatemque Wasmont in pago Hasbain.

„ Siquidem & in hoc habuit doctorem venerabilem ERLUINUM, qui & ipse Canonicam, quâ vivebat, regulam mutavit in Monasticam vitam: „ ipsum præfatus Wibertus, post ædificatam Ecclesiam & officinas Claustri, quas simul construxerant, sibi elegit Abbatem, & se cum omnibus „ quos accersierat Monachis commisit regendum.

„ Igitur virtute nostræ roboramus auctoritatis „ quidquid ipse contulit illi Ecclesiæ, ac quidquid „ exinde venerabilium virorum largitione fuerit concessum. Et annuimus Abbati Cancellarium sibi „ constituere quemcumque voluerit ex suis ; similiter mercatum, percussuram monetæ, macheriam ; nec per gyrum ipsius Abbatiæ quislibet „ Comes sive Legatus dominicus ullâ utatur potestate, sine permissione Abbatis & Advocati : isdemque locus absolutus sit ab omni teloneo. "

Idem OTTO LAMBERTUM *Comitem Lovaniensem constituit Advocatum Monasterii Gemblacensis.*

OTTO divinâ favente clementiâ Rex Lothariensium & Francigenûm. Quidam vir nobilis, WIBERTUS nomine, his temporibus construxit Monasterium in honore sanctorum Petri Apostoli & Exuperii Martyris, in pago Darnuesi, in proprietate hereditatis suæ quæ Gemblouës nuncupatur : qui adiit præsentiam nostram cum ERLUINO ejusdem loci Abbate, & locum ipsum nostræ tutelæ commisit : quod nos gratanter accepimus, ac sigilli nostri impressione roboravimus. Verùm quia Fratribus ejusdem loci grave nimis esset præsentiam Regis semper adire, cum electione ipsius Wiberti & Abbatis dedimus advocatiam ipsius Abbatiæ Lamberto Comiti Lovaniensi, viro forti & bellicoso, qui vice nostrâ adjutor eorum sit ac defensor. Illud etiam statuimus, ut Comes Lovaniensis nunquam præter unum Subadvocatum habeat. Porrò subadvocatus in villis ad Abbatiam pertinentibus nihil aliud juris habebit, nisi per singulos annos de unâquâque domo denarium unum, gallinam unam, avenæ sextarium unum. Acta sunt hæc an. DCCCCXLVIII. Indictione XII. anno Imperii nostri XIII. in oppido Franconefort, mense Junio in Martyrio Petri & Pauli. "

GISLA post hæc sæpememorata, divinæ inspirationis in eâ magis ac magis crescente clementiâ, Monachorum videns multiplicare catervam, seque divino mancipans obsequio, dedit etiam præter ea quæ suprà notavimus ex propriâ hereditate, in Comitatu videlicet Haisou in villa quæ dicitur Masuic, quamdam terræ partem.

Sequitur Apostolicæ auctoritatis Charta, scilicet à BENEDICTO *Papa.*

BENEDICTUS Episcopus servus servorum Dei religioso Abbati venerabili Monasterii sancti Salvatoris Domini nostri JESU-CHRISTI, ac sancti Petri, &c. *Desunt.* Sigibert. an. 954.

Sed ad propositum Operis redeamus, & quales quantasque persequutiones sustinuerit vir religiosus ERLUINUS, qui etiam martyrium pro Dei amore subire erat paratus, paucis aperiamus ; quod quidem FULCUINUS Abbas non tacuit in libello, quem de gestis Abbatum Lobiensium scripsit, sed quâ intentione scripserit, si quis diligenter inspexerit, planè intelligere poterit, quòd veritatem quidem rei gestæ digesserit, causam tamen rei magis ex motu animi quàm ex vero interpretatus sit.

Is ERLUINUS omnium bonorum amicitiâ dignus, ut pote in eâ acquirendâ utiliter idoneus, & in eâ conservandâ fideliter industrius, singulari amicitiâ confœderatus erat RAGINERO Comiti, qui ob proceritatem corporis cognominabatur Longicollus, qui tunc temporis principabatur Haginoënsibus. Hic Baldrici Leodiensis Episcopi avunculus fuit : & quia suâ potentiâ in omnibus nepoti suo Episcopo patrocinabatur, Abbatiam Lobiensem in beneficio accepit, & mirum in modum qui sæcularis potentiæ tyrannide toti Imperio formidolosus erat, venerabilis Erluini monitis salubribus libenter obediebat. Cum ergo, ut dictum est, tantâ efferretur insaniâ, tanto tamen viro se submittebat, & ut cultum sanctæ religionis exerceret in omni loco ditionis ei permiserat : unde commisit ei Monasterium sancti Vincentii in loco Senogias dicto, ubi Clericalis ordinis regula Sigibert. an. 956.

vigere debebat, ut ibi monasticæ vitæ ordinem instituerent. Sed id importunitate rei & temporis infectum remansit.

Præposituram etiam Lobiensis Monasterii ei commisit, ut quanto sibi adhærebat familiariùs, tanto sibi deserviret fideliùs; & quanto erat religiosior, tanto ad Fratres ejus loci regulariter gubernandos esset intentior. Quod quia invitis Fratribus factum erat, Fratrum unanimitati satis displicebat, qui per facilitatem Prælatorum licentiâ illicitâ deteriorati, plerique etiam gloriantes ex nobilitate sæculari, & ex personarum acceptione magis quàm religionis sanctitate rem omnem æstimare assueti, ægrè ferebant illum ex humili conditione & ex alio loco sibi præferri: & grave & intolerabile eis videbatur à tortitudine morum suorum ad normam regularis vitæ tam subitò per illum revocari. Profectò si rerum convenientia inspiciatur, qui per remissiorem Pastoris sollicitudinem per tot annos à disciplinâ regulari desciverant, tam difficulter ad rectitudinem vitæ reduci poterant; non, inquam, mirum si levitatis dissolutio eos effrænaverat, quibus per annos plus nonaginta nulla Abbatum regularium paternitas excubaverat, sed mercenarii & qui non erant Pastores, quorum non erant oves propriæ, dominicum ovile dissipaverant, dum quæ sua non quæ Dei erant quærerent, omnia venalia habebant, & in Ecclesiâ Dei columbas, id est gratias Spiritûs sancti vendentes, domum Dei speluncam latronum effecerant: quod malum in caput illorum redundasse creditur, qui ut mali Pastores lacte ovium Dei impinguati, lanis eorum vestiti, vilipendebant abigere lupos ab ovili Christi, & quasi canes muti non valentes latrare, animas subjectorum patiebantur interire.

Quis enim non execretur? Quis, inquam, non abominetur, quòd tanta incuria ne dicam avaritia animos Episcoporum incesserat, quòd ab anno Domini 863. quo odibilis Deo HUBERTUS, frater Reginæ TIETBERGÆ, fugato HARTPETO Abbate Abbatiam Lobiensem invasit, usque ad annum Domini nongentesimum quinquagesimum sextum, quo BALDRICUS expulso RATHERIO cathedram Ecclesiæ Leodicensis accepit, locus ille tantæ hactenùs nobilitatis & religionis honore insignis sine Abbatis prælatione perduravit? Nam postquàm prædictus Hubertus Abbas & Dux justo Dei judicio in bello exstinctus interiit, FRANCO ei in regimine successit, & ipse postmodum Episcopus factus, Abbatiam Lobiensem subdi juri Episcopi Leodicensis ex munificentiâ Imperatoris Arnulfi impetravit, & post eum STEPHANUS, inde RICHARIUS, post eum HUGO & FARABERTUS: omnes, inquam, isti dum magnis Abbatiæ reditibus carere nolebant, & Præposituras, quas sub nomine & merito obedientiæ religiosis & timoratis viris committere debebant, quasi rusticanas villicationes annuatim pretio dabant & adimebant; omnia divina & humana ibi confuderant, omnia sancta & profana promiscua haberi fecerant; & ita miserabili modo quod sibi lucro esse putabant, ad animarum damna verti vilipendebant: ubi enim primò pecuniam quærendam esse proponebatur, scis profectò quia virtus post nummos ponebatur: ubi nullus honor virtuti locusque erat, quæ spes bona esse poterat?

Igitur Fratres cum nollent ad correctionis rectitudinem reverti, per omnia & in omnibus adversabantur prædicti viri voluntati, clamantes & conquerentes res suas ab eo prodigè dilapidari, & substantiam Monasterii non moderatè obsoniis sæcularium personarum exstirpari, & maximè in servitio Comitis RAGINERI: hoc nomine protegebant culpam suam, obliti illam sententiam, quâ sanctus Benedictus nos regulariter informat: *Ante omnia ne murmurationis malum qualicumque verbo aut signo appareat.* Cap. 34. Sed vir Dei doctus in patientiâ suâ habere animam suam, scuto humilitatis & patientiæ protectus omnem adversitatum sustinebat molestiam; sed quanta & qualia fuerint quæ pertulerit, ex scriptis Fulcuini Abbatis intelligi poterit. Non timuerunt de ejus morte tractare, & ne longiùs sermonem protraham, tres eorum, quibus nobilitatis vanitas & juventutis robur, propinquorum etiam assensus promptiorem ingesserat audaciam, cum magno & satis gravi ordinis & professionis periculo dormitorium noctu aggrediuntur, ipsum extrahunt, & pertractum extrà ambitum Claustri inhumanè tractant, oculis privant, partem etiam linguæ amputant, non tamen loquendi officio & usu ejus privatur. Hoc actum est XIII. Kalendas Novembris, anno DCCCCLVIII. 958.

Ille taliter martyrizatus, ut nihil bonæ spei inter eos sibi superesse serò intellexit, tandem cessit: nam ita debilis & exoculatus navi imponitur, Gemblaus advehitur. Nec tamen hic labor justi viri per omnia infructuosus fuit, sed Christi bonus odor, *Quia aliis odor mortis ad mortem, aliis odor vitæ* 2. Cor. 2. 15. *ad vitam fuit*, vim benevolentiæ & fortitudinis suæ passim diffudit: nam postquàm per incorrigibilem Fratrum levitatem palam est deprehensum, Fratres sine Abbatis prælatione degere quàm sit periculosum, deinceps sub Abbate eos agere permissum est, & restrictâ levitate Fratrum status sanctæ religionis reformatus est: res etiam eorum, quæ per avaritiam & ambitionem majorum dissipabatur, ad communem Fratrum utilitatem ordinatiùs stabilita est.

Liceat hîc paululum rerum convenientiam considerare, & rem rei comparare. Vir iste, de quo agimus, aliquid simile pertulit, & ideo, ut credimus, si parva magnis componere licebit, etiam cum remuneratione laborum aliquid simile cum illo habebit, cujus ipse sedulus imitator exstitit. Exemplar vitæ nostræ S. BENEDICTUS olim unius Monasterii Fratres ad regendum suscepit, quos exorbitantes à regulari viâ quia ad iter justitiæ retrahere non potuit, quoad potuit toleravit, quàm intentiùs valuit corrigere laboravit: quorum putrida ulcera ubi sensit nullo medicaminis fomento sanari, sed omnes econtra ad phrenesim usque ita exasperari, ut etiam tractare non timerent de morte medici: illos dimissos permisit viam suam ingredi, ipse secum habitans ubi fructuosiori instaret labori. S. Gregor. Dialog. l. 2. cap. 3. Ita etiam iste noster susceptos Fratres, quos contrà se unanimes in malo videret, quamdiù potuit etiam cum damno & periculo suo patienter sustinuit; at ubi sensit illos etiam mortem animarum suarum vilipendere dummodo possent illum interimere, sibi licet serò consuluit, & illis aliquantulum pepercit, quare ne denuò ab eis impetitus interiret, ab eorum manibus se subduxit. Illi sancto Benedicto occultum venenum ingerentes, poculo obvelare voluerunt infamiæ opprobrium: istorum impudica libertas aperto crimine nullum quæsivit umbraculum. Nos hæc relinquimus aliorum æstimanda judicio.

Servus Dei ad Monasterium Gemblacense reversus, re ipsâ expertus per multas tribulationes regnum Dei parari fidelibus, contemplationi & religionis pietati eo vacabat propensiùs, quo nihil penè ei arridebat exterius, per quod jam multis blanditiis posset commoveri aliquatenùs. Nec multum dolendum esse sibi videbatur, quòd illis oculis carendum erat, quibus etiam culices & cyniphes gloriantur, cum interior suus oculus illis oculis perfectè delectaretur, quibus mundi corde Deum contemplantur. Ipse vir Dei Erluinus nolens hîc haber.

manentem civitatem, ubi videbat ingruere tam multiplicem & tam contrariam malorum calamitatem, futuram non manufactam sed æternam sibi suisque inquirebat mansionem: & intelligens nullâ re hanc meliùs invenire, quàm per concordiam fraternæ unanimitatis, ad opus pariter exequendum animum intendit omnimodis: opus enim Deo placitum, & lucrandis animabus utile à piæ memoriæ Domino Wiberto inchoatum sagaciter implevit, scilicet illud collegium Fraternitatis adunavit, per quod omnes Dei timoratos per totam penè Lotharingiam & Franciam uno pacis & dilectionis vinculo invicem colligavit, ut omnes in Christo unum saperent, unum diligerent, unum vellent, unum nollent; nil inter eos perversum, nil inhonestum, nil diabolicâ æmulatione contractum, odio dignum, vel contrarietate esse diversum, ut verè pacifici filii Dei vocarentur; & confitentes alterutrum peccata sua; pro invicem orando salvarentur: eleemosynis, jejuniis, psalmis, spiritualibus hymnis ad hoc constitutis suprà pensum quotidianæ servitutis. Talem vitam ducens vir magni nomini ERLUINUS, multis postea annis exemplum benè vivendi fuit omnibus. At postquàm camino diutinæ tribulationis excocta est ad purum scoria peccatorum ejus, tandem tamquam aurum probatus, de fornace carnis est extractus, & quod tamdiù exoptaverat, demùm pervenit ad bravium supernæ vocationis, & in regno Dei duplicem accepit calicem martyrii & confessionis. Transiens ergo ab hoc mundo quarto Idus Augusti, sepultus est in Ecclesiâ S. Petri, fideliter & efficaciter, ut credimus, interpellans aures Omnipotentis pro omni familiâ S. Petri.

Gemblacenses orbati patre ad Curiam Regis pro subrogando sibi Pastore deliberant ire, nec tamen hoc sine consilio Episcopi diœcesis putant faciendum esse. NOTGERIUS tunc temporis Tungrensibus antistabat, qui non negans consilium quærentibus, insinuare incepit quàm potuit eloquentiùs, quàm inutile sit pauperes Regibus subjacere, quàm arduum & difficile humilibus Christi solium Regis attingere: videri sibi multum esse utile, si juri Leodiensis Episcopi patiantur subjacere, unde prompta adsit defensio. Hæc & cætera id genus Episcopo perorante, assensum est sibi à Fratrum concordi unanimitate.

II. Abbas Herivardus. Ergo communi consilio HERIWARDUM virum religiosum & industrium eligunt, & per manus Episcopi Leodiensis eum sibi in Abbatem substituunt. Hic Heriwardus frater erat sæpedicti Erluini Abbatis, & Monachus fuit Cœnobii sancti Michaëlis Archangeli de periculo maris, sed fratri diù convixerat Gemblaus pro desiderio ferventis ibi sanctæ religionis: primis plus minusve tribus annis in regimine elapsis debitum humanitatis solvit.

III. Abbas Erluinus II. Post Heriwardum ERLUINUS prioris Erluini consanguineus decimo Januarii est Abbas ordinatus. Is quantum ad sæculum liberis progenitoribus est ortus; nam ERLUINUS Episcopus Cameracensis tunc temporis ejus fuit avunculus: quantum verò ad Deum in Gorziensi Cœnobio regulari monachicæ vitæ disciplinâ apprimè exercitatus, ad eam vivaciter exequendam, utinam tam idoneus quàm sufficienter instructus! sub hoc Erluino molliri cœpit disciplinæ regularis rigor, & paulatim tepescere sanctæ conversationis fervor, quia non multus erat in eo severitatis vigor. Nam Ecclesiasticis rebus undique dissipatis, & reditibus & stipendiis minoratis, attenuabatur nimis eorum res familiaris. Itaque sub obtentu paupertatis dum quisque sibi consulit, & posthabitâ communis vitæ honestate rem familiarem augere peculiariter quærit, vivebatur justo licentiùs, quod omnino non expedit Monachorum animabus. Ita unde primò ex sanctâ inhabitantium conversatione delectabilis exibat odor, jam nunc sinistrè diffundebatur rumor, qui nonnunquam apud aures sæcularium ad infamandam vitam nostram solet esse incrementior. Ergo Erluinus junior postquàm annos plùs quàm viginti tres sub nomine pastoralitatis egit, primâ Junii vitâ decessit, & in Ecclesiâ S. Petri juxta prædecessorem suum Heriwardum tumulari meruit.

Sed miserator Dominus citò oculos misericordiæ suæ aperuit, & interventu, ut credimus, servi sui Wichberti dignum domui suæ dispensatorem providit. Reverâ, inquam, misericordiam cœli distillaverunt, cum OLBERTUM nobis quartum Abbatem substitui delegerunt. IV. Abbas Olbertus. Is in confinio Samblensis pagi villâ quæ Lederva vocatur natus est, parentibus quantùm ad sæculum non infimis, quantum ad Deum religiosis. In Cœnobio Laubiensi à puero in disciplinâ monasticâ regulariter nutritus, & in studiis Scripturarum apprimè eruditus, ex provectu suæ indolis monstrabat qualis esset futurus. Hic ubi ex ore HERIGERI Laubiensis Abbatis viri suo tempore disertissimi aliquid de septem sapore artium bibit, sitim studii sui extinguere non potuit: ideo ubi aliquem in scientiâ artium egregiè præ cæteris valere audiebat, statim illuc volabat, & quanto ampliùs sitiebat, tanto avidiùs de singulorum pectore aliquid delectabile hauriebat: nam & Parisiis aliquamdiu apud S. Germani operam dedit & studio, & sanctæ quæ ibi fervebat religioni. Apud urbem Tricassinam triennio studuit, ubi grata vitæ & multa ab aliis didicit, & prudenter alios docuit. Sed nec FULBERTI Carnotensis Epis. eum subterfugit audientia, quem peritiâ liberalium artium tota Francia prædicabat. At postquàm ut apis prudentissima per florea rura exercitus, liquido doctrinæ nectare est distentus, ad alvearium Cœnobii sui est regressus, ibique vivebat religiosè.

997. Eâ tempestate BURCHARDUS quidam in Wormacensi civitate datus erat Episcopus; vir cum Episcopali honore non indignus, tùm pro juvenilis ætatis fervore literarum studiis opportunè intentus. Is BAL- 1008.
DRICO juniori Tungrensium Episcopo fiducialiter mandat (ejus nempe contubernalis & amicus in palatio Regis fuerat) ut sibi aliquem litterali scientiâ præditum dirigat, cujus ope & doctrinâ ipse in eruditione Scripturarum proficere valeat. Quis tanto viro mitti dignus esset diligenter quæritur, & tandem ad hoc nullus OLBERTO magis idoneus invenitur, & bonâ omnium de eo æstimatione ad urbem Vangionum dirigitur: honorificè ab Episcopo susceptus, magnam cum eo familiaritatis gratiam est adeptus. Episcopus nobilis & potens non dedignatur se submittere ad formam discipuli: Monachus humilis & peregrinus non timet tanto viro operam exhibere magistri: & reverâ necessarium illi erat ut politus esset ad unguem multiplicis doctrinæ artificio, cujus laus & æstimatio pendebat à tam sapientis discipuli subtili judicio. Quantum autem vir tantæ auctoritatis ex Olberti doctrinâ profecerit, ex actibus ejus æstimandus erit, de quo satis constabit quòd illâ ætate in Scripturarum eruditione unicè claruerit, quod vel in hoc satis probari poterit, quòd opus sanctæ Ecclesiæ nimis utile elaboravit, dum Olberto dictante & magistrante magnum illud canonum volumen centonisavit, & quasi collectis floribus omniformis generis de prato Scripturarum coronam pretiosiorem, auro & topasio in edito Ecclesiæ collocavit.

Burchardus juvante Olberto suum Opus elucubravit. vigeb an. 1008.

Episcopus ubi votis suis satisfactum esse sensit, magistro optionem obtulit, utrum mallet secum in honore & amicitia remanere, an ad suos repatria-

re. Ille elegit repatriare, quia placuit Deo ita pro nobis dispensare. Ergo cum gratiarum actione Episcopo Baldrico remittitur, eminentia studii & religionis ejus prædicatur, & ne vice laboris sui frustretur, affectuosissimè ei commendatur. Cum ergo locus Gemmelacensis vacaret Pastore, BALDRICUS Episcopus sollicitâ cum suis agebat deliberatione, quis dignus esset hujus pastoralitatis curam suscipere: ad summum placuit omnium sententiæ, Olberto geminâ scientiâ adornato hunc locum præ omnibus competere. Igitur ab Episcopo cum INGOBRANDO Abbate suo accersitus, Dei & omnium judicio ad regimen Ecclesiæ est electus, & per manus Ingobrandi Abbatis & GODESCALCI Archidiaconi illuc est destinatus.

Gemblacenses ut audierunt inconsultis sibi Abbatem mitti, stultâ rusticitate Episcopali dignitati, imò Dei ordinationi voluerunt obniti, nullam volentes ei exhibere subjectionem, cujus dolebant sine suâ voluntate & consilio factam esse electionem. Stulti & cæci, non intelligebant meliùs suâ spe à Deo sibi consuli. Reliquum diei cum nocte superveniente in hac rebellionis obstinatione consumptum est; mane facto, clarorum virorum qui legatione Episcopi fungebantur emolliti consilio, quamvis inviti destiterunt ab ausu temerario, vix tandem adducti submittere manus Abbati à Deo salutis suæ
1012. causâ electo. Hoc factum est, anno MXII. Consecratus est autem undecimo Calendas Octobris.

Adeptus ergo curam pastoralitatis, non segniter laborabat nomen Abbatis factis implere; & cum initio occurrisset ei magnæ rei præstandæ difficultas (quippe cum exteriùs ingrueret gravis rei familiaris tenuitas, interiùs autem horreret grandis irreligiositas) non facilè memoranti credas quàm brevi & facilè optata ei arrisit prosperitas: nam & prudenter cum indisciplinatos mores eorum corrigeret, pravas eorum vias quibus illicitè vagabundi aberrare solebant, spinis regularis disciplinæ sepiebat; deinde vias rectitudinis quibus ad vitam incedere deberent, eis ostendebat. Et doctus quòd Pastor Pastorum comminetur Pastoribus, qui semetipsos & non gregem Dei pascunt, qui cum austeritate & potentia eis imperant, & nulla paternitatis affectione eos ab erroris devio revocant, nec à malo dolentes liberant;
Ezech. 34. 4 quod infirmum erat alligabat, quod confractum
Luc. 10. 34. erat consolidabat, quod perierat requirebat: & exemplo Evangelici Samaritani ulceribus eorum vinum severitatis & oleum pietatis infundebat. Nec eum spes fefellit: non enim priùs destitit, quàm accepto ventilabro discretionis, quæ mater est virtutum, paleas vitiorum de areâ Dominicâ excussit, & grana virtutum in horrea Dei, in pectoribus scilicet fidelium purgata recondidit. Nec hoc satis esse visum est bonæ ejus intentioni semper in anteriora tendenti: sciens quippe quia otiositas inimica est animæ, suos jam satis imbutos sanctâ religione studiis etiam literarum docuit studiosè insistere, ut dum per semitas Scripturarum oculis atque animis relegerent Patrum vestigia, scirent indubitanter eorum cavere avia, & ad viam veritatis sectandam nulla paterentur offendicula.

Itaque dum præter illa quæ extrinsecùs erant, urgeret eum instantia illa quotidiana, scilicet animarum sibi commissarum sollicitudo continua, bonæ ejus voluntati cooperabatur utrobique divinitatis omnipotentia. Siquidem postquàm interiùs vis divini amoris & fervor religionis recaluit, mox exteriùs ex bono rerum proventu exuberavit rei familiaris opulentia. Quapropter vir Deo devotus Olbertus in bonam spem adductus, successus urgere suos cœpit instantiùs, & videns Monasterium cum officinis suis monachicæ habitationi minùs esse habile, quod pro suâ brevitate sibi displicebat, & quia nullâ decoris ornatum erat venustate, sperans de Deo, qui dives est in misericordiâ, anno prælationis suæ primo novæ Ecclesiæ cœpit ordiri fundamenta. Videntes autem Christi Fideles in dies proficere illum, voluntariâ succurrendi ei oportunitate ejus animabant animum. BALDRICUS siquidem Episcopus gaudens se non esse frustratum de Abbatis à se electi bonâ æstimatione, totum se transfudit in ejus dilectione, & Ecclesiam in Banechim, & novellam Ecclesiolam in Heis, decimam quoque in Bermissen in Sombreliâ Gemblacensi tradidit Ecclesiæ.

Eodem quoque tempore commissâ pugnâ in Flori- 1015.
nis inter LAMBERTUM Comitem filium Ragineri Longicolli, & GODEFRIDUM Ducem, cum Lambertus ibidem gladiis cæsus accepisset vitæ finem, conjux ejus GERBERGA nobilissima, peccatis viri sui compuncta, cum animæ ejus absolutionem & requiem quæreret per eleemosynarum remedia, voluit ut Ecclesia Gemblacensis, cujus ipse Comes defensor fuerat, debita animæ ipsius persolveret jugiter orationum munia. Unde salubri consilio accepto, annitente filio suo Comite HENRICO, feudum proprietatis suæ, quod Tortosa vocatur, in parochiâ Bauscui, tradidit Gemblacensi loco. Et quia ipse Comes infrà parochiam Gemblacensem habebat aliquot mansiones jure beneficii regiâ manu collati, in viculo Egneis dicto, facto iterum justæ commutationis ratiocinio Tortosam ipse recepit, & ad jus beneficii sui transtulit: Egneis verò proprietati Ecclesiæ Gemblacensis transcribi fecit, quod vicinitatis oportunitate utrique parti magis commodum fuit. Quod ne quis posterorum auderet convellere, corroboratum est Regiæ manûs auctoritate.

Abbas OLBERTUS gaudens quia per auxilium bonorum virorum labori suo bonum proventum Deus inferebat, ad augenda Fratrum stipendia, quæ nimis tenuia erant, animum intendebat: & sciens Monachorum esse ut labore manuum vivant ex Patrum & Apostolorum exemplo, continuato cum Fratribus labore, secundùm quod necessitas paupertatis exigebat, & voluntas obedientiæ suadebat, in oportunis supradicti prædii locis factis æstuariis vivaria ad recipiendos pisces construxit, quod Fratrum usibus satis utile esse providit.

Successor Baldrici WOLPODO quia omninò deditus 1018.
erat sanctæ religionis studio, Olbertum Abbatem religiosiùs cæteris vivere libenti accipiebat animo, & eum dignatus suo latere & auriculâ, eum contendere suâ provocabat gratiâ: unde quod primum ei occurrit, quæ antecessor suus illius gratiâ Ecclesiæ Gemblacensi tradidit, suæ stipulationis auctoritate confirmavit. Insuper ipsam Ecclesiam Gemblacensem immunitatis libertate donavit, & hujusmodi arctè testimonio posteris servanda assignavit.

« WLPODO Dei disponente clementiâ sanctæ Leodicensis Ecclesiæ Episcopus, omnibus in Christo pié vivere volentibus: Unicuique Christi fidelium scimus omnimodis esse elaborandum, ut promereri possit gratiam Sanctorum, quia sic tam propriæ fragilitatis, quàm dæmonis & hujus mundi concutimur fluctibus, ut nonnisi eorum freti patrociniis subsistere possimus. Unde sancti Petri Apostolorum Principis, Sanctique Exuperii Martyris, aliorumque Sanctorum patrocinia, quo potui modo quærere deliberavi, quæ & omnibus tam præsentibus quàm futuris notificare disposui. Antecessor meus BALDRICUS divino & ipse tactus fervore, quamdam Ecclesiam in Bavechum Gemblacensi dedit Ecclesiæ, in honore supradictorum dedicatæ. Dedit & decimas quorumquam, quæ »

» quidem in sylvâ Sombreffiæ dictâ ejusdem Gemblacensis Ecclesiæ fariebant, quæque nulli antecessorum alicui parochiæ assignaverant. Et hæc » quidem sub testimonio testium idoneorum prædictæ Ecclesiæ contulit, sed chartulam traditionis morte præventus non fecit : in quâ faciendâ » volens me facere participem ejus eleemosynæ, prædictum donum sub chartulæ formâ consignavi. » Addo & aliud donum ex parte nostrâ, quod omnibus volo esse notum.

» Instructu nostro Abbas & Congregatio prædicti loci Ecclesiam novam ædificavit, juxtà quam » antiquâ relictâ, quia erat parvula, & citò lapsura, Claustrum & omnia transmutare curavit. Sed » his quandoque factis timent circuitionis obsonia » ab Ecclesiâ antiquâ exigenda esse ab Episcopis futuris, eâ scilicet occasione, quòd Monasterium desierit ipsa esse. Cujus rei rationem diligenter investigans, cum multis comperi, ab ipsâ Ecclesiâ » Gemblacensi servitia aliqua data non fuisse circuitionis scilicet jure antecessoribus meis, ex quo eadem Abbatia munificentiâ Regis subjecta est sedi » Ecclesiæ Leodicensis. Hanc antecessorum meorum clementiam in futurum decernimus conservandam, scilicet ut ab Ecclesiâ Gemblacensi, salvâ tantùm ordinatione pontificali, servitutem re» quirant circuitionis nullam, secundùm sanctorum » Canonum instituta permittant Monachos vitam » ducere quietè ; ut tam pro nobis quàm pro illis » orationibus vacent in totâ ipsorum vitâ.

» Ego WOLPODO Episcopus nomine & opere » subscripsi & confirmavi.

S. Jacobi Leodiens. Monasterium fundat Baldric. Episc.

BALDRICUS sæpe suprà nominatus Episcopus cum retributore omnium Deo faciens commercium proficuum, sibi elegit de perituris æterna ab eo mercari. Ideo eum adoptans heredem patrimonii sui, Monasterium in honore Fratris Domini fundavit in insulâ Leodicensi, ac portionem substantiæ temporalis, quæ ex multâ copiâ nobilium parentum suorum cum contingebat, delegavit ibi ; sed immaturo raptus funere, non potuit in hoc votis suis ad plenum satisfacere : cujus loci providentia, quia nulli adhuc assignata erat, ad manum solius Episcopi spectabat. Unde successor Baldrici WOLPODO piè sollicitus, habito consilio cum suis familiaribus, deliberavit locum prudentissimi Abbatis Olberti committere manibus, quod ille diù multumque reluctatus declinavit humiliter ; at vix tandem anno Domini millesimo vigesimo primo suscepit obedienter, & exequutus est viginti octo annis prudenter. Nam ædificato Claustro cum officinis suis, prout patiebatur oportunitas temporis, colligens hinc inde viros benè directos ad normam disciplinæ regularis, & maximè ex disciplinâ Abbatis RICHARDI, qui tunc temporis ubique prædicabatur in fervore sanctæ religionis ; primus illic propositum monachicæ professionis instituit, & quoad vixit locum illum ad laudem Dei & hominum strenuissimè gubernavit. Nec minùs insistens concepto operi Gemblacensis Ecclesiæ, quidquid à semetipso omnimodis laborando poterat extorquere, totum satagebat expendere in utilitatem rei Ecclesiasticæ : unde ad tam promptum bonæ intentionis affectum subministrabat divinitatis gratia optatum effectum. Siquidem arridente sibi multo successu prosperitatis, maturiùs suâ spe vidit consummationem cœpti operis, infrà triennium ferè ædificatâ Ecclesiâ cum utensilibus suis, constructo etiam Claustro cum officinis suis, & quod magis ei erat in voto, jam ad plenum fervente ibi sanctæ religionis studio, literalis quoque scientiæ non mediocriter vigente exercitio.

1021. Sigibert. an. 1014.

Ipse nullam penè nec curis animi nec labori corporis laxans quietem, semper tendebat ad operis consummationem. Ita omnibus apparatis ex voluntate, dedicationem illius Ecclesiæ celebrari fecit maximâ omnium vicinorum alacritate à DURANDO, venerabili Leodicensium Præsule VIII. Calendas Augusti an. MXXII. Nec multo post Oratorium sancti Pauli situm infrà Claustrum, sexto Calendas Junii à successore Durandi REGINARDO dedicari fecit, apud cujus animum maximum amicitiæ locum obtinere meruit. Postea etiam constructo duplici Oratorio, inferiùs scilicet in honore sancti Joannis Baptistæ & Joannis Evangelistæ, superiùs in honore sancti Michaëlis Archangeli & Stephani Protomartyris, ab eodem Reginardo dedicari fecit secundo Idus Augusti. Corpora etiam venerabilis & Deo digni fundatoris nostri WIBERTI, & trium prædecessorum suorum ERLUINI, HERIWARDI & secundi ERLUINI in hanc cryptam reverenter fecit transportari. 1022. 1025.

Idem fidelis dispensator & prudens, quia quærentibus primùm regnum Dei & justitiam ejus etiam necessaria corporis in tempore sunt adjicienda, laborabat omni quâ poterat instantiâ undecumque annuente sibi Deo acquirere prædia, ut dum eis pro facultate loci externa suppeterent, ipsi sine murmurationis impedimento tranquilliùs & expeditiùs Deo deservirent. Dispositâ itaque ordinatiùs solito re familiari, ut absque typo & morâ constituta fratribus stipendia possent suppeditari, quidquid excrescebat, ad utilitatem posterorum expendere satagebat ; sciens quia quidquid supererogaret, à vero Samaritano Deo, qui custodit Israël, reciperet : nec enim labor suus cessavit, quia tamdiù laboravit, donec res Ecclesiæ quas tenuissimas invenit, non parum augmentavit, & ut ita dicam, penè duplicavit. Interdum autem dato pretio undecumque poterat fideliter emit, aut suo labore devotione fidelium pro salute eorum Ecclesiæ nostræ tradi obtinuit ; quæ diversis locis à diversis personis diversis ratiociniis undecumque corrasa fuerant ; quæ quia numero sunt plura, sed quantitate parva, & redituum æstimatione non adeo magna, à nobis sub numero perstringi non possunt omnia.

Hujus etiam tempore HUBETHO HERIBRANDI filius, Domini WIBERTI ex sorore RENUIDE nepos, tactus amore pietatis & justitiæ, annitente sibi GUDETHA suâ nobilissimâ conjuge, reddidit Ecclesiæ nostræ partem quæ sibi cesserat ex medietate, à Patre suo Heribrando nobis direptâ violenter & injustè, monitus exemplo sororis suæ RICHELDIS, quæ, ut suprà diximus, partem suam retulerat ad justas preces Ecclesiæ Gemblacensis.

Hujus etiam Hubethonis filii HUBERTUS scilicet Tretuinus, tertiam partem de villâ Pricen Ecclesiæ nostræ tradiderunt. Idem Dominus Abbas Olbertus alodium in villâ Masau, & in Bietrinis dedit, & pro eo villam Ferolt dictam accepit, factâ commutatione non satis nobis commodâ secundùm rerum æstimationem, sed ut soli sibi visum est, utili propter solam vicinitatem. Siquidem antea à prædecessoribus suis per justam commutationem ejusdem alodii, quâdam parte datâ Sultrensi Ecclesiæ, villa Mainil dicta adjuncta est parti Ecclesiæ nostræ.

Quid autem dicam ? eo tempore nimia annonæ caritas totam profligavit Galliam, anno videlicet MXLIII. tam sibi à Deo in faciendis eleemosynis cumulavit gratiam, quàm apud homines in auctâ Ecclesiasticâ re sibi acquisivit gloriam. Quasi enim alter Joseph præscientiæ tactus gratiâ, frugum ubertate superioribus annis sua repleverat horrea, de quibus pauperum suorum in tempore relevare penuriam parabat Dei providentiâ : & cum multi alii 1043.

ducti avaritiæ spiritu aliorum inopiam ad suum verterent commodum, posthabitâ misericordiâ pauperum, dum sua aut tenaciùs servant aut vendunt cariùs: hic nec sua sibi servare per tenaciam, nec aliis vendere voluit per avaritiam, sed ipsius Dei creditor effectus cœpit esse laudabilis usurarius: nolens enim parcè seminare, ne & parcè meteret, seminabat in benedictionibus, ut de benedictionibus meteret vitam æternam: & quia hilarem diligit Deus, non ex tristitiâ aut necessitate eleemosynarum implebat opus, sed pietatem misericordissimi cordis ostendebat ex hilaritate vultûs. Præter illos enim qui singulis horis euntes & redeuntes de ejus participabant benedictione, non paucos domesticos Ecclesiæ, ut dignum erat, sustentabat de penu matris Ecclesiæ, constitutâ eis sine dilatione diurni viatici stipe. Et hoc in eo poterat esse miraculo omnibus; quòd cum esset in eleemosynarum largitate tam profusus, in relevandâ aliarum congregationum inopiâ tam paternè prodigus, in vicinis suis etiam nobilioribus in tali temporis articulo consolandis tam liberali oportunitate paratus; cùm etiam suos, scilicet Ecclesiæ homines, suâ compassione juvaret laxando oportunè solitos terræ reditus: gregem Christi in solitudine Claustrali divinæ servituti vacantem nunquam habuit .... immisericordiùs, sed sufficientiâ proveniente sibi cœlitùs, toto humanitatis affectu serviebat Deo servientibus.

Nec videtur esse prætereundum dicere, quantum in ornandâ Ecclesiâ fuerit ei studium: quamvis enim dicatur, *in sancto quid facit aurum?* non habebat tamen in exterioribus rebus unde desiderium animi sui ostenderet erga Deum, nisi ea quæ prima mortales putant, liberaliter expenderet erga Dei cultum; quod nonnihil valere nulli est dubium, sive ut inde necessitatis tempore subveniatur indigentiæ pauperum, vel Deo servientium, sive ut inde Ecclesiasticæ utilitatis oportunè majus comparetur commodum, sive quia homines bruti, & omnia æstimantes magis ex animo suo, quàm ex veritate rerum, nihil penè ducunt cultu & reverentiâ dignum, nisi quod ex iis quæ ipsi temporaliter amant viderint adornatum. Imò utrobique declinans crimen avaritiæ, quæcumque unde potuit prudenter corradere, in ornamentis Ecclesiæ maturabat impendere: quorum summam hîc perstringere non est quidem difficile, quia quotidie est oculis ea inspicere.

Fecit tabulam argenteam ante altare S. Petri anaglypho opere non indecorè cælatam: duas quoque alias argenteas minoris quantitatis; frontale quoque ad altare S. Exuperii Martyris; candelabra argentea fusilia duo; calicem aureum unum, argenteos sex, turibula argentea duo; textus Evangeliorum unum aureum, tres argenteos; Epistolarum argenteum unum; capsas reliquiarum argenteas duas; capsas ex palliis decem & octo; casulas duas, decem diaconalia, duo subdiaconalia; quatuor albas, stolas, tapetia, & alia, quæ quamvis numerentur inter subcinia, ejus tamen industriâ & studio sunt comparata, aut ejus amoris gratiâ à fidelibus Ecclesiæ collata: quæ quidem quamvis non sunt adeo multa pro pretii æstimatione, sunt tamen multa & magna & pretiosa pro bonâ ejus intentione, quia remunerator bonorum Deus non æstimat ex quanto, sed quo vel quali sibi offeratur animo.

Et quia cum religionis studio vigere fecerat etiam literalis scientiæ studium, ne & in hoc eis deesset unde hujusmodi artis exequerentur exercitium, subministravit eis etiam copiam librorum: non passus enim ut per otium mens aut manus eorum torpesceret, utiliter profectui eorum providet, dum eos per scribendi laborem exercet, & frequenti scripturarum meditatione animos eorum ad meliora promovet. Appellens ergo animum ad construendam pro posse suo bibliothecam, quasi quidam Philadelphus, plenariam vetus & novum Testamentum continentem in uno volumine transcripsit historiam; & divinæ quidem scripturæ plusquàm centum congessit volumina, sæcularis verò disciplinæ libros quinquaginta.

Mirandum sanè hominem unum in tantâ tenuitate rerum, tanta potuisse comparare, nisi occurreret animo, timentibus Deum nihil deesse. Ego sanè dum studiorum ingenii & laboris tanti viri recordor, omninò demiror quòd in eo geminæ scientiæ tam egregiè claruerit vigor; à puero enim in solitudine Claustrali educatus, tam solers & prudens apparuit in disponendis mundanis rebus, ut vix aliquis sæcularium videretur ei præferendus, & contrà dum se restringeret ad rigorem monasticæ conversationis, id ipse inter strepitum Ecclesiasticæ procurationis explebat subsecivis operis, quod vix aliquis alter attingeret vacans Deo in quiete monasticæ solitudinis. Nec frustrà fama nominis ejus ubique discurrebat, de cujus doctrinâ tam dulcis odor longè lateque crescebat. Exceptis enim illis quos in subjectione suâ in studio & religione nutrivit, multas Clericalis Ordinis personas, quosdam etiam Curiales doctrinâ suâ promovit, quorum illustris probitas vel dignitas postea S. Ecclesiæ magnæ utilitati & honestati fuit. Sed & in hoc in Ecclesiis Dei ejus laudabilis memoria adhuc vivit, quòd vitas aliquas sanctorum aliquibus in locis liquidè & politè composuit: & de gestis eorum in laudem Dei, secundùm regulam musicæ disciplinæ in quâ multum valebat, dulcissimè cantus modificavit. Inter quæ, quia rogante RAGINERO Comite vitam S. Veroni Confessoris composuit, cantum etiam de eo mellificavit; antiphonas quoque super matutinales laudes in transitu Sanctæ Waldetrudis. Ipse Comes RAGINERUS, & HATHUIDIS conjux ejus, quidquid prædii habebant ..... in dominio Ecclesiæ nostræ tradidit.

Tam laudabilem vitam & utilem degens, postquàm infrà triginta septem annos exegit tempus suæ prælationis, sensit se à Deo invitari ad bravium supernæ vocationis; & exemplo Domini JESU, qui transiturus ad Patrem, *cum dilexisset suos qui erant in mundo in finem dilexit eos*, etiam ipse filios suos Joan 13. 1. quos Deo in sinu maternæ dulcedinis genuerat, & affectu paternæ sollicitudinis educaverat, usque in finem dilexit: quia duobus Monasteriis præerat, & ob id continuâ regendi instantiâ alternatam habitationem suam mutare consueverat, tunc in Gemblacensi Cœnobio aliquamdiù commoratus, natalem Apostolorum Petri & Pauli solemnizabat: & congregatis filiis suis prolixè & pie sermocinatus est eis; & quantum poterat facundia diserti doctoris & pietas affectuosi patris, monebat eos, ne ab aratro Dominici operis oculos averterent, & ut ab fermento sæcularium caverent, ut non solùm coram Deo sed etiam coram hominibus bona providerent, & cætera id genus quæ pii & sapientis viri eructabat pectus. Inter loquendum ante altare S. Petri eos eduxit cum psalmodiâ & oratione, Pastorum Pastori eos commendavit, ab omnibus commissis pastorali potestate absolvit, & spirituali sanctificatione benedixit, & ut ultimum vale non sine lacrymis eis fecit.

Leodicum abiit; urgebatur enim tristi nuntio de infirmitate gloriosi Episcopi WATHONIS, cui etiam ipse hoc debebat propter reverentiam debitæ subjectionis, quod ejus condiscipulus, & à puero fuerat contubernalis, & abinde inita inter eos amicitiæ gra-

tia cum ipsâ ætate sine querelâ simul concreverat, & ut ita dicam, cum eis insenuerat. Episcopus gaudens se consolatum esse optatâ visitatione amici, ab eo in nomine Domini secundùm præceptum Apostoli Jacobi expetiit inungi. Facto inunctionis officio cum missionem peteret ab Episcopo, & adhuc de spe vitæ fiducialiter quæreret ab eo; Episcopus tactus spiritu divino: Hodie, inquit, non moriar, ô amici mei, sed cras in Christi nomine succurrite mihi. Ille desperans de vitâ amici, resolutus in lacrymas, nec valens temperare dolori, Non sinat, inquit, Deus me septem dies supervivere tibi: & ad Monasterium S. Jacobi, cui præerat regressus, cœpit destitui viribus corporis; mox etiam vexari acutis febribus. Quid multa? Secundùm prædictum & votum piorum virorum crastino die, quod est octavo Idus Julii, Episcopus migravit ad Dominum; Abbas autem, qui Episcopo dimidio animæ suæ septem dies supervivere voluit, ipso die septimo, quod est secundo Idus
1048. Julias felicem spiritum cœlo reddidit, anno Domini millesimo quadragesimo octavo; postquàm Gemblacensi per annos triginta septem, Leodicensi verò Cœnobio circiter annos viginti novem regnasset.

Quo venerationis honore, quo miserationis dolore prosequutus sit grex Cœnobii utriusque, qui in Christo sub ejus profecerat institutione, supervacaneum est memorare. Gemblacenses siquidem auditâ pii Patris infirmitate, cui post Deum & primum nostri loci constructorem Wibertum quidquid penè habebant audebant imputare, piæ dilectionis alis non distulerunt illuc convolare: contristabat eos non mediocriter amantissimi Patris destitutio, sed plusquàm dici vel credi possit miserabili contristabantur infortunio, quòd carendum eis esset corporis ejus pignore pretioso; & si aliquam viam eis aperuisset Dei dignatio, nihil optabilius eorum omnium insedit animo quàm id agere aliquo modo, ut corpus defuncti referrent Gemblacensi Cœnobio: sed id nec precibus obtinere, nec aliquâ omninò ratione potuerunt efficere, gaudentibus civibus ad tutelam civitatis suæ præsentialiter tam sancti viri patrocinia pervenisse. Sepultus est igitur in Ecclesiâ S. Jacobi, ut decuit primum Abbatem ipsius loci, cum hoc Epitaphio:

Hic jacet Abbatum speculum, decus & Monachorum,
Abbas OLBERTUS, *flos paradise tuus.*
Præfuit Ecclesiis normali tramite binis.
Legia corpus habes, Gembla carendo doles.

Perlato ad Gemblacenses tam tristi nuntio, omnibus palam factum est ipsius veritatis testimonio, quâ pastoralitatis sollicitudine omnes habuerat, quâ paternitatis dulcedine omnes nutrierat, quâ caritatis unanimitate omnes à parvo usque ad magnum sibi in Christo devinxerat. Quis enim poterit dicere? Quis dicenti poterit credere quantus illicò omnium factus sit concursus, quantus Fratrum mœrentium fuerit luctus, quantus pupillorum & viduarum dolor, quantus pauperum clamor? Ab omnium ore actio tam pia & exaudibilis, pro absolutione animæ ejus ab amicis Christi ad cœlum transmittitur oratio. Quis enim tam affectuosas vidit exequias? Quis, inquam, tam pias, tam meritas, tam profusas dubitet Deum acceptasse lacrymas, quas non extorquebat carnalis affectionis necessitas, sed quas eliciebat placita Deo spiritalis delectationis pietas? Qui ergo tot amicos conciliarat sibi iniquitatis mammonâ, receptus est ab eis in æterna tabernacula; & quia benè ministravit, gradu bono acquisito sibi, cœlestis Curiæ adscriptus est dignitati. Credo, nos modo illic suâ tutabitur gratiâ, quos hîc tam paternâ nutrivit misericordiâ, Amen.

Successor Abbatis Olberti est MASCELINUS, Olberto consanguinitatis conjunctus lineâ, & à primis annis cum Fratre suo æquè memorabilis vitæ FULCUINO studiosè in ejus disciplinâ educatus; ad hoc uterque excrevit bonæ indolis industriâ, ut magnæ utilitatis locum sortiri mereretur in Dei Ecclesiâ; ex quibus FULCUINUS junior ætate, nodatus exercitio literalis scientiæ, glorioso Abbati Stabulensi POPPONI ad regendas puerorum scholas directus, & per aliquot annos in morum honestate ab eo satis probatus, per interventum ejus in Mettensi urbe ad regimen Abbatiæ S. Vincentii Martyris est promotus, quod usque ad finem vitæ utiliter & laudabiliter est exequutus. V. Abbas Mascelinus.

MISSAC autem cognomento Mascelinus frater ejus, etiam Virduini sub RICHARDO Abbate in gymnasio Monasticæ disciplinæ regulariter exercitatus, & per omnia in virtute obedientiæ satis est probatus: at postquàm inventus est etiam esse patiens laborum, & strenuus & prudens in dispositione Ecclesiasticarum rerum, Dominus Olbertus suo lateri adjunctum, participem fecit eum operum & consiliorum suorum; & ordinans eum sibi Præpositum, commisit ejus prudentiæ secundas partes omnium rerum; in cujus obedientiæ exequutione tanta viguit subjectione, ut nullâ unquam titillatus sit superbiæ inflatione; & per multos annos tam prudenter & utiliter vixit, ut postquàm sanctæ memoriæ Abbas Olbertus humanæ naturæ cessit, nullus qui ei succederet dignior eo inventus sit. Itaque septimo Calendas Augusti adeptus est locum regiminis Ecclesiastici: consecratus autem septimo Idus Augusti attendebat diligenti instantiâ sibi & gregi: nam secundùm quod didicerat regulariter & piè vivebat, & secundum quod vivebat, etiam alios vivere docebat.

Idem Abbas statuit, ut Camerarius per se villicorum investituras & placita habeat villarum sub se degentium; Cellerario ad sagimina comparanda centum solidos instituit; ad utensilia officinarum coquinæ, pristini, cambæ, granarii, triginta solidos de sensu cortiliorum annuatim dari censuit: præbendam & calceos bubulco, qui ligna de sylvâ per singulos dies adduceret, stabilivit. Hortum ad olera facienda, bubulcariam, cortem cum cortilio bubulco delegavit, hæc omnia sub curâ Cellerarii statuens, mensam Fratrum sub ejus curâ constituit. Itaque panem librarum duarum, legumen pisorum seu fabæ, ad emptionem secundi pulmenti, ovorum, casei, seu piscium, decem & septem denarios per dies singulos à Calendis Octobris usque ad Dominicam Septuagesimæ; tertium pulmentum herbarum hortensium; justas duas cervisiæ diatim, mensuram vini per singulos quatuor dies hebdomadis cum charitate Sabbati. Paximates similagineos in duodecim præcipuis solemnitatibus omni horâ prandii, placentas & oblotas cum aliis bellariis ad cœnam ministrari præcepit.

Cras credo, forsitan dicet aliquis, qualitatem perpendens præsentis temporis, falsum est quod hîc legitur: nunquam tali sæculo usi sunt Monachi illius temporis. Scit Deus, qui est summa veritas quia quod vidi scripsi, & adhuc supersunt testes idonei.

Addidit annuatim Ecclesiæ custodiæ viginti solidos nummorum ad coëmptionem vini, ex quo quotidianum Missæ sacrificium oportet celebrari. Ad anniversarii diem suæ depositionis constituit annuatim dari Fratribus octo solidorum charitatem, gratiâ piæ recordationis. In memoriâ æternâ erat bonus dispensator.

Ultimâ ætate ægrotavit dolore pedum vehementissimè, nec Medicorum auxilium quæsivit, sed in Deo fiducialiter speravit. Excoctus ergo in camino tribulationis, viginti octo annos in regimine explevit.

VI. Abbas Tietmarus.

Huic successit TIETMARUS, qui per omnia sequens vestigia prædecessoris sui, adauxit potiùs quàm diminuit substantiam Monasterii; qui dum temporibus antefati Abbatis custos esset Ecclesiæ, ambonem Evangelii, & feretrum sancti Exuperii auro & argento vestivit, & opere anaglypho decoravit. Huic gloriam mundi fugienti, & paupertatem Christi in omnibus sequenti, prædium Hucberti Clerici, qui apostata dictus fuerat, Conventus Fratrum indominicatum dedit; & ipse Fratribus fraternâ & primâ vicissitudine ex reditibus ejus prædii quinquaginta solidos redonavit eâ conditione, ut à se & successoribus suis annuatim ad usus Fratrum in festis præcipuis duo solidi darentur in emptionem piscium. Iste pater per manus Domini Lietardi Præpositi sui cryptam in honorem sanctæ Dei Genitricis construxit, & sacellum sancti Petri ex humili & parvo in eâ formâ quâ nunc cernitur, restauravit. Infirmorum, infantium, hospitum, pauperumque semper curam præcordialiter habuit. Præbendam Fratrum si non adauxit in nullo, non diminuit, sed vinum, pisces, similam temporibus statutis omni tempore vitæ suæ absque ullâ retractione subministravit. Abbas TIETMARUS vir columbinæ simplicitatis, per annos viginti tres commissam sibi familiam rexit.

Tempore hujus Abbatis floruerunt religiosus BER..RDUS, qui sollicitus de animæ suæ salute, consensu Domini Abbatis & omnium Fratrum [constituit] ut omni die cantetur Missa in Ecclesiâ Gemblacensi pro cunctis fidelibus defunctis.

Item GUIRICUS Monachus, vir omnium bonorum memoriâ dignus, qui per multos annos in Gemblacensi Cœnobio functus Prioratûs officio, omnibus viventibus proderat verbo & exemplo. Hic Olberti Abbatis consanguineus & discipulus, ejus vitam & mores imitatus ad hoc profecerat, ut à quibus erat notus, aurum multo meritorum igne probatum,& vas honori Dei aptum cognominaretur. Erat intentus jejuniis, vigiliis & orationibus, & quotidianis Missarum celebrationibus. Si quando tamen, quod rarum erat, à tali opere vacabat, nullam requiem habebat spiritus ejus. Vir eruditus, in tantum ei divina gratia fuit, ut ex tunc & nunc per eum & per eos quos instruxit, eruditos viros habuerit Ecclesia nostra: ejus exstat epitaphium tale.

Norma, decus, speculum, GUERINUS, honor,
Monachorum doctor Gemblacus hoc tumulo tegitur.

Item floruit Domnus SIGEBERTUS, morum probitate & scientiæ multiplicitate laudabilis & gratus sui temporis sapientibus: non indiget nostris laudibus, quia laudant eum opera ejus. Cum enim esset juvenilis ætatis tempore Mascelini Abbatis Metensis notificatus, & in Cœnobio sancti Vincentii Martyris cum FULCUINO Abbate diù conversatus, sapientiæ fons patens erat non solùm Monachis, sed & Clericis ad se undique confluentibus. Multis Mettensium hodieque dulcis est ejus memoria, in quibus adhuc supersunt doctrinæ ejus vestigia: quæ vel quanta illic degens rogatu eorum scripta ediderit, ipse ostendit in libro illustrium virorum quem composuit. Non solùm Christianis, sed & Judæis in eâdem urbe commanentibus erat carissimus, pro eo quod hebraïcam veritatem à cæteris editionibus secernere erat peritus, & in his quæ secundùm hebraïcam veritatem dicebant, Judæorum erat consentiens assertionibus.

Post multum temporis vix impetratâ licentiâ rediens ad Cœnobium Gemblacense, multa contulit ad usum & ornatum Ecclesiæ, quæ acquisierat voluntariâ eorum quos instruxerat liberalitate. Frequentabant autem eum majores natu, excellentiores gradu, acutiores sensu, qui erant in urbe Leodicensi. Siquid quæstionis occurrerat eis, ad hunc deferre & conferre cum eo soliti. Horum præcipuus erat HENRICUS Archidiaconus & Decanus Ecclesiæ sancti Lamberti, cujus rogatu scripsit ad Trevirenses librum de jejuniis Quatuor-temporum, & multa quæ commemorat in libro Illustrium virorum. In Cœnobio Gemblacensi me qui hæc descripsi, & multo meliores erudivit, quorum multos ante se præmisit, paucos, proh dolor! post se dimisit. At vir prudens cum esset multæ gravitatis, non erat indiscretæ austeritatis, sed erat ad omnes, ut res poscebat, discretæ mediocritatis. Scripturarum maximè divinarum lectio & meditatio eum occupabat, sed tamen quotidiana Missarum celebratio, & devota ad Deum oratio semper eum præoccupabat. Longâ confectus senectute cum decubuisset extremâ ægritudine, nihil amittens suæ prudentiæ, Fratrumque voluntas esset, ut cum obiret intrà Monasterium sepulturæ locum acciperet; at vir altioris consilii malens in conspectu Dei humilis, quàm præsumptuosus inveniri, obnixè petiit in Cœmeterio nostro Fratribus omnibus consepeliri. Obiit ergo tertio Nonas Octobris tempore Domni Lietardi Abbatis sequentis.

Scripta Sigiberti.

Auctor hujus Chron.

Tietmarus fideliter rexit pedum per annos viginti tres: locum sepulturæ ante sanctæ Crucis altare accepit; semper futurus apud posteros laudabilis memoriæ: cenotaphio ergo incisa sunt hæc poëmata:

Ecclesiæ lampas hic TIETMARUS jacet Abbas,
Pauper, pacificus, mansuetus, pectore mundus.
Ultima fulsit ei tua lux penultima Maii.
Octo beatificas doctus obisse vias:
Lugens, esuriens, compatiens, patiens,
Qui vixit Domino, dormiat in Domino. Amen.

VII. Abbas Lietardus.

Cum quærerent Gemblacenses post obitum Domni Abbatis Tietmari quis ei succedere, quis idoneus esset eos regere; habitâ deliberatione Lietardum Abbatem constituerunt concordi electione. Hic à pueritiâ Domni Abbatis Olberti eruditione institutus, Claustralis disciplinæ amator & exequutor erat assiduus. His quibus præerat religiosæ vitæ exemplum præbebat. Cumque eos præcelleret imitabili actione, moderabatur tamen quod agebat laudabili discretione. Erat enim consuetudo ex multo tempore quartâ & sextâ feriâ usque ad vespertinam diei horam jejunium protrahere, idque præcipuè exequebatur diebus Adventûs Domini & Quadragesimæ. Cumque sibi vix aut nullo modo vellet indulgere, Fratribus tamen congruam tempori refectionem exhiberi jubebat absque retractione, malens eos voluntariè proposito superaddere, quàm præcepto suo coactos abstinere. Raro aut nunquam in camerâ suâ prandebat aut cœnabat, nisi alicujus præcipui hospitis eum cogeret auctoritas, & ipsa ut ita dicam eum traheret charitas. Si aliquando major solito eum cura urgebat, horam prandii in Refectorio anticipabat, aut post refectionem cum paucis cibum sumebat.

Cum quodam tempore invitante Episcopo Leodicum adiret, in viridario quodam discubuit cum suis, & multi ad eum confluxerunt; ipse eis jussit vinum propinari, cum sciret tantùm ad usus suos & suorum non nisi in ascoperâ modicæ quantitatis vinum haberi.

beri. Expletâ refectione quæsivit à ministro an superesset aliquid vini. Ille, gratias Deo, inquit, de parvo vasculo multis hodie decenter propinavi, & adhuc superest quod multis possit propinari. Mirati sunt qui aderant, de tantillo vasculo tam multis vinum suffecisse, & crevisse potiùs quàm decrevisse. Abbas verò misericordiæ Dei humiliter reputavit.

Domnus autem Lietardus Domno Sigeberto diù convixit, sed non diù supervixit: sentiens corporis vires sibi deficere, ut Deo per ægritudinis molestiam se vocanti paratus esset occurrere, Fratribus commendans unitatem fraternæ dilectionis, inter verba piæ admonitionis XXII. prælationis suæ anno obiit II.
1013. Nonas Februarii, & ante aram Dominæ Genitricis quiescit cum hoc epitaphio:

Vita Deus vitam dedit huic sine fine beatam:
Abbas Lietardus veluti Judas Machabæus,
Pro quo bella, minas tulit & convicia multa.
Per tot sudores, vir fortis, Marthaque solers
Defessus, tandem terrena negotia spernens,
Dux bonus ut Josuë, præfuit Ecclesiæ,
Nec tamen . . . . . . destitit à bravio.
Cuncta ministravit Fratribus, ut potuit.
Elegit partem Magdalenæ parilem.
Qui bonus es solus, huic miserere Deus.

Gemblacenses scientes quia filiorum est de amissione Patris spiritualis contristari, & quia sapientum est undecumque exortam tristitiam moderari, conferebant ad invicem illud dictum beati Petri Apostoli, *Aporiamur, sed non destituimur*: aporiamur, quòd amissione Domini Abbatis Lietardi contristamur, sed non destituimur, quia largiente Deo habemus ex nobis quem idoneum patrem & provisorem constituamus nobis. Non ergo decet nos mœstitiæ deditos, nos & nostra negligere, sed sollicitos & concordes eum qui loco nostro nobis & nostris prosit, absque dilatione eligere. Hoc unum omnium consilium, dictum & factum. Elegerunt Domnum ANSELMUM Abbatem octavum. VIII. Abbas Anselmus.

Hic Deo dignus, GUIRINI, cujus in vitâ Abbatis Tietmari meminimus, fuit consanguineus & discipulus; cujus imitamus prudentiam, morum elegantiam, & orandi instantiam, multam sibi inter suos acquisierat reverentiam, & apud extraneos benevolentiam: cum enim jam esset maturus ætate & moribus, Francis, quamvis à Cœnobio Gemblacensi longè remotis, innotuit fama prudentiæ ejus, & primi eum habuerunt Magistrum, & quasi secundum Abbatem Altovillarenses, post eos Latiniacenses, inter quos longo tempore commoratus, & quasi speculum honestatis factus, non solùm minùs capacibus proderat, sed & illos qui instruendi idonei essent profusiùs instruebat, per quos usque hodie radix sapientiæ quam eis inseruit, fructificans perseverat.

Tunc temporis multi Fratrum nostrorum non solùm in Franciâ, sed in aliis provinciis Magistri & quasi secundi Abbates erant in multis Cœnobiis; eo quod in scripturis humanis & divinis exercitati, multum fructum sapientiæ relinquebant quibuscumque locis fuissent adhibiti. Domnus ANSELMUS tandem reversus ad Cœnobium Gemblacense, de die in diem studebat in melius proficere sub Domno Lietardo Abbate. Bibliothecæ assiduus scrutator erat, & ubi utilitas poscebat, eam emendando & augendo meliorabat. Quandocumque à lectione vel oratione vacabat, Fratribus junioribus aliquid humanæ vel divinæ paginæ disserebat; non tantùm in seipso virere, sed & eis post obitum suum volens virere. Dictus Abbas suscepto oneri & honori aptum se exhibebat, & persona ejus & prudentia iis qui eum noverant, honorabilis erat. Fratres autem, quos solertiores noverat, sibi adjungebat, & eis Ecclesiastica officia committebat, & per eos agebat quod per se agere nolebat, & non valebat. Denique Monasterium, Claustrum, Refectorium, Dormitorium, Capitulum, & omnes claustrales curiæ officinas, & omnes exteriores curias per eos ædificiis honestavit, & agrorum qui in viciniâ erant emptione multiplicavit.

MONITUM.

HISTORIÆ AFFLEGEMENSIS, sive ut recentiores loquuntur Affligeniensis in Brabantiâ librum ex antiquo codice descripsit eruditus Asceta Benedictinus D. Simon Guillemot, strictæ observantiæ Cœnobii S. Gisleni Hannoniensis Subprior. Auctor fuit Monachus Afflegemensis, suppar istius Monasterii primis Cœnobitis. Quàm illustre fuerit & sanctitate & doctrinâ istud Asceterium, legenti palam fiet. Adjecimus continuationem seu epitomen illius historiæ ex veteribus monumentis & authenticis conscriptam à D. Odone Cambiero, itidem Afflegemensi, dum in vivis esset, in rebus antiquis apprimè versato.

HISTORIA AFFLIGEMIENSIS.

Fundatio seu exordium Monasterii Sancti Petri Afflegemiensis.

PRÆFATIO.

QUIA labentium decursus temporum junioribus subducit memoriam præteritorum, perutile mihi visum est ad notitiam posterorum scripto mandare, quomodo, quo tempore, quibusve fundatoribus Afflegemiense Cœnobium inchoatum sit, sicut ab eis accepimus, qui rebus ipsius interfuerunt, & ex eo tempore ad nos usque perduraverunt.

CAPUT PRIMUM.

EO itaque tempore quo dissidium ortum est inter Papam Gregorium, qui alio nomine Hildebrandus dictus est, & Henricum quartum hujus nominis Imperatorem, contigit sanctam Ecclesiam diversis necessitatibus & adversitatibus opprimi, & fatigari, quia capite ipso quod ex Regno & Sacerdotio constat, per morbum discordiæ infirmato, reliquum corpus à languore integrum permanere non potuit. Tunc siquidem simonia antiquarum hæresum sola superstes, tunc Presbyterorum conjugatorum irreverentia adeo in orbe prævaluerant, ut sancti Spiritûs dona jam apud Principes sæculi essent venalia, & inter vitam laïcorum & Clericorum penè nulla foret distantia. Super hoc sequaces Imperatoris à sede Apostolicâ excommunicati, quos sibi communicare nolle videbant, rapinis, tormentis, & ipsis etiam mortibus puniebant. Sed pius Dominus miseriæ suorum compatiens plures Religiosos suo spiritu inflammatos excitavit, qui sepem apponerent, & pro domo Israël in prælio starent. Horum unus fuit Wedericus Sacerdos & Monachus sancti Petri Gandensis Cœnobii, vir sæculari nobilitate, & quod majus est, Divinâ religione valde conspicuus, qui Apostolicæ auctoritatis licentiâ roboratus, Flandriam & Brabantiam provincias circuibat, verbum Dei disseminando, & populum Dei à peccatis suâ prædicatione convertendo: cujus admonitione sunt compuncti sex Milites, Gerardus scilicet cognomento Niger, in armorum strenuitate per has provincias tunc famosissimus Cinelinus & Hargerus, necnon Wlbodo, Geldulfus quoque & Tibaldus. Isti sua omnia quæ injustè acquisierant relinquentes, Magistrum pauperum pauperes sequuti sunt, & cum eo tribus ferè mensibus permanserunt. Deinde arctioris vitæ desiderio æstuantes, quid sibi deinceps agendum sit, eumdem patrem & magistrum suum interrogant, quomodo remissionem peccatorum sibi jam ab eo repromissam à Domino percipiant.

Ecclesia à schismaticis & simoniacis impugnatur. *A Monachis defenditur.* *Wedericus nobilis concionator.* *Ad bonam frugem sex Milites traducit.*

CAPUT II.

EOdem verò tempore dominus Anno Coloniensis Ecclesiæ Episcopus, qui totius Religionis studio prædictus, actione & nomine apud Deum & homines insignis habebatur: ad quem prædictus Wedericus filios suos propriæ jam salutis avidos destinavit, atque ut secundùm ipsius præceptum & consilium iter suarum dirigerent actionum, constanter admonuit. Illi igitur ut erant docti absque morâ Coloniam properantes, ad Episcopum perveniunt, prioris vitæ suæ statum detestabilem per humilem confessionem aperiunt, ac deinde pœnitentiæ remedium secundùm ipsius exquirunt arbitrium. Quibus ut erat vir summæ prudentiæ, ut ad locum patrati facinoris redirent persuasit, & ut locum quem rapinis innocentium ante maculaverant, voluntariâ afflictione Divino servitio manciparent, expedire sibi asseruit. Illic se denique Divinæ pietati bonis operibus conciliarent, ubi hanc ad iracundiam per illicita studia provocaverant, illic diabolo & actibus ejus renuntiarent, ubi pernitioso ejus servitio spontaneâ voluntate socii fuerant. His itaque tam salubribus beati viri animati responsis, ad natale solum conciti redierunt, & locum quemdam desertum, Afflegem dictum, in vigiliâ summorum Apostolorum Petri & Pauli, anno videlicet Incarnationis Dominicæ millesimo octuagesimo tertio convenerunt, ut secundùm viri Dei mandatum ibi pœnitentiæ labori insisterent, ubi priùs pœnitenda commiserant: qui locus solis latronum conventiculis & conspirationibus tunc aptus erat, tùm quia desertus, tùm quia itineri publico contiguus, per quod mercatoribus & perigrinis undequaque venientibus transitus erat; de quibus latrones in hoc vicino insidiarum loco constituti prædam agebant. Convenientes igitur tres tantùm panes & ipsos eleemosynâ acceptos, & unum caseum cum paucis ferramentis secum detulerunt, & illam terram desertam excolere cœperunt. Statuerunt autem primò juxtà facultatem virium suarum permodicum oratorium, deinde domum pauperibus, necnon & aliam domum hospitibus supervenientibus, sibi quoque tugurium ad inhabitandum ædificare.

Consulit ut pœnitentiam agant. *Conveniunt Afflegemium.* *1083.* *Ubi spelunca latronum.*

CAPUT III.

POrro Miles quidam nomine GERARDUS, qui dicebatur Albus, in hac provinciâ crudelitate & robore opinatissimus, exstitit, qui etiam inter alia ferocitatis suæ indicia, Domino permittente, die quâdam homicidii reatum ultroneus incidit; cumque peracto scelere domum rediret, inimicus humani generis illi in viâ apparuit, quem ex more suo horrendâ visione afficiens, penè exanimem reddidit. Ille verò Dei super se judicium metuens, jamque illi cui diù servierat mancipatum se credens, cogitans tamen si quo modo jus illius posset evadere, ad prædictos fratres concito cursu pervenit, ibique totius feritatis rabie depositâ, de lupo in agnum Dei gratiâ confestim mutatus apparuit, tantæque admirationis apud universos conversio ipsius exstitit, ut alter alterius maximæ novitatis gratiâ hunc tam crudelem, tam immanem conversum esse referret, & pro tam subitâ illius immutatione tota provincia summo Deo gratias ageret.

Eodem quoque anno in Nativitate sanctæ Mariæ venit ad eos Miles quidam Henrardus nomine, cui æquè ex pœnitentiâ homicidii sæculum omne viluerat, cœpitque explorare loci situm, & inhabitantium conversationem; cui cum vivendi laborisque austeritas, & laborantium unanimitas placuisset, reversus domum suis omnibus renuntiat, & in proximo festo sancti Remigii veniens, de cætero cum eis remanere disposuit. Hi ergo sicut scriptum est; *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum*, cum magnâ dulcedine & tranquillitate cohabitantes, ad nihil intendebant, nisi quod animarum saluti proficeret, corpora verò vel manuum labore, vel fidelium eleemosynis sustentabant.

Mira Gerardi conversio. *Alia Henrardi.*

CAPUT IV.

NE verò cœptis eorum aliqua Ecclesiastica persona vel sæcularis obstaret potentia, petierunt & impetraverunt assensum Gerardi Cameracensium Episcopi, Herberti quoque Clerici qui in Angliâ manens Altare de Ascha tenebat, in cujus Parochiæ fundo iidem Fratres consederant; Adela quoque Comitissa Lovaniensis super hoc interpellata, cum duobus filiis Henrico & Godefrido, quorum erat allodium, benignè annuit. Nec iis contenti, Imperatorem Henricum expetunt, & die quo primùm coronatus est, ipsius, Comitisque Palatini, ad quem pars allodii respiciebat, assensum quærunt & inveniunt.

Dum autem plus quàm necesse erat rem persequuntur nimiâ & simplici suâ curiositate se undique expedire cupientes, impediunt; quia enim audierant quondam ibi mansisse aliquem Monachum Lobiensem, Lobium ad Abbatem venerunt, & ejus licentiam petierunt; qui licet nihil certi vel scripto vel alicujus testimonio de loco haberet, tamen ipsâ eorum postulatione in spem ejus adipiscendi inductus, omninò contradixit, nisi ejus ditioni & obedientiæ &

Afflegemium Militibus conceditur. *Lobienses Monachi his oppo.*

se & locum subjicerent: quod Fratres renuentes abierunt, ad Episcopum Leodiensem Henricum rem omnem diligenter aperiunt, rogantes ut Abbatem suæ petitioni conciliaret. Episcopus autem evocato Abbate, cum nihil apud eum proficeret, vocati sunt nonnulli seniores Ecclesiæ Lobiensis, & cum eis de hoc negotio Episcopus agere cœpit: cumque & ipsi valde resisterent, nec tamen aliquo argumento quidquam sui juris in loco demonstrare possent, Episcopus ad pacem utriusque partis firmandam, & controversiæ occasionem posteris amputandam, promisit se daturum Ecclesiæ Lobiensi commutationem ipsius fundi, & sic Abbas & Monachi assenserunt & exfestucaverunt. Sic Fratres in sua reversi cœpto instabant operi.

Pactum cum illis ineunt Afflegemienses.

CAPUT V.

COEperunt post hæc vitam Monachicam & habitum desiderare, nil sibi superesse arbitrantes, per quod Deo propinquiores efficerentur. Adeuntes Episcopum Cameracensem Gerardum, suum pandunt desiderium, postulantes ut eis aliquos provideret, qui eos ad ordinem desideratum instruerent. Episcopus autem ut erat vir pius, eorum devotioni congaudens, ipsos jussit edicere, de quo Monasterio sibi magistros vellent assumere. Aquiscincti tunc recens exstructi magna habebatur opinio, qui erat cæteris Monasteriis famosius, & fraternâ caritate & sanctæ religionis districtione. Hujus ergo Cœnobii Fratres sibi ad tempus accommodari petierunt, quos Episcopus cum mandatis suis & litteris Aquiscinctum dirigens, obsecrat Abbatem & Conventum, ut quod pauperes Dei ad ipsius honorem petebant, absque retractatione concederet. Alardus primus Abbas ejusdem loci tunc præerat Dominico gregi, qui tam Episcopali auctoritati, quàm Fratrum caritati obediens, sperans quoque per hanc occasionem locum qui construebatur sibi subjiciendi, [misit] cum eis Priorem suum nomine Titubaldum, & alium Fratrem Rodulphum dictum: qui cum venissent, admodum delectati sunt loci situ & amœnitate. Nec multo post mandaverunt Abbati suo ut veniret, & locum consideraret: Abbas verò certum sui adventûs denuntians diem, jussit ut Tornaci cum equis sibi occurrerent, & inde Afflegem usque deducerent. Cum ergo sicut disposuerat adductus, in vigiliâ Ascensionis Domini venisset, placuit & ipsi tam cœptum opus, quàm loci situs.

Monasticum habitum & magistros expetunt.

Mittuntur Aquiscinctini.

CAPUT VI.

COntigit ut ipsâ die superveniret Domnus Fulgentius, qui postea Dei dispensatione Abbas est constitutus, qui ex Brabantiâ oriundus, Monachus autem sancti Agerici Cœnobii Virdunensis, Dominicis castris ferè per annos duodecim irreprehensibiliter militaverat. Theoderico autem civitatis ipsius Episcopo propter Imperatorem excommunicato, cum Abbas Cœnobii, & Fratres cæteri ejus se abstinerent communione, nec vellent excommunicati subdi obedientiæ, facta est magna Fratrum dispersio, ita ut Monasterium tunc celeberrimum penè redigeretur ad nihilum. Tunc itaque & iste, de quo nobis sermo est, discedens, in patriam rediit adjuncto sibi socio quodam nomine Herimanno. Auditâ autem famâ hujus novellæ constructionis, crebrò illuc veniebat, & voluntariam spiritûs paupertatem, & corporalem in laboribus humiliationem, in diversis videns admirabatur, admirans delectabatur, in tantum ut stabilitatem perpetuò inibi firmare deliberaret. Hic itaque sicut prædictum est, ipsâ die quo & Abbas Aquiscinctinus advenit, sic quasi deinceps cum eis jam permansurus. Die posterâ, qui gloriosâ Domini Ascensione celebris erat, Abbas benedixit vestes Monachicas, & duobus ex illis Henrardo scilicet & Gerardo [dedit,] demoratusque ibi non plus duobus vel tribus diebus abiit. Cum autem post dimidium ferè annum Monachos suos revocasset, Domnus Fulgentius adscito socio suo Herimanno cum iis Fratribus remansit, eosque de his quæ Monastico ordini, & animarum saluti congruebant, instruebat.

Fulgentius S. Agerici Monachus venit Afflegemium.

CAPUT VII.

ANno ædificationis cœptæ quarto evocaverunt Dominum Episcopum Gerardum, qui veniens dedicavit locum in præsentiâ Domini Comitis Henrici, qui eum & libertate donavit, & viginti mansis terræ auxit. His felicibus studiis invidens inimicus totius boni diabolus, eos impedire tentabat, quia si res ad perfectionem venisset, prævidebat multos sibi subripi, & Dominicis castris aggregari. Corrupit ergo unum ex primis, quos superiùs nominavimus, fundatoribus, scilicet Wlbodonem, eumque suis suggestionibus supplantatum discedere compulit, sicut Judam de Apostolorum collegio, vel Nicolaum de Diaconorum consortio eliminavit. Hic ergo cum abiisset, & quasi canis ad vomitum reversus, sæculo se rursus immersisset, non post multum tempus venit ad Monasterium, exquirens ut omnium quæ in loco elaborata fuerant, pars sexta sibi daretur, se priorum sextum, ideoque rerum partem sextam ad se pertinere affirmans. Cui ex consilio Domni Fulgentii Fratres responderunt, eum quamdiu cum ipsis permanserat, omnia habuisse communia, quia verò suâ sponte discesserat, eum in communibus portionem habere ulteriùs non posse. Ille cum nihil profecisset, repulsam suam volens ulcisci, perrexit ad Theodoricum Virdunensem Episcopum, accusans duos Monachos de ipsius Episcopatu fugisse, qui in Brabantiam venientes, multa nefanda tam de ipso quàm de Imperatore diffamarent; ideoque expedire ut inde effugarentur, ne per eorum criminationes & Imperialis Majestas, & ipsius auctoritas vilesceret. His mendosis accusationibus nimium credulus Episcopus, scripsit Gerardo Episcopo Cameracensi, ut Monachos illos de loco expelleret, nec in finibus Episcopatûs alicubi consistere permitteret. Episcopus verò Gerardus, licet Fratribus & loco, quem ipse jam dedicaverat, multum faveret, tamen propter metum Imperatoris, cujus dono Episcopatum acceperat, simul propter Episcopum Virdunensem, quem apud Imperatorem sibi & prodesse, & nocere posse sciebat, indixit Fratribus ut discederent, nec ulteriùs in suâ Diœcesi remanerent. Hoc præceptum Fratres ægerrimè ferentes, cum jam alibi auxilium non invenirent, confugerunt ad Archiepiscopum Remensem Reonaldum, cui & unde essent, ubi consedissent, quid ab Episcopo Cameracensi pro falsâ perversi hominis delatione perpessi essent, diligenter exposuerunt. Archiepiscopus autem auditâ eorum causâ, compassus est injustæ eorum afflictioni, mandavitque Episcopo Gerardo, præcipiens in virtute obedientiæ, ut à pauperum Christi infestatione desisteret, nec eos ultrà vexare præsumeret. Sic optatâ securitate Fratres potiti, nullam deinceps molestiam passi sunt ab Episcopo. Sic itaque Dominus suorum adjutor & protector in omnibus, cum misericordiâ maximè in tribulationibus præsto est, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, insurgentes adversarii insidias annihilando comminuit, atque injustas suorum oppressiones potenti dexterâ sedando coercuit.

1086. Gerardus Camerac. Episc. consecrat Monasterium.

Wlbodo deserens vitam Monasticam, socios suos persequitur.

Jubentur Fulgentius Abbas ejusque socius loco cedere.

Eos protegit Archiep. Remensis.

CAPUT VIII.

Arnulfus ex Clerico fit Monachus.

IN eodem quoque anno, scilicet inchoantè ædificationis quarto, quidam Clericus egregiæ indolis adolescens nomine Arnulfus, instinctu Divino tractus in Assumptione sanctæ Dei Genitricis ac perpetuæ Virginis MARIÆ adveniens, pusillo gregi conjungitur: qui in sanctâ professione annis pluribus irreprehensibilis degens, postmodum industriâ suâ & ingenio, consilio & auxilio eidem Ecclesiæ plurimum profuisse dignoscitur: siquidem ab adolescentiâ suâ usque ad diem mortis suæ, annis circiter sexaginta quatuor in vineâ Domini haud segniter laborans, ardore sancti propositi succensus, pondus diei & æstus fortiter pertulit, nobisque suæ patientiæ, imò perseverantiæ imitabile satis exemplum dereliquit.

Ejus acta.

Afflegemiensium sancta conversatio.

Ab anno verò quarto usque ad sextum, duobus scilicet annis, in maximâ tranquillitate & quiete secum commorantes, & quàm dulcis sit Dominus aliquid jam ex parte prægustantes, in sancto proposito certatim fervebant, numero quidem Fratrum his duobus annis non multum augmentati, sed magis ac magis virtutibus adaucti, institoris instar Evangelici venditis omnibus pretiosam margaritam totâ intentione comparare gestiebant. Quis etenim enarrare sufficiat, quanta eos concordia charitatis conjunxerit, cum quis proximum suum tamquam seipsum ad altiora quæque & meliora virtutum studia promovere contenderit? Patientiam namque ipsorum enarrare necesse non existimo; quam in laboribus & ærumnis, in tantâ virtute [a] ac vestitûs austeritate & inopiâ, in destruendo & construendo omnibus sanum sapientibus esse notissimum non ignoro. Nonnulli etenim qui spiritum Dei non habebant, laborum nimietate in fugam convertebantur, sed hi quos vera Dei charitas accenderat, visâ improborum ruinâ, ut in Job legitur, territi purgabantur.

Sexto autem anno odor tantæ Religionis diutiùs latere non valens, foras erupit per provincias, per civitates, per vicos & castella, se tantarum virtutum fragrantia circumquaque respersit, adeo ut exteros quosque ac remotos è suis sedibus evocatos, in admirationem ac venerationem servorum Dei accerserit.

Cœperunt igitur plurimi tam Clerici quàm laïci ad eos confluere, alii quidem conversionis desiderio, alii autem ut servorum Dei se devotè commendarent patrocinio: in tantum siquidem illo anno numerus eorum Deo auspice succrevit, ut inter Clericos & laïcos duodenarii numeri perfectionem collegium ipsorum attingeret.

CAPUT IX.

De Abbate eligẽdo agunt.

VErùm quia patris spiritualis auxilium sub quo sacræ militiæ signa ferrent, cui vice Christi in omnibus obedientes essent, minimè habebant, cœperunt super hac re anxiè nimis æstuare, & de electione Abbatis sedulâ secum relatione pertractare. Duo verò prædicti Monachi Domnus videlicet Fulgentius, ejusdem socius nomine Herimannus Abbatis sui, scilicet Domni Rodulphi in hoc negotio, & auxilio niti disponebant, tum quia prudentiâ & religione penè cunctis temporis illius Abbatibus eminebat, tum quia primitùs sub ipso sacri propositi habitum susceperant. Consilio igitur inito Domno Fulgentio domi à fratribus retento, cum prædicto Herimanno, Gerardum Nigrum in festivitate sancti Lamberti, in occursum Abbatis Leodium dirigunt, quibus ut quemdam ipsius Monachum nomine Laurentium de hac provinciâ exortum, qui dudum in ipsius Cœnobio Prioratûs officio fungebatur, sibi eligerent, innuit. Prædicti autem fratres Leodium venientes, Abbatem, ut sperabant, repererunt, quem convenientes, causas sui itineris exponunt, ejusque consilium & auxilium requirunt, prædictum Monachum si suæ non displiceret prudentiæ, Abbatem sibi donari expetunt. His auditis Abbas, ut erat vir prudens ac providens, Dei nutu sanius atque utilius consilium illis proposuit, illumque potiùs eligendum, quem sibi superna dispensatio destinaverat, Domnum videlicet Fulgentium constanter admonuit. Quod onus ne fortè, ut vir mansuetus & humilis excusare perseveraret, litteras ei suâ auctoritate signatas per eosdem fratres in testimonium direxit, mandans ei atque præcipiens, ut omni excusatione remotâ, Dei voluntati & Fratrum electioni quantociùs assentiret: Monachum verò quem ipsi petebant, se nullatenùs accersire posse asseruit, eo quod prædictâ ejusdem Cœnobii Fratrum dispersione, ipse cum aliis in exteram remotamque provinciam abierit. Talibus igitur responsis ejus atque consiliis prædicti Fratres admodum exhilarati, litterarumque auctoritate roborati, vale invicem dato, festinatò domum redierunt, & rem gestam omninò occultantes atque celantes, tamquam nihil actum esset, paucis diebus conticuerunt: dicebant enim, si ei rei gestæ series alicujus opinionis indicio nota fieret, tale officium declinare malens quàm suscipere, clam fugam arriperet.

Rodulfus Abbas ab Afflegemiensibus rogatus Fulgentium eis præficiendum proponit.

CAPUT X.

Quomodò se præparant ad electionem Abbatis.

JAm autem circà festum Omnium Sanctorum rursùs clamor Fratrum exoritur, se nihil absque Pastore agere grex devotus conqueritur: atque tandem ex consensu omnium in festivitate sancti Martini dies electionis constituitur. Prævenientes igitur hunc diem orationibus & eleemosynis, jejuniis & vigiliis, durisque verberum castigationibus, quotidianis lacrymis interpellabant sancti Spiritûs gratiam: ne per antiqui hostis invidiam, tantam Fratrum aliquatenùs pateretur dissolvi aut turbari concordiam. At pius Dominus qui semper prope est omnibus invocantibus se in veritate, timentium se voluntati tantis interpellatus precibus obtemperavit, & ut sequitur in eodem psalmo, diligenter se ab omni subreptione discordiæ custodivit. Quid plura? condicta dies aderat in quâ humilis ille Conventus Pastorem sibi eligere decreverat. Præmissa igitur oratione ex more in Capitulum veniunt, congrua causæ & tempori tractare incipiunt, miroque modo in unam sententiam omnes voces, voluntatesque conveniunt: Domnum Fulgentum divinitùs destinatum hoc honore & officio dignissimum judicamus: hunc nobis Pastorem & Patrem una voce omnes eligimus. Ille autem utpote vir miræ humilitatis è contra varias ac diversas excusationes prætendit, Pastorali se officio indignum cum lacrymis asseruit: postremò si nullâ ratione id onus suscepturum fore multis assertionibus affirmavit. Hæc eo cum lacrymis perorante prædictus Frater Herimannus protinùs surrexit, Abbatis sui litteras hactenùs occultatas in medium protulit, præceptum obedientiæ, periculum inobedientiæ, ei palam intimavit, & ut petitioni Fratrum in Abbatis sui assensum præberet admonuit. Sed ut solent simplices quique in mentis suæ proposito quandoque esse pertinaces, ipse sententiam suam nullatenùs immutare voluit, quia plorando, clamando, ejulando petitioni eorum resistere se posse credidit. At illi mirâ constantiâ semper in eâdem voluntate stabiles persistebant,

Fulgentius ab omnibus acclamatur Abbas.

Hanc dignitatem refugit Fulgentius.

a *virtute*] An potius *vita*, aut *victualium*.

ac tandem zelo Dei interiùs commoti, in hanc vocem erumpebant : Dominus, inquiunt, qui te nobis servis suis licet indignis providâ dispensatione destinavit, qui omnium nostrûm voluntates consilio & præcepto Abbatis tui concordes effecit, ipse te procul dubio & prodesse disposuit. Sed quid multa? Si plus restiteris, compulsus vim patieris : jamque velis, nolis, nobis Pater noster efficieris. His dictis inceptâ psalmodiâ congruâ consurgentes, unanimiter in eum irruunt, manus injiciunt, ac piâ violentiâ ferendo potiùs quàm ducendo ad altare pertrahunt, atque cætera, ut moris est, regulariter in eum per vim adimplentes; in sede Abbatis statuunt. Ille verò ut excusationis & contradictionis suæ humilem pertinaciam spe & effectu frustratam perpendit, timens ne ipse eis prima perturbationis causa existeret, tandem importunitate eorum convictus, acquievit, onusque sibi impositum licet invitus cum metu & reverentiâ suscepit.

Tandem invitus suscipit onus.

CAPUT XI.

Contigit interea nutu Dei ut quidam Clericus de Flandriâ oriundus, vir formâ, scientiâ, genere, omnique probitate conspicuus, nomine Hugo, hujus Cœnobii famam virtutum audiret, auditâ videre satageret; visis verò, votis omnibus interesse concupisceret. Veniens igitur, ut dictum est, penè majora quàm fama vulgaverat, reperit, atque vera esse omnia quæ audierat contestans, de stabilitate suâ cum eis firmandâ protinùs tractare cœpit. Fratres ergo de tam reverendæ personæ adventu summo Pastori gratias innumeras referentes, in Domino plurimùm lætabantur : atque ut pium desiderium, quod mente conceperat, effectu quantociùs adimpleret, crebriùs hortabantur. Ille verò monita salubria quemadmodum bona terra excepit, & stabilitate suâ ut suggerebant apud eos firmatâ, fructum satis uberem postmodum ex se produxit.

Hugonis Clerici conversio.

Abbas autem quia nondum secundùm consuetudinem Ecclesiasticam Pontificali benedictione confirmatus erat, compulsus à Fratribus Cameracum cum suis iter arripuit, atque hunc Hugonem, de quo nobis sermo est, Clericali adhuc amictum schemate viæ suæ Comitem habuit. Cameracum igitur venientes, Abbas quidem in festivitate sancti Gregorii anno septimo Pontificali benedictione & auctoritate suâ confirmatus, prædictus autem Clericus Diaconatus ministerio sublimatus est. Peractis igitur muneris sui negotiis cum prosperitate redeunt, compertoque quòd secundo Sabbato Tornaci futura esset ordinatio, sæpe dictum Clericum ordinandum Presbyterum sub celeritate eo dirigunt. Adepto autem Presbyterii honore, ad prælectum sibi locum concitus rediit, ubi depositâ pompâ sæcularis habitûs, ac diu sibi desideratum capiens indumentum, naufragium sæculi hujus felici cursu nudus evasit. Cœpit itaque totius religionis ac probitatis studio esse primus, qui conversionis ordine fuit extremus. Fratres igitur quando tantarum virtutum germina in eo succrescere conspexerunt, communi consilio & consensu Prioratûs ei officium conversionis suæ die decimo quinto tradiderunt. Sic denique, ut scriptum est : *Qui se humiliat exaltabitur* : Quando postposito fastu hujus sæculi ad humilem pauperum Monachorum conversionem secundùm humanos intuitus descendit, infrà unius mensis circulum, ad Diaconi, Sacerdotii, Prioratûsque apicem gradatim ascendit. Sublimatus autem hoc honore studebat per omnia Abbati se subdere, præceptis illius in omnibus obedire. At contra Abbas non se tamquam dominum aut magistrum illi prætulit, sed humanitatis atque fragilitatis humanæ participium prudenter attendens, se servum ac ministrum per obsequii humilitatem non solùm illi, sed & omnibus aliis exhibuit. Quanta tunc subjectos charitas & concordia conjunxit, quando ipsos etiam Prælatos tam veræ humilitatis pax & amor univit : Aut quod discordiæ scandalum subjectis unquam subripere poterat, ubi ipsi etiam præpositi de inferiori loco contendebant? Sic itaque alter alterius onera devotissimè portans, cum charitate & sollicitudine gregis sibi commissi curam annis ferè triginta quinque, usque ad obitum videlicet Domni Fulgentii gerebant, quem regularibus insistere disciplinis omni tempore, quo pariter incolumes perdurabant, verbis simul & exemplis incessanter commonebant.

Fulgentius Abbas consecratur.

CAPUT XII.

Contigit interea Dei gratiâ, qui reverâ mavult peccatorum conversionem, quàm mortem, ut Princeps quidam vicini castelli, vir secundùm sæculi hujus fastum genere inclytus, prædiis & possessionibus ditissimus, omnique sæculari dignitate præditus, nomine Heribrandus, transitoria & caduca fastidiret, & veras divitias, quæ non minuuntur totâ aviditate quærere disponeret. Nocturnâ etenim visione turbatus ac territus, anhelabat conversionis suæ desiderium accelerari quantociùs. Ordo autem visionis, ut dicitur, talis erat. Dormiens cum uxore suâ nomine Adela, admodum religiosâ & honestâ feminâ, videt se subitò tremendo Dei judicio præsentatum, auditum, damnatum, atque ab impiis tortoribus ad loca tormentorum violenter pertractum. Ille autem tam tristem pavescens sententiam, cœpit præ nimiâ spiritûs anxietate corporali luctu perpetuam loci sibi designati meditari tristitiam: cumque nullum sibi præsidium, nulla spes superesset, sed jam in horrendâ barathri illius voragin se demergendum sibi desperatus crederet; confestim illi sanctus Petrus Apostolorum Princeps apparuit, trementemque blandè consolans, pavorem ejus his verbis compescuit : »Ne timeas, inquit, Heribrande, ne timeas, sed de his tormentis te meâ « intercessione & auxilio redimendum incunctanter « scias.« His visis evigilat, conversusque ad conjugem, gravi se somno territum adhuc spirans affirmabat. Cui illa; nescio, inquit, quod aut quale fuerit somnium, sed magni timoris atque doloris adhuc evidens in te perseverat indicium. Cui ille visionem ex ordine retulit atque in fine subjecit : Decet, inquit, certè beatissimo Petro, qui mihi in tantâ necessitate licet indigno fideliter adstitit, grates dignas referre, pro innumeris beneficiis devota obsequia rependere, atque deinceps vitam sic agere, ut tam terribilem sententiam possimus evadere : & ut tibi voluntatem meam patenter aperiam, ex hoc jam si mihi consenseris, relicto sæculo, summo Regi, & glorioso ejus Apostolo fideliter deserviam. At illa, absit, inquit, ut tam piæ voluntati ullatenùs resistam, ut saluti tuæ imò meæ contraria exstam : quin etiam quidquid boni facere disponis, secundùm vires meas cooperatrix effecta libenter attentiam.

Heribrandus Princeps mundo valedicit.

Agnito autem tam facili consensu conjugis, lætus admodum effectus, diem perficiendi propositi certum constituit, in quo universæ familiæ suæ comitatum, ultimum eis valedicturus in unum collegit. Accinctus itaque ultimo militiæ cingulo, erectoque vexillo proprio, armatus videlicet contrà spirituales nequitias, subsequentibus amicis & cognatis, velut ad bellum iturus Afflegem properat; ingressusque Ecclesiam beati Petri, non jam cum uxore, sed cum sorore suâ, depositâ veste militiæ omnipotenti Deo & prælecto ejus Apostolo in æternum

Fit Monachus Afflegem.

servum se mancipat, sicque sæculi pro Dei servitio felici oblatione uterque commutavit. Tradidit ipso die eidem Ecclesiæ coram testibus patrimonii sui quod habebat in Flandriâ quamdam portionem, quâ propter inconvenientiam & distantiam locorum ibidem venditâ, eodem argento hîc in viciniâ sibi aliam terram comparavit. Verùm quia filii eorum necdum creverant, sed adhuc parentum consilio & auxilio indigebant, mater ad prospectum imbecillitatis eorum, licentiâ domni Abbatis interdum ad consulendum eis descendit. Pater verò quoad vixit in Dei servitio stabilis permansit. Ut ergo omnibus notum fieret, quantâ Dei clementiâ ac pietate ad sanctum propositum accersitus, imò tractus fuerit, infrà tricesimum conversionis suæ diem febre correptus, in verâ confessione vitæ hujus diem ultimum clausit. Prædicta igitur conjux post admirabilem viri sui conversionem, tam celerem subsequi cernens remunerationem, misericordi Domino, qui mirabiliter traxit quos ad vitam præordinavit, totâ alacritate ac devotione benedixit, atque in ejus sancto servitio residuum vitæ suæ tempus sub sanctæ religionis habitu peregit.

CAPUT XIII.

HÆc siquidem de domino Heribrando, & generosa ejus conjuge secundùm temporis nostri necessitatem paucis perstrinximus: nunc autem qualiter filii ejus patris sunt vestigia subsequuti, sermonem protendamus.

Quinque filii Heribrandi Monasticam vitam arripiunt.

Quinque filiorum ejus, diversis licet temporibus & ætatibus, ad nos convenerunt; diversas singillatim patrimonii sui portiones in unum nobis collegerunt, unum universi, Deum videlicet qui dederat per se heredem reliquerunt: quorum alius conjugatus carnales voluptates & illecebras vilipendens, relicto sæculo cum uxore & filiis Dominicum gregem majori numero adauxit, & ampliori prædiorum possessione ditavit. Alius post obitum conjugis cum filiis & filiabus divinam militiam arripuit. Alius à conjugii immunis vinculo eo devotius quo liberiùs divinis se servitiis mancipavit. Horum duo primi non nativitate quidem sed conversione; Ingelbertus videlicet atque Sigerus primo juventutis flore vernantes, cum jam mundus eis arridendo blandiretur, lenocinia ejus nihil ducentes, conjugii vinculum velut desiderii sui impedimentum contemserunt, atque in Domino potiùs quàm in mundo delectati, Monachi effecti, æterna magis quàm transitoria appetierunt: possessiones quoque suas ex integro Monasterio conferre decreverunt; sed divinæ providentiæ sententiam quis immutare poterit? Ipsi etenim qui tunc non sua per vim diripuerunt, postmodum non solùm injustè sublata, verùm etiam universa proprio juri debita, imò & ipsi seipsos eidem Ecclesiæ, cui damnum intulerant, restituerunt.

Paucis siquidem interpositis annorum circulis frater eorum dominus Folcardus, qui nativitate primus erat, infirmitate præventus, fratrumque suorum juniorum exemplis provocatus, ipsorum vestigia subsequitur: qui ex eâdem infirmitate convalescens, tanto postea in sancta conversatione vixit devotiùs, quanto diutiùs fuerat in sæculo commoratus. Octo bovaria patrimonii sui Ecclesiæ tribuit, reliqua omnia filiæ suæ licet invitus reliquit: cujus conversioni frater ejus dominus Onulphus adversatus, causæ nostræ & utilitati plurimum restitit, atque inter alia contradictionis & elationis verba se nunquam Monachum futurum, etiamsi sciret se vivum ad tartara deducendum, cum juramento affirmavit. Non post multo autem & ipse Onulphus gravissima infirmitate corripitur, metu mortis anxiatur, conscientiâ accusante turbatur, & quia de corporis salute spem prorsùs omnem perdiderat, quodcumque animæ suæ remedium sollicitè perquirebat. Quid plura? Omni timore deposito, juramentique pœnitens temerarii, habitum sanctæ Religionis, quem pridem detestatus erat, cum omni humilitate & modestiâ petiit, atque ad sæpe dictam perductus Ecclesiam, se & uxorem suam nomine Gertrudem cum duobus filiis Godefrido & Waltero, & unâ filiâ cum universis possessionibus & substantiis suis Deo vivo & vero devotissimè commendavit, atque in brevi sub eâdem pœnitentiæ devotione vitam finivit. Filii autem litteris traditi, subsequente eos gratiâ Divinâ, gradum sacerdotii sunt adepti. Postremò dominus Arnulfus & ipse divini jaculo timoris salubriter saucius, cum duobus æquè filiis, & totidem filiabus adveniens, possessiones à fratribus sibi collatas, suis superadditas ampliùs dilatavit.

CAPUT XIV.

Ingelbertus de Calstert se & sua Monasterio tradit.

HOrum igitur conversione descriptâ necessitatis causâ, ordine præpostero paulisper utamur atque ad dominum Ingelbertum de Calstert fratrem Domini Heribrandi edisserendo regrediamur. Hic itaque Ingelbertus cum quoddam sui juris castellum ab hostibus injustè pervasum cum suis satellitibus viriliter, ut erat vir in armis strenuus, defendere niteretur, ictu lanceæ graviter vulneratus, claudus efficitur: grandi ergo bellorum impulsu diu multumque defatigatus, tandem introrsùs ad semetipsum prudenter rediit, & quoniam qui foris nullam, reperit interiùs, secum pacem pacto piæ conversationis confirmare proposuit. Salubri denique exquisito consilio de conversatione suâ secum cogitavit, fratresque prædicti Cœnobii suæ ædificationis gratiâ crebrâ visitatione & colloquutione frequentabat, audiensque ab eis quod salubrius erat, secundùm possibilitatem suam factis adimplere gestiebat; sed tamen intolerabilem bonorum suorum jacturam ægrè ferebat. Nam Ecclesiæ quidem in quâ se Deo famulaturum voverat, omnia sua conferre desiderabat, sed quia ab hostium impetu & infestatione ea expedire nullo modo poterat, quid utilius sibi eligeret omnimodis ambigebat. Tandem verò perpendens sibi utilius fore atque salubrius, ut ex his aliquid saltem commodi Fratribus conferret, quam universa simul hostibus deprædanda relinqueret, Comitem Henricum qui summum tunc locum in his finibus obtinebat, adiit, atque universa quæ sui juris erant, in manus ipsius tradidit: pro quibus idem Comes quatuor suos Milites in confinio prædictæ Ecclesiæ cohabitantes cum universis possessionibus suis in usum Fratrum illi retribuit, Sigerum videlicet atque fratrem ejus Herminiannum de Ecclegem, Titubaldum de Thidalmont, atque Renizonem, cognomento Ridderman, venatorem scilicet suum. Post hæc licentiâ ab eo acceptâ Afflegemium reversus statim sæcularem habitum mutavit, & jam cunctis superior hostibus perpetuæ sibi pacis firmavit chirographum.

Ingelbertus graviter vulneratur.

CAPUT XV.

Quanta Ingelberti humilitas & paupertas.

SUb quantâ verò humilitate & mansuetudine sanctum peregerit propositum, ad nostram ædificationem paucis intimandum videtur. Siquidem vir tantæ nobilitatis & nominis asinos cum annonâ Fratrum ad molendinum minavit, & ut mos est infimis servulis, panem suum in sinu gestans horâ prandii super saccum suum tamquam super sedile stratum tapetibus residens, epulas quas sibi attulerat cum gratiarum actione sumsit, omnibus & servulis quos illic reperit, qui servitio ejus penè videbantur indi-

gni, ceu fratribus benignè communicavit. Sed hæc parva ſunt; nam calceamenta Fratrum ipſe lavit, ipſe egregiis manibus ſuis perunxit, famulorum ſuorum pedes inſuper ipſe ſæpiſſimè abluit. Sed & hoc parùm eſt, unum adhuc referam, quod totius humilitatis mihi videtur tranſcendere normam. Quâdam denique die nullo ſciente aut præcipiente locum neceſſariorum inferius à ſordium fœtore mundare cœpit, cum ecce unus è Fratribus id forte aſpiciens ad Abbatem venit, dominum Ingelbertum illic ſtare, id agere nuntiavit. Territus Abbas concitus foras exiit, atque venerabilem virum prædicto inſiſtentem operi reperit, ac præ ſtupore nimio ſtupefactus in hanc vocem erupit: Quid agis, inquit, Frater, quid agis? at ille demiſſo in terram vultu; Operi, inquit, valde neceſſario, venerande Pater, inſiſto. Abbas autem tantam illius admirans humilitatem, quantocius eum exire compulit, ac ne diutiùs huic operi inſiſteret, ſub interminatione prohibuit. Tunc ille, libenter, inquit, Pater amabilis, cœptum opus perficerem, niſi mandatum veſtræ ſanctitatis transgredi formidarem, verumtamen ut jubetis faciam.

CAPUT XVI.

Ejus manſuetudo & patientiâ.

MAgna ſiquidem ſecundùm ſæculum nobilitas & dignitas ejus exſtitit, ſed ut veram dignitatem acquireret, oblitus quodammodo quod fuit; omnibus ſe inferiorem & viliorem per humilitatem conſtituit. Nunquam quis illum iratum vidit, nunquam murmur ex ore ejus perſonuit, nunquam plùs ſe alio honorari permiſit. Quâdam denique die ex itinere rediens, tam corporis debilitate, quàm ſiti & eſurie penè defecerat, cum unus de Fratribus illi occurrens ſi comediſſet interrogat; qui nequaquam ſe comediſſe affirmabat: Cui Frater ait, ibo igitur & prandium vobis præparabo, ipſe autem quaſi ludendo reſpondit: ite, inquit, ite, & bonam nobis refectionem præparate. Sequenti verò die ſe de hoc verbo recognovit, ac tantillum propriæ voluntatis ac deſiderii ſibi ſubrepſiſſe graviter ingemuit. Talibus igitur ac tantis virtutibus pollens, ac poſſeſſiones Eccleſiæ quotidie dilatare cupiens, prædictum Comitem Henricum rurſus adiit, utque ea quæ pridem dederat, augmentanda ſuggeſſit, cujus precibus pius Comes benignè, ut decebat, annuit, eique ea quæ nunc Wavere poſſidemus, in uſus Eccleſiæ in perpetuum tradidit.

CAPUT XVII.

Godefridi Bullonii expeditio Hieroſolymitana.

COntigit interea ut duo filii dominæ Idæ Boloninienſium Comitiſſæ, Dux videlicet Godefridus & frater ejus Balduinus, qui uterque poſtea unus poſt alium regni ſceptro potiti ſunt, Jeroſolymam proficiſci diſponerent, in id ut loca ſancta quæ ab infidelibus & impiis obſeſſa tenebantur, Dei adjutorio per manum validam Chriſtianæ Religioni reſtituerent. Coadunantes igitur longè lateque fidelium exercitum, in hujus quoque provinciæ terminos convenerunt, in quâ pleriſque pauperibus Cœnobiis de propriis patrimoniis larga beneficia contulerunt. Quo comperto frater Godefridus cognomento Niger, quoniam ante converſionem ſuam memorato Duci Godefrido notus erat, Gandavum ubi forte tum venerat, illi obviam properat, quem ut in reditu ſuo hoſpitandi gratia Afflegemium divertat, multis precibus expoſtulavit. Dux autem religioſus ac pius preces tam devotas parvipendere noluit, ſed mox diſperſo penè exercitu hac illacque, ne multum per ipſum Fratres gravarentur, cum fratre ſuo Comite Balduino atque Comite Godefrido, qui poſtea Ducatûs vexillum ſtrenuus geſſit, & cum reliquis quos ſecum detinuit, ad memoratum Cœnobium declinavit.

Venit prius Afflegemium ac munera confert.

Suſceptus igitur à Fratribus cum debito honore & reverentiâ, omnique illi humanitate exhibita, volens beneficiis Fratrum vicem rependere, cum Optimatibus ſuis ad Altare ſancti Petri acceſſit, ibique quinque patrimonii ſui manſos in loco qui Huglintrau dicitur, concedente fratre ſuo Balduino, eidem Eccleſiæ juxtà ſtatuta Principum legaliter obtulit. Verùm quia frater eorum Comes Euſtachius huic donationi non intererat; non parvus metus Fratribus omnibus inerat, ne poſt diſceſſum eorum aliquid ab eo paterentur adverſitatis incommodum. Inito itaque conſilio Fratres quidam ex ipſis Boloniam properant, atque hoc fratrum ſuorum beneficium ſuâ auctoritate corroborari expoſtulant. Ille autem non ſolùm fratrum ſuorum donationi non reſtitit, verùm etiam quidquid ſui juris erat ſuperaddens, ratam & inconcuſſam, matre ſuâ annuente, imò compellente, in perpetuum ſtatuit. Porrò Nobilium filiorum mater æquè generoſa ac nobilis, in his poſtea finibus iter agens, apud idem Cœnobium hoſpitium ſibi elegit, atque inter cætera largitatis ſuæ beneficia Altare de Genapiâ, quod ſui juris erat, liberè & ab omni abſolutum exactione Fratribus devotiſſimè tradidit.

CAPUT XVIII.

Fraxinia datur Afflegemio.

FRaſne autem poſt hæc dedit nobis quædam Matrona nobilis nomine Eremberga cum filiis ſuis pro ſuâ; parentumque ſuorum animabus. Anſele verò Domni Fulgentii Abbatis frater carnalis, nomine Adun, ante converſionem ſuam propriis impenſis conſtruxit, terram circumjacentem quam nunc uſque poſſidemus, ſuo argento comparavit, perfectiſque ibidem velut ad ipſum uſum proprium omnibus, Fratris ſui ſequens veſtigia, ſub ipſo ſacræ Religionis habitum ſuſcepit. Duas quoque alodii partes, cujus apud Vertejic heredes ſumus Hillinus de Balterſem cum quodam filio ſuo nomine Giſleberto noſtro Monacho nobis tradidit, tertiam verò ipſius partem quædam matrona Lovanienſis nomine Geva gratis nobis adimplevit. Apud Everſberghe quoque erga Arnulfum de Stenherhe aliud allodium viginti duabus marcis emimus: pro quo tres alterius alodii partes, quibus nunc apud Eſſchen fruimur, erga Franconem Caſtellanum Bruxellenſem commutavimus; quod videlicet allodium tanto valebat amplius, quod quartam partem erga Godeſonem de Weſenbeccâ viginti tribus marcis & dimidia comparavimus. Helricus etiam quidam civis Lovanienſis apud nos Monachus factus, manſum unum terræ dedit nobis apud Levedale. Rembaldus etiam de Doſle in hoc loco ſanctæ Religionis habitum ſuſcepit, ſecumque allodium in quo curtis quædam, quæ dicitur Berchem, ſita eſt, nobis attulit. Miles quoque quidam de Aſcha nomine Giſlebertus Clinhleunt cum uxore ſuâ nihilominus ad converſionem venit, atque etiam omne Phœdum quod de Duce Godefrido habebat, cujus & ſervus erat, nobis dedit. Idem verò Dux omnia hæc libertati noſtræ donavit, in cujus poſſeſſione curtim Colried ſtatuimus. Filii quoque Onulphi de Meltburch, Walterus videlicet & Emelinus, eorumque avunculus nomine Wiſcolo de Putige & ejus filii, allodium quod inter ſe commune erat vendiderunt, in quo curtim, quod dicitur Jeten ſuperior, conſtituimus. Præterea Rodulphus de Gunchelberga quæ mundi ſunt relinquens, ſanctioris vitæ flagrans deſiderio, apud nos Monachus efficitur, partemque allodii ſui quod habebat apud Zellehe nobis largitur; alteram verò partem, quæ filiæ ſuæ & viro ipſius forte ce-

Et alia alodia.

ciderat, ab utrisque pretio dato comparavimus, in cujus allodii possessione duas curtes ibidem construximus.

CAPUT XIX.

Godefridus Barbatus confirmat bona Afflegemii.

SCiendum autem quoniam quæque ex hac parte Ascha in agris obtinemus, ferè omnia à servis Ducis Godefridi seu beneficio, seu jure hereditario inhabitantibus particulatim mercati sumus, quorum omnium ab eodem pio Duce libertatem consequuti sumus. Porrò allodium in Cobbeghem in bosco & in plano ab Arnulfo de Vilvord caro admodum pretio, centum videlicet & quadraginta marcis emimus, quod cooperante Duce Godefrido in Ecclesiâ nostrâ pacto stabili perpetualiter confirmavimus. Præterea domina Remundis de Aloft, ejusque duo filii Balduinus & Juamus apud Erenbodeghem loca duorum molendinorum nobis concesserunt, atque altare ejusdem villæ, quod sui proprii juris erat, nostræ Ecclesiæ obtulerunt. Porrò nos de manu laïcarum personarum Dei donum suscipere metuimus, adeoque ut ab Episcopo potiùs donationem hanc consequeremur solerter instititimus. Illis autem juxtà petitionem nostram idem altare Episcopo Cameracensi dedentibus, nos ab Episcopo; & sub ipso donatione ratâ, & auctoritate Episcopali confirmatâ Canonicè suscepimus.

Terram quoque ante portam nostram jacentem spatio duorum mansorum in longitudine porrectam, idem duo fratres nobis contulerunt. Postea verò senior illorum Balduinus videlicet infirmitate gravi corripitur, ante mortem suam Monachus efficitur, eoque volente atque petente ad nos usque transvehitur. Tunc itaque assentiente fratre suo dedit nobis in Flandriâ apud Testreet quoddam allodium in pascuis, cujus fiscus singulis annis decem libris argenti appenditur.

CAPUT XX.

Clari aliquot viri fiunt Monachi.

APud Oesterzeel dedit nobis Arnulfus de Wintica tres allodii sui mansos, æternum potiùs quàm temporale pro his exspectans commodum, qui post hæc ictu belli graviter vulneratus, relicto sæculo apud nos Monachus est effectus; uxor quoque ejus defuncta apud nos jacet humata. Willelmus quoque de Volsar vir nobilis, eodem succensus desiderio apud nos sanctæ conversationis habitum sumsit, ac tertiam allodii cujusque partem apud Sconart nobis tradidit; duas autem residuas pretio comparavimus. Sigerus quoque de Erenbodeghem, & ipse conversus ibidem mansum unum adjecit. Robertus Comes junior sancti Andreæ locum nobis in eleemosynam tribuit; altare verò ejusdem loci licet sui foret juris, tamen quia spiritale donum est, ab Episcopo Noviomensi, in cujus Diœcesi locus ipse situs est, nobis firmâ stabilitate donari fecit. Filius autem ipsius, Balduinus videlicet Comes inclytus, largitatis suæ beneficium nobis conferre desiderans, cogitabat apud se quid necessitati nostræ utilius tribueret atque vicinius: compe-

Robertus Comes Flandriæ dat locum S Andreæ.

riens igitur allodium quoddam vicinum nobis à Fratribus sancti Bertini possideri, conventu facto cum eis vicissitudinem hujus in confinio sui eis plenam restituit, nobis autem prædictum allodium magnitudinis sex mansorum ob memoriam sui tradidit.

Duo carnales germani, conditione liberi, apud Rodenburch castellum Flandriæ simul indivisi commanebant, qui adhuc ambo à consortio conjugii immunes perseverabant: uno itaque uterque succensi desiderio, de salute animarum suarum inter se sedulò conferebant, terrena omnia æternorum respectu quàm sint parva atque despicienda sibi invicem proponebant: postremò sæculo sæculique actibus se renuntiaturos unanimiter disponebant. Relicto igitur solo patrio cum omnibus quæ habebant, exules effecti, veram patriam inquirunt, transitisque nonnullis ditioribus ac vicinioribus Cœnobiis, nostræ paupertatis consortium adipisci maluerunt, domumque suam quam pariter inhabitaverant, cum universâ supellectili suâ, cum armentis videlicet & pecoribus, cum agris & possessionibus tradiderunt, ubi usque hodie curtim adauctis postea prædiis possidemus.

Vroijendiic etiam à Comite Theoderico, atque à Comitissa Clementia duo prædia, quæ secundùm linguæ suæ consuetudinem Pecorias appellant, pretio grandi comparavimus, quorum donationem sigillo Comitis munitam, ac perpetuâ stabilitate firmatam coram Primatibus ac Baronibus terræ ab utrisque suscepimus. Super hæc multa emolumenta in prædiis & argento Flandria nobis ministravit. Prædia quidem plurima propter distantiam & inconvenientiam locorum ibidem vendidimus, pretium verò in emendis aliis possessionibus vicinioribus nobis utiliter expendimus.

Visio Domni Fulgentii hujus loci Abbatis primi.

FUlgentius primus Afflegemiensis Abbas duo grabata ad cœlum deferri videbat, quorum unum Archiepiscopum Cantuariensem, alterum Cluniacensem Abbatem esse dicebatur. Unum ascendebat quartâ feriâ unius hebdomadæ; alterum similiter alterius hebdomadæ eâdem feriâ. Quod paucis transcursis diebus rei probavit eventus: nam Domnus Anselmus Archiepiscopus quarta feriâ ante Dominicam Cœnam die illucescente migravit; sanctus verò senex Hugo Abbas Dominicâ, ut suprà dictum est, peractâ Resurrectione eâdem feriâ VIII. scilicet die advesperascente, carne solutus.

Ex antiquo Manuscripto Monasterii Gemblacensis in Brabantiâ legitur de hoc Monasterio.

IN Monasterio Afflegemiensi penè innumeri devoti viri, quorum nonnulli miraculis claruere, ut Fulgentius primus Abbas, & Radulfus Monachus qui annis sedecim tenuit juge silentium, &c.

CONTINUATIO CHRONICI AFFLEGEMIENSIS.

Ex variis ejusdem Abbatiæ monumentis.

ANno MCXXII. vivere terris desiit B. FULGENTIUS, ut cœlum dives ingrederetur.

Ejus successor FRANCO plures servitio Christi mancipavit, ita ut incolatûs sui tempore plusquam ducentorum triginta tam Monachorum quàm Sanctimonialium ac fratrum diversis in locis Pater mereretur existere: quibus Christianæ paupertatis, Monachorum humilitatis, paternæ charitatis, viva cordibus subditorum vestigia vivens impressit, & ad gaudia paradisi transiens reliquit.

Non possum hîc etiam pactum illud pietate ac præsertim charitate eximiâ abundans omittere, quòd primi Afflegemienses devoti Cœnobitæ cum eodem Fulgentio inierunt; est autem tale: » Prioribus convenit exemplum relinquere imitationis. Nos qui « primi locum istum inhabitavimus confirmatâ nostræ conversationis sententiâ, initâque regularis « vitæ semitâ, nullum rectiorem, nullum devotiorem salutis tramitem deprehendere valuimus, « quàm

» quàm ut manuum noftrarum laboribus alimenta » & indumenta conquirentes his contenti manere» mus. Quoniam verò *Domini eft terra* : Et, *Dat* » *femen feminanti* & panem ad manducandum ; de » totâ culturâ noftrâ, de totâ poffeffione noftrâ, » decimam partem ei ad pauperum fuorum ufus » nos daturos fpondemus. Quod votum nos primi » cum pofteris omnes in præfentiâ Abbatis noftri » Fulgentii renovamus & confirmamus. Dabimus » ergo decimam de annonâ fi fuerit empta, five de » agro proceflerit ; de argento decimam, five in » altari oblatum, five undequaque conquifitum ad » ufus Fratrum. De lanâ, de cafeis, de butyro, de » agnis, de vitulis, de pifcibus, de ovis, de fru» ctibus quibufcumque omniumque rerum ufi» bus veniet decimatio : quia magis Deo placet » fuftentatio fuorum membrorum quàm murorum. » Ita illi.

II. Abbas Franco.

FRANCO Abbas profectus in Angliam honorificè fufceptus eft ab Henrico Rege, cujus opus dicunt granarium, olim portam Regis vocatum, in cujus parietibus ftatua Regis ad hæc tempora permanens præfati Regis liberalitatem defignat : nec folùm à Rege honore ac muneribus eft honoratus, verùm etiam à Principibus terræ, Epifcopis & Abbatibus fummo in pretio eft habitus, eofque in Capitulis & publicis Conventibus melliflui oris fermonibus lætificabat ; fuit enim fcientiâ litterarum apprimè dives, unde & varia fcripfit ; imprimis : De gratiâ Dei tomos 12. quos tanti femper fecerunt fcriptores, ut ab ipfis impreffionis cunabulis in lucem dederint, inveniunturque multis in locis editi.

Quæ fcripferit Franco.

De ftatu futuræ gloriæ metricè.

Sermones de B. Virgine : & quòd Monachus abjecto habitu non poffit falvari.

Ad Moniales Foreftenfes & Bigardienfes quædam confolatoria.

Librum Epiftolarum ad diverfos.

Hujus diebus Balduinus de Alofto, primus inter Flandriæ Principes, fæculo renuntians Afflegemii Monachum induit, ibique fub fancto habitu perfeverans fepulturam accepit. Præcipuè ejus regiminis tempora ornavit B. Radulfus cognomine Lucens, de quo monumenta loci : vir perpetui filentii, qui magnam lacrymarum gratiam & divinæ contemplationis à Domino accepit, plenus dierum obiit in fenectute bonâ. Hic vivens figno Crucis incendium braxatorii exftinxit : poft fexdecim annorum filentium hæc ejus fuere verba : Stes ignis hac horâ, flamma penitùs conquiefcas : & igni obediente voci hominis ftetit, protinufque exftinctus eft.

Abbas denique Franco locum multis decoravit ædificiis, & fingulariter Bafilicâ infigni ac magnifico opere, bibliothecam libris plurimis ampliavit : prædia auxit & Religionem confirmavit : hominem piè ac fanctè exuens, humili fepulturâ eft conditus fub lapide modefto hoc titulo annotato : D. FRANCO HUJUS LOCI ABBAS SECUNDUS : licet omnes penè Abbatum fepulcrales ac magnifici lapides perierint, ac in partes confracti, hic humilis permanet.

III. Abbas Albertus.

ALBERTUS Abbas tertius fummâ vi ad hanc dignitatem attractus, & omninò nolens coactus eft ; malebat enim fubeffe quàm præeffe, unde uno aut altero anno poft electionem vir innocentiâ, fimplicitate, atque omni virtute infignis terrenorum negotiorum pondus ferre impatiens, Paftoralis curæ onus depofuit.

IV. Abbas Petrus.

PETRUS Alberto cedente Abbas conftituitur. Eo regente Godefridus Dux Brabantiæ feu Lovanienfis, dictus Barbatus, ab Henrico fratre tradita huic Cœnobio confirmavit, addens Flidebertum cellam (id eft Monafterium Fliderbecanum apud Lovanium noviffimè conftructum) quam Afflegemienfibus fubdidit, & apud eos fepulturam elegit, in quâ hoc elogium legitur : Godefridus cum barbâ Dux Lo- « tharingiæ, Comes Lovanienfis, & Bruxellenfis « Marchio facri Regni, primus fundator hujus Cœ- « nobii. Dotavit Prioratum de Voauria excellentio- « ribus & folemnioribus Reliquiis, fundavit Præpo- « fituram Ecclefiæ de Capella in Bruxellâ, fundavit « etiam Monafterium Monialium Majoris Bigardis ; « & innumeris donis Monafterium fancti Trudonis. « Obiit anno 1130. hîc fepultus ante altare fancto- « rum Apoftolorum. «

Filia præfati Ducis Aleidis juncta matrimonio Regi Angliæ, poft obitum fecundi conjugis Afflegemienfis Clauftri folitudinem ad reliquum vitæ ad humandum corpus elegit : in domo turri Ecclefiæ contiguâ, cum unâ aut alterâ ancillâ in Fratrum Afflegemienfium quietâ taciturna multitudine folitaria habitavit, & beato fine quievit, de qua epitaphium :

Aleidis Regina Angliæ, filia Ducis Godefridi « cum barbâ, Regnum fufcepit in Angliâ anno « MCXXI. obiit 9. Kal. Maii, fepulta è regione ho- « rologii noftri. «

Inventa eft noviffimis his diebus in templo hujus Cœnobii tumba cum iis litteris, A. R. A. quas fic explicant Afflegemienfes, *Aleidis Regina Angliæ*. Hæc multa prædia contulit huic, & inter benefactores præcipua habetur.

Ejufdem Abbatis tempore Henricus Comes dicti Godefridi filius, militiæ cingulo depofito hîc facræ religionis habitum fufcepit, & citò à Deo vocatus migravit ex hoc fæculo, fepultus ad caput patris fui.

Abbas verò pertæfus etiam curarum, ac folitudinis amator onus Paftorale reliquit.

V. Abbas Godefcalcus.

Godefcalcus bonæ fpei juvenis poft abdicationem D. Petri in Abbatem eft electus. Sub initio hujus prælaturæ Cœnobium hoc invifens fanctus Bernardus, Deiparæ Virginis ftatuam in ambitu ad oftium dormitorii mellifluo ore falutans Angelicâ falutatione, *Ave* MARIA, ab eâdem refalutationis refponfum accipere meruit, *Salve Bernarde*. Sermones ad Fratres habuit, quibus defiderium fuum manifeftavit, ut Afflegemienfes Ciftercienfem difciplinam fufciperent, fed ad hoc perduci non potuerunt ; affectûs fui in eos arram tamen reliquit, fcilicet baculi Paftoralis partem. De hac fancti Patris Afflegemienfium vifitatione, miraculoque fequuto, ita Chronicon Gemblacenfe : » Vifebatur ante Belgenfem « defolationem in Monafterio Afflegemienfi Dei Ge- « nitricis imago, cui valedicens Bernardus ; *Vale*, « inquit, *alma* MARIA. At *Bernarde*, *Vale*, ait « fancta Maria. « Mos obtinuerat apud Afflege- « mienfes ut mane nunquam à dormitorio in Ecclefiam, nifi te per falutationem Angelicam hanc imaginem falutaffent.

Hujus Abbatis tempore capfa B. Mariæ Waurienfis Bruxellas fuit deportata, ob peftiferæ luis contagium Bruxellenfes devaftans ; eâ de causâ ab Abbate inftituta eft proceffio folennis à Monafterio Bruxellas ufque nudis pedibus, ubi etiam Beata Maria non minimum circâ Abbatem & Priorem Waurienfem operata eft miraculum. Cùm enim idem Prælatus capfam poft proceffionem afportare vellet, tantæ molis eam fenfit ut nec levare potuerit. Prior autem Waurienfis accedens fine ullo impedimento extulit : hoc figno pace initâ capfa Wauriam eft relata.

Sancta Alona Forenfis miraculis hoc tempore

mundo innotuit; unde Episcopo Cameracensi mandante Godescalcus noster reliquias ex cryptâ extulit, & populo colendas exhibuit. Onus etiam pastorale Patrum sequutus exemplum deposuit; verùm iterùm Monachis rogantibus reassumere debuit.

VI. Abbas Arnulfus.

ARNULFUS Abbas ex Monacho & Priore Afflegemiensi ab Einamensibus in Abbatem lectus, cum diu cum laude rexisset, abdicante se Godescalco ab Afflegemiensibus in Abbatem est repetitus. Ecclesiam hanc pari sollicitudine & virtute rexit. Virartium sæculi rudis, & cui ut auctor vitæ Sanctæ Wivinæ scribit, versum erat in habitum frequentiùs Divinis quàm forensibus implicari negotiis, & cum Monachis chorum indesinenter frequentare. Rogante Godefrido tertio Duce Lotharingiæ Fliderbecanis Monachis indulsit, ut Abbatem sibi, sed ex Afflegemiensi grege deligerent. Exstant variæ eâ de re conditiones propter pacem & charitatem ut essent filii pacis: »Notum facimus quòd petitione » multarum personarum religiosarum & sæcularium, Ducis quoque Godefridi, Ecclesiæ Fliderbecanæ Abbatem habere concessimus; & pari conditione discordiæ fomitem in vinculo pacis spiritu » consilii mediante terminaverimus. Si Abbas Afflegemiensis Ecclesiam Fliderbecanam visitare voluerit, Abbas loci in choro locum suum ei deferet. » Item Abbas Fliderbecanus si non ampliùs, saltem » ad Vincula S. Petri Ecclesiæ Afflegemiensi, nisi » certâ necessitate præpediente, se præsentabit; aureum denarium annui censûs Lovaniensis monetæ » in testimonium subjectionis ipso die solvere curabit.

Eodem ferè tempore, Philippo Flandriæ Comite præsente, Ecclesia Afflegemiensis Cellam sancti Andreæ juxtà Brugas liberam ab omni subjectione declaravit, & de electione novi Abbatis consensit.

Ipse etiam caput Sancti Cælestini Papæ Eynomo, vel ut Eynamenses volunt, Potnaco Afflegemium attulit. Juris autem Monasterii acerrimus defensor Henricum de Ascha decimas injustè ablatas restituere coëgit. Obiit plenus meritis & diebus circà annum MCLXVIII.

VII. Abbas Sigenis.

SIGENIS Abbas Godescalco, qui ut diximus, Arnulfum in regimine rursùs exceperat suffectus non totos tres annos clavum tenuit. Genus illi illustre apud Brabantos Cray-Enhemiorum familia; Eleemosynarii munere anteà functus fuerat. Abiit è vita anno MCXCVIII. De quo sic epitaphium: » Sigenis » de Crayn'hem ex Equite aurato hîc Monachus effectus, duodecimo conversionis suæ anno Abbas » constituitur. « Obiit 5. Kal. Februarii.

VIII. Abbas Willelmus.

WILLELMUS Abbas nullâ re gesta nobilis, dignitatem abdicavit vel volens vel nolens. Invenitur petiisse & obtinuisse ab Henrico Duce Lotharingiæ libertatem & immunitatem possessionum Monasterii.

IX. Abbas Robertus.

ROBERTUS Abbas regimini admotus, ob ædificationem aliquarum officinarum laudatus, fabricavit Refectorium: celavit lapidibus magnam Ecclesiæ partem à cruce usque in finem: prædiis, decimis res nostras auxit. Exstant variæ in hanc rem litteræ. Arbiter etiam est electus à Sancti Sepulcri Abbate & Decano Sanctæ Gudulæ, cum Ecclesia Sancti Sepulcri seu Capella B. MARIÆ in parochialem erigeretur. Vitâ functus Robertus anno MCCXXIV.

X Abbas Willelmus II.

WILLERMUS II. Abbas: hic fabricavit domum lapideam in quâ Milites suscipiantur, id est nobiles, qui vel conversionis causâ, vel pietatis studio ad Cœnobium divertebantur. Datum ipsi & Abbati Ninivensi negotium eligendi locum in Sebinerâ ad Cœnobium Monialium Cisterciensium construendum. Jura Monasterii egregiè defendit, & Guillelmum de Grimbergis dominum de Ascha ob illata Afflegemio damna memorabili ad omnem posteritatem pœnitentiâ coërcendum curavit. Fuit autem hæc pœnitentia talis; in Capitulo Monachorum nudo pede, nudo capite, in camisiâ & braccis virgam tenens in manu, ad pedes Abbatis prosterni jubetur: in satisfactionem injuriæ fuit injuncta ab Officiali Cameracensi. Auxit in pluribus rem domesticam; & Guidone Episcopo Cameracensi adnitente, ipso etiam consentiente, certis conditionibus Forestense Monialium Asceterium ab Afflegemensium potestate est separatum. Circà hoc tempus vixit in hoc Monasterio venerabilis ille Reinerus, cujus conversionem affert Cantipratanus in vitâ sanctæ Lutgardis; id testatur de ejus vitâ. » Vidimus, inquit, illum in Cœnobio Afflegemiensi, quem pro admirandâ conversatione in tali ætate & patientiâ omnes venerarentur. Hominem exuit Abbas an. MCCXLII. «

XI. Abbas Joannes.

JOANNES Abbas magnâ prudentiæ & sollicitudinis laude Magistratum gessit, observantiamque regularem, quæ sensim inclinare visa, restituit. Multa acquisivit & strenuè contra invasores defendit. Insigni morum integritate claruisse oportet, ut Sanctæ Lutgardis in cœlum migraturæ has audiret voces: Jam recedo, carissime, & nihil te carius sub sole » relinquo. « Ex ejusdem Sanctæ Virginis amore erga » Fratres Afflegemienses apud eosdem tunc regularem disciplinam viguisse constat, ita enim refert Cantipratanus de F. Converso Afflegemiensi: » Cujus » Monasterii Fratres propter Religionis observantiam præcipuè charos habebat sancta Lutgardis. « Eam ob causam Guiardum seu Guidonem Cameracensem Episcopum ibidem conversatum frequentiùs, imò juxtà aliquos habitum Monasticum assumiisse, certò tamen mortuorum sepulturam elegisse notum est. De eo ita Balduinus Ninoviensis Canonicus in chronico M. S. anno Domini MCXLVII. Guiardus Cameracensis Episcopus columna ingens Sanctæ Ecclesiæ, morum honestate ac justitiâ clarus, & Verbi Dei prædicator egregius, » moritur apud Afflegemium, & sepelitur ibidem. « Abbas autem piè in Domino obdormivit anno MCCLXI.

XII. Abbas Henricus.

HENRICUS Abbas trium annorum circulo res magnas inclusit. Fabricavit magnam partem Ecclesiæ Beatæ MARIÆ in qua fit processio, ædificia restituit ac novis operibus fulcivit, turres campanis ære fusis instruxit. Obiit anno MCCLXIV.

XIII. Abbas Henricus II.

HENRICUS secundus diutissimè & magnâ disciplinæ regularis curâ rexit, & perfecit Ecclesiam B. MARIÆ, item tabulam pulcram in magno altari. Abusus in Prioratu Fraxinensi (in quo tunc temporis Monachorum, & Conversorum erat numerus honestus) correxit; nam anniversariorum symposia sustulit, & in moderatam eamque quotidianam vini portionem converti voluit: sicque factum est, ut quod uno die largiùs absumebatur, in plures & quotidianos tribueretur: tertiam nempe partem gellæ per diem constituit. Diem extremum subiit anno MCCCI.

XIV. Abbas Willelmus III.

WILLELMUS tertius Abbas, Loefius dictus; Beghinarum Alostensium ei cura à Philippo Cameracensi Antistite est commissa. Ipse religiosissimus Prælatus cum animadvertisset multa perperam & contra majorum scita in disciplinâ regulari assignari, arripuit colanium, & veteris observantiæ vestigia in litteras misit, duobusque voluminibus statuta & observantias descripsit. Abbas inter Scriptores [b] adscriptus MCCCXI.

b *Scriptores*] Forte *cœlites*.

XV. Abbas Joannes II.

Joannes secundus Abbas brevis imperii. Controversiam inter Afflegemienses & Nivellenses Canonicos super annuâ 9. librarum solutione exortam sopivit. Vitâ & magistratu abiit an. MCCCXIV.

XVI. Abbas Thomas.

Thomas Abbas. Ejus Præfecturæ tempore luctuosa Afflegemii conflagratio accidit à Flandris, qui Teneramundâ exorsi Malgram, Lippelloumque, & Monasterium exusserunt; Monachi fugientes dispersi fuere. Moritur Thomas cladibus afflictus anno MCCCXXXIV. post annum ab hac vastatione.

XVII. Abbas Joannes III.

Joannes tertius Abbas Ecclesiam bellis undique quassatam & ustionum populationumque cladibus attritam ægrè ferens, nihil dignum fastis egit, imò dies & annus mortis ignorantur.

XVIII. Abb. Joannes IV.

Joannes quartus, dictus *Wolmeroy*, pace inter Brabantos & Flandros firmatâ, Afflegemium duplici incendio corruptum restituere aggressus, pristinum loco splendorem, præsertim Ecclesiæ nunquam reddere potuit. Restituit solido opere Ecclesiam Meldrensem, eamque à Bardegemensi, auctoritate Joannis Episcopi Cameracensis, cujus erat appendicium, divisit. Abdicavit dignitatem, & Almerico, approbante Urbano V. Papa, commisit an. MCCCLXX.

XIX. Abbas Almericus.

Almericus Tayus à Gregorio XI. primùm sibi, deinde successoribus, mitræ, annuli & Pontificalem usum obtinuit. Ejus tempore maris inundatio non paucos Afflegemii in Flandriæ partibus fundos secum traxit & hausit. Wenceslaus Brabantiæ Dux eodem Abbate postulante concessit ut duas curtes posset demoliri ad restaurationem Monasterii. Gregorius etiam XI. ejus petitione contrà invasores Cœnobii scripsit Abbati sancti Petri Gandensis, ut pœnis eos coërceret ad restituenda latifundia ablata. Pars Monachorum in Abbatem insurrexit, & eo res est deducta, ut Dux Wenceslaus adegerit Almericum dignitatem abdicare, imò & Joannes Episcopus Camerac. propter contumaciam & inobedientiam, quia vocatus non adfuerat, aliaque ei imposita, à cœtu fidelium removerat. Sed ille ad summum Pontificem omnia revocans, ab eodem in potestate est confirmatus, & pax cum Ascetis inita. Obiit Almericus his superior anno MCCCXCVIII.

XX. Abbas Henricus III.

Henricus de Sancto Gaugerico vir nobilis, qui & coadjutor datus fuerat in perturbatione adversùs prædecessorem. Constat sub eo Afflegemium floruisse, recuperatâ prædiorum possessione. Lavacrum in peristylio secto lapide exstruxit, ad cujus operis formam cætera Claustri latera posteri ædificarunt. Humana reliquit anno MCCCCXIII. honorificâ sepulturâ tumulatus, cujus lapis supremus adhuc visitur cum ejus effigie.

XXI. Abbas Joannes V.

Joannes Alphius præesse cœpit an. MCCCCXIII. Multa præclarè gessit pro Republica: Joannis Ducis Brabantiæ perpetuus Consiliarius quamdiu ille per teneram ætatem rebus gerendis idoneus non fuit, cum aliis decem viris tranquillè ditiones ejus administravit. Exortâ sub eo Monachorum dissensione, Monasterii bona in tres partes dividuntur, approbante Martino V. Romano Pontifice: una Abbati, Conventui altera, & fabricæ altera assignata. Inde tamen maxima labes disciplinæ regulari injecta; dum enim Cantori, Priori, & aliis quædam particularia traduntur, paupertatis monasticæ ruina incurritur. Idem Prælatus fecit coronam pulcherrimam in Capitulo, continentem imagines B. Virginis & duodecim Apostolorum; in quâ coronâ erant expensæ duæ & nonaginta francæ. Ipse tandem Abbas, incertum quâ de causâ, præfecturâ se abdicavit, naturâque cessit anno MCCCCXIX.

XXII. Abbas Henricus IV.

Henricus III. de Ascha à summo Pontifice confirmationem divisionis bonorum Cœnobii obtinuit. Multa ædificavit & reparavit, & duas partes Claustri ex quadrato opere perfecit; sed postea parum liberior factus cum possessiones Monasterii vel vendidisset vel gravasset, ab officio remotus honestâ ei portione traditâ, in otio consenuit, mortuus anno MCCCCLXXIV. in Meldrensi Ecclesiâ ante Altare Deiparæ sepultus.

XXIII. Abb. Gossuinus.

Gossuinus Herdingus magno suorum consensu in Abbatem electus, & à Calixto tertio confirmatus, diu feliciter rexit. Ad Ludovicum Regem Franciæ, qui post Caroli Bellicosi obitum Ducis, Mariæ provincias invaserat, cum aliis ordinum delegatis missus, & honorificè receptus est. Paulo ante obitum sollicitus ne bona Monasterii dissiparentur (quibus tunc temporis inhiabant multi) ab Alexandro sexto conservatores petiit, & obtinuit Abbates sancti Petri Gandensis, sancti Michaëlis Antuerpiensis, & sanctæ Gertrudis Lovaniensis: verùm ante receptas bullas diem suum extremũ clausit anno MCCCCXCIII. post ejus obitum D. Gislebertus Marselarius communibus Monachorum suffragiis, sed ipse palam suam inidoneitatem afferens, & dotes D. Guillelmi prædicans ipsum nominavit, raro & inusitato exemplo, ipse Waurensi Prioratu contentus.

XXIV. Abb. Willelmus IV.

Willelmus Michaëlis cedente Marselario in Abbatem est confirmatus. Erat Prior Fraxinensis, & magnus Pastor Brabantiæ Gallicanæ. Vir zelo Religionis conspicuus, in spiritualibus providus, & temporalibus circumspectus. Romam profectus, à summo Pontifice pileum Cardinalitium recusavit. Visitationem Episcopi Cameracensis semel sustinuit, ex cujus præcepto libros communes & Bibliothecam erexit: sed postea à Julio secundo exemptionem ab Ordinario amplissimam impetravit. Multa fabricavit, & alia præclara perfecit. Interim Julius Romanus Pontifex datis litteris huic mandavit, ut Guillelmo *Croi* habitus Religiosus daretur, & ab Afflegemiensibus ad professionem admittatur, quem & coadjutorem Guillelmi constituit. Hic etiam factus Abbas, & ab eo tempore non fuere ampliùs regulares Abbates, licet hic Guillelmus, & Carolus *Croi* qui eum sequutus est habitum Monasticum assumserint. Tandem postea Episcopali dignitate ornati Monasticam vitam non sunt sequuti. Demum Gravellano Archiepiscopo Mechliniensi procurante annexum est mensæ Archiepiscopi Mechliniensis Cœnobium nobile & celeberrimum.

Annexa est Abbatia Archiep. Mechliniensi.

Ab Archiepiscopis constitutus Præpositus, qui vice Abbatis Monachis præsit, præsertim quoad disciplinam Regularem: ex eorum numero præclari habentur.

Hubertus du Bray, cujus tale exstat elogium: Vir probitate vitæ doctrinâque conspicuus, subditorum suorum forma, & calcar observantiæ regularis, scripsit plurima.

Henricus Vandenzipe ob egregias animi dotes electus in Abbatem S. Andreæ apud Brugas, scriptis notus, & specialiter ob Gregorium Benedictinum, & alia opera.

Novissimis his temporibus nostris Benedictus Haestenus, qui sanctissimum & gloriosissimum Patrem Benedictum maximis illustravit, unde omnis ordo & Ecclesia ejus laudes enarrabit in æternum.



MONITUM.

CHRONICON ANDRENSIS sive ANDERNENSIS (Andres *Monasterii Ord. S. B. in Diœcesi olim Morinensi seu Tervanensi, nunc in Boloniensi, à* GUILLELMO *ipsius Asceterii Abbate conscriptum jampridem laudavère docti & graves historici perplures, ac fragmenta ex illo exciderunt; præ cæteris verò* ANDREAS CHESNIUS *de Gallico orbe meritus quàm optimè, qui hujusce Chronici chartis sive diplomatibus variis probationis suis Genealogiæ Guisnensium* (Guines) *dominorum asseruit, adauxit, illustravit.* RAPHAEL *quoque Bellocampius* (de Beauchamps) *Presbyter Benedictinus Abbatiæ Marcianensis, plura inseruit Synopsi sive tomo 2. Historiæ Francomerovingicæ ab* ANDREA SILVIO *Priore ejusdem Monasterii elucubratæ, cujus sæpe meminit Guillelmus Andrensis, suumque Chronicon ipsis Andreæ verbis adornat. Nos verò Chronicon istud non carptim aut laciniatim, sed integrum purumque ac continuum exhibemus.*

Cœnobii Andrensis statum hodiernum describit modo citatus Raphaël pag. 1085. *conceptis „ hisce verbis : „ Philippo Walesio Rege Franco anno J. C.* 1347. *cum Anglus Calesium seu „ Caletium* (Calais) *post diuturnam obsidionem deditione recepisset, civem Gallum urbe expu- „ lisset, Anglos introduxisset; Andernense Monasterium vastatum est, &c. ut proinde Abbatem „ cum suis Monachis sese in urbem Ardeam salutis ergo recipere oportuerit. At fuerat subinde „ res Andrensis nonnihil restituta, cum ecce hoc Rege Francisco animi excelsi Principe, Hen- „ ricus Anglus Rex eo nomine Octavus, &c. Captâque Boloniâ cædes anno Domini* 1543. *„ &* 44 *& strages crudeles in agro Boloniensi edit: Ardeam usque omnia ferro, igne, rapinis- „ que miserrimè devastat ac diripit, homines in miserrimam servitutem abducit, &c. Sæpe jam „ igitur sæpiùs Anglicanis armis, varioque ab hoste tentatum & occupatum nobile Asceterium „ hocce Benedictinum Andrense, &c. ita refertur solo æquatum; ut hoc qui nunc agitur anno „ Dominici natalis* 1632. *campus sit & seges luctuosa, ubi olim Abbatia sita exstitit Ander- „ nensis, Capellam antiquissimam S. Medardi, hanc epitesim sortita, quod ea modicum esset „ antiquiùs Sacellum, in villa dictâ vulgò* Andernes *proximè Ardeam* (la ville d'Ardres) *„ hodieque Diœceseos Boloniensis Morinorum. Id me commonitum officiosè voluit R. D. Natalis „ Gantois Presbyter, Ecclesiæ Morinorum Canonicus, &c. per Artesiam Archidiaconus, An- „ dernensisque Monasterii Magnus Vicarius, &c. Monuit idem suas doctas & suaves ad me „ litteras aliquoties Boloniâ destinatas; Andernense hocce Asceterium, inter urbes quondam Gis- „ nam & Ardeam operosè constructum, ex quo tempore bellorum, Anglicorum præsertim, sævâ „ injuriâ funditùs eversum ac dirutum est, in Ardeæ oppidulum pervetus, atque ipso solis vel „ loci situ munitissimum esse translatum, locoque satis accommodo & amœno potiri, ubi duo è „ Clero Ardensi selecti Presbyteri Monachorum subeant vices, Divinumque officium horarium „ dietim persolvant, atque sacris per vices operentur. Qui verò isti pro tempore Commendata- „ rius Abbas Monasterio præsit, nobilibus scripsit esse ortum majoribus, Godesfridumque d'Espinoy „ Laudunensem dici. Patrimonium autem Andernensis Ecclesiæ Benedictinæ dissectum, varieque „ esse distractum, ejusdemque hodiernam suppellectilem atque rem domesticam adeo curtam & „ exiguam superesse, ut ejus annuus census ægrè bis millenas & quingentas libras Francicas „ superare possit, &c. huc usque Raphaël Bello-campius.*

Apographum Chronici Andrensis, quo usi sumus, curâ & studio ANDREÆ CHESNII *descriptum,* FRANCISCUS *Andreæ filius nobis suppeditavit. Verum enim verò identidem salebræ passim occurrentes vel scriptoris inscitiâ vel oscitatiâ, nobis subinde facessêre negotium, ut pote destitutis alio exemplari, quod rebus in dubiis & obscuris consuleremus: eas nihilominùs (quantum fas fuit conjicere) fragmentorum illius Chronici excusorum ope, extersimus omnibus fermè in locis.*



CHRONICON
ANDRENSIS MONASTERII
ORDINIS SANCTI BENEDICTI.
In Diœcesi Tarvanensi sive Morinensi, nunc Boloniensi.
AB ANNO M. LXXXII. AD M. CC. XXXIV.
AUCTORE GUILLELMO ABBATE.

Epistola Willelmi Abbatis.

GUILLELMUS Dei miseratione Andrensis Monasterii servus, dilectis in Christo filiis ac fratribus cum eo & sub eo regularem vitam professis, tam futuris quàm præsentibus, ad quod anhelant pervenire feliciter. Vir vitæ venerabilis Andreas, merito & officio Prior Ecclesiæ Marcianensis, ad honorem bonæ memoriæ domini Petri Attrebatensis Episcopi, de origine gentis Francorum, de famâ, virtute, & gestis eorum duos libros præcedentes eleganter composuit, & hunc tertium feliciter inchoavit: qui quoniam ad instar Beati Hieronymi in diversis diversa legerat, & octogenarius & ampliùs existens omnem ferè ætatem in Religionis exercitiis, & virorum illustrium gestis legendis & explicandis expleverat: Reges sive Duces, quos primus liber continet, Merovingos seu Crinitos vocat: In 2. libro Reges descriptos Karlenses appellat: Tertium verò librum de Regni mutatione seu translatione ab Hugone Capet inchoat.

De Andrea Marcianensi Priore.

Historia conscripsit, unde multa hausit Guilelmus Chronici hujus Auctor.

Et hunc quidem librum tertium per Capitula distinctum, sicut & duos priores præ manibus habemus: in cujus medio quædam incidentia quæ ad nostrum Andrense Monasterium pertinent, more præfati Prioris de industriâ plantavimus; salvis capitulis in præcedenti & subsequenti opere, videlicet de statu regni appositis: quæ omnia dum prudens lector legit, advertat ea quæ à Priore memorato composita sunt, titulo Prioris in margine signo rubeo prænotata: cætera omnia à nobis composita. Paulo superiùs ostensum est in Prioris tractatu, procurantibus B. Comite Flandrensi & V. Abbate S. Vedasti, quòd de Monasterio Marcianensi expulsis Monialibus, in quo trecentis annis & ampliùs resederant, loco earum Congregatio Monachorum successit, sicut à tempore beatæ Rotrudis sub Mauronto & Jonato sanctis Abbatibus, & eorum successoribus diversis mos inolevit, quoadusque per Regni perturbationem & terrarum destructionem tam Marcianis quàm alibi, quandoque loca Sanctorum, in multiplicem statum mutata fuerunt; & nunc Monachis, nunc Monialibus, nunc vero Clericis sæcularibus cesserunt: quandoque autem peccatis exigentibus omni habitatore caruerunt. Verùm mutationem illam de Monialibus in Monachos in Marcianensi Cœnobio factam, etsi à præfato ejusdem loci Priore minùs expressam, quantum audivimus & cognovimus, & Patres nostri narraverunt nobis, volumus evidenter exprimere, & causam ipsius mutationis memoriæ posterorum medullitùs imprimere.

In Monasterio Marcianensi olim Moniales.

Quomodo expulsæ Moniales.

Dum adhuc in ipso Cœnobio Moniales residerent, & sicut eidem sexui est insolitum, in rebus gerendis & disponendis minùs providè se haberent, quidam ejusdem loci æditiuus, quem nostro more custodem vocamus, natione Anglicus, corpus gloriosæ Rotrudis furtim auferre disposuit, & ad natale solum transferre, pro eo quod miraculis crebrò coruscantibus, de ejus meritis nullatenùs valuit dubitare. Affectum igitur suum ad effectum perducens, & sacrum corpus cum vitâ nobilis matronæ sibi commendatum subripiens, fugam parat, terram circuit & perambulat, Gisnense territorium intrat; & statim occulto Dei judicio infirmatur: sacrum corpus sub quâdam spinâ, beatæ Rotrudis hactenùs nomine vocatâ, ab eo occultatur. Moritur bajulus, & multo tempore venerabilis matronæ tam corpus, quàm vita, vel meritum ab hujus regionis incolis adhuc raris ignoratur. Tandem hujus nostri Occidentis tenebras Deus volens Marcianensi lumine misericorditer illustrare, primò quidem per lumen cereorum crepusculo & nocte meritum sub spinâ quiescentis pastoribus revelavit; postmodum per somnia & visiones ægrotos attraxit, & optatâ sospitate donavit: ad ultimum Principem terræ Comitem Balduinum, hujus nominis primum, ad inventionem corporis sacri in corio cervino consuti, cum totâ terræ Nobilitate & promiscui sexûs universitate coadunavit. Statim omnibus constitit adstantibus de merito thesauri inventi, tam per evidentia scriptorum indicia, quàm per miracula multipliciter patrata. Comes jubet thesaurum sublevari, & ad castrum suum Gisnense transferri, & in capellâ suâ reponi, nec valet ullatenùs à loco sublevari. Suburbium sui Castri ubi in ejus Abbatiâ Monialium Comes nominat, vovet, & Sanctæ donat; & sic iterum conatus attentat, sed in vanum laborat. Diversis interim diversa sentientibus, & multiplex consilium dantibus, de cujusdam sapientis & antiqui consilio Comes de novo bigam jubet præparari: par boum jugo catenùs insuetum bigæ apponi & præponi, sacrum corpus bigæ superponi sine aurigæ officio subvehendum, ubicumque eum divina providentia dirigi vellet & transferri. Comiti jubenti clientela frequens obtemperat: thesaurus diù occultatus ex facili subvehitur, plaustro recenti decenter imponitur, solo Deo auriga ad Capellam beati Medardi sitam super clivum, nunc infrà Andrensis Monasterii septa conclusum, par boum progreditur, & ibidem immobilis Dei nutu tenetur. Thesaurus deponitur, & ibi honestè ac devotè reponitur, & ita in brevi capella in Ecclesiam convertitur. Inchoatam Ecclesiam Comes de suis bonis ditat & donat, Baronum & Optimatum Nobilitas donis suis Comitis donum nobilitat, diœcesanus quoque Episcopus Gerardus in facto recenti Deum glorifi-

B. Rotrudis corpus furtim sublatum tandem reperitur.

Ægros sanat.

Balduinus Comes illud in suum Sacellum deferri jubet, sed manet immobile.

Indomitis bobus impositum, sine duce ad Sacellum S. Medardi deducitur.

Sacello in Ecclesiam mutato, donis auribus ditatur.

cans, factum approbat, locum veneratur & honorat; Ecclesias eidem confirmat, & tam Comitem quàm subditos ejus ut Ecclesiæ promovendæ viriliter insistant, monet, hortatur & excitat.

Interea Comes sicut jampridem in animo conceperat, cum Ingelranno domino Lilerensi & quibusdam Flandriæ Proceribus ad S. Jacobum iter arripuit, ad Karrofense [a] Cœnobium tunc temporis religiosum, & ad usus & consuetudines Majorismonasterii informatum casu fortuito divertit, & ibidem aliquamdiù ægrotans, & loci religionem & honestatem venerando admirans, de virgulto dominico plantas fructiferas ad natale solum reportavit, inter quas præeminebant dominus GILBERTUS de territorio Ambianensi, de Uberio scilicet juxtà Corbeiam oriundus: Enerardus quoque & Henfridus de Bethbergâ. Et hos quidem venerabilis Comes in Ecclesiâ de novo plantatâ servitio Dominico mancipavit, & Priorem eis dictum Gilbertum præfecit, in quo officio per annos aliquot religiosè præfuit, & postmodum exigentibus meritis, auctoritate Superiorum, & concordi electione Fratrum Abbatis officium strenuè & viriliter diù exercuit.

Andrensis Abbatiæ Primordia.

Crescente paulisper religione, cum bonis spiritualibus temporalia, sicut moris est, creverunt, dùm non solùm de Comitatu Gisnensi, sed etiam de Boloniensi potentes & nobiles viri & mulieres prædia & facultates, nemora, reditus & censuales Deo & B. Rotrudi ad sustentationem in hoc loco Deo servientium certatim & catervatim dederunt.

Vidit hoc & invidit Balduinus Bochard Andrensis pagi dominus, &, sicut bonæ memoriæ dominus Petrus hujus loci Abbas quintus, prudens, discretus, & litteratus in suo tractatu pleniùs describit, verens infelix ne ejus possessiones paulatim labefactarentur, & ad jus Ecclesiæ redigerentur, libellum de vitâ B. Rotrudis conscriptum felle livoris commotus excidit, miraculis detraxit: sanctitatem exstinguere per libelli demolitionem putavit, & multos simplices B. Rotrudi devotos à servitio ejus precibus & minis avertit: & tandem religiosum Comitem ad hoc induxit, ut per ignis judicium sanctum famulæ Dei corpus examinaretur: & die statuto ad hoc spectaculum totius populi universitas per edictum publicum convocaretur. Quod & factum est. Sed quidquid livor hostilis B. Rotrudi præcogitavit ad contumeliam, totum ei cessit ad gloriam; quia, sicut à venerabili Patre præfato Petro pleniùs digestum est, ignis sacrum os in se projectum coram omnibus glorificavit, quod infidelis vicinus quantum in se fuit, & quantum ab aliis fieri impetraverat, dehonestavit. Et hoc quidem invidiæ morbo erga B. Rotrudem & ejus ministros, totam ejus posteritatem respersam audivimus & cognovimus; qui in nostrâ ætate septimum à præfato Balduino Bochard heredem vidimus. De quibus omnibus nobis constat, quòd quamdiù vixerunt Ecclesiam nostram persequuti sunt, in morte verò etiam inviti de suis eam bonis ampliaverunt. Denique per præfatum Balduinum Bochard vita Rotrudis discerpta & demolita, licet plurimis postmodum claruerit signis aliorum more Sanctorum, pauca penes nos ipsius gestorum habentur insignia; exceptis illis quæ à memorato & meritò memorando Abbate Petro veraci, & etiam eleganti stilo sunt composita.

Balduinus Bochard libellum vitæ S. Rotrudis concidit, miraculis detrahit.

Ejus corpus flammis consumendum tradit, sed ab his non læditur.

Cur autem supradictus Andreas venerabilis Prior Marcianensis de iis omnibus, quæ tractavimus nullam prorsus mentionem fecerit in prolixo Opere quod luculenter digessit, id esse causæ & rationis credimus, quòd turpe ei & probrosum videbatur suæ Ecclesiæ desolationem per tantæ Matronæ extrà eam translationem memoriæ posterorum transmittere, cum exinde magis alium deceat quàm ipsum tractare.

Cur præmissa Andreas Prior omiserit.

Nec aliquem moveat, quòd à Marcianensibus Rictrudis, ab Andrensibus verò Rotrudis vocatur, quòd ab illis maritò sociata & multiplici sobole fecunda, à nobis autem virginitatis honore beata prædicatur. Siquidem etsi per vitium Scriptorum, aut per prolixi temporis spatium in unâ syllabâ discrepamus, in Gallico tamen & Flandrensi idiomate in ejus vocabulo concordes sumus: sicut unum eumdemque hominem à quibusdam Arnulphum à quibusdam Arnoldum, à quibusdam verò Ernuldum nuncupari videmus: & in vitreis Ecclesiæ Marcianensis fenestris nostrâ ætate beatam Rotrudem vocari & dipingi perspeximus, quas postmodùm per habitatorum invidiam, & ut urbaniùs loquamur industriam, sublatas & subtiliùs depictas oculatâ fide cognovimus. Et quòd magis est, in vitâ beatæ Berthæ Blangiacensis, eidem Matronæ admodum familiaris, ipsam dominam appellari Rotrudem scimus & legimus. Si juvenili ætate marito nupsit, & ex eo prolem non tam sæculo quàm Deo progenuit, nostræ assertioni non est contrarium: quia viro defuncto secundas nuptias sprevit, ad vitam cœlibem se omninò transtulit, in sancto viduitatis proposito vitæ residuum feliciter explevit, & ita virginitatis merito non carebit. Doctores enim nostri distinguunt triplex genus virginitatis; quia est virginitas carnis, virginitas mentis, & virginitas professionis. In nostro autem & Marcianensium festo discordiam non video, quia ab eis in mense Maio festum recolitur corporeæ depositionis, & à nobis decimo Calendas Julii beatæ Rotrudis adventûs, & duplicis translationis, quarum prima facta fuit sub Comite Balduino primo, secunda verò ab Abbate Petro tertio.

Quare Rictrudis & Rotrudis appellatur, & cur Andrenses virginem nuncupent.

In Marcianensi Monasterio mense Maio, in Andrensi mense Julio illius festum celebratur.

De Confirmatione Episcopi.

An. Chr. 1084

DUm igitur nostrum Andrense Cœnobium sub Balduino Comite & fundatore, & Gilberto adhuc Priore floreret, & præfatus Gerardus diœcesanus augmento pusilli gregis in eo Deo militantis curâ pervigili & pastorali intenderet, Pontificali auctoritate super Cœnobii fundatione, & super ejusdem libertate, super fidelium eleemosynâ & collatione, super reverentiâ Carrofensi Cœnobio exhibendâ & subjectione, Privilegium huic loco contulit in hunc modum:

Ego GERARDUS Morinorum Dei clementiâ Episcopus, omnibus Ecclesiæ filiis in Domino JESU CHRISTO salutem. Notum vobis facio, Fratres carissimi, quòd ego condignæ petitioni Balduini Comitis, & uxoris, sive filiorum ipsius benignè condescendens, Comitatum de Gisnes obtinentis, altare villæ, quæ vulgo *Andernes* dicitur, ad opus Monachorum Cœnobii sancti Salvatoris Carrofensis ibidem Dei famulantium, omni exactionis debito liberum concedo, exceptis duobus solidis, quos singulis annis in Cœnâ Domini huic matri Ecclesiæ Fratres ibi commorantes persolvent. Aliud quoque altare quod dicitur sancti Martini in territorio, quod vulgo dicitur Bredenarde, concedo, non liberum, sed sub personâ. Excommunicatos verò nostros aut pœnitentes minimè recipiant. Oleum cum Chrismate à nobis per se recipiant. Quòd si præfatus locus divino munere adeo pullulaverit, ut Prior aut Abbas

Charta D. Gerardi Morinensis Episc. de quibusdam donis.

Abbas ab Andrensibus Mo-

a *Karrofense*] Id nunc vocant *Charroux* in Diœcesi Pictavensi.

nachis & Capitulo Carrofensi eligatur.

ibi constituatur, electio ejus penes eosdem Fratres & Capitulum sancti Salvatoris Carrofensis pendeat. Electus autem Episcopo Tarvennensi consecrandus præsentetur, à quo susceptâ benedictione ei debitam promittat subjectionem.

Balduini Comit. & aliorū Nobilium donationes.

Præfatus etiam Comes ibidem attribuit terram de Hantengehem cum hospitibus liberam, & duas partes decimæ de Spetlecâ: & terram quatuor dierum in villâ Bissengehem, & terram triginta dierum apud Altenges, & apud Morlengehem, & carrucatam & dimidiam terræ apud Suanecam, & prata triginta dierum in pago Bredenarde, & Comitatum solitudinis de Gisnes, & hospitum duorum hortos apud Gisnes.

Vicecomes Elembertus donat trium dierum terram cum horto apud Gisnes. Balduinus dat triginta trium dierum terram apud Fraitum. Itemque sex dierum terram & apud Gisnes. Domelina octo dierum terram in Campaniis, & hortum unum ad Morlemgehem: Ingelrannus de Baingehem trium dierum apud Gisnes. Eustachius de Bavelengehem XVIII. dierum terram & prata. Eustachius filius Frumoldi XX. dierum terram apud Campanias: & apud Buxin. Hugo Blancardus hospitem unum: apud Morelenghen Gozo de Campaniis de prædio suo quinquaginta dies. Bonardus de Gisnes hospitem unum. Alulfus filius Mauritii XX. dies prædii apud Boninges: & apud Lelengehem Goisfridus de Bratmes quatuor dies terræ. Everardus totum prædium suum de Herberges. Rainewidis decimam VII. carrucarum. Balduinus filius Wifredi decimam prædii sui de Campaniis. Eustachius Frumoldi filius decimam prædii sui de Campaniis. Eustachius filius Galandi decimam prædii sui. Vandelmarus de Ardâ, & Robertus de Lotenes decimam prædii sui de Campaniis. Goisfridus de Bredenarde suam portionem. Lambertus de Cornehem partem suam decimæ de Lislzes. Item prædictus Comes sedem molendini cum stagno apud Gisnes, & pensam caseorum singulis annis. Balduinus VIII. dierum terram, & ancillam unam cum filiis.

Quòd si aliquis hanc libertatem studuerit violare aut in rebus hujus loci datis ac dandis invasionem fecerit, donec Deo & Fratribus illis satisfecerit, anathema sit. Actum est hoc anno Incarnationis

1084. dominicæ M. LXXXIV. Ind. VII. tempore GREGORII Papæ VII. Regnante PHILIPPO Francorum Rege anno XXVI. dominante ROTBERO Consule. Anno præsulatûs Gerardi primo, testibus iis præsentibus.

Ego GERARDUS Episcopus subscribo.

Signa Arnulfi Archidiaconi.

Sancti Joannis Abbatis, sancti Giroldi Abbatis, S. Audoeni Abbatis, S. Milonis Decani, S. Odonis Custodis, S. Hameri, S. Bernardi, S. Normanni Decani, S. Fulcardi Decani, S. Lamberti Decani, S. Gorberti, S. Ernulphi de Ardâ, S. Ernulfi de... S. Elemberti de Maræнes, S. Hermari, S. Balduini filii Wifredi, S. Eustachii filii Frumoldi, S. Hugonis Blanchardi, S. Guidonis.

Relatio Domni WILLELMI *Abbatis de Authentico Fundatoris.*

Alia ejusdem Balduini dona.

COmes quoque Balduinus super aisiamento in palude de Hottimghem à nobis & nostris in perpetuum habendo, & hoc quantum nobis posset sufficere, super libertate Capellæ de Gisnes, & omnibus ejus pertinentiis, super stagno de Gisnes, & Bosco de Hottinghem cum ejus appenditiis, super terris, sylvis, reditibus, servis & ancillis à se & à suis hominibus datis; super quibusdam eleemosynis in terrâ Boloniæ & de Merch similiter collatis, pro eo quod allodia fuerunt, & eorum datores sigilla non habuerunt; super legatis quæ à suis Baronibus dari possent in posterum, à singulis scilicet usque ad unam carrucatam terræ, vel usque ad centum solidos publicæ monetæ, Chartam nobis contulit, & à suo primogenito Comite Manasse, jam propter patris senium herede & successore, conferri & confirmari fecit in hunc modum:

In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis Patris & Filii, & Spiritûs sancti. Quoniam veri assertione satis atque satis compertum est hoc, nequam sæculum exarescere, ejusque gloriam tempore tempori subrepente evidenter decrescere; quod autem gravius est, suos sectatores ad infernalia tormenta deducere, gratiâ Spiritûs sancti suggerente quidam sanctorum Patrum sequaces, hunc talem mundum constanter decreverunt postponere, ac salubri consilio inito, consortio Monachorum adhærere, secum quoque sagaciter in honore sancti Salvatoris Carrofensis res suas pro se suisque antecessoribus Cœnobio, quod est in villâ quæ nuncupatur *Andernes*, ad opus Monachorum ibidem Deo servientium conferre: quod rei effectu boni propositi tenaces per misericordiam Domini adimplevêre; quorum primus Balduinus Comes Gisnensis præfato loco capellam Beatæ MARIÆ in Castro Gisnensi sitam cum appenditiis suis, videlicet duas mansiones in Castro supradicto, & terram de Hantingahem cum sylvâ, & decimâ, & comitatu, & duas partes decimæ de Spetlecâ, & terram quatuor dierum in villâ Bissenghehem; & terram trigiuta dierum apud Altenghes, & apud Morlenghehem viginti: & apud Suavecam[b] tres carrucas terræ cum omnibus appenditiis, & prata triginta dierum in pago Bredenarde, & Comitatum solitudinis, & hospitum duorum hortos extrà castra, & Comitatum de Herchehem, & supradictis locis.

1084. Charta Balduini Comit.

b

Item, Comes præfatus sedem molendini cum stagno apud Gisnes, & decimam suæ terræ apud Strones. Item; ad obitum uxoris suæ dedit & concessit Monachis Andrenensis Ecclesiæ, quatenùs de palude de Ostimghehem quantum ad opus suum in perpetuum scirent sufficere posse, acciperent. Concedentibus filiis suis Manasse, Fulcone, Hugone, Widone & Mathilde; coram iis testibus Goiffrido Parisiensi Episcopo, Ida Boloniensi Comitissâ, Ernulfo de Ardâ, Elemberto Vicecomite, Mauritio & Alulfo filio ejus, Hugone Blanchardo, Balduino filio Wifridi, Balduino Boiardo, Hermaro de Campanies, Eustachio de Banelinghem, Lamberto de Cornehem, Hugone de Surchis, Eustachio filio Galandi, Goscelino Castellano de Ardâ, Eustachio filio Frumoldi & multis aliis.

Elembertus quoque Vicecomes dedit trium dierum terram cum horto apud Gisnes, & apud Curtelon XX. dierum terram cum Comitatu, Balduinus filius Wifridi dedit triginta trium dierum terram apud Fraittum cum comitatu, concedente Balduino Comite: Itemque VI. dierum terram apud Gisnes, & decimam prædii sui de Campanies, & Emmam cum filiis suis, & Comitatum unius hospitis apud Hostinghem, concedente præfato Comite. Domelina octo dierum terram, & hospitem unum ad Morlinghehem: Ingelrannus de Bainghehem trium dierum terram apud Gisnes. Eustachius de Bainlinghem VIII. dierum terram ad Wilram; & si absque filiis mortuus fuerit, totum prædium suum & pecuniam, & terram censualem concessit. Præsente

b *Suavecam*] In Chartâ Gerardi non *Suaveca*, sed *Suaneca* dicitur, & infrà in Charta Manassis *Suanelecs*.

B. Comite, & iis testibus Goiffrido Watart, Hugone Blanchard, Goiffrido de Brames, Everardo Bera.

Eustachius filius Frumoldi totum prædium suum cum sylvâ apud Campanies, & decimam ejusdem prædii. Mathildis uxor ejus XII. dies ad Buxim coram testibus iis, Roberto de Lotersâ, Goscelino, Hermaro ejusdem villæ, Baldemino de Stambeccâ, Goiffrido Blouel, Walberto de Andernes. Item, Hugo Blanchard hospitem unum apud Morlinghehem, & partem suam sylvæ apud Dippendalam cum Comitatu, annuente Manasse Comite: præsentibus Balduino filio W. Ernulfo filio Blanchardi, Arnulfo de Bonimges, Galando de Lisces. Gotso dedit seipsum, dedit etiam totum prædium, & decimam ejusdem prædii, & sylvam & mansum suum liberum; præsente B. Comite, & supradictis testibus. Eustachius filius Hugonis fecit similiter. Bonardus de Gisnes ibidem hospitem unum cum Comitatu, & uxor ejus Getberga attribuit seipsam cum pueris suis; præsente B. Comite, Ingelranno de Savinghem, Gerolfo fratre ejus, Goiffrido fratre ejus. Aiulfus filius Mauritii totum prædium suum de Lilingehem & de Boninghes dedit.

Elimbertus Vicecomes & sorores ejus dederunt ad obitum patris totum prædium eorum in eisdem villis: Winemarus & Hermarus frater ejus & sorores & nepotes eorum dederunt partes suas ejusdem prædii: Goiffridus de Bratmes quatuor dies ad Aldenchovam: Everardus de Herberghes totum prædium suum: Ranendis & filii ejus totam decimam prædii sui ad Campanies: Adela uxor Wandelmari, & pueri eorum decimam prædii ad Campaignes: Rotbertus de Lotersâ & filii ejus similiter ad Campanies, & duos dies terræ apud Spetlecam: Lambertus de Tornehem partem suam decimæ de Lisces: Fulbertus de Cukehonâ seipsum dedit, & ex prædio suo XL. dies terræ, ac dimidium molendinum in villâ quæ Terclinghehem dicitur, atque filii sui Lambertus, Frumoldus, Fulbertus, Wlvicus, Almarus de Bredenarde Blachus seipsum dedit, & totum prædium suum cum pomœrio ac domo, præsente B. Comite, & Judicibus, Otberto, Elbodone, Paulo, Balduino Cubalt, Heldebrando, Godeberto Grosso; iisdem Godebertus duas matas terræ: Cunegundis in eâdem villâ totum prædium suum cum domo ac pomœrio: Godennara soror Heldebrandi prædium suum, & post mortem pecuniam suam cum domo, coram supradictis Judicibus: Goiffridus Blonels dedit duodecim dies terræ ad Herberghes assensu Comitis, præsentibus Elembertо Vicecomite, Balduino filio Wf. Frumoldo de Cukebovâ [c], Hermaro Infant. Hugo Denelingehem seipsum dedit & totum prædium suum: Raimerus del Bruc, & Segechms uxor ejus dederunt seipsos, & totum prædium eorum, & Comes B. Comitatum prædii Rameri. Balduinus de Hosterimich dedit terram quam tenebat de Comite Gisnensi ad Landringetum, & Comitatum: Sconeheldis de Lulingehem dedit seipsam, & totum prædium suum ad Herkehem, & ad Nieles: & Prior Gilebertus cum Capitulo prædium illud cambivit Rotberto filio Kesdron, pro feodo quod tenebat de Bojardo de Andernes: hoc feodum accepit isdem Rotbertus à Priore in feodum cum Comitatu, concedentibus Balduino Comite, B. Bojardo, Ernulfo de Arda, Eustachio de Banelingehem, Goiffrido de Bratmes.

Emma uxor Rameri Caballi dedit hospitem unum ad Nieles, & decimam prædii sui ad Campanies. Willelmus de Odingehem & filii ejus dederunt decimam prædii sui, in eâdem villâ: Frethesendis de Dite sacra & filii ejus, dedit decimam prædii sui in eâdem villâ: Goiffridus de Bredenardâ, & Galandus frater ejus, & Sorores ejus, ad obitum matris eorum dedit terram cum decimâ quam tenet Riholdus ad Campanies, & Comitatum; concedente Eustachio filio Galandi, & terram de Ynznes cum decimâ, iis testibus, Eustachio prædicto, Godeberto Grosso, Eustachio de Malkestech, Wilone de Bredenardâ, & fratribus ejus. Prior Gilebertus emit à Roberto de Jorin quindecim dies terræ quam habebat ad Wesioc, cum Comitatu Tribus martis, concedente B. Comite. Item, emit à Gotsuino & uxore ejus, & fratribus, & filiis ejus terram quam habebant ad Cusebronam VI. libras & X. solidos: Mauritius de Gisnes dedit sex dies ad Hostingehem, & Eustachius de Lotersâ, & Hermarus Infans dederunt Comitatum, concedentibus B. Comite, & Arnulfo de Ardâ: Eustachius filius Galandi, & Robertus frater ejus, dedit tres dies in eâdem villâ: Rogerus & Heldelina filia ejus dedit terram quam Burgardus tenuit ad Campanies, & terram quæ jacet suprà domum Frethemeri in solitudine, & octo dies ad montem Campanies, & sylvam de Brokesholâ. De hac terrâ Normannus decimam quam tenebat dedit, & iterum à Priore cum terrâ recepit, unoquoque anno in vitâ suâ duos solidos persolvens, post mortem suam libera erit: Emma Vicecomitissa dedit tertiam partem duarum partium decimæ de Bocretes, & partem suam sylvæ ad Landrinhesim: Orbertus Wiscardus, & filii ejus, & frater ejus Otgrinus, duos dies, & unum ad Catiniers, & receperunt VIII. denarios singulis annis.

Hæc dona supradicta attributa sunt sancto Salvatori, & sancti Rotrudi ad Andernes, vivente Balduino Comite Gisnensi & concedente, & concedentibus filiis ejus Manasse, Fulcone, Widone, coram istis testibus, Arnulfo de Ardâ, Wandelmaro, Ernulfo de Lodebronâ. Hoc autem totum factum est in generalibus placitis apud Gisnes præsentibus Militibus & Laicis regionis Gisnensis, & unusquisque supradictorum testis est doni alterius.

Nunc autem nobilissimus Comes Manasses filius Balduini Comitis Gisnensis, Spiritûs sancti gratiâ illustratus, & beneficio patris sui compunctus, concessit ut unusquisque Militum suorum usque ad carrucatam unam S. Salvatori & S. Rotrudi, vel usque ad centum solidos reditûs liberè attribuat: Hoc autem dedit in manu domini Petri Carrofensis Abbatis coram Militibus suis. Ipse Comes hospitem unum dedit cum Comitatu ad Marchenes: Stephanus de Campanies totum prædium suum cum sylvâ, præsente M. Comite, & Arnulfo de Ardâ, Balduino Wif. Aiulfo filio Mauritii, Hermaro & Eustachio de Banelingehem, Balduino de Ostreuvie: Eleburgis uxor Gerardi de Burnulvilla vivens & incolumis dedit dimidium prædii sui de Senlis; & vir ejus concessit deditque Comitatum prædii coram Balduino de Ostreuvie, & Gotsone fratre ejus, & Hugone filio Engelberti, Amarlico de Erlehem, Amarlico de Iseca: Robertus Clericus de Aldenehem, & Hemfridus frater ejus dedit post mortem suam prædium suum de Aldenehem: Eustachius de Jorin prædium suum, & in vitâ suâ habet pro octo nummis, singulis annis: Beldeardis soror ejus similiter, & pro censu dedit duos dies. Teldoldus de Cosobronâ similiter, & octo dies terræ libere

Comitis Manassis & aliorum oblationes.

[c] Cukebov Suprà de Cukehonâ.

berè dedit : Hermarus & Winemarus frater ejus & sorores eorum ad obitum patris decimam prædiorum suorum ad Campanies, & duos hospites cum terrâ eorum dedit : Hermarus Comitatum dedit, concedente Comite : Balduinus Bojardus ad obitum uxoris suæ decimam allodii sui de Campanies, & octo dies ; quatuor tenet Fretemerus, & quatuor Balduinus de Spetlecâ : iterum dedit tres dies & unum pratum ad Andernes, atque omnem post mortem pecuniam suam : Eustachius de Malkesbec, & Tetsendis mater ejus, dedit duos dies ad Campanies : Goiffridus de Saninghehem vendidit Priori Gisleberto & Monachis de Andrens totum prædium suum in eâdem villâ VII. fertis & uno equo; præsentibus Hugone de Scules, Ingelramno de Sauvingehem, & multis aliis : Bonardus de Gisnes & Terbergua uxor ejus, & pueri eorum, partem suam ejusdem prædii similiter vendidit viginti solidis & duobus bobus, & unâ vaccâ : Willelmus de Hames dedit totum prædium suum ; & Alelmus frater ejus habet prædium de Hames unoquoque anno pro quatuor solidis : Eustachius filius Galandi dedit prædium de Curte bonâ, & habet unoquoque anno pro XII. sol. den. Wido de Elembom dedit feodum quod ab eo tenebat Geroldus de Saningehem pro III. fertis argenti, & cifo uno mazerino : Testibus istis, Fulcone fratre Comitis, Gotselino de Oderâ, Ernulfo de Sancto Bertino, & Manasse fratre ejus, Orberto, Wiscardo, Hugone de Morchamp.

Hæc dona supradicta attributa sunt S. Salvatori & S. Rotrudi de Andernes, in præsentiâ Comitis M. concedentis, & in generalibus placitis apud Gisnes, præsentibus Militibus & placitum observantibus regionis Gisnensis. Si quis verò hæc dona violare studuerit, aut in rebus Andernensis loci datis ac dandis invasionem fecerit, donec Deo & Fratribus prædicti loci satisfecerit anathema sit. Actum
1084. est hoc Anno Incarnationis Domini M. LXXXIV.

De morte Adelæ Comitissæ fundatricis nostræ.

Adela Comitissa in Capitulo Monasterii sepulta : deinde Balduinus Comes Gisnensis.

IN ipsâ autem novitate fundationis nostræ Ecclesiæ mortua est venerabilis Comitissa Adela, uxor Fundatoris, & ipsa devota Fundatrix, & tam in consilio quàm in auxilio fidelis auxiliatrix, & à piæ memoriæ domino Gileberto Abbato & pusillo grege, præsente marito & filiorum numerositate, necnon & Procerum multitudine in Capitulo tumulatur. Evolutis postmodum circiter annis septem, nobilissimus Balduinus Comes senex & plenus dierum migravit ad Dominum, & juxtà uxorem suam honorificè sepelitur. Post cujus mortem Manasses filius ejus, qui & Robertus à Roberto Flandriæ Comite sic vocatus, patris devotioni fideliter adhærens, & quod minus à patre nobis datum fuerat de suo supplens, in Bredenardâ, in Rivariâ, & aliis terræ suæ partibus quædam à patre suo data confirmavit, quædam de novo dedit, & maximè totam pasturam Andrensi vico subjacentem nobis indulsit, & sub hac formâ confirmavit.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, Amen. Impetrandi facultatem justis petitionibus fidelis quilibet devotâ debet accommodare, ut & ipse peccator veniam vitamque perpetuam à Domino valeat faciliùs impetrare. Quod ego Manasses Dei gratiâ Gisnensium Comes mente revolvens, & utilitati simul & quieti Deo famulantium imposterum prospiciens, ad petitionem domini Gisleberti primi Abbatis Andrenensis Cœnobii cuncta quæ eidem Ecclesiæ sancti Salvatoris tam à me quàm à prædecessoribus meis, vel Baronibus, seu quibuslibet personis data vel in futurum danda sunt, perpetuò ejusdem loci Abbatibus vel Monachis, unà cum uxore meâ Emma & filiâ Rosa, absque quâlibet inquietudine concedimus possidenda : terram de Antingalem cum hospitibus liberam, & Comitatum & boscum. Terram in villâ Bissingahem : terram apud Altinges : apud Morlingahem terram cum Comitatu : apud Svanelces tres carrucatas terræ omni consuetudine liberas, cum omni Comitatu, & hospitibus & aquâ : juxtà Turnehem XXX. mensuras sylvæ : in Bredenardâ triginta dierum, & Comitatum solitudinis de Gisnes : hortos duorum hospitum apud Gisnes : Comitatum de Herchem, & locum molendini cum stagno apud Gisnes : decimam terræ quæ jacet in Parrochiâ sancti Martini de Sclines : terram juxtà Pithem in solitudine omninò liberam cum Comitatu : apud Martnes unum hospitem cum Comitatu.

Concedimus etiam ut unusquisque Militum meorum usque ad unam carrucatam terræ, vel usque ad centum solidos de feodo suo, si voluerit liberè attribuat in Parrochiâ Andernensi : terram Balduini Bozzard : Comitatum & terram Gimfredi filii ejus cum Comitatu. Omnem Pasturam Henrici de Campanies omninò liberam : apud Herchem terram Sunahildis cum hospitibus & Comitatum : terram Rambaldi cognomento Rabolo & Comitatum. Apud Banelingahem & Ruham totum allodium Eustachii, terram, pratum, hospites, aquam, bosum, suam partem molendini & Comitatum : apud Wiberti culturam terram Hathenmf de Bavelingahem. In villâ Ostingahem totum allodium Ingelramni de Bahingahem, terram, pratum, boscum, aquam. Terram Mauritii in eâdem villâ & Comitatum. Terram Gozzonis in eâdem villâ : apud Gisnes terram cum horto quam dedit Elembertus Vicecomes, & apud Curtello terram quam idem dedit cum Comitatu. Terram Balduini filii Wifridi cum Comitatu. Terram quam idem dedit apud Fraitum cum Comitatu. Terram Ingelranni de Baingahem apud Gisnes terram Gecberge apud Gisnes & Comitatum. Terram Balduini Bozzard apud Fraitum cum Comitatu. In villâ de Nieles terram Immæ & Svanaildis cum hospitibus & Comitatu. In villâ Bissingahem terram cum uno hospite & Comitatu. Apud Herberges terram Gislebergæ filiorumque ejus Everardi & Rodulfi. Terram Seimari & Alolphi fratris ejus in eâdem villâ. In villâ de Seiles terram Alleburch Vicecomitissæ. In villâ de Hames terram Willelmi & Alelmi : in villâ Helbetingehem, & apud Raventum allodium Walteri : ad Tertingahem terram Fouberti de Sceltun, & molendinum in Parrochiâ de Odingahem. Terram Colonis de Filnes. Ad Overingahem terram Altaldi. In villâ Buxin terram Mathildis. In villâ Ellingatum dimidiam carrucatam terræ Athalaidis de Filnes, & quam eadem dedit apud Bucretes, Garinus ejus filius dedit quidquid habuit in Comitatu Gisnensi à summitate montis de Filnes, terras, boscos, vavasores, hospites, servos & ancillas, & unum molendinum apud Bucretes.

In villâ Wadingatum terram unius hospitis; terram Balduini Presbyteri apud Pithem & Bissingahem. Item, apud Bucretes unam carrucatam terræ, quæ cambiata ab Hugone Malonitino, omninò liberam cum Comitatu : decimam quam dederunt Imma Vicecomitissa de Marcnes, & Athalaidis de Filnes : in eâdem villâ duas partes decimæ de Sperlecâ. In Parrochiâ de Campanies terram Gustridi de Bredenardâ cum hospitibus & bosco : terram Rodulphi Penard cum hospitibus : terram Walteri de Elingahem : terram Hermari Barbati cum Comitatu & decimâ : terram Heremari filii ejus : terram Eustachii de Malceberge, & Tecendis matris ejus, decimamque dedit Robertus de Lutesse : terram He-

Remari de Banelingahem: terram Balduini filii Guffridi cum decimâ: terram quam dederunt Guffridus Penard & fratres ejus Rodulfus & Hugo, & mater eorum Ramuennif: terram Hatgennif filiæ Frumoldi. Comitatum quem dedit Eustachius de Banelingahem de terrâ & hospitibus sancti Salvatoris in Campanies. Terram Macelinæ, & sororis ejus cum decimâ.

Item, in Campanies & apud Eusnes terram Gozzonis cum bosco & decimâ: decimam quam dedit Robertus frater Gozzonis de terrâ suâ: totum allodium Eustachii nepotis ejus cum Comitatu & decimâ: decimam de Campanies, quam de allodiis suis Willelmus de Odingahem filiique sui Rainewif & Fretheſindis, filiique eorum, Balduinus & Imma soror ejus, Athala uxor Wandelmari filiique earum Rainerus de Bredenarda, & Herlindis uxor ejus, participes eorum, Hathewif de Pernes & filii ejus, Odewinus cum allodio suo, Walterus cum allodio suo, Stephanus filiæque ejus. Athalaidis & Hermingardis cum omni allodio suo, Hermarus Buce cum omni allodio suo, Winnemarus Crassa-vacca cum omni allodio suo Deo & Ecclesiæ Andrennensi concesserunt: decimam quoque partem quam Rotgerus & Eldelma filia ejus dederunt de terrâ quam Normanus tenuit, & ipsam terram. In villâ de Buchont terram & hospites: in villâ de Landregatum terram Balduini cum Comitatu: in Bredenarda terram Guffridi cum domo & curte, terram quam dedit Tecendis soror Guffridi, & filius ejus Manasses. Comitatum verò illarum duarum terrarum dedit Comes Gisnensis, & Vavassor ejus Manasses filiique ejus, terram Almari Albi: terram alterius Almari & sororis ejus Meidin: terram Cunegundis: terram Almari cognomento Hanroch: terram quam dedit ad Pullingahone Almarus & uxor ejus filiique eorum: terram quam dedit ibidem Godennara: terram quam dedit Ramgerus Swalenne & uxor ejus, & filius eorum Bernardus Presbyter, & filius ejus Joseph. Terram quam dedit Gentesma uxor Aserici pro animâ filii sui Guffridi: in villâ Calvestert terram Ermengardis uxoris Balduini Bozzard: terram Hetemari, Alolphi, Winemari & Clarbordi in villâ Lillingahem. Item, in villâ Hunninges terram quam præfati quatuor dederunt: terram Godefridi in Munelcehoue cum uno hospite. Apud Weshuc terram ad unam carrucam, quam dedit Fegecina cum bosco & pratis. In villâ de Surlces terram Regemari & Walburgis neptis ejus, cum pratis & bosco. Apud Aldenhem totum Allodium Hemmari Buce. In villâ de Jurin terram quam dederunt Eustachius & Heldegardis soror ejus, Balduinus, Adam Guffridus & Cono cum hospitibus & prato & Bosco: totum allodium quod dederunt Hemfridus de Jurin & Baldricus filius ejus, participesque eorum Petrus & Gunfedus. Item, in villâ de Suanekes terram quam dederunt Orbertus de Reclcâ, Lambertus, Robertus & uxores eorum Godegildis & Helizabeth, & sorores earum Christiana, Agatha, Athela, liberam cum Comitatu. Terram quam dedit Balduinus Calvus in eâdem villâ. Item, in Bredenarda terram quam dedit Godebertus. In villâ Oia terram Walteri Monachi. Decernimus itaque ut quicumque Militum meorum voluerit eidem Ecclesiæ de feodo suo quantum suprà diximus, liberè attribuat. Firmiter etiam statuimus ut nullus successorum meorum vel hominum ejusdem Cœnobii homines liceat ad suam vel cujuslibet laïcalis personæ justitiam cogere nisi ante Abbatem, vel coactivam petitionem seu incisuram super ipsos instituere, vel animalia eorum suis servitiis mancipare, vel quælibet ex eorum substantiis auferre; sed omnia prænominata, & omnia ad idem Monasterium pertinentia sub potestate & justitiâ Abbatis & Monachorum libera omninò in perpetuum permaneant. Quicumque igitur hanc Chartam in aliquo confregerit, tamdiù omni possessione suâ careat donec prædictæ Ecclesiæ per omnia satisfaciat, & Comiti Gisnensi centum libras argenti persolvat. Et ut cuncta rata persistant, Chartam ipso sigillo nostro & Baronum meorum testimonio signare curavimus.

De constructione Domûs Eleemosynariæ.

Dum adhuc venerabilis Abbas Gillebertus cum pusillo grege sibi commisso religiosè viveret, & paupertate suâ pro spe cœlestium divitiarum contentus esset; quidam potentes & nobiles de suis abundantiis ejus & sui gregis inopiam contendebant alleviare, & diversam substantiam tam rerum mobilium quàm immobilium certatim Christi pauperibus erogare: sed ipse ut verè pauper spiritu divitias fastidiens & suspectas habens, multa sibi collata, quæ etiam videbantur pretiosiora, ad opus pauperum peregrinorum, & de regno in regnum, & de gente ad populum alterum transeuntium, statuit delegare, & liberaliter deputare. Quo studio & fervore charitatis accensus Warinum quemdam nobilis cujusdam matronæ Athelaidis de Fielnes filium, qui omnia allodia quæ in Comitatu Boloniensi habuit ad Ecclesiam de Wasto per instantiam sanctissimæ matronæ Idæ Comitissæ de novo fundandam dispersérat, & omnia similiter allodia quæ in Gisnensi habebat Comitatu, ad cujus Monasterii constructionem reservabat, in fratrem & Monachum recepit, & juxtà portam Monasterii hospitale pauperum faciens, terras & reditus ab eo oblatas ut exinde Christi membra sustentarentur, instituit. Cui etiam Hospitali suum quondam commilitonem Everardum, de quo superiùs mentio facta est, Eleemosynarium præfecit; & quæ ad usus pauperum à fidelibus sunt collata, vel ab eo instituta, sive à præfato Eleemosynario acquisita scripto mandare & posterorum memoriæ transmittere studuit in hunc modum:

Gillebertus Abbas munera sibi oblata pauperibus & peregrinis largitur.

Gillebertus ex Nobilis cujusdam facti Monachi facultatibus hospitium pauperibus & peregrinis suscipiendis idoneum prope Monasterii fores construi jubet.

Relatio Domini Gilleberti Abbatis de materiâ prædictâ.

Ne aliquorum cupiditate vel improbitate ea quæ in largitione fidelium Ecclesiæ Dei concessa sunt, ampliùs valeant inquietari vel amitti, ego Gillebertus Dei gratiâ Andrenensis Ecclesiæ Abbas notifico: Quòd Manasses Dapifer Comitis Gisnensis, Deo & sanctæ Rotrudi ad eleemosynam pauperum quatuor mensuras terræ tradiderit, Balduinus quoque filius Guffridi Monachi duas mensuras terræ. Testes hujus largitionis sunt Evervinnus Vicecomes, Paulus Scabinus, Gaufridus Scabinus, Manasses, Ermennardus, Emfridus, Ernulfus de S. Bertino, Elembertus Panetarius, Galant: Mauritius quoque de Hamnes duo diurnalia terræ dedit ad eamdem eleemosynam iis præsentibus, Willelmo, Godeberto. Hathannif uxor Hermari de Bavelinghem tradidit tria diurnalia terræ, attestantibus Eustachio, & Balduino filiis ejusdem Hathannif, Gisleberto de Ardâ, Gunfrido Dranelce.

Item de eodem.

Notificare verò volumus omnibus Ecclesiæ tam præsentibus quàm futuris fidelibus, quòd Everardus Monachus Eleemosynarius à Giffredo filio Gunfredi emit terram de Tunrepit illam quam ibi habebat; & hoc concessit frater ejus Eustachius. Ita quòd ipsi duo fratres Gifredus & Eustachius reddiderunt eam terram Henrico, à quo tenebant & habebant terram: ac ipse post illos concessit terram

liberam & absolutam ab omnibus Ecclesiæ sancti Salvatoris & sanctæ Rotrudis & eleemosynæ : & ita in nomine Domini imponendo manum super altare fecit donum, videntibus & audientibus Raimaldo Abbate Ecclesiæ, & Guidone Monacho, & ipso Everardo Monacho supradicto, Eustachio de Banlingem, Balduino fratre ejus, Hermerio Bloel, Gamberto de Fonte, Gifredo filio ejus, Hugone Invento, Aleardo & filio ejus : & videntibus & audientibus supradictis Fratribus Eustachio, & Gifredo, & Fulberto de Valle, & Garnerio, aliisque hominibus multis. Anno M. C. XIV. factum est hoc sub Manasse Comite. Eustachius autem de Curtabronna & Robertus frater ejus, necnon & participes sui, boscum qui dicitur Foringesard sancto Salvatori & sancto Rotrudi ad prædictam pauperum eleemosynam pro remissione peccatorum suorum dederunt. Cujus rei testes sunt, Balduinus de Liskes, Manasses Dapifer, Eustachius, Rotgerus filii Cononis de Filnes, Hermarus Butze, Wido de Sauningahem, Guffridus, Mauritius frater ejus, Arnulfus, Everardus de Cortebronna, Wido de Malkesberc, & multi alii.

1114.

De Dono Domini Warini de Filnes.

Warinus autem filius videlicet dominæ Adelaiz de Filnes, die quo domina Adelaiz mater ejus sepulturæ tradita est, omnia sua quæ in orientali parte montis de Filnes fuerunt, scilicet terram in villâ nuncupatâ Bocardes, molendinum ejusdem villæ, Milites, sylvam quæ dicitur Lantershont, cæteram sylvam, & plana omnia quæ jacent in orientali parte viæ maris inter Mas & mare fluens, videlicet inter Witzand & Donra, servos & ancillas, cæteraque omnia ad eum pertinentia, sancto Salvatori & sancto Rotrudi pro remedio animarum antecessorum & remissione peccatorum suorum, ad eamdem pauperum eleemosynam perpetim libera tradidit, vivente domino Gisleberto præsentis Ecclesiæ primo Abbate, præsente Manasse Gisnensium Comite. Cujus largitionis testes sunt Hemfridus Decanus, Rodulfus Presbyter cognomento Norman, Balduinus de Pithem, Reinardus de Campaniis Presbyteri, Arnulfus de Ardâ, Balduinus de Osterwic, Guffridus de Campaniis, Henricus frater ejus, Wido de Elemberto, Balduinus de Liskes, Eustachius de Curtebronna, Hugo Malvoisin, Elembertus Vicecomes, Rotbertus de Hammes, Eustachius de Banelingahem, Hemfridus Lupus, Otgrun de Catfers, Hugo de Furno, Berennoldus de Catfers, Balduinus candidus de Lo, Manasses Dapifer, Hugo de Dirlingatun, Willelmus Litteratus, Lidbertus de Funtenes, Heremarus Blovel & multi alii hujusmodi donum videntes & audientes tam Clerici quàm Laïci.

Eustachius enim filius Cononis de Fielnes, Comitatum terrarum quas Warinus prædictæ pauperum domui dederat, ipsi domui in manu Everardi Eleemosynarii censuatim pro trium annuali polkinorum frumenti redditu manu sub firmâ contradidit, & frumentum in villâ Bokerdes ante vigiliam Nativitatis Domini reddetur. Terræ verò sunt, scilicet quæ ad Warani partem contingent, terra quæ fuit Ranulfi, & terra quæ jacet in villâ Ellingatum, videlicet in Comitatu ipsius Eustachii. Testes sunt Normannus Decanus, Willelmus Clericus, Gusfridus Presbyter, Rotbertus de Hammes, Lulibertus, Cono de Funtenes, Anselmus, Willelmus fratres Eustachii, Rotbertus de Markia, Hemfridus Lupus Gocelimes, Florentius de Floringesele, Balduinus filius Ulrici, Godefridus de Busco, Berenvoldus de Filnes, Gusfridus, Almarus de Erningasten, Reinerus de Numahona, Hugo de Lockingahem, Balduinus de Atlingahem, & multi alii. Actum est hoc anno Incarnationis Dominicæ M. C. VII. super Motam in Buro suo. 1107.

Hoc autem concessit Manasses Gisnensium Comes & Comitissa, taliter, ut si guerra inter eos erit, census ipsi reddetur Comiti in lecto suo sedenti; à quo Comite prædictus Eustachius Comitatum jamdictum tenebat in feodo. Hujus verò concessionis & doni fuere testes apud Gisnes, videlicet in camerâ supradicti Comitis, Eustachius de Liskes, Rotbertus frater ejus, Arnulfus de sancto Bertino, Manasses frater ejus, Eustachius de Banelingahem. Hugo Malvaisins, Stephanus de Diffreca, Berennoldus de Scames, Hildebertus, Manasses de Turnahem, Sichardus de Calhem, Elembertus Panitor, Folquinus longus, & multi alii. Eustachius de Filnes terram quæ ad suam partem contigit sub firmâ manu dedit per duas firtalas frumenti, & quinque firtalas avenæ, duodecim nummos Everardo Eleemosynario. Nomina servorum necnon & ancillarum omnium quos præfatus Warinus prædictæ Dei & pauperum domui dedit, hîc notantur, Dodæ filiæ Herberti, Willelmi filii sui Adeliz, Haduidis, Gerbergæ filiarum suarum, Emmæ, Guntfridi, Sinvoldi, Gerberti, Frethesindis matris eorum, Geilæ, Dodæ sororum suarum, videlicet de Bobardes. Denarium autem unusquisque eorum, & unaquæque earum annuatim, videlicet sancti Stephani prædictæ domui persolvent, tempore nuptiarum denarios duodecim, & in obitu duodecim.

In nomine Patris & Filii & Spiritûssancti, Amen. Notum sit omnibus tam Clericis quàm Laïcis, quia ego Eustachius filius Cononis de Filnes Comitatum terrarum, quas Warinus cognatus meus Andernensi Ostellariæ dederat, ipsi Ostellariæ in manu Everardi Eleemosynarii pro quinque polkinis frumenti per singulos annos reddendis manu sub firmâ dono, eâ divisione ut frumentum ipsum in villâ Bockerdes ante vigiliam Nativitatis Domini reddatur. Terræ quæ ad Warini partem contingerent sunt istæ, scilicet, terra quæ fuit Ranulfi reddens tres firtalas, & terra quæ jacet in villâ Ellingatum reddens duas firtalas, quæ in Comitatu meo jacent. Testes sunt Normannus Decanus, Willelmus, Clericus, Gusfridus Presbyter, Rotbertus de Hammes; Libertus & Cono frater ejus de Funtenes, Anselmus, Willelmus fratres mei, Robertus de Marchia, Henfridus Lupus, Bocelinus, Florentius de Floringesele, Balduinus filius Ulrici, Godefridus de Bosco, Berennodus de Filnes, Gusfridus Almarus de Erningasem, Berennoldus Reinerus de Nunniahona, Hugo de Lokingehem, Balduinus de Antingahem & multi alii. Actum est hoc anno Incarnationis Dominicæ M. C. XVII. super Motam meam in Buro meo. 1117.

Charta Domini Eustachii de Filnes, super dono domini Warini.

Hoc autem concedit Manasses Gisnensium Comes & Emma Comitissa sedentes in lecto suo, eâ divisione, si guerra inter eum & me fuerit, census ipsi reddetur Comiti, à quo Comite ego Eustachius Comitatum jam dictum teneo in Feodo. Hujus verò concessionis & doni sunt testes apud Gisnes, videlicet in camerâ supradicti Comitis, Eustachius de Liskis, Robertus frater ejus, Arnulfus de S. Bertin, Manasses frater ejus, Eustachius de Banelingahem, Hugo Malvoisin, Stephanus de Diffeca, Berennoldus de Scames, Hildebertus, Manasses de Turnahem, Sichardus de Caldhem, Elembertus Panitor, Folquinus Longus & multi alii.

Item, ego Eustachius filius Cononis terram quæ ad meam partem contingit in villâ de Bocherdes jacentem, manu sub firmâ jamdictæ Ostellariæ in manu supradicti Eleemosynarii do per duas firtalas frumenti, & quinque firtalas avenæ, & duodecim

nummos per singulos annos reddendos. Testes sunt Rothgerus, Anselmus, Willelmus fratres mei, Lambertus Borenges, Reinerus de Nunichova, Tiboldus de Floringesele, Hugo de Surdces, Balduinus Plaiart, Bennoldus Miles, Robertus de Bulcen, Lambertus frater ejus, Balduinus filius Coselmi, Lambertus filius Roberti de Bolcen, Robertus filius Balduini Præpositi, Herscenbertus de Filnes, Stephanus Armiger meus de Filnes.

De augmentatione Eleemosynæ.

DOmina Oydala verò ad eamdem pauperum domum terram dierum duorum in eleemosynam tradidit. Testes sunt Raolfus de Ardia Canonicus, Robertus de Arda. Terram etiam ipsam Manasses de Bratines prædictæ Oydalæ filius dedit. Matris autem & filii largitionis testes sunt Balduinus Robba, Ingelramnus, Lambertus de Atrio, Hugo de Oldenhona, Balduinus Bona, Emfridus filius Idebergæ, & multi alii. Licet ipsa duorum dierum terra jacet in Elcesce parochiâ.

Item de Eleemosyna.

ALolphus enim filius Remboldi Raboni terras suas quæ jacent in villâ Herkem, & in Wiberti culturâ, & omnia sua prædictæ pauperum domui tradidit, & seipsum pro Dei amore commisit. Testes sunt Eustachius de Banalingahem, Balduinus frater ejus, Philippus de Montegardin, Robertus de Hammes, Heremarus Blouel, Sigemarus frater ejus, Balduinus de Oldernnic, Balduinus Bona, Robertus Stanelchin, & multi alii.

De Domno Warino.

Warinus sanctè moritur.

PRædictus denique Warinus per annos aliquot in regulari proposito Deo fideliter serviens, & voluntariam paupertatem pro Christo amplectens, & de suis quondam divitiis pauperes & peregrinos foveri videns & congaudens, in festo sancti Stephani Protomartyris & testis Christi, verus & ipse testis obiit, & in ipso introitu hospitalis ut à pauperibus haberetur in memoriâ, sepulturam accepit: de quo veraciter accidit quòd suis propinquis & carnaliter amicis paupertatem ejus increpantibus, & ob hoc eum fatuum exprobrantibus, dicere consuevit: Ego, inquit, sicut fatuus vivam, sed sicut sapiens moriar, ut in hoc vobis dissimilis inveniar.

Ejusdem egregium responsum.

De Abbate Gileberto.

Gilebertus Abbas bona data & acquisita scriptis mandat.

Olim Principes tantùm sigillis utebantur.

ALia quoque bona ad usus Monachorum suorum idem domnus Gilebertus Abbas viriliter acquisivit, & quædam acquisita cambivit, & pro eo quod bonorum datores sive cambitores tunc temporis sigilla non habebant (non enim nisi terreni Principes sigilla habere consueverant) acquisita vel cambita scripto mandare curavit, prout in sequentibus patebit. Nullum autem scandalizet, si nos ejus qualescumque successores & Ecclesiæ Andrensis Fratres velimus ejus scripta robur firmitatis habere: cum usque hodie oculatâ fide videamus, & pro certo sciamus, per totam Italiam scripta Tabellionum licet Laïcorum, & sigilla non habentium, in omni Curiâ sive sæculari sive Ecclesiasticâ per quasdam figuras firmitatem obtinere.

De eodem Abbate, & de domno Lamberto Abbate sancti Bertini.

Bertiniani Cluniacensium mores recipiunt.

PRæterea domnus Gilebertus primus hujus loci Prior & Abbas quædam recepit bona ad beati Bertini feodum pertinentia, quæ quoniam domnus Lambertus sanctæ Memoriæ Abbas Sithiensis, & primus ibidem institutor Ordinis Cluniacensis, reclamavit & ad jus Monasterii sui pertinere asseruit, amicabilem cum eo pacem fecit, quam scripto mandavit, & ab eodem religioso Patre scriptum fieri impetravit sub hac formâ:

Charta D. Lamberti Abbatis.

Ut rata in perpetuum nostræ traditionis valeat esse constitutio, ego Lambertus Dei gratiâ Abbas de sancto Bertino tam futuris quàm præsentibus notum fieri volo, Eustachium de Curteburne, & fratrem ejus Rotbertum terram quamdam de Sucmelis in parrochiâ Campaniæ sub annuo censu à sancto Bertino possedisse, quam eidem Sancto & mihi liberam cum decimâ reddiderunt. Ego verò eamdem terram Abbati Andernensi, Gisleberto censualiter possidendam concessi, ut ad festivitatem Omnium Sanctorum annuatim apud Aldenfort ex eâdem terrâ duas raseras frumenti sancto Bertino Abbas ejusdem Cœnobii persolvat. Testes hujus Concessionis sunt Monachi & laïci, Godezo Monachus, Otbertus Monachus, Wido Monachus, Everardus Monachus, Elembertus de Kelmes, Alardus de Menteke, Vainraven Trapezeta, Ernulfus de Liskes, Everardus Blondus, Heremarus Buce, Heremarus Bloëlf, & alii quamplures. Et quinque solidos in festivitate sancti Remigii. Confirmata anno Dominicæ Incarnationis M. C. XII. IIII.

De eodem Abbate.

DOminus si quidem Lambertus Abbas sancti Bertini terram de Sumerlis, quam Eustachius de Curtebronna & Rotbertus frater ejus in parrochiâ Campaniæ sub annuo censu à sancto Bertino possederunt, ad opus prædictæ pauperum domûs in manu domni Gisleberti Abbatis cum decimâ censualiter possidendam concessit, ut ad festivitatem Omnium Sanctorum apud Aldenfort ex eâdem terrâ duæ raseriæ frumenti sancto Bertino persolvantur. Testes sunt Monachi & Laïci. Godezo Monachus, &c. *ut suprà.*

De dono Eustachii de Fielnes.

ITem ego Eustachius filius Cononis partem meam Wastiniæ, quæ jacet juxtà boscum Lantershont, scilicet in parte orientali, do sub firmâ manu Ostellariæ ad Andernes in manu Hemfridi Eleemosynarii & Malgeri Prioris per tres firtalas avenæ per singulos annos reddendas. Testes sunt Florentius de Floringesele, Robertus Longus de Bolken, Lambertus frater ejus, Berennoldus de Bockerdes, Henfridus Monachus, Malgerus Mon. & multi alii.

De dono Dominæ Adalaiz.

SCiant omnes quòd Adalaiz de Filnes pro redemptione animæ filii sui Cononis occisi dedit Ecclesiæ S. Salvatoris & S. Rotrudis apud Andernes, tertiam partem decimæ duarum partium in villâ quæ dicitur Rockardes, & terram dimidiæ carrucæ in villâ quæ dicitur Allingatum, & sylvam ad opus in eâdem manentis, totamque terram, quam habebat in villâ quæ vocatur Wertes super mare, Ramo & Wasone, Hermaro de Banelingahem [testibus,] ne hoc aliquis ampliùs contradiceret, bannum trinum clamante Abbate siquidem Gilleberto eidem Ecclesiæ injuriam facturos excommunicante. Testibus iis, domino Haunone Priore S. Michaëlis de Wasto, Stephano Monacho suo, Rengero Priore S. Mariæ de Capellâ, Normanno Decano, Heinfrido Presbytero de Gisnes, Sigemaro Decano de Arda, Moyse ejusdem villæ Scholastico, Remardo Presbytero de Campaniis, Manasse Comite, Elemberto Vicecomite, Conone præfati Cononis avunculo, Balduino de Osterwic, Balduino Wicfridi filio, Hugone Malvoisin, Widone de Elembom, Eustachio de Curtebron-

na, Rotberto fratre suo, & multis aliis Clericis & laïcis. Actum est hoc anno Incarnationis Dominicæ M. CXIX.
1019.

De Partibus Diversorum quæ habemus in monte qui dicitur Mas.

IN monte de Campaniis qui *Mas* dicitur habet Andernensis Ecclesia partem Stephani; partem Odouvini, & Adoardi; partem Gusfridi de Bredenarde & Galandi Fratris sui; partem Hugonis & Ozonis fratris sui; partem Ingelramni de Baingehem; partem Radulphi Penard, Hugonis Penard, Giffridi Penard, & Manassis Penard; partem Eustachii de Montgardin & sororum suarum, & Rothuldis de Abevile, & Adelidis uxoris Vandelmeir; partem Winemari Crassæ-vaccæ: omnia dona istorum habet Andernensis Ecclesia tam in terrâ quàm in bosco, & multorum aliorum quos enumerare supersedimus.

Charta Balduini fundatoris de donis tam à se quàm à suis collatis.

In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs sancti, Amen. Noverint tam Clerici quàm laïci, tam præsentes quàm futuri, quoniam dominus Balduinus egregius Gisnensis Comes & uxor ejus domina Athela nobilis Comitissa, in remissionem peccatorum suorum inspirante Spiritûs sancti gratia, concessu filiorum & consilio Balduini Botzard cæterorumque Baronum suorum, Cœnobium quoddam in loco qui dicitur Andernes in villâ videlicet prædicti Balduini Botzard pro cespitibus & pro aquis multisque ejusdem Balduini terræ commoditatibus, quæ ibidem abundant, construere decreverunt. Ædificata est autem ibi Ecclesia in honorem S. Salvatoris & S. Rotrudis, cui omnia quæ in hac Chartulâ notantur cæteraque plura ad opus Monachorum ibidem Deo servientium concessa & tradita sunt: omnis pastura videlicet à prædicto Balduino Botzard, cujus consilio Cœnobium hoc constructum est, & ubertas paludis & aquæ, necnon & cespitum cæterarumque terræ suæ commoditatum: in omni quippe vitâ domni Gisleberti Abbatis eadem Ecclesia quæ denotantur in hac Chartulâ omnia sine calumniâ liberè tenuit & habuit, Capellam S. MARIÆ videlicet Castelli de Gisnes, Altare de Bredenarda, & Altare de Andernes, Altare de Lulingahem, Altare de Fercxnes, Altare de Elingahem, tertiam partem Altaris de Terdengehem; terram de Antegahem unà cum hospitibus & decimâ liberam; & duas partes decimæ de Spetlecâ, & boscum prædictæ terræ de Antengahem; molendinum in villâ Odingahem; terram triginta dierum in villâ Ouringahem; terram sex dierum in villâ Loxingahem; terram cum duobus hospitibus in villâ Terdengehem; terram cum hospitibus XL. dierum in villâ Raventum; pratum in villâ Buxin; terram Philippi de Muntgardin in eâdem Buxin; terram cum pascuis & bosco, & duos hospites in villâ Helbedingehem; terram & hospitem in villâ Wadingetum; terram cum tribus hospitibus in villâ Seiles; terram cum hospite in villâ Bessingahem, terram in villâ Hetburges, decimam in villâ Strones; terram cum tribus hospitibus & vavassore in villâ Fraitun; terram cum duobus hospitibus in villâ Neles; terram cum hospite in villâ Marcnes; terram cum hospite in villâ Hamnes; terram cum hospite in villâ Curtalo; terram dimidiæ carrucæ in villâ Ellingatun; terram duarum carrucarum cum hospitibus & decimâ in villâ Bochardes; terram duorum dierum & duos hospites in villâ Gisnes; stagnum & sedem molendini in eadem villâ; terram de Honcld & Hildejerdmarsnâ juxtà Gisnes; terram duorum dierum cum duobus hospitibus juxtà Abbatiam, & mensuram terræ juxtà atrium S. Bertini in parte occidentali; terram & hospitem in villâ Rorichonâ; terram cum quatuor hospitibus & bosco & aquâ & pratis in villâ Hottingahem; terram duodecim dierum in villâ Spetlecâ; terram cum duobus hospitibus quæ fuit Oduini, unà cum decimâ & bosco in villâ Campanies; decimam terræ Hadwardi in eâdem villâ, medietatem fructûs terræ ejusdem Hadwardi, quam hujus Ecclesiæ Monachi pro medietate perpetuò arabunt; totam terram Remegnidis, præter terræ partem unius filiæ suæ nomine Hadindis, & prætercarrucam terræ, quam Guerrinus de Filnes tenet unà cum decimâ in villâ Campanies; terram Rogerii cum duobus hospitibus, & decimâ apud Borchardesbuf; terram Hermari cum duobus hospitibus & decimâ in villâ Campanies; terram quæ fuit Balduini Portevin, cùm hospite & decimâ; terram totam Eustachii de Muntgardin & Athelæ sororis ejus, unà cum hospitibus & bosco & decimâ; totam terram Stephani, Gozonis, Hugonis; totam terram Rodulphi Penard, unà cum hospitibus & bosco & decimâ in eâdem villâ Campanies; item, in eâdem totam terram Winemari Crassævaccæ, unà cum hospitibus, bosco & decimâ; item in eâdem terram Guffridi & Galanti cum tribus hospitibus & bosco; item in eâdem villâ terram Hermari Buce, cum hospitibus & bosco & decimâ: item totam decimam terræ Balduini Bozard & Domelinæ sororis suæ, & Heremari veteris, & Hugonis de Didasacra, & Balduini de Didesacra; item, terram Macelinæ, cùm hospite & bosco & decimâ; item terram octo dierum quam Oydolo per hanc Ecclesiam tenet; item terram octo dierum quam Frumoldus Clericus tenet; item terram quam Otbertus Scattier tenet, pro quâ quinque solidos annuatim reddit in villâ Campanies.

Item, terram octo dierum, pro quâ hujus Ecclesiæ Monachi Haduidi de Pernis annuatim duodecim denarios reddunt in eâdem villâ: terram Stephani de Campaniis sex dierum in villâ Bocholt, tres hospites in eâdem villâ, & terram Eustachii, & partem molendini sui cum hospitibus & aquis & bosco in villâ Bavalingahem, & hospitem in villâ Ruham: terram Suanahildis de Helulingahem in villâ Herkem; terram septem dierum apud Dunrapit, quam dederunt Henricus & Eustachius: terram Roberti filii Keiseronis cum commoditate in villâ Andernensi: terram Hermengardæ cùm quatuor hospitibus in villâ Calvestert; & omnem terram ad eamdem Ermengardam pertinentem: terram Couversi Walteri in villâ Oyâ cum duobus hospitibus: terram Remberti & duos hospites in villâ Morlengehem, & boscum Dypandalæ: terram carrucæ in villâ Landringatun; terram Alulfi & Reineri in eâdem villâ: terram in villâ Altinges: terram Sagacinæ, videlicet unius carrucæ apud Wesvich: terram Gozewini & Everardi filii Scrampin, & partem tertiam unius molendini, cum prato & bosco in villâ Cosobronnæ: terram Hermari Buce cùm hospitibus & bosco, &c. terram Cononis cum hospite & prato in villâ Jorni: terram Reimari & Walburgis neptis suæ, cum hospitibus & pratis & bosco in villâ Surlcas: terram Hermari & Alulphi & Winemari & Clarboldi in villâ Boninges: boscum triginta mensurarum apud Tornehem: terram cum uno hospite, & Tiboldi in villâ Cosobronnæ: terram Hermari & Alulfi & Winemari & Clarboldi in villâ Lillingahem.

Terram Godefredi cum uno hospite in villâ Monacohonæ: terram Hugonis de Helulingehem in eâdem villâ Helulingehem: terram cum duobus hospitibus in villâ Wulfhus: terram trium carrucarum cum hospitibus in villâ suavelxas, & commodita-

tem aquæ ejusdem terræ: terram Gothmari Monachi & Godawaræ viduæ in villâ Pollingahone: terram Guffredi octo mensurarum, & terram Conegundis duodecim mensurarum cum duobus hospitibus in parrochiâ Suthekercke; prata in villâ Stocbrigga: terram Almari candidi cum duobus hospitibus, & terram Almari Hamroc, & terram Guffridi Monachi cum curte, & domo, & hospitibus, & omnibus quæ ad eamdem domum pertinent.

In Parrochiâ S. Martini Northkerke terram Almari & Levildis sororis suæ; in Parrochiâ eâdem terram Everboldi & Aloldi Monachorum: in villâ Pitham terram Balduini Monachi: in villâ Flolcringahone terram Elbodonis: in villâ Milham terram Hermari Barbati: in villâ Morlingahem duodecim denarios annuatim à Manasse pro quodam bosco: in villâ Furlces decimam Frethesindis uxoris Hugonis bustellorum duorum: in villâ Elcecke molendinum in hujus Ecclesiæ horto sub firmâ manu pro XXIV. frumenti firtalis annuatim reddendis; alterum autem si juxtà ipsum molendinum ædificari potuerit; eadem Ecclesia ad medietatem tenebit, scilicet in ipsius molendini aquâ. Quæ omnia, ut suprà dictum est, in vitâ domni Gisleberti ejusdem Ecclesiæ Abbatis per annum & diem & eo amplius eadem Ecclesia liberè & absque calumniâ tenuit & habuit.

De quibusdam donis.

HEremarus de Banalingahem, Manasses de Bratmes, Rotbertus de Hercahem, Reinerus de Landringatun, Walterus de Wulshus, Lambertus de Snanakals, Malgerus Trepel, Everbertus Rex, Winemarus Calvus, Robertus filius Alsindis, Balduinus filius Wandelmari, Segardus de Caldhem, Thomas filius Reineri, Berennaldus de Turnehem, Hugo de Recca, Guffridus filius ejus, Amalricus de eâdem villâ, Lidbertus de Furnars, Heremfridus vicinus ejus, Ermemfridus, Rotbertus, Presbyteri, & multi alii, qui hîc non scribuntur fuerunt, ubi terram quam dederat Stephanus de Campanies Ecclesiæ Andernensi, Dodo & uxor ejus Adalis liberam omninò concesserunt, & coram iis supradictis testibus semet abjecerunt.

De Comitatu de Westioch.

DE terrâ, quæ dicitur Cutiloilard de Wesvic, Comitatum Robertus de Jurni S. Salvatori & S. Rotrudi dedit ad Andernes in hereditatem, annuatim scilicet pro duodecim denariis, concedente Comite Manasse, Heremaro videlicet de Bavalingahem, Balduino Wifridi filio, Widone de Elemberto, Hugone Malvoisin, Reinero Haket, Waltero de Assas, Waltero de Alulingahem, Reimundo de Tolsac testantibus.

De quadam Commutatione.

EGo frater Gislebertus Dei providentiâ Abbas Ecclesiæ Andriæ, feci placitum cum Hugone Malvoisin, scilicet mutuavimus terras nostras: videlicet ego dedi ei terram Saningehem, sylvam, & tertiam partem molendini, & duas firtalas frumenti quas debebat Alulfus illius villæ: sex bustellos frumenti decimæ Liskis, & duodecim nummos in unoquoque anno cujusdam consuetudinis ejusdem villæ, & duas raserias frumenti de Vaingehem, & sex virnellos terræ quas tenebat Fulboldus, & boscum quem dedit nobis Eunna Vicecomitissa: & Egomet Hugoni Malvoisin hoc totum dedi, ut ipse & filii ejus possiderent jure perpetuo: & ipse dedit Ecclesiæ nostræ me adhùc superstite perpetuò tenendam terram cum Comitatu, & omne quod habebat in villâ quæ dicitur Buckridis. Insuper dedit nobis in bosco suo in unoquoque anno ubicumque voluerimus tres quadrigas onustas ligni, præter hoc quod non succidamus quercum.

Hoc totum factum est in manu Gisnensis Comitis Manassæ, scilicet qui est advocatus Ecclesiæ Andriæ: hujus rei testes sunt ipsemet Comes & fratres ejus videlicet Fulo & Wido, Elembertus Vicecomes, & Manasses Dapifer, & Arnoldus frater ejus, Eustachius de Liskis, & Gosfridus Campaniæ, & Henricus frater ejus, Eustachius de Banalingahem, & Balduinus frater, & Balduinus Hastengard, & Rabels frater ejus, & multi alii.

De dono Ingelramni de Baingahem.

INgelramnus autem de Baingahem omnia quæ sua fuerunt in villâ Hoctingahem, terram & hospites, sylvam & aquam apud Baingahem videntibus, & audientibus Widone Monacho, Gotmato Monacho, Balduino de Dedesacra, Otgina uxore suâ, Hugone de Hervadingahem ejusdem Ingelramni nepote, Ingelramno ejusdem nepote Hugone Poslard, Ernulfo de Fraitun, Warnerio Abbatis de Andernes cognato, & multis aliis, Ecclesiæ sancti Salvatoris & sancti Rotrudis in manu domini Gisleberti Andernensis Abbatis dedit, quæ omnia paulo ante Manassen Gisnensium Comitem (qui in Angliâ illo in tempore fuit exspectans) audientibus Widone Monacho, Warino de Filnes, Hescelino de Tracto, Baldewino Seiro, Baldewino Florestir, Hugone Poslard, & multis aliis, eidem Ecclesiæ concesserat.

Winemarus siquidem de Arda, cognomento Crassa-Vacca, seipsum dedit & omnia sua quæ habuit in villâ Campaniis, hospites & terram, sylvam & planum sancto Salvatori & sancto Rotrudi super altare Andernensis Ecclesiæ dedit, eâ conditione ut de redditu ejusdem terræ aut prædictæ Ecclesiæ vivat quamdiù in habitu sæculari permanebit, & post excessum ejus omnia hæc huic Ecclesiæ permaneant liberè: si verò sancti Spiritûs gratiâ inspirante vitam Monachilem adipisci voluerit, omnibus iis prænotatis cæterisque suis liberè huic Ecclesiæ datis habitu Monachili in hac Ecclesiâ Deo propitio induatur. Cujus rei testes sunt qui hoc viderunt & audierunt hujus Ecclesiæ Monachi, Bernardus Presbyter de Arda, Lambertus Presbyter de Andernes, Gusfridus de Campaniis, Henricus frater ejus, Arnolfus de Fraitun, Heremarus Buce, Warnerius domini Abbatis Gisleberti cognatus, Hugo frater Wiberti, & multi alii.

Hoc ipsum apud Gisnes donum ante Barones renovatum est, quod iterum in die festivitatis sancti Rotrudis ante altare Andernes videntibus & audientibus Manasse Gisnensium Comite, Warino de Fielnes, Henrico de Marchnes, Guffrido de Lodebronna, Arnulfo de Nieles, Arnulfo Elemberti de Niles, Arnulfo de Arda Flandrensi, Roberto Ardrait, & multis aliis renovatum est. Hujus enim Ecclesiæ Monachi per annum & diem in ejusdem terræ vestiturâ sunt.

De obitu Domni Gileberti Abbatis.

POst multos igitur labores pro Christo fideliter perpessos & viriliter superatos, piæ memoriæ domnus Abbas Gilebertus, qui in ordine Pastorali per annos circiter quindecim hunc locum laudabiliter rexerat, & priùs officium Prioratûs per novem annos exercuerat, viam universæ carnis ingressus est, & in Ecclesiâ primâ à venerabili Comite Balduino fundatore & à se fundatâ tumulatus est: post cujus felicem transitum Pictavis in hoc loco consistentibus & patriæ istius indigenis diversa sen-

tientibus, ferè per annos quatuor locus iste vacavit.

De vacatione hujus loci, & de Priore Marcianensi.

LOnga ergo digressione pro loci hujus fundatione necessariò factâ, ad venerabilis Andreæ Prioris Marcianensis historiam redeamus, & nunc ab eo composita disseramus, nunc ad nostrum pertinentia interseramus, servatis figuris de quibus antea mentionem fecimus.

ANDREAS MARCIANENSIS.

1091. ANno xxxi. Philippi Regis Willelmus Rex Anglorum vir singularis censuræ & severitatis obiit; Guillelmus filius ejus succedit.

Philippus Rex anno regni sui xxxv. excommunicatur ab Urbano Papa cum toto Regno suo, qui vivente uxore suâ Bertradam Comitis Andegavensis adhuc viventis uxorem superduxerat.

De via Jerosolymitana. 1096.

Anno ab Incarnatione Domini M. xcvi. Philippi verò Regis xxxvi. via Jerosolymitana incepta est apud Clarummontem in Arverniâ per auctoritatem Urbani Papæ, & exhortationem Aimari Podiensis Episcopi. Affigunt igitur cruces in palliis suis Duces, Comites, Potentes, Nobiles & Ignobiles, divites & pauperes, liberi & servi, Episcopi, Clerici, Monachi, senes & juvenes etiam pueri & puellæ, omnes uno animo, nullum ullo angariante, undique concurrunt: ab Hispaniâ, à Provinciâ, ab Aquitaniâ, à Britanniâ, à Scotiâ, ab Angliâ, à Normanniâ, à Franciâ, à Lotharingiâ, à Burgundiâ, à Germanniâ, à Langobardiâ, ab Apuliâ, & ab aliis Regnis.

Duces Jerosolymitanæ expeditionis.

Eminebat in hoc Dei hostico Dux Lotharingiæ Godefridus, & fratres ejus Eustachius, & Balduinus, Anselmus de Ribodimonte; Balduinus Comes Montensis, Robertus Comes Flandrensis consobrinus ejus, Stephanus Comes Blesensis, Hugo frater Regis Francorum, Robertus Comes Normanniæ, Reimundus Comes de sancto Ægidio, Boiamundus Dux Apuliæ & Tancredus.

ITEM ANDREAS MARCIANENSIS.

Episcopatus Attreb. secernitur à Cameracensi.

Canonici Atrebatenses ægrè ferentes se tamdiù Ecclesiæ Cameracensi subesse, eo maximè, quod videbant Walterum ab Episcopatu Cameracensi expulsum, & Manassem subrogatum, coram Urbano Papa querelam deponunt asserentes sanctum Vedastum à sancto Remigio civitati Atrebatensi propriè ordinatum Episcopum; & ut Episcopus sibi proprius ordinetur à Papa expetunt. Urbanus autem Papa petitionem ipsorum justam judicans, ordinavit eis Episcopum Lambertum Morinensem Archidiaconum. Hoc actum est anno Domini M. xcv.

1095.

Exercitus Dei aggressus terminos paganorum viriliter agit, primumque eis fuit bellum ad Pontem Pharphar fluminis ix. Kalend. Martii, ubi multi Turcorum occisi sunt. Secundum eis fuit bellum apud Nicæam tertio Nonas Martii, in quo etiam Pagani victi sunt. Captâ ergo Niceâ, captâ etiam Laodiciâ, cum essent, plusquàm trecenta millia armatorum in exercitu Christianorum, tanta eis rerum omnium suppetebat copia ut aries uno nummo bos vix duodecim nummis venderetur.

De Ordine Cisterciensi.

Anno Verbi Incarnati M. xcviii. Urbani autem Papæ nostro, Henrici verò Imperatoris quarti anno xlii. porrò Philippi Regis Francorum xxxviii. & Willelmi Anglorum Regis ii. anno vi. dilectus à Deo Cisterciensis Ordo sumpsit initium.

Antiochia capitur à Gallis.

Eodem anno obsessa est Antiochia à Principibus Francorum & ix. mense capta: Christiani versâ vice à Paganis obsessi fame afflicti sunt: tandem per lanceam Domini in Monasterio sancti Petri inventam animati, ipsâ lanceâ eos præcedente portis erumperunt, & obsessi obsessoribus concurrerunt iv. Kal. Julii, & paganis penè omnibus interfectis etiam hoc tertio bello victoriam adepti sunt. Quartum bellum fuit eis in Romaniâ Kalendis Julii; & ibi Turci victi sunt. Commissa est civitas Antiochia Duci Boamundo: reliqui autem Principes & Christiani ad Jerusalem tendunt, ubi pergendi fecerant votum. Proficiscuntur itaque in Syriam, & expugnantis Marra & Barra urbibus Saracenorum & multis regionum castellis, tantâ ibi rursum fame afflicti sunt, ut corpora Saracenorum jam fœtentia comedere compulsi sint: tandem apud quoddam munitissimum castrum nomine Archas ab Jerusalem octo mansionibus distans pervenerunt, ubi Anselmus de Ribodimonte lapide percussus in capite occubuit, & multi alii interfecti sunt; tamen victores castrum obtinuerunt. Tunc accepto communi consilio absque ullâ morâ vel dilatione ad Jerusalem obsidendam pergunt.

Horribilis fames.

ITEM ANDREAS MARCIANENSIS. 1099. Jerosolymam occupant Christiani.

Obsidionis autem die tricesimo nono capta est Jerusalem ineffabili miraculo Idus Julii in vi. feriâ, anno Domini M. xcix. In exemplo autem Salomonis & in porticu ejus Christiani cum paganis quinto bello conserto tantâ in eis cæde debacchati sunt, ut in sanguine occisorum equitarent usque ad genua equorum. Tunc electione in consilio omnium Godefridus Dux Lotharingiæ constituitur Princeps & Dux Jerosolymorum. Principibus jam de repatriando agentibus, ecce Rex Saracenorum ad dedellandos eos venit Ascaloniam cum centum millibus equitum, & quadringentis millibus peditum, quibus cum occurrisset exercitus Domini, in quo non plusquàm quinque millia equitum & quindecim millia peditum erant, Deo pro servis suis ad se clamantibus pugnante, & nube eos ab æstu solis defendente Saraceni solo Christianorum impetu territi omnes projectis armis fugerunt; & in hoc vi. bello iv. Kalend. Augusti facto, cæsa sunt centum millia paganorum, in portâ verò Ascalonæ suffocati sunt duo millia: at eorum qui in mari perierunt, & qui inter spineta sylvarum consumpti sunt, numerus nescitur. Capta est autem Jerusalem post annos circiter quadringentos sexaginta, ex quo sub Heraclio Imperatore secundâ vice capta possessa est à Saracenis.

Godefridus Rex creatur.

Maxima Saracenorum strages.

1100. Godefridus & Guillel. Rex Angl. moriuntur.

Anno Domini M. c. Godefridus Dux Lothariensium & Princeps Jerosolymitanorum moritur, Balduinus frater ejus in bello ei succedit: Guillelmus quoque Rex Anglorum moritur, eique succedit in Regno Henricus frater ejus, Robertus Comes reversus de Jerusalem, cœpit inquietare urbem Cameracensem, contrà quem Henricus Imperator proficiscitur, & aliquibus ejus Castellis expugnatis asperitate instantis hyemis redire compellitur. Postea Regii generali conventu habito, Robertus Comes in gratiam Imperatoris recipitur.

Balduinus Rex Jerusalem civitatem, quæ quondam Ptolemais nunc Accon vel Acra dicitur, cepit, & innumerabilem paganorum multitudinem gloriosâ victoriâ contrivit.

Henricus patrem Imperatorem persequitur.

Henricus filius Henrici Imperatoris à patre aversus, quosquos potest ab eo avertit, & sub obtentu meliorandæ Reipublicæ & restaurandæ Ecclesiæ in eum consurgit, & hoc totum consilio Romanorum. Quàm indignè verò eum tractaverit declarat epistola ex ore ipsius patris scripta ad Philippum Regem Francorum. Et hæc est: sunt autem de quibus in illâ epistolâ conqueritur: In primis quia contrà fidem & sacramentum, quod ut Miles domino juraverat, Regnum ejus invasit, Episcopos & Abbates ejus deposuit, inimicos & persequutores illius substi-

tuit: in diebus Adventûs Dominici in quodam Castello inclusit: in ipso etiam sacratissimo die Nativitatis Dominicæ (unde Imperator magis conqueritur) communionem sacram denegavit, fame & siti cruciavit: Insignia Regni, coronam scilicet, crucem, lanceam & gladium violenter ab eo extorsit, & nisi propriâ manu Regnum & omnia regalia exfestucaret, mortem minitavit. Cum autem in illo Castello esset inclusus Imperator, quidam fidelis ejus misit ad eum nuntium dicens, quia si ibidem remaneret, aut in perpetuam captivitatem raperetur, aut in eodem loco decollaretur: quo nuntio Imperator perterritus illicò aufugiens venit Coloniam, & inibi aliquot diebus commoratus postea Leodium abiit; in quibus locis viros fideles invenit. Hæc continentur in Epistolâ ad Philippum Regem missâ. Imperatore Henrico morante Leodii, filius ejus Aquisgrani venit; & volens venire Leodium contrà patrem suum v. feriâ Dominicæ Cœnæ præmisit suos præoccupare pontem apud Wisatum ne quis sibi venienti obstaret: sed militibus patris concurrentibus ad exoccupandum pontem, Milites filii à ponte repelluntur, aliis eorum captis, aliis in Mosam demersis, aliis occisis, inter quos etiam Bruno Comes occisus est. Sic filius contrà patrem veniens redit inglorius, Coloniensibus fidem Imperatori servantibus. At eorum Archiepiscopo filium Imperatoris contrà patrem suum animante, Colonia obsessa oppugnatur nec tamen expugnatur. Interim Henricus Imperator Leodii moritur, eique succedit filius ejus æquivocus ejus.

Henricus Imperator moritur.

Balduino Comite Hamonensi in expeditione Jerosolymitanâ mortuo, Balduinus filius ejus ei successit, qui circumventus quibusdam pactionibus à Roberto Flandrensium Comite consobrino suo Duacum Castrum perdidit. Henricus Imperator ad auxilium Balduini contrà Robertum exercitum ducens, contrà Duacum vadit, & pacto pacis magis utrimque simulato quàm composito penè inefficax redit. Boiamundus Dux Apuliæ contracto undecumque exercitu, accingitur ad invadendum Constantinopolitanum Imperium. Posthæc defunctus est Rex Philippus anno ab Incarnatione Domini M. CIX. pridie Kalendas Augusti apud Castrum Militonense, cujus corpus secundùm dispositionem patris Ludovicus deferri fecit ad Monasterium Floriacense, & in Monasterio S. Benedicti sepulturæ mandari.

1109 Philippus Rex Franc. obit, & in Monasterio Floriac. sepelitur.

Imperatores Romani qui Philippo regnante imperaverunt, Henricus IV. & Henricus V. pater scilicet & filius. Romani Pontifices, Nicolaus, Alexander, Gregorius VII, Victor, Urbanus.

Anno Domini M. CIX. Episcopi qui ad exequias Philippi Regis convenerant, post exequias statim Aurelianis convenerunt, & propter perturbatores Regni salubri accepto consilio Ludovicum juvenem religionis amatorem, moribus mansuetum, armis strenuum, bello acerrimum, in die Inventionis Protomartyris Stephani in Regem unxerunt ante altare S. Crucis, & coronam regni capiti ejus imposuerunt Dainbertus Senonensis Archiepiscopus, Yvo Carnotensis, Joannes Aurelianensis, Hubertus Sylvanectensis, Walo Parisiensis, Hugo Nivernensis Episcopi, & Episcopus Autissiodorensis.

De Regno Ludovici sexti qui cognominatus est Grossus. Ludovicus Aurelianis Rex consecratur.

Henricus Imperator Paschalem Papam, qui Urbano successerat, Episcopos & Cardinales cepit, & in custodiam posuit: pro quâ causâ excommunicatus est ab omni Ecclesiâ. Lamberto Episcopo Atrebatensi mortuo Robertus Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ ei succedit.

Imperator Papam, Cardinales, &c. carceri tradit.

Waldricus Episcopus Laudunensis cives ipsius à sacramento perperam juratæ communitatis revocare visus, à seditiosis ad arma concurrentibus, quod dictu nefas est, gladio confossus interiit feriâ v. hebdomadæ Paschalis VII. Kal. Maii in Letaniâ majori. Tumultuante & impetu confusæ multitudinis domus Episcopi succenditur, unâ etiam ipsa mater Ecclesia S. MARIÆ, & Ecclesia S. Joannis Baptistæ, & Abbatia Monialium, cum aliis Ecclesiis omnibus è vicino appendentibus, concremantur. In auctores seditionis à Rege Francorum tam severè est vindicatum, ut tam præsentes quàm futuros à simili scelere deterrere possit exemplum.

Episcopus Laudun. à civibus interficitur.

Interpositio de præsentis Monasterii vacatione, & de Domni Renaldi institutione.

Postquam hoc Andrense Monasterium per annos quatuor vacaverat, hinc Pictavensibus, inde Flandrensibus diversa sentientibus, tandem domnus REINALDUS natione Pictavensis, Monachus Karrofensis, huic loco præficitur, & electus canonicè à domino Joanne Morinensi Episcopo benedicitur, qui in suâ novitate ab eodem Episcopo privilegium impetravit in hunc modum:

Reinaldus Abbas Andrensis II.

In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis: Quoniam ad corroborandam servorum Dei pacem continuam, ad dilatandam rerum Ecclesiasticarum tranquillitatem perpetuam, Dei auxilio prudentique consilio elaborandum est; idcircò ego JOANNES Dei gratiâ Terwanensium Episcopus præsentis chartæ paginâ notum fieri volo ad utilitatem tam præsentium quàm futurorum; Balduinum piæ memoriæ Comitem Gisnensem, uxoremque ejus Athelam quoddam Cœnobium Monachorum in loco Andernes dicto, in honorem S. Salvatoris sanctæque Rotrudis, pro redemptione animarum suarum, filiorum atque filiarum construxisse, annuente RODBERTO seniore Flandrensi Comite filiisque ejus Rodberto atque Philippo: quod quia tam suâ quàm aliorum fidelium liberali munificentiâ augmentari & in melius crescere voluit, nos quoque nostram tuitionem adhibentes, piæque postulationi dilecti filii nostri Reinaldi II. Abbatis ejusdem Cœnobii assensum præbentes, cuncta quæ eidem Cœnobio tam à prædecessore nostro Gerardo quàm à nobis vel à supradicto Comite Balduino filiisque ejus Manasse, Fulcone, Hugone, Widone, aliisque fidelibus data vel acquisita, danda vel acquirenda sunt justis modis ejusdem Ecclesiæ Abbatibus & Monachis perpetuò possidenda corroboramus: etiam, ad repellendam pravorum hominum invidiam, avaritiam, contentionem, res ad idem Cœnobium pertinentes clariùs innotescant, eas in hac nostræ confirmationis chartâ breviter annotari placuit.

Item, Monasterium Andernense quod Gerardus antecessor noster concessit omni exactionis debito liberum, exceptis duobus solidis quos omni anno in Cœnâ Domini huic matri Ecclesiæ Fratres ibidem commorantes persolvent: Capellam S. MARIÆ apud Gisnes, Altare S. Martini de Nortkerk in Bredenardâ: Altare de Lulingahem, Altare de Ferenes: Altare de Elingahem: tertiam partem Altaris & decimæ de Terddingehem; de donis Comitum terram de Antingehem cum hospitibus liberam, & Comitatum & boscum: terram quatuor dierum in villâ Bissingahem; terram triginta dierum apud Altinges: apud Morlingahem terram viginti dierum cum Comitatu: apud Suavekes tres carrucatas terræ omni consuetudine liberas, cum omni Comitatu & hospitibus & aqua: juxtà Turnehem triginta mensuras sylvæ: in Bredenarda ad Stokbregge pratum triginta dierum & Comitatum solitudinis de Gisnes: hortos quoque duorum hospitum apud Gisnes extrà Castrum, & Comitatum de Herchem, & locum

molendin

molendini cum stagno apud Gisnes: decimam terræ Comitis, quæ jacet in Parrochiâ sancti Martini de Selmes: terram centum quinquaginta mensurarum juxtà Pithem in solitudine omninò liberam: apud Markanes unum hospitem cum Comitatu.

Confirmamus etiam quod à præfatis Comitibus Gisnensibus eidem Ecclesiæ concessum est, ut unusquisque Militum suorum usque ad carrucatam unam terræ, vel usque ad centum solidos de feodo suo si voluerit attribuat liberè, & cuncta quæ in Parrochiâ Andernensi data sunt: terram quam dedit Balduinus Bozard & Comitatum: terram quam dedit Gunfredus filius ejus, & Comitatum: omnem pasturam quam dedit Henricus de Campanies omninò liberam: apud Herchem terram quam dedit Sunanaihildis cum hospitibus, & Comitatum ejusdem terræ dedit Balduinus Comes: terram quam dedit Rembaldus cognomento Raoblo, & Comitatum: apud Banelingahem & Ruham totum allodium quod dedit Eustachius: terram, paludem, pratum, hospites, aquam, boscum & suam partem molendini, & Comitatum dedit Heremarus: apud Wiberti culturam novem diurnales terræ, quod dedit Hathwif de Bavelingehem: in villâ Hostingahem dedit Ingelramnus de Baingehem totum allodium suum, terram, pratum, boscum, aquam; terram sex dierum quam dedit Mauritius in eadem villâ, & Comitatum ejusdem terræ dederunt Eustachius & Heremarus Infans: terram quam dedit Gozo in eâdem villâ: apud Gisnes terram trium dierum cùm horto, quam dedit Elembertus Vicecomes, & apud Curtelo terram viginti dierum, quam idem dedit cum Comitatu: terram sex dierum quam dedit Balduinus filius Wifridi cum Comitatu: terram triginta trium dierum quam idem dedit apud Fraitum cum Comitatu: Ilgeramnus de Baingehem terram dedit trium dierum apud Gisnes: Gerberca dedit terram triginta trium dierum apud Gisnes, & Comes dedit Comitatum ejusdem terræ: Balduinus Bozard dedit terram triginta trium dierum apud Fraitum cum Comitatu: in villâ de Nikes terram quam dedit Imma & Suanahildis cum hospitibus; Comitatum verò dedit Everildis & filius ejus Guffridus. In villâ Bissingahem terram cum hospite & Comitatu, quam dedit Elembertus Vicecomes: apud Betberges terram quam dedit Gisleberga filiique ejus Everandus & Rodulfus: terram quam dedit Seimarus & Alolphus frater ejus in eâdem villâ: in villâ de Seiles terram quam dedit Eilcburch Vicecomitissa: in villâ de Hames terram quam dederunt Willelmus & Alelmus: in villâ Helbethingahem totum allodium quod dedit Walterus, & apud Raventum allodium suum ad Terdlingahem: terram quam Foubertus dedit de Seiltum & molendinum: in parrochiâ de Odingahem terram quam dedit Cono de Filnes: ad Overingahem terram quam dedit Artaldus: in villâ Buxin terram quam dedit Mathildis: in villâ Ellingegetum dimidiam carrucatam terræ quam dedit Athalaidis de Fielnes; terram quoque quam eadem Athalaidis, dedit apud Bucretes: Garinus filius ejus dedit quidquid habuit in Comitatu Gisnensi à summitate montis de Filnes, terras, boscos, vavassores, hospites, servos & ancillas, & unum molendinum apud Bucretes.

In villâ Wadingatun terram unius hospitis: terram quam dedit Balduinus Presbyter apud Pithem, & Billingahem; item apud Bucretes unam carrucatam terræ, quæ cambiata est ab Hugone Malovicino, omninò liberam cum Comitatu: decimam quam dederunt Imma Vicecomitissa de Markanes, & Athalaidis de Filnes in eâdem villâ; duas partes decimæ de Sperlecâ: in Parrochiâ de Campanies terram quam dedit cum hospitibus Guiffridus de Bredenarda, & boscum: terram quam dedit Rodulfus Penard cum hospitibus: terram quam dedit Walterus de Eulingahem: terram quam dedit Harmarus Barbatus cum Comitatu & decimâ; terram quam dedit Heremarus filius ejus: terram quam dedit Eustachius de Malkeberge & Tecendis mater ejus: decimam quam dedit Rodbertus de Lutelle: terram quam dedit Heremarus de Bavelingahem: terram quam dedit Balduinus filius Gusfridi cum decimâ: terram quam dedit Gusfridus Penard & fratres ejus Rodulfus & Hugo, & mater eorum Reinewifh: terram Hatennifh filiæ Frumoldi: Comitatum quem dedit Eustachius de Banelingahem de terrâ & hospitibus S. Salvatoris in Campaneis: terram quam dedit Macelina & soror ejus cum decimâ. Item in Campanies & apud Yusnes terram quam dedit Gozo cum bosco & decimâ: decimam quam dedit frater Gozonis Rotbertus de terrâ suâ: totum allodium quod dedit Eustachius nepos Gozonis cum Comitatu & decimâ: decimam de Campanies quam de allodiis suis Willelmus de Odingahem, filiique ejus Rainewif & Frethesindis, filiique earum Balduinus & Emma soror ejus, Athela uxor Wandelnori filiique eorum, Rainerus de Bredenarda & Herlindis uxor ejus, participesque eorum Hatennif de Prenes, filiique ejus Odewinus cum allodio suo, Walterus cum allodio suo, Folquinus & uxor ejus Berta cum suo allodio: Stephanus quoque filiæque ejus Athalaidis & Ermengardis cum omni allodio suo; Hermarus Buce cum omni allodio suo; Winemarus Crassa-Vacca cum omni allodio suo, Deo & Ecclesiæ Andernensi concesserunt. Decimam quoque quam Rodgerus & Eldelma filia ejus dederunt de terrâ quàm Normannus tenuit, & ipsam terram in villâ de Buchout terram & hospites: in villâ de Lanregatun terram quam dedit Balduinus cum Comitatu: in Bredenarda terram quam dedit Gusfridus cum domo suâ & Curte: terram quam dedit Tecendis soror Gusfridi, & filius ejus Manasses; Comitatum verò illarum duarum terrarum dedit Comes Gisnensis & vavassor ejus Manasses, filiique ejus. Terram quam dedit Almarus Albus: terram quam dedit quidam alius Almarus & soror ejus Meidin: terram quam dedit Cunegundis: terram quam dedit Almarus cognomento Hanroch: terram quam dedit in Pullingahone Almarus & uxor ejus filiique eorum: terram quam dedit ibidem Godennara: terram quam dedit Raingerus Sualenne & uxor ejus: & filius eorum Bernardus Presbyter & filius ejus Joseph: terram quam dedit Gentesma uxor Ascriti pro animâ filii sui Gusfridi in villâ Calvestert: terram quam dedit Ermengardis uxor Balduini Bozard: terram quam dederunt Heremarus, Alolphus, Winemarus & Clarboldus in villâ Lillingahem; item terram quam præfati quatuor dederunt in villâ Huninges: terram quam dedit Godefridus in Munekehone cum uno hospite apud Veshuch: terram quam dedit Segecina ad unam carrucam cum bosco & pratis: in villâ de Surkes terram quam dedit Regemarus & Walburgis neptis ejus cum pratis & bosco: apud Haldenhem totum allodium quod dedit Heremarus Buce: in villâ de Jurni terram quam dederunt Eustachius & Heldegardis soror ejus, Balduinus, Adam, Gusfridus & Cono cum hospitibus, bosco & prato: in villâ Oïa terram quam dedit Walterus Monachus.

Universa itaque prænominata beneficia, altaria, decimas, terras, Comitatus, hospites, vavassores, servos & ancillas, boscos & aquas & molendina, vel quæcumque ab Ecclesiasticis seu laïcalibus personis data vel danda, acquisita vel acquirenda sunt,

Ecclesiæ Andernensi rata & illibata jure hereditario in perpetuum corroboramus possidenda, eorum utilitatibus profutura ad quorum subsidium fidelium devotione sunt oblata. Si verò, quod absit, persona qualibet Ecclesiastica seu sæcularis quidquam ex possessionibus præfati Cœnobii alienare, diminuere, vel temerario ausu perturbare tentaverit, tamdiù excommunicatus, & ab Ecclesiâ eliminatus permaneat, donec Abbati & Fratribus per omnia satisfaciat. Actum Tarvennæ Dominicæ Incarnationis anno M. CXXII. Regnante in Franciâ LUDOVICO Philippi Regis filio; in Flandriâ verò principante CAROLO. His testibus, Herberto Archidiacono, Waltero Thesaurario, Hugone Canonico, Lamberto, Balduino, Bernardo Canonicis Tervanensibus, Gocelino Decano Tervanensi, Gucelino Decano S. Audomari, Meingero Abbate de Capellâ, Ingelberto Abbate S. Joannis, Isaac Canonico de Vormeselis, Eremboldo Clerico, aliisque multis.

1122.

De acquisitione Everardi Eleemosynarii.

NOtificare verò volumus omnibus Ecclesiæ tam præsentibus quàm futuris fidelibus, quòd Everardus Monachus Eleemosynarius à Gifredo filio Gunfredi emit terram de Tunrepit, illam quam ibi habebat; & hoc concessit frater ejus Eustachius, ita quòd ipsi duo fratres Giffredus & Eustachius reddiderunt eam terram Henrico à quo tenebant & habebant terram, ac ipse post illos concessit terram liberam & absolutam ab omnibus rebus Ecclesiæ S. Salvatoris & S. Rotrudis & Eleemosynæ; & ita in nomine Domini imponendo manum super altare fecit donum, videntibus & audientibus Rainaldo Abbate Ecclesiæ & Guidone Monacho, & ipso Everardo Monacho supradicto, Eustachio de Bavelingahem, Balduino fratre ejus, Hermerio Bloel, Gauberto de Fonte, Giffredo filio ejus, Hugone In . . . . Aleardo & filio ejus: & videntibus & audientibus supradictis fratribus Eustachio & Gifredo & Fulberto de Valle, & Garnerio, aliisque hominibus multis. Anno M. CXIV. factum est hoc sub Manasse Comite. Eustachius autem de Curtebronna & Rotbertus frater ejus, necnon & participes sui, boscum qui dicitur Floringasard S. Salvatori & S. Rotrudi ad prædictam pauperum Eleemosynam pro remissione peccatorum suorum dederunt; cujus rei testes sunt Balduinus de Liskes, Manasses Dapifer, Eustachius, Rotgerus, filii Cononis de Fielnes, Hermarus Butze, Wido Savingahem, Gusfridus, Mauritius frater ejus, Arnulfus, Everardus de Cortebronna, Wido de Malkesbere, & multi alii.

1114.

De Abbate Rainaldo, & de adeptione privilegii à domino Papa Paschale.

PRæfatus denique Abbas Reinaldus domni manassis Comitis patroni sui à Deo gratiam invenit, ut sicut patrem suum in præsenti loco sepelierat, ita se & omnes suos successores hîc voveret sepeliri pro auctoritate loci, & hoc sponte instituens per summum Pontificem id desiderabat confirmari. Sed & pasturam huic Cœnobio subjacentem nihilominùs auctoritate sedis Apostolicæ, Ecclesiæ cujus erat Patronus affectabat appropriari. Quâ intentione idem Abbas Romam tendens, & per litteras commendatitias Patroni sui, & etiam Diœcesani, se Curiæ notum faciens, sub protectione beati Petri se & bona suo loco de novo collata, devotè subjiciens, à domino Papa privilegium impetravit sub hac formâ:

PASCHALIS Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio RAINALDO Abbati Andernensis Monasterii, quod in Tervanensi Parrochiâ situm est, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Piæ postulatio voluntatis affectu debet prosequente compleri, ut devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quia igitur dilectio tua ad sedis Apostolicæ portum confugiens ejus tuitionem devotione debitâ requisivit, nos intercedente venerabili Fratre nostro JOANNE Tervanensi Episcopo supplicationi tuæ clementer annuimus, & Andernense Monasterium in Tervanensi parrochiâ situm, cui Deo auctore præsides, sub tutelam Apostolicæ sedis excipimus. Quod videlicet Monasterium in loco qui vocatur Andernes extrà oppidum Gisnes Balduinis nobilis memoriæ Gisnensis Comes, cum uxore suâ Adela, in honorem Domini & Salvatoris & S. Rotrudis virginis nomine per ejusdem Salvatoris gratiam, filiorum suorum & Baronum consilio, pro animarum suarum salute ædificasse cognoscitur.

Universa igitur quæ loco vestro per supradictæ Tervanensis Ecclesiæ Episcopum concessa sunt, vobis vestrisque successoribus in perpetuum possidenda firmamus; capellam videlicet S. MARIÆ infrà oppidum Gisnes; Altare de Bredenarda; Altare de Lullingahem; Altare de Fercnes, & Altare de Eilingahem. Confirmamus vobis etiam universa quæ supradicti Comites Balduinus cum uxore suâ, & Manasses ejus filius, vel Barones eorum de suo jure ad idem Domini Salvatoris & S. Rotrudis virginis Monasterium contulerunt: scilicet pasturam omnem circà ipsum locum Andernensem, & commoditatem paludis, aquæ & cespitum; terram de Antegehem cum villanis & omnibus redditibus suis & bosco: in villâ Gisnes stagnum & sedem molendini: terram de Suanacas cum villanis suis & commoditatem aquæ, terram de Campanies: terram de Bicedenarda: terram, villanos, boscum & molendinum quæ dederunt Garinus de Fielnes & mater ejus: & cætera quæ pro sui prolixitate dinumerare supersedemus: quæcumque etiam ab aliis viris fidelibus eidem Monasterio data sunt vel in futurum, aut à prædictis Comitibus & eorum Baronibus, aut ab aliis fidelibus dari offerrive contigerit, aut aliis justis modis acquisita fuerint, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat idem Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt omnimodis usibus profutura: Salvâ Tervanensis Episcopi canonicâ reverentiâ.

Sepulturam verò ejusdem loci omninò liberam esse sancimus, ut tam supradictorum Comitum progenies, quàm Barones omnes, qui Pares Castelli vocantur, juxtà votum & deliberationem suam ibidem sepeliantur. Cæterorum quoque qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati, nisi fortè excommunicati sunt, nullus obsistat. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contrà eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisve sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JESU-CHRISTI aliena fiat; atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loca justa servantibus sit pax Domini nostri JESU-CHRISTI, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant,

& apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

De Curte nostrâ de Rigewoge.

DOminus Manasses Comes tempore Rainaldi Abbatis in Wastiniâ de Gisnes unam carrucatam terræ huic loco contulit: in quâ idem dominus Rainaldus Abbas curtem fundavit; & tota decima ejusdem terræ per ejus industriam ab Ecclesiâ Morinensi patrochiatum tenente quitata fuit, & in usus nostros confirmata in hunc modum.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, Amen. Ego Gocelinus sanctæ MARIÆ Morinensis Ecclesiæ Decanus, cæterique Fratres decimam Wastiniæ terræ Gisnensis Comitis, quantum una carruca per annum arare poterit, quam habemus in patrochiâ nostrâ de Pithem, Abbati Andernensi & successoribus ejus liberè & quietè in perpetuum tenere concessimus, pro quâ in Synodo de Pentecoste singulis annis decem solidos Boloniensis monetæ nobis persolvere debet. Hanc terram dedit Manasses Comes Gisnensis Andernensi Ecclesiæ liberam cum Comitatu: nos verò hujus terræ decimam ab omnibus penitùs rebus liberam concedimus, ut suprà dictum est, in perpetuum possidendam. Item notificamus quòd juxtà illam terram, terram propriam habemus, decima cujus ad altare nostrum semper veniet, sed de fundo ipsius terræ in festivitate Omnium Sanctorum quatuor solidos supradictæ monetæ nobis persolvet.

Hujus conventionis testes sunt & concessores, Joannes Episcopus, Herbertus Archidiaconus, Gualterus Archidiaconus, Gocelinus Decanus, Gualterus Custos, Hugo Pullus, Effredus, Lanterus Sacerdotes, Lambertus Insulanus, Eustachius, Bartholomæus, Balduinus Diaconi, Girardus, Gregorius, Rotbertus, Arnulfus, Balduinus Subdiaconi & Canonici Vicarii, Clarbordus, Ranuldus, Rotbertus Fernetz, domnus Meingerus Abbas de Capellâ, & Abbas Reinaldus supradictæ Ecclesiæ.

Charta Domini Joannis Episcopi de quibusdam decimis nobis datis.

Præfatus quoque Morinensis Episcopus piæ memoriæ dominus Joannes locum nostrum desiderans in melius proficere, decimam de Cosebronnia, de Voxola sive de Spineto qui viculi sunt finitimi; nobis suo tempore collatam confirmavit sub hac forma:

Ego Joannes Dei gratiâ Morinorum Episcopus notum esse volo omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis, quòd Heremarus de Haldenhem cognomento Buzo, cum filio suo Henrico decimam totam quam tenebat apud Foxola, & Cosobronnâ & Spinetum concessione meâ sancto Salvatori de Andernes perpetuò possidendam concessit, & ego donum illud manu propriâ donavi & confirmavi. Anno Verbi
1126. Incarnati M. CXXVI. coram testibus Gualtero Archidiacono, Reinaldo Abbate, Erembaldo Tervanensi, Gerardo Boloniensi, Lamberto Iprensi, Hugone & Gualtero Trokensibus, Gerardo item Tervannensi Canonicis, Willelmo Presbytero, Roberto Monacho & multis aliis; Hermanno Magistro, Meinero Capellano, Petro Clerico.

Narratio Willelmi Abbatis de pastura.

DE pastura autem Andernensis parrochiæ huic Cœnobio subjacente, qualiter Henricus de Campanies hujus villæ dominus eam contradixerit, & ab usibus nostris alienare voluerit, dominus Manasses Comes per suam chartam ostendit, quam per manum domini Reinaldi Abbatis, sub testimonio omnium ferè nobilium terræ suæ posterorum memoriæ transmittit in hunc modum:

In nomine summi Salvatoris, in cujus nomine & honore Andrensis Ecclesia fundata est. Notum fiat omnibus tam futuris quàm præsentibus, quia Henricus de Campanies omnem pasturam Andernensis villæ quam contradixerat prædictæ Ecclesiæ Monachis, Ecclesiæ jam dictæ Monachis dimisit, & omninò liberam concessit, & perpetuò possidendam dedit, & omnibus ejusdem Ecclesiæ hominibus dedit etiam ita omninò liberam, ut in pasturâ illâ nulli nisi ad utilitatem Ecclesiæ ampliùs operari liceat. Concessit etiam & dedit vias & exitus ubique in terrâ suâ, omnemque pasturam in omni terrâ suâ, quæ jacuit inculta usque ad tempus suum, & in omni aliâ terrâ suâ, nisi tunc dum seminata fuerit. Et quod firmum sit in perpetuum & omninò liberum coram duobus fratribus suis, Guiffrido & Gozone cognomine Pagano, fecit hoc pro salute animæ suæ & antecessorum suorum super altare S. Salvatoris & sanctæ Rotrudis, & in præsentiâ domini Rainaldi præfatæ Ecclesiæ secundi Abbatis: ubi Deo providente fuere testes, Manasses Gisnensium venerabilis Comes, & Emma Comitissa venerabilis & religiosa, concedentes hoc donum, & super prædictum altare affirmantes, & alii plures ibidem in Domino fuere testes, Balduinus de Ostrewic avunculus Henrici, & Everidis mater Henrici, Elembertus Vicecomes, Nortmannus Presbyter & Decanus; Lambertus Presbyter, Willelmus Clericus, Eustachius de Curtebronna, Eustachius filius ejus, Balduinus de Liskes Mauvoisin, Galantus de Morcamp; Eustachius de Hanaclingahem, Simon filius Manassis de Seiles, Arnulfus de Gravecult, Hugo de Panningatum, Manasses Dapifer, Arnulfus frater ejus, Willelmus de Seiltun; Eustachius de Hammes, Eustachius de Bavelingehem, Balduinus frater ejus, Robertus de Hammes; Arnulfus, Robertus filius ejus, Philippus de Montgardin, Osmundus de Merc, Symon de Broborch, Hermarus Bloniel, Semarus frater ejus, Eustachius Niger, Eustachius de Allingatun, Eustachius nepos Vicecomitis, Hugo filius Aduvardi, Reinerus filius ejus, Litbertus de Fontaines, Elembertus Panitor, Radulfus de Doure, Henricus de Fraitun, Robertus de Salunels, Hugo filius Goszelin, Arnulfus de Fraitun, Robertus filius Sercranni, Robertus Clericus, Willelmus Panis & Lac; Gunfridus de Sangata; Ragemarus Smereblas, Hugo frater ejus, Everardus, Hemfridus, Willelmus de Fontaines, Manasses filius Cononis.

Qui privilegium hoc violare studuerit; mortis periculo semper subjaceat, donec Ecclesiæ prædictæ satisfaciat. Pro infractione verò privilegii violator Gisnensium Comiti dictante justitiâ centum marcas argenti persolvat. Ut autem hoc firmum sit in perpetuum, ego Manasses Gisnensium Comes sigillo meo corroborari studui. Actum est hoc anno Incarnationis Dominicæ M. CXVIII. Indictione XI. 1118.

Relatio Willelmi Abbatis de Gusfrido Hosevod, & de Galanto fratre ejus.

IN territorio de Bredenarda quidam nobiles erant, Gusfridus scilicet Hosevod, & Galantus frater ejus, qui terram ad curtem nostram in Northkerki, quæ dicitur Crophava, spectantem contulerant, & etiam pro majori parte decimam de Campania huic loco dederant cum terrâ Demas, & donis diversis in diversâ parte positis; quorum nepotes & heredes post mortem ipsorum contrà nos calumnias prætenderunt, & per Comitem Manassen à cœptâ calumniâ destiterunt, sicut ejus charta testatur sub hac formâ composita.

In nomini Domini nostri Jesu-Christi. Notum sit

omnibus tam præsentibus quàm futuris fidelibus quoniam Manasses de Bredenarda accepta sex librarum charitate ab hujus Andernensis Ecclesiæ Monachis, Comitatum omnis terræ Gusfridi avunculi sui, & Comitatum ejusdem terræ ad eamdem terram pertinentis, unà cum Florentio filio suo per manus Manassis Comitis & Emmæ Comitissæ, in manu domini Rainaldi secundi præsentis Ecclesiæ Abbatis liberè dedit: quo dato ipse Manasses unà cum prædicto filio suo Florentio dejecit, & se ampliùs non habere judicavit, quod ipsum judicantem hîc scripti testes consequuti sunt; Oilardus Eremita, Robertus de Hammes, Manasses Dapifer, Elembertus Panitor; Gozo cognomento Paganus; Henricus de Marknes, Henricus de Fraitun, Robertus Notir, Eustachius de Bavelingehem; Balduinus frater ejus, Balduinus Seiro, Heremarus Blonel, Sigemarus de Millecca, Folquinus Longus, Huboldus Brunseg, Godefridus filius Fulberti, Hugo de Hervedigghem.

Hoc autem factum est in Castro Gisnensi, scilicet inter Capellam sanctæ MARIÆ & terrarium domûs Eustachii de Hammes; Anno videlicet Incarnationis Domini M. CXVI. quod etiam eodem anno 1116.
apud Gisnes secundò in domo Balduini de Osterwich donum recognitum est à Comite Manasse prædicto. Hujus igitur recognitionis & doni testes sunt Arnulfus videlicet de Arda, Balduinus de Osterwic, Gocelinus de Odre, Hugo de Longavilla, Hugo de Seiles, Wido de Elembom, Gusfridus de Ferenes, Balduinus de Liskes, Rotbertus frater ejus, Eustachius de Curtebronna, Arnulfus, Evrardus Vavassores sui, Hugo Malvoisin, Radulfus de Canci, Robertus de Berebronna, Arnulfus de Sancto Bertino, Rotbertus de Surkes, Alardus de Mintica, Philippus de Muntgardin, Robertus Ardreso, Gocelinus de Berebed, Walo de Arda; Winemarus Crassa-vacca, Elembertus de Meles, Eustachius de Bavelingehem, Balduinus frater ejus, Paganus de Campanis, Robertus de Hammes, Robertus de Assis, Manasses Dapifer, Eustachius de Hammes, Elembertus Vicecomes.

Hoc iterum tertiò renovatum est donum in domo Everwini Ministri Comitis in placito quodam apud Bredenarda, ita quod Manasses & uxor ejus & filii dimiserunt & liberè dederunt supradictum Comitatum Ecclesiæ sancti Salvatoris Andernes in manu prædicti Abbatis; Manasse Comite concedente & donante in manu prædicti Abbatis. Testes autem hujus rei fuere Manasses Dapifer, Arnulfus de Meles, Elembertus Panitor, Galantus cognatus Manassis, Robertus de Liskes, Wido de Inderham, Manasses filius Arnulfi de Arda, Frumoldus de Arda, Drogo Botet, Elembertus filius Elemberti, Manasses de Tornehem Berwoldus de Tornehem, Hildebertus de Tornehem, Orbertus Baltage, Orbertus de Forners, Bernardus Presbyter de Bredenarda, Arnulfus Caval; Willelmus Panis & Lac; Willelmus de Seiltun, Reinerus filius Wizonis, Wizo filius Reineri, Basilius frater ejus, Ewerwinus minister Bredenardæ, & septem judices, Robertus Cabarnast, Ermenardus filius Domerim, Albertus Keviel; Hugo filius Hardinæ, Malgerus Cluterin, Malgerus Varkin, Robertus cum barba.

Si quis autem privilegium hoc violare studuerit, excommunicationis pondus sustineat, donec Andernensi Ecclesiæ satisfaciat; pro infractione verò privilegii violator Comiti Gisnensium dictante justitiâ centum marcas argenti persolvat. Ut igitur hoc firmum sit in perpetuum ego Manasses Gisnensium Comes sigillo meo corroboravi. Actum est hoc anno
1116. Incarnationis Dominicæ M. CXVI. Indict. nonâ.

Narratio WILLELMI *Abbatis de dono* EUSTACHII *de Fielnes.*

EUstachius quoque dominus de Fielnes pauperum eleemosynæ quasdam terras cum quibusdam Comitatibus dedit, quas in hunc modum confirmavit:

In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, Amen. Notum sit omnibus tam Clericis quàm laïcis, quia ego Eustachius filius Cononis de Fielnes Comitatum terrarum, quas Warinus cognatus meus Andernensi Ostellariæ dederat in manu Everardi Eleemosynarii pro quinque polkinis frumenti per singulos annos reddendis, manu sub firmâ dono, eâ divisione, ut frumentum ipsum in villâ Bocretes ante vigiliam Nativitatis reddatur. Terræ quæ ad Warini partem contigerunt, sunt, scilicet terra quæ fuit Ranulphi reddens tres firtalas, & terra quæ jacet in villâ Ellingatun reddens duas firtalas, quæ in Comitatu meo jacent. Testes sunt Normannus Decanus, Villelmus Clericus, Gusfridus Presbyter, Rotbertus de Hammes, Lidbertus & Cono frater ejus de Fonteines, Anselmus, Villelmus fratres mei, Rotbertus de Marchia, Hemfridus, Lupus, Gocelinus, Florentius de Floringesele, Balduinus filius Ulrici, Godefridus de Bosco, Berewoldus de Fielnes, Gusfridus, Almarus de Ernimgasem, Berewoldus, Reinerus de Ninnahova, Hugo de Lokingahem, Balduinus de Antingahem; & multi alii.

Actum est hoc anno Incarnationis Dominicæ M. CXVII. super motam meam in buro meo. Hoc 1117.
autem concedit Manasses Gisnensium Comes & Emma Comitissa sedentes in lecto suo, eâ divisione, si guerra inter eum & me fuerit, census ibi reddetur Comiti; à quo Comite ego Eustachius Comitatum jamdictum teneo in feodo. Hujus verò concessionis & doni sunt testes apud Cisnes, videlicet in camerâ supradicti Comitis. Eustachius de Liskes, Robertus frater ejus, Arnolfus de sancto Bertino, Manasses frater ejus, Eustachius de Bavelingahem, Hugo Malvoisin, Stephanus de Disseca, Berevoldus de Scames, Hildebertus, Manasses de Turnahem; Sichardus de Caldhem, Elembertus Panitor, Folquinus Longus, & multi alii.

Item ego Eustachius filius Cononis terram, quæ ad meam partem contingit in villâ Bockerdes jacentem, manu sub firmâ jamdictæ Ostellariæ in manu supradicti Eleemosynarii do per duas firtalas frumenti, & quinque firtalas avenæ, & duodecim nummos per singulos annos reddendos. Testes sunt Rotgerus, Anselmus, Willelmus fratres mei, Lambertus Rozenges, Reinerus de Niwehova, Tiboldus de Floringesele, Hugo de Surkes, Balduinus Plajart, Balduinus filius Goselni, Lambertus filius Roberti de Bokem; Berewoldus Miles, Rotbertus de Bokem, Lambertus frater ejus, Rotbertus filius Balduini Præpositi, Heikembertus de Fielnes, Stephanus armiger meus de Fielnes.

Domina Oydala verò ad eamdem pauperum domum terram duorum dierum in eleemosynam tradidit. Testes sunt Raolfus de Arda Canonicus, Rodbertus de Arda. Terram etiam ipsam Manasses de Bratmes prædictæ Oydelæ filius dedit. Matris autem & filii largitionis testes sunt Balduinus Robba, Ingelramnus, Lambertus de Atrio, Hugo de Oldenhova, Balduinus Bona, Hemfridus filius Idebergæ, & multi alii: & ipsa duorum dierum terra jacet in Elecke Parrochiâ.



De quibusdam Donis Eleemosynæ pauperum collatis.

ALolphus enim filius Remboldi Raboni terras suas quæ jacent in villâ Herkem, & in Wiberti culturâ, & omnia sua prædictæ pauperum domui tradidit, & seipsum pro Dei amore commisit. Testes sunt Eustachius de Bavelingahem, Balduinus frater ejus, Philippus de Muntgardin, Robertus de Hammes, Heremarus Blouel, Sigemarus frater ejus, Balduinus de Oldervinc, Balduinus Bona, Robertus Stanckin; & multi alii.

De Alienatione Nemoris de Rorichona.

DUm prædictus Abbas Reinaldus multiplici virtutum genere reflореret, & locum sibi commissum laudabiliter regeret, volens patrono suo Comiti placere, non veritus est rem facere unde à suis successoribus & omnibus hujus loci Cœnobitis, notam dedecoris & improperii futuris temporibus debuit incurrere. Comes siquidem circumquaque notus & famosus dum domesticis animalibus & omni genere armentorum abundaret, & iis non contentus pro sylvestribus custodiendis parcum facere vellet, Abbas ei indiscretè boscum totum de Hottingehem cum pratis & omnibus aisiamentis accommodavit, & propter hoc omnium fratrum in se odium, licet palam propter metum Comitis resistere non auderent, accendit; nullo quidem superante, quod de cætero in usus Cœnobii posset cedere: & nos quidem nostrâ ætate murum ibi constructum à parte occidentali vidimus, quo nunc destructo, & statu multipliciter variato, spem nostram in Domino jactantes per patientiam expectamus: unde idem Abbas compunctus sicut credimus, pœnitentiâ ductus limina Apostolorum secundò visitavit, & à Papa Calixto tunc præsidente privilegium impetravit sub hac formâ;

Rainal. Abbas Romam proficiscitur.

Calixtus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Rainaldo Andernensi Abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Justis votis assensum præbere, justisque petitionibus aures accommodare nos convenit, qui licet indigni justitiæ custodes atque præcones in Ecclesiâ Apostolorum principum Petri & Pauli speculâ positi, Domino disponente conspicimur. Proinde, dilecte in Christo fili Rainalde Abba, petitioni tuæ clementer annuimus, & Andernense sancti Salvatoris ac beatæ Rotrudis Monasterium, cui auctore Domino præsides, in Apostolicæ sedis tutelam excipimus, & pertinentes ei possessiones præsentis decreti paginâ confirmamus quæ vel Pontificum concessione, vel Comitum & Baronum largitione, aut aliorum fidelium oblatione, sive aliis justis modis acquisitæ sunt, vel futuris temporibus acquirentur.

Omnem videlicet pasturam circà Ecclesiam Andernensem, ubertatem cespitum paludis & aquæ: Capellam S. MARIÆ de Castro Gisnes; Altare de Bredenarda, de Andernes, de Lullingahem, de Fercnes, de Eilingahem; & tertiam partem altaris de Terdecgehem cum decimis eorum; duas partes decimæ de Spetlecâ: terram de Antingehem cum hospitibus, Comitatu & bosco; molendinum in villâ Odingehem, terram cum hospitibus in villâ Terdeggehem; terram cum hospitibus in villâ Ravantum, & Elbedingehem; terram in villâ Buxin; terram cum hospitibus in villâ Wadingatun, & de Seiles, de Bessingahem, de Hetberga; decimam Destrones: terram cum tribus hospitibus & Vavasoribus in villâ Fraitun; terram cum hospitibus apud Nieles; terram cum hospitibus in villâ Marcnes; Hammes & Curtalo; terram de Elingatun; terram duarum carrucarum in villâ Bochardes cum hospitibus & decimâ; terras & hospites in villâ Gisnes, & stagnum & sedem molendini; terram duorum hospitum juxtà Abbatiam; terram Odini cum hospitibus, decimâ & bosco, & Comitatu in villâ Campaniæ, & cum decimâ terræ Adunardi; terram Rotgeri cum hospitibus & decimâ apud Borcharcbuse; terram Hermari cum hospitibus & decimâ; terram Balduini Portevin, cum hospite & decimâ: totam terram Stephani & fi[illegible]m ejus Adalaides & Hermingardis; terram Gothonis Hugonis; totam terram Eustachii & Adelæ sororis ejus; Rodulphi Penard cum hospitibus, bosco, & decimâ; terram Guinemari Crassæ-Vaccæ, Guisfridi, Galanti, & Heremari Buce, cum hospitibus, bosco & decimâ: totam decimam terræ Balduini Botzard, & Domelinæ sororis ejus, Heremari veteris, Hugonis & Balduini Dedisacra; terram Mascelinæ cum hospite, bosco & decima; terram Hadwidis de Pernis; terram & hospites in villa Bucolt; terram Eustachii, & partem molendini sui cum hospitibus & aquis & bosco in villâ Bavelingahem, & hospitem in villâ Ruham; terram Suanaildis in villâ Herchem; terram de Dunrupit; terram Ermingardis cum hospitibus in villâ Calvaltert; terram Walteri cum hospitibus in villâ Oya; terram & duos hospites in villâ Morlingehem; in villâ Landringatun terram carrucæ, & terram Alulphi & Reineri; terram in villâ Altinges; terram unius carrucæ apud Wesvich; tertiam partem unius molendini & terram, pratum & boscum in villâ Collebronnæ; terram in parrochiâ de Haldinchem, & de Boninges: terram trium carrucarum in villâ Soanacas, cum villanis & Comitatu; terras alias in parrochiâ S. Martini; terram Gusfridi de Bredenarda, cum curte, domo & hospitibus & Comitatu, ex dono Comitis Manassis & Vavassoris sui Manassis, & filii ejus Florentii; terras, hospites, & Comitatus in parrochiâ S. Martini de Northguercâ, de Suthguercâ, de Adroic, & de Polingona; terram centum quinquaginta mensurarum in solitudine juxtà Pithcem, cum Comitatu; terram Orberti de Fornes, & Lamberti fratris ejus apud Suanacas, cum Comitatu; pratum de Stochbriggâ; totum allodium Adalaidis de Fielnes, & Guarini filii ejus, & quidquid habuerunt in Comitatu de Gisnes, terras, boscos, Vavassores, servos, ancillas, hospites, aquam & molendinum unum; in villâ Bocardes terras de Jorni cum hospitibus; terram de Surches cum Comitatu; terrarum concambium quod Gillebertus vestri Monasterii Abbas cum Hugone Malo-vicino composuit, & reliqua omnia quæ juris Monasterii esse noscuntur.

Decernimus ergo ut nulli omninò hominum facultas sit idem Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum sustentationibus & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salvâ in omnibus Canonica Tervacensis Episcopi reverentiâ. Sepulturam ipsius loci sanè liberam esse censemus, ut eorum qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati, nisi fortè excommunicati sunt, nullus obsistat. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contrà eam temerè venire tentaverit; secundò, tertiove commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat; reamque se Divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, ac à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JESU-CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem lo-

co justa servantibus sit pax Domini nostri JESU-CHRISTI, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen.

Item de Domno Rainaldo Abbate.

REversus à Româ Abbas Rainaldus ita cuncta expenderat, & sic attenuatus erat, pedes incedens in habitu peregrini, qui vulgò dicitur Sclavina, [ut] locum hunc vix alicui notus intraret, & quot & quantâ pro Christo fuisset perpessus tam in habitu quàm in actu evidenter ostenderet. Cætera verò quæ ipsemet ac quisivit, vel ab aliis data scripto mandavit. . . . .

De acquisitione Vavassoris de Wadingatun.

EGo frater Rainaldus Andernensis Ecclesiæ Dei permissione secundus Abbas, notum fieri volo tam præsentibus quàm futuris, quòd domina Maisendis, vidua Hattonis de Fernes, dedit unum Vavassorem nomine Walterium de Wadingatun pro animâ patris sui & matris suæ, & pro animâ mariti sui filiique sui Joannis, & omnium consanguineorum suorum, S. Salvatori & S. Rotrudi & Ecclesiæ Andernensi, eâ divisione, ut jam dictus Walterius & heres suus hereditariè ipsi Ecclesiæ subdantur. Testes sunt Eustachius de Bavelingehem & Balduinus frater ejus, Rotbertus de Hammes & filius ejus Rotbertus, Hermarus Bloël, Eustachius Vavassor, Eustachius Niger, Raulphus Molinarius, Gislebertus de Bavelingahem, Walterus de Westandernes, Cono de Herchem, Wido, Walterus, Hemfridus de Herchem, Walterus Flameng, Warnerus de Belvais, Wizo frater Radulphi, Guntfridus Molinarius, Gusfridus filius ejus, Regemarus de Hillo, Gunfredus frater Walberti, Gusfridus nepos ejus, Herkembertus de Hottingahem, Eustachius filius ejus, Wido filius Walteri; & multi alii tam viri, quàm feminæ, tam noti quàm ignoti, qui hoc viderunt & audierunt.

De quodam Comitatu ad opus luminarii acquisito.

NOtum sit omnibus tam præsentibus quàm futuris, quia Eustachius, filius Eustachii de Curtebronna, Comitatum Guncelini terræ apud Turnahem pro animâ suâ & patris sui, & pro salute animarum antecessorum suorum, in manu Manassis Gisnensium Comitis, & in manibus Hugonis Monachi, & Roberti Monachi Andernensis Ecclesiæ custodis S. Salvatoris & S. Rotrudis, ad lumen per singulas noctes ante crucem ardendum dedit. Ipse verò Eustachius eamdem dationem concedente Willelmo fratre suo, scilicet audiente matre suâ dominâ Gilnide & sororibus suis apud Curtebronnam in manibus prædictorum Monachorum dando renovavit. Datione itaque datâ ipso die Manasses Gisnensium Comes inter S. MARIÆ Capellam, & Balduini Constabuli domum in manibus supradictorum Monachorum Andernensi Ecclesiæ divisione suprà divisâ dedit. Testes sunt ipse Comes, dominus Meinardus Præpositus, Eustachius de Bavelingahem, Balduinus frater ejus, & alii.

De dono Hemfridi de Herchem.

SCiant etiam omnes tam præsentes quàm futuri, quia Hemfridus filius Rodberti de Herchem acceptâ charitate unius marcæ argenti à Gothmaro hujus Ecclesiæ custode, terram quinque dierum jacentem in Occidentali parte viæ quæ vadit ad Turnahem, pro animâ suâ, & pro animabus antecessorum suorum super altare S. Salvatoris & S. Rotrudis dedit: quâ datâ omnes ejusmodi dationem violare volentes, nisi satisfecerint domnus Rainaldus hujus Ecclesiæ secundus Abbas excommunicationis sententiâ condemnavit. Deinde prædictus Gotmarus ipsam terram marlare fecit, quâ marlatâ jamdictus Hemfridus ipsam terram pro XVIII. bustellis frumenti per singulos annos huic Ecclesiæ reddendis ad censum à prædicto Gothmaro recepit.

Testes sunt Lambertus Presbyter, Rotbertus Clericus, Eustachius de Bavelingahem, & Balduinus frater ejus, Henricus & Paganus frater ejus, Willelmus Clericus, Eustachius Vavasor, Heremarus Bloel, & filius ejus Lambertus, Wido filius Walteri de Andernes, Guntfridus & filii sui, Gusfridus & Arnolphus de Valle, Gusfridus de Fonte, Walterus de Herchem, Fromoldus & filii sui, Rodbertus & Everardus, Gislebertus textor, Wizo, Vinemarus, Reingerus, Ermenfridus, Wido, Cono, Elbodo, Winemarus de Herchem, Gislebertus, & filii sui, Hugo & Robertus, Winemarus Sutor, filius Hescelini de Bavelingahem. Balduinus filius Everardi Haring, Everardus parvus, Anselmus Cocus, & multi alii prædictæ Ecclesiæ Parrochiani. 1126.
Actum est hoc anno Incarnat. Dominicæ M. CXXVI.

De aliis donis in Comitatu Boloniensi.

MIllesimo CXXXV. anno filia Heremari de Wathingatun Thiecind, & sorores suæ Oda & Dadilis, & neptis earum Hadavidis, terram suam in Parrochiâ Ferchenes jacentem, quam Arnulphus Frossard per eas arandam manu firmâ tenebat, assensu & concessu maritorum & infantum suorum, super altare S. Salvatoris & S. Rotrudis hujus Andernensis Ecclesiæ pro septem Boloniensis monetæ solidis & sex denariis per singulos annos sibi reddendis obtulerunt, quam ejusdem Ecclesiæ Monachi perenniter colendam possidebunt. Testes sunt Lambertus Presbyter, Eustachius Niger, Hemfridus de Niterhot, &c. 1134.

De dono Eustachii filii Heremari.

EUstachius filius Heremari de Bavelingahem, mortuo Eustachio filio suo, dedit terram pro animabus filiorum suorum, scilicet Eustachii, & Balduini, quam Everardus de Pithem ab eo tenere solebat; dedit & Comitatum ejusdem terræ huic sancti Salvatoris & S. Rotrudis Ecclesiæ; qui etiam dedit eidem Ecclesiæ firtalam frumenti, quod exigit de aquâ fluente de Hottingehem. Hoc factum est concessu Manassis Gisnensium Comitis anno Incarnationis Dominicæ M. CXXXVI. Testes sunt ipse Comes Balduinus frater ejusdem Eustachii, Balduinus filius Arnulphi de Arda, Balduinus de Ermelighem, Balduinus de Liskes, Rodbertus & Arnulfus fratres sui, Balduinus filius Guffridi, & Balduinus filius Elemberti, Wido Clericus de Bavelingahem, Eustachius Vicecomes, & Arnulfus frater ejus; Walterus de Axla, & Walterus filius ejus, Alolphus & Jordanus de Axla, Eustachius Galabrie, & Clarboldus & Hugo fratres ejus, Eustachius Vavassor, Simon Vermis, & Simon nepos ejus; & multi alii.

De calumnia sopita tempore domni Manassis Comitis.

NOtum sit omnibus tam præsentibus quàm futuris, quòd Haduidis filia Heldelmæ de Campanies, terram quam calendaverat liberam dono dimisit, ac super Altare Sancti Salvatoris ac Sanctæ Rotrudis unà cum marito suo Valtero posuit. Ibi providentiâ Dei fuerunt testes Eustachius de Curtebronna, Rotbertus nepos ejus, Heinfridus de Herchem, Walterus Flamiger, Everardus Harig, Ernulfus de Curteburne, Aloldus de Hottingehem,

Robertus de Bukem, Lambertus filius ejus, Vizo de Andernes, Hugo de Herchem; Walterus de Andernes Miles, Hugo Campanies, Hescelinus de Herckhem, Rotbertus de Denelaolpret, Radulfus de Dovere, Gunfridus de Hottingahem, Ubernerus de Andernes, Winemarus de Hottingehem, Alelmus de Herkem, Egebertus de Andernes, & multi alii.

De dono Roberti de Hammes.

SCiant etiam omnes quia dominus Robertus de Hammes, & filii sui & filiæ suæ, antequàm domina Ogina uxor ipsius Roberti, mater videlicet filiorum & filiarum ejusdem ad sepulturam portata est in hoc Andernensi Monasterio, juxtà feretrum prædictæ dominæ stantes, terram quamdam in parrochiâ Campanies jacentem, quam calumniari solebant huic Ecclesiæ, liberam pro animâ jam dictæ dominæ perenniter clamabant. Testes sunt dominus Reinardus hujus Ecclesiæ secundus Abbas, dominus Meinardus Prior de Liskes, dominus Balduinus Canonicus de Watanes, Normannus decanus, Lambertus hujus Ecclesiæ Presbyter, Balduinus Presbyter de Campanies, Balduinus filius Frumoldi de Campanies, Rotbertus Presbyter de Midleca, Oylardus custos de Gisnes, Widoth Clericus de Gisnes, Willelmus de Fontaines, Gusfridus de Ninvena, Eustachius de Bavelingehem, Eustachius de Curtebronna, Eustachius filius ejus, Balduinus de Agincota, Robertus, Arnulfus fratres sui, Arnulfus, Everardus, Candidus de Liskes, Gusfridus, Henricus, Pagius de Campanies, Eustachius de Hammes, Arnulfus de Ermelingahem, cognomento Norman. Elembertus Panitor, Folquinus Longus, Lidbertus, Cono de Fontaines, Wido filius Walteri de West-Andernes, Balduinus armiger Balduini filii Gusfridi de Campanies; & multi alii tam viri quàm feminæ, tam noti quàm ignoti.

Terrâ verò liberâ clamatâ corpus dominæ Oddinæ ad sepulturam portatum est. Quo sepulto præfatus Robertus donum terræ suprascriptæ unà cum filiis & filiabus suis super altare S. Salvatoris coram jam nominatis testibus obtulit. Quo oblato Heremarus Buzo decimam quamdam de Voxashola & de Spineto coram eisdem testibus ipsi altari obtulit; quibus oblatis domnus Abbas Reinaldus oblationes hujusmodi violare nitentes, nisi satisfecerint, excommunicationis vindictâ damnavit.

De quibusdam donis.

SCiendum est itaque quia Gerberga filia Gocelini, videlicet ante quàm Bonardus de Gisnes eam desponsaverat, seipsam huic Andernensi Ecclesiæ attribuat eâ conditione, si filium aut filiam non habens moreretur; ista Ecclesia totam partem terræ ejus hereditaria possideret. Testes sunt Ingelramnus, Giroldus, Gusfridus fratres ejus, Alulfus filius Mauritii, Winemarus Grassavacca, Heremarus ejus frater, Hugo Blancard, Balduinus filius Wifridi, Balduinus Botzard, Eustachius de Bavelingehem, Hugo de Surkes, Lambertus de Tornehem, Gocelinus Castellanus de Arda, Eustachius de Montgardin & multi alii. Hoc autem factum est in festivitate quâdam S. Rotrudis super altare suum.

1118. Defunctis verò filiis suis, anno scilicet Incarnationis Dominicæ M. CXVIII. super altare S. Salvatoris & S. Rotrudis omnem terram suam & omnia sua post obitum ejus, dans ipsum donum in præsentiâ domini Reinaldi præsentis Ecclesiæ II. Abbatis renovavit. Testes sunt Lambertus Presbyter, Walterus Flameng, Everardus Hareng, Fromoldus de Herchem, Everardus de Fontaines, &c.

Concessio Manassis Comitis de eâdem re.

HOc ipsum donum apud Turnalem in domo Comitis Manassis, ipso Comite præsente, in manu ipsius Comitis & domini Reinaldi Abbatis renovatum est. Ipse verò prædictus Comes terram ipsam & ejusdem terræ Comitatum S. Salvatori & S. Rotrudi liberè concedendo dedit. Testes sunt Balduinus de Osterwic, Eustachius, Balduinus, Robertus de Liskes, Robertus de Hammes, Hugo Malvoisins, Arnulfus de Granacontra, Heremarus Blouel, Robertus de Turnahem, Robertus filius ejus, Elembertus Panitor, Manasses filius ejus, Turstanus de Arcas, Manasses filius Adwidis, Hildebertus de Turnahem, Stephanus de Diffeca.

Quo peracto Lambertus frater Orberti supradicti tam animæ suæ, quàm animarum antecessorum suorum salutem desiderans, acceptâ charitate duarum marcarum terram octo dierum juxtà prædictam calcedam jacentem Altari S. Salvatoris & S. Rotrudis obtulit. Testes sunt Robertus frater ejus qui donum ejusdem terræ similiter dedit, Almarus de Suanacas, Anskerus gener Gunfridi molinarii, Wizo frater Rodulphi, Lambertus Blouel, Arnulfus filius Gunfridi, Walterus Flameng, &c.

De obitu domni Rainaldi Abbatis.

DOmnus Abbas Rainaldus postquàm per annos circiter quatuordecim hunc locum laudabiliter rexerat, & ædificiis adornaverat: postquàm cum nobilibus hujus Parrochiæ super pasturâ huic loco subjectâ diutinum conflictum habuerat: nam & auctoritate Summi Pontficis, & vi Comitis Manassis, oves & boves universas, insuper & porcos & pecora campi in ipsam pasturam fecit minari, postquàm heredes Balduini Bochard eam in præjudicium Ecclesiæ arari fecerant & seminari; tandem senio confectus, & labore Romani itineris attenuatus, dormivit cum patribus suis in Ecclesiâ à venerabili Comite Balduino, & suo prædecessore domino Gisleberto primo Abbate constructa, honorificè tumulatus, vacante iterum loco præsente ferè per annos quatuor. Nam Flandrenses Monachi hîc consistentes Pictavensibus detrahebant, & alienationem à domino Reinaldo Abbate, scilicet de bosco de Hottingehem factam eis semper improbabant, & ideo Karrofenses sibi præesse contradicendo refugiebant.

Turci autem Cœnobium Monachorum in monte Thabor situm funditùs evertunt, & Monachis cum reliquis omnibus intefectis omnia sibi diripiunt. ANDREAS MARCIANENSIS.

Robertus II. Comes Flandrensium cum equitaret super pontem Meldensem cum multitudine Militum, casu cecidit, & conculcatus pedibus equorum ibi finivit vitam. Corpus ejus apud Attrebatum relatum est; & in Ecclesia sancti Vedasti sepultum. Successit ei Balduinus cognomento Hapiola filius ejus. Robert. Flandrens. Comes apud S. Vedastum sepelitur.

Henricus Imperator cum magnâ Optimatum suorum gloriâ natale Domini celebrat Moguntiæ, ibique uxorem ducit filiam Henrici Regis Anglorum anno x. Ludovici Regis Francorum. 1118. Henrici Imp. nuptiæ.

Balduinus secundus Rex Jerusalem moritur, frater Godefridi Ducis Lotharingorum, & primi Regis Jerosolymitarum. Fuerunt autem filii Eustachii Comitis de Boloniâ, ex Idâ sorore Godefridi Gibbosi Ducis Lotharingorum. Quibus de medio factis, tertius regnat Balduinus filius Hugonis Comitis de Reitestâ. Paschali Papa mortuo Joannes Gaitanus, Balduin. Rex Hierosolym. obit. Pascali Gelasius succedit.

qui & Gelasius ei successit. Henricus Imperator tunc temporis morabatur in Italiâ. Cum autem audisset Paschalem Papam esse mortuum, Romam tendit ad eligendum Papam. Gelasius autem præsentiam ejus veritus, jam electus & ordinatus secessit Capuam. At Imperator quia electioni non interfuit, nec ordinationi consensit, aliquibus Romanorum annitentibus Hispanum quemdam Burdinum nomine satis Clericum, ei superordinari fecit.

Burdinus Antipapa.

Balduino Comite Flandrensium absque liberis defuncto, Carolus Roberti Comitis patris ejus ex sorore nepos Comes substituitur, filius Regis Danorum. Joannes Gaitanus qui & Gelasius Papa Cluniaci moritur & sepelitur. Wido Viennensis Archiepiscopus in Papam eligitur, & Calixtus vocatus Cluniaci benedicitur. Henricus Imperator cum sibi faventibus ab eodem Papa, & ab omni Ecclesiâ pro suis injustitiis excommunicatur. Burdinus Pseudopapa Sutrii positus, dum peregrinos Romam euntes vel redeuntes turbat & deprædatur; tandem ut vilissimus Apostata capitur, & in Monachum attondetur.

Gelasius Cluniaci decedit: ibidem Calixtus subrogatur.

Burdinus cucullam induit.

1125. Lothar. Imper.

Tyrus à Christianis transmarinis capitur anno XVII. Ludovici Regis. Henrico Imperatore mortuo Lotharius Dux Saxonum vir sapiens & industrius, & Ecclesiastico juri devotus, præpotens divitiis & victoriis omnium assensu eligitur & consecratur.

1127.

Anno nono decimo Ludovici Regis solutus Satanas terras perambulabat. Flandria & Burgundia longo terrarum situ disjunctæ conjurant in Apostasiâ proditoris Judæ. Quidam proditores Flandrenses timentes damnari pro suo scelere, dominum suum Carolum Comitem Brugeias jugulant in Ecclesiâ S. Donatiani ante altare Psalmos canentem, & eleemosynam dantem. Unus atque idem Satanas uno atque eodem die simile nefas præsumit in Burgundiâ. Damnati quidam dum diffidunt suæ saluti, utpote rei majestatis, dominum suum Willelmum Comitem Sedunensium gladiis confodiunt in quâdam Ecclesiâ ante altare orantem. Actum secundâ hebdomadâ Quadragesimæ feriâ III. sed peracto scelere homicidæ hac illacque diffugientes diversis injuriis & digno satis sibi fine perierunt per industriam Ludovici Regis Francorum.

Variæ dissensiones & cædes.

Comitatus Flandrensium à Ludovico Rege Francorum datur Willelmo filio Roberti Comitis Nortmanniæ, fratris Henrici Regis Anglorum. Hunc Robertum olim à Jerosolymis redeuntem eo quod præstitam pecuniam redhibere nequibat, idem frater Henricus Rex Anglorum Nortmanniâ expulerat, & eam sibi subjugaverat, fratremque in Angliâ in custodiâ liberâ redegerat. Orta seditione & dissidio inter Willelmum Comitem & Flandrenses, annitentibus Equitio & Daniele Majoribus Flandriæ, accersitur Theodoricus filius Theodorici Ducis Alsatiæ, nepos Roberti Comitis Flandriæ ex sorore Gertrude. Sed dum Godefridus Dux Lovaniensis Guillelmo Comiti auxiliaretur, congressio facta est utriusque exercitûs ante castellum quod dicitur Alost. Ibi Guillelmus Comes quemdam militum aggrediens monomachiâ in dextero brachio lanceatur, & subrepente Dracunculo quinto die moritur. Comitatus Flandrensium Theoderico datur à Rege Francorum Ludovico, quia cognatus ejus erat ex materterrâ Gertrude. In Flandriâ multi fluvii sanguinei facti sunt, & fossata similiter.

1129.

Anno XXI. Ludovici Regis in die Paschæ consecrare fecit Philippum filium Remis in Regem post se in præsentiâ omnium Episcoporum & Optimatum Regni sui. Eodem anno plaga ignis divini Carnotum, Parisius, Suessionem, Cameracum, Atrebatum, Tornacum, & alia multa loca mirabiliter pervadit, sed mirabilius per sanctam Dei Genitricem MARIAM exstinguitur. Juvenes etenim, senes cum junioribus, virgines etiam teneræ in pedibus, in manibus, in mammillis, & quod gravius est in genis exuruntur & celeriter exstinguuntur.

Incendia stupenda.

Balduinus Rex Jerusalem moritur. Calixto Papa defuncto; Honorio quoque successore ejus de medio facto; Romanæ Ecclesiæ pax interpolatur, altercantibus duobus seditiosis de sede Apostolicâ, quodam Gregorio & altero Petro Leonis gente Romano, Monacho Cluniacensi. Gregorius privilegium electionis ab Honorio Papa adhuc vivente consensu quorumdam Cardinalium sibi usurpat: Petrus altitudine sanguinis glorians domum Crescentis invadit, cædibus hominum; rapinis, incendiis grassatur. Gregorius veritus potentiam Petri, profugus à sancto Paulo in Spoleto emerso mari tandem apud sanctum Ægidium appulit. Petrus filius Leonis Papali nomine se vocat Anacletum, Gregorius autem se appellat Innocentium.

Schisma Petri Leonis.

De institutione Domini Petri Abbatis.

POst diutinam vacationem hujus loci electus est hîc in Abbatem PETRUS, cognomento Charbonellus, corpore decorus, sanguine generosus, natione Pictavensis, professione Karrofensis, & in primordio: die suæ promotionis videns privilegium sanctæ memoriæ Balduini Comitis fundatoris nostri aliquantulum obliteratum & senio depravatum, à domino Manasse successore ejus & filio, Chartam hanc impetravit, & patris privilegio inseri & copulari fecit sub hac formâ:

Petrus III. Abbas Andern.

In nomini Domini Manasses Dei gratiâ Gisnensium Comes Petro Andernensi Abbati ejusque successoribus in perpetuum, Chartam hanc majorem quam pater meus Comes Balduinus sigillo suo firmavit; ego quoque ne sigillum vetustate corruptum deperiret, mei sigilli impressione reformare studui, testificans quòd temporibus meis quidquid in eâ scriptum est, Ecclesia vestra liberè & quietè tenuerit, & in perpetuum tenere debebit.

Postmodùm verò super hereditate ab Arnulpho de Ferenes cognomento Frussard, & uxore ejus, huic loco liberaliter collatâ à domino Joanne Episcopo Morinensi privilegium impetravit, & quæ in diversis locis ab eo collata sunt in eodem comprehendi & contineri fecit; quod sic incipit:

Charta Domini Joannis de quibusdam Donis in Comitatu Boloniensi.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, Amen. Ego Joannes Dei permissione Tervannensis Episcopus, notum fieri volo tam præsentibus quàm futuris, quòd Arnulfus de Fercnes cognomento Frussard, & uxor ejus Agatha, pusillum gregem Andernensis Ecclesiæ diligentes, & beneficio religiosorum quasi frater & soror diligenter associari desiderantes, allodia suæ quæ jacent infrà parrochiam sanctæ Mariæ de Fercnes, & quæ jacent apud Hardingassem in sinistrâ parte aquæ fluentis contrà occidentem, scilicet infrà parrochiam sancti Martini de Teutonicis dictam Retseke, unà cum omnibus acquisitis & acquirendis in præsentiâ nostrâ S. Salvatori, per quem salvari cupiunt, & S. Rotrudi in manu domini PETRI prædictæ Ecclesiæ tertii Abbatis dant. Noverint etiam omnes tam Clerici quàm laïci, quòd utrique quamdiù in possessione nunc usque possessâ morari voluerint, à domino Reinaldo quondam Abbate, & à domino Petro nunc Abbate, necnon & ab eorum communi Capitulo singula præbenda conceditur: si autem possessione jamdictâ carentes ad Ecclesiam sancti Salvatoris & sanctæ Rotrudis venerint, quamdiù ibidem in laïco habitu morari voluerint, si proprietatem

tatem amiſerint unicuique bina prabenda conceditur : ſi enim monachilem habitum adepti fuerint, victum & veſtimentum regulariter habeant.

Item de eodem.

SCiant omnes etiam tam noti quàm ignoti, quia ipſe Arnulfus dimidiam partem molendini, quod eſt in villâ Gibbingatun, & quatuor Jornellos terræ quæ pertinent ad ipſum molendinum, ad hoſpitium pauperum, quod juxtà Andernenſem Eccleſiam ædificatum eſt, peregrinis & egenis euntibus & redeuntibus dat. Hujus rei teſtes ſunt iſti Joannes Morinorum Epiſcopus, Herebertus Archidiaconus, Walterus Cuſtos, Gocelinus Decanus, Philippus Cantor, Hugo Magiſter, Heremannus Magiſter, Herenboldus Canonicus, Joannes Abbas S. Bertini, Symon Abbas Alcy, Folquinus Abbas de ſancto Johanne, Reinerus Decanus, Willelmus Clericus, Gerardus Presbyter, Dionyſius, Alolfus Clerici Epi-
1130. ſcopi. Actum eſt hoc anno Incarnat. Dominicæ. M. CXXX. Quod ſi quis violare conatus fuerit, excommunicationi ſubjaceat, donec pœniteat, & Eccleſiæ prædictæ pœnitendo ſatisfaciat.

Guillelmus Abbas de quibuſdam donis ab Henrico hujus villæ domino collatis.

IN præſenti quoque Parrochiâ Henricus de Campanies, hujus villæ tunc dominus, pro animâ Euſtachii ſororii ſui ſolemnem eleemoſynam huic loco obtulit, quam idem Dominus Petrus Abbas ſcripto mandavit in hunc modum. Noverint iterum omnes, quia Henricus de Campanies poſt celebrationem Miſſarum pro animâ Euſtachii ſororii ſui, in ſecundo die videlicet depoſitionis ſuæ, terram in Hottingehem jacentem per ſingulos annos viginti raſerias frumenti reddituram, unâ cum Mathailde uxore ſuâ, & Henrico filio ſuo ſuper altare ſancti Salvatoris & ſanctæ Rotrudis Andernenſis Eccleſiæ donavit; decem ſcilicet ad menſam Monachorum, quinque autem ad Firmariam, quinque verò ad Hoſtellariam. Quo audito quidam hujuſmodi donum calumniati ſunt. Calumniâ enim auditâ ipſe Henricus de ſuo dominio, donec terram in Hottingehem jacentem liberet pro anima prædicti ſororii ſui, viginti raſerias frumenti ſe per ſingulos annos redditurum pollicitus eſt. Quo expleto domnus Petrus in Abbatem electus, omnes hujuſmodi donum inquietare conantes, niſi ſatisfecerint excommunicationis vindictæ ſubdidit.

Teſtes ſunt Manaſſes Giſnenſium Comes, Emma Comitiſſa, Henricus Caſtellanus de Broeborc, Linildis mater ſua, Mathildis, Adaliza ſorores ſuæ, Elembertus cognomento Paganus ſcilicet Vicecomes de Marcnes, Goroldus S. Judocii Monachus, Lambertus Preſbyter de Andernes; Gerardus Preſbyter de Giſnes, Balduinus Preſbyter de Campaniis, Euſtachius de Bavelingehem, Balduinus de Liskes, Philippus de Muntgardin, Lucas nepos ejus, Jordanus, Balduinus Paladig. Bernoldus de Brudburc, Walterus filius Fredeboldi, Euſtachius de Greth, Elembertus Panitor, Folquinus Longus, Raulfus de Douara, Willelmus Ledbertus, Cono de Funtanias, & multi alii.

Similiter & de quâdam terrâ in Campanies jacente à quibuſdam calumniatâ, & tempori domni Petri calumniâ ſopitâ, idem Abbas mentionem fecit, & ſcripto mandavit ſub hac formâ.

Sciant etiam omnes quia Elias, & Drogo, & Walterus fratres ejus, terram quamdam in Campaniis jacentem, quam Folco pater eorum huic Eccleſiæ dederat, longo tempore injuſtè calumniati ſunt. Quodam enim tempore Deo inſpirante cor jam dicti Drogonis calumniam injuſtam cognoſcens, hujus Eccleſiæ converſionem deſideravit: deſiderio autem ſuo à fratribus ſuis cognito tam ipſe Drogo quàm fratres ſui prædicti calumniam injuſtam depoſuerunt, quâ depoſitâ terram quam injuſtè calumniati fuerant, & terram ſuam de Nieles & de Herchem ſuper altare S. Salvatoris & S. Rotrudis obtulerunt.

Præterea ex dono prænominati Warini de Fielnes, jure & proprietate villæ de Bokerdes in uſus noſtros cedente, & Comitatu ipſius ad dominum de Ardea adhuc ſpectante, domnus Petrus Abbas eumdem Comitatum ab eodem domino nomine Arnulfo acquiſivit, & in hunc modum confirmari impetravit:

Charta Domini Arnulfi de Ardea ſuper Comitatu de Bokerdes.

In nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis. Quoniam Scripturæ ſacræ teſtimonio didicimus, quòd *ſapientia vincit malitiam*, & quod *diſciplinæ Dei doctrix eſt ſapientia*: hujus pio moderamine tam nos quàm omnia noſtra ſemper diſponi cupientes, conventionem quamdam inter nos & domnum Arnulphum de Arda habitam litteris commendare curavimus, nequando mendacii maculis, quod abſit, veri ſinceritatis valeat obſcurari. Notum igitur fieri volumus omnibus tam præſentibus quàm etiam futuris ſanctæ matris Eccleſiæ filiis, dominum Arnulfum de Arda Comitatum ſuum de Bokerdes, de terrâ videlicet quæ fuit Warini de Fielnes, Eccleſiæ S. Salvatoris & S. Rotrudis Virginis in villâ Andernenſi ſitæ pro ſuâ ſuorumque omnium vivorum atque defunctorum ſalute contuliſſe, & in Altari ſancto in præſentiâ domni Petri Abbatis ramo & Waſone obtuliſſe omnibus ejuſdem loci Fratribus cum numeroſâ teſtium multitudine adſtantibus. Verumtamen inter eos ejuſmodi exiſtit conditio.

Sap. 7 30.
Ibid. 84.

Præfatus Abbas domnus Petrus, & alii Fratres decem marcas argenti pro hoc beneficio eidem Arnulpho dederunt, necnon & quamdam terram quam præfatus Abbas coram Epiſcopo Tervanenſi diſrationaverat contrà eumdem Arnulphum, qui eam injuſtè calumniabatur, ei liberam conceſſerunt. Præterea verò ipſum in ſuis orationibus & beneficiis benignè ſuſceperunt, & ab omnibus offenſionibus quas aliquando erga eos præſumſerat, abſolverunt; poſtque illius obitum anniverſarium ejus in prædictâ Eccleſiâ omnibus annis feſtivè celebrari ſtatuerunt; ſimiliter autem & patris & uxoris, necnon infantum ſuorum anniverſaria ei conceſſerunt; atque prebendam unam ab eâdem Eccleſiâ pro ſuâ ſuorumque omnium incolumitate cuidam pauperi perenniter dari conſtituerunt. Si quis autem conventionem iſtam pacificam violaverit, aut conſilio pravo ſeu ingenio malitioſo permutaverit, anathematis eum vinculo ibidem coram Altari ſancto innodaverunt, pœniſque infernalibus cum diabolo cruciandum deputaverunt. Ut autem conventio iſta inviolata inconvulſaque perduret, ego Arnulfus proprio ſigillo Chartam hanc ſignari præcepi. Teſtes autem hujus conventionis ſunt ii, ſcilicet Lambertus & Rodbertus Sacerdotes, Euſtachius de Bavelingahem, Radulphus de Dondra, Arnulphus Goel, Philippus de Muntgardin, Walo de Arda & Elodus nepos ejus, Hugo Vitulus, Wido de Bavelingehem, Euſtachius de Foſſis, Erembertus filius Euſtachii de Valle, Framericus de Arda, Wido de Andrens, Ernulphus Cementarius, Ingelramnus infans, Petrus armiger Arnulfi de Arde, Radulfus de Douera, Arnulfus de Bavelingehem & Lambertus frater ejus, Goſfredus de Boche, Wimundus famulus Abbatis, Hugo, Frodus & Balduinus, Telonearius de Giſnes; & alii quamplures.

Et quoniam idem dominus Ardeæ de Comite Giſ-

Confirmatio

Domini Manassis.

nensi Manasse tamquam de domino superiori memoratum Comitatum cum multis aliis bonis suis tenebat in feodum, ad preces & instantiam tam ipsius domini quàm Abbatis Petri, Comes supradictus assensum suum præbuit, & super hoc Chartam suam huic loco concessit, quæ sic incipit :

De Nomitato Comitatu.

NOtum sit omnibus hominibus, quòd ego Manasses Comes Gisnensis voluntariè concessi donum illud quod fecit Arnulfus de Arda Andernensi Ecclesiæ de Comitatu de Bocretes, de terrâ videlicet quæ fuit Garini de Feldnes ; & quòd idem Arnulfus datum illud me audiente recognovit & confirmavit : quod testantur subscripti homines, videlicet Ernoldus de Gant, Eustachius de Bavelingehem & Balduinus frater ejus, Radulfus de Dovera, Arnulfus de Hammes, Hugo Malvoisin, Balduinus de Liskes, Philippus de Montegardin, Balduinus filius Malvoisin, Hugo Delbroch, Sigerus de Gant, Eustachius Vavasor, Balduinus Hostiarius Comitis, Otfridus de Gisnes, & filius ejus Manasses, Gosfridus, Alelmus & Balduinus avunculus ejus, Walterus minister Comitis, Gunfridus Pincerna, & alii multi. Ut autem nullus huic conventioni violentiam inferre præsumat, Chartam hanc testamentalem proprio sigillo corroborari præcepi.

Ex tenore igitur utriusque Chartæ præcedentis perpendi potest ex facili de omni terrâ quam dedit nobis Warinus de Fielnes Comitatum ad dominum Ardensem pertinuisse, quia tunc temporis propinqui erant Ardenses domini & Fielnenses, & usque hodie pro eisdem Ardensibus uni pauperi in nostro hospitali providetur præbenda.

ANDREAS MARCIANENSIS. 1130. Aliis 1131. Concil. Rem. sub Inno. II.

Anno ab Incarnatione Domini M. CXXX. Innocentius Papa in Franciam venit, anno XXIII. Ludovici Regis Francorum post festum sancti Lucæ Evangelistæ, & Remis Concilium habuit cum Episcopis & Abbatibus trecentis, mediante ipso Francorum Rege Ludovico cum filio suo qui secundus erat natu, ei æquivoquo : nam Philippus primus natu antea coronatus ante hos dies Parisius venerat, & ut fertur à dæmone ludificatus in specie porci dum hac illac equum gyrat, subitò corruit exanimis, unde pater valde mæstus Remis adveniens Ludovicum secundum natu filium secum advexit, & à Papa inungi & benedici & coronari in Regem, imponi fecit.

De Sancto Bernardo Abbate Clarevallensi.

Domnus Bernardus Abbas Clarevallensis quasi stella matutina Monachicum ordinem illustrat, & sanctitate, doctrinâ, miraculis etiam claret in Galliâ ; cujus vita in tantum excellit, ut parum sit omne quod in ejus laudem dictum vel scriptum fuerit. Ejus labore, fervore & solertiâ rabies Leonina per Petrum filium Leonis in Romanâ Ecclesiâ per octennium excitata, ipsius instantiâ est sedata.

De Theobaldo Blesensi & Carnot. Comite.

Theobaldus Comes Blesensis sive Carnotensis, qui fuit pater Willelmi modo Archiepiscopi Remensis, præ cunctis Principibus Galliæ magno pondere justitiæ eminet in Franciâ, Religiosis, Monachis, & Clericis pius ac familiaris, Ecclesiæ defensor, pauperum adjutor, mærentium consolator, in commerciis negotiatorum cautus & discretus, in reis & à recto deviantibus ultor & vindex.

Monstra.

In civitate Tornaco natus est agnus unius corporis, duorum capitum, quatuor aurium, quatuor oculorum, & octo pedum. In villâ quæ dicitur Brama mense Aprili natus est infantulus carens collo & capite, ocellos habens in spatulis. Anno XXVIII.

1136. Cœnob. Vedastin. concrematur.

Ludovici Regis Francorum Cœnobium sancti Vedasti Atrebatensis concrematur cum Claustro & Officinis, & magnâ oppidi parte ; nec meminit aliquis nostrâ ætate tot villas & civitates, tot castra, oppida, vel municipia concremata fortuito igne, quot in hujus anni spatio combusta esse referuntur.

Reges Gall. & Angl. intereunt.

Eodem anno Henricus Rex Anglorum obiit, vir pauperibus & Ecclesiæ Dei multæ benignitatis, ac per hoc multæ liberalitatis fuit. Obiit quoque eodem anno Ludovicus Rex senior Francorum, qui hos habuit filios Philippum ac Ludovicum juvenem, qui cum patre regnavit annis quinque & mensibus novem, post patrem annis XLV. Henricum Archiepiscopum Remensem, Robertum Comitem Perticensem, Petrum de Curtenai strenuum Militem habuit, & filiam Constantiam, quæ primò desponsata est Eustachio Comiti Boloniensi filio Stephani Regis Anglorum, secundò Raimundo Comiti Tolosano. Regnavit autem in Franciâ XXVIII. annis. Pontifices Romani qui eo tempore præfuerunt Ecclesiæ, Paschalis, Gelasius, Calixtus, Honorius, Innocentius : Imperatores Romani, Henricus quintus & Lotharius II.

De ordine Præmonstrati.

Ludovici quoque Regis tempore floruit domnus Norbertus Archiepiscopus civitatis Parthenopolis, quæ alio nomine Magadaburth dicitur, à quo Ordo Præmonstrati sumsit initium anno Domini M. CXXI.

De Regno Ludovici VII. 1135.

Anno Domini M. CXXXV. Lotharii autem Imperatoris XI. Innocentii verò Papæ VII. regnavit Ludovicus Junior, filius Ludovici, in Franciâ quadraginta quinque annis post patrem regnavit : hic duxit uxorem Aanordem filiam Willelmi Ducis Aquitaniæ, de quâ genuit duas filias, quarum prior nupsit Henrico Comiti Trecensi ; posterior Theobaldo Carnotensi Comiti.

1136.

Henrico Regi Anglorum, ut prædiximus, mortuo, tunc successit ei in Regno Stephanus nepos ejus, frater Theobaldi Comitis Blesensis : tamen non fuit justus successor, sed invasor : nam heres justus erat Henricus puer filius Gaufridi Comitis Andegavorum, quem genuerat ex Imperatrice filiâ Henrici Regis Anglorum. Hic Stephano mortuo successit in Regno.

1139.

Anno secundo Ludovici Regis Lothario Imperatore mortuo, successit ei Conradus vir Regii generis ; erat quippe ex sorore nepos Henrici quinti Regis, quarti Imperatoris hujus nominis.

WILLELMUS ABBAS.

Peccatis prædecessorum nostrorum in hoc Andrensi Cœnobio degentium exigentibus, Ecclesia præsens occulto Dei judicio & semper justo fulgurata est, & cum omnibus appendiciis suis penitùs concremata. Siquidem sicut ab illis audivimus qui hoc viderunt & audierunt, & usque ad nostra tempora duraverunt, hostis humani generis in specie ursi super Ecclesiam visus est circumquaque discurrere, turrim laterculis ligneis coopertam ascendere, & conflagrantes laterculas super cuncta ædificia projicere : apparent adhuc per omnes ferè dormitorii macerias ruinosas & scabrosas ejusdem cælestis incendii vestigia, quia postmodum cætera ædificia sunt per gratiam Dei in melius reformata. Combusta est etiam in ipso incendio domus infirmorum lignea, speciosa & sumptuosa, à nobili viro Radulpho de Douera domini Manassis Comitis commilitone & amico speciali composita, eâ quidem intentione quòd cum Comite eodem decreverat in sancto proposito vitæ residuum ducere, & in eâdem domo decedere ; & hic quidem Radulfus in omnibus scriptis nostris antiquis testis introducitur, unde inter ipsum & Comitem memoratum perfecta amicitia, fidelis & assidua comprebatur.

Ætas Guillelmi Auctoris Chronici Andren.

Monachor. Cantuarien. liberalitas.

Ab hoc ergo tempore ipso Radulfo, sicut dicitur, procurante Conventus Ecclesiæ Christi Cantuariensis intuitu compassionis & religionis, & ad favorem

paupertatis Andrensis vigenti quatuor paria pellitiarum, froccorum & cucullarum cum cæteris lectorum vestibus, quæ de suâ superabundantiâ ei superfuerant, totidem Monachis hîc degentibus transmittere consueverant. Et hæc quidem licet vetusta nostri prædecessores in paupertate Christo servientes non rejiciebant, sed toto tempore domni Petri Abbatis & sui successoris cum gratiarum actione recipiebant. Dum igitur huic loco incendium dominaretur, dum quibusdam ornamentis Ecclesiasticis, libris & Chartis ab accolis asportatis, & in loco tuto repositis, quæque finitima & vicina deploraretur, quibusdam libris & sacris vestibus incendio consumptis, quædam Chartæ nostræ sunt incendio conflagratæ, quarum tenorem istum fuisse cognovimus pro eo quod earum rescriptum in nostris archivis cum aliarum Chartarum rescriptis more solito habuimus; prima fuit Caroli Flandrensis Comitis sic incipiens:

Charta Domini Caroli Comitis Flandrensis.

Ad honorem summi Salvatoris. Quicumque rebus Ecclesiasticis servorum Dei commodis robur continuæ stabilitatis & munimen administrat perpetuæ tranquillitatis, hic nimirum domum Dei in præsenti ædificat, & in futuro Regnum sibi æternum præparat. Idcircò ego CAROLUS Dei miseratione Flandrensium Comes, cupiens sic transire per bona temporalia, ut non amittam æterna, ad consultum salutis nostræ, Ecclesiæ S. Salvatoris ab honorabili Gisnensium Comite Balduino ejusque conjuge Athelâ in loco Andernes dicto ad utilitatem Monachorum ædificatæ, nostræ tuitionis munimentum adhibemus, & universa quæ tam à supradicto Comite quàm à successore ejus Manasse, seu eorum Baronibus, seu quibuslibet personis fidelibus ubilibet liberali munificentiâ eidem loco data vel danda sunt, unâ cum uxore meâ absque quâlibet inquietudine libera & integra perpetuò ejusdem Cœnobii Monachis possidenda concedimus, terras videlicet, Comitatus, decimas, silvas, aquas, molendina, prædia, hospites, vavassores, servos & ancillas, cæteraque omnia quæ breviter subjecta sunt. Terram de Antingahem cum hospitibus liberam, & Comitatum & Boscum. Terram in villâ Bissingahem; terram apud Altinges apud Morlingehem; terram cum Comitatu apud Suaneches, tres carrucatas terræ omni consuetudine liberas cum Comitatu, & hospitibus & aquâ juxtà Turnahem; triginta mensuras sylvæ in Bredenarda; pratum triginta dierum & Comitatum solitudinis de Gisnes; hortos duorum hospitum apud Gisnes; Comitatum de Herchem, & locum molendini cum stagno apud Gisnes; decimam terræ quæ jacet in Parrochiâ sancti Martini de Felmes; terram juxtà Pithem in solitudine, omninò liberam cum Comitatu; apud Marcnes unum hospitem cum Comitatu; in Parrochiâ Andernensi terram Balduini Bozard, & Comitatum; terram Gunfridi filii ejus cum Comitatu; omnem pasturam Henrici de Campanies omninò liberam; apud Herchem terram Suanahildis cum hospitibus & Comitatu; terram Raimbaldi cognomento Rabolo, & Comitatum; apud Bavelingahem & Ruham totum allodium Eustachii, terram, pratum, hopites, aquam, boscum & suam partem molendini & Comitatum; apud Wiberti culturam terram Hathennif de Bavelingehem; in villâ Hottingahem, totum allodium Ingelramni de Baingahem, terram, pratum, boscum, aquam; terram Mauritii in eâdem villâ & Comitatum.

Et ut breviter cuncta comprehendamus, universa quæ data sunt in Parrochiis de Gisnes, in parrochiâ de Spetleca, in parrochiâ Andernensi, in parrochiâ de Campanies & de Buchout, in parrochiâ de Rollingehem & de Bratmes; in parrochiâ de Landegratun & de Altenges, in parrochiâ de Suanvekes, & de Elceke; in parrochiis de Bredenardâ, scilicet de Nortkerke & de Sutkerke, de Ouderwich, de Pullingahone, & de Furfres; in Parrochiâ de Beingahem; in parrochiâ de Lillingahem; in parrochiâ de Turnehem & Boninges; in parrochiâ de Aldenhem; in parrochiâ de Surches & de Rosberge, & de Alekin; in parrochiâ de Liskes & de Buxin; in parrochiâ de Bucretes & de Funtaines; in parrochiâ de Nieles & de Fraitun; in parrochiâ de Budreke & Piplingehem; in parrochiâ de Selines & de Pithem, in parrochiâ de Helbetinhem & de Terdingahem, & in parrochiâ de Odingahem; & de Basingahem; in parrochiâ de Volceringahone, de Nilham; in parrochiâ de Merc & de Houe, Ecclesiæ Andernensi perpetuo jure possidenda confirmamus.

Concedimus etiam quod à præfatis Comitibus concessum est, Balduino videlicet & Manasse, ut unusquisque Militum Gisnensium de Feodo suo si voluerit usque ad unam carrucatam terræ, vel usque ad centum solidos Ecclesiæ Andernensi liberè attribuat. Decernimus quoque & firmiter statuimus, ut nulli successorum meorum, vel Comitum Gisnensium vel quorumlibet hominum ejusdem Cœnobii homines liceat ad suam seu cujuslibet laicalis personæ justitiam cogere, nisi ante Abbatem; vel coactivam petitionem seu incisuram super ipsos instituere, vel animalia eorum suis servitiis mancipare; seu quidlibet ex eorum substantiis auferre: sed omnia prænominata, seu omnia alia ad idem Monasterium pertinentia sub potestate & justitiâ Abbatis & Monachorum libera omninò in perpetuum permaneant.

Et quoniam annuentibus prædecessoribus meis Rodberto scilicet seniore, ejusque filiis Rodberto atque Philippo ædificatum, & postea à Balduino nepote meo idem Monasterium diligenter honorificatum est, ideo concedimus ut qui in toto Comitatu Flandrensi aliquid pro eleemosynâ offerre ibidem voluerit, absque cujuslibet contradictione id attribuat. Quicumque igitur in aliquo hanc Chartam infregerit, tamdiù honore omni suo & possessione careat, donec prædictæ Ecclesiæ per omnia satisfaciat.

Relatio domini Willelmi Abbatis de charta domini Manassis Comitis.

ALiud quoque privilegium fuit incendio concrematum à domino Comite Manasse confirmatum & approbatum, cujus illud fuit principium:

Quoniam diversitate morum plerumque contingunt diversæ controversiæ causarum, videtur expedire res Ecclesiis Dei traditas litterarum annotatione ad posteros mittere, ne res in dubium posita aliquod perversis Ecclesias impugnandi scrupulum gignat; unde scripto mandamus quòd Balduinus Comes Gisnensis hereditatem cupiens in Regno Dei habere, locum exstruxit Andernensem, quem, ut ad opus Dei meliorem semper exemplis melioraretur, Ecclesiæ Carrofensi subdidit, atque ut isdem locus in recognitionem subjectionis pariter & eleemosynam sui prædictæ Ecclesiæ Carrofensi omni anno censum, videlicet duas marcas argenti persolvere constituit. Post cujus mortem filius ejus Manasses eleemosynam patris augere cupiens, in manu Petri Carrofensis Abbatis loco Andernensi, si aliquis suorum fenatorum de feno ipsius centum solidatas vel tantum ut suum hominatum non perderet donare voluisset, concessit: gratiâ autem Dei in melius loco proficiente electo eidem Ecclesiæ Gilberto primo Abbati & ordinando, hoc immunitati

contulit privilegium, ut homines ejusdem Andernensis Ecclesiæ pro aliquo foris-facto non distringeret vel judicaret nisi sicut homines . . . . Gisnensium

Obientibus verò ejusdem loci Abbatibus, electa suo loco fuerit idonea persona in Capitulum Corrosense deducatur, & ibi probatâ electione ab Abbate & Capitulo Carrofensi, ei pastoralis virga curaque injungatur, salvâ subjectionis obedientiâ Ecclesiæ Carrofensi ab eo conservandâ: si verò in loco condigna nequiverit reperiri, in Capitulo Carrofensi dignè dignus eligatur, & ab Episcopo Tervanensi consecratus loco Abbatis præponatur.

Hæc ut dicta sunt prædictus Comes Manasses concessit, auctorizavit, simul etiam ne aliquam dominationem vel consuetudinem ipse aut ullus ex heredibus ejus in eodem loco haberet, nisi tantùm locum loco Advocati in perpetuum custodiret. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ M. XCVII. Indictione VI. præsidente Apostolicæ sedi Domino Papa URBANO, PHILIPPO Francorum Rege, GERARDO tunc Morinorum Episcopo, ROTBERTO Flandrensium Comite. Testibus iis: Hugo Archidiaconus frater Manassis Comitis testis, Gerardus Hamensis Abbas testis, Ravengarius Abbas Capellæ testis, Fulco frater Comitis testis, Arnulfus de Arda, Lambertus Vicennos, Balduinus filius Witfridi, Balduinus de Osternic, Erverius de Bavelingehem, Eustachius de Curtebronna, Hugo de Surkes, Hugo Malvoisin, Rotbertus de Hammes, Withdo de Elembom sunt testes, & multi alii qui hoc viderunt vel audierunt.

Quid actum sit post hujus loci combustionem.

POst hujus loci miserabilem conflagrationem Comite Manasse operam dante, domno Petro Abbate multipliciter instante, Optimatum terræ nobilitate opes & operam fideliter administrante, exusta ædificia partim sunt cooperta, partim renovata, partim de novo composita. Venerabilis quoque Morinensis Episcopus Joannes hujus loci condolens desolationi, qui locum semper dilexerat, promovebat, & scriptis authenticis ut in melius proficeret roboraverat, Ecclesiam de Bokerdes huic loco liberaliter delegavit, & ipsam cum decimâ ad eam spectante Fratrum refectioni deputavit, à pluribus audiens & pro certo cognoscens quòd in fame & siti, in frigore & nuditate Deo servirent, & sperans quòd sui memoriam in perpetuum haberent: qui brevi postea tempore supervivens, & in spe sanctâ decedens, successorem habuit piæ memoriæ MILONEM Præmonstratensis Ordinis præcipuum informatorem, sancti Judoci de Nemore aliquando Abbatem, Deo acceptabilem, tam Clero quàm populo pro meritis honorabilem. Hic igitur in primordio suæ promotionis suam diœcesim paternâ sollicitudine visitans, & more beati Martini cum illo suo frequentissimo sanctissimoque comitatu, non tamen sumptuoso, locum istum suâ visitatione perlustrans, ad instantiam domini Petri Abbatis præsentibus sancto Bernardo Clarevallensi, & Wallerano Ursi-Campi, & Hugone de Monte sancti Eligii Abbatibus, & aliis multis, super commoditate aquæ & paludis molendino & Monasterio nostro subjacentis, & super pasturâ huic loco contiguâ, Privilegium nobis indulsit in hunc modum:

Milo Morin. Episc. — *S. Bernardus.*

Ego MILO Deigratiâ Morinorum Episcopus, notum fieri volo tam futuris quàm præsentibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis, quòd Henricus de Campanies veridicorum testimonio tempore domini Joannis prædecessoris nostri, pro remissione peccatorum suorum & antecessorum suorum commoditatem aquæ & paludis molendino & Andernensis Ecclesiæ Curiæ adjacentis, in herbis, in piscibus, in volatilibus capiendis ac nutriendis ita concesserat communem, ut & ipse Henricus & jamdicta Ecclesia in aquâ & palude præfatâ, quod sibi commodum videret, pro velle suo acciperet, & neuter alteri contradiceret. Concesserat etiam eidem Ecclesiæ & hominibus ad eam pertinentibus omnem pasturam parrochiæ Andernensis perpetuò eâdem pace possidendam, quam tempore Balduini patris Manassis Gisnensium Comitis possiderunt. Quas etiam concessiones præfatus Henricus primâ vice quâ Andernes veni, coram nobis recognovit. Nos verò paci Ecclesiæ providentes ne concessio ampliùs ab aliquo injustâ inquietatione fatigetur, scripto eam annotari, & proprio sigillo fecimus signari, interdicentes auctoritate Dei omnipotentis & nostrâ, ne cuiquam hominum eamdem concessionem temerario ausu infringere liceat. Quod si quis, quod absit, fecerit, donec Ecclesiæ satisfecerit & honore terreno privetur, & cœlesti animadversione mulctetur.

Hujus rei testes Bernardus Abbas Clarevallensis, Walerannus Abbas Ursi-Campi, Hugo de Monte sancti Eligii Abbas, Petrus Abbas Andernensis, Hebertus Archidiaconus Terwanensis, Magister Hermanus, Guncelinus Decanus Audom. Gerardus Presbyter Gisnensis, Lambertus Presbyter Andernensis, Wido Clericus de Bavelingahem, Henricus filius Henrici, Gusfridus de Gisnes, Gozo frater ejus, Balduinus Clericus frater ejus, Eustachius de Bavelingahem, Balduinus frater ejus, Balduinus nepos prædicti Henrici, Giselbertus Miles, Alelmus de Gisnes, Willelmus de Funtaines, Eustachius Vavasor, Eustachius Galobiæ. Actum anno verbi Incarnati M. CXXXII. 1132.

Postea verò de dono prænominatorum Arnulfi Fruffard & uxoris ejus nobilium de Fercnes, & sua allodia cum terrâ & Comitatu in diversis locis consetentium aliam nobis Chartam contulit, quæ sic incipit:

In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, Amen. Ego MILO Dei permissione Morinorum Episcopus, universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis notum fieri volo, quòd Arnulfus de Fercnes cognomento Fruissard, & ejus uxor Agatha pusillum gregem Andernensis Ecclesiæ diligentes, & beneficio Religiosorum quasi frater & soror perenniter associari desiderantes, allodia sua quæ jacent infrà parrochiam sanctæ MARIÆ de Ferknes, & quæ jacent apud Hardinginassem in sinistrâ parte aquæ fluentis contrà Occidentem, scilicet infrà parrochiam sancti Martini de Resthi, unà cum omnibus acquisitis vel acquirendis in manu nostrâ prædictæ Ecclesiæ dant.

Notifico etiam omnibus quòd ipse Arnulfus dimidiam partem molendini, quod est in villâ Gibbingatum, & quatuor jornellos terræ, quæ pertinent ad ipsum molendinum, ad hospitium pauperum, quod juxtà prædictam Ecclesiam ædificatum est, peregrinis & egenis euntibus & redeuntibus tam sanis quàm infirmis dat.

Hæc dona facta sunt anno Incarnationis Dominicæ M. CXXXIII. in Ecclesiâ dictâ Caroli noviter consecratâ, me sacerdotalibus adhuc vestibus induto, quorum testes sumus, Ego ipse Milo Episcopus, domnus Abbas Balduinus sancti Wlmari, domnus Joannes Abbas sanctæ MARIÆ Boloniæ, domnus Herebertus Archidiaconus noster, Wlbertus Monachus, Gusfridus Monachus de Capellâ, Magister Hermannus, Sigerus de Heka; & multi alii tam Clerici quàm laici. 1133.

De eodem Episcopo.

SEd & contrà Fielnensium dominorum importunitatem idem Episcopus se pro hoc loco erexit, & viriliter habuit: qui propter sui prædecessoris donum, scilicet Warini sæpememorati monachi hujus loci, quotiescumque ab Abbate novus instituebatur eleemosynarius, relevium sive relevationem ab eo exigebant, & eos ad hoc induxit, ut non ab eleemosynario instituto, sed potiùs ab Abbatibus, qui rariùs instituebantur, eamdem consuetudinem quamdiù tamen vellent, accipere debeant. Quod testatur ejusdem Episcopi Charta sub hac formâ composita:

In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, Amen. Ego MILO Dei gratiâ Morinorum Episcopus omnibus tam præsentibus quàm futuris notifico, quòd Eustachius filius Cononis de Fielnes indecenter ab unoquoque Monacho, cui Abbas Andernensis domûs eleemosynariorum, quæ prope Monasterium Andernense stat, curam commisit, relevationem diù accepit: quod dum ego unâ cum viris religiosis audivi, multùm mihi velut inconveniens & importunè displicuit. Tunc eumdem Eustachium celeriter deprecatus sum, ut hujusmodi relevationem pro suæ parentumque suorum salutis desiderio relaxaret, quam precatui nostro sui gratiâ diligenter acquiescens, eodem desiderio relaxavit; eâ videlicet divisione, ut eam in obitu aut mutatione Abbatum jamdicti Monasterii quamdiù voluerit, accipiat. Hanc itaque relaxationem ne ab æmulis aut invidis inquietari valeat, proprio sigillo nostro affirmare festino. Quicumque eam violare conatus fuerit, excommunicationi subjaceat usque dum supradicti Monasterii Monachis satisfaciat. Actum est hoc
1137. anno Incarnatione Dominicæ M. CXXXVII. Testes sumus, ego ipse Milo Episcopus, Philippus Archidiaconus, Milo Archidiaconus, Joannes Abbas Boloniæ, Henricus Abbas de Bosco, Lucas Canonicus ejusdem Ecclesiæ, Guncelinus Decanus, Balduinus Canonicus de Watanis, Balduinus Clericus de Milham, Willelmus Clericus Terwanniæ, Paganus Campaniæ, & Balduinus nepos ejus, Rotbertus de Fielnes, & multi alii.

De Gregorio apud Karrofenses transmisso.

EOdem tempore nostri Andrenses Karrofensium dominationem pertæsi, & graviter ferentes Flandrenses Pictavensibus subjici, utpote qui propter linguarum dissonantiam eis videbantur alieni, consentiente domino Manasse Comite, & domno Petro Abbate minimè contradicente, sed nec contradicere audente, communi voluntate & consilio domnum Gregorium hujus loci Monachum professum, præfati Comitis nepotem, suæ scilicet filiæ & nobilis viri Eustachii de Bavelingahem filium, ad Karrofense Monasterium honorificè transmittunt, eâ quidem intentione ut locum & personas agnosceret, & se ibidem notum faceret, ut aliquo tempore ibi subesset, & suam professionem firmaret; quatenùs loco & tempore tamquam professus Ecclesiæ Karrofensis huic loco prodesse & præesse competentiùs valeret. Susceptus est igitur ibidem in gratiam, & honorificè tractatus, & quidquid affectabat gratenter adeptus: priusquàm tamen ibidem accederet, combustum fuit illud nobile & famosum Cœnobium, & in suo accessu pro majori partæ reædificatum. Cum multis etiam Ecclesiæ thesauris & libris authenticis Capituli, liber Fratrum & benefactorum nomina continens fuit incendio concrematus paulo antequam incendio deperiret iste locus. Pro his igitur infortuniis fuit diffinitum, quod tamen in Karrofensi Cœnobio priùs fuerat statutum, ut per omnia tempora succedentia in omni sextâ feriâ peracto Capitulo, à toto Conventu in choro prostrato septem psalmi pœnitentiales cum Collecta Deus veniæ largitor decantentur.

Præfatus itaque Gregorius per annos aliquot à Karrofo regressus avum suum Manassem Comitem jam in extremis agentem in infirmitorio decumbentem & sanctæ conversationis habitum habentem invenit. Ad cujus lectulum cum proprius accessisset, & eum idiomate Pictavico utpote alterius linguæ jam ignarus, humiliter salutasset, nobilis heros licet annis maturus & corpore debilis & infirmus, corde tamen robustus & antiquæ caliditatis minimè oblitus, se ab aliquo æstimans irrideri, cum se salutantem audiret quidem sed oculis jam caligantibus præ senio non posset intueri, Gregorium sermone Pictavico derisoriè resalutavit, & se nugis aut jocis non posse vacare respondit: tandem eum cognitum affectuosè deosculans, de sui Ordinis observatione & Dei dilectione, & fraternâ charitate diligenter admonuit, & Domno Abbati Petro eum sollicitè recommendavit. Paucis postmodum diebus evolutis, cum purâ confessione, verâ memoriâ, & sanctâ unctione percipiens viaticum salutis æternæ inter Fratrum & Monachorum manus, & ipse Frater eorum & Monachus feliciter decedens ad patres suos est appositus. Et præsente nobili Emma Comitissâ, & Procerum suorum multitudine à domino Petro Abbate in navi prioris Ecclesiæ, sicut tantum decebat Principem, honorificè tumulatus.

Manasses Gisnensis Comes Monachus factus.

Piè obiit.

Comitissa quoque Monasterio Monialium extra Gisnas à marito suo fundato tamquam prudens virago viriliter insistens, & inter Moniales religionis habitum religiosè vivendo assumens, in sancto viduitatis proposito ibidem diu vixit, & post peractam pœnitentiam in spe sanctæ resurrectionis diem ultimum clausit, & in Ecclesia sancti Leonardi sepulturam accepit.

Emma ejus uxor in Monasterio religiosè vitâ peractâ defungitur.

Post mortem venerabilis Comitis Manassis, qui & Robertus dictus est à Comite Flandrensi Roberto, Deo permittente justo quidem judicio sed occulto omnia disponente, dum bonæ memoriæ Domnus Petrus Abbas equo non satis domito aditum quemdam vellet intrare, in magnum hujus loci infortunium membris contractis & collisis in terram dejectus est, & vix vivus in manibus famulorum ad Monasterium reportatus est, ubi diutino languore fatigatus, & tamquam aurum in fornace ex dolore corporis & patientiâ mundi cordis & gratiarum actione cordis & oris multipliciter probatus, Deo animam reddidit, quem grex orbatus in antiquâ Ecclesiâ honorificè sepelivit; sepulto venerabili Patre qui tredecim annis & amplius hunc locum laudabiliter rexerat, & decenter reparaverat, iterum ferè quatuor annis locus vacavit, & à viâ rectitudinis turpiter deviavit.

Petrus Abbas equo dejectus moritur.

Quidam enim de Fratribus nostris Optimatibus terræ, præcipuè parentelæ præfati Gregorii, potiùs placere volentes quàm religionem plantare & propagare desiderantes, eumdem Gregorium sibi volebant præficere, ut juxtà vias adinventionum suarum eo præsidente possent ambulare; quorum utilitati minùs religiosæ supradictus Dominus Milo venerabilis Morinorum Episcopus se objecit, & eorum consensum prævalere prohibuit juvenilem ejus ætatem prætendens, fratrum & propinquorum catervam pauperi Ecclesiæ magis nocituram, quàm profuturam metuens, & sic eum eâ vice omnino repellens.

Gregorius Abbas eligitur, sed frustrà.

Anno quinto Ludovici Regis Francorum Stephanus Rex Anglorum capitur ab hostibus suis proditione suorum. Eodem anno plaga ignis divini mul- ANDREAS MARCIANENSIS. 1142.

Stephan. Rex Angl. ab hostibus capitur.

tos adussit, sed per intercessionem sanctæ Dei Genitricis Mariæ aliorumque Sanctorum multis hac ægritudine laborantibus misericordia Dei subvenit.

1143.

Anno sexto Ludovici Regis Francorum Rex Anglorum Stephanus solutus à captione quâ tenebatur, iterum Anglicæ genti principatur.

De electione Domini Gusfridi.

Willelmus Abbas.

Eodem anno nostri Andernenses à Clero & populo propter loci vacationem vituperati, & à vicinis Religiosis propter suam inordinationem multipliciter excitati, elegerunt virum religiosum Dom-

Gusfridus Abbas.

num Gusfridum cognomento Bertram, Monachum Karrofensem, & à memorato Domino Milone Episcopo confirmatum & benedictum, in Patrem & Pastorem receperunt, qui operibus sanctis insistens verbo & exemplo non tam præesse suis quàm prodesse studuit, pauperum recreator, viduarum & orphanorum consolator, hospitum & peregrinorum hilaris receptor, Ordinis plantator, vitiorum exstirpator, & in oportunitatibus sedulus adjutor apparuit.

Scriptor quæ ab oculatis testibus audivit, narrat.

Verùm ut de illius virtutibus sileamus, & de hospitalitate quâ præeminuit aliqua tangamus, sicut ab ore eorum audivimus qui hoc viderunt & audierunt, & ipsius contemporanei exstiterunt, dum Monachorum parentes & propinqui eos frequenter visitarent, & de mandato Abbatis in hospitio honorificè recepti fuissent, idem Abbas Monachos qui eos contingebant per biduum aut triduum cum eis in hospitio cogebat perendinare; ita quòd nec ad Chorum nec ad Refectorium eos oportebat accedere. Fecit & idem Abbas coquinam cæteris officinis præeminentem, & omnem diligentiam adhibuit, ut tam per Pictavenses quàm per Flandrenses in hoc loco plantaret religionem; cujus piæ intentioni multi in vitiis enutriti nitebantur contraire, & contrà ejus personam odium concipere, verba probrosa dicere, infamiam, quod dictu nefas est, irreverenter seminare: nec destitit vir religiosus à propositi rigore, quem constabat & conscientiæ testimonium habere, & etiam apud eos qui foris erant pro vitæ merito circumquaque placere. Denique ejus tempore nec terræ, nec reditus, nec prædia huic loco dabantur, nec à terræ Principe antiquo more vel scripta authentica vel privilegia conferebantur; quia mortuo Domino Manasse nobilissimo Comite Albericus cognomento Aper, natione Anglus, ejusdem Comitis neptem nomine Beatricem ex filiâ Sibyllâ, quæ & Rosa, ducens, & Domino Manassi in Comitatu succedens, rarò in hac patriâ, frequenter in Anglia degens, nec aliquid huic loco dedit, nec ab aliis datum confirmavit: sed nec aliquis crescente malitiâ hîc dandi affectum habuit. Inter nostrates enim & Pictavenses qui hîc manebant discordia potiùs quàm fraterna charitas vigebat, & Dominus Gusfridus qui utrosque regebat volens esse mediator, sedare discordiam non prævalebat. Hinc inter Nobiles & terræ Optimates dandi liberalitas omninò refriguit; quod & nostro tempore pro casu consimili frequenter evenit.

Hujus igitur occasione discordiæ, sanctæ memoriæ Gusfridus Monachus de territorio Boloniensi oriundus, ut verè filius pacis se à litibus & schismate volens subtrahere, & soli Deo vacare, se jampridem de licentiâ Abbatis hinc subtraxerat, & in Capellâ Gisnensi Beatæ Virginis devotus Capellanus, Deo & suæ Matri humiliter ministraverat, succedens Aloldo viro venerabili in ejusdem Capellæ regimine, qui eam rexerat à primâ hujus loci fundatione. Quo etiam tempore mortuus est etiam Domnus Godmarus famosæ religionis Monachus unicam ha-

Monachus licet mancus, in scribendis antiquis libris peritus & assiduus.

bens manum, & cum ipsâ manu omnium ferè librorum antiquorum scriptor, & buxeti nostri quod magnum vidimus & condensum, plantator; reliquos autem libros antiquos prædictus Gusfridus tam hîc quàm in nostra Capellâ conscripsit, & eamdem Capellam libris sumptuosis adornavit.

Præterea memoratus Abbas Gusfridus dum zelo ampliandæ religionis ferveret, & ob hoc in Claustro assiduus existeret, bona nostra temporalia & extrinseca cœperunt paulatim defluere, cum Abbatem nonnisi spiritualibus constaret intendere: unde accidit ut nemus quod cum terrâ finitimâ ad Curtem nostram de Riggewogâ ab antiquo spectaverat; dum idem Abbas hospitali de Sontingeveld tunc temporis honesto, famoso & religioso aisiamentum in eo habere indiscretè permiserat, Rector ejusdem hospitalis illud vindicavit, & Abbate minùs justo defendente sibi appropriavit, & à sede Apostolicâ quam visitavit frequenter in præjudicium nostrum sibi & suis successoribus confirmari impetravit. Reclamantibus hujus loci Monachis, totius terræ nobilitas, totius Cleri & populi universitas, & etiam Ecclesiastica auctoritas se eis opposuit, eos esse minùs religiosos & infames asserens; Hospitali verò summam honestatem circà pauperes & peregrinos, & passionem & perfectam charitatem circà debiles & ægrotos omnimodam sedulitatem adscribens. Et hæc præcipuè causa nostros movebat tunc temporis adversarios, quòd locus iste eo tempore glebis, paludibus & pasturis abundabat, & in diversis locis nemora alia habebat, Hospitale verò sine gravi incommodo prædicto nemore carere non valebat.

Magna in Prælatis discretio requiritur.

Beneficiorum Claustral. institutio.

Denique Monachi suam exheredationem prout justum fuit ægrè ferentes, & Abbatis defectui factum totum die & nocte verbis & nutibus adscribentes, iram & indignationem inexstinguibilem contra eum concipiunt, eum multipliciter accusant, Principes & Prælatos contrà eum excitant, sed non statim proficiunt: in conspectu enim omnium istorum pro eo quod vixerat religiosè gratiam invenerat, & singuli credebant quod clamor assiduus ex invidiâ potiùs quàm ex justitiâ procedebat. Crescebat indesinenter tumultus contrà eum frementium, & ei quotidie objiciunt nemus per ejus incuriam perditum; sed & nemus de Rorichonâ sæpiùs ad memoriam reducunt, quod pari modo alienatum fuerat per Abbatem Reinaldum. Dicunt & asseverant contrarium esse rationi Pictavum aliquem Flandrensibus præesse, asserentes eorum tempore locum istum parum profecisse, & multum perdidisse. Pictavorum enim adscribunt ignaviæ & pusillanimitati, quòd nobilis vir Eustachius Dominus de Fielnes fundator Ecclesiæ Belliloci, Ecclesiam suam huic loco subjici volebat & subdi, nec hoc ab Abbate potuit impetrare. Sed & Balduinus Ardeæ Dominus & Ecclesiæ Canonicalis Præpositus, præbendas quas Ecclesiæ de Capellâ dederat in manu Domini Theoderici Abbatis, mala simplicitas & inefficax voluntas Abbatum hujus loci pigritata est admittere. Proinde tamquam homines inutiles, & in acquirendis bonis tepidos, remissos & desides Flandrensium cohabitatione indignos censebant; & eos omnes qui tales scienter eligerent de cætero maledicebant: nec tamen eis sufficiebant verbales injuriæ, cum vellent finaliter affectum suum ad effectum perducere.

Origo dissidiorum inter Andernens. & Carrofenses Monachos.

Perpendens Abbas in loco non posse proficere, cedendum judicavit, & adiens Dominum Milonem Morinensem Episcopum, ab honore simul & onere se absolvi petiit & impetravit, & ad bonæ memoriæ Dominum Leonem Abbatem sancti Bertini accedens, apud eum aliquandiù mansit, qui postea pro vitæ suæ meritò Prioratûs officium imposuit ei, in

quo ferè per annos sex honestè & religiosè se habuit, hospitalitatem summo studio diligens, religionem fovens, virtutum semina plantans, vitia pro viribus radicitùs exstirpans, honorans senes, diligens juvenes, verbo & exemplo proficiens apud cultores Ordinis & fraternæ pacis amatores. Sed quia juxtà quemdam, semper iniquorum scelus impedit acta bonorum, in eâdem sanctâ congregatione erat quidam filius Belial nomine Roricus, qui in officio Prioratùs aliquando exstiterat, & adhuc ad illud anhelans aspirabat, ad quod aliter non sperabat pervenire, nisi per mendacii figmenta, & fraudis machinamenta, virum Dei cujus vitæ invidebat, cujus meritis detrahebat, in cujus persequutionem quorumdam æmulorum cor accendebat, posset dejicere. Suggerebat enim suis sequacibus magnum esse dedecus Monasterio tam diviti, tam famoso, tam nobili, Priorem alienigenam habere, qui & ab Abbatiâ Andrensi degradatus fuerat, & ad Karrofense Cœnobium sive ad natale solum præ confusione redire non poterat. Quid plura? Juxtà Psalmistam scrutati sunt iniquitates, virum sanctum ornatum moribus, sobrium & castum coram multitudine & Conventu pessimo crimine accusantes. Expavit vir Dei inde se accusari, unde eum munda conscientia excusabat; & cum à domno Abbate Leone & religiosis Fratribus excusaretur, conventus tamen malignantium, & multitudo iniquitatem operantium viris sanctis virum sanctum defendentibus prævalebat. Perpendens autem vir Dei cedendum esse furori, nec dignum se reputans ut loco sancto fieret scandalo aut pudori, de licentiâ memorati Abbatis & sanioris partis sanctæ Congregationis ab officio Prioratùs absolutus, & ad Karrofense Cœnobium est honorificè transmissus. Sed justo Dei judicio prædictus Roricus cum suis complicibus brevi spatio temporis elapso propter vitium incontinentiæ, unde virum sanctum injustè accusaverat, justè & manifestè fuit convictus; ita quòd & suum reatum & viri Dei cœlibatum, & tunc de Monasterio recedens & postea vitâ decedens, cum eisdem fautoribus confiteri est coactus.

Venerabilis autem Gusfridus Karrofo regressus, ab Abbate Jordano & toto Conventu receptus cum honore debito fuit, & per annos aliquot ibidem religiosè degens in spe sanctâ decessit, & ante ostium Capituli sepulturam accepit. In ipsâ enim Ecclesiâ à Deo consecratâ nullus unquam Abbas consuevit tumulari, sed in Claustro vel in Capitulo constat omnes sicut vidimus & audivimus, sepeliri. NOTA.

De secundâ electione Gregorii.

POstquam autem per annos circiter quatuordecim, sæpedictus Gusfridus locum istum rexerat, & quantum in se fuit religiosè provexerat, eo hinc recedente concors Fratrum Conventus elegit Domnum GREGORIUM hujus Ecclesiæ parrochianum, de quo superiùs mentionem fecimus, genere quidem nobilem, sed minùs litteratum, corpore procerum, sociali fœdere erga omnes benevolum, fratrum carnalium catervâ & militari gloria stipatum. Electio de eo facta, ut pote de Andernensi seu Karrofensi Monacho, fuit ab eisdem Karrofensibus in brevi confirmata & approbata. (Gregorius Abbas V.)

Sed quia idem Gregorius columbinam habens simplicitatem prudentia serpentis omninò caruit, qui manum ad fortia mittere debuit, operi fabrili, cujus erat sciolus, operam dedit, cui intentus non mores informavit, non plantavit virtutes, non vitia exstirpavit. Fertur denique quâdam vice dixisse Monachis suis, dum eum sumptuosum & nimis pomposum arguerent; quòd tota Monasterii substantia ei & suis sufficere non posset, quando adeptâ pastorali benedictione eum sicut Abbatem vivere oporteret: ex quo promisso Fratres attoniti, & novum Roboam super se erexisse confusi, prænominatum Dominum Morinensem adeunt, rei ordinem pandunt, confirmationem seu benedictionem ex toto denegari vel saltem differri petunt, & affectum suum ad effectum perducunt. Novus interim electus sed nondum dejectus, operi fabrili, auri scilicet, æris, & argenti insistit, & quanto liberiùs sibi subditos per campum licentiæ vagari permittit, tanto ampliùs apud eos vilescit. Sequenti anno coram Diœcesano fuit accusatus, quòd tempore hyemali ipse cum suis Monachis post refectionem super glaciem more laicorum fuisset jocatus: unde iterum acerbè correptus, sed non omninò fuit depositus. Deinde anno tertio suæ electionis evoluto, cum ab Episcopo gratiam suæ benedictionis assequi non valeret, accusatus fuit coram ipso quòd in sinum cujusdam matronæ more & amore lascivo manum suam occultasset: pro quâ re sine spe recuperandi fuit omninò dejectus, cum se exinde purgare non posset; sicque in tali otio quatuor annis ab eo frustrà consumptis & consummatis desiit villicare, cum tota tamen ejus villicatio melius computari posset inter annos vacationis. (Abbatis nimia simplicitas damnatur.)

Ludovicus Rex cum multo exercitu contrà Theobaldum Comitem Blesensium sibi rebellem vadit. Denique aggressus castrum ejus quod Vitreiacum dicitur, oppidanos & milites sibi resistentes aut cepit aut occidit, oppido succenso in tantum ignis excrevit, ut castrum quod erat in eo valde munitum, cum multo inhabitantium periculo concremarit. In hoc bello vel incendio capti, cæsi aut concremati ad mille quingentos sunt æstimati. Quo facto Theobaldus Comes valde exacerbatus Principes Francorum quos poterat à Regis avertebat amicitiâ. ANDREAS MARCIANENSIS.

Innocentio Papa mortuo successit Cœlestinus, Cœlestino Lucius, Lucio Eugenius, qui & Bernardus, Abbas S. Anastasii, Ordinis Cisterciensis Monachus.

Ludovicus Rex pacificatur cum Comite Theobaldo anno regni sui octavo. Civitas Edessa, quæ & Roairdra, multo tempore à Christianis possessa per negligentiam Christianorum & insidias paganorum ipsa nocte Nativitatis Dominicæ capitur, anno X. Ludovici Regis Francorum, & secundo Balduini tertii Regis Jerosolymitanorum. Hic Balduinus filius fuit Fulconis Regis Jerosolymorum, qui priùs fuerat Comes Andegavorum, & successerat Balduino de Reitestâ in Regnum. Normanni spreto dominio Stephani Regis Anglorum, subdunt se regimini Comitis Andegavorum.

Anno Domini M. CXLVI. anno XI. Conradi Imperatoris Romanorum, XII. autem Ludovici Regis Francorum, IV. etiam anno Eugenii Papæ, Christiani dolentes de subversione urbis Edessæ, uno animo, pari consensu ad debellandos paganos proficisci deliberant. In tantum autem erant omnes prompti & alacres ad hanc profectionem, ut etiam Conradus Rex Teutoniæ & Ludovicus Rex Francorum Religiosorum virorum monitis animati, & ipsi prompto animo ad hanc expeditionem se se accingerent. Profectus quoque est cum eis Alvisus, qui ex Monacho sancti Bertini & Abbate Aquicinensi ordinatus fuerat post Robertum Episcopus Attrebatensis, vir magnæ severitatis & religionis: Robertus enim obierat anno XXIII. Ludovici Regis Theodericus etiam Comes Flandriæ, & multi alii Principes cum eis assumserunt iter. Nihil prosperè egerunt, sed tantis eorum exercitus attritus est infortuniis tum fame, tum mortalitate, tum ferro hostium ut de tot millibus tam copiosæ multitudinis vix pauci (Ad recuperandam Edessam expeditio sed irrita propter militum flagitia. Alvisus Episc. Attrebat.)

repatriaverint. Constat enim quia in hostico illo multa flagitia patrata sunt ab eis, & ob id irâ Dei ascendente super eos, omnis conatus eorum in vacuum cessit.

De morte Alvisi Attrebatensis Episcopi.

Alvisus Episcopus Atrebatensis in eâdem expeditione moritur, & in civitate Trachiæ, quæ finis populi vel Philippis seu Philippopolis dicitur, sepelitur. Cameracus civitas ex magna parte sui incendio concrematur, & principalis Ecclesia cum Claustro & palatio Episcopi, Monasterium etiam beati Autberti. Hoc etiam anno combustum est Cœnobium sancti Sepulcri in eâdem urbe, paucis annis à priori ejus combustione transactis. Conradus Imperator anno Imperii sui XIII. & Ludovicus Rex regni sui XIV. sine ullo prosperitatis effectu præcinctum solvunt, & ab itinere Jerosolymorum revertuntur. Ludovicus Rex Francorum anno regni sui XVI. Aanordem uxorem suam repudiavit; quæ postea ad thorum transiit Henrici Regis Anglorum & Ducis Northmannorum, filii Gosfredi Comitis Andegavorum. Ex illâ igitur genuit hos filios Henricum Regem Angliæ, qui vivente patre obiit; Richardum Ducem Aquitaniæ, qui nunc regnat in Angliâ; Gosfridum Comitem Britanniæ, & Joannem qui dicitur Sine-terrâ; & filias tres, quarum unam duxit Rex Toletanus in Hispaniâ; alteram Guillelmus Rex Siciliæ; tertiam Henricus Dux Saxoniæ.

Cameracum penè totum incendio periit.

Ludovicus Rex Francorum eodem anno secundam duxit uxorem Constantiam, filiamque inclyti Principis Hispaniæ Aldefonsi, qui regnavit in Toleto & Legione, & in terrâ beati Jacobi; de quâ genuit duas filias, quarum unam juvenis Rex Henricus Angliæ, secundam Richardus Dux Aquitaniæ, nunc Rex Angliæ accipere debuit, sed ad ejus nuptias non pervenit, quæ nunc recenti tempore desponsata est Comiti Pontivensi.

In civitate Atrebatensi post dominum Alvisum ordinatur Godiscalcus Abbas de Monte sancti Martini quartus Episcopus.

Abbatia Sithivensis conflagrat.

Anno XVII. Ludovici Regis Conrado Imperatore mortuo, successit Fredericus illustris nepos ejus Dux Suavorum. Ecclesia beati Bertini combusta est cum omnibus officinis suis in festo sancti Bertini, dum matutinorum solemnia agerentur. Anno XVIII. Ludovici Regis migraverunt ad Dominum sancti Patres, Eugenius Papa & Bernardus Clarevallensis Abbas. Anno XIX. Ludovici Regis Stephanus Rex Anglorum moritur, cui succedit Henricus nepos ejus. Eugenio Papæ defuncto successit Anastasius, Anastasio Adrianus. Anno XX. Ludovici Regis Fredericus Rex Romam armata manu ingreditur, Papam Adrianum amicum sibi & aptum experiens, in Ecclesiâ sancti Petri benedictione Imperiali confirmatur & coronatur. Anno XXIV. Ludovici Regis Henricus Rex Anglorum post adeptum regnum ultrà se elatus, quod diù mente conceperat, contrà Ludovicum Regem Francorum rebellat. Qui congregato exercitu Aquitaniam transiit, & urbem Tolosam obsidione cinxit. Rex autem Francorum cum suis Militibus civitatem potenter ingressus est, & à Comite sancti Ægidii seu civibus cum magno gaudio susceptus est. Quod Rex Anglorum cernens indoluit, & obsidione relictâ inefficax rediit.

Henricus Rex Anglor. Tolosam invadere tentat.

Schisma.

Anno Domini M. CLX. vigesimo quinto Ludovici Regis orta est dissensio in Ecclesiâ Romanâ. Electus est enim Rollandus Cancellarius ab omnibus Cardinalibus præter quatuor, qui se clamans indignum non consensit electioni eorum: quatuor autem prædicti Cardinales qui ejus electioni non consenserant, assumptâ magnâ Cleri & plebis frequentiâ, elegerunt Octavianum tituli sanctæ Ceciliæ Cardinalem Presbyterum, quem in Lateranensi Ecclesiâ consecrantes Victorem appellaverunt: quod videntes primi, Rollandum Cancellarium, qui primus fuerat electus, conveniunt, & eum invitum in loco qui Neronis Cisterna dicitur, consecrantes, alterato nomine Alexandrum appellaverunt: & contentio inter hos duos & successores Octaviani & Fredericum Imperatorem à XXV. anno Ludovici Regis usque ad quadragesimum secundum nullum accepit remedium. Nam Octaviano successit Wido Cremensis, Widoni Cremensi Joannes Strumensis, Joanni Strumensi quidam qui vocatus est Innocentius. Summa autem istius Schismatis est decem & octo anni.

Willelmus Abbas.

Tempore quo præfatus Gregorius in hoc Andrense Cœnobio se pro electo gerebat, clamor multiplex mediantibus ejus subditis ad Ecclesiam Karrosensem nunc de ejus insufficientiâ, nunc de inertiâ, nunc de simplicitate, nunc de prodigalitate frequenter ascendebat. Nostratibus verò altero alteri invidentibus, & cum multos iste locus haberet idoneos, sicut plerisque moris est se invicem mordentibus, & odiis civilibus & detractionibus mutuò prosequentibus, sæpiùs apud Karrofum non sine sumptibus itur, & sæpiùs inde reditur: amoto tandem sicut prædictum est domno Gregorio, nunc illi nunc isti Abbatia, licet adhuc pauper & macilenta, à nostris offertur: ille sperat & repellitur, alius recusat & eligitur, alius optat & fallitur. Quicumque verò vel in ipsâ Ecclesiâ vel in Prioratibus ejus administrationem habebat, magis affectabat cum securitate ipsam administrationem in natali solo tenere, quam in exilio viro nobili & potenti cum formidine succedere.

Nostris igitur sic invicem contrariis, & de regimine mutuò invidentibus, Karrosensibus quoque, qui indigni videbantur in nostrorum contubernium tamquam suspectum, aspernabantur loci paupertatem, morum & linguarum diversitatem, regionum longinquitatem prætendentibus: Deo miserante qui frequenter malo nostro utitur in bonum, quidam natione & renatione atque professione Karrosensis, qui inter ipsos & nos manebat medius, existens Prior de Faxineto Magister Petrus cognomento Mirmet, id est, parvus, inter nos & ipsos factus est mediator, & de assensu omnium huic loco datus est Pastor. Siquidem nuntii nostri per ipsum Prioratum euntes frequenter & redeuntes, ex fideli multorum relatione didicerant ipsum à pueritiâ studiis insudasse, & non solùm in grammaticâ vel rhetoricâ, sed etiam in sacris litteris admodum profecisse. Ipsos quoque non latuit quòd ætate juvenili à tempore sancti Bernardi Clarevallensis in Monasterio Allodiorum, quod situm est ultrà Karrosum, cum Monachis albis Deo aliquandiù militaverat; quòd propter quamdam controversiam inter Abbatem & Conventum subortam Abbate multum renittente, sed tandem consentiente exierat, postquàm multum ibidem in sæculari scientiâ sicut de talibus moris est profecerat, & etiam eidem loco multum profuerat; quòd peragratâ Affricâ & Hispaniâ tam gentilium quàm Christianorum notitiam habuerat; quòd in Habulâ civitate officium Archidiaconatus eleganter exercuerat; quòd Apostolorum limina sæpiùs visitaverat; quòd tam per terras quàm per mare magnam mundi partem peragraverat; quòd tandem non sine fastu & pompâ sæculari ut parentes visitaret & patriæ suæ se ostenderet, apud Karrosum redierat, & ibidem Deo cum castigante infirmatus, Monachatum tam mente quàm veste mutatus assumserat; quòd propter innatam ei scientiam, & rerum gerendarum industriam ad ipsum Prioratum satis opulentum

Petrus Abbas Andrensis VI.

Ejus scientia.

Peregrinationes.

Humilitas.

opulentum transmissus fuerat, & ibidem profecerat.

Sperantes itaque nuntii nostri virum tam exercitatum, tam litteris imbutum, & in variis religionibus tam probatum, loco desolato consolationi profuturũ, electum eum à Karrofensibus emancipatũ & liberum receperunt, & benedictum à domino Milone secundo, primi & præfati Milonis Archidiacono natione Anglico, S. MARIÆ de Nemore regulari Canonico, in festo S. Thomæ Apostoli quod est in Adventu, ad locum hunc auspice Christo adduxerunt. Susceptus est cum honore debito vir honorabilis, & in suo adventu præter mores suorum quos invenit degeneres, abhorruit & expavit deformitatem gregis; quidam enim claudi, quidam contracti, quidam monoculi, quidam strabones, quidam cæci, quidam verò manci inter eos apparebant, & ii ferè omnes genere nobiles existebant: quo viso prudens Pastor indoluit, & in se meditabatur quod postea devotus implevit: nam per annos triginta duos & ampliùs quibus huic loco præfuit nullum unquam monachari permisit, qui in aliquâ parte corporis aliquem defectum habuit. Quantumcumque quilibet ad conversionem veniens esset litteratus, non ei accessus patebat nisi in legendi & cantandi scientiâ fuisset exercitatus.

Zelus illius circà literas & cantum.

In primis ergo circà opus Divinum sollicitus & intentus, sicut in Cœnobio Allodiorum quandoque audierat & consueverat, Psalmodiam more Cisternensium protrahi & morosè cantari instituit, nec semetipsum licet multipliciter implicatum die ac nocte ab ipso labore excusari voluit: & hæc quidem consuetudo multo tempore subditis suis displicuit, & tanto ampliùs quo in vicinis Ecclesiis, excepto famoso sancti Bertini Cœnobio, mos iste non inolevit: sed pio Patre non pigritante labor improbus omnia vicit. Ut autem dissuescerent psalmodiam more solito accelerare, & illam discerent protelando canere, pueris & juvenibus nondum installatis die & nocte psalteria dabantur, & eis ad punctum pausantibus Seniores corde tenùs psallentes eos concorditer sequebantur. Verùm ut fastidium de medio tolleretur, & mens uniuscujusque in horis Canonicis devotiùs accenderetur, auctoritate Domini Petri Abbatis multiplex Psalmodia, syncopata potiùs quàm eatenùs in usu habita fuit intermissa; solam quoque Litaniam cantari fecit, & illam quæ majorem Missam præcessit extrà Quadragesimam intermitti præcepit. In Sanctorum suffragiis Antiphonas quas breviores sciebat jussit decantari, audiens longiores à dicentibus eas turpiter syncopari. Finitimis Monasteriis pro honore Patroni sui in quintâ feriâ, & pro honore beatæ MARIÆ in omni Sabbato feriali festivantibus, & tam feriales hymnos à sanctis Patribus institutos, quàm cantica matutina quæ prædicat sancti Benedicti Regula propriâ auctoritate intermittentibus, nunquam Domnus Petrus voluit acquiescere, nunquam regularia instituta postponere; dicens Patres orthodoxos Divini servitii informatores rectiùs quàm modernos sapuisse, & juxtà vias adinventionum suarum sui temporis Abbates & Monachos negligenter mutasse opus Dei; & pro suâ desidiâ abbreviasse: & nos quidem ejus indigni successores quantum ad opus Divinum pertinet, quæ ab eo didicimus usque ad hæc nostra tempora per annos sexaginta quatuor observata custodimus, & circà eos qui transgressores fuerunt, quod tandem Deus avertat, Dei omnipotentis iram & indignationem formidamus.

Quid pro Regulari observantiâ statuerit.

Tempus quo vivebat Auctor.

ANDREAS MARCIANENSIS.

Alexander Papa veritus potentiam Imperatoris Frederici, profugus ab Italiâ emenso mari venit in Franciam, qui Turonis generale Concilium celebravit. Obiit Balduinus Rex Jerusalem filius Fulconis Regis sine herede; succedit ei Amolricus frater ejus. Godescalcus Attrebatensis Episcopus infirmitate capitis gravatus Episcopatum dimisit, cui successit Andreas de Ordine Cisterciensi quidam Abbas per suggestionem Henrici Remensis Archiepiscopi. Bella & seditiones, jurgia quoque & querelas, quæ emerserunt inter Ludovicum Regem Francorum & Henricum Regem Anglorum quis poterit enarrare? nec mihi videtur utile hæc omnia scribere in hujus Chronicæ abbreviatione. Constantia Regina moritur, & in Monasterio beati Dionysii ad sinistram majoris altaris cum maximo honore sepelitur.

Anno XXX. Ludovici Regis Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, Primas totius Angliæ, & Legatus Apostolicæ sedis, ab Henrico Rege propter veritatem & mansuetudinem & justitiam exiliatur: quià Ludovico Rege Francorum & Monachis Pontiniacensibus gloriosè suscipitur.

De S. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo.

Anno XXXIII. Ludovici Regis obiit Theodericus Comes Flandrensis; successit ei Philippus filius ejus.

Anno XXXV. Ludovici Regis Henricus Rex Anglorum Henricum filium suum in Regem sublimat per manus Rogerii Archiepiscopi Eboracensis, [&] suffraganeorum Cantuariensis Ecclesiæ, contrà prohibitionem districtam Alexandri Papæ, & contrà dignitatem Cantuariensis Ecclesiæ. Unde idem Archiepiscopus suspensus est, & Episcopi excommunicati.

Eodem anno mediante Ludovico Rege Francorum pax inter Regem Anglorum & Cantuariensem Archiepiscopum composita est, magis ficta quàm facta; qui conductu Philippi Comitis Flandrensis post sexennii exilium & mensis injurias ad sedem suam revertitur.

S. Thomas Regi Angl. reconciliatur.

Ante adventum domni Petri Abbatis ad locum istum, dum sub præfato Gregorio locus langueret potius quàm floreret, quidam nobilis de territorio Boloniensi oriundus, olim in militiâ strenuus, & domini Manassis Comitis in armis commilito & socius, sed jam senex & grandævus antiquâ hujus loci religione delectatus, & venerabilis domini sui præfati Comitis exemplo & devotione animatus, statum hujus loci imò potiùs casum perpendens, & de melioritate in futuro spem certam concipiens, huic Monasterio se ipsum relinquens sua delegavit, & Monachus factus sæculo valedixit, atque viculum suæ proprietatis Odersele dictum, & in interiori parte Boloniensis Comitatûs quasi in corde maris situm, cum domo propriâ & Capellâ in honorem sanctæ Trinitatis consecratâ, cum terris & hospitibus ad se pertinentibus, huic Monasterio liberaliter delegavit, & à Domino Milone I. Morinensium Episcopo donum & datum suum confirmari, pro eo quod erant allodia, & ad nullum terrenum dominium pertinentia, impetravit, & exinde quamdam partem, cum carnalem & corporalem heredem non haberet, suis nepotibus tamquam heredibus propinquioribus, quos postea vidimus & cognovimus, sicut prudens & discretus dispensator reliquit. Privilegii autem tenor talis est:

Relatio Guilelmi Abbatis de Odersele.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, Amen. Notum sit omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis modernis & futuris, quòd Guido de Odersele pro animâ Patris sui Gaufridi & Adhennidis matris suæ dedit in perpetuam eleemosynam Ecclesiæ Andernensi, Monachisque ibidem Deo servientibus, Capellam quamdam apud Odersele in honorem sanctæ Trinitatis & sanctæ Dei Genitricis MARIÆ fundatã: dedit etiam eis in perpetuum omnia allodia sua. Quam eleemosynam & donationem Ego Milo Dei gratiâ Morinensis Episcopus prædictæ Ecclesiæ Ander-

nensi in perpetuam possessionem auctoritate proprii sigilli confirmo. Et quia prædictus Guido hanc donationem, ut ego eam ad opus supradictæ Ecclesiæ Episcopali auctoritate confirmarem, & manu tenerem, in manus meas reddidit. Ego eidem Ecclesiæ Monachisque ejusdem loci jure Ecclesiastico perpetuò possidendam statuo.

Hujus rei testes sunt Philippus Archidiaconus, Guillelmus Decanus, Lambertus Presbyter de Fraitun, Arnulfus Presbyter Andernensis, Balduinus de Milham Canonicus Tervanensis, Manasses Cantor Boloniæ, Balduinus de Campanies, Hugo de Colebere, Hugo Vitulus, Florentius de Florengeseles, Theobaldus & Arnulfus frater ejus, Gaufridus nepos Hugonis Vituli, Gaufridus de Hoches, Simon frater ejus, Godefridus de Fielnes, Frameritius de Ruberge. Si qua autem in posterum Ecclesiastica sæcularisve persona contrà hanc nostræ Constitutionis paginam ire tentaverit, semel, secundò, tertiove commonitus excommunicationi subjaceat, & à corpore & sanguine Domini nostri Jesus-Christi alienus fiat, donec resipiscat, & ad emendationem veniat. Actum anno ab incarnatione Domini M. C. L.

WILLELMUS ABBAS. 1161. Anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXI. præfato Domino Petro ad regimen hujus loci divinitùs sicut credimus transmisso, & à nostris admisso, volens vir discretus oves pascuæ Dei in ovili recludi, & à sæcularibus secerni, quas ab eisdem constabat portę ligneæ & sepium septis solummodo separari, statim in proximâ Quadragesimâ post hyemen, quâ ad nos intravit, ad exemplar portæ sancti Bertini portam hîc lapideam incepit, & extrà priores terminos eam collocans, ita quòd aditus domûs Eleemosynariæ deintùs esset, qui priùs de foris exstiterat, eam valvis munivit, & plumbo cooperuit. Deinde per totam æstatem sequentem fit sumptuosus lapidum & calcis apparatus, quatenùs loco & tempore amotis sepibus, sæpè sæpius & sæpissimè trangressis, & inordinatè conculcatis, domum Dei circumcingeret lapideus murus.

Abbas muris Monasterium cingere molitur.

Hoc ejus propositum impedivit multiplex guerra ante ejus adventum in terrâ Gisnensi & pro terrâ Gisnensi suborta, & nondum sopita. Siquidem mortuâ jam pridem prænominati Comitis Alberici Apri uxore Beatrice Calculosâ, sed ab eo priùs separatâ, & Balduino Domino Ardeæ datâ, Domini Manassis Comitis herede, à nobili viro Henrico Castellano de Brobergâ, & à Sibilla, quæ & Rosa, Comitis ipsius filiâ primogenitâ, & tam ipso domino ex parte uxoris suæ totum Comitatum calumniante, quàm Castellano ipsum adjuvante, & multipliciter guerris, rapinis & incendiis Comitatum Gisnensem devastante, Arnoldus Gandensis Castellani filius, cujus idem Comes Manasses fuerat avunculus, quique ab ipso Comite villam & Castellum de Tornehem, & omnia ejus appendicia ipso vivente jure feodali fuit adeptus, ei viriliter & potenter resistebat, & ne domni Petri opus procederet multis eventibus impediebat.

Capsam beati Rotrudi condit.

Interim autem Pastor providus, ne vacaret & à bono opere torpesceret, ad fabricandum feretrum beatæ Rotrudis operam dedit, artifices conduxit, & sicut prænominatus Domnus Gregorius in opere hujusmodi exercitatus tempore suæ electionis durante illud inceperat, ad finem debitum perducens egregiè consummavit. Dum verò idem feretrum fieret, & corpus præfatæ Dominæ juxtà majus altare in quâdam arcâ repositum requiesceret, pernoctante sæpiùs in orationibus Domno Petro circà ipsum altare, & tam se quàm sibi subditos Christo & suæ sponsæ devotè & intentè recommendante, tanti strepitus, tam mirandi & pavendi ictus in arcâ & circà arcam ab ipso sunt auditi, quòd manifestè intelligebat beatam Rotrudem pro sui humiliatione & dejectione indignari. Ipse autem tamquam vir timoratus, & erga eam devotus sæpiùs interrumpens orationem, flexis genibus & expansis manibus voce lacrymabili clamabat; Domina, Domina exspectate tempus adhuc modicum; quia quanto citiùs valebo pro viribus accelerabo opus nostrum. Quotiescumque opus novum volebat incipere, quotiescumque pro Ecclesiæ negotiis eum oportebat alicubi pergere, & à Principibus seu Prælatis quidlibet optabat impetrare, se & causam suam Beatæ Rotrudi recommendat, & pro adepto desiderio ei statim grates debitas referebat. Vidimus eum aliquando incappatum, præcinctum, & calcaribus circà pedes redimitum, atque paratis equis exire paratum, & dum ad horam quamlibet Canonicam pulsatum fuit; statim relictis & rejectis omnibus festinavit ad lignum: Et ita ejus exemplo singuli & omnes sive Obedientiarii sive Claustrales ad horas Canonicas, & ad Missam majorem accedere certatim contendebant, propter quod omnibus circumquaque manentibus admirationi fiebant.

Ejus circa divin. Officium assiduitas

Sedatâ tandem guerrarum acerbitate ad cœmeterium & virgultum ampliandum & dilatandum operam dedit, sed Balduinus de Hammes militiâ quidem famosus, sed malitiâ impiger & promptus, ei pro viribus victus invidiâ restitit. Hic frater germanus exstiterat nobilis viri Henrici hujus Andernensis villæ domini nuper defuncti & hîc sepulti, patris junioris Henrici & sapientis Adelidis, atque insipientis Alienoris pro eo quod sua & suorum bona insipienter alienavit: & idem Balduinus vi potiùs & virtute quàm jure prædictorum orphanorum tutor & pædagogus exstitit. Iste Balduinus nobilem mulierem Adelidem de Contevilla prædictorum pupillorum matrem, & præfati fratris sui Henrici quondam uxorem, parimodo contendebat dotalitio privare, quia volebat pupillorum in sui subsidium & in eorum præjudicium tutelam habere. Ad cumulum autem sui erroris in hoc contrà eam & alios quos persequebatur fortior erat, quòd sororem nobilis viri Ingelramni de Fielnes duxerat, nomine Adelidem, honestam quidem & liberalem, sed flagitiosi viri uxorem: nam idem vir ejus toties excommunicationi subjacuit, quòd de omnibus liberis ex eo conceptis vix semel in puerperio sine excommunicatione fuit: vix unquam post puerperium more legali & Evangelico purificari & Ecclesiæ reconciliari meruit.

Habebat & Comitem Flandrensem nobilem illum Philippum toto terrarum Orbe famosum & laudabilem, totius operis sui fautorem, pro eo quod Curiæ suæ se faciebat Decurionem, & probatorum Militum ejus commilitonem; cujus auxilio contrà Arnoldum Gandensem supramemoratum hujus Gisnensis territorii Comitem, & contrà filium ejus Balduinum in eodem Comitatu heredem & successorem, ita se strenuè habuit, quòd neuter eorum propter metum præfati Flandrensis Comitis in aliquo adversari, vel contraire ausus sit: imò, quod mirum est dictu & auditu, ad instantiam ejusdem Flandrensis Comitis partem nemoris de Hottingehem, quod olim Dominus Reinaldus II. Abbas ab usibus nostris alienaverat, & Domino Manassi Comiti ad parcum faciendum illicitè accommodaverat sæpedicto Balduino, pro eo quod uxor ejus focum glebarum vel turbarum exosum habebat, Comes noster Balduinus ad focum coram se faciendum concessit.

Manserunt autem idem Balduinus & uxor ejus in vallo & castro huic Cœnobio contiguo per annos

quatuordecim, prædictis pupillis cum eorum matre expulsis, & multis interim malis & persequutionibus huic loco irrogatis: sed prudens virago muliebri mollitie non mollita, sed quasi sexûs oblita, & animo virili redimita, manum suam ad fortia misit de consilio & auxilio venerabilis Episcopi Milonis II. Apostolorum limina adiens sententiam ab eo latam auctoritate Apostolicâ confirmavit & corroboravit, & adversùs terræ Principes, contrà prædictum malefactorem suum Papale mandatum non parcens laboribus & expensis impetravit; & multas tribulationes perpessa multisque annis evolutis, tandem eo ejecto in domo & in bonis suis unà cum liberis pacificè resedit.

Generosa mulier.

De translatione Beatæ Rotrudis sub Abbate Petro.

Tertio autem anno à prælatione Domini Petri explicito, & opere feretri, suprà sicut dictum est, expleto, convocatis cum præfato Episcopo totius Episcopatûs Abbatibus, in die festo sanctæ Rotrudis totum corpus ejus in feretro honorificè fuit reconditum, & caput omni populo & Episcopo ostensum, Domino cooperante & Translationem confirmante, sequentibus signis, sicut in ejus Legendâ est expressum.

Nactâ tandem opportunitate, & peractâ Beatæ Rotrudis Translatione Domnus Petrus cæmentarios & lapidum cæsores conducit, cæmeterium Monachorum muro circumcingit, & ut virgultum dilataret, mansionarios à parte Orientali manentes dato terræ concambio retrocedere facit, sumptus ad domos amovendas providet & disponit, & stratam publicam inter ipsos mansionarios, & murum constituit. Apparent adhuc in ipso virgulto quidam aggeres suprà finitimam terram prominentes, & infrà murum satis distantes, & à nostro cœmeterio usque ad horti septa ab Austro versùs Aquilonem se extendentes, ubi suprà modicum fossatum clausura sepium Monasterium claudebat, atque per hortum nostrum & virgultum prædicto Militi & ejus familiæ ad Ecclesiam properantibus via prævia patebat.

Petrus Abbas pluribus ædificiis ornat Monasterium.

Vidit & invidit homo malitiosus, nec ulteriùs cohibere potuit temerarios ausus: præcepit itaque, & per membrorum mutilationem terribiliter interdixit, & per edictum publicum promulgavit, ne quis omninò ad opus muri accederet, nec contrà se & domum suam munitionem erigere præsumeret. Sed Pastor intrepidus ibi minas non metuens ubi alii metuebant, viris se ab opere subtrahentibus Monachos & Conversos, mulieres tam mundanas quàm Conversas ad opus cœptum invitabat, & ad portandum lapides aut cæmentum ad quodlibet vehiculum, quod vulgò dicitur *chiveria*, ex unâ parte feminam, ex alterâ verò Monachum novo laborandi genere operari monens instruebat. Nec ipse tamen à cœptis desiit, vel otio indulsit, sed assiduè cucullam præcinctus cum ligno vel virgulâ geometricâ lapides metiens, & vehiculo superponens, & per se laborabat & alios exemplo sui ad laborem viriliter incitabat repræsentans in se & sibi subditis filios antiquæ transmigrationis, qui templum Dei eversum & profanatum unâ manu ædificabant, & alterâ contrà inimicos pugnabant; præeunte in omnibus voluntate Dei, opus in brevi consummatum fuit. Sed nequam vicinus malitiam in animo conceptam non deseruit, cujus filius spurius exemplo patris flagitiosus Eustachius Stinan nominatus, ut patri magis complaceret, & ejus animum mitigaret, Abbate semel de itinere arrepto revertente, & portam Monasterii quam construxerat intrare jam parante, clavâ quam manibus gestabat sursum elevatâ, & in Abbatis caput fortiter libratâ, prout ipse sperabat Abbatem non percussit, quia ipsius Capellanus Henricus de Fercnes oriundus, juvenis quidem, fortis & animosus ictui venienti se viriliter objiciens vulnus lethale suscepit, & Patre atque Pastore liberato, ipse in infirmitorium deportatus paucis postmodùm diebus supervivens in spe sanctâ decessit.

Ejus labor indefessus.

Abbas autem personale odium sentiens, & cedendum ad tempus prudenter decernens, disposito statu Monasterii ad Karrosum rediit, & ibi aliquandiù moram faciens, etiam Ecclesiam Allodiorum per se visitavit, & de antiquâ transgressione, quâ apud eos minus stabilis fuerat, veniam petiit & impetravit, atque ad constructionem Basilicæ quæ tunc ibi fiebat, quamque postea oculis nostris elegantem & speciosam vidimus, duos palefridos optimos cum aliis exeniis liberaliter delegavit.

Karrosum repetit.

Tandem mediantibus bonis viris, & de pace Domini Petri Abbatis tractantibus, inter quos præeminebant Arnoldus Comes Gisnensis, & Balduinus filius ejus jam adultus, & à beato Thoma adhuc Cancellario cingulo militiæ decoratus, idem venerabilis Pater per solemnes nuntios à Pictaviâ mandatur, & in suo Cœnobio honorificè reponitur: in fœdus quoque futuræ & perennis amicitiæ præfati Balduini sui quondam persequutoris compater efficitur, & alter eorum cum alterius consilio ardua quælibet disponit & moderatur, & ut ad omissa redeamus, antequàm ipsius Balduini frater supradictus, scilicet Henricus Miles famosus diem extremum clauderet, filium suum Willelmum, quem ex cognatâ suâ genuerat, pro eo quod pedis officio carebat, & super baculum incedens loris adstrictus erat, biennio ante Domni Petri adventum ad hunc locum Deo & Fratribus Monasterii obtulerat, & Fratrum miseratus laborem, viam publicam exeundi de Monasterio vel ingrediendi, non habentium, nisi juxtà stagnum huic loco suppositum iter habens arctum, & in devexo latere collis præruptum, scabrosum & præcipitio aptum, per propriam suam terram arabilem versùs plagam Meridianam à portâ Monasterii usque ad stratam publicam à Franciâ tendentem in Angliam, viam nobis indulserat, & in tali tenore eam confirmaverat:

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Ego, Henricus de Campaniis dedi & concessi Deo & Ecclesiæ Andernensi & Monachis ibidem Deo servientibus, annuente uxore meâ Adelide, pro salute animæ meæ & parentum meorum viam triginta pedum cum fossatis hinc inde, quæ tendit à publicâ stratâ ad Monasterium per terram meam & per terram Monachorum, ut habeant & possideant eam liberam & quietam ab omni servitio & consuetudine, absque meâ meorumque calumniâ, jure hæreditario in perpetuum. Hujus donationis testes sunt Balduinus & Eustachius fratres mei, Wido de Erembon, Balduinus Constabularius, Eustachius de Bavelingahem, & Balduinus frater ejus, Willelmus Cada, Henricus Vicecomes de Merc, Eustachius de Liskis, Willelmus Decanus, Arnulfus Presbyter, & multi alii.

Charta Domini Henrici de Campaniis, de via nostrâ publica.

Relatio Willelmi Abbatis de morte Arnoldi Comitis:

Postmodum elapso brevi temporis spatio Arnoldus Comes Gisnensis cum esset in Angliâ in propria mansione suâ apud Nevetona, præsente domno Petro Abbate obiit, & tam contrà patrum suorum statuta, quàm contrà hujus loci privilegia, in hospitali de Sontingeneld sepulturam elegit. Vento autem funus ejus comitantibus aliquandiu contrario, tandem mari transito ad locum sepulcri devenerunt, & fœtore cadaveris ferè omnes corrupti vix

evaserunt. Filius verò ejus præfatus Balduinus terræ hujus dominio potitus, qui vivente patre filiam unicam domini Arnulphi de Ardea nomine Christianam duxerat, in arcto Comitatu volens terminos suos dilatare, de quâdam terrâ in parrochiâ de Surkes ad nos spectante, cum domno Petro Abbate fecit concambium, quod & scripto firmavit sub hac formâ:

In nomine Domini: Ego Balduinus Comes Gisnensis notum facio omnibus, quòd accepi quamdam terram apud Surchas ab Abbate Andernensi & Ecclesiâ sub annuo censu duorum polquinorum frumenti; & alias terras apud Hammes pro decem solidis, quas mater Arnulfi Bindebursa tenuerat: pro iis terris assignavi eis viginti solidos annuatim reddendos de teloneo quod accipitur in festivitate sancti Petri ad Vincula. Quod ut ratum & inconvulsum permaneat, scriptum hoc inde fieri jussi, & sigillo meo corroboravi. Hujus rei testes sunt Wido de Elembon, Simon de Ekarde, Gusfridus de Tinnebrone, Oliverus, & multi alii.

Postmodum considerans domnus Abbas quasdam curtes suas sibi potiùs sumptuosas quàm proficuas, curtem de Hardingessem ubi tam Monachi quàm Conversi conversati fuerant, & parum emolumenti huic loco contulerant, Abbatiæ de Bello-loco cum omnibus pertinentiis suis sub firmâ perpetuò dedit: licet tunc & postmodum à multis argueretur, quòd Monasterium suum circumveniens enormiter læserit. Conventio autem inter utramque Ecclesiam facta fuit, & per chirographum divisum formata in hunc modum:

Sciant præsentes & futuri, quòd domnus Petrus Abbas Andernensis Ecclesiæ annuente Capitulo suo, dedit & concessit Ecclesiæ beatæ Mariæ de Belloloco quidquid habeat apud Ardingeshem in terrâ, & aquâ, & sylvâ, & hospitibus & aisiamentis semper & in omnibus acquietandum, & firmâ manu, & jure hereditario perpetuò possidendum sub annuo censu duarum marcarum argenti infrà octavam sancti Martini persolvendarum, & unius poisiæ casei in Translatione sancti Martini. Ut autem hæc conventio perpetuò conservetur, utriusque Capituli sigilla huic chirographo imprimuntur, quin etiam testes subscribuntur Stephanus Prior: Walterus Præpositus: Eustachius Cellerarius: Simon Eleemosynarius & universum Capitulum: Dominus etiam Alulphus Archidiaconus: Arnulfus Decanus: Radulphus Ebroinus, Simon, Manasses Presbyteri: Baldevinus & Daniel Canonici.

Andreas Marcianensis. 1169. Anno Domini M. CLXIX. Maria filia Regis Stephani habitum religionis, quem à multis annis abjecerat, resumsit, & populus terræ Ecclesias diù jam sibi pro illâ interdictas absolutus intravit. Milo secundus Morinorum Episcopus obiit, Desiderius Tornacensis Archidiaconus ei in Pontificatum succedit. Sequenti anno Ludovicus Rex Francorum, & Henricus senior Rex Anglorum ad mutuum convenerunt colloquium, ubi Thomas Cantuariensis Archiepiscopus affuit, & pax inter ipsum & Regem Anglorum magis palliatur quàm confirmatur: nam septimo exilii sui anno ejusdem Regis permissu ad Ecclesiam suam redire permissus, dolo ejus qui simulatâ pace eum revocaverat, in Ecclesiâ Christi Cantuariæ III. Kal. Januarii dum à conventu vespertina laus decantatur, coram altari S. Benedicti gladiis impiorum perimitur: qui dum de exilio rediret, & per terram Gisnensem transitum faceret, à domno Petro Abbate jussu Balduini Comitis, sicut supradiximus sacramentis militaribus imbuerat, à Monasterio sancti Bertini usque ad Gisnes circumductus fuit, & ibidem in castro Comitis in summâ gloriâ, debito honore & reverentiâ cum suo Milite hospitium suscepit: ad petitionem autem Abbatis dum à parte Occidentali hujus loci per stratam publicam iter faceret, & iter accelerando huc divertere non posset, elevatâ dexterâ locum hunc benedixit, & ab illo die & deinceps in benedictionibus dulcedinis eumdem locum Deus prævenit.

S. Thomas ante S. Benedicti altare perimitur.

Manè facto antequam gloriosus Pontifex de castro exiret, audiens opinionem viri Dei Gusfridi, in capellâ Comitis capellani (cujus supra mentionem fecimus) in secretâ confessione & vitæ prioris plenitudine, ejus humiliter consilium expetiit, & suis se precibus commendavit, sicque ad mare properans quidquid Deus se disponeret patienter exspectavit.

De Domno Gusfrido Monacho nostro in Ecclesiâ nostrâ sepulto.

Relatio Willelmi Abbatis.

Abbas verò omnibus modis dedit operam ut Ecclesiæ sibi creditæ profectibus invigilaret: unde per manum Balduini Comitis cum Viniano Milite & uxore ejus Mathilde de terrâ quâdam concambium fecit: quod idem Comes in hunc modum confirmavit:

Ego Balduinus Comes Gisnensis notum facio omnibus, quòd Vivianus & Mathildis uxor ejus, & Elembertus privignus ejus cambiaverunt totam terram suam apud Campaniam quam habuerant, cum Abbate & Capitulo Andernensi pro terrâ illâ quæ jacet ante portam illorum ad Ruskem, præter terram quæ contigua est vinario Monachorum, ubi terra sumitur ad opus molendini. Sed Abbas retinuit sibi Comitatum utriusque terræ & viæ illius quæ tendit ad molendinum. Hoc quia factum est per manum meam, scriptum illud inde fieri jussi, & per chirographum dividi. Huic commutationi interfuerunt Willelmus frater meus, Ernulfus & Willelmus filii mei, Balduinus de Campaniis, Wichardus de Balinghem, Eustachius de Wadinghetun, Balduinus Canis, & multi alii.

Anno Domini M. CLXXII. domnus Petrus fratrum suorum quieti prospiciens, & hujus loci libertati pia sollicitudine providens, privilegium à domino Alexandro Papa III. per manum Simonis de Molendino, domini Balduini Gisnensis Comitis Capellani, impetravit, mediantibus quibusdam Cardinalibus suis quondam familiaribus, in quo decimæ novalium & nostrorum animalium nobis indulgentur; & more Cisterciensis vel Præmonstratensis Ordinis quædam aliæ libertates huic loco conceduntur, sed & libertas electionis præter morem solitum nihilominùs attribuitur. Tenor autem privilegii talis est: 1172.

Alexander Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Petro Abbati Monasterii sancti Salvatoris & sanctæ Rotrudis quod in Tervanensi parrochiâ situm est, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quoties illud à nobis petitur quod religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos libenti decet concedere, & petentum desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium impræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum,

Privilegium Domini Papæ Alexandri.

vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo præfatum Monasterium situm est, cum domibus, terris & aliis pertinentiis suis. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omninò à vobis decimas exigere præsumat.

Liceat quoque vobis Clericos vel laïcos è sæculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem vestram recipere, & in vestro Monasterio absque contradictione aliquâ retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas sit de eodem loco absque licentiâ Abbatis vel Magistri sui discedere, discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione, nisi ad arctiorem religionem voluerit transmigrare, nullus audeat retinere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Præterea cum generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis janius, non pulsatis tintinnabus, exclusis interdictis & excommunicatis, suppressâ voce Divina officia celebrare.

Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ vel violentiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii sanioris secundùm Deum & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis Apostolicæ auctoritate, & diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ.

Si qua igitur in posterum Ecclasiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contrà eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita, nisi reatum suum dignâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JESU-CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri JESU-CHRISTI, quatenùs & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen, Amen. Datum Signiæ per manum Gratiani sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi & Notarii, v. Kal. Martii Ind.
1172. VI. Incarnationis Dominicæ anno M. CLXXII. Pontificatûs verò Domini Alexandri Papæ III. anno quarto-decimo.

De Constructione hujus Ecclesiæ sub Abbate Petro.

PAce tandem temporis adeptâ, sopitis guerris, & variis sibi illatis injuriis, domnus Petrus ad Ecclesiam antiquam semirutam & minantem quotidie ruinam, renovandam totus accingitur, lapidum, calcis & sabuli grandis ad hæc strues & materia præparatur; lapidicina inter montem de Fielnes & Antingehem sita, unde Ecclesia antiqua cum ædificiis prioribus fuit exstructa, pro eo quod adeo remota fuit deseritur, & in parrochiâ de Campanies citrà montem de Mas à domno Petro indagatore sedulo alia lapidicina satis vicinior invenitur; tam hyeme quàm æstate ibidem operi insistitur: apertâ terrâ mons lapideus cavatur, vetus & ruinosa Ecclesia funditùs evertitur, recens & decens inchoatur; durior quoque lapidum materia in fundamento locanda ad bases, columnas & capitella cum maximo sumptu de Comitatu Boloniensi huc adducitur: interim in Capitulo cantatur, acceleratur opus, & in brevi spatio chorus cum turri, & duabus crucibus ei annexis, auspice Christò consummatur: quo opere feliciter ad finem perducto Parrochiani omnes tam nobiles quàm alii, domini Balduini Comitis consilio animati, ad exemplar operis incepti navem Ecclesiæ ad opus suum ab Abbate perfici petierunt, & centum ei marcas ad hoc agendum unanimiter promiserunt, quas tamen tepidè, remissè & negligenter persolverunt; nam lebetes, ollas æneas, caldarias & trepetes ferreas, ex eis tandem deficiente promisso extorqueri oportuit, & totum ferè pondus operis Abbati perficiendum incubuit. Ipse verò in solo Deo spem constituens, & beatæ Rotrudis auxilium die ac nocte deposcens, præter spem omnium opus lapideum infrà paucos annos consummavit; lignis de Haiâ Gisnensi huc adductis fabricavit, plumbo cooperuit: nunquam tamen Prædicatorem pro pecuniâ quæstuosè acquirendâ, ut quibusdam Eccclesiis & Monasteriis mos est, hinc emisit: nunquam à Principibus & Potentibus subsidium mendicavit, & tamen opere perfecto se solito ditiorem invenit.

Obiit Godescalcus M. CLXXII. quondam Attrebatensis Episcopus. 1172.

M. CLXXIII. Comes Boloniæ Matthæus ante oppidum, quod Novum-castellum dicitur, ictu sagittæ vulneratur, & post paucos dies moritur, & apud sanctum Judocum sepelitur. 1173.

Obiit Andreas Attrebatensis Episcopus, Robertus Præpositus Atrensis loco ejus eligitur.

M. CLXXIV. Obiit Alexander Abbas Aquicinensis, succedit ei Simon Monachus ejusdem Ecclesiæ. 1174.

Robertus Atrebatensis electus, eligitur Episcopus Cameracensis; qui post paucos dies in castro, quod dicitur Condei, III. Nonas Octobris clanculo per lenones occiditur. In Episcopatu Atrebatensi Frumoldus Archidiaconus substituitur.

Ludovicus Rex Francorum, Henricus & Ricardus filii Regis Angliæ, & Philippus Comes Flandriæ contrà Regem Angliæ iterum consurgunt; qui Nortmanniam profecti civitatem Rotomagensem obsederunt. Multi verò de exercitu Flandrensium cum Comite de Leicestriâ, qui à Rege Angliæ recesserat, transfretantes in Angliam apud sanctum Edmundum cum eodem Comite quidam capti sunt, quidam interfecti, alii fugâ elapsi, alii per licentiam turpiter sunt reversi.

Amalricus Rex Jerosolymis obiit: Balduinus filius ejus adhuc puer in Regno succedit.

M. CLXXV. Obiit Henricus Remensis Archiepiscopus, frater Ludovici Regis Franciæ; cui succedit Willelmus Senonensis Archiepiscopus, frater Henrici Comitis & Reginæ Franciæ, & Theobaldi Comitis Blesensis. 1175.

In die sancto Parasceves Philippus Comes Flandriæ in Hierusalem profecturus, crucem accepit.

M. CLXXVI. Godescalcus Abbas sancti Bertini obiit, cui successit Simon Monachus ejusdem loci. 1176.

M. CLXXVII. Alexander Papa & Fredericus Imperator pacificantur, & Ecclesia Dei quæ per XVIII. annos eorum dissidio vexata fuerat, plenissimè unitur. Pax Ecclesiæ reddita.

Christianus enim Archiepiscopus Maguntinus, qui & Cancellarius, & Optimates Regni cum Episcopis quævientes, Fredericum Imperatorem ad dominum Papam Alexandrum, discalciatum & Regis ornamentis nudatum in Venetiâ in loco, qui Altusrivus nuncupatur IX. Kal. Augusti adduxerunt: ipse verò cum tantâ humilitate quod ei indictum fuerat implevit, ut illius exstitisse opus sine dubitatione credatur, de quo dicitur: *Cor Regis in manu Dei; ubi voluerit convertet illud.*

Imperatoris pœnitentia.

Prov. 21. 1.

Philippus Comes Flandriæ à transmarinis Principibus cum magno honore suscipitur. Paucis autem postquàm illud venerat evolutis diebus Antiochiam proficiscitur, & à Principe ipsius civitatis honorificè receptus, cum eodem Principe Castellum Harenæ Christianitati violenter ereptum, ex omni parte obsidit; sed parum ibi proficiens, circà diem Paschalem ob visionem sacri ignis Jerosolymis remeavit.

1178. M. C. LXXVIII. celebratâ ergo ibidem Paschali solemnitate marina timens discrimina, per Hesperiam, Thraciam, Pannoniam seu Saxoniam rediit ad propria, & mense Octobri reversus à Flandrensibus est favorabiliter susceptus.

De Ecclesiæ Consummatione.

POst labores & expensas multiplices infrà spatium circiter octo annorum Domnus Petrus cœptam Ecclesiam feliciter consummavit, sed ejus dedicationem distulit quoadusque vel per se solemnes Reliquias in eam introduceret, vel à quolibet Potente eas acciperet, & exinde Ecclesiam Deo desponsandam dotaret. Cujus pio desiderio Deus satisfecit, sicut sequens historia declarabit. Ipse verò ne interim otio torperet decimam de Suanakas curti nostræ contiguam, patrocinante quodam venerabili Presbytero, & pecuniam ad hoc providente nomine .... à quodam nobili viro Clemente de Antingehem Pare castri de Ardea acquisivit, & ad petitionem ejusdem Presbyteri ad octo anniversaria, in loco præsenti solemniter in perpetuum facienda pro ipsius Presbyteri prædecessoribus & parentibus assignavit: quam decimam à Domno Petro acquisitam dominus Comes Balduinus confirmavit in hunc modum:

Ego Balduinus Comes Gisnensis, notum facio omnibus tam præsentibus quàm futuris, quòd Clemens de Ardea dedit Deo & Beatæ Rotrudi & Ecclesiæ Andernensi, ac Monachis ibidem Deo servientibus, tertiam partem decimæ de Suanakes quæ dicitur tertia garba, quam tenebat & possidebat in feodo de Domino Ernulpho de Ardea. Et quia fecit hoc donum per manum prædicti Ernulphi & per manum meam, ipso rogante, confirmavi illud concedente uxore meâ Christiana & Ernulpho filio meo. Et hæc confirmatio & doni recognitio facta est in plenariâ Curiâ apud Gisnes, ubi coram cunctis Baronibus, ipsius Clementis rogatu, fidejussor exstiti Abbati & Monachis Andrensibus, ut ab omni calumniatore & malefactore ipsam decimam Ecclesiæ acquietarem & vendicarem. Quod ut firmum & ratum sit, scriptum hoc inde fieri jussi, & sigillo meo corroboravi. Testes hujus rei sunt Eustachius de Liskes, Hugo de Bandenguehem, Gusfridus de Gisnes, Guido de Elembom, Henricus de Saltun, Ernulphus Sacerdos de Guem; Oliverus, Manasses famulus & multi alii.

De eadem re.

FIlius quoque ipsius Comitis Arnulfus Ardeæ dominus, & Comes futurus quod à Domino superiori confirmatum fuit, pro eo quod de suo feodo erat, suam quoque confirmationem adhibuit, quæ sic incipit:

Ego Arnulfus de Ardea notum facio præsentibus & futuris, quòd Clemens de Ardea dedit & concessit in eleemosynam per manum meam Deo & Beatæ Rotrudi, & Ecclesiæ Andernensi ac Monachis ibidem Deo servientibus, tertiam partem decimæ de Suanaches, quæ tertia garba dicitur, quam tenebat in feodo de me, & proprii sui juris erat. Hoc donum ego & domina Adelina uxor mea, pro salute animarum nostrarum concessimus & confirmavimus, & proprio sigillo in hoc scripto corroboravimus, ut præfatam decimam Ecclesia Andernensis liberam & quietam habeat, & possideat jure perpetuo, absque ullâ calumniâ in perpetuum. Hujus itaque concessionis nostræ & donationis illius, sicut in præsentiâ nostrâ recognovit, testes sunt Willelmus de Bello-loco, Robertus Presbyter de Nieles, Lambertus Sacerdos de Brames, Beroldus Capellanus noster, Vivianus Sacerdos de Campaniis, Paganus de Norolt, Simon de Alles, & multi alii.

Item de eâdem re.

AD Exemplar igitur utriusque Patroni ne quid nobis ad certitudinem deesset, & ut ipsa eleemosyna tam Ecclesiasticâ quam mundanâ confirmatione semper vigeret, Dominus Desiderius Morinorum Episcopus tam à patronis quàm ab heredibus rogatus, suum quoque privilegium nobis indulsit sub tali formâ:

Ego DESIDERIUS Dei gratiâ Morinorum Episcopus notum facio universis Christi fidelibus, quòd Clemens de Ardea filius Walonis dedit Deo & Beatæ Rotrudi, & Ecclesiæ Andernensi & Monachis ibi Deo servientibus pro salute animæ suæ, & parentum suorum, tertiam partem decimæ de Suanekes, quam dicunt tertiam garbam, quæ sui juris erat. Quod donum ut firmius & robustius esset, propriâ sponte accessit ad me, & reddidit mihi ipsam decimam eo pacto, ut eam Ecclesiæ antedictæ & Monachis Andrensibus concederem & confirmarem. Quod cum factum esset & Abbatem investivissem, genu flexo petivit supplex ut eum absolverem & pœnitentiam injungerem, pro eo quod ipsam decimam contra jura Canonum tamdiù tenuisset & possedisset, cum illicitum sit laïcis decimas possidere. Hoc facto auctoritate Dei & nostrâ interdicimus, nè cuiquam hominum liceat eamdem decimam usurpare, vel decipere, aut calumniari: quod si quis presumserit, tamdiù à liminibus Ecclesiæ anathematizatus separetur, donec Ecclesiæ cui donata est satisfaciat, & damna restituat. Nos verò jamdictam decimam Ecclesiæ Andernensi sancti Salvatoris & Sanctæ Rotrudis concedimus, & proprio sigillo corroboramus, ut eam habeat & possideat liberè & quietè in perpetuum. Hoc factum est anno Domini M. C. LXXXIII. 1173.
audientibus & videntibus Alulfo & Galterio Archidiaconis, Balduino Baco Cantore, Joanne Cancellario, Evrardo Decano, Ernulfo Clerico de Montorio, & multis aliis de Curiâ.

De Decima de Voxole.

ALiam quoque decimam Domnus Abbas acquisivit, de manu laïcali eam extorquens, quam ab Ordinario suo, Domino scilicet Desiderio Morinorum Episcopo confirmari impetravit sub hac formâ:

Ego DESIDERIUS Dei gratiâ Morinorum Episcop. notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd Elbodo de Acquine & Gerbodo filius ejus venientes pariter ante præsentiam nostram cum essem apud Bavelinghem, reddiderunt in manu nostrâ medietatem decimæ suæ quam habebant apud Vocsole, ad opus Andrenensis Ecclesiæ & Monachorum ibidem Deo servientium, audientibus & videntibus

Clericis nostris, & Huberto seniore de Bavelinghem, & Huberto filio ejus, necnon & Hugone Presbytero de Acquine, & multis aliis. Sequenti autem anno cum essem apud Andrens accedentes ad nos pari modo, Elbodo videlicet & filius ejus reddiderunt alteram medietatem supradictæ decimæ in manu nostrâ, & obtulerunt eam eidem Ecclesiæ & Monachis ibidem Deo servientibus, ut habeant illam & possideant jure hereditario in perpetuum. Hoc audierunt & viderunt Walterus Archidiaconus Joannes Cantor, Hugo de Robais, Joannes Suessionensis, Magister Ernulfus de Montorio, Richerus Decanus, & multi alii qui interfuerunt.

Audiens Domnus Petrus famosum Principem Philippum Flandriæ & Viromandiæ Comitem de transmarinis partibus repatriasse, & per veridicos rumores cognoscens eum per Constantinopolim iter fecisse, & multa pretiosa pignora cum Sanctorum Reliquiis inde asportasse, quod pridem mente conceperat ad effectum perduxit. Apud sanctum Bertinum eidem occurrit, aliqua pretiosa pignora cum Reliquiis ab eo petiit, & impetravit, & ita Ecclesiam de novo constructam hoc donativo nobilitans,
1179. Dedicatio Ecclesiæ Andernensis. ipsam anno Domini M. C. LXXIX. dedicari fecit à venerabili patre Domino Desiderio Morinorum Episcopo, præsente Cleri & populi infinitâ multitudine, mense Junio. Qualiter autem eumdem Principem adierit, qualiter eum compellaverit, quæ & quanta ab eo receperit ad dotandam Ecclesiam in proximo consecrandam, idem Dominus Petrus in quodam tractatu eleganti stilo declarat, quem legi ad mensam in die sanctæ Rotrudis aliquando constat.

De invadiatione Decimæ de Ales.

POstmodum solemni dedicatione peractâ, de manu cujusdam Militis, Alulfi scilicet de Ales, decimam quamdam titulo pignoris recepit, quam à Boloniensi Comitissâ nomine Ida Matthæi Comitis filiâ, sub hac formâ confirmari impetravit:

Ego IDA Comitissa Boloniensis, notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd Abbas & Monachi Andrensis Ecclesiæ impignoraverunt decimam Alulfi de Ales, quæ est in parrochiâ de Salquele, pro XL. marcis argenti, per manum meam & virorum meorum bonæ memoriæ Comitum Boloniensium, Matthæi scilicet & Geraldi de Gelre: nunc autem cogente necessitate accepit isdem Alulfus XLV. marcas per manum meam super eamdem decimam: quod ego concessi & confirmavi, & à viro meo, Deo volente, confirmari faciam; ut Abbas præfatus & Monachi habeant ipsam decimam liberam & quietam absque alicujus calumniâ, donec ipse Alulfus vel heres ejus ex integro persolvant illis vel Ecclesiæ Andrensi LXXXV. marcas argenti. Quod ut ratum & inconvulsum permaneat scriptum hoc inde fieri jussi, & sigillo corroborari præcepi. Huic concessioni & confirmationi interfuerant Ingelramnus de Fielnes, Radulfus de Lens, Ernulfus de Lumvilériis, Isaac de Estru, Batoninus Busketh, Balduinus de Campaniis, Eugo de Lhonefolei, Eustachius de Waben, & multi alii tam Clerici quàm laici.

De primâ invadiatione decimæ de Ales.

DOminus quoque Balduinus Comes Gisnensis & hujus loci Patronus, super eodem vadimonio de suis hominibus fidejussores sufficientes recepit, & ne quid nobis ad certitudinem deesset, Chartam suam nobis exinde in hunc modum concessit:

Ego BALDUINUS Comes Gisnensis, notum facio omnibus, quòd pro decimâ Adulfi de Ales, quam Abbas Andrensis & Monachi impignoraverunt pro LXXXV. marcis argenti, fidejussores accepi sicut Advocatus Ecclesiæ, Balduinum de Campaniis & Eustachium filium ejus, Widonem de Elembon, & Eustachium de Oya; eâ ratione quòd ipsi acquietabunt eam & defensabunt eam Ecclesiæ, ut absque calumniâ liberè & quietè illam Ecclesia teneat & possideat, donec ex integro prætaxatum argentum recipiat. Quòd si quid damni per violentiam vel calumniam cujuspiam Abbas & Monachi in perceptione fructuum incurrerint, isti omnes vel eorum singuli damnum Abbati restituent; quod si non fecerint, quidquid possident in meâ terrâ accipiam & occupabo ego vel heres meus, & de damnis illatis ecclesiæ satisfaciam. Hoc factum est in plenaria Curiâ meâ eâ die quâ Henricus de Campaniis armatus pugnare debuit apud Gisnes contrà Advocatum Balduini de Campaniis; postea recognitum audientibus & videntibus Roberto Capellano, Thoma Presbytero, Lamberto Presbytero, Widone Presbytero de Oya, Willelmo fratre Comitis, Eustachio de Lískes, Henrico de Campaniis, Eustachio de Montgardin, & multis aliis.

Prædictus quoque Alulfus cum à quodam potente in causam traheretur de servili conditione, & usquequaque suprà vires impeteretur, consilio & auxilio Domini Petri Abbatis exinde ereptus est & liber dimissus. Super quo beneficio ne videretur ingratus, unam pensam caseorum apud Neuverca nobis in eleemosynam contulit, & nobis de cætero obnoxius permansit. Multa tamen damna & incommoda locus iste postmodum ab uxore suo & heredibus sustinuit, quoadusque memorata decima longo deinceps tempore ex toto per nos empta & acquisita fuit.

Eodem tempore Domnus Abbas Hugonem nobilem virum de Bavelingehem & participes ejus, hujus Ecclesiæ parrochianos coram Ordinario suo in causam traxit, & tertiam partem maresci de Bavelinghem, quam ad Ecclesiam de dono antiquorum dicebat pertinere, sicut & alia allodia ibidem sita, pertinaciter exegit. Dominus autem Episcopus multitudinem in causâ esse videns, & Ecclesiæ paci in futurum prospiciens, litem motam sopivit, & in tali formâ dans privilegium partibus satisfecit:

Ego DESIDERIUS Dei gratiâ Morinorum Episcopus, notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd Petrus Abbas Andrensis Ecclesiæ magnopere petierit determinari, & assignari sibi tertiam partem in maresco & pasturâ de Bavelinghem, quam se contingere & longo tenore possessionis & privilegiorum continentiâ asserebat. Unde Hugonem de Balinghem & alios coheredes in causam traxerat, eo quod SIMON de Balinghem partem quamdam ibi usurpaverat, quam mansionariis locaverat, & ubi domum sibi construxerat. Hac de causâ idem Hugo, Guichardus & Magister Ernulfus cum participibus suis concesserunt Abbati & Ecclesiæ de ipsâ pasturâ & maresco triginta mensuras prope pasturam Ecclesiæ; eâ ratione ut in reliquo maresco & pasturâ habeant semper & accipiant homines Abbatis aisiamentum ad usus suos, sicut mansionarii coheredum; sed si quâ fortè occasione illi suos proprios homines arcere & expellere à pasturâ voluerint, nihilominùs homines Abbatis absque ulla eorum contradictione quod sibi necessarium fuerit omnimodis sibi sument, sicut ante consueverant: de cætero coheredes duos nummos de censu annuatim Ecclesiæ persolvent. Hoc ut ratum & inconvulsum permaneat, quoniam quidem ante nos factum & recognitum est, ne quid controversiæ in posterum emergat, scriptum hoc inde fieri jussimus, & sigillo nostro communiri fecimus. Nam huic conventioni multi testes interfuerunt, quorum paucos subscribi

præcepimus; Joannes Cantor Tervanensis, Magister Petrus de sancto Audomaro, Clarembaldus de Tinbronna, Robertus de Jorin, Guido de Herchem, Paganus de Brames, Oliverus de Gisnes, & multi alii.

De Assensu Comitis.

DOminus quoque Comes Balduinus ad instantiam Episcopi & petitionem Abbatis Petri, pro eo quod præfati nobiles homines sui erant, & de feodo suo ad Comitem pertinente, talem cum Ecclesiâ pacem fecerant; pacem factam approbavit & taliter scripto ad posterorum memoriam mandavit.

Ego BALDUINUS Comes de Gisnes præsentibus & futuris notificari volo, quod cum Domnus Petrus & Monachi Andrensis Ecclesiæ, cujus sum Patronus, me permittente traxissent in causam parrochianos suos Dominum Hugonem de Bavelinghem, & fratres suos Symonem & Frumoldum & eorum participes Wicardum scilicet Radulphum Baillol, & alios coheredes suos, homines meos, coram Domino Episcopo Tervanensi super portione maresci de Bavelinghem, in quo tertiam sibi partem vindicabant, mediante Episcopo eodem Desiderio, & me approbante pax fuit inter eos taliter facta, & à nobis approbata, quòd iidem Andrenses à participibus de Bavelinghem, pro eo quod multi erant numero, trigenta mensuras maresci pro suâ portione acciperent, & eis contenti essent, & singuli participes de Bavelinghem singulis annis duos denarios Andrensi Ecclesiæ persolverent, ut per hujus eleemosynæ recognitionem quoquo modo satisfacerent: & tamen nec Abbatis nec hominum suorum animalia à maresco de Bavelinghem expellere, aut coërcere de cætero valerent. Abbas autem & Monachi consilio nostro domini Episcopi consilio adhibito, ideo acquieverunt, quia juxtà pasturam sibi à prædecessoribus in eis in confinio suo datam, & tam à me quàm à nobili Comite patre meo Arnoldo conservatam & defensatam, & in eorum usus semper appropriatam, has triginta mensuras receperunt, & limitari fecerunt. Ego autem & mei heredes tam marescum eidem Ecclesiæ pro bono pacis datum, & ab Episcopo & me confirmatum, quàm residuam pasturam tenemur ipsi Ecclesiæ in perpetuum warantizare, & ne quis ea possit fodere, nisi ad utilitatem Ecclesiæ, contrà omnes homines defensare; quia ipsam Ecclesiam constat esse matrem nostram, & ad hoc tam à prædecessoribus nostris, quàm à Romanis Pontificibus firmiter privilegiatam.

Relatio Willelmi Abbatis de stagno Monasterio nostro contiguo.

CIrca idem quoque tempus domnus Abbas super stagno à parte Occidentali Monasterio adjacente, & super usu molendini, & aquæ ductu & maresco finitimo, dominam Adelidem, quam suprà memoravimus, & filium ejus Henricum jam adultum in causam coram Ordinario traxit; & hanc quoque controversiam idem Episcopus dato privilegio in hunc modum compescuit:

Ego DESIDERIUS Dei gratiâ Morinorum Episcopus notum facio omnibus, quòd controversia diu ventilata est in præsentiâ meâ inter Petrum Abbatem & Monachos Andrenenses, & dominam Adelidem & Henricum filium ejus. Abbas enim asserebat quòd Henricus de Campaniis & domina Adelidis uxor ejus in maresco, quod sibi eisque commune jamdudum fuerat, stagnum per vim fecerant, & aquam quæ solebat fluere ante cambam eorum à solito cursu aliorsum abduxerant; unus super iis omnibus vivos testes & privilegium bonæ memoriæ Milonis Episcopi in curiâ produxerat: at contrà domina Adelidis & Henricus filius ejus rem ita esse negabant, & per assensum Abbatis defuncti & Monachorum stagnum factum fuisse & aquam abductam affirmabant. Hac de causâ convenientes in unum, ego & dominus Balduinus Comes Gisnensis, & multi illustres viri tam Clerici quàm laïci apud Polinghone in die dedicationis Ecclesiæ, taliter inter eos pacem firmavimus. Decrevimus enim per assensum utriusque partis, ut aqua reduceretur ad solitum cursum ante cambam Monachorum, & ad arbitrium duorum virorum in commutationem stagni terram campestrem Abbas acciperet, salvo jure suo in maresco quod extrà stagnum residuum fuerat. Quòd si forte in hyeme vel ex abundantiâ pluviarum vel ex resolutione nivium aquæ nimiæ inundantia fieret, quam vulgò eretinam vocant; sancivimus ut ex alterâ parte stagni absque damno Ecclesiæ pars aquæ dimitteretur, ne stagnum per impetuosam irruptionem dissiparetur. Abbas verò provideat ne aquæ-ductum inferius quàm modo est faciant, ne forte stagnum nimium desiccetur & pisces periclitentur. Hujus itaque pactionis quamplures fuère testes Clerici qui cum Episcopo erant, Walterus Archidiaconus, Magister Balduinus, Hugo Gardin, Paganus de Branes, Henricus de Seltun, & multi alii Milites.

Anno Domini M. CLXXVIII. Sarraceni in planis de Ramenes à Christianis devicti fugerunt, pluribus interfectis. Signum crucis quasi de cœlo in terram ab oriente in occidentem expansum Sarracenis apparuit. ANDREAS MARCIANENSIS. 1178. Sarraceni vincuntur.

Relatio Willelmi Abbatis de ponte de Elcekâ.

EOdem tempore domnus Petrus Abbas ad castrum sancti Audomari, & ad urbem Morinensem frequenter transitum pro negotiis domesticis faciens, & sub villâ de Elceka in stratâ publicâ fluvium de Tornehem sæpiùs inundantem, & naturalem alveum frequenter egredientem prospiciens, ac per hoc advenas & peregrinos pauperes & debiles, & omnes præcipuè pedites, moras & pericula pati compatiens, Magistrum Aimonem qui Ecclesiam præsentem construxerat, qui de novo domû eleemosynariam consummaverat, cum quibusdam cæmentariis & aliis operariis ibidem transmisit, & Dei fultus auxilio, nullius tamen fretus adminiculo, de bonis hujus Ecclesiæ eleganti opere pontem incepit, & ad multorum subsidium in brevi tempore consummavit, lapidibus duris & quadratis de remotis lapidicinis ad opus sumptuosæ structuræ non sine labore & sumptu inæstimabili longè ante adductis, & propter solius Dei amorem & pauperum suorum requiem, ad opus illud aptatis.

Parrochiani autem ipsius villæ unde grates illi referre debuerunt, inde ei ingrati fuerunt, quod per ipsum pontem evidenter apparet ex utrâque parte dirutum, & circà cursum aquæ congelatum; latos enim utriusque frontis lapides mulieres lavatrices de ponte extraxerunt, & lavandis vestibus substraverunt, & etiam circumquaque asportaverunt: tempore quoque nimiæ inundationis ipsius villæ homines pauperum & peregrinorum exauriendis pecuniis inhiantes, cum pons ibi non esset, nunc vehiculo, nunc navigio, non tamen gratis viatores asportabant; & occasione pontis hoc se emolumentum perdidisse dolebant. Sed & nobiles villæ & potentiores à duobus successoribus domni Abbatis Petri solebant exigere, & quasi ex debito eis imponere, quod fracturam pontis & totum quod spectabat ad ejus fabricam facere & reficere, tenere & manutenere

manutenere tenerentur, pro eo quod tam ipsi quàm omnes vicini à domno Petro Abbate ipsum pontem primò factum recordarentur. Hoc autem volebant astruere, & quasi pro lege nobis imponere, pro eo quod idem domnus Abbas duas portiones decimæ ipsius villæ à quibusdam Militibus & vavassoribus ibidem manentibus magno pretio comparaverat, & in franco scabinatu sancti Audomari, quod in castro Castellano commissa tribus vicibus in anno tenetur, & malorum nomine recensetur, jure forensi & sæculari possederat. De hac tamen acquisitione licet sumptuosa, & diversis temporibus factâ, & à multis heredibus acquisitâ, non ita per domnum Petrum fuit lis & controversia sopita, quod in tempore duorum successorum ejus non fuerit ventilata, & multis sumptibus terminata, sicut in sequentibus patebit.

ANDREAS MARCIANENSIS. 1179. Anno Domini M. CLXXIX. Comes Flandrensis Philippus sancti Quintini & de Paronâ castra graviter afflixit, eorumque cives obsidione, & persequutione diu multumque humiliavit: Hesdiniensibus reipublicæ dignitatem abstulit; campanam Communiæ apud Ariam transmisit, & quosdam pro interfectione cujusdam de turri præcipitari jussit.

Rex Franc. in Angliam devectus, pluribus donariis S.Thomæ sepulcrum decorat. Ludovicus Rex Francorum per provinciam istam transiens in Angliam transfretavit, & sepulcrum gloriosi Martyris Thomæ, quem aliquandiù in exilio nutrierat, tam precibus quàm muneribus honoravit. Nam inter cætera dona & donaria centum vini modios Monachis ei servientibus, & eorum successoribus, annuatim in Franciâ percipiendos ibidem liberaliter obtulit: & cuppam Regalem ad eos propinandos ejusdem Martyris veneratoribus in signum amoris perpetui dereliquit; & etiam annulum, quem sicut dicitur beato Thomæ adhuc viventi quandoque delegaverat, ei nihilominùs obtulit, pretiosum in se saphirum continentem, & multas postea ægritudines medentem. Rex autem Anglorum Henricus eidem Regi Ludovico tam in ingressu regni quàm Cantuariæ posito multiplices honores fecit, & multipliciùs in Regno eum detinere & honorare proposuit, sed affectum suum ad effectum perducere non potuit: nam quanto citiùs potuit de ipso Regno egressus, & in suum regressus, in Festo Omnium-Sanctorum Philippum filium suum à Willelmo Remensi Archiepiscopo ipsius Philippi avunculo (qui Henrico ipsius Ludovici Regis fratri germano jam transactis quatuor annis successerat) in gloriâ & honore totius nobilitatis Gallicanæ coronari fecit.

De acquisitione Decimæ de Ervedinghem. Domnus Petrus Abbas decimam de Ervedinghem de manu cujusdam Geroldi de Piro, & uxoris ejus Beatricis, magno pretio comparatam acquisivit, & acquisitam & ab eis in manu domini Episcopi resignatam confirmari impetravit in hunc modum:

Ego DESIDERIUS Dei gratiâ licet indignus Morinorum Episcopus, notum facio tam præsentibus quàm futuris quòd Geroldus de Hervedinghem, & uxor sua Beatrix & Hugo filius ejus venientes pariter ante præsentiam nostram, prostraverunt se genibus nostris, petentes veniam humiliter & absolutionem, pro eo quòd possederant decimam quam non licet possidere laïcis secundùm quòd à Doctoribus Ecclesiæ audierant & didiscerant. Confestim igitur reddiderunt totam suam decimam quam habebant apud Hervedinghem in manu nostrâ, & per interpositionem fidei promiserunt nunquam se deinceps eam calumniaturos, dummodo ipsam decimam redderemus per manum nostram Abbati & Ecclesiæ Andrensi & Monachis ibidem Deo servientibus, quibus illam dederant, & coram multis testibus super altare cum libro posuerant & obtulerant. Nos autem acceptâ satisfactione ab eis, & decimam Abbati reddidimus, & excommunicationis sententiam in eos promulgavimus quicumque ipsam decimam de cætero vel auferre, vel subripere Ecclesiæ cui data est, contenderint.

Sub eâdem fere horâ accessit Elbodo de Kenesberge, & uxor ejus & filius eorum, & totam decimam suam quam possederant apud Jorni nobis reddiderunt, veniam pro delicto petentes & postulantes, ut eam Abbati & Ecclesiæ Andrensi, cui illam devoverant, per manum nostram præberemus. Quorum petitioni libenter annuimus, & eos à delictis absolvimus; eâdem anathematis sententiâ eos percellendo, qui decimam Ecclesiæ subripere tentaverint. Hoc totum factum est audientibus Canonicis nostris Waltero Archidiacono, Hugone de Robais, Magistro Balduino, Magistro Roberto, Magistro Ernulfo, & multis aliis tam Clericis quàm laïcis qui ad causas convenerant. De Decimâ de Jorni.

Non multi post hæc dies fluxerant, & ecce apud Bavelinghem in die consecrationis Ecclesiæ accessit Elbodo de Acqui, & Gerbus filius ejus, & pari modo reddiderunt nobis medietatem decimæ quam habebant apud Vocsole ad opus Andrensis Ecclesiæ, audientibus & videntibus Clericis nostris, & Huberto seniore de Bavelinghem, & Hugone filio ejus, & Hugone Presbytero de Acquine.

Hac autem decimâ pretio LX. marcarum & ampliùs emptâ, & in manus domini Episcopi, & ad opus hujus Ecclesiæ resignatâ, prædictus Geroldus fraudem contrà Ecclesiam molitus est per dominum suum Gusfridum de Ferkenes Militem, à quo eamdem decimam tenuerat in feodum, qui possessionem nostram impedivit per multos annos, quoadusque ei fuisset satisfactum. Processu quoque temporis eodem Geroldo mortuo, uxor ejus Beatrix de ipsâ decimâ se dotatam fuisse asseruit, & in curiâ Ordinarii per multos testes probavit: unde prædicti Episcopi successor domni Petri Abbatis successorem & conventum ejus ad hoc induxit, ut ipsam viduam quamdiù viveret de pane & cervisiâ sustentarent, quod & ipsi pro bono pacis fecerunt; & ita per tredecim annos quibus fames regnavit in terrâ hac ipsam vetulam sustentaverunt, ita quòd secundum computationem multorum ipsa anus in valore panis plùs expendit quàm tota decima primo comparata fuit. Qualiter autem ipsa decima fuerit postmodum à falsis heredibus calumniata; qualiter ab injustis patronis perturbata; qualiter nobis ad ultimum appropriata sequens pagina [d] demonstrabit. Denuò Lector certus existat, quia tripliciter cariùs per vices varias empta fuit quàm valeat. De eadem Decimâ. d

De morte Regis Ludovici. 1180. Anno Domini M. CLXXX. Ludovicus pius Rex Francorum moritur, & in Monasterio Cisterciensis Ordinis nomine Barbel super Sequanam à se fundato sepelitur. Regnat pro eo filius ejus Philippus, in anno præterito Rex coronatus adhuc juvenis, & à suis Proceribus & Majoribus Franciæ in primordio Regni multa adversa perpessus. Comes Henricus de Campaniâ filius Comitis Theobaldi, reversus ab Hierosolymis moritur.

1181. Interpositio de morte Papæ Alexandri & de itinere Abbatis Petri ad curiâ Romanâ propter Philippum Comitem. Anno Domini M. CLXXXI. Alexander Papa moritur, Lucius ei succedit. Comes de Gelrâ Gerardus, Idam filiam Matthæi Comitis & MARIÆ Comitissæ Boloniensis, duxit uxorem, & in brevi postmodum mortuus est. Moritur etiam Flandriæ Comitissa, cujus maritus Philippus Flandriæ Comes prænominatus, adhuc mortuâ uxore Comitatum Viroman-

d *Sequens pagina*] Nihil tamen hac de re in apographo quo usi sumus, reperitur in sequentibus.

densem, (licet ex eâ non haberet heredem) tenens, & ad majora se extendens, non contentus duobus Comitatibus tertium scilicet Campaniensem cœpit concupiscere: & mortui Comitis, cujus suprà meminimus, relictam quærere; sed cum sciret ipsam suæ uxoris propinquam fuisse, & nonnisi per domini Papæ dispensationem voluntatem suam adimplere posse, domnum Petrum Abbatem hujus loci de consilio multorum ascivit, secretum ei pandit, ut pro hoc negotio dominum Papam adeat, affectuosè requirit: omnia viæ necessaria præparari præcipit, magna dat & multo majora promittit. Assensum præbet Principi vir discretus, sperans per ejus munificentiam locum sibi creditum posse promoveri & locupletari, si ejus satisfieret voluntati. Adjungitur ei à Comite comes itineris Willelmus quidam solo nomine Monachus, qui per auxilium Comitis de Cœnobio Clarimaresci ad Lobiensem Ecclesiam se transtulerat; qui de mandato Comitis exercitum Flandrensium in Angliam nuper duxerat, & in terrâ sancti Eadmundi eos ad prædandum ducens minimè reduxerat; qui in negotiis Comitis se ingerens & immergens, ut semper esset instabilis modis omnibus laborabat. Vidimus eum postea in parrochiâ de Ferkenes cuidam curti nostræ occasione ejus destructæ præesse, & tam panem quàm optimam cervisiam ibidem venalem habere, quia multas ibi tenebat focarias quas non sustinebat esse otiosas: alias quoque curtes per vim Comitis de Monasterio Lobiensi tenebat, & se apud omnes Monachum Comitis esse jactabat: dominum si quidem de Fielnes famosum illum Ingelramnum per vim Comitis edomuit, & plures alios mutire prohibuit; quia per fidem quam debebat Comiti cujus erat Monachus, jurare consuevit.

Tali igitur venerabilis Abbas fretus Cappellano, ad Apostolorum limina pervenit; & dum injunctum sibi negotium exequi paratus esset, & tam dominum Papam quàm Fratres ex more visitasset, & de impetratione negotii spem firmam concepisset, ecce subitò ex parte Comitis solemnes habuit nuntios qui eum omni occasione & dilatione cessante redire, & negotium imperfectum relinquere mandavit. Quidam enim asserebant ipsum Comitem ad alias nuptias anhelare; quidam verò dicebant quòd ad torum Campaniensis Comitissæ lascivus pervenerat, & eam de cætero contemptui habuisse. Repatriat ergo Pater hujus patriæ, & loco suo gaudium ingeminat. Ab universis itaque tam Clericis quàm laicis officiosè suscipitur, & in commune ab omnibus honoratur. Quisquis volebat Romam arripere iter, quisquis de statu Curiæ volebat inquirere, ad domni Petri tanquam ad Apollinis recurrebat oraculum, quia ratus adhuc in partibus istis erat, qui visitaverat limina Apostolorum, & propter Legatos quos ferè unaquæque Metropolis habuit, vix ad dominum Papam appellavit.

De D. Bernardo pœnitente. 1182.

Anno Domini M. C. LXXXII. domnus Bernardus pœnitens, & veros pœnitentiæ fructus ostendens, in Monasterio sancti Bertini moritur, & miraculis illustratur. Cujus vitam virtutibus plenam scribit Domnus Joannes postea Abbas sancti Bertini.

Maria filia Stephani Regis Anglorum quondam Abbatissa, postea Boloniæ Comitissa, tertiodecimo anno postquàm resumserat habitum Sanctimonialis apud Monasteriolum moritur & sepelitur.

D. Rege Henrico Juniore. 1183.

Anno Domini M. C. LXXXIII. Henricus Rex junior Henricum patrem suum Regem Angliæ bello iterum sollicitat pro Ducatu Pictaviæ, quem pater dederat Richardo filio suo: sed cum patrem superare non posset, deficiens mortuus est, & apud Rothomagum jubente patre sepultus. Idam prædictam filiam Matthæi Comitis Boloniæ Comitissam Dux de Saringhes Bertoldus duxit uxorem. Domnus Petrus Abbas Cisterciensis fit Episcopus Atrebatensis.

De secundo conjugio Philippi Comitis.

Anno Domini M. C. LXXXIV. Philippus Comes Flandriæ de Hispaniæ finibus sibi sumit uxorem Mathildem filiam Regis Portigalensium. Heraclius Patriarcha Jerosolymitanus transfretavit in Angliam, à Rege Henrico adversùs Sarracenos auxilium petiturus, quibus in Terrâ sanctâ Christianorum vires exhaustæ resistere ulteriùs non valebant.

1184. Orientales Regis Angl. auxilium implorant.

Terræ motus in Angliâ.

Terribilis terræ motus cum validâ tempestate in Angliâ ab urbe Lincolniæ versùs Londoniam per tres terræ dietas durans & ampliùs, cum ædificia ruerent, muri finderentur, homines quasi ebrii ferrentur huc & illuc, miraculo fuit & stupori.

Willelmus Abbas.

Domnus Petrus Abbas non desistens à bonis acquirendis vel acquisitis in pace redimendis, Hugonem de Lumeres Militem quædam bona nostra in territorio Boloniensi calumniantem, datis muneribus compescuit, & ante dominum Morinensem culpam suam confitentem adduxit: quod idem dominus Episcopus dato Privilegio confirmat in hunc modum:

Charta Desiderii Episcopi.

Ego Desiderius Dei gratiâ Morinorum Episcopus notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd Hugo de Lumeres veniens ante præsentiam nostram dedit Deo & beatæ Mariæ, & Ecclesiæ Andernensi ac Monachis ibidem Deo servientibus, quidquid habebat in parrochiis de Boxi & de Resti, scilicet partem patris sui, & partem Hugonis de Ferkenes, & medietatem partis Henrici fratrum aviæ suæ. Hæc omnia quæ sua esse dixerat, & quæcumque calumniatus fuerat ex parte parentum suorum, tam in sylvâ quàm in terrâ in prædictis parrochiis adversùs Andernensem Ecclesiam, dedit ipse, & uxor ejus Mathildis, & Willelmus filius eorum major natu, per manum nostram Petro Abbati & Ecclesiæ Andernensi, & recognovit se hoc fecisse super altare Monasterii Andernensis acceptâ charitate XI. librarum. Hoc factum est Tervannæ in domo nostrâ, anno Domini M. C. LXXXIII. audientibus & videntibus Joanne Cantore, Hugone de Robais Thesaurario Ecclesiæ, Magistro Roberto, Ernulfo Capellano nostro, Johanne Suessionensi, Simone de Hinghinegate, Winemaro Dapifero, Fulcrado, & multis aliis.

De Redemtione reditûs quem Boloniensi Ecclesiæ debebamus.

Eodem quoque tempore languente in debitis Ecclesiâ beatæ Mariæ Boloniensis, presens Ecclesia mediante Domno Petro Abbate redemit ab eâdem Ecclesiâ decem polkinos frumenti, quos ibidem annuatim debebamus in grangiâ nostrâ de Bokerdes, ad mensuram de Gisnes, quindecim marcis sterlingorum pro redemptione cujusdam decimæ eis assignatis, & octo libris Boloniensis monetæ, pro quibus cappas eorum sericas tenebamus impigneratas, in pace dimissis, super hoc inter has duas Ecclesias pactio perennis est facta, & per chirographum divisum roborata sub hac formâ, appensis hinc inde utriusque Capituli sigillis, & domno Fulcone ita scribente:

Charta Eccl. Boloniensis.

Ego Fulco indignè licet dictus Abbas sanctæ Mariæ Boloniensis, & ego Petrus Abbas Andrensis, omnibus notum facimus, quòd Ecclesia Andrensis debuit Ecclesiæ Boloniensi annuatim decem polkinos tritici ad mensuram de Gisnes, pro quâdam parte decimæ de Bokerdes, quos Conventus Boloniensis dedit & concessit Conventui Andrenensi, pro eo quod Abbas & Monachi Andrenenses redemerunt

decimam de Badinghetun, quæ fuerat Petri Clerici, quam Leprosi Bolonienses tenebant in vadium pro xv. marcis sterlingorum, & acquietaverunt Ecclesiæ Boloniensi; dimissis etiam octo libris Boloniensis monetæ, quas per longum tempus Canonici debuerant Monachis. Quod ut ratum & inconvulsum in posterum maneat, scriptum hoc inde fieri decrevimus, & sigillis utriusque Ecclesiæ munivimus. Hoc factum est per assensum utriusque Capituli, audientibus & videntibus Canonicis, Ulrico Priore, Gerberto, Balduino, Roberto, Roberto de Aniuns, Roberto de Odera, Johanne de Ouay, Reinaldo de Lens; Manasse, Petro, Gusfrido, Roberto, Eustachio Monachis, Widone Priore, Gregorio, Waltero Præposito; Willelmo de Fielnes, Ernulfo, Gusfrido Eleemosynario, Riquardo Cantore, Henrico Subpriore, Michaële, Roberto, Balduino, & omni Capitulo.

Quoniam autem contractus iste ex omni parte non videbatur sanus, licet à partibus approbatus & confirmatus, nisi etiam ad hoc Ordinarii accederet assensus & consensus, domnus Desiderius hoc in hunc modum confirmat:

Ego Desiderius Dei gratiâ Morinorum Episcopus notum facio, *&c. ut suprà.*

De calumniâ Willelmi de Bredenarda.

Sopitis circumquaque calumniis, & novis reditibus per gratiam Dei acquisitis, & tam à Patronis quàm ab Ordinariis confirmatis, surrexit contrà Domnum Abbatem novus calumniator Willelmus nomine, qui curtem nostram de Bredenarda nomine Crosovam à nobili quondam viro Gusfrido Hosenod, & fratre suo Galanto, cum quibusdam aliis bonis datam & à domino Manasse Comite confirmatam, cœpit calumniari, volens eam sub annuo censu & modico sibi & suis heredibus dimitti, pro eo quòd eam per aliquot annos tenuerat; & multos contrà nos fautores & complices habebat, & etiam segetes nostras in progressu calumniæ vastaverat: sed Comes se Patronum nobis exhibens, & eum perterrens, & causam nostram judicio Curiæ suæ decidens, ei & suis factâ pace perpetuum silentium imposuit, & Chartam suam nobis in hunc modum indulsit:

Ego Balduinus Comes Gisnensis notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd Willelmus frater Karoli de Bredenarda, calumniatus est curtem Abbatis & Monachorum Andrenensium, quam volebat habere sub annuo censu, sed Abbas nolebat ei respondere, eo quòd Ecclesia tenuerat ipsam curtem vel eleemosynam propriam per triginta & eo ampliùs annos liberè & quietè absque ulla calumniâ. Reversus itaque Willelmus ad se venit in præsentiam nostram, & dimisit ac guerpivit calumniam, & confessus est injustè se illam calumniam fecisse, statimque curtis illi à censualibus Abbatis abjudicata est, Postea promisit, & me & Ernulfum filium meum, qui præsens aderat, vel quicumque heres meus erit, fidejussores constituit, ut ab omni calumniante qui de genere suo esset, curtem liberaret, defensaret & acquietaret; quod si facere nollet, vel non valeret, ego id facerem, id est curtem acquietarem, & terram Willelmi & terram Matthæi consanguinei sui ipso id concedente in usum meum acciperem. Abbas verò propter hoc pactum Willelmo dedit duas marcas, & sex marcas pro quibus suam terram inpignoratam tenebat, dimisit cum damno quod ei Willelmus intulerat in segetis vastatione. Hoc factum est apud Anderwic in præsentiâ meâ & filii mei, audientibus & videntibus Henrico de Seltun, Rolmo de Cochona, Willelmo de Podema, Widone Rufo Vicecomite, Frumoldo de Monte, prædicto Matthæo, & multis

Charta Balduin. Gisn. Comitis.

aliis. Item apud Gisnes testes fuerunt ubi Charta recitata est, Wischardus de Balinghem, Eustachius de Grangia, Eugo de Salperwic & filius ejus, Wido de Tinnebrone, Oliverus de Gisnes, Balduinus Stirpa, Manasses Bolard, & multi alii.

De institutione vini.

Eodem tempore Domnus Petrus Abbas de suis reditibus quamdam portionem Fratribus ad habendam de vino pitantiam assignaverat, & quorumdam anniversaria statuerat, & ab aliis tam Clericis quàm laicis institui permiserat, sed & Obedientiariis ut quædam festa providerent legem imposuerat, ita quòd in diebus statutis aliquando apud sanctum Audomarum, aliquando alibi, utres vel cadi mittebantur ferrati: sed cum demum crescente reditu Fratres nostri apud sanctum Audomarum in doliis & cum doliis vina emerent, & de singulis doliis domino Willelmo tunc Castellano sextarium vini deberent, mediante & supplicante Domno Petro Abbate eidem admodum familiari suum jus & consuetudinem misericorditer indulsit, & per hanc Chartam confirmavit:

In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, Amen. Ego Willelmus Castellanus sancti Audomari, notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd pro salute animæ meæ & parentum meorum, unà cum uxore meâ dominâ Ida, & Willelmo filio meo qui jam decimum quintum transegit annum, dedi & concessi summo Salvatori & Ecclesiæ Andrensi ac Monachis ibidem Deo servientibus quidquid juris habeo in foragio vini, quodque emerint in villâ sancti Audomari ad opus sui & Ecclesiæ suæ dumtaxat, ut habeant illud liberè & quietè absque mea ull-usque calumnia hereditario jure in perpetuum. Quod ut ratum & inconvulsum permaneat, scriptum hoc inde fieri & corroborari præcipi. Abbas verò & Conventus suscepit nos in societatem beneficiorum Ecclesiæ, & promisit nobis quòd post obitum nostrum anniversaria tam pro me quàm pro uxore meâ, & filio scribentur in Regulâ, & fient in Ecclesiâ in perpetuum. Actum est hoc anno M. C. LXXXVI. audientibus & videntibus Willelmo Capellano, Stephano Presbytero, magistro Gozone, Willelmo fratre Comitis Gisnensis, Ingelramno de Moncaverel, Balduino de Lacopela, Gislemberto de Sygerii Capella, Balduino filio Willelmi Dapiferi, Hugone de Monela, Iohanne de Morbeka, Willelmo Coco, Marco Clerico, & multis aliis qui interfuerunt.

Charta Willelmi Castellani.

1186.

De institutione cerei.

Circa illud tempus Domnus Petrus Abbas assensu & petitione sui Capituli de quatuor marcis argenti, quas ei Sacrista annuatim [solvebat], marcam & dimidiam eidem Sacristæ remisit ad hoc, ut singulis noctibus ante sanctuarium cereum ardentem provideret, & duas marcas Domno Abbati annuatim persolveret. Super hoc scriptum fuit authenticum factum sigillo Capituli confirmatum, & coram omnibus parrochianis sub interminatione anathematis promulgatum sub hac formâ:

Noctibus ante Sanctuariū cereus accendendus.

Notum sit omnibus tam præsentibus quàm futuris, quòd Petrus Abbas Andrensis cum communi consilio totius Capituli constituit, ut Sacrista procuret candelam vel cereum omnibus noctibus ante Sanctuarium de reditu illo quem ipsi Abbati solvere consueverat. Sic enim decrevit Abbas cum Capitulo, ut de quatuor marcis quas sibi pendebat, marcam & dimidiam ad opus hujus luminaris retineret. Quicumque autem hoc institutum infregerit, nisi plenariam compensationem restituerit aut restitutam probaverit, excommunicationi subjaceat. Hoc si-

Charta Capituli Andrensis.

quidem pactum nequando livore malignantium ad nihilum redigi, vel torpore negligentium contingat imposterum oblivione deleri, jamdictus Abbas Petrus rogatus à Fratribus litteris annotari, & sigillo Capituli voluit corroborari. Postea verò Parrochianorum universitati, quæ confluxerat ad Ecclesiam in die solemni, perlectâ chartâ, quæ gesta fuerant ex ordine declaravit: at illi non mediocriter applaudentes Abbati super his quæ gesserat, & omni Conventui, innexis manibus gratias referebant summo Salvatori, qui locum sibi dicatum & adjacentem patriam tam pretioso thesauro ditavit.

De acquisitione decimæ de Landertun.

DEcimam prætere a de Landertun juxtà Fielnes de manu Domini Ingelramni de Fielnes Domnus Petrus acquisivit, quam idem nobilis vir perpaucis verbis huic loco confirmavit in hunc modum:

Charta Ingelramni de Fielnes.

Ego Ingelramnus de Fielnes notum facio omnibus, quòd Abbas Andrensis persolvit mihi LXX. marcas argenti pro decimâ de Landertun, quam fide præstitâ promisi ei & Ecclesiæ Andrensi ab omni calumniâ & calumniante defensare & acquietare, & Radulphus frater meus similiter.

Idem quoque nobilis vir Comitissimam Boloniensem Idam, cujus suprà mentionem fecimus, pro eo quod ipsa decima ad ejus spectabat feodum, ad hoc concedendum induxit, quæ Chartam suam nobis sub hac formâ concessit:

Charta Comitissæ Bolon.

Ego Ida Comitissa Boloniensis notum facio omnibus tam præsentibus quàm futuris, quòd Ingelramnus de Fielnes recognovit ante præsentiam meam se dedisse Deo & beatæ MARIÆ, & Ecclesiæ Andrenensi ac Monachis ibidem Deo servientibus, liberè & quietè totam decimam quam acquisierat in parrochiâ de Landertun. Quod ego audiens hanc eleemosynam bono animo & prompta voluntate concessi & confirmavi, ut habeant eam Monachi & possideant hereditario jure in perpetuum. Hoc ne cui in dubium veniat, hanc concessionis meæ Chartulam sigillo proprio corroborari feci, audientibus & videntibus Radulfo de Lens, Radulfo de Fielnes, Isaac de Hestru, Balduino de Campaniis, Anselmo de Lacopela, Haket de Odinghem, Gusfrido de Didesaher, & multis aliis.

Hanc autem decimam idem nobilis vir de manu hominis sui Balduini de Lo acquisierat, & eam pro necessitate suâ huic Ecclesiæ vendebat; scilicet propter votum Crucis exequendum, pro quo etiam per multum tempus coacervavit magnum auri & argenti pretium in via expendendum. Et ne quid nobis ad certitudinem deesset, coram Ordinario quod à se, & à dominâ suâ Boloniensi Comitissâ factum fuit, rite perfecit: qui Episcopus recognitionem coram se factam nobis in hæc verba confirmavit:

Charta Desiderii Episcopi Morin.

Ego DESIDERIUS Dei gratiâ Morinorum Episcopus, notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd Ingelramnus de Fielnes dedit Deo & Ecclesiæ Andrenensi, & Monachis ibidem Deo servientibus, per manum meam totam decimam quam acquisierat & habebat in parrochiâ de Landertun: quod dum redderet in manu meâ, cognovit quod ipse & Radulfus frater ejus fide præstitâ promiserunt Abbati, quòd ab omnimodâ calumniâ liberam & quietam defensarent, & acquietarent Ecclesiæ. Hoc factum est dum essem Boloniæ audientibus & videntibus Abbate de Dudeawile, Gozelino Canonico, Rogero de Basinghem, Henfrido de Londesford, Anselmo de Lacopela, & multis qui huic donationi & recognitioni interfuerunt.

De Domino Willelmo de Fielnes.

FIlius tamen ejus dominus Willelmus pro beneficiis patri impensis nobis ingratus, nobis super hac decimâ & aliis bonis terræ suæ contiguis post mortem patris multa gravamina intulit, & ab aliis inferri permisit; ita quòd ferè omnia sub sua ditione consistentia à nobis denuò comparari, & quasi de novo acquiri oportuit, sicut sequens pagina [e] evidenter declarabit.

ANDREAS MARCIANENSIS. 1184. Regina Franc. implorata Dei Genitricis ope, placat Regem qui eam abjicere statuerat.

Anno Domini M. CLXXXIV. Philippus Rex Francorum consilio quorumdam Baronum suorum Comiti Flandriæ invidentium, Reginam vult dimittere: at illa ad Dominum conversa, tantam erga Dei Genitricem in civitate Sylvanectensi exhibuit devotionem, humilitatem & contritionem, ut omnes intuentes penè ad lacrymas commoveret: nam nudis pedibus per plateas civitatis incedens, & cereos in manibus portans, eleemosynamque omnibus indigentibus affluenter dispertiens, intravit beatæ Dei Genitricis Ecclesiam, ubi diutiùs oravit, & ipso die omnes civitatis pauperes lautè refecit, quibus ipsa ministravit. Quod Rex & omnes Optimates Regni ejus audientes compassi sunt, & pœnitentiâ ducti ab incepto destiterunt. Philippus tamen Comes tam Archiepiscopum Remensem quàm omnes qui hujus consilii complices fuerunt, quos dudum colebat ut amicos, nunc veretur ut inimicos.

Bellum inter Regem & Comit. Flandriæ.

Propter hanc causam & alias inter Regem & Comitem pax est turbata. Post Pentecosten Rex & Comes cum suis exercitibus in marcis terrarum suarum conveniunt. Regis exercitus militibus benè instructus; porrò Comitis, agminibus peditum optimè armatorum præcellebat. Standardum altissimum dragonem desuper præferentem Comes secum super currum quatuor rotarum duci fecit: quod Rex cum totâ Franciâ valde indignè tulit: tamen mediante Henrico Anglorum Rege ab instante festo sancti Joannis usque in annum protelantur induciæ.

Anno Domini M. CLXXXV. Philippus Rex Franciæ instinctu Balduini Comitis Montesis in Philippum Comitem Flandriæ iterum insurgit: quâ de re idem Philippus auxilio fretus Philippi Coloniensis Archiepiscopi, terram Montensis Comitis ingreditur, eamque rapinis & incendiis magnâ ex parte depopulatur. Quo comperto Rex Franciæ cum exercitu suo Viromandiam ingreditur, accedensque ad castrum quod Mons-desiderii dicitur, ipsius suburbano succendit. Dein Henrico Rege Angliæ mediante, vel potiùs hyemis asperitate quæ jam instabat compellente, unusquisque ad propria est reversus. Lucius Papa tertius obiit, succedit Urbanus tertius. 1185.

Anno Domini M. CLXXXVI. Philippus Rex Franciæ non contemnendæ probitatis juvenis, cum exercitu suo Viromandiam ingreditur, cui cum exercitu suo Philippus Comes Flandriæ usque Ambianis occurrit. Sed Comes non minùs Regiæ majestati quàm proprio honori deferens, populorum etiam cædem coram Deo & hominibus sibi imputari formidans, partem Viromandiæ Regi concessit, ut residuum sibi in pace tenendum confirmaret. Henricus Rex filius Frederici Imperatoris qui futurus sperabatur Imperator, amitam Regis Siciliæ duxit uxorem. 1186.

Regi parte Comitatus Veromandiæ concessa, pax componitur.

Anno Domini M. CLXXXVII. Amalrico Rege Jerosolymorum mortuo, filia ejus Comitissa Jafensis jure propinquitatis successit, maritum suum Re- 1187.

e *Sequens pagina*] Desideratur in apographo.

gem faciens, nec alium accipere volens: unde & aliquos Baronum suorum ad iracundiam provocavit. Hujus ergo occasione dissidii terra promissionis à Saladino capitur cum Cruce Dominicâ, ipse Rex cum multis aliis captivatur, Episcopi cum Templariis & Hospitalariis, & universo penè populo terræ perimuntur: & sic proh dolor! Christianitas in transmarinis partibus magnâ ex parte deletur. Tyrus tamen civitas per Dei gratiam & Marchisum quemdam Italiæ Principem à tantâ calamitate salvata, magnas persequtiones & insultus continuos patitur Sarracenorum.

Iterum Christiani terrâ Santâ pelluntur.

Urbanus Papa audito rumore Jerosolymitanæ destructionis dolore, ut dicitur, suffocatus decedit: cui succedit Gregorius, quo non multo post defuncto, Pontificatum Apostolicæ sedis Clemens suscepit. Servili & nefandâ progenie Ismaëlis prævalente, & terram sanctam in quâ Deus & homo corporaliter visus, & cum hominibus conversatus est, & in cujus medio salutem operatus est, suæ ditioni supponente, cum rumor tanti mali ad Romanam curiam pervenisset, auctoritate summi Pontificis & totius curiæ Willelmus Tyrius Archiepiscopus, & Albanensis Episcopus Henricus in Germaniam & Galliam diriguntur: quorum consilio animati, & prædicatione confortati invictissimus Romanorum Imperator Fredericus, & Reges Francorum & Anglorum Philippus & Henricus, & Flandriæ Comes Philippus cum innumeris Principibus & populis ad vindictam tam nefandæ rei accenduntur, & ab eis signum victoriæ Christi assumitur, & ad liberationem Crucis Dominicæ & Terræ sanctæ cum Dei adjutorio omnes voto adstringuntur. Concilium Parisiis à Philippo Rege, & omnibus Archiepiscopis, Principibus & Prælatis totius Regni præsente Henrico Apostolicæ sedis Legato celebratur; in quo congregati cum de viâ Dominici sepulcri tractare & ordinare deberent, voti sui obliti non pro Ecclesiâ sed contrà Ecclesiam bellum instituerunt, & vineam Domini Turcis depascendam subdiderunt, & novum & inauditum facinus invenientes, eam decimari constituerunt. Richardus Aquitaniæ Dux filius Henrici Anglorum Regis injuriam sepulcri vindicaturus, primus omnium Principum Regni Francorum Crucem assumit ante natale Domini. Pridie Nonas Septembris eclipsis solis facta est: eâdem nocte Ludovicus filius Regis Francorum natus est.

Urbano præ tristitia defuncto Greg. succedit, cui Clemens.

Hujus suasionibus Imper. Reges Franc. & Angl. cum pluribus aliis Principib. in Asiam proficisci decernunt.

Concilium Parisiis celebratum.

1188.

Anno Domini M. CLXXXVIII. Philippus Rex Francorum & Henricus Rex Angliæ, & Comes Flandriæ Philippus exhortatione Henrici Albanensis Episcopi Apostolicæ sedis Legati Cruces assumunt post Nativitatem Domini. Idem verò Episcopus postquàm totam Germaniam & Galliam ad vindictam Jerosolymitanæ destructionis animaverat, & orationes publicas à domino Papa Gregorio institutas, universis Ecclesiis observandas tradiderat, tandem in Flandriam veniens in territorio Atrebatensi apud Maroel defungitur, & auxilio Matil. Reginæ, relictæ Philippi Comitis Flandriæ, Clarevallis transfertur.

Henricus Alban. Episc. A. S. Legatus prope Atreb. mortuus Claram-Vallem defertur.

Dominicâ mediæ Quadragesimæ apud Maguntiacum generali curia congregatâ Fredericus Imperator cum multis Episcopis, & totius regni sui Principibus, & innumerabili multitudine Theutonicorum Cruces sumunt. Comes Namurcensis Henricus filiam suam unicam adhuc lactentem dat Henrico Comiti Trecarum, & cum eâ post suum decessum omnem terræ suæ Comitatum. Balduinus Comes Hainoensis, ex sorore nepos ejus, hoc audiens & videns indoluit, quia eumdem Comitatum valde affectabat, & pro eo adipiscendo tam Imperatori Frederico quàm cæteris de Curiâ multas dederat pecunias. Cum autem ante mensem Augustum in guerrâ Regis Francorum Henricus Comes Trecensis inexcusabiliter occupatus esset, & Henricus Comes lecto decumberet, Balduinus undecumque contracto exercitu castrum Namurci milite nudatum & defensoribus reperiens, inexpugnabile castellum Namurcense, ut putabatur, fortunâ sibi arridente cepit: mediante autem mense Augusto ultrà progreditur, & castellum fortissimum Bovinense obsidione cingens post diem quintum-decimum cepit, & omnem terram citrà Mosam Comitatûs Namurcensis sibi subdit. Paucis verò diebus transactis, Comes Namurcensis Canonicos de Ecclesiâ Floreffiâ ejiciens contrà impetum Balduini castellum sibi fecit, & milites cum suis satellitibus ibi constituit.

Comes Namur. filiam Comiti Campan. despondet.

Anno Domini M. CLXXXIX. Fredericus Imperator cum suo exercitu iter arripuit post dies Paschæ, & cum magno exercitûs sui detrimento transiit per Hungariam, Thraciam & Græciam, & pervenit usque ad fluvium Syriæ nominatissimum Farfar. Porrò nostri milites Jacobus scilicet de Avesnis, Hellinus Dapifer, & multi alii diversæ dignitatis & ordinis per Apuliam incedentes mare transeunt; & urbem Achon, quam Ptolemaidam Scriptura divina vocat, obsidione cingunt.

1189. Imperator itineri Hierosolym. se committit.

Eodem tempore obiit Willelmus piæ memoriæ Rex Apuliæ, Christianorum transmarinorum protector & defensor, absque herede; qui congregatis totius Regni Principibus, & cum sacramento fide interpositâ assensum præbentibus, Henricum Regem filium Frederici Imperantis, qui ejus amitam habebat in conjugio, Regni sui designavit heredem. Verùm Siculi post mortem ipsius fidem & sacramentum quod fecerant parvipendentes, injustè repudiato Henrico Tancredum quemdam ex semine Regio sibi Regem constituunt.

Willelmo Regi Apuliæ sufficitur Tancredus.

Philippus Rex Francorum assumpto secum Philippo Flandriæ Comite, & Ricardo Aquitaniæ, castella & villas Regni Henrici Regis Angliæ & incendit & destruit: quorum assultus Rex Angliæ non sustinens, & de loco ad locum fugiendo eorum adventum devitans, tandem Cenomanos pervenit; ibique ipsum prædicti Principes insequuti sunt. Super quo Rex Angliæ suprà modum contristatus in infirmitatem decidit, & ad Chinon usque perveniens, diem clausit extremum. Hinc apud Fontem Ebraldi delatus, vix necessarios sumptus ille quondam dives & præpotens ad sepeliendum habens, ibidem in Monasterio Sanctimonialium tumulatur.

Rex Angl. obit.

Obiit Elizabeth Francorum Regina, & cum nimio Francorum planctu in Ecclesiâ beatæ MARIÆ Parisius sepelitur. Ricardus Comes Aquitaniæ patri succedit in Regnum. Civitas Attrebatensis cum Ecclesiâ sancti Vedasti incendio conflagravit.

Elizab. Franc. Regina Parisiis tumulatur. Incendio Atreb. consumitur.

Anno Domini M. CXC. circà festum sancti Joannis Philippus Rex Francorum, & Richardus Rex Anglorum trans mare profecturi iter arripiunt. Rex Francorum portum Januensis civitatis expetiit, & Rex Anglorum Massiliam venit. Pridie Kalendas Augusti Christiani qui Hacon obsederant, inconsultis exercitûs Principibus adversus Salathdinum infeliciter pugnantes, unà cum Elberto Presbytero Duacensi Decano qui ad hoc eos instigaverat ad sex millia perimuntur. Rege Francorum in Januâ ventum ad transfretandum aptum exspectante, quâdam die ibidem fulgur de cœlo quinquies cadens Regem valde perterruit. Cumque præparatis necessariis relicto portu in die sancti Laurentii prosperè navigans multa jam maris spatia transvolasset, ventus subitò sur-

1190. Reges Franc. & Angl. Hierosolym. iter arripiunt.

Christ. 6000. interficiuntur.

gens contrarius ipsum retrogredi coëgit, & multis navibus confractis, equis amissis, & instrumentis ligneis quæ secum ad capiendas munitiones duxerat perditis, militibus etiam plurimis submersis, suo tandem frustratus conatu in Messanâ Siciliæ civitate cum Rege Anglorum transitum sequentis anni exspectans resedit. Philippus quoque Comes Flandriæ cum suis per Coloniam Agrippinam mense profectus Augusto, & aliquos de Theutonicis socios itineris sui nactus, juga Alpium transmeans in Italiâ cum multâ militiâ hyemavit. Fredericus Imperator cum transito Brachio sancti Gregorii terram Sultani Iconiensis intrasset, maximam partem exercitûs sui præ nimiâ cibariorum inopiâ amisit; & cum finibus appropinquasset Antiochiæ gratiâ balneandi fluvium Pharfar ingressus, & aquæ violentiam non sustinens ter in ejusdem profunda submergitur, & cum magno labore militum extractus triduo supervixit elinguis, & corpore Domini accepto cum sacrâ unctione diem clausit extremum: cujus corpus conditum aromatibus adhuc insepultum custoditur. Cui successit in Regno Henricus filius ejus. Porrò exercitum ejus qui in Syriâ remanserat, rexit Conradus Dux Suevorum filius ipsius, Miles inclytus. Obiit Everardus Tornacensis Episcopus in hebdomadâ quæ præcessit Nativitatem Dominicam. Factum est prælium in Hispaniâ inter Reges Hispaniarum & Sarracenos, in quo Christiani Deo auxiliante victores facti, innumerabilem eorum multitudinem peremerunt.

Multæ Imper. copiæ fame pereunt.

Frider. Imp. aquis ereptus triduo post vitam finit: cui Henricus succedit.

Christiani in Hisp. Sarracenos prælio vincunt.

1191. Anno M. C. XCI. obiit Clemens Papa, cui successit Cælestinus III. qui secundo die Apostolatûs sui Henricum filium Frederici Romæ Imperatorem consecravit. Idem Cælestinus in vigiliâ Paschæ in Sacerdotem ordinatus, & in die Sancto in dominum Papam est consecratus, & in crastino dominus Imperator ab eodem est coronatus XVIII. Kal. Maii. Domino Desiderio Morinensi Episcopo in decrepitâ ætate à curâ pastorali absoluto, Lambertus de Brugis Cancellarius Remensis in Episcopum eligitur & consecratur.

Cælestinus Henricum in Imp. inungit.

Prædicti Reges Franciæ & Angliæ, qui in partibus Apuliæ apud Messanam, & Comes Flandriæ, qui in partibus Tusciæ ex magnâ parte apud Romam hyemaverant, ad terram Jerosolymitanam transfretantes, Acharon civitatem à paganis possessam obsident & viriliter oppugnantes expugnant. Philippo Comite Flandrensi antequàm eadem urbs caperetur viam universæ carnis, proh dolor! ingresso. Nono Kal. Julii die Dominicâ horâ sextâ in vigiliâ Beati Joannis Baptistæ, Eclipsis solis facta est; statim post eclipsim Philippus Rex Francorum & Ricardus Rex Anglorum cum suis exercitibus, cum Christianis quos ibi invenerant urbem Acram obsident. Sarraceni verò impetum eorum non ferentes, & de civitatis defensione diffidentes, Regi Francorum & exercitui Christianorum V. Kal. Julii eam reddiderunt. Quam Rex eâ conditione recepit, ut omnes indè sani exirent, si Salathdinus sanctam Crucem & MM. DC. captivos redderet Christianos. Rex verò Francorum post mortem Comitis Philippi repatriare festinavit. Post cujus discessum prædictâ conditione infirmatâ Rex Anglorum, qui ibidem remanserat, paucis de nobilioribus retentis, per quos sanctam Crucem & quosdam captivos recuperare sperabat MM. DC. diversis interfecit tormentis.

Reges Franc. & Angl. è portu Messanæ anchoram solvunt.

Eclipsis solis.

Acra Regi Philippo deditur.

Philippus itaque Rex Franciæ intemperiem transmarini aëris sustinere non valens, quia valde infirmabatur, vel, ut quidam dicunt, pro adipiscendâ terrâ quæ per mortem prædicti Comitis, cujus neptem habuerat uxorem, sibi obvenerat, statim in Franciam revertitur, & in die sancti Joannis Evangelistæ, tertio scilicet die Natalis Domini, Parisius à Domino Mauritio Episcopo, & maximâ multitudine Cleri & populi honorificè est susceptus. Postea sicut inter ipsum & sæpedictum Comitem in contractu matrimonii conditum fuerat, quia Comes sine liberis decessit, tota terra Comitis ex Occidentali parte veteris fossati ad Regem est devoluta: ultrà etiam idem fossatum istiusmodi Manerio de Ruholt cum nemore in possessionem Regis cedente.

Galliam repetit.

Flandriæ parte potitur.

Dividitur Flandria in tres partes: pars una in jus Regis cedit: altera relictæ Comitis Mathildi filiæ Regis Portugalliæ, sub nomine dotalitii attribuitur: tertia heredi, scilicet Margaretæ sorori Philippi Comitis, uxori Balduini Hainonensis Comitis remanet. Quæ divisio quàm fuerit omnibus Flandrensibus lamentabilis ex miseris ab ea eventibus satis apparet: nam res Ecclesiarum & pauperum à prædonibus diripiuntur, ac civilia & intestina bella per totam Flandriam excitantur; ita quòd veridicam Domini sententiam palam esset intueri: *Omne Regnum in se divisum desolabitur.*

De triplici divisione Flandriæ.

Luc. 11. 17.

Ricardus Rex Angl. post regressum Regis Franc. ruinas murorum civitatis Achræ pro tempore reparans, & exercitum in tres turmas dividens, tendit Ascalonem, sed præ tractu longioris viæ insidiantibus Salathdino & Turcis, quosdam de suis amittens, Cæsaream pervenit: unde cum apud Joppem tenderet, Salathdinum cum suis obviam habuit; sed mirâ Dei virtute Sarracenis in fugam versis tantam stragem de nobilioribus suis in die Nativitatis beatæ MARIÆ prope Assur sustinuit, quantam nullo tempore principatûs sui noscitur habuisse. De nostris autem nullus cecidit, nisi Jacobus de Avesnis Miles egregius, & uni de Machabæis comparandus. In mense Septembri relatio verax de morte Philippi Comitis, qui Comitatum Flandriæ viginti quatuor annis strenuè rexerat, venit. Omnes timent, omnes dolent tam Clerus, quàm populus. Succedit ei Balduinus Comes Hainoensis, qui Margaretam sororem ipsius duxerat in uxorem, ex quâ genuerat Elizabeth Francorum Reginam, & filios Balduinum, Philippum & Henricum. Richardus Rex Anglorum antequàm transfretaret, uxorem duxit filiam Regis Navarræ, contemptâ sorore Regis Francorum quam sponderat.

Richardus Rex Angl. Sarrac. fugat.

Postquam Reges & Principes totius Occidentis ad prædicationem illorum qui ad hoc provisi fuerunt, voto Crucis sunt adstricti, & exemplo eorum Barones & Milites & Vavasores ad subventionem Terræ sanctæ concorditer animati, multi de Boloniensi & Gisnensi territorio nolentes in terrâ alienâ indigere, qui in suâ terrâ videbantur florere, & bonis temporalibus abundare, Domino Petro Abbati suas decimas exposuerunt, quas ille invadiavit; assignato eis rationabili pretio cùm eas legitimè emisse potuisset, si modicum se voluisset gravasse in ampliori peculio: quâdam enim pietate simplici erga eos motus eis compassus dicebat, satius esse & tolerabilius bona eorum titulo pignoris retinere, quàm eos ex toto hereditate suâ peremptoriè privare, quia per impignerationem factam vel ipsi vel heredes possent loco & tempore ad hereditatem distractam redire. Hæc igitur simplex pietas malitiosos heredes contrà nos temporis processu inflammavit, & eorum decimas, non tamen omninò, ad usus eorum redimi fecit, & suggerentibus Potentibus & contrà nos garrientibus in faciendâ redemptione multa remitti & condonari coëgit. Vidimus Ecclesiam de Sclines cum decimâ appendente de manu domini Rogeri de Balinghem in terram Jerosolymitanam profecti ad nos titulo pi-

WILLELMUS ABBAS.

gnoris spectare : decimam quoque de Marcnes de manu Gusfridi Baron ad nos pertinere : decimam de Hyldrekem nos invadiatam habere : decimam de Fontaines titulo pignoris ad nos spectare : decimam de Ermelinghem nos per vadium tenere : decimam cujusdam Balduini Spriet apud Lotessam pari modo ad nos spectare : tertiam partem decimæ de Braines in usus nostros cedere. Et cum mille libras & ampliùs super has & alias decimas dominus Petrus titulo pignoris ad nos apposuisset, per emptionem legitimam dato ulteriùs modico pretio in perpetuum eas acquisisse potuisset : quibus modo falsi heredes carent, & aliæ Ecclesiæ earum fructibus pacificè gaudent.

ANDREAS MARCIANENSIS. 1192. Henricus Campan. Comes Principum Christian. assensu sacri exercitus dux constituitur.

Anno Domini M. C. XCII. Ricardus Rex Angliæ & cæteri Principes, Templi quoque & Hospitalis Milites, communicato ad invicem consilio, Henricum Comitem Campaniensem Principem totius Christianitatis transmarinæ, excepto Principatu Antiocheno, constituerunt, & ei uxorem Marchisi in conjugio tradiderunt : hæc erat orta de Regali genere; filia enim Almarici mater ejus exstitit. Guidoni verò quondam Regi dedit Rex Anglorum Insulam Cypri opulentissimam, quam potenter acquisierat.

Tancredus Apuliæ tyrannus nuntios suos ad Cælestinum Papam & Romanos dirigit, spondens se redditurum sancto Petro quidquid Apulienses Duces ab antiquo illi abstulerant, si fidem quam habebant cum Henrico Imperatore ad se transferrent. Quod audiens Cælestinus Papa valde est indignatus, qui versâ vice nuntios suos, duos scilicet Cardinales, ad eum redirexit, mandans ut Imperatricem de custodiâ educens Imperatori remitteret; si verò hoc facere nollet, anathemate perpetuo se feriendum cum parte provinciæ quæ illi favebat pro certo sciret. Tancredus autem à Papâ compulsus Imperatricem de custodiâ relaxans Imperatori remittit, & post modicum tempus moritur. Cælestinus Papa morte ejus auditâ contrà Henricum Imperatorem, quem propter Autbertum Leodiensem Episcopum infestum habebat, & propter alias causas, filium Tancredi in Apuliâ, Calabriâ, & Siciliâ Regem sublimat. Sequenti die Autbertus Leodiensis Episcopus, quem Guillelmus Remensis Archiepiscopus ad mandatum Domini Papæ, & ad preces Archiepiscopi Coloniensis, Remis consecraverat, à quibusdam proditoribus extrà urbem Remensem eductus, inauditâ mortis crudelitate vir justus ab impiis & proditoribus innocenter perimitur : nam Henricus Imperator qui Lothario favebat, quem in sede Leodiensi intruserat, eum à Regno suo expulerat. Willelmus autem Remensis Archiepiscopus, & omnes cives Remenses, eum detinentes, magnum ibidem ei honorem & reverentiam exhibebant. Sepultus est autem cum magnis omnium lacrymis in Ecclesiâ majori beatissimæ Dei Genitricis MARIÆ, in loco ubi Beatus Nichasius Archiepiscopus pro Christo occubuit. Qui fuerunt interfectores Episcopi, & à quo missi ignoratur : hoc tamen scitur quod de Germaniâ venerint, & illuc aufugerint.

Tancredus jussu Pontificis Imperatricem è custodiâ educit.

Autbertus alias Albertus. Leod. Episc. prope Remor. mœnia à sicariis impiè confoditur.

Ipsum Remenses venerantur.

Inter Richardum Regem Anglorum & Salahtdinum, Christianos quoque & Sarracenos transmarinos, induciæ trium annorum dantur, miserâ conditione interpositâ ut civitas Ascalon nobilissima subverteretur à nostris. Salathdinus Christianorum persequutor apud Damascum moritur. Richardus Rex Anglorum cum à transmarinis partibus reverteretur, à Leopoldo Duce Austriæ dolosè capitur, quem Henrico Imperatori dirigens, in liberâ clausus custodiâ annuam sustinuit captivitatem. Cum autem in custodiâ detineretur, Philippus Rex Francorum collecto undecumque copioso exercitu in Northmanniam vadit eam depopulaturus. Castella Wilcassini territorii, Gisortium scilicet, & alia multa cepit. Civitatem Rothomagum obsedit, sed civibus viriliter repugnantibus inglorius rediit.

Christiani cum Sarrac. paciscuntur inducias.

Saladin. moritur.

Richardus Rex Angl. rediens ab Imp. in carcerem conjicitur.

Rex Franc. Normanniam ingreditur.

1193. Ingelb. Philippi Franc. Regis uxor Ambiani Regium diadema recipit.

Anno Domini M. C. XCIII. Philippus Rex anno XIII. Regni sui secundam duxit uxorem Ingelburgem Regis Daciæ filiam in vigiliâ Assumptionis beatæ MARIÆ Ambianis. Crastinâ autem die eâdem civitate die Dominicâ, adstante Willelmo Remensi Archiepiscopo, Petro Attrebatensi, Joanne Cameracensi, Theobaldo Ambianensi, Lamberto Morinensi, Stephano Tornacensi, & aliis Episcopis, Archiepiscopis, Suffraganeis, multis etiam Franciæ Principibus adstantibus, Regio diademate coronata est : octogesimo autem & secundo die post has nuptias apud Compendium Rex dimisit eam, à quibusdam Militibus & Episcopis falsâ inter eos consanguinitate juratâ.

A Rege repudiatur.

Anno XIV. Philippi Regis Ricardus Rex Anglorum magno auri & argenti redemptus pretio, ab Henrico Imperatore solutus ad suum Regnum redire permittitur : post cujus regressum longa concertatio usque ad annum XVI. Regis Philippi inter eos surrexit : aliquando induciæ, aliquando guerræ : feriuntur illi : feriuntur isti : sed quis ex illis vincat ignotum est nobis.

Inter Reges Franc. & Angl. dissidia.

De domino Eustachio de Calquilla.

EOdem anno nobilis vir Eustachius de Calquillâ in quodam torneamento lethaliter vulneratur, & dominæ istius villæ Adelidi jamdudum matrimonio sociatus, perfectâ domo, in quâ tamen nunquam mansit nisi in nocte mortis suæ, domnum Petrum Abbatem & Conventum accersiens, & eorum orationibus se commendans, habitum Religionis ab eis assumsit. Sepulturam nobiscum elegit, & ad suum anniversarium quinque polkinos frumenti cum omni jure ad eos pertinente assignavit, & super hoc Chartam suam adhuc sanæ mentis existens nobis in hunc modum concessit :

WILLELMUS ABBAS. Eustach. de Calquilia Monastico habitu indui, & cum Andrensib. sepeliri postulat.

Ego Eustachius de Calquilla dominus de Andrens notum facio præsentibus & futuris præsentium testimonio, quòd cum laborarem in ægritudine volens peccata mea priora melioris vitæ exercitiis deleri, accersitis Petro venerabili Abbate & Conventu Andrensis Ecclesiæ, Deo me & eorum orationibus commendavi, & habitum Monasticum ab eis suscepi, quod priusquàm fieret, præsentibus matre meâ Mathilde, & fratribus meis Willelmo & Viviano, & hoc ipsum concedentibus, & fidei sacramento interposito confirmantibus, quinque jornellos terræ jacentes in Bodericke cum Comitatu liberos prædictæ Ecclesiæ contuli; & quinque polkinos frumenti quos eadem terra annis singulis reddit, ad anniversarium meum assignavi. Abbas verò & Fratres prædicti, & Petrus Sacerdos Parochialis, rogantibus matre meâ & prædictis fratribus meis omnes excommunicaverunt, qui contrà Eleemosynam istam deinceps aliquam prætenderent calumniam. Hujus autem reditûs debitores sunt, Robin Li-Conte de duobus polkinis, Lambinus Asce de duobus polkinis, Balle Caumeir de uno. Hæc autem eleemosyna solemniter facta est anno Dominicæ Incarnationis M. C. XCIII. apud Andrens in domo meâ & uxoris meæ Adelidis, coram matre meâ & fratribus meis, & universis tam propinquis quàm amicis meis, qui ad me visitandum convenerant. Super hoc testes sunt, dominus Arnulfus de Gisnes filius Comitis, Vivianus avunculus ejus, Gusfridus Baron, Henricus de Dello, Willelmus de Bello, Petrus Sacerdos de Andrens, Richardus Clericus,

Ejusdem charta.

1193.

Henricus Senescalcus, Manasses Bollard, & alii multi tam Clerici quàm laici. Quod ne cui veniat in dubium scriptum præsens fieri, & sigilli munimine insigniri feci & corroborari.

De dilatatione cœmeterii à Domno Petro Abbate.

AB eo tempore domnus Petrus Abbas jam peractis in regimine triginta annis, tam senio quàm morbo cœpit lassescere, & ad finem tendere, ita quòd deinceps non ex facili Claustra Monasterii exibat, nec Synodos adibat, nec alicui coadunationi more solito se ingerebat, sed piâ tamen curiositate volens certificari de omnibus ubique mittebat, & ad hoc tandem induxit dominam Adelidem præfati Militis nuper defuncti derelictam, quod Cœmeterium laicorum nondum mansionibus circumdatum fecit dilatari à parte Australi, & in quâdam die Paschali post secundas vesperas cum processione solemni Monachorum, Clericorum & laicorum aquam à Domino Episcopo consecratam circumferri & conspergi. Postquàm operari & reditus acquirere desiit, solito ampliùs operibus misericordiæ insistere studuit, nudos vestiendo, pauperes & inopes recreando, infirmos visitando, omni sextâ feriâ ad minus egenis & viduis in porticu Ecclesiæ manu propriâ eleemosynas erogando.

Et cum in opere Dei summo effectu operam daret, & ad horas canonicas die ac nocte singulos prævenirct, quatuor fermè annis ante obitum suum venerabilem virum domnum Guidonem merito & officio Priorem, juvenem quidem annis, sed verè maturum moribus, proh dolor! amisit; imò ut verè credimus ad superna transmisit & præmisit; & eum pro vitæ merito in navi Ecclesiæ juxtà virum religiosissimum domnum Gusfridum, de quo superiùs mentionem fecimus, tumulari præcepit. In cujus loco Priorem substituit sibi quidem ut apparuit placentem, sed à prædecessoris moribus nimis degenerantem, cujus tempore & illicitâ permissione Ordo nimis tepuit, Religio naufragium sustinuit, castitas periclitavit, luxuria superabundavit, ætas juvenilis per campum licentiæ nimis discurrens post greges sodalium suorum vagabunda cucurrit: hinc bonus odor Ecclesiæ & antiquus apud Potentes & Principes sæculi cœpit fœtere: hinc ipse Abbas occasione suæ senectutis minùs providus multis displicere.

Quãta ex remisso Priore regularis disciplina patiatur.

Servabantur in hoc loco multorum divitum deposita, & præcipuè de Castro de Calais magna argenti copia, quæ à facie crudelis illius Reinaldi nuper Boloniensis Comitis, sumptuosi, superbi & potentis huc allata & tam Abbati quàm ejus Cellario fuerant commendata, de quibus ii qui nimis delicatè nutriti fuerant furta gravia faciebant, comessationibus & ebrietatibus die ac nocte vacabant, se superfluè & inordinatè vestiebant, & non minùs propter infamiam quàm propter pecuniam malè dissipatam, & tamen reddendam, Abbas & sui dolebant. Hæc quidem dissipatio & inanis erogatio, per annum duravit, pro quâ nunc Abbas reos excommunicavit, nunc apertè increpavit, nunc occultè absolvit, malens pecuniam perditam refundere, quàm miserorum animas amittere. Subditorum autem excessus arguens uberrime flebat, & curâ diu habitâ se crebrò exonerare volebat, sed grex sibi subditus huic voluntati omninò resistebat; quia nec subditum nec vicinum sibi succedere quærebat, & tamen omnes suos & multos vicinos tunc temporis idoneos benè cognoscebat, & vix alicujus Karrofensis ut pote per annos ferè triginta duos ab eis disjunctus, præter unam vicem, ut suprà relatum est, notitiam habebat. Dicebat autem suis Consiliariis se scire pro certo, quod hac primâ vice de suo collegio successorem non haberet, suo verò successori Flandrensis Abbas succederet.

De Languore & Morte Domini Petri Abbatis.

SEquenti anno post celebres dies Dominici natalis, Domnus Abbas cœpit graviter lateris dolore & mingendi difficultate infirmari, & usque ad medium Martium ægritudine detineri. Omnibus igitur Fratribus evocatis, & coram se positis voluntatem suam omnibus edixit, & finaliter præcepit, ut Domnus Henricus nuper Prior factus cum Richardo vinitore versùs Karrofum statim iter arriperet, & statum Ecclesiæ cum personis diligenter investigaret; mox autem ut morti solvisset debitum sequeretur præfatus Gusfridus nuper Præpositus, & quem ipsi tres concorditer eligerent, à nobis Pater haberetur & Patronus. Sententiâ ergo tanti Patris editâ, & ab omnibus approbatâ, videns pius pater Eleemosynarium lectulo suo contiguum, quem propiùs accersiens eum de incontinentiâ sui & suorum redarguit publicè, & ne de cætero in ambitu eleemosynæ immunda commixtio fieret, districtiùs interdixit. In porticu Ecclesiæ ut conculcaretur ab omnibus sepulturam humiliter elegit, in quo grex commissus ei minimè paruit, sed Abbas sancti Bertini Johannes, qui ejus confessor fuerat, ante altare ubi sæpiùs decantabat eum in præsentiâ multorum honorificè tumulavit.

De Ereptione Domini Richardi Regis Anglorum.

ANno Domini M. CXCIV. Richardus Rex Anglorum post annuam captivitatem magno &, ut ita dicam, infinito argenti redemptus pretio, ab Imperatore Henrico honorificè & cum gratiâ, pace etiam inter eos firmatâ in Angliam remittitur: qui navibus in portu Andeverpiæ præparatis transfretavit; cum favore magno à suis suscipitur, & in Regni solio decenter relocatur. Illic qui fideles sibi exstiterant honoribus sublimavit, proditores verò exauctorizavit; quosdam etiam occidit, inter quos unum, qui Dapifer Joannis fratris ejus fuerat, excoriavit. 1194.

De morte Margaretæ Flandrensis Comitissæ.

MArgareta Philippi soror Flandrensium & Hainoensium Comitissa moritur, & in templo S. Donatiani juxtà Carolum Comitem Brugis sepelitur. Cui successit in Comitatu Flandrensi Balduinus filius ejus. Sicque Comitatus reversus est ad justum heredem Balduini Hainoensis anno Domini M. CXCIV. qui ab anno millesimo possessus fuerat à successoribus Roberti Casletensis perjuri Comitis per annos C. & XXIII. Successores fuerunt hujus Roberti Robertus filius ejus, Balduinus filius ejus, Carolus cognatus ejus, Willelmus Normannus, Theodoricus, Philippus filius ejus: hi omnes orti sunt de genere Roberti qui apud Casletiam in bello occidit Arnulfum nepotem suum, filium Balduini Hasnoniensis fratris sui; & sic injustè Flandrensium invasit Comitatum.

Comitatus Flandriæ ad legitimos heredes devolutus tandem est ann. 1194.

Epistola Abbatis Willelmi ad Fratres suos.

GUillelmus Dei gratiâ Andrensis Monasterii servus, dilectis filiis & Fratribus sub ejus regimine constitutis salutem. Opus scriptum usque ad præsentem annum venerabilis Andreas Marcianensis Ecclesiæ Prior stylo luculento perduxit, & nos ejus vestigiis inhærentes ab anno fundationis Monasterii nostri, qui fuit annus ab Incarnationne Domini nostri millesimus octogesimus quartus, gesta Abbatum, acquisitiones eorum, eleemosynas Principum, largitiones & confirmationes Pontificum, verbis ejus interserere

Quæ sequuntur Guillelmus Abbas scilus (ubi scilicet desinit Andreas Marcianens.) ie scribere profitetur. Fundatio Monasterii Andrens. ann. 1084.

m...in.e

minimè puduit, imò pro merito vitæ ejus, quæ ab eo scripta sunt colore rubeo ad honorem auctoris in margine distinximus, quæ autem à nobis sunt apposita, ne stylus ejus deturpari videatur eodem colore sunt, nihilominùs annotavimus. Cætera quæ sequuntur ex Chronicis sancti Bertini, & vicinarum Ecclesiarum in unam summam collegimus, & quæ tanti viri nobis exemplaria desunt usque ad nostri temporis fæcem ea distinximus, vel quæ oculis vidimus, aut manibus tractavimus, vel quæ ab aliis facta & audita, lecta vel inspecta fideli relatione cognovimus. Valete in Domino.

De electione Domini Iterii Abbatis.

1195. ANno Domini M. CXCV. post venerabilis Abbatis Petri solemnes exsequias, sicut ab eo adhuc vivente fuerat præordinatum, duos Fratres nostros in Pictaviâ commorantes, & propter guerras Regum & Principum in viâ multa adversa perpessos sequitur præfatus Gusfridus hujus loci Præpositus, Abbatis obitum nuntians, ad eligendum socios invitans ex parte Conventûs, quasdam personas eis nominans ab Abbate Hamensi Bernardo nominatas, & ab eis statim indignanter refutatas. Denique ab eis concorditer eligitur domnus Iterius Karrofensis Ecclesiæ Eleemosynarius, vir litteratus, natione Petragoricensis, prædicti Abbatis Hamensis frater germanus, & ad instar ejusdem Abbatis ultrà modum pecuniosus. Tunc quasi licitum erat in Pictaviâ Monachis peculium habere proprietate carentes, nullius nominis existere. Peractâ electione Prior & Præpositus ad propria revertuntur: Richardus Vinitor cum electo dimittitur ad hoc ut idem Electus de suis rebus disponat, & rebus dispositis ad curam pastoralem accedat.

Iterius Abbatiæ onus r... sed subire cogitur. In primis tamen electioni de se factæ visus est renti; & per domnum Regem Philippum contrà factum nostrum contraria moliri; quoad usque à fratre suo prædicto ad hunc locum est ascitus, & ab Abbate Karrofensi Gaufrido per sententiam publicam venire coactus. In festivitate igitur Pentecostes à Fratribus nostris ei occurrentibus, Morinensi Episcopo domino Lamberto apud Tervannam præsentatus, pro eo quod litteras dimissorias & emancipatorias ab Ecclesiâ Karrofensi non attulit, & quòd inde liber non exivit, ab eodem Episcopo fuit refutatus, quoadusque per privatum colloquium ejusdem Episcopi animus fuit mitigatus. Receptus igitur est in processione solemni Monachorum & Clericorum; huc circumquaque adventantium, feriâ quintâ hebdomadæ Pentecostes multis & magnis expensis hîc factis, multis à recenti Pastore inutiliter erogatis, & quibusdam Potentibus datis, sed à patria suâ ab eo minimè huc allatis, imò ab ærario domni Petri nondum exhausto copiosè assumptis. Insurgunt interim sicut moris est contrà eum nova jurgia, causæ multiplices, lites & placita: supranominatus enim Reinaldus Boloniensis Comes aurum & argentum suprà modum sitiens, & in odium Gisnensis Comitis Balduini Patroni nostri sibi jugiter contrarii, bona nostra in Comitatu Boloniensi confiscari præcipiens, nos persequi non desiit, donec mitigato ipsius animo ex domni Petri ærario bona nostra quitari mandavit, & Chartam ab eo & uxore suâ confectam sub hac formâ nobis indulsit:

Charta Reinaldi Comitis Bolon. Ego Reinaldus Comes Boloniensis, & Ida uxor mea Comitissa equidem Boloniæ, notum facimus tam præsentibus quàm futuris, quòd pari voluntate dedimus & concessimus Ecclesiæ sancti Salvatoris de Andrens in eleemosynam pro salute animarum nostrarum, & antecessorum nostrorum, nemus de Hodenehout, & quidquid juris ibidem habuimus, Ecclesia prædicta deinceps quietè possideat: quæcumque ex largitione antecessorum fidelium in eleemosynam data sunt eidem Ecclesiæ de Andrens in Comitatu Boloniæ, de jure concedimus & confirmamus in perpetuum possidenda. Ne autem hæc eleemosyna vel confirmatio possit in posterum ab aliquo perturbari, præsentem Chartulam ambobus sigillis nostris fecimus corroborari. Hujus rei testes sunt Robertus de Tornella, Willelmus de Calewilla, Henricus avunculus Comitissæ, Willelmus de Diffeke, Stephanus de Brusnebec, Willelmus de Espelleke, Robertus Domni-Martini & multi alii. Actum est hoc anno Domini M. CXCIV. apud Ardrelo. 1194.

De Abbate Cluniacensi quamdam compositionem confirmante.

EOdem tempore domnus Hugo Abbas Cluniacensis, ipsius Comitis avunculus, in Comitatu Boloniensi moram faciens, & tam à nobis quàm à Monachis de Wasto quamdam compositionem inter nos factam fuisse cognoscens super nemore de Hodenhoud & de Clerbusc, & super prato Ulier, quæ partim inter nos & eos erant communia, quæ sub annuo censu trium polkinorum & dimidii frumenti, & quatuor polkinorum & dimidii avenæ, ab eis sunt recepta, & à nobis confirmata: quod factum fuerat approbavit, & in hunc modum ad posterorum memoriam transmisit, ita scribens: Sanctus Hugo Cluniac. Abbas.

Ego frater Hugo Dei gratiâ Cluniacensis Abbas omnibus præsentibus & futuris notum esse volo; quòd conventionem factam inter dilectum nostrum Simonem Priorem & Capitulum de Wasto, & venerabilem domnum Iterium Abbatem & Capitulum de Andernes, videlicet super nemore de Clerebusc, quod inter eos erat commune, & Alneto propè posito, necnon & prato Ulier propè jacenti, auctoritate Capituli nostri ratam habemus, & præsenti sigillo nostro & scripto confirmamus; & in perpetuum à nostris successoribus & Capitulo Cluniacensi inviolabiliter & inconvulsè observari volumus. Charta ejusdem.

Anno Domini M. CXCV. Henricus Imperator ab Apuliâ victor cum triumpho revertitur, adducens secum uxorem & filium Tancredi, & Principes qui contrà eum conspirationem fecerant in custodiâ: magnam etiam copiam auri & argenti & aliarum etiam rerum secum adduxit. Mense Julio Sarraceni ex Africâ venientes super Regem Hispaniæ seu Regulum, quem parvum vocant, & ejus exercitum irruerunt, & ex eis magnam stragem fecerunt. Rex autem Hispaniæ in crastino viribus per gratiam Dei receptis, plusquàm viginti millia eorum interfecit; in quo prælio Archiepiscopus sancti Jacobi occubuit. Sexto Idus Octobris ventus vehemens per noctem mediam ab Affrico veniens domos evertit, turres destruxit, ruinâ domorum plurimos stravit, quercus annosas, & arbores fructiferas evulsit, & in multis locis nimis damnosus exstitit. 1195. Henricus Imperat. filium, &c. Tancredi bello superatos capit.

Philippus Rex Francorum, & Ricardus Rex Anglorum post longam discordiam tandem redeunt ad concordiam. Obiit Balduinus Marchio Namurcensis & Comes Hainoensis XVI. Kalendas Januarii, & sepelitur apud Castri-locum cum patribus suis. Succedit ei Balduinus Comes Flandrensis filius ejus. Reges Franc. & Angl. pacem ineunt.

Sed quia per superiora hujus Chronicæ parum declaratur ex quâ ii Comites Hainoenses oriundi fuerunt stirpe, id breviter legentibus declarare dignum duximus. Originem enim ducunt ex sanguine Imperiali Romanorum & Regali Francorum. Baldui- Comitum Hainonensiu genealogia.

nus Insulanus Comes Flandriæ ortus de genere Caroli Calvi Imperatoris Romanorum & Regis Francorum, duxit uxorem Adelam filiam Roberti Regis Francorum, & genuit ex eâ Balduinum Hasnoniensem Comitem Flandrensium & Hainoensium, & Robertum Casletensem fratrem ejus. Balduinus Hasnoniensis duxit uxorem Riceldem relictam Herimanni Comitis Montensis, quæ erat de sanguine Imperiali, & soror sancti Leonis Papæ noni, & genuit ex eâ Arnulfum Comitem Flandrensem, quem Robertus patruus ejus interfecit in bello Casletensi, & Balduinum Jerosolymitanum Comitem Hainoensem, fratrem ejus; Balduinus Jerosolymitanus duxit uxorem Idam filiam Henrici Imperatoris quarti, & genuit ex eâ Balduinum, cui abstulit Robertus Comes Flandriæ Duacum castrum; hic duxit uxorem Ixlendem filiam Gerardi Comitis de Wassemberga, & genuit ex eâ Balduinum, qui Valentianenses sibi rebelles optimè retinuit, & alia utilia Comitatui adauxit; hic quoque duxit uxorem Hermensendem, sororem Henrici Comitis Namurcensis, ex quâ genuit Balduinum Marchionem, cui etiam multoties accesserunt felices successus; qui duxit uxorem Margaretam sororem Philippi Comitis Flandriæ, qui ei genuit Balduinum Comitem Flandriæ & Hainoensium, Philippum quoque & Henricum. Duxit autem Balduinus adhuc vivente patre uxorem Mariam filiam Henrici Comitis Campanensis, quam genuit ex filiâ Ludovici octavi Francorum Regis.

1196. Anno Domini M. CXCVI. Philippus Rex Francorum filiam cujusdam Comitis Alemannici Ingelburgi Reginæ superinducit. Pax inter Philippum Regem Francorum & Ricardum Regem Anglorum iterum turbatur: unde Philippus Rex collecto undecumque grandi exercitu castellum Regis Anglorum in Northmanniâ, quod Arbamarla vocatur, obsedit; & post sex hebdomadas cepit & destruxit. Philippus Episcopus Belvacensis capitur à militibus Richardi Regis Anglorum, & apud Rotomagum gravi custodiæ mancipatur. Henricus Junior Dux Saxoniæ & Henricus Dux Brabantiæ cum aliis quibusdam nobilibus & Principibus terræ Jerosolymam proficiscuntur.

Fœdere rupto Philippus in Norman. irruit.

Eodem anno domnus Iterius Abbas in parochiâ de Bocsin quamdam decimam parvam acquisivit de manu Roberti cognomento Vilain, assensu Henrici filii Balduini de Menti, de cujus feodo ipsa decima erat, concedente domino Widone de Elembom tamquam Superiore, & ista decima fuit acquisita de ærario domni Petri Abbatis. Hanc acquisitionem domnus Lambertus Morinensis Episcopus partibus coram se præsentibus approbavit, & huic loco in perpetuum per Chartam suam confirmavit sub hac formâ:

Charta Lamberti Morin. Episcop.

Ego LAMBERTUS Dei gratiâ Morinorum Episcopus, omnibus sanctæ Matris Ecclesiæ filiis notum esse volo, quòd constitutus in præsentiâ nostrâ Robertus cognomento Vilain, quidquid habebat in decimâ de Buxin assensu Henrici filii Balduini de Menti, à quo eamdem tenebat decimam, & Guidonis Militis de Elembom majoris domini, in manus nostras resignavit; & nos eam de eorum voluntate Ecclesiæ Andernensi liberaliter & benignè concessimus. Ut igitur donatio ista perpetuæ stabilitatis robur obtineat, eam & præsentis scripti patrocinio & sigilli nostri auctoritate confirmamus, & testium subnotatione communimus. Testes sunt Balduinus Decanus, Arnulfus Capellanus, Alulfus Presbyteri, Joannes Suessionensis, Walterus de Bruges Diaconi, Canonici Morinenses, Gerbodo Abbas sancti Wlmari in nemore, & alii Clerici & laïci multi. Actum anno verbi Incarnati M. CXCVI. apud Tarvannam in domo nostrâ mense Martio. 1196.

Dissidium inter Andrenses & Arnulfum.

Circà illud tempus maxima controversia exorta est inter domnum Iterium Abbatem & Conventum suum ex unâ parte, & inter nobilem virum probitate militiæ toto orbe famosum dominum Arnulfum de Kaieu, & dominam Adelidem de Bavelingem uxorem ejus ex alterâ. Pars enim nostra coram Ordinario partem alteram in causam trahens, asserebat dominum Hugonem patrem ipsius dominæ antequàm filiam suam nuptiis traderet, de manu domni Petri Abbatis habitum Monasticum sponte suscepisse, & quidquid habebat apud Diependale præter nemus assensu domini Balduini Comitis Gisnensis huic loco dedisse, & ipsâ possessione Fratres nostros per aliquot annos gavisos fuisse, & nunc tandem per ipsum nobilem virum & uxorem ejus spoliatos esse. Super quo cùm restitutionem peterent, & pars adversa rem sic se habere negaret, & etiam curiam Morinensem sibi propitiam haberet, & præfatus Comes Gisnensis in nostro nobis jure deesset, pars nostra ad curiam Romanam appellavit; pars etiam adversa multiplici consilio Cleri & populi roborata in vocem appellationis prorupit. Post multas ergo altercationes coram diversis judicibus habitas, & tandem per venerabiles viros H. de Longovillari, & F. sancti Wlmari de Boloniâ Abbates, sopitas & terminatas, pax inter nos est reformata, & ab eodem domino Arnulfo per Chartam suam confirmata in hunc modum:

Unde processerit.

Charta Arnulfi de Kaieu.

Hac Arnulfi Chartâ sopitur contentio.

Quandoque fugientium temporum cursu solet elabi à memoriâ quod piè actum est, ob hoc admodum laudabiliter consuevit antiquitas scribendo ad multorum notitiam revocare quæ coram paucis gesta sunt. Inde est quòd ego Arnulfus de Kaieu notum fieri volo tam præsentibus quàm futuris, omnes querelas quæ vertebantur inter me & Ecclesiam Andrenensem tali compositione esse terminatas. Dedi siquidem eidem Ecclesiæ viginti marcas pro eleemosynâ Hugonis de Bavelinghem Militis, quam à me & heredibus meis sibi reddendam exigebat: concessi etiam triginta mensuras in maresco de Balinghem, quas de jure ab antiquo, & per confirmationem domini Desiderii Episcopi Morinensis habuerant, liberè & quietè in perpetuum possidendas, voluntate & assensu uxoris meæ Æliz, & filiorum meorum Anselmi, Willelmi, & aliorum heredum meorum ab omni calumniante acquietandas. Præterea concessi ego & heredes mei prædictæ Ecclesiæ quemdam mansionarium in villâ de Morlinghem Balduinum de Osthove, ex dono Hugonis Militis de Hesdin, quem de me tenebat in feodum, perpetuò habendum. Ut autem hæc rata semper & inconcussa permaneant, præsentem scedulam sigilli mei impressione munire & confirmare curavi. Facta est hæc compositio apud Dodeauville ex mandato Domini Papæ Cælestini, per manum H. de Lunguilliers, & F. sancti Wlmari de Boloniâ Abbatum, judicum delegatorum ad petitionem meam, anno Verbi Incarnati M. CXCVI. his testibus Waltero Capellano, Arnulfo de Hesdingnol, Anselmo de sanctæ Mariævilla, Widone de Brekenesem, Everardo de Hodich, Roberto famulo Abbatis, & multis aliis. 1196.

Processu verò temporis venerabili Domino Lamberto Episcopo hanc Ecclesiam visitante, & parte adversâ forsitan præsente, compositio inter nos & partem adversam facta, fuit coram Domino recitata Episcopo, & ab eo per Chartam confirmata sub hac forma:

Charta Lamberti Episcop.

LAMBERTUS Dei gratiâ Morinorum Episcopus omnibus Christi fidelibus, ad quos litteræ istæ pervenire poterunt, in Domino salutem. Nolentes ut

controversia in præsentiâ multorum sopita & sepulta, quæ inter Ecclesiam Andrensem & nobilem virum Arnulphum de Kaieu diu agitata fuit; super triginta mensuris de maresco de Balinghem recidivum patiatur, quod in authentico suo prædictus Arnulphus, & heredes sui Anselmus & Willelmus confirmarunt, & nos volumus confirmare. Inde est quòd notum fieri volumus tam futuris quàm præsentibus, quòd Arnulfus de Kaieu, ut omnes querelæ quæ inter eum & Ecclesiam Andrensem vertebantur, terminarentur, dedit eidem Ecclesiæ viginti marcas pro eleemosynâ Hugonis Militis de Balinghem, quam à sæpedicto Arnulfo & heredibus suis Ecclesia Andrensis sibi reddendam exigebat: concessit etiam prædictus Arnulfus triginta mensuras in maresco de Balinghem, quas de jure ab antiquo, & per confirmationem bonæ memoriæ prædecessoris nostri D. quondam Morinorum Episcopi habuerat prædicta Ecclesia, liberè & quietè in perpetuum possidendas voluntate & assensu uxoris suæ Æliz, & filiorum suorum Anselmi & Willelmi, & aliorum heredum ab omni calumniante acquietandas. Præterea concessit sæpedictus Arnulfus, & heredes sui jamdictæ Ecclesiæ quemdam mansionarium in villâ de Morlinghem Balduinum de Osthove, ex dono Hugonis militis de Hesdin, quem de eo tenebat in feodum perpetuò habendum. Ut igitur hæc in præsentiâ multorum solemniter facta rata permaneant & inconcussa, præsentis scripti patrocinio communimus & sigilli nostri auctoritate confirmamus. Actum anno Domini M. C. XCVII. mense Aprili, iis testibus Joseph Archidiacono Flandrensi, Hugone Abbate de Capella, Salomone Capellano nostro, Magistro Philippo Attrebatensi, Magistro Waltero Morinensi Canonicis, Radulpho de Andernes, Widone de Elembon, Militibus, & multis aliis tam Clericis quàm laïcis.

1197.

Iterius Abbas, quòd indulgentior fuerit, damnatur.

Præfatus igitur Abbas Iterius circà personam suam satis existens honestus, circà subditorum excessus corrigendos tepidus cœpit existere, & nimis remissus: unde cum à Senioribus sæpiùs argueretur, emendationem quidem promittebat, sed neque delinquentes more debito corripiebat; neque eorum excessus pastorali rigore puniebat: unde iidem ejus patientiâ malè utentes ipsum contemnebant, & verbis contumeliosis eum aggredientes, & quæ non decebant ei frequenter objiciebant; quibus ille respondere consuevit falsâ quidem pietate superatus; & minùs religiosè motus: Ego quidem vobis diù & multum peperci & unde gratiam habere debui, contumeliam reportavi; jam igitur de cætero vos non arguam; sed voluntatibus propriis & carnis voluptatibus vos exponam; quatenùs infames ita vosmetipsos efficiatis, ut nec me, nec alium Pastorem vestrum redarguere valeatis amodo. Quod ergo ore dixit, opere complevit, & sic locus iste multiplici infamiâ per totum ferè tempus ipsius Pastoris laboravit: unde Episcopus cum Clero suo huic loco detrahebant, Comes & ejus populus locum & gentem despectui habebant; & sic utrique exactione multiplici locum quondam honoratum enormiter affligebant.

Eodem anno Domnus Abbas Iterius à subditis suis est admonitus, & post multas admonitiones ad hoc inductus, ut domum ad opus infirmorum construeret ab Orientali parte dormitorii, & Claustrum interponeret. Videbant enim magnam pecuniam ex provisione Domni Petri Abbatis huic loco dimissam, magnâ ex parte nunc utiliter nunc inutiliter defluxisse, & summo affectu hoc opus desiderabant perfici ex illo residuo quod adhuc sciebant superesse. Acquiescente Abbate, circumquaque invitati sunt artifices & cæmentarii, cæsores lapidum & alii operarii. Ut autem aptior inveniretur construendæ fabricæ locus, & à dormitorio aliquantulum remotus, domus columbarum lapidea & quadrata solo tenùs dejicitur, domus infirmorum lignea funditùs evertitur, diversi generis arbores radicitùs evelluntur; & in profundis terræ visceribus fundamenta constituuntur. Cœptum opus brevi tempore elapso surgit in altum, & famis angustia totam affligens patriam urget & accelerat opus sumptuosum: nam multos hîc operari vidimus non nummis conductos, sed solo pane & tenui cervisiâ contentos, & pro adjectione alicujus pulmenti satis exhilaratos. Denique de Tornacensi civitate ad Claustri constructionem magna strues marmorum per flumina & per terras huc advehitur; à nemore sancti Wlmari de nemore major strues lignorum in curribus & quadrigis adducitur, plumbi & stagni copia magno pretio comparatur, & sic infrà biennium totum opus mirificè consummatur.

Infirmitoriũ & Claustrum ædificat.

Circà illud tempus Domnus Bernardus Abbas Hamensis, cujus suprà mentionem fecimus, versùs Karrofum iter arripuit sperans ibidem præsidere, pro eo quod eadem Ecclesia sub magno honore debitorum occasione guerrarum circumquaque existentium diù languit & ægrotavit; & Abbas tunc temporis ibi præsidens consentiente Conventu suo si debita solverentur ab eo, se ei cessurum promisit. In spatio ergo itineris de equo, à fratre suo Abbate Iterio ei ad hoc proviso, parem non habente in toto hujus terræ confinio, quinquies horribiliter in terram ruit, & sextâ vice extrà Karrofum occulto Dei judicio ita horribiliter cecidit, quòd in equum denuò non ascendit, sed servientium & vicinorum manibus eum in Monasterium portari oportuit, & ibidem vix triduo supervixit. Cujus morte frater ejus Domnus Iterius Abbas compertâ, eamdem viam impiger aggressus est, & cum quibusdam bonis ab eo qualicumque modo possessis, Prioratum etiam de Voerta, quem frater tam Abbas quàm Monachus diù tenuerat, non sine pretio, sicut credimus, adeptus est. A patriâ ergo suâ ad nos tandem repatrians, & tam Prioratum adeptum quàm alia bona amicis suis quos fideles credebat commendans, per urbem Turonensem transitum fecit ubi textum argenteum & deauratum, & duas magni ponderis pelves argenteas emit, & ad hunc locum pro exenio afferri præcepit, & cum eisdem donariis Psalterium glossatum, Epistolas Pauli glossatas, Sententias Magistri Petri, Gratianum cum quibusdam aliis libris in adventu suo super altare Dominicum obtulit; quos cum scholaris existeret conscribi fecit, aut dato pretio comparavit.

De Bernardo Hamensi Abbate.

Paucis denique diebus evolutis Fratres nostri videntes in vicinis Ecclesiis novos stallos fieri, & Ecclesiam suam satis elegantem & recentem ex stallis antiquæ Ecclesiæ non venustari, sed potiùs dehonestari, domno Abbati cœperunt suggerere, ut exemplo vicinorum stallos construi faceret, & exinde Ecclesiam adornaret. Credebant enim quòd domni Petri Abbatis ærarium nondum exhaustum esset, & ideo lucrifieri sperabant quidquid à successore ejus extorqueri posset. Eo autem tempore immanis & famosa sylva de Nepa venalis erat, quam Balduinus Comes Flandriæ propter necessitatem imminentis viæ Jerosolymitanæ vendi faciebat, & quotquot ardua & sumptuosa ædificia ædificare cupiebant, ad eamdem sylvam recursum habebant. Invitatus est igitur ad constructionem hujus operis Wigerus senex & grandævus, & in multis Monasteriis familiaris & notus, qui annosas quercus prosterni, secari, & usque ad nos deduci fecit, filii quoque sui Roberti fretus auxilio infrà spatium anni opus ince-

ptum consummavit, & in loco debito stabilivit.

Ante hoc tempus Domno Iterio adhuc recente res mira in hoc loco contigit, quam silentio præterire nolumus, quamvis in suo termino à memoria nostra exciderit. Erat hîc quidam venerabilis Monachus mente, actu, & habitu verè religiosus, satis & competenter litteratus, Manasses nomine, de Castro Gisnensi oriundus, & exemplo venerabilis Guidonis Prioris, cujus suprà meminimus, ad apicem religionis accersitus, & sub regimine Domni Petri Abbatis sex fermè annis enutritus, & ejus tempore ad ordinem Sacerdotii promotus. Hic circà tertium Domni Iterii promotionis annum morbo calculi, flagellante Deo qui eum tamquam filium diligebat, ita cœpit ægrotare, ut nonnisi cum magnâ difficultate urinam posset trajicere: de consilio amicorum & familiarium suorum consuluntur ab eo medici, edocetur ab omnibus quòd non nisi secaretur in inguine, posset aliquatenùs salutem adipisci: denique ab Abbate Iterio ut eum secari permitteret licentia petitur, petita licentia denegatur: à sustinente passionem die ac nocte in petitionem perseveratur; pater tandem languentis filii precibus flectitur, & propriæ voluntati filius relinquitur: medicoque accersito ad hoc opus ut sperabatur idoneo, secandi dies ab eis constituitur.

Adveniente die statuto Frater ægrotus armis secandus, armis spiritualibus summo mane munitur, & in hymnis & confessionibus, & in psalmis & orationibus, in cordis contritione & lacrymarum flumine ad Missæ celebrationem supplex ingreditur; quâ expletâ egressus Ecclesiam, & domum infirmorum vetustam ingressus, dum ad secreta naturæ tendere proponit antequàm carnifici se exponat, videt in quodam diversorio inter ipsam infirmariam & ejus latrinam ubi Monachorum morientium dependere solebat cilicium, ipsum cilicium solo tenùs expansum, & Monachum exanimem superpositum, cum tamen pro certo sciret nullum Fratrem in Monasterio defunctum, sed nec præter se tunc temporis infirmum: hæsitat pro signi novitate vir insignis, & cum magno stupore quod viderat quibusdam exponit: dissuadetur ei à Fratribus quos super hac visione consuluit, ne se ulteriùs ferro exponat, ne quasi mortem accelerans vitam præsentem quasi sui homicida amittat, sed potiùs flagellum Dei quòd diù pertulit patienter sustineat. Ipse verò diuturna flagella pertæsus, & de Christi misericordiâ confisus à lictoribus sponte ligatur, secatur, & de intestinis ejus lapis ad instar ovi anserini nobis qui præsentes eramus extractus ostenditur: sperantibus cunctis quòd ipse superviveret, etiam nobiscum familiariter loquendo, convescendo, jocando in bonâ spe per dies aliquot moram faceret. Tandem negligenter à medicis salarium suum consequutis deseritur, & paucis diebus postea evolutis, in purâ confessione, verâ memoriâ, & sanctâ unctione ab hac vitâ subtrahitur. Hæc scripsi de eo hujus Operis compositor, pro eo quod ipsius notitiam ad plenum habui, Grammaticam ab eo in sæculo positus audivi, ad Religionem ipsius exemplo, & Domni Petri Abbatis documento perveni, & sub utroque per biennium militavi.

Andrenses Monachi cilicio imposito spiritum exhalabant.

1197. *Inter Regem Franc. & Comit. Flandr. discordiam Rex Anglor. seminat.*

Anno Domini M. CXCVII. inter Philippum Regem Francorum & Balduinum Comitem Flandriæ pax turbatur instinctu Ricardi Anglorum Regis. In mense Julio Balduinus Comes contracto undecumque copioso exercitu contrà Regem Francorum per pagum Tornacensem & Cameracensem vadit, & omnia ejusdem pagi castella cepit: sicque ad civitatem Atrebatensem tendens eam à parte Orientali obsedit; secundo obsessionis die subitò inde recessit. Philippus Rex Francorum hæc audiens & indignè ferens, satis festinanter, in medio scilicet Augusto, cum innumerabili exercitu Flandriam intravit, & usque ad Montem-Cati, inter Ipram & Belliolum oppida situm, ut Ipram obsideret, est progressus: ibi cùm Regi nuntiaretur quòd exercitus suus circumquaque ab indigenis cæderetur, & via multis qui in auxilium suum veniebant, & maximè iis qui victualia afferebant, interclusa esset: intercurrentibus suis & Comitis nuntiis res eousque deducta est, quòd sub spe pacis & concordiæ omnes ad propria pacificè remearent. Verùm nuntiis & muneribus Regis Angliæ Comitem Flandriæ, & Barones contrà Regem Franciæ frequenter incitantibus, pax prædicta parum duravit.

Inter duos Reges induciæ per annum jurantur. Henricus in Apuliâ moritur. Hic staturâ personalis non fuit, sed litteratura ejus, magnanimitas, justitia & prudentia pulchritudinem Absalonis superavit: luget mundus mortem ejus, Syria, Sicilia, Apulia, Calabria, Africa, Italia, Alemannia, Saxonia, Bajoaria, Suavia, Frisia, Austria, Lotharingia; nam de ejus morte omnes sunt turbatæ. Filius ejus puer parvulus à Siculis in Regem jure paterno suscipitur. Porrò Philippus frater Henrici Imperatoris tutor pueri constituitur.

Henricus Imper. migrat è vita.

Lacrymabilis fortuna accidit in urbe Achra. Nam Henricus Comes Campanensis & Princeps transmarinæ Christianitatis, cum quâdam die apud eamdem urbem in solario cujusdam domûs fenestram aperire voluisset, per eam ad terram corruit & cervice confracta, proh dolor! expiravit VII. anno Principatûs sui. Cujus mors ineffabilem Christianis dolorem, & magnam Sarracenis præbuit lætitiam.

Henricus Campaniæ Comes ex solario corruens interiit.

De obsidione Castri sancti Audomari.

Prædictus comes Flandriæ collecto exercitu, primò Areæ oppidum quia immunitum erat sibi subjugans, deinde Castrum sancti Audomari obsedit octavo Idus Septembris. Burgenses verò sancti Audomari cum jam per duas hebdomadas & ampliùs munitionem suam viriliter defendissent, quia cernebant Comitis vires quotidie crescere, de domini Regis auxilio quasi jam desperati fœdus cum Comite conditionaliter inierunt, quòd nisi scilicet infrà terminum inter eos condictum Rex eis succurreret, villam Comiti redderent. Missis ad Regem nuntiis & litteris, cum Burgenses hæc ei nuntiassent, quia Regis Angliæ infestatione nimis gravabantur, respondit quòd ad præsens eis succurrere non posset, & hoc quod factum fuerat donec corrigere posset, sustinerent. Reversis itaque qui ad Regem missi fuerant redditum est Comiti secundùm conventionem prædictam Castrum sancti Audomari quarto nonas Octobris. Rex interea Angliæ Richardus quotidianos erga Regem Franciæ insultus faciens, quâdam die congressu bellico multos nobiles milites cepit, ipsumque Regem qui bello intererat potenter usque portas castelli Gisors insequens, infrà munitionem fugere coëgit. Cum itaque ipsum Regem Richardum Angliæ ferè totus vel timeret vel prædicaret Orbis, subitò de hac vitâ raptus est: nam in obsidione cujusdam castelli in territorio Leviomensi telo balistarii graviter vulneratus, in brevi postmodum est defunctus: priùs tamen per Dei gratiam tamquam fidelis Christianus peccatum confessus est, Ecclesiasticis munitus sacramentis. Huic successit in regnum Joannes frater suus.

S. Audomari urbs Comiti Flandr. traditur.

Rex Anglor. mortem oppetit.

Anno Domini M. C. XCVIII. Cælestinus Papa VI. Kalendas Januarii senex & plenus dierum moritur: 1198. *Cælestino de-*

Lothariius Diaconus Cardinalis genere Romanus, vocatus Innocentius hujus nominis Papa tertius, ætate juvenis c. LXXIV. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Fulco venerabilis Presbyter Parisiensis auctoritate Apostolicâ per totam Galliam publicè prædicat: cum in sermone suo omnia carperet vitia, tamen omnis vis ejus prædicationis contrà usurarios, avaros & cupidos, contrà Prælatos negligentes & Presbyteros incontinentes maximè intonabat. Tota penè patria in melius ejus prædicatione mutata est, maximam quoque mulierum publicarum convertit multitudinem; innumerabilis etiam populi multitudo ad eum audiendum undecumque confluebat.

Defuncto Innocentius Pontific. creatur. Fulconis Parif. Presbyt. concionib. multi ad meliorem frugem redeunt.

Post mortem Henrici Imperatoris Optimates regni Teutonici de Rege substituendo dissidentes, Suavii, Bajoarii, Alemanni, Apulienses vel Sicilienses, Philippum Ducem Suavorum fratrem Henrici Imperatoris quem suprà diximus tutorem pueri constitutum, elegerunt.

De electione Othonis Imperatoris.

SAxones autem & Lotharingi Othonem Comitem Pictavensem, filium Henrici Ducis Saxonum in Aquensi palatio in Regem sublimaverunt. Hic prodierat ex sorore Richardi Regis Anglorum, cujus consilio & auxilio, & Balduini Comitis Flandriæ, assentientibus eis Archiepiscopo Coloniensi & Optimatibus Lotharingis, Aquense palatium obsedit contrà Waleranum filium Ducis Lemburgensis, qui oppidum Aquense cum validâ manu militum Philippo Duci Suavorum custodiebat; qui sextâ obsidionis septimanâ labore multiplici fatigati, nullum ab eo cui palatium custodiebant habentes succursum, Othoni salvo in omnibus honore castrum reddiderunt: quem statim Coloniensis Archiepiscopus cum Suffraganeis suis oleo sacro inunctum in solio Regni sedere fecerunt. A diebus enim Caroli-Magni sedes Regni est Aquisgrani, ubi idem requiescit. Duxit autem Otho Rex uxorem filiam Godefridi Comitis Lovaniensis ac Ducis Lotharingiæ. Philippus Dux & Otho Rex de Imperio contendentes fluvium Rhenum, qui Lotharingiam & Saxoniam dividit, transire non potuerunt; Philippus ab Oriente in Occidentem, Otho ab Occidente in Orientem. Comes Flandriæ Balduinus & Hannoniensis castrum S. Audomari v. hebdomadarum obsidione clausit; & Rege Francorum Philippo nullum ferente præsidium cepit & obtinuit. Arienses enim se jam sponte reddiderant in manus ipsius. Iterum Richardus Rex Anglorum in pago Wilcassino multitudine stipatus militum, super Philippum Regem Francorum irruit. Rex Francorum contrà veniens armis mutatis propè Gisortium in flumine cecidit, qui inde vix extractus nobilioribus suis captis cum magno labore evasit; qui statim exercitum copiosum congregans, terram Normanniæ suæ vicinam terræ incendio & rapinis totam vastavit.

1199. Anno Domini M. C. XCIX. diebus Nativitatis Dominicæ transactis venit in Galliam Petrus Cardinalis Diaconus sanctæ MARIÆ de Via lata, ab Innocentio Papa transmissus Legatus, litteras Francorum Regi deferens, in quibus Præceptum continebatur Apostolicum, ut Ingerburgem venerabilem Reginam falso consanguinitatis juramento disjunctam, legitimè sibi resociaret; quòd si acquiescere nollet, tam Rex quàm omnis terra ei subjecta anathematis vinculo subjaceret. Magister Petrus de Corboilo consecratus est Cameracensis Episcopus. Petrus Cardinalis per menses decem in Franciâ commanens, negotium de divortio Reginæ sibi injunctum tepidè exequitur. Balduinus Comes terram Regis Francorum in pago Adartensi vel Tervanensi & Aridagmantiâ vastat rapinis & incendiis. Philippus Comes Namurcensis frater ejus cum aliis quibusdam militibus capitur, qui vincti ferro Regi in Franciam diriguntur. Maria Flandriæ Comitissa pro pace inter Regem & Comitem componendâ Parisius vadit, quam Rex honorificè suscipiens, lætam & de pace securam cum quibusdam captivis in pignus pacis ad propria remisit. In diebus Adventûs Dominici Petrus Cardinalis apud Divionem Burgundiæ Castrum cum personis Ecclesiasticis tenuit Concilium.

Petrus Card. in Galliam missus, ut Rex conjugem Gerburgem recipiat.

Petrus de Corboilo fit Episcop. Cameracens.

Concil. Divionense.

De decimâ de Landertun.

EOdem tempore Henricus quidam cognomento Malerbe decimam de Landertun, quam nobilis vir Ingelramnus de Fielnes Dommo Abbati Petro dudum vendiderat & confirmaverat, & quam à dominâ Idâ Boloniensi Comitissâ, & à domino Morinensi Episcopo Desiderio confirmari fecerat, permittente domino Willelmo ipsius Ingelramni filio, ipsam decimam cœpit calumniari, & in usus proprios eam redigendo contrà locum istum nequitiam machinari; cujus malitiæ Domnus Iterius Abbas occurrens, & de prædicti Domini Willelmi fidelitate omninò diffidens, cum eo adversario pacem fecit, quam pacem dominus Lambertus Morinorum Episcopus partibus præsentibus sub hæc formâ confirmavit:

LAMBERTUS Dei gratiâ Morinorum Episcopus omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, in Domino salutem. Notum facimus tam præsentibus quàm futuris, quòd decimam totam de Landertun quam Ingelramnus quondam Miles de Fielnes Ecclesiæ Andernensi in eleemosynam contulit & concessit, & quam prædecessor noster dominus Desiderius quondam Morinensium Episcopus scripto suo authentico confirmavit, eidem Ecclesiæ perpetuò possidendam, similiter & Ida Comitissa Boloniensis; ipsi Ecclesiæ confirmavimus, & præsentis scripti patrocinio, necnon & sigilli nostri appensione communimus; statuentes & sub interminatione anathematis districtiùs inhibentes ne quis de cætero hujus confirmationis nostræ paginam infringere, vel ei in aliquo ausu temerario contraire præsumat. Henricus enim Malerbe qui Ecclesiam Andernensem super eâdem decimâ molestavit, se nihil juris in eâ habere coram nobis & quampluribus aliis recognoscens, & ejus Ecclesiæ integrum volens conservare, fide interpositâ & tactis Sacrosanctis juravit, quòd de cætero nullum jus in eâdem decimâ reclamaret, sed Ecclesiam possessione pacificâ gaudere permitteret: & super hoc nobilem virum Radulfum Militem de Fielnes plegium constituit. Actum anno Incarnationis M. ducentesimo, mense Septembri. 1200.

Charta Lamberti Episcop. Morin.

Ipso denique anno nobilis vir Hubertus de Bavelinghem querelam aliquando motam contrà præsentem Ecclesiam super Comitatu Montis de Campaniâ, ubi manent quidam hospites nostri, ad cor rediens sponte deposuit, & coram domino Balduino Gisnensi Comite nostrum nobis jus recognoscens in hunc modum, Chartam suam nobis indulsit, & eidem Chartæ præfati domini Comitis sigillum appendi impetravit:

Ego Hubertus de Bavelinghem notum facio omnibus præsentibus & futuris præsentem Chartam legentibus, quòd ego querelam illam quam habebam adversus Iterium Abbatem & Ecclesiam Andrensem pro Comitatu de Monte Campaniæ, ubi manent Everardus, Henfridus, Simon Hoved, & alii tres hospites, omnino liberam & quietam pro salute animæ meæ & parentum meorum dimisi & concessi, volens ut eumdem Comitatum sicut hac-

Charta Huberti.

tenùs, ita perpetuis temporibus liberè iidem Fratres teneant & pacificè possideant; & si quos in illo Comitatu præter eos qui superstites sunt multiplicari contigerit, à successorum meorum calumniis & inquietatione sint liberi & quieti. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, scriptum præsens sigillo meo confirmavi; sed & dominum Balduinum Gisnensem Comitem ut hoc idem sigillo suo confirmaret, rogavi. Actum est hoc anno Incarnationis dominicæ M. ducentesimo inter Ardeam & Campaniam.
1200. Hujus rei testes sunt Simon Decanus Gisnensis, Balduinus Bovere avunculus meus, Balduinus Canis, Balduinus de Hondescote, Philippus de Montgardin, Eustachius de Waldringhem, Balduinus Spriet, Robertus Mauvoisin, & multi alii.

De dono Domini Radulphi.

BIennio ante hoc tempus evoluto nobilis vir Radulphus de Fielnes hujus villæ dominus, & nobilis matronæ Adelidis maritus, bona hujus Ecclesiæ cupiens augmentari, dedit nobis & ad suum anniversarium assignavit totam decimam sylvæ communis apud Lo juxtà Hauthinghem, inter montem de Fielnes, & antiquam guarrariam, & suam eleemosynam de assensu domini sui Willelmi de Fielnes factam, & ab illis qui sui videbantur heredes approbatam, in hunc modum confirmavit, & per Chartam suam roboravit:

Charta Radulphi.

Ego Radulphus de Fielnes Miles omnibus præsentibus & futuris notum facio, quòd ego dono & concedo Deo & Ecclesiæ Andrensi pro salute animæ meæ & Adelidis de Andernes uxoris meæ, & parentum meorum, decimam sylvæ communis apud Lo terræ cultæ vel incultæ, quæ me hereditario jure contingit, ut in eâdem Andernensi Ecclesiâ post quam de medio factus fuero, fiat anniversarium meum. Hoc autem feci & concessi de assensu & voluntate nepotum meorum Willelmi domini de Fielnes, & Thomæ qui in hac mihi hereditate successurus erat, necnon & Eustachii fratris ipsius, etiam hoc concedentibus, & manum apponentibus, & quòd eamdem decimam ab omni calumniante Andrensi Ecclesiæ acquietarent promittentibus: Domnus verò Abbas Iterius, & fratres concesserunt mihi nemus de Hodenhoud cum omnibus pertinentiis suis, salvo jure Militis de Nurelcurt, tali conditione quòd quamdiù vixero, & heredes mei quos de legitimâ uxore generavero, prædicta perpetuò possideant: si autem nullum legitimè de uxore suscepero, ipsum nemus eadem Ecclesia absque alicujus reclamatione vel contradictione rehabebit & pacificè possidebit, nec minùs supradictam decimam perpetuis temporibus absque aliquâ contradictione possidebit.

Hæc autem donatio & concessio solemniter facta est super majus altare ipsius Ecclesiæ in præsentiâ totius parochiæ, anno Verbi Incarnati M. C. XCVIII. Et ut hæc charta perpetuæ stabilitatis robur obtineat, ipsam per chirographum scriptam & divisam sigillis nostris corroborari fecimus, & pars Ecclesiæ sigillo meo, & Willelmi nepotis mei munita est; & pars mea sigillo Abbatis & sigillo Andrensis Capituli roborata est. Hujus rei testes sunt: Simon Decanus, Vivianus, Petrus Presbyteri, Ingelramnus de Hermenghem, Wichardus de Bavelinghem Milites; Henricus de Vivario, Petrus Nanus, Manasses, Bollaro, Bataille, Eustachius de Cotes, Robertus famulus Abbatis, & multi alii.

De recompensatione eidem facta.

IN hujus autem eleemosynæ recompensationem domnus Abbas Iterius assensu Capituli sui, sicut in præfatâ Chartâ exprimitur, nemus de Hodenhoud cum omnibus pertinentiis suis eidem domino Radulfo contulerat, & ejus heredibus si quos de uxore suâ generaret; sin autem ipsa possessio ad nos liberè rediret. Et hæc conventio per chirographum divisum fuit roborata, & pars una sigillo Abbatis & Capituli, pars verò altera sigillo domini Willelmi de Fielnes & ipsius Radulfi fuit confirmata. Deo autem disponente præfatâ domini Radulfi uxore processu temporis sine herede carnali decedente, & ipso Radulfo adhuc possessionem nostram pacificè tenente, idem Radulfus de quorumdam fidelium consilio successori domni Iterii Abbatis ipsam possessionem in domo suâ de Flamersele sponte resignavit, & prædictam decimam nihilominus quitavit, timens ne si possessionem usque ad mortem teneret, heres ejus aliquo jure eam vendicare posset.

De Castellano Sancti Audomari.

EOdem quoque tempore nobilis vir Willelmus Castellanus Sancti Audomari, & suprà nominati Castellani Willelmi filius, per totum territorium sancti Audomari quasi solus dominans, & ideò tyrannidem suam vicinis & remotis in suâ jurisdictione possessiones habentibus ostentans, locum istum cepit multipliciter inquietare, volens à nobis more usitato aliquid extorquere. Nam antequàm Regis dominium Castellaniam sancti Audomari occuparet, non erat qui eidem Castellano in aliquo resistere auderet: Domnus autem Abbas Iterius insatiabilem ejus esuriem magno numero bladi & argenti compescuit, & ea quæ in Castellaniâ suâ habebamus, pro eo maximè quod de feodo ejus esse dicebantur, per chartam suam sub tali formâ confirmari impetravit.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen. Ego WILLELMUS Sancti Audomari Castellanus scire volo præsentes & futuros, me pro salute animæ mæ confirmasse ea quæ Andrensis Ecclesia possidet, vel quæ in posterum possidere poterit in Castellaniâ Sancti Audomari. In primis donationi patris mei fideliter assensum præbeo, de foragio videlicet totius vini quod ad usus proprios Andrensis Ecclesiæ in Castro Sancti Audomari comparavit. Confirmo etiam eidem Andrensi Ecclesiæ decimam de Elceka, quæ quondam per multorum partes divisa, nunc uniformiter Andrensi Ecclesiæ in eleemosynam est collata, partem videlicet cujusdam Adeleidis quam acceptâ charitate duodecim marcarum & dimidii in eleemosynam contulit: partem quoque Huberti & filiæ suæ Gertrudis, quam unà cum Drogone marito suo pretio quinque marcarum & dimidiæ in eleemosynam dedit in generalibus placitis Sancti Audomari per manum Johannis de Morbeka, qui præsidebat Mallis. Alteram nihilominùs partem confirmo quam Martinus in eleemosynam contulit acceptâ charitate sex marcarum & dimidiæ. Item partem Widonis de Gardino & uxoris suæ Adelidis pro charitate novem marcarum & dimidiæ in eleemosynam collatam; partemque Roberti de Aquâ, & Lamberti fratris sui, & nepotum & neptum suarum de Wlfus in eleemosynam Andrensi Ecclesiæ datam, acceptâ charitate quinque marcarum & dimidiæ: partem quoque Manassis de Monekahona & participum ejus, quam dederunt in eleemosynam acceptâ charitate septem marcarum.

Charta Castellani S. Audomarensis.

Confirmo ettiam eidem Andrensi Ecclesiæ partem decimæ quam habebant in villâ de Elceka Adam & uxor sua Christiana concedentibus liberis eorum, Waltero, Henrico, & Dedala in eleemosynam, collato pretio circiter triginta quinque marcarum: Willelmus etiam Callard concedentibus liberis suis

dedit in eleemosynam partem suam, acceptâ charitate decem marcarum, & partem molendini quod Andrensis Ecclesiæ fuit, qui fidejussores dedit Balduinum scilicet Senescalcum & Walterum Wrede; quòd ad hoc concedendum sorores suas, nepotes, & neptes, & universos propinquos suos coram scabinis adduceret, & de assensu propinquorum suorum Andrenensi Ecclesiæ satisfaceret: quod si facere nequiverit, partem molendini illius cum decem marcis Ecclesiæ restituet, & decimam suam ex integro recipiet. Walwainus quoque de Suavacas partem suam coram scabinis & ipse scabinus in eleemosynam contulit. In villâ quoque de Moula septem mensuras terræ quas quidam Nicolaus pro filio suo G. monachando contulit in eleemosynam, & super hoc Eustachium Canonicum Ecclesiæ Advocatum constituit, concedentibus filiis suis Hugone, Roberto, Joanne, Daniele & Hogivâ filiâ ejus, sed & tres mensuras terræ in eâdem villâ. Hæc omnia diversis temporibus facta anno Dominicæ Incarn. M. CC. coram nobis & francis scabinis recognita sunt & reconfirmata. Et ego horum omnium ad augmentum Ecclesiæ Advocatus ero, & ei me stabilem & indefessum amicum semper exhibebo. Scabini autem tam præsentes quàm præteriti, qui hæc viderunt & audierunt, sunt isti, Walterus Wrede, Walvainus de Suavacas, Henricus de Ostremonle, Eustachius de Elceka, Drogo de Ostremonle, Hugo de Salperwic, Hugo de Burkes, Hugo de Lumbres, Balduinus de Fonte, Manasses Goel, Eustachius de Delethes, Balduinus de Billeka, Walterus de Strathem, Alulfus de Delethes, Petrus de Fonte, Adam de Witteka, Walterus de Elceka, Marcilius de Lidinghem, Henricus de Bruec, Eustachius de Hodingetun, Lambinus de Rengueveseure, Willelmus de Bindeka. Ad majorem autem certitudinem huic scripto sigillum meum apposui per manum Giraldi de Renguenescure, mense Maio.

1200. Anno Domini M. CC. Philippus Rex Francorum & Balduinus Comes Flandriæ, in ipsis diebus Nativitatis Dominicæ ad colloquium apud Peronam convenerunt; ubi per MARIÆ Comitissæ industriam firmam inter se juraverunt pacem; quæ pax & Franciæ & Flandriæ magna fuit causa lætitiæ.

Interdicti sententiæ in Regnum Franc. à Petro Cardinale latæ, quare non obediunt omnes Episcopi.

Petrus Cardinalis pertransiens Burgundiam transcendit Apenninum montem, sententiam quam in Franciam dare debuerat ibi dedit, & Regem cum omni terrâ suâ inauditâ severitate interdixit: interdicti sententiam quidam Episcopi ferventissimè observaverunt, Parisiensis, Sylvanectensis, Suessionensis, Ambianensis, Atrebatensis, & alii quorum non habemus notitiam. Hos Papa Innocentius miris per epistolas illis missas effert laudibus: contemptores autem verbis terret minacibus. Philippus Rex Francorum, & Joannes Rex Anglorum, Balduinus quoque Comes Flandriæ, & multi alii utriusque Regni Principes in marcis Franciæ & Nortmanniæ ad mutuum conveniunt colloquium: ibi Ludovicus puer filius Regis Francorum uxorem accepit filiam Regis Hispaniarum, quæ erat filia sororis Joannis Regis Anglorum. Ibi pax firma firmata est inter Reges & Principes: nam Joannes Rex Anglorum guerpivit castella Wilcassini pagi, Gisortium scilicet & alia, unde tota guerra jam per multos annos inter utriusque Regni Reges fuerat exagitata Octavianus Episcop. Hostiensis ab Innocentio Papa mittitur in Franciam Legatus, quem Rex Francorum honorificè suscepit, & Ingeburgem Reginam per præceptum domini Papæ verbotenus sibi resociavit, superinductam abjuravit, & sic terram Regis Francorum ab interdicto absolvit.

Pax inter Reges Franc. & Angl. stabilitur.

1201. Anno Domini M. CCI. post mortem Comitis Flandriæ Philippi in territorio Furnensi inter Blavotinos & Ingrikinos guerra per aliquot annos durat; homicidia, incendia, rapinæ fiunt, nec est qui justitiæ manum apponat. VI. Kal. Decembris quidam Miles Herbertus nomine de Wlfringhem, qui præcipuus inter Blavotinos habebatur, castrum Comitis in ipsa villâ de Furnis collectâ parvâ manu suorum incendit: ob cujus facti audaciam tam ipse quàm suæ factionis coadjutores per bannum Comitis Balduini & Reginæ portugallensis, per aliquod tempus ejecti sunt de terrâ, & bona eorum confiscata. Cùm mediante mense Martio apud urbem Suessionensem in præsentiâ Octaviani & Joannis Cardinalium Rex Francorum vallatus multitudine Advocatorum causam suam pro divortio conjugis suæ ad libitum suum peroraret; Reginaque, proh dolor! sola nullum præter Deum haberet Advocatum, quidam Clericus è medio surgens licentiâ Regis & Cardinalium causam Reginæ ita dilucidè proposuit, ut tam Regi quàm Cardinalibus & omnibus qui aderant, fieret admiratio. Balduinus Comes Flandriæ & Hainoniæ Jerosolymam tendens, Venetiis hyemavit. Anno Domini M. CCII. qui priùs inimicam Venetiis Gazarum civitatem subactam eis tradidit, & sic ad illam nobilem, munitissimam ope simul & opibus & ferè inexpugnabilem civitatem Constantinopolim expugnandam de Dei confisus adjutorio cum paucis accessit: in quâ expugnata secundò in Imperatorem eligitur & coronatur. Obiit piæ memoriæ Willelmus Remensis Archiepiscopus.

Bellorum effectus.

Clericus Reginæ dimissæ causam cum omnium stupore tuetur.

1202. Bald. Flan. Comes Gazas & Constantinop. expugnat.

Eodem anno domnus Abbas Iterius videns curtem nostram de Mas nimis in arcto positam; & per malitiam Nobilium qui terras habebant terris nostris contiguas, undique coangustatam, de consilio domni Gusfridi Præpositi nostri, cui ipsam curtem commendaverat, quamdam terram nostræ terræ contiguam à domino Hugone de Savinghem acceptis ex ærario domni Petri Abbatis decem libris, impignoravit; & idem Hugo ad dominum Balduinum Comitem Gisnensem accedens, & fructus ejusdem vadii nomine eleemosynæ recognoscens, pro eo quod ipsa terra ad feodum ejus spectabat, ipsum Comitem erga nos fidejussorem constituit, & per Chartam ejus in hunc modum præfatum vadium confirmari fecit:

Charta Balduini Comitis Gisn.

Ego Balduinus Comes Gisnensis notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd Iterius Abbas & Ecclesia Andrensis invadiavit ab Hugone de Sawinghem terram quam habebat apud Mas juxtà curtem eorum. Dedit siquidem eadem Ecclesia prædicto Hugoni decem libras publicæ monetæ, ut eamdem terram habeat, & sicut suam possideat, quoadusque memoratum argentum recipiat. Rogatu etiam prædicti Hugonis meipsum fidejussorem constitui, ut contrà omnem calumniam nominatam terram Andrensi Ecclesiæ acquietarem, & sicut fidelis fidejussor prædictam pecuniam Ecclesiæ solverem. Terminus autem redemptionis erit de anno in annum in festivitate Sancti Remigii. Actum anno Verbi incarnati M. CCII. super hoc testes sunt, Willelmus frater meus, Balduinus filius meus, Gusfridus filius meus, Balduinus filius Willelmi fratris mei, Willelmus frater Tarevolevel, Rollandus, Henricus Falconarius, & alii multi. 1202.

De Flandrensi comitissa.

ANno Domini M. CC. III. MARIA uxor prædicti Balduini Comitis, neptis Philippi illustris Regis Franciæ, virum suum insequuta, multa & gravia perpessa maris pericula, tandem Accaron applicuit, ibique longâ ægritudine macerata spiritum exhalavit. 1203.

Comes Gisn. Andrensis Advocatus.

Circà idem tempus perspiciens Domnus Abbas Iterius pravum usum in hac parochiâ inolevisse, dominum scilicet Comitem Gisnensem ratione advocationis antiquæ à singulis hospitibus nostris singulas gallinas accipere in die diem cinerum præcedente, ut se, & familiam suam exinde pasceret, & tam falconariis quàm avibus rapacibus eis commissis satisfaceret, ad eumdem Comitem junctis secum quibusdam sociis personaliter & humiliter accessit: consuetudinem istam onerosam asseruit, & pro eo quod servitutem potiùs quàm libertatem saperet, eam liberaliter remitti petiit & impetravit. Comes enim discretus videns & perpendens non sibi & suis tantum emolumentum crescere, quantum Ecclesiæ & hominibus ejus considerabat præjudicium & opprobrium imminere, accersito filio suo domino Arnulfo Ardeæ domino & Broburgensi Castellano, Chartam nobis perpetuæ libertatis contulit, & eidem Chartæ sigillum filii sui primogeniti appendi fecit, in hunc modum:

Balduin. Comes quæ usurpaverat dimittit.

Ego Balduinus Comes Gisnensis notum facio præsentibus & futuris, quòd ad preces Domni Iterii Abbatis Andrensis immunes dimisi & quietos omnes mansionarios sub eo manentes circà Ecclesiam Andrensem, scilicet inter molendinum ventosum quod in Occidentali parte situm est, & subjacentem marescum à parte ejus Orientali, ne iidem mansionarii de cætero gallinas aut alias consuetudines reddant, quas famuli mei quasi sub nomine meo annis singulis accipere volebant. Huic autem concessioni dominus Arnulfus de Gisnes Castellanus de Broburg filius meus assensum præbuit, & præsenti Chartulæ sigillum suum unà mecum apposuit, ne per se aut per suos prædicti mansionarii aliquando gravamen incurrant. Actum extrà Ardeam anno Verbi Incarnati M. CCIII. coram iis testibus, Ægidio de Lotessâ filio meo, Eustachio de Campaniis, Radulpho de Cochone, Baldevino de Bavelinghem, Petro de Balinghem, & multis aliis.

Eodem anno nobilis vir Willelmus dominus de Fielnes Ecclesiam istam multipliciter cœpit inquietare, & nostras possessiones sub suâ jurisdictione consistentes undique perturbare, volens ab Eleemosynario nostro cappam pluvialem & sumptuosam annis singulis extorquere. Siquidem à tempore domini Warini eleemosynæ nostræ fundatoris, & ejusdem Willelmi prædecessoris, in nostro hospitali de Filogrosso cappa solebat singulis annis texi, & domino de Fielnes transmitti, quâ Eleemosynarius & cæteri Monachi solebant uti: sed pater ejusdem Willelmi nobilis vir Ingelramnus ad partes Jerosolymitanas proficiscens pro bono pacis sicut credimus, consensu Fratrum nostrorum ad XVI. solidos Bolonensium appretiari fecit. Idem filius ejus exemplo patris malè utens, & tantum pretium ad cappam comparandam minimè sufficere dicens, cappam quinquaginta vel sexaginta solidorum ab eleemosynario nostro extorquere voluit, & proinde bona nostra circumquaque saisivit. Domnus verò Abbas Iterius ex stabilitate Ordinarii seu vigore, qui multum favebat Nobilibus, non multum confidens, & ex Comitis Boloniensis Reinaldi justitiâ, cujus idem Willelmus sororem duxerat, omninò diffidens, datis ei de substantiâ pauperum viginti libris Parisiensium, pacem quam gratis habere non potuit, pretio comparavit, & eamdem cappam ad quinque solidos sterlingorum annuatim appretiatam, per Chartam suam confirmari fecit sub hac formâ:

Charta Willelmi de Fielnes.

Ego Willelmus filius Ingelramni, dominus de Fielnes notum facio omnibus præsentibus & futuris, quòd cappam quam pater meus dudum appretiaverat ad XVI. solidos sibi ab Andrensis Ecclesiæ Eleemosynario annuatim in festo sancti Michaëlis solvendos postmodum iter Jerosolymitanum arripiens in conspectu hominum suorum & virorum religiosorum pro prædicto censu annuatim redimi statuit, & nihil Andrensem Ecclesiam ampliùs quam hos XVI. solidos pro cappâ debere recognovit; pro quâ tamen cappâ omnia quæ Andrensem Ecclesiam contingunt ex largitione prædecessorum suorum, & ex dono suimet, tam in Boloniæ Comitatu, quàm in Gisnensi defensare debet, & ab omni calumniante acquietare, sicut tunc coram multis recognovit, tam ipse quàm omnes heredes sui. Ego igitur patri succedens primò cappam ab Andrensi Ecclesiâ calumniatus sum, deinde injustam deponens calumniam, pro cappâ quinque solidos sterlingorum annuatim mihi dari constitui in Natali Domini, assensu domni Abbatis Iterii & totius Capituli. Actum Anno Verbi Incarnati M. CCIII. apud Fielnes Calendis Januarii, 1203.
concedente uxore meâ Agnete, & filio meo Ingelramno qui hoc per Advocatum concessit; audientibus & videntibus Radulfo de Fielnes patruo meo, Willelmo de Contes, Arnulfo de Hesdingnol, Joanne de Cubbingetun, Joanne de Tingri, Eustachio de Cotes, Ægidio de Motiers Militibus, Magistro Balduino, Willelmo Capellano, Lamberto Pip, Gusfrido de Moykes, Roberto Carnier, Sadonio, & multis aliis.

Præterea pro eo quod idem dominus durus nobis & onerosus possessiones nostras plerumque perturbaverat, & ipsarum se patronum & tutorem sæpiùs esse dixerat, ut patronatu omninò privaretur, & nostra libertas pleniùs exprimeretur, aliam nobis Chartam indulsit, de cappâ quidem mentionem facientem, omnia bona nostra de suis prædecessoribus provenientia continentem, in hunc modum:

Charta Will. Andrensis Patroni.

Ego Willelmus filius Ingelramni dominus de Fielnes, notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd cappam quam pravorum consilio deceptus ab Andrensi Ecclesiâ calumniatus fui, ad quinque solidos sterlingorum appretiavi annuatim mihi reddendos in Natali Domini; pro quâ pensione omnia quæ Andrensem Ecclesiam contingunt in Boloniensi & Gisnensi Comitatu tam ex dono meo, quàm ex eleemosynâ prædecessorum meorum acquietare teneor, & contrà omnem calumniam eidem Ecclesiæ defensare. Concedo etiam ad usus Andrensis Ecclesiæ decimam de Landertun, quam Dominus Ingelramnus pater meus eidem Ecclesiæ in eleemosynam contulit, sicut adhuc testatur ejus scriptum, & privilegia domini Desiderii & domini Lamberti Morinensis Episcopi. Concedo quoque eidem Ecclesiæ, quidquid in dominio meo justè & legitimè salvo jure meo perpetuis temporibus acquirere poterunt aut impignorare. Confirmo præterea donationes & eleemosynas seu Eleemosynarii Andrensis libertates, quas Warinus vel alii antiqui de Fielnes prædictæ Ecclesiæ contulerunt, & quas præcipuè ad usus pauperum deputaverunt de allodiis suis, terris, sylvis, stagnis, molendinis, & Comitatibus, servis & ancillis, quæ posita sunt inter montem de Fielnes & paludem jacentem sub villâ de Bokerdes, inter castrum Gisnense & villam de Marchnes. Decimam quoque de Hervedinghem, quam in meo habent dominio eis confirmo, & ad eam ad usus Fratrum Andrensium conservandam semper adjutor ero. Hæc igitur omnia propria Ecclesiæ sic esse recognosco & concedo, & sigilli mei auctoritate corroboro; testificans quòd in omnibus quæ præscripta sunt nihil juris habere debeo.

Actum anno verbi Incarnati M. CCIII. apud Fielnes, & postmodum domino Morinensi recitatum 1203.
&

& coram eo recognitum, concedente uxore meâ Agnete, & filio meo Ingelramno, qui hoc totum per manum Advocati sui concessit. Super hoc testes sunt, Radulphus de Fielnes patruus meus, Willelmus de Contes, Arnulfus de Hesdingnos, Joannes de Gibbingetun, Joannes de Tingri, Eustachius de Cotes, Ægidius de Mortiers Milites; Magister Balduinus, Willelmus Capellanus, Lambertus Pip, Gusfridus de Moykes, Robertus Carnier, Sadonius, & multi alii.

Domni quoque Iterii Abbatis tempore quidam religiosus Clericus, Walterus nomine, de hac villâ oriundus, de terrâ Jerosolymitanâ regressus, & ad præbendam quæ datur pro Fratribus nostris defunctis in habitu clericali ad subsidium custodis admissus, de iis quæ secum attulerat, & quæ in loco isto licitè & honestè congregaverat, in parochiâ de Boxin portionem cujusdam decimæ acquisivit à quodam Roberto cognomento Vilain, & acquisitam huic loco in perpetuum delegavit. Abbas verò Iterius eamdem decimam à præfato Waltero acquisitam & quittatam, à domino superiori nobili viro Widone de Elembom, de cujus erat feodo, confirmari per Chartam suam fecit sub hac formâ:

Charta Widonis de Elemboarg. Ego Wido de Elembom tam præsentibus quàm futuris præsenti scripto notifico, quòd Robertus cognomento Vilain acceptâ charitate XIX. librarum & dimidiæ dedit Deo & Ecclesiæ Andrensi, & Monachis ibidem Deo servientibus quidquid habebat in decimâ de Boxin assensu Henrici filii Balduini de Menti. à quo præfatam tenebat decimam: sed & idem Henricus eamdem à me tenens, rogavit ut hanc donationem concederem; cui ad ejus preces pro salute animæ meæ, & parentum meorum assensum præbui, & ea ad usus prædictæ Ecclesiæ sigillo meo communivi & concessi. Hoc apud Andernes in Oratorio datum & concessum, & super altare Dominicum solemniter oblatum viderunt & audierunt Ernulfus de Mas, Henricus Haccha de Hoctinghem, Lambertus filius Walon, Henricus Golir, Eustachius Molnerius, & plures alii. Postea in præsentiam meam apud Elembom venientes Abbas & hujus doni donatores, ne quid proinde calumniæ vel detrimenti Ecclesia sustineret, hoc firmiùs confirmari petierunt: quod iterum sicut priùs concessi, & libenter confirmavi, suprà scriptis testibus, & istis videntibus & audientibus, Widone & Henrico filiis meis, Simone Presbytero, Hugone Clerico, Joanne fratre meo, Hugone de Scames, Guidone filio ejus, Robino de Scames, Balduino Burgois, Eustachio Hotibolle, Balduino de Lenecques, & multis aliis. Actum est hoc anno Verbi Incarnati M. CXCVI.

1204. Anno Domini M. CCIV. Joannes Rex Angliæ, Normanniâ & Aquitaniâ cum universis appenditiis relictis, tamquam ad asylum confugiens mari velociter transito in Angliam se recepit.

De captione Balduini Imperatoris Flandriæ Comitis.

1205. ANno Domini M. CCV. Balduinus Imperator Constantinopolitanus à Joanne cognomento Blake in conflictu inter se commisso captus fuit, nulli postea de suis comparens.

Eodem anno dominus Balduinus Comes Gisnensis jam senio gravatus, & in captione domini Regis Francorum Philippi, quam pro liberatione terræ suæ cum duobus filiis Ægidio scilicet & Sigero militibus sponte subierat, aliquantulum debilitatus, per totam ferè hyemem cœpit languescere, & cum lectulo decubare minimè consuevisset, nunc hanc, nunc aliam de domibus suis spe recreationis cœpit invisere: invalescente tandem morbo in octavis Beati Stephani Protomartyris in domo suâ apud Gisnes dispositis rebus suis, Sacramentis Ecclesiasticis devotè potitus, de Domini misericordiâ confisus obiit. Priùs tamen sicut vivens in quodam scripto statuerat, in Andrensi Cœnobio cum patribus suis sepulturam elegit. Vix Princeps nobilis ultimum spiritum efflaverat, vix calor vitalis eum deseruerat, cum ecce famosa illa Beatrix Broburgensis Castellana, & ex parte mariti Ardeæ domina ultrà modum sitiens, & festinans fieri Comitissa, Abbati & Conventui cum festinatione mandat, quatenùs Dominum & Patronum suum celeriter adeant, ad Monasterium suum eum deferant, solemnes pro eo vigilias & exequias faciant, & omnes qui ad funus de parentelâ ejus accesserint honorificè suscipiant, & plenariè exhibeant. Mandato dominæ jam plùs domino suo formidatæ Conventus obsequitur, extrà castrum de Gisnes à Clero & populo Conventui dealbato Pater patriæ attribuitur in loco, ubi processu temporis duplex crux lapidea à præfatâ dominâ pro eodem Comite, & pro successore suo ipsius dominæ marito statuitur: cum fletu & ejulatu cantuque lacrymabili in Andrensi Cœnobio introfertur, omnis patet aditus, nulli hospitium denegatur: ab horâ vespertinâ usque ad mediam noctem sub omni tecto à militibus & matronis, à Burgensibus & aliis personis cœnatur, & usque ad horam sepulturæ conviviis & potationibus vacatur. Denique retulerunt nobis quidam totius successionis suæ notitiam habentes, quòd sepulturæ suæ interfuerunt triginta & tres filii & filiæ, quos de Comitissâ Christianâ genuerat, & quos per mortem ejusdem Comitissæ alibi acquisierat. Comes Gisn. in Abbatia Andren. tumulatur.

Abbatibus igitur & Prioribus, Monachis & Canonicis, Sacerdotibus & Clericis, cum variâ Militum & Nobilium multitudine circumstantibus, corpus egregii Principis ante majus altare, in octavis Beati Joannis Evangelistæ sepulturæ traditur: & interim innumera pauperum multitudo panibus & carnibus de singulis mansionibus ejus huc adductis copiosè reficitur.

Peractâ sepulturâ dominus Arnulfus filius ejus quibusdam Nobilibus terræ suæ comitatus Abbatem & Conventum secum educit; & in præsentiâ omnium, in hæc verba erupit: Grates, inquit, refero vestræ devotioni Fratres, & domini, super eo quod patrem meum & vivum & mortuum in tantum honorastis, quòd in ejus exequiis tot & tanta expendistis, quòd eum sepulturæ tam decenter & officiosè tradidistis. Et quia dignum esse reor, ut vestram devotionem aliqua remuneratio sequatur, & maximè reditus unde patris mei dies anniversarius apud vos & successores vestros in perpetuum memorialis habeatur, in vestrâ optione constituo, ut aut de meo proprio centum solidos in anno perenniter habeatis, aut ab omnibus redditibus quos de curte vestrâ de Bredenarde annuatim mihi debetis, immunes in perpetuum & quieti remaneatis. Quo audito Abbas & Conventus Principi suo recenti super oblatâ liberalitate grates referunt, & ut super optione propositâ inter se deliberent, se seorsum divertunt. Breve colloquium inter eos habetur, libertas potiùs quàm aliquis reditus ab eis eligitur: Decretum commune Principi, & ejus Consiliariis propalatur, & ab omnibus communiter petitio facta approbatur. Debebat tunc temporis curtis prædicta Comitibus de Gisnes annuatim viginti quatuor paria redditibus & consuetudinum, quæ si termino statuto in domo Danderwic minimè solverentur, Vicecomes ejus & Scabini de singulis retentis statutum exigebant foris factum: quæ elec-

mosyna licet tunc fuerit nobis indulta, non statim fuit per Chartam confirmata, quia mediante malitiâ Mactinei de Sai.kerke tunc potentis, tunc in Comitatu Gisnensi principatum habentis, postmodum verò abjecti & vilis præratus Comes quemdam censum minutissimum quasi. . . . superioris dominii sibi retinere voluit, & pro eo quod hoc nobis displicebat, non domni Abbatis Iterii tempore hæc eleemosyna confirmata, sed usque ad successoris ejus tempus, per VI. annos & ampliùs dilata & prorogata fuit, sicut in sequentibus patebit.

De Imperio Henrici post Balduinum.

1206. ANno Domini M. CCVI. prædicto Balduino successit in Imperium frater suus Henricus, vir in rebus bellicis strenuus, & morum nobilitate conspicuus. Guido Remensis Archiepiscopus Gandavi moritur & sepelitur.

De confirmatione decimæ de Hervedinghem.

Charta Gusfridi de Ferknes.

EOdem anno Domnus Iterius Abbas videns decimam nostram Hervedinghem multipliciter perturbari, tam ab eis qui eam prædecessori suo vendiderant, quàm ab illis qui eis successerant: perpendens etiam quòd Gusfridus de Fercnes Miles, de cujus feodo decima proveniebat, venditioni nondum assensum præbuerat, ad eum personaliter accessit, & non sine pretio ad hoc eum induxit, quòd venditionem factam de decimâ ratam & gratam habuit, & eam per Chartam suam nobis confirmavit in hunc modum:

Ego Gusfridus de Ferkenes scire volo præsentes & futuros, quòd Geroldus de Piro, & Beatrix uxor ejus, & ipsorum liberi, Hugo, Beatrix, & Verdiana dederunt & concesserunt Deo & Ecclesiæ Andrensi pro salute animarum suarum totam decimam, quam de me tenebant in feodum in parrochiâ de Hervedinghem. Huic autem donationi ego & uxor mea Mathildis, & filius Eustachius jam ætatem suam habens, assensum præbuimus, & ut participes simus bonorum quæ in Andrensi Ecclesiâ in perpetuum fient eam ratam habemus: & ne quid eidem Ecclesiæ ad munimentum desit, precibus meis venerabilis Morinorum Episcopus dominus Lambertus tam me quàm prædictos super petitione retentæ diutiùs decimæ clementer absolvit; & dato scripto suo eamdem decimam ad usus Andrensis Ecclesiæ in perpetuum confirmavit. Ego quoque ad majorem certitudinem rem ita gestam testificor tam scripto quàm sigillo, & illos qui interfuerunt in testimonium veritatis subscribo. Actum anno Domini

1206. M. CCVI. Testes sunt Magister Willelmus, Gerardus, Dionysius Clerici domni Episcopi, Eustachius de Liskes, Lambertus Decanus Gisnensis, Simon de Fercnes, Petrus de Andernes Presbyteri, & multi alii.

Præterea ne quid vobis ad certitudinem deesset, dum dominus Lambertus Morinensis Episcopus quâdam vice hospitandi gratiâ ad nos divertisset, & casu fortuito idem Gusfridus præsens existeret, Domnus Abbas & Conventus multiplicem perturbationem ab eodem Gusfrido super prædictâ decimâ factam, eidem Episcopo intimaverunt, & ut partes suas pro bono pacis interponeret, impetraverunt. Episcopus verò prædictum Militem ad hoc induxit, quòd eo petente & humiliter supplicante, sicut in Chartâ suâ prædictum est, decimam prædictam idem Episcopus nobis confirmavit, sub tali formâ:

Charta Lambert. Episcopi.

LAMBERTUS Dei gratiâ Morinorum Episcopus omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quòd cum Morinensem diœcesim, cui auctore Deo præsidemus, sollicitudo Pastoralis officii nos circuire compelleret, & nostræ mentis intentio circà ea quæ circumquaque corrigenda erant, diligenter invigilaret, dilecti filii Iterius Abbas Andrensis & Conventus, apud quos tunc temporis hospitabamur, de nobili viro Gusfrido de Ferchnes Milite coram nobis posito conquesti sunt plurimùm, asserentes se gravia damna & multiplices injurias per ipsum sustinuisse, pro eo quòd decimam quamdam quam iidem Fratres à Geroldo de Hervedinghem ejusque filio Hugone hominibus ipsius G. legitimè acquisierant, eis sicut jamdudum promiserat garentire, & per suum scriptum confirmare diutiùs recusaverat. Nos ergo paci simul & indemnitati Andrensis Ecclesiæ piâ sollicitudine providentes, ipsum Gusfridum convenimus, & ad hoc induximus, quòd suam culpam recognovit, & quidquid juris ipse, vel heredes sui, sive homines ejus in eâdem decimâ habuerant, in manu nostrâ guerpivit, sicque absolutionem promeruit. Quo facto nos de eâdem decimâ dictos Fratres investivimus, & tam ipsum Gusfridum quàm heredes, & homines ejus, si de cætero super eâdem decimâ Ecclesiam Andrensem molestare vel inquietare præsumserint, districto anathematis vinculo innodavimus. Ut autem pagina perpetuæ stabilitatis robur obtineat, sigillum nostrum apposuimus. Actum apud Andernes anno Incarnati Verbi M. CCVI. mense Aprili coram multis.

Eodem quoque anno nobilis vir Eustachius de Hammes more solito pecuniâ indigens, & eam à nobis habere cupiens, cum Domno Abbate Iterio & Fratribus consilium habuit, & tam pro Deo, quàm pro statuto pretio XIII. polkinos frumenti quos Eleemosynarius noster annuatim ei debebat, nobis indulsit. Et ut domnus Guillelmus de Fielnes, de cujus feodo hæc eleemosyna erat, assensum præberet, & Chartæ suæ super hoc compositæ sigillum apponeret, impetravit. Tenor autem Chartæ utriusque nobilis viri sigillo signatæ, talis est, & sub hac formâ:

Ego Eustachius de Campanies notum fieri volo tam futuris quàm præsentibus, quòd pro gravibus damnis & multiplicibus injuriis Andrensi Ecclesiæ à me illatis, ut Deo & ejusdem Ecclesiæ Fratribus satisfacerem, dedi & concessi in perpetuam eleemosynam pro salute animæ meæ & parentum meorum eidem Ecclesiæ XIII. polkinos frumenti, de illis decem & VII. polkinis quos Andrensis Ecclesiæ Eleemosynarius singulis annis mihi debebat. Præterea donationi patris mei liberaliter assensum præbui super duobus polkinis frumenti pro animâ matris meæ Andrensi Ecclesiæ collatis, & ad ejus anniversarium deputatis. Domnus autem Abbas Iterius & alii Fratres in die quo hanc eleemosynam solemniter feci, & super altare humiliter obtuli, me absolverunt, & inter familiares suos receperunt, sed & omnes qui de supradictâ eleemosynâ ipsos ausu temerario in posterum inquietare præsumserint, candelis accensis excommunicaverunt, adstantibus tam Clericis quàm laicis, scilicet Lamberto Decano Gisnensi, Petro Presbytero Andrensi, Waltero Clerico, Willelmo de Calawida, Mauritio de Pastura, & aliis multis. Post modicum verò temporis cum Fratribus ejusdem Ecclesiæ apud Fielnes proficiscens, quod factum fuerat coram Domno Willelmo à quo præfatam eleemosynam cum residuis reditibus, & aliis bonis in feodum tenueram, & coram Paribus meis per ordinem recognovi, & ut ipse assensum præberet & manum apponeret impetravi. Ipse verò tamquam superior dominus pro salute animæ suæ & parentum suorum petitioni meæ benignè annuit,

Charta Eustachii de Camp.

& in testimonium veritatis huic scripto à me confirmato sigillum suum apposuit. Actum anno Verbi
1206. Incarnati M. CCVI. mense Februario. Testes dominus Radulfus de Fielnes, Joannes de Tingri, Ingelramnus de Renningessem, Balduinus de Lo, Adam de Boninges, Balduinus Peleth, Lambertus Pip; qui omnes sunt Pares mei; & multi alii tam Clerici quàm laïci qui præsentes erant.

Postmodum idem Eustachius ad dominum Lambertum Morinensem Episcopum personaliter accessit, quod per se datum fuit, & à domino suo prædicto Willelmo approbatum, & ab utroque confirmatum per ordinem retulit, & ut idem auctoritate Pontificali Andrensi Ecclesiæ nominatam eleemosynam confirmaret, humiliter supplicavit. Dominus verò Episcopus Chartam suam nobis indulsit in hunc modum:

Charta Lamberti Episcopi. LAMBERTUS Dei gratiâ Morinorum Episcopus omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, in Domino salutem. Noverit universitas vestra quòd nobilis vir Eustachius de Campanies dedit in eleemosynam Andrensi Ecclesiæ, & Monachis ibidem Deo servientibus, tredecim polkinos frumenti tam pro se quàm pro anima matris suæ, de istâ pensione annuâ quam ejusdem Ecclesiæ Eleemosynarius ei debebat. Huic autem donationi nobilis vir Willelmus de Fielnes, de quo hæc & multa alia tenebat in feodum, assensum præbuit sicut docet Authenticum exinde compositum, & utriusque sigillo confirmatum. Nos quoque ad quos specialiter spectat eleemosynas voluntariè factas, per censuram Ecclesiasticam ministris Dei guarantire, & eorum indemnitati providere, hanc eleemosynam ratam habemus, & sub districtâ anathematis sententiâ firmiter inhibemus ne quis de cætero eam calumniari, vel sibi appropriare, seu quocumque modo ab usibus Andrensium Fratrum alienare præsumat. Hoc autem ipsum statuimus de duodecim denariis pari devotione à præfatis viris nobilibus ejusdem Ecclesiæ Fratribus indultis. Actum anno Verbi Incarnati M. CCVI. mense Martio coram multis.

De morte Lamberti Episcopi.

1207. ANno Domini M. CCVII. Lambertus Morinorum Episcopus obiit: cui successit Joannes Archidiaconus nepos ipsius.

Eodem anno nobilis vir Thomas de Fielnes, domini Willelmi germanus, ad partes Jerosolymitanas proficisci cupiens, & se exemplo fratris multa nobis mala irrogasse cognoscens, cum non nisi pauca hereditario jure haberet, multa nobis dare non potuit, unde unum nobis polkinum frumenti ad mensuram Boloniæ apud Nepteuviltam juxtà Monasterium sancti Wlmari annuatim accipiendum perenniter delegavit, & per Chartam suam confirmavit in hunc modum:

Charta Thomæ fratris Guillelmi de Fielnes. Ego Thomas frater Domini Willelmi de Fielnes, notum fieri volo tam futuris quàm præsentibus, me concessisse & dedisse Andrensi Ecclesiæ in perpetuam eleemosynam pro salute animæ meæ, & parentum meorum unum polkinum frumenti ad mensuram Boloniæ apud Nepteuvilte singulis annis accipiendum. Hoc autem feci de voluntate & assensu prædicti domini & fratris mei Willelmi, à quo inter alia bona eumdem polkinum tenebam in feodum. Actum solemniter apud Fielnes die quâ versùs terram Jerosolymitanam iter arripui, anno gratiæ M. CCVII. Testes sunt Walterus Abbas de Bello-loco, Robertus Canonicus ejus, Arnulfus de Hesdingnol, Joannes de Tingri, Willelmus de Contes, milites Pares mei, & alii multi.

De translatione Domni Iterii Abbatis.

CIrcà finem hujus anni Monachi Hamensis Monasterii, de assensu & consilio domini Lamberti Morinorum Episcopi & quorumdam Abbatum, in quos Domnus Willelmus Abbas eorum diù in caussam tractus, diù vacillare coactus, minùs discretè compromiserat; deposuerunt; & Domnum Iterium Abbatem nostrum in Patrem & Pastorem postulaverunt. Mirantibus omnibus qui audiebant verbum, postulationi de se factæ protinùs acquievit, paratus Ecclesiam relinquere, quæ hinc de Domni Petri Abbatis providentiâ & opulentiâ adhuc floruit, inde pro temporis charistiâ & temporalium abundantiâ Rectorem suum exhilarare potuit. Nam ut verùm fateamur, cui toto tempore suo conviximus, per tredecim ferè annos quibus huic loco præfuit non minori pretio quàm decem solidis polkinum frumenti vendidit, & aliquando viginti, aliquando triginta, aliquando etiam XL. & ampliùs solidos inde accepit: sicque vicinorum penuria ei abundantiam ministravit: cujus abundantiæ cupiditate illecti, & quasi radicitùs inhærentes, & ei quodammodo invidentes, dominus Balduinus & dominus Arnulfus Comites Gisnenses ejusdem contemporanei triginta marcas sterlingorum, & centum viginti libras Flandrensium per diversas vices ab eo mutuo acceperunt, de quibus nec ipsi nec suo successori usque ad unum quadrantem satisfacere curaverunt.

De caussâ autem suæ discessionis diversis diversa sentientibus, maximè cum locum bonis temporibus refertum & speciosis domibus redimitum desereret, & ad alium licet magis locupletatum, minùs tamen cultum migrare intenderet: dicebant quidam quòd pro eo quod quosdam Fratres suos suspectos, quosdam verò exosos habebat, Comitis autem & Comitissæ necnon & Optimatum terræ gratiâ carebat, hinc volebat discedere. Alii verò dicebant, quòd credibilius erat ipsum affectare Hamense Monasterium, ut ad Ecclesiam Karrofensem exinde posset faciliùs ascendere: sicut enim prænominatus frater ejus B. quondam Abbas Hamensis ad apicem illius Monasterii per multos annos aspiraverat: sic iste sortium & auguriorum non ignarus, quibus sæpe deluditur humanum genus, spe & prælatione ejusdem Ecclesiæ die ac nocte mentem pascebat. Nam cum eadem Ecclesia nobilis quondam, fertilis & famosa propter guerrarum multitudinem eo tempore esset multis & magnis debitis onerata, quibusdam Fratribus ex illo loco ad se venientibus solebat dicere, quibusdam verò in Pictaviâ commorantibus per litteras scribere, quòd si ab eis Abbas eligeretur totum statim debitum per ejus providentiam solveretur. Qua de caussa ab Andrensibus discessit Iterius Abbas.

Denique die statuto ad hunc locum accedunt de Hamensi Cœnobio solemnes nuntii, domini Episcopi auctoritate roborati, præcipientes eum infrà certum terminum dierum disposito statu Monasterii ab hoc loco recedere, & ad Ecclesiam Morinensem personaliter accedere, quatenùs ibidem ab ejus Ecclesiæ curâ se exoneraret, & Hamensis Cœnobii curam reciperet. Quo facto quasi pietatis & compassionis affectu, invitat Priorem & quosdam Fratres vitâ & scientiâ probiores, ut ipsa die quæ erat dies Beati Matthæi Apostoli usque ad sanctum Bertinum secum venirent, & die crastinâ domino Morinensi & ejus Capitulo cum Hamensibus Monachis eum præsentarent; & ita tandem ad honoris supplementum quoad usque in Hamensi Cœnobio festum ejus perficeretur, cum minimè desererent. Concessum

est à filiis quod Pater petiit; & ipsâ die ad sanctum Bertinum ventum fuit. Venerabilis autem Abbas dominus J. ejusdem loci, prævidens & præsentiens domnum Iterium jam non Pastorem sed impostorem nostrum contra nos velle malignari, nobis seorsum evocatis dixit: Sufficere credimus, Fratres mei, quòd dominum & patrem vestrum huc usque adduxistis, nec expedit ut eum ulteriùs adducatis, sed potiùs ut domi revertentes concordes & unanimes existentes de Pastore substituendo tractatum diligentem celeriter habeatis: si enim apud Tervannam veneritis, coram Episcopo & Capitulo suo contrà vos appellabitur, ne contrà antiquum morem super electione facienda aliquid attentetis.

Cujus salubri consilio quidam ex nostris minimè acquiescentes, sed affectu curiositatis quæ apud Tervannam gererentur, & qualiter apud Ham pascerentur experiri cupientes, die sequenti, quæ erat Dominica, apud Tervannam omnes quidem pariter tendunt, Episcopum paratum cum Capitulo suo, & cum Hamensibus inveniunt, illi quibus injunctum est causam adventûs exponunt. Abbas præsentatus statim à curâ Monasterii nostri absolvitur, & Hamensis Ecclesiæ cura ei committitur, & mox ab eo & à Priore de Bevreriâ qui præsens erat, contrà nos appellatur. Cumque Episcopus ante altare majus præsente Clero & populo adstaret, & Religiosorum multitudinem circumstantem haberet, invitatus est Abbas ab Episcopo ut more solito professionem legeret, quæ quia nondum scripta fuit, quidam de Clericis Episcopi eam festinanter scriptam in manibus Abbatis porrexit; & licet eam firmiter ambabus manibus tenere videretur, videntibus omnibus statim in pavimentum cecidit, ita quòd à quibusdam conculcata vix inveniri potuit. Unus autem ex nostris propter appellationem factam exacerbatus, & se coram multitudine quoquo modo vindicare paratus: Hoc, inquit, quod vidistis malum signum erit: Abbas iste qui domum nostram malè deseruit, nunquam aliam benè tenebit: sed more Chartæ suæ in terram cadentis casus & lapsus ei semper imminebit.

Tredecim postea annos Hamense Monasterium ipsum regere vidimus, parum aut nihil operis ab eo factum, nihil reditûs ab eo acquisitum; audivimus à Morinensi Episcopo ipsius Episcopi successore ipsum primò interdictum, postmodum de Synodo ignominiosè ejectum & expulsum cognovimus, & semper nobis contrarium, rebellem, persequutorem, & hostium nostrorum consiliarium vidimus eum & experti sumus. Solutâ illâ Morinensi coadunatione, quidam ex nostris ab Abbate rogati, & minùs providi & discreti, eum apud Ham ut ventri satisfacerent persequuti sunt, quidam verò confusi domum redierunt.

Rumor interim rei gestæ ad vicinos & remotos pervenerat; multiplex amicorum consilium nunc diversum, nunc adversum, nos attonitos effecerat: Morinensis Episcopus nondum ab adversariis corruptus, suum nobis consilium & auxilium promisit primò: Comes cum Comitissâ nec ope nec opibus nobis deesse spopondit: tota patriæ Nobilitas, & Cleri auctoritas, ut hostibus resisteremus, & de Collegiò nostro eligeremus suasit, monuit, & invitavit. Ab omnibus denique ad concordiam & unanimitatem, & ad quærendam Ecclesiæ nostræ libertatem invitati fuimus & animati, & ferè ab omnibus in necessitatibus derelicti. Tandem post dies aliquot dies statuitur, ut in Capitulo diligenter tractetur, non qualiter electio fiat, sed quid contrà appellationem factam, & propter appellationem fieri oporteat: die statutâ omnibus generaliter esse bonum videtur, ab omnibus publicè in commune acclamatur, ut Prior Henricus qui aliâ jam vice in Ecclesiâ Karrofensi propter Iterium Abbatem fuit, qui à multis ibidem notus, multorum notitiam habuit, quique in rebus gerendis laudabiliter se frequenter exercuit, ad præsens apud Karrofum redeat, & me qui hæc scribo secum adducat, quatenùs per nos duos Abbas & Conventus admoniti, & ad pacem & concordiam si fieri possit inducti, appellationi pro se factæ minimè adhæreant, sed nos tamquam filios mansuetè & dulciter manuteneant, nobis non tam præesse velint ut prodesse non valeant, illud quod jura super libertate electionis nobis concedunt non impediant, Abbatis Iterii discessionem præter nostram & illorum voluntatem, gravem nobis & damnosam sciant; & denique quòd non ad eligendum, sed potiùs ad supplicandum nos ibidem transmiserint, pro certo cognoscant.

Adjectum est in Capitulo nostro ex singulorum & omnium communi consilio, quòd si Karrofenses precibus & monitis nostris obaudirent, & nobis de Collegio nostro salvâ suâ libertate & nostrâ subjectione eligere permitterent, benè res ageretur: si verò contrarii existerent, appellatio pro his apud Tervannam facta à nobis coram ipsis abbreviaretur, & me qui hæc scribo eamdem appellationem prosequente, Prior pro statu Ecclesiæ regendo & disponendo domum reverteretur. In his denique verbis singulis & omnibus consentientibus, Prior consensum & assensum præbuit, Fratrum auctoritas ad aggrediendum laborem me qui hæc scribo in spiritu vehementi concorditer animavit (Eram autem tunc temporis tricesimum agens ætatis annum) de viribus satis confidens, & de causâ minimè diffidens, dummodo Fratrum unanimitas nec propositum desereret, nec impediret iter meum. Jam enim in libro experientiæ frequenter legeram, jam per vicinos & remotos satis didiceram, quòd multi Religiosi ad inchoandum aliquid magnum ferventes existunt, & aliquâ adversitate eis imminente, in ipso fervore tepentes deficiunt juxtà illud Davidicum: *Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* Unde & Fratribus me ad istum laborem invitantibus confestim respondi; Grave est onus, Fratres, & durum quod mihi imponitis: via gravis & incognita, quam mihi terendam & maximè in æstivo tempore explendam proponitis: sed ne vobis inobediens appaream, & ne laborem meum, quod absit, per vestrum defectum esse infructosum lugeam, expedit ut si vestram sententiam finaliter procedere velitis, suprà sacrosanctum Evangelium singuli & omnes juretis, quòd nec in prosperitate, nec in adversitate me pro Ecclesiâ laborantem deseretis; nec quousque de reditu vel de obitu meo vobis constet, ad electionem Abbatis procedetis. Hanc meam responsionem quibusdam ægrè ferentibus, quibusdam etiam apertè indignantibus, nullus me à proposito flectere vel avertere potuit, donec modo quo postulaveram super sanctum Evangelium à singulis & omnibus juratum fuit.

Præfato itaque Priori & mihi onere injuncto, & Capitulo ipso die soluto, sequens dies peremptoriè nobis præfixa fuit ad iter urgendum, & mihi qui hæc scribo talia non experto, vix suffecit dies & nox ad deliberandum. Denique nocte sequenti mihi soporato mons ostensus est miræ magnitudinis, enormis altitudinis, cujus celsitudinem perspicere non potuit visus hominis, & injunctum est mihi à quodam propè assistente, ut ipsum transcenderem, & injunctum negotium diligenter explerem: ad quem ego, Mons, inquam, est arduus cujus ascen-

Auctor Chronici Guillelmus annum tunc temporis agebat, 30.

Psal. 77. 9.

Somnium ejusdem Rom. iter molientis.

sus mihi est incognitus, & ad eum transcendendum formidat animus meus. Montem, inquit, istum & duos æquè sublimes transcendes, nec timeas, quia non deficies. Statim signum in Ecclesiâ pulsatum, me cum Fratribus ad nocturnas vigilias invitavit, quæ quamdiù duraverunt mens mea in ambiguo fluctuavit, utrum quod videram phantasma vel visio fuerit. Deum & beatam Rotrudem toto affectu exoro, ut denuò mihi ostenderetur quid de imminenti viâ providentiæ Divinæ placuerit. Soporato mihi post Laudes scala apparuit miræ magnitudinis & altitudinis, stans super terram, & erecta sursum, invitatus sum ad ejus ascensum, dubio mihi & sollicito idem promissum est quod de ascensu trium montium. Die illucescente à somno expergefactus, in memetipso cœpi somniorum interpres existere. In tribus montibus sive in tribus scalis trinam iterationem sive repetitionem Curiæ Romanæ propter hoc negotium priusquàm terminetur, mihi polliceor imminere, & sic demùm Deo me commendans, & Fratres salutans cum comitibus injuncti itineris, ipsum iter intrepidus arripere.

Visi significatio.

Romam cum Priore petens Karrofum adit.

Post dies aliquot ventum est ad Karrofum; Quadragesimale tempus aliquantulum honestavit locum illum, & populum ex parte Capituli Andrensis Abbatem salutavimus & Conventum, pro illorum honore & nostro nos diximus illis velle habere colloquium. Placet Abbati Hugoni & suis sermo auditus; de Fratrum tamen consilio nuntiorum prorogatur affectus, quia ad certum diem mandantur Priores, & quidam Fratres moram facientes exteriùs; & interim honor, reverentia & omnis humanitas præfatis nuntiis exhibetur ab omnibus. Constituto die Priores invitati, alii cum canibus, alii cum avibus portam Monasterii subeunt, nullum de residentibus, nullum de supervenientibus præfati nuntii super hypocrisi arguere possunt. Horâ competenti pulsato Capitulo, singuli & omnes in Capitulum conveniunt; post diuturnum quod habuere colloquium quidam à Capitulo missi nuntios introducunt. Domnus iterum Abbas cum suo Conventu ex parte Andrensium humiliter salutatur, scriptum patens Andrensi Capitulo sigi latum de credentiâ & de ratihabitatione confectum, & Abbati exhibitum in audientiâ omnium publicatur, & à Priore cum suo socio in medio stante, licet leges ignorante, sic allegatur:

Adventûs sui Capitulo Karrof. causam exponunt.

Domni, inquit, & Fratres, nos filiæ vestræ Andrensis Ecclesiæ filii non degeneres, imò cum Fratribus nostris matrem nostram Karrofensem Ecclesiam non servili timore, sed potiùs filiali amore venerari cupientes, de communi assensu Fratrum ad vos personaliter accessimus, ut de gravamine nobis nuper irrogato rei gestæ seriem vobis fideliter referamus, & de remedio per Dei gratiam, & per vestram industriam eidem gravamini apponendo, à vobis gratiam & misericordiam, prout speramus, hauriendo tamquam à maternis uberibus lac suggendo, intimum amoris affectum quem erga vos semper habuimus, ad effectum perpetuum fideliter perducamus, & de devotis devotiores semper inveniamur. Vos siquidem latere non credimus, quod domnus Iterius Abbas noster nuper ad Hamensem Ecclesiam se transferri permisit; unde nec vos consuluit, nec de cessione ab aliâ, nec de accessione ad aliam à vobis licentiam petiit; & non dubium quin ista translatio enorme nobis præjudicium generavit: cum enim aliquod Cœnobium extrà suum Collegium non teneatur Abbatem eligere, & tamen in mutatione Abbatis ipsum oporteat multiplices expensas pro interiùs assumpto facere; quæ & quot expensæ imminent pauperi Ecclesiæ, quæ ultrà undecim diætas eligere compellitur, vel saltem ad minus pro electi confirmatione per tantum viarum spatium ire vel mittere tenetur. Hinc est ergo quod reverendæ Paternitatis vestræ pedibus advoluti, nos & Fratres nostri vobis humiliter supplicamus, quatenùs in remedium nostræ desolationis, & imminentis nobis calamitatis misericorditer concedatis, ut de Fratribus nostris filiis vestris salvâ libertate vestrâ, & subjectione antiquâ Abbatem possimus eligere, & electum propter suam confirmationem mittere vobis, vel adducere; quem etiam si vobis placet singulis annis oporteat vos personaliter visitare. Et vos quidem salvâ reverentiâ vestra de nemine qui nos præcessit, qui Andrense Monasterium usque modo rexit, hanc honoris prærogativam consuevistis habere, cum domnum Iterium infrà annos tredecim scimus nonnisi semel Ecclesiam Karrofensem visitasse, & à domno Petro prædecessore ejus audivimus ipsum infrà annos XXXII. semel inter vos apparuisse. Si ergo humili petitioni nostræ salubriter acquieveritis, de duobus collegiis unum efficietis, & quos ignotos hactenùs habuistis tamquam domesticos amodo cognoscetis, quia per hoc factum juxtà verbum Domini *Unus Pastor & unum ovile fiet*, & alter ad alterum securiùs accedet. Quòd si nobis sufficit injunctum ut de vobis aliquem ad præsens eligeremus, hoc procuidubio nimis esset periculosum: quia sicut scitis nullius vestrûm notitiam habemus: si verò ex nostrâ & Fratrum auctoritate super vos, domne Abbas vel super aliquos de vestris electionem nostram vellemus vel possemus constituere, nobismetipsis procuidubio videremus injuriam & præjudicium generare, ad quos semper constitit jus eligendi pertinere. Joan. 10. 16.

Præterea domnus Iterius quosdam adolescentes in nostro Monasterio monachavit, quosdam etiam ibidem veniens jam Monachos invenit, quorum linguam penitùs ignoravit; & ideo nec vobis nec nobis credimus expedire ut aliquis nobis præesset, qui subditos suos non intelligeret, nec ab ipsis intelligi posset. Ex consuetudine quoque patriæ nostræ in Curiâ nostrâ per singulas quindenas humanas leges & judicia mundana constat exerceri, quæ omnia nonnisi Flandrensi idiomate discuti debent & terminari; & luce clarius apparet, quòd dum nostri Prælati circà hoc minus idonei extiterint, dum Principum & Nobilium terræ propter linguarum dissonantiam minùs notitiam & gratiam habuerint, Ecclesiam nostram quandoque fuisse ex defectu Prælatorum exheredatam, & adhuc periclitari. Moveat igitur Paternitatem vestram & præterita confusio, & præsens desolatio, & futura, nisi praecaveatur, Ecclesiæ perditio: quia licet ex parte vestrâ appellaverint, nos appellationem illam pro minimâ habemus; nam contrà nos illam esse non credimus, nec etiam contrà aliquid attentamus, quia speramus à vobis humiliter acquirere, quod forsitan possemus in majori Curiâ rationabiliter obtinere.

His dictis flexis genibus iterum venias petivimus, ab Abbate jussi iterum surreximus, à Capitulo egredi & in Oratorium jubemus procedere, ut super petitis domnus Abbas cum Capitulo suo colloquium & consilium possit habere. Egredimur Capitulum, ego qui hæc scribo audivi aliquem susurrantem post tergum nostrum: Per salutem Pharaonis exploratores estis vos. Nobis in Oratorio horas regulares decantantibus, & illis quos in Capitulo reliquimus diversa sentientibus: quidam enim nos exaudiendos esse dicebant, qui ad regimen Monasterii nostri non tendebant: nam secundum petitionem & allegationem nostram nihil sui juris deperire asserebant. Quidam verò juvenes qui Prælationem habere cupiebant, vel Gen. 42. 16.

ad minus pro eâdem Prælatione protervè contendere, nihil de Antiquâ consuetudine usque ad unum iota, nec ipsi dimittere, nec nobis intermittere promittebant. Dicebant quoque suo Abbati, quòd nisi subjectionem Andrensis Cœnobii more solito sic servaret, ita ut aliquem de suis ibi præponeret, pastoralis virga, quam gestare consueverat, in manu ejus procul dubio titubaret, & de eorum fidelitate frustra ulteriùs confideret.

Perpendens igitur Abbas diversam diversorum sententiam, illorum scilicet qui voluerunt pacem, & illorum qui firmaverunt sibi sermonem nequam, nec nostræ petitioni ausus est acquiescere, nec suorum subditorum improbitati resistere, quia ex verbis comminatoriis ab eis propositis cœpit timere. Unde nos ab Oratorio evocatos, & in Capitulum reductos sic alloquitur: Vos quidem, Fratres, qui de familiari nobis Ecclesiâ ad nos humiliter accessistis, qui causam Ecclesiæ vestræ coram nobis diligenter peroratis, audire quidem & exaudire pro amore antiquo & quasi nobis innato, quem erga Ecclesiam vestram habemus, parati essemus, si hoc cum pace Fratrum nostrorum facere possemus: sed quia Fratres nostri nihil novum instituere [volunt], sed antiquam consuetudinem in omnibus observare: non credunt quòd propter occasiones frivolas, & propter causas à vobis propositas ad eos accesseritis, sed potiùs ut more solito & debito de præsenti Collegio ad præsens eligatis; quia quasi pro constanti habent vos ad hoc venisse, & à Fratribus vestris missos fuisse; & si aliud quidpiam intenditis, nullatenùs possent vobis consentire.

Abbas Karrofensis Legatos Andrenses alloquitur.

Nobis hæc audientibus, & sicut stabamus in medio Capituli ab aliis aliquantulum remoti, maternâ linguâ inter nos paululum deliberantibus; ego qui hæc scribo sic Abbati respondi, & circumsedentibus: Ab initio sermonis nostri, Patres & Domini, potuistis evidenter intelligere, & adhuc ex tenore litterarum sigillo Capituli signatarum diligenter inspicere, & manifestè cognoscere, quòd de eligendo Abbate mandatum non accepimus, sed ad consulendum vos, & ad supplicandum personaliter accessimus, & quos pios, benignos & mansuetos esse sperabamus, graves, duros & contumaces invenimus: & quia fines mandati nobis injuncti nec volumus, nec possumus, nec debemus excedere, gratiam & misericordiam inter vos minimè repertam alibi speramus reperire. Appellationem igitur ex parte vestrâ in partibus nostris factam, & octavis S. Joannis præfixam, abbreviamus, & personas nostras cum statu Monasterii nostri, ne aliquid perperam contrà nos attentetur protectioni Domini Papæ supponimus, & ad ejus audientiam in Ascensionem Domini appellamus.

His auditis Domnus Abbas sicut à suis fuerat instructus, imò potiùs destructus, ut ipsis satisfaceret, & ausibus nostris publicè contrairet, nobis ita respondit: Vobis in nullo credendum esse censemus, quia vos qui obedientiam & reverentiam hactenùs promisistis, jam rebelles & contumaces videmus. Nam cum nonnisi duo de Andrensi Collegio compareatis, multitudinem nostram aut verbis decipere, aut appellationibus terrere putatis, qui validiores vobis & opulentiores sumus, & contrà decem libras vestras, centum marcas argenti in curiâ quâlibet expendere possumus: unde vobis finaliter dicimus, quòd terminos istius Claustri die & nocte potentialiter vobis intercludimus: quare nec propter appellationem, nec propter aliam occasionem hinc exibitis, donec antiquo more de hoc Collegio Abbatem eligatis. Quod verbum mox sequitur pastoralis sententia, & unicuique nostrûm statim propria assignatur custodia, scilicet ut de terminis Claustri non exeamus, & ne cùm nostris servientibus colloquium aut consilium habeamus. Pavente & trepidante Priore nostro, ego qui hæc scribo consolationi die ac nocte viriliter institi, custodibus nostris nunc præsentibus, nunc absentibus in linguâ maternâ nobis & Ecclesiæ nostræ victoriam promisi; spondens & promittens firmiter, quòd ab illâ captione nos infrà octo dies oporteret expediri. Nam illi qui nos captivos tenebant se magis captos & captivos reputabant, dum per eorum dormitorium quemque transitum facientes nonnisi pueros & adolescentes cùm duobus aut tribus de Senioribus ibidem decubantes, & alios in cameris, plures numero quiescentes arguimus: dum horâ operis Dei & sancti sacrificii quosdam in choro cantantes, quosdam otiis & fabulis exteriùs vacantes palam corripuimus: dum horâ prandii, licet tempore Quadragesimali; quosdam in Refectorio comedentes, quosdam in cameris delitiosè viventes manifestè increpavimus: nos autem cum custodibus nostris in camerâ suâ Domnus Abbas omni die commensales habuit; unde frequenter accidit, quòd si quid contrà nos fuisset excogitatum, quidquid attentatum ante occasum solis vel per ipsum Abbatem, vel per custodes nostros nobis innotuit.

Tandem circà octavum nostræ captivitatis diem, nobis de ipsorum cohabitatione pertæsis, & ipsis jam de nostrâ captivitate satiatis, verbum à nobis fuit excogitatum & in audientia Capituli propalatum, quòd ex quo eis constaret, & verum esset nos de Abbate eligendo potestatem non accepisse & eâ uti non posse, ipsi ad natale solum nos redire permitterent, & unum aut duos de Senioribus suis nobis conjungerent, in quorum præsentiâ Fratres nostros vellemus admonere, & sub eorum testimonio ad pacem & concordiam, & ad subjectionem antiquam modis omnibus invitare. Fratres autem nostri à nobis admoniti, & de vitâ & meritis Karrofensium personarum pleniùs edocti, in nostrâ præsentiâ ad Abbatis electionem ex facili procederent: nobis absentibus nihil unquam attentare præsumerent.

Hac igitur promissione illecti, & jam de nobis quasi fastiditi, nos post multiplex consilium & prolixum tractatum Deo commendatos liberè abire permittunt, & subtilem trutannum tempore annosum, ordine minùs morigeratum, Gaufridum de Aubis eorum Monachum nobis custodem & itineris ductorem præficiunt.

A Cœnobio Karrofensi receditur, post dies aliquot Parisios usque venitur, propter tres dies sacrum diem Paschæ præcedentes in religiosis Ecclesiis ibidem perendinatur, & in Ecclesia Sancti Dionysii sacra resurrectionis dies à nobis festivè celebratur. Et quia eidem ductori nostro mos non fuerat diù in Claustris moram facere, qui in Cellis & Prioratibus solebat delitescere, nobis dixit, de quibus nullam jam suspicionem habuit; quòd apud Fraxinetum nos vellet præcedere, & quoad usque festa explerentur ibidem nos exspectare. Expletis autem festis ipso providente paratum hospitium inveniremus, & sic communiter & concorditer ad patriam repatriare possemus. Interim nos Parisiis super negotio nostro habito diligenti consilio, die statuto præfatus Prior Fraxinetum rediit, & me qui hæc scribo deosculatum & Deo commendatum Romam transmisit.

Vix igitur aut nunquam moram faciens, sed omni ferè die capto itinere proficiscens, Viterbium tandem deveni, & ibidem Romam inveni: nam dominus Innocentius Papa tertius propter æstivum tempus corpori suo contrarium Româ ad tempus relictâ;

Auctor Papam Viterbii commorantem reperit.

tamquam in civitate propriâ ibi manebat, & tam propter quietem Clericorum & Laïcorum Curiam suam sequentium, quàm propter infinitam multitudinem peregrinorum omni die adventantium urbem opulentam pane & vino copiosam, fœno, gramine, hordeo refertam, salubribus etiam balneis, vineis, sylvis & virgultis redimitam in subsidium se sequentium Pastor discretus elegerat, & ibi residebat. Audivimus enim à multis ibidem perendinantibus XL. millia hominum, excepto civitatis populo, per mensem integrum simul & semel mansionem fecisse, & cum domino Nivelone Suessionensi Episcopo & aliis viris nobilibus omni die confluentibus, apud Constantinopolim quam nuper acquisierat regredi paratos existere, & tamen de omni venali humano corpori aut equis necessario nihil unquam carius venditum fuisse. Vidimus ibi venerabiles Fratres Monachos Cantuarienses, qui ferè per biennium post mortem domini Huberti sui Archiepiscopi, pro duabus electionibus à se factis, & penitùs cassatis ibidem moram fecerant; & tandem in venerabilem virum Stephanum Presbyterum Cardinalem compatriotam suum, moribus ornatum, litteris apprimè eruditum, de consilio Domini Papæ, sicut dicebatur, consenserant, & eum in Patrem & Pastorem postulaverant: cujus etiam consecrationi post dies aliquot interfuimus, & ipsa die ab eo admoniti & humiliter invitati, ejus commensales exstitimus.

Cantuariensiū Monachor. in Andrenses humanitas.

Gratiam quoque ab eo flagitatam prout sperabamus, apud eum invenimus; à præfatis quoque Monachis suis propter penuriam hospitii in spatiosâ domo quam conduxerant, sumus ad tempus hospitio recepti, verbis & consiliis officiosè recreati, de statu Curiæ pleniùs informati, qualiter ad dominum Papam accederemus, & nostrum negotium exponeremus, & qualiter Cardinales visitaremus sufficienter edocti.

Auctor agitatum negociū Pontifici exhibet.

Nactâ tandem oportunitate, ego qui hæc scribo quâdam die domino Papa post somnum meridianum expergefacto, & nusquam occupato, solus ad solum accessi, & eum genibus flexis salutavi; postmodum ad ejus osculum invitatus, & ex hoc exhilaratus ipso jubente ad pedes consedi, privilegium domini Papæ Alexandri dudum Ecclesiæ nostræ indultum explicui & ei exhibui, cunctaque à nobis facta, vel quæ contrà nos fuerunt attentata ei per ordinem retuli; qualiter contrà nos appellatum fuerit, & à nobis appellatio abbreviata ad hunc terminum exstiterit, dicere non omisi; quid apud Karoffum petierimus, & qualiter repulsam passi fuerimus, ei per ordinem fideliter recitavi, & omnia quæ eum possent movere, prout in Capitulo Karroffensi proposita & ostensa fuêre in chartâ brevi annotata, & in modum petitionis formata, cum litteris authenticis ex parte Capituli nostri ei transmissis, & sigillo Capituli signatis ante pedes ejus ponens exposui, & super omnibus retroactis gratiam & misericordiam suppliciter imploravi.

Pontifex benignè respondet.

Cui ille: Loco, inquit, & tempore petitionem tuam, litteras Capituli tui cum privilegio tuo diligenter audivimus, & ea quæ secundùm Deum facere possumus tibi & Ecclesiæ tuæ libenter faciemus: nam tempore quo Parisiis in Scholis resedimus, apud beatum Thomam peregrinantes in Ecclesiâ tuâ hospitium habuimus, & sub regimine cujusdam venerandi Senis prout nobis videbatur, eam in bono statu reperimus. Hæc dicens, quemdam ostiarium ad se accersivit, omnia scripta nostra ei dedit, & Magistro Reinaldo Notario deferenda, dieque suo ea legenda præcepit: & datâ benedictione me ad egrediendum licentiavit.

Ab illa die & deinceps ad Magistrum Reinaldum sæpiùs recursum habui, & ut petitiones nostras & negotium quantum in se est expediret, oportunè & importunè institi. Responsum est mihi ab illo, quòd consuetudo Curiæ exigebat sive reum sive actorem per XL. dies continuos adversarium suum exspectare debere, & cum de morte vel infirmitate rei vel actoris posset constare Curiæ, ipsa Curia deberet si vellet negotium ulteriùs prorogare. Recogitans igitur in memetipso quòd statum Curiæ immutare non possem, & si præsentes essent adversarii satis durum contrà eos congressum haberem, peractis XL. diebus ab octavis Ascensionis in ipsâ Curiâ patienter exspectavi; & tandem mediante præfato domino Stephano Cantuariensi Archiepiscopo, quibusdam etiam Cardinalibus pro parte nostrâ partes suas interponentibus, & prænominatis Monachis Cantuariensibus mecum die ac nocte ad aures domini Papæ clamantibus, secundùm formam Privilegii domini Papæ Alexandri III. ei ostensam, & coram eo fine tenùs lectam, indulgentiam seu confirmationem super libertate electionis sub hac formâ ab eo impetravi:

Prælati Andrensium partes tuentur.

Pontificis Charta liberam Andrensis Abbatis electionem concedens.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Priori & Conventui Monasterii sancti Salvatoris & sanctæ Rotrudis, quod in Tervanensi est parochiâ constitutum, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum per privilegium felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri quod præsentatum inspeximus, vestro Monasterio sit concessum, ut obeunte ipsius Abbate nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ seu violentiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel eorum pars consilii sanioris secundùm Deum & beati Benedicti Regulam duxerint eligendum, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus, ne quis super eadem concessione temerè vos impetere vel molestare præsumat, sed liceat vobis & successoribus vestris secundùm ipsam nunc & amodo cum Ecclesiam vestram Abbate vacare contigerit, personam idoneam de gremio vestro, vel aliunde per regularem electionem vobis præficere in Pastorem, Karrofensi Monasterio humiliter præsentandum, ut ab ipso confirmationem accipiat, & reverentiam ei quam debet, impendat. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hanc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Viterbii V. Nonas Julii, Pontificatûs nostri anno decimo. 1207.

Dum in Curiâ Romanâ hæc aguntur, dum bona Andrensis Monasterii ibi largiùs expenduntur, supranominatus Gaufridus de Aubis, qui ab Abbate & Capitulo Karrofensi dux itineris nobis ad repatriandum fuerat delegatus, Priorem nostrum per Fraxinetum revertentem per dies aliquot detinuit, pro eo quod me qui hæc scribo secum minimè reduxit. Deinde Priore de manibus ejus elapso, & domui propriæ restituto, Abbatem Karrofensem in subsidium sui ut Flandriam expeteret, invitavit; ea quæ de Priore & de me qui hæc scribo acciderant, scripto intimare curavit: nisi ab eo quantociùs subveniatur, & per eum tam Episcopus Morinensis quàm Comes Gisnensis prece flectatur & pretio, perpetuum dedecus & opprobrium Ecclesiæ Karrofensi imminere mandavit. Nec mora, conventus Karrofensis Abbatem suum contrà nos ad duellum provocavit: pro eo quod simplex erat & minùs litteratus, quosdam litteratos & garrulos ei sociavit.

Karrofensis Abbas Flandriam ingressus, Andrensium negotium facessit.

Egressus à Pictaviâ, præteritâ Franciâ & transcursâ, Flandriam intravit, dominum Morinensem Episcopum eatenùs nobis propitium, promissis L. marcis argenti ab adjutorio nostro avertit & amovit. Quâ

promissione illectus idem venerabilis Episcopus, ad instantiam Abbatis & Monachorum Karrofensium ejus aures die ac nocte inquietantium, hujus Ecclesiæ Capitulo scripsit, ut infrà octo dies de Karrofensi Collegio Abbatem eligerent, alioquin se pro suspensis & excommunicatis haberent. Et in hoc quidem facto se idem Episcopus delusum sensit, quia nec promissam pecuniam sicut sperabat recepit, nec fidejussores inde habuit, quia infrà paucos dies morti debitum solvit, & tamen per litteras & contrà nos in hac patriâ publicatas, & postmodum in Curiâ Romanâ in præsentiâ domini Papæ & Cardinalium recitatas nobis in quantum potuit nocuit. Adversarii interim nostri domini Episcopi consilio destituti, ad Comitem Gisnensem & Comitissam personaliter accedunt, octoginta marcis eis promissis, & decem eorum Consiliariis. Tam per eadem promissa, quàm per quædam scripta eis ostensa, eos à fidelitate nostrâ avertunt. Jam eatenùs Karrofenses processerant; jam usqueadeo Comitis & Comitissæ animos per promissa attraxerant, quòd statim ut prædictæ LXXX. marcæ persolverentur, in veram possessionem Andrensis Monasterii mitti, imò potiùs intrudi per manum militarem debeant.

Prior autem Ecclesiæ nostræ Fratrum suorum consilio animatus, malens de bonis Ecclesiæ pacem suam ad tempus redimere, quàm perpetuis temporibus hostium tyrannidi subjacere: sciens etiam oportere finaliter persolvi quod ardenter desiderabant contrà jus & contrà fas præfati Patroni, ad eos accessit, voluntates eorum mutavit, dicens eis tolerabilius esse, ut promissam pecuniam pro jure nostro conservando à nobis acciperent, quàm si propter eamdem promissionem adversarios nostros in suâ injuriâ manutenerent. Ex verbis ergo Prioris certificati sunt Patroni, repulsam passi sunt adversarii, & sine honore de patriâ exire compulsi. Moritur interim dominus Lambertus Morinensis Episcopus, & in loco ejus Joannes nepos ejus eligitur, Morinensis Archidiaconus. Litteræ ejusdem episcopi nobis aliquando nocituræ hostibus supersunt, sed promissam ei pecuniam nemini persolvunt. Denique ad dominum Regem Francorum Philippum tamquam ad specialem patronum ab eis acceditur; consilium ejus & auxilium contrà nos invocatur; sed lites & contentiones Monachorum & Clericorum ad se minimè pertinere ab eo breviter respondetur.

Interea Comes Gisnensis Arnoldus post guerras & contentiones multiplices inter se & patrem suum ex unâ parte, & Reinaldum Comitem Boloniensem ex alterâ, per multos annos habitas, guerras cupiens terminari, & eidem Comiti reconciliari, ad hoc ut quosdam Nobiles qui dissensiones & odia inter eos seminaverant posset subjugare, & eorum virtutem comprimere: cupiens etiam quasdam paludes & marescos inter se & Comitem Boloniæ communes dividi & limitari: & perpendens hæc omnia per neminem meliùs & faciliùs quàm per Simonem Priorem de Wasto, qui Comitis erat Ballivus & Consiliarius, posse fieri, cum eodem Priore frequens colloquium habuit, Salomonem quemdam veteranum de Savinghem tam suum quàm ejusdem Prioris hominem ad eum sæpiùs misit, ab eo sæpiùs remissum diligenter audivit, nec priùs hoc colloquium prodigiosum & proditione plenum desiit, quàm si voluntas Comitis per Priorem perficeretur, Abbatiam Andrensem eidem Priori promisit. Quid multa? Comes & Comitissa de suâ spe certificantur; Prior cum quibusdam Senioribus nostris cum festinatione ab eis invitantur: Prioris probitas & magnanimitas, providentia ejus & opera mirifica coram Fratribus nostris explicantur, ut eum Abbatem eligant, & à sociis suis eligi faciant & verbis exorantur & minis incitantur. Dicitur eis publicè quòd si in eum consenserint, in utroque Comitatu nullus eis poterit obesse; si autem huic consilio non acquieverint, in Comite vel in Comitissâ, vel eorum parentelâ spem de cætero desinant habere. Fratres igitur nostri taliter compellati, ad Fratres suos redeunt; visa & audita eis pandunt; si Prior de Wasto eligatur, consilium & auxilium Comitis & Comitissæ promittunt: si autem aliter agatur, tribulationem & dolorem imminere prædicant. At illi more Claustralium trepidi, & juramenti prioris prorsùs obliti, & quid in Curiâ Romanâ gereretur minùs solliciti, dum domnum Simonem Priorem de Wasto in Patrem & Pastorem elegerunt, *Te Deum Laudamus* solemniter cantaverunt, & cætera ad electionem pertinentia ritu solito peregerunt. Abbas verò Karrofensis adhuc in Remensi provinciâ moram faciens, super his quæ hîc gesta sunt certos rumores audiens, & de Flandrensium contrà nos auxilio de cætero diffidens, prænominatum Gaufridum de Aubis contrà nos armavit & instruxit, ut ad Curiam celeriter pergeret, & nobis modis omnibus resisteret districtè mandavit: litteras de ratihabitione & de pecuniæ mutuatione pro libito suo ei concessit.

Prior de Wasto in Abbatem ab Andr. eligitur.

Ego igitur qui hæc scribo interim in Curiâ fatigatus, & jam de duplici quadragenâ propter exspectationem adversarii in Curiâ peractâ mœstus & sollicitus, & ob hoc ante domini Papæ præsentiam, & tam in Notarii nostri audientiâ, quàm in Cardinalium præsentiâ super morâ diuturnâ conqueri coactus, paucis tandem diebus ante beatæ Virginis Assumptionem multis & gravibus personis pro me orantibus, cum domini Papæ benedictione, cum impetrati negotii exhibitione, cum multorum fidelium ibidem commorantium tristitiâ & dolore, cum illorum qui nobiscum redibant gaudio & exultatione, Curiâ salutatâ per montem Jovis iter alacriter aggressi sumus, & paucis diebus evolutis eventu prospero ad natale solum pervenimus. Invenitur à nobis Conventus de nostro adventu jucundus: Electus à Conventu nos honorificè recipit, & à nobis est honoratus: me qui hæc scribo ad consilium suum & servitium invitat; nec est repulsus; aliquando enim cum eo existens, aliquam in Conventu moram faciens, nec Conventum super aliquâ transgressione arguere volui, nec contrà eum aliquid attentavi.

Auctor in Fland. revertitur.

Supradictus interim Gaufridus per valles quæ dicuntur Morianæ, & per terram Comitis Sabaudiæ multiplici munimento fraudis & nequitiæ, litterarum & pecuniæ circumquaque armatus Romam tendit, domini Papæ præsentiam expetit, Cardinales visitat; Notarios inquirit, à quibus, quid ab Andrensi Procuratore gestum sit vel impetratum, discussis eorum notis & schedulis quærit & invenit. Dominus Papa demùm repetitur, de falsâ suggestione Procurator Andrensis coram eo arguitur: quædam Charta à domino Gerardo Morinensium Episcopo confecta, & super subjectione Andrensis Monasterii Ecclesiæ Karrofensi indulta ei injuriæ exhibetur, sententia quoque domini Morinensis Episcopi jam defuncti contrà Andrenses edita nihilominùs ostenditur. Denique cum idem Gaufridus pretio ducentarum marcarum illud quod ab Andrensi nuntio fuerat obtentum intenderet revocare, & antiqua privilegia renovare, & super his exequutores habere, Curia Romana talibus assueta oblatas quidem ducentas marcas retinuit, & eumdem Gaufridum quibusdam commissionibus honoratum, imò

Gaufridus Karrof. Procurator Romæ negotium curat.

imò potiùs oneratum, ad natale solum remansit.

Dum hæc aguntur, rumor miserabilis fines penetrat Flandriæ, quare angulosus Rex Anglorum Joannes exire de Regno suo jubet totum Conventum Ecclesiæ Christi Cantuariæ præter quosdam, paucos tamen, suæ faventes malitiæ & nequitiæ. Videns enim licet serò, se Norwicensem Episcopum in Ecclesiam Cantuariensem intrudere non posse, & ad petitionem Monachorum Cantuariensium venerabilem virum Stephanum ac Presbyterum Cardinalem ad ipsius titulum à domino Papa jam consecratum fuisse, se intrà se capere non potuit, sed contrà eos in irâ totus exarsit, exilio eos relegari; & bona eorum confiscari mandavit. Quotquot igitur de ipsius Regno sunt expulsi, ab Abbatibus & Conventibus terræ istius cum omni humanitate, affectu & pietate sunt admissi, & per sex annos continuos liberaliter exhibiti. Præfatus etiam Comes Gisnensis audiens quòd suam terram intraverant, Gaufrido tunc Priori & suo Conventui affectuosè occurrit, & eos salutatos apud Tornehem castrum suum honorificè perduxit cum Comitissâ, eos suamque familiam prandere coëgit, & ipsemet eis in prandio officiosè ministravit: lautè pransis & copiosè cibatis cum essent LXXX. Monachi vel ampliùs, singulis prout cuique opus erat equitaturas & evectiones providit, & usque ad sanctum Audomarum eos perduci præcepit, famulis eorum & servientibus, quos usque ad centum habuisse dicitur, quibusdam equitantibus, quibusdam sicut moris est pede proprio terram terentibus. Quod dum Conventui sancti Bertini nuntiatur, ordinatâ processione solemni eidem Conventui occurritur; sicque in foro rerum venalium multis lacrymantibus tam viris quàm mulieribus Conventui à Conventu occurritur, & in loco magis celebri mutua charitas in oculis, & in osculo pacis confœderatur: sicque per dies aliquot grex duplex in uno ovili concorditer & conformiter cohabitat & commoratur. Postremò Cantuarienses per diversa Monasteria Franciæ & Flandriæ Fratres suos intendunt transmittere, & apud sanctum Bertinum quosdam retinere, ne propter sui multitudinem eis valeant onerosi existere: sed è contrario ab Abbate & Conventu sancti Bertini eis offertur, imò & supplicatur, ut ipsi in eodem loco residentes, Deo servientes & de bonis Ecclesiæ viventes permaneant. Conventum autem sancti Bertini circà mare magis notum per vicina Monasteria dispergi sustineant. Ad ultimum Priore Cantuariensi cum octo Fratribus ibi retentis, Conventus per diversa loca transmittitur; & exilii tribulatio quondam à Beato Thoma ab exilio revertente eis & Fratribus eorum promissa veraciter adimpletur.

Cantuarienses Monachi à Rege Angl. opprimuntur, quod ab illo electum Archiepisc. recusent.

Gaufr. Prior Cantuar. perbenignè cum suis à Comite Gisn. excipitur.

In eosdem summa Sithivensium charitas.

Eodem anno omnibus præscriptis super istius loci statu, ut dictum est, contingentibus, & Fratribus nostris de sæpenominati Gaufridi de Aubis progressu vel regressu, nunc diversa, nunc adversa suspicantibus, ecce subitò rumor percrepuit ipsum Gaufridum in Franciam advenisse, & multiplices contrà nos litteras attulisse. Monachi Claustrales, ut moris est, circumquaque paventes, & ad electum suum tam per se quàm per nuntios frequenter recursum habentes, regressum adversarii nuntiant; consilium ejus & auxilium contrà eum frequenter implorant, & parum proficiunt dum multum laborant. Nam familiaris occupatio eis objicitur, Cluniacensis Monasterii subjectio, & bonorum sibi commissorum moderatio non tacetur, totius quoque Comitatûs Boloniensis dispositio coram oculis eorum proponitur, dum manifestè demonstrat quod ad hæc omnia disponenda ex suscepto officio teneatur.

Gaufridi Karrofensis reditus Andrens. sollicitudinem infert.

Pervenit interim citatio mandati Apostolici coram domino Gaufrido Silvanectensi Episcopo & conjudicibus ejus, ad diem certam Priorem & Conventum Andrensem præcipiens Sylvanectis comparere: sed & alia citatio non minùs rigida coram Theobaldo Francigena Ariensi Canonico & ejus Collegis, præcipiens nihilominùs eosdem Priorem & Conventum apud Ariam ad certum diem personaliter adesse. Invitatur iterum Electus noster, ut pro se & Conventu suo jus suum & nostrum prosequatur, advocet Advocatos, consulat Consiliarios, iter urgens & imminens impiger aggrediatur. Et quoniam in Morinensi Ecclesia post obitum domini Lamberti Episcopi propter electionem & ordinationem domini Joannis successoris sui schisma & dissensio esse cœperat, ita quòd eadem Morinensis Ecclesia eumdem Electum nostrum à Fratribus nostris sibi præsentatum propter multiplicem appellationem quæ præcesserat, confirmare non audebat: idem Electus à Jurisperitis edoctus videns sibi laborem & dolorem imminere, & ad hoc ad quod aspirabat vix aut nunquam posse pertingere, maximè cum à jugo Cluniacensi nondum solutus esset, nec ab Ecclesiâ Morinensi confirmationem desideratam propter causam præmissam habere posset; simulque perpendens sicut vir discretus, quòd ad electionem de se factam omninò per ostium non intrasset, sed aliunde ascendisset, multas causas honestas prætendens tam de commissis sibi Prioratibus, quàm de Comitis Boloniæ occupationibus, electionem cui priùs adhæserat omninò repudiavit, & tam verbis quàm scriptis ad nos & ad Ecclesiam Morinensem transmissis sponte idem renuntiavit.

Andrenses in jus variis in locis vocantur.

Prior de Wasto electionem suam abdicat.

Hujus itaque loci amici & vicini considerantes quòd Ecclesia in magno periculo esset, & eidem jam naufragium immineret, nisi aliquis pro universitate se opponeret, Priori & Conventui dixerunt: Ecce quem timebatis dicitur in Franciam jam venisse, & Instrumenta multiplicia ad impugnandam & dissipandam unanimitatem vestram secum à Curiâ detulisse; si vos alicubi citari fecerit, proculdubio nimis erit grave, sumptuosum & importabile, ut multitudo ad citationem compareat; si verò quis Clericus procurator constitutus fuerit, vobis certè cedet in dedecus & opprobrium, quia non credetur in Collegio vestro esse qui causam Ecclesiæ defendere prævaleat: proinde nobis videtur tutum & vobis necessarium, ut de gremio vestro ad exequutionem causæ vestræ vobis præficiatis Electum, quia nullus tam diligenter negotium prosequetur & perorabit, quàm ille cujus est proprium. Neque enim de cætero sperare debetis, quòd Prior de Wasto pro negotiis vestris exequendis opem vel operam dabit, qui à curâ & sollicitudine vestrâ seipsum absolvit.

His verbis & his similibus Fratres nostri admoniti tam à personis religiosis, quàm ab illis qui videbantur in jure periti, electionis diem constituerunt, & me qui hæc scribo in Patrem & Pastorem concorditer elegerunt. Trium autem dierum spatio vix elapso, ecce edicto peremptorio Prior cum suo Conventu Silvanectis coram Episcopo Gaufrido & suis conjudicibus ad certum diem citatur, & ad quintam diem proximò sequentem apud Ariam contrà Karrofenses nihilominùs peremptoriè adesse jubetur. Imminente die Silvanectis præfixo, iter urgetur, ibidem tenditur, & in brevi spatio pervenitur: parte adversâ per conductos pugiles coram delegatis multa allegante, & parte nostrâ parum, aut nihil respondente, forma mandati Apostolici, libellus conventionalis cum Canonicis induciis petitur à nobis & impetratur. Apud Ariam verò reversus id ipsum à nobis fit, excepto eo quod sustinere noluimus, ut alius dies no-

Guillelmus Auctor hujus Operis fit Abbas Andrensis.

bis peremptorius præficeretur: concilio enim peritorum freti, & commissionem conferentes commissioni, petitionem quoque petitioni ad declinandum forum judicum, coram eis allegavimus quòd ex quo per duplicem commissionem pars adversa coram Silvanectensibus, & coram Atiensibus super eodem negotio, & eisdem articulis nos intenderet impetere, secundùm jura scripta & expressa carere deberet commodo utriusque. Factâ autem eis copiâ Silvanectensis commissionis & formatæ ibidem petitionis, ne quid contrà nos ulteriùs attentarent, ex parte domini Papæ à nobis est eis inhibitum, & coram testibus idoneis ad eumdem dominum Papam pro parte nostrâ appellatum. Sicque tandem ab eis appellationi delatum.

Contra Karrofensium negotia Andrensf. Pontificem appellant.

1208. Anglia interdicto subjacet. Albigensium hæresis.

Anno Domini M. CCVIII. propter Ecclesiam Cantuariensem tota Anglia sub interdicto posita est, nullis celebrantibus Divina præter Cistercienses. In provinciâ sancti Ægidii hæresis Albigensium detecta est, cujus professores virum venerabilem Petrum Apostolicæ sedis legatum ob confessionem JESU-CHRISTI nequiter peremerant. Philippus cognomento Suavus jam factus Rex Allemanniæ, ad Imperium Romanorum aspirans, à quodam Duce suo gladio percussus interiit.

Karrofensiū & Andrensium Silvanectis lis agitur.

Imminente die à Silvanectensibus indictâ, paucis assumptis nobiscum, & aliquibus peritis in jure à Parisiis evocatis, in multitudine gravi Karrofenses invenimus, ex quibus quidam statim à Karrofo venerant, quidam verò cum Priore de Fraxineto eis occurrerant. Judicibus itaque nostris coadunatis, & post prandium pro tribunali sedentibus, quidam partis adversæ patronus magno pretio conductus, sperans magna lucrifacere, magnam verborum congeriem cœpit evomere; & nos ad respondendum prout dies exigebat verbis cœpit exigere, & multis rationibus compellere. Replicavit è contra pars nostra, nos ibidem nec velle nec debere respondere; sed tamen ad declinandum forum eorum breviter dicere illud idem quod Ariæ nuper diximus, ubi similiter coram delegatis præsentes exstitimus, quòd ex quo adversarii per duplicem commissionem super eodem negotio, & eisdem articulis nos vexare intendebant, utriusque commodo carere debebant: unde ab eisdem Judicibus petitum est, ut sicut commissionis ad eos transmissæ copiam haberent, ita etiam formam commissionis Ariensis Judicum sigillo signatam coram se legi facerent, & habitâ collatione super utrâque commissione utrum ad unum finem tenderent, & in principio, & in medio idem saperent, ipsi Judices judicarent. Quod constanter denegantes tam dictus Episcopus quàm sui conjudices, dixerunt commissionem quamdam ad eos directam fuisse, de aliâ commissione eis minimè liquere, & si eorum sententiam exspectare vellemus, judicium proculdubio æquitatis ab eis reciperemus. Quibus pro parte nostrâ fuit responsum: Vestro judicio nunquam stabimus, ne aliquo modo æquitatem à vobis reportare sperare possemus, ex quo in tantum Judicum officium affectatis, & gratiam nobis denegatis, quam ab Ariensibus nuper reportavimus. Præterea vos, domine Episcope, specialiter suspectum habemus, & justas suspicionis causas coram vobis & vestris collegis contra vos prætendimus, & ad probandam suspicionem injustam arbitros petimus. Nam fratrem vestrum germanum Silvanectensem Archidiaconum, quem modo habetis assessorem, tam in cœnâ serotinâ, quàm in prandio hodierno adversariorum nostrorum hospitem vidimus & commensalem, unde à vobis simpliciter volumus audire, utrum appellationi nostræ deferre velitis, vel propter justam suspicionis causam probationem nostram recipere.

Respondente Episcopo de consilio Conjudicum quòd omnia frivola essent, quæ pro parte nostrâ allegata fuissent, se nec appellationi deferre, nec pro aliquâ suspicione quæ nulla erat, probationem velle suscipere. Pars nostra illicò respondit: Pro hoc ergo gravamine Domini Papæ audientiam appellamus, personas nostras, bona Monasterii nostri ejus protectioni supponimus, à vobis etiam Apostolos petimus, à fidelibus autem qui præsentes sunt, loco & tempore testimonium veritatis humiliter postulamus. Sicque à nobis discessum est, sed ab eis appellationi minimè delatum. Nos interim coram se citari faciunt, & peremptoria edicta ad plures personas transmittunt: ad nullum autem eorum personaliter comparemus, sed appellationi factæ firmiter inhærentes, aliquos nuntios quandoque transmisimus cum litteris de rato, ut per eos appellationem factam innovemus. Ipsi verò judices se contemptui haberi credentes, nos punire statuunt quasi contumaces, & per totum Morinensem Episcopatum nos præcipiunt excommunicari, bona nostra exponi, omnibus illis similem excommunicationem sortitis, qui molendinis nostris molerent, qui furnis nostris panes coquerent, qui census annuatim debitos nobis persolverent.

Sententiâ interim de die in diem contrà nos crescente, & Ecclesiâ præsenti minimè cessante, sed appellationi firmiter adhærente, solemnis dies beatæ Rotrudis imminebat, & ad sui venerationem tam vicinos quàm extraneos invitabat: sed me qui hæc scribo consueta devotio ut vacarem Festo retinere non valebat, in me ipso enim deliberans manifestè cognovi quòd si Festo interessem, propter latam jampridem sententiam multorum scandalum incurrerem; si verò ante festum ad Curiam ad quam appellavi iter arriperem, & meam conscientiam propter appellationis exequutionem emundarem, & Fratres appellationi inhærentes ad opus Dei devotiùs perficiendum expeditiores efficerem. Paucis denique diebus ante diem festum salutatis Fratribus, & ad pacem & concordiam eis invitatis, assumpto mecum quodam Fratre Sacerdote & Monacho iter arripui, & per vicina Monasteria aliquandiù delitui, nolens Italiam intrare quamdiù æstatis duraret intemperies, licet mente revolverem quòd in anno transacto me Deus inde reduxerit contrà multorum opiniones.

Alterum Auctoris Romam contendentis insomnium.

In nocte igitur sanctæ Rotrudis apud sanctum Andream in Pontivo pernoctans, & tam de tempore transacto quàm de imminenti negotio multa in memetipso deliberans, statim somnus fatigato subrepsit, & sive phantasma sive illusio nocturna, sive visio, somnium exstiterit, credo quòd præsagium futurorum fuit. Videbar enim videre me & omnes Fratres meos Andrenses Monachos propter secessum naturæ latrinam quamdam spatiosam intrasse, & cum nox esset totum lumen subitò exstinctum fuisse, ita quòd nullus nostrûm aditum per quem ingressus fuerat, ut inde egrederetur, potuit excogitare: & ecce subitò ingenti laternâ præcedente dominum Papam transire video; surgens & eum sequens fimbriam cappæ ejus apprehendo, Fratres & socios ut alter alterum teneat & præcedentes sequatur invito: Dominum quem tenebam ut de domo tenebrosâ & de loco horroris nos educat, humiliter exoro. At ille subridens clementer annuit, singulos & omnes eduxit, & in Ecclesiâ eleganti relictos Deo psallere mandavit. Expergefactus à somno nobis victoriam, hostibus confusionem cœpi intrà memetipsum promittere; per Franciam & Burgundiam iter potiùs differre, quàm accelerare, ut peracto autumnali periculo circà Festum sancti Michaelis domini Papæ conspectui nos possemus competenter præsentare.

Romam pervenit.

Romam itaque ante Festum S. Michaëlis cursu prospero advenimus, excepto quòd quemdam de pueris nostris qui nimis avidè ficus & uvas, & alios fructus autumnales prægustaverat, & ob hoc in dysenteriam lapsus fuerat, ibidem languentem reliquimus, & postea circà Festum S. Martini eum in Claustro Lateranensi honorificè tumulavimus; domino autem Papa calores æstivos Romæ præcipuè nocivos jampridem fugiente, & adhuc in Campaniâ, quæ specialis ejus est terra, moram faciente apud urbem fertilem Ferentinam, ad eum accessimus, & eo humiliter salutato, & negotio pro quo advenimus verbis brevibus ei exposito, in osculo pacis ab eo recepti, & ejus benedictione confortati, quinque hebdomadas in ejus Curiâ nihil negotii facientes continuavimus: postea Omnium Sanctorum festivitate transactâ, tota Romana Nobilitas dominum Papam ad celebrandam Lateranensis Ecclesiæ dedicationem, quæ est in festo Theari Martyris humiliter invitat; Senatorem urbis, qui quasi ipso invito dominium tenuerat, sponte cessurum denuntiat, quemcumque de Nobilitate urbis ad illud officium voluerit instituí, eum tota urbs lætabunda expetit & exspectat. Imminente dedicationis die dominum Papam Romam tendentem prosequimur; obviantes ei militum catervas Nobilium, purpurâ & bysso cocco & serico amictorum, & equis pretiosis & multipliciter phaleratis invectorum vidimus & mirati fuimus: ad ultimum solemnem processionem extrà mœnia. Urbis tam ex Hebræis quàm Christianis ex omnibus Collegiis Urbis coadunatis eidem domino Papæ occurrentem, & secundum uniuscujusque ordinem laudem & gloriam ei exhibentem, Ecclesiam Salvatoris suique Præcursoris ipsum cum Cardinalibus primò intrantem è vestigio prosequuti sumus.

Pontificem Ferentini degentem invisit.

Per mensem ferè integrum adversarios postea compulsi fuimus exspectare; quia ipsis absentibus nihil omninò potuimus impetrare: tandem adveniente suprà nominato Gaufrido de Aubis, me instante, qui hæc scribo, dum ipse negotium vellet differre, & multitudinem Advocatorum conducere, ante domini Papæ præsentiam adsciscitur, de providendo nobis auditore tractatur, à me qui hæc scribo omnis auditor, præter illum qui tunc nos audiebat, tamquam suspectus repudiatur, ut ipsemet nos audiat & causam terminando discutiat à nobis humiliter imploratur, petitioni factæ acquiescitur, & certa nobis dies assignatur. Præfatus interim Gaufridus patronorum suffragium multiplex exquirit, multa dat & plura promittit, aliquos etiam quos mihi conjunxeram à meâ fidelitate avertit, alios ut ei assisterent dato pretio attraxit, alios ne eis obsisterent nihilominùs conduxit. Die statutâ circumsedentibus Fratribus, statim post Missam dominus Papa in Consistorio sedit, Clericorum & Religiosorum multitudo præsens ibi adfuit, ut Karrofensium & Andrensium causa tractaretur verbo & nutu præcepit.

Auctor corã Pontifice perorat.

Ego igitur qui hæc scribo videns & considerans novem advocatos præcipuos memoratum Gaufridum circumstare, & me nonnisi duos à latere habere, verba eorum qui jam proferre incipiebant anticipans, dixi domino Papæ: Pater sancte, in Curiâ vestrâ malè contrà me agitur contrà parvitatem meam & paupertatem, adversariorum abundantia fraudem & dolum manifestè machinatur, dum duos ad minus patronos secretorum meorum conscios, & si nondum salario, certo tamen mihi pretio adstrictos, mihi abstraxisse, & in partem suam attraxisse videtur: dato etiam aliis Advocatis magno pretio, sicut probare paratus sum, ne per eos causæ nostræ subveniatur. Si ergo Sanctitati vestræ æquum videatur, ut cum duobus Patronis qui ab adversario corrumpi noluerunt, imò mihi fideliter adstiterunt, contrà novem famosos certamen debeam inire, libenter obediam: quia quidquid hodie coram vobis tractabitur, magis in facto quàm in jure reor consistere. Ego enim ab annis puerilibus sum Monachus, & Juris ignarus, sed super facto hujus negotii quod cum adversario commune habemus, tam de visu quàm de auditu plenius instructus. Percunctante domino Papa quinam essent illi qui consilii mei conscii, me relicto ad adversarium meum transiissent, eos nominavi & digito ostendi, quibus à domino Papa terribiliter adjuratis ut veritatem dicerent super præmissis, se quidem publicè recognoveverunt consilio interfuisse, sed à nobis nihil recepisse: & nos, inquit dominus Papa, quia utrique consilio vos ambitiosè ingressistis, quod procul dubio contrarium esse sciebatis, vos tamquam infames ab utroque amovemus, & ne hinc inde salarium vobis detur districtiùs inhibemus.

Recedentibus illis, unus ex septem residuis à globo veteri telam ordiens, proposuit Karrofense Cœnobium ab antiquis temporibus nobiliter fundatum, in tantâ gloriâ à sui fundatione enituisse, & in tantum honorem circumquaque excrevisse, quòd in multis terrarum locis Abbatiæ ei subjiciebantur, Prioratus conferebantur, villæ dabantur, & opida, & cætera usibus Monachorum necessaria à Regibus terræ & Principibus liberaliter offerebantur: inter quos Balduinus quidam Gisnensium Comes & Adela uxor ejus Comitissa locum, in quo Andrense Monasterium situm est, cum appendiciis suis dederunt Ecclesiæ Karrofensi, annuente hoc & per Privilegium confirmante domino Gerardo Morinensium Episcopo eorum diœcesano: qui Episcopus instituit per privilegium quod præ manibus habemus, quòd si præfatus locus divino munere adeo pullularet, ut Prior aut Abbas constitueretur ibidem, electio ejus penes Abbatem & Conventum Karrofenses pendeat: & hoc quidem statutum per centum annos & ampliùs, & præcipuè in electione sex Abbatum contiguè succedentium fuit observatum, qui omnes de gremio Monasterii Karrofensis fuerunt assumpti, & Andrensi Cœnobio prælati. Quod ut Sanctitati vestræ manifestiùs eluceat, quæratis à procuratore ejusdem loci utrum ea quæ dicimus credat sic se habere, quia in instanti parati sumus omnia probare.

Karrofensiũ jus in Andrenses proponitur.

Denique domino Papa præcipiente ut Morinensis Episcopi privilegium, cui intantum innitebantur, exhiberetur in jure, exhibitum & fine tenùs lectum fuit; & eo lecto ad me qui hæc scribo dominus Papa dixit: Contra hoc Statutum vel contrà hoc privilegium vis ne aliquid dicere; ea autem quæ in eo continentur scis, aut credis vera esse? Ad quem ego: Statutum quidem sic esse esse credo, & contrà Morinensis Episcopi scriptum nihil dico, quia illud idem penes nos esse scio, excepto eo quòd neque Monasterii alicujus Patronus laicus per suam donationem, neque Diœcesanus per suam confirmationem jus commune omnibus generaliter concessum ex suâ specialitate coangustare possunt aut restringere, quia jus commune nobiscum est: & præterea nos domini Papæ Alexandri super libertate electionis Privilegium constat habere, quod, Pater sancte, in anno præterito vestra dignatio vidit & fine tenùs legit, & Ecclesiæ Andrensi dignata est confirmare. Ipsius autem Ecclesiæ Fratres tam juri communi, quàm eidem Privilegio & vestræ Indulgentiæ innitentes, jam ferè per biennium Pastoris solatio carentes, me nuper in Patrem & Pastorem elegerunt, & per litteras sufficientes Abbati & Capitulo Karrofensi humiliter præ-

Proposita & objecta auctor diluit.

sentaverunt, quatenùs secundùm indulgentiam à vobis, Pater sancte, concessam sibi de electione cognosceretur, de moribus inquirerent, de scientiâ examinarent, & prout de jure faciendum esset ipsi electionem de me factam confirmarent, vel infirmarent. Quæ petitio statim ut ad eos venit, sine causæ cognitione repulsa fuit, nec mihi eorum alumno cum familiâ modicâ saltem per unam noctem infrà ipsorum Monasterium licuit habitare, sed expulsos de Monasterio & contumeliosè ejectos infrà unius burgensis domum jam latronibus expositos oportuit perendinare. Quod ergo ab eis mihi denegatum est, à vobis, Pater sancte, mihi concedi peto: electionis formam, qualemcumque personam meam, & omnes juris circumstantias vestræ discussioni & examinationi humiliter & devotè suppono; quòd nihil contrà jus commune attentavi, vel pro me ab aliis attentari permisi manifestè propono, & cum ad præsens contrà matrem meam Karrofensem Ecclesiam nihil intendam criminaliter agere. Licitum tamen mihi videtur ut super expensis ibidem extrà Monasterium à me invito factis debeam restitutionem habere, & ideò tam de ipsis quàm de aliis in Curia vestra factis vel faciendis judicium à vobis & justitiam non pudet exigere.

Adversarii autem formidantes ne pro verbis non eleganter sed humiliter propositis dominus Papa aliquam gratiam parti nostræ faceret, unde eorum jurisdictio in aliquo deperiret, dicebant se Instrumenta domi habere, & hæc potissimum ad causæ suæ commodum pertinere, & ideo ad diem crastinum causam prorogari petebant, quare se eisdem Instrumentis roboratos, & magis consultos venturos prædicebant: sicque ad eorum instantiam Consistorium dissolutum, & ab omnibus generaliter discessum est. Sequenti die dominus Papa consueto more post Missam in consistorio residens, & miserabilium personarum petitiones recipiens, præcepit ut de Karrofensium & Andrensium negotio tractaretur. Adversarii autem ex hesternâ promissione se audientiam habere gaudentes, quidquid ex nocturnâ deliberatione, quidquid ex ipsius diei longâ præmeditatione potuerunt in unum coacervare, totum dignum duxerunt ad hunc finem deducere, ut Electionem factam de me, qui hæc scribo, elidere possent & cassare. Unde domino Papæ dixerunt; Pater sancte, iste Andrensis Ecclesiæ procurator qui se ipsius Ecclesiæ electum dicit, quique heri à vobis confirmationem petiit, in suâ petitione non est audiendus, imò à confirmatione prorsùs repellendus, sicut in instanti parati sumus probare. Cum enim venerabilis Morinorum Episcopus Lambertus vacante Monasterio Andrensi, ejusdem conventui per litteras patentes sub interminatione suspensionis & excommunicationis præcepisset, ne aliquem nisi de Collegio Monasterii Karrofensis eligerent, nec contrà consuetudinem approbatam aliquid novi attentarent: iste sui Diœcesani sententiam non formidans, contrà ejus inhibitionem elegi se permisit, & ob hoc meritò sententiam incurrit, ejus quoque Capitulum se potestate eligendi saltem hac vice privavit. Et his dictis pars adversa litteras Morinensis Episcopi domino Papæ exhibuit.

Iterum præsente Pontifice Karrof. & Andrens. lis agitatur.

Innuente autem ipso ut responderem, sic cœpi: Certum est, Pater sancte, quòd antequàm litteræ istæ fuissent impetratæ, ego ad audientiam vestram pro me & Ecclesiâ vestrâ appellaveram, & indulgentiam vestram super libertate electionis ad exemplar privilegii domini Papæ Alexandri à vobis impetraveram: nec possum credere quòd me appellationem prosequentem, vel Conventum meum appellationi factæ firmiter inhærentem, litterarum quas videtis communicatio posset ligare, vel electionem impedire; maximè cum usque hodie tota Morinensis Ecclesia & tota vicinitas nostra de hac sententiâ nihil sciens cunctatur; quos si ligatos vel sententiatos quoquo modo cognosceret, tamquam ethnicos & publicanos arctiùs evitare teneretur. Præterea si me adversarii probare intendunt quoquo modo ligari; dum omnia machinamenta perscrutati fuerint, quibus fidelis quilibet possit impediri, quare sententiam non prætendunt ab Episcopo Sylvanectensi & suis conjudicibus recenter latam, ridiculam potiùs quàm formidatam, in quâ redituum nostrorum debitores, si eos nobis persolverint, jubentur excommunicari, qui in molendinis nostris moluerint, vel qui ad furnos nostros panes coquendos attulerint, omnes generaliter & indifferenter supponuntur extremæ damnationi. Malè quidem ligandi sive solvendi potestate fungi videntur, qui rudes quidem homines & impotentes, & totius juris ignaros, & etiam quod majus est nobis si vellent resistere non valentes, tam crudeli animadversione punire non verentur. Cum enim censuales nostri & mansionarii pleno nobis sint jure subjecti, eis finaliter incumbit aut consuetam pensionem annuatim persolvere, & sive sit in furnis sive in molendinis quæcumque sententia intervenerit, nobis consueto more satisfacere, aut certè de terrâ nostrâ confusos & inanes recedere.

Ad hæc mihi qui hæc loquor, dominus Papa respondit: Sententiam, inquit, ab Episcopo Sylvanectensi & suis conjudicibus latam, quare non observastis ex quo ipsos auctoritate nostrâ fungi cognovistis? nonne meritò essetis puniendi tu & Fratres tui, qui contemptis Judicum nostrorum præceptis, etiam Divina celebrare præsumitis? Ad quem ego, Pater, inquam, sancte, nec erga vos nec erga illos qui à vobis delegantur ullum habemus contemptum, quia procul dubio hoc abominabile esset & prophanum: sed cum ad eosdem Sylvanectenses & ad Arienses per tres ferè diætas ab eis distantes, pars adversa duplicem commissionem ex parte vestrâ detulisset super eodem negotio & eisdem articulis, nobis ad vestram præsentiam appellantibus, & ut pars adversa commodo utriusque careret commissiones instanter petentibus, Arienses quidem appellationi detulerunt, alii verò nec appellationi deferre, nec Apostolos dare, nec contrà suspicionem eis objectam, & ibidem si permittere voluissent statim probandam acquiescere noluerunt: imò quasi quodam zeli fervore contrà nos, contrà furnos nostros & molendina accensi iniquam sententiam protulerunt. Nobis more solito Divina celebrantibus, & ad oraculum vestrum tamquam ad azilum confugientibus. Nam cum pars adversa eorum diù sententiæ innitens, ipsâ omissâ vestro conspectui se repræsentet, mirum non est, si pars nostra ab eis fugiens & ad vos confugiens, in majori mansuetudine à vobis, & à vestris tractari speret & exspectet.

His dictis, surgens dominus Papa ut super litteras Morinensis Episcopi ei porrectas cum Fratribus suis secum surgentibus consilium & colloquium haberet, per me qui hæc loquor ad cameram suam transitum faciens, dixit: Si ad Curiam accedens à præmissis Judicibus te pro excommunicato habuisses, à Curiâ proculdubio excommunicatus recessisses. Intrante eo cameram, & cum Fratribus suis super præmissis litteris colloquium protrahente, post pauca ego qui hæc loquor jussus sum adesse; moneor & præcipior veritatem dicere, quo scilicet die vel tempore electio de me facta fuisset, & utrum pro confirmatione electionis Abbati & Ecclesiæ

Karrofensi aliquis pecuniam promisisset. Ad quem ego: Electus quidem fui ante Quadragesimam, in die quæ diem Cinerum præcessit, de sententiâ autem Morinensis Episcopi, Deus scit, ad me mentio nunquam pervenit, quæ si ad socios pervenisset, sicut credo, me minimè tangit. Firmiter autem credo, & pro constanti habeo, quòd à nemine ex parte nostrâ Abbati & Ecclesiæ Karrofensi pecunia promissa fuit. Quidam autem ex Cardinalibus circumsedentibus mihi subridendo, dixit: Multum te & adversarium constat diversos esse, qui infinitam pecuniam dicit promissam fuisse. Cui ego: Hoc nec verum nec verisimile videtur; nam infinita pecunia promitti posset, sed quomodo ab Ecclesiâ meâ persolveretur? Jussus egredi ad Advocatos revertor, & quid fortuna dare voluerit simpliciter præstolor.

Pontificis sententia, & optima de Auctore concepta opinio.

E vestigio dominus Papa cum suis prosequitur, sede priùs sibi paratâ recipitur. Deinde omnibus circumsedentibus & tacentibus, sententiam conceptam sic orditur: Contrà Andrensem Electum quem bonum virum credimus, & quem ad regimen cujuslibet Monasterii satis idoneum & litteratum & audivimus & experti sumus, Dilecti filii Karrofensis Ecclesiæ nuntii multa proposuerunt, sed nihil adhuc coram probaverunt quod sacri Canones censeant in eo puniendum, vel quod eisdem videatur contrarium; verùm quantumcumque personam ejus diligamus, electionem de eo factam ad præsens cassamus, quæ sicut ex litteris bonæ memoriæ Morinensis Episcopi nobis innotuit, ab interdictis & de interdicto facta fuit. Vos autem utriusque partis patroni, post narrationem & recognitionem facti, super quo pleniùs instructi estis, ad discussionem juris procedatis; quare per gratiam Dei usque ad finem litis copiam nostri sufficienter habebitis. Denique illo die & tribus sequentibus super juris discussione, & super diversis articulis ad jus & consuetudinem pertinentibus patroni nostri coram domino Papa disputaverunt, & suis allegationibus diversis & contrariis ad minus dies detinuerunt. Tandem dominus Papa cum pars nostra vellet & instanter expeteret ibidem negotium expediri, & pars adversa mallet causam committi, & diù differri ut sub onere debitorum nos contingeret naufragari, A. Archidiacono, Magistro P. Polverel Canonicis Parisiensibus, & Magistro R. Decano Salesberiensi Parisiis commoranti, causam commisit, & terminari præcepit, & si partes mallent, eamdem causam sufficienter instructam ad se remitti mandavit. Hæc autem commissio in tertiâ compilatione inter Decretales nominatissima habetur, & inter modernos scholares quoties agitur de consuetudine, frequenter recensetur.

Aliis Judicibus discutienda dimittitur.

Dum hæc Romæ aguntur, & patroni nostri alternis vicibus vires suas experiuntur, dominus Papa rogatur à nobis ad exemplar privilegii domini Paschalis Papæ sibi ostensi, propter quasdam possessiones à nobis de novo acquisitas, & nondum à Judice Ecclesiastico confirmatas, hoc privilegio nobis indulsit, & à Cardinalibus subscribi mandavit, quod sic incipit:

Privilegium Innoc. Papæ III. Andrens. concessum.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Henrico Priori Monasterii Andrensis, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium sancti Salvatoris & sanctæ Rotrudis Virginis, in quo Divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis memoriæ Paschalis Papæ II. prædecessoris nostri, sub B. Petri & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes ut Ordo Monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium in præsenti justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo præfatum Monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis. Altare villæ Andrensis, Capellam sanctæ MARIÆ infrà oppidum Gisnense, Altare de Bredenarda, Altare de Tuilinghem, Altare de Ferknes, & altare de Elinghem cum omnibus decimis & pertinentiis eorum, & universa quæ bonæ memoriæ Balduinus Comes Gisnensis cum uxore sua Adela & Manasses ejus filius, vel Barones eorum eidem Monasterio contulerunt. Videlicet pasturam omnem circà ipsum locum de Andernes, & commoditatem aquæ, paludis, & cæspitum: terram de Hantinghem cùm bosco, villanis & omnibus reditibus suis. In villâ Gisnes stagnum & sedem molendini: terram de Suavachas & manerium cum villanis suis, & commoditate aquæ, & tertiâ parte decimæ; terram de Campanies, & tertiam partem decimæ: terram & Comitatum de Bredenarda cum manerio ibidem sito, & eleemosynâ à nobili viro A. Gisnensi Comite vobis intuitu pietatis collatâ: terram, villanos, boscum, stagnum & molendinum quæ Garinus de Fielnes & mater ejus Ecclesiæ vestræ pietatis intuitu concesserunt: Altare in villâ Rokerdes cum omnibus decimis & pertinentiis suis: duas portiones redituum Altaris de Terdinghem: in Parochiâ de Pithen manerium cum terrâ: in Comitatu in monte, qui dicitur Mas, terram, manerium cum bosco, pastura & Comitatu: in Parochiâ de Spetlecas duas partes totius decimæ: in villâ Elceka decimam à bonæ memoriæ vestro Abbate Petro acquisitam.

In territorio de Meech reditus quos à Waltero Blundo, & Theodorico Clerico, & Herberto Folin Milite noviter acquisistis: in villâ quæ dicitur sancti Audomari Ecclesia terram in eleemosynam vobis collatam: in villâ Crajerwic unam marcam super terram Balduini quondam fratris vestri vobis assignatam: in villâ Landertum decimam quam habetis ex dono nobilis viri Ingelramni de Fielnes: in villâ Druedinghem tertiam partem totius decimæ: in villâ Boxin decimam quondam Danielis, terram & reditus quos noviter acquisistis; foragium quoque de vinis quæ ad vestros usus emitis per totum castrum sancti Audomari à bonæ memoriæ Willelmo Castellano vobis concessum, & suo scripto nihilominùs confirmatum. In villis Jorni Audenhem, Faxole, Landertum, Westchoch, & Antinghem, terras, societates & decimas ab antiquis temporibus à vobis possessas: reditus & procurationes quos super quodam nemore debet vobis annuatim Ecclesia de Wasto: duas marcas quas super quodam manerio vobis Abbatia de Bello-loco solvere annuatim tenetur: in villâ Hames terram, villanos, reditus ab antiquo à vobis possessos: in villâ Balinghem ex dono antiquorum Nobilium tertiam partem totius villæ in terris, villanis, Comitatu, stagno, molendino, pasturis & paludibus: & eleemosynas in eâdem villâ vo-

bis concessas à nobilibus viris Hugone & Simone fratre suo, Radulfo Baillol & participibus ejus. In villâ Hotinghem universos mansionarios quos habetis, cum reditibus & Comitatu & paludibus ad usus vestros, à bonæ memoriæ Balduino Comite Monasterii vestri fundatore concessis: in villâ Ferknes terras cum Comitatu, villanos, reditus ab antiquo à vobis possessos.

In villâ Odersele reditus à Guidone Deulesoge quondam fratre vestro vobis concessos; decimam quoque de Monte Fielnes: decimam de Dolo: decimam de Dirlinghetun, & substitutionem Capellani ad Oratorium ejusdem vici: Vavassores quoque à vobis feodatos, & tam ad placitandum pro vobis quàm ad equitandum vobiscum ab antiquis temporibus attitulatos; & forum Ecclesiæ vestræ cum omnibus justis & approbatis consuetudinibus, sicut eas justè hactenùs & pacificè possedistis: sepulturam verò ejusdem loci omnino liberam esse sancimus, ut tam supradictorum Comitum progenies, quàm Barones omnes qui Pares castelli vocantur, juxtà votum & deliberationem suam sepeliantur ibidem: cæterorum quoque qui illic sepeliri deliberaverint devotioni & extremæ voluntati, nisi fortè excommunicati & interdicti sint, nullus obsistat; salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus corpora mortuorum assumuntur.

Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salvâ sedis Apostolicæ auctoritate, & diœcesani Episcopi Canonicâ justitiâ, & debitâ reverentiâ Monasterii Karrofensis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contrà eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JESU-CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat: cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri JESU-CHRISTI, quatenùs & fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen, Amen, Amen.

Datum Laterani per manum Joannis sanctæ MARIÆ in Cosmidin Diaconi Cardinalis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarii XII. Kalendas Januarii, Indictione XI. Incarnationis Dominicæ anno M. CCVIII. Pontificatûs verò Domini Innocentii Papæ III. anno XI.

1208.

Ad petitionem quoque nostram dominus Papa nobis indulsit, ne aliquis infrà terminos Parochiarum nostrarum Oratoria sive Xenodochia construere præsumeret, ne eorum occasione nobis aut Capellanis nostris in futurum præjudicium immineret. Nam extrà castrum Gisnense & Ardense ea postmodum construi vidimus patronis inconsultis & reclamantibus, & etiam dominum Balduinum quondam Comitem Gisnensem ut construeret domum leprosorum de Spelleke, infrà terminos hujus Parochiæ multum elaborasse audivimus, sed dominum Petrum Abbatem & in faciem restitisse scimus, & nos exemplo simili ad præsens nobis prævidimus. Tenor autem Authentici domini Papæ talis est:

Ne infrà terminos Andr. Cœnobii Oratoria vel Xenodochia construantur Pontificis ejusdem inhibitio.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Priori & Fratribus Andrensis Monasterii, Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in domino filii vestris justis postulationibus inclinati, ne quis infrà Parochiarum vestrarum terminos Oratoria seu Xenodochia construere contra vestram & diœcesani Episcopi voluntatem præsumat, salvis Privilegiis Pontificum Romanorum, auctoritate præsentium inhibemus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani decimo-sexto Kalendas Januarii, Pontificatûs nostri anno undecimo.

Præterea cum ex parte nostra domino Papæ fuisset significatum, & ei sæpiùs suggestum, quòd Monasterii nostri Vavassores de feodis ad nos pertinentibus alienationem facerent, & nobis inconsultis quibusdam potentibus ea obligarent titulo pignoris; unde jus nostrum videbatur deperire tam in alienatione quàm in annuis servitiis, ab eo nobis indultum est omnia bona ad Monasterium nostrum pertinentia titulo pignoris posse retinere, nec fructus exinde perceptos pro usuris computari debere. Forma autem indulgentiæ super hoc nobis concessæ talis est:

Aliud ejusdem circà fundos clientelares privilegium.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Priori & Fratribus Andrensibus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ex parte vestrâ fuit propositum coram nobis, quòd nonnulla ad feodum vestri Monasterii pertinentia obligata potentibus ab infeodatis in pignus [data,] facta sunt, non quidem de jure, sed tamen de facto ab eodem Monasterio usuris excrescentibus aliena. Unde nobis humiliter supplicastis, ut terras, reditus & alia quæ prædicto modo ad Monasterium vestrum spectant, vobis ne omninò alienari contingant, in pignus recipere de nostrâ permissione liceret: ita videlicet quòd recepti fructus vobis computari non debeant pro usuris. Volentes autem [Monasterii vestri] indemnitatibus paternâ sollicitudine præcavere, annuimus postulatis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ permissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani XIII. Kalendas Januarii Pontificatûs nostri anno XI.

His igitur impetratis, & nobis adhuc de quorumdam amicorum nostrorum negotiis promovendis in Curiâ sollicitis, me qui hæc scribo in quodam vespere accersiri fecit, & in hæc verba prorupit: Ne, inquit, turberis neque movearis, quòd electionem de te factam cassavi: quare, Deus scit, quòd non ex rancore sed ex charitate processi. In hoc enim facto sententiam contrà te & Fratres tuos à Diœcesano tuo latam purgans revocavi, nec te multùm læsi, quia iterum eligi poteris, & si vis super his litteras nostras ad Fratres tuos reportabis. Ad quem ego: De hac inquam temporali cassatione, Pater sancte, non est estractus animus meus, nisi inde gauderet & mihi insultaret adversarius meus: de faciendâ autem iterum electione de me, sciatis procul dubio me nuntium nunquam fore, ne videar mihi laborasse: supplico autem attentiùs, ut expeditâ nobis commissione quâ communiter nos uti vultis, cum vestrâ benedictione ad natale solum nos quantociùs remittatis. Quare eundo & redeundo & in Curiâ vestrâ moram faciendo multa expendimus, & antequàm negotium terminetur multas adhuc ex-

Idem Pontifex Auctorem solatur.

pensas nobis imminere timemus. Denique benedictione ejus adeptâ à facie egredimur: paucis postmodum diebus in crastino Domini Natalis relictâ Româ festinanter ad Galliam tendimus; applicantes tandem Parisiis præfatis Judicibus commissionem allatam exhibemus; cujus auctoritate adversarios nostros à Pictaviâ peremptoriè citari facimus, & per biennium ferè continuum sub eorum jurisdictione litigando laboramus. Denique me qui hæc scribo procuratore constituto, & propter repetitionem frequentium citationum jam quodammodo fatigato, dum quidam de adversariis nostris in scholis Parisiis renderent, ut ita faciliùs Judicum suorum & Patronorum copiam haberent, quidam verò apud Fraxinetum moram facerent, de consilio Fratrum nostrorum & quorumdam amicorum in Prioratu sancti Dionysii de Carcere per aliquod tempus studui perendinare, & Advocatos cum Judicibus exinde quandoque consulere; certis etiam diebus, quibus ad hoc vacare potui, Rectores Theologiæ nunc legentes nunc disputantes diligenter audire. Cum ergo ad productionem testium ventum fuisset, adversarii multos testes Parisiis produxerunt, quosdam verò & multo plures in terrâ suâ examinari impetraverunt: nostros quoque testes tam senes quàm decrepitos Parisiis deduci & examinari coëgerunt, sed & Instrumenta nostra quibus pro nobis uti noluimus, pro causâ adversariorum & ad instantiam eorum Parisiis deferre & in jure exhibere coacti fuimus: & ita multa pertulimus gravia, pro quibus de jure potuimus appellare, ne causam quam maturari volumus videremur prorogare.

Auctor aliquandiu in Monasterio S. Dionysii de Carcere commoratus.

1209. Anno domini M. CCIX. Philippus Rex Franciæ ad petitionem Renaldi Comitis Boloniæ terram Arnulfi Comitis Gisnensis intravit in multitudine gravi Comitum, Militum & servientium; & diruto Castello quod dicitur Bonham, in quibusdam aliis castellis, scilicet Colewide, Sangate, & Rolinhove munitiones ex parte Comitis Boloniæ tam Militum quàm servientium in eis reliquit, & sic in Franciam rediit. Qui verò in eisdem Castellis à Rege sunt relicti, terræ Gisnensi cœperunt nimis esse infesti, homines terræ capientes & captivantes, magnas pecunias ab eis extorquentes, oves eorum & boves devorantes, mulieres opprimentes, & quòd non ad benefaciendum, sed ad nocendum & persequendum ibi positi fuerant publicè protestantes. Ut autem faciliùs nuntii & homines Comitis Boloniensis apud Rorichove possent accessum habere, per spatiosam paludem inter Rorichove & solidam terram de Merch jacentem viam spatiosam collectâ toti communiâ de Merch cœperunt fodere, & ex utraque parte fossatis ambire, & de terrâ palustri sive sabulosa quæ de fossatis extrahebatur viam sternere, sicque infrà spatium sex dierum opus quod vix aut nunquam fieri sperabat; peregêre.

Comitatus Gisn. vastatur.

Hæc verò clades per annum duravit, & terram de Gisnes miserabiliter oppressit, sed propter Regis timorem nullus eis resistere ausus fuit. Tandem Comes Boloniæ assensu dominæ Comitissæ Beatricis de Gisnes, qui ejusdem Castri dominum scilicet Manassem mariti sui germanum non tenerè diligebat, idem Castrum triplici fossato circumcinctum, piscium multitudine copiosum, vineis, virgultis, & pratis uberrimum, in cujus ædificio sumptuosè laboratum est per spatium decem & septem annorum, funditùs everti præcepit, & reliquæ terræ coæquari virgultis & vineis radicitùs evulsis, asportatis piscibus, & fossatis obstrusis, & prius quibusdam de nostris ibidem submersis.

1210. Anno domini M. CCX. lite Parisiis pendente, & Conventu nostro plures expensas faciente, nobilis vir Eustachius de Hames de bonis nostris concupiscens, & pro eisdem bonis nobis sua temporalia impertiri volens, septem polkinos frumenti, & quinque polkinos avenæ nobis in eleemosynam dedit, & XX. solidos qui in ordinatione uniuscujusque Abbatis ei debebantur; omninò remisit. Cujus autem eleemosynæ à se confirmatæ, & ab uxore sua Mathilde, & filia primogenita Eufemia concessæ, talis est tenor:

In nomine Domini nostri JESU-CHRISTI, Ego Eustachius de Campanies auctoritate præsentis paginæ sigillo meo insignitæ, notum volo fieri tam futuris quàm præsentibus, quòd ego pro salute animæ meæ & parentum meorum donavi & condonavi Andrenensi Ecclesiæ, & Monachis in eâ Deo famulantibus, septem polkinos frumenti, & quinque polkinos avenæ, quos annuatim mihi & prædecessoribus meis iidem Monachi persolvere consueverant: remisi etiam iisdem Monachis viginti solidos publicæ monetæ, quos in ordinatione uniuscujusque Abbatis novi mihi debebant. Et quia hæc cum quibusdam aliis bonis à domino Willelmo de Ficines tenebam in feodum, ut donationi meæ manum apponeret petii ab eo & obtinui, atque ut super hoc suam Chartam conficeret, & sicut dominus meam eleemosynam warentiret, impetravi. Præterea per manum domini mei Arnulfi Comitis Gisnensis prænominatis Fratribus indulsi quasdam consuetudines nimis graves, quas mihi & prædecessoribus meis diù debuerant super quadam ipsorum terrâ quam habent apud Hames, quæ quondam fuerat cujusdam Henfridi cognomento Husman. Hæ autem fuerunt consuetudines: debebant siquidem mihi unum operarium ultrà alium diem, quoties per annum licebat operari, & unam culcitram quoties mihi supervenirent hospites, dimidiam frescengam per annum, & tres bustellos avenæ, viginti quoque & sex denarios, & quinque solidos quoties Comes Gisnensis extrà Comitatum duceret exercitum: quæ omnia & si qua sunt similia quæ de eâdem terrâ mihi debebantur, tam liberè, tam pacificè & tam plenariè sæpedictis Monachis in puram & perennem eleemosynam contuli, sicut domini Comitis & meum docet privilegium, quòd nec mihi nec heredibus meis quidquam juris in eâ retinui.

Quædam Eustachii de Hames donaria.

Hæc autem omnia sicut prænominata sunt, Ego Eustachius & uxor mea Mathildis, & filia nostra Eufemia per manum domini Ingelramni fratris mei, quem suum constitueram Advocatum, in Andrensi Monasterio super altare Dominicum devotè & solemniter obtulimus, & tactis sacro-sanctis juravimus, quòd neque per nos neque per alium aliquem ex parte nostrâ super hac eleemosynâ Andrensi Ecclesiæ damnum, calumnia, vel aliud incommodum in sempiternum proveniret. Sæpe dicti verò Monachi quadraginta marcas publicæ monetæ charitativè mihi dederunt, & octo libras Parisienses quas eis debebam remiserunt: quodque multo præstantius est, quatuor anniversaria pro patre scilicet meo Balduino, & Balduino fratre meo, pro me ipso & uxore meâ in æternum apud ipsos fieri statuerunt; & de multis injuriis quas ipsis & hominibus eorum sæpiùs irrogaveram, me misericorditer absolverunt.

Ceterùm ut hæc mea donatio perpetuæ stabilitatis robur obtineat, ego humiliter supplicavi venerabili Patri nostro domino Morinensi Episcopo, ut eleemosynam meam in sua protectione susciperet, & ad Andrensis Ecclesiæ perpetuam utilitatem sua auctoritate confirmaret, & sub anathemate inhiberet, ne quis in posterum de genere meo, vel alius, devotioni meæ & eleemosynæ ausu temerario contraire præsumeret. Prior quoque & Monachi An-

drenses omnes illos excommunicaverunt candelis accensis, & pulsatis campanis, qui eos aut suos successores in æternum super hoc molestare præsumerent. Actum est hoc solemniter anno Dominicæ incarnationis M. CC. decimo, mense Augusto, eo videlicet tempore quo ego Eustachius Cruce-signatus contra inimicos Crucis Christi Albigenses ire proposui. Super hoc testes sunt Petrus Presbyter Andrensis, Richardus, Walterus, Willelmus, Thomas, Simon Clerici Ecclesiæ: Radulphus de Andrens, Daniel de Balinghem, Balduinus Constabularius Pares mei, & multi alii.

Quia verò quædam pars hujus eleemosynæ utpote VII. polkini frumenti & quinque polkini avenæ ad feodum domini de Fielnes solebat pertinere, & viginti solidi quos in ordinatione uniuscujusque Abbatis assuevit recipere, quod ab eodem domino tenuit, in usus nostros confirmari fecit, & hujus confirmationis tenor sic incipit:

Charta Willelmi de Fielnes.

Ego Willelmus de Fielnes notum facio omnibus tam præsentibus quàm futuris, quòd Eustachius de Campaines homo meus & consobrinus, veniens in præsentiâ mea coram hominibus meis qui sunt Pares sui, dedit per manum meam Ecclesiæ Andrensi in perpetuam eleemosynam septem polkinos frumenti, & quinque polkinos avenæ, quos singulis annis eadem Ecclesia sibi & prædecessoribus suis debuerat, & viginti solidos quos in ordinatione uniuscujusque novi Abbatis Andrensis Eleemosynarius ei & prædecessoribus suis persolverat. Hæc omnia quæ de meo fuerant feodo in manu meâ resignavit, & ego eamdem eleemosynam in manu Prioris Andrensis, & Fratrum ejus Andrensium Monachorum, Andrensi Ecclesiæ liberaliter pro salute animæ meæ & parentum meorum in eleemosynam contuli, & ut Andrenses Monachi in recompensationem meæ donationis uxoris meæ Isabelis anniversarium facerent ab eis impetravi. Quod si quis malitiosus hanc eleemosynam vellet impedire, & ab usibus Andrensis Ecclesiæ, cui per me confirmata est, alienare, ego sicut dominus eam teneri facerem. Actum apud Fielnes anno Domini M. CCX. mense Augusto, coram his testibus qui Pares sunt memorati, Eustachio in Curiâ meâ, Ingelramno de Renninghehem, Ægidio Desmortiers, Petro de Herunval, Joanne de Tingri, Jordano de Cathphis, & multis aliis.

Quoniam ante maxima pars prædictæ eleemosynæ de consuetudinibus quibusdam indultis remissis & redemptis, & ad domum de Hames pertinentibus, ad feodum domini Gisnensis Comitis dignoscitur pertinere, Chartam suam nobis indulsit: & Comiti Gisnensi eamdem concedi & confirmari fecit, sicut in sequentibus apparebit. Charta autem ejusdem Eustachii de feodo Comitis facta & nobis indulta, confirmata est nobis sub hac formâ:

Charta Eustachii de Campaines.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritûs sancti, Amen. Ego Eustachius de Campainnes notum fieri volo præsentibus & futuris, quòd dum nuper Cruce-signatus essem, & multa mala quæ Andrensi Ecclesiæ irrogavi mente revolverem, numine Divino compunctus eidem Ecclesiæ dedi in puram & perpetuam eleemosynam per manum domini mei Comitis Gisnensis, assensu uxoris meæ Mathildis, concedente filiâ meâ primogenitâ Eufemiâ, per manum domini Ingelramni fratris mei quem suum Advocatum constitui, quidquid ego vel prædecessores mei consuetudinaliter solebamus habere apud Hames super terram seu pro terrâ, quæ quondam fuerat cujusdam Henfridi cognomento Husman, scilicet unum operarium, ter in hebdomadâ per totum annum dum licebat operari, dimidiam frescengam, tres bustellos avenæ, unam culcitram quoties supervenirent hospites, viginti & sex denarios, quinque solidos quoties Comes extrà Comitatum conduceret exercitum, & si quid aliud eadem terra mihi debebat, ita purè in puram eleemosynam contuli, quod nec mihi nec heredibus meis aliquid juris in eâ habere permisi: verùm ut Andrensis Ecclesia perpetuis temporibus in pace & quiete hac gaudeat eleemosynâ, ego & uxor mea, & filia per manum sui Advocati corporaliter sacramentum præstitimus, quòd neque per nos neque per aliquem pro nobis eadem Ecclesia calumniam sustinebit aut damnum, amodo & usque in sempiternum. Dominus quoque Comes rogatus à me ut hanc eleemosynam quæ de ipsius est feodo, Andrensi Ecclesiæ sicut legitimus ejus Advocatus warantiret; & si quid exinde damni proveniret Ecclesiæ, de residuis bonis meis eidem satisfaceret; precibus meis annuit, & meam confirmationem suæ confirmationis auctoritate validiorem fecit. Andrenses verò Monachi quatuor anniversaria in recompensationem hujus eleemosynæ se facturos promiserunt: primum pro patre meo, secundum pro fratre meo Balduino, tertium pro uxore meâ, quartum pro meipso. Actum est hoc solemniter coram domino meo Arnulfo Gisnensi Comite, & coram Paribus meis Radulfo de Andrens avunculo meo, Wido de Elembom, Eustachio de Liskes, Daniele de Balinghehem, Jacobo de Nieles, Ægidio de Lotessâ, & multis aliis. Anno verbi incarnati M. CCX. mense Julio. 1210.

Sicut autem præmissum est dominus Arnulfus Comes de Gisnes ab eodem Eustachio admonitus, & pro eo quòd prædicta eleemosyna de ipsius erat feodo, ad hoc inductus est quòd Chartam suam nobis concessit in hunc modum:

Charta Arnulfi Comit. Gisnensis.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, Amen. Ego ARNULFUS Comes Gisnensis scire volo præsentes & futuros, quòd Eustachius de Campaniis homo meus in præsentiâ meâ constitutus, recognovit se dedisse in puram & perpetuam eleemosynam Ecclesiæ Andrensi quædam jura & consuetudines, quæ apud Hames ei, & prædecessoribus suis ab antiquo debebantur de terra, quæ quondam fuerat cujusdam Henfridi cognomento Husman, pro quatuor anniversariis ibidem faciendis, pro se scilicet & uxore suâ Mathilde, pro patre suo, & Balduino fratre suo. Et quia ipsa eleemosyna de meo fuerat feodo, rogavit me ut devotioni suæ assensum præberem, & tamquam legitimus Ecclesiæ Andrensis Advocatus eamdem eleemosynam ipsi Ecclesiæ warantirem. Ego verò precibus ejus acquiescens, quidquid ex prædictâ terrâ memorati Henfridi Husman ipsum vel prædecessores suos solebat contingere, sive in operario ter in hebdomadâ habendo, sive in dimidiâ frescenga per annum, sive in solutione trium bustellorum avenæ, sive in culcitrâ hospitibus ejus providendâ, sive in annuâ solutione viginti & sex denariorum, aut in debito quinque solidorum quoties extrà Comitatum exercitum ducerem, & si quid aliud eadem terra debebat, totum Andrensi Ecclesiæ & Monachis in eâ Deo servientibus confirmo; & si quid exinde damni aut calumniæ Ecclesiæ proveniret in posterum, ego Ecclesiæ satisfacerem de residuo feodo suo: ipse quoque & prædicta uxor sua, & filia primogenita Eufemia per manum Ingelramni de Campaniis qui suus est Advocatus, hanc eleemosynam liberaliter contulerunt; & tactis Sacrosanctis juraverunt, quòd neque per eos neque per alium aliquem ex parte eorum Andrensis Ecclesia super hac eleemosyna de cætero molestabitur. Facta est autem solemniter hæc donatio, & hæc mea confirmatio anno Domini M. CCX. mense Augusto apud Ardeam, eo scilicet tempore quo memoratus Eustachius

chius Cruce-signatus ad terram Albigensium ire proposuit.

Denique ne quid nobis ad certitudinem deesset, idem Eustachius, qui prædictam eleemosynam suam confirmaverat, quique eam à duobus dominis suis Ardeæ Comite Gisnensi, & Willelmo domino de Fielnes confirmari fecerat, unà cum fratribus nostris ad dominum Joannem Morinensem Episcopum personaliter accessit, rem gestam per ordinem retulit, & super præmissâ eleemosynâ Chartam ejus impetravit sub hac forma:

De præmissis commutationibus & denariis Morin. Episcopi Charta.

JOANNES Dei gratiâ Morinorum Episcopus omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis, ad quos litteræ istæ pervenerint, in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quòd nobilis vir Eustachius de Campaniis, prout ipsius docet Authenticum, donavit & condonavit Andrensi Ecclesiæ septem polkinos frumenti, & v. polkinos avenæ, & viginti solidos quos in ordinatione uniuscujusque Abbatis sui Andrenses Monachi ei persolvere consueverant: frumentum verò nominatum cum avenâ singulis annis ei & prædecessoribus suis persolverant; quæ omnia per manum domini sui Willelmi de Fielnes, de quo hæc & multa alia tenebat in feodum, Andrensi Ecclesiæ liberaliter in eleemosynam contulit; quasdam quoque consuetudines satis graves, quas dilecti nostri Andrenses Monachi super Comitatu cujusdam terræ quam ab antiquo possident apud Hames, ei debebant in annuo debito dimidiæ frescingæ, & trium bustellorum avenæ, & viginti sex denariorum, & unius operarii per totum annum dum licebat operari ter in hebdomadâ, & unius cultricæ quoties superveniebant hospites, & debito quinque solidorum quoties Comes Gisnensis extrà terram suam exercitum duceret, omninò eis dimisit, & à Comite Gisnensi, de quo has consuetudines tenebat in feodum, suam eleemosynam concedi & confirmari impetravit. Omnibus itaque ritè ordinatis & benè dispositis, nostram quoque auctoritatem suæ ordinationi adesse rogavit, & suam eleemosynam sub protectione nostra reciperemus, & ad perpetuam Andrensis Ecclesiæ pacem & quitem manuteneremus humiliter supplicavit. Nos igitur ad ipsius preces & instantiam quidquid ipse assensu uxoris suæ Mathildis & Eufemiæ filiæ suæ Andrensi Ecclesiæ donavit aut condonavit, ratum habemus, & auctoritate præsentis paginæ Andrensi Ecclesiæ in perpetuum confirmamus, omnes illos excommunicationis vinculo innodantes, qui super hac eleemosynâ Andrensem Ecclesiam de cætero ausu temerario molestare præsumserint. Actum anno Verbi Incarnati M. CCX. mense Augusto, eo videlicet tempore quo idem Eustachius de manu nostrâ signum Crucis accepit, & inimicos Crucis expugnare proposuit.

1211. Comes Bolon. de dominio suo à Rege Franc. expellitur.

Anno Domini M. CCXI. Reinaldus Comes Boloniæ à domino suo Philippo Rege Franciæ, qui eum primò exaltaverat, & nobili Idæ Boloniensi Comitissæ maritum dari permiserat, de terrâ suâ fugatur, & sic simul & semel pro multiplici proditione sibi impositâ, unde nec se purgavit, nec forsitan purgare potuit, quinque Comitatibus privatur: qui de Franciæ Regno exiens, & cum Othone Romanorum Imperatore & Alemanniæ Rege fœdus iniens; postmodum verò mari transito ad ipsius Imperatoris avunculum Joannem Regem Angliæ personaliter accedens, tam prædictos Reges quàm eorum Optimates contrà Regnum Francorum commovit & incitavit; & ad ipsum debellandum modis omnibus animavit, sicut in sequentibus patebit.

Karrofenses Andrens. Parisiis diem indicunt.

Eodem anno hujus Ecclesiæ Fratres jam per quatuor ferè annos multipliciter impugnati, & ut caderent impulsi & evulsi, Parisiis peremptoriè citati sunt ad audiendam sententiam diffinitivam. Me autem qui hæc scribo cum Priore nostro ibidem pro universitate transmisso, coram memoratis Judicibus per duos dies continuos prolixo conflictu habito, cum nobis constaret tam per quosdam gestus exteriores, quàm per aliquos assessores, quòd de tribus Judicibus solus nobis scilicet Decanus Salesberiensis fideliter adhæreret, & pars adversa à duobus residuis sententiam diffinitivam finaliter pro se exspectaret, à parte nostrâ fuit petitum, ut secundùm formam commissionis causa sufficienter instructa ad dominum Papam terminandam remitteretur; quod penè & planè nobis denegatum fuit à duobus, pro eo quod in commissione non partis sed partium voluntas continebatur. Denique Præfatus Salesberiensis nobis relationem fieri petentibus, & ne aliter fieret districtiùs per appellationem inhibentibus, suisque conjudicibus quòd de capitulo Ecclesiæ Karrofensis teneremur eligere sententialiter proferentibus, unà cum suis assessoribus viris discretis, & in utroque jure peritis eorum sententiâ non approbatâ, de consistorio surrexit, causam ad dominum Papam remittendam in præsentia multorum decrevit, Conjudicum sententiæ se minimè assensum præbere dixit, & quantum in se fuit, attestationes, allegationes & alias rationes ad causæ commodum pertinentes ad dominum Papam sub suo sigillo clausas fideliter remisit; & etiam motum animi sui de his quæ audierat, per litteras patentes diligenter exposuit.

Andrenses judicium detrectant, & iterum advocatos Karrof. ad Pontificem provocant.

Nos autem ejus testimonio sufficienter innitentes, & in suos Conjudices & eorum complices & factores pulverem pedum excutientes, post dies aliquot arrepto itinere Romam pervenimus, sententiam contrà nos latam & per Morinensem diœcesim promulgatam nullius esse momenti censuimus. Iterum de mandato Apostolico consueto more exspectationi adversariorum non voluntatem, sed temporis prolixitatem indulsimus: quibus tandem advenientibus, & sententiam pro se Parisiis latam, Romæ confirmari sperantibus, die & nocte restitimus, terrarum distantiam, linguarum dissonantiam, personarum ignorantiam, & per nos domino Papæ ostendimus, & per præfati Salesberiensis Decani testimonium evidentiùs comprobavimus. Novæ interim lites, nova jurgia inter nos & adversarios consurgunt, novi causarum Patroni & Advocati se causis nostris immergunt, qui omnes aures domini Papæ non demulcent, sed potiùs fastidiunt: ne tamen alicui partium præjudicium videretur irrogare, qui tam præfati Salesberiensis relationi, quàm nostræ assertioni quandoque visus fuit assensum præbere, per duos dies propter causæ nostræ discussionem pro tribunali sedit, partes & Patronos diversa quidem proponentes, & multipliciter evagantes diligenter audivit, & ad sententiandum sive ad componendum inter partes sequentem diem præfixit.

Auctor Romam tertiò proficiscitur.

In somniis terretur.

In ipsâ nocte post decantatas ex more nocturnas vigilias, mihi qui hæc scribo visum est, quòd ante portam Andrensis Monasterii consisterem, & à portario tunc temporis Waltero nomine postmodum deformiter necato, & in bosco de Herkem mortuo reperto, portam mihi aperiri instanter peterem; qui cum responderet se ad manum lumen non habere, unde nos & servientes nostros posset recipere, & equis nostris necessaria providere; ad petitionem nostram totum Monasterii ambitum lumen quærendo circuivit, & lumen minimè invenit, & tamen in ipsis noctis tenebris portâ nobis Monasterii apertâ, & illato nobis ab Australi parte lumine, ipse quidem lumen suscepit, & tam cereos quàm lampades Monasterii eodem lumine illustravit, & etiam ad subsidium servientium, quia frigus erat copiosum ignem

accendit. Cumque causâ devotionis & fraternæ visitationis Claustrum & Oratorium vellemus introire, & Deo super impensis beneficiis grates condignas rependere, de cellâ portæ contiguâ, quæ vulgò Mandatum dicitur, tres lupi miræ magnitudinis per jubar lunæ coruscantis videntur exire, & in nos introire volentes impetum facere, animante nos prædicto Waltero, & seipso contrà luporum rabiem nobiscum fortiter accingente, lupos quidem tanquam mansueta animalia viriliter apprehendimus, & eis suffocatis ad gratiarum actionem rependendam Ecclesiam gratanter introivimus, & nostro adventu Fratres lætificavimus.

Jam discussis noctis tenebris, mihi qui hæc scribo in Curiâ Romanâ moram facienti, & de viso somnio anxio & trepidanti lux serena illuxit, sed nihil adhuc serenum anxio cordi imprimere potuit: quare & somnium præteritæ noctis mirabiliter tenebam, & domini Papæ sententiam imminere finaliter sciebam. Inter spem igitur & timorem constitutus, virum venerabilem dominum Gilebertum Monachum sancti Bertini mecum in hospitio commorantem, pro eo quod ipsum litteratum & morigeratum sciebam, & pro eo quod nihil duplicitatis aut deceptionis in eo timebam, ad me diligenter accersivi, ordinem somnii fideliter retuli, atque hoc ab eo responsum accepi: Tu, inquit, ad Ecclesiam tuam cum gaudio reverteris, & lumen libertatis quo Ecclesia tua hactenùs caruit, ibidem de Curiâ Romanâ apportabis; tres lupos rapaces qui in Ecclesiâ tuâ dominari sperabant viriliter suffocabis; quia hodie per gratiam Dei Gaufridum de Aubis cum Monacho & Clerico sibi cohærentibus aut per sententiam prostratos, aut per compositionem tibi confœderatos videbis. Hæc quidem dixit, & decantatâ à nobis Primâ ad Ecclesiam Beati Antonii hospitio nostro contiguam ut Missam simul audiremus nobiscum processit: quam cum vellemus introire, & pro eo quod Francigenæ ibi ministrabant, magis quàm alibi Missam audire, in sabbato diem cinerum subsequente, Sacerdos Missam celebraturus officium cœpit, Clero secum cantante, inchoare: *Audivit Dominus & misertus est mei, Dominus factus est adjutor meus.* Quo cantu ac si cœlesti responso ego qui hæc scribo lætificatus, & de somnio præteritæ noctis aliquantulum confortatus, ad interpretem somni conversus, dixi: Domne Gileberte benè res agitur, de cœlo nobis auxilium promittitur, quare Dominus audiens, misericordiam & adjutorium nobis in præsenti officio pollicetur. Deinde chorum ingressi Missam devotè audivimus, quâ finitâ domum revertimur, cujus limen vix ingressi, ab ostiariis domini Papæ ad curiam subitò provocamur.

Somnia interpretatur.

Nobis & adversariis in præsentiâ domini Papæ consistentibus, me qui hæc scribo, idem dominus in secreto cubiculo ad secretum colloquium invitat, quæ mala, quæ incommoda ad curiam veniendo perpessus fuerim, & qualiter non longè à Româ captus, & per quindenam & ampliùs ab inimicis captivatus exstiterim, exponens declarat, quæ etiam & quanta Karrofensi Eccl. aliquando pro bono pacis obtulerim nihilominùs recordando insinuat. Nos, inquit, diutinum laborem tuum ad memoriam reducentes, & Ecclesiæ tuæ multiplex gravamen moderari cupientes, & potiùs ad componendum quàm ad sententiandum operam dare volentes, à te diligenter exquirimus, utrum malis compositioni intendere, aut sententiam exspectare. Cui à me statim responsum fuit: Sententiam, Pater sancte, secundùm retroacta non reformidarem audire; sed quia filius pacis sum & semper fui: ad pacem & compositionem vos potissimùm precor intendere. Quo dicto de secretario illo sum emissus, & pro eo quod de formâ compositionis aliquantulum præmonitus & præmunitus fueram, lætus & alacer, ridens & jucundus, ad socios & compatriotas meos me pro foribus exspectantes transmissus: & subitò præfatus adversarius Gaufridus de Aubis ad commune Domini Papæ colloquium in eodem secretario admissus, brevi admodum sermone inter eos habito, idem Gaufridus tristis & plorans egreditur. Domino Papæ tribunal paratur, & ab omnibus circumsedentibus in commune dicitur: Hic ludus mane videtur partitus, quia in uno perpenditur risus, & in alio planctus & ejulatus. Domino autem Papa in consistorio sedente, & quatuor annorum labores in partes habitos ad memoriam pleniùs reducente, sed & duplices sententias contrà Andrenses iniquè latas non omittente, formam compositionis de Fratrum suorum consilio formatam inter nos & Karrofenses promulgavit; quam sub hac formâ eisdem Karrofensibus & nobis perpetuis temporibus tenendam præcepit:

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Hugoni Abbati & Conventui Karrofensi salutem & Apostolicam benedictionem. Inter Ecclesiam vestram & Andrense Cœnobium super jure eligendi Abbatem Andrensem dudum quæstione subortâ, postquàm super eâ fuit in nostrâ præsentiâ diutiùs disceptatum, dilectis filiis Decano Salesberiensi & Archidiacono & Magistro P. Pulverel Canonico Parisiensi dedimus in mandatis, ut auditis hinc inde propositis si ex parte vestrâ talis foret consuetudo probata, quæ juri communi præjudicaret, meritò in hac parte ipsi secundùm consuetudinem eamdem decernerent electionem Andrensis Abbatis ulteriùs faciendam: quòd si talis consuetudo per quam in hoc casu præjudicaretur jure communi, minimè probaretur, ipsi Andrensibus Monachis jus eligendi Abbatem sublato appellationis obstaculo, adjudicare curarent: ut sic postmodum obtinerent liberam facultatem, vel de Ecclesiæ suæ gremio, vel etiam aliunde per electionem Canonicam eligendi personam idoneam in Abbatem, præsentandam Capitulo Karrofensi, ut si esset Canonica, confirmaretur ab ipsis: quòd si forsitan partes mallent ut nobis sententia servaretur, ipsi causam instructam ad nostrum examen remittere procurarent; præfigentes partibus terminum competentem, quo in nostrâ comparerent præsentiâ recepturæ judicium æquitatis. Quòd si omnes his exequendis interesse non possent, duo eorum ea nihilominùs exsequi procurarent. Qui postmodum testibus utriusque partis receptis, & tam instrumentis & rationibus quàm confessionibus & allegationibus etiam diligenter inspectis; cum Judices super sententiâ proferendâ tractarent, & unus eorum videlicet Decanus adstrueret sibi de causæ meritis non liquere, quam ad nostrum cupiebat examen remitti, reliqui duo Judices sicut ex litteris intelleximus eorumdem cupientes negotium expedire, prout partes pluries instanter petierant, postquàm in causâ renuntiatum fuerat & conclusum, auditis specialiter postea quæ fuerunt à partibus proposita coram eis, cum jam sententiam quam de consilio peritorum conscripserant intenderent promulgare, Andrensis Monasterii Procurator quasdam suspicionis causas proposuit contrà eos, de quibus ante nullam fecerat mentionem, & ad cognoscendum de ipsis arbitriis non petitis, recessit ab eis. Sed dicti Judices nihilominùs sententialiter decreverunt, ut cum in Andrensi Cœnobio immineret Abbatis electio facienda, Andrenses Monachi ab Abbate ac Capitulo Karrofensi eligendi Abbatem licentiam peterent, & eligerent postmodum perso-

Sententiam litis decretoriam Pontifex pronuntiat.

nam idoneam de gremio & professis Ecclesiæ Karrofensis, ita quòd in ipso Capitulo Karrofensi eligere minimè tenerentur.

Cum autem nuper dilecti filii Gaufridus de Aubis Monachus vester, & VV. Andrensis Ecclesiæ Procuratores propter hoc ad sedem Apostolicam accessissent, & super antedictâ sententiâ litigassent aliquandiù coram nobis, nos qui ex officii nostri debito his quæ pacis sunt tenemur insistere, compositionem amicabilem, & utrique Monasterio utilem fecimus inter eos, quam ipsi demùm pariter acceptarunt. Ut videlicet Andrenses Monachi qui nunc sunt & pro tempore fuerint, Karrofensi Abbati professionem faciant apud Andrense Cœnobium, promittendo obedientiam & reverentiam regularem. Cum autem in Andrensi Ecclesiâ occurrerit electio facienda, Andrenses Monachi de professis Monasterii Karrofensis sive de suo, sive de Monasterii Karrofensis collegio personam idoneam liberè sibi eligant in Abbatem. Electus verò Karrofensi præsentetur Abbati, qui electionem de illo factam confirmare vel infirmare procuret, sicut de jure fuerit faciendum. Confirmatus autem à diœcesano benedicatur Episcopo, & singulis trienniis Monasterium visitet Karrofense, ac censûs nomine viginti solidos sterlingorum annuatim persolvat eidem. Præterea Karrofensis Abbas annis singulis si voluerit per seipsum, vel per duos ex suis Monachis Andrense Monasterium visitet, cui Andrensis Abbas in Choro, Capitulo, Refectorio & aliis locis utpote Patri Abbati cedat; qui cum consilio Andrensis Abbatis corrigat si quid in membris Andrensis Cœnobii fuerit corrigendum. Quod si quidquam corrigendum fuerit in Abbate, id cum seniorum & saniorum Fratrum ipsius loci consilio Abbas corrigat Karrofensis.

Nos igitur compositionem eamdem à præfatis Procuratoribus approbatam, de communi Fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsenti scripti patrocinio communimus. Statuentes eamdem perpetuis temporibus inviolabiliter observandam. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani decimo Kal. Aprilis, Pontificatûs nostri anno quarto-decimo.

In eumdem quoque modum super factâ compositione Priori & Capitulo Andrensi scripsit, & ad posterorum memoriam transmisit. Tenor autem utriusque confirmationis per Bullam domini Papæ roboratæ penes nos memoriter retinetur, ne aliud in Authentico Karrofensi, aliud in Andrensi contineri dicatur.

1212. Anno Domini M. CCXII. Rex de Marroc, id est, Kartaginensis totam Christianitatem Hispaniæ molitur debellare.

Quia verò tam ex Domini Iterii Abbatis promissione, quàm ex quorumdam Nobilium importunâ suggestione super beneficiis non vacantibus, quibusdam Clericis tenebamur providere; cupientes de cætero huic morbo salubriter occurrere, & tam nobis quàm nostris successoribus præcavere, à domino Papa inhibitionem impetravimus, promissiones factas revocantem, & ne de cætero fierent prohibentem sub hac formâ:

Ne beneficia antequam vacent promittantur, Pontifex prohibet.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Hugoni Priori & Conventui Andrensi salutem & Apostolicam benedictionem. Cum ex injuncto nobis Apostolatûs officio ad Ecclesiarum profectum, & religiosorum locorum commodum aciem nostræ considerationis extendere teneamur; ea corrigere nos oportet, quæ interdum in gravamen ipsorum temerè seu etiam improvidè attentantur. Sanè ad audientiam nostram nobis intimantibus est delatum, quòd ad multorum instantiam importunam, de non vacantibus beneficiis promissiones sæpiùs facere vos contingit; unde nobis humiliter supplicastis, ut vobis super his dignaremur misericorditer providere. Volentes igitur vestræ devotioni super hujusmodi gravamine præcavere, ac attendentes quòd id contrà statuta Lateranensis Concilii attentatur, promissiones hujusmodi decernimus irritas & inanes, auctoritate vobis præsentium districtiùs inhibentes, nè contrà præfatum Concilium beneficia promittere non vacantia cuiquam de cætero præsumatis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani III. Kalendas Aprilis, Pontificatûs nostri anno quarto-decimo.

Sequenti die ad instantiam nostram dominus Papa reditus quos vacante Monasterio nostro à nobili viro Eustachio de Hames acquisivimus: graves etiam & onerosas consuetudines quas ab eo redemimus; quæque per illustres viros Arnulfum Gisnensem Comitem, & Willelmum dominum de Fielnes, de quorum feodo ipsi proveniebant reditus & consuetudines, confirmari fecimus, sicut eorum docent Chartæ quas penes non habemus; auctoritate Apostolicâ confirmavit: & etiam in terrâ Comitis Gisnensis interdicto suppositâ Divina celebrare possumus, & more Ecclesiarum Parochialium minimè cessare nobis indulsit. Sed & Monasterium nostrum à periculo fidejussionis exemit, ne per Monachum vel Conversum ultrà pretium centum solidorum posset fidejuberi, sicut à nobis dudum fuerat statutum, nisi de licentiâ & consensu Abbatis & majoris partis Capituli, & propter manifestam utilitatem ejusdem Monasterii. Omnia autem ista ad præsens indulta, & dudum ab ipso confirmata, propter viarum pericula in regesto suo ad cautelam jussit conscribi.

Confirmatio Domini Papæ super quibusdam acquisitis.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Priori & Conventui Andrensi salutem & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis precibus inclinati, reditus annuos qui nobili viro Eustachio de Campaniâ & suis prædecessoribus, cum quibusdam consuetudinibus onerosis olim à vestro Monasterio debebantur, & quos ab ipso Nobili & heredibus ejus accedente assensu nobilium virorum Comitis Gisnensis & Willelmi de Fielnes, de quorum feodo ipsi proveniebant reditus, redemistis, & relaxationem ipsarum consuetudinum sicut ea justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos Monasterio vestro auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumsereit, indignationem omnipotentis Dei, &c. *ut suprà.*

Indulgentia ut tempore interdicti Divina celebremus.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Priori & Conventui Andrensi salutem & Apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Eapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ut quotiescumque terram nobilis viri Comitis Gisnensis Patroni Monasterii vestri pro suis excessibus, debitis aut aliquibus causis aliis subjici contigerit Ecclesiastico interdicto, juxtà quod vobis est à felicis recordationis Alexandro Papa prædecessore nostro indultum, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce Divina vobis officia liceat celebrare, devotioni vestræ auctoritate præsentium indulgemus. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum, &c. *ut suprà.*

Inhibitio Domini Papæ ne nobis liceat fidejubere.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Priori & Conventui Andrensi salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu auctoritate Apostolicâ prohibemus, ne aliquis Monachus sive Conversus sub professione vestræ domûs astrictus sine consensu & licentiâ Abbatis & majoris partis vestri Capituli pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat, ultrà pretium Capituli vestri providentiâ constitutum, nisi propter manifestam domûs vestræ utilitatem. Quòd si fortè facere præsumserit, non teneatur Conventus pro his aliquatenùs respondere. Nulli ergo omninò hominum &c. *ut suprà.* XI. Kal. Aprilis.

Denique his Romæ peractis, me qui hæc scribo, & adversarios coram se evocatos jubet dominus Papa potenti virtute verborum in osculo pacis coram se reconciliari, & omnes injurias tam verbales quàm reales utrobique ex corde remitti: adversarius quoque pro renovatione quorumdam Privilegiorum adhuc in Curiâ occupatis, me cum suâ benedictione repatriare jubet; & priùs tamen ad Karrofense Cœnobium proficisci. Scripsit enim per me Abbati & Capitulo Karrofensi speciales litteras omni dulcedine & familiaritate plenas, exhortans & monens, & in remissionem peccatorum injungens, ut omnem scrupulum prioris indignationis, zeli & amaritudinis de cordibus suis penitùs auferrent, & compositionem pro commodo utriusque Ecclesiæ factam, & salubriter ordinatam, ratam & gratam haberent: Andrenses quoque Monachos tamquam suos domesticos sincerâ caritate diligerent. Lectis in Capitulo Karrofensi litteris Apostolicis, ab omnibus, Deo gratias, respondetur. Mihi qui hæc scribo præter mortem solitum omnis humanitas exhibetur. Postquàm de infirmitate convalui, unde cum famulo nostro Manasse per aliquot dies ibi langui & ægrotavi, ad natale solum redire conceditur.

Iterum eligitur Abbas Auctor hujusce Chronici.

Paucis postmodum diebus evolutis, formâ compositionis Fratribus nostris ostensâ, & ab eis acceptatâ, concorditer eligor, imò potiùs reeligor; & præeunte omnium voluntate comitatus honesto viro Willelmo de Broburch Sacerdote & Monacho, litterarum Capituli portitore, & de processu electionis fideli relatore, ab Abbate & Capitulo Karrofensi in pleno Capitulo voluntariè & honorificè Fratribus concrepantibus, & signis pulsantibus confirmor & installor; & sic demùm cum virgâ pastorali, & litteris Karrofensis Capituli, ad dominum Joannem Morinensem Episcopum transmissus, & ab eo in Matrice Ecclesiâ beatæ Virginis & ejusdem Assumptione solemniter benedictus, ad Fratres meos cum gaudio remittor. Deinde factâ computatione super debitis Ecclesiæ nostræ, tam ex debitis in viâ & in Curiâ Romanâ factis, quàm ex debitis in patriâ istâ mutuo acceptis, & in acquisitione redituum vacante Monasterio sumptuosè erogatis, & etiam multiplicibus nuntiis multipliciter collatis; inventum est Monasterium nostrum mille quadragintas libras Parisienses debere; & hæc omnia infrà spatium unius anni persolvi oportere. De messibus autem sive de mercedibus suis servientes nostri quidam duorum annorum, quidam trium restitutionem petebant, quia ferè omnes in substitutione novi Abbatis se dilatos & prorogatos à Priore & Rectoribus Monasterii fuisse asserebant, & præcipuè Monasterii coquus nomine Willel. qui de decem & septem annis transactis annuam mercedem sibi restitui instanter petebat. Mansit igitur inter has debitorum procellas Conventus noster per integrum primum annum minimè dispersus; quare summa debiti, id est, trecentæ LX. marcæ sterlingorum duobus Parochianis nostris, dominæ scilicet Adelidi de Andernes, & Eustachio Bord de Herkem debebantur, à quibus etsi modesta servitia, non tamen usuræ extorquebantur. Conventus autem servitium Dei exercens, & solito more simul manens, per totam hyemem, & æstatem sequentem in hoc loco moram fecit, & secundùm consilium multorum tam Religiosorum quàm sæcularium se futuræ dispersioni præparavit & viriliter accinxit.

Chatholici in Albigenses arma sumunt.

Maxima pars Francorum Cruce Christi signata in pectore, & innumera multitudo Flandriæ & Alemanniæ ad Albigenses incredulos exterminandos ad provinciam Tolozanam properaverunt, ex quibus multi victores, multi victi fuerunt.

De peregrinatione Infantium de diversis locis adunatorum.

INfinita etiam multitudo parvulorum de diversis civitatibus, castellis, opidis & villis, nullo penitùs exteriùs monente, confluxit, & versus mare Mediterraneum properantes; cum à parentibus vel ab aliis interrogarentur quò vellent ire, quasi uno edocti spiritu, singuli & universi responderunt, ad Deum.

Sequenti hyeme Fernandus filius Regis Portugalensis uxorem duxit Joannam filiam domini Balduini Imperatoris Constantinopolitani, Flandriæ & Heinoniæ Comitis. Et in eâdem hebdomadâ dominus Ludovicus primogenitus Regis Franciæ, Ariam & Castrum Sancti Audomari tamquam sua ex parte matris repetiit, & à Burgensibus ea recepit.

Fulmen à Cœnobio Bertiniaro S. Gregorii & S. Benedicti meritis deflectit.

In eâdem quoque hyeme Ecclesia beatæ MARIÆ de Bosco igne fulmineo combusta est. Eâdem fulmineâ tempestate à Monasterio Sancti Bertini meritis Patronorum ibidem quiescentium, necnon S. Gregorii & sancti Benedicti meritis exinde recedente, & præfatam Ecclesiam comburente, quæ tamen Ecclesia ex domini Ægidii Abbatis industriâ, & ex fidelium eleemosynâ circumquaque collectâ, processu temporis multo elegantior & decentior solito surrexit; & etiam villâ eidem Ecclesiæ contigua ædificari cœpit, & in jus Parochiale uberrimè crevit.

1213. Rex Franc. Anglis bellū illaturus à Pontifice detinetur.

Anno Domini M. CCXIII. Philippus Rex Franciæ collecto exercitu & navigio magno, cum multi eum in Angliam transfretare putarent, & propter hoc in apparatu sumptuoso sibi providissent, Pandulfus domini Papæ nuntius, & postea Norwi-

censis Episcopus, Anglorum Regi de amissione Regni formidanti consilium dedit, ut ad enervandam Francorum Regis audaciam Regnum suum volentis invadere, pro eo quod jam per sex annos continuos non erubuit excommunicationi & publico interdicto subjacere, ut suum Regnum cum appenditiis domino Papæ & Ecclesiæ Romanæ tributarium faceret, dominum Archiepiscopum Cantuariensem cum suo Conventu & Coëpiscopis in Regno Franciæ exilio relegatis, ad suas Ecclesias revocaret, & eis ablata restitueret: & hoc facto domini Regis Francorum propositum impediret, & auctoritate domini Papæ inhiberet ei, ne Regnum sibi subjectum invaderet. Rex igitur Francorum primò ad hoc agendum auctoritate Curiæ Romanæ animatus, & postmodum ab ipsius Curiæ nuntio, sicut dictum est, impeditus, mutato proposito suo totum exercitum suum in Flandriam duxit, per Boloniensem & Gisnensem Comitatum transitum fecit circà loca maritima, & acceptis obsidibus à præcipuis Castris Flandriæ, Ipra scilicet, Gandavo & Brugis, in Franciam rediit. Priùs tamen classem magnam quam sibi paraverat, cum infinitâ thesauri multitudine in Flandriâ perdidit, & post ejus recessum Comes Flandriæ Fernandus castra sua recepit. Postea dominus Ludovicus primogenitus Regis Franciæ villam suprà mare quæ dicitur Novus-portus, & quasdam alias, scilicet, Balleolum, & Stenfort pro magnâ parte combussit & devastavit: ubi capti fuerunt innumerabiles utriusque sexus. Deinde paucis evolutis diebus Comes Flandriæ civitatem Tornacum cepit, muris ejus in parte dirutis. Insula verò oppidum ei fuit redditum, & in brevi à domino Rege Francorum propter hoc iteratò combustum.

Copias in Flandriam movet.

Eodem anno dominus Adam Parisiensis Archidiaconus in Episcopum Morinensem eligitur & consecratur, & dominus Stephanus Cantuariensis Archiepiscopus cum suis Suffraganeis & venerabili Conventu Cantuariensi in Angliam honorificè revocatur.

Cantuarienses in Angliam revocantur.

Vacante Monasterio nostro Eustachius de Ripmaninghem Miles de terrâ Constantinopolitanâ ad natale solum, id est ad Comitatum Boloniensem rediens, sex denarios qui ei annuatim debebantur à nobis de terrâ nostrâ de Walrichove, nobis indulsit, & indultos in hunc modum confirmavit:

Ego Eustachius de Ripmaninghem notum facio omnibus præsens scriptum inspicientibus, quòd concessi & dedi in eleemosynam Ecclesiæ Andrensi sex denarios apud Ferchenes, quos ipsa Ecclesia de me tenere solebat, pro salute animæ meæ & patris mei & matris meæ. Hujus doni testes sunt Eustachius Presbyter de Basinghem, Facius Wintsele, Balduinus de Lokim. Ut hoc autem donum firmum permaneat filium meum hoc concedere feci. Insuper & præsentem paginam sigillo meo corroborare curavi. Actum est autem hoc anno Dominicæ Incarnationis M. CCIX.

Eodem anno Rex Anglorum Joannes timens ne Rex Franciæ, vel aliquis de successoribus ejus Regnum suum iterum attentaret invadere, ipsum Regnum cum Regno Hiberniæ domino Papæ tributarium fecit; & inde à se, & à suis heredibus mille marcas argenti annuatim persolvi Ecclesiæ Romanæ instituit; unde multorum nobilium offensam incurrit, maximè quòd suo tempore ancillavit Regnum quod invenit liberum. Quemdam autem fidelem virum nomine Petrum per vias & semitas equis indomitis trahi fecit, & postea suspendi, pro eo quòd prophetaverat ipsum ultrà annum minimè regnaturum. Et reverà Rex non potest dici verè regnare, quem constat tributarium existere.

Joannes Angl. & Hiberniæ Regna Romano Pontif. vectigalia fecit.

1214. Anno Domini M. CCXIV. Joannes Rex Angliæ cum magno exercitu Pictavium intravit, & consideratione ei factâ à Pictavensibus, Castrisque redditis, dominus Rex Franciæ nimium exacerbatus primogenitum suum dominum Ludovicum cum Marescallo, & multis aliis militibus ad resistendum ei transmisit, qui in loco qui dicitur Rupes-monachi in eum viriliter impetum faciens, licet multo pauciores haberet armatos ipsum Regem cum omnibus suis in fugam convertit, & spolia ejus diripuit. Dominus autem Rex Franciæ stipendarios quos in Castris Franciæ reliquerat revocavit, & qui Cassleti morabantur castello succenso recesserunt.

A Ludovico Regis primogenito licet militum numero longè superior fugatur.

Post hæc paucis diebus interpositis Fernandus Comes Flandriæ cum magno exercitu terram Arnulfi Comitis Gisnensis intravit, & juxtà Castrum sancti Audomari transitum fecit, curtem nostram de Suavekes bonis temporalibus refertam cum villâ adjacente igne crematavit, & in sabbato quod Ramos Palmarum præcessit, multitudo maxima sui exercitûs locum hunc intravit, & omnes Monasterii officinas hospitatura occupavit, quidquid in cibo vel potu penes nos inventum est consumsit, in tantum quòd nocte sequenti quingentis sexaginta tribus equis nos providere oportuit: in crastino de Monasterio exeuntes, qui more Christianorum Divinum officium debuissent audire, & in honorem Domini ramos portare, per totam finitimam regionem ignem portando, & per domos jactando hostiliter incendunt, & ita extrà Castrum de Gisnes ubi Comitissa Beatrix clausa tunc temporis morabatur transitum facientes, & per villas inter Gisnes & mare sitas fœda vestigia relinquentes; eadem die territorio de Merch transito & dimenso; nemine persequente aut injurias terræ ulciscente, apud Greveninghes illæsi & inconcussi perveniunt. Erant autem potentiores post Comitem Flandriæ in ipso exercitu Comes Boloniæ Reinaldus, & Simon frater ejus qui filiam Comitis Pontivi unicam jam duxerat, Comes Salesberiæ Willelmus, Walterus Præpositus sancti Audomari, & Hugo de Bova de Regno Francorum expulsus, qui cum thesauro Regis Anglorum totum exercitum ducebat, & larga stipendia erogabat.

Comes Fland. Gisnens. Comit. diripuit.

Hujus autem guerræ fuit occasio, quòd præfatus Comes Arnulfus domino Regi Francorum & filio ejus primogenito fidelitatem fecerat, & à subjectione Comitis Flandrensis recesserat. Spatio autem unius mensis nondum evoluto, iidem malitiosi ægrè ferentes se aliquid præfato Comiti reliquisse, & ejus munitiones non invasisse, cum præfato exercitu, & multo pluribus quàm priùs, per Greveninghes & terram de Merch transitum facientes, miseram terram de Gisnes iterum intrant, prædis, rapinis, & incendiis omnia devastant, in loco isto iterum pernoctant, avenam & hordeum ad subsidium anni, & ad ferendum à nobis provisum & mutuò acceptum cum omnibus quæ poterant comedi, usurpant & devorant, & combustis hospitum nostrorum domibus CXVII. ultrà valorem ducentarum marcarum tam in primo quàm in secundo conflictu nos damnificant.

Tandem præfato Comite Arnulfo proditionem timente, & in terrâ propriâ morari non audente, Comitissa Btearix de Castro Gisnensi ubi per aliquod tempus detenta fuerat, à propinquis suis Flandriæ optimatibus extrahitur; & maritus ejus Arnulfus à Burgensibus sancti Audomari honorificè recipitur: & ita tota ipsius terra cum munitionibus, proh dolor! hostibus exponitur. Toto igitur exercitu per quatuor dies continuos apud Ardeam moram faciente, & quotidie Bredenardam cum Rigariâ rapinis & incendiis devastante, Comes Boloniæ Reinal-

dus præteritarum inimicitiarum minimè oblitus, licet jampridem Comiti Gisnensi fuisset reconciliatus, Castellum de Sangate licet de feodo suo esset, pro eo quod tam se quàm suos aliquando impugnaverat, igne cremavit, Castellum etiam de Colwide succendit, & in quantum potuit turrim ejus prostravit: oppidum Gisnense cum Castello & mansionibus Comitis evertit & combussit; & ad hoc faciendum omnes Anglicos in exercitu commorantes, pro eo quod tam ipsi quàm eorum compatriotæ in eodem Castro pedagium sæpiùs persolverant, quasi in ultionem sui crudeliter adscivit, & evocavit. Tractantibus autem inter se Principibus exercitûs ejusdem, quòd in suo recessu totam villam Ardensem cum munitione penitùs incenderent, mediantibus Willelmo de Capellâ & Willelmo de Andriâ Abbatibus, necnon & Willelmo ejusdem villæ Presbytero Parochiali, eadem villa pretio ducentarum quinquaginta librarum ne combureretur redempta fuit; & die sequenti totus exercitus inde recessit, & dominam Comitissam Beatricem cum omnibus liberis suis & totâ familiâ secum abduxit; quæ in Comitatu Flandrensi per annos quatuor continuè degens à thoro maritali separata fuit, malens in Flandriâ sicut dicebatur à multis exulando morari, quàm in castro Gisnensi contrà voluntatem suam clausa detineri. Post modicum autem temporis primogenita ejus Beatrix religiosa puella à matre recedens, ad patrem rediit, & infrà anni spatium Balduinus primogenitus filius in patris gratiam receptus fuit.

Dum igitur prædicti Principes scelerati infrà breve tempus jam per duas vices in subversione Gisnensis Comitatûs victores exstitissent, & proinde in gloriam inanem nequiter elati, etiam ad conterendum & dissipandum Regnum Franciæ, & ad dilatandum terminos suos se extollerent, & per dies singulos mutuò animarent, cum Othone quondam Romanorum Imperatore, sed tunc temporis à domino Papa Innocentio excommunicato & reprobato, fœdus ineunt, & eum secum in Flandriam pertrahunt: thesaurum Regis Angliæ ei exponunt, victoriam de Regno Franciæ sicut sperabant, ei & sibi promittunt. Auditâ Rex Francorum eorum conspiratione, & filio suo primogenito contrà Regem Angliæ cum magno exercitu in Pictaviâ viriliter agente, idem Rex Flandrensem exercitum non exspectavit; sed congregato exercitu militari & equestri tam de Franciâ quàm de Campaniâ & Burgundiâ, quasi extrà terminos Regni apud Pontem de Bovines eis qui multo plures erant numero, intrepidus occurrit; & Deo disponente qui pluries ei victoriam contulerat, omnes qui locum istum & Gisnensem Comitatum nuper inquietaverant & expugnaverant, cepit, & in Franciam secum cum quibusdam Principibus Alemanniæ captivos deduxit. Otho autem quondam Imperator cum paucis evasit, & Hugonem de Bove per fugam elapsum cum thesauro Regis Angliæ malè acquisito in Angliam reverti volentem, extrà portum de Sandwico super sabulum de Cnebinglesand dejecit, & justo judicio submergi fecit. Per omnia benedictus Deus qui tradidit impios.

Rex Franc. Comitem Fland. & alios Gallorum perniciem conspirantes prælio devictos capit.

Eodem anno nobilis vir Jacobus de Nieles, filius domini Gusfredi cognomento Baron, quoddam concambium inter eumdem patrem suum & dominum Petrum Abbatem olim factum, datâ Chartâ suâ nobis confirmavit, & quamdam decimam lini in Campaniâ jacentem à nobis dudum impignoratam in feodum recepit, & exinde nobis homagium fecit, recognoscens in plenâ Curiâ & in Parium suorum præsentiâ se ter in anno placitis nostris debere interesse, & ut vestimenta sacerdotalia consuantur & abluantur ab ejus familia se debere operam dare: Abbate verò equitante, si invitatus fuerit, duo linteamina cum auriculari ad ejus lectum tenetur providere, & postquàm redierit ea lota recipere. Tenor autem suæ Chartæ talis est.

Charta Jacobi de Nieles

Ego Jacobus de Nieles notum fieri volo tam præsentibus quàm futuris, quòd concambium inter venerabilem Abbatem Andrensem dominum Petrum & patrem meum Gusfridum de Gisnes olim factum, super scilicet terrâ duarum mensurarum in Parochiâ de Brames jacente, pro aliâ terrâ juxtà domum meam de Nieles positâ, ratum habeo & præsenti scripti patrocinio eamdem terram prædictæ Ecclesiæ tres bustellos frumenti reddentem singulis annis cum omni jure Comitatûs confirmo; & sex denarios qui ex eâdem terrâ mihi quotannis debebantur quittos clamo, & pro amore Ecclesiæ ne quid juris in eâdem terrâ mihi & heredibus meis remaneat, liberaliter condono. Domnus verò Willelmus Abbas prædicti domni Petri successor, super toto arreragio à tempore patris mei retento, de consensu Capituli Andrensis me quitum clamavit. Et insuper quamdam decimam lini à patre meo impignoratam sibi mihi misericorditer reddidit, & me in hominem recepit. Ego autem ab illâ die & deinceps fidelitatem Andrensi Ecclesiæ me servaturum juravi, & servitium quod pro feodo meo ei suisque successoribus habeo, coram multis recognovi. Actum anno gratiæ M. CCXIV. mense Junio, in festo sancti Barnabæ Apostoli. 1214.

Eodem quoque anno nobilis vir Manasses de Gisnes & dominus de Tiembronne sex terræ jornellos de feodo nostro provenientes, & ab eo acquisitos nobis dedit, & ad vinum Fratribus assignavit: pro quâ liberalitate tam de vino quàm de aliis victui necessariis, ei à nobis præbenda tamquam uni ex Fratribus nostris promissa fuit. Dedit etiam Sacristæ unum polkinum frumenti ad provisionem hostiarum tam ad opus Ecclesiæ nostræ quàm vicinarum Ecclesiarum; & duos bustellos frumenti ad provisionem carbonum ligneorum in thuribulo cremandorum. His autem datis, & sicut dictum est dispositis, Chartam suam nobis indulsit sub hac forma:

Charta Manassis de Gisnes.

Ego Manasses de Gisnes dominus de Tiembronnâ, omnibus tam præsentibus quàm futuris notum esse volo, me pro salute animæ meæ dedisse in puram & perpetuam eleemosynam Andrensi Ecclesiæ & Fratribus in eâ domo servientibus sex terræ jornellos, quos de propriâ acquisitione meâ adeptus fueram in tenemento & Parochiâ ipsorum, cum omnibus reditibus exinde provenientibus; & ad petitionem meam iidem reditus ad vinum sunt assignati. Iidem verò Fratres unanimi voluntate atque consilio in suam fraternitatem tam temporalem quàm spiritualem me receperunt; ita sanè ut cum discessero sepulturam apud ipsos habeam, dummodo infrà duas dietas in fata concidam: quamdiù verò vixero in recognitionem fraternitatis, sicut unus ex Fratribus de vino præbendam meam suscipiam, si verò in Comitatu Gisnensi non mansero, aut pro eadem præbendâ non misero, iidem Fratres erga me immunes remanebunt, & post discessum meum nulli ex heredibus meis exinde respondebunt. Postmodum verò eleemosynam meam volens augmentare, prædictæ Ecclesiæ dedi, & super altare Dominicum obtuli, & ad provisionem Sacristæ assignavi sex bustellos frumenti & duas gallinas super quamdam terram, quam Willelmus Spange cum heredibus suis ab eâdem Ecclesiâ in perpetuum sub manu firmâ ex integro tenere debebit; ex quibus duos bustellos ad providendum carbones vivos in thuribulo consumendos & Sacerdotum digitos calefaciendos ad Missam idem Sacrista singulis annis expendet. De

uno autem polkino aut de pretio ejus tam ad usus Monasterii quàm vicinarum Ecclesiarum hostias faciet.

Domnus verò Willelmus Abbas cum Conventu suo sub stolâ excommunicaverunt omnes qui hanc eleemosynam ab Ecclesiâ suâ alienaverint, vel qui in alios usus eam scienter commutaverint. Hæc dona suprà dicta licet diversis temporibus à me sint liberaliter facta, tempore Willelmi Abbatis, concedente uxore meâ Adelide, renovata sunt, & simul confirmata, anno Verbi Incarnati M. CCXIV. (1214.) mense Julio, infrà octavas Translationis sancti Benedicti Abbatis, coram multis tam Clericis quàm laicis.

Circà illud tempus nobilis vir Balduinus de Baninghem Miles, qui locum istum frequenter inquietaverat, & quosdam homines nostros de Hottinghem occasione Comitatûs diu & multum vexaverat, acceptâ ab Abbate Willelmo charitate decem librarum Parisiensium, calumniam quam contrà Ecclesiam moverat super procurationibus & quibusdam indebitis consuetudinibus, omninò remisit, & eumdem Comitatum Ecclesiæ possidendum perpetuò concessit, & Chartam suam exinde nobis concessit sub hac formâ:

Charta Bald. de Baninghem.

Ego Balduinus de Baninghem notum fieri volo tam futuris quàm præsentibus, quòd ego pro salute animæ meæ & parentum meorum concessi & dedi Ecclesiæ sancti Salvatoris Andrensis, & Monachis in eâ Deo militantibus, in perpetuam eleemosynam totum Comitatum totius terræ de Hottinghem, quam in eâdem villâ & in omnibus finibus ejus eadem Ecclesia possederat ab antiquo ex dono prædecessorum meorum, excepto Comitatu quem habeo in terrâ Henfridi de Bergnes. Hoc autem feci de voluntate & assensu domini mei Arnulfi Comitis Gisnensis, à quo eumdem Comitatum inter cætera tenebam in feodum, qui factum meum creantavit, & ad preces meas auctoritate Chartæ suæ hanc eleemosynam confirmavit. Præterea consuetudines quasdam quas in præfatâ Ecclesiâ ratione memorati Comitatûs calumniari consueveram, utpote de procurationibus, de receptionibus, de vestibus & aliis rebus indebitis, totum quitum clamo, & pro amore Christi eidem Ecclesiæ indulgeo. Ne quid vero ad certitudinem desit, Ermengardis uxor mea huic eleemosynæ liberaliter assensum præbuit; sed & filius meus primogenitus Matthæus adhuc infrà annos per manum Ægidii de Lotessâ quem ei Advocatum dederam, hoc creantavit. Prædicti autem fratres ab omnibus injuriis & offensis retroactis me absolverunt, & tam mihi quàm uxori meæ spiritualem Fraternitatem in Ecclesiâ suâ tamquam uni ex Fratribus concesserunt. Actum est hoc, & auctoritate sigilli mei confirmatum, anno Verbi Incarnati M. CCXIV. (1214.) mense Julio in vigiliâ sancti Jacobi Apostoli.

Postmodum ad dominum Arnulfum Gisnensem Comitem idem Balduinus personaliter accessit, conventionem & compositionem inter ipsum & Ecclesiam factam recognovit, & ipsam à præfato Comite tamquam à superiori confirmari impetravit in hunc modum:

Charta Arnulfi Comit. Gisnensis.

Ego ARNULFUS Comes Gisnensis notum esse volo præsentibus & futuris, quòd Balduinus de Bainghem homo meus & consobrinus, in præsentiâ meâ constitutus recognovit se dedisse Ecclesiæ Andrensi, cujus auctore Deo Patronus existo, in puram & perpetuam eleemosynam quemdam Comitatum qui erat de feodo meo, quem in villâ de Hottinghem idem Balduinus habere solebat super terram & homines ipsius Ecclesiæ, eâ scilicet divisione & tenore, ut nec sibi nec heredibus suis quidquam juris permaneat, sed totum in usus Ecclesiæ cedat, præter Comitatum quem habet super terram Henfridi de Bergnes in eâdem villâ, quem etiam de me tenet in feodum. Ego autem qui eamdem Ecclesiam à primogenitoribus meis fundatam tempore meo volo augmentari, huic eleemosynæ liberaliter assensum præbeo, & auctoritate præsentis Chartæ eam confirmo. Quod si ab eodem Balduino, vel ab aliquo ex heredibus ejus ipsam Ecclesiam in posterum super hoc vexari contingeret, ego indemnitati Ecclesiæ meæ providerem, & per coarctationem residui feodi tamquam dominus & Patronus conventionem factam teneri facerem. Actum apud Tornehem anno Verbi Incarnati M. CCXIV. coram hominibus meis, domino scilicet Balduino Clerico fratre meo, Balduino de Bochoud, Balduino de Balinghem Militibus, & quibusdam aliis qui præsentes aderant, mense Julio in vigiliâ Beati Jacobi Apostoli quæ accidit in die Jovis.

Ne quid autem ad certitudinem nobis deesset, idem Balduinus ad dominum Morinensem Episcopum sequenti anno accessit, suam & Comitis confirmationem, & factam cum Ecclesiâ compositionem coram eo recognovit. Et ut ipse auctoritate Pontificali utramque confirmationem roboraret, petiit & impetravit sub hac formâ: 1215.

Charta Adæ Episc. Morin.

ADAM Dei gratiâ Morinorum Episcopus omnibus ad quos litteræ pervenerint, in Domino salutem. Noverit universitas vestra quòd cum Pastorali sollicitudine Morinensem diœcesim, quam Deo auctore gubernamus, nos visitare contingeret, & circà ea quæ ad nostrum spectant officium nostræ mentis intentio versaretur, duæ coram nobis pro Andrensi Monasterio recognitiones factæ sunt, quas nos ad honorem Dei & ejusdem loci profectum scripto commendari mandavimus, ne in posterum per alicujus malitiam præfato Monasterio exinde præjudicium generetur. Nobilis siquidem vir Balduinus de Bainghem ad expugnandum Albigenses cruce-signatus, in virgulto sancti Joannis Morinensis coram nobis recognovit se quemdam Comitatum, quem super quosdam homines ejusdem Cœnobii eatenùs habuerat, ipsi Cœnobio in eleemosynam contulisse, & quasdam consuetudines quas ab antiquo injustè exegerat penitùs indulsisse, & tam suam quàm domini sui Comitis Gisnensis Chartam super hoc confecisse.

Decima de Vellerke.

Petrus quoque de Honle domini Castellani S. Audomari Ballivus, coram eodem domino suo in domo Petri Decani sancti Audomari recognovit coram nobis, se super decimâ à prædicto Castellano privilegiatâ, erga sæpedictum Monasterium injustam movisse querimoniam. Nos igitur quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & prædictos injuriosos ad cor revertentes misericorditer absolvimus. Scripta verò de utrâque pace composita, quæ diligenter inspeximus, rata habemus & approbamus; & scripti nostri patrocinio confirmamus, Anno Domini M. CCXV. mense Martio. 1215.

Nobilis quoque vir dominus Eustachius de Oyâ eodem anno quatuor nobis raserias salis in eleemosynam dedit, & per Chartam suam eamdem eleemosynam confirmavit, nobili uxore suâ Beatrice hoc concedente, & eum ad hoc animante in hunc modum:

Charta Eustachii de Oya.

Ego Eustachius de Oyâ notum volo fieri præsentibus & futuris, quòd ego pro salute animæ meæ, & parentum meorum volens augmentare bona Andrensis Ecclesiæ ab eis liberaliter indulta, concedente & collaudante uxore meâ Beatrice dedi & concessi eidem Ecclesiæ quatuor raserias salis super salinas meas, annuatim accipiendas de primo pagamento

quod Censuales mei mihi, aut successoribus meis parati erunt persolvere, postquàm Abbatiæ sancti Wlmari de annuo censu sex raseriarum salis, quas ab antiquo super easdem salinas in eleemosynam possedit, fuerit satisfactum. Terminus autem hujus solutionis erit annuatim in Translatione sancti Martini infrà octavas. Fratres verò ejusdem Monasterii pro tali eleemosynâ mihi & prædictæ uxori meæ anniversaria post obitum nostrum facere tenentur in perpetuum. Ut autem hæc mea donata & solemnis donatio, perpetuæ stabilitatis robur obtineat, hanc Chartam auctoritate sigilli mei confirmavi, Anno Verbi Incarnati M. CCXV. mense Augusto coram multis.

1215. Anno Domini M. CCXV. Fredericus Rex Apuliæ Aquisgrani coronatus est in Regem, & ibidem cruce-signatus, & multi Episcopi, Duces, & Comites cum eo.

Concilium Lateran. IV. Eodem anno celebrata est sancta universalis Synodus Romæ in Ecclesiâ Salvatoris quæ Constantiniana vocatur, mense Novembri, Indictione III. præsente domino Innocentio Papa, pontificatûs ejus anno octavo decimo, in quâ fuerunt Episcopi CCCCXII. inter quos exstiterunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet Constantinopolitanus, Jerosolymitanus; Antiochenus verò gravi languore detentus venire non potuit, sed misit pro se Vicarium Anteradensem Episcopum: Alexandrinus verò sub Saracenorum dominio costitutus, fecit quod potuit mittens Diaconum germanum suum. Primates verò & Metropolitani LXX. cæterùm Abbates & Priores ultrà octingentos, Archiepiscoporum verò & Episcoporum, Abbatum, Priorum, Capitulorum absentium non fuit certus numerus comprehensus. Legatorum verò Regis Siciliæ in Romanorum Imperatorem electi, Imperatoris Constantinopolitani, Regis Francorum, Regis Angliæ, Regis Hungariæ, Regis Jerosolymitani, Regis Cypri, Regis Aragoni, & aliorum Regum Hispaniæ, necnon & aliorum Principum, & Magnatum, civitatum etiam aliorumque locorum ingens adfuit multitudo. Joanne Rege Angliæ, Baronibus suis debitam & solitam libertatem denegante, ipsi cum domino Ludovico domini Regis Franciæ primogenito fœdus inierunt, & datis ei in obsides pueris suis præmisit ipse dominus Ludovicus apud Lundoniam Willelmum sancti Audomari Castellanum, Castellanum, Attrebati, Castellanum de Beaumeis, & Hugonem Tacum virum nobilem & Militem strenuum, & cum eis milites & servientes plurimos.

Eodem anno Balduinus quidam cognomento Palmarius, decimam de Landertun à nobili viro domino Ingelranno de Fielnes nobis venditam & confirmatam, & à filio suo domino Willelmo postea privilegiatam jure propinquitatis calumniari cœpit, & per multos dies possessionem nostram impedivit, prædicto domino Willelmo permittente, nec suam, nec sui patris Chartam prout tenebatur defendente. Tandem de consilio quorumdam amicorum domnus Abbas Willelmus datis eidem Balduino XIII. libris Parisiensibus pacem suam redemit, & de novâ compositione à præfato domino satis novam Chartam impetravit sub hac formâ:

Charta Willelmi de Fielnes. Ego Willelmus dominus de Fielnes notum volo fieri omnibus tam præsentibus quàm futuris, quòd veniens coram me & coram hominibus meis Balduinus cognomento Palmarius, omnem calumniam quam adversùs Ecclesiam Andrensem & Monachos in eâ Deo servientes fecerat super decimâ de Landertun, à venerabili patre meo eis collatâ, & à me postmodum tamquam à superiore domino privilegiatâ, sponte werpivit, & quidquid in eâ habere potuit quittum clamavit, & in eleemosynam contulit: Radulfus quoque de Fercnes homo meus ejus consobrinus, suo facto assensum præbuit, & à parte suâ & suorum omnem calumniam liberaliter deposuit. Fratres verò præfatæ Ecclesiæ charitatis intuitu, tredecim libras Parisiensium monetæ ei contulerunt. Et ego tamquam dominus erga eos plegiavi, quòd eamdem pecuniam eis ex integro restituam, nisi usque ad instantem Domini Natalem, Mathildem sororem suam, & Petrum nepotem suum, Henrici fratris sui primogeniti filium, ad hoc totum firmiter concedendum, & Ecclesiæ memoratæ satisfaciendum coram me & hominibus meis adduxerit. Actum apud Fielnes anno Verbi Incarnati M. CCXV. mense Aprili. Super hoc testes sunt Walterus Abbas de Bello-loco, Robertus Canonicus ejus, Gusfridus Decanus de Withsand, Balduinus Clericus meus, & multi alii.

Anno Domini M. CCXVI. dominus Ludovicus transfretat in Angliam, cupiens nuntius quos præmiserat personaliter subvenire, & ex promisso Baronum Regnum possidere. Dominus Papa Regi Angliæ Legatum mittit in subsidium Galam Cardinalem, dominum Ludovicum & Principes Angliæ excommunicationi supponit, & terras eorum interdicto. Papa Innocentius tertius defungitur. Cincius Cardinalis substituitur, & Honorius III. nominatur. Joannes Rex Angliæ moritur: Henricus filius ejus nondum decennis coronatur, & Cruce-signatur. Regnum Angliæ sub varia sorte bellorum & ambiguâ victoriâ premit dira calamitas. 1216. Ludovicus Regis Franc. primog. trajicit Angliam Regnum adepturus.

Ida Boloniæ Comitissa in Flandriâ moriens, Boloniæ sepelitur. Henricus Constantinopolitanus Imperator ab hac luce subtrahitur. Petrus Comes Autissiodorensis, qui præfati Henrici sororem uxorem habuit, subrogatur, qui captus à Græcis in captivitate detinetur.

Eodem anno nobilis vir Eustachius de Hammes nostram iterum pecuniam esuriens, & centum libras Parisienses ab Abbate Willelmo charitativè accipiens, partem nobis maresci sui ultrà fluvium de Gisnes à parte Orientali jacentem, & inter marescum Comitis, & marescum sancti Wlmari manentem, nobis in eleemosynam contulit, & per Chartam suam in hunc modum confirmavit:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Patris & Filii, & Spiritûs sancti, Amen. Ego Eustachius de Campaines notum volo fieri tam futuris quàm præsentibus, quòd ego pro salute animæ meæ & parentum meorum, & pro salute temporali & æternâ domini mei Arnulfi Comitis Gisnensis, de meâ abundantiâ Andrensium Monachorum volens supplere inopiam, pro eo quod iidem Fratres meis progenitoribus in quibusdam aliis reditibus honorificè ditati, in maresco tam ad pascendum quàm ad fodiendum adhuc videbantur egeni, dedi & concessi eisdem Fratribus & eorum successoribus in puram & perpetuam eleemosynam totam partem maresci quem habui, tenens eum in feodum à prædicto domino meo Gisnensi Comite, cum alio tenemento meo, jacentem inter marescum de Gisnes & marescum sancti Wlmari de nemore, ultrà ledam de Gisnes, ab Orientali parte ipsius ledæ cum omni integritate Comitatûs, jure & consuetudine, sicut eum ego ipse possedi, exceptis quatuor mensuris, quas jamptidem pauperibus leprosis de Merch in eleemosynam contuli. Huic autem meæ devotioni Eufemia filia mea primogenita jam nubilis assensum præbuit devotè, & per manum domini Ægidii de Morteriis, quem per emendationem eidem tunc dedi Advocatum, pro eo quod Ingelrannus frater meus in Angliâ, hoc totum fideliter creantavit. Ipsi autem Charta Eustachii de Campaines.

Fratres

Fratres unà cum eorum Abbate domno Willelmo mihi concesserunt, quòd tam pro me quàm pro meis prædecessoribus & successoribus unum Monachum idoneum in suo collegio reciperent; & eo defuncto pro salute animarum nostrarum apud Deum pro nobis mediatorem alium idoneum in perpetuum vice nostrâ instituent. Data est autem eleemosyna à me, & à filiâ meâ, & à nobis in Ecclesiâ Andrensi super altare Dominicum oblata, & tam à prædicto Abbate quàm etiam à Conventu in omnes qui contrà hoc fraudem molirentur excommunicato terribiliter promulgata, & postmodum scripto & sigillo meo confirmata. Anno Incarnati Verbi M. CCXVI. mense Januario.

Eodem anno dominus Adam Morinensis Episcopus quorumdam iniquorum consilio deceptus, Capellam de Dirlinghetun infrà ambitum Parochiæ nostræ de Bokerdes sitam, & à nobilibus viris Henrico de Beaulo, Gusfrido & Willelmo fratribus suis, & eorum propinquis tempore domni Petri Abbatis factam, imò potiùs renovatam, & reditibus dotatam, cuidam Manassero de Boloniâ à se in Presbyterum ordinato, in præjudicium nostrum ut ei satisfacere videretur, donavit. Sed tandem ad instantiam nostram factum suum revocavit, & eamdem Capellam cum suis pertinentiis ad jus & patronatum nostrum pertinere decrevit, Chartâ suâ nobis concessâ sub hac formâ:

Charta Adæ Episc. Morin. ADAM Dei miseratione Morinensis Episcopus omnibus ad quos litteræ universæ istæ perveniunt, in Domino salutem. Noverit universitas vestra quòd nos Manasserum de Boloniâ quem Sacerdotem ordinavimus ad præsentationem dilectorum nostrorum Willelmi Abbatis & Conventus Andrensis ad serviendum Capellæ de Dirlinghetun, quæ in eorum Parochiâ sita est, institui voluimus, ut sicut Ecclesiam de Bokerdam iidem Fratres possident ex dono bonæ memoriæ Joannis Morinensis Episcopi prædecessoris nostri, ita etiam decrevimus ut eadem libertate possideant in perpetuum patronatum prædictæ Capellæ, ut apud eos sit memoriale nominis nostri, nec aliquam personam laïcalem ibidem jus patronatûs habere recognovimus. Datum Tervannæ anno Verbi Incarnati M. CCXVI. mense Augusto.

1217. Otho Imper. Ecclesiæ redditus moritur. Anno Domini M. CCXVII. Otho brevi tempore Imperator, qui domino Innocentio Papæ factori suo ingratus fuit, & multo tempore excommunicationi subjacuit, apud Bruneswic moritur & sepelitur: priùs tamen ab excommunicatione absolutus. Et eo mortuo Fredericus Imperator substituitur. Simon Tyriensis Archiepiscopus de mandato domini Honorii Papæ venit Legatus in Galliam, pro commutandis votis humilium & debilium personarum Cruce-signatarum, ut pauperes & debiles, & præcipuè mulieres, missâ in subdium Terræ sanctæ pecuniâ à voto Crucis absolveret, & ab illis quos in partem suæ sollicitudinis adsciverat absolvi faceret.

Eodem anno pax deformata ad tempus, in Angliâ reformatur. Parvulo Regi universitas Regni confœderatur. Dominus Ludovicus ab excommunicatione absolvitur, & ordinatâ classe in suam Franciam recipitur.

Mathildis etiam quondam Flandriæ Comitissa, famosi Principis domini Philippi Comitis sponsa, & Regina nominata, apud Castrum Furnense moritur, & ad Claram-vallem delata juxtà mariti sui corpus sepelitur: pro cujus animâ multiplex pecunia à domino Adam Morinensi Pontifice, ipsius dominæ testamenti exequutore, per Monasteria, per Ecclesias, & Xenodochia liberaliter fuit erogata.

Eodem anno dominus Willelmus de Gisnes senior, prædicti domini Comitis Balduini frater germanus, stagnum sive vivarium nostrum de Fontaines diù usurpaverat, & à tempore domni Abbatis Petri per calliditatem suam delusi in jus proprium redegerat: qui tandem frequenti admonitione à nobis & ab amicis nostris admonitus, increpatus ad cor redire coactus, domino Lamberto Morinensi Episcopo suo contemporaneo patentes litteras suo sigillo roboratas direxit, in quibus & nostrum jus & suam injuriam plenariè recognovit, quas postmodum dominus Adam Morinensis Episcopus nobis in hunc modum confirmavit:

ADAM Dei gratiâ Morinorum Episcopus omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, in Domino salutem. Noverint universitas vestra nos quasdam litteras authenticas à domino Willelmo de Gisnes prædecessori nostro domino Lamberto venerabili Episcopo, & Capitulo Morinensi directas inspexisse, & finetenùs legisse sub hac formâ: Venerabili patri domino Lamberto Dei gratiâ Morinorum Episcopo & Capitulo Tervanensi W. de Gisnes salutem & prosperos ad vota successus. Noverit discretio vestra quòd in stagno vel vivario de Bukerdes nullam hereditatem requiro, nec aliquod dominium habeo, nec alicui impedimentum facio, aut aisiamentum inhibeo, sed propriè proprium, ac liberum Monachorum & Ecclesiæ Andrensis illud esse cognosco. Rogo itaque & supplico vobis; ne propter me aliquod damnum aut impedimentum Abbati & Ecclesiæ fieri permittatis. Quia igitur per vetustatem Chartæ aut sigilli corruptionem nolumus imposterum Andrensi Ecclesiæ præjudicium generari, nos Deum habentes præ oculis, ea quæ vidimus in scriptum redigi, & authentico sigilli nostri corroborari mandavimus. Anno gratiæ M. CCXVII. mense Sept. Charta Adæ Episc.

Circà idem tempus nobilis vir Eustachius de Hames, qui marescum inter marescum Comitis Gisnensis, & marescum sancti Wlmari de Nemore jacentem secùs fluvium inter Gisnes & Coloniam fluentem partim nobis dederat, partimque vendiderat, quique filiæ suæ Eufemiæ, ut concessioni posset satisfacere dominum Ægidium de Mortiers Militem Advocatum dederat, pro eo quod frater suus germanus dominus Ingelramnus de Hames in Angliâ tunc temporis moram faciebat, eodem Ingelramno ab Angliâ revertente quidquid priùs fecerat meliùs & luculentiùs renovavit, & eumdem Ingelramnum filiæ suæ jam nubili ut legitimè posset satisfacere conventioni, Advocatum dedit, & de utriusque assensu Chartam suam renovans nobis sub hac formâ concessit. 1217.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, Amen. Ego Eustachius de Campaines dominus de Hames notum volo fieri tam futuris quàm præsentibus, me dedisse & concessisse pro salute animæ meæ & parentum meorum, & pro temporali & æternâ salute domini mei Arnulfi Comitis Gisnensis, in puram & perennem eleemosynam Andrensi Ecclesiæ & Fratribus in eâ Deo servientibus quamdam partem maresci, circiter quadraginta & octo mensuras parum plus aut minus in se continentem, qui jacet inter marescum de Coloniâ & marescum prædicti domini mei de Gisnes à parte Orientali ledæ de Gisnes, cum omni integritate juris & consuetudinis, cum comitatu & omni libertate, quâ eumdem marescum cum alio tenemento meo à domino meo Comite Gisnensi in feodum tenere consueveram. Hoc autem feci de assensu & voluntate filiæ meæ Eufemiæ, quæ jam erat nubilis, cui ad supplementum Advocatum dedi dominum Ingelramnum fratrem meum, per cujus manum ipsa voluntariè manum huic donationi apposuit, & totum fideliter creantavit: memoratus quoque dominus Charta Eustachii de Campaines.

meus Comes Gisnensis ad petitionem meam hanc eleemosynam meam pro me, & ipso, & nostro genere factam liberaliter concessit, & auctoritate sui privilegii confirmavit; tali tenore, quòd si in futurum Fratres Andrensis Cœnobii à leprosis de Merch acquirere potuerint quinque mensuras maresci jacentes inter marescum de Gisnes & hunc marescum, quas dudum eisdem leprosis dedi in eleemosynam, tam ipse quàm ego ratum habebimus, & in præfatâ libertate easdem quinque mensuras ad usus Andrensis Ecclesiæ fore decrevimus: itâ sanè ut nullus ex successoribus meis in toto maresco memorato aliquam jurisdictionem habeat, & qualitercumque conversus sit marescus, quidquam calumniæ movere nequeat. Fratres autem memorati in signum hujus eleemosynæ mihi unà cum domno Willelmo eorum Abbate unanimiter concesserunt, quòd tam pro me quàm pro meis progenitoribus & successoribus, unum Monachum idoneum in suum Collegium recipient, & illo d functo alium quem per nullius coactionem vel violentam præsentationem, sed per suam potiùs electionem cognoverint dignum & idoneum, similiter pro me & meis admittent. Actum est hoc publicè & tam à Comite sæpedicto, quàm etiam à me confirmatum, anno gratiæ M.
1217. CCXVII. mense Decembri: præfato Abbate Willelmo cum toto Capitulo excommunicante omnes illos qui ausu temerario contra hanc eleemosynam aliquid malitiosum attentarent, aut eam ab Andrensis Monasterii usibus alienare præsumerent.

Denique ut nihil nobis ad certitudinem deesset, idem nobilis vir dominus de Hames ad dominum Arnulfum Comitem de Gisnes personaliter nobiscum accessit, pro eo quod idem marescus ad feodum ejus spectavit, & Chartam ejus ad opus nostrum & ad commodum perpetuum in hunc modum impetravit:

Charta Arnulfi Comit. Gisnens.

Ego ARNULFUS Comes Gisnensis notum volo fieri tam futuris quàm præsentibus, quòd Eustachius de Campaines homo meus dedit in perpetuam eleemosynam Andrensi Ecclesiæ, & Fratribus ibidem Deo servientibus, pro salute animæ suæ & parentum suorum, per manum meam, & per assensum meum quemdam marescum jacentem inter marescum meum de Gisnes, & inter marescum sancti Wlmari de Nemore, pertinentem ad Coloniam, à parte Orientali ledæ de Gisnes. Hic autem marescus, quem cum alio tenemento suo de meo feodo & de me tenebat, continebat in se primò circiter quadraginta tres mensuras, sed quinque mensuras exinde jampridem contulerat leprosis de Merch, & remanent circiter quadraginta & octo mensuræ parum plus aut minus; quòd si memorati Fratres Ecclesiæ Andrensis ab eisdem leprosis de Merch dictas quinque mensuras in futurum aut per emptionem, aut per concambium, aut per alium justum modum acquirere potuerint, ego hoc gratū & ratum habebo, & sive ipsum marescum acquisierint, sive prædicto numero quadraginta & octo mensurarum contenti fuerint, ego tamquam superior dominus, & Ecclesiæ Andrensis patronus, me. . . . præsentis scripti, & omnes heredes, & successores meos erga sæpedictam Ecclesiam obligavi; tali districtione, quòd contrà omnes homines, & feminas eumdem marescum tamquam dominus & patronus, & tamquam fidelis & perfectus plegius, ad æternum usuagium & perpetuum commodum Ecclesiæ Andrensis acquietabo, cum omni integritate & libertate, cum omni comitatu & consuetudine quâ prædictus Eustachius & ejus prædecessores ipsum à me, & à meis prædecessoribus tenere consueverant, sive ad ædificandum in eo, sive ad fodiendum, sive ad pasturandum, sive ad glebas vendendum. Actum est hoc publicè, & auctoritate sigilli mei confirmatū anno Gratiæ M. CCXVII. mense Nov. apud Sangate.

Anno Domini M. CCXVIII. Simon Comes Montis-fortis venerabilis Christi athleta contrà Albigenses incredulos in bello percussus occubuit: obeunte apud Papiam Remensi Archiepiscopo Alberico, Willelmus Lingonensis Episcopus ei successit. Christianorum exercitus apud Acram dispositis præsidiis nobilem civitatem Ægypti Damiatam obsidione circumvallat, in quo exercitu præeminebant Joannes de Brena, illustris Rex terræ Jerosolymitanæ, & Dux Austrasiæ, Fratres etiam Militiæ Templi, & Fratres Hospitalis Jerosolymitani, necnon & Hospitalis Alemannorum, summum eis ducatum & præcipuum præbente domino Pelagio Albanensium Episcopo, Apostolicæ sedis Legato, natione Hispano, qui ipsam quidem civitatem paucis diebus evolutis viriliter acquisivit, sed processu temporis nequiter amisit. 1218. Simon Montfortius dimicans contra Albigenses perimitur. Joannes de Brena Rex Hierosolym.

De Conversione Beatricis postea Abbatissæ.

Beatrix Comitis Gisnensis primogenita de domo paternâ clam egrediens, nuptias sprevit, & propositum eligens castitatis Sanctimonialis facta est in Ecclesiâ Broburgensi, bonum virginibus relinquens exemplum volentibus & valentibus imitari.

Eo tempore Hugo de Walo Miles Cruce-signatus, & viam arripere paratus, accersito Willelmo Abbate, & super quibusdam secretis in foro Confessionis eo consulto, duas aucas, & viginti quatuor ova huic loco testamentaliter concessit, & per Chartam suam sub hac formâ confirmavit:

Ego Hugo de Walo notum volo fieri præsentibus & futuris, quòd ego pro salute animæ meæ, & parentum meorum dedi & concessi Ecclesiæ Andrensi duas aucas quas Joannes de Ostsurkes censualis ipsius Ecclesiæ mihi debebat annuatim in festo sancti Michaëlis, & viginti quatuor ova quæ mihi debebat in Pascha, cum omni jure & consuetudine, præter comitatum. Præterea ego indulsi eidem Joanni, & omnibus successoribus ejus, ne occasione comitatûs mihi aut heredibus meis talliam umquam persolvant. Hoc autem feci concessione uxoris meæ Nataliæ & filii mei Anselmi, die quâ à Parochiâ meâ Surkes versùs Jerusalem iter arripui. Anno Gratiæ M. CCXVIII. mense Junio. Charta Hugonis Militis de Walio.

Eodem quoque anno grandis controversia orta est inter Ecclesiam præsentem & Abbatiam de Belloloco super jure patronatûs Ecclesiæ de Terdhinghem, quam Ecclesiam Abbas de Belloloco, & ejusdem Ecclesiæ Fratres ex parte cujusdam Joannis Ghibbinghetum Militis vindicabant, pro eo quod portionem suam quam in oblationibus & decimis seu aliis proventibus habebat, eis vendiderat: tertia autem pars omnium proventuum ad nos ab antiquo spectabat, & Presbyteri institutio secundùm assertionem nostram ad nos pertinebat, qui triginta solidos cursalis monetæ nobis annuatim persolvebat, pro eo quod secundùm jura Canonica alicui laïco ista possidere non licebat. Super hac autem contentione coram delegatis à summo Pontifice aliquamdiu litigavimus, quandoque etiam coram Ordinario pro bono pacis accersiti, nos & pars adversa comparuimus, ipso Ordinario invectivè dicente quòd utraque pars pro cappâ Ordinarii conflictum haberet, quia neutra pars jus patronatûs in prædictâ Ecclesiâ habere deberet; præsertim cum pars Militis præfati, quæ in eâdem Ecclesiâ major fuerat, in jus & proprietatem Episcopi devoluta fuisset. Tandem mediantibus bonis viris utriusque Ecclesiæ vicinis & amicis, & partibus approbantibus in præfatum Or- Controversia inter Abbatias Andrensem & Bellilocens.

dinarium dominum scilicet Adam Episcopum, & dominum Willelmum de Capellâ, & dominum Eustachium de Bosco Abbates, fuit compromissum, & ab eis inter partes sub chirographo pax perpetua & confirmata in hunc modum.

Charta Adæ Episcopi Morin.

ADAM Dei miseratione Morinorum Episcopus, Willelmus de sanctæ MARIÆ Capella, & Ægidius sanctæ MARIÆ de Bosco, Dei permissione Abbates; omnibus quibus hoc scriptum videre contingit, in Domino salutem. Ortâ contentione inter Monasterium Andrense, & Ecclesiam de Bello-loco super patronatu Ecclesiæ de Terdinghem & pertinentiis ejus, & coram delegatis à summo Pontifice aliquandiu ventilata, tandem utriusque Cœnobii Abbates & Conventus in nos compromiserunt, scripta authentica nobis utrobique dantes, & pœnâ quinquaginta librarum Parisiensium se obligantes, quòd ratùm & gratum haberent quidquid à nobis arbitrio sive judicio aut compositione diffinitum sentirent. Nos autem de consensu partium ad amicabilem potiùs compositionem volentes procedere, quàm secundùm confusa dicta testium, quos utraque pars produxit temerè judicare, sancivimus, & utrâque parte approbante, de consilio bonorum virorum decrevimus, ut memoratæ Ecclesiæ patronatus sive personatus cum omni integritate juris & consuetudinis ad jus & proprietatem Ecclesiæ de Bello-loco spectet in perpetuum: ita sanè ut pro melioratione frugum, & aliorum proventuum suprà antiquam pensionem triginta & sex solidorum quos Andrensis Ecclesia nomine censûs percipere consuevit in Parochiâ de Terdinghem, memorati Abbas & Conventus de Bello-loco XXIV. solidos Parisienses annuatim teneantur augmentare, & sic simul & semel sexaginta solidos Parisienses in medio Martio perpetuis temporibus Andrensi Monasterio persolvere. Ut hæc autem compositio perpetuæ stabilitatis robur obtineat, eam per chirographum divisum fieri, & utramque chirographi partem sigillorum nostrorum auctoritate muniri & confirmari fecimus; pars verò Monasterii Andrensis sigillo Abbatis & Capituli de Bello-loco roborata est; & pars chirographi apud Bellum locum depositi, sigillo Abbatis & Conventûs Andrensis nihilominùs confirmata est. Actum

1218. Synodus Morinensis.

publicè anno Verbi Incarn. M. CCXVIII. mense Octobri in Synodo Morinensi.

Eodem anno Willelmus de Gisnes Miles supradicti domini Willelmi filius, & domini Arnulfi Comitis consobrinus, quærens undique occasionem malignandi erga Ecclesiam præsentem ut pecuniam extorqueret, & suæ inopiæ exinde satisfaceret, Chartam quam pater ejus de quitatione vivarii de Fontaines, de quâ superiùs mentio facta fuit, ad dominum Morinensem transmissam sibi postulavit restitui, ne occasione Chartæ eodem vivario quo per annos ferè quadraginta Ecclesiam tam ipse, quàm pater suus exheredaverat, posset in futurum privari. Quod cum ei à nobis fuisset constanter denegatum, decimam nostram de Bekerdes colligi prohibuit, homines nostros cepit, bona eorum diripuit, & damnis multiplicibus, minis & injuriis, nemine causam nostram defendente, nos affecit. Tandem dominus Arnulfus Comes partes suas interponens, datis ei de bonis nostris triginta libris Parisiensium insatiabilem ejus esuriem exinde utcumque satiavit, & præfatum vivarium eum in plenâ Curiâ coram Paribus suis werpire fecit; & per Chartam suam ad perpetuum usuagium nostrum sub hac formâ impetravit confirmari:

Charta Willelmi de Gisn.

Ego Willelmus de Gisnes, filius domini Willelmi de Gisnes, notum fieri volo omnibus tam præsentibus quàm futuris, quòd ego reducens ad memoriam meum patrem peccasse, dominum scilicet Willelmum memoratum erga Ecclesiam de Andrens, ipsius Ecclesiæ stagnum sive vivarium, quòd est inter Bokerdes & Fontaines in usus nostros retinendo, quod in nullo jure ad nos pertinebat, meam injuriam recognovi, & quidquid in eo habui super altare Dominicum in præsentiâ multorum obtuli apud Andrens, & omninò guerpivi, & quitum clamavi; ita sanè quòd nec in aquâ, nec in piscibus, nec in aquario, junco, nec in terrâ, vel pratis ejusdem stagni, nec in cygnis nutriendis, nec in volatilibus in eo capiendis, ego, aut heredes, aut successores mei aliquid juris de cætero habere possimus, sed totum propriè proprium cedat in usus & jus Andrensis Monasterii. Hoc autem totum feci spontaneus de consilio & voluntate domini mei Arnulfi Comitis Gisnensis, qui sicut patronus Ecclesiæ erga ipsam Ecclesiam per abandonum totius feodi mei quem teneo de ipso plegiavit, quod tam de me quàm de omnibus heredibus meis, & successoribus meis, super possessione memorata Andrensis Ecclesia quita & infatigata in perpetuum remanebit. Et ipse super hoc ad preces meas suam Chartam nominatæ Ecclesiæ concessit. Actum anno Gratiæ M. CCXVIII. primò in die sancti Petri ad Vincula, postea verò sigillo meo confirmatum & omninò consummatum mense Decembri.

Anno Domini M. CCXIX. dominus Arnulfus Comes, qui præfatum Willelmum Militem cognatum 1219.
suum cum Ecclesiâ præsenti pacificaverat super vivario, vel stagno, inter Fontaines & Bokerdes, quod ipse & pater ejus injustè per multos annos vendicaverat, sciens eum per Chartam suam præfatum vivarium omninò quitasse, ad ejus preces suam quoque Chartam nobis indulsit in hunc modum:

Ego ARNULFUS Comes Gisnensis scire volo præsentes & futuros, me & heredes meos esse plegios erga Willelmum de Gisnes cognatum meum, & ipsius successores & heredes, super vivario vel stagno quod est inter Bokerdes & Fontaines, quod ipse Willelmus sponte werpivit, & si quid juris in eo habuerat, in Andrensi Ecclesiâ super majus altare obtulit; tali ratione quòd si idem Willelmus, vel aliquis ex propinquis ejus aliquid pro eodem vivario erga memoratam Ecclesiam delinqueret, ego aut heredes mei tamquam boni plegii, & ipsius Ecclesiæ patroni per abandonum de suo feodo ipsos coërceremus & Ecclesiæ satisfieri faceremus.

Charta Comitis Gisnens.

Confirmatio curtis de Northkerkâ & consuetudinum quas debebat.

Recognosco etiam me pro animâ patris mei & propinquorum meorum eidem Ecclesiæ condonasse, & quitos clamasse omnes reditus & consuetudines quas curtis ejus de Northkerkâ mihi & prædecessoribus meis ab antiquo persolvere consueverat, exceptis novem denariis & uno obolo, quos causâ superioris justitiæ & dominii mihi & successoribus meis retinui. Actum est hoc & auctoritate sigilli mei corroboratum anno Verbi Incarnati M. CCXIX. mense Maio, die quo ab amicis & hominibus meis licentiam accepi, ut cum domino meo Ludovico pergerem ad partes Albigenses.

Eodem anno dominus Ludovicus Regis Galliæ primogenitus coacto de totâ Galliâ exercitu copioso Albigenses aggressus, Tolosam obsidet; sed deficientibus viris auxiliatoribus inefficax revertitur.

Ludovicus Tolosam Hæreticorum munimentum oppugnat.

Pius Dominus vota fidelium ex alto prospiciens, & piis Ecclesiæ sanctæ precibus pias aures dignanter inclinans, civitatem Damiatam dedit in manus populi Christiani.

Damiata in Christianorum ditionem redigitur.

Pagani captam audientes urbem Ægypti Damia-

tam, & civitatem Jerusalem se posse tenere desperantes, prostratis turribus muros everterunt, non tamen à Christianis potuit possideri.

1220. S. Thomæ Cantuar. corporis elevatio. Anno Domini M. CCXX. gloriosi Martyris Christi Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi facta est solemnis elevatio à domino Stephano Cantuariensi, & domino Willelmo Remensi Archiepiscopis, adstante Henrico Rege Anglorum adhuc puero, & domino Pandulfo Apostolicæ sedis legato, Norwicensi Episcopo, & aliis Episcopis pluribus tam Francis quàm Anglis, præsentibus etiam Abbatibus quamplurimis, & diversorum Ordinum Prælatis, Clericorum quoque, Baronum, Militum, & aliorum innumerâ multitudine ex omni ferè natione quæ sub cœlo est. Hos omnes præfati Martyris pius amor ad sui præsentiam attraxerat, & tamen multo plures memoratus dominus Archiepiscopus per litteras suas de omnibus regionibus invitaverat, & nobile palatium sicut adhuc cernitur earum receptioni præparaverat: de quâ festivitate mira possemus dicere, nisi modum timeremus excedere.

Fredericus cognominatus Puer Appuliæ Romæ apud sanctum Petrum à domino Papa Honorio in Imperatorem Romanum est consecratus. Obiit Radulfus bonæ memoriæ Atrebatensis Episcopus, cui successit Pontius Archidiaconus Atrebatensis.

1220. Anno M. CCXX. Arnulfus Comes Gisnensis quod morti debuit exsolvit, & in hoc loco sepultus requiescit; domno Abbate Willelmo tunc temporis absente, & Romæ moram faciente; discrepantibus contrà eum Karrofensis Monasterii procuratoribus pro electione Hamensis Monasterii, ubi procurante domino Adam Morinensi Episcopo à majori parte Capituli fuerat postulatus. Eodem etiam domno Abbate Willelmo pro celebrando annuo generali Capitulo ex electione omnium Abbatum Remensis provinciæ nostri Ordinis apud Curiam destinato.

1221. Damiatam rursus invadunt Sarraceni. Anno Domini M. CCXXI. peccatis nostris exigentibus civitatem Damiatæ nobilem & famosam, quam nobis Dominus per gratiam suam ad tempus concesserat, auferri nobis à gentilibus sustinuit, & ita sub momento quasi in profundum maris projectum vidimus; & perditum incurabilem thesaurum: unde per tres annos contiguos universalis Ecclesia in solutione vigesimæ enormiter læsa & eviscerata fuit. Domno Willelmo Abbate à Curiâ Romanâ revertente, & in vigilia sanctæ Rotrudis à Conventu, à Clero, & à populo recepto in solemni processione, dominus Manasses de Gisnes inter alios ei occurrit, & eo salutato utrum negotium ejus promovisset inquisivit, respondente Abbate de voto Crucis suæ circà eum esse dispensatum, & hoc sine gravi labore, & magnis expensis non esse obtentum: Et ego, inquit, pro vobis laborabo, & expensas factas in brevi tempore vobis & Ecclesiæ vestræ restituere curabo. Sequente die orto jam sole ad Abbatem accessit, & eum cum quâdam parte Conventûs, & quibusdam hospitibus qui ad festum convenerant secum ducens, ad marescum terræ solidæ de Hottinhem contiguum perrexit, omnes de equis descendere & se pedites sequi admonuit, circumgirata magnâ parte maresci plusquàm quadraginta mensuras continente, Ecclesiam Andrensem inde perpetualiter investivit, & limitari fecit. Domno Abbate cum omnibus qui aderant ibidem excommunicante, & in eâdem die in plenâ processione excommunicationem reiterante, ne quis in posterum ausu temerario huic eleemosynæ contraire attentaret. Idem verò nobilis vir super factâ eleemosynâ uxori suæ assensum petiit & obtinuit, & per Chartam suam utriusque sigillo signatam nos sub tali formâ certificavit:

Charta Manassis Gisn. Ego Manasses de Gisnes dominus de Trembronnâ, & ego Adelidis uxor ejus, notum esse volumus præsentibus & futuris, quòd nos pro salute animarum nostrarum, & parentum nostrorum dedimus & concessimus Ecclesiæ Andrensi, cujus Parochiani sumus, ad opus Monachorum fratrum nostrorum ibidem Deo servientium circiter quadraginta & duas mensuras prati parum plus aut minus; jacentes inter vivarium nostrum de Rorichona, & feodum hominis nostri Amelonghi, secùs fluviolum qui vulgò dicitur Potterledh, à parte Orientali pratorum dominæ Alienor de Andernes. Hanc autem eleemosynam Andrensi Monasterio liberaliter ac devotè collatam ad nutrimenta animalium Ecclesiæ, seu si opus fuerit ad focum administrandum deputavimus, & cum omni integritate juris & consuetudinis cum dominio & comitatu, sicut ad nos spectabat, in perpetuam eleemosynam contulimus. Ad majorem autem securitatem, ut donatio nostra perpetuæ stabilitatis robur obtineat, Chartam præsentem in testimonium veritatis præfatæ matrici Ecclesiæ nostræ Andrensi concessimus, & eamdem Chartam sigillorum nostrorum munimine corroboravimus. Actum anno Verbi Incarnati M. CCXXI. in die festo sanctæ Rotrudis Virginis.

Postmodum verò ad dominum Episcopum personaliter accedens, & factam eleemosynam coram ipso recognoscens, suam confirmationem petiit, & eam ad opus nostrum in hunc modum confirmavit:

Charta Adæ Episc. Morin. ADAM divinâ miseratione Morinensis Episcopus omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit, in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quòd accedens ad nos nobilis vir Manasses de Gisnes dominus de Tembronna, recognovit se & uxorem suam Adelidem pro salute animarum suarum & parentum suorum dedisse & concessisse, & scripto authentico confirmasse Andrensi Monasterio, & Fratribus in eo Deo ministrantibus, quadraginta & duas circiter mensuras prati in Parochiâ de Andrens; petens humiliter hanc eleemosynam à nobis ratam haberi, approbari, & auctoritate Pontificali ad opus & usuagium servorum Dei confirmari. Nos autem ipsius precibus inclinati, & dicti Monasterii providere cupientes indemnitati, præfatam eleemosynam auctoritate scripti præsentis confirmamus & corroboramus; ex parte Dei omnipotentis sub pœnâ excommunicationis districtiùs inhibentes, ne quis in posterum ausu temerario contrà hanc eleemosynam à nobis confirmatam calumniam movere, aut Andrensem Ecclesiam exinde perturbare præsumat. Datum apud Gisnes anno gratiæ M. CCXXI. mense Augusto coram multis. 1221.

Denique post annos aliquot feodum Amelonghi, de quo superiùs idem dominus Manasses in Chartâ suâ mentionem facit, domnus Abbas Willelmus datis eidem Amelongho centum solidis acquisivit, ita quòd totus marescus à priori maresco domino Manasse nobis confirmato usque ad fluviolum Potterledh in usus nostros cedit. Memoratus siquidem Amelonghus illam particulam maresci quam à domino Manasse in feodum receperat, coram Paribus suis in manus domini sui resignavit, & idem dominus nos exinde investivit.

Eodem anno domina Alienor vicina nostra super maresco, vivario suo & molendino nostro contiguo tam per se, quàm per suos multipliciter nos aggravavit; & consuetum usuagium nobis denegavit; quâ de re in Curiâ Morinensi à nobis in causam tracta, & per dies aliquot vires nostras experta, tandem in hoc consensit, & nostrum nihilominùs consen-

sum adepta fuit, ut in tres Presbyteros fide dignos compromitteremus, qui arbitrio vel compositione litem motam terminarent. & secundùm scripta authentica, secundùm fidelium testimonia in causâ procederent. Simon ergo Decanus de Gisnes, Magister Michaël de Audenhem, & Arnulfus de Bonighes Presbyteri ad hoc onus assumpti à partibus, & negotium prorogantes, propter dominum Balduinum Clericum cujus vicinitatem timebant, quique eamdem dominam socrum suam de ejusdem Balduini adjutorio nimis præsumere videbant, ipso tandem occiso, & mandato Apostolico, ut litem terminarent recepto, in hunc modum processerunt:

Charta testimon. trium Presbyterorum.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, Amen. Ego Simon Decanus de Gisnes, ego Magister Michaël Presbyter de Audenhem, & ego Arnulfus Presbyter de Boninghes, inter Monasterium Andrense & nobilem mulierem dominam Alienor de Andrens, de ipsorum voluntate & beneplacito arbitri electi, atque in eodem arbitrio à sanctissimo Patre nostro Honorio summo Pontifice confirmati, scire volumus præsentes & futuros, quòd cum diutiùs inter partes prædictas in Curiâ Morinensi litigatum fuisset super quodam maresco & usuagio ejus, sito inter vivarium de Andrens & villam de Hottinghem, nos audito testimonio veridicorum & antiquorum sub juramento, quos utraque pars produxit, visis etiam scriptis authenticis venerabilium Patrum Milonis & Desiderii Morinensium Episcoporum, quæ Andrensis Conventus in jure nobis exhibuit: auditâ etiam famâ publicâ qualiter etiam in eodem maresco & usuagio ejus usque ad tempora nostra consuetudo obtenta & observata à prædictis partibus, & earum prædecessoribus fuit; cum inter easdem partes multum laborantes aliquo modo non possemus componere, de consilio prudentium virorum, & in utroque jure peritorum, & tandem de partium voluntate arbitrando sententiam promulgavimus in hunc modum:

Imminente singulis annis festivitate sanctæ Rotrudis, quamdiù per residuum æstatis spatium in præfato maresco herba creverit, aut juncus duraverit, Abbas & Monachi Andrenses, marescum à domino de Wallo usque ad eumdem terminum defensatum, liberè possunt intrare, & suos servientes intromittere, & quod sibi visum fuerit necessarium sine calumniâ debent accipere tam in herbâ quàm in junco. Similiter dominus de Wallo ad suum usuagium quidquid domui suæ fuerit necessarium sine fraude & malo ingenio, dummodo vim non faciat, aut modum non excedat, liberè poterit accipere; nec altera poterit pars alteri in aliquo contradicere. Decernimus autem nomine maresci debere intelligi quidquid à clusâ vivarii & à viâ molendini usque ad terram solidam circumquaque poterit in terra palustri contineri, tam in pratis quàm in pratellis vel marescis. Præterea nos non solùm auctoritate arbitrii freti, sed quòd magis Presbyteri existentes, & auctoritate Summi Pontificis, quantum ad articulum istum ad arbitrium proferendum roborati, omnes illos excommunicavimus qui ausu temerario hoc arbitrium futuris temporibus perturbare præsumserint, aut ei in aliquo contraire. Et quare lis ista per gratiam Dei à nobis sopita, à Curiâ Morinensi ad nostram parvitatem descendit, ad petitionem nostram venerabilis Pater noster Adam Morinensis Episcopus arbitrium à nobis prolatum approbans, auctoritate Pontificali corroboravit. Actum apud Ardeam, & sigillis nostris confirmatum anno gratiæ M. CCXXI. in festivitate sancti Andreæ Apostoli.

Dominus verò Adam Morinensis Episcopus arbitrium ab eis prolatum, & eorum sigillis roboratum, & sibi ostensum approbavit. & suo authentico ad opus nostrum corroboravit sub hac formâ:

Charta Adæ Episc. Morin.

ADAM Dei gratiâ Morinorum Episcopus omnibus ad quorum notitiam præsens scriptum pervenerit, in Domino salutem. Noverit universitas vestra quòd cum in Curiâ nostrâ quæstio mota esset, & diù ventilata inter Monasterium Andrense ex unâ parte, & nobilem mulierem dominam Alienor de Andrens ex alterâ, super quodam maresco & usuagio ejus; tandem partes memoratæ de consilio nostro compromiserunt in Decanum de Gisnes, in magistrum Michaëlem de Andenhem, & in Arnulfum de Boninghes Presbyteros; tali conditione quòd hi tres Presbyteri secundùm testes ab utrâque parte producendos, secundùm privilegia si qua in jure à partibus exhibita comparerent, & secundùm consuetudines à partibus aut inter partes observatas, procederent; & justitiâ mediante motam quæstionem judicio vel arbitrio, seu compositione prout melius viderent expedire, terminarent. Qui quoniam litem antiquam, sicut in eorum sententiâ apparet, per compositionem amicabilem sopire non valebant, ad sententiam procedere decreverunt, & eamdem sententiam à nobis humiliter confirmari petierunt. Nos autem eorum justis precibus inclinati, sententiam ab eis latam, ratam habemus, approbamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, ex parte Dei omnipotentis sub pœnâ excommunicationis districtiùs inhibentes, ne quis in posterum ausu temerario contrà eam aliquid attentare præsumat. Datum anno gratiæ M. CCXXI. mense Januario.

Anno domini M. CCXXI. dominus Petrus Senonensis Archiepiscopus, qui Cameracensis Episcopus exstiterat, vir litterarum scientiâ non mediocriter imbutus, huic sæculo valedixit; cui Magister Walterus cognomine Cornutus successit. Nobilis vir Radulfus de Fielnes hujus villæ quandoque dominus, & sapientis matronæ dominæ Adelidis maritus, jam senio gravatus, & in domo suâ de Flamersele ferè semper assiduus, de quorumdam fidelium consilio, accersito domno Willelmo Abbate, nemus de Hardingeshem, quod est inter feodum domini Willelmi de Odere, & montem de Bensoberg, sicut per rivulum quemdam subtus defluentem dividitur, quod jam per annos ferè XXVI. tenuerat, & unde tres vestituras receperat, in manus ejusdem Abbatis resignavit. Sed cum quidam nobiles in partibus illis manentes, Petrus scilicet Miles de Herumval, & Simon cognatus ejus, exinde partem vendicarent, ex parte bonæ memoriæ domini Balduini quondam Noviomensis Episcopi, in confinio ipsius montis nati, cujus ipsi erant propinqui, per quosdam antiquos, & fide dignos parte eorum à parte nostrâ limitatâ & sequestratâ, de nostrâ quidem parte censuales & mansionarios fecimus, de parte eorum homagium ab eis recepimus, & postmodum ut partem suam Ecclesiæ de Bello-loco venderent, & ut ejusdem Ecclesiæ Fratres, qui curtem de Hardingeshem sub annuo censu ab antiquo de nobis tenent, ipsam terram emerent & possiderent, eisdem concessimus. Pro recompensatione verò homagiorum & releviorum, quæ nobis ex parte eorum poterant in posterum provenire, Abbas & Conventus Belli-loci decem nobis solidos Parisiensium monetæ in festo sanctæ Rotrudis persolvendos annuatim promiserunt, & super hoc Chartam suam nobis in hunc modum concesserunt: 1221.

Charta Abbatis & Capituli de Bello-loco.

Ego WALTERUS Dei patientiâ humilis Abbas, & totum Capitulum sanctæ MARIÆ de Bello-loco, scire volumus omnes præsentes & futuros, quòd nos & successores nostri tenemur annuatim persolvere in

perpetuum in festo Sanctæ Rotrudis decem solidos Parisiensium dilectis vicinis nostris Abbati & Conventui Andrensi, pro recompensatione servitiorum & releviorum quæ debuerant habuisse de feodo juxtà Hardingshem à nobis per eorum licentiam acquisito, ab eorum quondam vavassoribus Petro Milite de Herunval, & Simone cognato suo. Concessimus etiam eidem Ecclesiæ, quòd ejus censualibus inter eumdem feodum & tenementum domini Willelmi de Odrâ juxtà rivulum consistentibus, pacem & concordiam tenebimus, nec eos per exitus & introitus coarctabimus, dummodò antiquis viis & semitis fuerint contenti; sed tam ipsos quàm quidquid ad Ecclesiam Andrensem pertinet defendere, nutrire, & defendendo manutenere debebimus. Datum apud Bellumlocum, & auctoritate sigillorum nostrorum corroboratum, anno Verbi Incarnati M. CCXXII. mense Januario.

1222. Eodem anno Robertus de Ales Miles super decimam de Ales, quam Alulfus pater ejus multo tempore transacto huic Ecclesiæ invadiaverat pro octoginta & quinque marcis publicæ monetæ, per manum dominæ Idæ venerabilis Boloniæ Comitissæ: volens adhuc quamdam summam pecuniæ habere, & memoratam decimam nobis ex toto quitare, LXIII. libras Parisiensium monetæ à nobis accepit, & ipsam decimam nobis sub hac formâ confirmavit:

Charta Roberti de Ales.

Ego Robertus de Ales Miles, notum fieri volo tam præsentibus quàm futuris, quòd cum dominus Alulfus pater meus decimam de Ales, quæ ad ipsius spectabat hereditatem invadiasset dudum domno Petro Abbati & Ecclesiæ Andrensi pro octoginta & quinque marcis publicæ monetæ currentis in Comitatu Boloniæ, per manum dominæ suæ Idæ Boloniæ Comitissæ: & mihi legitimè constaret nullum me jus in eâdem decimâ habere quoadusque per pretium memoratum possem redimere, acceptâ ab eâdem Ecclesiâ charitate sexaginta trium librarum Parisiensium ipsam decimam eidem Ecclesiæ quitam; & per manum domini Adæ Morinensis Episcopi ipsam ei resignans, super altare Dominicum liberaliter obtuli, præsentibus uxore meâ Margaretâ, unà cum liberis nostris Guillelmo & Mathilde, & per manum domini Simonis de Calquilla eorum tunc Advocati, mecum concedentibus: quòd si rectus heres, qui Boloniensem Comitatum recturus est, aliquando hanc eleemosynam contradicet, me super totum feodum residuum distringere posset, quatenùs Andrensis Ecclesia tam ultimam pecuniam quàm etiam primam ex integro rehaberet, & etiamsi per me, vel per aliquem de heredibus meis pro hac decimâ Andrensis Ecclea gravamen sustineret, ipsa Comiti Boloniensi vel alteri Potenti ad me vel heredem meũ coërcendum viginti quinque libras Parisiensium super me, & mea dare valeret. Actum & sigillo meo corroboratum anno Verbi Incarnati M. CCXXII. mense Martio.

Quo facto accessit ad dominum Morinensem Episcopum, ducens secum dominum Simonem de Calquilla, quem liberis suis Willelmo & Mathildi Advocatum dederat, & rei gestæ seriem coram eo recognovit: necnon & Chartam ejus ad opus nostrum in hunc modum impetravit:

Chartæ Adæ Episc. Morin.

Adam Dei gratiâ Morinorum Episcopus omnibus quibus has litteras videre contigerit, in Domino salutem. Discretionem vestram non lateat, quòd accedens ad nos Robertus de Ales Miles, recognovit de Ales decimam Andrensi Monasterio à parentibus suis fuisse impignoratam antequàm nasceretur, per manum dominæ suæ nomine Idæ Boloniensis Comitissæ, pretio octoginta quinque marcarum publicæ monetæ, sicut in Chartâ ejusdem Comitissæ continetur. Volens autem eidem Ecclesiæ ad plenum reconciliari pro damnis & injuriis occasione ejusdem decimæ frequenter illatis, acceptâ charitate sexaginta trium librarum Parisiensium ipsam decimam in manu nostrâ resignans, eam memoratæ Ecclesiæ quitam à nobis donari & confirmari impetravit. Et uxor sua Margareta cum duobus liberis eorum Willelmo & Mathilde per manum nobilis viri Simonis de Calquilla, quem eis dedimus Advocatum; hoc totum concessit, eodem Simone nihilominùs coram nobis plegiante, quòd quamcitò præfati liberi ad annos discretionis pervenerint, tam ipse quàm eorum pater eos ad hoc concedendum tenebuntur inducere, aut si in hoc defecerint; idem Simon memoratas sexaginta tres libras Andrensi Ecclesiæ tenebitur ex integro restituere, ut deinceps titulo pignoris Andrensis Ecclesia, quoadusque supradictas octoginta & quinque marcas plenariè ab herede receperit, eamdem decimam pacificè valeat possidere ad majorem securitatem. Præterea nos ad preces prædictorum nobilium virorum erga Andrensem Ecclesiam plegiavimus, ipsis quidem nos ad hoc inducentibus, & Christianitatem suam & terrarum suarum erga nos obligantibus, quòd si quid in eis defecerit, nos per censuram Ecclesiasticam reos puniemus, & quoadusque Andrensi Ecclesiæ fuerit satisfactum ab exequutione rigoris non desistemus. Datum & sigillo nostro confirmatum anno Gratiæ M. CCXXII. mense Martio.

Quoniam verò Boloniensis Comitatus proprium & principalem Comitem tunc temporis non habebat, sed licet Mathildis heres ejusdem Comitatûs ex parte matris Idæ & patris Reinaldi in captivitatem detenti, Philippo Regis Francorum filio nondum Militi desponsaretur; primogenitus tamen Regis Francorum dominus Ludovicus curam ejusdem Comitatûs gerebat: utraque Charta præmissa quasi conditionaliter facta fuit, pro eo quòd præsens per principalem Comitem confirmari non potuit, & eâ de causâ quòd si opus esset, & nobis expediret, tam primum vadimonium octoginta & quinque marcas continens, quàm ultimum quod sexaginta tres libras in se continuit, pars nostra ab herede & plegio repetere posset: proinde ad cautelam idem Robertus Miles à fidelibus admonitus, aliam nobis Chartam nullam conditionem in se continentem, sed memoratam decimam nobis ad plenum quitantem sub hac formâ nobis concessit:

Charta Roberti de Ales.

Ego Robertus de Ales Miles, notum fieri volo tam præsentibus quàm futuris, quòd cum Andrensis Ecclesia, in qua mei prædecessores requiescunt, ab antiquo tempore antequàm natus essem, de manu patris mei Alulfi duas garbas decimæ de Ales pro octoginta & quinque marcis curialis monetæ per manum venerabilis dominæ Idæ Boloniæ Comitissæ invadiatam tenuisset, & propter eamdem decimam à me & à matre meâ, & à fratribus meis multiplices injurias & pressuras contrà Deum & animarum nostrarum salutem aliquando sustinuisset, tandem ad cor reversus, ipsam decimam & quidquid juris mihi, aut meis posset hereditario jure contingere, si redempta fuisset, in manu patris venerabilis domini Adæ Morinensis Episcopi resignavi, & ut de manu ipsius eadem Ecclesia exinde investiretur pro salute animæ meæ & parentum meorum, humiliter impetravi. Huic autem renuntiationi & quitationi uxor mea Margareta cum liberis nostris Willelmo & Mathilde de manu domini Simonis de Calquilla, qui à domino Episcopo & à me eis datus est Advocatus, sponte consensum & assensum præbuerunt, & ut ab eodem Episcopo, & à me Ecclesiæ Andrensi con-

firmaretur in perpetuum, humiliter petierunt. Actum igitur est hoc solemniter, & super altare Dominicum apud Andriam à nobis oblatum, & Episcopo resignatum, & tam ab Episcopo quàm à me confirmatum, anno Verbi Incarnati M. CCXXII. mense Martio.
1222. In eumdem quoque modum dominus Morinensis Episcopus ab ipso Roberto & uxore ejus Margaretâ & liberis, necnon & Simone de Calquilla eorum plegio, dum in hoc Andrensi Monasterio hospitaretur rogatus, suam nobis Chartam concessit; cujus tenor talis exstitit:

Charta Adæ Episc. Morin.

ADAM Dei miseratione Morinensis Episcopus, omnibus ad quorum notitiam præsens scriptum pervenerit, in Domino salutem. Noverit universitas vestra quòd dum paternâ sollicitudine Morinensem diœcesim cui Deo auctore præsidemus, visitaremus, & circà ea quæ ad statum & securitatem sanctæ matris Ecclesiæ spectant nostræ mentis intentio versaretur, accessit ad nos in Andrensi Monasterio nobilis vir Robertus de Ales, unà cum uxore suâ Margaretâ, & duobus liberis Willelmo & Mathilde, confitens & recognoscens se & suos erga idem Monasterium sæpiùs deliquisse super quâdam decimâ de Ales, quam priusquàm nasceretur à suis parentibus ipsius Monasterii Fratres titulo pignoris possederant, quamque per Boloniensem Comitissam illustrem Idam pretio octoginta quinque marcarum ab antiquo impignoratam & confirmatam tenuerant; pro quibus excessibus ad cor revertens, & super eâdem decimâ cum totâ sui integritate sicut eam sui prædecessores possederant, Christum facere heredem gestiens, præfatâ uxore suâ cum liberis approbantibus, & per manum nobilis viri Simonis de Calquilla, qui eis datus est Advocatus, manus apponentibus memoratam decimam ad opus Ecclesiæ Andrensis in manu nostrâ resignans, in perpetuam eleemosynam ei dari supplicavit. Nos verò piæ petitioni eorum clementer assentientes, de eâdem decimâ nobis resignatâ & quitatâ, Andrensis Ecclesiæ Fratres tam futuros quàm præsentes liberaliter investivimus, & auctoritate scripti præsentis sigillo nostro corroborati, sæpedictam Ecclesiam dotari & ditari simul decrevimus: ex parte Dei omnipotentis sub periculo anathematis districtiùs inhibentes, ne quis in posterum hanc eleemosynam & constitutionem ausu temerario molestare vel perturbare præsumat. Datum anno Gratiæ M. CCXXII. mense Martio.

Præterea ne quid nobis ad certitudinem deesset, Simon dominus de Calquilla totius negotii plegius & testis, suam quoque Chartam in hunc modum nobis concessit:

Charta Simonis de Calquillâ.

Ego Simon dominus de Calquilla omnibus hoc scriptum inspecturis notum volo fieri, quòd dominus Robertus de Ales vicinus meus decimam quondam à patre suo domino Alulfo Andrensi Ecclesiæ pro octoginta & quinque marcis Boloniensis monetæ invadiatam, & per manum dominæ suæ Idæ Boloniæ Comitissæ eidem Ecclesiæ confirmatam, memoratæ Andrensi Ecclesiæ in eleemosynam dare volens, & in manu domini Morinensis Episcopi Adæ ad opus Andrensis Ecclesiæ resignationem & quitationem sponte suâ faciens, me erga eamdem Ecclesiam plegium constituit, quem coram eodem Episcopo uxoris suæ dominæ Margaretæ & liberorum suorum Willelmi & Mathildis Advocatum fecit, quod quamcitò iidem liberi ad annos discretionis pervenerint, ipsi per se personaliter facient quod pro eis feci, & quod ipsi fecerunt, eleemosynam scilicet patris sui, unà cum matre suâ creantando & fideliter assensum præbendo. Hoc autem concessi præsente memorato Episcopo per abandonum Christianitatis meæ, & terræ meæ, sub tali districto quòd si Andrensi Ecclesiæ inde periculum immineret, infrà quadraginta dies submonitionis suæ, tamquam plegius vel debitor, super sexaginta & tribus libris Parisiensibus eidem Ecclesiæ satisfacere tenerer. Actum & sigillo meo confirmatum anno Gratiæ M. CCXXII. mense Martio, apud Ales coram multis.

Circà idem tempus nobilis vir dominus Manasses de Gisnes in loco præsenti sæpiùs conversatus, & à Fratribus nostris qui ei magis erant familiares, nunc secretè, nunc publicè correptus, & tandem ad cor reversus, de duplici injuriâ nobis eatenùs illatâ satisfecit, & de satisfactione nobis Chartam suam indulsit. Siquidem decimam novalium suorum apud Rorichove, tertiam scilicet garbam in usus proprios redegerat, & unum polkinum frumenti de manerio domini Radulfi Bailleul, cujus ipse apud Balinghem factus est possessor, post alios retentores diù retinuerat: suæ autem Chartæ tenor talis est:

Ego Manasses de Gisnes dominus de Tiembronâ, notum volo fieri tam futuris quàm præsentibus, me pro salute animæ meæ & prædecessorum meorum dedisse, concessisse, & præsentis scripti patrocinio corroborasse, Andrensi Monasterio & Fratribus in eo Christo servientibus, totam tertiam garbam de manerio meo de Rorichovâ, sive sit in Parochiâ de Andrens, sive sit in Parochiâ de Spelkâ; quam decimam de novalibus & terris incultis dudum acquisieram, & Andrensis Ecclesiæ Fratribus reclamantibus pro eo quòd infrà decimas eorum consistebat, in jus proprium redegeram. Præterea cum ipsi Fratres ab antiquo vendicaverant unum polkinum frumenti super manerium meum de Bavelinghem, quod antea fuerat Radulfi Baillol; & mihi pro certo constet eorum calumniam justam & veram fuisse, eumdem polkinum frumenti eis liberaliter recognovi, & pro diuturnâ retentione indulgentiam petii, & impetravi: & super Eustachium de Bontun & successores ejus in perpetuum, ipsum polkinum eis assignavi. Datum solemniter, & publicè recognitum in Ecclesiâ Andrensi, & super majus altare sponte oblatum, anno Gratiæ M. CCXXII. mense Junio.

Charta Manassis de Gisn.

Anno Domini M. CCXXIII. Philippus Francorum Rex magnanimus, vir Catholicus, domitor inimicorum indomitus, non sine magno gemitu matris Ecclesiæ apud Maantes viam universæ carnis ingressus est, & ad Cœnobium beati Dionysii Areopagitæ delatus, ibidem cum honore debito sepelitur: cujus regni gubernacula Ludovicus primogenitus ejus suscipiens, Remis à domino Willelmo Archiepiscopo, primùm Lingonensi Episcopo, mense Augusto præsente viro Catholico Joanne Rege Jerosolymitano in Regem solemniter consecratur. Philippus frater Ludovici Regis Galliæ, ab hominibus suis apud Boloniam in primo adventu suo condignè suscipitur; cujus Comitatum receperat cum Mathilde uxore suâ, filiâ scilicet Reinaldi quondam Comitis Boloniæ, qui senescens in vinculis finem vitæ potiùs quàm liberationem miserabiliter exspectabat. 1223.

Philippi Francor. Regis obitus.

Romæ terra sanguinea more pluviæ à summo super terram miraculosè decidens, videntibus & audientibus stupori habetur. Joannes Rex Jerosolymitanus per fines Gallorum transiens, gratiâ visitandi & adorandi Reliquias gloriosi Thomæ Martyris transfretat in Angliam, sed in Anglis Anglos vulpinos reperiens ad natale solum festinè se transponit.

De fundatione Ecclesiæ de Bonhem.

ANno Domini M. CCXXIV. Beatrix Comitissa de Gisnes & Castellana de Broborgh, post multiplices discordias à die mortis mariti sui cum filio suo Balduino habitas, ei tandem reconciliatur; & ipso 1224.

annuente Monasterium Ancillarum Dei de Bonhem ab eâ ædificatur; & post multos & diuturnos languores mense Augusto apud Borburgh defungitur; quâ sepulturam eligente in Monasterio novo à se fundato, & Domino Episcopo idipsum confirmante, licet ibidem tunc præsens esset, & ne contrà votum prædictæ dominæ aliquid attentaretur districtiùs inhiberet: prædictus tamen Comes filius ejus in sententiâ prævalens, in Monasterio Monialium de Burburgh in sepulcris patrum suorum ab eodem Episcopo eam sepeliri fecit. Unde domnum Abbatem Willelmum & suos ex antiquis privilegiis funera Comitum vendicantes offendit, sed in hoc tamen eum pacificavit; quòd qualitercumque de Comitissis accidat, in Andrensi Monasterio debere sepeliri publicè recognovit.

Hæc autem nobilis matrona in extremâ valetudine perpendens, & recogitans quòd de bonis Ecclesiæ nostræ frequenter & multipliciter fuerat honorata, in testamento suo quod voluntariè fecit, quodque auctoritate domini Morinensis Episcopi sub anathemate confirmari impetravit, viginti solidos publicæ monetæ in Castellaniâ de Broburgh annuatim percipiendos nobis legavit, & ad anniversarium suum solemniter faciendum deputavit: unum etiam peroptimum vini dolium adhuc vivens ad nos usque carricari fecit, & ad Fratrum pitantiam assignavit. Sed tamen de piæ matris testamento ab herede ejus licet sæpiùs admonito nihil adhuc est factum, & patris ipsius heredis testamentum infirmis nostris promissum, usque hodie est omninò retentum.

Eodem quoque anno nobilis vir Eustachius de Campaines decimam de Hildrikem, quam dudum Ecclesiæ beati Wlmari de Nemore invadiaverat, eidem Ecclesiæ ex toto vendere voluit. Et propter hanc concessionem ad dominum Balduinum Comitem tunc temporis in hac Andrensi villâ manentem cum nuntiis ipsius Ecclesiæ accessit; sed petitionem suam impetrare non potuit. Nam isdem Comes hoc Monasterium sibi domesticum magis quàm alterius terræ Monasterium diligens, pro sexaginta libris quas de præfato Monasterio idem Miles habere debuerat, quinquaginta libras Parisiorum monetæ apud sanctum Audomarum vice ejus quitavit, & eodem pretio præfatam decimam redimendam ad opus nostrum mandavit; quod per Chartam suam sæpedictus Miles sub hac formâ evidenter ostendit:

Charta Eustachii de Campaines.

Ego Eustachius de Campaines notum volo fieri omnibus tam futuris quàm præsentibus, quòd propter multiplices offensas quibus excessi contrà Andrensem Ecclesiam, dedi & concessi eidem Ecclesiæ decimam de Hyldrekem ad me jure hereditario spectantem, sed adhuc Monasterio sancti Wlmari de Nemore pro centum quadraginta libris invadiatam, scilicet Parisiensium monetæ, tali tenore & conditione quòd postquam à præfato Andrensi Monasterio dicto pretio fuerit redempta, ejusdem Ecclesiæ Fratres memoratam decimam perpetuò teneant, & pacificè possideant. Hoc autem feci de assensu & voluntate Domini mei Balduini Gisnensis Comitis, à quo cum aliis bonis eamdem decimam tenebam in feodum, salvo vadimonio sancti Wlmari sicut dictum est, hereditatem ipsius decimæ ad opus Andrensis Ecclesiæ approprians, & ipsam in manu dicti Comitis, qui Andrensis est patronus, reconsignans præsentibus Paribus meis, & quod id de jure facere possem adjudicantibus. Comes autem in recompensationem meæ devotionis pro me quinquaginta libras Parisienses, quas debebam Joanni Martio de sancto Audomaro quitavit, & servitium quod exinde debebat habere, pro suâ concessione liberaliter indulsit. Actum est hoc dum omnibus bonis meis quæ sunt in Comitatu Boloniæ quietè & pacificè gauderem, apud Andrens in Ecclesiâ sancti Salvatoris anno Domini M. CCXXIV. mense Maïo.

Cum autem tam Abbas quàm tota Congregatio hujus loci firmiter crederet persolutam à Comite pecuniam, nec ei nec alicui de suis ulteriùs esse persolvendam, vix biennio evoluto dum idem Comes cum domino suo Rege Francorum Ludovico ad partes Albigensium tenderet, cum maximâ difficultate memorata summa à nobis persoluta est, quæ nec postmodum nobis fuit restituta, nec prædicta decima à nobis possessa.

1225. Anno Domini M. CCXXV. quidam in terrâ Haoniæ novæ fraudis inventor apparuit, qui dicens se esse Balduinum quondam Comitem Flandriæ, postea Imperatorem Constantinopolitanum & Regem Thessalonicæ: cum hoc quibusdam simulationis signis & indiciis instanter assereret, quamplures plebeiæ manus, & quosdam nobiles, necnon & viros religiosos suis assertionibus fidem compulit adhibere. Unde factum est ut ipsum penè tota Flandria & Hanonia suum dominum certatim acclamarent, & ei cum magno laudis præconio in obviam euntes, suæ ditioni se suaque votis omnibus subdiderunt. Qui in tantæ præsumptionis elatus est audaciam, ut vexillis præeuntibus trinæ dignitatis se dominum mentiretur. Quod cum Rex Ludovicus ex Joannæ Comitissæ jam à Comitatu ferè destitutæ, & aliorum Nobilium qui ei adhærebant, querimoniâ didicisset, citavit hunc ausum, talia mandans ut ei apud Peronam die certâ occurreret, volens quisnam esset certiùs edoceri. Quo cum pervenisset, & super quæstionibus quibusdam Regi satis notis obstupesceret, ab ipso Rege à totâ terrâ quam impudenter invaserat eliminandus penitùs contemnitur; qui tamen liber permissus abscedere cum magno dedecore Valencenis excipitur; vulgi tamen adeptus benevolentiam, & ipsius protectus auxilio ibidem per dies aliquot moram fecit. Tandem suggestione domini Arnoldi de Oudenarde ille miserrimus apud Insulas suspensus est, dignum suæ malignitatis præmium consequutus. Fames hoc anno quamplures opprimit & affligit.

Quidam Balduinum Imp. mentiens deprehenditur.

Pœnas luit.

Eodem anno nobilis vir Eustachius de Campaines Miles in vivario nostro de Fontaines, quod multis laboribus & sumptibus acquisivimus, cygnos suos nutriri faciebat: sed nobis formidantibus ne à suis heredibus vel aliis vicinis potentibus hoc trahi posset in consuetudinem, & hoc ipsum ei suggerentibus, non solùm facto suo renuntiavit, vel à cœptis suis destitit, sed ipso vivario omninò quitato, suos cygnos cum omnibus fœtibus exinde profuturis, nobis appropriavit, & per Chartam suam in hunc modum nostrum nobis jus recognovit:

Charta Eustachii de Campaines.

Ego Eustachius de Campaniis Miles & dominus de Hames, scire volo præsentes & futuros, quòd cum Andrensis Ecclesia me super stagno sive vivario quod est inter villas de Fontaines & de Bokerdes, & cygnis meis ibidem habitantibus suprà modum impetito, pro eo quod ad ipsam pertinebat jus & proprietas prædicti stagni sive vivarii, sicut constanter & firmiter asserit, & adhuc pertinet, & semper pertinere debet: tractus amore divinæ charitatis prædictum stagnum sive vivarium, unà cum cygnis meis eidem Ecclesiæ liberaliter quitavi, & ad quitationem perpetuam me & omnes successores meos excluso totius vexationis & reclamationis obstaculo firmiter obligavi, me nihil juris habere in prænominato stagno sive vivario, nec in cygnis ibi nutriendis, nec in piscibus capiendis coram omnibus apertissimè recognoscens. Ut ergo præsens actio

perpetuæ

perpetuæ libertatis & firmitatis privilegio roboretur, præsens scriptum ad munimen & defensionem libertatis Andrensis Ecclesiæ sigilli mei munimine communivi. Actum est & coram domino Adam Morinensi Episcopo, recognitum & ab eo confirmatum
1225. anno Gratiæ M. CCXXV. mense Maio.

Et quia tunc temporis dominus Morinensis Episcopus in Monasterio de Gisnes hospitabatur, idem nobilis vir ad eum sponte accessit, priorem injuriam recognovit, & quod ipse confirmaverat à domino Episcopo confirmari impetravit. Sequenti verò die eodem venerabili patre in hoc loco hospitante, accessit ad eum Hugo Stinkebake de Hervedingehem, unà cum filiis suis Simone & Nicolao, qui propter invasionem decimæ de Hervedingehem diu excommunicatus fuerat, cujus etiam uxor nuper in excommunicatione mortua extrà cœmeterium jacebat, & sicut dicebatur tam homines quàm animalia fugabat & terrebat. Idem autem Hugo suam injuriam coram domino Episcopo recognoscens, & totam culpam in dominum de Fielnes qui præfatam decimam warantire debuerat impingens, pœnitentiâ susceptâ, & decimâ abjuratâ, eandem decimam nobis & Ecclesiæ in perpetuum unà cum filiis confirmari fecit. Et sic demum memoratus Episcopus tam ipsorum quàm præfati domini Eustachii confessionem & recognitionem coram se factam sub hac formâ confirmavit:

Charta Adæ Episc. Morin.

Adam Dei miseratione Morinorum Episcopus omnibus Christi fidelibus, quibus hoc scriptum videre vel audire contigerit, in Domino salutem. Noverit universitas vestra quòd cum pastorali sollicitudine Morinensem diœcesim, cui Deo auctore præsidemus, visitando circuiremus, & circà ea quæ corrigenda, statuenda, vel reformanda in ipsa erant, mentis nostræ intentio versaretur, accessit ad nos nobilis vir Eustachius de Campaniis dominus de Hames, dum essemus in Monasterio ancillarum Christi de Gisnes constituti; qui cum impeteretur ab Abbate Andrensi super hoc quod in vivario sive stagno, quod est inter villas de Bokerdes & de Fontaines, ad jus & proprietatem Monasterii Andrensis spectante, præter eorum voluntatem cygnos suos tenuisset & diù educasset, nobis consilium dantibus & approbantibus se & omnes successores suos in memorato stagno sive vivario nihil juris habere confessus fuit, & ad judicium majoris libertatis ipsos cygnos memoratæ Ecclesiæ quitavit, & quod hoc scripto authentico confirmaret sponte creantavit. Sequenti verò die accessit ad nos in Andrensi Monasterio Hugo cognomento Stinkebake de Hervedinghem, recognoscens quòd decimam quam ipse per duos annos de pravorum consilio malitiosè perturbaverat, pater suus Giroldus de Piro legitimè vendiderit, & liberam quitaverit, & hoc præsentibus & approbantibus duobus filiis suis Simone & Nicolao coram nobis recognovit: unde per pœnitentiam condignam à nobis punitus fuit. Nos autem Andrensis Monasterii indemnitati providere cupientes, & utramque confessionem præmissam approbantes & ratam habentes, sub districto anathematis periculo firmiter inhibemus, ne quis in posterum utrique recognitioni, vel huic nostræ confirmationi ausu nefario
1225. contraire præsumat. Datum anno Gratiæ M CCXXV. mense Maio in festum sanctorum Gordiani & Epimachi.

Eodem quoque anno Ægidius quidam de Aquâ Parochianus de Suavekes, unà cum propinquis suis satis fallacibus & mendacibus, & quibusdam litteratis minus veracibus ad nos accedens, simplicitatem nostram suâ & illorum calliditate delusit. Nam juxtà fluvium habens decens manerium virgultis & arboribus consitum, & nostræ curti contiguum, nobis vendidit, & quatuordecim terræ mensuras terræ nostræ contiguas, & à sociis itineris sui ultrà justum valorem appretiatas; nihilominùs in venditione apposuit nobis frustrà sperantibus, quòd per ipsum manerium, & terras vicinas termini nostri possent dilatari, & pecuniam mutuantibus quæ sine magno gravamine non potuit acquiri. Idem autem Ægidius ut nobis videretur satisfacere, domini sui Widonis de Elembon Junioris assensum petiit, & dato pretio impetravit, qui venditionem factam ratam habuerit, & per Chartam suam sub hac formâ confirmavit:

Ego Wido Junior de Elembon Miles, notum volo fieri tam futuris quàm præsentibus, quòd Ægidius de Aqua vavassor meus de Suavekes dedit in eleemosynam concedente uxore suâ Margaretâ, & filio suo Willelmo Andrensi Monasterio, & omnibus Fratribus tam futuris quàm præsentibus ibidem Deo servientibus, mansionem suam de Suavekes cum virgulto & arboribus, & omnibus ad mansionem pertinentibus, acceptâ ab eâ Ecclesiâ charitate XXXV. librarum Parisiensium. Item dedit eidem Ecclesiæ in eleemosynam circiter quatuordecim mensuras terræ, acceptâ ab eadem Ecclesiâ charitate quatuor librarum Parisiensium pro qualibet mensura, & quitavit memoratæ Ecclesiæ comitatum prædicti manerii, quem de me tenebat in feodum, & liberum dimisit in perpetuum. Ego verò tamquam dominus ut totum factum ejus ritè procederet, & ne per uxorem & ejus heredem minus fieret, de consilio hominum meorum & Parium suorum prædictæ uxori dedi Advocatum Eustachium fratrem meum, & filio primogenito similiter dedi Advocatum, pro eo quod infrà annos erat, Walterum de Elseke, eâdem uxore totum hoc voluntariè concedente, & ab omni jure dotalitii quidquid prænominatum est quitum dimittente, & etiam in præsentiâ meâ duodecim mensuras terræ cum quatuor polkinis bladi in concambio dotalitii recipiente, & data fide coram me promittente, quòd quamcitò à partu quo gravida erat expediretur, & ab Abbate Andrensi ad hoc invitaretur, coram domino, Morinensi Episcopo veniret, & totum processum negotii cum quitatione factâ coram ipso recognosceret. Præterea memoratus Ægidius pater pueri infrà annos existentis, totum residuum feodum sum erga me obligans coram me plegiavit, & me erga Ecclesiam Andrensem plegiare fecit; quod quamcitò memoratus puer Willelmus, vel alter ei succedens ad annos discretionis pervenerit, qui proximior heres fuerit, totum hoc coram me vel herede meo creantabit, & Andrensi Ecclesiæ in perpetuum quitabit.

Charta Widonis de Elembon.

Denique Vavassores mei, & ejusdem Ægidii Pares à me adjuvati, & longo consilio usi, manifestè dixerunt, & per judicium diffinierunt, quòd sæpedictus Ægidius pro summâ necessitate suâ ea quæ dicta sunt alienabat, & quòd hæc facere debebat. Ego autem eorum judicium sciens esse justum, & hominem meum volens adjuvare, & indemnitati Andrensis Ecclesiæ providere, auctoritate præsentis scripti sigillo meo confirmati, super conservandis omnibus præmissis me cum omnibus heredibus meis erga prædictam Ecclesiam plegium constituo, & tamquam dominus omnia quæ nominata sunt pro salute animæ meæ & parentum meorum, sæpedictæ Ecclesiæ in puram & perpetuam eleemosynam concedo, sublato totius obnoxietatis, exactionis & relevii penitus obstaculo, ad residuum feodum, & ad alias possessiones, quas de me tenet dictus Ægidius recursurus. Actum est hoc primo apud Suavekes, postmodum apud Andrens, & tam à me, quàm à præfata Ægi-

nio, & uxore ejus, & filio, & eorum Advocatis super altare solemniter oblatum, audientibus & videntibus vavassoribus meis subscriptis, vedelicet Hugone de Savinghem, Drogone de Wlfus, Jakemino de Wlfus, Stacino de Elembom, Ægidio Benel, Joanne de Malkesbergh, Waltero de Ploichio. Anno Domini M. CCXXV. mense Septembri.

Anni autem spatio nondum evoluto, præfato Ægidio de Aquâ invitante, & juramentum præstitum non observante, Willelmus quidam de Aquâ consobrinus ejus diù extrà natale solum peregrinatus, & de alieno locupletatus, ad partes istas accessit, contrà nostram emptionem jure propinquitatis querimoniam movit, mediantibus illis quorum sororem & neptem nuper duxerat: per legem fori obtinuit; & ita primâ sorte pecuniæ nostræ nos esse contentos oportuit, amissis omnibus quæ in plantatione, & manerii melioratione ferè per annum expendimus; & à parte adversâ pro nihilo reputato quòd eleemosynam præfatam super altare oblatam in usus Ecclesiasticos recepimus, & quòd omnes injuriatores nostros excommunicavimus.

1226. Anno Domini M. CCXXVI. Romanus Diaconus Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus in Gallias venit, qui inter cætera quæ correxit, in Moriniensi diœcesi quamplures Sacerdotes ob incontinentiæ vitium gravi correptione corripuit. Convocavit autem Bituricas Episcoporum & aliorum Prælatorum sed & Procerum grande Concilium, ubi de Albigensi hæresi confutandâ tractatum est & ordinatum. Ludovicus Rex & multi nobiles tam Episcoporum quàm Procerum, admonitu domini Legati cum ipso Legato ad Albigenses Cruce-signati, ad solvendum votum se præparant & disponunt.

Concil. Bituricense.

1227. Anno Domini M. CCXXVII. Rex Ludovicus, & dominus Cardinalis cum multis Nobilibus in manu validâ & copioso apparatu bellico ad Albigenses proficiscuntur, & Avenionem civitatem nobilem refertam & superbam opibus per tres menses obsident & impugnant. Sed cum tantus esset vigor resistentium & calliditas, ac propria civitatis munitio se offerret inexpugnabilem, insistentes parum proficiunt, non habentes effectum aliquem expugnandi. Mediante tamen domini Legati consilio, qui ad cives liberum habebat ingressum & egressum, tandem recepti sunt in Regis gratiam, sub hac tamen conditione, ut muros & domos civitatis turrigeras à fundamentis dejicerent, fossata in planum redigerent, dejecta non sine licentia Regis repararent, armorum suorum munimine se nudarent, & ea Regi traderent. Traditur autem civitas non solùm ipsa, sed & omnes civitates & villæ finitimæ absque congressu aliquo se ditioni Regis Galliæ tradiderunt. His itaque compositis Rex cum suis ad sua reverti deliberans, apud Montpanchir lethali correptus incommodo, ab omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis plangendus atque lugendus somno mortis opprimitur, & in Ecclesiâ sancti Dionysii Regiæ traditur sepulturæ. Guillelmus Remorum Archiepiscopus primùm Lingonensis Episcopus defungitur. Ludovicus adhuc duodenis dicti Ludovici filius Suessionis promotus in Militem, Remis à domino Jacobo Suessionum Episcopo, quia sedes Remensis vacabat, in Regem solemniter consecratur: cui subsequentes annos adscribimus.

Lud. Franc. Rex adversus Albigens. bellum aggreditur.

Fernandus Comes Flandriæ & Hanoniæ qui per XII. annos in vinculis domini Regis de contumaciâ pœnituerat, dato suæ redemptionis pretio, liber absolvitur. Henricus Thesaurarius Belvacensis ad Episcopatum Remensem eligitur & consecratur, Guillelmo prædecessori succedens. Domino Papa Honorio decedente, Magister Hugolinus de Anagniâ Hostiensis Episcopus substituitur, & Gregorius nonus appellatur. Reinaldus quondam Comes Boloniæ à domino Rege per annos fermè tredecim vinculatus, ab ipsis vinculis pariter & vitâ absolvitur. Castrum in Flandriâ quod Brugis dicitur, gravi incendio magnâ ex parte consumitur, in quo plusquàm quingenti promiscui sexûs & ætatis homines pariter concremati sunt. Romanus Apostolicæ sedis Legatus, qui invitis ferè omnibus Prælatis & subditis Gallicani Orbis, & reclamantibus & contrà eum appellantibus bona Ecclesiarum & Monasteriorum in favorem Regis & suorum per quatuor annos decimari præceperat, mortuo Rege, Comite sancti Pauli occiso, & maximâ multitudine Procerum diversis mortibus defunctis, per generale Capitulum Cisterciense transitum faciens, & inde secum Cistercienses, & Claravallenses Abbates, & quosdam Episcopos & Abbates quos creaverat, necnon & Senonensem Archiepiscopum, qui in favorem Reginæ eum sequebantur, ducens, omnibus personis Gallicæ Ecclesiæ sibi contrariis mala quidem minatur, & contrà eos pejora machinatur, & ita cum suis complicibus & nostræ universitatis hostibus, quasi victor Romam revertitur. Sequuntur eum è vestigio solemnes nuntii de singulis urbibus ab universitate electi, qui multa quidem expenderunt, sed nihil omninò profecerunt, excepto eo quod multiplices repulsas, & tam à Curiâ quàm à suis vicinis & æmulis perpessas injurias promissam decimæ summam per quatuor annos ad centum millia librarum Turonensis monetæ taxari impetraverunt.

Honorio Papa defuncto

Gregor. IX. substituitur.

Eodem anno nobilis vir Eustachius de Campaines qui præsentem Ecclesiam sæpiùs offenderat, qui multa nobis dederat, & multo plura vendiderat, & tam de datis quàm venditis sæpiùs injuriam fecerat, letali morbo corripitur, & nunc apud Lullingham languens infirmatur, nunc spe salutis recuperandæ apud Boloniam transportatur; sed cum nusquam salutem posset recuperare, erogatis in medicis quæcumque habuerat, domnum Willelmum Abbatem accersiri fecit, & cum omni solatio tam amicorum quàm propinquorum destitutus esset, ita quòd etiam vestimentis sepulturæ necessariis omninò careret, Deo quidem animam per manus ejusdem Abbatis, & ipsi Abbati corpus in hoc Cœnobio juxtà matrem suam tumulandum commendavit, & sic demùm vestimentis Monachalibus indutus propter penuriam aliorum, in bona spe futuræ resurrectionis in Domino quievit: cujus corpus cum expensis nostris huc delatum, prout petierat in Claustro nostro sepulturam accepit: multis tamen diebus priusquàm moreretur præsentibus Abbatibus de Boloniâ, & tam Clero quam populo ejusdem urbis super testamento suo quod nobis legavit, Chaream suam componi fecit, & per Monachos nostros eam nobis transmisit in hunc modum: 1227.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis Eustachius de Campaines Miles ac dominus de Hames, salutem in Domino. Charitatis vestræ noscat universitas, quòd ego dedi & concessi in puram & perpetuam eleemosynam Divinæ pietatis intuitu pro salute animæ meæ & prædecessorum meorum, & etiam pro anniversario meo faciendo Andrensi Ecclesiæ sex polkinos frumenti ad pasturam, inter capellam sancti Audomari & Lohout sitam capiendos, & ab eâdem Ecclesiâ liberè, quietè & pacificè, & absque omni exactione in perpetuum possidendos. Ut autem hæc donatio mea rata & stabilis in perpetuum permaneat, in testimonium veritatis præsentem paginam sigillo meo roboravi. Actum anno Domini M. CCXXVII. mense Januarii. 1227.

Charta Eustachii de Campaines.

Circà idem tempus nobilis matrona domina Ade-

lidis de Balinghem volens anniversarium suum apud nos promereri, & pari modo anniversarium domini sui Arnulfi de Caieu in præsenti loco institui, quinque nobis polkinos frumenti cum censu & comitatu super vavassorem unum apud Spelleke assignavit, quos à filio suo domino Arnulfo Milite cambivit, assignans ei unum polkinum in Bavelinghem quem priùs nobis donaverat, & quatuor polkinos apud Lotesse de feodo domini Ægidii quos de quodam vavassore redemerat, postquàm prædictus filius suus eos ei vendiderat. Hanc autem eleemosynam præfata domina cum vavassore censum debente super altare Dominicum obtulit, & ad majorem certitudinem Chartam suam sub hac formâ nobis indulsit:

Charta Adelidis de Bavelinghem.

Ego Adelidis domina de Bavelinghem, notum volo omnibus fieri hoc scriptum inspecturis & audituris, quòd ego pro salute animæ meæ & parentum meorum, & præcipuè pro anniversario domini Arnulfi de Caieu mariti mei mecum habendo, dedi in eleemosynam Ecclesiæ Andrensi, & Fratribus ibidem Deo servientibus, quinque polkinos frumenti, quos cambivi à filio meo Arnulfo Milite in parochiâ de Spelleka, cum omni libertate juris & consuetudinis prout ei deberi solebant. Datis ei in concambio uno polkino frumenti apud Bavelinghem, & quatuor polkinis apud Lotessâ de feodo domini Ægidii, quos de quodam vavassore redemi, postquàm idem filius meus eos vendiderat. Hoc autem concambium feci, & à filio meo vendita redemi, ne diminuerentur reditûs mei, & ne damnum proveniret meo heredi. Prædicti verò Monasterii Abbas & Fratres mihi & præfato meo marito anniversaria nostra concesserunt, & de reditu memorato in die anniversarii nostri Fratribus, hospitibus & pauperibus annuatim in cibo & potu copiosè provideri statuerunt: & omnes qui prædictum reditum vellent alienare vel in alium usum convertere solemniter excommunicaverunt. Ego verò præsente eodem filio meo Arnulfo, qui prædicti censûs debitorem de manu Henrici de Bavelinghem cognati mei emerat jampridem, & eumdem censualem unà cum censu annuo & comitatu ad opus Andrensi Ecclesiæ perenniter quitante, & hominum meorum catervâ adstante & approbante, nominatam eleemosynam super altare Dominicum liberaliter obtuli: & hanc Chartam sigillo meo corrobor[illegible] feci. Actum solemniter anno Verbi Incarnati M. CCXXVII. in festivitate S. Gregorii Papæ, mense Martio.

1228. Anno Domini M. CCXXVIII. ortâ gravissimâ contentione inter dominum Papam Gregorium & Imperatorem Fredericum super voto Crucis, quod idem Imperator prorogabat in enormem læsionem Terræ sanctæ; dictus Papa pro dilatione ejusdem voti, & pro quibusdam injuriis tam in Apuliâ quàm in Siciliâ beato Petro illatis, Imperatorem excommunicavit, & excommunicatum denuntiavit; pro quâ causâ itam ejusdem ita contrà se incitavit, ut totis contrà Ecclesiam viribus deſæviret, quorumdam Romanorum & aliorum potentum animos provocaret, & in personas Ecclesiasticas & eorum subjectos insaniret. Ejus quoque filius Rex Alemanniæ, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatum in Daciam transmissum, ne per Regnum suum transitum faceret inhibuit, & Valentianis diù moram facere coëgit.

Freder. Imp. excommunicatur.

Eodem tempore Philippus Comes Boloniensis Philippi Francorum Regis filius, qui adhuc puer puellam Mathildem Comitis Reinaldi & Idæ Comitissæ filiam duxerat, Calasium burgum maritimum Castro munitissimo munivit, & muro firmissimo circumcingere cœpit, & tam per terram quam per mare congeriem lignorum & lapidum adduci fecit, & patris sui exemplo terram suam munitionibus honorare disposuit.

Calasium muro cingitur.

Dominus Stephanus felicis recordationis Cantuariensis Archiepiscopus, vir suo tempore specialiter litteratus, moribus & doctrinâ nihilominùs mediocriter ornatus, elemosynis deditus, & ubique nominatus, feliciter obiit; & ad suam Ecclesiam delatus, in eâdem sepulturam accepit. Cujus grex pastoris solatio destitutus, adeptâ à Rege eligendi licentiâ Magistrum Walterum Ecclesiæ suæ nuper Monachum professum, virum honestum & satis litteratum, prædicti Archiepiscopi quondam Officialem concorditer elegerunt, & per solemnes nuntios, Monachos scilicet & Clericos, domino Papæ Gregorio confirmandum & consecrandum transmiserunt. Unde Episcopi suffraganei indignantes, & se à dignitate ad quam aspirabant excludi stomachantes, tam Regem quàm Regni Optimates contrà Ecclesiam Cantuariensem, pro quâ viriliter stare debuerant, accendunt, & ut electio facta per eos revocetur modis omnibus efficere satagunt. Tandem firmato inter se nequam sermone, & consilio maligno Henricum Rofensem, contrà quem anno præterito idem Magister Walterus ad Curiam Romanam de mandato sui Capituli profectus fuerat, & Alexandrum Cestrensem Episcopos è vestigio sequi compellunt, & tam donis quàm promissis corda Romanorum talibus assueta à tramite veritatis avertunt. Exhausto siquidem propter guerram Imperatoris summi Pontificis ærario, omnia bona Ecclesiastica tam in Religiosis quàm in Clericis per totam Angliam permissa sunt decimari, & ad subsidium sanctæ Romanæ Ecclesiæ destinari, dummodo Magistri Walteri electio valeat quassari. Assensum, proh dolor! præbet Curia, reducunt Episcopi Stephanum qui aliâ vice in Angliâ messuerat, & in duorum spatio annorum sexaginta mille & ampliùs marcas argenti ad replendum beati Petri horrea vacua remittit ad propria. Magister Richardus Lincolniensis Cancellarius quorumdam Cardinalium consilio qui fuerant Parisius ejus conscholares, à Curiâ Romanâ Ecclesiæ Cantuariensi præficitur, & quamvis esset satis litteratus & honestus, in toto biennio quo præfuit, nec Regis, nec Cleri, nec populi gratiam promeretur, quia vix aliquando in sede propriâ causâ avaritiæ moram fecit, ut dicitur.

Walterus Monachus à Cantuariensi ejusdem sedis Archiep. eligitur.

Walteto amoto summâ pecuniarum vi ab Angl. Episcopis promissâ Richardus præficitur.

1229. Anno Domini M. CCXXIX. generalis pater Adam Morinensis Episcopus in crastino sanctæ Resurrectionis Clero suo & populo valedicens cessit, & apud Claram-vallem non sine dolore multorum recessit: suam quippe Ecclesiam domibus decoravit, reditibus ampliavit, & nulli unquam onerosus extitit; eleemosynis deditus, ore pius, corde benignus, in omnibus congregationibus suæ diœcesis pecuniam dispersit, & ad anniversarium suum delegavit. Statutâ à Morinensi Capitulo electionis die, Magistrum Petrum de Collemedio, natione Campanum, Morinensem Canonicum, in partibus Tolosanis auctoritate Apostolicâ occupatum concorditer elegerunt, & duos pro eo Canonicos transmiserunt. Sequenti die post electionem Tervannensis Capituli Canonici Audomarenses eumdem Petrum in Patrem & Pastorem nominaverunt. Compertâ idem Petrus utrâque electione, qui Turonensem Metropolim & alias sedes Cathedrales recusaverat, Cathedram Morinensem abjecit, & Ecclesiæ sancti Audomari adhæsit. Morinensis verò Ecclesia dominum Petrum Flandrensem Archidiaconum, præsente eodem Petro, & singulis approbantibus solemniter elegit, sed antequàm consecraretur, per annum integrum sedes vacavit.

Adam Morin. Episc. apud Claram-vallem Monastic. habitum induit.

Petrus de Collemedio campanus Morinensem, Turon. & alias sedes Episcop. recusat.

Proditionem detestabilem hujus Andrensis Ecclesiæ

Parochiani in die Paschæ circiter viginti duo, inter quos erant Archivillani quatuor, Guido scilicet, & Willelmus vavassores, Feinerus & Daniel ministeriales, in enormem Ecclesiæ læsionem moliti sunt; qui nobis inconsultis apud Andrewich Comitem Baldewinum adierunt, totam pasturam à Romanis Pontificibus, ab Episcopis Morinensibus, & à Comitibus Gisnensibus nobis ab antiquo confirmatam, sibi sub censu annuo viginti solidorum confirmari, & appropriari fecerunt, & ut hoc faciliùs impetrarent, centum viginti marcas sterlingorum de ipsâ pasturâ capiendas Comiti promiserunt. Non attendentes quòd nos & nostri prædecessores per annos quadraginta & ampliùs contrà nobiliores & fortiores patriæ pro eâdem pasturâ ad nostrum & ipsorum subsidium tuendâ conflictum continuum habuimus, & per ipsum Comitem litigiosam rem ad divisionem non sine gravibus impensis perduximus. Quâ infideli promissione idem Comes primò deceptus, postea per nostram instantiam ad cor reversus, eorum quidem desiderium suspendit, & nos usque ad sequens triennium omninò jure antiquo nequiter privavit: quo etiam spatio annorum dum pro causis multiplicibus à nobis Comes adiretur, & multiplex querimonia apud eum deponeretur, vix in aliquâ nos exaudivit.

Imper. Hierosolym. iter aggreditur.

Fredericus Imperator collecto exercitu, & navium multitudine per totum Imperium suum Terram sanctam licet adhuc excommunicatus adiit. Ejus malo Deus utens in bonum, ei ubique victoriam dedit: nam habito colloquio cum Soldano Babyloniæ Saladino Jerusalem recepit, ejus muros dirutos reparare studuit, turrim David renovavit, & portam sancti Stephani erigens construxit, habens coadjutorem & consiliarium Petrum . . . . Episcopum hominem discretum, tam armis & divitiis quàm bellatorum copiâ redimitum. Dominus tamen Papa ipsum more solito excommunicationibus & expeditionibus persequens, duplicem exercitum contrà eum instruit, Belvacensem Episcopum ad ejus subsidium cum militum copiâ venientem in gratiam recepit & retinuit, & de suâ abundantiâ eorum inopiam relevavit. Imperator autem disposito statu Terræ sanctæ, datis treugis & acceptis per Siciliam & Apuliam revertens, pugnatores domini Papæ viriliter impugnat, quosdam Optimates suos domino Papæ confœderatos occidit, persequitur, & exheredat. Tandem mediantibus quibusdam bonis viris pax inter utrumque non sine dedecore sanctæ Ecclesiæ firmatur, Imperator absolvitur, ad revertendum in Terram sanctam & ad eam ex toto acquirendam terminus certus Imperatori præfigitur: & sic ad tempus sanctæ Ecclesiæ pax redditur, ficta potiùs quam perfecta.

Comes Fland. Comitatum Bolon. infestat.

Eodem tempore Fernandus Comes Flandriæ & Hainoniæ collectâ multitudine equitum & peditum, curruum & quadrigarum ante Augustum per Greveningam transitum faciens, terram Comitis Boloniensis nimis hostiliter intravit. Nam castrum de Merch cum totâ villâ subjacente incendit, curtem de Capellâ sitam in Oyâ conflagravit, in pastum equorum consumens segetes solotenùs ubicumque exercitus fecit transitum, domos incendio, homines & eorum bona direptioni, fruges vastationi fideliter exposuit: totum Castrum de Calais cum recenti munitione incendio consumsisset, & in odium Comitis & suorum solotenùs prostrasset, nisi mediantibus quibusdam viris pacificis & discretis pretio mille quingentarum librarum & viginti doliorum vini ejus ferocitas mitigata fuisset. Abbatia quoque de Capella pro bonis ibidem allatis enormiter læsa fuit, & illos tamen quibus fuerat præsidio ingratos invenit. Denique transito amne de Newena terram Comitis Gisnensis, quam ante captivitatem suam bis destruxerat, intrare & demoliri disposuit; sed deficientibus sibi nobilibus & potentibus, qui erant in exercitu Comitis Gisnensis, propinquis, mutato consilio exercitum reducens ad propria remeavit, acceptis priùs à Burgo de Withsand quadringentis libris ne combureretur à Flandrensibus, & domino Joanne venerabili Abbate sancti Bertini hoc fidejubente, & proinde postmodum damna & pressuras multipliciter sustinente. Hæc autem omnia sicut dicitur Blantia Franciæ Regina ejus compatriota, in odium Boloniensis & Gisnensis Comitum machinata fuit, pro eo quod super terram Comitis Campaniensis eâ invitâ aciem Comes Boloniensis direxit. Parvo temporis spatio elapso, pari modo Comitem sancti Pauli intendens exheredare; & ejus terram destruere, usque ad Castrum de Faurench exercitum duxit, sed integrum eum minimè reduxit: quia dum Flandrenses in terrâ alienâ velut in suâ vellent discurrere, & prædam more solito facere, intercepti ab hominibus terræ naturaliter probis, sævis & seditiosis & proditioni expositis, per ardua & devia, per sylvas & compita, interempti sunt, & eorum cadaveribus fossæ repletæ, & campi cruoris spurcitia irrigata, vel potiùs sordidata: sicque eâ vice dictus Comes inglorius reversus est ad propria.

Comes autem Gisnensis sequenti hyeme suum exercitum in ultionem Balduini Clerici patrui sui occisi apud Embriacum conducens direxit, & ejus interfectores cum eorum propinquis improvisos & inopinatos in eo obsedit, erexit turres & machinas, & obsidiones instruxit; nec destitit à proposito donec eorum munitiones destruxit; suis tamen hostibus mediante sibi priùs Comitissâ Pontivi, & aliis quibusdam pacificatis, tali modo quòd Terram sanctam pro animâ occisi intrà biennium adirent, & ibi moram prout condictum fuit inter eos facerent. His peractis idem Comes paucis occisis, multis tamen vulneratis, lætus ad propria rediit. Inter quos primogenitus nominati Baldewini Clerici conquassatus, pauco tempore supervixit.

Anno Domini M. CCXXX. dominus Petrus in Morinensem Episcopum consecratus, in Ramis Palmarum cum magnâ gloria Cleri & populi in sede propriâ recipitur, & die sequenti dominus Jacobus in Abbatem sancti Bertini ab eo benedicitur, succedens viro religioso domino Joanni, qui per quadraginta quatuor ferè annos famosum sancti Bertini Monasterium nobiliter rexit, & à tempore Philippi nobilissimi Flandriæ Comitis multipliciter damna, pressuras, persequutiones & injurias sustinens, & semper in melius proficiens, in initio Quadragesimæ feliciter obiit, & in bono statu Ecclesiam suo successori in summâ pace & quiete electo & promoto dimisit. Cujus benedictione peracta, Episcopus & omnes Prælati qui aderant invitati, eumdem Abbatem ad suam perducunt & conducunt Ecclesiam, ubi per biduum continuum festivatur, sed per præsumptionem Pontificalis familiæ die secundâ festivitatis serenitas in nubilum convertitur, sed sequenti Synodo per prædictum S. Audomari Præpositum & per alios discretos discordia pacificatur.

1230. Petrus Morin. Episc. consecratur.

Joannes Sithivensis Abbas laudatur.

Eodem anno soluto satana, & in Regno Franciæ debacchante, Principes Regni & Optimates Regi Ludovico adhuc juveni, & matris consilio potius quàm eorum monitis adhærenti, fœdus debitum & fidelitatem subtrahunt, cum Rege Anglorum Henrico fœdus ineunt, & cum copioso exercitu in Britanniam adducunt. E contra Rex Ludovicus aciem copiosam de omnibus finibus sui Regni colligens viriliter instruit, & thesaurum à patre & avo col-

Regni Francici Primates perniciosè à domino suo deficiunt.

lectum militibus & aliis stipendiariis exponit. Urbem Andegavensem cum quibusdam castris invadit, & Comiti Britannico ea auferens pro eo quod totius proditionis dicebatur exequutor, licet Regis Francorum esset propinquus, Anglorum exercitui ne fines Britanniæ transiret, potenter resistit. Sicque Angli in angulo Britanniæ coangustati, calore æstatis arctati, & tam cibis quàm potibus dissuetis expositi, morbis multiplicibus variisque eventibus pœnas dederunt, & ad propria ulteriùs non redierunt; mortuis priùs equis innumeris, & victualibus omninò consumptis, thesauris etiam quos de Angliâ attulerant frustrà erogatis; tandem Rex Anglorum qui cum multis advenerat cum paucis ad propria revertitur: Rex etiam Francorum dispositis suis marchiis cum suis victor regreditur.

Rex Angl. conjurationis particeps ignominiosè revertitur.

Eo tempore Rex Joannes jamdudum in Regnum Jerosolymitanum à Papa Honorio coronatus, & ibidem multipliciter in armis militaribus exercitatus, qui in hoc exercitu Francorum Regi viriliter & fideliter præ cunctis Francigenis adhæserat, ad Imperium Constantinopolitanum electus est, & à domino Papa Gregorio confirmatus; qui peractâ Francorum victoria totis viribus ad congregandum exercitum cum sumptibus necessariis operam dedit, & tam Græcis quàm Latinis desiderabilis exstitit.

Hac expeditione peractâ Comes Boloniensis Philippus odio habens Comitem Campaniæ, pro eo quod super morte fratris sui Ludovici Regis, & aliis causis eum haberet suspectum, associatis sibi Gisnensi & sancti Pauli Comitibus, & aliis Proceribus Regni quam pluribus, licet contrà voluntatem Reginæ & Regis, sicut dicebatur, terram ejus ingrediens magnâ ex parte incendiis, rapinis, & deprædationibus devastat; ipso Comite per fugæ præsidium consulente, nusquam securè commorante; quia terræ suæ homines pro multiplici ipsius malitiâ eum exosum habebant, & tam munitiones quàm pecunias ejus hostibus exponebant.

Richardus Cantuar. Archiep. Ardrens. invisit.

Circà finem hujus anni tempore Quadragesimali domnus Richardus Cantuar. Archiep. ad Curiam Romanam iter arripuit, & hoc Andrense Monasterium suo adventu lætificavit: ne enim Sedi Apostolicæ quæ eum creaverat ingratus videretur, magnam pecuniæ summam conduci fecit, ut limina Apostolorum visitaret, & dominum Papam cum Fratribus suis honoraret. Idem autem Archiepiscopus à nobis recedens, à Clero & populo extrà castrum sancti Audomari sibi catervatim occurrentibus honorificè recipitur, & postmodum à Conventu S. Bertini processionaliter honoratur; quod pluries suis prædecessoribus ibidem factum fuisse legimus, beato scilicet Dunstano, sancto Anselmo, & Thomæ Martyri glorioso, & eorum successoribus apud ipsum divertentibus.

Bertinensium circà Cantuariens. Archiepisc. reverentia.

1231. Anno Domini M. CCXXXI. dominus Papa Gregorius Narbonensem provinciam & regionem Tolosanam miserans in fide periclitari, & ab hæresiarchis principatum terræ tenentibus occupari, qui plures priùs ibi delegaverat, per quorum industriam, excepto Præposito sancti Audomari Petro de Colemedio parum profecerat, venerabilem virum & verè religiosum dominum Walterum Tornacensem Episcopum ibidem jubet proficisci, & verbum Dei per eum seminari; qui mandatis Apostolicis obediens in Synodo suâ Prælatis, suis Presbyteris & Clericis cum innumerosâ multitudine Cleri & populi præsentibus petitâ licentia, & adepta ab omnibus, laboriosam peregrinationem viriliter & alacriter aggreditur, & in exequutione officii sibi delegati in terra alienâ diu moratur.

In Abbatem S.

Vir venerabilis dominus Jacobus Abbas S. Bertini, homines suos de Archas trahens in causam super quodam maresco, quem sibi appropriaverant, astu subtili deductus est ab eis, & maximè à Scabinis, cum Priore suo & paucis eum comitantibus usque ad paludem litigiosam ad hoc ut quasi ostensio super facto litigio per eum & per suos fieret; quo cum pervenissent, Scabini & qui potiores videbantur ne de proditione possent notari, se ab eo paululum subtrahentes, plebeiæ multitudini utriusque sexûs eum, proh dolor! relinquentes exposuerunt, & vix de rastris & flagellis, de furchis, colis & baculis se substrahentes, non sine enormi dedecore & contumeliâ, vix tandem per gratiam Dei evaserunt. Facta autem injuria, licet à Burgensibus sancti Audomari defensata in conductione domorum suarum, licet in receptione proditorum, licet in corruptione Ballivorum per preces & Nobiles ad feodum sancti Bertini pertinentes, ordine juris per omnia observato, ita est vindicata, & per dominum Regem Ludovicum adhuc juvenem ad Monasterium eo tempore cum matre suâ & Optimatibus Regni divertentem, sententia approbata, ut omnibus laïcis Religiosorum dominio subjacentibus perpetuò videri debeat prophanum & scleratum suis dominis nolle parere, & contrà stimulum calcitrare.

Bertini insurgunt Scabini, &c.

Eorum protervia multatur.

Eodem tempore dominus R. Cantuariensis Archiepiscopus apud urbem Perusinam in Curiam domini Papæ moram faciens, obiit: cujus morte circumquaque divulgatâ grex suus pastoris solatio destitutus, eligendi licentiâ à Rege, ut moris est, adeptâ, in favorem Regis terreni potiùs quàm cœlestis, sicut dicitur, Cicestrensem Episcopum Regis Cancellarium concorditer elegerunt, & per solemnes nuntios, per Monachos scilicet & Clericos à Regis & Electi latere destinatos, à domino Papa electionem seu postulationem factam confirmari petierunt. Tandem discussâ electionis formâ, in auditorio domini Papæ electio fuit quassata, & de gratiâ potiùs quàm de jure prædicto Cantuariensi Capitulo fuit iterum electio indulta; ita tamen ut infrà certum & brevem terminum Canonicè eligerent, & suum electum Apostolico examini destinarent. Ex quo facto licet Rex & sui confundi viderentur, tamen prædicti Cantuarienses iterum ad electionem procedentes in summâ pace & quiete, in exultatione universæ terræ dominum Joannem Priorem suum, virum honestum, litteratum, & verè religiosum concorditer elegerunt, & ad Romanam Curiam per nos transeuntem solemniter transmiserunt.

Cantuariens. jure suo jussu Pontificis gaudentes, Joann. Prioren. in Archiepisc. eligunt.

Fama grata & gratuita per totam Latinitatem diffusa, singulos & omnes lætificat his diebus, perhibens dominum Joannem de Brena dudum in partibus Jerosolymitanis Regis onere potiùs quàm honore exercitatum, à Constantinopolitano populo, & à Græcis finitimis honorificè receptum, & Imperiali Diademate coronatum.

Joanes de Brena Imperatoris nomine insignitur.

Anno Verbi Incarnati M. CCXXXII. dominus Papa Gregorius nonus ordinem nostrum per multiplices visitatores infestat; incipiens à Cluniacensibus quibus graves quasdam & onerosas observationes imponens, inter alia præcepit ne à Prioratibus forinsecis Priores amoverentur, nisi certis de causis pro quibus etiam Abbates solebant degradari, scilicet propter incontinentiam, propter dilapidationem, seu propter provectum majoris administrationis. Interdixit etiam sub anathemate ne suprà antiquas institutiones & approbatas eisdem Prioratibus novi census imponerentur, ne plures Prioratus uni personæ committerentur, ne Abbatibus aut Clericis sive personis sæcularibus de cætero Prioratus traderentur. Ordo etiam Præmonstratensis longis retrò 1232.

temporibus à Romanis Pontificibus privilegiatus, per Abbates Cisterciensis ordinis fuit circumquaque visitatus, qui Capitulo Generali præsederunt, & multos offenderunt. Abbates quoque ordinis Arroasiæ Parisius coram Prædicatoribus sancti Jacobi super Ordinis transgressione sæpius in causam tracti fuerunt, & multas expensas facere coacti sunt. Deinde Regalia & exempta Monasteria per totam Galliam & Angliam per Cistercienses & alios visitata, per remedium appellationis aliquandiu evaserunt, & multam pecuniam Romanis transmiserunt.

Ecclesia S. Judoci cum dormitorio & aliis officinis adhærentibus combusta est tempore autumnali de foco villæ.

Prædictus Prior Cantuariensis Romam veniens, & gratiam Curiæ ad plenum non inveniens, cum per multiplices expensas Ecclesiam suam nollet onerare, & Curiæ famam per effusionem auri & argenti vel nesciret vel dissimularet recreare, solum palefridum ibidem concupitū sponte perdens, valedicens D. Papæ & Curiæ cessit & recessit, & cum suis omnibus quos de Angliâ secum duxerat, prospero gressu ad Ecclesiam suam, & ad priorem administrationem rediit, concessa à domino Papa Cantuariensi Capitulo potestate iterum eligendi, & infrà certum terminum electum suum Romæ præsentandum: qui paucis diebus post regressum Prioris evolutis elegerunt virum honestum & litteratum Magistrum Joannem Blondum; qui similiter per solemnes nuntios Ecclesiæ Cantuariensis & alios domino Papæ & Curiæ præsentatus, dum à quibusdam æmulis super retentione duorum beneficiorum sine dispensatione adeptorum, & aliis quibusdam frivolis impeteretur, coactus cedere, & ad patriam à Curiâ sine honore recedere. Iterum Capitulo Cantuariensi concessâ potestate eligendi, vacante interim per multum tempus nobili Ecclesiâ, & totâ possessione Archiepiscopatus in jus Regis redactâ, sed hæc fuit in Papæ pectore causa minor.

Joan. Prioris, & Joan. Blondi electiones successivè à Cantuariens. factæ à Pontifice rejiciuntur.

Gravis & deformis altercatio inter Baldevinum & dominum Willelmum de Fielnes socerum ejus suborta est occasione filiorum ipsius Willelmi, qui in quosdam nostrates impetum fecerunt, & ibi ipsum Comitem interesse putaverunt, sed frustrà. Comes Baldevinus multis injuriis Monasterium Andrense infestat pasturas & paludes ejus occupat, chartas & privilegia authentica malitiosè depravat, & ferè omnibus Ecclesiam persequentibus patrocinium parat. Ecclesia proinde gravibus expensis & debitis succumbit, dum de suis appendiciis aliquod emolumentum habere nequit, dum non nisi vili pretio fruges vendit, dum ab ejus gravamine vix aliquis se subtrahit.

1233. Anno Domini M. CCXXXIII. Cantuariensis Ecclesia Pastoris solatio diù destituta in venerabilem virum Magistrum & Ecclesiæ Saresberiensis Cancellarium tandem consentit, & pro ipsius confirmatione solemnes nuntios tam Monachos quàm Clericos ad Curiam Romanam transmittit, pulsat, petit, & accipit, quia præter spem omnium non solùm absentis confirmationem nuntii impetraverunt, sed & pallium Consecrato conferendum Londoniensis & Rofensis Episcopi attulerunt. Oriuntur interim in Angliâ novæ guerræ inter Regem Henricum propter P. de Roches Went. Episcopum, & P. de Rivulis Pictavensis Ecclesiæ Thesaurarium, & propter alienigenas alios ad consilium Regis ascitos, & inter Regni Mareschallum & Walenses, & eorum fautores Regni Proceres qui se postponi dolebant, & alienos ad Regni negotia promovenda & disponenda præponi videbant. Unde memoratus Rex de suorum consilio & auxilio minùs confisus, licet aliàs pius, mansuetus, & benignus, & eleemosynis deditus, Pictavenses, Flandrenses & Brabantiones ærarium suum largè aperiens invitat; munit per eos marchias, & per multiplices expensas se attenuat. Hubertus quoque de Burg, quem non solùm in Comitatu Cantiæ, sed in multis partibus Angliæ præter consilium & voluntatem multorum sublimaverat, & postea dejectum incarceraverat de suâ captione male custoditus erigitur; & super hoc Regis consilium aliquantulum turbatur.

Cancellarius Saresberiensis Archiepisc. Cantuar. creatur.

Comes quoque Flandriæ Fernandus morbo calculi apud Noviomum moritur, atque à suis in Flandriam relatus, juxta Insulam in quodam Monialium albarum Monasterio ab uxore suâ nuper fundato, non sine luctu multorum, præsentibus Flandriæ Proceribus, & multis Religiosis à quatuor Episcopis, Cameracensi scilicet & Tornacensi, Morinensi, & Atrebatensi honorificè sepelitur. Relictâ uxori propriæ filiâ parvulâ, & eâdem uxore magis debitis oppressâ.

Comit. Fland. funus.

Hyems gravis & aspera non solùm totam Galliam, sed & Italiam & Angliam multo tempore torquet & affligit, & non tam frigoris angustia quam famis miseria pauperes miserabiliter afficit. Multi potentes in Franciâ moriuntur; in primis Lugdunensis Archiepiscopus, Comes Robertus de Dreus, sancti Walarici ex parte uxoris dominus, & præ omnibus plangendus, potens & nobilis Comes Philippus gloriosi Regis Philippi filius, qui sicut creditur potionatus obiit, & uxori suæ Mathildi Comitissæ unicam filiam reliquit. Cujus opera mirabilia in munitione castrorum, in ædificatione domorum per Franciam & Normanniam, & per Boloniensem terram luce clariùs videntur, & Principis prudentiam, divitias & gloriam per sæcula multa profitentur. Sepultus est autem apud S. Dionysium juxtà fratrem & patrem suum.

Frigus & fames dominantur.

Philippus Comes Bolon. obit pluribus commendatus.

Circà Purificationem Beatæ Mariæ redierunt à Curiâ duo Monachi Cantuarienses, nuntiantes electum suum à domino Papa solemniter confirmatum, relicto tertio in Curiâ cum quibusdam Clericis pallium exspectantibus. Quo rumore Conventus lætificatus, persolutis Deo debitis laudibus, dominum electum Priori & personis eum comitantibus apud Lundunum occurrere mandaverunt, quem invitatum & præsentem domino Regi præsentaverunt, qui eum statim in gratiam recepit, & de omnibus ad Archiepiscopatum eum liberaliter pertinentibus vestivit, & etiam multa in maneriis reperta, tam in frugibus quàm in animalibus, quæ asportasse potuerat de consuetudine Regni, ei reddi præcepit.

Anno Verbi Incarnati M. CCXXXIIII. dominus Edmundus Cantuariensis electus in Ecclesia propria consecratur IV. Nonas Aprilis à domino Rogero Lundonensi Episcopo, & aliis VIII. Episcopis Cantuariensis Ecclesiæ Suffraganeis, presente etiam domino Luca Dublinensi Episcopo & alio quodam Hyberniensium Archiepiscopo, adstante & approbante domino Henrico Rege, & fratre suo Richardo Comite Cornubiensi, & aliis Comitibus & Proceribus Regni, & alia multitudine infinita; & statim consecratus & pallio superveniente decoratus, in honore sanctæ Trinitatis in altari S. Trinitatis Missam solemniter celebravit; & pro geminatâ lætitiâ consecrationis scilicet & adepti pallii gaudium geminavit. 1234.

Cantuariensis Archiepiscopi consecratio.



IN APOGRAPHO
Quo usi sumus subsequitur hæc Comitum Gisnensium series.

ISti sunt Comites Gisnensis terræ; quorum primus BALDEVINUS fundavit Ecclesiam Andrensem anno Dominicæ Incarnationis M. LXXXIV.

MANASSES & EMMA fundaverunt templum S. Leonardi anno Domini M. CII.

Pluribus ex annis sic fantur scripta JOANNIS.
Qui fuerant quondam Comites in carmina fundam,
Gisnensis terræ, fortes in tempore guerræ.
I. II. III.
Primus SYFRIDUS, ARNULFUS, *& inde* RODULFUS.
IV. V.
EUSTACHIUS, BALDEVINUS *fundator honesti*
VI.
Andrensis templi, [post quem] MANASSES, *&* EMMA,
Hi duo struxerunt templum sancti Leonardi:
VII. VIII
ALBRICUS, BALDEVINUS *qui præfuit Ardæ,*
Hi fuerant Comites non re, sed nomine tantùm.
IX.
Inclytus ARNOLDUS *de Gandâ qui veniebat:*
Hic priùs in terrâ quæ nunc sunt arma gerebat.
X.
Filius illius BALDEVINUS *generosus.*
Hunc sequitur probitate pari nimis ingeniosus
XI.
Nobilis ARNOLDUS, *mitissimus atque benignus,*
Postea processit cœlesti munere dignus.
XI.
Hinc BALDEVINUS *successit pacis amator,*
Consilii speculum, probus in terrâ moderator.
XIII.
Egregius juvenis ARNOLDUS *nomine dictus*
Imperat. Huic terra valeat, vivat benedictus;
Tredecimusque Comes exstat, sit justus ad omnes.
Hic Baldevinus Comes inclytus intumulatur,
Sub quo Gisnia florida patria pacificatur:
Cujus subsidio Cæsar, Rex, Dux hilaratur,
Andria protegitur, super æthera suscipiatur.
Annus millenus, ducentenus, quadragenus
Quartus cum Christo stat in ejus funere plenus.

Item aliâ manu:

Infortunatus ARNOLDUS *postea natus,*
Undique vexatus, & ab omni parte gravatus.
Hinc BALDEVINUS *facto patris sine terrâ.*
Vixit, & inde pius JOANNES *cui quoque guerra.*

EXemplar hoc Chronici Andrensis seu Andernensis ex ipsius archetypo in membranis MS. quod priùs ipsius Cœnobii Andernensis fuisse testantur tùm historia, tùm primo folio his verbis nota apposita, Andrensis Monasterii: *Vixit author 1211.* Et versâ paginâ aliis Gallicis: *Che Liure appartiens à l'Abbaye d'Andernes, à Ardres:* postmodum factum Collegii Societatis Jesu Bergensis, (ut etiam ex inscriptione in ipsius libri initio habetur) R. P. Heriberto Rosweydo ejusdem Societatis Antuerpiam in usum præclarorum tum in historiis cæterisque studiorum transmissum, ab eoque Insulas D. Tus. Desbarbieus, & apud illum illud idem exemplar ad verbum mens. Jun. & Julio anni M. DC. XXVII. descriptum à me. Ita testor Ego WALLERANDUS BEGHIN, & collatum cum eodem archetypo à nobis infra scriptis Sacerdotibus.

WALLERANDUS BEGHIN.

JACOBUS DE BOMY.

MONITUM

PERBREVEM VICONIENSIS MONASTERII, *Ordinis Præmonstratensis, historiam eruit ac descripsit D. Augustinus Sub-Prior Hasnoniensis ex MS cod. ipsius Abbatiæ. Continet originem & fundationem, primordiaque Viconiæ & Primævorum qui eam tum solitudinem incoluere. Refert Auctor quæ vidit, & ab ipsismet prioribus Canonicis percepit. Anselmus Gemblacensis Abbas ad annum 1125. de hocce Monasterio habet:* Viconiense Monasterium apud Valentinianas inchoatur, quod inter Præmonstratensia est pulcherrimum. *Legendum* Valentianas, *quæ urbs ad Scaldim sita, duarum horarum itinere à Cœnobio Viconiensi distat.*

FUNDATIO
COENOBII VICONIENSIS,
SIVE
Brevis Historia Canonicorum Ordinis Sancti Augustini.

PRÆFATIO.

An.Chr.1125. SPiritus sanctus ore prophetico testatur filiis Israël mandatum divinitùs, ut beneficia sibi cœlitùs collata, crebrâ recordatione suis suorumque cordibus imprimerent, quatenùs his frequentiùs memoratis animos à cultu vanitatis arcentes, benefactori suo charitatis obsequium gratanter exsolverent. Hæc ego frequenter audita seduiò versans in pectore, recolensque quot & quantis blandimentis

divina bonitas primordia nostræ conversionis delinierit, satis ægrè tuli nihil ex his ad notitiam posterorum litteris inditum, præsertim cùm primævos ferè omnem cernerem penitùs transcurrisse terminum. Libuit ergo juvante Deo breviter quo tempore quove auctore locus iste sacræ Religionis initium sumserit, ut non priventur notitia gestorum futuri heredes & loci & morum.

Descriptio loci.

1. Locus iste nomine & veritate Casa Dei, licet id quod dicitur ante secula divino consilio præordinatus fuit, non diù tamen ex quo tali vocabulo vocabulique virtute decorari cœpit. Tempore namque Ludovici Regis Francorum hæc sylva primùm à fratribus nostris incoli cœpit, annis ab Incarnatione Domini mille centum viginti quinque plus minusve decursis. (1125.) Eatenùs locus iste spinis ac vepribus cannisque palustribus densus, latebris luporum magis quàm habitaculis hominum videbatur idoneus; sed Rex ille sapiens ac potens, *Qui vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt* (Rom. 4. 17.), tempore sibi placito vetustam auferens loco despectionem, inopinatam contulit significationem vetera dissipans lustra, novaque sibi statuens castra. Per idem tempus quippe Dei sapientia cum filiis hominum ludens, in orbe terrarum diversis in locis casas sibi statuit, ad quas construendas operarios de servitute Babylonis evocatos, ubique multipliciter virtutum experientiâ probatos, ad cœlestem aulam coronandos introduxit: inter quos velut sapiens architectus plurima sagacitate Cœnobii hujus primus instaurator enituit; Britonum quidem gente progenitus, Francorum tamen loquelis & moribus luculenter satis imbutus, Sacerdos officio, nomine Guido: (Primus incola Guido.) hic cum levis adolescentiæ annos per trivia vanitatis vagabundus, ut plerisque moris est, transegisset, ævo jam maturante mutavit & mores.

Cœpit namque supernæ gratiæ perfusus jubare, jam juvenis dies laboriosos mensesque vacuos vigilanter sibi dinumerare, annosque æternos in amaritudine animæ suæ recogitans taliter, ut reor, ad contemptum mundi seipsum sollicitare: O anima misera! quare seduceris vanitatis tu æmula, at veritatis sic ignara? Perpende, quæso, quàm grave sit quod patimur, quamque vanum quo sequimur, æternum quò ducimur. Obsecro siste gradum, perspicies ultrà progredi quàm sit periculosum: hac perdidisse tenus satis est, jam non decet ultrà; sperne voluptatem, nocet empta dolore voluptas. His atque his similibus spirante Deo ad animam reductus, terga nugis vertens, malè tutus arctum qui ducit ad vitam ingressus terere callem, mutans habitum liquit seculum, migravit ad eremum.

2. Illo itaque in tempore quo Venerandus Pater Norbertus Præmonstratum venit habitaturus, sacrarumque institutionum, quibus jam totum fermè per orbem Catholica decoratur Ecclesia, rudimenta daturus, præfatus Wido paucis diebus illic sicut audivimus demoratus secessit, loco majori cedens. Auditâ verò famâ hujus sylvæ, famosissima enim erat tùm pro sui latitudine, tùm præ scelerum, quæ in eâ frequentabantur, enormitate, Deo comite adveniens locato sibi tabernaculo sub annosa, ut dicunt, tilia, inopinatus resedit, in proximo fiendus & heres. Haud longè autem ab arbore palus erat ingens, rivusque præterfluens, quem indigenis sermone publico Paragium vinum appellat, quidam verò ex nostris paradisi, sive paracleti vinum, eumdem dici mallent, quod & mihi magis libet.

3. Hoc igitur in loco, sicut prædictum est, facto domicilio, vir Dei vino illo quod novis in utribus recondi decet, dilectione Dei scilicet & proximi, fervens interiùs, lucrumque animarum vehementer sitiens, duce Christo egressus ad publicum eructare cœpit populis, quod ab interiùs hauserat poculis. Igitur velociter sermone currente turbæ confluunt, vilemque hominis habitum, hilarem vultum, placidumque sermonem attendentes, & in præcordiis omnia ponentes reficiebantur non minùs opinione quàm sermone. Sic itaque, largiente Deo, peregrinus homo notus in populo, ab omnibus amatur, veneratur, suscipitur & colitur, frequentant ejus domicilium, poscunt consilium, impendunt corporale beneficium, referunt optatum animæ domi solatium. Perpendens igitur manum Dei bonam secum esse, populique corda divino spiramine ad audienda verba vitæ reserata, cogitabat dilatare tentorium suum; quatenùs collectis fratribus ibidem Christo debitum persolvere possent famulatum. Nec tamen arbitrabatur sibi tutum vel licitum in alio hospitio absque nutu heredum fundamenta jacere, præsertim in hac sylvâ quæ pluribus subdivisa heredibus tot dominorum legibus subjacebat. Proinde accedens ad unum eorum Almannum scilicet *de Pouz*, illustrem virum, cujus juris videbatur esse [locus] quem occupaverat; conventione factâ cum eo partim præsentis lucri acceptione, partim mercedis æternæ sponsione factus est coram multis testibus hujus loci legitimus heres, qui paulo ante fuerat inquilinus & hospes: constructisque casulis sibi suisque necessariis exivit homo ad opus suum, peragratisque finitimis castellis & oppidis semina vitæ spargit ubique, moxque mirum in modum, sole justitiæ desuper radiante, maturos inveniens fructus, primitias ex eis Domino litaturus decerpsit.

4. Siquidem tantus divinæ dilectionis fervor quosdam arripuit, ut repente sæculi vanitatibus abdicatis, propriis ad nutum viri Dei delegatis, ipsi deinceps adhærerent, nexu indissolubili colligati, (Ad Guidonem abdicatis sæculi vanitatibus confluunt multi.) cum quibus ad locum paupertatis suæ regressus singulis diebus secundum tempus & horam ad humilitatem obedientiæ, ad virtutem patientiæ, ad instantiam orationis, ad tolerantiam laboris, ad vigilantiam contrà jages antiqui hostis insidias, monitis & exemplis, quos Deo lucratus fuerat instituebat tirones. Tantæ verò charitatis erat, ut licet inopem agens vitam, sibi suisque vel scribendo vel alio quocumque justo modo quotidianam à foris conquireret stipem: hospitaliter tamen præceperit neminem ex charitate victualia petentem vacuum abire permitti. Sæpiùs enim illam veritatis promissionem; *Date & dabitur vobis* (Luc. 6. 38.), mente retractans, plurimumque de eâ sperans pro viribus implebat, bique subditis conservandam attentionem commendabat.

Confluxere undique populi terræ, cernere cupientes quæ hîc fiebant tamquam mirabilia, cum quibus aliqui videntes opera Fratrum, vilitatem vestium, devotum ad invicem obsequium, laboris exercitium, charitatem & silentium, dicebant: *castra Dei sunt hæc:* (Genes. 32. 2.) & Spiritus sanctus habitabat in his. Alii verò largissimam Dei misericordiam non considerantes, aiebant, in tantis miseriis non subsistent, sed discedente Pastore dispergentur & oves. Hoc autem illis non modicam, ut opinor, desperationem incusserat, quòd qui anteriori tempore in viciniâ nostrâ habitaverant, nihil unquam ad perfectum adducentes, absque habitatore sedes vacuas dimiserant.

5. Ante paucos etenim annos in proximo monti ad Boream sito, quidam eremita erecto tabernaculo, cum matre degens, eâ ibidem sepultâ, cum solus

lus remansisset, nescio à quo scelesto homine jugulatus, in puteum dejectus est, unde postmodum extractus & in atrio sancti Amandi sepultus requiescit, Cognomen monti non excidit. Porrò ad Occidentalem plagam quidam cum matre & fratre similiter habitabat, Hugo vocabulo, Conversus habitu graduque Sacerdos. Huic consuetudo fuit circuitis circumquaque villis & castris sermonem ad populum facere, nec tamen multum proficere: quidquid enim ore loquaci serebat, moribus indisciplinatis conculcans crescere non sinebat; inter duo namque matura, (sicut vulgò dicitur) unum acerbum promens, risus & joca persæpe audientibus commovebat. Hic Patrem Widonem de die in diem prosperis his successibus attolli, se verò minui cernens, nil prosperatus recessit, ejus possessiuncula nostros in usus redacta, nec tamen nomine pristini possessoris privata, adhuc namque locus ipse Exsartum domini Hugonis appellatur.

6. Ast Venerandus Wido bonis initiis finem optimum annectere satagens, Berengertruncensem Abbatem adiit, rogans quatinùs de fratribus suis ad hunc locum destinaret, qui nostros suis institutis imbueret, ac tempore oportuno ex eodem ordine Abbatem sibi disponentes præficerent. Abbas itaque precibus annuens supplicantis, misit de suis Canonicis, ut locum gentemque considerantes renuntiarent utrum re dignum quid effectu præmonstraret, qui venientes diebusque aliquot in loco peractis, videntes terram aquosam & arenosam cultuque difficilem, non satis fidentes in eo cujus est orbis terrarum & plenitudo, viâ quâ venerant reversi sunt in regionem suam, Deo nobis melius aliquid providente.

Subjiciuntur Viconienses Canonicis Præmonstr. S. Martini Laudun.

7. Siquidem Dominus Walterus Abbas S. Martini Laudunensis, vir in perferendis malis experientissimus, & ad subveniendum promptissimus, multis precibus pulsatus venit locum visere, ac misericordiâ motus cœpit ejus curam agere, fidensque in eo à quo bona cuncta procedunt, ingressus Duatum verbum Dei cum fiduciâ loquebatur ad populum; factumque est eo loquente, cum inter cætera loci hujus mentio incidisset, plurimorum tam ex Clero quàm ex populo tanto amore erga Deum & locum corda percussa sunt, ut sæculo mox renuntiantes, se cum suis Abbate præsente Christo voverent & loco. Proinde vir Dei constantior factus, signato privilegio à venerabili viro Roberto Attrebatensi Episcopo curam loci suscepit, eo videlicet tenore, ut Abbates ibidem consecrati, cum sibi subditis Laudunensis Cœnobii statuta regularia, moresque honestos pro facultate servarent, nec tamen ulli temporali exactioni obnoxii forent. Missi sunt ergo fratres qui rebus prosperè cedentibus, infrà modicum tempus dominum HENRICUM vice Prioris sibi prælatum illustrem virum (fertur enim Capellanus & consanguineus fuisse Regis Francorum) in Abbatem elegerunt: attamen Christo resistente desiderio suo fraudati sunt; statutâ enim consecrationis ipsius die, dum Episcopus non adesset elongatâ benedictione, ipse Laudunum reversus est.

Warinus I. Abbas Viconiensis.

8. Quo regresso Laudunensis Abbas dominum WARINUM Priorem suum ad consecrationem misit, qui perceptâ benedictione dignitatis gradum piis actionibus superexaltare satagit; erat enim vir sapiens & rectis moribus ornatus, æmulator Ordinis, amator paupertatis, custos castitatis, sectator hospitalitatis, postremò virtutum impiger cultor, ac vitiorum fervidus ultor: qui dum advenisset ac de nimiâ egestate quosdam conqueri audisset, verbum memoria dignum fertur tulisse: Deus, inquiens, si nos in loco fecerit, ipse ad manducandum præstabit: non ignorans utique quòd Deus omnia per plenitudinem sapientiæ suæ sciat, sed subditos monens quatenùs boni operis sedulitate à Deo sciri satagerent.

9. Quis autem valeat dignè disserere quantus qualisque fuerit eo tempore tam in discipulis, quàm in Magistro amor veritatis, custodia humilitatis, contemptus mundanæ vanitatis; cum certis indiciis sinceræ charitatis, omnes se monstrarent mortuos esse mundo, & mentibus habitare in cœlestibus cum Christo? Cur autem eos mundo mortuos non rectè dixerim, quibus erat tanta parcitas in victu, tanta vilitas in vestitu, ut quæque gustu dulcia, tactu mollia penitùs abhorrerent, & talia quærentes ostentui haberentur? Tanta quippe austeritas erat in victu, quòd æstivis temporibus cum legumina non haberent, tribulos & agrestes herbas per arva legentes propriis humeris domum advectantes, unà cum foliis arborum coctas in cibos sumerent, nec tamen mors in ollâ sentiebatur, quia farinula perfectæ charitatis condiebatur. Erat verò tanta vilitas in vestibus, ut tunicis toties reclavatis plerique vestirentur, quòd in dubium venerit ex quâ potiùs parte initium sumserint. Quid autem dicam de instantiâ laboris, vel assiduitate orationis, cum vix unquam aut manus quiesceret à labore, vel lingua vacaret ab oratione; unde contigit frequentiùs ut per noctes quiescentes in lectulis, se vel psallentium choris interesse, vel sacris altaribus adstare, aut etiam albatorum catervas præcedentes subsequi, vel simile quid cernerent: evigilantes verò versum quem opprimente somno dimiserant, adhuc ore ruminarent.

10. Porro consuetudo talis erat ut egredientes ad laborem, sive ad sarriendum, sive ad sarta cremandum, finito labore non vacui redirent, sed quisque pro viribus onera sibi bajulantes seriatim, & cum silentio repedarent: tali quidem opere ut reor, illam Spiritûs sancti promissionem ore Psalmistæ prolatam; *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos:* quam cordibus infixam ore frequenter ruminabant, se desiderare & exspectare jam quasi quædam præludia exercentes, declarabant; & quidem hæc Spiritûs sancti promissio in retributione justorum perfectè complebitur, cum finito scilicet judicio sancti qui in labore & ærumnâ, in hoc scilicet sæculo semina seminarunt, auditâ illa desiderabili voce; *Venite*, scilicet, *benedicti Patris mei, percipite Regnum quod vobis paratum est ab origine mundi:* pulcherrimâ cum processione portantes præmia laborum à tribunali judicis, introibunt gaudentes ad contemplandam perenniter faciem Patris, reprobis omnibus cum suo principe diabolo in tartara reclusis.

Psal. 125. 8.

Mat. 25. 34.

11. Hæc & his similia ordini congruentia die noctuque incessanter agentibus, Deus, cui placere gestiebant, tantam contulit gratiam, ut vicini divites & pauperes magno cum affectu venerarentur & locum & gentem, & præcipuè qui eis vir bonus apparebat in sermone verax, in operatione justus, in universis moribus ornatus. Unde Seniores terræ locum frequenter invisentes cum audissent, & vidissent numerum fratrum ampliatum ac diversorium valde angustum, hortati sunt Abbatem Oratorium lapideum construere, suum ei spondentes auxilium artificibus conducendis atque pascendis, cæterisque necessariis non deforc: quorum monitis non de propriis viribus præsumens aut opibus sed divinis fidens muneribus Abbas annuit, effossisque lapidibus quæque forent ad opus necessaria præparavit.

12. Diebus itaque sanctis Paschæ factâ processione ad locum quo construendum erat Oratorium,

ibique Missâ celebratâ, locata sunt fundamenta in honore Dei ac Beatissimæ semper Virginis MARIÆ, Godefrido Comite Austrebantensium cum infinito cœtu divitum & pauperum adstante. Si quidem Oratoriolum, quo eo tempore imò & ante celebrabantur divina, in honore Dei & beati Sebastiani Martyris, à Venerabili Patre Widone ex lignis compactum in pomœrio situm fuerat. Ubi etiam tunc temporis Claustrum erat, atrio ibidem consecrato. Porro Ecclesia Beatæ Dei Genitricis MARIÆ sex annis consummata, septimo dedicata est octavo Kalendas Octobris à viro excellentissimo domino Aluiso Attrebatensium Episcopo, ab Incarnatione Domini anno MCXXXIX. domini Warini primi Abbatis decimo.

1139.

13. Pacta est ipso die consecrationis non modica perturbatio in populo, scilicet Deo vindicante non longè post in ipsum à quo turbationis causa processit ultio manifesta, factisque digna pertulit: factum est namque cum omnibus qui tantæ solemnitati congruebant ritè peractis, qui ad diem festum venerant festinarent ad propria; ortâ contentione inter Austrebantenses Milites & Landastenses, ut vir illustris Amandus scilicet de Dononio, graviter quassatus causa mœroris non modici nobis existeret, fideli quippe virilitate domino Abbati sponte factus obnoxius, in pluribus nobis utilis exstiterat, & ad Ecclesiæ constructionem de suis facultatibus frequenter adjuverat. Igitur proximâ die ille qui caput jurgiorum fuerat, Daniel scilicet de Curte Trajani ferocitate tyrannicâ opinatissimus, ad determinatum congressum, quem vulgò tornionem vocant, properans lanceâ perfossus, à præsenti luce violenter extortus est, dignam sui sceleris suscipiens retributionem.

14. His itaque gestis, Pater Wido in territorio Metensis civitatis ædiculâ rursus constructâ, collocato etiam Abbate, à Jerosolymis iteratâ vice reversus, aliquanto tempore degens apud nos, quamdam curtem ad usum pauperum atque senilium apud Valencenas manentium exorsus est struere juxta montem Aylin; quâ nondum perfectâ, oppidanis non ad placitum adjuvantibus, ad Burgundiam ipse profectus est, nec plusquàm duobus mensibus post ejus abscessionem transactis apud Jovinum præfatæ regionis castrum defunctus, in atrio sancti Lazari, ubi debiles, peregrini, & pauperes sepeliri solent; ipso petente conditus jacet, beatam præstolans à justo judice sui laboris remunerationem. Anno quidem ab Incarnatione Verbi, millesimo centesimo quadragesimo, septimo Kalendas Februarii profectus à nobis, secundo Kalendas Aprilis migravit à sæculo, in æternum, ut credimus, victurus cum Christo, pro cujus amore ab ineunte juventute voluntarius pauper factus, quoad vixit pauperum strenuus consolator prout potuit, semper exstitit.

Obiit Wido in Burgundia.

1140.

15. Post ejus verò transitum annis quatuor semis fermè defluxis dominus Guarinus Abbas, vir piæ recordationis, cum annis viginti fermè duobus nostram Ecclesiam strenuè rexisset, Cœnobii scilicet sancti Martini Laudunensis regimen suscepit, Domno Waltero ejusdem Claustri Abbate, episcopante urbi præmemoratæ; nobis autem ob discessionem sæpe dicti viri mœstissimis, successit alius nomine GERARDUS præfixi Cœnobii Canonicus, qui in initio Prælationis suæ, quantum ad humanum spectat examen, morum honestate, & verborum dulcedine atque affabilitate mirificè florens, maximum studium erga ornatum Ecclesiæ & decorem domûs Dei impendere studuit, licet postmodum instinctu adversarii ab humili & recto religionis tramite deviaverit. Hujus itaque temporibus, cum & in spiritualibus & in temporalibus Ecclesia nostra floreret, quidam ex Fratribus nostris ob amorem & honorem Sanctorum vas quoddam, quod feretrum vulgò vocatur, ipso consentiente & cooperante ædificaverunt auro & argento ac pretiosis lapidibus decoratum, cujus rei causâ, scilicet ne tanto vase vacuo remanente frustrà laborasse dicerentur, ubicumque potuerunt ab Ecclesiis tam vicinis quàm longinquis Sanctorum corpora perquirentes, magnam ex his copiam aggregaverunt, inter quæ etiam caput S. Flaviani, qui fuit Archidiaconus sancti Nicasii, præfatus Abbas à civitate Remensi rediens secum attulit, quoniam in Ecclesiâ præfati Præsulis & Martyris parentes, notos & familiares amicos habebat. Ipsum ergo caput cum aliis plurimorum Sanctorum reliquiis, quorum nomina jam alibi descripsimus, positum est honorificè in præfato receptaculo, à domino Gaudescalco Attrebatensi Episcopo.

II. Abbas Viconiensis, Gerardus.

16. Accidit præterea ut Balduinus Comes Hainoensis Coloniam orationis gratia proficisci pararet, cujus peregrinationis fama cum fratrum nostrorum ad aures usque pervenisset, suaserunt jam dicto Abbati ut aliquem de fratribus cum eo dirigeret, qui ejus auctoritate & precibus ab Abbate sancti Herberti corpus integrum unius virginis de societate undecim millium Virginum mereretur suscipere, nobisque deferre, quod & factum est. Enimverò Domini cooperante gratiâ precibus Comitis nostri, necnon auctoritate atque imperio Henrici Ducis Lemburgensis Abbas S. Herberti pulsatus, imò victus, unam è pluribus Virginibus, quæ in Sacrario conservabantur, cujus nomen est Karissa, protulit; nobisque transmisit. Hujus ergo sacræ Virginis sacras reliquias cum hymnis & laudibus die sancto Paschæ suscepimus, & post Pentecosten convenientibus pluribus viris religiosis atque Abbatibus ac multâ plebe sæculari, à Domino Frumaldo Archidiacono Attrebatensi cum honore debito in jam dicto feretro repositæ sunt.

17. Interea cum hujus unius sacræ Virginis adeptio acriorem sitim ampliùs acquirendi in corde Abbatis Gerardi succendisset, visâ oportunitate temporis ipsimet, nonnullis sibi Fratribus associatis, Coloniam profectus est, & quantum potuit, à quibuscumque potuit, oportunè, importunè, precibus, donis ac promissis ab ipso etiam jam sæpiùs memorato sancti Herberti Abbate ignorantibus licet Monachis, Sacrarum Virginum & Martyrum, qui cum eis passi sunt, sacra ossa recepit; & huc ad nos die festo sanctæ Trinitatis attulit, verùm cum necdum semel accensus ignis desiderii cordi suo suadere posset lentescendo, ut diceret, sufficit, tertiò nihilominùs non quidem per se, sed per Priorem legatum suum sanctum locum Coloniæ adiit, & sicut semel & iterum sic etiam tertiâ vice Sanctorum Martyrum & Virginum corpora collegit, de quibus Ecclesiam nostram, ut rei veritas probat, magnificè ditavit. Horum ergo Martyrum ossa Deo sacrata paratis loculis ligneis in quâdam structurâ ligneâ, auro & coloribus venustè compositâ, desuper altare Apostolorum in ipso fronte capitis Ecclesiæ, ut intuentibus facilè patet, cum reverentiâ & timore collocaverunt, ubi eorum usque hodie venerantur merita, ad laudem & gloriam Domini nostri JESU-CHRISTI, Amen.



MONITUM.

CISONIENSIS MONASTERII Origo, quandoquidem compendioso tantùm elogio, describitur, inquit Auctor, persequendam esse historiam per quasdam chartas à me selectas operæ pretium putavi, in quibus & originem & progressum, & varios eventus istius Abbatiæ multo certiùs agnoscere poterit rerum Ecclesiasticarum Regulariumque curiosus indagator, quàm ea verbis explicare, queis persæpe fallunt historici.

Et ne forte in subscriptione Testamenti Comitis EVERARDI *(quod originem dedit Monasterio Cisoniensi) hallucinetur Lector (uti Miræus in Codice donationum, & Auctor historiæ Castellanorum Insulensium) non abs re fuerit, reor, hanc subscriptionem exponere; ita se habet:* Actum in Comitatu Tarvisiano in corte nostra Musiestro, Imperante domino Hludovico Augusto, anno regni ejus Christo propitio XXIV. *Haudquaquam igitur tibi persuadeas velim, ad Ludovici Pii Imperatoris anno 24. sed ad Ludovici II. Augusti annum 24. regni in Italia reduci debere, qui incidit in annum Christi 867. quo Everardus suum condidit Testamentum, eumque eodem anno devixisse asseri potest ex charta Gislæ uxoris ejus ad Carolum Calvum, quem germanum suum appellat, ac de beneficiis ab ipso acceptis gratias agens, tamquam vidua loquitur in hunc modum:* Placuit mihi in Dei nomine Gislæ, de rebus quas Sereniss. ac piissimus Rex Carolus meus, si dicere audeam, germanus, cum exigente Senioris mei dulcis memoriæ negligentia in dominio suo reductæ essent, viduitati meæ, compassus, & habitûs mei mutationem consolatus conservatas per suæ sublitatis præceptum largiflua pietatis suæ clementia mihi restituere atque augmentare dignatus est cum suo consultu, &c. Data XVII. Kalend. Maii, indict. I. in anno XXIX. regnante domino nostro Karolo Rege gloriosissimo. *In charta donationis pro sepultura apud Cisonium sic infit Gisla:* Quoniam pius Dominus desiderium meum ita consolari dignatus est, ut pignora corporis Senioris & conjugis mei dulcis memoriæ Everardi, per coadjutoris filii mei Unroch ab Italicis partibus delata mihi conferens, in ipso Oratorio apud idem altare juxta desiderium voluntatis meæ sepelire permisit, &c. Actum Fivis mallo publico Kalend. Jul. ann. XXXV. regnante Carolo Rege gloriosissimo. *Hoc est anno 876. Et in charta Cisonii data isthæc profert Gisla:* Ego in Dei nomine Gisla dum res à Seniore meo præcelsæ indolis Everardo perditas, & à piissimo Regum Karolo meo, si fari audeam, olim germano, mihi restitutas sub assensu ejus, tam ad Monasterium in Cisonio situm, quàm inter viscerum meorum dilectissimos filios distribuisse visa fuissem, &c. Actum fisco Cisonio apud Monasterium in ipso loco situm, sub die IV. Non. April. anno Incarnati Verbi DCCCLXX. regnante Domno & Serenissimo Karolo, meo, si dicere audeam, germano, Rege gloriosissimo, &c.

His aliisque testimoniis sat evidenter apparet, ut quidem sentio, Gislam Everardi uxorem, fuisse Ludovici Pii filiam, ac proinde Caroli Calvi sororem. Chartæ siquidem prædictæ haud obscuræ, sed optimæ notæ mihi visæ sunt.

Ediderunt EVERARDI *Testamentum anno 1611. Floris Vander Haër Canonicus S. Petri Insul. in historia Castellanorum Insulensium, & Aubertus Miræus in Codice donationum an. 1624. plura ergo in hac editione menda correxi, corruptas voces emendavi ope antiqui apographi membranacei. Atque ut me gratum exibeam V. C.* DIONYSIO GODEFROY, *Cameræ Computorum in urbe Insulis à rege Præfecto ac Rectori, scias Lector, ipsum chartas & omnia quæ Cisonium spectant benevolo animo ac plena manu, ut aiunt, contulisse.*

ORIGO, SIVE HISTORIA MONASTERII CISONIENSIS,

Per Chartas quasdam selectas.

CAnonicus ordo Cisoniensis Ecclesiæ quo tempore cœpit compendioso scripturus elogio, Deum fontem totius boni totiusque scientiæ invoco meo præesse studio. Supernâ namque dispensatione provisum est, ut bona præfatæ Ecclesiæ, quæ priùs divisa & dispersa fuerant, in quamdam unionem

& communionem redigerentur, & Congregationi Fratrum quibus esset anima una & cor unum in Domino juxtà apostolica decreta distribuerentur. Quippe Dominus justus & pius & misericors Ecclesiam suam dignatus est visitare, & jacentem, & languentem ad elegantioris ordinis statum sublimare. Mortuo siquidem Amalrico Præposito, qui eam ut potuit in vitâ suâ rexit, Hermannus Insulanus ad obtinendum Præpositurae honorem contrà voluntatem Clericorum & communem electionem ipsorum accessit. Unde & inter eos diutina litigatio exstitit, quam ille per industriam & munificentiam suam aliquatenùs mitigavit: erat enim vir dapsilis, affabilis, abundans divitiarum, ducens originem ex numero Militum Girgariarum. Tunc duo Cisonienses Canonici, Domnus videlicet Lettardus, domnusque Robertus domnum Hermannum cœperunt frequentare, benignè cum alloqui, cum ipso in plateâ sedere, multa de contemptu hujus mundi eidem intimare. Eratque eorum hujusmodi confabulatio: Usquequo terrenarum desideria sequemur voluptatum, quæ nequaquam hominem queunt efficere beatum? Quid in extremo judicio Dei nobis conferet fastus & elatio? Quid nobis prodest si totum mundum lucremur, animarum nostrarum verò detrimenta patiamur? vita hominis non est diuturna, salus ejus non est continua: hodie est, cras non est: hodie vivit, cras interit: hodie proficit, cras deficit. Frivola ergo & transitoria relinquamus, ut gaudia cœlestis patriæ possideamus. Locus iste quanto pro reliquiis Sanctorum reverentior, tanto ordini esset competentior. Unde cum & hæc, aut his similia præfati Sacerdotes sæpenumero loquerentur, domnus Hermannus istis tandem respondit: Verum est, inquit, quod dicitis, bona est vestra exhortatio, nec in aliquo falli potest vestra loquutio: sed si certitudinem intentionis vestræ super hac re cognoscerem, forsitan consilio vestro voluntarius acquiescerem. Date ergo fidem, nominate diem: Remis eamus, ut illic omnia quæ loquuti estis opere compleamus. Quid plura? Morinium Tornacensis Ecclesiæ Canonicum quartum sibi socium adsciverunt, sermonem suum fide confirmaverunt, post modicum tempus Remis abierunt, causam adventûs sui Archiepiscopo exposuerunt. Tunc Hermannus in præsentiâ Archiepiscopi multorumque religiosorum virorum qui ibi aderant, primus ipsi Præposituram suam reddidit, Lettardus verò & Robertus suas præbendas communi vitæ distribuendas: protinùs Domnus Anselmus sancti Dionysii Remensis Canonicus ab omnibus eligitur, & licet invitus, licet nolens, licet multum renuens, apud Cisonium consecratus Abbas adducitur. Quæ autem lingua dicere, quisve valeat explicare quæ & quanta in primo adventu suo tam à Clericis quàm à Laïcis, tam à servis quàm à liberis, tam à senibus quàm à juvenibus, tam à suis quàm ab alienis passus fuerit, quas corrosiones, quas detractiones, quas divisiones, quas pervasiones sustinuerit? Ille tamen sicut bonus Christi athleta, sicut veridicus logotheta ut multos lucrifaceret Deo, omnia æquanimiter accepit, fixum tenens in corde suo, quia Dominus Jesus Christus ab impiis Judæis opprobria, sputa, flagella, alapas, spineam coronam, crucem pro salute humani generis ferre non recusaverit. Inthronisatio autem prædicti Abbatis facta est à Clero & populo Cisoniensi in sacratissimo die Epiphaniæ Domini, anno ab Incarn. Domini 1129. Epacta 28.
1129. Concurrente 1. indictione 7. Honorio Papa Archisterio B. Petri prævidente, Ludovico verò Monarchiam totius Galliæ tenente, sub temporibus Rainaldi Remensis Archiepiscopi & Simonis Noviomensis Episcopi; Domino nostro Jesu Christo regnante in pace cum Patre & Spiritu sancto, per omnia sæcula, Amen.

Testamentum Evrardi Comitis.

EVRARDUS Comes cum conjuge meâ Gisla facere decrevi, qualiter nostri infantes quandoque post obitum nostrum prædium nostrum inter se absque aliquo impedimento, vel animositatis jurgio, à nobis divisum rationabili exequutione articulatim cum mancipiis cæterisque mobilibus, quæ ad nos pertinere videntur, potestate habitâ deinceps obtinere debeant. Primogenitus namque noster Unroch volumus ut habeat quidquid in Langobardiâ, & in Alamanniâ de proprietate habere videmur, cum omnibus quæ ad ipsam proprietatem pertinere videntur, ut suprà diximus, tam in Langobardiâ quàm in Alamanniâ, præter Balguinet, & ea quæ ad eam pertinere videntur. Secundus quoque Berengarius volumus ut habeat cortem in Anaspio cum his omnibus quæ ibi pertinere videntur, præter Grecinam & cortem nostram Hildiolam in Hasbannis, cum omnibus quæ adjacent ei, & quod habere videmur in pago Condustrim volumus ut habeat. Tertius Adalardus volumus ut habeat cortem nostram in Cisonio & Canfinium cum omnibus quæ ibi pertinent, & Grecinam cum omnibus quæ ad ipsam Ecclesiam in supradicto loco Cisonio pertinere disposui: in tali tenore, ut ipsam Ecclesiam eo ordine quo ego constitui, semper custodiat; & nihil auferri de his quæ ei dedi permittat per se aut per quemcumque, & Suminium curtem nostram. Quartus Rodulfus, volumus ut habeat Vitrei vicum, Mesrucha cum omnibus quæ supradictis locis pertinent, præter Ecclesiam Vitrei, quam ad Ecclesiam nostram cum omnibus quæ pertinent in Cisonio, pertinere censui. Et volumus ut habeat quod in Scelleburd habere videmur, quod Matridus dudum habuit, & omnes res nostras quæ conjacent in Comitatu Tassandrio.

Ita hanc divisionem peragere volumus, ut si minus Adalardus aut Rodulfus de mansis habuerint quàm Berengarius de Anaspio, adæquare inter eos cum mancipiis quæ supersedent debeant. Hæc divisio omni modo inter eos ut ita permaneat volumus, excepto si aliquis Rex Langobardorum, vel Francorum, vel etiam Alamannorum (quod absit & fieri non credo) alicui illorum de supradictis germanis suam proprietatem ita à nobis divisam per violentiam sine causâ abstulerit; tunc volumus quod residuum fuerit ut convenientes in unum æqualiter inter eos dividant illud.

De filiabus verò nostris voluimus ut Ingeldrud habeat Ermen & Marcshem. Judith verò volumus ut habeat Balgingam, & cortem nostram in pago Moila, quæ vocatur Helisheim. Hervinch verò volumus ut habeat Hattrenheim & Luiinga, & Wendesse, & unum mansum in Engeresteim.

Talem autem legem de supradictis rebus esse censemus, ut si quisquam eorum adversùs alium aliter contentiosè surrexerit, præter quod nos inde ordinavimus, aut in publico placito maluerit præsumptor ille, quia contrà nostram voluntatem ire ausus fuerit, componat cui calumniatus fuerit auro libras mille.

De paramento autem nostro volumus ut habeat primogenitus noster Unroch spatam unam cum aureis hiltis, & cuspide aurea, & facilum unum de auro & gemmis, balteum unum de auro & gemmis, sporones duos de auro & gemmis, vestitum unum de auro paratum cum fibulâ aureâ, & alteram spatam volumus ut habeat; urceum cum aqua-

manile argenteum unum, scyphum aureum unum, scyphos eburneos duos, bruniam unam, hermû unum, & manicam unam ad ipsum opus, bembergas duas, mortariolum argenteum unum cum pistillo. De paramento verò capellæ nostræ ciboreum cum Cruce aureâ, & capsâ aureâ, & calicem aureum cum patenâ, coronam auream cum ligno Domini, Crucem auream cum crystallo suprà ciboreum, planetas duas unam auro paratam, alteram de cendalo, dalmaticam auro paratam, tres pannos super altare auro paratos, duo phylacteria in cruce pendentia, Evangelium de auro paratum, sia aurea, armillas duas auro paratas, missale cum argento & auro paratum, lectionarium similiter, urceum cum aquamanile argenteum unum, thuribulum argenteum unum, pipam auream unam, tabulas eburneas auro paratas, pecten verò auro paratum unum, flavellum argenteum unum, capsellam eburneam unam, candelabra argentea duo. Hæc volumus ut supradictus filius noster primogenitus habeat.

Secundus Berengarius volumus ut habeat spatas duas, unam cum hilcis argenteis & aureis simul, facilum de argento & auro unum, balteos aureos cum gemmis duos, sporones aureos duos, vestitum de auro paratum unum, alterum facilum cum gemmis aureum, scyphos de cornu & argento cum auro duos, scutellas argenteas duas, cochlearia argentea duo, bruinam unam, helmum unum, manicam unam. De paramento Capellæ nostræ altare argento paratum unum, calicem eburneum cum patenâ auro paratum unum, capsam eburneam auro paratam unam, phylacterium de crystallo cum auro paratum unum, Evangelium eburneum unum, lectionarium simile, missale simile, commentarium simile, antiphonarium simile, smaragdum similiter paratum, thuribulum argenteum unum, planetas duas unam variatam, alteram de cendalo, dalmaticam variatam unam, siricam similem, pallium super altare unum, tabulas ad canendum auro & argento paratas. Hæc volumus ut secundus Berengarius habeat.

Tertius Adalardus, volumus ut habeat spatas duas, unam cum hilcis eburneis & aureis, facilum similiter & balteum eburneum & aureum, alterum verò facilum aureum & balteos aureos duos cum gemmis, vas ad bibendum marmoreum unum cum argento & auro paratum, garalem argenteum unum, scyphum argenteum unum, pallia duo, garales argenteos cum binis cochleariis duos, bruniam unam & helmum cum hasbergâ, & manicam unam, brimbergas duas. De paramento Capellæ nostræ altare de crystallo & argento paratum unum, capsam crystallo & auro paratam unam, calicem vitreum auro paratum unum, calicem argenteum cum patenâ, Evangelium argento paratum unum, planetam diploidam unam de cendalo, dalmaticam unam, siricam unam, pannum super altare unum, phylacterium unum in quo sunt reliquiæ sancti Remigii. Hæc volumus ut tertius habeat Adalardus.

Quartus Rodulfus, volumus ut habeat spatas tres, mancosos centum, balteum unum, garales duos argenteos, cochlearia tria, bruniam unam, manicas duas. De paramento verò Capellæ nostræ busteam crystallinam cum Reliquiis, phylacterium de almandinis & crystallo paratum unum, phylacterium argenteum unum, calicem de nuce cum argento & auro paratum unum, calicem argenteum cum patenâ, planetas duas, pannum unum super altare. Hæc volumus ut Rodulfus habeat.

Engildrud filia nostra volumus ut habeat scutellam argenteam unam & pallium unum. Judith volumus ut habeat scutellam argenteam unam & pallium unum. Heilvinch volumus ut habeat argenteum vas unum & pallium unum. Quibus singulis ne de Capellæ nostræ exsortes esse videantur benedictione, dedimus singula phylacteria de crystallo auro parata; de libris etiam ejusdem Capellæ nostræ divisionem inter eos facere voluimus. Imprimis volumus ut Unroch habeat psalterium nostrum duplum, & bibliothecam nostram, & librum sancti Augustini de verbis Domini, & librum de lege Francorum & Ribuariorum & Langobardorum, & Alamannorum & Bavariorum; & librum rei militaris, & librum de diversis sermonibus qui incipit, *De Elia & Achab*; & librum de utilitate pœnitentiæ, & librum de constitutionibus Principum & edictis Imperatorum, & Synonyma Isidori, & librum de quatuor virtutibus, & Evangelium, & librum bestiarum, & cosmographiam Ethici philosophi. Berengarius aliud psalterium volumus ut habeat cum auro scriptum; & librum de civitate Dei sancti Augustini, de verbis Domini, & gesta Pontificum Romanorum, & gesta Francorum, & libros Isidori, Fulgentii, Martini Episcoporum, & librum Ephrem, & Synonyma Isidori, & librum glossarum & explanationis & dierum. Adalardus tertium psalterium volumus ut habeat, quod ad nostrum opus habuimus, & expositionem super epistolas Pauli, & librum S. Augustini de verbis Domini, & super Ezechielem Prophetam, & lectionarium de Epistolis & Evangeliis cum auro scriptum, & vitam S. Martini, & librum Aniani, & volumen septem librorum Magni Orosii Pauli, & libros sancti Augustini, Hieronymi Presbyteri, in hoc quod Jacobus ait, *Qui totam legem servaverit & in uno offenderit, factus est omnium reus.* Rodulfus, volumus ut psalterium cum suâ expositione habeat, quem Gisla ad opus suum habuit, & Smaragdum & Collectaneum, & Fulgentium, & Missale quotidianum, quod semper in nostrâ Capellâ habuimus, & vitam sancti Martini & Physionomia Loxi medici, & ordinem priorum principum.

Primogenita etiam filia nostra Engeldrud volumus ut habeat librum, qui appellatur Vitas Patrum, & librum de doctrinâ S. Basilidis, & Apollonium, & Synonyma Isidori. Judith, volumus ut habeat missale unum, & librum qui incipit à sermone sancti Augustini de ebrietate, & legem Langobardorum, & librum Alguini ad Eridonem Comitem. Heilvinch, volumus ut habeat missale unum & Passionalem, & librum orationum cum psalmis, & libellum de orationibus. Gisla, volumus ut habeat librum de quatuor virtutibus, & Enchiridion sancti Augustini. Hæc omnia, ut suprà diximus, post quandoque obitum nostrum ut inter eos ita divisa permaneant absque impedimento volumus.

Ab hodierno verò die quod nunc ita præordinavimus quidquid de mobilibus cujuscumque rei deinceps, si vitam & sanitatem Omnipotens desuper nobis concesserit, acquisiverimus, si aliter ante obitum nostrum non ordinaverimus, sive in laboratione seu in peculio, in prædictis quas inter eos divisimus rebus, seu beneficiis nostris, quæ habere videmur: Volumus ut super omnia medietatem Unroch filius noster & cæteri nostri fideles qui interfuerunt quando hæc ita disposuimus, post nostrum obitum pro salute animæ nostræ distribuant tam in Franciâ quàm in Langobardiâ, vel in Alamanniâ, sive in proprio, sive in beneficio, ut suprà diximus; servos autem nostros quantos nobis placuerit in supradictis locis dimittere liberos de nostro prædio tam in Franciâ, quàm in Langobardiâ, seu in Alamanniâ, volumus ut liberi sint, vel cuicumque illorum de loco in locum dum advixerimus voluerimus dare aliquem, in

nostrâ servamus potestate. Similiter de nostrâ familiâ qui non de prædio nostro sunt, sed forinsecus acquisivimus, volumus ut cuicumque eos donaverimus de nostris infantibus, absque contentione cæterorum donati sint. Hæc super omnia, sicut jam diximus, ut ita permaneant volumus.

Ego in Dei nomine Evrardus Comes, cum conjuge Gislâ, hujus Testamentum divisionis fieri inter infantes nostros institui, quorum hæc sunt nomina, Unroch, Berengarius, Adalardus, Rodulphus, Engeldrud, Judith, Heilvinch, coram fidelibus nostris qui interfuerunt, quorum nomina sunt hæc; Adalroch nepos noster, Wilbertus Presbyter, Werimbertus, Lanfridus, Devinar, Uto, Diso, Engelhad, Heribert, Otpert, Fredeco. Actum in Comitatu Tarvisiano in corte nostrâ Musiestro, Imperante Domino HLUDOVICO Augusto, anno regni
867. ejus Christo propitio XXIV.

De sancto EVRARDO.

Regibus immensis EVRARDUS *Cisoniensis*
Creditur æqualis, ut ait liber historialis,
Qui de nobilium descendens stirpe virorum,
Dicitur Italiæ quondam tenuisse ducatum,
Quando LOTHARIUS *habuit Romæ dominatum.*
Iste modestus Dux EVRARDUS, *Miles honestus,*
Sacras Ecclesias summo studio faciebat,
Atque Dei legem servari præcipiebat.
Qui Slavos fortes, Numidas, Maurosque feroces
Sæpe triumphavit, interfecit, spoliavit.
Idem Cisonium villam statuit sapienter,
Illic Ecclesiam disponens convenienter.
Unâ ex parte simul sunt pascua, prata, paludes,
Et nemus emittens vernali tempore frondes.
Fertilis ex aliâ tellus, campique patentes,
Triticeasque ferunt benè culta novalia fruges.
Inferiora rigat Onis præterfluus amnis.
Rarus in hoc piscis capitur, fallacibus hamis.

In eodem MS. Cisoniensi agitur de quodam S. ARNULFO Armigero & Martyre. Ejus elogium sic concluditur.

Vidua quædam Sanctum noctu sustulit,
Et in caput transtulit
Præsentis Ecclesiæ.
Ibi nunc repositus
Jacet Martyr inclytus
In Altaris margine.
Ibi GISLA *posita est,*
Et ejus inclyta proles
Alais nomine.
Horum trium meritis
Et EVRARDI *Comitis*
Sic ad præsens vivere.
Præsta Pater omnium
Consequamur gaudium
Horum ut in æthere.

Donatio GISLÆ *ad sepulturam.*

Auctoritas antiquorum sanctorum Patrum patenter ostendit, quòd quicumque pro amore Domini sive pro animæ suæ, vel consanguineorum suorum remedio, ad loca Sanctorum de proprio jure suo aliquid delegaverit, cum Dominus dicat in
Matt. 6. 20. Evangelio, *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo:*
Luc. 12. 33. & iterum: *Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum indeficientem in cœlis:* remunerationem sibi in cœlesti patriâ à Domino reddendam
Matt. 25. 34. confidere potest in die qua dicturus est: *Venite benedicti, & possidete regnum Patris mei vobis paratum ab origine mundi.*

Quocirca ego in Dei nomine Gisla dum cogitans de Dei timore, vel hujusmodi retributione pro sepulturâ tam meâ quàm pignorum meorum, cunctæque cognationis meæ, in usus luminarium Basilicæ Monasterii à me in Cisonio perfecti, mansos octo in pacto altaris ejusdem nominata tradidissem, ac postea juxtà frontem Basilicæ ipsius Oratorium in fratrum Cœmeterio sub honore Sanctæ Trinitatis construens, in dotis titulum altaris hujus Oratorii mansum unum, bunuariorum x. per chartæ traditionem obtulissem; quoniam pius Dominus desiderium meum ita consolari dignatus est, ut pignora corporis Senioris & conjugis mei dulcis memoriæ Evrardi per coadjutoris filii mei Unroch solatia ab Italicis partibus delata mihi conferens, in ipso Oratorio apud idem altare juxtà desiderium voluntatis meæ sepelire permisit, pro amore ipsius Domini ac pro animæ prædicti Senioris mei remedio addo ad usus luminarium jam fati Oratorii mansum unum cum bunuariis terræ XII. in pago Medenentisse in villâ Nivilâ situm. Consentiens etiam utrique duorum filiorum meorum Adalardo atque Rodulfo de partibus prælatis descriptis, post obitum meum sibi cedendis, unum pro suprascriptâ ratione mansum in usus luminarium præfixorum concedere, Adalardo scilicet in suprà dicto pago villâ Wakastare dictâ mansum unum cum integritate suâ. Rodulfo quoque in pago Tornacense villâ nomine Gressione mansum unum cum integritate suâ: in eâ quidem ratione ut à præsenti die hæc omnia à custodibus Oratorii ipsius habeantur, teneantur, atque possideantur, vel quidquid ad honorem hujus ex his agere lex canonica decreverit, libero indultum sit arbitrio faciendi. Si quis verò, quod futurum esse non credo, si ego ipsa (quod absit) aut ullus heres ac pro heredibus meis quislibet vel ulla opposita aut extranea persona, qui contrà hanc traditionem venire aut infringere voluerit, inferat ibi dupliciter quantum ista epistola continet, & insuper inferat ad partem fisci auri uncias v. argenti libras 10. multâ componat, & quod repetit vindicare non valeat: sed præsens hæc traditio firma & inviolata permaneat cum stipulatione subnixâ.

Actum Fivis mallo publico Kal. Jul. anno XXXV. regnante Carolo Rege gloriosissimo. Signum Gislæ, quæ hanc traditionem fieri & confirmari rogavit. Signum Reinhelini Episcopi. Signum Odelrici Comitis.

GISLA dat filiis suis quædam ad dominium suum pertinentia, & iis defunctis illa possidebit Cisoniense Monasterium.

Placuit mihi in Dei nomine GISLÆ de rebus quas serenissimus ac piissimus Rex KAROLUS meus, si dicere audeam, germanus, cum exigente Senioris mei dulcis memoriæ negligentiâ in dominio suo redactæ essent, viduitati meæ compassus, & habitûs mei mutationem consolatus, conservatas per suæ sublimitatis Præceptum largifluâ pietatis suæ clementiâ mihi restituere atque augmentare dignatus est cum suo consultu, primò apud Monasterium fisci Cisonii in honore Domini nostri & Salvatoris sanctæque MARIÆ ejusdem Genitricis à me situm, quo venerandus Martyr Christi Calistus requiescere dignoscitur, pro remedio animæ meæ de ipsis rebus partem aliquam tradere disposui, ac demum cæteras res à me in Galliis habitas inter tres infantes meos Rodulfum videlicet & Berengarium, nec non & te, dulcissime fili Adelarde, per singulas portiones dividere: atque ut in posterum ratum sit, parti cuique quod traditum est per scripturam relatus legaliter obligare. Dono igitur tibi, fili dulcissime Adelarde, fiscum nomine Summinium

in pago Hostrevant situm, quæ mihi jam fatus Rex piissimus, & si dicere audeam, germanus meus KAROLUS florente pietatis suæ munificentiâ dono tribuere dignatus est: scilicet præter Capellam cum mansis IX. quæ apud suprà nominatum Monasterium in usus Fratrum ibidem Deo militantium tradidi, quidquid ad hunc fiscum pertinere videtur, tui juris esse concedo. In eâ verò ratione, ut post discessum tuum ad jam dictum Monasterium cum omni integritate veniat, hoc est mansum dominicatum cum terris arabilibus bunaria videlicet CLXXIX. pratorum bunaria XXXII. sylvæ bunaria DLXI. atque huic servientia XCIII. simul etiam terræ bunaria IV. omnem, ut dictum est, fiscum, exceptâ Capellâ prædictâ cum mansis IX. ad integrum de meo jure in portionem tuam transduco & constituo. In eâ verò ratione ut quamdiù Domino volente advixero, sub mea potestate censeatur, post animæ verò meæ à corporis ergastulo absolutionem eumdem fiscum nomine Summinium, solvâ ratione Capellæ & suprà nominatorum IX. mansorum, cum omni integritate habeas, teneas atque possideas quamdiù advixeris, liberam ac legalem in omnibus Domini protegente clementiâ habeas potestatem, ac post tuum obitum, sicut superiùs mentionem fecimus, ad locum jam dictum cum omni integritate veniat, & nullus fratrum tuorum vel consanguineorum sibi ex hoc usurpare præsumat. Si quis autem eorum, aut ego, quod absit, sive ullus parentum nostrorum, sive aliqua extranea persona hanc donationem refutare voluerit, ab omni Ecclesiâ alienus appareat donec resipiscat, & insuper cui litem intulit auri libras C. argenti libras CC. legali judicio persolvat, et si ampliùs repetierit, nullo obtinere consensu valeat; sed præsens donatio firma futuris temporibus cum stipulatione virorum nobilium perdurare valeat perpetualiter inconvulsa. Actum Victreiaco villâ publicâ, facta traditio, data XVII. Kal. Maii. Indict. I. in anno XXIX. regnante domino nostro Karolo Rege gloriosissimo.

GISLA confirmat quæ pro sepulturâ contulit Cisoniensi Ecclesiæ, additque nonnulla.

An.Chr. 870. DUm inter fluctus . . . . Quapropter ego in Dei nomine Gisla dum res à Seniore meo præcellsæ indolis Evrardo perditas, & à piissimo Regum KAROLO meo, si fari audeam, olim germano mihi restitutas sub assensu ejus, tam ad Monasterium in fisco Cisonio situm quàm inter viscerum meorum dilectissimos filios distribuisse visa fuissem, ac postmodum Oratorium ad frontem matris Ecclesiæ in honore Sanctæ & individuæ Trinitatis in eodem fisco ad sepulturam meam & quietem erexissem, carissimo meo Rodulfo consulens de portione ejus quam sibi per chartæ firmamentum tradideram, altari hujus Oratorii in honore S. Martyris Christi Apollinaris dedicato dotis honorem facere disposui, quod ita simul cum illo me fecisse manifestum est. Donamus itaque ego in Dei nomine Gisla & filius meus carissimæ indolis Rodulfus ad prædicti Oratorii Sanctæ & individuæ Trinitatis altare in honore sancti Martyris Christi Apollinaris dedicatum, de rebus, quas suprà diximus, Rodulfo cedendis in dotis titulum, mansum I. in Canfinio situm; & de terrâ arabili in Grecione consistente bunaria X. eâ ratione ut à die præsenti idem locus ad quietem meam vel filiæ meæ Ingeldrudis præparatus, hæc in usus luminarium cum illis quæ ad obedientiam hujus sepulturæ disposita sunt habeat, teneat, atque possideat, vel quidquid exinde facere voluerit, liberam ac firmissimam habeat potestatem faciendi.

Si quis verò (quod futurum esse non creditur) si nosmetipsi, quod absit, aut ullus ex heredibus seu successoribus nostris, vel aliqua extranea persona hanc nostræ spontaneæ donationis cartulam refringendo violare conatus fuerit, si ab hac præsumptione manum non subtraxerit, præsentem & æternam pro hoc divinæ ultionis sentiat vindictam; parti Oratorii, cui litem intulerit, auri libram I. argenti pondo L. coactus exsolvat, & insuper quod repetit ne vindicet; sed magis præsens traditionis nostræ chartula futuris temporibus firma & inconvulsa permaneat, tam nostris quàm cæterorum virorum illustrium, quorum nomina vel signacula subter tenentur inserta, manibus roborata. Actum fisco Cisonio apud Monasterium in ipso loco situm sub die IV. Non. April. anno incarnati Verbi DCCCLXX. Indic. III. anno XXXI. regnante domno & serenissimo KAROLO, meo (si dicere audeam) germano Rege gloriosissimo. Nos in Dei nomine Gisla & filius meus Rodulfus hanc donationis chartulam scribere jussimus, & manibus propriis subter firmavimus. S. Adelardi.

Donationes factæ Cisoniensi Ecclesiæ à WALGARIO Sacerdote.

ILle benè possidet res in sæcula, qui sibi de caducis mansura de terrenis cœlestia mercatur. Idcirco ego in Dei nomine Walgarius indignus Sacerdos, ob absolutionem delictorum meorum ac pro præmio æternæ retributionis aliquas res meas legitimo jure ac labore multo ad propriam dominationem acquisitas, trado atque transfundo ad Monasterium quod dicitur Cisonium, in quo à fundamentis plurimùm laborando desudavi, in pago Tornacensi situm, quod est constructum in honore S. Salvatoris & B. MARIÆ Genitricis ejusdem, in quo Beatus Calistus Papa & Martyr Christi corpore quiescit. Ergo dono in jam dicto pago Tornacensi, in loco qui dicitur Wenethargiis, Ecclesiam unam cum ornamento ibidem competenti, ubi adjacent inter terram arabilem & pratum bunaria XXX. & mansum I. cum casâ superpositâ, & cætera casticia. In pago verò Pastensi, in loco qui vocatur Holtheim, mansum unum cum casticiis superpositis, in quo Ragemarus residere videtur, ubi appendunt de terrâ arabili bunaria IV. & mancipia IV. videlicet mulier ejusdem Ragemari & filii ejus duo, & unus nepotum ejus. Et de sylvâ in eodem loco bunaria XXX. In fabricaturis quoque, quæ inibi in promptu cernuntur, misi de proprio jure ac argento libras XVIII. & de auro uncias XVIII. & pecora quamplurima scilicet jumenta XXII. & burdonem I. boves X. vaccas XXVII. & minora animalia XX. verveces CLXXX.

Libros etiam infrà scriptos, videlicet bibliothecam I. homelias per annum, Missale, Moralia Job, Sacramentorum librum, passionalem, de vita honestâ libros XVIII. Vitas Patrum, Bedam super Apocalypsim & super VII. Epistolas Canonicas, librum officiorum, Glosarium I. de diversis sententiis & præcipuis festivitatibus legendis librum I. Antiphonarios duos, homelias Gregorij in Ezechiel Prophetam. Insuper utensilia omnia quæ usui necessaria comprobantur.

Ista omnia superiùs commemorata tali tenore ac ratione trado ac confirmo, ut ipsa ordinatio quam jubente domino meo EVRARDO per chartam ordinavi, atque sub manu custodis constitui de statu hujus Altaris, inconvulsa servetur. Et ut mihi mansio una ibidem conceditur, & quotidie dentur duo panes quales ipsi Canonici accipiunt, & paria pulmenta, & quotidie de cervisâ sextarius major,

& de vino libræ duæ, & omni anno in vestimento solidi v. & Cansil. I. & ut Oldericus meum quondam curtile in quo sedet, quod sibi ad ipsum Monasterium concambiavit, licenter diebus vitæ suæ possideat, & unum hominem de ipsâ familiâ Rogerum nomine, ut in locum in quo illum constitui deservire liceat, & illam fresiam Helgardam nomine, ubi nunc hospitatur, permanere liceat. Volo ut ita fiat.

In eâ verò ratione ista omnia suprà nominata dono, trado, atque perpetualiter transfirmo, si petitio mea ad effectum perfectionis venerit; sin aliter sua cuique jure debentur. Si verò secundùm quod expeto in omnibus adimpletur, eâ ratione supradicta omnia ad istum sanctum Cisonii locum condono, ut à me præsenti hæc donatio atque traditio intemerata & inconvulsa servetur. Et si quis deinceps (quod futurum esse non credo) si ego ipse, quod absit, aut quælibet opposita vel extranea persona contrà hanc donationem venerit, aut infringere ac calumniare præsumserit, à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ sequestratus ac separatus sit, & insuper ante tribunal Christi hac de causa se judicari cognoscat, & quod repetit nullo modo evindicare prævaleat; sed præsens donatio ista manu nostrâ firmata, ac testimonio plurimorum roborata, firmata maneat inconvulsa. Actum Cisonio regnante KAROLO Rege gloriosissimo. Sig. ADELARDI ejusdem loci Senioris, Sig....

AMURRICUS suam donat Cisonio hereditatem.

Isai. 40. 6. QUoniam, ut ait scriptura, *Omnis caro fœnum*, ætasque, vita & gloria hominum veluti arescentis fœni flos transit, semper transit in nihilum, oportet ut quod firmum & stabile esse volumus, chartulis & scriptis in futurum transmittere satagamus, ne posteritas vitiosiorem progeniem nobis datura, mali præsaga, habendi insatiata, quæ ad usus sanctæ Ecclesiæ viderit collata, sibi vindicare præsumat: sed quæ Dei sunt, Deo habere permittat. Quapropter notum sit cunctis orbem incolentibus, quòd vir timoratus, nobilissimis ortus natalibus, nomine AMURRICUS cum duobus suis fratribus, sancti Papæ Calisti altaria, ibique totam suam hereditatem, villæ, scilicet Arboretæ tradiderunt; eo videlicet tenore, ut quisquis horum trium aliis supervixerit, pro eâdem villâ habendâ v. solidos persolveret, & defunctis his tribus, villa eadem Ecclesiæ usibus permaneret. Actum est hoc in Ecclesia Cisoniensi videntibus testibus idoneis, quorum nomina exprimuntur istic. S. Eiberti. S. Teselini. S. Moreneti. S. Disderi, S. Gerusfi Tornacensis. S. Gelberti. Actum est siquidem hoc Cisonio publicè, anno Incarnati Verbi nongentesimo LXVIII. regnante Rege LOTHARIO, monarchiam Flandrensis patriæ gubernante Comite Arnulfo, Episcopalem Cathedram tenente RATBODONE. Expactâ XI. & regularibus IX. si quis hoc infringeret, &c.

Privilegium RAINALDI Remensis Archiepiscopi, quo institutionem Canonicorum Ordinis S. Augustini confirmat.

An.Chr. 1129. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen.

RAINALDUS Dei gratiâ Remensis Ecclesiæ humilis Minister, dilecto filio Ansello Cisoniensis Ecclesiæ Abbati, & ejus Fratribus in eâdem Beati Callisti Ecclesiâ Canonicam vitam professis, eorumque successoribus in eâdem observantiâ permansuris, salutem atque in Religionis proposito perseverantiam. Quod ad salutem animarum & ad Religionis augmentum pertinere cognoscimus, impigra sollicitudine, auctore Deo, Pontificalis officii auctoritate adimplere justum esse perpendimus. Herimannus si quidem Præpositus & Thesaurarius Cisoniensis Ecclesiæ, cujus fundum juris prædecessorum nostrorum Remensium Archiepiscoporum & nostri ab antiquis temporibus fuisse & esse constat, vitam suam emendare volens, & ut prædicta Ecclesia secundùm Regulam Beati Augustini ordinaretur cum nonnullis Canonicis suis devotissimè supplicans, Præposituram & Tesaurariam, quæ de manu nostrâ susceperat, in eadem manu nostrâ abdicavit. Postmodum autem tibi in Christo, fili carissime, in regularem Abbatem ejusdem Ecclesiæ Canonicè electo, Ecclesiam ipsam & prædicta officia, Præposituræ videlicet & Thesaurariæ concessimus, ita nimirum ut decendentibus ejusdem Ecclesiæ Clericis, loco ipsorum alios substituas, qui divinâ aspirati gratiâ, mores suos sub regularis vitæ disciplinâ coercere, ac communiter secundùm sanctorum Patrum institutionem Omnipotenti Domino deservire proponant.

Tuis itaque ac multorum Religiosorum justis petitionibus debitâ benignitate annuentes, vitæ Canonicæ ordinem, quem professus es in prædictâ Ecclesiâ, præsentis privilegii auctoritate firmamus; ac ne cui post Professionem exhibitam proprium quid habere, neve sine Abbatis vel Congregationis licentiâ de Claustro discedere liceat, interdicimus, & tam vos quàm vestra omnia Sedis Metropolitanæ protectione munimus; vobis namque vestrisque Successoribus in eâdem religione permansuris ea omnia perpetuò possidenda sancimus, quæ in præsentiarum prædicta Ecclesia justè possidet, quæcumque etiam futuris temporibus legitimè poterit adipisci. Præterea eâdem auctoritate decernimus, ut quicumque in eâdem Ecclesiâ canonicè electus fuerit in Abbatem, nobis nostrisque Successoribus & Remensi Ecclesiæ præsentetur, & jus nostrum futurorumque Remensium Pontificum recognoscat, & investiatur. Ut autem hujus privilegii pagina rata permaneat & inconcussa, sigilli nostri impressione, ac probabilium virorum testimoniis eam muniri fecimus. Signum Odonis Abbatis sancti Remigij. Signum Ricardi Abbatis Mosomensis. Signum Ingulranni Altovillarensis Abbatis. Signum Guillelmi Abbatis S. Theodorici. Signum Albrici Abbatis S. Basoli. Signum Gilleberti Abbatis S. Dionisii. Signum Hugonis Archidiaconi. Signum Frederici Præpositi. Signum Gervasii Cantoris. Signum Hugonis Thesaurarii. Signum Alberti, Henrici, Gregorii, & Rogeri Presbyterorum. Signum Ginardi, Leonis, Drogonis, Bolonis & Joannis Diaconorum. Sig. Girardi, Guidonis, Jofridi, Albrici, & Haiderici Subdiaconorum. Actum Remis anno Incarnati Verbi millesimo centesimo vicesimo nono Indictione septimâ. 1129. Regnante LUDOVICO Francorum Rege gloriosissimo, anno....... Archiepiscopatûs autem domni RAINALDI Archiepiscopi II. anno v.

RAINALDUS Remensis Archiepiscopus ut Abbati Cisoniensi obedientiam præstent jubet, prohibetque Clericis Prebendas filiis suis consignare.

R. Dei gratiâ Remorum Archiepiscopus Clero & populo Cisoniensi salutem. Veniens ad nos Frater Anselmus quem vobis Abbatem præfecimus, quem & privilegii nostri auctoritate munitum ad vos remisimus, Nobis retulit, quòd super hoc quod in privilegii continentiâ habentur, salvo jure Remensis Ecclesiæ, graviter scandalizemini, nobis & successoribus nostris falsò succensere intendentes, quòd ab Ecclesiâ, quam Canonico ordini regulariter restituimus, pecuniam exigere debeamus. Noverit ergo tam vestra quàm omnium fidelium Ecclesia, hoc An.Chr. 1129.

hoc quod de nobis falsò suspicamini, nec ut fieret velle, nec ullomodo à nobis excogitatum fuisse. Hoc si quidem quod in nos & in successores nostros tam ignominiosum & infandum crimen intendere præsumsistis, à vobis requiremus. Eapropter vobis omnibus mandando præcipimus, quatenùs prædictum fratrem A. à nobis ad vos Abbatem destinatum honorificè recipiatis, & debitam cum reverentiâ obedientiam ei tamquam Patri spiritali in omnibus exhibeatis.

De cætero vobis notum fieri volumus quòd Clericorum filiis, qui contrà decreti nostri tenorem in Ecclesiâ, quam Clericis regulariter vivere volentibus concessimus, jure hereditario Præbendas susceperint, omninò & Præbendas & fructus earum interdicimus; & ne ulteriùs se inde intromittere præsumant, ministerii nostri auctoritate usque ad Octavam Apostolorum prohibemus. Tibi præterea, Roberte, in virtute obedientiæ præcipimus, & submonemus, quatenùs usque ad instantem diem Dominic m pactum, quod de abdicatione Præbendæ in præsentiâ nostrâ habuisti, exequi nullatenùs omittas. Quòd si tu, & alii qui hereditario jure sanctuarium Dei possidere volunt, trangressores super hoc exstiteritis, tibi introïtum Chori & fratrum societatem usque ad instantem Dominicam interdicimus; alios verò usque ad Octavam Apostolorum, nisi Præbendas in manu Abbatis abdicaverint, anathematis sententiâ innodamus.

Pactum inter Abbatem & Advocatum Cisoniensem.

Circa An. Ch. 1160. IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen. Ego SAMSON divinâ miseratione Remorum Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus, Universis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis tam futuris quàm præsentibus in perpetuum. Quoniam speculatores in domo Domini positi sumus, oportet nos & bonorum quieti providere, & contrà improbos ascendere ex adverso, murumque opponere pro domo Israël. Propterea memorialibus litteris mandari decrevimus, quo pacto Rogerus de Landast Ecclesiæ Cisoniensis tunc temporis Advocatus, jura ejusdem Ecclesiæ in his quæ subscripta sunt, & quemadmodum subscripta sunt coram nobis recognoverit, præsentibus quoque Venerabilibus Fratribus nostris & Coëpiscopis Balduino Noviomensi, Godescalco Attrebatensi, Abbatibus etiam Martino S. Vedasti, Goswino Aquicincti, Fulcone Hasnoniensi, Fulberto Aroüasiensi, Balduino Maroliensi, Henfrido Falopinensi: Clericis quoque & Militibus quamplurimis; quin & fidem manu propriâ dedit ad hunc se modum sine fraude doloque cuncta observaturum. Quæ autem eum recognovisse diximus hoc modo se habent.

In Cisoniensi nemore, quod ab antiquo inter Præpositum & Advocatum commune fuisse dignoscitur, Præpositus quidquid ei necesse erat tam ad ædificia quàm ad comburendum, remotâ omni contradictione accipiebat. In transmutatione verò Ordinis timens dominus Ingelbertus Advocatus ne plus vastaretur ab Abbate quàm à Præposito, utrique, videlicet Abbas & Advocatus consilio religiosorum virorum & liberorum Advocati hominum compositionem ejusdem nemoris subierunt. Statutum est igitur quòd in supradicto nemore ad omnes ipsius Abbatiæ construendas domos infrà terminos Cisonii & Lovilii, ad ignem sufficienter in coquinâ suâ, & in camerâ & ad opus kambæ septies vel octies in anno de vivo nemore remotâ omni contradictione habeat Abbas: de mortuo autem in aliis Ecclesiæ necessitatibus infrà supradictos terminos quantum sufficit accipiat. Hospites Ecclesiæ domos suas de vivo & mortuo nemore in eodem accipiant. Sciendum verò quòd supradictum nemus in defensione nullomodo debet poni præter assensum & permissionem Prælati, & tam Canonici supradictæ Ecclesiæ quàm hospites Cisonii & Lovilii ad omnes usus suos mortuum debent habere. Si verò Canonicus aut hospes domum de prædicto nemore factam vendiderit, ad idem nemus causâ domûs reficiendæ nullatenùs redire poterit.

Est etiam aliud nemus Præbendis Canonicorum pertinens, in quo homines Advocati eamdem consuetudinem tenent quam Canonici & hospites Ecclesiæ in supradicto habent, sed in illo Advocatus nihil omninò habet præter advocationem. Est autem terminus nemoris Præbendarum S. Everardi, fossatum in Rogis-prato ultrà Lovilium. In hoc nemore nullus habet communionem nisi hospites Ecclesiæ & Advocati in Cisonio & Lovilio manentes; sed hoc interest, quia secundùm hoc quod Advocati nemus majus est, plus accipere debent, nec ullum vastare & aliud custodire, sed sicut ejusdem consuetudinis ab antiquo dinoscitur exstitisse. Si verò custos Abbatis in nemus præbendarum abierit, & custodem nemoris advocati secum vocaverit, & venire renuerit, si aliquod forisfactum acceperit, ibi Advocatus nihil habebit. Si autem convocaverit, & ipse in nemore aliquod forisfactum invenerit, sive custos Advocati similiter aliquando acceperit, tunc duæ partes Abbatis, tertia Advocati erit. Sciendum est quòd in supradictis nemoribus sui hospites nullam habent communionem. In omni terrâ Præposituræ & liberis Canonicorum mansis nullam justitiam habet ab hospitibus liberorum mansorum, Præsul nihil quærere debet, nec in ipsis mansis.

Si fortè latro captus fuerit, sive aliqua burina facta fuerit, aliquid justitiæ exercebit, sed tamen latro dimitti non debet postquàm Prælatus super eum justitiam exercuerit, nisi Advocatus vel familia ejus resciérit. Si autem aliquo modo latro dum in captione fuerit, evaserit, & Prælatus secundùm suam veritatem dicere voluerit, ab omni querimoniâ Advocatus cessabit: & si aliquis liberorum hospitum, vel de familiâ Prælati, seu Clericorum erga Advocatum vel aliquem suorum hominum aliquid forisfecerit, per Prælatum Ecclesiæ justitiam recipiet. In eisdem mansis Canonicorum nullus habet hereditatem, & si Prælatus domos proprias in eisdem facere voluerit, nullus hospitum in eisdem remanere poterit.

De hominibus verò in Cisonio manentibus si aliquod forisfactum contrà Ecclesiam fecerint, judicio Christianitatis tamquam si Tornaco coram Episcopo essent judicantibus Clericis, Prælatus justitiam exercebit. Quòd si facere noluerit coram Episcopo, monere eos faciet. Si alterutrum injuriaverint, vel abstulerint, quod injuriatum est dimittatur, quod ablatum est restituatur; nam lege nihil reddi debet. Si quando compositio, vel judicium inter eos faciendum fuerit, & Clerici & homines liberi inter se discordati fuerint, tunc Prælatus si voluerit, ab Episcopo justitiam requirere poterit, nec Canonici nisi à Clericis judicium requirent.

Ut hoc autem ratum & inviolabile servetur, neque sæcularis persona id convellere vel infirmare præsumat, auctoritate Metropolitanâ interdicimus, præsentemque paginam sigilli nostri impressione roborari, testiumque subnotatione communiri fecimus. Signum BALDUINI Noviomensis Episc. Sign. GODESCALCI Attrebatensis Episcopi. Sign. Martini Abbatis S. Vedasti. Sign. Goswini Aquicincti Abbatis. Sign. Fulconis Hasnoniensis Abbatis. Sign. Fulberti Aroawensis Abbatis. Sign. Balduini Maroliensis Abbatis. Sign. Haufridi Falopinensis Abbatis. Sig.

Bartholomæi Archidiaconi. Sign. Bosonis Archidiaconi. Sign. Drogonis Præpositi. Sign. Drogonis Decani. Sign. Gregorii Cantoris. Sign. Helluini. Sign. Letoldi. Sign. Ellaudi. Sign. Stephani.

1159. Actum Remis anno Incarnati Verbi MCLIX. Ind. VIII. Epactâ XI. concurrente III. Regnante LUDOVICO Rege Francorum anno XXII. Archiepiscopatûs autem nostri XIX.

Robertus Cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

Approbat Giraldus Tornac. Episcopus quæ donata sunt Cisoniensis Ecclesiæ Canonicis.

An.Chr.1164. IN nomine Patris & Filii, & Spiritûs sancti, Amen. Ego GIRALDUS divinâ dispositione Tornacensium Episcopus, cunctis Fidelibus in perpetuum. Dignum arbitramur pro amore ejus, qui nos prior dilexit proprium fundens Sanguinem in argumentum dilectionis, justis petitionibus quorumcumque Religiosorum piè aurem accommodare. Notum igitur sit tam præsentibus quàm futuris, quòd Ecclesiam Cisoniensem Beati Calixti Martyris precibus Anselmi ejusdem Ecclesiæ Reverendi Abbatis, atque Fratrum regularium ibidem divino obsequio mancipatorum, sub beatæ Dei Genitricis MARIÆ, & Ecclesiæ Tornacensis nostraque protectione clementer suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & Canonicè sub nostri curâ regiminis possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma & illibata præfatæ Ecclesiæ permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Præposituram videlicet & Decaniam ipsius Ecclesiæ, & Præbendas Canonicorum decedentium cum omni decimâ ejusdem villæ Cisonii, sicut à RAINALDO bonæ memoriæ Remensi Archiepiscopo religionis intuitu eidem Ecclesiæ concessæ sunt, & scripto firmatæ. Nemus Advocati, in his videlicet quæ subscripta sunt, & quemadmodum subscripta sunt. In Cisoniensi nemore, quod ab antiquo inter Præpositum & Advocatum commune fuisse dinoscitur, Præpositus quidquid ei necesse erat tam ad ædificia quàm ad comburendum, remotâ omni contradictione accipiebat. In transmutatione verò Ordinis timens Dominus Ingelbertus Advocatus ne plus vastaretur ab Abbate quàm à Præposito, utrique, videlicet Abbas & Advocatus, consilio religiosorum virorum & liberorum Advocati hominum compositionem ejusdem nemoris subierunt.

Statutum est igitur quòd in supradicto nemore ad omnes ipsius Abbatiæ construendas domos infrà terminos Cisonii & Lovilii, ad ignem sufficienter in coquinâ suâ & in camerâ, & ad opus cameræ septies vel octies in anno de vivo nemore, remotâ omni contradictione habeat Abbas. De mortuo autem in aliis Ecclesiæ necessitatibus infrà supradictos terminos quantum sufficit accipiat. Hospites Ecclesiæ domos suas de vivo & mortuo nemore in eodem accipiant. Hæc verò & alia multa quæ de communibus inter Ecclesiam & Advocatum possessionibus ab antiquis temporibus observantur, Rogerus de Landast prædictæ Ecclesiæ Advocatus coram bonæ memoriæ SAMSONE Venerabili Remorum Archiepiscopo & Apostolicæ Sedis Legato recognovit, præsentibus quoque Venerabilibus Episcopis BALDUINO Noviomensi, GODESCALCO Attrebatensi, Abbatibus etiam Goswino Aquicincti, Martino sancti Vedasti, Fulcone Hasnoniensi, Fulberto Arowasiensi, Balduino Marolensi, Henfrido Falopinensi, Clericis quoque & Militibus quamplurimis; quin & fidem manu propriâ dedit, ea quæ coram memoratis Episcopis recognovit, se sine fraude doloque cuncta observaturum.

Lovilium tam in terra & pratis quàm in nemore, in quâ Advocatus nihil omninò habet præter advocationem, scilicet forisfacti tertiam partem: Altare de Bovines cum omni decimâ; Altare de Baseu cum omni decimâ; Altare de Confinio cum omni decimâ; Altare de Lovilio cum omni decimâ; Altare de Genez cum omni decimâ; Altare de Asch cum terrâ de Doario-Altaris; Altare de Lis cum uno modio frumenti de Bodio; Altare de Ceven; Altare de Toflers. Apud Hechut, terram Arnulfi & uxoris ejus, qui se & sua sæpefatæ Ecclesiæ reddiderant. De Arborettâ quinque solidos quos Comes Flandrensis singulis annis solvit: Capellam de Hertesberge cum his quæ ad ipsam pertinent, terram videlicet in circuitu Capellæ cum Bruariâ; terram Berthildis apud Gotehen, decem & octo bonaria; terram Jabere tam emptam quàm susceptam in eleemosynam; Molendinum de Lebere cum terrâ adjacenti. Hæc omnia sicut in præsenti paginâ scripta habentur, salvâ nostrâ nostrorumque successorum justitiâ, Ecclesiæ sancti Calixti Cisoniensis perpetuò liberè possidenda concedimus. Quod ne à posteris aliquatenùs infringatur, Sigilli nostri impressione confirmamus, & idoneorum testium annotatione corroboramus. Signum Walteri Decani. Signum Letberti Præpositi. Signum Letberti Cantoris. Signum Simonis & Amulrici Presbyterorum. Signum Rameri, Wiberti, Lamberti, Thomæ, Henrici, Gossuini, Waltheri, Wenevemari, Canonicorum. Letbertus Cancellarius legit & subscripsit. Actum Tornaci anno Verbi Incarnati millesimo centesimo sexagesimo quarto feliciter, Amen.

ALEXANDER Papa III.
Confirmat institutionem Canonicorum Ordinis Sancti Augustini, & omnia ipsorum bona Cisoniensis Abbatiæ.

ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Anselmo Abbati Ecclesiæ sancti Calixti Cisoniensis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis. Cum sitis regularem vitam Domino inspirante professi, paci vestræ paternâ consideratione prospicimus, & ne possitis malignorum vexationibus fatigari, Apostolicum vobis patrocinium exhibemus. Eapropter, dilecti in Christo Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prædictam Ecclesiam sancti Calixti, in quâ divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. An.Chr.1179.

In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui in Ecclesiâ vestrâ pro bonæ memoriæ RAINALDUM quondam Remensem Archiepiscopum secundùm regulam beati Augustini, & institutionem fratrum Ecclesiæ beati Dionysii Remensis institutus dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia impræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum in quo Ecclesia vestra sita est, cum decimis & liberis hospitibus, ita quòd super eos nullus advocationem habeat. Ecclesiam grangiam & terram de

Lovilio cum integritate decimæ & hospitum totius villæ, nemus præbendarum, Malum Alnetum; nemus quod dicitur Salrugretum & possessionem ejusdem villæ & Cisonii in terrâ arabili, pratis, sylvis, maresco & aquis sicut ab antiquo possedit, cursum quoque fontis de Burgellâ, quem Ecclesia potest ducere per necessaria sua absque alicujus prohibitione; Ecclesiam de Ask cum integritate decimæ, terrâ arabili, hospitibus & manso Presbyteri: Ecclesiam de Baisui cum integritate decimæ, grangiâ & hospitibus: Ecclesiam de Canfen cum integritate decimæ & hospitibus: Ecclesiam de Bovines cum integritate decimæ tam in terrâ & curte beati Amandi, quàm in aliis terris; Ecclesiam de Gruison cum integritate decimæ; Ecclesiam de Genes cum integritate decimæ & manso & grangiâ; Ecclesiam de Corberiu; Ecclesiam de Suminio cum integritate decimæ & terragio totius villæ, hospitibus, & libero manso: Capellam de Gornen cum integritate decimæ & terragio: curtem de Belrepaire cum nemoribus, aquis, maresco, vivario, terrâ arabili; curtem de Vitri cum terragio, hospitibus, & eo jure quod habetis in redditibus & decimis ejusdem villæ; Ecclesiam de Cheren; Ecclesiam de Lis; Ecclesiam de Tosles; Capellam de Hertelergâ: curtem de Crespellanis cum terragio, hospitibus & totâ villâ, itâ quòd in ipsâ nullus nisi solus Abbas justitiam vel advocationem exerceat. Domum lapideam in monticulo Tornacensi, ut redditus ipsius usibus infirmorum Ecclesiæ perpetuò deputentur: domos de Messines, quinque solidos quos Comes Flandrensis solvit pro Arboretâ. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat.

Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis suppressâ voce divina officia celebrare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, nisi artioris Religionis obtentu, absque Abbatis sui licentiâ fas sit de Claustro discedere, discedentem verò absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Liceat quoque vobis Clericos vel Laïcos è seculo fugientes, liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos sine contradictione aliquâ retinere.

Interdicimus etiam ne Episcopo vel Archidiacono liceat in vos vel Ecclesias vestras sine manifestâ & rationabili causâ excommunicationis vel interdicti sententiam ferre, seu vos novis & indebitis exactionibus fatigare. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ seu violentiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii sanioris, secundùm Dei timorem & beati Augustini regulam providerint eligendum.

Præterea nihilominùs artiùs interdicimus, ne Episcopo, Archidiacono vel eorum ministerialibus Canonicis, seu Clericis aliis pro confirmatione, inthronizatione vel pro benedictione Abbatis vestri palefridum, cappam sericam, aut quidquam aliud, facultas vel licentia pateat à vobis obtentu cujuslibet consuetudinis exigendi. Si verò pro his à vobis quidquam exegerint, cum detestabile sit & obvium rationi, liberè vobis liceat eis quod postulaverint, denegare. Ad hæc paci & tranquillitati vestræ paternâ sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolicâ prohibemus, ut infrà clausuram locorum vestrorum nullus violentiam, vel rapinam seu furtum facere, vel homines capere aut interficere audeat. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventu reorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate & Diœcesani Episcopi Canonicâ justitiâ. Siqua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostram Constitutionis paginam sciens, contrà eam temerè venire tentaverit; secundò tertióve commonita, nisi reatum suum dignâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere, de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore ac Sanguine Domini Dei ac Redemptoris nostri JESU-CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri JESU-CHRISTI, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Ego ALEXANDER Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego HUBALDUS Hostiensis Episcopus.
Ego THEODINUS Portuens. & S. Rufinæ sedis Episcopus.
Ego HUGO Presbyter Cardinalis tituli S. Clementis.
Ego MATTHÆUS Presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli.
Ego ARDICIO Diaconus Cardinalis S. Theodori.
Ego RAINERIUS Diac. Card. S. Georgii ad Velum aureum.
Ego GRATIANUS Diac. Card. SS. Cosmæ & Damiani.
Ego JOANNES Diaconus Cardinalis S. Angeli.
Ego RAMERIUS Diaconus Cardinalis S. Hadriani.
Ego MATTHÆUS S. Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis.
Ego PAULUS SS. Sergii & Bacchi Diaconus Cardinalis.

Datum Velletrii per manum ALBERTI S. Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Card. & Cancellarii IV. Id. Januarii Indictione XIII. Incarnationis Dominicæ an. MCLXXIX. Pontificatûs verò domini ALEXANDRI Papæ III. anno XXI.

Privilegium GUILLELMI Remensis Archiepiscopi Canonicis Cisoniensibus concessum.

WILLELMUS Dei gratiâ Remorum Archiepiscopus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sanctæ Sabinæ Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, dilectis filiis Simoni Abbati totique Capitulo Cisoniensi in perpetuum. An. Chr. 1150

Cum ab antiquis temporibus Cisoniensis Ecclesia de fundo & mensâ nostrâ fuisse & esse noscatur, hanc inter alias nostræ Diœcesis Ecclesias libertatem semper obtinuit, quòd nulli nisi nobis & prædecessoribus nostris subjectionem exhibuit. Nos verò paci & indemnitati, nec non libertati vestræ paternâ sollicitudine providere volentes, eamdem liberta-

tem quam ab antiquo habuistis, & eumdem ordinem Canonicum quem bonæ memoriæ RAINALDUS quondam Remensis Archiepiscopus in Ecclesiâ vestra instituit, sicut sanctæ recordationis ALEXANDER Papa tertius secundùm scriptum ipsius authenticum confirmavit, salvo jure nostro & successorum nostrorum, vobis benignè concedimus, & vos & eumdem Ordinem & possessiones vestras tamquam nostras proprias in custodia & protectione nostrâ suscipimus, & sicut in authenticis RAINALDI prædecessoris nostri & ALEXANDRI Papæ tertii scriptis continetur, clementer vobis annuimus: & ne scripta eorum immutentur, Metropolitanâ auctoritate interdicimus. Nobis autem jus Patronatûs & Repræsentationem personæ retinemus. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Sepulturam quoque Ecclesiæ vestræ liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Interdicimus etiam ne Episcopo, vel Archidiacono, vel eorum Officialibus liceat in vos vel in Ecclesias vestras sine manifestâ & rationabili causa excommunicationis vel interdicti sententiam ferre, seu vos novis & indebitis exactionibus fatigare. Præterea artius interdicimus ne Episcopo, vel Archidiacono, vel eorum ministerialibus Canonicis, seu Clericis aliis pro confirmatione, inthronizatione vel pro benedictione Abbatis vestri palefridum, cappam sericam, aut quidquam aliud facultas vel licentia pateat, à vobis cujuslibet obtentu consuetudinis exigendi. Si verò pro his quidquam à vobis exegerint, cum detestabile sit & obvium rationi, liberè vobis liceat hoc quod à vobis postulaverint, eis denegare.

Ad hæc paci & tranquillitati vestræ providere volentes, auctoritate quâ fungimur prohibemus, ut infrà clausuram locorum vestrorum nullus violentiam, vel rapinam, seu furtum facere, aut ignem mittere, aut homines capere vel interficere audeat. Ordinem autem canonicum à prædecessore nostro RAYNALDO in Ecclesiâ vestrâ primitùs institutum, perpetuis ibidem temporibus firmiter præcipimus observari, ne à quoquam nisi de conscientiâ nostrâ vel successorum nostrorum, & conniventiâ totius Capituli vestri nolumus immutari. Volentes igitur ut hæc omnia rata permaneant, necnon perpetuæ firmitatis robur obtineant præsentis scripti paginâ communimus, & sigilli nostri auctoritate confirmamus. Statuentes & sub interminatione anathematis firmiter inhibentes, ne quis hanc nostræ confirmationis paginam audeat infringere, aut ei in aliquo præsumptuosa temeritate contraire, salvâ in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo. Datum per manum Lambini Cancellarii nostri.

Jussu Papæ INNOCENTII III. vetat Episcopus Atrebatensis augeri numerum Conversarum in Ecclesiâ de Beaurepaire.

An.Chr.1208. R Divinâ permissione Attrebatensis Ecclesiæ Sacerdos humilis, P. Archidiaconus, & W. Præpositus ejusdem loci, omnibus Christi fidelibus quibus præsentes litteras videre contigerit, salutem in omnium Salvatore. Scire volumus fidelium universitatem nos domini Papæ mandatum recepisse sub hac formâ.

INNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Episcopo, & dilectis filiis Archidiacono & Præposito Attrebatensi salutem & Apostolicam benedictionem. Dilecti filii Abbas & Conventus de Cisonio nostris auribus intimarunt, quòd quædam domus eorum quæ dicitur *Belrepaire* præter Canonicos & fratres tanta est onerata multitudine feminarum, quas recipere ad instantias & importunitates Principum compelluntur, ut ad necessariam sustentationem earum nequaquam domûs ejusdem sufficiant facultates. Propter quod indulgeri sibi suppliciter petierunt, quòd de cætero non recipiant ibi aliquam mulierem, ne, quod absit, suadente humani generis inimico per ipsas detur occasio delinquendi. Quocircà discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinùs inquisitâ diligentiùs & cognitâ veritate statuatis inde, quod utilitati Ecclesiæ ac saluti servientium in eâdem noveritis expedire. Contradictores si quos inveneritis vel rebelles, per censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compescentes. Quòd si non omnes his exequendis potueritis interesse, tu frater Episcope cum eorum altero ea nihilominùs exequaris. Datum Romæ apud S. Petrum v. Kal. Febr. Pontificatûs nostri anno decimo.

Nos itaque utilitatem antedictæ domûs, & honestatem pariter attendentes, de consilio prudentium virorum statuimus auctoritate domini Papæ jam dictâ, ne prænominati Abbas & Conventus Cisoniensis aliquam Conversam in domo suâ de Bellerepairio recipiant de cætero, donec numerus Conversarum nunc ibi existentium ad numerum duodenarium sit redactus, quibus redactis ad duodecim loco illarum decedentium substituantur aliæ, quæ sint quinquagenariæ. Hoc tamen adjecimus, quòd loco decedentium Conversarum numerus Canonicorum qui serviant ibidem, rationabiliter augeatur. Ut igitur præassignata institutio pro bono & honestate domûs jam dictæ facta, stabilis manens & firma memoriæ commendetur, ad postulationem suprà nominatorum Abbatis & Conventûs, præsentem paginam propter hoc factam sigillorum nostrorum appensione fecimus communiri.

Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo octavo, mense Junio.

Statuta quædam facta à JOANNE Cisonii domino.

EGo Joannes dominus Cisonii, & ego Joannes filius ejus, & Maria uxor mea qui legem Basseiæ juravimus, & sigillis nostris confirmavimus in villâ Cisoniensi tenendam, notum facimus tam præsentibus quàm futuris, quibus præsentem paginam videre contigerit, talia esse jura Ecclesiæ Cisoniensis infrà procinctum ejusdem villæ, secundùm quod Scabini Cisonienses à Scabinis Basseiæ requirentes per legem & judicium in præsentiâ nostrâ & in facie Ecclesiæ constituti, eidem jure hereditario tenenda & habenda adjudicaverunt sicut infrà subscriptum est. An.Chr.1219.

Hospites Ecclesiæ Cisoniensis de hereditate suâ & mobilibus suis placitare debent in Curiâ Abbatis, & ibidem accipere jus & facere secundùm judicium hospitum ipsius Ecclesiæ. Si aliquis Scabinus villæ Cisoniensis hospes Ecclesiæ placito Abbatis in Curiâ ipsius interfuerit, non sicut Scabinus sed sicut hospes cum aliis hospitibus judicabit. Si autem hospes Ecclesiæ, qui Scabinus villæ Cisoniensis fuerit, cum aliis Scabinis in Scabinatu sederit, & Ecclesia ipsum necessarium habuerit, ad mandatum Ecclesiæ sine dilatione veniet. Quòd si hospites Ecclesiæ de aliquâ re inter se terminandâ dubitaverint, ad consilium Scabinorum de Cisonio debent recurrere, &

ipsi secundùm legem Basseiæ eis consulent, dum tamen hospites illi de procinctu villæ fuerint. Si autem hospites Ecclesiæ qui non sunt de procinctu villæ Cisoniensis, in Curiâ Abbatis placitaverint, hospites Ecclesiæ qui sunt de procinctu villæ Cisoniensis cum eis judicabunt, & si necesse fuerit cum eis ibunt ad consilium Parium Castelli Insulæ. Si aliquis de hospitibus Ecclesiæ ad terminum constitutum præfatæ Ecclesiæ redditum suum non persolverit, & ille hospes de procinctu villæ fuerit, & Ecclesia Præposito villæ Cisoniensis de eo conquesta fuerit, Præpositus statim & absque dilatione ad domum hospitis de quo querimonia facta est, semel, iterum & tertiò ire debet, & etiam donec Ecclesiæ de suo redditu fuerit satisfactum. Ex quo verò de aliquo hospite Ecclesia conqueritur pro suo redditu, hospes ille de lege debet tres solidos, de quibus duo solidi sunt Ecclesiæ, & tertius Advocati. Debet prætereà Præpositus in domo hospitis, de quo querimonia fit, accipere tantum quod Ecclesia de suo redditu sit satisfacta. Si autem in domo non invenerit tantum de mobilibus quod valeat redditum, quem debet ille hospes, domum & hereditatem ipsius saisire debet. Quòd si Præpositus amicitiâ, odio vel gratiâ, vel aliquâ aliâ occasione ad id exequendum negligens & imparatus fuerit, Ecclesiæ Scabinis super hoc conqueretur, & ipsi secundùm legem statim facient emendari. Sciendum prætereà quòd lex Basseiæ non ultrà progreditur, quàm sicut Burgenses Cisoniensis villæ mansiones duas habent; Abbatia quoque cum suo procinctu infrà præfatam legem non comprehenditur.

Nos igitur hanc adjudicationem per legem & judicium, sicut prælibatum est, præfatæ Ecclesiæ factam, ratam pariter & gratam habentes, & ut Ecclesia eadem sua in pace possident in perpetuum toto affectu peroptantes, sigillorum nostrorum munimine dignum duximus roborari, & roboratam Ecclesiæ præfatæ contradidimus ad munimentum sui conservandam. Actum anno Dominicæ Incar-
1219. nationis MCCXIX. mense Martio XVII. Kal. Aprilis in vigiliâ beatæ Gertrudis Virginis feriâ II. in Passione Domini.

Ordinat JACOBUS Attrebatensis Episcopus, ut Conversis amandatis ex Ecclesiâ de Beaurepaire *instituantur Canonici Ordinis sancti Augustini.*

An.Chr. 1255. JACOBUS miseratione divinâ humilis Attrebatensis Episcopus, Universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Noveritis quòd nos pro utilitate & honestate Ecclesiæ de Beaurepaire nostræ Diœcesis providemus, statuimus, & ordinamus, ut loco Conversarum nunc ibi degentium subrogentur Canonici ibidem secundùm beati Augustini Regulam, Domino in perpetuum servituri; ita quòd ex nunc in antea quinque Canonici ibi erunt, & quando Conversas ejusdem Ecclesiæ continget decedere, unus Canonicus loco duarum Conversarum instituetur ibidem, donec Canonicorum, quorum unus Prioris geret officium, numerus octonarius impleatur. Qui siquidem Prior providentiam & sollicitudinem præfatæ Ecclesiæ & Canonicorum ipsorum sub Abbatis Cisoniensis obedientiâ procurabit; nostro, Archidiaconi loci, & aliorum ministrorum nostrorum in ipsis Ecclesiæ personis & rebus in omnibus & per omnia jure salvo. Actum & datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, Sabbato post Exaltationem sanctæ Crucis.

ALEXANDER Papa IV. quæ de ejectione mulierum ab Ecclesiâ de Beaurepaire, *acta sunt, confirmat.*

ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei, An. Chr. 1255.
dilectis filiis Abbati & Conventui Monasterii Cisoniensis Ordinis sancti Augustini, Tornacensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sanè exhibita nobis vestra petitio continebat, quòd venerabilis frater noster Attrebatensis Episcopus loci Diœcesanus volens regulari honestati consulere, providâ deliberatione statuit, ut decedentibus mulieribus conversis Ecclesiæ vestræ *de Beaurepaire* prædicti Ordinis, Attrebatensis Diœcesis, earum loco certus poneretur Canonicorum numerus, quorum unus sit Prior ejusdem Ecclesiæ, semper sub vestrâ obedientiâ moraturi; idque venerabilis frater noster Remensis Archiepiscopus loci Metropolitanus, quod per eumdem Episcopum factum fuerat, approbavit, prout in litteris super hoc confectis quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus fecimus annotari, pleniùs continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod ab eisdem Episcopo & Archiepiscopo super hoc providè factum est, ratum & gratum habentes, illud auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. *Tenor autem litterarum ipsarum talis est.*

J. miseratione divinâ humilis Attrebatensis Episcopus, Universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Noveritis quòd nos &c. *ut suprà.*

Item, Universis præsentes litteras inspecturis W. de Gandavo Archidiaconus in Ostrevanno salutem in Domino sempiternam. Noveritis quòd nos provisionem, statutum & ordinationem à venerabili Patre J. Dei gratiâ Attrebatensi Episcopo factas super instituendis Canonicis in Ecclesiâ *de Beaurepaire* loco Conversarum ibi nunc degentium, sicut pleniùs in litteris ejusdem Patris super hoc confectis continetur, approbamus, & ad mandatum ipsius Abbati & Conventui Cisoniensi præsentes litteras sigilli nostri munimine dedimus roboratas: Da-
tum anno Domini MCCLV. Dominicâ primâ post 1255.
Exaltationem sanctæ Crucis.

Item, Th. Dei gratiâ Remensis Archiepiscopus, Universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverint universi, quòd nos litteras venerabilis fratris nostri J. Dei gratiâ Attrebatensis Episcopi vidimus in hæc verba J. miseratione divinâ, &c. *ut suprà.*

Nos igitur prædictam provisionem, statutum & ordinationem sicut factæ sunt approbamus, & auctoritate Metropolitanâ confirmamus. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri munimine dedimus roboratas. Datum anno Domini MCCLV. in vigiliâ beati Matthæi Apostoli. Credens igitur prædictum statutum utrique Ecclesiæ de Cisonio videlicet & *de Beaurepaire* maximè profuturum, vestram reverendam sanctitatem humiliter exoro quatenùs prædicta sicut sunt à prædictis venerabilibus viris cum magnâ discretione provisa, statuta, ordinata, approbata & confirmata auctoritate Apostolicâ dignemini confirmare. Datum anno Domini MCCLV. feriâ sextâ post festum B. Matthiæ Apostoli.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei &

beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateran. vi. Kalendas Februarii. Pontificatûs nostri anno secundo.

Ordinationes quædam inter Abbatem & Canonicos Cisonienses præscriptæ.

An.Chr.1266. NOverint Universi præsentes pariter & futuri, quòd ortâ inter Abbatem Ecclesiæ Cisoniensis ex parte unâ, & Conventum ejusdem loci ex alterâ super quibusdam articulis ad reformationem & statum Ecclesiæ prædictæ pertinentibus, materiâ quæstionis, dictæ partes super eisdem pro bono pacis in Religiosos viros Robertum priorem, Henricum de Carvins & Guillelmum de Gruisons Canonicos Ecclesiæ prædictæ compromiserunt & ipsorum trium ordinationi super præmissis bonâ fide stare promiserunt, & eam firmiter observare. Diligenti igitur inter eosdem super statûs reformatione Ecclesiæ supradictæ tractatu discussioneque præhabitis, dicti tres super iis de quibus in eos extiterat compromissum, seu ordinationi eorum stare promissum, dictum seu ordinationem suam postulerunt in hunc modum.

In primis quoniam Conventus Ecclesiæ prædictæ frequenter in aliquibus defectus patitur, idem Abbas singulis annis in festo beati Remigii quadraginta libras Turonenses in augmentum pitantiæ dare & solvere tenetur, modo subscripto distribuendas: videlicet quòd in festo Omnium Sanctorum cuilibet Canonico in Sacerdotali & Diaconatûs ordine constituto, exceptis Priore *de Beaurepaire*, Presbyteris Parochialibus de Cisonio, & de Camphaing, de uno capello novo & de uno rokecto providebitur, donec dictus Abbas de eisdem aliunde de suâ spontaneâ voluntate voluerit dictis Canonicis providere: & in festo Paschæ, singulis Canonicis in quocumque ordine constitutis, & de caligis lineis annis singulis, & de quadriennio in quadriennium de crepidis idoneis.

Et quoniam de antiquâ Ecclesiæ consuetudine quilibet Canicorum infrà duos annos unam pelliciam habere consuevit, statutum est per eosdem & ordinatum, ut primo anno secundùm dictam consuetudinem habitâ pelliciâ, secundo anno cuilibet Canonicorum prædictorum de parvo pellicio sibi competenti providebitur de quadraginta libris antedictis. Si quid verò de dictis quadraginta libris ultrà prædicta residuum fuerit, illud in pitantiâ cœnæ vespertinæ Conventûs prædicti convertetur, vel in alios usus secundùm quod Conventui videbitur expedire. Hæc autem distributio relinquitur Abbatis arbitrio alicui Canonicorum prædictorum committenda.

Insuper dictus Abbas unum Canonicorum prædictorum suo Cellario præponat, qui claves vinorum custodiat, hospites visitet, eorum necessitatibus provisurus, nec aliud officium gerat. Et cum eum exire continget claves prædictas ei committet quem ad hoc dictus Abbas duxerit deputandum. Provideat etiam dictus Abbas hospitio, & hospitalitatem emendet competenter, ne occasione hospitum de eodem Abbate detur materia conquerendi. Conventui etiam se benignum & humanum exhibeat, & ei plùs solito provideat in refectorio, ne inter Fratres super ejus defectu murmur in posterum oriatur. Conventus quoque vinarium sibi eligat, & vinis suis præponat, ut fieri solet, per triennium in officio duraturum, nisi perversâ ejus administratione perpensâ Conventus eum viderit interim amovendum; qui in domo Cisoniensi stabulum suum habeat, & equum sub expensis Abbatis sæpedicti, ita tamen quòd ipse eidem Abbati unum modium avenæ singulis annis restituet & reddet. Habebit etiam ibidem proprium garcionem, qui quoties in negotiis domini sui transmittetur, præbendam suam habeat garcionibus consuetam. Statutum est etiam ut quilibet Canonicus durante majori licentia, quæ semel in anno concedi consuevit, æstimationem prebendæ vini sui habeat in pecuniâ numeratâ.

Verùm etiam cum de jurisdictione ordinariâ in eâdem Ecclesiâ frequenter dubitatio orta fuerit, utrum videlicet Episcopus Tornacensis vel Remensis Archiepiscopus eorumdem Abbatis & Conventus ordinarius existat, statutum est & ordinatum quòd præfatus Abbas infrà dimidium annum à tempore, quo in Ecclesiâ Remensi Archiepiscopum ordinari continget, declarari procurabit quis eorum ordinarius existit; ita tamen quòd si idem Abbas hoc infrà dictum tempus declarari minimè procuret, tenebitur tamen omnimodè hoc post dictum tempus facere & procurare sufficienter declarari, adeo ut dicta dubitatio in totum sopiatur. Si verò dictus Abbas censas suas facere vel dare voluit, tenetur Conventûs requirere consensum, & Conventus dictæ censæ sigillum suum apponere debet si consentiat: & si non consentiat, idem Abbas in dandis vel faciendis censis primitùs, ut dictum est, consensu Conventûs requisito, de consensu quatuor vel quinque Canonicorum Ecclesiæ prædictæ dictas censas dare aut facere poterit. quibus Conventus ipse non consentiens sigillum suum non apponet.

Statuat etiam idem Abbas unum Canonicum apud *Camphaing*, qui curam gerat Parochiæ, cujus Canonici prebenda talis erit: habebit enim singulis diebus tres pintas vini de cellario Conventûs, in suis munitionibus unum lotum, quâlibet hebdomadâ decem & octo panes de Conventu, & pannos suos quales haberet si in Ecclesiâ Cisoniensi personaliter resideret. Mittat etiam idem Abbas unum Canonicum apud Louvil ad divina ibidem celebranda.

Et quoniam dictus Abbas frequentiùs vestes lineas Canonicis prædictis de telâ magis grossâ quàm deceat dare consuevit, ordinatum est & statutum, quod dictus Abbas cuilibet Canonicorum prædictorum det superpellicium in festo omnium Sanctorum, ut ab antiquo dari consuetum est, cujus quælibet ulna sit valoris decem & octo denariorum Turonensium, & non minoris. In festo verò Paschæ roxetum unum, quorum quælibet ulna valoris sit viginti denariorum dictæ monetæ, & non minoris. Camisias verò femoralia, & linteamina habeant, quorum quælibet ulna valoris sexdecim denariorum monetæ sæpedictæ.

Ordinatum est etiam & statutum pro defectu personarum, quòd dicti Abbas & Conventus infrà festum beati Remigii proximo venturum in Ecclesiâ Cisoniensi sæpedictâ duos pueros recipiant, qui per quatuor annos continuos in scholis ibidem permaneant, ac deinceps in scholis per tantum temporis spatium remanebunt pueri qui in posterum recipientur ibidem.

Item Abbas bis in anno compotum coram Conventu de suâ administratione reddat generalem duobus terminis, videlicet introitu mensium Martii & Septembris. Habeat etiam idem Abbas suos servientes tales, quòd ipsi Canonicis dictæ Ecclesiæ nullas injurias aut molestias inferant; quòd si fecerint, dictus Abbas eos increpet super hoc & corrigat diligenter; & emendam passo prestari faciat competentem.

Item facientes dictorum Abbatis & Conventûs cutellos acutos, infrà septa Monasterii non deportent.

Item libri & privilegia dictæ Ecclesiæ quolibet an-

no infrà octabas nativitatis beati Joannis Baptistæ Conventui semel ostendantur. Si autem dictum Abbatem aliquas excommunicationum sententias immaturiùs aut indiscretiùs in præteritum contingit pertulisse, idem Abbas in posterum ferendas cum omni maturitate & discretione promulget.

Potest autem dictus Abbas Officiales suos & Obedientiarios, excepto vinario Conventûs, instituere & destituere pro suæ libito voluntatis. Prior autem *de Beaurepaire* singulis annis in capite Septembris compotum reddat apud Cisonium coram Abbate & Conventu sæpedictis.

Omnia autem & singula supradicta per præfatos R. Priorem, H. de Carvins, & Willelmum de Gruisons Canonicos prædictos utilitate dictæ Ecclesiæ pensatâ diligenter statuta sunt & ordinata, & ad perpetuam eorum memoriam in scripturam redacta. Quibus omnibus & singulis statutis & ordinatis, & diligenter expositis præfati Abbas & Conventus expressè consenserunt, & ea firmiter observare bonâ fide promiserunt; in signum cujus consensûs, & testimonium ac munimen præmissorum Abbas & Conventus prædicti sigilla sua duxerunt præsentibus litteris appendenda.

Datum anno Domini M. CCLXVI. mense Maio.

Capitulum Remense Cisoniensibus Canonicis facultatem dat eligendi Abbatem.

An.Chr.1367. R. Præpositus, N. Decanus, H. Cantor, cæterique Remensis Ecclesiæ Fratres, venerabilibus & religiosis viris dominis Guillelmo de Argentiis Priori Claustrali, Petro de Orchiis ac aliis Canonicis, totique Conventui Ecclesiæ seu Monasterii Cisoniensis, Ordinis sancti Augustini, Tornacensis Diœcesis dicto Monasterio per obitum ultimi Abbatis ejusdem Pastoris solatio destituto, salutem in Domino sempiternam. Cum itaque vestro, ut prædictum est, vacante Monasterio per procuratorem vestrum ad hoc legitimè constitutum nobis humiliter supplicaveris, quatenùs licentiam eligendi futurum Abbatem seu Pastorem in dicto vestro Monasterio sive Ecclesia, prout ad vos pertinet, concedere dignaremur.

Nos verò supplicationi vestræ tanquam justæ favorabiliter annuentes, dictum Abbatem seu Pastorem eligendi, nominandi, postulandi ac causam præsentandi, & omnia alia & singula circà hujusmodi electionem necessaria, seu quomodo libet oportuna faciendi, tenore præsentium licentiam impertimur.

Datum sub sigillo nostro die duodecimâ mensis Decembris, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo septimo.

DIONYSIUS Abbas Cisonii confirmat fundationem Capellæ in castro de Lannoy.

An.Ch. 1460. UNiversis & singulis præsentibus pariter & futuris præsentes litteras inspecturis, visuris & audituris Dionysius humilis Abbas Monasterii sancti Callisti de Cisonio Ordinis S. Augustini Tornacensis Diœcesis, totusque ejusdem loci Conventus Reverendissimo in Christo Patri Domino Archiepiscopo Remensi immediatè subjecti, salutem in Domino sempiternam. Exposuit nobis nobilis ac potens Miles Joannes, dominus temporalis de Lannoy, quòd dudum domini sui progenitores, dum viverent, singulari devotione moti in suo castro de Lannoy animo instituerant ad divini cultûs exaltationem unam Capellam fundare, in qua singulis diebus pro salute animarum ipsorum suorum progenitorum, Missa, preces & suffragia celebrarentur, quam tamen devotionem ad effectum usque perducere morte præventi nequiverunt. Hac pia consideratione motus præfatus Miles suorum progenitorum vota, non modo effectui mancipare desiderans, sed ea quantum fas & jus sinerent ampliare, à Reverendo in Christo Patre domino Joanne Episcopo Tornacensi obtinuit, ut in castro seu fortalicio suo de Lannoy infrà limites Parochiæ de Liis nostri Patronatûs, dictæ Tornacensis Diœcesis constituto, sibi liceret Capellam cum campanili & campanâ construere, seu construi facere, ipsamque Capellam successu temporis in Collegiatam Ecclesiam erigere & sufficienter dotare, necnon certum numerum Sacerdotum, Capellanorum aut Canonicorum instituere, qui inibi Missas in altari portatili celebrarent, ac horas diurnas & nocturnas decantarent, dictarumque Capellaniarum seu Canonicatuum collationem, provisionem & omnimodam dispositionem præfato domino de Lannoy, & suis in posterum successoribus concedendo, salvo tamen jure nostro.

Hinc sumptâ occasione prædictus Miles nos, qui in dicto loco de Lannoy & totâ Parochiâ de Liis jus patronatûs cum perceptione duarum partium decimarum & oblationum, aliorumque jurium Parochialium Parochialis Ecclesiæ de Liis habere dinoscimur, instanter rogavit, ut prædictæ Reverendi in Christo Patris domini Episcopi Tornacensis piæ concessioni, nostrum quoque consensum præbere vellemus. Attendentes itaque prædictum dominum de Lannoy hac piâ consideratione ac singulari devotione moveri, suis precibus obtemperandum duximus & obtemperamus, ac prælibatæ Reverendi Patris domini Episcopi Tornacensis tam liberali concessioni nostrum quoque pro nostro interesse consensum præbemus pariter & assensum: quæ videlicet institutio, collatio, & omnimoda dispositio dictarum Capellaniarum seu Canonicatuum nunc, ac dum vacare contigerint, ad dictum dominum de Lannoy, & suos successores dominos dicti castri pro tempore liberè spectet & pertineat pleno jure, & absque nostrâ præsentatione, nostro jure patronatûs non obstante, salvo tamen nostro jure Parochiali ac Curati dicti loci de Liis tam in Curâ animarum Parochianorum dictæ Parochiæ de Liis, quàm in administratione Sacramentorum, perceptione decimarum, oblationum & obventionum qualiumcumque & quocumque nomine censeantur.

Quæ omnia jura Parochialia prædictus dominus de Lannoy voluit & consensit ad nos, & Curatum dictæ Parochialis Ecclesiæ salva & integra remanere, promisitque tam pro se quàm suis successoribus, in prædictis omnibus & singulis juribus Parochialibus, nullum nobis, aut dicto Curato de Liis, seu Ecclesiæ nostræ Cisoniensi impedimentum præstare, exceptis dumtaxat prædicti domini de Lannoy suorumque successorum familiaribus servitoribus ac domesticis utriusque sexûs, tam præsentibus quàm futuris, in dicto castro seu fortalitio de Lannoy degentibus, qui omnes occurrente oportunitate (si id de licentiâ & auctoritate Domini Diœcesani præfati processerit) poterunt sua Sacramenta Ecclesiastica in prædictâ Capellâ castri seu fortalitii de Lannoy recipere & habere, salvo tamen jure & commodo inhumationis, proclamationis bannorum, & aliorum jurium Parochialium exinde obvenire solitorum. Consensimus etiam specialiter & expressè præfato domino de Lannoy suisque in dicti castri seu fortalitii dominio successoribus utriusque sexûs, necnon prædictis Canonicis seu Capellanis ejusdem loci præsentibus & futuris, si in dicta Capella postquàm fuerit consecrata, eligant sepulturam, posse sepeliri, salvo tamen jure & commodo funeralium nobis & Curato de Liis semper salvis. Illud insuper consensimus quantum ad nos seu nostram Ecclesiam

attinet seu concernere poterit in futurum, domino de Lannoy præfato ac suis utriusque sexus successoribus, ac aliis quibuscumque personis in dictâ Capellâ suos obitus pro suâ devotione posse fundare, absque hoc quòd nos aut dicti successores nostri, hujusmodi obituum fundationibus impedimentum aliquod præstare possimus, aut in luminari seu candelis circum funus aliquod jus vendicare, jure tamen oblationum manualium ad altare semper salvo.

Præmissorum autem consideratione sæpedictus dominus de Lannoy dictæ Capellæ primævus institutor atque fundator, voluit & consensit, vultque & consentit tam pro se quàm suis successoribus, nobis ac successoribus nostris Abbatibus de Cisonio post decessum cujuslibet nostrûm unum obitum seu anniversarium per dictos Canonicos seu Capellanos; qui sunt aut erunt tempore decessûs nostri seu nostrorum successorum Abbatum, perpetuò celebrari. Pro cujus rei observatione prædicti Canonici jam instituti & in posterum instituendi erunt efficaciter obligati.

Ut autem hæc omnia & singula præmissa firmiter & inviolabiliter observentur, nos Abbas & Conventus prædicti præsentes litteras sigillorum nostrorum unà cum dicti domini de Lannoy dictæ Capellæ primævi fundatoris, sigilli appensione muniri fecimus.

Datum & actum anno Incarnat. Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, mensis Novemb. die decimâ quintâ.



MONITUM.

NARRATIONEM, sive Historiam restaurationis Tornacensis Monasterii S. Martini, perantiquæ fundationis Ord. S. Benedicti, quam damus in lucem, accepimus à longè eruditissimo & antiquarum rerum peritissimo Carmelita Discalceato Josepho Ignatio à S. Antonio, ex illustriss. familiâ Toparcharum de Rebec oriundo, qui eam descripsit, & adnotatiunculis, quæ multum lucis mihi attulere, adornavit; iis voces aliquot & varia loca in contextu comprehensa elucidantur.

Auctor HERIMANNUS *semet prodit Monachum, post Abbatem sancti Martini Tornacensis, scribitque in prologo causam cur ad hoc opus se accinxerit; & fatetur ingenuè, cùm diruta Abbatia multis sæculis permanserit, seu varios casus pertulerit & vicissitudines, sæpiusculè in illâ narratione exarandâ sese tenebris fuisse obvolutum; quippe qui nihil penè antiquorum monumentorum repererit, quandoquidem nobile istud Asceterium ædificiis destructis planè spoliatum fuerit ornamentis pretiosis, chartis, reditibus, ac proinde nonnisi labore summo ad notitiam aliquam pervenire valuerit anterioris ac veteris ævi, & priorum Patrum qui Cœnobium istud incoluere: atque ut historiæ filum texat & chronologiæ ordinem observet, rebus Monasticis Pontificum, Regum, Principum, & Dynastarum adjicit actus. Singularia hac in narratione animadvertet haud dubiè eruditus Lector, ea potissimùm quæ tamquam oculatus auritusque testis affirmat Herimannus suo tempore evenisse. Nihil hic attexo, percurre, si lubet, adnotationes adjectas, atque indicem rerum.*

HERIMANNUS *sui Operis exordium sumit à Samsone Remorum Archiepiscopo, & Innocentio II. Catholicam Ecclesiam regente, dum Romæ ageret, quemadmodum ipse testatur in præfatione:* Ne penitùs, *inquit*, tam longi temporis tædio depeream in Lateranensi Palatio, restaurationis Ecclesiæ nostræ ordinem scribere aggredior, &c. *In his autem verbis:* Et ex consortio eorum melius esset, quàm si seorsim essent sepulti, *desiisse reor. Quæ porrò sequuntur à numero* 103. *ad finem, alterius arbitror esse relationem: quippe Hermannum summâ animi demissione aliisque virtutibus præclarum, in tot sui laudes prorupisse minimè fas est credere. Continuator ille suam relationem absolvit anno* 1160.

NARRATIO RESTAURATIONIS ABBATIÆ S. MARTINI TORNACENSIS,

Auctore Herimanno Abbate ejusdem Monasterii Ordinis S. Benedicti.

Prologus sequentis Narrationis.

DILECTISSIMIS dominis, Patribus, Fratribus, & Filiis universis Beati Martini Tornacensis Cœnobii Monachis, Frater HERIMANNUS ultimus eorum servulus, super flumina Babylonis supernæ Sion jugiter recordari. Pro dilectione quam mihi ab infantiâ meâ exhibuistis, pro sincerâ obedientiâ, quam mihi quamdiù Abbas vester esse volui, [a] sine aliquo scrupulo semper & præsenti & absenti impendistis, Deo & omnibus vobis gratias refero, utque vobis ipse Dominus

a *esse volui*] Scilicet abdicavit munus Abbatiale an. 1136. ut in frà habetur. in fine vel initio seq. cum præfuisset 10. fermè annos,

pro

pro me retribuat, ejus misericordiam exoro. Quia verò nonnulli vestrûm à me petierunt multoties, ut modum constructionis, sive restaurationis Ecclesiæ nostræ litteris mandando tam futuris quàm præsentibus notificarem, ecce petitioni eorum libenter satisfacere volo, sciens priorum notitiam plerumque posteris profuisse, eorumque ignorantiam sæpenumero non parvum detrimentum intulisse. Nostis autem ex quo adolescentulus fui me idem facere voluisse, & etiam tabulis aliqua impressisse, sed dum considerarem primos Ecclesiæ nostræ inceptores adhuc vivere, adulationis notam timuisse, si eorum actus viventibus ipsis viderer scribere, sicque ea quæ incœperam delevisse. Nunc verò quia jam duobus primis defunctis, ego tertius Abbas successi, ac de prioribus Monachis aut nullum, aut paucos superstites video, simul etiam jam quinquagesimum annum restaurationis nostræ transisse non ignoro, ecce securior petitioni vestræ possum acquiescere. Si enim ulteriùs differam, tempore prætereunte multa possunt paulatim oblivioni tradi, quæ necesse fuisset describi. Quia ergo sicut nostis præterito nuper Natali Domini cum domino nostro SAMSONE Remorum Archiepiscopo Romà rediens litteras domini Papæ INNOCENTII Tornacum detuli, præcipientes Tornacensibus ut proprium sibi Episcopum eligerent, & ab obedientiâ Noviomensis Episcopi omninò absoluti essent, sicque electo ad Episcopatum Domno ABSALONE S. Amandi Abbate, statim pro eo Romam rogatus sum redire; dumque Domni Papæ responsum exspecto, jam ab octavis Paschæ usque ad octavas Pentecostes me Romæ demoratum esse conspicio: ne penitùs tam longi temporis tædio deficiam, vel otio depeream in Lateranensi palatio, restaurationis Ecclesiæ nostræ ordinem scribere aggredior, descriptumque vobis transmittere cupio, summopere deprecans ut si fortè, quod multum timeo, nimio calore ingravescente mori me Romæ contigerit, servuli vestri animam Domino precibus commendetis. Duobus sanè fraternitatem vestram jugiter hortor insistere, Religioni scilicet, & mutuæ dilectioni: per hæc enim duo tam intrinsecùs, quàm extrinsecùs Deo favente proficere poteritis. Hæc duo quotiescumque firmiter tenuimus, exteriùs sævientes mundi procellas deridendo despeximus, & despiciendo calcavimus: si quando verò ea vel leviter inter nos frigescere permisimus, exteriorem prosperitatem nihil nobis commodi conferre probavimus. Sed hæc præmisisse jam sufficiat, nunc subjungatur relatio verissima.

Explicit Prologus.

Incipit Liber Domni HERIMANNI Abbatis.

De Restauratione Ecclesiæ Sancti MARTINI *Tornacensis.*

1. FRancorum Regni sceptra gerente Rege PHILIPPO filio HENRICI filii ROBERTI, filii HUGONIS Capeti, qui Reges de stirpe inclyti KAROLI de regno expulit, & principatum obtinuit, fuit quidam Clericus Aurelianensi civitate oriundus, patre Gerardo, matreque Cæciliâ progenitus nomine ODO: hic à pueritiâ studiis litterarum instanter intentus, intrà tempus adolescentiæ tantum scientiæ est adeptus, ut nemini sui temporis Francigenarum in eâ judicaretur secundus, unde magistri potiùs quàm discipuli homine dignior habitus, primò in urbe Tullensi scholasticos docuit, deinde à Canonicis Beatæ MARIÆ Tornacensis urbis evocatur, scholæ eorum magister constituitur, quam ferè per quinquennium regens adeo sui nominis opinionem dilatavit, ut non solùm ex Franciâ, vel Flandriâ, seu Normanniâ; verùm etiam ex ipsâ quoque longè remotâ Italiâ, Saxoniâ, atque Burgundiâ Clericorum catervæ diversorum, ad eum audiendum quotidie confluerent; ita ut si civitatis plateas circuiens greges disputantium conspiceres, cives omnes relictis aliis operibus soli philosophiæ deditos crederes: jam verò si scholæ appropiares, cerneres magistrum Odonem nunc quidem Peripateticorum more cùm discipulis docendo deambulantem, nunc verò Stoïcorum instar residentem; & diversas quæstiones solventem, vespertinis quoque horis ante januas Ecclesiæ usque in profundam noctem disputantem, & altrorum cursus digiti protensione discipulis ostendentem, zodiacique, seu lactei circuli diversitates demonstrantem, à quibus cum plurima ei darentur, unus inter cæteros annulum ei dedit aureum, in quo hic versiculus decenter erat sculptus:

Annulus Odonem decet aureus Aurelianensem.

Sed cùm omnium septem liberalium artium esset peritus, præcipuè tamen in Dialecticâ eminebat. & pro ipsa maximè Clericorum frequentia eum expetebat. Scripsit etiam de eâ duos libellos, quorum priorem ad cognoscenda devitandaque sophismata valde utilem, intitulavit *Sophistem*; alterum verò appellavit librum *Complexionum*; tertium quoque *de Re, & Ente* composuit; in quo solvit si unum idemque sit *res & ens*. In his tribus libellis, sed & in cæteris opusculis suis cum sese oportunitas interserit sui nominis proferendi, non se Odonem, sed sicut tunc ab omnibus vocabatur nominabat Odardum.

2. Sciendum tamen de eodem Magistro, quòd eamdem dialecticam non juxtà quosdam modernos in *voce*, sed more Boëthii antiquorumque Doctorum in *re* discipulis legebat: unde & Magister Rainbertus, qui eodem tempore in oppido Insulensi dialecticam Clericis suis in *voce* [b] legebat; sed & alii quàmplures Magistri ei non parum invidebant, & detrahebant, suasque lectiones ipsius meliores esse dicebant, quamobrem nonnulli ex Clericis conturbati cui magis crederent hæsitabant, quoniam & Magistrum Odardum ab antiquorum doctrinâ non discrepare videbant, & tamen aliqui ex eis more Atheniensium aut discere aut audire aliquid novi semper humanâ curiositate studentes, alios potiùs laudabant, maximè quia eorum lectiones ad exercitium disputandi, vel eloquentiæ, imò loquacitatis & facundiæ plus valere dicebant. Unus itaque ex ejusdem Ecclesiæ Canonicis nomine Gualbertus, qui postmodum Monachus noster, deinde in Episcopatu Catalaunensi Abbas exstitit, tantâ sententiarum, errantiumque Clericorum varietate permotus, quemdam pythonicum surdum, & mutum, sed in eâdem urbe divinandi famosissimum secretò adiit, & cui Magistrorum magis esset credendum digitorum signis & nutibus inquirere cœpit: protinùs ille, mirabile dictu! quæstionem illius intellexit; dexteramque manum per sinistræ palmam instar aratri terram scindentis pertrahens, digitumque versus Magistri Odonis scholam protendens, significabat doctrinam ejus esse rectissimam; rursus verò digitum contrà Insulense oppidum protendens, manuque ori admotâ exsufflans, innuebat Magistri Raimberti lectionem nonnisi verbosam esse loquacitatem. Hæc dixerim non quo pythonicos con-

b *in voce*] Hos Nominales, alios Reales vocant.

sulendos, vel eis contrà præceptum Divinum arbitrer esse credendum, sed ad redarguendum quorumdam superborum nimiam præsumptionem, qui nihil aliud quærentes nisi ut dicantur sapientes, in Porphyrii Aristotelisque libris magis volunt legi suam adinventiciam novitatem, quàm Boëthii cæterorumque antiquorum expositionem. Denique D. Anselmus Cantuariensis Archiepisc. in libro, quem fecit de *Verbi Incarnatione* non dialecticos hujusmodi Clericos, sed dialecticæ appellat hæreticos, *Qui non nisi flatum*, inquit, *universales putant esse substantias*, dicens eos de sapientum numero meritò esse exsufflandos.

3. Cum ergo Magister Odardus [c] pro scientiâ suâ ubique laudaretur, tanta nihilominùs in eo Religionis pollebat dignitas, ut non minùs pro ipsâ ab omnibus undique celebris & famosus haberetur: quando enim præcedentem & ad Ecclesiam tendentem ducentorum ferè Clericorum cohortem ultimus ipse suo more subsequebatur, vix in aliquo districtissimo Monachorum Cœnobio majorem invenire potuisses religionem; nullus enim socio colloqui, nullus ridere, nullus audebat mussitare, nemo dexterâ, lævâque vel modicum oculos præsumebat deflectere: ubi verò in choro ventum fuisset, superfluè aliquis districtionis causâ alium Cluniacum quæsisset. De frequentationibus verò feminarum, de crinium, seu vestium incompositione vel similium, quæ hodie passim exerceri videmus, abusione, supervacaneum est aliquid dicere; quoniam hujusmodi pestes sine dubio aut scholâ pepulisset, aut scholæ magisterium reliquisset. Tanti præterea rigoris erat, ut nullum omninò laïcum ingredi Claustrum horâ legendi permitteret; nam cum ante adventum ejus Milites, & Cives ad audiendas, & terminandas forenses causas ex consuetudine Claustro Canonicorum abuti soliti essent, ita jam omnes penitùs inde eliminaverat, ut ne ipsum quidem Everardum potentissimum ejusdem urbis Castellanum, qui castellum Moritaniæ [d] antea prorsus inexpugnabile eodem tempore militari strenuitate violenter captum dominio Tornacensi addiderat; pro hujusmodi causis nec ad horam quidem in eo residere permitteret, licet eum exinde non parum offendi sciret. Nihil enim minùs quàm injustas divitum, vel potentum iras pertimescebat, magnumque dedecus viri sapientis esse dicebat, si pro favore vel gratiâ Principum vel modicum à tramite rectitudinis declinet. Pro talibus ergo moribus non solùm à Canonicis, verùm & ab ipso Domno RABODO tunc temporis ejusdem urbis venerabili Episcopo, cunctisque civibus diligebatur, meritoque honorabatur. Quamvis autem nonnulli dicerent eum hanc districtionem non exercere causâ Religionis, sed potiùs antiquæ Philosophiæ consuetudinis; facilè tamen lector animadvertere potest cujusmodi post conversionem fuerit, quem in vitâ sæculari tanti constat fuisse rigoris. Sed jam de his quæ in scholis gessit hæc dixisse sufficiat, nunc ad ejus conversionis veniamus exordia.

4. Cum scholæ Tornacensi ferè per quinquennium præfuisset, oblatus est ei à quodam Clerico liber Beati Augustini *de Libero Arbitrio*, quem Magister ob solum Bibliothecæ suæ comparans supplementum, in scrinio cum cæteris libris projecit, utpote qui adhuc mundanæ sapientiæ deditus magis delectabatur lectione Platonis quàm Augustini. Cum ergo post duos ferè menses Boëthium de *Consolatione Philosophiæ* discipulis legens, ad quartum librum, in quo de *Libero Arbitrio* disserit, pervenisset, recordatus empti libri, cogitansque si quid dignum memoriâ in eo posset inveniri, quem de eâ materiâ constabat intitulari, vocato ministro suo jussit sibi eum deferri. Allatum itaque aperiens, & duas vel tres paginas legens, paulatim eloquii cœpit delectari venustate: protinusque convocatis Clericis utpote omnis expers invidiæ, & inventi thesauri volens eos participes esse: Verè, inquit, hactenùs ignoravi Augustinum tantæ, tamque delectabilis fuisse facundiæ; dixit, statimque librum ipsum à capite incipiens, non solum tunc, sed & sequenti die cœpit eis studiosè legere, & in locis obscurioribus diligenter exponere: cum ecce legendo ad tertium librum pervenitur, in quo præfatus Doctor servo pro criminibus suis de priori dignitate pulso, & mundandæ cloacæ deputato comparat peccatrices animas, quæ cœlestem quidem gloriam pro sceleribus suis perdunt, hunc verò mundum cloacæ fœtidæ similem quodammodo decorant quamdiù in eo vivunt. Hanc ergo sententiam cum Magister Odardus audientibus discipulis legisset, tactus nimio dolore cordis intrinsecùs, ex imo pectoris trahens alta suspiria: Heu, inquit, quàm fortiter ista nos premit sententia! hæc reverâ tam propriè mihi videtur nobis congruere, ac si propter nos solummodo fuerit scripta; hunc siquidem fœtidum mundum quantulâcumque scientiâ nostrâ perornamus, cœlesti verò gloriâ post mortem digni non erimus, quoniam nullum Deo servitium facimus, nec scientiam nostram in ejus famulatu expendimus, sed in sæculi vanitate pro mundanâ laude malè ipsâ abutimur. His dictis surrexit, totusque lacrymis perfusus Ecclesiam intravit. Tota subitò schola turbatur, Canonicorum etiam conventus admiratione nimiâ concutitur. Post hæc ergo paulatim cœpit sese scholis absentare, Ecclesiam plus solito frequentare, pecuniam congregatam omnibus quidem pauperibus, sed maximè Clericis egentibus erogare: jejuniorum rigorem attentare, ita ut multoties panem pugno includens, & quod exterius eminebat cultello præcidens, non plus ad comedendum retineret, quàm in pugno remansisset: & ecce homo quondam lactei candoris, corpulentique nitoris, subitò jejuniorum maceratione attritus, in tantum macer & tenuis, ossibusque prominentibus siccus, & exilis intrà paucos dies redditus est, ut ab his qui eum videre consueverant in alterum virum mutatus putaretur, vixque jam à multis recognosceretur. Fama protinus per totam circumvolat regionem, quantociùs renuntiaturum sæculo magnum Odonem, unde quatuor ex ejus Clericis ipsum sequentes eique adhærentes, promittunt ei quocumque iret, se eum indivisibiliter fore sequuturos, & ab eo responsum accipiunt, quòd nihil faceret absque eorum communi assensu. Hos autem his nominibus appellatos fuisse accepimus: Odo Abbas, cujus anniversarius est XIII. Kalendas Julii; Gerbertus qui IV. Idus Aprilis obiit; Rodulfus qui & ipse IV. Kalendas Martii; Willelmus qui decimo Kalend. Maii obiit; Lamfridus quintus eorum socius, fugâ lapsus periit. Protinùs Abbates totius Provinciæ tam Monachorum, quàm Canonicorum sigillatim Tornacum adveniunt, Magistrumque Odonem & ejus socios ad suam unusquisque Ecclesiam invitat. Clericis verò Magistri Canonicorum magis quàm Monachorum ordinem placet assumere, quia & in Ecclesiasticis officiis, & in quotidiano victu & vestitu Canonici tolerabiliorem ritum ducerent quàm Mo-

c *Odardus*] Non igitur expungendus est ex catalogo Camerac. Episcoporum Odardus Episc. cum idem sit ac Odo.

d *Moritania*] Vulgo *Mortaigne*, ad Scaldim flu. Tornacum inter & oppidum S. Amandi Elnonens. Hinc Everardi successores nomen de Mortaigne assumserunt.

nachi : quamobrem nunc ad Montem Sancti Eligii, nunc verò Gautenias ubi Canonici districtioris vitæ manebant, visitationis gratiâ proficiscentes, sollicitè explorabant quo loco remanere sibi competentius foret, sed Divina dispositio jam aliter de eis ordinaverat.

5. Erat siquidem tunc temporis extrà ejusdem urbis portam meridianam modica Ecclesia in honore Beati Martini in monte modico constructa : hanc fama vulgaverat antiquitùs Abbatiam fuisse, sed tempore persequutionis Wandalicæ cum cæteris Gallicanis Ecclesiis à paganis destructam, ad nihilum devenisse : quædam tamen terræ ejus in provinciâ remanserant, quæ ab omnibus adhuc terræ Sancti Martini vocabantur, sed in laïcorum manus devenerant, qui eas in beneficio de manu Episcopi tenebant. Ipsa verò Ecclesiola ad tantam solitudinem fuerat redacta, ut nullum omninò fieret in eâ Divinum officium, quoniam nec Presbyteri qui Parochiales Ecclesias ejusdem urbis tenebant, in eâ Missam cantare volebant, utpote nullo superveniente qui eis ibi aliquid offerret. Pauperes solummodò, qui nihil penitùs habebant, & procul à Parochialibus Ecclesiis mortui non inveniebant qui eos ad illas deferret, ad hanc quia propior erat, deferebantur. Tuncque superveniens Presbyter de vicinâ sancti Piati Ecclesiâ eos sepeliebat, & si quid ab aliquo fideli fortè oblatum fuisset, asportabat.

6. Eodem tempore illa ignea pestilentia Divino judicio nimis ipsam provinciam oppresserat, quâ plurimorum pedes invisibili igne, qui ignis inferni vocabatur, publicè comburi videbantur : quamobrem non solùm de ipsâ provinciâ, verùm etiam de remotis longeque positis regionibus eodem igne combusti ad Ecclesiam Beatæ MARIÆ in urbe Tornacensi constructam quotidie gregatim deferebantur, quoniam probatum longeque diffamatum erat, ejus misericordiâ quàm plures jam sanatos fuisse in eâ; sed cum ipsa Ecclesia eorum multitudine jam undique fuisset repleta nimiumque fœtorem utpote succensæ carnis humanæ, vel, ut decentiùs loquar, nidorem jam nullus penè ingredientium sufferre valeret, necessitate compulsi Canonici præceperunt ut quorum jam pedibus combustis tibiæ succensæ fuerant, sanitatisque eorum nulla spes supererat, de ipsâ Ecclesiâ ejicerentur. Sic itaque ejecti, quoniam nec in aliis Parochialibus Ecclesiis pro eodem intolerabili nidore recipiebantur, ad præfatam Sancti Martini Ecclesiolam utpote vacuam & solitariam à proximis suis deferebantur, ibique ejusdem ignis ultione tandem defuncti sepeliebantur : cujus pestis immanitate permotus suprà dictus Rabodus venerabilis Episcopus, totius provinciæ populum ad eamdem sanctæ MARIÆ congregari fecit Ecclesiam, factoque cunctis generali sermone, omnibusque nimium perterritis, plusquàm mille juvenum comas totondit, vestesque per terram defluentes, & libidini potiùs quàm necessitati servientes præcidit : deinde universis unâ feriâ sextâ integrâ usque ad noctem jejunare, ita ut etiam infantuli nutricum papillas non sugerent, indixit. Præterea in sequenti sanctæ Crucis exaltatione universum populum cum Sanctorum pignoribus nudis pedibus totam urbem forinsecùs processionem faciendo circuire constituit : sicque iram Domini in misericordiam conversam experti sunt cuncti, multis pro eâ orationibus & eleemosynis factis ; quæ processio in præfata sanctæ Crucis Exaltatione per ejusdem urbis circuitum usque in hodiernum diem servatur, [e] ita ut de circumpositis regionibus nonnunquam ad eam ferè centum millia plebis diversi sexûs & ætatis congregari videantur, nisi quòd jam non nudis pedibus eam faciunt, sed potiùs Milites, & juvenes ludos exercent in eâ diversarum vanitatum, & cursus equorum ; plusque ipsâ die ibi inveniatur levitatis quàm religionis, vel devotionis, plurimis jam pro diuturnitate temporis ignorantibus quâ necessitate, vel causâ eadem processio fuerit instituta.

7. Præfatos ergo infirmos invisibilis ignis incendio temporaliter concrematos, sed, ut credimus, à peccatis suis eodem supplicio purgatos, cum seniores urbis cives viderent ad præfatam Ecclesiolam S. Martini deferri, compassionis misericordiâ permoti lacrymas fundebant, totiusque urbis thesaurum ad S. Martinum deferri dicebant, eorumque precibus ibidem sepultorum quamcitiùs Dominum ejusdem Ecclesiæ miserturum, eamque restauraturum, fideli corde subjungebant : nec fefellit eos pia fides.

8. Vitalis etiam quidam senex, opibus pauper, moribus dives, cum festis diebus ibidem advenientes juvenes utpote in spatioso & solitario loco videret cursibus, variisque ludis & clamoribus lasciviendo insistere, increpabat eos dicens : Nolite, dulcissimi pueri, inquietare animas fidelium hîc quiescentium : in veritate enim dico vobis, eorum precibus placatum Dominum magnum quid infrà breve tempus hoc in loco facturum ; cumque hoc frequenter omnibus audientibus senex ille protestaretur, Canonicorum Præpositus, vir strenuus, nomine Hermannus, irridens eum utpote vetulum, ludendo interrogabat quidnam illud esset magnum quod ibi toties prædicabat futurum ; cui statim ille coram universis respondebat dicens : Certè tu illud videbis oculis tuis, sed ego non videbo ; quod verum fuisse finis probavit, siquidem Præpositus cum germano suo Sigero Canonicorum Præcentore, postea in Cœnobio nostro Monachus factus, pluribus vixit annis, idque sibi ab illo sene fuisse prædictum frequenter nobis narravit.

9. Præterea Fastredus ejusdem urbis advocatus, terras Ecclesiæ ipsius de manu Episcopi tenebat in beneficio. Cum videret Idam conjugem suam, germanam Theoderici de Avesniis, easdem terras rusticis suis ad excolendum, & inhabitandum distribuentem, corripiens eam dicebat quòd malè faceret, quæ sancti Martini terras alienis distribueret, & quòd priusquàm moreretur hoc se fecisse doleret, quoniam citiùs Divina pietas eidem Ecclesiolæ subveniret : quod etiam verum fuisse rei probavit exitus ; nam & ipsa Ida post obitum viri sui apud nos Sanctimonialis effecta, cum pro earumdem terrarum redemptione videret nos contrà ipsos rusticos quibus eas tradiderat, contendere, pectus suum cum gemitu valido percutiens, se hujus rei culpabilem fatebatur, sibique hoc à marito suo sæpiùs prædictum fatebatur. Idem etiam Fastredus multoties cum militibus suis equitans dum ante ipsam Ecclesiolam pertransiret, manus & oculos ad januas attollens cum lacrymis aiebat : Ah Sancte Martine, quare non respicis istam tuam tamdiù desolatam Ecclesiam ! jam, quæso, ejus miserere & eam restaurari concede. Quem cum talia sæpiùs orantem milites sui audientes, suaderent ei ut de comprovincialibus Cœnobiis aliquos illic Monachos intromitteret, respondebat ille se nullum invenire, qui in tantâ paupertate vellet introïre. Cæterum si quem, aiebat, reperirem

e *servatur*] Isthæc Processio etiamnum celebratur. Quotannis Dominica præcedente à Concionatore annuntiatur causa hujusce Processionis.

qui hîc vellet habitare, hanc quoque Ecclesiolam restaurare, Deum testor & Sanctos ejus, quòd de totâ terrâ meâ non passum quidem pedis filiis dimitterem, sed omnia quæ habeo huic Ecclesiæ contraderem; qui tamen ante Domini Odonis adventum in festo sancti Medardi ab inimicis suis occisus, quod diu desideraverat videre non potuit, filiosque suos non tam benivolos erga locum existentes reliquit.

10. In eâdem etiam urbe Tornacensi duo Milites manebant, quorum unus nomine Gualterus, filius Huberti de potentioribus provinciæ Optimatibus habebatur; alter verò Radulfus de Osmunt [f] nullo civium inferior videbatur. Hos ergo duos Milites quidam juvenis vidit in somnis in præfatâ Ecclesiâ stantes, & antiquas ejus ruinas restaurare molientes. Quod cum evigilans matri suæ retulisset, illa protinùs similem aliis sententiam protulit, dicens: Crede fili eamdem Ecclesiam Domini misericordiâ citiùs restaurandam, hosque duos Milites eidem loco multum profuturos; quod sic postmodum contigit: nam ambo in eâdem Ecclesiâ sancti Martini Monachi sunt facti; quotque labores in eâ, vel pro eâ protulerunt, testis est ille pro quo laboraverunt.

11. Cum ergo in Tornacensi regione hujusmodi sermones à diversis pronuntiarentur de ejusdem Ecclesiæ restauratione; videntes cives magistrum Odonem cum suis quinque Clericis sæcularem vitam velle relinquere, necdumque quo ituri essent deliberasse, præfatum Episcopum domnum Rabodum adeunt; ut eos in eâdem Ecclesiâ remanere exhortaretur, unanimiter deposcunt, totiusque civitatis auxilium eis non defuturum promittunt. Congaudet Episcopus, eisque secretò convocatis petitionem civium innotescit, multaque suasoria supperaddit. Quinque Clerici respondent quidquid vellet Magister Odo, se concessuros: tota summa concessionis vel negationis in Magistri pendet arbitrio. Episcopus proinde preces replicat, utque tanti boni intrepidus inceptor existat, assiduè exorat: sed ille videns ibi nonnisi unam ipsamque veterem, & semidirutam consistere Ecclesiolam, tanti ponderis sarcinam aggredi pavitabat. Egreditur de domo Episcopi nullo certo responso reddito, nec tamen cessat Episcopus iterum iterumque animum ejus ad hoc opus aggrediendum accendere; vidensque se parum proficere, quemdam Religiosum Presbyterum Gislebertum accersit, qui in eadem regione tunc temporis acsi Propheta quilibet honorabatur, quique nunc in Ecclesiâ Sancti Petri Helnonensis [g] coram altari sepultus quiescit. Hoc ergo sibi juncto, iterum totis viribus animum Magistri nititur inflammare, proponens Apostoli sententiam, quòd qui plus laboraverit, plus mercedis accipiet: & *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*; (Act. 14. 21.) quodque honorabilius & commodius ei foret apud Deum & homines si novum fundamentum Ecclesiæ ipse fieret, quàm si aliquod Cœnobium olim constructum ingrediens, super alienum fundamentum ædificaret. Tot tantisque sententiarum spiculis tandem Magister devictus, ad ultimum respondet, se ibidem remansurum, si Episcopali privilegio ab omni exactione libera sibi traderetur eadem Ecclesiola. Suprà modum Pontifex exhilaratus, Canonicorum conventum evocat, utque hoc benignè concederet exorat; sed illi quodammodo futurorum prænuntii conjectores, id omninò concedere denegant, dicentes comprovinciales matrem Ecclesiam deserturos, & Sancti Martini Monasterium pro inhabitantium religione frequentaturos; sicque se quidem diminuendos, illos verò super se fore augmentandos. Talibus objectionibus cernens Episcopus per aliquot dies suam petitionem prolongari, metuensque ne in his dilationibus Magistrum Odonem contingeret alio proficisci, rursùm evocatis Canonicis, ubi vidit omnes preces suas incassum effundi, aliquantulum animo motus: Eia, inquit, jam nunc in nomine Domini, & virtute obedientiæ præcipio vobis, ut dicatis si Ecclesiam quæ in manu meâ est, & ad vestram communionem nequaquam pertinet, non liceat mihi tradere his qui in eâ Deo serviant, & ad honorem Dei eam construere studeant. Tunc illi obedientiæ vinculo constricti, scientesque Ecclesiam illam in manu Episcopi esse, & quod vellet exinde, licere ei facere, nec se jure Canonico aliquid contrà dicere posse, tandem consilio accepto dicunt se quod Episcopo de eâ placeret esse concessuros; eâ tamen conditione, ut de Parochianis suis absque suâ concessione nullum liceret, postquàm in sæculari vitâ defunctus esset, ibidem sepeliri. Episcopus itaque magnificè gratulatus sequenti Dominicâ, quæ fuit VI. Nonas Maii in crastino Apostolorum Philippi & Jacobi congregatâ maximâ processione Canonicorum totiusque populi, præfatum Magistrum Odonem cum suis quinque Clericis ad Ecclesiam in honorem sanctissimi Christi Confessoris atque Pontificis Martini fundatam, quæ pro impetu barbarico olim facto amisso Monachorum obsequio sibi sub Abbate servientium destructa fuerat, eos deducit, eamque eis liberam, & Episcopali privilegio confirmatam coram omnibus tradit, sicque eos ibidem sub regulâ Sancti Augustini Canonicè in habitu Clericali Deo servituros dimisit. Facta verò sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MXCII. Apostolicæ Sedi præsidente Papa URBANO, Remensi verò Archiepiscopo RAINALDO, Tornacensi ac Noviomensi Episcopo Domno RABODO, Francorum Regnum regente PHILIPPO, Romanorum Imperatore HENRICO, Anglis etiam principante inclyto Rege GUILLELMO, Roberti Normannorum Comitis filio, qui HERALDO Rege cum exercitu suo devicto violenter sibi Angliam subjecerat, Flandrensium Comitatum tenente juniore ROBERTO Frisionis filio. 1092.

12. ROBERTUS iste filius fuit BALDUINI Comitis, qui Ecclesiam sancti Petri oppido Islensi ædificavit, & Canonicos in eâ posuit, seque ibidem sepeliri mandavit. Quo mortuo BALDUINUS filius frater præfati Roberti ei successit, qui Ecclesiam Sancti Petri Hasnoniensis construxit, ibique Monachos posuit, & in eâ se sepeliri mandavit. Hic Balduinus præcepto patris sui Balduini Comitis Richeldem uxorem Hermanni Comitis Montensis post mortem ejus conjugem duxit, & ex eâ duos filios Balduinum & Ernulfum genuit, sicque pacatâ diutiùs seditione, quæ longo tempore inter eos duraverat, utrumque Comitatum, Flandrensem scilicet & Montensem tenuit. Quod audiens LEO tunc temporis Papa Romanus, qui priùs fuerat Tullensis Episcopus, & vocabatur Bruno, dixit conjugium illud non esse legitimum, quoniam consanguinitatis lineâ propinqui erant, prophetavitque posteros Balduini non diù possessuros utrumque Comitatum; quod verum fuisse finis probavit: nam Balduinus, qui Insulæ jacet, timens ne post mortem suam seditio nasceretur inter filios suos Balduinum & Robertum, totam terram suam in vitâ suâ Balduino dedit, & Optimates suos hominium & fidelitatem promittere fecit, ita ut apud Aldenardam super reliquias San-

f *Radulfus de Osmunt*] Pater Auctoris hujus Historiæ.
g *Helnonensis*] In Ecclesiâ Sancti Amandi in Pabula 4. leucis à Tornaco.

ctorum præsente patre & filio, multisque Principibus idem Robertus publicè juravit, quòd nec ipsi Balduino, nec heredibus ejus aliquo modo de terrâ Flandriæ noceret, quo juramento completo, de Flandriâ exivit & in Frisiam secessit.

13. Post aliquot verò annos audiens Balduinum germanum suum defunctum, & in Cœnobio Hasnoniensi sepultum, filiumque ejus ERNULFUM jam Flandrensem Comitem factum, quibusdam Flandriæ Principibus secretè convocatis, multisque muneribus promissis Flandriam intravit, prætermissoque juramento quod fecerat, bellum contrà nepotem suum paravit. Quod audiens Ernulfus juncto sibi Philippo Francorum Rege, de cujus manu terram susceperat, patruo suo Roberto cum exercitu suo apud castrum Casletum occurrit: ibique prælio conserto, & Ernulfo interfecto, ROBERTUS Flandriam obtinuit, & Richeldis mater Ernulfi de Flandriâ pulsa cum altero filio suo Balduino, Comitatum Hainoënsem repetiit, sicque prophetiam Leonis Papæ veram esse claruit. Robertus autem statim legatos ad HENRICUM Imperatorem direxit, rogans ut si necesse esset sibi adjutor existeret. Ex his legatis fuit unus Balduinus Advocatus Tornacensis, qui postea Monachus fuit Domini Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, quique retulit quòd dum Coloniæ propinquassent, obviaverunt cuidam matronæ honestæ & ignotæ, à quâ requisiti qui essent, unde venirent, quò tenderent, cum nollent ei rem sicut erat revelare; Scio, inquit, vos esse legatos Roberti Flandrensis Comitis, qui juramentum quod patri suo pro germano suo fecerat prætergressus, filium ejus interfecit, & terram ejus invasit; vos quoque nunc ad Imperatorem Henricum propter obtinendam gratiam & amicitiam dirigit. Sciatis itaque vos prosperum iter & gratiam Cæsaris habituros, ipsumque Robertum cum filio suo Flandriam pacificè possessurum, sed nepotem suum qui ex filio suo genitus fuerit, sine prole moriturum: cui succedet quidam pulcher juvenis de Daciâ veniens, qui tamen & ipse sine prole morietur: post quem duo alii de Flandriâ contendent, alterque eorum alterum interficiet, & victor Flandriam obtinebit, ipsiusque heredes Flandriam possidebunt usque ad tempus Anti-Christi. Hæc ego adhuc parvulus à præfato Balduino Tornacensi Advocato, qui unus ex legatis fuerat, narrari audivi, nunc autem jam in senium vergens vera esse propriis oculis sicut dixerat, conspicio.

14. Robertus namque prædictus in magna pace Flandriam tenuit, multæque potentiæ fuit, adeo ut privignam suam [h] duxerit Philipus Rex Francorum, de quâ genuit Regem Ludovicum. Sororem accepit Guillelmus Comes Normannorum, qui interfecto Heraldo Rege Angliæ, violenter Angliâ captâ duos Principatus obtinuit, existens Comes Normannorum & Rex Anglorum, ita ut in sigillo [i] suo ex unâ parte sederet super equum ut Comes, ex aliâ super thronum cum sceptro ut Rex, genuitque ex Mathilde filiâ Comitis Flandrensis tres filios, Guillelmum scilicet, qui ei primus successit; Robertum cui Comitatum Normanniæ dedit; tertius filius fuit Henricus, qui primò quidem nihil habuit, ita ut defuncto patre suo inclito Rege Guilelmo non nisi Miles cum cæteris esse videretur: sed mirabilis fortuna eum prosequuta est; nam germanus ejus Guilielmus Rex juvenis cum post decem [l] annos ferè Regni sui in sylvam illet venatum, & vidisset unum cervum transeuntem præcepit Militi suo nomine Waltero Tirello, ut cum arcu & sagittis stans contrà se, ex alia parte non permitteret cervum transire: sed Miles tenso arcu pro cervo sagittam jaciens, Regem in corde percussit, & sine mora exstinxit; sicque Henricus germanus qui nihil antea habuerat, ei in regno successit: cumque vidisset fratrem suum Robertum Comitem Normannorum contrà se rebellantem, & Regnum Angliæ repetentem, eo quod major natu esset, & Guilielmo germano suo succedere majori jure deberet, Henricus congregato exercitu mare transivit, Normanniam intravit, prælioque conserto Robertum fratrem suum victum & captum in Angliâ reduxit, & usque ad diem mortis suæ in quodam castello clausum tenuit; quidquid tamen ei necessarium in rebus corporalibus erat, sicut sibimet exhiberi & ministrari præcepit; sicque rursum Regnum Angliæ & Comitatum Normanniæ solus obtinuit, & sigillum paternum sibi fieri præcepit; de quo Henrico quia mentionem feci, & alius referendi locus non erit, licet multum à cœptâ narratione digredi videar, quiddam tamen memoriâ dignum dicam.

15. Hic ergo confirmatus in regno, voluit conjugem habere puellam quamdam, filiam David Regis Scotiæ; dixitque D. Anselmo tunc temporis Cantuariensis Urbis venerabili Arch. ut eam sibi benediceret & solemnibus nuptiis benedictam in conjugium sociaret: respondit Archiepiscopus se nolle eam benedicere, nec suo consilio Regem in conjugium eam sibi sociaturum, quoniam velum Sanctimonialium sicut ipse certò didicerat, gestasset super caput suum, quo se cælestis potiùs quàm terreni Regis monstrasset fore sponsam. Rex contrà dixit se promisisse, & etiam jurejurando confirmasse patri ejus Regi David, quòd eam conjugem duceret, ideoque pro conservando juramento suo se non eam dimissurum, nisi Canonico judicio fuisset determinatum; præcepitque ut adscito Arch. Eboracensi congregaretur Concilium Episc. & Abbatum, totiusque Angliæ Ecclesiasticarum personarum, ad diffiniendum Ecclesiasticâ censurâ tantum negotium. In generali [m] ergo Concilio requisita est Abbatissa, in cujus Monasterio puella illa fuerat nutrita, utrùm ne reverâ more Sanctimonialium velo capiti imposito benedictione Episcopali fuisset consecrata: respondit Abbatissa publicè coram omnibus: Reverâ Rex David pater ejus mihi eam commendavit, non ut Sanctimonialis fieret, sed ut solummodo in Ecclesiâ nostrâ propter cautelam cum cæteris puellis nostris coætaneis suis nutriretur, & litteris erudiretur; cum autem jam adolevisset; nunciatum mihi quâdam die Regem Guillelmum Domini mei Regis Henrici germanum, qui tunc vivebat, propter eam videndam venisse, jamque cum militibus suis ante januas Ecclesiæ nostræ descendisse, utque januæ sibi orandi gratiâ aperirentur præcepisse. Hoc audiens nimiumque perterrita, ne forte ille ut juvenis & Rex indomitus, qui omne quod animo sibi occurrisset illicò facere volebat, visâ pulchritudine puellæ aliquam ei illicitam violentiam faceret, qui tam improvisus & insperatus propter eam videndam advenisset in secretius cubiculum eam introduxi, rem ei sicut erat aperui, eâque volente velum unum capiti ejus imposui, quatenus eo viso Rex ab illicito complexu revocaretur: nec me fefellit spes mea; Rex siquidem quasi propter inspiciendas

h *privignam suam*] Bertam, filiam Florentii Hollandiæ Comitis.

i *in sigillo suo*] Habetur simile sigillum Guillelmi apud Seldenum ad Eadmeri hist. Novor p. 166.

l *post decem*] Imò post *tredecim* vide Henricum Huntindon. lib. 7.

m *In generali*.] Vide Eadmerum lib. 3. Hist. Novor. pag. 57. Malmesbar. fol. 88.

rosas, & alias florentes herbas Claustrum nostrum ingressus, mox ut eam vidit cum cæteris puellis nostris velum capite gestantem, Claustro exivit, & ab Ecclesiâ recessit, apertè ostendens se non nisi propter eam venisse. Cum autem Rex David pater puellæ infrà eamdem hebdomadam ad Ecclesiam nostram venisset, velumque super caput filiæ suæ vidisset, iratus velum conscidit, & ad terram projectum pedibus suis conculcavit, filiamque suam secum reduxit. Inquisita inde Abbatissa quot annorum tunc fuisset puella, respondit duodennem esse potuisse. Tunc Rege monente Archiepiscopum ut juberet super hoc judicium fieri, Episcopi & Abbates consilio accepto, lectisque diversis capitulis Canonum, in commune judicaverunt propter hujusmodi factum non ei prohibendum conjugium, quoniam quamdiù infra legitimam ætatem sub tutelâ patris fuerat, nihil ei sine ejus assensu facere licuerat. Finito judicio, Rex interrogavit Archiepiscopum si quid vellet in eo calumniari. Respondit Dominus Anselmus se non illud calumniaturum, quoniam reverâ secndùm Canonum decreta rectè judicassent. Tunc Rex: Quandoquidem, inquit, judicium prolatum laudatis, volo ut puellam mihi desponsetis. Et Dominus Anselmus: Judicium, inquit, non reprehendo; sed si Majestas vestra mihi credere vellet, ut eam non duceretis consulerem, quoniam, quomodocumque contigerit, tamen velum super caput suum portavit; & sufficienter de filialibus Regum aut Comitum vobis invenire possetis. Rege verò in eo quod cœperat perseverante, subjunxit ille vir sanctissimus; Vos quidem, Domine Rex, consilio meo prætermisso facietis quod vobis placuerit, sed qui diutius vixerit, puto quod videbit non diù Angliam gavisuram de prole quæ de eâ nata fuerit. Hæc ego adolescens eum dixisse audivi, nunc verò ex magnâ parte video jam contigisse.

16. Rex itaque de eâ duos filios & unam filiam genuit, è quibus filii jam adolescentes dum de Normanniâ in Angliam redirent, fractâ nave cum multis aliis in mari perierunt, filiam verò cum multis opibus sibi à patre transmissam Henricus Romanorum Imperator conjugem duxit, nuptiasque Leodii cum magnâ gloriâ celebravit; sed uno filio ex eâ genito, celeri morte præventus eam viduam reliquit, quæ viduata rursus Comiti Andegavensi nupsit; cum subitò patre ejus in urbe Rotomagensi defuncto, Anglorum Proceres Stephanum Comitem Boloniensem, Comitis Theobaldi Campaniensis germanum, super se Regem constituunt. Unde Robertus Henrici Regis ex concubinâ filius graviter indignatus, contrà eum palàm rebellavit, eumque in prælio captum in quodam castello, quod sibi pater suus dederat, vinctum reclusit, & sorori suæ ut cum filio suo citiùs in Angliam transiret, & Regnum paternum susciperet, mandavit. Illa putans se cuncta prospera reperturam, celeriter pertransivit, sed secùs quàm crediderat invenit: nam conjux Stephani Principis sibi junctis fortiter ei restitit: ipse quoque Stephanus post paucos dies quibusdam pactionibus Roberto reconciliatus, & de vinculis eductus, rursùs Anglorum Regnum obtinuit, sicque filia Regis Henrici vanâ spe delusam fore ingemuit: & futurorum quidem incerti sumus; hoc verò unum apertè videmus secundùm prophetiam Domini Anselmi non diu gavisam esse Angliam de prole illius Reginæ, quæ post velum portatum Regi Henrico nupserat, imò diutinâ seditione vastatam & oppressam de pristinis divitiis ad magnam paupertatem devenisse. Non ergo contemnenda, sed potiùs veneranda & timenda sunt verba sapientium & Ecclesiæ Prælatorum, quoniam & suprà dictam prophetiam Leonis Papæ de Balduino Comite Flandrensi, qui consanguineam suam duxit, & sequentem Domini Anselmi de Rege Anglorum veras fuisse manifestum est. Nunc autem ad ea, quæ de Roberto Flandrensi Comite ignota illa Matrona legatis ejus prædixit, redeamus, & quàm vera fuerint paucis explicemus.

17 Robertus itaque ille, ut suprà scriptum est, privignam suam dedit Regi Francorum Philippo, sororem Normanniæ Comiti Guilelmo, è duabus filiabus, unam Regi Danorum Canuto, de quâ natus est Carolus; aliam verò Comiti Brusellensi Henrico, qui cum audisset Everardum Tornacensem Castellanum strenuissimos milites secum habere, Tornacum venit propter audaciam eorumdem videndam. Quâdam ergo die cum exiens, & juveniliter de fortitudine suâ exultans rogavit unum ex oppositâ acie nomine Cosceguinum *de Forest*, ut solus contrà se solum veniret: respondit ille se non venturum, quoniam dominus suus erat, & ne fortuito casu eum læderet timebat; Comes verò iterum atque iterum eum in se provocans, jamque eum timidum & ignavum appellans, ut contrà se veniret nimio tædio extorsit: tandem miles crebrâ ejus admonitione provocatus lanceam levavit, & equo vehementer calcaribus impulso adversùs eum cucurrit, volensque eum militari ludo de equo suo dejicere, lanceam ei in corde fixit, sine morâ exstinxit, totamque regionem nimio luctu complevit, maximæ enim famæ & incluti nominis ille Comes tunc temporis erat, & ita omnes raptores & latrones de terrâ suâ expulerat, ut in nullâ regione major pax & securitas inveniretur quàm in suâ. Ergo tantâ levitate, seu stultitiâ sine prole interfecto, uxor ejus relicta vidua nupsit prope Saxoniam Simoni Duci Auxatiæ, peperitque ei plures filios.

18. Robertus itaque Comes Flandrensis tam nobiliter distributis filiabus suis, totam Flandriam moriens Roberto filio suo reliquit; in cujus tempore Domnus Odo cum Clericis suis sæculo renuntians, sancti Martini Tornacensis Ecclesiam intravit, ipsumque Comitem cum Clementiâ suâ liberalem sibi adjutorem invenit; quæ nimirum Clementia de Burgundiâ orta, filia fuit Guilelmi Burgundionum Ducis, germanaque Domni Guidonis Viennensis Archiepiscopi, qui postmodum Papa Romanus effectus, vocatus est Kalistus, tenuitque Remis Concilium generale tempore Radulfi Archiepiscopi, qui vocatus est *Viridis*; successorque fuit Manassæ, prædecessor verò Rainaldi Andegavensis Episcopi. Hæc verò Clementia cum de viro suo Comite Roberto genuisset tres filios infrà tres annos, timens ne si plures adhuc generaret inter se de Flandriâ contenderent, arte muliebri egit ne ultrà pareret; quod ultione Divinâ sic vindicatum est, ut & filii ejus omnes diù ante eam morerentur, & ipsa postmodùm in viduitate suâ alios Comites cernens, multaque mala ab eis sustinens, serò defleret sese cum prole sua exheredatam fore.

19. Post duos verò semiannos conversionis Domini Odonis Urbanus Papa in Concilio Claremontensi monuit universos Episcopos, quatenùs sibi subjectis populis pro remissione peccatorum suorum injungerent Jerosolymam ire, & sepulcrum Dominicum unà cum ipsâ civitate de Paganorum manibus liberare. Tunc verò cerneres innumerabilem populum de Occidentis partibus, ac si divinitùs præceptum fuisset, genitale solum relinquere, & Jerusalem tendere. Hac itaque occasione præfatus Comes Robertus unà cum Godefrido Comite Boloniensi, Roberto Comite Normanniæ, Raimundo Comite sancti Ægidii, Hugone Comite Vermandensi, Balduino

Comite Montensi, Anselmo de Ribemonte, Clarenbaldo de Vendolio, multisque aliis Principibus, relictâ Flandriâ cum populo Dei proficiscitur. Obsessâ captâque Antiochiâ, multisque aliis civitatibus, ad ultimum auxiliante Deo Jerosolymam victor ingreditur, expulsisque aut interfectis Paganis, & Christianis intromissis, Regeque constituto Flandriam regreditur, & cum magnâ gloriâ susceptus per XII. ferè annos provinciæ dominatur.

20. Post hæc cum à Rege Francorum Ludovico sororis suæ filio, ad expugnandum quoddam castellum quod vocatur Domni-Martini fuisset evocatus, dum more suo fortiter certat in prælio, & longiùs fugat Regis adversarios, laboris nimietate defessus ad lectum portatur, & post triduum ibidem defunctus, ab eodem Rege, regnique Principibus cum magno luctu Atrebatum defertur, & in Ecclesiâ sancti Vedasti sepelitur. Quo sepulto, statim Rex BALDUINUM filium ejus adolescentulum, necdum Militem factum, cum matre suâ vocavit, totamque paternam terram ei reddidit, & Optimatibus Flandriæ, ut ei coram se hominium facerent, præcepit: sicque in Franciam rediit. Quid ergo dicam de Balduino, cujus animi etiam in tenerâ ætate fuerit?

21. Recedente Rege Optimates suos vocavit, pacem se velle tenere insinuavit, utque se inde adjuvarent rogavit, & si quis eam primus violaret, justitiam se de eo facturum prædixit; nullum tamen eorum pacem jurare coëgit. Principes pacem se servaturos promiserunt, sicque soluta est curia plurimis dicentibus per talem puerum non facilè pacem posse fieri, quoniam nullus eum timeret.

22. Post duos ferè menses mulier quædam paupercula duas vaccas à quodam raptore sibi ablatas esse Comiti conqueritur, & ubi raptor maneret ostendit: illicò juvenis Comes raptorem insequitur, eumque comprehensum Brugias ducit: rogantibus cunctis ne militem suspendi, vel oculos ejus erui faceret, neutrum se facturum respondit. Protinus verò vas æneum maximum, quod vulgus lebetem seu caldariam vocat, publicè in foro, videntibus cunctis in sublime appendi, & aquâ impleri præcepit, igneque magno supposito, dum nimis ferveret aqua militem illum cum omnibus indumentis suis etiam gladio accinctum in caldariam projici fecit; sicque cum in aquâ fervente necavit. Tantus timor illicò omnes invasit, ut nullus deinde in totâ Flandriâ aliquid auferre præsumserit.

23. Quadam die Ecclesiam S. Petri Gandensis propter audiendas vesperas ingrediebatur, cum subitò quædam paupercula vaccam suam sibi furto ablatam esse conquesta est, quam cum Comes dulciter exoraret, ut se exspectaret ad ostium donec vesperas audisset, illa verò responderet præ multitudine Militum & Principum eum circumstantium, sibi ulteriùs non dandam facultatem ei loquendi; ille protinùs extractum pallium suum ei dedit, & ut illud sibi usque post vesperas servaret, præcepit: finitisque vesperis dum Comitem circumdantes Principes de aliis negotiis loqui voluissent, ille se nulli responsurum, donec pauperculæ vacca sua reddita fuisset juravit; sicque millies ab ea benedictus petitioni ejus satisfecit.

24. In villâ quæ dicitur *Turholdis* [n] singulis annis in Festo sancti Joannis mercatum magnum esse consuevit. Dictum est Comiti quòd decem Milites fiduciâ parentum suorum abstulissent cuidam negotiatori ad mercatum venienti aliquid de sarcinâ suâ: protinùs Comes exiliens eos cepit, & in quadam domo reclusit, parentes verò eorum nimis perterriti, & celeriter venientes ad misericordiam Comitis, urgebant ut quantumcumque vellet pecuniæ vel equorum susciperet, tantummodo ut eos non suspenderet: Comes autem simulans se precibus eorum satisfacturum, dixit eis ut parum exspectarent, donec ipse domum introgressus, reisque illis colloquutus rursùs ad eos exiret. Dixit, statimque cum paucis viris ingressus, eos intrà domum eamdem suspendi præcepit; rogantibus autem viris ut sibi parceret, nec perpetuam parentum eorum inimicitiam eos incurrere faceret, parcens eis, præcepit reis illis, ut qui ex eis evadere vellet socium suum suspenderet: sic ergo novem suspensis, cum decimus superesset, Comes ei jussit ut funem ultrà trabem jaceret, & super scamnum stans de ipso fune laqueum in collo suo aptaret: quo facto, Comes scamnum pede longiùs propellens eum duobus cubitis à terrâ pendentem reliquit: sicque cum viris domum regressus, rursùs à parentibus eorum exoratus: Eia, inquit, egredimini & eos educite, eductosque ne aliquid ulteriùs in terrâ meâ capiant, admonete. Dixit, statimque equum ascendens à loco recessit. Parentes verò domum ingressi, omnes cognatos suos suspensos, & jam mortuos invenerunt, nimisque perterriti fugerunt. Pro hujusmodi ergo gestis ita omnes raptores exterruerat, ut non solùm aliquid auferre, verùm etiam si vestem pretiosam, vel scyphum aureum in viâ reperisset, nullus levare auderet. Felicem se Flandriâ dicere posset, si tantum Principem diù habere meruisset; sed ille ubi tantâ pace factâ, nullam sibi per totum annum querimoniam afferri vidit: turpe deputans domi quietum residere, utpote juvenis & vix xxx. annorum existens, armis militaribus seipsum cœpit exercere, & quocumque milites præliandi gratiâ convenisse audiebat, illicò simul adesse ardebat.

25. Eo tempore Henricus præfatus Rex Anglorum ingressus Normanniam, contrà fratrem suum Robertum Comitem præliabatur, eumque victum duxit in Angliam; cujus filius Guilelmus puer decennis exheredatus ad Balduinum Flandrensem Comitem confugit: quem ille nutriens XIIII. ætatis suæ anno Militem fecit, eumque contrà patruum suum Regem Angliæ, qui genitorem suum clausum tenebat, rebellare admonens, sæpiùs cum eo Normanniam aggredi cœpit: Rex verò Henricus mandavit, ut ab infestatione suâ desisteret, alioquin Brugias cum exercitu se venturum sciret: protinùs ille remandavit ei ne tantum laborem subiret, sed potiùs se ei Rothomagi occursurum sciret. Dixit: statimque legatum cum quingentis militibus subsequutus est; Rothomagum Urbem in quâ Rex morabatur advenit, lanceâque in portâ civitatis defixâ, ut Regi Comitem Flandrensem adesse dicerent, civibus exclamavit. Rex verò qui duo millia militum secum habebat, ut tantum strepitum, tantamque audaciam vidit; utpote vir prudentissimus se contrà insensatum juvenem non egressurum dixit, cunctisque militibus suis ut nullus de portâ exire præsumeret, comminando præcepit: quoniam cum fatigatus, inquit, fuerit revertetur, & de terrâ meâ nihil secum deferet. Comes itaque nimis contristatus eo quod nullum de civitate posset extrahere, dum civitatis muros vociferando circuiret, & quid agere posset ignoraret, non enim tantam urbem tam paucis militibus expugnare valebat, conspicit eminùs gregem cervorum quos Rex in proximo nemore recluserat: exclamansque juvenis: etsi, inquit, nihil aliud possum facere, saltem cervos istos de claustris eripiam, & liberos reddam; dixit, statimque cum

n *Turholdis*]. Vulgo *Torholt* propè Brugas.

militibus currens gladiis evaginatis fortissimam sepem illam quæ de stipibus facta cervos reclusos tenebat, abscidit, cervosque per agros dispersit, & sic nullo negotio peracto Flandriam rediit.

26. Interea Carolum amitæ suæ [o] filium, quem de Canuto Danorum Rege pepererat, post mortem patris sui ad se venientem libenter retinuit, eique germanam [p] Radulfi Peronnensis Comitis conjugio sociavit, & ut Flandriam se absente servaret commendavit; sicque securior Normanniam frequentare cœpit: sed hæc armorum, & militiæ exercitatio, licet ei magnam exultationem, utpote juveni, inferret; Monachis tamen & Clericis cæterisque sapientibus ingentem exhibebat tristitiam, quoniam omnes præconabantur non diù eum inter tot pericula vivere posse: nec eos fefellit opinio, quinimò timor quem timebant evenit eis: nam dùm nimis assiduè infestat Normanniam, à quodam milite gladio super nasum vulneratur, nec tamen propter vulnus prælio cedens, nimio calore solis concussus exæstuat, vulnusque intumescens eum invitum cogit reverti Atrebatum; ibique Medicis ascitis facilè curatus fuisset, si cibis noxiis abstinere voluisset: sed dum nec carnem anserinam, nec alia similia dimitteret; vulnere gravatus deficit, totoque anno lecto decumbit; propter tædium tamen devitandum se multoties de loco ad locum facit in lecticâ deferri, ad ultimum cùm jam videret se non posse evadere, præfatum Carolum successorem sibi constituens, Flandriam ei tradidit, sicque apud sanctum Bertinum Monachus factus, & infrà octo dies defunctus, ingentem luctum & tristitiam cunctis Ecclesiis dereliquit, & quòd nullus in viribus suis confidere debeat, edocuit. CAROLUS ergo consanguineus ejus succedens, in justitiâ quidem tenendâ minor eo non fuit in prudentiâ verò & cautelâ, quoniam aliquantulum provectioris ætatis erat, omninò eum vicit: Ecclesias quoque sic tuebatur, ut jam Pater Ecclesiarum vocaretur; de quo unum referam quod memoriæ occurrit, ut per hoc cujus devotionis fuerit, agnoscatur.

27. In die Epiphaniæ dùm curiam suam Bergis vidisset Abbatem sancti Bertini Dominum scilicet Joannem ingredientem, protinùs vocans eum: Domine, inquit, Abba, quis hodie cantavit majorem Missam in Ecclesiâ sancti Bertini? respondente Abbate non defuisse qui eam honorificè cantaret, quoniam plusquàm centum Monachi in Conventu suo essent, Comes subjunxit: In tantâ solemnitate debuissetis eam cantare, & cum Fratribus in refectorio comedere, eisque qui totâ nocte vigilaverunt ad Matutinos, de his, quæ Comites antecessores mei dederunt, bonam refectionem providere, non in Curiâ meâ residere. Dicente verò Abbate se libentiùs Missam cantasse, quàm illuc advenisse, sed propter Militem quemdam qui sibi auferebat terram quam Ecclesia sua plusquàm LX. annis quietè possederat, illuc venire compulsum fuisse: addit Comes: Et quare hoc mihi per famulum vestrum non mandastis; vestrum enim est pro me orare, meum verò Ecclesias tueri & defendere. Dixit; statimque Milite accersito interrogavit, cur Ecclesiam sancti Bertini inquietaret de terra illâ, quam tanto tempore possederat? Respondente Milite Ecclesiam terram illam injustè tenuisse, quoniam juris sui esset, ait Comes: Sicut pater vester inde tacuit, sic & vos tacete, quia per animam Comitis Balduini juro, quòd si exinde querimoniam audiero, nihil aliud faciam de vobis, nisi quod ipse Comes de illo fecit, quem Brugis in caldariâ bullivit. Sic pacem sibi à Comite factam narravit mihi præfatus Abbas Joannes.

28. Sed quia tali Principe digna non fuit Flandria, viri impii Bertulfus scilicet Brugensis Ecclesiæ Præpositus, & cognati ejus, qui se Comitis servos esse denegabant pro justitiâ quam faciebat, confœderati in unum secretò contrà eum conjuraverunt. Quod cum Comiti apud Ypram nuntiatum fuisset, & ne Brugias iret à multis admoneretur: ille respondit se pro justitiâ, si Deus vellet, mori paratum, nec se à justitiâ relaxandum, statimque cum militibus suis Brugias veniens munitionem quamdam quam iidem conjuratores fecerant succendit, & ad propriam domum rediit; in crastino verò summo mane surgens, & de solio palatii sui ad solium Ecclesiæ sancti Donatiani transiens, Missam à capellano suo ibidem sibi cantari præcepit; erat enim feria quarta secundæ hebdomadæ in Quadragesimâ. Cum ergo jam in Epistolâ oratio Esther legeretur, & Comes in oratione prostratus psalterio aperto psalmos legeret, quædam paupercula superveniens eleemosynam ab eo poposcit, & de XIII. nummis quos more suo Comes super psalterium posuerat, de manu ejus unum accepit. Quo accepto cum ei eadem mulier exclamasset, Domine Comes cavete, levante caput Comite ut videret quid esset: ecce Burcardus præfati Præpositi nepos, qui loricanus evaginato gladio tacitè advenerat, fronti ejus gladium infixit, multisque vulneribus superadditis eum ibidem coram altari interfecit, unoque cum eo occiso, cæteros, qui aderant perterritos in fugam convertit. Tristis illicò fama totam complevit regionem, in Ecclesiâ occisum esse gloriosum Carolum Comitem.

29. Domnus Gislebertus Abbas sancti Petri Gandensis vir veracissimus, & religiosissimus mihi retulit, & sub testimonio veritatis asseruit, quòd erat tunc temporis Brugis quidam pauper claudus sibi notissimus, cui Comes multoties eleemosynam dare consueverat. Hic ergo famâ tam tristi auditâ flens, & ejulans cum magno clamore ad Ecclesiam venit, nimioque labore rependo manibus & cruribus per gradus lapideos usque ad solium lapideum in quo Comes interfectus fuerat, ascendit; solumque corpus ejus ibi jacens sanguine cruentatum invenit, cùmque admiratus omnes tam citò pariter illud solum reliquisse juxtà illud resideret, altosque gemitus & voces præ nimio dolore cordis ederet, de sanguine qui copiosè defluebat crura sua & tibias cœpit linire, non quòd, ut ipse dicebat, spem aliquam haberet curationis, sed solùm propter dulcedinem & dilectionem ejus qui sibi tanta bona fecerat: cum subito Divinâ misericordiâ se perfectè curatum sentiens, instar capreæ per gradus exiliendo descendit, totumque currendo oppidum circuiens, universo populo se sanatum ostendit. Quæ res homicidis illis grandem confusionis nebulam intulit, majoremque intulisset, nisi pauper ille potentiâ illorum perterritus id publicè exiliendo prædicare destitisset: magnas enim opes sibi de redditibus Comitis, quibus eos præposuerat, contraxerant, adeo ut cum paulo ante suam necem Comes eis diem audientiæ apud castrum Casletum posuisset, ubi se servos ejus non esse judicio Optimatum suorum comprobarent, Bertultus ejusdem Ecclesiæ Præpositus Burcardi avunculus tria millia militum illuc secum palam adduxerit, ita ut Comes timens ne tumultus aliquis à tanto populo excitaretur, causam ipsam in diem alium distulerit.

[o] *amitæ suæ*] Adelæ filiæ Roberti senioris Fland. Comitis.

[p] *germanam*] Margaritam Sororem Radulfi Comitis Viromand. filiam Rainaldi Claromont. & Adelæ præfatæ.

30. Corpus ergo Comitis cum ibidem sepeliri non posset, (siquidem Domnus Simon Episcopus, cujus sororem [q] idem Comes conjugem habuerat, audito tanto scelere, Divinum officium in eâdem Ecclesiâ ex toto interdixit) ad aliam verò Ecclesiam illud transferri provinciales nullo modo paterentur: præfatus Bertulfus Præpositus quantum poterat se de morte ejus volens excusare; de columnis marmoreis pretiosum illi sepulcrum in eodem loco cœnaculi ubi interfectus fuerat, protinùs construi fecit: ibique corpus positum ferè LX. diebus jacuit. Tanta verò turbatio subitò in totâ Flandriâ extitit, ut illud quod in Apocalypsi legitur: *Post mille annos solvetur Diabolus*, in illâ provinciâ ad litteram contigisse videretur, duobus tertium ubicumque solum invenissent, aut spoliantibus, aut etiam occidentibus, ita ut tunc palam quilibet simplicissimus facilè intelligere posset, quanta vis in uno solo illo Principe extitisset, qui eam indomitam gentem, ac si Monachos Claustrales jugiter quiescere coëgisset.

Apoc. 20. 2.

31. Principes verò Flandriæ, & maximè Balduinus [r] Gandensis frater Yvonis Nigell●nsis, qui nunc est Comes Suessionensis, videntes tantam turbationem, condicto die in unum conveniunt, pacem inter se componunt, & ne tantum scelus eis in opprobrium verteretur sempiternum si remaneret inultum, congregato exercitu Brugias tendunt. Cum verò homicidæ illi multis fulti auxiliatoribus, cum magnâ multitudine militum & peditum contrà eos pugnaturi processissent, Balduinus ille loricâ & galeâ protectus altiori voce exclamans: Non, inquit, contrà vos, ô viri boni, venimus; nec Brugense castrum expugnare quærimus, sed injustam necem Domini nostri ulcisci volumus, ne fortè dicatur quòd & nos proditionis ejus rei sumus, sicque semper ulteriùs proditores appellemur. Si ergo contrà nos pugnatum venitis, tanti sceleris vos participes esse testabimini, sicque opprobrium perpetuum incurretis: quamobrem moneo, & consulo ut nobiscum potiùs sitis, & ad confundendos proditores domini nostri nos adjuvetis. His dictis, populus vociferando exclamat, junctusque Balduino, versâ vice eos cum quibus venerat, debellat. Protinùs illi in fugam vertuntur, & quia aliam evadendi viam non habebant, in castrum regrediuntur, turrim Comitis introeunt, & in eâ conclusi à Balduino duobus ferè mensibus obsidentur.

32. Interea Rex Francorum Ludovicus, quem de materterâ Caroli genitum suprà diximus, tam duro nuntio cognati sui perculsus Atrebatum venit, & quia Carolus sine prole obierat, quem vellent habere Comitem à Principibus Frandriæ sciscitatur. A nonnullis ipsum Regem propinquiorem fore dicebatur, & quia plures filios habebat, ut uni eorum Flandriam daret suggerebatur: sed Rex ut vir prudentissimus, considerans nullum filiorum suorum adhuc esse duodennem, nec sine magistro, qui ei jugiter adhæreret, tam indomitam posse regere gentem, ei se non posse semper adesse præsentem, timens ne aliquid exinde mali eis contingeret, altiori consilio refugit aliquem ex eis terræ præficere.

33. Erat tunc quidam Balduinus Comes Montensis, quantum sua ætas patiebatur satis strenuus armis, cujus atavus fuerat ille constructor Cœnobii Hasnoniensis, qui, ut suprà dictum est, Richeldem Comitissam Montensem conjugem ducens, utrumque Comitatum tenuerat, Flandrensem scilicet & Montensem, quique de eâdem Richelde duos filios genuit, Ernulfum, qui patri succedens à patruo suo Roberto Casleti est occisus, & Balduinum qui cum matre suâ Montensem Comitatum tenuit, unoque filio Balduino genito, Jerosolymitanum iter cum aliis Principibus in principio extitit, unde necdum rediit, & utrum occisus, an captus fuerit usque hodie sciri nequivit; filius verò ejus Balduinus cum Comes factus fuisset, Clementia Flandrensis Comitissa ut quamdam puellam neptem suam in conjugium acciperet ei suasit, seque cum eâ mille marchas argenti ei daturam promisit. Consensit juvenis, seque eam die statutâ desponsaturum juravit, parique modo juramentum desponsationis ab eâ publicè coram multis testibus accepit. Infrà verò diem statutum juvenis prætermisso juramento quod fecerat, Hiolendem filiam Gerardi Babinbergensis Comitis uxorem duxit. Unde Comitissa frendens, maximè quia germanum suum Guidonem Viennensem Archiepiscopum videbat jam Papam Romanum effectum & Calixtum nominatum, conquesta est ei genus suum à tantillo Comite fuisse vilipensum. Protinùs ille litteris directis mandat Radulfo Archiepiscopo Remensi, ne perjurium illud differret ulcisci. Præsul convocatis Episcopis: & Abbatibus, aliisque Ecclesiasticis multis personis, Comitem jubet adesse, & de pactione conjugii respondere. Conqueritur Clementia, quòd neptem suam se conjugem accepturum die præfixâ jurejurando promisisset, subjungens se habituram inde trecentos nobiles testes, si hoc negare voluisset. Respondet Balduinus, se nec velle, nec posse quod dixerat negare, quoniam verum constabat eam dixisse, tamen se jam aliam conjugem duxisse, & solemnibus factis nuptiis, ei sociatum fuisse, ac deinde subjunxit quidquid judicatum exinde fuisset, se facturum fore. Multa super his judices invicem conferentes, ad ultimum pro reverentiâ Domini Papæ inducias petierunt, & ut tanta causa judicio ejus Romæ deferretur, oraverunt. Factum est, Romam [s] perlata est, convenerunt Cardinales & voluntati Papæ faventes, primam fidem juxtà Apostolum irritam sine damnatione non posse fieri, ideoque eam quam primò juraverat conjugem debere duci decernebant. Interea quidam magnæ auctoritatis Cardinalis nomine Bruno [t], qui cæteris diversa dicentibus omninò reticebat, à Papa sententiam suam dicere commonitur, respondit se aliorum dictis non repugnaturum; ubi verò Papa ei per obedientiam præcepit, ut si quid super hoc reverâ sentiret, aperiret; ille diligenter singula discurrendo proponens, in primo quidem conjugio non nisi solùm jusjurandum factum, in secundo verò & jusjurandum, & desponsationem, & Presbyteri benedictionem, & solemnes nuptias, postremò utriusque copulationem, integrum matrimonium factum esse intulit: prolatisque Canonum diversis capitulis, secundum conjugium ulterius non posse dissolvi, de priori verò perjurio pœnitentiam Comiti debere imponi subjunxit, cui sententiæ Papa cum Cardinalibus assentiente, reversisque nuntiis in Franciam cum litteris Apostolicis, tunc quidem Comes Balduinus exultavit Yolendem sibi remansisse: puella verò doluit se Comitis conjugio privatam fuisse, sed repente mirabili fortunâ, imò Dei misericordiâ subsequente, Ludovico Regi Francorum conjugio est copulata, hujusque qui

q *cuju sororem*] Margaretam uterinam ex alio patre natam, sc. Renaldo Claromont.

r *Balduinus*] Scil. cognomento Luscus & Barbatus. *Vide apud D. du Cange, dissertat. 21. ad Historiam S. Ludovici, quî intelligatur ista fraternitas.*

s *Romam*] Id est, ad curiam Romanam, ut ego arbitror. Nundum enim Callistus Romæ fuerat.

t *Bruno*] Id est, Bruno Episcopus Signinus, ut opinor. *Vide Chronicon Cassin. lib. 4. c. 31. pag. 497.*

nunc Rex est Ludovici, aliorumque Regis filiorum mater effecta, quod priùs non contigisse doluit, inde postmodum vehementer exultavit, quoniam magis voluit dici & esse Francorum Regina quàm Montensis Comitissa. Hic ergo Balduinus de præfata Yolende genuit alium Balduinum, & Richeldem Everardi Castellani Tornacensis conjugem. Quia ergo Richeldis Everardo hujus provinciæ Principi nupsit, libet de illâ per excessum parum dicere.

34. Fuit enim hæc Richeldis sicut genere nobilissima, sic facie pulcherrima, & in actibus sæculi nequam strenuissima, quæ genuit Balduinum pulcherrimum & nobilissimũ adolescentem; sed, heu! in flore juventutis febre correptus, cum morte pactum iniit, sepultusque est in claustro sanctæ Dei Genitricis MARIÆ: Richeldis verò Everardum & Godefridum filios speciosos, & Yolendem filiam moriens reliquit. Qui Everardus cum adhuc ætate tener esset, terram paterni juris malefactoribus abundantissimè subjectam frendens dentibus nimiùm indoluit, quibus cum indignatione & irâ evaginato gladio, oculis turbatis asperitate superbiæ & feritatis in manu validâ cum impetu velociter occurrit, omnesque in brevi de finibus suis exturbavit, terramque suam paci, & pacem terræ reformavit. Post hæc autem filiam Lamberti Leodiensis Comitis Gertrudem nomine uxorem accepit, de quâ Balduinum filium genuit: Yolendis verò soror ejus Flandrensi Dapifero Rogerio nupsit.

35. Nunc autem de Balduino Montensi Comite, qui patri suo Balduino in ætate juvenili defuncto successerat, & Comitis Namurcensis germanam conjugem duxerat, jam adolescens, Milesque strenuus erat, quando Carolo Principe viduata est Flandria, pauca explicemus. Hic ergo Balduinus audiens Regem Francorum Atrebatum venisse, & de constituendo Flandriæ Comite consilium quærere, assumptis secum Nobilibus, & sapientibus terræ suæ Principibus, Regem adiit, avum suum Balduinum, qui Jerusalem profectus fuerat, injustè à patruo suo Roberto de Flandriâ pulsum, & exheredatum conquestus est palam coram Optimatibus Regis, ut sibi terram & hereditatem avitam redderet humiliter Regem postulavit, & ubicumque Rex sibi in toto Regno suo diem posuisset se ire paratum, & quòd nullus se propinquior vel rectiori ac majori jure heres Flandriæ esse deberet armis, & duello sui proprii corporis probaturum subjunxit. Petitioni ejus Milites qui cum eo venerant acclamabant, Regique magnam in totâ Provinciâ pacem exinde venturam suggerebant, aliaque negotio præsenti expetentia plurima subnectebant. Rex prudentissimus benignè omnibus respondebat, ipsumque Comitem consanguineum suum vocans, multâ spe animum ejus ad impetrandum quæ petebat, sublevabat: sed quia juxtà Salomonem: *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud*; aliter voluntas Regis, quàm Comes voluerit, versa est; cum enim multi certos se esse putarent quòd Flandria eidem Comiti reddenda foret, repente nescio cujus venti flatu impellente auditum est, eam datam esse cuidam juveni, Guilelmo scilicet Roberti Normanniæ Comitis, qui à germano suo Rege Anglorum Henrico tunc temporis adhuc in custodiâ clausus servabatur, quique de filiâ Roberti senioris Comitis Flandrensis, ut longè superiùs dictum est, fuerat genitus. Hic ergo prætatus adolescens Balduinus spe suâ frustratus, à facie Regis iratus abscessit, & contrà Flandriam arma corripuit, paucisque post diebus transactis oppidum quod dicitur Aldenarda invadens, totam usque ad cineres combussit, ita ut in Ecclesiâ sanctæ Walburgis plusquàm centum diversi sexûs & ætatis fuerint cremati. Rex verò cum novo Comite Flandriam ingressus Burgis venit, Domnoque Simoni Tornacensi Episcopo mandavit, ut congregatus Diœcesis ejusdem Abbatibus ad sepeliendum corpus gloriosissimi Comitis Caroli quantociùs veniret, quod tunc de ipso corpore vidi, fidenter refero. Accersivit parvitatem meam dominus Episcopus cum Domino Absalone Abbate Sancti Amandi, multisque præsentibus sepulchrum illud quod de columnis marmoreis Bertulfus Præpositus, ut paulo ante diximus, construi fecerat, eversum est; corpusque Comitis inde levatum ad Ecclesiam sancti Christophori Martyris, in eodem oppido sitam, est à Rege cum magnâ processione delatum, quatinùs die statutâ congregatis Principibus & universo populo Ecclesia sancti Donatiani reconciliaretur, & corpus ad eamdem relatum decenter in terrâ sepeliretur. Cum ergo timeremus ne fortè odor corporis bajulos ejus gravaret, jam enim plusquàm L. dies à morte ejus transierant, pro nihilo omnes timuisse misericors Deus evidenter ostendit: nullum enim omninò ex eo sensimus noxium odorem manasse, imò quod magis mirum est, linteum quo fuerat corpus involutum ita candidum & incorruptum vidimus, ut nulla omninò signa in eo nisi recentis sanguinis cerneremus. Quantus ibi gemitus, quantus dolor, quis clamor & planctus, qualis lacrymarum fluctus à Rege cunctisque Principibus, imo universo populo fusus fuerit, prætereo: quia hæc etiam me tacente facilè potest advertere pia legentis intentio. Post quinque ergo dies reconciliatâ eadem Ecclesiâ, & post Missæ celebrationem decenter sepulto Comitis corpore, protinùs Rex dominum Rogerium juvenem Clericum in sede Præpositi statuit, quoniam Bertulfus Præpositus jam aufugerat: quo facto turrem, in quâ proditores adhuc clausi & obsessi detinebantur, Rex invasit; sed quia fortissima erat, illique viriliter repugnabant, non tam facilè eam capere potuit. Nocte sequenti Burchardus cum avunculo suo Bertulfo de turre clam exeúntes fugerunt, aliosque omnes in mortis periculo reliquerunt, qui cum vidissent frustra se repugnare, ad ultimum se Regi reddiderunt, cumque ingredi permiserunt. Rex verò cunctos simul captos, primò in ejusdem turris carcere per triduum jussit servari; dehinc eductos, & superiùs reductos, de propugnaculis ipsius altissimæ turris singillatim fecit præcipitari; Sicque XXX. homines præcipitio interfecit. Bertulfus verò & Burcardus cum jam de provinciâ exissent, & etiam usque Tornacum venissent, Divino tamen judicio effugere nequiverunt, sed rursùs in partibus Flandriæ comprehensi, turpissimè suspensi vitam indignam miserâ morte finierunt.

36. Rex itaque Franciam rediens Guilelmum in Flandriâ Comitem reliquit, qui primò quidem in ingressu suo, etiam coram Rege Flandrensibus tam Militibus, quàm oppidanis bona promisit, libertatemque, & leges suas more antecessorum suorum se servaturum publicè jurejurando firmavit. Ubi verò omnes sibi subjectos vidit, protinùs elatus, bona & substantias eorum diripere, deinde eos etiam vinculis adstrictos & custodiæ mancipatos ad redemptionem sui cœpit compellere. Confestim Flandrenses perterriti utpote talium non assueti, & de malis pejora exspectantes, unanimiter rebellare disponunt, & mori potiùs quàm talia pati eligunt: primique Insulenses, quos magis affligebat, ei palam resistere ausi sunt. Erat tunc temporis in Lotharingiæ provinciâ quæ dicitur Auxatia, juvis quidam Miles nomine THEODORICUS filius Simonis Ducis Auxatiæ, quem ex filiâ Roberti senioris Comitis Flandriæ genuerat, quæ priùs Henricum Comitem Brusselliæ maritum habuerat, sed eo apud Tor-

Prov. 21. 1.

nacum intefecto præfato Simoni Duci nupserat. Hunc ergo juvenem scientes Flandrenses propinquiorem Caroli fuisse, utpote materteræ ejus filium, secretò ad eum legatum dirigunt, & ut Flandriam veniat poscunt. Protinùs Theodoricus vix tribus militibus comitatus Flandriam venit, veniens gaudenter suscipitur: jamque Guilelmo fidentiùs repugnatur. Rursùm petente Guilelmo Rex cum Archiepiscopo [u] Atrebatum revertitur. Theodoricus quasi alieni juris invasor, ad audentiam Archiepiscopi venire commonetur; venire nolens, cum omnibus fautoribus suis publicè excommunicatur, & Insulæ ubi tunc morabatur Divinum officium interdicitur, ipseque quantociùs de Flandriâ exire, & in terram suam redire à Rege jubetur. Præbet ille surdas aures, & eventum rei præstolatur Rex cum Guilelmo congregato exercitu, intrà Insulam clausum obsidet Theodoricum, terque in die in tribus locis oppidum invadens, portas intrare, & clausos expugnare conatur: sed nihil proficiens, sexto die sine aliquo effectu Atrebatum, inde in Franciam revertitur. Egreditur de Insulâ Theodoricus, Flandriamque peragrans, & aliquoties Guilelmo congressus, nunc inferior, nunc superior invenitur, omnibus cum timore exspectantibus quis eorum vincat, & quis vincatur. Rursùm verò Guilelmus congregato equitatu, in castello quod dicitur Alos conclusum obsidet Theodoricum, sed dum fortiter præliando castellum expugnare nititur, mense Augusto in manu sub pollice à quodam pedite vulneratus, & calore nimio gravatus, sentiens sibi brachium intumescere, Ducem Godefridum qui secum erat facit secretè evocari, seque protinùs moriturum prædicens, ut cautè exinde equitatum reducere studeat, consulit. Dux sentiens adversam fortunam, callidè per internuntios Theodoricum evocat, simulansque se pacem inter ipsum & Guilelmum velle componere, cautè exercitum eduxit, & cum jam procul esset Theodorico mortuum esse Guilelmum mandavit. Sic ergo vulnere modico Guilelmo defuncto, & apud sanctum Bertinum juxtà Comitem Balduinum sepulto, dominatum totius Flandriæ Rege concedente Theodoricus obtinuit, & conjuge suâ defunctâ, germanam Comitis Andegavensis, filiam scilicet Fulconis Regis Jerusalem, uxorem duxit; taliquе fine probatum est non falsam fuisse prophetiam illius matronæ, quæ Balduino Tornacensi Advocato & sociis suis legatis Roberti junioris Comitis id ante quamplures annos sic futurum prædixerat. Balduinus enim Roberti junioris Comitis sine prole obiit. Juvenis autem pulcher quem Daciâ venturum pronuntiavit, haud dubium quin Carolus fuerit; duo autem Comites, quos post eum venturos, & de Flandriâ litigaturos subjunxit, quorum alter alterum interficeret, Guilelmus & Theodoricus fuerunt; quod verò in fine intulit victorem cum posteris suis Flandriam possessuros usque ad tempus Anti-Christi, Dei notitiæ, & futurorum relinquimus, experientiæ, hoc unum videmus Theodoricum jam esse Comitem securum, plurimisque lætificatum, filiamque suam jam promisisse Henrico Theobaldi Comitis filio, licet Rex Francorum conjugium nitatur dissolvere, tertio gradu consanguinitatis dicens eos invicem propinquos esse. Verùm quia per Reges & Comites longam nimis digressionem fecimus, jam quasi prolixo expleto itinere ad Domnum Odonem & Clericos ejus redeamus, ne nobis per diversa vagantibus fame moriantur.

37. Recedente itaque Domno Rabodo Episcopo cum processione, remanserunt pauperi Martino quinque pauperes Clerici, mox verò auxilio civium emptâ unâ domo ligneâ à Monacho, qui Provisor erat curiæ sancti Amandi de *Willemel*, & juxtà Ecclesiolâ ædificatâ, paulatim crescere cœperunt, ita ut anno altero adventûs eorum jam XVIII. Fratres invenirentur; paupertatem tamen non parvam in primis ibi sustinuerunt, ita ut unde viverent non haberent, sed à quibusdam religiosis laïcis sacci publicè per urbem quotidie circumferebantur, & ut pauperibus sancti Martini succurrerent clamabatur taliquе subsidio integro anno transierunt.

38. Interea adolescens quidam Clericus nomine Alulfus, Sigeri Canonicorum sanctæ MARIÆ Præcentoris filius, relictis sæcularibus divitiis sese illis sociavit; quod ubi patri ejus nuntiatum est, continuò congregatis propinquis suis ad S. Martinum furibundus venit, adolescentem per capillos apprehensum, terræ prostratum, graviterque cæsum domum reduxit. Sequenti die adolescens dum putaretur ad Ecclesiam sanctæ MARIÆ ire, furtim se subducens ad sanctum Martinum redit: sed rursum à patre suo continuò reducitur, & in compedibus ponitur. Cumque hoc sæpiùs fieret, adolescente scilicet ad S. Martinum quandocumque poterat fugiente, & patre suo eum protinùs reducente; contigit Domnum Haimericum Aquicinensem Abbatem Tornacum venisse ad invisendos, & confortandos pauperes illos; quem cum Magister Odo consuleret quid sibi agendum foret super adolescente illo, qui quotidie à patre suo violenter reducebatur: protinùs Abbas ut vir sapiens competenti compertâ occasione, id quod ante moliebatur erupit, dicens; Verè bone Magister, idem vobis non solùm de isto juvene, sed etiam de aliis Fratribus vestris continget, nisi Monachi efficiamini: juxtà enim urbem habitatis, & facilè Fratres vestri juniores à sæcularibus Clericis sociis suis decepti ad sæculum reducentur, quia unus idemque vester & ipsorum est habitus; si autem Monachi essetis, postea nullum de vestris tentarent reducere; quoniam cum Monachorum niger sit habitus, Clericorum verò candidus, tanto horrori Clericі habent habitum Monachorum, ut quem semel viderint Monachum, nunquam de inceps dignentur habere socium. Considera etiam quòd mollior & remissior sit vita Clericorum, etiam regulariter viventium, quippe cum lineis induantur, carnibus frequenter vescantur, festis diebus non nisi novem lectiones legant: cum ergo tu famosus ubique & celebris habearis, & sæculo renuntiaveris, si mihi credere velles, magis consulerem tibi Clericisque tuis rigidiorem quàm remissiorem expetere ordinem. His Abbatis Aquicinensis persuasionibus Magister Odo animatus socios evocat, Abbatis consilium narrat, consensumque eorum super hoc expostulat. Protinùs dictis ejus consentiunt, & ne ab aliquo si differretur averti posset, Abbatem præfatum eâ nocte ibi manere deposcunt, seque die sequenti Monachos futuros promittunt. Generosa Alulfi conversio.

Crastino igitur summo mane, finito Capitulo ad altare S. Martini XII. Clerici eunt, vestem Clericalem deponunt, & Monasticam cum benedictione & triduano silentio per manum Abbatis Haimerici suscipiunt, ita ut cum Matutinos & Primam ritu Clericali cantassent, jam Tertiam & omnes sequentes Horas usque in hodiernum diem Monachorum more cantaverint. Nec fefellit Magistrum boni consilii susceptio, siquidem Sigerus ille Canonicorum Præcentor, videns adolescentem filium suum Monachum factum, nequaquam illum ultrà retrahere tentavit: sed ad perseverandum vehementer accendit, imò ipsemet præterea nutu Dei compunctus relictis mundanis divitiis, unà cum fratre suo Her

Odo Abbas S. Martini cum sociis relinquit institutum Clericorum, & habitum Benedictinum [induit].

Sigerus Præcentor & Hermannus Præpositus fratres fiunt Monachi.

u *Archiepiscopo*] Sc. Remensi.

manno majoris Ecclesiæ Præposito, cujus longè superiùs mentionem fecimus, in Cœnobio nostro Monachus est factus, & quinque altaria quæ alteri filio suo nomine Adam Canonico acquisierat, nobis dari impetravit, quæ nobis singulis annis plusquàm xxx. librarum pecuniam reddunt. Completo itaque triduano silentio Abbas Haimericus Monachis quos fecerat, ut jam sibi Abbatem eligerent consuluit: cumque Magister Odo unum de sociis suis eligere conaretur, omnes super eum irruentes unanimiter ipsum eligunt, electumque Domno Rabodo Episcopo præsentant confirmandum, consecratusque est sequenti Dominicâ Tornaci in Ecclesiâ sanctæ MARIÆ IV. Nonas Martii, anno tertio conversionis suæ. Adolescens verò ille quem prædiximus, Alulfus Monachus factus in Cœnobio nostro, Armarii, seu Cantoris officium XLVII. annis tenuit, omnesque libros beati Gregorii sæpiùs relegens, imitatus Paterium universas tam veteris quàm novi Testamenti sententias ab eo expositas excerpens, tres exinde codices[x] composuit, & quartum de diversis & valde utilibus sententiis superaddidit, eisque Gregorialis nomen indidit, sicque XLVIII. conversionis suæ anno in bono proposito vitam terminavit. Sigerus verò pater ejus cum primùm factus fuisset Monachus, quâdam meridianâ in lecto dormiens vidit in somnis unum ex Canonicis sanctæ MARIÆ ante plures annos defunctum sibi apparentem, & de diversis colloquentem; cumque ille mortis ejus non immemor interrogaret ut sibi panderet quomodo se haberent animæ in aliâ vitâ: ille protinùs respondit: Domne Sigere quid quæritis de aliâ vitâ? In veritate dico vobis, quòd qui propter Deum hîc pauper fuerit, ibi erit dives. Statim Sigerus ad sui consolationem id se vidisse intellexit, Deumque super hoc glorificans nobis protinùs enarravit.

39. Domnus itaque Odo Abbas factus, cum Monachis suis instituta & collationes, seu vitas Patrum assiduè cœpit legere, & quidquid legissent illicò volebant opere adimplere, unde factum est ut zelum Dei habentes, sed fortè non secundùm magnam scientiam, tertio adventûs sui anno conqueri inciperent se non in bono loco remansisse, ubi clamores juvenum, cantilenas puellarum audiebant, ubi sæcularium vestes videbant, quibus ab intentione suâ plurimùm animus eorum impediretur, desertum potiùs expetendum, ubi liberiùs Divinæ possent vacare meditationi. Hæc & his similia per dies singulos invicem conferentes, & multoties exinde graviter suspirantes, tandem unanimi accepto consilio, dum quâdam nocte solito temperiùs Matutinos decantassent, finitis illis, vestes suas & libros plaustro imponunt, sicque ante mediam noctem Ecclesiam vacuam relinquentes præcedente Abbate, omnes, nullo civium sciente, quantociùs de provinciâ exire satagunt. Mane verò facto cum cives Ecclesiam S. Martini orationis gratiâ ex more adeuntes quod gestum fuerat comperissent, illicò quasi urbis interitus immineret, gemere, alter alteri quod audierant cum mœrore nuntiare, non se dignos eorum consortio fuisse proclamare, postremò ad ipsam Ecclesiam catervatim currere, ubi dormierant, ubi comederant, cum lacrymis circuire, universæque regioni novam quamdam calamitatem superventuram ejulando cœperunt pronuntiare. Ubi verò per Sanctimoniales quasdam prope Ecclesiam commanentes, didicerunt eos Noviomum ire, quatinùs à Domno Rabodo Episcopo, qui tunc ibi morabatur abeundi licentiam peterent, protinùs evocato Everardo Castellano totius regionis illius Principe, cunctisque majoribus Urbis in unum celeriter congregatis, accepto generali consilio ad Episcopum festinatò miserunt, mandantes ei ut nullam spem ulteriùs ingredi Tornacum haberet, si eis licentiam daret. Legatus itaque equo vehementer calcaribus fatigato Monachos prævenit, Episcopo rem gestam retulit, deinde Principis & civium verba subjunxit: protinùs Episcopus lacrymis perfusus respondit, hoc superfluò cives mandasse, quoniam etiamsi ipsi rogarent ut Monachos abire permitteret, ipse nullo modo super hoc eis assensum præberet. Continuò ergò in viâ quâ eos venturos sperabat, ipse explorandi gratiâ legatum dirigit, eisque propinquantibus in occursum eorum pergit, vidensque eos omnes ferè xxx. pedites venientes, militibus & Clericis suis, ut de equis descenderent, & Monachos ascendere facerent præcepit: Monachi verò ascendere nolentes usque ad Episcopum perveniunt, & in medio portæ Noviomensis urbis pedibus ejus prostrati, abeundi licentiam deposcunt. Protinùs Episcopus cum nimio fletu è contra pedibus eorum prosternitur, & hoc se nullo modo facturum jurejurando profitetur: sicque ad domum suam eos ducens, ac pro tanti laboris levamine triduo secum retinens, liberaliterque reficiens, ad ultimum eos obedientiæ vinculo constrictos Tornacum redire coëgit; quod ubi civibus innotuit, illicò quasi post tenebras solem cernerent redeuntem exultant, & procul ab urbe eis occurrere praeparant. Contigit autem eos redire in Exaltatione sanctæ Crucis, quando celebrem illam processionem per circuitum urbis superiùs diximus institutam à Rabodo Episcopo pro igneâ pestilentiâ. Canonici itaque qui jam urbe cum Sanctorum pignoribus egressi fuerant, ut eos reverti audierunt, cum totâ processione ferè LX. millium hominum eis obviam pergunt, & cum gaudio ad S. Martini Ecclesiam eos reducunt. An. 1095.

Monachi S. Martini solitudinis amore locum deserunt, sed jussu Episcopi redeunt.

40. Exinde cœpit Ecclesia nostra paulatim cum Dei adjutorio crescere & multiplicari usque in præsentem diem. Tunc primùm cives Torn. certiores facti de eorum stabilitate, præfatum Episcopum adeunt, terrarum antiquarum S. Martini quæ quondam destructo Cœnobio in manu Episcopi devenerant, & de manu Episcopi in beneficio tenebant, mentionem faciunt, utque eas S. Martino redderet unanimiter deposcunt. Eâ tempestate Balduinus ille Advocatus Torn. cujus superiùs mentionem feci, jam sæculo renuntiaverat, & in Cœnobio Beccensi, quod in Normannia situm est, sub venerabili Abbate Domno Anselmo postmodum Archiepiscopo Cantuariensi, Monachus factus fuerat. Radulfus verò germanus ejus Miles strenuissimus ei in Advocatione successit terrasque sancti Martini cum Advocatione in beneficio de manu Episcopi suscepit. Hunc itaque Radulfum Episcopus secretè convocans, suasoriis verbis ad eleemosynam accendere cœpit, & ad ultimum ut easdem terras Monachis illis pauperibus pro animâ suâ dimitteret, rogavit, &, ô incredibilis Spiritûs sancti clementia! inflammatum illicò cor hominis est, benignè ad omnia respondit, & sine ullâ dilatione terras illas Episcopo reddidit, Episcopus verò eas privilegii[y] sui auctoritate sancto Martino liberas reddidit. Sed quia præter illud privilegium nullum antiquæ scripturæ habemus testimonium,

[x] *tres exinde codices*] Extant in Biblioth. S. Martini Tornac. in 4. voluminibus, in quorum ultimo legitur:
Hæc de Gregorii qui traxit opuscula libris
Gregorii precibus in pace quiescat Alulfus.
Alulfi Opus editum est Parisiis.

[y] *privilegii*] Id Privilegium refert D. Ægidius Duquesne Prior S. Martini Tornac. in historiâ MS. ejusdem Cœnobii.

quòd Ecclesia nostra antiquitùs Abbatia fuerit, nisi solummodo quod continetur in vitâ sancti Eligii Episcopi, qui moriens evocato Balderedo Tornacensi Abbate, præcepit ei ne ad suos Turonis rediret, minùs confidenter eam confirmans Abbatiam fuisse: fuerit ergo necne, illud fidenter asserimus Domnum Odonem nihil in eâ invenisse. Quid etiam mihi in adolescentiâ contigerit dicam.

41. Quidam ex Monachis nostris Corturiacum ad Clementiam Comitissam directus, invenit ibi quemdam Abbatem qui ad eamdem venerat; à quâ interrogatus unde esset, cum de sancto Martino se esse respondisset, Abbas protinùs ille percunctari cœpit, ubi esset, & cujusmodi esset Abbatia sancti Martini Tornacensis; cumque Monachus propè eam esse, nec antiquam, sed novam, & ante viginti annos constructam fuisse dixisset: Abbas protinus subjunxit; Verè, frater, plusquàm trecenti anni sunt ex quo Abbatia sancti Martini Tornacensis facta est; nam in Ecclesia nostrâ adhuc servantur privilegia sancti Martini Tornacensis, quæ Monachi ejus Wandalorum persequutionem fugientes ad nos attulerunt, & ibi reliquerunt. Ego ipse verò multoties quæsivi ubinam terrarum sit Ecclesia sancti Martini Tornacensis, sed hactenùs scire nequivi. Tunc Monacho Abbatem sciscitante unde esset, Abbatem de Ferrariis se esse respondit. Rogatus verò multum ut Tornacum veniret, non sibi vacare respondit. Monachus rediens cum hoc nobis retulisset, illicò rursus cum alio litterarum perito Corturiacum sciscitandi pleniùs gratia remittitur; sed Abbas qui jam discesserat, non invenitur. Magnus nobis dolor, magna quæstio exoritur ubi sit Ferrariensis Ecclesia quærimus, sed discere nequivimus.

42. Post duos annos generale Concilium à Papa Calixto Remis indicitur, qui Papa frater erat Clementiæ Comitissæ, qui priùs fuit Viennensis Archiepiscopus, & vocabatur Guido, ibi spes aliquid audiendi nobis renascitur; negotii hujus indagatio mihi imponitur, cum necdum, sicut puto, essem Diaconus. Totâ die circumeo Ecclesiam sanctæ Mariæ, & in tanto Conventu oppressus, cuicumque Monacho obvio ubi sit Ferrarias requiro, & per triduum nihil proficio. Interdum deficio, sed vires reddit mihi ille versiculus: *Labor improbus omnia vincit.* Tandem in Episcopatu Parisiensi Ferrarias esse audio; *Deo gratias* clamo, per Clericos Parisienses Abbatem Ferrariensem agnosco, protinus illum adire cupio, sed turbâ impediente nequeo. Tandem diù desideratam Papa donante comedendi licentiam, Abbati me conjungo; verba quæ Monacho sancti Martini Tornacensis apud Corturiacum ante biennium dixerat recolo, facilè eum recordari gaudeo; quid in illis privilegiis quæ apud se servari dixerat contineatur, sciscitor. Respondit Caroli Regis Francorum esse privilegium, sigillo ejus confirmatum, & in eo scriptum esse, quòd petente Ingelranno Comite de Castellandum Rex Carolus dederit sancto Martino Tornacensi, villam quæ vocatur *Supas* [z] in pago Parisiensi, cum molendinis & omnibus aquis, oportunitatibus; appositis in fine testibus, & die simul ac loco donationis. Rogo illud mihi dari privilegium, quoniam ipsi non erat proficuum; respondit se non gratis illud daturum; promitto ei centum solidos: diem mihi ponit, quo ad eum veniam, viam docet quâ pergam, ut scilicet primùm Parisius, deinde Castellandum, inde Ferrarias proficiscar. Tornacum gaudens redeo, audita refero, pecuniam defero; Parisius transiens Ferrarias venio, Abbati nummos ostendo, privilegium mihi dari postulo: sed Abbas (sicut Monachi ejus mihi dixerunt) timens offendere Militem qui villam tenebat, respondit privilegium illud se post Concilium invenire nequivisse; accepto tamen à me uno pretioso cingulo ad villam ipsam, quæ *Supas* dicitur, & duobus milliaribus aberat me duci fecit, ubi visis molendinis & loci oportunitatibus lacrymas tenere nequivi: ingressusque Ecclesiam, unum vetustissimum codicem jam penè dissolutum & putrefactum inveni; in quo scriptum vidi: Liber Sancti Martini Tornacensis Cœnobii. Egrediens cuidam seni & decrepito rustico obviavi, cumque cujus esset illa villa quæsivi. Respondit Joscelini Militis, & aliorum quorumdam. Cui ego, quæso inquam pater, dic si aliquando eam audisti alicujus Sancti fuisse. Scimus, inquit, omnes hanc villam fuisse cujusdam Abbatiæ quæ dicitur sancti Martini de Tornaco, sed nescimus ubi sit; & miramur quid faciant maledicti Monachi illius Abbatiæ, qui talem villam non repetunt. Tum ego, & quomodo, inquam, pater audisti talem villam datam tam ignotæ & longinquæ Abbatiæ. Audivi, inquam, quemdam Militem hujus regionis, cujus erat hæc villa, in illam provinciam cum aliis militibus solidarium abiisse, ibique vulneratum & desperatum in Abbatia illâ Monachum factum fuisse, sed postea sanatum rediisse, & villam suam per Regem Carolum eidem Abbatiæ sancti Martini confirmasse. Hæc audiens, sed nihil ampliùs facere valens, tristis reversus sum, super hoc tamen gaudens, quòd aliquantulum certior fui de Abbatiæ nostræ antiquitate, unde certissimum factum certissimum reddit quod aliàs me legisse recolo.

43. Sanctus enim Audoenus Rothomagensium Metropolitanus, gesta B. Eligii clarè & fideliter describens, inter cætera refert ipsum primitùs aurificem fuisse in Curiâ Lotharii Regis Francorum filii Chilperici, qui Ecclesiam beatæ Mariæ Tornacensis valde ampliavit, de quo postea dicemus, ipsoque rogante expensasque præbente universas tumulum Beati Martini Turonis ex auro & lapidibus pretiosis composuisse: quâ occasione atque oportunitate, nec sine Domini voluntate, ut postmodum claruit, factum est, ut duos dentes de maxilla Sancti detraheret, sibique pro Reliquiis retineret. Quando post longum tempus septimo loco à Beato Eleutherio sortitus est dignitatem Cathedræ Episcopalis Tornacensis Ecclesiæ, & pastorali curâ regendas suscepit plebes Tornacenses atque Noviomagenses anno Domini DCXLIX. quas rexit per XVII. annos, id est usque ad annum Dominicum DCLXV. quo paucis diebus Sacerdotio administrato placuit Deo qui illi suggesserat dentes Sancti à corpore separare, quatinùs jam ageretur opus, quo beata pignora in finibus Galliæ venerationi haberentur, & quod saluti venerantium plurimum patrocinaretur. Moxque divino inflammatus instinctu, mira erga Sanctum accensus est devotione; deinde mente pertractans cum quantâ reverentiâ excolendæ essent reliquiæ, nec fas est eas sub modio latere, visum est ei per hoc præstantissimum honorem, atque potissimam frequentationem obtinere si tali loco reponerentur, quo memoria alicujus Sancti hactenùs minimè habita fuisset, sed solummodo pro sui eximietate locus deinceps à populis frequentaretur. Igitur uno dente Noviomi in Ecclesiâ beatæ Mariæ recondito, alterum Tornaci detulit. Erat tunc in introitu ejusdem civitatis ad plagam meridianam mons eminentissimus sylvâ opertus, arbustis pomiferis diversi generis con-

Dentes duos è corpore S. Martini extraxit S. Eligius, unum in Ecclesia Noviomaiensi [illegible]

z *Supas*] Gall. *Suppres sur Loin*, in Diœcesi Senonica.

in Monasterio Sancti Martini Tornac. reposuit.

situs, ubi sic segnis animus recreabatur, ac si partem amœnitatis Paradisi se occupasse gratularetur. In hoc dicebatur antiquitùs Beatus Martinus corpore consedisse, prædicationis gratiâ Gallias perlustrando, mortuumque ibi suscitasse, & innumeris infirmis multa sanitatum beneficia præstitisse, per quæ non modicam turbam Gentilium ad cultum Dominicum convertit. Hunc ergo locum à Beato Martino prælectum, & per suam præsentiam sacratum, Dei famulus Eligius expetiit eligendum. In quo dentem Sancti reponens, domum illic baptismatis in honore ipsius ædificavit, quo ad laudes divinas Sacramentorum ministris celebrantibus, populus Deo dignus posset confluere, & charismata divina percipere. Qui nequaquam oblitus sui desiderii destinationem, habitationes Monachorum ibidem construxit: verùm progrediente tempore, & crescente paululum devotione fidelium erga ipsum locum, videns nonnullos animatos ad hoc quod diù mente tractaverat, scilicet ad serviendum Deo sub regulari normâ, atque communi vitâ vivere paratos, ne præparata habitatio sine habitatoribus esset, collegit ibidem quam plures ex diversis gentibus tam servos quàm ingenuos, Abbatemque ad cujus nutum penderent, eis præfecit. Vitæ verò institutionem tam districtam indidit, ut penè singularis fuerit vita eisdem Monachis præ cæteris Galliæ Monasteriis. Tunc undique Nobiles inibi convenire cœperunt, ac se in omnipotentis Dei famulatum tradentes, possessiones suas etiam hereditarias eidem loco delegaverunt. Ipse quoque Eligius amplioribus prædiis locum illum ditavit, terras, redditus sufficienter delegavit; & omnia quæ essent Monasterio necessaria, solerti satis curâ providit: ex quibus nonnulla de Episcopalibus redditibus possederat, quædam pretio comparaverat, quædam ex munere Regio perceperat, aliquanta verò ab aliis potentibus gratuitâ largitate data susceperat. Regi namque Clodoveo, cujus Imperii tertio anno Pontificalem susceperat infulam, & cunctis primoribus ejus pro anterioris fraternitatis conjunctione, quam cum eo in palatio sub patre suo Dagoberto, atque avo Lothario habuit, in tantum carus erat, ut quidquid ab eo postulasset absque dilatione impetrasset; quidquid verò adipisci poterat cuncta prædicto loco tribuebat, quem novissimè in finibus Galliæ fundaverat, post præclara Cœnobia quæ per diversa loca construxerat: unde factum est ut brevi elapso tempore res ibidem delegatæ, usibus Fratrum illic Deo servientium per omnia sufficerent. Quarum possessionum sub hoc tempore Ecclesiæ collatarum exstant monumenta usque in hodiernum diem, quæ quomodo ad notitiam nostram pervenerint, hoc loco inserere dignum duximus.

44. In Ecclesiâ Beatæ MARIÆ Tornacensis quidam Canonicus nomine Erbaldus exstitit, qui officium Thesaurarii in eâ pluribus annis administravit, sed post aliquanta annorum curricula letali infirmitate depressus, ad Beati Martini confugit auxilium. Cui ægrotanti dum quâdam die assisteremus, & de antiquitate hujus Ecclesiæ mutuo confabularemur, subitò æger ut erat talem sermonibus nostris responsionem consequentem intulit, dicens: Verè, Fratres, hic locus Abbatia dudum fuit, quoniam ego in vetustissimis membranis infrà ambitum Ecclesiæ Beatæ MARIÆ repositis antiquas possessiones & redditus hujus Ecclesiæ descriptos sæpissimè legi, ubi etiam servorum ejus atque ancillarum non minima multitudo continebatur. Quæ verba vel scripta antiquitati Ecclesiæ testimonium reddunt: neminem tamen ex servis aut ancillis vel possessionibus nominatim indicavit, quoniam quæ posteritates vel familiæ hodie ex eis existant, vel quibus successoribus in dominium nunc tenentium devenerint, propter diuturnam exheredationem non facilè edicere valuit. Cujus verba cum Canonicis Beatæ MARIÆ referimus, & veritatem nobis pleniùs sciscitamur aperiri: respondent nullum scriptum possessionum nostrarum nominatim totâ Bibliotheca suâ haberi, sed priscis temporibus evenire potuit, ut aliquæ determinationes finium nostrorum cum scriptis suorum intermiscerentur, quæ jam vetustate nimiâ deleta nusquam apparent, sed & si quæ fuerunt, quamdiù integra manserunt, Erbaldus, cujus custodiæ mancipata erant, sæpe legendo reperire facilè potuit, quod aliis nequaquam occurrit. Hæc audientes, sed nihil proficere valentes dolemus; firmissimè tamen tenemus quod relatione paternâ didicimus, ut scilicet tempore persequutionis Normannicæ nonnulla de supellectili Ecclesiæ nostræ, & possessionibus cum dente Beati Martini, in cujus veneratione fundatum erat Cœnobium Monachorum à Beato Eligio, in Canonicorum Beatæ MARIÆ dominium tunc devenirent, aut ad custodiendum suscipientes, aut aliquâ mutuæ vicissitudinis gratiâ juri suo mancipantes; usque in hodiernum etenim diem apud eos dens haberi dicitur, & per verba subscripta dignoscitur: verba autem Erbaldi vera fuisse non dubitamus, quia mos qui in chartis scribendis hodie frequentatur, jam ab illis temporibus inolevit: sicut enim de possessionibus & altariis quæ hodie à Principibus & Episcopis Ecclesiis dantur duo chirographa videmus conscribi, quorum unum ex propriâ impressione sigilli Datoris sigillatum Ecclesiæ, cui traditur possessio, delegatur; alterum verò non sigillatum Ecclesiæ ubi sedes est Episcopi, remanet. Ita scripta illarum possessionum quæ antiquitùs hæc Ecclesia possedit, eodem modo Canonicis sanctæ MARIÆ tradita fuisse liquidò patet.

45. Nostris etiam temporibus homines provectioris ætatis secùs Scaldum circa *Helcin* & sanctum Genesium fuerunt, qui se ab antecessoribus suis audisse dixerunt, quòd Ecclesia ista antiquitùs infrà fines memoratos præclaros redditus possederit: ipsas verò possessiones determinantes dicebant, quòd altaria villarum memoratarum, prata, nemora, terras arabiles, servos, ancillas, & cæteros redditus, quos nunc ibi tenet Episcopus, Canonici & Milites de Episcopo. Altaria quoque de Curtraco, & de Hennis Monachis discedentibus juris sui allodium effecerunt: quia autem restaurata est ipsa Ecclesia, ejus antiquitatis monimenta idcircò non deteguntur, ne inter filios utriusque Ecclesiæ aliquod dissidium vel controversia oriatur pro repetendis possessionibus. Quòd verò habeant privilegia Ecclesiarum sancti Quintini de foro, Beatique Petri de mediâ urbe, in quibus congregationes Christo famulantium olim manserunt, & adhuc inrestauratæ manent, possessionesque earum teneant, plenissimè fatentur.

46. Sed & aliud testimonium ejus antiquitatis, quod usque in præsens tempus permanet, nequaquam silentio tegendum esse arbitror. Mos antiquitùs institutus tunc temporis servabatur in Ecclesiis, ut nomina Fratrum circumadjacentium Ecclesiarum, quibus se mutuas orationes debere vel societatem promisisse noverant, super sanctum Altare scripta ponerentur; quatinùs Sacerdos Missam cantantibus nominatim recitaret, cum ad illum locum venisset, quo dicitur: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Tunc enim unus ministrorum altaris ei propinquans præsentabat recitanda. Hanc autem conjunctionis fra-

ternitatem antiquos Monachos Cœnobii hujus cum Monachis sancti Amandi Helnonensis novimus habuisse: scriptum namque illud, in quo nomina Fratrum sancti Martini cum nominibus Fratrum Ecclesiarum finitimarum continebantur, usque ad nostra tempora in eodem Cœnobio Helnonensi permansit; quod etiam quidam nostrorum manibus tenuerunt & oculis inspexerunt. His itaque testimoniis assumptis, quæ aut scriptis aut successionibus cognovimus, fidenter antiquitùs hunc locum Abbatiam fuisse confirmamus: neque tam præclara testimonia supèriùs relata in vanum usque præsentem diem conservata fuissent; quamquam profiteamur non omnia notitiæ nostræ occurrisse.

47. Idem verò auctor noster Beatus Eligius, ut in gestis ejus legitur, simili modo in pago Medenantense municipii Tornacensis, quod vocatur *Siclinium* [a], tumulavit beatum Piatonem Martyrem, Ecclesiam jam à passione ejusdem Martyris constructam juxtà facultatem virium suarum amplificans, Dei se omnipotentis comitante auxilio, ac officia Domino famulantium Clericorum constituens, sicut usque inpræsentiarum cernimus: sed nos Siclinienfibus augmentationes finium suorum monimentis tradere relinquentes, ad narrandum modum desolationis primitivæ Ecclesiæ nostræ calamum temperemus.

48. Perceptâ Tornacensis civitas cognitione fidei Domini nostri Jesu Christi à beato Piatone anno ferè ccc. ab Incarnatione Domini, cessante etiam persequutione atrocissima, quam Diocletianus in Oriente, & Maximianus Herculius in Occidente exercuerant, sub quâ idem Martyr passus fuerat, fundatis quoque Ecclesiis Beatæ Mariæ sanctique Martini, atque in Deificâ pace proficientibus tam interioribus quàm exterioribus, cœperunt plebes Tornacenses crescere nomine, multiplicari propagine, dilatari possessione, gloriari vanitate, jocundari prosperitate, epulari delicatè, propriisque delectationibus frui per annos sexcentos minus xix. id est usque ad annum Dominicum dccc. lxxxi. quibus deliciis non tantùm feliciter usi, quantum infeliciter decepti sunt; vitiis namque concupiscentiæ veram religionem neglexerunt, Deum offenderunt, ejusque iram incurrerunt: cum subitò eisdem prosperitatis temporibus animositatem durissimarum gentium Deus commovit, iram offensionis suæ contrà populos diversarum gentium vindicaturus; tuncque multitudo Normannorum properans truculenter (ut anno Dominicæ Incarnation. ccccliii. Wandalos fecisse legimus temporibus sanctissimi Nicasii, Meroveo regnante super Francos) subvertit munitiones multarum urbium, gladioque & igni interemptis utriusque sexûs progenitoribus cum filiis, ac per triginta ferè annos Galliam depopulare insistens, Tornacensis quoque civitatis inter cætera facinora sua destruxerunt muros, & ædificia depopulati sunt, cives & populos desolati sunt, possessiones & supellectilia universa cum Ecclesiis finitimis ac inhabitabilem penitùs reddiderunt; quod qualiter factum sit mandare scriptis, notificare posteris decrevimus, quantum ex scriptis Chronographorum, vel dictis modernorum colligere possumus.

49. In Chronographia Sigeberti Monachi Gemblacensis reperitur, quòd Normanni adjunctis sibi Danis anno Domini dccclxxxi. Franciam & Lotharingiam pervagantes, Atrebatis, Ambianis, Corbeiam, Cameracum, Tarvennam, fines Menapiorum Bracbatensium, omnemque circà Scaldum flumen terram (Tornacum scilicet & ejus confinia, Gandavum, Curtracum, Abbatiam sancti Amandi Helnonensis in Condato suprà ripam Scaldi, sedem sibi ponentes primo anno Episcopatûs Heidilonis Tornacensium Episcopi) Monasteria sancti Wallarici & Richarii, Leodium, Trajectum, Tungris, Coloniam, Bunnam cum adjacentibus castellis: Aquis oppidum & Palatium, Monasteria Stabulaus, Malmundarium, Indam, Prumiam, Treverim, Metim ferro & igni devastaverint. Quâ tempestate Tornacus sedes Episcopalis erat, & per ccc. ante transactos annos minùs xvi ipsam dignitatem comprobatur obtinuisse, quia ab anno Domini ccccLxxxiiii. sanctus Eleutherius Pontificatum illius rexit, & ante paucis diebus præfuit Theodorus, de quo nec ortus, nec ordinatio, aut quantum temporis præfuerit scitur: sed tantùm quòd spiculo Divino, id est, ictu tonitrui interemptus sit, memoratur.

50. Exstat & alia Chronographia de hac infestatione Normannica, propriè composita à quodam Monacho Marceniensi, qui supradictæ testimonium dat, nomine tenùs scribens Tornacum tunc depopulatum esse, & ad nihilum redactum fuisse; addens quod Emmo Tornacensis Pontifex à Normannis interfectus sit anno Domini dccclx. ante hanc devastationem xxi annis. In quo opere idem digestor temporum præclaro stilo digerit bella ac prælia, quæ Normanni ob insatiabilem sitim fundendi humanum sanguinem habuerunt adversùs Remenses, Parisienses, Aurelianenses, atque Compendioses viriliter decertando.

51. Eâ tempestate Monachi sancti Martini de civitate Tornaco dispersi, unusquisque per loca oportuna in quibus se commodiùs acturos, vel ampliùs profuturos sperabant, & locum proprium, & cives quorum tutamine dudum protecti fuerant, divino auxilio roborati, beneficio amplificati reliquerunt. Unde quidam eorum cum essent dispersi per amplissima mundi spatia, bonis quoque quæ ubique repererunt jocundati, & consuetudine locorum quam invenerunt contenti, ut multorum verba testantur, loca sua priùs desiderabilia, nunc in planitiem deducta ulteriùs repetere neglexerunt, neque laborem ipsas ruinas relevandi assumere voluerunt, sed illis in locis quò fugerant præsentem vitam terminaverunt, possessiones suas hereditarias pro beneficiis acceptis eisdem locis perpetuâ donatione tradentes. Nonnulla verò pro penuriâ & incommoditate necessitatum suarum accepto pretio vendiderunt. Quædam verò tutore & defensore carentes, in dominium Laïcarum potestatum transierunt. Ad Abbatiam verò quæ erat in Episcopatu Parisiensi sita, in oppido *Ferrarias* nominato, pars quædam eorum quibus devotio major in Deum, & mens sanior inerat diverterunt, deferentes secum de supellectili Ecclesiæ suæ pauca quædam, vel quæ utiliora sibi fore arbitrati sunt; cum quâ specialiter fuisse Chirographum villæ cujusdam illius regionis, quæ dicitur *Supas*, indiciis suprà relatis deprehendimus anno ferè xx. secundæ restaurationis. Habebant enim in proximo, quasi in spatio duarum leugarum eamdem villam amplis possessionibus dilatatam, redditus copiosos reddentem, ad quam idcircò diverterunt, ut ex ejus redditibus oportuniùs sustentarentur, ipsisque custodiendis vigilantiùs insisterent, quatinùs usibus suis valentiores existere possent; quam quomodo possederint, quia superiùs diximus, hîc recapitulare superfluum duximus. Congregationi verò illi idcircò se sociaverunt, ut vota labiorum suorum, observantiam scilicet Regulæ, quâ Deo & Beato Confessori ejus Martino se noverant devovisse

a *Siclinium* Vulgo *Seclin en Melanchois.*

quia in loco quo quidem potuerunt promittere, nequaquam valebant persolvere, saltem in alio loco regularium præceptorum integrâ observatione recompensarent.

52. Quo tempore credimus factum fuisse ut dentem beati Martini cum scriptis declaratis, & quibusdam utensilibus hujus Ecclesiæ usurparent Canonici Ecclesiæ B. MARIÆ, quædam verò quæ deferre non potuerunt, sub terrâ circà ambitum Ecclesiæ absconderunt, sicut usque in præsentem diem dicitur: unde & ille thesaurus qui ad caput capellæ B. MARIÆ ostensus est in somnis cuidam Clerico nominato Bernardo filio Vitalis, de quo suprà dictum est, quem multi nostrûm noverunt; de hac Ecclesiâ creditur fuisse. Vidit enim assistere sibi quamdam puellam facie decoram, crinitis crinibus comptam, compositis vestibus ornatam, & dicentem: Respice feretra, cruces, textus, phylacteria, aliaque ornamenta Ecclesiæ, quæ ad solem defero. Quæ omnia cum ille diutiùs intuitus esset, adjecit puella & ait: Vide ut nemini dicas hæc tibi fuisse ostensa, quoniam si dixeris & mandatum meum præterieris, infrà xxx. dies morieris. Statim ille exigilans, præ nimiâ cordis exhilaratione, quæ viderat silentio tegere nequivit; sed plenissimè enarrans, secundùm verba puellæ ante diem xxx. obiit; ita ut cum vespere sanus dormitum iret, mane inventus esset mortuus. Sed quia thesaurum revelatum necdum videmus, somnium ejus verum fuisse non confirmamus; tamen per hoc quòd ad diem xxx. non pervenit, falsum omninò non fuisse quod sonuit, claret. Fortè enim necdum venit tempus eum revelandi, aut necdum cui repositum est advenit. Fuerit ergo necne quod ei ostensum est, nos tamen frequenti relatione antecessorum nostrorum didicimus copiosos thesauros circà ambitum Ecclesiæ repositos haberi, loca quoque ubi conservantur, nostris temporibus quibusdam per somnium revelata sunt, è quibus una matronarum existit, Hersendis nomine, quæ duo loca nobis designavit, dicens demonstratum sibi fuisse in uno puteum haberi, atque in altero thesaurum conservari; puteum quæsivimus in loco designato, & invenimus nimiùm perspicuam aquam habentem, in quo etiam reperimus vasa quædam ærea usibus Ecclesiæ satis congrua; locum verò thesauri in proximo versùs occidentalem plagam designato nondum effodimus, ideoque si aliquid veritatis in eo contineatur, ignoramus.

53. In præfatâ persequutione Beatus Piatus Siclinienlis asportatus est Carnotum, ubi priusquàm Tornacum veniret CHRISTI nomen prædicaverat, sed illis prædicationem ejus non recipientibus Tornacum petiit, ibique fidem Domini nostri defendit; de cujus corpore usque ad nostra tempora litigatio grandis exstat, dicentibus nobis Siclinii relatum esse ad loca passionis suæ; Carnotensibus è contrario affirmantibus usque in præsentem diem apud se reservari: ad quam litem sedandam, fateri necesse est quod à majoribus nostris accepimus, ut scilicet relato apud nos corpore, pars aliqua ibi credenda sit remansisse; apud Siclinium enim detectâ arcâ quâ corpus Martyris servabatur, anno Dominicæ Incarnationis MCXLIII. populo demonstratus est: [b] de cujus corpore dentem suscipere meruerunt Monachi S. Martini Tornacensis, deinde pristino loco restitutus magnâ cum custodiâ servatur, gaudetque Ecclesia Siclinii Martyris præsentiâ se non esse destitutam.

54. In populo Sicliniensi sæviebat pestilentia illa quæ vulgò dicitur ignis [inferni,] adeo ut quosdam non solùm membris privaret, sed & vitam eis auferret; è quibus multi ad Beati Martyris Basilicam Siclinii constitutam manibus alienis sunt delati. Hinc Ecclesia clamoribus turbatur, Deique auxilium & Martyris suffragium ab omnibus imploratur. In feretro autem quo conservabantur Beati Martyris reliquiæ, sculptæ erant x. virgines Evangelicæ, v. videlicet *prudentes* & v. *fatuæ*. Hæ itaque omnes affectum Martyris ostendentes, miserorum doloribus condolentes, & Domini voluntatem exequentes, ita flebant ut crederentur sensibiles, in quo facto summæ virtutis potentia, & Beati Martyris Piatonis claruit præsentia, qui sicut dum in corpore viveret, & populos ad fidem Christianam cohortaretur, non solùm lacrymarum copiam, sed proprium ad extremum pro his fudit sanguinem, ita tunc affectûs magnitudinem per subjectas demonstravit imagines. Ex oculis namque prudentium guttæ sanguinis emanabant, ex oculis autem aliarum lacrymæ velut aquæ fluebant. Post hoc autem miraculum Divinum auxilium & Martyris solatium infirmi persentiunt, & qui mori putabantur, sanitati redonantur. His de præsentiâ corporis Beati Piatonis, atque de antiquitate Abbatiæ nostræ dictis, ad ea unde digressi sumus redeamus.

55. Cum ergo Dominus Rabodus Ecclesiæ nostræ terras antiquas reddidisset, veniens ad Capitulum consuluit Abbati Odoni cæterisque Fratribus ne sibimetipsis ulteriùs crederent, nec quæcumque in vitis Patrum legebant protinùs facere vellent, sed potiùs aliquod Cœnobium eligerent, cújus consuetudines servarent. Placet consilium Episcopi. Eligitur Cœnobium Aquicinense quod xv. annis ante nostrum fuit constructum, quodque solum tunc temporis in provinciâ nostrâ Religionem & consuetudines servabat Cluniacensis Cœnobii. Domnus itaque Odo Abbas, Abbatem Aquicinensem Haimericum expetit, & quia tam se quàm omnes suos Monachos ejus esse recognoscebat, utpote ab eo factos & benedictos, ut etiam qualiter vivere debeant edoceat, exorat. Annuit religiosus Abbas, statimque de suis Monachis in Cœnobio nostro Priores instituens, ac de nostris Aquicinum secum docens libenter nobis collaborat, & tam ipse quàm Fratres ejus efficiuntur nobis in consilio ut patres, in auxilio ut fratres, in famulatu ut servi. Unde præ cæteris provincialibus Cœnobiis majorem semper familiaritatem erga Aquicinenses habuimus, ita ut communia sint omnia nostra tam intrinsecùs quàm extrinsecùs, & quidquid agimus pro Fratribus nostris vivis vel defunctis, hoc pro illis nos agere concesserimus, idem reciprocâ vicissitudine ab eis accipiamus.

56. Cœperunt interea sæculo renuntiantes quamplures utriusque sexûs, ad Ecclesiam nostram conversionis gratiâ venire, nobisque de suis facultatibus tradere. Prima ergo quantum mihi videtur, ad conversionem venit Ida illa nobilis Matrona, cujus superiùs memoriam feci, quæ fuerat conjux Fastradi Advocati, qui magnopere restaurationem Ecclesiæ nostræ videre desideravit, sed morte præventus videre nequivit. Hæc nobis inter cætera unam domum in urbe, & molendinum inferiùs suprà Mâram donavit, quæ usque in præsentem diem tenemus; & eum nobilissima, numquam tamen inter alias Sanctimoniales nisi ultimæ ancillæ officium tenere voluit. Hæc fuit germana nobilis illius principis Theoderici de Avesniis, qui eodem tempore in propriâ terrâ suâ Cœnobium Lescience à fundamentis construxit, omnibusque officinis peractis Monachos ibi posuit, & unde victum & vestitum haberent abundanter providit

b *demonstratus est*] Per Simonem Episcopum Tornac.

Providit: cujus quando mentio incidit, & alius referendi locus non erit; quiddam de eo dicam unde legenti cuilibet, & imitari volenti utilitas possit conferri. Hic itaque Theodericus vir nobilis & magnæ potentiæ, dum contrà Comitem Montensem Balduinum frequenter bellum gereret, quâdam die congregatâ non modicâ militiâ, terram ejus violenter intravit, multamque prædam exinde abducens, inter cætera quæ ibi gessit etiam duo Monasteria Sanctimonialium, sanctæ scilicet Waldetrudis Montensis, & sanctæ Aldegundis Malbodiensis, concremavit, pro eo quod ibidem milites sibi resistentes Comes posuerat.

57. Heremita quidam in proximâ silvâ quæ Brocherota vocatur commanens solitarius, vidit sicut ipse referebat non dormiendo sed vigilando mediâ die sanctam Dei Genitricem MARIAM in cœlo instar Reginæ præcelso throno residentem, illasque duas prænominatas Sanctas pedibus ejus se prosternentes, & de Theoderico Avesniensi, qui Ecclesias earum combusserat ultionem postulantes; cumque vehementer conquerentes acriùs justitiam expeterent, sancta Virgo sic eis respondebat: Parcite, quæso, mihique nolite esse molestæ, quia nolo ad præsens eum gravare; uxor enim ejus Domina Ada quoddam servitium mihi facit, quo me sibi sic familiarem adstringit, ut nec ipsi, nec marito ejus pati possim aliquid inferri gravaminis. Cumque illæ Sanctæ requirerent, quod esset illud servitium, respondebat, Angelicam illam salutationem[c], quæ in terris principium mihi lætitiæ exstitit, singulis diebus mihi sexagies replicat, & vigies quidem prostrata, vigies genibus flexis, vigies autem stando aut in Ecclesiâ aut in cubiculo suo, aut in aliquo secreto loco *Ave Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*, mihi commemorat. (Luc. 1. 28.) Cum vero illæ Sanctæ instantiùs multa replicantes, sese vindicari importunè exigerent, tandem sancta Virgo sic eis respondit. Rogo ut mihi ad præsens de hac ultione inducias detis, & ego promitto vobis, quòd veniet tempus quando de eo vobis justitiam faciam, & contrà dominum Adam nihil delinquam. Hoc ego in pueritiâ meâ audiens falsum esse credidi, postea verò verum esse potuisse non nimium dubitavi. Siquidem Abbas noster Odo post duodecimum ferè conversionis suæ annum ad Episcopatum Cameracensis urbis fuisset promotus, sanguinei ejusdem Theoderici contristati, quòd de conjuge suâ prolem non haberet, consanguinitatis lineâ quartâ eos propinquos esse coram eodem Episcopo accusaverunt, & die statutâ jurejurando confirmaverunt, sicque Ecclesiastico judicio, cum jam plusquam xx. annis simul mansissent, conjugium illud dissolvi fecerunt. Vix autem dimidius annus transierat, & ecce præfatus Theodericus in sylvam venatum pergens ab Isaac de Berlenmonte insidiis circumventus occiditur, & ad Cœnobium Lesciense quod ædificaverat relatus, in Capitulo ante sedem Abbatis sepelitur. Tuncque vulgatum est verum esse potuisse quod solitarius se audisse dixerat, sanctam MARIAM promittentem quia eas vindicaret, & contrà dominam Adam jam ab eo separatam nihil delinqueret. Eadem verò domina à marito suo disjuncta, continuò relictâ sæculari pompâ ad Cœnobium præfatum, quod cum viro suo construxerat, abiit, nec tamen ex toto proprietatem dimisit, sed edificatâ juxtà Ecclesiam sibi domo lapideâ, nolens gravare Ecclesiam, de redditibus suis usque ad finem vixit, frequenterque Monachis quæ necessaria erant tribuit, & quod retulimus verum fuisse multis narravit. In tantum verò id diffamatum est, ut etiam Gosceginus filius dominæ Adæ primæ Sanctimonialis nostræ, qui avunculo suo præfato Theoderico successit, easdem salutationes Beatæ MARIÆ quotidie replicaret, militibusque suis eas dicere suaderet; quamobrem & ipse licet multa mala fecerit, tamen bono fine vitam terminavit: nam sentiens se validâ ægritudine laborare, in eodem Cœnobio Monachus factus, sicque defunctus, juxtà avunculum suum in Capitulo est sepultus. Qui quoniam de Agnete conjuge sua filiâ Anselmi de Ribotmont prolem non habuit, Galterum optimum juvenem germani sui Fastradi filium, successorem sibi in vita suâ constituit. Præfata verò Agnes uxor ejus dominam Adam imitata, relictâ sæculari pompa ad idem Cœnobium abiit, & de redditibus suis vivens, calices aureos, & candelabra, multaque alia pretiosa ornamenta Ecclesiæ illi fecit componi. Fastradus autem iste, quem nunc nominavi patrem Walteri, filius fuit illius Idæ primæ Sanctimonialis nostræ, qui etiam Fastradus cum Advocatus Tornacensis pluribus annis fuisset, ægritudine correptus in nostro Cœnobio Monachus est factus, sicque defunctus: cujus uxor Richeldis imitata præfatam Idam mariti sui matrem, relicto sæculo apud nos sanctimonialem habitum suscepit, & cùm fuisset nobilissima & ditissima, per xx. tamen annos nihil omninò superbiæ inter alias ostendit, sicque humiliter degens bono fine quievit. Gualterus verò ejus filius videns patrem suum & matrem apud nos sepultos esse, pro animabus eorum & suâ dedit nobis unum molendinum suprà Ries fluviolum, & quamdiù vixit, quasi pater Ecclesiæ nostræ ubique fuit: duxit autem conjugem Idam filiam Everardi Castellani Tornacensis, ex quâ plures filios & filias genuit, omnesque antecessores suos potentiâ & opibus superavit. Fuit enim primò Advocatus Tornacensis, deinde succedens patruo suo tenuit castrum Avesniense, totamque penè regionem illam, quæ dicitur Bracbantus. Volens autem pacificè vivere, & pœnitens multorum quæ commiserat scelerum, tentansque mitigare bella quæ inter Montenses Comites, & Principes Avesnienses multis annis duraverant; sororem Balduini Comitis Montensis filio suo Theoderico adolescenti militi conjugio sociavit, sicque totam provinciam pacificavit, sed inimicus generis humani non diutiùs pacem illam toleravit: Theodericus enim ille adolescens nolens esse contentus paternis opibus, sed ubique discurrens velut equus indomitus, non modò de proximis, verùm etiam de longinquis regionibus, de terrâ scilicet Ducis Lovaniensis, Episcopi Leodiensis frequenter prædas & captivos cœpit adducere, donec quadam die frequentibus elatus victoriis cum centum militibus longiùs progrediens redire non potuit, sed à peditibus undique irruentibus occisus, & cum magno periculo ad Letiense Cænobium super equos relatus, omnibus amicis suis magnum luctum intulit. Tunc pater nimio mœrore perculsus, timensque diversos fortunæ casus, alteri filio suo Nicolao Castrum Avesniense & Bracbantum in vitâ suâ donavit, eique castellum quod dicitur Walecurtis superaddidit. Tertio verò filio Advocationem Tornacensem tradidit. Quarto etiam Clerico facto Everardo duos Archidiaconatus, Cameracensem scilicet & Tornacensem, necnon Præposituram Nivellensem, aliosque multos honores Ecclesiasticos acquisivit: & quatuor filias divitibus maritis dedit. Ipseque, sicut mihi multoties dixit, libenter Monachus factus fuisset, si conjugis suæ licentiam habere potuisset. Præsenti verò anno post festum Omnium Sanctorum, dum apud Mon-

c *salutationem*] Nota Rosarium B. Virginis, vulgò *Chappelet*, tunc usitatum.

tense castrum in aulâ Comitis Balduini contrà eum pro Trellum castello, quod ei Comes auferre volebat, placitaret: subitaneâ irâ percussus loquelam perdidit, deinde à Comitissâ in lecto Comitis positus, sequenti nocte defunctus est. Indeque à filiis suis ad Lætiense Cœnobium delatus, & cum prioribus suis sepultus, magno totius provinciæ mœrore, quia pater pauperum & Ecclesiarum ab omnibus vocari solebat. Sed de his ista sufficiant. Nunc verò ad duos illos Milites Walterum & Radulfum, quorum longè superiùs mentionem feci, veniendum est, breviterque ostendendum quàm verum fuerit illud somnium, quo in Ecclesia sancti Martini stare, & parietes illius renovare visi sunt.

58. Walterus iste, ut prædixi, vocabatur, filius Huberti, eratque unus de potentioribus Tornacensis provinciæ Optimatibus: hic cum uxore suâ ad conversionem veniens, dedit nobis molendinum illud super Mairam fluviolum, ubi tota annona molitur, de quâ fit panis qui in Cœnobio comeditur: tenebat etiam quamdam terram in nemore de Peveiâ juxtà Templovium, quam nobis dare volebat, sed non poterat, quia eam in beneficio tenebat de Roberto juniore tum temporis Flandrensi Comite. Comes enim tantam terram quæ de beneficio, vel feodo suo erat, gratis concedere Ecclesiæ nolebat. Cum ergo ut hoc Comes concederet laboraretur, fortè Radulfus ille Miles prænominatus unum equum magni pretii habebat, pro quo Comes ille XL. marcas dare volebat. Rogavit ergo Comitem idem Radulfus ut equum illum acciperet, & terram illam pro animâ suâ in eleemosynam sancto Martino daret. Consensit Comes, & privilegii sui auctoritate eamdem terram Cœnobio nostro confirmavit; sicque molendinum præfatum cum eâdem terrâ plusquam mille libras nobis postea reddidit. Jam verò factus Monachus qualiter se habuerit, nullus facilè explicabit, cum nullo Optimatum regionis fuerit inferior, omnibus rusticis se viliorem exhibuit. Ipse aquam ad coquinam deferre, scutellas & ollas abluere, farinam cribrare, clibanum succendere, equorum stabula mundare, fimum deferre, cernentibus, & præ admiratione plorantibus Militibus & cognatis suis, numquam erubuit, multosque exemplo suo convertit. Ipse Ecclesiam novam de donationibus fidelium incœpit, & Deo favente, sicut hodie videtur, centum Monachis sufficientem consummavit.

59. At verò Radulfus duos germanos Milites in urbe habebat, quorum major Thetbertus, alter vocabatur Theodericus Monetarius: Tetbertus Præpositus Rabodi Episcopi erat, & fidelem se ei sicut Domino suo exhibebat. Unde Fastradus Advocatus contrà eum iratus, quoniam pauperes rusticos Episcopi ubique defendebat & tuebatur; primùm dolosè ei se familiarem fecit, filiumque ejus in Baptismo suscipiens compater ei fuit, sed post paucos dies nihil mali suspicantem, venatuque lepores insequentem prosequutus, eumque utpote compatrem suum dolosè osculatus, protinùs in festo sancti Bartholomæi Apostoli incautum occidit, & de provinciâ statim fugiens ad avunculum suum Theodericum Avesniensem secessit, & cum eo ferè per triennium mansit. Tuncque Advocationem ejus Domnus Rabodus Episcopus Radulfo Militi Noviomensi dedit, Fastradumque omninò pro scelere exheredavit. Quidam dixerunt hoc Dei voluntate accidisse, quoniam Radulfus ille novus Advocatus terras sancti Martini, quas tenebat, petente Episcopo, sicut suprà dictum est, facilè reddidit, quas ut Fastradus postea multoties asseruit, si tunc tenuisset, nullo modo reddidisset. Sed cum jam in ultionem hujus sceleris duo Milites Fastradi occisi fuissent, apparuit idem Tetbertus cuidam religioso civi Tornacensi nomine Rainero, non dormienti sed vigilanti: cumque ille nimis perterritus an ipse esset Domnus Tetbertus, & quomodo se haberet inquireret, ipsum se esse respondit, & ne timeret admonuit, ac deinde subjunxit: In tormentis quidem sum pro peccatis meis, & maximè pro eo quod post obitum conjugis meæ concubinam habui; sed misericordiam habebo, quia injustè occisus sum pro fidelitate domini mei Episcopi, & sanctus quoque Bartholomæus in cujus festo interfectus sum adjutor mihi est, pro eo quod eum in horâ mortis meæ invocavi. Rogo ergo te ut ad fratres meos, & filios pergas, utque pro animâ meâ necem meam Fastrado indulgeant, nec me ulteriùs ulcisci quærant ex parte meâ depreceris, quoniam si hoc fecerint, multum animæ meæ ad salutem promerendam proderit. Respondente verò Rainero, se quidem mandata ejus eis dicturum, sed illos sibi minimè credituros, defunctus protinùs ei inter signa, quæ unicuique diceret injunxit, sicque disparuit. Ille verò ad germanos defuncti & filios veniens, mandata ejus eis aperuit, signa subjunxit, sicque eos ad concordiam faciliores reddidit. Unde post aliquot annos Fastradus nudis pedibus cum amicis suis, pedibus eorum provolutus, & amicitiam eorum, & hereditatem suam ab Episcopo recepit. Pro confirmatione verò amicitiæ filiam suam Sarram Gosceguino filio Theoderici Monetarii [d], qui fuerat germanus Tetberti, conjugio sociavit. Viginti etiam libras nummorum, quas ab eo pro concordiâ acceperunt fratres occisi, protinùs sancto Martino dederunt.

60. Post hæc Radulfus Tetberti germanus, puellam quamdam conjugem accepit Mainsendem de Militibus provinciæ genitam, filiam scilicet Hermanni Præpositi sancti Amandi Helnonensis, genuitque ex eâ tres filios, Theodericum scilicet, Walterum, & Hermannum, quorum primum Theodericum quinquennem litteris docendum tradidit, & in Ecclesiâ S. MARIÆ præbendam unam ei dari suadentibus Canonicis ab Episcopo Rabodo petiit & impetravit, promissis ei propter eam XXX. marcis argenti. Quod ubi puero à Canonicis congratulantibus in scholâ nuntiatum est: ille vespere facto domum reversus cœnare noluit, sed tristis ad mensam sedit, pater verò putans eum pro more puerorum fuisse verberatum à Magistro, finitâ cœnâ duxit eum à parte, & quid haberet, curve tristis esset quæsivit. Cui puer protinùs respondens; In nomine Domini, inquit, nonne meritò possum contristari, cum vos sciam hodie pro me in inferno demersum esse? Nonne audistis, quòd qui præbendas emunt, vel vendunt, excommunicati sunt? Certè videte quid de animâ vestrâ faciatis; nam me sciatis citiùs de hac provinciâ egressurum, quàm de eâ comesturum. Admiratus super his pater: fili, inquit, ne ampliùs super hoc contristeris, quia testor Deum te nunquam eam ampliùs habiturum. Dixit, statimque Episcopo remandavit, ut de præbendâ suâ faceret quod vellet, quoniam filius suus eam habere nollet.

61. Eodem anno Radulfus febre validissimâ usque ad mortem penè correptus, ubi Deo volente convaluit, quemdam Monachum nomine Walterum conjugis suæ germanum virum prudentissimum secretè

d *Monetarii*] Eo quod præsidebat monetæ, quam Philippus Aug. in urbe Tornac. instituerat. *Ita consuetu. ins Tornac.* Seq. vol.

adiit, & de salute animæ suæ consulere his verbis cœpit: Cum fidem Deo debeatis sicut Monachus, & mihi sicut sororis tuæ marito, per eamdem fidem quam Deo & mihi debetis, vos obtestor ut mihi quomodo salvus fiam consulatis; nuper enim ægrotans, & mori timens, consilium à Canonicis sanctæ Mariæ quæsivi, & illi mihi consuluerunt, ut veraciter confiterer peccata mea, Corpus Domini acciperem, oleo sancto ungerer, & salvum me futurum securus essem. Feci quod consuluerunt, sed ubi convalui, rursùs me peccatis sentio obligatum, & hoc mihi non videtur vera esse confessio, quando infirmor peccata confiteri, quando convalesco peccatis iterum sordidari; unde precor propter Deum, ut mihi quid agere debeam consulatis. Et respondit Monachus, & quid vobis proderit consilium meum audire, cum illud nolitis facere? Consilium, inquit Miles, dicite, & si illud non fecero, non vobis imputabitur. Tunc Monachus: In veritate, inquit, dico vobis, quòd quamdiù in sæculo vixeritis sicut hactenùs vixistis, non video quomodo salvari possitis, sed si reverâ salvus esse vultis, sæculum relinquite, & Monasticam vitam assumite. Et quomodo, inquit Miles, hoc faciam sine licentiâ sororis vestræ conjugis meæ? tum Monachus: Cum Dominus, inquit, in Evangelio dicat: *Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & uxorem, & filios propter nomen meum, non potest meus esse discipulus,* nunquam consulam vobis ut pro sorore mea animam vestram perdatis: licentiam tantùm ab ea quærite, quam si illa noluerit dare, consulo ut eâ relictâ, parteque substantiæ vestræ ei dimissâ, ad Deum fugiatis. His auditis Miles gratias ei agens domum revertitur, ingressusque cubiculum, & lectulo residens amarissimè flere incipit. Mainsendis superveniens, eumque sic flentem videns, quid novi acciderit unde se ita cruciaret, inquirit. Vult ille celare, sed illâ nimis instante, omnia quæ germanus ejus Domnus Gualterus sancti Amandi Monachus & Præpositus dixerat, revolvit. Tum illa, & quare propter hæc sic vos cruciatis? Quia, inquit, nisi propter te dimitterem, Monachus reverâ quantocius fierem. Protinùs illa subjungens: Propter me, inquit, bene agere non dimittatis: quia sicut vos de animâ vestrâ timetis, sic & ego de meâ, & quâcumque die sæculum reliqueritis, ego similiter relinquam, & in præsenti si vultis licentiam vobis do, & me castè victuram promitto. Tunc Miles, Et quid, inquit, faciemus de tribus filiis nostris? Non in manu diaboli, ait mulier, relinquamus, sed potiùs nobiscum eos Deo præsentemus, divites enim sumus, & quocumque voluerimus libenter cum eis suscipiemur. Exhilaratus super his verbis Radulfus: Et ubi, inquit, tibi videtur ut competenter cum eis habitum Religionis accipiamus? Tunc temporis magister Odo scholam Tornacensem regebat, nullaque conversionis ejus mentio exstiterat. Quamobrem mulier quò diverteret nesciens, ad sanctum Amandum, inquit, mihi videtur quòd competenter ire possumus, quoniam & pater meus inde fuit Præpositus, & frater meus ei successit: sed & ego inde nata sum, ibique nutrita. Concedit Radulfus, statimque legato directo, præfatum Domnum Walterum Monachum mandat, quæ dicta sunt enarrat; & sancto Amando per manum ejus unum molendinum prope Tornacum super Marvis fluviolum situm donat. Inde conjugem suam advocans; qui benè, inquit, vult agere non debet differre, quoniam callidus diabolus semper quærit occasiones, quibus servos Dei à bono proposito possit impedire. Unde mihi videtur ut crastinâ die sine dilatione sæculum relinquamus.

Luc. 14. 26.

Tunc illa: hoc, inquit, domine non tam citò potest fieri: quiddam enim secreti necdum dixeram vobis, quoniam jam menses duo sunt ex quo me concepisse sensi, & utique rationabile non esset, ut prægnans de sæculo exirem: præparemus ergo interim omnia necessaria, quatinùs postquam pepèrero statim renuntiemus mundo. Verumtamen quoniam jam licentiam dedi vobis, licet nullus post Deum testis interfuerit, expedit utique ut jam nihil maritalis, vel conjugalis operis invicem faciamus, sed continenter deinceps vivamus. Post hæc sicut ipsi multoties mihi retulerunt, anno integro & dimidio in vitâ sæculari manserunt, in uno lecto indivisi jacuerunt, nec tamen aliquid carnale gesserunt, non suâ fortitudine, sed Christi gratiâ eos protegente. Erat autem Mainsendis juvenilis ætatis, ita ut quando sæculum reliquit, nonnisi viginti quatuor annos haberet. Nascitur ergo eis quartus filius, & in Baptismo vocatur Radulfus.

Eodem anno magister Odo sæculo renuntiat, & cum Clericis suis, sicut suprà narravimus, Ecclesiam S. Martini intrat. Mainsendis eos frequentat, multoties eis suas transmittens eleemosynas, nullo tamen adhuc intrà urbem sciente quæ cum marito suo agere disposuerat. Quâdam ergo Dominicâ Missam eorum auditura, & processionem visura cum filio suo Theoderico parvulo Clerico jam ferè septenni ad Ecclesiam S. Martini pergit, & exspectat donec Missa cantata fuit: puer verò eâ ignorante se Clericis illis conjunxit, & cum eis remansit. Finitâ Missâ mulier filium suum inter vicinas requirit; credens verò eum cum pueris ludere, domum revertitur. Parato prandio puer quæritur: mater dicit secum abiisse ad S. Martinum. Nullus conversionis ejus suspicionem habebat; finito prandio Miles equum conscendit, ad domum germani sui Theoderici veniens tam ibi, quàm & in cæteris domibus propinquorum suorum, filium suum quærit: nullum signum de eo audit. Inde ad S. Martinum pergit, Abbatem Aquicinensem Haimericum cum Abbate Odone invenit, puerumque coram eis sedentem, & eos audientem conspicit. Militem Abbates secum sedere faciunt, & de mandatis Dei libenter audientem instruunt. Vespere propinquante Miles abeundi licentiam ab Abbatibus petit & accipit: filioque suo ut secum domum redeat præcipit. Tunc primùm puer voluntatem suam aperiens; Vos, inquit, si vultis, domum redite, matremque meam, & fratres meos salutate, & ut pro me orent eis dicite; ego enim nunquam ampliùs domum vestram ingrediar, sed hîc cum pauperibus istis remanebo, nec patrem, aut matrem me habere cognosco nisi Deum & S. Martinum. Tunc pater admirans, & eum ludendo hoc dicere credens: Veni, inquit, quoniam non haberes hîc quod hac nocte comederes, vel lectum in quo jaceres. Et puer, Etsi non habent, inquit, quod manducent, ego urbem circuiens eleemosynas petitas eis afferam, nocte verò super nudam humum quiescam. Ridente patre, & hæc puerilia fore dicente, puerumque violenter reducere volente; tandem Abbas Haimericus vir prudentissimus: Domine, inquit, Radulfe, si mihi credideris, puero modò nullam violentiam inferetis; dimittite eum nobis; sufficienter enim unâ nocte providebimus quæ necessaria ei fuerint: & si quidem ex Deo ista voluntas venit, crastino apparebit; si verò ex infantiâ, non cogatis eum, quia sponte domum revertetur. His auditis Miles acquievit, domumque reversus, conjugi suæ hæc retulit. Protinùs illa genibus flexis, manus & oculos ad cœlum levans: gratias, inquit, ago Deo, quia primogenitum filium meum servitio suo mancipavit. Vi-

detur ergo, mi Domine, quòd Deus vult quòd Ecclesiolam illam ex facultate nostrâ ædificemus; & hoc signum divinæ voluntatis habebimus: si puer in incepto perseveraverit, tunc certi simus verum esse quod dixi; si verò redierit, tunc aliud vult Deus de nobis. Mane facto rursum Miles equum conscendit, sanctum Martinum repetit, puerum in eo quod cœperat constantissimè perseverantem reperit. Protinus Theodericum germanum suum, cæterosque propinquos suos accersit, filium suum utpote puerum septennem necdumque legitimæ ætatis existentem sancto Martino coram altari offert, & cum eo quatuor molendina quæ super *Ries* fluviolum habebat, confert. Postmodum Radulfus licet in sæculo manens totam illius Ecclesiolæ curam suscepit, nec minus quæ necessaria erant providens, quàm si jam Monachus factus fuisset.

1095. 62. Eodem anno per Abbatem Haimericum, sicut suprà dictum est, Clerici illi Monachalem habitum susceperunt. Tuncque idem puer Theodericus cum eis factus est Monachus. Cum verò Monachi, ut superiùs relatum est, ab Ecclesiâ discedentes deserta petere voluissent, Theodericum ibidem relinquere voluerunt, sed cum remanere noluisset, nec tamen utpote puer octo annorum itineris laborem pedes sustinere posset, plaustro eum cum libris suis superposuerunt, sicque secum abduxerunt. Quod cum Radulfo adhuc in lecto suo dormienti summo mane nuntiatum est: illicò festinus surgit, Ecclesiam sanctæ MARIÆ petit, Canonicorum conventum celeriter convocat: teloneum eorum, quod violenter eatenus tenuerat, eis liberum reddit, & de illatâ violentiâ veniam petit, voluntatem suam aperit, quòd scilicet illico sæculum relinqueret, & Monachos S. Martini qui discedebant, prosequeretur. His dictis, comitatus Clericorum & populi maximâ turbâ, domum revertitur, conjugisque manum tenens, & ad cœlum oculos levans: Domine Deus, inquit, tu mihi dedisti hanc conjugem, & ego ei te teste usque in hodiernum diem legitimam servavi fidem, nunc autem pro amore tuo eam relinquo, tibique eam commendo. Post hæc filios suos parvulos Walterum & Hermannum sumens, & sursùm elevans, Deo eos obtulit, & commendavit. Quantus ibi omnium luctus præ dulcedine fuit, cum vidissent quartum filium Radulfum adhuc lactentem cum cunabulo allatum, & de cunis à patre extractum, sursùm levatum Deoque commendatum. Sic ergo equo statim conscenso, cuidam pauperi Clerico Rainero, quem pro Deo secum per biennium tenuerat, tunc etiam se relinquere nolenti alterum equum dedit, & cum eo Monachos celeriter sequens, antequàm Siclinium venirent eis se sociavit: prostratus Abbatis Odonis pedibus ut se comitem peregrinationis suæ esse permitteret, postulavit. Admiratus Abbas tantum hominis divitis ardorem, Monachos qui secum pedites ibant, convocavit, & de conversione ejus sumens initium exhortationis: Ecce, inquit, nos Monachi aliquid nos fecisse putabamus, & tamen à seculari Zachæo publicano victi sumus. Sic ergo cum eis Noviomum pergens, Episcopo Rabodo voluntatem suam aperuit. Episcopus verò præ nimiâ admiratione lacrymas fundens, eumque exosculando Deo gratias agens, per manum comprehensum in manu Abbatis posuit; sicque subjunxit: Dic nunc bone Abba cur vis relinquere Tornacum; parumne te profecisse putas, qui talem peccatorem diabolo abstulisti, & Deo conjunxisti? revertere ergo lætus & festinus, quoniam reverà per hunc adhuc Deus lucrabitur alium. Reversus ergo Tornacum; cum rursus Abbatis prostratus pedibus ut susciperetur rogaret: Non te, inquit Abbas, suscipiam, donec proberis secundùm regulam sancti Benedicti dicentis: *Probate spiritus si ex Deo sunt.* Vade ergo & publicè coram populo victum tuum laborando quære, aquam ad tabernas portando, ligna cædendo, equorum stabula mundando, & similia ubi opus videris faciendo. Exequitur ille libenter Abbatis imperium, omnique rubore procul posito, vilissimis se submittit operibus. Videns hoc Mainsendis quondam uxor ejus, nullo timore terretur, sed ascito Theoderico Monetario Radulfi germano, totiusque urbis ditissimo, ad sanctum Martinum pergit, filios suos Deo tradit: minimumque cum cunâ super altare ponit non sine lacrymis multorum circumstantium. Theodericus verò eorum patruus misericordiâ motus concedente Abbate, infantes ad domum suam causâ nutriendi facit deferri, multoque tempore secum detinet. Mainsendis verò super altare ducentas marcas argenti ponit; duo molendina super *Costenten*, & reliqua omnia quæ sibi maritus suus reliquerat, sancto Martino tradit: sicque omnibus spoliata pedibus Abbatis prosternitur, orans ut suscipiatur. Cui Abbas: Priùs, inquit, oportet te probari; vade ergo per urbem, & victum tuum quære nendo, texendo, lanam pectendo, & si forte tibi aliquis vir, vel femina integrum panem dare voluerit non suscipias, sed frusta panis more pauperum eleemosynas petentium conscisa. Exultat femina talibus pasci deliciis; pulsoque rubore publicè eleemosynas petit, matronis quæ hæc videbant flentibus, & per pedissequas suas copiam panum cum eâ ad sanctum Martinum mittere volentibus. Hujusmodi ergo fuit conversio Radulfi & Mainsendis, cujus non credo pium JESUM posse oblivisci. Cap. 58.

Hæc sunt verò quæ Ecclesiæ nostræ contulit: quatuor molendina super *Ries*, quæ Scaldo sunt propinquiora: quintum autem super Scaldum habebat; sed quia autumnali tempore, crescente aquâ Scaldi facilè rebundantiâ ejus absorbebatur, postmodum illud ex toto fecit destrui: stipites tamen in testimonium antiqui molendini jussit relinqui & reservari, ob eam solummodò causam ne quis futuro tempore aliquod molendinum sub illis quatuor usque ad Scaldum posset ædificare, quoniam si construeretur, constaret non parvum detrimentum eis per illud facilè posse contingere. Duo etiam molendina super *Costenten* nobis dedit cum adjacenti terrâ, quæ de paterno jure ei provenerat, super quam unam curtem fecit construi, quæ usque in hodiernum diem permanet: gregem etiam equarum nobis dedit, cujus proles usque in hodiernum diem in pascuis nostris servatur, de quibus & quadrigas ad excolendam terram nostram frequenter sumsimus, & equos magni pretii nutrivimus, & vendidimus. Sicque in diversis expensis jam plusquàm mille librarum commodum ex eis habuimus. De pecuniâ verò, quam conjux ejus dedit, terras circà Ecclesiam sitas redemimus, & alias in eâdem regione emimus, quia quando ipse ad conversionem venit, non passum quidem terræ arabilis adhuc habebamus. Molendinum verò unum super Marviz habebat, sed quando primùm voluntatem habuit sæculo renuntiandi, sicut suprà dictum est, sancto Amando illud dedit, quia in ejus Cœnobio quod Helnonense dicitur Monachus fieri voluit, quoniam nostri Cœnobii necdum mentio aliqua apud homines facta fuerat.

63. Erat tunc temporis ejusdem Cœnobii sancti Amandi Helnonensis venerabilis Abbas nomine Hugo, qui ipsam Ecclesiam sancti Amandi ante paucos annos casu combustam à fundamentis renovans, decentissimè cum Claustro & turribus & officinis sicut hodie cernitur, ædificavit. Hic itaque charitatis

dulcedine plenus, videns Radulfum cum uxore & filiis divitem sancti Amandi Ecclesiam reliquisse, & pauperculam sancti Martini expetisse, convocatis Monachis suis in Capitulo; Ecce, inquit, fratres dilectissimi, sæcularis ille Miles Radulfus divitiis nostris paupertatem sancti Martini pertulit, & in paupere Ecclesiâ Monachus fieri voluit. Charitatis itaque viscera nos habere demonstremus, & molendini quod nobis dedit medietatem pauperi Ecclesiæ sancti Martini conferamus, sicque ejusdem molendini beatum Martinum cum patrono nostro sancto Amando participem faciamus. Consenserunt omnes, & ne unus quidem paternæ charitatis se degenerem fore ostendit. Sicque præfatus Domnus Hugo Tornacum veniens, pauperum Monachorum societatem, & fraternitatem in Capitulo toto corpore prostratus expetiit, & accepit, medietatem illius molendini eis donavit, semperque deinceps paterna viscera se super nos habere monstravit: nam etiam quando Monachi cum Domno Odone deserta petere volentes, ut superiùs dictum est, de Ecclesiâ sancti Martini discesserunt, præfatus Domnus Hugo Abbas sancti Amandi quinque de Monachis suis, ne Ecclesia sancti Martini Divino careret officio, illuc direxit, victumque quotidianum eis dirigens, usque ad reditum Monachorum sancti Martini eos ibidem morari præcepit.

64. Per hunc ergo Radulfum multi de Tornacensi urbe cœperunt ad conversionem venire, ejusque fervoris imitatores existere; è quibus Henricus vir ditissimus cum uxore suâ nomine Bertâ, & filio suo Joanne adhuc lactente, duabusque filiabus Trasbergâ & Julittâ eodem penè modo quo Radulfus ad conversionem venit. Pecuniam magnam de quâ dormitorium constructum est cum aliis officinis, & terras quasdam Ecclesiæ donavit: ipseque publicè eleemosynas petere ab Abbate jussus, & quòd reverâ magni fervoris esset probatus, sic tandem Monachus est factus, pluribusque annis in Cœnobio nostro Cellerarius existens, & boni exempli omnibus existens post XXII. ferè annos conversionis suæ laudabilem vitam bono fine concludens, Paschali tempore in die XVII. Kalend. Maii, Deo spiritum reddidit. Filius verò ejus Joannes cum Radulfo, Radulfi filio in Monachico habitu nutritus, omnes ordines Ecclesiasticos cum eo suscepit, & usque in hodiernum diem sacerdotali functus officio, bonæ arboris se fructum bonum esse ostendit. Mater verò ejus Berta, & sorores Trasberga atque Julitta in sanctimoniali habitu multis annis irreprehensibiliter viventes, & ipsæ de labore jam ad requiem transierunt.

65. Post hunc verò Henricum videres mirum in modum juvenes & virgines, senes cum junioribus de totâ provinciâ sæculo relicto ad conversionem venientes: ita ut sicut in Actibus Apostolorum legitur, vendentes ea quæ habebant, pretia rerum suarum Domno Abbati Odoni deferrent, & si quidem tunc Abbas ille more Abbatum hujus temporis pecunias; & facultates sibi datas voluisset retinere, & in Ecclesiæ commodis expendere, non parum eam potuisset, quantum pluribus videbatur, amplificasse, sed quia tunc temporis suprà memoratus Everardus Tornacensis Castellanus, contrà Robertum Comitem Flandrensem rebellans magnam militiam tenebat, & de terrâ Comitis multos tam divites quàm pauperes frequenter capiens redimi cogebat, illi compedibus, & fame oppressi ad Abbatem Odonem gregatim currebant, suisque miseriis subveniri cum lacrymis exorabant. Abbas verò eorum fletibus compatiens, pecuniam quæ sibi deferebatur, abundanter eis erogabat, sicque multos redimebat.

66. Eodem tempore quidam Presbyter & Monachus religiosus nomine Radulfus, genere Normannus, qui unus ex quinque primis sociis Abbatis Odonis fuerat, de horis pulsandis jussu Abbatis sollicitudinem gerebat; & sicut ejusdem officii moris est procuratoribus, in remotiori Ecclesiæ parte lectulum suum posuerat, non pro custodiendo Ecclesiæ thesauro, qui nullus adhuc erat, nam nec calicem argenteum, nec crucem, nec textum Abbas habere volebat, sed solummodo pro pulsatione vigiliarum diligenter providendâ. Cum ergo quadam nocte, sicut idem Radulfus vir veracissimus nobis multoties retulit, in lectulo suo recubans, psalmis & orationibus pervigil insisteret, audivit in choro quasi aliquam multitudinem advenientem, & modesta voce responsorium illud de sanctâ Trinitate cantantem; *Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu*. Completo verò responsorio audivit duos ad altare procedentes, & versum responsorii, id est *Benedictus es Domine in firmamento cœli*, dulcissimâ & protractâ melodiâ subjungentes, finitoque versu, rursùs chorum finem responsorii repetisse, sicque siluisse. Cumque hoc aliquoties religiosus ille Monachus audiens, Domno Abbati Odoni, & quibusdam spiritualibus senioribus secretè retulisset, omnes in commune dixerunt se dicere, quòd animæ bonorum ibidem quiescentium essent, quæ de Ecclesiolæ illius restauratione Deo gratias agerent.

67. Præfatus itaque Abbas instituta, & doctrinam antiquorum patrum assiduè legens, & etiam sæcularis illius poëtæ versiculum recolens: *Dicite Pontifices, in sancto quid facit aurum?* non cruces aureas fabricare cupiebat, sed omnem quæ sibi deferebatur pecuniam egentibus & oppressis erogabat; omnes tamen ad conversionem venientes retinebat, sententiam Domini imitari studens dicentis; *& eum qui venit ad me non ejiciam foras*. Nullum verò antequam probaretur recipere volebat, & in ipsâ probatione tanta eis onera imponebat, ut omnes antiquorum probationes excedere videretur. Nam cuidam converti volenti præcepit ut saxum enorme quod vix à pluribus moveri posset, ultrà urbem Tornacum solus duceret: videres hominem nunc brachiis ac manibus, nunc toto corpore sese saxo totis viribus supponentem, rivumque sudoris omni ex parte emittentem, & pro posse obedientiam magistri implere conantem.

Aliis etiam præcipiebat ut plures dies ac noctes sub stillicidiis domorum immobiliter permanentes, pluviarum imbres ruentes sustinerent; sed quamvis eis tam dura & importabilia onera imponeret, miro tamen modo multo plures tunc ad conversionem pro Ecclesia nostra tam Milites quàm Clerici veniebant, quàm hodie venire videamus cum jam nullus probatur, imò ut veniat multis blanditiis & promissionibus demulcetur.

Eo siquidem tempore etiam ex Canonicis sanctæ MARIÆ aliqui ibidem conversi sunt: Domnus scilicet Amandus, qui pluribus annis Prioratum Aquicinensis Ecclesiæ tenuit, deinde Abbas Marcieniensis effectus, Ecclesiam illam penè destructam tam interiùs in Religione, quàm exteriùs in divitiis renovando correxit. Domnus etiam Walbertus, qui in Ecclesiâ nostrâ Prior existens post multos annos in Cameracensi Episcopatu in Cœnobio qui dicitur Mons S. Martini Abbas est factus, ibique defunctus. Domnus etiam Gonstardus qui multis annis Prioratum Ecclesiæ nostræ tenuit: Domnus quoque Bernuinus. Hos ergo quatuor divites primò Clericos, postea verò pauperes Monachos, si quomodo ab Abbate Odone probati fuerint, referre audisses, vix præ immensitate lætitiæ risum tenere potuisses: videns siquidem eos nimis esse superbos, per ali-

quot dies eos vaccas mulgere, & caseum facere præcepit, sicque probatis Monasticum habitum tradidit: & si quidem tunc altaria quæ ipsi tenuerant recipere voluissemus, forsitan usque hodie Ecclesia nostra exinde ditior esse potuisset: sed quia proposuerat nec altaria, nec Ecclesias, vel decimas accipere, sed solummodò de labore manuum suarum, & de agriculturâ quadrigarum, nutrimentisque pecorum suorum vivere, nihil de Ecclesiasticis redditibus quos ipsi tenuerant voluit habere, dicens talia non à Monachis, sed solummodò à Clericis possideri debere. Et hæc quidem ejus intentio vitæ & institutis antiquorum Monachorum concordabat: postea verò cognovit à Monachis juxtà urbem habitantibus, quos populares, sive sæculares quidam nominant, non ex toto antiquorum instituta posse servari.

68. Nam cum omnes secum vult ad Deum pertrahere, tantam multitudinem mulierum non solùm pauperum sed & divitum suscepit, ut eis seorsum Monasterium necesse, nec videretur posse construi: quamobrem considerans Abbas domum lapideam, quæ quondam fuerat prædicti Radulfi Militis, & quam ei veniens ad conversionem conjux ejus dederat, non parvæ esse amplitudinis, distinctis in eâ parietibus, oratorium, refectorium, dormitorium composuit, & LX. ferè mulieres conversas ibidem intromisit, sororemque suam Sanctimonialem nomine Eremburgim eis præposuit. Inter cæteras verò mulieres, etiam Mainsendem quondam Radulphi conjugem ibi manere præcepit, & in aliâ ejusdem urbis parte totidem nihilominùs conversas sub aliâ magistrâ constituit. Mainsendis ergo post aliquot dies gravissimâ ægritudine depressa, in eâdem quondam domo suâ lectulo decumbere cogitur, sentiens autem se magis ac magis infirmitate gravari, à præfata magistrâ suâ Domni Abbatis germanâ poposcit, ut se faceret communicari; tunc pro instanti necessitate, quia domus illa remota erat ab Ecclesiâ sancti Martini, concessit Domnus Abbas ut à Presbytero sancti Piati, qui prope manebat, Viaticum & absolutionem ægrotantes Conversæ acciperent. Mandatus ego Domnus Hellinus Presbyter à magistrâ, ut Mainsendem cum Viatico visitaret, libentissimè advenit quia in sæculari vita Parochiana ejus fuerat, & nonnulla obsequia ab eâ susceperat. Veniente itaque Presbytero, præcepit magistrâ Mainsendi, ut non ei loqueretur nisi de peccatis suis. Confessa est igitur Mainsindis Presbytero, & Corpus Dominicum suscepit adstante magistrâ, & quidquid dicebatur audiente. Recedentem itaque Presbyterum Mainsendis exorat ut sui memor esset, & pro se Deum rogaret. Statim verò post discessum Presbyteri magistra ad eam accedens. Verè, inquit, excommunicata es, quia contrà obedientiam meam de re aliâ quàm de peccatis tuis Presbytero loquuta es. Cui Mainsendis verè inquit, Domina non putavi me delinquere, quia dum rogavi ut pro me oraret, non intellexi de salute corporis, sed remissione peccatorum meorum. Tunc illa vocans alias sorores, excommunicatam eam esse dixit, & ut foras expellatur præcepit: posternuntur omnes pedibus magistræ, misericordiam petunt, sed impetrare nequeunt: quæ tamen de lectulo surgere non poterat, jubente magistrâ cum lecto extrà domum defertur, & sub gradu ligneo per quem in curtem descensus erat, ponitur, ita ut ablationes coquinæ superiùs sitæ super eam defluerent. Ibi ergo per triduum jacens, licet infirmitate gravaretur, animo tamen exultabat, quia in domo cujus olim domina fuerat, nunc pro Deo tribulationem sustinebat: sed quia benignus Deus post tribulationem infert consolationem: ecce post triduum præfatus Henricus jam Monachus factus, jussu Abbatis fascem magnum lini super caput suum deferens causâ nendi, domum sororum expetit; portamque curtis ingressus, videt Mainsendem sub gradu in lectulo recumbentem. Admiratus interrogat unam de sororibus, cui linum recipienti sibi loqui licebat, cur ibi sic jaceret, audiens verò causam, nec tamen Mainsendi loqui audens; hoc tantùm omnibus audientibus in consolationem ejus dicere præsumsit. O S. Alexi qui in domo patris tui decem & septem annis peregrinus jacuisti, & exinde magnam gloriam apud Deum acquisivisti, conforta istam famulam Dei, quæ in domo cujus quondam domina fuit, modo tantam tribulationem sustinet. Audiens hoc Mainsendis ita exhilarata est, ut sicut postea multoties mihi dixit, omninò infirmitatis suæ oblivisceretur. Reversus verò Henricus cum Abbati eaque audierat retulisset, Abbas protinùs mandavit, ut cum aliis intrà domum referretur.

Ne quidem horum Monasterium superest vestigiû.

69. Eodem anno victualium penuria, & famis atrocitas totam provinciam vehementer afflixit, & Abbas omnibus pauperibus ad se confugientibus quidquid habere poterat, misericorditer tribuere cœpit; ita ut nec in horreo, nec in cellario aliquid remanserit. Tuncque demùm necessitate & anxietate compulsus, Fratribus per totum annum Claustro reclusis, jugique silentio domitis, & quæ foris agebantur nescientibus rem sicuti erat in Capitulo aperuit, magnam scilicet multitudinem virorum ac mulierum se suscepisse, & unde vel unâ die viverent se non habere. Obstupefacti omnes admirati sunt tantam rem eum sine alicujus consilio fecisse, rogaveruntque eum, ut exteriorum curam alicui viro prudenti committeret, ipse verò doctrinæ & saluti animarum insisteret, nec deinceps aliquem absque Fratrum consilio susciperet, & quos suscipiebat, non more antiquorum gravia & importabilia onera imponendo probaret, sed institutis & regulâ Cluniacensis Cœnobii contentus esset, quod solum & famâ & religione, necnon & charitate universis Galliæ Monasteriis eo tempore præeminebat, & à venerabili Abbate Hugone regebatur. Acquiescit Abbas consilio Fratrum, statimque Domnum Henricum ordinans Cellarium, Radulfo committit præposituram, sociumque ei donat Walterum filium Huberti. Hisque tribus totius Ecclesiæ commendans in exterioribus provisionem, ut sine licentiâ egrederentur permittit, cæteris ut secum Religioni & silentio instarent, indicit. Illi de Capitulo egressi coquinam introeunt, quod Fratribus præparari posset, quærunt, sed nihil inveniunt. Ingrediuntur deinde portam urbis, & civibus sibi occurrentibus, ac veluti de longâ carceris custodiâ ereptis, quomodo se haberent inquirentibus; illi læto vultu prospera omnia esse respondent; sed post paulùlum eis necessitatem Fratrum innotescunt: protinùs cives invicem colloquentes, & alio frumentum, alio siliginem, alio fabas dante eos confortantes & exhortantes, hilares & lætos ad Fratres remittunt. Radulfus etiam germano suo Theoderico inopiam Ecclesiæ indicans, rogat ut sibi pecuniam ad emenda Fratribus necessaria commodet: protinùs ille 40. marcas argenti ei commodat, quas tamen nunquam postea recipere voluit, sed pro animâ suâ Ecclesiæ dimisit: unum etiam hortum super Scaldum prope sanctum Medardum [c] valde utilem Ecclesiæ nostræ donavit, & in mul-

c *Medardum*] Abbatiâ S. Medardi an. 1671. & 72. destructâ Canonici Regul. in Parochiam S. Margaretæ translati sunt, ob arcem à Ludovico 14. constructam.

tis præ aliis civibus semper nobis profuit; nam quando postmodum prædictus Walterus jussu Abbatis templum ædificare ex eleemosynis fidelium cœpit, statim idem Theodericus ei centum solidos in initio dedit, ad ædificandum quoque Refectorium centum solidos, & ad Cellarium centum solidos. Quoties verò Conventui refectionem plenariam piscium miserit, ipsi numerandum & renumerandum relinquatur pro quo misit.

70. Quantam autem inopiam panis pauper Conventus illo anno integro pertulerit, vix potest credi: panis triticei, aut vini, nisi fortè ab aliquo divite eis transmitteretur, nulla erat mentio; siligo etiam omninò deerat: sola avena eis molebatur de molendino relata, nec cribro, nec tamisio farina purgabatur, sed statim aquâ calidâ superfusâ panis exinde fiebat, qui coctus & Monacho appositus paleis prominentibus ustilari posse videbatur, & quando cultello præcidebatur, major palearum quàm micarum coram Monacho videbatur acervus, & quia juxtà Salomonem animæ esurienti etiam amara dulcia videntur, Monachi fame tabescentes tantâ aviditate panem illum avenacium comedebant, ut de eo nec micæ nec paleæ superessent. Nonnulli etiam ex illis adhuc supersunt, quorum unus est Domnus Ascelinus, qui Domno Henrico in Cellarii provisione, vel obedientiâ successit, qui adhuc testatur se tunc multoties cogitasse si aliquando posset videre diem quo Ecclesia sancti Martini tam dives esset, ut ipse pane solummodò saturari posset. Quicumque ergo successorum nostrorum hæc legerint, orent pro animabus antecessorum suorum qui panem non ordeaceum, sed avenacium cum paleis comedendo, copiam eis panis triticei patientiâ suâ per Dei gratiam acquisiverunt.

71. Radulfus ergo videns, & sciens Ecclesiam pauperem redditibus carentem, sine agriculturâ non facilè posse subsistere, totum studium suum ad emendas & acquirendas terras convertit. Quatuor itaque quadrigas jumentorum in Ecclesiâ posuit, & terras eis sufficientes partim ex donationibus fidelium, partim emptas pecuniâ deputavit. Deinde quatuor domos sive mansiones, quas abusivè curtes vocamus, in pago Tornacensi infrà unum penè milliarium prope Ecclesiam construxit, quarum prima dicitur Varnavia, secunda Dusiolpetra, tertia Longakalix, quarta Tintenias. In his quatuor curtibus decem quadrigas posuit, terramque eis sufficientem acquisivit. Quintam curtem construxit inter Namen & Templovium in terrâ quam à Comite Roberto, ut superiùs dictum est, pro equo suo Ecclesiæ dari impetraverat. Sextam verò apud Cansen, & septimam apud Costenten in terrâ quæ ei ex paternâ hereditate provenerat. Octavam apud Audolmansum super Scaldum fluvium. Nonam apud Calren. Decimam apud Domerias. Undecimam apud Catenias.

72. Interea Domnus Rabodus Episcopus, qui fuit avunculus Everardi Tornacensium Castellani, qui ipsum Tornacense castellum cum castello de Moritaniâ ante paucos dies ceperat & dominationi suæ subdiderat, legitimos heredes de eis expellens Gerulfum de Tornaco, & Hugonem de Moritania. Hic Rabodus vir nobilis, & magnæ probitatis existens, inter cætera quæ laudabiliter fecit, etiam Cœnobium nostrum restaurare curavit, sicut suprà dictum est. Sed heu! sicut per beatum Job dicitur, quòd in Angelis suis Deus reperit pravitatem, ita etiam hic tantæ probitatis Episcopus apud Romanam Sedem cœpit accusari, quòd per pecuniam Regi datam adeptus fuisset Episcopatum, unde cum multoties apud Papam pulsaretur, nonnulla ornamenta Tornacensis Ecclesiæ pro sui redemptione vendita suis adjutoribus dedit, nonnullos redditus altari sancti Salvatoris de Brugis vendidit Canonicis S. Donatiani, nonnullos verò alios redditus tum altariorum cæterorum quàm terrarum Episcopi distraxit. Cum verò judicatum fuisset, ut cum duobus Episcopis se de simoniâ purgaret, Magister Anselmus, tunc temporis Laudunensis scholæ Doctor præcipuus, & per totam Franciam pro sua scientiâ famosissimus, auxilium Episcoporum ei consilio suo abstulit, conscius eos securè non posse jurare eum innocentem fore. Ubi verò ei multis intervenientibus concessum est, ut solâ manu se purgaret: Hugo Lugdunensis Archiepiscopus, & Apostolicæ Sedis Legatus videns eum velle jurare, surgens coram omnibus: Quid facis, inquit, infelix, qui malè jurando animam tuam interficere quæris? desine ab hoc juramento, & nos impetrabimus, ut modò non deponaris, sed per biennium dilationem habens; postea Pontificatum sponte quasi Religionis vel senectutis causâ honestè dimittas: si enim juraveris, ecce tibi prædico quòd de hoc anno cum honore non exibis. Episcopus sicut cœperat, manum super textum Evangelicum posuit, & se innocentem de simoniâ jurans, securus de Concilio exivit, & Tornacum rediit. Post paucos dies Brugis abiit, & pro infirmitate suâ minui sanguine volens, dum medicus exspectatur, ipse pro corporeâ necessitate interiora cubiculi ingreditur, ubi cum diutiùs moraretur, unus ex ministris eum sequutus, videt eum coram sede resupinum cecidisse, & cum nimio exclamat dolore: protinus omnes introgressi inveniunt eum paralysi dissolutum, membrorum simul & linguæ officium perdidisse: inter manus levatum ad lectum deferunt, & post paucos dies deflent morientem. Eo itaque Tornacum deportato, & in Ecclesiâ sanctæ MARIÆ sepulto, succedit ei in Episcopatu Domnus Baldericus Noviomensis Archidiaconus.

73. Radulfus autem suasit Domno Abbati Odoni, ut si quis Ecclesiæ nostræ vellet dare altaria sine simoniâ pro animâ suâ, non renueret ea more aliorum religiosorum Abbatum suscipere. Annuente Abbate, primus dedit nobis altare d'Espleein quidam Canonicus Beatæ MARIÆ, nomine Wericus: deinde Balduinus Cantor cum filio suo Tetberto altare de Samium, Letbertus quoque Canonicus pater Domni Walteri hujus Cœnobii Abbatis, altare de Paschendal: sed & Gerricus Canonicus cum Wenemaro Milite partes quasdam altaris de Templovio. Rabodus Episcopus, cujus tempore Cœnobium nostrum restauratum est, altare de Euregniis. Adam quoque Canonicus rogante patre suo Sigero Præcentore, qui cum germano suo Hermanno Præposito apud nos Monachus fuit, sicut longè suprà dictum est, dedit nobis quinque altaria scilicet, de Haltra, Sarra, Hisengein, Gudelengein, & Eltenputh Erpulfus Clericus altaria de Villesbecca, & de Fivia. Monachi de Dunis pro quâdam terrâ, quam suprà mare habebamus à Domno Simone Tornacensi Episcopo, duo altaria scilicet de Beverna & de Lendegein dari nobis fecerunt. Desiderius Tornacensium Archidiaconus, & Præpositus Insulanus altaria de Guerrâ, & de Lieddâ. Geraldus Episcopus, & Clerici de Ecurt, pro curte de Brugis altare de Muschereum; altaria de Anulino, & de Alelnis nobis dari fecerunt Monachi de Lhos, pro curte de Pevela à Domino Geraldo Episcopo. Omnia hæc habemus in Episcopatu Tornacensi. Letbertus Canonicus altaria de Zulte, & de Wachines. Bartholomæus Episcopus altaria de Fasti, & de Proisi. Thomas de Marla altare de Froimont; hæc tria habemus in Episcopatu Laudunensi. In Episcopatu Cameracensi hæc, Al-

bertus altare de Sirau; Werricus Decanus altaria de Galren & de Quarta; Ubaldus altare de Hacheniis. Domnus Odo primus Abbas hujus loci cum factus fuisset Episcopus Cameracensis, altare de Maldà. Odo Presbyter de Bouniis altaria de Ostiolo & de Papengain. Walterus Decanus Tornacensis, qui postea Episcopus fuit, altare de Vais. Tetbaldus Rothnacensis Præpositus pater Radulfi Cameracensis Archidiaconi, ad conversionem veniens dedit nobis altare de Floresbech, de Ormegniis, & de Balluel & de Lierda S. Martini, ad quod altare pertinebat quædam terra super Tenram fluvium, ubi præfatus Radulfus Præpositus ædificavit duodecimam curtem, & optimum molendinum construxit. Deinde Mascelino Lutosensis Ecclesiæ Præposito cum uxore suâ Mainsende, & filio suo Alexandro ad conversionem veniente, nobisque duo altaria scilicet de Boveniis & de Branteniis dante, præfatus Radulfus in iisdem Parochiis tres alias curtes superaddidit, sicque quintum decimum numerum complevit. Sextam decimam apud Veson, decimam septimam apud Morbiis octavam decimam apud Torelis, nonam decimam apud Frojanam, vicesimam verò prope Brugias in Ecclesiolâ, quæ S. Trunonis dicitur, ædificavit.

74. In pago Noviomensi prope castrum quod dicitur Torota [f] Ecclesiolam unam in honore sancti Amandi constructam invenit; sed ita vacuam ac pauperculam; ut non passum quidem terræ, nec domum, vel aliquid ad victum pertinens invenerit. Adamato itaque loco illo solitario, & longè ab hominum habitatione remoto accedens ad Domnum Baldericum Noviomensem Episcopum, Ecclesiolam illam nobis dari poposcit & impetravit. Inde contrà voluntatem multorum nostri Cœnobii Monachorum, qui dicebant eum frustra tam procul & in tantâ solitudine laboraturum; à Domino Abbate Odone impetravit ut illuc ire permitteret quemdam Monachum Presbyterum, genere Normannum nomine Radulfum, qui pro infirmitate corpus laborem Conventûs sustinere non poterat. Hunc itaque illuc mittens, nec tamen fodere aut ligone sylvam eradicare cogens, sed de substantiâ & pecunia Ecclesiæ nostræ ei tribuens, sic eumdem locum Dei gratiâ donante provexit, ut intrà breve tempus plures ibi Deo servire gauderet, ubi primò nihil præter vacuam Ecclesiolam vepribus circumseptam invenerat. Canonici siquidem Noviomenses eumdem locum frequentantes, & solitariè Deo servire volentibus aptum esse videntes, primò de suis rebus ibi conferre, deinde ad conversionem venire, & Monachi fieri cœperunt. Benedictionem tamen Monachi professione factâ in Ecclesiâ sancti Martini ab Abbate accipientes; inter quos quidam nomine Petrus aliorum Canonicorum quasi Pater existens, relicto sæculo Monachus factus duas optimas vineas Noviomi sitas dedit, tantæque religionis cœpit esse, ut non solùm Clericis & Militibus, verùm etiam totius provinciæ Monachis se imitabilem præberet, ita ut à multis frequentaretur, & quasi divinitùs datum consilium ejus audiretur: ipse tamen humilitatis esse custos, nec ordinem Presbyteratûs licet ab Abbate & Fratribus rogatus, suscipere voluit; nec advenientibus nisi acceptâ à Priore licentiâ loqui consensit; ipsum autem Priorem frequenter de eleemosyna pauperibus commonebat.

75. Quodam tempore cum fames nimia totam provinciam opprimeret, & præfatus Prior Radulfus de Fratrum penuriâ sollicitus pauperibus more solito eleemosynas erogare trepidaret, Domnus verò Petrus ne aliquid de consueto numero minueretur suaderet, ecce subitò pauperibus supervenientibus minister panes defecisse respondit: cui Domnus Petrus, vade, inquit, & quære si fortè aliquod frustrum panis in arcâ remanserit; cum verò minister se eadem horâ vacuam arcam dimisisse diceret, ille verò ad quærendum instigaret, minister instantiâ ejus fatigatus ad arcam rediit, & quam paulo ante vacuam dimiserat, usque ad summam superficiem repletam panibus invenit. Ex fide ergo ejus cæpit idem Prior Radulfus omnibus supervenientibus pauperibus sic abundanter tribuere, ut nulli omninò panis negaretur, quanto verò plus erogabat, tanto magis substantiola domûs Dei nutu augmentari videbatur, ita ut usque in hodiernum diem præfata sancti Amandi Ecclesiola à vicinis multùm diligatur & frequentetur: jamque non solum de Noviomo, sed etiam de Compendio, aliisque propinquioribus locis plures tam viri quàm matronæ ad conversionem venientes, eidem loco multa conferant: Fratresque Tornacenses qui contrà Radulfum Præpositum priùs murmuraverant quòd pecuniam de Tornaco transmitteret, nunc gaudent & laudant quòd voluntati eorum non crediderit. Præfatus autem Dominus Petrus multoties nobis familiariter loquens dicebat, se in Cathedrâ sancti Petri natum & baptisatum fuisse, & ad conversionem venisse, addens se credere quòd in eodem festo moriturus esset, quod & contigit: nam in Caehedrâ sancti Petri de labore, sicut credimus, ad requiem transiens, in Claustro prope ostium Ecclesiæ sancti Amandi cum magno Fratrum & cum provincialium luctu sepultus est. Ipse autem præfatus Prior sancti Amandi Radulfus, quem genere Normannum fuisse diximus, habebat in Ecclesiâ nostrâ tres germanos magnæ religionis viros, Domnum scilicet Guilelmum, Godefridum & Rogerum, qui cum Domno Odone Abbate à primo tempore conversi fuerant, paupertatisque onus cum eo sustituerant.

76. Unus ex his suprà memoratis Godefridus Scriptor peritissimus fuit, multosque codices in Ecclesiâ nostrâ scriptos dimisit, Moralia scilicet Beati Gregorii super Job in sex voluminibus divisa: historiam etiam optimam, quæ à Parabolis Salomonis incipiens omnes Prophetias, & Apostolorum actus atque Epistolas continet; Missalem in quo quotidie utraque Missa in Conventu cantatur; textum Evangeliorum, Augustinum de civitate Dei, & Enchiridion ejus, multosque alios libros [g], qui ex similitudine pennæ ab eo scripti fuisse facilè possunt adverti. Hic ergo Godefridus cum adhuc in juventute positus, post plures codices scriptos Domnum Abbatem ægrotantem sanus visitans ei colloqueretur, subitò ipse infirmitate comprehensus nobis mirantibus ad lectum defertur, & post triduum oleo sancto ungitur. Cum verò aliis recedentibus ego, qui Domno Abbati serviebam, cum eo remansissem & quomodo se haberet quærerem, ille nihil omninò mali vel doloris se sentire respondit: suadenti verò mihi ut se suprà cilicium ad terram deponi permitteret, quatenùs exemplo Beati Martini etiam duritiem & asperitatem terræ sentiret; illico libenter consensit. Depositus ergo rogavit me ut ei fidem Catholicam, id est *Quicumque vult, &c.* legerem, quo facto interrogavi eum si vellet tabulam pulsari, & Conventum pro suo exitu evocari; respondit se nihil mali sentire, Fratres tamen libenter velle videre. Protinùs ego

f *Torota*] Prope Compendium inde nobilis familia nomen traxit, quæ produxit viros illustres sago & infulis.

g *libros*] Nonnullos codices MSS. ex his transtulit in suam Bibliothecam Illustriss. D. Carolus le Tellier Archiep. Remens. anno 1668.

ego currens tabulam festinanter pulsavi. Conveniunt Fratres, litaniam circà ægrotum decantant. Cumque genibus flexis, & aure ori ejus appositâ interrogassem, si Fratres videret, si ea quæ dicebant audiret, respondit se & Fratres videre, & Sanctorum nomina audire, nihil se doloris sentire, sed in magnâ lætitiâ esse; quo dicto statim spiritum emisit, non sine luctu & damno totius Ecclesiæ nostræ. Hujus socius in scribendis libris fuit D. Gislebertus à D. Abbate Odone cum Theoderico filio Radulfi Præpositi in scholâ nutritus, qui & ipse scripsit historiam totius veteris Testamenti, necnon & duos grandes & valde utiles libros amplissimæ ac lucidæ scripturæ, in quibus continentur lectiones omnium Dominicarum & Festivitatum totius anni, quorum unus æstivalis, alter vocatur hyemalis; qui obiit in Purificatione Beatæ MARIÆ cum maximo luctu totius nostri Conventûs.

77. Cum vidisset igitur Domnus Radulfus Præpositus, aliquantulum sibi juxtà votum contigisse de Ecclesiola sancti Amandi in pago Noviomensi, etiam Laudunensem regionem expetiit, vidensque ibi pro bello quod erat inter Thomam de Marla & Rogerum de Petreponte plures terras ac villas vacuas desolatasque remansisse, datâ pecuniâ eidem Rogero rogavit eum, ut pro salute animæ suæ de eâdem terra aliquid daret Ecclesiæ nostræ, ubi possemus laborantes proficere. Statim Rogerus assensu Ermengardis conjugis suæ dedit nobis vacuam terram in loco qui dicitur Canteliva, & coram domino Ingelranno tunc temporis Laudunensi Episcopo confirmavit. Nec mora: Radulfus domum unam ibi construxit, vidensque terram fertilem & sufficientem, quatuor carrucas ibidem posuit, ovibus ac bobus replevit. Inde ad alium Principem, qui vocabatur Gerardus de Cherisi accessit; dataque ei non modicâ pecuniâ rogavit, ut & ipse imitando Rogerum aliquid pro animâ suâ daret Ecclesiæ sancti Martini: tunc ille terras quas habebat apud Liviri & Brangicurtem nobis dedit, & quia de feodo Regis erant, per Ludovicum Regem Francorum fecit confirmari: hocque fuit primum privilegium quod Ecclesia nostra de Regibus habuit. Sic ergo Radulfus unam curtem apud Liviri, & alteram apud Brangicurtem construxit; molendinum etiam quod priùs destructum erat, reparavit. Quartam etiam curtem non procul ab aliis in villâ quæ dicitur Moncellis construxit, quæ tamen non ex unius sed ex multorum donatione & agriculturâ consistit. Post aliquod verò tempus cum præfatus Thomas de Marlâ videns curtem nostram abundantiâ pecorum repletam, cupiditate ductus, eam deprædatus fuisset, indeque excommunicatus absolvi deposceret, altare unum in villâ quæ dicitur Foimons pro prædæ restauratione nobis dedit; & privilegio Episcopi Laudunensis, de quo illud in feodo tenebat, confirmari fecit; sic illius facti absolutionem recepit. Has ergo quatuor curtes sæpe dictus Radulfus Præpositus in pago Laudunensi construxit, & per eas non parum Ecclesiam nostram ampliavit.

78. Aliam etiam curtem in pago Suessionensi construxit in nemore de Pinon, & privilegio Domini Lisiardi Suessorum Episcopi confirmari fecit; filiumque suum Walterum ad construendum in eodem loco posuit, ita ut Ecclesiolam lapideam ex eleemosynis fidelium in honore sanctæ Dei Genitricis MARIÆ ibidem ædificatam, à præfato Episcopo consecrari impetraverit.

79. In his itaque domibus, sive ut usitatiùs dicamus, curtibus, quas in diversis locis præfatus Radulfus Præpositus construxit, plus quàm sexaginta carrucas posuit, sicque Deo juvante tam ex agricultura quàm ex nutrimentis pecorum toti Conventui Ecclesiæ nostræ in victu & vestitu necessaria providebat: super quo Domnus Abbas Odo valde gaudebat, & Deo gratias agebat, quòd sibi talem virum dedisset, qui se à sollicitudine & tumultu exteriori prorsus immunem & liberum esse fecerat: commissâ namque ei totius Ecclesiæ nostræ curâ exteriori, ipse Religioni & silentio tam ferventer insistebat, ut multoties integro mense de Claustro non exiret, sed jugiter lectioni intentus, scribendis libris totum studium daret; scriptorum quippe copiam à Domino sibi datam exultabat, ita ut si claustrum ingredereris videres plerumque XII. Monachos juvenes in cathedris sedentes, & super tabulas diligenter & artificiosè compositas cum silentio scribentes; unde omnes libros Hieronymi in explanatione Prophetarum, omnes libros beati Gregorii & quoscumque invenire potuit B. Augustini, Ambrosii, Isidori, Bedæ, necnon etiam Domini Anselmi tunc temporis Abbatis Beccensis, postea verò Cantuariensis Archiepiscopi, tam diligenter fecit describi, ut vix in aliquâ vicinarum Ecclesiarum similis inveniretur Bibliotheca, omnesque pro corrigendis libris suis de nostrâ Ecclesiâ peterent exemplaria. Magni nominis, magnæque Religionis tunc erat in Cœnobium nostrum, quia in toto Archiepiscopatu Remensi eo tempore nonnisi tres inveniebantur Ecclesiæ, quæ consuetudines Cluniacenses servarent, Acquicinensis scilicet, Hasfligemiensis & nostra. Cluniacense si quidem Cœnobium tunc in toto Regno Francorum erat excellentissimæ Religionis, quoniam nondum germinaverat rigor Cistercienss, nec de Domno Norberto adhuc aliqua mentio erat.

80. Eâ tempestate Domnus Lambertus Cœnobii sancti Bertini Abbas effectus, cum videret Ecclesiam suam præ nimiâ dissolutione sic destitutam, ut vix pauci Monachi in eâ subsistere possent, summâ necessitate compulsus Domnum Hugonem præfati Cœnobii Cluniacensis tunc temporis famosissimum Abbatem expetiit, ejusque magisterio seipsum cum totâ sua Ecclesia committens, professionem publicè in ipso Cœnobio fecit; sicque susceptos ab eodem Domno Hugone XII. Monachos secum reducens, & Ecclesiam sancti Bertini eis regendam committens, in tantum brevi tempore gratiâ Dei juvante per eos profecit, ut ubi priùs vix XII. Monachos invenisses, postmodum centum quinquaginta omni abundantiâ refertos reperisses. Quod cernens inclytus Comes Flandrensis Robertus, quia jam Jerusalem captâ in terram suam redierat, sumptos ex eodem Cœnobio sancti Bertini Monachos in Ecclesiam sancti Vedasti Atrebatensis, sanctique Petri Gandensis posuit, multumque eas correxit. Domnusque Odo venerabilis Abbas sancti Remigii Remensis susceptos à præfato Abbate sancti Bertini Monachos in Cœnobio suo posuit: deinde Ludovicus Rex Francorum videns alias Ecclesias per easdem consuetudines proficere, in Cœnobio sancti Medardi Suessionensis eas violenter servari fecit; sicque per gratiam Dei vix jam invenitur in Franciâ, vel Flandriâ aliquod Cœnobium in quo non videas Cluniacenses consuetudines servari: sed cum (ut prædictum est) inter vicinas Ecclesias magnâ famâ, prosperitate Cœnobium nostrum floreret; ecce subitò cecidit corona capitis nostri, & defecit gaudium cordis nostri.

81. Dominus siquidem Manasses Remorum Archiepiscopus ad Concilium generaliter mandans alios Abbates, inter alios nominatim evocavit Odonem Abbatem sancti Martini Tornacensis, cumque exinde admirantes quid de Concilio nobis referretur, attoniti & suspensi exspectaremus, ecce repente au-

dimus ad Cameracensis sedis Episcopatum eum fuisse electum, & sine morâ ab Archiepiscopo, & Comprovincialibus Episcopis consecratum. Quis eo die luctus totum Conventum nostrum repleverit, quis singultus pectora nostra concusserit, nullus facilè explicare poterit. Vix tamen octo dies transierant, & rursum nobis quædam redditur consolatio, quoniam ipse, rebellante ac resistente Galchero Episcopo, pacificè ingredi non valens Cameracum urbem, rursum nobis ab Archiepiscopo remittitur, & per annum integrum nobiscum demoratur. Quæ autem ejusdem rebellionis causa fuerit, paucis aperiendum videtur, licetà cœptâ narratione digrediamur

An. 1105.

82. In vitâ beati Gregorij legitur quòd cùm ad Apostolicæ Sedis regimen fuisset electus, & reluctaretur, Romani assensum Mauricii Imperatoris petierunt, & per eum in Sede Pontificali electum levaverunt: sed & beatum Eligium & sanctum Audoënum à Dagoberto Francorum Rege ad Pontificatum electos, & promotos fuisse legimus; cumque idem etiam multis aliis in locis legatur, sanctos scilicet viros à Regibus ad Pontificatum fuisse promotos, ecce subitò Henrici senioris Imperatoris temporibus Papa Romanus, qui primùm vocatus est Hildebrandus, postea verò Gregorius septimus, prohibet ne quisquam ab eo eligatur, vel promoveatur, & omnes qui ab eo promoti fuerant, vel baculum seu annulum de manu ejus susceperant, excommunicantur & deponuntur; in toto etiam regno ejus, in partibus dumtaxat Teutonicis Divinum officium interdicitur. Fit maxima sanctæ Ecclesiæ perturbatio, ita ut multi dicerent tunc impleri illam prophetiam Ezechiæ Regis: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Amara namque fuit Ecclesiæ amaritudo tempore Martyrum a paganis occisorum; amarior tempore hæreticorum; amarissima in pace Christianorum. Henricus namque Imperator non ferens auferri sibi dignitatem antecessorum suorum, & dicens Papam non hoc facere pro libertate Ecclesiæ, sed potiùs ut sub occasione & prætextu justitiæ majorem posset pecuniam congregare; alium Papam elegit nomine Guibertum, eumque qui se excommunicaverat facit excommunicari, & contra præceptum ejus in regno suo Divinum officium cogit celebrari: dehinc congregato exercitu Romam obsidet, totamque provinciam devastat. Gregorio Papa moriente succedit Urbanus, & eadem quæ antecessor ejus statuerat, confirmat, atque inter cætera quæ in Claromontensi Concilio decrevit, etiam Gualcherum Cameracensem Episcopum pro eo quod Episcopatum per pecuniam adeptus fuerat, & virgam atque annulum de manu Imperatoris susceperat, excommunicationis gladio percutit, & ab Episcopali officio deponit; ille violentiâ Regali fultus pluribus annis Espiscopatui superbè præsidet, & contra Papæ præceptum in urbe Cameracensi Divinum officium celebrari jubet. Urbano Papæ morienti Paschalis succedens, & Gualcherum in diutinâ obstinatione pertinaciter perseverare dolens, missis litteris Manassæ Remensi Archiepiscopo Apostolicâ auctoritate præcipit, ut congregatis comprovincialibus Episcopis Cameracensi Ecclesiæ Episcopum omissâ dilatione eligat, & consecret. Sic ergo Abbas noster Dominus Odo eligitur & consecratur. Sed quia Archiepiscopi auctoritate Gualcherus expelli non valet, Abbas noster jam consecratus nobis remittitur, & Episcopale quidem officium ubique gerit: ingressum verò urbis & redditus Regales non habet.

Isai. 38. 17.

An. 1095.

83. Interea callidus Papa Henricum adolescentem filium Henrici Imperatoris litteris adversus patrem concitat, & ut Ecclesiæ Dei auxilietur admonet; ille regni cupidus, & gaudens se competentem occasionem ex Apostolicâ auctoritate invenisse, contra patrem ferociter armatur, eumque regno propellit, ita ut præter Autbertum Leodiensem Episcopum nullum inveniret qui sibi adhæreret. Juvenis frendens eo quod contra voluntatem suam à prædicto Episcopo pater suus in urbe Leodiensi retineretur, exercitum congregat, & in die sancto Parasceves Leodium violenter intrare parat. Præcedente igitur feriâ quintâ cum Episcopus jam vesperis finitis ex more Ecclesiastico pedes Canonicorum lavaret, & Cœnam Dominicam celebraret; ecce subitò nuntiatur milites juvenis Regis castrum quod Visetum dicitur obtinuisse: exiliunt cum impetu Leodienses, & præcedente Namurcensi Comite obviam venientibus ire festinant. Ecce autem dum militia novi Regis inconsultè & præproperè pontem Mosellæ fluminis conscendit, repente pons fluminis frangitur, & quingenti ferè milites loricati & armati cum equis in flumine corruentes necantur. Sicque Rex juvenis, quòd contrà patrem tam solemni die pugnare voluisset, sero renitens, non sine magnâ confusione retrocedere, Moguntiam redire compellitur, sed quia jam totum regnum excepto Leodio obtinuerat; rursum resumptis viribus contrà patrem armatur, donec pater omni Principum auxilio destitutus, in quodam Castello ab eo includitur. Exstat quædam Epistola [h] ab eodem patre Philippo Regi Francorum directa, in quâ de filio suo conqueritur, quam si quis legerit, & non fleverit, videtur mihi duri esse cordis. h

84. Mortuo ergo patre Henrici Henrico seniore, non quidem armis sed tristitiâ cordis, filius ejus, jam optato regno potitus, mandavit Cameracensibus, ut Gualcherum excommunicatum ab urbe pellerent, Domnum Odonem reciperent. Tuncque primùm Domnus Odo urbem sedis suæ pacificè ingrediens, præcepit nobis ut Abbatem eligeremus, & consilio ejus Domnum SEGARDUM Priorem nostrum elegimus, virum religiosum, jejuniis & orationibus deditum, qui jam à multis annis Prioratum Ecclesiæ nostæ tenuerat. Præfatus verò Henricus regnum adeptus, sed in patris sui sententiâ permanens, nec antiquorum Regum dignitate carere volens, qui Episcopos eligere consueverant, congregato exercitu Romam tendit, dicens se pro consecratione & coronâ de manu Domini Papæ suscipiendâ illuc ire: susceptus itaque à Romanis cum magno gaudio & processione, venit ad sancti Petri Ecclesiam, ubi Domnus Papa residens eum exspectabat; at ubi ex more pedibus Papæ summissus ad osculum ejus levatus est, protinùs proditionem & perfidiam diù præmeditatam aperuit, voceque Teutonicâ signum dans militibus armatis Domnum Papam, quem jam osculatus fuerat, cum omnibus Cardinalibus, qui eum pro tam festivâ processione circumdederant, violenter captum in sua castra duxit, & custodiæ mancipavit, pluresque Romanorum qui sibi resistere voluerant, trucidavit: cum exercitu enim magno venerat. Illi autem nullam doli suspicionem habentes, omninò ad bellum imparati erant, ideoque non mirum fuit si facilè sunt superati. Papa ergo videns periculum non solùm Episcoporum & Cardinalium qui secum capti erant, sed totius regionis quam hostiliter, non ut Imperator sed ut Tyrannus devastabat, pro imminenti necessitate magis voluit sententiam ad tempus mutare, quàm his non providere, quorum cervicibus gladius imminebat; con-

An. 1106.

h *Epistola*] Edita à Reinero Reineccio ad vitam Henrici IV. inter ejus Epistolas.

cessit itaque Regi, & etiam privilegij sui auctoritate confirmavit, ut assensu ejus electiones Pontificum fierent, electis autem per virgam & annulum investituram faceret; cum verò Rex hujus concessionis fidejussionem quæreret; Papa ei Corpus Domini in ore posuit: hoc, inquiens, Corpus Domini tibi trado loco fidejussoris, quod de ijs quæ tibi promisi nihil ulterius violabo. Sic itaque Rex lætus Papam cum omnibus quos ceperat dimisit, & in terram suam, id est in Lotharingiam rediit, filiamque Henrici Regis Anglorum Leodij, sibi à patre cum multis divitiis præsentatam, uxorem
An. 1114. duxit: Divino tamen judicio non diutina prosperitate gavisus est, sed præfatam Reginam viduam sine prole relinquens, regno simul & vitâ citiùs
An. 1125. privatus est. Siquidem post discessum ejus ab urbe Româ diversi Pontifices in unum convenientes, & Apostolicæ proditionis eum infamantes, paremque Judæ eum fore dicentes, qui post osculum & per osculum tradidit Dominum; privilegium quoque illud quod ei Papa dederat, non privilegium sed pravilegium vocantes, sententiâ anathematis eum percusserunt, & quidquid Domnus Papa necessitate compellente dispensativè fecerat, irritum esse decreverunt.

85. Quidam Clericus nomine Norbertus, qui in eâdem captione Capellanus Imperatoris fuerat, videns tantam nequitiam domini sui Regis, pœnitentiâ ductus pedibus Domini Papæ se prostravit, & absolutione ab eo susceptâ sæcularem vitam relinquens, in Franciam venit, & in Episcopatu Laudunensi locum quemdam solitarium reperiens qui Præmonstratus dicitur, ibidem Deo sub Regulâ sancti Augustini, imò multum rigidiori & artiori servire cœpit, sicque per Dei gratiam brevi tempore profecit, ut nullum post Apostolos videamus hodie tantum fructum in Ecclesiâ fecisse: nam cum necdum conversionis ejus tricesimus annus sit, jam ferè centum Monasteria à sequacibus ejus per diversas orbis partes constructa audivimus; ita ut etiam in Jerusalem usque regula eorum servetur: nam ut de aliis taceam, in urbe Laudunensi commissa est ei à Domno Bartholomæo Episcopo quædam paupercula Ecclesia in honore sancti Martini constructa, in quâ idem Norbertus paucos ex Fratribus suis ponens, Abbatum eis præfecit virum religiosum nomine Walterum, cui Deus tantam gratiam contulit, ut hodie in ipsâ Ecclesiâ ferè quingenti Fratres degere videantur; jamque ex ipsâ x. fere alia Monasteria processerunt. Ipse verò Norbertus postmodum in urbe Magdeburgensi Archiepiscopus factus, tempore Lotharii Imperatoris, qui Henrico successit, defunctus est. Sed nunc jam ad nostrum Cœnobium redeamus.

86. Cum Domnus Odo ferè XIII. annis illud rexisset, Episcopus factus Domno Segardo Priori nostro illud regendum reliquit, quo tempore maxima tribulatio nobis supervenit. Canonici siquidem Tornacenses, jam Domno Odone Episcopo facto, ne aliquem extraneum sepeliremus nobis interdicere cœperunt, dicentes Ecclesiam nostram non esse Abbatiam, sed potiùs juris sui capellam, nec nos in ea remansuros, nisi quamdiù ipsi vellent: unde duo Archidiaconi Cameracenses, Anselmus scilicet, & Radulfus filius Domini Tetbaldi Monachi nostri, qui frequentabant Episcopum suum, adhuc nobiscum commorantem, tali contradictione Canonicorum Tornacensium commoti, cum litteris deprecatoriis Domni Odonis Episcopi Romam petiverunt, privilegiumque Domni Paschalis Papæ nobis detulerunt, in quo nobis concedebat, ut omnes qui apud nos sepeliri vellent, nisi excommunicati essent, liberè & absque ullâ contradictione sepeliremus: adjunxerunt etiam, plurimis nostrûm ignorantibus, ut decimas laborum nostrorum, quos circa Monasterium laboramus, ulteriùs non solveremus, quoniam à Domino Papa nobis remittebantur: quod ut Canonicis innotuit, illico contrà insurgunt, totumque orbem adversum nos incitant, incendiis & rapinis Ecclesiam nostram valde perturbant: cumque Cœnobii nostri Præpositus esset frequenter superiùs memoratus Radulfus, Canonicorum verò Gonterus filius germani ejus Tetberti; dum inter se non solùm Ecclesiasticis, sed etiam sæcularibus armis decertarent patruus & nepos; videbatur inter duas Ecclesias geri non solùm civile, sed etiam plusquàm civile bellum. Domnus tamen Papa nunquam auxilium suum nobis impendere destitit, sed ad se frequenter redeuntibus piè consuluit, unde etiam hujusmodi litteras Baldrico Episcopo nostro inter multas alias transmisit:

87. PASCHALIS Episcopus servus servorum « Dei, venerabili fratri BALDRICO Noviomensi seu « Tornacensi Episcopo salutem, & Apostolicam « benedictionem. Fraternitati tuæ jam secundas lit- « teras misimus, ut Monachis sancti Martini justi- « tiam faceres de injuriis illis, quas à Clericis Tor- « nacensibus patiuntur: cæterum eamdem justitiam « exercere diù multumque Fraternitas tua dissimu- « lavit, unde oportunum duximus idem negotium « Lamberto Atrebatensi, & Joanni Morinensi Com- « provincialibus fratribus commisisse, qui nimirum « tanquam religiosi viri ad pacem vehementiùs in- « tendentes, idem negotium minùs canonicè tracta- « verunt. Quamobrem nos utramque partem ad « nostram præsentiam evocavimus. Ipsis itaque « Clericis ex Sanctorum Patrum auctoritate mons- « travimus, quàm indebitè in decimarum exactione « & sepulturarum prohibitione Monachos prægra- « varent. Beatus enim Gregorius Augustino An- « glorum Episcopo scribens: Communi, ait, vita « viventibus jam de faciendis portionibus, vel exi- « gendâ hospitalitate, & adimplenda misericor- « diâ nobis quid erit loquendum, cum omne quod « superest in causis piis, ac Religiosis erogandum « est. Quartus autem Leo synodali constitutione « decrevit, ut decimæ & primitiæ, seu quæcumque « oblationes vivorum & mortuorum, Ecclesiis Dei « fideliter reddantur à Laïcis. Ubi notandum quòd « non à Monachis, sed à Laïcis reddi decimæ ju- « beantur. Monachi namque cùm eorum plerique « aut levitæ, aut Sacerdotes sint, aut aliis Eccle- « siasticis ordinibus perfruantur, cum assiduè per « Dei gratiam Divinis inserviant ministeriis, immu- « nes profectò ab hujusmoni exactionibus sunt ha- « bendi. Idem etiam Leo Episcopis Britanniæ scri- « bens, illis tantùm Ecclesiis quæ plebes vocantur, « deberi decimas indicat; ubi sacro sancta dantur « baptismata; in quibus videlicet verbis evidenter « apparet causâ Baptismatis, Eucharistiæ, Pœniten- « tiæ seu cæterorum officiorum, quæ à Clericis popu- « lo exhibentur, decimas à populo esse reddendas; in « quibus omnibus nullum à Clericis servitium Mona- « chorum conventibus exhibetur. Porrò de sepulturâ « Monasteriis permittendâ B. Gregorii habetur mani- « festa sententia. Joannem enim Veteris urbis Episc. « in Monasterio sepeliri mortuos prohibentem, his « verbis cohibere curavit: Si ita est, ait, à tali vos « hortor inhumanitate recedere, & sepeliri mortuos « ibidem, vel celebrari Missas nullâ ulteriùs habitâ « contradictione permittas; ne denuò querelam de « his quæ acta sunt, Agapitus vir venerabilis ad « me depromere compellatur. Hac Sanctorum Pa- « trum auctoritate compertâ & veritatis ratione «

» cognitâ, prædicti qui ad nos venerant Clerici » Tornacenses debitâ humilitate cesserunt, & de » cætero se nullam super his querelis molestiam » Monachis illaturos polliciti sunt. Tuam ergo sol» licitudinem, Frater carissime, commonemus, nè » ulteriùs suprà dicti Monasterii Fratres patiaris mo» lestiis talibus infestari, neque Cathedram ibi col» loces, neque aliud quid inferas quo regularis or» do turbetur. De his autem eleemosynarum par» tibus, quæ à morientibus Ecclesiis relinquendæ, » vestrâ interest, Diœcesis vestræ Parochianos ins» truere, ut per tuæ vigilationis diligentiam largiente » Domino tam Clericis quàm Monachis justa ser» ventur, & Ecclesiis pax firma permaneat. Data » Lateranis per manum JOANNIS Cardinalis IIII. » Kalend. Novembris.

88. Clerici namque Tornacenses Roma reversi, & omnia quæ dominus Papa eos sibi promisisse dixerat, prætergressi, rursum nos incendiis devastare, Militibus etiam ut nostra diriperent, pecuniam dare cœperunt: quâdam verò die advesperascente servientes suos ad curtem nostram Duisolpetram deprædandam transmiserunt. Quod cum Domno Abbati Segardo nuntiatum fuisset, præmisit quemdam Monachum nomine Gerulfum, qui in vita sæculari strenuus Miles fuerat, Optimatumque regionis cognatus erat, ad reprimendam audaciam raptorum; illi autem cum armis, & multitudine venientes, curtem deprædati sunt; Monachumque sibi resistere volentem tam fortiter verberaverunt, ut eum in lectulo ad Ecclesiam nostram necesse esset referri. Unde cognati ejus vehementer commoti, post paucos dies contrà Clericos & fautores eorum convenerunt; initoque bello ex servientibus eorum decem & octo occiderunt, quorumdam verò pedibus abscissis omnes pariter in fugam converterunt. Dixerunt etiam quidam ex Militibus, se in eodem certamine vidisse S. Martinum in aëre super equum album sedentem, & adversarios exerto gladio effugantem, & cum multo major eorum numerus quàm nostrorum fuisset, nostris tamen victoria cessit. De quâ victoriâ videns Domnus Segardus Abbas quosdam juvenum nostrorum exultantes, ingressus Ecclesiam & coram altari prostratus vehementissimè flere cœpit, tam pro animabus eorum qui interfecti fuerant, quàm pro periculo Fratrum qui exinde exultaverant, unde protinùs convocatis omnibus in Capitulum, præcepit ut sequenti die totus Conventus unanimiter in pane & aquâ jejunaret, & sicut in Parasceve nudis pedibus mane surgentes post Primam totum psalterium legerent, & processionem facerent, in Capitulo etiam omnes generaliter disciplinas susciperent, cujus devotio quòd Deo placuit, protinùs effectus monstravit.

89. Adhuc enim nobis in Capitulo sedentibus, ecce subitò Everardus Castellanus, totius regionis Princeps, cujus longè superiùs mentionem fecimus, insperatus ostium Claustri pulsavit, & ut in Capitulum venire permitteretur rogavit. Ingressus igitur cum quibusdam viris sapientibus; Valde, inquit, Domini mei, de restauratione hujus Ecclesiæ gavisi sumus, cujus cum necdum vicesimus compleatur annus, jam de ejus destructione nihilominùs valde contristamur; scimus enim re verâ quòd Clerici vobis injustè prohibent sepulturam eorum qui non sunt sui Parochiani, & nihilominùs vos eis injustè decimas suas vultis auferre: licet enim terras nostras pro animarum nostrarum salute dederimus, decimas tamen Dominæ nostræ sanctæ MARIÆ vobis dare non potuimus. Quod ergo vobis dedimus tenete, & sanctæ MARIÆ vos sancti viri nolite auferre, quod nos peccatores ei dabamus: si verò ejus suum quod jam quingentis annis tenuit, vultis auferre, nescio quid vobis prosit sæcularem vitam reliquisse, quoniam (ut salvâ gratiâ vestrâ dicam) cupidiores & rapaciores, atque pejores nobis esse videbimini, qui licet pauperibus sua auferamus, Deo tamen suas decimas reddimus: unde precor vos, dulcissimi Domini mei, quatinùs ab inceptâ desistentes pertinaciâ, pro singulari & insolitâ libertate provinciam non perturbetis, sed vicinarum Abbatiarum, quæ antiquiores & ditiores vobis sunt, morem sequamini, & nos eamdem libertatem sepulturæ quam ipsi habent, velint nolint Clerici, faciemus vobis concedi: si verò precibus nostris acquiescere nolueritis, tunc utique contrà torrentem brachia tenditis, quoniam nos nullo modo patiemur Dominæ nostræ decimas suas auferri. Huic ergo præfati Principis orationi Conventus noster acquiescens, suasioni ejus cessit: sicque statuto die convenientibus vicinis Abbatibus, multisque aliis Ecclesiasticis personis utrimque statutum est, & chirographo confirmatum est, ut nos more solito daremus decimas, & de sepulturâ idem nobis liceret quod Ecclesiæ sancti Amandi, & cæteris vicinis Ecclesiis. Finitâ itaque concordiâ, Clerici qui dudum nos radicitùs evertere conabantur, tantâ nobis rursum conjuncti sunt amicitiâ, ut ipse præfatus Gonterus Præpositus vir strenuissimus, nostris necessitatibus omni conatu subveniret; & mala quæ nobis tempore discordiæ fecerat, novis servitiis & auxiliis diluere & emendare studeret. Tanta ergo deinceps dilectio & familiaritas inter nos & illos fuit, ut præ cæteris vicinis Ecclesiis ad invicem amoris vinculo conjungeremur: unde etiam in negotio quod post factam concordiam protinùs inceperunt, quasi Fratres, & socii eis fuimus. Est autem hujusmodi negotium.

90. Tornacensis civitas olim proprium habuit Episcopum, unde in vita sancti Medardi legitur, quòd cum esset puer in scholâ discens, prædixit Eleutherium quemdam comparem suum, summum Dei Pontificem in urbe Tornaco futurum, quod postea rei probavit eventus. Cum ergo Beatus Eleutherius in urbe Tornaco, sanctus verò Medardus in Vermandensi factus fuisset Episcopus, Ludovicus Rex Francorum, quem baptisavit sanctus Remigius, Tornacum venit; eumdem sanctum Eleutherium[i] rogavit ut pro peccato quod commiserat & confiteri erubescebat, Christi misericordiam imploraret: quod vir Dei faciens, ab Angelo se exauditum esse cognovit, ipsumque Regi crimen scriptum attulit; unde Rex exhilaratus Deo, & Beato ejus Confessori gratias retulit, multaque dona ei relinquens ad propria rediit. Postea contigit ut Beatus Eleutherius Tornacensis Episcopus, præ nimiâ senectute & infirmitate caligantibus oculis officium Episcopale implere non posset; pro antiquâ ergo familiaritate rogavit sanctum Medardum Vermandensem Episcopum ut se juvaret ad explendos ordines sacros, & consecrandas Ecclesias, cæteraque peragenda officia Episcopalia: acquievit ille, sæpiusque visitans Tornacum, & verbum Dei prædicans non modicum favorem adeptus est totius Cleri, ac populi. Cum verò defunctum Beatum Eleutherium idem sanctus Medardus Missâ celebratâ in Ecclesiâ sancti Petri Blandiniensis solemniter sepelisset, & Clerici Tornacenses ad eligendum Episcopum convenissent, videntes religionem & probitatem sancti Medardi, sicut Suessionis in vitâ ejus scriptum reperi, eum

i *Eleutherium*] Eleutherius & Medardus multo post Clodovei obitum Episcopi fuere, postque Remigii decessum.

sibi elegerunt Episcopum, dicentes quòd sicut vivente Beato Eleutherio per aliquod tempus utrumque Episcopatum benè rexisset, ita etiam post obitum ejus facere posset. Reluctatur vir beatus & contradicit dicens nec canonicum, nec possibile sibi esse ut duos Episcopatus teneat, ideoque se tantum onus non suscepturum, cujus gravamine pressus deficeret. Tornacenses in cœpta sententiâ permanentes, Beatum Remigium tunc temporis Remorum Archiepiscopum adeunt; & ut ei Tornacensis Ecclesiæ providentiam injungeret, deposcunt. Flexus eorum precibus sanctus Remigius, simulque considerans & eorum devotionem, & Beati Medardi religionem, obedientiæ vinculo Tornacensis Ecclesiæ ei injungit sollicitudinem: postmodum autem sanctus Medardus sedem Episcopalem mutavit, & de urbe Vermandensi Noviomum eam transtulit, sicque duos Episcopatus Noviomensem scilicet & Tornacensem in vitâ suâ retinuit: post obitum quoque ejus successores ipsius, Noviomenses scilicet Episcopi utrumque Episcopatum tenuerunt: seroque Tornacenses Clerici se sanctum Medardum elegisse pœnituerunt, videntes quod semel concesserant se ulteriùs non posse mutare.

S. Medardus transfert Sedem Episcopal. ex urbe S. Quintini, sive Augusta Viromanduorū, Noviomum.

91. In vita sancti Remigii Remorum Pontificis continetur, quòd tempore ejus Remensis Ecclesia Metropolis XII. Episcopos sub se habebat, scilicet Silvanectensem, Catalaunensem, Ambianensem, Belvacensem, Suessionensem, Laudunensem (qui antiquitus non fuerat, sed ab ipso sancto Remigio institutus est, dans ei de suis municipiis cum ipso Lauduno qui de parochia Remensi extiterat) Noviomensem, Atrebatensem, quem etiam primus ordinavit [1], Cameracensem, Tornacensem, Morinensem, & Boloniensem.

92. Defuncto Beato Medardo, atque Suessionis sepulto, Lotharius Rex Francorum filius suprà dicti Ludovici Ecclesiam super corpus ejus ædificavit. Post aliquot verò annos idem Rex moriens, & in eodem loco sepultus, quatuor filios heredes Regni reliquit Karebertum, Guntrannum, Sigebertum, Chilpericum, qui Regnum inter se dividentes, Karebertus sedem sibi constituit Parisius; Guntrannus Aurelianis; Sigebertus Remis; Cilpericus Suessionis. Cilpericus duxit uxorem nomine Audoveram, habens concubinam nomine Fredegundem; quæ Fredegundis Audoveram Reginam tali fraude decepit: suasit ei ut filiam quam ex Cilperico habebat, ipsa de sacro fonte, non alia susciperet, quòd illa seducta fecit: quamobrem à marito suo separata est, sicque Fredegundis concubina in conjugium transiit: Episcopus qui puerum baptisavit exilio damnatur. Franci qui sub ditione Cilperici erant, ad Sigebertum transeunt: Cilpericus verò fugiens fratrem suum, petiit civitatem Tornacum, quæ in divisione suâ continebatur, quem cives ejusdem urbis susceperunt, & cœperunt pugnare contrà præfatum Sigebertum, qui congregato exercitu obsedit in urbe Tornaco fratrem suum. Fredegundis verò Cilperici uxor verens, ne populus Tornacensis pertæsus obsidionis, se & maritum suum traderet inimicis, convocavit duos juvenes ferocis animi, pollicens eis præmia & honores si Regem Sigebertum interficerent, qui consiliis ejus acquiescentes Regem adierunt, & quasi ei aliquid secretiùs loquuturi, seorsùm evocaverant; deinde pugionibus interfecerunt. Cilpericus verò à Tornaco egressus exercitum ad se reduxit, fratrem verò suum in vico qui dicitur *Lambrius* juxtà Duacum sepelivit, civibus Tornacensibus gratias reddidit, & Ecclesiæ Beatæ Virginis MARIÆ multa beneficia contulit pro salute animæ suæ & animæ fratris sui qui improvisè interemptus occubuerat, jura sua Regalia, quæ in eadem civitate possidebat inter Episcopum & Clerum distribuit: Episcopo delegavit mercatum civitatis; mairiam, justitiam, districtum, Advocationem hominum Beatæ MARIÆ, Wionagia plaustrorum & vehiculorum, quæ venalia in civitatem afferunt. Clero verò tribuit teloneum, pontinagium, ut ex eorum redditibus vestimentorum suorum necessaria compararent; & ut victum copiosè & sufficienter haberent, omnem terram quæ jacet inter duos fluviolos *Ries* scilicet & *Mairum* eorum ditioni subdidit, ut ex ejus agriculturâ [illegible] ubique penuriâ sustentarentur. Cunctaque molendina quæ tunc erant in Scaldo eis superaddidit, sex ex iis Episcopo reservatis cum quinque quadrigis terræ. Foragia verò cambarum, vel quod scyphicationes apothecarum alii vocant, & redditus vasorum vini, inter utrosque æquis partibus divisit. Hoc itaque modo amplificatâ Ecclesiâ Beatæ Virginis MARIÆ cum honore ad propria rediit; deinde confirmatus in regno corpus fratris sui Suessionis transtulit, & juxtà patrem suum sepelivit in Ecclesiâ sancti Medardi. Ipse verò post aliquod tempus astu uxoris suæ Fredegundis à Landerico Majore-domus cum quo eadem Fredegundis adulterabat, occiditur, & in basilicâ sancti Vincentii Parisius sepelitur.

93. Post Beatum Medardum præfuit Ecclesiæ Noviomensi atque Tornacensi Augustinus; Augustino Gundulfus; Gundulfo Ebrulfus, Ebrulfo sanctus Acharius, cujus tempore legitur fuisse S. Amandus Trajectensium Episcopus, qui Cœnobium Monachorum Helnone construxit: post Beatum Acharium, sanctus Eligius: iste Sanctus inter præclara Cœnobia quæ per Galliam construxit, etiam Ecclesiam sancti Martini Tornacensis in loco ubi nunc restaurata est, ædificavit: sancto Eligio S. Mummolenus successit: Mummoleno Gundulfus, Gundulfo Guarulfus, Guarulfo Crasmarus, Crasmaro Framigerus, Framigero Hunuanus, Hunuano Guido cum Enutio; deinde Helisæus, Helisæo Adelfredus, Adelfredo Dido, Didoni Gislebertus qui fuit Abbas sancti Amandi Helnonensis, qui pro Parochiâ sancti Martini quæ sita est apud Helnonem in Episcopio Atrebatensi, dicitur Episcopo Atrebatensi, seu Cameracensi dedisse, pro commutatione Marcenienensem Abbatiam, quæ in Episcopatu Tornacensi jacet. Gisleberto successit Pleon, Pleoni Guandelmarus, Guandelmaro Ronegarius, Ronegario Fichardus, Fichardo Emmo qui à Normannis occisus est; Emmoni Rainelmus, Rainelmo Heidilo, sub quo cives Tornacenses apud Noviomum se contulerunt propter devastationem, & oppressionem Normannorum, quando etiam Monachi sancti Martini ejusdem civitatis apud *Supas* villam suam in Episcopio Parisiensi sitam diverterunt; Heidiloni Raubertus, Rauberto Airardus, Airardo Gualbertus, Gualberto Transmarus, Transmaro Radulfus: post hunc præfuerunt Episcopi quidam, quos meliùs puto vocari debere raptores quàm gubernatores, dissipatores quàm rectores, mercenarios quàm pastores; beneficia enim Ecclesiæ dispergiderunt, & penè ad nihilum redegerunt, ita ut de antiquis possessionibus nihil ampliùs eam cernamus hodie tenere, quàm tria molendina Episcopi, tresque quadrigas terræ ejus, & Canonicorum teloneum, pontinagium, foragiorumque suam partem exceptis paucis terris, & molendinis, quæ per fidelium oblationes recuperaverunt. Quod quomodo acciderit,

1 *ordinavit*] Id est restituit, jam pridem enim sedes vacaverat.

verba quæ à majoribus nostris accepimus, posteris tradimus.

94. Radulfo successit in Episcopatu Fulcherus: hic existens spurius generatione, ex Patre scilicet ignobili natus, filius fuit Principis coquorum Regis Franciæ; qui ambiens Episcopatum, Regem Galliæ, & Optimates curiæ ejus simoniacos effecit, eosque sibi favorabiliter confœderavit: cujus ordinatio quia contrà sacros Canones fuit, per omne tempus quo præfuit, contrà Deum, & sanctam Ecclesiam intumuit, vitamque indignam omnimodis duxit. Adeptus ergo gradum cupitum, tres Ecclesias in Noviomo subvertit, permittente Rege, & Primoribus ejus, quibus earum prædia & possessiones tradidit, ut eum quasi dominum attollerent, dominiumque & fidelitatem promitterent, sicut antecessoribus ejus facere consueverant, quæ dum juxtà votum obtinuisset, deliberavit etiam regionem Tornacensem invisere: qui Tornacum veniens cum & à Clero & populo fuisset receptus, duas Ecclesias finitimas subvertit, videlicet Beati Quintini de Foro, in qua Canonici commanebant, Beatique Petri de mediâ urbe, ubi Sanctimoniales degebant suadentibus Militibus quos secum adduxerat, quibus etiam prædia earum distribuit pro captandâ benivolentiâ eorum; terras etiam quasdam hereditarias sancti Martini, quæ in persequutione Normannicâ devastatæ fuerant, & adhuc sine incolis incultæ jacebant, invasit: eisque ad augmentum suæ damnationis addidit beneficia quoque sua, quæ de manu Regis prædecessores ejus susceperant, illis superadjiciens monetam scilicet civitatis, mairiam, justitiam, districtum, advocationem, vionagia, tria molendina de sex suprà positis, Episcopatum modo miserabili pessumdedit. Clericorum quoque bona magnâ ex parte lacerans, infrà breve tempus dignas ultionis pœnas exsolvit. Cum enim de Tornaco Noviomum redisset, protinùs infirmitate correptus, sequenti nocte vidit in somnis quòd esset inter duo altaria quæ erant in Presbyterio Ecclesiæ sanctæ Mariæ Tornacensis Sedis Episcopalis; videbat etiam ignem maximum inter eadem altaria succendi, & puellam speciosissimam sed scissis vestibus indutam, juxtà majus altare stantem, & complosis manibus crines suos & faciem cædentem, ac de Fulchero, qui vestes suas sciderat, qui se nudaverat, justitiam à Deo cum magno clamore & gemitu querentem, ipsumque Fulcherum in flammas illius ignis impellentem & dicentem ei: ô crudelis tyranne, avidus pervasor meæ Ecclesiæ, quare me ita lacerasti? cur tantis dedecoribus me infecisti? Cumque Fulcherus contrà reluctaretur, ne in ignem mitteretur, & diceret: Domina totius orbis, non vos sic dehonestatam reddidi. Adjecit puella dicens, quoties bona mihi famulantium defraudasti, toties in me tela opprobriorum jaculasti. De quâ tremendâ visione statim evigilans, vehementer clamare cœpit, & clamore suo totam familiam suam excitavit: concurrentibus universis, & clamoris causam sciscitantibus, quid in somnis vidisset retulit, & puellam illam sanctam Dei Genitricem esse exposuit, quæ Filio suo conquesta est, quòd Ecclesiam suam sui juris terris quasi suis vestibus nudasset, & Militibus Noviomensibus dedisset, ideoque se malâ morte quantociùs periturum, & gehennæ flammis demergendum subjunxit. Perterritis omnibus, & finem rei præstolantibus; ecce subitò apprehendit eum dolor dirus viscerum, & morbo intercutaneo percussus, ut de Herode dicitur, videntibus cunctis, cœperunt vermes, qui pediculi vocantur, de corpore ejus glomeratim ebullire, gutturque & faciem ejus cum toto corpore operire; & hoc tamdiù factum est donec animam redderet. Cumque corpus defuncti lotum, & vestibus ex more fuisset indutum, nunquam pediculi cessabant ebullire, totasque vestes operire, donec ministri necessitate compulsi aliis vestibus indutum in corio cervino consuerunt, sicque sepelierunt. Huic Fulchero successit Hadulfus, Hadulfo Leudulfus, Leudulfo Rabodus, Rabodo Harduinus. Hic fuit tempore Roberti Francorum Regis filii Hugonis Capeti: in quo finita est posteritas Regum Franciæ qui fuerunt de stirpe illius Karoli inclyti Regis, qui pro nimiâ probitate suâ à Romanis evocatus, coronatus est in Regem, & Karolus cognomento Magnus appellatus, imperavit tam Romanis quàm Francis postea XIII. annis, cujus heredes per XI. generationes Regnum Francorum tenuerunt. Sed Hugo Capet cum esset Dux Parisiensis, proditione & dolo Ascelini Laudunensis Episcopi nocte Laudunum ingressus cum militari manu, Karolum Regem, cognatum suum, qui cognominabatur Infatuatus, in turre Laudunensi cepit, vinctumque catenis Regno privavit; qui Principatum adeptus, à Gerberto Remensi Archiepiscopo diademate coronatus, & Rex Francorum appellatus est; cujus filius præfatus Robertus, sciens Balduinum Barbatum Flandrensium Comitem tunc temporis magnæ esse potentiæ, filiam Adelam adhuc puellulam, filio ejus adolescentulo Balduino Insulano desponsavit, patrique ejus nutriendam tradidit.

95. Eâ tempestate habebat idem Robertus Rex turrim Noviomi sitam infrà terminos Ecclesiæ beatæ Dei Genitricis Mariæ secus curiam Episcopi, per quam multa mala ejusdem urbis populo intulit: Miles enim, cui à Rege custodienda tradita fuerat, ferocis animi existebat, adeo ut exactiones Episcopales juri suo mancipare vellet; cunctis placitis, causisque forensibus, quæ in curiâ Episcopi determinanda erant, principari volebat, nihilque Episcopum constituere licebat, nisi quod ipse prior disposuisset: sic itaque Episcopum & cives exasperans, nonnulla servitia eis ingerebat. Cum ergo longo tempore id ageret, nullisque exhortationibus Religiosorum resipiscere vellet, ultrà vecordiam ejus ferre non valentes, Episcopus cum Clero & populo valde afflicti proponunt omninò resistere, modumque quo ad effectum perveniant, cœperunt exquirere. Tandem eis videtur quòd si turris eversa fuisset (quæ materia pertinaciæ ejus erat) facilè pacem obtinerent. Accidit ergo quâdam die ut is qui custodire arcem debebat, casu fortuito deesset, nec nullus ex totâ familiâ ejus superesset nisi solummodò conjux ejus cum famulabus suis. Cernens ergo Episcopus oportunum tempus accidisse quo præmeditatum consilium de subversione turris complere posset, civibus arma apprehendere præcepit, cunctosque gladiis accingere fecit, ut si quis in armis obvians eis resistere vellet, facilè expugnaretur: & mittit matronæ Episcopus per nuntios verba suasoria, quibus eam deciperet cum dolo, dicens: habeo pallium sericum de quo mihi casulam, vel planetam facere volo, sed non reperio qui eam sciat tam decenter incidere, & convenienter componere sicut te scire comperi; ideoque deprecor ut castis manibus tuis præparetur; jube ergo fores reserare ut ad te pergere valeam, & quid operis de serio facere possimus simul inspiciamus. Illa gratulabunda effecta de visitatione Pontificis, & dolos quos machinabatur prorsùs ignorans, continuò ostia patefacere præcepit, ipsaque ei obviam processit, & usque ad thalamum suum cum perducens consedere fecit. Cumque aliquamdiù simul mutuò sermocinati essent, videns Episcopus familiam suam congregatam apparatum ad subvertendum habentem, quæ

facere disposuerat aperit dicens; pro calumniis, & injuriis quas vir tuus & curiæ meæ, & civibus crebrò intulit, convenerunt isti adversùs hanc arcem, ut eam dejiciant, cunctaque propugnacula ejus solo sternant, quamobrem egrediamur illæsi, ne cum ejus ruinis pariter involvamur, & pereamus. Illa his verbis perterrita, & velut exanimis effecta, in terrâ procubuit, quam Episcopus blandè consolans, verbisque suasoriis tristem demulcens, apprehendit manum ejus, educensque secum servavit illæsam. At famuli Episcopi continuò circumquaque ignem accendunt, cuncta ædificia evertunt, machinas ad subvertendum undique instruunt, immensam ejus altitudinem solo coæquant, de summo lapide usque ad imum comminuunt, deinde domum redeunt: quæ sic eversa usque in hodiernum diem inrestaurata manet; signa tamen ejus apparent, saxa scilicet ingentia. Audito ergo Rex quod acciderat, vehementer iratus est, & contrà Episcopum qui fidelitatem ei debebat, de perditione domûs suæ conqueri cœpit, satisfactionem proditionis apertis querelis exigens secundùm judicium Optimatum suorum. Cumque curia Regis Episcopum de Regno Francorum expellendum, & exilium subire judicaret, veritus animositatem Regis, sciensque nullum Principum plus apud Regem posse quàm Comitem Flandrensem, Balduinum scilicet Barbatum, ad eum confugit; cujus filius jam juvenilis ætatis primis auspiciis pollens, Adelam filiam prædicti Regis ducere debebat uxorem, ut dictum est: quique etiam Ecclesiam S. Petri in oppido Islensi ædificavit, & in eâ Canonicos posuit, seque ibidem sepeliri mandavit. Causam doloris sui Episcopus apud utrumque exposuit, preces fudit ut de præsenti discrimine eum liberent, & iram Regis, quæ justè exarsit mitigare studeant, dona præclara pollicetur, si Regi & proprio solio eum reconciliatum reddiderint, effectumque petitionis celeriter consequutus fuerit. Sciscitante verò Comite, & interrogante quæ esset recompensatio talionis pro legatione hujus negotii? Respondit Episcopus, possideo in regione Flandrensi quæ ditioni vestræ subjacet, altaria quamplura ex quibus XII. locupletiora vobis, & filiis vestris per tres generationes tenenda trado; quartâ autem revertantur ad Episcopum; & ne inter successores meos, & posteros vestros exinde aliqua controversia oriatur, testamentum confirmationis vobis facio, in quo tempus determinatum, & nomina altarium atque testium curiæ meæ ac vestræ qui interfuerint, assensumque præbuerint, annotabo. Comes ergo mercede effusus Regem socerum filii sui adiit, precem pro Episcopo fudit, veniam facilè impetravit, eumque Regi, & proprio solio citò reconciliatum reddidit; deinde altaria sibi delegata tenuit, quorum hæc sunt nomina: De Corturiaco, de Putten, de Turult, de Aldenardia, de Henniis, de Hulten, de Dunza, de Nivella, de Rodenbruc, de Alenbruc, de Mallenghin, de Sclipies. Quâ donatione ab Episcopo factâ, Optimates Flandrenses à Comite petierunt sibi ea concedi in beneficium, quæ accepta Optimates Militibus sibi servientibus rursùs in feodum distribuerunt, sicque paulatim de jure Pontificali penitùs in jus Militum transierunt. Hoc ergo pacto Tornacensis Ecclesia XII. altaria perdidit; quæ si Episcopus Tornacensis ad mensam suam sicut olim libera possideret, multos exinde pauperes secum reficere posset. Harduino successit Hugo, Hugoni Balduinus, Balduino Rabodus.

96. Hujus Rabodi tempore Comitatum Flandrensem tenebat Robertus filius Balduini Insulani, & Adelæ filiæ Regis, quibus data fuerant altaria; veniens ergo ad eum Rabodus Episcopus, oravit eum ut XII. altaria quæ Harduinus de mensâ Tornacensis Episcopi tulerat, & Balduino Barbato Comiti avo ejus concesserat, Tornacensi Ecclesiæ pro anima suâ redderet, quoniam jam tempus transierat quo reddita esse debuissent, tres enim Comites ea tenere debuerant qui jam decesserant, scilicet Balduinus Barbatus, avus hujus Roberti, Balduinus Insulanus pater ejus, Balduinus Hasnoniensis frater ejusdem Roberti; quem cum Episcopus rogaret altaria reddere, dilationem postulavit, donec à matre suâ veritatem hujus rei audiret. Cum ergo matrem suam præfatam Adelam [m] super hoc consuluisset, illa utpote religiosa & timens Deum respondit, verum est, inquit, fili, quia jam tempus transiit quo à patre tuo, & avo promissa fuerant reddi: quia ergo tibi Deus hereditatem tuam quam perdideras, id est Flandriam reddidit, magnumque exinde honorem tibi fecit, consulo tibi ut etiam super hoc honorem ei facias, & sanctæ MARIÆ Matris ejus, altaria sua reddas. His Comes compunctus, Episcopo se ea redditurum spopondit; sed antequàm de manibus Militum ea tenentium libera fierent morte præventus, non implevit quod proposuerat. Ipse quoque Episcopus non multo post longum tempus moriens, quod incœperat non terminavit: sed ad augmentum destructionis Episcopatûs, terras arabiles Episcopi circà Tornacum Theodorico Monetario, & aliis Primoribus hujus regionis vendidit. Nemus & sylvam de Helein, & de sancto Genesio distraxit, tradens singulos bonarios ad redditum quatuor denariorum singulis annis sibi solvendorum. Hic inter cætera quæ laudabiliter fecit, etiam Cœnobium nostrum, quod à Barbaris quondam destructum fuisse ferebatur, restaurare curavit anno Dominicæ. Incarnat. MXCII. Rabodo successit Baldricus. An. 1093.

97. Cum ergo jam per trecentos ferè annos Ecclesia Tornacensis pastore proprio viduata fuisset, tempore Domini Hugonis Cluniacensis Abbatis, cujus superiùs mentionem fecimus, accidit ut quidam Remensis Ecclesiæ Canonicus magnæ probitatis vir, nomine Odo, vitam sæcularem relinqueret, & in eâdem Cluniacensi Ecclesiâ Monachus fieret. Cumque ibi per aliquot annos religiosissimè vixisset, & Domnus Papa Gregorius VII. eidem Domno Hugoni Abbati mandasset, ut sibi aliquos de Monachis suis viros sapientes transmitteret, quos competenter Episcopos ordinare posset; Domnus Hugo ei inter cæteros præfatum Odonem transmisit, quem Papa in urbe Ostiensi Episcopum consecravit. Defuncto Papa Gregorio Victor succedit; post quem idem Odo ad Apostolicæ sedis Pontificatum eligitur, & Urbanus nominatur: qui quoniam in Ecclesiâ Remensi educatus fuerat, valde eam super alias diligebat, & ut antiquam ei dignitatem XII. Episcoporum reddere posset non parum desiderabat. Cum ergo superiùs memoratum Gualterum Cameracensem Episcopum pro simoniâ in Concilio Claromontensi excommunicasset, protinus Atrebatensibus mandavit ut sibi proprium eligerent Episcopum, privilegii sui auctoritate urbem Atrebatensem à Cameracensis Episcopi subjectione liberam deinceps & immunem esse concessit, & ut Episcopum proprium semper haberet confirmavit. Mandavit etiam Clericis Tornacensibus, ut ad eum irent recepturi libertatem proprii Episcopi. Protinùs Canonici duos honorabiles viros de Ecclesia suâ Romam miserunt, Elbertum scilicet & Geldulfum, sed Papam Urbanum jam defunctum invenerunt, & sine

m *Adelam*] Hæc fundavit Abbatiam Monial. Benedictinarum, nomine *Messinez* prope Ipras.

effectu redierunt. Urbano successit Reinerus Abbas sancti Pauli, & vocatus est Paschalis; cujus tempore cum Clerici Romanam Curiam sæpius frequentarent pro dissensione quæ inter nos & ipsos erat, Romani qui semper novorum negotiorum sunt cupidi, cœperunt nos incitare ad repetendum proprium Episcopum: accidit autem cum jam nobiscum concordati fuissent, ut Domnus Baldricus Episcopus noster pro quâdam causâ commotus, absque omni audientiâ & judicio Canonico, missis litteris in urbe Tornacensi Divinum officium interdiceret; unde præfatus Gonterus Præpositus Canonicorum conventum evocat, & ad repetendam antiquam libertatem incitat. Continuò duo ex ipsis, Galterus scilicet qui postea Abbas sancti Martini claruit, & Movinus Præcentor Ecclesiæ cum litteris Capituli Romam petunt, & litteras Domini Papæ Paschalis Tornacum deferunt, præcipientes Clericis & Abbatibus cæterisque personis Episcopatûs ut remotâ dilatione proprium sibi eligerent Episcopum, alias quoque Domno Radulfo Remensi Archiepiscopo detulerunt, præcipientes ei ut eidem electioni efficaciter insisteret, & electum consecraret: illis necdum reversis contigit Domnum Baldricum Episcopum mori.

98. Noviomenses autem scientes Clericos Tornacenses Romam abiisse, callidè agentes Lambertum Tornacensem Archidiaconum sibi in Episcocopum elegerunt, scientes eum pecuniâ abundare, & per eam confidentes propositum Tornacensium cassari posse. Electus ergo Noviomi Lambertus Flandriam rediit, & apud Corturiacum congregatis Abbatibus & personis Episcopatûs, ut electioni suæ faverent impetravit, solus Abbas noster Domnus Segardus ut assensum præberet postulatus, respondit, non Corturiaci, sed Tornaci in Capitulo sanctæ MARIÆ ubi sedes Episcopalis erat, hujus rei assensum debere fieri, nec se aliquid concessurum nisi præsentes videret Decanum Tornacensis Ecclesiæ & Præpositum. Sic ergo commotis adversùs eum aliis personis Tornacum rediit. Nec mora: legati cum litteris Papæ Româ redeunt, Abbati nostro de responso suo gratias agunt, ejusque consilio in Capitulo suo unanimiter omnibus congregatis elegerunt sibi in Episcopum quemdam Morinensis Ecclesiæ Archidiaconum nomine Herbertum, litterasque domini Papæ Joanni Morinensi Episcopo deferentes, eumdem electum suum sibi liberum tradi petierunt, & impetraverunt. Inde præfatum Archiepiscopum Remensem adeuntes, ut eum secundùm domini Papæ præceptum consecraret, exorarunt. Sed Lambertus eos præveniens, ut dicitur, jam animum Archiepiscopi pecunia corruperat, adeo ut ejus consilio etiam Rex Ludovicus muneratus, duos Episcopos Aurelianensem scilicet & Parisiensem pro cassanda Tornacensium electione Romam transmitteret. Clericis itaque Tornacensibus Electi sui consecrationem petentibus, respondit Archiepiscopus se nec Lambertum, nec Herbertum consecraturum, donec Legati Regis duo Episcopi, quos pro eodem negotio ad Papam transmiserat, Româ redirent. Ita utrimque electi consecratio suspensa & incerta fluctuabat: cum ecce Episcopi Româ redeunt, litteras domini Papæ Archiepiscopo deferunt, in quibus Papa idem negotium in manu & provisione Archiepiscopi ponebat, dicens sibi Archiepiscopum mandasse, quòd si Tornacenses proprium Episcopum haberent, & Episcopalis dignitas plurimùm vilesceret, & Noviomensis Ecclesiæ redditus nequaquam Episcopo ad necessaria sola sufficerent. His litteris susceptis, sibi subditos Episcopos Archiepiscopus convocat, diemque statuit quâ Lambertum consecrare debebat: ipso verò die Rex Ludovicus Remis adveniens omnes Episcopos advocat, & ut diligenter de eodem negotio inter se tractarent, admonet. Si enim, inquit, videritis magis ad Dei honorem & animarum salutem competere, ut Tornacensis Ecclesia proprium Episcopum habeat, ego libenter concedo, quia nihil me in hoc perdere video, nec voluntati Dei, vel animarum saluti in aliquo resistere volo: neque volo ut aliquis per me dicat hoc bonum remansisse, vel se sub meâ palliatione coram Deo paret excusare. Cui Domnus Joannes Morinensis Episcopus vir religiosus respondens; Verè, inquit, domine Rex hoc dicto animam vestram liberastis: nunc videant domini nostri Episcopi quid agere debeant. Archiepiscopus tamen in eo quod cœperat perseverans, prædictum Lambertum super utramque Ecclesiam consecravit Episcopum; multis mirantibus quòd magis diligeret pecuniam reponere, quàm Remensi Ecclesiæ atiquam dignitatem reddere, quod utique facere potuisset facilè, & Regis permissu, & auctoritate domini Papæ. *Nec tamen audaci Turno fiducia cessit.* quia Gontero Præposito cor non defuit; quin potiùs assumpto secum Domno Segardo Abbate nostro electum suum Herbertum Romam duxit, non per Franciam, quia timebat Regem & Archiepiscopum, sed per Lotharingiam ad probandam domini Papæ constantiam. Lambertus quoque Episcopus jam consecratus, confidens in multitudine divitiarum suarum Roman tendit, certus quòd non multum sibi consecratio jam facta prodesset, si Papa Tornac. Eccl. electum consecraret: utrique ergo coram Papa conveniunt, & nunc his, nunc illis curia favet, ad ultimum tamen etiam Roma immensitate pecuniæ superatur, nolens illam Salustii sententiam falsam esse quâ dicitur: *Omnia venalia Romæ.* Sed ne ex toto Papa Tornacensibus defuisse videretur, mandavit eis per litteras, ut Archidiaconum sibi eligerent, quoniam Lambertum Archidiaconum eorum audierat Noviomensis Ecclesiæ esse Episcopum consecratum. Archiepiscopo etiam mandavit, ut ei Ecclesias Tornacensis Episcopatûs ex toto interdiceret. Archiepiscopus autem videns instabilitatem & mutabilitatem Romanam, in urbe Tornacensi tam Clericis quàm Monachis interdixit Divinum officium, nisi reciperent Lambertum Episcopum. Lambertus quoque experiri volens utrum eum susciperent, Tornacum venit; quidam verò illusores eo veniente omnes batillos campanarum furati sunt, ut eis non sonantibus vilior fieret processio. Quod cernens Episcopus, se scilicet sine honore susceptum fuisse à Canonicis, civibus inde conquestus, protinùs urbe exiit, & omnes Ecclesias tam Monachorum quàm Clericorum quas in Flandriâ habebant, invasit. Gonterus iterum Romam rediens, omnia hæc Papæ retulit, & ab eo litteras Archiepiscopo retulit, in quibus de interdicto quod Ecclesiæ Tornacensi fecerat valde eum increpabat, ipsumque interdictum irritum esse præcipiebat; & ne Lambertus Ecclesiam Tornacensem gravaret, in manu & tuitione suâ eam suscipiebat. His litteris susceptis, Archiepiscopus Comprovinciales Episcopos convocavit, litterasque dulcissimas & humillimas Tornacensibus mittens, eos ad concordiam cum Episcopo suo vehementer exortavit, tandemque eos quia auxilia eis deerant, inflexit. Papa quoque eis per litteras mandavit, ne molestè ferrent quia propter scandalum regni pro tempore adhuc pati volebat ut Noviomensis Episcopus etiam Tornacensem regeret Episcopatum. Sic Tornacenses Clerici Romanam tergiversationem experti quieverunt, seque post decessum Lamberti suam libertatem assequi posse speraverunt.

99. Lamberto decedente Noviomenses Canonici quemdam Simonem adolescentem sibi in Episcopum elegerunt, filium Hugonis Comitis cognomento Magni, qui cum cæteris Principibus ad accipiendam Jerusalem profectus in itinere mortuus fuerat: quia ergo idem Simon germanus erat Radulfi Comitis Peronensis, & inclytus Carolus Comes Flandrensis sororem ejus conjugem habebat, pater etiam prædictus Hugo germanus fuerat Philippi Regis Francorum, cujus filius Ludovicus tunc Regnnm habebat; ideò Clerici Noviomenses propter frustrandam spem Tornacensium eum ad Episcopatum elegerunt, & Tornacenses protinùs interveniente glorioso Comite Carolo absque ullâ contradictione consenserunt, certi quòd si vellet optimè Tornacensem Ecclesiam regere posset: quia tamen adhuc infrà ætatem, & infrà ordines Ecclesiasticos erat, Archiepiscopus Remensis Radulfus sibi præsentatum consecrare distulit, donec ille Romam petens gratiam Papæ obtinuit, & utrique Ecclesiæ præfuit.

100. Interea Gonterus Præpositus dum rursus Romam repetit, in villâ quæ dicitur Sarracenas in Diœcesi Lunensi moritur, & in Ecclesiâ sanctæ Mariæ sepelitur: succeditque ei Theodericus adolescens filius Theoderici patris sui: Domnus quoque Odo Cameracensis Episcopus, cum germano suo Domno Benedicto Monacho nostro & eleemosynario petenti altare de Malda ad expensas pauperum dedisset, & quosdam libellos scilicet de Canone Missæ, de disputatione contrà Judæum, de origine animæ composuisset, infirmitate corporis gravatus Episcopatum reliquit, seque Aquicinctum in lecticâ deportari fecit. Quod Domnus Segardus Abbas noster audiens, protinùs cum Monachis suis illuc tendit, utque se ad Ecclesiam sancti Martini quam à fundamentis construxerat, ubi primò Monachus, primusque Abbas exstiterat, deferri permittat, expetit. Sed Abbas Aquicinensis Aluisus dicit se nullo modo passurum, ut quem sib Deus dederat, alibi deferretur. Sicque infrà octo dies idem Episcopus defunctus, in Ecclesiâ Aquicinensi coram Crucifixo cum magno honore sepelitur: & de candido marmore imago ejus super sepulcrum ejus sculpitur; succeditque in Episcopatu quidam Burchardus.

101. Interea quidam Tornacensis civis nomine Movinus videns se prolem non habere, Ecclesiam quamdam in honore sancti Medardi prope Tornacum sitam, de opibus suis amplificat: utque in eâ religiosos Clericos ponat à Domno Simone Episcopo postulat; cujus ille petitioni favens, quemdam religiosum Canonicum nomine Ogerum de Monte sancti Eligii, ibi Abbatem fecit, ipsamque Ecclesiam ei liberam tradit: ille verò protinùs auxilio Dei & civium ibi se posse proficere videns, locum tamen illum angustum esse sciens pro construendis officinis Conventui Fratrum necessariis, terram quamdam super planitiem Scaldi fluminis inferiùs emit, ibique Ecclesiam lapideam in honorem sancti Nicolai cum officinis congruentibus construxit, pluresque tam Clericos quàm laïcos, necnon & mulieres ibidem congregavit, ipsamque Abbatiam appellari fecit sancti Nicolai de Prato.

102. Eo tempore fames vehementissima totam provinciam oppressit, ita ut plures fame intumescerent: Comes etiam Carolus per totam Flandriam pro avenæ penuriâ cervisiam componi prohiberet, dicens melius esse ut divites aquam biberent, quàm pauperes fame perirent. Domnus etiam Abbas noster Segardus misericordiâ motus, calices argenteos, & alia quædam ornamenta vendidit, & ex eis panem in alimoniam pauperum emit. Non multo post defunctus est Domnus Radulfus ille Normannicus, Prior S. Amandi Ecclesiæ nostræ, quæ sita est in pago Noviomensi, sepultusque est in Claustro prope ostium Ecclesiæ à Domno Theoderico Abbate sancti Eligii Noviomensis, qui eum pro religione suâ valde diligebat: de cujus obitu cum Domnus Radulfus Præpositus noster nimiùm contristaretur, ipse quoque non multo post gravissimâ corporis infirmitate cœpit fatigari; cujus quanta dilectio esset circà Ecclesiam, & quàm integrum & sanum sensum etiam in febris valetudine haberet, facilè omnibus potuit innotescere. Cum enim oleo sancto à Domno Abbate, totoque conventu lacrymante perunctus fuisset, eumque quatuor filii sui ad terram super cilicium deposuissent, rogantes ut juxtà exemplum sancti Martini in cinere & cilicio tribus aut quatuor diebus super terram jacere libenter pateretur: Theodericus germanus ejus vir dives & sæcularis audiens eum sic infirmari, protinùs visitandi gratia supervenit, eumque cum in cilicio jacentem videns vehementer fleret ille eum de sæculi contemptu exhortari cœpit, dicens omninò parvipendendas mundi divitias, quoniam si Adam, inquit, ab initio mundi usque in hodiernum diem in divitiis vixisset, & hodie eum mori contingeret, nihil ei prodesset quòd tamdiù eas habuisset. Inter cætera etiam sic terræ jacens interrogavit ubi Comes Carolus esset, vel quid faceret; cui cum filii sui dicerent, ne de talibus inquireret, sed solummodò animæ suæ sollicitudinem haberet, ille respondens; Verè, inquit, de pace, & statu tam boni Principis omniò solliciti esse debemus, quoniam in pace illius erit pax Ecclesiarum, in turbatione autem ejus etiam Ecclesiæ perturbabuntur, unde & vivens de eo sollicitus sum, & etiam post mortem meam si, Deo donante, requiem haberem, libenter po eo orarem. Cum verò post hæc mortem jamjamque imminere sentiret, de quâdam terrâ, quam in Episcopatu Laudunensi à Clarenbaldo de Roseto nuper emerat, quæ dicitur Sparciacus, rogavit Fratres circumstantes ne eam relinquerent, sed diligenter excolere studerent, quoniam multum proficere ibi possent.

Post hunc ergo sermonem Dominicâ ante Natale Domini in Ecclesiâ Conventu Nocturnos decantante, circà mediam noctem, eâ penè horâ quâ sanctus Martinus transierat, fidelis servus ejus Radulfus Deo & ipsi animam suam commendans, ex hoc mundo migravit. Quem cum Domnus Segardus Abbas vellet in Capitulo ante sedem suam sepelire, ideo maximè quoniam Ecclesiam partim ex substantiâ suâ, partim labore & industriâ suâ ex majore parte videbatur construxisse, quatuor filii ejus prohibuerunt, & ut potiùs cum Fratribus suis in cœmeterio sepeliretur petierunt, dicentes superbiæ vel elationi adscribi posse si in Capitulo sepeliretur; ipsum verò humilitati potiùs quàm elationi semper deservisse: nam cum xxx. ferè annis Præpositus Ecclesiæ fuisset, nullus omninò, non dicam de Monachis, vel Fratribus, sed nec de famulis quidem inventus est, quem stultum vel fatuum vocarit, vel super quem iratus manum miserit. Sic itaque Domnus Abbas precibus eorum satisfaciens, eum in cœmeterio secùs & prope Capellam sanctæ Mariæ, quàm ipse eodem anno construxerat, retrò scilicet altare cum multis lacrymis eâdem Dominicâ ante Natale Domini sepelivit: filioque ejus Herimanno consilio omnium Fratrum Præposituram commisit. Mainsendis verò quondam uxor ejus post mortem Radulfi ferè xii. annis vixit, completisque in sanctimoniali habitu plusquàm xl. annis præsentem vitam terminavit, & in eodem Cœmeterio sepulta est; ideo verò filii eorum patrem & matrem suam magis in cœme-

terio, quàm in Capitulo, vel in Ecclesiâ sepeliri voluerunt, quoniam reverâ credebant ibidem bonorum hominum corpora esse sepulta, & ex consortio eorum melius illis esse, quàm si seorsim essent sepulti.

Sequentia non videntur conscripta ab Herimanno, sed ab alio.

103. Hermannus ergo Præpositus factus, cœpit pro posse paternos mores imitari, & maximè ut in habitu, factisque suis humilitas potiùs quàm superbia posset notari. Cumque à Natali Domini usque ad Pascha Præposituram tenuisset, visum est ei in somnis quòd loqueretur cum patre suo, & an ex integro requiem invenisset requirebat. Cui pater respondebat: Vere, fili, si in Claustrali vitâ manere mihi licuisset, & Præpositura mihi injuncta non fuisset: absque omni debito perfectam requiem invenissem. Protinus Hermannus evigilans, & hujusmodi somnium pro correctione suâ se vidisse reputans, illud
1. *Cor.* 6. 4. Apostolicum apud se retractans: *secularia judicia si habueritis inter vos, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Necnon & illud B. Gregorii, quòd qui lectioni & orationi invigilant, ipsi sunt vasa aurea & argentea, quæ per Moïsen in tabernaculo testimonii ad servitium & officium altaris fieri jussa sunt. Porrò saga cilicina quibus tabernaculum operitur, significant eos qui exterioribus intenti, pluviis & imbribus ventorumque patent impulsibus. Hæc & his similia multa Divinæ paginæ secum revolvens, omissâ omni dilatione, universum Ecclesiæ debitum ex integro solvit: sicque in Capitulum veniens, & Domni Segardi Abbatis pedibus prostratus, somnium prædictum retulit, & ut de Præpositurâ absolveretur petiit, & nimis insistens impetravit: postque more suo libris scribendis & Ecclesiasticæ psalmodiæ insistere cœpit, quoniam Deo donante erat corpore sanus, & ad tolerandum silentium Claustri, laboremque tam nocturnæ quàm diurnæ psalmodiæ nullo penitùs Fratrum inferior, vel tardior esse volebat, sed nec ab aliquo scriptorum in assiduitate, vel velocitate scribendi se vinci permittebat. Scripsit enim quatuor Breviarios, pluresque B. Augustini libros. Pro talibus studiis multum à D. Segardo Abbate, Domnoque Gerberto Priore diligebatur: ita ut etiam ei coram se injungerent Dominicis & festis diebus sermones in Capitulo Fratribus proferre, quoniam cum cæteris aliis donis, etiam intelligentiam scripturarum, & disertitudinem ea quæ [sentiebat] proferendi ei Dominus contulerat.

104. Defuncto ergo Radulfo Præposito, etiam Domnus Segardus Abbas paulatim cœpit debilitari, & viribus deficere corporis. Eodem ergo anno longâ infirmitate gravatus, evoluto unius anni spatio, in sequentis Natalis Domini die cum Missam de luce idem *lux fulgebit* cantassemus, ipse præ nimiâ lassitudine videns se deficere, ante gradum Presbyterii se in majori Ecclesiâ fecit deferri, ibique oleo sancto perunctus, & Dominici Corporis perceptione munitus post Primam in Capitulum venit, totumque conventum absolvit, seque ab eo absolvi petiit, inde ad lectulum rediit, atque post paucos dies idem III. Kalendas Februarii spiritum reddidit die Dominicâ anno Dominicæ Incarnatio-
1127. nis M. C. XXVII. indictione V. epactâ VI. concurrente V. præfuit autem huic Ecclesiæ annis XXI.

105. Eodem anno gloriosus Comes Carolus Flandrensium, in Ecclesia sancti Donatiani apud Brugias ab inimicis suis clanculo interfectus fuit. Post mortem ejus, legitimis heredibus decedentibus, datus est Comitatus Flandrensis à Rege Ludovico cuidam Willelmo juveni, filio Roberti Normannorum Comitis: ad quem Simon Episcopus Tornacensium veniens interveniente eodem Rege cognato suo, ei notificavit quomodo Harduinus Episcopus Balduino Barbato Comiti XII. altaria, sicut superiùs relatum est, de mensâ Tornacensis Episcopii ad tempus concesserit, & quia jam tempus transierat, quo reddita esse debuissent, rogavit ut jam nunc tandem ea Ecclesiæ Tornacensi & sibi redderet. Comes verba Episcopi multorum testimonio vera esse cognoscens, commonente Rege protinùs ea præfato Episcopo libera reddidit, seque ei exinde nullam illaturum molestiam spopondit. Sed Comes non diu est passus Flandrenses in sua consistere libertate: sed paulatim cœpit eos opprimere, & servitutis legibus subjicere, unde illi perterriti quasi jam in foribus mortem adesse videntes, primò mussitando, deinde apertiùs colloquendo incipiunt consulere quomodo de hujus novi Pharaonis tam intolerabili jugo colla sua possint excutere. Quid multa? audiunt quemdam adolescentem ex Theoderico Duce, & materterâ [n] Caroli Comitis genitum in Auxatiâ consistere, Theodericum nomine, quem secretè accersentes post varios pugnarum eventus apud castellum quod dicitur Alos, à quodam pedite in manu sub pollice vulneratus mortuus est. Quo apud sanctum Bertinum sepulto, dominatum totius Flandriæ Rege concedente Theodericus obtinuit, quem Simon Episcopus rogavit, ut sicut Willelmus prædecessor ejus Tornacensi Ecclesiæ jus suum recognoverat de XII. altaribus, quæ jam antecessores ejus injustè multis annis tenuerant, ita ipse quoque recognosceret, & redderet ea sibi, sicut Willelmus coram Rege reddiderat. Tunc Comes Episcopo ea reddidit, & libera dimisit, seque nunquam ei super eis molestiam illaturum spopondit; sed pro istis recognitionibus Comitum nondum Optimates Flandriæ qui ea in beneficium acceperant reddere voluerunt, sicque Ecclesiam exheredatam esse dolemus. Hic ergo Episcopus longo tempore præfuit; altaria recuperare nequivit, sed ea altaria quæ decedentibus personis sibi remanserunt, Ecclesiis tradidit, cujus relatione multorumque testimonio cognovi, quòd redditus Episcopatûs præbendarumque Canonicorum Ecclesiæ Tornacensis singulis annis ferè centum marchis argenti adauxerit.

106. De antiquâ verò possessione à Rege Chilperico traditâ usque in præsens tempus retinent teloneum, & pontinagium, & foragiorum suam partem: quibus ea quæ à fidelibus eis quotidie dantur conjungentes, præbendas instituerunt multum opimas, de quibus magnificè sustentantur. Totum etiam studium suum ad emendas terras, & ad acquirenda altaria converterunt; unde factum est ut Ecclesiam B. Quintini de Foro, in quâ congregatio Canonicorum olim mansit, beatique Petri de mediâ urbe à sanctimonialibus dudum inhabitatam, quæ, ut præmisimus, à Fulchero Episcopo subversæ sunt, cum cæteris Ecclesiis Parochianis repeterent à Militibus Noviomensibus, quibus idem Episcopus eas in feodum tradidit, & sui juris subderent, cum quibus etiam nonnullas possessiones earum antiquas receperunt, sicque fines suos plurimùm dilataverunt.

107. Interea piæ memoriæ religioso Segardo defuncto, atque in Capellâ Beatæ MARIÆ ante altare sepulto, successit ei in regimine Monasterii HERIMANNUS tertius, filius Radulfi Præpositi. Hic cum reliquis fratribus suis Theoderico, Waltero, Radulfo ad pedes magistri Odardi litterali scientiâ apprimè eruditus, Divini verbi claruit prædicator maximus, egregiè Evangelisans & affirmans testimoniis scripturarum Christum Dei virtutem, mundi Re-

n *materterâ*] Gertrud. filiâ Roberti Senioris Fland. Comitis.

demptorem, & Salvatorem: & lingua ejus principaliter inter Principes loquebatur sapientiam; cujus temporibus Ecclesia nostra dedicata est à Domno Si-
1132. mone Episcopo anno Dominicæ Incarnat. MCXXXII. ab instauratione verò ejusdem Cœnobii quadragesimo. In administratione autem Monasterii decem annis nondum expletis, gravem quæ paralysis vocatur, incurrit ægritudinem: qui mansuetudine nimiâ, & humilitate cordis pollens juxtà exemplum summi
Matt. 11. 29. Magistri, qui ait: *discite a me quia mitis sum & humilis corde*, nemine prorsùs cogente, sed propriâ voluntate, & humilitate curam sibi commissam, baculumque suscepti regiminis in manu reddidit nobili honorificoque Simoni Dei gratiâ Tornacensium Pontifici.

108. Post quem Ecclesiæ nostræ gubernacula quartus suscepit WALTERUS & hic Tornaci natus, nutritus Episcopii Canonicus exstitit, vir quidem secundùm sibi à Deo datam sapientiam zelum Dei habens, qui restaurationem Ecclesiæ nostræ commemoratam superiùs per omnia noscens, utpote qui septennis erat eodem tempore quo cœpta est, ab ipso Odone primo Abbate hujus loci sæpe admonitus est, ut lenocinia mundi relinqueret, & cum coævis suis filiis Radulfi Præpositi habitum sacræ Religionis acciperet, sed cum per dies singulos hujuscemodi sermonibus animum ejus accendere cuperet, & ille nequaquam assensum præberet, tandem diuturnâ admonitione fatigatus Abbas quasi ludendo prædixit ei, quòd priusquàm vitæ cursum terminaret, Mo-
1. Cor. 3. 7. nachus S. Martini exsisteret. Sed quia *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, nisi incrementum dederit Deus*: eo tempore verbum prædicationis in eo non convaluit, sed per quadraginta ferè postea annos in sæculari vitâ remansit. Tunc namque cernens Dominus oportunum tempus accidisse, quo Prophetia Domni Odonis impleri debuisset, percussit eum gravi invaletudine corporis, & toto stomacho deficiente, hamo suo extraxit eum ab amore sæcularis vitæ, & in Cœnobio S. Amandi Helnonensis Monachus factus est. Cumque illic per biennium laudabiliter vixisset, & pro suâ probitate Prior ibidem factus fuisset, petivimus eum nobis dari in Abbatem, & accepimus, sicque prophetiam Domni Abbatis Odonis constat, quia ex eo tempore non solùm Monachus S. Martini, sed etiam provisor, & famulus totius domus ejus ac dispensator omnium in eâ Christo famulantium fuit: qui ordinatus est à
1136. Domno Simone anno Dominicæ Incarnat. MCXXXVI. Indictione XIV. Concur. III. Epact. XV. Hic etiam apud sæculares tantæ reverentiæ effulsit, ut quâdam vice in curiâ Flandrensi cùm requireretur à Comitissa utrum de negotio quod ventilabatur auderet jurare, responderit Præpositus Brugensis Rogerius vir religiosus & opinionis bonæ, non ita oportere, imò quod Abbas Tornacensis solo verbo, hoc ipse cum omnibus Flandriæ religiosis personis jurejurando auderet confirmare. In hujus ergo Domni Walteri diebus Tornacensem Ecclesiam respexit Deus, reddens ei proprium Episcopum ac propriam dignitatem tot annis perditam.

109. Cum Domnus Simon jam ferè XXIV. annis Pontificatum tenuisset, nullamque omninò diminutionis suspicionem haberet, contigit ut quidam adolescens Canonicus Beatæ MARIÆ nomine Henricus Paschali tempore feriâ secundâ XI. Kalend. Maii vespertinâ horâ, jam incumbente nocte, solus fortè per novam fabricam Ecclesiæ sanctæ MARIÆ sine aliquo timore transiret, & ecce subitò voces quasdam velut cum impetu terribili advenientis magnæ multitudinis audivit: torrem etiam flammeum super se venientem vidit, ita ut particulam tunicæ suæ ac carnis sub eâ de brachio juxtà pugnum combusserit: statimque perterritus in terram cecidit, & continuò quasi in exstasi raptus vidit quamplures ad se venientes, sibique colloquentes, quos jam defunctos esse sciebat, quosque viventes cognoverat: postea ei visum est, quòd esset in campo rosarum & liliorum floribus, totiusque dulcedinis amœnitate repleto; in quo consistens, & præ nimiâ suavitate prioris terroris horrore effugato exhilaratus, & velut totus recreatus & renovatus, vidit quatuor albis vestibus indutos cum candelabris, ac thuribulis ad se venientes: hos sequebantur tres honorabiles viri Episcopalibus indumentis decorati, baculos Pontificales in manibus tenentes, mitras aureas etiam in capitibus portantes, in quibus cujusque nomen scriptum continebatur: nam in ejus mitrâ qui medius incedebat scriptum erat, S. ELEUTHERIUS EPISCOPUS: in ejus qui ad dexteram gradiebatur S. ELIGIUS EPISCOPUS: in ejus qui ad sinistram stabat S. ACHARIUS EPISCOPUS: post eos verò sequebatur Domnus GERARDUS Presbyter vir religiosus veste Sacerdotali indutus qui fidelis procurator eleemosynariæ sanctæ MARIÆ exstiterat. Beatus itaque Eleutherius juveni propinquans, quasi blandiendo manipulum suum super eum projecit, deinde librum vitæ suæ quem in manu suâ gestabat ei ostendit, & coram se legere præcepit; perlectumque ab eo recipiens in sinu suo reposuit, & ad locum in quo priùs steterat, rediit. Postea Beatus Eligius juveni appropinquans librum vitæ suæ ei obtulit, & juvenis cùm sibi satis notum esse dicens legere noluit. Sanctus quoque Acharius ei in dexterâ suâ scriptum ostendit: *In nomine Domini JESU per me mortuus resuscitatus est*. Et post hæc illi eo ordine quo venerant discesserunt. His ergo visis adolescens de ecstasi ad se ipsum reversus de terrâ surrexit, & ad patris sui domum rediens totâ nocte lectulo infirmus decubuit: mane facto aquâ benedictâ se aspergi rogavit, sicque recreatus particulam vestis suæ combustam, & carnem sub eâ liquefactam ostendit, & ex his quæ viderat nonnulla retulit. Sequenti feriâ VI. accersito secretè Guillelmo Canonicorum Decano, qui postea Abbas in ordine Clarevallensi claruit, peccata sua confessus est, acceptâque ab eo absolutione & pœnitentiâ injunctâ, proximâ Dominicâ Corpus Domini suscepit, quo percepto mirum dictu vitam B. Eleutherii, quam ante sex dies in exstasi legerat, memoriæ revocatam cunctis audientibus ac si orationem Dominicam, cursim legere cœpit: obstupefacti, rei novitate perculsi convenimus, [o] & multa ad invicem super tam mirabili visione conferre, & conjicere cœpimus. Licet enim quidam adolescentem dictandi & versificandi peritum dicerent, hanc vitam potuisse componere, nos tamen scientiæ ejus non ignari, certi eramus hujusmodi dictaminis nunquam eum assuetum fuisse; quamquam etsi eam composuisset, nullo modo tamen eam sine libro tam cursim memoriter, & corde tenùs totam legere valuisset. Consilio itaque cum religiosis viris habito, domino nostro Samsoni Remorum Archiepiscopo, Domnoque Bernardo Clarevallensi Abbati, nec non & aliis Episcopis atque Abbatibus pro audiendis, & discutiendis libris Magistri Petri Abailardi in octavis Pentecostes cum Rege Francorum in Senonensi [p] urbe congregatis, visionem istam scriptam transmisimus, & quid eis exinde agendum videatur, consu-

o *convenimus*] Videtur continuator hujus historiæ fuisse Canonicus, post Monachus S. Martini Tornac.

p *in Senonensi*] Concil. Senon. celebratum fuit an. 1142. non verò 1140. ut quidam volunt. Vide adnot. ad num. 108.

luimus. Illi nobis mandaverunt, ut Divinæ voluntatis effectum deinceps exspectaremus.

110. Et ecce post paucos dies præfatus juvenis quibusdam signis prænoscens Beatum Eleutherium rursùm sibi manifestandum, summo mane peccata sua confessus, Missam audivit, Corpus Domini suscepit: deinde Secretarium, in quo sancti viri feretrum positum erat, oraturus cum paucis ingreditur, cùm subitò ad terram cecidisse foris positis nuntiatur. Ingrediuntur quàm plures cum quibus & nos ingredimur: ingressi autem eum suprà terram clausis oculis ac si exanimem jacentem conspicimus, & admirantes finem rei exspectamus, & ecce post paululum eum sancti Eleutherii elevationem legere audimus, & ad multa quæ interrogabamus eum respondere admiramur. De exstasi verò reversus, ea quæ legerat scripsit: post hanc itaque visionem quam videramus, certiores facti de primâ, cui nullus interfuerat, in commune Deum rogabamus, ut si ex ipso foret hæc visio, manifestaretur etiam tertiò.

111. Necdum quadraginta dies transierant, & prædictus juvenis sentiens tertiam visionem citiùs affuturam, feriâ sextâ ante festum sancti Laurentii rursùm mane peccata sua confessus; & auditâ Missâ Dominici Corporis perceptione confirmatus, præfatum Secretarium cum paucis oraturus ingreditur: nec mora: nos extrà positi audientes eum cecidisse accurrimus, videmusque eum more solito clausis oculis in terrâ velut exanimem jacentem. Vix quarta pars horæ transierat, & ecce audivimus eum legere quædam miracula sancti Eleutherii, nobisque interrogantibus stupemus, eum respondere ad plurima, inter quæ palam prædixit, quòd Ecclesia Tornacensis infrà non multum tempus proprium esset Episcopum habitura, & pristinam dignitatem receptura; quæ visio & prophetia futuræ libertatis nobis indicia contulerunt.

112. Quo tempore contigit ut tam Ecclesiâ sanctæ Mariæ Tornacensis, quàm ex ipsâ Diœcesi multi Clerici famosi conversionis gratiâ Dominum Bernardum Abbatem Clarevallensem sequerentur; quorum relatione idem Abbas de antiquâ dignitate Tornacensis Ecclesiæ instructus, & quanta necessitas esset ut propter infinitam multitudinem populi proprium haberet Episcopum edoctus, ex visione adolescentis sumptâ occasione, aggreditur secretè Simonem Episc. proponensque ei periculum tot animarum sub curâ suâ degentium, ut Tornaci proprium Episcopum ordinari benignè permitteret, dulciter hortatur. Protinus dulci exhortatione Abbatis compunctus Episcopus, consentit precibus ejus, eo tamen pacto ut de redditu Tornacensis Ecclesiæ partem pecuniæ in vitâ suâ liceret ei retinere. Sed Noviomenses Clerici hoc audito Radulfum Vermandensem adeunt, & germanum suum Simonem vendidisse suum Episcopatum derogantes, propositum Abbatis per eum evacuant, & evertunt.

113. Per idem tempus inter Papam Innocentium & Regem Ludovicum filium superioris Ludovici, cognatosque ejus suprà memoratos, Simonem scilicet Episcopum & Radulfum Comitem lis exorta est; pro quâ Rex cum Comite Christianitate privatus est, & in annum tenti sunt; Episcopus verò ab officio Episcopali per aliquod tempus suspensus. Papa enim Clericum quemdam, cognatum Cancellarii sui, in Bituricensem Archiepiscopum consecravit, quod quia Rex concedere noluit, Christianitate privatus est; Comes verò volens in matrimonium sibi copulari germanam Alienoræ Reginæ Francorum, uxorem suam legitimam de consanguinitatis lineâ calumniari cœpit: sed quia absque judicio canonico ab eâ separari non valuit, præfatum Simonem germanum suum junctis aliis duobus Episcopis, Laudunensi scilicet, atque Silvanectensi fecit per sacramentum testari, sic se propinquitatis lineâ cum uxore suâ conjungi, ut fœdera matrimonialia ab invicem deberent dissolvi: quo juramento completo, ab eâ se disjunxit, & germanam Reginæ duxit, quæ ambæ fuerunt filiæ Comitis Pictavorum & Ducis Aquitanorum, quæ etiam propinquiores ei erant. Fama hujus perjurii per totam disseminata regionem, etiam ad Apostolicam audientiam delata est per Comitem Theobaldum Burgundiorum Principem: hujus enim erat neptis ea quam Radulfus Comes dimiserat, & dedecus repulsæ eum spectabat: quam querimoniam cùm per nuntios suos auribus Papæ deposuisset, Comitem vinculo anathematis ligavit, & Episcopos ab officiis Episcopalibus per aliquod tempus suspendit. Hac ergo dissensione inter Papam & Regem atque Episcopum Noviomensem compertâ, Theodericus Præpositus, qui Gunthero successit, ardens desiderio cum Clericis Tornacensibus ut Ecclesia sua pristinam dignitatem reciperet, Domnum Herimannũ qui quondam Abbas noster exstitit, secretè alloquens ut Romam eat, & animum Papæ super hac causâ cautè exploret, hortatur. Domnus Herimannus favens eorum precibus Romam pergit, Innocentio Papæ litteras quas olim Paschalis Papa Tornacensibus transmiserat ostendit, totumque rei suprà scriptæ ordinem pandit: tandemque ipse etiam litteras ab eo accipit, in quibus Tornacenses commonuit, & auctoritate Apostolicâ præcepit, ut communicato religiosorum & discretorum virorum consilio, remotis dilationibus Episcopum proprium religerent, electum autem Remensi Metropolitano consecrandum præsentarent, quod si ipse nollet perficere, ad suam præsentiam ducerent. Has litteras Domnus Herimannus præsentat Tornacensibus, diem electioni ponimus, & personas diœcesis convocamus.

114. Initoque consilio cum religiosis viris Absalonem Abbatem sancti Amandi virum religiosum unanimiter nobis in Episcopum eligimus: protinus electio Remensi Archiepiscopo notificatur; sed ipse dicit quòd non auderet eum consecrare pro Regis & Radulfi Comitis timore: unde necessitate cogente compellimur Romam remittere, & ipse quidem electus ut vir sapiens renuit ire, veritus quòd postea accidit, ne Romana curia per pecuniam à sententiâ flecteretur, sicque sibi in dedecus verteretur si repulsam pateretur: Clerici autem Tornacenses juncto sibi Domno Herimanno Romam proficiscuntur, litteras suas pro electione factâ Papæ ostendunt, & ab eo gratissimè suscepti de die in diem exspectant ejus terminale responsum: cum subitò Simon Episcopus eos subsequutus adesse nuntiatur, ingressusque palatium cum Clericis suis Papæ conqueritur super Clericis Tornacensibus, qui prætergressi fidelitatem & obedientiam quam sibi promiserant, electionem alterius Episcopi contrà se fecerant. Respondet Papa à fidelitate & obedientiâ quam ei promiserant se eos absolvisse, & ut proprium Episcopum eligerent eis præcepisse, ideoque super his nihil eos deliquisse. Subjunxit quoque Domnus Herimannus annuente sibi Papa ut diceret, Clericos Tornacenses nullam contrà Episcopum Simonem accusationem coram Papa detulisse, sed ei utpote nobili viro & laudabili bonum testimonium ferre, nec pro aliquâ malivolentiâ alium Episcopum elegisse, sed si non inferioris meriti bono Martino ipse esset, eos tamen desiderare ut mater sua Tornacensis Ecclesia pristinam dignitatem proprii Episcopi reciperet, tantam autem necessitatem hujus rei esse, ut cum in Episcopatu Tornacensi plusquam DCCCC. millia populi diversi sexûs, & ætatis conti-

neretur, tamen propter absentiam Episcopi, teste ipso Episcopo, mortui essent infrà decem annos plusquàm centum millia qui non fuerant consecrati oleo de manu Episcopi, plusquàm etiam. . . . tam homicidio quàm aliis criminibus implicatos ibi esse, qui non suscepissent pœnitentiam criminum suorum ab Episcopo. Cumque hæc & alia multa in præsentiâ Episcopi Domnus Herimannus retulisset, quorum Episcopus nihil negavit, Papa stupefactus electionem Tornacensium coram omnibus confirmavit, seque eam perfecturum promisit; ac Cardinales qui circumsedebant exhortatus, ut se exinde adjuvarent, de sede suâ surrexit, & in secretarium cum eis intravit, legatis nostris sperantibus causam suam citiùs terminandam: postea eos plusquàm xv. diebus Papa detinuit, donec Domnus Simon quingentis marchis argenti per curiales distributis gratiam Domini Papæ recepit: qui tamen eum in secretarium nobis præsentibus evocans, coram Cardinalibus præcepit ei sub periculo ordinis sui, ut nullam omninò malevolentiam in facto vel verbo Tornacensibus ostenderet, qui præcepto suo electionem Episcopi fecerant. Sicque legatis nostris cum osculo reconcilians, litteras ei dedit, in quibus nobis mandavit, quòd de electione nostrâ voluntatem non mutasset, sed ad præsens per consilium differret; donec convocato Episcoporum & Metropolitanorum conventu quod cœperat confirmaret. Interim autem præcipiebat ut ei solitam obedientiam exhiberemus. Sic itaque legatos nostros tristes dimittens, & multis malè loquendi occasionem dans, sequenti anno moriens, Cælestinum habuit successorem: qui infrà unius anni spatium defunctus, Gerardo Cancellario, qui Lucius dictus est, Apostolicam sedem dimisit: eo quoque similiter infrà annum defuncto Eugenius succedit; qui primò Bernardus vocatus, in Cœnobio Clarevallensi Monachus fuerat, deinde ab Innocentio Papa in Monasterio sanctæ Anastasiæ Abbas Romæ ordinatus fuerat. Hic ergo cum ab omnibus nobis nuntiaretur avidus pecuniæ non esse, per internuntios de negotio nostro edoctus, & quid exinde facere vellet requisitus, respondit se facturum quidquid Abbas Clarevallensis inde sibi per litteras mandasset. Cum itaque dubii sermones inter nos pro hac causâ renovarentur, ecce subitò Theodericus Præpositus Ecclesiæ sanctæ MARIÆ infirmitate nimiâ gravatur, & Monachus factus in hoc Cœnobio moritur, atque ante Capitulum est sepultus: sequenti etiam anno electus noster Absalon Abbas sancti Amandi vitæ terminum fecit; sicque nobis ostensum est, quòd nec ipse, nec Herbertus Morinensis Archidiaconus à Deo prædestinatus fuit, ut fieret Tornacensis Episcopus: alii enim illud officium servabatur. Sed nec Gunterus Præpositus, nec Theodericus successor ejus patrui sui filius, licet Ecclesiæ suæ ferventissimi amatores exstiterint, & in sæcularibus satis potentes fuerint, hoc honore digni fuerunt, ut per eos tantum opus consummaretur; nam & hic honor alii repositus erat.

115. Cum ergo isti defuncti defuissent, filius sororis Theoderici nomine Letbertus ei in Præpositurâ successit, cujus instinctu alius Letbertus cognomento Blandus, qui postea Cancellarius, deinde Præcentor Ecclesiæ sanctæ MARIÆ fuit, cum litteris Abbatis Clarevallensis Romam petiit, Eugenio Papæ negotium Tornacensis Ecclesiæ pandit, utque tandem debito fine opus quod sibi Deus reservaverat terminare, & consummare studeat, suppliciter exposcit. Volente Papa ei litteras dare, ut rursùm Tornacenses electionem Episcopi facerent; respondit ille se nunquam hujusmodi litteras laturum, sed si Papa sibi consecratum manu suâ traderet Episcopum, cum ipso se reversurum, eumque à Tornacensibus cum honore debito suscipiendum. Quid multis morer? Instanti ejus petitione & constanti pertinaciâ flexus Papa, quærit ab eo quem velit in curiâ suâ eligere: ille ut sapiens juvenis consilium suum in ore Domini Papæ ponit. Convocat Papa Cardinales, & quid sibi super tanto negotio faciendum sit, consulit. Venerat tunc fortè Romam Anselmus Abbas sancti Vincentii Laudunensis, qui in Cœnobio sancti Medardi Suessionensis Monachus factus fuerat, sed famâ religionis, & probitatis suæ ubique præconante à Monachis sancti Vincentii expetitus Abbas est ordinatus, qui etiam multis annis idem Cœnobium laudabiliter rexit, ita ut de Monachis ejus tempore suo in diversis Cœnobiis decem Abbates venerabiles exstiterint. Hic ergo illis diebus pro Ecclesiæ suæ necessitatibus Romam veniens, & in curiâ Papæ notissimus, primùm ab ipso Papa nominatur, statimque à Letberto & ejus sociis eligitur, & Papæ consecrandus præsentatur: reluctatur & contradicit dicens se validâ infirmitate detentum, & de morte potiùs quàm de Episcopatu sollicitum. Persistit Papa in suâ sententiâ, & obedientiæ vinculo coactum Dominicâ *Lætare Jerusalem* solemniter consecrat, & consecratum cum litterarum suarum auctoritate novum pastorem civibus Tornacensibus destinat, & eos ab obedientiâ Noviomensis Episcopi absolvit, utque semper habeant proprium Episcopum auctoritate privilegii sui promulgavit.

116. Regi verò Francorum Ludovico, qui etiam fuit Dux Aquitanorum, & qui ad admonitionem Eugenii Papæ ad expugnandos inimicos Christianæ Religionis in Jerusalem expeditionem paravit, deprecatorias litteras idem Papa misit, alias quoque Comiti Flandrensium Theoderico, necnon & civibus Tornacensibus, in quibus exorabat ut Episcopum, quem ad honorem Dei, & propter animarum salutem ordinaverat, omnes simul benignè concederent esse: & redditus Episcopatûs deinceps ipsi persolverent. Rex autem cum Comite & civibus, interveniente Religioso viro Aluiso Attrebatensi Episcopo, paucis interpositis diebus Papæ annuit petitioni. Sicque novum Episcopum in sede Pontificali recepimus. Alias etiam litteras Episcopo Noviomensi legavit, in quibus eum exhortabatur ut patienter ferret Tornacenses proprium habere Episcopum, & ne vel per se, vel per subjectam sibi personam ei aliquam molestiam inferre præsumeret. Metropolitano quoque Remensi & comprovincialibus Episcopis mandavit, quatinùs eum manutenerent, & in omnibus juvarent, atque ab omni præsumptione Episcopum Noviomensem desistere monerent, & cum eo ad pacem concordarent. Sed idem Simon mitissimus homo erat, & malefactoribus mala retribuere nesciebat. Unde factum est ut neque verbo, vel facto contrà præceptum Papæ facere tentaret, quod etiam ad nobilitatem generis sui pertinebat. Sic ergo Deus ordinavit ut Herbertus, & Absalon Tornaci eligerentur, & Anselmus Romæ consecraretur. Sic Deus permisit ut Paschalis & Innocentius Tornaci juberent fieri electionem, & Eugenius Romæ faceret consecrationem: sic Deus disposuit ut Gunterus & Theodericus Præpositi laborarent in electione, & Letbertus gauderet de facta consecratione. Alii ergo secundùm Evangelicam sententiam laboraverunt, & Letbertus in labores eorum introivit; alii seminaverunt, Letbertus messuit. Benedictus Deus qui prosperum fecit iter ejus. Acta est consecratio Domini Anselmi Episcopi Romæ anno incarnati Verbi Dei MCXLVI. quo 1146.

anno fuit fames gravissima, ita ut Tornaci venderetur sextarius tritici LVI. solidis. Sicut ergo per sanctum Medardum dignitatem proprii Episcopi perdidimus; dum ipse curam Episcopii Tornacensis sibi injunctam à Clero & Metropolitano tenuit: ita etiam per eumdem libertatem nostram recepimus, dum Deus proprium nobis pastorem restituens Monachum sancti Medardi in Episcopum dedit. Benedictus Deus qui tales filios sancto Medardo imbuendos tradidit, per quorum ministerium Christus in filios adoptionis Divina charismata ostenderet, & Ecclesiam suam sine rugâ & maculâ conservare vellet.

117. Eodem tempore Eugenius Papa litteras exhortatorias in Galliam direxit, ad exhortandum strenuos quosque homines quatinùs Jerusalem ad terram quam Christus suâ præsentiâ sanctificavit, pergerent, & fines illos qui à Gentilibus conculcabantur defenderent, & ditioni Christianorum subderent: cujus exhortatione animati Ludovicus Rex Francorum & Dux Aquitanorum; Conradus quoque Romanorum Imperator, & Rex Teutonicorum junctis sibi nonnullis Principibus, cum multis legionibus Christianorum illuc properaverunt. Domnus etiam Herimannus quondam Abbas noster cum eisdem Principibus gloriosum Domini Jesu Christi sepulchrum invisere multo ardore sitiens, anno Dominicæ Incarnationis, ni fallor, M CXLVII. Jerosolymam religioso cum apparatu ire perrexit. In itinere quid egerit, actum quid de eo sit, nihil certi habemus: alii enim pro Christi nomine & proximi dilectione martyrisatum, alii captivum abductum referunt.

118. Domno Anselmo defuncto atque in Ecclesiâ sanctæ MARIÆ ante majus altare sepulto; Gerardus Abbas Villariensis ei successit anno Dominicæ Incarnationis M CXLIX. cujus temporibus Domno Valtero Abbate nostro defuncto, atque à totâ processione sanctæ MARIÆ & duobus Episcopis, Tornacensi scilicet & Laudunensi honorificè ante altare sancti Joannis - Baptistæ sepulto; Domnus Ivo ei successit anno Dominicæ Incarnationis M CLX. Indictione VIII. concur. V. Epactâ XI. 1149. 1150.

Additio alia manuscripta.

119. Ivoni successit Domnus JOANNES dictus de Necin, qui magnæ religionis fuisse perhibetur. Isti Joanni successit Domnus MILO Abbas Marciniensis, quondam Monachus Suessionensis, & post Abbas ejusdem Monasterii sui. Miloni successit Domnus Joannes dictus de Sobrengien; Joanni successit Domnus AMANDUS; Amando successit RADULFUS; Radulfo successit Domnus ÆGIDIUS dictus de Cellâ; Ægidio successit SIMON dictus Baras; Simoni successit D. JOANNES Carpentarius; Joanni successit D. Jacobus de Insulâ, hic per mensem rexit, potens Christus sibi Rex sit: Jacobo successit Domnus Ægidius de Warnaria: Ægidio successit Domnus Theodericus de Parco, Theoderico successit Domnus Egidius LI. Muisis Prior, electus Abbas decimus septimus anno M CCCXXXI.

MONITUM.

CHRONICON S. Clementis Casauriensis sive Piscariensis Abbatiæ nobis ultrò contulit V. C. Antonius Vion dominus d'Herouval, perspicacissimus in discutiendis anterioris ævi scriptis, qui continuò satagit aliis prodesse magis quàm laudem sibi conciliare, quippe omni ipse laude superior. Illud ex ingenti volumine elegantissimis characteribus ante annos D. exarato, quod omnes Monasterii chartas complectebatur, excerpsimus. Auctor siquidem Joannes Berardus, ejusdem Monasterii Monachus Benedictinus, & Præpositus anno 1169. summatim ordine chronologico quæ prolixiùs referunt chartæ, marginibus adscripsit, historiamque contexuit, additis præter ea quæ Piscariam spectant serie Imperatorum, Regum, ac Principum, bellis quoque & cladibus, ac depopulationibus, variisque eventis. Præcipua diplomata, nempe Regia, & Pontificia privilegia, rati nec injucunda nec inutilia fore Lectori, inseruimus.

Piscaria autem insula (quæ vulgò Pesquaire *vocitatur) in Aprutiâ ulteriori ad mare Adriaticum sita est, ubi Abbatia S. Clementis etiamnum stat suis privilegiis decorata; sed, heu! amandatis hinc omnibus Monachis, qui, juxtà piam Fundatoris voluntatem, Deo laudes diù noctuque persolverent, Abbas Commendatarius cunctos reditus nunc solet sibi vindicare. Doctissimus Abbas SS. Vincentii & Anastasii Ferdinandus Ughellus Monasterii statum perstringit, describens Archiepiscopatum Teatinum:* In eâ *(Metropoli)* Monasteria aliqua sunt, & plures fuerunt Abbatiæ insignes, quarum maxima est S. Clementis de Piscariâ, quæ etsi in Pinnensi Diœcesi fundata fuerit à Ludovico II. Imper. à Summis tamen Pontificibus Teatinæ aliquando tribuitur, donec nullius declarata Romano Pontifici immediatè subjecta facta est. *Tanti viri pace dixerim, à verò hic nonnihil aberrat; quandoquidem ab ipsâ fundatione ad hodiernum usque diem nulli unquam nisi Romano Pontifici addicta fuit; etenim Episcopus loci dum Abbatia conderetur, jure suo, rogante Imperatore Ludovico II. cessit, & illud in Abbatem transtulit.* (Tom. 6. Ital. Sact. p. 824.)

Præcellebat Monasterium Piscariense insigni adeò dignitate, ut in omni ditione suâ Abbas non secus ac Imperator gerens sese, pedi loco sceptrum Imperiale seu Regale (quod nulli antea vel posthac concessum invenio) gestaret: at ducentis plus annis jam elapsis, Summum Hierarcham cum adiisset, sceptro Imperiali abjecto baculum pastoralem suscepisse docet Berardus in Chronico agens de Grimoaldo Abbate ad an. MXCVIII. Cum maximâ reverentiâ, *inquit,* à Papa Urbano susceptus est, & sub protectione Romanæ Ecclesiæ, quam hactenùs Abba-

tia S. Clementis ignoraverat, quia ab Imperatoribus gubernabatur. Hic primus ab illo in Abbatem consecratus, baculum pastoralem in loco sceptri Regalis, quod antecessores & ipse in dexterâ portabant, suscepit. *Et in præfato Codice MS. ad hunc annum in fronte Urbanum Papam Grimoaldo Abbati pedum porrigentem cernere est, & sic alloquentem:*

Cæsaris ob sceptrum baculum tibi porrigo dextrum,
Quo bene sis fretus: plus Cæsare dat tibi Petrus.

Cur ea solùm tempestate Abbates Piscarienses adierint Summum Pontificem, rationem reddit idem Berardus lib. 2. Chronici quem adi si lubet.

Chronicon hocce nostrum docebit te, Lector, si nescias, corpus S. Clementis Papæ & Martyris in Piscariensi Monasterio, quod S. Clementis nomine insignitur, asservari & coli. Siquidem ab Adriano II. Summo Pontifice Ludovico Imperatori ejusdem Abbatiæ Fundatori, sanctissimum corpus istud concessum in Cœnobium Piscariense translatum est, atque inibi reconditum hactenùs perseverat. Testes habeo locupletes ac præclaros, Imperatores, Reges, Romanos Pontifices, in privilegiis ac diplomatibus à se concessis. Imperatores, inquam, habeo Ludovicum Monasterii fundatorem, Berengarium, Othonem, Henricum, & alios: habeo Rogerium Siciliæ Regem. Habeo summos Pontifices Leonem IX. Calixtum II. Adrianum IV. & Alexandrum III. Habeo tandem Berardum in Prologo, & in ipso libri primi limine, passimque in Chronico, maximè verò ubi Corpus Sanctissimi illius Martyris, conspiciente, miranteque Augustino Cardinale detectum est, & titulus in sepulcro inventus aureis litteris exaratus: HIC JACET S. CLEMENS S. PETRI DISCIPULUS, ET A B. PETRO SECUNDUS, QUI, JUSSU TRAJANI IMPERATORIS, ANCHORA AD EJUS COLLUM LIGATA, FUIT IN PELAGO DEMERSUS. Quem titulum *(prosequitur Berardus)* cum legeret Cardinalis, ejus facies illicò est perfusa ubertim lacrymis, & procedens ad cætera, cum pro certo cognovisset, quòd ibi S. Clemens jaceret, in laudibus prosilivit incipiens *Te Deum laudamus. Et post pauca:* Collocavit Præsul Gualterius in eodem altari sacro-sanctum Corpus Clementis Papæ & Martyris integrum totum, sicut traditum fuerat Ludovico Imperatori, &c. *Ita Berardus testis occulatus.*

Sed prætereunda minimè sunt quæ non edidi, ut potè jam vulgata, Privilegia. 1. *Rogerii Siciliæ Regis:* In nomine Domini, &c. Rogerius divinâ favente clementiâ Rex Siciliæ, &c. Regum Catholicorum Principum nihil constat gloriosius esse, quàm Deum vereri, loca sancta venerari, &c. Quocirca Monasterium, quod Rex bonæ memoriæ Ludovicus in insulâ, quæ Casa-aurea vocatur, ad honorem S. & Individuæ Trinitatis construxit & dotavit, in quo CORPUS B. CLEMENTIS PAPÆ ET MARTYRIS VENERABILITER RECONDI FECIT, &c. 2. *Leonis Papæ IX.* Leo Episcopus Servus Servorum Dei, &c. Dominico venerabili Abbati Ecclesiæ S. & Individuæ Trinitatis, quæ est in insulâ Piscariâ, quæ etiam Casa-aurea vocatur, ubi CORPUS B. CLEMENTIS PAPÆ ET MARTYRIS REQUIESCIT, tuisque Successoribus in perpetuum, &c. 3. *Alexandri Papæ III.* Alexander Episcopus, &c. Dilectis Filiis Leonati Abbati, &c. ejusque Fratribus, &c. Religiosis votis annuere, & cum operis exhibitione complere, officium nos invitat suscepti regiminis, & ordo videtur exigere rationis. Eapropter dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus, clementer annuimus, & præfatum Monasterium, ubi CORPUS B. CLEMENTIS PAPÆ ET MARTYRIS REQUIESCIT; & in quo divino estis mancipati obsequio, ad exemplar Prædecessorum nostrorum Rom. Pontif. fel. mem. Leonis, Calixti, & Adriani, sub B. Petri & nostrâ protectione suscipimus, &c. 4. *Cælestini Papæ III.* Cælestinus Episcopus, &c. Joheli Abbati S. Clementis de Insula Piscariæ, &c. *Eadem Alexandri decessoris sui verba repetit.*

Quibus addo historiam de fundatione Monasterii S. Clementis Insulæ Piscariæ lib. 1. in med. post relationem eorum, quæ in Corporis S. Clementis Inventione atque in urbem Translatione, sunt acta: Accersitis Primatibus suis *(verba sunt Historiæ)* cum Archiepiscopis, & Principibus totius urbis accessit ad Papam; Adrianus quidem II. Papa ille vocabatur, qui B. Clementem suscepit à Philosopho*, & eumdem Clementem postea dedit Regi Ludovico. *Ac multis interjectis:* Jussu Beatissimi Papæ Adriani allatum est Corpus Clementis Martyris gloriosissimi, & traditum Ludovico Imperatori, qui frangens illicò vas in quo erat positum, traxit singillatim ossa ejus, & ne aliquid deesset diligenter aspiciens, involvit totum Corpus in pretioso pallio: deinde posuit in vasculo pretioso, quod ipse Rex secum habebat, factum de alabastro; ibique celebravit excubias, & solemnes vigilias per aliquot dies, &c. Perfectis igitur illis quæ in Romanâ civitate decreverat facere, levaverunt Corpus S. Martyris, & cum Hymnis & Canticis spiritualibus Domno Apostolico præeunte exierunt ab urbe, &c. Cum autem venissent ad Insulam Piscariæ, quæ validis aquis cingitur undique, in eâ parte quâ erat pons regalis constitit omnis multitudo jussu Imperatoris. *Et descriptis quæ tum acciderunt miraculis, infit:* Hîc revoluto corpore

S. Clementis, cum ejus ossa teneret sacratissima manus Imperatoris, tantus odor egressus est de ossibus ipsis, ut visum esset illis qui aderant, quòd essent in paradiso Dei, &c. His exhilaratus domnus Imperator, præcepit Clerùm ornari vestibus sacris, & populum intendere orationibus sanctis, & ipse cum Archiepiscopis & Episcopis involverunt membra S. Clementis, & Reliquias Apostolorum Petri & Pauli in medietate pallii, (quia alia medietas reservata est ad posteros in memoriam hujus Translationis) & recondi fecit eum in supradicto alabastro; & in ipso die Translationis locari in altaris medio, an. Dominicæ Incarnationis octingentesimo septuagesimo secundo, Indictione VI. (*lege V. ut in MS.*) Kalend. Junii, ad honorem & gloriam Domini nostri Jesu-Christi.

Anastasius Bibliothecarius, qui illo ævo florebat, calculum his adjicit, allatum fuisse asserens Corpus S. Clementis Adriano II. Romanam Ecclesiam gubernante, ut refert Papirius Massonus in Adriano II. Per idem tempus vivebat in aulâ Pontificis Romani Anastasius Apostolicæ Sedis Bibliothecarius. Is epistolâ ad excellentissimum Regem & Christianissimum Carolum data X. Kalend. April. Indict. VIII. Sic ait: Vir magnus & Apostolicæ vitæ præceptor Constantinus Philosophus Romam sub venerabilis memoriæ Adriano Juniori Papa venit, sanctique Clementis corpus sedi suæ restituit.

Tom. 6. Ital. Sacr. pag. 838. & seqq. *Lubet præterea subjicere coronidis instar descriptionem ostii Ecclesiæ Piscariensis ab admodum Reverendo Abbate Ughello Petrum Teatinæ civitatis sextum Episcopum exhibente. Et hanc sanè descriptionem haud inanem videbis argumentum ad suadendum Corpus S. Clementis quo de agimus verè in Piscaria insula honorari. Sic igitur se habet:*

„ *Ecclesiæ hujus ostium æneum satis mirificè fusum, auroque purissimo incrustatum, nullo unquam tempore intermoritura Fundatoris munificentia Divo Clementi dicatum est. Miraculorum omnium, Castrorum, Terrarum, Villarum, ac totius Abbatiæ jurisdictionis compendium, & veluti speculum, in quo vetustissima Imperatoris exprompta, & indubitata tanti Pontificis Translationis monumenta spectantur. Historia digna est, unde meritò hic eam adnotare visum est. Suprà arcum igitur medium portæ, quæ ænea est, exstat à capite sculpta urbs quædam his verbis in medio,* ROMA. *Inde videtur Papa sedens, qui capsulam tenet in manibus onustam, & ossibus plenam sancti Martyris Clementis cum his literis;* ADRIANUS PP. II. *Coram Pontifice exstat cum genu curvo, & capite inclinato Imperator cum his verbis;* LUDOVICUS IMP. *qui capit cum veneratione capsulam è manu Pontificis, sub quo hi duo versus leguntur, quibus Pontifex alloqui videtur Imperatorem:*

Ecce Pater patriæ magnum tibi confero munus,
Clementis Corpus; tu sacrum suscipe funus.

„ *Post Imperatorem exstat quidam oblongis vestibus indutus, qui ensem in manu tenet cum his verbis à latere;* SUPPO COMES *Post ipsum Comitem videtur sculptus idem Imperator, qui devotè capsulam illam imponi jubet suprà animal quoddam, & transmitti ad Monasterium ab ipso ædificatum, ipsis verbis* SUB IMPERIO LUDOVICI CÆSAR. *post quem videntur sculpti duo Monachi, qui obviam eunt capsulæ, ut eam recipiant, cum his verbis:* FR. CELSUS, FR. BEATUS: *& post ipsos Monachos videtur sculptum templum sanctissimæ Trinitatis, à quo egressi fuerant Monachi, & ubi Reliquiæ asservari debebant, cum his verbis:* TEMPLUM SS. TRINITATIS. *Sub istis verbis exstant incisi duo versus, quibus Ludovicus Imperator alloquitur:*

Martyris eximii Clementis suscipe Corpus
Insula Piscariæ, paradisi floridus hortus.

„ *Post videtur sculptus Imperator cum his literis,* LUDOVICUS IMPERATOR, *qui porrigit sceptrum dominii cuidam Abbati, qui primus fuit in Monasterio, juxtà quem literæ sunt,* ROMANUS ABBAS PRIMUS. *Subtus autem hic versus legitur:*

Sceptro firmamus: regimen tibi sume, rogamus.

„ *Post ista videtur quidam vestibus oblongis indutus cum his literis à latere,* SISEMANDUS MILES, *qui sceptrum tenet in manibus cum hisce verbis:* CESAR VESTRA SIT HÆC INSULA PISCARIÆ *Ex quibus verbis clarè colligitur, hunc dominum fuisse temporalem Insulæ. Post ipsum videtur Episcopus, qui tenet Insulam in manibus sculptam, eamque offert Imperatori, qui eam recipit. Circà Episcopum hæc verba leguntur;* GRIBALDUS EPISCOPUS. *Circà autem Imperat. ita,* LUDOVIC. IMP. *Tenet Episcopus in manibus scriptum hujus tenoris:* DAMUS VOBIS OMNE JUS NOSTRUM DE HAC INSULA. *Unde colligitur Gribaldum Episcopum Pinnensem, qui aliàs Grimaldus dicitur, omne jus concessisse Ludovico Imperatori de Insulâ istâ. Subtus autem hi versus leguntur:*

Insula Piscariæ, quæ nostri juris habetur,
Libera perpetuò tua Cæsar jure vocetur.

„ *Retro Imperatorem videtur sculptus Comes quidam togatus ensem gestans cum hisce literis,* HERIBALDUS COMES, *hujus rei fortasse testis. Hæc porta illa ænea continet rei peractæ*

pervetuſtum, ac nobile documentum, quod cum ſcriptâ hujus Cœnobii hiſtoriâ ad amuſſim convenire videtur.

Hiſtoriam de fundatione Caſaurienſis Monaſterii ſuprà citatam edidit primùm V. C. Franciſcus Ducheſnius tom. III. Hiſtoriæ Francorum ſcriptorum; ac poſtmodum ſæpius à me laudatus Ughellus tomo VI. Italiæ ſacræ. Erat ipſa in eo volumine MS. cujus initio memini, poſt Prologum ſub hoc titulo, Pars prima & ſecunda Chronici Piſcarienſis. Eos autem libros hac de re prætermiſimus, ne veluti crambe bis, terque recocta Lectori ſtomachum permoverent: deinde compendio eadem planè Berardus repetit in ſubſequenti libro, quem primum fecimus, imò & Ludovici Imperatoris diplomatibus confirmat, quæ in duobus illis conſcripſerat. Ecquid itaque emolumenti eruditis contuliſſem, ſi denuò eos prælo commiſiſſem? Et miror vehementer qui Ducheſnium & Ughellum, alioqui viros diligentiſſimos, Berardum hiſtoriæ hujuſce auctorem fuiſſe latuerit. Hoc Chronicon Baluzius contulit cum eo ipſo Codice quo uſus eſt Acherius, quem quidem Berardi ipſius manu deſcriptum arbitratur, ac nonnulla emendavit, quæ ſuis locis videbis.

Duchesn. pag. 544. Ughel. pag. 1291.

CHRONICON CASAURIENSIS, SIVE PISCARIENSIS MONASTERII, ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

A Ludovico II. Imperatore conditi, anno Domini DCCC. LIV.

Auctore Joanne Berardi, ejuſdem Abbatiæ Monacho.

Id contulit V. C. Dominus d'Herouval.

Ab anno 854. ad 1182.

Incipit Prologus in libro inſtrumentorum de poſſeſſionibus, rebus, ſive dignitatibus quas Caſaurienſe Monaſterium habuit, habet, vel habere debet.

PISCARIENSE Monaſterium in honore ac vocabulo Summæ & Individuæ Trinitatis, à Ludovico magnifico Imperatore fundatum atque conſtructum; Corpore namque glorioſi Pontificis & Martyris Chriſti Clementis donatum, ac proinde per diverſas Italiæ provincias, multis prædiis & ampliſſimis poſſeſſionibus dilatatum, ſublimiter effulſit, & in principio ſui multâ religione, ſeu morum excellentiâ præditum, mirabiliter claruit. Quod nimirum antequàm conſtrueretur, & in exordio fundationis ſuæ, ipſo Sereniſſimo Auguſto largiente, & multis aliis potentibus viris porrigentibus, multa poſſedit, & quaſi cum primo lapide fundamenti tamquam vivum lapidem primum Abbatem nomine ROMANUM accepit: de cujus morum gravitate, & rerum acquiſitione, tam ipſe Clementiſſimus Imperator in quodam ſuo privilegio teſtatur, quàm etiam ipſæ Monaſterii cartulæ clariùs manifeſtant. De poſſeſſionibus verò & dignitatibus Monaſterio collatis, habuit multa regalia præcepta, & copioſa cartarum inſtrumenta. Sed poſtea peccatis exigentibus, ſicut de poſſeſſionibus multa perdidit, ſic de Regalibus privilegiis, & inſtrumentalibus cartis multo plura ob culpam & negligentiam quorumdam amiſit.

Nos igitur moderno tempore, licet ingenio & ſcientiâ juniores & imperiti, tamen ſuper hoc divinitùs ſollicitati, cum ingenti tædio & labore reſiduum omne cartarum ipſarum revolvimus, & ad honorem B. Clementis, & munimen & profectum ſanctæ ſuæ domûs, de eiſdem cartis tamquam in unum opus Librum ordinantes compoſuimus, ne videlicet cauſâ vetuſtatis, vel per negligentiam ſicut olim amittantur; & maximè ut Abbatia S. Clementis Caſaurienſis, quòd excellenti & principali jure ſemper fuerit Regalis atque ſublimis, non ignoretur à poſteris.

Præterea ſciendum, quòd tempore fundationis Monaſterii Piſcarienſis nulla caſtella penitùs infrà omnem circuitum montium qui de proximo conſiderantur, & qui fines ipſos ambiunt, erant adhuc ædificata; ſed omnis illa tam Pinnenſis quàm Teatenſis territorii regio, per finitima, & circumquaque loca frequentibus villis atque caſalibus inhabitabatur, & quaſi ſub ficu & vite, vel in propriis prædiis erat hominum illius temporis incolatus. Poſt Monaſterii verò conſtructionem quadraginta circiter jam elabentibus annis, cum ab Agarenis & gente paganâ, ſicut in cartis & chronicis reperitur, Monaſterium fuiſſet igne crematum, & penè deſtructum, & ipſa finitima regio deſolata, Barbaris, ut fertur à Chriſtianis victorioſiſſimè effugatis, ob metum ipſorum, ex villis munitiones, & ex caſalibus caſtella fieri cœperunt: quædam Abbatum conſtructione, quædam Abbatum conceſſione à divitibus acceptâ pecuniâ pro Cœnobii reſtauratione. Nonnulla quidem ab eodem tempore per eorumdem locorum invaſores, in Monaſterii poſſeſſione fuerunt oppida violenter ædificata: quæ poſtea per hujuſmodi occupatores non ſolùm non retenta, imò à Monaſterii domino, violento jure ſunt exempta, & irrecuperabiliter alienata, miſerâ pigritiâ ſeu carnali negligentiâ quibuſdam Abbatibus incumbente.

Ad notitiam itaque poſterorum, ex quibus villis & caſalibus ipſæ munitiones, & eadem caſtella inva-

luerunt, prout veriùs scire potuimus, tam relatione scientium, quàm traditione cartarum, modò in capitulis hujus voluminis, modò in cartarum titulis expressimus. [a]

CHRONICI CASAURIENSIS.

LIBER PRIMUS.

Fundatum in honorem SS. Trinitatis.

COEPIT igitur & creatum est Piscariense Monasterium, tempore quo Papa gloriosissimus NICOLAUS Romanum gerebat Pontificatum, & MICHAEL Constantinopolitanum regebat Imperium, supradicto Cæsare LUDOVICO, Augusti LOTHARII filio, in honore sanctæ & Individuæ Trinitatis illud fundante & construente. Sicque cælesti prædestinatione seu dispositione factum est, ut uno eodemque tempore fieret & corporis B. Clementis inventio, & sanctæ Piscariensis Ecclesiæ constructio: ut sicut olim eidem sancto corpori fuit ab Angelis habitaculum in maris pelago præparatum, sic etiam eidem reperto, & in Italiam reportato, foret ab hominibus sacrosanctum templum regalite rædificatum. Sed ante non multos annos, videlicet anno Dominicæ Incarnat.
854. DCCC. LIV. Imperii verò Domni Ludovici tertio, & patris ejus Lotharii Augusti XXXIV. Indictione primâ currente; cùm idem gloriosus Imperator in Comitatum Pinnensem devenisset, & jam ipsum Monasterium fieri votivo corde concepisset, emit ad honorem Dei & B. Clementis, & ad perpetuum commodum sanctæ suæ Piscariensis Eccl. à quodam nobili & potente viro, nomine Corvino, omnes ejus per eumdem Comitatum Pinnensem diffusas, uberes & largas possessiones in casis, & casalinis; [b] & casalia Brelianum, & Linari cum omnibus tenimentis & pertinentiis suis, & cum cæteris rebus mobilibus & immobilibus eorum. Unde receperunt ipsi venditores ab eâdem clementissimâ Reginâ bullas de auro duas, equum optimum unum cum argenteâ sellâ, in pretium M. CC. solidorum, sicut testatur chartula ventionis eorumdem. [Quæ verò cartula monasterio porrecta & habita, & ejus exemplo in instrumentali volumine pro recordatione descripta est.]

Sequenti post hoc anno D. Ludovico in finibus Spoletinis commorante, & pro Imperii tranquillitate augustaliter decertante, legibus acquisivit à quodam potentissimo viro Adelberto omnes res proprietatis ejusdem, quas opulenter videbatur tenere intrà fines Italiæ, Tusciæ, Spoleti, & Romaniæ. Ipsas profectò Piscariensi Monasterio clementer addixit perpetuò possidendas: sed cùm post mortem prædicti Adelberti quidam Comes Hildebertus easdem temerario maloque ordine pervasisset, eisque incumberet, ab eodem Imperatore calumniatus, & causidicatus, ac per advocatos & judices palatii sui confutatus atque convictus, ipsæ res in integrum in propriam potestatem Domini Augusti sicut antea reversæ, prorsus in juris proprietatem Piscariensis Eccl. fuerunt redactæ. Qualiter autem & quomodo in anno Imperii sui VIII. res ipsæ prædicto Adelberto dante fuerint acquisitæ, ac in anno Imperii ejus X. super ipsum Ildebertum Comitem causidicè recuperatæ, pagina quæ decreto Principum & Optimatum Italiæ, qui in ipso placito præfuerunt, inde fieri jussa est, lucidè manifestat.

Consequenter etiam anno Imperii sui XIV. idem gloriosus Imperator accepit, in augmentum Ecclesiæ Piscariensis perpetualiter habendum, à quibusdam eximiis viris de Comitatu Senensi, videlicet Farimundo Diacono & Capellano, & fratribus suis, filiis quondam Farulfi, donationem sub titulo proprietatis curtem in fundo Palmæ cum casis massariciis, & omnibus rebus sibi pertinentibus. Unde receperunt per Missum Domni Aug. nomine Adegerium, caballum unum peroptimum, sicut testatur cartula donationis eorumdem. 866.

Item Serenissimus Imperator per omnem Italiam cupiens Monasterium quod construi decreverat, possessionibus dilatare, misit ideo Romam quemdam Hermenulfum Comitem familiarem suum cum infinitâ pecuniâ: qui datis ex eâ octingentis libris argenti Petro Consuli & Duci Romanorum accepit ab eo ad proprium jus Augusti in ipsâ Romanâ urbe solarium habitationis suæ, cum areâ & curte, salâ seu capellâ sancti Blasii, cum balneo & viridiario, & curtem in fundo Tussiano juxtà lacum Sabbatini, cum omnibus rebus sibi pertinentibus. Unde Salerni, ubi Domnus Imperator anno Dominicæ Incarnationis DCCC. LXIX. pro totius Romani Imperii commodo, & Christiani nominis libertate morabatur cartula firmitatis condita, & in eâ eodem Petro, & aliis nobilibus civibusque Romanis se subscribentibus testibus est corroborata hoc modo: 869.
Petrus in Dei nomine Consul & Dux in hac cartâ venditionis à me ratâ subscripsi, [& suprà scriptum argentum accepi.] Signum manus Joannis filii Leonis de civitate Româ ex genere Romanorum testis. Ego Gregorius, filius Leonis de civitate Romanâ, legem vivens Romanam, in hac cartâ venditionis rogatus à Petro testis subscripsi. Signum manûs Joannis Ducis de civitate Romanâ, legem vivens Romanam testis subscripsi. Teubaldus legem vivens Romanam in hac carta venditionis rogatus à Petro testis subscripsi. Signum manûs Landerici ex genere Roman. [testis subscripsi.] Richinus rogatus à supradicto Petro testis subscripsi. Agelmundus Notarius Domni Imperatoris in hac cartâ venditionis rogatus à supradicto Petro testis subscripsi. Joannes & Aripertus in hac cartâ venditionis rogati à Petro testes subscripserunt. Petrus Notarius Domni Imperatoris scriptor hujus cartulæ venditionis, quam post traditam complevi & dedi.

Vir etiam nomine Pratari vendidit eidem August. anno imperii sui XX. terram in fundo Aprutino, casale vocabulo Juliano, pro supplemento Pisc. Eccles. acceptis ex regio fisco XX. solidis.

Circà tempus verò fundationis Monasterii Pisc. magnificus Imperator nolens sicut olim Rex David, nisi in proprio solo construere domum Dei, accersito quodam illustrissimo Sisenando, & tributis ei per Missum suum Adoaldum XX. libris argenti, exegit ab eo quidquid possessionis & juris, proprietatis, necnon conditionis ex eadem habebat insula, [sicut exinde testatur cartula testibus roborata.]

a *expressimus*] Postea sequuntur in veteri codice ea quæ edita sunt ab Andrea Duchesnio in tomo tertio scriptorum Historiæ Francorum pag. 544. & à Ferdinando Ughello tom. VI. Italiæ sacræ pag. 1291.

b *casalinis*] Deest hic unum folium in Chartulario. Et sanè sequentia non cohærent. Agitur enim deinceps de rebus acquisitis ab Irmingarde Augusta. Hæc enim curtes de S. Desiderio, & de Breliano, & de Lenari acquisivit à Liutardo diacono & Cunrado fratre ejus; ut patet ex veteribus Actis confectis anno VII. imperii Ludovici Imperatoris, mense Junio, Indictione quartâ, quæ exstant in Chartulario fol. 73. Et in fine additur: *Unde recepimus nos suprascripti venditores pretium à te Hermengardi bullas duas, & caballum unum, cum unâ sellâ argenteâ, totum insimul valens solidos mille ducentos, &c.* Vide infrà.

I. Abbas Romanus.

Igitur Abbate Romano jam ordinato, & in apparatu fundandæ Piscariæ Ecclesiæ studiosiùs insistente, quidam Auderadus Amiternensis concessit pro animâ suâ ipsi sancto loco in subsidium Monachorum servos & ancillas, in loco nomine Urbeto, & vallem Civitonicam, & in Pantano & civitate Caballari; & terram modiorum mille nongentorum. Eodem modo fecit consobrinus ejusdem Auderadi, nomine Menardus, pro animâ suâ, & genitoris sui Auderadi, & matris suæ Mariæ, omnia quæ habebat in ipso monte sancti Mauri, videlicet sylvas & terras, & in loco nomine Poze terram viginti modiorum.

Ipso quoque tempore Romanus, religiosus Abbas, fecit plurimas prædiorum emptiones, videlicet à Liutaldo terram in eâdem insulâ Piscariæ, &c. *Hic deinde enumerantur possessiones à Romano Abbate acquisita.*

Præterea Suppo Piceni Comes, qui & Dux inscribitur, in Imperatoris exercitu fulgidus, sub ipso tempore translationis Beati Clementis obtulit pro luminariis ante ipsum sanctum corpus habendis quamdam villam suam apud Pinnensem civitatem, nomine Paternum, cum reditibus, & omnibus sibi jure pertinentibus.

Item Romanus Reverentissimus Abbas eo tempore quo Monasterium construi debebat emit in Beloniano, Caniaco, & vico Teatino, terras, casas, vineas, & omnes res Magelfredi, filii Formosiani, possessionem centum viginti modiorum præter sylvas & vineas, & omnem hereditatem suam, sicut videbatur habere in montanis & planiciis. *Hic deinde enumerantur multa alia possessiones ab eodem Abbate acquisita.*

Igitur cum in vico Teatino in campestri planitie juxtà fluenta Piscariæ maneret exercitus, & Domnus Imperator Ludovicus ad fundationem Monasterii vehementer anhelaret, eodem tempore tractatâ & habitâ cambitione cum Grimbaldo Pinnensi Episcopo de Casauriensi insulâ, accepit ab eodem scriptum confirmationis.

Sanè Romanus Abbas prudenti consilio à possessionibus sibi venditis viros qui eas vendebant non penitùs excludebat, sed nonnullis de venditoribus à se possessiones emptas, & in Monasterii jus conversas beneficiali ordine legaliter præstabat, sicut fecit de quibusdam viris, Arifredo, & Ildeperto & Raciperto, quibus ipsas res quas ipsimet vendiderant, Paterno, Selcano, & Ragiano concessit sub certo censu, [sicut ipsorum scriptorum cartulæ manifestant.] Cum igitur Ludovicus Imperator Beneventum proficisceretur, fundatâ jam Casauriensi Basilicâ, committit ipsum opus Domno Romano Abbati, ut donec idem Imperator rediret, structuræ parietum insisteret, & in emendis possessionibus valde sollicitus & intentus esset. Unde sub ipso tempore fecit per plurima loca plurimas emptiones villarum, prædiorum, casalium, domorum, terrarum, vinearum, camporum, multarumque rerum mobilium & immobilium. Nam in villâ Fleccine omnes res cujusdam Rimonis: filii quondam Aderisi ex genere Alammandorum; & omnes res cujusdam Rosperti filii quondam Leonis in villâ Lucino Tocci tenemento; & omnes res & substantias cujusdam Windeperti filii quondam Luponis in villâ quæ nominatur Scanglare Castello S. Valentini pertinente. *Hic deinde enumerantur multa possessiones ab eodem Abbate acquisita; quas describere neglexit Dacherius, velut consilio suo inutiles.*

Sequenti quoque die vir nobilis & ditissimus Lupo, filius quondam suprascripti Aderisi, obtulit secum omnibus rebus suis mobilibus & immobilibus quas habebat in Bectorritâ Domno Romano Abbati & veniens ante altare fecit oblationem rerum suarum, & secundùm Regulæ morem vitam monasticam assumens, in congregatione receptus est, sicut libellus traditionis, quem de suis rebus condidit, protestatur. Ipso etiam die Romanus Abbas fecit alteram emptionem à ditissimo viro Mageifredo, Formosiani filio de terrâ in vico Teatino & Tocco quam habebat in casis, prædiis, vineis, & cæteris rebus, à flumine Piscaria usque in rivum Aruilum, & confinium Valve, dans ei proinde pretium de argento solidos centum.

Pelerinus siquidem illustris vir Pinnensis, audiens Abbatem Romanum pro possessionibus emendis pecuniam regiam largiter expendere, venit ad Casauriense Cœnobium, tradiditque Domno Abbati per chartulam venditionis quidquid in villâ nomine Salaiano videbatur habere, recipiens inde ab eo pretium in argento centum solidos.

Quod casale cum aliis possessionibus, quæ vocantur Ampullula, Saltula, Albenetulo, Celiffe, idem Pelerinus à Piscariensi Monasterio tenuit, Abbate Romano beneficiali ordine sibi largiente subscripto & certo censu atque servitio, ut in ipsius scripti cartulâ legitur.

Per idem tempus Allo quondam Castaldio, vir locuples in Pinnensi & Teatino Comitatu, cum uxore suâ nomine Fredeldi, investivit Romanum Abbatem de duabus curtibus, quarum una dicitur Viarium in Tocci pertinentiâ, altera in Pinne, quæ dicitur Ocretanum; propter quod idem Abbas dedit eis duos caballos optimè paratos, quemadmodum in ejusdem investituræ cartulâ testibus roboratâ legitur.

Itaque dum hæc taliter agerent, Domnus Imperator Ludovicus profectionem suam exequens, Capuam applicuit, ibique pro totius Romani Imperii commoditatibus commorans, universisque ferè tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus potentibus viris congregatis, augustalem atque solemnem curiam celebravit, ubi de Piscariensi Monasterio præcipuum ac principale verbum faciens coram omnibus Italiæ Principibus, ipsum Monasterium perpetuâ libertate donavit. De quâ libertate, & de rebus & dignitatibus, secundùm suæ liberalitatis clementiam eidem collatis atque concessis, augustalis edicti paginam scribere fecit, & etiam propriâ manu subter insignivit, & suâ Imperiali bullâ jussit annotari; sicut in ipsius præcepti paginâ reperiri potest & legi. Quæ verò pagina Monasterio porrecta & habita, & ejus exemplo in instrumentali volumine pro recordatione descripta sic est: Libertas Monasterii Piscariensis: & quidem à Principe.

Privilegium primum, de Cambio Insulæ, & constructione, seu libertate Cœnobii Casauriensis.

IN nomine Domini nostri JESU-CHRISTI Dei æterni, HLUDOUVICUS divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Quidquid famulorum Christi usibus Deo inspirante largimur, illi profectò damus, à quo bonum omne suscepimus. Ideoque omnium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fidelium, præsentium scilicet ac futurorum, cognoscat unanimitas, eo quod divino amore afflati Monasterium nos servorum Christi habitationi & quieti proficuum in insulâ, cui nomen est Casa-aurea, quæ etiam amne cingitur Piscariæ, instituendum providimus, atque institutum stabiliri atque perpetualiter confirmari hujus nostræ liberalitatis paginâ non incongruum fore perspeximus. Ac primò omnium aream ipsam, in quâ Claustrum venerabilis loci fabrican-

dum censuimus, à parte Pinnensis Episcopi[c] justè ac legaliter ex nostro proastio commutari fecimus. In quâ Ecclesiam ab antiquo Beati Martyris Quirici constructam invenientes, alteram non longè ab eâ Ecclesiam in honorem sanctæ & individuæ Trinitatis ædificari præcepimus: credentes sine dubio nostræ pro hoc animæ redemptionem, Imperiique nostri continuatam protectionem, & adversariorum nostrorum efficacem contritionem, divinæ nobis respectu misericordiæ præparari.

Quamobrem per hos nostræ auctoritatis apices confirmamus iterum, & perpetualiter stabilimus præfatam insulam, cum omnibus ex integro pertinentiis ipsius suprataxatæ reverendæ atque colendæ sanctæ Trinitatis Ecclesiæ, & his qui inibi ex hoc nunc & deinceps deservituri sunt famuli Christi, ut habeant, perfruantur, atque possideant universa, quæ in eâ comparatione, donatione, vel commutatione legali nostræ parti acquisita sunt, vel quæ extrinsecùs ad eamdem respiciunt, cum servis & ancillis, cartulariis, comenditis, aldionibus, libellariis, & cunctis pertinentiis ipsorum, cum vineis, & terris cultis & incultis, sylvis atque salectis, planis & montuosis, cum molendinis ac piscationibus, & omnibus circumcircà meatibus aquarum, omni nostrâ proheredumque nostrorum repetitione, vel quâlibet publicâ exactione remotâ.

Et quoniam, ut prædiximus, isdem sacer locus servorum Dei usibus nostrisque desideriis visus est aptissimus; idcircò ad regimen ipsius venerandum Presbyterum, Romanum nomine, probum moribus, & regularibus instrumentis tritum, Abbatem instituimus; quatenùs ejus sollicitudini ac vigilantiæ Christi ovile commissum, universos qui ex mundi turbinibus ad se confugerint, tranquillissimam à mundi negotii vitam, & ad æternæ Patriæ pascua feliciter præparare commoneat. Quâ de causâ tam ipsum & eos qui cum eo sunt, quamque & illos qui inibi futuri sunt, cum omnibus quæ nostrâ liberalitate, vel aliorum fidelium Christi oblatione, hucusque acquisierunt, aut inantea Deo propitio acquirere poterunt, sub nostro mundburgo & augustali immunitati nostræ defensione suscepimus: omni circà ipsos, & ea quæ illorum sunt, partis publicæ deminoratione, invasione, vel quâlibet inquietudine in perpetuum sopitâ. Ubicumque autem vel undecumque necesse habuerint, tamquam pro domnicatis nostris, ita pro rebus eorum ac familiis, à nostris exequutoribus inquisitionem fieri volumus. Præterea cavendum observandumque jubemus, ne quisquam aliquo tempore ausu nefario quemlibet extraneum ad regimen ipsius sacrati loci superducere audeat; quin potiùs Dei servis inibi degentibus strenuum ex suo numero pari consensu Pastorem eligere liceat: quod qui irrumpens, & alium extrinsecùs non Pastorem sed lupum subintrat, ac per hoc in tremendo judicio pœnam præparasse certissimè noverit. Præcipientes ergo omnimodis præcipimus, & sub interminationem jubemus, ut nullus ex Præsulibus, Ducibus, Comitibus, Gastaldionibus, vel quibuslibet partis publicæ Officialibus, seu discurrentibus Missis nostris, aliquam suprataxato venerabili loco, vel eis quæ ad ipsum pertinent rebus, vel familiis inferre audeat molestiam: sed liceat Dei servis inibi liberè ac securè degentibus, pro nostri statu Imperii altissimum Dominum assiduis precibus implorare. Quòd qui præsumserit, & hanc nostræ auctoritatis evidentissimam præceptionem vel in minimo violasse convictus fuerit, immunitatis nostræ mulctam triginta libras argenti probatæ monetæ publicæ sancto ac reverendo Cœnobio componere compellatur. Et ut hæc nostræ largitionis, confirmationis atque donationis, necnon etiam immunitatis atque defensionis augustalis auctoritas firmior ac stabilior habeatur, & diligentiùs futuris temporibus observetur, manu propriâ subter insignitam ex bullâ nostrâ eam jussimus annotari.

Signum Domini LUDOUVICI Serenissimi Imperatoris Augusti.

GISELBERTUS Presbyter & Notarius ex jussu Imperiali scripsi & subscripsi.

Data septimo Calendas Junias, Indictione sexta. Actum civitate Capuâ, anno Domini Hludouvici Serenissimi Imperatoris Augusti, vicesimo quarto; In Dei nomine feliciter.

Alterâ verò die Cæsar Clementissimus in eodem Conventu positus, admittens petitionem Domini Romani Abbatis, sibi per Celsum sui Cœnobii Præpositum atque Legatum transmissam, subdidit Ecclesiam sancti Mauri Martyris in colle Amiternino constitutam, de quâ idem Romanus in Piscariensem Abbatem assumptus fuerat, & libentissimè contulit Casauriensi Monasterio. Indeque Imperialis præcepti paginam fieri jussit, in quâ repetitis etiam quibusdam de his quæ in hesterno præcepto continentur, ipsam sigillo & proprio signo roboravit, quæ Monasterio porrecta & habita, & ejus exemplo in instrumentali volumine pro recordatione descripta sic est:

Privilegium secundum de sancto Mauro de Amiterno.

IN nomine Domini nostri JESU-CHRISTI Dei æterni, HLUDOUVICUS divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus: Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque fidelibus, præsentibus scilicet & futuris, cognitum fieri volumus, eo quod venerandus vir Romanus Monasterii Sanctæ & Individuæ Trinitatis, quod olim Deo inspirante construximus, Abbas nostram humiliter imploravit mansuetudinem per Celsum sui Cœnobii Monachum atque Legatum, ut Ecclesiam Beati Martyris Mauri in colle Amiternino constitutam, cum omnibus quæ ad ipsam respiciunt rebus mobilibus atque immobilibus, seu utriusque sexûs familiis, sub Monasterium sanctæ Trinitatis à nobis in insulâ, cui nomen est Casa-aurea, constructum, ob nostræ mercedis augmentationem subdere dignaremur. Nos verò dignam satis ratamque ipsius intuentes supplicationem, justè quod humiliter petierat libentissimè annuimus, subdentes prædictam Beati Martyris Cellulam, cum his qui ibidem deserviunt devotè famulis Christi, & universis quæ possidere videntur circumcircà, vel longè positis ipsius sancti loci proprietatibus, cum servis & ancillis, & cunctis pertinentiis ipsorum, tam nostrâ quàm prædecessorum nostrorum liberalitate, seu etiam quorumlibet fidelium Christi donatione, oblatione, vel quâlibet coëmptione aut commutatione acquisitis; necnon etiam universos commenditos, cartularios, vel libellarios ipsorum sub jure prædicti Cœnobii sanctæ Trinitatis atque dominatione ex hoc nunc & deinceps; quatinùs hujus nostræ auctoritatis tuitione protecti, & perenni provisione suffulti, quidquid hucusque acquisierunt, aut inantea Deo propitio acquisituri sunt, inconvulsè retinentes, quietè ac pacificè possidentes, altissimum jugiter Dominum pro nostri statu Impe-

c *Pinnensis Episcopi*] A Gimbaldo videlicet Episcopo Pinnensi, ut patet superioribus & ex veteribus Actis confectis anno 24. imperii Ludovici, mense Martio, Indictione sextâ, quæ extant in Chartulario.

rii devotis precibus valeant exorare. Quin etiam ad majorem nostræ mercedis cumulum volumus, & omnimodis jubemus, ut ubicumque vel undecumque necesse habuerint, tamquam de domnicatis nostris, ita & pro ipsius sacri loci rebus vel familiis inquisitio fiat. Si quis autem ex Prælulibus, Ducibus, Comitibus, Gastaldionibus, Sculdasionibus, seu quibuslibet publicæ partis Officialibus, vel Curialibus, necnon etiam discurrentibus Missis nostris, aliquam suprataxato venerabili loco molestiam vel inquietudinem, deminorationem, vel invasionem in rebus ipsius vel familiis intulerit, & hoc nostræ auctoritatis augustale munimentum vel in minimo violasse convictus fuerit, immunitatis nostræ mulctam, hoc est, pœnam triginta librarum argenti sæpedicto sacratissimo loco componere compellatur. Et ut hoc certiùs credatur, & attentiùs observetur, manu propriâ inscriptâ roboratum ac stabilitum annulo nostro subter jussimus insigniri.

Signum Dom. LUDOUVICI Serenis. Imperatoris Augusti.

GISELBERTUS Presbyter & Notarius ex jussu Imperiali scripsi & subscripsi.

Data pridie Calendas Junias, Indictione sextâ. Actum civitate Capuâ, anno Imperii Domini Ludovici Serenissimi Augusti vicesimo quarto, In Dei nomine feliciter.

Post hæc Domno Ludovico Imperatore in rebus publicis augustaliter agente, & Domno Romano Abbate in emendis usquequaque possessionibus, ac aliis Piscariensis Monasterii profectibus laborante, factæ sunt in diversis provinciis emptiones plurimæ, videlicet facta est emptio de terris, vineis in cunctis rebus & substantiâ cujusdam Mainerii, filii quondam Manefredi, in suprascriptâ villâ Bectorrita, dante inde ipso Abbate argentum solidorum triginta.

Item completa est venditio quam fecerat Allo Castaldio, & Fredelli uxor ejus de curte in vico, loco nomine Viario, cum Ecclesia sancti Flaviani, & de aliâ curte in Pinne, vocabulo Ocretano, cum Ecclesiâ sanctæ Justæ, & sancti Florentii, cum omnibus easdem curtes pertinentibus, datis inde à Romano Abbate in pretium trecentis solidis.

Per idem tempus venerunt duo nobiles viri, Maio videlicet filius quondam Luponis, & Rodelaso, filius quondam Rodi, ad Piscariense Monasterium, & D. Romano Abate emente vendiderunt ipsi Monasterio quamdam villam suam, nomine Laterno, in Comitatu Aprutino, habitaque possessio est æstimata mille centum modiorum in terris, vineis, & cæteris rebus substantiæ ipsorum, unde receperunt in pretium ab eodem Abbate de argento nongentos quinquaginta solidos, sicut in cartis reperitur & legitur.

Redeunte itaque Ludovico Imperatore de partibus Beneventi, decrevit illicò ut suum Piscariense Monasterium solemniter atque legaliter investiretur de cunctis rebus longè lateque acquisitis. Sed quoniam ipse non poterat ubique præsentialiter esse, constituit viros qui sui vice id peragerent. Unde Augusto præcipiente Grimbaldus Pinnensis Episcopus, & Eritridus B illo imperatori confecerunt investituram de curte Brelliano, & omnibus rebus Ansefredi cum omnibus rebus eidem curti pertinentibus, Domno Celso Monacho Piscariensi ipsam investituram coram testibus recipiente. Gualpertus verò & alii Primates Augusti, præfatum Monachum [Celsum] investierunt per jussionem Domini Imperatoris de curte sancti Sebastiani nomine, quæ fuit quondam Camerotii; & de curte cujusdam Everardi, nomine Perano, & omnibus rebus proprietatis eorum in Comitatu Teatino: quæ res proprietatis eorum poterant æstimari à flumine Piscaria usque ad flumen Trinium, inter mare Adriaticum, & Montem de Magelle; possessiones videlicet largissimæ & magnæ nimis, sicut cartulæ tradunt testibus roboratæ, & Monasterio cum eisdem possessionibus traditæ simul & habitæ.

Ordinavit præterea gloriosus Imperator unum ex collateralibus suis virum splendidum & illustrem, Heribaldum nomine, sacri Palatii Comitem, qui super causis & agendis Monasterii specialiter intenderet: Investituras rerum Imperiali vice faceret, necessaria Monasterio sicut propriæ domui Imperatoris secundùm voluntatem Abbatis provideret. Qui Comes eodem tempore ab Abbate Romano requisitus, celebravit curiam in Casauriensi insulâ, Abbate querelante super quosdam viros, videlicet Liuterium de rebus in Suliano & Paterno, quas quidam Candolus & Romanus Cartulati, Allonis olim Castaldii, tunc ejusdem Cœnobii Monachi tenuerunt; & super Garifusum Notarium de rebus in vico Teatino. Causa quoque Gundi uxoris quondam Justonis, in eadem curia ventilata est. Unde sacri Palatii judices omnia ritè determinantes, ipsas res parti Monasterii legaliter addixerunt.

Igitur anno Dominicæ Incarnationis DCCC. LXXIV. Imperii Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris Augusti XXIV. Indictione sextâ, die quintâ mensis Decembris, facta est Monasterio Piscariensi solemnis atque legalis investitura de cunctis rebus & possessionibus, quas idem Imperator acquisierat per diversas Italiæ Provincias, Heribaldo sacri Palatii Comite, per Ecclesiam & casale sancti Desiderii, Celsum Monachum & Majonem ejus Advocatum feliciter investiente; [sicut ipsius investituræ cartula testibus roborata declarat. Quæ verò cartula Monasterio porrecta & habita, & ejus exemplo in instrumentali volumine pro recordatione descripta sic est.] 874.

Investitura Monasterii de cunctis rebus Augusti in diversis Provinciis Italiæ.

IN Dei omnipotentis nomine. Breve investituræ recordationis; in præsentiâ videlicet Adalperti de Camerino, Hervici, & Erifrid, Rainardi, Bassi Dominici, seu Guidonis Castaldionis Pinnensis, & Ildegardi Castaldionis de vico Teatensi, seu Aifaldi Castaldionis de Amiterno, Aimardi, & aliis Adelperti, Gisolfi, Teodemarii, Ilderici, Arnulfi, & Ariberti, Kamelfrid, Petri, Luponis, Seleuguardi, Ferelay, vel de aliis pluribus. In istorum suprascriptorum judicum, & bonorum hominum præsentia, tradidit & investivit Heribaldus Comes sacri Palatii Domni Ludouvici Imperatoris, per ipsius jussionem, & per ipsius Domni Ludovici demandatum, ipsam curtem de sancto Desiderio de Pinne, cum ipsâ Ecclesia sancti Desiderii per ipsas fines de ipsis campanis: & ipsam curtem de Linari cum pertinentiâ suâ, in manus Celsi Presbyteri & Monachi, & Majonis Advocati de Monasterio sanctæ Trinitatis, quod ædificatum est infrà insulam de Piscaria loco, ubi dicitur Casauria ad partem suprascripti Monasterii, & Romani Abbatis, ipsam suprascriptam curtem sancti Desiderii, quam per cartam habuit Domna Hermengarda, genitrix ipsius Domni Ludovici, de quodam Liutardo Diacono de finibus Pinnensis; non solùm autem ipsam curtem, sed & omnem proprietatem, & quidquid eidem Domno Ludovico ex jure Patris vel matris pertinebat; vel quod ipse Domnus Ludovicus Imperator ipso die conquisitum habebat in jure proprietatis, vel quod inantea Deo propitio conquirere posset in diversis provinciis, videlicet in Romaniâ, in Spoleti, atque in Comitatu Teatense, Pinnense, Firmano, necnon & in Camerino, & in Tusciâ, & in Longobardiâ, atque Samniâ, vel in totis finibus i-

taliæ, præfatus Heribaldus sacri Palatii Comes, in præsentia supradictorum testium tradidit & investivit Cellum Presbyterum & Monachum ipsius Monasterii, cum Majone Advocato suo, cum omnibus quidquid in supra dictis locis pertinere videntur, cum mobile & immobile in integrum, cum casis, terris, & vineis, campis, sylvis, pascuis, pomis, olivetis, & ficariis, piscationibus, aquis & decursibus aquarum, saletis, & molendinis, atque cannetis, ut dictum est, cultum, vel incultum; cum mobilibus & immobilibus, servis & ancillis, cartulatis & alditionibus, libellariis & commendatis in dictis partibus, scilicet per diversa loca, in Spoletinis, Balbâ, Reate, Marsi, Furcone, atque Amiterno, & Spoleti, Nursiâ, necnon & Cicoli, Turre inter Ocrum, Noberim, Narnate, Asculum, Aprutiumque simul, & Terame, Ascisium, Fulgineas, Nucerie, Camerinum, Firmo, Teate, Picenum, simul & Tuscia, Italiamque, ut diximus. Quidquid ipso die in his totis finibus ex jure parentum habere visus sum, vel quod ipse acquisitum habebat ipso die, atque quod inantea conquirere posset; ipse jam dictus Herimbaldus sacri Palatii Comes investivit & tradidit Celso Presbytero, & Majoni Advocato, ad partem supra scripti Monasterii sanctæ Trinitatis, & Romani Abbatis; in præsentiam suprascriptorum Judicum.

Cum ergo nos suprascripti Judices & Fideles D. Imperat. vidissemus, quòd suprascriptus Heribaldus Missus & Comes sacri Palatii, ipsam suprascriptam curtem S. Desiderii, cum omnibus quæ supra leguntur, traderet & investiret Celsum Presbyterum & Monachum, & Majonem Advocatum pro redemptione animæ Domni Ludouvici Serenissimi Augusti, ad partem suprascripti Monasterii sanctæ Trinitatis, & Romani venerabilis Abbatis, in insulâ Piscariensi, loco ubi dicitur Casauriensis; hoc breve memoratorium firmationis atque recordationis investituræ ex dictato & de mandato nostro, Audoaldum Notarium scribere demandavimus. Actum in Pinne ad sanctum Desiderium, in anno Imperii Domni Ludovici vicesimo quarto, die quinto, mense Decembris, per Indictionem septimam feliciter.

Ego Erifredus ibi fui: Ego Guido Castaldio ibi fui: Signum manûs Ildegari Castaldionis, ibi fui: Ego David Diaconus ibi fui: Signum manûs Astaldi Castaldionis, ibi fui: Signum manûs Ferelai qui ibi fui: Signum manûs Salewardi, ibi fui: Signum manûs Ingelmanni, ibi fui.

Altera quoque investitura facta est die sequenti Monasterio Piscariensi ab eodem Heribaldo sacri Palatii Comite, Domno Ludovico Augusto mandante, in manus Celsi Presbyteri & Monachi, & Majonis ejusdem Monasterii Advocati, de omni videlicet dotalicio supradictæ Gundi uxoris quondam Justonis: de curte videlicet de Monactiano, & Ecclesiâ sanctæ MARIÆ, & de casalibus nomine Pecanie & Buccanie, tam in territorio Aprutiensi, quàm in Pinnensi; [sicut ipsius Investituræ cartula tradit, bonorum virorum testibus roborata.] [d]

Est profectò quædam villa vocata Supercelo, in sancti Valentini castello translata, quodam Tederamo & Palumbo germanis filiis quondam Reperati legaliter ad profectum Piscariensis Ecclesiæ triginta solidis emit. [e] A Gualdeberto cujusdam venatoris filio emit omnes res & substantias suas in vico Teatino, nomine Virio, in casis, terris & vineis, indeque dedit ei solidos quadraginta. Emit etiam villam nomine Fullonice, ubi est Ecclesia vocabulo de S. Marco, à quibusdam viris Ainardo & Petro cum omnibus rebus & substantiis eorum, dedit inde pretium in argento solidis quadraginta quinque.

Cum igitur victoriosissimus Imperator Ludovicus ad propria reverteretur, & jam urbem Ravennam applicuisset, condidit ibidem Augustale confirmationis præceptum, de aliquantis rebus Piscariensi Monasterio collatis videlicet de sancto Desiderio ab ejus genitrice, ut suprascriptum est acquisito. [De rebus quorumdam hominum, Ursonis Castaldii, & Hitterii. De rebus cujusdam Camarotii. De rebus Teoberti, qui Beneventum aufugit. De rebus supradictæ Gundi uxoris Justonis ante judices sacri palatii devictæ. Discripsit etiam in eodem Præcepto, ut pro nullâ mallaturâ tortum aliquis monasterio audeat quærere. Et ut compositionem de cartulatis & libellariis suis monasterium ipsum habeat. In observatione verò & stabilimentum firmitatis atque tutelæ, ipsa sacra præceptalis pagina foris civitate Ravenna ad sanctum Apollinarem peracta, & Signo & anulo nominis Imperialis roborata, simul & insignita, & super ipsis rebus & concessionibus Piscariensi Monasterio porrecta & habita, & ejus exemplo in instrumentali volumine pro recordatione descripta sic est.]

Privilegium tertium, de sancto Desiderio, & aliis rebus Cœnobio Casauriensi ab Augusto donatis.

IN nomine Domini nostri JESU-CHRISTI Dei æterni, HLUDOVICUS divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ cunctis præsentibus & futuris, cognitum esse volumus, quia divinitùs inspiratus aliquantulas res concedimus in Monasterio sanctæ Trinitatis, quod ædificari jussimus in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis, videlicet res quas bonæ memoriæ Hirmingarda genitrix nostra per chartulam à quibusdam fratribus Liutardo Diacono & Chunrado germanis, consentiente Liuprando genitore eorum, conquisierat in singulis locis, videlicet sanctum Desiderium, Brilianum, atque Lignari cum omnibus pertinentiis, servis, & ancillis, cartulatis, cum mobilibus & immobilibus. Dedimus & res quorumdam hominum infidelium nostrorum Ursonis Gastaldii, atque Hitteri, similiter cum servis & ancillis, cartulatis, cum mobilibus & immobilibus, ubicumque de omnibus illorum rebus adinventum fuerit. Pari etiam modo donamus res Camarocii cum servis similiter & ancillis, cum cartulatis, cum mobilibus & immobilibus. Nihilominùs & donamus tres Teoberti, qui ob nostram infidelitatem Beneventum fugam petiit. Simulque donamus res Corvini, & res quas Ekardus Alammannus nobis per chartulam delegavit. Necnon etiam & res quæ fuerunt Gundi uxoris Justoni, id est curte de Monatiano, & cuncta portione ejus quam à viro suo Justone in dote acceperat. Quæ Gundi [f] post velamen religionis in adulterio copulata, in placitum ante judices sacri Palatii nostri legaliter devicta est. Omnia autem hæc præcipimus, ut si intentio exorta fuerit, à publicis ministris tamquam de domnicatis nostris per inquisitionem exigantur. Pro nullâ denique mallaturâ quispiam à Monachis de præfato Monasterio, vel ab Advocato eorum, tortum quærere audeat, quia ob reverentiam sanctæ Trinitatis eidem Monasterio

d *roborata*] Carta istius investituræ exstat in Chartulario, data anno imperii Ludovici XXIIII. die VI. mensis Decembris, Indictione VII. * Baluz.

e *emit*] Nimirum Romanus Abbas. Nam præcessit narratio de multis rebus quas hic Abbas acquisivit. Sed excerpta hæc Dacherii prorsùs malè sunt digesta. * Baluz.

f *Quæ Gundi*] Judicium latum adversùs Gundi uxorem Justoni, exstat in Chartulario Casauriensis Monasterii. Vide Notas ad Agobardum, pag. 135. 136. * Baluz.

concessimus. Concedimus etiam in venerando loco, ut omnem compositionem de cartulatis atque libellariis de ipso Monasterio sibimet habeant, & nullus exactor publicus hoc inquirere audeat; sed in quacumque compositione ceciderint, in suâ potestate hoc habeant, cujus cartulati esse videntur. Si quis autem ex Præsulibus, Ducibus, Comitibus, Castaldionibus, Sculdasionibus, seu quibuslibet publicæ partis Officialibus, necnon etiam discurrentibus Missis nostris, suprataxato venerabili loco molestiam, vel inquietudinem intulerit, & hoc nostræ auctoritatis augustale munimentum vel in minimo violasse convictus fuerit, immunitatis nostræ mulctam, hoc est pœnam triginta librarum argenti sacratissimo loco componere compellatur. Et ut hoc certiùs credatur, & attentiùs observetur, manûs propriæ inscriptione roboratum ac stabilitum ex anulo nostro subter jussimus insigniri.

Signum manûs Domni LUDOUVICI Serenissimi Imperatoris.

Giselbertus Presbyter & Notarius ex jussu Imperiali scripsi.

Data tertio Calendas Maias, Indictione septima. Actum foris civitate Ravenna ad S. Apollinarem, Anno Imperii Domni Ludouvici Serenissimi Imperatoris vicesimo quinto.

Per idem tempus licet Imperator ad propria reverteretur, non tamen Romanus Abbas cessabat possessiones acquirere, imò sicut fidelissimus dispensator, de regali pecuniâ sibi creditâ continuatim villas & prædia largiter emebat, & in suæ Casauriensis Ecclesiæ profectum quotidie cumulabat. Nam in tenemento, &c.

Remeans itaque Domnus Ludouvicus Imperator ad solum proprium, adiit curtem imperialem quæ dicitur Olonna; ibique morans, infrà sexaginta dies edidit ad tuitionem Monasterii Piscariensis tria principalia sacræ institutionis privilegia, devotione plena, & omni auctoritate perpetuæ libertatis, & regiæ protectionis adstipulata. In quorum uno specialiter notatur de fundatione & consummatione ipsius sacro-sancti templi; de corpore namque B. Clementis ab eodem ibidem venerabiliter recondito; de largitione rerum quas per totam Tusciam acquisivit, & ipsi sancto Martyri perpetualiter porrexit; videlicet sedecim curtes. Quæ curtes, & res in quibus locis & à quibus hominibus, & qualiter ab eodem Serenissimo Augusto fuerint conquisitæ, ipsa sacrosancta præceptalis pagina manifestè declarat:

Privilegium quartum, de rebus Tusciæ, & aliarum Provinciarum.

IN nomine Domini nostri JESU-CHRISTI Dei æterni, HLUDOUVICUS divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Cunctis sanum sapientibus liquet, quia quo magis cultibus divinis insistimus, eo ampliùs supernæ Majestati reconciliamur. Proinde universorum sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque fidelium, præsentium scilicet ac futurorum agnoscat unanimitas, quia nos divino afflati instinctu, ad honorem & reverentiam tremendæ ac individuæ Trinitatis sacro-sanctum templum in insulâ, quæ Casa-aurea vocitatur, fundari & consummari hilari mente præcepimus, ubi & almificum beatissimi Pontificis & Martyris Clementis Corpus venerabiliter recondi fecimus, atque in eodem situ famulorum Dei Cœnobium perpetuis temporibus permanendum augustaliter atque liberaliter instituimus; quatenùs coadunato illic sub regulari normâ religiosorum virorum cœtu, altissimo Deo laudes jugiter inibi votaque resultent. Quâ de causâ ad majorem mercedis nostræ cumulum, ac loci ipsius necessarium supplementum, servorumque Christi in ipso degentium, seu illic undecumque advenientium, perenne subsidium, contulimus in jam dicto sanctæ Trinitatis Cœnobio omnes res nostras quas conquisivimus per totam Tusciam à quibusdam hominum: hi sunt Farimundus Diaconus & Capellanus, simulque Farao & Farulfus filii quondam Farulfi; videlicet curtem in fundo Hisiano, & aliam curtem in fundo Palmæ, unà cum omnibus ad suprascriptam curtem pertinentibus; & quod ipsius Farimundi in parte evenit à suis fratribus, hoc est quinta portione de curte in fundo Pao, & curtem in fundo Pantanolâ, & curtem in fundo Venetiâ, & curtem infrà civitatem Tuscanam, cum omnibus ad suprascriptam quintam portionem pertinentibus. Donamus & curtem nostram in Suberellâ cum omni pertinentiâ vel adjacentiâ suâ, cum servis & ancillis, cartulariis, aldionibus, libellariis, mobilibus & immobilibus, sicut ad nostram tenuimus manum totum in integrum. Similiter donamus ipsas res, quas Walbertus Episcopus nobis per chartulam delegavit in territorio Tuscanense, hoc est, curtem in fundo Cattiano, & curtem in Ortâ cum servis & ancillis, cum mobilibus & immobilibus, cum omni pertinentiâ eorum. Pari etiam modo donamus casas Massaritias numero decem, quas Asprandus filius quondam Asprandi nobis per chartulam delegavit, quæ sunt positæ in finibus Castro Tuscana, omnia ad suprascriptas Massaritias pertinentes: seu & res in finibus Pistoriensis, quas Guilelmus nobis per chartulam delegavit, cum omnibus ad easdem res pertinentibus. Verum etiam donamus & omnes res quas nunc habemus in Castro Felicitatis, & curtem nostram in sancto Cerbonio, & curtem nostram in fundo Carpena, & Moliano: necnon & donamus curtem nostram in fundo Gorgiano, qui vocatur ad S. Heliam in finibus Aprutiensis, similiter cum servis & ancillis, cum mobilibus & immobilibus, omnia sicut ad nostram tenuimus manum. Quæ autem curtes, & res superiùs nominatæ, seu & quocumque contractu justè ac legaliter in nostrum jus dominiumque transfusæ sunt, omnes dumtaxat juris nostri per denominata loca curtes cum servis & ancillis, atque aldionibus, & omnibus quæ in his inventæ fuerint rebus ac cunctis appendiciis earum, jam dicto summæ Trinitatis Cœnobio venerabili præsentaliter solemniterque largimur, & per hujus nostri præcepti imperialem auctoritatem irrefragabiliter stabilimus, ut habeant eas atque possideant, fruanturque jure quieto ac pacifico ab hodierno die ac deinceps, tam hi qui præsentes sunt quamque & illi qui venturi sunt famuli Christi.

Cunctis igitur tam præsentibus quàm & futuris cognitum sit, suprataxatum Cœnobium, habitatoresque ipsius, cum universis respicientibus ad ipsum mobilibus & immobilibus rebus, sub nostri mundburdi continuam tuitionem à nobis jam dudum esse receptum. In tantum, ut omnem ipsius tamquam peculiarissimæ domûs nostræ causam pro amore superno quoadusque spiramus, exequi modis omnibus decreverimus. Post nostrum verò ex hac luce vitæ discessum, illi soli ejusdem venerandi loci tutelam committimus, ad cujus honorificentiam nostro studio constat exstructus. Quapropter cunctos qui nobis in imperium pro tempore successuri sunt, Imperatores, Duces, ac Principes, Primates quoque locorum supradictorum, ac Judices, per ipsam trinam & unam Majestatem districtè obtestamur, & terribiliter adjuramus, ut prænominatum sacratissimum colendæ Trinitatis municipium juxtà hujus nostri præcepti tenorem ratum ac stabilitum, ut

semel ordinavimus, esse permittant. Nullam contrà leges violentiam, deminorationem, vel substractionem, seu invasionem, neque etiam quamlibet publicam functionem, eidem venerando loco quocumque in tempore inferre præsumant. Et si fortè reclamaverint, ad quoscumque eorum querela pervenerit, pro Dei summi amore omnem illis justitiam adimplere non differant. Si quis autem hujus nostræ institutionis, & quod magis est divinæ promulgationis sacrilegus contemptor, & temerarius violator exstiterit, sciat se incursurum iram ipsius sanctæ & individuæ Trinitatis, atque in tremendo justi judicis examine causam nobiscum dicturum: ac per hoc cum Juda proditore ab Apostolico agmine cum impiis ac sacrilegis sequestratus, pars illius sit in stagno ignis ardentis & sulphuris. Sed ut hæc nostræ liberalitatis ac piæ largitionis, seu præfixæ institutionis pagina perpetuum obtinere valeat robur, manus eam nostræ annotatione solemniter insignivimus, nostræque bullæ impressione subter confirmari jussimus.

Signum manûs Domni LUDOUVICI Serenissimi Imperatoris.

Gislebertus Presbyter & Notarius ex jussu Imperatoris scripsi & subscripsi.

Data Calendis Septembris, Indictione octava. Actum Olonnâ in curte imperiali, anno imperii Domni Ludouvici Serenissimi Imperatoris vicesimo quinto, Deo propitio, feliciter.

In altero quoque privilegio repetit de Monasterii constructione, & B. Clementis almifici Corporis Translatione. Deinde pernotantur ibi omnis Italiæ provinciæ, in quibus possessiones & omnes res ab eo sunt acquisitæ, & Piscariensi Monasterio collatæ. Hinc etiam præcipuè describit de Missis, & Psalmo centesimo vicesimo in diurnis & nocturnis Officiis, & de matutinalibus & vespertinalibus hymnis pro ejus animâ perpetim decantandis.

In hoc quinto privilegio libertatis mandat Imperator qualiter oretur pro eo.

IN nomine Domini nostri JESU-CHRISTI Dei æterni, LUDOVICUS divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Cunctis sanum, &c. *ut in superiori.*

Quâ de causâ ad majorem nostræ mercedis cumulum, ac loci ipsius necessarium supplementum, Christique servorum in ipso degentium, seu illuc undecumque adventantium perenne subsidium, universas nostræ proprietatis res, quæ sive infrà Romanam urbem, sive extrà ipsam, seu etiam per totam Pentapolim, Tusciam, & Spoletinum Ducatum, atque Camerinum Comitatum, necnon etiam Firminum, Ascolinum, Aprutinum, Penninum seu Teatinum territorium, quocumque contractu justè ac legaliter in nostrum jus dominiumque transfusæ sunt: omnes dumtaxat juris nostri per denominata loca curtes cum servis & ancillis, atque aldionibus, & omnibus quæ in eis inventæ fuerint rebus, mobilibus & immobilibus, cum universis casis, massariciis, & aldionariciis, ac cunctis appendiciis earum, jam dicto summæ Trinitatis venerabili Cœnobio præsentialiter solemniterque largimur, & per hujus nostri præcepti imperialem auctoritatem irrefragabiliter stabilimus, ut habeant eas & possideant, fruanturque jure quieto ac pacifico ab hodierno die ac deinceps, tam hi qui præsentes sunt, quamque & illi qui venturi sunt famuli Christi, omni nostrâ proheredumque ac successorum nostrorum repetitione, molestatione, vel qualibet publicâ exactione remotâ.

Ita tamen ut tres quotidie pro nobis Missas, & omnibus diurnis ac nocturnis officiis centesimum vigesimum decantare non desinant psalmum, exceptis dumtaxat vespertinalibus & matutinalibus hymnis, quos perpetim pro nostræ remedio animæ repetere jugiter non cessabunt. Cunctis igitur, &c. *ut supra.*

Signum manûs Domni LUDOUVICI Serenissimi Imperatoris.

Gislebertus Presbyter & Notarius scripsi & subscripsi.

Data tertio Idus Octobris, indictione octava. Actum Olonnâ curte Imperiale, anno imperii Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris vicesimo quinto, Deo propitio feliciter, Amen.

In ultimo sanè privilegio tangit de se quòd in Beneventano itinere posito devenit in Piscariam, & Casauriensem invenit insulam, ibique sanctæ Trinitatis construxit Basilicam, in quâ Clementis collocavit glebam, atque Monachorum ibidem coadunavit turmam. Deinde repetit de largitione omnium rerum quas in totius Italiæ provinciis ad ipsius Monasterii supplementum, & Monachorum perenne subsidium acquisierat.

Privilegium de libertate & confirmatione omnium rerum Cœnobii S. Clementis.

IN nomine Domini nostri JESUS-CHRISTI Dei æterni, LUDOUVICUS divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Universorum sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelium tam præsentium videlicet quàm & futurorum comperiat solertia, quia cum omnipotentis juvamine freti, Beneventum progrederemur, in ipso positi itinere devenimus ad Piscariam, ubi quamdam invenimus insulam undique aquis cinctam, quam divinâ inspiratione circumeuntes, & ex omni considerantes parte, perspeximus ipsam usibus esse Monachorum aptam temporibus profuturis. Quâ de re Dei omnipotentis inspiratione tacti, jussimus inibi ædificari Basilicam in honore sanctæ & individuæ Trinitatis; ubi etiam collocare fecimus corpus B. Clementis Martyris & Pontificis Christi: ubi etiam ad cumulum mercedis nostræ coadunavimus cœtum Monachorum inibi supernæ Majestati famulantium. Quibus etiam pro amore ipsius Sanctæ & individuæ Trinitatis, nostræque pariter animæ remedio, ne aliquando paterentur egestatem, contulimus omnes res nostras, quas justo ac legali tenore acquisivimus tam infrà urbem Romam, quàm extra ipsam Romuleam urbem; per totam scilicet Campaniam, & per omnem Romaniam, necnon & per ambos Spoletanos ducatus, seu & per totam Tusciam, eo videlicet tenore ut quamdiù divinâ annuente miseratione superfuerimus, & locus & omnes res memoratæ in dominium & dispositionem nostram consistant. Post nostrum discessum redeant & locus, & res memoratæ, in ordinatione fratrum in præfato Cœnobio, eo scilicet ordine, ut absque ullius controversiâ regulariter sub normâ sancti BENEDICTI degant, Sanctæque & Individuæ Trinitati deserviant, & pro nobis misericordiam ipsius exorent; ante omnia & super omnia commonentes & præcipientes, nullus eos nec intùs nec foris eorum pertinentia à nobis justè possessa & eis concessa, lædere aut inquietare præsumat, sed sub nostræ Imperialis præceptionis privilegio securè subsistant, Deoque famulentur: interiora & exteriora secundùm Dei voluntatem ordinent atque disponant. Concedimus eis & nomina per quæ denominatæ res nobis delegatæ sunt, & quotiescumque ille qui præest Abbas obierit, habeant licentiam ex suâ propriâ congregatione secundùm Dei voluntatem eligendi Abbatem.

Consideravimu

Consideravimus & alterum locum vocabulo Moninellum, usibus similiter Monachorum aptum, distantem fermè duobus millibus ab urbe Mantuanâ, ubi divinâ præeunte gratiâ decertavimus construere Basilicam in honore gloriosissimæ Resurrectionis seu Ascensionis Domini nostri JESU-CHRISTI. Nihilominùs Deò famulandum coadunare jussimus inibi cœtum Monachorum die noctuque supernæ Majestati famulantium; & ut nullam in serviendo patiantur egestatem, pro Dei omnipotentis amore, nostræque animæ remedio, contulimus eis omnes res nostras quas justè ac legali tenore acquisivimus in inferiori Italiâ. Quæ duo suprataxata Monasteria pro Dei omnipotentis amore à nobis provisa, & in ejus honore constructa, statuimus atque præcipimus, ut absque alicujus controversia aut inquietudine sempiternaliter permaneant stabilia sub Dei omnipotentis gubernatione, ad vota ipsius die noctuque persolvenda. Si quis verò, quod minimè credimus, ipsa sua loca, eorumque pertinentia, seu servos Dei inibi supernæ famulantes Majestati, lædere aut inquietare, seu ex collatis à nobis minuere vel auferre præsumserit, duplum eis restituat. Insuper componat pro præsumptione suâ auri probatissimi libras duodecim. Si quis verò nostrorum Successorum divino instinctu præfatis locis aliquid addere vel augere voluerit, satis desideramus atque inhianter exoptamus; sin autem, unicuique eorum qui per tempora fuerit nostrorum successorum interdicimus, & sub divinâ contestamur invocatione, ut ex his quæ præfatis contulimus locis, nihil minuere vel auferre moliatur. Quòd si fecerit, sciat se incursurum iram ipsius Sanctæ & Individuæ Trinitatis, ita ut ad sortem beatissimæ Resurrectionis & Ascensionis Domini nostri JESU-CHRISTI nullatenùs pervenire valeat, sed cum Juda proditore sortem æternæ damnationis perenniter possideat. Et ut hæc nostra largitio atque concessio pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propriâ subter eam firmavimus & bullis nostris roborari præcepimus.

Signum manûs Domni LUDOUVICI Serenis. Imperatoris.

Giselbertus Presbyter & Notarius ex jussu Imperiali scripsi & subscripsi.

Data Calendis Novembris, Indictione octavâ. Actum curte Imperiali Olonnâ, Anno Imperii suprà taxati Domni Ludouvici Imperatoris vicesimo quinto, in Dei nomine feliciter.

In ipsarum profectò trium præceptalium paginarum sacris apicibus fiunt augustales & perpetuæ constitutiones, de tutelis & libertatibus Monasterii, & ejus multimodâ quiete, & de cæteris honorum & sublimitatum excellentiis eidem singulariter attributis; addidit etiam ibidem de altero sanctæ Resurrectionis Monasterio apud Mantuam [à se] constructo.

Facta sunt equidem hæc tria suprà taxata imperialia privilegia Dominicæ Incarnationis anno octingentesimo septuagesimo quinto, Indictione octavâ.

87 Præterea Dominicæ Incarnationis anno octingentesimo septuagesimo sexto Domnus Romanus Pater venerandus, emptionibus à quodam Rimefredo conquisivit in Ragiano suprà scriptâ villâ, terras, & vineas, & omnes res, & substantiam ejus.

Eodem itidem anno venit Maurinus Castaldio jubente Domno Ludovico Imperatore; & mense Januario, vicesimâ secundâ die mensis, investivit solemniter Domnum Romanum Abbatem de omnibus rebus mobilibus & immobilibus Sisenandi Salegi, tam in Tete quàm in Pinne. Primò videlicet de curte Ambrilie, quæ posteà farum Ambrilie vocabulum accepit; & de curte de Neriano & Martiano, & Obetiano, & Sclavis. Quæ possessio terminatur à flumine Piscariensi usque ad flumen Tritanum, & usque ad furcas, & montem de Cannatio, & rinum de Cigno, sicut tradidit chartula ipsius investituræ pluribus & idoneis testibus roborata.

Eo [si quidem] tempore Rimo, filius quondam Alderisi, de genere Alamannorum, obtulit filium suum, nomine Leonem, Monasterio S. Clementis suscepturum vitam monasticam, tradiditque Romano Primo Abbati ad partem ejusdem Cœnobii omnes res & substantiam suam, quam in villâ de Ragiano possidebat, videlicet possessiones largissimas. Altercationem insuper habuit Romanus Abbas cum Ildebrando Franco, Garifusi filio, de curte Perano vocabulo, & omnibus rebus quæ fuerunt Camarotii, & Aldegontii, & Agisendæ conjugis ejusdem Camarotii. Verùm in ipsis diebus apud civitatem Teatinam, cui Theodericus venerabilis Episcopus præsidebat, à quodam viro nomine Fratello, Supponis Comitis vicario, curiâ celebratâ, ibique querelâ depositâ, excellenter idem Abbas ipsas res & curtem de Perano quæ ultrà flumen est de Sangro, pertinuit.

Defuncto itaque piæ semperque celebrandæ memoriæ Ludovico Augusto, testamento post eum consobrinus ejus CARLOMANNUS Rex, Ludovici Regis filius, regnum Italicum obtinuit. Quo audito, Romanus Abbas deposito ingenti fletu atque tristitiâ, quam habebat de morte ipsius Cæsaris sui Cœnobii constructoris, statim direxit ad eum Domnum Celsum Præpositum cum augustalibus præceptis, ut omne bonum quod de Piscariense Monasterio antecessor ejus ipse beatæ recordationis Ludovicus Imperator effecerat, ipse Rex ratum haberet, & omni modo confirmaret, suoque novo regio præcepto corroboraret. Illo autem abeunte Romanus Abbas interim regimini ac profectibus sui Cœnobii validiùs insistebat. Vir potens & locuples suprascriptus Rimo, largitus est pro animâ suâ domos, agros, vineas, & omnia quæ habebat de casale suprascripto Bectorrita, Monasterio Piscariensi. Indeque duos de fratribus, videlicet Domnum Beatum, & fratrem Leonem ipsius Rimonis filium, solemniter investivit, & in tenimine posuit coram testibus.

Eodem [siquidem] tempore Carlomanno piissimo Imperatore mandante, jubentibus etiam Lamberto & Widone Comitibus, venit Grimbaldus Pinnensis Episcopus, unà cum Anserio & Adelberto atque Arterio Castaldionibus, & investierunt Domnum Romanum primum Piscariensem Abbatem apud sanctum Desiderium, ubi propterea convenerant per ipsam curtem de villis, castellis, & omnibus prædiis & rebus per totam Italiam acquisitis, & Piscariensi Monasterio collatis, & de libertate, & omnium dignitatum excellentiis, sicut ei à quondam beatæ memoriæ Ludovico glorioso Imperatore per præceptalia scripta fuerunt concessa. Facta nimirum est hæc investitura in manibus Romani primi Abbatis, ad profectum & corroborationem sanctæ Casauriensis Ecclesiæ, anno ab Incarnatione 876 Domini octingentesimo septuagesimo sexto, Indictione nonâ, prædicto Carolo imperante anno primo, mense Junio, feliciter.

Profectus itaque Domnus Celsus Præpositus ad Imperatorem Papiæ commorantem, benignè receptus, & in petitionibus & negotiis Monasterii Piscariensis alacriter est exauditus, accepitque ab eo sacrum præceptum confirmationis, & tuitionis omnium rerum, & dignitatum, quas Casauriense Cœnobium à Domno Ludovico suo Fundatore per præceptales paginas habebat; addiditque ei gualdum Corni cum cæteris rebus eidem pertinentibus, sicut in eodem sacro præcepto continetur.

Praeceptum Carlomanni Regis de libertate Monasterii Piscariensis, & confirmatione omnium rerum & dignitatum ejus, sicut habuit à Ludovico Augusto.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, CARLOMANNUS divinâ favente gratiâ Rex. Omnium videlicet sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumque tam præsentium quàm & futurorum cognoscat industria, quia cum gratiâ auxiliante divinâ regnum Italicum obtinuimus primùm, Deoque duce Papiam venimus civitatem, adiit serenitatem nostram quidam Monachus, nomine Celsus, Præpositus Monasterii quod Casa-aurea vocatur, & quod beatissimæ memoriæ antecessor ac consobrinus noster Ludouvicus Imperator Augustus à fundamentis in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis construxit, afferens quoddam præceptum, in quo continebatur qualiter præfatus Imperator pro amore ipsius Sanctæ & Individuæ Trinitatis, necnon & pro remedio animæ suæ, omnes res suas, quas justo ac legali tenore acquisivit, tam infrà urbem Romam, quàm extrà ipsam Romuleam urbem, per totam scilicet Campaniam, & etiam per omnem Romaniam, necnon & ambos Spoletanos ducatus; seu & per totam Tusciam, ad prænominatum Monasterium contulit. Eâ videlicet ratione, ut liceat Fratribus ibidem regulariter viventibus easdem res tam interiùs, quàm exteriùs perpetualiter sine aliquâ inquietudine possidere. Et si Abbas ejusdem Monasterii obiisset, ex propriâ Congregatione Abbatem sibi eligere licentiam haberent. Et ut id Monasterium perpetuis temporibus sub immunitate ac tuitione Imperiali persisteret.

Hæc nos cognoscentes, decrevimus per hoc præsens præceptum nostræ mansuetudinis omnia præfata ita ut scripta sunt, confirmare. Volumusque, atque omnimodis præcipimus, ut Abbas ejusdem prædicti Monasterii semper cum omnibus illuc pertinentibus sub nostrâ Regali immunitate ac defensione maneat. Et omnes prænominatas res, id est, sive infrà urbem Romam, sive extrà, sive per totam Campaniam, seu per Tusciam, & ambos Spoletanos ducatus, sicut in priori præcepto habebantur, Monachis ibidem Deo militantibus concedimus. Necnon ut & in eligendis Abbatibus de propriâ Congregatione perpetualiter potestatem habeant. Insuper ergo placuit nostræ Serenitati ad id prædictum Monasterium quemdam gualdum prope ibidem situm, nomine Cornie, tradere, cum servis & molendinis de Balneolo ad id gualdum pertinentibus, habitantibusque in villâ, quæ dicitur Alanne, cum aquis, pascuis, pratis ad id gualdum pertinentibus. Eâ videlicet ratione, ut hæc omnia ob amorem Domini nostri JESU-CHRISTI, & pro remedio animarum nostrarum, id est, Ludovici præfati Imperatoris ac consobrini, qui nobis regnum illud disposuerat: necnon & piissimi Genitoris nostri Ludovici Regis, ac Patrui nostri Caroli, nostræque qui hanc fecimus traditionem, ad id Monasterium sine ullâ inquietudine, perpetuis temporibus pertineant, quatenùs Abbas & Monachi ejusdem loci easdem res habeant atque possideant, & juxtà id quod opus eis sit ad servitium Dei potenter disponant, vitamque jugiter Regularem ducant, nullo unquam successore nostro hoc irrumpente: sed liceat eis quietè vivere, & pro nobis ac pro nostris antecessoribus semper ipsam exorare sanctam Trinitatem, in cujus honore hæc ipsa eorum Ecclesia constat esse dicata. Et ut hæc auctoritas nostræ confirmationis atque donationis firmiorem in Dei nomine habeat tenorem, annuli nostri impressione jussimus sigillari, & manu propriâ nostrâ subtus confirmavimus. Si quis verò, quod minimè credimus, ipsa sua loca, eorumque pertinentia, seu servos Dei inibi supernæ famulantes Majestati lædere aut inquietare, seu ex collatis minuere vel auferre præsumserit, duplum eis restituat, insuper componat pro præsumptione pondera auri probatissimi libras duodecim.

Signum manûs Domni CARLOMANNI Serenissimi Regis.

Baldo Cancellarius Regis, ad vicem Theogmari Archicapellani recognovi & subscripsi.

Data decimo septimo Calendas Novembris, anno Christo propitio secundo regni Domni Carlomanni Serenissimi Regis, Indictione decima. Actum Papiâ civitate Regia in Dei nomine feliciter, Amen.

Post mortem piissimæ recordationis Ludovici Serenissimi Augusti, Domno Romano primo Abbate, in augmentis & profectibus sacro-sanctæ Casauriensis Ecclesiæ fortiùs & sollicitiùs insistente, plures iniquæ & pravæ mentis homines insurrexerunt, cœperuntque ipsum regale Monasterium querimoniis conturbare, Abbatem nimiis vexationibus fatigare; quia non fuit postea Rex vel Imperator, qui tantâ devotione vel sollicitudine ipsum & res ejus tueretur & custodiret, sicut Imperator Ludovicus qui eum à fundamentis construxerat. Nam erant eo tempore tres fratres, videlicet Amelfredus, Waningo, & Petrus, filii quondam Justonis Franci, qui contendebant adversùs Romanum Abbatem res & possessiones Gundi genitricis eorum, quæ legibus & dono ipsius Cæsaris Piscariensi Monasterio erant addictæ seu confirmatæ, sicut in superioribus scriptis continetur. Unde cum apud civitatem Teatinam Ildebrando, & Ellone & Singolfo Castaldionibus, Supponis Comitis vicariis, generalis curia celebraretur, Romanus Abbas est eos prudenter aggressus, & de eisdem rebus cum Advocato suo contrà ipsos sapienter agens & causidicans, veris assertionibus eos devicit & confutavit. [Qualiter autem, & quibus rationibus, eos devicerit, in Notitiâ Judicati, mandato Judicum descripta, & testibus roborata, pleniùs reperitur & legitur.]

Postquàm igitur supradictus Imperator Carlomannus Imperii gubernacula in duobus annis explevit, Carolus, qui tertius est dictus, ei in Imperiatu successit.

Eodem [namque] tempore, anno videlicet ab Incarnatione Domini octingentesimo septuagesimo octavo, Indictione undecimâ, cum Romanus Abbas à multis infestaretur, & ipse prudenter se à cunctis defenderet; conquestus est super Rodelando & Madelberto germanis, quondam Madelberti filiis, de rebus omnibus & substantiis quondam Corbini Pinnensis, Walfredii, Simponis, Simdemonis, Godeperti, Ursеperti & Pauli, quorum omnium res Piscariensi Monasterio legibus pertinebant, compartatione seu dono bonæ memoriæ Ludovici Imperatoris. Qualiter autem infrà civitatem Pinnensem cum ipsis coram Judicibus placitavit, & qualiter ipsos Ecclesiæ adversarios superaverit, & res suprascriptas ad proprietatem Monasterii adeptus fuerit, in ipsâ notitiæ cartulâ exinde factâ, & testibus roborata reperitur & legitur. 878.

Commutavit ipse Abbas alias res de casalibus Ratiano & Andrabano, Casule & Paterno; quæ cambitiones factæ sunt cum Domno Berthario Casinensi Abbate, qui eo tempore sancti Benedicti Monasterio præerat.

Erat eodem tempore vir quidam rebus locuples, possessionibus opulentus, Garibaldus nomine, ge-

nere & habitatione Marsicanus, à quo Domnus Romanus primus Abbas acquisivit in territorio Marsicano per loca & vocabula, & mercatus est omnes possessiones, & res proprietatis suæ, tam infrà civitatem Marsicanam, quàm extrà, videlicet in casis, & terris modiorum triticei seminis quingentorum quinquaginta. In uberrimis & fructiferis vineis, & arboribus, & cæteris rebus, ipso Garibaldo studiosè vendente, & pretium ab eodem Abbate recipiente in auro & argento solidos sexcentos.

Sanso Valvensis, vir nobilis & illustris, à quo totum Raianensium & Sansonicorum stemma protrahitur, cum in ejusdem Comitatu esset dives & potens, & Piscariense Monasterium multis jam possessionibus ex dono beatæ recordationis Ludovici Imperatoris in partibus illis polleret, vendidit, Domno Romano Abbate emente, omnes res suas quæ à Boneperto, & Arnoaldo, & ab avo suo Gisone sibi provenerant in villà Carrene, in terris, & vineis, & cæteris rebus; recepitque in pretium ab eodem Abbate in argento & caballis centum solidos. Quæ villa Carrene cum ipsâ possessionis emptione cum esset de possessione seu jure proprietatis beati Clementis, concessa est eidem Sansoni per Domnum Romanum Abbatem, & per omnes Fratres, usque ad præfixum tempus sub statuto censu annualiter persolvendo. Ipsa verò villa postea in castellum conversa, & à possessoribus munita, Prezze vocabulum accepit.

Erant tres fratres, videlicet Ameldricus, Oldericus & Ingelbertus, filii quondam Franconis Salegi, à quo tota progenies Conjulensium Dominorum processit: vendiderunt Piscariensi Monasterio, Abbate Romano emente, agrum duodecim modiorum triticei seminis in villà, quæ dicitur de Pontiano, loco nomine Asinarii; indeque receperunt pretium solidorum decem. Fecit etiam cum uno ipsorum, videlicet supradicto Amelrico, utilem Monasterio cambitionem; ipse Abbas accipiens ab eo terras & vineas, à quodam Justulo possessas, in casale Asinarii, largitis proinde ipsi Amelrico res juris beati Clementis, quæ fuerunt quondam Roffredi & Rodilonis, terras & vineas ejusdem æstimationis in casale, de Nasuriano vocabulo.

Investituram equidem eo tempore accepit Romanus Abbas ab Adeltrudâ, quondam Audeperti filiâ, uxore cujusdam Aglerii, de rebus & possessionibus quondam Ainardi viri sui anterioris in dugalium acceptis, in vico Teatino & Beloniano, quæ possessiones protenduntur à fluminibus Piscariæ & Orta usque in confinium Valvense.

883. Porrò sub ipso tempore cum annus Dominicæ Incarnationis octingentesimus octogesimus tertius haberetur, primâ Indictione, misit Domnus Romanus Abbas Celsum Præpositum ad Imperatorem Carolum, orans & petens ab eo, ut sex mansos in Amiterno acquisitos suo Piscariensi Monasterio Imperiali præcepto confirmaret. Imperator autem pro Piscariensis Monasterii & Abbatis veneratione, sive pro reverentiâ suorum antecessorum Imperatorum, postulationibus annuit libentissimè, ipsosque mansos Monasterio concedens & confirmans, jussit fieri præceptalis pagina. Quæ [verò pagina augustaliter signo & sigillo imperiali confirmata seu insignita, & monasterio porrecta & habita, & ejus exemplo in instrumentali volumine pro recordatione] descripta sic est:

Præceptum Caroli Imperatoris de mansis in Amiterno, quos dedit Monasterio Piscariensi.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, CAROLUS divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ præsentium scilicet ac futurorum cognoscat industria, quia Romanus venerabilis Abbas de Monasterio sanctæ ipsius Trinitatis, per suum Missum deprecatus est Celsitudinem nostram, ut quasdam res proprii juris nostri prænominato Cœnobio, pro remedio animæ nostræ concederemus. Statimque nos Liutardo Episcopo & Archicancellario nostro suggerente, postulationibus ipsius assensum præbentes, decrevimus ita fieri. Concessimus igitur eidem Monasterio pro mercedis nostræ augmento, & ut Deo pro nobis inibi juges orationes liberè offerat, mansos sex in pago Amiternino, cum uxoribus illorum ac liberis, & substantiis, quæque habere videntur; & in loco qui nuncupatur Casale, videlicet cum universis illorum appendiciis atque pertinentiis in integrum. Et jussimus inde fieri hoc nostræ auctoritatis præceptum; per quod decrevimus atque jubemur, ut deinceps eosdem jam prædictos servos supranominatum Monasterium perpetualiter possideat. Nullusque habeat potestatem aliquid minuendi vel auferendi. Si quis contrà hanc traditionem venire aut eam infringere voluerit, mille mancosos auri eidem Monasterio persolvere culpabilis habeatur. Et ut hæc nostræ largitatis concessio pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, hoc nostræ auctoritatis præceptum propriâ manu firmavimus, & annulo nostro jussimus sigillari.

Signum Domni CAROLI Imperatoris Augusti.

Waldo Cancellarius ad vicem Liutardi Archicancellarii recognovi & subscripsi.

Data duodecimo Calendas Julii, anno Incarnationis Domini DCCC. LXXXIII. Indictione primâ, anno verò imperii piissimi Imperatoris CAROLI tertio. Actum ad Monasterium quod nuncupatur Nonantula, in Dei nomine feliciter, Amen. 883.

Postquàm recolendæ memoriæ vir Dei Romanus Abbas primus Piscariensis feliciter de hoc sæculo migravit ad Dominum, Casaurienses fratres gravi mœrore licet afficerentur, tamen secundùm tenorem vel auctoritatem præceptorum Imperialium protinùs de propriâ Congregatione fecerunt Abbatem, Domnum videlicet BEATUM, virum benignum & eximiæ conversationis, anno Dominicæ Incarnationis DCCC. LXXXIV. Qui suscepto regimine, quia postea modico tempore vixit, aliqua de operibus suis quæ memoriâ mandari possent non sunt inventa, nisi quod in casale de Teteliano, & Cedilse auxit in possessionibus Monasterii, quodam Maio vendente, omnes ipsas res quæ quondam fuerunt Meiengonii, pro quibus ipse Abbas dedit pretium caballum unum, sicut ejusdem venditionis chartula docet. II. Abbas Beatus. 884.

Duobus igitur annis Domnus Beatus in abbatiatu peractis, feliciter vitâ decessit. Quo decedente Domnus AIMERICUS ejusdem Congregationis religiosæ vitæ Monachus, tertio loco factus est Piscariensis Abbas. III. Abbas Aimericus.

Quo tempore Wido Imperator, supradicto Carolo jam defuncto, in Italicum imperium augustaliter successit, anno ab Incarnatione Domini octingentesimo nonagesimo primo. Aimericus autem Abbas cœpit ad munimen & profectum Ecclesiæ quoddam ædificium infrà pertinentiam de Alanne loco, qui ob Ecclesiam inibi ædificatam dicitur de sancto Angelo, firmare, ibique quibusdam viris, quorum nomina in ipsâ donationi chartula inveniuntur, pro animâ suâ donantibus, acquisivit terram ad ipsum opus construendum. 891.

Sequenti post hæc anno Lambertus in imperium coronatus, sicut Wido Augustus pater ejus imperat. 892.

Temporibus igitur istis, supradictorum Augustorum Guidonis atque Lamberti jam annis expletis, tertius Ludovicus regni & imperii coronam accepit nongentesimò Dominicæ Incarnationis anno currente. Quo imperante Domnus Aimericus Abbas acquisivit in casale Aquilano ad jus Monasterii à quodam Audeperto, quondam Luponis filio, terras & vineas: propterea concessit ei de rebus Monasterii in eodem casali in beneficium, sicut ipsius convenientiæ charta declarat, sub statuto termino & annuali censu. Concessit quoque cuidam Warneperto terram modiorum quadraginta in casale Platiole, sub annuo censu & statuto tempore.

900.

His ita præmissis Aimericus Abbas, cùm per annos decem & octo Piscariensem rexisset Abbatiam, migravit ex corpore. Cui Domnus LUPUS, Casauriensis Monachus, Abbas est quarto loco continuò substitutus. Anno itaque Dominicæ Incarnationis nongentesimo decimo, Domnus Lupus Abbas pastorali curâ susceptâ, adduxit in causam quemdam Waltarium contendentem rem proprietatis Monasterii in loco nomine Corneto. Quo rationabiliter in curiâ superato, possessiones ipsas in Monasterii proprietatem refudit.

IV. Abbas Lupus.

910.

Per quatuor annos Piscariensem rexit Abbatiam, & in pace mortuus est. Cui continuò Domnus ITTO in Abbatiatu quinto loco successit. Qui cum Abbatiæ sibi commissæ curam gereret anno ab Incarnatione Domini nongentesimo decimo sexto, (quo anno Berengarius regni & imperii coronam suscepit,) prestariam fecit cuidam Rotordo de rebus Ecclesiæ in Casale de Colmeniano.

V. Abbas Itto.

916.

Circà tempora verò ista supervenientibus Agarenis, gente videlicet paganâ & crudeli, fuit Monasterii S. Clementis tanta depopulatio, ut nihil funditus in eo remaneret, & tota Congregatio præda hostium fieret. Tandem Christiani undique aggregati, auxiliante Deo, contrà Agarenos pugnaverunt, ipsosque devictos à suis finibus expulerunt. Post quorum discessum præfatus Itto ad Monasterium rediit, & antequàm ipse perdita recuperare, ædificia restaurare valeret, obiit. Vixit autem in regimine quinque annis, in dolore & ærumnâ, quia Ecclesiæ sibi commissæ destructionem videns eam restaurare non potuit. Post mortem verò Ittonis Monasterium S. Clementis sine Pastore fuit, quia Fratres erant dispersi, & res annihilatæ, villæ & castella destructa, & non erat in circumadjacentibus regionibus qui ei subvenire posset, tantum propriis calamitatibus unusquisque opprimebatur.

Hac tempestate nutu Dei quidam Imperator Augustus, nomine Berengarius, accessit ad has regiones, quem adierunt Fratres, & depositis coram eo suis miseriis & ruinâ Monasterii, & gloriâ in quâ fuerat temporibus Ludovici, acceperunt præceptum ab eo ut Abbatem eligerent, & quæcumque de jure Monasterii fuerant recolligerent, Congregationem ad priorem statum reducerent, & nihil de dignitate Monasterii perire permitterent. Sanè ipsa præceptalis pagina, quam de libertate, rebus, & dignitatibus Monasterii ad instar priorum Imperatorum idem Augustus fieri jussit, sigillo & signo nominis ejus fuit impressa & insignita [& Monasterio porrecta & habita, & ejus exemplo in instrumentali volumine pro recordatione] descripta sic est:

Præceptum Berengarii Imperatoris de libertate Monasterii Casauriensis, & rebus ejus.

IN nomine Domini Dei æterni, BERENGARIUS divinâ favente clementiâ Imperator Augustus. Si sanctarum Dei Ecclesiarum famulantibus aliquod tutelæ imperialis nostræ subsidium seu defensaculum impendimus, id ad æternæ recompensationis meritum nobis proficere non ambigimus. Quocircà noverit omnium Fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque, præsentium scilicet ac futurorum industria, qualiter Monachi cujusdam Monasterii, in quo almificum Beatissimi Pontificis atque Martyris Clementis corpus dignoscitur esse reconditum, ubi Casa-aurea nuncupatur, & in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis constructum esse decernitur. Quod etiam Monasterium Domnus Ludovicus olim Serenissimus Imperator, & noster consobrinus, à fundamento pro Dei amore, suæque animæ salute, cunctas proprietatis suæ res infra civitatem urbem, sive extrà ipsam, necnon & Pentapolis, Tusciæ, Spoletini Ducatus, Camerini Comitatus, atque Fermini, Ascolini, Aprutini, Pennini, seu Teatini finibus positas, prætaxato Monasterio, ibique Deo famulantibus tribuens, construxit, ad Majestatis nostræ clementiam percurrentes, mercedis nostræ pietatem suppliciter postulaverunt; quatenùs eis pro Dei amore, nostræque, vel parentum nostrorum animæ remedio ejusdem prælibati Monasterii res ipsis in eodem Monasterio nunc præsentibus atque futuris Christo Domino famulantibus, hoc nostræ auctoritatis Imperialis præcepto confirmare & corroborare modis omnibus dignaremur. Quod firmiter attendentes, eorumque Monachorum miseriam atque inopiam attentiùs perspicientes, omnes ejusdem Monasterii res, quas prædictus Domnus Ludovicus Imperator & consobrinus noster, pro animæ suæ salvatione, in jam nominatis territoriis atque locis, prælibato Monasterio ad Beatissimi Pontificis atque Martyris Clementis honorem dicato, ubi Casa dicitur aurea, olim præbuit suo in tempore, per hoc nostrum Imperiale præceptum nolentes prænominati Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris & consobrini nostri eleemosynam, atque mercedis suæ largissimam donationem, in futuro penitùs esse extinctam, quemadmodum jam sæpe dicti Domni Ludovici gloriosissimi Imperatoris animus futuris temporibus idem Monasterium in suo statu atque rectitudine decrevit, & statuit esse, pro Dei amore, nostræque animæ remedio, vel parentum nostrorum salute, sicut & jam in eorum Monachorum jam nominato Monasterio assistentium præceptis legitur, quæ à præscripto Domno Ludovico Serenissimo Imperatore & consobrino nostro, eidem Monasterio Monachis deservientibus conscripta esse videntur, per hoc nostrum Imperiale præceptum perpetualiter prædicto Monasterio, eique deservientibus Monachis, confirmamus, modisque omnibus corroboramus. Præcipientes, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdasii, Castaldio, aut quælibet magni aut parvi officii persona, jam nominatum Monasterium, ibique Deo deservientes, atque Beatissimi Clementis humatum corpus custodientes Monachos, de ejusdem Monasterii rebus atque legali judicio devestire audeat, eisque quamlibet inferat violentiam atque injuriam. Sed liceat illis quieto ordine, quietâ pace, omnes prædicti Monasterii res tenere & frui, Deumque pro nobis quotidie exorare, absque contradictione cujusquam. Si quis ergo hoc nostræ confirmationis præceptum infringere vel violare tentaverit, sciat se compositurum auri optimi libras ducentas, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem prætaxato Monasterio, ibique Deo famulantibus. Quod ut veriùs credatur, diligentiusque observetur, manu propriâ roborantes de annulo nostro subter assigniri jussimus.

Signum Domni BERENGARII piissimi Imperatoris.

Joannes Episcopus & Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi & Archicancellarii recognovi & sub-

scripsi. Datæ duodecimo Calendas Novembris anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo septimo
917. decimo: Domini verò Berengarii piissimi Regis vicesimo octavo, Imperii autem sui secundo. Indictione quintâ. Actum in Piscariâ in Christi nomine feliciter, Amen.

Casaurienses verò Monachi ad Monasterium regressi, inito consilio unum ex Fratribus ALPARIUM
VI. Abbas Alparius. nomine, Abbatem constituerunt, & cum eo ad restaurationem Monasterii laborantes, quia paupertas eos gravabat, vix medietatem parietum erigere potuerunt. Quâ necessitate compulsi, cœperunt terras vendere, villas in vadimonio ponere, & tam infelici mercimonio domunculas ædificare, & antiquæ gloriæ obliti, quam Ecclesia habuerat temporibus S. Imperatoris Ludovici, cœperunt illis esse obnoxii, quibus debebant esse terrori. Et dum Ecclesia ipsa tot calamitatibus premeretur, Alparius sexto loco Piscariensis Abbas, fecit præstarias quibusdam viris Prandoni, Joanni & Formoso, de rebus in vico Pinnense quondam Donatiani, cuidam Leoni de rebus in Soractico, quæ fuerunt quondam Sinderisii, acceptis inde solidis viginti.

Præterea temporibus istis Lotharius cum Patre suo
943. regnabat Ugone, anno ab incarnatione Domini nongentesimo quadragesimo tertio. Tunc Alparius Abbas emit in territorio Firmano casale Aureliano loco, nomine Ripule, possessiones & prædia, duobus fratribus Titione & Joanne sibi vendentibus, & pretium inde recipientibus solidos quinquaginta.

Peractis igitur in regimine viginti quinque annis
VII. Abbas Ildericus. Alparius ex hoc mundo discessit, cui ILDERICUS successit, vir prudens & contrà adversa securus. In cujus tempore factæ sunt præstariæ de rebus Ecclesiæ: cuidam videlicet Urso de rebus in casale, nomine Tresolie & Taungiano, acceptis inde solidis viginti: cuidam Luponi de rebus in casale Colmeniano ad sanctum Rusticum, acceptis inde solidis viginti.

Hoc siquidem tempore, anno Dominicæ Incarna-
951. tionis nongentesimo quinquagesimo primo, Berengarius & Adelbertus filius ejus regnabant, anno primo. Quo anno accepit Ildericus ab Alexandro quondam Ardemandi filio, natione Bajoario, possessionem in vico centum modiorum. Dedit et de aliis rebus proprietatis sancti Clementis. Quibusdam concessit Aldoni & Franconi de rebus quondam Gaudensii & Justini filii sui, in loco nomine Cori, & Mariano, acceptis inde solidis quadraginta. Eodem tempore venerunt Atto Comes, & Adelguda Comitissa uxor ejus, ad Domnum Ildericum Abbatem, & factâ conventione acceperunt a Monasterio Piscariensi beneficiali ordine curtem de Colle cum tenementis suis, possessione terrarum ad mensuram tritici seminis modiorum quingentorum, sub præfixo tempore & annuo censu, acceptis inde solidis quingentis.

In hujus Ilderici Abbatis tempore Episcopus Pinnensis Ecclesiæ, Joannes nomine, gravem querelam super Monasterio præfato excitavit, dicens quòd tota insula de jure Pinnensis Ecclesiæ pendebat, Monasterium sua propria sedes & camera erat, Abbas in eo sine ejus licentiâ & jussu institui non debebat; dominium in castellis, & villis habebat, Abbas Monasterii non dominus sed quasi quidam vicarius erat, Monachos Ecclesiæ non ab alio Episcopo ad Ordines promoveri nisi à se permittebat. Quid plura? omnibus modis Monasterium opprimebat. Quod nefarium Ildericus (quem Alpario successisse supra memoravimus) vir prudentissimi ingenii, & constantissimi animi, ferre non valens, in præsentiâ Ducis & Marchionis Panduifi, præsente Episcopo Firmano, nomine Gaiduifo, & Comite Lupone & multis aliis eum devicit, & nihil juris eum habere in Monasterio, in insulâ, in castellis, in villis, in hominibus rationabili assertione demonstravit. Cumque de Episcopus quietus permanere non posset præfatus Abbas Ildericus præsentiam D. Imp. Adelberti filii Imp. Berengarii, apud Senogalias adiit, & apertâ ratione demonstrans quomodo eumdem Episcopum in præsentiâ Ducis & Marchionis, & Episcoporum, & Baronum devicerat, iterum illum fallacem, mendacem, & nil juris habere in his quæ postulabat coram Imperatore justis assertionibus & privilegiis antiquis Ludovici, Caroli, Berengarii, comprobans; etiam privilegium ab eodem imperatore libertatis munitioni contrà ipsum Episcopum Pinnensem, & contrà omnes qui idem Monasterium, & ea quæ ad illud pertinent, conturbare niterentur, suscepit: quod ita se habet:

Præceptum Adelberti Regis de libertate Monasterii contra Pinnensem Episcopum.

IN nomine Domini Dei æterni, ADELBERTUS gratiâ Dei Rex. Omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ præsentium scilicet ac futurorum notum esse volumus sagacitati, qualiter Ildericus Abbas sancti Monasterii constructi in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis, venit ad nos in præsentiâ nostrorum fidelium, proclamans quòd Joannes Episcopus sanctæ Pinnensis Ecclesiæ quæreret ei consuetudinem quamdam, videlicet, ut Clerus ipsius Monasterii ab ipso consecrari deberetur, & scriptionem aliquam de rebus prædicti Monasterii sine suo consultu facere non posset. Nobis autem inquirentibus si rectum foret quod ipse prædictus Abbas quærebat, ostendit nobis qualiter divæ memoriæ Ludovicus Imperator Augustus, per præcepti paginam concessit prædicto Monasterio quatenùs nullus Pontifex aliquam consuetudinem in eo mittere tentet. His auditis, Episcopum prædictum advocare jussimus, diligenter illum inquirentes quâ ratione aliquam consuetudinem de prædicto Monasterio quæreret. Qui respondens scriptum à præfato Imperatore suam Ecclesiam recepisse dixit, quod ostendere jussimus, ut ex utroque veritatis norma dignosceretur. Duobus igitur diebus illum exspectantes, suum scriptum videre nequivimus; unde nobis visum est illum mentiri, & idcircò hunc bundburdum scribere jubentes præcipimus, ut nullus Pontifex aliquam consuetudinem, vel functionem de ipsâ Abbatia exigat, & ipsam in statu suo liberam permanere jubemus, sicuti præfatus Imperator præcepti sui paginâ permanere concessit. Si quis hunc bundburdum infringere tentaverit, sciat se compositurum auri libras centum, medietatem prædictæ Abbatiæ, & medietatem Cameræ nostræ. Quod ut verius credatur, diligentiùsque inconvulsè ab omnibus observetur, annulo nostro jussimus insigniri.

Amicus Diaconus jussu regio recognovi.

Data sexto Calendas Junii. Regnantibus Domno Berengario & Adelberto Regibus anno decimo. Actum in Comitatu Senogallia.

His ita peractis, idem Abbas intentus ad restaurationem Monasterii, cum ad profectum ejusdem noctuque dieque desudaret, & ob merita B. Clementis Deum adjutorem sibi esse cognosceret, finitis decem & novem annis in regimine migravit ex corpore. Cui successit ADAM notus in curiâ pri- VIII. Abbas Adam.
mi Ottonis Imperatoris, & ab eâdem curiâ concessus Abbas in Monasterio Piscariensi. Qui Adam jussu Domini Imperatoris suscepit curam pastoralem: perlectis chartis Monasterii & privilegiis, postquam cognovit omnia ferè perdita esse, & privilegia cassata, cum ipsis privilegiis tetendit ad Imperatorem, & expositâ in ejus præsentiâ lacrymabili

querimonia, impetravit novum privilegium quod cum cæteris privilegiis continetur intra Monasterium, & accepit tres Legatos de latere Imperatoris, Petrum Episcopum Papiensem, & duos judices Henricum & Aldonem, quibus hæc præcepit, ut vendita redimerent, alienata Ecclesiæ restaurarent, nulli ex raptoribus parcerent; & ita facerent, ut quando ipse veniret omnia pacata, restaurata, & reparata inveniret. Si quis autem contentiosus esset, & ejus præceptis obtemperare nollet, invitus ante ejus præsentiam adduceretur, demonstraturus quâ fiduciâ rebellis existeret, quod juris in rebus Ecclesiæ & possessionibus, quas antecessores sui dederant, haberet. Quo timore omnes pervasores Ecclesiæ occupati, quidam spontaneâ voluntate quod malè invaserant dimiserunt, alii pretium de malè emptis receperunt, cæteri stimulati spiritu nequitiæ, neque pro Imperatore quæ malè tenebant dimiserunt, neque ejus Legatis debitam reverentiam exhibere voluerunt, imò attritâ facie sicuti meretrix præsentiam Domni Imperatoris adierunt; & cum se accusare pro malefactis deberent, habitatores Ecclesiæ, & Abbatem incusare cœperunt. Unde duplici extermino confutati, & ab Abbate & à Fratribus qui presentes aderant, judicio curiæ pervasa dimiserunt, & ea in quibus se jus habere, cum injusti probarentur, absque ullo retinaculo funditus perdiderunt.

Præceptum de libertate Monasterii sancti Clementis, & aliis rebus ejus.

IN nomine Sanctæ Individuæque Trinitatis, OTTO divinâ dispensante providentiâ Imperator Augustus. Cunctis sanè sapientibus liquet, quia quo magis cultibus divinis insistimus, eo amplius supernæ Majestati reconciliamur. Quocircà omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumque, præsentium scilicet ac futurorum noverit unanimitas, quemdam Abbatem, vocabulo Adam, videlicet de Monasterio quod Casa-aurea nuncupatur, nostram suppliciter adisse Celsitudinem, suisque manibus augustalia prædecessorum nostrorum divæ memoriæ Ludovici, Caroli que Imperatorum præcepta ferentem; eaque à nefandis hominibus funditus corrupta atque violata esse querelantem: quatenus ea pro Individuæ Sanctæ Trinitatis amore, nostræque animæ remedio, nostro imperiali munimine præfato Cœnobio, quod Casa-aurea dicitur, corroborare atque confirmare, cunctasque res inibi aliquo titulo collatas, juxtà prædictorum Imperatorum decreta munire dignaremur. Igitur superno afflati instinctu, interventuque nostri dilectissimi fidelis Huberti, scilicet Parmensis Ecclesiæ Præsulis, inflexi, prælibati Abbatis precibus annuimus, cunctasque res inibi hactenùs quolibet tenore collatas, quæ etiam sitæ infrà Romuleam urbem, extraque esse videntur, scilicet per Campaniam, seu etiam per totam Pentapolim, Tusciam, & Spoletinum ducatum atque Camerinum: necnon etiam per comitatum Firminum, Asculinum, Aprutinum, Penninum, seu Teatinum territorium. Quarum videlicet hæc sunt nomina. Curtes sancti Desiderii, atque Brilianum, Lignari, Osteje, Caramanico, Paternu, Picerico, Waldo, Corvino, Beloniano, Tocco, Casule, Selcanu, Ranile, Petra, Mampopplo, Accole, Supercli, Turri, Fullonice, Raiano, Colle, Pantano, Bico, Pinnense, Madici, Capitinianu, Carusani, Niranu, Celisse, Seranu, Mortula, Asinari, Petelianu, Cedisse, Opaculcu, Victorrita, Blunza, Urciona, sanctus Helias, sancta Trinitas, Porclanu, Tolenianu, territorium Leonis filii Catulfi, Cella sancti Mauri, territorium Maginfredi filii Formosiani: necnon etiam in Comitatu Furconinu curtem unam, in Cerule unam, in Baluense unam quæ fuit Ursi Castaldionis, in Marsicano unam quæ fuit Garibaldi, Soti, Turrem juxta Reate, unam in Hisiano, portionem Ecclesiæ sancti Michaelis, in Palme unam, in Pao similiter unam, Pantanolà, & in Venena, unam in civitate Tuscana, in Suberella, Catiniano, in orto Pistoriense, unam in Castro Felicitatis, in sancto Cerbonio, in Carpena, Moliano, Baniolo, Biano, Ocretano, Ecclesiam sanctæ Justæ, casasque decem in finibus castri Tuscani: nostro Imperiali præcepto cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus, casis, pratis, vineis, pascuis, molendinis, servis piscationibus, aquis, aquarumque decursibus, seu cum omnibus pertinentiis, quæ dici nominarive possunt, prout justè & legaliter possumus, prætaxato sanctæ Trinitatis Cœnobio confirmamus, corroboramus: eo scilicet pacto, quatenùs nullus Dux, Marchio; Comes, Episcopus, Vicecomes, Castaldio, Suldasio, vel aliquis publicæ rei exactor, necnon magna parvaque persona, de jam dictis rebus prænominatum Abbatem suosque successores inquietare quolibet modo, vel sacro-sanctum sæpe nominatum locum divestire aliquando conetur; sed potiùs venerando cœtui inibi Deo famulanti sub nostrâ imperiali auctoritate prælibatis rebus liceat uti, perfrui jure quieto, omni publicâ functione abdicatâ. Prætereà statuimus ut de his omnibus si aliqua intentio exorta fuerit, à publicis Ministris tamquam de domnicatis nostris per inquisitionem exigantur. Denique pro nullâ mallaturâ quispiam ab Abbate vel Monachis de præfato Monasterio, vel ab Advocato eorum tortum quærere audeat, quia ob reverentiam Sanctæ Trinitatis eidem Monasterio concessimus. Insuper etiam huic venerando loco concedimus, ut omnem compositionem de chartulatis atque libellariis ejusdem Monasterii sibimet habeat, nullusque exactor publicus hoc inquirere audeat. Sed si in quamcumque compositionem ceciderint, in suâ potestate hoc habeant, quorum chartulati esse videntur. Si quis autem hujus nostræ præceptalis paginæ, & quod majus est divinæ promulgationis sacrilegus contemptor, & temerarius violator exstiterit, sciat se compositurum auri libras centum, medietatem cameræ nostræ, & medietatem ipsi sacro sancto municipio. Quod ut verius credatur, diligentiùsque ab omnibus observetur, manu propria roborantes nostro sigillo jussimus insigniri.

Signum Domni OTTONIS invictissimi Cæsaris.

Ambrosius Cancellarius ad vicem Huberti Episcopi & Archicancellarii [subscripsit.]

Data decimo Calendas Januarii, anno Dominicæ Incarnationis, DCCCC. LXVII. Imperii verò Domni Ottonis sexto; Indictione decimâ. Actum Romæ feliciter, Amen. 967.

Eodem itaque tempore venit Itto Missus Imperatoris, & investivit Domnum Adam Abbatem de rebus quas Piscariensis Ecclesia perdiderat; videlicet de ipsâ re de Vicano, de Ecclesiâ sanctæ Justæ, de rebus in Ocretano, de rebus in Pompeniano, de rebus in Ceranâ, de Ecclesiâ sanctæ MARIÆ de Romanis, de molinis de Corneto, de rebus in Saractico, de rebus in Asinariis, de rebus in Alanne, de rebus in Balneo.

Gloriosissimus igitur Imperator Otto cum de urbe Româ, ubi eodem tempore, id est, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo octavo, filium suum Ottonem in Imperatorem Augustum excellentissimè coronaverat, & Domnus Adam Abbas 968.
ibidem ab ejus clementiæ magnitudine per scriptam

auguſtale præceptum acceperat, in Apuliam & Calabriam, ut eam ſuo ſubjugaret imperio, tetendiſſet, Dominus Adam Abbas iterum eumdem adiit Imperatorem, & enarratis omnibus quæ fecerat, quomodo quædam perdita reſtauraverat, & quædam de malè venditis, & ſub pignore poſitis redemerat, in eiſdem Apuliæ finibus apud Bivinum ſecundò impetravit privilegium de libertate Monaſterii, de tuitione rerum acquiſitarum, & quòd poſſet construere in rebus acquiſitis vel acquirendis quodcumque vellet ædificium ad munitionem Monaſterii, ſive Eccleſiam, ſive caſtellum, & nemo in hoc ſibi contrarius exiſteret, ſi adversùs hoſtes Eccleſiæ ad eos deprimendos munimina ædificaret. Notat etiam ibi prædictus Imperator Otto Eccleſiam ſancti Clementis in Liſinâ cum omnibus appendiciis ſuis, & eam eodem privilegio confirmavit, ne quis temerator auderet infringere quod tantus vir confirmaſſet Eccleſiæ.

Præceptum ſecundum primi Ottonis *de libertate Monaſterii, & cæteris rebus ſuis.*

IN nomine Sanctæ Individuæque Trinitatis, Otto divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Ad hoc nos divina potentia ad imperialis culminis provexit apicem, ut omnium, maximè divinorum cultui mancipatorum, frugibus conſulamus, quatenùs ſervorum Dei ibidem vigilantium & orantium precatibus ſtatus imperii noſtri ſerie tranquillâ dirigantur, & poſt hujus temporalis vitæ diſceſſum felicitatis æternæ contubernium nobis non denegetur. Quocircà noverit omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium noſtrorumque, præſentium ſcilicet ac futurorum univerſitas, nobis redeuntibus de Calabriâ, (quam noſtro ſubdere conati ſumus imperio) Hubertum venerabilem ſanctæ Parmenſis Eccleſiæ Epiſcopum, & Archicancellarium, noſtram adiiſſe Clementiam; quatenùs venerabili Abbati Adæ deſudanti in noſtro ſervitio, & pro nobis ſtatuque noſtri regni oranti, confirmaremus & corroboraremus noſtrâ præceptali auctoritate Monaſterium ſuum, dedicatum in honore Sanctæ Trinitatis, in loco qui dicitur Inſula Piſcaria, & quæ vocatur Caſa aurea, ubi Corpus B. Clementis reconditum eſt. Cujus petitionem gratanter accipientes, confirmamus & corroboramus præfato Abbati Adæ ſupradictum Monaſterium, cum omnibus rebus & proprietatibus ſuis, videlicet de Caſtello ſancti Heliæ quod illi legaliter pertinet, & curtem de Querceto, & res quas obtulit Joannes eidem Eccleſiæ, & curtem de Linare, & res de Cerano. Res etiam quas obtulit Magelfredus, & curtem de Selcano, & res quæ fuerunt quondam Mizoni, & curtem de Corneto, & curtem de Saline, & curtem de Lauro, & curtem de Veſtiniano, & curtem de Triſclo, & curtem de Sereniano, & curtem de Domo, & curtem de Mitiano, & res à Fulrado dimiſſas, & cellam de Aliſinal S. Clementis cum piſcatione de Pantano, & cum ipſâ Foce, & terram ipſius Foce, cum inſulâ quæ eſt inter mare & Pantanum, & res quæ fuerunt quondam Corvini, & curtem de Baniolo & de Viano, & res quæ fuerunt quondam filii Scatoiſi, & montem Soti, cum rupibus & ſylvis ejus, & res de Blunza, & de Petiliano cum ipſo Caſtello, & res Garibaldi ſicut in cartulâ ab eo factâ legitur, cum omnibus adjacentiis & pertinentiis ſuis, cum capellis, caſtris, caſis, domnicatis, campis, pratis, vineis, ſylvis, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, piſcationibus, paſcuis, rupibus, planitiebus, montibus, alpibus, unà cum ſervis & ancillis, aldiis, & aldiabus, & utriuſque ſexûs familiis, præſtandariis, cartulatis, libellariis, ut habeat, teneat, firmiterque poſſideat, tam ipſe venerabilis Abbas Adam, quamque ſui poſteri in perpetuum.

Præterea ſancimus atque ſtatuimus, ut nullus Epiſcopus, Dux, ſeu Marchio, Comes, Vice-comes, Sculdaſio, Caſtaldio, aut aliquis rei publicæ Miniſter, ſeu quælibet magna parvaque noſtri regni perſona, de omnibus quæ ad præfatum Monaſterium pertinent, tam rebus quàm familiis eum diſveſtire, aut inquietare audeat; vel de omnibus ſupradictis ſine licentiâ præfati Abbatis, ſucceſſorumque ejus ſe intromittere præſumat; ſed omnia judicio & poteſtati ejus, qui pro tempore fuerit, reſerventur atque ſubdantur. Et ſi Caſtella aut Eccleſias, vel aliqua ædificia in eiſdem rebus conſtruere voluerit, habeat licentiam ordinandi, augmentandi, commutandi: quemadmodum à noſtris anteceſſoribus, Carolo videlicet, atque Ludovico, per præceptalia ſcripta eidem Monaſterio conceſſa ſunt, omnium hominum contradictione remotâ, &c. *ut in priori præcepto.*

Signum Domni Ottonis Sereniſſimi Auguſti.

Ambroſius Cancellarius ad vicem Huberti Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Datum Calendas Maïas, anno Dominicæ Incarnationis DCCCC. LXIX. Imperii verò Domni Ottonis Auguſti octavo. Actum in Apuliâ in ſuburbio Bivino in Dei nomine feliciter, Amen. 969.

Cum autem Abbas Adam à Curiâ cum honore & reverentiâ regrederetur, & à Baronibus terræ, & vicinis circumadjacentibus pro metu Imperatoris, & ſui fortitudine animi timori haberetur, quod habebat in animo in opere cœpit depromere.

Gualterius quidam in Comitatu Pinnenſi, videlicet in Muſcufo, abſtulerat Eccleſiam ſancti Ruſtici cum poſſeſſionibus quæ ad illam Eccleſiam pertinebant: victus ab Abbate in præſentia Curiæ quod injuſtè pervaſerat, juſtè dimiſit & perdidit. Similiter fuit factum de Lupo quodam nobiliſſimo, qui ſuâ violentiâ abſtulerat præfato Monaſterio montem de Paterno, & Planum-Ambrilie, & tenimentum Boloniani; ipſe devictus in Curiâ & confuſus, quod injuſtè tenebat juſtè dimiſit & perdidit.

Laurentius quidam in territorio Marſicano cupiens eſſe particeps iniquitatis eorum, qui Eccleſiam B. Clementis Summi Pontificis & Martyris deprædabantur, illas poſſeſſiones quas Guaribaldus Abbati Romano vendiderat, ex prædictâ Eccleſiâ ex venditione legitimè factâ, & teſtibus confirmatâ tenuerat, nefariâ ſubreptione abſtulit, habuit, & poſſedit, donec in tempore præfati Abbatis Adæ, qui vigilabat ad profectum Eccleſiæ, ante præſentiam Domni Imperatoris ire coactus, ibique convictus & confuſus, reddidit & quietavit quod malè tenuerat, & ſcripto confirmavit quòd ampliùs nihil quæreret in totâ poſſeſſione illâ.

Petrus Aprutinus Epiſcopus commutaverat cum eodem Abbate poſſeſſiones quaſdam, quarum poſſeſſionum vocabula, & loca in eâdem commutationis cartulâ reperiuntur, & tenores & patuationes cambitionis. Cumque idem Petrus Epiſcopus ipſam poſſeſſionem in Aprutino Comitatu nongentorum quinquaginta modiorum in loco, nomine Paco, inter Colata & flumen Trotinum, & flumen de Curte, & rivum de Larcianello, fractâ convenientiâ cambitionis, pervaſiſſet, adductus eſt in cauſam, & coram nobilibus viris & potentibus, judicio Curiæ imperialis quæ pervaſerat dimiſit & perdidit.

Præteritis inſuper annis quando S. Clementis Abbatia ab Agarenis vaſtata opprimebatur, & poſſeſſionibus imminuebatur, Lupo quondam Ildegerii filius, cum ut ſupradictum eſt, Monaſterium infe-

ftaret, tunc temporis ad montana conscendit, & circà montis ascensus, qui dicitur Ursa, de Villulis & pertinentiis Beloniani & Tocci, à S. Clemente possessis, & ab ipso Lupone pervasis, oppidum violenter ædificavit. Quod cum vigilantissimè custodiret, ac secundùm morem vigilantium munitiones & castella ipsemet in ejus constructione vigilans frequenter cantaret, ob hoc vulgus arrisit, dicens: *Cantat Lupo:* ipsique sæpe applaudebat agens: *Canta Lupo*; unde castellum ipsum, Canta-lupo nomen accepit.

Erat præterea quidam vir alter, nomine Lupo, filius quondam Guidonis, qui habitâ convenientiâ cum Domno Adam Piscariensi Abbate, tribuit Monasterio S. Clementis in territorio Teatino, in ipsâ planâ de Piscaria, in pertinentiâ de curte de Orfiano, possessiones & predia; recepitque inde res Monasterii in Selcano & Soliano, in Petaczo & Zappino, secundùm quod chartula exinde scripta perdocet.

Hac igitur occasione & ex illo tempore Lupolinei, qui ab eodem Lupone dicti sunt Lupolinei, quoniam de Luponis lineâ processerunt, subintraverunt possessionem B. Clementis habitam inter tria flumina, Orta videlicet, ac Piscaria, & Lavinum, quæ protenditur usque ad sanctum Martinum de plebe, & usque ad rivum Alegium, infrà quam possessionem, videlicet circà rivum Cupum invenerunt petram, in quâ postea munitionem ædificaverunt, quæ dicitur castellum de Petra.

978. Eodem nimirum anno, videlicet Dominicæ Incarnationis nongentesimo septuagesimo octavo, cum solus Otto secundus Italiæ imperaret, quia primus Otto pater ejus Cæsar invictissimus jam ante quinquennium obierat; Lidvinus Teatinus Episcopus imitans alios, qui Ecclesiam Sanctæ Trinitatis & B. Clementis possessionibus spoliare, & ad nihilum reducere, si possent, nitebantur, abstulerat possessionem centum modiorum ultrà pontem Marmoreum, à flumine Piscaria usque ad rivum Arulli: quam possessionem, quam injustè possidebat, devictus & confusus dimisit & perdidit judicio Curiæ.

Matrona quædam nobilissima, nomine Ota, duos infantulos ex se genitos ad mortem ægrotantes Scifredum & Tresidium habens, illis diebus incolumes redderentur S. Clementi devovit. Qui profectò in ipsâ votatione, quibusdam prædiis suis in vico Pinnensi Monasterio per cartulam traditionis largitis, à funereâ ægritudine convaluerunt; deinde probitatibus & divitiis vigentes in hoc sæculo nobiliter claruerunt.

Tresidius quidam in Comitatu Aprutino terram centum modiorum, in loco ubi dicitur Colle-Corbino, inermi justitiâ fraude suâ B. Clementis & habitatoribus ejusdem Cœnobii abstulerat: convictus turpiter, quamvis non erubescens, dimisit, & ne in eâ ulteriùs calumniam faceret pro se & pro suis heredibus sacramento & scripto confirmavit.

980. Anno itaque ab Incarnatione Domini nongentesimo octogesimo, Domno Ottone secundo feliciter imperante anno quarto-decimo, mense Martio, Indictione octava, quædam mulier, nomine Ursa, religionis habitu suscepto, & monialis effecta, obtulit pro animâ suâ per cartulam traditionis tertiam partem de omnibus rebus & possessionibus suis quas in vocabulo de Raianello, & Pantano, atque Teczanico habebat.

His namque temporibus Abbas Adam ædificavit Roccam in summitate montis Soti, quam *Roccam Abbatis* jussit appellari: in quâ munitione, si necessitas ingrueret, decreverat thesauros Ecclesiæ, & quæque pretiosa locari. Fecit & aliud castellum quod olivulam appellavit, in quibus duas villulas posuit, Pantanum scilicet & Raianellum. Castrum verò Collis jam antea erat ad jurisdictionem Monasterii Piscariensis ædificatum ab Attone Comite, & ab Aldegude Comitissa uxore suâ, Domno Aimerico quondam Abbate sibi concedente, atque jubente quando ipsam curtem, ut suprà scriptum est, eis concessit. Interea cum ex diminutione quam Piscariensis Abbatia perpessa est à tempore quo barbara gens eam divastavit, Joannes Pinnensis Episcopus quædam adhuc de prædiis Monasterii B. Clementis in vico Pinnensi & Bectorrita, seu Colummelle, pervasa teneret, & Domnus Adam Abbas ab omni possessione juris Abbatiæ funditùs illum conaretur evellere, & maximè quia tunc temporis pro construendis supradictis castellis ipsæ possessiones erant necessariæ, factâ cambitione, redditisque sibi quibusdam possessionibus in Pinne loco qui dicitur Casale, prædicta prædia ad opus Monasterii recepit, & sic Episcopum ex Abbatiæ finibus amovit.

Hoc etiam tempore, anno scilicet Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo primo; dum 981.
his quæ supradiximus construendis Abbas Adam esset intentus, & Domnus Otto secundus Imperator Romam adveniret, ut ibi sicut moris est coronaretur, Abbas Adam, qui non dormiens, sed benè vigilans debet appellari, ei occurrit, & privilegium ab eo impetravit, in quo quæcumque pater ejus dederat, & concesserat, confirmavit. Quæ verò præceptalis pagina ad instar priorum Regalium præceptorum descripta sic est:

Privilegium Ottonis Imperatoris de possessionibus & libertate Monasterii Piscariensis.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, OTTO superno disponente ordine Imperator Augustus. Cunctis sapientibus liquet, &c. *ut in præfatis Privilegiis.*

Igitur superno afflati instinctu, interventuque nostri dilectissimi fidelis, Petri scilicet Papiensis Præsulis, inflexi, prælibati Abbatis precibus annuimus, cunctasque res inibi hactenùs quolibet tenore collatas, quæ etiam sitæ infrà Romuleam urbem, extraque esse videntur, &c. *ut suprà.*

Quod ut veriùs credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propriâ roborantes, præsentem paginam nostro sigillo jussimus insigniri.

Signum Domni OTTONIS secundi Serenissimi Imperatoris, & invictissimi Augusti.

Joannes Cancellarius ad vicem Petri Episcopi & Archicancellarii recognovi, & subscripsi.

Data decimo quarto Calendas Maii, anno Do- 981.
minicæ Incarnat. DCCCC. LXXXI. Indictione nonâ. Regni verò Domini Ottonis secundi vicesimo primo. Imperii autem ejus decimo quarto. Actum Romæ in Palatio juxtà Ecclesiam B. Petri Apostoli, in Dei nomine, Amen.

Eodem post hæc anno Domnus OTTO Imperator ex Romuleâ egressus urbe, & ædificatâ sibi regali domo in campo qui vocatur de Cedici, toto ipso æstivo tempore ibi perendinans mansit. Igitur eodem ibidem augustaliter permanente, Domnus Adam Abbas in Curiâ, quæ in ipso campo ab Episcopis, Comitibus & ferè totius regni Principibus, atque ipsarum Provinciarum judicibus solemniter est celebrata, à Scamberto Piscariensis Monasterii Præposito imperialibus perlectis privilegiis, recuperavit super adversarios & pervasores rerum sanctæ Piscariensis Ecclesiæ, & judicio ipsius imperialis Curiæ reinvestitus fuit de universis rebus & possessionibus, quas à principio sui Piscariensis Abbatia tenuerat, atque possederat, in Comitatu Amiternino & Furconino, & in Comitatu Marsicano atque Valvensi.

Et positum inde fuit imperiale bandum, sicut in ipsius notitiæ scripto reperitur & legitur.

Postquàm autem regressus est Abbas Adam ad Monasterium, studebat omni sollicitudine recuperare omnia ferè quæ temporibus antecessorum suorum perdita, vel vendita, vel in vadimonio posita fuerant. Nam super quibusdam viris Lupo & Deodato, & super quibusdam Joanne & Amico germanis, quoddam tenementum, Gemmerutum vocitatum, per sententiam Curiæ recuperavit; quod tenementum Castro Castellionis addixit. Construxit enim in ipso tempore ipsum Castellum ubi solebant esse haræ porcorum, & stabula jumentorum, in quo posuit vicum, qui Pinnensis appellabatur, & Gemmetum, & duas villas quæ ambæ Cevaranum dicebantur, cui nomen indidit, & ipsum vocari instituit Castellionum, eo quod ibi antea in castris suis solebant sedere pastores ovium. Fecit & Bitturritum ex nomine dictum Villulæ, quæ antea sic vocabatur, cui Bitturrito Blunsam junxit cum Petaciano, Perule & medietate Opaculi.

Scifredus & Tresidius supradicti fratres, quos beati Clementis virtute suprà diximus à mortali ægritudine liberatos, circà suam Ecclesiam semper fuerunt devoti. Quorum unus, Scifredus scilicet, ab Adam Abbate conventus & exoratus, possessiones ab antecessoribus ipsius Scifredi occupatas, & quas Abbatia sancti Clementis amiserat à tempore quo fuit imminuta ex desolatione barbaricæ gentis, venditionis actione reddidit & quietavit. Est autem hæc possessio in Frelle, Mosellule, Tocco, Bolomiano, Casule & in Cori, pro quâ suscepit prædictus Scifredus ducentos solidos. Ex istarum quidem villarum pertinentiis castellum nomine Mosillule fuit ex illo tempore à pervasoribus violenter ædificatum atque retentum. In hujus verò Mosillule tenemento est Ecclesia in honore & vocabulo S. Andreæ Apostoli ædificata, & à priscis temporibus in obedientiam Monasterii beati Clementis addicta.

Confutavit etiam idem Abbas Adam quemdam potentissimum, Bezonem nomine, de possessione mille modiorum terræ in Caramanaco & Piccerico, quæ ei ad censum data fuerat, & cum censum reddere, & ea quæ pollicitus erat Ecclesiæ observare nollet, & terram in dominio contrà jus & fas ipso tempore teneret, tandem devictus judicio quod injustè tenebat dimisit, & ne ultrà repeteret confirmavit scripto. Igitur in ipso tempore cum istas possessiones possideret Bezo non proprio sed beati Clementis titulo, ædificavit ex eis Castellula duo in valle de Caramanico, unum videlicet ultrà fluvium Orta & Orfente, quod vocavit Picericum, eo quod picæ ibi concinebant, quod quasi propter picarum concinium dictum est Picericum. Alterum verò citrà Orta fluvium ædificavit, cui nomen impositum fuit Salle, quia in ipso saltu montis, & infrà saltum lignorum est positum.

983. Per idem tempus anno videlicet ab Incarnatione Domini nongentesimo octogesimo tertio, Indictione undecimâ, cum Domnus Otto secundus Imperator in Apuliam profectus, & Ottone filio suo in Regem coronato, apud Varim civitatem maneret, Joannes Pinnensis Episcopus, qui jam bis victus fuerat in Curiâ Imperatoris Adelberti tempore Hilderici Abbatis, quasdam villas, videlicet Ranile, Mampopplo, Accole, Turri, Superclo, Fullonice, & Arcessano invaserat, ibique à Domno Adam Abbate superatus atque devictus cum rubore dimisit, & tam sibi quàm successoribus suis perdidit.

Sanè Tresidius Comes, cui frater erat supradictus Scifredus, cum magnæ devotionis esset circà beatum Clementem liberatorem suum, eo tempore quia potens erat in illâ regione, Domno Adam Abbate volente, quoddam ex aliquibus istarum villarum possessionibus Castellum ædificavit; quod cum filiis supradicti Luponis, & aliis consortibus suis & consanguineis displiceret, & ipse non desisteret, conviciabantur ei dicentes: Hoc est Castrum Abbatis ejus: quod verbum ipse Comes magnanimiter concepit, & quia dicebant castrum Abbatis ejus, imposuit ei nomen Abbateium, quasi Abbatis ejus.

Postquàm autem excellentissimus Abbas Adam de Apuliâ regressus est ad Monasterium, & omnia in eodem statu tranquilla possideret: in loco qui dicitur Petraniqua construxit castellum de Petelliano, monte Falcone, valle Lupâ, & alterâ medietate Opaculi. Corvariam quoque construxit, in quo Casule Lectum & Niranum posuit. Et dum his quæ suprà diximus construendis Abbas Adam esset intentus, Deus volens remunerationem reddere pro labore in quo ad profectum Ecclesiæ annis viginti & uno desudaverat; percussus corporis infirmitate cum sentiret suæ mortis sibi diem approximare, sumsit viaticum, & habens cum Fratribus colloquium, commendavit illis obitum suum; & ita lætus & securus de se perrexit ad Dominum. Quo tumulato Fratres quemdam ex suis, JOANNEM nomine, ipsius Monasterii Decanum, elegerunt, & secundùm consuetudinem Ecclesiæ in sede posuerunt; & ut imitator boni Pastoris sui, videlicet prædecessoris, esset, & dictis & factis sæpiùs commonuerunt. Qui Joannes cum esset Abbas effectus, cœpit facere præstarias de rebus & possessionibus Monasterii, sicut reperitur & legitur in chartulis dierum Abbatiatûs sui. Quæ chartulæ incipiunt ab anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo septimo. 987. Quo videlicet anno venerandæ memoriæ Adam Abbas est defunctus, & ipse Joannes Abbas fuit electus.

IX. Abbas Joannes.

Quidam suprà scriptus Comes fuit, qui Atto vocabatur, qui veniens ad prædictum Joannem Abbatem accepit ab eo in Comitatu Aprutino duas curtes, Urcionam scilicet atque Belerim cum appendiciis suis, videlicet cum septingentis modiis terræ. In Pinnensi etiam territorio idem Comes accepit ab eodem Abbate terram quingentorum modiorum inter flumen Piscariæ & flumen Tabæ, in locis qui dicuntur Saline, Coronule, Soractecu, Batuniano. Et in Teatino territorio inter flumen Sangum & flumen Piscariæ accepit ab eo mille modios terræ, in locis qui Ajano, Paterno, Corule, Ripa-corvaria, & sanctus Calixtus appellantur. Et hæc omnia, quæ suprà notavimus, prædictus Comes mille solidis accepit tali tenore, ut possideret ipsam terram dum adviveret cum uxore suâ nomine Aldegude, & ipsis defunctis nepos ejus Comes Transmundus possideret easdem, & haberet ab Abbate sancti Clementis usque ad tertiam generationem, & per singulos annos quinque solidos daret Ecclesiæ ob recordationem.

Talem successorem sanctæ recordationis Abbas Adam habuit, qui per novem annos Monasterio præfuit. Deinde condignâ morte Deus illum ex hac vitâ migrare coëgit. Cui successit GISLEBERTUS nomine, qui sicut in sequentibus scriptis reperitur, non suâ sponte accepit Abbatiam, sed parentes ejus cum præfato Comite Transmundo ordinaverunt eum Abbatem. Qui non invenitur in chartulis dierum suorum fecisse nisi præstarias & cambitiones, quæ incipiunt ab anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo septimo, quando concessit quibusdam Alberico & Prandoni de rebus in Corni, acceptis inde solidis quindecim. 997.

X. Abbas Gislebertus.

Tunc temporis quidam Adam tradidit pro animâ suâ quamdam terram modiorum septem in vico Pinnensi, ad opus Monasterii sancti Clementis. Interea infrà tempus Gisleberti quidam GRIMOALDUS Abbas reperitur, qui cuidam Aifredo concessit de rebus in Cerbarano, acceptis inde solidis quinque. Hinc amplius iste Abbas Grimoaldus non invenitur, tamen post Gislebertum scribitur, & nomen ejusdem Grimoaldi post nomen Gisleberti ponitur, & post eum locum habet in catalogo. Porrò in Monasterii regimine vel actibus rursùs Gislebertus Abbas habetur.

XI. Abbas Grimoaldus.

1000. Igitur Incarnationis Domini nostri JESU-CHRISTI anno millesimo, cum Otto Imperator puer præterito anno Beneventum venisset, obiit Sutri; & hoc anno Domini millesimo, ipso defuncto Henricus Patrui sui filius in Regem est coronatus. Gislebertus interea Piscariensis Abbas faciebat præstarias & cambitiones.

In tempore verò hujus Gisleberti posuit Deus in corde cujusdam nobilissimi hominis, Trasberti nomine, ut carens herede Christum suarum rerum faceret heredem. Iste castellum Colleodonis, & medietatem castelli Ripalte, & octavam partem Fabrice cum omnibus quæ ad hæc videbantur pertinere, dedit possidenda hereditario jure Ecclesiæ sancti Clementis, & ejus habitatoribus.

Fecit cambitionem cum nobili & potenti viro Pinnensi, Bernardo nomine, Liudini filio. Dedit nempe castrum Bectorritæ cum molendinis, & omnibus appendiciis suis, & cum aliis possessionibus Castellionis, & Olivulæ, per loca & vocabula in chartâ descripta; & recepit in Pinne per loca & vocabula circà littora maris Adriatici prædia & possessiones, terrarum, modiorum mille centum sex, sicut ejusdem cambitionis cartula protestatur. Porrò cambitionem istam opinati sunt quidam inutilem fuisse Monasterio cum pro rebus & possessionibus de longinquo tribuerentur possessiones & res Monasterio propiores, & maximè quia fiebat interruptio de possessionibus in circuitu Monasterii continuatim acquisitis ex mandato & pecunia felicissimi Ludovici, & ex acquisitione Domni Romani primi Abbatis, sine interpositione continuatis. Nam ex ipso tempore Remigius quidam de capite Piscariæ, & Sanso frater ejus ambo militaris insignes potentiæ, totumque genus Sansonicorum subintraverunt, & pervaserunt castella & terras Ecclesiæ quæ ædificaverat prudentissimus Abbas Adam cum multis expensis, ut essent profugium, decus, & tutamen Piscariensis Abbatiæ; & hoc malum totum deputabatur ignaviæ pigri Pastoris & insipientiæ. Verùm ab Abbatibus ei succedentibus factum istud non fuit ratum, imò continuò in irritum revocatum: & eo moriente conantibus vicinis Baronibus & Ecclesiæ fidelibus, ad nihilum penitùs fuit redactum. Iste est famosus ille Bernardus de Pinne, qui postquàm in ipso Comitatu Monasterium S. MARIÆ de Piczano, & Monasterium S. Bartholmæi de Carpeneto construxit, in hoc Casauriensi Monasterio Monachus factus, senectutis & vitæ suæ dies moriens explevit.

Item Gislebertus Abbas fecit cambitionem aliam cum Senebaldo & fratribus suis, filii Luponis, & per scriptum præstariæ concessit eis omnem terram, & omnem possessionem juris B. Clementis, à plebe S. Martini usque in flumen Piscariæ, & à fluvio qui dicitur Orta, usque in fluvium nomine Lavinum; & concessit eis Poium, ut castellum ibidem construerent, cum Bosco de Zappino, & cum terris quingentorum modiorum; accepitque per cambitionem ab eis ejusdem quantitatis terras in pago Pinnensi inter fluvium qui dicitur Nora, & fluvium qui vocatur Tabe, & in planitie Piscariæ ubi Orfianum vocatur, & per alia loca & vocabula, sicut in chartis inde conscriptis reperitur & legitur. Senebaldus verò, & Seifredus, & Wido filii Luponis, construxerunt castellum in eâdem propriâ terrâ B. Clementis, & aggregaverunt in eo villas plures assensu & voluntate Abbatis. Sanctus Valentinus nomen est castelli; pro eo videlicet, quia, sicut fertur, in supradicto vocabulo de Zappino fuit olim civitatula quædam in quâ cum duo fratres Valentinus & Damianus pro Christi nomine fuissent martyrizati, & post ipsius civitatulæ destructionem inventi, & deportati; necnon Ecclesia in eorum honore seu vocabulo in ipsius oppidi loco ædificata, ideo castelli nomen est Sanctus Valentinus. Construxerunt etiam aliud castellum circà fluvium Lavinum; cujus nomen propter ejus Ecclesiam inibi dedicatam est Sanctus Vitus.

Tredecim annis Ecclesiæ præfuit, & hac vita caruit. Cui JOANNES in regimine successit, de quo non inveniuntur aliqua memoriæ commendanda nisi quod fecit duas præstarias, cuidam scilicet Alberico & sociis ejus de rebus in Corni; quibusdam Alberico Diacono, & Fronconi fratribus, de rebus in Insulâ, acceptis inde solidis triginta quinque. Uno tantùm anno Abbatiam scribitur tenuisse, & in infirmitate correptus carnis debitum solvit. Istis nempe temporibus à Theobaldo & Winisio, filiis quondam Dodonis infrà terram & terminos possessionis juris B. Clementis ædificata fuerunt duo castella, Paternum videlicet & Lucus. XII. Abbas Joannes.

Defuncto itaque Gisleberto successit PONZIUS, cujus negotia & sui temporis instrumenta, incipiunt ab anno Dominicæ Incarnationis millesimo duodecimo. Tunc fecit commutationem cum quibusdam Petro & Faido, datis eis de rebus in Petaczano, & receptis ab eis de rebus in vocabulo de Sancto-Angelo. Concessit quidam Petro & sociis ejus de rebus in Opaculo & Corni. XIII. Abbas Ponzius. 1012.

Incarnationis ergo Domini anno millesimo decimo tertio Henricus Rex venit Romam, & coronatus est à Papa Benedicto. Interea Ponzius Abbas cum Tresidio Comite potentissimo viro, quem superiori inseruimus paginæ, de Castello quodam, quod habebat Ecclesia in pago Teatensi, Perannum vocitatum, fecit cambitionem, & cum monte de Perano, & cum omni re juris Monasterii de ipsâ planitie de Sangro; & accepit Belonianum, quod erat in villis vicinis Ecclesiæ in propriâ Monasterii possessione, sed à tempore Luponis supradicti filii Ludegerii, erat à Monasterii dominatione quasi violenter extortum: recepitque inde Abbas super hoc in Comitatu Pinnensi prædium unum modiorum centum, in loco qui dicitur Asinarii, vocabulo Pallaricia. Porrò post ipse Comes Tresidius ipsum Belonianum accepit à Monasterio, Abbate Ponzio sibi tradente, in beneficiali præstariæ scripto usque in tertiam generationem, sub censu duorum solidorum singulis annis; acceptis inde Abbas solidis trecentis. Eo tempore per Tresidium Comitem translatum est Belonianum, & cum eo aliis villis juris B. Clementis aggregatis, positum est in loco quo nunc est super ripam fluminis Orta, & murorum & turris ædificio in oppidum fortitudinis communitum, permanente sibi antiquo nomine Beloniano, eo quod de Bononia, sicut aiunt, fuit primus ipsius telluris cultor & habitator. 1013.

Hoc nimirum tempore anno siquidem ab Incarnatione Domini millesimo sexto decimo, Normanni Melo Duce cœperunt expugnare Apuliam. Quo videlicet anno Ponzius Abbas habuit convenientiam cum Comite Trasmundo, porrexitque sibi per cambitionem in Pinnensi territorio de rebus Monasterii in loco nomine Biano & Vallone, & in vocabulo col- 1016.

lis Oddonis, & in planitie Piscariensi, & in loco nomine Asinarii, vocabulo Pallaricia; accepitque Abbas inde per commutationem ab eodem Comite in Pago Teatensi, in loco qui dicitur Torrecella, & Colle-alto, terram secundùm quantitatem suæ donationis, id est trecentorum modiorum, sicut ejusdem cambitionis chartula manifestat. Iste Comes Trasmundus construxit Monasterium S. Joannis in Venere, & de suis rebus & possessionibus opulenter ditavit. Qui Comes Trasmundus junior successit majori Comiti Trasmundo in possessionibus opulentissimis, quas à suprascripto Joanne Piscariensi Abbate in Aprutio, Pinne seu Teate acceperat, terram videlicet modiorum duo millium quadringentorum. Ipsarum nempe possessionum quædam ab ipso S. Joannis Monasterio, quædam ab aliis Monasteriis possidentur; quædam verò à Normannis invasæ; ab illo tempore Monasterium S. Clementis occasione supradictæ concessionis eis penitùs caruit.

Erat præterea eo tempore Girardus quidam quondam Rocconis filius, qui tunc castrum Poperim vocitatum tenens, solebat cum filiis suis frequenter in montem de Ursa venatum ascendere, & de ipso monte cum suis venationibus in Teatinum pagum descendere, ubicirca ipsius montis ima erant villæ Monasterii B. Clementis; & in eisdem villis sæpiùs pernoctare. Qui Gerardus Abbatem Ponzium adiens convenit & alloqutus est eum, & datis ei trecentis solidis accepit ab eodem Abbate præstariæ scrito usque in tertiam generationem, sub censu duodecim denariorum singulis annis, villam de Tocco cum possessione modiorum ducentorum sexaginta per loca & vocabula, quomodo in ejusdem concessionis chartulâ reperitur & legitur. Ab hoc siquidem Girardo processerunt Albericus, & filii Alberici, qui post mortem Girardi contrà Monasterium S. Clementis se erexerunt, & violenter villis de circuitu aggregatis castrum Tocci violenter ædificaverunt. Deinde pharum, qui dicitur Inter-montes, construxerunt. Ipsique à constructione seu dominatione Tocci, dicti sunt Tocculani.

Domna Ota nobilis matrona, quondam Andreæ filia, pro animâ suâ, & duorum quondam virorum suorum, Joannis atque Totonis, tradidit ad proprietatem Monasterii S. Clementis prædiolum suum quod habebat in Cerbarano.

XIV. Abbas Adam II. [Hic autem] Ponzius Abbas cum septem annis Piscariense Monasterium rexisset, obiit. Huic successit ADAM, superioris Adæ, si diutiùs viveret, bonus imitator; qui contrà Albericum suprascripti Girardi Rocconis filium, & filios ipsius Alberici, qui volebant ædificare castellum Toccum, quod in propriâ possessione beati Clementis, & in emptione quam fecerat Romanus Abbas jussione, & censu Ludovici Imperatoris, se erexit, & forti manu tam peditum quàm equitum eum expulit, quod ædificaverat subvertit, igne cremavit, & ad memoriam posterorum cineres concremati castelli jubens in corbellis ponere, in agrum qui Corbellarius ab eisdem corbellis dicitur, eos spargi præcepit. Cum ergo secundus Adam Abbas Piscariensi Monasterio præesset (cujus nimirum temporis actus, & instrumentorum principium fit in anno Incarnationis Domini

1019. millesimo nono-decimo) duo fratres Deo-datus & Bonizo pro animâ Roczonis genitoris eorum tradiderunt in Monasterii proprietatem prædiolum, quod habebant in vocabulo Petaczano.

Temporibus hujus Adæ venit Henricus Imperator in Italiam, & quidquid de oppressionibus Monasterii Piscariensis per Monachos ejusdem loci scire potuit, augustaliter emendavit.

Tribus annis tantùm Adam Abbas vixit ex quo regimen suscepit, & mortuus est. Cujus in loco successit PETRUS: qui cuidam Berardo Presbytero, & aliis viris ejus sociis, concessit scripto præstariæ de rebus Monasterii in Moscufo, vocabulo de sancto Rustico, terras & vineas, acceptis inde solidis decem & octo. Eodem anno mortuus exstitit quo fuerat Abbas institutus. XV. Abbas. Petrus.

Deinde Fratres ejusdem Ecclesiæ elegerunt STEPHANUM, qui cœpit abbatiari anno Dominicæ Incarnationis millesimo vicesimo tertio. Tunc enim quidam Adam, filius quondam Roccæ tradidit pro animâ suâ S. Clementi medietatem omnium rerum suarum, quas habebat per loca & vocabula, Petaczano, Vadulato, Stabuli, Vico, & Raianello, sicut in chartulâ continetur. XVI. Abbas. Stephanus.

Fecit etiam Stephanus Abbas tempore suo præstarias, videlicet cuidam Joanni concessit de rebus in Breliano, acceptis inde solidis triginta.

Decem homines erant in villâ quæ vocatur Interaquas, posita in Valvensi Comitatu, quæ villa erat juris Monasterii S. Clementis à priscis temporibus. Qui homines, videlicet Suppo & Sabinus, & reliqui quorum nomina chartula tradit, pervaserant possessiones S. Clementis habitas in valle Meserâ suprà ipsam villam. Unde cum easdem possessiones tenerent, & inde nollent Ecclesiæ servire, Stephanus Abbas coëgit illos in causam venire, ac infrà civitatem Sulmonem, ubi Beraldus Comes Valvensis, & Berardus frater ejus, cum multis aliis nobilibus viris, atque provinciarum judicibus in placito pro justitiâ faciendâ præsidebant, confutavit atque devicit; & faciens illos confessos in ipsis Ecclesiæ rebus nihil juris habere, à possessionibus habitatione projecit, & terram ipsam in jurisdictionem Ecclesiæ convertit.

Stephanus autem Abbas cum uno tantùm anno esset in regimine, in secundo accepit moriens temporalis finem vitæ. Cui successit PAPARUS, cujus actus nesciuntur, quia neque chartulis, neque opinione reperitur quid fecerit, vel quantum vixerit; verùm nomen ejus post Abbatem Stephanum in catalogo ponitur, & in fine libri primi nomine tenùs tantùm describitur. XVII. Abbas. Paparus.

Jam verò Piscariensium Abbatum successio ad Domnum Guidonem pervenit, ipsique contradit Monasterii pondus. De quo quia plura sumus loquuturi, aliquantulum pausare debemus, & dare fessa membra quieti, ut ad loquendum de tanto viro paratiores possimus inveniri.

Explicit Liber primus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Refocillati aliquantulum à longo labore, excutiamus torpida membra nostra gravi sopore, & arrepto stylo de sancto viro GUIDONE, sicut promisimus, incipiamus tractare. Veruntamen aliquantulum superiùs habeamus sermonis initium, ut decentiùs perveniamus ad eum locum, ubi fuit electus, & accepit curam Ecclesiæ atque ducatum. Incuriâ quorundam Abbatum & irreligiositate Fratrum ad tantam miseriam devenerat S. Clementis Piscariense Monasterium, ut pauci numero vix possent invenire qui eis præesse vellet; ita erant oppressi, & nomen Abbatiæ penè perdiderat eorum Cœnobium. Quid facerent? Hostes erant in capite à quibus circumvallabantur undique, nec eis erat facultas si possent aut vellent insulam egredi, quia pontem subverterant, & in locis oportunis insidias posuerant illi, qui castella Ecclesiæ pervasa tenebant, ipsorum & Dei XVIII. Abb. S. Guido.

manifesti inimici. Ignorabat enim eos Curia Imperatoris, quia jam plures anni transierant ex quo non fuerat frequentata à quolibet Abbate, vel nunciis illius Abbatiæ. Unde factum est, ut pervasores eorum securi tenerent quod Ecclesia diu possiderat ex dono sanctæ recordationis Ludovici, & emptione Abbatis Romani, & nimiis expensis Adæ venerabilis & auctoris illius Cœnobii. Tandem inito consilio elegerunt de Fratribus quosdam, qui per medios hostes irrumperent, & ad Curiam Domni Imperatoris Henrici, qui successerat Ottoni tertio, tendentes, lacrimabili voce & singultuosâ ei miseriam Ecclesiæ panderent; & pervasionem inimicorum, nuditatem Fratrum, dolorem Conventus ex Abbatis absentiâ demonstrarent. Qui egressi portaverunt litteras, quæ adhuc in Ecclesiâ ipsa habentur, & coram præfato Imperatore legerunt; & non solùm eum, verum etiam omnes audientes & adstantes ibi ad lacrymas usque ex relatione & miseriâ Fratrum perduxerunt. Quarum litterarum exemplar talis est.

Serenissimo, atque Illustrissimo, necnon à Deo coronato, à nobis summâ cum veneratione nominando, Domno HENRICO gloriosissimo Romanorum Imperatori Augusto, atque Domnæ AGNETI luculentissimæ, sagacissimæque Reginæ, unà cum eorum sobole; sanctæ Trinitatis Cœnobii Fraternitas tenuis, quidquid servi Domino. Quamvis S. Clementis Piscariense Monasterium ad multam miseriam devenerit, tamen hos mittit apices lugubres: Væ, væ miseræ ac miserabiliter repudiatæ Aureæ Insulæ, quæ antea benè aurea, nunc verò omni amaritudine oppressa, & penè jam desolata suis ex delictis, culpaque cujusdam Regentis. Fuit denique ante hos annos quidam Gislebertus nomine, monachico habitu coloratus, sed non opere, cum uno oculo lusco, sed mente omninò cæcatus; tamen non suâ sponte accepit Abbatiam, sed parentes ejus cum Comite Transmundo ordinaverunt eum Abbatem; & propter quod extrà voluntatem ejus ordinatus est, concambiavit, & dissipavit totam Abbatiam, in tantum, ut penè nil remaneret de prædiis Monasterii; verùm etiam pontem qui multum necessarius est ibi, eo quod terribilis sit aqua ad transmeandum, ab illâ hora numquam firmiter potuit habere prædictum Monasterium, sed quasi in carcere quotidie stamus, & cum grandi miseriâ pertransimus aquam, & multi moriuntur ibi propter periculum vadationis. Hoc malum sanctissimus Henricus optimè emendasset, si non fuisset unus malus Monachus, qui non permisit reclamari prædicto Seniori; tamen quod scivit, honestè emendavit. Ad istum namque mœroris cumulum alius accedit, quia quæ restauravit prædictus Imperator de prædiis Cænobii, à nostris vicinis plura invasa sunt. Nomina illorum dicuntur, Sanso cum filiis suis tulit castra de prædicto Monasterio, Castellionum, Bectorritam, Roccam Soti, Petazcianum: filii Alberici curtem de Tocco, & ipsam Insulam de præfato Cœnobio, & ipsa molina, quæ ibidem stare videntur juxtà portam Monasterii; & contendunt nobis ligna de montibus quos Ludovicus Rex eidem Monasterio delegavit; & alias multas oppressiones nobis faciunt. Alios de Monachis cæderunt, atque alios exspoliaverunt. Filii quondam Luponis tenent curtem unam quæ nominatur Zappini, modiorum mille. Adam filius Joannes tulit de ipso Monasterio terram sexaginta modiorum, quam Adam medicus per chartulam delegavit. Trasmundus filius Bernardi curtem de Orretano, cum ipsâ Ecclesiâ sanctæ Justæ; & in Ceranâ, & in Moscuso. Sed quid multa? si omnia voluissem scribere, antea dies deficeret quam possem comprehendere quantæ miseriæ circumdati sumus. Quapropter, ô Cæsar invictissime, unà cum Domnâ nostrâ, & vestris pollentibus filiis, per Christum Dominum flebilis precatur turmula Aureæ-Insulæ, ut opem feratis perditæ; ne si neglexeritis, imperio animæque vestræ periclitemini. Periculosum est enim tempore, si omninò deficiat sub vestro locus jam dictus, in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis, beatique Clementis Martyris constructus à Domno Ludovico piissimo Imperatore. Nunc ergo zelo Dei accensi, attendite quanto grex vester invalidus districtionis pondere sit pressus, qui refrigerium petit à Christo, & à vobis, qui secundùm Deum regitis sæculum. Ipse vos ubique custodiat, quem Angelicus chorus semper adorat.

Domnus autem Imperator tunc temporis circà loca Farfensis Ecclesiæ morabatur cum grandi exercitu quo erat Appulos & Trojanos expulsurus, qui faventes quibusdam Normannis qui eos deceperant, & sibi subjugaverant, non virtute, sed vitio illius gentis, rebellari nitebantur Romanis. Hic ut audivit quia Fratres carebant Abbate, & idcircò ad nihilum deducebantur & devastabantur possessiones Ecclesiæ, habuit consilium cum Baronibus suis, & accersito Abbate Farfensi, requisivit si esset in Monasterio illo aliquis Monachus amator religionis, custos monastici propositi, eruditus literis, & nobilitate præclarus. Et cum audiret famam Widonis celebrem non solùm inter Monachos, verumetiam à popularibus & forensibus prædicari, petiit eum ut sibi daretur, & Ecclesiæ Piscariensi, quæ viduata Pastore erat, Pastor eligeretur. Qui cum se indignum & minùs idoneum, ut moris Sanctorum virorum est, proclamaret, & ut quietam vitam eum ducere sinerent, profusus pedibus Abbatis cum lacrymis oraret, traditus Fratribus ad utilitatem præfati Monasterii eligitur, & Abbas S. Clementis Piscariensis licet invitus instituitur. In quo officio quantum ipse pro Ecclesiâ sibi commissâ laboravit, quantâ abstinentiâ corpus perdomuit, quàm modestus in exhortando, severus in corrigendo fuit, Liber qui de ejus vitâ scriptus habetur in Monasterio, verâ assertione, quamvis humili stylo, manifestare non desinit.

Traditus itaque Fratribus, & cum grandi honore & jussu Imperatoris ad Monasterium usque perductus, cum videret ruinam parietum, fracturas domorum, pane & vino penum vacuum, nudos Fratres, destructum Monasterium, paucis diebus ibi commorans, sumptis privilegiis & chartis revertebatur ad Imperatorem; sed antequàm venit ad eum, audivit de morte ejus. Antea verò quàm proficisceretur, cum esset in Monasterio novus Abbas, in anno videlicet ab Incarnatione Domini nostri JESU
CHRISTI millesimo vigesimo quinto, quædam pos- 1025.
sessiones datæ fuerunt Piscariensi Monasterio, quæ scriptæ sunt ad notitiam posterorum, & in chartulis habentur. Nam in territorio Teatino dederunt quidam pro redemptione animarum suarum per manus Domni Widonis Abbatis de rebus proprietatis suæ: videlicet quidam Lupus quasdam res in Beloniano; & quidam Giso Presbyter, & Lupus filius quondam Deodati, quasdam res suas in Tocco, per loca & vocabula, videlicet Plaia-perronis & Spineta. In sequenti verò anno Dominicæ Incarnationis
millesimo vigesimo sexto, quidam vir, nomine Adam, 1026.
per chartulam tradidit atque disposuit pro animâ suâ Sanctæ Trinitati & B. Clementi Ecclesiam, quæ dicitur sanctæ MARIÆ de Loro, cum omnibus rebus suis & possessionibus, quemadmodum in eâdem chartulâ legitur: quod castrum videlicet Lorum est in ipso Teatino Comitatu.

Recuperavit etiam legali judicio Domnus Wido Abbas super quemdam potentem virum, qui vocabatur Albizo, quasdam possessiones in loco nomine Superone, pertinentiâ de Alanne, & in pertinentiâ de Tocco terram quinquaginta modiorum reacquisivit, per ipsam judicialem sententiam; quæ possessio est in planitie juxtà Piscariam, in loco ubi dicitur Undula.

Dedit etiam Siolphus quidam possessionem quamdam in loco, nomine Vico, qui Vicus à principio fundationis Monasterii Piscariensis fuit de jure B. Clementis, sed postea translatus fuit in castro nomine Castellione, quondam ab Adam Abbate ad jus & proprietatem S. Clementis ædificato, sicut in superioribus scriptis habetur. Nam eo tempore tenebant ipsum castellum Sanso & Gualterius, filii Rainaldi, & alia castella, videlicet Roccam de Soti, Bectorritam, & cætera quæ ab ipso Abbate Adam temporibus augustæ recordationis Domni Ottonis gloriosissimi Imperatoris, ad profectum Monasterii S. Clementis fuerant ædificata. Sed cùm ex negligentiâ & culpâ quorumdam Abbatum Piscariensis Abbatia foret imminuta, & potentia ejus attenuata, tota terra à supradictis Baronibus fuit pervasa, qui tenebant ipsas possessiones, quæ cum ex antiquo jure fuissent B. Clementis, postea ab ipsis usurpatæ abusivè fuerunt appellatæ Sansonicæ, ex nomine ipsius Sansonis.

1027. Millesimo vigesimo septimo Sifredus & Rainerius quidam homines auxerunt quasdam res proprietatis suæ, in possessionem quam Ecclesia S. Clementis ex antiquo jure tenebat in loco nomine Coronule.

Post mortem igitur primi Henrici Imperatoris, de quo suprà loquuti sumus, cum Domnus Wido Piscariensis Abbas audiret, quia alter positus esset in loco ipsius, nomine Corradus, iterum sumptis chartis & privilegiis profectus est ad eum. Qui gloriosus Imperator eumdem Abbatem cum magnâ reverentiâ suscepit, privilegia & chartas coram se legi fecit, quod postulabat implere studuit, novoque privilegio quæ data in Monasterio fuerant ab antecessoribus suis, confirmavit. [Quod Privilegium à Domno Widone venerabili Abbate ad Piscariense suum Monasterium reverenter allatum, diligenter cum aliis conservatur.]

Præceptum Corradi Imperatoris de libertate & rebus Monasterii Casauriensis.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, CHUONRADUS divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Cum petitionibus servorum Dei justis ac rationabilibus divini cultûs amore faverimus, & his oportuna beneficia largiamur, præmium nobis æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Quocircà omnium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque fidelium, præsentium videlicet ac futurorum comperiat solertia, qualiter Wido venerabilis Abbas Monasterii sanctæ Trinitatis, ubi Corpus Beatissimi Pontificis & Martyris Christi Clementis reconditum est, in Comitatu Pinnensi, in insulâ quæ Casa-aurea vocatur, nostram adiens præsentiam ostendit nobis nostrorum antecessorum Regum vel Imperatorum præcepta eidem Monasterio facta, atque suppliciter postulans, quatenùs pro ipsius Sanctæ & Individuæ Trinitatis, ac testis ejus Clementis amore, eadem præcepta, nostrâ Imperiali ac præceptali auctoritate confirmaremus. Nos verò ejus justis postulationibus assentientes, confirmamus jam dicto Monasterio quidquid in superioribus continetur præceptis, prout justè & legaliter possumus, videlicet quidquid habere videtur infrà Romanam urbem, sive extrà ipsam, &c. *ut in superioribus præceptis.*

Et quidquid de prædicti Monasterii possessionibus Fiscus noster sperare poterit, totum nos pro æternæ remunerationis præmio prædicto Monasterio concedimus, ut in alimonia pauperum, & stipendia Monachorum ibidem Deo famulantium, nostris, futurisque temporibus semper proficiat in augmentis, &c.

Concedimus etiam & imperiali auctoritate præcipimus, ut in quantum præfata insula tenere videtur, nulla fiat habitatio cujuscumque ordinis vel dignitatis, exceptis his qui ibidem Deo deserviunt, & his qui illis servituri sunt. Quòd si aliquis huic nostræ præceptioni contraire voluerit, & per annum integrum ibi permanserit, absque dubio servus ipsius loci deinceps permanebit. Insuper concedimus, ut nullus homo audeat respondere mallaturam Advocato ejus. Et si aliquo tempore aliqua intentio contra idipsum Monasterium exorta fuerit, non per viliores, sed per nobiliores & veraciores homines diffiniatur ex utrâque parte. Si quis igitur, &c.

Et ut hæc nostra imperialis auctoritas firmior habeatur & diligentiùs observetur, manu propriâ roborantes, præsentem paginam sigilli nostri impressione inferiùs jussimus insigniri.

Signum Domni CHUONRADI Serenissimi Imperatoris Augusti.

Hugo Cancellarius vice Domni Har bonis Archicancellarii recognovit.

Deinde idem Imperator Domno Widoni Abbati unum ex Ducibus suis Ugonem comitem dedit. Cui præcepit ut imperiali potestate sumptâ restitueret Ecclesiæ quidquid possiderat, tam castella quàm villas; & non discederet ab eo donec omnia possideret pacata. Qui veniens, antequàm Monasterium ingrederetur, de ponte qui fuerat subversus querimoniam fecit, & in præsentiâ præfati Ducis intùs in eodem Monasterio coram Episcopo Nuceriensi Dodone, & Episcopo Synogaliiæ Adelberto nomine, & coram Baronibus tam Pinnensis quàm Thyatinensis Comitatûs, quorum ibi maxima multitudo advenerat: in die statuta, videlicet die mensis Januarii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo vigesimo octavo, ita sancitum est, & confirmatum scripto per manus Widonis Abbatis, ut liceat Abbatibus sancti Clementis ex illo tempore usque ad finem mundi construere pontes ubicumque voluerint. Et qui in hoc facto eis contradicere tentaverit, persolvat mille libras auri mundissimi in thesauros Domni Imperatoris. 1028.

Peractis itaque pactionibus & confirmatis scripto, sicut suprà diximus, de pontium ædificatione, Wido Abbas habuit altercationem & placitum coram Duce, quem missum diximus ab Imperatore, de possessionibus quæ erant circà insulam Monasterio vicinæ. Plures enim invaserant ipsas possessiones, & tenebant eas non de Deo neque de homine. Qui autem fuerunt hi, cognoscant præsentes & posteri. Sanso & Walterius, filii Rainaldi, tenebant possessiones, quæ abusivè fuerunt appellatæ Sansonicæ, ex nomine Sansonis. Theodinus & Gerardus, filii Alberici, habebant Toccum cum totâ valle Caramanicâ; Senebaldus, Lupus, & Ubertus, filii Luponis, tenebant sanctum Valentinum, & terram à flumine Lavini usque ad prædictam vallem Caramanicam; & nolebant inde servire Abbati, neque servitoribus Ecclesiæ. Fortes enim erant & potentes, & mutuò se colligaverant, ut si unus invaderetur, omnes eum pro suo posse juvarent. Unde prædictus Abbas Wido nimiùm impeditus, quia neque eos omninò pulsare, neque possessiones quas ipsi violenter tenebant eis auferre valebat, præfixit diem, eosque in placitum venire coëgit.

Cumque multi advocati essent in præsentiâ præfati Ducis, & prædictorum Episcoporum, Synogalliæ videlicet & Nuceriæ, necnon Berardi Spoletini Episcopi, & Walterii Furconensis, & in præsentiâ Bernardi & Petri Judicum sacri Palatii, & Berardi Comitis filii Comitis Theodini, Attonis Comitis, & filii ejus Alberici Comitis, Ugonis Comitis, & Oifredi Comitis filii Monaldi Comitis, prænominatus Abbas habuit verba hujusccmodi: Domne Dux, & vos Domni Episcopi, Comites & Barones, qui ex præcepto Domni Imperatoris vocati venistis, audite me, si vobis placet, pro amore Domini nostri JESU-CHRISTI: Monasterium istud cui Deo volente præsideo, quod institutum fuit & fundatum à sanctissimo Imperatore & victoriosissimo Ludovico, ita spoliatum est & nudatum omnibus bonis, ut servi Dei qui in eo latitant vix habere valeat unde vivant diebus singulis. Vicini nostri, qui nos pro Deo diligere & pro metu Imperatoris caros habere debuerant, invaserunt possessiones nostras, occupaverunt castella quæ Antecessores nostri cum magnis expensis ad tutelam Monasterii, & decus regni ædificaverant, nec ea nobis reddere volunt, imò de illis nos & nostros, quos paucos nobis reliquerunt, expugnant. Alii Abbates qui ante me fuerunt, quoniam erant de carne eorum, læsionem Ecclesiæ patienter tulerunt. Ego verò qui extraneus sum, qui in nullo habeo fiduciam, nisi in Deo & justitiâ Domni Imperatoris, tantum malum ferre non possum; obsecro & obtestor pro amore Dei, & reverentiâ vestræ præsentiæ, illos qui hucusque debacchati sunt in destructionem & confusionem Ecclesiæ S. Clementis, & dejectionem nostræ Congregationis, reddant sponte quod malè de nostro tenent, & non sperent me cedere nimis, quia paratus sum pro honore Ecclesiæ meum sanguinem fundere, & pro nomine Salvatoris. His dictis obmutuit, & quod illi respondere vellent, sicut vir sapientissimus cum maximâ gravitate diutiùs exspectavit.

Tunc illi in unum conglobati consilium acceperunt, & quod ex consilio acceperant, uni pro omnibus intimare præceperunt. Tunc ille: Jussu, inquit, Domne Dux, & vos omnes Episcopi & Barones, qui præsenti interestis concilio, amicorum & consanguineorum nostrorum, qui reverà una sumus caro, incepi vobiscum loqui; & si defecero, sicut in hac terra est consuetudo, non est bonum quòd ipsi propter meam simplicitatem damnum patiantur, ipsi poterunt emendare si aliquid minus fuerit nostro eloquio. Non indigemus multis verbis, petimus misericordiam & pietatem Domni Abbatis, ne velit proscribere filios nostros, qui fuerunt nati & nutriti sub alis & præsidio beati Clementis: quod malè tenuimus, benè tenere parati sumus; occupatores, pervasores vocamur, nos servos Monasterii & benefactores amodo & deinceps & fatemur & promittimus; & quidquid necessarium fuerit Ecclesiæ tam in libris quàm in ornamentis, de nostro dare, & censum annuatim persolvere, & contrà hostes, si aliqui contrà Monasterium insurrexerint, nos pugnaturos & successores nostros scripto & sacramento confirmabimus.

Ad hæc Abbas respondit ex consilio: Non ego sum ex illis qui blando possint decipi verbo; si funditùs dimittitis possessiones quas impiè pervasistis, ego suscipiam; sin alias, pro certo sciatis quia nec angulum alicujus domunculæ vobis dimittam; totum quod invasistis dimittite, & postquàm dimiseritis, quod nobis placuerit, non pro censu neque affirmatione alicujus chartulæ, & quamdiu voluerimus & res nobis dimissas ad profectum Ecclesiæ nostræ tractaveritis, pro amore parentum vestrorum, & rogatu circumadstantium permiserimus.

Illi metuentes magis Imperatorem quàm Deum, & cognoscentes Abbatis vigorem, & ejus invincibilem animum, ad ipsius genua procumbentes, quidquid ipsi malè invaserant in ejus misericordiâ dereliquerunt, & juraverunt, quòd nec ipsi, nec successores sui, aliquid de illis possessionibus, quas prædictus venerabilis Abbas Wido sibi retinuerat, usurparent; & illis tantùm, quæ suâ miseratione non pro timore eorum vel parentum suorum habenda concederet, contenti essent.

Quæ autem retinuit Abbas in suâ dominatione, & quæ illis concessit, ne iterum fiat altercatio præsenti scripto mandare curavimus. Retinuit sibi dominationem totius terræ, & in proprio munitiones, in quibus etiam suos misit custodes. Retinuit & pascua, molendina, sylvas, optima rura, decimas, Ecclesias, sepulturam, & alia omnia quæcumque ad dominationis pertinere videntur officia. Illis dimisit cætera, non sub jure dominationis, sed sicut petierant servili conditione habenda. Sanso verò, qui princeps quodammodo & auctor hujuscemodi seditionis, ut prænominatum est, fuerat, Ecclesiam quamdam in terrâ S. Clementis in loco videlicet, qui Blisianus est appellatus, in honore sanctæ MARIÆ fundaverat; in quâ contrà jus & fas sicut alter Jeroboam suas aras erexerat, neque ad Monasterium sancti Clementis funera tumulari sinebat. Illam Abbas Wido cum haberet in manu, & deberet & posset funditùs destruere, non pro timore Sansonis, sed pro reverentiâ sanctæ Dei Genitricis, in cujus honore ædificata fuerat, integram conservavit; ibique quemdam Monachum suum nomine Franco posuit, qui eidem Ecclesiæ deserviret, & ad augmentum rerum non ad detrimentum studeret.

Quidam Gizo dedit in Valeriano majore & minore, & in aliis locis & vocabulis, in fundo Aprutino possessionem ducentorum modiorum, cum ipso castello Valeriano, & Ecclesiâ sancti Juvenalis, cum omnibus tenementis & pertinentiis suis. Rursus in Comitatu Teatino pro reverentiâ Domni Widonis Abbatis Ubertus, filius quondam Senebaldi, refutavit, & per investituram reddidit Piscariensi Monasterio in manus ejusdem Abbatis omnem terram juris sancti Clementis, quam Wido & Sifredo & Senebaldus, filii quondam Luponis, acquisierant à prioribus Abbatibus in Zappino, & aliis locis, & vocabulis, videlicet à sancto Martino de plebe, quidquid continetur inter tria flumina, quorum nomina sunt, Orta, Lavinum, & Piscaria, anno Dominicæ Incarnationis millesimo vigesimo nono. 1029.

Hæc quæ suprà diximus, & multa alia, quæ subtraximus à præsenti paginâ ne tædium inferre viderentur Lectori, data fuerunt Monasterio Piscariensi, & acquisita in tempore venerabilis Abbatis Widonis. Nomina quorum, videlicet dantium, atque datorum, videlicet possessionum scripta sunt, & habentur in chartulis ad notitiam posterorum.

Quidam Presbyter, Ursus nomine, ædificaverat Ecclesiam in honore sanctæ MARIÆ, in loco qui Fasanaria appellatur, ibique posuerat Abbatissam nomine Giburgam, quæ præerat Congregationi Monacharum. In millesimo trigesimo Dominicæ Incarnationis anno illam divino admonitus instinctu subdidit Monasterio sancti Clementis per manum Domni Widonis Abbatis, cum tenementis & pertinentiis suis, in locis & vocabulis, videlicet Casule, Mauro, Porcari, Lecto, sancto Apollinari, Mortula; terra quidem sexcentorum modiorum, sicut in chartâ quæ est exinde facta legitur. 1030.

In millesimo trigesimo primo anno ab Incarna- 1031.

tione Domini acquisivit Domnus Wido venerabilis Abbas in Comitatu Marsicano quamdam Ecclesiam, in honore beati Clementis constructam & dedicatam, in loco nomine Calluccu, cum omnibus pertinentiis suis, donantibus eam quibusdam viris Mainardo, & Alberto germanis pro animarum suarum redemptione: cui Ecclesiæ ad honorem Monasterii Piscariensis per manus ejusdem Abbatis augmentatæ sunt plurimæ possessiones à quibusdam fidelibus viris ipsius Comitatûs, videlicet Dodone, Ponzone, Geffredo, Actone, Alberto, Francone, Mainardo, Maio, per loca & vocabula, videlicet Aniu, Pede-de-monte, Cretario, Petre-late, Curiano, & valle de Ortuccle, sicut tradunt chartulæ quæ inde scriptæ habentur in Piscariensi Monasterio cum aliis reconditæ.

Præterea in fundo Teatino est quidam locus, qui dicitur Oligetum, in quo à quibusdam viris, videlicet Joanne, Gisone, Aifreto, Maio, Petro, Benedicto, & cæteris eorum consortibus, fundata est Ecclesia vocabulo sancti Sylvestri; quam Ecclesiam communiter omnes pro remedio animarum suarum tradiderunt, & concesserunt ad proprietatem Monasterio sancti Clementis, cum omnibus rebus
1032. & possessionibus suis. Et in anno Domini millesimo trigesimo secundo ipsam donationem chartulâ confirmantes, in manibus Domni Widonis Abbatis devotissimè obtulerunt.

1033. Per idem tempus vir Domini Wido Abbas tam pro suâ religione, quàm pro gloriosi Imperatoris Chuonradi timore, florebat pace & quiete in Domino; sed ei diabolus invidens quosdam nefarios suæ crudelitatis ministros, videlicet habitatores sancti Valentini contrà eumdem sanctum virum armavit, & campum, qui propriè proprius B. Clementis erat, & ad jus ejusdem Ecclesiæ pertinebat, invadere fecit; unde sæpissimè vir summæ mansuetudinis angustiatus, Baronum turmam, & indigenarum aggregavit, quorum testimonio cum præfati nequissimi acquiescere nollent, tandem sententia prolata judicio quod ipsi denegabant, & isti affirmare volebant, pugnâ terminari judicavit, ut qui victus esset campum amitteret, & de cæteris minùs credulus appareret. Hanc enim rationem Valentiniani videbantur habere, quia Piscaria antiquos cursus nota erat prætermisisse, & idcircò affirmabant quidquid intrà eam & castellum continebatur, haberi de eorum possessione. Venit dies, in quâ multitudo Baronum & plebis coadunari debebat, qui omnes uno ore affirmabant Abbatem injustè niti, & agrum esse de pertinentiis sancti Valentini. Quid plura? Beatus vir Wido cujus spes tota erat in Domino, suos jussit insistere orationi, & pridie antequàm pugna debebat fieri, solus mediâ nocte egressus de Monasterio, comitante eum qui semper justis præsto est Spiritû sancto, venit ad fluvium, & altâ voce dixit ad eum: Adjuro te per nomen Domini nostri Jesu-Christi, & per virtutem Beatissimi Clementis Præsulis & Martyris, ut sequens me ad priorem cursum revertaris, & campum deseras quem malignantibus non tuâ sponte, sed instinctu diaboli delegasti. Et ostendens signum baculo quem manu gestabat quo illum fluere juberet; tamdiu sequutus est sancti viri vestigia, donec campum dimitteret sancto Clementi, & ad locum antiquum reverteretur, per quem cum magno impetu ad mare tendebat flumen, quod vocatur Piscaria. Mane facto cum omnes, de quibus suprà diximus, ad pugnam parati venirent, ut victori laudibus, vel victo, sicut mos populi, contumeliis insultarent, cum viderent campum ex parte terræ sancti Clementis liberum remansisse, & flumen per antiquos cursus ad mare tendere, cognoverunt non humanæ virtutis sed divini judicii miraculum esse; omnes in fletum proruperunt, & ad pedes Abbatis ceciderunt, dicentes unâ voce: Nunc cognovimus, sanctissime Pater, quia in te habitat Spiritus Sanctus, qui per Prophetam loquitur: *Super quem requiescam, nisi super humilem, & quietum, & trementem verba mea?* Isai. 6. 2. Verè tu in cælis habitas, licet in terris videatur conversatio tua: non volebas quòd pro te humanus sanguis effunderetur, magis petiisti ut beatus Clemens quod sui juris est in aquis operaretur: in aquis marinis habuit templum Piscariæ, præcepit ut reverteretur ad antiquum cursum: per hoc cognovimus quia Dominus Deus habitat tecum; cognoscimus reatum nostrum, petimus indulgentiam, habes in potestate tuâ si velis exstinguere vitam nostram; subdimus tibi quæcumque possidemus, ne velis à nobis elongare misericordiam tuam.

Vir autem Domini Wido pronus ad pietatem, ut vidit lacrymas, accepit misericorditer eorum petitionem, illos admonens, ne in terris S. Clementis aliquam ullo tempore facerent invasionem, quia non erat mortuus imò vivebat cum Christo, qui pro Christo gaudenter susceperat mortem. Hanc noxam vobis condonet omnipotens Deus, & custodiat vos ne cadatis in pejus; quia illi malignando adhæsistis qui nunquam de vobis fuerit, nisi vos integros hauriat, satiatus. His dictis regressus est ad Monasterium, & non pro tanto facto in tumorem elatus, sed magis humilis de die in diem proficiebat, & ad profectum ducebat gregem sibi commissum. Illi verò domini de sancto Valentino, videlicet Lupus, & Ubertus, & Wido, filii quondam Senebaldi, tanto miraculo exterriti de Deo timentes, pro reverentiâ sancti Widonis Abbatis venientes, in præsentiâ supradicti Ugonis Ducis ante Abbatem renuntiaverunt sancto Clementi omnem possessionem de Zappini & Soliano, quidquid à tempore quondam Gilleberti Abbatis parentes eorum pervaserant; ipsamque refutationem scripto & testibus legitimè confirmatam in Monasterio Piscariensi reponendam ad memoriam posterorum detulerunt. In quâ chartulâ ipsemet Ugo Dux & Marchio, pro majori firmitate se subscripsit cum aliis nobilibus viris qui ibidem continentur. 1035.

In tempore istius Widonis, de quo plura loquuti sumus, quidam Adelbertus filium suum eodem nomine appellatum Monasterio S. Clementis obtulit, & humiliter eum sanctis institutionibus, & ritu monastico erudiri rogavit: quem venerabilis Wido tamquam suum, & reverà plusquàm carnalem, quin spiritualem filium suscepit, monuit, erudivit, & in brevi ita perfectum reddidit, ut de Claustrensi Anachoritam redderet, de communi hominum cœtu Angelorum consortem efficeret. Iste cum in Piscariensi Monasterio tantâ religione proficeret, ut jam miraculis polleret, sancto Patre Widone permittente in monte, qui Blettennius dicitur primitùs, solus habitavit, deinde ad convallem descendens in Pinne Ecclesiam S. Michaëlis construxit; deinde Ecclesiam sancti Eliæ, positam in fundo juris proprietatis S. Clementis restauravit. Indeque hominum frequentiam fugiens, in Comitatum Teatinum transivit, in montem de Caramanico, ibique cum latere non posset, Monasterium S. Nicolai in pertinentiâ ipsius castelli de Caramanico, in loco qui Civitatula dicitur, fundavit: Ecclesiam sanctæ Crucis circà ipsum castellum, in loco qui dicitur ad aquas putridas, restauravit: omnesque supradictas Ecclesias suo Monasterio S. Clementis offerens subdidit. 1036. Adelbertus ex Monacho Casaur. eremiticam vitam agit.

Postquàm verò in monte qui dicitur Ursa, per aliquantulum temporis latuit, & ibidem occultus ma-

nere non posset, in convallem deductus descendit, & in Comitatu Valvensi, in loco qui dicitur Eufinianus, Ecclesiam in honore sanctæ Trinitatis, & sancti Quirici Martyris, cum pertinentiâ de Castello, nomine Pacentro, ædificavit; in quâ diutiùs habitans multis virtutibus & miraculis, & tunc in carne, & nunc in spiritu claruit; sicut libellus de ejus vitâ conscriptus insinuat. Ille verò sanctus Adelbertus antequam de mundo exiret, eamdem Ecclesiam cum omnibus quæ ad illam pertinere videbantur, B. Clementi suo alumno tribuit, & in manus præfati Widonis venerabilis Institutoris sui donum ipsum chartâ confirmavit.

Miraculis claruit.

Peractis igitur omnibus & in pace redactis, pro quibus missus fuerat præfatus Dux Ugo, revertens ad propria, Widonem venerabilem Monasterio suo quietè manere bonis temporalibus uti præcepit, & ipse reversus ad Imperatorem singula prout gesta fuerant enarravit. Imperator autem Chunradus tunc temporis Capuæ morabatur, in quam vigiliæ Pentecostes ingressus, & in Pentecoste coronatus est, anno Dominicæ Incarnationis millesimo trigesimo septimo;

1037.

ubi supradicto Duce referente cum audisset quia bonum Pastorem Piscariensis Ecclesia S. Clementis Domnum Widonem haberet, qui factis & dictis omnibus comparibus suis lumen veritatis plenariè infundebat, gratias Deo reddidit, indeque suam epistolam plenam affectu, & continentem quòd ipsa Piscariensis Abbatia nulli nisi suo regio juri esset reservata, quibusdam Baronibus qui in ipsis literis nominantur, Monasterio vicinis transmisit, corrigens, & suis minis illos exterritans, ut ab infestatione ejusdem imperialis Abbatiæ desisterent, quarum literarum exemplum tale est:

Epistola de Abbatiâ sancti Clementis, Regali tantùm servatâ dominio.

CHUONRADUS Dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus, Bernardo & filiis ejus, Beraldo & ejus fratribus Comitibus & Rainaldi filiis, ac Alberici filiis, & Joannis filiis, atque Luponis filiis salutem & gratiam. Quondam multum precando & tamquam Pater præcipiendo mandavimus, ut bona Abbatiæ sanctæ Trinitatis, & sancti Clementis Martyris, quæ soli nostro dominio reservatur, causâ Dei & nostris precibus invadere cessaretis; sed non solùm à malo facto cessavistis, sed priore pejus fecistis. Unde vehementer admiramur, & ultrà quàm dici possit dolemus: cum neque pro Deo, neque pro me nostræ Abbatiæ satisfecistis. Quâ pro causâ multum præcipiendo, & plusquàm possit scribi, per hanc brevem nostram mandamus, ut si nostram bonam voluntatem vultis habere, & nostram salutem desideratis, ac nostri Imperii honorem, nullatenùs refutetis Abbatiam nostram ampliùs prædando, vastando non laceretis, sed quàm citò potestis quod graviter peccavistis nostræ Abbatiæ emendetis, & similia non perpetretis, & meam bonam voluntatem omni tempore feliciter habeatis. Quòd si non feceritis, scitote me in proximo ad vos pro certo venturum, & vos & vestra bona in quantum potero per omnia dissipaturum. Præter hæc omnia, non parum præcipiendo tibi Petre & Carbuncelle mandamus, ut mala quæ nequiter nostræ Cellæ sancti Eliæ usque modo fecistis, citissimè, & per omnia emendantes, Deo & nobis placeatis: quòd si nostrâ jussioni satisfacere nolueritis, scitotis pœnas, &, ut ita dicam, intolerabile damnum in proximo me vivo passuros.

Wido verò Abbas non propter hoc in gloriam est elevatus humanam, sed magis & magis se se humilians, totum Deo non sibi adscribebat, quòd suum Monasterium in pace manebat, religio in eo florebat, inter Fratres maxima charitas erat; nullus quod suum, sed potiùs quod alterius profectui esset, invigilando quærebat; Pastorisque boni exemplo eruditi, unusquisque transitoria hujus mundi & vana gaudia despiciebat: & quia fallacem hujus mundi pacem reverendus Wido sciebat, armavit se, ut præcepit Apostolus, loricâ justitiæ, & galeâ salutis, contrà spirituales nequitias pugnaturus, rebellemque carnem perdomuit, & spiritui servire coëgit; jejuniis & orationibus intentus, pro Imperatore, pro Regibus, pro universali Ecclesiâ, populo videlicet Christiano, sollicitus cum lacrymis & singultibus juges Domino orationes fundebat, ut ipse, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum est, pacem à superis in terram mitteret; Rectores Ecclesiæ conservaret, rebelles ad unitatem fidei converteret. Et dum beatus vir favorem populi vitans, soli Deo vacare cuperet, exteriora negotia Fratribus Ecclesiæ commendavit, de grege curam habens, quo eum duplici pabulo reficeret, verbo & exemplo.

Accidit ut quodam tempore Trasmundus quidam Marchio cum magno exercitu per fines S. Clementis iter haberet, & dum, sicut juvenum moris est, populares & rusticani, qui in ejus Comitatu plures aderant, ad villas & ad casalia causâ deprædandi concurrerent; venerunt Alanum, quæsierunt cibaria sibi & exercitui necessaria, & nisi festinanter darent quod eis petebatur, Castellum illud subverterent, aut igne cremarent, atrocissimè minabantur. 1038.

Oppidani verò quia non fuerat sibi impetratum ab Abbate, nec audebant in terrâ S. Clementis novas consuetudines ponere, ad portas cucurrerunt, castellum muniverunt, & se defendere deintus parantes, unum de caballis hostilis exercitûs occiderunt. Unde Marchio succensus irâ suos milites armari jussit, & castellum obsedit, centum aureos solidos pro redemptione equi expetens, qui vix decem valebat. Et idem ipse in primâ fronte cum armatis peditibus versabatur, mortem, pericula, incendia, destructionem comminans, nisi citò quod postulabat pretium sibi daretur, Venerabilis Wido hoc audiens Claustrum exivit, ad exercitum venit, Marchionem furore succensum mitigare humiliter studuit. Et cum videret quia nihil proficeret, ubi esset equus interfectus interrogavit. Quem intuens in acie deformem, vilem, & confectum senio, & si non esset percussus gladio, per se citiùs moriturum, in conspectu totius vulgi, factâ primitùs oratione, conversus ad Dominum dixit: Domine JESU-CHRISTE cui nihil impossibile est, qui dixisti discipulis tuis, *Quodcumque credentes petieritis, fiet*; ostende virtutem tuam nunc etiam in Matt. 21. 22.

hoc vilissimo animali, redde sibi vitam quam tulisti, quia sine te nec passer potest ad terram cadere; ut quiescat furor istius populi, qui subvertere, succendere, destruere minantur, & ut video, parati sunt, possessionem beatissimi Clementis Martyris tui. His dictis, accessit ad caballum, & tangens eum leviter cum virgâ quam manu gestabat, dixit ad eum: Surge, erigit te Dominus noster JESUS-CHRISTUS; vade incolumis, servi Domino tuo sicut fecisti hactenus: confestim equus surrexit incolumis. Et hoc viso sedatus est furor Marchionis, & totius exercitûs in res Monasterii debacchantis, & conversi ceciderunt proni ad pedes sancti viri, orantes ut pro se preces ad Deum funderet, ne quod ipsi moliebantur injustè facere, in eos justè converteret. Sanctus autem vir vultu placabili eis benedixit, & ut ab iniquitate discederent impetravit. Sicque factum est, ut illi sine læsione reverterentur ad propria, & terra quam succendere

cendere minabantur, sub protectione beati Clementis remaneret intacta.

1039. 40 & 41. Quidam nobilis & potens vir in Caramanico, nomine Tebaldus, audiens celebrem famam honestatis atque religionis sancti Guidonis Abbatis, exhortatione suprascripti viri Dei Adelberti, contulit eo tempore pro animâ suâ B. Clementi duas Ecclesias, sancti Nicolai à sancto Adelberto fundatam, sanctæ Crucis ab eodem restauratam, cum omnibus rebus & pertinentiis earum.

His aliisque pollens virtutibus Wido Abbas sanctissimus, intra Claustra Monasterii dum finem vitæ suæ sibi ostensum cælitus exspectaret, per singulos dies jejuniis & orationibus intentus ægrotare cœpit; & statim advocatis Fratribus & quâ die, & quâ hora moreretur, eis intonuit, dicens: Ego, Fratres & filii carissimi, sicut mihi ostensum est, viam ingredior universæ carnis, commendo vobis transitum meum, ex hac vitâ egrediar in die quâ celebrabitur festivitas S. Clementis, eâ horâ qua in Missa recitabitur Evangelium; cum perventum fuerit ad illum locum ubi dicetur: *Euge serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui*: ego in eodem momento absque ullâ dilatione in manus nostri Salvatoris tradam spiritum meum; & credo quia ejus, cui fideliter deservivi, beati videlicet Clementis, in cælesti palatio habebo consortium. Gravescente ejus infirmitate advenit celeberrimus dies festivitatis prænominatæ, in quâ se moriturum prædixerat, & antequàm Missa inchoaretur se portari fecit intrà Ecclesiam, & sumpto viatico, conversus ad Dominum exspectabat sui exitûs horam, quando Evangelium legeretur, sicut sibi fuerat repromissum. Fratres occupati in tantâ solemnitate, & dolentes ultrà modum de tanti Pastoris velocissimâ migratione, fecerunt processionem, & expletis omnibus sicut moris est in tali festivitate, cum Evangelium legeretur, in eodem momento quo se mori prædixerat, cum à Lectore diceretur, *Euge serve bone*, adstante populo & Clero, &, ut magis credendum est, cœtu Angelico, tradidit spiritum; & quod diu desideraverat, & ad quod die noctuque suspirabat, vitæ æternæ suscepit bravium, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo quinto, nono Calendas Decembris: ejusque memoriam solet celebrare Piscariensis Ecclesia die altero post B. Clementis solemnitatem annuam. Sepultusque est in eâdem Ecclesiâ prope Claustrum Monasterii, juxtà parietem in parte Australi, ubi se vivere in cœlestibus probat quotidianis miraculis. Vixit autem in regimine annis viginti uno, mensibus sex, diebus viginti tribus. Non multo post tempore postquàm ad Dominum migraverat, multis virtutibus se vivere cum Christo declaravit: de quibus pauca memorabimus, quia ad alia memoranda properamus.

Obitus S. Guidonis. 1045.

Miracula ejus.

Quidam puer nomine Placidus monasticis institutionibus in Claustro erudiebatur, qui postea multum proficiens, ad profectum Ecclesiæ, quod in pueritia didicerat cumulavit. Is dum esset sub custodia, sicut moris est Monachorum, quadam die acriter cœpit febricitari; & dum ardore febrium incenderetur, & prope duceretur ad exitum, à Fratribus, à quibus pro morum honestate tenerrimè diligebatur, deportatur ad tumulum S. Confessoris Widonis, & fusâ oratione pro eo cum fletu & suspiriis in eodem momento absque ullâ dilatione surrexit incolumis, tamquam nunquam fuisset vexatus febrium incendiis.

Alio tempore quidam Monachus, nomine Gerguinus, illâ infirmitate quæ gutta appellatur, graviter fuerat occupatus, ut in ejus toto corpore vix aliquod sanum membrum reperiretur; & non solùm à seipso, verumetiam à multis de ejus salute desperabatur. Rogavit deferri ad tumulum prædicti Confessoris Christi, ubi dum jaceret prostratus humi, confestim facta oratione sanus effectus est; & gratias agens suo Salvatori, devovit se de cætero in obsequium B. Confessoris Christi Widonis.

Quædam mulier gravem oculorum dolorem diutiùs passa, ad ultimum cæca effecta est, ita ut neque diem à nocte discerneret, neque aliquid aliud videre posset; adducitur suorum manibus ad sepulcrum S. Widonis Abbatis, & cum magno singultu ejus auxilium postulans continuò lumen recepit, & quæ tristis venerat, cum magnâ lætitiâ ad propria remeavit; reddens gratias Deo pro salute receptâ, & fideli servo ejus sanctissimo Widoni.

Multa alia sunt quæ Dominus Deus per sanctissimum servum suum Widonem quotidie operatur, quæ singula à nobis si scriberentur, & fastidium generarent Lectori, & fortasse incredibilia viderentur. Et quoniam, sicuti suprà diximus, ad alia tendimus, hæc quæ de sancto breviter diximus ut sufficiant, breviter rogitamus.

Huic successit FRANCO, qui vivens in regimine mensibus octo exivit de corpore; & antequàm moreretur, in tam brevi spatio temporis quidam Baro, nomine Petrus, dedit Ecclesiæ sancti Clementis & servitoribus ejus castellum quoddam, quod vocatur Ripa, cum Ecclesiâ sancti Salvatoris; & hoc donum confirmavit scripto per manus Franconis Abbatis. XIX. Abbas Franco.

Mortuo isto Francone successit DOMINICUS in regimine, qui electus in Abbatem ab omni Congregatione consensu Imperatoris Henrici, venerabilis Chuonradi filii, & datus ab Abbate ejusdem Monasterii in quo fuerat ipse professus. Instrumenta verò chartarum, & ea quæ fecit in diebus abbatiatûs sui, incipiunt ab anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo sexto, demense Septembrio. Quo anno, regni sui videlicet jam octavo, Rex Henricus venit Capuam, & Domni Dominici confirmavit electionem. De quo quia plura sumus locuturi, licet faciamus digressionem, ad ejus electionem quomodò facta fuit, & in Monasterio quid egerit, enarrare decrevimus. Fuit de Monasterio sancti Fructuosi quod appellatur Caput-montis, vir religiosus, & eruditus arte medicinali, pro quâ multum placuit Imperatori. Sapiens in rebus sæcularibus, valens in litteris, & quod magis appretiandum est, sollicitus erga salutem animarum Fratrum subjectorum sibi. Quem omnes Fratres Casauriensis Monasterii propter sui honestatem, prudentiam, & vitæ sanctitatem in Pastorem elegerunt, ipsamque electionem per manus Imperatoris, sicut suprà diximus, scripto confirmaverunt. Quod electionis scriptum adhuc habetur in Monasterio Piscariensi, & sic est.

XX. Abbas Dominicus.

1046.

Ecce quomodo facta est electio Domni Dominici Abbatis Piscariensis, qui postea factus est Episcopus Valvensis.

IN nomine Summæ & Individuæ Trinitatis. Nos denique cuncti Fratres venerabilis Monasterii Sanctæ & Individuæ Trinitatis, atque sancti Clementis Martyris, quod ponitur in Casa-aurea, pari voto, communique consilio, à majore usque ad minorem elegimus & prælegimus Domnum DOMINICUM venerabilem Sacerdotem & Monachum, qui quondam fuit Monasterio sancti Fructuosi Episcopi & Martyris, quod dicitur Caputmontis, ad regimen prædicti nostri Monasterii, secundùm præceptum Regulæ beati Benedicti; quia scimus eum, largiente Domino, castum, benignum, misericordem, doctumque lege divinâ, necnon & consensu Domni Berardi Abbatis sui, simulque etiam Elelini Cancellarii prudentissimi Domni

Henrici Imperatoris & Augusti tertii, ipsiusque pro fidelitate ac veneratione, cujus Monasterium prælibatum esse dignoscitur, & cujus etiam fidelissimus Abbas ipse probatur, nobis illum largitus est. His videlicet auctoritatibus roborati & conglobati, ut suprà dictum est, ascivimus eum, atque promovimus ad Abbatis officium peragendum, ad utilitatem atque profectum nostri Monasterii, animarumque nostrarum salutem. Cui omnes in unum amore Dei inspirati, suâque dilectione, promisimus obedire cunctis diebus vitæ nostræ secundùm præcepta Regulæ, suaque justa imperia, favente Christo. Et ut hæc nostra electio firmiter atque inviolabiliter permaneat, bono animo, spontaneâque voluntate cuncti insimul propriis manibus roborantes insignivimus. Quam verò electionem à nobis factam prædicto Domno Henrico gloriosissimo Imperatori nostro dirigimus, ut suâ miseratione electum Patrem nostrum imperiali dono, privilegiique largitate confirmet, quatenùs à Deo pro hoc remuneretur, & à nobis omni in tempore fideliter veneretur, ac pro statu sui regni Deus omnipotens nostris assiduis orationibus incessabiliter supplicetur.

Ego Frater Terremenolfo Monachus & Præpositus consensi, & subscripsi.

Ego Frater Adelmari Presbyter & Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Oddo Sacerdos & Monachus in hac electione consensi, & subscripsi.

Ego F. Angelus Sacerdos & Monachus in hac electione consensi, & subscripsi.

Ego F. Adelbertus Monachus in hac electione consensi, & subscripsi.

Ego F. Joannes Presbyter & Monachus in hac electione consensi, & subscripsi.

Ego F. Joannes Presbyter & Monachus in hac electione consensi, & subscripsi.

Ego F. Landulphus Presbyter & Monachus in hac electione consensi, & subscripsi.

Ego F. Petrus Presbyter & Monachus in hac electione consensi, & subscripsi.

Ego F. Azzo Sacerdos & Monachus in hac electione consensi, & subscripsi.

Ego F. Azzo Sacerdos & Monachus in hac electione consensi, & subscripsi.

Ego F. Ardo Sacerdos & Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Joannes Sacerdos & Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Petrus Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Todaldo Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Adelbertus Monachus & Presbyter consensi, & subscripsi.

Ego F. Azzo Presbyter & Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Azzo Presbyter & Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Giso Presbyter & Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Petrus Presbyter & Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Joannes Presbyter & Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Benedictus, Presbyter & Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Grimualdus Presbyter & Monachus consensi, & subcripsi.

Ego Frater Joannes Diaconus & Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Mainardus Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Azzo Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Giso Monachus in hac electione consensi, & subscripsi.

Ego F. Amizo Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Tresedio Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Joannes Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Giso Monachus consensi, & subscripsi.

Ego F. Joannes Monachus consensi, & subscr.

Eodem anno quidam vir nomine Suppo, quondam Timmonis filius, divinitùs inspiratus pro animâ suâ & parentum suorum, concessit & tradidit per manus Domni Dominici Abbatis Monasterio Piscariensi, & Ecclesiæ S. Angeli, quæ sita est in monte, nomine Apriano, quæ etiam est Obedientia juris Ecclesiæ B. Clementis, quamdam Ecclesiam in honore ac vocabulo S. Nicolai, in loco qui dicitur Cornisia, juxtà fluvium Gomanum constructam, cum omnibus rebus & possessionibus suis, terrâ videlicet modiorum centum quinquaginta sex, sicut testatur chartula traditionis ejusdem. Erant insuper eodem tempore duo fratres, viri nobiles & illustres, in Comitatu Aprutino, Adelbertus & Raimundus vocabulo, filii quondam Grimaldi, qui compuncti divinitùs pro salvatione animarum suarum & parentum suorum, concesserunt, & per chartulam tradiderunt Monasterio B. Clementis, unusquisque portionem suam de castello de Sanctovetere nomine, unusquisque medietatem de ipso castello, cum Ecclesiâ quæ in honore Domini Salvatoris est ædificata, in loco qui dicitur Preliano; & cum aliâ Ecclesiâ vocabulo S. Andreæ constructâ. Et unusquisque eorum medietatem de castello Vecclo, & de castello & Poio de Beczano, cum muris & carbonariis, cum Ecclesiis in eisdem ædificatis, cum omnibus rebus & dotibus earum & cum omnibus ædificiis, & pertinentiis, & subjacentiis eorundem castrorum. Quæ est terra videlicet modiorum mille ducentorum, per loca & vocabula sua quemadmodum in chartulis exinde factis & testibus roboratis reperiuntur.

Post mortem verò supradicti S. Widonis Abbatis cum quidam ex Fratribus Monasterii Piscariensis, sicut suprà legitur, accessissent ad Henricum Imperatorem, pro Domno Dominico Abbate sibi substituendo per illos, & præcipuè per fratrem suum carnalem Domnum Guimarium religiosum Monachum cum supradictis Fratribus prædictæ electionis legatione functum, ab eodem magnifico Imperatore Adelbertus Casauriensis religiosissimæ vitæ Monachus, qui, ut suprà retulimus, sanctæ Trinitatis Ecclesiam in Comitatu Valvensi, in vocabulo Placentro, construxerat, & eam in obedientiam Monasterii Piscariensis addixerat, privilegium impetravit de prædicto loco, in quo eadem Ecclesia posita est, qui Finianus dicitur, ut patet in privilegio Henrici Imperatoris sic descripto:

Præceptum Henrici Imperatoris de libertate & rebus Monasteri Casauriensis.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, HENRICUS divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Si servorum Dei petitionibus assensum præbuerimus, ad spem divinæ remunerationis nobis profuturum esse non diffidimus. Quapropter omnium Christi nostrique fidelium, tam futurorum quàm præsentium noverit industria, qualiter nos pro amore divino animæque nostræ remedio, tam ob petitionem venerabilis Adelberti Monachi, quàm & germani sui Guimarii, de Ecclesiâ sanctæ Trinitatis & sancti Quirici Martyris, in vocabulo Placentro, in Comitatu Balbense ubi Finianus dicitur: concedimus eis ad habendum & possidendum ipsum prædictum locum, tam ipsis, quàm & Abbati ipsorum. Ut nullus Dux, Marchio, Epi-

scopus, Comes, aut Vicecomes, aut magna parvaque persona aliquam molestiam seu invasionem facere præsumat. Insuper concedimus eis prædictum locum Finianus cum introitu & exitu suo; quod est à capite, fine serrâ de Barbarano, pede fine ipso Rigo de Placunti, de uno lato fine ipso valle de fuge, ex alio latere serra de Corniano, cum ipsâ furcâ cum omni pertinentiâ suâ: & sunt in supradictis istis modiorum de terrâ quatuor centi, & si ampliùs inventum fuerit ad ipsam jam dictam Ecclesiam pertineat, cum terris, vineis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, cultis & incultis, omnia & in omnibus, & quidquid de prædicti Monasterii possessionibus Fiscus noster sperare potuerit, ipsi pro æternæ remunerationis præmio concedimus, & ut nullus mallaturam persolvat Advocato ejus, &c. *ut in superioribus Privilegiis.*

Signum Domni HENRICI secundi Romanorum invictissimi Imperatoris Augusti.

Henricus Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovi.

Data Calendas Januarii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo septimo, Indictione decimâ quintâ: Anno autem Domni Henrici tertii ordinationis ejus decimo octavo. Regnantis quidem octavo, secundi Imperantis primo. Actum ad Columnâ civitatem in Dei nomine feliciter, Amen.

In secundo anno quo Dominicus fuerat Abbas S. Clementis institutus, contigit Henricum Imperatorem venire Capuam, cui prædictus Dominicus Abbas ad sanctum Flavianum in Aprutio perrexit obviam, & impetravit privilegium protectionis, munitionis, defensionis ad instar eorum privilegiorum quæ data fuerant ab Antecessoribus suis. Quod privilegium servatur honorificè in Monasterio; & descriptum sic est:

Praeceptum Henrici Imperatoris de libertate & rebus Monasterii Casauriensis.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, HENRICUS divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Si servorum Dei petitionibus assensum præbuerimus, ad spem divinæ remunerationis nobis profuturum esse non diffidimus. Quapropter omnium Christi nostrique fidelium, tam futurorum quàm præsentium noverit industria, qualiter nos pro amore divino animæque nostræ remedio, tum ob petitionem venerabilis Abbatis Dominici dicti Monasterii sanctæ Trinitatis & B. Clementis Martyris inibi quiescentis. In Comitatu quidem Pinnensi, in insulâ quæ Casa-aurea vocatur, juxtà præcepta prædecessorum nostrorum Regum ac Imperatorum quidquid justè & legaliter visum est habere, Imperiali nostrâ auctoritate decrevimus corroborare, & confirmare; quodcumque videlicet idem Monasterium videtur obtinere infrà urbem Romanam, &c. *ut suprà in aliis Privilegiis.*

Signum Domni HENRICI secundi Romanorum invictissimi Imperatoris Augusti.

Henricus Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovi.

1047. Data tertio Idus Martii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo septimo, Indictione decimâ quintâ. Anno autem Domni Henrici tertii ordinationis ejus decimo octavo. Regnantis quidem octavo, secundi Imperantis primo. Actum ad sanctum Flavianum in Dei nomine feliciter, Amen.

Cum quidam Litolfus quondam Ursi filius, eo
1048. tempore, id est, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo octavo, Ecclesiam quamdam in honore S. Petri & S. Martini constructam, in loco, cui vocabulum est in Colle de Casaleccio, in pertinentiâ de Castellione, possideret, timens de die mortis, & æterno judicio, pro animæ suæ redemptione tradidit & judicavit ipsam Ecclesiam in Monasterio B. Clementis per manus Domni Dominici venerabilis Abbatis, cum omnibus rebus & possessionibus suis, & cum terrâ modiorum viginti quinque, sicut testatur chartula traditionis, exinde legitimè facta, & testibus idoneis roborata, Monasterioque Piscariensi feliciter porrecta.

In tempore hujus Abbatis, anno videlicet ab Incarnatione Domini nostri JESU-CHRISTI millesimo 1049.
quadragesimo nono, quo etiam anno Domnus Leo Papa ordinatus est, Indictione secundâ currente: Domno quoque Henrico Augusto imperante, quidam vir erat in Comitatu Pinnensi possessionibus opulentus, & divitiis floridus & potens, nomine Ottebertus, cognomine Fratellus, quondam Otteberti filius, qui compunctus gratiâ Spiritûs sancti pro remedio animæ suæ, & desiderio cœlestis regni, dedit Monasterio S. Clementis legitimâ largitione: primò quoddam castellum suum vocatum Ripa de Pratâ, cum Ecclesiâ S. Sylvestri ibidem ædificata, & cum casis & ædificiis, & omnibus rebus & pertinentiis atque subjacentiis suis; & cum terrâ possessionis modiorum trecentorum per loca & vocabula sua, quæ in chartulâ reperiuntur. Dedit in eodem Comitatu & aliud quoddam castellum, vocabulo de Sancto-Mauro, cum eâdem Ecclesiâ Sancti Mauri; cum universis rebus, ædificiis, & tenementis, ac pertinentiis suis, & portu maris, & piscatione suâ; & cum possessione terrarum modiorum mille. Fecit etiam de ipsis scripta quæ servantur in archivis publicis ipsius Abbatiæ. Fecit etiam inde solemnem investituram cum Adelasâ conjuge suâ. [Tenor verò qui de ipsis rebus inter eos & Monasterium Piscariense compositus est, in cartulâ brevis memoratorii, quæ tunc inde descripta est, & testibus roborata, reperitur & legitur.]

Matrona quædam, Teoderada nomine, dives & honesta mulier, quondam viri clarissimi Luponis filia, conjux cujusdam illustris viri, nomine Joannis, filii quondam Transarici, eo tempore ferè ad mortem ægrotabat, quæ à prædicto viro suo consilium & licentiam accipiens condidit testamentum, in quo divinitùs compuncta, pro mercede animæ suæ, & pro suorum & genitoris ac viri sui peccaminum redemptione, concessit & tradidit in Monasterio B. Clementis de re sui juris suæque proprietatis, videlicet terram in pertinentiâ de castello, nomine Moscufo, loco nomine Talliano, modiorum ducentorum, & Ecclesiam ibidem in honore sanctæ Justæ ædificatam, cum universis rebus & pertinentiis suis.

In Aprutio quoque quidam vir dives, nomine Tresio, filius quondam Rammaldi, pro animæ suæ salvatione donavit & tradidit, necnon per chartulam confirmavit, quasdam res proprietatis suæ Monasterio B. Clementis: videlicet castellum de Valeriano, cum Ecclesiâ in honore S Juvenalis ibidem constructâ, & cum omnibus ædificiis, rebus & pertinentiis suis, & cum possessionibus per loca & vocabula in eodem Valeriano, & in Occiano, Pastenis, Casaria, Waldo, Moniano, Fabricia, terrâ nempe modiorum sexcentorum, sicut ejusdem donationis charta declarat.

In eo tempore quo Normanni devastaverunt Apuliam, & non suâ fortitudine sed vitio gentis subdiderunt sibi terram illam, Papa Leo nonus cum Romano exercitu contrà eos exivit ad pugnam, & in ipso conflictu inferior amisit gentis suæ partem non minimam. Tunc ad eum perrexit Abbas Domini-

cus, & impetravit ab eo privilegium contrà Episcopos, Archiepiscopos, Comites, Barones, & contrà omnes qui in Monasterio sancti Clementis aliquid juris, dominationis, potestatis, vel in Ecclesiis ad eumdem locum pertinentibus vellent habere, nisi ab iniquâ petitione, & voluntate cessarent, quòd excommunicarentur, & à liminibus Sanctorum segregarentur; benefactores à Deo exaltarentur, & eorum peccata dimitterentur. Iste fuit primus Abbas Piscariensis Cœnobii qui impetravit privilegium, sicut suprà diximus, à Pontifice Romano, quod Antecessores sui vel habere non potuerunt, vel duxerunt pro minimo.

Duo quidam viri Hilperinus & Longinus potentes, & in possessionibus locupletes, inter duo flumina, Gomanum & Plumba, per loca & vocabula, nomine Maranello, Occiano, villa Mayna, Montesicco, in ipso Francisco, Perricara, Treio, terram cultam & incultam modiorum duorum millium, & duas portiones de castello Mortule, cum Ecclesiis & tenementis suis, dederunt pro animabus suis S. Clementi; indeque confirmationis chartulas legitimas facientes, eas Piscariensi Monasterio feliciter obtulerunt.

Præterea circà tempora ista dum Domnus Dominicus Abbas floreret in Monasterio, & fama ejus bonitatis ubique divulgaretur, contigit ut Ecclesia Valvensis proprio Pastore viduaretur; & quia sine Rectore esse non poterat, iste solus ad eam regendam inventus est dignus. Quid multa? eligitur, consecratur, & Episcopus Valvensis, & Abbas S. Clementis insimul instituitur. In quâ honoris celsitudine positus, monachilis non est oblitus habitûs, sed servavit humilitatem quam in Monasterio habere consueverat; pro quâ humilitate, & Deo & hominibus complacebat.

Dominicus Abbas simul & Episcopus Valvensis.

1056. Igitur anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi millesimo quinquagesimo sexto, quidam Loterius, quondam Alberti filius, pro animæ suæ redemptione suorumque parentum concessit & dedit, per chartulam confirmavit, Monasterio sancti Clementis, in loco, qui nominatur Banio, medietatem de castello de Sancto Eleutherio, cum ipso Poio novem masis hominum, & terra modiorum octoginta, & cum cæteris rebus & pertinentiis suis sicut ejusdem donationis chartula protestatur.

Per idem tempus cum Domnus Dominicus Valvensis Episcopus, & Piscariensis Abbas, esset in laboribus constitutus, & fortiter ipsarum duarum Ecclesiarum vigilantiâ fatigaretur, volens onus suum alleviare, tantique ponderis adjutorem accipere, propterea maximè quia de curis & tumultibus Episcopatûs sibi jam tanta succreverant, quòd Abbatiæ regimen & negotia detrimentum pati, & minor ejus videretur profectus, habito consilio cum Fratribus unum ex eis, Berardum nomine, sibi substituit, & ut suas ageret vices in regiminis, & abbatiatûs sede posuit, sibique nomen & officium Abbatis attribuit, reservata suo arbitrio summarum rerum potestate, & præcipuorum Monasterii negotiorum dispositione. Igitur Berardus cum, sicut dictum est, nomen & officium Abbatis suscepisset, fecit cambitionem cum Gregorio Abbate S. Nicolai ad Trutinum, & dedit Ecclesiam quam habebat Monasterio S. Clementis in Comitatu Aprutino, in loco qui dicitur Vallicupa, cum trecentis modiis terræ, & accepit Ecclesiam sancti Mauri ad flumen, quod vocatur Tabe, cum totidem modiis terræ.

XXI. Abbas Berardus.

In sinu præterea montis, qui dicitur Ursa, fuerat præteritis annis in proprio fundo juris B. Clementis castrum à supradictis Dominis Tocci ædificatum, in loco videlicet ubi erat lapidea area, indeque à suis constructoribus vocatum est castrum ipsum Lapidaria, quasi Lapidum-Area; in cujus pertinaciâ fundaverunt in loco, qui dicitur Caprofica, Monasterium in honore Sanctæ Trinitatis; quod cum contra Monasterium B. Clementis, & pro suo detrimento fuisset ædificatum, Domnus Dominicus Episcopus & Abbas fundatores ejusdem Ecclesiæ, videlicet Gerardum, & Suabilum, quondam Alberici filios, Tocci dominos, ab iniquâ voluntate & præsumptione convertit, ipsamque Sanctæ Trinitatis Ecclesiam Piscariensi Monasterio subdere fecit: quam Ecclesiam de rebus & possessionibus eorum pleniter dotatam, idem Episcopus cum Monachis Casauriensibus solemniter dedicavit, & in obedientiam Monasterii S. Clementis perpetualiter addixit & consecravit. Possessionum verò ejusdem Ecclesiæ quædam duximus exprimenda vocabulis: primò est ipse locus in quo ædificata est, terra modiorum quadraginta quatuor: deinde possessionis terra per loca & vocabula simul collecta modiorum centum quinquaginta: deinde Ecclesia S. Viti, Ecclesia S. Cassiani, Ecclesia Sanctæ Mariæ de Pesile, Ecclesia S. Nicolai de Cardia, cum omnibus rebus & tenementis earum. Possessio dotis sanctæ Crucis de colle Rotundo, possessio de loco, nomine Guastu: insuper omnes homines de parte prædicti Suabili de Lapidaria, & de Tocco, & Canta-lupo, & valle de Caramanico, cum omnibus rebus & tenementis eorum, & debitalibus redditibus. De quibus omnibus chartulas confirmationis facientes, per manus Domni Dominici Episcopi & Abbatis eas Monasterio B. Clementis feliciter obtulerunt; anno videlicet ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi millesimo sexagesimo primo. 1061.
Quo anno Domnus Alexander Papa ordinatus est; à quo Domnus Dominicus Episcopus & Abbas literas impetravit contrà malefactores Ecclesiæ sancti Clementis; quæ descriptæ sic sunt:

Decretalis Epistola contrà malefactores Ecclesiæ sancti Clementis.

Alexander Papa II.

Alexander Episcopus servus servorum Dei, nobilibus viris Trasmundo, Bernardo, Berardo, filiis Sansonis, salutem & Apostolicam benedictionem. Quoniam erga Monasterium S. Clementis piæ devotionis studium vos habuisse, & ad ejus honorem plerumque benefacta vos contulisse, à Confratre nostro Dominico Valvensi Episcopo, & ejusdem loci Abbate cognovimus, grates vobis & nostræ dilectionis benevolentiam per hæc scripta mandamus. Sed quia Deus ad finem bonæ operationis maximè respicit, & non incipientibus, sed in bonâ actione persistentibus, larga remunerationis præmia pollicetur & tribuit, rogamus, & ut carissimos filios vos admonemus, ut in Dei servitio, & in amplificando honore præfati Monasterii, vestra fides & studiosa devotio crescat, consilium, & ubi necesse sit adjutorium, vestra nobilitas sibi exhibere studeat; quatenus per interventum B. Martyris Clementis divinæ protectionis gratia, & Apostolicæ benedictionis abundantia, in hoc sæculo & in futuro vos protegat, & conservet. Illud autem vobis & omnibus qui inter vos sunt, notum esse volumus, quoniam quisquis ad injuriam præfati Monasterii se erexerit, & Abbati qui nunc ibi præsidet, suisve successoribus in regendis & tenendis bonis Ecclesiæ contrarius exstiterit; nisi à tam nefandâ & sacrilegâ temeritate se retrahat, & damna quæ Ecclesiæ intulit, dignâ emendatione restituat, sine dubio Apostolicæ maledictionis, & districtam nostræ excommunicationis ultionem super se venturam esse pertimescat, & ab

omni Christianâ communione se separandum esse expavescat.

1064. Item anno Domini millesimo sexagesimo quarto Bernardus quidam dedit Ecclesiæ S. Clementis, cui suprascriptus Berardus præerat, sanctam Eufemiam de Caramanico, cum centum modiis terræ.

Ab hoc siquidem tempore cœperunt Fratres oblivisci Imperatoris Curiæ, & Normannis depopulantibus totas terras non valentes resistere, primitùs fuerunt subditi Roberto primo Comiti de Rotello, & post mortem ejus Ugoni Malmazetto, de cujus persequutione, quam fecit S. Clementis Monasterio, sumus loquuturi tempore suo. Illi, quos superiùs diximus in præsentiâ Ugonis Ducis tempore Chuonradi Imperatoris fuisse devictos, & accepisse castella per manus Domni Widonis sanctissimi Abbatis sub conditione servili, obliti juramentorum & fidei invaserunt possessiones, munierunt castella contrà Ecclesiam, & ut securiores eam possent opprimere, fecerunt sibi alios dominos, quorum auxilio & virtute tenuerunt quod malè invaserant, ad diminutionem loci & detrimentum totius Abbatiæ. Berardus verò, ut postea patuit, divino judicio illis non potuit resistere, quia Deus ad confusionem terræ immiserat super eos Normannos, dominandi gentem avidissimam. Iste siquidem Berardus Abbas non invenitur in agendis multa vel aliqua magna fecisse, sed pauca; & antequàm multa posset operari, dedit ei Dominus finem vitæ. Sex annis rexit Monasterium, deinde moriens subivit mausoleum. Ponitur quoque inter Abbates post Domnum Dominicum, & post ipsum nomen ejus scribitur in catalogo. Post cujus mortem Domnus Dominicus quamdiu supervixit sicut antea curam habuit Abbatiæ.

In quo tempore in Comitatu Valvensi Albericus, Joannes & Benedictus, viri Valvenses, dederunt S. Clementi, & per chartulas confirmaverunt omnes possessiones suas in castello de Pouperi, & in loco qui dicitur Bocetum. Ipso namque tempore, anno

1065. videlicet ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo quinto, Sanso Rainaldi filius confirmavit per chartulam sancto Clementi Ecclesiam Sanctæ MARIÆ in Blesiano, cum trecentis modiis terræ, & eam in Obedientiam Monasterii Piscariensis perpetuò subdidit.

Igitur Domnus Dominicus Valvensis Episcopus & Piscariensis Abbas, in expletione vitæ suæ, & consummatione dierum suorum in charitate radicatus & fundatus diligebat proximum tamquam seipsum, & Deum ex toto corde, totâ animâ, & totâ virtute, in tantum ut si tempus persequutionis adesset, libenter pro Deo sanguinem funderet; & quoniam martyrium non solùm est quod accipitur sanguinis effusione, sed abstinentiâ vitiorum, & carnis maceratione, longum traxit martyrium; qui quamdiù vixit mortificavit membra sua secundùm Apostoli dictum. Et quia Deus volebat eum de terris ad cœlestia trahere, in Abbatiâ quam regendam susceperat dedit ei finem vitæ, & voluit ut cum Sancto Widone, cujus successor exstiterat, in uno eodemque sarcofago haberet locum sepulturæ. Obiit autem quinto Idus Martii, victoriosissimi Imperatoris Henrici, accepitque à summo judice stolam immortalitatis, & coronam gloriæ, illi sociatus in cœlis, cujus successor exstitit, & in cujus sepulcro meruit sepeliri. Vixit autem in regimine Monasterii sancti Clementis Piscariensis viginti octo annis, mensibus sex, diebus decem.

Obiit Dominicus Abbas, & Episcopus Walvensis.

Eodem tempore Alexandro Papa defuncto, Ildebrandus Archidiaconus in Papam Gregorium est ordinatus, mense Aprilis, anno Dominicæ Incarna-

1072. tionis millesimo septuagesimo secundo.

Post obitum verò Domni Dominici Valvensis Episcopi, & Piscariensis Abbatis, cum Fratres diutiùs nollent sine Rectore manere, ne res Ecclesiæ decrescerent, cum Clericis S. Pelini, qui similiter Pastore carebant, Romam tetenderunt, & habito consilio, cum non possent ad Imperatorem ire, quia jam discordia & dissidium inter Romanam Ecclesiam & Imperium Teutonicorum parabatur, ad præsentiam Apostolicæ sedis accesserunt. Agnitis itaque causis utriusque Ecclesiæ in Romanâ Curiâ, TRASMUNDUS quidam Monachus, nobilis vir, frater Oderisii qui post Domnum Desiderium fuit Abbas S. Benedicti, in electionem ejus utrisque concordantibus & consentientibus à Domno Papa Gregorio, & Monachis S. Clementis in Abbatem, & Clericis S. Pelini in Episcopum honorabiliter est datus, anno ab Incarnatione Domini nostri JESU-CHRISTI M. LXXIII. 1073

XXII. Abbas Trasmundus.

Qui venerabilis Papa Gregorius in universali Concilio, quod Romæ celebravit contrà Normannos, & alios invasores, de prædiis & possessionibus Monasterii S. Clementis specialem sententiam multumque timendam taliter promulgavit.

Sententia à Gregorio Papa promulgata contrà pervasores possessionum Monasterii S. Clementis.

Gregorius Papa VII.

SI quis Normannorum, vel quorumlibet hominum, prædia Monasterii B. Clementis invaserit, vel quascumque res ejusdem Monasterii injustè abstulerit, si bis vel ter admonitus non emendaverit, excommunicationi subjaceat, donec resipiscat, & Ecclesiæ satisfaciat. Si quis prædia B. Clementis ubicumque posita in proprietatem suam usurpaverit, vel sciens occultata non propalaverit, vel debitum servitium exinde B. Clementi non exhibuerit, recognoscat se iram Dei & S. Clementis velut sacrilegus incurrere. Quicumque autem in hoc crimine deprehensus fuerit, eamdem hereditatem B. Clementis restituat, & pœnam quadruplum de propriis bonis persolvat. Quicumque Militum, vel cujuscumque ordinis, vel professionis persona, prædia Ecclesiastica à quocumque Rege seu sæculari Principe, vel ab episcopis, invitis Abbatibus, aut ab aliquibus Ecclesiarum rectoribus suscepit vel susceperit, vel invasit; vel etiam eorumdem Rectorum depravato sententioso consensu tenuerit, nisi eadem prædia Ecclesiis restituerit, excommunicationi subjaceat.

Romæ in universali Synodo præsidente Beato Gregorio Papa ab eodem promulgata, ab universali Concilio comprobata.

Istæ verò litteræ, quas inde fieri jussit, ab eodem Apostolico per eumdem Domnum TRASMUNDUM, à se jam Abbatem & Episcopum ordinatum, ad Conventum Ecclesiæ S. Clementis sunt destinatæ, ut observandæ perpetuò cum privilegiis in Piscariensi Monasterio reserventur. Igitur cum Domnus Trasmundus Episcopus & Abbas esset ordinatus, regebat utramque Ecclesiam, & negotia utriusque separatim agebat; nam aliquando in sancto Pelino, aliquando in Monasterio habitabat. Cujus in tempore, anno videlicet Incarnationis Dominicæ currente millesimo 1074.
septuagesimo quarto, Indictione duodecimâ, quidam nobilis & illustris vir, Obertus nomine, quondam Guidonis filius, pro remedio salutis animæ suæ quidquid sibi pertinebat de castello, qui dicitur Petracæ de sancto Valentino, B. Clementis Monasterio tradidit, & per manus prædicti Abbatis confirmavit, indeque litteras confirmationis fieri fecit. Abbas prætereà Trasmundus ut sapiens vir, dum plus studeret in præsentibus quàm provideret futuris, in hoc facto castellum, quod foris erat intromittens, ædificavit in insulâ, & ipsum turre & mœnibus circumdedit, viros & mulieres habitatores ipsius castelli insti-

tuit: transitum suum & habitatorum ejusdem ante portas ipsius castelli communem fecit: hac nactâ occasione, quia Toccenses infestabant habitatores exterioris castelli.

1075. Præter hæc etiam sequenti anno, qui est ab Incarnatione Domini annus millesimus septuagesimus quintus, Rainardus, supradicti Oberti filius, eodem & simili ordine ac tenore quo & pater ejus, quartam partem sibi residuam de suprascripto S. Valentini castello devoto animo S. Clementi obtulit, & chartulam confirmationis inde faciens Domno Trasmundo Abbati legaliter tribuit.

Iste siquidem Abbas cum esset Episcopus, & Ecclesiam sancti Pelini miro opere renovasset, & etiam sancti Pamphili Sulmonensem Ecclesiam jam renovare cœpisset, quamvis possessionibus non exuberaret, imò sicut suprà notavimus detrimentum pateretur, tamen non fuit contentus humilitate prioris Ecclesiæ, quæ fuerat ædificata à Ludovico Imperatore, in loco ubi ob hoc usque hodie dicitur Ad Sanctos-novos, ædificavit novam Ecclesiam, in quâ coëgit manere Congregationem, volens ibi, si tempus haberet, & Deus vellet, transferre beatissimum Clementem. Verumtamen Deus ejus nisibus obstitit, & quod ipse præordinaverat ut homo, sicut in sequenti dicemus, evenire non potuit. Tunc siquidem volvebantur anni Domini-
1076. cæ Incarnationis millesimus septuagesimus sextus,
77.78. & septimus, & octavus. In tempore etiam Abbatis hujus & Episcopi, in anno videlicet ab Incar-
1079. natione Domini nostri JESU-CHRISTI millesimo septuagesimo nono, quidam Spanus nomine dedit Monasterio sancti Clementis pro remedio animæ suæ Ecclesiam sancti Sylvestri, quæ est Caramanico, cum tenementis & pertinentiis ejusdem Ecclesiæ, sicut in chartâ ab eo factâ legitur.

Ugo namque Malmazettus videns novas munitiones fieri, & metuens ipsas fore impedimentum sibi, invaserat multa castella, & munitiones, & maximam partem illius regionis, finxit se amicabiliter velle habere colloquium cum Abbate. Tetendit insidias, illumque improvisum & minùs cautum comprehendit, in carcerem trusit, & tamdiù ligatum tenuit, donec omnia nova ædificia dirueret, & habitatores rebus & utensilibus spoliaret. Postquàm omnia sicuti sibi placuerat demolitus est, Abbatem solvit, & liberum abire permisit. Qui rediens ad Abbatiam cum eam nudam & bonis spoliatam videret, unde posset vivere in eâ non inveniret, tristis & verecundus, partim quia destructum videbat quod ædificaverat, partim propter dedecus quod sibi grave illatum fuerat, postquàm per octo annos præfuit Abbatiæ, regressus est ad sanctum Pelinum suum Episcopum, ibique paucis diebus postea vivens, reddidit carnis debitum, & moriens quinto Calendas Decembris, ibidem in Ecclesiâ sancti Pelini meruit habere sepulcrum. Monachi autem in destructione Ecclesiæ quæ facta fuerat, ut prædiximus, ab Ugone Malmazetto in tempore Trasmundi Abbatis sancti Clementis, & sancti Pelini Episcopi, per diversa loca dispersi, quando potuerunt reversi sunt ad Monasteriū, & ante corpus sancti Clementis, quæ pars sola Ecclesiæ cum quatuor tantùm veteranis Monachis integra remanserat, quos quatuor Monachos in ipsâ Monasterii mutatione vixisse nostri majores tradunt. Quia nunquam recedimus à loco quem elegit Dominus, & in quo Dominus noster B. Clemens voluit requiescere; non enim sine Dei nutu hìc Ludovicus Imperator Domino templum istud ædificavit; & ideo non aliter quàm corpus sine animâ poterit quis nos alibi transferre, quia potiùs mori volumus, quàm hinc discedere. Cætera enim præter locum ipsum, in quo supradicti quatuor Monachi ante sanctū Clementem excubabant, vepres & urticæ occupaverant, conglobati sunt ipsi Fratres, & desolationem Ecclesiæ, depopulationem Monasterii lugentes, in dolore & ærumnâ ipso tempore permanebant. Tandem quia sine Abbate esse nolebant, unum ex suis, ADAM nomine, ipsius Monasterii Præpositū in sedem XXIII. Abb. Adam.
posuerunt, ejusque auxilio ad restaurationem Monasterii, si facultas ei daretur, desideranter invigilabant anno Domini millesimo octogesimo, Indictione tertiâ. 1080.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis millesimo 1081.
octogesimo primo, quidam Benedictus de castello Poperi, in ejusdem pertinentiâ dedit sancto Clementi quasdam possessiones. Et quidam Dodo Presbyter quasdam alias in pertinentiâ de Tocco, per loca & vocabula quæ in chartis inde ab eisdem factis, & Abbati Adæ attributis habentur. Elabentibus post hæc annis ab Incarnatione Domii nostri JESU-CHRISTI millesimo octogesimo secundo, ter- 1082.
tio, quarto, & quinto, anno etiam Dominicæ In- 83. 84.
carnationis millesimo octogesimo sexto, Indictione 85. 86.
nonâ, quidam Ugo, genere Francus, pro animâ suâ & parentum suorum, dedit sancto Clementi possessiones in territorio Teatensi, videlicet in pertinentiâ de castello, quod dicitur Villamaina, sexaginta & sex modiorum, & faciens inde chartam confirmationis obtulit Monasterio; de quibus Abbas Adam fecit cambium cum Domno Rainulfo Teatino Episcopo, recipiens inde prope Monasterium in loco, qui dicitur Caniano, & ad Pontem Marmoreum, terras & vineas, & Plebanam Ecclesiam sancti Petri, cum omnibus quæ sibi pertinebant. Refutavit etiam idem Rainulphus Teatinus Episcopus Ecclesias, quas antiquitùs habet sanctus Clemens in Caramanico, & eas ab omni conditione, quas in eisdem se dicebat habere, liberas & absolutas Piscariensi Monasterio reddidit, sicut habetur in legalibus instrumentis inde compositis.

Verùm quia nondum purgata erat iniquitas, nec tempora illa advenerant, in quibus Ecclesiæ suæ Deus quam ineffabiliter opprimi sciverat, misereri debuisset, Abbas Adam & Monachi S. Clementis vix erigere caput valuerunt, & inter hostes degentes, quasi hostes essent de suis miserabiliter tamquam non de suis vivebant. Et quia nemo est ex omni parte beatus, Dominus Deus, qui sanctis semper præsto est, ipsum Abbatem Adam permisit carneâ voluptate aliquantulum superari; pro quâ re, sicut fertur, Abbatia tota magnum detrimentum sustinuit, & terras illas, quas Ecclesia S. Clementis habebat in pertinentiis Tocci, pro ejus fragilitate irrecuparabiliter perdidit. Sex annis vixit in regimine, deinde migravit ex corpore. Post defunctionem istius tenebat Abbatiam quasi Cappellulam unam prædictus Malmazettus, & non permisit quod Monachi crearent Abbatem, imò præposuit illis quem voluit, & quamdiù sibi placuit, quemdam ADENULPHUM non de ipsâ Congregatione Mona- Adenulphus Abbas intrusus.
chum; quod Fratres sufferre non valentes, ipsius Malmazetti præsentiam adierunt, & isto remoto de præpositurâ Monasterii, ut Abbatem sibi eligendi licentiam habere permitteret, rogaverunt; quos rumor insanientis vulgi in hoc opere aliquantulum juvit; qui omnes acclamabant contrà illum tamquam contrà dissipatorem Ecclesiæ, & Dei, & S. Clementis inimicum. Quid multa? Datur eis potestas eligendi, & adjutorio divino elegerunt, & præposuerunt sibi JOANNEM quemdam ejusdem XXIV. Abbas Joannes.
Monasterii Monachum, religione & vitâ probabili notum. In cujus tempore magna Crux, quæ est in choro Ecclesiæ S. Clementis erecta, miro opere

facta est atque depicta; quæ in magnâ veneratione tam à Fratribus, quàm à multis aliis habetur, eo quod ad honorem pretiosi ligni Crucis Christi circà ibi devotos multum sit exaudibilis. Fecit etiam Domnus Joannes Abbas trabem, ubi Salvatoris iconas, & imagines Prophetarum & Apostolorum, passionem quoque Domini, & Agnum Dei, laudabili depinxit opere, ac in sublime levans super ejusdem chori januam ordinavit.

1093. Sanè Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo tertio, nobilis vir Rainerius, filius quondam Tribuni, obtulit Monasterio S. Clementis chartam quam fecerat de S. Georgio quodam castello, & de Ecclesiis, videlicet de sancto Martino, S. MARIA de Melano, & de S. Flaviano, cum possessionibus terrarum mille modiorum in Aprutio. Currente igitur anno ab Incarnatione Domini nostri JESU-

1094. CHRISTI millesimo nonagesimo quarto; circa tempora verò ista Domnus JOANNES Piscariensis Abbas, pro morum honestate & sapientiæ prærogativâ meruit S. Pelini sublimari in Episcopum, & Valvensis Episcopus effectus, cum videret persequutionem Malmazetti ingravescere, utile sibi credens esse consilium, cœpit Abbatiæ curam postponere, & magis de Episcopatu curare. Malmazettus autem plùs suum velle quàm Dei beneplacitum nisus perficere, quem-

XXV. Abbas Gilebertus. dam suum Capellanum GILEBERTUM nomine, sub specie miserationis, & reverà sicut postea in facto patuit, spe spoliandi misit ad Monasterium S. Clementis, & præfecit eum ibi, præcipiens palam ut curam gereret Abbatiæ, quomodo eam posset augmentare; clam insinuans, ut festinaret quàm citiùs posset eam ornamentis, & vasibus aureis & argenteis spoliare. Suspicabatur enim Malmazettus insidias de Monachis S. Clementis, & timebat ne si Henricus Imperator, qui tunc temporis in Italiâ & Romæ potenti manu triumphare credebatur, ad has partes veniret, ob copiam eorumdem thesaurorum Piscariense Monasterium reconvalesceret, & ad suæ libertatis excellentiam rediret. Quod & fortè contigisset, nisi esset propter metum ejusdem tyranni, & aliorum Normannorum, qui eis & in totâ regione potenter, & cum multo terrore dominabantur; & etiam quia idem Rex Henricus Ecclesiæ Romanæ videbatur inimicari. Ille Gilebertus suscepit imperium, tenuit in mente consilium, & appropians ad Monasterium intravit sicut lupus sub tegmine agni, paratus occidere, jugulare, deprædari, & paucis post diebus reversus est ad dominum suum cum infinitâ copiâ auri & argenti: abraserat enim cruces, fregerat thuribula & calices, nec pepercerat testis aureis & argenteis, quibus tecta videbantur verba Salvatoris; de quibus namque thesauris Piscariensis Ecclesia S. Clementis copiosè jam restaurata erat à tempore sanctorum Abbatum, videlicet Domni Widonis, & Domni Dominici, & cæterorum qui inter bonos Abbates computantur. Invenerat enim ibi oves moribus simplices, ad occisionem magis paratas quàm ad vindictam, quas metu territans, sicut diximus, sub specie Pastoris spoliavit Ecclesiam. Quid facerent? Pastorem non habebant, thesauros perdiderant, circumcircà hostes suos potentes in possessionibus Ecclesiæ debacchari cernebant; qui eis misereretur, qui ferret auxilium non inveniebant.

Taliter obstricti, afflicti cucurrerunt ad Tyrannum; & quæ sibi acciderant, tamquam nescienti voce singultuosâ retulerunt. Ille verò fingens se velle misereri, qui reverâ lætabatur cum malefaceret, & exultabat in rebus pessimis, dedit eis licentiam eligendi quem vellent; non reddidit eis thesauros, quibus Ecclesiam repararent. Verùm primitùs accesserunt ad Domnum Joannem Episcopum, rogantes eum ut sicut antea curam gereret Abbatiæ, qui non acquiescens eis, dimisit Abbatiam, & tenuit Episcopatum. Erat quidam Monachus de Monasterio S. Vincentii, qui famâ notus, nec multum literatus, de agriculturâ sollicitus, & in rebus sæcularibus studiosus, regebat Præposituram S. Petri de Trite: istum siquidem, nomine GRIMOALDUM, XXVI. Abbas Grimoaldus.
de consilio & auctoritate prædicti Domni Joannis Episcopi, Abbatem petière sibi Fratres pauci numero rebus pauperes, ad restaurationem domuum, & ad reparationem Ecclesiæ valdè solliciti. Qui cum sibi datus esset, & locum desertum, & facultatibus & habitatoribus denudatum videret, voluntariè esset reversus ad Ecclesiam de quâ sumptus fuerat, si potuisset. Non enim videbat, nec invenire poterat unde ruinas Monasterii reparare valeret; fecit tamen quod potuit, exspectans ut Deus visitaret Ecclesiam meritis & intercessionibus Sancti Clementis.

Ugo Malmazettus, quem superbientem, & immoderatum, & pervasorem suprà notavimus (cui non sufficeret si in manu haberet, etiam totus mundus) postquàm Barones exheredavit, fugavit, expulit, & castella eorum & possessiones sibi usurpavit, ad altiora tendens, quoddam castellum munitissimum, Preze vocitatum, quâ posset arte rapere disposuit. Abstulerat enim domino prænominati castri quasdam alias munitiones, & laborabat adhuc sicut de pluribus fecerat, ut eum omninò proscriberet. Dominus autem castelli sororem habebat pulcherrimam & sapientem nimis, quæ auditu solo cognoscens mores luxuriosi Malmazetti, mandavit ei clam quòd si vellet ad eam venire in convallem castelli, habere cum eo familiare colloquium, & si daret ei aliquem de suis Baronibus in maritum, faceret quod ipse habere posset sine sui læsione castellum. Quod audiens Malmazettus gratulabundè suscepit, & ad locum quem ipsa posuerat cum paucis venit. Puella verò fratri indicaverat promissionem adventûs ejus qui armatus cum militibus, & turbâ peditum sequutus est puellam de longè, & inter dumeta occultavit se suosque. Puella venit ad eum, & inter oscula lenibus verbis decipiens, fecit ut recumberet in sinu ejus. Pedissequa quam secum duxerat tenebat in gremio suo pedes ipsius, & dum puella cum lenone dulcibus alloquiis frueretur, abra involvebat circà calcaria longam camisiam, quâ erat indutus, ut cum tempus esset, & vellet consurgere, non posset, quoniam foret impeditus. Frater puellæ videns eum in gremio procumbentem sororis, cum armatâ equitum turbâ & peditum, ad locum cucurrit, eumque jacentem nec valentem citò consurgere comprehendit, ligavit, & antequàm à suis posset auxilium habere in firmissima castelli loca eum sub custodiâ posuit. Barones audientes quia captus esset Dei & hominum adversarius, unusquisque ad ea loca quæ Malmazettus violenter ac fraudulenter rapuerat, cucurrit, obsedit, obtinuit, & tamdiù ipse in carcere jacuit clausus, donec totam terram quam invaserat liberam redderet; & ipse, sicut decens erat, nudus & pauper non in suo, sed in alieno vitam miseram actitaret. Habebat septem filios de uxore, quos omnes Comites & Duces proposuerat in terrâ non suâ sub brevi facere, & quid de se existimaret si longiùs viveret satis est ad cognoscendum facile. Verumtamen Deus quem ipse offenderat, & B. Clemens, cujus domum subverterat, auro & argento spoliaverat, eum non permisit quod cupiebat factis implere, imò fecit eum gravissimâ torqueri infirmitate, quâ ipse detentus occubuit: & eodem anno quo mortuus est, sequuti sunt eum moriendo quinque filii sui. Sicque factum est, ut in

In sigris puellæ fortitudo.

Monasterio quod spoliaverat haberet sepulturam, in eo loco ubi olim imago S. Clementis stans depicta erat, in cryptâ videlicet quam Domnus Grimoaldus Abbas ibidem ob ejus honorem construxit, atque depingere fecit ante januam meridianæ subditæ ipsius Ecclesiæ.

Sanè per idem tempus quidam Lieto, Presbyter de Tocco, fecit chartam traditionis & confirmationis Piscariensi Monasterio de Ecclesiola S. Comitii per manus Grimoaldi Abbatis, in anno Dominicæ Incarnationis M. XCVII.
1097.

Satis laboravimus in relatione miseriarum & desolationis Ecclesiæ, in persequutione Ugonis Malmazetti, & ejus dejectione, & quia bonum Abbatem Dominus Ecclesiæ suæ contulit, qui ad restaurationem ipsius multùm laboraverit. Postquàm de morte adversarii quamvis pauca referentes aliquantulum fatigati sumus, quiescamus paululùm, ut recreati sequentis libri alacriori affectu sumamus exordium.

Explicit Liber secundus.

LIBER TERTIUS.

Electo itaque, & nondum consecrato Grimoaldo Abbate, post mortem nequissimi Ugonis, de quo superiùs pauca de multis memoravimus, surrexit alter nequior illo Wilielmus, Tassio, vero nomine dictus, quia & fraudulentus erat, ex nomine rapacis bestiolæ, & amator terrenorum, quod signatur ex proprio nomine. Wilielmus enim amator terrenæ sapientiæ esse cognoscitur, si hujus nominis ad purum etymologia discutiatur. Wi enim græcè, latinè terra dicitur, herma Mercurius Deus sapientiæ, sive somni vocatur. Itaque Wilielmus adjectione duarum semivocalium, terra-sapiens, vel sapiens terram, id est, terrena, nuncupatur. Hic totam suam sapientiam in acquisitione terrenorum primitùs posuit, & in tantum debacchari cœpit, ut malleus universæ terræ crederetur; & non solùm ab his quos violenter sibi subdiderat, verumetiam ab eis qui longè positi erant, solâ crudelitate timeretur.

Iste cum teneret in Pinne castellum Loreti, & in Balvà castellum Poperim, & sæpe contrà vicinos & circummanentes bellum gereret, validâ persuasione ac venenatâ promissionum dulcedine, prædictum Domnum Joannem Valvensem Episcopum illexit, & fraudulenter attraxit, dataque sibi quâdam infirmiore prædicti castelli Poperi, juravit ei manu suâ, quòd si idem Episcopus concederet ei custodiam turris Bectorritæ S. Pelini, & turris insulæ S. Clementis, & ut per terram utrorumque Sanctorum, se suumque exercitum securè conducere, ut de ipsâ pacem & guerram vicinis suis posset facere, finitâ guerrâ, quam cum suis vicinis & maximè cum Marsicanis habebat, quam in brevi ex fortunatis bellis & consuetis victoriis se terminare credebat, non solùm ipsas munitiones redderet, verumetiam totum castellum Poperi cum munitionibus & pertinentiis suis S. Pelino & S. Clementi, tamquam rem juris eorum ex integro largiretur. Abbas enim Grimoaldus ipso tempore, sicut vicarius prædicti Episcopi donec consecraretur, Abbatiam gubernabat. Hac igitur sponsione acceptâ, talique juramento dexteræ Wilielmi Joannes Episcopus securus factus. simplici animo, & sicut innocens qui credit omni verbo, concessit ei unde postea deceptus fuit. Nam non post multum tempus ex tali intromissione cœpit sibi Wilielmus Tassio ambas Ecclesias S. Clementis & S. Pelini, & terras earum tamquam proprias vendicare, & ex toto qui à se prædictis munitionibus potentem videbat, suppeditaret. Ex hujus itaque gravamine Grimoaldus est aliquantulùm coartatus, quia neque ad Imperatorem ire, neque quò maneret Imperator noscere poterat (Normanni enim qui totam terram illam invaserant, nec nomen Imperatoris audire volebant, nec ad illum quempiam ire sinebant) quid ageret nesciebat, quia destructionem suæ Ecclesiæ, & eversionem quotidie videns, & reædificare diruta non valens, ad lamentum potiùs quàm ad delectationem corporalem provocabatur; totam tamen spem suam in Deum posuit, & ei humiles preces fudit, ut pacem Ecclesiæ redderet, & inimicos, qui superbum caput extulerant, humiliaret.

Eodem tempore miseratione divinâ Ecclesia Romana bonum Pastorem habebat, Christianitatis amatorem, & fidei defensorem, Sanctum Urbanum. Hic dolens quia Sarraceni occupaverant sanctam civitatem Hierusalem, & sepulcrum Domini, volens eam eripere de manibus impiorum, & reddere pristinæ libertati, prædicavit remissionem peccatorum, & vice sibi traditâ à Deo omnibus dedit quicumque Hierusalem tenderent, & civitatem & terram transmarinam, quæ à Sarracenis possidebatur, liberarent, adjiciens etiam hoc, ut si quisquam in viâ, sive in pugnâ, pro Christo moreretur, in numero Martyrum absolutus ab omnibus peccatis suis computaretur. Et dum totus mundus post eum curreret avidus remissionem peccatorum accipere, & in numero Sanctorum Martyrum esse, contigit ut hoc prædicans prædictus summus Pontifex deveneriт Thyetum, ibique perendinans, non multis diebus, cum Episcopis & Baronibus de viâ Jerosolymitanâ habuit commune colloquium. Quod agnoscens Grimoaldus accessit ad eum, & expositis calamitatibus Ecclesiæ suæ, & destructione funditùs, cum maximâ reverentiâ à prædicto Papa Urbano susceptus, & sub protectione Romanæ Ecclesiæ quam hactenùs Abbatia S. Clementis ignoraverat, quia ab Imperatoribus gubernabatur, meruit collocari. Hic primus ab illo in Abbatem consecratus, baculum pastoralem in loco sceptri regalis, quod Antecessores sui, & ipse ex dono Imperatoris in dexterâ portabant, suscepit: & ex illo tempore cœpit securus intentus esse ad restaurationem Ecclesiæ & ædificiorum, ad reparationem possessionum perditarum: virgulta jam erant nata in ruinis Monasterii, quæ fecit exstirpare, & novos parietes erigi, & brevi spatio temporis, adjuvante sibi gratiâ Salvatoris, & meritis S. Clementis, reparavit Ecclesiam & Officinas Monasterii, non in eo statu quo antea fuerant, sed sicut posse sibi datum est, & meliùs existimavit. Sanè quando ista fiebant, anni Dominicæ Incarnationis volvebantur; videlicet millesimus nonagesimus octavus & nonus, & millesimus centesimus. & centesimus primus. 1098. 1099. 1100. 1101.

Præterea in anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi millesimo centesimo secundo, fecit idem Abbas conventionem cum nobilibus viris de Marchiâ, videlicet cum Garendo Comite de Camerino, & cum filiis Gozoni, & aliis hominibus, quorum nomina in chartis inde descriptis reperiuntur, de possessionibus in Camerino, & in territorio Firmano, videlicet in Lauro, Monte Opterami & Vestiniano, per loca & vocabula earumdem, & census quos annuatim inde ordinavit, omnia in ipsis instrumentis chartarum descripta manifestiùs habentur. Item castellum de Fabali, quod olim duo fratres Cono & Sanso tempore Domni Dominici Abbatis per chartulam Piscariensi Monasterio dederunt; Comes Riccardus de Manuplello in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo tertio, rursus de ipso castello chartulam traditionis per manus Domni Grimoaldi Abbatis fecit S. Clementi, sicut 1102. 1103.

cut suum fore, & ex suo dono illud largiretur.

Wilielmus igitur Tassio, qui secundâ persequutione post Malmazettum in possessionibus S. Clementis & vicinorum magnâ violentiâ grassabatur, nescio quo ductus spiritu transmarinas partes adire voluit, & quod malè invaserat non dimittens quietum quibus abstulerat, sed magis impediens, vendidit Riccardo Comiti domino Manuplelli Abbatiam S. Clementis, Poperim, & Episcopium S. Pelini, pro mille byzantiis. Riccardus verò Comes cupidus Imperii, pôstquàm emerat ab illo qui sibi vendere non poterat jura Monasterii, cum magno comitatu Insulam Piscariam venit, & ibi tabernaculum suum fixit, & quamdiù sibi placuit ibi manens, postquàm bona Ecclesiæ superfluè convivando consumsit, cum vellet regredi, dixit Abbati: Nolo te latere Abbas, quia nos mercatores idcircò tradimus aurum ut accipiamus duplum, idcircò damus nostram pecuniam, ut ab his quæ emimus triplici cum usurâ acquiramus eam. Novisti quia ego emi istam Abbatiam cui præes, cum aliis paucis, mille byzantiis, volo ut in præsenti mihi restituas quod ad te pertinere videbitur de supratasatâ pecuniâ; nolo ut me facias irasci contrà te aliquâ morulâ, statim solve quod præcipio, quia te exspectare vel ad momentum nec possum, nec volo.

Cumque Abbas humiliter responderet se pecuniam non habere, & ei ostenderet ruinas parietum & destructionem Ecclesiæ; ille furibundus, & extrà se raptus, nec cedens Deo, nec honorem exhibens Martyri venerando, in hæc verba prorupit: Si in tibi positâ die pecuniam prænominatam integro pondere non attuleris, ruinas quas monstravisti complebo, & postquàm omnia destructa fuerint quæ fecisti, totius insulæ cum omnibus pertinentiis suis depulsis habitatoribus dominabor. Hæc dicens iter arripuit, procul dubio facturus quod promiserat, si sibi licuerit. Quid facies, Grimoaldi Pater? rabies furibundi nunquam sedatur, nisi des quod postulat aurum. Quantus dolor: quanta miseria! Abbatia quæ hactenùs fuit Imperialis Camera, modò datur pro pretio sicut à mercatoribus venditur vilis ancillula. Ubi sunt fastus regales? Ubi sceptri magnificentia? omnia ex te ceciderunt, sub jugo posita es, non es libera, ille te liberet cujus in te continetur gleba. Quid multa? Statutâ die, communicato consilio cum Fratribus habitatoribus loci, cum habere non posset impositum sibi pondus auri, colligit animalia & pecora omnia quæcumque potuerunt in possessionibus inveniri, & sumptis matribus cum vagientibus parvulis tetendit ad ædes tyranni, & quæ duxerat offerens, dixit ei: Hæc sunt unde debent vivere pauperculæ mulieres istæ cum suis liberis, parce ut parcat tibi Deus; noli terram S. Clementis in desertum redigere, depulsis habitatoribus loci: scias pro certo quia si haberemus quod postulas nulla esset cunctatio in reddendo, quia non volumus te nostro pro facto ad iracundiam provocare. Ille verò cujus animus igne succensus erat avaritiæ, non judicavit Abbatem dignum responsione, imò extendens manū ad munera, suscepit boves & pecora, nec illi dimisit ex omnibus, nec pueris, nec eorum matribus unde possent sustentari die unâ.

Abbas Grimoaldus reversus est ad Monasterium prædâ dispoliatus, & magis dolens pro cultoribus agrorum, quàm pro se vel Fratribus, convertit preces ad Dominum, & effusus ante corpus S. Clementis dixit: Domine memento nostri, te enim exspectavimus, esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis. Non gaudeat inimicus tuus diutiùs de prædâ quam fraudulenter abstulit famulis tuis: ostende virtutem tuam pro Ecclesiâ tuâ, ne ei dicatur: ubi est Deus tuus? His dictis siluit, & quod Deus esset facturus exspectavit; credebat enim fiduciam habens in Domino, quia Deus esset pugnaturus pro loco suo. Venit dies in quâ præfatus Comes Riccardus solemnes sibi jusserit epulas præparari, & sedens in palatio, cum jam penè esset plenus ferculis, quæ multa sibi fieri jusserat de prædâ S. Clementis, cum adhuc ad mensam sederet cum Baronibus suis, vindictam divinam sensit adesse sibi. Nam quædam persona terribilis ei soli apparuit, induta veste sacerdotali, & cum clava quam manu gestabat, super caput illius maximum ictum dedit; quo ictu ipse statim & visum & auditum perdidit, & ejulans magnâ voce ad proprium lectum advectus est manibus servulorum. Et cum inquireretur à mulieribus quid haberet, quare tam subitò exclamavisset; ille recuperat oauditu dixit: Non videtis quod video? iste Presbyter qui hîc adstat cum mazucâ, confregit uno ictu tempora mea, & elevato ictu si me iterum percusserit, protinùs egrediar de præsenti vitâ. Clemens noli me percutere, noli Clemens: in his vocibus exspiravit, & sensit quia ille non dormit neque dormitat, qui suos semper & ubique custodit. Fama autem hujus facti licet silentio premeretur, diutiùs celari non potuit, & tantum gaudium in corde bonorum crevit de hoc, quod Deus lacrymas servorum suorum non tradiderat oblivioni, ut qui lugubrem vitam ducebant suis bonis exspoliati, consolationem susciperent pro vindictâ & morte inimici. Uxor ejus, quæ vidua remanserat, quandam partem de his quæ maritus ejus abstulerat reddidit Grimoaldo Abbati, & filium suum ita castigatum & præmonitum tenuit, ut Abbatiæ insulæ Piscariensis nihil mali faceret quamdiù mater ejus vixit: post mortem matris, oblitus monitorum ejus ad mores patris revertens, genitorem suum malitiâ superavit.

Mortuo autem sanctæ recordationis Urbano Papa Paschalis sede locatus Pontificali meruit infulâ decorari. Qui mittens unum de Cardinalibus suis, Augustinum nomine, vice Legati, præcepit ut Attonem Comitem, qui propriâ ac legitimâ uxore relictâ, & eâ vivente sibi alteram duxerat, Rogatam videlicet uxorem defuncti Malmazetti, excommunicaret, & tamdiù extrà Ecclesiam esse faceret, donec illam quam malè tenebat relinquens, pro reatu satisfaceret, & quos malè faciens suo exemplo læserat, pœnitens ad satisfactionem provocaret. Qui legatus insulam Piscariensem, in quâ Monasterium S. Clementis est, devenit, ibique maximo cum honore susceptus, juxtà præceptum Domini Papæ prædictum Attonem excommunicatum ad satisfactionem provocans, pœnitentem recepit, Ecclesiæ reddidit, & ne ultrà ad peccatum rediret illud, pro quo sententiam excommunicationis acceperat, jurare fecit.

Hic dum familiariter in Monasterio cum Abbate & Fratribus maneret, & de statu Ecclesiæ & Reliquiis, quæ in eo continebantur, requireret, audivit corpus B. Clementis ibi tumulatum jacere; sed ad hoc credendum nullâ potuit provocari ratione, donec Abbas ei promisit, quia ostensione ejusdem sacro-sancti corporis ipse dubius dubio faceret fidem dictis. Adveniente itaque B. Clementis festivitate, & eodem Cardinali præsente, solemniter, ut moris est, celebratâ, venit nox; Fratresque, sicut mos est, post Completorium petière cubicula, & Abbas duos de Fratribus, & duos de famulis suis, de quorum fide & religione minimè dubitabat, in Ecclesiâ latenter jussit manere, donec in mediâ nocte accensis luminibus, & obseratis portis firmiter, super se datis sibi ferramentis frangerent tumbam quæ erat post altare, & diligenter inquirerent, donec invenirent quod sufficeret & incredulitati Cardinalis, & multorum du-

bitationi. Qui parentes mandatis fregerunt tumbam, & invenientes vacuam timuerunt supervacaneum esse laborem suum, & fallacem assertionem Monachorum.

Inventio corporis S. Clementis.

Tandem animati ruperunt pavimentum, ibique nihil invenientes, fregerunt secundum, & facto foramine, tanto subitò sunt repleti odore, ut putarent se in paradiso Dei adstare; tantusque sonitus auditus est ex percussione secundi, ut videretur illis qui præsentes aderant ibi, corruisse totum Monasterium fractis parietibus cunctis. Cum autem tremefacti instarent labori, & avidi contemplari cælestis thecam thesauri, invenerunt subitò quod desiderabant, pretiosum corpus venerabilis Martyris Christi & Romani Pontificis S. Clementis in vase alabastri, in quo illud posuerat cautela & providentia venerandæ memoriæ Imperatoris Ludovici. Quod videntes, vas tangere non fuerunt ausi, sed statim nuntiaverunt Abbati quæ viderant, quæ audierant, quæ invenerant, & quæ contigerant illis. Qui excitus à somno confestim surrexit de strato suo, & convocatis Fratribus & Cardinali, cum timore & reverentiâ accesserunt ad locum, & factâ primitùs oratione, cum singultu & lacrimis aperuerunt thecam thesauri, & invenerunt titulum aureis literis scriptum: Hic jacet Sanctus Clemens Petri Discipulus, & à Petro Papa secundus, qui jussu Trajani Imperatoris anchora ad ejus collum ligata fuit in pelago mersus. Quem titulum cum legeret Cardinalis, ejus facies illicò est perfusa ubertim profluentibus lacrymis, & procedens ad cætera, cum pro certo cognovisset quod ibi S. Clemens jaceret, in laudibus prosilivit, incipiens, *Te Deum laudamus*; quod Fratres cum jubilo cantaverunt, & ad finem usque exultantibus Angelis, & præsentibus Martyribus sanctis, ipsum *Te Deum laudamus* modulizando perduxerunt. Quod factum vicinos latere non poterat, sed ad hoc spectaculum omnis sexus occurrit; & tanta fuit hominum multitudo, ut arenæ maris posset æquari.

Cum autem coram cunctis singillatim membra beati viri nec unum os deesse conspicerent, invenerunt etiam de carne B. Petri, & unum de dentibus S. Pauli. Titulum etiam ad confirmandam veritatem scriptum similibus literis: Hic dens est de dentibus Sancti Pauli, qui fuit raptus usque ad tertium cœlum; & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Caro verò Beati Petri ita mollis effecta erat, quasi lana munda, & quando constrinxit eam Cardinalis cum manu dexterâ, videbatur sibi quasi nihil esset in palma, quando aperiebatur ipsa manus, caro revertebatur ad quantitatem quam habuerat antea. Videns autem Cardinalis magna mirabilia Dei credidit quod priùs non credebat, esse videlicet ibi B. Clementem corporaliter, & in virtute spiritualiter, & remeans retulit quæ viderat summo Pontifici, Domno videlicet Papæ Pascali, & omnibus Concardinalibus suis, qui unanimiter reddiderunt gratias Salvatori, qui non frustratus fuerat Italiam Romano Pontifice, sancto scilicet Clemente reverendo Martyre.

Facta est igitur hæc ostensio pretiosissimi corporis gloriosi Pontificis & Martyris Christi Clementis, post festum ejusdem alterâ die, id est octavo Calendas
1104. Decembris, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quarto, Indictione decimâ tertiâ, à conditione verò Monasterii Casauriensis . . . .

Elevatio corporis S. Clementis.

Abbas verò Grimoaldus ultrà modum lætus effectus, quia certus erat unde multorum dubitatio eum aliquantulum dubitare compellebat, construxit altare, & in die statutâ coram maximâ multitudine convocato Episcopo Valvensi, nomine Gualterio, qui supradicto Domno Joanni Episcopo, & Piscariensi Abbati, in Pontificatu successerat, (cujus Domni Joannis Episcopi & Abbatis obitus inscribitur octavo Idus Augusti,) collocavit Idem Præsul Gualterius in eodem altari sacro-sanctum corpus Clementis Papæ & Martyris integrum totum, sicut traditum fuerat Ludovico Imperatori, exceptâ unâ particulâ quæ ad recordationem posterorum, & certitudinem præsentium, & remedium ægrotantium; quæ etiam conservatur in locello argenteo, in quo honorificè custoditur, & quoties necessitas ingruit, trahitur non sine remedio. Postquàm altare fuit clausum, & benè signatum plumbo & ferro, dedicavit illud præfatus Episcopus, jussu Grimoaldi Abbatis, quinto decimo Calendas Novembris, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinto. Nam in 1105.
ejusdem altaris mensâ facta est effossio, ubi cassulam quorumdam Sanctorum pretiosissimas Reliquias continentem deposuerunt, & paginulam litterarum talem scripturam habentem: *In anno millesimo centesimo quinto, & die mensis Octobris stante quarto decimo, per Indictionem quartam decimam, peracta est consecratio altaris majoris Beati Clementis Martyris Monasterii, in honore Sanctæ Trinitatis, & Beatæ Dei Genitricis Virginis* MARIÆ, *& S. Vincentii Martyris, & Beati Ægidii Confessoris, à me indigno Walterio Episcopo Balvensis Ecclesiæ, cujus prædicti Monasterii Grimualdus maximus Abbas hoc in tempore regimen siquidem nutu Dei tenere videtur, unà cum Monachis suis, & sequacibus omnibus, adstante illic Præposito Berardo Monasterii Sancti Liberatoris, vel plurimis aliis maximis hominibus. Regenteque jussu Dei Apostolicam arcem Romanæ urbis Pascali gloriosissimo etenim Papa.*

Quæ dies festiva ducitur per singulos annos, tam à Clero quàm à populo, & remissio fit omnibus advenientibus de pœnitentiâ sumptâ criminalium peccatorum integer annus, & quadraginta dies de venialibus. Ipso namque anno quidam Sulmonenses Otto & Joannes dederunt suas possessiones quascumque habebant, Piscariensi Monasterio; & Otto factus Monachus ejusdem Monasterii quamdiu vixit, placere Deo studuit in sanctâ conversatione. Supradictis itaque ac aliis modis clarificavit Dominus merita B. Clementis, ad correptionem præsentium, & eruditionem futurorum; ostendens eum in Monasterio Piscariensi esse reconditum.

Erat tunc temporis consuetudo, & ut veraciùs dicam religiosa devotio, ut omnes de circumadjacentibus castellis, tam majores quàm minimi, ob reverentiam gloriosi Martyris in cœmeterio B. Clementis ex hoc mundo transeuntes sepelirentur.

Grimoaldus Abbas intuens multa mirabilia suo tempore sæpissimè fieri, magis & magis proficiebat in timore Dei, & quæcumque ex redditibus Ecclesiæ, vel bonorum virorum largitione congregare poterat, non parentibus tribuebat, sed ad decus Ecclesiæ in ornamentis & utensilibus expendebat. Fecit namque à Septentrionali parte Monasterii juxtà latus Ecclesiæ palatium ad habitationem Abbatum, & cameras ad deponendas res & substantias Monasterii; quod palatium variis picturis & quibusdam historiis de veteri testamento decoravit. Fecit crucem argenteam appendentem quindecim libras argenti, quæ à sinistris chori ante altare fixa, ob reverentiam Dominicæ passionis à populis debitâ veneratione coleretur. Fecit & calicem aureum appendentem libram auri purissimi, in quo mysteria Dei magnis festivitatibus conficerentur. Fecit & textum argenteum, qui expanderetur vel aperiretur super altare Dominicis diebus, & in festis Sanctorum. Crucem verò magnam, quam Gilebertus abraserat argento, imagine ac passione Salvatoris depingere simul & decorare fecit. Iste vir sanctus quamvis esset & carnis munditiâ, & honestate vitæ, consors Sanctorum

habitantium in secretis cœlestibus, non tamen poterat dinoscere, nisi Deo sibi revelante, diem sui obitûs. Dum autem esset valde sollicitus de augmento Ecclesiæ sibi commissæ, ut sui moris erat, audivit quia Henricus Imperator, Henrici filius, Romam advenerat; ad quem dum ire obviam præpararet, in Monasterio S. Vincentii, unde sumptus fuerat in Abbatem, hospitium habuit; ibique correptus, infirmitate, Deo jubente, finem vitæ suscepit, sepultusque est in eâdem Ecclesiâ cum Fratribus suis. Vixit autem in regimine Piscariensis Monasterii decem & septem annis, mensibus octo, diebus undecim, clausitque ultimum diem tertio Nonas Septembris, anno Dominicæ Incarnationis . . .

1116. Post hunc cum levaretur Giso, essetque aliquantis diebus electus, ob malevolentiam Fratrum, quia videbatur violentiâ Comitum Manuplellensium impositus, & quia Fratribus cœpit dominari ferociùs, quàm deberet, studeretque plus timeri quàm amari, cessavit: & sic Domno Grimoaldo successit

XXVII. Ab. Albericus. Domnus ALBERICUS ejusdem Abbatiæ Monachus, quondam verò Præpositus. Priùs equidem pro suâ honestate & sapientiâ in Episcopatum Theatinensem electus exstitit; sed quia adversarios habebat quosdam, maluit Abbas quàm Episcopus esse. Quando verò ejus electio facta fuit volvebatur annus Dominicæ Incarnationis millesimus centesimus decimus; tenebatque tunc temporis in Tete Abbatiam S. Joannis de Arclano, & in Pinne S. MARIAM de Piczano; indeque à Monachis & populo terræ S. Clementis honorificè fuit adductus, atque electus; & ita consecratus à Domno Pascali summo Pontifice, suscepit curam pastoralem in baculi traditione.

1110.

Ejus in tempore adversarii qui tenebant bona Ecclesiæ, ut audierunt adventum Henrici Imperatoris, cognoscentes animum Alberici Abbatis promptum in quantum posset ad sese vindicandum de eis, convocavêre finitimos & longè remotos de suâ cognatione; & habentes commune colloquium, ex consilio venerunt ad Abbatem Albericum, & illa castella quæ illi de Ecclesiâ tenebant, quieta ei reddiderunt in suâ miseratione sine ullâ retentione, parati ad juramentum, ad fidelitatem, & omnia quæcumque Abbas sibi præciperet facere. Qui postquàm triduo ipsa castella in manu suâ tenuit, sumpto consilio ab eis qui pavidi magis erant parati ad persuadendum ut daret, quàm ut retineret, eadem castella eisdem Baronibus interpositâ quâdam conventione reddidit, ut ipsi jurarent & fidelitatem promitterent, ut nunquam per se, neque per aliquem quem possent repellere, Ecclesia S. Clementis eadem Castella, vel alias possessiones, & modò possideret, vel acquirere posset, ulteriùs perderet; & si insurgerent adversarii, ipsi essent ad comprimendum adjutores fidelissimi. Constituerunt etiam dare censum annuum pro recognitione decem Byzantios; & si controversia de his oriretur, quæ suprà diximus, ille per quem fuisset orta, mille libras auri purissimi persolvere ad profectum Monasterii cogeretur. Hoc juravit Gentilis de Colle Petri, qui tenebat castellum Pesculi, & Carufanum, & Olivulam; & Sanso, & Rainaldus, filii Remedii, & Temmarius filius Temmarii, & Sanso filius Theodini, qui tenebant castella ista, videlicet Bittoritum, Castellionum, Roccam de Soti, Corvariam, Petraniquam. Fecerunt etiam ut eorum filii essent homines Ecclesiæ fideles & legitimi in manus Alberici Abbatis, & tenerent ipsa castella usque ad tertiam legitimam generationem; & finitâ tertiâ generatione legitimâ & masculinâ, ut est consuetudinis illius terræ, ipsa castella quieta & libera reformarentur Ecclesiæ. Hoc juramentum, & hanc fidelitatem coram Episcopis istis, Walterio Episcopo Valvensi, Wilielmo Theatensi, Herberto Pinnensi, & venerabili Berardo Præposito S. Liberatoris, & multis aliis bonis viris qui præsentes aderant, fecerunt, & scripto mandare ad notitiam posterorum præceperunt. Illi qui sacramentum fecerunt superiùs sunt nominati; filii eorum qui hominium fecerunt Abbati sunt, Walterius filius Gentilis de Colle-Petri hominium fecit Alberico Abbati; & Berardus filius Sansonis, & Temmarius filius Temmarii, & Wilielmus filius Rainaldi. Et hoc factum est in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo undecimo. 1111.

Albericus autem Abbas duobus annis transactis in regimine, in tertio accepit finem vitæ, sepultusque est in Monasterio sancti Clementis cum Fratribus suis, duodecimo Kalend. Novemb. Cui successit supradictus GISO, revocatus atque reductus XXVIII. Ab. Giso. à Monachis, & toto populo S. Clementis, eo quod in rebus sæcularibus esset studiosus. Quem sacravit Pascalis Præsul Romanus Beneventi; & sacrato, ut moris est, dedit curam animarum & regimen Monasterii, anno Dominicæ Incarnationis currente millesimo centesimo duodecimo. Ipse ædificavit domum 1112. quæ sacristaria appellatur, in quâ thesauri, & ornamenta Ecclesiæ conservantur. Transactis autem annis ab Incarnatione Domini nostri JESU-CHRISTI millesimo centesimo decimo tertio, & 1113. millesimo centesimo decimo quarto, & millesimo 14. 15. centesimo decimo quinto, præfatus autem Giso sciens se pro benefactis suis à Deo bonam remunerationem habiturum, ad augmentum Ecclesiæ, & profectum omnium Fratrum, dedit Ecclesiam S. Bartholomæi de Orta, cum omnibus pertinentiis suis, & duos molendinos, & duos homines, in castello quod dicitur Thara: hæc omnia in Capitulo dedit, confirmavit domui infirmorum Fratrum in perpetuum possidenda jure hereditario, sicut rogatus erat ab uno ex Monasterii Prioribus, videlicet Domno Mauro, viro admodum probo & honesto, procuratore ipsius domûs infirmorum: de cujus literaturâ, & arte scribendi, honor Piscariensis Monasterii satis est augmentatus.

In hujus Abbatis tempore Wilielmus Tassio, de cujus ferocitate aliquantulum suprà loquuti fuimus, confessus reatum quem contraxerat de venditione Monasterii S. Clementis, pro remedio animæ suæ, & præcipuè pro ablutione istius sceleris, reddidit castellum S. Mauri, quod infaustè tenebat, B. Clementi per manus Gisonis Abbatis. In ejus tempore quidam potentes, videlicet Robertus Trogisii, & Gerardus de Conjulo, cum fratribus suis, occupabant bona Ecclesiæ & possessiones in castello quod dicitur Alanne; quos expulit, & terram quam invaserant, licet eam de Ecclesiâ se tenere mendaciter assererent, liberam Monasterio reddidit.

Eodem prætereà tempore ipso Domno Gisone Abbate adminiculante grande studium erat, & nimia exercitatio in Piscariensi Monasterio à Fratribus de renovandis libris, videlicet homiliis, passionariis, altaris, expositionum, & cæteris Ecclesiasticis codicibus, in quo scribendi studio præcipui erant, Domnus Joannes vir literatus & honestus, de cujus scientiâ & gravitate Monasterium est augmentatum, & bonum exemplum posteris est traditum, & Domnus Maurus, [de quo superiùs loquuti sumus] & Domnus Oldrius, qui in hac arte nimis erat assiduus, de cujus moribus & regulari desciplinâ suo tempore dicemus: successit enim in abbatiatu isti Domno Gisoni propter nimiam suam honestatem, & regularis vitæ custodiam. In tempore hujus Gisonis Sanso de Petraniquâ partim pro animâ suâ, partim pro pretio quod accepit, dedit Ecclesiæ S.

Clementis in perpetuum possidendam terram arabilem fructiferam pro domanio Ecclesiæ, plusquàm ducentorum triginta modiorum; pro quâ Abbas Giso una vice dedit octoginta solidos, alterâ verò vice caballum unum optimum, & quindecim byzantios. Hæc terra est ad S. Petrum de colle in pertinentiâ de Alanne. Præterea vir quidam nobilis & sapiens, Tedemarius nomine, cum haberet de jure B. Clementis in emptione Ludovici Imperatoris tria castella, Paternum videlicet, Picericum & Lucu, ductus amore Gisonis Abbatis, & devotione quam habebat erga Monasterium B. Clementis, hominium eidem Abbati fecit, & S. Clementi veram fidelitatem juramento semper servare promisit. Volvebantur tunc anni Domini millesimus centesimus sextus decimus usque vicesimum primum.

1116. Circà tempora verò ista, residente jam Papa Gelasio in Apostolicâ sede, fuerunt locustæ in universâ regione istâ, corrodentes segetes & omnes labores: unde cum ex jussione Domni Gisonis Abbatis capsula, in quâ B. Clementis erat spatula, portaretur à supradicto Domno Mauro, & quibusdam aliis religiosis Fratribus in agriculturis Ecclesiæ; & cum ipsâ perambularent atque girarent ipsos campos in quibus propriè segetes & labores erant ad victum Monasterii, tanta fuit virtus B. Clementis, ut in ipsâ portatione Reliquiarum ejus ipsæ locustæ fugarentur, & conglobatæ una super alteram cadentes, & se ad invicem vehementer impingentes, in flumine Piscariensi se internecabant, sicque ex maximâ parte sequentitempore fuit sedata famispestilentia.

Ugo Malmazettus, de quo suprà loquuti sumus, duos filios moriens dereliquit; quinque enim alii eum moriendo secuti sunt, quorum unus, qui eodem nomine quo & pater vocitabatur, & malitiæ paternæ in quantum poterat æmulator existens, homines S. Clementis, & res Ecclesiæ persequebatur; qui admonitus ab Abbate secundò & tertiò ut à malo quiesceret, & ipse nullo modo quiescere vellet: Abbas sicut prudens ei cum parvo comitatu per terram S. Clementis equitanti occultas tetendit insidias, comprehendit, ligavit, eumque cuidam Baroni suo, Sansoni videlicet de Petraniquâ, ad custodiendum tradidit, & tamdiu incarceratum tenuit; donec juraret quod ulteriùs dum adviveret S. Clementis homines non inquietaret. Qui egressus de carcere ab eodem Abbate coactus non multo post tempore Hierosolymam petiit, ibique finem vitæ invenit. Hic Giso providens ad profectum Ecclesiæ, impetravit privilegium Calixti Papæ, in anno ab Incarnatione Domini nostri JESU-CHRISTI millesimo centesimo vigesimo primo.

Privilegium Calixti Papæ.

CALIXTUS Episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Gisoni Abbati venerabilis Monasterii S. Clementis, quod in Insulâ Piscariensi situm est, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Apostolicæ Sedis auctoritate, debitoque compellimur pro universarum Ecclesiarum statu satagere, & earum maximè quieti, quæ specialiùs eidem Sedi adhærent, ac tamquam jure proprio subjectæ sunt, auxiliante Domino providere. Eapropter petitionibus tuis, Fili in Christo Carissime Giso, non immeritò annuendum censuimus, ut Monasterium B. Clementis, cui Deo auctore præesse cognosceris, ubi videlicet gloriosissimum corpus ejusdem Martyris requiescere credimus, sicut in Domini prædecessoris nostri Papæ Leonis privilegio continetur, Sedis Apostolicæ auctoritate muniremus. Mansuro igitur in perpetuum decreto statuimus, ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium in præsenti legitimè possidet, firma tibi tuisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus nominibus exprimenda. In Comitatu scilicet Teatino castrum Insulæ: Monasterium S. Nicolai in Caramanico, cum cellis, & cæteris ad idem Monasterium pertinentibus: Ecclesiam S. Crucis: Ecclesiam S. Martini ad Guttam: Ecclesiam S. Joannis: Ecclesiam S. Cesidii: Monasterium Sanctæ Trinitatis de Lapidariâ: Ecclesiam S. MARIÆ in Pesile: sancti Angeli; sancti Cesidii; sancti Bartholomæi de Orta; & castrum Fare. In Comitatu Balbensi Monasterium sanctæ Trinitatis cum pertinentiis suis: in Comitatu Pinnensi castrum Alanne, Bectorrita, Castellione, Olibula, Corvaria, Peselu, Roccam de Soti, Petram iniquam cum Ecclesiis & pertinentiis suis. In eodem Comitatu Monasterium sancti Desiderii, & Ecclesiam sancti Quirici, cum pertinentiis suis. In Comitatu Aprutiño Monasterium S. Clementis cum castellis, videlicet Castro vetere, Sancto-vetere; Guardia cum Ecclesiis & villis ad prædictum Monasterium pertinentibus. Quæcumque præterea in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, oblatione fidelium, vel aliis justis modis poteritis adipisci, firma tibi tuisque successoribus & integra conserventur. Decernimus ergo ut nulli omninò Episcopo vel Comiti, aut prorsùs alicui hominum, facultas sit præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, aut ei aliquas exactiones imponere; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus profutura. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contrà eam temere venire tentaverit, secundò tertiove commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JESU-CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri JESU-CHRISTI, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen.

Scriptum per manum Gervasii Scriniarii, Regionarii, & Notarii sacri Palatii.

Ego CALIXTUS Catholicæ Ecclesiæ Episcop. subscripsi.

Datum Laterani per manum Grisogoni S. Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii, quarto Calendas Aprilis, Indictione decimâ quartâ Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo vicesimo primo; Pontificatûs autem Domni Calixti secundi Papæ anno quarto.

Per idem tempus erant eidem Domno Gisoni Piscariensi graves inimicitiæ cum persequutoribus Ecclesiæ suæ, quia nolebat ut suâ incuriâ minuerentur ea quæ ab antecessoribus suis magno labore fuerant acquisita. Toccenses multum gravabant Insulares, & non eis sufficiebat quòd terras abstulerant, verumetiam Ecclesias ipsius castelli auferebant. Vir summæ industriæ hoc malum sufferre non potuit, Papam Honorium, quia jam in Dominicæ Incarnationis anno millesimo centesimo vigesimo tertio, Papæ Calixto in Apostolicâ sede successerat, adiit, & eos excommunicari fecit, quamdiù ipsas Ecclesias non redderent, & pro sacrilegio satisfacerent. Illi obstinati malitiâ, qui primitùs Deum contempserant, literas Apostolicas, & ejus excommunica- 1121. 1123.

tionem contemſerunt; & addentes peccatum peccato, ipſi Abbati tetenderunt inſidias, eumque ceperunt, & multis injuriis affecerunt. Tandem ipſi videntes quòd nullo modo ad caſtellum Toccum eum portare valerent, & metuentes ne populi adventantes ejus adjutorio eſſent, eum peditem dimiſerunt, & mulam ſuper quam ſedebat ſecum ducentes, totam ejus ſuppellectilem ad caſtrum in quo degebant, portaverunt. Ille pedes revertens ad Monaſterium, quæ ſibi facta fuerant enarravit, & omnes vicinos ad vindictam malefactorum ſuis querimoniis & clamoribus incitavit, nec multo poſt tantus fuit concurſus populi, Epiſcoporum & Baronum qui omnes erant parati ad ſubvertendum proſtibulum, ut penè ad quatuor millia armatorum poſſent computari, & nî eſſet clementia Giſonis Abbatis illâ die funditus deſtructa eſſet, & annihilata ſuperbia Tocci; pepercit rogatus, eoſque ſupplices & pœnitentes ſuſcepit, & quæ abſtulerant integra cum redderent, ipſas Eccleſias, quas impiè poſſidebant, ab eorum poſſeſſione in Jus S. Clementis ſicut antea fuerant, convertit. Et quia Deo cura fuit de ſervo ſuo, ipſos qui manum miſerant in eo gravi delevit exterminio; quia non multo poſt perdiderunt caſtella, & proſcripti fuerunt ab hereditate paternâ. Quidam verò eorum in hoſpitali domo ante portam inſulæ inflati, & toto corpore turgidi, uſque ad mortem de eleemoſynâ Monaſterii victum habentes jacuerunt; ibique poſt non multum tempus cum maximo cruciatu vitæ finem acceperunt.

1124. Igitur in anno ab Incarnatione Domini noſtri Jesu-Christi milleſimo centeſimo vigeſimo quarto Joannes Magiſtri Azzonis filius, & ipſe etiam Magiſter appellatus, concedente domino ſuo, & ſcripto confirmante, quod ſcriptum habetur in Monaſterio S. Clementis, dedit ſe, ſuoſque filios, & hereditatem ſuam in perpetuum poſſidendam, Eccleſiæ B. Martyris per manus Giſonis Abbatis, ſicut in chartâ quæ eſt exinde facta, legitur.

1125. Vir autem Domini Giſo dum his & aliis pluribus ad profectum Eccleſiæ, ad correctionem morum, ad obſervantiam Regulæ, noctu dieque invigilaret, tactus non modicâ infirmitate ad lectum devenit, & munitus ſacro viatico coram Fratribus exſpiravit Idibus Aprilis. Præfuit Monaſterio Piſcarienſi quindecim annis, menſibus quinque, & diebus viginti ſex, ſepultuſque eſt in Clauſtro à parte ſiniſtra egredientibus de Eccleſia. Huic ſucceſſit Oldrius ejuſdem Eccleſiæ Monachus, vir magnæ ſimplicitatis, & miræ erga Deum & Fratres ſuos charitatis; cuſtos oris ſui, & amator diſciplinæ regularis; de quo, ſicut ejus opera proteſtantur, ſi vellemus, non poſſumus pauca loqui. Cujus electio quia divinitùs facta fuit, ab ipſa incipiamus.

XXIX. Abb. Oldrius.

Quidam enim de pluribus Fratrum Piſcarienſium nobilitate carnis, quidam terrenâ potentiâ, quidam verò prioratu & religione credebant ſe poſſe ad Abbatiæ dominium pervenire. Unde in ipſos eoſdem qui ſic erant ambitioſi, Monachorum & laicorum erat intentio: ſed Deus omnipotens diſtortam voluntatem, & inutile conſilium hoc modo diſſipavit. Poſt tranſitum Domni Giſonis Abbatis die ſequenti facta eſt non modica potentum & nobilium virorum coadunatio in Piſcarienſi Monaſterio, propter Abbatis ordinationem; & convenientibus in Capitulo cunctis Fratribus, cum de Abbatis electione tractarent, unanimi conſtitutione, concordi voce, ab omnibus eſt præfixum, ut duodecim diſcreti Fratres & ſanæ mentis de ipſo conventu ſurgerent, in partem ſecederent, & de perſonâ quam ipſi concorditer dicerent & approbarent, de ipſâ ſine alicujus contradictione fieret electio. Juſſi ſunt igitur à prioribus & nominati duodecim. Qui exeuntes de Capitulo, de communi propoſito ſex eorum in dormitorio, ſex in oratorio ſeceſſerunt, ſtatuentes inter ſe, ut quidquid ab utrâque parte melius æſtimaretur, in medio & commune ſui ipſorum referretur; & ſi fortè contingeret, ut eſſet unius perſonæ ab ambabus partibus unanimis æſtimatio, benè conſtaret, ſin autem una perſona de pluribus æſtimatis, in quâ major numerus ipſorum duodecim concordaret, aſſumeretur, & de ipſâ fieret in Capitulo communis pronuntiatio. Illis autem abeuntibus, & his ita fientibus, in Capitulo erat ſermo, ut communis ſtatus, & regimen Fratrum antequàm electio fieret, ordinaretur meliùs quàm fuiſſet hactenùs. In quo verbo tanto zelo pro communi utilitate fuit accenſus ſpecialiùs Domnus Oldrius, ut veſtes, quas intrinſecùs viles habebat, ibidem, ſicut ille qui de ſe nil magni ſuſpicabatur, & ſimpliciter vivebat, oſtenderet, quatenùs ad meliorandum Fratrum commune ſubſidium Fratres omnes ferventiores & animoſiores ipſarum vilium veſtium oſtenſione redderentur.

Cumque de his, ut ſuprà dictum eſt, tractaretur, ſubitò vox unius ſimplicis hominis de plebe in templo perſonuit, *Domnus Oldrius Abbas, Domnus Oldrius Abbas.* Illo igitur per Eccleſiam & totum Clauſtrum talia vociferante, & utraque pars Fratrum, quibus vocatio perſonæ commiſſa erat, à ſe alterâ parte putaret vocem illam proceſſiſſe; moventur ambæ, & in clauſtro ſibi occurrunt, altera dicens ad alteram: Si vobis placet de Domno Oldrio, nobis non diſplicet. Sicque concorditer in hoc verbo Capitulum intrantes, unus ex duodecim, nomine Joannes, pro omnibus loquens dixit *Exurge Domine & judica cauſam tuam.* Et ſignans ſe cruce adjecit: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, nos dicimus de Domno Oldrio, quia bonus eſt & dignus, ut illum in Patrem habeamus.* Interea vox quæ ab illo homine, Benedicto nomine, proferebatur, cum à populo de foris audiretur, & talis acclamatio per omnes excreſceret, & penitùs in toto Monaſterio vox eadem, *Domnus Oldrius Abbas D. Oldrius Abbas*, vehementiſſimè intonaret, apertis oſtiis cum tali vociferatione Capitulum omnes intrant, & invenientes Domnum Oldrium renitentem Fratribus, illum aſſumentibus & clamantem: Quare in tanto loco ponitis pecudem? Cur de me, & de hac ſede facitis irriſionem? Cogunt eum in ſede tandem ſedere, Abbatiæ regimen ſuſcipere. Facta eſt itaque ejus electio quinto decimo die menſis Aprilis, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo vigeſimo ſeptimo, & veraciter effectus eſt Pater Monachorum, & contra adverſarios Sanctæ Dei Eccleſiæ quaſi murus æneus, humilibus humilis & manſuetus, ſuperbis in juſtitiâ rigidus, charitate diffuſus. Hunc in Abbatem conſecravit Papa Honorius, à quo ſuſcepta benedictione ad Monaſterium cum eſſet regreſſus non mutavit mores pro ſuſcepto honore, imò humilior & manſuetior elatis ſe præbebat exemplar humilitatis & gratiæ, ut veraciter credi poſſet, quia repletus eſſet divino ſpiramine.

In primo anno ſuſcepti regiminis fuit neceſſarium quòd iret in Aprutium, & antequàm egrederetur de Abbatiâ, cuidam fideli ſuo Wilhelmo de Caſtellione commendavit, ut haberet curam de rebus Eccleſiæ, & præcepit hominibus ſuis ut ei obtemperarent, ſicut & ſibi, & ſi neceſſitas ingrueret ejus omnes obſecundarent mandatis. Abbas iter faciens Aprutium perrexit, ibique in poſſeſſionibus Eccleſiæ aliquantiſper moratus eſt. Quo ſpatio præfatus Wilhelmus miniſter fraudis, & reverâ ſacrilegus, cum videret Abbatem morari, & haberet in ſuâ poteſtate terras Monaſterii, tetendit Alannum, & convocans omnes

habitatores illius oppidi, dixit eis, quia in crastina die venturi essent inimici qui deprædarentur terram B. Clementis, dimitterent illa pascua in quibus suas boves & oves solebant ducere, & ducerent eas secùs fluenta Piscariæ, ut facilior sibi cursus esset in mane, quando decreverat cum satellitibus Alannenses prædas agere. Illi parentes jussis nequissimi, coadunaverunt animalia infinitæ multitudinis, & in loca illa ea duxerunt in quibus præceperat eis. Mane facto coadunatâ satellitum multitudine, armatâ militũ turbâ, Wilielmus venit ad loca, & reverâ hostis nequissimus, qui deberet esse tutor fidelissimus, armenta boum, & greges ovium rapuit, & duxit secum, & ita dissipavit, quòd nec unam caudam ex omnibus reddere voluerit. Advenit Abbas, & audito quod fecerat, doluit, & ut emendaret semel, & secundò, & tertiò rogans, vix paucos recuperare potuit. Vir autem Domini Oldrius non armis sæcularibus sed divinis armatus, S. Clementi quod iniquus fecerat humili precatu innotuit, & ut de suis curam ageret, exoravit. Cujus precatus non contemsit Altissimus, imò antequàm finiretur unus annus in eàdem die anniversariâ, quæ est nono Calend. Septembris, in quâ terram Ecclesiæ iniquè fuerat deprædatus, Castellionis oppidum perdidit: nam, sicut fertur, in ipsâ nocte circà horam matutinæ laudis duobus Fratribus in Capitulo quiescentibus per visionem apparuit B. Clemens, dicens: Surgite, notifico vobis quia noster hostis Wilielmus de Castellione traditus est in manibus inimicorum suorum. Hodie abjicio eum de terrâ meâ, ut amplius contra me non vivat ex eâ, nec etiam volo, ut cum patribus suis circà me locum habeat sepulturæ. Expergiscentibus verò Fratribus illis, & tali visione mirantibus, antequàm silentium solveretur factus est insultus in eum, & Wilielmus captus, & exheredatus fuit in anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi millesimo
1128. centesimo vigesimo octavo; nec postea quispiam de ejus genere ad dominationem hereditatis ejus potuit pervenire, B. Clemente sibi vicem reddente, & Domino Jesu-Christo præordinante, qui numquam deserit præsumentes de se.

1129. Igitur in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vicesimo nono, mortuo Papa Honorio, & Innocentio ultrà montes pergente, & Anacleto in Apuliam veniente, Dux Rogerius, qui jam ceperat Trojam, & ferè totam Apuliam, Rex est
1130. constitutus. Qui sequenti anno, id est millesimo centesimo tricesimo ab Incarnatione Domini, expugnavit & cepit Amalfiam. Deinde in sequenti anno Do-
1131. minicæ Incarn. millesimo centesimo tricesimo primo, idem Rex expugnavit Barim, & Rex Lotarius Italiam ingressus est. Qui in futuro anno, qui est ab Incar-
1132. natione Domini millesimo centesimo tricesimo secundo, Romæ coronam accepit ab Innocentio Papa. Evolutis itaque annis ab Incarnatione Domini mil-
1133. 34. 35. lesimo centesimo tricesimo tertio, quarto & quinto,
1136. Et currente jam anno millesimo centesimo tricesimo sexto, Domnus Oldricus Abbas accessit ad Imperatorem Lotharium, ad flumen quod dicitur Truntum, ubi erat cum magno exercitu: cumque factus esset coram Imperatore clamor de quodam Conone Guittonis, fecissetque eum venire in præsentiâ, tandem coëgit ipsum jurare, ut nihil ulteriùs juris & dominationis in obedientiâ Piscariensis Monasterii, Ecclesiâ videlicet S. Clementis de Gomano, quæreret, nec in possessionibus ejus. Præter hæc idem Imperator cæteris querelis Domni Oldrii Abbatis, & imperialibus privilegiis Monasterii Piscariensis auditis, cum cognovisset quod ipsa Abbatia ab antiquo fuisset Imperiali Camera, promisit se cum Domnâ Augustâ venire ad Monasterium, & ei restituere omnia jura sua, in rebus & possessionibus ejus. Cùm autem ventum esset ad Piscariam, quibusdam rumoribus incitatus, idem Imperator festinus perrexit in Apuliam contrà Regem Rogerium pugnaturus. Deinde cum Papa Innocentio apud Barim coadunatus, in ipso anno ad propria revertens idem Imperator moriens diem clausit extremum.

His itaque temporibus Robertus Manuplelli Comes, Riccardi filius, post mortem patris sui timore matris aliquantulum ab iniquitate retentus; postquàm mater ejus naturæ debitum reddidit, ipse à malo patre malus filius generatus, malitiam paternam suâ malitiâ superavit, & contrà B. Clementem ejusque domum manifestas inimicitias exercere cœpit. Susceptus in hospitio ab Abbate Oldrio, qui etiam suam cameram propriam ei delegaverat, postquàm fuit farcitus epulis, mustoque repletus, Abbatem fecit accersiri ad se, cui cum magno fastu & supercilio turris custodiam, quæ in castello insulæ est, ut sibi traderet non rogando sed interminando quæsivit. Et cum Abbas hæc se nullo modo posse facere multis assertionibus demonstraret, ille ut citò sibi traderet instantissimè postulabat, & nisi fieret, ruinam Ecclesiæ, depopulationem totius terræ minabatur. Quid faceret? vellet, nollet tradidit, & mœrens, & multum verecundus intrà ambitum claustri se contulit. Illi autem quos in turre posuerat, quasi quidam stratæ exploratores prætereuntes deprædabantur, missas rapiebant salutes, & insani ministri domini in servos Christi & S. Clementis debacchabantur. Quod Fratres ferre non valentes, clam duos de sapientioribus ad Regem Rogerium, qui tunc ipso fungebatur officio, cum privilegiis Imperatorum in Apuliam transmiserunt, rem ut fuerat gesta enucleatim exposuerunt, de tyrannide Comitis & ejus persequutione lacrymabiliter conquesti sunt. Et tale responsum ab eo susceperunt, ut ad Monasterium quàm citissimè repedarent, & securi essent, quia si Deus terram sibi submitteret, & Ecclesiam liberaret & de suo daret, & Abbati & Fratribus conferret adjutorium. Qui revertentes, diutiùs quasi exules extrà Monasterium in alienis domibus alieno quadrante vivere coacti fuerunt: tandem miseratione divinâ, & solertiâ Abbatis, datis primitùs duabus libris argenti, refrænata est cupiditas avarissimi Comitis, & dedit eis licentiam ad proprium revertendi.

Non multo post cum ipse ad castellum Manuplellum reverteretur, Abbas ei comitatum præstabat: & cum inter se de persequutione quam faciebat Monasterio loquerentur, iratus Comes quia Abbas, uti sibi videbatur, in responsis reverentiam non exhiberet, gladium evaginavit, & Abbatem percutere voluit, & nisi essent assidentes qui eum prohibuerunt (quod Abbas multum desideraret ut pro justitiâ moreretur) caput ipsius ense quem extraxerat amputavisset. Abbas extenso collo securus de divino auxilio, si ausus esset ut percuteret, instigabat; & in hoc quia non metum mortis sed spem vitæ æternæ haberet, demonstrabat. Sic ille in insania perseverans Manuplellum adiit, & Abbas tutior quàm antea fuerat ad Ecclesiam remeavit.

Ut autem manifestaretur, & certis indiciis probaretur, quia Deus maximam habebat curam de servo suo Abbate Oldrio, & de grege sibi commisso, quibusdam Fratribus in Ecclesiâ pernoctantibus venerabilis ostensa est visio, quam nos indignum judicavimus tegere silentio. Duo Fratres religiosâ consuetudine Quadragesimali tempore ante matutinos de lectulis consueverant surgere, & flexis genibus ante sacratissimi Martyris ossa preces & singultus fundere, psalmos cantare, & Sanctos Dei in adju-

torium populi Christiani cum litaniis interpellare. Cumque fatigati aliquantulum consedissent in angulis Ecclesiæ, diversi tamen loco, sed non diversi mente, oculis dormitantibus & vigili corde, ambo unam eamdemque visionem in hunc modum videre. Duæ personæ reverendæ aspectu & veste præclarâ ante altare stare videbantur, unus quorum pontificali erat indutus habitu, alter regio diademate coronatus, qui ad eos venientes sciscitabantur qui essent, & quare inibi in tali horâ morarentur. Responderunt se de Fratribus Ecclesiæ fore, pro peccatis suis, & pro benefactoribus ipsius loci misericordiam Dei deposcere, & idcircò antequàm Fratres surgerent, de lectulis surrexisse, ut liberiùs possent orationi vacare. Cumque respondérent, Bene, addiderunt, Qui nos simus cognoscitis ne? Dixerunt, Minimè; sed propter amorem Dei rogamus ut indicetis nobis qui estis, & quare venistis & unde. Respondit ille qui regio erat coronatus diademate: Ego sum Ludovicus, qui fui ædificator hujus Abbatiæ, & qui dedi ei quidquid habebam in hac terrâ, ut possideret hereditario jure. Qui autem mecum est pontificali venerandus habitu, S. Clemens est, qui pro Christo meruit in pelago mergi, cujus ossa meo labore ad hanc insulam delata in præsenti altari meruerunt sepeliri, quem Robertus de Manuplello ita graviter flagellavit, ut plagæ ejus & livores quos in dorso suscepit, vix possent ab homine dinumerari. Et ut certiores essent Fratres ambo de visione, auxilio Regis B. Clemens coram eis spoliavit se, & ostendit cicatrices vulnerum, & plagas virgarum, adjecit: Ita malè tractatus sum, sed volo quòd sciatis, quia in proximo me vindicabo de inimicis meis, & faciam ut proscribantur ab hereditate paternâ, & moriantur, & spolientur ut miseri & exules in terrâ non suâ. His dictis visio disparuit, & expergefacti Fratres ipsi cœperunt enarrare sibi primitùs quæ viderant, deinde post Capitulum cum Fratres convenirent, retulerunt se personas venerabilis Ludovici & Beati Clementis vidisse, & quæ suprà dicta sunt sibi retulisse. Et quia videretur vana gloria si de talibus visis Fratres gratularentur, siluerunt, & quod Deus esset facturus cum maximo metu exspectaverunt.

Interea Rex Rogerius regio diademate coronatus, regnum Siciliæ, ducatum Apuliæ, & principatum Capuæ suscepit, filiumque suum, Anfusum nomine, quem Principem Capuæ fecerat, ad Theatinum Comitatum cum magno exercitu præmisit, eique diligenter inquirere jussit Manuplellenses Comites qui erant adversarii S. Clementis, ut vivos sibi repræsentaret, in secreto præcepit. Qui cum scirent præfatum Principem jussa patris velle perficere clam fugerunt; & cum ei nec huc nec illuc resistere possent, fugitivi terram propriam & quod acquisiverant perdiderunt, & in alienâ terrâ vitæ exitum qualem meruerant, invenerunt. Ex tunc Ecclesia B. Clementis in abundantiâ pacis cœpit studere religioni, augmentari bonis temporalibus solertiâ boni Pastoris, qui per singulos dies invigilabat ad augmentum gregis sibi commissi.

In tempore illo (quando Dominus Deus visitare decreverat Piscarientem Abbatiam adventu Serenissimi & victoriosissimi Regis Rogerii, quem divina gratia, sapientiâ, fortitudine præ cunctis mortalibus illustraverat) quidam Domnum Oldrium Abbatem turbabant & deterrebant, dicentes illum contrà Regem fecisse, quia castellum Belonianum, quamvis esset de jure S. Clementis, Comitibus Manuplelli fugientibus, ipsisque mandantibus suscepisset, nec debuisset terram fugitivorum Regis supraprendere. Sed Abbas de Deo & B. Clemente confidens nullo metu territus, constanter castellum tenuit, donec ipse Rex veniens penes Monasterium in campestri sub Tocco, & juxtà Piscariam castra posuit, ibique triduo cum exercitu perendinans mansit. Abbas igitur sumpto consilio cùm in crastinum ad Regem accedere, ipsumque precibus & xeniis placare, pro supradicto etiam castro pecuniam offerre deberet; sociatis sibi cunctis Fratribus totum psalterium cum genuflexionibus, litaniis, & orationibus ante sacratissimum corpus B. Clementis in Ecclesiâ pernoctavit. Matutinalibus etiam hymnis decantatis, facto mane cum quibusdam de Fratribus equitans ad Regem proficiscitur. Unus verò ex ipsis Fratribus cum pluribus esset intentus iter retardasset, & eminùs post Abbatem pergeret, quidam senex venerandæ canitiei, venusti vultus, stans in ipso ponte ante portam insulæ in habitu peregrini cum cotziâ & palmâ ei apparuit, dicens: Ite in pace: Dic Abbati ut securus ad Regem accedat, cavete ne aliquam ei pecuniam dare spondeatis, gratis enim dabit vobis quod petitis, & eo majora. Et Monachus: Quomodò nosti? Et ille: Quia in hac nocte consiliis Regis interfui, quando vestro Monasterio deliberabat benefacere. Gaudens itaque Monachus in hoc verbo, dixit ei: Benedicaris tu quia bona nuncias, ingredere Monasterium, & accipere caritatem. Et ille: Facio, quia ibidem manere, & caritatem habere solitus sum. Ite cum benedictione. Tunc ipse Monachus cœpit festinare ut se jungeret Abbati, & hæc ei annunciaret, sed recogitans intrà se quomodò potuisset ille qui hoc dixerat arcanum Regis cognoscere, cùm videretur peregrinus & pauper, & maximè cum non soleant hujusmodi homines nedum in consiliis, sed nec etiam in atriis Regum admitti; retroversus ut subtiliùs de verbo cognosceret, totam Insulam, totumque Monasterium circuivit, & nullatenus illum reperire vel videre potuit. Unde opinati sunt illum fuisse apud quem ipsa nocte pervigiles oraverant, Beatum videlicet Clementem prosperitatis nuntium.

Accessit itaque Domnus Oldrius Abbas, & humilitatis prærogativâ tantam penes eum invenit gratiam ut qui terribilis ante suam faciem ipsos etiam tremere cogeret montes, tantâ amicabilitate cum eo loqueretur, non dico dominus cum servo, sed ut filius cum patre, quidquid postulabat, absque dilatione non pecunia, sed solâ gratiâ impetraret. Rex humilis juxtà humilem, & mitis juxtà mitem, magis respiciebat ad serenitatem vultûs ejus, quem angelico decore præferebat, quàm ad serica indumenta divitum atque nobilium. Et qui alios pro merito suo viles & nullius pretii judicabat, istum suprà cunctos quos in regno suo Pastores Ecclesiasticos habebat, laudibus extollebat; hunc solum Dei famulû, religionis non superfluitatis amatorem prædicabat. Rex nihil ab eo nisi munus orationum accipere voluit, imò de suo proprio largitus est Ecclesiæ B. Clementis, tria castella, quorum nomina sunt hæc: Bolonianum, Casaleplanum, & Colleodunum, & privilegium libertatis, tuitionis contrà inimicos, & gratiæ & reverentiæ & honoris contrà suos, & Abbatiam, & res ejusdem tamquam suas speciales augmentare, & custodire promisit.

Item sequenti die, videlicet quinto Calendas Septembris, anno Dominicæ Incarnat. millesimo centesimo quadragesimo, idem gloriosus Rex Monasterium devotus intravit, Missam B. Clementis ab ipso Domno Abbate audivit, ante venerabilem crucem chori stans & orans, ipsam figuram satis approbavit: in Claustro sibi privilegia relegi fecit, demùm unam modicam particulam de B. Clementis spatulâ ipso magnis precibus expetente, accepit: insu- 1140.

lam perambulavit, & devotior quàm intrasset egressus abiit; dans in mandatis eidem Abbati, ut si aliqua molestia ab aliquo adversario fieret Ecclesiæ & si quando esset necessarium ut pro Ecclesiâ postularet, mitteret aliquem de suis non Monachum sed famulum, ne Ecclesia in expensis gravaretur; & securus esset, quia quæcumque posceret, impetraret; quia non volebat Rex Rogerius, ut Abbas Oldrius vexaretur, imò præcepit ei ut intrà Monasterium suam senectutem foveret, & Deum nocte & die pro statu regni, pro salute filiorum suorum, & pro suâ exoraret.

Post hæc Comes Boamundus, qui noviter fuerat ordinatus à Domno Rege in comitatu Manuplelli, acquiescens, sicuti moris est, novorum quorumdam adulatorum garrulitati, voluit, & quæsivit ut potuit, quomodo S. Clementem supponeret sibi, & ut suæ pervasionis auxiliatores haberet, Robertum Cancellarium precibus & promissis illexit, & ut suis verbis fallacibus testimonium perhiberet, effecit. Contigit ut idem Comes, & præfatus Robertus Cancellarius cum Abbate loquerentur, & cum ipsorum inquisitiones ejus humili responsione frangeret, dixit Roberto: Domine nos habemus vos tutorem & defensorem in terrâ istâ, & inter nos & Dominum Regem nullum alium mediatorem tenemus nisi vos, rogamus & obsecramus in nomine Domini Jesu-Christi, cujus nos servi sumus, ut libertatem & justitiam Ecclesiæ hujus, quam huc usque habuit elabi & annihilari non permittatis. Novistis quanto studio, & quàm sincerâ voluntate Domnus Rex Ecclesiam nostram ab omni iniquâ consuetudine & exactione absolvit; non voluit ut servi Dei in eâ manentes alienis officiis essent occupati, sed die noctuque invigilarent divinæ servituti, & juges orationes funderent pro se & pro filiis & pro statu regni. Nunc autem Comes iste Boamundus (non volo eum latere unde noster graviter læditur animus) inquietat nos à contemplatione divinâ, provocat ad arma sæcularia, exigit ut equites, pedites, & expensas immoderatas præbeamus, quas nos, pro certo teneatis, habere non possumus. Nos sumus deputati ad divinum servitium, non est decens ut illud deseramus, & sequamur mundum. Ad hæc respondit Comes: Domne Abbas vos ista dicitis, quia nescitis Regum mutationes, & terræ diversas oppressiones. Domnus Rex gratiâ divinâ habet plures oratores in regno suo, sed non habet plures defensores, necessarium est ut defensores gerant clypeos, & protegant oratores; nos neque gerere possumus arma, neque pro regno pugnare, nisi habeamus subsidium vitæ. Hoc noscens Domnus Rex & perfectè cognoscens, dedit mihi hanc Abbatiam S. Clementis; sicut eam habuerunt antecessores mei, in præsentiâ hujus Roberti ejus Cancellarii, qui audivit & vidit quando mihi data fuit. Illius si vobis placet, debetis credere testimonio, qui numquam consuevit de talibus mentiri. Quibus verbis Comitis Robertus, sicut suprà diximus, illectus, ut sanctum virum perterreret, assensum præbuit, & quia audierat & viderat quando ei Domnus Rex Abbatiam concesserat, affirmare cœpit. Tacuit ut potuit Abbas, & exspectavit quid Deus faceret super his, nescius quia illi fraudulenter loquerentur, ut possent extorquere ab eo timore, quod habere non poterant ex jure. Deus autem invigilavit pro servo suo, & non post multos dies revelata fuerunt hæc omnia Regi Rogerio, qui protinùs scripsit ad Comitem, & misit ei epistolam in hæc verba:

Multum mihi displicet quòd tu, quem protectorem & defensorem regni mei posui, eleemosynam meam, cameram propriam, requiem mei capitis perturbare, iniquitare ausus fuisti, fortassis merces debita tuæ reddetur præsumptioni. Fallaciter egisti erga S. Clementis Abbatem & Fratres, cujus orationes mihi clypeus & galea sunt adversus omnem virtutem inimici. Desiste ab hac nequitiâ, ne præparata super te descendat ultio, pro hac tuâ præsumptione tibi destinata: & tibi dico per regni fidem & meorum filiorum spem, si mihi Deus hoc de illis tribuat quod exopto, nisi desistas, & eos ulteriùs inquietare præsumas, sicut te feci, ita te destruam, & nomen tuum à filiis hominum ab hac præsenti generatione usque ad extremum. Præsentes autem literas quas tibi dirigo, volo ut portes & legi facias in Capitulo, ut audiatur à cunctis, & cognoscatur ab omnibus super Ecclesiâ S. Clementis & habitoribus ejus, quanta sit mea devotio.

Ut Rex præceperat ita Comes fecit: literas regias detulit, & eas coram Abbate & Fratribus cùm legerentur audivit; & exinde neque Abbati neque habitatoribus loci, quamdiù Domnus Oldrius vixit, quidquam molestiæ facere ausus fuit. Postquàm Dominus Deus dedit sibi & gratiam Regis, ut suprà diximus, & pacem ab omnibus adversariis ejus, cœpit Oldrius studere ad decus Ecclesiæ, facere libros, ornamenta emere, domos ampliare, & quibuscumque modis poterat, & in terris habere socios, & in cœlestibus elaborabat. Conventionem verò quam habuit cum Riccardo Turgisii potenti viro de quibusdam Ecclesiis sancti Martini in Guttâ, sancti Joannis in Scaniari, & sancti Cesidii, in ejus breve legere atque cognoscere possumus. Temporibus siquidem Domni Oldrii Abbatis in Piscariensi Monasterio quædam virtutum signa sunt patrata, quæ ab his qui noverunt relata, & descripta habentur.

Multis itaque virtutibus in tempore Domni Oldrii Abbatis à B. Clemente ostensis, cœpit idem Abbas studiosior in orationibus, & in operibus Ecclesiæ sibi commissæ inesse. Et per annorum Domini curricula, videlicet millesimo centesimo quadragesimo secundo, tertio, quarto, & quinto, Monasterium religiosissimè gubernabat, & quotidie numerum Fratrum inibi Deo servientium augere curabat. Perfecto itaque palatio pro adventantium susceptione cum cellario & cervinario, continuò campanarium ædificare cœpit; fundavitque ipsum in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo sexto; & per annorum Domini sequentium curricula, &c. erexit illud in altitudinem passuum undecim. Renovavit altaria quæ non vetustate consumpta, sed humili cæmento fuerant fabricata, unum in honore sancti, alterum verò in honore omnium Apostolorum; & ea solemniter fecit dedicari in die anniversariâ Dedicationis, quæ facta fuerat de altario sancti Clementis, & augmentata fuit condonatio pœnitentiæ illis qui advenirent, de duobus annis. Dodo Valvensis altare sancti Benedicti dedicavit: Grimualdus Pinnensis sanctorum Apostolorum; easque Reliquias in eis posuerunt, quæ in prioribus altaribus positæ fuerant, & de quibus nos aliquantulum in primo libro loquuti sumus. Ædificavit etiam Ecclesiam in possessione Piscariensis Monasterii nomine Saline, quam in honore & de reliquiis beati Clementis consecrare fecit. Frabricavit etiam Ecclesiam sanctæ Mariæ de Alanne, in quâ, & in Ecclesiâ sanctæ Mariæ de Castellione, quando eas ad jus Monasterii Piscariensis dedicare fecit, de Reliquiis B. Clementis in ipsa consecratione recondidit.

1142. 43. 44. 1145.

1146. & seqq. usque ad 1151.

Erga defunctos Fratres ita erat sollicitus, ac si unusquisque moriens esset germanus suus; & instituit, atque in Capitulo coram omnibus Fratribus corroboravit,

corroboravit, ut pro uno quoque Fratre defuncto fiat centenarius; hoc modo, ut à die obitûs uniuscujusque Fratris justitia de pane & vino, & cæteris cibis quotidie in mensâ Abbatis ponatur pauperibus tribuenda: in officiis defunctorum prima oratio; & ad Capitulum psalmus & oratio usque ad centesimum diem pro eo dicantur. In septimo namque, tricesimo, & centesimo die solemnes vigiliæ, & Missæ cum pulsatione signorum agantur, & psalteria dicantur ab universis ipsius Cœnobii Fratribus, sicut in die depositionis ejus. Ampliavit redditus Fratrum in vestimentis ex illis redditibus, qui sibi reddebantur ex castello Boloniani.

Dumque sibi jam deficiente corpusculo sentiret approximare finem vitæ, cœpit studiosior in orationibus esse; & licet ejus oculi essent aliquantulum caliginati præ senectute, tamen speculabatur Deum mentalibus oculis, & orabat assiduè ut absolveretur à corpore, & illorum adipisceretur consortium, quorum mores & actus imitatus fuerat. His aliisque pollens virtutibus cum virtutem corporalem per singula momenta sibi minui cognovisset, sensit appropinquare suæ terminum vitæ, & melior quàm antea fuerat, quamvis semper bonus esset, commendabat transitum suum Fratribus & Filiis; Ecclesiam verò, quam regendam susceperat, Deo & beato Clementi: & sic tactus in commodo corporali, plenus dierum, & perfectus in omni observantiâ spiritali, Deo reddidit animam pridie Idus Decembris, in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo secundo. Rexit autem Monasterium Insulæ Piscariensis, constructum in nomine Sanctæ Trinitatis & B. Clementis Papæ & Martyris, viginti quinque annis & octo mensibus; tumulatusque fuit in Capitulo ejusdem Ecclesiæ, sicut decens erat, ante Majestatem nostri Salvatoris, cui famulatus fuerat omni tempore vitæ suæ devotè, & famulari docuerat omnes Filios suos & Fratres sub tenore & regulâ Beati Benedicti.

1152.

Post mortem Abbatis Oldrii sanctæ recordationis, Abbatia S. Clementis Insulæ Piscariensis multis diebus extitit sine Rectore, quia intentio Fratrum, qui se credebant saniori uti consilio, erat in Domno Leonate, propter quod in eodem Monasterio ab ipso Domno Abbate Oldrio fuerat receptus, & monachico habitu indutus, & in ejusdem Piscariensis Monasterii institutione à pueritiâ nutritus, notus probitate, clarus genere, & excellenti ingenio, in Curiâ Romanâ jam Subdiaconatûs functus officio. Et quia iste solus posset sufficere ad conservandam Ecclesiam in pristinâ libertate. Porrò Comes Boamundus Tarsitanus, qui tunc temporis Manuplellensem Comitatum, terram videlicet consanguineorum ipsius Domni Leonatis, Regis Rogerii dono possidebat, omni nisu Fratres impediebat, ne ipsum sibi facerent Abbatem; timebat enim ne in aliquo tempore ipse Leonas per Abbatiæ potentiam, ductus amore ipsorum consanguineorum suorum Manuplellensium, quos, ut suprà dictum est, Domnus Rex Rogerius exhæredaverat, & de toto regno ejecerat, se læderet, & fortè de Comitatu expelleret. Nitebatur quidem ut Fratres alium de suis eligerent talem, qui ei non posset resistere; tantumque prævaluit tam ex potentiâ quam habebat in regali Curiâ, quam ex applausione quorumdam Fratrum, quos sibi fraudulenter illexerat, quòd cassatâ per Regem Rogerium ipsius Leonatis vocatione, eligeretur in Abbatem ex eâdem Congregatione quidam Constantinus nomine: cujus electio & persona cum esset cognita Curiæ Romanæ, ejus judicio sicut facta fuerat est delata. Eugenius enim Papa sanctæ memoriæ, cum audisset quia taliter contra suum Subdiaconum (nam ipse promoverat eumdem Leonatem in Subdiaconum) fuisset electus incitatione præfati Comitis, præcepit eum ulteriùs de eâdem electione habere silentium: & cavere ne pro hac re perturbaret Monasterium, sed permitteret Fratribus secundùm Dei timorem eligendi quem vellent, liberum arbitrium. Ita fuit Ecclesia sine Pastore dum advixit præfatus Eugenius, quia impediti erant Fratres non solùm persequutione Comitis, verum etiam interdicto & prohibitione Domni Rogerii Regis.

Mortuo autem Papa Eugenio, & succedente sibi beatæ recordationis Anastasio, Comes Boamundus quoniam erat illi familiaris, præsumsit de ejus amore & exclusum judicio iterum coëgit abbatizare; & contrà voluntatem Fratrum occupavit Monasterium, sedit in sede Abbatis, pervasit palatium; & dum pollicitatione Comitis securum se crederet de consecratione, & penè jam esset in itinere, Fratres illi, contrà quorum voluntatem electus fuerat, devitantes insidias Comitis Romanam Curiam adierunt, Papæ singula retulerunt, quomodo fuerat cassatus judicio Domni Eugenii sui prædecessoris, & non Fratrum electione, sed manu laicali iterum intrusus, occupabat sedem, & volebat se facere Abbatem. Quo audito Domnus Papa Anastasius missis literis redarguit, reprehendit impudentiam ejus, & præcepit ei sub anathemate, ne ulteriùs quæreret causâ electionis Fratres fatigare.

His ita peractis Rex Rogerius mandavit Fratribus qui ad eum in Siciliam perrexerant, ut quia de suis quos vellent habere non poterant, eligerent saltem de alienis Monasteriis, & eis tria nominavit, quæ & habitu & vitâ multùm erant aversa eorum institutioni. Verumtamen quoniam Fratres ejus præceptis obviare nec volebant, nec debebant, unum de Fratribus Sacri-montis, quod Monasterium est in Apuliâ, nomine Rogerium quæsierunt, habuerunt, & ei quamdiù sibi licuit, obedientes fuerunt. Et cum ille vellet à Domno Anastasio consecrari, misit quosdam de Fratribus Monasterii qui ei narrarent, & modum suæ electionis, & diem peterent, quâ haberet optatam consecrationem. Cum audiret Papa tam subitam mutationem, mandavit & præcepit ei per summum obedientiæ, ut reverteretur ad suum Monasterium, & non impediret locum quem ipse tenere non poterat; quia decolor ejus habitus, & discors conversatio erat à conversatione Fratrum quos regendos susceperat. Videns autem Comes quòd nihil profecisset, mens ne illi Pastorem eum sibi facerent, quem ille nec videre nec sustinere valeret, cœpit contrà Monasterium & ejus possessiones, quæ in suo Comitatu erant, apertas inimicitias exercere, Ecclesias invadere, sylvas auferre, in Monachos contrà jus & fas manum mittere, & multa adversa & inhonesta de Deo & servis S. Clementis mendaciter in populos fabulari, dicens: Monachi S. Clementis nituntur ad illud quod est impossibile, & volunt duos enses in unum fortulum mittere, sed pro certo sciatur dum fuero Comes, ille quem sibi exoptant non poterit esse Abbas.

Dum hæc aguntur mortuo Rege Rogerio Wilielmus filius ejus ei successit in regnum, vir miræ sapientiæ & magnæ virtutis, qui volens consanguineis suis bona facere, Robertum de Bassavillâ Comitem Lorotelli fecit, eique totum Comitatum illum, & vicinas terras supposuit; quia fidelem sibi & ex bono collato devotiorem existimavit. Ille volens dominationem habere etiam in his quæ sibi data non fuerant, Monasterium S. Clementis occupavit, homines & quosdam ex Fratribus sibi jurare coëgit. Quod factum Domno Regi Wilielmo minimè placuit, imò irato animo & vultu indignationis pleno,

Roberto novo Cômiti mandavit ut discederet ab hac præsumptione, dimitteret quietam Abbatiam S. Clementis, cameram suam propriam, beneficio cumulatam sui genitoris, quam ipse in animo habebat ad proprias manus regias, & sub suæ proprietatis & defensionis privilegio tenere præ omnibus aliis circumadjacentibus Abbatiis. Quod audiens Robertus pervasa dimisit, homines à sacramento sibi facto, & Monachos absolvit. Nec multo post Robertus, cui Domnus Rex Wilielmus tot & tanta bona contulerat, seditiosè agens contrà dominum suum, maximam partem de regno ejus pervasit, comites suæ nequitiæ & complices multos sibi associavit, & ultrà quàm credi potest sublimia de se cogitans, totam terram in modico perturbavit. Quâ perturbatione castella concussa sunt, villæ desertæ, & plures imminutæ Abbatiæ, non dico de illis quæ erant sine Rectore, verumetiam illæ penè annihilatæ sunt quæ erant sub Pastoribus, & multo gubernatæ regimine. Huic oppressioni cum aliquantulum resisteret Comes Boamundus, ad ultimum cessit. Supervenerunt enim illi qui fuerant de Comitatu Manuplelli fugati, & quæ sui juris esse videbantur invaserunt, Comitem expulerunt, & suæ prophetiæ, (fuerat enim Pseudo-propheta) locum dederunt. Dixerat enim: Quamdiù Comes fuero, Monachi S. Clementis illum quem desiderant, habere non poterunt. Ecce Comes non est, laborent Fratres ad hoc, ut Ecclesia habeat Pastorem sibi à Deo prædestinatum, qui tamquam leo fortis in medio inimicorum Dei & Ecclesiæ emittat rugitum, suæ fortitudinis signum.

Anastasius jam Deo vocante ad cœlestia regna migraverat, & Sedem Romanam Adrianus Papa quartus tenebat; ad quem Fratres Cœnobii S. Clementis perrexerunt apud Bitervum; Pastorem, quem jam diù necessarium præviderant, & Ecclesiæ profuturum sperabant, pro Dei amore & reverentiâ S. Clementis Domnum LEONATEM, Ecclesiæ Romanæ filium, & sui Monasterii Professum, ut eis donaret, concederet, humiliter rogitaverunt. Quorum petitioni Adrianus obviare minimè decrevit, imò statim congregato Cardinalium cœtu, quem petebant præfatum Leonatem eis concessit. Et quia non erat in præsentiâ, mandavit ei, & quodammodo ad suscipiendum onus coëgit literis suis Domnus Papa, ut ad Monasterium accederet, sedem à Deo sibi paratam acciperet, curam gregis sibi commissi ageret, inimicis Dei & Ecclesiæ viriliter resisteret, & ita faceret, quod honor suus esset Romanæ Ecclesiæ, quæ eum à pueritiâ educatum exaltare & sublimare desideraret. Quid multa? Vocatus venit, invitus sibi

XXX. Abbas Leonas. injunctum officium suscepit: sicque factum est, ut Fratres, qui ejus desiderio longo tempore fuerant fatigati, divino respectu acciperent ad quem anhelabant. Facta est itaque ejusdem electionis celebratio Dominicæ Incarnationis anno millesimo centesimo quinquagesimo quinto, Indictione tertiâ. 1155.

In eo tempore tanta erat perturbatio populi, maximè in hac regione, seditione Comitis Roberti de Lorotello, ut vix posset inveniri aliquis locus immunis à prælio; tanta erat aviditas in satellitibus spoliandi, quòd non parcebant alicui, non dico de sæcularibus, verumetiam de illis qui servitio Dei vacantes manebant in Claustro.

Electus itaque Leonas, decimo die electionis suæ, cum pro quibusdam causis inimicaretur filiis Berardi de Castellione, congregatâ militum & peditum armatorum multitudine, obsedit Bitorritum, & tamdiù mansit in obsidione, donec Rainaldum Castelli dominum, & castellum cepit. Castellum tenuit in suâ proprietate, Rainaldum coëgit jurare. Post hæc volens ire in Aprutium, quia noviter electus nondum fuerat susceptus per cuncta loca Monasterii, & putans invenire fidem in fratrem suum uterinum, commendavit totam terram S. Clementis fratri suo Perroni; & post hæc quo prærordinaverat Aprutium tetendit, ibique pro negotiis illis aliquamdiù est moratus. Interim Perronius frater suus, cujus in custodiâ terram S. Clementis posuerat, proditoriè agens, castellum Belonianum depulsis custodibus occupavit & tenuit, de fraude non erubescebat. Cui cum electus revertens malum quod fecerat intimaret, & ut castellum quod proditoriè invaserat redderet, bis terque rogaret, unde sibi respondit: Reddam tibi Belonianum, si tu nobis reddis Bitorritum, quia Rainaldus qui illud possidebat fuit noster bastallus. His dictis quod tenebat tenuit, & quia forte erat castellum, nulli reddere voluit. Electus autem habito consilio, interpositâ conditione, reddidit ei Bittorritum, & recepit Belonianum. Et hæc fuit conditio, quòd unus ex fratribus Perronii faceret hominium B. Clementi pro Bittorrito, & medietate corvariæ, & censum annuatim redderent constitutum absque dilatione. Ille autem, qui hoc scelus fecerat, non diutiùs gavisus fuit, sed pauco post tempore correptus gravi infirmitate, sine herede ab hac vitâ discessit.

Hoc igitur tempore Domnus Papa Adrianus Beneventi manebat, ubi Domnus Leonas electus ad eum accedens, petiit ab eo consecrari: quod petierat meruit adipisci, & pro dignitate Abbatiæ summi Pontificis S. Clementis decoratus mitrâ pontificali, cum gloriâ & honore reversus ad propria, Abbatis est insignitus officio, redimitus baculo pastorali. Reversus itaque à suâ consecratione, susceptus à Fratribus debita cum revertia, mansitque in Abbatiâ, & adversariis qui volebant Ecclesiam suppeditare fortiter resistebat. Gualterius Comes Manuplelli, qui pervaserat Comitatum in tempore dissidii, cœpit eum primitùs persequi, & Colleodunum quod muniverat, & Belonianũ violenter abstulit ei. Verùm quia Domino cura erat de loco suo, non multo post tempore, adveniente Rege Wilielmo, fugatus Comes ille de pervaso Comitatu, & invitus dimisit castella B. Clementi. Præfati Comites Manuplelli, & cæteri complices eorum, dum devastarent maximam partem regni, Rex Siciliæ Wilielmus veniens cum maximo exercitu depulit eos, terramque liberavit. Verùm quia præfatus Abbas Leonas non habebat integrè gratiam ejus, perrexit Romam ad Domnum Papam Adrianum, qui eum in Abbatem consecraverat: à quo cum maximâ honorificentiâ susciperetur, tamdiù mansit ibi, donec mediante eodem Domno Adriano amorem Regis habuit, & integram gratiam apud eum invenit, & sic ad Abbatiam suam reversus, quanto studio potuit ad augmentum ejus invigilavit.

Hac tempestate præfatus Comes Boamundus Tarsitanus à Domno Rege Willelmo captus, & in vinculis positus fuit. Cumque Rex ipse sibi pepercisset, & à captione liberasset, non multo post Tarsiam reversus, subitò lateris dolore correptus, moriens ibidem vitæ finem accepit, nullusque de suis heredibus in Comitatu Manuplellensi, per quem sanctum Clementem, & suam Piscariensem Ecclesiam offenderat, potuit ei succedere. Quo mortuo idem Rex alium Boamundum Comitatui Manuplelli præfecit, qui sequens prædecessorum vestigia, & irritans adversùs se Dei potentiam, cœpit devastare S. Clementis possessiones quæ intrà Comitatum ejus detinebantur, ambitione etiam in Ecclesiis debacchabatur. Hæc dum ita aguntur exules iterum terram intraverunt, Comitem Boamundum expulerunt,

Abbati Leonati Abbatiam abstulerunt. Perrexit itaque in Siciliam Abbas; nec multo post Rex mari terrâque suos hostes persequitur: quibus fugatis liberata est Abbatia S. Clementis, ad quam revertens Abbas Leonas cum gratiâ & amore Regis studebat regere Abbatiam sibi commissam. Et quia volebat quòd Abbatia sibi commissa contrà adversarios innumerabiles muniretur, libertatis privilegium & munitionis impetravit à sanctæ recordationis Papa Adriano; quod descriptum sic est:

Privilegium Domni Papa ADRIANI.

ADRIANUS Episcopus servus servorum Dei, dilectis Filiis Leonati Abbati Monasterii S. Clementis de Insulâ Piscariæ, quæ Casa-aurea vocatur, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Effectum justa postulantibus indulgere, & vigor æquitatis, & ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem pietas adjuvat, & veritas non reliquit. Quocircà, dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium ubi corpus B. Clementis Papæ & Martyris requiescit, & in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar prædecessoris nostri felicis memoriæ Leonis Papæ, sub B. Petri & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes, &c. *ut in Privilegio præfato Leonis Papa.*

Interdicimus insuper ut nullus Episcopus ibi synodum celebret. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu Basilicarum, ordinationes Monachorum, seu Clericorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, à quocumque malueritis suscipiatis Episcopo. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum nullus ibi quâlibet surreptionis astutiâ seu violentiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii sanioris secundùm Deum, & B. Benedicti Regulam, providerint eligendum, &c.

Ego ADRIANUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego GREGORIUS Sabinensis Episcopus.

Ego HUBALDUS Hostiensis Episcopus.

Ego JULIUS Prenestinus Episcopus.

Ego GALTERIUS Albanensis Episcopus.

Ego BERNARDUS Portuensis & Sanctæ Rufinæ Episcopus.

Ego HUBALDUS Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Crucis in Jerusalem.

Ego OCTAVIANUS Presbyter Cardinalis tituli S. Cæciliæ.

Ego JOANNES Presbyter Cardinalis tituli SS. Joannis & Petri, titulo Pammachii.

Ego JOANNES Presbyter Cardinalis tituli SS. Sylvestri & Martini.

Ego ILDEBRANDUS Presbyter Cardinalis Basilicæ duodecim Apostolorum.

Ego GUIDO Presbyter Cardinalis tituli Calixti.

Ego JOANNES Presbyter Cardinalis tituli S. Anastasiæ.

Ego BONADIES Presbyter Cardinalis tituli S. Grisogoni.

Ego GUILLELMUS Presbyter Cardinalis tituli S. Petri ad Vincula.

Ego ODDO Diaconus Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum.

Ego JACINTUS Diaconus Cardinalis S. MARIÆ in Cosmedin.

Ego ARDICIO Diaconus Cardinalis S. Theodori.

Ego CYNTHIUS Diaconus Cardinalis S. Adriani.

Ego PETRUS Diaconus Cardinalis S. Eustachii juxtà templum Agrippæ.

Datum Laterani per manum Rolandi S. Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, secundo Idus Martii, Indictione sextâ, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo quinquagesimo octavo: Pontificatûs verò Domni Adriani Papæ quarti anno quinto.

Præterea Dominicæ Incarnationis anno millesimo 1158. centesimo quinquagesimo octavo, Indictione sextâ, recuperatâ Ecclesiâ S. Quirici de Monte-Silvano, quæ ab antiquo juris erat Monasterii B. Clementis, concessit eam Wilielmo filio Sadoch, & fratribus suis, usque in viginti novem annos, sub tali censu, quòd omni anno circà festum B. Clementis centum pisces marinos persolverent, & juramento ab eo recepto Abbas ei sub tenore in chartâ descripto Ecclesiam habere permisit. In tempore siquidem Domni Abbatis Leonatis propter bonam famam quæ de Monasterio B. Clementis longè lateque pervolabat, & præcipuè pro liberalitate, & hospitalitatis humanitate, quam circà omnes homines ipse nobilis Abbas pleno obsequio exhibebat, quamplures de diversis partibus & maximè de civitate Sulmone excitati, mundum relinquebant, & sua omnia seseque dedentes pauperibus, & in Monasterio S. Clementis manentes Christum sequebantur, de quibus paucos præsenti paginæ inserere decrevimus.

Quidam Walterius in eodem Monasterio Monachus effectus, inter cætera quæ dedit fecit convenientiam de unâ cannapinâ, in loco ubi Albe vocatur, sicut in chartâ exinde factâ perlegitur. Simon Guarimundi in civitate Sulmone dedit palatium quod habebat, & terras & vineas, & partem Ecclesiæ S. Andreæ, quæ ad eum pertinere videbatur hereditario jure, & effectus est Monachus S. Clementis. Petrus Alberti similiter se Monachum faciens, quidquid habebat dedit. Joannes Blancus & Petrus Walterii quidquid habebant Deo præbuerunt & B. Clementi. Adam Guarimundi cum filiis suis factâ convenientiâ cum Domno Abbate Leonate, refutavit per chartulam obligationis quidquid juris & rationis credebat se habere in rebus & possessionibus à suprascripto Simone Monacho, Monasterio largitis quando monasticum habitum suscepit; indeque refutationis literas Monasterio porrexerunt. Berteraimus faciens se Monachum in præfato Cœnobio, dedit casam suam & partem Ecclesiæ S. Joannis, & quæcumque habebat Deo, & B. Clementi cui famulari decreverat. Quidam Sacerdos, Senaldus nomine, tenebat de possessionibus præfatæ Abbatiæ, quæ ad tempus statutum fuerant sibi data; & cum ultrà statutum ea teneret, nec Ecclesiæ reddere, nec pro eis servire vellet, Abbas illa quæ tenebat accepit, & ne de his ulteriùs se intromitteret interminando vetuit: qui præsumptioni addit contemptum, & invasit quod sibi fuerat vetitum. Unde in Curiam Regis adductus, convictus de præsumptione quod malè tenebat perdidit jure, & quod justum erat pro contemptu regio persolvit regali Curiæ; sicut instrumentorum chartulæ inde descriptæ legitimè perdocent. Celebrata siquidem est hæc Curia apud S. Clementem, quodam viro, nomine Samaro Tranensi, Regio Camerario, ipsam distringente, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo tertio, regnante Domno Willelmo felicissimo Rege Siciliæ. 1163.

Iste quidem Abbas tempore suo recuperavit Monasterium sancti Mauri de Amiterno, quod antiquo jure fuit Monasterii sancti Clementis; ibique unum de Fratribus sui Cœnobii pro regimine ordinavit, maximâ in eâdem regione de ipsius Ecclesiæ possess-

sionum parte reacquisitâ. Recuperavit etiam Ecclesiam sanctæ Mariæ de Fasonaria, quæ cum ex antiquitate juris esset Beati Clementis, quidam Barones Pinnenses, videlicet Gentilis de Brittulis, & alii eam invaserant, & malè tenebant; sed Domnus Abbas Leonas suâ fortitudine, ac regiâ auctoritate ipsa recepit & tenuit: & postea de suâ Congregatione Monachos ibidem præpositos ordinavit.

Per idem tempus illustris Abbas Leonas in Apuliam ambulavit, Alisinensem civitatem adiit, ibique honorificè à Gosfredo Comite viro famosissimo venerabiliter est receptus; ubi cum inter se multâ familiaritate delectarentur, idem Comes divinitùs compunctus reddidit sancto Clementi locum in eodem Alisinensi lacu, in quo antiquitùs fuerat in honore sancti Clementis Ecclesia constructa juris Monasterii Piscariensis, cum domo & possessione terrarum quodam Widonis de Baro, & largissimis aliis possessionibus in eâdem regione; cum hominibus & eorum reditibus, cum piscationibus & cæteris rebus, quæ in chartulâ donationis ab eodem excellentissimo Comite ex eisdem rebus legitimè factâ, & testibus idoneis roborata inveniuntur. Post hæc Domnus Abbas artifices cum expensis, & operarios illuc transmisit, equos, & animalia direxit, in eodem loco devoto affectu funditùs Ecclesiam construere fecit; quâ constructâ ipsemet cum Domno Joanne religiosissimo Signensi Episcopo ad eamdem Ecclesiam accessit, eamque solemniter dedicare fecit, positis in ejusdem Ecclesiæ altari Reliquiis sancti Clementis, & aliorum Sanctorum, quas à suo Cœnobio reverenter asportaverat. Deinde religiosos viros ibidem posuit, qui & locum augerent, & Omnipotenti Deo regulariter deservirent.

Eodem tempore vir per omnia Catholicus Domnus Alexander de Franciâ reversus Romæ pontificabatur; ad quem Domnus Leonas Abbas quemdam fratrem Joannem, Berardi cognomine, in ipso Cœnobio à pueritiâ nutritum, & regularibus disciplinis instructum visitandi gratiâ direxit; per quem impetravit privilegium defensionis & tuletæ contrà eos qui Piscariense Monasterium offendunt atque molestant, ad instar prædecessorum suorum qui eidem Monasterio privilegia indulserunt. Hic Abbas impetravit ut castellum sancti Mauri, super litus maris Adriatici quondam situm, reædificaretur ad suæ Ecclesiæ profectum. Sed quibusdam in hoc facto fraudulenter adversantibus, id efficere non potuit. Tamen inde concessionis cartulam à Regali Curiâ acquisivit. Constituit etiam ut Frater Monachus, qui sanctæ Mariæ de Pesile fuerit Præpositus, habeat etiam in augmentum suæ necessitatis præposituram sancti Angeli de Casule, salvis omnibus reditibus, quæ ipsæ ambæ Ecclesiæ sancto Clementi persolvere debent, ut cartula docet.

Tunc temporis cùm Rogerius de Tocco cum fratribus suis ipsam terram tenerent, concesserunt sancto Clementi Ecclesiam sancti Victorini, sitam in ipsâ pertinentiâ Tocci; indeque confirmationis literas facientes, eas Monasterio porrexerunt.

Conflixit præterea Leonas Abbas multoties cum adversariis Ecclesiæ; præcipuè cum Comite Boamundo Manuplelli, qui post priorem Comitem Boamundum Tarsensem in possessionibus Ecclesiæ debacchatus est, & persequutus Ecclesiam sancti Clementis, odio ipsius Abbatis & gentis suæ. Habuit siquidem conflictum cum eo semel apud Salernum, ibique coram Simone Senescalco, totius regni magistro Capitaneo, & totâ regali Curiâ super rationibus Ecclesiæ, confutavit eum atque devicit. Deinde in Apuliam apud Fojas coram Comite Giliberto, similiter tunc temporis magistro Capitaneo, & gubernatore totius regni, & totâ regali Curiâ, querelis depositis rationabiliter devicit & superavit. Igitur res quæ ex ipsis quæstionibus recuperatæ fuerunt, hæc sunt: Videlicet, quæstio fuit de montibus & lignis sylvarum montis Ursæ, Tarini atque Magelle. Quæstio fuit de Ecclesiis & Obedientiis magnis & minimis per Comitatum Manuplellensem constitutis, Ecclesiæ S. Clementis subditis & pertinentibus. Quæstio quoque fuit de hominibus in eodem Comitatu eisdem Ecclesiis subjacentibus. Quæstiones aliæ plures fuerunt, super quibus omnibus Domnus Leonas potenter obtinuit. Indeque judicio regalis Curiæ ab eodem Comite Boamundo reinvestitus, eas res recipiens possedit. Porrò Comes Boamundus cum iterum contrà Monasterium S. Clementis ageret ex consilio cujusdam militis, qui Thomas de Venusio vocabatur, Monachos de Obedientiis ejecit, ipsas sub laïcorum procuratione posuit, & ex omnibus rebus suæ terræ Piscariense Monasterium exspoliavit. Unde Fratres indignati, Thomam ipsius nequitiæ consiliarium excommunicantes, quotidie in ejus anathema tribus vicibus omnia Monasterii signa pulsabant. Contigit nempe ipsum Comitem cum eodem milite in Siciliam eo tempore abire: cumque Messanam venisset, idem Thomas gravissimam infirmitatem incurrit, ex quâ nec dormire, nec etiam in lecto requiem aliquam habere poterat. Dicebat enim, quia sonitus omnium campanarum Ecclesiæ S. Clementis erat in auribus ejus, qui dolorem gravissimum dabat in capite, & somnum repellebat ab oculis. Itaque sic percussus jacens, & talibus ictibus mori timens, cuidam Episcopo languoris sui periculum confessus est. Episcopus autem ille causam omnem ex ejus aure cognoscens, & quòd pro suo malo consilio, sicut suprà dictum est, excommunicatus esset, consuluit eum ut daret operam emendationi. Convocato denique præfato Comite, & literis emendationis impetratis, statim ut nuntius missus est, ut Ecclesiæ & res supradictæ de terrâ Comitis Piscariensi Monasterio sublatæ redderentur, ipse Thomas convalescens ab eâdem infirmitate, virtute Dei & Martyris placatione Clementis est liberatus. Denique Comes Boamundus non multo post ad mortem veniens, & de molestiis Ecclesiæ S. Clementis illatis, profundis suspiriis se recognoscens, in ultimo testamento per manus venerabilis Episcopi Joannis Signensis restituit B. Clementi sanctam Crucem de Caramanico, & S. Cesidium de Tocco, & quidquid juris S. Clementis erat, & ipse molestaverat in toto Manuplellensi Comitatu, in montibus & planis, in lignis & petris, in terris & molendinis, in hominibus, & eorum reditibus, in Ecclesiis & Ecclesiasticis censuris, reddidit, & perpetim quietavit. Unde ab ejusdem Cœnobii Fratribus absolutus mortis debitum solvit. His ita recuperatis Domnus Leonas easdem res sine inquietudine tenuit, & pacificè possedit usque ad tempus.

Rursus plures Sulmonensium civium divinitùs compuncti, quotidie res suas S. Clementi porrigentes in suo Cœnobio monasticam vitam eligebant. Qui verò fuerint & eorum nomina, & possessiones in chartis exinde legitimè factis, & testibus idoneis roboratis, ac Monasterio feliciter porrectis, pleniter inveniuntur. Cum igitur apud Sulmonem, sicut dictum est, possessiones B. Clementis augmentarentur, & Deo faciente vehementer excrescerent, Domnus Abbas Leonas accepto fundo à regali Curiâ construxit oratoriam domum in angulo ipsius civitatis, circà portam, quæ dicitur Maranesca, ut Fratres, qui pro negotiis & eisdem rebus custodiendis & conservandis mitterentur, haberent ubi psallerent, & in

officiorum obsequiis se frequentiùs & liberiùs ibidem occuparent. Porrò in hoc facto Episcopis Ecclesiæ Valvensis cupiditate ductis fortiter eidem Abbati resistentibus, Oratorium ipsum ad consecrationis effectum perducere destitit; imò propterea multa ex supradictis possessionibus, & rebus à se acquisitis, beneficiali ordine locavit, & ipsis Sulmonensibus sub certo tempore & annuali censu concessit, sicut in ipsis scriptis concessionis reperiri potest & legi. Consecravit tamen in eodem Episcopatu per manus Berardi Furconensis Episcopi S. Trinitatis Ecclesiam de Pacentro, nuper ex combustione violatam. Per eumdem etiam Episcopum consecravit nonnullas alias Ecclesias in terrâ Sansonescâ, videlicet Ecclesiam S. Angeli in castello de Petraniquâ, Ecclesiam S. Antonini in Bectorritâ, Ecclesiam S. Pelini de Pantano: in terrâ verò S. Clementis S. Bartholomæum de Ortâ, & S. MARIAM de Vadulato. Item in terrâ Sansonescâ consecravit alias Ecclesias renovatas per manus Domni Oderisii Valvensis Episcopi, unam videlicet S. Felicis de Teczanico, alteram S. MARIÆ de Cerbarano. Infrà Monasterium verò renovavit altare B. Nicolai, & consecravit per manus præfati Domni Berardi Furconensis Episcopi. Cappellam verò apud infirmatorium constructam, similiter per eumdem Episcopum solemniter dedicavit.

Recuperavit profectò in regali Curiâ super quemdam strenuissimum virum Wilielmum, Morelli nomine, Baronem Aprutinum, homines juris B. Clementis, quos in castello de Ripâ Wilielmus idem sibi violenter vindicaverat: unde judicio regalis Curiæ de ipso castello præfatis hominibus abstractis, vocabulo S. Georgii castellum construxit, & in eo ad profectum Ecclesiæ homines posuit atque munivit. Cum uterinis quoque fratribus suis, & aliis potentibus viris sui generis, pro rationibus Ecclesiæ dimicavit, & multoties cum ipsis est altercatus de possessionibus Ecclesiæ quas invadebant; de censu quem non persolvebant; de pontibus quos evertebant; de Ecclesiis & Clericis quos sibi vindicabant; de multis molestiis quas inferebant. Unde in quibusdam, videlicet super Clericorum pressuris, & Ecclesiasticis censuris, ita quandoque per se & sententiam excommunicationis in eos promulgatam, quandoque per literas Apostolicæ Sedis, & interminationis ipsius Romani Pontificis; quandoque per literas regiæ auctoritatis eos compescuit, quòd in majorem jurisdictionem Ecclesiæ S. Clementis, Clerum, & totum penè jus Ecclesiasticum, & in meliùs quàm antea fuerit, convertit.

Epistola Alexandri Papæ ad Riccardum Gentilem de terrâ Sansonescâ.

NObili viro Riccardo Gentili. Super prudentiâ & nobilitate tuâ non possumus non mirari, quòd cum Ecclesia B. Clementis mater tua existat, & tota terra Sansonesca ad eam ab ipso fundationis exordio de jure pertineat, & quidquid tam tu quàm fratres tui de eâdem terrâ tenetis à prædictâ Ecclesiâ recognoscere, & inde sicut progenitores vestri, & alii qui eam per tempora tenuerunt, fecisse noscuntur, annuum censum reddere debeatis; ipsam Ecclesiam quam pietatis intuitu, & ratione fratris, obtentu quoque dominii, quod in te & fratres tuos habere dignoscitur, deberes diligere, & ab omnibus defensare, opprimere & perturbare præsumis, & tibi Ecclesias suas vindicare, & Clericos contrà Abbatem manu-tenere; & etiam excommunicatos & interdictos defendere non vereris. Unde quoniam hoc animæ tuæ periculosum existit, & nos id nullâ ratione volumus, sicut non debemus, in patientiâ sustinere; industriam tuam monemus, & tibi ex parte Dei & nostrâ mandamus, ut à molestiâ & infestatione prædicti Monasterii omninò desistens, ei Ecclesias & alia jura sua liberè & quietè dimittas. Clericos verò quos idem Abbas pro multis excessibus suis, & quia Capitulo inobedientes fuerunt, ab officio suspendit, & excommunicationis vinculo innodavit, tamquam excommunicatos evites, & eos deinceps contrà Abbatem in nullo defendere vel manu-tenere præsumas. Quòd si ulteriùs feceris, te noveris excommunicationis vinculo innodandum; & si nec sic resipueris, per Regem te faciemus prout dignum fuerit corrigi, & ab his cessare molestiis.

Hic Abbas constituit ut nullus Clericus in terrâ Sansonescâ ordinetur, nisi ab Ecclesiâ Casauriensi sibi licuerit: ordinatus Presbyter nullatenùs Missam celebret, nisi priùs Basilicæ S. Clementis se repræsentet, & sub Evangelico juramento legat capitularem canonem ibidem descriptum. Prohibuit etiam sub pœnâ depositionis, ut nullus ipsorum Clericorum ab eisdem dominis sæcularibus investituras Ecclesiarum accipiat. Iste siquidem Domnus Leonas Abbas cum in Apuliam ad felicissimum Regem Wilielmum secundum pro negotiis Ecclesiæ suæ accessisset, sacrum ab eo præceptum attulit sigillo regio roboratum, de adulteriis quæ fierent in totâ parrochiâ suâ coërcendis, & de personis Clericorum ab omni potestate & judicio laïcorum exemptis.

Præceptum gloriosissimi Regis Wilielmi secundi, de adulteriis & personis Clericorum in parrochiâ Monasterii S. Clementis nonnisi ab Abbate ipsius cœnobii coërcendis.

WIlielmus Dei gratiâ Rex Siciliæ, Ducatûs Apuliæ, & Principatûs Capuæ, Comitibus, Camerariis, Justiciariis, Baronibus, & universis Bajulis qui sunt de parrochiâ Abbatiæ S. Clementis de Piscariâ, fidelibus suis salutem & dilectionem. Leonas venerabilis Abbas S. Clementis de Piscariâ, fidelis noster, ostendit Majestati nostræ dicens quòd Ecclesia sua privatur & diminuitur à vobis de jure suo, videlicet de adulteriis quæ non permittis judicari & corrigi in curiâ ipsius Ecclesiæ sicut debent; & de personis Clericorum, quæ à vobis ut laïci judicantur, capiuntur, & incarcerantur: quod si verum est, admodum nobis displicet, & grave ferimus. Non enim decet neque volumus, ut ea quæ ab Ecclesiâ judicari & coërceri debent, à vobis judicentur vel puniantur. Quare mandamus universitati vestræ & præcipimus, ut amodo de adulteriis judicandis non vos intromittatis, sed si quis de parrochiâ prædictæ Abbatiæ S. Clementis de adulterio accusatus, vel in eo deprehensus fuerit, ad judicium Curiæ ipsius Monasterii, in quo adulteria ipsa judicari debent, consistat, & à Curiâ ejusdem Ecclesiæ judicetur & corrigatur. Excepto si per insultum vel violentiam adulterium committitur, quod si acciderit, judicetur ab Ecclesiâ de ipso adulterio quod spectat ad judicium Ecclesiæ, & de hoc quod spectat ad judicium Curiæ nostræ, videlicet de insultu & violentiâ, judicetur ab ipsâ Curiâ nostrâ. De personis autem Clericorum volumus & jubemus, ut si aliquis Clericus totius parrochiæ prædictæ Abbatiæ S. Clementis de aliquo forisfacto, de quo de personâ judicari vel condemnari debeat, appellatus fuerit, non à vobis, neque in Curiâ vestrâ, sed ab Ecclesiâ, & in Curiâ Ecclesiæ, de hoc quod ad personam suam spectat, judicetur, & corrigatur, juxtà canones & jus Ecclesiasticum. Excepto si aliquis Clericus fuerit appellatus de proditione, vel de alio hujusmodi magno maleficio, quod spectat contrà Majestatem nostram; quod si acciderit, volumus

& præcipimus ut de hoc quod spectat ad judicium Ecclesiæ, judicetur ab Ecclesiâ, & de hoc quod spectat ad judicium Curiæ nostræ, judicetur ab ipsâ Curiâ nostrâ. Si verò aliquis Clericus de hereditate, vel de aliquo tenimento, quod non ab Ecclesiâ, sed à vobis sive per patrimonium, sive aliunde in terris vestris teneat, appellatus fuerit, ut de hoc in Curiâ illius, in cujus terrâ possessiones vel tenimentum habuerit, respondeat, & quod justum fuerit, faciat: non tamen ut persona sua exinde capiatur aut incarceretur. Præterea vobis Bajulis præcipimus, ut ad prædicta adulteria coërcenda & corrigenda eidem venerabili Abbati, fideli nostro, in quibus opus fuerit auxilium tribuatis.

Datum Salerni primo die Idus Junii, indictione quinta.

1170. Per idem tempus anno videlicet Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo, cum Domnus Leonas Abbas Subdiaconatûs fungeretur officio, competenter ab Ecclesiâ Romanâ vocatus, apud Verulas à Domino Papa Alexandro in Diaconum Apostolicæ Sedis est promotus duodecimo Calendas Aprilis, sabbato ante Dominicam de Passione. Eodem insuper anno Apostolicis literis auctorizavit festum Translationis corporis B. Clementis, omni anno sexto Calendas Junii solemniter celebrandum.

Epistola Decretalis Alexandri Papæ III.

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Leonati Abbati, & Conventui S. Clementis de Piscariâ, salutem & Apostolicam benedictionem. Licet omnes, qui pia & religiosa loca intuitu devotionis frequentant, & ibidem omnipotentem Dominum devotis orationibus & votivis cordis affectibus sibi reddunt placatum, suorum mereantur percipere veniam delictorum; in solemnibus tamen & præcipuis festivitatibus tanto celebriùs eadem loca debent ab universis Dei fidelibus frequentari, & majori devotione & reverentiâ venerari, quanto devotiùs tunc Ecclesiastici viri obsequiis divinis insistunt, & pro excessibus populorum specialiùs omnipotens Dominus & ferventiùs exoratur. Quoniam igitur pium & justum est, & à sanctis Patribus institutum, ut ad Ecclesias Dei universi fideles in præcipuis & solemnibus diebus compunctâ mente & ardenti desiderio concurrere debeant, & in voto laudis & placationis suorum peccatorum indulgentiam implorare; Nos vestris piis desideriis, & justis postulationibus inclinati, universis qui ad Ecclesiam vestram in die Translationis corporis S. Clementis Papæ & Martyris, quod, sicut in antiquis scriptis habetur, in eâdem Ecclesiâ requiescit, devotâ mente concurrerint, & ibidem vobiscum in ejusdem gloriosi Martyris veneratione vota laudis & placationis exsolverint, id ex parte Omnipotentis Dei, & auctoritate Apostolorum Petri & Pauli ac nostrâ, in suorum remissionem injungimus peccatorum.

Datum Verul. quarto Calendas Maii.

Ipse namque Abbas instituit ut festum Inventionis ejusdem Martyris tertio Calendas Januarii recolendum, suprascripto fratre Joanne Berardi suggerente atque rogante. Similiter fecit de festo Cathedræ ejusdem gloriosi Pontificis, ut decimo Calendas Februarii celebretur. In Marchiam Firmanam quosdam Fratres ad possessiones B. Clementis delegavit, indeque pensiones & census recepit. Ad Commarchianos Episcopos literas Apostolicas impetravit ad recuperandas possessiones juris B. Clementis. Textus verò epistolarum quas ab Apostolicâ sede, & à regali Curiâ super rationibus S. Clementis, & rebus prædictis acquisivit in hoc instrumentali volumine scriptæ reperiuntur.

Sententia in Clericos de terrâ Sansonescâ.

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Pinnensi & Valvensi Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex parte dilecti filii nostri Leonatis Abbatis S. Clementis de Piscariâ nobis innotuit, quòd cum in Clericos suos de Castellione interdicti sententiam pro suis excessibus promulgasset, ipsi nihilominùs post interdicti sententiam cantare præsumserunt; quare ipsos cum divina officia celebrare non omiserint, excommunicationis vinculo innodavit. Quia verò Ecclesiastica sententia, quæ in malefactores aliquos rationabiliter promulgatur, rata debet & firma consistere, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenùs, si ita est, præfatos Clericos publicè accensis candelis per Episcopatus vestros excommunicatos denuntiari, & sicut excommunicatos faciatis ab omnibus cautiùs evitari, donec ad mandatum & obedientiam prædicti Abbatis revertantur, & ei congruè satisfaciant, & cum literis vestris Apostolico se conspectui repræsentent.

Datum Ferent. quarto Nonas Aprilis.

Sententia contrà Clericos de terrâ Sansonescâ.

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto Filio Leonati Abbati S. Clementis de Piscariâ, salutem & Apostolicam benedictionem. Nuntium & literas tuas debitâ mentis alacritate recepimus, & compertâ sollicitudine quam de statu nostro & Ecclesiæ tamquam devotus & specialis filius haberet dinosceris, affectioni tuæ præsentibus literis significamus, quod nos & Fratres nostri per Dei gratiam sani & incolumes sumus, & circà commodum & profectum universalis Ecclesiæ, sicut Dominus nobis ministrare dignatur, pastorali sollitudine vigilamus. De cætero auditis ex ore nuntiorum tuorum gravaminibus & molestiis, quas nobiles viri Berardus Gentilis, & fratres ejus, Rogerius filius Riccardi, & fratres ejus, tibi & Monasterio tuo congruè satisfacere non postponant, sicut ex scripto quod eis dirigimus tibi pleniùs innotescit. Mandamus itaque discretioni tuæ, quatenùs si jamdicti viri monitis & mandatis nostris infrà quindecim dies post susceptionem literarum nostrarum noluerint acquiescere, ipsos auctoritate nostrâ excommunicatos denunties, & facias sicut excommunicatos attentiùs evitari; nisi fortè eos videris ampliùs sustinendos. Nos enim vicinis Episcopis dedimus in mandatis, ut sententiam tuam observent firmiter, & faciant inviolabiliter observari; & Clericos qui contrà interdictum tuum in terrâ Sansonescâ scienter cantaverint, excommunicent, & faciant sicut excommunicatos vitari. Voluntatem siquidem & fervens desiderium gerimus, personam tuam sincerâ in Domino & speciali caritate diligere, & jura Monasterii tui tamquam nostri specialis & proprii attentâ solicitudine conservare. De visitatione autem tuâ affectioni tuæ gratiarum referimus actiones.

Datum Tusculani quarto Nonas Octobris.

De eadem re.

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Marsicano, Pennensi, & Valvensi Episcopis; & dilectis Filiis Teatinensis & Furconensis Ecclesiarum Clericis, salutem & Apostolicam benedictionem. Varias & multiplices querelas ex parte dilecti filii nostri Leonatis Abbatis S.

Clementis de Piscaria, adversus nobiles viros Berardum Gentilem, & fratres ejus Rogerium filium Riccardi, & fratres ejus ad audientiam nostram noveritis pervenisse, quòd ipsi ei & Monasterio suo de terrâ Sansonescâ debitum & consuetum censum subtrahunt Ecclesias ejusdem terræ, & earum possessiones inter se dividere, & inde Presbiteros instituere & destituere non formidant. Accedit ad hæc, quòd cum idem Abbas in eamdem terram interdicti, & in quemdam Simoniacum, qui Ecclesiam quamdam à præfatis viris certè dicitur pretio comparasse, excommunicationis sententiam protulisset, iidem viri jam dictum excommunicatum fovere non desinunt, & contrà interdictum Abbatis in præfatâ terrâ per Clericos Farfensis Monasterii qui sunt schismatici, divina faciunt celebrari. Inde est quod Fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenùs Clericos, qui scienter in præscriptâ terrâ contrà interdictum Abbatis cantaverint, omni dilatione & contradictione postpositâ, excommunicatos denuntietis, & faciatis sicut excommunicatos vitari: & cùm præfatus Abbas in supradictos viros pro tantis excessibus juxtà mandatum nostrum excommunicationis sententiam tulerit, eam omni occasione & appellatione remotâ observetis firmiter, & faciatis inviolabiter observari; nec eis præsentibus divina in Ecclesiis vestris permittatis officia celebrari, & Clericos Episcopatuum vestrorum ad terram illam pro celebrandis ibi officiis prohibeatis transire.

Datum Tusculani quarto Nonas Octobris.

Pro Quibusdam possessionibus Sancti Clementis in Marchiâ.

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Maguntin. Archiepiscopo, Salutem & Apostolicam benedictionem. Quanto dilectum filium nostrum Abbatem sancti Clementis de Piscariâ consideratione devotionis, quam circà nos & Ecclesiam gerit, & Monasterii cui præminet, quod specialiter Beati Petri juris existit, sinceriori caritate diligimus, tantò attentiùs eumdem dilectione tuæ duximus commendandum, sperantes ad interventum nostrum celeriter peragendum, quod amore justitiæ nemine commonente effectui mancipari deberet. Cum igitur occasione discordiæ, quæ diù inter Ecclesiam & Imperium fuit, præscriptum Monasterium grave sustinuerit in Marchiâ detrimentum, ad recuperandas justitias suas præfatus Abbas tuo potissimum indiget auxilio, quod tanto volumus efficaciùs ministrari, quantò propensiùs præscripto Monasterio in suis tenemur necessitatibus providere. Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolica scripta rogamus, monemus attentiùs & mandamus, quatenùs præfatum Abbatem, vel nuntios ejus, pro reverentia B. Petri & nostrâ sicut de te bene confidimus, benignè respicias, & eos qui in Marchiâ Anchonitanâ possessiones detinent ad jam dictum Monasterium pertinentes, ad eas restituendas districtè compellas, ita quòd literæ nostræ optatum sortiantur effectum, & nos sollicitudinem tuam debeamus multipliciter commendare. Nolumus autem ad restitutionem opponi, quod tempore schismatis possederunt, cum hostilitas præscriptionem probetur meritò impedire.

Datum Laterani quinto Nonas Maii.

Alia de eisdem rebus.

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Auximan. Apostolicæ Sedis Legato; Firman. Camerinen., & Senogalien. Episcopis, Salutem & Apostolicam benedictionem. Quanto majorem Beato Petro, & Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ reverentiam exhibere debetis, tanto Monasteria & Ecclesias, quæ ad nos nullo mediante respiciunt, habere tenemini propensiùs commendatas, & ab earum molestiis parrochianos vestros districtiùs cohibere. Accepimus autem quòd quidam parrochianorum vestrorum possessiones multas sancti Clementis de Piscariâ detinent, quas, instante schismate temeritate propriâ invaserunt. Quoniam igitur quanto idem Monasterium specialius Beati Petri juris existit, tanto fortiùs ejus volumus indemnitatibus provideri: Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenùs parrochianos vestros, qui vobis nominati fuerint, ad ea restituendâ quæ de jure in justè detinent, non differatis districtiùs commonere. Cæterum si invasa restituere, vel post restitutionem Monasterium quisquam vexare præsumserit, eum dilatione & appellatione remota, & excommunicationis vinculo innodetis, & usque ad dignam satisfactionem sicut excommunicatos faciatis ab omnibus evitari: sollicitè provisuri, ut ita mandatum Apostolicum exequamini, quòd Abbas pro defectu justitiæ laborare ad Sedem Apostolicam non cogatur, nec vos repulsam debeatis à vobis in vestris postulationibus sustinere.

Datum Laterani Idus Maii.

De Rocca Soti, & censu exinde solvendo contrà Gentilem de Raiano.

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus Oder. Valven. Abrutin. & Marsican. Pinnen. & Furconen. Episcopis; & dilectis Filiis capitulo Teatino, & Abbati S. Vincentii, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ex transmissâ conquestione dilecti filii nostri Abbatis S. Clementis de Piscaria, auribus nostris insonuit, quòd Gentilis de Raiano censum debitum Monasterio ejus solvere contradicit, & parrochialia jura, quæ de Roccâ de Soti ipsi de ratione debentur, in suæ salutis periculum tam Clericos quàm Laïcos reddere non permittit, nec ejus Ecclesias prout convenit ordinari. Quoniam igitur Laïci ab oppressione Monasteriorum censurâ sunt Ecclesiasticâ coërcendi, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenùs si, quod nobis propositum est veritati innititur, præfatum Gentilem excommunicationis vinculo adstringatis, & faciatis sicut excommunicatum ab omnibus evitari, quousque ablata restituat, & à præfati Monasterii molestatione desistat. Quòd si nec sic resipuerit, in terrâ ejus quamdiu præsens fuerit, divina prohibeatis officia celebrari. Quòd si omnes hæc exequi nequiveritis, duo aut tres vestrum ea nullius obstante gratiâ vel timore nihilominùs exequantur.

Datum Tusculan. septimo Idus Februarii.

Pro quibusdam Possessionibus Monasterii S. Clementis in Pinne & Aprutio.

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei, Veneralibus Fratribus Abrutino, & Pinnensi Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Significavit nobis dilectus filius noster Abbas S. Clementis de Piscariâ, quòd quidam parrochiani vestri Ro. de Malatino, Trasmundus de Roccâ, Ad. Ro. de Trojâ, & filius Aton. Theod. occasione patronatûs, quem in suis Ecclesiis asserunt se habere, bona eorum diripiunt, & Clericos deprædantur, cum nullum jus habere perhibeantur. Adjecit etiam, quòd quidam eorum in Monachum quemdam eorum & Presbyterum manus violentas injicere ausu temerario præsumserunt. Quoniam igitur damnum Ecclesiarum, & insolentiam laïcorum, clausis nolumus

nec debemus oculis pertransire, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenùs memoratos malefactores monere curetis, & diligenter inducere, ut ablata restituant, damna data resarciant, & de injuriis illatis satisfaciant congruenter. Quòd si monitis vestris non acquieverint, ipsos appellatione remotâ Ecclesiasticæ severitatis gladio feriatis. Eos verò qui manus violentas in Monachum & Presbyterum injecerunt, sicut excommunicatos faciatis tamdiù ab omnibus evitari, quousque præstitâ satisfactione absolvendi cum vestrarum testimonio literarum Apostolico se conspectui repræsentent.

Datum Tusculani septimò Idus Februarii.

Episcopis In Marchiâ constitutis pro rebus Monasterii sancti Clementis.

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei, Viro venerabili Fratri Firmano Episcopo [similiter [a] Esculano Episcopo; similiter Camerinensi Episcopo; similiter G. Subdiacono nostro Auximanensi Procuratori; similiter dilecto Filio Priori Fontis-Avellanæ] Salutem & Apostolicam benedictionem. Quanto dilecti filii nostri Leonas Abbas, & Fratres Monâsterii Sancti Clementis de Piscariâ arctiori nobis & Ecclesiæ Romanæ sunt devotione adstricti, tanto eis in jure suo curâ propensiori tenemur adesse, & hoc sibi propensiùs conservare. Unde si quidem est, quòd nos illorum justitiæ providere volentes, per Apostolica tibi scripta mandamus atque præcipimus, quatenùs possessiones, quæ in parrochiâ tuâ ad præscriptum Monasterium pertinere noscuntur, quas tu aut aliqui parrochianorum tuorum occupatas tenent, præfato Abbati & Fratribus, omni occasione & excusatione cessante, restituas, vel ita eis plenam inde justitiam facias, quòd ad nos prò juris sui defectu querelam de cætero non cogantur perferre. Quòd si earum detentores tuæ in hac parte commonitioni acquiescere fortè noluerint, tu ipsos sententiâ excommunicationis percellas, & sicut excommunicatos usque ad dignam satisfactionem facias ab omnibus evitari.

Datum Verul. octavo Calendas Aprilis.

Pro causa de castello Ripæ ventilendâ.

WILIELMUS Dei gratiâ Rex Siciliæ, Ducatûs Apuliæ, & Principatûs Capuæ, Leonati venerabili Abbati Monasterii S. Clementis fideli suo, Salutem & dilectionem. Literas honestatis tuæ, per quas curiæ nostræ supplicando mandasti, ut liceret tibi venire Panormum ad Curiam nostram, & ibidem consistere in judicio cum Guillelmo Morello de his quæ proponis adversùs eum, vidimus, & in eo petitionem tuam clementer admisimus. Mandamus itaque & præcipimus fidelitati tuæ, ut his visis literis statim venias ad Curiam nostram; nos enim mittimus præcipiendo jam dicto Guillelmo Morello per literas nostras, ut ipse similiter veniat Panormum ad Curiam nostram, paratus respondere super his quæ tu propolueris adversùs eum.

Data Panormi mense Decembri sexto Indictione quinta.

De hominibus Sancti Clementis ex castello Ripæ abstrahendis.

WILIELMUS Dei gratiâ Rex Siciliæ, Ducatûs Apuliæ, & principatûs Capuæ, Jozelmo Comiti Loriti, & Odoni de Celano Justiciariis & fidelibus suis, Salutem & dilectionem. Notum facimus vobis, quòd Leonas venerabilis Abbas Monasterii S. Clementis de Piscariâ, ad Curiam nostram veniens conquestus est, quòd Guillelmus Morellus contratenebat ipsi Abbati abstrahere quosdam homines Ecclesiæ S. Clementis de quodam castello suo, quod dicitur Ripa: verùm quia prædictus Guillelmus præsens erat, constitit in judicio in Curiâ nostrâ cum eodem Abbate; & judicio Curiæ nostræ prædictus Abbas obtinuit ut liceat ei homines ipsos de eodem castello abstrahere, & in terram suam perducere. Quare mandamus studio fidelitatis vestræ, & præcipimus, ut si prædictus Guillelmus mandatum Curiæ nostræ præterire, vel aliquatenùs differe voluerit, vos illud adimplere faciatis.

Data Salerni mense Junii quinto, Indictione quinta.

Pro rebus S. Clementis in civitate S. Angeli.

WILIELMUS Dei gratiâ Rex Siciliæ, Ducatûs Apuliæ, & Principatûs Capuæ, Jozelmo Comiti Loriti Justitiario & fideli suo, Salutem & dilectionem. Leonas venerabilis Abbas S. Clementis de Piscariâ ad Curiam nostram veniens, exposuit Majestati nostræ, dicens quòd prædictum Monasterium S. Clementis habet quosdam homines in terrâ tuâ; in civitate videlicet S. Angeli; quibus Bajuli tui multa injusta inferunt, adeo quod præfatum Monasterium redditus, & ea quæ solitum est habere, & habere debet, nullo modo potest habere; sicut ipse Abbas dicit. Unde mandamus studio fidelitatis tuæ, & præcipimus, ut si verum est illud, justè & rationabiliter emendari facias; ut prædictus Abbas super hoc ad Curiam nostram justam querimoniam ulteriùs non deducat. Præterea idem Abbas conquestus est, quòd Ecclesia sua debet & consuevit habere decimas de quodam tenimento terræ tuæ, quas ei contratenes, sicut ipse dicit. Quare mandamus tibi & præcipimus, ut, si verum est, sicut solitum est & hactenùs habuit, eas habere permittas.

Data Salerni mense Junii, Indictione quintâ.

Epistola Goffridi Comitis.

SPirituali in Christo Patri suo, fratri, & amico plurimùm dilecto Domno Leonati Cœnobii S. Clementis venerabili Abbati, Goffridus Dei & regiâ gratiâ Comes Alesin. & Domini Regis Justitiarius, Salutem & debitam in Domino reverentiam. Ex obedientiæ debito & sinceritate dilectionis, quæ nos venerabili Monasterio vestro & vobis devotos conjungunt, eâ quâ valuimus exultatione fratrem Boamundum dilectum in Christo communem fratrem, à latere vestro ad nos transmissum honorificè recipientes, petitionibus Monasterii vestri nobis per eum significatis alacriter & sincerè paruimus, partem videlicet Piscariæ in caldulis quam in domanio nostro tenemus, peciam terræ quamdam prope pontem Alesin. terram quæ fuit de Bibaldo ad plantandam vineam, & homines duos Monasterio vestro utiles concedentes, de quibus Fratri Petro Monacho vestro instrumentum necessarium fieri faciemus. Hæc autem inpræsentiarum devoto animo Monasterium vestrum augendo tribuimus, & de cætero divinâ largiente gratiâ in majora prævidebimus; vobis verò & Fratribus vestris in beneficiis & orationibus vestris pro nobis apud Dominum sit cura & memoria nostri.

a *similiter*] Hæc non exstabant in epistola ad Episcopum Firmanum: Sed à Joanne Berardi adnotatum est in contextu, similiter scriptum esse ad Episcopum Esculanum & alios, unicuique seorsim. Unde & in codice MS. vox *similiter* eo loco semper scripta est, cum atramento rubeo.

Tenementum

Tenementum S. Cristintiani ultrà fluvium Cignum locavit Abbas & concessit nobili viro MALLERIO de Palene sub præfixo tempore, & certo servitio, secundum tenorem qui in ipsius scripto concessionis invenitur. Sanctum quoque Sylvestrum de Oligeto in quodam religionis viro Joanne locavit. Quando Domnus ALEXANDER Papa Romæ synodum celebravit, Domnus LEONAS Piscariensis Abbas inter Diaconos Cardinales in eodem Concilio celebrem locum habuit. Emit profectò in ornatum Ecclesiæ S. Clementis sibi commissæ pallia, de quibus pretiosas cappas & tunicas fieri fecit. Emit & acquisivit optimas planetas, & Karissi olosèrica dossalia, & tapetia, ex quibus parietes Ecclesiæ & chori ornarentur in præcipuis festis, quæ in ejus memoriam inter alia longo tempore poterunt recognosci. Libros quoque plurimos, inter quos præcipuum librum Decretorum cum summis ejus à Magistris compositis scribere fecit, & eos in Bibliothecam Ecclesiæ Casauriensis est devotissimè contestatus. Hunc quoque librum instrumentorum, seu Chronicorum, quem ego frater JOANNES composui & ordinavi, & Magister RUSTICUS manibus scripsit, ipso permittente, imò jubente ac adminiculante, perfecimus. Antiquum vero palatium Abbatum, quia vetustate consumptum suo tempore cecidit, illud renovare cœpit, sed aliis negotiis supervenientibus opus ipsum fuit intermissum. Porrò domum quam in ejusdem palatii exordio construxit, in horreum Ecclesiæ deputavit. Domum quoque ligneam ad receptionem adventantium construxit ante ipsius Ecclesiæ vestibulum.

Author Chronici Casauriensis.

Inspirante igitur post hæc illum supernâ gratiâ, & devotione quam erga gloriosissimum Martyrem Clementem habebat, ipsius Ecclesiam opere mirifico renovare cœpit, & copiosis expensis & apparatibus, & magistrorum & cæmentariorum agminibus aggregatis; primò frontispitium cum tribus portis ædificavit, & ibidem sculpturis apparentibus decoravit. Denique ipsam pulcherrimam porticum, quæ est ante, levavit, & sicut cernitur in tumbam fabricavit, & priori operi conjunxit. Cui superædificavit oratorium ad honorem S. Michaëlis Archangeli, & S. Crucis, Sanctique Thomæ Martyris consecrandum; sed antequam opus ipsum consummare potuisset, occurrit ei finis vitæ. Quando vero fundamenta posuit, erat annus Incarnationis Domini millesimus centesimus septuagesimus sextus. Unde sic est versificatum:

1176.

Hoc templum primò Ludovicus struxit ab imo;
Abbas quod clarè Leonas cupiens renovare,
Cum voto magno Domini fundavit in anno
Milleno seno centeno septuageno.

Senescente jam itaque Domno LEONATE Abbate, biennio ante mortem suam frequentes patiebatur infirmitates; tempore verò veris subitò gravissimâ & funereâ pulsatus ægritudine, adstantibus omnibus fratribus & flentibus moriens, viam universæ carnis intravit, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octogesimo secundo; Abbatiatûs autem sui vicesimo septimo, octavo Calendas Aprilis die celeberrimo festivitatis gloriosissimæ Virginis MARIÆ, quo salus hominum ab Angelo sibi fuit annuntiata. Quo etiam die in ipso anno ferià quintà cœna Domini celebrabatur. Quam verò diem ipse clarissimus Abbas reverentiùs atque devotiùs in suscipiendis pauperibus, & cæteris ipsius diei mysteriis, præ omnibus diebus anni quamdiù præfuit Ecclesiæ, celebrare consuevit. Sepultus namque est in Claustro juxtà parietem Ecclesiæ in tumulo sibi præparato, ut ibidem à Fratribus quos educavit reverenti oculo videri possit indesinenter. 1182.

EPISTOLA ROBERTI COMITIS Capitulo Sancti Clementis post mortem Domni Abbatis.

ROBERTUS Dei & Regis gratiâ Casert. Comes, Magnus Comestabulus, & mag. Justiciar. totius Apuliæ, & terræ Laboris, Capitulo S. Clementis de Piscariâ amicis suis, Salutem & amorem. Nos audivimus & pro certo scimus, quòd Ecclesia vestra in manibus Domini nostri Gloriosissimi Regis est. Quare mandamus vobis, & ex parte Regiâ præcipimus, ut si quid evenerit in Ecclesiâ vestrâ quod justitiæ pertineat, scire faciatis Domino Comiti TANCREDO, aut nobis; & vos non constringatis nisi per nos de hoc quod justitiæ pertinet.

SANCTO CLEMENTI.

CLEMENS *ob lumen scriptum tibi tolle Volumen,*
Hæc ut scripturâ tua sint in lumine jura:
Scriptis noscantur, quæ sint tua jura legantur.
Sit liber gratus, quem servulus est operatus:
Cui tui sis clemens proprio de nomine Clemens:
Perpetuis annis Fratris memor esto Johannis.

FRATER JOHANNES BERARDI.

FINIS.

INDEX

MARTYROLOGIORUM.

Litera H. *Martyrologium Hieronymi nomine insigne indicat : litera* B. *Martyrologium Venerabilis Bedæ : litera* G. *Martyrologium Gellonense : litera* W. *Martyrologium Wandalberti : literæ* VC. *Calendarium Vetus.*



E.

Eufrasius

G.

H.

I.

L.

N.

Q.

R.

S.

T.

V.

Valentianus 20 *Aug.* H
Valentina 6 *Mai.* 2 *Jun.* H 9 *Dec.* H. W
Valentinianus 20 *Aug.* G
Valentinus 14 *Feb.* H. B. G. W. VC 20 *Mar.* G. W 14 *Apr.* H 29 *Apr.* H. G 2 *Jun.* 10 11 16 *Jul.* H 21 *Aug.* H. W 2 *Sept.* H 10 *Sept.* H. G 11 13 *Nov.* 13 *Dec.* H. G 16 *Dec.* H. G. VC 17 *Dec.* W
Valentius 1 *Sept.* H. G 27 *Nov.* H
Valeria 30 *Mar.* H 31 *Mar.* G 24 *Apr.* 6 26 *Mai.* 3 16 19 *Jun.* 24 28 *Sept.* H 10 *Dec.* G 13 *Dec.* H
Valeriana 15 *Nov.* H
Valerianus 31 *Mar.* W 14 *Apr.* H. G. W. VC 21 *Apr.* H. G 24 *Apr.* H 27 *Apr.* VC 17 *Jun.* H 20 *Jul.* H. G 9 *Aug.* H 11 *Aug.* G 15 17 *Sept.* H. G 15 *Nov.* G 16 *Nov.* H 22 26 *Nov.* H. G
Valerius Episc. 22 *Jan.* H. G 29 *Jan.* H. W 6 *Mai.* H. G
Valerius 22 *Feb.* H 11 *Mar.* H. G. W 2 *Apr.* H 12 *Apr.* G 23 *Apr.* H 14 *Jun.* H. G. W. VC 15 *Sept.* 23 31 *Oct.* H 16 *Nov.* H. G
Valis Presb. 21 *Mai.* H. G
Varicus 12 *Apr.* 15 *Nov.* H
Vatalica 2 *Jun.* H
Vedastus Episc. 6 *Feb.* H. G. VC 1 *Oct.* W. VC 26 *Oct.* W
Vellesius Episc. 20 *Mai.* H
Vendeus 26 *Apr.* H
Veneria 17 27 *Jan.* 28 *Feb.* 6 *Mai.* 3 *Jun.* H 7 *Aug.* H. G 12 *Aug.* 17 *Oct.* 6 *Nov.* H
Venericinus 6 *Nov.* H
Venerius 12 *Aug.* G
Venusta 2 *Jun.* H
Venustus 12 23 *Apr.* 6 10 *Mai.* H 22 29 *Mai.* 28 *Jun.* 10 *Oct.* H. G
Veracus 15 *Nov.* H
Veranus Episc. 11 *Nov.* H. G
Verecia 12 *Aug.* H
Vereunda 2 *Apr.* H
Verena 1 *Sept.* W
Verianus 3 *Jun.* H
Vericus 1 *Jun.* H
Veris 13 *Mai.* H
Verociana 23 *Nov.* H
Verocianus 22 23 *Nov.* H
Veronica 15 *Apr.* H. G 11 *Jul.* H
Verus 21 *Nov.* H 2 *Dec.* G. W
Vethus 2 *Jun.* H
Veturius 17 *Jul.* H
Vetusa 18 *Jul.* H
Viator Episc. 14 *Dec.* W. VC
Viator 21 *Oct.* H. G
Viatrix 29 *Jul.* VC 30 *Jul.* G
Vibianella 10 *Dec.* H
Vibianus Episc. 25 *Oct.* H
Vibianus 6 *Mar.* 4 *Mai.* H
Vicicianus 18 *Dec.* H
Victaricus 11 *Dec.* G
Victia 28 *Mai.* H

Victor Episc. 20 *Apr.* 1 *Sept.* H. G. W 14 *Dec.* H. G
Victor 1 *Jan.* H. G 11 17 19 21 27 28 *Jan.* H 29 *Jan.* H. G 31 *Jan.* H. G. W 1 *Feb.* H 2 *Feb.* H. G 11 12 *Feb.* H. W 15 *Feb.* H. G 17 *Feb.* H 20 *Feb.* H. G. W 24 *Feb.* H 5 *Mar.* H. G 6 *Mar.* H. G. W 18 *Mar.* H. W 26 *Mar.* W 30 *Mar.* 1 *Apr.* H. G. W 2 4 *Apr.* H. G 6 *Apr.* H 7 *Apr.* H. G 18 21 *Apr.* H 24 *Apr.* H. G. W 26 *Apr.* H 27 *Apr.* H. G 28 *Apr.* G 30 *Apr.* G 6 *Mai.* H. G 8 *Mai.* H. G W 10 13 *Mai.* H 14 *Mai.* H. G. W 15 17 18 *Mai.* 11 *Jun.* H. G 1 *Jul.* H 20 21 *Jul.* H. G 24 *Jul.* H. W 28 *Jul.* G 26 *Aug.* H 10 *Sept.* W 16 21 *Sept.* H. G 24 30 *Sept.* H 3 *Oct.* H. G 8 *Oct.* G 10 *Oct.* H. W 18 *Oct.* H 24 *Oct.* H. G. W 30 *Oct.* 1 *Nov.* H 2 *Nov.* G 4 *Nov.* H. W 13 *Nov.* H 16 *Nov.* H. G 17 *Nov.* H. W 18 *Nov.* H. G. W 20 25 *Nov.* H 3 *Dec.* H. W 5 9 10 *Dec.* H. G 14 *Dec.* H 15 *Dec.* G 17 *Dec.* H 18 *Dec.* H. W 23 *Dec.* W 28 *Dec.* H 29 *Dec.* G
Victoria 17 *Jan.* H 27 *Jan.* W 6 12 17 22 *Feb.* 13 *Mar.* 12 *Apr.* 6 7 8 10 11 *Mai.* H 20 *Mai.* H. G 25 31 *Mai.* 1 2 3 *Jun.* 10 *Jul.* 24 28 *Sept.* H 16 *Oct.* G 17 *Oct.* H 18 *Oct.* G 24 31 *Oct.* 11 *Nov.* 2 *Dec.* H 9 *Dec.* H. G 13 15 *Dec.* H 17 *Dec.* H. G 18 *Dec.* H 21 *Dec.* G 23 *Dec.* G. W 29 *Dec.* H
Victoriana 25 *Dec.* H
Victorianus 19 *Jan.* 6 14 *Mai.* H 16 *Mai.* G 2 *Jun.* H 11 *Jan.* H. G 8 *Aug.* 10 *Dec.* H 17 *Dec.* H. G
Victoricus 17 *Jan.* 24 *Feb.* H 20 *Mar.* H. G. W 17 *Apr.* H 18 *Apr.* H. G 23 *Mai.* 27 *Jun.* 18 *Oct.* 3 *Dec.* H 11 *Dec.* H. W
Victorina 22 *Feb.* 17 *Mar.* H 18 *Apr.* G 10 *Mai.* 13 *Jun.* 18 *Oct.* 4 26 *Nov.* H
Victorinus 14 18 28 *Jan.* H 21 *Feb.* H. G. W 22 *Feb.* H 23 *Feb.* G 24 *Feb.* H. G 25 28 *Feb.* 4 *Mar.* H 6 *Mar.* H. W 7 13 *Mar.* H. G 20 *Mar.* H 24 *Mar.* H. G 25 *Mar.* H 29 *Mar.* H. G. W 12 18 23 24 27 28 29 *Apr.* 6 11 31 *Mai.* 3 *Jun.* H 24 *Jul.* 8 *Aug.* 5 *Oct.* H. G 31 *Oct.* 1 *Nov.* H 2 *Nov.* W 8 9 11 27 *Nov.* 2 7 13 18 *Dec.* H
Victorius 7 *Mai.* H 17 *Oct.* G 16 *Nov.* 1 *Dec.* H 4 *Dec.* H. W 15 *Dec.* H

Victricius 17 *Jan.* G
Victrix 18 *Oct.* H
Victurus Episc. 7 *Mai.* H
Victurus 28 *Feb.* H 1 *Mar.* H. G 4 *Mar.* 23 26 *Apr.* 7 10 *Mai.* H 21 *Mai.* H. G 23 25 *Mai.* H 26 *Mai.* H. G 27 29 31 *Mai.* 5 *Jun.* H 7 *Jun.* H. G 10 *Jun.* H 1 3 4 *Dec.* G 29 *Dec.* H
Vigilantius 31 *Oct.* H. G
Vigilius 25 *Jun.* H
Vigor Episc. 1 *Nov.* H. G
Vincentia 24 *Jan.* G 28 *Jan.* 1 *Feb.* 20 *Apr.* 2 *Jun.* H 14 *Aug.* H. G 16 *Nov.* H
Vincentius Episc. 6 *Jun.* H
Vincentius Diac. 22 *Jan.* H. G. W. VC
Vincentius 11 13 17 21 *Jan.* H 22 *Jan.* G 12 *Feb.* H 14 *Feb.* H. G 16 *Feb.* H. W 16 *Apr.* H 19 *Apr.* H. G 20 *Apr.* W 16 *Mai.* H. G 24 *Mai.* H. G. W 25 *Mai.* 1 *Jun.* H 2 *Jun.* H. G 9 *Jun.* 23 *Jul.* H. G. W 21 31 *Aug.* H. G 27 *Oct.* W 31 *Oct.* 11 *Nov.* H. G 12 *Nov.* H 17 *Dec.* H. G 18 *Dec.* H. G. W
Vindemialis 1 *Feb.* H. G
Vindeus 26 *Apr.* G
Vingelosinus 12 *Mar.* H
Vippiapilus 28 *Mai.* H
Virianus 3 *Jun.* 9 *Aug.* H
Vironicus 10 *Jul.* H
Virtunia 6 *Mai.* H
Virulus 21 *Feb.* H. G
Vitalianus 10 *Jan.* H
Vitalica 31 *Aug.* 4 *Sept.* H
Vitalicus 7 *Mai.* H
Vitalis 2 *Jan.* H. G 9 *Jan.* H. G. W 19 *Jan.* H 11 *Feb.* H. W 14 *Feb.* H. G. W. VC 12 *Apr.* H 19 *Apr.* G 21 23 *Apr.* H. G 28 *Apr.* H. G. W. VC 29 *Apr.* H. G 8 *Mai.* 2 *Jun.* H 19 *Jun.* H. G 20 *Jul.* H. G. W 9 *Jul.* H. W 10 *Jul.* H 31 *Aug.* G 22 *Sept.* H. G 24 *Oct.* H. G. W 25 *Oct.* H. G 30 *Oct.* H 31 *Oct.* H. G 1 2 *Nov.* G 3 *Nov.* H. G. W 16 19 *Nov.* H. W 23 25 *Nov.* H 27 *Nov.* H. W 10 *Dec.* H. G
Viticus 8 *Jun.* H. G
Vitus 21 *Jan.* H 28 *Jan.* G 26 *Apr.* H 15 *Jun.* H. G. W 16 *Jun.* G
Viventiolus Episc. 12 *Jul.* H. G
Vivetus 27 *Oct.* H
Viviana 2 *Dec.* G
Vivianus Episc. 28 *Aug.* H. G
Ulpius 2 *Jun.* H
Umbinus 4 *Dec.* G
Umbucus 3 *Dec.* H
Umbunus 4 *Dec.* H
Unica 16 *Apr.* H
Vogonuptus 18 *Mar.* H
Volusianus 18 *Jan.* W 21 *Mar.* H. G

ERRATA TOMI I.

Primus numerus indicat paginam, alter columnam, tertius lineam.

PAg. 46 *not.* c *lin.* 14 Rotberto... quæat *lege* Ratberto... queat 53, *col.* 2, *lin.* 41 virgini est *lege* virginis est 54, 1, 10 propterea *lege* propter ea 57, 2, 6 repetitur *lege* reperitur 60, 2, 53 oret risulco *lege* ore trisulco 64, 1, 2 & 6 linunt *lege* liniunt 70, 1, 41 ulio super *lege* ulla super 72, 1, 19 testatur professio *lege* obstat professio *ibid.* 58 incommutabilis, quod si tamen in *lege* incommutabilis quod sit tam in 81, 2, 41 molitus quis *lege* molitus si quis 84, 1, 11 nunc agit *lege* nunc ait 287, 2, 18 Ex evidentissimis *lege* En evidentissimis 350, 2, 15 quo de beret *lege* quo deberet 360, 1, 16 utique Scardus *lege* utique scardus. *Voluit dicere* parum liberalem. *Gallice* eschars *ibid.* 60 præ utilitate *lege* præ vilitate *ibid.* 2, 66 imò in cœlo *lege* imò in Clero 361, 2, 58 ne linguam *lege* ne linquam, & *dele notam* h 367, 2, 28 restruendarum necessario *lege* restruendarum Ecclesiarum 369, 1, 3 anribus *lege* auribus *ibid.* 32 Quid verè *lege* Quid verò 371, 2, 26 convertar... nullos suos *lege* convertatur... nullos vos 374, 2, 45 quod caperem *lege* quod carperem 375, 1, 27 utium illi *lege* utrum ulli 385, 1, 12 clementiam *lege* dementiam 392, 2, 53 dente, purgare *lege* dentes purgare 395, 2, 36 illos reatus, licet *lege* illos, reatus licet 411, 2, 38 on est liberà la queis diaboliqui *lege* non est liber a laqueis Diaboli, qui 429, 1, 56 quam parcorum *lege* quam paucorum 431, 2, 42 epxellere *lege* expellere *ibid.* 45 cnim *lege* enim 438, 1, 3 sepotito *lege* seposito *ibid.* 26 Invitissimo *lege* Invictissimo 489, 1, 2 furtim discesserit *lege* furtum discesserit *ibid.* 2, 35 communitur *lege* communiter 492, 42, obscuritate *lege* obscuritatem 493, 2, 9 sobitum..... Episcopi *lege* obitum.... Episcopi 498, 1, 4 De his qui *lege* De his quæ 502, 2, 13 permissinem *lege* permissionem 510, 22 moraliter vivunt *lege* mortaliter vivunt 524, 1, 8 Ecclesiasticos *lege* Catholicos 5 6, 1, 23 fortè ille *lege* fortè illa 539, 2, 2 & 5 possessionem *lege* professionem 542, 1, 37 statim *lege* statum 590, 2, 27 geminam suam *lege* heminam suam 592, 2, 43 condonamur *lege* condonantur 608, 1, 5 fegitima *lege* legitima 624, 1, 57 obstupacti *lege* obstupefacti 628 *not.* b *lin.* 4 1701 *lege* 1071. 648, 1, 15 nunc potiores *lege* nunc pauciores 650, 1, 20 qui ab *lege* quid ab 755, 2, 30 bservent in suis Diœcesibus : nisi *lege* observent : in suis Diœcesibus, nisi 850, 2, 35 cebrata *lege* celebrata.

ERRATA TOMI II.

PAg. 68, *col.* 2, *lin.* 57 & derelinque *lege* En derelinquo 70, 1, 17 ostendat *lege* offendat *ibid.* *l. ult.* etiam *lege* & jam 71, 1, 32 Baetissimus *lege* beatissimus 72, 1, 39 manifestoria *lege* mani-

festiora sint 73, 1, 48 defuere *lege* adfuere 75, 1, 59 claustra *lege* plaustra 107, 1, 38 attonius *lege* attonitus 113, 1, *lin. ult.* quippe *lege* quique 115, 1, 20 emissâ *lege* immissâ 119, 1, 32 eadem *lege* eamdem *ibid.* 2, 58 frigorem *lege* fragorem 138, 4, *ante ult.* generi *lege* generis 229, 2 *lin. ult.* n loco *lege* in loco 230, 2, 7 ingressi *lege* ingressis 9, ipsoque *lege* ipsosque 242, 2, 27 beatrix, *scribe* Beatrix 246, 1, 48 per legato *lege* per legatos 257, 2, 5 *ante ult.* Legardi *lege* Segardi 283, 2, 40 Fulgo venerabis *lege* Fulco venerabilis 286, 1, 47 se intuentes *lege* se intuens 289, 2, *notam marg. ult.* Robertus Dux Norman. *dele*, & *scribe* Robertus Abbas Fontanel. 295 *not.* e *l.* 1 repræsentta *lege* repræsentat 328, 1, 4 *ante ult.* Baiocanissæ *lege* Baiocassinæ *ibid.* 2, 8 qui ostendat *lege* quin ostendat 17, S. Victor *lege* S. Vigor 338, 2, *l. penult.* unanimus *lege* unanimis 346, 1, *l. ult.* mentis Gervini *lege* meritis Gervini 361, 1, 3 confirmatum, & *lege* confirmatum est 363, 1, 4 sancto Bigno *lege* sancto Benigno 364 *not.* m *l.* 3 mihi sanè non *adde* non fit verisimile 365, 1, 8 Mitius *lege* Micetius 369, 1, 9 inesse consilium *lege* initiisse consilium *ibid.* 27 Calibono *lege* Cabillono *ibid.* 12 *ante ult.* apud Tricinum *lege* apud Ticinum 384, 2, 13 decentesimum *lege* decentissimum *ibid.* 36 causæ *lege* clausæ 388, 2, 27 vinopitionem *lege* wirpitionem 426, 2, 10 Sigifregi *lege* Sigifredi 433, 2, 16 *ante ult.* cognomeneo *lege* cognomento 437, 2, 5 dedit capellæ *lege* dedit partem Capellæ 439, 2, 49 Hotum *lege* Notum 448, 2, 15 *ante ult.* dignaretur *lege* dignarentur 455, 1, 41 Pater *lege* Patet 460, 1, *lin. penult.* habuit lium *lege* habuit filium 470, 1, 10 *ante ult.* Boso nomino *lege* Boso nomine 471, 2, 4 Archiepiscopus *lege* Archiepiscopos 10 hymos *lege* hymnos 474, 1, 12 Pariensis *lege* Parisiensis 492, 2, 29 Catursiensis *lege* Caturtensis 507, 1, 28 Tizeliacensi *lege* Vizeliacensi 520, 2, 11 in sede loco *lege* in Sedeloco 528, 2, 24 suæ tuitionem *lege* sive tuitionem 533, 2, 20 *ante ult.* illius quidam *lege* illis quidam 14 *ante ult.* armatæ *lege* armati 536, 2, 11 unó voco *lege* uno voto *l. ult.* de Patiis *lege* de Pratis 538, 2, 17 Angelorum *lege* Anglorum 548, 2, 33 ludino *lege* lupino 549, 1, 19 tius *lege* potius 26 Superior *lege* Subprior 550, 1, 19 *ante ult.* eribuit *lege* erubuit 552, 1, 9 intonuit *lege* innotuit 557, 2, 21 *ante ult.* utilitatem *lege* vilitatem 558, 1, 11 preteriti *lege* peiterriti 570, 1, 18 ordinantis *lege* ordinatis 574, 1, 36 incolumen *lege* incolumem 576, 2, 24 admistratione *lege* administratione. *In notâ dele* ac sic Peregrinum 577, 1, 4 *ante ult.* certitudins *lege* certitudine 579, 1, 21 navalium *lege* novalium 600, 1, 24 *ante ult.* item au- *lege* item auam 614, 2, 17 propositione *lege* pro positione 627, 2, 1 eâdam *lege* eâdem 630, 1, 31 Antecidensem *lege* Anteradensem *l. ult.* preprio *lege* propria, 2, *l. ante penult.* à æculo *lege* à sæculo 640, 1, 14 *ante ult.* subbitis *lege* subditis 641, 1, *l. penult.* fœdo *lege* feodo, 2, 23 te juxta *lege* juxta, 47 Ræenum *lege* Rhenum 644, 1, 3 novissims *lege* novissimis 45 consummatis *lege* consummatus, 2, 8 *ante ult.* optior *lege* potior 649, 2, 13 *ante ult.* vallorem *lege* vastatorem 655, 2, 2 Novicrasti *lege* Novicastri 656, 1, 6 pissimè *lege* piissimæ 668, 1, 3 *ante ult.* libini *lege* libidini 673, 2, 32 de liberari *lege* liberali *l. ante penult.* clamentium *lege* clamantium 674, 1, 39 tradidi *lege* tradidit 56 & contra *lege* & Comitem 676, 1, 3 itertexta *lege* intertexta 677, 2, 5 Duc *lege* Dux 3 *ante ult.* etruserunt *lege* detruserunt *l. ult.* libidonisi *lege* libidinosi 681, 1, 33 irreprissibilem *lege* inexprissibilem 682, 2, 15 parvi *lege* parui 684, 1, *l. ult.* astussimâ peitractione *lege* astutissimâ pertractatione 686, 2, 19 *ante ult.* simplium *lege* simplicium 688, 1, 35 repugnebant *lege* repugnabant, 2, 10 faciemque *lege* facileque 692, 2, 33 neque *lege* meque 695, 1, 20 viderentque *lege* videretque 697, 2, 15 & atrio *lege* & Imperio 698, 1, 35 intereat *lege* intererat 704, 1, 4 redemptionem *lege* redemptione 711, 2, 36 complectabatur *lege* complectebatur 723, 1, 3 Theodericæ quivocali *lege* Theoderici æquivocali 734, 2, 35 adjectissimus *lege* abjectissimus 736, 1, 16 *ante ult.* Quid *lege* Qui, 2, 11 reisus *lege* reversus. *In notâ* intet *lege* inter 737, 1, 43 cerinens *lege* cernens, 2, 24 prosopiâ *lege* prosapiâ 744, 1, 11 *ante ult.* Lodiensi *lege* Leodiensi 760, 2, 42 pærfecit, *lege* præfecit *in margine* condi *lege* condit 769, 2, 2 imitamus *lege* imitatus 777, 2, 13 *ante ult.* Ecclesiam, nisi te *lege* Ecclesiam irent, nisi ante 782, 2, 19 dipingi *lege* depingi 783, 1, 48 Rotbero *lege* Roberto 784, 2, 37 sancti *lege* sanctæ 785, 1, 44 Abbato *lege* Abbate 786, 2, 30 cujus *lege* ejus 790, 1, 4 *ante ult.* Eunna *lege* Emma 2, 24 sancti *lege* sanctæ 791, 1, 7 *ante ult.* nostro *lege* nono 792, 2, 1 visus *lege* nisus 794, 2, 15 Balduinis *lege* Balduinus 799, 2, 19 *ante ult.* intefectis *lege* interfectis 802, 2, *in marg.* 1156 *lege* 1136. 805, 2, 6 itaqnæ *lege* itaque 808, 2, 17 Kairosensem *lege* Karrofensem 814, 1, 3 quævientes *lege* convenientes 815, 2, 31 suo *lege* suâ 817, 2, *lin. penult.* marltus *lege* maritus 818, 1, 18 *ante ult.* ratus *lege* rarus 820, 1, 24 Comitissimam *lege* Comitissam, 2, 42 Montesis *lege* Montensis 827, 2, 23 honore *lege* onere 837, 2, 11 *ante ult.* jubemus *lege* jubemur 843, 2, 15 recognoveverunt *lege* recognoverunt 13 *ante ult.* alcujus *lege* alicujus 852, 1, 12 *ante ult.* mortem *lege* morem 865, 1, 3 *ante ult.* fallicibus *lege* fallacibus 870, 2, 18 magis *lege* magnis 886, 1, 21 postulerunt *lege* protulerunt 40 Canicorum *lege* Canonicorum 889, 2, *lin. ante penult.* exsufsluans *lege* exsufflans 893, 1, *lin. ante penult.* Milies *lege* miles 896, 2, 28 loricanus *lege* loricatus 897, 2, 49 commonitur *lege* commonitus 898, 1, 4 *ante ult.* itatus *lege* iratus, 2, 4 *ante ult.* juvis *lege* juvenis 899, 1, 1 intefecto *lege* interfecto 10 audentiam *lege* audientiam 902, 1, 8 *ante ult.* dutum *lege* dudum 910, 1, 7 & 6 *ante ult.* posternuntur .... qui tamen *lege* prosternuntur.... quia tamen *in margine* monasterium *lege* monasteriorum 912, 1, 39 corpus *lege* corporis-, 2, 5 frustrum *lege* frustum 30 Cachedrâ *lege* Cathedrâ 40 fustituerant *lege* sustinuerant 914, 1, 9 Elpiscopo *lege* Episcopo 28 excommanicantur *lege* excommunicantur 920, 2, 19 atiquam *lege* antiquam 30 Roman *lege* Romam 921, 1, 39 quem sib *lege* quem sibi, 2, 36 po eo *lege* pro eo 929, *lin. ante penult.* domino *lege* dominio 944, 1, 44 incolumes *lege* si incolumes 945, 2, 12 & omnia *lege* & cum omnia 947, 1, 30 scrito *lege* scripto 952, 2, 48 in acie *lege* macie 959, 1, 47 approprians *lege* appropians 965, 2, *lin. penult.* protestate *lege* potestate 966, 1, 9 joca *lege* loca 969, 2, 49 mens ne *lege* timens ne 970, 2, 35 revertia *lege* reverentia 975, 1, 41 dilectione *lege* dilectioni.

